GERARDI JOANNIS VOSSII

ARISTARCHUS,

SIVE

DE ARTE GRAMMATICA

LIBRI SEPTEM.

Accedunt de

VITIIS SERMONIS,

ET

GLOSSEMATIS

LATINO-BARBARIS,

LIBRI NOVEM.

Quorum quinque posteriores nunc primùm prodeunt.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & I. BLAEV,

Prostant apud IANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, à SOMEREN, & GOETHALS.

M DC LXXXXV.

GERARDI JOANNIS VOSSII
ARISTARCHUS,
SIVE
DE ARTE GRAMMATICA
LIBRI SEPTEM.

Quibus cenſura in Grammaticos præcipuè veteres exercetur; cauſſæ Linguæ Latinæ eruuntur; Scriptores Romani illuſtrantur, vel emendantur.



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & I. BLAEU,
Proſtant apud IANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, à SOMEREN, & GOETHALS.
M DC LXXXXV.

KAROLO,

DEI GRATIA MAGNÆ BRITANNIÆ

PRINCIPI,

DUCI CORNUBIÆ ET ROSAIÆ,
COMITI CESTRIÆ ET CARICTÆ;

FILIO PRIMOGENITO INVICT^mi MONARCHÆ,

KAROLI,

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ,
ET HIBERNIÆ REGIS,
FIDEI DEFENSORIS, &c.

DIes nulla, Celſiſſime PRINCEPS, oblivione delebit memoriam eorum, quæ literas, maximeque ſacras colentibus conferre non ceſſat auguſtiſſimus Rex KAROLUS, tuus idemque patriæ parens, & iis qui ſtudia tractant, quaſi numen tutelare. Cùm enim ampliſſima poſſideat regna, ac præſtantium ingeniorum adeò feracia, ut exteris minimè indigeat: novi tamen Triptolemi inſtar beneficentiæ ſemina, non in ſua modò Britannia, ſed aliis etiam terris, longè lateque ſpargit. De ſe Gallia, & nationum cæteræ, prædicabunt. Mihi tacere ſit nefas de Fœderata hac Belgica: ubi me, licet inſperantem, uberrimo beneficæ naturæ ſuæ fructu ſic ornavit, atque auxit, ut, quoties me proprio pede metior, divinam hanc benignitatem vix cogitatione, nedum verbis, aſſequi poſſim. Eo magis jam diu laboro, ut de ſanctiore ſtudiorum penu quæpiam depromam, quibus memorem gratumque, ſaltem ut poſſim, animum erga Dominum, Regemque meum teſter. Sed cùm ea in tam occupato vitæ genere necdum ad editionem publicam maturuerint; & nihil ita deproperari debeat, ut operâ tumultuariâ publico minùs proſim: ſenſim in cogitationem deveni, aliquid interea præſtandi, quod tibi, Sereniſſimæ Majeſtatis primogenito, non incongruens

videretur. Ætas enim tua, Illuſtriſſime Princeps, jam literaturæ eſt idonea. Opus autem hoc eſt de literis, ſyllabis, vocibus, & earum nexu. Quorum etiam omnium cauſſas, prout otium & tempus ferent, hinc poteris haurire. Haut equidem diffiteor, multa à nobis diſſeri, quæ in regnorum ingentium ſpem creſcenti delibare ſuffecerit. Attamen vel longè me ratio fugit, vel tantulæ ætatis tanto Principe non indignum erit, ſi cara Britannicæ Nobilitatis pignora, atque alii etiam, quibus noſtra iſta, vel iis ſimilia, pleniùs ſint cognoſcenda, non aliunde ea, quàm à Principali Tuo faſtigio, velut lumen à Pharo accipiant. Imò quis dubitat, quin laudi maximæ ſit futurum, ſi quantum ſtemmate Regio, tantum univerſis etiam literis præcellas: juxta illud Mæonii vatis, Magno quoque Pompejo commendatum olim à Poſidonio:

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Siquidem aureum hoc dictum in doctrinarum quoque ſtudiis locum ſibi vindicat; maximeque apud Magnæ Britanniæ Principem: à quo, ſi à Regiæ proſapiæ quoquam, non regnum hoc modò, ſed verò orbis Chriſtianus, ſolidam potiùs, quàm umbratilem & tralaticiam doctrinam exſpectat. Quod quas faces, quos ſtimulos ſubdere animo oportet! Nec obſcura eſt ratio, cur tam pulcram omnes opinionem conceperint: quando ſi univerſa terrarum regna conferamus, nullum comperiemus, quod principes tot genuerit doctrinâ non minus, quàm ſceptro inſignes. Quin in eo videmus, raro prorſus exemplo, in ſocietatem hujus gloriæ etiam venire reginas. Non jam ab ovo, quod dicitur, rem arceſſam: ut olim Antimachus Clarius, ſive alius potiùs, qui, rem Trojanam ſcripturus, ab Jove eſt auſpicatus in olorem converſo, Ledæque ovo, Helenam unde natam fabulantur. Et tamen noſtra ſe quoque offert nobis Helena, ſed Chriſtiana, eaque Auguſta: Flavii Conſtantii Cæſaris conjux, unica Coïli, apud Britannos regis, filia, regnique hæres, & artibus iis, quæ liberales dicuntur, affatim exculta, nec Latinis ſolùm literis, ſed Græcis etiam verſibus pangendis excellens: eaque omnia, ſi Pontico Virunio fides, à parente ipſo edocta, quò, eo vitâ functo, digniùs ſuccederet. Nec in laudes excurram Edithæ, Comitis Cantiani filiæ, Eduardi Confeſſoris, Regis optimi, & pro temporibus iis, eruditiſſimi, conjugis digniſſimæ: quam incredibilis fuiſſe doctrinæ, Gervaſius Dorobernenſis auctor eſt. Prætereo quoque Mathildim cognomento Bonam, Milcolumbi Scotiæ regis filiam, triumque in

ea

ea regum, Edgari, Alexandri, & Davidis sororem; Henrico I, Anglorum regi, nuptam: quæ & ipsa non eruditionis minùs, quam pietatis laudem meruit. Omittam quoque cæteras, quas alterutrum vetusto ævo regnum dedit: meque intra Henrici VIII prolem continebo. Quamquam nec immorari hìc animus Mariæ, literis Latinis & Græcis optimisque scientiis imbutæ, magnamque id partem de consilio Ludovici Vivis, viri ut variæ doctrinæ, ita sapientiæ prope incomparabilis. Nimirum, pro instituto nostro, una suffecerit Elisabetha, literarum linguarumque scientià ad miraculum instructissima. Necdum ea annum implêrat septimumdecimum, 'cùm tersè loqueretur, non Gallico solùm vel Italo sermone, sed etiam Romano; Græcè quoque lectitaret, primùm novi Fœderis codicem, hinc alios atque alios, imprimis Sophoclem: imò Isocratis illam ad Nicoclem, & alteram, quæ Nicocles inscribitur, Latinè redderet. Et quod majorem habet admirationem, non resedit ardor ille studiorum, ubi regium tenuit sceptrum: sed tum quoque, nisi per regni negotia staret, versare illa præstantissimos Latii, ac Græciæ scriptores, inde linguam expolire, animum salubribus pascere præceptis & exemplis. Imò huc usque ejus progressam esse industriam accepimus, ut de Consolatione Philosophiæ Boëthium, de Arte Horatium, de Jugurtha Sallustium, de curiositate Plutarchum, & alios, qui me fugiant, Anglicè verteret, suàque manu transcriberet. Quid quod tum etiam ingenii sui aliqua condidit monumenta? In quibus non infimum locum merebantur tot orationes, non minùs illæ Romani sermonis puritate, quàm sententiarum pondere commendabiles. Earum habuit alias ad exterarum gentium Legatos, alias ad Angliæ suæ Academicos: quorum studia quantopere foverit, grandi illud argumento erit, quòd curârit quotannis sibi commentariolis perscribi, qui potissimum, & qua parte excellerent, ut ita virtuti cujusque meliùs pretium rependeret. Atque hæc eo potissimùm animo, Illustrissime PRINCEPS, à me dicuntur, ne sublimem erectamque mentem, cujus semina jam exserere sese cupiunt, sic unquam demittas, ut alter sexus, etsi & ipse laudatissimus, doctrinæ nomine prævertat. Sed de subole hac optimi maximique Regis KAROLI, JACOBI Sapientissimi nepote, longè alia omnes auguramur, certoque nobis promittimus. Quin igitur, quod tam generosâ indole dignius, heroum potius quàm heroinarum exempla ob oculos ponimus? Ante omnes Constantini Magni: qui Britanniam tuam, quamvis antea

tea & rebus gestis nobilem, & eo nobiliorem, quòd prima provinciarum fidem recepisset Christianam, partim nascendo in illa nobilissimam fecit, partim eo quòd Imperator hìc salutatus, & illam, & quicquid terrarum Christum recepit, immortali sibi beneficio obstrinxit. Felicitas enim illa Arviragi esto, quòd eo potissimùm Rege, in Britannia primò sonuerit Euangelii tuba, occinente sive Apostolorum aliquo, sive Josepho Arimathæo. Laus quoque ea fuerit Lucii, quòd primus Regum, quos quidem legerim, palam professus sit fidem Christianam, & illâ Britanniæ parte, quam tenuit, publicè jusserit doceri. At quanto major hæc gloria Constantini; qui non in Britannia solùm religionem instauràrit, Diocletiani persecutione atrocissimâ propemodum exstinctam: sed primus etiam Imperatorum per orbem Romanum templa aperuerit Christianis. Vestratem verò hunc, ac Romanorum juxtà, principem, literarum studiis fuisse deditum, nec legere contentum, animum etiam appulisse ad scribendum; præter nobiles Britanniæ scriptores, testes habemus locupletes, Eutropium Sophistam, & Aurelium Victorem. Addit illud Cæsariensis Eusebius, quando per otium liceret, orationes meditatum, quandoque etiam habuisse, confluente innumerâ multitudine, ut philosophantem audiret Imperatorem. Nec inficias ivero, studiorum decus & gratiam non mediocriter jacuisse, ex quo, fractis Romanorum rebus, Vortigernus rex à Saxonibus majore regni parte exutus fuit: & Christi ac literarum cultoribus non aliò fere, quàm in loca ob montes ac paludes prope inaccessa, maximeque in Walliam, tutus patuit receptus. Quàm tristis Britanniæ tum facies fuerit, non meliori alius fide dicet Gilda Sapiente: ut qui ipse fuerit Britannus, & annis non amplius quatuor & quadraginta ab Saxonum in eas terras adventu, frui cœperit hujus lucis usurâ. Sed rediisse videntur tempora aliquanto lætiora paullo ante annum à nato Servatore sexcentesimum, cùm Gregorii Magni discipulus Augustinus, primus Dorobernensium, sive, ut nunc dicimus, Cantuariensium Archiepiscopus (à quo reverendissimum D. GUILIELMUM, grande Ecclesiæ totius præsidium ac columen, tertium jam supra septuagesimum numeramus) publicam religionis nostræ professionem, quibus in locis à Saxonibus pago deditis prope fuerat deleta, restituit; sed ita restituit, ut omnia juxta Romanæ Ecclesiæ faciem conformaret. Hic enim ille est, qui, cùm pauci adeò, ut pietate, sic doctrinâ conspicui forent, eo minore negotio Angliæ Ecclesias, Orien-

rientis antea sive Græcis Ecclesiis magis convenientes, ad Romani Pontificis obedientiam, Romanæque Ecclesiæ constitutiones, primus, quantum potuit, adstrinxit. Ac paucis pòst annis in aliis Britanniæ partibus idem Paullini & Felicis studium fuit; illius apud Northumbros, hujus in Nortfolcia. Nec longo inde temporis intervallo idem præstitum Wilfrido apud Saxones Australes. Ita plurimis per Angliam locis religione & literis unà redditis, difficile dictu est, quantus subitò doctrinarum ardor habuerit Reges. In his Sigebertum, Orientalium Anglorum ab Uffa quinctum; qui ditione suâ scholas instituit passim. Utrùm verò inclyta illa, nec satis unquam laudata Cantabrigiensium Academia, ac ob privata etiam merita multo mihi carior, Sigeberto huic sit obstrictior, an Lucio Regi, vel alii priorum, aut è posterioribus Alfredo, vel primo secundove Eduardo; nec nostri est ingenii decidere; nec, opinor, tale illud, ut vehementem animi concertationem mereatur. Eo igitur supersesso, ad Inam potiùs venio, Occiduorum Saxonum Regem, Kennethi Regis filium, qui anno sexcentesimo octogesimo nono Cedwallæ successit, atque ut bello, ita etiam doctrinâ, multum sibi gloriæ peperit. Quid jam de Ceolwulfo dicam, Northumbriæ Rege? quem ab literarum peritia valde laudat Malmesburiensis, præeunte etiam venerabili Beda, qui, Anglorum historiâ à se conditâ, tanti potissimùm Regis judicio standum putavit. Quid item de Offa, magno Merciorum Rege? à quo Bedæ non degener discipulus, Albuinus Flaccus, legatus ad Karolum Magnum missus, posteaque ejus, ut vocabant, deliciosus magister, auctor tanto Regi fuit, Parisiensium in Galliis, Ticinensis in Italia Academiæ condendæ. Nec indictus mihi abibit Ethelwolfus, fortissimi Regis Egberti filius, Wentanus priùs Episcopus, postea Occiduorum Saxonum Rex, Caroli Calvi æqualis: qui doctrinæ suæ decus magnam partem acceptum retulit Helmestano, Wintoniensi Episcopo, & Suithuno, monacho eruditissimo. Quibus præterea laudibus prosequar Ethelwolfi hujus filium Alfredum Regem? qui quamvis, parentum incuriâ, ab anno demum duodecimo literis Latinis seriò incubuit; qua de infelicitate suâ grandiori ætate sæpius querebatur: incredibili tamen amore doctrinæ postea semper exarsit, eruditos multum æstimavit, & ad dignitates evexit. Ipse etiam, ut de veteris novique Fœderis libris taceam, Bedæ historiam Anglicanam, Boëthium de Philosophia, Orosii Orchestram, Gregorii Magni Pastoralia, aliaque haut pauca,

ca, Saxonicè reddidit: quod Guil. Malmesburiensis, & Ranulphus, non sinunt nos ignorare. Illud verò prope fidem exsuperat, quòd tantus Rex, ut ei perfamiliaris Asser Menevensis refert, *filios eorum, qui in regali familia nutriebantur, non minùs propriis diligens, omnibus bonis moribus instituere, &* LITERIS IMBUERE, SOLUS *noctu diuque non desinebat.* Ac credo, admiratione talium Martinus Papa Anglorum Scholam, quæ Romæ erat, ab omni tributo immunem esse jussit. Et quantum gloriæ idem rex peperit, extremis vitæ temporibus præclarè adeò merendo de Oxoniensium studiis! Quorum florentissima Academia nunc caput cœlo infert: eoque majori à me cum voluptate memoratur, quia excidere animo meo nunquam poterit, quantum mihi honoris, cùm ante quinquennium pedem in eâ primùm posuissem, habitum iverit immerenti. Utinam modò summis & hujus, & illius Academiæ in Anglia viris, uti apud animum memorem stat beneficii gratia, ita possim officiis respondere. Et unà cum iis, triga ut Charitum fiat, venerando sanctissimoque Cantuariensium ordini: cui quod indignus licet, dignatione tamen augustissimi Regis KAROLI additus, sub reverendissimo & illustrissimo Antistite D. GUILIELMO, loci hoc teneam, non plurimas solùm molestias, quibus nunquam piorum caret vita, deterget: sed etiam ad melius meliusque de Ecclesia ac Rep. literaria merendum, plus quàm dicere possim animi addit. Sed longiùs jam abeo ab Alfredo Magno: qui anno Christi nongentesimo excessit. Post eum Eduardus Senior, qui feliciter toties adversus Danos rem gessit, Alfredo patre erat, ut Monasteriensis ait, *potentiâ pariter & dignitate gloriosior, sed literarum cultu inferior.* Quâ parte longè præstitit frater hujus Ethelwardus: quippe qui, ut Asserius auctor est, *divino consilio, & admirabili Regis providentiâ, cum penè totius regionis nobilibus pueris, & multis ignobilibus, diligenti magistrorum curæ traditus, utriusque linguæ libros, Latinæ & Saxonicæ, assiduè legerit, ac scriptioni quoque vacârit.* Sanè literis ita fuit imbutus, ut iis temporibus inter literatorum principes censeretur. Eruditione hinc avo Alfredo, patruoque Ethelwardo, similior erat Æthelstanus Rex, Eduardi filius; is qui, Danis è Northumbria ejectis, primus totius Angliæ imperium tenuit. Post illum studiis clarius illustriusque nomen suum reddidit Edgarus, ex Eadmundo Rege, qui Æthelstano fratri in regno successerat, prognatus: &, ne hac solùm parte laudetur, *flos & decus regum, gloria & decus Anglorum, cujus largitas & munificentia totam Europam impleverat:* ut de eo scribit Westmonasteriensis. Metuo, ne

lon-

longior æquo videar, si quodcunque regum in Anglicâ ac Saxonicâ domo ab eruditione commendatur, intra angustos unius epistolæ cancellos complecti velim. Ac magis etiam, si in Nortmannicâ stirpe idem tentavero. Non prætereundus tamen Guilielmi Conquæstoris filius, Guilielmi Rufi frater, Henricus primus: quem Thomas Rodburnus sic Cantabrigiæ ait studiis operam navàsse, ut propterea Henricus Belloclericus diceretur. Et quot è genere Nortmannico Reges in Academiarum alterutrâ postea ceperunt ingenii doctrinæque cultum! Ut Oxoniensem nunc solùm tangam, de Eduardo secundo indicant archiva: de tertio, rhytmica Joannis Anglici: de Henrico V, Gymnasii Cadomensis in Nortmannia conditore, Rossus Warwicensis libro de Regibus: de Eduardo V, Oxonienses ipsi literis gratulatoriis ad Eduardum quartum. Richardus etiam tertius, etsi illaudatus princeps, ubi tamen nefariis artibus regnum erat consecutus, eâdem in Academiâ, raro prorsus exemplo, Philosophos audiit disceptantes: quod ex Academiæ ejus epistola ad illum cognoscitur. Propiora afferam. Ac primùm de Henrico VII, tritavo tuo; dubium, meliusne de Britannia merito, dissidia tollendo, quæ in Lancastria, & Eboracensi, regii sanguinis familiis, tot regum temporibus durassent: an nuptui collocando filiam Margaritam Jacobo, quarto ejus nominis Scotiæ regi; proavo Jacobi sexti, qui jure hæreditario Angliæ regnum primus cum Scotico conjunxit, ac utrumque augustissimo parenti tuo Karolo feliciter transmisit. Porrò Henricum hunc Polydorus Urbinas contentus est dicere, fuisse *ingenio magno sagacique, & à literis non alieno.* Sed enim magnum ejus erga literas amorem multa arguunt. Illud inter alia, quòd qui Gallicè scirent, potiùs tamen Latinè ei scriberent. In quibus etiam Hadrianus Castellanus Cardinalis, Herefordensis priùs, Wellensis postea Episcopus. Et quis exiguæ esse doctrinæ existimet, quòd à fide devium disserendo ipse Cantuariæ ad fidem converterit Christianam? Quantum præterea ad gloriam illius facit, quòd ejus in Anglia, uti in Scotia Jacobi IV, atavi tui, temporibus, literæ Romanæ elegantiùs excoli cœperint; Græcæ etiam, ut Constantinopoli antea in Italiam, ita inde tum traductæ sint in Britanniam universam. Atque in hisce humanitatis studiis eo Rege diffundendis maximè eluxit opera, cùm nobilis Itali, Cornelii Vitellii, qui primus Oxonii bonas literas docuit; tum indigenarum; Thomæ Linacri, quem filii Arturi studiis Rex

præ-

præfecerat: & trium Guilielmorum, Grocinii, Lilii, & Latemerii; ac præterea Joannis Coleti, B. Pauli, ut nunc dicimus, decani. Sed ad altius doctrinæ fastigium est assurrectum, regnante ejus filio Henrico VIII, excelsi planè animi principe: qui quanto studiorum amore fuerit inflammatus, indicio erit, quòd ternas ædes Regias bibliothecis totidem, mirè luculentis, instruxerit. Ab eodem illud amore est profectum quòd ipse, & unà regina Catharina, penè eo solùm consilio Oxonium sint profecti, ut Ludovicum Vivem in Collegio Corporis Christi audirent disserentem. Quin idem in Academia Cantabrigiensi, pro singulari affectu erga viros ejus doctissimos, locumque illum ubi literis navâsse operam perhibetur, Collegium studiosorum totius prope dixerim Europæ amplissimum, Sacræ & individuæ Trinitati dicatum, munificentissimè exstruxit, & latifundiis ac proventibus uberrimis ditavit. Quantopere etiam elegantiorum hominum monumentis perpetuò celebrandum, quòd publico sanxerit edicto, ut barbariei, cujus reliquiæ aliquæ honorem utriusque Academiæ, alioqui florentissimæ, non leviter offuscabant, summo studio obviam iretur ab omnibus: ac quia sermonis illa rusticitas & stribligo in philosophorum scholis potissimùm regnaret, eò Aristoteles & Plato publicè non alià, quàm Græcà prælegerentur linguà. Quàm digna hæc Rege illo, qui omnes ætatis suæ principes doctrinâ facilè anteiret: quo etiam non alius hac parte magis admirationi esset: præsertim quando privatim, sermone etiam Latino, de rebus gravissimis dissertaret; vel publicè quoque de sacris controversias nunc constitueret, nunc tolleret. Tanto jucundior nunc quoque eorum est conspectus, quæ ad B. Augustini codicem de Civitate Dei manu sua annotavit. Uti & horum, quæ eàdem regià manu exarata supersunt de reformanda Angliæ Ecclesia: cujus proximam à Deo potestatem non alteri in terris attribui est passus. Idem, antequam scriberet Christiani hominis institutionem, deque bello in Scotos, item de concilio Mantuano & Vicentino, aliaque compluria, jam assertionem illam ediderat de Sacramentis: qua non solùm inter illustres obtinuit scriptores nomen; sed illud etiam, ut non quidem ignotum antea, desitum tamen, regiis reponeret titulis pulcherrimum hunc, justiusque exinde possidendum, FIDEI DEFENSORIS. At de filio ejus Eduardo VI planè obstupesco, cogitans mecum, eum ante annum ætatis sextumdecimum exactè locutum Gallicè, commodè

etiam

etiam Italicè, Hiſpanicè, atque adeò Græcè: Romano autem ſermone ſæpius bene longas habuiſſe orationes tam purè, & eleganter, etiam promtè adeò, ut utroque hoc illos quoque, qui temporibus iis inter doctiſſimos referrentur, non provocaret modò, ſed vinceret. Quod ſi non verborum tantùm delectus, ſed in omni ſermone rerum pondus attenderetur: non ſuæ dico ætatulæ, ſed tantulà in ætate, humani penè ingenii faſtigium exceſſiſſe videbatur. Præſertim animo ſuo reputantibus cum ea linguarum cognitione conjunctam in artibus liberalibus, & divinarum humanarumque rerum ſcientiis ſubtilitatem. Quam cùm Hieronymus Cardanus, homo Italus, totius naturæ intelligentiſſimus, atque idem πολιτικώτατος, è pluribus liquidò perſpexiſſet, pro naturæ eum miraculo habuit ſemper, eoque elogio non privatim modò, ſed publicis etiam ſcriptis decoravit. Qui talis tantuſque eſſet, verè Angliæ, vel orbis potiùs delicium, ereptus eſt terris anno imperii ſexto, ætatis decimoſeptimo: atque ut meliorem ſui partem cælo reddidit, ita præter corpuſculum, terris debitum, & triſtiſſimam ſui memoriam, commentarios reliquit graviſſima quæque negotia, quæ imperante ſe obvenerant, continentes, ac manu ſuà non ad publicandum quidem, ſed proprium in uſum, in tantula ætate prudentiſſimè ſignatos. Poſt tam multa de Anglia, nec Scotiam tacitus pertranſibo. Hujus Regibus amor ille ſtudiorum fuiſſe dicitur multò etiam ante tempora Donaldi, regis, ut creditur, non indocti; ſed gemino magis nomine inclyti: ut qui Scoticorum Regum primus Chriſtianam religionem ſit profeſſus; & tantæ fuerit fortitudinis, ut ejus imprimis metu Severus, maximus ſine dubio imperator, muro per tranſverſam Britanniam ducto utrimque ad Oceanum, quicquid Romanarum erat partium, muniret. Hæc ducentis fuere poſt Chriſtum annis. At longè antè Reutha, regum ſeptimus, hiſtoriam ſuæ gentis conſignàſſe, & de re medicà opus reliquiſſe dicitur. Annis enim circiter centum & quinquaginta vixit ante Chriſti natalem: ac pari temporis intervallo poſt Freguſium, primum regni Scotici conditorem, Alexandri Magni, ut fertur, æqualem. Joſina quoque, Regum nonus, cui Reutha patruus fuerat, eo nomine prædicatur, quòd naturæ arcana ſedulò ſit ſcrutatus, atque adeò, Regis Salomonis exemplo, de viribus ſcripſerit herbarum. Sed incertiora iſthæc, nec teſtibus exceptione majoribus eſſe ſubnixa, non abſurdè aliquis dixerit. Liqui-

diora verò omnia post Fregusium secundum; qui Honorii & Arcadii Cæsarum temporibus, ut rei Romanæ Camillus, ita imperii Scotici conditor alter fuit. Maximeque post annum septingentesimum, quando ardor studiorum egregiè effulsit in Eugenio septimo. Hujus illud inter cætera institutum, ut in monasteriis res à Regibus gestæ literis proderentur. Mox idem animus in Morcaco, & Etfino: posteaque in hujus filio Achajo; à quo, ut traditum, eruditissimi homines magno numero submissi Karolo Magno, quò Germaniæ Galliæque Academiis, aut monasteriis, præessent. Quod si propiora, eaque de Stuartis tuis magis aves cognoscere, quid, pro temporibus illis, cultius Jacobo, ejus nominis primo? qui ante annos ducentos regnum tenuit. Literarum enim, ac eloquentiæ studiis, variâ quoque linguarum peritiâ pollebat; nec vulgaribus solùm, sed Latinâ etiam linguâ versus composuit. Ut nihil mirandum sit, si eâ Rex doctrinâ scholas instituerit publicas, doctores earum foverit liberaliter, aliunde etiam præmiis illexerit in Scotiam. Proditum quoque, disputationibus plerumque interfuisse, ac quandocumque per regni negotia liceret, tempus traduxisse sermonibus literatis. Omni autem studio hoc agebat, ut nobilium, non flori dico, sed, si sic loqui liceat, vulgo, nescio quo pestilenti sidere afflato, opinionem illam eximeret, quasi literarum doctrina animos frangeret generosos, solumque Ecclesiæ, vel scholarum doctoribus, non item terrarum dominis, conveniret. Sed propero ad sapientissimum avum tuum JACOBUM: in quo tot res propriæ & singulares. Unus enim Regum Europæorum, continuâ bis mille annorum serie, centum & octo Reges numerabat. Primus etiam Britannicorum principum Angliæ Scotiæque regna tenuit; & ita tenuit, ut quæ tot dissiderent seculis, concordibus postea animis conspirarent. Sed non tam de genere, vel imperio, nunc sermo est nobis, quàm doctrinâ; cujus partium alii singulas, unus ille hauserat universas. Peritiam dico linguarum, prosam versamque facundiam, naturæ prudentiæque disciplinas, historiam Ecclesiæ & civilem, cæterasque literas divinas & humanas. Quare sic statuere non verear, tam variâ maximarum rerum scientiâ superâsse, quicquid Regum à mille annis, mille verò? imò, absit dicto invidia, quodcumque à Regis Salomonis temporibus fuit. Ubi nihil auribus dari, nulli melius sciunt, quàm interioris admissionis proceres atque antistites; abundeque ipse orbi id universo testatum

tum fecit divinis ſuis ingenii doctrinæque tot monumentis. Tanti Regis imaginem vivam vides & audis in parente tuo, Sereniſſimo Rege KAROLO: qui à teneris, ductu excellentiſſimorum virorum, ſed ſapientiſſimi Patris conſilio formatus, poſteaque tot annos ſermone ejus firmatus, & exemplo, dubium nunc relinquit, utrùm regii faſtigii amplitudine, an celſiſſimâ mente, variàque doctrinâ ſit eminentior. Sed non inſiſtam ejus laudibus, quamque præcipuam fore epiſtolæ hujus partem aliquis putâſſet, una penè deerit: neque tam id ne Soli videar lucem fœnerare, quando divinæ ejus virtutes ſatis orbi cognitæ ſunt: quàm quia alibi, ſpero, commodior de iis dabitur dicendi locus: & nunc de his ſolùm, qui beatum in cælis ævum degunt, loqui animus eſt, quo adulatio omnis abeſſe magis videatur. Omnis verò hæc eo ſpectat oratio, Celſiſſime PRINCEPS, ut animum tuum, majoribus maximeque regni negotiis necdum occupatum, literarum ſtudiis excolas: cumque ſuſcites parentis, avi, & tot Britanniæ tuæ Regum exemplis, qui præclarè præiverunt ad illa, ut poëta ait,

Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena.

Hæc nunquam non animo obverſentur, quò faciliùs virtutes eorum æques, vel etiam, ſi fieri poſſit (hoc Auguſtiſſimus ipſe parens tuus vovet) exſuperes. Scio, ad iſta nunquam tibi defore hortatores, qui plus me valeant auctoritate & doctrinâ. Attamen non propterea vel nunc, vel ubi etiam ætas adoleverit magis, ingratum fore confido, ſi inter alios, quem ſic Regia obſtrinxit bonitas, quia corpore aut voce vivâ minùs poſſim, pennâ ſaltem ad ſtudia nunc incitem, votumque exhibeam meum hoc devotiſſimi animi ſymbolo: atque eâdem oſtendero, ut illuſtriſſimum nomen tuum, non tacitè ſolùm intra cordis adytum colam ac venerer, ſed ipſum hoc coram orbe erudito comprobare geſtiam commentationibus noſtris. Quas velut tabulam quampiam in regalis gloriæ templo eâ mente ſuſpendo, ut dummodo mihi vita ac valetudo ſuppetat, eâdem ad majora me obligem. Accipe igitur, Illuſtriſſime PRINCEPS, hos labores meos: qui fortaſſe argumenti cauſſâ minoris aliquibus videbuntur: ſi tamen irradientur quibuſdam ſplendoris tui ſtricturis, nihil quidem de maximo nomine tuo deterent: nec enim Sol eo minor eſt, quia loca luſtret humilia ac res exiguas: ipſi verò de lumine tuo lumen accipient: eoque latiùs ſe diffundent, vivent diutius, frequen-

tiùs legentur. Nec enim facilè futurum, ut non existimentur bona, quæ in spem tot regnorum nato offerantur. Vale felicissime, Celsissime PRINCEPS, & juxta vota ac spes omnium, virtute & doctrinâ, quæ in aliis annos consequi solent, ætatem etiam præverte.

Kal. Mart. A. cIↃ IↃ c xxxv.

CELSISSIMI PRINCIPATUS TUI

submissisimæ devotionis servus

GERARDUS JOANNES VOSSIUS.

LECTORI
BENEVOLO.

Etsi sæpius cogitem, quæ studia ætatem meam ingravescentem maximè deceant, quantoque digniora opere hoc de literatura tot summi viri, ac Magnæ potissimùm Britanniæ, jamdiu à me exspectent: apud æquos tamen arbitros facilem mihi spero veniam fore, si consilii hujus rationem paucis exposuèro. Anni sunt propemodum quadraginta, quòd vix ingressus adolescentiam, assiduâ veterum lectione magis & magis animadvertere cœpi, quam multa peccarent, qui artem profiterentur bene loquendi; nec ulteriùs auderem fidere placitis eorum, qui malè toties præivissent. Annis inde sex septem, cùm ita humanæ vacarem sapientiæ, ut per intervalla ad politiores literas redirem, juvit etiam, quod antea neglexeram, non incuriosè ea consignare, quæ legendo, & meditando, ad repurgandam hanc artem observâssem. Postea diu studia me sacra tenuerunt: nec, ut ea deponerem unquam, pietas sivit. Tempora tamen inciderunt, quibus non tam meæ, quàm publicæ rationes ferre sic viderentur, ut præter gesta omnium gentium, civilem etiam sapientiam tractarem. Propemodum inde labores illi literarii jacuissent dispreti; nisi illustres Hollandiæ & Westfrisiæ Proceres cogitandi de iis novam mihi præbuissent occasionem. Curæ enim id meæ commiserunt, ut adornarem editionem Grammatices, quæ usui scholarum his terris inserviret. Equidem morem Patribus gessi, ut oportuit. Sed enim, si cautio esse debuit, ne laborem docentibus, qui aliis assueverant præceptis, magnopere augerem; plus sanè, quàm crediderам, dandum mihi erat sententiis receptis. Et quod æquissimum videbatur, promenda non alia, quàm quæ primæ ætatis captui convenirent. Quod minimè fugit solidioris dapis amantes, quales non pauci erant inter scholis classicis præfectos, plures inter Academiarum doctores, vel in regunda etiam Rep. constitutos, ac nihilo secius harum literarum amantes. Illi ergo assiduè non tam poscere, quàm flagitare, ut ne diutius premerem veteres de arte hac labores meos. Qui indolem meam nôrit, nihil mirabitur, eorum monita, ac preces, locum apud me reperisse: eoque faciliùs, quod sic in animum inducerem, paucorum duntaxat dierum studium in iis recognoscendis requiri. Spe igitur istâ, quæ antea edidisse mallem, cùm solùm pro rudimentis, vel indole, haberentur, iterum in manus sumsi. Ac primùm quidem ea, quæ ante tot lustra studio & industriâ meâ peperissem, jucundiùs mihi erat adspicere, quàm parentibus liberûm conspectus, post longi temporis absentiam, esse solet. Videbar enim mihi non parum diligentiæ contulisse in ponderandis aliorum sententiis, nec pauca eorum repertis addidisse. Sed aliter fieri non poterat, quin in plerisque non idem omnino judicium foret, ac olim: inque cæteris alia etiam se offerrent, veteribus comprobandis. Hæc cùm sæpius usu venirent, quàm putâssem, ac præterea nunc meliorum me studiorum amor avocaret, nunc densæ obstreperent occupationes; parùm abfuit, quin opus hoc denuo de manibus abjicerem, & situ squalleque obsidendum æternis tenebris damnarem. Sed ab tristi hoc proposito (ita animus secum certabat incertus) retraxit nescio quæ tacita indignatio. Nec enim ulteriùs ferendum putabam, primam illam bonamque ætatem tam spissis erroribus imbui. Cujus infelicitatis caussam cogitanti, non alia magis verisimilis occurrebat, quàm quòd illa, quæ Varro, Cæsar, Plinius, alii incomparabiles viri, de hac arte prodidissent, prope intercidérint universa: collabente verò Romanâ pariter linguâ ac Rep. multi eadem tentassent, quos facultas destituit: ab tribus verò proximis seculis, quando studia humanitatis erigere iterum caput cœperunt, ut quisque majori foret ingenio, ita quovis potiùs, quàm ad excolendum hoc Grammatices studium, animum appulisset.

 Ut

Ut nihil fuerit mirandum, si in locum quasi vacuum venerint multi, non ab disserendi solùm arte imparati, sed etiam parùm versati in scriptoribus antiquis: quales, impar humeris suis onus tollentes, non potuere non bona multa præterire, multa falsa vel incerta proferre, & quanto diffusiùs, tanto confusiùs omnia tractare. Nec peracri opus acie esse puto ad caussam penetrandam, cur tot excellentibus à natura ingeniis præditi (si paucos exceperimus, quibus propterea non parùm me, multoque ampliùs artem hanc nostram debere profiteor) studium ejus non contempserint quidem, sed maluerint interea ab aliis, quam a se, tractari. Sive enim sapientiores ex illis spectemus, reputabant secum, proprium ac naturalem animæ nostræ pastum esse, doctrinarum illas, quibus meliores, vel prudentiores, reddamur: nec alterutrum ab literaturæ doctoribus promitti, nedum præstari. Quibus verò non eo usque assurgeret animus, illi (ut omnes fere privatis commodis, vel applausu aliquo, ducimur) sic secum statuere, non aliunde hoc tempore minus laudis, aut gloriæ, aut opum, aut dignitatis, quàm ex hac arte, promanare. Verùm enimvero quid tandem de tam utili ac necessario studio fieret, si sic omnes saperemus, solique illud imparatiores tractent, peritiores detrectent? Scio, quid dicant, in toto doctrinarum orbe, nihil ingeniis generosis vilius abjectiusque censeri eâ arte, quâ pueriles primò animi imbuuntur. Mihi verò, quod pace eorum dixerim, contra videtur, planeque contendo, non jam ajo arte universâ, sed (quanto illud minus, quod mihi dari postulo!) vel primis hujus artis initiis nihil in omnibus disciplinis vel magis divinæ esse mentis opus, vel ad omnem hominum vitam necessarium magis. Nam quid profectò admirabilius, quàm pauculis literarum figuris contineri, quicquid sacri, publici, privati, dici, aut cogitari potest? quæ præterea urbium, regionum, generisque humani facies tandem foret, sublatâ hac fidâ custodiâ omnium gestorum, omnium doctrinarum, omnium fœderum pactorumque? Video & hîc quid sint dicturi, non se contemptim adeo sentire de scribendi legendique, verùm certâ loquendi ratione. Atqui, si duabus rebus, oratione, & ratione, cæteris præstamus animantibus, hominem profectò se obliviscitur, qui tot sermonis bona ignorat. Imò duntaxat cogitemus, quæ inde commoda ad ingenuarum artium studia redundent. Nec enim hoc rerum humanarum ratio sinit, ut, sine sermonis disciplinâ, aliæ possint addisci: quando omnes præcursionem habent necessariam, linguæ intelligentiam, quâ traduntur: ut qui artem hanc despiciat, universis sapientiæ studiis bellum indixisse videatur. Quare providæ hoc antiquitatis judicium semper fuit, in pulcherrimo eorum cœtu, qui doctrinarum studia profitentur, primos quidem honores facilè tueri divinæ humanæque sapientiæ magistros: proximos verò sibi jure suo vindicare, qui, ad eam meliùs accipiendam, animos præparant humanos. Sed postquam in ordinem eorum, qui ad sapientiam præirent, recepti etiam sunt, qui festinatis honoribus cruda studia attulissent: opinio quoque inolevit, impleri posse hujus nominis decus, neglectis iis literis, quæ eruditionis nomine à veteribus vocantur. Equidem nihil à moribus meis fecero alienum, si, ut in sanctioribus soleo, ita hac in re sequar potiùs antiquos: qui facilè videbant, rem se habere in studiis, quemadmodum in agris, quos proscindi opus multò antè, quàm conserantur: aut cum lanis, quæ antequam purpuram imbibant, priùs sufficiuntur medicamentis quibusdam. Cum quibus potissimum rebus animos nostros jam olim Tullius comparavit, atque inde collegit, ſic literis, talibuſque doctrinis, ante excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, & præparari decere. *Quod si olim ita persuasum fuit, cùm vulgus ipsum Latinam, vel Græcam linguam, velut cum lacte nutricis, imbiberet: quid de nostris censendum temporibus, quibus, vernaculâ linguâ contenti, non plus in antiquis videremus magistris, quàm cœci si essemus? Quamobrem, qui sapientiæ & literarum divortium faciunt, nunquam ad solidam sapientiam pertingent. Qui verò alios etiam à literarum linguarumque studio absterrent, non antiquæ sapientiæ, sed novæ stultitiæ, doctores sunt habendi. Itaque per me licet,*

cet, puerilia hæc rudimenta dicant, dum in confesso maneat, sine illis virilem sapientiam nos consequi non posse. Et tamen nihil minùs hoc opere propositum mihi fuit, quàm ut ea adferrem, quæ vulgo, aut pueritiæ, cognita arbitrarer. Non vel otio, vel melioribus sic studiis infestus eram. Sed pulchrum arbitrabar, in sermonis etiam disciplinis sapere aliquid supra vulgus. Potiùs igitur in animo mihi fuit vix alia expromere, quàm prioribus indicta; nec tamen negligere (quibus proximus honos) paucis observata. Præterea si occasio ferret, juvit veteres corrigere scriptores, sæpius verò illustrare: in quo tamen modum tenui, ne in tali argumento nimius potius viderer, quàm non satis curiosus. Unde est, quòd, ubi non nulli me longiorem mallent, non pedem fixerim, sed quando pro instituto dixissem satis, ad alia transvolârim. Quid quòd etiam opera mihi data, ut non ad Philosophi minùs, quàm Philologi lucernam caussas eruerem sermonis Romani? Rem sanè difficilem, inque vocibus singulis, & earum partibus, a Julio quidem Scaligero, viro maximo, subtiliter, nec integrè tamen tractatam; in structuræ verò ratione vix attactam; quam ipsam ab eo accuratè exponi, plurimum nostra interfuisset. Ferre etiam vix poteram, Grammaticorum primores crebrò adeò inter se dissidere, ut quem potissimùm sequi oporteat, non alius sit discernere, quàm qui ingenio sit in his studiis subacto. Imò & Reipublicæ literariæ referre existimavi, si sententias aliorum ponderando, vel digitum pro virili in veritatem intenderem, vel saltem in illud, (si veritas nondum satis diluceat) quod à vero proximè abesse arbitrarer. Quæ omnia qui attendit, facilè videbit, operam hanc nostram majorem partem veriùs censuram esse in eos, qui vel sæculis vetustis, vel nostrâ majorumque ætate, de arte bene loquendi ingenii quædam monumenta reliquissent. Ac propterea priùs animus erat, opus hoc inscribere ARISTARCHUM; *neque, ut arbitror, ineptè, aut ambitiosè. Postea tamen visum, non à veteri recedere more meo, qui hactenus titulis capiar simplicissimis, ne malevolis, quorum tanta seges, dicar fumum potiùs ex luce, quàm ex fumo dare lucem voluisse: aut credar etiam, ex seculi more, insultasse prioribus, qui fecerunt, quod poterant; utcunque & nobis reliquerint bene merendi facultatem. Quam neque mihi nunc aliis præcludere animus est. Qui possim? nec ea ingenii mei vis, ut omne id valeam, quod velim: nec studia graviora, vel negotia etiam, quibus quotidie obruor, præstare illud sinunt, quod alioqui possim. Lampada igitur hanc illis trado, qui ingenio & otio magis abundant. Mihi verò tam molesta hæc opera non prorsus perierit, si alii, eâ adjuti, minori deinde negotio hanc artem ad fastigium suum perducant.*

HU-

HUGONIS GROTII
in Viri eximii
GERARDI VOSSII
de Arte Grammatica libros
EPIGRAMMA.

Grammatice verbis quæ nata est ponere leges
Nota diu populis, sed sine lege fuit.
Quippe rudis tantùm fuit indigestaque moles,
Principium rerum quale Poëta facit.
Deinde loqui pure quanam ratione doceret,
Docta parum purè cùm foret ipsa loqui?
Ordinis & pure dicendi maximus auctor
Occurrit gemino VOSSIUS *ecce malo:*
Idem qui nobis Ciceronis tradidit arma,
Et censum veteres egit in historias.
Prudentes fecisse viros, fecisse disertos
Non satis. & pueros jam vetat esse rudes.

GE-

GERARDI JOANNIS VOSSII
ARISTARCHI,
SIVE
ARTIS GRAMMATICÆ,
LIBER I.

Qui universe de Artis hujus Natura, & particulatim de Literis tractat.

Cap. I.

Argumentum, & scopus hujus operis. Γραμματικὴ, Latinis literatura. *Qui Rabbinis dicatur: simplicius Sopheriticen dici potuisse.* Sopherim, γραμματικοὶ, γραμματεῖς, literati, literatores, scribæ, *pro iisdem. Aliàs* γραμματεῖς, *ac* scribæ *iidem, qui* νομικοί. Γραμματεισαγωγεῖς. Scriptlum *ex* scriptulum. Γρωμὰ, groma, gruma, gromaticus. Κόπτα. *Iidem olim Grammatici, & calculones.* Literatio. *Antiquis Grammatice solum ars legendi & scribendi: quæ postea Grammatistice, vel imperfectior Grammatice. Grammatista, & Grammatici; literatoris, ac literati discrimen.*

Scribere aggredior de re Grammatica, tenui, ut creditur, argumento, & in quo jam multi desudarint. Quare existimet aliquis, vix aliud mihi relictum, nisi ut plurimis dicta novo aliquo flore vestiam orationis. Sed si, ut Tullius de rebus philosophicis ajebat, † *istiusmodi res dicere ornatè velle, puerile est: planè autem, & perspicuè expedire posse, docti & intelligentis viri:* quanto magis hoc in re Grammatica observari debet! Quare aliud longè in hoc argumento mihi agendum erit. Nempe quò exilius illud existimant vulgò, eo magis mihi curandum video, ut illa potissimum adferam, quæ non minus fructus afferant, quàm voluptatis: quoque plures de hac arte tractarunt, tanto impensius studebo, ne supervacanea, & vulgo etiam notissima reponam; sed illa solum in hoc circi nostri spatium admittam, quæ vel aliis prætereita, vel paucis observata, vel saltem in quibus multi etiam præstabilis eruditionis à veritatis via in errorum semitas deflexerint. Quo conatu me illud consequi posse non diffido, ut illos etiam, quibus per varium Grammaticorum genus volutandi sese, omniumque opiniones pensiculandi vel otium desuit, vel voluntas, commentatione hac nostrâ in penetralia ipsa artis deducam. Neque hoc in disciplinæ hujus particula aliqua faciam: sed cùm, ut ex Varrone Marius Victorius refert, artes omnes bifariam tractentur; extrinsecus si constitutio earum ostendatur; & intrinsecus, si præcepta ipsa exponantur: utrumque mihi propositum erit. Antequam igitur ad interiora illa de literis, syllabis, vocum analogia, & structura, accedam: extrinsecus eam considerabo, quò tota perspiciatur ejus natura, ac patescat, quibus limitibus circumscribatur.

† Lib 3. de Fin.

Ac à nomine quidem disciplinæ initium fiat. Est illud satis simplex, cum à primis ejus initiis petatur. Abunde enim constat, γραμματικὴν dici ἀπὸ τῶν γραμμάτων, hoc est *literis*, quasi *literariam* dicas. Itaque *literatura* vocatur à Fabio lib. II cap. XIV, Martiano Capella lib. III, Mario Victorino lib. I artis Grammat. B. Augustino lib. II de Ordine cap. XII, Isidoro Originum lib. I cap. III. Rabbinis placuit nomen augustius. Nam vocatus iis דקדוק, *dicduc*, hoc est, *subtilitas*: quia subtiliter & accuratè literas, puncta, inflexiones, & omnem vocum naturam considerat. Quod si iidem simplicem magis appellationem amassent, potuere id accersere ab Hebræo סָפַר, *saphar*; quasi artem hanc, Latinâ terminatione, *Sopheriticen* diceremus. Nam ut γράφω, *scribo*, γραφὴ, *scriptura*, γράμμα, *litera*, quia nempe scribatur, γραμματικὴ, *literaria*, vel *literatura*: ita & Hebræis ספר quandoque est *scribere*: quomodo R. David Kimchi exponit Psal. LVI. 9. Inde, סֵפֶר, *sepher*, hoc est, *scriptura*, *liber*: סֹפֵר, *scriba*, *literator*, *literatus*, *grammaticus*. Ut Jesaiæ cap. XXXIII. vs. 18: אַיֵּה סֹפֵר אַיֵּה שֹׁקֵל *ajeh sopher ajeh schokel*. Ubi LXX vertunt: ποῦ εἰσιν οἱ γραμματικοί; ποῦ εἰσιν οἱ συμβουλεύοντες. Vulgatus interpres: *Ubi est literatus? ubi legis verba ponderans?* Apost. Paulus 1 Cor. 1. 20 sic: ποῦ σοφὸς, ποῦ γραμματεύς; Tertullianus lib. de Idololatr. c. IX. *Ubi sapiens! ubi literator?* Vulgatus, *ubi sapiens? ubi scriba?* Ut iidem videantur, ספרים, *sopherim*, γραμματικοὶ, γραμματεῖς, *literatores*, *scribæ*. Sed sæpius *sopherim* sive *scribarum* nomen excellentiori significatione usurpatur de literatis non quibusvis, sed qui literas sacras in synagogis legerent, & interpretarentur; quomodo & iidem γραμματεῖς sive scribæ, quia Scripturam sacram enarrarent: unde & iidem vocantur νομικοί, quasi legisperiti, sive legis divinæ doctores. Quos Grammaticos vocabamus cum LXX, hos iidem dixere γραμματεισαγωγεῖς: ut videre est Deut. XXIX. 10. & XXXI. 28. De eo sic B. Augustinus lib. XVIII de Civit. Dei cap. XXXIX: *Quos Moses in populo Dei constituit, qui docendis Literis præessent, hos appellat Scriptura* γραμματεισαγωγεῖς, *qui Latinè dici possunt literarum inductores, eò quòd eas inducant quodammodo in corda discentium, vel in eos potius ipsos, quos docent.* Sed ubi LXX habent γραμματεισαγωγεῖς, ibi Hebraicè est non *sopherim*, verum שֹׁטְרִים *soterim*, quod *præfectos* notat, à שטר *satar*, hoc est *præesse*. Fortasse autem & alia est ars, quæ *Grammatice* dicatur. Nam si penè omnibus Cassiodori libris fidem habemus, quibuscum etiam manuscripti nostri consentiunt; pars Geometriæ *Grammatica* dicebatur: ut colligitur ex epistola ejus LII libri tertii Variarum. Nempe ea sic dicta fuerit à γράμμα, hoc est, *scriptlum*, ut exponunt glossæ veteres, & Priscianus sive Remus Favinus, vel (ut Politianus, Gyraldus, atque alii, vocare malunt) Rhemnius Palæmon, libello de ponderibus & mensuris; ubi versus iste legitur:

Γράμμα vocant: scriptlum nostri dixere priores.

Alii *scriplum* vocant: minùs rectè, ut puto, quando ut à γράφειν γράμμα, sic à scribendo *scriptlum* factum est. Sanè *scriptlum* κατὰ συγκοπὴν fieri è *scriptulum*, etiam Charisius monet lib. I. Sed insolentem hanc Grammaticæ, quam

dixi-

diximus, acceptionem illud reddit incertam; quòd in uno Cassiodori exemplari *dramaticam* pro *grammaticam* reperit Gulielmus Fornerius. Ac planè eam evertit, quod γεωδαισία dicatur *gromatice*; ut dubium non sit, quin rectè *gromatice* emendent. Nam diopotricon illud organum, quo agros ac vias mensurabant, vocabatur Græcis γνώμων, γνώμη, vel γρῶμα. Latini pro eo, N in R converso, dixere *groma*, vel *gruma*: ut constat ex Festo, Nonio, & Philoxeni glossis. Unde *gromaticus*, γεωδαίτης: qualis Hyginus, cujus geminum exstat gromaticon: unum de limitibus constituendis: alterum de castrorum metatione. Sed meliori jure existimet aliquis, Grammaticen etiam sumi pro arte numerandi. Nam sic calculatores, & qui numerandi artem profiterentur, γραμματικῶν nomine signarunt, cùm Chrysostomus, & alii, tum etiam Aristophanis scholiastes in Nubes, ubi ait: καὶ παρὰ τοῖς γραμματικοῖς οὕτω διδάσκεται, καὶ καλεῖται ΚΟΠΠΑ ἐνενήκοντα. *Et apud Grammaticos sic docetur, vocaturque coppa nonaginta.* Cui loco, uni & alteri, vel fortasse nemini antè satis intellecto, multum lucis attulit Josephus Scaliger in digressione de literis, quam Eusebianis animadversionibus intexuit*. Sed quod calculatores Grammaticorum etiam nomine signentur, id planè fit ἀκύρως †: nempe non alia de caussa, quàm quia iidem, qui in primis literis instituerent, numerandi quoque artem docerent: ut constat ex Platone in VII de Leg. & Luciano περὶ γυμνασίων. Eodemque pertinet hoc Capitolini in Pertinace: *Puer literis elementariis & calculo imbutus.* Idem compluribus locis docet Augustinus; ut lib. I Confess. *Primas literas, ubi legere, scribere, & numerare discitur.* Et lib. II de Ordine cap. XII: *Sed audiri absentium verba non poterant. Ergo illa ratio peperit literas, notatis omnibus oris ac linguæ sonis, atque discretis. Nihil autem horum facere poterat, si multitudo rerum, sine quodam defixo termino infinite patere videretur. Ergo utilitas numerandi magnâ necessitate animadversa est. Quibus duobus repertis nata est illa librariorum & calculonum professio, velut quædam Grammaticæ infantia, quam Varro literationem vocat.*

* Adamanum 1617.
† Improprie.

Propriè verò Grammatice est ars legendi & scribendi. Nam antiquissimis temporibus tantum legere scribereque discebant, eaque sola Grammaticæ nomine intelligebant. Hunc vocis Grammaticæ usum cùm quidam rectè agnoscerent, malè tamen defenderunt. Quippe adduxere pro se locum Aristotelis cap. III * lib. I Sophist. Elench. ubi philosophus hujuscemodi affert ὁμωνυμίας exemplum: ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι· τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. Vocari hic γραμματικοὺς ajunt, qui scribendi legendique addiscunt rationem. Atqui σόφισμα est istiusmodi: Grammatici μανθάνουσι: Grammatici sunt periti. Ergo periti μανθάνουσι. Fraus in eo est, quòd, ut ipse Aristoteles mox subdit, μανθάνειν nunc *discere*, nunc *intelligere* significat. At γραμματικοὶ se habent ad ἐπιστήμονας †, ut species ad genus: cujusmodi Scholastici dicunt esse *realiter idem.* Adde quod iis, qui solùm legere scribereque discant, non satis conveniat vox ἀποστοματίζεσθαι; quæ, Suidâ teste, signat ἀπὸ μνήμης λέγειν, καὶ ἀπὸ στόματος, ἄνευ γραμμάτων, hoc est, *memoriter & citra scriptum dicere.*

* Sive quinto, juxta distinctionem Pacii.
† Peritos.

Quamobrem validiori nobis argumento fulciendum, quod dicebamus. Istiusmodi est, quòd apud Diodorum Siculum lib. XII in antiquis Charondæ legibus Grammatica expresse vocetur ἐπιστήμη τοῦ ἀναγινώσκειν, καὶ γράφειν *: quodque eodem modo eam definiat Aristoteles in VI Top †. Verba Philosophi sunt, ἔτι εἰ πρὸς πλείω λεγομένου τοῦ ὁριζομένου, μὴ πρὸς πάντα ἀποδέδωκεν. οἷον εἰ τὴν γραμματικὴν, ἐπιστήμην τοῦ γράψαι τὸ ὑπαγορευθέν. προσδεῖται γὰρ, ὅτι καὶ ἀναγνῶναι· οὐδὲν γὰρ μᾶλλον τοῦ γράψαι, ἢ τοῦ ἀναγνῶναι, ὁ ἀποδοὺς ὥρισται. ὥς δ' ἕτερος, ἀλλ' ὁ ἀμφω ταῦτ' εἰπών. hoc est, *Præterea si cùm de multis dicatur res definita, non tamen aptetur omnibus: velut siquis definiat Grammaticam, scientiam scribendi res prolatas. nam deest, Et legendi. Neque enim magis, qui scribendi, quam qui legendi scientiam esse tradidit, eam definivit. Quare neuter definivit, sed is, qui utraque hæc dixit.* Nempe, Aristoteleo quoque ævo, nulla artis præcepta discebant; sed solum scribendi legendique artificium: cujus ratio est, quòd sermonem vernaculum, uti nosmet nostrum, ulti consequerentur. Neque mirum videri debet, in tantâ philosophorum ubertate fuisse neminem, qui ἀναλογίας & ἀνωμαλίας doctrinam scriptis consignâsset; quando & in Belgicâ, & quibusdam aliis linguis, videre est, licet multi, linguâ vulgari purâ admodum dictione elucubrarint scripta; neminem tamen eorum hactenus de linguâ vernaculâ præcepta tradidisse.

* Scientia scribendi & legendi.
† Contextu 6.

Et talis quidem fuit Grammatice antiquis temporibus. At postquam cœpta sunt artis præcepta observari, origines indagari, proprietates vocum tradi, autores omnes à certo hominum genere explicari: Grammaticæ simul quoque nomen ad variam adeo cognitionem extendi cœpit. Imo quod mirandum magis, huic soli est Grammaticæ nomen attributum: at legendi scribendique ratio, veteri nomine spoliata, ferè vocabatur *Grammatistica*, magisque προπαιδεία*, quam pars artis, esse putabatur. Hinc Quinctilianus lib. I, cap. IV: *Primus in eo, qui legendi scribendique adeptus erit facultatem, Grammatici est locus.* Vides, ut Grammatisticam ab arte excludat. Nonnulli tamen censuerunt, eam Grammaticæ esse si non partem, at particulam: sed hi Grammaticam divisere in perfectiorem, quæ artis præcepta contineret, auctoresque omnes enarraret: ac imperfectiorem, quæ solo constaret artificio legendi & scribendi. Philo περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου: Τὸ γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν γραμματικῆς τῆς ἀτελεστέρας ἐπάγγελμα, ἣν παραγράφοντές τινες, γραμματιστικὴν καλοῦσι. *Scribere & legere Grammaticæ est imperfectæ, quam nonnulli commutantes vocabulum, grammatisticam vocant.* Manifestè hic Grammaticam imperfectam & Grammatisticam pro eodem habet. Eadem sententia fuit Isidori, qui lib. I Originum cap. III, literarum cognitionem tum *primordia Grammaticæ artis:* tum *velut quandam Grammaticæ artis infantiam* appellat. Ac sic antea Augustinus vocarat, ut superiùs dictum: qui & *literationem* nominat cum Varrone: ut diversa sit à literatura, quæ est perfectior Grammatice. Ciceroni tamen in Partitionibus *literatura* sumitur pro γραμματιστικῇ. Seneca distinctius ep. LXXXVIII, ubi eam vocat *primam literaturam.* Ac similiter *primas literas* dixit Fabius lib. I, cap. II: *Paullum*, inquit, *ultra primas literas progressi.* Et ante eum Asconius in Divin. *Magistri ludi dicuntur, qui primas literas docent.* Eodemque modo postea Agrœcius: *Magister ludi, docens primas literas.* Sed neque Grammatisticæ & Grammaticæ vocabula hâc postea in significatione perstiterunt. Nam postquam Grammatistæ in ludis suis variarum artium elementa tradere, autoresque etiam pueris enarrare cœperunt: omnes illi *Grammatistæ*, ac *literatores*, dicti sunt, qui mediocriter essent eruditi, ac potissimum, si iidem ludi essent magistri. *Literiones* contemtim appellat B. Augustinus lib. contra adversarium Legis. *Grammatici* verò appellati, qui essent absolutè docti, ac imprimis literarum professores. Confirmantur hæc iis, quæ de *Grammatici*, & *Grammatistæ*, *literati*, & *literatoris* discrimen, ex Nepote, & Orbilio, scripsit Suetonius Tranquillus lib. de illustr. Grammat. Cujus hac de re illustrem locum corrigit Andreas Schottus lib. III Observat. humanarum cap. XIV. Usus hoc pacto idem Augustinus lib. I Confess. *Adamaveram*, inquit, *Latinas literas, non quas primi magistri, sed quas docent, qui Grammatici vocantur.* Similiterque Ælius Lampridius in Alexandro Severo literatores sive Grammatistas, quos Severus in pueritiâ habuit, distinguit à Grammaticis, quibus in patriâ, Romæque usus est. Idem quoque discrimen observat Julius Capitolinus in M. Antonino Philosopho: *Usus*, inquit, *est magistris ad prima elementa Euphorione literatore, & Geminio Comœdo*, &c. Et mox: *Usus præterea Grammaticis, Græco Alexandro, quotidianis Latinis Trosio Apro, & Pollione*, &c.

* Anteeruditio.

Hæc

Hæc eò fusiùs prosequi visum fuit, quia viri quidam eruditi plurima quidem de Grammatisticâ, & Grammaticâ, magno labore congesserunt: sed dum ad varium vocum harum usum ac significationem non attendunt, locos autorum δὶς διὰ πασῶν * differentes, tanquam geminos, quasi unum in penum conjecerunt.

* Bis per omnia.

CAP. II.

Grammaticen non esse scientiam, contrà quàm Julio Scaligero, & aliis, visum. Uti nec Gymnastice scientia est, contrà quàm statuit Galenus. Cui frustra patrocinium quærit Mercurialis. Perperam à Mario Corrado, & cæteris, in Grammatices definitione addi, esse & scribendi *artem.*

VEnio ad Grammatices naturam. Ea universè explicatur definitione. Definitio ab officio petitur. Estque Grammatices munus agere de sermonis puritate, quemadmodum Rhetoris de ejus ornatu, Poëticæ de metro. Itaque rectè definitur, ars purè loquendi. Jul. Scaliger, vir summus, hanc definitionem oppugnans, scientiam, non artem esse vult, lib. I de caussis linguæ Latin. cap. I. Ac Scaligerum quoque hac in parte sequitur melioris notæ Grammaticus Nicodemus Frischlinus. Competit tamen ei Peripatetica artis definitio; quia fabricat notiones secundas ad purè loquendum. Scientia verò esse nequit, quia ea est rerum æternarum; Grammatica autem est rerum contingentium. Versatur enim circa notiones secundas, quæ cùm sint opus Grammatici, ab ejus quoque ut pendeant intellectu necesse est. Adde quòd non ipsæ modò notiones secundæ sint res contingentes; sed quod id quoque, cujus gratiâ eæ fabricantur, hoc est oratio, non habeat οὐσίαν † immobilem & invariabilem, à quâ certæ fluant passiones de subjecto demonstrabiles. Nam, ut ait Flaccus epist. ad Pisones,

† Essentiam.

> *Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadentque,*
> *Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,*
> *Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.*

Atque ex his lucem fœnerant, quæ παρέργως * de Gymnasticâ dicam. Nam eundem in errorem impingit Galenus lib. ad Thrasybulum, quo Gymnasticam definit, scientiam, quâ facultates exercitationum novimus. Ἡ τέχνη γυμναστική, inquit, ἐστὶν ἐπιστήμη τῆς ἐν πᾶσι γυμνασίοις δυνάμεως. A.V. *Ars Gymnastica est scientia potentia omnium exercitationum.* Atqui cùm Gymnasticæ finis sit opus, scientia esse nequit, quamvis caussas exercitationis virium contempletur. Cassa verò est isthæc opera Hieronymi Mercurialis, cùm lib. I artis Gymnasticæ capite III, ut Galenum defensum eat, ab eo ait communiter *scientiæ* vocem accipi. Nam pressè in definitionibus, haut latè sumi debere, sciunt, qui potius sinceræ Aristotelis philosophiæ, quàm aliorum fermento, sunt initiati. Sed reveniamus ad Grammaticen. Quam qui *scientiam* esse volunt, duobus se magnis auctoribus tuentur, Aristotele, & Fabio: quorum ille lib. VI Top. cap. V Grammaticen vocat ἐπιστήμην †: hic lib. I, cap. IV eam esse ait rectè loquendi scientiam. Verùm Fabius, dum format Oratorem, non omnia ad Logices trutinam expendit. Ne Aristoteles quidem id facit in Topicis, scripto ἐξωτερικῷ: in quo propterea tam multa ex aliena potius sententia dicat, quàm suâ. Accuratiùs idem lib. VI Nicomachiorum capite III: ubi *scientiam* definit. Eam definitionem si spectemus, Grammatice esse scientia non potest: quia, finis ejus est non cognitio, sed opus: materia item non res necessariæ, sed contingentes: ut diximus. Loquor autem de Grammaticâ cujusque linguæ propriâ: non omnium linguarum communi. Nam communis illa, ut inferiùs dicam, tota est naturalis, non arbitraria. Exponit autem quid litera sit, quid vocalis, aut consona, quid syllaba, quid diphthongus, quid vox, quot vocum classes, quæ primariæ & categorematicæ, quæ syncategorematicæ, aliaque humanæ voci insita, ac omnium linguarum communia. Hæc quo minùs scientia propriè pressèque dicatur, nihil impedit; seu finem, seu materiam spectes. Nam ut natura loquelæ, quæ hominis est affectio, meliùs perfectiùsque cognoscatur, in materiam orationis inquirit, & affectiones ejus ex naturæ principiis demonstrat. Nos cùm Grammaticen per scientiam posse definiri negamus, de Grammatica loquimur non naturali, sed artificiali; non communi omnium hominum, sed propriâ hujus, vel illius linguæ: ut eas distinguemus cap. VII. De genere satis.

* Obiter.

† Scientiam.

Differentia Grammaticæ artis à fine peti debet. Est is *bene loqui*, hoc est purè, emendatè: pro quo quidam dicunt *congruè*, sed parùm, ut cum illis loquamur, congruè. Nam congrue non invenio apud antiquos: sed pro eo apud Tullium in tertio de Oratore legas *congruenter*: quomodo loquitur, qui loquitur appositè ad rem; cui contrarium sit, de alliis loquenti, de cepis respondere, ut in proverbio est.

Mario Corrado *, aliisque plurimis, definitur Grammatice, ars bene loquendi & scribendi. Sed de verborum sententia parùm convenit inter eos. Sunt enim, qui ita capiant, ut Grammatice dicatur esse ars non tantùm loquendi, sed & scribendi purè. Aliis verò placet, per scriptionem intelligi rationem figurarum ac ductuum. Qui priori modo accipiunt, peccant, cùm puritatem scribendi in definitione exprimendam judicant, quandoquidem non aliter scribimus, quàm loquimur: ac scriptio accidit loquelæ, eoque locum habere non possit in definitione. Hæc enim essentialia duntaxat assignare debet; quia propriè est κοινὸς τις γνωρισμὸς †, ut ait Philosophus lib. II Analyt. poster. cap. III, §. VII.

* Lib. I. de Ling. Latinâ.

† Essentia notificatio quædam.

Nec minus peccant, qui τὸ *scribere* adjungunt, si solùm ad literarum figuras respiciunt. Nam etiamsi cura ductuum ad Grammaticam pertineret, quæ Capellæ *, Isidori †, aliorumque sententia est; non tamen in definitione ejus id poni deberet; nihilo sanè magis, quàm Arithmeticen definituri diceremus, eam esse bene notandi artem; quamvis aliud sit notatio, aliud numeratio, atque de utraque agere sit Arithmetici. At jam ne quidem Grammatices munus est docere figuras literarum: sed Grammatisticæ, quæ viam munit ad Grammaticam: quemadmodum è Fabio ostendebamus.

* Lib. 3. initio.

† Lib. I. cap. 3.

At illorum magis ferri sententia potest, qui eò scribendi vocem apponunt, quòd, corruptâ jam à multis seculis pronunciatione Latinæ linguæ, plurima aliter scribi debeant, quàm vulgo pronuncientur: ubi si peccetur, scripturæ vitium castigare debeat Grammaticus. Nec propterea tamen in definiendo necessarium est scripturæ fieri mentionem, quia Grammaticen spectamus pro natura artis, quæ erat iis seculis, cùm omnia pronunciarentur similiter ac scribuntur.

CAP. III.

Grammatistica usus in vita omni privata, ac publica. Prometheo ejus inventio tributa à Græcis: & quando is vixisse credatur. Grammatices, quatenus origines vocum expendit, origo videtur à Platone. Methodices verò inventio rectius ad Aristotelem refertur. Quem secutus Theodectes. Lamprus tamen & Ileus, Grammatici, ab Aristotele ipso memorati. Epicurus Grammaticen docuit. Stoicorum in eâdem studium. Ab Alexandrinis est admodum exculta. Estque clavis omnium disciplinarum. Apud Romanos quoque in honore fuit: qui Grammaticis immunitatem indulsere: at non item Grammatistis. Scepticorum dubitatio, sitne Grammatice utilis, imo ecquis sit Grammaticus.

PRoximum videtur, ut partim de multiplici Grammaticæ utilitate dicam, partim etiam exponam, cui debeatur repertæ nobilissimæ hujus artis beneficium. Ac Grammatisticæ quidem sive literationis is usus maximus, quod, ut Sextus Empiricus * ait, ἰᾶται τὴν λήθην †. Quomodo

* Contra Mathematicos cap. 2.

† Medetur atque occurrit oblivioni.

modo & Lactantius lib. III, cap. XXIV: *Discenda ista communes literæ propter usum legendi, quia in tanta rerum varietate, nec disci audiendo possunt omnia, nec memoriâ contineri.* Nempe, ut Quinctilianus ait lib. I, cap. VII: *Hic usus est literarum, ut custodiant voces, & velut depositum reddant legentibus.* Usus iste se exerit in privatis, publicis, sacris. Et, ut particulatim magis dicam, in iis, quæ propriæ memoriæ caussâ annotamus, velut de die nostrorum natali, aut mortuali: item in epistolis, pactis, oppignerationibus, testamentis: præterea in legibus, fœderibus, rebus judicatis, decretis: adhæc iis, quæ doctrinarum studia spectant, sive sint de linguis, sive de rebus gestis, sive de orbe artium liberalium, sive de philosophia, sive de religione. Livius lib. VI: *Raræ & parvæ per ea tempora literæ fuere, una custodia fidelis, rerum gestarum memoriæ.* Plinius lib. XIII, cap. XI: *Hujus unius rei usu scimus maximè constare humanitatem vitæ, memoriam, ac hominum immortalitatem.* Tertullianus lib. de corona Militis: *Literas necessarias confitebor, & commercii rebus, & nostris erga Deum studiis.* De scripturæ bono in epistolis, vide sis Basilium epist. LV ad Ambrosium: & Theodoretum orat. IV de Providentia. Sed imprimis de multiplici adeò utilitate illustris est locus Diodori Siculi lib. XII, ubi de Charondæ legibus tractat. Sic enim scribit: Τὴν γὰρ γραμματικὴν παρὰ τὰς ἄλλας μαθήσεις προέκρινεν ὁ νομοθέτης· καὶ μάλα προσηκόντως. διὰ γὰρ ταύτης τὰ πλεῖστα καὶ χρησιμώτατα τῶν πρὸς τὸν βίον ἐπιτελεῖσθαι, ψήφους, ἐπιστολὰς, διαθήκας, νόμους, τἄλλα τὰ τὸν βίον μάλιστα ἐπανορθοῦντα. τίς γὰρ ἂν ἄξιον ἐγκώμιον διάθοιτο τῆς τῶν γραμμάτων μαθήσεως; διὰ γὰρ τούτων μόνων οἱ τετελευτηκότες τοῖς ζῶσι διαμνημονεύονται· οἱ δὲ μακρὰν τοῖς τόποις διεστῶτες, τοῖς πλεῖστον ἀπέχουσιν, ὡς πλησίον παρεστῶσι, διὰ τῶν γεγραμμένων ὁμιλοῦσι· τάς τε κατὰ πόλεμον συνθήκας ἐν ἔθνεσιν ἢ βασιλεῦσι πρὸς διαμονὴν τῶν ὁμολογιῶν ἡ διὰ τῶν γραμμάτων ἀσφάλεια βεβαιοτάτην ἔχει πίστιν. καθόλου δὲ τὰς χαριεστάτας τῶν φρονίμων ἀνδρῶν ἀποφάσεις, καὶ θεῶν χρησμοὺς, ἔτι δὲ φιλοσοφίαν καὶ πᾶσαν παιδείαν μόνη τηρεῖ, καὶ τοῖς ἐπιγινομένοις ἀεὶ παραδίδωσιν εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα· διὸ καὶ τοῦ μὲν ζῆν τὴν φύσιν αἰτίαν ὑποληπτέον, τοῦ δὲ καλῶς ζῆν, τὴν ἐκ τῶν γραμμάτων συγκειμένην παιδείαν. Id est, *Literarum enim scientiam cæteris disciplinis non immeritò præferendam censuit legislator. Hujus enim adjumento res plurimæ, & communi vitæ maxime conducibiles, ut suffragia, epistolæ, testamenta, leges, aliaque ad rectam vitæ institutionem necessaria, conficiuntur. Quis verò dignis literarum disciplinam laudibus prosequatur? Hæ solæ efficiunt, ut defunctorum memoria inter vivos perduret. His internunciis, qui longissimis terrarum intervallis separati, cum procul absentibus, tanquam prope astantibus, colloquia miscent. Harum certitudo ad fœderum & pactorum, cum populis aut regibus initorum, fidem sanctè conservandam magnopere conducit. Hæ denique pulcherrimas virorum prudentum sententias, Deûmque responsa, & philosophiæ dogmata, & breviter totum disciplinarum orbem, solæ conservant, & posterorum memoriæ usque ad omnem æternitatem commendant. Idcirco vitam quidem à natura tribus; bene autem beateque vivendi rationem literarum disciplinæ acceptam esse referendam, statui debes.* Hæc Diodorus. Est verò stupendum planè, quòd tantum boni redundet ad humanum genus ex paucis ac minutis lineolis: ut quibus contineatur, quicquid facimus, dicimus, cogitamus. Quare meritò literas reponas inter miranda naturæ. Quod & Tullii judicium est in primo Tuscul. Quæst. Ubi quasi obstupefactus, *Quis*, inquit, *sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminavit?* Hunc tanti boni inventorem esse Prometheum, traditum est à Græcis. Suidas: Προμηθεὺς εὗρε πρῶτος τὴν γραμματικὴν φιλοσοφίαν*. Pro quo Cedrenus simpliciter: Προμηθεὺς † γραμματικὴν, ὥς φασιν, ἐξεῦρεν. Ut fortasse apud Suidam legi debeat: γραμματικὴν καὶ φιλοσοφίαν. Γραμματικῆς autem nomine hic intelligi debet γραμματιστικὴ, quæ Grammatices infantia est, solaque

> * Prometheus primus reperit Grammaticam philosophiam.
> † Prometheus Grammaticam, ut ajunt, reperit.

antiquissimis temporibus discebatur. Cujus inventum Prometheo tribuêre, ut aliarum prope omnium artium ac scientiarum primordia. Vixit is, si Eusebium audimus, puero Mose: si Tatianum, & Clementem Alexandrinum, eo jam adulto, sive temporibus, ut iidem ajunt, Triopæ, septimi Argivorum regis, & Cecropis, regis Atheniensium primi. Sed Promethei res pertinent ad tempus μυθικὸν*, cujus pleraque incerta. De vero autem γραμματιστικῆς sive literationis auctore, infrà commodiùs differetur, cùm de literis particulatim agendum erit.

> * Fabulosum.

Nunc potiùs videamus de nobiliori perfectioreque Grammatica, quam literaturam dicimus, ac solam Grammatices nomine dignamur. Penè in confesso est: primum Platonem quædam movisse circa artem Grammaticam. Nam præterquam quòd in Philebo docet, quâ ratione literarum doctrina tradi possit, in Cratylo habemus illam πολυθρύλητον † disputationem, utrùm nomina significent φύσει*, an θέσει†. Verùm rudia hæc fuere artis initia, magisque ad exegeticen & vocum origines pertinent, quàm ad methodicen sive artis præcepta. Et tamen propterea apud Laërtium Phavorinus in VIII Variæ historiæ de Platone ait, Πρῶτος ἐθεώρησε τῆς γραμματικῆς τὴν δύναμιν: *primus inspexit Grammatices vim.* Quod planè exponi debet de origine vocum. Unde Diogenes mox subjicit: Διελέχθη περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος: *disseruit de nominum recta impositione.* Justiùs igitur Aristoteles artis hujus autor censetur: qui primus voces distinxit in certas classes; puta, nomina, verba, & συνδέσμους seu copulas: primus quoque generum doctrinam prosecutus est, aliaque nonnulla explicuit; ut cùm aliis ejus ex scriptis perspicuè, ac tanquam de plano dilucet; tum imprimis ex eo, quem è tribus superstitem habemus, de re Poëtica libro. Et sanè Dio Chrysostomus orat. LIII, quæ est de Homero, cùm dixisset, Poëtarum interpretes priùs esse κριτικοὺς vocatos, postea γραμματικοὺς, quales fuere Aristarchus ac Crates: addit, multa etiam de Homero in dialogis disputari ab ipso Aristotele, ἀφ' οὗ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν· *à quo ajunt initium cepisse artem Criticam & Grammaticam.* Ubi non de nihilo est, quod neutiquam contentus dicere *Criticam*, addit *& Grammaticam.* Nam etsi Critici postea acceperint nomen Grammaticorum, naturâ tamen latiùs patet Grammatici appellatio. Atqui Aristoteles non tantum Poëtarum mentem exponit, quales Critici dicebantur; sed ea etiam docet, quæ ad μέθοδον sive artis Grammaticæ naturam pertinent. De methodo quoque egit Theodectes. Quem cum Aristotele tres solùm classes vocum, verba, nomina, & convinctiones, tradidisse, auctor est Quinctilianus lib. I, cap. VI*. Fortassis tamen & Aristoteles, & Theodectes, aliquid debuere Lampro, & Ileo: quos Grammaticen reliquisse auctor est Aristoteles ipse lib. II Magnorum Moralium capite VII: Οὐ γὰρ ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἐπιστημῶν ἔχει, οἷον τῆς γραμματικῆς, ἢ ἄλλης τινὸς οὖν. ἐὰν ἔχῃ γὰρ Λάμπρος τὴν γραμματικὴν, ὁμοίως δὲ διακείσεται ὑπὸ τῆς γραμματικῆς ταύτης ὁ γραμματικὸς, ἄλλῳ ὁτῳοῦν ἔχοντι γραμματικὴν, οὐ δύο εἰσὶ διάφοροι αἱ γραμματικαὶ, ἥ τ' ἐν Λάμπρῳ, καὶ ἡ ἐν Ἰλεῷ. *Neque enim* (in voluptatibus, quæ specie differunt) *est, quemadmodum in scientiis, ut Grammaticâ, vel quacunque aliâ. Non si Lamprus Grammaticam habeat, & ita afficiatur hic Grammaticus ab hac Grammatica, ut quivis alius habens Grammaticam, non sint nimirum duæ Grammaticæ diversæ, quæ in Lampro, & quæ in Ileo.* Fortasse & ars hæc aliquid postea debuerit Epicuro, qui Aristotele moriente annorum erat XX. Saltem Epicurum γραμματοδιδάσκαλον γεγονέναι†, priusquam, lectis Democriti libris, ad philosophiam se applicaret, ex Hermippo testatum facit Diogenes Laërtiensis*. Sed hoc utcunque est, Aristotelis, ac Theodectis inventis pluria accuderunt philosophi sequentes, cumprimis Stoici: ut ex Fabio† etiam cognoscere est, & Laërtio imprimis, nec non Apollonio Alexandrino. Atque ita paulatim ars excrevit in justum σύστημα*; quod cujus opere consecuta sit maximè, in obscuro latet. Non dubium tamen, quin

> † Multum agitatam ventilatamque.
> * Naturæ.
> † Positione.
> * Sitos, ut alii distinguunt. cap. 4.
> † Grammaticam docuisse.
> * In vita Epicuri.
> † Lib. I. cap. 6.
> * Corpus ac compagem.

quin præcipuè debuerit hæc ars Alexandrinis. Qui non minus ob Grammatices peritiam jactare se solent, quàm Thebani, quia tibià; Mitylenæi, quia citharà optimè canerent: quemadmodum testis est Menander Rhetor in iis, quæ de genere demonstrativo scripsit lib. I, cap. XVI. Nec mirum, si tantopere philosophi, & alii, hoc studium excoluerint. Est enim clavis omnium disciplinarum: cùm artes ac scientias docere nequeamus, nisi alii alios intelligamus, quòd sermonis præstat disciplina. Hinc luculenta illa elogia Grammatices apud Fabium lib. I, cap. IV. Cassiodorum lib. IX, epist. XXI, ac tot alios. Hinc quoque est, quòd apud Romanos tanto in honore fuerunt pænulati illi magistri: quodque summæ etiam dignitatis viri hoc studium amplexi fuere: de quorum utroque Tranquillus libro de illustribus Grammaticis. Quin & beneficio immunitatis gaudebant: ut indicant hæc Arcadii Charisii verba L. ult. D. de mun. & honor. *Magistris, qui civilium munerum vacationem habent, id est*, Grammaticis, & Oratoribus, & Medicis, & Philosophis, ne hospitem reciperent, à Principibus fuisse immunitatem indultam, & D. Vespasianus, & D. Hadrianus, rescripserunt.* At negatus is honos illis, qui non Grammatici sive professores, sed Grammatistæ, sive ludi magistri forent. Modestinus l. II, ut gradatim. §. fin. ff. de muneribus & honor. *Eos, qui primis literis pueros inducunt, non habere vacationem, Divus Magnus Antoninus rescripsit.* Et Ulpianus l. Sextum decimum. 2. §. fin. D. de Vacat. & Excusat. Mun. *Qui pueros primas litteras docent, immunitatem à civilibus muneribus non habent. Sed ne cui eorum, quod supra vires sit, indicatur, ad præsidis religionem pertinet, sive in civitatibus, sive in vicis, primas litteras magistri doceant.* Etsi verò ea sit necessitas ac præstantia artis Grammaticæ; Sceptici tamen, ut aliarum, ita hujus quoque disciplinæ utilitatem in dubium vocabant: imò etiam ambigebant, an Grammaticus vel Criticus esset quisquam: quæ res præbuit occasionem Galeno, ut librum scriberet hoc titulo, (quemadmodum ipse commentatione de propriis operibus ait) Εἰ † δύναταί τις κριτικὸς εἶναι καὶ γραμματικός. Argumenta eorum, subtiliora sanè, quàm solidiora, legere possis apud Sextum philosophum in opere Pyrrhoniarum ὑποτυπώσεων, & in iis, quæ adversus Mathematicos disserit: item apud Franciscum Picum Mirandulanum lib. III, cap. III de vanitate doctrinæ gentium, & veritate religionis Christianæ. Ac fore propediem arbitror, ut quæ acutè adversus hanc sententiam disseruit, publici juris faciat Casparus Barlæus, dubium poëta melior, an philosophus, antè in Lugdunensi Academia, nunc denuo in illustri hoc Amstelodamensium Athenæo collega exoptatissimus.

* Vulgò leg. item, pro quo recte Cujacius id est repenit.

† Ecquis possit esse criticus & grammaticus.

Cap. IV.

Grammatices divisio in μεθοδικὴν, & ἐξηγητικήν. Cur μεθοδικὴ, atque alio nomine ὁρισικὴ vocetur. Τεχνικοὶ, τεχνογράφοι, artigraphi, tum pressè pro artis Grammaticæ scriptoribus, tum laxè de aliarum artium doctoribus. Tyrannionis junioris ætas, conditio, ac de arte hac libri. Demetrius Ixion, Nicanor Hermiæ, Pausanias Cæsariensis, Lupercus Berytius, Hyperchius Alexandrinus, qua de arte hac scripserint, & quando vixerint. Didymi duo, & Philoxenus Alexandrinus, technici. Apollonii Dyscoli ætas, de structura liber, ejusque commendatio. Vita & Herodiani, filii ejus. Trypho, Ælius Dionysius, Chœroboscus. Judicium de Chrysolora, Demetrio Chalcondyla, Constantino Lascare, Theodoro Gaza, Urbano Bellunensi. Latinæ Grammatices scriptores deperditi, Ennius Junior, Julius Cæsar, Nigidius Figulus, & alii. Item qui supersunt, ut Varro, Palæmon, Valerius Probus, Sosipater, Diomedes, Priscianus, & quando is vixerit. Macrobii excerpta de Græca Latinaque lingua convenientia ac discrimine. Joannis Erigena, ac Macrobii ætas. Technici alii. Quam tardè Hebræus sermo artis præceptis tradi cœperit. Rabbi Juda Chiug, R. Jonas Cordubensis, R. Aben-Esra, R. David Kimchi, technici, quæ, & quando scripserint. R. Abraham de Balmis, & Elias Levita.

Quia, quid Grammatice sit, & quomodo à Γραμματιστικῇ differat, deque ejus utilitate, ac inventione dictum est, ad divisionem Grammatices accedemus. Partes ejus plerique faciunt duas, μεθοδικὴν seu ὁρισικὴν, & ἱσορικὴν, seu ἐξηγητικήν. Μεθοδικὴν consistere volunt in artis præceptis: ἐξηγητικὴν verò in intellectu & enarratione auctorum. Est hæc sententia Philonis περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου, Quinctiliani lib. I cap. IV & IX, Diomedis lib. II, capite eo, cujus lemma, de Grammatica. Ac de priori quidem parte iis planè assentimus. Satis enim apertum est, eam sic dici, quia continet μέθοδον, hoc est, viam, rationemque docendi, prout Theodorus eam vocem transtulit. Nempe agit de sermonis veluti corpore & affectionibus; & artem definitionibus, divisionibus, ac regulis, explicat. Quemadmodum autem à methodo vocatur μεθοδικὴ, ita à definitionibus dicitur ὁρισικὴ, quasi finitiva; ac à præceptis artis τεχνικὴ, quasi artificialis. Qui verò aliquid hàc de parte memoriæ prodiderunt, ii dicuntur τεχνικοὶ, & τεχνογράφοι; quomodo Suidas Herodianum vocat in Ἀπολλώνιος. *Artigraphos*, hybridâ voce, nominat eosdem Servius in lib. I & II Æn. & Cassiodorus præfat. collectaneorum de orthographia. Invenio & eandem vocem apud Carolum Magnum cap. XXX, lib. II, adversus concilium de imaginibus, ubi ait: *Omnia in scripturarum sanctarum amplissimis pratis inveniri posse, quæ artigraphi in suorum hortorum areolis posuere.* Sed hic intelligendi non Grammaticæ solius, verùm aliarum etiam artium scriptores. Quomodo & Eunapius artium omnium professores appellat τεχνικούς.

Inter nobiles Grammaticæ artis scriptores apud Græcos, Julii Cæsaris, & Augusti temporibus, fuit Tyrannio Phœnix, Artemidori filius, Tyrannionis Amiseni discipulus, Terentiæ ejus, quæ M. Ciceroni nupsit, servus, atque ab eadem manumissus. Qui de orationis partibus scripsit, & de orthographia, item de prosodia Homerica, aliaque, quæ Suidas commemorat. Etiam Augusti ætate fuit Demetrius Ixion Atramyttenus, qui de pronominibus, & verbis in μι egit: ut idem est auctor. Ex quo etiam agnoscimus, sub Adriano Cæsare vixisse Nicanorem, Hermiæ filium; qui de punctis reliquit libros sex, & eorundem epitomen. Idem prodit, sub Marco Antonino floruisse Pausaniam, Cæsariensem Sophistam, Aristidis æqualem, ac Philostrato etiam in Vitis memoratum, qui opus contexuit περὶ συντάξεως. Paullo ante Claudii secundi tempora, eodem auctore, fuit Lupercus Berytius, qui artem Grammaticam condidit: ac tres libros de structura particulæ ἄν, item de masculinis, femininis, & neutris, libros reliquit tredecim: in quibus sæpe recedebat ab Herodiano. Ait idem, sub Marciano Imperatore loco non exiguo fuisse Hyperchium Alexandrinum, qui & artem scripsit Grammaticam, & de orthographia, & de nominibus, ac verbis. Apud eundem Suidam legas de Didymo Alexandrino, qui de orthographia scripsit: de Didymo Claudio, qui egit de erratis Thucydidis in analogia: de Philoxeno Alexandrino, qui commentatus περὶ συζυγιῶν*, & de verbis in μι, & monosyllabis, & Græcismo. Sed longum sit iis insistere, qui perierunt. Eorum, quorum nobile quicquam superfuit, princeps locus debetur Apollonio Alexandrino, cognomento Δυσκόλῳ sive Difficili: qui tempore M. Antonini claruit. Hujus quatuor exstant libri περὶ Συντάξεως. Hoc volumen ipse necessarium esse ait ad poëtas intelligendos, atque id à se scriptum μετὰ πάσης ἀκριβείας †. Complura etiam alia edidit de hac arte, quæ referuntur in vita ejus, & à Suida. Etiam filius ejus Herodianus plurima reliquit, hodieque supersunt παρεκβολαὶ μεγάλου ῥήματος, καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ συναγωγαὶ ἀνωμάλων ῥημάτων· *excerpta de magno verbo, &, ex eodem, deductiones irregularium verborum.* Item quædam περὶ ἀριθμῶν*. Multum patri filio-

* De conjugationibus.

† Accuratè omnino.

* De numeris.

filioque debet Priscianus, qui sic de iis in præfatione operis: *Quid Herodiani artibus certius! quid Apollonii scrupulosis quæstionibus enucleatius possit inveniri!* Etiam Apollonium se potissimùm sequi, indicat initio lib. XVII. Etiam illud ad Apollonii laudem non parum facit, quòd summus vir, Theodorus Gaza, penè illud omne ei debet, quod tradit in quarto Grammaticarum Institutionum, hoc solùm excepto, quòd de tota re γραμματικώτερον † ipse scripserit. Adhæc doctissimus Thomas Linacer Apollonii vestigiis passim insistit. Præterea ad nos pervenit libellus Tryphonis Alexandrini de dialectis, item de vocum passionibus. Ac videtur is Trypho, qui ætate vixit Augusti, pluraque alia reliquit, quæ Suidas commemorat. Item exstat Ælii Dionysii opusculum περὶ * ἀκλίτων ῥημάτων, & περὶ † ἐγκλινομένων λέξεων: nec non Joannis Grammatici περὶ ἐγκλινομένων, uti & de dialectis. Etiam Choerobosci superest libellus περὶ ἐγκλινομένων, & περὶ τοῦ ἐστι, & de femininis in ω exeuntibus, deque τοῦ ἐφελκυστικοῦ N, sive, quibus ν addatur, vel non addatur: adhæc ad eos dissertatiuncula, qui ubique regulas & formationes quærunt. Cujusmodi libellos, vel antiquitatis caussâ, operæ sit conjunctim uno legi volumine. Nunc habentur sparsim, & propterea leguntur a paucis. Multi etiam, renascentibus literis, præclarè de arte hac meriti sunt. Ex iis Emanuel Chrysoloras idoneus est, unde discantur principia linguæ Græcæ. Nisi quòd verborum formationes omittit. Plenior Demetrius Chalcondylas, qui Græcæ linguæ post Argyropolum Florentiæ professor fuit: sed, Politiani ambitione inde ejectus, Mediolanum se contulit. Chalcondylæ erotemata Petrus Danesius impensè laudabat, eaque Budæo auctore, primus publici juris fecit Melior Volmarus. Addendus Emanuel Moschopulus περὶ συντάξεως *. In opere ejus περὶ σχεδῶν multa sunt nullius usûs, nec pauca falsa. Guarinus Veronensis exscripsit Chrysoloram. Fusiùs de arte scripsit Constantinus Lascaris. Is linguam Græcam docuit Messanæ, quæ eo tempore, quasi alteræ Athenæ habebantur. Vitâ excessit, dum Grammaticæ institutiones ab Aldo excuderentur, cùm primum vix librum ab eo editum conspexisset. Latinè vertit Aldus: sed castigatiùs postea edidit Gaspar Philomusus. Omnium verò doctissimè hanc artem libris quatuor tractavit Theodorus Gaza Thessalonicensis. Cujus operam ab ingenio & doctrina sic commendat Franciscus Robortelius †, ut nulli veterum postponendam dicat. Nec ei se simile quicquam legisse, eo in genere, dictitabat Budæus *. Is primo quidem libro agit de literis, & octo orationis partibus, præpositione exceptâ, de qua libro IV. Secundo accuratiùs illa de octo partibus expendit, ac, præter cætera, temporum formationem exponit. Atque hos duos libros Erasmus vertit. Tertio considerat accentus, quantitatem, orthographiam, & varios barbarismi modos. Quartus est de structura orationis, & variis dicendi formis. Interea tantus scriptor utilior iis est, qui jam aliquousque profecerint. Ipse liber primus brevitate nimiâ obscurior est. Longeque prioribus difficilior est quartus. De quo Constantinus Lascaris ajebat, Δηλίου κολυμβητοῦ δεῖται †: uti olim dixerat Socrates de libro Heracliti sibi ab Euripide oblato. Quare nec nomine suo indignum putarunt duo præstantissimi viri, Jacobus Tusanus, & Lazarus Bonamicus, ille si Lutetiæ, hic si Patavii eum publicè enarrarent. Eademque res impulit doctissimum virum Heliam Andream, ut luculento eum illustraret commentario: idque ope imprimis Apollonii Dyscoli: quem Theodorus, ut ajebam, maximè secutus. Atque hi, quos dixi, artem Græcè loquendi, Græcè signarunt. Ex iis autem, qui Latinè scripserint, primus, qui aliquo loco haberi mereatur, Urbanus Bellunensis fuit. Hunc aliquis temporum ignarus eum esse existimet, de quo sic Leander in descriptione Italiæ, ubi de Foro Cornelii seu Imola agit: *Urbanus item Grammaticus, summe liberalium artium Grammatica praditus, qui superioribus annis, testatâ multis in locis eruditione suâ, decessit, Imolanus erat.* Sed alius est, de quo antè dicebamus; nempe Leonis X præceptor, patriâ

† *Magis ex arte Grammatices.*

* *De verbis indeclinabilibus.*

† *De vocibus encliticis, sive inclinatis ac recumbentibus in vocem præcedentem.*

* *De structura.*

† *Comment. in Aristotelis de re poëtica librum, ubi quid λέξις sit disputat.*

* *Helias Andreas præfat. in Gazam.*

† *Delio natatore indigere.*

Bellanius sive Bellunensis: de quo fusissimè Pierius Valerianus lib. II de literatorum infelicitate. Legendus autem, non uti primò conceptus, auctoreque ignaro editus est ab Aldo; sed ut postea ab auctore auctus est & digestus, atque in Germania recusus. Urbani exemplum multi postea secuti: ex quibus doctrinæ & industriæ laudem maxime mihi meruisse videntur Angelus Caninius, & Fridericus Sylburgius.

A technicis Græcis transeo ad Latinos. Qui ad excolendam hanc artem Græcorum exemplo fuere invitati. Docet hoc Tranquillus de illustribus Grammaticis: *Primus studium Grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi æqualis, qui missus ad Senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, cum in regione Palatii prolapsus in cloacæ foramen crus fregisset, per omne legationis simul & valetudinis tempus plurimas acroases subinde fecit, assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum.* Quibus ex verbis, vir quidam eruditissimus occasionem arripit, artem eam, qualis ab illo tempore multis seculis Romæ & alibi obtinuit, *Cloacinam* vocandi: quia, ut ait, ex cloacæ foramine una cum claudo magistro emerserit: ut minimè mirandum putet, si multis sit inquinata sordibus, pravoque malè talo incedat. Festive id dictum videtur. Sed Crateti injuria fit. Nec enim Grammaticen debemus cloacæ, quæ Grammaticum penè perdidit: verùm Græciæ, seu Asiæ unde eam attulit Crates. Quæque inepte vel stulte postea tradita sunt à Latinis, ea non possunt homini Græco imputari, pauculis fortasse exceptis, pertinentibus ad Grammaticen, quatenus ea Græcæ & Romanæ linguæ communis fuit: sed proprio potius eorum stupori adscribi debent: ut qui vel linguæ suæ non satis essent intelligentes, vel neglexissent differendi disciplinam: unde tot fatuæ definitiones, ac divisiones, tantaque ordinis confusio. Nec tanta fuit veterum stultitia, ac posteriorum. Quod magis credo pateret, nisi injuria temporum abstulisset nobis antiquissimum ac præstantissimum quemque eorum, qui de lingua Latina aliquid, quod ad μεθοδικὴν spectaret, scripto consignasset. Nunc non modò desideramus libros duos Ennii Junioris, quibus de literis syllabisque, item de metris scripsit, ut ex Lucio Cotta refert Suetonius lib. de Grammat. Ill. aut libros Julii Cæsaris de Analogia, quorum meminit Suetonius in Jul. Cæs. & Charisius lib. I: sed etiam, quæ commentati sunt Nigidius Figulus, Cornelius Nepos, Aruntius Comminianus, Plinius Secundus, Valgius, & alii aliquot, quos res ad methodicam pertinentes tractasse, argumento sunt, quæ ex iis proferunt, cùm alii, tum imprimis Sosipater Charisius.

Inter eos verò, quorum aliquæ supersunt commentationes, familiam ducit M. Terentius Varro; cujus hoc in genere tres de Analogiâ libri perennarunt. Iisdem, ob superstites aliquas majoris operis reliquias, annumerari debet Q. Rhemnius sive potiùs Remmius (quomodo, Aldo teste, in veteri lapide vocatur) Palæmon, Vicentinus; *Grammaticâ arte celebris*, ut ait Plinius lib. XIV, cap. IV, ac doctrinæ nomine Juvenali etiam laudatus lib. III, sat. I:

*Quis gremio Enceladi *, doctique Palæmonis adfert,*
Quantum Grammaticus meruit labor?

Ab eodem Grammaticam idem περιφραστικῶς *Palæmonis artem* appellat lib. II sat.

Odi
Hanc ego, quà repetit, volvitque Palæmonis artem,
Servata semper lege & ratione loquendi.

Vixit, Eusebio teste †, sub Cæsare Claudio. Auli Persii & Quinctiliani oratoris præceptorem fuisse, docent vett. glossæ in Pers. & Juvenalem *. Supersunt & reliquiæ non aspernandæ M. Valerii Probi Berytii, quem Grammaticorum eruditissimum vocat, ac Neronis ævo vixisse, ait idem Eusebius. Claudit is catalogum illustrium Grammaticorum apud Tranquillum. Sed imprimis τῶν τεχνολόγων studia juvare possunt, cùm Sosipater, & Diomedes: de quorum ævo non satis paret: tum Priscianus, qui Justini senioris, & Justiniani Impp. tempore floruit: ut constat ex Cassiodori

* *Al. Celadi.*

† *Ad annum Domini 49.*

* *In vitâ Persii à Pythæo editâ, & in sat. 6 Juvenal.*

dori de Orthographia libro. At longissimè aberrat Nicodemus Frischlinus, cùm in Paralipomenis scribit, Priscianum esse Technicorum, qui exstent, antiquissimum. Siquidem hic non uno loco meminit Charisii, cui & Probum adjungit lib. IX. Fortassè & inter Technicos, quibus præ cæteris debemus, annumerandus foret Theodosius Macrobius, si extaret liber ejus *De differentiis & societatibus Græci Latinique verbi.* Nunc tantummodo habemus quædam excerpta concinnataque à Joanne nescio quo. Nam in calce libelli solum Joannis nomen exprimitur. Putabat P. Pythœus, eum esse Joannem Erigenam Scotum, qui Dionysium Areopagitam Latinè vertit, & tempore Karoli Calvi vixit: ut constat ex libb. Ecclesiæ Lugdunensis, quos adversus istum Erigenam scripsit: item ex epistola Nicolai ad Karolum Calvum, ac Matthæo Westmonasteriensi ad annum IↃCCCLXXXIII, & Guiljelmo Malmesburiensi lib. II de gestis regum Anglorum cap. IV. At Macrobius ipse claruit ætate Theodosii Senioris, & ejus filiorum: ut qui æqualem se dicat Servii * Honorati, qui in Virgilium scripsit, & Aurelii Symmachi †, cujus epistolas habemus. Imò ex codice Theodosiano * constat, sub Honorio ac Theodosio Juniore fuisse sacri cubiculi præfectum: quemadmodum monitum optimo & doctissimo amico nostro, Isacio Pontano †. Exstant & de arte Grammatica commentatiunculæ Phocæ, Asperi Junioris, Donati, Servii, Sergii, Maximi Victorini, Cledonii, B. Augustini, P. Consentii, Flacci Alcuini, qui Caroli Magni magister fuit, & Eutychis, qui de discernendis conjugationibus scripsit. Sunt & technici alii, sed qui non tam de ὀρθοεπείᾳ, quam ὀρθογραφίᾳ tractarint; quos iccirco suo loco commemorabimus. Rei quoque metricæ autores, ut Terentianum Maurum, Marium Victorinum, Marium Plotium, Cæsium Bassum, ac similes, eò omitto, quia metrum non tam ad Grammaticam, quàm Poëticam pertinet, ut sequenti libro ostendemus.

* *Lib. 1 Sat. cap. 2. & lib. 6. cap. 6. & 7.*
† *Lib. 5 Sat. cap. 1.*
* *Lib. 6. Tit. 8, de præpositis sacri cubic.*
† *Notis in Macrobii lib. 1 Sat. cap. 1.*

Mirum verò Hebræos, quorum lingua est antiquissima, serò adeò, multoque post ipsos Arabas, de Grammatica arte scribere cœpisse. Nam cùm jam Arabes de Arte penè scribere desinerent, Judæi de ea primùm signare aliquid cœperunt. Primus eorum fuit Rabbi Juda, Davidis filius, cognomento Chiug, oriundus ex Fesa, urbe Africæ. Is circa annum Christi ∞ XL duos edidit libellos, unum de raphe, sive de literis בְּגַד כְּפַת nunc molliùs, nunc duriùs pronunciandis: alterum de geminatione, sive de vocibus literam quampiam geminantibus. Proximus ab eo Rabbi Jonas Cordubensis, professione medicus: qui itidem libros scripsit duos, unum de artis præceptis, alterum de significationibus verborum. Tertius fuit Aben-Esra, sive Abraham ben Esra, Hispanus, qui circa an. claruit ∞ CLX. Hic præter commentarios, quos edidit in libros sacros, scripsit סֵפֶר צַחוּת דִּקְדּוּק, id est *librum elegantiarum in Grammaticis:* item סֵפֶר מאזְנֵי לְשׁוֹן הַקּוֹדֶשׁ id est *librum bilancis linguæ sanctæ*, quomodo inscripsit, quia regulas tradit, ad quas examinari oporteat linguam Hebræam. Quartus est R. David Kimchi, qui vixit circa annum ∞ CXC. Is cùm videret, multa confusè diffuseque scripta esse à R. Juda, & R. Jona; ad hæc multa scitu necessaria præteriisse; succinctiùs pleniusque, ea studuit complecti. Atque iccirco nomen operi suo fecit, סֵפֶר מִכְלוֹל, *liber comprehensionis.* Est verò opus bipartitum. Pars una dicitur דִּקְדּוּק, *Grammatica:* altera verò סֵפֶר הַשָּׁרָשִׁים, *liber radicum*, sive lexicon. Atque hi vixere intra millesimum à Christo annum, annumque supra eum ducentesimum. Quod verò ad eos, qui intra hos centum circiter annos artem hanc è Judæis tractarunt, facilè eorum principes sunt hi duo: R. Abraham de Balmis, qui circa annum ∞ IↃXX scripsit Grammaticen, eamque inscripsit מִקְנֵה אַבְרָהָם, hoc est, *peculium sive possessio Abrahæ:* & Elias Levita, qui natus in civitate nova Eysch, haut procul à Norimberga, ac, invitis popularibus suis, Christianos Hebræam docuit linguam, cùm vivâ voce, tum variis editis libellis. Atque illorum, & aliorum scriptis adjuti plurimùm Christiani hujus linguæ præcepta docere & ipsi cœperunt: omniaque ordine meliori, quàm Judæi fecerant, tradiderunt.

CAP. V.

Cur Grammatices partem appellem ἐξηγητικὴν, & ἱστορικήν: & super eo viri docti lapsus. Ἐξηγητικὴν, quatenus scriptorum omnium enarrationem spondet, non esse partem Grammatices. Verum ἐξηγητικῆς munus, quatenus ad Grammaticen pertinet. Vocum Græcarum interpretes illustriores; imprimis ex quibus conflatur Suidæ lexicon, ac complurium aliæ. Grammatici, qui Romanarum vocum significationes & origines signarint. Gellii, & Arnobii loca duo, quibus celebriores complexi Grammaticos: sed in quibus & technici compareant.

DE μεθοδικῇ, ejusque scriptoribus, satis dictum. Alteram Grammatices partem vocant ἐξηγητικὴν *, vel ἱστορικήν †. Ac ἐξηγητικὴν quidem dixere, quia in scriptorum interpretatione versetur: ἱστορικὴν autem, quia ad auctorum enarrationem, quàm ἱστορική promittit, opus est cognitione historiæ tum fabularis, tum veræ, uti etiam notitia locorum. Vir eruditus, Bartholomæus Keckermannus, aliam rationem adfert. Nam * Budæi se ait sententiam probare, qui ad legem secundam de Origine Juris dicat, enarrationem auctorum, non tantùm *historicen* iccirco dici, quia sine fabularum memoria nequeat expediri ut Seneca ait ep. LXXXIX ad Lucillium: sed etiam quòd Grammaticus interpres simpliciter, & ἱστορικῶς referat, atque enarret, quid scriptor senserit. Nempe quia mente ex quatuor interpretandi modis, de quibus Augustinus tractat lib. II de Genes. ad liter. cap. II, uti & Cusanus lib. VIII Exercitationum, unus dici solet Historicus. Sed bis peccat vir doctissimus. Nam neque hoc dicit Budæus, quod ille putabat: neque vera hæc ratio est, quam is adfert: sed illa potius, quam nos diximus. Siquidem extra controversiam est, Grammaticos antiquos, non contentos sermonis cura, sibi etiam vindicasse, tum *quædam genera institutionum ad eloquentiam parandam*, de quo Tranquillus monet lib. de illustribus Grammaticis: tum historiæ & antiquitatis notitiam, ad auctorum intelligentiam: ut ex eodem Tranquilli libro apertissimum est: item ex Sexto Empirico, qui de hac parte Grammatices ita scribit: ἱστορικὸν, ὅπου περὶ προσώπων, οἱονεὶ θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ ἡρωικῶν διδάσκομεν, ἢ περὶ τόπων, διηγοῦνται, καθάπερ ὀρῶν, ἢ ποταμῶν, ἢ περὶ πλασμάτων καὶ μύθων παραδιδόασιν. *Grammatica historica est, quæ de personis, velut de divinis, humanis, & heroicis docet; aut de locis tractat, quomodo de montibus, vel fluviis, aut de figmentis, vel fabulis agit.*

* *Explicatricem.*
† *Historicam, sive narrativam.*
* *Lib. 1 de natura hist. cap 1.*

Quamquam verò tanto veterum consensu traditum sit, enarrationem scriptorum, ac imprimis poëtarum, ad Grammaticen pertinere: non tamen in hoc eos secundo lumine adflavit

Ὁ ἥλιος τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδόν·
Sol sidera inter cœlicam secans viam.

Nam, ut tenebras istas discutiamus, autorum explicatio non subjicitur Grammaticæ, cùm nullius sit, nisi versati in omni ἐγκυκλοπαιδείᾳ †. Nec tamen diffiteor, enarrationem quoque Grammaticorum quodammodo esse: sed tantùm, cùm verba enucleat, sive propria, sive figurata. Imposuit iis, quòd Grammaticos appellari viderent, qui omne genus autorum interpretarentur, adeò ut Joannes Philoponus quoque, ob Aristotelis enarrationem, Grammatici nomen sit indeptus. Verùm ficulnum hoc argumentum est, cùm hoc nomen iis fecerint, quòd ad scriptorum omnium intelligentiam, si non imprimis, at primæ certè requirantur Grammatici partes; non autem quasi universa, quatenus Grammaticus, explanaret. Certè Grammaticam versari circa curam sermonis, licereque lineam adversus eum ponere, si his se cancellis non contineat, sensisse quoque videtur Seneca epist. LXXXIX ad Lucill. *Grammaticus,* in-

† *Orbe disciplinarum.*

inquit, *circa curam sermonis versatur, & si latius evagari vult, circa historias: jam longissime fines suos proferat, circa carmina.* Nam cùm solius ei sermonis tribuit curam, ex suâ loquitur sententiâ: autorum verò enarrationem, quia hanc alii attribuebant, non tam Grammatico præcipit, quàm permittit. Quare hanc qui Grammaticæ subjiciunt, pomœria effataque ejus, ex Senecæ quoque sententiâ, nimis extenderunt.

Nimis è contrario coarctant, qui solam μεθοδικὴν agnoscunt. Nam ad rectè loquendum non solà opus observatione præceptorum, sed & vocum omnium significationem nôsse convenit. Quare duas quidem, & appellatione easdem, sed aliâ mente, statuimus Grammatices partes: quarum illa quidem, ut diximus, artis præcepta exponit; hæc vocum significationes enarrat. Intellige autem vocum tum simplicium, tum conjunctarum; sive incomplexarum, & complexarum; prout, haut barbarè, ut quidam putarunt, sed, venustâ a corollis tralatione, vulgò loqui amant in Dialecticorum scholis. Hanc Grammatices partem ex coluere Græci non uno modo. Nam alii quidem contenti erant vocum origines adferre, unde proprietas cognoscitur. Quorum libri περὶ ἐτυμολογίας, vel ἐτυμολογουμένων, aut ἐτυμολογικὰ inscribebantur. Tales fuere Orion, Pamprepius, Demetrius Ixion, atque alii: de quibus in Originum libris dictum nobis. Alii vocum significationem atque usum interpretabantur. Atque ex his quidam voces solùm peregrinas exposuerunt: quorum libri fere inscripti erant περὶ γλωσσῶν, ἢ περὶ τῶν ξένως εἰρημένων. Tales apud Athenæum Amerias Macedo, Clitarchus, Hermo, Nicander Colophonius, & alii. Apud Suidam Artemidorus, Callimachus, Democritus, Philoxenus, Simmias Rhodius, cæterique. Sunt, qui unius generis voces enuclearent. Ut Atticas λέξεις Aristophanes Grammaticus, Ælius Dionysius, Epitherses Nicenus*, Galenus, Philemo, alii, ex quibus superest Phrynichus Arabius, Bithynus Sophista, qui M. Antonini & Commodi ætate de Atticarum vocum delectu ad Cornelianum scripsit. Item Thomas Magister. Alexandrinas voces exposuit Demetrius; Creticas, Hermonax; Laconicas, Aristophanes; Rhodiacas, Moschus; Italicas, Diodorus. Quidam de vocibus studii alicujus propriis tractarunt: ut de verbis comicorum fecit Epitherses Nicenus†; de vocibus oratorum decem, Harpocratio; de historicorum, Parthenius. Quidam se continuere intra vocabula unius scriptoris: ut vocibus Homeri, Aristonicus Alexandrinus, Apollonius, Longinus, Philoxenus, alii: Hippocratis, Xenocritus Chius, Philinus, & plures ab Erotiano memorati; Thucydidis, Euagoras; Platonis, Timæus, & Boëthus; Antimachi, & Heracleonis, idem Longinus. Denique nonnulli collegere omnis generis voces: ut qui λεξικὰ, vel ὀνομαστικὰ scripsere. Quales ex iis, qui supersunt, Julius Pollux, Hesychius, Suidas. Qui λεξικὸν suum ex variis priorum collegit. Ut sunt, Eudemus Rhetor, qui voces ab Oratoribus, & disertissimo quoque usurpatas secundum literarum seriem utili labore congesserat. Helladius Alexandrinus, qui tempore vixit Theodosii Junioris, deque omnis generis vocibus egerat. Eugenius Phryx Augustopolitanus, qui Anastasii temporibus claruit Constantinopoli. Zosimus Gazæus, vel Ascalonites, qui tempore fuit Anastasii imperatoris, & voces Atticas literarum serie digesserat. Cæcilius Callantianus Siculus, religione Judæus, qui sub pluribus Cæsaribus, ætatem usque ad Hadriani tempora perduxit. Longinus Cassius, Grammaticus idem, Rhetor, & Philosophus, qui Aureliani ætate egit apud Zenobiam, Palmyrenorum reginam, interque alia de Atticis vocibus duas reliquit editiones: Lupercus Berytius, quem paullò ante posteriorem Claudium vixisse diximus. Justinus Julius Sophista, qui Pamphilum, de quo mox dicam, in compendium redegit. Pacatus, sive, ut Græcis dicebatur, Irenæus, cognomento Minucius, qui egit de proprietate linguæ Atticæ, Doricæ, Alexandrinæ, ac universè de Græcismo. Zopyrio, qui quatuor primas lexici literas absolvit. Pamphilus Alexandrinus, Grammaticus Aristarchius, qui à litera E exorsus, ubi Zopyrio desierat, reliqua perfecit. Pollio Alexandrinus, cognomento Valerius, qui sub Hadriano Imp. natus, Antonii Philosophi vel Commodi temporibus Atticarum vocum collectanea edidit. Atque ex his Suidæ collectanea constantur. Præter quos alii etiam multi περὶ λέξεων scripsere. Uti apud Laërtium legimus de Zenone & Posidonio; apud Erotianum, de Zeuxide: & alibi de aliis, quos omnes referre longum esset. Multa etiam, quæ ad vocum pertineant naturam, habet Athenæus in Dipnosophisticis; item poëtarum, aliorumque scholiastæ.

* Stephanus in Nicaea.

† Stephanus in Nicaea.

Videamus de iis, qui voces Romanas explicuere. Ex quibus supersunt Festus Pompejus, Nonius Marcellus, Fabius Fulgentius Planciades. Pertinent huc quoque glossæ Isidoro, atque aliis, attributæ. Tum autem, quæ Cornelius Fronto, Cæsaris Antonini Philosophi in Latinis literis magister*, quæque Caper, Agrœcius, ac cæteri, de vocum differentiis prodiderunt. Item qui vocum origines rusipantur; quales, præter cæteros, Varro, & Isidorus. Quod verò ad Donatum, Servium, Porphyrionem, Acronem, aliosque interpretes, etsi multa habeant, quæ ad vocabulorum interpretationem pertinent, latiùs tamen se diffundunt, quàm ut possint concludi intra cancellos ἐξηγητικῆς; ut liquet ex iis, quæ hâc de parte antea dicebamus. Et horum quidem non omnia nobis invidit vetustas.

* Eutropius lib. 8.

Sunt verò & alii non pauci, quorum nihil nobis reliqui fecit; eoque de plerisque horum haut facilè dictu est, num solùm operam suam posuerint in interpretandis vocabulis, sive etiam autoribus enarrandis; an verò simul fuerint τεχνογράφοι†. De iis contentus ero adferre cùm Agellii unum, tum alterum Arnobii locum, quibus majorum aliquot gentium Grammaticos recensent. Agellii est lib. VI cap. XV. *Ne si Ælii quidem, Cincii, & Satyri ita dicendum censuissent, obsecuturum sese fuisse ait, contra perpetuam Latinæ linguæ consuetudinem.* Nota res de L. Ælio Stilone Præconino, Varronis magistro, cujus præter Tranquillum*, & Grammaticos, meminere etiam Cicero in Bruto, Academicis, de Legibus: Quinctilianus lib. X, quo loco de Comicis tractat: Plinius lib. XXX, cap. I, uti & lib. I in scriptoribus libri IX, & XIV. Sed apud Fabium, ac in antiquioribus Plinii codd. pro *Stilo* corruptè *Stolo* editum est. L. Cincii Alimenti meminit Agellius lib. XVI, cap. IV, ac ter eundem memorat Macrobius lib. I Saturn. cap. XII; ac, credo, idem est Cincius, quem in suasione legis Fanniæ citat lib. II, cap. IX. At quis ille Satyrus, quem Agellius signat? Omnino legendum *Santra*, cujus mentio in Terentii vita, quæ Tranquillum, non Donatum auctorem habet: item apud Terentium Scaurum de orthographia, & passim apud Festum: qui & uno in *Nuptiarum* verbo nominat tres hosce, quos Agellius conjunxit. Eorundem etiam libro primo, sed locis distinctis, meminit Sosipater Charisius. Quod ad Arnobii locum, de quo inante dixeram, verba ejus sunt lib. I: *In similibus vitiis vos quoque versamini, quamvis Epicados omnes, Caesellios, Verrios, Scauros teneatis, & Nisos.* De Cornelio Epicado adeundus Tranquillus lib. de illust. Grammat. Cæsellii Vindicis meminere Agellius lib. III, cap. XVI, lib. VII, cap. II, atque alibi aliquoties; Sosipater lib. I, & II, Priscianus lib. X sæpius. At Verrius Flaccus, quem Festus in epitomen contraxit, laudatur Suetonio de illustribus Gramm. Agellio, Plinio, Charisio, Macrobio, Diomedi, Velio Longo, Servio, Lactantio, Prisciano, Isidoro. Terentium Scaurum (D. Hadriani is tempore floruit) nominant Agellius lib. XI, cap. XV, Sosipater lib. II, Diomedes non uno loco, Priscianus lib. X, Capitolinus in vita Severi. Extat & hodie de Orthographia libellus Terentio Scauro attributus. Nisi denique mentio est apud Charisium lib. I, Macrobium lib. I Saturn. cap. XII, ubi ejus Fastorum commentarios citat: item Priscianum lib. X, Velium Longum libello de Orthographia aliquoties. Et horum quidem meminit Arnobius. Plures autem qui requiret, adeat Tranquilli librum de illustribus Grammaticis.

† Artis scriptores.

* Lib. de Illust. Gramm.

Cap. VI.

Criticen credi tertiam Grammatices partem. Criticorum duplex esse munus, judicium, & emendationem. Criticos notis usos in libris censendis. Pamphilus περὶ τέχνης κριτικῆς. Judices, *qui Græcis κριτικοί. Artis hujus princeps Aristoteles. Quem secuti Philetas, Zenodotus, Callimachus, Eratosthenes, Aristophanes, Dionysius Thrax, Apollodorus, Crates Mallotes, Tyrannio uterque: & quâ omnes isti ætate vixerint. Latini Critici complures, in quibus Calliopius, Julius Celsus, Sallustius Rhetor, Gallus Avienus. A Græcis esse morem, quo Critici nomen scriptori castigato apponebatur. Critices necessitas. Eadem noxia, si in pruriginem corrigendi degeneret. Timonis judicium de optimis Homeri codd. Aratum quàm varii vitiarint. Qui Hippocratem depravarint. Librariorum in sacris exscribendis incuria. Κριτικὴν non esse Grammatices partem ostensum. Nec si pars esset, fore membrum ab ea distinctum, quam ἐξηγητικὴν dixere. Telephi liber. Grammatici etiam dicti φιλόλογοι, & πολυΐστορες: ac Grammatice, φιλολογία, πολυμαθία, & Latinis* eruditio, *vel* varia eruditio.

DUabus Grammatices partibus, de quibus hactenus diximus, plerique veterum, quos secutus Angelus Politianus in Panepistemone, adjiciunt tertiam, μικτὴν seu κριτικήν. Ea μικτὴ vocatur, quia ex utraque mixta est: κριτικὴ verò, quia consistat in emendatione, ac judicio. Geminum hoc Critices munus agnoscit etiam Varro apud Diomedem lib. II, & Marius Victorinus. Nimirum emendationis erat, quòd falsò inserta tollerent, ac corrupta à librariis corrigerent. Judicii fuit, ratione quidem universi operis, quòd scripta spuria discernerent à legitimis: ratione autem particularium locorum, quòd iis, quæ perperam dixissent, vel scripsissent auctores, Θ, vel obelum, sive ut Fabius† vocat, virgulam censoriam apponerent, vel aliam culpæ indicem notam. De cujusmodi librorum notis egere olim Diogenes Cyzicenus*, & Suetonius Tranquillus†. Sed, quæ illi hac de re scripserant, periere. Utcunque tamen notas eas discere est ex Laërtio in Platone, Epiphanio περὶ μέτρων, & Isidoro lib. I Orig. cap. XX. Luminibus à Casaubono ad Laërtium, & Wouwerio Πολυμαθίας cap. XVII. De totius verò artis præceptis egerat olim Pamphilus Alexandrinus, Grammaticus Ἀριστάρχειος: ut qui, inter cætera, scripserit τέχνην κριτικὴν*, teste Suida. Ab hac arte dicebantur *Critici*: ut apud Horatium lib. II, epist. I, Martianum Capellam lib. III, Hieronymum epist. ad Magnum orator. atque alios. Iidem & *Grammatici* vocati. Sed priorem *critici*, quàm *Grammatici*, appellationem esse, ex Dione Chrysostomo† antea dicebamus. Quemadmodum autem Græcis κριτικοί, ita Latinis *Judices* dicti: ut apud eundem Horatium lib. I Sat. X. Quinctilianum lib. X. Tranquillum de Grammaticis, Agellium lib. X cap. XVIII, in vett. inscript. Augustinum lib. III de Musica.

† Lib. I. cap. 4.
* Suidas in Διογένης ὁ Διοφαντιανός.
† Idem in Τραγκύλλῳ.
* Artem censoriam
† Orat. 53. quæ περὶ Ὁμήρου.

Multum hac arte laudis promeritus est Aristoteles, ἀφ' οὗ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν, ἀρχὴν λαβεῖν*: ut denuo Dionis Chrysostomi† verba reponam. Eo paullo juniores Philetas Criticus, & Demetrius Phalereus. Quorum hic Alexandrinæ præfuit bibliothecæ. *Grammaticorum probatissimum* vocat Tertullianus in Apologetico. Philetæ Cretici auditor fuit Zenodotus: ac post Demetrium bibliothecæ præfecturam accepit à Ptolemæo Philadelpho. Idem Zenodotus Homerum primus correxit. Eademque ætate claruit Callimachus: sed provectus ætate usque ad tempora Ptolemæi Euergetæ. Callimachi discipulus fuit Eratosthenes ὁ πένταθλος*: qui Ptolemæi Euergetæ, & Philopatoris temporibus floruit. Hujus discipulus Aristophanes Byzantius, qui puer Zenodotum, adolescens Callimachum, grandior Eratosthenem audivit: atque ætate Ptolemæi Philopatoris, & quinti Ptolemæi, qui dictus est Epiphanes, magno in pretio habitus est. Aristophanem verò audiit Aristarchus: qui quantus vir fuerit, docet, quòd ejus nomen pro quovis scriptorum censore usurpatur à Tullio, & aliis. Hic Homeri versus, quos νόθους† putaret, ὠβέλιζε*. Unde eum, & Zenodotum, jungit Ausonius præfat. in ludum septem sapientum, & carmine quartodecimo de professoribus Burdigalensibus. Eosdem intelligit, cùm epistolâ ad Ursulum ait,

* A quo Criticen ajunt, & Grammaticen, initium cepisse.
† Orat. 53 περὶ Ὁμήρου.
* Quinquertio.
† Spurios.
* Confixit.

Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas spuriis versibus apposuit.

Ab hoc & vetus quædam comœdia, quam Ennius postea transtulit, dicebatur Achilles Aristarchi. Meminit ejus Plautus. At sic non aliâ de causâ vocabatur, quàm quòd ab eo esset emendata. Aristarchum audiere Dionysius Thrax, & Apollodorus, cujus supersunt libri de origine Deorum. Apollodorum hunc primùm retulisse nomen critici, ait Clemens lib. I Στρωμ. sed addit, alios hoc tribuere Eratostheni: quod verisimilius videtur. Vixit autem Apollodorus temporibus Ptolemæi Philometoris. Ejusque æqualis fuit Crates Mallotes, qui novem Homericarum emendationum libros reliquit, ut ait Suidas: estque is ipse, qui ab Attalo rege Romam missus, primus Grammatices studium Urbi intulit: ut superiùs diximus. Post eum multi Criticorum Græcorum in Urbe vixere. In his uterque Tyrannio: quorum prior discipulus fuit Dionysii Thracis, Romamque captivus à Lucullo deductus, tempore belli Mithridatici. Alter tempore belli inter Antonium & Octavium captus, & Terentiæ Ciceronis donatus, atque ab eadem manumissus fuit. Hic inter cætera reliquit διόρθωσιν Ὁμηρικὴν†. De utroque auctor Suidas.

† Emendationem Homeri.

Græcorum exemplum secuti Romani in suæ linguæ scriptoribus. Quales L. Ælius Stilo, Santra, Varro, Nigidius Figulus, Verrius Flaccus, Palæmon, Asconius, plurésque alii. Imò Valerius Probus, ut de eo scribit Suetonius, *multa exemplaria contracta emendare ac distinguere, & adnotare curavit, soli huic, nec ulli præterea Grammatices parti deditus.* Cicero correxit Lucretium, teste Eusebio in Chronicis. Ennium Lampadio emendavit: ut ex Gellio scimus lib. XVIII, cap. V. Aliorum quoque aliquot Criticorum nomina pervenerunt ad nos ex consuetudine ea, quâ scriptoribus à se correctis nomen subscribebant. Hinc notus nobis Calliopus sive Calliopius, qui Terentium recensuit: Julius Celsus, qui Jul. Cæsarem emendare conatus, sed parùm δεξιῶς*: Sallustius Rhetor, qui Tacitum correxit, ut notis ad eum scriptorem Curtius Pychena annotavit: Gallus Avienus, qui, ut in Præmissis suis docuit Jacobus Schegkius, Agellio manum medicam admovit: itemque alii aliorum scriptorum judices, quos è codd. MSS. cognoscere est.

* Dextre.

Quod verò Critici Latini apposuere nomen libris, id Græcorum fecere exemplo. Nam & Galenus commentario in II Hippocratis Ἐπιδημιῶν lib. III ait, in Ptolemæi bibliotheca inventum esse librum tertium Hippocratis Ἐπιδημιῶν, cum inscriptione hujuscemodi: τὸ ἐκ πλοίων κατὰ διορθωτὴν Μνήμονα Σιδήτην.

Et profectò magna est Critices necessitas, cùm tam multa peccent imperiti librarii: quâ de re magnopere viri eruditi cunctis penè seculis conquesti fuere. In iis Strabo lib. XIV, ubi de Apellicone, & Galenus lib. περὶ ἀντιδότων. Imò Cicero quoque ad Quinctum Fr. epist. V: *De Latinis*, inquit, *quò me vertam nescio: ita mendosè scribuntur, & veneunt.* Hæc res impulit B. Irenæum, ut adjuraret librarios, quò emendatiùs exscriberent, & accuratiùs conferrent: ut videre est apud Eusebium lib. V Hist. Eccles. Idem, ejus exemplo, B. Hieronymus fecit initio Chronici Eusebiani. Etiam Jurisconsulti, ut est in Cod. Theodos. tit. de responsis prudentum, *ita demum recipiuntur, si codicum collatione firmentur.* Nec solùm peccari solet ab librariis indoctis; sed etiam à sciolis, & audaculis Criticis, qui dum sanis sæpe partibus medicinam facere volunt, vulnus faciunt. Itaque cùm Aratum olim rogâsset Timo, quâ ratione emendatissimum Homeri poema habere posset, respondit, εἰ τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις ἐντυγχάνοι, καὶ μὴ

τοῖς ἤδη διωρθωμένοις: *si in antiquos incideret codices, non verò jam correctos.* Atque hoc dictum illi, qui ipse inter Homeri correctores. Nam ut Homeri quædam erat διόρθωσις † Ἀρισταρχεῖος, καὶ Ἀριστοφάνειος, ita & Ἀράτειος *: quemadmodum in poetæ ejus vita refert Hipparchus. Ipseque etiam Aratus à correctoribus multa vulnera accepit, ut ibidem † legas: Ἐλυμήναντο δὲ πολλοὶ τοῦτο τὸ ποίημα ζωγράφοι, καὶ ἀστρονόμοι, καὶ γραμματικοὶ, καὶ γεωμέτραι. ἕκαστος αὐτῶν πρὸς τὸ βούλημα τὸ ἴδιον γράφων, καὶ ἐξηγήσεις ἰδίας ποιούμενοι· *Corruperunt multi hoc poëma, pictores, Astronomi, Grammatici & Geometræ: dum quisque, pro lubitu, propriam lectionem, & interpretationem effingit.* Ac queritur de eo quoque scholiastes ejus Achilles Statius. Nec meliùs exceptus Hippocrates à Dioscoride, Artemidoro, & Capitone, qui eum dum edunt, multa corrumpunt: ut legere est apud Galenum comment. I in VI Ἐπιδημιῶν. Ubi & conqueritur, propterea opus fuisse, ut consuleret codices antiquos, & alios Hippocratis interpretes: uti Zeuxidem Tarentinum, Bacchium, & Glauciam. Vide & eum comment. I, in Hipp. librum de natura humana. Imò audacia hæc nec à sacris scriptoribus abstinuit manum: qua de re queritur B. Hieronymus in Matth. cap. II, in I ad Cor. cap. XIV, & ad Gal. cap. V, atque alibi crebro. Vide & Suidam in Λουκιανὸς, & Νεστόριος. Esse etiam, ubi Hebræos codices corruperint, judicium est B. Augustini lib. XV de civit. Dei cap. XI. Saltem librarios peccare potuisse, tot variantibus lectionibus comprobatur. Quibus colligendis, & pensiculandis, multum operæ impendebant veteres: ut ex Origene, & Christianorum aliis, constat. Quod ipsum apud Cassiodorum legere est de divinis lectionibus cap. XV. Atque ex his liquet, Criticen planè necessariam esse, sed non promiscuè à quovis exercendam, cum noxia fiat, si prurigo adsit corrigendi: eoque solum iis conveniat, qui tum ingenio ac doctrinâ, tum judicio ac modestiâ pollent.

† *Correctio Aristarchea & Aristophanica.*
* *Aratea.*
† *Pag. 109. edit. Florent.*

Verùm non si Critice utilis sit ac necessaria, eò universam esse Grammatices partem existimandum. Siquidem non exercet Grammaticus judicium nisi in Grammaticis, hoc est, iis, quæ faciunt, ad rectè loquendum; quemadmodum & cæteri artifices judicium cohibent intra artis suæ lineas. Κρίσις verò ista, quæ de proprio subjecto est, non potest esse distincta artis pars, quando, ut ait Aristoteles I Eth. Nicom. cap. tertio: Ἕκαστος κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής. *Bene unusquisque judicat de iis, quæ novit, ac bonus est eorum judex.*

Quod si Grammaticus de cæteris sententiam ferat, non faciet hoc ut Grammaticus, sed quatenus multijugâ est eruditione instructus. Si verò judicium, prout universè ad omnes se disciplinas extendit, consideremus: non unius, sed plurium scientiarum partem, vel partum, dixeris. Nempe quomodo κριτικώτατος ille Longinus ajebat, τὴν † τῶν λόγων κρίσιν πολλῆς εἶναι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα. Sanè omnem eruditionem in Critico requiri, dicebat Sextus philosophus. Sic Eratosthenes ob omnigenam doctrinam dictus est πένταθλος *. At valde falluntur, qui inde colligunt, Criticen esse scientiam re unam, sed omnium dominam, etiam philosophiæ, ac Theologiæ. Nec enim Critice est habitus simplex, sed compositus. Atque ut ea ad simplicem aliquam scientiam pertineret, non tamen Grammatices pars esset, sed vel Logices, vel Metaphysices. Qui judicium de poëtis, aliisque scriptoribus ad Logicen retulerunt, eò spectarunt, quòd λόγος, unde Logice dicta est, partim in Inventione, partim in Judicio occupetur. Est hæc sententia Martiani Capellæ, scriptoris propemodum barbari, sed multifariam docti. Qui lib. IV sic Dialecticam loquentem inducit: *Quippe in ditione meâ jureque consistunt sex normæ, quis constant cæteræ disciplinæ. Nam prima est de loquendo. Secunda de eloquendo. Tertia de proloquendo. Quarta de proloquiorum summa. Quinta de judicando, quæ pertinet ad judicationem poëtarum, & carminum. Sexta, quæ dicenda Rhetoribus commodata est.* Alii malunt referre ad Metaphysicen, quæ sola in scientias artesque imperium tenet; cùm principia disciplinarum omnium complectatur: unde Aristoteles Analyt. poster. lib. I, cap. XX †, cùm dixisset, esse ἀρχὴν ἀρχῶν, *omnium principia*, subjungit, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν κυρία πάντων, *& eorum scientia, domina omnium.* Quo loco Metaphysicen intelligunt propemodum omnes interpretes. Quamquam nec adverser, si quis cum Julio Pacio, non minori Philosopho, quàm Jurisconsulto, malit hic agi de principiis cujusque scientiæ propriis. Sufficit enim nunc nobis, quòd omnes consentiant, Metaphysicen communia disciplinarum principia tradere, eoque omnes in universum artes ac scientias huic uni esse subjectas. Atque ex his satis apparet, κριτικὴν non esse tertiam Grammatices partem: utut Sextus Empiricus dicat, esse eam ἰδιαίτερον τὸ μέρος γραμματικῆς *. Imò, ut Critice esset pars Grammatices, non tamen tertia pars esset, si ἐξηγητικὴ enarrationem auctorum comprehendit, ut iidem volunt. Nam quomodo interpretem aget, qui non videt, utrùm locus sit sanus, an corruptus; utrùm quid ab autore sit assertum, an ab alio insertum? Atqui hæc duo pertinent ad emendatam lectionem, & judicium; quæ Critices faciunt partes. Vidit hoc Quinctilianus, qui & ipse icirco Criticen referre maluit ad Exegeticen. Sic enim scribit lib. I, cap. IV: *Grammatica professio, cùm brevissimè duas in partes dividatur, rectè loquendi scientiam, & poëtarum enarrationem; plus habet in recessu, quàm fronte promittit. Nam & scribendi ratio conjuncta cum loquendi est, & enarrationem præcedit emendata lectio, & mixtum his omnibus judicium.*

† *Judicium de scriptis multæ esse experientiæ postremum quoddam consectarium.*
* *Quinquertio.*
† *Cometa in 70.*
* *Præcipuam ac propriam Grammatices partem.*

Quæcunque verò hactenus de partibus Grammatices diximus, ea accipere oportet de illa Grammatica, quam bene loquendi artem definivimus. At longè aliter statuendum, si eo nomine intelligamus φιλολογίαν, sive πολυμάθειαν, quam Latini *variam eruditionem* dicunt. Nam quomodo γράμματα, & *literæ*, nunc prima notant elementa, ut cùm literarum alias dicimus esse vocales, alias consonantes: nunc verò sumuntur pro literarum studiis; ut in veteri senario, Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα. *Didicere siqui literas, duplum vident:* quomodo item Tullius † literas dividit in vulgares, & interiores, sive reconditas: ita & γραμματικὴ, quæ ἀπὸ τῶν γραμμάτων dicta, nunc legendi scribendique, vel bene loquendi artem designat: nunc verò, præter eam, historiarum ac fabularum notitiam comprehendit: quandoque etiam plurium artium, & multarum rerum scientiam, & efflorescentem inde facultatem enarrandi scriptores, & judicandi de eorum scriptis, locisque corruptis. Atque hoc pacto cum sententia nostra conciliari posse arbitror opinionem veterum, qui latè adeo Grammaticen extendunt, ut non una sit scientia, sed scientiarum cinnus. Unde Fabius lib. II, cap. I: *Grammatice, quam in Latinum transferentes, literaturam vocaverunt, tenuis à fonte, assumtis poëtarum historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit: cùm præter rationem rectè loquendi non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit.* Atque hoc sine dubio argumentum fuit Telephi Grammatici libro eo, quo ostendit, πόσα * χρὴ εἰδέναι γραμματικόν, Suida teste. A varia qui scientia commendarentur, appellabantur πολυΐστορες. Ut Alexander Cornelius apud Josephum, Eusebium, Stephanum, Suidam, alios: item Apion Alexandrinus, contra quem Flavius Josephus scripsit. Ex Romanis, C. Julium Hyginum, Augusti libertum, Grammaticum Alexandrinum, *polyistora* vocari solere, ex Suetonio discimus in illustribus Grammaticis, & Eusebio in Chronicis. Dicti quoque φιλόλογοι: ut Eratosthenes, & Atteius: de quo sic ibidem Tranquillus: *Philologi appellationem assumsisse videtur: quia sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vindicavit, multiplici variâque doctrinâ censebatur.* Clemens verò Alexandrinus in primo Στρωμ. ait, velle aliquos, hunc primum κριτικὸν vocatum. Etiam dicebantur πολυμαθεῖς: quomodo, Suida teste, Longinus audiebat πολυμαθὴς καὶ κριτικός. Studiumque ipsum nominatum πολυμάθεια, quæ Philoni θεράπαινις † τῆς σοφίας, Synesio in Dione προσ-

† *Doctorum artes.*
* *Quantum scire oporteat Grammaticum.*
† *Ancilla sapientiæ.*

προοίμιον* τῆς φιλοσοφίας. Latinis hi dicti *eruditi*, ſtudiumque ipſum *eruditio*, & *varia eruditio*. Tullius lib. I de Fin. *Vellem Epicurus fuiſſet doctrinis inſtructior. Eſt enim non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent eruditi vocantur.* Suetonius in Caligula cap. LIII, *E diſciplinis*, inquit, *liberalibus minimum eruditioni, plurimum eloquentiæ attendit.* Item in Auguſto cap. LXXXIX: *Deinde etiam eruditione variâ repletus, Arei philoſophi contubernium iniit.*

* *Proœmium Philoſophiæ.*

Hactenus de principe Grammatices diſtributione, partiumque ſingularum ſcriptoribus. Ex his verò eadem cognoſcere eſt, quid judicii ferri debeat de ſexpartita diviſione Dionyſii Thracis, itemque de partitione Taurisci, quarum utramque apud Sextum Philoſophum legere eſt. Nunc ad partes Grammaticæ minores accedamus.

CAP. VII.

Dividitur Grammatice Methodica in naturalem, & propriam: in utrâque eſſe analogiam oſtenditur, contra Cratetem: Methodica quadripartita diviſio. Prima pars cur tum ὀρθοέπεια, tum ὀρθογραφία nominetur. Utro nomine potius debeat vocari. Ὀρθογραφίας vox quanto aliter in architectonicâ uſurpetur, quàm in Grammaticis: & qui olim hanc Grammatices partem tractarint.

DIſpeſcimus partimuſque Grammaticam μεθοδικὴν in naturalem, quæ præcepta tradit linguis omnibus communia; & artificialem ſeu cujuſque linguæ propriam, quæ incommunia explicat.

Itaque ad Grammaticam naturalem pertinet, quid ſit litera, quotuplex ea, quid vocalis, quid conſona, quid ſyllaba, quid nomen, verbum, ſubſtantivum, adjectivum, genus, numerus, figura, &c. Item quòd nominativus ſingularis verbum ejuſdem numeri exigat, ſimiliaque. Ad propriam verò referendum, quòd vox aliqua hoc vel illo modo inclinetur, hunc illumve caſum conſequatur, ſimiliaque in ſingulis linguis.

Analogiam, quam, ut Varro ſcribit in lib. de L. L. & ex eo Agellius lib. II, cap. XXV, Crates olim oppugnavit, ac defenſitavit Ariſtarchus; in Grammatica naturali eſſe, mero meridie clarius eſt. De propria res aliquanto ſeptuoſior obſcuriorque. Non tamen adeò ſinuoſa & intricata eſt, ut ampliare, & rem quaſi in ſuſpenſo habere cogamur. Siquidem, non, quia analogia in quibuſdam vocibus non eſt, icirco tollenda eſt; verùm quia in cæteris eſt, ponenda eſt. Præterea, ut ſuo loco haut languidæ fidei conjecturis, ſed rationibus evidentiſſimis firmaturi ſumus, haut tanta eſt caterva anomalorum, quàm ſe nobis perſuadere ſtuduerunt.

Porrò tam Naturalis, quàm propria Methodice quatuor partibus conſtat: Ὀρθοέπεια, Προσῳδία, Ἀναλογία, & Σύνταξις. Quarum prima eſt de literis, altera de ſyllabis, tertia de vocibus ſingulis, quarta de vocum ſtructura, ſive de oratione. Scio, ab aliis diſpeſci in partes duas, quarum una de vocibus ſingulis agat: altera de conjunctis. Sed hi poſtea dividunt priorem in eam, quæ eſt de partibus vocum: & alteram de vocibus integris. Quæque eſt de partibus, diſtribuitur ab iis in illam de literis, alteramque de ſyllabis. Ut triplici ſic diviſione ſit opus. Veteres igitur, ut duarum diviſionum compendium facerent, quadripartitam prætulerunt. Nec tamen, cùm eodem res cadat, ſuper hoc litem ulli moverim. Rem ipſam videamus. Ὀρθοέπεια agit de recta literarum pronuntiatione. Atque eadem tractat de recta ſcribendi ratione: unde aliter ὀρθογραφία nuncupatur. Nempe ut apud Rhetores poſtrema artis pars, tum pronunciatio, tum actio vocatur, quia & vocem moderatur, & corporis motum: ita prima pars Methodices tum ὀρθοέπεια, tùm ὀρθογραφία dicitur, quia & rectam loquelam, & rectam ſcripturam docet. Sed potiùs ὀρθοέπεια dicenda, quoniam prior eſt loquela. Nam ſcriptio accidit ſermoni, ac eruditioni univerſæ: nec librorum finis alius, quàm recordatio: ut eſt apud Platonem in Phædro. Atque hinc illud etiam dilucet, aliud Grammaticis, aliud architectis ὀρθογραφίαν eſſe. In architectonica hoc nomen habet umbratilis picturæ genus: ut Vitruvius docet lib. I, cap. II: *Species diſpoſitionis, quæ Græcè dicuntur ἰδέαι, hæ ſunt, ichnographia, orthographia, ſcenographia.* Ita enim rectè eſt in Florentina anni CIↃ CCCC XCVII pro quo in illa Juntæ à Jocundo recenſita, *ſciographia* editum eſt. Sequitur deinde: *Ichnographia eſt circini regulæque modicè continens uſus: e qua capiuntur formarum in ſolis arearum deſcriptiones. Orthographia autem eſt erecta frontis imago, modiceque picta rationibus operis futuri figura. Item ſcenographia eſt frontis & laterum abſcedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum reſponſus.* Hæc Vitruvius, quibus aliquid lucis accedit ex picturis Joannis Jocundi. Item è Philandro, ac Hermolao Barbaro, &, qui ejus verba exſcripſit, Bernardino Baldo libro de Vitruvianorum verborum explicatione.

At Grammaticis longè aliud notat orthographia: nempe eam artis partem, quæ literarum naturam, & affectiones ſubtiliter inquirit, rectamque ſcribendi rationem (unde & nomen) vel analogiâ, vel etymologiâ, vel autoritate comprobat. Id veteribus ὀρθογραφίαν notâſſe, oſtendit argumentum librorum, quos è veteribus de orthographiâ ſcripſere ac inſcripſere Velius Longus, Flavius Caper, Terentius Scaurus, Agrœcius, Beda, Marius Victorinus, ac imprimis Caſſiodorus, qui ex duodecim ſcriptoribus ſuum de orthographiâ libellum contexuit.

Quare pueriliter alucinantur, qui orthographiam nominant rationem ductus figuraſque literarum dignoſcendi, ac ſcitè & velociter ſcribendi. Hujuſmodi enim ſunt infra Grammaticum, proprieque ad γραμματιστικὴν pertinent. Id quamquam planum eſſe arbitror ex iis, quæ ſuprà ex Fabio, & Philone, diximus; tamen ut quorundam, ſive ſtupori, ſive pervicaciæ, mos geratur, alium quoque adferam Fabii locum, quo id, quod dixi, non obſcurè doceatur. Is igitur lib. I, cap. VII, ſic ſcribit: *Nunc quoniam diximus, quæ ſit loquendi regula, dicendum, quæ ſcribentibus cuſtodienda; quod Græci ὀρθογραφίαν vocant, nos rectè ſcribendi ſcientiam nominemus. Cujus ars non in hoc poſita eſt, quibus quæque ſyllaba literis conſtet (nam id quidem infra Grammatici officium eſt) ſed totam, ut mea fert opinio, ſubtilitatem in dubiis habet.* Ita Fabius.

CAP. VIII.

Expenduntur variorum de literæ ἐτυμολογίᾳ opiniones, & additur, quæ maximè veriſimilis nobis videatur. Cur literæ, & elementa, promiſcuè ſumantur, & quomodo propriè differant. Perperam definiri literam ſignum pronuntiationis, vel minimam vocis partem. Julius Scaliger de eo refellitur. Vera literæ definitio adfertur, tum prout abſolutè ſpectatur, ubi Ariſtotelis, & Gazæ opinio adducitur, tum quatenus ea relatè conſideratur.

ORthoepiæ & orthographiæ objectum ſunt literæ: quarum de origine, definitione, inventione, numero, & accidentibus, dilucidè diſſertabimus, πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων ἀρξάμενοι, *primum à primis ordientes.*

Geminam literæ ἐτυμολογίαν adfert Priſcianus†. Prior eſt à lituris, quia, quæ præclarè ſcripta ſunt, hæc, ut Horatius ait epiſtolâ ad Piſones, *Multa dies, & multa litura coercuit:* hoc eſt, *lituravit*, ut Sidonius loquitur lib. IX, epiſt. III. Sed ſurcillandam eſſe eam nominis rationem, indicium facit, quòd priùs ſcribantur literæ, quàm deleantur. Et quàm abſurdum eſt, ut ab eo dicatur litera, ob quod deſinit eſſe litera! Goropio* tamen id argumentum videtur invalidum. Nam putat, literas poſſe dici à litura, quæ conſequitur; ut homines vocantur mortales, etſi mors conſequatur. Aliquid diceret Goropius, ſi *homines*, &

† *Lib. I. cap. de litera.*

* *Hermathena lib. 3.*

& *mortui* idem notarent. Nunc ex eo, quia certò morituri, dicuntur *mortales:* hæc autem conditio ab ortu ipso homines comitatur, non extremum diem consequitur. Quare non *mortales*, & *litera*, sed *mortales*, & *liturabiles*, similiter se habent. Tamen à litura quoque deducit Porta Neapolitanus lib. I de notis furtivis, cap. XII. Nec minùs castiganda est altera Prisciani frustratio, cùm dictam ait literam, quasi *legiteram*, quòd legenti iter præbeat. Nec majoris momenti est, quod addit Diomedes †; dici quasi *legiteram*, quòd legatur, vel quòd legendo iteretur. Quæ & Servii, & Isidori opinio fuit. Ac affinis, sed nihilo melior, illa apud Marium Victorinum: *Quidam dixerunt leviteram, quia levat, ut iteretur, id est, delectat, ut iterum scribatur.*

† Lib. 2. cap. de litera.

Omnino autem Scaligeri * sententia magis verisimilis est, qui literam κατὰ συγγραφὴν ex *lineatura* dici putat, quomodo Græcis est γράμμα ἀπὸ τῆς γραμμῆς, & Arabibus خَطٌّ, *chat*, est *litera*, à خَطَّطَ, *chatat*, *scribere*, *delineare*. Et juvat fortasse, quod Grammatice apud Marcianum Capellam dicat lib. III: *Mihi attributum literarum formas lineare.* Sed nec displicet, ut quemadmodum *litura*, ita, & *litera* vox sit à supino *litum*; quod ferè, cùm scribitur, nigror albo allinatur. Puto hoc voluisse Bibliandrum in commentario literarum. Vel sanè dicantur sic à Græco λιτὸς, quod est *tenuis*, & *exilis*. Sunt enim literæ nihil aliud, quam tenues lineolæ, & exiles ductus. Neque est, quod quantitatem disparem amborum quisquam opponat, quandoquidem sexcenta sunt, quæ abeunt à quantitate vocis primogeniæ. Atque hinc quoque dilucet, ficulno esse argumento subnixos, qui ob quantitatis diversitatem vocem hanc in carmine duplici *tt* scribendam putarunt.

* Lib. 1 de caussis L. L. cap. 4.

Literæ aliter vocantur *elementa*, quia ut corpora mixta ex elementis, ita voces ex literis componantur. Ita non Priscianus modò libro I; sed etiam Tertullianus in V adversus Marcionem. Clareque id comprobat Lucretius libro II:

> *Quin etiam passim nostris in versibus ipsis*
> *Multa elementa vides, multis communia verbis.*
> *Cum tamen inter se versus & verba, necesse est*
> *Confiteare alia ex aliis constare elementis.*

Græcis similiter στοιχεῖα dici, auctores sunt Plato in Cratylo, & Dionysius Halic. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. Cujus hæc verba: Γράμματα μὲν λέγεται, ὅτι γραμμαῖς τισι σημαίνεται· στοιχεῖα δὲ, ὅτι πᾶσα φωνὴ τὴν γένεσιν ἐκ τούτων λαμβάνει πρώτων, καὶ τὴν διάλυσιν εἰς ταῦτα ποιεῖται τελευταίαν. *Literæ dicuntur, quia lineis ac figuris quibusdam significantur: elementa autem, quia vox omnis generatur ex iis primò, inque ea postremò resolvitur.* Unde & elementi ac literæ discrimen cognoscimus. Eodemque modo distinguit Ammonius. Nempe ut στοιχεῖον in illis sit, quæ proferuntur: γράμμα in iis, quæ scribuntur. Nec aliud voluere Diomedes * & Priscianus †, quando literam & elementum sic distinguunt, quam quòd hoc sit soni nomen, illud figuræ sive characteris. Hoc loco tamen promiscuè iis vocibus utemur: idque veterum ipsorum exemplo.

* Lib. 2. cap. de litera.
† Lib. 1. cap. 2.

Quomodo definiri debeat litera, pauci vident. Ex junioribus Gregorius Tholosan. lib. XVI. Syntax. cap. III, definit *signa pronunciationis.* Ac similiter Isidorus lib. I, cap. III. literas dixerat esse *indices rerum*, *signa verborum.* Ac pro eo esse videtur, quòd eas Græci vocant σημεῖα, & σήματα: unde literæ à Cadmo in Græciam adlatæ Φοινικήια σήματα *. Hebræis etiam dicuntur literæ אותיות *othioth:* quod ab את *oth*, *signum*, & Rabbinis *litera.* Quam ob caussam facit in plurali אותיות *othioth*, quando literas notat: nam analogicè si flectas, est אותות *othoth*, quo *signa* significant. Sed definitioni allatæ obstat, quòd notæ etiam Ægyptiorum Hieroglyphicæ sint signa pronuntiationis, nec tamen sint literæ. Atque idem dicendum de notis, quæ in usu sunt Arithmeticis, & Astrologis. At illa receptissima, & apud vulgum præjudicata definitio, quâ litera esse dicitur pars minima dictionis, aut vocis: quam

* Phœnicia signa.

& Goropius sequitur in tertio Hermathenæ libro, eo fallit, quòd excludat à literarum numero, quæcunque per se vocem constituunt; ut *a*, *e*, *i*, *o*. Magnum tamen Aristarchum, Cæsarem Scaligerum, non movit hoc argumentum. Quippe lib. I de caussis L. L. cap. IV ait: *Si igitur* (litera) *à lineis dicta est*, & *linea minima corporis dimensio est: erit profectò litera minima pars dictionis. Accidit enim dictioni cuipiam, unicâ ut literâ contineatur. Ibi enim est*, & *pars*, & *totum idem.* Sed profectò si accidit dictioni, ut literâ constituatur, ac literæ item, ut constituat dictionem: neutiquam dictionis, aut literæ essentia est, ut vel illa pluribus literis constet, vel hæc dictionis pars sit. Quod verò addit summus vir, totum & partem in hujusmodi esse idem, id si eâdem ratione intelligatur, planè ἄτοπον * est: si diversâ, nihil ad rem facit.

* Absurdum.

Sanior videri possit illa Prisciani definitio, quâ litera dicitur esse pars minima vocis compositæ, hoc est, ut ipse explicat, constantis compositione elementorum. Verumtamen est, quod & hic desideremus. Nam cùm dico, *à patre*, *e templo*, *A* & *E* sunt literæ, nec tamen sunt vocabuli pars, ac proinde nec vocabuli compositi.

Nec hilo melior altera definitio ejusdem, vel illa apud Diomedem, aut quam idem è Scauro producit, aut aliæ, quæ sunt apud Velium Longum †; quibus commemorandis brevitatis caussâ supersedeo. De Aristotele verò, & Gaza, mox dicam.

† Initio libelli de Orthographia.

Quod si post hasce veterum ac novarum tribuum prærogativas, etiam nunc hujus artis cultoribus sententiam ferre liceat; dixero, literam bifariam posse definiri: ac ejusce rei caussam esse, quòd litera nunc absolutè consideretur, nunc relativè. Si absolutè spectetur, & in se, definitio ejus μεθόδῳ διαιρετικῇ investigabitur hoc pacto. Vox, quæ sonus est ore animalis prolatus, vel inarticulata est, vel articulata. Inarticulata dicitur, quæ scripto exprimi non potest; cujusmodi ferè est vox mutorum animantium, ac hominis gemitus, aut sibilus. Articulata est, quæ scripto potest excipi, sive ea sit bestiæ, ut balatus ovis, sive hominis, quæ fit ad exprimenda animi sensa. Porrò articulata vel individua est, ut litera; vel dividua, ut quicquid è literis componitur. Erit igitur litera vox articulata individua. Ac fortasse idem voluit Aristoteles: cui in libro de poëtica, στοιχεῖον definitur, φωνὴ ἀδιαίρετος, ἐξ ἧς πέφυκε συνετὴ γίνεσθαι φωνή· *vox individua, ad hoc idonea, ut inde fiat vox intelligibilis.* Postrema verba ideo se addere ait, quia & voces ferarum sunt indivisibiles, quæ elementum dici nequeant. Atque idem apud Averroem legas in libri hujus paraphrasi: *Soni*, inquit, *bestiarum dividi non possunt in literas: propterea dicimus, nullam vocem earum compositam esse ex literis.* Movit hoc Gazam, ut libro quarto definiat, πρώτην καὶ ἀμερῆ τῆς ἀνθρωπίνης φωνῆς· *primam & individuam hominis vocem.* Apollonius quoque Dyscolus, initio operis sui, literam appellat ἀμερῆ ὕλην· *individuam materiem:* sed de humana voce is non addit. Nempe quia, ut arbitror, vidit, quasdam bestiarum voces esse articulatas: velut balatum ovium; ut de psittacorum, picarum, corvorum loquela taceam. Ut omnem igitur ambiguitatem tollamus, dicimus literam esse non humanam vocem individuam, sed articulatam vocem individuam.

Sin relatè literam consideremus; non video, quomodo rectiùs definiri possit, quàm pars orationis individua. Supererit tamen scrupulus, qui hominis philosophiæ leviter initiati animum paullùm remorari queat. Quippe voculæ *homo*, *pius*, & similes, si considerentur absolutè, & in se, rectè dicuntur quatuor constare literis; nec tamen literæ hic sunt actu orationis partes, sed simplicis vocabuli. Nodum hunc non meliùs exsolvi puto, quàm si dicamus, etsi singulæ voces sigillatim consideratæ orationis partes non sint; tamen sufficere, quòd partes fieri possint, atque adeò naturâ suâ ad orationem referantur. Siquidem Grammatici objectum est non vocabulum, sed oratio; eoque nec in Grammaticis de vocabulis agitur propter se, sed propter orationem. Oratio autem dividi quidem potest in

par-

partes majores ac dividuas: verùm individua, seu minima ejus pars, non nisi litera esse potest. Pluria hàc de re dicemus, ubi deventum erit ad syllabæ definitionem: in quâ itidem peccatum, non modò a magistris γραμματικῆς τῆς ἀτελεστέρας*, ut vocat Philo, hoc est Grammatistis: sed iis etiam, qui Grammatici sunt, ita uti nomen possident.

* *Grammaticæ imperfectioris.*

Cap. IX.

Versiculi Veteres de literarum inventoribus. Moyses *Christianis in metro est bacchius, ut* egestas. *A quo, & quando, Gothicæ sint literæ inventæ. Joannis Magni, & Olai, sententia impugnatur. Septentrionales creduntur tardè literarum notitiam accepisse. De literis Francorum, quibus usus Wastaldus: atque iis, quas Doracus, & Hichus, invenere. Aimoinus emendatus. Hebræorum duplices esse literas, Assyrias, quibus usi sunt à captivitate Babylonicâ, & Cananæas, quas antiquis temporibus usurparunt: illas non ab Esra esse, ut B. Hieronymus credidit, sed ab Assyriis: has non Mosen, ut ajunt, nec Abrahamum, quæ aliorum opinio, auctorem habere; sed jam ante diluvium fuisse, comprobatur. Linguam Cananæam fuisse diversam à Syrâ: uti & Chaldaicâ. Annius Viterbiensis merus impostor. Chaldæi ante Alexandrum M. habuere observationes annorum mille nongentorum ac trium. Rectius inventum hoc tribui Setho, Adami filio; nisi, cum aliquibus, Adamo malis adsignare. Sanè & Plinii judicio, literarum usum fuisse, dum homines fuere. Gentilium alios putare, literas esse inventas à quodam, quem Græci Ἑρμῆν, Ægyptii Theuten appellant. Alios verisimilius statuere, Chananæos habuisse literas suas ante Ægyptios, at demum post Assyrios. Phœnicia lingua primum eadem ac Hebræa fuit; postea illa mutata, sed sic ut dialecto solum differrent.*

De literarum inventione multa multi congerunt, & fusè, & confusè: adeò ut ab iis penè incertus magis abeas, quàm fueras dudum. Quare nihil, puto, peccabo, si paucis ejus rei historiam complectar, ac de nonnullis antiquorum opinionibus judicium nostrum appingam.

Initium esto a versibus istis, quos se in pervetusto bibliothecæ Septimanæ codice invenisse scribit Petrus Crinitus lib. XVII de honestâ disciplinâ cap. I: atque adducit etiam Lilius Gyraldus dialogo primo de Historia Poëtarum*:

* *Pag 9. & 10.*

> *Moyses primus Hebraicas exaravit literas.*
> *Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.*
> *Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.*
> *Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas.*
> *Isis arte non minore protulit Ægyptias.*
> *Gulfila promsit Getarum, quas videmus, literas.*

Ut omnes sint trochaici, primum versum sic emendo:

> *Primus Hebræas Moyses exaravit literas.*

Nam Christianis poëtis *Moyses* interdum trisyllabum est, primamque corripit, mediam producit. Prudent. ἁμαρτιγεν.

> *——Velut ipse Moyses*
> *Historicus mundi nascentis testificatur.*

Et hymno VI περὶ στ.

> *Vix hæc ediderat, relaxat ipse.*
> *Indumenta pedum, velut Moyses.*

Item Sedul. lib. III operis Paschalis:

> *Quid? quòd & Eliam, & clarum videre Moysem?*

Versu postremo *Gulphilas* legendum: quomodo Socrati est Οὐλφίλας. Quamquam & aliter versus constat: si placet, ultimam in *Gulfila* produci ob vocem proximam a duabus consonis incipientem. Vixit Ulphilas seu Gulphilas ille circa annum CCCLXX, temporibus Valentiniani & Valentis Impp. ac Gothorum, qui Minores vocati in Mœsia, fuit Episcopus: cui Geticas sive Gothicas literas etiam tribuunt Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib. IV cap. XXVII, Jornandes in Geticis, Ricobaldus Ferrariensis in Chronico, cui titulus, Pomœrium Ecclesiæ Ravennatis. Aquibus dissentit Cornelius Agrippa lib. I de van. scient. cap. II. ubi Gothos ait à Gordano Episcopo literas accepisse. Nisi Ulfilas fuit binominis, vel Agrippa corrupto codice sit usus. Sed si Gothi, quibus ex Scandinavia origo, demum Ulfilæ, vel Gordani Episcopi temporibus, literas accepere: quam fidem meretur, quod Joannes, & Olaus, Archiepiscopi ajunt, Scandinaviæ incolas habuisse suas literas ante repertas Latinas, hoc est, annis ante Christum natum prope mille ducentis? Planè vereor, ne hoc majori gentis suæ amore scripserint, quam veritatis. Lubens quidem illud dedero, quod Ulphilas Gothicas dicitur literas invenisse, id ex eo profectum videri, quod, antequam ille Biblia in Gothicam transtulisset linguam, paucis ex ea gente literæ essent cognitæ, ac propterea nec habere illas nationibus aliis crederentur. Attamen istud persuadere mihi non possum, fuisse Gothis suas literas, antequam eas haberent Latini. Siquidem tardè admodum has didicere gentes ad Septentrionem sitæ; etiam quæ Orienti, unde homines & scriptura, non paullo viciniores, ac cultioribus populis commerciis magis frequentatæ. Sanè Thraces, utcumque apud eos Orphea natum fabulentur, necdum literas norant Æliani ætate: qua de re verba ejus postea referam. Imo & Venedi, sive Slavi, demum temporibus Ludovici Imperatoris, qui Lothario successit, literas accepere ab Methodio philosopho, ut est apud Aventinum in quarto Annalium. Agrippa, eo quo antè dixi loco, addit quiddam de literis Francorum. Nam ait, antiquos Francos, qui sub Marcomiro, & Pharamundo, Gallias subegere, literas habuisse Græcis non planè dissimiles: atque iis Wastaldum historiam patrio sermone consignâsse: sed nesciri auctorem, de quo eo minùs laborem, quia si Græcis similes erant, probabile sit, esse corruptas ex Græcis Massiliensium. Alteras ait ab illis Wastaldi multum distitisse: ac repertas à quodam Doraco. Tertias esse inventas ab Hicho Franco, qui è Scythia venisse, & cum Marcomiro ad Rheni ostia consedisse dicitur. Quæ non memini me legere apud vetustiores. Sed Aimoinus de gestis Francorum, lib. III cap. XL, auctor est, Childericum regem mandâsse Gallis, ut quatuor Græcorum literis uterentur: Θ, Φ, Χ, Ω. Ac de numero isto consentit quoque Gregorius Turonensis lib. V Hist. Franc. cap. XLV. Sed alias memorat: nempe Ο, Ψ, Ζ, Π. Nisi locus is, ut metuo, corruptè sic in omnibus codd. legatur. Saltem pro ο debuit ω scribi. Nam ο priùs erat signum tam longæ, quam brevis vocalis. Et pro ϖ reponendum φ: quia pro φ ante erat ϖ cum spiritus notâ. Sed longum sit, si velim dicere de singularum gentium literis. Quare, his missis, solum videbimus de Hebræis, Græcis, & Latinis.

De Hebræorum elementis summa est inter veteres ipsos dissensio. Recentiores quidem eorum literas, quæ puta hodieque in usu, ab Esdrâ esse, autor est B. Hieronymus præfat. in lib. regum, sive, ut vocant, prologo galeato: *Certum, inquit, est Esdram scribam legisque doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel, alias literas reperisse, quibus nunc utimur: cùm ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Ubi de eo quidem facilè assentiam Hieronymo, quod Judæos ait ante exilium Babylonicum iisdem fuisse literis usos, quibus & hodie Samaritæ, idque ab ultima utuntur vetustate. At non item in eo accessérim, quod Esdram censet novas excogitâsse. Quamquam multis id summus vir persuaserit: & in his etiam Agrippæ lib. III Occultæ Philosophiæ cap. XXX. Eò autem falli Hieronymum putamus, quod Judæi literas istas ab exilio Babylonico reportarint: eoque ipsi illas אשורית, hoc est *Assyrias* appellant. Quare malè eas literas vocamus Hebræas, cùm Judaicæ dici debeant. Hebrææ enim propriè sunt Chananeæ; hoc est Phœnicum: quarum literarum figuram cognoscere licet ex nummis, qui hodieque crebro eruuntur in partibus Tyri ac Sidonis. Iisdem Judæos ante exilium Babylonicum usos dicimus: quemadmodum & lingua eadem utrique genti fuit. Vide, quæ eruditè hac de re scripsit Jos. Scaliger epistolâ ad Thomsonem, &

 alte-

alterâ item ad Stephanum Ubertum, quæ inter postuma extant.

Proximum est, disquiramus, quis antiquas, & verè Hebræas, hoc est Cananæas literas invenerit. Augustinus quidem quæst. LXIX Exodi scribit eâ de re hoc pacto: *Quos autem dicat* γραμματοεισαγωγεῖς *post decuriones, non facile sciri potest, quoniam hoc nomen in nullo usu habemus, vel officiorum, vel magisteriorum. Nam quidam* DOCTORES *interpretati sunt, ut intelligantur utique literarum, qui introducunt in literas, sicut resonat Græcum vocabulum. Hic sanè significatur, quod ante legem datam habuerint Hebræi literas, quæ quando cœperint esse, nescio utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur, à primis hominibus eas cœpisse, & perductas esse ad Noë, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Israël: sed unde hoc probari possit, ignoro.* Non visum cum quoquam contentionis funem super hoc ducere, validone, an infirmo tibicine in eo subnixus sit Augustinus, quod ex Græca interpretatione consequi putavit. Neque enim negamus, Hebræam vocem כְּפָרִים potius sonare *apparitores*, quàm *doctores*. At interim pro certissimo habemus, quod argumento parum certo probatum ibat magnus ille antistes. Quippe, nisi ante legem datam literæ fuissent, cui rei lex tabulis æneis Dei ipsius manibus fuisset inscripta? At illud non æque evidens, ut rectè vidit ille Ecclesiæ doctor, num à Mose, an ab alio, ac si alteri potiùs hæc laus debetur, paullone, an multò ante Mosem, literæ fuerint inventæ. Eupolemum Mosi adscripsisse, testantur Clemens Alexandrinus lib. I Στρωμ. & Eusebius lib. IX προπαρασκευῆς Εὐαγγελικῆς, cap. IV. Verba ipsa Clementis, à quibus Eusebiana non valde abeunt, infrà apponam. Eupolemo quoque subscribit Isidorus lib. I Origin. cap. III. Sed profectò tota hæc res tantùm nititur conjecturis, quæ quantilli, nisi ratio accesserit, in rebus à scriptorum ætate longissimè remotis sit facienda, nemo non videt. Scio, plerosque scribere, literas quidem Mose esse antiquiores multò; sed eum literas primùm innovâsse. Verùm hoc quoque metuo, ne merum sit somnium. Nam quid caussæ quæso erat, cur, eâdem manente linguâ, novas excogitaret literarum formas? Atqui, qui Hebraicè leviter sciat, nunquam diffitebitur, Israëlitas in Ægypto eam reservâsse linguam, quâ Abraham, & patriarchæ cæteri usi erant. Ea autem erat Chananæa. Itaque Gen. XXXI, vers. 47. Jacob linguâ Chananæâ profert, quod maternâ suâ Syriacâ extulerat Laban. Nam Jacob linguâ Phœniciâ seu Chananæâ tumulum vocat גַּלְעֵד, *Galed*: Laban eundem Assyriâ appellat יְגַר שָׂהֲדוּתָא, *Jegar sahadutha*. Ac Abraham quidem, cùm in Phœniciam, seu Chananæam veniret, quia novus inquilinus erat, ac Assyriam, non Chananæam linguam sciebat, necesse habuit hanc addiscere. Non item Isaac, & Jacob, qui in Chananæâ sunt nati, eoque à pueritia ipsa hanc noverant. Atque hinc cognoscimus, linguam eam, quâ usi patriarchæ, quâ item in Ægypto Israëlitæ utebantur, ac quâ ipsæ scriptæ sunt sacræ literæ, non aliam putandam, quàm Chananæam: quippe quam Abraham didicerit à Chananæis. Liquet etiam, errare non ignobilem Grammaticum, Suidam, ex cujus sententia, Ἀβραὰμ ὁ πρῶτος ἐν πατριάρχαις εὗρεν ἱερὰ γράμματα, καὶ γλῶσσαν ἐμηχανήσατο, ἧς Ἑβραίων παῖδες ἐν ἐπιστήμῃ ἐτύγχανον, ὡς ὄντες τούτου μαθηταὶ, καὶ ἀπόγονοι: *Abraham Patriarcharum princeps, invenit sacras literas, linguamque eam excogitavit, cujus Hebræi fuere periti, ut ejus discipuli ac posteri.* Quo loco per ἱερὰ γράμματα, omnino intelligi debent sacræ, sive Hebrææ linguæ literæ: ut ostendit, quòd statim subjicit, ab his originem capere Græcorum literas, atque id vel parêre ex primæ literæ nomine, cùm, quæ Hebræis est *Aleph*, Græcis *Alpha* dicatur. Pro hac sententiâ adfertur à quibusdam, quòd Abraham creditur invenisse literas Chaldaicas, & Hebrææ priùs eædem, ac Chaldaicæ, fuisse existimentur. Hieronymus in cap. I Danielis: *Philo arbitratur, linguam Hebræorum ipsam esse Chaldaicam, quia Abraham de Chaldæis fuerit.* De Chaldaicarum autem literarum inventione quod ajunt, tum apud Isidorum legitur lib. I Originum cap. III, tum vel ex versu hoc liquet, quem superius inter alios in vetusto codice à Crinito inventum, dicebamus: *Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas.* Sed, quod versu hoc dicitur, nullo; quodque Philo apud Hieronymum ait, infirmo nititur argumento. Nam quæ ejus vis erit, *si fortè, juxta quorundam opinionem, duas Abraham linguas, & Hebræorum, & Chaldæorum, scisse dicamus?* quæ verba ibidem apud Hieronymum legere est. Hoc nisi *recipimus* (ejusdem verbis utor) *quærendum est, quomodo* Dan. I. *Hebræorum pueri linguam, quam noverant, doceri jubeantur.* Quamobrem sic omnino statuendum, linguam Hebræam esse aliam à Chaldaica: Abrahamum Chaldaicè locutum, cum in Chananæam veniret; hic eum Chananæam didicisse, quâ ejus posteri usi sint; ut ex Genes. XXXI, vers. 47, antea ostendimus. Hoc si placet, Chananæorum lingua, qua perscriptæ sunt sacræ literæ, Hebræa vocabitur, non quia Hebræi soli usurparint; sed quia horum duntaxat libri ad nos pervenerint. Uti & sententia est Scaligeri in eruditissimis epistolis*, quarum ante meminimus. Cæterùm quod Abraham Chaldaicas dicitur literas reperisse, id non aliter puto capiendum, quàm quòd Chaldaicas literas in Syriam, ac imprimis Palæstinam, induxerit. Nam Chaldæis multò ante Abrahamum literæ erant. Hoc mirificè probatum ibat Annius Viterbiensis initio notarum in Berosum: ubi scribit, *Chaldæos asserere, se Astronomiam & literas habuisse ante Alexandri monarchiam ter mille & sexcentis ac triginta quatuor annis.* Neque id adferre dubitat Hermannus Hugo lib. de literarum antiquitate. Verùm non debuit vir eruditus toties eo commentariolo ad partes advocare Annium illum, hominem quidem doctum, sed totum penè ex mendaciis & fraudibus consutum. Vera autem sententia est apud Simplicium comment. XLVI in Arist. lib. II de Cœlo: ubi scribit, Callisthenem, Aristotelis rogatu, misisse in Græciam observationes Chaldæorum ab annis CIↃ IↃ CCCCIII ante tempora Alexandri. Sic enim inquit: Διὰ τὸ μηδέπω τὰς ὑπὸ Καλλισθένους ἐκ Βαβυλῶνος πεμφθείσας παρατηρήσεις ἀφικέσθαι εἰς τὴν Ἑλλάδα, τοῦ Ἀριστοτέλους τοῦτο ἐπισκήψαντος αὐτῷ· ἅς τινας διηγεῖται ὁ Πορφύριος χιλίων ἐτῶν εἶναι, καὶ ἐνακοσίων τριῶν μέχρι τῶν χρόνων Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος σωζομένας. *Eò quòd observationes illæ, quas Callisthenes Babylone Aristotelis jussu misit, necdum in Græciam pervenerant: quas quidem annorum mille nongentorum trium fuisse, refert Porphyrius ad Alexandri Macedonis usque tempora servatas.* Id fuerit annis circiter ducentis ante natum Abrahamum: paullo ante structuram turris Babylonicæ. Nempe nihil prohibet, quo minus in terra Sennaar literis & Astrologiæ vacarint, priusquam de turri ea cogitaretur, vel locus is Babelis nomen accepisset.

* Ad Thomsonem, & Stephanum Ubertum.

Et sanè, quod Abrahamo tribuit Suidas inventarum literarum gloriam, eo minoris à nobis fieri debet, quia alibi, alium secutus auctorem, multò antiquiorem literarum usum facit: ut quas repertas dicat ab ipsis Adæ liberis. Quippe eum si audimus, Θεὸν, τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τοῦτο τὰ Ἑβραϊκὰ γράμματα, τάς τε τῶν ἀστέρων ὀνομασίας. *Sethum illius ætatis homines Deum vocabant, eo quòd & Hebraicas literas, & stellarum appellationes invenisset.* Idem ex Georgio Syncello tradit Michaël Glycas Annalium lib. II. Et profectò inventum hoc neutiquam alteri tribui potest, quam vel Setho, vel ejus ante diluvium posteris, si vera sunt, quæ de his narrat Josephus lib. I. Jud. Antiq. cap. III. Res penè omnibus nota, qui literas tractant: quia tamen locus is corruptè legitur vulgò, faciliorem mihi veniam arbitror fore, si eum emendatiùs adscripsero: Σοφίαν, inquit, τὴν περὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν ἐπενόησαν. ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ διαφυγεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ εὑρημένα, μηδὲ πρὶν εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν φθαρῆναι, προειρηκότος ἀφανισμὸν Ἀδάμου τῶν ὅλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατ᾽ ἰσχὺν πυρὸς, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν καὶ πλῆθος ὕδατος, στήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν μὲν ἐκ πλίνθου, τὴν δ᾽ ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέραις ἐνέγραψαν τὰ εὑρημένα,

ἵνα

ἵνα καὶ τῆς πλινθίνης ἀφανισθείσης ὑπὸ τῆς ἐπομβρίας ἡ λιθίνη μείνασα παρέχῃ μαθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἐγγεγραμμένα. δηλῶσαι, καὶ πλινθίνην δὲ ὑπ᾽ αὐτῶν ἀνατεθῆναι. μένει δ᾽ ἄχρι τοῦ δεῦρο κατὰ τὴν Συριάδα. In Frobeniana malè est προηρηκότος, pro προειρηκότος. In eâdem est, τὰ ἐπιγεγραμμένα δηλῶσαι. καὶ πλινθίνην &c. verùm τελεία στιγμὴ ponenda post ἐπιγεγραμμένα. Sententia est, in lapidea columna etiam illud fuisse adscriptum, alteram quoque columnam, eamque ex lateribus, à se positam fuisse. Quod addit Josephus, quia quæri posset, unde illud de laterali columna sciatur, cùm sola supersit lapidea. Sigismundus Gelenius, vir alioqui doctissimus, pravâ distinctione deceptus, locum sic pessimè transtulit: *Ajunt enim lapideam illam ab ipsis dedicatam: quæ & nostris temporibus exstat in terra Syria.* Ubi in eo quoque peccat, quòd πλινθίνην vertit *lapideam*: ac μὲν refert ad verba proximè memorata, cùm prius comma sit de lateritia, posterius de lapidea. Ignosce erudite lector, si &, dum imperitis consulimus, tralationem apponamus totius loci: eo magis, quia Angelus Roccha, in appendice libri, quem de bibliothecâ Vaticanâ Romæ edi curavit, existimâsse videtur, alteram columnarum, quas Josephus nominat, fuisse æneam: cùm ejus nec Josephus meminerit, nec vetus interpres: Rufinus dico, qui sic vertit: *Disciplinam verò rerum cælestium & ornatum earum, primitus invenerunt. Et ne dilaberentur ab hominibus, quæ ab eis inventa videbantur, aut antequam ad notitiam venirent, deperirent, cum prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alteram verò aquarum vi ac multitudine fore venturam: duas facientes columnas, aliam quidem ex lateribus, aliam vero ex lapidibus, in ambabus, quæ invenerant, inscripserunt, ut &, si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere: simul & quia* lateralem aliam posuissent: quæ tamen lapidea permanet hactenus in terrâ Syriâ.*

* *Post simul* ἀπὸ κοινοῦ *repetendum*, præberet cognoscere: *quia autem pro* ὅτι *sive* quòd. *Clarius fuisset*, Simul & significaret, quòd lat. *&c.*

Restat sententia suprema. Ea non alia esse potest, quàm ut ipsi protoplasto hujus inventi gloria deferatur. Nequid igitur, quod in suspicionem cadere possit, non aliquem habeat auctorem, sunt quibus, ob primi hominis dignitatem, atque excellentiam, maximè verisimile fiat, Sethum ab eo tum literarum usum, tum Astrologiæ, aliarumque artium, notitiam hausisse. Ac de literis quidem ita B. Augustinus quæst. LXIX Exodi, ubi disputat, qui sint γραμματοεισαγωγεῖς. *Nonnullis*, inquit, *videtur à primis hominibus literas cœpisse, & perductas esse ad Noë, & inde ad populum Israël.* Imò similiter Suidas. Nam cùm alibi Abraham, item Seth, literarum dicat auctorem, idem tamen in Ἀδάμ, inquit, τούτου τέχναι καὶ γράμματα· *hujus sunt artes, & literæ.* Ita vides, ut ex quorundam etiam Christianorum suspicione verissimum fit, quod itidem ex argumentis parum firmis nonnulli τῶν ἔξωθεν* collegerunt, perpetuum, post homines sive natos, sive ortos, fuisse literarum usum, atque, ut ipsi appellant, æternum. Visum id, quod de hac nationum opinione dixi, statuminare haut flaccido tibicine, Plinio: ex quo simul parebit, in quam varias illæ sententias abire soleant, quoties de primâ literarum inventione dissertarent. Sic igitur egregius ille naturæ mystes lib. VII historiæ suæ cap. LVI. *Anticlides in Ægypto invenisse quendam nomine Menona tradit* XV *annis ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ regem, idque monumentis approbare conatur. E diverso Epigenes apud Babylonios* DCCXX *annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, gravis autor imprimis. Qui minimum, Berosus, & Critodemus*, CCCCLXXX *annorum. Ex quo apparet æternus literarum usus.* Ac paullò antè dixerat idem: *Literas semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Ægyptios à Mercurio, ut Gellius; alii apud Syros repertas volunt.* Etiam Theophilus extremo lib. III ad Autolycum de gentilibus ait, φάσκουσι τὰ γράμματα εὑρῆσθαι, οἱ μὲν παρὰ Χαλδαίων, οἱ δὲ παρ᾽ Αἰγυπτίων, ἄλλοι δ᾽ αὖ ἀπὸ Φοινίκων. *Literas alii quidem a Chaldæis repertas dicunt, alii ab Ægyptiis, alii à Phœnicibus.* Quod autem de Mercurio extremis Plinii verbis tradebatur, idem de eo scribunt Julius Hyginus Fabul. cap. CCLXXVII, Diodorus Siculus lib. II Bibliothecæ suæ, & Plutarchus lib. IX Symposiacôn, quæst. III. Ægyptium fuisse, ac quintum ejus nominis, auctores sunt Cic. lib. III de Nat. Deor. atque ex eo Arnobius lib. IV, & Lactantius lib. I de falsa religione cap. VI. Sed & Tertullianus eampse de Mercurio opinionem commemorat, lib. de Testimonio animæ cap. V, & de corona militis cap. VIII. Confirmat quoque hanc rem Plato, apud quem in Phædro narrat Socrates, Deum quendam coli apud Ægyptios, nomine Theuth, qui cum alias artes, tum literas invenerit, Ægyptiosque docuerit, quo tempore Thamus universæ imperium Ægypti teneret. Hujus Theuth idem meminit in Philebo. Aliis Τάαυτος: Phœnicibus תו, Ταῦ, Deorum creditus primus: ut prodidit Philo Bybliensis, Sanchoniathonis Berytii, qui Semiramidis tempore res Phœnicum scripsit, Græcus interpres: teste Porphyrio ἐν τετάρτῳ κατὰ Χριστιανῶν λόγῳ, & Eusebio Εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς lib. I. Nec icirco est, quòd Ægyptiis hanc laudem tribuamus. Nam omnino ea debetur Assyriis, quando multò antè hæc regio culta est. Ex Assyria autem secum vexere Chananæi; quorum idem ac Assyriorum sermo permansit, usque dum Assyrii, ob crebra variis cum gentibus commercia, bellaque cum vicinis ac longinquis gesta, sermonem eum mutarunt; Chananæis interim, quibus non itidem nationes aliæ miscebantur, veterem retinentibus sermonem. Atque hinc liquet, cùm Phœnices sint Chananæi, rectissimè dicere, quibus literæ Phœnicum sint antiquissimæ. Nec eo injuriam facimus Hebræis; quando eædem sunt literæ cùm Phœniciæ, tum veteres Hebrææ. Nam, ut antè assertum, quas Hebraicas vocamus, non tam Hebraicæ sunt, quàm Assyriæ. Verè enim Hebraicæ sunt, quibus Abraham, Heberi inclyta progenies, & posteritas ejus, usa est. Sunt verò istæ Cananææ, sive Phœniciæ. Quemadmodum patriarchæ eâdem quoque, ac Tyrii & Sidonii, linguâ utebantur: etsi, postquam hi imperium maris obtinuerunt, linguam crebris commerciis mutarunt: non tamen in tantum, ut alia esse lingua inciperet, sed solùm, ut dialecto differret: quod multis ostendit Abrahamus Esra commentariis in Cantica. Idem de lingua Punica judicium esto, quando Pœnos Phœnicia oriundos esse, præter tot nobiles scriptores, qui id disertim scripsere olim; præter item ipsum Pœnorum nomen, quod ἀπὸ τῶν Φοινίκων deflexum esse, satis liquet: præter inquam, ista, etiam vocabula utrique huic, & Syrophœnicum, & Libyophœnicum populo communia satis docere possunt. Exempli gratia, ut unum è tam multis adferam, VOX ALMA; de qua ita Hieronymus in Esaiam cap. VII, 14. *Linguâ quoque Punicâ, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur propriè virgo* ALMA *appellatur.* Quibus qui contentus non sit, adeat Jos. Scaligerum, annotationibus in fragmenta vett. scriptorum, quæ subjunxit operi de emendat. Temp. & Samuelem Petitum Miscellaneorum lib. III, cap. I, II, & III. Quòd verò antè dicebam, literarum inventionem Phœnicibus tribui, id luculentè probat hic Curtii locus lib. IV. *Si famæ libet credere, hæc* (Tyriorum) *gens literas prima aut docuit, aut didicit.* Deque iisdem sic Plinius lib. V, cap. XII: *Ipsa gens Phœnicum in gloriâ magnâ literarum inventionis, & siderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Item Lucanus his pervulgatis versibus lib. III.

> *Phœnices primi, famæ si creditur, ausi*
> *Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

De literarum inventoribus adi planè Samuelem Petitum observationum lib. II, cap. I, pag. 137. & seq.

† *Externorum sive gentilium.*

CAP. X.

Græcos accepisse literas suas à Cadmo Phœnice: unde Φοινίκεια, *&* Καδμήια γράμματα *dicuntur. Figuras veteres, quibus Jones usi, magis convenisse cum Phœniciis: atque Herodoti ætate eas in veteribus inscriptionibus conspici*

spici potuisse: sed paullatim figuram esse immutatam. Alios literarum hanc gloriam tribuere Cecropi Ægyptio. Cur is biformis creditus sit. Alios item Lino, vel Palamedi, eas assignare. Vulgaris lectio Taciti contra Lipsium, & alios, defensa. Cadmo Milesio tribui tres adspiratas, Epicharmo duas duplices, Simonidi vocales duas longas. Callistratum primum statuisse literas XXIV. *Tzetzi occurritur, qui Cadmo antiquiores esse Græcorum literas contendit. Delphi unde Pytho prius dicta. Cur Pythonissa dicatur* domina oph. Ὄφεως ἔτυμον. *Refellitur Fl. Josephus de eo, quod neget, Græcos habuisse literas ante bellum Trojanum. Thesei, & Argonauticæ expeditionis tempus. Thebis Bœotiis cur nomen id impositum. Nomina literarum Græcarum ex Hebræis deflexa.*

SEd de primarum literarum, quæ sine dubio Cananææ sive Hebrææ sunt, primis autoribus satis dictum. Transeamus ad literas Græcorum, quod ut faciamus, cùm res ipsa, rectusque ordo admonet, tum etiam loca, quæ de Phœnicibus proximè adducebamus. Quippe etiamsi concederemus, Phœnicum sive Cananæorum literas fuisse diversas ab iis, quibus patriarchæ, & Hebræi omnes ante captivitatem Babylonicam utebantur: nihilominus Lucani locus (idem de illo Curtii, ac Plinii, dicere possumus) nihil dissentaneum veritati haberet: quandoquidem eum cum Isidoro * intelligere possumus de solis Græcorum literis, à Cadmo Phœnice in Græciam allatis. Favet huic interpretationi illud Plinii lib. VII cap. LVI: *Utique* (volunt) *in Græciam intulisse e Phœnice Cadmum* XVI *numero: quibus Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor hac figura*, Θ, Ξ, Φ, Χ. *Totidem, post eum, Simonidem Melicum*, Ζ, Η, Ψ, Ω. Idem confirmant verba Clementis Alexandrini lib. I Στρωμ. Κάδμος δὲ Φοίνιξ ἦν, ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετὴς, ὥς φησιν Εὔφορος (placet Lipsii † conjectura, Ἔφορος emendantis) ὅθεν καὶ Φοινικήια τὰ γράμματα Ἡρόδοτος κεκλῆσθαι γράφει. *Cadmus autem erat Phœnix, qui fuit Græcis literarum inventor, ut ait Ephorus. Unde etiam Herodotus scribit, literas vocatas fuisse Phœnicias.* Addam & verba e Terpsichore Herodoti, ad quæ respexit Clemens: Ἴωνες παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, μεταρρυθμίσαντες σφέων ὀλίγα, ἐχρέωντο· χρεώμενοι δὲ, ἐφάτισαν, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, Φοινικήια κεκλῆσθαι. *Iones, cùm literas à Phœnicibus didicissent, immutata quarundam forma utebantur; & utentes famam sparserunt (quemadmodum & æquitas postulabat) quia Phœnices eas in Græciam invexerant, Phœnicias vocandas esse.* Tradit idem Plutarchus in Sympofiacis lib. IX, probl. III. Τὰ δὲ δὴ πρῶτα καὶ Φοινίκεια διὰ Κάδμον ὀνομασθέντα, τετράκις ἡ τετρὰς γενομένη παρέσχε. *Primas autem* (hoc est, sexdecim literas primò inventas) *quæ Phœniciæ propter Cadmum appellantur, quaternio quater sumtus exhibet.* Appellat hoc modo Timo: cujus est apud Sextum philosophum: —— Φοινικικὰ σήματα Κάδμου. —— *Cadmi Phœnicia signa.*

Validè etiam hanc rem firmat, quod Herodotus paullò pòst subjicit: Εἶδον δὲ καὶ αὐτὸς Καδμήια γράμματα ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἰσμηνίου ἐν Θήβῃσι τῇσι Βοιωτῶν, ἐπὶ τρίποσί τισι ἐγκεκολαμμένα, τὰ πολλὰ ὅμοια ἐόντα τοῖσι Ἰωνικοῖσι. *Quin ipse vidi apud Thebas Bœotias in Ismenii Apollinis templo, literas Cadmeas in tripodibus quibusdam incisas, magna ex parte similes Ionicis.* Deinde ponit Herodotus ipsas inscriptiones, quibus Græcia nihil habuit antiquius. Nam prima est Amphitryonis, circa ætatem Laii, Cadmi pronepotis. Altera est Hippocoontis, sub Oedipode, Laii filio. Tertia est Laodamantis, Eteoclis filii. Quod si quis nôsse avet, quibus olim figuris epigraphæ istæ fuerint conceptæ; adeat Jos. Scaligeri animadversiones Eusebianas *, in quibus eas inveniet Cadmeis literis exaratas. Verisimile tamen, non fuisse omnino tales, hoc est Cadmeas veteres, seu Samaritanas; sed tempore paullùm immutatas, propiusque ad Ionicas accedentes. Nec dubito, quin Cadmeæ, vel pene Cadmeæ, literæ intelligi debeant apud Dionysium Halicarnassensem †, cùm agit de tripode Dodonæo γράμμασιν ἀρχαίοις ἐγκεχαραγμένῳ *, cujus & inscriptionem ponit. Item cùm de columna, cui Servius Tullius leges fœderis inter Romanos Latinosque inscripserat, hunc in modum loquitur †: αὕτη διέμενεν ἡ στήλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ κειμένη, γραμμάτων ἔχουσα χαρακτῆρας Ἑλληνικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρῆτο. *Hæc columna permansit usque ad meam ætatem in Dianæ fano erecta, characteres Græcarum literarum habens, quibus olim Græcia utebatur.* Quod verò Græci alias pòst literarum figuras usurparunt, id ab iis non consilio; sed (quemadmodum in aliis quoque rebus, usu venit) assiduâ tractatione, temporisque longinquitate, factum puto. Nec tamen tantopere aut vulgares Græcorum à veteribus Ionicis, aut hæ à Phœniciis discesserunt, ut origo earum dissimulari possit: quemadmodum cuivis parebit, qui earum figuras conferre non gravabitur. Ex his igitur manifestum est, Græcos à Cadmo literas accepisse, ut præter commemoratos autores scripsere cùm Victorinus *, Isidorus †, Suidas *, tum etiam Plutarchus in Sympofiacis †. Dissentiunt tamen multi, qui Palamedem ab hâc laude commendabilem faciunt: ut paullò pòst ostendam. Sunt & qui Lino, Herculis præceptori, tribuant, ut Suidas * his verbis: Λέγεται δὲ πρῶτος οὗτος (Λίνος) ἀπὸ Φοινίκης γράμματα εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. *Fertur hic primus literas è Phœnicia in Græciam deportasse.* Multis etiam magis verisimile fit, Græcos à Cecrope, primo Atheniensium rege, literas accepisse. Inclinant in hanc sententiam, quòd antiquus apud Ægyptios fuerit literarum usus, ut antè ostendimus ex Plinio lib. VII, cap. LVI. Cecrops autem non modò Cadmo Linoque antiquior fuit, sed & natione Ægyptius. Eo quidem duce, Athenienses ex Saïnsi Ægyptiorum civitate in Græciam colonos deductos esse, scribit Nicetas Serronius, Græcus Nazianzeni scholiastes ad μονῳδίαν sive ἐπιτάφιον εἰς τὸν μέγαν Βασίλειον †. Adjicit idem, Cecropem eâ potissimùm de caussâ effictum efformatumque διφυῆ *, atque, ut Naso † vocat, geminum, quia sciret Græcè & Ægyptiacè. Quod ipsum quoque legas apud Tzetzem Chil. sect. XVIII. Aliam tamen idem inibi addit rationem: quemadmodum & tertiam legas apud fratrem ejus Isacium Tzetzem commentario in Lycophronem †, ac Eustathium in Iliad. Σ. Ille autorem laudat Joannem Antiochensem, hic Agalliam Corcyrensem. Sententiam eorum, qui (ut Cadmum mittam) vel Palamedi tribuunt, vel hoc antiquiori Lino, aut antiquissimo omnium Cecropi, complexus est his verbis Cornelius Tacitus undecimo annalium: *Quippe*, inquit, *fama est, Cadmum classe Phœnicum vectum rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus autorem fuisse. Quidam Cecropem Atheniensem, vel Linum Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant sexdecim literarum formas, mox alios, ac præcipuum Simonidem, cæteras reperisse.* Justo tamen Lipsio (quem sequitur Angelus Roccha lib. de bibliothecâ Vaticanâ) videtur hic locus non vacare mendâ. Corrigit itaque hoc pacto: *Cecropem Atheniensem, vel Linum Thebanum, sexdecim literarum formas, & temporibus Trojanis, Palamedem Argivum quatuor, memorant; mox alios, ac præcipuum Simonidem, cæteras reperisse.* Cur ita emendet, hanc ipse caussam adducit, quòd veterum, quos quidem legerit, nemo hoc de Palamede tradiderit, quod apud Tacitum legitur vulgo. Nempe non occurrebat tum Lipsio, Gorgiam, antiquissimum Rhetorem, oratione eâ, quæ hodieque pro Palamede exstat, inter cætera ejus inventa reponere γράμματα, μνήμης ὄργανον †: quo pacto neutiquam loqueretur, si putâsset, eum solum tres quatuorve literas, ac tales quidem, ut carere iis possimus, Cadmeis literis addidisse. Præterea apud Hyginum in fabulis cap. CCLXXVII, undecim dicitur literas reperisse. Ubi si pro *undecim*, *sexdecim* reponam, propius à vulgata lectione recedam, quam qui pro communiori opinione *quatuor* substituat. Est quoque pro hac sententia scholiastes Euripidis

* Lib. I Orig. cap. 3.
† Ad XI Annal. Taciti.
* In digressione de literis Ionicis ad numerum Eusebianum 1617.
† Lib. I.
* Antiquis literis insculpto.
† Lib. 4.
* Lib. I. cap. de Orthograph.
† Lib. I Orig. cap. 3.
* In Κάδμος.
† Lib. 9. quæst. 2. & 3.
* In Λίνος.
† Orationem funebrem in magnum Basilium.
* Biformem.
† Lib. 2 Metam. fab. 8.
* Pag. 24.
† Literas, memoriæ instrumentum.

dis in Orestem: ut qui à Palamede referat repertas literas septemdecim: quod Taciti numerum leviter admodum excedit. Sed facilè à librario potuit ις † in ιζ * commutari: ut planè mihi persuadeam, ις scripsisse scholiastem. Eo magis quia videam, quod de Palamede traditum est à Tacito, similiter legi apud Eusebii sive Georgii Syncelli exscriptorem, Georgium Cedrenum †, qui ante annos quingentos & quinquaginta vixit, tempore Isaaci Comneni. Imò & hanc sententiam memorat Joannes Tzetzes, qui post Cedrenum annis claruit centum. Nec dubitat is historiæ suæ sectione CCCXCVIII, illud de sexdecim Palamedis literis, dicere περιφόρητον καὶ θρύλλητον τοῖς πᾶσι *. Addit eos, qui hanc Palamedi potius, quam Cadmo gloriam tribuunt, putare, multò post Palamedem, alium Cadmum, non Thebanum, sed Milesium, sexdecim illis literis Palamedis ternas addidisse adspiratas, Θ, Φ, & Χ: Epicharmum verò Siculum invenisse duplices, Ζ, Ξ, Ψ: Simonidem denique, sive Samium, sive potius Ceum, adjecisse Η, & Ω: primum verò fuisse Callistratum, Grammaticum apud Samios, qui quatuor & viginti literarum figuras conjunxerit. Verùm quid hac testium congerie opus, cùm Euripides ipse Palamedem, in tragœdia cognomine, literarum inventionem sibi vindicantem inducat. Sic enim loquitur:

> Τὰ τῆς γε λήθης φάρμακ' ὀρθώσας μόνον
> Ἄφωνα, καὶ φωνοῦντα συλλαβὰς τιθεὶς,
> Ἐξεῦρον ἀνθρώποισι γράμματ' εἰδέναι.

Quæ in Florilegio Stobæano † Latinis sic versibus expressit grande seculi nostri decus, Hugo Grotius:

> *Ego ille mutas conjugans vocalibus*
> *Monstrans hominibus literarum fœdera,*
> *Oblivionis tenebricosæ remedium.*

Sed de hac inventarum literarum gloria inter quatuorviros illos partità non paullo aliter alii, & in his Hyginus fab. cap. CCLXXVII. In eo interim Tzetzi adsentio; quòd superiori de Palamede sententiæ refragatur. Neque nihil est, quòd pro se adfert. Nempe quòd Bellerophon literas à Prœto, Argivorum rege, exaratas attulerit Jobatæ, quibus, cum commendatitias videri vellet, necem ejus exposceret. Atqui, inquit, ex Bellerophonte natus Hippolochus, ex Hippolocho Glaucus, qui, ut Homerus narrat, aurea arma pro æreis dabat Diomedi. Ergo sexaginta circiter annis Bellerophon fuerit ante Palamedem, qui Diomedis fuit æqualis. Nos verò, nec inviti, Tzetzæ amplius concedimus. Putamus enim Bellerophontem hunc non LX solùm, sed CLX annis, antiquiorem esse Palamede. Sanè rex Prœtus, cujus tempore Bellerophontem vixisse convenit, ab Eusebio etiam in Chronicis ad tempora refertur Aodi sive Ehud ejus, qui in judicando Israële successit Othonieli, genero Calebi, à Mose ipso missi ad speculandam terram Cananæam. Sed ut de eo convenit, ita disconvenit nobis, quando & Cadmo antiquiores esse Græcorum literas eo evincere conatur, quòd cum è Phœnicia is Delphos esset profectus ad consulendum Apollinem de sorore Europa, oraculum ei editum sit versibus hexametris, quorum tres primos ipse Tzetzes adducit. Quàm multa enim contra hoc adferri possunt! Mitto, cùm alia, tum illud quod etiam ab incunabulis cæci versus fundant: ut satis liqueat, posse carmen ab eo dici, qui nesciat literarum figuras. Illud potiùs dicam, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοὶ *, ut Aristoteles initio operis de prima sapientia ait. Quis verò spondeat nobis, inter ea, quæ historiæ veræ, de Cadmi in Græciam adventu, fabulosè à poëtis addita sunt, non illud etiam esse, quod de oraculo hoc referunt? Præsertim cùm versus illi non sapiant tam antiquum ævum: & fortassè demum post Cadmi Phœnicis adventum Sol sive Apollo in Græcia cultus sit figurâ serpentis: unde & urbs, quæ postea Delphi, prius dicta *Pytho*; à פתן, *pethen*, id est *aspis*. Uti a loco Apollo Pythius, non ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι †, quia illic computruerit serpens: uti nugantur Græculi. Nec mirum si Cadmus hunc cultum Græciæ intulerit, quandoquidem & in Cananæa fatidicum illud numen serpentis imagine colebatur: indeque priori Samuëlis libro, cap. XXVIII, Pythonissa à Saulo consulta vocatur domina אוב, *ob*, sive *oph*, hoc est *serpentis*. Sanè ab *oph* est Græcorum ὄφις, quod idem notat. Hæc satis invalentiam ostendunt argumenti, quo sic se, more suo, jactat Tzetzes. At quantò fortius illud telum, quod nos jaciebamus. Nempe, quòd veteres Ionum literæ, Herodoto quoque teste, simillimæ sunt Phœniciis, eæque Cadmeæ olim dictæ sint; neque legamus ullas fuisse in Græcia literas Cadmeis antiquiores. Nam Bellerophon, qui literas attulit Prœto, Cadmo junior paullo fuit; cùm Cadmus Othonielis temporibus claruerit, Bellerophon Aodi: ut minimùm ætas una intercesserit, cùm, ab excessu Othonielis ad mortem Aodi, anni sint LXXX: qui Aodo uni in Scripturis tribuuntur, annumeratis annis illis duodeviginti, quibus † Israëlitæ servierunt Egloni, Moabitarum regi: quos annos deducit etiam Eusebius, uti & auctor Chronologiæ Hebræorum majoris, quæ *Seder Olam Rabba* inscribitur. Mirum verò, Flavium Josephum, virum ut disertum, ita temporum intelligentem, vehementer adeo falli potuisse in eo, quod de inventione literarum Græcarum scriptores optimi prodiderunt. Quippe lib. I περὶ ἀρχαιότητος adversus Apionem, ut, quæ de Cadmo narrantur, mendacii arguat, omniaque Græcorum nova esse comprobet, negat ullâ inscriptione sive in templis, sive in anathematis, comprobari posse, Græcos literis usos esse ante bellum Trojanum. Sed nunquam hoc scripsisset Josephus, si in memoriâ habuisset tres inscriptiones, quarum ex Herodoto paullò antè meminimus. Nam ut de tertiâ, earum novissimâ, solùm dicam, est ea Laodamantis, qui vixit tempore Thesei Atheniensium regis: ut ostendit hic locus Pausaniæ in Atticis: Ὀλίγῳ δὲ ἀπωτέρω τοῦ φρέατος ἱερὸν Μεγανείρας ἐστὶ, καὶ μετ' αὐτὸ τάφοι τῶν ἐς Θήβας. Κρέων γὰρ, ὃς ἐδυνάστευε τότε ἐν Θήβαις, Λαοδάμαντος ἐπιτροπεύων τοῦ Ἐτεοκλέους, οὐ παρῆκε τοῖς προσήκουσιν ἀνελομένοις θάψαι. ἱκετεύσαντος δὲ Ἀδράστου Θησέα, μάχης Ἀθηναίων γενομένης πρὸς Βοιωτοὺς, Θησεὺς, ὡς ἐκράτησε τῇ μάχῃ, κομίσας ἐς τὴν Ἐλευσινίαν τοὺς νεκροὺς ἐνταῦθα ἔθαψεν. hoc est: *Paullò verò supra puteum est fanum Meganiræ: ac postea sunt eorum sepulchra, qui ad Thebas occubuerunt. Creon enim, qui Thebis eo tempore imperabat, & Laodamantis, Eteoclis filii, tutor esset, non permisit cognatis mortuorum sepeliendorum potestatem. Cum vero Adrastus Thesei opem supplex imploraret, & factâ postea pugnâ inter Bœotos, & Athenienses, Theseus victor evaderet, mortuos Eleusinem devexit, ibique sepelivit.* At nemo ignorat, Theseum vixisse ante bellum Trojanum; cùm fuerit σύγχρονος * Herculis, qui tempore Laomedontis Trojam cepit. Quin ipse Theseus dicitur, regnante patre Ægeo, Helenam virgunculam rapuisse: unde liquet, non tantùm Argonauticam expeditionem, cui Hercules cum Helenæ fratribus interfuit; sed etiam illam τῆς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας †, in quâ cecidit Eteocles, Laodamantis pater, viginti circiter annis antecedere bellum Trojanum. Imò plurimi olim, ut ex Chronico Eusebii cognoscimus, putarunt, Thesea multò esse vetustiorem: quod ipsum pro caussâ nostrâ adversus Fl. Josephum adferremus, nisi & in hoc, & in tempore Argonauticæ expeditionis, quam octoginta & novem annis faciunt exscidio Trojano antiquiorem, committerent spissum ἀναχρονισμὸν *, ac Eusebio quoque ex parte animadversum. Atque hæc comprobant abunde, quantum in illis à vero aberrârit Josephus, quæ fusè adeo prosequitur, ut ostendat, non posse Cadmo Phœnici, ac multò minùs cuiquam antiquiori, adscribi literarum Græcarum inventionem. Tantum verò abest, ut literas credamus post Cadmum, nedum post Palamedem, repertas, ut si de Cadmo minus nobis satis fieret, non propterea existimaturi simus hoc laudis tribui debere temporibus secutis, sed potiùs ad ulteriorem temporum memoriam recurreremus: puta ad Cecropem, Atheniensium regem: atque hoc propter illa, quæ antea de eo referebam. Neque illa de Cadmo, & hæc de Cecrope sententia, magno adeo intervallo distant: quandoquidem Cecrops regnabat temporibus iis, quibus Moses apud Jethronem in terra Madian degebat: Cadmus autem, ut Hieronymus in Chronico Eusebiano

Marginal notes:
† Sexdecim.
* Septemdecim.
† Pag. 103.
* Vulgatum, atque jactatum omnibus.
† Tit. 79. sive aliis 81.
* Multa mentiri poëtas.
† Putrescere.
† Jud. 3, 14.
* Coætaneus.
† Septem ad Thebas.
* Errorem temporis pro tempore positi.

sebiano tradit, temporibus Josuæ unà cum fratre Phœnice Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus fuit: ut verisimile sit, tempore Othonielis è Phœnicia in Græciam venisse, atque ibi in memoriam Thebarum Ægyptiarum Thebas Bœotias condidisse. Sive autem Cadmo Phœnici, sive Cecropi Ægyptio, rei tam præclaræ gloria debetur; poni illud extra controversiam debet, priores literis usos esse Hebræos: ac hujusce rei argumentum superesse evidentissimum, quòd literarum apud Græcos nomina, nunc quoque nominibus vocentur ex Hebræa appellatione leviter deflexis. Quam in sententiam plura qui volet, adeat præclarum Eusebii opus de præparatione Euangelica libro x, cap. 11.

Cap. XI.

Latinorum literæ sunt ab Euandro Arcade, vel matre ejus Nicostrata, atque unde ea Carmenta sit dicta. Ab aliis eas tribui Saturno, vel Pelasgis. Prope easdem fuisse Græcorum literas antiquas, ac Latinorum. In Plinio conjectura. Harpocrationis vel Scaligeri error. Gentes quasdam literas serò admodum accepisse. Æliani ea de re locus corrigitur, & explicatur.

De Latinarum quoque literarum inventione multi certant incerti. Rem in pauca conferam. Ac primum videamus verba Taciti ex annali undecimo: *Aborigenes*, inquit, *Arcade ab Euandro* (literas) *didicerunt.* Quod ipsum Marius Victorinus libro primo, ac gemino quidem loco, tradit. Et prope admodum ab hac sententia abest, quòd alii, & in his Isidorus *, laudem eam tribuunt Nicostratæ, Euandri matri, quæ alio nomine, quia oracula carmine ederet, *Carmenta* dicebatur. Utramque sententiam in fabulis suis complexus Hyginus cap. CCLXXVII, his verbis: *Literas Euandrus profugus ex Arcadia in Italiam transtulit: quas mater ejus Carmenta in Latinas commutavit.* Saturno tamen literas Latinas tribuit B. Cyprianus penè initio libelli de idolorum vanitate. *Hic*, inquit, *literas imprimere, hic signare numos in Italia primus instituit: unde ærarium Saturni vocatur.* Sed alibi ostendimus, penè eadem omnia Saturno, & Euandro, tribui solere. Sanè ab Arcadibus esse, etiam legas apud Dionysium Halicarnassensem lib. 1: Verba ejus sunt: Λέγουσι δὲ καὶ γραμμάτων Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτοι διακομίσαι, νεωστὶ φανέντων Ἀρκάδες. *Dicuntur etiam usum Græcarum literarum, Arcadibus recens ostensum: primi in Italiam transvexisse.* Ubi non temere addit, Arcades non ita diu literas scivisse, cum in Italiam appellerent. Quippe hoc nisi statuamus, metuo ne frustra falsosque nos habeant Dionysius ac Tacitus in eo, quòd de Arcadibus prodidere. Nam, ut agnoscit ipse Halicarnassensis, Pelasgi ante Arcades sexaginta annis in Italia fuerunt. At quis credat, Pelasgos ab vicinis Atheniensibus non accepisse literas, si tum in vulgus notæ erant; Arcades autem, qui Peloponnesi incolæ, eas didicisse? Præsertim cùm certum sit, Cadmum annis centum quinquaginta, aut præterpropter, fuisse in Græcia ante Pelasgorum in Italiam adventum. Movit hoc quosdam, qui Dionysii locum parum perpenderant, ut assentiri mallent Plinio †, & Solino; quorum uterque literas a Pelasgis in Latium scribit illatas. Sed sive Pelasgis, sive Arcadibus, is debetur honos, in eo Tacito Plinioque convenit, quòd uterque Latinos à Græcis eas velit accepisse: uterque item existimet, veterum Græcorum easdem esse literas ac suo ævo Latinorum forent. Tacitus XI Annal. *Et formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* Plinius lib. VII, cap. LVIII. *Veteres Græcas fuisse easdem penè, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio, dono principum Minervæ dicata in bibliotheca, cum inscriptione tali,* Ναυσικράτης Τισαμένου Ἀθηναῖος. Quæ epigraphe cujusmodi literis fuerit concepta, intelligi poterit ex iis quæ de vocalibus longis & spiritus densi nota, & aspiratis consonis, inferius dicam. In quibusdam Plinii codd. legitur ea inscriptio verbis aliquot auctior, hoc pacto: Ναυσικράτης Τισαμένου Ἀθηναῖος κόρᾳ καὶ Ἀθηνᾷ ἀνέθηκεν. Non, puto, Κόρην, hoc est Liberam, seu Proserpinam, Palladi præmitteret. Suspicor igitur scripsisse Plinium, κόρᾳ καὶ δεσποίνᾳ Ἀθηνᾷ. Nam & Plato in libris de legg. ita loquitur de Minervâ. Si vera est conjectura nostra, sententia inscriptionis sit: *Nausicrates, Tisameni filius, Atheniensis, virgini ac dominæ Minervæ hac suspendebat.* Porrò ex hâc inscriptione colligebat Scaliger, errare Harpocrationem, qui veteres Atheniensium ac Jonum literas diversas facit. Nam, inquit, Nausicrates Atheniensis fuit, Athenisque tabulam suspendit. At eam Ionicis fuisse literis conscriptam, argumento est, quòd idem Plinius superiori capite dixerat: *Gentium consensus tacitus primus conspiravit, ut Ionum literis uteremur.* Verùm summus vir nec Harpocrationis, nec Plinii mentem satis perspexit: ut inferiùs ostendam.

Ex iis, quæ hactenus diximus, elucet, Latinos Græcis literas debere: Græcos verò eas à Phœnicibus accepisse, Phœnices ab Hebræis. Et hæc fortasse caussa est, cur, quod de literis diximus, id universè de Grammatica scribere haut dubitârit Eupolemus, ut ostendunt hæc verba Clementis Alexandrini lib. 1 Strom. Εὐπόλεμος δὲ ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων, τὸν Μωυσῆ φησι πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γραμματικὴν πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις παραδοῦναι, καὶ παρὰ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων: *Eupolemus, lib. de regibus Judææ, ait, Mosem primum fuisse sapientem, ac primum Judæis tradidisse Grammaticam, ac à Judæis accepisse eam Phœnices, à Phœnicibus Græcos.* Eademque ex Eupolemo iisdem propè verbis refert Eusebius lib. IX præparationis Euangelicæ cap. VII. Sed is pro γραμματικὴν habet γράμματα: ut & Eupolemus, ac Clemens, haut aliud videantur per γραμματικὴν intellexisse, quàm γραμματιστικὴν, sive γράμματα †.

Quàm serò autem gentes quædam literarum usum acceperint, indicant, quæ ex Androtione refert Ælianus lib. VIII Var. Hist. cap. VI. Verba ejus sunt: Τῶν ἀρχαίων φασὶ Θρᾳκῶν μηδένα ἐπίστασθαι γράμματα. ἀλλὰ καὶ ἐνόμιζον αἴσχιστον εἶναι πάντες οἱ τὴν Εὐρώπην οἰκοῦντες βάρβαροι, χρῆσθαι γράμμασιν. οἱ δὲ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὡς λόγος, ἐχρῶντο αὐτοῖς μᾶλλον. ἔνθεν τοι καὶ τολμῶσι λέγειν, μηδὲ τὸν Ὀρφέα σοφὸν γενέσθαι Θρᾷκα ὄντα, ἀλλ' ἄλλως (lego ἄλλας) αὐτοῦ μύθους αὐτὸν καταψεύσασθαι. *Ajunt, neminem antiquorum Thracum novisse literas. Imo, quotquot barbarorum Europam inhabitant, turpissimum duxerunt literis uti. At qui in Asiâ sunt, magis, ut fama est, iis sunt usi. Unde est, quod dicere audent, ne Orpheum quidem fuisse sapientem, quia Thrax fuerit, sed alios ejus fabulas ementitos esse.* Ita postrema illa Æliani verba transfero, non, ut Justus Vultejus: *Sed ejus carmina variis mendaciis esse referta.* In errorem impulit interpretem corrupta lectio. Nam pro ἄλλως legendum ἄλλας: ut sententia sit, poëmata Orphei esse ψευδεπίγραφα *, quod & Aristotelem sensisse, auctor est Tullius 1 de nat. Deorum. Sed de literarum inventione satis multa. Nunc ad earum distributionem accedamus.

* Lib. 1. cap. 1.

† Lib. 7. cap. 56.

† Literas.

* Falsò inscripta.

Cap. XII.

Inquiritur in numerum vocalium apud Latinos: item quædam de genuino earum apud veteres sono; præsertim vocalis U. Ausonius adversus summum virum defenditur.

Et otio meo abutar, & lectoris humanitate, si fusè prosequar, quo pacto

Elementa, rudes quæ pueros docent magistri,
Vocalia quædam numerent, consona quædam:

ut Terentiani verbis utar. Quare tantùm de Græcis adscribam unius Galeni verba, de Latinis autem unius Appuleji. Galenus lib. 1 Method. Thessalum, aliosque culpans, quòd haut exquisitè curateque instituerent morborum divisionem, perinde eos facere ait, ac si literas dispescerent in vocales & consonas, quum & eæ suas habeant differentias ac species: Φωνήεν γὰρ πρὸς τὸ σύμφωνον, ὥσπερ

τὸ

τὰ πάντα στοιχεῖα τῆς ἀνθρωπίνης φωνῆς εἴρηκεν, ἀλλὰ δύο τὰς πρώτας γενικὰς διαφοράς. εἰ δὲ τὰ μὲν φωνήεντα τέμνοιτ' αὖθις εἰς μακρὰ καὶ βραχέα καὶ δίχρονα· τὰ σύμφωνα δ' εἰς ἡμίφωνά τε καὶ ἄφωνα· καὶ αὖθις, τὰ μὲν μακρὰ, διχῆ, καθάπερ οὖν καὶ τὰ βραχέα, τὰ δ' αὖ δίχρονα, τριχῆ· καὶ δὴ καὶ τὰ ἄφωνα, πρῶτον μὲν εἰς δασέα καὶ ψιλὰ καὶ μέσα· καὶ τούτων ἕκαστον αὖθις τριχῆ· τὰ δ' ἡμίφωνα πάλιν, εἰ καὶ ταῦτα κατὰ τὴν οἰκείαν τέμνοις τομὴν, ἵνα μὴ μακρολογῶ περιττῶς· οὕτως ἂν ἐξεύροις τὰ τέτταρα καὶ εἴκοσι στοιχεῖα τῆς φωνῆς ᾗ χρώμεθα. τὸ μὲν γὰρ εἰπεῖν αὐτὸ τοῦτο μόνον, ὡς ἔστι τῶν στοιχείων τῆς φωνῆς, τὰ μὲν φωνήεντα, τὰ δὲ σύμφωνα, τεχνικὸν οὔπω ποιεῖ τὸν ἀκροατὴν, οὐδ' ἀκριβῶς ἐπιστήμονα συμπάντων τῶν στοιχείων· ἀλλ' ἐὰν διελόμενος εἰς βραχέα, καὶ μακρὰ, καὶ δίχρονα, βραχέα μὲν εἶναι φῇ δύο, τό, τε ε, καὶ τὸ ο· μακρὰ δ' ὁμοίως δύο· τό, τε η, καὶ τὸ ω· δίχρονα δὲ τρία, τό, τε ἄλφα, καὶ τὸ ι, καὶ τὸ υ· τεχνικὸν οὕτω ποιεῖ τὸν ἀκούοντα περὶ τῶν φωνηέντων ἁπάντων· hoc est, *Siquidem, qui vocalem & consonantem dixit, nondum omnia humanæ vocis elementa dixit, sed duas tantùm primas & generales differentias. Quòd si vocales rursus in longas, breves, ancipitesque dividens; tum consonantes in semivocales & mutas; itemque tum longas, tum breves vocales bifariam, ancipites verò trifariam; sed & mutas primùm in adspiratas, tenues, ac medias; dein rursus tripartito harum singulas; mox semivocales propriâ, ne frustra multis morer, sectione seces: ita quatuor & viginti elementa vocis, quâ utimur, invenias. Quippe id tantùm dixisse, quod elementorum vocis, quædam vocales sint, quædam consonantes, nondum omnium elementorum artificem, aut planè scientem auditorem reddidit: sed, siquis, ubi in longas, breves & ancipites diduxerit, adjiciat, duas esse breves, nempe ε, & ο; duas præterea longas, η & ω; tres verò ancipites α, ι, υ: sic sanè artificem omnium vocalium auditorem effecerit.* Hæc Galenus. Appulejus autem libro de Mundo, literarum divisionem his verbis exponit: *Grammaticorum artes unde quæso? cùm ex diversis collecta sint literis, ex quibus alia sint insona, semisonantes alia, pars sonantes; tamen mutuis se auxiliis adjuvantes, syllabas pariunt, & de syllabis voces.* Ubi *sonantes* literæ sunt, quæ Galeno γράμματα φωνήεντα; *semisonantes*, ἡμίφωνα; *insona*, ἄφωνα. Nostram porrò de distributione ea, & literarum numero, quæ unicuique generi subjiciuntur, sententiam adferamus: ac primò de vocalibus: quas tum Græcis, tum Latinis, quinque solùm esse, judicamus, Græcis, Α, Ε, Ι, Ο, Υ: Latinis A, E, I, O, U: quæ universæ, sine ulla consona, sunt in Hispanico *oueia*; quod ovem notat. Ex iis tres quidem ore diducto proferuntur, Α, Ε, Ι: duæ verò contracto, Ο, & Υ sive U, quod ejusdem potestatis illi Υ. Nam pro Græcorum δύω, μῦς, σῦς, τύρβη, ρύω, πλύω, κύβος, τὺ (quod Doricum pro σὺ) Latini dicunt, *duo*, *mus*, *sus*, *turba*, *ruo*, *spuo*, *cubus*, *tu*. Α κῦμα itidem est *cumatilis color*, atque ita in aliis. Pugnabat hoc argumento doctissimus Verrius, de quo ita Velius Longus lib. de Orthogr. *Verrio Flacco videtur, eandem esse apud nos U literam, quæ apud Græcos Υ: namque his exemplis argumentatur: quod illi dicunt κύμινον, nos cuminum; quam illi κυπάρισσον, nos cupressum; illi κυβερνήτην, nos gubernatorem; nec non ex ejusmodi, Theseus, Menœtius, Peleus, & similibus, adfirmat.* Hæc Velius. Itaque nihil mirum, *Sullam*, non *Syllam*, legi in lapidibus Capitolinis, si eos conscripserit Verrius: ut Onuphrius Panuinus ex Suetonio rectè sibi colligere visus fuit. Verùm falli eum, alibi* comprobavimus. Neque hæc unius Verrii, sed passiva fuit veterum sententia. Donatus in Hecyr. Act. 1, sc. 11. *Syra* (inquit) *Sura veteres legerunt, U pro Υ ponentes; ut Musia, Suria.* Ac in columna quoque viæ Appiæ, Ionicis literis inscripta, vox μέγιστος pro Υ habet U.

* *Lib. 1 de Historicis Lat. cap. 11.*

Fortasse autem dolosâ aliquem specie in transennam ducat, ac literam Υ persuadeat Latio esse donatam, quòd quum Græciæ literæ magno esse in honore cœpissent, Græca quoque Υ fuerit recepta, ut diceretur *Phryges*, non *Phruges*; *Pyrrhus*, non *Purrhus*; quod disertim scribit Cic. in Orat. & eo ipso confirmatur, quòd Y in veteribus quoque Latinorum reperitur monumentis. Verùm Hermas sit stolidus, quem hoc à vero præcipitem ire compellat, quia nihil aliud, quàm figuram ejus Latinis quoque in usu fuisse, monstrat: at hæc, ut & nomen, accidens est literæ; unde paret, U & Y in dictionibus hujuscemodi non aliter differre, quàm Socratem stantem à sedente. Sola sanè potestas est forma essentialis literæ, ac proinde, quæ ejusdem sunt potestatis, diversæ esse literæ non possunt.

Non tamen, quæ hactenus diximus, ita accipi velim, quasi semper Latinum U sonuerit, ut Græcum Υ: sed hoc solùm volumus, hunc etiam sonum habuisse: eoque non diffitemur in multis, imò multò maximâ vocum Latiarum parte, paullò aliter solere pronunciari; crassiùs nempe, adeò ut sonus ejus penè similis esset Græcæ diphthongi ΟΥ: imò, si viros doctos audimus, nihil differret; quorum tamen opinionem non usquequaque probare possum; quando, si in *lumen*, *curare*, & similibus, U litera unica est, simplicem sonum habeat necesse est; sin duplicem habeat, litera esse non possit, cùm quod sonum habet diphthongi, diphthongum quoque esse, necesse sit. Quare omnino fatendum, aut U interdum notam esse diphthongi; aut dicendum, U quandoque sonum habuisse, qui ut Υ sonaret; interdum, qui inter Υ & ΟΥ intermedius esset. De duplici quidem sono adstipulatus Terentianus Maurus, cum scripsit:

Tertiam Romana lingua, quam vocant Υ, *non habet.*
Hujus in locum videtur U *Latina subdita:*
Qua vicem nobis rependit interim vacantis Υ,
Quando communem Latino reddit & Græco sonum.

Nam hanc putamus esse sententiam, nil opus esse, ut Latini quinque vocalibus adjiciant sextam Y, quando U, quæ quincta est, nunc habet sonum illum exilem, qui est in Y: nunc crassiorem, sive diphthongi OU, sive alium potius, Latinorum proprium.

Sed dissentit hac in parte à nobis vir maximus; cujus vel sola apud eruditos propè omnes autoritas præjudicium sententiæ nostræ adferre possit. Verùm commodè evenit, quòd non nostram, sed Ausonii caussam agimus. Ejus enim est versus ille*:

Cecropiis ignota notis ferale sonans U.

* *Eidyll. 12.*

Vir ille, vix unquam satis laudatus, mirari se ait, quid in mentem venerit Ausonio, cùm isthoc scriberet. Ego vicissim seu quodam animi stupore, seu rei claritate adductus, satis mirari non possum, quid impulerit virum tantum, ut Ausonio, Latinè Græceque doctissimo, fidem derogaret in re, quam Romanorum pueri, simulac oram Græcæ linguæ degustarant, meliùs etiam solo etiam sensuum beneficio nosse poterant, quàm hodie viri cum ingenio tum eruditione admirabiles. Præterea non video, quomodo idem potuerit esse simplicis vocalis ac diphthongi sonus. Non quidem me fugit, antiquos LOUCETIOS, NOUNTIOS, LOUMEN, de quibus autor nobis Victorinus†; item JOURE, JOUSTITIA, OUFENS, aliaque per OU scripsisse, quæ postea per U tantùm maluerunt. Verùm contendo, iccirco id factum esse, quia pinguius ea sonabant veteres: atque ut diphthongum scribebant, ita diphthongum efferebant. Sensisse id videtur Fabius*, cum inquit, *Fortasse sicut scribebant, etiam ita loquebantur.* Sin aliter scripsere, aliter pronunciarunt, quod asserere non dubitat Victorinus†: dicam eos U extulisse sono medio inter Græcorum Υ, & eorum ΟΥ; quem cum per neutrum satis exprimi viderent, per ΟΥ signare maluerint, à quo sonus is propiùs aberat. Rectiùs quidem fecissent, si exilem sonum per Y; crassiorem per U, hoc est, communem Latinis Græcisque sonum communi notâ, at proprium Latinis notâ propriâ signavissent. Sed qui invidiâ hoc agebant, ut nihil Græcis debere viderentur, nihil mirum, si porrò ullam à Græcis literam mutuari erubescerent. Nam ut hoc eos non vidisse credam, adduci neutiquam possim; præsertim, cùm suppetat nobis illu-

† *Lib. 1.*
* *Lib 1, cap. 7.*
† *Lib. 1.*

illustris hac de re locus Marii Victorini lib. 1: *Sunt*, inquit, *qui inter* U *quoque*, *&* I *literas*, *supputant*, *deesse nobis*, *quæ pinguius quàm* I, *exilius quam* U *sonet: sed pace eorum dixerim*, *non vident*, Y *literam desiderari. Sic enim gylam*, *mysterum*, *syllabam*, *proxymum*, *dicebant antiqui. Sed nunc consuetudo paucorum hominum ita loquentium evanuit.* Hactenus Victorinus: de sono optimè, etsi nulla ejus scripturæ exempla in monumentis antiquis. Verùm neque Victorinus sic veteres scripsisse, sed dixisse ait: nempe quia suo ævo jam crassius in his sonabat U, quam olim. Id ostendit, quod mox subdit, paucos in loquendo genuinum ac veterem hujus literæ sonum retinere. Quod si observâsset Justus Lipsius *, non hæc vocâsset Victorini ineptias ac nugas. Cætera, quæ pro sententiâ nostrâ dici possunt, nunc non attingam, quia abunde hæc id probant, quod volebamus: & metus est, ne diu nimis quemquam teneam in his spinis. Quare sic tandem concludo; si antiquiores Romani idcirco scripsere OU; quia U, prout simplicis vocalis signum est, sonum illum bisonum minimè exprimeret; illi autem, qui postea ejus loco U scripserunt, id eo consilio fecerunt, quòd quibus locis illo uterentur, crassiorem quidem quam in Y, haut ampliùs tamen (nempe mutatâ jam veterum pronunciatione) veræ diphthongi sonum exaudirent: liquere, U nunquam sonuisse, ut Græcum OU; eoque rectè scripsisse Ausonium, U literæ sonum Græcis esse ignotum: sin verò ineptum videtur, abjudicare hunc sonum ab U, cùm præter alios Marius Victorinus † disertim scribat, U poni, pro O & U: nec id magis absurdum sit, quàm quòd I longum sonuerit, ut EI: illud saltem extra controversiam omnem ponendum esse, malè à viris doctis diphthongi OY sonum tribui U vocali, cùm dicere debuerint, ut o veteribus Græcis, ita U Latinis non vocalis semper, sed etiam diphthongi fuisse notam; quodque Ausonius ait, Græcis U ignotum esse, id eò facere, quia etsi vetustiores Græci O pro OY collocarint, Ausoniano tamen ævo, ac multò etiam antè, nullam Græci literam habuerint, quæ pro diphthongo OY sola poneretur. Itidem, quod ad I longum attinet, non putandum, I vocale interdum sonuisse, ut EI; sed dicendum I, nunc simplicis, nunc geminæ fuisse vocalis notam.

* *Lib. de Pronunc. L. L. cap. 8.*

† *Lib. 1.*

Pluribus hæc prosequi visum fuit, tum quo liqueret, qui soni U vocali, (idenrde I longo dictum velim) salvâ simplici vocalium naturâ, tribui possint: tum ut Ausonii loco facem alluceremus: tum denique ut pareret, cùm U sonum quoque habuerit Græci Υ, frustra esse Grammaticorum illos, qui, eò quòd Latini figuram Græci Υ in Græcis vocabulis usurpent, quinque Latinorum vocalibus sextam quoque Y adjectum eunt.

Quod si omnino vocalium apud Latinos numerus augeri debet; arbitror, id non tam fieri debere ob vocabula, quæ à Græcis accepta vulgò per Y scribuntur; quàm illa, in quibus U sonum habet exilem Græci Υ; quæ & Latina esse possunt; ut *pluit*, *luit*; in quibus Varro U breve esse ait, quando præsentis sunt temporis; longum autem, si fuerint præteriti: hoc est, cùm significant tempus instans, U sonare, ut Y; cùm præteritum, penè ut OU. Penè inquam. nam si planè sit idem sonus, U istud, ut semel iterumque diximus, non vocalibus, sed bisonis, debet accenseri.

Nec tamen sic defecti sumus argumentis, quibus, si lubeat, non absurdè colligere possimus, majorem esse apud Latinos numerum vocalium, quam etiam vulgo persuasum iis fuit, qui senarium mordicus tuentur. Hoc quo pareat, dispicere oportet, ecqui soni sint medii inter duas vocales, qui eo proprium mereantur nomen ac figuram. Sanè latiùs sonat E posterius in *bene*, exiliùs in adverbio *here*; adeo ut *heri* pro eo scripserint. Ambiguum quoque fuit, num I, an U, sonarent in vocibus *monumentum* sive *monimentum*, *optimus* sive *optumus*: quæ & ratio fuit, cur Marius Victorinus putarit, *optymus* scribi debere; quia Græcum Y meliùs, quam alterutrum illorum, exprimeret intermedium illum sonum. Egregius locus est apud Fabium de hoc medio sono literæ E, & I; itemque I, & U. Ejus verba apponam è lib. 1 *. *At Grammatici saltem omnes in hanc descendent rerum tenuitatem*, *desintne aliquæ nobis necessariæ literæ*, *non cùm Græca scribimus (tum enim ab iisdem duas mutuamur) sed propriè in Latinis: ut in his*, *Servus*, *& Vulgus*, *Æolicum digamma desideratur. Et medius est quidam* U *&* I *literæ sonus. Non enim sic Optumum dicimus*, *ut Optimum. Et in Here*, *neque E planè*, *neque I auditur.* Idem eàdem de re sic scribit c. VIII: *Etiam Optimus*, *Maximus*, *ut mediam I literam*, *quæ veteribus V fuerat*, *acciperent*, *Caji primum Cæsaris inscriptione traditur factum. Here nunc E litera terminamus: at veterum Comicorum adhuc libris invenio*, *Heri ad me venit. Quod idem in epistolis Augusti*, *quas suâ manu scripsit*, *aut emendavit*, *deprehenditur. Quid? non Cato Censorius*, *Dicam*, *& Faciam*, *Dicem & Faciem* (*Decem* & *Faceam*, rectè emendat Malaspina †) *scripsit? eundemque in cæteris*, *quæ similiter cadunt*, *modum tenuit? quod & ex veteribus ejus libris manifestum est*, *& à Messallâ in libro de S literâ positum. Sibe*, *& Quase*, *scriptum in multorum libris est: sed an hoc voluerint autores*, *nescio. T. Livium ita his usum*, *ex Pediano comperi*; *qui & ipse eum sequebatur. Hæc nos I litera terminamus.* Juvat & Donatus in Phorm. act. 1, sc. 1: *Propter cognationem E & I literarum*, *non dubitaverunt antiqui*, *Heri*, *& Here dicere*; *& Mane*, *& Mani*; *& Vespere*, *& Vesperi.* Varro quoque lib. 1 de R. R. cap. 1. rusticos ait *Veam* & *Vellam* dicere: ubi alii, *Viam* & *Villam.* Et Fabius lib. 1, cap. IV ait, antiquos per E extulisse *Menerva*, *Leber*, *Magester*, & *Dijove*, & *Vejove*, pro *Dejovi*, & *Vejovi.* Ac Festus ait, veteres dixisse *Me*, pro *Mi*, seu *Mihi*; & *Ameci*, pro *Amici.* Et Servius in 11 Æn. *pennas*, pro *pinnas.* Quæ diversitas potissimùm fuit ex soni vicinitate. Nempe quia, ut ex Fabio vidimus, sonus esset medius inter E, & I. Uti & fuit inter I, & U: de quo ejusdem verba adduximus. Atque eàdem de re sic Annæus Cornutus apud Cassiodorum in Conlect. de Orthogr. *Lacruma*, *an Lacrima*, *Maxumus*, *an Maximus*, *& si qua similia sunt*, *scribi debeat*, *quæsitum est. Terentius Varro tradidit*, *Cæsarem per I ejusmodi verba solitum esse enuntiare*, *& scribere. inde propter autoritatem tanti viri consuetudinem factam. Sed ego in antiquiorum multò libris*, *quàm Cajus Cæsar est*, *per V pleraque scripta invenio*, *Optumus*, *Intumus*, *Pulcherrumus*, *Lubido*, *Dicundum*, *Faciundum*, *Maxumè*, *Monumentum*, *Contumelia*, *Minumè. Meliùs tamen est*, *& ad enuntiandum*, *& ad scribendum*, *I literam pro V ponere*, *in quod iam consuetudo inclinavit.* Hæc Cornutus. Et sanè Messalla, Brutus, Agrippa, pro *sumus*, quoque malebant *simus*, teste Mario Victorino *. Quomodo nempe *plurima* dicimus, ubi veteres *plisima*, teste Festo. Et contra olim *stupa* dixere, pro quo postea *stipa*, juxta Servium in 1, & V Æn. Interjectum quoque illum inter duas hasce literas sonum confirmant ista Velii Longi: *I verò litera interdum exilis est*, *interdum pinguis: ut in eo quod est*, *Prodit*, *Vincit*, *Condit*, *exilius volo sonare: in eo verò quod significatur*, *Prodire*, *Vincire*, *Condire*, *æquè usque pinguescit: ut jam in ambiguitatem cadas*, *utrùm per I quædam habeant dici*, *an per V: ut est Optumus*, *Maxumus. in quibus adnotandum*, *antiquum sermonem plenioris soni fuisse*, *&*, *ut ait Cicero*, *rusticanum: atque illis ferè placuisse per V talia scribere*, *& enunciare.* Et mox: *Nos verò*, *postquam exilitas sermonis delectare cœpit*, *usque I literâ castigavimus illam pinguitudinem: non tamen*, *ut planè I literam enunciaremus.* Idem multo post: *Antiquis variè etiam scriptitatum est*, *Mancupium*, *Aucupium*, *Manubiæ. Siquidem C. Cæsar per I scripsit: ut apparet ex titulis ipsius. at Augustus per V*, *ut testes sunt ejus inscriptiones.* Atque iterum post multa: *De Viro verò*, *& Virtute*, *ubi I scribitur*, *& penè V enunciatur. Unde Ti. Claudius novam quandam literam excogitavit*, *similem ei notæ*, *quam pro adspiratione Græci ponunt*, *per quam*

* *Cap. 4. sive de Grammaticâ.*

† *Emendat. in epist. 3. lib. 4 Cic. ad Att.*

* *Lib. 1, cap. de Orthogr.*

scri-

scriberentur eæ voces, quæ neque secundum exilitatem literæ, neque secundum pinguitudinem literæ sonant: ut in Viro, & Virtute: neque rursum secundum latum literæ sonum enunciarentur; ut in eo, quod est Legere, Scribere. Et mox: *Est autem ubi pinguitudo literæ decentiùs servatur: ut in eo, quod est, Volumus, Nolumus, Possumus. At in Contumaci meliùs puto I servari: venit enim à contemnendo: tametsi Nisus, & Contumaci, per U putat posse dici à tumore.*

Imò non tantùm inter E, & I, vel I, & U; sed etiam inter O, & U, videtur intermedius quidam sonus fuisse. Indicat hoc Quinctilianus lib. I, cap. IV: *Quid O, atque U, permutata invicem? ut Hecoba, & Notrix, Culchides, & Pulyxena, scriberentur: ac ne in Græcis id tantùm notetur; Dederont, atque Probaveront. Sic Ὀδυσσεὺς, quem Οὐλυσσέα fecerunt Æoles, ad Ulyxem deductus est.* Festus: *Quatenos antiqui dicebant pro Quatinus.* Velius Longus: *Æquè confusas O & U literas habuere. Nam Consol scribebant per O, cum legeretur per U Consul. Unde in multis etiam nominibus variæ sunt scripturæ: ut, Fontes, Funtes; Frondes, Frundes.* Marius Victorinus lib. I: *Divus Augustus genitivo casu, Hujus domos mec. per o* (leg. *domos mea*, vel *domos & mecom*) *non, ut nos, per u literam scripsit.* Similia de *Hoc*, & *Huc*, vide apud Servium in VIII Æn. De *Prastò* & *Prastu*, *Prastolor*, & *Prastulor*, *Poplicus* & *Publicus*, *Colpa* & *Culpa*, testis Curtius Valerianus apud Cassiodorum de Orthogr. Pleraque etiam horum ponit Priscianus in primo. Uti & *Humo*, & *Homo*; *Fretu*, & *Freto*; *Acherunte*, & *Acheronte*; atque alia, quorum & testem laudat Papirianum de Orthographia. Et profectò, nisi major olim fuisset soni vicinitas, quàm hodie videtur: nec Latini pro Πρίαμος aut Ἰόβας, dicerent *Priamus*, aut *Juba*: nec Græci pro *Quintus*, scriberent Κόιντος, sed Κύιντος.

Atque in his quidem tribus, E & I; I & U; O & U, apertior est sonus ille intermedius. Fortasse autem & in aliis hoc vocalibus habuit locum; ut inter A, & E: unde à *Facio*, *Feci*: à μὰ, ut μὰ τὸν Ἀπόλλωνα, *Me*; unde Mecastor: quemadmodum ait Donatus in Hecyr. act. I, sc. II. Item inter A, & O: ex quo *Favii* priùs, qui postea *Fovii*: & contrà *Forreum* priùs, quòd postea *Farreum*: ut de utroque auctor est Festus. Adhæc inter E, & O: unde veteres *Benus*, pro *Bonus*; *Hemo*, pro *Homo*; *Helus* pro *Olus*, & *Helesa* pro *Olera*: ut ex ejusdem Festi ruderibus videre est. Imò Fabius auctor est lib. I, cap. VII, primum Scipionem Africanum *Verticem*, & *Versus*, per E exarâsse; quæ priores per O extulere, *Vortices*, *Vorsus*. Similiter *Animadvorti*, & *Amplocti* per O dixisse, testes sunt Agnæus Cornutus†, & Priscianus lib. I. *Pervorsus* quoque, & *advorsus* dixere. Et *Votare* pro *Vetare*, teste Cornuto: unde Plautus Asin. act. IV, sc. I. *Votita*, pro *Vetita*.

† Apud Cassiodorum de Orthogr.

Sed enim quærat aliquis, an ea, quæ de multiplici vocalium sono diximus, ejusmodi esse censeam, ut solidè ex iis colligi possit, plures multò vocales esse, quàm quinque. Sanè parum abest, quin si quis hanc sententiam sequi velit, habiturus me sit opinionis suæ non fautorem modò, sed etiam adsertorem. Verùm enimvero non facile deserendum tot seculis corroboratam opinionem. Saltem nonnisi invictis ea rationibus expugnetur. Atqui occurrunt aliqua, quæ aliquantum infringant robur eorum, quæ antea adduximus. Eoque non ita φιλόκαινος* sim, ut negem, posse defendi quinquepartitam illam vocalium divisionem. Id eò fidentius dico, quia video, veteres ipsos, quoties de vario tractant vocalium sono, diversitatis caussam ponere, non in eo, quòd soni ποιὰ sit alia, atque alia, sed in hoc, quòd vocales istæ nunc tenuiùs exiliusque, nunc crassiùs ac productiùs, nunc intermedio sono efferentur. Ostendunt id, quæ paullò antè è Velio Longo adducebamus; tum autem, quod scribit Agellius lib. VI, cap. XV. *Quiescit usitatè E literâ correptâ* dici; productâ autem, *contra perpetuam linguæ Latinæ consuetudinem.* Neque enim id scriptor ille voluit, secundam in *Quiescit* corripi, cùm pueris pateat, eam positione produci: neque ait, primam syllabam acui, cùm accentûs nullus meminerit; sed hoc tantùm ait, E exiliter sonare, quemadmodum in *Here*. Itidem, cùm lib. IX, cap. VI, *Actito*, & *Unctito*, jubet pronunciare primâ productâ; hoc vult, primam literam in *Ago* sonare exiliùs; in *Actito* productiùs, quasi esset AA geminatum, *Aactito*: in *Ungo* item U propemodum sonare, ut Υ Græcum; at in *Unctito*, ut OY, pene quasi *Ountito* scriberetur. Hinc lucem capit, quod Festus docet, *Lustra* aliud signare U correpto, quàm producto; quodque non ἁπλῶς *Muscerda*, sed *Muscerda primâ productâ*, ait *stercus murum significare*; quodque Marius Victorinus lib. I, jubet *Hesternum* proferre producte; quòd item Tullius ipse scribit, *Inclytus* proferri prima correpta; quodque Varro *Pluit*, & *Luit*, in præsenti ait habere U breve, in præterito aliter; uti & cùm *Ruta casa* dicimus; aliaque hujusce modi; de quibus plura adderem, nisi fuse & accurate jam de eo egisset Justus Lipsius libri de pronunc. L. L. cap. XIV. & quæ indicta illi, explicaremus libro sequenti cap. XIII. Quare de Latinorum vocalibus hæc, ut puto, nunc suffecerint nobis.

* Novitatis amans.

CAP. XIII.

Græcis etiam solùm quinque esse vocales: veteres Græcos loco τῶ H, & Ω, usurpâsse E, & O. Emendatur locus Marii Victorini. Primus Simonides aliâ vocales breves, aliâ figurâ longas scripsit. Nigidii locus apud Gellium exponitur. Antiquum vocalium nomen pro E, & O, fuisse EI, & OT. Φιλοξένειον γράμμα. E potiùs dici ψιλὸν, & O vocari μικρὸν, ad differentiam diphthongorum, quàm vocalium longarum.

PORRO de Græcarum quoque vocalium numero Grammatici dissentiunt, qui tanquam de compacto rem gerentes, ut in velabro olearii solent, uno ore asserunt, quinque istis, quas attulimus, debere H, & Ω, adjici, ut septenarius fiat. Verùm H, & Ω, non sono, sed tempore differunt ab E, & O. Utrùm H, an Ω, longior sit, non disputo. Subtiliter hâc de re Scaliger cap. XVI, lib. I de caussl. L. L. Nobis satis est, quòd & illud ab E, & hoc ab O, tantùm discrepet quantitate: quodque nihilo magis apud Græcos tempus diversas efficere literas possit, quam apud Latinos. Nam quid insulsiùs dici queat, quam ut in *Menenius*, & Μενήνιος, *Honorius*, & Ὀνώριος, non eadem utrobique sit vocalis primâ secundâque syllabâ; cùm eadem sit potestas, ac quantitas Latinæ, Græcæque vocalis? Favet sententiæ nostræ Terentianus Maurus†, cùm scribit:

† Cap. I, sive de literis.

Compendia nostri meliora crediderunt,
Una quoniam sat habitum est notare formâ,
Pro temporibus geminum quæ ministret usum.

Adde quod olim neutiquam H habuerint Græci. Plato in Cratylo: Οὐ γὰρ H ἐχρώμεθα, ἀλλὰ E τὸ παλαιόν. *Olim non H, sed E usurpavimus.* Atque idem de Ω statuendum. De utraque sic Velius Longus: *Ac primò eadem est nostrarum potestas vocalium, quæ sunt Græcorum apud antiquos circa productionem correptionemque. Siquidem apud illos quinque tantùm fuere vocales*, A, E, I, O, Υ: *atque hæ similiter producebantur, corripiebanturque, sicut hodie*, A, I, Υ, *quæ appellantur apud illos* κοιναί. Similiter Marius Victorinus lib. I*: *Cum Græci vocales haberent totidem, quot & nos*, A, E, I, O, U (*nam* H & Ω *postea sunt ab his reperta*) E & O *ternas habebant apud eos potestates.* Atque hinc supplendus idem postea, ubi vulgo legitur: *Scripseram vobis, quantum repeto, & alia plura: inter quæ, nostros antea, sicut Græcos quoque*, XVI *literis usos: ex quibus fuisse vocales apud utrosque.* Nam addenda quinarii nota, hoc pacto: *fuisse* U *vocales*: vel, *fuisse vocales apud utrosque* U. Atque hoc illa ejusdem verba indicant: *Et significaveram, priusquam Græcis inter vocales reperta essent*, H, & Ω, *vicem*

* Cap. de Orthogr.

vicem earum tam apud illos, quàm apud nos, explere, E, *&* O. Eâdem de re ita Priscianus lib. I †: *Vocales apud Latinos omnes sunt ancipites, vel liquidæ, hoc est, quæ facile modò produci, modò corripi possunt; sicut etiam apud antiquissimos erant Græcorum, ante inventionem* H, *&* Ω; *quibus inventis* E, *&* O, *quæ ante ancipites erant, remanserunt perpetuæ breves, cum earum productarum loca possessa sint à supradictis vocalibus semper longis.* Primò autem & H, & Ω, à Simonide Melico adjectas esse, tradunt autores: in his Plinius lib. VII, cap. LVI. item Suidas in Σιμωνίδης: Προσεξεῦρε δὲ καὶ τὰ μακρὰ τῶν στοιχείων, καὶ τὰ διπλᾶ. *Adinvenit ex literis tum vocales longas, tum consonas duplices.* Item Velius Longus, cùm dixisset, Græcos priùs quinque vocalibus usos, quæ ancipites fuissent, ut apud Latinos, subjungit hæc verba: *Postea, ut quidam putant, Simonides invenit duas vocales, quas dixit φύσει μακρὰς*,* H, *&* Ω, *ut essent ἀντίστοιχα τῷ* E, *& τῷ* O: *ut quomodo hæ literæ longæ dicerentur* H, *&* Ω, *ita & illæ breves naturâ.* Multò tamen pòst quoque E, & O, usurparunt pro H, & Ω. Nam in columnâ Farnesianâ viæ Appiæ, in οὐδενὶ syllaba prima per o scribitur, ut & prima in Ἡρώδου, per E: eodemque modo in μεταχινῆσαι, κινήσαντι, Δήμητρος, ἀνάθημα, pro H semper E in Farnesiano hoc monumento exaratum. Pro τῇ quoque similiter TEI invenias, I ad latus adposito. Ac E quidem priùs vocatum EI. Non tamen assentio viro doctissimo Adolpho Mekercho †, qui id probatum ibat verbis hisce Nigidii apud Agellium lib. IX, cap. ult. *Græcos non tantæ inscitiæ arcesso, qui* OT *ex* O *&* T *scripserunt; quantæ, qui* EI *ex* E *&* I. *Illud enim inopiâ fecerunt; hoc nullâ re subacti.* Nam aliam fuisse Nigidii mentem, tum ex eo colligo, quod Græci nunquam EI pro E, aut OT pro O scripserint: sed tantùm simplices literas diphthongorum nomine appellarint: tum etiam, quod Nigidius in OT inopiâ, in EI ignorantiâ peccatum dicat: quod de EI & OT, quatenus vocalium nomina fuerunt, dici nequit, cùm neutrum Græci fecerint inopiâ. Sed neque Nigidianam mentem examussim assequitur Justus Lipsius †. Quippe Græcos eo nomine reprehendi ait, quod nullâ necessitate compulsi introduxerint diphthongum ει, cùm Latinorum more loco ejus I vocali uti possent. Nam alia hac in parte Latinorum, quàm Græcorum, ratio est. Latinis I longum sonabat, ut EI, adeo ut nihil referret, *hic* scriberent, an *heic*; *omnis*, an *omneis*; *quis*, an *queis*. At nemo nescit, aliud Græcis esse νίκη*, aliud νεῖκη †; suntque id genus apud eos alia multa. Unde liquet, non minùs caussæ fuisse, cur EI ab I longo, quam cur OT ab T distinguerent. Quare illud potiùs voluit Nigidius, Græcis ignosci debere, cùm, quæ Latini per U longum efferunt, ut *lumen*, *acutus*, ea ipsi scribunt per OT, λοῦμεν, ἀκοῦτος: nam ut id faciant, inopiâ adigi, cùm destituantur literâ, quâ sonum Latini U designent. At graviorem eorum esse Latinorum culpam, qui pro simplici I, nullâ necessitate compulsi scribunt EI; ut cùm pro *dico*, *hic*, *omnis*, malunt, *deico*, *heic*, *omneis*; cujusmodi in veteribus monumentis, nunc per I, nunc per EI scripta, passim occurrunt. Quare ad probandum EI primò fuisse literæ nomen, suffecerat Mekercho ad partes advocare, cùm Eustathium in Iliad. E, tum imprimis Plutarchum, qui toto illo opusculo, quod inscripsit περὶ τοῦ EI τοῦ ἐν Δελφοῖς, haut aliud docet, quam τὸ EI Delphis dicatum esse quinctam Græcorum literam. Porrò, quod dicebam, quamquam EI pronunciarent, E tamen scripsisse; id abunde testatum facit, quod nonnulli, quia E quinarium numerum notaret, per E illud Delphicum, quinque Græciæ sapientes intelligendos putarint. Itidem O quidem scribebant, sed OT pronunciabant. imò O etiam pro ου collocabant. Hinc Quinctilianus lib. I, cap. VII: *Apud Græcos o literæ, interim longæ ac brevis, ut apud nos: interim pro syllabâ, quam nomine suo exprimit, posita est.* Et Marius Victorinus lib. I: *Et o similiter quoque cum esset unum, brevem, & idem faceret longam syllabam, præterea exprimeret vocem, quæ apud eos per o & υ scribitur* ου: *sic apud nos quoque* E *&* O *totidem potestates habebunt, quas apud Græcos.* Sed & disertim scribit eclogarius Athenæi: ὅτι οἱ ἀρχαῖοι τῷ υ ἀντὶ τοῦ ο στοιχείου προσεχρῶντο· ὡς δὲ καὶ τῷ ει ἀντὶ τοῦ ι. Respexit autem ad eum Athenæi locum, qui est lib. X, ubi narrat in poculo, ΔΙΟΝΤΣΟ, ἀντὶ τοῦ Διονύσου, fuisse scriptum, atque ideo factum, quia o veteribus non semper fuerit symbolum meræ vocalis, sed etiam diphthongi OT. Hujusce rei denique indicium pariter ac fidem fecerit Ausonianum isthoc; cujus sententiam non satis percepit maximus vir Julius Scaliger *:

> *Una fuit tantùm, quâ respondere Lacones*
> *Litera, & irato regi placuere negantes.*

Item quòd Philoxenus, cùm à Dionysio tyranno revocaretur, Suida teste, τὸ † ο στοιχεῖον ἔγραψε μόνον: unde in proverbium abiit Φιλοξένειον γράμμα*. In Mediolanensi, & postremis etiam Suidæ editionibus, legitur A, quod στερητικὸν †, sed in compositione duntaxat: unde alii reponunt ου: sed cum dicat στοιχεῖον, placet emendatio Jos. Scaligeri legentis, στοιχεῖον ο, quod significabat OT: quia etsi O scriberent, OT tamen pronunciarent. Nempe totam chartam replêrat figuris hujus literæ, aliis majusculis, aliis minusculis, nec præter varias unius literæ figuras quicquam posuerat: ut legere est in Vaticana proverbiorum appendice ab Andrea Schotto edita, proverbio, Φιλοξένου λόγοι πιτθίζειν*. Hodie hæc litera, ignoto veteribus nomine, dicitur ο μικρὸν, idque ad differentiam diphthongi OT: quemadmodum & EI nunc nominatur ε ψιλὸν, ne idem sit nomen literæ, & diphthongi. Nam neutiquam eas tantum ratione τοῦ H, vel Ω, ita vocari, ex iis paret, quæ superius de antiquâ utriusque appellatione dicebamus. Et hæc de vocalibus Græcis, & antiquo scribendi more: de quibus plura adderem, nisi hæc sufficere putarem, & plura qui vellet, adire posset summos viros, Muretum lib. XVIII Var. Lect. Casaubonum lib. X Animadvers. in Athenæum cap. XX. Scaligerum in Animadversionibus Eusebianis, & Salmasium notis in inscriptionem Herodis Attici. Ecquis enim scribendi finis erit, si omnia ab aliis rectè exposita cum pulvisculo huc convertere animus sit?

† Cap. de accidentibus literarum.
* Natura longas.
† Lib. de pronunciatione linguæ Græcæ cap. 17.
† Lib. de recta Pronunc. cap. XI.
* Victoria
† Lites.
* Lib. 1 de causs. L. L. cap. 40.
† Solam literam O scripserat.
* Litera Philoxeni.
† Privandi vim habens.
* Philoxeni strucis orationem.

CAP. XIV.

Mutarum, similisque instrumentorum rusticorum, & militarium signorum distributio. Inquisitum in veram caussam, ob quam consonantium alias vocarint mutas, alias semivocales.

Quare à vocalibus transeo ad consonantes: quæ Platoni in Cratylo, & Theæteto, ἄφωνα vocantur, quasi *soni expertes*: sed Grammaticis potiùs nominantur σύμφωνα sive *consona*; quòd junctæ vocalibus sonum edant. Has cum veteribus dispescimus in mutas, & semivocales: ut in universum triplices sint literæ; vocales, semivocales, mutæ; Græcè φωνήεντα, ἡμίφωνα, ἄφωνα: quomodo & Plutarchus appellat in Symposiacis lib. IX probl. III. Veteres Latini *sonas*, *semisonas*, & *insonas* dixere: ut Isidorus ait lib. I Originum cap. IV. *Semisonas* pro semivocalibus etiam ait Marius Victorinus cap. de Enunciatione literarum. Hujus distributionis imitatione tria statuuntur genera instrumentorum rusticorum: vocale, in quo sunt servi; semivocale, in quo boves; mutum, in quo plaustra. Autor Varro lib. I de re rust. cap. XVII. Item tria signorum militarium genera; muta, ut aquilæ, dracones, vexilla, &c. vocalia, quæ voce humanâ proferuntur, ac tesserarum nomen obtinent; & semivocalia, ut tuba, lituus, buccina. Vide Vegetium lib. III, cap. V. &, si voles, Wolf. Lazium lib. VII comm. reip. Rom. cap. III & seqq.

Cur verò literarum aliæ mutæ dictæ sint, aliæ semivocales, non tam apertum est, quàm credunt, qui sequuntur eâ in re opinionem vulgariam, quam solidè castigat vir maximus in libris † de caussis L.L. Nam primò verum non est, quod ajunt, mutas semper habere sonum obscuriorem,

† Lib. 1. cap. 7.

tiorem, semivocales clariorem. Nam quis non animadvertit, B, aut C, clariùs posse pronunciari, quàm M, aut R? Præterea non mutæ sunt, quia vocalis sequitur; semivocales, quia præcedit: verùm contrà, quia mutæ sunt, vocalem postposuere; ac quia semivocales, eam præposuere. Adde quòd neque hoc perpetuum est. Nam Græci ξι dicunt, Latini ix. Erit igitur apud Græcos muta, apud Latinos semivocalis; quâ inconstantiâ nihil fœdius. Insuper in *Zeta* sequitur vocalis, quæ semivocalis est: in *ef* contrà præcedit vocalis, quæ tamen muta est; ut infrà validis rationibus ostendetur. Partim igitur falsæ, partim incertæ sunt rationes, quibus mutas a semivocalibus separarunt: eoque nec vera esse possunt, quæ prodidere de utriusque nominis caussâ. Vera autem appellationis ratio est, quòd mutæ, contrà quàm in semivocalibus fit, nullum habeant sonum, nisi vocales suum communicent. Nam qui B, aut C pronunciare studeat citra vocalis certæ opem, is laterem lavet; quod haut obscurum erit periculum facienti. At linguam crispando efflandoque, R quodammodo efformâris; sibilum edendo, S extuleris; parque ratio in cæteris semivocalibus. Quare rectè Diomedes*: *Semivocales dicta, quòd dimidium ejus potestatis* (puta, quæ inest vocalibus) *habent*. Et aliquantò pòst: *Muta dicta, quòd per se, sine adminiculo vocalium, non possunt enunciari*. Qui ea, quæ de mutis antè diximus, non perpendent, sine dubio Diomedem culpet, quasi tribuerit mutis, quod universè consonis omnibus competit. Nunc, uti arbitror, quivis videt, nihil peccare, quando mutæ minùs soni habent à se, quàm semivocales; eoque & plus vocalibus debent, cùm semivocales quidem haut plenè pronuncientur absque vocalibus; at mutæ nullo modo sonent citra vocalium opem. Immentò igitur a Diomede recessit Priscianus, cùm lib. I scripsit: *Semivocales sunt appellata, qua plenam vocem non habent, ut Semideos, & Semiviros, appellamus, non qui dimidiam partem habent deorum, vel virorum; sed qui pleni dii, vel viri, non sunt*. Et paullò pòst: *Velut informis dicitur mulier, non qua caret formâ, sed qua malè est formata; & frigidum dicimus eum, non qui penitùs est expers caloris, sed qui minimo hoc utitur: sic muta, non qua omnino voce carent, sed qua exiguam partem vocis habent*. Atque hæc de appellationibus ipsis.

* Lib. 2. cap. de litera.

Cap. XV.

Sex tantummodo mutas Graci habent. Antiquitus pro spiritu aspero H scribebant, uti Latini. Veteres Latini C semper usurpabant pro G. Figura, qua V consonum scribi instituit Claudius. Unde dicatur Digamma Æolicum. Item Va, an Vau, vocetur. Cornutus emendatus. I, & V, consonas, mutarum numero aggregari debere, solidis rationibus probatur.

Porrò in mutarum quoque numero magnopere erratum, tum apud Latinos, tum Græcos. De Græcis priùs dicam. His tantùm sunt hæ sex mutæ: Β, Γ, Δ, Κ, Π, Τ. In mutarum numero non repono, Φ, Χ, Θ; quia hæ eædem sunt literæ, atque Π, Κ, Τ: tantùm spiritus accessit, qui literæ accidens est. Plutarchus lib. IX Symposiacôn probl. III. τὸ γὰρ φι, καὶ τὸ χι, τὸ μὲν ἐστὶ πι, τὸ δὲ κάππα δασυνόμενον. *Nam Phi, & Chi, non sunt, nisi Pi, & Kappa adspiratum*. Et quo jure Θ Græcis litera erit, Latinis non erit; cùm quo modo illi efferunt θάλαμος, eodem hi *thalamus* pronuncient? Nam quod ad figuram sive ductum, is literæ accidens est, eoque & Græci hac carere, & Latini eam comminisci potuerunt. Quid quòd & Græci primò figuram non habuere? Nam, ut Marius Victorinus, & alii, testantur, veteres literis Π, Κ, Τ, apponebant Η, ac pro ΘΕΟΣ scribebant ΤΗΕΟΣ; pro ΦΙΛΟΣ, ΠΗΙΛΟΣ; pro ΧΡΟΝΟΣ, ΚΗΡΟΝΟΣ, atque ita in aliis. Primum verò Epicharmum Syracusanum (hanc ei patriam tribuunt Theocritus, & Suidas) Θ, & Χ, invenisse, Aristotelis testimonio docet Plinius lib. VII, cap. LVI. Verùm neutiquam è notarum numero numerus mutarum colligi debet.

Apud Latinos, tum eædem sunt mutæ, nempe, B, C, D, G, P, T: tum tres, quibus Græcos superant Latini, F, Jod, Vau. Nam F apud Æoles solos invenias. Et quamquam in antiquis inscriptionibus, Pandectis Florentinis, aliisque codd. vetustis legere sit, *Amfion*, *Fryx*, *Hierofanta*, aliaque id genus: dilutiore tamen sono profertur F, quàm Græcorum Φ, quia F solùm est flatus: Φ est π cum halitu: at longè aliud est flatus, quàm simplex halitus: de quo cùm infrà pluribus dicendum sit, non est, quòd hic anticipemus: præsertim cùm de sono consentiant Grammatici; non item de eo, rectène, an secus, F inter mutas reponatur. Priorem sententiam sequitur Priscianus. At Probus*, Capella†, Diomedes*, Victorinus†, collocant inter semivocales. Servius ambiguus, & inter mutas, & semivocales, ei dat locum. Charisius, cùm naturam literæ quasi per nebulam intueretur, semivocalem esse scripsit; sed habere vim mutæ. Horum autoritatem obtendunt, qui hodieque F semivocalibus, quàm mutis, accensere malunt: imò ut seriò ab iis rem agi credas, septem argumentis pugnant adversus Prisciani opinionem. Rationes eorum nec ponere, nec refellere animus est, quia & illud candidè, & hoc eruditè præstitit vir maximus lib. I de caussis L. L. cap. XV. Quare satis erit, si quàm paucissimis caussas quasdam attulero, ob quas potiorem esse credam Prisciani sententiam. Ac primò movet, quòd si leviculum spiritum excipias, qui literæ est accidens, nullum planè F habeat sonum sine adminiculo vocalium, contrà quàm fit in semivocalibus; ut suprà ostendimus. Deinde necesse est, F ejusdem sit generis, ac P, quod proximè accedit. Præterea, si Φ Græcis muta est, quo jure F è mutarum numero expellamus? Denique idem ostendit vis ejus in metro. Nam syllaba non redditur communis, si post semivocalem sequatur liquida; sed solùm, si ea post mutam collocetur. Atqui fit positio debilis, quando liquida constituitur post F. IV Georg.

* Lib de Gram. instit. cap. de elem. lit.
† Lib. 3. cap de semivocal.
* Lib 2, cap. de lit. & seq.
† De arte Gramm. cap. de litera.

Ut mare sollicitum stridet refluentibus undis.

II Æn.

Nec priùs amissam respexi animumque reflexi.

VIII Æn.

Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.

Horat. lib. I, sat. IV:

Belli ferratos postes, portasque refregit.

Ejusdem est dactylicus trochaicus iste lib. III, od. III.

Hectoreis opibus refringit.

Catulli est Phalæcius hic epigr. XLIII.

Persequamur eam, & reflagitemus.

Itidem invenias primam correptam in *reflo*, *refrico*, *refrigero*, & aliis fortasse.

De literâ F, quæ hujus loci sunt, diximus. Cætera infrà expediemus.

Quemadmodum autem F in consonantium divisione pro derelicto habuere; ita neque duarum istarum, Jod, & Vau, τεχνάρχαι* isti rationem habent, cùm consonantium numerum ineunt. At quo jure? Eodem dicent, quo Græci omittunt digamma Æolicum, cujus eadem est potestas ac Latini Vau. Sed quid si inficiemur, Æoles digamma è literarum numero excludere potuisse? Aut quid opponent, si usquequaque verum esse negemus, quod de pari ajunt amborum potestate? Fortean Donati id asserentis autoritate se tuebuntur. Sed Servium nos obducemus, qui Donatum hoc nomine reprehendit. Imò ratione ipsa pugnabimus. Nam digamma in Græcis semper abesse potest: unde pro eo, quod vetus poëta dixit†, Οἰόμενος Fελέναν ἐλικώπιδα, æque, si metrum non spectes, dicere idem potuit, Οἰόμενος ἑλένην ἑλικώπιδα. Sic idem sunt, αἰὼν, & αἰFὼν; οἶς, & ὄFις. At vau Latinorum ut interdum abesse possit, velut cùm in veteri inscriptione legitur, *Di Sunnavi*, pro, *Di Sunnas*, hoc est, θεοὶ σωνᾶσαι: plurimùm tamen necessarium est; cùm pro *vulgus*, *volo*, *vado*, dici nequeat, *ulgus*, *olo*, *ado*. Aliud alii mantelum errori quærent. Græcis, inquient, I, & Υ, semper sunt

* Ordinum ductores.
† Apud Priscianum lib. I, cap. de numero literarum.

voca-

vocales. At Latinis eæ nunc vocales, nunc consonæ sunt; eoque rectè ambiguo nomine comprehenduntur sub vocalium numero, etiam cùm fiunt consonantes; præsertim cùm tanta sit eorum affinitas, ut alia facilè in aliam commutetur. Cor Grammaticorum! Non quidem nescio, V consonum interdum abire in U vocale; ut in illo Horatii*:

Nunc mare, nunc siluæ.

Et hoc Tibullii†:

Stamina non ulli dissoluenda Deo.

Neque nescio, idem ipsi quoque I consono evenire; ut in illo Senecæ Sapphico, Hippolyti act. 1:

Siqua ferventi subiecta Cancro est.

Et in adverbio *jam*†, quod Comicis nunc incipit ab I vocali, nunc consono. Imò fateor quoque lubens, Hebræorum Jod, & Vau, à Græcis in I, & U vocale, mutari: ut *Johanan*, Ἰωάννης; *Josophat*, Ἰωσαφάτ; *Eva* sive *Chava*, Εὔα; *Ninive*, Νινευΐ; *Levi*, Λευΐ; *David*, Δαυΐδ; ita enim in optimis libris legitur; quod & confirmat Suidas. Verùm his illud obduco, quòd in aliis quoque literis ▪ veniat, ut una mutetur in alteram: quæ tamen una iccirco litera dici nullo modo possint. Nam (ut e plurimis aliquod adferam exemplum) Attici pro μάρτυς ajunt μάρτυς: & veteres Latini dixere, *Valesii*, *Fusii*, *Papisii*, *Auselii*; quæ posteriores per R maluerunt, *Valerii*, *Furii*, *Papirii*, *Aurelii*: similiaque sunt *vapor*, & *vapos*; *odor*, & *odos*, aliaque id genus. At quis iccirco R, & S, neget literas esse diversas? Quare invalido admodum argumento nitatur, qui eo quòd I, aut V consonum, in vocale convertatur, unam esse hæc literam consequi putet. Omnis erroris fons caputque est, quòd I & U vocalis, & consonantis, idem sit nomen, figuraque eadem: adeò ut eodem modo scribi soleant, VOLVI à *volo*, & VOLVI à *volvo*. Verùm neutiquam dispiciendum, quid factum sit; verùm quid fieri oportuerit. Nam C, & G, pro diversis habent literis. & merito. Tanta tamen est earum vicinitas, ut non modò promiscuè dixerint, *Cneus*, & *Gneus*; *curgulio*, & *gurgulio*: sed etiam, ut Marius Victorinus* quoque scribit, diu unicæ figuræ acquieverint. Hinc Ausonius†:

Prævaluit postquam Gamma vice functa prius C.

Idem scribit Festus Pompejus in *Orcus*, & *Prodigia*: sed posterior locus ex priori corrigendus, qui alioqui cum eo pugnet. Sanè Diomedes‡ iccirco appellat G novam literam. Quid mirum? cùm necdum inventa fuerit bello Punico primo; quandoquidem in basi columnæ Rostratæ, quæ à C. Duillio posita, semper C pro G ponitur: ut in *Macestratos*, *leciones*, *Cartacinensis*, *pucnando*. Primus autem distinxit Spurius Carvilius*; quem G propriâ figurâ donasse, disco ex Terentio Scauro. Alia multa hujusce cognationis argumenta adfert Radulphus Fornerius lib. 1 rerum quotidianarum cap. XV. Par vicinitas mutarum aliarum, ut B, & P: item D, & T; quæ tanta, ut etiam (Fabii† verbis utor) *in vetustis operibus urbis, & celebribus templis, legantur, Alexanter, & Cassantra.* At neglecturus erat minutum hoc Quinctilianus, nisi, in summa utriusque literæ cognatione, ob quam una interdum pro altera collocaretur, vulgò tamen solerent diversis nominibus appellari, diversisque figuris signari. Quo igitur jure utrumque neglexere in I, & V vocali, ac consono; quæ non minus soni differunt naturâ? Ineptum sit, velle hic difficultatem rei prætexere; quasi misellí homines figuris inveniendis fuerint exhausti. Quid enim? ut cæteros modos mittam, nonne potuere medium I transverberare lineola, ut, hanc formam repræsentans, differret ab I vocali: V verò consonans jam olim, Claudiano puta ævo, figuram habuit inversi F; unde in lapidd. vett. DIↃAI, AMPLIAↃIT, TERMINAↃITQUE, aliaque hujuscemodi: cujus rei observatione non pauca veterum scriptorum loca sanari posse, exemplis pluscülis ostendit Radulphus Fornerius, lib. 11 Rerum quotidianarum cap. VI. Quin Fabio*, Diomedi†, Prisciano‡, aliis*, δίγαμμα dictum, non à potestate, quæ planè diversa hic est, ac in gammâ; sed à charactere, quia apud Græcos (quorum figuram invertit Claudius) constat duobus gamma, quorum unum alteri impositum, haut secus ac fit apud Latinos in F. Indicat hoc quoque Dionysius Halicarnassensis†, cùm scribit, fuisse Græcis antiquis, ὥσπερ ‡ γάμμα, διτταῖς ἐπὶ μίαν ὀρθὴν ἐπιζευγνύμενον ταῖς πλαγίαις, Fελένη, καὶ Fάναξ, καὶ Fοῖκος, καὶ Fαήρ, καὶ πολλὰ τοιαῦτα. Æolicum verò ab iisdem dictum, quia Romani, ut in aliis multis, ita in hoc quoque, imitati sunt Æoles. Quippe Æolum is mos fuit, ut vocabulis a vocali aspiratâ, aut consonâ ρ, atque interdum etiam dictionibus a vocali leni inchoantibus, loco spiritus præmitterent hanc literam: quemadmodum & eandem inserebant in mediâ dictione ad vitandum hiatum. Ita Æolum sunt Fελένη, pro ἑλένη; Fρῶπες, pro ῥῶπες; unde Latinum *vepres*; Fειρήνη, pro εἰρήνη; ὄFις, & ὠFὸν, pro ὄϊς, & ὠὸν; unde Latinorum *avis*, & *ovum*. Sed de hoc pluribus postea dicemus.

Alterum quoque literæ nomen fuit VAU: quomodo præter alios semel iterumque vocat Terentius Scaurus; nisi codices fallunt, ac VA potiùs legendum, quod aliquando sum suspicatus. Neque enim fiebat mihi verisimile, Latinos literæ imposuisse nomen Hebræum, quod Græci ipsi ignorassent. Neque rationem ullam videbam, cur qui vocalibus à solâ potestate nomen fecerant, atque in consonantibus, necessitate impulsi, unicam adjecerant vocalem, hi consonæ trium literarum nomen inderent. Denique adstipulari putabam huic sententiæ Annæum Cornutum, cujus isthoc apud Cassiodorum*: *Hanc literam Terentius Varro dum vult demonstrare, ita præscribit, VA. qui ergo in hâc syllabâ sonus est, idem literæ erit.* Sed postquam pensiculate rem excussi, mutavi sententiam. Judicavi enim, apud Cornutum VAU pro VA scribi posse. Vidi &, Latinos minimè hoc nomen excogitasse; sed mutuatos esse ab Æolibus; hos verò a Phœnicibus accepisse; quodque nomen Æolicum retinuerint, non magis mirandum credidi, quam quòd Græcum in Zeta reservarint. Confirmat hanc sententiam locus iste Prisciani lib. 1: ‡ *V verò loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Æoles habuit olim digamma, id est vau, ab ipsius voce profectum, teste Varrone, & Didymo: qui id ei nomen esse ostendunt.* Hæc Priscianus, qui & alibi† hanc literam VAU appellat. Mirificè etiam, quæ hactenus diximus, stabilit Marius Victorinus, cum lib. 1 ait: F *nostri Vau vocant, & alii digamma: ea, per se scripta, non facit syllabam; antepositâ autem vocali, facit; ut,* Fάμαξα, Fεκηβόλος, *&* Fελένη. *Nos verò, qui non habemus hujus vocis nomen, aut notam, in ejus locum, quoties una vocalis pluresve junctæ unam syllabam faciunt, substituimus V literam.* Et alibi eopse libro: *F verò, G, & Q, in Græcis etiam literis fuisse, & nunc esse: sed G numero servire, atque nonaginta significare: F autem Æolibus duntaxat idem valere, quod apud nos V, cùm pro consonante scribitur, vocarique* βαῦ, *& digamma.* Quo in loco pro Bαῦ lubens scripserim Fαῦ. Quippe literarum omnium potestatem ac figuram cognoscere est ex principe nominis literâ. At quæ princeps est in βαῦ, nec figuram habet Æolici digamma, quæ est F; nec omnino eandem habet potestatem, quæ est V consoni, teste Victorino. Sanè si sonuisset, ut B, quid opus fuisset Æoles, cùm ▪ haberent, novam excogitare literæ figuram? Hoc quamquam mihi admodum verisimile videatur; tamen, quia etiam à principibus in literis viris, βαῦ scribi video, timidè sententiam meam propono. Præsertim cùm dici possit, quia Æolicum digamma, minùs cognitum esset vulgo, maluisse eos ponere literam notiorem, cujus potestas ad Vau proximè accederet. Interim ex hisce veterum testimoniis liquet, verum literæ apud Latinos nomen esse VAU, non VA, quod apud Cornutum legitur. Quod si V consonum veteres Hebræo nomine Vau appellarunt: possumus nos similiter I consonum Jod nominare; quo ut figurâ, (de qua ante nobis dictum) ita etiam nomine ab I vocali separetur.

Atque hæc quidem ad flagellandam opinionem vulgatum

* Lib. epod. od. 13.
† Lib. 1. eleg. 7.
† Scalig. lib. 1 de caussis L. L. cap. 12.
* Lib. 1, extremo cap. de Orthogr.
† Idyllio de literis.
‡ Lib. 2, cap. de literâ.
* Sic emendo Scauri locum: ubi vulgo Carrutius legitur. Sed de hoc infrà pluribus.
† Lib. 1, cap. 4. sive de Grammaticâ.
* Ibid.
† Lib. 2, cap. de literarum interrogatione.
‡ Lib. 1, initio cap. de numero literarum. & alibi.
* Papiriano apud Cassiodorum de orthographiâ. Et Terentiano Mauro cap. 1 sive de literis.
† Lib. 1 Antiquit. Rom.
‡ Velut gamma, duabus lineis obliquis ad rectam additis: ut Fελένη &c.
* In collectaneis de Orthographiâ cap. 1.
‡ Cap. de num. literarum.
† Lib. 1, extremo cap.

rissin de duabus hisce literis sufficere poterant, certè debebant: verùm quia nullum est pertinacius hominum genus Grammaticis; priusquam huic velitationi pausam faciam, duas hasce rationes adtexendas putavi. Ac primò, situs non tollit formam essentialem; eoque, quæ litera est vocalis, consonans fieri non potest ob sequentem in eâdem syllabâ vocalem. Præterea species ἀντιδιῃρημένων * non possunt esse unum specie, nedum numero. At vocalis, & consonans, non minùs literæ sunt species oppositæ, quàm homo, & bestia, animalis; albor, & nigror, coloris: neque, Prisciano † teste, minùs differunt, quàm anima, & corpus; quia, ut anima movet corpus suum naturâ immobile, ita & vocales quasi movent consonantes; quæ non moventur, nisi beneficio vocalium. Quare cùm consonantes comprehendunt sub vocalibus, oppositum ponunt in apposito, contrà quàm præcipitur à disserendi magistris. Sanè si geminorum lineamentis similium utrumque, sive Titium, sive Sempronium appellemus, non tamen unus fuerint homo, quia differunt formâ individuante, quam *hacceitatem* barbarè, at non insubidè, subtilissimus Scotus vocabat: multò minùs I, & V vocalis, ac consonans, quòd idem utrique nomen, ac figura vulgò sit, eadem litera censeri debet; cùm differant, non numero modò, sed etiam specie. Siquidem potestate differunt, quæ forma essentialis est; ac quidem specifica, cùm vocalis & consonans planè sint species diversæ: nomen verò, & figura, sint accidentia, quia non modò eadem litera aliter à Latinis, aliter à Græcis, aliterque ab Hebræis, aliisque nationibus, & nominatur, & figuratur: verùm in eâdem quoque linguâ ac natione non eadem semper manet literarum figura; ut norunt, quotquot manibus, vel oculis potius præsentibus, variorum seculorum codices manuscriptos vel vulgaribus in linguis usurparunt. Et hæc de Jod, ac Vau, hoc loco suffecerint. Nam & postea de his se offeret nobis dicendi locus. Itaque errat Christophorus Clavius, cùm commentario in 1 caput Joannis de Sacrobosco*, ait, literas in AVE sex hisce modis posse variari, AVE, AEV VÆ, VEA, EVA, & EAV. Duos enim modos omitti oportuit, AEV, & EAV; in quibus E est vocalis, non consona, ut in AVE.

* Opposita.

† Lib. 1. cap. de numero literarum.

* Pag 35. edit. S. Gervasii sive Genevensis, an. 1608.

Cap. XVI.

H Græcis vetustis fuisse notam adspirationis, solereque in ipso versu adscribi, more Latinorum. Unde fit, quod H Græcis centenarium signet. Plinii vetus lectio defensa adversus summum virum. Contra eundem probatum, non fuisse H ex antiquis XVI vel XVII literis Græcorum. Contra Pierium ostenditur, H non esse literam. Parem videri rationem Æolici digamma: quod, adspirationis loco, sæpe vocalibus præponitur, & in metro pro nihilo habetur.

NUnc ne temere uspiam Grammaticas tribus & pulpita deserere videar, rationem quoque reddendam mihi arbitror, cur è mutarum numero excludam H, K, Q. Ac primum de H videamus: quam literam esse, aliquis existimet, quia haut aliter, ac fit à Latinis, etiam à Græcis antiquis adscribi soleat in versu. Quemadmodum testantur Velius Longus, Terentius Scaurus, & Marius Victorinus libris suis de Orthographia. Item Priscianus lib. 1*. Idem comprobatur inscriptione columnæ Farnesianæ in via Appia repertæ: ubi legere est, HO, HOI, HOΔOI, pro ὁ, οἱ, ὁδῷ. Uti & HEPOΔO, pro ἡρώδου. Item in media voce, ENHOΔIA, pro ἐνοδία, vel ἐνόδια. Imò ex tribus illis, quos dixi, Velio, Scauro, Prisciano, discere etiam licet, nihil aliud esse in caussa, cur antiquis H fuerit nota centenarii, quàm quòd veteres Iones HEKATON scriberent, pro ἑκατόν. Consonantibus quoque haut secus, ac apud Latinos fit, subjici solet. Confirmat id hic Marii Victorini † locus: Θ, Φ, X, *prinsquam à Simonide invenirentur, exprimebant, juxta* T, *&* juxta Π, *&* K, *adspirationis notam* H *ponendo.* ut etiam superiori capite diximus: Sic THEOΣ scripsere pro ΘEOΣ, ΠHIΛOΣ pro ΦIΛOΣ, KHAPΩN pro XAPΩN. Ex his elucet, H veteribus Græcis fuisse adspirationis signum. Quare nec mirum, si eundem, hoc est, octavum, modò post ϛ accenseas ϛ, nunc H obtineat apud Latinos ordinem, quem apud Græcos H. Ut autem Latini à Græcis vetustis, ita Græci hanc adspirationis notam accepere à Phœnicibus: ex quorum figurâ Græcorum Latinorumque H manifestè effictum est. Imò nomen quoque est idem ac Syrorum. Nam posterioribus Syris *Heth*, antiquioribus *Hetha* dicebatur. Ex his colligat aliquis, ut antiquitatem ejus notæ, ita & verè inter literas reponi debere. Magno etiam tibicine subnixa hæc sententia sit, si Aristoteles quoque, cùm octodecim statuit literas antiquas, inter has densi spiritus notam H reposuit: quod censet Josephus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis. Nam cùm apud Plinium vulgo legatur, Aristoteli fuisse octodecim literas vetustas; A, B, Γ, Δ, E, Z, I, K, Λ, M, N, O, Π, P, Σ, T, Υ, Φ: non potest sibi vir summus persuadere de Z, & Φ. Itaque suspicatur, pro Z scribendum H; idque quia hoc antiquis fuerit adspirationis signum, atque itidem, ut apud Latinos, soleat adscribi in versu. Sed maximi viri sententia eo refellitur, quòd ibidem dicat Plinius, ex mente Aristotelis, octodecim illis literis, quas antiquas putabat, duas esse ab Epicharmo additas, Θ & X: jam verò constat ab Simonide quatuor repertas; duas vocales longas, H, & Ω; duas item duplices, Ξ, & Ψ. Unde conficitur numerus literarum XXIV. Quòd si H, ut nota est adspirationis, inter illas octodecim literas locum habuisset; posteriores numerassent quinque & viginti. Huic difficultati ut occurrat Scaliger, ait Aristotelem solum scripsisse de literis XVII, eoque apud Plinium Φ deleri debere: ut quam recentissimam esse conveniat; uti & reliquas duas adspiratas. Verùm non cogitabat idem, ita solum XXIII literas fore: neque Z, aut Φ, inter XXIV habituras locum. Hoc ita esse, uti dixi, clarè Plinii verba evincunt. Nam primùm ait, XVI esse literas Cadmeas, quibus Palamedes addiderit quatuor: quatuor item Simonides. Deinde idem subjungit, Aristotelem ab hac sententia bifariam abire: partim nempe quòd non XVI, sed XVIII statuat literas antiquas: partim item quòd nullas tribuat Palamedi, sed pro eo nominet Epicharmum: cui duas assignat. Unde liquet, de quaternis Simonidis literis Aristoteli cum aliis convenisse. Quare si Aristoteles statuit XVII Cadmeas, & duas addit Epicharmi, quaternas Simonidis: solùm is literas agnoverit XXIII: & si inter eas sit adspirationis nota, ut Scaliger existimat; consequitur, Aristotelem literas binas ex XXIV præteriisse: nempe unam duplicem Z, & adspiratam unam Φ: quas XVI Cadmæis antea memoratis Aristoteles juxta vulgatos Plinii codd. junxit, ut ita XVIII fiant. Sanè hoc necesse est dicamus, si Simonides duas longas invenit, H, & Ω, ac duplices duas, Ξ, & Ψ: Palamedes autem, vel Epicharmus duas adspiratas, Θ & X. Solæ enim desiderentur Z, & Φ. Nihil igitur certiùs, quàm rectè eum locum apud Plinium legi: nec H sexdecim illis jungi debere: nec ab Aristotele additam fuisse. Verum de hac nota etiam à nobis dissentit doctissimus Pierius: qui, in castigationibus Virgilianis*, fusè ostendere conatur, H veram esse literam, ac vel è mutarum numero esse, quod censuit Val. Probus †, (qui tamen & ipse solidam esse literam negat) vel μοναδικὸν ‡ esse atque ἄσημον *, ut apud Græcos Σ. Confirmat idem Diomedes lib. II †: *H*, inquit, *interdum consonans, interdum adspirationis creditur nota.* Item*: *H consonans muta propriè continens adspirationem.* Imò aliquammulta apud Velium Longum argumenta invenias, quibus persuadere conatur, H non malè literis annumerari. Nobis verò impensiùs probatur sententia duorum, qui audiere Romanorum omnium doctissimi; puta Terentii Varronis †, & Nigidii Figuli. Ut de Mario Victorino, pluribusque aliis nihil dicam. Movet autem, quòd H sit spiritus, eoque literæ accidens. Quippe, ut optimè ait Priscianus ‡, singulæ syllabæ altitudinem suam habent in tenore; crassitudinem, vel latitudinem, in spiritu; longitudinem in tem-

* Pene extremo cap. de literarum numero ac permutatione.

† Lib. 1.

* In Ecl. 2.

† Lib. 1. cap. 1. & 3.

‡ Sui juris.

* Non signatum.

† Cap. de litera.

* Cap. seq.

† Ann. Cornutus apud Cassiodorum lib. de Orthogr.

‡ Lib. 1.

tempore. Itaque etsi concederemus, ab antiquis interdum pro muta habitum videri; (ut in illo Enniano apud Agellium * vulgo factum putant, *Hannibal audaci dum pectore dehortatur*) saltem pateret, plurimùm non efficere syllabam positione longam, licet cum consonante concurrat: ut, *Perhibent*, *Primus habet*, &c. Et cur Latinis litera sit, quæ Græcis litera non est? Præsertim cùm constet, Latinos & figuram ejus, & morem eam adscribendi in ipso orationis corpore, hausisse à priscis Græcis; ut ex columna Farnesiana viæ Appiæ antea vidimus, aliisque argumentis infrà commonstrabimus. Alias quoque rationes, cur H excludi debeat è literarum numero, videre potes apud Priscianum lib. I †: & imprimis apud Jovianum Pontanum lib. de adspiratione.

* Vide de hoc versu infra lib. 2. cap. 11.

† Cap. de numero literarum apud veteres.

Quæ verò de H diximus, eadem fortasse locum habent in digamma Æolico F: quandoquidem magna est inter H Atticum, & F Æolicum, convenientia. Nam ut Attici ponunt H in versu, idque tum initio, tum medio: ita Æoles utrobique pro eo F scribunt. Attica enim est scriptura, ΗΟΔΟΣ, & ΕΝΗΟΔΙΟΣ. At Æolica est ϜΟΙΝΟΣ, & ΤΑϜΩΣ, pro οἶνος, ταώς. Sanè semel iterumque testatur Priscianus ‡, sese in tripode vetustissimo, qui stabat in Xerolopho Byzantii, invenisse sic scriptum, ΔΗΜΟϜΟϜΩΝ, ΛΑϜΟΚΑϜΩΝ. Ac similiter scripsisse ait Alcmanem, Καὶ χεῦμα πῦρ τε δάϜιον, pro δάϊον, seu δήϊον, hoc est *hostile*. Præterea uti H consonæ additum non producit syllabam priorem, sed pro nihilo putatur: ita & Æolicum F. Ut versu isto apud Priscianum:

‡ Lib. 1 cap. de numero literarum, & lib. 6, quo loco de terminatione Os agit.

Ἄμμες δ' Ϝειρήσεντο, τὸ δ' ἄεθετο μῦσαι λίγεια.

Ubi Ϝειρήσεντο ponitur pro Εἰρήσεντο, seu ἰρήσεντο. Claudicaret versus, si F pro litera haberetur. Ut si pro F reponas Ⅎ, hoc pacto, Ἄμμες ἢ Ⅎειρήσεντο. Cum sæpe F convertatur in Ⅎ, tamen id versus hoc loco minimè tulisset. Uti neque in isto, Νέσταρ ἢ Fῶ παιδὸς, pro ὗ. Nempe hoc F, quod est Æolicum digamma, magis est halitus, quàm flatus: contrà quàm F Latinum, quod est flatus: ut mirum non sit, si, utcunque similis sit figura, natura nihilominus sit dissimilis.

CAP. XVII.

Romanum Kappa. Lunula in calceis patriciorum. Suida, Statio, & aliis, lux. Zonaræ lapsus. Quis Latinorum primus K literis adjunxerit. Cujusmodi in vocibus ejus sit usus. Fronti calumniatorum inuri solet. Cicero illustratus. Calendæ cur tristes *Horatio*, *Ovidio* celeres *dicantur.* Krus *pro* Karus, Knus *pro* Kanus, *similiaque. Scaurus correctus.* Dcimus *pro* Decimus. *Tribus in vocibus præcipuè K usi. Male inter mutas reponitur, tanquam à C diversa.*

ACcedo ad K, quæ eadem omnino litera est, ac C. Unde Suidas C vocat κάππα Ῥωμαϊκόν. Sic enim voce Χλαμὺς scribit: Καὶ ἐν τοῖς τῶν βελλάτων ὑποδήμασι ὑποσημαίνεσθαι τὸ Ῥωμαϊκὸν κάππα. Ait Kappa Romanum in Senatorum calceis apponi solere. Ubi planè intelligit Lunulam, cujus figura est non K, sed C. Lunulæ istius meminit Papinius lib. V, Syl. II.

Primâque patricia clausit vestigia Lunâ.

Et Juvenalis sat. VII.

Appositam nigra Lunam subtexit aluta.

Ubi sic vetus interpres: Hoc est: *Patricius Senator est. Lunulâ nam adsutâ calceis, discernuntur patricii a novitiis.* Etiam morem hunc tangit Martialis lib. I, epigr. L; & lib. II, epigr. XXIX, & Philostratus in vita Herodis Attici. Quid vero Lunulâ significetur, exquirit Plutarchus in Romanis Quæst. ac Isidorus lib. XX Orig. cap. XXXIV. qui ait, Lunulam esse centenarii notam, eâque significari initio centum fuisse senatores. Hoc etiam apud Zonaram legas: nisi quod ille, cùm audisset, in Senatorum calceis esse notam centenarii, credidit in iis fuisse P, quæ Græcis centum significat. Sunt qui * locum Zonaræ corruptum putent. Ego planè ipsius Zonaræ esse errorem censeo; idque, quia addit, literâ eâ, tum veterem senatorum numerum signari: tum principem literam gentis, hoc est, τῶν Ῥωμαίων †. Sed redeamus ad K: quod primus literis adjecit Sallustius, non quidem

* Benedictus Balduinus lib. de calceo antiquo & mystico cap. 11.

† Romanorum.

Crispus Romanâ primus in historiâ;

sed alius, ludimagister ‡. In multis ea usi veteres; non tamen ante O, quamquam KOS pro consul sit in antiquâ inscriptione quadam: sed ante A; ut cùm duobus KK, *Kalumnia caussam* significarent, teste Isidoro. Sanè quia ut C, *Condemnationis*, ita K, *Kalumnia* nota erat; ideo non C, (ut Turnebus * putavit) sed K à Cicerone intelligi puto, cùm ita scribit pro Roscio Amerino: *Sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse; neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo; ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet; sed, si ego hos bene novi, literam illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eas omneis oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.* Quibus verbis significari à Tullio puto, fronti Kalumniatorum inuri solere K, ut *Kalumniæ* notam; iisque hanc quoque pœnam imponi solere, ut accusare amplius non possent. Sanè hoc modo puniebantur prævaricatores & tergiversatores, ut scribit Paullus JC. lib. XLVIII Digest. ad S. C. Turpilianum. Cæterum in superiori Ciceronis loco non displicet elegans Stephani Pighii † conjectura; qui pro verbis illis, *ut etiam eas omnes oderitis*: legit, *ut etiam Kal. omnes oderitis*: nempe ut in Erucium geminum sit scomma, tanquam in calumniatorem, & obæratum. Nam Kalendis creditores exigebant æs alienum, unde Horatius ‡ eas *tristes* vocat: Ovidius * *celeres*, quod citò nimis recurrere debitoribus viderentur. Mirum verò, Romanos *Kalendas* etiam per Græcanicam literam signâsse, cùm Græci iis careant, ut proverbio notum. Sed & usi in voce *Karthago.* Imò & in merè Latinis: ut in *Kardo*, *Kastra*, *Kanus*, *kasus*, *Kaninius*, *Kapitolium*, *kandidatus*, *karcer.* Quin in mediâ quoque voce usurparunt; ut indicio sunt, *Volkanus*, *Parkarum*, *arka*, quæ in antiquis inscriptionibus invenire est. Ita *Evokatus* Romæ legere est: *Aurelianus Evok. ex fine Salarior*, &c. Eodemque modo Carrio in Censorino semper *interkalare*, & *interkalarius* mensis edidit, cap. XX. Imò in vocibus hujusmodi, quia nomen literæ est *ka*, ut Græcis κάππα, compendii caussâ sæpe A solent omittere; ut cùm scripsere, *Klenda*, *Krus*, *Krtago*, *Klumnia* &c. pro *Kalenda*, *Karus*, *Kartago*, *Kalumnia* &c. Putabant enim, A contineri in K, non quidem ratione potestatis; sed nominis, in quo A auditur. Hæc ratio est, cur Terentius Scaurus neget, *Karus* & *Kanus* per C scribi posse. Vult enim, si omissâ vocali scribas *crus*, *cnus*, non *carus* fore, aut *canus*, sed *cerus*, aut *cenus*: haut aliter atque *bne* & *ptre* scribebant pro *bene* ac *petere*: in cujusmodi E compendii caussâ omittitur, quia in ipso literæ nomine continetur. Locum ipsum Scauri apponam, ut corrigam: *Hac tamen antiqui in connexione syllabarum ibi tantum utebantur, ubi A litera subjungenda erat, quoniam multis vocalibus instantibus, quoties id verbum scribendum erat, in quo retinere hæ literæ nomen suum possent, singula pro syllabâ scribebantur, tanquam satis ea ipso nomine explerent: ut puta Decimus D per se im dicimus: item Cera, C simplex & RA: & Bene, B, & ne: ita & quoties Kanus & Karus scribendum erat, quia singulis literis prima syllaba notabantur, K prima ponebatur, quæ suo nomine A continebat, quia, si C posuissent, cenus & cerus futurum erat, non canus & carus.* Vitiosè ista, *Decimus d per se im dicimus.* Emenda, *Decimus per D simplex & cimus.* Vel potius, *Decimus*, *D per se, inde cimus.* Nempe quia in D continetur E, scribebant *Dcimus* pro *Decimus.* Erit fortasse, qui, ut ostendat, non solere hoc a veteribus observari, Marium Victorinum obducat, qui testatur, se in monumentis antiquis invenisse SERⱶS, pro SERⱶUS, cum tamen ⱶ, hoc est Vau, non V contineat, sed A. Verùm neminem scio, nisi qui lapis sit ipse, quem unius moveret lapidis inscriptio, quando ea discrepat ab aliis monumen-

‡ Isidorus.

* Lib. 8 Advers. cap. 22.

† Annalium lib. 12, ad annum Urbis 613.

‡ Sat. 3. lib. 1.

* Lib. 2 de remedio amoris.

mentis, & veterum Grammaticorum præceptis. Sed ad K redeamus. Imprimis hac utebantur antiqui in tribus vocibus: unde Ausonius:

Hac tribus in Latio tantùm addita nominibus K.

Quæ sint hæ voces, docet nos Terentianus Maurus:

K similiter otiosa est cæteris sermonibus;
Tumque in usu est, cùm Kalendas annotamus, aut Kaput.
Sæpe Kasones notabam hac vetusti literâ.

Intellige autem, cùm legis, non cùm hominis caput significarent. De *Kapite*, & *Kalendis*, adsentit quoque Martianus Capella: de tertio non item; in cujus locum substituit *Kalumnia*. Sic enim scribit libro tertio: *K verò nunc nota esse putatur, nunc* litera. Nam eam effectum C integrare non dubium est absque his, Kapite, Kalenda, Kalumnia.* Ac easdem, quas Capella, voces ponit Diomedes lib. II †. Verùm Terentius Scaurus, dum de voce tertiâ neutri vult repugnare parti, discedit ab utrâque. Nam, ut is sentire nonnullos scribit, *retenta est K, quoniam notas quasdam significaret, ut Kasonem, ut Kaput, & Kalumniam, & Kalendas.* Et sanè hæc vulgò per K scribi solere, ex vett. quoque monumentis cognoscimus. Alia quoque in quibus usurpari soleat, suggerent Valerii Probi, Magnonis, & Paulli Diaconi collectanea de literarum notis. Cùm autem is scribendi mos obtinuerit florente Romà: nequaquam, puto, necesse habeat deprecari φιλοκαινίας* culpam, qui in vocibus his K usurpet; quamquam sæpius usu venire sciam, ut hujuscemodi, velut ineptias puras putas, sugillent homines eruditionis nomine sese venditantes. Nec iccirco existimandum, K à C literam esse diversam; cùm ista haut aliud evincant, quam geminam esse unius literæ figuram. Siquidem potestas eadem est: unde impensè probo hoc Quinctiliani lib. I, cap. VII: *Nam K quidem in nullis verbis utendum puto, nisi quæ significat, etiam ut sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quoties A sequatur, necessariam credunt: cùm sit C litera, quæ ad omnes vocales vim suam proferat.* Quibus verbis manifestè jugulatur sententia, tum Diomedis †, scribentis K in Kalendis, & similibus, NECESSARIO scribi: tum aliorum, quibus eandem sententiam tribuit Velius Longus*. Fabio quoque subscribit Priscianus, his verbis †: *K quidem penitus supervacua est: nulla enim ratio videtur, cur A sequente K scribi debeat. Carthago enim, & caput, sive per C, sive per K scribantur, nullam faciunt nec in sono, nec in potestate ejusdem consonantis differentiam.*

* Placet conjectura J. Lipsii pro nunc corrigentis non.
† Cap. de interrogatione literarum.
* Studii novitatis.
† Lib. 2, cap. de litera.
* Lib. de Orthogr.
† Lib. 1, cap. de numero literarum.

Sunt qui putarint, ut Υ, & Z, ita & K retineri debere ob voces Græcas. Sed aliquid dicerent, nisi ampla adeò esset seges vocabulorum, in quibus Latini, etsi à Græcis acceperint, semper tamen C utantur. Istiusmodi sunt *Centaurus, Cerastes, Cincinnus, Cinnamomum, Clio, Clinici, Colaphus, Comœdia, Crepida, Cruma, Culigna, Cupressus, Cyclops, Cygnus*, sexcentaque id genus.

CAP. XVIII.

Q non esse diversam literam à C, vel K. Ciceronis jocus, & Plautina virginis. Cuire *trisyllabum pro* Quire, *&* Acua *pro* Aqua: *item tetrasyllabon* Relicuus, *pro* Reliquus. *Veteres promiscuè C, & Q scripsisse. Occurritur Jul. Scaligero de necessitate literæ Q. Vitia iotacismi, lambdacismi, mytacismi. Marius Victorinus emendatur.*

SEquitur Q; qua Licinium Calvum uti noluisse, scribit Marius Victorinus lib. I. Nec mirum, quando eadem est, ac C: ut indicat Ciceronis jocus ludentis in vocibus *coque*, & *quoque*. Fabius lib. VI, cap. III: *Cùm is candidatus, qui coqui filius habebatur, coram Cicerone suffragium ab alio peteret, Ego quoque* (Cicero inquit) *tibi jure favebo.* Pro, *coque favebo*. Donatus in Adelph. Act. III, sc. III: *Ciceronis dictum refertur in eum, qui coqui filius secum caussas agebat; Tu quoque aderas huic caussa. Nam apud veteres coquus non per C literam, sed per Q scribebatur.* Idem cognoscimus ex joco illo apud Plautum*, ubi virgo decipit Dordalum lenonem, cùm inquilina ita effert, ut leno putaret, eam dixisse *in culinâ*. Quin hanc quoque rem confirmat, quòd Lucretius primo de rerum natura *cuiret* dicat pro *quiret*:

——confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cuiret.

Item quòd similiter ut *aqua* trisyllabum faciat, scribat *acua*: (falluntur, qui, Bedam † secuti, priorem ab eo produci putant) quodque Plautus Cistellariâ* eodem modo *relicuus* dicat, pro *reliquus*. Nam ita nisi legatur, claudicat versus, qui Trochaicus esse debet:

Quod dedi, datum non vellem, quod relicuum, non dabo.

Quare nec mirum, à *quis*, tum *cuius*, & *cui*, venire; tum *quem*, & *quo*; aut a *quatio* esse *percutio*, *concutio*, atque ita in aliis. Nam, ut Scaurus † ait, in recto *quis*, & *cuis* scripsere: item *qui*, & *cui*, ut ait Donatus*: sic *quotidie*, & *cotidie*, ut inquit Papirianus †, item Annæus Cornutus*: sed ille per C, hic per Q præfert: adhæc *coquus* & *cocus*, *arquus* & *arcus*, *oquulus* & *oculus*, *quum* & *cum*: de quibus auctor Priscianus †. Quin in antiquis quoque Gruteri inscriptionibus reperias, *anticum*, pro *antiquum*; *acua*, pro *aqua*; *cuo*, pro *quo*; *cintus*, pro *quintus*; *ficis*, pro *fiquis*: & quædam alia. Ac contra in iisdem quoque legere est *liquebit*, pro *licebit*; *Qurtius*, pro *Curtius*; *sequlum*, pro *seculum*: eodemque modo scribitur in his, *manqupum*, *mequm*, *sequritatem*, &c. Multa quoque hujusmodi invenire est in scriptoribus antiquis, ut fusè ostendit Radulphus Fornerius lib. I rerum quotidianarum cap. ultimo. Imò observavi, Nonium Marcellum Grammaticum sanè sic satis antiquum, ut quem etiam laudet Priscianus, quotiescunque vocem secundùm literarum ordinem digerit, eas, quæ à Q incipiunt, non post P ordinare, sed iis immiscere quæ à C inchoant. Tu eum vide sis in *Quadrifariam*, *Quæstum*, *Quatere*, *Querela*, & *Quisquis*.

At dicas, si C, & Q, eadem sint litera, cur Q veteres sunt commenti? Mihi paullùm in cogitationem eam incumbenti, rimantique caussam, ob quam adjecerint Q, commodè sese obtulit hoc Martiani Capellæ*: *Q quidam literam non putabant, & vincerent, nisi in Equo, & Equitatu, appareret expressè.*

Verùm sunt hæc, ut ait ille †,

Gerra germana, atque adepol lira lira.

Nam, ut rectè argumentatur Priscianus*, si ideo secunda litera in *aqua* erit diversa à secunda in *acus*, quòd in *aqua* sequatur V cum vocali; non item in *acus*: erit quoque tertia in *anguis* diversa à tertiâ in verbo *angis*, quia in illo V cum vocali sequitur; in hoc non sequitur. Cæsar Scaliger † tamen, & ineptiusculè, & frustra sic contendi ait; argumentique vim ut eludat, *Dicimus*, inquit, *consultiùs quærendam aliam figuram ipsi G, quâ hanc capiamus potestatem, quàm prudentissimè inventum Q excludendum. Fatemur enim, G aliud atque aliud esse, non minùs quàm ipsum V, cùm sequitur vel Q, vel G, aut alias consonantes.* Sic ille. Verùm telum hoc minimè faciet, ut Prisciani sententia vivere non possit. Nam cùm C, G, aut S, collocatur ante V; atque hoc V vocalis aliqua excipit in eàdem syllabâ; cujus rei exemplum habemus in *cuis*; pro quo nunc *quis* scribimus; item in *anguis*, & *suesco*: non tam judicandum, C, G, aut S, mutare potestatem, quàm sequens V assumere mollicellum udumque sonum; eoque, si novâ omnino figurâ quâpiam sit opus, non tam eam ob aliquam è tribus præcedaneis literis, quæ potestatem servant, quàm ob natantem V literæ sonum, debuisse excogitari. Quàm enim abhorret à verâ ratione, ut figuram perdat litera, non cui de sono & vi deperit quiddam; sed quæ planè, vel magis alterâ, sonum servet? Atqui hoc fecere in Q, si verè scripsit Priscianus*: *Q propter nihil aliud scribenda videtur esse, nisi ut ostendat, sequens V ante alteram vocalem in eàdem syllabâ positum perdere vim*

* Persâ act. 4 Sc. Satin' Athena.
† Lib. de Metris, cap. Ut prisci poëtæ &c.
* Act. 2, sc. 1.
† De orthographia.
* Andr. act. 1, sc. 1.
† Apud Cassiodorum.
* De Orthogr.
† Lib. 1.
* Lib. 3, cap. de mutis.
† Plautus Pœnulo SC Sæpe ego.
* Lib. 1, cap. de numero literarum.
† De caussis L. L. lib. 1, cap. 10.
* Lib. 1, cap. de numero literarum.

vim litteræ in metro. Negamus igitur, verè scribi à viro summo, Q prudentissimè inventum esse: & magis negamus, quod idem ait, aliam figuram ipsi G quæri debere: atque ut, ob qualem qualem differentiam signandam, figura nova uteremur; negamus quoque ex ea figuræ diversitate rectè colligi posse diversitatem essentiæ. Nam, quod idem addit, G aliud esse atque aliud, id etsi concedamus hac mente, ut intelligatur G ante V liquescens à G ante A, vel E, accidente, aut modo solùm, differre: non tamen verum erit, si intelligatur, esse aliud atque aliud specie, quæ *ἑτεροειδῆ* vocantur, & ab Aristotele* ac Damasceno† dicuntur *διαφέρειν τῷ λόγῳ τῆς οὐσίας**. Quippe ut in aliis, ita in literis quoque, non tantùm substantiæ immutatio fit, ut cum litera pro literâ ponitur; sed etiam quantitatis, qualitatis, vel loci: quod nisi verum esset, malè reponeretur inter vitia potestatum, vel jotacismus, cùm I vasto hiatu profertur; vel lambdacismus, cùm L crassiùs sonat, ut *L Locus* pro *Locus*; aut Metacismus, ut vulgo vocant, qui dicendus mytacismus, vel motacismus, cùm M mugit; quibus de vitiis legere est apud Diomedem†, & alios. Quare utut aliqua diversitas agnoscatur in G, cùm post se habet Vau; ea tamen substantiæ ipsius non est. Idemque de C dictum velim, quando seu C scribas, seu K, seu Q, idem manet sonus, vis eadem: quemadmodum docet his verbis Priscianus*: *K, & Q, quamvis figurâ & nomine videantur aliquam habere differentiam, cùm tamen C eandem, tam in sono vocum, quàm in metro contineat potestatem*, &c. Nec movere debet, quòd vulgò apud Marium Victorinum legatur: *Nostri Latini cum literis uterentur, quas à Græcis acceperant*, A, B, C, D, E, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T. Ubi C, K, Q, inter sexdecim necessarias literas referri videmus. De C, & K, rectè. Nam C hìc sumitur potestate eâ, quâ valet G: unde in columna Duilliana, LECIONES pro LEGIONES, MACESTRATOS pro MAGISTRATUS, similiaque. Et hæc caussa est, cur tertio loco hic referatur, quem apud Græcos obtinet Gamma. Quare cum G prætereatur, quo veteres Romani carebant; K non potuit omitti. De Q aliter sentio: sed cùm V in sexdecim illis locus non sit datus, quæ necessaria est litera; planè statuendum, locum esse corruptum, ac Q demi; V addi oportere, hoc pacto: A, B, C, D, E, I, K, L, M, N, O, P, R, S, T, V. Et sic scripsisse, ex ipso Mario colligitur; ut qui postea dicat, sexdecim, quas recensui, literas, nec plures, à Cadmo in Græciam, vel ab Euandro in Latium illatas esse. Ac similiter de Q, & V, Plinius tradidit. Imò, ut apud Priscianum† legimus, *autoritas quoque tam Varronis, quàm Mauri, teste Censorino, nec K, nec Q, neque H in numero adhibet literarum.* Velius quoque Longus Q à multis è literis exclusum refert. Atque, ut idem ait, Nisus, tam in nomine, quàm verbo *coque*, utrobique C ponendum putabat. Nonius quoque pro *querela*, scripsit, *cuerela:* & *cuis*, pro *quis:* ut liquet ex serie literarum, capite de generibus indiscretis. Neque Q in commentariis suis posuit Nigidius Figulus, teste Mario Victorino*. Neque Licinius Calvus utebatur, ut ex eodem superius dicebamus. His cùm rationibus, tum autoritatibus subnixus, statuo & ipse, C, K, & Q, eandem esse essentiâ literam; utut paullùm liquescat V literæ sonus, cùm inter Q, & vocalem, medium obtinet locum.

* Lib. 10. Metaph. cap. 8.
† In Dialect.
* Differre definitione.
† Lib. 2, cap. de barbarismo.
* Lib. 1, cap. de literarum numero.
† Eodem capite.
* Lib. 1.

Cap. XIX.

Latinos, præter liquidas quatuor, quas accepere à Græcis, duas alias habere, V post Q, &, ex more antiquo, S finale ante consonam. Maronis vetus lectio firmata. Cur udæ quatuor liquescant post mutam potius, quàm aliam literam. Marius Victorinus corrigitur. Ubi de liquidarum natura præcipi debeat.

IN semivocalium quoque, tum Latinarum, tum Græcarum distributione senticetum errorum videre est. Sententiam quidem nostram ob oculos ponam, ut si placeat erudito lectori, subscribat; sin minùs, tam pereat quàm extrema faba.

Ac primò, præter quatuor liquidas sive udas (è quibus M, & N, nonnisi in Græcis dictionibus liquescunt, ut *Tecmessa*, *Progne*, *Cygnus*) est & muta, quæ liquida sit; nempe V consona, quæ liquescit antecedente Q. Nam, id nisi esset, prior in *aqua* & *equus*, itemque secunda in *equidem* positione producerentur. Nunc secus factum à poëtis; quos ipsa movit pronunciatio, quandoquidem V post Q (Bedæ verbis utor) *tam leniter effertur, ut vix sentiri queat.* Sanè sonum habet mixtum ex V vocali, & consono; quemadmodum & interdum fit post S; ut in *suadeo*, & *consuesco:* indeque est, quòd Donatus, (cujus sententiam & Marius Corradus† sequitur) velit in hujusmodi vocibus V nec vocalem haberi, nec consonantem. Apud antiquos vero S quoque in fine dictionis liquescebat; ut præter Grammaticos, autores sunt Cicero, & Quinctilianus. Exemplorum abunde est. Paucula tamen apponemus. Ennius apud Maximum Victorinum:

——Vitâ illâ dignu' locoque.

Et Lucillius apud eundem:

Tum literalis' dolor certissimu' nuntiu' mortis.

Catullus epig. ult.

Quare nos tela ista tua evitamus amictu.
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

Fortasse nec reformidavit hanc ἔκθλιψιν Maró. Nam penè in omnibus codd. antiquis invenias*,

Inter se coiisse viros, & decernere ferro.

Eoque modo & Priscianum legisse, apparet; ac è recentioribus id probant Pierius in Castigationibus Virgilianis, & Marius Corradus lib. 1 de L. L. Sed jure improbat Servius: qui alteram ait *veram, & antiquam lectionem*, & Ennium similiter locutum. Serviumque sequitur Politianus lib. XII epist. ad Bartholomæum Scalam. Quibus subscribo, non tam propter auctoritatem eorum, quam propter Senecam; cujus ætate αὐτόγραφον† Maronis superfuisse, ex Fabio liquet, qui ad manum Ciceronis ac Virgilii provocat lib. 1, cap. XIII. Quin eo antiquior Seneca sic epist. LVIII hunc Maronis versum adducit, ac *cernere* hic poni ait pro *decernere*, ut sæpe simplicia pro compositis usurpantur.

Porrò ex his omnibus colligimus, sex in universum esse liquidas; at dispari tamen ratione liquidas vocari. Nam V inter Q, & vocalem ejusdem syllabæ positum, uda dicitur, quia nunquam vim producendi habet: S verò, quia apud antiquos syllaba, quæ alioqui positione futura erat longa, fieret brevis, eliso S κατ' ἔκθλιψιν: M, & N, quia in Græcis, antecedente mutâ in eâdem syllabâ, vocalem naturâ brevem reddunt ancipitem: L, & R denique, eò quòd idem etiam præstent in Latinis.

Fortasse autem & rationem aliquis requirat, cur quatuor istæ, quas udarum nomen mereri in confesso est, magis quàm elementa alia liquescant, cùm subjiciuntur mutis. Equidem ne actum agam, tum etiam ob antiquitatem scriptoris, malo hanc rem signare verbis Marii Victorini, qui libro primo* eâ de re sic scripsit: *Dignum forsitan inquisitione sit, cur muta liquidæ sociata communem syllabam reddat: duæ autem semivocales, aut mutæ, copulatæ similiter inter se, nequaquam id faciant. Non immeritò. Nam cùm major in liquidâ, quam in mutâ virtus sit, utpote ametabolâ, quæ à tenore suo non immutetur: attamen inferiora paria sociata præstantur his, quæ ex impari veniunt; quod sub exemplo aperiam. Sicut enim minimè par ad nitendum virtus est asini mulo conjuncti, cum alter alterum, propter inæqualitatem naturæ non respondentibus viribus, dum jungitur, debilitat potius, quam juvat; ita hoc & his literis, quæ ex impari copulatione veniunt, intelligendum est, ut jugata instabiles semper, & lubrica sint, quia non pari, aut æquali virtute nituntur.* Hactenus ille. Sed de liquida ubi loquitur, pro *metabola* reposui *ametabola:* quia liquidæ ἀμετάβολοι, seu immutabiles.

Cùm autem totum hoc, quod de liquidis dicimus, intelligi nequeat, nisi ab iis, qui degustarint doctrinam de sylla-

† Lib. 1 de L. L.
* 12 Æn.
† Manum.
* Cap. de syllabarum naturâ & connexione.

syllabarum quantitate: patet eorum error, qui in Orthographiâ, tenella puerorum ingenia obtundunt distributione consonantium in mutas, & semivocales, & harum divisione in liquidas, duplices, & μοναδικὸν S. Sanè cùm percipi non possit à quoquam, quomodo uda post mutam posita liquescat, hoc est, vim ἁπλῶς producendi syllabam amittat, nisi qui didicerit, quid sit positio debilis: tota hæc distributio melius differtur, usque dum ad Prosodiam deventum est.

Cap. XX.

Ostenditur, esse sonum, nomine ac figurâ hactenus carentem, medium inter G, & N, ac fortasse ex utroque mixtum: unde Germani ac Belgæ eum non per solum G, ut Græci, nec solo N, ut Latini, sed per NG exprimant: eoque dubitari posse, utrum sonus is simplicis sit litera, an sesquilitera, an etiam duplicis.

POteramus jam manum tollere de mutarum & liquidarum tabulis, nisi quædam esset litera ἀνώνυμος *, quæ intermediam haberet naturam inter mutam G, & liquidam N; unde à Græcis per adulterinum Γ scribitur, à Latinis per N adulterinum. Illustris est hac de re locus doctissimi Nigidii Figuli, cujus hæc verba apud Agellium lib. undevigesimo, cap. ult. *Inter literam N, & G, est alia vis; ut in nomine Anguis, & Angaria, & Ancoræ, & Increpat, & Incurrit, & Ingenuus. In omnibus enim his non verum N, sed adulterinum ponitur. Nam N non esse, lingua indicio est. Nam si ea litera esset, lingua palatum tangeret.* Apponam & egregium locum Marii Victorini, paulloque emendatius, quàm legitur vulgo. Ejus hæc verba lib. 1: *Clari in studiis viri, qui aliquid de orthographiâ scripsere, omnes fere ajunt, inter M, & N, literas, mediam vocem, quæ non abhorret ab utrâque literâ, sed neutram propriè exprimat, tam nobis deesse, quàm Græcis: cum illi Sambyx scribant, nec M exprimere, nec N. Sed hæc ambiguitas in his fortasse vocabulis, sicut in Ampelo, Lycambe. Nam in nostris suprà dictis non est, quia non inter M, & N, medium sonat; ut Unquam, & Nonnunquam, & similia: sed inter N, & G. Nam & Græci, cum scribunt ἄγγελος, ἄγγος, & similia, si syllabam AN sequatur syllaba, quæ initium habet à G, & à C, convertunt N litteram in G, & pro N, G scribunt: ut, ἄγγελος, ἄγχεμ, ἄγκυρα; cùm inter N, & G, medium sonet vocis producta: non, ut aliis videtur, inter M, & N.* Hæc Victorini verba refellunt, tum Adolphi Mekerchi † errorem, qui putabat Græcos in ἄγγελος, ἀγχίαλα, Ἀγχίσης, Γ extulisse, prout Latini solent in *aggrego*, & *aggero*: tum alius summi viri, qui contendit, Græcos, ut N in hujusmodi sonabant, ita N scripsisse; atque hoc parêre è codd. aliquot antiquis, in quibus invenerit, ΑΝΓΕΛΟΣ, ΑΝΚΥΡΑ, ΑΝΚΑΛΗ, & alia quædam hujuscemodi. Quodque hodie exaramus per Γ, id comminiscitur originem cepisse è librariorum quadam consuetudine, quia superioribus aliquot seculis, cùm minusculis literarum formis uti vellent, Ny pingere soleant charactere non multum à Gammæ figura abeunte. Hæc omnia acutiùs, quàm veriùs, dicta esse, docet nos locus, quem adduximus è Victorino, scriptore & erudito, & antiquo; ut quem cum Donato, Hieronymi magistro, vixisse vel ex Eusebio constare possit. At, inquit, vir ille doctissimus, quid opus fuit præpositionem ἐν ante γ, κ, χ, aut ξ, mutare ν in γ, si ν non aliter sonat, quàm γ? Et quam, inquit, alienum à ratione est, cùm præpositionis natura exigat ν, tamen γ poni, quod non ut γ, sed ut ν ejectum sonet? In errorem eum impulit, quòd vulgò doceant, Γ ante hasce literas sonare, ut N. Nam potiùs dicere debuerant, ut N adulterinum; quomodo loquitur Nigidius; qui non esse verum N, eo solidè probat, quòd lingua palatum non tangat. Itaque nec Romani semper scripsere N; sed antiquiores ejus loco G usurparunt, more Græcorum; quia difficile esset dijudicare, utra magis litera haberet locum. Hoc è Varrone nos docet Priscianus. Cujus hæc verba lib. 1: *Sequente G, vel C, pro N, G scribunt Græci. & quidam etiam vetustissimi autores Romanorum, euphoniæ caussâ bene hoc facientes; ut, Agchises, Agceps, Aggulus, Aggens. Quod ostendit Varro primo de origine linguæ Latinæ, his verbis: Aggulus, Aggens, Agguilla, Iggerunt. In ejusmodi Græci, & Attius noster, binam G scribunt: alii N, & G: quod in hoc veritatem facile videre non est. Similiter Agceps, & Agcora.* Hactenus Priscianus, cùm suis, tum Varronis verbis. Neque propterea existimandum, esse verum G. Nec enim γ in σάλπιγξ sonat, ut γ: cùm sequatur ξ, quod valet κσ: γ autem ante κ non possit in eâdem syllabâ pronunciari. Quare dicendum hic, ut N est adulterinum, ita & G esse adulterinum. Hac de caussâ Germani, ac Belgarum illi, qui à Germaniæ lingua solùm differunt dialecto, utramque literam scribunt, ut sonum hunc exprimant. Ut in *gesang*, quod iis est *cantio*: item in *lang*, quod est *longus*: *bang*, hoc est, *anxius*: *streng*, hoc est, *severus*: *de long*, id est, *pulmo*: & similibus multis. Quod si populi isti sonum vocis *longus*, *angelus*, *Anchises*, exprimere vernaculo more vellent, sine dubio scriberent, *long-gus*, *ang-gelus*, *Ang-chises*. Et fortasse cùm Latini, tum Græci, sic rectius scripsissent, quàm quod unâ hunc sonum literâ se exprimere posse judicarunt. Quippe sonus auditur mixtus ex N, & G; sed fractus: ut ambiguus sim, rectiusne sonus is unius dicatur literæ, quasi sit ex duabus literis dimidiatis: an duplicis, quia quomodocumque duarum auditur literarum sonus: vel etiam sesquiliteræ, quia sic sonus est mixtus, ut interea, in hac literæ geminæ fractura, ex utraque plus quam dimidium retineam. Neque difficile fuisset figuram invenire huic sono exprimendo. Potuere enim Græci literæ N in summo addere lineolam jacentem, ut litera Γ integrè exprimeretur. Nempe hoc pacto N̄. Potuere item Latini in imo pro G addere semicirculum, hunc in modum, N‿. Sed de isto satis. Nec enim sum Claudius imperator, ut novas me literarum figuras inducere posse existimem.

* Nomine carens.

† De veteri pronunciatione linguæ Græcæ, cap. 53.

Cap. XXI.

Duplicem nullam Latinis aut Græcis literam esse; sed literarum compendium. Nigidius Figulus refugit X. Antisigma, Claudii inventum, cujus figura, & potestatis. Hebræorum tsade nunc in T, nunc in S converti à Græcis, & Latinis: unde Sarra eadem, ac Tyrus. Attici veteres pro Ξ exarabant ΚΣ: idem fecisse Æoles: eorumque exemplo pro X scripsisse Latinos CS. Isidori lapsus de X. Quam antiquus sit figuræ Z usus apud Romanos. Latinis non ponitur X pro GS, sed tantum pro CS. Z in G mutatum. Γίτυς. Ποτίβαζις. Z non valere SS, sed DS. Σδεύς. Ζάβολος. Non idem omnino sonus hujus literæ Latinis, ac Græcis. Zmyrna, Zmaragdus.

AB hoc sono ex N, & G, misto, seu unam is, seu geminam constituat literam, ad illas venio, quas duplices esse, Grammatici consentiunt. Quales à Græcis statuuntur tres, Ζ, Ξ, Ψ. Latini duas credi volunt, X, & Z: quibus nonnulli addunt I inter duas vocales positam. Verùm sunt hæ tum Latinorum, tum Græcorum ædilitiæ quidem edictiones; sed sine populi, vel sapientum potiùs suffragio.

*Cur * ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.*

Sic semper censui, in enumeratione literarum, nullum esse duplicibus locum, quoniam non convenit eis literæ definitio. Nam quod pro duabus ponitur literis, id non est pars orationis minima atque individua. Certè duplices non necessitate sunt inventæ, sed tantùm ut velocius scriberetur: unde Fabius lib. 1 †: *Et nostrarum ultima X, quâ tamen carere potuimus, si non quæsissemus.* Eoque, ut ait Marius Victorinus *, *Nigidius in libris suis X literâ non est usus, antiquitatem sequens.* Quod si etiam compendia istiusmodi literæ dici possunt, tum sanè, ut de variis chara-

* Horat.

† Cap. 4. sive de Grammaticâ.

* Lib. 1.

characterum nexibus, præsertim apud Græcos, nihil dicam, novæ quoque literæ fuerint; si hodie quis nomen figuramque fingat, quâ comprehendat BL, BR, CL, CR, GL, GN, GR, PL, PR, PS, &c. Nec opera, quæ in hâc re excogitandâ poneretur, veterum careret exemplo; quando Claudius Cæsar invenit antisigma, quæ tantumdem valet, ac Græcorum Ψ. Unde Priscianus libro 1 *: *Huic S præponitur P, & loco Ψ Græcæ fungitur, pro quâ Claudius Cæsar antisigma ↄc hâc figura scribi voluit, sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare.* Porrò quòd Græci finxere Ψ, id ex eo est, quia Hebræi haberent צ, quod valet ts. Græci autem non tam nota τῦ τσ, quàm τῦ πσ indigebant. Unde pro צ recepere Ψ, potestate paullùm diversâ; sed non valde dissimili figurâ. Non indiguisse autem Græcos, vel etiam Latinos, τῦ צ, arguit, quòd in vocibus Hebræis ex צ sive TS, vel solum T retinent, vel solum S. Ut ex צור, *Tsor*, tum est Τύρος, tum *Sarra*. Nam eadem Sarra ac Tyrus: uti poëtis pro eodem sumuntur *Sarranum ostrum*, & *Tyrius murex*. Hujuscemodi verò compendia quoque esse, X, & Z, hoc ipsum comprobat, quòd duplices appellantur, quodque antiqui simplicibus earum loco uti solent. Sanè Attici serò usurparunt Ξ; Æoles nunquam; sed loco ejus scribebant ΚΣ: E. G. ΙΕΡΑΚΣ, pro ἱέραξ. Longo quoque tempore imitati hunc morem Latini: atque adeò etiam a nonnullis observatus est post Antoninorum imperium; quod ex vett. lapp. manifestum est. Quid quod etiam in Longobardicis exemplaribus invenias DICSIT, pro *Dixit*; & similia? Sed imprimis sententiam nostram juvat Isidorus, si verè scripsit, literam X Augusti demum ævo esse inventam. Verba ejus adsero: *X litera usque ad Augusti tempora nondum apud Latinos erat; sed pro eâ C, & S, scribebant.* Verùm fallitur sive Isidorus, sive Grammaticus is, quem secutus Isidorus. Nam, ut mittam monumenta ea, quæ tempore Jul. Cæsaris sculpsere, in ipsâ Duillii columnâ legitur EXFOCIUNT, pro *effugiunt*. Nec omnes tamen eo utebantur. Nam Nigidium Figulum, Romanorum, post Varronem, doctissimum, in libris suis refugisse, auctor est Victorinus. At Z quàm antiquum sit, argumento est, quòd Velius Longus scribit, inveniri id in carmine Saliari. Neutiquam igitur Romani tam serò duplicibus uti cœperunt, quam nonnemo persuadere conatur.

* Cap. de literarum numero & affinitate.

Nec tamen ea res quidquam derogat sententiæ nostræ; quando sufficit, quòd veteres plurimùm simplicibus uti soleant. Hinc enim jure colligimus, rectè eos sensisse, qui, Valerio Probo teste, X (par autem in Z ratio est) supervacuum esse tradiderunt. Verùm alius hic sese scrupulus offert. Nam passiva hæc Grammaticorum opinio est, X non CS tantùm valere, uti nos dicebamus; sed nunc CS, nunc GS: ac pro utro ponatur, cognosci ex obliquis. *Dux* enim poni pro *ducs*, quia dicimus *ducis*: *rex* pro *regs*, quia obliquus ejus sit *regis*. Ita Martianus Capella lib. III, cap. de semivocalibus; Diomedes lib. II, cap. de literarum interrogatione; Marius Victorinus lib. 1, cap. de literis; Priscianus lib. 1, cap. de literarum numero, & permutatione: &, è recentioribus, Jovianus Pontanus libro de adspiratione †. Verum si ex obliquo cognosci debet, pro quibus X litera ponatur, quid dicemus de *nix*, quod *nivis* facit? Præterea aut *rex* non est idem ac *regs*, aut malè ab omnibus profertur, ut *recs*. Erroris fons & caput Grammaticis fuit, quod non cogitarent, C nominativi in obliquis mutari in mediam G, haut secus ac in compositione interdum fit. Nam à *nec* & *otium* est *negotium*; a *nec*, & *lego*, *neglego*. Similis est Græcorum lapsus, cùm ξ poni voluere pro κσ, γσ, χσ. Nam tantùm pro κσ usurpatur: sed κ interdum mutatur in γ: ut, πλέκω πέπλεγμαι. Verùm in obliquo *nivis*, à *nix*, nulla fit literarum mutatio. Nam rectus olim fuit *nivis* & *ninguis*, vel, ut prius scribebant, *nincuis*: quomodo & antiquitus dicebatur *nivere*, & *ningere*, vel potiùs *nincere*, ut alibi ostendimus. Sed ut evincant, X etiam valere GS, dicent, veteres pronunciâsse, *regs*, non *recs*: atque, ad hoc probandum, sufficere nobis debere, quòd sic scripserint. Esse enim aperta Marii Victorini * verba: *Nostri voces, quæ in X literam incidunt, si in declinatione earum apparebat G, scribebant G & S: ut, Conjugs, legs, & similia, per G, & S.* Hæc pluribus refellenda sunt nobis. Ac primùm iis adversatur, quòd antiquis rectus fuit hæc *conjugis*, hæc *legis*, vel *leges*; hic *regis*, vel *reges*. Quomodo pro *merx* Sallustius *merces* dixit, teste Charisio: & antiqui, Festo auctore, pro *fax faces* extulere. Imò ut antiquis *pax*, *rex*, similiaque, fuissent monosyllaba; *conjux*, dissyllabon: non tamen consequeretur, antequam X receptum fuit, talia iis per GS scribi solere. Nam veteres caruere literâ G, ejusque loco semper C usurpabant: ut *pucnare*, pro *pugnare*; similiaque. Cujus rei, præter veteres Grammaticos, columnam Duillianam testem superiùs adducebamus. Adhæc, ut aliqui scripsissent ea per GS, non propterea tamen probari debeat hæc scribendi ratio, nisi similiter illa extulere. At aliter sonuisse, inter cætera argumento est nobis, quòd in veteribus monumentis exaratum sit, *lucserunt*, pro *luxerunt*, etsi fit a *lugeo*; coque, si fides habenda esset Grammaticis, *lugserunt* scribi oportuerit. Quemadmodum & in iisdem lapidibus, *ucxor*, pro *uxor* reperias: item *conjuncx*, *juncxit*, *extincxit*, aliaque: perperam fateor, cùm C in X contineatur: interea unde errorem hunc provenisse dicemus, quòd ante X, C exararent, non G; nisi quod X, ut CS pronunciarent? Denique, ut & hoc iis demus, *dux* valere *ducs*, *rex* verò *regs*: non tamen, ut putarunt illi, una utrobique litera erit. Nam si C, & G, diversæ sunt literæ; etiam duplex ea, quæ pro CS ponitur, diversa erit ab illa, quæ scribitur pro GS.

* Lib. 1.

In Z similiter peccatum. Hoc multi hodie pronunciant eo pacto, quo à Gallis G effertur ante E, & I. Nec in Latinis solùm is mos obtinet; sed etiam Græcis. Nam, ut Scaliger quoque monuit, Græci hodierni, cum mensem *Ginmadi* volunt signare, scribere solent ζιμαδὶ: etiam *Agiami*, hoc est Persam, vel Barbarum, Ἀζαμι. Imò apud antiquos etiam ea consuetudo habuit locum. Ostendunt hoc verba Martiani Capellæ: *Z à Græcis venit, licet etiam ipsi primo G Græcâ utebantur. Nam ΓΕΤΥΜ dicebant, quem nunc Zetum dicimus.* Et contrà ποτίβαζις dixere, pro ποτίβαγις, vel ποτίβαγις. Qua de voce ita apud Athenæum † scribit Dinon lib. III Rerum Persicarum: Ἔστι ἡ ποτίβαζις ἄρτος κρίθινος, καὶ πύρινος ὀπτὸς, καὶ κυπαρίσσου στέφανος, καὶ οἶνος κεκερασμένος ἐν ᾠῷ χρυσῷ, οὗ αὐτὸς βασιλεὺς πίνει. *Est vero potibazis, ordeaceus panis assus, atque etiam triticeus: hederacea item corona ex cupresso: & vinum in aureo temperatum ovo, ex quo Rex ipse bibit.* Estque id nomen Assyrium sive Chaldæum, פתבג, quod leges apud Danielem cap. 1, vers. 8. ubi exponunt, *buccellam* vel *portionem escæ*. Ex iis verò, quæ ex Dinone adduximus, liquet, non solum cibum notare, sed etiam coronam, & alia.

† Lib. 11.

Non desunt, qui Z pro duplici SS poni existiment, quia in id crebrò convertatur. Sed si hoc argumentum firmum est: dici poterit, Z esse simplicem literam, quia veteres interdum, ut jam vidimus, in G mutarint. At quid absurdius sit, quàm contendere, Z sonuisse, ut G, quia in id Latini converterint? Nec igitur firmo nituntur tibicine, cum Z volunt sonuisse, ut duplex SS, quia Latini dixerint, *Atticisso*, *Sicilisso*, *patrisso*, quæ Græcis scribuntur per Z. Sanè quibus hoc argumentum placet, quin A dicunt sonuisse, ut E, vel I; aut O, ut P? Nam & horum unum non rarò convertitur in alterum. Aliud quoque telum se offert, ad expugnandam hanc opinionem. Nam qui Z potest poni pro SS, cùm diversa adeò sit amborum pronunciatio; ac duplex SS in principio vocis locum non habeat, Z habeat; ut in *zythus*, *Zacynthus*, *Zethus*. Imò nec ipsum literæ nomen pronunciare possemus secundùm hanc potestatem. Quæ cùm ita sint, iis subscribimus, qui docent, Z scribi pro DS: ut *zythus*, pro *dsitus*; *Zethus*, pro *Dsethus*; *patrizo*, pro *patridso*, &c. Juvat eam sententiam, quòd Dores literas hasce traji-

† Fol. 3. b. edit. Ald.

cien-

cientes, pro ζ dicunt σδ; idque cùm in media dictione, ut συρίσδω, pro συρίζω; tum in initio, ut σδυγὸς pro ζυγὸς, & fortasse pro Ζεὺς Σδεὺς, unde in veteri nummo à Goltsio adducto in thesauro rei antiquariæ, ΣΔΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΟΣ. Nam in hujusmodi μετάθεσιν fieri, probari quoque potest testimonio Verrii Flacci, qui sensit, X à C, at Z à D inchoare. Sic enim de eo Velius Longus: *Verrio Flacco placet, (X, & Z,) mutas esse, quoniam à mutis incipiant, una à C, altera à D.* Quamobrem nec mirum, si Æoles Δ mutent in Z: ut ζανυκτὸς pro διὰ νυκτὸς †: ζαβάλλειν pro διαβάλλειν, unde ζάβολος pro διάβολος ‡. Quo & usi Cyprianus, Hilarius, alii: imo Paullinus vix aliter unquam, quam *zabolus* dicit. Simileque *zeta* pro *diæta*. At minùs etiam mirandum, si Latini Z, quod ex D, & S, conflatum est, nunc in D commutent, nunc in S. Priscianus lib. I, extremo cap. de literarum numero: *Y, & Z, tantummodo ponuntur in Græcis dictionibus, quamvis in multis veteres hæc quoque mutâsse inveniantur, & pro Y, V; pro Z verò, quod pro SS conjunctis accipitur, S vel D posuisse; ut fuga, murrha, pro φυγὴ, μύῤῥα; Saguntum, massa, pro Ζάκυνθος, μᾶζα; odor quoque ἀπὸ τοῦ ὄζειν, Sethus pro Ζῆθος dicentes, & Medentius pro Mezentius.*

† *Noctu.*
‡ *Calumniari.*

Meritò autem ambigat quisquam, idemne fuerit Zetæ sonus apud Latinos, qui apud Græcos. Disputat fusè hac de re Pierius * in Castigationibus Virgilianis. Verùm argumenta ejus pleraque valde sunt infirma: adeò quidem, ut placeat judicium Jos. Scaligeri, qui in diatriba de varia literarum pronunciatione †, ait, Pierium nusquam fuisse χαμαιμηλώτερον, magisque ineptum. Sanè non ex ævi nostri linguis, vel vulgari pronunciatione, sive Latinorum, sive Græcorum, de natura Zetæ judicium ferri debet; sed eo ex sono, quem germanum esse, cùm optimi ævi scriptorum autoritas, tum validæ rationes evincunt. Hujusmodi est locus ille Valerii Probi ‡, qui non video, ut eludi possit: *In hac est aliquid obscurum, quod in Latinâ non est; quia illa dijudicatur, cui syllabæ inhæreat; hæc autem ita duplicem efficit sonum, ut cui accommodata sit, ignoretur: ut, Mezenti ducis exuvias. Ergo illi errare noscuntur, qui hanc dupliciter scribunt.* Hæc Probus, quem id velle opinor, Græcis *Mezentius* sic sonare, ut pareat, Z ad sequentem syllabam pertinere: at Latinos sic efferre, ut dubitari possit, ad prioremne, an posteriorem referatur. Interea nec hinc colligi, inquit, Zeta Latinis duplicem esse. Nisi fortè ex eo, quòd à nonnullis Z geminari, extremis verbis indicet Probus. Neque non video, eos hoc nomine inibi reprehendi: verùm planè judico, hoc eo consilio ab illis factum esse, quòd Z duplicem esse non putarent. Quosdam enim id negâsse, disertim scribit Terentius Scaurus. At dementes erant, qui hoc inficiarentur, si sonus ipse in sermone Latino eos poterat redarguere. Fortasse & iccirco Grammatici Z non ἁπλῶς duplicem esse dicunt; sed duplicem esse, apud Græcos naturâ; apud Latinos, imitatione. Hæc mens videtur quoque fuisse Probi, cùm ait lib. I, cap. III: *Z litera apud Græcos duplex est. Ita & apud Latinos invenitur: ut, Contemtorque Deûm Mezentius. Et, At medias inter cædes exultat Amazon.* Loquitur similiter Marius Victorinus lib. I. *Syllabæ positione longæ fiunt, si desinant in duplicem literam X: ut, Nox erat &c. si excipiantur à duplici literâ, ut, Axe sub æthereo. Idem hoc & in Z: ut, Mezenti ducis exuviâs: quæ apud Græcos duplex est.*

* *In 8 Æn.*
† *Inter opuscula Scaligeri posthuma.*
‡ *Lib. 1, cap. de positione.*

Non levem quoque suspicionem injicit, quod in MSS. ac lapidibus, legere sit, *Zmyrnai*, pro quo in aliis, *Sdmyrnai*: ut ex veterum inscriptionum opere videre est. Imò apud Martianum Capellam * liquido legitur *Zmyrna*: ac, ne librarii culpam putes, ostendere eo nititur Capella, Z locum habere ante M. Nec *Zmyrna* tantum; sed & *zmaragdus*, in vett. monumentis non semel inveniri, Pierius rectè docet. Quare videri possit sonus ejus non multùm abiisse à sono S: præsertim cùm & LEZBIA in iisdem legatur pro LESBIA. Hodie sanè molliùs etiam, quàm S, profertur. Nec eo istud dico, quòd hanc rationem scribendi approbem; sed quia propterea verisimile sit, fuisse inter illa similitudinem aliquam, quæ in errorem impulerit sculptores. Sed hæc suspicione tantùm nituntur. Quare iis oppono, quòd Poëtis Z semper sit duplex. Seu igitur eundem planè, seu paullò alium, quàm apud Græcos, habuerit sonum; justa ratio non est, cur Z è duplicium numero expellatur: quæcunque autem duplex est, eo ipso, quòd duplex sit, non esse litera cognoscitur.

* *Lib. 3, cap. de mutis.*

CAP. XXII.

Consonas I, & V, nunquam fieri duplices, probatur. Refellitur opinio Cæsaris Scaligeri, existimantis, in bijugus, *&* quadrijugus, *antepenultimam corripi, quia ex sequenti syllaba, vel I, vel V, elidatur. Poëta vetus apud Tullium emendatus. Consuetudo vetus geminandi I in* pejus, reii, Caijus, Pompeii, *& similibus. An Q sit duplex litera, quæsitum. Veteres scripsisse,* aqa, equs, qis, *& similia, absque V.*

VIdendum deinceps, rectene, an secus, duplicibus annumerent I, quando inter vocales medium obtinet locum. Mihi latæ culpæ rei videntur, atque hoc inde colligi posse arbitror, quòd nulla ratio fuit, cur hoc in I magis, quàm V consono, locum haberet. At V non fieri duplicem ex ejusmodi situ, ostendunt *ovis*, *avis*, *severus*, *juvo*, *caveo*, *lavo*, & sexcenta alia. Imprimis autem eo hæc sententia refutatur, quòd *bijugus*, *trijugus*, *quadrijugus*, I ante I consonum corripiant. Maro X Æn.

Interea bijugis infert se Leucagus albis.

Ausonius epist. XI ad Axium Paullum:

Vel cisio trijugi, si placet, insilias.

Maro III Georg.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Cæsar Scaliger cap. XII de caussis L. L. argumento isti sic occurrit: *Maro verbum illud REIICE fecit tribrachyn, extrito A, quæ fuerat in origine simplicis IACIO: quâ sublatâ, necessariò in veterem vocalis naturam restitutum fuit I: quo exemplo etiam in BIIVGO, & QVADRIIVGO, idem evenit.* Mens Scaligeri est, ut prima in *Rejice* fit brevis, si, extrito altero I, dicamus *Reice*: sic primam in *Bijugus*, & secundam in *Quadrijugus*, fieri brevem, quia extrito V dicatur *biigus*, & *quadriigus*, vel, si I ejici malis, *biugus*, & *quadriugus*. Sed quod Scaliger credidit, parem esse horum rationem, id facilè refellitur. Nam prior in *reice* invenitur porrecta, & sæpe invenitur: imò, si per geminum I scribas, semper longa est: contrà *bijugus*, & *quadrijugus*, semper per I, & V scribuntur, nec eò minùs penultimam semper corripiunt. Objiciat fortè aliquis Iambicos istos incerti poëtæ apud Tullium lib. I Tusc. Quæst.

Vidi, videre quòd me passa ægerrimè,
Curru Hectorem quadrijugo raptarier.

Quomodo eos quoque adducit Fulvius Ursinus in collatione Maronis cum Græcis *. Sed non cogitavit vir doctissimus, veteres secundam in *Hectoris*, & similibus, produxisse: quomodo idem Ennius alibi ait:

Hectoris natum de muro jactarier.

Alioqui, puto, vidisset, versu secundo, trajectis primis verbis, legi debere:

Hectorem curru quadrijugo raptarier.

* *In 2 Æn. pag. 239.*

Dixerit aliquis, negari interim non posse, extra ista à *jugo* venientia, produci semper vocalem ante I duas inter vocales positum. At plerique ne illud quidem concesserint: & in his Pierius; ut qui probet vulgatam hanc lectionem apud Maronem in V Æn.

Ore rejectantem, mistosque in sanguine dentes.

Etsi aliis in libris *ejectantem* legi fateatur. Quomodo & in Macrobii codd. exaratum. Et sine dubio id verius est. Nec propterea, quòd E producatur, in caussa esse existimandum, quia I fiat duplex consona: sed potiùs, quoniam vocalis præcedens vel ut EI sonuerit, vel proximè ad hunc

hunc sonum accesserit. Nempe in hujuscemodi erat olim diphthongus; cujus & postea quantitatem syllaba retinuit. Nam, ut Priscianus * docet, veteres scripsere *eijus* (quod in veteri quoque inscriptione legitur) *peijus*, *Maija*, *Pompeiji*. Itaque Lucretius priorem in *eii*, & *reii*, producit. Dixit & Plautus Curculione act. IV, sc. Non ego nunc:

[* Lib. I. cap. de numero literarum.]

Is Summanum se vocari dixit, eii reddidi.

Item Epidico act. I, sc. I:

Travolaverunt ad hostes. tum ille prognatus Theti
Sine perdat: alia apportabunt eii Nerei filia.

Utrobique *eii* omnino legendum, cùm sint Trochaici. Par ratio illius Iambici in Cistellariâ act. I, sc. II:

Feci ejus eii, quod me oravit, copiam.

Sed & hanc rationem scribendi à Julio Cæsare probatam fuisse, testari videtur Victor Grammaticus apud Priscianum libro primo. Imò Ciceronem quoque *aijo*, & *Maijam*, scribere solitum, cùm è Velio Longo ‡ discimus, tum è Quinctiliani lib. I †.

[‡ Lib de Orthogr.]
[† Cap. 4, cujus lemma, de Grammatica.]

Hæc qui ignorat, non metuet, priorem in *Cai* corripere, quia vocalis est ante vocalem. Verùm cùm veteres dixerint *Caijus*, pro *Cajus*, & vocativo *Caii*, pro *Cai*; jure retinetur quantitas diphthongi. Martial. lib. XI, ep. XXX.

Quod peto da, Cai, non peto consilium.

Item lib. IX, epigr. XCIV:

Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, & illinc.

Estque id ipsum in caussâ, cur etiam, cùm *Caius* trisyllabum est, prima producatur: quod quater à Martiale eodem in epigrammate † factum. Inter alios est hic versus:

[† Lib. 9 epigr. 94.]

Pervigil in plumâ Caius ecce jacet.

Cui simile hoc ejusdem alibi *:

[* Lib. 5. epigr. 14.]

Post Caiumque Luciumque consedit.

Est enim scazon.

Itidem manifesto in errore versari deprehenduntur Marius Victorinus †, atque alii; qui V quoque duplicem fieri consonantem volunt, quoties in præteritis activis ponitur inter vocales duas: ut, *manavit*, *nequivit*. Nam quæ proxima est ab ultima, porrecta est, juxta præteritorum naturam; quæ tum in dissyllabis, tum polysyllabis, in syllabam *vi* desinentibus, producunt penultimam. Est igitur ea longa, non ob digamma sequens, sed naturâ suâ: eodem planè modo, ac fit in *ovum*; cujus prior longa est, non ob V, sed quia Græcè est ὠὸν: unde in *ovis* contrà fit, quoniam est ab οἶς. Et sanè, si V in præteritis esset duplex, non dixisset Catullus ‡:

[† Lib. I de syllabarum natura & connexione.]
[‡ Carm. de comâ Berenices.]

Non, ita me Divi, vera gemunt, iverint.

Quomodo legit Jul. Scaliger lib. I de caussis L. L. c. XXV, & lib. de Comicis dimensionibus, quem postea Epinomidi, seu septimo de re poëticâ inseruit. Item Valens Acidalius in divinationibus Plautinis; qui & Plautum sic locutum putat, ut infrà dicemus. Magis tamen placet, *juverint*; quod reperio in antiquâ Regiensi *, & Jos. quoque Scaligero video arridere. Nempe offendit eos, qui mutarunt, præteritorum natura; quæ, si dissyllaba sint, priorem sere habent porrectam. Sed hac de re alibi. Ut ut legas, juxta eos, prima produci debuisset. Et cur in præteritis magis sit duplex, quàm in *uva*, *navis*, *vado*, *vivo*, atque aliis? ubi syllaba antecedens itidem porrecta est; sed non ob sequens digamma, verùm naturâ suâ.

[* Anni 1481.]

Præterea si iis V in præteritis duplex videtur: docere debuerunt, pro quibus consonantibus poneretur: aut si id non potuerunt, nec alterum præfidenter adeo dicere debuissent. Quippe augendo temere duplicium numerum, haut implent munia sapientis; cujus, ut philosophi docent, est imitari Deum, ac naturam, neque multiplicare res frustra.

Quod si omnino tanta eos lubido tenet plures constituendi duplices, aliam viam ingredi poterant. Ecce enim offert sese Q; quæ eo magis se inter duplices non recipi indignatur, quia magni viri hunc locum consonæ V longe id minus promerenti assertum eant. Ac ne nullâ τῇ Q ratione subnixum putes, affirmat, si spectemus literæ potestatem, parituram, se constare ex C, & V: quo nomine & duplicem, ac compositam appellatam ait Martianus Capella lib. XIII †. *Constat*, inquit, *Q ex C, & V. Ideoque duplex, & composita dicitur.* Firmat idem Diomedes lib. II, cap. de literarum interrogatione; *Q*, ait, *consonans muta ex C, & V, literis composita, supervacua; quâ utimur, quando V, & altera vocalis, in unâ syllabâ junguntur: ut, Quirinus.* Imò non tantùm essentiæ seu potestatis ratione Q composita dici potest; sed etiam figuræ. Nam qui ejus in scribendo ductum consideràrit, reperiet in eâ, quà parte caudam trahit, ad literam C esse adjectum V, cujus pars una protrahitur, altera hiatum literæ compescit. Atque inde est, quòd in vett. codd. non rarò alterum V, tanquam in Q contentum, prætereatur. Ita in iis legere est, EQUS pro EQUUS. Ac in antiquis etiam inscriptionibus interdum hic occurrit scribendi modus. De tota hac re illustris est locus Velii Longi, quem appono: *De Q literâ quæsitum est, & multi illam excluserunt, quoniam nihil aliud sit, quàm C, & V: & non minus possit scribi Quis, per C, & V, & I, & S. Nam ipsa quoque nota, quâ scribitur, si modò antiquam literæ figuram spectes, ostendit, C esse & V pariter literas in se confusas. Ideoque nonnulli, QVIS, & QVÆ, & QVID, per Q, & I, & S, scripserunt, & per QÆ, & per QID, quoniam scilicet in Q esset C, & V.* Ita Longus. Nec obstat, quòd Probus adversus eos disputat, qui SEQI in præterito scribebant à SECO, aut AQI ab ACUO. Nam in hisce ratio dispar: quia C ad aliam, quàm I, syllabam pertinet, contra quàm fit in SEQI à *sequor*, aut nomine AQA, & similibus. Quibus hæc displicet sententia, eo se tuentur; quòd, si Q duplex esset, positione syllabam efficeret longam instar aliarum duplicium. Nos telum hoc velut amictu evitamus: nempe uno istoc, quòd, ut ceteræ liquidæ post quamvis mutam, ita V consonum post unum C sive Q, vim producendi syllabam amittat. Alii malunt respondere, V hic esse vocale. Sic sanè Diomedes ac Priscianus appellant. Imò hæc sententia videtur subnixa Fabii ipsius auctoritate lib. XII, cap. X: *Duras*, inquit, *& Q syllabas facit* (sic legendus is locus) *quæ ad conjungendas demum subjectas sibi VOCALES est utilis: aliàs supervacua: ut Equos, & Equum, scribimus, cùm ipsæ etiam hæ VOCALES DUÆ efficiant sonum, qualis apud Græcos nullus est, ideoque scribi illorum literis non potest.* Verùm si in *QUIS* (Velii Longi verbis utor) *omnino hæc vocalis est V, procul dubio hæc syllaba longa esset: quoniam nunquam duæ vocales conveniunt, nisi ut longam syllabam faciant.* Hæc, apud Grammaticorum sanorum collegia, pro caussâ literæ sive duplicis Q adferre pretium operæ duxi.

[† Cap. de mutis.]

Cap. XXIII.

De tribus numerorum notis, quæ inter characteres literarum Græcarum antiquitùs collocabantur.

Fortasse autem nondum omnes literas ad classes suas retulisse cuiquam videbimur, qui sciat, hodieque plurima exstare Alphabeta Græca, in quibus inter E, & Z, semper interseratur ϛ; itemque inter Π, & P, G sive Kophe; ac post Ω semper ϡ; quæ tria etiam Rabanus Maurus, quique post eum vixere, in suis ponunt alphabetis: adeò ut admodum verisimile sit, vix esse annos sexcentos, quod pro XXVII characteribus tantùm collocentur XXIV. Hæc inquam qui sciat, suspicari possit, superesse aliquot literas, quæ in vocalium aut consonarum numero malè à nobis sint omissæ. Sed frustra hic quemquam scrupulus pungat, cùm tres isti characteres, non literarum fuerint symbola, sed numerorum. Nam ϛ erat ἐπίσημον ἓξ ἀριθμοῦ *: cujus caussa fuit, quòd sexto collocaretur loco. Vel potiùs, quia ו apud Hebræos sexta est litera, eò senarium iis numerum significat: eorumque exemplo Latini quidem sexto loco collocarunt F, quæ si lineolam transversam adimas, figuram ו inversam habet: Græci autem sexto loco posuere ϛ, quod itidem senarium signat: nec multum

[* Nota ac signum numeri senarii.]

tum ab eâdem figurâ abit: Y verò, pro quo ι veteres Hebræi usurparunt, in extremum rejecerunt locum. Hæc de prima nota. Duæ supersunt: ex quibus Kophe sive Ἀ'ῤῥῶ fuit ἐπίσημον ἐνενήκοντα †. Σὰν Πῖ fuit ἐπίσημον ἐνακόσια ‡. Illustris est hâc de re locus apud Bedam libro de Indigitatione: *Graci enim omnibus suis literis exprimunt numeros. Verùm toto Alphabeti sui charactere in numerorum figuras extenso, tres, qui plus sunt, numeros, notis propriis, quæ ex Alphabeto non sunt, depingunt. Prima est ϛ: quæ dicitur Episemon, & est nota numeri* VI. *Secunda est G: quæ vocatur Kophe, & valet in numero* XC. *Tertia est* ϡ: *quæ dicitur Enneacosia, quia valent* DCCCC, *quia ennea Græcè novem Latinè, Enneneconta nongenta dicitur.* Hactenus Beda. Plura qui his de episemis volet, adeat animadversiones Eusebianas magni Scaligeri.

† Signabat nonaginta.
‡ Signabat nongenta.

Cap. XXIV.

De literis à Claudio Cæsare inventis: quarum duæ erant, vau sive digamma Æolicum, & antisigma: tertia verò potestatem habuit unius ex Græcorum adspiratis.

AC forsitan ne nunc quidem nos classi suæ adscripsisse literas omnes existimabit, qui apud Tacitum * legerit, tres à Claudio literas numero veterum esse additas, & quidem, ut Tranquillus ‡ ait, tanquam maximè necessarias. Sanè est, qui ab eo literarum nescio quam inventam putet mitigandæ literæ R. Sed eum decepit corruptus Velii Longi locus. Est qui invenisse dicat diphthongum AI, quia frequens hæc in monumentis Claudii. Sed obstat, quòd eandem videre sit in monumentis, quæ multò ante Claudium fuerunt. Alii alia somnia adducunt. Quare ne quis iccirco ultro citroque inter dubitationis Symplegades jactetur; hâc quoque de re explicabo sententiam meam, quam altiori indagine feriata exquirent ingenia. Claudio animus erat, Romanos ditare iis literis, quibus carebant Latini, & utebantur Græci: quorum ille linguam tantopere amavit, ut & Græcas scripserit historias, & legatis perpetuâ sæpe oratione Græcè responderit, & amorem præstantiamque ejus linguæ omni studio sit professus: quemadmodum scribit Tranquillus †. Is igitur, ut V consonanti figuram assignaret, ab Æolibus mutuatus est digamma hâc figurâ, Ⅎ. Autores Fabius ‡, Priscianus *, Capella †, alii, ac comprobant lapides antiqui. At I consonanti figuram non quæsivit, quia etsi hâc literâ præter Latinos utantur Hebræi, Arabes, Armenii, Scythæ, Illyres, Germani, eâ tamen Græci careant. Factumque hoc existimat Jul. Scaliger ‡, *quia* (ut verbis ejus utar) *longiore semper tractu uterentur in pronunciando, ipsoque in hiatu consisterent.* Porrò Græci tres habent duplices, Ξ, Ψ, Z. Ac X quidem, & Z, usurpabant Romani ante Claudium. Supererat Ψ, quam expressit per geminum sigma, quod olim instar Latini C scribebatur: vocavitque antisigma, quia sigma utrumque sibi opponatur, hunc in modum ͻc *. Priscianus lib. I, cap. de literarum numero & affinitate: *Huic S præponitur P: & loco Ψ Græcè fungitur, pro quâ Claudius Cæsar antisigma hâc figurâ ͻc scribi voluit: sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare.* Scribit hoc ipsum Martianus Capella †: sed de X quod addit, fallitur, cùm ea jam fuerit tempore Augusti ‡: *Huic*, inquit, *litera S Divus Claudius P adjecit, aut C, propter Ψ, & Ξ Græcas, psalterium, saxa.* Superabant & Græci Romanos multis adspiratis, quæ sunt Φ, X, Θ. Ac quidam sunt, qui figuram Φ à Claudio inventam volunt. Probat hanc sententiam Justus Lipsius *. Ac si probabilis ratio ei sit, lubens subscribam, vel ob summam viri autoritatem. Sed assensum sufflaminat, quòd caussæ nihil videam, cur figuram sive ductum Claudius Latio donaret, cujus nullus poterat esse usus. Quomodo certè risus sit Græculus ille, qui pro Fundanio dicebat Phundanium, inantè diximus. Neque mihi persuadere possum, eos dixisse *triumphum*, sed *triumfum*: nec *phama* (etsi sint, qui sic scribant, quia sit à φήμη) sed *fama*. Nam F quod Græci ignorabant, molliùs sonabat, quàm Φ, teste Prisciano. Si tamen ea ipsa litera fuerit, dicere conveniat, ob voces à Græcis acceptas figuram fecisse, quæ PH valeret, etsi uti F pronunciarent; quemadmodum ex voce *Philosophia* cognoscimus, quam, quasi *Filosophia* scriptum esset, pronunciamus. Id si est, non ob necessitatem figuram hanc fecerit Claudius, sed ob luxum. Nec est, quòd, si hanc sequamur sententiam, accidentarium tantùm discrimen inter F, & V consonum, videatur. Nam aliter F, aliter V sonare, argumento sunt voces, in quibus utraque concurrit: ut *vafer*, *faveo*, *fovea*, *fulvus*, & similes. Olim verò longè etiam majus discrimen erat; quia V efferebant, ut Germani duplex W. Nempe pronunciabant, *winum*, *wallum*, *widua*, *wacillare*, &c. unde nostrum *wijn*, *walle*, *weduwe*, *waggelen*, &c.

* Lib. XI Annal.
‡ In Claudio cap. 41.
† In Claudio.
‡ Lib. I. cap. 7. quod est de Orthographia.
* Lib. I. cap. de literarum numero & affinitate.
† Lib. 3. cap. de semivocalibus.
‡ Lib. I. de causs. L. L. cap. 9.
* Intellige ͻc lineola per c & c ducta, ut una fiat figura: de quo inferius.
† Lib. 3. cap. de semivocalibus.
‡ Monet Isidorus, ac comprobant lapides.
* In Tacit. lib. XI Annal.

Restant X, & Θ; quarum alteram Claudius figurâ Latinâ donare potuit; certè potiùs, quàm Φ, debuit; cùm utraque earum apud Latinos eodem modo sonet, quo apud Græcos; quamvis utrâque caruerint antiquiores Romani; qui *pulcer*, & *Cetegus*, dicebant; non *pulcher*, aut *Cethegus*. Hâc de re ita Tullius in Oratore: *Quin ego ipse, cùm scirem, ita majores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur; loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem, dicerem: aliquando, idque sero convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Utram verò invenerit, video, & non video, tanquam in crepusculo constitutus: planeque hæc res eget Delio natatore, cùm de eâ altum sit apud veteres silentium. Interim illud commodè cadit, quòd, utra statuatur, ad literarum numerum ineundum parum refert; cùm utraque ad compendium quidem sermonis facere possit, litera verò esse non possit.

Cap. XXV.

Colligitur ex antedictis, sexdecim numero literas esse apud Græcos. Dissertatum, an hæ sint eædem, quas Cadmus Phœnix in Græciam intulit. De Isidori vera lectione. Triplex ejus lapsus. Aristoteles defensus super eo, quod Z, & Φ, referat inter literas priscas. Υ fuisse inter sexdecim Cadmeas, contrà quàm Scaligero visum, atque etiam Isidoro. Cur Υ dicatur Pythagoræ litera. Et cur grues vocentur aves Palamedis. Ausonio lux.

EX iis, quæ diximus hactenus, quis sit literarum numerus, haut obscurè colligitur. Nam ut de Græcis primò loquar, patet, apud eos esse literas numero sexdecim: Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Υ. Verùm non levis disceptatio est, num hæ sint illæ ipsæ literæ, quas Cadmus in Græciam invexisse dicitur. Eædem esse non possunt; si verè Isidorus libr. I Origin. cap. III: *Cadmus Agenoris filius Græcas literas à Phœnice in Græciam* XVII *primus attulit*; Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ζ, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Φ. *His Palamedes Trojano bello tres adjecit*, Η, Χ, Ω. *Post quem Simonides miles tres alias adjecit*, Ξ, Θ, Ψ. Ubi pro *miles tres* (quomodo in antiquis aliquot codd. legitur) nonnulli corrigunt, *similiter tres*: quod ipsum in MSSis nostris invenitur: alii *Melicus tres*, vel, *Melicus similiter tres*, quoniam Plinio † quoque, ut mox parebit, dicatur *Melicus*: etsi in antiquis quibusdam Plinii libris, etiam veteri Parmensi ‡, corrupte editum sit *Medicus*: alii denique ex *miles tres* faciunt *Melicertes*: quia apud Suidam in Simonide, & Eustathium, legere sit, διὰ * τὸ ἡδὺ Μελικέρτην dictum esse. Sanè quin vel *Melicus*, vel *Melicertes*, legi debeat, minimè dubitandum. Porrò trifariam recedimus ab Isidoro. Primùm quòd existimet, Cadmum XVII literas in Græciam intulisse: quæ XVI tantùm fuerunt. Deinde quòd ex Cadmeis literis esse putet Z, & Φ. Denique quòd Υ neget esse literam Cadmeam. Sed nec omnino hæ fuerint eædem, si verè Aristoteles, qui XVIII statuit antiquas. Ita enim de eo Plinius lib. VII, cap. LVII: *Aristoteles* (vult) *octodecim priscas fuisse*, Α, Β, Γ, Δ,

† Lib. 7. cap. 56.
‡ Anni 1476.
* Ob suavitatem Melicerten.

E, Z, I, K, Λ, M, N, Ξ, Π, P, Σ, T, Υ, Φ. Ubi in eo cum Isidoro convenit, quòd Z, & Φ, priscas censeat: abit in uno, quòd Υ priscam agnoscat. Sed ut Z, & Φ, antiquæ sint; non tamen possunt paris esse vetustatis, ac sexdecim illæ initio memoratæ. Constat enim ex Eustathio, Mario Victorino, atque aliis, veteres loco adspiratarum consonantium usos fuisse tenuibus cum adspirationis nota. Nec Z necessarium fuit, quòd ejus loco usurpare potuerint simplices, è quibus conflatur. Quare existimamus, sexdecim illas, quas dixi, solas esse priscas. Atque idem agnovit Plinius ibidem. En verba: *Utique* (volunt) *in Græciam intulisse e Phœnice Cadmum* XVI *numero: quibus Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor hâc figurâ*, Θ, Ξ, Φ, X. *Totidem post eum Simonidem Melicum*, Z, H, Ψ, Ω. *Quarum omnium vis in nostris recognoscitur*. Sanè exemtis octo illis, quas à Palamede, & Simonide, adjectas ait Plinius, supererunt ipsissimæ illæ, quas nos solas esse necessarias, ostendimus. Idem sensit Georgius Cedrenus: nisi quòd is sexdecim hasce non à Cadmo dicat inventas, sed à Palamede. Quare non semel mirari subiit, Aristotelem Z, & Φ, inter priscas reponere. Nec tamen culpare facilè herois illius sententiam ausim. Dicam igitur, quid mihi pro tanto viro in mentem venerit. Cadmus, & Palamedes, pertinent ad tempus heroicum, quod Varro μυθικὸν sive fabulosum vocabat. Nam fabulis putabat omnia esse involuta, quæ antecedunt primam Olympiadem. At Palamedes fuit tempore belli Trojani, CCCCVII annis ante primam Olympiadem. Cadmus autem Palamedem antecessit annis circiter ducentis quinquaginta. Aristoteli igitur suffecit priscas vocare, quæ ante Olympiadas fuissent: quales statuit tum XVI, quas Cadmo ferimus acceptas; tum duas, quas Palamedi assignamus: duas verò, quas præterea Palamedi tribuunt, tam antiquas negabat, sed Epicharmi credebat: de quatuor illis Simonidis conveniebat cum cæteris. Claruit autem tum Epicharmus, tum Simonides, temporibus Xerxis, ac Hieronis ejus, qui post Gelonem regnavit Syracusis. Nempe paullò ante Pindarum, ac Sophoclem: annis ante Aristotelem circiter centum & viginti. Certè non tam longum id spatium est, ut temporibus Aristotelis nesciretur, quas uterque literas reperisset. Scio, penè omnes hac parte abire ab Aristotele: sed hi & ætate posteriores, & doctrinâ inferiores. Quare etsi vulgarem opinionem non damnem: tamen, cur minus fidei Aristoteles mereatur, quàm cæteri, non video.

Mirum verò, Josephum Scaligerum in Animadversionibus Eusebianis putare, si XVI potiùs, quàm XVII Cadmeas literas statuamus, H adspirationis notam in iis fore, Υ non fore. Nam Υ est necessaria Græcis: H solùm nota est densi spiritus: is verò non litera est, sed literarum, sive syllabarum verius affectio: ut Varro quoque, & Macer, senserunt, teste Censorino*.

* Apud Priscianum lib. I. cap. de numero literarum.

Objectant, quòd Υ dicatur Pythagoræ litera: ut in carmine illo, quod Virgilio tribui solet:

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni.

Atqui non eo sic vocatur, quia Pythagoras invenerit; verùm quia solitus sit ejus figurâ commonstrare discrimen inter virtutis, ac voluptatis viam. Hinc Persius sat. III. *

Et tibi, quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.

Nempe mysticum literæ reperit Pythagoras; non literæ figuram, quam sexcentis annis antè invenerat Palamedes: fortassè ex gruum volatu, ut ei apud Philostratum in Heroicis objicit Ulysses. Hinc sanè & grues Palamedis aves vocat Martialis lib. XIII, epigr. LXXV:

Turbabis versus, nec litera tota volabit,
Unam perdideris si Palamedis avem.

Sententia est: Gruum volatus, si unam è volantium numero exemeris, non amplius repræsentabit literam Υ. Nisi potius ob Φ, à Palamede inventum, grues Palamedis aves dici malis, quia etsi in volando referant Υ, sive, ut Hieronymus scripsit, trianguli formam in volando efficiant: tamen singulæ corpore suo Φ repræsentent: unde Ausonius in Edylliis: *Hæc gruis effigies Palamedica porrigitur* Φ. Negat vir maximus, in suis ad Eusebium animadversionibus, capere se mentem Ausonii. Ego autumo, poetam eò respexisse, quòd referat gruem unico pede insistentem, ut solet, cùm excubias agit.

Cap. XXVI.

Ex antea dictis similiter concluditur, novendecim esse literas Latinis.

Latini verò, præter XVI illas Græcorum, tres habebant alias. Eæ sunt, F, Jod, & Vau; ut in universum sint, non octodecim, ut scripsit Capella*, nec illæ, quas is putabat; sed hæ novendecim: A, B, C, D, E, F, G, I, J, sive Jod, L, M, N, O, P, R, S, T, V, Ⅎ sive Va aut Vau. Ex his tamen postrema, cùm ejus potestas fuerit apud Æoles (quibus à figura *digamma* appellari diximus) non immeritò alicui Græcis adnumeranda literis videatur, ut in universum sint eorum literæ XVII. Fortassè etiam erit, qui ut literarum numerum in arctiores, quàm factum nobis, cogat copias, neget Φ, F, & Va diversæ esse potestatis, quia eodem pene modo φα, FA, & VA sonant. Sed alium in φα sonum esse, quàm in FA, indicat, quòd risus sit Græculus, cùm pro Fundanio *Phundanium* diceret: ut ex Cicerone, & Fabio, suprà retulimus. Nec eum esse sonum in φα, qui est in VA, indicat, quòd Æoles, cùm φ haberent, tamen Ⅎ sive digamma quæsierint. VA verò cùm ejusdem credunt potestatis esse, ac F, fallit eos vulgaris, corruptusque literæ ejus sonus, cùm pronunciari debeat, ut apud nos duplex W: quod multis comprobarem, nisi sufficere putarem, quæ hac de re ad Eusebium scripsit Scaliger, & libro de L. L. pronunciatione adduxit Justus Lipsius. Quippe ex nostra sententia V consonum, sive Vau sonuit, ut in Germanico *Wijn*, *Wint*: nec aliter extulere Latini, *vinum*, *ventus*, quam *winum*, *wentus*. At F erat flatus. Quomodo Germani pronunciant Latinorum *vinum*, quasi esset *finum*. Φ sonuit, ut Latinum P, cum halitu. Nec enim flo, cum dico φίλ⊗-; sed tum in *ilos*, vocalem adspiro, ut sit *hilos*; tum ante spiritum P præmitto, ut fit *philos*. Ergo in *hilos* est halitus; in *philos* est P cum halitu. At in *filos* est flatus; in Gallico V, ut in *vin*, quod ex Latino *vinum*, est F infractum. Quippe V Gallicum multo propiùs accedit ad F, quàm ad Vau veterum. Interim aliqua in hisce omnibus affinitas fuit. Unde & simplex halitus sive spiritus in Vau abibat: ut Ἐνετοὶ, *Venetis*; ex *Helia* item, quod ab ἕλη, est *Velia*, teste Servio in VI Æn. Etsi autem hanc de novendecim literarum numero apud Latinos hactenus, quod sciam, attulerit nemo: tamen & olim fuere, quorum opinio non multum à nostrâ discreparet. Hoc tum ea testatum faciunt, quæ superioribus capitibus dissertavimus, tum liquidò hic Diomedis* locus indicat: *Quidam*, inquit, *in Latino sermone decem & septem esse literas crediderunt. Siquidem ex viginti & tribus una adspirationis nota est H; una duplex, X, duæ supervacuæ, K, & Q; duæ Græcæ, Υ, & Z.* Item hæc Marii Victorini verba†: *Litera Romana ad imitationem Græcarum facta, novas etiam habent, ut H, Q, V. item superfluas quasdam videntur retinere, X, & K, & Q. Nam Υ, & Z, propter Græca nomina addita sunt. Nec dubitatur, his literis omnibus, absque sola V, remotis, Latina lingua reliquas decem & septem posse satisfacere. Nam pro H, adspirationis notâ, ut Græci faciunt, poni posset F‡, & eadem adspiratione compleretur. Nihilominus pro K, & Q, C litera facillimè haberetur. X autem per C, & S, possemus scribere. Sic & Z, si modò Latino sermoni necessaria esset, per D & S literas faceremus. Sed ut omnes, quæ usui traditæ sunt, recipiamus, sunt viginti tres.* De Latinis, Græcisque, satis dictum.

* Lib. 3. cap. de metris.

* Lib. 2. in extremo capitis de literâ.

† Cap. de literis.

‡ Ita lego, ubi vulgo. P. & P.

Cap.

CAP. XXVII.

Hebrais primæ & sacerdotales literæ decem, juxta Irenæum. Feuardentius refellitur. Revera octodecim iis literas esse. Male literarum numero eximi vocales. Sapienter iis punctorum figuram tributam. Vetustioribus Grammaticis solùm esse undecim vocales. Veteribus cametz sonum habuisse ex A, & O, mixtum. Odom, Obel, Corbona. *Antiquitus pneumaticas habuisse vocalium potestatem. Literas beth, gamma, daleth, à* LXX, *& Hieronymo, semper efferri spiritu tenui. Contra eos* Phe, *semper sonare; non* Pe. Σίγμα *à* Samech, *ut* Σὰν *à* Sin.

HEbræi primitus decem fuere literis contenti, si stare in hac re licet B. Irenæo, lib. I adversus gentes cap. XL I, ubi sic scribit: *Antiquæ & primæ Hebræorum literæ, & sacerdotales nuncupatæ, decem quidem sunt numero.* Quem in locum Franciscus Feuardentius, Theologus Parisiensis, annotavit, decem illas esse ab א usque ad י: atque eas primas & præcipuas dici, quia cæteræ ex illis, & ad earum sint similitudinem effomatæ. At cui persuaserit, literas sequentes esse effictas ex forma decem priorum? Præterea quis non videt, in decem prioribus quasdam esse, quibus carere potuerint; & contrà in duodecim sequentibus complures esse, quibus non potuerint carere. Nam immensa est vocum seges Hebræis, quæ sine posterioribus literis scribi nullo modo queant. Quare rectiùs Hermannus Hugo*, qui constare sibi negat, quæ illæ fuerint literæ.

* Lib. de scribendi orig. & literarum antiquit. cap. 4.

Sed quicquid est de illo Irenæi loco, si judicium faciendum ex literis, quibus vetus Test. perscriptum est, fuerint Hebræis literæ octodecim; vocales quinque, ac consonantes tredecim. Nam non, nisi judicio defectis, sententiam suam persuadent, qui vocales apud Hebræos literas esse negant. Sapienter quidem seu Masorethæ, seu alii, subtiliorem figuram dedere vocalibus, cùm crassiorem consonantibus veteres tribuissent; quia illæ quasi animam, hæ veluti corpus orationis referant: verùm neutiquam video, quomodo hinc vocales non esse literas consequatur. Imò, si argutari liberet, dicerem, hoc ipsum eas, vel magis, quàm consonans, esse literas arguere, cùm subtilius non debeat crassiori posthaberi: animæque magis, quàm corporis habenda sit ratio.

Neque plures, quàm quinque Hebræis sunt vocales: utcunque Grammaticorum antiquissimi eas undecim statuerint: septem reges, cametz, patach, tseri, segol, chiric, cholem, schurec: ac quatuor puncta rapta. Utcunque item juniores hunc numerum ternario auxerint, Chirek geminum faciendo, Kibbutz à schurec secernendo, & Cametz-chatuph à Chatuph-cametz. Ita ut ex eorum sententia sint longæ quinque, quæ duûm temporum: breves totidem, quæ totidem temporum: & quatuor brevissimæ, sive raptæ, quæ dimidii sunt temporis. Nam sive cum veteribus spectemus, quæ vocalium majoris sint usus, ac dignitatis, vel quæ priùs repertæ; sive cum junioribus statuamus quantitatis discrimen: nihil horum est, quod ad literarum οὐσίαν† pertineat: eoque ut pro illo discrimine accidentario non inutiliter plures, quàm quinque, fecerint figuras; non propterea consequitur, plures reipsa vocales esse, quum soni non sint οὐσίᾳ diversi. Sed objiciunt, plures οὐσίᾳ ipsa sonos esse. Nam cametz, & patach, essentiâ differre, quia patach sonet A, uti cholem O: at cametz medium habeat sonum inter A, & O. Unde & (quemadmodum ait Abraham de Balmes) figuram accepit compositam ex patach, & cholem. Nam lineolæ, quæ est patach, subjicitur punctum; quomodo cholem notatur. Ab hac etiam soni mixtura est, quòd apud Josephum legimus, Ὠδώμ; apud Epiphanium * Ὠβήλ: item & *Corbona* & *Corbana* invenitur. Imò Syris vocalis, quæ Hebræo cametz respondet, Odom nominatur. Sed hæc non efficiunt id, quod putarunt. Nam vel cametz alterutram notat vocalem, vel utramque. Si alterutram, simplex erit vocalis, ac vel A, vel O, sonabit. Sin utriusque est sonus, non jam simplex erit vocalis, sed diphthongus; quæ non litera est, sed vocalium comprehensio. De vocalibus satis.

† Essentiam.

* Sermone in festo Palmarum.

Consonantes vulgò adsignant viginti duas. Quæ sententia pondus ex eo accipere videtur, quòd Psalmi quidam Davidis, & Threni Jeremiæ, ac finis Proverbiorum Salomonis, hunc numerum observent. Sed jam antè ostendimus, ex numero characterum non posse judicium fieri de numero literarum, cum figura accidat literis. Sic igitur statuimus, ex viginti duabus consonantibus sequestrari debere quatuor pneumaticas, Aleph, He, Het, Hain. Nam spiritus non est litera. Item duas duplices, Zain, & Zade: quarum illa D S, hæc T S valet.

Neque Thau aliud est, quàm Teth cum spiritu aspero: ac proinde eadem ratio est ac in Græco Τ, & Θ. Vulgo quidem ajunt, literas בגד כפת, vel tenuiter efferri, per daghes lene: vel aspirari per raphe. Sed LXX, & B. Hieronymus, priores tres בגד semper tenuiter efferunt: tres posteriores כפת semper adspirant. Ita תֵּימָן est Θαιμὰν, *Theman.* תְּקוֹעַ, Θεκωὲ, *Thecua*, ac similiter in aliis. Similiter iisdem Caph semper valet χ. Et Phe, nunquam iis π, vel p: sed semper φ, sive PH. Imò Hieronymus, in Esaiæ cap. 11, ait eos, qui Græcis *Palæstini*, Hebræis vocari *Philistim*; quia *P literam sermo Hebræus non habet.* Atque idem iisdem verbis refert, Dan. XI, ubi de voce *Apadno.* Idem de Nominibus in Luca, ubi de Pilati voce agit: *Sciendum*, ait, *quòd apud Hebræos P litera non habetur, nec ullum nomen est, quod elementum hoc sonet.* Quæ satis ostendunt, פ & Π, כ & Κ, ת & Τ, solùm spiritu differre: ut Græcis Π, Κ, Τ, differunt à Φ, Χ, Θ. Quod verò hodie aliter de literis בגד כפת sentiunt, puta, ut pro raphe vel daghes, aliter atque aliter proferantur, id à Masorethis est, non vetustis Hebræis.

Sed neque ש, si simplex est litera, οὐσίᾳ differt à ס. Sanè LXX semper pro eo ponunt Σ: ut שֵׁת, Σὴθ: אֱנוֹשׁ, Ἐνώς: שֵׁם, Σὴμ, & similia. Aliquid tamen discriminis esse, non diffiteor. Nam, ut B. Hieronymus* ait, *Nos, & Græci, unam tantum literam S* (hoc est, unius literæ S figuram) *habemus. Illi verò* (Hebræi) *tres; Samech, Sade, Sin: quæ diversos sonos possident: Isaac, & Sion per S Sade scribitur: Israël per S Sin. Et tamen non sonat hoc, quod scribitur.* Idem Traditionibus Hebraicis in Genesin: *Pro stridulo Hebræorum Sin, Græcum Sigma, hoc est, Hebræorum Samech posuit.* Ubi clarè indicat, eundem fuisse sonum Hebræi Samech, & Græci sigma. Imò, ut inferius dicemus, Σίγμα est ex *Samecha*, A in I abeunte, more Syro. Et contrà Græcum Σὰν ex Hebræo Sin. Quod tamen magis stridulum, ut ait Hieronymus, quam Σ. Vulgo sanè, prout in dextro, vel sinistro cornu, punctum habet, diversimode efferunt. Sed neque sic Schin pro diversa litera haberi debet; quia si spiritus litera non est, neque SH erit litera diversa ab S: sin litera sit, erit duplex, quemadmodum SCH, sive SJ, quæ juxta eos altera est שׁ potestas, non literam, sed literarum comprehensionem esse, manifestum est.

* Comm. in epist. ad Tit.

Ex his quæ diximus de viginti duabus Hebræorum literis (tot enim vulgò faciunt) haut difficile cuivis fuerit, ab erroris ignorantiæque diverticulo eos quasi reprehendere, reducereque in rectam viam, qui viginti octo faciunt Pœnorum literas, aut viginti sex Æthiopum, aut triginta & duas Dalmatarum: de quibus, brevitatis gratiâ, plura addere supersedeo.

CAP. XXVIII.

In literarum affectionibus malè potestatem recenseri: male contra omitti ordinem, & cognationem. Quantopere vulgò in pronunciatione literarum à veteribus recedamus. Corippus emendatus. Quâ occasione Erasmus scripserit dialogum de rectâ pronunciatione.

VIdimus de naturâ ac numero literarum: agamus porrò de earum accidentibus: quæ cum Diomede† vulgò sta-

† Lib. 2, cap. de litera.

statuunt tria; nomen, figuram, & potestatem. Verùm potestas non accidens est; sed forma essentialis literarum, ut antè ostendimus. Alterâ quoque in re apparet ejusce Grammatici oscitantia. Nam cùm primò dixisset, aliud esse literam, aliud elementum; illo figuram, hoc significari potestatem: pòst ait, potestatem quoque literæ accidere; quod si est, accidit ei elementum. Itaque secum pugnat Diomedes. Est & tertium, in quo idem damnari à nobis mereatur. Neque enim solùm nomen & figura sunt literarum accidentia; verùm etiam ordo, & cognatio, atque affinitas. Nos cùm de veris, tum de iis, quæ fallò inter accidentia reponi diximus, paucis hoc loco disquiremus.

In potestate literarum peccatur multifariam. De vario vocalium sono apud antiquos, non repetam, quæ suprà diximus. B proferunt Germani, ut P; Vascones, ut V. Et sanè antiquus admodum hic error, cùm in vetustis lapp. ac libris eodem modo scribantur, *acerbus*, & *acervus*; *beneficium*, & *veneficium*. B enim ponebant pro V, & V pro B. Utriusque exemplum in *vobem*, quod in Pandectis Florentinis ponitur pro *bovem*. Est in Cassiodori collectaneis de Orthographiâ libellus Adamantii Martyrii; quo ei propositum docere, quæ B habeant; quæ item per V scribantur. Et tamen non semel fallit, fallíturque: ut cùm jubet scribere, *berna*, non *verna*; *besica*, non *vesica*; *balva*, sive *valvas* notet, sive *balbam*, ut apud Pers. *Balbâ de nare locutus:* & hujus farinæ alia. Plusculà ejusmodi è variis codd. collegit Radulphus Fornerius, lib. IV rerum quotidianarum cap. XX. Sæpicule verò hujus rei ignoratione corrupti sunt veterum loci. Quod alibi ostendimus. Nunc tantùm ponam locum Corippi, Africani Grammatici, lib. I de laudibus Justini:

Consensusque sui manifestans vota senatus
Creverat, òrabat dominos, & poplite flexo
Plurima divinus supplex dabat oscula plantis.

Ubi planè legendum, *Creber adorabat dominos.*

Spissus etiam error est, quòd hodie C ante E, I, Y, Æ, & OE, aliter sonat, quàm ante A, O, vel V. Quippe eodem modo efferimus *cella*, quo *sella*; *Cilicem*, quo *silicem*; *Cyrus*, quo *Syrus*; *cæde*, quo *sede*; *cæpi*, quo *sepi*. At C aliam habere potestatem, quàm S, tum uno ore docent veteres Grammatici omnes; tum ratione etiam evinci potest. Nemo enim, *Nes*, *dis*, *las*, ait, pro *Nec*, *dic*, *lac*. Adde quod Græci pro C ponunt K, ut *Cicero*, κίκερων, & Latini pro K, ponunt: ut *Macedonia*, Μακεδονία. Etiam Thalmudistæ in vocabulis his *Cæsar*, *Macedonia*, *Oceanus*, & similibus pro C habent Koph. Falsum etiam huic literæ sonum tribuimus ante A, & O, quando S eam antecedit; ut cùm *scapha* aliter pronunciamus, quàm si *skapha* scriptum esset; ac *scazon*, quàm *skazon*; *scopus*, quam *skopus*; *scorpius*, quàm *skorpius*. Nam similiter hæc olim sonuere, ac apud Græcos, σκάφη, σκάζων, σκοπὸς, σκορπίος. Par error, cùm T aliter pronunciamus ante I finale, vel à consonante exceptum, quàm ante I, quod altera sequitur vocalis. Sic aliter sonat T in *partium*, quàm in *parti*, vel *partibus*: aliter in *justitiæ* syllabâ ultimâ, quam quæ ab hac proxima est. At Vau, ut semel iterumque diximus, sonuit ut duplex W. Neque hac parte tantùm erratur in pronunciandis Latinis & Æolicis, sed etiam Hebræis: apud quos sextum elementum tanquam Wau debet pronunciari. Nos vitiosè ita proferimus, ut penè sonet, quemadmodum F. Committimus & alios nonnullos errores; quos referre supersedeo, quia hanc rem in utriusque linguæ pronunciatione accuratè persequuntur, cùm Johannes Chekus Anglus, Adolphus Mekerchus, Justus Lipsius, Josephus Scaliger †; tum Batavi duo, qui ante hos eam materiam tractârunt, Jacobus Ceratinus sive Hornanus, & Desiderius Erasmus Roterodamus. Ac Erasmus quidem quâ occasione ad scribendum de rectâ pronunciatione fuerit impulsus, paucis cognitum arbitror. Itaque visum hâc de adjicere, quod in schedâ quadam habeo, scriptâ olim manu Henrici Coracopetræi, viri egregiè docti, doctisque perfamiliaris. Ea ita habet: *Audivi M. Rutgerum Reschium, professorem Linguæ Græcæ in Collegio Buslidiano apud Lovanienses, meum piæ memoriæ præceptorem, narrantem, se habitâsse in Liliensi pædagogio una cum Erasmo, plus minus biennio eo superius, se inferius cubiculum obtinente: Henricum autem Glareanum Parisiis Lovanium venisse, atque ab Erasmo in collegium vocatum fuisse ad prandium: quò cum venisset, quid novi adferret interrogatum, dixisse (quod in itinere commentus erat, quòd sciret Erasmum plus satis rerum novarum studiosum, ac mire credulum) quosdam in Græciâ natos Lutetiam venisse, viros ad miraculum doctos; qui longè aliam Græci sermonis pronunciationem usurparent, quam quæ vulgò in hisce partibus recepta esset. Eos nempe sonare pro* B *vita*, BETA: *pro* H *ita*, ETA: *pro* αι *æ*, AI: *pro* OI I, OI; *& sic in cæteris. Quo audito, Erasmum paullò pòst conscripsisse Dialogum de rectâ Latini Græcique sermonis pronunciatione, ut videretur hujus rei ipse inventor, & obtulisse Petro Alostensi, typographo, imprimendum: qui cùm, fortè aliis occupatus, renueret; aut certè se tam cito excudere, quam ipse volebat, non posse diceret; misisse libellum Basileam ad Frobenium, à quo mox impressus in lucem prodiit. Verùm Erasmum, cognitâ fraude, nunquam eâ pronunciandi ratione postea usum; nec amicis, quibuscum familiariter vivebat, ut eam observarent, præcepisse. In ejus rei fidem exhibuit M. Rutgerus ipsius Erasmi manuscriptam in gratiam Damiani à Goes Hispani pronunciationis formulam (cujus exemplar adhuc apud me est) in nullo diversam ab eâ, quâ passim docti & indocti in hac linguâ utuntur.* Henricus Coracopetræus Cuccensis. Neomagi, CIↃ IↃ LXIX. pridie Simonis & Judæ.

† In diatriba de variâ literarum pronunciatione, quæ extat inter opuscula Scaligeri posthuma.

Videri hæc queant alicui non tam adjutum, quàm oppugnatum ire caussam nostram: quippe qui statuamus, optimo jure seculo nostro immutatam esse vulgarem Græcæ linguæ pronunciationem. Verùm cùm Achillea sint pleraque omnia, quibus ab Erasmo, atque aliis, refellitur vulgaria isthæc loquendi ratio: neutiquam in animum inducere possum, quòd Erasmus eam retinuerit, nec amicos ab eâ deterruerit, id eò factum, quòd editi libelli pœniteret: verùm magis mihi verisimile fit, cùm meliora videret, probaretque, deteriora tamen secutum: sive quia à puero sic loqui adsuevisset: sive quòd desperaret, suo se exemplo alios ad imitationem provocare posse: sive quòd loquendum putaret cum vulgo, sapiendum cum paucis, ut præcipit τ' ἀληθείας * Philosophus. Sed hæc quidem relinquamus in medio: ac, quia de potestate literarum pro instituto nostro satis diximus, nunc ad literarum figuras accedamus: quæ literis accidunt, uti & Nomen, atque Ordo.

* Veritatis.

CAP. XXIX.

Pro gemino ii *poni* I *longum. Quid* Jota longum, *& ì Ausonio: & Plauto* longa una litera. *Veteres Græcos, contra quam visum viro magno, ignorâsse figuram literæ V: & unde ea efficta à Latinis. Inscriptionem columnæ Farnesianæ non esse Ionicis literis, sed confusis ex Græcis, & Latinis. Terentius Scaurus corrigitur. Carvilius is, qui primus C & G distinxit, quando vixerit. Nihil opus fuisse V adscribi post Q. Perperam ex columna Farnesiana probari antiquitatem figuræ D, Latinis etiam* ⊦ *in usu fuisse pro H. Digamma F in metro non habitum pro consona. Veteribus* Δ *positum pro P. S non fuisse Græcis in usu, & unde hæc Latinis figura.*

LAtini figuras literarum suarum accepere à Græcis. Quod satis apertum in vocalibus, A, E, I, O. Ex his I duplex occurrit in monumentis antiquis: brevius, ut in PIUS: longius, ut in PISO, & ᴍᴇL. Longiusculo usi, cùm I sonaret, ut EI, vel pro duobus II poneretur. Velut, FECIT DE MANIBIS, id est, *manibiis*. Et, DIS MANIBUS, pro *Diis*. Brevius in brevibus syllabis locum

locum habet; cujus exemplum vidimus in FECIT MANIBIS, & MANIBUS. Interdum etiam invenitur in hujusmodi I longum: quod mirandum non est, quando in iisdem EI quoque reperitur: ut in vetustis Agrariis, & Judiciariis tabulis, apud Fulvium Ursinum, SEINE, & QUASEI. Tum etiam in iis, quæ erant ancipitis intervalli: ut, SIBEI, UBEI. Addit vir doctus, LEITERAS. Sed in eo I semper producitur à poëtis. Atque ex his liquet, cur Jota longum vocet Ausonius Epigrammate† in Eunum:

† Ep. 120.

Quid, imperite, P putas ibi scriptum,
Ubi locari Jota convenit longum?

Ubi per *Jota longum* figuram suspensi designat. Unde sequitur, OY *tibi sit obscene.* Nam OY, ex veterum more, de quo superiùs* dixi, vocat simplicem vocalem O: per eam verò signat laqueum, quia, quando is collo circumdatur, literam O refert. Suspendi igitur Eunum optat. Quemadmodum & Staphyla apud Plautum† suspendium signat, cùm ait, se velle ex se facere unam literam longam. Nam omnino iis subscribendum, qui per eam literam Jota longum intelligunt, cujus figuram referunt suspensi.

* Cap. 13

† Aulul. act. 1. sc. 1.

Putamus autem & quinctæ vocalis figuram esse à Græcis: sed aliqua hic immutatio facta. Quod Ausonium compulit, ut scriberet:

Cecropiis ignota notis ferale sonans V.

Miratur Scaliger, hoc Ausonium dicere; eumque refelli ait, tum Farnesianâ columnâ, in qua est MAPTUS; tum nummo Augusti, in quo est, ATT. KAICAR ATTUCTOC. Verùm cùm Græci, libertate amissâ, sub Romanorum degerent potestate, solent Romanas interdum literas Græcis miscere: unde, eas Græcas esse, minimè consequitur. Sanè antiquiores caruisse figurâ literæ V, satis indicat, mystica illa Pythagoræ interpretatio, quæ soli figuræ Y convenit. Sed utcunque Græci non habuerint V, est tamen V ex Græco Υ factum, reciso scapo. Quod & Marius Victorinus docet: *Υ verò eodem ordine scriptum habemus, quo illi, recisâ tantum virgulâ junctâ, sic, V.* Culpat propterea Marium Scaliger: qui contrà putat, Y esse factum ex V, producto scapo. Nempe decepit eum scriptura Farnesianæ columnæ, quàm priscis Ionum literis exaratam esse, putavit: sed falsò, ut optimè Salmasio observatum.

Transeo ad consonas: ex quibus B, M, N, retinuisse figuras Græcas satis liquet: ut de K, & Z, nihil dicam. Sed & C, & G, facta sunt ex Γ rotundatâ. Nec mirum, si & C ex Γ esse dicamus. Nam veteres Romani C semper scripsere, ubi posteriores G. Quis primus distinxerit, retulimus supra ex Terentio Scauro. Sed vulgò apud eum legitur, G literæ formam esse à Spurio Carrutio. Ubi corrige, *Sp. Carvilio.* Nam Plutarchi sunt verba in Quæst. Rom. Καὶ γὰρ τὸ Κ πρὸς τὸ Γ συγγένειαν ἔχει παρ' αὐτοῖς. ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα, Καρβιλίου Σπορίου προσεξευρόντος. *Cognatio enim est inter C, & G: ac serò literâ G uti capere, qua reperta à Spurio Carvilio.* Videtur is Carvilius ludum habuisse Grammaticum Romæ, circa annum ƆXL: ut qui libertus fuerit Spurii illius Carvilii, qui anno Urbis ƆXIX, vel uno alterove pòst, primus Romanorum dimisit uxorem, sterilitatem caussatus: ut est apud Dionysium lib. II Antiq. Rom. Valerium Max. libro II, cap. I, Gellium lib. IV, cap. III, & lib. XVII, cap. ult. item Plutarchum in Romulo, ac Numa.

Ex C verò, & V, est Q, ut superiùs dictum. Oecumenico errore à recentioribus, imò & penè omnibus antiquis (quod inscriptiones veteres indicant) post Q scribitur V, cùm Q nihil aliud sit, quam C pinguius ob sequens V. Sanè si post Q geminam vocalem scribere visum, nihil fortasse Q fingere opus erat: sin Q ad soni pinguedinem indicandam adhibere placuit, V omnino in Q intelligetur, quia Q erit nota duplicis literæ C & V. Rectiùs igitur aliqui, *qa, qi, qo,* scripsere; quam alii, *qua, quis, quo*; cum in his V post Q redundet, ac sapiens naturam sequi soleat, quæ nihil facit frustra. Verùm hac de re aliquid quoque dicam, cùm de nomine literæ Q disputabimus.

Quemadmodum C ex Γ rotundato factum ajebam: ita & D ex rotundato Δ effictum censeo. Aliqua igitur & hic diversitas. Ob quam Ausonius scripsit:

Non formam, at vocem Delta gero Romuleum D.

Scaliger in eo castigandum Ausonium dicit: ipseque nihil immutationis factum putat. Atque id probat ex Farnesiana viæ Appiæ columna: ubi legitur, ODENI, pro ὁδεῖ: HODOI, pro ὁδῷ: HERODO, pro ἡρώδῃ, atque ita in aliis. Sed hoc eâdem nititur ὑποθέσει, quâ illud de V, ante nobis memoratum. Vetustatem autem figuræ triquetræ indicat, quòd ab ea & insula Ægyptiis Δέλτα vocata, & tabellæ ejus figuræ δέλτοι nominatæ. Neque id Scaligero non occurrit: sed contendit, vetustiorem esse figuram hanc rotundiorem, quæ in usu Romanis. Atqui, ad eam vetustatem probandam, vetustiori fuisset illi monumento opus, quàm istoc, quod demum sub Marco & Pio Antoninis ab Herode Attico Rhetore fuerit exstructum.

Sequuntur duæ, quæ omnino immutatæ permanserunt. Una est F. Nam eadem est figura Æolici digamma: & potestas proximè accedit. Altera est H, quæ magnam cum F convenientiam habuit. Nam dicebant, *Hadum,* & *Fadum*; *Hircum,* & *Fircum*; *Hariolum* & *Fariolum.* Ut in glossis, *Fariolus,* προφήτης, θυοσκόος. Sed Attici quidem H usurpabant: at Græci alii utebantur pro eo F. Quin idem quoque interdum est invenire in MSS Latinis. Ut *Faba* pro *faba,* *Fostis* pro *hostis,* & ita in aliis. Etiam in glossis bibliothecâ Palatinâ adservatis, & Isidoro, aliisque manu exaratis, crebro id inveniri, testis locuples Cl. Salmasius, eruditis notis in Herodis Attici inscriptionem. Quid mirum? cùm figura τοῦ H, ut Isidorus observat, conflata sit ex spiritus utriusque notâ: puta tenuis, quæ est ⊣, & densi, quæ est ⊢. Quærat aliquis, an rectè Latini notam ejusmodi pro denso spiritu usurpent, quæ utriusque spiritus notam contineat. Censeo, id potissimùm Æolum exemplo fecisse, quibus communis est utriusque spiritus nota. Nam non solùm scribunt, Fελένη, Fόλη, sed etiam Fοῖκος, Fοῖνος. Pro denso tamen plura occurrunt. Ac ejus generis est versus ille, quem superius† adduximus:

† Cap. 16.

Κ' ἄμμες δ' Fειρήνοντο, τὸ δ' ἄρθετε μῶσα λίγεια.

Ubi, ut Priscianus* ait, est *digamma, quod Æoles in metro pro nihilo habent.*

* Lib. 1.

Sequitur L, in quo paullum immutatur. Nam crura quidem Græci Λ remanent; sed diductiora hic, ac præterea situs variat. P Scaligero placet fieri ex Δ, quomodo veteres scripsere pro P. Nam Dionysius Halicarnassensis refert, se vetusta in æde sub Velia vidisse signa Deorum Penatium, quibus inscriptum ΔΕΝΑΣ: hoc autem pro PENAS positum ait. Quod si est, quemadmodum ex Δ rotundato dicebamus D factum: ita ex eodem Δ, pro P posito, factum erit P, lineolâ rectâ deorsum deductâ. Mihi autem simplicius veriusque videtur, ex Γ esse P. Nec propterea alterum planè damnem. Nam & ex Græco P est R, itidem additâ lineolâ. In S Scaliger censet veterem figuram remanere; quia in columna Farnesiana exaratum sit, METAKINESAI, pro μετακινῆσαι: ESTIN, pro ἐστιν: KINESANTI, pro κινήσαντι, aliaque id genus. Quemadmodum & in nummo Hadriani est, KAISAR SEMNOS AΔPIANOS. Et tamen in eodem nummo est ΒΟΡΥΣΘΕΝΗΣ. Ut figura utraque in eodem conspiciatur nummo. Sed jam antè diximus, ex iis, quæ demum sub Cæsaribus exarata, non posse colligi figuræ ejus antiquitatem. Quamobrem potiùs censeo, S prius fuisse Ϟ, inferiori parallelâ omissâ. Priùs verò Ϟ scripsisse, videtur colligi posse ex tabella, quæ in Apulia exstat, ac veteri est Opicorum linguâ exarata: ubi Scaliger legi testatur: TEI BAϞTA, pro τῇ Βάσ...: Nisi magis verisimile videatur, lineam illam parallelam vetustate extritam esse: de quo rectiùs judicabunt, qui eam videtint tabellam.

Cap. XXX.

Vetus figura literæ Σ. Unde figura nongentorum Σὰν πῖ dicatur. Sigma pro stibadio, & porticu urbis Constantinopolitana. Figura antiqua literæ Υ: unde lux carmini de litera Pythagoræ. Item aliarum aliquot literarum figura à vulgaribus discrepantes. Easdem Atticorum, & Ionum, figuras fuisse: sed in eo fuisse discrimen, quòd Iones octonis Atticos excederent. Unde alphabetum XXIV *literarum dicatur Ionicum. Simonidis Melici quæ patria. Aliter captivos, aliter Samios dici* literatos. *Quo auctore, & quando Athenienses octonas Ionum literas veteribus addiderint. Quæ dicta sit* Grammatica post Euclidem. *Refellitur Alexandrini Chronici conditor. Attica literæ pro antiquis. Cur Athenienses haut facile Samias literas receperint. Phœnicia litera ab Ionibus immutata.*

Literæ Græcorum ortæ sunt ex Phœniciis: uti argumento est, tum ordo idem, tum magna in plerisque figuræ similitudo: præcipuè in Β, Γ, Δ, Ε, Ο, Ρ, Σ: quod ita esse, liquebit conferenti literas Græcas cum Samaritarum literis, quæ eædem ac Phœniciæ fuerunt. Quædam autem ex Græcis geminâ figurâ scribuntur: uti Σ, quod habuit quoque figuram semicirculi sive Latini C. Unde Terentianus Maurus:

I similiter Iota credi, & C potest, quod Sigma sit.

Quin hodie etiam cùm in vett. codd. tum imprimis in antiquis lapidibus, frequens comparet. Hinc quoque est, quòd figuram eam, quæ nongenta significat, vocarint Σὰν πῖ. Nempe quia concurrit in eo figura tum literæ Σὰν, sed inversa, hoc pacto ɔ; tum etiam literæ π, quæ interiùs affigitur, hunc in modum, ut superiùs diximus, ϡ. Est etiam ea figura in caussâ, cur stibadium (quod Laërtius* ἡμικύκλιον κατάκλισιν † appellat, ac Eudoxi inventum facit) *sigma* dictum sit. Ita locutus Petrus Chrysologus, cum alibi, tum serm. XCIII. *Pharisæus veste clarus, primus in sigmate.* Et multò antè Martialis lib. XIV.

Accipe lunatâ scriptum testudine sigma.

* In Eudoxo.
† Accubitum semicircularem.

Ita rectè legunt Cælius Rhodiginus, Lazarus Baysius, Hadr. Junius. Confirmat hanc lectionem illud in libello de regionibus urbis Constantinopoleos: *Porticum semirotundam, quæ ex similitudine fabricæ SIGMA Græco vocabulo nuncupatur.* Adolphus Mekerchus ‡, P. Ciacconius*, Fulvius Ursinus†, Guilielmus Baillius*, multique alii, volunt hanc literam, ob figuram ἡμικύκλιον ‡, arcui Scythico comparari ab Agathone Tragico* in Telepho. Sed falluntur, cùm figura hæc ἡμικύκλιος C arcui vulgari; vulgaris figura Σ arcui Scythico similis sit: ut benè observatum Lipsio lib. de pronunc. L. L. †, & Scaligero ad Eusebium.

‡ Lib. de pronunciat. L. Gr.
* Lib. de Triclinio.
† In Appendice de Triclinio, & in Collatione Virgilii cum Græcis, pag 269 edit. Plantin.
* Lib. de Græcorum accentibus.
‡ Semicircularem.
* Apud Athenæum.
† Cap. 18.

Nec Υ eam olim habuit figuram, quam hodie; quando nunc cornua ejus vel utraque recta, vel utraque æqualiter inflexa pinguntur. Olim verò unum erat rectum, alterum proclive, ac tamen præceps. Id cognoscere est ex veteri carmine, quod in Catalectis Virgilianis legitur:

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata: sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

Sunt & aliæ Græcorum literæ, quas aliâ longè figurâ scriptas invenias in vett. lapp. & libb. Sanè in iis, Θ, Ο, Φ, sæpe pro figurâ rotundâ habent quadratam. Imò perpaucæ sunt, quæ non & aliter olim, quàm hodie fit, scribi soleant: quemadmodum quivis discere potest ex vett. monumentis, & priscarum literarum exemplo apud magnum Scaligerum in notis Eusebianis.

Quod si eundem Scaligerum audimus, aliæ erant figuræ, quibus veteres Attici; aliæ, quibus Iones uterentur. Sed non detrahenda fides Valer. Harpocrationi: cujus hæc verba, non quidem in Aldina, ubi voces duæ desiderantur; sed prout in Mssis invenire, Scaliger, & Maussacus: Ἀττικοῖς γράμμασι Δημοσθένης κατὰ Νεαίρας, ἀντὶ τοῦ παλαιοῖς· τὴν γὰρ τῶν εἰκοσιτεσσάρων στοιχείων γραμματικὴν ὀψέ ποτε παρὰ τοῖς Ἴωσιν εὑρεθῆναι. Θεόπομπος δὲ ἐν τῇ εἰκοστῇ πέμπτῃ τῶν Φιλιππικῶν ἐσκευωρῆσθαι λέγει τὰς πρὸς τὸν βάρβαρον συνθήκας, ἃς οὐκ Ἀττικοῖς γράμμασιν ἐστηλιτεῦσθαι, ἀλλὰ τῶν Ἰώνων. *Literis Atticis*, (dixit) *Demosthenes contra Nearam, pro antiquis. Quia ars scribendi viginti-quatuor literis serò ab Ionibus est reperta. Theopompus verò libro* XXV *Historiæ Philippicæ tradit, fœdera esse inita adversus barbarum, quæ non Atticis literis monumento sint inscripta sed Ionicis.* Ubi non obscurè nos docet, hoc discriminis fuisse inter Atticam, & Ionicam scribendi rationem, quòd Attici veteres solùm literis uterentur XVI; iis nempe, quas Cadmus in Græciam intulisset: Iones verò literas usurparent XXIV, octo illis adjectis, quæ à Palamede, vel Epicharmo, ac Simonide Melico, additæ postea fuerunt. Hæc XXIV literis exarandi ratio fortasse Ionibus fertur accepta, propter Simonidem Melicum; qui, quatuor literis additis, Græcorum alphabetum perfecit. Nam is, ex quorundam opinione, Samius fuit; ut testis est Proclus apud Photium, & Tzetzes in Chiliadibus. Samius autem fuit generis Ionici: ut disertim ab Herodoto scribitur libro primo. Unum huic opinioni obduci potest, quòd multò plures & graviores dicant, fuisse Amorginum: in quibus etiam Strabo. Amorgus autem una ex Cycladibus, vel Sporadibus insulis erat. Quare verisimilius videtur, eò Ionicum Alphabetum vocari, quia Samius fuerit Callistratus: qui Cadmeis sexdecim princeps sociàvit octonas Palamedis ac Simonidis; ita ut ab eo Samii, à Samiis verò Ionum alii, quatuor & viginti figurarum usum didicerint. Callistrato, quam dixi, gloriam tribuunt Tzetzes in Chiliadibus Histor. CCCXCVIII, & Suidas in Σαμίων ὁ δῆμος*, ubi id ab Androne in Tripode traditum ait. Indeque idem Suidas, ac præterea etiam Hesychius*, facem adlucent huic Aristophanis versui è comœdia Βαβυλωνίοις:

Σαμίων ὁ δῆμος ἐστιν, ὡς πολυγράμματος.
Est Samia gens? Ut illa multilitera!

* In Σαμίων δῆμος.

Ludit Comicus ambiguitate vocabuli πολυγράμματος. Quippe aliter Babylonii illi, è pistrino egressi, erant πολυγράμματοι; aliter verò Samii: illi quidem, quoniam frontem haberent literatam, hoc est, servilem in modum literis inscriptam: hi autem, quòd non, ut Græcorum alii, solis XVI, sed longè pluribus, puta quatuor & viginti literis uterentur. Primus verò, ut ibidem nos Suidas docet, Archinus Atheniensibus auctor fuit, ut Iones sequerentur. Factumque id Archonte Euclide: hoc est, Olympiadis XCIV anno II. Favet huic sententiæ etiam Euripidis scholiastes in Phœnissarum hæc verba, Σοί νιν ἔκγονοι κτίσαν· pro σοῦ ἐκγόνῳ. Ubi refert, necdum, Euclide Archonte, fuisse morem Atheniensibus, ut vocalibus longis, Η, & Ω, uterentur. Atque hanc per quatuor & viginti literas scribendi rationem vocarunt γραμματικὴν* τὴν μετ' Εὐκλείδην ὅρον: ut videre est apud Plutarchum in Aristide. Propterea falli puto, qui tradunt, octonas illas demum receptas Athenis Olymp. XCIV anno IV: ut est in Chronico Hieronymi Eusebiano: quicum convenit Cedrenus: ut qui dicat, receptas circa Socratis mortem, quæ in annum incidit I Olymp. XCV. Magis etiam deceptus Fastorum Siculorum, sive Alexandrini Chronici autor, qui refert, ad Olympiadis XCVI annum IV, quo archon erat Demostratus. Sic enim ad eum annum scribit: Ἀθηναῖοι ἤρξαντο στοιχείοις κδ' χρῆσθαι, πρότερον ις' χρώμενοι· *Athenienses incipiunt uti literis* XXIV, *cum priùs* XVI *uterentur.* Sive autem Euclide Archonte, seu biennio, vel etiam decennio pòst, XXIV literis uti Athenis cœperint: ea, quæ de XVI veteribus Atticorum literis diximus, satis ostendunt, falli summum, quem dixi, virum, cùm censet, alias Atticorum, alias Ionum literas fuisse. Nec enim dicunt scriptores, alias fuisse Atticorum literas, ac Ionum: sed hoc solum dicunt, cùm Athenienses priùs XVI literis contenti essent, postea,

* Grammaticam, quæ post Euclidem.

Ionum

Ionum exemplo, octo alias recepisse, ut in universum essent quatuor & viginti. Ergo XVI literarum, quas Cadmus intulit Græciæ, eadem figura erat & ante Euclidem, & post Euclidem: sed in eo discrimen, quòd post Euclidem sexdecim suis addiderint duas longas vocales, Η, & Ω; tres duplices, Ζ, Ξ, Ψ; & tres adspiratas, Θ, Φ, Χ. Atque hæc vel unica, vel propè unica causa est, cur Harpocration Ἀττικὰ γράμματα† exponat παλαιὰ*: uti & Hesychius facit: sed hic addit, ἐπιχώρια, hoc est, *patria*, sive *vernacula*. Nempe quia Athenienses, ut religionem, leges, agriculturam, & alia multa; ita etiam literarum inventionem sibi vindicarent. Hac ambitione factum videtur, ut tardiùs Samiorum sive Ionum alphabetum reciperent. Nam ut Simonidem mittam, qui tanto antiquior Callistrato; Aristophanes docuit Babylonios annis uno & viginti ante Euclidem; ut Suidas addit, cùm superiorem ex Aristophanis Babyloniis locum citâsset. Nimirum putabant Athenienses, honori suo adversari, quòd qui prædicarent, se tot bona Græciæ, & in his literas dedisse; ii nunc octonas à Samiis discerent. At vanissimè eos illud de literis à se inventis jactâsse, certissimum est, cùm eas acceperint à Phœnicibus: quemadmodum antè ostendimus ex Herodoto, Plinio, Plutarcho, Clemente, Isidoro: ac similiter Philostratus in epistolis: Ξένα καὶ τὰ γράμματα· ἐκ Φοινίκης γὰρ ἦλθεν. *Peregrinæ enim literæ: nam è Phœnicia venere.* Item lib. II de vitis Sophistarum in Adriano: Ἤρξατο γὰρ ὧδε· Πάλιν ἐκ Φοινίκης γράμματα. *Sic enim exorsus est: Iterum è Phœnicia literæ.* Idem quoque legas apud Eustathium in Iliad. Ξ*, & Euripidis scholiastem. Nec tamen eædem planè formæ Phœniciis, & Ionicis literis. Nam Iones cùm Phœnicum literas accepissent, ut Herodotus in quinctâ Musâ ait, χρόνου προβαίνοντος, ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλον καὶ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων· *progressu temporis unà cum sono mutavere & literarum formam veterem.* Sed hæc mutatio non magna admodum fuit. Nam ibidem legas, Ἴωνες παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, μεταρρυθμίσαντες σφέων ὀλίγα, ἐχρέωντο. *Iones cum literas à Phœnicibus didicissent, iis, paucularum formâ mutatâ, usi sunt.* Clarè ait, Ionas nonnihil figuram immutâsse: ut paulatim quidem literæ Græcanicæ recesserint à figura, quæ in Phœnicia obtinebant: non tamen magna hæc immutatio fuerit. Et fortasse una Græciæ gens alterâ minùs à Phœniciis literis abiit: ac sine dubio ipsi Athenienses non tantopere recesserant antiquis temporibus, quàm postea fecere: quomodo videmus, hodieque propè in omnibus populis seculo unoquoque paullulum abire scripturæ rationem ab antiquâ: quæ immutatio unâ, vel alterâ ætate non observetur, quia exigua admodum sit: attamen duobus, vel tribus seculis exactis, facilè possit à quolibet animadverti. Atque hac mente concedi possit, inter Atticam veterem, & posteriorem Ionum scripturam, aliquid etiam discriminis fuisse, præter majus isthoc, quod de veterum Atticarum XVI, Ionum XXIV figuris dicebamus. Sed de figuris Græcarum literarum satis.

† Atticas literas.
* Antiquas.
* Pag. 1757 edit. Rom.

Cap. XXXI.

Judæis triplex literarum figura in usu. Hebræi non dividunt voces. De mem clauso in mediâ dictione apud Jesaiam. Galatinus refellitur. Mosen iis usum literis, quæ nunc Samaritarum dicuntur: ac demum Esræ temporibus Legem & Prophetas cœpisse exarari literis Chaldaicis, quas nunc Hebræas vocamus. Antiquitas siclorum, quibus Sancta Hierosolyma *Samaritanis inscribitur literis. Puncta vocalia esse à Masorethis inducta post annum Christi quadringentesimum. Probatur id è Misna, Cabala, Keri, & LXX. Item ex Onkelo, Jonathane, Aquila, Theodotione, Symmacho: & quando illi vixerint. Adhac ex quinctâ, sextâque editione; item Origene, & B. Hieronymo, ejusque duobus magistris.* Κρασία *quid Evangelistæ Matthæo. Literas* אהוי *signa vocalium fuisse, priusquam punctis uterentur.*

JUdæi triplici utuntur literarum figurâ: prima est, quæ illis מְרֻבָּע *merubba*, hoc est *quadrata* dicitur: & hac excuduntur Veteres Instrumenti libri. Altera in scribendo utuntur Judæi Itali: estque ea, quâ Rabbinorum commentarii edi solent. Tertia est, quâ Judæi in Germania scribunt, & Germanicos etiam libros excudunt.

Quod ad primum figuræ genus, est id simplex: nisi quòd quinque transversim dilatentur: quinque item paullo aliter scribantur in fine, quàm principio, aut medio. Priores illæ sunt, אהלתם: quibus utuntur, partim ad ornatum, partim ut versum impleant. Nec enim Hebræi vocem in scribendo dividunt: sed integrâ semper voce terminant versum. At posteriores quinque sunt כמנפץ; ex quibus quatuor producuntur in fine, hoc pacto ךןףץ; una verò clauditur, ם, unde *mem clausum* vocatur ad discrimen mem aperti, quale in principio, aut medio, usurpatur. Attamen Jes. IX, 7. in medio legas mem clausum: nempe in לְםַרְבֵּה *lemarbe*. Hoc plerique librarii culpâ factum putant: cujus ignari posteriores figuram hanc superstitiosè servarunt. Alii per ם clausum malunt mysticè innui, quòd virgo Christum clauso utero sit conceptura: alii quòd sexcentesimo pòst anno adventurus sit Christus. Nempe quia ם finale sexcentos notat. Vide Galatinum lib. VII, cap. XIII, & XIV, Finum contra Hebræos lib. II, cap. VII, Sixtum Senensem bibl. Sanct. lib. III. Priori sententiæ firmandæ idem Galatinus lib. IV, cap. XIX, adducit, quod in libro שבת *sabbath*, hoc est, de Sabbatho cap. הבונה, *habbone*, hoc est, ædificans, disertim dicatur, per *mem* clausum signari rem clausam sive occultam. Verum nihil tale eo Talmudis capite legere est. Quodque ibidem de sexcentis annis ait Galatinus, id majoris pretii foret, nisi à prophetiâ illâ Esaiæ, quæ quarto facta est anno Achaz, usque ad Christi adventum in carnem, anni essent circiter DCCXL. Nempe penè sesquiseculo seriùs, quàm dicant. Contrà Nehem. II, 13, מ apertum habes in fine vocis הם, *hem*, hoc est, ipsi. Sed ex ora codicis cognoscimus, ם clausum substitui oportere. Nec quicquam mysterii latere, sed errorem esse librarii censeo, cùm apud Jobum cap. XXXVIII, I, ן non productum reperitur in fine vocis מן: etsi & hic ratiunculæ aliquid commentus sit Rabbi Selomoh.

Porrò figuræ hæ, quibus vulgò utimur, diversæ sunt ab iis, quibus Moses scripsit Pentateuchum: Siquidem ille literas usurpavit, quas Samaritarum vocamus, ut superiùs* ostendebamus ex Hieronymi prologo galeato. Atque idem elucet ex illis ejusdem verbis in Ezech. cap. IX, 4: *Antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritæ, extrema litera Thau crucis habet figuram.* Nimirum Judæi in Babyloniam abducti, ut Chaldaicè didicerunt, ita characteribus usi etiam Chaldaicis: ubi autem in Judæam reversi, pauci admodum veteres Hebræorum characteres noverant: eoque Esras coactus est iis Mosen & Prophetas literis describere Chaldaicis, quibus assueverant. Nec absurda est eorum conjectura, qui arbitrantur, etiam ob odium Samaritarum maluisse his in patriâ uti, ut eâ quoque parte differrent à Samaritis, qui veteribus Hebræis uterentur. At ante captivitatem alias solitos usurpare, arguunt & veteres sicli; quibus ירושלים הקדושה, *Jerusalem sancta*, inscriptum; sed literis Samaritanis: ut necesse sit, eos siclos cusos fuisse, priusquam à Nabuchodonosoro abducerentur in Babyloniam. Neque est, quòd dicamus, esse hos nummos ab ipsis Samaritis, non Judæis. Nec enim Samaritæ unquam nummis suis Hierosolymæ nomen, quod tantopere exosum haberent, inscripsissent: nedum eam *sanctæ* elogio exornassent. Fatendum igitur, literas, quas Hebraicas vocamus, esse veriùs Chaldæas: Mosen verò, & Prophetarum eos, qui ante captivitatem vixere, illis esse usos, quæ Samaritanæ dicuntur. Interea posteriores Hebrææ fuere analogæ literis veteribus, sive Samaritanis, ut Esdras optimè potuerit vocem voce, sine ullius literæ dispendio, reddere. Atque hoc sufficiebat, ut Scripturarum veritas sarta tecta permaneret. Diximus de consonarum figuris.

* Cap. 9.

At

At puncta vocalia, quibus in Hebræis hodie utimur, longè sunt recentiora. Sanè veteres ea ignorarunt. Unde B. Hieronymus, Jer. xxv, ubi de voce דבר, sic ait: *Vocales literæ inter* ד, *&* ב, *&* ר, *juxta idioma linguæ Hebrææ, in hoc nomine non ponuntur.* Valde autem eos ratio fugit, qui arbitrantur, Mosen istis Pentateuchum exarâsse; vel Esdram saltem, & viros magnæ synagogæ, iis usos fuisse. Quippe apices isti demum inventi fuere à Judæorum criticis Masorethis, hoc est מסורה, sive traditionis magistris, nempe אנשי טבריא, id est, Tiberiensibus; sive ita dicerentur, quia Tiberiade Palestinæ schola antiqua adhuc duraret: sive quia post desitam aliqui eò se Babylone contulissent: sive quòd alibi quidem viverent, sed Tiberiade eò confluxissent. Sane Tiberiensibus, non Babyloniis, hujus inventi gloriam tribuit quoque Elias Levita*, ac contigisse id ait paulò post Thalmud perfectum; hoc est, post annum æræ Judaicæ ter millesimum nongentesimum octogesimum nonum; post dirutum templum secundum, ccccxxxvi, quod fuerit circa annum Christi ıↄ. Hanc Eliæ sententiam secuti quoque Picus Mirandulanus, Reuchlinus, Munsterus, Fagius, Mercerus, Masius, & alii non exiguo numero: præ cæteris Capellus, qui fortiter, & ut fusè, ita eruditè hanc caussam egit, opere eo, quod, nomine suo præterito, de revelato punctorum arcano inscripsit. Scio, multis aliud videri: in his Hugoni Broughtono†, viro Hebraicarum rerum bene intelligenti: qui Eliam adversari suæ agnoscit sententiæ: sed ejus, eò minus rationem habendam existimat, qui, ut ait, communi ipse suorum opinioni bellum indixerit. Sed enim plus diceret, nisi summi etiam viri in ea opinione Eliæ præiissent. In his Rabbi Aben-Esra, in צחות, sive Elegantiarum libro: quem & testem laudat Levita. Attamen, quod plerique ajunt, demum post Thalmud exactum repertas esse, id malumus restringere ad משנה, *Mischna**: quæ Thalmudis Babylonii pars est potior, & antiquior, & à Rabbi Jehuda הקדוש † ex doctoribus seu Rabbinis paullo ante annum Christi ducentesimum constructa est. Si tum apicibus illis utebantur, cur nusquam patach, cholem, schurec, aliorumque punctorum vocalium nomina exprimunt? Obducent aliqua ex גמרא *Gemara*, alterâ Thalmudis parte; quâ ea, quæ difficilia sunt in libro Mischnajoth, deciduntur. Verùm negare non possunt, hanc congestam esse ex sequentium Rabbinorum commentariis, ac demum absolutam circa annum Christi quingentesimum. Nihil igitur id nobis adversatur: qui hoc solùm contendimus, temporibus B. Hieronymi, hoc est circa annum Christi quadringentesimum, necdum fuisse puncta vocalia in usu. At paullò post ejus excessum, vel saltem circa annum quingentesimum, repertas esse, lubentes, propter quædam Gemaræ loca, confitemur. Non leviter autem, quæ diximus, eo quoque firmantur, quod Cabalistæ ex consonarum figuris mysteria sua eliciunt: ex apicibus vocalibus non item: cujus rei quam causam credamus, nisi quia eos à Masorethis, non Deo, vel Mose, aut Esra, esse statuerent? Nec variantibus illis Scripturarum lectionibus in Thalmud relatis, posteaque magna ex parte ad oram Scripturarum appositis, quas *keri* appellant, quicquam diversi à *cetib* sive altera lectione inest, ratione vocalium, vel accentuum; sed solùm consonarum. Unde hoc, nisi quòd antiqui punctis minimè uterentur? Aliter si esset, in his etiam variassent codices, cùm longè in his proclivior sit error. Nec LXX interpretes, qui fuere temporibus Ptolemæi Philadelphi, usi sunt libris, quibus vocalia puncta, vel accentus adscriberentur. Nam unde alioqui fit, quòd sic recedunt à punctis Masoretharum? Nec ejusmodi codd. usus Onkelos, qui Chaldaicam μετάφρασιν Pentateuchi condidit: sive paullò ante Christum natum, atque eo in terris agente, vixerit; ut plurium opinio est: sive, ut alii arbitrantur, sit idem ac Aquila Ponticus, qui seculo, & amplius, junior fuit; ut mox dicam. Nec libri ejusmodi fuere Huzielis filio, Hillelis discipulo, Jonathæ; qui Christi tempore fuit, paulloque post resurrectionem ejus adornavit Chaldaicam paraphrasin in Prophetas, tum priores, tum posteriores. Ut taceam de Rabbi Joseph Cæco, cui adscribitur paraphrasis Chaldaica hagiographorum; verene, an secus, non disputo: uti neque de ætate, quà vixit; cum alii anno demum quadringentesimo, alii multò antè vixisse existiment. De Onkelo, & Jonatha, illud solum quæram, si codices Hebræi, quibus uterque usus, habuere puncta: unde tantopere in vocalibus, & accentibus, discrepant à punctis, quæ Masorethæ addidere? Item unde est, quòd sic recesserit in tralatione sua Aquila Ponticus? qui ex gentili Christianus, posteaque Judæus factus, cum Hebraicè didicisset, sub Cæsare Hadriano anno cxxix, Veteris instrumenti libros Græcè ita transtulit, ut verbum verbo redderet. Cur & sic recessit Theodotio Ponticus? qui sub imperatore Commodo, circa annum clxxx, postquam circumcisus esset, Hebræorum linguam edoctus, vertit & ipse Sacras literas; sic ut cùm LXX plurimùm conveniret, interque veteres ac novos medius incederet. Atque idem dixero de Symmacho; qui sub Severo, circa annum cc, easdem transtulit; sed ita ut non verbum verbo, uti Aquila, redderet; verùm sententiam potiùs exprimere laboraret. Idem videre est, tum ex tralatione quinctâ, quæ Jerichunte in doliis inventa, sub Antonio Caracalla, anno ccxix: tum sextâ, quæ Nicopoli juxta Actium reperta, sub Alexandro, Mammeæ filio, anno ccxxx. Iterum dicam, unde est, quòd usque adeò à Masorethárum punctis recedant universæ tralationes istæ? uti cognoscere est è fragmentis eruditorum virorum operâ collectis, quæ in editione Romanâ leguntur. Sic Jesaiæ ix, 5, ubi videmus, vocem המשרה ab Aquila reddi *mensuram*, quam LXX vertunt *principatum*: B. Hieronymus ait, *Aquilam verbi ambiguitate deceptum.* Quod non potuisset dicere, si vocales fuissent adscriptæ. Nam מִשְׂרָה *Misra* est *principatus* מְשׂוּרָה *Mesura* est *mensura*: ut prope eadem vox sit Hebræis ac Latinis. Similiter Hoseæ cap. xiii, 3, vocem ארבה LXX reddunt *locusta*: Theodotio καπνοδόχον, hoc est, *fumarium.* Caussam hanc reddit Hieronymus: *Apud Hebræos Locusta, & Fumarium, eisdem scribuntur literis* ארבה, *quod si legatur Arbe, locusta dicitur: si Aruba, fumarium.* Idem Jerem. xviii, initio: *Pro rota* LXX, *verbi ambiguitate decepti, lapides transtulerunt.* אבנים *enim pro qualitate loci, & diversitate pronunciationis, & organum, id est, rota figuli vocatur, & lapides.* Et Jerem. vi, *Satis eleganter in Ebræo verbum, quod quatuor literis scribitur res, ain, jod, mem, si legatur REIM, amatores: si ROIM, pastores significat.* Nempe רֵעִים, *amatores*: at רֹעִים, *pastores.* Præterea apud Philonem, & Josephum, de punctis altum semper silentium est: tum etiam apud antiquiores Patrum; quorum nulli punctorum meminere; ne quidem Hexaplorum conditor Origenes; qui cùm duabus posuisset columellis sacrum contextum, semel Hebræis, atque iterum Græcis literis, duabus his addidit columellas quatuor, versionem LXX, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis: unde & *Hexapla* dicebantur. Nec magis meminit B. Hieronymus, qui de Hebræo transtulit tot Scripturarum libros. At si ejus saltem ætate codices Scripturæ ad morem Masorethicum puncta habuissent, alicubi id monuisset. Esto enim, ut ipse in ejusmodi codicem inciderit nunquam, saltem exstare didicisset à Judæis, quibus utebatur magistris: uti illo Lyddæo, qui primus habitus Judæorum, ut refert præfatione in Jobum: & Tiberiensis ille Legis doctor, qui & ipse Hebræis admirationi erat, ut apud eundem est præfatione in Paralipomenon libros. Idem in Sophon. iii, 8; *Hebræus*, inquit, *qui me in Scripturis instituit, asserebat,* לעד *in præsenti loco magis eic ἔτι, hoc est, in FUTURUM debere intelligi, quàm IN TESTIMONIUM. Ad enim, quod scribitur per literas* ע, *&* ד, *&* ἔτι, *&* μαρτύριον, *hoc est, & Futurum, & Testimonium intelligi.* Quid attinebat Hieronymum de isto à Judæo moneri, nisi tum lectio fuisset incerta, eò quòd punctis necdum uterentur? Nam, iis appositis, tollitur ambiguitas. At, inquiunt, Hieronymus interdum apices nominat. Fateor, sed longè alio significatu. Ut cùm ait,

* Præf. 3. libri Masoreth Hammasoreth.

† Commentario in cap. 9 Danielis.

* Δευτέρωσις, sive traditiones Patrum.

† Hakkadosch, id est, Sancto.

ait, *daleth, & resch apice tantùm differre.* Ubi apex est summa illa lineola, quâ hæ literæ differunt. Nihilo magis per apicem punctum vocale intelligi debet in illo Matth. v, ℣. 18; *neque jota, neque apex.* Ubi Græce κεραία, quasi *corniculum* dicas: nempe eminens lineola in litera: quales videre est, non quidem in literis vulgatorum bibliorum; sed iis, quibus in Synagogis uti solent. Dixerit aliquis, si usque ad Masorethas Tiberienses scripsere sine punctis: incerta fuit lectio Scripturarum, cum multæ adeò sint voces, quæ consonis conveniant, proque vocalibus diversis aliud & aliud significent. Sed enim quis nescit, etiam gentes Orientis alias solis uti consonarum figuris? Nempe legi quidem sine vocalibus nequit: sed legi potest, iis non expressis. Non adscriptis, solùm legere poterant Hebraicè scientes. Iis additis, legere etiam sciunt Hebraicæ linguæ ignari.

Præterea cogitandum, utcunque antiqui non habuerint puncta vocalia, ex literis tamen יוא, quas *matres lectionis* vocant, potuisse vocales cognosci. Nunc quidem vocales in iis quiescunt: olim autem vocales indicabant. Unde est, quòd B. Hieronymus eas vocales nuncupat. Ita epist. CXLV docet, pro *Hosianna* dici *Hosanna*, mediâ vocali elisâ: quia ab Aleph excludatur Jod. Et epistolâ ad Evagrium de Melchisedec referre negat, utrùm dicamus *Salim*, quod scriberetur שלים, cum Jod, an *Salem*, quod scriberetur שלם, sine *Jod*. Et caussam hanc addit, quòd *vocalibus in medio literis rarò utantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur.* Idem in Traditionibus Hebraicis Genes. XIII, & עפרון *Ephron*, cum ו scribi, & עפרן, *Ephran*, ablatâ ו literâ, *quæ, ut ait, apud Hebræos pro o legitur.* Etiam Jerem. IX, 22, scribit, *Verbum Hebræum* דבר, *quod tribus literis scribitur (vocales enim in medio non habet) pro consequentia, & legentis arbitrio, si legatur DABAR, sermonem significat: si DEBER, mortem; si DABBAR, loquere.* His locis per vocales non aliud intelligere possumus, quam literas יוא. Ex quibus Jod loco vocalium poni solere, etiam sint argumento vox *Darius*, & *Cyrus*: quæ si Hebraicè sine punctis scribantur, & *Jod*, pro I, *Vau* pro V positum statuas; longè feliciùs expriment *Darius*, & *Cyrus*, quàm si cum punctis legas, *Dariaves*, & *Cores*. Cæterùm Jod non I solùm, sed E quoque signabat: ac Vau nunc pro O, nunc pro V ponebatur. Quid mirum? quando apud Latinos quoque hæ literæ operas quasi mutuas tradunt, ac subinde vicissitim commutant stationem: ut *Davos*, *Davus*; *servos*, *servus*; *heri*, *here*; *Virgilius*, *Vergilius.* Utrumque etiam, & ratione, & autoritate, stabiliri potest. Itaque pudet pigetque eâ de re tantas esse digladiationes, tanquam pro aris & focis; dum alii hanc, alii alteram rationem scribendi amplectuntur, ac mordicus defendunt.

Quod verò ad vocalem A, sæpe ea colligebatur ex absentia τῶ Jod, & Vau: quandoque etiam per Aleph signabatur. Ut II Samuel. XII, 1; & Proverb. X, 4; ראש pro רש, *pauper*: Nehem. XIII, 16: דאג pro דג, *piscis*: & alia aliis locis. Et sanè Aleph valuisse A, luculento sit argumento lingua Græca; ubi princeps litera hanc habet potestatem. At Ἄλφα esse ex *Alepha* factum, satis est apertum.

Cap. XXXII.

Latini in appellatione literarum prælati Græcis, & Orientis populis. De nomine vero Q literæ. Nomina vetera vocalium apud Græcos. Quæ σχοινοτενῆ φωνήεντα *dicantur Pindaro. Veteres dithyrambici fugiebant E, I, & S.* Σὰν *idem ac* σίγμα: *& unde utrumque hoc nomen. Thrasymachi Sophistæ epitaphium.* Σαμφόραι. Κόππα. *Differunt* Καππαφόροι, *&* Κοππατίαι. *Kopha.* μῶ *pro* μῦ. *Mytacismus, vel motacismus. Capella, & Isidorus correctus. Refellitur eorum opinio, qui Y à veteribus, ipsoque Nasone,* hya *fuisse appellatum existimant. Quàm recentia sint nomina punctorum vocalium apud Hebræos.*

De figuris diximus. Quemadmodum autem figuræ pro nationibus variant, ita & pro diversitate earundem varia sunt nomina literarum. Verùm cùm simplicissimarum partium, simplicissimum esse nomen conveniat; rectiùs Latini nomen literis indiderunt, quod nudam exprimat potestatem (nisi quòd necessariò vocalis unica consonantibus adjicienda fuit) quàm nationes aliæ plurium syllabarum iis nomina imposuerunt. Ita primæ literæ nomen Latinis est A, Græcis Alpha, Hebræis Aleph, Chaldæis Olaph, Indis Alefu, Assyriis ac Phœnicibus Aluz, Saracenis Alchmon, Ægyptiis Athomus vel Athoin, aliisque aliter: quemadmodum Theseus Ambrosius docet, suâ in Chaldaicam, Syriacam, Armenicam, ac decem alias linguas introductione.

De nomine literæ Q, non usquequaque recta est vulgaris appellatio. Nam cum Q scribamus, quoties eam V sequitur, cum altera vocali in eapse syllabâ; C verò utamur, si una tantum vocalis consequatur; cur non *Qu*, hoc est, *Quu* erit germanum literæ nomen? Nam in *Cu* non est audire genuinum sonum, qui est in *equus*; sed qui est in *cumus*. Neque icirco essentiâ, sed accidente differunt C & Q; quia alioqui (ut suprà quoque dicebamus) in *ango*, atque *anguis*, G non fuerit una litera, cùm non pronuncietur utrobique uno planè modo. Nec ignoro, Scaligero videri, hoc quoque loco debuisse diversam constitui literam. Sed huic argumento jam superiùs occurrimus, cùm diceremus, diversitatem eam soni non esse à literæ ipsius G, aut Q natura; sed sequentis literæ, cùm in *anguis*, & *aqua*, post G, & Q, V liquescens consequatur; non item in *ango*, & *acus*. Aut profectò, quod dixi, responderi debet; aut fatendum est, Q esse è duplicium numero: quâ & ipsâ de quæstione abunde antea dictum nobis. At non video, quo pacto argumento isti obviam ire queant, qui semper post Q adscriptum eunt V: quandoquidem, hoc apposito, nihil superest præter C simplex. Olim quidem, ut suprà dicebamus, non defuere, qui Q non literam putarent, sed notam duas in se literas continentem; verùm hi, teste Velio Longo, V præterito scribebant QIS, QID, QÆRET: pro quo alii, V retento, sed C servato, malebant, CUIS, CUID, CUÆRET.

Imprimis autem mutatio nominis contigit in literis Græcis. Nam veteres non Ε ψιλὸν dicebant, uti nunc fit, sed ΕΙ; neque Ο μικρὸν, sed ου; neque Υ ψιλὸν, aut Ω μέγα, sed Υ & Ω. De Ε & Ο probavimus suprà. De Υ indicat hoc Terentiani Mauri:

> *Tertiam Romana lingua, quam vocant* Υ, *non habet.*
> *Hujus in locum videtur V Latina subdita,*
> *Quæ vicem nobis rependit interim vacantis* Υ.

De Ω argumento est hoc Ausonii:

> *Et suprema notis adscribitur Argolicis* Ω.

Par consonantium ratio. Nam prisci pro σίγμα dicebant σὰν, idque ab Hebræo Sin sive Schin, converso I in A, qui Syrorum mos. Herodotus lib. I: Τὸ Δωριέες μὲν Σὰν καλέουσι, Ἴωνες δὲ σίγμα· *Quam literam Dores quidem vocant San: Iones autem Sigma.* Pindarus apud Dionysium Halicarn.* Πρὶν μὲν ἦρπε σχοινοτενῆ φωνήεντα διθυράμβων, καὶ τὸ Σὰν κίβδηλον ἀνθρώποις. *Prius quidem non recipiebant homines in dithyrambos junceas exilesque vocales, & adulterinum S.* Quem locum etiam Athenæus, sed paullo corruptiùs, citat in X & XI. Non incommodè tamen ex eo pro ἀνθρώποις legere possis ἀπὸ στομάτων. Ut sententia sit, Priùs ab ore cecidit S adulterinum cum exilibus & tenuibus vocalibus: quales duæ illæ Ε, & Ι: non Ο, uti legere est apud maximum virum Casaubonum †: multò minùs A Doricum, quod Sylburgius ‡ credebat: quia nempe σχοινοτενῆ putaret dici literas latiore oris diductione prolatas. Etiam Thrasymachi Chalcedonii nomen ita descriptum fuit epigrammate eo, quod monumento ejus inscriptum:

* Libro περὶ συνθέσεως ὀνομάτων.

† In Athen. lib. 10. cap 21.

‡ Notis in Halicarn.

scriptam: ut ex Neoptolemi Pariani libro de Epigrammatis retulit Athenæus in x:

Τοὔνομα θῆτα, ῥῶ, ἄλφα, σὰν, ὖ, μῦ, ἄλφα, χῖ, οὖ, σάν.
Πατρὶς Χαλκηδών· ἡ δ' ἡ τέχνη σοφίη.

Nomen theta, rho, alpha, san, y, my, alpha, chi, ou, san.
Patria Chalcedon: ars sophiæ studium.

Atque hinc est, quòd equi, quibus literæ hujus figuram inusserant, σαμφόραι, quasi σὰν φορῶντες, vocarentur: ut scribit Eustathius ad Iliad. K. Nihil verò mirandum, si Græci, & σὰν, & σίγμα dixerint, cùm fecerint hoc Orientalium exemplo. Nam Hebræis geminum est S, Sin, & Samech. A Sin, ut diximus, est Σάν: à Samech est Samecha; unde, vocali mutatâ, & præterea, trajectis consonis, est Sigma. Nec mirum, si geminum Hebræis S fuerit, cùm non eodem semper modo S sonet. Nam quanto aliter S effertur in Belgico *salve*, hoc est, *unguentum*, quàm in Latino *salve*, hoc est χαῖρε. Imò cum corruptè vulgò C efferamus ut S, in voce *cincinnus*, priori loco alius S, quam in altera syllaba, sonum audimus. Et fortasse eo modo Hebræis olim *Sin*, & *Samech*, differebant: etsi paullo aliter vulgò distinguant.

Quemadmodum autem σὰν pro σίγμα dixere; ita, si eundem Eustathium audimus, etiam κόππα pro κάππα dicebatur, κατὰ γλῶσσαν, hoc est τὴν ἀπεξενωμένην διάλεκτον*. Indeque equi, quibus K inustum, κοππατίαι dicti sunt, ut idem scripsit, itemque scholiastes Aristophanis in Nubes, & ante eos Hesychius. Sed de κόππα fugit eos ratio. Nam quibus nota K erat, dicti καππαφόροι; quomodo Lucianus πρὸς ἀπαίδευτον † appellat: Γ [illegible] ‡ χήνωσιν Μῆδον, ἢ Κενταυρίδην, ἢ καππαφόρον. At κοππατίαις signum κόππα. Hoc est *Kophe*, prout veteres Syri nominabant, pro quo posteriores dixere *Kuph*. Erat autem *Kophe* ejusdem potestatis ac Latinorum Q. ac in numero valebat xc: quemadmodum cùm è glossis discere est, tum Mario Victorino lib. I, & veteri Critico apud Bedam. Plura de eo Eusebianæ Scaligeri animadversiones.

* *Linguam peregrinam.*

† *Adversus indoctum.*

‡ *Hic verò habeat equum Medicum, vel Centauro satum, vel Cappophorum.*

Pro μῦ dixere & μῶ, ut testis Eustathius, initio commentarii in Iliad. Γ: ut non improbem, qui, cùm μ nimis condensatur, vocant *motacismum*. Malim tamen *mytacismum*. Vulgo *metacismus* vocatur. Atque ita legitur quoque apud Capellam lib. v, & Diomedem lib. II. Sed *mytacismus* rescribendum. Vel, si id malis, *motacismus*: ut est apud Isidorum lib. I Orig. cap. XXI. Atque hoc jamdudum in Oratoriis * monitum nobis.

* *Lib. 4. Institut. Orat. cap. 2.*

Etiam de litera Υ aliquid dicendum. Quidam enim scribunt, à vulgo *phya*, à doctioribus *hya* appellari: eoque ita legunt apud Nasonem †.

† *Metam. lib. 10.*

Ipse suos gemitus foliis inscribit, & hya
Flos habet inscriptum funestaque litera ducta est.

Et sanè *hya* disertim habent hîc veteres membranæ nostræ: *hia* quoque invenimus in editione Veneta anni CIↃCCCCLXXXVI. Sed genuina lectio est, quam Aldus expressit,

—— Foliis inscribit, & AI AI
Flos habet inscriptum.

Theocritus Idyllio x:

Καὶ ‡ τὸ ἴον μέλαν ἐντί, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

‡ *Et viola nigra est, & notis inscripta hyacinthus. Similiter Moschus epitaphio Bionis vers. 6.*

Quem in locum ita Scholiastes: Τὴν ὑάκινθον φασίν, ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ Αἴαντος ἀναδοθῆναι, τοῦ ἐν Τροίᾳ μανέντος. Διό τοι τοῦτο ἔχειν ἐγγεγραμμένον, αἲ αἴ, τὴν ἀρχὴν τοῦ ὀνόματος τοῦ Αἴαντος. Διὰ τοῦτο οὖν καὶ γραπτὴν νῦν αὐτὴν εἶπεν. *Hyacinthum ajunt è sanguine Ajacis productum, ejus, qui apud Trojam furore correptus fuit: ac propterea habere inscriptum, AI, AI, initium nominis in Aiace. Hinc igitur eum notis inscriptum dicit.*

Atque inde etiam lucem capit Maronis illud in Eclogis:

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores; & Phyllida solus habeto.

At Υ vocari *hya* nemo unquam veterum dixit. Neque etiam V est gemitus nota, quam foliis inscriptam fuisse ait Naso; sed, uti diximus, αἲ αἴ. De Græcarum literarum nominibus ista sufficiant.

Accedo ad Hebræos. Vocalium appellationes vulgares, valde sunt recentes. Nam qui ante sex vel septem secula scripsere, solùm nominant Cametz, & Patach: ac sub Cametz comprehendunt Tzeri, quod appellant Cametz parvum: sub Patach verò complectuntur Segol, quod Patach parvum nominant. Reliqua vocalium punctorum nomina solum in iis legas, qui circa annum Christi CIↃCCC, ac deinceps claruere. Cæterum ipsa hæc vocabula τοῦ Cametz & Patach, sunt à Masorethis, punctorum inventoribus. Priores ut punctis omnibus, ita & illis artis nominibus caruerunt. Eaque ratio est, cur in universo Thalmude nullum vocalis nomen technicum legatur. Nec aliud est in caussa, cur nomina earum vulgata non sint purè Hebræa; sed linguæ illius mixobarbaræ, quæ posteriorum fuit seculorum.

Consonarum nomina antiqua sunt: ut arguit, quòd Jod à Christo nominatur apud Matthæum. In Veteri instrumento nullum reperias nomen. Nam de תו *tau* apud Ezechielem quod ajunt, valde falluntur. Verba prophetæ sunt cap. IX, 4: והתוית תו *vehitvita tau*. Quod notat, *signa signabit*, juxta Aquilam, & Symmachum: qui תו *tau* vertêre *signum*. Ac favet huic interpretationi etiam Jonathas, paraphrastes Chaldæus. Theodotio tamen retinuit Hebræum *Tau*: unde colligi solet, literam ultimam intelligi debere, eàque significari salutare Sospitatoris nostri mysterium. Sed metuo ne obstet, quòd figuram quidem crucis videre sit in Græco Τ, at non item Tau Hebræo, vel etiam Samaritano. De Samaritano aliter scio B. Hieronymus: cujus verba jam antè adduximus. Sed falsum fuisse sanctissimum virum, ex Phœnicio cognoscimus alphabeto. Eædem enim Samaritanæ, & Phœniciæ literæ, fuerunt, ut superiùs dicebamus. Vel sanè dicendum, Samaritanum Tau duplicem habuisse figuram; unam, quam cernere hodieque sit; alteram cui olim crucis fuerit figura.

CAP. XXXIII.

Literis etiam accidere ordinem, atque earum cognationem inter se. Quis naturalis sit literarum ordo. Quoties apud Hebræos consonarum singulæ in Scripturis legantur.

ORdinem Priscianus * non reponit inter literarum accidentia; sed ait, sub potestate comprehendi. Verùm omnino hæc diversa sunt. Certè C in ordine eum apud Latinos locum obtinet, quem Γ apud Græcos; quæ tamen potestatem habent diversam. Ad ordinem pertinet, cur A primo loco constituatur; meliusne Græci Γ, an Latini C præmittant; rectene F ponatur ante G, cùm constet ejus figura è duobus Γ; unde factum sit, ut H eum apud Latinos obtineat locum, quem apud Græcos ἦτα; ac similes quæstiones; de quibus, more suo subtiliter agit Cæsar Scaliger lib. I de Caussis L. L. cap. XXXVIII. Multum verò ad talium notitiam confert collatio ordinis apud Latinos, & Græcos, cum eo, qui tum est apud Hebræos sive Judæos, tum Phœnices, ac Samaritas.

* *Lib. 1. cap. de accidentibus literæ.*

Quod si ordinem naturæ in literis Latinis servare animus foret: primum jure dederim quinque vocalibus, A, E, I, O, V. Post vocales nomen ipsum indicio est sequi debere semivocales: sed illas, quæ scriptioni planè necessariæ: quales item quinque, L, M, N, R, S. Inde mutæ sequantur, non omnes, verùm sex illæ, quibus itidem carere non possumus, B, C, D, G, P, T. Tum consequantur literæ non necessariæ: primùm vocalis Y; hinc consonæ, sed simplices, K, & Q: tum duplices, X, & Z. Ultimum locum obtinet H; ut quæ nec litera sit, nec literarum compendium, sed spiritus duntaxat.

At-

Atque ex his nec difficile sit statuere de literis Judæorum. Vulgaris autem ordo proponitur nobis sæpius in Scripturis: pluribus locis semel duntaxat, ut Psal. xxv, & alibi. At octies Psalmo cxix: item sexies in Jeremiæ threnis: in universum autem uno & viginti locis.

Quoties verò unaquæque consona in Lege, Prophetis, & Hagiographis, usurpetur; cognoscere est ex Hebræis Rabbi Sadaiæ versiculis, qui hodieque exstant. Numeros eos notis barbaricis subjecimus.

א	4	2	3	7	7.	ל	4	1	5	1	7.
ב	3	8	2	1	8.	מ	7	7	7	7	8.
ג	2	9	5	3	7.	נ	4	1	6	9	6.
ד	3	2	5	3	0.	ס	1	3	5	8	0.
ה	4	7	5	5	4.	ע	2	0	1	7	5.
ו	7	6	9	2	2.	פ	2	2	7	2	5.
ז	2	2	8	6	7.	צ	2	1	8	2	2.
ח	2	3	4	4	7.	ק	2	2	9	7	2.
ט	1	1	0	5	2.	ר	2	2	1	4	[illegible]
י	6	6	4	2	0.	ש	3	2	1	4	8.
כ	4	8	2	5	3.	ת	5	9	3	4	3.

Hæc curiosa nimis opera videtur: nec tamen penitùs inanis est, quia nonnihil facit ad integritatem Scripturarum conservandam.

De cognatione & affinitate literarum hoc loco disserere animus non est, quia de ea fusè agemus in Originum libris. Interea vide sis Fabium libro 1, cap. iv, cujus lemma de Grammatica, Priscianum lib. 1, cap. de literarum numero apud veteres, Angelum Caninium in Hellenismi Alphabeto, Cæsarem Scaligerum lib. 1 de causs. L. L. à cap. xx usque ad xxxv.

Cap. XXXIV.

Varii scribendi modi ad tria genera revocantur. Ægyptii sinistrorsum scripsere, & unde eum morem acceperint. Rudior is scribendi modus est nostro. βουστροφηδὸν γράφειν. *Sic exaratæ leges Solonis. Taprobanenses versum scripturi à summo deorsum procedebant: uti & hodie Indi.* Tapocon *quid, & unde id nomen. Utrùm Gothi in scribendo* βουστροφηδὸν *scripserint, sed prius adscendendo, hinc descendendo.*

NOn inutile verò, nec injucundum erit, si deinceps exposuero diversos scribendi modos. Nam & ea res ad Grammaticen pertinet. Variant autem modi illi trifariam. Primùm pro motu locali, qui alius Hebræis, sinistrorsum scribentibus; alius Romanis, & Græcis, qui dextrorsum progrediuntur. Præterea variant pro ratione instrumenti, quo scribitur, ac materiæ, in qua scribitur. Alia enim scribendi ratio est, cùm æri incidimus literas: alia cùm in charta eas calamo pingimus. Denique diversitas est pro majori minorique notitia inter homines. Quippe alia ratio est obvia apertaque; alia non vulgo solùm incognita, sed multis etiam eruditorum, & elegantium hominum ignota. Videamus primò de diversitate ratione loci, & ejus, unde, & illius, quò progredimur.

Modus is est quadruplex. Primus est à dextra sinistrorsum. Qualis Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabum, multarumque aliarum Orientis gentium: etiam Ægyptiorum, ut testis est Herodotus in Euterpe. Hunc morem eos accepisse ab Hebræis, verisimile est: imò Herodotum hoc dicere, ait vir eruditus, Hermannus Hugo*: sed aut valde memoria me fallit, aut apud Herodotum de hoc silentium est. Est verò hic modus, ut cæteris antiquior, ita rudior atque imperfectior. Natura etiam animantium, contrà quàm hic fit, priùs se movet dextrorsum: quomodo &, acturi aliquid, brachium non attrahimus, sed explicamus. Imò Hebræi ipsi, etsi literas componentes procedant sinistrorsum, in singulis tamen literis effomandis priùs effingunt sinisteriorem, hinc dexteriorem partem. Huic modo alter successit. Nam morem quidem veterem hactenus retinebant, quòd primò à dextra sinistrorsum irent: sed ubi ad sinistram paginæ partem devenerant, inde, quia is se locus primò offerret, dextrorsum in scribendo recurrebant. Antiquissimis Græcorum hic mos placuit: atque id vocarunt βουστροφηδὸν γράφειν †, quia lineas ducerent, uti boves in arando ducunt sulcos. Liquet hoc ex Pausaniæ Eliacorum priori; ubi narrat, ut Cypselidæ in memoriam arcæ, in quâ servatus erat Cypselus, dicarint Olympiæ arcam: ejus arcæ inscriptiones fuisse γράμμασι τοῖς ἀρχαίοις, *literis antiquis*, hoc est Ionicis: sed formam scribendi fuisse aliam, quæ βουστροφηδὸν dicatur: nam, inquit, ἀπὸ δὲ τοῦ πέρατος τοῦ ἔπους ἐπιστρέφει τῷ ἐκ τῶν τὸ δεύτερον, ὥσπερ ἐν διαύλου δρόμῳ. *A superioris versus fine continuò fit versura ad initium sequentis, eâ ratione, qua curritur in diaulo.* Similiter Hesychius βουστροφηδόν. οὕτως ἔλεγον, ἐπὰν ὁμοίως τοῖς ἀροτριῶσι βουσὶ τὰς ἀντιστροφὰς ποιῇ τις. ἔλεγον δὲ ἐπὶ τοῦ γράφειν τρόπῳ τοιούτῳ. βουστροφηδὸν dixere, *quando instar arantium boum versuram quis facit. Dixere autem, quia eo modo scribatur.* Antiquitatem scripturæ ejus etiam ostendit, quòd βουστροφηδὸν exaratæ erant leges Solonis: ut auctor est Didymus: cujus de eo verba apud Harpocrationem habes, ubi explicat, quid sit, Ὁ κάτωθεν νόμος. Eademque Suidas exscripsit, sed Didymi nomine præterito: ut observatum. v. cl. Joanni Meursio, Atticarum lect. lib. 1, cap. xxii. Ex Latinis hunc modum refert Isidorus, lib. vi Orig. cap. xiii: *Versus*, inquit, *vulgo vocati: quia sic scribebant antiqui, sicut aratur terra. A sinistra enim ad dexteram primùm deducebant stilum: deinde convertebantur ab inferiore, & rursum ad dexteram versus: quos & hodie rustici Versus vocant.* Mirum autem, quòd nonnullis traditum, & ex his Nauclero generat. L iv, Hebræos βουστροφηδὸν progressos usque ad tempora Esdræ: eum primum instituisse, ut à dextra sinistrorsum scriberetur. Quod si est, immutandus sit ordo modorum, quos posuimus. Tertius scribendi modus est à sinistra dextrorsum: ut faciunt Græci, Latini, Germani, Illyres, alii. Quartus modus est, ut à summo in imum deveniatur. Quomodo incolæ Taprobanæ, quæ in Australi est Oceano, jam olim scripsere; teste Diodoro Siculo, penè extremo libro ii: Γράφουσι δὲ τοὺς στίχους οὐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες, ὥσπερ ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες εἰς ὀρθόν· *Scribunt versus non eos in transversum extendendo, ut nos; sed à summo eos in imum rectà deducendo.* Hodieque hoc scribendi genus obtinet apud Indos: ut proditum à Joanne Francisco Poggio Florentino, in libb. de varietate fortunæ, ubi Indiæ mirabilia enarrat. De Sinensibus idem memorat Nicolaus Trigaultius lib. 1 Sinensis expeditionis cap. v. *Tapocon* hoc scribendi genus dicitur Græcis. Festus: *Tapocon Græci soliti sunt appellare genus scribendi deorsum versus, ut nunc dextrorsum scribimus.* Si genuina hæc est scriptura (variant enim codd. Mssi) vocem hanc Græci acceperint à Phœnicibus Syris. Hebræis enim הפך *hapach*, hoc est, *vertit*, *convertit*, *evertit*, *subvertit*: cujus futurum תהפוך, *tahapoc*, hoc est, *invertes*, *evertes*, *pervertes*; unde *tapocon*: quia cùm Phœnices sinistrorsum, Græci dextrorsum scriberent; utrumque facerent βουστροφηδὸν γράφοντες: hic diverso ac perverso modo, non ad alterutrum latus, sed deorsum proceditur. Nec tamen hoc genus planè ignorarunt Græci. Nam est in literis primis carminis ejus, quod ἀκροστιχὶς à Tullio quoque vocatur in secundo de divinatione: *Tum verò ea, qua* ἀκροστιχὶς *dicitur, cùm deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur.* Atque addit, ita sententiam prætexi tum carmini Sibyllino, tum Ennianis quibusdam.

Existimet aliquis, & quinctum esse modum. Nam si, ut Græci, scripsere non dextrorsum modò, sed etiam βουστροφηδόν; quid impedit, quo minùs scribatur, non deorsum modò, sed & redeundo mox sursum, itidem βουστροφηδόν. Rectè sanè: verùm si modos scribendi, quotquot afferri possint, producere animus sit; non jam quinque solùm fuerint, sed quatuor & viginti, quod pridem aliis demonstratum, inque his Hugoni Hermanno: sed nobis

† *Instar versuræ boum scribere.*

* *De prima scribendi origine.*

sermo de iis, qui sunt, vel fuere in usu. At quinctum illum nulla gens usurpat. Fateor de eo quoque refragari nobis Zuingerum lib. I, vol. IV: ubi ait, *secundùm longitudinem à summo ad imum, & hinc rursum adscendendo, veluti per spiras (quales Sol annuo motu per Zodiacum facere dicitur) scripsisse Gothos veteres in saxis vetustissimis, quæ etiamnum exstent.* Atque hujus rei auctorem laudat Olaum Magnum, Archiepiscopum Upsalensem: qui hac de re agit lib. I, cap. VII; sed is quidem dicit, Gothos saxis solere inscribere res gestas: at illud alternis versibus nunc descendendo, nunc adscendendo fecisse, non dicit. Uti nec Joannes Magnus: qui fratris sui, cui & in Archiepiscopatu successit, sententiam adducit, de Gothis libro I, capite VII.

CAP. XXXV.

Manus pro stylo. γλύφιον, cælum, caltes. *Stylus prius ferreus, exinde osseus; idque ob periculum, quia ferreo alii alios vulnerarent. Atque ut postea redierit usus ferrei, & simul periculum: cujus rei aliquot exempla.* Spongia deletilis. *Saxis & lateribus literas insculpsere, Hebræi, Babylonii, Phœnices, Græci, Romani, Cimbri. Etiam plumbeis laminis ad eam rem usi: quæ impropriè admodum Plinio* volumina. *Verius* charta plumbea: *quod male in Tranquillo damnat Guilandinus. Lysimachi de ea locus. Gelenii in eo tralatio rejecta. Æs quoque ad hoc usurparunt: imo & argentum. Ab ære deventum ad tabulas ceratas.*

ACcedo nunc ad alteram divisionem: secundùm quam vel incidendo scribitur, vel pingendo. In priori duo spectantur; instrumentum, quo literæ inciduntur, & materies, cui inciduntur. Instrumentum vel est naturale, vel externum. Naturale est manus: quæ & ipsa interdum vicem præstat styli. Huc refer, quod Belshazele, sive, ut Græci vocant, Belthasare, ultimo Babyloniorum rege, epulante, muro inscriptum fuit, MANE, THECEL, PHARES, hoc est, *numeravit, appendit, divisit*, ut est Danielis cap. V. Proprieque magis eo pertinet, quod Christus de adultera sententiam rogatus, pavimento eam inscripsit, ut est Joan. cap. VIII. Etiam de captivo narrant, ut cum penna & atramentum negarentur, unguibus ad pennarum modum succrescentibus, pro pennâ, carbone autem salivâ vel urina temperato epistolam ad amicos perscripserit. Externum instrumentum est stylus: qui primò ferreus fuit. Antiquissimi enim literas saxis & lateribus insculpsere, ut postea dicam. Hoc instrumentum ut Græcis γλυφίον, sic Ausonio† dicitur *cælum*. Sed & *caltem* vocant, ab eadem origine. Nam ut à *tego*, *teges*, à *volo*, *voles*, posteaque *veles*, sic à *cælo*, *cales*. Unde patrius casus *calitis* & κατὰ συγκοπὴν *caltis*. *Caltu* vocem habemus in veteri lapide apud Aldum*, & Gruterum†: *Nam neque hic atramentum, vel papyrus, aut membrana ulla adhuc; sed malleolo, & calte literatus silex.* Legas & apud veterem Jobi interpretem cap. XIX. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, aut plumbi lamina, vel calte sculpantur in silice?* Ita in Mssis & nostris, & aliorum, invenimus: seque similiter in XVI suis reperisse, ait Lucas Brugensis. Neque ignoro, in multis etiam Mssis legi *certe*: item in Complutensibus, Stephanicis, Regiis, & Hentenianis, seu Lovaniensibus. Verùm non dubium, quin *calte* scripserit interpres. Quam & lectionem tuetur Casaubonus, in lib. VII Athenæi cap. XX, & Molina disput. in Thomam. Ac retinet quoque Pineda. Porrò ferreo hoc stylo usi etiam, postquam non in saxo, sed ceratis tabellis, literas exararunt. Qua de re sic Isidorus lib. VI Originum cap. IX: *Græci, & Thusci, primùm ferro in ceris scripserunt.* Postea, quia σιδηροφορεῖν* non liceret, quo gladii & pugiones vetabantur, graphiis ad vulnerandos alios abuti cœperunt. Quin eo fine, ut alios vulnerarent, graphia etiam acquirebant. Ita Antyllus quidam, teste Plutarcho in Gracchis, γραφείοις μεγάλοις κεντούμενος, ἐπ' αὐτὸ πεποιημένοις λεγομένοις *magnis confossus graphiis, quos eum in finem comparâsse sibi dicebantur.* Propterea interdictus & graphii ferrei usus fuit. Quò pertinet illud ab Isidoro adductum: *Ceram ferro ne cædito.* Jussi autem pro graphio ferreo uti osseo. Unde T. Quinctius Atta in Satyra:

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo.

Charisius etiam in primo citat ex Varrone: *Osse scribebant.* Et illud ex Titinio:

——Velim ego osse arare campum cereum.

At postea iterum rediit usus ferrei styli. Hinc Martialis lib. XIV, epigram. XXI:

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro.
Si puero dones, non leve munus erit.

Sed rediit & tum periculum. Sic Cæsar, ut apud Plutarchum est & Appianum, sive, ut Suetonius† ait, *Cassii brachium arreptum graphio Cæsar trajecit.* Idem Tranquillus in Cajo*: *Cum discerpi Senatorem concupisset, subornavit, qui ingrederentur curiam, repente hostem publicum appellantes invaderent, graphiisque confossum lacerandum cæteris traderent.* Seneca lib. I de Clementia cap. XIV: *Erixonem, equitem Romanum memoriâ nostrâ, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis occidit.* Etiam B. Cassianum, cujus memoriam Romana celebrat Ecclesia Idibus Augusti, apud Forum Syllæ scelerati discipuli graphiis suis confodêre: ut Prudentius refert περὶ στεφάνων hymno IX, & ex eo alius prosâ oratione apud Surium Tom. IV.

† In Julio Cæs. cap. 82.
* Cap. 28.

Uti autem graphio sive stylo scribebant: ita in charta deletitia, (qualis *palimpsestus* Catulli, & Ausonii *libri liturarii*) ea, quæ scripserant, spongiâ delebant. Unde Varro Modio:

Si displicebit tam tibi latum mare,
Tantum parato spongiam deletilem.

Materies, in quâ literas incidebant, fuere saxa, lateres, plumbum, æs. De saxis & lateribus notum ex eo, quod de Sethi duabus columnis superius† ex Josepho adduximus. De lapideis Mosis tabulis mitto, ut notissimum. Etiam Plinius lib. VII, cap. LVI refert, Babylonios, ac Phœnices, leges atque instituta sua inscripsisse coctis laterculis. Ægyptii itidem, ante papyri usum, notas suas hieroglyphicas insculpere saxis solent. Quod Lucanus nos docet lib. III:

† Cap. 9.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: & saxis tantùm volucresque feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Græcis quoque & Romanis saxa inscribi solere, satis indicant columnæ, & monumenta, quæ hodieque supersunt. Indeque Horatius lib. IV, Ode VIII:

—— Incisa notis marmora publicis.

Etiam Saxo Grammaticus in præfatione historiæ Danicæ locuples testis, Danos literis suis, quas *runer* dixere, non in ligno modò, sed & cautibus, incidisse gesta majorum. De plumbo arguit illud antè memoratum e Jobi cap. XIX, vers. 23, 24. *Quis mihi det, ut sermones mei exarentur in libro, & stylo ferreo in plumbi lamina?* Etiam Hesiodi ἔργων καὶ ἡμερῶν in plumbeis laminis exaratorum meminit Pausanias in Bœoticis. Plinius quoque lib. XIII, cap. XI, auctor est, post pugillares *Plumbeis voluminibus monumenta publica confici cœpta.* Ubi *volumina* impropriè dixit, pro *laminis plumbeis*: quæ non volvuntur, unde *voluminis* nomen. Itaque propriè magis idem autor *plumbeas laminas* vocat lib. XXXIV, cap. XVIII. Ac similiter *lamellis plumbeis* literas incisas dicit Frontinus lib. III, cap. XIII. *Chartam plumbeam* appellat Suetonius in Nerone cap. XX. Guilandinus non dubitat hoc damnare in tam erudito scriptore, atque ait, non *chartam*, sed *papyrum plumbeam* dicere debuisse. Atqui papyrus est nomen materiæ, quæ planta est, non plumbum: charta verò dicitur ab usu: eoque & ex papyro, & aliunde fit charta. Ridiculè igitur dicatur *papyrus plumbea*; rectè *charta plumbea*: quomodo & locutus Lysimachus Alexandrinus: cujus

† Epigr. 56.
* In Orthographia.
† Inscriptionum pag. 329 sed mera vocali celte.
* Ferrum gestare non liceret.

jus quidem ætatem exactè dicere non possumus; sed antiquitatem tamen arguit, quod ejus meminerit Flavius Josephus libro I adversus Apionem; ubi ex ejus historia Ægyptiaca fragmentum de Judæis adfert mendaciorum plenum. Inter cætera memorat, ut Bocchoris, rex Ægyptius, Judæos leprâ ac depetigine laborantes jusserit εἰς μολυβδίνας χάρτας ἐνδήσαντας, hoc est, *plumbeis chartis involutos*, in mare dari præcipites. Doctissimus vir, Sigismundus Gelenius, vertit *plumbeis laminis*. Rectiùs facturus, si cum Tranquillo chartæ vocem reservaret.

Pro plumbo, quod flexile, maluere postea æs. Cui acta publica incidêre: ut testis est Dionysius Antiq. Rom. lib. X, Suetonius in Julio, & auctor historiæ Asmonæorum sive Maccabæorum lib. I, cap. VIII. Moremque hunc leges incidendi æri respexit Ovidius, cùm I Metam. ait:

—— Nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Galli autem & argentea habuere monumenta publica; ut de iis autor est Tritthemius lib. I breviarii Annal. Franc.

Præterea literæ incidebantur tabulis ceratis. Stylus, quo in cerâ usi, mucronem habebat ad literas formandas: in summo erat planus, ad aliquid delendum. Quod Horatio est *stylum vertere*, hoc est, delere, ut corrigas. Utrumque usum scitè expressit Prudentius hymno IX, de Cassiano Martyre:

Inde alii stimulos, & acumina ferrea vibrant,
Quà parte aratis cera sulcis scribitur.
Et quà secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens invenitur area.

Denique & literæ inciduntur pugillaribus gypso illitis; cui modo, cùm hodieque notissimus sit, non est quòd insistam.

CAP. XXXVI.

Calami Memphitici, Nilotici, Gnidii. Sinensium mos penicillo scribere è pilis leporinis. Primò in malvæ & palmæ foliis scriptitatum. Plinii lectio vetus defensa. Utrum malva, an palma, scriptioni aptior. Ὀστρακισμός, ἐκφυλλοφόρησις, πεταλισμός. De hoc ab Henrico Stephano recessum. Liber *quid propriè. In tilia seu philyra olim scriptum.*

HActenus de literis incisis. Sequitur de pictis. Ubi spectantur tria: instrumentum quo pingitur, materies in quâ pingitur, & materies quâ pingitur. Ac instrumentum quidem primò fuere arundinei calami, postea verò avium pennæ. Calamorum optimi habebantur, qui crescerent juxta Memphim, Nilum, vel Gnidum. Plinius lib. XVI, cap. XXXVI: *Calami Ægyptii maxime, & Gnidii, chartis serviunt.* Martialis lib. XIV, Epigram. XXXVIII:

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Niloticus calamus celebratur Appulejo lib. I Met. Ausonius similiter *Melonis paginam*, vel potiùs *filiam** dixit. Nam *Nilus* olim *Melo*. De quo in Institut. Oratoriis diximus. De pennâ est hoc Juvenalis sat. IV:

* Filiam pro Paginam rescribi apud Ausonium debere, monui in Commentariis Instit. Orat. lib 4. cap. 11. sect. 5.

——Tanquam & diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola pennâ.

Sententia poetæ est, tantos esse animorum motus, ac si epistolâ celeri nuncius Romam apportaretur de provinciæ alicujus rebellione. Ut certissimum sit, eos falli, qui pennæ nomine columbam credunt signari, aut aliam avem literarum portatricem. Porrò cum nunc pictores solùm penicillo utantur: apud Sinenses etiam in scribendo usus est penicilli, quem atramento tingunt: soletque is esse è pilis leporinis, ut auctor est Nicolaus Trigaultius Expedit. Sin. lib. I, cap. XIV.

Materiem, in qua pinguntur literæ, initio arbores, hinc quadrupedia, postea & lintea præbuere. Ex arboribus huic rei primò folia inservierunt, postea libri, sive interior corticis tunica, postremò & tabulæ dolatæ. De foliis indicio sunt, quæ de Sibylla tradit Maro VI Æneid. Folia hæc præcipuè fuerunt palmarum, & malvarum. De palma testis Plinius lib. XIII, cap. II. De utraque Isidorus lib. VI, cap. XII. *Textilibusque*, inquit, *malvarum foliis, & palmarum.* Ut fallatur Guilandinus, qui apud Plinium pro *palma* jubet legere *malvam*. Malvæ illud boni, quod folia ejus molliora, cùm asperiora sint palmæ. Sed alio vincit palma, quia folia malvæ ob mollitiem vix sustinent calami mucronem: unde & necesse habebant glutine & aliis firmare. De malva elegantissimi supersunt versiculi C. Helvii Cinnæ ab Isidoro adducti:

Hæc tibi Arateis multùm invigilata lucernis
Carmina, quîs ignis novimus aerios,
Lævis in aridulo malvæ descripta libello,
Prusiacâ vexi munera naviculâ.

Unde cognoscimus, rarum satis iis fuisse temporibus, grande aliquod opus malvæ inscribere. Alioqui non sodali is liber fuisset dono missus, qui in omnium penè bibliothecis esset, ac passim legeretur. Materies igitur donum commendavit, quia difficile esset scribere in malva, partim eo quòd, ut dixi, vix toleret mucronem, partim quia etiam bullis est inæqualis. Quæ tamen vitia arte corrigebantur. Etiam nomina eorum, qui Athenis senatu movebantur, foliis inscribi solent: uti in ὀστράκοις sive testulis eorum nomina populus signabat, quos vellet urbe excedere. Iccirco uti posterius hoc ὀστρακισμὸς dicebatur, qui populi erat: ita prius vocabatur ἐκφυλλοφόρησις, quæ erat Senatus. Vide Pollucem lib. VIII, cap. V, Harpocrationem in Ἐκφυλλοφορῆσαι, & Tzetzem Chil. XIII, cap. CCCCLXXXIX. Apud Syracusanos verò oleagino folio nomen ejus inscribebant, qui ob potentiam esset suspectior. Ac quinquennii exilio afficiebatur, cujus nomen sæpissime omnium in foliis legeretur. Testis Diodorus Siculus in XI, ubi ait hoc vocatum πεταλισμὸν, eo quòd inscriberentur nomina πετάλῳ ἐλαίας, *folio oleagino*. Ac Hesychio quoque propterea πεταλισμὸς exponitur ὁ διὰ φύλλων ὀστρακισμὸς, *ostracismus per folia*. Hæc non satis perpendit H. Stephanus, quando in Thesauro suo ait, πεταλισμὸν sic dici, quia nomina in laminis signarentur. Nimirum absurdum ei videbatur, ut scriberetur in arborum foliis. Quasi non passim illud obtinuerit in Græcia, priusquam Ægyptus in Alexandri Macedonis potestatem venisset: ut disertim Plinius scribit.

Post folia in usu libri arborum, nempe illud, quod inter corticem & lignum. Nam propriè *cortex*, quod ultimum; *liber*, quòd proximum. Isidorus lib. XVII Orig. cap. VI: *Liber est corticis pars interior. Estque medium quoddam inter lignum & corticem.* Item lib. VI Orig. cap. XIV: *Liber est interior tunica corticis, quæ ligno cohæret, in qua antiqui scribebant. De qua Virgilius: Sic altâ liber hæret in ulmo. Unde & liber dicitur, in quo scribimus: quia ante usum chartæ, vel membranarum, de libris arborum volumina fiebant.* Sed quin potiùs Plinium advoco? cujus illud lib. XIII, cap. XI: *In foliis primò scriptitatum: deinde quarundam arborum libris.* Arbores istæ imprimis tilia, seu philyra, & papyrus.

De tilia priùs dicam, quia paucis opus erit. Tilia, Græcis φιλύρα. De qua sic Suidas: Φιλύρα εἶδος δένδρου ἔχον φλοιὸν βύβλῳ παπύρου ὅμοιον. *Tilia est arboris genus, quod librum habet similem byblo papyri.* In libro philuræ seu tiliæ scribi olim solere, clarè testatur Herodianus l. I, ubi de Commodo inquit: Λαβὼν γραμματεῖον τούτων δὴ τῶν ἐκ φιλύρας εἰς λεπτότητα ἠσκημένων, ἐπαλλήλως τε ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένων γράφει, οὓς χρὴ τῆς νυκτὸς φονευθῆναι. *Sumto in manus libello, quales ex tilia tenuissimi & utrimque plicatiles fiunt, conscribit in eo, quoscunque illâ nocte interficere statuisset.* Xiphilinus in Domitiano: Τὰ ὀνόματα ἐς σανίδιον φιλύρινον δίθυρον ἐγγράψας. *Cum eorum nomina scripsisset in duplicibus tabulis tileaciis.* Martianus Capella lib. II: *Cernere erat, qui libri quantaque volumina, quot linguarum opera ex ore Virginis defluebant. Alia ex papyro, quæ cedro perlita fuerant, videbantur: alii carbasinis voluminibus complicati libri: ex ovillis multi quoque tergoribus: rari verò in philyræ cortice subnotati.* Clara quoque illa Ulpiani

ni verba †: *Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in charta, sive in membrana sint, sive in quavis alia materia. Sed & si in philura, aut in tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio; idem erit dicendum.* Q. Septimius Romanus, si ipsi de se credimus, Dictyos Cretensis interpres, epistolâ ad Q. Arcadium: *Libros ex philura in lucem producturi.* Item auctor præfationis de vita Dictyos: *De toto hoc bello sex volumina in tilias digessit Phœniceis literis.* Et mox: *Memoratas tilias in stannea arcula repositas ejus tumulo condiderunt.*

† *Lib. 52. ff. de legatis. lib. 3.*

Cap. XXXVII.

Biblus eadem ac papyrus, & quibus ea terris creverit. Charta unde dicta. Modus conficiendæ chartæ ex papyro. Intergerium. *Πρωτόκολλον, non πρωτόκωλον dici, & ita in similibus. Charta Hieratica, Augusta, Livia, Claudia, Amphitheatrica, Fannia, Saitica, Taniotica, Emporetica. Lapsus Isidori, Jovii, Guilandini. Taniotica unde dicta. Tanis est Tzoar, & unde nomen.*

A Tilia venio ad papyrum, de qua pluribus agendum. Ea erat planta Ægyptia duo cubita non excedens. Abunde de hac Theophrastus, Dioscorides, Plinius: ac præter hosce Galenus lib. VIII Simpl. Eadem dicebatur βίβλος, vel βύβλος: unde Βιβλία vocata. Retinet hanc appellationem Lucanus lib. III:

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat.

Nec tamen in sola Ægypto biblus crescebat: sed etiam in Cœle-Syria, Babylonia, India: alibi, quòd constet, non item.

Aliud verò charta, aliud papyrus, vel biblus. Papyrus materies erat ex qua charta fieret. Nec papyro chartæ datum nomen videtur, nisi cùm epistolis salutatricibus inserviret. Est enim χάρτης Græcum à χαίρειν *, ut ad verbum notet *salutator.* Unde epistolam sic ἀσπάζεσθαι Martialis lib. IX, epigr. CI:

* *Gaudere, salvere.*

Charta salutatrix si modò vera refert.

Primus autem Cleon † in epistolis χαίρειν usurpavit: primus, eo rejecto, εὖ πράττειν * prætulit Plato †.

Modum conficiendæ ex papyro chartæ docet Plinius libro XIII, cap. XI, & XII: *Præparantur ex papyro chartæ, diviso acu in prætenues, sed quàm latissimas philuras.* Ubi clarè Plinio papyrus est totus scapus sive caulis: ex cujus libro plures philuræ fiebant. Unde sequitur: *Principatus medio, atque inde scissuræ ordine.* Pro quo postea dicit: *Proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas.* Ex his cognoscimus, uti cæpa tunicas habet multas, quas acu melius, quàm cultro dividas: sic papyrum solere dispesci in tenues philuras, iis acu à se invicem separatis; ita ut suo quæque ordine detraherentur. Mirum, id non cepisse Guilandinum; qui ad hoc non acus, sed cultri vel alius ferri operam requiri contendit. Porrò philuræ illæ acu separatæ ad modum cratis sterni solent super tabulam, sive asserem ligneum, madentem turbidâ Nili aquâ. Ea aqua contexebat & conglutinabat plagulas. Id *contexere biblos* vocat Lucanus, ut antea vidimus: quia nempe plagularum una staminis, altera subteminis instar se haberet. Similiter locutus Cassiodorus in XI: *Pulchrum planè opus Memphis ingeniosa concepit, ut universa scrinia vestiret, quod unius loci labor elegans texuisset.* Plagulæ ita contextæ imponebantur prelo, ut humor exprimeretur. Prælo exemtæ exponebantur Soli, ut magis siccarentur. Siccatæ digerebantur in scapum; qui summum erat philurarum XX: uti hodie scapus solet esse philurarum XXV. Verùm nunc ita usus obtinet, ut fere pro scapo dicamus *volumen papyraceum:* vulgo & *librum charta* nuncupant: pro *philura* autem *folium* usurpant. Sed de turbida Nili aqua quod dixi, non fuit perpetuum. Nam initio quidem ea affusa fuit marginibus, ut jungerentur schedæ seu philyræ papyri. Postea autem pro Nili liquore fuere usi vero glutino. Constabat igitur charta duabus rebus, papyro & glutino: unde duo hæc jungit Firmius apud Vopiscum. Quippe ait, *exercitum se alere posse papyro & glutino.* Nempe Ægyptius erat, ac tantas opes in papyro & glutino possidebat, ut has exercitui alendo sufficere existimaret. Glutinum illud, quia oris intergeritur, ut eas inter se jungat, à Plinio * *intergerium* appellatur. Atque ab hac glutinandi consuetudine primam schedam πρωτόκολλον vocat Justiniani Novella XLV: uti Martialis ultimam schedam ἐσχατοκόλλιον. Origo vocis à κόλλα *glutinum*, non à κῶλον *membrum:* quamquam sic Scaliger putabat: qui propterea πρωτόκωλον & ἐσχατοκώλιον scribebat. Similiterque dicta μακροκόλλα, quibus modulus longior.

† *Lucianus pro lapsu in salutando, & Laërtius in Platone.*
* *Bene agere.*
† *Iidem, & Plato in Charmide, & epist. 3.*
* *Lib. 13. cap. 12.*

Chartæ genera varia fuere. Quæ majoris formæ esset, dicta est *Hieratica:* quia hac annales, rituales, aliique libri sacri ab hierophantis scriberentur. Sed non erat unius generis. Una postea ab Augusto Cæsare dicta est *Augusta.* Altera, in honorem Liviæ Augustæ, *Livia*, vel *Liviana* est appellata. Cæterùm cùm Augusta, ob tenuitatem, vix calami mucronem ferret: Claudius Cæsar chartam reperit tenuiorem Liviâ: minùs tenuem Augustâ: quæ ex eo *Claudia* dicebatur. Post hasce erat *Amphitheatrica*, sic nuncupata à loco, ubi fieret. Scio, Guilandinum legere, *Athribitica:* ut sic vocetur à præfectura Ægypti, cujus caput Athribis: de qua Strabo, Ptolemæus, Stephanus. Sed nihil impedit, quo minus Amphitheatro essent additæ officinæ, in quibus, quando nulli essent ludi amphitheatrales, chartæ fierent. Nec enim Alexandria caruerit amphitheatro, urbs tantopere luxui ac voluptatibus dedita. Hæc Amphitheatrica in Ægypto curata recurabatur Romæ: cumque advecta solùm octo esset digitorum, malleo ita extendebatur, ut novem fieret digitorum. Ac dicebatur tum *Fannia* seu *Fanniana*, à nobili illo Grammatico Rhemnio Fannio Palæmone, qui chartarum habuit officinas. Quemadmodum & *promercalium vestium officinas exercuit:* ut de eo Tranquillus † refert: qui rei familiaris diligentissimum fuisse addit. Ejus epitaphium legere est in Aldi Orthographia *, & exinde in inscriptionibus Gruteri †. Post chartam Fanniam pretium suum erat *Saitica:* cui nomen dedit Ægypti oppidum Sais, Minervæ cultu, & Psammetichi regis sepulchro, inclytum: ut Strabo indicat in XVII. Hac magis plebeja erat charta, *Taniotica:* quæ prope Tæniam fiebat: hoc interpretor, ταινίαν στενὴν *, quam inter Canopicam fossam & mare, statuit ibidem Strabo. Meminit ejus loci & Athenæus in primo. Ultima dignitas *emporetica* sive emporeuticæ censebatur. Ea sic dicta, quia hac ἔμποροι sive negotiatores merces suas involverent. Nam scribendo erat inepta: ut quæ ex scheda fieret cortici proxima. Atqui, ut è Plinio dicebamus, è medio papyri optima fiebat charta: & quo minùs aberat à medio philura, eò propiùs ad optimam accedebat: quò cortici autem propior, eò deterior erat.

† *De claris Grammaticis.*
* *Pag. 779.*
† *Pag. 643.*
* *Angustam fasciam.*

Nec parum discriminis attulit chartarum, quas dixi, latitudo. Nam *hieratica Augusta* erat lata digitos XIII. Credo, *Livia* XII. Sanè, quæ ἁπλῶς *Hieratica* dicebatur, digitorum fuit XI. *Fanniana*, X. *Amphitheatrica*, IX. Paucìorum digitorum *Saitica*, & puto etiam *Taniotica. Emporetica* solum sex erat digitorum.

Porrò pro *Augusta* charta pravè *Augustea* editum apud Isidorum lib. VI Orig. cap. X: ubi sex chartæ species recenset. Altera ei dicitur *Libyana.* Perperam sine dubio. Nempe ut iis temporibus *beneficium* pro *veneficium* dixere, similiaque: ita & *Libiana*, pro *Liviana.* Indeque error ille Isidori, ut Libyanam dicat vocari à Libya provincia. Tertium dat locum *hieraticæ*, de quâ satis antea. Quartum *Taniotica:* quam sic vocari ait à loco Alexandriæ, ubi fieret. Id valde adversatur Guilandino, qui *Tanitica* reponit apud Plinium: ut nomen dederit Tanis, quæ hodie *Damiata:* etsi plerique Pelusium esse Damiatam credunt: parum memores, Damiatam adjacere Ægyptio Nili ostio secundo, quod *Taniticum* dictum; non primo, quod Pelusium vocatur. In quo ut valde Paullus Jovius est deceptus, quando Damiatam esse censet Pelusium; imò & Pelusium

lusium eandem urbem, ac Hierapolim putat, quæ tantopere dissita à Pelusio: ita castigator ejus Guilandinus in eo falsus, quando *Tanis*, & *Taphnis*, confundit: cum Taphnis in Scripturis sit תחפנחס; Tanis sit iis צען, *Tzoan*. Nec dubitandum, quin *Tanis*, sit ex *Tzoanis*. Nam quia Græci & Latini non habent TS, eo interdum S, interdum T, omittunt. Ut à צר *Tsor*, est tum *Sarra*, tum Τύρος, Syriacâ vocalis ἐπαλλαγῇ: ut superiùs etiam diximus. Sive autem Tænia est Alexandriæ locus, sive non longè erat ab Alexandria; *Taniotica* legi debet, cùm in eo Plinii, & Isidori codices conveniant; Taniticæ autem chartæ ante Guilandinum meminerit nemo. Quintum locum Isidorus dat *Saltica*, ab oppido Salo; ut vulgo quidem legitur. Sed ex Plinio rescribendum, *Saitica*, ab oppido *Sai*: cujus & mentio fit Ezechielis cap. xxx, vers. 16. Sexta ei est *Corneliana*: de qua Plinius silet. Huic nomen esse impositum ait Isidorus, a primo ejus auctore Cornelio Gallo, Ægypti præfecto, quem Maro celebrat Eclogâ decimâ. De emporetica, cui Isidorus ultimum dat locum, satis est liquidum ex iis, quæ de fonte Pliniano antea hausimus. [illegible]

CAP. XXXVIII.

Alia scheda, alia tabella cerata. Codices & codicilli. Summa, & ima cera. Libri lintei sive carbasini. Quibus scripta oracula Sibyllina, quandoque & fœdera, leges, & epistolæ principum. Vopisci lectio defensa. Elephantini libri. Persici & Indici è serico. Ξυλοχάρτιον. Jam Eustathii ætate desiisse morem conficiendi chartam è papyro. Pellibus sive membranis scribendi mos. Isidorus refellitur. Unde dicantur membranæ. In omentis elephanti scriptum, & intestino draconis. Diphtherâ antiquior. Pergamenæ unde appellatio. Quando charta, quando item membranæ usus frequentari cœperit in Græcia. In ebore etiam scribi solitum, ostenditur contra summum virum.

Libris arborum successêre tabellæ ligneæ, quæ schedæ erant, vel tabellæ ceratæ. Schedæ erant tabellæ nudæ, sive non inductæ cerâ. Plinius lib. XIII, cap. XI: *Privata monumenta linteis confici, aut schedis*. Ita enim vett. omnes codd. non *cera*, quod pro *schedis* reponit Guilandinus. Tabellæ illæ si simplices, erant crassiores. Ut è quibus pueri discerent. Plautus Bacch. Sc. Nunc experiar:

Extemplo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.

Quod tenuis tabella non potuisset. Sin plures jungi opus foret; secabantur in tenues laminas. Martialis lib. XIV, lemmate Citrei pugillares:

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas.

Præterea dolabantur, ut faciliùs in iis scriberetur. Isidorus lib. VI, cap. VIII. *Ante usum chartæ & membranarum, in dolatis ex ligno codicillis epistolarum colloquia scribebantur*. De tabellis ejusmodi Cassiodorus in XI. *Erat indecorum, fateor, doctos sermones committere tabulis impolitis, & in veternosis ramalibus imprimere, quod sensualis poterat elegantia reperire*. Dicti autem *codices*, & diminuendi formâ *codicilli*, quia fierent è caudice. Nam ut *aula olla*, *caurus corus*, *plaustrum plostrum*: sic *caudex codex*. Dani similiter libros appellant *boger*, quia res gestas in fagis consignarent, quemadmodum Olaus Wormius tradidit in Fastis Danicis*. Ceratæ tabellæ vocantur, quia essent crustâ ceræ illitæ. De quibus Pollux lib. X. Notæ loquendi formæ *in summâ* vel *imâ cerâ*: hoc est, initio vel fine libelli vel epistolæ. Discriminis hoc in libro, & codice ac codicillis, quòd in libro scriberetur, nec deleretur: in codicillis quæ scriberentur, postea etiam inducerentur.

* Lib. 1, cap. 6.

Post libros arborum ac tabellas, ad libros linteos accedo. Antiquiores scio membranacei. Sed hoc accidentarium est: cui præferri meretur, quod respicit naturam. Quale quòd lintei è lino, quod itidem planta. Linteis libris signari conceptus solere, testis est Plinius lib. XIII, cap. XI. Indeque Martianus Capella lib. II: *Alii*, inquit, *carbasinis voluminibus complicati libri*. Sic scripta fuere oracula Sibyllina. Unde Symmachus lib. IV, epist. XXXIV: *Monitus Cumanos linteâ textâ sumserunt*. Et Claudianus lib. de bello Getico:

—— Quid carmine poscat
Fatidico custos Romani carbasus ævi.

Fœdera etiam publica sic exarabant. Livius lib. XXXI: *Prætermissa nomina consulum horum, Licinius Macer auctor est, & in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inventis*. Quandoque & leges sic scripsêre. Constantinus Augustus L. I, de alimentis quæ inopes parentes de publico petere debent, in Cod. Theodosiano: *Æreis tabulis, vel cerussatis, aut linteis mappis scripta per omnes civitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus à parricidio arceat*. Imò & privatæ principum epistolæ. Flav. Vopiscus in Aureliano: *Inveni nuper in Ulpia bibliotheca, inter linteos libros epistolam D. Valeriani*. Nec enim assentiendum Turnebo, qui Adversar. lib. XXX, cap. XX, pro *linteos* reponit *luteos*. Quemadmodum nec cùm ibidem *elephantinos libros* interpretatur *eburneos*: qui ex omentis elephanti fuere, ut antea diximus. Persas etiam in serico scripsisse, indicat hoc Symmachi lib. IV, ep. XXXIV: *Tu etiam sericis voluminibus, Achæmenio more, infundi literas meas præcipis*. Indis quoque mos scribere in sindone: ut est apud Philostratum in Apollonii vitâ. Charta, quâ vulgo utimur, est ex linteis conceptis & contusis. Qui mos jam ab aliquot seculis fuit. Sanè ille ex papyro chartam faciendi, jam Eustathii desierat ætate: ut ipse scribit Odyss. φ: ubi ξυλοχάρτια appellat chartas veterum: nempe ad discrimen earum, quibus vulgo utimur: ut monitum Clarissimo Salmasio notis ad Vopiscum; ubi post Guilandinum & Dalecampium in Plinium, ac Scaligeri diatribam adversus Guilandinum, pulcrè, indictaque aliis, de hoc disserit argumento.

A materie, quam plantæ præbuere, transeo ad eam, quam ab animantibus habemus. Uti imprimis fuere pelles. Unde Martialis lib. XIV, epigram. CXC:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens.

Item epigram. CLXXXV:

Ilias & Priami regnis inimicus Ulysses
Multiplici pariter condita pelle latent.

Imò, si Isidorum audimus, folia librorum dicta, *quod ex follibus fierent, id est ex pellibus, quæ de occisis animalibus detrahi solent*. Sed foliis nomen, quia primò in foliis arborum scriberent. At rectè ab eo more idem † membranæ nomen deducit: quia deglupta animalium membris. Sanè Pergamenæ erant ovillæ pelles. unde Martianus Capella lib. II, cum dixisset, librorum alios esse ex papyro, alios ex carbaso, addit, *ex ovillis multi quoque tergoribus*. Quia autem pelles illæ pilos prius habuere, eò Persius ait:

† Lib. 6. cap. 11.

Jam liber & positis bicolor membrana capillis.

Nec tamen solùm usi pellibus, quas membris detraxissent, verùm & intestinis. Ut omentis elephantorum, de quibus Isidorus ibidem. Nam perperam pro *omentis* editum *momentis*. Item intestino draconis: quale illud, cui Zonaras, in tertio Annalium, inscriptam fuisse ait universam Iliada, & Odysseam. Uti & Constantinus Manasses, ubi de Leone III Isauro Imp. tractat. Membranarum usum esse antiquissimum, indicat Græcorum proverbium, ἀρχαιότερα διφθέρας*. Persicos quoque annales solere membranis inscribi, auctor est Diodorus Siculus libro secundo: ac auctorem laudat Ctesiam, qui sua se hausisse dicit ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν, ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον εἶχον συντεταγμένας. *Ex membranis regiis, in quibus Persæ, quadam lege, gesta vetera digesserant*. Membranacei quoque fuere libri, quos Eleazar, Pontifex Judæus, misit Ptolemæo Philadelpho: ut est apud Josephum lib. XII, Antiq. Judaic. Mirum verò, quod Plinius ex Varrone refert lib. XIII, cap. XI: *Pergami ab Eumene rege inventas esse membranas, supprimente chartas Rege Ptolemæo*. Adeone recens membranæ usus? Æquè mirum est, quod ibidem legas: *Chartam Alexandri Magni*

* Diphtherâ antiquiora.

Magni victoriâ repertam, auctor est M. Varro, conditâ in Ægypto Alexandriâ: antea non fuisse chartarum usum. Sed non dubium est, quin & longè ante Alexandriam conditam in usu fuerit charta; quod ostendit Guilandinus: & quin ante Eumenem Pergamenum membranarum usus fuerit; quod liquet ex ante dictis. Nimirum res ita habet. Alexandriâ conditâ, quia Ægyptus in Macedonum esset potestate, chartæ per Græciam vulgaris esse usus cœpit: usque dum ex æmulatione inter Ptolemæos & Pergamenos Reges, (de bibliothecæ nobilitate certabant) Rex Ægyptius vetuit chartam Ægypto efferri. Tum Pergamenus Rex, ne ab studio priori remitteretur, curavit, ut membranarum longè major esset copia. Atque exinde passim in Græcia membranis cœpit abundari. Quæ Pergamenæ dictæ, quia optimæ Pergamo adferrentur. Etiam a quadrupedibus ebur. Quippe dens elephanti. Martialis lib. XIV, lemmate, *Cerei pugillares:*

> *Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,*
> *Essemus Libyci nobile dentis opus.*

Scio Scaligerum, diatribâ adversus Guilandinum, negare, in ebore scribi potuisse. Sed refellit eum hoc Martialis eodem libro epigr. V.

> *Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,*
> *Nigra tibi niveum litera pingat ebur.*

Nimirum ex atramento vulgari judicium perperam fecit de illo, quo in ebore usi veteres.

CAP. XXXIX.

Atramentum librarium, vel scriptorium. Loliginis succus pro atramento, uti & sepia, apud Afros. Rubricæ usus in librorum & legum titulis. Encaustum sacrum, quo Orientis imperator subsignabat. Etyma vocum, quibus hodie atramentum gentes aliquæ designant. Quandoque idem & calami, & liquoris præstat vicem.

HActenus de materia, in qua animi sensa signarent. Videamus nunc de materia, quâ in chartis, membranis, vel linteis scriberent. Ea imprimis fuit atramentum librarium, ut vocat Vitruvius lib. VII, cap. X; sive scriptorium, ut nominat Cornelius Celsus lib. VI, cap. IV; de quo & Dioscorides lib. V, cap. ult. Item Plinius lib. XXXV, cap. VI, & Isidorus lib. XIX, cap. XVII. Horatio vocatur *nigra succus loliginis.* Nempe quia loligo in metu de se effundit nigrum succum, qui pro atramento est: unde Germanis dicitur *dintenfisch*, hoc est, *atramenti piscis.* Atque idem, Plinio * teste, facit piscis alius, cui sepiæ nomen: unde & *sepia* pro atramento. Ita usus Persius sat. III: ubi commemorat, quæ morari scriptionem soleant:

* Lib. 9, cap. 29.

> *Inque manus charta, nodosaque venit arundo.*
> *Tum querimur, crassus calamo quòd pendeat humor,*
> *Nigra quòd infusâ vanescat sepia lymphâ,*
> *Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.*

Eum in locum monet vetus scholiastes, etsi atramentum vulgo fieret è fuligine, fornacium puta ac balinearum, poëtam tamen *sepia* pro eo posuisse, quia Afris ejus piscis succus pro atramento esse soleat.

Sed atramento quidem libri scribebantur; tituli verò & capita librorum rubri erant coloris. Quam ad rem minii usus: unde Ovidius initio Tristium:

> *Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.*

Hinc vett. Glossæ: *Rubrica*, Διὰ μίλτου ἐπιγραφή. Symmachus ad Ferreolum de Epistolis suis: *Jure vobis in hoc opere rubrica, prima sermonum officia dedicarentur.* Idem in legum titulis fiebat. Persius sat. V.

> *Excepto, siquid Masuri rubrica notavit.*

Juvenalis sat. XIV:

> *Perlege rubras*
> *Majorum leges.*

Prudentius lib. II, contra Symmachum:

> —— *Dicant cur condita sit lex*
> *Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,*
> *Quæ prohibet peccare reos?*

Et Leo Imp. L. VI de divis. rescr. vetat, *sacra rescripta alio colore, quàm purpureâ inscriptione lustrari.* Quem Constantinopolitanorum Impp. morem etiam confirmare est ex annalibus Constantini Manassis. Et Brissonius libro de verborum significationibus, quo loco agit de Encausto sacro, quod ex muricis seu conchylii cruore erat, refert ex epitome Chronicorum Werveronis, monachi Leodiensis, Palæologum; Constantinopolitanum Imp. Ecclesiæ Romanæ obedientiam spopondisse syngraphâ, cui conchylii sanguine subscripserit. Ab encausti voce est, quòd Poloni colorem quo scribitur, etiam atrum, per συνεκδοχὴν generis appellent *incaust*, ut Itali *inchiostro.* Volunt & inde esse Belgarum *inket.* Verum hos, censeo *inkt* dicere κατ' ἀφαίρεσιν pro *tinkt*, quasi *tincta*, vel *tinctura*, quia penna in eo tingitur. Nec alius originis Anglicum *inke.* Sed jam ad origines delabimur; de quibus alibi. Redeo ad scriptionem: in qua duo, ut dictum, obtinuerunt colores, ater & ruber. Ad utrumque non semper liquore utimur, sed instrumento etiam, quod & calami, & liquoris vicem præstet. Sic rubricâ, sic plumbo scribimus: maximè verò celebrantur creta & carbo, ut vulgatissima. Persius sat. V:

> *Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,*
> *Illa prius cretâ, mox hæc carbone notasti.*

Martialis lib. XII, epigr. LXII.

> *Qui carbone rudi, putrique cretâ*
> *Scribit carmina.*

Etiam de carbone hoc Plauti Mercatore act. II, Sc. III:

> *Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.*

CAP. XL.

Ratio scribendi literis, quæ inconspicua sint, usque dum arte fiant conspicua. Ut Augustus, atque etiam Julius, reservatis literarum vulgaribus figuris, earum commutarint potestatem. Scytale Laconica. Cæsaris Scaligeri censura rejicitur. Notæ Probi, & Petri Diaconi. Siglæ quid, & unde iis nomen. Justiniani interdictum, ne leges siglis exarentur. Mangonis nota. Scriptura διὰ σημείων.

TErtia superest divisio ex scribendi modis; quatenus unus est apertus, ac vulgaris; alter opertus sive occultus. De aperto nihil attinet dicere; cum ejus gnari etiam sint, qui, ut poëta ait, *necdum ære lavantur.* Opertus vel scripturam habet conspicuam, vel inconspicuam. Conspicuam voco, quæ videtur, simulac scribitur. Inconspicuam, quæ primò non videtur: sed arte ab eo, cui scribitur, conspicua redditur. Cujusmodi scriptura variis differt modis. Quædam de die non videtur: ut quæ scribitur aquâ salicis putrefactæ, vel destillatitiâ nitedularum aquâ. Qualis noctu duntaxat videtur. Quædam legi nequit, nisi ad siderum vel candelæ lumen. Quædam de die quidem conspicitur; attamen non sufficit aëre illuminari, verùm ope præterea alius elementi est opus: puta, vel terræ, vel aquæ, vel ignis. Terræ quidem in iis, quæ signantur lacte herbæ tithymali, de qua Plinius lib. XXVI, cap. VIII. Item quæ scripta lacte animantium, vel urinâ, vel adipe, sebo, aut pinguedine, vel etiam gummi. Cujusmodi scriptura fit conspicua, si pulverem adsperseris.

At quæ alumine scripta, vel chalcantho, ea in aquam priùs, vel vinum certâ ratione præparatum, demergi sit opus. Quemadmodum & quædam legi nequeunt, nisi affusâ hydrargyri aquâ.

Igni necesse admoveri, quando pro atramento fuit succus mali citrii, cæparum, cerasorum, cyclamini, vel alius acris pomi. Quin cremari chartam convenit, ut ea perspicias, quæ gummi, sale, & calce exarantur. Sed de hujusmodi

jusmodi artificiis plura vide apud Portam Neapolitanum, lib. xvi Mag. Nat.

Scriptura, quæ conspicua quidem est, simulac scribitur, sed ab artis ignaro legi nequit, ea vel literis constat, vel aliis notis. Prior est triplex. Nam vel æque scribitur, vel plus scribitur, vel minus scribitur. Æquè scribitur, cum totidem notantur literæ, ac vulgo opus; sed artificium latet in eo, quòd literarum potestas commutetur. Ut si loco propriæ figuræ colloces literæ alius figuram: puta vel proximè sequentis: ut B pro A, C pro D, quam rationem iniit Augustus, teste Suetonio in ejus vita cap. LXXXIIX: vel si non proximæ quidem, sed tertiæ, quartæ, aut quinctæ, vel alius substituas figuram. Quartum elementum proprii loco usurpabat Julius Cæsar: ut est apud Tranquillum in vita ejus cap. LVI, & Dionem Cocceium lib. XXXIX. Æquè etiam scribebant Lacones in scytale: sed literis divulsis legi non poterat, nisi membrana, aut corium, cui inscriptum, ligno circumdaretur. Ausonius ad Paullinum:

Vel Lacedæmoniam scytalem imitare, libelli
Segmina Pergamei tereti circumdata ligno
Perpetuo inscribens versu: qui deinde solutus
Non respondenteis sparso dabit ordine formas.

Plura de ea Thucydidis scholiastes in lib. I, Plutarchus in Lysandro, Gellius lib. XVII, cap. IX. Sed Cæsar Scaliger adversus Cardanum Exercit. CCCXXVII, totum hoc vocat nugale. *Nam*, inquit, *tametsi nulla mihi scytale sit, tamen pusillo temporis momento unam dimetiar: primàque notulâ quâque deprehensâ, cætera ad jussa venient.* Idem omnem hanc rationem occultis notis scribendi non artem ait, sed astutiam: imò imposturam, atque adeo delirium. At sanè delirium non est, cujus tantus est usus in maximis Reip. negotiis. Quanto aliter sensere Ephori, gravissimi viri! item Augustus, Cæsar Julius; domi bellique maximi, ac nihil minùs quàm nugaces ac deliri. Nec tamen diffiteor, quicquid penè ab antiquis adductum, hoc ejusmodi esse, ut hodie nemo paullò sagacior non statim fraudem animadvertat. Sed olim secus erat. Nempe hæc occultè scribendi ratio suam habuit infantiam, habuit reliquam pueritiam. Nunc ea adolevit, ut prioribus jam vulgatis, longè occultioribus sit opus. Cujusmodi permulta reperere intermedia secula, multa etiam priorum inventis ætas nostra adjecit. Sed cætera persequamur.

Plus scribitur, quando literis necessariis miscemus otiosas. Quod cùm multis fiat modis, imprimis tamen artificium placet, quando per membranam scribitur fenestratam. Nec enim, qui non habet foraminibus prorsus convenientem, ea, quæ locis patentibus scripta, distinguere ab iis poterit, quæ iis postea locis adscripta, quos texerat membrana.

Minùs scribitur per literarum compendia: hoc est, cum una, vel duæ literæ, pro voce ponuntur pluribus literis constante. Ut cum literarum initio scribitur S. hoc est, *salutem*; vel S. P. D. pro, *Salutem plurimam dicit.* Item, S. V. B. E. E. Q. V. hoc est, *Si vales bene est, ego quidem valeo.* Vel, S. V. B. E. E. G. *Si vales bene est, ego gaudeo.* Quamquam in talibus, ob consuetudinem, res minimè obscura. Occultior in aliis: quæ tradunt Valerius Probus, qui Hadriani Cæsaris ætate floruit, & Petrus Diaconus, qui sua dicavit Conrado I ejus nominis imperatori: ut vixerit circa annum ƆCCCCXV. Similiaque in Papiæ glossario leguntur. Hujusmodi literas dixere *sigla*, vel *siglas*, κατὰ συγκοπὴν pro *sigillas*. Nam ut à *signum sigillum*: ita à *singulus sigillus*: unde *sigillatim*: ut à *singulus singulatim*. *Sigilla* autem in muliebri genere, quia intelligitur *litera*. Unde Festus: *Notæ erant literæ, sed singulæ vel binæ.* Sic *singulas literas* dixit Cicero pro Muræna: *singularias* Gellius lib. XVII, cap. IX. Solent enim Jurisconsulti in exscribendis legibus uti siglis: unde Manilius*, qui non Augusti quidem, sed Theodosii M. temporibus vixit:

Hic etiam Legum tabulas & condita Jura
Noverit, atque notis levibus pendentia verba,
Et licitum sciet, & vetitum quæ pœna sequatur.

* Lib. 4.

Verùm cùm hinc sæpe error obveniret, quia una litera plurium crebrò vocum erat signum; jussit Justinianus Imp. ut vocabulis integris, non siglis scriberetur. Verba ejus ponam è lib. I Cod. Tit. XVII, de veteri Jure enucleando, Leg. I. *Ne per scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio, jubemus, non per siglorum captiones, & compendiosa ænigmata (quæ multas per se, & per suum vitium, antinomias induxerunt) ejusdem Codicis textum conscribi, etiamsi numerus librorum significetur: sed per literarum consequentiam explanari concedimus.* Et titulo eodem leg. II: *Eandem pœnam falsitatis constituimus adversus eos, qui in posterum Leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere. Omnia enim, id est, & nomina prudentium, & titulos, & librorum numeros, per consequentiam literarum volumus, non per sigla manifestari: ita ut qui talem librum comparaverit, in quo sigla posita sunt, in quocunque loco libri vel voluminis, sciat inutilis se esse codicis dominum. Neque enim licentiam aperimus ex tali codice in judicium aliquid recitari, qui in quacunque sui parte siglorum habet malitiam* &c. Atque ut è Latinis Juris codd. siglas sustulit Justinianus: ita in Græcis libris idem fecit imperator Basilius: uti Cedrenus* testatur: De siglis, sive notis, scripsit libellum Mango ad Carolum Regem: quem his dedicat versiculis:

* pag. 467.

Hæc juris σημεῖα lubens rex accipe Carle,
Offert devotus quæ tibi Mango tuus.

Ubi σημείων vox sumitur haut aliter ac à Tullio lib. XIII ad Att. *Quod ad te de legatis scripsi, parùm, credo, intellexisti, quia διὰ σημείων scripsi.* Uti & à Plutarcho in Catone & Cicerone, ubi vocat σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. Scio, plerosque hic intelligere notas illas, quæ literæ non forent: quales tradidisse Tyronem, & Senecam, postea dicemus. Sed sperare potuit Cicero, Atticum, quâ ingenii acie esset, ex primoribus literis collecturum de vocibus integris: at non potuit putare, divinaturum id ex incognitis signis, qualia invenere Tyro ac Seneca. Nec Mango aliud docet, quàm literas initiales pro integris vocibus positas. Uti nec alter ille, cujus juridicas notas ex veteribus membranis in corpore Grammaticorum vett. habemus.

Quàm antiqua sit hæc ratio scribendi literis singulis, ostendit illud Ciceronis pro Muræna: *Irati Jureconsulti, ne dierum ratione pervulgatâ, & cognitâ, sine suâ ope posset lege agi, notas quasdam composuerunt, ut ipsi omnibus in rebus interessent.*

CAP. XLI.



Hieroglyphicæ notæ insculptæ saxis: quæ linguæ magicæ *Lucano. Horapollo Niliacus quando vixerit, & quâ scripserit linguâ. Quomodo à siglis differant notæ propriè dictæ. A quibus notæ hæ repertæ. Volumini, quod Tyronis ac Senecæ notas promittit, multas esse additas à Christianis. Astutia Trithemii in Steganographia sua. An quæcunque de ea signârat, expertia sint commercii cum impuris spiritibus. Excogitari posse scripturam toti orbi communem, quam gentes, unius duntaxat linguæ scientes, suâ quæque linguâ legant, & intelligant.*

Sequitur altera scriptura, quæ non literis constat, sed aliis notis. Hæc multiplex est: sed duos solùm modos commemorabimus proditos ab antiquis. Unus est Ægyptiorum per signa hieroglyphica: alter Romanorum per notas pressè sic vocatas. Ἱερογλυφικὰ, sive, ut vox sonat, sacræ sculpturæ, nihil aliud erant, quam animalium mutarumque rerum figuræ, ab Ægyptiis loco literarum in sacris usurpatæ, ne à vulgo intelligerentur. Hæc ante papyri usum saxis insculpebant. Unde Lucanus lib. III:

—— Saxis tantùm volucresque, feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Et Tacitus lib. XI Annal. *Primi per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant: ea antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur.* Tales sunt

sunt notæ Horapollinis Niliaci: qui scriptor temporibus vixerit Theodosii, si est Phœnubethensis ille, qui τεμενικά, sive opus de lucis ac templis condidit. Sanè eo in opere optima fuerit occasio hoc etiam argumentum pertractandi. Sed Grammaticus ille, ut ex Suida videre est, Græcè scripsit; eoque vel alius hic fuerit; vel quædam saltem Ægyptiacè tradiderit; vel falsum sit, quod inscriptio præfert, à Philippo ex Ægyptia lingua Græcè redditum esse. Horapollini adde tabulam antiquam æneam Hieroglyphicis literis cælatam, & eruditè explanatam a summo &, dum viveret, amicissimo viro, Laurentio Pignorio Patavino.

Romani notis usi sic presse dictis. Nam latè si notarum voce utamur, comprehendat ea siglas, de quibus antè diximus. Quomodo duplices sint notæ. Unius generis sit R. P. quod Valerius Probus interpretatur *Respublica*, vel *Romani principii*. At, juxta notas Tyronis & Senecæ*,  *Rempublicam* signat. Probo E. Q. R. valet *Eques Romanus*. At apud Tyronem & Senecam † pro eo est . Satis constat S.P.Q.R. scribi pro *Senatus populusque Romanus*. At in Tyronis & Senecæ notis* pro eo videas . De posteriori hoc notarum genere nunc sermo est nobis. Ejusmodi notas mille & centum invenisse creditur Ennius. Alias postea addidit Tyro, Ciceronis libertus, ut cognoscimus ex Eusebio in Chronicis. Mox & Persannius Philargyrus bonam augendis illis operam navavit: item Mæcenas, juxta Dionem †, sive Aquila, Mæcenatis libertus, ut refert Isidorus libro 1 Orig. cap. XXI. Post eos multas reperit Annæus Seneca, ita ut numerus notarum excresceret ad quinquies millenas. Addam de hac re verba Petri Diaconi proloquio Notarum ad Conradum Imperatorem: *Nunc quis primus Notas instituerit scribamus. Vulgares notas Ennius primus mille & centum invenit; ad hunc scilicet usum, ut quicquid per contentionem præsentium diceretur, librarii scriberent complures simul adstantes, divisis inter se partibus, quot quisque verba, & quo ordine exciperet. Dehinc Tullius Tyro, Ciceronis libertus, notas præpositionum commentus est. Post hunc Philargyrus Samius, & aliqui* (lego Aquila) *Mæcenatis alias addiderunt. Deinde Lucius Annæus Seneca, contractis omnibus, digesto & aucto numero, opus in quinque millia extendit.* Narrat Tritthemius, se in bibliotheca Argentinensi vidisse psalterium Davidicum notis talibus exaratum: sed fuisse ei inscriptum, *Psalterium in Armenia lingua:* nempe ab sciolo quodam Notarum hujusmodi imperito. Volumen notarum Tyronis ac Senecæ divulgavit clarissimus propinquus meus Janus Gruterus. Sed ut magnam partem Tyronis ac Senecæ esse credendum: ita non dubium, quin posteriores non pauca addiderint. Sanè Cæsares in iis referuntur omnes usque ad D. Antoninum ‡. Multa etiam in iis, quæ certissimum sit, sub Christianis demum Impp. accessisse. Ut, *Sion*, *gehenna*, *amen*, *archisynagogus*, *Euangelista*, *archiepiscopus*, *martyr*, *ecclesiasticus*, *apostata*, *catechizatus*, *baptizatus*, & similia istis.

* Pag. 8.
† Pag. 57.
* Pag. 60.
† Lib. 55.
‡ Pag. 64 & 65.

Atque hæc de veterum scribendi ratione, tum apertâ, tum occultâ. Quam varios autem modos addiderint juniores, cognoscere est ex Tritthemio, qui dum dæmoniacas se adjurationes tradere simulat, ut vulgares animas religionis metu arceat, re verâ principibus viris ac philosophis tradit varias occultè scribendi rationes: quarum notitia ut periculosa improbis, ita perutilis probis in rebus maximis, quà publicis, quà privatis. Nempe, quodam ingenii lusu, Spiritus vocat nostri spiritûs sive animi notas: quemadmodum ipse innuit præfatione utrâque ad Philippum, Electorem Palatinum. Primus ei spiritus est *Pamersiel*: cùm initiales solùm literas cujusque vocis legimus. Hunc spiritum dicit esse austerum, nec facilè exorabilem. Quo nihil aliud significat, quàm difficilem esse. Quid enim operosius, quàm duo hæc simul consequi: ut verba invenias initialibus literis occultè significantia, quod voles: & ipsa tamen verba apte adeo inter se connectas, ut nemo aliud scribi suspicetur, quàm quod verba primâ facie præ se ferunt? Tum addit, hunc spiritum esse infidelem. Quo indicat, huic scribendi modo non posse nos multum fidere: quia simplicitate suâ statim se paullò callidioribus prodit. Sententia igitur est, & difficulter sic scribi, & facilè sic penè à quovis legi. Similiter spiritus *Camuel* eidem est ratio scribendi, ubi litera prima est otiosa, altera significativa, vel contrà. Addit & alia, quorum pleraque solùm faciunt ad involvendum. Per conjurationem verò, vel incantatorium carmen, designatur artificium legendi sic occultata, quòd artis ejus ignaro quædam esse incantatio videatur. Verum dicere non habeo, utrùm omnia, quæ in MSSis Tritthemii continebantur, ejus generis fuerint; an nonnulla verè, uti videbatur, malorum constiterint spirituum commerciis. Quod si est, ut multum metuo, jure αὐτόγραφον flammis absumi curavit Elector Palatinus Fridericus II, cujus illud in bibliotheca adservabatur. Indignè id fert in Crytographia suâ * vir doctissimus Gustavus Selenus, † eoque nomine imperitiæ arguit socerum meum, summum virum, Franciscum Junium: qui ab Electore consultus, scripto hactenus inedito sententiam suam de istoc Tritthemiano opere longè aliam tulerat, quam Selenus vellet. Equidem, utcunque hoc imperitiam Selenus appellet, ingenuè tamen fateor, suspectissima mihi esse, quæ ex Tritthemii libro tertio ipse tradit ‡: uti illa de tribus Saturni angelis, rationeque sine literis, aut nuncio, per quarundam imaginum afflatum, viginti quatuor horis cognoscendi, quæcunque toto terrarum orbe fiant. Ut valde metuam, ne in opere Tritthemiano fuerint,

> Φάρμακα* πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά:

ut de Ægypto cecinit Homerus †.

Post tam multa, quæ de notis & variis scribendi modis diximus, subit hæc cogitatio, an non excogitari possint notæ toti orbi communes, sic ut omnes gentes, utcunque non aliam, quam patriam intelligant linguam, hisce tamen notis cognitis, volumina omnia sic scripta legere suâ linguâ possint. Quin humana hoc possit industria, minimè dubitandum. Sed cùm nunc signa habeamus vocum, quæ pro linguis variant; tum ea fingi debeant, quæ ἀμέσως ac proxime rerum vel conceptuum sint signa. Quomodo ex pictura hominis, equi, arboris, domus, homines omnes eundem habent conceptum: quomodo item gentes plurimæ conveniunt in notis Arithmeticis, quas cifras vocant: quomodo etiam variarum linguarum Astrologi conspirant in notis planetarum, quales ♄, ♃, ♂, ☉, ♀, ☿, ☽: item duodecim signorum Zodiaci, ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, & sequentium. Nec diffiteor, tot prope characteribus opus fore, quot res sunt. Sed minime hoc de sententiâ dimovet: quia si homines, & potissimùm pueri, quæ ætas memoriâ maxime valet, brevi temporis spatio plures addiscunt linguas: facilè quoque addiscentur signa quasi communis cujusdam linguæ. Nec enim pluribus erit opus conceptuum signis, quam nunc opus vocum signis: ubi, quantum memoria valeat, etiam in varias addiscendo linguas, facilè omnes videmus. Valde etiam hanc rem confirmat, quòd prodidit Nicolaus Trigaultius historiæ Sinensis lib. I, cap. V, *non pauciores Sinensibus literas esse, quàm voces numerantur: eas tamen ita inter se componere, ut* LXX, *aut* LXXX *millia non excedant.* Imò idem refert, Sinenses & Japanenses, etsi linguâ æquè differant, ac Hebræi, & Belgæ; tamen, quæ sic scribuntur, intelligere, ac utramque gentem alterius libros ac scriptionem suâ linguâ lectitare. Nec dubium est, quin cùm tempore Babylonicæ confusionis pro una lingua nascerentur LXX, ut Paciano Barcilonensi visum*: sive LXXII, ut Eusebii†, Epiphanii‡, Augustini*, Scriptoris de vocatione gentium†, Arnobii Junioris‡, & tot aliorum opinio est: si scriptione ejusmodi usi forent, optimè alii aliorum sensa potuerint cognoscere. Utcumque enim in legendo alii alia verba pronunciassent: tamen iidem fuissent conceptus. Nempe uti nunc variarum linguarum homines rem eandem conspicientes eandem rem concipiunt: ita idem rei signum intuentes, eundem haberent conceptum. Atque hæc de figuris, tum cuique linguæ propriis, tum iis qui-

* Lib. 3. cap. 15.
† Cognovi postea esse illustrissimum Ducem Luneburgensem. Nempe Gustavus trajectis literis est Augustus. Selenus à Græco Σελήνη, Luna. Deus æternum bene faxit tanto doctrinæ Principi.
‡ Lib. 3. cap. 16.
* Pharmaca multa salubria, multaque noxia multa.
† Od. δ.
* Epist. 2.
† Lib. 1. Chronolog. Gr.
‡ Panari lib. 16. cap. 6.
* Lib. 16 de Civit. Dei cap. 3. & hæres. 39.
† Lib. 2. cap. 4.
‡ In Psal. 104.

quibus omnes orbis incolas sese mutuò intellecturos dicebamus.

Cap. XLII.

Acceditur ad ὀρθογραφίαν. Eam cognosci, tum ratione, tum auctoritate. Rationem peti ab distinctione, vel origine. Auctoritatem verò ab asseveratione doctorum, vel à scriptura lapp. & libb. vett. Antiquos disputasse, utrùm scribi debeat ad *an* at, cum *an* quum, quidquid *an* quicquid, opstitit, *an* obstitit. *Καχογραφία fit additione, detractione, innovatione, trajectione.*

NUnc aliud de literis restat nihil, quàm ὀρθογραφία, sive recta scribendi ratio. Quam & ipsam referre licet ad scribendi modos. Nam vel scribimus, quomodo solent, qui emendatè id facere, doctorum judicio, existimantur: vel ab eorum more ac consuetudine deflectimus. Rectus scribendi modus bifariam & cognoscitur, & comprobatur: nimirum vel ratione, vel autoritate. Ratio petitur, tum à distinctione, tum ab origine. Distinctione, quomodo discriminis caussâ spiritus additur in *habeo*, & *hara*. Origine, quomodo *prudentia* scribendum scimus per T, quia est à *prudenti*: & contrà *audacia* per C, quia est ab *audaci*. Itidem non *vendico* dicimus, quomodo in vulgatis codd. legimus, sed *vindico*; quippe quod originem ducat à *vindex*. Et *caussa* potiùs scribimus per geminum SS, quia dicitur quasi *cavissa*. Autoritas verò petitur vel ab asseveratione scriptorum antiquorum, quomodo in eâdem *caussa* voce exprimimus geminum SS, quia Ciceronem & Maronem id facere solitos esse, è Fabio scimus: vel è modo scribendi, qui reperitur in antiquis codd. & inscriptionibus, quam ob ipsam quoque rationem *caussa* malim geminato SS. Itidem *suboles* scribendum esse, tum autoritate veterum librorum probatur, tum ratione confirmatur, ut quod sit à subolescendo.

Magna verò circa hujusmodi, jam Fabii ævo, curiositas fuit. Docet id locus iste lib. I, cap. VII: *Illa quoque servata est à multis differentia, ut AD cum esset præpositio, D literam; cùm autem conjunctio, T acciperet. Item CUM, si tempus significaret, per Q; si comitem, per C; si verò caussam, per Q, ac duas sequentes UU, scriberetur. Frigidiora his alia, ut QUICQUID C quartam haberet, ne interrogare bis videremur. Et QUOTIDIE, non cotidie, ut sit, quot diebus. Verùm hæc jam inter ipsas ineptias evanuerunt.* Ubi quatuor commemorat vocabula, de quibus disserari olim solere, etiam è vett. Grammaticis scire possumus. De primo AD agit Velius Longus, Marius Victorinus lib. I, Terentius Scaurus de Orthograph. Beda de eâdem, & alii. De altero, quod est CUM, vide, sis, Velium Longum, Terentium Scaurum, item Curtium Valerianum, & Cæcilium Vindicem apud Cassiodorum lib. de Orthogr. cap. III, & XI. De tertio, hoc est QUICQUID, monet Priscianus apud eundem cap. XII, & Marius Victorinus lib. I. Quartum, puta QUOTIDIE, probat Cornutus apud Cassiodorum; à quo dissentiunt Velius, Beda, alii. Eò autem lubentiùs hunc Fabii locum adducere visum fuit, quia vulgò etiam ludibrium pueris debere putaretur, siquis præverbium AD per T scriberet. At videmus, jam Fabii ævo, neglexisse id plures. Et in libris quoque vett. atque inscriptionibus ipsis, & conjunctio, & præverbium scribuntur per T. Estque pro hac consuetudine Licinii Calvi testimonium apud Charisium. Itidem nemo non pædagogorum insigniter imperitum credat, qui in *obtinere*, *obstitit*, & similibus P pro B collocet. Terentius tamen Scaurus docet, fuisse olim, qui per P scriberent *opstitit*. Quin illustris est apud Quinctilianum* locus, quo ostendit, meritò in dubium vocari posse, utra præferri debeat scribendi ratio. *Quæri*, inquit, *solet in scribendo, præpositiones sonum, quem junctæ efficiunt, an quem separatæ, observare conveniat: ut, cùm dico Obtinuit. Secundam enim B literam ratio poscit: aures magis audiunt P.*

* Eodem cap.

Trifariam verò ab orthographia receditur, additione, detractione, immutatione. Additione peccatur, cum in vett. libb. est *thensaurus*, *formonsus*: item *hyemps*, *emptum*, *sumptus*, quæ in iisdem reperias: ut taceam illa imperitis usitata, *pracor*, *pratium*, *prasbyter*, & similia. Detractionis errore in vett. libb. reperias *pragnatem* pro *pragnantem*: & simile creditur *ulcus* pro *hulcus*, cùm Græcè sit ἕλκος. Immutatione delinquitur bifariam. Nam vel literæ est innovatio: vel de loco in locum trajectio. Innovatio est *condicio* pro *conditio*, cùm sit à *conditum*; *delitia* pro *delicia*, cum dicatur *delicatus*. Quædam tamen bifariam scribuntur, quæ Græci διπλογραφούμενα appellant: ut *neglego*, & *negligo*. Item *protenus*, & *protinus*; *quatenus*, & *quatinus*: etsi Caper distinguat. Fere enim in compositione E in I transit: & aliàs quoque hæ literæ commutantur: ut *here*, & *heri*, ac similia.

Cap. XLIII.

Sylva vocum juxta seriem literarum: in quibus vera scribendi ratio ex vett. monumentis, vel origine comprobatur.

ETsi verò non pauca sint, ubi dissentiant homines etiam eruditissimi: & in hisce minutiis sæpe, utrùm hoc, an altero modo scribas, manum non verterim: quia tamen grata ubique est veritas, improbari eorum studium non debet, qui attendunt, utrùm inter se conveniant monumenta vetera: & si diversimodè aliquid in iis exaretur, an quid semper se offerat in illis, quæ emendatiùs scripta sunt; vel si non semper, quid multò in iis frequentiùs legatur. Nec tum admodum refert, an origo vocabuli aliud suadere videatur. Nam sæpe origo est incerta: & derivata multa longiùs à fonte suo abeunt. Sin is fuerit dissensus, ut quid veteres maximè probarint, jure ambigi possit: erit sequendum illud, quod ab origine propiùs recesserit. Ut apertiora hæc fiant, pluscula adferam exempla: ex quibus faciliùs erit statuere de cæteris; quæ à nobis nunc prætereuntur, quia hic specimen solum dare voluimus, pleniusque de talibus tractamus in Originum libb.

Aerius, & *atherius*, per tertiam vocalem ante US probat Aldus. Et pro eo præter veteres aliquot codd. est Græcorum mos, qui scribunt ἀέριος, & αἰθέριος. Verùm nec per E damnare ausim, eò quod hæc scribendi ratio subnixa sit cùm aliis libris, itidem antiquis; tum ἀναλογίᾳ, quando per E Latini scribunt *igneus*, *melleus*, *flammeus*, &c.

Anachoritas per I in proxima ab ultima vulgò appellant eos, qui eremum incolunt. Et sanè ita vulgo ea vox quoque scribitur in epistolis B. Hieronymi, Calepino in *anachorita*, & *eremus*, inque vulgatis Lexicis Græcolatinis. Sed origo pro I exigit E, *Anachoreta*. Quippe non est ab ἀναχωρίζω, quod transitivum est, ac valet idem ac ἀναχωρεῖν ποιῶ†: sed ab ἀναχωρέω*, unde ἀναχωρηταὶ quoque apud Justinianum Nov. constit. 5, § συνελθόν.

† Recedere facio.
* Recedo.

Arabs, *trabs*, *urbs*, quia sic etiam inter doctissimos obtinuit, per B scribo. Sed sonus exigit *urps*, *traps*, *Araps*. Idem enim est sonus, qui in Græco Ἄραψ. Nec obstat, quòd in casu interrogandi dicamus *Arabis*. Nam idem usu venit in Græco Ἄραβος: quia tenuis facilè mutatur in mediam. Hac de re sic Scaurus: *Non caret quæstione etiam Plebs, & Urbs, & Pelops: quæ Varro ita distinguit, ut per B & S ea nominativo casu putet esse scribenda, quæ eandem literam genitivo reddant; ut Plebs, Plebis, Urbs, Urbis: ea vero per P, & S, quæ similiter genitivo ejusdem numeri in pis excurrunt, ut Pelops, Pelopis. Sed nobis utrumque per PS videtur esse scribendum, quoniam ex his ψ litera constet, quàm genitivo diximus, aut in bis, aut in pis exire.*

Arcesso pro voco, non *accerso*. Scio Agrætium distinguere hæc duo. *Accersit*, inquit, *qui vocat*; *arcessit*, *qui accusat*, *sicut Cicero*, *Nos capitis arcessere*. Sed meritò hoc discrimen negat Scaurus: *Utcunque*, inquit, *scribendum*,

dum, ad eandem significationem videntur pertinere. Clarè ait, uno modo utrâque scribi significatione. Unicus ille modus est *arcesso* per R: ab antiquo *arcio*, quod ex *cio*, & antiquo *ar* pro *ad*: teste Prisciano. Sed de eo plura in Originum libris.

Artus probo; uti est in vett. libris; pro quo vulgo *arctus*: nempe discriminis caussâ.

Baca, non *bacca*, est in quibusque melioris notæ codd.

Benivolus & vett. libri probant, & ratio, cum in compositione E in I mutetur. Beda de Orthogr. *Benivolus & Malivolus, & Malificus, sicut à pace Pacificus.*

Blatero, non *blattero*. Nam primam corripit Horatius. Itaque & *deblaterare* pro *deblatterare* scribi apud Festum debet.

Bracchium duplici C C est in vett. codd. atque id præfert Aldus. In aliis tamen *brachium* reperimus: & Græcè est βραχίων.

Bucina, non *buccina*, scribendum esse, ex Isidoro liquet. Et probat hoc Aldus nepos è vett. libb. ac marmoribus. Similiter Delrius reperit in cunctis Senecæ Mss. & nos in variis codd.

Castus & *cestus* multi confundunt: sed perperam, quando, ut optimè ad v Æn. monuit Servius, *cestus* sit baltheus Veneris, nempe ἀπὸ τοῦ κεντεῖν †, quia punctis variè sit ornatus & interstinctus: *Castus* autem (quibus à cædendo nomen) sint arma pugilum; nempe laminæ æneæ manibus alligatæ, quibus certantes se feriebant, unde Propertius lib. III, el. XIII:

† Pungere.

> *Nunc ligat ad castum gaudentia brachia loris,*
> *Missile nunc disci pondus in orbe rotat.*

Eâ significatione & *sculponeas* dixere veteres, ut ex Nævio Plautoque ostendit Fulgentius.

Cætera requirit origo, cum sit ex καὶ ἕτερα. Sed *cetera* merâ vocali probant vett. libb.

Carthaginensis in prosa dicendum, ut ἀναλογία evincit. Aldus tamen obtendit Prisciani, Lapidum, & Pandectarum autoritatem. Sed decepit sic scribentes Ennii auctoritas, cujus est:

> *Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis.*

Nec cogitarunt, sic Ennium scribere coactum metri caussâ, quod non recipit *Carthaginensis*.

Chalcedon, & *Chalcedonius* scribendum. Scio in vetustis exemplaribus & nummis non rarò inveniri *Chalcedon*, & *Chalcedonius*, vel *Chalcedonensis*: Sed rectius omnino *Chalcedon*, & *Chalcedonius*. Quemadmodum ex aliis libris & nummis constat, & Stephano in Καρχηδών. Codicum, qui abeunt, eo minor auctoritas, quod similiter crebro invenias *Chartago*, pro *Carthago*, ac alia id genus, ubi trajicitur adspiratio.

Cassiepea pro *Cassiopea* dicere jubet Scaliger notis in Manilium: atque ita se reperisse ait in codice Gemblacensi. Sanè Græcis est Κασσιέπεια. Verum codici uni multò plures opponere licet, in quibus per O scribatur. Nempe Latini ut *Calliope* & *Calliopea*, ita *Cassiope* & *Cassiopea* scripsere. Nec est quòd Græca vox opponatur. Nam E & O facilè commutantur. Ita Græcè est Πτολεμαῖος: at in optimis libb. est *Ptolomæus*. Et Βερονίκη, *Berenice*.

Cecidi, non *cacidi*. Nam *a* in *i* mutatur: *e* verò primæ syllabæ est ab augmento: ut in *fefelli*, *pepedit*, & similibus. Ovidius Met. lib. II, Fab. V:

> *Cum subit illa nemus, quod nulla ceciderat ætas.*

Cera, non *cæra*, partim quia Græcè est κηρός: partim quia sic est in vett. libb.

Cœpi pro ἄρχομαι, non *cepi*. Nam *cœpi* per OE est ab antiquo *cœpio*: à *capio* verò vel *cepi* dicimus, vel *cæpi* per *æ*: quomodo hæc duo, Grutero teste, distinguuntur in Mss. Plauti codd. quæ in Palatinâ fuere bibliothecâ:

> *Is amare cœpit Alcumenam clam virum,*
> *Usuramque ejus corporis cæpit sibi.*

Malim tamen posteriori loco simplici E scribi, ut à *capio* sit *cepi*, veluti à *facio feci*.

Convicium per C, probum: improbum *convitium* per T: sive sit à vicis, sive, quod magis probo, sic quasi *convocium* dicatur.

Culcita scribendum, non, ut vulgo, *culcitra*.

Ecloga non *agloga*, ut est in multis libris, quasi sit ἀπὸ τῶν αἰγῶν *: cum sit ἐκλογὴ ἀπὸ τοῦ ἐκλέγειν †. Unde *eclogarii* Tullio lib. XVI ad Att.

* A capris.
† Ab eligendo.

Effatus, non *ecfatus* scribere jubet Terentius Scaurus. In vett. tamen libris invenias *ecfodere*, *ecferre*, & similia: qua de re Canterus Notis in Cic. epist. XVIII, lib. VII Famil.

Ephæbeum ad Vitruvium scribit Philander; *ephebæum* Mercurialis in arte Gymnastica. Sed rectum est *ephebium* vel *ephebeum*. Nam Græcè est ἐφήβιον vel ἐφηβεῖον: ut ex Aristophanis scholiaste in Aves constat.

Epichærema malim quam *epicherema*, cum Græcè sit ἐπιχείρημα: de quo dictum lib. III Orat. I. Institut. cap. V sect. IV.

Epistula, & *adulescens* rectè scribitur per quinctam vocalem. Nam & in his, & aliis omnibus, non tam opus spectare originem, quàm antiquorum consuetudinem.

Eremita, non *Heremita*, ab ἐρημίτης, quod ab ἔρημος.

Ethica malim, quia Græcè ἠθική. Multi tamen libri *æthica*, quod iccirco Camerarius præfert. Nempe ut *scæna* est à σκηνή.

Exsilio, *exsulo*, *exsto*, *exsupero*, *exsurgo*, similiaque, cum S malim. Contrà scio Priscianus, Camerarius *, Marius Corradus †, & alii multi. Verùm ἐτυμολογίᾳ refutantur, & librorum non νεοπαλαιῶν * tantùm, ut Camerarius ait, sed bene antiquorum auctoritate. At enim, inquiunt nonnulli, in EX continetur S. Continetur sanè, sed S præpositionis, non verbi sequentis. Duo autem SS concurrere nihil prohibet, cùm dicamus *essa*, *jussa*, *lassa*, *caussa*, &c. Et cur, si seriò sic argumentantur, *exscribo* ipsi malunt, quàm *excribo*? Quomodo item distinguent *exsorti* ab *exsors*, *exorti* ab *exorior*? quomodo *expecto* cùm est à *pecto*, ab *exspecto*, quod à *specto*? Sanè *exspecto* per S probant quoque Fabius, Velius, Scaurus, alii.

* Lib. de Orthog.
† Lib. 2 de L. L.
* Novantiquorum.

Fecundus, *felix*, *femina*, *fenus*, *fetus*, & horum derivata, merâ vocali fere invenias in antiquis codd. & lapp. Nec movet, quòd Jul. Scaliger *fœmina* putat esse à φοιτᾶν. Nam etymon id incertâ nititur conjecturâ. Quin puto verisimilius deduci ab antiquo *feo*; unde & *fetus*, ut à *fleo*, *fletus*.

Incohoo, an *incoho* scribi debeat, jam olim quæsitum: ut ex Servio & aliis constat. *Inchoo* requirit origo, si sit à *chaos*, quod & Græcis per χ scribitur. Verrius tamen Flaccus, Augustæi ævi Grammaticus, *incoho* maluit: ut ex lib. I † Diomedis cognoscimus. Sanè ut in *cohors*, quod à *cooriendo* est, non *cohortando*; item in *ahenum*, *mihi*, *vehemens*, *prehendo*, *Vahalis* (nam ex *Wael* fecere *Vahal* sive *Vahalis*) ita in *incoo* veteres inter duas vocales adspirationem interjecerunt. At nusquam, ut ex ipso Servio * discimus, subjecere H literæ C, præterquam in tribus hisce, *sepulchrum*, *Orchus*, *pulcher*.

† Cap. 4.
* In 3 Georg.

Increbesco, & *increbui* dicendum. Quibus aliud visum, eo argumento pugnant, quod illa in ESCO veniunt à neutris. Quare, inquiunt, ut non *nigesco* à *niger* dicimus, sed à *nigrum nigresco*, ac à *macer*, non *macesco*, sed *macresco*: ita nec a *creber crebesco* erit, sed à *crebrum crebresco*. Et sanè magis ventorum murmur exprimit, si scribamus I Georg. *Nemorum increbrescere murmur.* Sed de formatione verborum in ESCO quod dicunt, non est perpetuum. Nam à *ruber* dicimus *rubesco*.

Internundinium, non *internundinum*: de quo ita Victorinus: *Internundinium scribendum. Ut enim Interlunium, & Trinoctium, ita Internundinium, quod novem dies inter se continuos habeat, non quod nono die fit.*

Lamina ac *lamna* per N in postrema, cùm sit ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν, quod est *ductile opus facio*. Nempe κατ' ἀφαίρεσιν καὶ συγκοπὴν τοῦ ε ex ἐλαμίνη vel ἠλαμίνη. Objectant, quod *lamima* ac *lamma* duplici M M in chirographis Horatii ac Prudentii scribi, commemoret Ob. Giffanius in Indice Lucretiano *. Sed codd. his opponimus codices alios item

* Voce Vomunt.

item antiquos, in quibus *lamina* & *lamma* constanter invenimus: quod & de suis codd. scribit Carrio ad lib. 1 Valerii Flacci.

Lathurus, non *Lathyrus*, cum Græcè sit λάθυρος, Ptolemæi, regis Ægyptii, cognomentum.

Lingulaca & *pastinaca* est in vett. libris. Sed *lingulata* & *pastinata* per T requirit analogia. Quæ icciro magis probat Turnebus: nec ab ejus sententia abhorret Lambinus. Tutiùs tamen puto vett. libris insisti.

Loquela, & *querela*: non *loquella*, & *querella*: quod putabat Aldus in Orthogr. Nec diffiteor sic in plerisque codd. vett. inveniri. Verùm alii aliter: quibus favet ἀναλογία. Nam sic dicimus, *tutela*, *medela*, *suadela*, à *candeo candela*, similiaque.

Mihi, & *nihil* scribi oportere, nec pueros nunc fugit. Et tamen consonantis C adjectionem Leonardus Aretinus seriò defendere est adnixus lib. VIII, epist. II, ad Antonium Grammaticum. Verùm hoc seculo illi tribuendum, non Aretino. Nunc quidem ita ridiculum sit, ut si viveret Crassus ille, quem semel in vitâ risisse scripsit Lucillius †, idem fuerit acturus, quod olim, cùm asinum carduos comedentem vidit.

† Cic. 3. Tuscul. Asconius lib. 2 contra Verrem. Plinius lib. 17. cap. 10. Macrob. lib. 2. cap. 1. Ammianus Marcellinus lib. 26. Solinus, Hieronymus, Salisberiensis, &c.

Monumentum per U, non *monimentum* per I: cum *monumentum* dicatur, ut *emolumentum*, *nocumentum*, *documentum*.

Ne scribendum pro *Næ*: quamquam Aldus posterius probet, quia Græcis est ναί. Sed aliter libri vett. qua de re pluta Faërnus in prologum Andr. Malaspina in epist. Cic. ad Att. Lambinus in orat. Cic. pro Fontejo, & Catil. II.

Nefas, non *nephas*, cum sit à *ne*, & *fari*.

Opperior, pro *exspecto*, non *operior*, habent vett. libb. Nempe simile est ac *oppeto*, *oppono*, *oppignero*, *opportunus* atque alia id genus.

Origenes dicendum, pro quo eruditi etiam homines Origines. Nec enim est ab Origo unde pluralis Origines: sed ab Ὠριγένης, quasi Origena, sive Oro genitus. Dixi de hoc lib. II Theolog. Gentilis cap. x.

Parcimonia per C, non *parsimonia* per S. Nam prius in vett. libris invenias, favente ἀναλογίᾳ, cùm à *parco* sit *parcimonia*, ut ab *alo alimonia*, à *queror querimonia*. Quod si *parsimonia* esset à *parsum*, *altimonia* & *questimonia* itidem dici deberet. Non tamen mordicus alterum damnem, cùm à *cultum* videatur esse *cultimonia*, θρησκεία. Putat Scaliger, usum Tertullianum scripto scholastico de Pallio, cap. quarto penè extremo: *Cum ob cultimonia candidatum, & ob notam vitæ, & privilegium galeri, Cereri initiantur.* Ubi in vulgaris pro *cultimonia*, *cultum omnia* editum est. Sed doctissimus Salmasius vulgatam retinet. Ut *omnia candidatus* sit παντὶ λευκός: quomodo in libro de pœnitentia ait, *omnia sanctus*; Virgilius,

Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque.

Patricius, non *patritius*. Nam per C scribi debere, vel eo argumento cognoscitur, quòd à *patribus ciendis* deducant Livius lib. x, & alii. Vellejum idem dicere ait Hadr. Junius in Nomenclatore. Sed fallitur. Ac planè similis error est in *tribunitius*, *ædilitius*, *fictitius*, *novitius*; quæ per C signari debere, clarè tradit Priscian. in IV, ac Aldus quoque comprobat in Orthogr.

Pentecontarchus, non *pentacontarchus*, oportere scribi, haut operæ esset monere, nisi viderem aliter exarari ab hominibus eruditis: imò & optimæ quoque notæ codices A in secunda haberent. Sic enim Santis Pagnini tralatio anni CIƆ IƆ XXVIII: editio vulgata Antverpiana illustrata à Benedicto, editaque anno CIƆ IƆ XL, Veneta Isidori Clarii anni CIƆ IƆ LV, Parisiensis Rob. Stephan. anni CIƆ IƆ LVII, &, ne singulis insistam in re minuta, etiam Romana Sixti V anni CIƆ IƆ CIII. Sed Mssi nostri rectè *pentecontarchus*. Nam Græcè est πεντηκόνταρχος à πεντήκοντα, *quinquaginta*.

Perlego integrè invenias in melioris notæ libris: magis tamen probem, *pellego* ut *intellego*, sive *intelligo*. Terentius Scaurus: *Pellego, ut omnes antiqui dixerunt, non perlegere. Unde & apud Virgilium legendum: Pellegerent oculis.*

Pœna per OE, non *pæna* per Æ; quod Marium Corradum probâsse miror. Nam & vett. libb. aliter, & ἐτυμολογία reclamat, cùm sit à ποινή. *Pænitet* tamen in vett. libb. per Æ legas. Quod icciro non ausim damnare: etsi origine ductus (est enim à pœna) & quorundam etiam codd. auctoritate, *pœnitet* præferam.

Pomœrium exigit origo, cum sit à *pone* & *mœrus*, teste Varrone in IV de L. L. Qui simplici vocali *pomerium* scribunt, tueri se possunt vett. libb.

Porcius, non *Portius*. A porco enim est Porciorum familia, ut ab ove Oviorum, ab asino Asiniorum.

Prædium per Æ, non *prœdium* per OE: cùm unicâ tantùm literâ differat à *prandium*, ut illud Martialis indicat, lib. XI, epigr. XIX:

Errasti Lupe, literâ sed unâ.
Nam quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

Quatuor, non *quattuor*, etsi duplici T probet Aldus. Sed Giffanius, & ipsi quoque, unico scribi, in vett. libris observavimus: ac probat id ἐτυμολογία, cùm sit à *quater*. At non rectè putabat idem Giffanius, icciro corripi ab Ennio apud Cic. 1 de Divinat.

Cedunt ter quatuor de cælo corpora sancta
Avium.

Et apud Flav. Sosipatrum lib. 1:

Jamque adeò quatuor partum.

Nam meliores Ciceronis codices habent:

Cedunt de cælo ter quatuor corpora sancta.

Ita *quatuor* fuerit Spondæus ob συνίζησιν, quemadmodum & in versu altero, quem proximè ex Charisio adducebamus.

Rhætia per Æ scribendum: etsi in vett. libb. ac monumentis, doctissimo Velsero * teste, invenitur, *Retia*, *Rhetia*, *Reithia*, *Rœtia* ac *Rhœtia*. Sed ut *Rhætia* magis probem, facit, tum quòd Græcè is populus Ῥαιτοὶ dicatur: unde apud Arrianum in Indicis corruptè legitur, Ῥατῶν, pro Ῥαιτῶν: tum quòd meliores & antiquiores libri, ac lapides, per Æ, & tenui T, habeant *Raitia*, *Rætia*, aut *Rhætia*: ex qua scripturæ inconstantia (octo enim ejus vocis scribendæ modos adduximus) paret, quàm frustra sint, qui si in unicum fortè inciderent lapidem, aut codicem antiquiorem, quo tamen uti nesciant, confestim novam comminiscuntur ὀρθογραφίαν, & censorio supercilio doctis præscriptum eunt.

* Lib. 1 rerum August. Vindel.

Sæpes, *sæpio*, *sæpimentum*, vulgò merâ vocali in primâ scribunt. Sed cum diphthongo invenimus in libb. vett. uti & Pierius in optimis codd. scribi testatur in Ecl. 1. & Giffanius indice Lucret. in *Sæpta*.

Sallustius, non *Salustius*, vett. libb. Imò & *Appuleius*, non *Apulejus*, etsi aliter libri. Nempe sufficit, quòd contra est in lapp. semper. *Lucilius* verò non *Lucillius*, quia sic omnes codd. antiqui, & ἀναλογία favet. Nam simile est Servilius.

Scena, an *scæna* scribas, parum refert. Origo requirit *scena*, cùm Attice & Ionice communi lingua sit σκηνή. Malim tamen *scæna* cum diphthongo. Ita enim legitur in lapp. & optimis ac antiquissimis libris: qua de re Aldus in Orthogr. & inprimis Faërnus ad Prol. Hec. Atque ut hoc non esset, satis esse debet, quod Varro lib. VI de L. L. & *scæna*, & *scæptrum* scribat, etsi Actium *scena*, alios item *sceptrum*, Græcorum more, scribere agnoscat. Priscianus etiam Æ probat, & caussam addit, quod Romani soleant imitari Æoles, qui scripsere σκαινά, pro σκηνή. Verba dabo: *Ponitur Æ pro E longa: ut σκηνή, scæna: & pro A, ut Æsculapius, pro Ἀσκληπιός. In quo Æoles sequimur. Illi enim* Νύμφαις *pro* Νύμφας, & φαισὶν *pro* φασὶν *dicunt.*

Scribsi, *nubsi*, *labsus sum*, per B, scribunt hodie multi: & pro iis videtur esse ἀναλογία. Attamen magis probem per P, propter εὐφωνίαν. Nempe ut à θλίβω, & τρίβω, non est θλίβσω, vel τρίβσω, sed θλίψω, & τρίψω, sic

sic à *scribo* est *scripsi*, à *nubo nupsi*, atque ita in aliis. Idem nobiscum docent Agrœcius, & Beda de Orthographia; ac Priscianus quoque lib. 1, ubi sic scribit: *Sciendum est, quòd principium syllabæ omnino per Ψ, PS debet habere: ut psittacus, pseudolus, ipse. Nubo quoque nupsi, scribo scripsi faciunt: quamvis analogia per B cogat scribere: sed euphonia superat, quæ etiam nuptam, non nubtam, & scriptum, non scribtum, compellit per P, non B, dicere & scribere.*

Sexcunx & *sescunx*, malè confundunt. Miror autem eos quoque in hunc lapidem impingere, qui se multijugâ lectione jactant. Quippe ostendunt se nec primam legisse paginam eruditi operis Budæani de Asse.

Sidus quoque per I cum vett. libris, non *sydus* per Y scripserim cum vulgo; cùm Y in Græcis tantùm adhibeamus: *sidus* autem sive ab insidendo sit, ut censet Varro; sive aliunde; saltem Græcum non sit.

Silva per I, non *sylva*, etsi sit ab ὕλη, non à silentio: similiterque *Silvanus*, Æneas *Silvius*, Rhea *Silvia*, quæ non veteres modò codices probant, ut Vinetus* quoque agnoscit; sed & Græci scriptores, quando Σιλουανὸς, Σίλουιος, Σιλβία legere est apud Strabonem, Plutarchum, Zonaram, Suidam, alios.

* Notis ad Flori lib. 1, cap. 1.

Similimus unico L scribere quidam è junioribus jubent. Sed hos refellit tum poëtarum, qui syllabam producunt, & antiquorum codicum, in quibus geminatur, autoritas: tum ratio, partim à sono petita, qui nimis fuerit exilis; partim ab analogiâ aliarum vocum, cujusmodi sunt *humillimus*, *imbecillimus*, *facillimus*.

Solemne, non *solenne* ut vulgo exaratur, quasi sit à *solus*, & *annus*. Nam *sollemne*, cùm veteres codd. approbant, tum ἐτυμολογία, quia est ab Osco *sollus*†, hoc est, totus, unde & *sollers**, quasi totus ars: MNE autem in *sollemne* est vocis productio.

† Festus in Sollo. * Idem ibidem.

Sollistimum, non *solistimum*, vett. libb.

Spelæum per Æ requirit origo, cum Græcè sit σπήλαιον: in vett. tamen codd. est *speleum* per simplex E. Ut damnare hoc non ausim.

Teter, non *tæter*, juxta libb. vett. scribendum.

Thule, non *Thyle*, cum Græcè sit Θούλη.

Sulfur, non *sulphur*, cum in Latinis Φ non habeat locum, sed F.

Subsiciva non *succisiva*. Priori enim modo est in optimis libris, & in tabula ænea, quæ in opere inscriptionum Gruterianarum legitur pag. MLXXXI. 2. Nempe non à *succidendo* est, sed *subsecando*.

Tofus, non *tophus*. Nam PH solùm utimur in iis, quæ à Græcis accepimus.

Vinea, & *tinea*, per E malim, ob multitudinem bonorum codicum in quibus ita signatur. Ut non moveat, quòd Fulvius Ursinus in Virgilio cum Græcis collato† *vinia*, & *tinia*, per I reperisse se dicat; illud quidem in antiquo lapide apud Delphinum Gentilem: hoc autem in codice Virgilii Colotiano.

† In 4 Georg.

CAP. XLIV.

De illo additionis & detractionis vitio, quo initialis litera syllabæ sequentis fit finis præcedentis, vel contrà. Olim etiam de eo dubitatum esse apud Græcos, & Romanos. Aristophani lux. Apostropho sociata ut unam vocem proferri. In ὀρθογραφίᾳ comprobandâ potissimam esse auctoritatem antiquorum lapidum aut metallorum: proximam veterum tum manuscriptorum, tum Grammaticorum: quorum nobiliores, qui de orthographia egerint, referuntur. In studio veteris orthographiæ neque nihil, neque nimium operæ poni oportere.

Potest etiam in eâdem literâ vitium simul additionis & detractionis committi. Fit hoc in dividendis syllabis: ut *nos-ter*, pro *no-ster*, *ig-nis* pro *i-gnis*. Nam quæ consonæ initio vocis connectuntur, eæ quoque in medio junguntur. Itaque in *a-bdir* (ita dicitur lapis* βαίτυλος, qui & *abadir*†, vel *abaddir*) *b* ad posteriorem pertinet syllabam, quia dicimus βδέλυρὸς. Item scribimus *Al-cmene*, quia dicitur χμητὰ: *Ara-chne*, quia *Cnidus*: *i-pse*, quia *Pseudolus*: *o-mnis*, quia *Mnestheus*: *A-sclepiodorus*, quia σκληρὸς: *barbari-smus*, quia *Smyrna*: *I-strum*, quia *struo*: *Pa-thmus*, quia *Tmolus*: atque ita in cæteris. At quod vulgò hæc aliter scribantur, promanat à pronunciatione vulgari; quæ, ut in aliis multis, ita hac quoque in parte est vitiosa. Dicimus enim *mag-nus*, pro *ma-gnus*, *am-nis* pro *a-mnis*, *hones-tus* pro *hone-stus*, *lec-tus* pro *le-ctus*, aliaque id genus infinita. Scribere autem volumus, ut pronunciamus: quod laudem merebatur, si pronunciaremus ut veteres. Sanè aliter pronunciâsse veteres liquet ex vett. Grammaticis: uti Prisciano lib. 1. Ac Victorinus quoque ait priorem in *a-mnis* esse longam, quia sequens syllaba incipiat duabus consonis. Quamquam & olim ita pronunciâsse quædam videntur, ut scrupulus in scribendo relinqueretur, si non doctioribus, saltem imperitis. Nam unde alioqui esse dicemus, quòd Sextus Empiricus, ubi adversus Grammaticos* disputat, inter Orthographiæ quæstiones refert, utrùm ὀμῶ-βριμος, an ὀμ-βριμος scribi debeat: item Α'σκλη-πιάδης, an Α'σ-κληπιάδης. Non dubium enim, quin recta sint ὄμ-βριμος, & Α'σ-κληπιάδης, cùm dicatur βρέχω, & σκιά. Imò nec semper requiritur, ut vox aliqua similiter incipiat. Nam scribendum ἰ-σθλὸς, ἰ-σθμὸς, ἰ-χθὺς; etsi σθλ, σθμ, χθ, non inveniantur initio vocis. Etiam Priscianus* jubet scribere *Abo-dlas*, (barbarum id nomen) *Cy-dnus*, & *Aria-dne*, item *Mygdonides*: etsi *dl*, *dn*, & *gd*, in principio vocis non occurrant. Ut infirmum sit eorum argumentum, qui *doctrina* malunt, quàm *do-ctrina*, quia *ctr* non reperias initio vocabuli. Sufficit enim quòd soni natura non obstat, quo minus æquè initio dicamus *ctr*, quam *str*: ut in *strepo*, *stratus*. Accedit, quòd in *do-ctrina* non possit alia esse princeps syllaba, quàm in *do-ctus*: vel in *doctus*, quàm in *docitus*, unde *doctus* factum κατὰ συγκοπὴν. Compositorum tamen dispar ratio. Nam scribimus *ab-luo*, *dis-cors*, *trans-marinus*; etsi dicatur *blandior*, *scopa*, *Smyrna*. Quamquam nec defuerint olim, quibus in *abeo*, *adeo*, *pereo*, non *ab*, *ad*, *per*, sed *a* & *pe*, princeps esset syllaba: ac par ratio aliorum. Verùm rectiùs hac de re Quinctilianus lib. 1, cap. VIII: *Est etiam in dividendis verbis observatio, mediam literam consonantem priori, an sequenti syllabæ adjungas. Aruspex enim, quia pars ejus posterior à spectando est, S literam tertia dabit: abstemius, quia ex abstinentia temeti composita vox, primæ relinquetur.* Rectè & Terentius Scaurus: *Per connexionem illam adnotanda sunt, ut Neg-otium; cujus prima syllaba G debeat adjungi, non sequenti; quod dictum est, quia nec otium. Item Ne-scire, quod sit ne & scire; & Ex-sul, utut S sequenti syllabæ adjungatur, quia significetur extra solum patriæ missus.*

* Priscian. lib. 1.

† Idem lib. 5. 6 & 7.

* Cap. 9.

* Lib. 1.

Dubitant nonnulli, quid statui conveniat de compositis, in quibus vocalis ultima partis prioris absorbetur à prima partis sequentis. E. G. utrùm παρ ἐρχομαι scribi debeat, an πα-ρέρχομαι, *ist-hic* an *i-sthic*. Scaliger lib. de caussis L. L. cap. XLIX, mavult *ist-hic*, quia non minùs *ist*, quam *est*, dici possit; ac quemadmodum syllabarum initia ab initiis, ita fines à finibus mensurentur. Verùm non *isthic*, sed *istic*, citra spiritus notam, fuit in Bembino, aliisque Terentii optimæ notæ codd. quos Faërnus expressit. Ac monet Aldus, similiter legi in Virgilio Carpensi, aliisque libris antiquis. Inque multis id codd. nos quoque observavimus. Præterea priorem syllabam non *ist*, sed *i* esse, argumento sit, quòd par sit in compositis hujusmodi ratio, atque in apostropho est. At in hac, ex Grammaticorum omnium consensu, non aliâ de caussâ duæ voces unius instar proferuntur, quàm quòd prima vocis sequentis succedat in locum abjectæ. Alioqui enim poterit syllaba apud Græcos desinere in consonam adspiratam: ut ἀφ' οὗ, νυχθ' ὅλην. Ubi primæ syllabæ ἀ, & νυ: secundæ φ' οὗ & χθ' ὅ. Ut omnino hæc tanquam una vox efferantur. Si enim veteres, quando esset apostrophus, paullum moræ inter-

interposuissent post vocem priorem: non paterer, quomodo Aristophanes in Ranis risum excitârit versu istoc Euripidæ*:

Ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν' ὁρῶ †.

At res plana est, si verum est, quod dicimus, voces duas sonuisse, ut unam. Neque enim liquebat, utrùm diceretur, γαλῆν' ὁρῶ, pro, γαλήνα ὁρῶ ‡, an γαλῆν ὁρῶ *. Idem judico de versu Epicharmi:

Ὁ † Ζεὺς μ' ἐκάλεσε Πέλοπι γ' ἔρανον ἑστιῶν.

Nam risus ex eo ortus, quòd auditores putarent, histrionem dicere, γέρανον ‡, non γ' ἔρανον *. Scio virum eruditum † ex his ipsis versibus colligere, peritiores olim solitos post prius vocabulum vocem leviter suspendere ad elisionem indicandam. Verùm quomodo vox potuit suspendi in γ' ἔρανον, & similibus? Adhæc poëtæ ipsi ob versus ambiguos, non histriones, ob pronunciationis vitium, ridebantur. Atque ut daremus, histriones hac in re peccâsse, cui non verisimile fiat, ideo nihil ab iis post vocem priorem moræ factum esse, quòd id vulgò fieri non soleret; vel si fortè, à peritioribus solùm: neque id ubivis, sed tantummodo, quando, vocibus aliter pronunciatis, ambigua esset dicentis sententia.

* In Oreste. † Ex fluctibus serenitatem conspicor. ‡ Serenitatem conspicor. * Mustelam conspicor. † Cum Pelope accumbente me vocavit Jupiter. ‡ Gruem. * Symbolam sive convivium. † Guiljelmum Baillium libello de accent. Græc.

Plura qui de Orthographia volet, multùm juvabitur scholiis ac notis eorum, qui veteres codd. castigarunt: item illis, qui ex professo de hoc argumento scripsere: uti fecerunt Jovianus Pontanus lib. de adspiratione; Camerarius opusculo, quod Philippicæ Grammaticæ addi solet; Marius Corradus libb. de L. L. ac supra istos Aldus junior opere, quod de Orthographia inscribitur. In eo tamen hic omni culpâ non vacat, quòd, deceptus ab aliis, alios quoque falsis aliquot inscriptionibus decipiat. Qua de re Antonius Augustinus dialogo XI Antiquit. Roman. & Hispanic. Multùm etiam ad intelligendum veterum ὀρθογραφίαν conferet inscriptionum Gruterianarum Index Grammaticus. Sed cùm in eo maximè referantur, quæ rariùs, & interdum semel iterum duntaxat se offerunt: operæ sit ipsas adire inscriptiones, ut videatur, in quibus vel omnes, vel antiquissimi quique lapides consentiunt. Etiam operæ sit adire Thesaurum Antiquarium Huberti Goltzii, & alios, qui de veteribus numismatis scripserunt. At, inquiunt, lapicidæ, & similes, indoctum erat hominum genus, ut stare illis nequeamus. Nimirum videntur ex nostris temporibus vetera metiri, quibus Latina lingua erat vernacula. Præterea, ut latomi essent imperiti, non aliter tamen incidere licebat, quam præscriberent illustres & doctissimi homines: quibus magnopere erat curæ, ut omnia, quam emendatissimè inscriberentur. Argumento illud erit, quòd Magnus Pompejus (ut de eo prodidit Tullius Tiro*, qui iis temporibus vixit) doctissimos Urbis viros super hoc consuluit, utrùm in æde Victoriæ TERTIO, an TERTIUM CONSUL, incidi deberet; atque ut, his dissentientibus, adierit M. Ciceronem: ille autem, ne hos, vel illos improbâsse videretur, suaserit Pompejo, ut TERT. scriberetur. Et quis nescit, quàm curiosè Nigidius Figulus † disseruerit, quando *pueri* per I; quando *puerei*, per EI, scribi oporteret? Talia curabant in charta peritura; non curabant in saxo duraturo, Urbisque, imo orbis oculis exposito? Possunt & alia in hanc sententiam adferri; quæ satis docent, non debere audiri, qui contemtim adeò de lapp. sentiunt & loquuntur: nec pili faciunt, quid in omnibus, vel penè omnibus lapidibus reperiatur. Quasi ullum certius esse veteris scripturæ argumentum possit, quàm consensus lapidum, tabularum ænearum, nummorum, similiumque monumentorum, quæ ab antiquissimis temporibus ad nostra usque tempora durarunt. Nam librorum alii ex aliis exscribuntur, magisque & magis à primo codice abitur. Lapides verò nummique immutati permanent. Tantum opus, ut genuinas seu nummorum, seu marmorum inscriptiones à suppositiciis distinguamus. Quis enim ignorat, quot falsæ inscriptiones circumferantur? quibus alii quidem scientes volentes imposuere simplicioribus: alii verò sibi os sublini credulitate nimiâ passi sunt. In priori hominum genere reponi merentur Annius Viterbiensis, Joannes Camers, & Cyriacus Anconitanus: ut de Pomponio Læto, Joviano Pontano, præclaris alioqui viris, & aliis quibusdam, nihil dicam. Præterea opus distinguere inter ætates; pro quibus, Fabio * etiam teste, variat ὀρθογραφία. Nec enim ii sumus, qui revocari velimus rationem scribendi obsoletam: qualis est in columna Duilliana. Volumus pro exemplo esse ea tempora, quibus studia Romæ maximè viguerunt. Ut quis Cicero & Cæsar facundiâ præstabant: Varro, & Nigidius † doctrinarum erant columina: Crispus Sallustius in historia Romana primas ferebat. Ut de Catullo, Pomponio Attico, Cornelio Nepote, & cæteris ejus temporis, taceam. Idem dixero de Augusti imperio: quo Virgilius & Horatius, quo illi amorum quatuorviri, quo Livius, & alii excellentes erant viri. Neque excepero seculum proximè secutum: quo Marcus floruit Seneca, & Senecæ ter numeranda domus: quo Columella, Plinius uterque, Fabius, Tacitus, Tranquillus, cæterique. Cur enim non in Latinis scribendis hæc nobis tempora potius proponamus, quàm sequiora secula, præcipuè illa, quibus barbaricæ irruptiones, ut imperium, ita linguam, & rectam scribendi consuetudinem corruperunt? Vetus autem consuetudo unde certiùs petatur, quàm è marmoribus & numis? Proxima tamen post lapides, & metalla, gloria est libris chirographis; dum eos ætas & bonitas commendent. Item veteribus Grammaticis, qui hanc artis partem tractarunt. Adeundi igitur Velius Longus, Flavius Caper, Q. Terentius Scaurus, atque excerpta veterum Grammaticorum, è quibus suum de Orthographia librum contexuit Cassiodorus. Item Marii Victorini liber I, & Bedæ presbyteri de Orthographia libellus. Nec tamen auctor singulis fuero, ut postquam animus graviora possit, diu multumque in his studii & operæ ponant. Grata quidem ubique est veritas: at non propterea in minùs necessariis constare ea omnibus debet majorum & meliorum studiorum damno. Potiùs duo tres accuratè de tota scribendi ratione dispiciant ac tractent, aliquo dispendio suo, at compendio Reip. literariæ. Horum ubi labores illi probarint, qui studium hoc intelligunt, cæteri talium judicium sequantur: ac tantummodo Velium, Scaurum, & similes, antiquitatis caussâ degustent. Quomodo futurum, ut per minutias hasce eant, non circa illas hæreant.

* Apud Gellium lib. 10. cap. 1. † Gell. lib. 19. cap. 14. * Lib. 1. † Gell. lib. 14. cap. 9.

FINIS LIBRI PRIMI.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII ARISTARCHI, SIVE ARTIS GRAMMATICÆ, LIBER II.

Qui est DE SYLLABIS.

CAP. I.

Προσῳδίας objectum. Diomedes emendatus. Variæ definitiones syllabæ rejiciuntur. Συλλαβὴ de voce disyllaba. Vera syllabæ definitio adlata.

Vidimus de Ὀρθογραφίᾳ, sive literis. Venio ad Προσῳδίαν, quæ versatur circa omne illud, quod accentu præditum est. Id quia ut plurimùm literarum conjunctione constat, *συνεκδοχικῶς* vocatur *συλλαβή*. In cujus definitione mirificè sunt alucinati. Flavio Sosipatro, & Maximo Victorino, definitur hoc modo: *Syllaba est litera vocalis, aut literarum coitus per aliquam vocalem comprehensus.* Quæ veriùs syllabæ divisio est, quàm definitio. Præterea A in AUDIO syllaba non est. Convenit tamen ei hæc descriptio. Diomedi definitur, *comprehensio literarum enunciata.* Sic enim apud eum legendum; pro quo in Putschianâ editum est, *Syllaba est comprehensio literarum enunciatio.* Suspicor autem, Diomedem adjecisse, *uno spiritu, vel accentu.* Hoc utcunque est, Prisciano quidem sic describitur: *Syllaba est comprehensio literarum consequens sub uno accentu, & uno spiritu prolata.* Ubi si Priscianum audimus (atque idem de Diomede dictum velim) verbum *ai*, aut pro vocabula *ea*, *ei*, *eo*, *ei*, disyllaba non sint: Græcum item *ἰάω* trisyllabum non erit. At hoc planè est absurdum. Nisi quis tueri se volet eo, quòd etiam Dio Chrysostomus, oratione prima De gloriâ*, *κηρύττεσθαι* & *ἀποκηρύττεσθαι* unâ solùm syllabâ dicat distare. Sic enim scribit†: *Καὶ τοίνυς μὲν κηρύττεσθαι, φασὶν ἐκείνους ἢ ἀποκηρύττεσθαι, δηλονότι παρὰ μίαν συλλαβὴν γεγενημένης τῆς διαφορᾶς.* Sed hic ejus vocis usus planè est insolens. Ut autem veram Syllabæ definitionem inveniamus, altiùs est ordiendum.

* Pag. 605. edit. Morell.

† Et illos quidem dicunt κηρύττεσθαι, prædicari: hos autem ἀποκηρύττεσθαι, deprædicari: videlicet ut propter unam syllabam sit differentia.

Grammaticæ finis est puritas orationis: subjectum est oratio, quatenus pura. Ac primò considerat subjecti sui partes, inde totum. Partes orationis sunt, litera, syllaba, voces. Litera est pars orationis sono indivisibilis. Syllaba est pars orationis sono indivisa. Vox est pars orationis significans ex instituto, cujus partes nihil significant separatim. Nam cùm de literis, syllabis, & vocibus, in Grammaticâ agatur propter orationem, tanquam finem; jure quoque ea in Grammaticis per orationem definiuntur. At haut rectè definitur litera, pars minima dictionis: neque rectè syllaba definitur, pars dictionis uno spiritu prolata. Nam à, è, ì, ò, sunt literæ & syllabæ: nec sunt partes vocis, quia sunt ipsa vox. Omne autem totum est majus suâ parte. At secundùm nostram definitionem liquet, cur unumquodque istorum sit litera, sit syllaba, sit vox. Nam litera est, quatenus indivisibile est: syllaba est, quatenus indivisum, atque accentum habens: vox est, quia vocis est proprium ita ex instituto significare, ut aut partes sint nullæ (uti hìc fit) aut cùm sunt, nihil significent separatim.

Sed fortassè aliquis, eo quòd omnia monosyllaba syllabæ quidem sint, at partes orationis actu non sint; amet definitionem, quæ conveniat syllabæ absolutè, & sine respectu ad orationem consideratæ. Quare, necubi claudeat industria nostra, alteram etiam definitionem damus. Syllaba est vox articulata unius integri soni. Nam seu unius literæ syllaba sit, seu ex literis pluribus constetur; sonus existit unicus. At quoties in voce plures syllabæ concurrunt, plures etiam soni audiuntur. Et videtur non aliud voluisse Priscianus, cùm priori suæ definitioni mutilæ, & mancæ, istam subjungit: *Syllaba est vox literalis, quæ sub uno accentu, & uno spiritu, indistanter profertur.* Nam per vocem literalem non intelligit, quod alias dictionem nominat, sed sonum articulatum.

CAP. II.

Syllabæ divisio. Δίφθογγος Latino nomine ut reddi possit. Quot Hebræis diphthongi. Cur quædam Græcis impropriæ dicantur. Latinis non quinque tantum sunt, ut putarunt; sed minimum octo. Charisii sententia de diphthongo YI sive VI refellitur. Rutilius in Itinerario emendatus. V interdum est vocale, sequente vocali in eâdem syllabâ. AI & OI in vett. monumentis pro Æ & OE: item OV pro V longo. AA, EE, similiaque immeritò à Politiano, & aliis, in diphthongorum numerum referri.

Syllabarum sunt tria genera. Quædam sunt vocales nudæ, quas Marius Victorinus*, atque alii, malè dixerunt *καταχρηστικῶς* vocari syllabas, cùm potiùs dicere debuerint, parùm aptè parti orationis sub uno accentu, syllabæ esse nomen impositum. Nam quid caussæ quæso, præter syllabæ *ἔτυμον*, (à quo sæpe invalida peti argumenta, nemo ignorat) afferre queunt, cur A in *amo* non æquè ac *MO* syllaba sit?

* Lib. 1. initio capitis de syllabis.

Alterum syllabæ genus est diphthongus. Latinè ad verbum dixeris *bisona*. Sed appellatio hæc parùm apposita videtur, quando etiam convenit duplicibus X, & Z. Quare rectiùs illi, qui nominant *bivocalem*.

Diphthongus est sonus compositus ex sonis duarum vocalium, sic ut uterque audiatur. Si enim solum auditur una vocalis, diphthongus dici nequit. Nec tamen necesse est, ut uterque sonus æquè audiatur. Interdum enim altera vocalis tantum habet semissem temporis, vel tertiam partem.

Quot apud Hebræos sint diphthongi, parùm convenit. In-

Interea satis constat, ꞏ post kamets, & patach, constituere diphthongum *ai*; post cholem, *oi*; post schurek, *ui*. Sed quæritur, an similiter ꞏ coalescat in diphthongum post kamets, patach, tsere, & chirek longum. Nempe ut accedant diphthongi, *au*, *eu*, *ui*. Multis ita placet. Sed Judæi hic pronunciant, ut f. Nam עשו non *Hesau* pronunciant, sed *Hesaf*, atque ita in aliis.

Græcis diphthongi sunt XII, αι, αυ, ει, ευ, οι, ου, ηυ, υι, ωυ, ᾳ, ῃ, ῳ. Ex his posteriores sex vel ex prioribus fiunt, vel ex duabus subjunctivis. Nam ex ευ & ου gignuntur ηυ, & ωυ, quæ Ionum est. Ex αι, ει, οι, fiunt ᾳ, ῃ, ῳ. Ex subjunctivis duabus coaluit υι. Atque huc respexere, qui sex istas vocant diphthongos improprias. Sunt qui tres tantum improprias esse dicant, ᾳ, ῃ, ῳ. Nempe quia in illis non exaudiatur sonus nisi unius vocalis: quod vocis etymo repugnat, quæ, ut diximus *bisonam* sonat. Sed hi eo peccant, quòd rem metiantur ex pronunciatione vulgari, quæ à genuina ac veteri plurimum distat.

Quod ad Latinos, vulgò quinque faciunt diphthongos. In quo nimis sanè sunt parcipromi. Quippe minimùm sunt octo: Æ, ut *ætas*, *ævum*, *Mæcenas*: AI, ut *Aiax*, *Maia*, *ai ai* apud Ovidium x Met. AU, ut *audio*, *aurum*, *plaustrum*: EI, ut *eia*, *hei*, *omneis*: EU, ut *eurus*, *heus*, *ceu*: OE, ut *pœna*, *Pœnus*, *mœnia*: OI, ut *hoi*, *quoi*, *Troia*: VI, ut *Harpuia*, *Ilithuia*, *Orithuia*; quamquam hæc, similiaque, simplici quoque Y scripta inveniantur: ac Charisius utramque quidem agnoscat vocalem; sed V ad antecedentem, I ad sequentem syllabam pertinere velit. Verùm malo Servium sequi, qui in illud Æn. III:

> *At subita horrifico lapsu de montibus adsunt*
> *Harpuiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas:*

in Harpuia, inquit, *est Græca diphthongus: nam Latini non habemus.* Sanè Rutilio *Harpuia* quadrisyllabum est: quod solâ διαλύσει fieri potuit. Ita enim ille lib. primo Itinerarii sui:

> *Namque olim* (malè vulgati codd. Non olim) *sacri justissimus arbiter auri*,
> *Circumsistentes reppulit Harpuias.*

Neque est, quòd quis VI è diphthongorum Latinarum numero exterminet, quòd non reperiatur in iis, quæ ortum suum Latio debent. Quippe si *Harpuia*, similiaque, donata sunt Romanâ civitate, etiam diphthongus, quam in iis cernere est, in Latium fuerit recepta. Adde quòd eandem reperire sit in *cui* & *huic*, cùm monosyllaba sunt. Nam V in *huic* consonans esse nequit, cùm V consonum adspirari non possit. Atque hinc simul elucet, perpetuum non esse, quod à Grammaticis traditur, V fieri consonantem, quoties in eâpse syllabâ altera sequitur vocalis.

Porrò quod in YI facit Charisius, hoc alii agunt in AI, & OI. Marius enim Victorinus*, etsi alterius etiam sententiæ meminerit, in eam tamen magis inclinat, ut I in *Troia* pertineat ad syllabam sequentem. Marius quoque Corradus in primo de L. L. idem de *Troia* nomine refert, ac parem ait rationem esse in *Aiax*.

* *Lib. I. cap. de syllabarum natura & connexione.*

Verùm hac parte adstipulari malo doctissimo Angelo Caninio. Neque enim caussæ quicquam video, cur in hisce vocibus apud Græcos diphthongus sit; apud Latinos non item; cùm eadem utrobique sit eâdem in voce pronunciatio. Quid quòd veteres semper AI, & OI, usurparunt, ubi posteriores prætulerunt Æ, & OE? Ita inscriptiones ante Augusti Ciceronisque ævum habent, AIMYLIUS, & DIVAI: atque eandem diphthongum pòst conatus revocare Claudius imperator, etiam scito publico; unde illam invenias in omnibus ejus temporis lapp. sed, Claudio exstincto, rursum obtinuit Æ. Itidem veteres inscriptiones habent *coiravit* pro *curavit*, & apud Plautum, Muretot† teste, pro *prælium* fuit *proilium*, quamquam in vulgatis sit *pro Ilio*: atque hinc obiter liquet, malè, cùm alios, tum Nicodemum Frischlinum, præcipere *prælium* per Æ scribi debere. De hac diphthongo ita Capella lib. III: *O autem litera copulatur I in nominativo Jovis, & Oinone. Oisus etiam dicitur. Sic enim veteres usum dixere.* Sed *proilium*, *Oinone*, *oisus*, *coirare*, similiaque, planè exolevetunt. Quod si & obsoletorum rationem habere lubet, nonam etiam diphthongum adjicere licet superioribus. Veteres enim *loumen*, & *nouncius*, dixere, pro *lumen*, & *nuncius*: quomodo & in monumentis antiquis legere est, IOVS, IOVRE, IOVSTITIA, OVFENS, OVFENTINA TRIBVS, aliaque id genus, quæ nunc exarantur per V longum. Nec temere dico *V longum*. Nam quod antiqui lapides aliquando in brevibus syllabis usurpant, id vel imperitiæ, vel incuriæ sculptorum tribui debet. Quare apud Agellium quoque lib. primo cap. XII in verbis Fabii Pictoris, non FOVIT, quod in Stephanicâ editione legitur, sed *fuit* scribendum puto.

† *Lib. 6 Var. Lect. cap. 4.*

Quod si Angelum Bassum, sive, ut à patria dicitur, Politianum* audimus, debeat quoque inter diphthongos reponi EE, quomodo FEELIX in aureo nomismate legitur. Item II, quo pacto VIIRTUS invenitur in æreo Galbæ nummo. Sed pueriliter alucinatur vir politissimi judicii. Nam geminatio hæc originem cepit ab eorum errore, qui vocales duplicandas putabant, ut longas esse cognosceretur: quod vitiosum esse, agnoscunt Fabius, & Scaurus, ut supra diximus. Quod si altera vocalis tantùm temporis est index, quo pacto juncta alteri constituet diphthongum? Neque enim sola quantitas diphthongum facit; quia alioqui η etiam & ω diphthongi sint, atque adeò A, I, & Y, quoties sunt porrectæ: apud Latinos etiam, quot vocales sunt, tot diphthongi adjiciendæ erunt, cùm universæ ancipites sint. At hæc tam inepta sunt, ut mirandum sit, virum tantum in manifestâ luce, velut in Cimmeriis tenebris, cespitâsse.

* *Cap 43. Miscel.*

CAP. III.

Ostenditur, non esse diphthongum, quando post I vel V in eadem syllaba sequitur vocalis: nec quando in AO, EA, EO, vel OA, est συνίζησις: nec esse ullas triphthongos.

Sed aliam quoque litem de diphthongis intentat Grammaticis Caspar Schoppius, in Grammaticis Institutionibus, quæ, ut & Paradoxa literaria, edidit* sub nomine Pascasii Grosippi: uti primus mihi indicium fecit Amplissimus & literarum ac literatorum amantissimus David de-Willem, Arausionensium principi à consiliis. Hæc cum omnia jam essent nostra ad prælum parata, avide devoravi, multaque reperi partim multo antè, quam Scoppiana prodirent, à nobis etiam monita in libellis Grammaticis jussu Procerum in Scholarum Hollandiæ ac Westfrisiæ usum divulgatis; partim tradita nobis in hisce commentariis, quos maxima ex parte ante annos XXX & amplius scripsimus, cumque juventute & amicorum multis communicavimus. Gratum interea mihi fuit, eadem utrique nostrum in mentem venisse, vel saltem, ubi eosdem habuimus duces quos sequeremur, idem utrique placuisse. Attamen nec pauca in illis reperi, ubi vir ille doctissimus temere omnino pulpita mihi deseruisse veterum Grammaticorum videtur. Quale inter cætera illud de diphthongorum numero. Quibus censet denas addi oportere, IA, IE, II, IO, IV, VA, VE, VI, VO, VU. Ut *Janus*, *jento*, *abjicio*, *Jocasta*, *justus*, *vastus*, *vester*, *visus*, *votum*, *vultus*. Mihi eo minùs hæc sententia placuit semper, quia & Hebræi, & alii populi orientales, Jod & Vau summo consensu inter consonas reposuere. Et ratio hoc valida confirmat, quia sine vocalium ope pronunciari non possint. Accedit, quòd non minùs, quàm consonantes aliæ, vocalem naturâ brevem positione longam reddunt. Ut in *adjuvo*, & *advolo*. Jam quanti illud putandum, quod omnis diphthongus sit naturâ longa? At hoc de hisce Scoppianis diphthongis dici nequit. Nam brevis ea est in *jaceo*, *jecur*, *projicit*, *jocus*, *juvo*, *valeo*, *vetus*, *vigeo*, *volo*, & trecentis ejusmodi. Quod & fit post Q; ut *quatio*, *queror*, *quibus*, *quoniam*, *equus*. Item post G,

* *Mediolani anno 1628.*

ut in *unguere*, unde *unguentum*: ubi V tam celeriter pronunciatur, ut Terentianus Maurus dicat, —— *parte tantum fungi temporis*: ac Velius Longus, *eam ad aurem fere perire*. At dixerit aliquis, antea nos VI inter diphthongos retulisse: nec caussam esse, cur V ante I constituat diphthongum; ante vocales cæteras non item. Sed latum hic est discrimen. Neque enim VI semper est diphthongus: sed in *Harpuia*, *huic* monosyllabo, & similibus: ubi V vocale est, quia eundem habet sonum, ac in Græco υἱός. At de *vigeo*, *vireo*, & similibus, longè aliter statuendum. Imò ne in eo quidem assentire Grosippo possum, quòd in *pituita* V vocale putat, quando fit trisyllabum: ut apud Horatium *:

Præcipuè sanus, nisi cùm pituita molesta est.

Item in disyllabo *fuisse*: ut apud Lucillium:

Compernem, aut varam, fuisse Amphitruonis ἀκοίτην.

Nam his locis V in *fuisse* pronunciatur, ut in *vis*: in *pituita*, ut in *vita*. Par ratio, quando V ponitur post T, vel D. Ut in *mutuatur* trisyllabo: ubi V effertur, ut in *vates*. Ausonius epist. XXII:

Mutuatur ad Græcam fidem.

Verùm idem ille eruditissimus vir, ne his quidem contentus, etiam IE, & OA, de quibus mox dicam, cùm de triphthongis agam; tum EA, & EO, diphthongos esse arbitratur. EA in hoc Lucretii lib. II:

Aut nulla inter se duo sunt ex omnibus eadem.

Sed hoc leve esse, puto, nec ipse diffiteatur; quandò pro *eadem*, *isdem* in optimis codd. editum, ac similiter in chirographis reperimus: nisi quòd unus noster *idem* habet, facili errore. Magis urget illud Terentii †:

Eam commorientes Plautus fecit fabulam.

Nam *eam* est monosyllabon, quia est senarius. Par ratio in hoc Maronis *:

Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea.

Item †:

Unâ eademque viâ sanguisque, animusque, sequuntur.

Item *eo* una syllaba est in hoc ejusdem:

Rege ‡ sub Eurystheo fatis Junonis iniquæ.

Item:

—— *simul * accipit alveo.*

Et:

Uno † eodemque igni.

Et apud Lucretium ‡:

Omnia jam seorsum cernas ancisa recenti.

Mihi verò nec EA, nec EO, nec alia hujusmodi, unam constituere syllabam videntur. Nam duæ sunt syllabæ; sed in versu prior vocalis à sequente syllaba absorbetur per συνίζησιν; vel si audiatur, syllabam superiorem constituit, sed ita raptim enunciandam, ut nec semissem habeat temporis, eoque nulla ejus ratio in versu habeatur.

Quid quòd idem Grosippus, præter hasce diphthongos, quasdam etiam triphthongos esse tradit, quasi *trisonas* dicas, vel *trivocales*? Nec diffiteri possum, ita & veterum aliquos sensisse. Nam clarè id ait Annæus Cornutus. Nec sanè aliter statuere licet, si V nunquam est consonum, ut putat Grosippus. Nam hinc consequitur, triphthongos fore, VAI, VAE, VEI, VOI: ut in antiquo *Quai*, & recentiori *Quæ*, item *aquai* dissyllabo, pro *aquæ*, & *Quei*, pro *Qui*, *Quoi*, pro *Cui*: ut apud Catullum:

Quoi dono lepidum novum libellum?

Sed hæc sententia sponte corruit, labefactatis iis, quæ de V consono superiùs diximus. Verùm aliter quoque triphthongos stabilire conatur. Nam contendit, VEA esse triphthongum in *alvearia*, quando tetrasyllabon fit. Ut apud Maronem *:

Seu lento fuerint alvearia vimine texta.

Item VIE in dissyllabo *vietis* apud Horatium †:

Quis sudor vietis, aut quàm malus undique membris.

Item VOA in monosyllabo *quoad* apud Lucretium in secundo:

Quoad licet ac possis reperire inolentis olivi.

* Lib. 1, epist. 1.
† Prol. Adelph.
* Ecl. 6.
† Æn. 10.
‡ Æn. 8.
* Æn. 6.
† Ecl. 8.
‡ Lib. 3.
* Georg. 4.
† Epod. lib. od. 12.

Nimirum, ejus judicio, tres audiuntur vocales, duæ clariùs, tertia exiliùs. Nobis contrà videtur, V in his non vocale esse, sed consonum: quod satis antea adstruximus. Quare utcunque EA, IE, & OA, in unam coalescerent syllabam, non tamen triphthongi, sed diphthongi, forent. Nunc ne quidem diphthongi sunt, quia prior vocalis à sequente absorbetur per συνίζησιν; quæ non magis, quàm συναλοιφή, explodi debet. Rectè igitur de omni triphthongorum genere Quinctilianus lib. I, cap. IV: *Nisi quis putat, etiam ex tribus vocalibus syllabam effici: quod nequit, si non aliqua consonantium officio fungantur.* Et Terentianus Maurus:

Syllabam nec invenimus ex tribus vocalibus.

Item Annæus Cornutus: *Tres vocales quibusdam videntur esse sub una syllaba V A E. Errant, si ita putant. nam nusquam neque apud Græcos, neque apud Latinos, ex tribus vocalibus syllaba constat. Quare hic digamma eris, & duæ vocales.*

CAP. IV.

De vitiosa diphthongorum pronunciatione apud Græcos. Romanis veteribus affinis erat sonus inter Æ, & AI. Aula, ausculor, auxilla, *similiaque. EI fere iisdem sonuit, ut I longum. Prope idem sonus in OI, OE, & V longo.* Pilumnœ poplœ. Clerumenœ. Adelphœ. *Oraculum Delphicum de bello, & peste, an fame?* Clytemnestra, *pro* Clytæmnestra. *Prudentius in* hæresis, ænigma, sphæra, *& similibus, ex diphthongo præpositivam præterit. Ac Sidonius, Beda, alii, itidem, seculi vitio, scripsere. In* Euangelium, Parasceue, *aliisque id genus, perperam è diphthongo eu subjunctivam sequenti syllaba adscribi. Et quam consuetudo ea sit vetus.*

VAlde autem vitiosa est vulgaris diphthongorum pronunciatio, tum apud Græcos, tum Latinos. Nam AI efferunt, ut *e*: ει, οι, ῃ, & η, ut *i*: αυ, ut *af*: ευ, & ηυ, ut *ef*: ωυ, ut *of*. Quæ consuetudo solidè adeo refutata est à viris doctissimis, ut ex ipsis, ne actum agam, requiri id malim. Quin etiam, qui ad veterem pronunciationem propiùs accedunt, abeunt tamen ab antiquis in ᾳ, ῃ, ῳ, συνεχομένου * τοῦ I, sive συνόντος τοῦ I, ut loquitur Apollonius in tertio. Nam & ipsi pronunciant hæc, ut meram vocalem. At olim subjunctiva sine dubio audiebatur; licet exiliùs, quàm in AI, EI, OI.

* Adscripto I.

Apud Latinos quam vitiosè hodie diphthongi proferantur, vel illud argumento est, quòd olim Æ accedebat ad AI: unde, quod priùs TERRAI FRUGIFERAI (pro quo Pacuvius τῷ διαλύειν dixit TERRAÏ FRUGIFERAÏ) pòst fuit *terra frugifera*. Fabius lib. I, cap. VII: *AI syllabam, cujus secundam nunc E literam ponimus, variè per A, & I, efferebant: quidam semper, quidam singulariter tantum, cùm in dativum, vel genitivum casum, incidissent.* Quidam, inquit, ubique dicunt MUSAI: quidam solùm in genitivo, & dativo singulari; in plurali autem dicunt MUSÆ. Terentianus Maurus:

Alpha semper, atque jota, quem parant Græcis sonum,

A, & E, nobis ministrant. Sic enim nos scribimus.

Velius Longus: *Ea, quæ nos per Æ, antiqui per AI scriptitaverunt, JULIAI, CLAUDIAI. Et nihil obstat, quo minus hoc aut illo modo scribamus in utroque numero.* Ter. Scaurus: *Apud antiquos I litera pro E scribebatur, ut testantur metaplasmi, in quibus est ejusmodi syllabarum deductio: ut, Pictai vestis, & Aulai in medio: pro Pictæ, & Aulæ. Sed magis in illis E novissima sonat.* Ait, in diphthongo hac magis E, quàm I, audiri. Nempe ut vicinus est sonus vocalium I, & E; unde *heri*, & *here*; *crastini*, & *crastine*, dicebant: sic AI facilè commigravit in Æ, ut *Terrai* fieret *Terræ*.

Terrat. Nec hîc cessatum. Posteà enim A exiliter cœpit pronunciari: tandem etiam planè neglectum: qui error ad postera secula propagatus.

AU declinabat ad O: unde *caurus*, *corus*; *cauda*, *coda*; *auricula*, *oricilla*, apud Catullum. Festus: *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas. Ausculari dicebant pro osculari. Auxilla, olla parvula.* Priscianus lib. I*: *AU transit in O productam, more antiquo: ut lotus pro lautus, plostrum pro plaustrum, cotes pro cautes. Sicut etiam contrà pro o au: ut austrum pro ostrum, ausculum pro osculum: frequentissimeque hoc faciebant antiqui.* Puto, & hinc esse, quòd in lapidibus vetustis pro *Aurelius*, *Aorelius*, legas.

* Cap. de orimo literarum.

EI verò cognatum erat I longo; imò illud I primò non aliter sonuit, quàm EI: unde Plauti *Capteivei*, qui postea *Captivi*. Itidem promiscuè scribebant, *omnis*, & *omneis*; *tris*, & *treis*. Et in multis aperta est ratio. Ut cùm dicerent, *is*, *it*, *itur*. Nam primò integre dixere, *eis*, *eit*, *eitur*. Postea *e*, & *i*, concrevere, ut esset diphthongus. Habuitque tum *e* exilem admodum sonum. Tandem, ulteriùs marcessens, planè omissum.

OE mediam obtinuit naturam inter Græcum OI, & Latinorum OU. De OI liquet ex eo, quòd pro ποινή Latini dicant *pœna*; pro Φοῖνιξ, *Phœnix*. Etiam ut Græci dicunt λόγοι, & similia, Latini veteres œ in plurativo posuere. Unde, ut Festus ait, *Pilumnœ poplœ* in Carmine fuit Saliari: hoc est, *populi pilis assueti*, quales Romani. In Plautinæ Casinæ prologo est *Clerumenœ*, quod Græcè κληρούμενοι:

Clerumenœ vocatur hæc comœdia
Græcè, Latinè Sortientes.

Etiam in veteribus Terentii libris inscriptio est *Adelphœ*: hoc est, ἀδελφοί. Nimirum ut in AI, ita quoque in OI, I in E migravit ob sonum affinem. Sed Latini, quia similem sonum habent O, & U, pro OE postea U ipsum usurparunt. Itaque à *pœna* est *punire* & *impune*; à *Pœnus*, *Punicus*; & quod, priùs *mœrus*, & *mœnire*, id postea *murus*, & *munire*. Nihil igitur mirandum, si in vett. inscriptionibus pro eodem legas, OITI, OETI, & UTI; LOIDOS, & LUDOS; COIRA, & CURA; POENIRE, & PUNIRE; similiaque. Servius in illud x Æn.

Quin intra portas, atque ipsis prœlia miscent
Aggeribus mœrorum:

Mœrorum antiquè, pro Murorum. nam veteres pleraque eorum, quæ nos per U dicimus, per OE pronunciabant: & contrà Punio pro Pœnio, quod verbum à Pœna venit. Hinc est, Punica regna vides: cùm Pœnos ubique legerimus.

Atque hæc quidem diphthongi OI mutatio in U longum tum tantummodo invênit locum, cùm in eâ magis O, quàm I, audiretur. Sed habuit hæc diphthongus & alterum sonum. In multis enim vocibus O vix audiebatur, ac solùm penè I aures feriebat. Quod clarius fiet illo Maronis in XI:

Proinde tona eloquio, solitum tibi; meque timoris
Argue.

Proinde hic dissyllabum est: efferre autem sic priorem possis, ut O clarius sonet, velut in *Troia*: possis & exiliùs proferre, fere quasi scriberetur *Prinde*. Uti in iis, quæ O pingue in OI habuere, U successit: ita in illis, quæ I pingue in OI habuere, I surrogatum. Sic affinis sonus fuit in istis λοιβή, λείβω, & *libare*. Sic quoque *loiber*, vel *lœber*, postea *liber*. Festus: *Lœbesum, & lœbertatem, antiqui dicebant liberum, & libertatem. ita Græci* λοιβή, & λείβω. Atque hinc caussam videmus, cur Athenienses non eodem omnes modo acceperint oraculum illud Delphicum*:

* Thucyd. lib. I.

Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Nempe nec planè similiter sonabant λιμὸς, & λοιμὸς, nec multum in iis sonus differebat, quia O in λοιμὸς sic efferebatur, ut vix aures tangeret. Minus igitur bene audientibus proclivis hic lapsus fuit.

Porrò jam seculum, & amplius est, quòd diphthongos corrupte pronunciari, viderunt Nebrissensis, Georgius Valla, Guarinus, atque alii. Neque isti dicere poterant, χθὲς ἢ πρώην † hoc vitium irrepsisse: quod satis inde cognoscimus, quia in Florilegio Græcorum Epigrammatum complura hujus rei exempla habemus. Ut apud elegantem scriptorem Agathiam Cæs. Justiniani ὁμήλικα, qui lib. IV sect. XXXIII, quæ est εἰς φιλοσόφους, Plutarchus Chæronensis dicitur prima correpta χερωνεὺς, pro χαιρωνεύς. Et eodem libro cap. VIII epig. XXXIV Cornelio Κυνήγειρος dicitur, qui est Κυναίγειρος. Quod & Paullo Silentiario factum Epigrammate sequenti. Ac similiter apud Latinos, imò jam ante annum a Christo quadringentesimum, corripere multi syllabas solent, quæ per diphthongum scribi debent. Facit hoc non semel Ausonius: uti in *Clytemnestra*, quæ Græcè Κλυταιμνήστρα: ut in Epitaphiis Heroum:

† Heri, & nudius tertius.

Vindicem adulterii cum Clytemnestra necet.

Quamquam de hoc minùs miror: quia observo idem factum à Livio Andronico in Andromeda:

—— In sedes collocat se regias,
Clytemnestra juxtim, tertias nata occupat.

De Ægistho, Clytæmnestra, & Electra, sermo est. Sed quid dicemus de eo, quod idem facit in *solœcismus* epigr. CXXVIII, & alibi in *Phidia*. Quæ Græcè σολοικισμὸς, & Φειδίας. Idem jambico trimetro, quod est epigram. professorum Burdigalensium ad Nepotianum: *Et Epirote Cynea memor magis.* At Græce est Ἠπειρώτης. Non hoc propositum fuit Ausonio, ut spondæum poneret pro jambico, ut credidit Elias Vinetus: sed more seculi vocalem alteram ex diphthongo extrivit. *Citheron* etiam mediam correpta scribit, cum sit *Cithæron*. Multaque hujusmodi sunt apud Prudentium. Ut in Psychomachia:

Cognomento heresis. Deus est mihi discolor, inquit.

Et præfat. Cathem.

Pugnet contra hereses.

Et Hamartig.

Hanc heresin præsaga patris prœviderat olim
Majestas.

At Græcè est αἵρεσις. Idem in Apotheosi:

Legis in effigie scriptum per enigmata Christum.

Et ibidem:

Cujus ad arbitrium sphera mobilis atque rotunda.

Græcè est αἴνιγμα, & σφαῖρα. Similia sunt apud Sidonium Apollinarem, qui seculo posterior est. Ut Panegyrico, qui Anthemio dictus est:

Quicquid Pythagoras, Democritus, Heraclitusque.

Græcè est Ἡράκλειτος. Idem Carm. ad Felicem Consulem:

Et primum Darii tumultuantes.

At Græcè est Δαρεῖος. Unde Ovidius, & Claudianus, mediam producunt. Ac seculis labentibus magis magisque hoc vitium vires cepit. Itaque Beda libello de Orthogr. *Æquor* inter ea collocat, quæ inchoant ab E: etiam *Comœdia* per E simplex scribere jubet. Idem libello de Metris, de versibus phalæciis agens, pro exemplo adfert,

Dum cursus celeres Ægyptiorum.

Nempe *Egyptiorum* scripserat. Mirum verò circa annum Christi ducentesimum vulgus sic pronunciasse. Nam apud Spartianum in Pescennio Nigro sic incipit epigramma:

Terror Egyptiaci Niger adstat limitis ingens.

At post sexcentesimum, ac deinceps, id est perfrequens. Ita in Paulli Diaconi carmine est in B. Benedictum*:

Vas pedagoga tulit diremtum pectore tristi:
Læta reformatum vas pedagoga tulit.

* Lib. I de gestis Langobard. cap. 26.

Dixeris, etiam Augustæo, vel suppari ævo, diphthongos negligi solere: atque id ex eo colligi, quia cum verbum illud obscenum, quod est ex Græco παιδικά (ita impurissimi illi suos amasios dixere) omnino per diphthongum scribi debeat: in Ithyphallico tamen carmine, gemino in loco merâ scribatur vocali. Sed de eo quid sentiam, exposui in Originum libris. Eo minùs animus est hic fœdissimæ voci immorari. Redeo igitur ad Bedæ ætatem.

Jam

Jam tum quoque subjunctivam in diphthongis rejiciebant ad syllabam sequentem. Nam Beda idem † scribit, *a-vrum* dici, pro *au-rum*; & *E-vangelium*, pro *Eu-angelium*. Nempe eodem errore, quo vulgò *parasce-ve* dicunt, pro *parasceu-e*; *E-vander*, & *E-vandrius*, pro *Eu-ander*, & *Eu-andrius*: quæ pronunciatio si recta esset, non produceretur prima à Marone, Statio, Juvenale, aliisque, cùm sublato V, remaneat E, quæ est naturâ brevis. Verùm legitimam qui pronunciationem se hodie revocare studeat, næ ille laterem lavet, prævalente rationi consuetudine, *quæ cùm omnium rerum domina, tum maxime verborum est*; ut verè olim dicebat Sulpicius Apollinaris *.

† Lib. de re Metrica.

* Apud Gellium lib. 12, cap. 13.

Cap. V.

Syllaba mista ex vocali & consona est Belgis etiam novem literarum; Latinis summum sex. R ante P locum habet in eapse syllaba, contra quàm Prisciano visum. Striglx *vox reicula pro* striglis. Striæ *&* striglis *discrimen: nec tamen id perpetuum. Vulgata lectio defensa in Glossis Latino-Græcis. Varronis locus expensus.*

VIdimus de syllaba simplice, & ex vocalibus composita. Sequitur mista ex vocali, & consonante seu unâ, seu pluribus. Hæc Belgis etiam octo literarum est. Nam à *streng*, quod *strenuum* signat, aut severum, est superlativus *strengst*, hoc est *strenuissimus*. Imò & *'s strengst*, hoc est *strenuissimum*, vel *durissimum*, unâ syllabâ enunciant: ubi literæ novem. At Latinis syllaba summùm est sex literarum; ut *stirps*: qua ex voce obiter observandum (quando id fieri posse, negat Priscianus *) R ante P eâdem in syllabâ habere locum: quod & in Belgicis accidit; ut, *herp*, *werpt*, & similibus. Porrò in syllabis sex literarum volunt vocalem, aut tertium obtinere locum, ut in *stirps*; aut quartum, ut in *monstrans*. Atque idem fit in posteriori syllaba vocis αἰσχρός. Quemadmodum & in voce hac quinque literarum *stlis*, de quo Festus: vel syllabâ quadriliterâ, ut *scribo*. Itidem in ζβί (nam duplicem pro duabus censemus) vocalis quarto est loco. Nec ea vox ulli scrupulum movere debet: cùm apud Clementem Alexandrinum † ex symbolica Theologia legatur, κναξζβί: quod est χάλα λδονχός *: ut ex Thespide Tragico †, & Hesychio, constat.

* Lib. 1, cap. de literâ.

† Lib. 5.

* Lac album

† Apud Clementem ibid.

Sed vir quidam eruditus antiquitati universæ litem intendit, quia, uti ait, vox inveniatur septem literarum. Eam esse dicit *striglx*: quæ, si duplicem pro duabus censeamus literis, octo quoque literarum dici potest. Hac uti ait Vitruvium lib. VII: *Canaliculus earum striglx appellatur*. Quomodo hunc etiam locum citat doctissimus Hermolaus Barbarus in indice Pliniano editionis Romanæ *. Sed planè legendum, *striglix*, vel potiùs *striglis*, quod contractum ex *strigilis*. Nam nomen id habet ob similitudinem strigilis in balneis usitatæ. Obliquo ejus utitur idem Vitruvius lib. IV, cap. IV. *Circa striglium cava, & angulos striarum*. Quo ex loco simul cognoscere est, eo differre *striam* & *striglem*, quòd hoc significentur canaliculi, id est, concavum ipsum; illo ἐξοχαί, hoc est, partes exstantes sive protuberantes. *Stiglium* verò hoc in loco etiam excusum est in veteri Florentina anni CIↃ CCCC XCVI: pro quo *strigium* editum est in Florentina illa, quam XXVI annis pòst exhibuit Jocundus Veronensis. Jocundum autem secutus hac parte Philander; illum alii, atque alii. At non Budæus, qui sic scribit: *Strigiles in antiquis libris Vitruvii impressis bene legebatur, ubi nunc striges legitur, & strigum lib. IV, cap. IV, & lib. V, cap. VII. Nam id verbum apud Celsum legitur lib. VI, cap. VI: licet in impressis strigem pro strigilem legatur. Jocundus Veronensis ita immutavit, qui strigem affirmat in antiquis legi.* Budæo nos subscribimus, hoc solo excepto, quòd *strigilis* inveniri ait in codd. antiquis, ubi nos *striglis* invenimus: quod rectum puto. Sic in vett. glossis Philoxeni, *Striata*, ξυστωτά: & paullò pòst, *Striclata*, ξυστωτοί. Clarissimus Bonaventura Vulcanius hîc quoque *striata* ait legi debere: sed rectum est *striclata*, vel potiùs *striglata*, à *striglis*, ut dicebamus. Cùm verò eruditus ille glossographus tam *striata*, quàm *striglata*, interpretetur ξυστωτὰ: liquet, non semper observatum fuisse *striæ*, & *striglis* discrimen, quod ex Vitruvio antè ponebamus. Et sane neglexit illud etiam Varro lib. I de R. R. cap. XXIX. *Qua aratrum vomere lacunam striam fecit, sulcus vocatur*. In plerisque Varronis codd. *stria* vox præteritur: sed agnoscit eam Nonius *, etiam in antiqua editione Mediolanensi †. Sed in Aldinâ est *istria*. Nempe scriptum erat *lacuna istria*. Ubi vocalis tertia ponitur pro, *id est*. Ut scripserit Varro, *lacuna, id est, stria*. Quæ lectio placet. Sed & *lacuna stria* non indignum videtur Varrone, ut simile sit ac *rete jaculum*, & *taberna diversorium* apud Plautum, *pallium peristroma* apud Ulpianum, & alia apud alios.

* In Stria.

* In Porcia.

† Anni 1500.

Cap. VI.

Quanto laxiùs magistri Hebræi voce accentus utantur, quàm Græci, ac Latini. Refelluntur, qui censent, psalmos, & cantica, juxta vulgares eos accentus, quos Musicos vocant, primi & secundi templi temporibus cani solere. Tres esse προσῳδίας, *ratione comprobatur.* Διαστολή, & Ἀπόστροφος, *ex earum numero rejecta. Moschopuli ratio improbatur, veraque adducitur. Etiam Latinis in usu fuit apostrophi nota, & quidem consonâ sequente, imo & initio vocis.*

EXcussimus ea, quæ pertinent ad syllabæ οὐσίαν †: nunc affectiones syllabarum aggredimur. Syllabæ accidunt προσῳδίαι sive *accentus*. Sed accentuum vox variè accipitur. Hebræis quidem Grammaticis ita laxè sumitur, ut eo nomine contineantur, tum tenoris notæ, tum distinctionis, tum διφωνίας. Quippe iis triplex est accentuum munus. Primum est, ut doceant syllabam debere attolli. Et in eo convenit Hebræis cum Latinis, ac Græcis. Nisi quòd & notæ his propriæ sint, quibus cognoscatur, syllabam deprimi debere, atque etiam circumflecti, ubi sublatio & depressio concurrunt. Alterum iis munus est, distinguere orationem in partes suas, sive minores, ut in commata, cola, periodos: sive majores, quales, ubi fit pausa. Sed hujusmodi distinctionum notæ non pertinent ad προσῳδίαν. Nec enim conveniunt syllabæ per se: sed orationi, quæ per se commatis, colis, & similibus distinguitur. Tertium munus in eo constituunt Hebræi, quòd notæ istæ inserviant modulationi, quâ sacer textus legi à doctoribus in synagogis solet. Nam valde falluntur, qui eo putant signari artificium Musicum, quo à Davide, & cæteris, dum staret templum, cani solet. Quippe illud pro certo habemus, & alibi adstruximus, Davidem, & quicunque templo primo, imò & secundo stante, vixerunt, notas eas ignorasse. Sunt enim à Masorethis, sive Tiberiensibus, sive aliis: de quo non repetam antea exposita. Nunc solùm urgebo illud: quomodo possunt accentus isti esse veteris Musices notæ, cùm iis hodie non solùm cantica notentur, sed libri etiam minimè poëtici, vel poëtico spiritu animati: atque adeò illis etiam in locis, ubi nulla statui musica modulatio potest, cùm nuda sit nominum recensio?

† Essentiam.

Strictiùs multò accentuum voce utuntur & Græci, & Latini. Quod meliùs pareret, si exstaret doctissimi Censorini liber, quem sæpe ad partes advocat Priscianus. Attamen ex iis scriptoribus quos habemus, nunc quoque satis liquet, pro triplici syllabæ dimensione tres esse accentus; tonum, spiritum, & tempus. Ex his tonus syllabæ competit secundùm longitudinem: estque acutus, gravis, aut circumflexus. Spiritum habet ratione latitudinis: estque is tenuis, aut densus. At tempus sequitur profunditatem: estque breve, aut longum.

Plerique tamen Grammatici tribus assignatis accentibus adjungunt ὑφ' ἕν, διαστολὴν & ἀπόστροφον: quos etiam secuti Const. Lascaris, Aldus Manutius, & Justus Lipsius lib. de pronunciatione L. L. cap. XVII. Sed dissentit Moschopulus; qui ea removenda ait ex numero accentuum.

Rectè

Rectè sane; verùm ficulnum est telum, quo pugnat. Vult enim, ideo non esse accentus, quia non oriantur earum notæ ex figuris literarum, contrà quàm fit, tum in tenotibus, qui fiunt ex Α; tum in spiritibus, qui oriuntur ex Η; tum in quantitate, cujus notæ ex Θ procreantur; brevis quidem syllabæ signum ex infimâ literæ parte (υ) longi autem, ex lineola in ventre literæ (-) Nempe, si Grammaticis visum fuisset, tribus istis ex literà quapiam figuram comminisci, jam Moschopulo fuissent veri accentus. Solida autem ratio, cur non sint è numero προσῳδιῶν, ea est, quòd non accidant syllabæ quatenus syllaba est. Nam ὑφ' ἓν propriè conjungit voces, ut διαστολὴ easdem disjungit. Ἀπόστροφος verò non syllabæ per se est; sed literæ, aut literarum per se, syllabæ per accidens.

Sunt qui apostrophon ideirco ex affectionum numero excludant, quòd ea in Latinis appingi non soleat. Sed nos etsi de re ipsa assentimus, rationem tamen probare non possumus. Nam & hanc interdum à Latinis adhibitam, indicat cùm Fabius lib. XI; tum imprimis hic Marii Victorini locus in Orthogr. sua: *Ea quatenus debeatis observare, ignoratis: inducti fortasse eo, quòd legistis præceptum antiquorum, qui ajunt, scribi quidem omnibus literis oportere: in enunciando autem quasdam literas elidere. In quo, ut idem sæpius dicam, bis peccatis, quòd aliud scribitis, & aliud legitis quàm scriptum est. Quid enim facietis in his, quæ velitis nolitis, & scribenda sunt, & legenda, ut scripta sunt? Ut, exempli gratiâ; Existimo, non Exstimo; & Conquinat, non Coinquinat, & similia. Eliduntur autem vocales singulæ, cùm duæ concurrerint: ut, Men' incepto desistere victam? non, Mene. Et, Ten' inquit, miserande puer; non, Tene. T quoque ex consonantibus eliditur: ut, Posquam res Asiæ; non, Postquam. M autem, ut, Mult' ille & terris. Vocalis & consonans pariter: Non equid' invideo.* Malaspina apud Ciceronem lib. XIV, ad Att. epist. XX, in Poggii libro se reperisse ait, *Aud' igitur*, pro audi igitur. Imò & ea, consonante sequente, locum habet: ut apud Maronem, III Æn.

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?

Et X Æn.

——*Tanton' me crimine dignum*

Duxisti, & taleis voluisti expendere pœnas?

Ita hæc scribenda esse, docent Priscianus, & Servius.

Solent etiam veteres, quoties post U S sequeretur E S T, priores duas literas verbi E S T abjicere: sed post vocalem, aut U M, tantùm primam præcidebant. Itaque pro *auditus est* scribebant, *auditust*, vel cum apostropho, *auditus' t*: at pro *opera est*, & *auditum est*, scribebant, *auditumst*, sive *auditum'st*, & *operast*, sive *opera'st*. Quare non sine cautione legi debet hoc Marii Victor. lib. I. *Cum fuerit autem scriptum, audiendus est, scribendus est, & mutandus est, & similia generis masculini, primam vocem integram relinquetis: ex novissimâ autem E & S detrahetis. Idem facietis in femininis, ut prima vox cujus generis sit, appareat. Idemque in neutris.* Hujusce rei notitia non rarò prodest in emendandis codd. antiquis. Ita in hoc Varronis † fragmento:

——*Quamaxima Divûm*

Lætitia stas: tum longè gratissima Phœbo.

Dextera, &c.

(quomodo etiam Ursinus citat ad IV Æn. *) feliciter restituunt, *Lætitiast*, *at tum*, &c.

Etiam apud Ciceronem lib. I de Divinatione, legere est istum Pacuvii versum:

Visum est in somnis pastorem ad me appellere.

Sed in editione Ciceronis antiquissima, &, ut censeo, principe, ita excusum inveni:

Visum est in somnis pastor ad me appellere.

Unde planè legendum puto,

Visu'st in somnis pastor ad me appellere.

Similiaque in aliis locis observavimus, quæ in re apertâ, mora sit adscribere.

† Apud Marium Victorinum.

* Virgil. cum Græcis collati pag. 292.

CAP. VII.

Tonus quid, & etymon vocis. Decem ejus nomina, tonus, accentus, tenor, nota vocum, moderamentum, accentiuncula, voculatio, fastigium, cacumen, sonus. *Triplex accentus, & ratio figuræ, quâ singuli scribuntur, ex natura cujusque adfertur. Sinensibus quinque accentus. Vetus circumflexi figura. Martiano Capellæ lux.*

Diximus de iis, quæ falsò reposuere inter accidentia syllabarum. Postulat ordinis ratio, ut agamus de veris affectionibus; ac primò de tonis, qui, ut Martianus Capella * ait, sunt *anima vocum, & Musices seminarium*. Estque hæc caussa, cur κατ' ἐξοχὴν appellentur *accentus*; cùm alioqui tam latè pateat id nomen, quàm προσῳδία apud Græcos; quemadmodum ostendit vocis utriusque origo; quando, quod nemo nescit, ut προσῳδία à πρὸς id est, *ad*, & ᾠδὴ, hoc est, *cantus*, ita & *accentus* ab accinendo, quasi *accantus*, dictus est.

Quid tonus sit, patet ex eo, quòd suprà dicebamus, eum accidere syllabæ ratione longitudinis. Nam hinc discimus, tonum esse id syllabæ accidens, cujus ratione ea vel intenditur elevaturque, vel remittitur, ac deprimitur. E.G. in *hominibus* licet omnes sint breves, tertia tamen a fine altiùs assurgit; reliquæ, quasi languescentes, concidunt. Atque hinc liquet, cur ἀπὸ τῦ τείνειν † τόνον dixerint; nempe tralatione à fidibus sumtâ, quarum intentio acutiorem, remissio graviorem efficit sonum. Latini similiter *tenores* dixerunt. Id Scaliger propterea factum ait, quòd nostrum *tenere* ab eâdem sit origine; quia siquid nixu quodam arcemus, id facimus beneficio τῶν τεινόντων *. Sed Quinctilianus lib. primo cap. V, veteres pro *tenores*, *tonores* dixisseait, quod indicio est, vocem hanc ἀπὸ τῦ τόνυ fluxisse. Interea fonte conveniunt, quia & *tenere* est à τείνειν, & τόνος.

Sunt aliæ etiam tenorum apud Latinos appellationes. Agellius lib. tertiodecimo cap. sexto: *Quas Græci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti, tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant.* Postremâ *voculationis* appellatione usus Nigidius apud eundem Gellium libri memorati cap. XXIV. Apud Martianum quoque Capellam * caput, quo de accentibus agit, inscribitur *de fastigio*: inque eo Grammaticus is ait: *Accentus partim fastigia vocamus, quòd literarum capitibus imponantur; partim cacumina, tonos, vel sonos, Græcè προσῳδίας. Fastigia* autem vocari, etiam Diomedes lib. II, auctor est.

Tenor, ut antè diximus, triplex est; acutus, gravis, circumflexus. Græcè, προσῳδία ὀξεῖα, βαρεῖα, περισπωμένη. Nempe tot sunt accentus, quot numerantur vocum formæ. Eæ autem tres sunt, ut indicat Cic. in Orat. *Mira*, inquit, *est natura vocis, cujus quidem è tribus sonis omnino, inflexo, acuto, & gravi, tanta sit, & tam suavis varietas perfecta in concentibus.* Idem ostendunt hæc verba Theagis Pythagorici † in libello, quem de Virtute scripsit linguâ Doricâ: Οὐδ' ἐν τᾷ μωσικᾷ ἐν τῷ ἐπεξελέσθαι τὸ ὀξὺ, καὶ τὸ βαρὺ, τὸ σύμφωνον πέφυκεν· ἀλλ' ἐν τῷ ταύτα πως συναρμόξασθαι συναρμογὰν τῷ ὀξέος, καὶ τῷ βαρέος, τὸ μὲν σύμφωνον ἐναπολαμβάνεται, τὸ δὲ διάφωνον ἐκκρίνεται. *Nec in Musica, si adimas acutum & grave, concentus efficitur; sed si hæc quodam modo juncta concinnam modulationem acuti & gravis toni fecerint, ibi & concentus percipitur, & dissonantia expellitur.*

Sinenses tamen ab iis, qui res eorum prodiderunt, quinque tenores habere dicuntur. Sed non dubito, quin quicunque veri sunt tenores ad hosce tres naturales possint revocari. Nec movere debet, quòd Hebræorum Grammatici, alii XXV, alii XXX, vel plures statuant accentus. Nam, ut superiùs dicebamus, hi accentuum nomine etiam notas distinctionum, & cantillationis in legendo comprehendunt. Atqui distinctio illa orationis in partes, non ad προσῳδίαν,

* Lib. 3. cap. de fastigio.

† A tenendo.

* Tendentium.

* Lib. 3.

† Apud Stobæum serm. 1. qui est de Virtute.

sed ad σύνταξιν pertinet. Musicaque modulatio ad artem Musicen referenda: ut cujus sit considerare sonorum discrimina, commixtionem, & proportionem.

Tonus acutus dictus ab effectu, eo quòd aures feriat. Signum ejus lineola à manu sinistra ad dextram adscendens. Nam cùm ipsam syllabam attollat, adscendere quoque virgulam oportuit. Gravis vocatus, quòd vocem in guttur ac pectus demittat. Itaque & nota ejus est linea à sinistra ad dextram descendens. Circumflexus nomen sortitus est à figurâ, quæ est virgula arcuata. Cùm enim in vocibus, quarum una syllaba acuebatur, altera deprimebatur, post contractionem factam utraque syllaba, & uterque coalesceat tonus; utriusque etiam toni signum coalescere justum fuit. Hinc est, quòd Grammatici scribunt, omnes accentuum figuras ex Λάμβδα majusculo procreari. Nam Λ, in duas sectum partes, gignit notam acuti, & gravis: integrum autem, circumflexi signum est. Antiquam verò hanc esse notam, docet, quòd Marius Victorinus appellat V transversum. *Circumflexus*, inquit, *transversa V literà notatur, hoc pacto*, Λ. Habuit tamen & alteram apud veteres figuram. Nam etiam pro angulari illo signo, uno ductu scribebant lineam incurvam, quæ faciem Lunæ bicornis imitaretur. Liquet hoc ex vetustis Prisciani libris De accentu, & plurimis, iisque antiquissimis codd. Græcis. Eam figuram in animo habuit Martianus Capella*: *Inflexi signum est sigma super literas devexum.* Neque enim intelligit flexilem hujus literæ notam (Σ) quam arcui Scythico comparabat Agathon Tragicus: sed semilunarem, similem Latino C, de qua supra† abunde diximus. In quibusdam Capellæ edit.* invenias notam V inversi. nempe Λ. Sed ea nullam cum Sigma affinitatem habet. In aliis† est flexilis hæc (˜) Sed hanc si intellexisset Capella, Latinæ, non Græcanicæ literæ nomen imposuisset. Præterea nota istæc posterioribus demum temporibus inventa est à librariis; qui in scribendo nunc celeritati studere solent, nunc venustati.

* Lib. 3. cap. de fastigio.

† Lib. 1. cap. 30.

* Ut Basileensi.

† Ut Lugdunensi.

Cap. VIII.

Veteribus Romanis neglecti accentus in scribendo. Quorum tamen nonnulli apice discriminabant syllabas longas. Similiter hunc morem apponendi accentus ignorabant Græci antiquiores: eaque res in errorem sæpius impellebat. Hebræi quando, & quibus magistris, accentuum, cæterasque notas, addere cœperint: & quando, ac cujus operâ potissimum, punctorum artificium ad perfectionem pervenerit.

Sed quia de inventione accentuum incidit sermo, quid impedit, quo minùs deinceps exponam, quàm recens ea sit consuetudo apponendi accentus? De Latinis, satis apertum ex lapidibus antiquis. Quo enim vetustiores, eo magis accentiunculis carent. Lapides aliquot objectant, ubi reperiantur: sed imperitè adeo sculptos, ut satis liqueat, nullam eorum rationem haberi oportere. Nisi fortasse voluerunt, syllabas longas notulâ a brevibus discernere: quod Lipsius censet de Pronunciatione L. L. cap. undevigesimo. Nam quomodo alioqui vox una accentus habet binos? ut, STÁTIÓ, PATRÓNÓ, PEDÁNIÓ, CLÉMÉNS: vel quâ ratione nota hæc apponitur in ea, quæ antepenultimam præcedit, ut CÚRIONE. Res tota apertior foret, si non tam acuti notam addidissent, quàm apicem: quæ vox generatim convenit omni accentui, sed strictè signat lineolam, quam Græci vocant μακρὰν*. Hanc longis syllabis ad tollendam ambiguitatem imponere jubet Quinctilianus. Cujus verba adferam, cùm ad quantitatem erit deventum. Et sanè apex adeò olim frequentabatur, ut fuerint, qui referrent inter literarum figuras. Hinc Isidorus lib. 1 Orig. cap. IV: *Inter figuras literarum, & apices veteres duxere. Est autem apex linea jacens super literam æqualiter ducta.* Ubi observa, *inter figuras* rectè dici, non *literas legitimas*: quod sensit, & scripsit Justus Lipsius†: sed essentiam literarum malè cum accidentibus confundit.

* Longam.

† Lib. de pronunciat. L. L. cap. 5.

Ac de Romanis pro instituto satis. Nam quando Grammatici veteres accentum jubeant exprimere, accuratiùs postea dicetur. Nunc de Græcorum, & Hebræorum more videamus. Quorum Græcos non solere signare accentiunculas, & lapides arguunt, & vetera nomismata. Nec enim vel tenorum, vel spirituum in iis notæ comparent. Imò etiam postquam jam inoleverat consuetudo eas adscribendi, multi tamen morem veterem prætulerunt. Docent hoc veteres scholiastæ: in his Eustathius commentario in Dionysii περιήγησιν. Ut ad illud poetæ ejus:

Ἀλλ' ὁπότ' ἀγχιάλοιο ῥόον προφέρῃσιν ὀδόντος.

Nam ex eo, quòd T in ὁπότε non vertatur in asperum spiritum, colligit ἀγχιάλου habere spiritum lenem. Quomodo nihil attinebat arguari, si tum quoque spiritus, & accentiunculæ, semper notari solerent. Idem indicant codices antiqui; quorum alii accentiunculas habent, alii paris vetustatis absque iis inveniuntur. Scribit Angelus Politianus cap. LVIII. Miscell. se in codd. vetustissimis repperisse versus Sibyllinos sine ullis fastigiis: idemque cap. LXXX refert, se Callimachum vidisse, in quo ea nusquam adscripta essent; ipseque Callimachi hymnum in Pallada absque illis edendum curavit. Imò in Pandectis etiam Florentinis nuspiam vocibus Græcanicis appositi sunt accentus: quod ex Mso ipso observatum, monitumque, Ant. Augustino, libro de Excusationibus. Porrò qui tenores adscribebant, seculi sui morem sequebantur: qui autem negligebant, studiosi erant moris antiqui. Aristotelis quidem seculo ignota erat consuetudo ea apponendi accentus: quod clare indicant hæc ejus verba sophist. elench. cap. III: Παρὰ δὲ τὴν προσῳδίαν, ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς διαλεκτικοῖς, οὐ ῥᾴδιον ποιῆσαι λόγον. ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις καὶ ποιήμασι, μᾶλλον. *Ex accentu verò in non scriptis dissertationibus haud facile est facere argumentationem* (sophisticam) *sed in scriptis, & poematis potius.* Exempla ibidem ex Homero adfert; è quibus cognoscere est, gravissimas sæpe ortas esse controversias, ex eo quòd veteres in scribendo accentiunculas non adhiberent. Hæc res quoque non semel in errorem impulit doctissimum Hieronymum: ut cùm commentario in XIV cap. Zachariæ ἄγνον arborem dici ait, quòd casta sit. Atqui aliud ἄγνος†, aliud ἁγνὸς*, unde Dioscorides‡, ac Grammatici, ἄγνον dici ajunt, quasi ἁγνὸν, ut idem esse non possint. Idem cùm ΚΑΘΑΙΡΕΙ scriptum esset, transtulit, *subvertit*, quia legebat καθαιρεῖ: at vertendum *emundavit*, quia est καθαίρει. Quem utrumque summi viri errorem observare in eo memini Josephum Scaligerum animadversionibus Eusebianis ad annum MCCCCXXVI†. Quod argumento est manifestario, Hieronymi ætate sine apicibus scribi solere.

† Vitex.

* Castus.

‡ Lib. 1. cap. 136.

† Pag. 81. edit. primæ.

Quin Hebræi quoque serò admodum accentum adscripsere; ac demum post tempora Honorii Imper. Nempe, quod superiori libro dicebamus, puncta vocalia esse inventa ab eruditis quibusdam Judæis in Mœsia Paphlagoniæ, qui magistri Masoreth sive Masorethæ nuncupati; id multò magis statuendum de nota tenoris. Nec enim, qui Hebraicè a pueris scirent, indigebant accentuum notis: nihilo sanè magis, quàm iis opus est in lingua Germanica, Gallica, Britannica, aliis; ubi nemo signat accentuum notas, nisi fortè ad ambiguitatem alicujus vocabuli tollendam. At dispar ratio eorum, qui Hebraicè nesciunt: in cujusmodi se ratio habet, ut in Latinè ignaris. Quales Latinè si legere volent, syllabas, quæ attolli debent, deprimerent; quæ deprimi, attollent. Masorethæ igitur, ut rudibus etiam linguæque nesciis consulerent, notam tenoris commenti fuerunt. Nec postea se intra tenorem continuere: sed & notas excogitarunt distinctionis, & modulorum, quibus legentes in synagogis quodammodo cantillarent. Nec uno hæc tempore ab iis reperta; sed paullatim ars excrevit. Facilè autem adsentio doctissimo Capello, qui accentuum, ut vocant, punctorumque omnium doctrinæ, extremam manum additam existimat à nobili illo Masoretha Ben Ascher: quem Maimonides in Misna* testatur, multos annos impendisse Bibliorum codici describendo: suâque illud operâ & curâ consecutum, ut Judæi deinceps,

* Tom. 1. lib. 2. recte Tract. de libro leg. cap. 8. num. 4.

ceps, qui accuratum bibliorum exemplar cuperent, vel ex Ben Ascher codice describerent, vel aliunde descriptum juxta cum castigarent. Ridiculum est putare, multorum fuisse annorum opus exscribere biblia, quæ solis constarent consonantium figuris: qualia sunt, quæ Judæi in Synagogis suis servant. Neque eo spatio opus, ut describerentur ex codice, qui puncta haberet. Sed tantum temporis requirebatur ad nobilem operam Ben-Ascher, partim quia codices varios conferret, ut veriorem lectionem exprimeret: partim, & imprimis, quia punctorum artificio necdum absoluto nævos castigaret, & quæ deessent hactenus, suppleret. Vixit autem Ben-Ascher iisdem temporibus ac Ben Naphthali, celebris itidem Masoretha: nempe circa annum Christi CIↃXL. Ac quamquam toto antè seculo floruerit R. Saadias, quem R. Aben-Esra, Grammaticorum priorum seriem texens, primo loco commemorat: imprimis tamen post Ben Ascher, & Ben Naphthali, multi è Judæis de arte Grammatica scribere cœperunt: quod non aliunde factum videtur, quàm quia tum ars ea punctorum à Ben Ascher perfectionem suam esset consecuta.

Cap. IX.

Accentuum doctrina canonibus paucis comprehensa. Quibus locis nobiliores Grammaticorum Latinorum jusserint adscribi accentus. De accentu eorum, quæ cum encliticis componuntur. Paulli Melissi sententia refellitur. An, removendæ ambiguitatis ergo, etiam ultima syllaba accentu debeat signari, contra Fabium disputatur. Malè vulgò in adverbiis & præpositionibus ultimam longam notari accentu gravi. Martiani Capella lapsus. An in Græcis Græcus servari debeat accentus.

SEd de tenorum & nomine, & figurâ, inventioneque amborum, satis diximus: explicandum deinceps, quo tono unaquæque syllaba notetur. Egere de hac re è veteribus Capella, Priscianus, alii. E recentioribus præter cæteros, Maioragius in epistolicis, quæstione IX, Marius Corradus lib. II de L. L. Justus Lipsius lib. de Pronunciat. L. L. cap. XX. Eo magis opera danda, ne eadem planè reponendo actum agamus.

. Accentus sive tenor pronunciatur vel juxta canones Grammaticos, vel secundùm incorruptam veterum consuetudinem, quæ subinde regulis vulgaribus repugnat.

Canones sic breviter comprehendimus.

Monosyllaba vox naturâ longa circumflectitur, ut *flôs*, *ôs*, *oris*, *ás*, *é*; quæ malè in optimis quoque codd. gravi notari solent: aliàs acuitur; ut *spés*, *fáx*, *ós ossis*.

In disyllabis, & polysyllabis, circumflectitur penultima, si ea fuerit naturâ longa, at ultima brevis: ut *Rôma*, *flôris*, *Románus*, *exâmen*.

At aliàs in disyllabis quidem acuitur; ut *hómo*, *párens*, *párens*: in polysyllabis verò nunc acuitur, nunc gravatur. Acuitur, si longa sit; ut, *præséntes*, *Aráxis*: sin brevis fuerit, ipsa gravatur, & antepenultima acuitur; ut, *máximus*, *últimus*.

Ultima verò, tum in disyllabis gravatur; ut *amò*, *vindàx*: tum in polysyllabis; ut in *viribùs*, *militès*.

Vidimus, quibus locis sit accentus. Nunc referam, quibus scribatur. Olim quidem, ut antea quoque diximus, accentiunculas negligebant. Hodie eas contra consuetudinem veterum, at non contra Grammaticorum præscriptum, duobus locis apponimus. Unus est in compositis cum encliticis. Servius in I Æn. *Pronunciationis caussâ, contra usum Latinum, syllabis ultimis, quibus particula adjunguntur, accentus tribuitur: ut, Musáque, Illéne, huiúsce.* Martianus Capella lib. III: *Mutant accentus, adjunctis vocibus, que, ve, ne: cum tamen expletiva conjunctione, que: ve cum expletivâ, ut, Latiúmque augescere vultis: &, Stimulóve meum cor, apud Attium in Pelopidis. Nunquam migrabit acutus sonus de primis syllabis in postremas, præter particulas conjunctas, quarum hoc proprium est, acuere partes extremas vocum, quibus adjunguntur.* Locum integrum adscripsi, ut pareat, accentum semper esse imponendum ei syllabæ, quæ encliticam proximè antecedit; ut *armáque*, *terráque* &c. Jugulat hoc sententiam viri doctissimi, Paulli Melissi*; qui non modò scribere jubet, *ármaque*, *térraque*, & *Laviñaque venit Litora*: verùm etiam asserit, in isthoc Maronis, *Arbustaque diruta campis*, non minùs absurdè scribi, *arbustáque*, quàm *dirúta*. Provocat hâc in re ad ipsorum in pronunciando morem, qui aliter scribunt. Sed profectò valdè ineptum est, velle hæc æstimare ex pronunciatione vulgari. Veteres enim ita hæc pronunciabant, ut & accentus, & quantitatis haberent rationem: quâ de re infrà pluribus acturi sumus. Dices, nisi *térraque* scribatur, nihil fore discriminis inter nominativum, & ablativum. Verùm & hoc æquè infirmum, quando nominativus acui debet (*terráque*) ablativus circumflecti, (*terrâque*.) In errorem hunc impulit eos, quòd vulgò, malo more, haut aliter pronunciemus acutum, quam flexum. De quo mox cap. X.

* *Epist. ad Henr. Steph. edita à Goldasto.*

Egi de priori accentus loco: dicam nunc de altero. Est is, quando accentu distingui possunt verba ita similia, ut inde error nasci possit. In hujusmodi accentum quoque apponere, jubet Terentius Scaurus. E. G. acuto scribi vult *légit* præsentis temporis, flexo *lêgit* præteriti. Itidem acuto *áret* agrum, & *páret* convivium: flexo *âret herba*, & *Pâret Amor dictis cara genetricis*. Ac par fuerit ratio in *bilus* & *bilus*, *plácet* & *plâcet*, *Rémus* & *rêmus*, *fríta* & *frîta*, *oblítus* & *oblîtus*, *pálus* & *pâlus*, *sérum* & *sêrum*, *pótis* & *pôtis*, *málus* & *mâlus*, &c. Fabii, aliorumque, de hoc loco adferam cap. XII. Ex veteribus etiam Criticis, videmus, quomodo sæpe hæreant in Homero interpretando, mentis ejus incerti, propterea quòd vox eadem scripta vel hoc, vel alio legi posset accentu, ac pro isto variaret sententia. Quid quod Aristoteles quoque, quia ejus ævo non apponerentur accentus, in Sophisticis elenchis reponat fallaciam accentus? Quod non fecisset, nisi ob ambiguitatem sententiæ ex neglecto accentu falli possemus? Num igitur utile negabimus, tollendæ isti ambiguitati apponere accentus, ne fallamur?

Quæritur autem, an ultimæ quoque syllabæ accentu debeant signari discretionis caussâ. Debere adfirmant Ælius Donatus, Sergius, Priscianus, & aliquot alii ex Grammaticis antiquis. At dissentit Quinctilianus, cùm scribit*: *Cæterùm jam scio quosdam eruditos, nonnullos etiam Grammaticos, sic docere, ac loqui, ut propter quædam vocum discrimina verbum interim acuto sono finiant: ut in illis*, —— Quæ circúm litora, circúm Piscosos scopulos; *ne si gravem posuerint secundam, Circus dici videatur, non Circuitus. Item* Quantum, Quale, *interrogantes gravi; comparantes acuto tenore concludunt. Quod tamen in adverbiis ferè solis, ac pronominibus, vindicant: in ceteris veterem legem sequuntur. Mihi videtur conditionem mutare, quod his locis verba conjungimus.* Sed nihil est, cur hic Quinctiliani locus quemquam dimoveat de opinione. Nam si universè quæritur, an syllabis appingi debeat accentus, fatemur, modò veteres sequi volumus, omitti eum omnino debere. Sin tantummodo de ultimis syllabis controversia est, quæso, quid caussæ affert, cur fides habenda non sit viris illis (quemadmodum ipse appellat) eruditis, qui, discriminis caussâ, acutum in fine accentum apponi posse judicabant? Deinde quis non videt, illa Fabii verba, MIHI VIDETUR, non tam esse ejus, qui alienam sententiam damnatum ire velit, quàm qui de suâ vix constituere possit? Pluribus hâc de re agerem, nisi istoc me onere levâsset Marius Corradus, qui benè longam eâ de re disputationem instituit lib. II de L. L. Interea est, in quo nec Corradi sententiæ calculum meum adjicere possim: ut cùm, vulgi secutus consuetudinem, adverbiis ac præpositionibus imponere jubet accentum gravem, quò à nominibus ac verbis distinguantur. Quippe nunquam in iis accentus is locum habet; sed vel acutus, si correpta sint; vel circumflexus, si porrecta. De acuto exem-

* *Lib. I. cap. 5.*

exemplum suggerit Quinctilianus, cùm ait, à viris eruditis, ac Grammaticis etiam, in *circùm*, quando præverbium est, accentum hunc ultimæ imponi, ne putetur esse casus incusativus à *circus*. Ac similiter Velius Longus: *Loco transmutatus accentus partes quoque orationis immutat: ut aliud est Circum, aliud Circùm, aliud Ergo, aliud Ergô.* Et Servius in I Æn. *Maria omnia circùm. In fine accentum ponimus contra morem Latinum: sed correptio hoc facit. nam præpositio postposita correpta est sine dubio.* Par ratio in *Quando*. Festus: *Quàndo cum gravi voce pronunciatur, significat Quoniam, & est conjunctio. Quandó, acuto accentu, est temporis adverbium.* Item in *Poné*. Marius Victorinus: *Adverbium Poné, posteriore acutum recipit accentum, ne sit verbum.* Parque ratio in *malé*, *parum*, *multúm*, *plurimùm*, *minùs*, *meliùs*, *potiùs*, *solùm*, *modò*, *tantùm*, ac similibus; quæ vulgus, cui nos inviti accommodamus, gravi signare, & acuto nihilominus pronunciare consuevit. Sed in his, scio, tuebuntur se errore recepto apud Græcos; qui cùm ultimam acuant in pronunciando, itidem tamen in scribendo gravant; quia acutus, ut ajunt, in gravem commutetur ob contextum orationis. Verùm, ut in brevibus ea habeant locum; videre tamen non possum, unde errori patrocinium sint quæsituri in adverbiis, quæ ultimam producunt: ut sunt, *bellè*, *doctè*, *longè*, *aquè*, *unà*, *quà*, *quò*, *intrò*, *raro*, *primò*, *serò*, & similibus; in quibus nihil eos juvant Græci, cùm & hi ultimam naturâ longam, aut nullo, aut flexo signare consueriint. Adversantur quoque hæc verba Capellæ*: *Inflexum autem non alias postremum habet, nisi cujus posterior pars in syllabam naturâ longam excurrit: ut, ergô, ponê.* Ubi rectè de *ergo*; quod ex Græco ἔργῳ, de *pone* non item; quamquam similiter Consentius: *Accentus*, inquit, *ostendit diversam significationem unius dictionis. Pone, si verbum est, gravis est ultima: si adverbium circumflexa.* Sed rectiùs Maximus Victorinus, qui in posteriori accentum ponit acutum. Nam eam syllabam & Maro II Æn. & omnis corripit poëtarum manus.

[* Lib. 3. cap. de fastigio.]

Quidam etiam circumflectunt Syncopen passa: ut *amâsse*, *audîsse*. Priscianus itaque jubet ultimam circumflecti in *Arpinâs*, *nostrâs*, *vestrâs*: quia facta sunt ex veteribus nominativis *Arpinatis*, *nostratis*, *vestratis*. De *nostrâs* & *vestrâs* gravior est ratio, ne putentur esse accusativi plurales. De *Arpinas*, nihil urget: quia rectius *Arpinatis* in usu esse desiit. In nonnullis tamen, ubi syncope est insolens, dare hoc liceat imperitis, ne rariori voce turbentur. Ut in *crêsse*, pro *crevisse*, *prodûxe*, pro *produxisse*, *consûmse*, pro *consumsisse*, & similibus: de quibus ago lib. III de Analogia cap. XIX.

Quæri insuper solet, num in nominibus Græcis, sed Romanâ civitate donatis, Græcus sit servandus accentus. De ultima, apertum satis, abire hac parte Romanos à Græcis. Servius in Ecl. I: *Notandum Bucolica, vel Georgica, cùm apud Græcos in fine habent accentum, apud nos in tertia a fine habere. Nam, ut in ultima sit, Latinitas vetat: ut in penultima non sit, brevitatis efficit ratio.* Sed porrò quæritur, an Latini tum sequantur Græcos, quando iis accentus est in secunda, vel tertia ab ultima. Solvit hunc nodum Martianus Capella lib. III*, cùm ait: *Græca nomina, cùm in Latinum vertuntur, nostrâ regulâ pronunciantur, nisi maneant Græca. Olympus igitur, & Caucasus, sicut Latina proferuntur: quam acuere, vel flectere debeant secundùm rationem supra scriptam apparet. Sed si manent Græca, & huic regulæ in peregrinis vocibus accedimus; necesse est tamen in obliquis casibus acutos sonos in mediis syllabis servent, quoniam apud Græcos quoque non alio accentu hæc enunciari audimus.* Reprehendit Gulielmus Baillius † eorum inconstantiam, qui cùm in *Alexandria*, *Thalia*, *ellipsis*, *theatrum*, & similibus, non servent accentum Græcum, ejus nihilominus rationem habeant in *philosophia*, *phantasia*, & aliis hujuscemodi. Verùm cogitare debuit, disparem esse in his rationem, quando *philosophia*, *phantasia*, *prosodia*, *anaclasis*, *diatyposis*, similiaque, manent pura puta Græca: at *Alexandria*, *Thalia*, *Ellipsis*, mutarunt EI in I longum, ac *theatrum* pro ON assumit terminationem Latinam. Quare, etsi minimè improbamus eos, qui in *philosophia*, *etymologia*, & similibus, Latinorum canones sequuntur; negamus tamen eos validis rationibus pugnare, cùm dissentientes à se damnant inconstantiæ.

[* Cap. de fastigio.]

[† Libello de accentibus Græcorum.]

CAP. X.

Longè aliam antiquitus pronunciationem fuisse secundùm accentus, quam quæ obtinet hodie. Veteres in eapse voce, & accentus, & quantitatis habuisse rationem, cùm in sermone Latino, tum Græco.

QUæ hactenus diximus, ea regulas spectant Grammaticorum. Venio nunc ad alteram hujus doctrinæ partem; quæ ostendit, veteres, quamdiu permansit incorrupta pronunciatio Romani sermonis, multa aliter pronunciàsse, quàm nos, qui Grammaticorum nos regulis alligamus. Ita in *calefacis*, *tepefacis*, & similibus, penultimam simul, & acuebant, & corripiebant: contrà quàm hodie facimus, qui vel simul attollimus, & producimus, quasi esset καλεφᾶκις, τεπεφᾶκις: vel & deprimimus, & corripimus, quasi esset καλέφακις, τεπέφακις. At veteres & acuebant, & corripiebant, quasi καλεφάκις, τεπεφάκις. Discrimen autem quod sit inter A circumflexum, & acutum, sed breve, satis aures indicant; si attendas, quanto aliter prior in *mare*, aliter media in *amare* hodieque pronuncietur, præsertim in versuum dimensione. Uti si dicas: *Quà mare, quà terra, quà sidus currit, amare.* De *calefacio* & *tepefacio* quod dixi, docuit Priscianus lib. VIII, his verbis: *Si, facio, vel fio, integris manentibus, aliud verbum ante ea componitur, non solùm significationes, & conjugationes integras in iis servamus, sed etiam accentus; ut, calefácio, calefácis, calefácit. In secundâ enim, & tertiâ personâ, penultimas acuimus, quamvis sint breves. Similiter calefio, calefis, calefit; tepefio, tepefis, tepefit; finales, servant accentus in secundâ & tertiâ personâ, quos habent in simplicibus.* Idem factum in vocativis *Mercúri*, *Virgíli*, *Æmíli*, *Valéri*, & similibus. Audiamus eundem Priscianum lib. VII; ubi de vocativo loquitur secundæ declinationis: *Juniores gaudentes brevitate per extremæ syllabæ abscissionem, protulerunt pro Virgilie, Virgili, & pro Mercurie, Mercuri. Horat. in primo carminum: Mercuri facunde nepos Atlantis. In eodem: Multis ille bonis flebilis occidit, Nulli flebilior, quàm tibi Virgili. Unde accentus perfecti vocativi in his servatur. Si enim non esset abscissio, debuerunt hujusmodi vocativi, id est, qui in I desinentes penultimam correptam habent, antepenultimam acuere; ut Vírgili, Mércuri; quod minimè licet.* Hæc Prisciani verba non tantùm docent, vocativos *Mercuri*, & *Virgili*, acuere mediam, sed etiam caussam ejus rei addunt. Nempe quòd primum, uti apud Græcos fit, *Mercurie*, & *Virgilie*, diceretur: paullatim verò E extimum, quod primum exiliter admodum sonabat, planè omitteretur, sed accentu veteri reservato. Nec Prisciani demum ævo, sed jam Hadriani Cæsaris temporibus, hæc consuetudo obtinebat. Nam cùm Nigidius Figulus scripsisset, *Valeri* summo tono esse in prima, deinde reliquas paullatim descendere: eà de re ita censet Gellius lib. XIII, cap. XXIV. *Siquis nunc Valerium appellans in vocandi casu, secundùm id præceptum Nigidii, acuerit primam, non aberit, quin rideatur.* Quemadmodum autem in *Virgili*, *Sulpici*, & similibus, penultimam olim acuebant, licet corripiatur: ita contra in *exinde*, & *siquando*, acuebant tertiam à fine, licet syllaba sequens producatur. Donatus in Eun. act. V, sc. I: *Siquando & primâ syllabâ acui potest, & mediâ. Tamen variat sententiam.* Servius in VI Æn. *Exinde una pars orationis est, & in tertia à fine accentum habet, licet penultima longa sit.* Quæ ratio autem in *siquando*, eadem & in *néquando*, & *aliquando*: quæque in *exinde*, eadem & in *deinde*, *súbinde*, *proinde*, &

& périnde. Idem factum in *suavérubens*, *orbisterra*, *virillustris*, *præfectusfabrum*, *jurisconsultus*, *intercéloci*. Diomedes * quoque probat *sacrávia*. Sanè & unicâ voce scribitur in lapidd. indeque *sacravienses*. Annianus item apud Agellium † jubet dicere *affatim*, & *exádversum*. Quibus exemplis impulsus, facilè à me impetro, ut putem defendi posse, qui primam in *duntaxat* acuunt, & secundam in *aliquando*; quamvis aliter hâc de re Jul. Scal. cap. LXIII, de caussis L. L. At non item video, quâ ratione iidem immunes ab errore dici possint, quando, ut *périnde* & *déinde*, ita *deinceps* quoque, & quædam alia hujus generis, in antepenultimâ acui putant. Neque enim, quæ in illis, eadem in his ratio est, quando hæc ultimam habent productam. Ultimis autem duabus longis, tertiam ab ultimâ acui, nec Græcus sermo patitur, nec Latinus. Aliud quoque est in quo, nisi me ratio fugit, errori eorum mantelum inveniat nemo. Dum enim primam in *dumtaxat* acuunt, ac secundam in *aliquando*; corripiunt sequentem, quæ positione producitur. Nempe eos in errorem hunc impulit, quòd non distinguerent inter accentum, & quantitatem; quasi idem sit acui, & produci, ac non *pietas*, *hominibus*, *Italia*, *perficio*, multaque hujusmodi, acuant tertiam à fine, & nihilominus corripiant. Quare hi cogitare debuerunt, antiquos in *exadversum*, *aliquando*, & similibus, insimul & tertiam à fine acuisse, & sequentem produxisse. Quin in eâ hæresi sum, ut planè credam, eundem errare nos errorem in linguâ Græcâ. Hodie quisquis Poëtæ alicujus versus recitat, aut accentus tantùm rationem habet, aut solùm quantitatis. Veteres, me judice, longè aliter, qui utriusque rationem habebant: quod quâ ratione factum sit, ex parte ostendunt, quæ de Latinis diximus: ad vivum autem in omnibus exprimere velle, non usque adeò facile est in tam spissis tenebris veteris ævi. De tenore vidimus.

* Lib. 2, cap. de Dictione.
† Lib. 7. cap. 7.

CAP. XI.

De spiritu, & antiquis ejus notis. Græcis diu nulla erat literis spiritus nota. Apud Iones etiam in mediâ voce spiritui aspero locus erat. Incipientibus ab R an H apponi debeat. Germani etiam L adspirant. Paulli Æmilii lapsus, Hludovici & Clodovei nomina habentis pro diversis. Ridiculus error Paracelsi, monumentum Lutheri seu Lotharii Imperatoris pro vaticinio de Martino Luthero venditantis. Ut vel apponendo, vel omittendo adspirationem, peccetur.

Tertiam syllabæ affectionem spiritum feceramus: de qua nunc dicere aggredior. Uti hodie apud nos, ita & apud vetustos Græcos, solus spiritus densus hanc notam habuit vocibus præfixam, H. Pòst placuit, ut nota hæc dextrâ sui parte ⊢ signaret spiritum densum, lævâ ⊣ tenuem. Tandem quoque ad celeriorem motum anguli sunt hebetati, factique pares semicirculi c ɔ. De utraque antiquorum scribendi ratione sic Priscianus lib. 1, pene extremo capite de literarum numero & permutatione: *H literam non esse ostendimus, sed notam adspirationis, quam Græcorum antiquissimi, similiter ut Latini, in versu scribebant; nunc autem diviserunt, & dextram ejus partem supra literam ponentes psilon notam habent, quam Rhemnius Palamon exilem vocat, Grillius verò ad Virgilium de accentibus scribens, lenem nominat: sinistram autem contrariæ illius adspirationis dasian, quam Grillius flatilem vocat.* Plura hâc de re diximus lib. 1, cap. XVI: quæ non repeto.

Dissident in eo Latini a Græcis, quòd illi in mediâ quoque dictione adspirent vocales. Hausere autem morem hunc à priscis Ionibus. Quorum exemplo & in columnâ viæ Appiæ ΕΝΗΟΔΙΑ pro eo scriptum, quod nunc ἐνοδία.

Ab iisdem habent, quòd pro Φ, Χ, Θ, scribant PH, CH, TH; quo de veterum Græcorum more diximus suprà ex Victorino.

Quod ad consonam quartam R, cui Græci adspirationem subdunt, de eâ non usquequaque conveniunt Latini. In Græcis adspirationem addendam, sensit Marius Victorinus. Sic enim ille lib. 1 *: *H quoque inter literas otiosam Grammatici tradiderunt, eamque adspirationis notam conjunctis vocalibus præfici; ipsi autem consonantes tantum quatuor præponi, quoties Græcis nominibus Latina forma est, persuaserunt: id est, C, T, P, R; ut, Chori, Thymus, Phyllis, Rhombus; quæ profundo spiritu, anhelis faucibus, exploso ore funduntur.* Hæc Victorinus. Sic *Rhegium* in antiquâ inscriptione invenitur, ac in libb. veteribus legas *Rhamnusia*, *Rheda*, *Rhesus*, *rhetor*, *rhythmus* &c. Verùm Varro putabat, rectiùs in his H præteriti. Apponam eâ de re locum Annæi Cornuti apud Cassiodorum in Collectaneis de Orthographiâ: *Varroni placet, R literam, si primo loco ponatur, non adspirari. Lector enim ipse, inquit, intelligere debet, Rodum, tametsi H non habet, Rhodum esse; retorem, rhetorem. Sed ea observatio non necessaria est in R litera. Sunt enim verba, primo loco R literam habentia, non minùs Latina, quàm Græca. Itaque meritò amovebimus adspirationem à Roma, regina, rapa, Rodus.* Hæc Cornutus.

* Cap. de enunciatione literarum.

Porrò in Germanicis vocabulis, non vocalibus tantùm, aut tribus mutis, ac liquidæ R; sed aliis etiam literis, apponitur spiritus densus. Nam L quoque interdum adspirari, indicant nomina *Hludovicus*, & *Hlutarius*: quomodo hæ voces scribuntur in antiquis codd. MSS. Plerique prælo excusi corruptè edunt pro eo *H. Ludovicus*, & *H. Lutharius*; ut aliquoties factum ab editore synhodi Parisiensis de imaginibus. At rectè *Hludin* perscriptum est in Capitularibus Karoli M. & antiquo poëta Cœnobii Emerani Ratisbonensis, quem Vitus Amerbachius laudat. Est verò *Hludin* sive *Hludovicus* idem quod *Ludovicus*, sive *Clodovicus*, aut *Clodovæus*: quomodo & *Hlutarius* idem est, quod *Lutherus*, sive *Lotharius*. In priori illo deceptus Paullus Æmilius *, cùm *Clodovæum*, Francorum regem, à baptismo demum *Ludovicum* vocatum scribit. In altero turpiter se dedit Theophrastus Paracelsus, cùm bonus vir picturam Lotharij Cæsaris antiquam, cujus inscriptio erat *Lutherus*, de Martino Luthero vaticinium esse animum induxit, aliisque porrò voluit persuasum.

* Lib. 1 de gestis Francorum.

Committitur error, tùm addendo spiritum, tùm demendo. Additione, ut *trophæum*, pro *tropæum*; uti est in vett. monumentis, & libris; & analogia requirit, cum Græcè sit τρόπαιον. Sic *bosporus* malim, quàm *bosphorus*, cùm non sit à φέρω, sed à πόρος, hoc est, transitus sive trajectus. Peccabat & addendo Arrius ille, qui tenues adspirabat, ut notum è Catulli epigrammate; cujus mentem ut capias, præter ea, quæ scribit Politianus cap. XIX Miscell. scire opus est, quæ annotavit Cæsar Scaliger cap. XLVII, lib. de caussis L. L. Ridiculè verò doctissimus Danæus in elenchis sophisticis hinc colligit, Arrium turpi istoc laborasse morbo, quem Syphilidos suæ argumentum esse voluit divinus poëta Hieronymus Fracastorius.

Contrà detractionis vitium est *rhytmus*, pro *rhythmus*, cum Græcè sit ῥυθμός. Ac peccare etiam videntur, qui malunt *Ripæi*, quàm *Riphæi*, quia sit Græcè Ῥιπαῖοι. Nam media tenuisque in eo mutatur in adspiratam. Ob vett. quoque librorum autoritatem *holus* malim, quàm *olus*: uti & *synhodus*, ac *exhodus*, quam sine H.

CAP. XII.

Ad Quantitatem transitur. Quæ nunc in sermone, etiam à doctissimis quibusque, negligitur. Olim verò vulgus quoque Romanum quantitatis gnarum erat. Unde fit, quòd eadem syllaba poetis nunc correpta sit, nunc porrecta. Cur quantitas notis ejusmodi signetur. De Accii, & aliorum more, geminantium vocales longas. Vetus scriptura Terentii Scauri defensa. Illustrantur varii scriptores, qui vocalem multis in syllabis positione longis corripi dicunt. Brevibus esse syllabas breviores, & longiores longis.

DE spiritu hactenus. Sequitur quantitatis doctrina, quæ Græcis κανονικὴ vocatur. Ac Varro, apud Frontinum libro de limitibus agrorum, facit eam partem Geometriæ alteram: quia Geometria sit ars metiendi quantitatem continuam: Canonica autem mensuret vocum longitudinem & altitudinem.

Doctrinam hanc addiscere hodie cogimur, partim ex artis metricæ scriptoribus: partim ac tutissimè e lectione poëtarum. E pronunciatione verò, quæ admodum recessit ab antiqua, aurium judicium facere non possumus. Siquidem in plurimis eodem modo pronunciamus vocalem brevem ac longam. Nec enim aliter efferimus *venit* præsentis, quàm præteriti: *viro* à *vir*, quàm à *virus*: *a* in *dabo*, quàm a *stabo*: & sic in cæteris. Olim autem in præterito *venit e* sonabat, quasi duo *ee*: *i* in *virus*, quasi *ei* fuisset: *stabo* quasi *staabo*. Aliter qui olim extulisset, næ ille pastoritiâ fistulâ exceptus esset, etiam à vulgo: quod etsi artem metricam non didicisset è poëtis, optimè tamen poterat de modulis judicare. Dabo occasione hujus rei locupletem, atque, ut Jurisconsulti loquuntur, omni exceptione majorem testem. Is est Tullius, cujus hæc verba in Oratore: *In versu quidem theatra tota reclamant, si fuit una syllaba, aut brevior, aut longior. Nec vero multitudo pedes novit, nec ullos numeros tenet: nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit: & tamen omnium longitudinum, & brevitatum in sonis, sicut acutarum, graviumque vocum, judicium ipsa natura in auribus nostris collocavit.* Idem in Paradoxis ait, à plebe & turba in theatrum confluente explodi, qui in modulo syllabæ tantillum delinquat. *Histrio*, inquit, *si paullo se movit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllabâ unâ brevior, aut longior, exsibilatur, & exploditur.* Accedat testis unus è junioribus: videlicet Ludovicus Vives lib. III de ratione dicendi cap. de Poëticis*: *Olim Græcis, & Romanis in omnibus syllabis discrimen erat notum brevium, & longarum. Exactum illud aurium judicium jam pridem periit. Magis agnoscimus versificationem Latinæ linguæ, quam versum.* Hæc satis ostendunt, quanto difficilius quantitatis doctrina hodie addiscatur, postquam exsolevit vetus loquendi consuetudo. Eoque majori cura de hac agendum nobis.

* *Pag.* 147. *edit. Basil. an.* 1555.

Quantitas est illa syllabæ affectio, quâ ejus tempus seu moram in efferendo metimur. Censorino in fragmento dicitur *spatium syllabæ*: aliis *modulus*, vel etiam *intervallum*, uti Græcis διάστημα.

Ratione hujus intervalli syllaba dispescitur in brevem, longam, & ancipitem. Brevis est, quæ unum habet tempus; longa, quæ duo; anceps, quæ nunc uno, nunc gemino tempore profertur. Ut fit in positione debili: ubi propriè est tempus unum cum semisse: qui semissis aliquando censetur, ut nullum tempus, eoque syllaba corripitur: aliquando ut integrum, ac propterea syllaba producitur.

Syllabæ longæ nota est linea longa. Dimidio ejus signari oportebat syllabam brevem: sed quia manus facilè aberrare poterat in scribendo; & circumflexi quoque nota hæc ʌ indicat syllabam longam; iccirco sumsere notam contrariam notæ circumflexi ᴗ: quemadmodum acute conjicit Julius Scaliger lib. II de caussis L. L. cap. LV.

Memorabilis verò antiquorum fuit consuetudo, qui vocalem naturâ longam geminare solent. Nam aliud iis erat *malus*, aliud *maalus*; aliud *populus*, aliud *poopulus*. Monet hoc Fabius lib. I, cap. IV, & VII. idémque se observâsse in veterum monumentis, scribit Politianus cap. XLIII Miscell. Et sanè in Inscriptionibus quoque à Smetio, Gruteroque procuratis, legere est, *naata*, *vaarus*, *Thraacum*, *paastores*, *ree*, *seedes*, *sanctissimiis*, *mariinas*, ac siqua hujusmodi alia. Scribit Marius Victorinus*, Nævium, & Livium Andronicum, hanc consuetudinem servâsse, nisi quum esset I longum: tum enim potiùs usurpâsse EI. Cæterùm meritò morem istum geminandi vocales improbat Terentius Scaurus, his verbis: *Plurimum igitur per adjectionem illa videntur esse vitiosa, quòd Accius geminatis vocalibus scribi naturâ longas syllabas voluit: quum alioqui adjecto, vel sublato apice, longitudinis, & brevitatis nota, posset ostendi.* Quem locum corrumpit nobis Justus Lipsius†, cum pro *voluit* legendum putat *noluit*. Quippe eum abunde refutant hæc verba Velii Longi: *Nam nec Attium secuti sumus, semper vocales geminantem, ubicumque producitur syllaba, quoniam expedita debet esse conditio scribendi.* Est & alter locus Scauri sub finem, quo idem præcipit de apicibus: *Apices*, inquit, *ibi poni debent, ubi eisdem literis alia, atque alia res designatur: ut, vénit & vênit, áret & âret, légit & lêgit, cæteráque his similia. Super I tamen literam apex non ponitur. Melius enim in* PI I. A I *longum producetur.* Eadem quoque de apicibus fuit sententia Fabii Quinctiliani; qui lib. I, cap. de Orthographiâ, hunc in modum disserit: *Longis syllabis omnibus apponere apicem, ineptissimum est: quia plurimæ naturâ ipsa verbi, quod scribitur, parent. Sed interim NECESSARIUM, cum eâdem litera alium atque alium intellectum, prout correpta, vel producta est, facit: ut Malus, utrùm arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur. Palus aliud priore syllabâ longâ, aliud sequenti significat: & cùm eâdem litera nominativo casu brevis, ablativo longa est; utrùm sequamur, plerúmque hâc notâ monendi sumus.* Atque hæc iis etiam obducere possimus, qui morem illum accentu ambiguitatem tollendi, usque adeo ridiculum putant: cum eum Fabius tam bonæ ætatis, tam gravis judicii scriptor, etiam necessarium existimet. Et profectò, si scribimus, ut intelligamur; quæ potior sermonis virtus erit, quàm σαφήνεια‡: quam etiam solam ex studio dicendi agnoscebat Epicurus*. Ac proinde itaque vel sine accentu vel in primo apposita scribam, quando pro *ergo*, vel *igitur* ponitur. Addam vero acutum in secunda, cum *que* est enclitica, eoque sumitur pro *& ita*. Ut apud Terentium:

* *Lib.* I. *cap. de Orthogr.*

† *Ad eram cap.* V. *lib. de rectâ pronunciat.* L. L. *sed in posterioribus edit. tum Lugdun. tum Antverp.*

> *Ita volo, itáque postulo, ut fiat.*

Et Cicer. pro Deiotaro: *At eodem te, cum cœnavisses, rediturum dixeras: itáque fecisti.* Sed cætera persequamur.

‡ *Perspicuitas.*

* *Laërt. lib.* 10.

Sive syllaba sit brevis, sive longa; vel naturâ est talis, vel caussâ accidentariâ, quam positionem dicimus. Naturâ brevis est penultima in *légere*, ac similibus infinitivis, tertiæ conjugationis. Item prior in *ego*, aut *genus*: quæ ut Græcè per tenue *e* proferuntur, ἐγὼ, γένος, ita & Latinis est *e* naturâ breve. Positione brevis ea cognoscitur vocalis, quæ ponitur ante vocalem: ut prior in *prior*, & media in *medius*. Naturâ longa est secunda in *amare*, *docere*, *audire*, & similibus infinitivis. Item *au*, & *eu*, in *aurum*, & *eurus*, & similes diphthongi. At positione longa est vocalis, quam duæ excipiunt consonæ in eâdem voce: ut *gens*. Nam naturâ *e* breve est, quia est ex *genus*, quod à γένος: sed, extritâ posteriori vocali, producitur syllaba ob consonas sequentes. Sic *i* præpositionis *in* brevis est naturâ. Neque enim sonat, ut in *audire*; ubi *i* naturâ longum. Attamen syllaba positione fit longa, si sequatur consona: ut in *imprudens*, *inconstans*, & fortasse alias semper: nisi excipere lubet, si *S*, vel F, sequatur. Nam *i* in *insanus*, & *infidus*, videntur extulisse quasi i, vel *ei*. Maximus Victorinus: *IN, & CON, præpositiones, aliquando corripiuntur: sequentibus S, vel F, literis producuntur: ut INSTARE, INFIDUS. Et cæteris omnibus corripiuntur: ut, INCONSTANS, IMPRUDENS.* Sic prior in *posco* priorem habet naturâ brevem, quia *o* sonabat, ut in βόσκω. Utrobique tamen syllaba est longa. Quod si *o* in *posco* proferretur, ut in βρώσκω, jam syllaba & naturâ & positione esset longa. Et ita extulere *o*, qui putarunt, ut à *calere* est *calesco*, sic à *potare* esse *posco*. Asconius Pedianus in III Verr. *Poscunt majoribus poculis. Sunt qui, productâ scilicet o literâ, POSCUNT legunt, quasi sæpe potant.* Sic *illex*, pro ἄνομος, habet *e* naturâ longum: eoque Græcè scriberetur ἴλληξ. Nam porrecta est prior in *legis* vocabulo, unde derivatur. At *illex* pro ἀγωγὸς, vel δελεαστικὸς, habet *e* naturâ breve, quasi

Græcè

Græcè scribas ἴλλιξ. In caussa est, quòd veniat ab *lacio*, sive *illicio*. Festus hæc optimè distinguit: *Inlex productâ sequenti syllabâ, significat, qui legi non paret. Correptâ sequenti, inductorem, ab illiciendo.* Itaque a priori est genitivus *illegis*, ab altero *illicis*. Qui ex nostro pronunciandi more judicium ferunt de antiqua consuetudine, valde hærent in talibus. Nam quomodo, inquiunt, posterior in *inlex*, aut prima in *posco*, *inconstans*, & *imprudens*, corripi possit, cùm positione producatur? Nempe non distinguunt inter hæc duo, ecquid natura, an positione sit breve, aut longum. Potest vocalis esse naturâ brevis, etsi positione producatur: ut A in *patris*. nam naturâ breve esse, indicat origo, cum *a* in *pater* corripiatur. Potest item syllaba esse naturâ producta, quæ positione corripiatur: ut *præ* in *præiret*. Item ultima in *Ilio*, apud Maronem*:

Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto.

* 5 Æn.

Potest & syllaba simul naturâ, ac positione esse longa: ut in *auster*. Quando igitur veteres dicunt, syllabam esse brevem, quæ positione fit porrecta; intelligi hoc debet de solo vocalis sono, non de syllabâ ἁπλῶς †. Sic prima in *dictito* brevis est, ut Agellius ait lib. IX, cap. VI. quasi dicas, etsi dicatur *deico*, tamen ejus frequentativum non sonare *deictito*, sed *di-ctito*. Sic *obiicere*, & *objices*, *subjicere*, & *subjices*, *injicere*, & *injices*, dixere primâ brevi: ut apud eundem est lib. IV, cap. XVII. Sic *composuit*, *conjecit*, *concrepuit*, extulere *o* exili: ut idem docet lib. II, cap. XVII. Sic in *ossa*, Plinio teste, *o* breve est: quod in *ora* est longum. Sic in *calvor*, *a* breve: quo argumento Charisius probat, priorem corripi in *calumnia*. Sic est a *sum* corripit priorem, quia venit ab *ἐσὶ*, κατ' ἀποκοπὴν: ac similiter corripitur in *esse*: quod sonuit, ut poëticum ἔσσεν, pro ἦσαν. At *est* ab *edo* pronunciabant *e* longo: ac similiter etiam *esse* ab eodem verbo extulere: nempe ut Græci ἦσαν, si spiritum auferas. Id apertè nos docet Donatus in Andr. act. I, sc. I. *Filium perduxere, ut una esset. Si producte legatur ESSET, significat, cibum caperet, sive ederet.* Et Eun. act. III, sc. IV: *Ut de symbolis essemus. ESSEMUS, productâ E literâ.* Servius in V Æn. *EDO habet & rectam, sed antiquam declinationem: ut Edo, edis, edit: & anomalam; ut, Edo, es, est: quarum secunda & tertia persona longæ sunt propter differentiam Sum, es, est.* De prima in *actito*, *unctito*, *lustra*, *muscerda*, non repetam, quæ attuli superiori libro capite XII. Dixerit aliquis, hæc fortasse obtinuisse Grammaticorum illorum ævo, non Julii vel Augusti temporibus. Imò verò, ut ibidem monui, Cicero quoque in Oratore ait: *Inclutum dicimus, brevi primâ literâ: Insanus, productâ.* Ubi non de nihilo est, quòd dicat, *primâ literâ*; non *syllabâ*: nam syllaba est positione longa, utcunque vocalis sit brevis naturâ. Quippe *inclutum* proferebant *i* exili; *insanum*, i longo; ut ex Maximo Victorino diximus. Doctissimo tamen viro, Pascasio Grosippo, ut se vocat, id de syllaba ipsa accipiendum videtur. Nempe quia aliqui veterum *syllabæ* dicant, non *literæ*. Nec cogitat, vel eos loqui de syllabis, ubi nulla est positio: ut tum eodem recidat, utrum *literæ* dicas, an *syllabæ*: vel si de syllabis mentio, non ἁπλῶς hoc, sed ratione vocalis, intelligi oportere. Nam, ut ab Aristotele* optimè monitum, *magnus*, & *parvus*, *longus* & *brevis*, sunt ἐκ τῶν κατά τι, quia diverso respectu eadem syllaba & brevis est, & longa. Quod liquet, ex λεκτὸς à λέγω, & λήκτης † a λήγω. Nam in λέγω ε est naturâ breve. In λεκτὸς naturâ permanet breve; sed positione fit longum. In λήγω η est natura longum: sed in ληκτὸς etiam positione fit longum. Ergo extrema sunt prior in λέγω, & ληκτός. Media in λεκτὸς, & λήγω. Unum tempus in λέγω: geminum in λεκτὸς, & λήγω: triplex in ληκτὸς: quia hic vocalis est & naturâ, & positione porrecta. Ergo si pro λεκτὸς aliquis dicat ληκτὸς, rectè jubeam priorem corripere. Etsi enim in λεκτὸς prior porrecta est positione: quia tamen ε habet in prima, non η; brevis est naturâ: ac si conferas cum ληκτὸς, brevis erat prior, quia in ληκτὸς prior & naturâ, & positione est longa, planeque triplicis temporis, vel saltem majoris temporis, quam prior in λεκτὸς. Nam etsi omnes metrici dividant syllabas in breves, & longas: non tamen hæc sola est quantitatis diversitas: cum optimè illud à Musicis sit observatum, brevium alias esse aliis breviores, & longarum esse alias aliis longiores: unde notulæ longæ, breves, semibreves, minimæ, fusæ, & semifusæ; ut eas nuncupant. Sanè postrema in *impius* celeriùs effertur, quàm in *Thersandrus*. Quippe etsi hic quoque V breve sit, tres tamen aliæ consonantes moram aliquam in pronunciando afferunt. Eâdem de caussâ longiori morâ opus est in *grex*, quàm in *rex*; inque *rex*, quam in *ex*; & in *ex*, quàm in *e*. Vide quæ de hac, inter Musicos & Rhytmicos, controversiâ scribit Marius Victorinus lib. I*.

† Simpliciter.

* Lib. τῶν κατηγοριῶν.

† Hesych.

* Cap. de mensura brevium & longarum syllabarum.

CAP. XIII.

De modulo vocalis ante vocalem sequentis syllabæ. Parùm tutò i corripi in solius, utrius, *& ejus compositis. Cur in genitivo* alius *i sit porrectum, in* alterius *correptum. Terentiano tamen Mauro produci.* Caius *trisyllabon primâ longâ, ut & dissyllaba* Cai, Mai. *Sic E in trisyllabis* Pompei, Vultei, *& quæ caussa horum omnium videatur.* Dianæ ἔτυμον, *indeque ratio ostensa, cur princeps vocalis sit anceps. Eo Prudentio, & aliis Christianorum poëtarum, corripi solere.* Dehoculus. Annuvit, habuvit, genuvit. *Varronis locus expositus.* Eheu, *&* ohe. *Plinii & Martialis ætate non admissus jambus primâ sede Phalæcii.*

SYllabarum modulus cognoscitur, tum è Grammaticorum præceptis, tum e poëtarum exemplis. Sic in *Ames* verbo prior regula cognoscitur brevis: quia dicitur *deames*. In *Ames* nomine, pro pertica aucupali, cognoscitur brevis exemplo: ut illo Horat. lib. Epodon: *Aut amite levi rara tendit retia.* Ubi sede secundâ est tribrachys. Atque alter hic modus & certior est priori, quia regulæ pro fundamento habent poëtarum auctoritatem: & multò latiùs se extendit, propter multa adeò in quibus syllabæ spatium solis scitur poëtarum exemplis.

Regularum aliæ de intervallo hoc præcipiunt universè; ut quæ ad omne syllabarum genus pertinent: aliæ de eo agunt speciatim; ut quæ non de omni, sed certo syllabarum genere loquuntur. Utrobique à Grammaticis multa referuntur mutila, multa vel parum comperta, vel etiam apertè falsa. Utcunque igitur in tenui labor noster futurus, non tamen committendum, ut hæc necessariæ artis non ignobilis portio negligentius à nobis tractetur.

Principem locum damus canoni universè præcipienti de vocali, quæ positione est brevis. Nam cum brevis syllaba unius sit temporis, natura quoque prior est eâ, quæ duorum est temporum: eoque & prius videndum de syllaba, quæ positione est brevis, quàm ea, quæ positione est longa. Positione autem brevis est, quam altera continuò vocalis, sed sequentis syllabæ, excipit. Nam si junctim syllabam faciant, dispar ratio erit; ut liquet è diphthongis, quæ sunt porrectæ. Sed alia quoque multa excipi debent tum in Latinis, tum Græcis. De Græcis seorsim postea agemus.

In Latinis ordine videbimus de nominibus, verbis, & particulis. Inque nominibus primò spectabimus genitivos primæ in *ai*, primæ secundæque in *ius*, & quinctæ in *ei*. Produci antiquos genitivos in *ai*, ut *aulai*, *pictai*, satis constat. Quare ei non insistam. At non per omnia convenit de illis in *ius*: ex quibus ancipites sunt, *unius*, *ullius nullius*, *illius*, *ipsius*. Imò & *totius* apud Lucretium corripitur. At non occurrit exemplum, ubi id in *solius* fiat, vel *utrius*, & ejus compositis *neutrius*, & *alterutrius*. Quare satius multò hæc semper producere: etsi id vulgo negligi soleat, etiam a præstantissimis viris. Alius perpetuò habet *i* porrectum ob crasin. Nam genitivi in *ius* syllabâ unâ exsuperant nominativum: ut, *unus*, *unius*; *ullus*, *ullius*. Similiter ab *alius* esset *aliius*: pro quo contractè

tractè est *alius*. *Alterius* semper corripit I, credo propterea, quia, contra aliorum naturam, genitivus duabus syllabis exsuperet nominativum. Et tamen aliter Terentianus Maurus, versibus iis, quos Josephus Scaliger Catalectis veterum poëtarum à se congestis & recentitis intexuit, ut incerti poetæ; sive memoriæ errore, sive quia Terentianum aliunde eos adducere opinaretur:

Adesto, Jambe præpes, & tui tenax
Vigoris, adde concitum celer pedem,
Nec alterius indigens opis veni.

Julio Scaligero de caussis L. L. cap. XLII non satis probatur ea caussa, quam de *alius*, & *alterius*, adduximus. Meritò, an secus, alii judicabunt. Levius enim est, quàm ut velim immorari.

Præterea certum est, produci genitivos quintæ declinationis, quando utrimque habent vocalem. Cujus hanc caussam esse arbitror, quòd vetusti *i* geminarent. Nam dixere, *dieii*, *speciei*. Imò olim *i* quoque in iis duplicabant, quæ ante *i* habent consonam. Nam pro *rei*, *spei*, *fidei*, dicebant *reii*, *speii*, *fideii*. Atque inde est, quòd ejuscemodi quoque porrecto *e* inveniantur. *Reii* quidem sæpius occurrit apud Lucretium. *Fideii* verò usurpant Paullinus Nolanus*, Venantius Fortunatus, ac juniorum poetarum alii: neque id absque exemplo antiquorum. Nam apud Ciceronem initio libri de Senectute est hexameter ille:

* Carm. 15. natali 5. & carm. 5 de S. Joan.

Ille vir haut magnâ cum re, sed plenu' fideii.

Nihil enim caussæ est, cur versum statuamus μείουρον †. Vide sis, quæ de hoc notata Giffanio Ind. Lucret. Carolo Langio in Cicer. Cat. & Francisco Jureto in Paullinum*. Sic igitur statuendum, ut prior in *Dei*, ita priorem corripi in *spei*, *rei*: atque ut penultima est porrecta in *Pompeji*, ita eandem produci in *speciei*, *dieii*, *reii*, *fideii*: quæ consuetudo, rejecto priori I, desiit in consonam habentibus ante I; ut *rei*, *spei*: non item in iis, quæ vocalem obtinent ante E: ut *diei*, *speciei*.

† Mutilatum, sive in fine claudicantem.
* Tom. 9. bibliothecæ Patrum edit. 2. col. 1086.

Videor autem his, quæ diximus, & novum canona posse accudere. Nam si vox habens I inter duas vocales syllabâ crescat ob διάλυσιν: vocalis præcedens erit longa. Ut in ἐλεγεία, si fiat tetrasyllabon. Ovidius lib. III Amor. el. I:

Flebilis indignos elegeïa solve capillos.

Similiter si *Pompeius* fiat tetrasyllabon: aut si *Caius*, trisyllabon. Martialis lib. IX, epigr. XCIV:

Pervigil in pluma Caius ecce jacet.

Sic in scazonte illo lib. V, epigr. XIV:

Post Caiumque, Luciumque, consedit.

Credo autem hoc fieri, quia priùs dixere, *Pompeiius*, *Caiius*. Postea ex diphthongo extritum I, quantitate tamen remanente. Itaque & in vocativo manet idem modulus, ubi solum I sequitur post vocalem. Martial. lib. II, epigr. XXX:

Quod peto da, Caï, non peto consilium.

Et lib. X, epigr. XV:

Si donare vocas promittere, nec dare, Caï.

Ausonius de mensibus, idyll. XIX:

Maja Dea, an major, Maï, te fecerit ætas.

Ovid. lib. IV, de Pont. el. I:

Accipe, Pompeï, deductum carmen ab illo,
Debitor est vitæ, qui tibi, Sexte, suæ.

Par ratio in *Vulteï*. Caussa videtur, quia olim dixere, *Pompeiius*, *Vulteiius*; unde vocativi forent, *Pompeii*, *Vulteii*. *Horatius*, quia, I extrito, dicitur *Pompeius*, *Vulteius*, vocativos extulit δισυλλάβως. Od. VII, lib. II;

Pompei meorum prime sodalium.

Ex epist. VII, lib. I:

Durus ait, Vultei, nimis attentusque videris.

I ex EI etiam ante vocalem est longum. neque id modò in Græcis, ut *elegia*, & similibus, de quibus postea; sed etiam Latinis. Ut in *Diana*, quod factum ex *Dea Jana*. *Janus* Sol, *Jana* Luna, teste Varrone lib. I de R. R. cap. XXXVII, & Macrobio lib. I Saturn. cap. IX. Unde caussa liquet, cur *i* sit anceps. Nam ex *Dea Jana*, si κατὰ συγκοπὴν duarum literarum fiat *Deana*, vel *Diana*, naturâ brevis erit prima. Sin solùm A exteratur, *e* & *i* coalescentibus, erit *Deiana*, ut veteres pronunciarunt: *ei* verò abibit in *i* longum: ut, *queis*, *quis*; *omneis*, *omnîs*. Et hæc de nominibus Latinis.

Ex verbis à canone recedit *fio*. Nec enim ratio hac parte habenda est Christianorum poëtarum, Tertulliani, Cypriani, Prudentii, & Aratoris: qui corripiunt. Nam aliter antiquiores omnes; etiam in derivatis; ut Martialis lib. XII, epigr. LIX:

Hinc defioculus, & inde lippus.

Excipiunt, si R post E sequatur, quia I breve est in *fierem*, & *fieri*. Sed etsi hoc non temere transiliendum, neutiquam tamen perpetuum videtur. Nam *fieri* primam producit apud Terentium Adelph. act. I, sc. II:

Injurium est. nam si esset, unde id fieret,
Faceremus.

Quem ad locum sic Donatus: *Fieret productâ primâ syllabâ. Ennius: Minimè nomine fieri pravum.* Ut ea Ennii verba etiam Hieronymus Columna legit, interque incerta reposuit fragmenta Ennii. Sed scribe:

Cum memini fieri me pavum ——

Prout hæc, (quæ eo, quem dixi, Donati loco, & alibi * apud eundem, corruptè leguntur) rectè emendat Paullus Merula †. Scrupulum tamen injicit, quòd sic si legatur, parum appositè is locus à Donato adduci videatur. Quippe *i* hic non producitur, sed corripitur. Vel statui debeat συνίζησις, ut in *pituita* apud Horatium vel δισυλλάβως scripserit Ennius, *firi*. Utrique sententiæ favet Priscianus in XVII: ubi ait, in *tibicen* duas breves concrescere in unam longam: contrà in *fieri* unam longam resolvi in duas breves. Nec sine ratione ita statuit Priscianus. Nam ut ab *audio* est *audirem*, vel *audirer*, & *audiri*, totidem syllabis ac in præsenti indicativi: ita à *fio* ἀναλόγως foret totidem syllabis, *firem*, *firi*. Veteres autem *i* longum extulere ut EI: *audeirem*, *feirem*, *feirei*. Deinde ex *feirem*, resolutis & trajectis vocalibus, fuit *fierem* tribus syllabis, & ex *feiri*, *fieri*. Ac priores quidem, in his Terentius, post διάλυσιν retinuere modulum veterem prioris vocalis, ut in tetrasyllabo *elegeïa* fieri solet. Posteriores autem abunde quantitatem vocalis *i* compensari putarunt syllabæ accessione: unde iis *fieri* trisyllabon non plurium est temporum, quàm *feirei*, seu *firi* disyllabon.

* Andr. act. 2, sc. 5. & Phorm. act. 1, sc. 3.
† Comment. in Ennium.

Ex multorum etiam sententia veteres & *u* vocale ante *i* producebant in præteritis activis. Probare id conatur Priscianus † istoc Ennii è II Annal.

† Lib. 10.

Annuit sese mecum decernere ferro.

Proque hac sententia adducunt & illa Varronis lib. II de analog. *Quidam reprehendunt, quòd pluit & luit dicamus in præterito, & præsenti tempore, cùm analogiæ sui cujusque temporis verba debeant discriminare. Falluntur: nam est, ac putant, aliter: quòd in præteritis u dicimus longum, lūit, plūit: in præsenti breve, lŭit, plŭit.* Sed valde imbecille est hoc telum, quia non de quantitate syllabæ, sed de solo vocalis sono agit Varro. Quantopere autem hæc distent, tum libro superiori ostendimus, cum de intermedio vocalium sono tractaremus: tum hoc libro cap. X. Nec obstat Ennii versus. Nam is *annuvit* scripserat. Sanè *pluvit* dixisse veteres, probat ipse Priscianus* quatuor Livii Patavini locis. Sed hodie nusquam apud eum scriptorem aliter, quàm *pluit*, legere est. Quin alia quoque similiter inflexere. Ita dixit Plautus Asinariâ †:

* Lib. 10.

Si fortè puras velle habere dixerit,
Tot reddat spurcas, quot puras habuverit.

† Act. 4, sc. Age dum istum ostende.

Et Ennius I Annal.

—— *Saturno, quem Cælu' genuvit.*

Denique & particulæ duæ à canone abeunt. Nam longa est prior in *eheu*. Maro Ecl. III:

Eheu, quàm pingui macer est mihi taurus in arvo!

At *ohe* priorem habet communem: ut indicat Phaleucius ille Martialis lib. IV, epigr. XCI:

Ohe, jam satis est, ohe libelle.

Neque enim ignorabile cuiquam esse arbitror, Martialis

XVO

ævo iambum, ac trochæum, à primâ Phalæcii sede exulâsse. Docent id epigrammata ejus ævi: tum autem, quòd Plinius in præfatione Historiæ Naturalis, ut durum, culpet hunc Catulli versum:

Meas esse aliquid putare nugas.

Cap. XIV.

Συναλοιφὴ unde dicta. Etiam Maroni, sed rariùs, longam elidi à brevi. Quibus in locis infrequens sit synalœpha, vel ecthlipsis. Quædam, quæ non elidantur: in his ô fieri anceps. Rarò brevem non elidi: sæpe longam, eamque tum fieri communem. Virgiliani loci correctio in dubium vocata. Aurati & Canteri de altero Virgilii loco conjectura improbata. Eodem in versu tum brevis, tum longa non elisæ exempla. Hiatus istiusmodi frequentes fuisse vetustis. D insertum ad explendum hiatum. Ennio lux, & medicina. In Catulli uno, & duobus Horatii locis, à Mureto, Schotto, & aliis, recessum. De episynalœpha. De modulo primæ in pituita, *secundæ in* vietus, *tertiâque in* aceus *exeuntium. De synæresi.* Phaeton. Semihomo *trisyllabon. Ubi episynalœpha maximè frequentetur.* Θεοδόσιος, Θεόγνιδος, Theudericus. *Etymon ejus vocis, & aliorum ab eodem fonte.*

Porrò, quæ hactenus diximus, intelligi debent de vocali ante vocalem in eâdem voce. Nam si voces fuerint diversæ, satis convenit, priorem absorberi à sequenti: quod, tralatione ab unguentis petitâ, *συναλοιφὴν* vocarunt, quasi *coünctionem* dicas. Nam duæ vocales quasi simul unguntur & collinuntur.

Duriùs autem longa absorbetur à brevi, quàm brevis à longa. Prioris exemplum adfertur è Cn. Martio vate:

Ut fuat esca caro tua: nam mi ita Jupiter orsus.

Prout est apud Alciatum: qui complures Marcii versus è Livio adductos in pedes suos redigit lib. v Παρέργ. Juris cap. xviii. Sed enim pro, *nam mi ita Jupiter orsus*; conveniintiùs veteris scripturæ ductibus emendes;

—— Jupiter ut mihi fatus.

Accommodatius exemplum in illo Catulli:

Troia, nefas, commune sepulcrum Europæ, Asiæque.

Nec penitus refugit Maro. Nam ejus est ix Æn.

Hoc fletu concussi animi, mœstusque per omneis
It gemitus.

Et in x:

Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instar.

At junioribus id multò frequentiùs. Papinius epithalamio Stellæ & Violantillæ:

Ipsi animus nondum, nec cordi fixa voluntas.

Item:

Vidi ego & immiti cupidum decurrere campo.

Et mox:

Vidi & Abydeni, &c.

Similiter alii. Contentus uno ero Ausonio: cujus est epigr. lvi:

Eunomus evasit fati ope, non medici.

Epigr. xc:

Suasi quod potui, tu alios modò consule. dic quos.

Carm. iv in Burdigal. profess.

Linquentem natos sexui utrique duos.

Et xi:

Burdigalæ cathedram
Nati operâ obtinuit.

Et xxi:

Historiam callens Livii, & Herodoti.

Rara etiam est synalœpha initio versus. Etsi in Bucolicis Maro:

Si ad vitulam spectes, nihil est, quòd cætera laudes.

Ac Catulli etiam est ad Ortalum:

Dum adventu matris prosilit, excutitur.

Et Valerii Flacci iii Argonaut.

Ne impediat nunc acta, time. quin audeat, opto.

Par ratio ἐκθλίψεως. Ut apud Petronium Arbitrum:

Cum inter sepultos Priamidas nocte & mero.

Et Senecam in Oedipo *:

Cum examen alto nectitur densum globo.

(* Vers. 603.)

Nec ultimo pede facile alterutra admittenda; quomodo, *perque os*, hexametrum claudit apud Ovidium †: neque pede penultimo; quâ ratione Catullo versum terminat, *copiam* * *Achivis*; &, *deponere amorem* †. In satyra tamen plus licentiæ, etiam pede ultimo: ut apud Juvenalem †; *Æthiopem albus.*

(† 12 Met. fab. 5. — * De nuptiis Pelei & Thed. — † Sat. 2.)

Seu eliditur, si sanus est locus ille Catulli carm. xl:

Renidet usquequaque, seu ad rei ventum est
Subsellium. ——

Ubi diphthongum elidi, monet quoque Achilles Statius. Legiturque hoc modo in editionibus cunctis: antiquissima etiam Regiensi anni ciↃ cccc lxxxi. Solus Duza legere jubet,

—— seu rei ventum ad
Subsellium.

Idque, ut ait, quo versus ratio habeatur.

O non eliditur; uti nec *heu*; ac parem puto rationem *seu*, quod tamen elisisse videtur Lilius Gyraldus, Carmine de incommodis direptionis Urbanæ *:

Te mihi seu audiat ipse etiam Pharnesius heros.

(* Pag. 626. edit. Bas. an. 1580.)

Par item ratio in *ah*, *vah*, *proh*. Nempe affectus in istis sistit orationem. Ex his *o* nunc corripitur, nunc producitur. Corripitur Ecl. ii:

Te, Corydon, ò Alexi.

Et Propertius lib. ii, Eleg. xxxiii:

Tu quoque ò Eurytion vino Centaure peristi.

Contra producit Naso ii Met. fab. vi:

O ego quantum egi! quam vasta potentia nostra est!

Etiam in cæteris quandoque negligitur synalœpha: quod cùm fit, brevis retinet modulum: ut in illo †;

Et vera incessu patuit Dea. Ille ubi matrem.

(† 1 Æn.)

Sed hoc admodum rarum. Quodque hic non refugerit Maro ejusmodi hiatum, minùs mirum, quia nova incipit oratio, cujus non eadem vis in priorem, ob spatium, quod utramque periodum in loquendo separat. At longa syllaba fit anceps. Ut longa sit, habet à natura. Ut brevis fiat, consequitur positione: hoc est, eo, quòd vocali præponatur. Sic Catullus Phalæcio hoc in Mamurram, & Cæsarem:

Uno in lectulo erudituli ambo.

Maro vi Æn.

Nomen & arma locum servant; te, amice, nequivi.

Itidem in Eclogis posteriorem in *vale* *, & *Hyla* †, corripit. Atque etiam in *qui* *:

Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

(* Ecl. 3. — † Ecl. 6. — * Ecl 8.)

Sive, ut Palmerius, & ante eum Guilielmus Canterus † ex scripto codice legit:

—— Sibi omina fingit:

(† Lib. 1. Nov. Lect. cap. 8.)

ut eodem versu bis negligatur συναλοιφή. Mihi tamen hæc emendatio parùm probatur, quia, si sic scripsisset Maro, veteres Grammatici non priori modo versus parte, sed & altero probassent, non semper fieri synalœpham.

Longa verò permanet Ecl. vii:

Stant & iuniperi, & castaneæ hirsutæ.

Et Georg. iii:

Arcebis gravido pecori, armentaque pasces.

Imò Joannes Auratus, eumque secutus Guilielmus Canterus *, sic eodem libro rescribunt:

Hanc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo, & turpi ignosce senectæ.

(* Lib. 6. Var. Lect. cap 5.)

Ubi vulgò, *Nec turpi ignosce senectæ*. Quæ, sine dubio, vera est scriptura. Nempe (quod non satis attendunt doctissimi illi viri) *nec* posuit Maro pro, *& non*: ut sententia sit, Et ignosce senectæ non turpi.

Imò interdum eodem in versu, & brevis, & longæ concurrit exemplum: ut illo i Georg.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.

Item eodem:

Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Nam O in *Glauco* non elisum longum remanet; Æ in *Panopeæ* (cujus duæ priores breves) non extritum, fit positione breve. Atque hinc liquet, quod diximus de longis vocalibus, id in diphthongis quoque locum habere. Itidem ea corripitur IV Georg.

—— *Flerunt Rhodopeïæ arces.*

Et Æn. III:

Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno,
Harpyjæque colunt aliæ.

Producitur contrà I Georg.

Antè tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

Hosce vero hiatus etiam juniores imitantur. Ut Priscianus in Periegesi:

Nunc magno nobis sunt insulæ ore canendæ.

Quàm frequens autem hiatus ille esse soleat Comicis, & Tragicis antiquis: docere nos possunt fragmenta, quæ supersunt: & magis illud testarentur, nisi ejus rei ignorantiâ tam multa corrumperent nobis, qui artem corrigendi libros profiterentur. Quos ab instituto hoc revocare debet illustris ille locus Ciceronis in Oratore: *Sed Græci viderint: nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere voces,* (sive, ut Lambinus legit, *vocales*) *conceditur. Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis; indicant omnes poëtæ, præter eos, qui, ut versum facerent, sæpe hiabant: ut Nævius,*

„*Vos, qui accolitis Histrum fluvium, atque Algidam.*

Et ibidem:

„*Quam nunquam vobis Graji, atque Barbari.*

At Ennius semel,

„*Scipio invicte.*

Et quidem nos:

„*Hoc motu radiantis Etesiæ in vada ponti.*

Hæc Tullius. Quare facilè mihi persuadeo, scripsisse Lucretium in V:

Illud in his rebus ne arripuisse vearis.

Ut in quibusdam est Mss. Ubi in nostro, & editt. antiquis, parum aptè est *corripuisse.*

Invenere autem veteres rationem, quâ, si concurrerent diversarum vocum vocales, nec συναλοιφὴν committerent, nec hiatum. D enim interjiciebant. Nec hoc in compositis solùm fecere; ut in *redeo, redamo, medergo:* sed etiam simplicibus; in prosa quoque: unde in basi columnæ Duilianæ rostratæ, PRÆDAD. ALTOD. MARID. In carmine autem, ut apud Plautum Rudente, *Tibi propinod eccum.* Meminit hujus moris etiam Quinctilianus libro I, cap. de Orthogr. Non pauca verò loca veterum, ignoratione ejus, sunt corrupta. Uti illud Ennii Epicharmo*:

Nam videbar somniare me ego & esse mortuum.

Ubi, ut trochaicus sit, legi debet:

Nam videbar somniare med' ego esse mortuum.

Ego, inquit, somniare videbar, me mortuum esse. Idem Ennius Andromedâ;

Filiis propter te objecta sum innocens Nerei.

Quem locum numeris sic restitue:

Filiis propter ted objecta innocens sum Nerei.

Vel, ut jambici sint:

—— *Filiis*
Propter ted' objecta innocens sum Nerei.

Verba sunt Andromedæ ad matrem Cassiopen; ob cujus linguam insolentem, ea ceto, ac Nerei filiabus, erat objecta. Imò Muretus, lib. XV Var. Lect. cap. XIX, apud Catullum quoque Epigr. VIII legit:

At tu, Catulled, obstinatus obdura.

Quod & Turnebo probavit. Sed vetus Aldina, & quæ ante eam Regii Lepidi prodiit anno CIƆCCCCLXXXI, rectè habent, *destinatus:* quo, eâdem significatione, usi veteres. Et ut *obstinatus* rectum foret, non tamen D interjecisset Catullus, sed hiatum commisisset: ut Epigr. II.

O factum male! ò miselle passer!

* Apud Cic. Lucullo.

Quamquam doctissimus Andreas Schottus lib. II Observ. Human. cap. XVI, hic quoque emendat *maled.* Sed Catulli ævo mos iste obsoleverat; solisque antiquariis in usu. Ut Varroni, cujus hoc satyra Menippea, quæ inscribitur Σκιαμαχία: *Ted' Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales.* Non *Theanna:* ut est in Ascensiana. Longè minus eidem vel Mureto, vel Schotto, assentio, quando Horatium quoque ita scripsisse putant libro III Carm. od. XIV:

—— *Maled ominatis*
Parcite verbis.

Et epist. ad Tibullum:

Omnem crede diem tibid illuxisse supremum.

Priori enim loco, siquid mutandum, *male nominatis* legi debet: quomodo habent editt. vett. uti Veneta anni CIƆCCCCLXXIX; idemque in octo Mss. reperit Lambinus, in septem aliis Cruquius. Vel potius, quando & vetus interpres, *malè ominatis*, legit; statuendum, poëtam neglexisse συναλοιφὴν. Posteriori loco rectum *diluxisse.* Nam *dilucere* nihil aliud est, quàm διαλάμπειν. Unde *dilucidum*, & *diluculum.* Quorum hoc in glossis Philoxeni exponitur, ὄρθρος, διαύγασμα, διάφαυμα. Vir eruditissimus in notis suis ad Horatium mavult *deluxisse*, id est, desiisse lucere. Quod probare non possum. Nam sententia est, crede jam advenisse supremum vitæ diem: non autem, crede eum jam exactum esse. Convenit igitur huic loco magis verbum, quod diluculi, quàm quod crepusculi habeat significationem.

Quemadmodum verò M per ecthlipsin eliditur à vocali sequente: ut, *mult' ille*, *pro multum ille:* sic & D quandoque elidi Rivius docet. Uti & Giffanius indice Lucretiano in D*.

* Pag. 325.

Nec in diversis solùm vocibus fit, ut prior vocalis elidatur à sequenti: sed etiam in eâdem: illud συναλοιφὴν vocari diximus: hoc ἐπισυναλοιφὴ appellatur, vel etiam συνίζησις, & συνεκφώνησις. Quamquam aliqui laxiùs paullò his vocibus utantur; ut ex Probo, Fabio, atque aliis constat.

Præcipuè verò per episynalœpham elidi solent E, & I: idque à quavis vocali. Ita E quasi absorbetur ab A in disyllabis *antehac*, & *eadem:* inque tetrasyllabis *anteambulo*, & *alvearia.* Martial. lib. X, epigr. LXXIV.

Anteambulones, & togatulos inter.

Par ratio sequente E; ut in monosyllabo *deest*; disyllabis *deerrant, prehendo.* Sequente I, ut monosyllabis *dein, dehinc*; disyllabis, *deinceps, arei, aureis*, trisyllabo *anteire.*

Sequente O, ut disyllabis *eodem, alveo, seorsum, deorsum*; trisyllabo, *graveolens.* Sequente U, ut monosyllabo *eum*, apud Comicos: item *meus*, & similibus, apud eosdem.

Sic I absorbetur ab A in disyllabo *omnia*; tetrasyllabis *vindemiator*, & *semianimus.* Ab E in trisyllabo *semiermis.* Ab I in monosyllabis *dii, diis, iis*; disyllabis *iidem, iisdem*; trisyllabo *denariis.* Ab O in disyllabo *seorsum* apud Catullum, de quo Victorius lib. XXV Var. cap. XII. item in trisyllabo *semihomo.* Ab U in trisyllabis *semiustus*, & *denarium*; ac tetrasyllabo *promontorium.* Omnium istorum exempla legere est apud poëtas: ex quibus paucula adduxisse suffecerit. Virgilii est in Bucol.

Uno eodemque igni, nostro sic Daphnis amore.

Et X Æn.

Unâ eademque viâ sanguisque animusque sequuntur.

Et XII Æn.

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Sed imprimis id facit in pede ultimo, ut etiam hypermeter tum versus possit videri. Uti Æn. I.

Atria, dependent lychni laquearibus aureis.

Æn. VII.

Assueta ripis volucres, & fluminis alveo.

Æn. XII.

Pectora, nec misero clypei mora profuit aerei.

Hæc qui non consideret, facilè in quantitate labetur. Ita pri-

primam in *pituita* corripere non dubitabit, quia apud Horatium sit lib. I, epist. I.

Præcipuè sanus, nisi cùm pituita molesta est.

At hic trisyllabum est. Produci verò primam, indicat Catulli hoc ad Furium:

Mucus & mala pituita nasi.

Et Persii istud Sat. II.

Somnia pituitâ qui purgatissima mittunt.

Item secundam in *vietus* corripiat aliquis ob hoc ejusdem Horatii Epod. lib. od. XII.

Quis sudor vietis, & quàm malus undique membris
Crescat odor.

Atqui longam esse, arguit hoc Lucretii lib. III:

Nec supera caput ejusdem cecidisse vietam
Vestem.

Ac similiter Prudentius lib. I, contra Symmachum:

—— *Et turbida ab ore vieto*
Nubila discussit.

Et lib. II.

Crinibus albentem niveis, & fronte vietam.

Et alibi * apud eundem.

* In hymno jejunantium.

Aliquis etiam in *cretaceus* secundam corripiat propter hoc Sereni cap. de curandis aurium vitiis:

Cretaceam dabis in testam, tum Delphica frontis.

Atqui illa in *aceus* A semper producunt: ut à *musto mustaceus*. Juvenalis sat. VI:

Caussa nec est, quare cœnam, & mustacea perdas.

Sic in *gallinaceus* tertiam a fine semel iterumque producit Plautus Aulul. Sc. *Illinc hinc abiit.*

Ab episynalœpha distinguimus synæresin; ubi vocalis neutra in pronunciando perit, sed ambæ in diphthongum coalescunt. Ut, *Phaëthon*, pro *Phaëthon*, apud P. Varronem, Fabio † teste; qui hunc ejus versum adducit:

† Lib. I, cap. 5.

Cum te flagranti dejectum fulmine Phaëthon.

Addit Fabius: *Si esset prosa oratio, easdem literas enunciare veris syllabis licebat.* Unde liquet, non *Phethon*, pronunciâsse, A extrito, quod vulgò putant: sed PHÆTHON, ut utriusque literæ sonus, sed in una syllaba, exaudiretur. Similia etiam sunt apud Maronem, *furias Ajacis Oilei*, *comes infelicis Ulyssei*, *immitis Achillei*. Item, quæ passim occurrunt, *cui*, & *huic* monosyllaba, similiaque.

Proximè ad συναίρεσιν accedit, quando *i* & *u* coalescunt cum vocali sequente, sed consonæ fiunt. Hoc solùm discriminis est, quòd illic est diphthongus: ut vidimus in *Phaëthon*, & *Oilei*: hic verò non est, quia *i*, & *u*, degenerant: ut in *abiete*, & *tenuia*, trisyllabis. Videtur id quoque fieri in istoc Maronis:

Strata jacent passim suâ quaque sub arbore poma.

Nam *sua* esse ablativum, structura indicat. Id sonat, ut prima in *suavis* disyllabo. Nec tamen repugnem, si quis *u* elidi velit, ut E in *Mea* apud Comicos.

Quæri possit de illo Statii Papinii in Soteriis Rutilii Claudii:

Sperne coli tenuiore lyrâ. Vaga cingitur astris
Luna.

Satis liquet, *tenuiore* hìc non esse pentasyllabon. Nec tamen *u* videtur concrescere cum *i*, quia sic secunda inciperet à brevi, metro invito: neque *i* coalescit cum *o*, quia *i* inter duas vocales vim habere duplicis solet: quo pacto syllaba præcedens positione foret longa. Sed quòd *i* sic positum censeri ajunt pro duplice, id perpetuum non est; ut antea ostensum. Dicere etiam liceat, V per συνίζησιν elidi, ut sonet, quasi *teniore*.

Etsi verò in synæresi syllaba semper sit longa, non tamen in episynalœpha id perpetuum est. Uti in quibusdam a *semis* compositis. Virg. Æn. VIII.

Semihominis Caci, facies quem dira tegebat.

Lucanus lib. III:

Semianimes alii vastum subiere profundum.

Imprimis verò συνίζησις locum habet, quoties versus non recipit vocem: ut in iis exemplis, quæ proximè adduximus. Et in *alvearia* apud Maronem IV Georg. Atque ajunt, parem rationem esse in *Theodosius* apud Claudianum lib. I in Rufinum,

—— *Quas cœlo Jupiter arcet*
Theodosius terris, en aurea nascitur ætas.

Et apud Sidonium in II Panegyr.

Ex quo Theodosius communia jura fugato
Reddidit auctoris fratri.

Ac volunt, similiter dixisse Theognidem:

Ὡ δὲ ἢ πᾶς ἱρίς, Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη.

Prout editum ab Aldo.

Sed non dubium, quin hic legi debeat Θεύγνιδος. Cui geminum Θεύδοτος. Nec aliter Claudianus vel Sidonius scripsere. Fortasse magis appositum est exemplum in phalæcio hoc Sidonii *:

* Lib. 8, epist. 9.

Theoderice tuæ manus negantur.

Sed Sidonius & hic, & alibi *, scripserat *Theuderice*. Quamquam & potuit *Thiederice*. Est enim nomen Germanicum ex *theode*, & *ryc*, conflatum; ut signet *populis divitem*. Siquidem *theode* veteri Germanorum linguâ *populus*: indeque *Theodahatus*, sive *Theodatus*, populi benefactor; *Theodulfus*, populi auxiliator, aliaque id genus. In veteribus autem libris legas promiscuè, *Theodericus*, *Theudericus*, & *Thiedericus*; pro quo emollientes postea dixere *Didericus*.

* Carm. 23.

CAP. XV.

De crasi. Attii in Meleagro versus corrigitur. Quâ ratione priorem in bobus *corripiat Ausonius. De modulo diphthongi ante vocalem. Vocalem brevem reddi ancipitem, si vox sequens incipiat à gemina consonante: præsertim à sc, sp, st: ubi Maurus semper produci credebat, sed perperam. Non Latinis modò, sed Homero quoque, corripi vocalem ultimam ante* Σκάμανδρος. *Vocalem naturâ brevem rarò ante vocem à duabus consonis incipientem produci, nisi concurrente cæsurâ: sæpicule verò, ea si adsit, imprimis in enclitica QUE. Germana lectio in corruptis aliquot poëtarum locis asseritur. Servii sententia de particula QUE rejecta. An H consona junctum syllabam reddat positione longam. In Enniano versu conjectura.*

Diximus de syllabis, quæ vel naturâ, vel positione sunt breves: quâ occasione etiam de synalœphâ, & episynalœpha egimus. Videamus nunc de syllabis, quas per canonem generalem longas esse cognoscitur. In earum quantitate eadem considerari debent. Nam naturâ longa est crasis; sive ex eadem fiat vocali, sive ex diversis. Ex eadem, ut Lucretio *coperuisse* pro *cooperuisse*: & *vemens* pro *vehemens*, quod & apud Catullum, & Horatium: & eidem Horatio *dêro* pro *deero*. Sic *nil* pro *nihil*, *mi* pro *mihi*. Item *conesto*, pro *cohonesto* apud Attium Meleagro:

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt,
donant, tenent,
Pro se quisque cum corona clarum conestant caput.

Sic versus hi legi debent. Vulgo pro *conestant* scribitur *constat*, & sententiâ, & numero claudicante: etsi ita quoque adducat Fulvius Ursinus in Collatione Maronis cum Græcis †. At ex diversis vocalibus crasis fit in *cogo* & *cogito* ex *coago* & *coagito*, *bobus* & *bubus* ex *bovibus*, extritâ priùs vocali *i*: simileque est *bucula* ex *bovicula*. Ausonius, etsi primam in *bucula* producat; tamen priorem in *bobus* corripit, quasi non crasis, sed syllabæ unius sit syncope: uti fit in *boum* pro *bovium*. Sed potior apud nos esse debet autoritas Horatii, quicum & Lucretius facit.

† In 12 Æneid. pag. 464.

Naturâ quoque porrecta est diphthongus. Hæc tamen, sequente vocali, in paucis fit communis. Nam quemadmodum, ratione habitâ naturæ, *præ* à Statio producitur VI Thebaïd.

—— *Quamquam jam certa sequenti*
Præmia, cùm vacuus domino præiret Arion:

ita propter positionem, hoc est, quia ponitur ante vocalem, corripit illud Maro VII Æneïd.

Stipi-

Stipitibus duris agitur, sudibusve praeustis:
Et Ovid. VII Met. fab. I.
Quos ubi viderunt praeacutae cuspidis hastas.
Et quemadmodum in *Maotis* priorem produxit Maro VI Æneid.
—— Caspia regna
Responsis horrent Divûm, & Maotica tellus:
ac Lucanus lib. III.
Quaque fretum torrens Maotidos egerit undas:
ita Ovidius corripit lib. III Trist. eleg. XII:
Longior antiquis visa Maotis hiems.

Atque hinc liquet, nihil caussae esse, cur assentiamus Maximo Victorino: qui, commentario de ratione metrorum, vult quartâ sede spondeum esse hoc in versu:
Nec totâ tamen ille prior praeunte carinâ.

Primam in *Æeta*, quod Graecis Αἰήτης, corripit Ovidius epist. Hypsipyles:
Non hac Æsonides, non filia Phasis Æeta.

Nisi hic rescribendum —— *Phasias Æeta.* Ut συνίζησις sit in postrema voce. Quae similiter effertur VII Met.
Dissimilemque animum subiit pater Æeta relictus.
Volunt & simile esse hoc Maronis III Æn.
Æneadasque meo nomen de nomine fingo.

Nam, inquiunt, secunda in *Æneades* est porrecta, quia Graecè est Αἰνείας. Nempe in mentem iis non venit, primò fuisse Αἰνέας, quod & legas in Actis cap. IX. Sed hexametrum hanc vocem non recipit: unde Αἰνείας extulere poëtae: eos imitati caeteri. Ab Αἰνέας verò est Αἰνεάδης: ut secunda in *Æneades* naturâ sit correpta.

Aliquando verò diphthongus resolvitur, sive in duas longas, sive in longam & brevem, sive in breves duas. In duas longas resolvuntur genitivi antiqui in AI pro Æ, ut, *Terrai frugiferai.* Lucretius lib. I, 84:
Aulide quo pacto Triviai virginis aram (al. *aram*)
Iphianassai turparunt sanguine foede
Ductores Danaûm.

In longam & brevem resolvitur EI in *Elegia*, sive, ut veteres dixere, *Elegeia*, quod ex Graeco ἐλεγεῖον. Ovidius lib. Amor. III, Eleg. VIII:
Flebilis indignos elegeia solve capillos.

Nam *elegia*, quomodo olim legebatur, metro repugnaret. Martialis lib. V, epigr. XXXI:
Detineat cultu aut elegia comis.

Diaeresios verò in duas breves exemplum ponunt hoc Catulli epigram. LVI ad Camerium:
Si linguâ clauso tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnis.
Verbosa gaudet Venus loquelâ.

Sed magis placet, spondeum pro dactylo poni, quando idem non refugit:
Oramus si forte non molestum est.
Et mox:
Femellas omnes, amice, prendi,
Quas vultu vidi tamen sereno,
Has vel te sic ipse flagitabam.
Et saepius deinceps.

Atque haec de regulis generalibus, quibus syllabam naturâ longam cognosci dicebamus.

Positione verò longa fit, quando (Victorini verbis utor) *correpta vocalis sequentes habet duas consonantes. Hac* (ut idem ait) *aut in eâdem syllabâ solet esse, ut ars: aut in proximâ, ut amnis: aut in duas syllabas divisa, ut arma.* Positionem hoc vocant vulgò κατ' ἐξοχὴν. Alioquin & positione syllaba est brevis: ut vocali ante vocalem, sicut antea dictum. Verùm hic agitur de positione consonae ante consonam. Atque ita & Sextus Empiricus loquitur adversus Grammaticos cap. VI, ubi ait syllabam bifariam esse longam, φύσει τε καὶ θέσει. Fit autem haec positio vel in eadem dictione, ut *ars*, *amnis*, *arma*: vel diversis, sed hoc tum demum, si prior dictio desinat in consonam, ut, * *Formosam resonare doces.* At si sequens dictio incipiat à geminâ, observare jubent illud Martiani Capellae lib. III †: *Proximi sermonis consonantes nihil adjuvant praecedentem.* Sed multò hac de re aliter elegantissimus Terentianus Maurus: qui vocalem priorem ait produci, si sequens dictio incipiat à SC, SP, ST. Ipsum audiamus:

* Ecloga I.
† Cap. de natura syllab.

Haereat ergo animo sexta haec tibi vivida, parque
Litera de numero, quam dixi, semisonantum;
Quae sibi tres tantum poterit subjungere mutas
(*Siquando* scutum, spumas, *vel* stamina dico)
Hac sola efficiet, nudo ut remanente trochaeo,
Spondeum gemina possint firmare sonora.
Exemplis, an prava sequar, vel recta, probabo.
Quisque scire cupit, *vel* quisque scribere curat,
Antè stare decet, *cùm dico: & separo verbum,*
Ante Stesichorum vatem natura creavit.
Et mox:
Incipe *si dicas, &* scire, *aut* scribere *jungas,*
Creticus efficitur.
Plura hac de re ibi vide.

Imò Catullus, unicum si locum exceperis, nunquam aliter: neque id tantùm, si sequatur SC, SP, aut ST; de quibus Maurus: sed quotiescunque duae sequuntur consonae. Ut in Phaselo:
Propontida, trucemve Ponticum sinum.
Et eodem:
Et inde tot per impotentia freta.
In Antispastico ad Coloniam:
Si pote stolidum repente excitare veternum.

Id carmen constat Glyconio, primâ sede habente trochaeum, & Pherecratio, quod similiter initio possideat trochaeum.

In Mamurram:
—— Quod comata Gallia
Habebat unctum, & ultima Britannia.
Ad fundum Tiburtem:
Nec deprecor jam si nefaria scripta
Sexti recepso.
In Galliambo:
Ut apud (miser) ferarum gelida stabula forem.

Quod carminis genus consit ex anapaesto, dijambo, duobus dactylis, & anapaesto. Unicus obduci locus potest ex eodem carmine:
Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri.

Sed nihil mirum, si paullò hic amplius sibi licere putârit: quando praeisset Homerus: qui praecedentis ultimam, sequente hac ipsâ Scamandri voce, corripuerit non semel. Ut Iliad. Z:
Τὸν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον.
Et Iliad. Φ.
Ἔσται ταῦτα Σκάμανδρε διοτρεφὲς, ὡς σὺ κελεύεις.

Et aliàs saepe. Mirari verò satis non possum, quòd Caesar Scaliger * non dubitarit Catullum reprehendere, quia toties producat brevem finalem, si duae consonae sequantur: praesertim cùm aliter etiam posset; ut in illo †:
Propontida, trucemque Ponticum sinum.

* Lib. 6 de re Poet. cap. 7.
† Epigr. 4.

Ubi potuit, *Propontidem.* Sed enim judicio id Catullum fecisse, non quia invitus à versibus suis traheretur, ut Scaliger * putabat, argumento est, quod nunquam aliter voluit. Quod nec satis attendit Parthenius; cùm carmine ad Cinnam, versum, qui desideratur, sic supplet de suo:
In pede stans fixo carmina ructat hians.

* Ibidem.

Nec enim sic scripturus fuerat Catullus, qui producere solet syllabam, si vox sequens à consonis coeperit. Nec sanè unquam corripere ausus est Martialis. Producit autem lib. V, epigr. LXX in M. Antonium:
Quid gladium demens Romana stringis in ora?

Contrà Propertius nunquam ausus est producere. Corripit autem, cum aliis locis, tum lib. IV, eleg. V:
Consuluitque striges nostro de sanguine.
Ovidius quoque corripit passim: ut in Arte lib. I;
Altera Scylla maris monstrum.
Item epistolâ Ariadnes:
Strataque Cretaeam bellua stravit humum.

Multisque aliis in locis: sed, si dicendum, quod res est, plurimùm ejusmodi, ut MSSi non consentiant. At, ubi

ubi producat, non reperias, saltem in codicibus editis. Nam in MSSis est unus alter locus, ubi vocalis sit porrecta. Verùm loquimur nos de locis non controversis. Lucretius mediam inter Catullum, & duos illos, Propertium atque Ovidium, insistit viam. Sæpe enim corripit. quod male negat Taubmannus præfatione Melodæsias suæ. Exempla hic in contrarium vides. Ejus est initio versus, *Tenuia sputa*, *Endo statu*, *Libera sponte sua*: in fine: *Mollia strata*: imò & post S elisum: ut,

—— *Saxis pendentibu' structas.*

Et,

—— *Guttis manantibu' stillent.*

Est tamen, cùm producat. Ut lib. VI:

Exspiretque foras in aperta promtaque cali.

Etiam ei eopse libro claudit versum, *plurimaque plus.* Maro quoque nunc corripit, nunc producit. Corripit in istoc XI Æn.

Spem siquam accitis Ætolûm habuistis in armis,
Ponite spes sibi quisque suas.

In tertio item:

Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthus.

Nec præterea id ausus videtur. Producit autem Æn. IV:

Ferte citi flammam, date tela, scandite muros.

Non *ascendite*, ut nugatores quidam mutarunt. Maronis quoque imitator Silius corripit lib. XIV:

Mille Agathyrna dedit, perflataque Strongylos austris.

Producit lib. III:

—— *Gelidosne scandere tecum*
Deficiam montes, conjux tua?

Sic quoque Florentina Juntæ *: ubi Gryphiana † perperam, *gelidos sic.* Similiter Petronius Arbiter:

* Anni 1515. † An. 1551.

—— *Florida tellus,*
Cùm volo, spissatis arescit languida succis.

Corripit Lucanus in II:

Tales fama canit tumidum super aquora Xerxem
Construxisse vias.

Papinius quoque corripit; cujus est:

—— *Sparsosque studet componere crines.*

Item Manilius lib. III:

Tertia forma stetit ‡ summo jam proxima cælo.

‡ Nisi legendum, Tertia forma stetit: est & in Aldina anni 1499. & illa Bonincontrii. Alterum est in priori edit. Scalig. at non secunda.

Et sanè eorum, ubi syllaba sit porrecta, non ita magna est copia. Multa, scio, congeri solent: sed ubi syllabæ productio cæsuræ tribui possit. Poterat id dicenti credi: sed nequis scrupulus hæreat, ipsos ob oculos ponemus poëtarum versus. Triemimeri tribui potest in hoc Tibulli lib. I. Eleg. V.

Illa Deo sciet agricolæ pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

Ubi malè *& spicas* habet Aldina, & Regiensis anni CIƆ CCCC LXXXI. Sic Gratius de Venatione:

Vulpina species, tamen hic exacta voluntas.

Et Juvenalis sat. VIII.

Occulta spolia, & plures de pace triumphos.

Item Prudentius in Psychomachia:

Imbuere, fragilique viros fœdare triumpho:

Quæ lectio in editione Tornæsiana ad oram annotatur, inque Manuscriptis reperta à Giffanio, imò constanter in iis ita legi monet Giselinus.

Sed in omnibus hisce, quemadmodum dictum, etiam triemimeris concurrit; ut dubitare possis, num cæsuræ, an geminæ consonæ tribui debeat, quod syllaba naturâ brevis producitur. Siquidem non rarò usu venit, ut syllaba brevis sequente vocali, ac proinde solius cæsuræ beneficio, post primum pedem sit porrecta. Ita dixit Maro IV Æneidos:

—— *Pecudumque reclusis*
Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.

Et Æneïd. XI.

Pacémne exanimis, & Martis sorte peremtis
Oratis? equidem & vivis concedere vellem.

Similiter Lucanus lib. II.

Dum sanguis inerat, dum vis materna.

Et Martialis lib. VI, epigr. LXI.

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos:
Meque sinus omnes, me manus omnis habet.

Quod verò de triemimeri diximus, idem post secundum pedem fit. Ut Eclog. X:

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Et X Æn.

Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.

Martialis quoque est lib. VII, epigr. XLII:

Maximus ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est.

Videmus, ut hic etiam, non sequentibus consonis, syllaba naturâ brevis ob pentemimerim producatur. Ut non satis constet, utrum ob consonas duas, an propter cæsuram, syllaba secundum pedem excipiens sit porrecta in illo Lucani lib. V:

Aut pretium: quippe stimulo fluctuque furoris.

Et hoc Statii VI Thebaïdos:

Praceleres: agile studium, & tenuissima virtus.

Vel Ovidii hoc Trist. lib. V, el. XV:

*Nil opus est morte * pro me, sed amore, fideque.*

* Ita est in MSSis: pro quo aliqui reponunt, At nece nil opus est pro me.

Quibus simile illud Prudentianum hymno IV. περὶ στεφ. *Civitas quaque pretiosa portans.* Ubi pro *quaque* à Fabricio, Pulmanno, ac Giselino, editum est *omnis.* Sed in MSSis *quaque* legi, præter Giffanium, Antonius Cauchius Ultrajectinus observavit.

Similiter & post sedem tertiam id locum habet. Nam legimus quidem in Catulliano carmine de nuptiis Pelei & Thetidos:

Nulla fuga ratio, nulla spes, omnia muta.

Item apud Maronem VI Æneid.

Venisti tandem, tuaque spectata parenti
Vicit iter durum pietas.

Ita enim, non *exspectata* legi debere, rectè observavit Passeratius. Verùm &, sequente vocali, dixit idem poëta IV Georg.

(Nam duo sunt genera) hic melior, insignis & ore.

Et Æneïd. III.

Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto.

Et Æneïd. V:

Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.

Item Lucanus VII:

Mors hic gentis erat: sanguis ubi fluxit Achivus.

Par ratio est locorum, quibus QUE dicunt produci, quia duæ sequantur consonantes. Nam etsi crebrò QUE porrectum duæ excipiant consonæ: est tamen, cùm una tantum sequatur. Utriusque dabimus exempla. Quippe apud Maronem quidem legitur I Georg.

Lappaque, tribulique, interque nitentia culta:

& eodem: *Eurique, Zephyrique tonat domus*: ubi QUE produci ob duplicem sequentem, Erythræus * scribit.

* In indice, voce Nemorosa.

Et IV Georg.

Drimoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque.

Et Æn. X.

Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Sed idem dixit III Æneïd.

—— *Tremere omnia visa repente*
Liminaque, laurusque dei, totusque moveri
Mons circum.

Et XII Æneïd.

Chloreaque, Sybarimque, Daretaque Thersilochumque.

Par ratio est in multis Ovidii locis. Nam legimus quidem tertio Metam. fab. VIII.

Vulgusque, proceresque ignota ad sacra feruntur:

Quomodo in MS nostro, Aldinàque rectè exaratum est: ubi, *Vulgusque, & proceres*, est in aliis, etiam Venetâ Bernardini anni CIƆ CCCC LXXXVI.

Est quoque eopse libro fab. IX.

Corporeque presso spinæ curvamine flecti,

Ut in plerisque est MSSis: quod postea variè mutarunt: unde

unde MS noster, *Corpore sed presso*: Veneta Bernardini, *Corpore depresso & spina*: Aldina, *Corporeque & presso.*

Sed ut in his post encliticam QUE, sequitur consona gemina, ita id dici non potest de illo ejusdem Nasonis v Met. fab. VIII.

Sideraque, ventique nocent, avideque volucres.

Uti rectè est in Aldina.

Sed hic quoque cum indoctus librarius hæreret, alius quidem scripserat, *Sideraque & ventique*: alius æque ineptè, *Sideraque, & venti nocent*. Quorum utrumque in aliis MSis, & antiquis editt. invenimus.

Cùm verò omnibus hisce locis, quibus QUE producitur, vel duæ sequantur consonæ, vel minimùm sit cæsura: planè deceptus videtur Servius, qui eò id fieri putabat, quia particula hæc naturâ suâ sit anceps. Ita enim scribit in III Æn. *QUE brevis est pro longa posita; quæ hác ratione defenditur; aut quia omnia monosyllaba ad artem non pertinent, & his licenter uti possumus: aut certè, quia omne μόριον, id est particula, quæ sui substantiam non habet, membrum putatur superioris orationis. Quod si LIMINAQUE, quasi una pars orationis est: & potest QUE, finalitatis ratione, vel produci, vel corripi.*

Hujus etiam loci est controversia ista, an H & alteri juncta non-vocali efficiat syllabam positione porrectam. Sanè sic videtur. Nam Manilii est lib. I.

Nec gravius cedit, nec horrens frigore cedit.

Prout in postrema editione à Scaligero expressum est. Video enim in priori hoc pacto legi: *non horrens frigore*. Sed postea mutavit, compulsus MSo Gemblacensi, in quo reperit, *nec horrens*. Imò ante eum monuerat socer meus Clarissimus Franciscus Junius, sic reperisse se, cum in editione Romana, tum MSo Bibliothecæ Electoralis Palatinæ. Eodemque modo invenimus in editione eâ, quam exhibuit Aldus anno uno ante millesimum quingentesimum: quam & postea Basileensis Hervagii secuta est. Quare in eo consensu minimè ausim hanc lectionem damnare: etsi interea ægrè subscribam. Sed ut hoc loco nonnihil moveor, uti & pauculis aliis; ita pleraque, quæ pro hac sententia adducunt, videntur mihi parum firma. Uti ille Ausonii * versus, in quo H positionem efficere, etiam scriptum est à Josepho Scaligero †:

* Epigr. 43.

† Notis ad Propertii lib. 2. el. 28.

Mercator hodie, cras citharœdus eris.

Item iste Propertii lib. II, el. XXVIII: ut quidem idem legendum monet:

Et tibi Mæonias inter heroidas omnes.

Etiam Henricus Stephanus in Paralipomenis ‡ asserit, Homeri exemplo à Marone hoc factum esse Ecl. VI:

‡ Pag 61. suæ editionis.

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Atque idem scripserat Marius Corradus lib. I. de L. L. Et ante hos Velius Longus de Orthographia. Sed mirum, tantos viros hujusmodi exemplis moveri, in quibus cæsuræ id tribui potest, cùm toties, ubi nullum est H, sed vocalis pura vocem inchoat, syllaba naturâ brevis producatur. Plus coloris habet locus alius, quem de Enniano fonte producunt. Sed nobis non de Ennio, Pacuvio, Accio, & aliis cascis, sermo est; verùm idoneis metricæ rei auctoribus. Quamquam ne Ennii quidem versus efficit, quod putarunt. Scio legi vulgò apud Gellium lib. VII, cap. II.

Annibal audaci dum pectore dehortatur.

Ubi præverbium DE longum esse contendunt, eo quòd H pro consona censeatur. Mihi tamen contrà legendum videtur, *me dehortatur*. Nihil sanè usitatius est, quàm ut DE in compositione κατὰ σύνθεσιν coalescat: ut in *deerraverat*, & *deest*: apud Maronem ipsum, *deerit* apud Horat. & Propertium; *dehinc* apud Statium, & sunt similia trecenta. Quare nil opus refugere ad tmesin; quasi scripserit Ennius, *de me hortatur*: quod placuit Philippo Rubenio lib. II, Elect. cap. XXII. Nempe ut simile sit isti Lucilliano, *deque petigo*, pro *& depetigo*. Nam *petigo* Latinum non est; etsi id Nonius ex allato colligat Lucillii loco.

CAP. XVI.

Quæ ad positionem, quam debilem vocant, requirantur. Syllabas, quæ ob positionem ejusmodi in carmine sunt ancipites, in oratione prorsa malè produci. Schotti sententia de Nasonis versu, ejusdemque in Valerio Flacco emendatio rejicitur. deque vera lectione conjectura nostra. Neuri in lupos quotannis verti credebantur: & unde origo fabellæ. M cum N vocalem præcedentem ancipitem reddunt apud Græcos, interdum etiam Latinos. Idemque apud utrosque facit N post G, & D. Alciati sententia semel iterumque improbata. S Græcis Latinisque liquescit. Vera lectio Catullo, Oppiano, Ennio, & aliis poetarum adserta. Melos *priori correpta. Solus bacchus seu asellus piscis cor habet in ventre.*

AD positionem, quam debilem vocant, tres statuimus conditiones requiri. Prima est, ut uda sive liquida ponatur post mutam. Altera, ut id fiat in eâdem syllabâ. Tertia, ut collocetur muta post vocalem naturâ brevem. Concurrunt hæc in *chiragra*, *funebris*, *impigre*, *integro*, *latebra*, *lugubris*, *muliebris*, *feretrum*, *podagra*, *tenebra*, & similibus: quæ iccirco in carmine penultimam habent ancipitem. Nec temere addo de carmine: quia in prorsa peccet, qui producat: quod cùm veteres Grammatici docent, tum hic Quinctiliani locus ostendit lib. I Instit. Orator. cap. IX. *Evenit, ut metri quoque conditio mutet accentum: ut**, —— *Pecudes, pictaque volucres. Nam volucres mediâ acutâ legam, quia etsi naturâ brevis, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus heroicus.* Jam olim hac de re Petrus Schottus epistolam scripsit ad Jacobum Wimphelingum: quæ à Goldasto edita in centuriâ epistolarum philologicarum. Meritò autem primæ huic conditioni, ut mutam uda excipiat, duas alias subdebamus. Siquidem prior in *obruo* tantùm longa est, ob defectum secundæ legis: prior item in *matris*, ob defectum legis tertiæ. Estque similis ratio in *ambulacrum*, *candelabrum*, *delubrum*, *lavacrum*, *simulacrum*, *volutabrum*, *salubre* &c. Quod sæpe non cogitarunt Christiani, atque alii sequioris ævi poetæ: at Prudentius Cathemerinôn hymno V*:

* Georg. 3. & Æn. 4.

Jussus, nexa pedum vincula solvere,
Ne sanctum involucris pollueret locum.

Item Prosper Aquitanicus in epigrammatum libro †:

* Tit. Ad incensum cerei paschalis.

† Tit. De diaboli superbia.

In quo, per lavacrum fides virtute renata,
Cœleste accipiet gens nova principium.

Atqui & *involucrum* est à supino *involutum*, & à *lavatum lavacrum*: ut post syllabam naturâ longam debilis positio locum habere non possit. Itidem cùm *creber* priorem habeat porrectam, longa etiam erit in *crebra*, & *crebrè*. Ut Opsopæus, Luciani εἰς κόλακας epigramma transferens, perperam dicat: *Talis, & hac ipsa lædimur arte crebrò.*

Nec imitari ausim Buchanani illud Psal. XCIX.

Augustum celebret gens hominum tuum
Nomen, qui salubri temperie modum
Sceptris constituas tuis.

Nam Ovidii est lib. II de Remedio Amoris:

Ut faveas cœptis, Phœbe saluber, ades.

Nec ratio est obscura, cùm nomen hoc sit à salute. Vidit hoc Lupus Ferrariensis abbas jam illâ ætate (sub Carolo Calvo vixit) epist. XX ad Altuinum: ubi clarè ait, in *aratrum*, & *salubris*, penultimam produci: nec se apud poëtarum quemquam, etsi sedulò inquisierit, brevem eam reperisse: rationem paullò ante expresserat. *Communem*, inquit, *syllabam ex muta, & liquida, fieri in eis solùm, quæ per naturam brevia sunt, nequaquam dubitaverim.*

Imò & quartâ quinctâque conditione opus est. Nam etiam, cùm priores adsunt, insuper dispiciendum est, an simile suppetat exemplum veteris poëtæ. Neque enim *locuples* in fine hexametri usurpem: aut sine auctore secundam in *genetrix* produxerim, etsi *genitor* dicamus mediâ brevi. Quemadmodum nec in *multiplex* secundam usurpa-

rem

rem longam, nisi sequente encliticâ: ut apud Lucretium lib. II.

Multiplexque loci spatium transcurrere eodem.

Nec dubium, quin classici potiùs sequendi sint, si consentiant. Ut in *nigro*, ubi nemo priorem, quod sciam, corripit, præter Manilium, Theodosiani ævi poëtam. Ac fortasse par ratio in *latrare*. Quamquam priorem non Guntherus modò in Ligurino, corripiat; sed etiam Sidonius: cum ait,

—— *Circumlatrat ingens Turba canum.* ——

Item Claudius Mamertus Victor, commentario in Genesin:

Explorare juvat, mentemque explere latrantem.

Et Festus Avienus in descriptione orbis terræ:

Totum hoc circumlatrat æstus.

Item in ora maritima:

Circumlatratur iste pontus maximus.

Imò & Phædrus ipse; cujus hoc fab. v:

Canem objurgabat, cui senex contrà latrans.

Sed non est Phædrus ille Augustæi ævi, ut multi arbitrantur: vel multa saltem sunt a sequiori ætate. Objiciat aliquis Plauti hoc Amphitr. act. IV. Sc. *Di vostram fidem:* —— *Nec gannio, nec latro.* Sed etsi Brissonius lib. I Formul. pluresque alii, ex hac scena quædam ut Plautina citant: omnino tamen est supposititia. Ac alibi etiam hac scena spondeum sede ultimâ sæpius legas: ut ex ea difficile sit judicium ferre.

Præterea quod ajunt de udâ sequente mutam, id tam in Latinis, quàm Græcis, intelligendum de L, & R. In Latinis, ut in *reflo*, *refloreo*, *volucris*. In Græcis, ut in *Cyclops*, *Atlas*, *cochlea*. Martial. lib. XI, epigr. XIX:

Vix implet cochleam peracta messis.

Sic lib. Xen. epigr. L:

Et cochleas tibi habe. perdere nolo famem.

At M, & N, in Græcis tantùm syllabam reddunt ancipitem. Id cùm probare vellet Priscianus*, unico in hoc Ovidii† loco acquiescendum putavit:

Piscosamque Gnidon, gravidamque Amathunta metallis.

* Lib. I. cap. de literar. affectionibus.

† in Met. fab. 10.

Verùm firmius hoc argumentum foret, si Latini semper syllabam producerent, quoties vox sequens à duabus inchoat consonantibus: de quo antè diximus. Magis igitur apposita sunt exempla apud Horatium in *Tecmessa*, & *cygnus*: ac dixit eodem modo Petronius Arbiter:

Et baccis redimita daphne, tremulaque cupressus.

Et paullò pòst: —— *Testis sylvester aëdon,*

Atque urbana Progne.

Item Martialis lib. VII, epigr. LXXXVI:

Delectat Marium si perniciosus ichneumon.

Ausonius epist. XX. ad Paullinum:

Quid refert? Cornix non ideo ante cygnum.

Puto autem, duntaxat in nominibus id factum inveniri, & quidem iis, quæ à Græcis accepimus. Quare rectum censeo illud Nasonis in VIII Metam. fab. IX:

Debuit illius misereri, ignoscere nobis.

Uti Aldina habet, & quidam Mss. Pro quo in membranis nostris, ac Venetâ anni CIↃ CCCC LXXXVI invenimus, *& ignoscere*: quod etiam probat doctissimus Andreas Schottus Observat. human. lib. II, cap. XXXVII. Eapse de caussa ab eodem dissentio super illo Valerii Flacci lib. VI Argonauticorum: —— *Et raptor amorum*

Neurus, & expertes canentis Jazyges ævi.

Quomodo etiam à Carrione editum est.

Ubi idem Schottus pro *raptor amorum*, legit —— *raptor agnorum*. Ut eo respiciat poëta, quòd λυκάνθρωποι in agnos sæviant: Neuros autem in lupos quotannis converti solere, proditum sit à Mela lib. II, cap. I, Solino cap. XX, Eustathio in Περιηγητὴν*, atque aliis. Malim sanè pro *amorum* legere *agrorum*: sed impensiùs locum consideranti in mentem venit, uti proximè mentio fit Jazygum, qui Neuris sunt propinqui, ita aliquem etiam populum esse nominatum, quem, juxta fabulas, rapere soleant Neuri in lupos conversi; sive, juxta historiæ fidem, quem quotannis soleant prædando populandoque infestare; quæ res originem fabulæ præbuerit de Neuris in lupos conversis. Ex Ptolemæo autem didici, hisce Neuris sive Navaris (iidem enim sunt, ut etiam Ortelius censet, & descriptio eorum apud veteres Geographos satis indicat) finitimos esse Amadocos. Unde conjectabam, ita legi debere:

* Vers. 310.

—— *raptorque Amadocûm*

Neurus, & expertes canentis Jazyges ævi.

Sed ad rem metricam redeamus.

Est & alterum genus positionis debilis, quando Latini corripiunt syllabam naturâ brevem, eò quòd sequantur M, & N: ut illo in Ciri:

Nam verum fateamur: amat Polymneia verum.

Item apud Horatium Od. I, lib. I:

—— *Si neque tibias*

Euterpe cohibet, nec Polymneia

Lesboum refugit tendere barbiton.

Et hoc Nasonis V Fast. in princip.

Dissensere Deæ: quarum Polymneia cœpit.

Nimirum Græcè est Πολυμνεια, ex πολὺ, & μνεία. Et usus Lucianus περὶ ὀρχήσεως. Et tunc τὴν διέλωσιν, Πολυμνεία, Πεντασυλλάβως. At Ἰωνικῶς Πολυμνηία. Quod Latini poëtæ imitantur.

Quamquam nec desunt, qui hisce locis legant, *Polyhymnia*. Sed hoc probare non possum. Nec enim Græci dixere Πολυύμνια, sed Πολύμνια, extrito priori υ: ut clarè ait Etymologus Græcus, in Εὐρύπυλος. Atque ita quoque est non apud poëtas modò, ut Orpheum, & Nonnum, inque Ἀνθολογίας lib. I; sed etiam qui prosâ scripsere; ut Diodorum lib. IV, & Plutarchum in Symposiacis lib. IX, probl. XIII. Etiam Herodoti liber septimus Πολύμνια inscribitur. Quare cùm *Polymnia* si legas, claudicet versus, omnino Polymneia legendum. Par ratio in isto Ovidii XIII Metam.

Bistoniis habitata viris, Polymnestoris illic.

Et ibidem:

Vadit ad artificem dira Polymnestora cædis.

Quamquam verò in Mssis nostris, & antiquis editt. Venetis, etiam quæ Aldinam præcessere, constanter *Polymestoris* reperiam: prius tamen malim, cum sit ejusdem originis ac πολύμνηστος: unde Homero πολυμνήστη, *multis ambita*, multos habens, vel quot habuerit μνηστῆρας, *procos*. Addam & hoc Catulli ex ejus Galliambo, quod carminis genus extrema sede semper Galliambum habet:

Abero, foro, palæstrâ, stadio, & gymnasiis?

Item illud Silii in VIII:

Ecce inter primos Theramnæo à sanguine Clausi.

Cui simile illud Hesiodeum:

Ἤτε καὶ ἀπάλαμόν περ, ὅμως ἐπὶ ἔργον ἐγείρει.

Etiam CL syllabam faciunt ancipitem Sereno Sammonico. Ut illo:

Contritis prodest cochleis perducere frontem.

Item isto:

Sed cochleas primùm est urticâ, aut furfure pasci.

Imò est, cùm debilis sit positio, si sequantur D, & G; ut apud Martialem lib. V, epigr. XI.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, jaspidas uno

Portat in articulo Stella, Severe, meus.

Nam apud Græcos T, cui D cognatum est, eodem modo liquescit post K, aut Π. Æschylus in Supplicantibus:

Ἡγεῖσθε βωμοὺς ἀξίνας Θεῶν ἕδρας.

Secundam in Αἰγύπτιος Homerus non uno in loco corripit: uti & Orpheus in Argonauticis Hesiodo in Clypeo Herculis Ἠλεκτρύων constituit duos postremo hexametri pedes. Sed & in Theocrito legimus:

Θωρηχθεὶς ἐπὶ βοῦν ἀναβὰς Αἰγύπτιος ἀνήρ.

Sunt hæc origine Græca. Quæritur an idem locum habeat in Latinis. Priorem in *omnis* à Lucretio, Terentioque corripi, ac similiter ab Ausonio factum censet Elias Vinetus ad Ausonii Professores carm. VI. (p. 149. c.)

Alciatus lib. IX Παρέργων cap. IX putabat, similiter Plautum corripere priorem in CAPTUS, cùm ait Rud. Act. III, Sc. II.

Atque eris si nactus, proinde ut corde amantes sunt cati.

Nempe credidit *catus*, extrito P, usurpâsse pro *captus*, metri caussâ: quia est carmen quadratum catalecticum. In quo commento non video, ut vir summus satis consuluerit nomini suo. Neque enim aliter *catum* hic dixit Plautus, quàm in Epidico *consilium catum*, aut Ennius *cata dicta*, quod Varro interpretatur *acuta*. Unde & *Catonis* nomen factum. Idem Alciatus eopse capite *catus* similiter accepit in epitaphio Plauti; ubi legi ait:

Postquam est morte catus Plautus.

Quod æquè Alciato indignum. Vera autem scriptura est veterum librorum:

Postquam est morte datus Plautus, Comœdia luget.

Morte pro *morti*. Nam sæpe dandi casus, & auferendi, in tertia terminationem commutabant. De quo sequentibus libris dicetur. Scio, quid de versibus istis scripserit Valens Acidalius *: sed quòd hoc Plauti epitaphium in numeros sic digessit, planè operam lusit.

* Divinat. in Plauti Amphitr. cap. 1.

Porrò, quod suprà dicebamus, M, & N quoque, Græcorum more, interdum liquescere apud Latinos: id in S finali etiam locum habet. De Græcis satis apertum est; ut in illo Arato:

Ἔργα λεπταλέῃ χειρὶ ζ πολύφαντος ἀγροίτης.

De Latinis indicio sunt hi versus Ennii Annal. VII.

—— *Doctu', fidelis,*
Suavis homo, facundu', suo contentu', beatu',
Scitu', secunda loquens in tempore, commodu', verbûm
Paucûm.

Et millena aliquot istiusmodi apud opicos istos inveniuntur. Quin & crebrum illud Lucretio. Ac Catulli quoque est ad Gellium:

At fixus nostris tu dabi' supplicium.

Imò Fulvius Ursinus, in Virgilio suo cum Græcis scriptoribus collato, ad Ecl. I, monet, ita hos Catulli versus legi debere:

Sanguine hanc etiam mihi, sed tacebitis, aram
Barbatus linit hirculu', cornipesque capella.

Sicut scribatur, non *hirculus*, metri rationem poscere ait. Sed profectò metri ejus rationem non intellexit. Est enim metrum antispasticum, sive, ut Diomedes appellat, Priapejum: quod, ut superiùs etiam dictum, Glyconio constat, primâ sede trochæum habente, & Pherecratio, itidem initio habente trochæum. Apud Virgilium quoque olim nonnullis in libris legebatur Æn. II:

Limina tectorum mediis in penetralibus hostem.

Ubi sic Servius: *Si MEDIIS dixeris, non stat versus, nisi excluso S. Ut,*

Inter se coiisse viros, & decernere ferro.

Sed priori loco nunc legitur, *medium in penetralibus*: posteriori, *& cernere ferro.* Quæ scriptura alibi nobis adserta. Idem factitatum ajunt Manilio, & Dionysio Catoni: nam apud illum lib. II, in Aldinâ † legi, *Cyllenie' Cancrum*: apud hunc lib. II, dist. XXIV,

† Ann. 1499.

Successu' indignos noli tu ferre moleste:

prout in nostris etiam membranis invenimus. Sed Manilius scripsit, *Cyllenie Cancrum*: Cato autem,

Noli successus indignos ferre molestè:

prout nunc excusum in melioribus libris.

Quorundam etiam sententia est, S liquescere in media dictione, tum apud Græcos, tum Latinos. Videamus, quibus pugnent argumentis: Producunt ex Oppiani de Venat. lib. II *:

* Vers. 160.

Τὸς καλέουσι βίσωνας, ἐπεὶ πάτρης πελάθουσι
Βιστονίδος Θρήκης.

Quomodo in Aldinâ, & editionibus aliis, is locus legitur. Atque eam etiam lectionem probant cum Bodinus, & Conradus Rittershusius in notis ad eum scriptorem; tum Theodorus Marcilius annotat. in librum de spectaculis Martiali tributum. Qui omnes Σ hic elidi disertim scribunt. Sed vocalem in media dictione, sequente ΣΤ, nusquam puto inventam correptam. Præterea animal hoc βίσωνας vocant Seneca, Plinius, Martialis, & è Græcis Pausanias lib. X: à Xiphilino similiter βίσωνες dicuntur; idemque ait, βοῶν † τι γένος βαρβαρικὸν εἶναι. Quare non dubito, quin βίσωνας legere oporteat; atque idem Brodæo, ac Gesnero visum fuit.

† Esse quoddam barbaricum genus boum.

Qui, etiam apud Latinos, S in media voce putant elidi, id assertum eunt illo Ennii apud Varronem lib. VI de L. L.

Subulo finitimas propter astabat aquas.

Volunt autem, esse versum pentametrum. Et ita quidem legitur quoque in vett. editionibus: uti Aldinâ, & hac antiquiore Mediolanensi. Sed apud Festum is versus concipitur hoc pacto:

Subulo quondam marinas propter astabat plagas.

Qui trochaicus est quadratus catalecticus. Cujusmodi fecisse Ennium in satyris, præter alios argumento sunt, quos Gellius adfert lib. II, cap. XXIX.

Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm,
Nequid exspectes amicos, quod tute agere possies.

Atque ut ita scripserit Ennius, prout legitur apud Varronem; tamen nihil opus recurrere ad elisionem sibili; quando nunc quoque, prout apud Varronem concipitur, jambicus est. Olim enim in T erant communia. Atque idem Sotadicus est futurus, si duntaxat verbum *astabat* rejicias in ultimum locum. Quod satis liquet ex Servii Centimetro *.

* Cap. de metro Trochaico.

Paullò plus coloris habet versus ille Lucilii apud Gellium lib. XVIII, cap. VIII.

Quo me habeam pacto tametsi non quæris docebo.

Sed planè assentio Dusæ utrique, qui rescribere jubent:

—— *tamenetsi haut quæris docebo.*

Nam *tamenetsi* pro *tametsi* antiquum est: quod Plauto, Terentioque etiam, restituit Guilielmius in Verisimilibus.

Quod si, cum Alciatum, tum etiam Ferrarium, & Hieronymum Columnam audimus, ejusdem elisionis exemplum fuerit illud, sive Ennii, sive Lucilii, quod apud Tullium I de Officiis, & Invectivâ II in Antonium citatur:

O domus Anci, quàm dispari domino dominaris.

Sed cùm in omnibus MSS, etiam iis, quibus Carolus Langius usus fuit, pro *Anci*, vel, ut alii malunt, *Anti*, legatur *antiqua*: caussam non video, cur non potiùs ex jambicis aut trochaicis ejus poëtæ is versus desumtus videatur. Interim quia etiam hoc de versu varii variè sertam ducunt, nihil ex eo certi colligere licet.

Nec audiendus Abrahamus Ortelius: qui in Thesauro Geographico †, apud Ovidium epist. XIX, ubi vulgo est,

† In Ceos.

Insula Coryciis quondam celeberrima nymphis:

non *Coryciis*, vel etiam *Caryciis* (quæ nymphæ juxta Parnassum montem) legendum putat, sed *Carystiis*: quod nemo aliter excuset, quàm elisione sibili. Multùm tamen metuere me fateor, ne Ortelio id in mentem parùm venerit, ac solius metricæ artis ignorantiâ sic putârit.

Denique & controversia est de simplici liquidâ, utrùm ea vim habeat producendi instar duplicium. De Græcis constat. Ut Ιλ. χ:

Πολλὰ λισσομένω οὐδ' Ἕκτορι θυμὸν ἔπειθεν.

Et seu Homeri, seu alterius hymno εἰς Ἑρμῆν:

—— Θεὸς δ' ὑπὸ μέλος ἄεισε.

Creditur autem Persius Græcorum imitatione dixisse in prologo:

Cantare credas Pegaseium melos.

Martianus quoque Capella putatur libro ultimo eodem versu primam in *melica*, nunc corripere, nunc producere:

Et melicos cantus melica grata tulit.

Quod si est, Politianus * fallitur, cùm *melos* censet nusquam legi priori productâ. Nec negare possum, sic edidisse Basileenses †. Sed certum est, pro *melica* scribendum esse *bestia*; ut est in editione maximi Hug. Grotii. In scazonte autem Persiano pro *melos* omnino malim *nectar*: quod in aliis est codd. Nec movet me vel quod Marullus falsè propterea epigrammate suo rideat Politianum: vel Scoppæ *, aut Turnebi † argumentum, qui existimant, dici non posse *cantare nectar*, quia nectar non canatur, sed bibatur. Nam ἀκυρολογία istiusmodi in alio me scriptore moveat, in Persio non item. Ac alibi * firmavimus hanc

* Miscell. cap. 44.
† Henr. Petr. an. 1532.
* Lib. 1, Collect. cap. 34.
† Lib. 10, Advers. cap. 13.
* Institut. Orat. lib. 4. cap. 12. §. 2.

hanc lectionem è Martiano Capella lib. IX. Nam ut hic dicitur *cantare Pegaseium nectar*: ita ait ille *vocis Pegaseia nectar*. Quod sine dubio de Persiano illo adumbratum.

Et hæc de regulis generalibus; quæ qualia qualia sunt, non infructuosa spero erunt adolescentiæ, modò cruda nolit studia ad forum vel umbonem propellere. Eos verò non moramur, qui talia facere negant πρὸς τὰ ἄλφιτα †: quibus solis qui studia sua metiuntur, eos prope dixerim mentem infodere intestinis, eoque similes esse asello pisci (ὄνον, ὀνίσκον, βάκχον καὶ χελλαρίην vocant Græci *) quem solum animantium cor habere in ventre, scripsit Aristoteles, & ex eo Clemens Alexandrinus lib. II Pædag. †.

† *Ad farinam.* * *Plin. lib. 9. Hist. Nat. cap. 17. Athenæus lib. 3 ex Dorione, Eustathius in Il. λ. pag. 862. edit. Rom.* † *Cap. 1, sive pag. 34. edit. Florent. Gr.*

CAP. XVII.

Pighii Ovidiana emendatio rejecta. Focale, *&* deciduus, *pro significatione variâ variant quantitatem.* Sanates. *Plusculanon servantia modulum primitivi.* Ἐτυμολογίαι lucis, vadi, fatui, tigilli, temeti, aquæ, *& aliorum.* Totus, *cùm redditsvum est vocula* quotus, *priorem habet correptam.* Præputii ἔτυμον. *De compositis non retinentibus modulum simplicium. Varii refelluntur.*

SEd ad speciales regulas accedamus. Quarum aliæ de primis, & mediis syllabis; aliæ de ultimis agunt. In prioribus principem sibi vindicat locum illa de derivatis.

Rectè verò docent, derivata sequi solere quantitatem primogeniorum. Sic secundam in *argumentum* longam esse cognoscimus, quia est à supino *argutum*. Sic eandem in *rudimentum*, quam rudiores corripiunt, produci debere, liquet ex supino *eruditum*. Eoque Valerius Flaccus lib. III:

Grata rudimenta Herculeo sub nomine pendent.

Et Ausonius Idyll. XV:

Dura rudimenta, & juvenum temeraria pubes.

Ad canona hunc non attendit doctissimus Stephanus Pighius, cùm in primo Annalium Romanorum * legere jubet apud Ovidium in Sexto Fastorum:

Plautius †, ut possent specie numeroque Sanatum
Fallere, personis imperat ora tegi.

Ipse enim non diffitetur, *Sanates* dictos à sanatâ mente: unde in XII Tabb. opponuntur *fortes*, & *sanates*; ubi *fortes*, qui constantes; *sanates*, qui defecerant, sed ad saniorem redierunt mentem. At priorem in *sanus* produci, arguit compositum *insanus*. Ut omnino rectum sit *Senatum*, quod legere est in vulgatis, & MSS omnibus.

* *Ad annum Urbis 642.* † *Alii codd. Callidus ut posset. Vel etiam, Claudius ut posset.*

Similis error vulgi, quando in *trituro* *, quod verbum sequioribus seculis irrepsit, corripiunt mediam. Est enim à *tritura*, quod eam habet porrectam. Maro I Georg.

Magnaque cum magno veniet tritura calore.

* *Apud Vet. Scripturæ interpretes Esa. c. 28. v. 28 & 41. 15. item Osee 10. 11. & 1 Cor. 9. 10. atque alibi.*

Interdum autem origo diversa modulum variat. Sic *focale* à faucibus producit priorem, apud Martialem lib. XIV, Carm. CXLII.

Hoc focale tuas asserat auriculas.

At à *foco* corripit. Horat. sat. III, lib. II.

—— Ponas insignia morbi
Fasciolas, cubitale, focalia.

Deciduus à *cado* producitur. Ovid. Met. VIII.

Contremuit, gemitumque dedit decidua quercus.

At à *cado* corripitur; uti *succiduus*: quo idem usus Met. X. *Poplite succiduo.*

Sunt interim quædam, quæ recedant à natura eorum, unde derivantur. Uti brevia sunt à longis, *sagax* à *sagire*, unde *præsagire*; *noto* à supino *notum*, *nato* à *natum*, *sopor* à *sopio*, *arena* ab *areo*. Horatius lib. III, od. IV:

—— Bosporum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Assyrii viator.

Sic *fides*, quod est à *fido*, ut Græcis πίστις à πέπεισμαι. Ne quem Ciceronis, vel B. Augustini moveat autoritas, qui à *fio* deducunt. Quamquam sic quoque sit à primigenio longo. *Varicosus* etiam primam corripit Persio sat. V. & Juvenali sat. VI. Est tamen à *varix*; hoc à *varus*; quod priorem producit Horatio, Ovidio, Persio; uti & *varicus* eidem Ovidio in tertio de arte. Idem in propriis fit. Nam à *quinctilis* sunt *Quinctilius*, *Quinctilia*, & *Quinctilianus*; à *sextilis*, *Sextilianus*. Tamen à poëtis corripiuntur. Catullus Carm. XCVII.

Quinctilia, quantum gaudet amore tuo.

Horat. lib. I, od. XXIV.

Ergo Quinctilium perpetuus sopor.

Martial. lib. II, Epigr. XC.

Gloria Romana, Quinctiliane, toga.

Idem lib. I, epigr. XII.

Bis decies solus, Sextiliane, bibis?

Sed dicere possis, ut à *Quinctus*, & *Sextus*, sunt *Quinctilis*, & *Sextilis*: sic à propriis *Quinctius*, & *Sextius*, esse *Quinctilius*, & *Sextilius*; unde *Quinctilianus*, & *Sextilianus*.

Longa verò à brevibus sunt, *humanus* ab *homo*; *humor*, & *humidus*, ab *humus*; *secius* à *secus*; *laterna* à *lateo*, (si sic dicitur, quia intra cornu lateat, tutaque sit flamma) *macero* à *macer*, &c.

Parque ratio in propriis quibusdam. Quale est *Sena*, oppidum & flumen in Hadriatico litore, quod priorem producit. Nam Græcis est Σῆνα: etsi nomen iis dedere Galli *Senones*, qui Græcis quidem interdum Σήνωνες, ut Polybio: sed usitatiùs aliis Σένωνες, Σέννονες, vel Σένονες: ac Latinis semper efferuntur priori correptâ. Eam vocis originem adducit Silius lib. VIII:

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine
Sena.

Et lib. XV:

—— Qua Sena relictum
Gallorum à populis servat per secula nomen.

Sunt præter hæc & alia non pauca, quæ à fonte recedant. Interim & multa coacervant Grammatici, in quibus judicium eorum jure desideres. Uti cùm excipiunt *fomes* à *foveo*, cum sit à *fotum*, ut à *motum momen* & *momentum*. Fortasse & regulam sequuntur *regis*, & *regula*: nempe ut sunt à supino. *re-ctum.* Similique *tegula* à *te-ctum*, *seculum* à *se-ctum*: quæ cùm à præsenti malunt deducere, decipiuntur eo, quod in prioribus quidem consona sæpius redeat præsentis, in omnibus verò altera consonans abjiciatur.

In multis etiam, quæ excipere solent, vel crasis est, vel compensatio temporis ob syllabam per syncopen deperditam. Sic *junior* est ex *juvenior*, *nonus* & *denus* ex *novenus* & *decenus*, *ceritus*, vel *Cerritus*, ex *Cereritus*, *stipendium* ex *stipipendium*.

Sunt etiam, quæ, contra primigenii naturam, eò corripiantur, quòd literam perdant. Ut *mamilla* à *mamma*, *ofella* ab *offa*, *curulis* a *curro*, *farina* à *farre*, *disertus* à *dissero*; quæ quantitatem non servant, quia literam amittant. Idem fit in *strigilis* à *stringo*, ac *fragilis* à *frango*. Nisi malis hoc venire à φρέγω sive *frago*, unde *fregi*; ut *pegi* à *pago*, non *pango*: qua de re illustris est apud Quinctilianum locus, lib. I, cap. X. Sanè non pauca sunt, quæ remotiorem ἐτυμολογίαν sequi ament, haut secus ac in liberis fit, qui interdum avis aviisque, quam parentibus, sunt similiores. Tale est *fatuus*, quod sequitur, non Latinum *fari*, sed Græcum φάω, unde φημί. Item *lucerna*, quod refert modulum τῆ λύχνος, unde *lux* contractum est. Propert. lib. IV, eleg. III.

Seu metuit tangi parca lucerna mero.

Martianus Capella ultimo sui operis carmine:

Habes senilem, Martiane, fabulam,
Miscella lusit quam lucernis famine
Satira Pelasgo, quam docere nititur
Artes Creagris vix amicas Atticis.

Scribit Becmanus in Etymologico suo, idem fieri in *lucubro*, quia cùm à *luce* sit, primam nihilominus corripiat, haut secus ac *lucerna*. Sed fallitur. Nam Martialis est lib. IV, epigr. XC.

Hæc dat nocturnis, nox lucubrata Camœnis.

Idem vult simile esse *tigillum* à *tego*. Sed hac quoque in parte decipitur. Nam à *tego tegillum* diceretur. Sed est *tigillum* à *tignum*, ut *sigillum* a *signum*: cujusmodi quantitatem mutant ob literæ amissionem, quemadmodum antè diximus. Accommodatius exemplum est *vadum*, quod quantitatem habet, non vocis *vado*, unde *ἀμείβω* descendit; sed ἐκ βαδίζω, vel potius ἐκ βάδω, à quo *vado*, ut & inde τὸ βαδίζω venire, Eustathius ait in Il. Z †. Simile etiam est *noto*, quod non sequitur quantitatem supini *notum*; sed Græci νοῶ, unde νοέσκω, νώσκω, γνώσκω, à quo *gnosco*, (quo utitur Varro) & per aphæresin *nosco*. Adde his *bubulcus*. Nam cùm *bubus* apud antiquos producat priorem, quia ex *bovibus* contrahitur, ut ex *bovicula bucula*, quod & ipsum iccirco producit primam: *bubulcus* tamen sequitur primam in *bovibus*, ex quo *bubus* fit. Maro Ecl. x.

† Pag. edit. Rom. 637.

—— Tardi venere bubulci.

Ac, ne quis objiciat, quòd Servius hìc legerit *subulci*: Ovidii est IV de Ponto eleg. VII.

Ipse vides, onerata ferox ut ducat Iazis
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.

Alios etiam alii committunt errores. Ut cùm Aldus Manutius excipit *totus* à *tot*: quod primogenii modulum servare, Manilii hoc indicat in tertio:

Detrahitur summa tota pars, quota demit utrimque.

Neque nescivit hoc Buchananus, qui lib. V Sphæræ ait:

Tum quota pars Luna Solis subtenditur orbi,
Pars ferrugineâ latitat tota Solis in umbra.

Imposuit non ignobili Grammatico, quòd *totus* pro *integro* producat priorem. Sed cùm ejus significatio etiam abeat, fortasse aliunde erit, quam à *tot*. Nam quid si dicamus, *totum* contractum esse ex τὸ ὅλον? Satis enim probabiliter defendi hoc possit: quia Λ, & Τ, permutari interdum vel argumento est, quòd Achillis mater antiquis *Thelis* pro *Thetis* dicebatur, Varrone teste lib. III de R.R. cap. IX. Latinos verò nonnunquam articulum jungere nomini, ostendit *temetum* ex τὸ μέθυ, & *aqua* quasi ἡ χεά, quia funditur: aliaque ejus notæ alibi adduximus.

Videntur & quidam olim excepisse *setosus* à *seta*. Servius enim ad illud Maronis Ecl. VII. *Setosi caput hoc apri*, scribit hunc in modum: *Multi per duas E scribi volunt propter metrum*: quæ profectò non intelligo. Nam & *seta*, & *setiger*, ac *setosus*, primam semper producunt. Nec oportuit *præputium* excipi, quia ut ajunt, fiat à *præputando*. Nam à *pota* sive *puta* est *præputium*; ut apud Catullum *salaputium*, quasi *salax puta*. *Puta* vero sive *pota*, cujus usus est in carmine Ithyphallico, venit à πόσθη, unde *præputium*, & Græcis ἀκροπόσθιον, τῆς πόσθης τεῦχος, teste Polluce*. *Nequam* etiam non est à *nequeo*, ut Aldus scripsit lib. IV Gram. Inst. sed fortasse, quod Varro tradit lib. III de analog. ex *ne* & *quicquam*, mediâ syllaba extritâ. Cumque vulgo, & hos inter idem Aldus, excipiunt *petus* à *peto*, *manus* à *mano*, *rete* à *retineo*, *rapus* à *rapio*, *pedor* à *pede*, aliaque id genus; metuo ne multis potiùs, qui nesciunt, *Quid distent æra lupinis* †, quam paucis, hoc est, seriò eruditis, ἐτυμολογίας suas probent. Et, ut veræ essent origines, quanto satiùs sit isthæc poëtarum lectione, quam præceptis Grammaticis addisci?

* Lib. 2, cap. 4. § 36.

† Horat. in epist.

Quid quod etiam excipiant, quæ revera ejus quantitatem servant, unde ipsi derivant? uti cum dicunt *lotium* primam corripere, etsi veniat à *lotum*. De quo vulgaris est versus: *Et fatuus, ligula, & lotium, siquidemque, sigillum.* Nam *lotium* non minùs producit primam, quam *lotum*. Catulli enim sunt scazontes isti in Egnatium:

Ut quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

An *quatuor* excipi debeat, quæritur. Negat Barthius Advers. lib. XXVIII, cap. XVI. Nam, inquit, ut *quater*, est breve, ita & *quatuor* corripitur Ennio: ut, cùm producitur, *quattuor* scribendum. Sed Ennio *quatuor* est spondeus. Et sanè nulli poëtarum *quatuor* primam corripit: ut Barthium audiendum minimè putem. Idem lib. XXIIX, cap. XIV ait, Ausonium Ennii exemplo dicere in Cleobulo:

Gradibus propinquis in quatuordecim sedet.

Sed & hic συνίζησιν statuo, ut quartâ sede sit spondeus. Fortasse & prima in *focilo* producenda, etsi à *focus* sit *foculus*, à quo *foculo*, sive *focilo*: unde formâ diminutivâ *refocillo*. Sanè primam producit Lucanus, sive malis Ovidius, carmine ad Pisonem:

Sed miserum parvâ stipe focilat, ut pudibundum.

Scaliger, modulo offensus, malit legere *munerat*. Sed longiùs id abit. Et probam esse vocem, arguit, quòd Tranquillus in Augusto dicat cap. XVII: *Societatem semper dubiam & incertam, reconciliationibusque variis malè focillatam.* Vel, *focilatam*. Glossæ vett. *Focilat*, θάλπει.

Mirum vero in *Apulus* & *Apulia* sic variare quantitatem. Nam prima in *Apulus* semper est longa: ut in *Apulia* est anceps. Secunda in priori semper brevis: in posteriori semper longa.

A derivatis ad composita transeo; quæ ipsa, si laxè sumas derivatorum nomen, rectè inter derivata censentur. Par vero ratio est utrorumque. Ita primam corripit *tubicen* quia prima in *tuba* correpta est. At ne imponat Fulvius Ursinus, qui in collatione Maronis cum Græcis sic Ennii versum legit:

Tubaque terribili sonitu taratantara dixit.

Nam scripsit Ennius, *At tuba*. Nempe uti Maro*, qui Ennium imitatus:

* Æn. 9.

At tuba terribilem sonitum procul ære canoro.

Nec tamen hæc regula nunquam fallit. Nam *imbecillus*, etsi à *baculus*, vel *bacillus*, fiat, secundam tamen producit apud Lucretium, atque Horatium: in quo falsus Prudentius in περὶ στεφ.

Quem lex corporis imbecilla poscit.

Cujus quoque est senarius iste:

Vas appetendis imbecillum gaudiis.

Etiam excipitur *semisopitus*: cujus tertiam corripit Naso I Amor. Eleg. XIV.

Purpureo jacuit semisopita toro.

Et in epistolâ Ariadnes:

—— Movi
Thesea prensuras semisopita manus.

At in simplici prima semper est porrecta. Maro I Æn.

Hunc ego sopitum somno.

Et Ovid. VII Met. Fab. I.

Pervigilem superest herbis sopire draconem.

Quare existimare aliquis possit, pro *semisopita* utrobique esse *semisopora* legendum. Sed in Ariadnes quidem epistola codices aliqui habent *semisepulta*; in altero autem loco constanter legitur *semisopita*. *Semisopora* neutro loco codd. habent. Etiam *convicium* malè excipiunt, cum non sit à *con*, & *vitium*; sed à *cum* & *voce*, quasi *convocium*: unde & per *c* scribitur, contrà quàm in *vitio* fit. Nec *siquidem* excipere opus erat; cùm I ἀναλόγως corripiatur in priori parte compositorum: ut in illo Enniano de Æacidis;

Armipotentes sunt mage, quàm sapientipotentes.

De quo postea pluribus dicemus. Tertia in *maledicentior* quanta sit, minus est apertum. Tamen porrectam putem, cùm sit non à *maledicus*, sed à *maledicens*; quomodo & *benevolens* dixere, unde *benevolentior*; & *malevolens*, unde *malevolentior*. Sed utrùm brevis, an longa sit ea syllaba, parùm refert, cum vox ipsa vix locum habeat, nisi in jambico: in cujus fine posita, quanta sit, nihil refert, nisi fortè absque spondeis versum exstruere sit visum.

Cap. XVIII.

Accentus in compositis simplicis quantitatem non caussat, sed signat. Nec semper ex accentu τεκμήριον capere licet. Duza in Martiali emendatio refellitur. Fortasse ἀναλόγως in abscidi *mediam interdum produci: nempe ut sit non à* scindo, *sed* cædo. Ambitus *cum participium est, vel producere mediam, vel ancipitem habere. Germani Valentis de hoc sententia rejecta. Cur mediam habeat ancipitem.* Ambe. *Cur in* ambages, *&* inda-

indago *media sit longa*. Nihilum *mediam corripere, contra Giffanium, probatur.*

PRoximum inter speciales canonas locum habet is, qui est de cognoscenda quantitate ex compositione per accentum. Qui canon differt à superiori, quòd is universè spectet primas mediasque syllabas; hic duntaxat pertineat ad primas: ille item à caussa argumentum petat; hic à signo: haut aliter ac si quis ex derivati quantitate colligat de primigenio. Neque enim accentus vim habet, vel producendi, vel reddendi syllabam brevem; sed solùm, quanta sit syllaba, indicat. Quod exemplo manifestius fiet. Nec enim, quia *prapotens*, vel *benevolus*, dicimus penè ultima brevi, eò prior in *potens*, aut *volo*, correpta est: sed quia corripitur, eò in *prapotens*, & *benevolens*, ea syllaba est brevis. Nec quia *conscribo*, & *interduco*, penultimam producunt, eò in *scribo*, & *dico*, prior est longa: sed quia hîc longa est, ideo eadem in compositione producitur. Est igitur accentus compositorum non caussa quantitatis in simplici, sed signum.

Neque semper ex accentu argumentum capere licet; quia est, ubi hæc regula fallat. Ut in *dico*, cujus composita *maledicus*, *fatidicus*, & similia, simplicis naturam non retinent. Uti nec *cognitus*, & *agnitus*, à *notus*; nec *pejero*, & *dejero*, à *juro*; nec *pronuba*, & *innuba*, à *nubo*; à quo cùm & *connubium* veniat, secundam tamen habet communem. Nisi ubi corripi videtur, συνίζησιν: ut in illo Maronis:

Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.

Quomodo primus pes fuerit spondeus.

Abscidi quoque mediam habet indifferentem, quamquam *scidi* priorem semper corripiat. Corripit utrumque Lucanus. Nam lib. III, inquit:

Aut scidit, & medias fecit sibi litora terras.

Idem lib. eodem:

——*Quales rupes, quam vertice montis*
Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas.

Uti & Catullus ad Mallium:

Abscidit, ô misero, frater, adempte mihi!

Etsi hic vett. quædam editiones habent, *Abstulit*: uti Aldina, & ea antiquior Regiensis anni CIↃ CCCC LXXXI. At producit idem Lucanus lib. IV, si Aldinam sequimur:

Abscidit nostra multum sors invida laudi.

Ubi alii, *abscindit*. At magis consentiunt codices de isto in VI:

Illa comam lævâ morienti abscidit ephebo.

Ac similiter Cæsar Germanicus, epigrammate de Thrace puero, quod in poëtarum veterum catalectis legitur:

Dumque una partes rapido traherentur ab amni,
Abscidit tenerum lubrica testa caput.

Ut omnino frustra sit Duza, cùm Martialis versum lib. III, epigram. LXVI, ita corrigendum putat:

Abscidit hex vultus ensis uterque sacros.

Pro quo rectè in antiquis codd. legitur,

Abscidit vultus.

Nec tamen repugnem, si quis malit, cùm mediam corripit, esse ab *abscindo*; cùm producit, ab *abscido*; quod componitur ex *abs*, & *cado*; ut *abscondo* ex *abs*, & *condo*; *abscedo* ex *abs*, & *cedo*.

Priscianus quoque in IX, iterumque in X scribit, *ambitus*, quamquam sit ab *itum*, tamen producere penultimam, quando participium est: at quando nomen est, corripere eandem. Prora & puppis ejus sententiæ hodie non alia est, quàm Ovidianum illud I Metam.

——*Rapidisque tumescere ventis*
Jussit, & ambita circumdare litora terra.

Sed putamus, olim quædam similia exstitisse apud veteres. Quod dum non cogitat Germanus Valeris Pimponcius ad VI Æn. locum de mendo suspectum habet. Nec de nomine & participio discrimen agnoscit, eò quòd participium etiam corripiunt poëtæ. Sanè gemino in loco* ait Lucretius:

Morte obitâ quorum tellus amplectitur ossa.

* Lib. I. vers. 135 & lib. 4. vers. 735. Sed hic est: Quorum morte obita.

Et Maro in X:

Morte obitâ, qualis fama est volitare figuras.

Sed de mendo quod dicit, mallem tacuisset: cùm sollemne sit ignorantiæ asylum, locos Crotone saniores, mendi habere suspectos. Sanè non solùm in membranis nostris, & quibusque antiquis editt. constanter ita invenimus: sed etiam Priscianus sic legit, & qui ante eum fuerunt Grammatici. Quamquam, an nomen, & participium, modulo differrent, non satis inter eos conveniret. Nam ut in fine noni Priscianus ait, *Scaurus similem esse in utroque tenorem putavit.* Sed, ut ibidem addit Priscianus, *Vellejus Celer, respondens Hadriano imperatori per epistolam de hoc interroganti, declinatione & tenore ambitus nomen à participio ostendit discerni.* Quæ sola verba, cùm antiquitatem summam ejusce sententiæ ostendant, omnem mendi suspicionem eximere nobis debent. Cæterùm cùm Lucretius etiam participium corripiat, & jam olim circa modulum hujus syllabæ hæserint eruditi: penè in eam opinionem venimus, *ambitus* nomen ab omnibus correptâ penultimâ pronunciari solere: at participium alios quidem produxisse, fortasse differentiæ caussâ; alios verò, nec pauciores, corripuisse.

Sed unum est, quod objici possit. Cur enim in *ambitus* magis discrimen sit nominis, ac participii, quam in illis, *abitus*, *aditus*, *exitus*, *initus*, *obitus*, *præteritus*? Quæ sive nomina, sive participia sint, semper *i* corripiunt. Cur igitur in *ambitus* secus fiat? Non difficile mihi hunc ictum exire, cùm dispar ratio sit in *ambitus*, ac in cæteris. Nam in nullo illorum, quæ diximus, uti nec in *subitus*, vel *periturus*, *i* produci potest; quia nulla in iis est contractio, contrà quàm fit in *ambitus*: quod est conflatum ex *ambe* & *itus*; unde per diphthongum in media *ambeitus*, & *ei* in *i* longum abeunte, *ambitus*. Ut igitur etsi *ago* corripit priorem, tamen *ambages* mediam producit, quia est contractum ex *ambeages*, quod ex *ambe*, & *ago*: ita & *ambitus* producit secundam, quia ex *ambeitus* contrahitur. Vulgò præpositionem *ambe* ignorant. Sed est ea apud Varronem in VI de L. L. ubi doctissimus ille Romanorum Lucilii hoc adducit, *Quid tibi ego ambages, Ambivi, scribere coner?* ac deinde ait, esse id verbi ab *ambe*: quod & in *ambitus*, & *ambitiosus*. Et sanè ut *ambo* est ab ἄμφω; ita ab ἀμφὶ priùs fuit *ambi*, vel *ambe*: quod etiam remansit in *ambarvalis*, *ambigo*, & *ambaxi*. Estque inde truncatum *am*: quod in *amsanctus*, & *amtermini*, & *m* in *n* abeunte in *anhelo*, ex *am* & *halo*. Vulgò putant, *ambio* esse ex *am*, & *eo*; *ambages* ex *am*, & *ago*; ac *b* inseri, ut in *amburo*, quod esse volunt ex *am*, & *uro*. Sed nec *amburo* est ex *am*, sed *ambe* & *uro*. Nec si ab *am* esset, necesse foret recurrere ad epenthesin literæ B. Dicam enim esse ex *am*, & *buro*, à quo etiam *comburo*. Nec enim *uro* tantum, sed & *buro* videntur dixisse. Ac ut *uro* ab πυῶ, id est *ignis*: ita *buro* ex πυρῶ, quod à πῦρ. Quare sic statuimus, ut *cogo* priorem producit, quia est ex *coago*; ut *indago*, quia est ex *induago*, nempe veteri præpositione *indu* pro *in*, & *ago*; ut etiam in *Diana* prior quandoque producitur, quia tum sonaret, ut Dejana, quod contractum ex *Dea Iana*: sic & *ambitus* produci, quia est ex *ambeitus*. Quando verò *ambitus* mediam corripit, non contractio est, sed syncope: quomodo & *Dianam* superiùs dicebamus corripere primam, quando ex *Dea Iana* non per crasin, sed per syncopen fit. Hæc fusiùs aliquantò sum prosecutus, quia viderem, nec veteres ipsos satis se hinc extricâsse.

Nec de nihilo est, quòd de *nihili* mediâ disputant. Nam in *hilum* priorem esse porrectam, liquet isthoc Lucilii:

Quodque tuas laudes culpes, non proficis hilum.

Est & veteris poëtæ apud Ciceronem lib. I Tuscul.

——*Num illud, quod Sisyphi versat,*
Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum?

Et Lucretii lib. III.

——*Nec defit ponderis hilum.*

Eodemque modo alibi sæpe apud eundem scriptorem. At quid aliud est *nihilum*, quàm *ne hilum*? Itaque cùm alii, tum

tum Obertus Giffanius, in præfatione ad Lucretium, penè ultimam in *nihilum* jubet producere. Sed ne ille se turpiter det, qui hunc sequatur ducem. Non jam contra eum adferam hoc Claudiani lib. II de raptu Proserpinæ:

Nullane te flexit pietas, nihilumne paterna
Mentu inest?

Quamquam hæc vera sit lectio, quam Claverius ex vet. codice expressit; cùm ante etiam in Parrhasii, & Antonii Delrio editione pro *nihilum* vitiosè legeretur *nullum*. Nec adducam illud Persii Sat. III:

——*Gigni*
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Nam utrobique, scio, συνίζησιν esse dixerit, quomodo *vehemens* Catullo dissyllabum est, & *pituita* Horatio trisyllabum. Verùm nihil habet, quod obducat adversus istud Catulli in nuptias Juliæ, & Manlii:

At, marite, ita me juvent
Cælites, nihilominus
Pulcher es: neque te Venus
Negligit.

Ac Ausonius similiter Eidyl. III:

Cuncta cupit Crœsus, Diogenes nihilum.

Excipere etiam oportuit *affatim*, quod a *fari*, vel *fatum*. Corripit enim mediam Attius:

Tum jecore opimo farta & satiata affatim.

Ut trochæus, non spondeus sit initio Plautini hujus:

Affatim est hominum in dies, qui singulas escas edunt.

Cap. XIX.

De præpositionum modulo in compositione. Omitto *ex* obmitto. *Quanta sit cis in compositis. De modulo primæ in* citimus, *&* citerior, *adversus Buchananum. An primam in* adigat *producat Lucretius. In plusculis præverbium loquelare* re *esse longum: nec propterea consonam debere geminari.* Reicio *pro* rejicio: *sic* abicio, adicio, subicio, obicio. Subices. Reicula *ovis.* Eicit, *&* reice, *trochæus. Unde fit, quòd porrecta sit syllaba ante* i *inter vocales duas positum. An primam in* rejectantem *corripuerit Maro. Malè excipi* refert *pro* utile *est.* Refert ad rem meam, *pro* mea refert. Apella, apis, amarus, *non venire ab* a *præverbio. An prima in* delicatus *Valerio Flacco corripiatur.* Profectò, *&* proficiscor, *quam originem habeant. Ausonius etiam in* profectus *à* proficio *producere est ausus. De prima in* propago *tam nomine, quàm verbo.*

VEnio ad tertium canona specialem, qui est de præpositionum modulo in compositione. Ex his correptæ sunt *ab, ad, ante, in, ob, per, sub, super.* Et *ob* quidem etiam ante consonam, si *b* deperdat. Horat. in Arte:

Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

Etiam *circum* addere potuerunt. Quod in compositione posteriorem corripit, ut cætera in M exeuntia.

Cis quoque præpositionibus correptis lubens accenseam, etsi idonei testis exemplum non occurrat. Atque idem visum Petrarchæ; cujus est lib. IV Africæ:

Flenda Cisalpinis jam Gallica rura colonis.

Imò apud antiquiores argumenta extant, quibus modulus ejus colligatur. Nam eadem est quantitas illius in compositione, quæ extra illam: quemadmodum in *ad, ob, per,* atque aliis, usu venit. Atqui, uti *bis*, ita *cis* breve esse, ἀναλογία indicat. Præterea ex derivatis *citra*, & *citro*, atque etiam superlativo *citimus*, idem colligitur. Nam priorem quidem in *citra* Horatius produxit: sed eam ancipitis esse intervalli, indicat *citro* in hoc Sidonii Apollinaris*, propemptico ad libellum:

Vincens adspiciat, citroque Tarnis.

Prout editum in editione Tornæsiana†. Sed fortasse rectiùs *citus*, ut a Savarone expressum. Ad illud certum, *citimus* corripi à Fulgentio in Astronomicis‡:

* Carm. 24
† An. 1552.
‡ Habes in poëmatis veterum cura P. Pithæi editis. Alii, Varronis Atacini, sed perperam puto, crediderunt.

Quà citimus limes dispescit turbida puris,
Inviolata meas.

Quare, ut puto, culpâ non vacat, eximius poëta, Georgius Buchananus, cùm lib. II Sphæræ ait:

——*Quæ citima fulgent*
Sidera.

Et mox:

Et quò citerior quisque, magis impetus illum
Longinqui vincit cæli.

Rectiùs idem in Jephthe priorem in *citro* corripit, Sc. *O spes inanis*:

Ultro citroque verba commutaveris.

Quod verò de præpositionibus correptis diximus, id an vetustiores æque observarint, minùs est apertum. Negat Giffanius de Lucretio, cujus illud est in lib. III.

Nec desiderium nostri nos adigit ullum.

Ad quam lectionem proximè accedit, quod *idigit* in MSS quibusdam invenitur: sed in vett. nostris membranis disertim est *adigit*: atque in editione Florentina* Iuntæ, quæ à Petro Candido ante seculum, & aliquanto amplius, restituta fuit, similiter, sed geminatâ consonâ, *addigit* excusum est. Attamen hanc veram esse lectionem spondere non audemus in eo doctorum dissensu. In Aldina enim à Naugerio recensitâ *attigit* legitur, Lambinus *adficit* mavult, Turnebus *adlicit*, atque alii fortasse aliud.

* An. 1512.

Credo caussam aliquis requirat, cur præpositiones istæ in compositione, sint correptæ. Nimirum ratio est, quia & extra compositionem sunt breves.

Præter verò eas est & alia, sed, ut veteres vocabant, loquelaris, ut nunc fere loquimur, inseparabilis. Ea est *re*: quæ & ipsâ naturâ est brevis, ut liquet ex *retro*: quod priorem habet ancipitem. Atqui ut ab *in* est *intro*, unde *introrsum*, quasi *introversum*: sic à *re* est *retro*; uti inde *retrorsum*, quasi *retroversum*. Sed ut hoc sæpius est breve: sunt tamen non pauca, in quibus anceps videatur. Ut in *retulit, repulit, reperit*. Itaque in postremo hoc non dubitavit Ausonius eodem disticho & producere, & corripere. Locus est epigr. XXII:

Vide Vansqueti Orth. 1. pag. 267. in Recido & p. 267. in Reddere.

At qui condiderat postquam non reperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit, laqueum.

Sed uti in eo non facilè corripiendum, ita rarò producitur in *recidit*, & *reducit*. Idem tamen Ausonius Parentalium V:

—— *In tetricos recidit imperium.*

Et eo potior Juvenalis sat. XII.

—— *Tunc adversis urgentibus, illuc*
Recidit, ut malum ferro summitteret.

Cæsar quoque Germanicus in Arateis:

Subcutit, & foribus reducit vincula clostri.

Ubi *præducit* legas in Morellianâ, & antiquissimâ Aldinâ. Producit eandem Plautus Perf. Act. IV, Sc. V, vers. CVII. Quemadmodum & prima in *remigrat* ei porrecta est eâdem Comœdiâ act. V, sc. VI, vers. III. Sed longum sit hujusmodi consectari, quæ passim obvia sunt. Vide, sis, quæ scribit Josephus Scaliger in Ausonianis Lect. lib. II, c. XXI, & ad Propertium lib. II, eleg. XXII. item adi Lucretianum Giffanii indicem in *Recidere, Reducere, Refugisse,* & *Remotus*. Nec tamen propterea putandum, posse ubivis produci. Neque enim id veteres fecere unquam, nisi ubi consona sequens posset duplicari. Ut in *reduco*, ubi non minus geminari potuit, quàm in *reddo*. Sed in *redeo, redoleo, redundo*, & similibus, numquam producitur, quia hæc jam ad hiatum vitandum D semel admiserant. Neque item reperias in *revolvo, revertor, revello*, & istiusmodi aliis, quia natura geminationem V consonæ non patitur. Neque hæc sic accipi velim, quasi iccirco, quoties producitur, consona debeat geminari: uti existimant, qui *reccidit, reffugit*, & similia rescribunt apud veteres, sanè parum scientes, quid aurium serviat voluptati. Sed satis esse debet, si sciamus, ubi veteres RE producant: nec propterea nobis semibarbaris permittere tantum debemus, ut vocabula Latini sermonis licenter, literam appingendo, corrumpamus.

De

De modulo primæ in *Rejicio* litem movent quidam. Sanè Servius videtur habuisse pro brevi. Nam ad illud x Æn.
—— *Rutulorum rejicis arvis:* ait, *re longum esse spe, quia per declinationem longum futurum est: tamen quia id argumentum magis est, quàm ratio, dici posse, ectasin factam, quæ poetis plerùmque conceditur.* Idem dicit ad illud III Georg.

Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis.

Aut, inquit, *Re, quasi monosyllabam produxit licenter, aut*, cùm *faciat reject, i pro duplici habetur.* Puto autem, Servium *reicit*, & *reice*, legisse unico I. Nam mens ejus videtur, etsi R E in præsenti naturâ breve sit, tamen quia in præterito, ob I inter duas vocales collocatum producitur, eò etiam in præsenti à poëta produci. Quæ locum non haberent, si in præsenti etiam I inter duas vocales medium foret. Et sanè veteres *reicio*, pro *rejicio*, dixisse, ostendit hoc Maronis Georg. III.

Tityre pascentes à flumine reice capellas.

Ubi Servius sede quinctà proceleusmaticum esse dicit; qui totidem tempora habet, ac dactylus. At *rejice* si legas, erit pæon primus; quia juxta Servium, I inter duas vocales vim duplicis accipit. Neque in *reicio* solùm, sed aliis etiam cum *jacio* compositis, A, sive succedaneum I, extritum invenitur.

Juvenalis sat. XV:

—— *In mare magnum*

Hunc abicit sævâ dignum, verâque Charybdi.

Martialis lib. X, epigr. LXXXII:

Siquid nostra tuis adicit vexatio rebus.

Lucanus lib. VII:

Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat.

Idem in VIII:

Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes.

Suntque ejus generis trecenta.

Idem è derivatis liquet. Nam & à *subicio* nubes *Deûm subices*, quasi subjectas, dixit Ennius Achille; teste Festo, Nonioque: ac à *reicio*, ut ex eodem Nonio constat, *oves reiculas* dixit Varro; quas pastor rejiceret, & à reliquo grege removeret.

Imò I quoque, pro A positum, ejectum reperias, ubi cum præpositione longâ componitur. Lucretius lib. III *:

Nec radicitus è vitâ se tollit, & eicit.

Item lib. IV †:

Eicit enim sulci rectâ ratione viâque.

In Florentinâ, priori loco, pro *eicit* est *icit*; in posteriori *ejicit* legitur. Sed rectum est *eicit*, quod in Lambini, ac Giffanii editione, nostris etiam membranis approbantibus, invenitur. Utrobique autem *eicit* dissyllabon est, κατὰ συναίρεσιν: in quo Lucretium, ut aliàs sæpe, imitatus Maro ‡, versu isto, quem supra adducebamus:

Tityre pascentes à flumine reice capellas.

Nam qui proceleusmaticum statuere hic malunt, quod etiam Cæsar Scaliger * facit, quid de Lucretio dicent, apud quem nisi *eicit* dissyllabon statuamus, metrum non constabit?

Atque ex his satis evidens esse puto, primam in *reicio* esse correptam; longam verò in *rejicio*. Caussam hanc adferunt Servius, Scaliger, alii, quod I vim duplicis hic obtineat. Sed hanc sententiam refellebamus lib. I, c. XXII. Vera autem, cur produceretur, ratio è pronunciatione veterum peti debuit. Nam quoties I medium inter vocales duas locum sortiretur, vocalis præcedens crassiùs sonabat, & ad proprium sonum aliquid de vocali I assumebat. Itaque *aio*, *major*, *eius*, *Pompeius*, penè ita proferebant, quasi nunc *aijo*, *maijor*, *eijus*, *Pompeijus* diceretur. Unde & plerique ea per diphthongum antiquis temporibus scribebant: ut antea † monitum à nobis.

Quod autem de *rejicio* diximus, idem in *rejecto* locum habet. Puto enim extulisse hoc prope quasi *reijecto*. Obduci tamen potest Maronis illud in quincto:

—— *Crassumque cruorem*

Ore rejectantem.

Quomodo enim corripit Maro, si prima penè ut diphthongus sonabat? Sed hoc argumentum profectò sententiam nostram magis juvat. Nam si I duplex consona est, quoties inter vocales duas collocatur: unde est, quòd prima ejus verbi corripitur à Marone? Verùm non utar hoc argumento. Quamquam enim in nostris etiam membranis, partim *rejactantem*, partim *rejectantem* reperimus; neque aliter, quod sciam, quam *rejectantem*, in excusis ullis editum invenitur; eamque lectionem, Pierius quoque, & multi viri doctissimi, calculo suo comprobarint: eam tamen semper suspectam mihi reddidit, quòd neque Servius, neque veterum Grammaticorum quisquam, tam insolentis moduli meminerunt. Accessit, quod Macrobius initio quarti Saturnaliorum pro *rejectantem*, *ejectantem* legit; quomodo & Pierius in MSSis aliquot Maronis codd. legi testatur. Quare, ut sana foret lectio vulgata, plus tamen id juvaret caussam nostram; qui I inter duas vocales positum duplicem consonam fieri negamus: eoque magis huc inclinat animus, ut putem *ejectantem* legi oportere.

Cæterùm quia Grammatici è numero verborum *Re* corripientium, eximunt *Refert*, pro *utile est:* quæri etiam video, quàm rectè hoc fiat. Malim sequi eos, qui venire ajunt non à *re* præverbio loquelari, sed à nomine *res:* quod etiam putavit Verrius Flaccus, ut his docemur Festi verbis: *Refert cùm dicimus, errare nos ait Verrius. Esse enim rectum REI FERT: dativo scilicet, non ablativo casu. sed esse jam usu possessum.* Ubi duplex adfertur opinio, Verrii una, ut sit à dativo *rei*, unde & I putabat addi convenire: alter aliorum, qui uti *refert* sonarent, ita ab ablativo venire arbitrarentur. Perotto autem nec hoc, nec illud, verisimile satis visum fuit; ut qui integrum esse crediderit *res fert:* atque idcirco genitivo jungi. Ut, *Titii refert;* quod significat, res Titii ita fert. Sed de genitivo *Titii* fallitur, cum is regatur ab ablativo *gratiâ*, vel *caussâ*, qui κατ' ἔλλειψιν intelligitur: ut planius fiet libro de structura cap. XXIX. Quare si *refert* fuerit ex *rei fert*, integrè erit, rei fert caussâ, sive de caussâ Titii. Hæc sententia maximè probatur. Etsi & aliquid est, quo se tueantur, qui à præpositione R E venire malunt. Quippe pro se adferunt, quòd Latini dicant, *ad rem meam refert:* quomodo legimus apud Plautum Pers. Act. IV, Sc. II:

Quid id ad me, aut ad rem meam refert, quid Persæ rerum gerant?

Et ibidem sc. IV:

—— *Quia enim te ex puella prius percontari volo,*

Quæ ad rem referunt.

Nec tamen hoc multùm movet. Nam uti Tullius, aliique scriptores classici, *nemo homo* dicunt, etsi *nemo* ex *ne*, & *homo*, componatur; & Cæsar sæpius, *significationem facere*, etsi *facere* in *significandi* verbo insit: ita nihil prohibet dicere, *refert ad rem meam*, etsi *refert* ex *res* & *fert* conflatum sit.

Et hæc de præpositionibus correptis. Longas esse statuunt, *à*, *de*, *di*, *e*, & *se*. Sed ab *A* nonnulli excipiunt *Apella*, quomodo ajunt Judæos appellari, quia sint recutiti ab *a*, & *pellis*. Horatius sat. V, lib. I:

—— *Credat Judæus Apella,*

Non ego.

Sed *Apella* est nomen Judæi cujusdam, quod Græcè similiter Ἀπελλᾶς. Alii objiciunt *apis*, quæ ita dicta putatur, quasi sine pedibus. Ita Probus, & Priscianus in VI, & meminit quoque ejus opinionis Servius in IV Georg. Sed si à pedibus nomen, non ex *a* & *pes* conflatum erit, verum à Græco ἄπτω veniet: cujus prior brevis. Sanè & Lucianus alicubi apem vocat ζῶον ἄπτον. Quidam & *amarum* excipiunt: quia *amarum:* quod à *mari*. Ac sic etiam Scaliger de caussis L. L. cap. LXVIII. Sed est *amarum* Chaldaicæ originis. Nam iis אַמַּר, *amaritudine affecit*, ἐπίκρανεν. Fortasse & aliud objectabunt: sed incertæ originis. Atqui, ut ait Horatius *,

Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.

De ante vocalem quidem corripitur: ut III Æn. *Dona dehinc auro gravia:* & IV, *Tellus prius ima dehiscat:*

* Vers. 891.
† Vers. 1265.
‡ Ecl. 3.
* Cap 12. de causs. L. L.
† Lib. 1. cap. 22. & lib. hoc 2. cap. 13.
* Lib. 2. sat. 3.

vel cum vocali sequenti unam in syllabam coalescit; ut Ecl. VII: *Vir gregis ipse caper deerraverat:* & X Æneid. *Dessi jam terra fuga:* item in *dehortatur*, apud Ennium, ut superiùs vidimus. At ante consonantem semper est porrectum. Nec obstat vox *delicatus*, cujus prima nequit alius esse quantitatis, ac in *delicia*, & *deliciæ*. Ut omnino corruptus sit locus ille Valerii Flacci in tertio Argonaut. †

† Vers. 140.

Telecoonta finit, delicataque ora securi
Dijecit cervice tenus.

Etsi ita sit in vett. libb. Pro quo codd. alii,

—— *Disjectaque ora securi*
Dijecit.

Sed quia durior sit ταυτότης illa verbi *disiicio*, Sabellicus posteriori loco pro *dijecit* maluit *dissecuit*. Nec Carrio ‡ repugnat.

‡ Notis in Val. Flaccum.

Di quoque, sive potius *dis*, producitur, præterquam in *dirimo*, & *disertus*. Qualia neglexere seculis barbaris. Ut Paullus Diaconus carmine in Benedictum lib. I de gestis Longobard. cap. XXVI, ubi, ut diphthongum more seculi pro simplici habet vocali, sic & primam in *dirimo* produxit. Versiculus is est:

Vim pedagoga tulit diremtum corpore tristi.

Quod si *di* pro *dis* rectè reponitur in præpositionibus longis: habebit & hic locum *tra* pro *trans*. Virgil. VI Æn.

—— *Magnos Erebi tranavimus amnes.*

Similiter in *trado*, *traduco*, *trajicio*.

Superest præverbium *pro*; quod plurimùm est porrectum. Ut in *promoveo*, *profero*, & aliis sexcentis. Ac videtur etiam in *profiteor* ab Ennio produci in Telepho *:

* Apud Nonium in Advorsum.

Te ipsum hoc oportet profiteri, & proloqui
Adversum illam mihi.

Ita enim constanter est in libris MSSis, & editis. Pacuvio † similiter *protervus* longum videtur in Chryse, versu isthoc trochaico quadrato:

† Apud Nonium in Spectu.

Amplus, rubicundo colore, spectu protervo ferox.

Sed classici utrobique corripiunt. Uti & in *procella*, *profanus*, *profari*, *profestus*, *profugus*, *profundus*, *pronepos*, *proneptis*. Similiter in *profecto*, quo rem *pro facto* haberi petimus. Et in *proficiscor*, quod à proficiendo est, quia propriè de iis dicitur, qui in itinere promovent. Ut enim ab *apio*, *apiscor*; ab *expergo*, *expergiscor*: sic à *proficio*, *proficiscor*. Non desunt tamen, qui eo in verbo primam produci posse arbitrentur, quia apud Juvenalem sit Sat. VI.

Profectura domo Siculâ non mitior aulâ.

Sed in MSSis, & nostris, & aliorum, est *Prafectura domûs*. Quæ genuina est lectio. Atque ita nunc etiam meliores editt. Imò jam olim ita legendum putavit Georg. Valla Placentinus: non, ut Ferrettus, *Processura domo*. Mirum verò, & *profectus* à *proficio* corripi ab Ausonio in Protreptico:

Pellexi ut mites peterent per amœna profectus.

Sed non imitandum. Perperam etiam Jovianus Pontanus ‡:

‡ Lepidinæ suæ pompa 5.

Montibus indigenæ Fauni proteruntque, ruúntque.

In nonnullis *pro* etiam est anceps. Ut in *procuro*, & *profundo*. Quorum prius & corripitur ab L. Accio in Annalibus *:

* Apud Macrobium lib. I Saturn. cap. 7.

Exercent epulis læti, servosque procurant
Quisque suos.

Etiam *propello*, & *propulso*, quæ Propertio, & Lucano, producuntur, Lucretio corripiunt primam. Et contrà *propago* verbum, quod aliis primam corripit, eam Lucretio producit. De quantitate ejus, quando nomen est, disputant. Probus quidem ita de eo scribit in artium institutis: *Sunt alia nomina, quæ in uno intellectu per casus syllabæ naturam vertunt: ut propago in nominativo primâ syllabâ brevis est. Ut* †,

† Virgil. 6 Æneid.

—— *Neque ultrà*
Esse sinent. nimium vobis Romana propago
Visa potens.

At in ablativo longa est. Ut *,

* 2 Georg.

Sed truncis oleæ, melius propagine vites
Respondent.

Hæc Probus. Sed cui profectò verisimile fiat, alium primæ modulum esse in auferendi casu, quàm nominandi? Præsertim cùm obliquos non differre à recto, docere nos possit illud Porcii Licinii in epigrammate ἰφυλλιῳ †:

† Apud Gellium lib. 19. cap. 9.

Custodes ovium, teneræque propaginis agnûm.

Itaque probare hanc Probi sententiam non possumus. Magis verisimile sit, primam corripi, cùm de stirpe accipitur: cùm de vite, produci. Quamquam nec repugnem, siquis dicat, ut in *propago* verbo, ita & in *propago* nomine, primam esse ancipitem. Nec enim metaphora solet variare quantitatem. Satis autem liquet, *propaginis* vocem à vite, unde palmes propagatur, transferri ad animalium stirpem. Quod igitur Maro in vite producit, in homine corripit; id fortasse non fecit necessitate, sed quia ratio carminis ita ferret.

De modulo primæ in *propino*, *prologus*, & similibus origine Græcis, inferiùs dicemus, cùm seorsim agemus de iis, quæ à Græcis veniunt.

Cap. XX.

De compositis priori parte in vocalem exeuntibus. Te-ipsum *Ausonio trisyllabon primâ brevi. De modulo vocalis e in compositis cum* facio, *vel* fio. *Mos poëtarum syllabam naturâ brevem* κατ᾽ ἀναστολὴν *producendi in treum, vel plurium brevium concursu. In* tantidem *secunda anceps, contrà quàm Giffanio visum. Secundam in* universi *corripi, & tamen in* unicuique *produci: & quid caussæ. Martiali vetus lectio adserta. In Juvenco conjectura. De modulo secundæ in* matricida, lucrifacio, verisimilis, controversus, *& quibusdam aliis.*

Quartum inter speciales canones locum demus compositis sine præpositione, quorum prior pars exit in vocalem.

Ac A quidem est porrectum: ut in conflatis ex *qua*; velut *quapropter*, *quatenus*, & similibus.

In E exeuntia sunt brevia, tum in tertiâ, ut, *hujuscemodi*: tum secundâ, ut, *valedico*: tum primâ, ut, *equidem*, *neque*, *nequeo*, *trecenti* &c. Unde Ausonio etiam in fine ludi septem sapientum in *te-ipsum* prima est correpta:

Chilo, cui patria est Lacedæmon, nosce teipsum.

Nisi magis placet, divisim scribi, & *te* corripi, quia vocalis extima, quæ naturâ est longa, anceps fiat, si sequens vox inchoet à vocali. Ut ‡,

‡ 5 Æn.

Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto.

A superiori canone excipe quædam à *ne* venientia. Nam longa sunt *nequis*, & *nequà* adverbium: item *nequando*, *nequicquam*, *nequaquam*. In quo Vincentium Opsopœum ratio fugit, cùm sic Erycii epigramma transfert:

Oppete, nec patria sis dedecus: illa nequaquam
Peccavit.

Primam tamen in *nefariis* produci, censent ob Propertii illud lib. IV, el. IV:

Nescia nefariis accubuisse novis.

Ac ita quidem est in editionibus cunctis, etiam antiquissimis. Sed planè id insolens: eoque Scaliger legere jubet: *Nescia ne furiis*: ut nempe duæ negativæ vehementiùs negent.

Nequam etiam est porrectum: idque, ut modulo compensetur syllabæ defectus. Nam ex *ne* & *quicquam* fieri, ait Varro in tertio de Analogia. Ejus naturam sequuntur *nequitia*, & *nequiter*. Idem factum in *nemo* pro *nehomo*.

Ac par ratio in aliis aliunde venientibus, sed similiter syncopen passis. Ut, *veneficus* pro *venenificus*, & *videlicet* pro *videre licet*. Ovid. epist. Hypsip.

Barbara narratur venisse venefica tecum.

Lucret. lib. I.

Ossa videlicet è pauxillis atque minutis
Ossibus.

Longum etiam *sedecim* & *sedecies*. Uti & *mecum*, *tecum*, *secum*.

Exper-

Expergefio, *patefacio*, *patefio*, *putrefio*, *rarefio*, & *vacefio*, vocalem E apud Lucretium producunt, etiam extra cæsuræ locum. Ut lib. II:

Jure igitur pereunt, cùm rarefacta fluendo
Sunt.

Item:

Et tamen hæc cum sint quasi putrefacta per imbres.

Ausonius verò idem verbum corripit Epigr. CVII:

Ulcera membrorum scabie putrefacta foventem.

Ac Barthius Adversar. lib. XXIII, cap. XIV. censet id esse singulare, quia est à *putrere*, in quo secunda est porrecta. Verùm Virgilio se tueri Ausonius potest: qui E corripit, ut in *labe*, & *treme*, ita in *cale*, *made*, *pate*, *stupe*: quæ itidem veniunt à verbis secundæ. Eodemque modo usus Horatius*: ut & Ovid. Epist. I:

Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerit hastam.

Idem tamen in *liquefacio* producit Metam. VII, fab. II:

—— *Congestaque flammâ*
Tura liquefaciunt.

Ac similiter in *tepefacio* Catullus de nuptiis Pelei & Thet.

Alta tepefaciet permistâ flumina cæde.

Atque horum exemplo, in utroque eo, ausim *e* producere; quia orta à verbis secundæ *liquere*, & *tepere*. Sed in iis, quæ veniunt à verbis tertiæ, ut *tremefacio*, non eadem, puto, liceant: quia in his *e* naturâ corripitur. Nempe ubi *e* natura breve est, semper breve permanet: ubi verò naturâ longum, ibi sæpius quidem producitur, at in nonnullis etiam corripitur. Atque hoc in illis etiam obtingit, quæ veniunt à prima. Nam penultima in *labare* porrecta est: nec eo minùs secunda in *labefacio*, ac *labefacto* corripitur. Quare solùm in iis, quæ oriuntur à verbis secundæ, *e* anceps videtur. Nisi magis placet, in his quoque *e* breve esse: sed ab Ovidio, Catulloque, produci necessitate, quòd concurrant quatuor breves. Sic secunda in Διαβολία producitur à Theognide: prima in Πηληϊάδης ab Homero, & ejus exemplo à Marone. Item altera in *Theophila* Martiali lib. VII, epigr. LXVIII:

Hæc est illa tibi promissa Theophila, Cani.

Mirum, contrà ab eodem Martiale primam in *selibra*, non semel, sed constanter corripi: cùm dicatur quasi *semilibra*: & prior in *semis* à poëtis semper producatur. Nec ratio obscura, cùm sit ab ἥμισυ.

I plurimùm est correptum: tum in primâ, ut in *siquidem*, *biremis*, *triremis*, *bidens*, *tridens*, &c. tum secundà, ut *utique*, *omnigenus*, *unicolor*, &c.

Sed secus est in iis, quæ *i* pro casibus variant: ut hi recti, *quidam*, *quivis*, *quilibet*, *quicunque*: & obliqui isti, *quantivis*, *qualicunque*, *unicuique*, *reipublicæ*. Ut apud Juvenalem sat. VII.

Quanticunque domus, veniet &c.

Et apud Manilium lib. II:

Omne quidem signum sub qualicunque figura.

Ad rectos etiam refer *idem* virile, quod ex *isdem*, sibilo extrito. Sed in genere neutro corripitur.

Ad obliquos pertinet *tantidem*: quod produci probant illo Enniano:

Tantidem quasi fata canes sine dentibu' latrat.

Varro tamen corripit Eumenidibus*:

Hospes, quid miras nummo curare Serapim?
Quid quasi non curet tantidem Aristoteles.

Fallitur enim Giffanius, qui & hìc penultimam in *tantidem* ait produci: sed in ultimâ non elidi M: ut versus non pentameter sit, sed heroicus; nempe Diphilius, seu Chœrilius; ubi extrema deest syllaba. Fortasse autem nec Ennium, nec Varronem ratio deficit. Nam Varro, credo, secutus naturam aliorum in I: Ennius autem casum respexit: qui in compositione etiam modulum servat. Est enim *tantidem*, ut *eidem*, quod semper porrectum. Unde etiam colligimus, *i* in *universi* corripi; in *unicuique* longum potius esse. Rationem jam diximus, quia in priori, I est de *vicia* vocis: cùm in recto etiam sit, *universus*; cujus naturam sequuntur obliqui. Martialis lib. V, epigram. XXV:

Hermes gloria Martis universi.

* Lib. 4. od. 14 & lib. 2. epist. 2.

* Apud Nonium in Miras.

At in *unicuique* *i* est casus nominis, quod in recto est *unusquisque*: eoque casus is retinet modulum, quem haberet extra compositionem. Scio, vulgò aliud videri, propter illud Propertii lib. II, Eleg. XXII:

Unicuique dedit vitium natura creato.

Cui geminum hoc Alcimi Aviti, libro ad Fuscinam sororem:

Et sua promeritis dabit unicuique labore.

Nempe in Propertiano illo primum pedem, & quartum apud Alcimum, putant esse dactylum. Nobis non dubium est, quin utrobique sit spondeus, ut *cuique* sit trochæus. Sic liquidò usurpat Horat. lib. I, Sat. IX:

Ditior hic, aut est quia doctior: est locus uni-
Cuique suus.

Adhæc fere producuntur syncopen passa. Ut *ilicet* ex *ire licet*: *scilicet* ex *scire licet*. Referre etiam huc possis *pridie*, & *postridie*, ex *priori*, & *posteriori die*. Sed hìc & altera est caussa. Nam à *dies* profecta producuntur. Ut *biduum*, *triduum*, *meridies*.

Catullus ad Ipsithillam:

Jube ad te veniam meridiatum.

Martialis lib. II, epigr. VI.

Si totus tibi triduo legatur.

Sic omnes habent libri, tam manu exarati, quam excusi. Ubi vir præstantissimus leviculâ trajectione præfert, *Si totus triduo tibi legatur*. A quo dissentio. Nam eodem modo primam in *biduum* hoc senario producit Terentius Eunucho Act. I, Sc. II.

Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum.

Sed & quemadmodum Appulejus dixit in Apolog.

Converritorem pridianæ reliquiæ:

ita idem Comicus ait And. act. I, sc. I:

Venit Chremes postridie ad me clamitans.

Quotidie à Catullo corripitur Carm. ad Mallium:

Conjugis in culpa flagravit cottidianâ.

Sed Martialis est lib. X, epigr. LXV:

Levu dropace tu quotidiano.

Et lib. XI, epigr. I.

Cultus sindone tu quotidianâ.

Imo & P. Syri senarius est:

Quotidie damnatur, qui semper timet.

Item:

Quotidie est deterior posterior dies.

Præterea *i* porrectum habent *triceni*, *tricesimus*, *siquis*. Item *nimirum*, *ibidem*, *ubique*, *utrobique*, *ubivis*. Juvenci nulla hìc ratio haberi debet: qui mediam in *ibidem* corripere non dubitavit. Non jam adducam illud è lib. II Historiæ Euangelicæ:

Oblatusque ibidem nox dæmonis horrida virtus.

Prout est in veteri Aldinâ*. Suspicor enim *nox* esse ex *mox* corruptum, *ibidem* autem ex *ibi quem*. Ut levi trajectione rescribi debeat,

Oblatusque ibi mox, quem dæmonis horrida virtus.

Quod & sententiæ convenit, & propiùs à veteri scriptura abit, quàm illud,

Oblatusque illi est, quem dæmonis horrida virtus.

Prout Georgius Fabricius edi jussit, posteaque etiam in bibliotheca Patrum† excusum fuit. Potiùs adferam illud ex tertio Juvenci libro:

Ille jubet cunctis ibidem convivia poni.

Uti est in Aldina. Verùm Fabricius pro *ibidem* reposuit *illic*: unde & similiter in bibliotheca Patrum legas. Magis ex arte metrica; sed, ut puto, non ex mente Juvenci. Sanè & Claudianus Mamertus, qui sesquiseculo post Juvencum vixit, similiter scripsit carmine contra vanos poëtas:

Cognosces ibidem, ne pergas tradere fatis.

Nec ignoro, Badium Ascensium, eo offensum, pro *ibidem* reponere *itidem*: sed invitis libris. Quare & Fabricius hic *ibidem* retinuit: uti & SS. Patrum Bibliotheca.

Ubicunque secundam habet ancipitem instar simplicis *ubi*. Ovidius VII Met. fab. XXVII.

—— *Quoties, ego, dixerit, uni*
Servor, ubicunque est: uni mea gaudia servo.

* Ann. 1501.

† Edit. a Margarino Bignæ.

At corripit idem lib. III Amor. El. IX.

Te, Dea, munificam gentes ubicunque loquuntur.

In *regifugium* secundam censeo brevem. Ausonius verò metri necessitate excusatur, cùm in Eclogario ait:

Nec Regifugium, pulsis ex Urbe tyrannis,
Lætum Romanis fas reticere diem.

At nihil opus erat, ut *tibicen* exciperent, quando hoc è generali regula de crasi cognoscitur. Nam ut à *lyra lyricen*, sic à *tibia* esset *tibiicen*, ex quo *tibicen*.

Quæri video de secunda in *paricida*, & *matricida*. Producit Ausonius tetrasticho de Severo Imp.

Ut paricidæ regna adimat Didio.

Et monostichis in Cæsares:

Matricida Nero proprii vim pertulit ensis.

Sive, ut in aliis est,

—— *Proprio se perculit ense.*

Sed utrumque telum est invalidum. Nam in nonnullis libris invenitur:

Matrique cida Nero.

Scio alterum præferre Eliam Vinetum. Et pro eo est, quòd idem Ausonius in *paricida* producat. Sed enim potior esse nobis debet auctoritas Horatii, qui corripit libri III odâ XXIX:

Telegoni juga paricidæ.

Et potest Ausonius excusari, quòd producat. Nam si ex iis, quæ superiùs diximus, colligere est, priorem in *bubus* Horatio esse porrectam, quasi ex *bovibus* per crasin resiliat: Ausonio autem eam in *bobus* esse brevem, quasi per syncopen fiat: similiter dixero in *paricida* ab Horatio corripi secundam, quasi syncopen sit passum: ut extrita syllaba non veniat in considerationem: Ausonio autem eam produci, ut syllabæ unius defectus alterius productione compensetur. Quod verò ad *matricida*, fateor, non hic ad disparem quantitatem ex dispari crasios, vel syncopes ratione refugere licere: verùm aliud hic mantelum, quia, ut dixi, in nonnullis est libris, *Matrique cida Nero.* Quomodo, credo, scripserit Ausonius. Et si non ita scripsit, scribere saltem potuit, sanè debuit. Nimirum uti Lucilius cum versus heroicus non admitteret vocem *depetigo*, pro *& depetigo*, dixit *deque petigo:* sic Ausonius, ne in metrum peccaret, *matrique cida* posuerit pro *& matricida.*

In verbo *lucrifacio* secundam producit Martialis lib. VIII, Epigr. X:

Tyrias coloris optimi lucrifecit.

Nisi fortassè divisim scripsit *lucri fecit:* quomodo Plautus dixit Persæ Act. IV, Sc. IV.

Non edepol minis trecentis cara'st: fecisti lucri.

Sic quoque divisim legere possis apud Martialem lib. XII, epigr. LVII:

Ludi magistri mane, nocte pistores.

Par ratio in *verisimilis*. Cujus secunda producitur Ausonio ep. XXIV.

Concinnat verisimilis suspectio culpas.

Sed credo, divisim scripsit *veri similis.*

O corripitur in compositis ex duobus nominibus. Mart. lib. XIV, dist. XXVIII.

Gallia Santonico vestit te bardocucullo.

Cujus exemplo in *sacrosanctus* cùm Drepanio corripere *o* malim. At nomina, verba, & participia ab adverbiis venientia, *o* fere producunt. Lucretius lib. III.

Sic animas introduxerunt sensibus clausas.

Ovid. Met. IV, fab. XVI:

Ipse retroversus squalentia protulit ora.

Sic Ausonius Idyll. IX producit secundam in *controversus*. A quo tamen recessit Sidonius libro VIII, epistolar. XI:

Declamatio controversiarum.

Adverbium *hodie* corripit *o*: ut & conjunctio *quoque*. Sed à *quando* venientia, partim *o* corripiunt; ut *quandoquidem*: partim producunt; ut *quandoque*, & *quandocunque*.

Similiter porrecta sunt *alioqui*, & *utrobique*.

Etiam priori parte in *u* exeuntia corripiuntur. In priori, ut *duplex*, *ducenti*. In media, ut *quadrupes*.

Vocalis similiter corripitur ante *bundus*: ut *moribundus*, *tremebundus*, &c. Item ante *lentus*: ut *fraudulentus*, *luculentus*, *pulverulentus*, *violentus*, &c. Ut omnino peccârit Baptista Mantuanus hoc versu:

—— *quem virulenta Megæra*
Vincere cum toto non evaluisset Averno.

Cap. XXI.

De præteritis dissyllabis: lavere, *pro* lavare: amaverunt, legerunt, *similiaque, penè ultimam habuere ancipitem:* rimus, *&* ritis, *in futuris subjunctivi, sæpius producunt: sed in præterito breve, an longum sit, ne olim quidem inter Grammaticos convênit.*

Ab his accedo ad præterita: quorum doctrina in ternos quasi ramos diffunditur. Primùm enim videndum de modo indicativo: idque tum de priori in numeri singuli præteritis dissyllabis: tum de penultima tertiæ pluralis, seu verbum duabus, seu pluribus constet syllabis. Præterea agendum de penultima primæ ac secundæ pluralis in subjunctivi præterito perfecto, ac futuro exacto.

Ac de primo satis convenit, sex esse dissyllaba, quæ corripiant priorem: *bibi*, *dedi*, *steti*, *tuli*, *scidi*, *fidi*. Quibus adde *stiti*. De scidi liquet ex illo III Æn. *Hesperium Siculo latus abscidit.* Falli puto Servium, cùm ait, Maronem metri caussâ produxisse. Ac fortasse aliquis arbitretur, etiam *lavi* adjungi oportere, quia apud Maronem sit III Æn.

Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem.

Et Horatius dicat I Serm. sat. V.

Ora manusque tuâ lavimus, Feronia, lymphâ.

Sed *lavit*, & *lavimus*, hoc loco temporis sunt præsentis, à *lavo* tertiæ declinationis: unde *lavere*, & passivum *lavi*, apud Nonium legere est.

Neque rectè Calepinus, Nestorem Novariensem * eâ parte secutus, priorem in *liqui* ancipitem putabat. Tuetur is se illo Maronis:

Namque suam patria liquerat tellure sepultam.

Sed nemo nunc nescit codices omnes † habere;

Namque suam patriâ antiquâ cinis ater habebat.

Qui error Calepini in editionibus interpolatis jure est sublatus.

Et quia hæc satis liquida sunt, proximum est, ut doceamus, in præteritis perfectis penultimam pluralem indicativi activi à poëtis sæpe corripi. Maro Ecl. IV.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et Georg. III.

Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.

Et Æn. II.

Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Idem fit vinulis hisce de vino versiculis Terentii Varronis †:

Vino nihil jucundius quicquam cluit.
Hoc ægritudinem ad medendum invenerunt,
Hoc hilaritatis dulce seminarium,
Hoc continet coagulum convivia.

Paullò aliter rescripsi versum primum, ne vox unica tertium constituat pedem, ac in sede quartâ sit spondeus. Nam in vulgatis est, *Vino nihil quicquam jucundius cluit.*

C. Laberius:

Necessitas, cujus cursus transversi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.

Et paullò pôst:

Etenim ipsi Di negare cui nil potuerunt,
Hominem me denegare quis posset pati?

Tibullus lib. II, Eleg. III.

Nec cithara, intonsæ profueruntve comæ.

Propertius lib. I el. XI:

Litora quæ fuerunt castis inimica puellis.

* In Linguo.

† Æn. 4.

† Sat. est modius matidæ, sive σκύφος, apud Nonium in Coagulum.

Phæ-

Phædrus lib. IV. Tit. in avarum:

Abiturus illuc, quò priores abierunt.

Factum idem in trochaicis istis apud Tranquillum †:

† In Cæs. cap. 80.

Gallos Cæsar in triumphum ducit; idem in Curiam.
Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumserunt.

Ita restituit eos versus Faërnus, cùm in vulgatis sit;

Gallos Cæsar in triumphum duxit.
idem (vel *iidem*) *in Curia Galli*, &c.

Horat. lib. sat. x:

—— Molle atque facetum,
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

Ita è Mss emendavit Petrus Nannius? cùm in vulgatis pro *annuerunt* legeretur *annuerant*.

Martialis quoque est lib. XII, epigr. XLII.

Nec tua defuerunt verba Thalasse mihi.

Ac Valerius Flaccus Argon. lib. II *.

* Vers. 360.

Gargaraque, & mœsti steterunt formidine luci.

Ita enim, non *steterant*, legi debet. Subsignabo hæc loco Diomedis in primo: *Fere in tertio ordine plerumque veteres tertiâ personâ finitivâ temporis perfecti, numeri pluralis, E mediam vocalem corripiunt, quasi legerunt, emerunt, & similia: ut apud Terentium in prologo Eunuchi: Postquam ædiles emerunt.*

Superest videamus de modulo terminationis RIMUS, & RITIS, in præterito futuroque subjunctivi. De quo jam olim dissenserunt nobiles Grammatici. Sed de futuro minùs laborarunt: quod penultimam producere, cum Diomede etiam Probus, & Servius, agnoscunt. Pro quibus facit hoc Ennii in sexto Annalium:

Nec mî aurum posco, nec mî pretium dederitis:

ac Catulli Phalæcius iste ad Lesbiam:

Dein cùm millia multa fecerimus.

Est & Ovidii lib. IV de Ponto, el. V.

Et maris Ionii transieritis aquas.

Et paulò pòst:

Copia nec vobis ullo prohibente videndi
Consulis; ut limen contigeritis, erit.

Idem Metam. VI, fab. IV:

Haustus aquæ mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse, simul vitam dederitis in undis.

Quibus geminum hoc Juvenci lib. IV:

Tunc sanctis dignè poterimus credere dictis.

Ut nihil peccet Tertullianus, cùm lib. II adversus Marcionem ait, *poteritis: poterimus*, vel Paullinus qui similiter, *erimus*, & *viderimus*.

Attamen, quo minùs hoc perpetuum esse dicamus, facit illud ejusdem Nasonis II Metam.

Mentiar, obscurum nisi nox cum fecerit orbem,
Nuper honoratas summo mea vulnera cælo
Videritis stellas, illic, ubi circulus axem, &c.

Ac Lucretius quoque similiter cecinit in primo operis:

Quas ob res, ubi viderimus, nil posse creari
De nihilo.

Quare de futuro ita judicandum, corripi interdum, at frequentiùs produci. De præterito autem res minùs aperta est. Diomedes censet, breve esse. Nam lib. I de modis verborum sic scribit: *Et in hac subjunctiva numero plurali uniformem declinationem præteriti & futuri temporis accentus distinguit. Perfectum enim acuto accentu declinatur, futurum circumflectitur.* Item Agrœcius: *Fuerimus*, inquit, *conjunctivo modo, tempore præterito perfecto, & brevis est: Fuerimus eodem modo, tempore futuro, & longa est.* At ab his dissentit Probus, qui etiam præteritum esse porrectum censet. Verba ejus sunt lib. priori Artis, cap. de penultimis, ultimisque verborum syllabis: *Adjunctivo modo perfectum tempus, numeri singularis, in omnibus personis omnium conjugationum, penultimas, ultimasque syllabas, breves habet: ut cùm clamaverim, clamaveris, clamaverit, &c. Plurali autem numero, in omnibus quatuor conjugationum modis, persona dua, prima, & secunda, penultimam semper producunt, ultimam verò corripiunt.* Idem eo ipse libro cap. de correptione vel productione syllabarum, contra rationem per metaplasmum à Marone dictum ait in VI Æn.

Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti, & nimium meminisse necesse est.

Ac Servius quoque ad hunc ipsum locum, *Ri*, inquit, *metri necessitate corripuit.* Et sanè videtur hic unicus locus fecisse, ut Diomedes putaret, præteritum corripi: quod tamen Servius, & is, cujus magna semper autoritas fuit, Valerius Probus, metricâ necessitate factum volunt. De præterito satis me dixisse puto.

CAP. XXII.

De novem supinis disyllabis priorem habentibus correptam. Prudentii versus perperus à Giselino perperam immutatus. Delitor. Leti etymon. Ruta cæsa. Statum *priorem habuisse ancipitem. Aldi de hoc sententia excussa. Lambini error puerilis.*

At de supinis omnia sunt planiora: ubi rectè priorem in disyllabis produci docent, exceptis novem, *datum, satum, ratum, itum, quitum, litum, situm, rutum, citum* à *cieo*.

Lucanus lib. I.

Jusque datum sceleri canimus.

Virgil. VI Æn.

Tum sic orsa loqui vates, sate sanguine Divûm.

Idem II Æn.

Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas.

At non imitandum illud Prudentii hymno de Romano:

Præfectus ergo ratus elinguem virum.

Quem verborum ordinem mutare ausus Victor Giselinus, ut ipse agnoscit; sed contra omnium Mssorum, atque excusorum fidem.

Itum est apud Ovidium I Metamor.

Nec tantum segetes, alimentaque debita dives
Poscebatur humus: sed itum est in viscera terræ.

Et Maronem Æneid. VI.

Illustres animas, nostrumque in nomen ituras.

Ac Claudianus lib. de bello Gildonico †:

† Vers. 424.

Dictis antè tamen princeps confirmat ituros.

Quitum corripit Terentius octonario hoc in Hecyr. Act. IV, Sc. I.

Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est.

Litum meritò excipi, indicat hoc Maronis IV Georg.

—— Elucent alia, & fulgore coruscant
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.

Et Ovidii illud lib. IV de Ponto, eleg. IX.

Sintne lita tenues serpentis felle sagitta.

Indeque *oblitus, interlitus, delitus*, à quo *delitor*. Accius in Atreo:

Epularum fictor, sceleris fratris delitor.

At *deletor* (à quo *deletrix* orat. de Aruspicum responsis) est à *leo*; unde Priscianus *letum* deducit, quia delet vitam. Ac confirmat hanc ἐτυμολογίαν, quòd ea vox in veteribus libris legatur sine adspiratione.

Situs corripit Naso Met. II.

Hic situs est Phaëton, currus auriga paterni.

Nec temere excipiunt *rutum*; quia etsi posteriores pro eo dixerint *rutum*, tamen retinent Jurisconsulti *ruta cæsa*, ac per *ruta* intelligunt, juxta Ulpianum †, ea quæ eruta sunt, ut arenam, cretam, & similia. *Rutum* verò priorem corripuisse, indicant ejus composita, *obrutus, dirutus, erutus, semirutus*. Claudianus lib. III de rapt. Proserp.*

† L. 17. § fin. ruta D. de act. emt.

* Vers. 155.

—— Semirutas confuso stamine telas.

Citum nunc corripit priorem, nunc producit: corripit, cùm secundæ est à *cieo*, ut *habitum* ab *habeo*: producit, cùm quartæ est à *cio*, ut *auditum* ab *audio*. Virgil. XII Æneid.

Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem,
Altior insurgens, & cursu concitus heros.

Luca-

Lucanus lib. v.

Inde ruunt toto concita pericula mundo.

Virgilius III Æn.

At genus è silvis Cyclopum, è montibus altis,
Excitum ruit ad portus, & litora complent.

Ovid. II Met. fab. XII.

Nec fruitur somno vigilantibus excita curis.

Lucanus lib. I.

Rupta quies populi, stratisque excita juventus.

Dici verò tum *cieo*, tum *cio*, non tantùm asserit Priscianus lib. IX, sed rationum quoque pondera evincunt. Quippe, ut apud Maronem legimus*, *Bella cient*; & †, *Ære ciere viros*: ita invenitur apud Lucretium *cimus*, apud Livium *concibant*, apud Statium *excit*, apud Lucanum *excibat*.

* 1 Æn. † 6 Æn.

Fuo habuisse supinum breve, liquet ex *futurus*. Etsi Baptista Mantuanus in *profuturus* producat secundam Consolatione super morte Collæ. Ut & monitum Ninivitæ Grammatico.

Sunt qui *statum* quoque à regulâ excipiant. Verùm rectè sentit Priscianus, priorem hoc porrectam habere. Nam id è compositis liquet: ut cùm dixit Lucanus lib. II:

Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus urbi
Constatura fides superum.

Et Martialis lib. X, epigr. XLI:

Constatura fuit Megalensis purpura centum.

Item cum Statius ait in VII Theb.

Quæ sic orsa prior, Spesne obstatura Pelasgis.

Imò etiam è simplici ipso, apud eundem Lucanum, eodem lib. II:

Hic acies statura ducum est.

Et lib. III:

Tunc res immenso placuit statura labore,
Aggere diversos vasto committere colles.

Nec tamen inficias ivero, priorem olim etiam corripuisse: quod colligimus, partim ex compositis; ut quod *præstitum* dicimus, & *præstatum*, quemadmodum suo loco exponimus: partim ex derivato *statim*, quod valet *stando*, atque, ut Belgæ dicunt, *staende voet*, q. d. dum hic stas, sive, priusquam recedas. Sanè etsi in *statim* priorem producant Festus Avienus, & Alcimus Avitus: Catullus* tamen, cujus potior autoritas, corripit hoc versu:

* Epigr. 33.

Verùm si quid ages, statim jubeto.

Fortasse & argumentum petere liceat ex *status* tum substantivo, tum adjectivo. Utrumque enim corripit Ovidius*. Item ex *statio*, cujus prima passim corripitur. Verùm de quantitate quidem assentit Aldus†: sed putat, hæc non à *sto* venire, sed à *sisto*. Nempe ex ejus mente *status* substantivè dicitur, ubi reus & adversarius primò ad confligendum consistunt. Adjectivè autem *status dies* vocetur, quia judicii aut feriarum, vel alius rei caussâ constituitur: unde in veteri onomastico exponitur προθέσμιος. Itidem *statio* nuncupetur, quia istic homines, vel naves, consistunt. Equidem non repugno. Verumtamen altera etiam sententia potest defendi. Quid enim impedit, quo minùs *status* substantivè nominetur, quia à partibus litigantibus ibi stetur? vel ut adjectivè dicatur *status dies*, quasi statutus? *statuo* autem unde, nisi à *sto*, quasi stare facio? *Statio* denique, ubi homines, aut naves stant. Idem judicandum de cognomento Jovis *Statoris*, cujus priorem Prudentius quidem corripit, sed Ovidius in Fastorum sexto producit. A sistendo erit ex mente Livii lib. I. Sic enim dici censet, quia, Romulo adversus Tatium pugnante, fœdam stiterit Romanorum fugam. Estque in hac etiam sententia Plutarchus in Romulo. Sed Seneca in quarto de beneficiis vocari ita ait, quia *ejus beneficio stant omnia*. Sive autem *status*, *statio*, *stator*, à stando sint, sive à sistendo, liquet præter novem illa supina etiam *statum* excipi, unde hæc descendunt.

* 7 Met. & 1 Fast. † Lib. 4 institut. Grammat.

Scitum sive sit à *scio*, sive à *scisco*, priorem producere est evidens. A *scio* est *scitus* pro eleganti, quia, quod scienter periteque fit, id elegans esse solet. A *scisco* verò, quod est *decerno*, est *plebiscitum*. Conjunguntur ea in joco Plautino Pseud. Act. II, Sc. IV. PS. *Ecquis is homo scitus est?* CH. *Plebiscitum non est scitius.* Ubi Lambinus ait, *Scitum in plebiscitum priorem habere longam, alias brevem*: quod cum scriberet, aliud planè agebat.

CAP. XXIII.

De modulo antepenultimæ terminatorum in icius; *in quo eo à Prisciano recessum. De quantitate penultimæ derivatorum, quæ in* tinus, *vel* timus *exeunt. Cæsaris Scaligeri de eo sententia refellitur. A Politiano malè corripi penultimam in* patrimus, *&* matrimus. *Apud Catullum non* patrima, *nec* Perenna, *sed* patrona virgo *legi oportere. Mediam in* torcular *corripi. De modulo vocalis U in verbis, quæ exeunt in* utio, *vel* urio.

AD medias quoque syllabas pertinent regulæ de antepenultima nominum in *icius*: quam semper corripi, censet Priscianus in IV: atque hæc pro exemplis adfert, *advecticius*, *commendaticius*, *Fabricius*, *pigneraticius*, *tribunicius*, *patricius*, *ædilicius*, *gentilicius*. De *Fabricius*, *tribunicius*, *patricius*, satis poëtarum usus id docet. Paremque rationem esse censeo in *ædilicius*, & *gentilicius*, atque adeò omnibus, quæ à nominibus veniunt, *novicius* excepto, in quo tertiam à fine produxit Juvenalis sat. III.

Jam sedet in ripa, tetrumque novicius horret
Porthmea.

Sed de *advecticius*, *commendaticius*, *pigneraticius*, Priscianum falli puto. Nec enim eorum, quæ à participiis veniunt, ullum puto inveniri, quod non eam producat; quemadmodum etiam in Parergis suis observat doctissimus Jo. Pincierus. Ita in *suppositicius* tertiam à fine produxit Martialis lib. V, epigr. XXV.

Hermes suppositicius sibi ipsi.

Idem in *emissicius*, *projecticius*, & *conducticius*, facit Plautus: ut trimetri isti arguunt Aulul. Act. I, Sc. I.

Circumspectatrix cum oculis emissiciis.

Cistell. Act. I. Sc. Utrumque.

..Is amore projecticiam illam deperit.

Epidico Sc. Nullum esse opinor:

Quam ostendam fidicinam aliquam conducticiam.

De penultima derivatorum, exeuntium in TINUS, eò magis disquisito opus, quia hac parte etiam deceptus summus vir, Julius Scaliger, lib. de caussis L. L. cap. XCVIII. ubi sic scribit: *Vespertinus*, *Matutinus*, *penultimâ productâ. itaque etiam Diutinus, & Serotinus, pronunciandum est, contrà quam prodidere.* Nec enim ex *Vespertinus*, & *Matutinus*, colligi quicquam potest de *Diutinus*, & *Serotinus*, quando illa veniunt à nominibus *Vesper*, & *Matuta*; hæc ab adverbiis *Diu*, & *Serò*, derivantur. Cujusmodi corripere penultimam, ostendunt *crastinus*, à *cras*, *perendinus* à *perendie*, *pristinus* à *præ* sive *pris*, vel *prius*, *serotinus* à *serò*, *hornotinus* ab *hornò*, hoc est, hoc anno. Estque eadem Prisciani sententia in secundo. Ac Prudentius hymno in Laurentium Martyrem dixit: *Postquam vapor diutinus.* Hilarius item: *Et caliganti premeret serotina nocte.* Qui verò producat, vel producere jubeat, invenias, præter unum Scaligerum, neminem. qui quidem ante hos annos fuerit quinquaginta.

Atque ex his quidem judicium ferri potest de Nominibus temporalibus, ut ea Priscianus vocat. Cætera in INUS, si Latina sint, i habent porrectum: ut *mediastinus*, *intestinus*, *marinus*, *collinus*, *clandestinus*, *cisterninus*: & quæ ab animantibus veniunt; ut, *equinus*, *porcinus*, *murinus*, *anserinus*, similiaque. Corripiunt verò venientia à Græcis: ut, *crystallinus*, *adamantinus*, *myrrhinus*, *amygdalinus*, *amaracinus*: quibus adde *faginus*, & *oleaginus*; quæ pro Latinis habet Priscianus in secundo. De *oleaginus* non repugno, quod Græcis est ἐλάϊνος. Usus Homerus Odyss. N. At κολοσὸς φήγινος, quod Doricè est φάγινος, legere est in Ἀνθολογία, usique etiam Eustathius, & alii.

Nec

Nec eadem omnium ratio est, quæ in IMUS desinunt: cum I corripiatur in *finitimus*, & *legitimus*; producatur in *bimus*, & *trimus*. Unde quæri video, hæc, an illa sequantur *patrimus*, & *matrimus*. Corripi censebat Cæsar Scaliger, quod hæc ejus verba ostendunt lib. de causs. L. L. cap. xcv: *Alia in TRIMUS, in prædicamento τοῦ ἔχειν: ut, Patrimus, Matrimus, qui patrem & matrem habet; Æditimus, qui ædem. At Legitimus potius passivè, qui à lege constitutus est; Finitimus, qui suos fines habet. Hæc omnia corripiunt terminationem. At Bimus, Trimus, Quadrimus ab anno ducta, non facilè est dicere, salvâ verecundiâ ineptiendi, quare producant, nisi propter concisionem.* Nec primus is ita credidit: sed prævivit hac parte vir maximus, Angelus Politianus c. LVIII Miscell. ubi quosdam Sibyllinos versus sic transfert:

> —— *Sed enim pueri puerique seorsum*
> *Concelebranto choros: verùm hæc sit patrima proles,*
> *Matrimaque; at nupta genibus Junonis ad aram*
> *Oranto.*

Producunt contrà hodie multi, idque, ut putant, autoritatem secuti Catulli; cujus illud è primo epigr. in ore habent:

> *Quare habe tibi, quicquid hoc libelli est,*
> *Qualecunque; quod, ô patrima virgo,*
> *Plus uno maneat perenne seclo.*

Sed sic scripsisse Catullum, quamquam id Josephus Scaliger putârit, mihi verisimile non fit, cùm aliis de caussis, tum quia nec ulli Catulli codd. hanc lectionem agnoscunt: nec quisquam veterum sic Minervam vocavit: nec ullus Minervam novè à Catullo sic appellatam observavit. Longeque minus acquiescit animus in emendatione eruditissimi cujusdam viri, legentis *Peranna*: quod rectum videri poterat, si vel vett. lib. autoritate comprobaretur: vel poëtarum mos esset, ad conciliandam monumentis suis perennitatem, Annam Perennam invocare. Sanè rei tam insolentis meminissent uspiam veteres Grammatici; præsertim cùm locus ille, utpote in frontispicio positus, fugere potuerit neminem. Rectum autem est *patrona*, prout habent editt. vett. etiam prima omnium, quæ Regii Lepidi prodiit anno clↄ cccc LXXXI. Sic verò appellatur Minerva, quòd dicata esset in bibliothecis, curamque librorum gereret, quos hæc recepissent. Interim, etsi à Catullo id factum non est, tamen vocare Minervam *patrimam* liceat, quomodo ab Euripide in Phœnissis ἀμάτωρ dicitur, quod nihil aliud est, quàm *matrima*. Nec, quod objectare quidam Josepho Scaligero solent, modulus repugnat, quo minùs sic vocare eam potuerit Catullus. Nam quando *timus* vocis productio est, corripitur penultima: ut in *legitimus*, *finitimus*, *solistimus*, *æditimus*: quando autem posterior tantum syllaba producit vocem, tum I antecedens est porrectum: ut in *primus*, *bimus*, *trimus*, *quadrimus*, *quimus*; unde *quimatus* apud Plinium lib. VIII, cap. XLV. At *patrimus*, & *matrimus*, (quod non attendit vel Politianus, vel Cæsar Scaliger) posterioris sunt generis; cum non ut à *lege* est *legitimus*, à *solo solistimus*, à *fine finitimus*, sic à *patre* dicamus *patritimus*, à *matre matritimus*; sed ut à *præ* vel *prius* est *primus*, à *bis bimus*, à *treis* sive *tris trimus*; sic à *patre*, & *matre*, dicamus *patrimus*, & *matrimus*.

Etiam de media in *torcular* disputatur. Priscianus, Beda, alii, produci volunt, ut in *lacunar*. Sed corripi debere, docet ἀναλογία. Nam ut à *specio speculum*, & *specular*: sic à *torqueo torculum* & *torcular*. Atque idem fuisse visum Julio Scaligero, colligo ex hoc ejus senario in Ara:

> *Scapos, labella, torcula, aclidem, scalmos.*

Imò & apud Fortunatum lib. VIII, cap. V, sic versus is legitur in MSSis:

> *Calcaturus erat qui solus torcular altum.*

Et hæc quidem nomina sunt. Sed etiam in verbis simili ratione modulus syllabæ cognoscitur. Ita licet *percutio*, & alia à *quatio* composita, corripiant V; tamen *cæcutio* eam producit, quia simile est verbo *balbutio*. Nam uti hoc est à *balbus*, ita illud est à *cæcus*. Atqui Horatii est I Serm. sat. II.

> *Balbutit, scaurum fultum pravis malè talis.*

Contrà in *esurio*, *cacaturio*, *cœnaturio*, & quibuscunque desiderativis, V corripi colligimus. Martial. lib. XI, epigr. LXXVIII.

> *In omnibus Vacerra quòd conclavibus*
> *Consumit horas, & die tota sedet,*
> *Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.*

Ejusdem est lib. III, Epigr. XCIII.

> *Gaudes ducentas nupturire post mortes.*

In vulgatis erat *nuptum ire*, unde in Aldinâ fecere inverso ordine *ire nuptum*.

Multorum verò in *urio* par esse ratio videtur, cum longè aliter sint affecta: *scaturio* dico, *ligurio*, *abligurio*, & similia, quæ desiderativa non esse, cùm significatio indicat, tum quantitas. Nam V ante RIO producunt. Horat. sat. IV lib. II Serm.

> *Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit.*

Et in carmine Ithyphallico versus phalæcius est, qui terminatur voce *scaturientes*. Sed ob obscenitatem non meruit apponi. Ac similiter Prudentius semel iterumque utitur hymno in Romanum martyrem, & alibi.

Verborum in CULOR penultima & antepenultima, non ex terminatione, sed derivatione cognoscitur. Nam in *depeculor* V longum est, uti in *peculium*: in *osculor* breve, uti in *osculum*. Parque ratio in *vermiculor*, unde *opus vermiculatum* Lucilio: item *adminiculor*, *manticulor*. Sunt enim à *vermiculus*, quod à *vermis*; *manicula*, quod à *manus*; *manticula*, quod à *mantica*. In iisdem I antepenultimæ est breve, uti in diminutivis, unde veniunt. At longum volunt in *gesticulor*, quia fit à *gestire*. Sed quid si potiùs sit à diminutivo *gesticulus*? Quomodo breve erit. Atque id malim.

Et hæc de regulis istis specialibus, è quibus primæ, mediæve syllabæ, cognoscuntur. Videamus porrò de iis, quæ ultimum locum obtinent, in quibus haut minùs se homines esse ostenderunt. Nihil gravius addo, ne, contra Horatii * præscriptum, videamur potiùs è fulgore fumum, quàm è fumo fulgorem oculis concinnare.

* *In Arte.*

CAP. XXIV.

Refelluntur, quæ Erythræus, & Giffanius protulerunt adversus canona de terminatis in A. Ausonii ac Prudentii avo syllabam acutam, (ut quam enclitica excipit) etsi natura esset brevis, quandoque produci. Numeralia in ginta antiquioribus potiùs esse porrecta; junioribus non rarò correpta. Cur imperativi prima sint longi. De particulis, ita, quia, eia, puta, postea, postilla. *Ennius emendatus. Item de* antea, contra, ultra, frustra. *Angeli Politiani conjectura improbatur.*

Ex vocalibus A, & E, corripi ajunt; I, & V produci; O esse indifferens. Non pauca, scio, excipiunt: verùm nec pauca prætereunt. Quare distinctiùs de tota re agendum.

In A primò videbimus de nominibus, pronominibus, & participiis: quæ in nominandi, accusandi, & vocandi casu brevia sunt: in ablativo longa. Mira verò est oscitantia Nicolai Erythræi, & imprimis Oberti Giffanii; qui, ut ostendant, tres casus, quos dixi, sæpe produci; loca fere adducunt in quibus syllaba naturâ brevis ob cæsuram porrecta fiat. Hujusmodi sunt tres loci † ab Erythræo additi. Primus est iste III Æn.

> *Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto.*

Rectè, nisi cæsuræ id tribui posset: ut in iis, quæ cap. XV adduximus. Alter est IV Æneid. ubi sic vett. libb.

> *Rumpe moras omneis, turbataque arripe castra.*

At satius sit dicere, hic nullam esse συναλοιφὴν. Tertius est IX Æneid. ubi in antiquis codd. est:

> *Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.*

† *Ind. Virgil. in voce Tela.*

Verùm, quicquid dicat Erythræus, non fuerat productus Maro, nisi gemina consonans sequeretur. Alia quoque nonnulla loca adfert Giffanius in Collectaneis suis. Ut istud Valerii Flacci lib. I: —— *Oritur clamor, dextraque sequentum.* Quomodo in manuscriptis, & antiquis prælo ante Philippi Eugentini editionem excusis, legere est. Similis in hoc Prudentii lib. I in Symmachum:

Mimica ridendaque suis sollemnia calvis.

Ubi contra manuscriptorum, & excusorum fidem, Victor Giselinus rescripsit:

Mimicaque & ridenda.

Nempe Prudentius ob penthemimerim, & sequentem encliticam, A produxerat. Est item hepthemimeris in isto Ennii VIII Annal. quod idem adfert:

Jamque fere pulvis fulva volat.

Adfert etiam Ovidii hoc II Met. Fab. XII.

—— *At illa*
Surgit humo pigra: semesarumque relinquit
Corpora serpentum.

Item hoc XIII Met. Fab. II.

Sic Hecuba, postquam cum luctu miscuit iram.

Et quod paullò pòst sequitur:

Tolle moras Hecuba.

Sed non in Aldinâ tantùm, verùm etiam Venetâ anni CIↃ CCCC LXXXVI, atque adeò vett. membranis nostris, pro *pigra*, *pigrè*; pro *Hecuba*, *Hecube*, constanter invenimus. Atque ut in aliis MSSis aliter legatur, tamen etiam his in locis brevis potest produci ob cæsuram.

Mediam in *utraque*, quæ non alius est naturæ ac in *utra*, in nominativo producere non veretur Ausonius epigr. XC:

Suasisti, Venus alma, duas Glyceras ut amarem.
Odit utraque. aliud da modò consilium.

Et epistolâ primâ:

Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se
Non festinato tempore utraque daret.

Non dubito, quin eò hoc fecerit poëta, quia seculo illo plurimi syllabam, quæ acutum haberet, ut longam pronunciarent. Sic *votaque* creticus est Publilio Optatiano Porphyrio in Anacreonticis, quibus organi est species:

Votaque jam theatris
Redduntur & choreis.

Ejusdem est Panegyrico, quem Constantino Cæsari dixit:

Sit voti compos, excisaque agmina cernens
Det juga captivis.

Quomodo si aliquis Augustæi ævi, aut proximi scripsisset, negarem, vocalem quartâ sede elidi, ut dactylus sit. Esset enim omnino simile isti Maronis II Æn.

—— *Turbataque arripe castra.*

Nunc non dubito, quin ex more suorum temporum A, ob encliticam sequentem, produxerit Optatianus.

Numeralia primitiva malim producere propter auctoritatem Maronis. Cujus est in Æn. III:

Triginta capitum fœtus enixa jacebit.

Ac similiter Martialis cùm alibi *, tum lib. VII, epigr. IX:

Cùm sexaginta numeret Casselius annos.

Ex antiquioribus corripere videtur Lucillius: è quo Nonius † adducit:

—— *Octoginta videtis*
Commoda de Capua, quinquaginta atque novena.

Prout est in Aldinâ, & hac antiquiore Mediolanensi. Imò etiam apud Junianum Majum est *Octoginta*. Sed in MSSis est *octogena*: uti & pro *novena*, *ducenta*. Quomodo & Jos. Mercerus expressit. *Octogena* autem sestertia intelligo: quæ *commoda* vocat, ut Plautus *commodum talentum* ‡, & *commodas minas* *, hoc est, justi ponderis. Etiam Martialis eam syllabam corripere existimatur. Quod probatum eunt hoc è lib. III, epigr. XL:

Mutua quòd nobis ter quinquaginta dedisti.

Sed in melioribus libris est *quinquagena*. Etiam adducunt è lib. XII, epigr. XXVI:

Sexaginta teras cùm limina mane senator.

* Lib. 3. epigr. 36. & lib. 10, epigr. ult. & lib. 11, epigr 25.
† In Commodum.
‡ Rud. 5. 2.
* Mercat. 2. 3.

Ubi sic constanter codd. quos vidi. Tamen prodivis fuerit hic error, ut *sexaginta* pro *sexagena* scriberent. Sanè corripi non posse, judicium fuit Sebastiani Corradi *, & Georgii Fabricii ‡, & ante hos Antonii Nebrissensis; qui loca omnia, ubi aliter legeretur, corrupta arbitrabatur. Nobis verò, de posteriorum quidem seculorum poëtis, aliud videtur. Est enim Ausonii Epist. VI, quæ ad Theonem:

Nonaginta dies sine te, carissime, vixi.

Ac similiter ejusdem ætatis Manilius lib. II.

Ter triginta quadrum partes per sidera reddunt.

Item Remus Favinus, sive Rhemnius Fannius lib. de ponderibus & mensuris:

Cecropium superest post hæc docuisse talentum
Sexaginta minas, seu vis sex millia drachmas.

Juvencus quoque in quarto historiæ Euangelicæ:

Argenti triginta minas posuere profani.

Qui & in secundo eodem modo inquit:

Hoc ajunt bis sex, & quadraginta per annos.

Venio ad verba. In quibus imperativi primæ producuntur, quia, si originem consideres, contracti sunt ex *aë*. Nam ut Græcum *ἀμα* est ex *ἄμαε*, *mete*: ita & Latinum *ama* ex trisyllabo, sed obsoleto *amae*, contrahitur. Sic *doma* ex *domaë*, ut Græcis *δάμα* ex *δάμαε*, hoc est, *doma*.

Ex particulis corripi convenit *ita*, & *quia*. Ut Ausonius imitandus non sit carm. VIII in professores Burdigalenses:

Sed quia nostro docuere in ævo.

Verùm fortasse is cæsuræ habuit rationem: quomodo eodem carmine legimus:

Tertius horum mihi non magister.

Nisi istic placet H consonantis vice fungi. Sanè *quia* eodem ipse carmine corripit:

Obstitit nostra quia credo mentis.

Eia quantam habeat posteriorem, non cognoscas ex Marone, qui sic vocalem subjicit, ut deglutiatur. Producere ultimam ait Probus *: atque ita usus Sidonius Carm. XIV ad Calliopen. Sed tutiùs corripi censeo, propter illud Valerii Flacci in VIII:

—— *Eia per ipsum*
Scande, age, & adverso gressus, aut, imprime dorso.

Quod & Buchananus imitatur Psal. CXLVIII:

Eia Dei laudes Solimææ pangite gentes.

Puta (pro quo etiam *utputa* apud Senecam †, Celsum ‡, ac Festum * legitur) à veteribus solere corripi, docent verba Servii in II Æn. *Præpositiones, vel adverbia in A exeuntia, modo producunt ultimam literam excepto* puta, *& ita; quia apud Ennium, & Pacuvium, brevia sunt.* Horum verò exemplum secutus autor carminis obsceni phalæcio isto,

Ut Phœbo puta, filioque Phœbi.

Item Persius sat. IV.

Hoc puta non justum est, illud malè, rectius istud.

In vulgatis est *puto*, sed placet *puta*, quod se Casaubonus invenisse scribit in membranis Bongarsii: imò & veteres ita legisse, autor est Priscianus lib. XV, quo loco de terminatione adverbiorum tractat.

Martialem tamen producere ajunt, propter illud lib. IV, epigr. XXIX:

Tu quoque, de nostris releges quæcunque libellis,
Esse puta solum. sic tibi pluris erit.

Sed minimè vident, *puta* hic valere *cense*, *crede*: ut omnino sit verbum.

Et sanè sic idem lib. XI, ep. XCVI:

In solio puta te mergere, Flacce, caput.

Quamquam in vulgatis ibi *puto*. Sed aliter codd. Palat. & Angl. ut monitum Grutero, & editum Scriverio.

Postea, quod Georgius Fabricius lib. de re poëtica produci scripsit, corripitur ab Ovidio I Fastor.

Postea mirabar, cur non sine litibus esset
Prima dies.

* Lib. 1, de L. L.
‡ Libb. de re poet.
* Instit. Gram. cap. de ultimis Adverbiorum syllabis.
† Lib. 2. nat quæst. cap. 2.
‡ In præfat. & lib. 5, cap. 26.
* In Oppido.

Nisi placeat *post ea* divisim legere. Sanè rectè produci, ostendunt iambici isti apud Plautum Pœnulo Act. I, Sc. I:

Si auctoritatem postea defugeris,
Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam.

Producere similiter *postilla* videtur Ennius in illis Vestalis verbis:

Nam me visus homo pulcher per amœna salicta
Et ripas raptare, locosque novos. ita sola
Postilla, germana soror, errare videbar,
Tardaque vestigare, & quærere te, neque posse
Corde capessere. semita nulla pedem stabilibat.

Sic eos versus lego, & distinguo. Vulgò divisim scribitur, *Post illa.* Item, *& quærere, te neque posse corde capessere.* Quomodo adducit quoque Fulvius Ursinus in IV Æn. Virgilii cum Græcis collati. Etiam Propertii est lib. I, el. XV.

Hypsipile nullos postillà sensit amores.

Nisi, *post illos, scripsit.*

Naturâ tamen ejusmodi brevia essent. Et hoc sine dubio, & præterea Ovidii auctoritas, movere Franciscum Philelphum, ut in satyra scriberet illud nunc adeò protritum:

Omnia si perdas, famam servare memento,
Quâ semel amissâ, postea nullus eris.

Ubi, quos modulus offendit, rescribere κατ' ἐπίτασιν, jubent, *postea an ullus eris?* Sed si Ovidio medicina fiat, solùm scribendo, *Post ea:* cur non & Philelpho?

Antea itidem producit Horatius od. XII, lib. Epod.

Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos.

Item Catullus Carm. IV:

Ubi iste post-faselus antea fuit.

Contrà Maroni producitur IV Georg.

Contrà non ulla est oleis cultura: neque illa
Procurvam exspectant falcem.

Attius tamen corripere videtur in Philoctete:

Quem neque tueri contrà, neque affari queas.

Est enim senarius, ac quartâ sede est anapæstus: nisi creticum admittat, aut *tueri* κατὰ συνίζησιν sit dissyllabon. Quare hoc infirmum. Idem judico de hoc Lucretii lib. I.

Ne fortè hæc per se cogant nos contra fateri.

Ut habent libb. quidam veteres. Sed in nostris etiam membranis, uti & editione Florentinâ, quam ante annos amplius centum Petrus Candidus castigavit, pro *contra* invenimus *esse:* quod Lambinus, ac Giffanius, receperunt.

Nec assis est, quod è Valerii Flacci lib. VIII, adducunt Emmanuel Alvarez, & alii:

Contraque Lethæi quassare silentia rami.

Nam apud eum legitur hoc pacto:

Contrà Tartareis Colchis spumare venenis,
Cunctaque Lethæi quassare silentia rami
Perstat.

Ubi itidem produci videmus. At Ausonius corripit præfat. ad Theodosium Augustum:

Sæpe mora est; quoties contra parem dubites.

Item Manilius non Augustæi, ut putarunt ævi poëta, sed, ut sæpius dictum, Ausonio σύγχρονος. Ejus est lib. II:

Contrà jacet cancer patulam distentus in alvum.

Ultra itidem est porrectum: ut apud Juvenalem sat. II.

Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum.

Objiciunt locum Sereni Sammonici:

Curaque nil prodest, nec ducitur ultra cicatrix.

Sed pro *ultra* rectè *ulla* est in melioribus libris, etiam illâ Joannis Cæsarii, & alterâ Petri Pithœi.

Frustra nonnulli corripiunt, idque, uti ajunt, Juvenalis exemplo; cujus illud sat. III.

——*Ultimus autem*
Ærumnæ cumulus, quòd nudum, & frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.

Verum hic *frusta*, quod in antiquis reperit Mancinellus, legerim potius: etsi alterum sit in MSSis nostris: atque id etiam Raderus probet ad Martial. lib. III, epigr. XL*. Itidem adducunt hoc Ausonii in Cæsaribus:

* Sive Raderianæ editionis 30.

Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro.

Sed *dehinc* κατὰ συνίζησιν monosyllabon fit. At nihil obduci possit Festo Avieno, nisi quod classicus non sit. Ejus est in Arateis:

Exhalantis humi, quà spiramenta madescunt
Ima, vehunt cæli, luxit dum frustra frequenter.

Non video, quid in mentem venerit Angelo Politiano †, ut versum Ovidii in prima Heroidum epistolâ, ubi optimi libri *ab Hectore*, sic posse legi putaret:

† Cap 76. Miscel.

Sive quis Antilochum narraret à Memnone victum.

Rectiùs dixisset, *Amphimachum* pro *Antilocho* legi debere, ne agnoscere cogamur, esse μνημονικὸν poëtæ ἁμάρτημα. Sanè à *Memnone* legi nequit, cùm A semper sit longum. Quid, quod nec ullum Ovidii ἁμάρτημα ‡ est? Nam Amphimachus quidem ab Hectore est occisus, ut narrat Homerus Iliados N*: sed hoc non prohibet, quo minùs Antilochus ab eodem Hectore, etsi non occisus, tamen victus sit; quod idem narrat Homerus Iliad. E†. Quare Ovidii mentem Politianus non est assecutus. Imò nec Parthasius ‡, cùm à Penelope putat matronali peccatum simplicitate.

‡ Erratum. * Vers. 177. † Vers. 590. ‡ Epist 2.

CAP. XXV.

Giffanii & Erythræi sententia refutatur de exeuntibus in E. Fames olim quinctæ fuit: vale, cave, vide, salve, responde, etiam corripiuntur: supernè & infernè corripiunt ultimam: composita è die producunt. Etymon particulæ fere, & ferme.

NEc roboris sit inest argumentis, quibus idem Giffanius probare nititur, illa in E sæpe veteribus produci contra Grammaticorum regulas. Nam quod ad illud Prudentii περὶ στεφ. hymn. IV:

Civitas quaque pretiosa portans:

Superius * dicebamus, E non tantùm ob penthemimerim produci hic posse; sed etiam, quia vox sequens inchoat à duabus consonis. Nec canonibus Grammaticorum adversatur illud Maronis in VI, quod ab eodem adfertur:

* Cap. 15.

——*Offam*
Objicit; ille fame rabidâ tria guttura pandens
Corripit objectam:

aut hoc Lucretii lib. I:

Et nisi tempestas indulget tempore fausto
Imbribus, ut tabe nimborum arbusta vacillent.

Quo etiam loco idem probare est conatus Erythræus in indice Virgiliano*: sed parùm validè, quando utrobique est cæsura. Sanè corripit Maro VI Æn.

* In tabe.

Heic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles.

Et Ovid. IX Met.

——*Cacaque medullis*
Tabe liquefactis, tollens ad sidera palmas.

Quare rectiùs adduxissent istud Lucretii lib. III:

Sollicitæ volitant morbis, algoque, fameque.

Vel è Marone in IV Georg.

Amissis, ut fama, apibus, morboque, fameque.

Et XI Met. fab. IX:

Qui quamquam sævit pariter rabieque, fameque.

Item hoc Martialis lib. I, epigr. C:

Hoc si contigerit, fame peribis.

Et tamen, ne hi quidem loci adversantur Grammaticis. Nam posteriorem in *fame* producunt posteriores; non quia veteres aliter de syllabarum quantitate judicarunt; sed quia olim (ut Gellius testatur lib. IX, cap. XIV.) fuerit quinctæ; quomodo & *plebs*, quod nunc tertiæ est, olim in patrio casu *plebei* fecit: unde Sallustius I Histor. *plebei tribunitiam potestatem*, pro *plebis*. Hæc de nominibus.

E verbis in E secundæ conjugationis *vale*, & *cave*, habent ultimam communem. Corripit *vale* Naso I Trist. eleg. VII.

Idque quod ignoti faciunt, vale dicere saltem?

At producit sæpius: ut X Metam. fab. I.

Supremumque vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit.

Cæsuræ tamen hic tribui possit. *Cave* contrà posteriorem ferè corripit. Horat. I Epist. ad Vinnium Asellam:

Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

Ovid. I Trist. eleg. I:

Tu cave defendas, quamvis mordebere dictis:

Et lib. III de Ponto eleg. I:

Huic cave degeneres.

Interdum producit: ut Met. II, fab. I:

Nate, cave: dum resque sinit, tua corrige vota.

Vide quoque interdum corripit E. Persius sat. I.

Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne majorum tibi fortè
Limina frigescant.

Et ne quis id factum putet, eò quòd cum *sis* componatur, dixit Val. Flaccus lib. V*:

Incumbens Odrussa mero: vide lata comantem
Pectora.

Itemque Dionysius Cato†:

Laudâris quodcunque palam, quodcunque probaris,
Hoc vide, ne rursum levitatis crimine damnes.

Martialis quoque lib. XI, epigr. ult. argute ait:

Lector salve. Taces, dissimulasque? vale.

Prout vett. libb. habent, & in optima illa amicissimi Scriverii editione optimè expressum. In vulgatis pro *salve* corruptè *solve* editum est. Idem lib. III, epigr. IV.

Si, quando veniet? dicet, responde, Poëta
Exierat. veniet, cùm citharœdus erit.

Caussa ejusce rei est, quòd multa verba secundæ olim fuerunt, & tertiæ. Ita dixere *ferveo*, & *fervo*; *fulgeo*, & *fulgo*; *oleo*, & *olo*, similiaque.

Supersunt adverbia. Ac primò videamus de iis, quæ derivantur ab adjectivis secundæ declinationis. Ex quibus scrupulum injiciunt *supernè*, & *infernè*. Nam ea Lucretio corripiunt ultimam. Quod multis ejus locis comprobatur: inter alios isto lib. IV‡:

Nam quæcunque supra rorem salis edita pars est
Remorum, recta est, & recta supernè guberna.

Ita etiam in membranis nostris legitur: ac ante seculum, & ampliùs, editum fuit in Florentina à Petro Candido recensita. Nec aliter Lambinus, & Giffanius, vel invenere in suis codd. vel legendum putant. Idem Lucretius in VI, versu 543.

Terra supernè tremit magnis concussa ruinis.

Ad quem locum ita Lambinus: *Millies jam dixi, ultimam syllabam adverbii supernè, brevem esse: itaque eos errare, qui hoc loco, & similibus, legi volunt, superna, reclamantibus omnibus libris, & vulgatis, præter Venetos antiquos, & Parisienses.* Idem eodem libro*:

Tecta supernè timent, metuunt infernè cavernas.

Quomodo hic quoque cum in membranis nostris, tum in Lambini, & Giffanii codd. scriptum invenitur.

Adverbiis porrectis adde derivata à *die*: ut, *hodie*, *pridie*, *postridie*, *quottidie*: quæ naturam simplicis ablativi retinent.

Sanè, ut poëtarum mittam testimonia, etiam Fabius Quinctilianus in *postridie* tres ultimas vocat creticum sive amphimacrum. Sic enim scribit lib. IX, cap. de Compositione: *Creticus est initiis optimus: Quod precatus à Diis immortalibus sum, & clausulis: In conspectu populi Romani vomere postridie.*

Longa etiam sunt *fere*, & *ferme*. Virgil. Æn. III:

Jamque fere sicco subductæ litore puppes.

Ubi & Servius, monet RE produci. Item Juvenalis sat. VI.

Nulla ferè caussa est, in qua non femina litem
Moverit.

* Vers. 594.

† Lib. 4. 25.

‡ Vers. 440.

* Vers. 696.

Idem sat. XIII:

Mobilis, & varia est ferme natura malorum.

Non tamen hæc veniunt ab adjectivis secundæ declinationis, sed à verbo *ferre*. Nam, ut ait Varro lib. VI de L. L. *utrumque dictum à ferendo, quod id, quod fertur, est in motu, atque adventat.* Interim dissimulare non possumus, Ausonium corripere. Ejus est,

Nam tecum fere totus ero, quocumque recedam.

Quod imitari non dubitavit Thomas Morus: cùm Anacreontis* illud,

Ἄρης δ' οὐκ ἀγαθῶν φείδεται, ἀλλὰ κακῶν:

transtulit hoc pacto:

Fortibus haud parcit Mars fere, sed timidis.

Producit quoque posteriorem *ohe* Martialis lib. IV: epigr. XCI:

Ohe, jam satis est, ohe libelle.

De monosyllabis satis convenit, ea produci, encliticis, & syllabicis adjectionibus exceptis. Prioris generis sunt, *que*, *ne*, *ve*: alterius, *ce*, *te*, *pte*.

* Lib. 3. Ἀνθολογ. εἰς ἀνδρείας.

CAP. XXVI.

De terminatis in I. Cui monosyllabon Prudentio breve; sed perperam. Falli, qui censent, cui, & huic, *poëtis esse semper monosyllaba. Manilii poëtæ ætas: cique præsse Firmicum, non Firmico Manilium.* Cuique *Prudentio dactylus est, si vett. codd. standum.* Sicuti *non servat quantitatem simplicis* uti. *Faerni error de modulo ultimæ in* heri.

NEc satis curatè, quæ in I exeunt, expenderunt. A longis in I excipiunt *nisi*, & *quasi*, brevia; tum *mihi*, *tibi*, *sibi*, *cui*, *ubi*, & *ibi* communia. Sed fortasse *nisi*, & *quasi*, etiam producta inveniuntur. Lucretius lib. II:

Et divicta quasi cogatur ferre patique.

Avienus in Arati paraphrasi:

Ut nec curva quasi declinet cornua.

Sidonius in epithalamio Polemii:

Sint tantum, penitusque nisi nihil esse probentur.

Sed in Lucretio quidem id tribuere possis cæsuræ: in cæteris verò ætati condones, quâ vixere.

Cui monosyllabon breve est Prudentio hymno IV Cathemerinôn:

Tu mihi Christe, columba potens,
Sanguine pasta cui cedit avis.

Est versus tetrameter catalecticus. Sed non imitandum, cùm crasis syllabam faciat porrectam. *Cui* disyllabon posteriorem habet ancipitem. Producit Prudentius lib. II contra Symmachum:

——*Nec digna perenni*
Largitore, cui propria est opulentia.

At hymno IV περὶ στεφ. corripit: ut cui Adonius sit, *Res cui tanta est.* Longeque id usitatius. Eos verò, qui veteribus semper monosyllabon credunt, refellit Martialis lib. XI, epigr. LXXIII:

Collatus cui Gallus est Priapus.

Et lib. XII, epigr. XLIX.

Et credit cui Postumilla dives.

Priscianus quoque in nono, fatetur quidem, *huic*, & *cui*, poëtis plurimùm esse monosyllaba: at interea, disyllaba quoque inveniri, docet. Ac de *cui* probat gemino Terentiani Mauri loco; quorum utroque *cui* pyrrhichius est. Habes eos cap. de literis. Prior est:

Verum ut cuique est proximitas loci sonique.

Est carmen Sotadicum, quod constat duobus Ionicis à majore, & tribus trochæis. Alter locus est:

Ex ordine fulgens cui dat locum sinopis.

Huic verò interdum esse disyllabum, ostenditur isto Statii I. Sylvarum in equum Domitiani:

——*Tuosque*
Latus huic dono videas dare tura nepotes.

Item epithalamio Stellæ & Violantillæ:

Falsum

Falsus huic pennas, & cornua sumeret æthra
Rector.

Quin dubitari possit, an apud antiquos, & classicos poëtas, *cui* posterior quoque legatur productâ; etsi *cuique* mediâ longa sit apud Manilium lib. IV:

Sic erit & sedes fugienda petenda cuique.

Quamquam ne Manilius quidem, sive Manlius, ut in vetusto codice Gemblacensi vocatur, sive Mallius, ut in nonnullis dici Mssis Crinitus & Gyraldus testatur, antiquis illis est accensendus: ut qui non Augusti ævo vixerit; quod non modò Crinitus, ac Lilius, sed etiam Josephus Scaliger existimabat: verùm temporibus Theodosii Magni, ut qui ille sit Mallius Theodorus, qui cum Eutropio consul fuit anno Christi CCCXCIX. Hoc ita esse, optimè doctissimus Casparus Gevartius observavit ex Claudiani in Mallium hunc panegyri: ubi clarè ejus Astronomicorum meminit. Et sanè dictio satis arguit, non esse Augustæi, sed potius Theodosiani ævi poëtam. Quare cùm passim eadem hic legere sit, quæ prosâ habemus apud Julium Firmicum Maternum Siculum: non cum Scaligero statuendum, Firmicum sua ex Manilio hausisse: sed Manilium carmine reddidisse, quæ prosâ Firmicus scripsisset. Antiquior enim Firmicus, ut qui vixerit sub Constantino M. quemadmodum ex præfatione ejus constat. Sed ad metrica redeamus. Manilius quidem, seu Mallius producit secundam in *cuique*, ut vidimus: at ejusdem ætatis scriptor Prudentius nunc corripere, nunc producere existimatur. Corripere dicitur in secundo adversus Symmachum:

Imus ad occultum. Proprius genti cuique est mos.

Producere putatur eodem libro:

Vincendi quæris dominam? sua dextra cuique est.

Verùm multò aliter codices Mssi, in quibus Georg. Fabricius reperit:

—— *Suus est mos cuique genti.*

Et,

Sua cuique dextra est.

Quomodo *cuique* Prudentio dactylus erit. Neque hic tantùm: sed etiam libro ejus operis priori:

Omnibus ante pedes posita est, sua cuique sordens
Arula.

Et in Hamartigenia:

Assignare deos proprios sua cuique jura.

Ubi editum,

—— *Sua cuique vetusta Arula.*

Et,

—— *Sua jura cuique.*

Equidem nec licentiam probo poëtæ, qui sic scribat: nec librariorum audaciam, qui aliter rescribunt.

Ubi, & *ibi*, communia sunt. Compositum *sicubi* tantùm correptum reperias. *Uti* est longum. Quemadmodum & composita *alibi*, & *veluti*. At *sicuti* breve Ennio, Lucretio, aliis. *Nullibi* juniorum quidam corripiunt. Ut Hieronymus Floravantius in Carmine Anapæstico, quod præmisit libro II de Trinitate:

Nulla huic similis lucta palæstra:
Nullibi major, meliorque labor.

Sed scribere debuit *nusquam*. *Nullibi* enim barbarum est.

Heri æquè, ac *here*, ultimam corripere ait Faërnus in Eun. act. II, sc. III*. Sed falli censeo. Nam in optimis quibusque libris est *here*: quod posteriorem corripit Juvenalis sat. I. *Hereque* veteres dixisse; agnoscunt non modò Nonius, & Priscianus; sed etiam Donatus in Phorm. atque adeo Fabius lib. I, cap. XII.

* Vers. 66.

Cap. XXVII.

Cur dativi, & ablativi in O, producantur. Cur & recti antiquus sapius sint longi, præterquam ego. Quod à classicis non producitur extra cæsuram. Sed Ausonium id neglexisse. Scriptor Consolationis ad Liviam planè est Augustæi ævi: scriptor verò elegiæ in obitum Mæcenatis est Scholasticus inferioris ætatis: etsi eosdem nonnulli putarint. Do malè corripi ab eruditissimo Grammatico. Cedo habere posteriorem brevem. Scio olim nonnulli semper longum putârunt. Marii Victorini sententia de dispari modulo in scio, nescio, monstro, dicto, *& similibus, quando nomina sunt, & quando verba. Quo consilio Maro gerundia in* do *semper producat: alii verò non rarò corripiant.* Quando *anceps. Uti &* modò: *sed composita semper brevia. De modulo ultimæ in* serò, tertiò, postremò, profectò, imò, eò, adeò, ô, porrò, verò, ideo, ergo. *Deque postremo horum Festi, & Victorini judicium.*

IN O quoque distinctè videbimus, primùm de nominibus; pronominibus, & participiis: inde de verbis, & gerundiis: denique de adverbiis, ac cæteris particulis.

Quod attinet ad nomina, hæc rectum habent ancipitem; ut *sermo*: obliqui autem, ut nominum, ita partium cognatarum, ultimam producunt. Cujus rei caussa est ista, quòd Græcis dandi, & auferendi casus, (qui illis unus idemque) per ῳ efferantur. Latini autem matricem linguam sequuntur. Sic Græci, Κύρῳ, ἀγρῷ, ῥαφάνῳ, ἀβύσσῳ: Latini *Cyro*, *agro*, *raphano*, *abysso*. Sed de recto idem dicere non possumus; quia quæ Latinis in *o*, hæc Græcis in ων desinunt. Ut Πλάτων, *Plato*, Κικέρων, *Cicero*, δράκων, *draco*. Itaque Marius Corradus in primo de L. L. ait, *Cato*, *virgo*, & similia, semper longa esse. Imò, ex veteribus ipsis, Marius Victorinus, in primo operis sui, agnoscit, novis, ut vocat, poëtis corripi: sed antiquis produci. Atque huic probando adducit ex X Æn.

Cui Juno submissa.

Et ex XI:

Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium.

In *ego* tamen contrà est. Nam etsi Græcis sit ἐγώ, tamen, ut Victorinus agnoscit, posterior corripitur. Ut in primo Æn.

Ast ego, quæ divûm incedo regina.

Et in secundo:

Non ego Myrmidonum sedes.

Sunt qui produci probent hoc Terentii in Andria*:

Ego, Charine, neutiquam esse officium liberi puto.

* Act. 2, sc. 1.

Volunt enim, esse iambicum tetrametrum. In quo falluntur, cùm versus proximi ostendant, esse trochaicum tetrametrum catalecticum. Doctissimus Emmanuel Alvarez, ut doceat, non rarò habere ultimam longam, primo loco adducit hoc Ovidii ex epistola Laodamiæ:

Sed quid ego revoco hæc? omen revocantis abesto.

Firmius id argumentum foret, nisi productio tribui cæsuræ posset. Quod & alibi fieri observo. Ut apud Valerium Catonem in Diris:

Ausus ego primus castos violare pudores.

Ita, non *egon*, Aldina, aliæque vett. Et apud scriptorem Consolationis ad Liviam:

Jamque precaturus, Quid ego jam credulus, inquit,
Suscipiam in nullos irrita vota deos?

Quod poëma, ut fallò tribuatur Ovidio, indignum tamen eo non est, ob egregia in illo ingenii lumina. Ob quæ tam facilè Josepho Scaligero credimus, esse Pedonis Albinovani, quàm difficulter ei subscribamus contendenti, ejusdem Pedonis esse elegiam in obitum Mæcenatis. Nam quicquid vir summus dicat, tota penè languet, nec aliquid dignum habet Augustæo ævo: ut nobis quidem persuasissimum sit, esse fœtum Scholastici cujusdam sequioris ævi.

Idem Alvarez *ego* producere posteriorem gemino probat Cornelii Galli loco. Prior est ex Eleg. primâ:

Sic cunctis formosus ego, gratusque videbor.

Alter ex sequenti:

Sum grandævus ego, nec tu minus.

Nempe secutus est codices vulgares. Sed jam olim Lilio Gyraldo* monitum, esse elegias has non Galli illius à Marone† etiam celebrati: sed scholastici poëtæ Maximiani, cujus nomen & nostri præferunt Mssi. Adde quòd his etiam locis productionem syllabæ tribuere cæsuræ licet. Uti & in Ausonii* isto ab eodem adducto:

* De poët. hist. dial. 4.
† Ecl. 10.
* Epigr. de Crasso.

Sicut ego solus me quoque pauperior.

Quare mallem, apposuisset hoc ejusdem in ludo sapientum:

Ego duorum regum testimonio.

Et in Thalete:

Ego recusans non recepi, & reddidi.

Item:

Ego receptum conservavi Apollini.

Nam ne Comicis quidem, nedum Ausonio hæc licentia, ut pyrrichius ei pedem jambici constituat. Quod enim ad illud ejusdem:

Abeo, valete, & plaudite plures boni:

ultima in *plaudite* producitur, quia eam excipit vox à duabus consonis inchoans. Nec propterea tam fuerit Ausonius mihi, ut non cum classicis posteriorem in *ego* malim corripere, nisi viderem, ex classicis ipsis posse aliqua pro eo adferri. Producit enim Plautus, hoc trochaico, Aulul. act. III, sc. III:

Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.

Imò idem facit Catullus epigr. XVII:

Hunc ego volo de tuo ponte mittere pronum.

Versus est antispasticus, sive Priapejus: qui constat Glyconio primâ sede trochæum habente, & Pherecratio itidem initio habente trochæum.

Venio ad verba: ubi de monosyllabis satis constat. Horat. lib. Epod.

Jam jam efficaci do manus scientiæ.

Nec uspiam aliter: ut malè corripiat Henricus Stephanus in hoc senario:

Sed numerus horum quæ do, quæ brevi dabo.

Solùm quæritur de disyllabis, & polysyllabis: ut *disco*, *doceo*. In his ultima esse anceps putatur. Id negat Marius Corradus*: qui semper longam putat. Neque dubitandum, quin primò fuerit porrecta, cùm Græcè sit ω. Ut λείβω, *libo*, ψάλλω, *psallo*, ἕρπω, *serpo*. Et antiqui propterea producere malebant. Quâ de re sic Marius Victorinus lib. I: *Potest & hic modus sextus communium syllabarum videri, qui apud omnes veteres semper, & apud Virgilium plerumque, pro longâ syllabâ est. Nam pro brevi apud novos poetas frequenter: quod est sic, cum verbum sive nomen O habet ultimam correptam, non sequentibus duabus consonantibus: ut*†,

* Lib. I.

Canto, quæ solitus, &c.

*Et**,

† Maro Eclog. 2.

* 3 Æn.

Mœnia prima loco, fatis, &c.

Marius Corradus duo excipit, *scio*, & *nescio*. Addere debuit *cedo* pro *dic*. Nam est Juvenalis sat. XIII:

Falsi crimen habet. cedo, si conata peregit?

Cæterum de *scio* veterum quidam refragantur. Nec movet eos illud Maronis Ecl. VIII: *Nunc scio, quid sit amor*. Nam volunt *scio* κατὰ συνίζησιν fieri monosyllabon: ut Victorinus ait. Qui tamen hac parte ab iis dissentire videtur. Censet enim, verbum *scio* debere corripi, ut distinguatur à dativo nominis *scius*, unde *sciolus*, & *nescius*. Ac similiter jubet corripere verba hæc *monstro*, *ostento*, & similia, ut à dativis & ablativis nominum differant. Ipsum Victorinum audiamus, vel antiquitatis caussâ. *Qui (in scio) hanc syllabam longam esse voluerunt, semper elidunt inde I literam, ut sit, Nunc sco: quamquam caussa est super hoc verbo, quare necesse est literam corripi. In his enim verbis, quæ nominum speciem gerunt, eadem corripi oportet propter discretionem. Nam Scio, si corripias O literam, verbum est: si producas, nomen singularis dativi, vel ablativi; ut huic, & ab hoc scio. Item tale est, monstro, & ostento: & frequentativa verba multa, ut lecto, facto, scripto, dicto.*

Sed metuo multum, ne parte hac Grammaticum acumen facile retundatur. Nam quis poëtarum veterum hoc discrimen observat? Quare malim dicere, antiquiores verba in *o* potiùs producere, quia *o* propiùs tum ad ω Græcorum accederet: posteriores verò sæpius corripere, quia paullo tum celeriùs, quàm veteres, efferrent. Sanè corripit Martialis lib. I, epigr. XXXIII:

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere, quare.

Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Et lib. III, epigr. XLV:

Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem:

Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

Rariora tamen hæc apud principes poëtas: uti diximus.

Ad gerundia in *o* quod attinet, & hæc semper porrecta esse, tradit Marius Corradus. Imò, cujus potior auctoritas, Valerius Probus in Institut. ait, ea sine dubio habere ultimam longam. Et profectò Virgilius, quo nemo poëtarum castigatiori judicio fuit, producere ea solet. Credo, id eò fecit, quia gerundia omnia verè sunt participia certi casûs: ac illa quidem in *do* sunt dandi, vel auferendi casûs. Nam *laborando consequi* dicimus, ut *labore consequi*: & *scribendo aptus*, vel *inutilis*, ut *scriptioni*, vel *scripturæ aptus*, vel *ineptus*. Quid mirum igitur, si veteres eandem hic rationem, quam in dativis, & ablativis, insistere voluerint? Plus tamen hic sibi permisere Tibullus, Ovidius, alii. Tibulli quidem est lib. III, el. VI:

Aufer & ipse meum pariter medicando laborem.

Ovidius similiter epistolâ Deianiræ:

Fortunam vultus fassa tegendo suos.

Juvenalis sat. III:

Plurimus hic æger moritur vigilando: sed illum.

Quid omnes adducam? Addam solum illum Alphei Aviti jambicum ex libro II Excellentium apud Priscianum in XVIII:

Spatiando paullatim trahit.

Credo jam Augusti ætate, ultima in gerundiis ejusmodi efferebatur, quasi sesquitempus haberet. Maro igitur, primævam eorum attendens naturam, veritus est corripere. Cæteris satis visum, si non offenderent aures cujusquam. Nam, ut superiùs dictum nobis, vulgus etiam imperitum, utcunque artis metricæ ignarum esset, tamen consuetudine Latini sermonis de modulo syllabarum optimè judicabat: nec diffiteri poterat, solùm sesquitempus in talibus audiri. Quare poëtis putabat hoc libertatis relinquendum, ut semitempus vel adderent vel demerent: præsertim cùm leviculum adeo discrimen vix observaretur. Et credo etiam è vulgo alii hoc, alio alii modo pronunciabant.

Nunc de particulis agendum. Ac primò de adverbiis. *Quando* ait Servius* naturaliter esse breve, eique rei adducit hoc Sereni:

* In 4 Æneid.

Quando flagella ligas, ita liga.

Maro tamen semper producit; ut appareat, si non longum potiùs, saltem ancipiti esse intervallo.

Sed inprimis disputatur de adverbiis, quæ veniunt ab ablativis nominum. Hujusmodi Marius Corradus semper producere jubet, præterquam in *citò*; quod & Charisius* excipit; & *modò*, cum compositis; ut sunt *quomodo*, *dummodo*, *postmodo*. Martial. lib. X, epigr. XVI:

* Cap. de adverbiis.

Quicquid habemus omnes accipe, quomodo des.

Et lib. III, epigr. XV:

Cum sit tam pauper, quomodo cæcus amat?

Imò Horatii quoque est lib. I, od. XXVIII:

Negligis immeritis nociturum

Postmodo te natis fraudem committere.

Et Tibullus lib. I, el. I.

—— Tecum

Dummodo sim, quæso, segnis, inersque vocer.

Sed etsi simplex *modò* sæpius corripiatur, producere tamen possis exemplo Catulli ad Varum:

Hoc quid putemus esse? qui modò scurra.

Imò *citò* etiam producit Syrus mimus, hoc versu jambico senario:

Pars beneficii est, quod petitur si citò neges.

Serò à Tibullo quidem producitur, lib. I, el. VIII:

Heu serò revocatur amor, seroque juventa.

At sæpius tamen corripitur, ut apud Juvenalem sat. I:

—— Galeatum serò duelli

Pœnitet.

Martial. lib. V, epigr. LXVIII:

Serò dedit pœnas.

Stat,

Stat. I Theb.

Serò memor thalami mæsta solatia morti,
Phœbe, paras.

Claudianus panegyri in tertium consulatum Honorii:

Imperium tibi serò datum.

In aliis quoque adverbiis idem contingit. Juvenalis sat. XI.

Et Scauros, & Fabricios, postremò severos
Censoris mores etiam collega timeret.

Ita libb. vett. pro quo in recentioribus, *rigidique severos.*

Etiam Charisius legit apud Maronem Æn. III:

Tertiò sed postquam majore hastilia nisu
Aggredior.

Quamquam nec *tertia* displicet, quomodo IV Georg. dixit idem:

—— Nec sera comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi:

pro *serò*. Et Georg. III: *Crebra ferit*, pro *crebro*. Nisi hisce locis *serò*, & *crebrò*, legere malis; quorum illud in vett. libris inveniri, ait Giffanius: hoc in Longobardico exemplari scriptum reperit Pierius.

Ab ablativo quoque est *profectò*: quasi *pro facto*, ut superiùs dictum. Terentianus tamen Maurus corripit ultimam in hoc Phalæcio:

Adest, hexameter profectò fiet.

Etiam *imò* ab auferendi casu venit. Nam propriè signat *eximo*, sive infimo, hoc est prorsus. Corripit tamen Martialis lib. V, epigr. LXIV:

Sic Capitolinus Jupiter, imò tibi.

Eò, & compositum *adeò*, corripere non ausim, etsi non meminerim me extra cæsuram legere porrecta. Horat. epist. II, lib. II:

Ibit eò, quovis, zonam qui perdidit, inquit.

Maro IV Ecl.

Teque adeò decus hoc ævi, te consule inibit.

Et in XII Æn.

Usque adeone mori miserum est?

Supersunt conjunctiones, & interjectiones. Nam præpositionum una solum *pro* in *o* exit; quæ longa cognoscitur ex monosyllaborum natura. Uti & interjectio *o*: sed ante consonam. Quippe ante vocalem naturâ quidem producitur; unde apud Maronem II Georg.

—— O, ubi campi,
Sperchiusque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta.

At interdum tamen corripitur positione, seu vi vocalis sequentis: ut in illo Ecl. II;

Te Coridon, ô Alexi.

quod, ut superiùs etiam diximus, est simile illi Æn. III:

—— Strophades Grajo stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno.

Aliquis tamen & consonâ sequente corripi putet, propter illud Ennii lib. II Annalium:

—— O Romule, o Romule, dic, o
Qualem te patria custodem Di genuerunt!

Quomodo etiam Fulvius Ursinus citat in Virgilio cum Græcis collato †, Sed planè legendum, *O Romule, Romule*. Ut Aldo *, & aliis, editum.

† In Æn. 7. pag. 356.
* Lactant. lib. I, cap. 16.

Ex conjunctionibus in disquisitionem veniunt *porrò*, *verò*, *ideo*, *ergo*. *Porrò* corripit Juvenalis sat. VII.

Vester porrò labor fecundior historiarum
Scriptores.

Verò itidem corripere videtur Ennius in X, apud Donatum Phorm. Act. II, Sc. I.

Regni † versatum summam verò columnam.

† Scaliger supplet, ac emendat: Regni versatam tum summovere columnam.

Sed ut mutilo Ennii testimonio niti opus non sit, facit Valerius Flaccus: cujus illud lib. V *:

* Vers. 321.

Quod petimus: sin verò preces, & dicta, superbus
Respuerit.

Ac similiter Ausonius epigr. CVIII:

Pars te Furippum vocitat, pars verò Furippum.

Et epist. VI:

—— Sed est discrimen utrique,
Poma ut mala voces, carmina verò mala.

De *ideo* idem judicium esto, ac de *eò*, & *adeò*. Lucanus lib. II:

Non bene compertum est. ideo me milite vincat.

Ergo producit ultimam: ut Marius Victorinus ostendit isto Maronis in IV Æn.

Ergo jussa parat.

Non defuere tamen è Grammaticis, qui putarent, differentiæ caussâ corripi oportere. Sic enim scribit Festus Pompejus: *Ergo correptum idem significat, quod apud Græcos ἄν: productè, idem quod χάριν, hoc est gratiâ, cùm scilicet gratiâ intelligitur pro caussâ.* Pro Victorino est, quòd etiam pro ἄν productum invenitur, ut ostendit hoc Maronis Georg. II.

Ergo non hiemes illam, non flabra, neque ignes.

Et Horatii istud lib. I, Serm. X:

Ergo non satis est risu diducere rictum.

Nec mirum, cùm, utcunque sumatur, veniat ab ἔργον. Nam primò nomen fuit, eoque gignendi casum adsciscebat. Ut, *Legis ergo*. q. d. νόμου ἔργῳ, hoc est, opere, vel caussâ. Quæ effectus ac caussæ significatio etiam mansit, cum valet *igitur*. Ut II Æn.

Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.

id est, *hac de caussa*. Interea verisimile est, priori significatione productiùs aliquanto efferri solere: ut posteriori tamen haberet sesquitempus, vel alii brevi ultimâ, alii longâ efferrent. Nec enim existimandum, de nihilo esse, quod de discrimine isto Festus notavit ex Verrio Flacco, qui Augusti vixit ætate, ac ejus docuit nepotes *. Quando enim rectiùs de pronunciatione, quàm iis temporibus, potuit judicari?

* Tranquillus de illustr. Gramm.

CAP. XXVIII.

De terminatione V Grammaticorum veterum sententia rejicitur. Probi locus emendatus: item Ciceronis in Arateis. Nisus idem qui ἐν γόνασι sive Ἐγγόνασιν. Probi Berytii ætas. Indu, *&* nenu, *corripiuntur: quorum illud priscum pro* in, *hoc pro* non.

Quæ in V desinunt, semper sunt longa. Olim tamen V illud nunc tenuiùs aliquantò, nunc paullò crassiùs sonuisse, non arbitrarium nobis, sed certissimum est. Qua de re diximus libri I, cap. XII, & hujus lib. cap. XII. Atque hoc fortasse in caussa est, cur veterum aliqui putarint, aptota in V certis casibus corripi. Audiamus Diomedem lib. I: *Forma bipartita est, quæ alternâ casuum productione, correptioneque variatur: ut genu, cornu, gelu.* Et paullò pòst: *Nam in nominativo, accusativo, vocativo, correpta V proferuntur; in genitivo, dativo, & ablativo producta.* Idem tradit Probus in Catholicis: verùm in Institutis artium paullùm à se ipso dissentit. Verba ejus adponam: *Nominativum singularem* ἀπτώτου *nominis* (frustra hìc repetitur vox *aptoti* in editione Eliæ Putschii) *V literâ terminatum, in poemate aliquo non facilè invenies: ut si facies hoc cornu, hoc genu, vel hoc gelu. nam hæc nomina apud Virgilium septimo casu inveniuntur. Veruntamen si nominativum casum collocare volueris, ultimam hanc syllabam longam ponito, quoniam necesse est in ablativo eam produci; ut Tullius in Arato,*

Jam Tauri lævum cornu, dexterque simul pes.

Ibidem & corripuit, ut:

Hæc propter lævum genu nisi parte locatus.

In ablativo tamen sine ambiguitate producitur. Hæc Probus. Verùm, quod ad locum Tullii, *genus* pro *genu* scripsit Cicero: quomodo idem eodem poëmate ait:

Jam dextrum genus, & decoratam lumine suram,
Erigit ille vagans.

Similiterque *gelus*, pro *gelu*, dixêre veteres, ut alibi ostendimus. Cæterùm quem versum ex Probo adducebamus, cum frustra hodie in Arateis quæras: nisi fortè (quod verum puto) hunc locum in animo habuit:

At propter lævum genus omni ex parte locatas
Parvas Virgilias tenui cum luce videmus.

Sed Tullius corrigi debet ex Probo, & Probus ex Tullio: ut utrobique versus ita concipiatur,

Hac propter lævum genu' Nisi parte locatas.

Nempe metuit librarius, ne versus claudicaret, si legeretur, *nisi*, quod priorem corripit. Atque *nisi* hic non conjunctio est, sed nomen: quia intelligitur sidus Romano carens nomine, de quo Tullius in iisdem Arateis scripsit,

Ἐν γόνασιν vocitant, genibus quia nisa feratur.

Quod sidus similiter *Nisum* appellat ibidem, cum ait,

Hæc genus ad lævum Nisi delapsa resedit.

Estque hic versus superiori simillimus. Nam ut hic *ad lævum Nisi genus*, ita illic *propter lævum genus Nisi* dicitur. Sed posterior versus faciliùs potuit corrumpi, quia offendebat, quòd *genus* esset pyrrichius sequente consonâ. Atqui *genu' Nisi* dicitur, ut, *Decidere falcibu' ramos.* Apud Priscianum tamen in VI, etiam in Veneta anni CIↃ CCCC LXXXVI, item in vett. membranis nostris, constanter eum versum ita scriptum invenimus, prout hodie in Arateis legitur. Unde paret, jam Prisciani ævo codices Ciceronis fuisse corruptos: qui nil mirum, si Probi ætate longè fuerint integriores; cum is Neronis ætate vixerit, ut constat ex Eusebio ad annum CIↃ IↃ LXXII.

Porrò ab canone longorum in *u* excipi debet priscum *indu*, pro *in*: quod posteriorem corripit. Ennius Annal. lib. XVII:

Indu mari magno fluctus extollere certant.

Sæpe etiam usus similiter Lucretius. Scio, Giffanium iis in locis rescribere *endo*. Nec inficior, sic etiam veteres dixisse. Sed illud nego, sic solùm dixisse. Nam & nostri, & multi aliorum Msti, omnino habent *indu*; aliqui verò *inde*: quod manifestè ex *indu* corruptum. Glossæ, *Indu*, *εἰς*. *Indu*, *ἔνδον*, *ἐντός*. Ac in multis etiam compositis remansit: ut, *indigeo*, pro *inegeo*, *industrius* pro *instruus*, *indoles* pro *inoles*. Sic *induperator* & *endoperator*, pro *imperator*: *indugredi* & *endogredi*, pro *ingredi*. Sed de his plura in Originum libris.

Nenu quoque, quo veteres usi pro *non*, corripit V. Lucretius lib. III:

At contra lapidum conlectum, spiclorumque
Nenu potest.

Et lib. IV, juxta emendationem Lambini; cui & Giffanius assentit:

Nenu queunt rapidi contrà constare leones.

Etiam Nonius citat ex Lucilii sat. XXX:

Sed tamen hoc dicas, quid est, si nenu molestum est.

Ubi alii legunt, *quid hoc est* (nam *hoc* antiquis breve) alii *quid id est*, alii *quicquid'st*. Utcunque id est, *nenu*, corripitur. Nisi *neno* iis malis locis. Sed in optimis membranis nostris semper est *nenu*. Ac Msti etiam Nonii codd. V habent: sed in priori per diphthongum *nænu*, vel *nænum*. Similiterque Junianus Majus, ut de aliis taceam.

Cap. XXIX.

De terminatis in C, & D. Hic provocabulum semper corripi: fac semper produci. Giffanii sententia in pluribus rejecta.

VIdimus de iis, quæ in vocalem exeunt. Sequuntur, quæ consonante terminantur. Ea volunt esse brevia, præter nomina in AS, & ES; quæ longa sunt. Struices autem concinnant exceptionum: nec sic tamen eorum fidere præceptis licet. Itaque ordine quædam dicam de singulis consonantibus: nec excidam à lineâ, quam ipse duxi.

Lac malè ajunt corripi, quia sit à *lacio*. Est enim κατ' ἀποκοπὴν à *lacte*, qui vetus nominativus. Unde Appulejus in VIII: *Haberetne venui lacte. Lacte* autem ἀπὸ τοῦ γάλακτος κατ' ἀφαίρεσιν. Et quid multis opus, cum producat Q. Serenus Samonicus cap. LXIII, quod de venenis:

Lac asinæ, placidæque bovis prodesse loquuntur.

Qui verò corripi ajunt, auctorem laudare possunt neminem.

Hic adverbium longum est: quippe *i* prope sonabat, ut EI diphthongus. Unde & in antiquis monumentis HEIC invenias. Quod prope jam ante duo secula notatum Laurentio Vallensi notis in Matthæum. Dispar ratio provocabuli HIC, quod semper breve est. Binis quidem locis à Marone manifestè corripitur; ut observant Probus, & Charisius. Unus est Æn. VI.

Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar.

Alter IV Æneid.

Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit.

Quod verò ad loca, quibus producitur, iis crassum ac duplicem habuit sonum; ut indicant hæc verba Marii Victorini*: *Consideranda ergo est in his duntaxat pronominibus natura C literæ, quod crassum quodammodo, & quasi geminum sonum reddat.* Itaque Val. Probus disertim ait, C in his esse literam duplicem. Nam, cùm mutas enumerâsset, subdit†: *Hæ omnes præter C in oratione posita simplices sunt; quoniam C litera duplex in solis duntaxat pronominibus invenitur, & una pro duabus consonantibus cedit, quoniam crassum sonum reddit, ac duplicem.* Audiamus & Martianum Capellam lib. III, cap. de natura syllabarum: *Duplices sunt X, & Z: aliquando I, & C fieri possunt duplices: ut si I inter vocales sit: ut, ajo, Troja. Item C. ut, Hoc erat alma parens.* Eadem de re sic Priscianus lib. XIII: *Vocali quoque sequente E ablatâ per synalœpham, manentibus duabus CC, solebant producere HOCC: ut, Virgilius in Æneid. II.*

Hocc erat alma parens, quod me per tela, per ignes,
Eripis.

Sed scriptorum negligentia prætermisit unum C. Hæc Priscianus, eademque planè est sententia Velii Longi lib. de Orthographia. Ex horum judicio *Hicc* sive *hicce* longum est: at *hic* semper breve est, idemque de *hoc* dictum velim.

Nam scripserat Maro:

Hoc illud, germana, fuit.

At simplici C corripitur. Non jam ei probando adferam è Lucilii lib. XXX*:

Sed tamen hoc dicas, quid hoc est, si nenu molestum est.

Prout citat Scaliger notis in Varr. lib. II de R. R†. Nam in vett. editt. est, *quid est, nenu molestum est:* vel, *si nenu quidem molestum est:* quomodo etiam citat Junianus Majus. Nec dubito, quin *quidem* sit corruptum ex *quid est*. Quomodo & in codd. quibusdam legi dicebam. Ut ex vestigiis veteris lectionis nihil aliud exsculpi possit, quàm istoc:

Sed tamen hoc dicas, quid est, si nenu molestum est?

Metro autem consulitur, non solum si scribatur *quid hoc est*, sed etiam, *quidnam est*. Validius illud auctoris Ithyphallici:

Et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat.

Et hoc incerti, sed veteris poetæ ad Sancum Semipatrem*:

Propter hoc atque aliis donis des cuncta roganti.

Volunt & ex eo firmare, quòd in composito *hodie* corripiatur. Sed de simplici istic secus est. Nam *hodie* est ab ablativo *hoc*, qui extra compositionem est longus.

Fac semper producitur: ut apud Plautum Amphitr. Act. III, Sc. III.

Nunc tu divine fac huc assis Sosia.

Et Ovid. I de Arte:

Hos fac Armenios, hæc est Danaëia Persis.

Prout est etiam in antiquiss. editt. ac membranis nostris.

Item primo de Remedio Amoris:

Durius incedit, fac ambulet.

Ubi in Aldina est *face ut ambulet*. Sed contra fidem libb. vett. etiam Venetæ anni CIↃ CCCC LXXXVI: ubi clarè, *fac ambulet*. Quibus verò locis corripi creditur: iis, (ut longè ante Julium Scaligerum Sulpicius Verulanus annotavit) *face* scriptum fuit: ut apud Nasonem I Fast.

Jane, face æternos pacem pacisque ministros.

* Lib. I, cap. de syllabis.

† Lib. II, cap. 3.

* Apud Non. in Nenu.

† Pag. 223.

* In Catalectis & epigrammatis vett. poët. 227.

Et

Et alibi sæpe. Improbatur sententia hæc Giffanio, at nullâ de caussâ. Nam cur magis *face* refugissent, quàm *edice*: quo, ut Diomedes quoque observat in primo, Maro ipse usus in XI:

Tu Voluse armari Volscorum edice maniplis.

Multi particulam *sic* ancipiti esse intervallo existimant: quos secutus Lipsius in Diva Aspricolli cap. V: ubi corripit. Decepit eos, quod vulgo apud Martialem lib. II, epigr. XLIV legeretur:

Et secum, sic ut audiam, susurrat.

Cùm dubium non sit, quin rectè nunc in optimis quibusque codd. edatur, *sed ut audiam*. Item alter Lucilii apud Lactantium lib. IV. Div. Inst. cap. III.

Janu', Quirinu' pater, sic & hoc dicatur ad unum.

Quomodo etiam à Xysto Betuleio editum est. Ubi in illa Michaëlis Thomasii legitur, *nomen dicatur ad unum.* Unde Franciscus Duza corrigebat, *omnes dicantur ad unum:* vel (si illa Jovis in Deûm concilio verba sunt) *omnes dicamur ad unum.* Giffanius verò alio pugnat argumento. Nam ut breve esse comprobet, non classicum adducit scriptorem: sed Prudentii illud lib. I in Symmachum:

Utque Deum fortes sic Apollinis antra dederunt
Consilium.

Ita loci hi concipiuntur in vett. membranis. Verùm majoris apud nos ponderis esse debet, cùm aliorum, tum imprimis Maronis autoritas, qui ter versu eodem producit in tertio magni operis:

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Ad à Lucretio produci, suspicatur idem Giffanius, eò quòd in codicibus quibusdam lib. I. legere sit: *Constet an immensum pateat ad usque profundam.* Pro quo Petrus Candidus in Florentina, quam recensuit, rescribit, *patefiat ad usque profundum.* Sed rectum est, quod in vett. nostris, & aliorum membranis legitur, *vasteque profundum:* vel, si *usque* placet retinere, non improbem emendationem Lambini legentis, *vel ad usque profundum.*

Idem Giffanius suspicatur D interdum elidi: ut lib. I ejusdem Lucretii:

Quando aliud ex alio reficit natura.

Item:

Sic aliud ex alio per te tute ipse videro.

Et aliquot aliis in locis: quibus in membranis nostris constanter *alid* invenimus. De quo nos in Originum libris. Sed ut *aliud* retineamus, nihil prohibet, quo minus *aliud* disyllabum sit, non quidem ob elisionem consonæ, sed vocalis: quomodo lib. IV, ait idem poëta,

Ut quod aliis cibus est, aliis fuat acre venenum.

Et lib. VI:

Nam quod aliis dederat, vitales luminis auras.

Cap. XXX.

De desinentibus in L, M, N, P, R. Theodosii avo, & proximis seculis, composita à par corripere solent. Avianus, cujus habemus Æsopicarum fabellarum librum, alius est ab Rufo Festo Avieno, Arateorum, & Dionysii interprete.

In L corripiuntur. Ut *Hannibal.* Ennius:

Hannibal audaci dum pectore me dehortatur.

Juvenal. lib. III, sat. I:

Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet.

Excipiunt aliqui *nihil*, propter hoc Nasonis lib. I de Ponto eleg. I:

Morte nihil opus est, nihil Icariotide telâ.

Et VII Metam. fab. XXVI:

In superis opis esse nihil; at in ædibus ingens
Murmur erat.

Sed hic id tribuero cæsuræ. *Nil* verò producitur quidem, sed ob crasin. *Sal* potius excipi oportuit. Nam Statii est IV Sylvarum:

Non sal, oxyporumve casusve.

Nec enim id ævi poëtæ ab trochæo phalæcios inchoabant: ut superius quoque dictum nobis. Similiter usus Ausonius ep. LXXXV:

Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, novem.

Valerius Probus lib. I. Gramm. Instit.* scribit, *L præcedente O literâ longam esse: ut Sol.* De *Sol* rectè: quod producunt Maro, Naso, alii. Sed quod O ante L semper putat porrectum, id aliter est. Scio, & Aldum putasse, ico circo *pol* produci. Sed Catulli est in hortorum custodem†:

Velim pol, inquis; at pol ecce villicus
Venit.

Ennius* apud Macrob. lib. VI:

Nec pol homo quisquam faciet impune animatus.

Ita legendum, non *faciet jam*, ut quidam corrigunt, offensi quantitate ejus syllabæ, quæ hephthemimerim facit.

Mel corripitur, quia est ex μέλι. Ovidius:

Quis mel Aristæo, quis Baccho vina Falerna.

Similiter Vespa versificator versibus, quibus coquus & pistor decertant sub judice Vulcano:

Scribere majus opus, & dulcia carmina quæro,
Nec mel erit solum: aliquid quoque juris habebit.

Ubi vel ἔκθλιψιν neglexit, vel scribendum: *Nec solum mel erit;* vel, *at aliquid;* aut, *ast aliquid.*

Par ratio in *fel.* Serenus Sammonicus:

Sive fel ursinum tepefactâ dilue lymphâ.

Et Venantius de Passione Domini:

Sputa, flagella, chlamys, fel, acetum, lancea, clavi.

Etiam Oscum *famul* pro *famulus* Ennius in VIII corripit*: & ejus exemplo Lucretius lib. III†.

M olim non absorbebatur, eratque breve: ut patet ex multis Lucretii locis, aliosque inter isto lib. IV:

Eicit enim sulci rectâ regione viâque
Vomerem, atque locis avertit seminis ictum.

Dixitque similiter Ennius* Annal. X.

Insignita ferè tum millia militum octo.

Lucillius item apud Donatum in Terent.

Nequem in arce bovem discerpsi magnificè inquit.

Nam ita in manuscriptis legi, autor Faernus, non uti in vulgatis editt. invenitur: *Ne in arce bovem* &c. Idem Lucillius apud Charisium lib. I.

Irritata canes, quàm homo, quod plenius dicet.

Nisi malis, *quod, homo quàm;* quomodo citat Donatus in Adelph. Act. II, Sc. IV. Horum exemplo dixeris:

Terram aqua miscere, hominisque imponere vocem.

Quomodo, ordine, & proprietate vocum servatâ, transtulens illud Hesiodi ἐν ἔργοις:

Γαῖαν ὕδει φύρειν, ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδὴν.

Fortasse aliquis existimet, posse etiam produci, quia Lucillius dicat, apud Nonium*:

Hærebat misero gladium in pectore totum.

Prout legendum censet præstantissimus Mercerus. Sed in optimo Mso nostro disertim est *mucro:* eoque planè legendum puto:

Hærebat mucro, gladiumque in pectore totum.

Ut sit sententia, non mucro duntaxat, sed gladii etiam reliqua. *Gladium* enim pro *gladius* dixit, ut Nonius monuit. Ac similiter locutus non Plautus modò Casinâ, sed Varro etiam in I de R.R. Quare hinc quidem minimè evincas, M non elisum produci ante vocalem. Sed aliunde id probare possumus, cum, juxta omnes editiones, quæ illam Scaligeri præcedunt, Propertius dicat lib. II, Eleg. XXXII:

Hæc eadem ante illam impune & Lesbia fecit.

Ac Ovid. lib. II Am. el. I.

In manibusque Jovem, & cum Jove fulmen habebam.

Sed hæc cæsuræ tribuenda. Extra quam M semper est breve. Etiam in compositione: ut indicat hoc Juvenalis sat. IX.

Quo te circumagas? quæ prima, aut ultima ponas?

Cùm à longis in N excipiunt *viden*, nihil caussæ fuit, cur omitterent *ain*, *egon*, *satin*, similiaque.

An produci Ausonio, probant hoc de Capta:

Æmula tunc. Fidei memor, an infida Senatum
Sperneret.

Sed melioribus in libris est *anne.*

* Cap. de syllabis natural.

† Carm. 20.

* Lib. I Annal.

* Apud Non. in famul.

† Vers. 1049.

* Apud Priscianum lib. I, cap. de numero & affinitate literarum.

* In gladium.

In P unum est *volup*, quod Ennius producit apud Gellium lib. XII, cap. IV. Est verò id per apocopen ex *volupe*.

Inclinatâ Latinitate multi composita à *par* corripere solent.

Martianus Capella lib. VI.

Omnia compar habet paribus sub legibus ordo.

Prudentius in Hamartigenia:

Liber utrique animus, sed dispar utrique voluntas.

Et adversus Symmach.

Succumbit Phrygio, coitus fuit impar utrique.

Similiterque Avianus, prout etiam in membranis nostris vocatur, qui vulgo Avienus; unde creditum est, eundem esse Rufo Festo Avieno; cujus περιήγησιν, & Aratea habemus, & carmen Iambicum de oris maritimis: ac fortasse is est, quem loquentem inducit Macrobius. Cæterùm versus Aviani, quem dixi, est fab. VIII.

Dispar erat fragili, & solida concordia motu.

Quorum fortasse exemplo *par* etiam corripit Petrarcha lib. VII Africæ:

Ast alium timuisse par est ab origine rerum.

Sed classici illi, & *par*, & ejus composita, semper producebant. Catullus ad Lesbiam:

Ille mi par esse Deo videtur.

Similiter Lucretius, & Ætnæ scriptor, item Horatius, qui & *impar* & *dispar* producit. Loca jam pervulgata sunt. Imò & sic Ausonius, in Ternario, licet iis Avienus & Prudentius pares, vel suppares.

Tris primus par impar, habet mediumque: sed ipse &c.

Nar non minùs producitur, quàm *Lar*, aut *par*: ut è Virgilio constat.

Cor breve est Tullio, qui Homeri versum sic reddit in tertio Tuscul. Quæst.

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Ovidius lib. V Trist. Eleg. VIII.

Molle cor ad timidas sic habet ille preces.

Similiter lib. I de Ponto, eleg. IV. ad Rufinum, & lib. V Metam. Fab. VI. ac Martialis etiam lib. X, epigr. XV. de Apro: ac Ausonius quoque epigrammate istoc:

Qui reminisco putat se dicere posse Latinè,
Hic ubi co dicit, legeret cor, si cor haberet.

Unus est locus Nasonis epist. Sapphûs, ubi produci videtur:

Molle meum levibus cor est violabile telis.

Sic enim MSSi, etiam vetus editio Veneta Bernardini Novariensis anni CIƆCCCCLXXXVI, item Aldina. Ex quo Aldus quoque anceps videtur statuisse. Sed non displicet Micylli & aliorum emendatio:

Molle meum, levibusque cor est violabile telis.

Vel dicendum, esse anceps. Sanè si originem spectes, produci debuerat: quia est à κῆρ, quod è κέαρ.

CAP. XXXI.

De in S desinentibus. Error Valerii Probi, & alius Baptistæ Pii. Tigres miré posteriorem corripere Ovidio. Foris, & gratis, ultimam habere porrectam. De ultima in possis, & velis. De subjunctivi præsentis & futuris Ris producentibus Probus probatur. Bis posterioribus longum. Sidonii geminus error in modulo vocis pronepos. Aldi lapsus. Cur genitivus & pluralis nominum quartæ in US sit longus. Falli, qui putant domus Ovidio corripi in plurali. Dissensum ab Alciato, qui negat posteriorem in palus Horatio esse brevem.

Venio ad exeuntia in S. A longis in AS *anas* excipere debuerunt. Nam Petronii est,

Et pictis anas enovata pennis.

Ceres corripit Boëth. lib. III, metr. I.

Ut nova fruge gravis Ceres erat.

Est versus ithyphallicus, tribus dactylis, & pyrrichio constans. Sed antiquiores constanter producunt. Maro I Georg.

—— *Neque illum*
Flava Ceres alto nequicquam spectat Olympo.

Et ne cæsuræ id tribuas, Martialis est scazon iste lib. III, epigr. LVIII:

Hic farta premitur angulo Ceres omni.

Abies quoque producitur. Virgil. Ecl. VIII:

Populus in fluviis, abies in montibus altis.

Id cæsuræ tribui poterat, si uspiam corriperetur. Idem judicandum de *aries*, & *paries*. Sanè & Horatii est lib. III od. XXVI:

Barbiton hic paries habebit.

Composita a *pes* corripit Ausonius Carm. de Ternario:

Qui bipes, & quadrupes, foret, & tripes, omnia solus.

Et Prudentius in Apotheosi:

Non recipit natura hominis, modò quadrupes ille
Non fit.

Probus quoque in Catholicis disertim scribit, *pes*, & ex eo composita, ut *alipes*, & *sonipes*, esse brevia. Sed tutiùs ea extendas; ut *sonipes* producit Maro in IV, & Lucanus in I; *quadrupes* idem Maro in X; *tripes* Horatius sat. III, lib. I; idque, ne facilè cæsuræ tribuas, in sexto pede:

—— *Modò sit mihi mensa tripes, &*
Concha salis puri.

Imò, quicquid dicat Probus, nusquam *pes* corripitur: producitur autem à Festo Avieno in Arateis,

Desuper Auriga dexter pes imminet astro.

Et Propertio lib. II, el. VI.

Qua nunquam supra pes inimicus eat.

Atque adeò Marone ipso III Georg.

Pes etiam, & camuris hirta sub cornibus aures.

Objectant, saltem in composito corripi à Marone ipso; ut cujus sit in IV Æn.

Acer, anhelanti similis, quem præpes ab Ida.

Quomodo & *perpes* corripit Prosper epigr. XI:

In Christo quorum gloria perpes erit.

Sed duo hæc aliunde, quàm à *pes*, esse, in Originum libris ostendimus.

Es ab *edo* producitur: sed à *sum* corripitur; quamquam hoc anceps esse dicat Baptista Pius in annot. poster. cap. CL. Probare autem id conatur duobus locis. Prior est Propertii lib. II, el. XII.

Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
Si puer es, alio trajice tela tua.

Alter est Valerii Flacci lib. VII.

—— *Tu supplice digne*
Dignior es. & fama meis jam parta venenis.

Sed corrupti codices traxere eum in errorem. In Propertii enim loco, tum pro *es* legendum *est*, quomodo jam Pii ætate in antiquissimâ Rhegiensi excusum fuit: tum pro *puer* scribendum *pudor*, uti in veteri Aldina, atque in emendatioribus editionibus legitur. Itaque locus hic geminus fuerit isti ejusdem poëtæ lib. I, el. IX:

Quare, si pudor est, quamprimum errata fatere.

Valerii Flacci locus ita in utrâque Carrionis editione concipitur:

—— *Tu laude novâ, tu supplice digno*
Dignior. Est & fama meis jam parta venenis.

Atque ut horum neutrum esset, cæsuræ id potiùs tribui deberet, quàm syllaba propterea ancipiti statueretur intervallo. Atque idem judicium esto de illo Propertii lib. II, eleg. XXXII: VI.

Quod seu tu Grajas, seu es imitata Sabinas.

Si modò hæc genuina lectio est. Nam pro *es*, in aliis codd. est *sis*. Quomodo edidere Aldus, Douza, Passeratius. Sed Scaliger *es* prætulit: atque id in duobus MSSis Palatinis reperit Janus Gebhardus. Etiam sic invenio in ea, quæ Regii Lepidi anno prodiit CIƆCCCCLXXXI. Unicus est locus, ubi extra cæsuram produci videatur. Sabinus enim, vel alius potius, epistolâ Paridis ad Oenonen ait:

Sed non est rationis amor. te consule nympha,
Læsa es, & læsam scribis amare tamen.

Ve-

Verùm in Venetâ Bernardini de Novariâ, anni CIↃ CCCC LXXXVI, invenio, *Laderes, & lasam.* Unde conjectabam legendum:

Læderis, & læsam scribis amare tamen.

Sin, *læsa es*, scripsit ille suppositicius Sabinus; (& sanè ita est in plurimis codd.) planè accessero necessario meo, Jacobo Roverio J. C. subacti in hisce literis judicii viro, qui mihi scripsit, sibi legendum videri:

—— Te consule nympha.

Læsa es, te læsam scribis amare tamen.

Accusativi plurales producuntur, si vel Latini sint, ut *urbes*, vel Græci contracti: ut *Tralles.* Mirum verò Ovidium dicere epistolâ Ariadnes:

Quis scit, an hac sævas insula tigres habet?

Nam Græcè fit τίγριδας, τίγριας, & τίγρεις. Unde quidam duriusculè, & invitis MSSis rescribunt, *tigridas insula habet.*

In MS. Puteanorum legitur, Qui scit an & hæc tigrides insula habent.

E terminatis in IS producuntur *foris*, & *gratis*, adverbia: in quo etiam se deceptum agnoscit P. Melissus, epistolâ ad H. Stephanum à Goldasto editâ.

Longa quoque sunt, quæ alias per diphthongum EI scribuntur; ut *quis*, *tris*, *omnis.*

Cùm excipiunt, *vis*, *sis*, *velis*, *possis*, peccant eo, quòd *possis* addunt. Nam dicendum erat, *vis*, *sis*, *velis*, *cum suis compositis*, ut à *vis* sunt *mavis*, & *quamvis*. A *sis* sunt *adsis*, *obsis*, *possis*, & alia. *Possum* enim est ex *potis sum.* A *velis* sunt *malis*, & *nolis*. Quorum illud est ex *mavelis*, pro *magis velis*: hoc autem ex *nevolis*, sive *nevelis*. Imò & *possis* interdum corripitur. Juvenalis sat. v:

Tam jejuna fames, cùm possis honestius illic,
Et tremere, & sordes farris mordere canini?

Nisi *posset* legendum, ut est in MSo nostro. Despauterius *poscit* malebat. Sed *possis* est in altero MSo nostro. Sic quoque legit Mancinellus, & edidit Aldus*, ut taceam de editionibus consecutis, etiam optimâ P. Pithœi.

* An. 1501.

Casparus Barthius lib. XXIII Advers. cap. XIV, ut rarum & insolens observat, quòd Martialis posteriorem in *velis* producat lib. XII, epigr. XXIV:

Si vitare velis acerba quadam.

Et Ausonius epigr. CXXXIII:

Qua nosti, meditando velis inolescere menti.

Nam, inquit Barthius, vulgò corripiunt. Atqui veteres semper producunt. Ut habenda ratio non sit Avieni: cujus est fab. XXIII:

Sive decus busti, seu velis esse Deus.

Etsi id imitari non dubitarit Beroaldus in Pæane B. Virginis:

Ut velis, utque queas rebus succurrere lapsis.

Producunt I, quæ genitivum formant per *is* longum: idque non monosyllaba solùm, ut *Dis ditis*, *lis litis*: sed etiam alia, ut *Samnis*, *Salamis*. Lucillius†:

Samnis in ludo, ac rudibus caussis satis asper.

† Apud Cic. lib. 3 de Orat.

Verba quartæ producunt classici omnes. Quare non imitabimur Christianos corripientes. Uti Sedulium lib. IV operis Paschalis:

—— En pessima, non tu
Pervenis ad Christum, sed Christus pervenit ad te.

Similiter Arator lib. II histor. Apost.

Esuris ad faciem, saturamque cadavere justi
Quæris habere famem.

Idem *nescis* corripit libro priori:

—— Nisi diligis, inquit,
Cernere quem potis es fratrem: quem cernere non est,
Nescis amare Deum.

Imò, si Erythræum audimus in Indice Virgiliano, similiter usus Ovidius. Signat verò versiculum istum epist. Medeæ ad Jasonem:

Nescis an exciderint mecum loca, venimus illuc.

Et ita quidem habet quoque editio Veneta anni CIↃ CCCC LXXXVI. Sed in Aldina rectiùs legitur:

Nescio an exciderint mecum loca: venimus ambo.

Rectissime in MS Puteanorum:

Nostin'? an exciderunt mecum loca? venimus illuc.

Cur verò verba quartæ, secundæ personæ ultimam producant, caussa est crasis. Nam integrè ab *audio* fit *audiis*, à *dormio*, *dormiis*. Unde per crasin *audis*, *dormis*. Nec enim secunda persona integrè prolata paucioribus est syllabarum, quam prima. Ut *amo*, *amas*; *lego*, *legis*. Dixeris à *doceo* esse *doces*. Verùm & hoc contractum; Nam *doces*, quasi *doceis*, ut amas, quasi ἀμάεις ab ἀμάω: etsi abeat significatio. Nec movere debet, quod à *facio* est *facis*, *i* brevi, ab *audio audis i* longo. Nam in *facis* pro *facis* est συγκοπή: in *audis* pro *audiis*. Simile exemplum habemus in infinitivo. Nam à *facio* ἀναλόγως esset *faciere*, pro quo per syncopen dicimus facere. Ab *audio* fieret *audiere*, pro quo crasin dicimus *audire*.

Ris rectè in præterito ac futuro subjunctivi corripi, ostendunt hæc poëtarum testimonia. Virgil. Æn. VI.

—— Cùm tu supplex in rebus egenis,
Quas gentes Italûm, aut quas non oraveris urbes?

Juvenal. lib. I, sat. III.

Graculus esuriens in cælum, jusseris, ibit.

Idem:

—— Si dixeris æstuo, sudat.

Horatius in art. poët.

In verbis etiam tenuis cautusque serendis
Dixeris egregiè.

In serm. lib. II, sat. II.

—— Nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te aliò pravum detorseris.

His quidem omnibus locis existimat Aldus, verba in RIS esse futuri, non præteriti temporis. Nempe, ut sic scriberet, fecit, quòd putaret, RIM tantum esse præteriti terminationem, non etiam futuri: quem passivum errorem suo loco refutabimus.

Porrò quæritur, num RIS etiam futuri sit porrectum. Qui produci censent, tuentur se istoc Horatii sat. V, lib. II.

Audieris hæres. ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est.

Et sat. II ejusdem libri:

Miscueris elixa, simul conchylia turdis.

Quodque apud Ovidium legere sit I Fastorum:

Da mihi te placidum, dederis in carmine vires.

Verùm cæsuræ id hisce locis attribui possit. Validiora fortassis exempla petita è Sapphicis, aut Phalæciis; ut apud Statium lib. IV Sylv. carmine ad Maximum Junium:

Tu tuos parvo memorabis enses,
Quos ad Eoum tuleris Orontem.

Et carmine ult. ejusdem libri:

Aut cùm me dape juveris opimâ,
Exspectes similes & ipse cœnas.

Attamen ne hæc quidem scrupulum tollunt, quia itidem RIS in cæsuram incidit. At in Sapphico quoque syllabam produci ob cæsuram, ostendit illud Ausonii carm. IX in profess. Burdigal.

Tertius horum mihi non magister.

De Phalæcio idem probatur istoc Statii Papinii lib. IV Sylv. carmine de viâ Domitiani,

Quo non dignior has subit habenas.

Nisi dicere malis, H utrobique obtinere vim consonantis. Utut est, non temere extra cæsuram inveneris. At plurima sunt, ubi extra eam corripiatur. Indicant illud cùm illa, quæ antè attuli, tum vel sola hæc è Martiale. Ejus est lib. II, epigr. XXX.

Is mihi, dives eris, si caussas egeris, inquit.

Lib. III, epigr. V.

Hos tu seu pariter, sive hanc illúmve priorem
Videris, hoc dices, Marcus avere jubet.

Et lib. V.

Nec porrexeris ista; sed teneto.

Lib. VII, epigr. XXXVII:

—— Quod si fera monstra duorum
Junxeris, alterius fiet uterque timor.

Et eodem, epigr. L:

Et cum jam satis est, dixeris, ille leget.

Lib. IX, epigr. XLVI.

Videris immensis cùm conclamata querelis
Saxa senis, dices, durior ille fuit.

Itaque adsentior Probo, qui in Instit. art. ubi de ultimis verborum agit, syllabam RIS, seu præteriti, seu futuri sit temporis, brevem esse docet.

Bis corripit Naso I Fast.

Constituit menses quinque bis esse suo.

Manilius tamen lib. IV.

Bis undena nocens, & bis duodena nocentes.

Ita editum olim ab Aldo. Sed hodie legitur *Bisque undena.* Fortassè tamen Manilius, qui Theodosiano ævo vixit, priori modo scripserat. Nam & apud Claudianum, qui eàdem ætate claruit, in Gigantomachia legas:

Bis æther, bis terra dedit.

Ut mittam Aratorem, qui itidem producit. Potior tamen nobis esse debet priorum auctoritas. Quodque de *bis* dixi, idem puto locum in *cis* habere. Nam primam in *citimus* corripit poëta vetus, seu ille sit Fulgentius, seu Varro Atavinus in Appendice Virgil. & apud Turneb. Adv. XIX. III.

Quæ citimus limes dispescit turbida puris.

Os ossis corripi, colligere est ex ejus composito. Lucretius lib. III.

Exos & exsanguis tumidos perfluctuat artus.

Pronepos corripit Sidonius Carm. XI. quod est epithalamium Ruricio & Iberiæ dictum. Claudit id his versibus:

—— Feliciter avum
Ducite concordes, sint nati, sintque nepotes;
Cernat & in proavo, sibimet quod pronepos optet.

Ubi bis peccat. Nam in *pronepos* & ultimam malè corripit, & primam malè producit. Ovid. X Met.

Est Neptunus avus, pronepos ego regis aquarum.

Compos, & *impos*, quæ Aldus produci putabat, correpta sunt. Ovid. I de Arte:

Insequere, & voti postmodo compos eris.

Ex nominibus quartæ in US genitivus producitur, ut & totus pluralis. Caussa est crasis. Nam primo fuit *fructus*, *fructuis*, *fructui*, *fructuem*, *fructui*, *fructue*, *fructues*, *fructuum*, *fructibus*, *fructues* &c. Ex *fructuis* autem per crasin est *fructus*, ex *fructues* item *fructus*. Ovidium tamen id neglexisse ajunt; ut qui I Met. fab. IV dicat:

Tum primùm subiere domos, domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & juncta cortice virga.

Sed (quod nec Ciofanus videtur perspexisse) *domus* hic singulare est; estque simile isti Lucani lib. IV:

Sanguis erant lachrymæ.

At verum est, *palus* corripi ab Horatio in arte, teste & Servio: cujus mox verba adducam: quem & imitatus Aonius Palearius lib. II divini, eoque immortalis carminis, quod fecit de animorum immortalitate. Neque ignoro, Alciatum scribere lib. IX παρέργ. juris, cap. IV, *palus* in metiendo *plus* dici debere; quomodo *meum*, *tuum*, *suum*, aliaque apud Comicos fiunt monosyllaba. Verum de A in *palus* absorbendo, metuo ne inveniat assensorem ex iis, quibus corculis esse datum est. Quemadmodum nec ii, qui S dicunt elidi: ut *falcibu'* pro *falcibus*. *Tellus* corripit Martianus Capella lib. VI de nuptiis philolog.

Interrivata marmore tellus erat.

Sed hoc imitandum non est. Seculo condonandum potiùs, multoque magis Bernardo, quando ait:

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas.

Potius Servium audiamus in illud II Æneïd. *Heu quæ nunc tellus, inquit. Sanè TELLUS US longa est: & pauca sunt, quæ US producunt: ut senectus, juventus, salus, virtus, palus, servitus, incus, tus, rus, mus, pus:* tunc scilicet, cum genitivus *in TIS, vel RIS exiit. Et habet penultimam longam.* Ideo autem TIS, & RIS, dicta sunt, quia *PALUS, licet paludis longa sit, brevis tamen nonnunquam invenitur, quia in dis exiit genitivus: ut* Horatius: *Sterilisque palus, aptaque remis.*

CAP. XXXII.

In T desinentia Ennii ævo communia fuisse. Canterus refellitur. Præterita syncopen passa à classicis semper corripi. Ab Erythræo receditur.

Verba in T apud priscos fuere ancipitis intervalli: ut cùm Martianus Capella autor est, tum varia variorum evincunt loca. Livius Andronicus in Odyssêâ *:

Cùm socios nostros mandisset impiùs Cyclops.

Ennius lib. I.

Omnis † cura viris, uter esset Induperator.

Item lib. XIV:

Infit ‡, ô cives, quæ me fortuna ferox sic
Contudit?

Item lib. XVII:

*It * eques, & plausu cava concutit ungula terram.*

Ac censet Guiljelmus Canterus lib. V Var. Lect. cap. XII, similiter Horatium dixisse od. XXIII, lib. I.

Vitat hinuleo me similis Chloe.

Quomodo se repetisse ait in cod. MSo. Ac putat, pro se facere, quòd postea etiam in eadem persona sequatur,

Et corde, & genibus tremit.

Sed fallitur. Nam *vitat* ad Chloen: *tremit* ad hinnulum, non Chloen, pertinet. Nec solent posteriores poëtæ, corripiendo T, priorum imitari licentiam. Quin penitùs eam improbarunt: unde Valerius Probus † scribere non dubitat, omnia T literâ terminata habere novissimam syllabam brevem. Objiciunt Ovidii illud lib. I Trist. eleg. X:

Dardaniumque petit auctoris nomen habentem.

Et hoc Papinii lib. IV Sylv. carm. de via Domitiani:

Quo non dignior has subit habenas.

Sed utrobique id cæsuræ tribuere licet. Ac in phalæcio videri etiam possit, H locum subire consonantis. Imò, quòd maximè placet, utrobique longa dici possit ob crasin: quia *petit* ex *petiit*, *subit* ex *subiit*. De quo mox pluribus. Casp. Barthius Advers. lib. XXIII, cap. XIV, ait, observatione hoc dignum esse, quòd Ausonius T literam produxerit. Cui rei firmandæ adfert hoc ex epigr. LXXII:

Falsum convicit illico aruspicium.

Atque addit, Martialem, poëtam, ut ait, minimè licentiosum, similiter dicere lib. X, epigr. LX:

Jura trium petiit à Cæsare discipulorum.

Sed & ista tribui debent cæsuræ. Nec ignoro, multis persuasum esse, præterita per syncopen facta posse produci. Verùm pullato ea circulo, ut mihi quidem videtur, digna est sententia. Nam qui paullò sit naris emunctioris, facilè illud videbit, quæ loca adferunt, esse ejusmodi, ut productio syllabæ tribuenda sit cæsuræ. Ut illo Horatii I Serm. Sat. IX:

—— Ut iniquæ mentis asellus,
Cùm gravius dorso subiit onus.

Ovid. III Met. fab. VII:

—— Pro fontibus ille, lacuque,
Interiit: at vos pro fama vincite vestra.

Item IV Met. fab. XVIII:

Arduus in nubes abiit, ut in æquore summo
Umbra viri visa est.

Ejusdem est lib. IX Met. fab. XI:

Non adiit aptè, nec legit idonea, credo,
Tempora, nec petiit horamque animumque vacantem.

Et Fastor. IV:

Nox abiit, oriturque Aurora, Palilia poscor.

Et de Ponto lib. I, el. IV:

Thessalicamque adiit hospes Achillis humum.

Et eleg. V:

Illo quod subiit Æsone natus opus.

At extra cæsuram T in præteritis syncopen passis semper corripitur. Virgil. Æn. VIII:

Tybris eâ fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, & tacitâ refluens ita substitit undâ.

* *Apud Priscian. lib. 8.*

† *Apud Cic. lib. I de Divin.*

‡ *Apud Priscianum in 9. Jan. Douza legit inseit, metri caussa. Sed libris invitis, & citra necessitatem.*

* *Apud Macrob. lib. 6. cap. I.*

† *Lib. I, cap. de syllabis naturalibus.*

Et eodem:

Reddidit una boum vocem; vastoque sub antro
Mugiit, & Caci spem custodita fefellit.

Loquor autem de præteritis, in quibus solum V extritum est. Nam si duo I in unum contrahantur, rectiùs T producitur ob crasin. Maro lib. IX.

Dum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque.

Ubi *it* pro *iit* positum est. Plurimùm autem etiam in talibus concurrit cæsura. Idem eodem libro:

Æneas urbe & socios & classe relictâ,
Sceptra Palatini, sedemque petit Euandri.

Nam quamquam Politianum oppugnet Erythræus, quòd Miscellaneorum cap. LXXI, κατὰ συγκοπὴν *petit*, pro *petiit*, poni dixerit: ac jam olim quidam putarint, *petit* esse temporis præsentis (Comminianus sanè apud Charisium lib. IV affirmat, aphæresin esse temporis) tamen magis placet eorum sententia, qui cum Politiano pro *petivit* poni ajunt: idque eo impensiùs, quòd Ovidius similiter, ut paullò antè dicebamus, utatur lib. I Tristium, eleg. IX. Apponam & ea, quæ antecedunt proximè.

Hac dominum tenus est illa secuta suum.
Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos:
Hellespontiacas illa reliquit aquas.
Dardaniamque petit auctoris nomen habentem.

Imò & apud Pedonem Albinovanum in elegiâ de morte Drusi itidem *abit* pro *abivit* legimus:

——*Victoria parta est,*
Autor abit operis, sed tamen exstat opus.

Non tamen assentiri possum de altero Virgilii loco, quo præterita istiusmodi adstructum eunt. Quippe adducunt è III Æn. *Fumat Neptunia Troja*, ubi *fumat* poni pro *fumavit*, eoque posteriorem circumflecti, voluit Probus. Nempe præstantissimus Grammaticus, quia *cecidit* antecesserat, suspicatus est, *fumat* debere ejusdem statui temporis. Verùm non conjungi semper similia tempora, suo loco ostendemus. Quod verò ad Maronis locum, in quo *petit* pro *petiit* poni dicebamus; quamquam quod posterior producitur, crasi quoque tribui possit; rectiùs tamen adscribitur cæsuræ: cùm eodem modo dixerit idem Georg. II.

Huc pater ô Lenæe, tuis hic omnia plena
Muneribus: tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager.

Par ratio in præteritis aliis syncopen passis. Nam ut apud Juvenalem est sat. VI:

Magnus civis obit, & formidatus Othoni:

ita eopse pede fit extremo quincto Æneid.

Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

Et Æneidos X:

Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis.

Nec id in T magis, quàm cæteris locum habet. Omnia sanè in R, aut S desinentia, similiter cæsuræ beneficio produci posse, liquet ex iis, quæ diximus, cùm de syllabis positione longis tractaremus. Atque hæc de ultimis syllabis in Latinis.

CAP. XXXIII.

De modulo primæ mediæque syllabæ in Græcis. Aurati πρόσρημα. *Aratoris, & Sidonii in Græcis negligentia. Lupi Ferrariensis in talibus ignorantia. Hyginus leviter correctus. Error Quinctiani Stoæ, ac Pontani, & geminus Servii.* Crepidæ *origo.* Hectôris, *mediâ porrectâ. Cur prima in* prologus, & Proserpina, *producatur, inque* propino *sit anceps.* Areopagus *penultimam corripere. B. Augustini* ἁμάρτημα: *item Calepini. Penultimam in* harpago *corripi: produci in* archiater, Homeromastigis. *Aurati* σφάλμα. *In Græcis interdum Latini accentum magis, quàm quantitatem attendunt. Ex diphthongo E I nonnunquam tollitur altera vocalis, ut syllaba fiat brevis. Jos. Scaligeri in Catullo conjectura expenditur.*

Fortasse autem manca mutilaque hæc opera nostra videatur, quia in canonibus metricis silentium nobis de Græcis nominibus fuit; utcunque sciremus, maximum eorum esse usum in poëmatis Latinis. Sed enim consultò id factum, quia putaremus, satius esse, ut deinceps separatim de Græcis agamus, quàm si à singulis canonibus Græca quædam exciperemus. Generalia enim generatim tradi debent. Quare seorsim nunc illud ostendemus; seu primas, seu medias, seu ultimas syllabas spectemus, corripi eas, quæ Græcè per E, vel O scribuntur; produci verò, quæ per H, vel Ω, efferuntur. Ita porrecta est tertia in *Arithmetica*, quia Græcè est Ἀριθμητική. Quod non attendit doctissimus poëta Joannes Auratus, carmine quod Eliæ Vineti Logisticæ præfixit:

Huic & Arithmeticam surripis arte lyram.

Sed juniores mittere malo. *Paracletus*, quia Græcè est παράκλητος, in penultima habet E longum: etsi hymnographus ecclesiasticus, Græcum secutus accentum (de quo pòst dicam) corripuerit: cui alter vulgo error accuditur, quod per I *paraclitum* dicant. Itidem longa est secunda in *psalterium*, quia Græcè est ψαλτήριον. Unde Maro sive alius in Ciri:

Non arguta sonant tenui psalteria chordâ.

Cave igitur fallat illud Aratoris in præfatione operis sui ad Vigilium Papam:

Psalterium lyrici composuere pedes.

Longa quoque penultima in *hydropis*: quia Græcè est ὕδρωπος. Horatius lib. I, epist. II.

Si noles sanus, cures hydropicus.

Item in *antiphona*, cum sit à φωνή. Unde & *phonascus*, quod malè corripit Sidonius lib. IV, epist. XI. carm. in mortem Claudiani:

Psalmorum hic moderator, & phonascus.

Nec movere debet, quòd Savaro ad eum locum ex vett. gloss. citat, φοναοκός, *vocalis*. Nam φωνασκός legendum. Sunt talia quidem cultioribus nunc ingeniis notissima: at non item ea notitia barbaris illis seculis. Sanè ante annos prope octingentos, temporibus Caroli Calvi, dubitatum, quanta esset penultima in *bibliotheca*. Quasi non esset Græcè βιβλιοθήκη. Consultus super eo Lupus Abbas Ferrariensis, ut liquet ex epistola ejus XX, quæ ad Altuinum. Sed Lupus, cùm Græcè nesciret, non aliunde id probatum it, quàm illo Martialis * de Livio:

Quem mea nec totum bibliotheca capit.

* Lib 14. ep 188.

Itaque idem censet, *statera* penultimam corripere, quia apud Alcuinum legerit:

Non tibi sit modus (leg. *modius*) *duplex, nec statera duplex.*

Quasi non rectus Latinorum sit ex Græco accusativo στατῆρα. Idem Lupus, etsi Aurelius Prudentius secundam in *blasphemus* producat, eam tamen corripi censet. Nam inquit, *Græcus quidam Græcos blasphemus dicere correptâ penultimâ mihi constanter asseruit, & ipsum Einhardus noster adstruxit.* Græculus iste, metricæ artis ignarus, nescivit distinguere inter accentum, & modulum. Græcè enim est βλάσφημος.

Addam unum alterumque, in quibus etiam doctiores video hærere. Ut quando confundunt *Thetis*, & *Tethys*: quæ Græcè scribuntur, Θέτις, & Τηθύς. Illud igitur Pyrrichius est, hoc trochæus. Aliter ubi leguntur, locus est corruptus. Uti apud Hyginum Fab. CLXXVII: ubi citat hæc incerti poëtæ in Creticis:

Tuque Lycaonia mutata semine nympha,
Quam gelido raptam de vertice Nonacrina
Oceano prohibet semper se tingere Thetis,
Ausa suæ quia sit quondam succumbere alumnæ.

Quomodo versus isti non solùm apud Hyginum leguntur; sed etiam citantur à doctissimo Fulvio Ursino in Virgilio cum Græcis collato †. Sed ex iis, quæ diximus, liquet pro *Thetis*, *Tethys* scribi debere.

† In Georg. 1. p. 301.

Similis error eorum, qui secundam corripi in *Thermodontis* putant. Est enim Græcè Θερμώδοντος: ut apud Apollonium in secundo Argon.

——Ἐπὶ δ' ἦ σῆμα Θερμώδοντος.

Virgil. XI. Æn.

Quales Threiciæ cùm flumina Thermodontis
Pulsant.

Nam quod Quinctianus Stoa, & Pontanus lib. II de adspiratione, *Thermodoontis* legunt, id ferri nequit. Quippe dum versum fugiunt spondaicum, sede quinctâ ignari ponunt antibacchium. Et sane Latinis quoque *mo* in *Thermodon* produci, indicat illud Ovidii lib. IV de Ponto, eleg. X:

Et tu feminea Thermodon cognite turba.

Item hoc Silii Italici in VIII:

Perstrepit, & tellus, & Amazonius Thermodon.

Ac similiter Priscianus in Periegesi:

Inter Amazonidas Thermodon, Martius amnis.

Quare & *Thermodontiacus* Statio Papinio sex tantum syllabarum est, lib. I. Sylvarum Carm. VI.

Thermodontiacas calere turmas.

Non audiendus igitur Servius, cùm in XI Æn. scribit, plenum esse *Thermodoon*; sed, κατὰ συναίρεσιν, *Thermodon* fieri. Nec enim locum hactenus reperi, ubi secunda necessariò corripiatur. Nam ubicunque *Thermodoon*, vel *Thermodoontiacus* legi ajunt, constabit metrum etiam syllabâ ejectâ. Quibus præter eos, quos dixi, & illa refelluntur, quæ in contrarium ait Ludovicus Carrio Castigat. in Valerii Flacci Argonaut. lib. IV, vers. DCI.

Quædam etiam apud Latinos ancipitis sunt intervalli, eo quòd bifariam scribantur apud Græcos. Ita communem habent priorem *Eos*, & *Eous*, quia Græcè dicitur ἕως, & ἠώς. Quod Servius (at quantus vir) non satis cogitavit: cum sic scribit in II Æn. *Sciendum, quod cùm Eous E naturaliter longum habeat, metri necessitate correptum est, propter sequentem vocalem.* Et in initium XI: *Græcè ἠώς dicitur, quam nos Auroram vocamus. Homerus ait, Ῥοδοδάκτυλος ἠώς. quod nomen Latini traxerunt per derivationem, ut dicerent, Et latus Eois Eurus equis. Item, Eoasque acies. Sanè, ut etiam suprà diximus, in hoc sermone prima syllaba naturaliter longa est: sed cum opus fuerit, corripitur Eos, aut licentiâ nominis proprii, aut quia eam vocalis sequitur.* In quo valde Servius fallitur. Nam ἕως pro ἠώς legas apud Thucydidem, Aristotelem, Xenophontem, aliosque. Similiterque ἑῷος pro ἠῷος apud Apollonium Rhodium lib. II Argon. atque alios. Sed non rarò est, cum in Servio diligentior Græcorum lectio requiri possit.

Interdum tamen Latini non sequuntur quantitatem Græcorum, quasi visum fuerit voces istas facere suas Romanasque. Ita in *crepida* primam corripiunt, etsi Græci producant. Gellius lib. XIII, cap. XX: *Crepidas & crepidulas primâ syllabâ correptâ id genus calceamentum appellavere, quod Græci κρηπῖδας vocant.* Nempe Latini sic extulere, quasi à crepitu foret, quem in gestando edunt. Iidem cùm dicerent *actorem*, *pictorem*, & similia, etiam *Hectōrem* & *Nestōrem* pronunciarunt, penultimâ productâ. Ut Ennius in Jambico istoc,

Hectōrem quadrijugo curru raptarier.

Item:

Hectōris natum de muro jactarier.

Hæc etiam caussa est, cur in *prologus* Comici producant primam. Nam falsum est, quod aliquando sensimus, vocem esse hybridam ex Latino præverbio, & Græco nomine: quamquam hâc quoque in sententiâ fuerit Josephus Scaliger. Simile huic est *propino*, in quo prima, nunc Græcorum more corripitur; nunc Latinorum more producitur. Nam Martialis est lib. VI, ep. XLIV.

Nemo propinabit Calliodore tibi.

At ejusdem est lib. XII.

Hoc quoque nonnihil est, quòd propinabis in istis.

Etiam prima in *Proserpina* brevis sit naturâ, cum κατὰ μετάθεσιν sit ex Περσεφόνης, ubi ex *E* brevi foret *o* breve. Et ita usus Horat. lib. II, od. XIII:

Quàm penè furva regna Proserpinæ.

At interdum, quasi a *proserpendo* sit, producitur. Ut à Seneca Tragico. Imò & Marone I Georg. Et hæc de vocalibus natura brevibus, aut longis.

Par ratio in vocalibus ancipitibus, A, I, Υ. Unde *sarcophagus* penultimam corripit, quia dicitur ἀπὸ τοῦ σάρκα φαγεῖν*, ut & Plinius indicat lib. XXXVI, cap. XVII. Idem nempe modulus ac in σαρκοφαγεῖν apud Martialem lib. III, epigr. LXXVII:

——*Ut quid enim Baticæ σαρκοφαγεῖς*† ?

Similis ratio in *Areopagus*, cujus penultimam perperàm propè omnes producunt, cum sit conflatum ex Ἄρειος*, & πάγος†: quod penultimam corripere certum est. Philippus lib. I Ἀνθολογ. εἰς ἄμπελον:

Τίς σε πάγος δυσέρημος ἀνήλιος ἐξέθρεψεν*;

Imposuit vulgò, quod Latinis *pagus* producat priorem, à quo *Areopagum* dici putavit quoque D. Augustinus, lib. XVIII de Civ. Dei, cap. X. Quippe interpretatur *vicum Martium*, cùm *collem* dicere deberet.

Nec rectè Ambrosius in Onomastico retulit, penultimam in *harpago* longam esse: cùm lib. II, epigr. Automedontis εἰς ἀρπαγας penè ultimam habeat correptam. Quin eadem in *harpagandi* voce brevis esse videtur Plauto in Truculento act. I, Sc. Ad fores:

Dum illi agunt quod agunt, cæteri clepta lurcantur,
vel harpagant.

Est enim Trochaicus. Verum ficulnum hoc argumentum, quia tria verba postrema, quæ & in Douziaca habes, in MSS is desiderantur; uti & antiquâ Venetâ Saraceni, & aliis. Utitur idem hâc voce Bacchid. act. IV, sc. Hunc hominem:

Improbis cum improbus sit, harpaget; furibus furetur, quod queat.

Sed obscurior hic quantitas, ob confusos numeros in primis novendecim ejus scenæ versibus, quos inter is, quem proximè attulimus.

Sic *Archiater* penultimam habet porrectam, cum Græce sit ἰατρὸς, vel ἰητρὸς: ut apud Laërtium in vita Platonis, ac lib. III Ἀνθολογ.

Καὶ † γὰρ ὁ τῶδε γεγὼς Ἀσκληπιὸς ἐστὶν ἰητρὸς
Σώματος.

Ἰατρὸς quoque semper hanc syllabam habet longam. Ut apud Lucillium lib. II Ἀνθολογ. & alibi.

Malè itidem vulgò penè ultima in *Homeromastigis*, aut *Ciceromastigis*, corripi solet. Nam μάστιξ penultimam in obliquis producere, & Eustathius tradit, & Homeri versus indicant.

Media in Ἀρχύτης semper est porrecta, etiam Latinis. Ut in pedariam legem peccet doctissimus Auratus, cùm carmine, quòd Logisticæ Eliæ Vineti præmittit, ait:

Archytam & in terris hunc habuisse suis.

Non sententia minùs, quàm versus constitisset, omissâ conjunctione.

Nec in Græcis solum Latini hos sequuntur; sed etiam in Hebræis, & barbaris, quæ à Græcis accepimus. Itaque in tetrasyllabo *Joannes*, quia id Græcis Ἰωάννης, prima corripitur, secunda est anceps: ut jam olim docuit Joannes Baptista Pius cap. CLV sylloges poster. Annotat.

Sæpe etiam Latini magis in Græcis rationem habent accentus, quàm quantitatis. Ita Plautus Curculione† semper corripit mediam in *Phædromus*, quia Græcè est Φαίδρομος. Item Ausonio cùm alibi*, tum idyll. IV, secunda in *trigonus* brevis est, quod Græcè τρίγωνος:

Per totidem partes trigonorum regula currit.

Secundam quoque in *idolum*, & *poësis*, quæ Græcè εἴδωλον, & ποίησις, eapse de caussâ corripit Prudentius lib. II in Symmachum. Idemque facit in Psychomachia in voce *eremus*, quia Græcè ἔρημος. Ejusque exemplum hymnographus sequitur: uti & è junioribus Maffæus Vegius in Antoniade. Idem crebrum in vocalibus ancipitibus. Nam *Philippus* mediam Plauto correptam habet: uti & Scaligero observatum lib. II Auson. Lect. cap. XXI. Sed imprimis id facere solent posteriores. Atque eapropter Sidonius in *Aratus* corripit secundam: item tertiam in *Euripides* producit. Nam ejus est carm. XXIII:

Di-

* *Ex eo, quod corpora mortuorum absumat.*
† *Patria, olidaque comedis.*
* *Martius.*
† *Collis.*
* *Quis te collis desertus sole carens educavit?*

† *Nam & hinc ortus Asclepius, est medicus Corporis.*

† *Act. I, Sc. I.*
* *Idyll. XII.*

Diversas Arato vias cucurrit.
quod rectiùs produxit Cæsar Germanicus (sive is Domitianus, sive alius) Arateorum initio:
Ab Jove principium magno deduxit Aratus Carminis.
Idem Sidonius in laudibus Narbonis:
Cessissent Sophocles, & Euripides.
Et ad Magnum Felicem:
Orchestram quatit alter Euripidis.
At tertiam in *Euripide* corripere Græcos, ex Ionis, Dionysii, & Philemonis in eum epigrammatis constat.

A vocalibus venio ad diphthongos: quomodo quæ scribuntur à Græcis, Latinis quoque sunt porrecta. Itaque Rhea, quod Græcis non ῥέη tantum, sed & ῥείη (utroque usus Callimachus hymno in Jovem) Latinis etiam nunc corripitur, nunc producitur. Corripit Ovidius Fastorum IV:
Sæpe Rhea questa est toties fecunda, nec unquam Mater: & indoluit fertilitate suâ.
Producit Maro VII Æn.
Collis Aventini sylvâ, quem Rhea sacerdos.
Itidem producuntur *Æneas*, *Medea*, *Galatea*, *Antiochia*, *Nicia*, *Nicomedia*, *elegia*, *Darius*, *Heraclitus*, *Basilius*, *Eugenius*, *Alexandria* vel *Alexandrea*, *xenodochium*, & similia. Ovidius in Ibin:
Utque necatorum Darii fraude secundi.
Claudianus epist. ad Hadrianum:
Darium famulis manibus doluisse peremtum.

Quandoque tamen Latini alteram eximunt vocalem ex diphthongo. Ita in *chiragra* semper corripitur prior, etsi Græcè sit χειράγρα. Et Maronis est I Æn.
—— *Vos ô Cyclopea saxa.*
Etsi Græcè est Κυκλώπεια. Inde etiam est, quòd quædam penultimam habent ancipitem. Nam *platea* corripiunt Catullus*, & Horatius†: producit Ausonius‡. *Chorea* corripit Maro*: producit idem†, uti & Naso. Sic *conopeum*, quod Græcè κωνωπεῖον, Juvenali e habet porrectum sat. VI:
Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo.
At est Horatii od. IX libri Epod.
Interque signa, turpe, militaria Sol adspicit conopeum.
Et Propertii est lib. III:
Fœdaque Tarpejo conopea tendere saxo.

* Epigr. 15. † Ep. 2, lib. 2. ‡ Epist. 12. & in Urbibus de Burdigala. * 6 Æn. † 9 Æn. & 10.

Ac *gynæceum*, licet Græcè sit γυναικεῖον, tamen penultimam corripere ajunt apud Terentium*. *Ganeum* quoque planè ex γάνειον videtur. Græcè etiam est Διωναῖος. Et tamen Catulli est epigr. XXX:
Ut albulus columbus, aut Dionæus.

* Phorm. act. 5, sc. 6.

Quo Lucas Fruterius, epigrammate in Chœrillum, defendere etiam conatus, quòd *Atheneos* scripsisset penultimà correptâ. Sed flaccido tibicine se tuetur, si rectè Josephus Scaliger legit, *Ut albulus columbus, aut Adoneus.* Ego *Dioneus* retineo. Nec enim Avantius ita primus edidit in Aldinâ: sed habet eam lectionem illa, quæ Regii Lepidi prodidit anno CIↃ CCCC LXXXI. Imò *idoneus*, quod in scriptis membranis reperit Scaliger, proximè accedit ad *dioneus*: quando literulæ solùm trajectione est opus. Nec propterea Fruterium in *Athenæus* ausim imitari. Græcos scio sæpe corripere diphthongum ante vocalem: imò quandoque & ante consonam. Sed si Græcis sic licet sonare, ut cum Martiale* dicam,
Nobis non licet esse tam disertis.
Saltem non sine veterum Latinorum exemplo.

* Lib. 9, ep. 12.

CAP. XXXIV.

De Græcorum syllabis ultimis in vocalem exeuntibus. Vocativos primæ in A produci à rectis in AS; corripi ab illis in ES. In eâdem E semper extendi; quod Sidonio, & Baptistæ Pio neglectum: at in secundâ tertiâque corripi. Juvenalis defensus. Mela pro mele semibarbare. In I terminata esse brevia. Thety pro Thetyi: *nisi* Thetidi *rescribendum. Recti, & accusativi, item Attici genitivi in O, ac vocativi in U ex* ευ, *porrecti: at omnia in Y brevia.*

In ultimis quoque syllabis classici poëtæ Græcorum retinent quantitatem, ut ex terminationibus singulis apparet.

Nominativi in A interdum inveniuntur correpti: sed non extra cæsuram. Cic. in Arateis:
Electra, Steropeque, simul sanctissima Maia.
Ubi & A excipit gemina consonans. Ovid. in Epist.
Mittit Hypermnestra de tot modò fratribus uni.
Sic Statio, in III & VI Thebaidos, *Tegea*, *Nemea*, *Malea*, sunt producta; priora duo ob triemimerim; tertium ob penthemimerim. Est & Juvenci in tertio Historiæ Evangelicæ:
Non Maria genetrix, non fratrum nota propago est?
Quamquam nunc mutarint hoc pacto, *Non Maria est genetrix?*

Vocativi in A, venientes à nominibus in AS, ita, uti apud Græcos, producuntur: quemadmodum scripsit quoque Servius ad illud Maronis Ecl. VI:
—— *Ut littus, Hyla, Hyla, omne sonaret.*
Ubi posterior posterioris *Hyla* corripitur ob sequentem vocalem, ut ibidem Servius monet. Aliàs enim producit ipse Maro, ut X Æn.
Tum sic ignarum alloquitur. Vigilasne Deûm gens Ænea? vigila, & velis immitte rudentes.
Et illo Ovidii IV Met. fab. XVII.
Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro Arbor.
At vocativi, qui veniunt à nominibus in της, corripiuntur; ut Ὀρέστης, ὦ Ὀρέστα, & similes. Ovid. I Trist. Eleg. IV
Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
Fecerunt furiæ, tristis Oresta, tuæ.
Ubi malè in quibusdam libris, *Oreste*, legitur. Sic Seneca in Agamemnone:
Aggrediar, & te, Oresta, furabor libens.
Idem in Thyeste:
Bonum est, Thyesta, quod mala ignoras tua.
Item Valerius Flaccus VIII Argonaut.
Amplexus, Æeta, dares, fletusque videres Ecce meos.

E in quocunque casu primæ declinationis producitur, quia Græcè est Η. In vocandi casu, ut apud Martialem lib. IX, epigr. LXV:
Alcide, Latio nunc agnoscende Tonanti,
Postquam pulcra Dei Cæsaris ora geris.
In auferendi casu apud Ovidium lib. II de Pont. el. IV.
Denique tantus amor nobis carissime semper,
Quantus in Æacide Actorideque fuit.
Sidonius malè id neglexit Carm. XV. quod Polemii est epithalamium:
Tu Mitylene satus cognoscis, Pittace, tempus.
In quo etiam peccavit Baptista Pius, cum suis ad Sidonium notis versum Græcanicum Latinè, sed mirificâ verborum trajectione, ita transtulit:
Turba Bias genitus canit ampla Priene malorum.

E in secundâ, tertiâque declinatione est correptum. In secundâ, ut vocativus *Achille*, à recto *Achilleus*, pro *Achilleu*. Usus eo Propertius, lib. IV, eleg. XII.
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos.
In tertio verò ablativus: ut apud Valerium Flaccum lib. VI:
Insignis manicis, insignis acinace dextro.
Et Juvenalem sat. XIV.
—— *Sed longè Calpe relictâ,*
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.
Ita constanter MSS nostri: Aldina item, & Venetarum veterum aliæ, ut recentiores editt. mittam. Nec propterea systolen statuere opus cum Prisciano, & aliis. Quibus etiam accessit Scaliger: ut qui Juvenalem ob neglectum syllabæ reprehendat. Immeritò sanè: quia non *Calpe* est à recto *Calpe*, hoc est, Κάλπη, ut Scaliger putabat: sed à recto *Calpes*, quod ad tertiam inclinationem refertur.

Tempe, *cete*, & *mele*, apud Græcos H habent ex εα contractum. Quare naturâ longa sunt. Catullus de Nuptiis Pelei & Thet.

Confestim Peneos adit viridantia Tempe,
Tempe, quæ sylvæ cingunt superimpendentes.

Sic *cete* apud Silium in XI: *mele* apud Lucretium lib. II, semel iterumque. Pro quo Capella, scriptor penè barbarus, *mela* dixit lib. II.

Tu vatum mela dulcibus Camænis.

Dativi in I nunc corripiuntur, nunc producuntur. Corripit Catullus *:

* Carm. de nuptiis Pelei & Thetid.

Paternâ
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.

Et Stat. Achilleidos II.

Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum
Fortè diem.

Producitur tamen Propertio † in *Tyndaridi*, & poëtarum aliis in similibus: sed, ut puto, non extra cæsuram.

† Lib. 3, el. 7.

Quæ & in illo Catulli carm. de nuptiis Pel. & Teth.

Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.

Nisi magis placet, Latinis ejusmodi dativos esse ancipites: ac nunc corripi, more Græcorum; nunc produci, more Latinorum. Etiam apud Valerium Flaccum in primo Argonauticorum edidit Carrio:

Et Zephyris, Glaucoque bovem, Tethidique juvencam.

Et lib. secundo:

Quam Thetidi longinqua dies, Glaucoque repostam.

Sed enim in vett. libris est *Tethy*: quod contractum ex *Tethyi* sit, vel κατ᾽ ἀποκοπὴν factum. Integrum est apud Catullum de coma Beronices:

Luce autem cana Tethyi restituor.

Vocativi corripiuntur. Ovid. epist. Helenæ ad Paridem:

Bella gerant alii; tu Pari, semper ama.

Et XI Met. fab. VII.

—— Quò sæpe venire
Frenato Delphine sedens, Theti, nuda solebas.

De vocativis monet idem Servius ad Ecl. I. Adducit autem Horatii illud Carm. lib. IV, od. III:

O testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas.

In O, quæ Græce per ω efferuntur, longa sunt. Ac imprimis id verum in femininis: ut *Dido*, *Echo*, *Alecto*. Virgil. VII Æneidos:

Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris.

Par ratio in genitivis Atticis, ut *Androgeo*. Virgilius Æneid. VI.

In foribus, letum Androgeo.

De *ego* diximus in Latinis.

Iidem illa in U, quæ Græcè in ʋ desinunt, producuntur. Æneidos II.

Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?

In Y corripiuntur: ut XIV Metam. fab. VI.

Moly vocant superi: nigrâ radice tenetur.

Et in carmine Ithyphallico, hexametri initium est:

Quæ cur moly vocant &c.

Idem Ovid. Trist. lib. IV, el. III.

Ars tua, Tiphy, jacet, si non sit in æquore fluctus.

Statius Papinius phalæcio istoc lib. IV Silv. carm. de via Domitiani:

Cedamus chely, jam repone cantus.

CAP. XXXV.

De ultimis Græcorum syllabis vocalem naturâ brevem, aut naturâ longam habentibus ante ultimam consonantem. Capellæ locus expensus: uti & Maronis. Servii lapsus. Cur brevia sint Latina in O R ex Græcis in ΩΡ *venientia.*

Quæ ante ultimam consonantem habent Ε ψιλὸν, corripiuntur. Maro I Æneid.

Egressi optatâ potiuntur Troës arenâ.

Juvenalis sat. VII.

—— Tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

Quæ H habent, ferè producuntur. Catullus Carm. Nuptiali:

Hymen, ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.

Maro Æn. III.

—— Hic pelagi tot tempestatibus actus
Amitto Anchisen. heic me, pater optime, fessum
Deseris.

Lucanus lib. I.

—— Dum terra fretum, terramque levabit
Aer, & longi volvent Titana labores.

Qui etiam corripi putarunt, decepti sunt illo Claudiani lib. I de Raptu Proserpinæ:

—— Compage solutâ,
Lucidus umbroso miscebitur aer Averno.

Sed rectè nunc editum, *miscebitur axis Averno*. prout etiam in nostris membranis invenimus. Par ratio in *æther*: de quo deceptus Justus Lipsius epigrammate ad Joannem Wowerium: apud Valerium Andream in Bibliotheca Belgicâ, voce Joannes Wowerius.

En scripto tibi pectoris recessus
Nostri pandimus, intimosque amores.
Hos habe sine fraude, & hos habebis
Dum me terra, vel æther ipse habebit.

Cæterùm à superiori canone excipiuntur, quæ genitivo non crescunt: ut, *pater*, *mater*: quæ corripi satis constat.

Non audiendus verò Martianus Capella lib. III, cap. de Nomine: *E S terminatus*, inquit, *in Græcis nominibus brevis est; ut Anchises.* Sed locutus est Capella ex sensu sui seculi: quo ea etiam, quæ Græcè in ΗΣ desinunt, corripiebant: ut *Thales*, *Lyristes*, *Ganymedes*. Ita est in carmine Cælii Firmiani Symposii de livore †:

† In Appendice Virgil.

Aut tradat Ganymedes ipse nectar.

Ausonii * est Jambicus iste:

* In ludo septem sapientum.

Thales, ἐγγύα, πάρεστι δ᾽ ἄτη, protulit.

Sidonii est phalæcius hic lib. VIII, epist. XI:

Alcæo potior lyristes ipso.

Cujus rei meminere quoque Scaliger in Ausonianis Lect. lib. II, cap. XXI. & Gaspar Schoppius lib. II Verisimil. cap. VIII. Sic apud Maximianum etiam in membranis nostris est eleg. V.

Efficior demens alter Ulysses ego.

Et Prudentius in Hamartigenia:

Corporeus Joannes adhuc, nec carne solutus.

Brevia quoque sunt, quæ ante consonam habent ο μικρὸν. Maro Æn. VI.

Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte silentia latè.

Similiter Papinius lib. V Silv. car. I.

Ne tu Tartareum chaos incomitata subires.

Ovid. Fastorum IV,

Alta jacet vasti super ora Typhoëos Ætna.

Lucanus lib. I.

Scorpion incendis caudâ, chelasque peruris.

Martialis lib. IV, epigr. XLIX.

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos, aut cœnam, crude Thyesta, tuam.

Et lib. V, epigr. XXXV.

Pallida nec nigras horrescit Erotion umbras.

Et lib. IX, epigr. LXXXVI *.

* Al. 84.

Nesciat nec nostri nominis Arctos erat.

Fagos producit Maro II Georg.

Et steriles platani malos gessere valentes,
Castaneæ fagos, ornusque incanuit albo
Flore pyri.

Nam, nisi hypallagen esse malis, *castaneæ fagos*, pro *fagi castaneas*; *fagos* Græcus erit nominativus; ut sensus sit, fagos sive fagus incanuit flore castaneæ. Producetur autem OS ob cæsuram.

Quæ

Quæ verò ante ultimam consonantem habent Ω, hæc postremam producunt syllabam. Virgil. Æn. II.

Primus se Danaûm, magnâ comitante catervâ,
Androgeos offert nobis.

Idem XII Æneid.

Quantus Athos, aut quantus Eryx.

Ubi sic Servius: *Quantus Athon vera est lectio. Nam si legeris Athos, thos brevis est, & versus non stat. Athon autem dici, accusativum indicat. Nam hunc Athona facit, sicut Apollon Apollona.* Sed frustra est nobilis Grammaticus, cùm nihil notius sit, quàm dici Græcis quoque Ἄθως: unde parœmia apud Suidam †:

Ἄθως καλύπτει πλευρὰ Λημνίας βοός.
Athos obumbrat latera Lemnia bovis.

† In Ἄθως.

Parque aliorum ratio, quæ Græcè per Ω scribuntur. Tibullus lib. IV, el. I.

Cimmerion etiam obscuras accessit ad umbras.

Ovid. III Met. fab. II.

Actaeon ego sum, dominum cognoscite vestrum.

Objectant Claudiani hoc lib. I de laudibus Stiliconis:

Porus Alexandro, prostratus Memnon Achilli.

Sed in emendationibus libb. est,

Memnon prostratus Achille.

At corripit Prudentius ultimo penè hymno de Romano:

Sic dæmon ipse ludit hos, quos ceperit.

Item penè extremo Carm. de Psychomachia:

Hinc chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
Lumine vicino.

Sed in hujusmodi potiùs imitabimur antiquos. Excipe exeuntia in OR, quæ tantùm brevia sunt. Ut *Hector, Nestor*. Ovid. XII Met.

Cùm sic Nestor ait.

Et eodem:

Aut puer Hector erat.

Joachimus Camerarius, in problematum appendice, caussam quærit, cur illa in *ON* producantur; ut *, *Corydon ardebat Alexin*: illa verò in *OR* corripiantur; ut †, *Hector ubi est?* Caussam verò adfert, quòd nomina in OR prorsus Latina fiant; cùm OR sit Latina terminatio, ac corripiatur apud Latinos; ut in illo apud Ciceronem:

* Ecl. 2.
† 3 Æn.

Ipse suum cor edens hominum vestigia vitat.

Et apud Maronem Georg. II.

Pastor ab Amphryso:

ON verò Latini non habeant; qui abjiciant N, unde à Πλάτων dicunt *Plato*.

Cap. XXXVI.

De extimis syllabis in Græcis, quæ ante ultimam consonam habent vocalem aliquam ex ancipitibus. Capellæ lapsus in Heptas. *Prisciani sententia de* Tethys *in dubium vocata.* Πολυνῖκος *pro* πολυνίκης. *De modulo in peregrinis. Nesciri metricam rationem veterum Hebræorum. A Mureto recessum.*

Vidimus de vocalibus naturâ brevibus, aut longis: videamus porrò de ancipitibus.

Ex iis, quæ A habent ante ultimam consonantem, accusativi in AN à nominibus in AS producuntur. Virgil. XI Æneid.

Et sævum Ænean agnovit Turnus in armis.

At accusativi in AN à nominibus in A breves sunt. Ovid. XIII Met.

Et Tenedon, Chrysenque, & Cyllam, Apollinis urbes.

Idem IV Fastorum:

Maian, & Electram, Taygetamque Jovi.

Statius Thebaid. VII.

Namque ferunt raptam patriis Æginan ab undis.

Itidem nominativi in AS, quorum genitivus desinit in Æ, vel ANTIS, producitur. Æn. X:

—— Nec turba moveri
Tela manusque sinit. hinc Pallas instat, & urget.

Quorum autem genitivus desinit in ADIS, corripiuntur. Ovid. VI Metam.

Pallas anum simulat, falsósque in tempora canos
Addit.

At Capella in sexto, cùm hoc non attenderet, malè producit ἑπτάς.

Heptas in numeris, prior igni, tertia Luna.

Par quantitas accusativorum pluralium. Virgil. Ecl. IV.

—— Divisque videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis.

Idem Ecl. VIII.

Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.

Quem ad locum ita Servius: *NAS ideo brevis est, quia Græca declinatio est, sicut* *:

* 10 Æn.

Arcadas accensos monitu.

Nam omnia Græca nomina, quæ nominativo plurali ES terminant: ut Arcades, Naiades, delphines, accusativum pluralem corripiunt. Simile etiam illud Ovid. epist. Penelopes:

In te fingebam violentos Troas ituros.

I ante N producitur in nominativo: ut in illo †:

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athenæ.

† Apud Agellium lib. 3. cap. 11. sed Græce.

At accusativi corripiuntur. Propertius lib. II, eleg. XXXV:

Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus.

In IS corripiuntur. Statius lib. I Achilleidos:

Jamdudum tacito lustrat Thetis omnia visu.

Quæ Y habent ante ultimam consonantem, corripiuntur. Virg. Ecl. IV:

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas.

Æneid. II.

Et Capys, & quorum melior sententia menti.

Ovid. V Metam. fab. I:

Ecce Syenites genitus Methione Phorbas,
Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam.

Par ratio in *Ityn*, cujus itidem accusativus corripitur. Ovid. VI Metam. fab. VII.

Tantaque nox animi est, Ityn huc accersite dixit.

Seneca in Agamemnone ‡:

Ityn in varios modulata sonos.

‡ Vers. 662.

Anapæsticus est.

Stat. Papinius lib. IV Sylv.

Monstravit. Namque hæc quoties chelyn exuit ille.

Item:

Sed chelyn, & vittas, & amantes carmina laurus.

De nominativo, indicio est hoc Statii Papinii Epicedio in Glauciam Meliorem, quod est lib. II Silvarum:

Nec sit tergeminum Siculâ de virgine carmen
Affluat, aut silvis chelys intellecta ferísque.

Et eodem lib. in Surrentinum Pollii:

Jam Methymnæi vatis manus, & chelys unà
Thebais.

Nec aliter Claudianus, præfatione in panegyrin tertii consulatus Honorii:

Et chelys, Augusto judice, nostra sonat.

Tethys tamen Priscianus ait produci. Cui timidè accedo. Nam Ovidii est Fast. V.

Tethys & extremo sæpe recepta loco est.

Quam veterum omnium lectionem frustra sollicitabat Petrus Marsus. Legitur tamen apud Maronem primo Georg.

Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.

Itidem in accusativo producit Sillius lib. XVII:

Intima ab occasu Tethyn impellit, & ortu.

Ac Martialis lib. X, epigr. XLIV:

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem.

Sed cæsuræ hæc tribui possunt. Quare posteriorem, ut tutò corripuero, Ovidium secutus; ita extra cæsuram producere non ausim. Præsertim cùm cætera in YS corripi constet; idque non in recto tantùm; sed etiam accusativo, qui

qui nominativi sequitur quantitatem. Uti in *chelys*, & *chelyn*.

Nomina in υς, quæ Latinè in US desinunt, producuntur. Virg. Æneïd. II.

Ecce autem telis Panthus elapsus Achivum,
Panthus Othryades, arcis Phœbique sacerdos.

Æneïd. x.

Fatidica Mantûs, & Tusci filius amnis.

Et eodem,

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera.

Excipi tamen videtur *polypus*. Horat. lib. Epod. od. XII.

Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis.

Et alibi:

Balbinum polypus agna
Delectat.

At Græcè est πολύπους, sive πυλύπους, sive πωλύπους: unde ultima videtur produci debuisse. Sed facilè his occurritur. Nam à Doribus πώλυπος dicitur: teste Athenæo in VII; ubi hoc Simonidæ citat: Πώλυπον * διζήμενος. Et Archestrati istud:

Πώλυποι † ἔν τε Θάσῳ, καὶ Καρίᾳ εἰσὶν ἄρισται.

Unde etiam liquet, cur primam producat Horatius. Est vero ea non tantum longa pro pisce, sed etiam, pro vitio narium: ut indicant loca adlata. Eoque fallit versus iste:

Polypus est piscis, polypus fœdatio naris.

Quem versiculum adduci videas in glossa L. XII, qui clavum. D. de ædilit. edicto: occasione vocis *polyposus*, quæ in lege usurpatur. Sive igitur vitium seu piscis signetur, polypus primam habet longam, quia est ex Græco πώλυπος.

Erythræus in indice alterum quoque rationem addit, quòd Græci in hujusmodi adjiciant υ: ut cùm pro ὄρεα dicant οὔρεα, pro ὄνομα οὔνομα. Sed id locum hic habere nequit. Nam dixisset Horatius *pulypus*: quomodo Maro pro *opilio*, quò prima producatur, *upilio* dixit. Hactenus excussimus regulas, cùm generales, tum speciales, partim de Latinis, partim de iis quæ à Græcis accepimus.

In peregrinis verò, ut in personarum, aut locorum nominibus Germanicis, Hispanicis, aliis, modulus esse anceps solet. Ac similiter in Hebræis, Chaldæis, Syris, Persicis, Ægyptiis. Sic Gregorius Nazianzenus, in Καϊνὰν mediam, in Φαλὲκ priorem, nunc corripit, nunc producit. Prior in Ἀδὰμ longa eidem est, at brevis Nonno. Et quid de Hebræis mirum? quando ea gens in metro ipsa non attenderet ad vocalium quantitatem: quemadmodum videre est ex canticis Davidis, & aliorum. Aliter si esset, nunc etiam facile esset observare antiqui carminis rationem; quam Judæi pariter ac Christiani nescire se fatentur.

Sin Græce scribentes Latinis utamur, tutiùs sequemur Latinos. Videntur tamen Græci penè eandem in iis licentiam sibi permittere, quàm in barbaris. Itaque iis tres primæ in Ἰουλιανὸς, & Κλαυδιανὸς, & Λουκιανὸς, dactylum constituunt: ut ex quarto, & quincto Ἀνθολογίας, aliisque liquet. Quanquam hac in re Latinos sequantur, si verè Antonius Muretus, qui interpretans Catulli * illud, *Firmano saltu non falso*, ait in libris nonnullis *Formiano* legi: nec facilè se dicere posse, utrum verius sit: nam inquit, *quin Formianus quoque penultimâ brevi dici queat, dubitari non oportet.* Sed non ausim in eo accedere Mureto. Etsi ex Plinio, & Juvenale, constet, Mamurram, quem Catullus designat, Formianum fuisse. Verùm hoc loco est συνίζησις, ut primam sedem occupet spondeus. Similiter nec dubitat Nonnus à Latinis recedere in δηνάριον, σουδάριον; Πίλατος. Corripit enim A. Sed fortasse hoc ab eo factum ignorantiâ sermonis Romani. Ut qui σουδάριον vocem Syram arbitretur.

* Polypum investigans.
† Polypi in Thaso, & Caria sunt optimi.
* Carm. 115.

Cap. XXXVII.

De iis, quorum quantitas poëtarum auctoritate cognoscitur. Mureti error. De penultima in fortuitus, *&* gratuitus: *item* præstolor.

SUperest, ut de iis agamus, quorum quantitatem autoritate magis, quàm regulâ cognoscimus. Nam & in his multa corripienda producunt, multa producenda corripiunt; multa, quæ utramque habent communem; vel corripi solùm, vel produci putant. E. G. Secundam in nomine *ames* corripi oportet, exemplo Horatii Epod. od. II:

Aut amite levi rara tendit retia.

Secunda in *vibicis* debet produci, secundùm illud Persii sat. IV.

Si puteal multa cautus vibice flagellas.

Similiterque in *corbita*, etsi vulgo aliter fiat. Sed potior est autoritas non Plauti modò in Pœnulo Act. III, sc. I. trochaico istoc:

Tardiores, quàm corbitæ sunt in tranquillo mari:

sed etiam Lucillii lib. XV satyrarum:

—— Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes: & porrò huic malu' bacillum,
Quàm malus navi in corbitâ maximus ulla.

Mediam in *temetum* corripit disertissimus Muretus versu hoc, Galliambo in Bacchum *:

Ubicunque lusitaras, nova flumina temeti.

Sed ea semper porrecta est, Horatius lib. II, epist. II.

Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto.

Juvenalis sat. XV.

De Corcyreâ temetum duxerat urnâ.

Utrobique etiam primam esse longam videmus: quomodo & secunda in *abstemius*, quod quasi *absque temeto* dicitur, producitur ab Horatio lib. I, epist. X.

Si fortè in medio positorum abstemius herbis.

Ovid. XV Metam. fab. XXI:

Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis.

Apud Fulgentium Planciadem † tamen est ille Rubrii, sive Rutilii, versus:

Abstemium merulenta fugit Methenia nomen.

Imò Prudentius lib. I contra Symmachum in *temulentus* corripit primam:

Hoc circumsultante choro temulentus adulter.

Primæ secundæque in *cicurare* quantitatem non puto aliunde posse cognosci, quam iis, quorum ad nos fragmenta solùm pervenerunt. Uti Paccuvio, cujus sunt ista apud Varronem lib. IV de L. L.

—— Nulla res neque
Cicurare, neque mederier potis est, neque
Reficere.

Prout eos versus distinxit Josephus Scaliger. Sed & ejusdem Paccuvii citatur illud à Festo in *Incicorem*:

Reprime incicorem iracundiam.

Qui Iambicus dimeter videtur. Quæ si ita sunt, prima in *cicur*, eademque, & proxima, in *cicuris*, & *cicurare*, corripientur. Idem probatum eunt Martialis versu, sed quem frustra apud eum quæras.

Malè vulgò produci penultimam in *mulieris*, docemur illo Afranii apud Nonium in *Senium*:

Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.

Ac similiter Martialis lib. I, epigr. XCVII.

Amethystinasque mulierum vocat vestes.

Semper etiam brevis hæc syllaba apud Comicos.

At anceps est penultima in *fortuitus*: quod aliqui semper corripi putarunt. Sed tantùm abest, ut evincant, quod volunt; ut ne illud quidem, corripi eam posse, solidè probent. Juvenalis versum adducunt, cui tres primæ syllabæ constituant dactylum. Locus est sat. XIII.

Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.

Ita enim ex Aldina, & MSo nostro legendum; non *indicet*: ut in vulgatis, & altero est MSo nostro. Sed profectò argumentum hoc invalidum est, cùm dici possit, secundam, & tertiam in *fortuitu*, seu *fortuitus* (utrumque in MSSis legas) contrahi κατὰ συνίζησιν: quomodo & Horatius dixit lib. I, ep. I.

Præcipuè sanus, nisi cùm pituita molesta est.

* Commentario in Catullum.
† De prisco sermone.

Nam produci primam, liquet ex illo Catulli ad Furium:

A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque, & mala pituita nasi.

Sanè penè ultimam in Trochaicis istis liquidò producit Plautus Aulul. actus II, scenâ I:

Post mediam ætatem, qui mediam ducit uxorem domum,
Si eam senex anum prægnantem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?

Apud Horatium quoque legere est lib. II, od. XV.

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant.

Et apud Ausonium in ludo sapientum est iste Trochaicus:

Non erunt honores unquam fortuiti muneris.

Estque scriptores hosce secutus Alciatus, cùm scripsit lib. II παρέργ. juris cap. VII:

Frustra putavit esse te, Virtus, deam,
Quæ fortuitis serviebas casibus.

Nec in *fortuitus* tantùm, sed in *gratuitus* quoque, eos fugit ratio. Non tamen assentio Jano Douzæ, qui in Præcidaneis* ad Horatiùm τῷ I in hujusmodi malè corripi putat. Nam apud Statium est Phalæcius ille lib. I Silvarum:

* Lib. 2. cap. 16.

Largis gratuitum cadit rapinis.

Sunt verò nonnulla, de quorum modulo non satis constat. Ut de media in *præstolor*. Vulgo producunt, quod etiam à Valla factum in tralatione oraculi apud Herodotum in VII.

Terrenasque acies ne præstolare, sed hosti.

Metuo tamen, ne rectiùs corripiat Buchananus Psalm. XXVII. *Vita beata præstolor.* Movet me, quod à *præsto* sit *præstulus*, & antiquè *præstolus*, unde *præstolari*. *Præstulus* est ὁ πάριμος, qui præsto est, atque, ut nunc loquimur, præsens. Sunt quibus videatur, idem comprobari posse hoc Terentiano in Eunucho act. V, sc. V.

Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?

Sed valde infirmum hoc telum, quando nihil usitatius, quàm ut Comici secundâ Iambici sede spondeum ponant pro Iambo: ut vel primus Andriæ, vel prologi Amphitryonis versus docet. Nec autoritate, ut puto, veterum cognoscas, quanta sit secunda in *diutius*. Ajunt, sciri ex eo, quòd antiqui in *diuturnus* eam corripiant. Ut Ovidius in Ibin:

Corpore lustravit non diuturna suo.

Et alibi:

Hæc fore morte meâ non diuturna mala.

Sed validius id foret, nisi eadem in *diutinus* produceretur. Nec id illo Prudentii modò, in Laurentium Mart.

Postquam vapor diutinus:

sed etiam à Plauto, Rudente, act. IV, sc. VII: ubi senarium hunc legas:

Diutinè uti bene licet partum bene.

CAP. XXXVIII.

In modulo syllabæ decipi non paucos auctoritate scriptoris suppositilii, vel versus spurii, vel loci corrupti, vel ignorantiâ metri. Auctorem poëmatii de pulice, item de philomela, non satis servasse legem metricam. Furis versus apud Gellium correctus. Sapphicum metrum olim secundâ sede non refugit trochæum.

Sæpe verò est, quòd decipiuntur viri eruditi scriptoribus istis, qui classicorum ementiuntur nomen. Ut qui in *Pulex* corripuerunt primam, quia id fecisset auctor carminis Ovidio tributi, quod *Pulex* inscribitur. Deceptus in eo præter alios Philelphus Ecl. IV. Item Thomas Morus, & Luscinius, uterque in tralatione Græci epigrammatis. At producunt genuini scriptores. Uti Columella lib. X:

Parvulus aut pulex irrepens dente lacesset.

Et Martialis in Apophoretis, epigr. LXXXIII:

Pulice, vel siquid pulice sordidius.

Similiter ab Philomelæ autore, (qui itidem Ovidius creditus falsò) decepti sunt, quotquot primam in *blatero* produxerunt. Nempe quia apud eum legere sit: *Blaterat hinc aries.* At corripit Horatius sat. VII, lib. II: uti & Lucilius lib. XXX compositum ejus *deblatero*, apud Nonium. Et fortasse in Philomela non *blaterat* legendum, sed *blacterat*: ut est in quibusdam libris.

Eodem carmine decepti in voce *cuculus*, quâ voce tum avis notatur, tum is, qui cum alienâ caput collimando, ut avis istæc alteri ova, ita ipse liberos suos supponit. Ejus penultimam corripiunt vulgò, propter hunc carminis illius versum:

Et cuculi cuculant, fritinnit rauca cicada.

Neque aliter quemquam pronunciantem me audire commemini. Sed classici omnes producunt. Horatii est lib. I, sat. VII.

—— *Magnâ compellans voce cuculum.*

Plauti quoque est Trochaicus iste Asinar. Act. V, Sc. II.

At etiam cubat cuculus: surge amator, i domum.

Nec est, quòd opponat quis istud ex eâdem scenâ:

Cano capite te cuculum uxor ex lustris domum rapit.

Nam vox *domum* deest in codd. MSS. Venetâ Saraceni, aliisque editionibus veteribus: eoque nulla est ecthlipsis; ut hic quoque versus confirmet sententiam nostram. Idem facit iste Iambicus in Pseud. Act. I, sc. I.

Quid fles cucule? vives. C A. *quid ego ni fleam?*

Est item cùm poëma quidem genuinum est, sed versus aliquis νόθος*: ut iste in Bucol †.

Quantum omnis mundus gaudet cantante Sileno.

Propter quem aliqui primam in *Silenus* corripiunt. Atqui Græcè est E I: unde Maro ipse producit Ecl. VI.

* Spurius est.
† Ecl. 6.

Silenum pueri somno videre jacentem.

Aliquis etiam existimet, in *Artophylaca* penultimam corripi debere, ob versus istos apud Manilium lib. I:

Alter ab excelso decurrens limes Olympo,
Circulus à summo nascentem vertice mundum
Permeat, Artophylaca petens per terga Draconis,
Serpentis caudam, siccas & dividit Arctos.

Sed Manilius fuerat scripturus *Artophylacta*. Nempe duo medii versus planè spurii sunt: quod satis ostendit Scaliger. Neque eos in Palatino MSo reperit Cl. socer meus, Franciscus Junius. Absunt quoque ab editione Romanâ; item Venetâ, quam Aldus dedit anno CIƆ CCCC XCIX: ut de Basileensi Hervagii, & aliis, nihil dicam.

Sæpe etiam usu venit, ut decipiamur locis præstantium scriptorum, sed mendosis.

Ut siquis priores duas in *fulica* producat, eò quòd apud Gellium lib. duodevigesimo cap. XI. legatur ille Furii Antiatis versus, etiam in Gryphiana, Stephanica, & Tornæsiana editione:

Hic fulica levis volitat super æquore classis.

At aliter Maro I Georg.

In sicco ludunt fulicæ, notasque paludes.

Et Ovid. VIII Met.

Nunc celebres mergis, fulicisque palustribus unda.

Primæ syllabæ medicinam facit Fulvius Ursinus in Virgilio cum Græcis collato. Corrigit enim*, *Utque fulica levis.* At utrumque mendum tollere conatus Petrus Crinitus cap. XXXIII de poëtis Latinis, ubi legit, *Ut fulica ipsa.* Sed in MSSis, & quibusdam excusis Gellii codd. uti & fragmentis poëtarum à Rob. Stephano collectis, invenias, *Sicut fulica levis.* Unde conjicio, *sicut* esse corruptum ex *hic ut*: eoque vocis unius trajectione legi debere:

* In I Georg.

Hic, levis ut fulica, volitat super æquora classis.

In *resina* priorem utramque vulgò corripiunt, approbante etiam Jo. Baptista Pio Annot. prior. cap. I. Ac è Lexicographis adducunt pro se hoc Juvenalis sat. VIII.

—— *Quid enim resinata juventus.*

Et è Martiale lib. III, epigr. LXVII.

Veterno resinâque pigriores.

Sed locus uterque est mendosus. Nam ut jam ante nos alii monuerunt, scripsit Juvenalis:

—— *Quid resinata juventus.*

quod primus videtur in editione suâ corrupisse Britannicus.

 Mar-

Martialis verò locus & in *veterni*, & *resina* nomine, est corruptus. Prima enim in *veternum* est brevis. Martialis autem ævo jambus exulabat à prima Phalæcii sede. Maximus Turnebus lib. XIII Adversariorum cap. XIX legendum censet: *Vetentone, asinoque*, vel *asinâque pigriores.* Sed vir summus mihique affinitate, dum viveret, junctissimus, Janus Gruterus in Palatinis codd. reperit *Vaterno*. Quod sine dubio rectum. Est *Vaternus* amnis juxta Forum Cornelii, sive, ut nunc vocant, Imolam. Ac leviculâ trajectione *Vatrenus* Plinio dicitur lib. III Nat. Hist. cap. XVI, quod de Padi flumine. Nec multum abit *Salernus*, ut vocatur in veteri tabula Itineraria. Pro *resina* autem idem Gruterus in MSSis invenit *Rasina*. Historico Ravennati veteri, sed inedito, *Rusana*, flumen statuitur prope Ravennam. Nec dubitandum, quin ab Historico illo, & Martiale signetur idem fluvius. Uti & à Juvenale, cùm ait,

—— *Et flumina pigra Ravennæ.*

Saltem sive *Rasina* seu *Resina*, vel (ut in aliis est) *Ratina*, aut *Retina* legas, sive etiam Rusana, vel *Rasuna*, omnino fluenti nomen erit. Sive etiam nihil horum probes, substituendum aliud fluvii nomen erit, non multum ab hac appellatione recedens. Clarè enim ait Martialis, remiges esse pigriores duobus illis fluentis, quæ eo die navigarat. Quare frustra etiam ex Martialis versu collegere in *resina*, & *resinatus*, duas priores esse breves. Quin contrà est, ut Martiali utraque semper sit porrecta. Ejus enim est lib. III, epigr. LXXIV:

Quid facient ungues? nam certè non potes illos
Resinâ, Veneto nec resecare luto.

Item epigrammate LXXVII:

Resinata bibis vina, Falerna fugis.

Et lib. XII, epigr. XXXII:

Nec plena turpi matris olla resinâ,
Summæniana quâ pilantur uxores.

Dixit quoque Serenus Sammonicus cap. XXXIII:

Nec non resinas ex Oriciâ terebintho.

De secundâ liquet quoque ex illo Iambico octonario Plauti Mercat. act. I, sc. II.

Resinam ex melle Ægyptiam vorato, salvum feceris.

Scoria Græcè est σκωρία. Cave igitur primam corripias, deceptus versu istoc in Ciri:

Sordibus & scoriâ patiar tabescere tali.

Nam vel *scabre*, quod Scaligero visum, vel aliud substituendum: vel sanè si nihil mutandum, dissyllabum erit κατὰ συνίζησιν.

Itidem in *sandalia* semper corripi debet secunda; quamquam si vulgatis codd. fides, Pedo Albinovanus, elegiâ de obitu Mæcenatis, dixerit:

Argentata tuos etiam sandalia talos
Vinxerunt certe: nec puto, Bacche, negas.

Nam, ut monet idem, in veteri membranâ legitur *talaria*, quod rectum est.

Pari errore decipiatur, qui priores duas corripere volet in *Getulus*, ob illud Martialis, sive alius, in spectaculorum centone, epigrammate IV.

Traducta est Getulis, nec cepit arena nocentes.

Quomodo & Pierius non uno Castigationum Maronianarum loco à Martiale scriptum fuisse tradit: & à Plantino excusum in eâ, quam H. Junius recensuit. Verùm in vett. libb. legitur, *Tradita Gætulis:* quæ sine dubio vera est lectio. Nam favet sententia, & *Gætulus* Græcè est Γαιτοῦλος, unde Maro aliquoties duas primas syllabas producit. Nec aliter Claudianus lib. de bello Gildonico *:

* Vers. 57.

Pensabam Phariam Gætulis messibus annum.

Similis eorum error, qui primam in *simius* corripiunt, propter locum Statii, in fine Sylvarum, ubi pro *nimium* quondam *simium* legebatur: quod etiam Calderinus probavit, & Nestorem Novariensem sefellit. In *nutrio* qui corripiunt primam, tuentur se hoc Claudiani lib. II in Eutropium:

—— *Flatusque leonis*
Sæpe nutrire levis.

Sed in Aldinâ, & aliis inde consecutis, est, *Spe nutrire.*

In *peculator* secundam aliqui corripiunt, quia Prudentius in Psychomachiâ dicat:

Quid petit arsurus pariter peculator avarus?

Sed in MSSis, & editione Giselini, est *speculator*. Et sanè secunda in *peculi* porrecta est Maroni Ecl. I. Uti Martiali in *peculiaris*, istoc phalæcio, lib. IV, ep. LXIV:

Solus luce nitet peculiari.

Hujus quoque generis est Petrarchæ illud VIII Africæ:

Nunc aratrum antiquis insultet mœnibus ——

Nempe decepit eum Sapphicus iste Sidonii †:

† Carm. 23.

Diversas aratro vias cucurrit.

Sed rectum est *Arato*: in quo ejus temporis poëtæ, ratione potius habitâ accentus Græci, quam quantitatis, corripere primam solent: ut antea dictum. Sanè & Claudianus Mamertus, (ad quem exstat ipsius Sidonii epistola lib. VII) carmine contra vanos poëtas similiter ait:

Aut Arati numeros, & picta Manethonis astra.

Atque etiam Venantii Fortunati est versus iste:

Achyta, Pythagoras, Aratus, Cato, Plato, Chrysippus.

Æquè falluntur, quibus prima in *librare* est anceps, propter illud in Carmine Ithyphallico, quod adducunt:

Medis laxior Indicus libratis.

Nam meliores libri rectè habent, *Indicisque braccis.*

Facilè etiam peccabit, qui nescit licentiam carminis. Ut siquis primam in *Catullus* producat, quia apud poëtam eum invenerit Carm. LII. *Otium, Catulle, tibi molestum est.* Atqui Catullus Sapphici sede secundâ interdum usurpat trochæum: ut Carm. XI.

Seu Sacas, sagittiferosque Persas.

Et eodem:

Pauca nunciate meæ puellæ.

Quod in hoc carmine ipsius Sapphûs imitatione fecit, Nam ejus est:

Ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα.

Quasi Latinè reddas:

Plurimi throni Venus æviterna.

Vix dici etiam potest, quoties peccetur eo, quòd in veteri poëta non attenditur ad συνίζησιν. Ut qui secundam in *denarius* corripiunt, quia Martialis sit lib. IX, ep. CIII:

Denariis tribus invitas & mane togatum.

Quasi non idem Martialis dicat lib. II, ep. II:

Unus sæpe tibi totâ denarius arcâ.

Sic in *vindemiator* secundam putant corripi, ob illud Horatii lib. I, Sat. VII:

Vindemiator & invictus cui sæpe viator.

Atqui Virgilius ait II Georg.

—— *Spumat plenis vindemia labris.*

Et Ovid. III Fast.

At non effugiet Vindemitor: hoc quoque caussam.

Cap. XXXIX.

Non fidendum medii ævi poëtis, cùm passim in metrum peccent. Arnobius emendatus.

SEd imprimis cauto opus est, ne eorum nos poëtarum, qui posterioribus seculis vixerunt, decipiat auctoritas, seu in primis, seu mediis, seu ultimis syllabis. Quod de Græcis etiam poëtis dictum velim. Ut cùm Beatus Gregorius Nazianzenus plagas Ægypti enumerans ait:

Τὸ * τέτρον αὖ σκίπτοισιν ἀήρ, καὶ γαῖαν καλύψας.

* Tertio rursum caliginosus aer, & terra operta fuit.

Nam antiquis omnibus ἀήρ priorem producit. Sed continebo me intra Latinos: quos à Severi temporibus ordiar: nec omnia tamen omnium adducam (rosas enim malim colligere, quàm spinas) sed tantum tamen dicam, quantum huic sufficit instituto: hoc est, quantum opus, ut juventus inter spinas discat esse calceata.

Faciemus initium a Tertulliano; ex quo satis erit apposuisse aliqua ex principio lib. I adversus Marcionem. Sic enim scribit vers. IX & seq.

Oblitos Dominum docuit spem ponere certam,
Idola vana sequi, turbam sibi fingere divûm.
Terribilis magica refugarum audaciâ ductos

Con-

Confictam molem mirantes, spernere vitam
Impulit in praeceps sceleratâ insaniâ mersos.

Et mox:

Non quia culpâ carent homines: nam sponte secuti.

Sic enim scripserat Tertullianus, ut rectè ad Arnobium monuit Heraldus: ubi in vulgatis *culparent*. Et versu sexto pòst:

Spiritu deque Dei praesagâ voce loquentum
Publicè non audens Dominum maledicere nudè.

Et post pauca:

Cujus amicitia auxilio, patientiâ poena,
Et Deus, & renovatus homo, miscetur in unum.

Videmus, ut ablativos in A & V corripiat. Atque horum exemplo putabat Heraldus Arnobium scripsisse lib. v:

Quas cavâ succutiens Baubo manu. nam puerilis
Olli vultus erat.

Sed versus isti meliorem poëtam spirare videntur, quàm Tertullianei: sive eorum Arnobius, sive alius autor est: quod, puto, non negabit, qui cum cura legere volet. Quare censeo scribi oportere:

Quas cava succutiens Baubûs manu' (nam puerilis
Olli vultus erat) plaudit, contrectat amicè.

Nempe ut S in *manus* elidatur. Sunt enim versus planè ἀρχαΐζοντες *. Quod si etiam fateri volumus, Orphei versus parum esse assecutum Arnobium; quod Heraldus scribere non veretur: pro *Baubo* reponi debet *Bacchi*. Nec enim Baubo, sed Bacchus, adolescens lascivus, Baubûs pubi admôsse manum ab Orpheo dicitur. Atque hoc rectè observavit ante nos clarissimus, & amicissimus vir, Joannes Meursius, in erudito opere Atticarum Lectionum lib. I, cap. XVI. A quo in hoc solùm dissentio, quòd is Arnobium in sexto casu scripsisse censeat:

* Priscum imitantes sermonem.

Quas cavâ succutiens Bacchus manu.

Ubi nos,

Quas cava succutiens Bacchi manus.

Nequid versus caetera venusti in metrum peccent.

Jam aetate Heliogabali postremam in *vides*, & *putas*, corripiebant. Ut apud Lampridium in Heliogabalo,

Pulchrum quod vides esse nostrum regem.

Item:

Pulchrum, quod putas esse nostrum regem.

Nec veterum vestigiis semper insistit Serenus Sammonicus. Ut cùm cap. VII ait,

Ex vitio cerebri phrenesis fumosa movetur.

Nam secundam in *phrenesis* producit Juvenalis sat. XIV.

Ajunt & cap. XIII, primam in *tilia*, contra Ovidii † autoritatem, producere:

† 8. Metam.

Fraxinea in flammis quae fundit tilia succum.

Sed legitur non modò in editione ea, quam Caesarius interpolavit, verùm etiam Pythoeana: *Quam fundit talea succum.*

Idem cap. XXX:

—— *Interno cum viscere tinea serpens.*

At primam in *tinea* corripiunt Ovidius XV Met. Juven. sat. VII, Martial. lib. II, epigr. XLVI, & lib. VI, epigr. LX, atque alibi. Quinctianus Stoa hinc colligebat, primam esse ancipitem. Nos Serenum tanti non putamus, ut obduci possit antiquis. Idem Serenus cap. XLI primam in *vomica* producit:

Vomica qualis erit, vel eidem proxima quaedam.

Quod mirum, si idem à vomendo sic dici putavit. Nam ibidem sic vomicas describit,

—— *quos dira vomit natura tumores.*

Verùm credo non *vomit* scripsit, sed *movet*: ut est in codd. quibusdam MSS. Quicquid est, potiùs sequendus Juvenalis sat. XIII:

Et phthisis, & vomicae putres, & dimidium crus.

Neque Calpurnium huic crimini eximero: qui Ecl. VI. primam in *jugalis* producit, & contrà in *Pegasus* corripit:

—— *Genus est, ut scitis, equarum*
Non jugale mihi: quarum de sanguine ponam
Velocem Pegason, qui gramina, matre relictâ,
Nunc primum teneris libavit dentibus.

Quamquam in Aldinâ, & aliis, quas viderim, est *Petason*, quasi a πετάννυμι. Sed arbitror, equo veloci esse Pegasi nomen impositum ab alato Bellerophontis equo: à quo & veloces nuncios *pegasos* dixit Tullius pro Quinctio: *Pro fortunatum hominem, qui hujusmodi nuncios, vel potiùs pegasos habes!* Qui mutarunt, respexere originem, quòd sit à πηγῆ: unde semper producitur ab antiquis. Sed aevi sequioris poëtis insolens non est, ut ἦτα corripiant. Sic Sidonius * *mathesis* dixit penultimâ correptâ: Theodolus *phronesis*, quod & Anticlaudianus facit in IV:

* Carm. 5. sive panegyr. in Majorianum Aug.

Altius inquirit phronesis, sensuque profundo.

Pluraque ejus farinae superiùs adduximus.

Secunda in *saginatus*, si Nestorem Novariensem audimus, corripitur ab eodem Calpurnio Nemesiano Eclog. IV:

Ut quoque turba bono plaudat saginata magistro.

Atque ita quoque editum ab Aldo. Sed in illa Pithoei *signata* rescribitur.

Est & cum Juvencus exorbitat. Ut initio historiae Euangelicae:

Nam me propitius rerum pater unicus alto.

Primam enim in *propitius* corripit Seneca. Et origo pro hoc stat modulo. Nam ut à fictum *fictitius*, à commentum *commentitius*, à crate *cratitius*, sic à prope *propitius*. Sed de eo mox pluribus. Longeque spissior est error, cum lib. IV, tertiam in *pollicebar* brevem efferr:

Argenti ter dena illi mox pollicebantur.

Paullini quoque est epistolâ ad Cytherium *;

* Carm. 15.

Hac nunc per ejus suffragata literas
Martiniano, & caeteris.

Et in Panegyrico †:

† De obitu Celsi pueri.

Infantes castis vincite suffragiis.

Imò & in Inscriptione collectione Gruteriana * habes in Epitaphio Bonifacii Papae:

* Pag. 489.

Ista beatorum sunt pia suffragia.

At producit Horatius ep. II, lib. II: uti & Ovidius, Silius, Juvenalis, Statius, alii.

Est & Ausonii epigr. LXXXVIII.

Scatiniam metuens, non metuit Titiam.

Juvenalis contra producit secundam in *Scatinia* sat. II.

Idem Ausonius de Claris Urbibus carm. X.

Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas?

At secundam in *Syracusis* veteres producunt.

Cautè etiam imitandus est Prudentius. Adeò licenter corripienda producit, producenda corripit. Sic corripit primam in *Statori*, secundam in *suffragari*: producit primam in *smaragdinus*, secundam in *Sardinia*, *redimitus*, *delibutus*. Ut in Psychomachia:

Delibuta comas, oculis vaga, languida voce.

At corripit Flaccus Epod. od. III.

Hoc delibutis ulta donis pellicem
Serpente fugit alite.

Idem Prudentius eopse opere:

Jura pati, & laxâ ganeorum lege teneri.

Quod & à Sidonio factum Carm. V. sive panegyrico secundo:

Et pallens pinguedo tenet, ganeaque perenni.

At longum est, non apud Comicos tantùm, sed alios etiam. Juvenalis sat. XI:

Sed laudem siliquas occultus ganeo, pultes
Coram aliis.

Idem praepositionem E corripit. Ut in Adonio hoc Cathemer. Hymn. VIII. *Corpus Enervans.* Et lib. II contra Symmachum:

Robur enervatum gereret sine laude palaestra.

Priorem etiam corripit in *sphera*.

—— *Sphera mobilis atque rotunda.*

At Graecè est σφαῖρα, unde *sphaera*.

Item primam in *Socordia* corripit in Apotheosi:

Caecorum caecos loquor, utra socordia quorum.

Idem producit primam in *propitius*, in passione Agnetis Virginis:

Purgabor oris propitiabilis.

Et versu supremo hymni in Eulaliam virginem:

Carmine propitiata fovet.

Quod

Quod & fecerat Juvencus, uti antea dictum. Et exemplum quoque Damasus, episcopus Romanus, imitatur in Elogiorum libello, cap. de cognomentis Salvatoris:

Fons, paries, agnus, paries, leo, propitiator.

At sive est à *proprius*, ut Gellius† censet, sive à *prope*, quod verius putamus: corripit primam. Adde, quod Comicis perpetuò corripit primam secundamque. Ut apud Plautum Curcul. Act. I, Sc. I.

† Lib. 6, cap. 5.

Potate, fite mihi volentes propitia.

Pœnulo Act. V. Sc. III.

Oratum ierunt Deam, uti sibi esset propitia.

Similiter Terentius Adelph. Act. I, Sc. I.

—— Evenire ea satius est,
Quæ in te uxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, quàm illa, quæ parentes propitii.

Quæ non video, ut eludi possint, nisi fortè versu ultimo συνίζησιν statuamus, ut in *alveo* apud Maronem: quod dici posset, si ab aliis produceretur passim. Nunc ex antiquis id facit nemo. Quid etiam dicent ad Senecæ, cujus ante memini, versum illum:

Etsi propitios, attamen lentos Deos.

Et quod epici tam constanter ab ea voce abstinent, unde factum putemus, quam quòd breves essent omnes, eoque versui heroico non conveniret?

Nec audiendus semper Sedulius. Ejus est lib. III operis paschalis:

Non mordax arugo vorat, non tinea sulcat.

At primam in *tinea* corripiunt, cùm alii, quos antè adduximus, tum Horatius sat. III, lib. II, & epist. ult. lib. I.

Idem Sedulius extremo lib. IV.

Vestigiis calcare suis veneranter adorant.

Atqui in *vestigio*, & *vestigium*, eadem est secundæ syllabæ quantitas. Etiam in hymno dimetro secundam in *centurio* producit, quam corripiunt Horatius*, Persius†, & Martialis*.

* Lib. 1, sat. 6.
† Sat. 3 & 5.
* Lib. 1, epig. 32.

Nec raro peccat Festus Avienus; ut cum in Orbis descriptione ait:

Usque in saxosi Pachyni juga, plurimus inde.

Et post aliquammulta:

Proserit, & ponto septem fertur explicat ora.

Et postea, eodem opere:

Sestos atque Abydos parvo sale discernuntur.

Nam prior in *fertur* porrecta; secundaque in *Pachynus*, & *Abydus*: at eadem in *Sestos*, *seu Sestus*, correpta est.

Idem Avienus, vel Anianus potiùs, fabula XL:

Hunc arguta novo gaudentem vulpes amictu.

Nam posterior in *vulpes* Horatio* est longa.

* Lib. 2, sat. 3.

Neque B. Prosper hac culpâ est eximendus. Ejus inter alia est istud Carm. de Ingratis:

An dextram pacis palàm dare te pudet hosti?

At priorem in *palàm* corripit Maro VII Æn.

Ipsa palàm fari omnipotens Saturnia jussit.

Et in IX.

Luce palàm certum est, igni circumdare muros.

Quàm sæpe etiam turpiter se dat Martianus Capella! Uti cum lib. II ait:

Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon.

Ubi & malè posteriorem in *Ammon* corripit, cum Græcè sit Ἄμμων: & priorem in *Adon* producit, quam corripiunt Maro, atque alii. Idem Capella Glyconio hoc, Carm. ult. lib. I.

Terris recolitis vestra tenerier.

Ubi prima in *recolo* est longa. Idem lib. II:

Mox quid jacente, quid jugata linea
Trigonus recurvet, circulusque torqueat.

Hic *trigonus* secundam corripit, ut sit anapæstus. Atqui Græcè est τρίγωνος. Ejusdem est penultimo Carm. lib. II.

Dissona sacra Mithram, Ditemque, ferumque Typhonem.

Ubi primam in *Mithram* & *Typhonem* corripit, utrumque contra veterum auctoritatem. Idem lib. IX.

Temsere, extremam cum flagitaret opem.

Malè prima in *flagito* hic brevis est.

Quid de Sidonio Apollinare dicam, rei metricæ, siquis alius, negligentissimo? Quod ne temere videar dixisse, pluscülis exemplis planum faciam. Ejus sunt ista Carm. II, sive Panegyrico, qui Anthemio dictus fuit:

Quicquid Pythagoras, Democritus, HERACLITUSQUE.
Argumentosis dat retia SYLLOGISMIS.
Quicquid Anaximenes, Euclides, ARCHYTA, *Zenon.*
Socraticusque animus post fatum in PHÆDONE *vivus.*
In CTESIPHONTA *datur. totum hunc tibi cessimus axem.*
Gaudeat EUPHEMIAM, *fidus divale parentis.*
Cerea destituit, resolutis axibus, OBEX.

Idem Carm. V. quod est panegyricus Majoriano dictus:

Attis mel, Phœnix palmas, LACEDÆMON *olivas.*
Percurrit MATHESIM *numeris, interrogat umbras.*

Et Carm. VII. seu Panegyrico, quem fecit Avito?

Trux Auguste, PHARON, *dum classicus Actia miles.*
Quæ quondam regina fiò, Capreasque TIBERI.

Item Carm. IX ad Felicem Consulem:

Et primùm DARII *tumultuantes.*

Et Carm. XI, seu epithalamio in Ruricium:

Cujus fax, arcus, CORYTUS *pendebat, at ille.*
Cernet, & in proavo similem sibi PRONEPOS *optet.*

Et Carm. XII ad Catulinum:

Infundens acido comam BUTYRO.

Et Carm. XV, sive Epithalamio Polemii:

Tu MITYLENE *satus cognoscis, Pittace, tempus.*
Sic placidam Paphien servare DIASTEMA *quinctum.*
THALES *hoc etiam numeris inquiris, & astris.*
Hunc AEREM, *pariterque Deos sic autumat ortos.*

Ubi malè Tornæsius edidit *aëream.*

Quartus Anaxagoras THALETICA *dogmata servat.*
Materiam cunctis CREATURIS *aëra credens.*
Quas atomos vocat ipse leves. SOCRATICA *post hunc.*
ARANEOLA *micat. proprias conferre laborat.*

Et Carm. XVI ad Faustum:

ANACHORETA *tremit, qui quamquam frigora portet.*
Eucherii venientis iter, redeuntis HILARI.
CONCIONATURUM *plebs sedula circumsistit.*

Et Carm. XXII in burgum Pontii Leontii:

HIPPOCRENE *satas jungebat Pegasus alas.*

Ubi in Tornæsiana malè est *Hippocrenisitas.*

Unde tamen suspicari possis, scripsisse Sidonium voce compositâ, *Hippocrenisatas*: ut posteriores edidere.

Et Carm. XXIII in Narbonem:

Diversas ARATO *vias cucurrit.*

Non *aratro*, ut edidit Tornæsius: de quo & antè dictum.

Cessissent Sophocles, & EURIPIDES.
Caussam seu CTESIPHONTIS *actitaret.*
Tortum tramite TRANSIS *ipse recto.*
Crebras INQUIETATA *per procellas.*

Est & Sidonii: *Et Phœbo melior lyristes ipso.*

Idem dixero de Alcimo Avito. Sanè etsi prior in *statura*, & altera in *constatura*, producantur: non tamen imiter illud lib. II:

Eligit, aërium statim sibi corpus adaptans.

Catullus enim priorem in *statim* (ut superius etiam dicebamus) corripit Epigr. ad Ipsithillam:

Verùm, siquid ages, statim jubeto.

Idem Alcimus lib. V:

Præstigiaque diu nebulosâ in fraude peracta.

At

At Plautus producit secundam in *præstigia*, & *præstigiator*. Ut trimetro hoc jambico in Pœnulo act. v, sc. III:

Præstigiator hic quidem Pœnus probu'st.

Sed Alcimi in versu statuere possis συνίζησιν. Eo minus excusabile hoc, eruditi viri, Frederici Taubmanni:

Callidus inferni præstigiator adest.

Scio, nonnullis aliter videri, qui modulum hunc origine vocis tuentur, quia sit à tegendo. Nam ut ab *attego*, *attegia*; sic ajunt à *prætego*, esse *prætegia*. Sed Græci quidem στέγω ajunt, Latini autem *tego*. Ut omnino *præstigiis* ex eo nomen sit, quia oculi iis præstinguantur.

Quam spissus etiam error est Rustici Helpidii Carm. de Christi Jesu beneficiis:

Inchoamenta gerens fragiles processit in artus.

Quid enim apertius, quam eandem esse quantitatem tertiæ in *inchoamentum*, ac in *inchoare*?

Arator etiam (qui sub Justiniano unà cum Cassiodoro & Prisciano vixit *) non raró in metrum peccat. Sic in *spado* priorem producit lib. I historiæ Apost.

—— Quà spado jugatis
Æthiopum pergebat equis.

At corripit Juvenal. sat. I.

Cum tener uxorem ducat spado, Nævia Thuscum
Figat aprum.

Idem Arator in *affatim* producit secundam, hist. Apostolicæ lib. II.

Suppetit affatim exemplorum copia, nosque.

Contrà corripit Accius in Prometheo †:

At jecore opimo farta & satiata affatim.

Primo quoque libro ait Arator:

In tenebris TRIDUANA *gerit, facit esse fidelem.*

Et eodem:

—— Arrius unum
Personas tres esse negans, SABELLIUS *unum,*
Sed Patrem confessus ait.

Prima in *triduum* producitur; in *Sabellius* corripitur.

Venantii Fortunati est lib. I de vita B. Martini *:

Dum regeret princeps data jura Valentinianus.

At *Valentinus* dicimus tertiâ longâ. Idem lib. IV †:

Occurrit Treviros aliis quoque mota querelis.

At Lucanus ‡ (uti & Ausonius *) primam in *Trevir* producunt.

Corippus quoque, Africanus Grammaticus, qui in laudem Justini Augusti minoris libros quatuor scripsit, sæpicule in talibus peccat. Ejus est lib. II:

Vivificans siccum sacro spiramine LUTUM.

Et initio lib. III.

Et quas MEMPHITICA *Cæsar perduxit ab aula.*

Et mox:

MADENTES *oculi, vultusque sinusque rigabant.*

Et eodem:

Quæque METHYMNÆIS *expressit cultor ab uvis.*

Et lib. IV.

Turba loquax FLAGITANTQUE *cibos, fidaque parentis*
Oribus ora petunt.

Item:

Ingens MYSTERIUM, *magnâ quod mole laborat.*

Eodem libro legas:

Agnoscunt dominum, pulsantque BALATIBUS *auras.*

Nisi potiùs scripsit, ——*pulsant balatibus auras.* Scripsisse saltem debuit.

Symposius in Ænigmate Seriæ:

Cætera mando focis spernunt quæ dentes acuti.

Sic in vetustissimo codice fuit: ut monet Salmasius ad Spartiani Nigrum (pag. CLVI) sed postea mutarunt.

Multa etiam peccat Maximianus, quem esse Asinium Gallum (ut corruptâ Virgilianæ vitæ lectione falsi vocant, quem Cornelium Gallum melius dixissent) aliquando creditum est. Ut Ecl. I.

SOCRATEM *palmam promeruisse ferunt.*
O quàm dura premis miseros CONDITIO *vitæ!*
Continuos gemitus ægra SENECTUS *habet.*

Item Ecl. III.

PÆDAGOGUS *adsit me. illa tristissima mater.*

Vel potiùs, ut in libro est Jureti, ac nostro: *Me pedagogus adsit.* Nam eo seculo diphthongorum vulgo non habebatur ratio: Idem mox Maximianus:

At postquam teneram rupit VERECUNDIA *frontem.*
Prostratus pedibus VERECUNDA *silentia rupi.*

Accedat istis Petrus Apollonius Collatius, si, ut vulgò creditur, vixit paullò ante annum Christi septingentesimum. Is primam in *Titus* producit passim. Ejusdem est lib. II:

Terrifico traxit somitu, longeque rejecit.

Adderem & alia de proximorum temporum Poëtis: nonnulla quoque ex inscriptionibus antiquis, in quibus & *patrona* * repetias correpta media: ut similia quædam mittam. Sed enim satias me jamdudum istorum capit. Nec sanè est, ut meliora exspectemus ab iis, qui post superiores vixere. Quos inter & est Petrus Riga, Ecclesiæ Remensis clericus; qui circa annum millesimum ducentesimum vixit. Nam etsi Tritthemius scribat, eum in Aurora sua, (quo poëmate historiam Veteris ac Novi Testamenti carmine est complexus) *observasse diligenter legem metri*: tamen toties peccat, ut nisi barbariem seculi, quo vixit, & eorum quæ proximè illud exceperunt, cogitaremus, meritò mirari possimus, tanto tamdiu eum in honore stetisse, ut ante duo secula, atque etiam intra illud tempus, de modulo syllabarum ex ejus versibus judicium ferri soleat. Nunc adeò exigua ejus ratio habetur, ut nomen ipsum penè fugiat vel multijugæ lectionis homines.

CAP. XL.

Etiam in modulo syllabæ sæpe falli, qui renascente Poësi, & sesquiseculo post, claruerunt.

QUod si etiam illi, per quos literæ reviviscere cœperunt, vel qui eorum ætate vixerunt, non raró cespitant: cogitare oportet, non omnia, quæ in mero meridie cernimus, videri ab iis potuisse, qui in diluculo, tanquam in confinio lucis & tenebrarum, erant constituti. Quibus verò initia sua reviviscens Poësis debeat, malo dicere verbis Cæsaris Scaligeri, qui cap. I. Hypercritici, cùm de Ausonio, Sereno, Sidonio, Boëthio, esset locutus, ista subjungit: *Verùm longo post hos tempore, non secus atque intermortua, tandem penè derepente satis magna, veluti Tages alter, extitit. Nam tametsi de integro rediviva novam sub Petrarcha pueritiam inchoasse, atque inde Philelphi studio clara admodum incrementa cepisse visa est: hanc exiguam tamen illam tum fuisse puto, quàm constat pene illico multorum illustrissimis ingeniis* (ea inter mox Jovianum Pontanum reponit) *confirmatum cum antiquâ illâ optimâ certare potuisse.* Tres isti præstantes viri quos dicit, crebrò in modulo peccant. Nam Petrarcha quidem, ut primam in *Annibal* corripiat, ac eandem in *Terentius* producat; non dubitat in illo liquidam eximere, in hoc geminare. Quippe lib. VI Africæ ait, *Te quoties Anibal video.* Et lib. X, *Prior it Terrentius horum.* Ejusdem est lib. II Africæ: *Littus ad* IBERUM *resonet.* Et lib. III primam in *Sequana* corripit; quæ Lucano atque aliis est porrecta. Ibidem ait: *Oreades Faunique leves.* At Maronis est I Æn. *Hinc atque hinc glomerantur Oreades.* Et lib. VI Africæ ita hexametrum claudit: *Fortissimus Eryx.* Et lib. VII, *Tibiasque, pedesque.* Nisi hic placet esse συνίζησιν. Etiam, contra quam à Martiale *, & Ausonio †, factum, primam in *Plinius* corripit lib. II, epist. ad Rainaldum:

Hac juga Virgilius, Plinius tenet illa Secundus.

Item in *Paccuvius*, contra Persii * & Martialis † autoritatem, producit secundam lib. epist. III. Alia quoque hujusmodi apud eum sunt longè plurima.

* *Paulus de gestis Longob. lib. I, cap. 25.*
† *Apud Cic. Tusc. 2. ubi ex Æschylo citat. Sed ex Nonio & Prisciano scimus, Attium ea ex Æschylo transtulisse.*
* *In bibliotheca Patrum edit. 2. col. 806.*
† *Ibid. col. 819.*
‡ *Lib. I, vers. 441.*
* *In Urbibus carm. 3.*
* *Inscr. Grut 931. num. 9.*
* *Lib. 10, ep. 19.*
† *Epig. 68.*
* *Sat. I.*
† *Lib. I. ep. 91.*

Uti & apud Philelphum, qui in *luscinia* secundam producit, itemque in *Valerius*: primam etiam in *Bœotia* corripit, & tertiam in *Eugenius*, quod Græce εὐγένειος. Sed quis ejus viri σφάλματα cuncta recenseat?

Cultior illo Pontanus, vir sanè maximus. Sed tamen non semel peccat. Uti lib. I Uraniæ:

Ergo ubi ter nonas PLAGAS, *ter nonaque mundi*
Dimensus spatia.

In quo tamen modulum servavit lib. II ejusce operis:

Hac plaga circuitusque ingens.

Nempe confundit modulos in *plaga*, pro πληγῇ, & *plaga* pro tractu. Eodem libro:

Hunc neque marmoreis renitentia templa columnis.

Nitentia dicere debuerat. Nimirum confudit modulos in *niteo*, & *nitor*.

Idem lib. IV Uraniæ:

Signa quoque adverso sibi DISSIDENTIA *nisu*
Dant varias animorum artes.

At Maronis est in VII:

Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor, & sic dicere Divos.

Idem Meteororum libro, Cap. de Fulmine:

Ut cum irata manus tormento exclusit aëno
Fumantem pilam, versatque volubile saxum.

Horatii verò est in Arte:

Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit.

Idem Lepidinæ pompâ quinctâ:

Montibus indigenæ Fauni proterruntque, ruuntque.

Qui error satis apertus.

Tribus hisce poëtis alios quosdam addamus. Mapphæo Vegio assentiri non ausim, cùm XIII Æneid. ait:

Dehinc perturbatos crocitans exquirit & omnes.

Nam ut à *dormio dormito*, sic à *crocio crocito*.

Nisi malis esse ut à *nego negito*, sane & Philomelæ auctor similiter: *Et crocitat corvus, graculus at frigulat.*

Nec Baptista Mantuanus latâ culpâ vacat: qui in *sitibundus*, etsi sit à *sitire*, secundam tamen corripit, in mortem Frederici. Et priorem in *strabus*, contra Horatii autoritatem, producit in Villa Refrigerii. Quod & ἀπειρόκαλος ille Macer fecerat, scriptor non magnæ rei; qui & in *clystere*, ac *hyssopo*, secundam ausus est corripere.

Laurentius Lippius, Oppiani interpres, turpiter adeò lapsus passim dat, ut non lippire, sed prorsus cæcutire videatur.

Nec Fausti Andrelini ratio haberi debet; in cujus poëmatis unam se syllabam desiderare magnus Erasmus dicebat: ea est νοῦς sive mens. Nimirum quia crebrò adeò nullam ex ejus verbis commodam sententiam elicere est. Sed metrum si spectes, non unâ ille syllabâ peccat; verùm trecentis. Est tamen cum fefellit eum librorum vulgarium autoritas. Ut cum eclogâ contra Balbum secundam in *saginatum* corripit. Ubi, ut puto, decepit eum illud Nemesiani Ecl. IV. *Ut quoque turba bono plaudat saginata magistro.* Sic enim in Aldinâ expressum est: ubi rectiùs alii, *signata.*

Elegantissimo adolescenti, Michaëli Verino Baleari, quòd interdum in talibus delinquat, ob teneros annos debet condonari. Nam anno ætatis duodevigesimo periit priapismo, cùm contra Medicorum præscriptum concubitu abstineret: unde de eo Angelus Politianus:

Sola Venus poterat lento succurrere morbo.
Ne se pollueret, maluit ille mori.

Quendam ejus errorem, quòd sæpicule primam in *charitas* corripiat, eo in notis ad illius disticha, excusatum ibat Martinus Civarra Cantaber, quòd in *Charis*, ac *Charistia*, ea syllaba sit correpta. Ineptè sanè, cùm non alia ejus esse quantitas possit, ac in *charus*, unde descendit.

Majoris longè autoritatis esse meretur Angelus Politianus. Quem tamen sequi non ausim, cùm in eopse de Verini epigrammate secundam in *Michael* corripit:

Verinus Michael florentibus occidit annis.

Ac longè minus cum eandem in *patrimus* aut *matrimus* corripit, de quo antè dictum. Vel cum idem facit in *verecundus*, carm. ad Innocentium P. M.

Sponte sublatos verecunda fasces.

Nam producit eam syllabam Martialis lib. VIII, epigr. I & LXX.

Cap. XLI.

Epilogus hujus libri. Doctrinam de variis metrorum generibus, non ad Grammaticam, sed Poëticam pertinere.

Ex iis, quæ hactenus diximus, satis liquet, quàm facilis in quantitate talium lapsus sit, quæ vulgò vitiosè etiam proferri audias ab eruditis, præsertim iis, qui neglectis literis animum mox gravioribus applicant studiis. Qualis magni ille nominis Jurisconsultus Bartolus: qui ajebat, de versibus non laborare Jurisconsultum: ut proditum à Ludovico Vive in primo de caussis corruptarum artium. Sed Bartolus hoc illo ævo barbaro dixerit. At in hac quoque literarum luce, non pauci, qui ex humanitatis studiis non aliter bibêre, quàm ut canis è Nilo, interea stulto fastu, quia graviora tractant, videri aliis volunt, nihil ignorare: unde, ut in reliquâ literaturâ, ita hac etiam parte sæpe admodum se ridiculos præbent. Eoque fortasse aliquis optet, ut priusquam ad cætera accedamus, pluscula quoque alia congeramus, in quorum pronunciatione itidem peccari soleat ab iis, quorum ingenium in Poëtarum lectione subactum non est. Verùm, quod in re aliâ dixit vates Venusinus *,

Cætera de genere hoc (adeò sunt multa) loquacem
Delassare valent Fabium.

* Lib. I. Sat. I.

Quare de passivis hujusmodi in quantitate erroribus, (ut ejusdem Poëtæ verbis utar)

——*Verbum non amplius addam.*

Atque eo lubentiùs istis supersedemus, quòd quæ autoritate Poëtarum tantummodo sciuntur (cujusmodi ferè sunt, quæ antè expendebamus) in Prosodia sua non indiligenter persecutus sit vir & genere & eruditione nobilis, ὁ μακαρίτης Henricus Smetius, Medicus: de cujus maximis laudibus plura dicerem, nisi id importunius hoc loco foret, & simul vererer, ne, quia ille, & gener ejus, summus vir Janus Gruterus, arctâ adeò & affinitate & amicitia, juncti mihi fuerint, dare id affectui ex conjunctione istac geminâ viderer.

Nec est, quod exspectet quis, ut priusquam à Prosodiâ tollamus manum, expendamus doctrinam de metrorum generibus. Quippe qui operosè eam Grammaticæ inferciunt, artis suæ fines transiliunt, limitesque disciplinarum conturbant. Nam de pedibus, metris, ac versibus, agere Poëticæ est, non Grammaticæ; cùm sine earum notitiâ purus acquiri possit sermo; neque Prosodiæ finis sit scriptio carminis, sed recta pronunciatio. Si cui tamen omnino quædam de metris, ac usitatioribus carminum generibus, Prosodiæ subjicere visum fuerit, non magnopere repugnabo; modò agnoscat, ea non esse de γνωσίᾳ artis Grammaticæ, sed è Poëticâ succenturiari Prosodiæ, partim ut adolescentuli Poëseos doceantur primordia, partim ut syllabarum quantitas Poëtarum autoritate comprobari possit. Neque enim hodie ulla superest alia ratio, cùm Romani Romanâ uti linguâ desierint; nec sint à quibus rectæ pronunciatio, ut olim, peti possit. Aliter, scio, hâc de re alii; sed nullâ suffulti ratione. Itaque placet Attilianum illud, *Suam cuique sponsam, mihi meam.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
ARISTARCHI,
SIVE
DE VOCUM ANALOGIA, ET ANOMALIA, LIBER PRIMUS;

seu commentariorum

DE ARTE GRAMMATICA, LIBER III.

Qui universè de VOCIBUS, particulatim autem de Nominum Divisione, Genere, Numero, & Casu, tractat.

Cap. I.

Analogiæ & Etymologiæ differentia. Objectum Analogiæ. Definitio vocis. Triplex vocum discrimen. Hebræis, & aliis Orientis populis, tres esse vocum classes: at similiter statuisse vetustiores Græcos. Arabes, & Hebræi, convenientiùs nomini *opponunt* actionem, *quàm Græci, & Latini,* verbum. *Quomodo sensim à tribus vocum classibus ad octonarium numerum sit deventum. An Articulum habeant Latini: & rectène is in declinando nominibus præmitti soleat. Item an aptè ex eo petatur cujusque generis definitio, quòd ei præponatur certi generis articulus.*

EXpositis, quæ ad literarum syllabarumque naturam, & affectiones pertinent, venio ad Grammatices ejus, quam Methodicen vocabamus, partem tertiam. Hæc de vocibus integris tractat, ac si ea, quæ ad particulas pertinent, exceperimus, penè tota est in considerandâ vocum analogiâ, & anomaliâ. Unde & à potiori parte Analogia nuncupatur. Vulgò tamen Etymologiam appellant; sed perperàm: cùm Etymologia vocum origines inquirat; Analogia vocabulorum discrimina exponat. Quemadmodum ex Varrone, & aliis, postea comprobabimus.

Materies, circa quam Analogia versatur, est vox, non quidem ut articulatam ac confusam comprehendit: sed ut κατ' ἐξοχὴν sumitur pro articulata, nec quavis, sed ea solùm, quæ ex instituto aliquid significat. Imò neque hujusmodi vox quævis ei subjicitur; sed sola simplex, sive, ut Dialectici appellant, incomplexa. Cui oratio opponitur, quam iidem, metaphorâ à corollis petitâ, non incommode nominant vocem complexam.

Grammatici pro voce incomplexa *dictionem* dicere maluerunt. Sed iis, qui castè locuti sunt, dictio vix aliud, quàm phrasin notat, aut dicendi actum, aut etiam oraculum.

Dictio Charisio definitur *ex syllabis finita, cum significatione finitâ, certa locutio.* Quæ definitio etiam apud Diomedem legitur. Atqui eo refellitur, quòd excludat voces unius syllabæ: ut, *rex, do, trans, &c.* Est & altera apud Diomedem, eaque hujusmodi: *Dictio est vox articulata cum aliqua significatione, ex qua instruitur oratio, & in quam resolvitur.* Quæ melior est superiori, aut illâ etiam Prisciani: *Dictio est pars minima orationis constructæ.* Nam quomodo minima pars est, quod in alias dividi potest? At dictio ferè in syllabas, syllabæ plurimùm in literas dividuntur. Vera igitur dictionis definitio ex Aristotele peti debet, qui in lib. περὶ ἑρμηνείας, vocem sive dictionem esse ait, quod per se aliquid significat, nec tamen partes habet separatim aliquid significantes. Priori conditione differt dictio à litera, & syllaba: quia quatenus aliquid litera aut syllaba est, nihil significat: ut *a*, vel *mo*, in *amo*. Alterâ conditione distinguitur ab oratione, cujus partes aliquid significant separatim.

Cæterùm etsi ἀναλογία circa dictionem versatur, non tamen vox adæquatum est Analogiæ objectum; sed tantùm considerat proprietates singularum vocum. Quarum triplex est discrimen. Nam quemadmodum res naturales, vel formâ differunt, ut diversæ species; vel materiâ, ut diversa individua; vel accidente, ut individuum à se ipso; E.G. Plato ambulans à sedente: itidem voces aliæ discrepant formâ, velut, quæ sunt diversarum classium; aliæ materiâ, ut diversæ voces unius classis; aliæ accidente, ut vox eadem casibus variata.

Classes autem dico, quas vulgò nominant partes orationis, Græcorum exemplo, qui itidem vocant μέρη τοῦ λόγου. Dionysius Halicarnassensis non tantùm μόρια τοῦ λόγου, sed & μόρια, & μέρη τῆς λέξεως appellat. Idem etiam nominat στοιχεῖα τῆς λέξεως, & simpliciter στοιχεῖα: nequis literas solùm hoc nomine putet signari. Et certè non minùs voces sunt elementa orationis, quàm literæ vocabulorum.

De numero partium orationis diu est, quòd tribus Grammaticæ controversantur. Antiquissima eorum est opinio, qui tres faciunt classes. Estque hæc Arabum quoque sententia: quibus hæ classes vocantur, اسم *ism*, quod est nomen, فعل *fiʿl*, quod est verbum (τῆς λέξιν verò actionem notat, ut aptior sit Arabica hujus classis appellatio, quam Græca ῥήματος, ac Latina *verbi*) & حرف *herph*, quod est particula, ac τῆς λέξιν dictio. Hebræi quoque (qui cùm Arabes Grammaticam scribere desinerent, artem eam demum scribere cœperunt; quod ante annos contigit circiter quadringentos) Hebræi, inquam, hac in re secuti sunt magistros suos Arabes. Nam similiter tres statuunt classes, quas vocant שֵׁם, sive nomen, פֹּעַל, sive actionem, & מִלָּה, sive dictionem. Ubi itidem videmus, ut Hebræi quoque classem secundam *Actionem* potiùs, quàm *Verbum* appellent. Et inde est, quòd antiquum quoque paradigma fuit פָּעַל, hoc est *ago*. à quo prima cujusque verbi radicalis hodieque appellatur *Pe*, secunda *Ajin*, tertia *Lamed*. Imò verò trium classium numerum aliæ etiam Orientis linguæ retinent. Dubium, utrùm eâ in re Orientales imitati sint antiquos Græcorum: an hi potius secuti sint Orientalium exemplum. Utut est, etiam veteres Græcos tres tantùm partes agnovisse, non solùm autor est Dionysius, cujus verba paullò pòst adducam: sed etiam Quinctilianus testatur lib. 1, cap. IV. ubi hanc Aristotelis ipsius, ac Theodectis sententiam fuisse, docet. Idemque de veteribus Græcis testatur Rabbinus iste, qui contra Chosroëm, Persarum regem, disputans, hoc inter alia argumento probare conatur, linguas omnes ab Hebræa originem capere. Atque ex Arabibus Grammaticis eandem sequitur Giarumiæ auctor Muhamed Sanhagius. Et talis quidem veterum Græcorum opinio fuit. Postea autem antiquissimi Stoicorum quatuor classes fecerunt. Nam cùm alii tantùm agnoscerent ὀνόματα*, ῥήματα, καὶ συνδέσμους: hi adjecere ἄρθρα, sive articulos; quos à συνδέσμοις contra priorum morem distinguebant. Recentiores verò τὰ προσηγορικὰ sive nomina communia, quæ Latinis similiter *appellativa* dicuntur, separabant ἀπὸ τῶν ὀνοματικῶν, hoc est, à nominibus propriis. Quâ ratione quinque classes fiebant. Quidam etiam cum ἀντωνυμίας, hoc est pronomina, à nominibus distinguenda dicerent, ad senarium numerum pervenerunt. Denique fuere, qui Adverbia à Verbis, & Præpositiones à Conjunctionibus separarent, ac Participia ab Nominibus. Imò nec defuere, qui alias asserendo divisiones ampliorem facerent numerum partium orationis. Quorum omnium autor nobis Dionysius Halicarnassensis lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. ubi sic scribit: Ταῦτα δὲ (τοῦ λόγου μόρια ἢ στοιχεῖα) Θεοδέκτης, καὶ Ἀριστοτέλης, καὶ οἱ κατ' ἐκείνους φιλοσοφήσαντες τοὺς χρόνους, ἄχρι τριῶν προήγαγον, ὀνόματα, καὶ ῥήματα, καὶ συνδέσμους, πρῶτα μέρη τῆς λέξεως ποιοῦντες. οἱ δὲ μετ' αὐτοὺς γενόμενοι, καὶ μάλιστα οἱ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἡγεμόνες, ἕως τεττάρων προὐβίβασαν, χωρίσαντες ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα. εἶθ' οἱ μεταγενέστεροι τὰ προσηγορικὰ διελόντες ἀπὸ τῶν ὀνοματικῶν, πέντε ἀπεφήναντο τὰ πρῶτα μέρη. ἕτεροι δὲ καὶ τὰς ἀντωνυμίας ἀποζεύξαντες ἀπὸ τῶν ὀνομάτων, ἕκτον στοιχεῖον τοῦτο ἐποίησαν. οἱ δὲ καὶ τὰ ἐπιρρήματα διεῖλον ἀπὸ τῶν ῥημάτων, καὶ τὰς προθέσεις ἀπὸ τῶν συνδέσμων, καὶ τὰς μετοχὰς ἀπὸ τῶν προσηγορικῶν. οἱ δὲ καὶ ἄλλας τινὰς εἰσάγοντες τομάς, πολλὰ τὰ πρῶτα μόρια τῆς λέξεως ἐποίησαν. *Hæc vero* (orationis membra sive elementa) *Theodectes, & Aristoteles, & qui eorum temporibus philosophabantur, ad ternarium reduxere; nomina, verba, & conjunctiones; quæ primas orationis partes statuêre. Qui verò postea secuti, ac præcipuè Stoicæ sectæ principes, articulos à conjunctionibus separando, ad quaternarium usque processerunt. Recentiores autem, sejungendo appellativa à nominibus ipsis, quinque primas esse partes ostendebant. Aliqui vero, & pronomina disjungendo à nominibus, sextum fecere elementum. Alii item & adverbia divisere à verbis, & præpositiones à conjunctionibus, & participia à nominibus appellativis. Aliqui, & alias inducendo sectiones, multas fecere vocum partes.* Addam & insignem locum Quinctiliani lib. 1, cap. IV. *Veteres, quorum fuerunt Aristoteles quoque, atque Theodectes, verba modò, & nomina, & convinctiones tradiderunt: videlicet, quòd in verbis vim sermonis, in nominibus materiam (quia alterum est, quod loquimur; alterum, de quo loquimur) in convinctionibus autem complexum eorum esse judicaverunt: quas conjunctiones à plerisque dici scio; sed hæc videtur ex συνδέσμῳ magis propria translatio. Paullatim à philosophis, ac maxime Stoicis, auctus est numerus: ac primum convinctionibus articuli adjecti; pòst præpositiones: nominibus appellatio; deinde pronomen; deinde mistum verbo participium: ipsis verbis adverbia. Noster sermo articulos non desiderat, ideoque in alias partes orationis sparguntur. Sed accedit superioribus interjectio. Alii tamen ex idoneis duntaxat autoribus octo partes secuti sunt: ut Aristarchus, & ætate nostra Palæmo, qui vocabulum, sive appellationem, nomini subjecerunt, tanquam species ejus. At ii, qui aliud nomen, aliud vocabulum faciunt, novem. Nihilominus fuerunt, qui ipsum adhuc vocabulum ab appellatione diducerent, ut esset vocabulum, corpus visu tactuque manifestum; domus, lectus: appellatio, cui vel alterum deest, vel utrumque; ventus, cælum, deus, virtus. Adjiciebant & asseverationem, ut heu: & attractionem, ut fasceatim: quæ mihi non approbantur.* Etiam de hisce diversis adeò, ac discrepantibus opinionibus veterum, est illustris locus apud Priscianum in secundo; ubi sic scribit: *Partes orationis sunt secundum Dialecticos duæ, nomen & verbum: quia hæ solæ etiam per se conjunctæ plenam faciunt orationem: alias autem partes syncategoremata, hoc est, consignificantia appellabant. Secundum Stoicos verò quinque sunt ejus partes; nomen, appellatio, verbum, pronomen sive articulus, conjunctio. Nam participium connumerantes verbis, participiale verbum vocabant, vel casuale: nec non etiam adverbia nominibus, vel verbis connumerabant, & quasi adjectiva verborum ea nominabant: articulis autem pronomina connumerantes finitos & articulos appellabant: ipsos autem articulos, quibus nos caremus, infinitos articulos dicebant: vel, ut alii dicunt, articulos connumerabant pronominibus, & articularia eos pronomina vocabant; in quo illos adhuc sequimur Latini: quamvis integros in nostra non invenimus lingua. Præpositionem quoque Stoici conjunctioni copulantes præpositivam conjunctionem vocabant. Quidam autem novem dicebant esse partes orationis, appellationem addentes separatam à nominibus. Alii decem etiam, infinita verba seorsum partem ponentes. Alii undecim, quia pronomina, quæ non possunt adjungi articulis, per se numerabant. His alii addebant etiam vocabulum, & interjectionem apud Græcos, quam nos adhuc servamus. Apud Latinos verò articulum addebant, quem purum per se apud eos non inveniri docuimus.* Hactenus Priscianus. Postea verò idem ostendit *non posse discerni à se partes orationis, nisi uniuscujusque proprietatis significationem attendamus.* Concludit exinde nec plures, nec pauciores esse orationis partes, quàm octo. Vide & initium libri XI.

* *Nomina, verba, & conjunctiones.*

Sed ut omnis hæc disputatio meliùs intelligatur, non abs re erit, si quæ à Dionysio, & Prisciano, scribuntur, accuratiùs expendamus. Duæ sunt principes partes, Nomen, & Verbum: de quibus solis iccirco Aristoteles agit libro περὶ ἑρμηνείας. Nempe quia ex his solis perfecta conficitur oratio: ut, *Socrates philosophatur.* Hinc Varro in septimo de L. L. *Aristoteles duas partes orationis esse dicit; vocabula, & verba; ut homo, & equus; & legit, & currit.* Alibi † tamen idem Aristoteles conjunctionem, & articulum addit. Cæterùm sub nomine, sive, ut Varro loquitur, vocabulo, comprehenditur pronomen; ut quod pro nomine ponatur. Participium autem interdum sub nomine, interdum etiam sub verbo censetur. Sub nomine quidem, si subjectum sit: sub verbo, prædicati obeat munus. Prioris exemplum est in isto Ovidii, *Militat omnis amans.* Πᾶς ὁ ἐρῶν πολεμεῖ. Posterius locum habet in illo

† *Lib. de re Poëtica.*

illo Ciceronis de Oratore: *Est, ut scis, quasi in extrema pagina Phædri, his ipsis verbis loquens Socrates.* Ubi, *Socrates est loquens*, tantundem valet, ac, *Socrates loquitur.* Nam, ut Aristoteles ait in IV Metaphys. cap. VII: Οὐδὲν διαφέρει τὸ, ἄνθρωπος ὑγιαίνων ἐστὶν, ἢ τὸ, ἄνθρωπος ὑγιαίνει· ἢ τὸ ἄνθρωπος βαδίζων ἐστὶν, ἢ τέμνων, τοῦ ἄνθρωπον βαδίζειν ἢ τέμνειν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. *Nihil est discriminis inter hæc, homo est valens, &, homo valet: & homo est secans, aut vadens, & homo secat, aut vadit. ac similiter in aliis.* Reliquæ quatuor orationis partes non sunt necessariæ ad constituendam enuntiationem. Imò & has, atque etiam pronomina & participia, nonnullis creditur, ut Appuleji* verbis utar, *non magis partes orationis esse, quam navium, aplustria, & hominum, pili: aut certe in universa compage orationis vice clavorum, & picis, & glutinis deputanda.* Nec multum abit Priscianus in XI. Sed cùm Appulejus geminâ utatur similitudine, priorem illam de aplustribus navium, & pilis hominum approbat: non item posteriorem de clavis, pice, aut glutine. *Stupa*, inquit, *& clavi, & similia vincula, non ex eadem constant materia, ex qua tabula, & naves: conjunctiones autem, & præpositiones, & similia, ex eadem sunt materia, ex qua nomen & verbum constant; hoc est, literis, & syllabis, & accentibus, & intellectu. Itaque etiam per se prolata, quòd partes sunt orationis, ostendunt.* Paullò pòst, *Si*, inquit, *non essent partes, loco earum nunquam nomina ponerentur: cùm loco ceræ & stupæ in navi tabula fungi non possit: invenimus autem loco adverbii nomen; ut unà, multùm, falsò, quà: & pronomen similiter, eò, illò: & loco conjunctionis, tam nomen, quàm pronomen, quare, ideo: & adverbium loco nominis; ut, Mane novum; & Sponte sua; &, Euge tuum; &, Belle tuum; &, Cras alterum.* Denique sic argumentatur: *Si, quæ compaginem videntur præstare nomini & verbo, non sunt partes orationis dicendæ: ergo nec partes corporis debemus accipere nervos, quia ligant verba & articulos: quod penitus videtur absurdum.* Ex quibus sic concludit: *Multò igitur meliùs, qui principales & egregias partes dicunt nomen & verbum: alias autem his appendices.* Quædam in his firma sunt, quædam infirma. Solidius enim de stupa, & pice, quam de clavis. Quippe & clavi fieri possunt ex eadem materia, nempe è ligno. Levius autem de nervis: quia his corpori exemtis consistere illud nequeat: at ex solo nomine & verbo, absque ullis particulis, perfecta fuerit oratio. Qua de re & Apollonius Alexandrinus περὶ συντάξεως lib. I, cap. III. Verùm quæritur, si cum Aristotele, Theodecte, aliis, tres solùm partes agnoscamus, nomen, verbum, & conjunctionem: quò adverbium, præpositionem, & interjectionem, conveniat referri? De adverbiis putamus imprimis ad verba pertinere: quod & nomen ipsum Adverbii testatur. Atque id, ex optandi etiam Adverbiis, Apollonio, & Prisciano, optimè observatum. Nam quid aliud est, *Utinam venias*, quam, *opto ut venias?* Quandoque tamen ad nomina rectiùs referuntur: ut Alexander Aphrodisiensis monet in lib. περὶ ἑρμηνείας: cujus etiam sententiam sequitur Boëthius. Quippe si dicam, *Hoc justè agis*, tantumdem est ac illud, *hæc actio justa est.* Item, *Feliciter pugnavit*, idem valet, ac si dicas, *pugna ejus felix fuit.* Quare frustra est Ammonius, cùm more suo, nimiâ Alexandri insectandi lubidine, hanc etiam Alexandri sententiam tantopere impugnat. Quandoque autem adverbium ad alias etiam classes reducitur. Ut, *Unà illic fuimus*, resolvitur per duo pronomina, & conjunctionem; hoc pacto: *Ego, & alter*, de quo sermo, *illic fuimus.* De præpositionibus difficilius dictu est. Sub conjunctionibus comprehendêre veteres: ut ex Dionysio, & Prisciano, liquet. Interdum tamen idem valent ac adverbium: tum in compositione, ut *prædives*, hoc est, *valde dives*: tum extra eam, ut, *Remus cum fratre*, hoc est, *Remus, & frater.* Interjectiones à Græcis ad adverbia referuntur. Atque eos sequitur etiam Boëthius. Et rectè quidem de iis, quando casum regunt. Sed quando orationi solum inseruntur, ut nota affectus, velut suspitii aut metus, vix videntur ad classem aliquam pertinere: ut quæ naturales sint notæ; non aliarum vocum instar ex instituto significent. Superest de articulis, quibus Latini carent. Dionysius ait, eos, qui quatuor fecere orationis partes, separâsse eos à συνδέσμοις sive conjunctionibus. Fabius† itidem autor est, sub conjunctionibus comprehendisse. Sed cui non verisimile fiat, potiùs contineri solere sub nominibus, pronominum instar?

* Lib. περὶ ἑρμην. & syllog. categ.

† Lib. I. cap. 4.

Etsi autem juniores Latini Græcique Technici in classium enumeratione eo differant, quòd Græci interjectiones comprehendant sub adverbiis, & articulum habeant, quem, Fabio teste, Latinus sermo non desiderat; imò, me judice, planè ignorat: plerique tamen omnes Grammatici Latini, sive per imprudentiam, sive per inscitiam, jubent in vocum inflexione præmittere *hic, hæc, hoc*, haut aliter ac Græci suum ὁ, ἡ, τὸ: indeque est, quòd Priscianus lib. XII, *hic* vocat *pronomen articulare.* Verùm quantopere à veritatis cursu deflectant, indicio est, quod *hic* Latinis non articulus est, sed pronomen demonstrativum. Neque enim *hæc musa*, aut *hos poëtas* idem est quod ἡ μοῦσα, aut τοὺς ποιητάς: sed quod αὕτη ἡ μοῦσα, & τούτους τοὺς ποιητάς. Parque in cæteris ratio. At quorsum id doceatur pueritíes (ita cum Ausonio* loqui liceat,) cujus nullus est in linguâ Latinâ usus? Adde quod mirificè addito isto provocabulo turbantur teneræ puerorum mentes, ut vel hoc nomine probus instituendæ mustæ ætatis artifex, suis in diatribis provocabulum isthoc haut præmittere debeat vocibus, quas declinat. Neque ignoro vulgarem consuetudinem suffultam videri autoritate maximi Varronis: qui, in suis de analogia libris, pronomen *hoc*, quod & articulum interdum appellat, nominibus crebrò præmittit: quemadmodum & Nigidius Figulus, Romanorum post Varronem doctissimus, fecit in commentariis Grammaticis: ut vel is locus liquidissimè indicat, quem ex eo adducit Agellius lib. XIII, cap. XXIV. Verùm, ut id aliquid, atque adeò multum esse fateor, ita haut istiusmodi est, ut iccirco mihi sutam præbendam esse arbitrer. Nam longè alia nostri ratio est, quam veterum; quia cùm lingua Latina illis fuerit vernacula, iis scripsere, qui Latine jam scirent: ut provocabulum additum nihil morari potuerit discentes: imò cùm nomina casuum, utpote vocabula technica, vulgò essent ignota, & ad rudium captum accommodatiùs loquebantur, & insimul studebant compendio sermonis; cùm facilius *hæc musa* dicatur, quàm *nominativo singulari fœminino genere musa.* At nunc in addiscendâ linguâ alienâ adjectio provocabuli difficilem reddit inflectendi rationem. Quod autem ajunt, ex provocabulo cognosci à pueris genus, non item si prætereatur: id planè est insubidum, cùm non quia *hic* præmittitur, virilis aliquid sit generis; sed quia virilis generis est, *hic* ei præponatur. Adde quòd aliquid masculinum esse potest, cui tamen *hic* nequeat præponi. Nec enim *hic nullus, hæc nulla, hoc nullum* dicimus. Quare si octo tantùm vocum classes agnoscimus, ac facilem amamus docendi discendique viam; articulos istos deinceps valere jubebimus. Et hæc de numero classium: videamus deinceps singularum definitiones; in quibus immanè quantum ineptiunt Grammatici nostri: ut jure dixerit Julius Scaliger, Grammatico definitore nihil esse infelicius: quod summi viri judicium sugillent, quibus visum. Nos scimus aliter multò olere catulos, aliter sues.

* Carm. XI in profess. Burdigal.

CAP. II.

Refutantur vulgares definitiones partium orationis: & quantopere non juniores solùm, sed etiam veterum non pauci, confuderint vocabulorum classes, apertissimis indiciis comprobatur. Imprimis de pronomine & adverbio id ostensum: illius classis numerus adauctus, hujus imminutus. Mederga. Nulli consilii. Unæ rei. Totus *priori correpta. Lucretius emendatur è vett. membranis. Adverbium Stoicis* πανδέκτης

voca-

vocabatur. Duza opinio rejecta. Amare pro orare.

NOmen Charisio, ac Diomedi, definitur, *pars orationis cum casu, sine tempore, significans rem corporalem, vel incorporalem, propriè, communiterve.* Sed hæc definitio, si definitio ac non divisio potiùs dicenda est, excludit nomina adjectiva. Neque rectiùs à Prisciano definitur, *pars orationis, quæ unicuique subiectorum corporum, seu rerum, communem, vel propriam qualitatem, distribuit.* Aut ab Donato, & Servio Honorato, *pars orationis cum casu, corpus, aut rem, propriè communiterve significans.* Nam, ut de eo nihil dicam, quod significari videtur, corpus non esse rem; in eo etiam peccat, quòd quid per rem significetur, satis est obscurum. Præterea pronomen quoque rem significat, ut infrà ostendam. Denique si rem nominat adjectivum, cùm dico, *homo fugitans litium*, quid caussæ dicent, cur non nominet participium, cum itidem dico, *homo fugitans lites?* ubi *fugitans*, quia casum regat verbi sui, non nomen, sed participium esse, contendunt. Quàm rectè, nunc non disputamus: sed tamen se ipsos si audiunt, neutiquam hac definitione à participiis separant nomina adjectiva. Atque ex his quoque liquet, quid statui debeat de illa Asperi Junioris, Nomen est *pars orationis, qua res quæque appellatur.* Aut illa vulgari, Nomen est *pars variabilis, quæ rem nominat.* Ubi illud quoque non satis accuratè, quòd vocant partem variabilem. Nam *sinapi, pondo*, aliaque ἄκλιτα non variantur; imò nec μονόπτωτα, ut *inficias.* Nomina tamen sunt. Et certè declinatio est nominis accidens; ut mirum non sit, si minùs omnibus competat nominibus.

Neque minùs à limitibus veritatis aberravit Priscianus, cùm pronomen definit, *partem orationis, quæ pro nomine proprio uniuscujusque accipitur, personasque finitas recipit.* Neque enim omnia nomen habent proprium: ac proinde non tantùm pronomen vice proprii, sed pro quovis ponitur nomine: ut *hæc*, pro ac quercu; *illud*, pro hoc subsellio. Nec est, quod dicat quis, per proprium hic intelligi, quod Logici individuum appellant. Nam ad ipsam speciem referuntur pronomina, cum dico: *animalis species sunt homo & bestia: ille rationis est particeps, hæc expers.* Nec propriè recipit pronomen personam, sed significat. Quamquam apud Priscianum pro *recipit*, (quomodo & in veteribus membranis nostris exaratum est) lubens legerim, *respicit.* Sed neque pronomen semper personam significat. Neque enim personam noto, cùm *ille* dico, librum monstrans, aut *quis*, de floribus quærens. Quare neque stat sententia, subscribere definitioni viri de re Grammatica alioqui optimè meriti; cui *Pronomen est vox declinabilis per casum significans personam primò sine tempore.*

Virgulâ quoque censoriâ in viam reduci debent, cùm *verbum* esse ajunt dictionem variabilem, quæ significet actionem aut passionem. Nam non est de essentia verbi, ut varietur: multò minùs placet, quod exquisiti quidam Grammatici addunt, *variabilis per modos.* Nam *infit*, & *cedo*, non variantur per modos. Imò omnino non variantur. Nam *cette*, pro *cedite*, jam obsoletum est. Deinde *calefactio*, ipsaque *actionis* & *passionis* vocabula, quæ voces sunt variabiles, notant quod hæc requirit definitio. Verba tamen non sunt, quia aliud est actionem aut passionem significare, quod & nomini convenit, aliud agere, aut pati; quod verborum est. Quid quod verba substantiva ne quidem *agere* aut *pati*, verùm *esse* significant?

Participium definitur dictio variabilis, quæ à verbo derivata partem capit tam à nomine, quàm à verbo. Quæ potiùs est ἐτυμολογικὴ nominis explicatio, quàm definitio. Saltem dixissent, quid ab utroque capiat.

At adverbii planè futilis à tironibus istis definitio adfertur. Ajunt enim, esse partem orationis invariabilem, quæ adjiciatur verbo ad explicandam ejus circumstantiam. Atqui non semper adjicitur verbo, verùm etiam nominibus: ut, *mulier admodum anus*, aut, *vir bene doctus.* Deinde adverbia multa qualitatem, non circumstantiam rei, qualis propriè locus, & tempus, significant: ut, *rectè, imprudenter.*

Nec scio, quid mentem eorum vacefecerit, cùm præpositionem definiunt, partem orationis invariabilem, quæ præponatur aliis dictionibus. Siquidem conjunctiones, quas præpositivi ordinis faciunt, dictionibus præponuntur, quæ tamen præpositiones non sunt: & contrà, juxta ipsos quoque, *tenus* præpositio est, quam semper agnoscunt postponi. Versus, etsi huc ab aliquibus refertur, mitto, propter ea, quæ dicemus in IV de Analogia cap. XXII. Mitto Plautinum *med erga:* quo utitur Captivis, & Asinariâ, pro *erga me*; D ob vocalem sequentem additâ: quomodo Casinâ ait idem, *Unde hic amabo unguenta olent:* & Bacch. *sed obsecro.* Mitto & alia similem passa ἀναστροφὴν, ut *mecum, nobiscum*, &c. quorum exemplo fortè defendi possint, quibus *mederga* vox unica est. Abunde, quæ attulimus indicant, præponi, neque primo, neque secundo, multo minùs tertio, aut quarto modo ex iis, quos Porphyrius adducit, præpositioni esse proprium.

Conjunctio, juxtim veteres, est dictio invariabilis, quæ conjungit verba & sententias, actu vel potestate. Verùm etsi hanc definitionem amplectitur quoque Frischlinus: non video tamen, quid attineat addere, *actu aut potestate.* At, inquit, hæc definitio alioqui solis convenit copulativis; non item adversativis, caussalibus, & rationativis, ac neutiquam disjunctivis, cùm conjungere & disjungere contraria sint. Verùm hæc quidem tanti non erant, ut virum doctissimum à rectâ viâ in erroris abducerent semitam. Sanè aliud est res conjungere, aliud verba. Conjunctiones disjunctivæ res disjungunt: at conjunctiones tum disjunctivæ, tum aliæ omnes, sententiam sententiæ conjungunt.

Interjectio Diomedi est pars orationis affectum mentis significans voce inconditâ. At papæ, *euge, ehodum*, multaque alia, non sunt voces inconditæ, hoc est, rudes, & illiteratæ. *apage* non est interjectio, ut alibi dicimus. Aliis quoque auris vellenda, cùm definiunt eam dictionem invariabilem, quæ interjiciatur orationi ad declarandum animi affectum. Interjectio enim non semper interjicitur, quia ab eâ quoque rectè auspicamur. Interjectiones enim dictæ sunt, quia sæpè interferantur orationi, non quòd id perpetuum sit. Neque solæ interjectiones significant animi adfectum, sed & adverbia: ut *iracundè, irridenter, timide*, similiaque.

Quemadmodum autem in definiendis octo vocum classibus non nisi tenebras offundunt, qui faculam juventuti allucere debebant: ita & alucinati sunt, quòd in exemplis classes omnes fœdè conturbarunt. Nam pro vocabula, *unus, ullus, nullus, solus, totus, uter, alter, neuter, aliquis, alius, reliquus, cæterus*, multaque alia, retulerunt inter nomina; atque huc eos duxit, at seduxit Priscianus; qui in eapse sententiâ est. Certè pronomina esse, arguit, quòd secundariò solùm significent rem, cùm ponantur pro nomine. Deinde si *quis* est pronomen, quòd de pluribus rogat; erit & *uter*, quod de duobus interrogat. Itidem si pronomina sint, *hic, ille, ipse*, quibus respondemus, cùm quæstio per *quis* instituitur: pronomen quoque erit *alius*, item *nullus:* si *nullus*, certè & *ullus.* Eademque ratione, si pronomen sit *nullus*, certè & *neuter*, cùm differant hæc, ut *quis*, & *uter*; à quo factum *neuter.* Idem de cæteris statuendum. Itaque nil mirum, si *unus, ullus, alius, uter, neuter*, nonnullaque alia, inflectantur per *ius*; ut *ille, iste, ipse:* nam non minùs, quàm isthæc, pronomina sunt. Agnosco tamen, ea olim non per *ius* tantùm, sed quoque genitivum in I formâsse; ut & dativum in O, non in I. Vide apud Priscianum * loca cùm Cæcilii, M. Catonis, C. Licinii, Afranii, Plauti; tum Terentii quoque, cujus istoc †, *Tam iners, tam nulli consilii*; atque adeò Ciceronis etiam, cujus isthoc pro M. Tullio Decula *: *Hoc judicium sic exspectatur, ut non una rei statui, sed omnibus constitui putetur.*

* *Lib.* 6. & 13.
† *Andr. Act.* 3. *sc.* 5. *vers.* 2.
* *Apud Prisc. lib.* 6.

Est

Est & alia nota, quâ esse ea provocabula cognoscamus. Nam quemadmodum pronomina pleraque, ita hæc quoque, respuunt pronomen demonstrativum, sive, ut Varro vocat, articulum. Priscianus, licet ipse nomina esse statuat, tamen tum initio lib. VI, tum lib. XIII, ab aliis agnoscit inter pronomina recenseri. Nec movet me, quòd, qui sic senserint, indoctos vocat Priscianus. Nam facilè se ab indocti appellatione vindicat togatorum doctissimus Varro, qui idem sensit: uti & nomine & re Probus Grammaticus. Imò Rhemnius Palæmon quoque, ac Donatus etiam, *qui*, *quicunque* & *aliquis*, faciunt pronomina infinita. Quin & (ut Honorato tibicine sententiam nostram fulciamus) Servio etiam, interpretatione in edit. II Donati, pronomina generaliter infinita sunt, *quis*, *qualis*, *talis*, *quantus*, *tantus*, *quotus*, *totus*. Etiam Diomedi pronomina sunt, *alius*, *alter*, *neuter*, *uter*, *uterque*, *alteruter*, *unus*, *unusquisque*, *ullus*, *nullus*, *nemo*, *talis*, *qualis*, *totus*. Ubi (ut & apud Servium) *totus* intellige non pro integro (quâ significatione planè est nomen) sed priori correpta, ut idem sit, quod ποσός: quomodo (ut Despauterius primus annotavit) Manilius usurpat lib. III. *Detrahitur summa tota pars, quota demit utrumque.* Similiterque loqui Tertullianum, observat ibi Josephus Scaliger. Imò & Lucretium eodem modo locutum animadverti. Nam lib. VI *. ubi à Lambino, Giffanioque, editum est: *Et quota pars sit homo terrai totius unus:* elegantissima, verissimaque est lectio, quam disertim habent veteres membranæ nostræ:

Nec tota pars homo terrai, quota totius unus.

* Vers. 652.

Quin Lambinus quoque fatetur, in quibusdam se manuscriptis, *Nec quota*; in aliis, *Et quota*; in aliis, *Hac tota*, invenisse. Quòd verò Petrus Candidus in Florentinâ, Marullus in Venetâ mutarunt; id non aliunde est, quàm quòd, ob modulum prioris in *totus*, pravo malè talo versum stare crediderunt. Quid mirum? quando antiquiores etiam in eo decepti: eosque inter Cledonius, Romanus Senator, Grammaticus Constantinopolitanus: qui cap. de Pronomine, rectè quidem inter provocabula ponit, *quot*, *tot*, *quotus*, *totus*; verùm ineptè subjicit, *quotus* penultimam acuere, *totus* circumflectere; quia scripserit Maro †, *Totus & ille dies.* Isthæc verò Sergii invalida est ratio: *Neuter*, inquit, *alius*, *& reliqua*, *constat esse nomina*, *quoniam Probus viginti*, *& unum*, *dicit esse pronomina*; *in quibus ista non computantur.* Nempe hoc est, quòd sapientes tot sunt conquesti, *sequi pene omnes pecorum ritu antecedentium gregem*, *pergentes*, *non quà eundum est*, *sed quà itur* †. Possim & ostendere, in aliis classibus itidem peccatum: ut cùm Conjunctioni inserunt verba, E. G. *licet*, *licebit*: interjectioni addunt nomina; quomodo Valerius Probus lib. I Grammat. Instit. * *nefas* interjectionem esse statuit in versu isthoc †:

† I Georg.

† Seneca lib. de vitâ beatâ cap. I.

* Cap. de Interjectione.

† Æneid. 8.

—— Et ultima secum

Bactra vehit, *sequiturque*, *nefas*, *Ægyptia conjux.*

Eodemque modo apud Plautum, & Ciceronem, *malum*, judice Diomede, fit interjectio. Potius dixero poni ἐλλειπτικῶς, pro *malum ei*, vel *eis sit*. Similiter apud Virgilium, *infandum*, & *miserum*, interdum fieri interjectiones, ait idem Diomedes. Uti & pronomen *ellum*, & verbum *amabo*. Charisio verò etiam Catonis illud interjectio est, *Vita Deûm immortalium!*

Sed, ut cæteras omittam, inscitiam eorum luculentè vel solum deteget adverbium: quod Stoici πανδέκτην appellarunt, quia, ut ait Charisius lib. II, omnia in se capit, quasi collata per satyram, concessâ sibi rerum varietate. Certè multò magis hodie iidem dixissent πανδέκτην, quia nihil non rupices quidam inserserunt, multa, fateor, malo veterum exemplo; sed nec pauca pravo errore, ut jure istud Sallustianum * iis occentare possis; *Sit fides penes autorem.* Nam, ut de uno hoc aliquammultis ostendam exemplis, ad adverbia referunt nomina: ut sunt *forte*, (quod & Probus † vocat adverbium) *fortuna*, *domi*, *nihil*, *casu*, &c. Verùm, inquiunt, si *domi* nomen foret, dici posset, *regia vel pastoralis domi*: nunc *domus* tantùm dicitur. At invalidum hoc telum. Neque enim, ut nomen sit, necesse est, quibusvis addatur nominibus; sed satis est, ut addatur certis: ut sunt *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra*, *aliena*. Cic. lib. IV, epist. VII, quæ ad Marcel. *Nonne mavis sine periculo domi tuæ esse*, *quam cum periculo alienæ?* Adde quòd, ut Cic. II ad Att. ep. VII dicit, *in domo Cæsaris*, ita *domi Cæsaris*, dicat lib. I ad Att. ep. IX. Tum item, quòd *domi bellique*, & *domi militiaque*, sæpe legimus: uti & ἁπλῶς *belli*, ut cùm Varro ait apud Nonium: *Fera militiæ munera belli ut præstarem.* Æquè puerile, cùm Diomedes lib. I cap. de adverb. *vili*, & *carò*, vocat æstimationis adverbia. Nam id si est, adverbia quoque erunt, *magno*, *parvo*, *minimo*, *paullulo*, ac similes ablativi, quos verba æstimandi adsciscunt. Nec hilo rectiùs doctissimus Donatus, *Roma*, *Romam*, *Româ*, facit adverbia. *Sunt*, inquit, *adverbia loci*, *quæ imprudentes putant nomina. In loco*, *ut sum Romæ: de loco*, *ut Româ venio: ad locum*, *ut*, *Romam pergo.* Subscribit Donato hâc in parte Servius. Nam ad illud Maronis †:

* In Jugurthâ.

† Lib. I, cap. de adverbiis.

—— Tyriâ Carthagine qui nunc

Exspectat:

† 4 Æn.

adverbium de loco pro adverbio in loco poni ait. At quomodo *Carthagine* sit adverbium, cùm additum habeat adjectivum *Tyriâ*? Eodem modo dixit Cicero lib. XVI ad Att. *Malo cum timore domi esse*, *quàm sine timore Athenis tuis.* Et Lentulus Ciceroni: *Laodiceam*, *quæ est in Syriâ*, *se contulit.* Suntque alia id genus innumera. Nec defensam reperio errori Oberti Giffanii *, qui *ingratiis* adverbium esse tradit. Nam dixit Plautus Casin. Act. 2. Sc. Unâ edepol operâ:

* Ind. Lucret. in omnimodis.

Vobis invitis, *atque amborum ingratiis*,

Unâ libellâ liber possum fieri.

Et Mercat. Act. II, Sc. IV. *tuis ingratiis.*

Pronomina quoque ad adverbia referunt: ut, *mecum*, *nobiscum*, similiaque provocabula cum præpositione κατ' ἀναστροφὴν subjectâ: quod cur fiat, docet Cicero in Oratore, & ex eo Priscianus lib. XII; ubi non modò, sequutus Diomedem, *mecum*, *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum*, disertim scribit esse provocabula; sed & è Tullio docet, subjici præpositionem, quò evitetur cacophaton; ejusque sententiæ quoque fuisse, ait Plinium lib. II sermonis dubii. Et sanè, si *mecum*, *tecum*, similiaque, sunt adverbia; cur *eccum*, *eccam*, *eccos*, *ellum*, *eccillum*, *eccistam* (quibus omnibus Plautus utitur) non itidem inter adverbia reponunt? At hæc manifestè sunt accusativi casus. Itaque & in nominativo legimus, *ecca*, & *eccista*: ut inferiùs dicemus.

Insuper huc referunt verba: ut *amabo* apud Plautum, *Amabo*, *cui senex*, *eloquere.* Idem: *Ite domum*, *amabo.* Jure ex adverbiorum numero expungit Cælius Calcagninus lib. II, epist. VIII. Quippe ne verbum esse ambigas, interdum casum incusativum additum habet: ut apud Ciceronem non semel epistolis ad Atticum, Quinctum fratrem, atque alios. Item Plautum Menæchmis *, *amabo te.* Quibus verbis amor summus promittitur, si impetretur, quod petitur. Neque enim placet Douzæ sententia, qui *amabo* explicat, *orabo:* quamquam interdum *amare* pro *amanter orare* accipi sciam; ut in eâdem comœdiâ †:

* Act. 2, sc. 3.

Menæchme, *amare ais te multùm Erotium.*

† Act. 3, sc. 3.

Et, si rectè sic legitur Persâ *:

—— Dic me illam amare multùm,

Ubi se alluat, *ibi me alluat.*

* Act. 2, sc. Paratum jam esse.

Sed & Græci τὸ στέργειν ita usurpant; quâ de re idem Douza in explicationibus Plautinis lib. III, cap. VI. Eugraphius, vetus commentator, ad illud Terentii Eunuch. act. V, sc. I:

Vide, *amabo*, *si non cùm adspicias*, *os impudens*

Videtur:

adnotat, *amabo* inter poëtas semper nullâ esse significatione. Sed si blandientis est, otiosum esse nequit, cùm multum blanditiæ & preces valeant.

Idem error in *quæso:* quod Donatus adverbium esse ait, atque usurpari ad leniendum imperativi imperium. Sed obstat, quòd dicamus, *quæso te*, & sæpius *quæso à te.*

Cic. pro Roscio Amerino: *Te quoque magnopere M. Fanni quaeso.* Et eâdem: *Quaeso à vobis, judices, ut haec pauca, quae restant, ita audiatis, ut partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro S. Roscio.* Et pro Archia: *Quaeso à vobis, ut in hac caussa mihi detis hanc veniam.* Et pro L. Flacco: *Quaeso à vobis, Asiatici testes.* Quin in pluralivo quoque invenitur. Brutus & Cassius apud Cic. lib. XI, epist. III. *Deos quaesumus, consilia tua Reip. salutaria sint, atque tibi.*

Referunt conjunctiones, ut sunt *primo*, *deinde*, *denique*, similiaque; quae ad conjungenda verba sententiasque apponuntur. Quamquam de his non magnopere pertendam; cùm quae ordinem significant, etiam adverbiorum naturam habere videantur. Referunt interjectiones, ut *en*, *heus*, *utinam*, aliaque haut exigentia nominis, aut verbi praesentiam. Profectò in Grammaticorum prope omnium commentis, quae ἀγροικοι* immensum extollunt, penè οὐδὲν† ὑγιές: cùm paginae singulae saepe plures contineant errores, quàm Sicinius ille Dentatus* vulnera toto habuit corpore.

* Agrestes. † Nihil sani. * Gellius lib. 2, cap. 11.

Cap. III.

Vera singularum orationis partium definitiones adferuntur.

VErùm quia haut satis est, ostendere alios à januâ aberrâsse, nisi & ipsi rectam monstremus viam; age nunc instar Mercurii Euhodii in quadrivio positi viam rectam virgulâ monstremus: aut Hegemonae Deae instar occurrentes manu ducamus. Sed antea facem accendi opus est, ut non caecis appareat, quibus notis distinguantur hae viae, hoc est, vocum classes, & cur hanc potius, quàm aliam ingrediendum sit definiendi viam.

Ac primò quidem se offerunt nomen, ac pronomen; quae eo differunt à verbo, & participio, quòd haec adsignificant tempus; at illa non adsignificent, hoc est, non notent praeter primariam significationem. Nam *crastinus*, *hesternus*, similiaque, notant tempus: sed haec in nominibus istis primaria est significatio. At contrà fit in verbis, & participiis. Nam *audiendi* vox primariò notat auribus percipere: atque id notatur, sive *audio*, sive *audivi*, sive *audiam* dicam: verùm praeter primariam hanc significationem, certa temporis differentia connotatur, quod Aristoteli* est προσσημαίνειν. Atque id iis tantùm ignorabile esse arbitror, quibus ob neglectam disserendi disciplinam, haut insolens est in talibus vel mero meridie caligare.

* Lib. de Interpret.

Differt verò nomen à pronomine, quòd illud primò significet rem; hoc secundariò; ut quod pro nomine ponatur, unde & nomen indeptum est.

Differt participium à verbo, quòd participium declinetur per casus, non item verbum.

Est igitur nomen, vox ex instituto rem primò significans. Pronomen, quod primariò nomen respicit; secundariò verò rem significat. Verbum, quod adsignificat tempus sine casu: Sive quod agere, pati vel esse significat. Participium, quod variatur per casus, cum adsignificatione temporis. Adverbium est vox, quae nomini, verbo, aut participio, additur ad circumstantiam, aut qualitatem ejus significandam. Praepositio est vox, per quam adjungitur verbo nomen, locum, tempus, aut caussam significans, seu positivè, seu privativè. Nam caussam signant *ob*, & *propter*: privationem indicant, *praeter*, *absque*, *sine*, *clam*. Caeterae praepositiones, aut locum, aut tempus, aut utrumque significant. Conjunctio est, quae sententiam sententiae conjungit. Etenim disjunctivae conjunctiones, etsi rem disjungant, tamen verba, ac sententias conjungunt: à priori munere quaedam disjunctivae dicuntur; à posteriori omnes vocantur conjunctiones, ut antè diximus. Interjectio est vox affectum mentis significans, ac citra verbi opem sententiam complens. Nam *utinam*, idem est, ac vellem sic se res haberet: vel si hoc adverbium esse malis, quia & verbum admittit, (ut cùm ajo, *utinam adulter obrutus esset aquis*) at res liquidior in *vae*, ut cum dico *vae tibi*: hoc est, non impune abibit. Sic *euge*, quod ferè tantundem est, atque, *belle res gesta*, aut *feliciter res successit*: *ohoho*, quod apud Plautum est Captivis*, dolorem testatur. Est enim ejulantis. Nisi divisim legi malis, *oh*, *oh*, *oh*: quod & clarissimo Grutero placuit.

* Act. 2. Si Di immortales.

Et haec de classium singularum definitione: quae nimis fortasse anxiè conscribillasse videbimur Philosophiae ignaris. Verùm cogitent, Varronem quoque scribere, se suos in re Grammaticâ libros non modò ad Aristophanis, hoc est Grammatici; sed & Cleanthis, hoc est Philosophi, lucernam elucubrasse. Et Jul. Scaliger Quinctilianum non immeritò reprehendit, quòd Grammaticam fingat è quadrivio extra Encyclopaediam.

Cap. IV.

De Specie, & Figura. Utramque tum Methodicae Grammaticae, tum Exegeticae subjici. Quae ab alio originem ducunt, derivata rectiùs vocari, quam derivativa. Non esse figuram tertiam, quam vulgò decompositam vocant. De numero. Voces singulariter, & pluraliter, non esse à junioribus repertas. Singulus, & plurativus, pro singulari, & plurali. Dualem numerum malè Graecis adimere conatur Julius Scaliger. Aeoles eo carent, quos secuti Romani. Profusa liberalitas Donati, donantis duali linguam Romanam. Verba etiam Latinis dualem habere, olim creditum à nonnullis. Ea sententia refellitur. Nomina, pronomina, & participia, non tertia semper; sed prima etiam, secundaque esse persona. Quâ mente olim dictum sit, quae tertia in verbis persona dicuntur, ea nullius esse persona.

VIdendum deinceps de iis, quae omnibus accidunt vocibus: ut sunt duo haec, species, & figura. Quae tamen non minùs ad Exegeticen, quàm Methodicen pertinent. Nam plurimùm ferè ad cognoscendam propriam vocabuli significationem conducit, si, unde ei nomen impositum sit, sciamus. Unde fortasse à Grammaticis speciei nomen impositum, quia ex origine naturam sive significationem vocis specere, hoc est, videre incipimus. Nihilominus ad Methodicen quoque rectè referri, putamus. Nam in derivatione, ac compositione, spectatur ἀναλογία; quam Methodices nunc partem tractamus. Quandoque etiam pro diverso genere derivatorum variat declinatio: quod in verbis maximè dilucet, ut suo ostendemus loco.

Sed utcunque pertineat ad utramque Grammatices partem, magis tamen convenit Exegeticae. Ut quae non corpus sermonis, sed formam ejus, hoc est, significationem respiciat. Quare de utraque earum nihil nunc addo; sed potiùs hanc partem tractabo, cùm ad Exegeticen, ac Originum doctrinam, deventum erit.

Figura tantummodo est duplex, ut rectè docet Diomedes in primo. Nam omnis vox, vel simplex est, vel composita. Si tertium est, exemplo arguant. At, inquiunt, sunt praeterea decompositae, quas Graeci παρασυνθέτους vocant. Sed sive istae è composito componantur, quomodo, *inexpugnabilis* est à composito *expugnabilis*, sive deriventur à composito, quo pacto *experientia* derivatur ab *experiens*; ipsa quoque decomposita vox est composita. Nam si utraque pars, quae in decomposito derivatione est, non fuerit in usu; recurrendum est ad partes usitatas vocis, unde derivatur. Quemadmodum enim *epitogium* non ab ἐπὶ & *togium*, sed *toga* factum est; cur non itidem *magnanimitas*, etsi *animitas* in usu non est, factum dicam ex *magnus*, & *animus*? Adde quòd ob composita è compositis, vel ab iis derivata, nihilo justiùs statuitur figura decomposita, quàm ob derivata à derivatis ponitur species tertia venientium à derivatis.

Uti verò species & figura omnibus vocibus, ita iis quoque, solis particulis exceptis, accidunt numerus, & persona.

Nume-

Numerus definiri solet differentia vocis secundùm unitatem ac multitudinem. Dispiciendum igitur, an Grammaticè sic possit definiri. Sanè obstat, quòd Grammaticis illa etiam plurativi numeri dicantur, quæ rem unam significant: ut *Athenæ*, & alia multa. Quæ profectò non aliâ de caussâ dicuntur pluralia, quàm quia more pluralium declinantur. Solet enim Grammaticus magis vocis flexionem, quàm significationem, attendere. Grammaticè igitur si loquamur, corruit ea definitio numeri, quâ dicitur esse accidens, inter unum pluraque distinguens. Recta tamen est, si attendamus institutum antiquissimum nomina verbaque (sub quibus etiam pronomina & participia comprehendebant) per numeros variandi. A quo, temporis longinquitate, usus in nonnullis paullatim deflexit.

Numerus est duplex, singularis, aut pluralis; prout appellat Fabius ipse lib. I, cap. IV; à quo etiam voces *singulariter*, & *pluraliter*, usurpantur lib. VIII, cap. VI. Apud Cælium quoque Aurelianum, medicum vetustum, sanè Galeno antiquiorem, legimus lib. I, cap. I: *Pluraliter autem usum dicunt, ut membranas diceret. Siquidem sive per multas, sive per omnes id eveniat, si singulariter poneret, negaret esse in multis.* Tertullianus itidem libro adversus Praxean ait, *Non ex unius esse personâ, quod pluraliter dictum est.* Et paullo antè sic idem, *Unus enim singularis numeri significatio videtur. Singulum numerum*, & *plurativum* appellat Agellius; ut cognoscere est è lib. II, cap. XVI, & lib. XIX, cap. VIII. Imò est & *plurativi* vox apud Arnobium lib. quarto: *Nam cùm*, inquit, *à doctoribus omnes nostris insinuatum acceperimus, & traditum, in declinationibus Deorum plurativos numeros non esse, quòd essent Dii singuli, nec communiter ire per plurimos uniuscujusque nominis proprietas quæret*, &c. Sed de voce satis. Rem videamus.

Singularis qui dicitur, revera, numerus non est; si strictè hac voce utamur; sed numeri potiùs initium; quemadmodum nec punctum, linea; nec momentum, tempus est; sed initium ejus; ut ostendit Philosophus. Verùm Grammatici, more suo, vulgi hàc in parte judicium sequuntur.

Præter singularem, & plurativum habent Iones numerum dualem. Verùm Jul. Scaliger negat, eos caussam habuisse, cur dualem magis adjicerent, quàm tertialem, quartalem, aliosque. Nam, inquit, si his nihil opus erat ad tria, aut quatuor, pluraque à majori numero distinguenda: neque necessum fuit, dualem addere ad binarium à ternario, aliove numero, discriminandum. Sed si hæc non tantùm audire, verùm etiam arbitrari licet; haut deest, quod magno Scaligero obducam, & opponam. Nam quanto alia dualis numeri ratio sit, ac tertialis, quartalis, quintalis, argumento est, quòd citra ternarium non consistit universitas; at in ternario, & ultra eum, universitatis nomine uti possumus. Ita de duobus consulibus non dixero, *omnes* consules adesse, sed *ambos*: at quod coram tribus dictum, id coram pluribus meritò dixisse dicar. Atque hinc quoque liquet, cur Ulpianus *palam* exponat, *coram pluribus*. Est autem hæc ratio eo magis ponderanda, quòd non Iones modò res ea tangat; sed & principem, sacramque, hoc est Hebræam linguam: quæ ipsa dualem agnoscit, tam in nomine, quàm in verbo. Ab Ionibus recessere Æoles: qui cùm inter unum, pluraque, nullum esse medium putarent, singulari quoque ac plurativo acquiescendum existimarunt. Æoles verò, ut in aliis plurimis, ita hâc quoque in parte secuti sunt Latini; quamvis nec inter hos defuerint, qui Latinos duali donarint. Donatus*: *Numeri*, inquit, *sunt duo, singularis, ut hic sapiens; pluralis, ut hi sapientes. Est & dualis numerus, qui singulariter enunciari non potest; ut, hi ambo, hi duo.* Verùm quis, nisi defecti planè judicii, ob duo isthæc seu nomina, seu pronomina, dualem à plurativo distinguendum sibi persuadeat?

* In Artis editione secunda, ac similiter Servius in ejus Interpretatione.

At, inquiunt, non desunt, qui & Verba Δυικὰ† donent. Scio. Sed solidè eos refellit Diomedes in primo his verbis: *Dualis apud Græcos duntaxat valet, à nobis excluditur, eodem modo, quo & in Nominibus. Nequaquam enim reperiri potest in Latino sermone ulla dictio, quæ dualem exprimat numerum. Antiquitatis enim Romani memores, dualem numerum posteritatis usu receptum, quasi novellum, usurpare noluerunt. Is namque sicut à primordio adseritur sermonis a natura proditi, in obscuro habitus ignorabatur, & diutius incertus, inter utrumque numerum, tam singularem, quàm pluralem latebat. Serò autem, supervenientibus seculis, scrupulosæ curiositatis observationibus captus, quasi intercalaris irrepsit. Et hac de caussa apud veteres rarò reperitur, quoniam erroribus illaqueatus multiplicatur. Adeò per hujusmodi omnes usus Græcorum linguæ nescia declarantur. Apud Atticos verò duntaxat plurimùm valet, & maximè apud Homerum, qui cùm sit Atticæ linguæ cultor, utpote patrii sermonis assertor, ut quidam putant, tamen non erat nescius antiquitatis, sicut versus iste testatur. Cum enim duo fuissent, ipse vetustatis memor pluraliter salutationem protulit, hoc modo†, Χαίρετε* κήρυκες Διὸς ἄγγελοι. Præterea superfluus antiquis visus est: siquidem ex numeri pluralis imagine dualis declinatio formata normabatur.* Hæc Diomedes. Quibus multum lucis accessetit, si sciamus, quale illud fuerit discrimen, quod inter dualia ac pluralia verba statuerint juniores. Hoc vero optimè nos docet Quinctilianus: qui simul egregiè commentum illud diluit. Audiamus ipsum sic loquentem libro I, cap. V. *In numeris nos singularem & pluralem habemus: Græci & δυικὸν: quamquam fuerunt, qui nobis quoque adjicerent dualem, scripsere, legêre: quod evitandæ asperitatis gratiâ mollitum est, ut apud veteres, pro malè mereris, malè merere: ideoque, quod vocant duale, in illo solo genere consistit, cùm apud Græcos, & in verbi tota ferè ratione, & in nominibus deprehendatur, & sic quoque rarissimus ejus sit usus. Apud nostrorum verò neminem hæc observatio reperiatur: quin è contrario, Devenere† locos; Et, Conticuere* omnes; Et, Consedere‡ duces, apertè nos doceant nihil horum ad duos pertinere: Dixere quoque, quamquam id Antonius Rufus ex diverso ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet. Quid? non Livius circa initia statim primi libri, Tenuere, inquit, arcem Sabini: & mox, In adversum Romani subiere. Sed quem potius ego, quàm M. Tullium sequar? qui in Oratore: Non reprehendo, ait, scripsere; scripserunt esse verius sentio.* Hæc Fabius; quæ cui necdum satisfaciunt, is vel solam legat descriptionem Africæ, quæ apud Sallustium exstat in bello Jugurthino. Inde cognoscet, paginâ unâ alterâ de pluribus à nobili historico usurpari, *posuere, interiere, habuere, occupavere, miscuere, appellavere, accessere, corrupere, possedere, coëgere, addidere, concessere, condidere, fuere.* Alterius terminationis per UNT, nec vola ibi, nec vestigium apparet.

† Duali.

† Il. α. 334.

* Salvete præcones, Jovis nuncii.

† Æn. 1 & 6.

* Æn. 2. ubi idem Servio monitum.

‡ 13 Met.

Sequitur Persona. Hâc distinguuntur, qui loquitur, ad quem loquimur, & de quo loquimur. Vulgaris est opinio, eam solis accidere pronominibus, & verbis. Omnia enim nomina, & participia, tertiæ esse personæ. Proinde & figuratum esse sermonem statuunt, quando nomen, aut participium, vel pronomen etiam, (*ego*, & *tu*, exceptis) jungitur verbo primæ, aut tertiæ personæ. Ἔκκλησιν seu Evocationem vocant, quia prima vel secunda persona quasi è stativis suis evocet tertiam personam. Ut I Æn.

——*Coram, quem quæritis, adsum*
Trojus Æneas.

Nostra verò sententia est, nomina, pronomina, & participia, esse primæ personæ, si *ego*, aut *nos*, vel exprimatur, vel intelligatur: secundæ, si *tu*, aut *vos*: aliàs esse tertiæ. Eoque nomina, pronomina (præter *ego* & *tu*) & participia, vocativo in omnibus excepto, per se & actu nullius esse personæ. Quippe eodem se modo res habet, ac in infinitivo; qui & ipse pro nomine ponitur. Nam consentiunt Grammatici, infinitivum destitui numeris, & personis: per accidens autem certæ esse personæ: ut, *Gaudeo me valere*, hoc est, quòd valeam. *Gaudeo te valere*, id est, quòd valeas. *Gaudeo hunc valere*, id est, quòd valeat.

Quem-

Quemadmodum igitur infinitivus, ita nomina quoque, vel nullius, vel omnis sunt personæ. Itaque in isto Maronis IV Georg. *Hunc & Nympha veneramur*; ubi Evocationem etiam statuit Augustinus Saturnius *; *nympha* est personæ primæ, non tertiæ.

* *In Mercurio Majori.*

In altero verò, quod Saturnius addit, exemplo, longè spissior ejus est error. Nam ἔκκλησιν † statuit in illo Lucretii lib. I:

† *Evocationem.*

> *Quod superest vacuas aures mihi Memmius, & te*
> *Semotum à curis adhibe veram ad rationem.*

At vocativos semper esse personæ secundæ, tam clarum est, quàm solem meridie lucere. *Memmius* autem, pro *Memmi*, Græcorum dicitur imitatione; apud quos nominativus Atticè ponitur pro vocativo. Quare nec Lambinum audio, qui *Memmiada* legendum putat; speciosè quidem, sed invitis omnibus libris.

De personis verborum res satis aperta: nisi quòd non omnes vident, cur, quæ tertiæ dicuntur personæ, quodammodo nullius dicantur personæ. Nimirùm eò respexere, quòd non definiant τὸ ὑποκείμενον *. Prima enim, secundaque persona, sunt præsentes; eoque, de quo quid dicatur, demonstrant. At cùm aio, *amas*, persona nescitur, nisi addam *Pamphilus*, vel aliud. Hinc Priscianus lib. XVII. *In prima persona, & secunda, inest intellectus nominativi definitus: in tertia, quia innumerabiles sunt personæ tertiæ, infinitus: nisi excepta fiat actio; sicut, fulminat, tonat, pluit. Ea enim, quamvis non addamus nomen, definita esse videntur, cùm ad solum pertineant Jovem.*

* *Subjectum, sive id de quo sermo.*

CAP. V.

Qui ἀναλογίαν olim defenderint, qui item ἀνωμαλίαν. Et in quibus magis ἀνωμαλίαν, quam ἀναλογίαν, cernere sit, & contrà. Varroni medicina. Artemas ex Artemidorus, *servile nomen: aliaque servilia similiter contracta. Cujusmodi consuetudo intelligenda sit, quando rationi opponitur.*

DE Numero, & Persona, hactenus. Porrò etiam quatuor primis vocum classibus accidunt ἀναλογία, & ἀνωμαλία. Utraque tamen latiùs patet: quia & in syllabarum accentu, & modulo, item in orationis structura, utramque cernere est. Verùm nunc de ea solùm agimus, quatenus in privis cernitur vocibus.

Quæ Græcis ἀναλογία, ea Latinis, Fabio etiam teste †, *proportio* vocatur. Græcis, Charisio teste, definitur, συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων ἐν λέξει. Varroni dicitur *veritas*, & *ratio*, *quæ à similitudine oritur.* Ἀνωμαλία verò eidem est *consuetudo*. Et Sextus ‡ similiter ἀλήθειαν, καὶ συνήθειαν *, opponit. Ubi συνηθείας vocabulo non ἁπλῶς intelligi debet, quicquid consuetudine suffultum: (nec enim semper consuetudo analogiæ repugnat) sed quod ab ea est receptum, etsi ratio à similitudine petita aliud exigere videretur. Unde Charisius de ἀναλογίᾳ, & ἀνωμαλίᾳ se acturum ait, *ut interdum*, JACENTE RATIONE, *quantum sibi dederit* AUCTORITAS, *colligamus.* Nempe omnis hæc doctrina nihil est aliud, quàm ὁμοίου † καὶ ἀνομοίου θεωρία, ut eam Sextus ‡ nominat.

† *Lib. I.*
‡ *Adversus Grammaticos cap. 10.*
* *Veritatem & consuetudinem.*
† *Similis ac dissimilis contemplatio.*
‡ *Ibidem.*

Ἀναλογίαν e Græcis oppugnavit Chrysippus: qui de ea quatuor libros ad Dionem scripsit, teste Laertio *. Varro † tamen sex libros περὶ τῆς ἀνωμαλίας reliquisse ait. Atque addit, Chrysippo, homine acutissimo, fretum Cratetem contra analogiam esse nixum. Est is Crates, Mallotes, qui ab Attalo rege missus ad senatum Romanum primus Grammaticæ studium Urbi intulit, teste Tranquillo ‡. Atque idem auctor est, scripsisse eum contra Aristarchum, æqualem suum: qui ἀναλογίαν defenderat. Uti & eam defensitavit Aristophanes Grammaticus, quemadmodum auctor Varro *. Idem fecit Pindario, de quo testis Sextus philosophus †. Is Sextus utramque in partem de eâ disputavit: sed magis tamen in ἀνωμαλίαν inclinat: quod scepticum non decebat. E Latinis etiam de ea scripsere multi: sed facilè principes Julius Cæsar, & Terentius Varro. Hujus tres ad nos libri, mutili tamen, pervenerunt. Cæsarem autem duos de analogia libros condidisse, ex Suetonio scimus. Et meminit eorum Tullius in Bruto, ut de Gellio, Charisio, & cæteris grammaticis taceam. Quæ satis ostendunt τέχνης ἀναλογικῆς †, ut Sextus appellat, præstantiam: utcunque ea despicatui sit vulgo, quia, ut ait, οὐδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα *.

* *In vita Chrysippi.*
† *Initio libri 8 de L. L.*
‡ *Lib. de illustribus grammaticis.*
* *Initio lib. VIII de L. L.*
† *Adversus Grammaticos cap. 10.*
† *Artis analogicæ.*
* *Nihil ad farinam.*

Ut verò meliùs intelligatur, utrùm ἀναλογίας, an ἀνωμαλίας defensores sequendi sint nobis: distinguere oportet inter *duo genera verborum*: (Varronis utor verbis:) *unum fœcundum, quod declinando multas ex se parit dispariles formas: ut est, lego, legis, legam, sic alia: alterum genus sterile, quod ex se parit nihil: ut est, etiam, vix, magis, cras, cur.* Unde illud consequitur, non esse exigendam ἀναλογίαν inter *nox*, & *mox*: cùm dissimilia sint; quia alterum sub casuum rationem succedit, alterum non item.

Eorum vero, quæ declinari possunt, alia sunt à voluntate, alia à natura. A voluntate, ut cùm à nomine alio nomen imponitur. Velut à *Roma Romanus*, à *pugnando pugil*, à *manu manubia*. A natura, cùm acceptum nomen ipsi declinamus, nihil de eo solliciti, quomodo is, qui nomen imposuit, velit declinari. Ut *Roma Romæ*, *Marcus Marci*, & similia. In declinatione voluntaria est inconstantia. Ut à *Roma* dicimus *Romanus*: à *Parma* tamen non *Parmanus*, sed *Parmensis*. Neque hac parte Aristarchus, vel alii, ἀναλογίαν defendere sunt ausi. Facilè enim videbant, etsi & ἀναλογίαν sit in talibus videre, plus tamen ἀνωμαλίας inesse, quàm ἀναλογίας. Cujus caussa non minima est, quod ὀνοματοθέται * sæpiùs imperitè nomina imposuerint; eoque necesse esset populum, qui ea ab illis accepisset, multa dicere parum consentanea rationi. At dispar ratio est declinationis naturalis. Ubi ἀνωμαλίας non parum, sed multo plus ἀναλογίας. Itaque, ut dixi, si sciatur urbis nomen *Roma*, aut *Parma*, nihil ultrà laborantes, *Romæ*, & *Parmæ*, item *Romam*, & *Parmam* dicimus. Quam rem scitâ similitudine illustrat Varro lib. VII de L. L. Locum apponam, simulque emendabo: *Declinationum genera sunt duo, voluntarium, & naturale. Voluntarium est, quo, ut cujusque tulit voluntas, declinavit. Sic tres cum emerunt Ephesi singulos servos; nonnunquam alius declinat nomen ab eo, qui vendit, Artemidoro, atque Artemam appellat: alius aut ab regione, quòd ibi emit, ab Ionia Ionem: aut ab urbe Epheso, Ephesium. Sic alius ab alia aliqua re, ut visum est. Contrà naturalem declinationem dico, quæ non à singulorum oritur voluntate, sed à communi consensu. Itaque omnes, impositis nominibus, eorum item declinant casus: atque eodem modo dicunt, hujus Artema, & hujus Ionis, & hujus Ephesii: sic in aliis casibus.* In Mssis, quos bonâ fide etiam expressere Mediolanensis vetus *, Aldina †, & Romana Antonii Augustini, legere est, *Ab eo qui vendit: Artemidorus atque Artemam appellat.* Unde Vertranius fecit, *Ab eo, quod vendidit Artemidorus, atque Artemam appellat.* Malui rescribere leviculâ immutatione, *Ab eo, qui vendit, Artemidoro: atque Artemam appellat.* Nempe ait, *Artemas* esse servile nomen diminutionis formâ factum ex *Artemidorus*; quod prioris domini nomen erat. Sic servilia nomina sunt *Demas*, vel *Dama*, ex *Demetrius*; *Menas* ex *Menelao*, similiaque: de quibus dictum nobis in Institutionibus, cùm Linguæ Græcæ ‡, tum Oratoriis *. Sed redeo ad ἀναλογίαν, quam dicebamus minùs inesse declinationi voluntariæ, quàm naturali. In caussa est, quòd illa nitatur consuetudine; unde ad eam præcipuè memoriâ opus est: hæc verò rationem habeat pro fundamento; unde in ea magis arte opus, quàm memoriâ. Qua de re sic idem Varro aliquanto antè scripsit: *Ad reliquum genus, quod posterius, ars: ad quam opus est paucis præceptis, quæ sunt brevia. Quæ enim rectè in uno vocabulo declinare didiceris; in infinito numero nominum uti possis. Itaque novis nominibus adlatis in consuetudinem, sine dubitatione eorum declinatus statim omnis dicit populus: etiam novitia*

† *Fabricatores vocabulorum.*
* *An. 1500*
† *1513.*
‡ *Cap. de Diminutivis.*
* *Lib. 4. cap. 1. sect. 4.*

vitii servi emti in magna familia cito omnium conservorum nomina, recto casu accepto, in reliquos obliquos declinant.

Sed non pauca videntur objici posse. Multa enim sunt nomina similia, quæ non similiter inflectuntur. Nam *aper*, *apri*; at *pater*, *patris*, facit: *lupus*, *lupi*, at *lepus leporis*. Verùm errant, cùm hæc similia arbitrantur. Etenim ab *aper apri* est, ut à κάπρος κάπρου; unde factum κατ' ἀφαίρεσιν. At *pater patris*, ut πατὴρ πατρός. *Lepus* verò est ex Siculo ὁ καὶ ἡ λέπορις: ut hic etiam imitati sint Græcos. Similia etiam dicunt *accipiter*, & *iter*: & tamen ab illo esse *accipitris*, ab hoc *itineris*: inter quæ quid simile? Quæ non dicerent, nisi eos fugeret ab *iter* prius fuisse *iteris*; unde *iterum*, & *iterare*: ab *itiner* verò esse *itineris*; quomodo & à *jecur* est *jecoris*, & à *jecinum*, vel *jecinor*, *jecinoris*.

Nec in derivatis, & compositis, quàm voluntariam declinationem Varro appellat, tanta est ἀνωμαλία, quam putarunt. Cur, inquiunt, à *fidibus* est *fidicen*, à *tuba tubicen*? à *cithara* verò est non *citharicen*, sed *citharœdus*; Nempe obvium erat Græcum κιθαρῳδός: & ars ipsa à Græcis. Præterea, inquiunt, cur ab *ovis ovile*; ab *avis* non *avile*, sed *aviarium*? At dicant ipsi, cur magis declinassent, ut *ovis*, quam ut *apis*, unde similiter *apiarium*? Ut enim à divite natura, ita ab arte, variæ sunt formæ: quarum si aliqua referatur, sufficit ut quid simile dicatur.

Nihilo firmiora sunt, quæ de verbis objectant. Quàm, inquiunt, similia sunt *cado* & *cudo*, item *cudo* & *ludo*! At *cado* facit *cecidi*, *cudo cudi*, *ludo lusi*. Etiam similia dicunt *frango*, & *pango*; *capio*, & *cupio*: & tamen à *frango* esse *fregi*, à *pango panxi*; à *capio cepi*, à *cupio cupivi*. Sed unumquodque etiam ex istis verba habet adsociata, in quibus conspicua sit ἀναλογία. Nam ut à *cado* est *cecidi*, ita à *cædo cecidi*, à *tundo* seu veteri *tudo*, *tutudi*. Ut à *cudo cudi*, sic ab *edo edi*, à *pando pandi*. Ut à *ludo lusi*, sic à *lædo læsi*, à *trudo trusi*. *Frango* prius fuit *frago*, unde *fragilis*. A *frago* autem *fregi*, ut ab *ago egi*, à *lego legi*. A *pango panxi*, ut à *plango planxi*, à *tingo tinxi*. Et tamen non *panxi* solùm dixere, sed etiam *pegi*, ab antiquo *pago*, unde *pagina*. A *capio* est *cepi*, ut à *facio feci*, à *jacio jeci*. *Cupio cupivi*, ut *mutio mutivi*, *audio audivi*. Nam & *cupio* quartæ olim fuit: unde Lucretius * *cupiret* pro *cuperet*.

* *Lib.* I. *vers.* 71.

Atque ex his satis est apertum, inesse verborum declinationi ἀναλογίαν. Nec propterea diffitemur, inveniri non pauca similia dissimili ratione declinata, ubi dissimilitudinis rationem adferre non possimus. Quippe solùm illud contendimus, non si in aliquibus sit ἀνωμαλία, eo in aliis longè pluribus negandam esse ἀναλογίαν. Neque enim similitudinem esse inter homines quisquam negabit, eò quòd aliqui sint partus monstrosi, aut casu etiam membra pervertantur. Similiter igitur nec quia in nonnullis vocabulis similitudo desiat, eò nullam esse in sermone similitudinem putandum; sed contra extra controversiam illa poni debet, quia in multò pluribus se conspicuam præbet.

In quæstionem præterea venit, an cùm Varro, ut diximus, ἀναλογίαν *veritatem* & *rationem* appellet, eique consuetudinem opponat: non æquissimum videatur, ut homines eruditi rationem potiùs sequantur, quàm consuetudini obsequantur. Nostra hæc est sententia, similium verborum similem declinationem, quam analogiam dicimus, consuetudine subnixam esse debere, non solâ doctorum, nec solâ vulgi; sed illâ doctorum, cui bona pars vulgi consentiat. Quemadmodum enim in navi obtemperamus gubernatori; cum autem rationem sequi oportet: ita doctiores populo morem gerunt; is verò rationis ductum sequi debet. Sin populus universus rationi adversetur: cedendum prorsus, cùm nemo id sibi juris debeat vindicare, ut omnem corrigat populum,

> *Quem* † *penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.*

† *Horatius in Arte.*

Et tamen aliquando contingit, ut populus magno alicui viro quiddam permittat. Ut Oratori Hortensio, qui primus †, in prosa oratione, *cervix* pro *cervices* dixit, ferente id populo Romano, multis etiam exemplum postea sequentibus, ita ut tandem usu planè fuerit receptum. Sed quotusquisque non, simile si tentasset, pastoritiâ esset exceptus fistulâ? Quare, ex præscripto magni Stagiritæ nostri, sic cum paucis sapiamus, ut cum populo loquamur.

† *Varro lib.* 6. *cap.* 9. *de L. L. & Quinctilianus lib.* 8. *cap.* 3.

CAP. VI.

Ostensum, utrum princeps sit nominis divisio, quâ in substantivum, & adjectivum dispescitur, an illa in proprium & appellativum. Substantivi & adjectivi definitiones excussæ, veraque allata. Substantiva quadam omnis sunt generis. Nonii lapsus. Atticarum noctium scriptori potius Agellio, quàm Gellio nomen esse. Symbolus.

Diximus de numero, & persona: item ἀναλογία, & ἀνωμαλία: quæ quatuor primariis vocum classibus accidunt. Nunc particulatim ad Nomen accedo. In quo tria illa, definitio, divisio, & proprietates, quæ τῆς ἀληθείας ‡ philosophus * in decem summis generibus considerat, etiam à Grammaticis expendi debent in octo vocum classibus. Quippe perfecta cujusque rei cognitio consistit in notitiâ essentiæ, & accidentium. Essentia confusè scitur è definitione; distinctè è notitiâ specierum, quas docet divisio. At proprietates ad accidentia pertinent. De definitione jam ante diximus. Agendum nunc de divisione.

‡ *Veritatis.*
* *Lib.* τῶν κατηγοριῶν.

Ac plerique, etiam primi subsellii Grammatici, prius distribuunt nomen in proprium, & appellativum, quam dispescunt in substantivum, & adjectivum. Malo profectò consilio, cùm proprium etiam sit substantivum; utpote quod per se subsistat in oratione. Sed à Lyceo quoque ratio arcessatur. Priùs Stagirita noster distribuit τὸ ὂν † in id, quod per se subsistit, ac substantia dicitur; & illud quod in alio est, tanquam subjecto, ut accidens. Deinde autem dispescit substantiam in primam, sive individuam, & secundam, ut sunt genera, & species. Pari igitur ratione priùs nomen dividi debet in id, quod per se subsistit in oratione, ac substantivum vocatur; atque illud, quod ope substantivi in oratione indiget, & adjectivum appellatur. Posterior verò distributio erit substantivi in illud, quod uni convenit, & proprium dicitur; atque id, quod pluribus competit, & vulgò appellativum nominatur.

† *Quod est.*

Nec longi mihi subsellii controversia isthæc esse videtur, quæ de substantivi adjectivique definitione agitatur à multis. Frischlino definitur substantivum, quod unius duûmve generum est; adjectivum, quod trium. Mihi secus videtur. Siquidem vox *animantis*, etiam cùm substantivè ponitur, trium est generum particeps. In masculino utuntur Cicero, atque Horatius: idem Cicero, cùm aliis plurimis, adjectivo jungit feminino: in neutro denique à Plinio, atque aliis, usurpatur. Ac ne dicas, id fieri κατ' ἔλλειψιν, idem fit in illis etiam, quæ naturâ suâ sunt substantiva. Sic enim dicimus non tantum *spica*, de quo notum; sed etiam *spicus*, & *spicum*: ut Servius auctor in I Ecl. Item dicitur, *acinus*, *acina*, *acinum*. *Acinus* est apud Ciceronem, & alios. *Acina* est apud Catullum epigr. XXVII:

> *Ebriosâ acinâ ebriosioris.*

Acinum usurpat Columella lib. XII, cap. XXXIX: *Acina corrupta purgato, acina corrugata demito in penus.* In masculino enim utitur Plautus Pseudolo *:

> *Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant.*
>
> *Nam nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam vos.*

* *Act* I. *sc. Exite, agite.*

Femininum placuit Lucillio apud Nonium †, & Priscianum ‡:

> *Magna penus parvo spatio consumta peribit.*

† *In Penus*
‡ *Lib.* 5.

Quin hocce modo tum Pomponium (ex cujus tamen verbis feminino, an masculino, utatur, non dilucet) tum etiam Nævium, vel potius, locutos, docet Nonius

Marcellus*. Ac ne hæc pro obsoletis habeas, etiam in Pandectis Florentinis est: DE PENU LEGATA. Neutrum usurpat, non Afranius modò, qui in Talione, *berile penus*, dixit, Charisio, & Prisciano testibus: sed etiam Horatius lib. primo epistolarum †:

> *Annona prosit: portet frumenta, penusque:*

ac Festus disertim *penora* ponit: ne Nonio credas, neutrum esse inficianti ‡. Indem *specus*, Servio † teste, omnis generis est, ac substantivum nihilominus. Masculinum, ut apud Livium lib. primo: *Ex intimo specu.* Et ibidem: *Ex opaco specu.* Et Horat. lib. III, od. XXV. *Quos agor in specus?* Femininum, non modò apud Ennium, & Attium, quemadmodum Nonius docebit: sed & Silium lib. VI:

> *Tabificam spirat saniem specus ultima.*

Et Agellium lib. VI, cap. XIV. *Specum quandam nactus remotam latebrosamque.* Quem Agellii versum hoc fine, ut *specus* etiam femininum esse probet, jam olim adduxit Priscianus in VI: qui & disertim scriptorem hunc non Gellium, sed Agellium appellat. Ita enim ibi, cùm in codice meo MSo invenio, tum antiquâ Venetâ anni CIƆCCCCLXXVI. Quomodo & Joanne Saresberiensi vocatur lib. VII. atque ita eum vocari debere, jam olim contendit Quinctianus Stoa. Etiam *specus* in neutro reperitur: ut apud eundem Silium lib. III. *Invisum cœlo specus:* quomodo & antè usurpârat Maro in Æn. VII:

> *Hæc specus horrendum, & sævi spiracula Ditis*
> *Monstrantur.*

Pro quo & hoc *specum*, & hæc *speca*, dixere. Cato apud Priscianum in VI: *Speca apposita, quo aqua devia abiret.* Idem cernitur in *syngraphus*, *syngrapha*, *syngraphum*. Quin *symbolus* quoque hujus fuerit loci, si idem sunt *symbola*, & *symbolum*; uti creditur vulgò, ac Patrum quidam existimarunt, cùm symbolo Apostolico ex eo nomen inditum esse scripserunt, quòd Apostoli singuli singula contulerint capita, ut ἐρανισταὶ ad cœnam solent. Sanè ne de masculino *symbolus* ambigas, en tibi testem locupletem Plautum Bacchidibus, Sc. Ibo in Piræum:

> NI. *Quid, ubi ei ostendit symbolum?* CH. *insit dicere,*
> *Adulterinum, & non eum esse symbolum.*

Quomodo hoc etiam loco Carrio legit lib. II Emendat. cap. X.

Nec rectiùs substantivum Antonio Caucio definitur, *quod aliquid per se significat.* Nam omnis vox ex instituto significans, aliquid significat per se. At vera definitio est, quâ substantivum dicitur, quod per se subsistit in oratione.

CAP. VII.

Appellativi appellatio parùm idonea. Varroniana nominis, & vocabuli *distinctio. Non semper ea observatur. Unum Græcis nomen. Romanæ mulieres etiam prænomen habuerunt. Majoragii, & aliorum lapsus.* Ɯ *pro Marca,* Ɔ *pro Caia,* ⊥ *pro Tita. Item* Ɔ *pro syllaba* CON. *Quomodo puellæ ejusdem familiæ nomine distinguerentur. Alter error Majoragii. Unde dicta sit gens Julia, Antonia, Nautia, Æmilia, Pomponia. Gentis, & familiæ, item gentilium, & agnatorum discrimen. Familiæ nomen non semper gentilitio postponi. Agnominis, & cognominis discrimen. Linacri, & Verderii error. De nominibus, quæ adoptati assumebant. Robortelii maledicentia. Propriorum usus pro adjectivis.*

Nec placet, quod in secundâ divisione nomen commune vocatur *appellativum.* Nam & res singulares suis appellantur nominibus; neque proprio aliud opponitur, quàm commune. Varro appellativa nominat *vocabula*; propria verò nuncupat *nomina:* indeque est, quòd idem pronomina finita ἁπλῶς vocet *pronomina*; at infinita appellet *provocabula*: quia existimabat, pronomina finita solùm pro nominibus, hoc est, propriis usurpari: at infinita collocari pro vocabulis, hoc est, communibus. Verùm hâc in re deceptus Varro; quemadmodum suo loco ostendetur. Ac ne discrimen quidem illud inter *nomen*, & *vocabulum*, perpetuum est. Nam dixit Tacitus lib. XII Annalium: *Diligitur artifex talium, vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata, & diu inter instrumenta regni habita.* Idem lib. XIII. *Ceterùm infractâ paulatim potentiâ matris, delapso Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum Acte fuit.* Appulejus lib. II Milesf. *Hic, utpote vivus quidem, sed tantùm sopore mortuus, quòd eodem mecum vocabulo nuncupetur, ad suum nomen ignarus resurgit.* Etiam Martiani Capellæ illustrem locum ex secundo libro de Philologia adducit Ramirez de Prado, Notis in librum de spectaculis Martiali tributum. Sed mirè alucinatur, cum scriptorem hunc semibarbarum appellat *bonum Latinitatis auctorem.* Magis illud elogium meritus Ulpianus, cujus hoc L. IV. D. De legatis I. *Si quis in fundi vocabulo erravit.* Hoc est, in nomine proprio fundi.

Nomina propria Græcis singula erant: ut, *Aristoteles, Xenophon, Alexander,* &c. At non item Romanis; quibus quatuor interdum nomina: ea à Charisio, Diomede, Donato †, ejusque interprete Sergio, Prisciano item, vocantur, prænomen, nomen, (eadem enim generis & speciei appellatio) cognomen, & agnomen. Tria priora agnoscit etiam Seneca lib. IV de beneficiis cap. VIII: *Officium si quod à Seneca accepisses, Annæo te diceres debere, vel Lucio: non creditorem mutares, sed nomen: quoniam sive prænomen ejus, sive nomen dixisses sive cognomen, idem tamen ille esset.*

Prænomen est, quod nomini præponitur, uti vox indicat. Erat hoc cujusque proprium: unde & liberi eo distingui solent. Antonius Majoragius in epistolicis quæstionibus*, & alii multi, in ea hæresi fuerunt, ut putarent, mulieres non habuisse prænomina. Quod ridiculum mihi semper visum fuit. Nam quis nescit, Tanaquilem, Tarquinii Prisci uxorem, vocatam fuisse Caiam Cæciliam? Imò & veteres eorum detegunt errorem, cùm prænomen, pro sexus diversitate, diversimodè scribant. Indicant id notæ M & Ɯ, C & Ɔ, T & ⊥. Quamquam enim C inversum interdum non prænomen notat, sed est compendium syllabæ CON, (quomodo in vett. inscriptionibus legere est ƆJUX, & ƆLIBERTA, pro CONJUX, & CONLIBERTA) plurimùm tamen C viri, Ɔ mulieris; uti & M viri, Ɯ mulieris; T viri, ⊥ mulieris prænomen indicat. Liquet id ex plurimis inscriptionibus Græcis. Quare tantùm, de Ɔ inverso, verba apponam Velii Longi ‡: *Non magis igitur in numero literarum esse oportere; quàm illam notam, quâ centuria, & quâ Ɔ conversum, quo Caia significatur: quod notâ genus videmus in monumentis, cum quis libertus mulieris ostenditur. Caias enim generaliter prisci has omnes mulieres accipere voluerunt.* Interea fatemur, variatum esse hâc in re à Romanis. Vetustis temporibus, ut Varro quoque auctor est, frequentabant prænomina Caiæ, Cæciliæ, Luciæ, Volumniæ. Pòst, si unigenæ essent, contentæ fuerunt nomine gentis, vel integro, vel paullum inflexo. Sin sorores forent, eæ aut duæ erant, aut plures. Si duæ, servatum, ut una Major, altera Minor diceretur. Sin plures, distinguebantur adjectione vocis Prima, Secunda, ac Tertia; quomodo dicta Junia, Bruti soror, Cassii uxor; in qua, uti & matre ejus Serviliâ, malè Cæsar audiit †; unde & Bruti Cassiique in Cæsarem odium. Similiter etiam Quarta, Quinctaque dicebantur. Etiam per diminutionem hæc efferebant, Secundilla, Quartilla, Quinctilla. Absque istis prænominibus fuisset, in plurium filiarum familia, unà, arcessitâ, approperassent omnes. De prænominibus dixi.

Cætera virorum mulierumque nomina impropriè propria dicuntur, hoc est, nonnisi κατά τι*, quia una eademque ratione conveniunt multis. Varro lib. VIII de L. L. *Dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus. In prænominibus ideo non fit idem, quòd hæc instituta*

ad

Marginal notes: * Ibid. — † Epist. 16 ad Quinctium. — ‡ In Penu. — † In 6. Æn. — † Edit. 2. de octo part. orat. — * Lib. 2. qu. 1. — ‡ Lib. de orthogr. — † Suetonius in Cæs. cap. 50. — * Secundum quid.

ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia. Interdum quidem ponebant nomen loco prænominis, aut duo triave prænomina continua: cujus rei exempla suppeditabit Grammaticus Inscriptionum Gruterianarum index: verùm nobis hic persequi visum, quod plurimùm solet contingere. Fere autem *nomen* gentilitium est, eoque omnibus convenit, qui ejusdem sunt gentis: estque hæc ratio, cur κατ' ἐξοχὴν † generis nomine ab antiquis appelletur: quod Majoragius non observavit. Quippe in Epistolicis putat, non posse idem esse generis, & speciei nomen; quem errorem alibi * diluimus. Ita presse nomen est Julius; quod omnibus convenit ab Julo Æneæ filio genus ducentibus: Antonius commune est omnibus Antonis posteris: Nautius iis, qui veniunt à Naute, Æneæ comite: Æmilius commune posteris Æmilii, filii Juli: Pomponius posteris Pomponis, Numæ filii: atque ita in aliis, quæ presse Nomina appellantur.

† *Propter excellentiam.*

* *Lib. 1 Orat. inst. cap. 2.*

Cognomen autem est, quod nomini gentilitio postponitur; estque familiæ nomen. Nam differunt gens, & familia, ut totum, & pars. Gens enim in multas dividebatur familias: unde rectè Festus gentem definit eam, quæ ex multis familiis conficeretur. Hinc scribit Livius lib. IX, duodecim Potitiorum familias fuisse, cùm gens Potitia tota interiit. Et lib. XXXVIII: *P. Scipio Nasica habuit orationem plenam veris decoribus, non communiter Corneliæ gentis, sed propriè familiæ suæ.* Suetonius in Galba: *Imagines universi generis longum est: familiæ breviter attingam.* Tullius quoque distinguit in Ligarianâ, cùm ad Tuberones ait: *Novi studia generis, ac familiæ vestræ.* Nam erant Tuberones è gente Æliâ; in quâ familiæ erant Tuberonum, Pætorum, Ligurum, Catonum, Lamiarum. Qui ex eâdem erant gente, gentiles; qui ex familiâ eâdem, agnati dicebantur. Itaque cùm apud autorem Herennianum † legimus: *Si furiosus exsistat, agnatorum, gentiliumque in eo, pecuniâque ejus, potestas esto:* sententia est, hominem relegari debere ad agnatos, &, ii si desint, ad gentiles.

† *Lib. 1.*

Cautè autem accipi debet, quod antè dixi, cognomina, sive familiæ nomina postponi nominibus gentis. Nam, ut observavit Paullus Manutius *, interdum secus fit. Cùm enim Gallus, & Balbus cognomina, non prænomina sint: tamen apud Ciceronem ad Att. epist. XII, lib. VIII, & epist. XLVII, lib. XIII, & epist. XV, lib. VIII, legas Gallo Fabio, & Balbi Cornelii. Itidem epist. IV, lib. II ad Quinctum Fr. invenias Macer Licinius: in Lælio, Papum Æmilium. Libro quoque II, epist. VIII, in quibusdam est Gallus Caninius, & in vett. libb. epist. VIII, lib. VI legas T. Furfano Postumio; non, T. Furfanio Postumo. Apud Livium quoque lib. XLIV est Paullus Æmilius Cos. Quæ eo lubentiùs apposuimus, quod hujusce rei ignorantiâ non pauci sanos scriptorum locos corruptum eant.

* *Notis ad Cic. epist. 8. lib. 2.*

Ac quemadmodum in eo falluntur multi, quòd feminas prænomine caruisse existimant: ita in illo quoque lapsi sunt, quòd eas cognomen non habuisse arbitrentur. Nam Syllæ filia, quæ Miloni nupserat, Cornelia Fausta appellabatur. Ac in epistola VII Cæli ad Ciceronem mentio fit Paullæ Valeriæ. Est & cognomen Laterensis, quod apud Valerium est lib. VIII, cap. II. Aliaque hujus generis apud alios reperias.

Agnomen superest, quomodo Sosipater, Diomedes, Donatus, Priscianus, aliique Grammatici, vocari ajunt, quod extrinsecus cognomini adjici solet, ex aliquâ ratione quæsitum: ut, Africanus, Asiaticus, Macedonicus. Verùm multi, quos inter Linacer ‡, & Claudius Verderius †, quartum hoc, quod *agnomen* vocari diximus, negant differre à cognomine. Atque hi sententiam suam eo argumento firmant, quòd quæ ab eventu indita fuisse certissimum est, ab optimis scriptoribus vocentur *cognomina:* ut cùm Cicero * Scipiones fratres cognomen habuisse dicit Africani, & Asiatici; Catonem †, Sapientis; Crassum, Divitis *: aut cùm Gellius † ait T. Manlio fuisse cognomentum Torquato. Verùm hæc cognomen quidem pro agnomine dici posse evincunt; at neutiquam ex iis consequitur, agnomen barbarè pro certo cognominis genere usurpari. Nam, ut de Prisciano, Servio, & Victorino, nihil dicam, qui liquidò agnominis meminere: legimus apud ipsum Ovidium lib. III de Ponto eleg. II.

‡ *Lib. 1 de emendata structura.*
† *Censura in varios scriptores pag. 20.*
* *Pro Murena.*
† *In Lælio.*
* *Lib. 1 de Offic.*
† *Lib. 9. cap. 13.*

Adjectique probent genitiva agnomina Cotta.

Quod *agnomen* Latinum esse liquidò evincit. Aliud verò propriè esse *agnomen*, aliud *cognomen*; cognoscimus ex illo Ciceronis lib. II de Inventione: *Nomen autem cùm dicimus, cognomen quoque, & agnomen, intelligatur oportet.* Sic enim esse in plerisque MSSis testes sunt Lambinus & Gruterus. Nec tamen de Tullio nimis contenderо, cum in non paucioribus desideretur. Quin nec appellationem hanc rejicit Probus Grammaticus, ut antiquus, ita probatissimus. Possim quoque ad partes advocare Justinianum: apud quem in Institutionibus, tit. de legat. lib. II legere est: *Si quidem in nomine, cognomine, prænomine, agnomine, legatarii testator erraverit: cùm de personâ constat, nihilominus valet legatum.* Sed malo adquiescere priorum autoritati, quando non desunt, qui corruptum hunc Justiniani locum putent, agnomenque ab audace quodam librario adjectum. Sanè eorum sententiam non leviter confirmat, quòd Theophilus, Græcus Justiniani interpres, nullam faciat agnominis mentionem.

Erant & nomina adoptionum: quomodo Titus Pomponius Atticus, postquam ab avunculo suo, Q. Cæcilio, adoptatus est, dictus Q. Cæcilius Pomponianus Atticus. Octavius item, adoptatus à Julio Cæsare, majore avunculo, Cæsaris nomen assumsit, & pro Octavio Octavianus dictus fuit. Item M. Brutus post adoptionem vocatus M. Cæpio, & filiorum Paulli Æmilii major appellatus est Fabius Maximus, alter Scipionis nomen assumsit. Huc pertinet, quòd Suetonius * scribit, Tiberium, cùm adoptatus esset à M. Gallio Senatore, hæreditate aditâ nomine abstinuisse, quòd Gallius adversarum Augusto partium fuerat: item quòd Tacitus refert lib. III Annalium, *Crispum Sallustium sororis nepotem in nomen adscivisse.* Porrò post adoptionem vetere prænomine semper abstinebant: cognomine autem veteri non quidem semper, sed frequentius tamen, quam novo, utebantur. Qua de re vide Paullum Manutium lib. VIII, epist. IV ad fam.

* *In Tiberi. cap. 6.*

Plura, qui de Romanorum nominibus requirit, adeat Alexandrum ab Alexandro, qui lib. IV, cap. IV docet, unde veterum prænomina sint deducta: & Franciscum Robortelium, qui universè de nominibus agit. Item Gyraldum dialogismo IV, Antonium Augustinum lib. III Emendat. cap. VIII, tum item commentarios Onuphrii Panuvini, & Caroli Sigonii; qui hac in re, uti in aliis plurimis, Robortelium multis post se partibus reliquit: ut nos quidem Robortelianum de adversarii sui commentariis judicium parum moveat; eoque minus, quòd non ignota sit hominis pompatici maledicentia; qui & Erasmum imperitiæ imperitissimæ insimulare, ac nequissimum appellare non dubitet: Alciatum nominet furem, expilatoremque suorum scriptorum: Vincentium Madium, hominem vanum, mendacemque: Paullum Manutium, bibliopolam, hominemque imperitum: M. Antonium Muretum, ludimagistrum: H. Stephanum impostorem: similibusque elogiis alios quosque præstantissimos viros: & scripto, & sermone insignire consueverit: quo nomine reprehensus est jure summo à doctissimo quoque: eosque inter Nannio lib. VIII Συμμίκτων, Fruterio in Verisimilibus, & Sigonio imprimis lib. II. Patavinarum disputationum adversus Robortelium.

Quod verò dicebamus, solere vetus nomen leviter immutari, id Pliniorum ætate videtur in desuetudinem venisse. Nam natus is fuit ex C. Cæcilio, & Plinia, sorore C. Plinii Secundi, ejus, qui Naturalem Historiam scripsit. Veteri igitur more dicendus erat *C. Plinius Secundus Cæcilianus:* quomodo & à Josepho Scaligero nuncupatur. Sed in omnibus libris *Cæcilius* pro *Cæciliano* dicitur: nempe quia vetus mos jam erat antiquatus.

Porrò non solum adoptati nomina adoptantis assumebant:

bant: sed etiam civitate donati. Sic Demetrius Mega Siculus cum ei P. Cornelius Dolabella à Cæsare civitatem impetrasset, & ipse vocatus est Publius Cornelius: ut refert Cicero lib. XIII ad famil. epist. XXXVII, quæ ad Acilium. Atque idem lib. II Accusationum Verrinarum nominat Cn. Pompejum Theodorum, & Sextum Pompejum Chlorum Siculos: quorum prior à patre Cn. Pompejo, alter à filio Sexto Pompejo fuit adoptatus. Ibidem meminit Q. Cæcilii Dionis Halesini, sic dicti, ex quo civitate esset donatus beneficio Q. Cæcilii Metelli. Item Q. Lutatii Diodori, sic appellati, postquam ei Q. Lutatius Catulus à Sylla jus civitatis impetrasset. Est & illustre de hoc exemplum apud C. Cæsarem lib. I de bello Gall. *Commodissimum visum est, M. Valerium Procilium, C. Valerii Caburri filium, summâ virtute, atque humanitate adolescentem, cujus pater à C. Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere.*

Etiam liberti nomen adsumebant patroni. Sic Ciceronis liberti vocabantur M. Tullius Tiro, M. Tullius Laurea. Sic in vett. inscriptionibus Veronensibus legas:

L. VITRUVIUS L. L.
CERDO
ARCHITECTUS.

Nempe Cerdo sic vocatus, postquam eum libertate donasset L. Vitruvius. In alia itidem Veronæ est:

L. CASSIUS L. L.
JANUARIUS &c.

Item Gardæ ad litus Benaci:

D. M.
SEXTUS NAVINIUS
SEX. L.
APOLLONIUS &c.

Quorum Januarius à L. Cassio, manumissus, Apollonius à Sex. Navinio. Pluraque id genus habes in Gruterianis inscriptionum Collectaneis.

Extremo illud loco addamus, propria, etsi naturâ suâ sint substantiva: vel saltem eorum naturam usque adeò induerint, ut pro verè substantivis vulgò censeantur; sæpe tamen usurpari pro adjectivis inde deductis. Habet id tum locum in propriis virorum: ut, *Romula tellus* *, *Stertinium acumen* †: tum fluviorum, ut, *Metaurum flumen* ‡, *flumen Rhenum* *: tum regionum, aliorumque locorum, ut apud Plautum Trinummo, *Arabia terra*; apud Catonem *terra Italia*; apud Varronem γεροντοδιδασκάλῳ, *Libya citrus*; apud Maronem †, *Tempus & Arcadii memoranda inventa magistri Pandere*; & in Culice, *Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus*; apud Sallust. IV Hist. ‡ *Gallia mulieres*; quod Græcorum imitatione dictum. Nam illorum est Ἑλλάδες γυναῖκες. Apud Persium quoque similiter *, *Ligur ora* pro *Ligustica*. Ac sæpe sic Agellius. Pluraque id genus adferemus libro proximo, cum de declinatione transversâ † dicetur. ubi & quædam nunc dicta, accuratius expendam.

* Æn. 6.
† Horat. lib. I, epist. ad Iccium.
‡ Idem od. 4. lib. 4.
* Idem epist. ad Pisones.
† Georg.
‡ Apud Nonium.
* Sat. 6.
† Cap. 21.

Quærat aliquis, an non ut substantivum, sic & adjectivum possit dividi in proprium & appellativum. Nam proprium est *Romanus*; appellativum, *urbanus*. Sed secus est. Nam *Romanus* non ὁμωνύμως, sive æquivoce, sed συνωνύμως, sive univoce, h. e. eâdem significatione, de omnibus dicitur Romanis; eoque non minus est appellativum, quam urbanus. Ita sive dixero, *Romani servate uxores*, sive, ut apud Tranquillum est, *Urbani servate uxores*, utraque vox multis millibus convenit ob caussam communem.

Cap. VIII.

Acceditur ad Nominis accidentia. In quibus perperam reposuere Qualitatem: cùm eâ hoc loco non qualitas intelligatur accidentalis, sed essentialis: prout hac voce etiam philosophi utuntur. Significationem quoque formam esse non accidentariam, sed essentialem. De Specie non universè agendum esse in Nomine, sed solùm ratione Nominis Derivati, cujus variæ formæ. Nomina sunt omnis Personæ. Eoque falluntur, qui de persona demum in Pronomine agunt & Verbo. Comparationem non primo accidere Nomini, sed Adjectivo. Esse eam Declinationis transversæ alteram speciem. Quæ accidentia sint aliis communiora, ordineque priora.

De Nominis divisione satis dictum. Atque ita, quia de definitione antea egeramus, exactum jam nobis, quod de Nominis οὐσίᾳ * restabat. Sequitur, ut videamus de illis, quæ accidunt Nomini. Cujusmodi hæc septem esse volunt; qualitatem, speciem, figuram, genus, numerum, casum, & declinationem. Quibus alii personam, nonnulli quoque comparationem, aliqui & significationem adjungunt. Longè aliter mihi videtur: quod dico, non tam ut novitatis lenocinio ullum demerear, quàm studio veritatis. Nec tanti est, si displiceam pravâ institutione imbutis. Nam (ut est in analectis Petronianis) *necesse habent cum insanientibus furere, & quod quisque perperam discit, in senectute confiteri non vult.* Eo justius consilii mei rationem de singulis singulatim exponam, & ut apud Aristophanem est,

Ἐκ † τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλὴν ὅτι πάντ' ἐρῶ.

Ac Qualitatem quidem malè inter accidentia recensent. Siquidem ea ad οὐσίας ‡ explicationem, non proprietatem, pertinet: ut liquet ex iis, quæ superius diximus, cum de distributione Nominis in Substantivum, & Adjectivum tractaremus. Nec est, quòd dicat aliquis, Qualitatis vocem satis ostendere, ad accidentia, non ad οὐσίαν pertinere. Siquidem hic intelligitur qualitas, non accidentalis, sed essentialis. Quomodo Porphyrius in Isagoge sua cap. III hominem ab equo differre ait τῇ λογικῇ ποιότητι *: & Aristoteles in categoriarum libro cap. V, statuit genera, & species substantiarum, οὐ † τόδε τι, ἀλλὰ μᾶλλον ποιόν τι σημαίνειν. Similiter etiam loquitur in Topicis lib. VI, cap. VI, & alibi non semel.

* Essentia.
† A calce dicam cuncta ad usque verticem.
‡ Essentiæ.
* Qualitate ea, quod sit rationalis.
† Non hoc aliquid significare, sed potius quale quippiam.

Significationem qui addunt, similiter produnt, quàm hospites sint in disserendi disciplina. Nam quid nominum, atque adeò omnis vocis, quatenus ex instituto aliquid notant, forma erit essentialis, si significatio non est? Ut non magis ea accidens nominis esse possit, quàm anima est hominis affectio. Quare, qui non videt, ejus explicationem ad alteram Grammatices partem, quæ Exegetice dicitur, pertinere: is cum Sceledro Plautino perhiberi potest non magis oculis uti, quàm si lolio victitaret. Imò elucus sit, cui hic aliâ luce sit opus.

Speciem verò, & figuram, accidentia esse, negari non debet: verùm & illa magis ad formam, quàm corpus orationis pertinent: & quatenus corpus respiciunt, non solius sunt Nominis affectiones, sed octo classium orationis. Eoque de iis universè superiùs à nobis actum: in Nominum verò doctrina Species nonnisi particulatim consideratur; puta ratione formarum nominis derivati: ut sunt patronymica, diminutiva, verbalia, & similia.

Proximè ad horum naturam accedunt Numerus, & Persona. Nam quam latè pateant, satis arguit, quòd cùm duæ sint orationis partes necessariæ, Nomen & Verbum; sub quorum priori Pronomen, sub utroque autem Participium comprehenditur: singula horum, & Numerum, & Personam habent. De Numero ambigit nemo. De Persona negant: quam solis ajunt Pronominibus, & Verbis competere: Nomina enim, & Participia omnia, tertiæ esse personæ. Quod inscitè ab iis asseritur. Nam omnia ea personæ esse, & antea dictum nobis, & ex iis scriptorum locis satis liquet, quibus nomina, aut participia, primæ vel secundæ junguntur personæ. Ut Livii illo lib. I: *Jupiter Feretri, hæc tibi victor Romulus rex regia arma offero.* Et lib. XXX: *Annibal peto pacem, qui neque peterem, nisi utilem crederem.* Priscianum vide in XIII. Hæc satis eos refellunt, qui putant, personam solis accidere Pronominibus, & Verbis: eoque in his solùm classibus de persona agi oportere. Imò, ut nomina, & participia omnia, tertiæ essent personæ, hoc ipsum, saltem antequam ad pronomina & verba esset deventum, explicari oporteret.

Quip-

Quippe ipsi in συντάξει* docent, nominativum cum verbo in persona, & numero convenire. Alii fatentur quidem, personam Nomini accidere: sed inde consequi putant, de ea in Nomine esse tractandum. Atqui si persona quatuor primariarum classium affectio est, universè de ea agendum, antequam ad Nomen accedatur.

* *Structura orationis.*

Comparatio non debet poni inter communia nominum accidentia, quia solis convenit adjectivis. Adde quòd declinationis species sit. Nam præter declinationem directam, quæ fit in casus; est & altera transversa, partim in genera, quæ *motio* dicitur; ut *doctus*, *docta*, *doctum*; partim in gradus, quæ *comparatio* vocatur; ut, *doctus*, *doctior*, *doctissimus*.

Quare tres solùm communes sunt nominum affectiones; genus, casus, & declinatio. Præter quas etiam de numero, & derivatione, agendum, non quatenus ea cernuntur quoque in verbis: sed solùm propter ἀνωμαλίαν numeri in Nominibus, & Patronymica ac cæteras derivati Nominis species.

Quæri potest, quo ordine de his sit agendum. Sanè numerus naturâ suâ latissimè patet, cùm competat nomini, pronomini, verbo, & participio; contrà quàm fit in genere, casu, & declinatione: quæ, prout hic usurpantur, in verbis locum non habent. Ex tribus verò his, casu, genere, ac declinatione, casus ratione usus est communissimus. Siquidem seu convenientiam, seu regimen spectes, non minus hic casus, quàm numeri, & personæ, quæ communia sunt quatuor primarum classium accidentia, ratio habetur. At non latè adeò se extendit usus generis, ac declinationis: quandoquidem in verbi cum nomine convenientia, aut alterutrius regimine, raro refert, cujus quid generis sit, aut declinationis. Raro, inquam: quia interdum quoque declinatio structuram variat: ut cùm dicimus, *Romæ contigit*; non item *Sulmonis*, aut *Carthaginis*; sed *Sulmone*, aut *Carthagine*. Ubi videmus, figuratâ structurâ dici, *Romæ contigit*, pro *in Urbe Roma contigit*: at non itidem, pro, *In Sulmonis oppido contigit*, dici posse, in *Sulmonis contigit*, sed *Sulmone contigit*, pro, *in Sulmone*. Tantùm refert, sitne nomen declinationis primæ, an tertiæ.

Nec tamen ratione sunt defecti veterum illi, qui priùs de genere, hinc de numero & casu, tum de declinatione tractant. Nam, ut cætera mittam, numerus quidem generalis est affectio: sed hic solùm de ἀνωμαλίας Nominis in numero agitur. Quare vulgatum nunc in quatuor illis ordinem sequemur. Iis autem subjiciemus varias derivati nominis formas. Nempe uti in declinatione postremum locum obtinent motio, & comparatio, quia non cuivis accidunt nomini, sed solùm adjectivo: ita & extremo in nominibus loco agimus de patronymicis, gentilibus, possessivis, & similibus, quia non sunt cujusvis nominis species, sed solius derivati. In hisce verò omnibus non nostram solùm sententiam afferemus: sed aliorum etiam errores refellemus. Ita tamen, ut spissiora multa scientes prudentesque prætereamus. Nam quid attinet ea diluere, quæ nonnullæ Grammatices febres, ac carcinomata, quæ honoris caussâ non nomino, suis quotidie libellis, vel errorum sentinis, aut foricis potiùs, infarciunt? Mihi quidem periculum esse videtur, ne, si hic quoque reponantur, pædore eorum nausea obrepat, vomitusque excutiatur lectori.

CAP. IX.

Genus Grammaticis non tam signare sexus discrimen, quàm ejus discriminis notam, & qua hac nota sit: proprieque magis substantivis accidere, quàm adjectivis. Naturâne, an ex instituto, genus insit nominibus. Solem, ex veteri Germanorum quorundam gentilium Theologiâ, fuisse feminam. Quotuplex sit genus, & variæ formarum ejus appellationes. Vir, *&* mas; mulier, *&* femina, *differunt. Hebræos, & alios Orientis populos, carere genere neutro.* Neutri, *pro* neutrius. *Baptista Pii lapsus.*

Genus propriè est discrimen sexus. Impropriè verò iis quoque tribuitur, quæ sexum ipsa non habent; attamen naturam sexum habentium sequuntur in convenientia substantivi, & adjectivi. Propriè igitur sexus est in *masculus*, & *femina*; *Pythagoras*, & *Theano*. Impropriè verò masculinum est *ager*. Impropriè & femininum *herba*. Nempe eò prius est masculinum, quia in structura sequitur naturam masculorum: eo posterius femininum, quia construitur, ut ea quæ naturâ sunt feminina. Nam ut Plautus dixit*, *Bona femina, & malus masculus hic, te volunt*: ita quoque dicitur, *bonus malusve ager*: *bona malave herba*. At *animal* est *neutrum*, quia neutro modo construitur. Siquidem nec *animal bonus*, vel *malus*; nec *bona*, vel *mala*; sed *bonum*, vel *malum*, dicimus.

* *Cistel.*

Propriè autem in substantivis genus statuitur; impropriè in adjectivis. *Vir* enim natura suâ est masculinum; *bonus* ex accidenti: nempe non per se, sed quia convenit viro. Sic *bona* femininum, quia feminæ jungitur. *Bonum* neutrum, quia neutri horum, hoc est, nec viro, nec feminæ, ea convenit terminatio. Ut omnino satis liqueat, substantivis per se, & primario genus inesse: non item adjectivis; quorum est se accommodare substantivis, ut dignioribus.

Idem dixero de *hic*, & *nullus*. Vulgò ajunt masculinum esse, cui *hic*; femininum, cui *hæc*; neutrum, cui *hoc* præponitur: quasi dicamus, *hic hic*, vel *hic nullus*; aut *hæc hæc*, vel *hæc nulla*; & similia in neutro. Est quidem genus grammaticis non discrimen secundùm sexum, sed secundùm sexus notam: verùm, ut superiùs diximus, *hic hæc hoc*, non est perpetua nota. At illa perpetua est, quòd masculina more masculorum, feminina more feminarum, neutra verò neutro more construuntur. Et sanè propter solam structuram traditur generis doctrina. Quare si nulla essent adjectiva, vel ea semper unius essent terminationis, tum in singulari, tum etiam plurali: inanis ac supervacua esset omnis hæc de generibus disputatio.

Etiam ex his occurrere est quæstioni, vocibusne naturâ genus insit, an instituto. Naturâ quippe alius generis est *Socrates*, quàm *Xantippe*, aut *Phanerate*. Sed ab instituto est, quod *calamus*, & *manus*, genere discordant. Nulla enim ratio subest, præter solum eorum arbitrium, qui ita primò loquebantur. Visum hac de re illustrem apponere Arnobii locum è primo adversùs nationes: *Quanquam, si verum spectes, nullus sermo naturâ est integer; vitiosus similiter nullus. Quænam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex scripta, ut hic paries dicatur, & hæc sella; cùm neque sexus habeant femininis generibus, masculinisque discretos; neque quisquam docere doctissimus me possit, ipsum hic, & hæc, quid sint; aut cur ex his unum, sexum virilem designet, femininis generibus, id quod sequitur, applicet? Humana ista sunt placita, & ad usum sermonis faciendi non sanè omnibus necessaria. Nam & hæc paries forsitan, & hic sella, dici sine reprehensione potuisset, si ab initio sic dici placuisset, & à sequentibus seculis communi esset in sermocinatione servatum.* Hactenus ille Ecclesiasticorum scriptorum Varro. Nec leviter id confirmat, quòd res eadem diverso genere efferatur, tum in eadem lingua, tum in diversis. In eâdem, ut *sermo*, & *oratio*; *domus*, & *domicilium*; *crinis*, & *coma*; *capillus*, & *cæsaries* &c. In diversis, quomodo *spiritus* masculinum est, Hebræum רוח *ruach* sæpius femininum, πνεῦμα neutrum: quomodo item *sol* est virile, Germanicum *sonn* femininum. Dicunt enim *die Sonn*, non *der Sonn*. Unde & Solem Tuisconis uxorem fuisse, fabulantur: quemadmodum prodidit Aventinus lib. 1 Annal. Boior.* Nunc quotuplex sit genus, variasque formarum ejus appellationes videamus.

* *Fol. 16. edit. German.*

Genus nominum vel simplex est, vel compositum. Simplex est vel principale, quod natura novit (nam generantium propriè genus est) vel minùs principale. Principale est virile, aut muliebre. Minùs principale est neutrum. Ita vocat Varro 1 de anal. *Utrùm*, inquit, *virile*, *muliebre*, *an neutrum sit*. *Masculinum femininumque* nominat tum

Quinctilianus lib. I, cap. VI, tum Plinius lib. X, cap. LXVIII. Agellius libro quidem IV, cap. I, dixit *genus virile*: sed lib. XV, cap. IX, priùs *virile*, hinc *masculinum* vocat. Posterius hoc etiam, (ex Verrio, ut verisimile est) apud Festum legas in *Masculinum*. Imò & Tertullianus lib. adversus Praxeam appellat *genus masculinum*. Et plenior aliquanto hæc appellatio, quam *virile* genus, cùm *mas* etiam feris conveniat; *vir* nonnisi μεταφορικῶς: ut in illo †,

Vir gregis ipse caper deerraverat.

† Virgil. Ecl. 7.

Idem discrimen est inter genus femininum, & muliebre. Nam femina, tum humanæ est naturæ, tum ratione carentis: at mulier solùm humanæ, ita tamen ut generatim dicatur de virgine nuptâ, & viduâ. Id me docuit hic Tertulliani locus lib. de velandis virginibus: *Naturale*, inquit, *vocabulum est femina, naturalis vocabuli generale mulier. Generalis etiam speciale virgo, vel nupta, vel vidua*, &c. Quin mulier interdum strictè adeò accipitur, ut opponatur virgini. Res nota. Sed si operæ pretium putas, vide hac de re Scipionem Gentilem lib. I Παρεργ. cap. XVI.

Neutrum genus non agnoscunt vel Hebræi, vel Syri: uti neque Pœni: quorum lingua adfinis est Hebrææ, ut ait B. Augustinus de sermone Domini in monte lib. II, & Priscianus lib. V, ac pluribus docet Josephus Scaliger in Notis ad fragmenta veterum adjecta præclaro operi de Emendatione temporum: item Samuel Petitus in Miscellaneis *: Eo autem duplici genere contenti sunt, quia solùm in rebus sexu præditis genus est virile ac muliebre. Itaque hoc utrumque genus *principale* vocat Priscianus in V: Consentius item *naturale*. Rectiùs nihilominus Græci, Latinique, induxere *genus neutrum*. Nam etsi, solùm, ubi sexus est, sit genus masculinum & femininum: propter illa tamen, ubi sexus non est, satius fuit neutrum genus addi, non ut genus novum inducatur, sed utrumque ut negetur. Scio, multa potuisse ἀναλόγως reduci ad alterutrum sexum: quomodo Deus, & angeli, ob dignitatem ejus generis potiùs accensentur viris: terra item feminis annumeratur, quia est omnium nostri mater: ac similiter regio, & urbs, quia utraque est indigenarum mater: adhæc arbor, quia parit fructus, matris instar: ut pleniùs postea explicabitur. Sed enim longè plura sunt, ubi nulla se offert similitudo. Ut in *scamnum*, *templum*, & aliis: ob quæ neutrum genus meritò est inductum: eâ tamen libertate reservatâ, ut in innumera talium copia, vocabulorum alia imitarentur nomina virorum, alia mulierum, alia item, uti neutrum naturâ sexum habent, ita neutro etiam genere gauderent. Quæ varietas non modò ad delectationem fecit; sed etiam ad res meliùs distinguendas. Ita cum *malum* arborem genere dicerent feminino; ac terminatione in recto mutatâ, *malum* fructum in neutro: placuit *malum* in navi genere dici masculino. Quomodo usi Catullus, Ovidius, Lucanus, & Valerius Flaccus. Etiam Festus, cujus hæc verba: *Corbitæ dicuntur naves onerariæ: quod in malo earum summo, pro signo corbes solerent suspendi.* Ut nihil caussæ videatur, cur pro *malo* reponamus *mali*, ex Duzæ ad Lucilium † conjecturâ.

* Lib. 2, cap. 1, 2, 3.

† In Lucilii sat. 15.

De simplici genere diximus. Compositum genus, vel duo complectitur genera, vel tria. Quod duo comprehendit, à Quinctiliano lib. I, cap. IV, vocatur *commune duobus*. Phocas, Diomedes, & Donatus, ἁπλῶς *commune* nominant. Quod tria continet, Fabius ibidem vocat *commune omnibus*. Unde, præter memoratos, Sosipater, Asper Junior, & Consentius. Alii simpliciter *omne genus* appellant. Cur verò Dubii, aut Epicœni generis, non meminerimus, infrà commodiùs ostensuri sumus. Nunc unum tantùm de neutro addam, haut rectè à recentioribus quibusdam *neutri* generis pro *neutrius* putari obsoletum. Nam locuti hoc pacto veteres quique Grammatici, atque adeò Varro ipse lib. II de analogiâ. Nec archaismum hunc refugit Ausonius, amœno isthoc epigrammate *;

* Ep. 49.

Rufus vocatus Rhetor olim ad nuptias,
Celebri fit ut convivio,
Grammaticæ ut artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptiis:
Et masculini, & feminini gignite,
Generisque neutri liberos.

A quo epigrammate, ut obiter hoc addamus, non abludit illud Palladæ in Ἀνθολογίᾳ:

Γραμματικοῦ † θυγατὴρ ἔτεκεν φιλότητι μιγεῖσα
Παιδίον ἀρσενικὸν, θηλυκὸν, οὐδέτερον.

† Grammatici filia peperit mixta amore Prolem generis masculini, feminini, & neutrius.

Significat ἀνδρόγυνον seu hermaphroditum: quod non vidit Jo. Bapt. Pius: ut qui lib. I Annot. prior. cap. III, per neutrum crediderit octimestrem partum intelligi, quia istiusmodi, ex Hippocratis * sententia, & sit, & quodammodo non sit.

* Libro περὶ γονῆς.

CAP. X.

Expenduntur regulæ de iis, quæ significatione unius tantum generis esse cognoscimus. Virorum nomina feminis, feminarum viris tributa. Κυρομαλέτης *unde conflatum. Servii lapsus in* Allia. Albulæ *unde nomen. Virgilii in Culice vetus lectio adversus summum virum defensa.*

Extra omnem controversiam est, bifariam cognosci nominum genus, significatione, & terminatione. Quomodo significatione percipiatur & præcipiatur, canones docent generales: de terminatione autem tractant regulæ speciales. Cùm verò multa Grammatici de utrâque præcepta approbent, quæ non probant: pleraque ea expendere stat sententia. Neque lectorem antecœnâ, aut promulside allicere visum; sed ejus compendium faciens adponam, quæ hujus propria sunt instituti.

Significatione volunt aliquid cognosci masculinum, si sit nomen proprium maris; aut nomen quidem commune, quod appellativum vocant, sed tantùm maribus competens. Ad hanc regulam non reductivè, ut loquuntur, sed propriè ac primò, Deorum nomina referuntur, cùm & sexus iis insit, & liberos gignant, ut voluere nationes. Hinc Arnobius lib. III: *Non enim Deus mas est, sed nomen ejus generis masculini est: quod idem vos dicere religione in vestrâ non quitis. Nam consuestis in precibus, Sive, tu Deus es, sive tu Dea, dicere: quæ dubitationis exceptio, dare vos Diis sexum disjunctione ex ipsâ declarat.*

Pertinent huc quoque nomina angelorum: ut *Cherubim*, & *Seraphim*. In neutro tamen usus vulgatus interpres cap. XL Ezechielis. Ac ne librarii errorem putes, consentiunt antiquissimi manuscripti. Et similiter Græci, τὰ Χερουβίμ, τὰ Σεραφίμ. Ita, ut LXX taceam, est pia doctaque B. Chrysostomi ὁμιλία εἰς τὰ Σεραφίμ.

Quædam nomina, quæ viris tribui solent, feminis donantur, eoque jure adsciscunt adjectiva feminina; & contrà muliebria nomina viris assignata exigunt masculina. Ita *doctum*, & *facundum*, dixerim Mariam, cùm de Majoragio sermo: cui parentes, divinæ matris amore, Mariæ nomen fecerant: sed ipse jam grandior *Maria* nomen, leviculâ mutatione, convertit in *Marcum*; eoque super facto à Fabio Lupo, & Macrino Nigro, accusatus, pro se in senatu Mediolanensi caussam dixit. Nec res hæc veterum caret exemplo. Nam & Romanos olim nomina, aut cognomina virorum, tribuisse interdum mulieribus, & feminarum contra viris; cognoscere est ex antiquis inscriptionibus, in quibus legere est: *Amori conjugi*, *Terentia Amor*, *Vettia Amor*, *Calais Zethi uxor*, *Favor Hermione*, *Ramus Ursula*, &c. Et contra, *Vestius Elpis*, *Aëdon Secutor*, *L. Lauseius L. F. Apotheca*, &c. Inscriptiones ipsas suggeret eruditissimus index Grammaticus editionis Gruterianæ in voce *Nomen*.

Virilis quoque generis esse ajunt nomina officiorum virilium: ut, *consul*, *propheta*, & similia. Verùm multa, licet viros signent, tantùm in muliebri usurpantur, quia magis terminationis, quam significationis habeatur ratio. Ita *operas typographicas* dixerim. Atque hanc loquendi rationem tuebor patrocinio, cùm Servii, scribentis in feminino genere *operas* dici personas, quæ aliquid faciunt; tum imprimis Ciceronis, optimi omnium patroni, ut Catullus * eum vocat. Is enim ad Att. lib. I, epist. XI. *Operæ*,

* Ad M. Tullium epigramm. 50.

ra, inquit, *Clodiana pontem occuparant*, *tabellæ ministrabantur*, *ita ut nulla daretur UTI ROGAS*. Idem ad Quinctum fratrem lib. II, epist. III. *Operæ Clodianæ clamorem sustulerunt*. Et, *Operas autem suas Clodius confirmat*. Itidem Latinè qui sese loqui studeat, haut rectè dicat, *Custodias regis arcisve sui esse muneris admonendos*. Aliter enim Trajanus ad Plinium lib. X: *Nil*, inquit, *opus est*, *mi Secunde charissime*, *ad commendas custodias plures commilitones converti*. Par ratio in *copia*, *vigilia*, *excubia*. Nec *cura* alius, quàm feminini generis est, quando sumitur pro curatore: ut in illo Ovidii *:

* *Epist. Penelopes.*

Tertius immunda cura fidelis hara:

Cumque in Codice, & apud alios Latinos scriptores, *curam palatii* legimus: unde Græci cuderunt suum Κυροπαλάτης. Caussam verò ejus rei non aliam esse arbitror, quàm quod nomina *opera*, *custodia*, *cura*, ac similes, primò & propriè actionem signent, ac per μετωνυμίαν effecti de ipsis hominibus dicantur, reservato genere propriæ significationis. Itaque nec, *Laverna mala*, dicere reformidat Ausonius †; etsi non furum Deam, sed Laverníonem, seu plagiarium significet:

† *Epist. 5.*

Hic est ille Theo, poëta falsus,
Bonorum mala carminum Laverna.

Ob eandem caussam dicimus *multa servitia*, pro *multi servi*. Nam & hic vox *servitii* τροπικῶς sumitur, cùm propriè notet *servitutem*. Sunt qui ad terminationem refugiant. Sed quando omnia in UM neutra putant, valde falluntur; cùm & virorum, & feminarum nomina, generalem regulam sequantur. Ut *Pagnium*, *Glycerium*.

De mutorum animantium propriis vix attinet dicere; cùm æquè iis sexus insit, ac homini. Itaque, ut ea complecteremur, non *viri*, sed *maris* propria dicebamus. Etsi &, κατὰ μεταφορὰν, *viri* nomen iis tribuatur, ut in Eclogis de hirco, *Vir gregis*. Uti & *maritus*, III Georg. de equo:

Quem legêre ducem, & pecori dixere maritum.

Hujus igitur loci sunt, *equus*, *hircus*, *leo*. Et propria, ut *Hylas*, *Melampus*, canum nomina. Item *Pegasus*, *Bucephalus*, *Rhæbus*, qui, Mezentii equus, X Æn. *fortissimus* appellatur.

De nominibus ventorum rectè illud, etsi Hebræis ea sint feminina, Latinis tamen esse virilia. Neque id modò verum est in *boreas*, *corus*, aliisque naturâ substantivis: sed etiam, quæ habent naturam adjectivorum, ut, *japyx*, *subsolanus*: item *etesiæ*, *ornithiæ*; ubi respicitur Græcum ἄνεμοι, vel Latinum *venti*. Cicero lib. II de Nat. Deor. *Etesiæ*, *quorum flatu nimii temperantur calores*. Et lib. II epist. XV: *Etesiæ sunt euntibus in Græciam secundi*, *in Italiam adversi*. Seneca Nat. Quæst. lib. V, cap. XI: *Etesiæ ob hoc somniculosi, à nautis, & delicati vocantur*, *quod*, *ut ait Gallio*, *mane nesciant surgere*. Quæ non satis attendit Barthius Adversar. lib. LII, cap. IV: ubi locum corrigit ex Horatii epistolis adductum à Beda libro de Orthographia. Nam ubi vulgò legitur, *Soles meos omni Ecclesia vestræ commendo*, corrigit, *Soles meos omni Etesiæ vestræ commendo*. Saltem *vestro* dixisset.

Addunt & nomina fluviorum, mensium, montium, partiumque assis, virilis esse generis. Quod quatenus recipi debeat, non defugiam paucis referre: quando & hoc quoque ad lucem in quibusdam vocabulis facit.

Nomina fluviorum ejus mihi generis videntur, quod terminatio requirit. Sin juxta terminationem fuerint feminina, aut neutra, ac nihilominus in masculino usurpentur; id per synthesin fit, quia respicitur *fluvius*: vel potiùs *amnis*, ut alibi dictum. Itaque femininum censeo *Allia*: quomodo in prosa quoque dicendum, non *Alia*, quod Servius putavit, deceptus illo Lucani *:

* *Lib. 7.*

Non istas habuit pugnæ Pharsalia parteis,
Quas aliæ clades:

ubi *aliam*, quod relativum est, malè putavit esse fluvii nomen. *Allia*, inquam, in masculino nunquam invenitur. At in feminino usurpat Lucanus lib. VII.

—— Cedant feralia nomina Cannæ,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.

Σολοικίζειν penè existimem, qui *damnatus Allia* dicere ausit: quamquam non ignorem, multos facere masculinum; quodque in muliebri genere usurpetur à Lucano, id per σύνθεσιν factum putare, ut subaudiat poëta vocem *aqua*. Idem judicant in *Albula* fieri ab Ovidio, cùm IV Fastorum ait,

—— Et tanto est Albula pota deo.

Idemque illo Martialis lib. I, epigr. XIII.

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arces,
Canaque sulphureis Albula fumat aquis.

Itidem vocem *fluminis* respexisse putant Lucanum in illo lib. IV.

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Ilerda.

Ego in hujuscemodi censeam potiùs autores habuisse rationem terminationis. Siquidem vocabula primæ declinationis in A muliebria sunt: & pleraque omnia nomina tertiæ, quæ in R exeunt, neutri sunt generis. Confirmat sententiam meam, quòd in aliis quoque fluviorum nominibus variat genus: sed ita, ut vel masculina sint, vel ejus generis, cujus esse solent, quæ similiter exeunt. Hinc est, quòd quemadmodum apud Maronem *Nar* masculinum est in illo Æn. VII.

Audiit & Triviæ longè lacus, audiit amnis
Sulfureâ Nar albus aquâ, fontesque Velini:

ita apud Ciceronem epist. XV, lib. IV ad Atticum est neutrum: *Lacus*, inquit, *Velinus à M.* (Nam *Manius* dictus; ut rectè Manutio monitum) *Curio emissus*, *intercisο monte*, *in Nar defluit*, non *Narem*. Quamquam ex Maronis loco, quo Priscianus *Nar* masculinum privat, non satis validè id colligas, quia *amnis* antecessit, quicum *albus* possit convenire. Certius argumentum est, quòd Claudianus ait in Panegyrico de Probi & Olybrii consulatu:

—— Et Nar vitiatus odoro
Sulfure. ——

Item Ausonius, Idyll. XII:

Fluminibusque Italis præpollens sulfureus Nar.

Imò Tacitus in I Annalium ait: *Nec Reatini silebant*, *Velinum lacum*, *qua in Narem effunditur*, *obstrui recusantes*. Quomodo, ut puto, Cicero non esset locutus, qui *Nar* accusandi casu mavult, ut vidimus. Cluverius tamen in Italia antiqua arbitratur, Ciceronis locum esse corruptum, ac *Narem* esse reponendum. Quasi, quia Tacitus sic loquitur, cujus ætate lingua Romana multum degeneraverat, eò Cicero ita usurparit, atque ex Tacito is corrigi debeat. Multò minùs movere debent Ausonius, & Claudianus, qui Gratiani demum, & Theodosii temporibus vixere. Ut mittam, quòd illi, poëtarum more, sic loquantur κατὰ σύνθεσιν, quia respiciunt vocem *amnis*. Nihil igitur in Cicerone mutandum, in tanto MSS torum, & veterum, ac recentiorum editionum consensu. *Turia* Probus neutrum esse putavit, eò quòd Sallustius scripserit *flumen Turia*. Sed imbecille hoc est argumentum, cùm & eodem dicamus modo *flumen Allia*; quod tamen femininum. Adde quòd Sallustius * scripsit; *Inter lævam mœnium, & dextrum flumen Turiam*, *quod Valentiam parvo intervallo præterfluit*. Atqui, ut bene argumentatur Priscianus, si *Turia* foret neutrum, *Turia*, non *Turiam*, dixisset Sallustius. Infirmum tamen, quod Priscianus hinc colligit, esse masculinum. Nam ex terminatione non magis esse virile sequitur, quàm muliebre. Imò terminatio potiùs indicat esse muliebre. Nempe ut *Allia* Lucano esse femininum diximus. Ac similiter Ausonius epist. I.

* *2 Histor. apud Prisc.*

—— Egelida stagnantia terga Mosella:

Et Idyll. III:

Matrona non Gallis Belgisque intersita fines.

Ac similiter *Sura*, *Druentia*, *Garumna*, & alia Ausonio muliebria. Quare in prosa vix ausim dicere, *rapidus Turia*, vel *Mosella celebrandus*. Nec aliter hæc in carmine excusantur, quàm quòd per Synthesin respicitur generale nomen *amnis*. Quomodo nempe Tibullus libro I, el. I, ait:

—— Magnusque Garumna.

Claudianus Carm. de laude Serenæ:

—— Et roseis formosus Duria ripis.

Ut in VI Honorii consulatu:

—— Addua visu Cærulus.

Ausonius quoque extremo Idyll. III:

Corniger externas celebrande Mosella per oras,
Nec solis celebrande locis.

Nam propriè dici debuit, *magna Garumna*, *formosa Duria*, atque ita in aliis. Ut bis fallantur, qui hæc quidem putant figurata; propria verò, quæ ex Poëtis proximè adduximus. Contrà enim non in *formosa*, vel *magna*, intelligitur *aqua*: sed *amnis* respicitur in *formosus* & *magnus*. De *Albula* tamen siquis refragetur, non magnopere repugnem, quia id naturâ suâ videatur esse adjectivum ὑποκοριστικόν, ac femininum esse, quia subintelligatur *aqua*. Sanè, Festus*, Servius†, Isidorus‡, testes sunt, Albulam à colore albo nomen habere; qualem ferè sulfureæ habent aquæ. Hinc de ea Statius I Silv.*

Albentesque lacus; altosque in gurgite fontes.

* *In Albula.*
† *In 8 Æn.*
‡ *Orig. lib. 13. cap. 21.*
* *Tiburt. Manlii Vopisci.*

Pausanias quoque in Messeniacis hunc ei tribuit colorem. Est autem Albula flumen ad Anienem viâ Tiburtinâ, ut cognoscimus ex Vitruvii lib. VIII, cap. III.

Negotium quoque facessere vel peritis possit locus hic Maronis in Culice:

—— Sive educat illum
Alma Chimeræo Xanthus perfusa liquore.

Quippe Xanthum, Lyciæ fluvium esse volunt interpretes. Sed Jos. Scaliger legit *Xanthi*, inque *alma* subaudit *urbis* vocabulum. Mihi durius hoc videtur. Quare *Xanthus* retineo; sed non Lyciæ fluvium intelligo, verùm urbem ejus cognominem; quam & vocatam esse *Arnam*, autor est Stephanus περὶ πόλεων, sive potiùs Hermolaus Byzantius in ejus excerptis. Xanthum, Lyciæ urbem, agnoscunt quoque cùm Herodotus, & Dio; tum Strabo, Ptolemæus, & Plinius. *Acheron*, vel *Acherons*, dubium est, secundùm Nonium. Nempe quia Maro dixit, *Acheronte refuso*: Plautus verò Captivis, *Nulla Acherons*. Sed quando in muliebri usurpatur, non fluvius intelligitur, sed locus; qui quasi regio habetur. Unde apud Plautum dicitur, *Acheronte*, vel *Acheronti*, aliquid *fieri*: h.e. apud inferos. Et veteris est Poëtæ apud Ciceronem lib. I. Tuscul. quæst.

Adsum atque advenio Acherunte, vix viâ altâ atque arduâ.

De fluviis satis.

Ventorum nomina sunt virilis generis: ut *Eurus*, *Auster*, *Aquilo*, *Boreas*, *Cæcias*. Atque hæc sunt substantiva: ac naturam sequuntur generalis vocis, quæ Græcis est ἄνεμος, Latinis *ventus*. At *Subsolanus*, & *Africus*, naturâ sunt adjectiva, quæ iccirco masculina sunt κατ' ἔλλειψιν vocis *ventus*. Fortè & *Japyx*: quasi dicas *Japygius*, quia fertur ex Japygia sive Apulia. *Tropæi* quoque adjectivum, ut Græcis τροπαῖοι. Plinius lib. II, cap. XLIII. *Videmus & alios, quos vocant altanos, è terra consurgere ventos. Qui quidem, cùm è mari redeunt, tropæi vocantur; si pergunt, apogæi.* Sed Aristoteli Probl. V, & XLIII, sect. XXVI, dicuntur τροπαῖαι: à recto singuli numeri τροπαία, quo usus Plutarchus in Othone. Atque ut in τροπαῖος intelligitur ἄνεμος, ita πνοὴ in τροπαία. *Etesiæ*, & *Ornithiæ*, virilia sunt, quia Græcis ἐτησίαι, & ὀρνιθίαι, sunt primæ simplicium; quæ tantùm est substantivorum generis virilis. Recto singulo *Etesias*, usus Plinius: cujus verba inferius cap. XIX adducam.

Virili usus Cicero lib. XV, epist. II, ad fam. *Si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo.* Ac similiter Græcis οἱ ἐτησίαι, ut Aristoteli Meteor. lib. II, cap. VI, & libello de Mundo, qui Aristoteli perperam tribuitur. At ἐτήσιοι naturâ sit adjectivum ab ἐτήσιος, *anniversarius*. Atque ita & οἱ ἐτήσιοι dicas, puta ἄνεμοι, & αἱ ἐτήσιαι, nempe πνοαί: ut Apollonius ἐτήσιοι αὖραι: imò & Lucretii est in V:

—— Etesia flabra Aquilonum.

Doctissimus Vir Fredericus Sylburgius, (ut etiam observatum clarissimo & amicissimo Antonio Æmilio, Historiarum apud Ultrajectinos professori) non probè satis hæc distinxit. Nam Græcæ Grammatices lib. III, cap. II, censet, ἐτησίαι dici, intellecto πνοαί. Atqui ἐτησίαι semper virile est, à substantivo ἐτησίας. Adjectivum autem ἐτήσιος, & ἐτησία, in plurali, non ἐτησίαι, sed ἐτήσιοι, & ἐτήσιαι, facit. Par ratio in *Ornithia*, οἱ ὀρνιθίαι, ut est apud Aristotelem sive alium de Mundo. Nempe à recto ὀρνιθίας, quo usus Aristophanes Acharn. ac Plinius quoque lib. II, cap. XLVII. Vide & quæ de Etesiis, ac Ornithiis, inferiùs dicentur cap. XIX.

Mensium nomina masculina quidem sunt; verùm ideo, quia sunt adjectiva substantivè usurpata, ac subauditur *mensis*: quod & interdum exprimitur, ut apud Martial. lib. V, epigr. XVIII:

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappæ.

Et Ovid. I Trist. el. XI:

—— Gelido tremerem cùm mense Decembri.

Verùm hàc de re infrà dicemus, cùm de genere adjectivorum tractabimus.

Montium verò nomina sæpe inveniuntur in feminino. Nam in masculino quidem dixit Ovidius in Ibin:

Utque dedit saltum è summo Thessalus Ossa;
Tu quoque saxoso præcipitere jugo.

Ubi in nonnullis libris, uti Aldinâ editione, quam Naugerius recensuit, est *summa*: sed in vetustioribus, uti Venetâ* Bernardi Novariensis, est *summo*: quomodo & citat Alciatus annotat. in tres posteriores Codicis libros: sed perperam ibidem, *Thessalis Ossa*. Nam intelligit Ovidius Thessalum, Hæmonis filium, quem Euryalus de Ossâ præcipitem dedit. Verùm in feminino dixit Lucanus lib. I.

* *An. 1486.*

—— It tantus ad æthera clamor,
Quantus piniferâ Boreas cùm Thracius Ossa
Rupibus incubuit.

Et quemadmodum in virili genere dixit Seneca in Herc. furent.

Titan summum prospicit Oetam:

ita in muliebri apud Nasonem legimus lib. IX Metamorph.

Implevitque suis nemorosam vocibus Oeten:

& Claudianus lib. de bello Getico†:

—— Et domitis irrisam cautibus Oetam.

† *Vers. 182.*

Sed & Statius utrumque usurpat in feminino, itemque alii. *Othrys* quoque, quo Lucanus lib. VI, & Statius I Achill. in masculino utuntur, Græcis femininum est; unde Strabo lib. IX τῆς ὄθρυος ὄρος. *Ætna* etiam semper femininum esse, nemo nescit: nec aliter *Rhodope* usurpem, & similia; nisi in poësi per synthesin, quomodo *summum Ossam*, & *Oetam*, Ovidius, ac Seneca, dixere. Quare sic censeo, montium nomina propriè ejus esse generis, cujus esse solent similiter exeuntia. Nempe virilia sunt finita in US. Ut sunt *Olympus*, *Pindus*, *Parnassus*, *Vesuvius*, *Taurus*, *Caucasus*, &c. Item in OS: ut *Athos*. Unde Senecæ *præruptus*, Juvenali, *velificatus Athos*. At feminina sunt, quæ terminantur in A, vel E primæ: ut *Ossa*, *Ætna*, *Oeta*, vel *Oete*, *Rhodope*, *Calpe*, &c. Item in IS, ut *Alpis*, quod obsoletum. Sed Claudiani est lib. III, de laudibus Stiliconis:

—— Frondosâ fertur ab Alpe.

Neutra autem sunt desinentia in E tertiæ. Horat. lib. I, od. IX:

Vides, ut altâ stet nive candidum
Soracte.

Item in ON, vel UM: ut *Pelion*, τὸ Πήλιον. Statius in X Thebaidos:

—— Nec adhuc immane veniret
Pelion.

Item pluralia in A: ut *Mænala*, *Ismara*, *Taygeta*. Quod si, quæ muliebria esse diximus, à Poëtis usurpentur in virili: fit hoc, ut dixi, per synthesin, quia respicitur nomen *mons*. Itaque dubium interdum, hoc an illo modo, poëtæ loquantur. Ut in Lucani loco antea adducto: ubi *piniferi* editum in optimâ maximi Grotii editione: nempe ut idem in VI ait:

Sol-

Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys.

Pinifera tamen priori loco est in Gryphianâ: atque etiam Aldinâ, & aliis editt. antiquis.

Quærat aliquis, an non, ut femininis montium nominibus etiam additur adjectivum virile: ita quoque nominibus montium masculinis addatur adjectivum muliebre. Sanè id videri possit, propter hoc Appuleji initio primi Met. ubi *Hymettos* Atticæ mons, & *Tanaros*, Laconicæ promontorium, muliebria videntur: *Hymettos*, inquit, *Attica, & Isthmos Ephyrea, & Tanaros Laconica, glebæ felices, æternùm libris felicioribus condita, mea vetus prosapia est.* Sed rationem hanc arbitror, quòd per *Hymetton*, non mons Atticæ, sed regio Attica; perque *Tanaron* non Laconicæ mons, sed Laconica regio, per synecdochen significetur. Novè igitur sic Appulejus: quemadmodum & *Isthmos* usurpat muliebri genere, quod Græcis semper virile: quam rem suo pleniùs loco tractabimus.

Partes assis cùm masculini faciunt generis, *unciam* excipere debuerunt; de quo siquid addam, quid nisi Soli lumen inferam? Uti & si dicam, composita ab *asse* addi oportuisse: quale præter semissis, quod quidem dicitur quasi *semias*, sed est inter partes assis: Variant *decussis*, *centussis*, & alia, quæ non pars sunt assis, sed assem sæpius continent.

CAP. XI.

Scorti etymon. Pales deus, & dea. Servii in eo error. Ἀφρόδιτος *pro* Ἀφροδίτη. *Macrobii fortè lapsus.* ἡ Θεός. *Stilponis cavillatio ad excusandum dictum, ex Græcorum sententia, impium.*

Significatione esse feminina cognoscimus nomina mulierum propria, ac communia, quæ solis conveniant mulieribus. Ubi excipe neutra in UM; uti *mancipium*, quod tam mulieribus, quàm viris convenit: item *scortum*, quomodo, Festo teste, meretrix vocatur; sive κατὰ μεταφορὰν, quia subigatur ut pelles; sive κατὰ συνεκδοχὴν, velut impura pellis, quam cuivis denudaret. Sanè *pelles* priscè *scorta* appellantur: unde apud Tertullianum de pallio, cap. IV. *scortum Herculis* vocatur leonis pellis. Nam ait, Omphalen, & Herculem, commutâsse amictum: atque hunc Omphales veste sericâ; illam scorto, seu leoninâ Herculis pelle, fuisse indutam.

Nec tamen par ratio est omnium in UM, vel Græcis in ON, finitorum: sed distinguendum inter propria, & appellativa. Propria enim semper sunt feminina: ut apud Athenæum ex Machaone Comico, ἡ Γναθαίνιον, ἡ Γλυκέριον. Apud Plautum Cistellariâ, act. I, sc. I: *Mea Gymnasium, mea Silenium.* Apud Terentium Andriâ act. I, sc. I: *Mea Glycerium.* Cujusmodi, etsi in UM desinant, quæ neutrorum terminatio est, nihilominus sunt feminina, ut Donatus testatur: ac cap. XXIV, ubi de terminatione UM agimus, pluribus probabitur. At dispar ratio in appellativis. Præcipuè apud Græcos: τὸ γυναικίδιον, *muliercula*, τὸ γρᾴδιον, *anicula*; τὸ ἀδελφίδιον, *sororcula*; τὸ κόριον, κορίδιον, κοράσιον, & κοράσιον, *puellula*. Nec multùm abit *scortum*, de quo dictum. Solùm hoc discriminis est, quod ut *mancipium*, ita & *scortum* dicatur masculum. Possis & huc *prostibulum* referre: nisi id tantùm κατὰ μετωνυμίαν videatur dici de scortillo; quia consisteret ante prostibulum, sive anteriorem stabuli locum: quomodo Catullo meretrix vocatur *lupanar*, per metonymiam contenti. Vel nisi malis, id naturâ esse adjectivum, ab antiquo *prostire*, pro *prostare*: ut tum *prostibula* dicatur, respiciendo nomen *meretrix*; tum *prostibulum*, intelligendo *scortum*. Vel etiam, nisi placeat *prostibulum* propriè dici de loco ante stabulum, ubi meretrix consisteret, ut ipsa sic per μετωνυμίαν eandem vocetur *prostibulum*, quomodo Catullo appellatur *lupanar*, quia esset in lupanari. Locus est epigr. XLIII:

Non assis facis o lutum, lupanar.

Sive, ut alii, *oblitum lupanar.* Ut verò hic κατὰ μετωνυμίαν meretrix *lupanar*: ita ad amicam apud Plautum * dicitur κατὰ μεταφορὰν, *meum corculum*: item diminutione à vere, *meum verculum*: apud Terentium Eun. act. III, sc. II, *meum suavium*: quod idem ac γλυκέριον. Sed hoc femininum, quia proprium: *suavium* est neutrum, quia appellativum. At si nominali die id nominis daretur: non dubium, quin, ut *mea Glycerium*, sic *mea Suavium*, esset dicendum.

Sub nominibus feminarum propriis etiam Dearum continentur nomina: quamquam hæc in virili quoque genere inveniri, doctissimi viri tradiderunt. Nempe quia Pales, Dea pabuli, (cui sacra, *Palilia* dicta, XI Kal. Majas fiebant) Varroni in virili genere usurpetur, *hic Pales*, teste Servio ad illud III Georg.

Te quoque magna Pales.

Item quia *Venus* similiter in genere virili dixerit Lævinus: ut mox parebit. Ac denique, quia *Deus* pro *Dea* legere sit apud Maronem, Lucanum, Claudianum. Quibus argumentis ita occurrimus. *Pales* Deus alius est à *Pale* Dea: quod nos docet locus iste Arnobii lib. III adversus gentes: *Casius & ipse assequens Fortunam arbitratur, & Cererem, Genium Jovialem, ac Palem, sed non illam feminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis, ministrum Jovis, ac villicum.* Quæ verba aperte ostendunt, de Pale, Jovis villico, loqui Varronem: quod Servius non animadvertit. Nec mirandum, si *Venus* in masculino dicatur, cùm barbata coli soleat, ac tum mas, tum femina credita sit. Macrobius lib. III Saturnal. capite VIII. *Quidam legunt,*

Descendo, ac ducente Deâ, flammam inter, & hostes,
Expedior:

cum ille doctissimè dixerit, Ducente Deo, non Deâ. Nam & apud Calvum Acterianus affirmat legendum,

Pollentemque Deum Venerem,

non Deam. Signum etiam ejus est Cypri barbatum corpore, sed veste muliebri, cum sceptro ac statura virili. & putant, eandem marem ac feminam esse. Aristophanes eam Ἀφρόδιτον *appellat. Lævinus etiam sic ait: Venerem igitur almum adorans, sive femina, sive mas est, ita uti alma noctiluca est. Philochorus quoque in Atthide eandem affirmat esse Lunam, & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri; mulieres cum virili; quòd eadem & mas æstimatur, & femina.* Hæc Macrobius: qui metuo ne erret in illo Calvi, *Pollentemque Deum Venerem.* Nihil enim prohibet, quo minùs *Deûm* in plurativo sumatur, ut simile sit isti Maroniano IV Æn.

——*Sequimur te sancte Deorum.*

Et isti Enniano, in primo Annalium:

Respondit Juno Saturnia, sancta Dearum.

Sive, ut aliqui malunt, *Deorum.* Nihilo magis Servium audio ad illud VII Æn.

Nec dextræ erranti Deus abfuit.

Ubi sic scribit: *Alecto Deum dicit, sicut de Venere, Descendo ac ducente Deo, Nam numina utriusque sexus videntur ideo, quia incorporea sunt, &, quod volunt, assumunt corpus.* Nec enim eò, puto, respexit poëta: sed Græcos imitatur, quibus Θεὸς utriusque est generis: idque non solùm apud Homerum, Sophoclem, poëtarumque alios: sed etiam Platonem lib. I de Rep. Προσδεξάμενος * τῇ Θεῷ, & Demosthenem initio orationis περὶ στεφ. Πρῶτον † μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, καὶ πάσαις, ὅσην εὔνοιαν ἔχων διατελῶ, &c. Itaque & Stilpo Megarensis, Laërtio teste, cùm negâsset, Pallada εἶναι Θεὸν ‡, eo quòd non Jovis, sed Phidiæ esset: accusatus est ἀθεότητος *: cumque se purgare vellet, quasi Pallada non θεὰν, sed θεὸν esse negâsset, ab Areopagitis, qui hoc judicabant esse ludere in re seriâ, nihilominus solum vertere jussus est.

De mutorum animantium nominibus femineis satis apertum: sive appellativa sint, ut *lea*, vel *leæna*: sive propria, ut,

Issa, deliciæ catella Publi:

de

* Cas. act. 4. sc. 4.

* Approcatus Deam.

† Primum quidem, Athenienses, Deos deasque omnes precor, ut quantum benevolentia constanter habeo.

‡ Esse Deum.

* Impietatis.

de qua Martialis scitè lib. I, ep. cx. Et ut unâ voce tum ratione prædita, tum destituta, complectamur; credo satius sit, vocare regulam de *feminarum* propriis, quàm *mulierum*. Nam, ut mas viro, ita femina latiùs se muliere extendit, ac tam de aliis animantibus, quàm de homine dicitur.

CAP. XII.

Urbes, regiones, insulæ, ejus sunt generis, quod indicat terminatio. Quædam tamen, quæ terminatione sint masculina, aut neutra, in feminino usurpantur figuratè, quia intelligitur urbs, *vel* regio, *aut* insula. *Quæque olim semper figuratè usurpata, iis tutiùs nunc quoque sic utimur.* Italia, Græcia, *& similia, prius videntur fuisse adjectiva. A Servio recessum de recto* Prænestis. *Græcis id oppidum* Πραίνεστος. Narbo *unde* Marcius *dicatur.* Hispal *pro* Hispalis. Tua Lugdunum. Ilios, *&* Ilion. *Lucanus adversus Cæsarem Scaligerum defensus.* Saguntus, *&* Saguntum. Gadiris *Punica appellatio.* Anxur *cur candidum Martiali dicatur.* Acragas *pro* Acrigento: *& utrùm à monte sic, an fluvio dicatur. An dicatur* Lesbon, *&* Abydon *pro oppido opposito Sesto. Versus Valerii Flacci expensus.* Coriolus *singulo numero pro* Corioli. Cerasunti *nomen à cerasis, non contrà. Urbes, & regiones, mulierum specie pingebantur, & quæ ejus rei caussa.*

VEnio ad nomina urbium, ac regionum. In quorum genere tradendo vix dici potest, quàm parum viderint Grammatici. Fons & caput tot errorum est, quòd non cogitarint, urbium ac regionum nomina, quando propriè loquimur, ex terminatione cognosci: quòd si adjectivum adsciscant terminationi adversum, id fieri figuratè: nempe κατ' ἐπίνοιαν, sive σύνθεσιν, quia respicitur *urbs*, aut *regio*, vel *terra*. Hæc quoque sententia quia præter vulgi opinionem est, pluribus est firmanda nobis, ne deinceps facilè imponant tot vani Grammaticorum canones. Ordiar ab iis, quæ vocali terminantur.

In A singulo numero exeuntia, ejus sunt generis, cujus ea esse, terminatio ac declinatio indicant. *Roma*, *Ardea*, *Larissa*, feminina sunt, secundum canona de nominibus in A primæ declinationis: contra *Zeugma* neutrum, prout exigit canon nominum in A declinationis tertiæ. Lucanus lib. VIII: *Zeugmaque Pellæum.* At *Italia*, *Gallia*, *Græcia*, *Syria*, & similia, naturâ suâ sunt adjectiva. Eò autem terminatio iis data muliebris, quia intelligitur *terra*, vel *regio*. Nam *Italia*, *Græcia*, integrè sint *terra Italia*, *terra Græcia*: quomodo & optimi scriptores loquuntur. Appositionem vocant. Nec valde repugno, quandoquidem substantivorum naturam jam propè induerunt. Attamen puto naturâ suâ esse adjectiva. Nimirum Latini imitati sunt Græcos, quibus ιος est vulgatissima Gentilium terminatio. Ut à Βαβυλὼν Βαβυλώνιος: unde Βαβυλωνία, puta γῆ †, aut χώρα *. Sanè, ut Stephanus in Ἀμβρακία ait, τὰ εἰς ια θηλυκά, ἢ εἰς ιον οὐδέτερα ‡. Quemadmodum igitur à *Cyprus* est *Cyprius*, unde *Cypria*, quia intelligitur *Dea*: sic ab *Italus*, sive id viri nomen, sive *vitulum* † signet, esset *Italius*: unde *Italia*, puta *tellus*: pro quo poetæ *Itala tellus*. Ergo *Italia* simile est, ac si pro *Ægypto* diceremus *Ægyptia*, quod integrè sit *terra Ægyptia*. Itidem a *Syrus* est *Syria*; a *Græcus*, *Græcia*; puta *tellus*, & ita in aliis. Qua de re plura dicemus libro de structura cap. II. Ex terminatione etiam cognoscimus neutra esse pluralia in A: ut *Bactra*, *Ecbatana*.

† Terra.
* Regio.
‡ Quæ in ια exeunt feminina sunt, quæ in ιον neutra.
† Temnus, & Varro, teste Gellio lib. 2. cap. 1. Item Columella in proœm. lib. 6, cap. 5. ejusdem libri. Et Festus in Italia.

Etiam in E primæ feminina esse, ex terminatione scitur. Ut *Mitylene*, *Helice*. Ac par ratio pluralium in Æ: ut *Athenæ*, *Mycenæ*. Item terminatio docet esse neutra singularia in E tertiæ: ut, *Reate*. Silius lib. VIII:

> —— *Magnaque Reate dicatum*
> *Cœlicolûm matri.*

Sic Maroni in VII, *altum Præneste*: Horat. od. IV, lib. III, *frigidum Præneste*: Silius lib. VII, *sacris dicatum Præneste*. At κατ' ἐπίνοιαν invenias in feminino: ut apud Maronem lib. VIII:

> *Qualis eram, cùm primam aciem Præneste sub ipsâ*
> *Stravi.*

Ac similiter Juvenalis sat. III:

> *Quis timet, aut timuit, gelidâ Præneste ruinam?*

Scio, Servium, ad Maronis locum illum, annotare, *Dicimus & hoc Præneste, & hæc Prænestis*. Eumque hac in re Grammatici magno consensu sequuntur. Sed *Prænestis* in recto dicere non ausim, cùm passim *Præneste*, nusquam *Prænestis* dicant scriptores. Quare malim assentire Augustino Saturnio; qui lib. X, cap. V, in talibus σύνθεσιν statuit, ut respiciatur ad nomen generis, quod est *urbs*. Imò Priscianus quoque in VII, *Præneste sub ipsa*, interpretatur, quasi *sub ipsâ urbe Præneste*. Sed enim, inquiunt, à *Præneste* in sexto casu esset *Prænesti*. Verùm & à *mare* est ablativus *mare*, pro *mari*. Pluraque ejus notæ inferiùs adferemus. Non multùm tamen cum eo contendero, qui credat, aliquando & *Prænestis*, & *Præneste* dixisse: sed prius exolevisse. Nam si obsoletum credatur, periculi nihil erit, nequis contra veteres *Prænestis* ausit dicere. Et sanè sic aliquando locutos, credere aliquis possit, quia apud Plautum Captivis, ubi Ergasilus Græcè per Latii urbes jurat, legere est: Νὴ τὰν Πραινέστην. Multum tamen metuo, ne Plautus scripserit, τὰν Πραινεστον, ut τὰν ad πόλιν referatur. Πραίνεστος verò hæc urbs Straboni sæpius lib. V dicitur. Ac similiter Appianus lib. I bellorum civilium: Ὡδε μὲν ἡ Πραίνεστος ἑάλω. *Atque ita Prænestus capta.* Item Stephanus, sive Hermolaus Byzantius: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Πραινέστου, ὃ Λατίνου, ὃ Ὀδυσσέως, ἢ Κίρκης υἱ. *Prænestus oppidum Italiæ, sic dictum à Prænesto, filio Latini, qui Ulyssis, & Circes, filius erat.* Imò & τὸ Πραίνεστον in neutro legas apud Ptolemæum.

Ut *gummi*, *moly*; sic neutra sunt, Prisciano † teste, *Illiturgi*, *Aixi*, *Dory*, *Æpy*. Statius IV Theb.

† Lib. 6.

> —— *Et summis ingestum montibus Æpy.*

Nempe, ut antea Homerus in Bœotiâ:

> —— Καὶ ἐΰκτιτον Αἰπυ.
> —— *Bene ædificatum Æpy.*

Pluralia in I terminatione cognoscimus virilia: ut *Delphi*, *Argi*, *Philippi*. Cujusmodi videntur primitus de populis usurpata.

Itidem in O exeuntia per regulam de terminatione virilia sunt. Ut *Sulmo*. Ovid. lib. IV Trist. Eleg. X.

> *Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis,*
> *Millia qui novies distat ab Urbe decem.*

Sic lib. III Amor. eleg. ult. *Sulmonis aquosi*. Et lib. IV Fast.

> *Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, nostræ.*

Item Silius lib. VIII:

> —— *Gelidoque rapit Sulmone cohortes.*

Quibus locis Sulmonem nunc *gelidum*, nunc *aquosum* dici videmus, quia situs est ad duorum amnium confluentem. Itidem ob terminationem virile est *Narbo*, à quo Galliæ Braccatæ factum nomen *Narbonensi*. Cicero pro M. Fonteio: *Est in eâdem provinciâ Narbo Marcius, colonia nostrorum civium.* Ac similiter Ausonius in Urbium catalogo:

> *Nec tu Marcie Narbo silebere.*

Quibus locis *Marcius* scribo per C, quia nomen id à Marcio consule. Nam Narbonem, Porcio & Marcio consulibus, deductam coloniam, refert Vellejus Paterculus. In veteri tamen lapide legas: COL. JUL. PATERN. NARB. MART. Sed metuo, ne lapicidam deceperit, quòd à *Marte* etiam *Martius* diceretur. Vel maluere, credo, Narbonem suum Martium vocare, quasi ab eo haberet Deo nomen, à quo Romani se genus ducere gloriarentur. Quod si Narbo propriè sit virile, consequitur, ut κατὰ σύνθεσιν Martialis in muliebri usurpet, cum lib. VIII, epigr. LXXII ait:

> *Quem pulcherrima jam redire Narbo,*
> *Docti patria Narbo Votieni,*
> *Ad leges jubet, annuosque fasces.*

Etiam

Etiam κατ' ἀντίθεσιν *Sirmio* feminino jungit Catullus carm. XXXII:

Salve, ô venusta Sirmio, atque hero gaude.

Ac *Tarraco* Silius lib. III:

—— Dat Tarraco pubem

Vitifera. ——

Hippo similiter, nunc terminationis ratione masculinum est, nunc per synthesin femininum. Strabo lib. XVII. Ἐνταῦθα εἰ δύο Ἱππῶνες, ὁ μὲν πλησίον Ἰτύκης, ὁ δ' ἀποτέρω πρὸς τῇ Τρητῷ μᾶλλον, ἀμφω βασίλεια. *Duo hic Hippones, alter Utica proximus, alter remotior, & Trito propinquior, ambo regia.* Sillius Italicus lib. III:

Tum Vaga, & antiquis dilectus regibus Hippo.

Plinius lib. V, cap. IV: *Proximum ab oppido, quod Hipponem dilutum vocant.* Διάῤῥυτον *à Græcis dictum propter aquarum irrigua.* Et lib. VI, cap. XXXIV. *Utica, utraque Hippo, Numidia.* Solinus cap. XXX: *Hipponem, Regium postea dictum, item Hipponem alterum, de interfluente freto Diarrhyton nuncupatum, nobilissima oppida.* *Castulo* quoque masculinum est Straboni in III: ubi legas, τῦ Κασταλῶνος. Silius tamen lib. III:

Fulget præcipuis Parnasia Castulo signis.

De iis, quæ vocali terminantur, vidimus. Accedo ad ea, quæ in consonarum aliquam exeunt. Hæc minimùm sunt quinctuplicia, pro consonis finalibus, L, M, N, R, S. Quibus fortasse T addendum. Ordine de iis agemus.

In L finita ex terminatione cognoscimus esse neutra. Ut *Hispal*, *Suthul*. Sillius lib. III:

Et celebre Oceano atque alternis æstibus Hispal.

Est *Hispal* neutrum, etsi κατ' ἀποκοπὴν factum sit ex *Hispalis*, quod ex terminatione femininum agnoscitur. Nisi non tam ex *Hispalis* esse putas, prout Straboni, Plinio, ac Ptolemæo ea civitas vocatur: quàm ex Ἵσπαλον; quomodo Philostrato dicitur. Sanè de ἀποκοπῇ nihil mirum; quando & *animal*, *cervical*, *toral*, & similia, non integra sint, sed per apocopen facta ex adjectivis in *alis*, & *ale* finitis. *Suthul* neutrum esse, ex eo cognoscimus, quòd Sallustius dixerit in Jugurthâ: *Magnis itineribus hieme asperâ pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant.* Nam alioqui dixisset, *Suthulem*. Fallitur igitur Priscianus, qui *Muthul*, & *Suthul*, oppidorum nomina negat esse neutra, quia sunt nomina Punica, ac Pœnorum lingua caret genere neutro, haut secus ac Hebræa, Chaldæaque; à quibus eam solâ differre dialecto, norunt omnes, qui aliquem linguarum Orientis gustum habent. Æquè falsum, quod ajunt, Sallustium iccirco *Suthul* dixisse, quia in Punicis retinere vellet terminationem. Nam hanc sententiam refellit, quòd idem paullo pòst scribat: *Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti, relicto Suthule, in abditas regiones sese, velut cedentem, insequeretur.* Vides, ut *Suthule*, non *Suthul*, dicat. Sed ne Punicis nimis diu immoremur, ad terminationes alias accedamus.

In IM (teste Prisciano lib. V.) *unum proprium, Cim, nomen vici; ut dicit Celsus.*

In UM, vel ON breve exeuntia, ex terminatione esse neutra cognoscimus. Itaque κατ' ἀντίθεσιν dixerit Sidonius carm. V.

—— Nostris petimus succurre ruinis,

Lugdunumque tuam, dum prateris, adspice victor.

Fallunt, qui hinc colligunt, *Lugdunum*, & *Lugdunum* dici. Etsi non ignorem, sic Græcos dicere, Ἴλιος & Ἴλιον. Posterius hoc passim legas. Ac Maronis est in Æn.

—— Cecidistque superbum

Ilium.

At apud Homerum Iliad. Ξ est Ἴλιος αἰπεινή: Iliad. Δ & alibi, Ἴλιος ἱρή: Iliad. X, Ἴλιος ὀφρυόεσσα. Ac, ut ad Iliad. Δ. monet Eustathius, θηλυκῶς πάνθ' ὁ ποιητὴς φέρει τὴν Ἴλιον. † Horatius lib. IV, od. IX:

—— Non semel Ilios Vexata.

Eoque pacto dixit Ovidius epist. Penelopes:

Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis

Ilios, & murus quod fuit ante solum?

† *Feminino genere solitus Homerus hanc Ilion dicere.*

Quem locum eo lubentiùs adduxi, quòd ex eo dilucear, immeritò à Cæsare Scaligero*, ut minùs Latinum, reprehendi illud Lucani lib. IX.

* *Lib. 6 de re Poët. cap. 6.*

Quid prodest miseri basiliscus cuspide Mauri Transactus?

Alterum quoque locum dabo è XIV Metam. fab. X.

—— Postquam alta cremata est

Ilios, & Danaas paverunt Pergama flammas.

Nisi in utroque hoc Ovidii loco *Ilion* legi debet. Ita enim est in vett. MSSis optimæ notæ: ac video id placuisse etiam Scaligero notis in Catullum. Sic *Ilion disjecta*, & *cremata*, dicatur, respiciendo ad nomen *Urbs*: ut integrè sit, *Urbs Ilion disjecta*, & *cremata*. Par ratio est in *Epidaurus* & *Epidaurum*. Priùs masculinum est Homero in Bœotia: ubi legas:

—— Ἀμπελόεντ' Ἐπίδαυρον.

—— Vitibus compositum Epidauron.

At Straboni femininum est, cujus est, ἡ Ἐπίδαυρος. Sed *Epidaurum* est neutrum. Plinius lib. IV, cap. V: *In eo Epidaurum oppidum, Æsculapii delubro celebre.*

Item *Saguntum*, & *Saguntus*. Prius semper neutrum: ut Græcis τὸ Σάγουντον, quod apud Strabonem in III. Nec obstat, quòd eodem libro legas: Σάγουντον, ‡ κτίσμα Ζακυνθίων, ἣν Ἀννίβας κατασκάψας, &c. Nam ἣν respicit πόλιν, κατὰ σύνθεσιν. At propriè Livius lib. XXI, cap. XV, & XXI, ait, *captum Saguntum*. Imò, si Florentinam sequimur Juntæ editionem, similiter Sillius lib. XVII:

‡ *Saguntum, opus Zacynthiorum, quam Hannibal evertit.*

Quid vos, queis claro deletum est Marte Saguntum?

At idem alibi non semel *Saguntos*, vel *Saguntus* dicit. Ut lib. II:

Eminet excelso consurgens colle Saguntus.

Et ibidem:

Nullane jam posthac tua tecta, Sagunte, videbo?

Id potius feminino jungit, ob caussam, quam diximus. Ut lib. III:

Quòd tanto cecidit molimine Graia Saguntos.

Ac ibidem legas:

At puer obsessa generatus ad ora Sagunti.

Et in IV:

—— Rutulam fumâsse Saguntum.

Quamquam in utroque hoc loco etiam à recto *Saguntum* esse possit: ut simile sit, ac *Lugdunum tua*, & *Ilion cremata*. *Colchos* quoque femininum, ut *Ilios*, *Saguntos*. Mirum itaque maximo viro, Joviano Pontano, excidisse illud lib. II, Uraniæ:

At postquam aurato ditatum est vellere Colchos.

Quæ Græcè in ΩΝ exeunt, semper feminino jungi videntur: non tamen, ut puto, terminationis ratione, cùm ex appellativis longè plura in ων virilia sint, quam muliebria: sed κατ' ἀντίθεσιν. Hujusmodi sunt ἡ Βαβυλών, ἡ Χαλκηδών. Scio, Strabonem in III dicere, ὁ Σύκρων: cujus oppidi Sallustius etiam in III Histor. & Silius in III, meminere. Scio quoque, apud eundem in IX esse, ὁ Μεδεών, & ὁ Μαραθών. Sed sermo nobis de Latinis: qui imitantur hîc, non quod Græci quandoque faciunt, sed quod sæpius. Quare, ut Græci ἡ Λακεδαίμων, Καλυδών, Βαβυλών: ita & Latini in his, & aliis, Græcè in ΩΝ finitis. Lucanus lib. II:

—— Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Juvenalis sat. IV:

—— Quam Dorica sustinet Ancon.

Silius in XI:

—— Patefecit amicus.

Alta Croton portas.

Ut Strabo in VI τὴν Κρότωνα. Sæpius quoque Strabo τὸ Πλευρῶνος. Atque ita Ovidius VII Met. fab. XV:

Adjacet his Pleuron, in qua.

Item Silius lib. XV:

—— Regia Pleuron.

Ac Statius in IV Theb.

Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron.

Etiam Catullus, juxta Scaligeri emendationem, *Cranona arisonam* dixerit carm. de nuptiis Pelei & Thetidos.

Quæ in R finiuntur, ex terminatione esse neutra judicamus. Ut *Gadir*. Sallustius lib. II Histor. *Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii, mutato nomine, Gadir habent.* Nam, ut Priscianus lib. V observat, nisi neutrum esset, dixisset *Gadirem*, sive, si malis, *Gaddirem*. Quippe consonam geminant alii. Nomen est Punicum. Pœnorumque linguâ *sepem* notat, ut scribit Solinus*. Cujus sententiam firmat, quod Hebræis גדר, *geder*, seu *gader* idem significat. Sic verò Gades dixere Pœni, quia essent iis sepimenti loco adversus Hispanos.

** Cap. 23.*

Sed de genere hujus nominis objectant, quòd & apud Festum Avienum in orbis descriptione *Gadir* in muliebri legatur:

Gadir prima fretum solidâ supereminet arce,
Attollitque caput geminis inserta columnis.

Verùm Sallustius propriè loquitur, ratione habitâ terminationis: Avienus autem per synthesin ad nomen *urbs* respexit.

Similiter terminatione docemur, *Tibur* esse neutrum. Ut apud Sillium lib. VIII:

Hinc Tibur, Cabille, tuum.

Et *Tuder* apud eundem in VI:

—— *Excelso summum quâ vertice montis*
Devexum lateri pendet Tuder.

Itidem terminationem respexere in *Anxur*. Nam, velut illa in UR plurimùm neutra sunt; ut, *guttur*, *ebur*, *murmur*, *iecur*, aliaque: pauca masculina; ut, *vultur*, *turtur*, *furfur*: nulla autem sint feminina: ita *Anxur* quoque nunquam est femininum, sed vel neutrum, vel masculinum. Neutrum est Livio lib. IV. *Ad Anxur oppugnandum.* Item, *Captum Anxur dictitans esse.* Et alibi semper. Etiam Horatius lib. I, Sat. V:

Impositum latè saxis candentibus Anxur.

Quo ex loco videmus, cur candidum appellet Martialis lib. V, epigr. I:

Seu placet Æneæ nutrix, seu filia Solis,
Sive salutiferis candidus Anxur aquis.

Sed hic masculinum est. Uti & lib. VI, epigr. XLII: *Fluctus Passeris*, (is Campaniæ est locus ad mare inferum) *aut superbus Anxur*. Et lib. X, epigr. LVIII: *Anxuris æquorei placidos, Frontine, recessus.* Ac præivisse creditur Martiali Ennius, cujus est: —— *Volsculus Anxur.* Sed apud Festum est: —— *Volsculi perdidit Anxur.* Ut sententia sit, Volsculi seu Volsci perdidere Anxuris oppidum.

Accedo ad ea, quæ in S exeunt. Ac primò de iis, quæ in AS: ut, *Agragas*. Est id Siciliæ oppidum, de quo fusè Diodorus in decimotertio. Latinis est *Agrigentum*: sive ut in MSSis codd. legas, *Agragantum*. Est verò *Acragas* muliebre Straboni in VI, cùm ait: Ἀκράγαντι ἡ Ἰώνων ἐστι ‡. Sed, ut puto, per Synthesin. Nam aliis est virile: ut apud Laërtium in vita Empedoclis, τὸ μέγαν Ἀκράγαντα: ac similiter τὸ Ἀκράγαντα, Constantino in Themat. Orient. imperii lib. II, themate Siciliæ. E Latinis Maro Æn. III:

‡ Acragas, quæ Ionum est.

Arduus inde Agragas ostentat maxima longè
Mœnia, magnanimum quondam generator equorum.

Juxta Servium quidem Acragas sive Agragas *mons est muro cinctus, in cujus summâ parte oppidum est.* Verùm, ut Servio adstipulari non possim, facit, quòd neque Strabo, neque Ptolemæus, neque Stephanus, neque Plinius, istius montis meminerint. Sed cur *Acragas* virile? Utrùm terminatione, ut *elephas*, *adamas*? quando & apud Strabonem in VI legas, tum ὁ Ἀκύφας: qui, Stephano etiam teste, una est quatuor urbium Doridos: tum ὁ Τάρας, Calabriæ civitas, quæ aliter *Tarentum*. In quo Græcos imitatur Lucanus in V:

Et cunctas revocare rates, quas avius Hydras,
Antiquusque Taras, secretaque litora Leuca.

** Acraganta ab Acragante fluvio sic vocatum.*

An potiùs, quia primò sic fluvius diceretur? Nam urbem Ἀκράγαντα * ἀπὸ τοῦ Ἀκράγαντος ποταμοῦ ὀνομασθῆναι, auctor est Thucydides lib. VI. Idem, Stephano sive Hermolao in Ethnicis testante, scripserat Duris; juxta quem, πλείστας τῶν Σικελικῶν πόλεων ἐκ τῶν ποταμῶν ὀνομάζοντας †. Etsique urbem fluvio cognominem, testes quoque Polybius lib. IX. Ælianus Variæ Historiæ lib. II, cap. XXXIII, & Pindari scholiastes in Olymp. od. III. Sanè amnium nomina sunt virilia: cujus caussam superiùs adduximus.

† Plurimas Siculorum urbes à fluviis denominatas.

Argos terminatione est neutrum. Nec enim simile est, ac λόγος, vel ὁδός: sed uti τεῖχος. Nam Theocriti est,

—— Ἄργος ‡ ἄκρα Πελασγοί.

‡ Argos, seu Græciæ culmina Pelasgi.

Unde liquet, esse primæ contractorum, cujus omnia in ΟΣ exeuntia sunt neutra. Quare terminationis magis, quàm significationis habita est ratio in illo Horatii lib. I, od. VII:

Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.

Et hoc Lucani in sexto:

—— *Ubi nobile quondam*
Nunc super Argos arant.

Sic Plinio*, *Argos Hippium*, & ‡ *Dipsium*, quod Homero † πολυδίψιον: & * *Argos Amphilochium*, quod in Acarnania.

** Lib. 3. cap. 11.*
‡ Lib. 4. cap. 5.
† Iliad. δ.
** Lib. 4. cap. 1.*

Nomina in US, quæ Græcè in ΟΣ exeunt, ac declinationis sunt isosyllabæ, ex terminatione vel declinatione non possunt cognosci: cùm ea Græcis nunc virilia sint, ut ὁ λόγος: nunc muliebria, ut ἡ ὁδός: nunc communia, ut ὁ καὶ ἡ ἄνθρωπος: ac similiter in adjectivis, ut ὁ καὶ ἡ χέρσιμος, φιλόσοφος. Quomodò & Latinis virile est *fructus*, muliebre *manus*, utriusque generis *barbitus*. Hæc caussa est, cur oppida, regiones, insulæ hujusce terminationis ac declinationis partim virilia sint, partim muliebria: sed sæpius muliebria, quia terminatio non refragatur, & favet significatio, sive generale nomen, quod intelligitur. Itaque muliebria sunt & Latinis, & Græcis, ἡ Νίνος, *Ninus*, quæ Hebræis *Ninive*, ἡ Τύρος, *Tyrus*, ἡ Ἔφεσος, *Ephesus*, ἡ Μίλητος, *Miletus*, ἡ Ῥόδος, *Rhodus*, & pleraque alia. Ut in epitaphio Sardanapali apud Clementem ‡:

‡ Lib. 2.

Καὶ νῦν ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.
Sum cinis ipse, Nini magna rex inclytus olim.

At virili genere τὸν Σηστὸν Ephorus dixit, ut auctores sunt Stephanus in Ethnicis, & Eustathius in Dionysii περιήγησιν. Sed muliebri apud Ovidium est epistolâ Leandri:

Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos.

Homerus in Bœotia virili genere ait, ποιήεντ' Ἁλίαρτον, *herbosum Haliartum*: ac Strabo similiter in IX, τὸν Ἁλίαρτον. At paullò pòst idem, Ἁλίαρτος κατεσκαμμένη *Haliartus eversa*. Homerus ibidem virili quidem, ὁ Πύρρασος ἀνθεμόεις *Pyrrhasus floridus*. Cretæ ea urbs. At idem femino inibi: Μύρσινος ἐσχάτη *extrema Myrsinus*. Imò Strabo lib. IX, de Pindi oppido, nunc ὁ Πίνδος, nunc ἡ Πίνδος. Sed Latinis insistamus.

Videtur Ovidius *Lesbos* similiter masculino junxisse XI Metam. fab. I:

Et Methymnæi potiuntur litore Lesbi.

Ita nostri, & aliorum MSSi: ac similiter invenimus in veteri editione, quam Venetiis Bernardinus Novatiensis exhibuit anno cIↄ CCCC LXXXVI. Ac Ninivita Despauterius in masculino itidem adducit. Sed apud eum est,

Et Mitylenæi potiuntur litore Lesbi.

Aliqui respondent, esse à recto *Lesbon*. Sed probandum erat, *Lesbon* dici in recto. Alii ajunt, in melioribus codd. *Methymnææ* legi. Sic sanè est in Aldinâ. Verùm nihil caussæ video, cur ab antiquioribus codd. recedamus.

Abydus in recto dici, extra controversiam est. Nam Straboni in XIII est Ἄβυδος: ac similiter Dionysius in περιηγήσει:

Σηστὸς *ὅπη, καὶ Ἄβυδος, ἐναντίον ὅρμον ἔθεντο.

** Sestus ubi, & Abydus, ex adverso stationem posuere.*

Sed quæritur, an & *Abydon* dicatur. Vulgò ita existimant, propter illud Maronis I Georg.

Pontus, & ostriferi fauces tentantur Abydi.

Nam, inquiunt, alioqui *ostrifera* dixisset. Deinde ajunt, Eustathium, in superiorem Dionysii locum, monere,

nere, dici quoque τὸ Ἄβυδον. Verùm neutrum argumentum satis validum est. Nam Eustathius distinguit inter Ἄβυδος, & Ἄβυδον. Ἄβυδος ait esse nomen urbis, quæ Sesto opponitur: Ἄβυδον esse urbem Italiæ. Idem discrimen assignat Stephanus in Ethnicis. Quare vel hoc discrimen neglexerit Maro, vel rectus non *Abydon* erit, sed *Abydus*, quod Maroni fuerit masculinum: at femininum Valerio Flacco lib. I:

Cœperat à geminâ discedere Sestos Abydo.

Ita enim legendum: nam *discedere* proximè accedit ad *descendere:* ut est in vett. omnibus Mssis, & excusis. Primus Antonius Sabellicus mutavit in *decedere*, probante quidem Giffanio, sed justiùs improbante Carrione.

Video, eruditum virum † putare, *Corinthus* quoque virili genere inveniri. De Græcis non contendam. Nam etsi Strabo, & alii, τὴν Κόρινθον dicant, tamen virili Homerus dicere videtur in Bœotia:

—— Ἀφνειόν τε Κόρινθον *.

† Pasca-sium Grosippum, sive Casparum Scoppium in Grammat.
* Opulentamque Corinthum.

Sed de Latinis non adsentio. Adducit ex Velleji lib. I: *Haletes Corinthum, qui antea fuerat Ephyre, in Isthmo condidit.* Item ex Propertii lib. III, eleg. IV.

Nec miser æra paro clade Corinthe tua.

Verùm in cunctis Velleji codd. invenio, *Corinthum, qua.* Nec Propertii locus ad rem facit, cùm *miser* ad Poëtam, non ad Corinthum referatur. Rectiùs *Coriolus* virile dixisset, propter illud Flori lib. I, cap. XI: *Coriolus quoque (pro pudor) victus adeò gloriæ fuit, ut captum oppidum C. Marcius Coriolanus, quasi Numantiam, aut Africam, nomini induceret.* Hanc lectionem reperi in principe omnium editione. Ac Vinetus etiam se sic in vetustis codd. invenisse, testatur. Puto, primùm mutâsse Philippum Beroaldum. Nam primus is, qui, inventâ typographiâ, medicam huic scriptori manum admôrit: sed sæpius nihil minus, quàm medicam. Beroaldi editionem secutæ cæteræ: in quibus nunc legitur: *Coriolos quoque (pro pudor) victos adeò gloriæ fuisse.* Nempe quia Livius semper *Coriolos* vocat. Uti & Valerius Maximus lib. IV, cap. III, & Plin. lib. III, cap. V. Sed Græci singulo appellant numero: genere tamen muliebri. Nam iis est Κοριόλα, vel Κοριόλλα: ut videre est ex Dionysii Halicarn. lib. IV, & Stephano in Ethnicis.

Etiam terminatio respicitur in *Pontus:* quod non pro mari tantùm, sed pro Asiæ quoque regione, quam Mithridates tenuit, masculinum est. Cicero pro lege Maniliâ: *Primùm ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur.* Ac Strabo passim in XII, ὁ Πόντος. Sic Πόντος Πολεμωνιακός, apud Stephanum in Ethnicis. Imò & Ptolemæum Geogr. lib. V, cap. VI, Πόντου Γαλατικοῦ, Πόντου Καππαδοκικοῦ, Πόντου Πολεμωνιακοῦ. Ac de Ponto Europæ, ubi Ovidius exulavit, idem dixerim. Ovid. lib. III de Ponto, el. V: II ad Maximum:

Nil igitur totâ Ponti regione sinistri,
Quod mea sedulitas mittere posset, erat.

Et lib. IV, eleg. XII ad Tuticanum:

Sed priùs huic desint, & bellum, & frigora terra,
Invisus nobis quæ duo Pontus habet.

Ratione terminationis masculina sunt nomina in US, quæ Græcè exeunt in ΟΥΣ, & ex ΟΕΙΣ contracta sunt: ut *Daphnus*. Stephanus: Δαφνοῦς, Φωκικὴ πόλις, ἀρσενικῶς λεγομένη *. Sic *Pessinus*. Herodianus lib. I: Ἐν τῷ προειρημένῳ Πεσσινοῦντι *in prædicto Pessinunte.* Similiter Latini. Cic. in orat. de Aruspicum respons. *Qui acceptâ pecuniâ Pessinuntem ipsum, sedem domiciliumque Matris deorum, vastâris.* Ac post pauca: *Pessinuntem per scelus à te violatum, & sacerdote sacrisque spoliatum recuperavit.* Parem rationem esse ajunt in *Amathus*, *Trapezus*, *Opus*, *Hydrus*, *Phlius*, & similibus. Ovidius † tamen dixit,

* Daphnus Phocidos civitas, masculino sic genere vocata.
† Met. 10.

Piscosamque Gnidon, gravidamque Amathunta metallis.

Sed hoc καθ᾽ ὑπόνοιαν factum arbitramur. Nam ratione terminationis esse masculinum, arguit illud, quod Ἀμαθοῦς fit ex Ἀμαθόεις. At illorum in όεις femininum est όεσσα: ut μελιτόεις μελιτοῦς, *melleus*, μελιτόεσσα μελιτοῦσσα, & Atticè μελιτοῦττα. Quare & *Cerasus*, quæ Ponti urbs, natura masculinum: nam Græcè est Κερασοῦς ex Κερασόεις: quomodo ea urbs vocata à cerasorum abundantia. Scio, Laurentium apud Athenæum lib. II putare, *cerasa* dicta, quia Lucullus, victo Mithridate ac Tigrane, ab urbe Cerasuntis in Italiam transportârit cerasos. Sed cerasorum nomen multo antè Græcis notum: ut ex Theophrasto † constat. Idemque Athenæus ostendit ex Diphilo Siphnio, qui sub Lysimacho, uno τῶν Διαδόχων * Alexandri, vixit. Et quid multis opus? Ipsum nomen Κερασοῦς, quod ex Κερασόεις, arguit, non cerasis ab oppido Cerasunte, nomen esse, quod Latinorum plerique prodiderunt; sed contrà oppidum esse vocatum à cerasis; ut Ῥαμνοῦς, Σελινοῦς, aliaque oppida, nomen sumsere ab eo, quod istic loci magnâ copiâ succresceret. Nempe Σελινοῦς ex Σελινόεις, quia feliciter ibi proveniret apium, quod Græcis σέλινον, uti vulgò *petroselinum*. Ῥαμνοῦς ex ῥαμνόεις, ἀπὸ τῆς ῥάμνου, h. e. *spinis*. Sed si est ῥαμνόεις, mirum, Pompejum Melam * scribere: *Rhamnus parva, illustris tamen, quòd in eâ fanum est Amphiarai, & Phidiaca Nemesis.* Nempe vel hic quoque ad σύνθεσιν recurrendum: vel dicendum, locum esse corruptum. Pincianus quidem legendum conjectabat: *Rhamnus, & Oropus parva, illustres tamen, quòd in hac fanum est Amphiarai.* Sed sic quoque *Rhamnus* muliebre erit. Et omnino audacius vox tota cum copula inseritur: ut alia mittam, cur placere hoc non possit. Quanto verisimilius maximus Salmasius, qui, in Plinianis exercitationibus, *Rhamnus* putat corruptum esse ex *Rhamna*, vel *Rama:* hoc ex *Harma*. Nam τὸ Ἅρμα, locus ille, ubi Amphiaraus curru excidit, vel, secundùm alios, cum curru suo est absorptus. Strabonem, Pausaniam, Stephanum, vide.

† Histor. Plant. lib. 3. cap. 13.
* Successorum.
* Lib. 2. cap. 3.

In YS desinentia, muliebria fuerint, instar appellativorum *chelys*, *chlamys*. Sanè *Gortys*, Γόρτυς, femininum est Homero in Bœotia.

Atque hæc de exeuntibus in S.

Quod si pro *Nepete*, quæ Tusciæ civitas, etiam *Nepet* dicitur; ut legere est in nonnullis codd. Frontini de Coloniis cap. V; item Plinio lib. III, cap. V: haut dubium, quin Priscianus lib. V, ubi loquitur de terminatis in T, rectè statuat, neutrum esse: sive spectes integrè, quia ex *Nepete* factum, quod ex terminatione declinationeque neutrum esse constat: sive consideres κατ᾽ ἀποκοπήν; quandoquidem & in T finita sunt generis neutri. *Nepete* autem in veteri etiam inscriptione legas: uti Νέπετα apud Ptolemæum, Νέπιτα apud Strabonem in V. Nil mirum verò, si per apocopen pro *Nepete* dicatur *Nepet*, cùm & totâ syllabâ recisâ dicatur *Nepe*, ut apud Vellejum lib. I, & in veteri tabula Itineraria: ac similiter Νέπη vocatur Procopio lib. IV rerum Gothicarum.

Luculentè satis mihi videor comprobâsse, urbium, regionum, insularumque nomina, naturâ suâ proprieque ejus esse generis, quod terminatio ostendit: sed quia usus ubique spectandus, in multis non tam debere terminationem attendi, quam nomen aliquod, quod intelligitur: nempe *urbs*, *civitas*, *regio*, *terra*, vel simile: sive in Græcis, πόλις, χώρα, γῆ: quæ convenit terminationem habere femininam. Caussam ejus terminationis siquis quæritat, dicam eo muliebrem terminationem ab auctoribus linguæ Latinæ accepisse, quòd *terra*, & *urbs*, indigenis sint instar matris. Atque icirco urbes olim feminarum specie pingebantur: ut constat ex Romanarum provinciarum libro. Unde etiam est, quòd Tertullianus Uticam sororem Carthaginis vocat primore libro de Pallio: *Sic & in proximo soror civitas vestiebat, & sicubi alibi in Africa Tyros. At cùm secularium sortium variavit urna, & Romanis Deus maluit: soror quidem civitas suopte arbitrio mutare properavit.* Hebræis quoque Hierosolyma dicitur *filia Sion*. Et gentibus Tellus Dea, non Deus: & Martialis est *,

Terrarum Dea, gentiumque Roma.

* Lib. 12, ep. 8.

Nimi-

Nimirum terra quæque, seu ea urbs, seu regio vel insula, matris instar alit incolas: & Roma terrarum Dea, quia tot terris præsideret: & Tellus non Romanis modò, sed Græcis quoque Dea: *alma mater*, Livio Lib. VIII: inque sacris sic vocari solere, ait Macrobius lib. I, Saturnalium, cap. XII. Puta, quia matris instar alit universos. Ut eàdem de caussâ, & Tellus, quæ terrarum orbem notat, & partes ejus, velut urbes & regiones, feminis accensentur. At paullò aliter civitas, unde coloniæ deductæ, Græcis μητρόπολις dicta, Plinio etiam in epistolis, *mater civitas*. Nempe non tam, quia matris instar aleret: quam quia, cives suos in nova mittendo oppida, quasi ex se oppida nova pareret.

CAP. XIII.

Cur arboribus impositum sit nomen feminini generis. Aliquorum lapsus in genere vocis suber. *Prisciani geminus error.* Pinaster *cujus generis sit, conjectandum ex voce* oleaster. *De quo ipso non satis rem apertam esse.* Buxum *pro ligno, & arbore.* Ulmus maritus, *vel* marita. Thus *pro arbore. In quo H. Stephanum deceptum videri.*

QUemadmodum verò urbium, regionum, insularum nomina, non sunt naturâ suâ certi generis, proprieque eorum genus ex terminatione æstimatur; sed sæpe tamen alius sunt generis, quàm terminatio indicat; imò quædam semper in alio genere usurpantur, idque figuratè, quia respiciatur ad nomen vocis intellectæ, quod est *urbs*, *regio*, vel *insula:* ita etiam arborum nomina, quæ Grammatici naturâ suâ & propriè feminina esse volunt, naturâ, ac propriè sæpe masculina, sæpe feminina, sæpe sunt neutra; nempe pro terminatione suâ, quæ variat: figuratè autem etsi terminationis ratione forent masculina, aut neutra; in feminino nihilominus usurpantur, quia respicitur nomen *arbor*, quod est femininum. Quod siquis quærat, cur Latini, etsi illa in OR, vel OS, exeuntia potiùs essent virilia; ut, *lepos*, *lepor*; *odos*, *odor:* nihilominus *arbos*, sive *arbor*, jusserint esse femininum: caussam non possim magis idoneam afferre, quàm quòd arbores, instar matrum, fructus pariant. Unde Ovidius in Nuce:

Pomaque læsissent matrem, nisi subdita ramo
Longa laboranti furca tulisset opem.

Pindarus quoque Nem. IX, vinum vocat —— βιατὰν ἀμπέλου παῖδα *, & Plautus Amphitr. act. I, sc. I, ait:

ME. *Cadus erat vini: inde implevi birneam.*
SO. *Ingressu'st viam.*
ME. *Eam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.*

* *Violentum vitis filium.*

Ubi vinum designat non dilutum, sed prout natum vite.

Ac similiter stolones, virgulta, ac rami, quasi arborum sive potiùs caudicis earum pulli ac liberi censentur. Maro II Georg.

—— *Parnassia laurus*
Parva sub ingenti matris se subjicit umbrâ.

Et mox:

Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis.

Item Seneca in Troadibus † (ea enim vera Τρῳάδες, non *Troas*)

Quæ tenera cæso virga de trunco stetit,
Par ipsa matri tempore exiguo subit.

† *Vers.* 540.

Et Plinius lib. XII, cap. V: *Superiores ejusdem rami in excelsum emicant, sylvosâ multitudine, vasto matris corpore.* Ex quibus liquet, convenientiùs naturæ Latinis *arbor* esse femininum, quàm Græci dicunt τὸ δένδρον, vel δένδρον. Sed ut in eo dissident, ita in hoc tamen conveniunt, quòd arborum speciebus magnâ ex parte terminationem dedere, vel femininam planè: vel saltem, quæ utrique esset generi communis. Siquidem Latini vel femininam tribuere terminationem A, ac primam declinationem; ut, *betula*, *hedera*, *myrica*, *olea*, *palma*, *tilia:* vel femininam X; ut, *ilex*, *larix*, *nux*, *salix*, *tamarix:* vel femininam *us*; quæ terminatio, ut Græcis ΟΣ etiam Latinis utriusque erat generis: unde *socrus* de femina, quo olim & de viro usi. Similiter igitur & feminina istæc in *us: alnus*, *amygdalus*, *arbutus*, *buxus*, *caprificus*, *cedrus*, *cerasus*, *cornus*, *corylus*, *cupressus*, *ebulus*, *fagus*, *ficus*; *fraxinus*, *juniperus*, *laurus*, *lentiscus*, *lotus*, *malus*; *mespilus*, *morus*, *myrtus*, *picea*, *pirus*, *platanus*, *pomus*, *populus*, *prunus*, *quercus*, *ruscus*, *sambucus*, *sorbus*, *terebinthus*, *ulmus*.

Græcis itidem fere desinunt in A sive H, vel in ΟΣ. In A, vel H: ut, ἀκτὴ *sambucus*, ἀμυγδαλῆ *amygdalus*, δάφνη *laurus*, ἐλαία *olea*, ἐλάτη *abies*, ἰτέα, vel ἰτέη *salix*, καρύα *nux*, κλήθρα vel κλήθρη, quæ putatur *alnus*, κοκκυμηλέα *prunus*, μελία seu Ionicè μελίη, *fraxinus*, μεσπίλη *mespilus*, μηλέα *pomus*, μορέα *morus*, ὄα vel ὄη, quæ & ὄη ac οἴη, *sorbus*, πεύκη *picea*, vel *larix*, πτελέα *ulmus*, συκῆ *ficus*, φιλύρα, *tilia*.

In ΟΣ, ut ἡ ἄπιος *pirus*, ἄρκευθος *juniperus*, ἔβενος *ebenus*, κυπάρισσος *cupressus*, πλάτανος *platanus*, πρῖνος *ilex*, πύξος *buxus*, (etsi masculinum dicat Germanus Valens†) σφένδαμνος *acer*, τέρμινθος vel τερέβινθος *terebinthus*, φηγὸς *fagus*, ἡ ἄμπελος *vitis*. Pauca in ξ, ut σμῖλαξ *taxus*; vel ῦς, ut δρῦς *quercus*.

† *Natis in* 2 *G. vers.* 449.

Sed siquis propterea censeat, cuncta arborum nomina esse muliebria; næ is planè à veritatis via in errorum aliquot semitas fugit. Nam Græcis est ὁ κότινος *oleaster*, ὁ φελλὸς *suber*, ὁ κισσὸς *hedera*, ὁ φοῖνιξ *palma*, ὁ συκάμινος *morus*, ὁ ἐρινεὸς *caprificus*, ὁ κρότων *croto:* ac interdum ὁ κόμαρος *arbutus*. In masculino enim usus Amphis apud Athenæum in secundo. Similiterque ὁ καὶ ἡ ἄκανθος *acanthus*. Ac quanquam κοινῶς dicatur ἡ βάτος *rubus:* Atticè tamen est ὁ βάτος, ut est apud Thomam in ἐκλογαῖς.

Apud Latinos quoque *suber*, quod juxta regulam Grammaticorum femininum sit, tantùm est neutrum. Plinius lib. XVII, cap. XXIV ait: *Excepto subere, quod sit etiam juvatur.* Quem imitatus Gaza, in tralatione Theophrasti; rectè dixit *leve suber*. Sunt qui cum Ninivita virilis generis fecerint, suamque sententiam stabilire sint adnixi isthoc ejusdem scriptoris lib. XVI, cap. XXV, vel juxta codices alios XXVI: *Serotino autem germine malus* (subintellige ex superioribus *germinat*) *tardissimus suber*. Quomodo etiam legitur in editione Parmensi anni CIↃCCCLXXVI. Sed in posterioribus, ac Dalecampianâ quoque est, *tardissimo suber*. Nec aliter legendum: quâ in re quoque deceptus Verrepæus, Grammaticus alioqui non infimæ notæ: item Rob. Steph. in Thesauro, ubi omnis esse generis censet. *Spinus* Priscianus quidem masculinum facit; neque eum id in veteribus hoc genere invenisse inficias iverim. Interim tamen sententiam suam haut cujusquam testimonio adstruit. Eo autem Prisciano hic minus stare ausim, quod idem *acer* faciat femininum, cùm apud Ovidium legamus lib. I Amor. Eleg. XI:

Subscribam, Veneri fidas sibi Naso tabellas
Dedicat: at nuper vile fuistis acer.

Imò & apud Plinium est, *acer Gallicum*, *acer montanum*. *Oleaster* virilis esse generis, constat ex illo Maronis Georg. II.

Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus.

Sed Tullius videtur usurpare in feminino. Verba ejus sunt lib. III in Verrem *: *Hominem corripi, ac suspendi jussit in oleastro quadam: quæ est arbor, judices, Ætnæ in foro.* Ita legitur is locus in editionibus etiam Roberti Stephani, & Paulli Manutii: item eâ, quâ orationem hanc seorsim cum suis ex veteri codice castigationibus edi Lovanii curavit Petrus Nannius. Solus Lambinus legendum ait, *oleastro quodam:* sed invitis libb. Non dubium verò est, quin *pinaster*, aliaque ejusdem terminationis (quâ sylvestrem, nothamque stirpem significari, satis constat) ejusdem sint generis ac *oleaster*. Quare si sanus est ille Tullii locus, reprehendi non debet doctissimus Gaza, quòd in IV Theophrasti *pinaster* dixerit in feminino.

* *Pag.* 159. *b. edit. Ald.*

Robur, & *siler*, neutra sunt. Uti & in *um* terminata.

Ut

Ut *ligustrum*. Plinius lib. XVI, cap. XVIII: *Ligustra tesseris utilissima.* Item *buxum*. Nam contrà quàm Priscianus scripsit lib. V, sæpius quidem hoc lignum notat, ut cùm Maro * ait:

* 7 Æn.

—— Stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum:

Verùm interdum quoque & arborem ipsam significat: quemadmodum indicat isthoc Nasonis lib. III de arte amandi:

Nec densum foliis buxum, fragilesque myrica,
Nec tenues cytisi, cultaque pinus abest.

Docent hoc ipsum Nonius Marcellus in *buxum*, Junius Philargyrius in II Georg. qui & Ennii id testimonio confirmat; item Servius in IX Æn. ad illud Maronis:

Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia matris Idææ.

Cupressus Ennio est virile: de quo sic Gellius lib. XIII, cap. XIX. *Ennius rectos cupressos dixit contra receptum vocabuli genus, hoc versu:*

Capitibus nutantis pinos, rectosque cupressos.

Firmior ei credo, & viridior sonus esse vocis visus est, rectos dicere cupressos, quàm rectas. Sanè Maro maluit, *—— Aërea cyparissi.* Sic veteribus etiam masculina fuere *platanus*, & *populus*, teste Prisciano. Nempe ex terminatione de genere judicarunt. Posteriores prætulere femininum, quia intelligerent vocabulum *arbor*. Nec dissimile admodum, quod Catullus dicat de vite Carm. LXI:

At si forte eadem est ulmo conjuncta marito.

Plinius verò de iis lib. XIV, cap. I. *In Campano agro populis nubunt, maritasque complexæ cacumina æquant. Populus marita* ait, figuratè, quia intelligitur *arbor*. Propriè magis Catullus, sive terminationem US spectes, sive quòd, cui aliqua nubit, non *marita* est, sed *maritus*.

Libani nomen videntur veteres Latini ignorâsse. Virgilius Georg. lib. II appellat *thuream virgam*; Columella lib. III, cap. VIII *thuream plantam*; Plinius lib. XII, cap. XIV *arborem thuriferam*. Pindarus, & Euripides, usurpant in feminino; at sæpius in masculino invenitur. Vide Phavorinum. *Thus* pro arbore invenisse se negat Henricus Stephanus †. Obducunt quod Plinius lib. XII, cap. I dicat *lignum thuris*: & lib. eodem cap. XIV *virgas thuris*. Imò & ab eodem, *εὐφημίας* vitandæ caussâ, *thuris arbor* vocari soleat; quomodo Cicero * etiam *fici arborem* dixit pro fico. Sed enim liceat dicere, hic *thus* semper sumi pro eo, quod in aris, & acerris incenderetur divini honoris ergo. Ut *thuris* arbor idem valeat ac *thurifera arbor*. Sanè *thus ἁπλῶς* pro arbore thuris, sive thurifera non ausim dicere. & ut aliter esset, cujus generis sit *thus* pro arbore, ex veteribus doceri nequit.

† In Thesauro L. Græcæ, voce Λίβανος.
* Pro Flacco.

CAP. XIV.

In nominibus fructuum non significatione, ut creditum, sed terminatione genus cognosci. Apicius *non scriptoris de re culinaria, sed operis nomen videri. Quando is repertus. Marco Apicio nomen Gavio.* Galbulus *seu* galgulus. *Ut vetus Aristotelis interpres, pro exemplo Aristoteleo, aliud ex Martiale in tralatione suâ reposuerit. Morbi genus unde* ficus, *&* σύκωσις *vocetur. An* ficus *pro fructu in virili genere rectè dicatur.* Grossus, *utriusque generis.* Glans *an pro arbore sumatur.* Φηγὸς *pro glande. Jovianum Pontanum perperam* sorbus *pro* sorbum *posuisse. Literarum nomina in genere muliebri. Earum Græca nomina sunt ἄκλιτα.* Τὰ *σίγματα, apud Xenophontem, & ut Helladius putârit, Xenophontem in eo corrigendum.*

VEnio ad ea, quæ Grammatici significatione ajunt neutra cognosci. In quibus primum dant locum nominibus fructuum. Sanè scio, Diomedem quoque in primo, ac Priscianum in quincto, tradidisse, uti arborum nomina sunt feminina, ita nomina fructuum sæpe esse neutra. Sed exempla, quæ Priscianus adducit, in UM desinunt; ut, *malum*, *myrtum*, *arbutum*; quæ terminatione sunt neutra. Aliter si finiantur, nihil eorum regulâ vanius. Ita *oliva*, & *galla*, sunt feminina, quia in *a* exeunt. Ut *avellana* quoque, & *castanea*; quæ naturâ sunt adjectiva: eò autem in muliebri sumuntur, quia integrè est *nux Avellana*, vel *Abellana*, ab Abella, Campaniæ civitate: item *nux Castanea*, à Castana, urbe Thessaliæ, quæ Nicandro, Κασταναία. In US verò sunt masculina, vel feminina, aut communia. Masculinum est *dactylus*, ut Græcis ὁ δάκτυλος. Aliter φοινικοβάλανος vocatur. E Latinis priori usus Cælius Apicius, opere de re culinariâ, sive M. Cælius vel Cæcilius in Apicio, seu de re culinariâ opere. Cælii nomen aut vidit, aut visus sibi videre Albinus Torinus in semilacero, & squallore obsito libro insulæ Megalonensis: quem editione suâ expressit. Sed apud Philippum Bergomatem * reperio, temporibus Nicolai Papæ (de tempore hoc etiam Hermannus Buschius convenit) ab Enocho Asculano inventum fuisse, ut Porphyrionem in Horatium, ita M. Cæcilium Apicium. Ubi non dubito, quin M. Cælium, vel Cæcilium Apicium dicere voluerit. Eoque, si conjecturæ sit locus, existimem, auctorem operis esse M. Cælium, vel Cæcilium: hunc operi fecisse nomen *Apicio*, quia ageret de re culinariâ: nempe ab illo, ut Plinius * vocat, *nepotum omnium altissimo gurgite*, Marco, non Cælio, sed Gavio Apicio, ut Dio appellat lib. LVII. καὶ τῶν περιέργων. Similiter masculinum est *galbulus*, seu *galgulus*. Utroque enim modo ea vox in vett. codd. scripta invenitur. Varro lib. I de R. R. cap. XL. *Ut cupressi: non enim galbuli, qui nascuntur, id est tanquam pila corticea.* Significat τὰς κωνοειδεῖς τῶν καρπῶν σφαιροειδῆ †: ut est apud Theophrastum lib. I de caussis Plantarum: quem hoc loco Varro expressit. Glossæ Isidoro tributæ: *Galgulus, baca, πυρήν.* Onomasticon vetus: *Galbuli, σφαιρία.*

* In Chronico Supplemento ad annum 1454.
* Lib. 10, cap. 48.
† Cypressi fructum orbicularem.

Nec regulam sequitur *ficus*: sed ambigere liceat, an cùm ea vox pro fructu sumitur, nunc secundæ sit declinationis, ac generis virilis: nunc declinationis quartæ, ac generis muliebris; ut plerique existimant. Prolixa hac de re exstat epistola cujusdam Christophori Scobari Bæthici, centuriæ epistolarum philologicarum inserta à Goldasto. In quo illud ridiculè, quod ex Aristotelis libro priori de Sophisticis elenchis testimonium petat de genere vocis *ficus*. Nempe apud eum legi ait hoc exemplum, *ficus maturas*, & *ficos*: alterumque horum esse solœcismum, secundùm Cæcilianum. Nec attendit, apud Aristotelem esse exemplum ex Protagora de μῆνις, & πήληξ: at veterem interpretem * in tralatione suâ, quia Græca exempla Latino minùs sermoni convenirent, in ipso philosophi contextu pro eo reposuisse exemplum contentiunculæ de voce *ficus* inter Cæcilianum, & Martialem: qui quatuor seculis post Aristotelem vixit. Sanè nemo sapiens hoc factum interpretis probârit. Sed rem ipsam videamus. Imprimis controversia est de genere masculino; quod qui tribuunt, tuentur opinionem suam isthoc Plinii lib. XIV, cap. XXVI: *Fici mirabiles fiunt, & abortivi, qui nunquam maturescunt.* Et hoc Macrobii lib. III, cap. X. *Grossi appellantur fici, qui non maturescunt.* Verùm apud Plinium hodie legimus: *In ficis mirabiles sunt & abortus, qui nunquam maturescunt.* Et apud Macrobium ediderunt: *Grossi appellantur fici, quæ non maturescunt.* Non tamen desunt argumenta, quibus vetus Macrobii lectio defendatur. Quippe pro illo facit, quod à *ficus* ὑποκοριστικῶς dicatur *ficulus*, apud Plautum Sticho. Fateor interim argumentum hoc non esse admodum validum, quia quædam diminutiva non retinent genus primitivi: ut *veretilla* à *veretrum*, aliaque id genus. Quare altera quoque accedat ratio. Ea esto, quòd virile sit pro morbo: ut ex Martiale * videmus, uti & Marcello Empirico †: ac verisimile sit, idem esse genus, sive pro fructu, sive pro morbo sumatur; quando morbus ita vocatur ob fructus similitudinem; idque non apud Latinos modò, sed etiam Græcos. Docent id hæc Celsi verba lib. IV, cap. III: *Est etiam ulcus, quod à fici similitudine σύκωσις à Græcis appellatur.* Interim ne hæc quidem

* Editus cum Averrois comment. Venetiis ab Octaviano Scoto anno 1496.
* Lib. 1, ep. 66.
† Cap. 3.

ratio istiusmodi est, ut ad assensum cogat pertinaces. Quare tertia accedat, Lucillii autoritas in v iat.

Sicuti cùm primus ficos propola recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

Citat Nonius in *Primitus*, & *Dare*. Utrobique verò *paucos*, non *paucas* habent editiones cùm veteres, uti Aldina, & hæc antiquior Mediolanensis; tum recentes omnes, etiam optima Josiæ Merceri. Sed hìc quoque *paucas* scribere jubent: imò & *primas ficus* priori in versu legunt, ubi in libris quibusdam est *primos*. Sed scripsit Lucillius *primus*, ut Nonius Aldinus habet in *Dare*. In hoc doctorum conflictu, non negârim, pro morbo tutiùs usurpari in masculino; pro fructu autem in feminino; idque tum in secunda, tum quarta declinatione. Varro lib. 1 de R. R. cap. XLI. *Fici enim semen naturale intus in ea fico, quam edimus.* Et mox: *Tum enim resticulas per ficos, quas edimus, maturas perferunt.* Martialis lib. 1, epigr. LXV.

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci.

Prout etiam legit Priscianus in sexto. Pro quo Valerius Probus in Catholicis habet *ficos*: qui & sequentem versum sic adducit,

Dicemus ficus Cæciliane tuos.

Nihilo magis *grossus* (quo singulo numero usus Plinius*) regulam sequitur de fructuum nominibus: ut quod nunc masculinum sit, nunc femininum. Nam quemadmodum in virili genere dixit Celsus lib. V, cap. XII; *Grossi aquâ decocti:* & Columella lib. de arboribus cap. XXI; *Cùm grossuli minuti erunt, fructum decutito:* ita Plinius lib. XV cap. XVIII: *Deprehensasque in his hieme grossos.* Et lib. XXVIII, cap. VII ait; *Cruda grossi:* item; *Grossi illita strumas emolliunt, & discutiunt.*

* Lib. 13. cap. 7.

Æquè fallit regula in terminationibus cæteris. Nam *glans* femininum, ut *mens*. Ac par ratio in composito ejus *juglans*. Item *nux* femininum se habet, uti *nox*. Sed de primo istorum in altero etiam peccant. Ajunt, eo femininum esse, quia tam arborem, quàm fructum signet. At errore hoc nihil fœdius, cùm glans fructus sit nomen, arbor verò dicatur *ilex*, & γενικῶς *quercus*. Maro Georg. IV.

—— Non densior aere grando,
Nec de concussâ tantum pluit ilice glandis.

Apud Græcos tamen fateor, φηγὸς † non tantùm sumi pro arbore glandiferâ; sed & pro glandibus ipsis: quomodo non semel usurpat Athenæus lib. Deipnosoph. III. Et Latinis similiter *oliva*, *ficus*, ac *nux*, nunc arborem significant, nunc fructum. Etiam *castanea* de arbore invenitur. Sed sub *nuce* diximus comprehendi. *Avellana* tamen, quæ & ipsa nucis species, tantùm, ut puto, pro fructu sumitur. Nam arbor *corylus* vocatur. *Sorbus* cave his addas. Apud Jovianum tamen Pontanum, ætatis suæ summum virum, legas lib. 1 Uraniæ:

† Fagus.

—— Et mensis sorbus placitura secundis.

Ubi melius fuisset,

—— Et mensis accommoda sorba secundis.

De fructibus satis. Abunde enim ex his liquet, eorum non significationem, sed terminationem esse generis indicem.

At verè ex significatione cognoscitur, neutra esse nomina literarum; item verba infinita, adverbiaque pro nomine posita; ac denique, quæ materialiter usurpantur. Verùm interdum autores in iis etiam, quæ pro voce usurpantur, rationem habent significationis. Quâ in re ne autoritate defici videar, patrocinio me defendo Fabii; cujus isthoc lib. 1, cap. V: *Ne miremur, quòd ab antiquorum plerisque Ænea & Anchisa sit dictus.*

Neque perpetuum est, quod ajunt de nominibus literarum. Nam Ausonius dixit:

Atque alium pro se titulo replicata dedit Q.

Idem, etsi Græcarum literarum nomina in neutro usurpet; ut in istis,

Ausonium si PE *scribas, ero Cecropium* ΡΩ:
Et ΡΩ, *quod Græco mutabitur in Latium* PE:

plurimùm tamen utitur in feminino: ut,

Cappa fuit quondam Bœotia, nunc Latium K.

Item,

Ansis cincta duabus erit cùm Jota, leges Θ.

Item,

Vocibus in Grajis nunquam ultima conspicior M.

Ubi Mῦ pronunciandum, ne versus sit lagarus sive μείουρος. Et hoc,

Mæandrum, flexusque vagos imitata, vagor Ξ.

Quin idem illa, more femininorum in A desinentium, in primâ declinat:

Dividuum Beta monosyllabon Italicum B.

Et,

Prævaluit postquam Gammæ vice functa prius C.

Ejusdem est,

Non formam, at vocem Delta gero Romuleum D.

Item,

Litera sum Jota similis vox plena jubens I.

Apud Sergium * quoque similiter scriptum: *Æolenses enim Græci quibusdam dictionibus, ut impinguescant, istam digammam apponunt, ut pro Helena dicant Velena.* Sed hæc novè ab iis dicuntur; quia, ut Priscianus † notat, literarum nomina sunt ἄκλιτα ‡. Quod etiam monuit ante eum, is qui Licinii & Maximiani temporibus vixit, Helladius Besantinous in Chrestomathia sua; ex qua ista in bibliotheca sua excerpsit Photius *: ὅτι ὥσπερ τὸ νῦ φαμὲν, καὶ τὸ μῦ, πληθυντικῶς ἐκφωνεῖν ἐθέλοντες τὰ στοιχεῖα· οὕτω καὶ τὸ σίγμα δεῖ λέγειν, ἀλλ' οὐχὶ τὰ σίγματα. καὶ γὰρ ἄκλιτα τῶν στοιχείων τὰ ὀνόματα. Διὸ καὶ τὸ παρὰ τῷ Ξενοφῶντι ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς εἰρημένον, οὐχ ὑφ' ἓν τὰ σίγματα τῶν ἀσπίδων ἀναγνωστέον, ἀλλὰ δισυλλάβως μὲν τὸ σίγμα, καὶ ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς, τὰ τῶν ἀσπίδων, κατὰ διαίρεσιν. *Quemadmodum dicimus* τὸ νῦ, *&* τὸ μῦ, *cùm literas in plurali efferre volumus: sic &* τὸ σίγμα *dicendum est, non* τὰ σίγματα. *Etenim non declinantur nomina literarum; ideoque, quod à Xenophonte* ἐν Ἑλληνικοῖς *dictum est* τὰ σίγματα τῶν ἀσπίδων, *non conjunctim legendum est, sed duabus syllabis,* τὸ σίγμα, *& ab alio principio,* τὰ τῶν ἀσπίδων *divisim.*

* Commentario in primam Donati editionem cap. de litera.
† Lib. 1, cap. de accidentibus literæ.
‡ Indeclinabilia.
* Pag. 869. edit. August.

Etiam generales condunt regulas tum de verbis infinitivis, & adverbiis pro nomine positis: *ut scire tuum, aliud ejus:* tum de ἀκλίτοις, sive indeclinabilibus: quæ & ipsa sunt neutra: ut *gummi*, *sinapi*, *pondo*, *fas*, *nefas*, *hir*, *abdir*, sive abaddir, vel *abaddier*, *git*, *frit*. Sed *abaddir* Prisciano masculinum est: ac quanquam Priscianus neget se *hir*, vel *abaddir* declinata reperisse, agnoscit tamen alios inflectere *hir hiris*, *abaddir abaddiris*. Præterea quod ajunt genus etiam cognosci ex declinationis defectu, non bene convenit, cum eo, quod ajunt generalibus regulis genus non cognosci, nisi ex significatione.

CAP. XV.

De communibus duûm generum. Homo *tantùm virile; ejus tamen compositum* nemo *est utriusque generis. Titinii locus forte correctus.* Nemo, *&* nullus, *ut differant.* Nemo homo. *Varii errores Charisii, Palæmonis, Prisciani, Phocæ, confundentium communia significatione cum communibus constructione.* Clienta. *Lapsus Alvari.* Tyrannis, *pro dominante femina. Æoles, pro* ης *prima declinationis simplicis, A reponunt: quos Latini imitantur.* Antistita, *pro* antistes. Auctrix *an rectè à Tertulliano dicatur de ea, cujus auctoritate aliquid fit. Cur* boves *potiùs feminino genere dicatur, ubi de armentorum grege sermo. Cur item* canis *potius eodem genere, quando sermo de animali hoc irato.* Canes *pro* canis: *deque eo rejecta emendatiuncula Scipionis Gentilis.* Sancta martyr.

Egimus hactenus de iis, quæ significatione unius esse generis cognoscimus: dispiciendum deinceps de communibus; ac primò quidem de iis, quæ communia duûm generum faciunt: ubi crebrò admodum σολοικίζειν † hi docent, qui artem purè loquendi profitentur. Non quidem accessero viro erudito, Francisco Sanctio, Hispano, qui

† In oratione structura peccare.

qui Grammaticos appellabat *Latinæ linguæ carnifices.* Nempe mitius cum iis agendum fuit, quia, absque illis esset, multa doctissimi quique hodie nescirent. Et tamen, utinam non ampla adeò nobis materia ac seges eorum suppeditaret, quibus & veterum, & recentium Grammaticorum, monstrosi detegerentur errores. Aliquammulta hoc loco commemorabo. Nam omnia quid attinet? Id verò faciam, quò non pædagogicum modò (nihil hæc ad probos instituendæ pubis artifices) sed illorum etiam judicium retundatur, qui omnia Grammaticorum præcepta albâ notant lineâ; neque nescire se quicquam putant, cùm ex barbarismorum, & solœcismorum cœno vix pedes posuerint.

Ita inter communia collocant *homo:* quod si rectè factum, adjectivum ei femininum possit adjungi. At virili illud semper dici, rectè tradit Charisius: quamvis non sim nescius, in feminino usurpari *nemo*, quod compositum ex *ne*, & *homo*; uti Anglis *no man*, Belgis *niemand*, ex particula negante, & *man*, id est, *vir*, *homo*. Feminino, ut dixi, usus C. Titinius; cujus illud apud Priscianum lib. VI:

—— *Quod rogitas, neminem decet bonam.*

Ita enim locum hunc emendo; ubi vulgò *rogas:* sed metro claudicante. Nisi forte concurrant trochaici finis atque initium. Similiter usus Plautus Mercatore *:

De lanificio neminem metuo, unâ ætate quæ siet.

Et Casinâ †:

—— *Vicinam neminem amo meritò magis, quàm te.*

Sed movere hoc minimè debet, cùm *nemo* simplicis sui naturam exuerit: ut quod adjectivum factum sit; ita ut idem sit, ac *nullus:* eo solùm discrimine, quòd *nullus* generale sit; *nemo* propriè solis conveniat hominibus. Quod de adjectivi naturâ dixi, ex eo quoque cognoscimus, quia Terentius ‡, Tullius *, alii, *nemo homo* dicant pro *nullus*. Id ἀρχαισμῷ fieri, Donatus ait in Eun. act. III, sc. V. & Adelph. act. II, sc. II. At vocis abusio est, cùm Maro in IX ait, *Divûm nemo.*

* Sc. Amicæ amico operam dedi.
† Sc. Sequimini comites.
‡ Eun. act. 3. sc. 5.
* Pro Milone, & alibi.

Alibi tamen Charisius, cùm *latro*, quod hodie in muliebri nusquam legimus; tum *homo*, vult duûm esse generum commune; idemque scribit Rhemnius Palæmon: & hos scriptores hodie confertim sequuntur novelli Grammatici. Decepit eos, (in his Paullum Manutium †) corruptus Plauti locus. Quippe apud illum ‡ non, *Hominis miseræ misereri*; verùm *Hillo sunt homines miserè miseri*; in emendatioribus legitur codicibus. Inducti insuper sunt malè intellecto Ciceronis loco in Cluentianâ: itemque altero Servii Sulpitii epist. ad Ciceronem *; quem quidem locum contra Grammaticorum vulgus neque explicare puduit doctissimum Pierium ad III Æn. & magnum Jurisconsultorum columen, Andream Alciatum lib. VII Παρέργων Juris cap. VII. Phocas quoque *fur* nunc commune facit duûm generum, nunc virilis esse generis docet; verumtamen aliis esse commune ait. At σολοικίζει, qui dicit, *improba fur*, cùm tantùm sit masculinum, ut agnoscit Charisius. Neque adversatur isthoc Plauti Pœnulo *: —— *Fures estis ambæ.* Nam integrè sit, *ambæ feminæ estis fures.* Itaque eodem modo dixeris, *animalia mortalia*, aut *mancipia estis ambæ.*

† In epist. Sulpit. ad Cic. lib. 4. ep. 5.
‡ Cistell. Act. 4. Sc. Nisi quid mihi opis di dant.
* Lib. 4. epistolarum Cic. ad familiares.
* Act. 5. Sc. Fuit hodie operæ-pretium.

Nec Charisius, quem Frischlinus, & alii, sequuntur, *cliens* rectè facit commune. Nam, ut ὁ πελάτης Latinis est *cliens*, ita ἡ πελάτις iisdem est *clienta*; eâque voce, præter Afranium, Plautum, Sidonium, utitur quoque Horatius lib. II, od. XVIII:

Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.

Ita enim, non *clientes*, legit quoque Charisius; quemadmodum & eadem lectio in optimis MSS, ac impressis, conspicitur.

Juvenis significatione quidem esse commune, ostendit hoc Plinii lib. VII, cap. XXXVII. *Cornelia juvenis est, & parere adhuc potest.* At structurâ commune non est: etsi secus putârit bonæ notæ Grammaticus Emmanuel Alvarus. Adducit ille pro se hoc Catulli Carm. LXIII:

Cernitis innuptæ juvenes?

Sed distinctio fefellit; quæ ejusmodi est:

Cernitis, innuptæ, juvenes?

Ubi *innuptæ* est vocativi casus, *juvenes* accusativi.

Itidem *hic* & *hæc senex* proferri, scribit Priscianus †: ac de feminino probat illo L. Pomponii in epigrammate à M. Varrone adducto in libris de L. L.

Nam es verè pusus tu; tua amica, senex.

Sed monstrandum fuerat, ut *ille senex*, ita de anu dici, *illa senex.*

Idem Priscianus vult dici, *hic & hæc philosophus*, *hic & hæc philocalus.* Sed alia Latinorum, ac Græcorum ratio est. Cautiùs Servius in illud Maronis ‡:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Sanè, inquit, *apud Græcos hic & hæc tyrannus declinatur.* Ovidii tamen interpres vetus in Ibin: *Tyrannus*, ait, *est communis generis. Nam Theodosii Grammatici est regula, quod nomina professionem, aut dignitatem significantia, sunt communis generis: ut hic & hæc dux: hic & hæc philosophus.* Sed valde errabat Theodosius; qui, ut puto, non alius est, quàm Macrobius. Nam ab antiquis * is ἁπλῶς *Theodosius* dicitur: ac de re grammaticâ hodieque superest ejus libellus de differentia ac societate verborum linguæ Græcæ, ac Latinæ. Hac sanè parte differunt Græci, ac Latini: illis mulier ἡ τύραννος, vel ἡ τυραννίς. Latinis verò *tyranna*, aut Græcanico more, *tyrannis* dicendum. Unde culpatus Trebellius Pollio, ut ipse narrat, quòd, pollicitus se scripturum, quæ gessissent XXX tyranni, eis miscuisset, quæ veriùs essent *tyrannæ*, vel *tyrannides*. Sanè τυραννίς non solùm *dominatio*; sed & *domina*, sive *princeps femina.* Ut apud LXX, Estheræ cap. I, 18. Αἱ τυραννίδες αἱ λοιπαὶ τῶν ἀρχόντων Περσῶν καὶ Μήδων, ἀκούσασαι τὰ τῷ βασιλεῖ λεχθέντα ὑπ' αὐτῆς, τολμήσουσιν ὁμοίως ἀτιμάσαι τοὺς ἄνδρας αὐτῶν. *Conjuges aliæ principum Persarum ac Medorum, ubi audierint Regi dicta à Regina, audebunt similiter parvipendere maritos suos.*

† Lib. 3. cap. de Comparatione.
‡ 7 Æn.
* Ut appendicula opusculi de diff. Græci Latinique sermonis.

Nec rectiùs communia faciunt, *camelus*, *exsul*, *præsul*, *pedes*, *eques*, *obses*, *cocles*, pluraque alia: quæ siquis malè altero à nobis genere spoliari putet, is gratum fecerit, si veteris scriptoris autoritate comprobârit, posse ea in feminino usurpari. Id si fiat, primus propria cædam vineta; nec metuam nequis probus desertionis inurat notam, modò fuga fiat in castra Veritatis.

Omnis hujus erroris fons caputque est, quòd quæ significatione sunt communia, eadem constructione esse communia arbitrentur. Atqui tum de mare, tum de feminâ rectum est *pecus*, *pecoris:* nec iccirco Latinum sit, si de ove sic efferas, *lanigeræ pecoris.* Feminam quoque bene appelles *mancipium*, aut *animal*; non tamen *malam mancipium*, aut *mortalem animal*, Latinè dixeris. Atque ut hæc pleniùs planiusque cognoscantur, qualecunque operæ me pretium facturum puto, si priori loco compluria producero, quæ, præter superiora, solùm communia sunt significatione: postilla verò congessero, quæ & communia sunt constructione.

Certè commune significatione est *pugil*, unde Terent. Eunucho *:

Siqua est habitior paullo, pugilem esse ajunt.

* Act. 2. sc. 3.

Princeps, unde apud Plinium lib. VIII, cap. XXXII, *principes feminas.*

Index, unde Tullius I de off. dixit, *orationis indicem vocem.*

Vindex, unde idem III de Legg. *Habeat sanè populus tabellam, quasi vindicem libertatis.*

Hospes, apud Lucanum penè initio lib. V:

—— *Peregrina ac sordida sedes*
Romanos cepit proceres, secretaque rerum
Hospes in externis audivit curia tectis.

Et Statii est, *hospite cymba*, lib. V Sylv. carm. V. Parque, quantum adhuc videre possum, ratio est in *interpres*, & *opifex:* quæ cùm veterum multi, tum recentiores ferè omnes, faciunt communia, quia feminis, aut rebus,

bus, quæ muliebris sint generis, attribuantur. Verùm, quàm malè ex eo, quòd quid feminino substantivo adjungatur, femininum esse judicetur; vel unum hoc indicat, quòd pari ratione efficeretur, *autor*, *judex*, *comes*, quoque esse neutri generis; cùm apud Maronem legere sit in x Æn.

Italiam petiit fatis autoribus:

apud Lucanum lib. i,

——Utendum est judice bello:

& apud eundem lib. v,

Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes.

Etiam consequeretur, *testis* esse trium generum, quia dixerit Maro Ecl. v:

——Vos coryli testes, & flumina Nymphis.

Quem ad locum optimè Servius: *Nec hoc teste, nec hac testia, possumus dicere: unde per definitionem debemus dicere, testes mihi sunt: quæ res? coryli, & flumina. Sic Horatius* *: *Testis Metaurum flumen. Propertius* †: *Testes sunt sidera nobis.*

* Lib. 4. od. 4.
† Lib. 2. eleg. 9.

Nullâ verò in terminatione magis aberratum, quàm principe vocali. Ita Priscianus lib. vii *auriga* putat esse commune, quia apud Maronem legere sit in xii:

Nec currus usquam videt, aurigamque sororem.

Idem judicium esto de *rabula*, *lixa*, *lanista*, & similibus. Maximeque in hac terminatione falsi fuere in compositis è verbo. Quale *homicida*; quod masculinum esse, sed à multis commune putari, scribit Phocas. Quemadmodum & Priscianus in vii deceptus est in *agricola*, *calicola*, *parricida*. Nihiloque rectiùs dixeris, *hac pincerna*, vel *indigena hac*; quæ & ipsa vulgò communia faciunt. Nec *advena* commune est; quamvis idem Priscianus scribat, dici *hic & hac advena*. Idem de *transvena* dictum velim; quo Tertullianus utitur libro de spectaculis cap. v. Sed de *conviva* paullo dispar ratio, cùm Pomponius in Auctorato dicere non reformidet:

Postquam conveni omnes convivas meas.

Quid mirùm? cum naturâ suâ sit adjectivum. Nam *vivus*, *viva*, *vivum*, dicimus: unde *conviva*, hoc est, *unà vivens*, eâ nempe vivendi significatione, quâ *convivium* dicitur, quod Græcè συμβιοῦν: quâ item Catullus ait †, *Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.* Miretur aliquis, non *convivus* potiùs dixisse, ratione habitâ terminationis masculæ. Sed nihil hic insolens, cùm itidem de mare æquè ac feminâ dicantur, *advena*, *transvena*: imò & *convena*. Unde *Convena*, Aquitaniæ populus ad Pyrenæi radices. Quin & similia sunt, *perfuga*, & *transfuga*. Etiam *assecla*, *indigena*, aliaque multa: quæ naturâ vim habent adjectivi. Nam *advena* est adveniens, vel qui advenit; *assecla*, assequens; *indigena*, ingenitus, ex antiquis *indu* pro *in*, & *geno* pro gigno. Nimirum Latini, ut in aliis penè omnibus, ita hac etiam parte imitati fuere Æoles: quibus terminatio A est masculinorum. Unde εὐρύοπα Ζεῦς, pro εὐρύοπης: νεφεληγερέτα pro νεφεληγερέτης. Similiter igitur *propheta*, *planeta*, more Æolum, ut dixi; quibus in primâ ἰσοσυλλάβῳ eadem est terminatio recti casus, quæ est vocativi in lingua communi: ut pluribus probabitur, cum ad declinationes erit deventum.

† Epigr. 5.

Quod verò superiùs diximus de *auctor*, *judex*, *comes*, *testis*, non ex addito substantivo genus eorum censeri, quia alioqui neutra esse consequeretur, cùm neutro interdum jungantur: idem locum habet in terminatis vocali A. Ut sunt *ruricola*, *alienigena*, *indigena*. Quippe est apud Nasonem lib. iv Trist. Eleg. vi.

Tempore ruricola patiens fit taurus aratri:

apud Gellium lib. ii, cap. xxiv, *alienigenâ vino*: & apud Plinium lib. xiv, cap. vi, *indigenâ vino*. Atque ex his quidem patet, quàm ii, qui talia communis esse generis putarunt, planè ficulno sint innixi argumento. Quippe consequeretur, istiusmodi esse omnis generis. Quomodo Probus in Catholicis scribit, *verna*, & *advena*, esse omnis generis, quia dicamus, *verna puer*, *verna puella*, *verna mancipium*. Quod Probi judicium non aliter excusare possumus, quàm dicendo, esse omnis generis ratione significationis; non quod ad structuram. Nemo enim de mancipio *bonum verna* dixerit.

Porrò subjungam, quæ tutò, veterumque ipsorum exemplo, junguntur adjectivo feminino: sive per se communia sint, sive κατὰ σύνθεσιν sic loqui soleant antiqui, quia respexerint substantivum *femina*, aut simile.

Adolescens. Terentius Andr. Act. iii, sc. ii:

Deos quaso, ut sit superstes, quandoquidem ipse est ingenio bono:
Cumque huic veritus est optuma adolescenti facere injuriam.

Nempe naturâ est adjectivum: ut planè intelligatur *mulier*, aut tale quid.

Affinis itidem naturâ est adjectivum. Muliebri genere usus Cicero post reditum in Senatum: *Tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis, & crudelissimis verbis à genibus tuis repulisti.*

Antistes. Val. Maximus lib. i, cap. i: *Ne Dea vetusti ritus perita deesset antistes.* Quâ significatione Tullius, & alii, maluere *antistita*. Vide Agellium lib. xiii cap. xix.

Auctor quoque hujus est loci: non, uti ajunt, quia Juno apud Maronem * dicat, *Auctor ego audendi*: sed potiùs propter illud Ovidii Fast. v:

* 12 Æn.

Ipsa doce, quæ sis. hominum sententia fallax.
Optima tu proprii nominis auctor eris.

ut & viii Met. fab. i:

Quò fugis, exclamat, meritorum autore relictâ?

Ut in superioribus, ita hic intellige *femina*, ut fit σύνθεσις. Tertullianus cum propriè loqui vellet, in feminino *autrice* maluit, quàm *autore*. Ita enim scribit lib. adversus Hermogenem, qui materiam ponebat Deo coæternam: *Neque enim potest non & materia auctrix omnium deputari, de quâ universitas consistit.* Et aliquanto pòst: *Subjicere Deo materiam, æternam æterno, innatam innato, autricem autori.* Sed meritò hoc improbat Servius in xii Æn. *Nomina*, inquit, *in TOR exeuntia feminina ex se faciunt, quæ in TRIX terminantur: si tamen à verbo veniant; ut ab eo, quod est lego, & lector, & lectrix, facit; doceo, doctor, & doctrix. Si autem à verbo non venerint, communia sunt. Nam similiter masculina, & feminina, in TOR exeunt: ut hic, & hæc senator; hic, & hæc balneator. licet Petronius usurpaverit, balneatricem dicens. Tale est & hic, & hæc auctor: sed tunc, quando ab auctoritate descendit, ut hoc loco. Cùm autem venit ab eo, quod est augeo, & auctor, & auctrix facit: ut si auctor divitiarum dicas, vel autrix patrimonii.* De origine diversa, pro diversa significatione, alibi * dicemus. Sufficit huic loco, etiam Servium putare, *auctor* pro eo, à quo rei auctoritas, utriusque esse generis; nec *auctrix* dici, nisi augendi significatione.

* In Originum libris, & hoc ipso libro cap. 27.

Augur. Stat. Theb. lib. ix †:

Hei mihi, cur penitus (simque augur cassa futuri)
Cur penitus, magnoque interpretor omine quercum?

† Vers. 629.

Bos in feminino est crebrum apud rei rusticæ scriptores. Imò, ut ajunt, cùm non respicitur sexus, sæpius in feminino usurpatur. Maro Æn. viii,

Reddidit una boum vocem.

Et paullò post,

Abstractaque boves.

At tauros quoque abstraxerat. Sed neque hoc ratione caret, quia à parte majore desumitur appellatio. Plures autem vaccæ. Par ratio istius:

Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.

Quamquam hic codices aliquot antiqui præferant *Iberos*. Ovid. iii Met. ‡

‡ Fab. 7.

Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in arvis
Nullum passa jugum, curvique immunis aratri.

Canis. Ennius apud Varronem in vi de L. L.

Tantidem quasi fœta canes sine dentibu' latrat.

Ubi manifestè sermo de femella. Lucilii * quoque est:

Irritata canes quod, homo quàm, rectiu' dicit.

* Apud Charisium lib. 1, & Donatum in Adelph. item Nonium in Irritare.

Nec

Nec temere hunc sexum elegit Lucilius. Nam vehementiùs irritatur femella, quàm mas. Utrobique *canes* antiquus est nominativus pro *canis*: quod eo addere visum, quia Scipio Gentilis † locum sollicitat, ac *canis* reponere jubet. Est & Plauti Pseudolo ‡:

† Notis in Apolog. Appul.
‡ Act. 1, Sc. Pseudole non audis.

BA. *Tibi ego credam?* PS. *cur non?* BA. *quia pol quà operâ sic credam tibi,*
Unâ operâ alligem canem fugitivam agninis lactibus.

Et Virgil. Æn. VI.

—— Visæque canes ululare per umbram,
Adventante Deâ.

Pro quo malè in codd. quibusdam veteribus, *visique*, cùm in muliebri quoque citet Seneca. Est & Æn. VII.

Hunc procul errantem rapidæ venantis Iuli
Commovêre canes;

sive, ut in aliis codd. legitur, *rabidæ*. Licet & hîc in codd. nonnullis *rapidi* legatur. Utrumque enim in MSSis nostris invenimus.

Civis. Plautus Pœnulo act. I, sc. II:

—— Irata es nimium, argentum pro te dabit,
Atque te faciet, ut sis civis Attica, atque libera.

Cicero pro L. Cornelio Balbo: *Sacerdotem illam, civem Romanam factam non esse arbitrabimur.*

Comes. Porcius Latro in Catil. *Consuetudine scelerum sempiternâ comite ac genetrice.* Ovid. VIII Met. fab. I:

Gnossiacaque hæret comes invidiosa carinæ.

Et fab. proxima:

—— Comitemque suam crudelis in illo
Litore destituit.

Et lib. I de Ponto, eleg. III.

Hanc probat, & primo dilectam semper ab ævo
Est inter comites Martia censa suas.

Et Val. Maximus lib. V, cap. I. *Liberalitati quas aptiores comites, quàm humanitatem, & clementiam dederim?* Et Valerius Flaccus lib. V:

Cùm comes orsa loqui.

Conjux nunc virile, nunc muliebre adsciscere adjectivum, nihil probare opus.

Custos. Plautus Curcul.*

* Act. I, Sc. Quo sed hoc noctis.

Exsuscitate vestram huc custodem mihi.

Et Menæchmis †:

† Act. I, Sc. Ni mala, ni stulta sis.

Sic decet dari facetè verba custodi cata.

Et Truculento ‡:

‡ Act. 4, Sc. Egone.

Tu bona ei custos fuisti.

Item Val. Flaccus lib. V:

Audit virginei custos grandæva pudoris
Enioche.

Dux huc referunt, quia Maro I Æn. & Tacitus in Agricolæ vita dicat, *femina dux.* Sed validius, quod Tullius lib. II Acad. Quæst. Arati versum ita transfert,

Quâ fidunt duce nocturnâ Phœnices in alto.

Hæres quoque est inter ea, quæ adjectivum muliebris generis admittunt. Nam fallit falliturque Charisius, cùm dicit, hoc significatione quidem esse commune, at non constructione; ideoque veteres etiam, cùm de sequiori sexu sermo esset, adjectivum addidisse generis virilis. Sanè dixit Tryphonius*: *Fuit quæstionis, an si sua hæres filia patri cum fratribus, contenta dote, abstineat se bonis, compellatur eam conferre.* Quem locum eo lubentiùs adduximus, quia in hoc quoque cum Charisio deceptus Alvarez.

* L. ultima D. de dotis collatione.

Hostis. Apud Quinctilianum lib. II, cap. II. *Studiorum perniciosissima hostis.*

Infans. Quinctilianus libro VI, cap. I: *Infantem suam frigidissimè reportavit.* Tacitus quinctodecimo Annalium: *Quartum intra mensem defunctâ infante.*

Judex. Lucanus lib. X de Cleopatrâ:

Et simus, ut fatear, tam sævâ judice sontes.

Hic quoque illud *sæva* respicit *femina.* Quomodo *femina judex* apud Ambrosium legimus libro de Viduitate.

Miles commune esse, eo probat Priscianus in septimo, quòd apud Nasonem II Metam. † legamus de Callistone:

† Fab. 5.

Miles erat Phœbes.

Atqui etiam dicere liceat, *mancipium erat Phœbes.* Quis autem iccirco *mancipium* dixerit esse femininum? Quanto igitur præstiterat adduxisse istoc ejusdem †:

† Epist. II. Canaces ad Macareum.

Et rudis ad partus, & nova miles eram.

Sed, ut *augur*, ita *miles* potiùs masculinum. Quare verisimilius *nova miles* κατὰ σύνθεσιν dici, ut *elephantus gravida*: de quo postea videbimus.

Muscipula. Plinius lib. XXXV, cap. XI. *Municipem suam.*

Nemo in muliebri genere inveniri paullo ante ostendimus.

Parens, si Charisium audimus, significatione, non structurâ est commune. Atqui, ne Martialem necesse habeam nominare, cujus istud*:

* Lib. 8, ep. 21.

—— vigilat Memnonis alma parens:

quis nescit Virgilium ipsum II Æneïdos dixisse,

—— Videndam
Obtulit, & purâ per noctem in luce refulsit
Alma parens.

Et eodem libro:

Hocce erat alma parens, quod me per tela, per ignes
Eripis?

Et lib. X.

Alma parens Idæa deûm.

Ac ne uni adjectivo *alma* insistamus, dixit Pedo Albinovanus eleg. de morte Drusi:

At miseranda parens suprema neque oscula fixit.

Et Silius lib. IX:

Hac tibi chara parens apta ad solatia luctus
Dona feram nati.

Et Seneca in Octavia Act. I, sc. II.

Quam dedit illi per scelus ingens
Infanda parens.

Item:

—— Cui me in munus suum
Stygia parentem natus imposuit rati.

Et sc. III.

—— Cecidit infelix parens
Heu nostra ferro.

Et act. V, sc. II.

Flevit gnatos miseranda parens.

Et eâdem:

Tot natorum memoranda parens.

Item:

—— parens tanta Neronis.

Tot illustribus autorum locis reus peragi potest Charisius; qui ut doceat, *parens* respuere adjectivum muliebre, è Marone* adfert illud de Ascanio puero, & matre Creüsâ:

* 3 Æn.

Ecque jam puero est amissi cura parentis?

cùm in omnibus codd. antiquis *amissæ* legere sit. Nec industriam mihi suam probat doctissimus Pierius, cùm in caussâ desperatâ undequaversùm mantelum quærit errori Charisiano. Nihil verò mirum, si *parens* in muliebri ponatur, cum naturâ sit adjectivum, ut de *conviva*, *indigena*, & aliis quibusdam diximus. Quippe *parens* pro *pariens* dicitur à *pario*, quatenus idem olim fuit ac *gigno*: uti & Græcis τίκτω, quod postea solis tributum feminis. Itaque ἡ τίκτουσα, *mater.* Ac ὁ τοκεύς, *pater.* οἱ τοκεῖς, *parentes.*

Patruelis. Persius sat. VI:

—— Age, si mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet.

Nempe naturâ suâ est adjectivum, & intelligitur *soror*: ut cùm dico, *hic patruelis*, intelligitur *frater.* Quorum & utrumque crebrò apponitur: præsertim in Digestis.

Sus passim utrique generi jungitur: cujus iccirco exempla prætereo.

Sacerdos. Æn. VI:

—— fata est longæva sacerdos.

Et,

—— Ne sævi magna sacerdos.

Testis. Suetonius in Claudio cap. XL. *Inductâ teste in Senatum.*

Vates quoque in muliebri est apud Maronem Æn. VI:

—— *Tuque, ô sanctissima vates,*
Prascia venturi.

Ubi *vates* valet *vaticinans*, ac *femina* respicitur.

†Vers. 80. *Vindex.* Papinius I Theb.†

Tu saltem debita vindex
Huc ades.

Complectebar ea aliquando, ut pueritiæ memoriæ inservirem, istiusmodi versiculis:

Conjux, atque parens, infans, patruelis, & hæres,
Affinis, vindex, judex, dux, miles, & hostis,
Augur, & antistes, vates, conviva, sacerdos,
Municipique addas adolescens, civis, & autor,
Custos, nemo, comes, testis, sus, bosque, canisque.

Sed in his discrimen, quod diximus, observandum, inter verè substantiva; ut, *bos*, *canis*; & verius adjectiva, ut, *adolescens*, *affinis*; item inter usitata utroque genere, qualia quæ proximè dixi; & feminino inusitata, ut, *augur*, *miles.* Nihil verò opus laboret puer, utrùm cuncta hæc, aut pleraque illorum, propriè sint communia, quæ prope omnium sententia est: an propriè alia quidem virilia sint, ut *sacerdos*; alia feminina, ut *canis*; alteri verò generi jungantur κατὰ σύνθεσιν, intelligendo *mas*, aut *femina.* Utram enim is sententiam sequatur, ad purè loquendum nihil interest. Sufficit sciat, de femina dicendum, *sacerdos defuncta:* & usitatius esse, *canis mortuus:* at perperam dici: *homo bona*, *fur improba.* Nihil enim audendum absque classicorum exemplo. Dispar tamen ratio in iis, quæ jam ab antiquis Ecclesiæ temporibus sunt recepta; utcunque classicorum Latinæ linguæ scriptorum auctoritas desit. Ut in nomine *martyris:* quod in feminino constans Ecclesiasticorum usus admisit. Ut *beata martyr Thecla.* Sanè in religioso hoc negotio nihil morari debemus gentilium usum: qui si gentiles non fuissent, credo, nec eas, quæ veritatem Euangelii sanguine suo obsignarunt, *sanctas* dicere *martyres* dubitassent.

CAP. XVI.

De Epicœnis. Eberi & Peuceri σφάλμα. *Quando de Epicœnis præcipiendum. Quomodo Grammatici sit rerum naturam spectare.* Ὁ θῆλυς ὄρνις. Elephantus gravida. Hic parit. Mus una reperta. *In* palumbes *non attenditur sexus.*

Abunde diximus de communibus, pro ratione sexus, masculino aut feminino genere usurpatis. Quia verò de epicœno & inter laudatissimos disceptatur Grammaticos; neque nobis hic eam rem silentio premere visum fuit.

Ἐπίκοινα vocantur, quæ sub una terminatione, & uno genere, utrumque sexum significant. Ut, *hic passer*, *hæc vulpes.* Sunt igitur & ipsa communia significatione; non structurâ. Ac nonnulli quidem recentiorum acriter adversus veteres insurgunt; quasi temere, ac tantummodo ad crucem discentium, hoc genus sint commenti. Primum Cæsar Scaliger * nomen ipsum pessimè impositum ait. *Nam*, inquit, κοινὸν *id*, *quod duo comprehenderet genera, nominabant. Hoc autem alterutrum tantum cum recipiat, non potuit habere præpositionem* ἐπὶ: *addit enim quantitatem mathematicis: ut* ἐπίτριτον. Nempe illud vult, non posse hoc genus dici ἐπίκοινον, quia ἐπὶ notat *supra:* atque ita ἐπίκοινον aliquid superadderet κοινῷ, ut ἐπίμετρον τῷ μέτρῳ, ἐπίλογος τῷ λόγῳ, ἐπῳδὸς ταῖς ᾠδαῖς. Atqui tantùm abesse, ut genus epicœnum communi aliquid superaddat, ut minus dicat. Nam *sacerdos*, *testis*, *canis*, *sus*, *communia* dicuntur, quia sunt duûm generum communia: cum dicatur *hic & hæc sacerdos*, *testis*, &c. At quæ vocantur *epicœna*, non sunt duûm generum communia, quia solùm dicitur *hic passer*, vel *pavo*; non item *hæc:* & contrà *hæc*, non *hic aquila*, *vel pica.* Nempe non attendit illud Scaliger, pro diverso considerandi modo, majorem, minoremve communionem inesse tum communibus, tum epicœnis, sive promiscuis. Nam in eo quidem conveniunt commune *sacerdos*, & promiscuum *aquila*, quòd utrumque substantivum, tum de mare, tum de femina dicatur: sed in eo differunt, quòd *sacerdos* præterea in structura, pro sexus ratione, nunc *hic* recipiat, nunc *hæc.* Ubi videmus, ut duo comprehendat: in quo communio est, quæ in epicœnis abest. Verùm epicœnum *passer*, quod virile est, articulum sive adjectivum *hic* communicat etiam passeri feminæ: & epicœnum *aquila* communicat articulum *hæc* aquilæ mari. Unde dilucet, eundem articulum utrique esse sexui communem: cujusmodi communio abest ab iis, quæ simpliciter *communia* dicuntur. Quodque observatum etiam, amico meo, cultissimo, raræque eruditionis viro, Antonio Æmilio Aquisgranensi, huc inprimis spectavere veteres, cum *aquila*, *passer*, & similia, ἐπίκοινα vocarunt, quasi dicas *supercommunia.* Quippe tam marem quidem, quàm feminam, & *sacerdotem* dicimus, & *civem:* at non de utroque dicimus, *magnus sacerdos*, *civis Attica.* Contrà verò non tantùm de mare & femina dicimus, *pavo*, & *aquila:* sed etiam *pictus pavo*, *fulva aquila.* Ut major hic communio sit, quàm in iis, quæ vulgò *communia* dicuntur. Est enim communio & substantivi, & adjectivi, eâdem utrobique terminatione. Quod si attendisset Scaliger, non culpâsset vocem *epicœni.* Quemadmodum nec Diomedes, aut Donatus, id si observâssent, ἐπίκοινον vertissent *subcommune*, cum ἐπὶ superaddat, eoque *supercommune* rectiùs vocetur.

* De caus. L. L. cap. 79.

Idem Scaliger veteres accusat incuriæ, quòd non, ut diximus, *equus*, *equa*; ita & formarint, *aquilo*, *aquila*, & sic in aliis multis. Nam, & Varro ait in VIII de L. L. *corvum*, & *turdum* dici; non *corvam*, & *turdam:* ac contrà dici *pantheram*, *merulam*; non *pantherum*, *merulum.* Atqui diversâ terminatione res meliùs distinguerentur. Verùm, si consilium veterum cogitemus, nihil magnopere inveniemus culpâ dignum. Nam in nonnullis sexum totis vocibus distinxere; ut, *taurus*, *vacca:* in nonnullis terminatione solâ: ut *equus*, *equa:* Atque hoc fecere in iis animantibus, quorum major esset homini usus, & sexus faciliùs observaretur. Postquam verò quædam animantia magis, quàm antè, in usu domestico esse cœperunt: placuit in nonnullis quoque terminationem immutare. Hoc in *columba* factum esse, ait Varro in VIII de L. L. *Quadam*, inquit, *aliter olim, & nunc: tum omnes mares & feminæ dicebantur columbæ; quòd non erant in eo usu domestico, quo nunc. Contrà, propter domesticos usus, quod internovimus, appellatur mas columbus, femina columba.* Similiter *agnam* dixere pro *agno femina:* ut veteres locuti. Sic enim lex Numæ: AGNUM FEMINAM CÆDITO: teste Festo in *pellex.* Imò & *lupam* maluere, quàm *lupum feminam*; ut Ennii, & Fabii Pictoris exemplo etiam Varro locutus, Fabio testante lib. I, cap. X. Nec in epicœnis modò id placuit institutum, sed in communibus quoque. Quomodo pro femina antistite *antistitam* dicere cœperunt. Unde Agellius lib. XIII, cap. I: *Sacerdotes quoque feminas M. Cicero antistitas dicit.* Nec in omnibus tamen id factum: partim quia vox utroque genere ita jam frequentaretur, ut, eam mutatum ire velle, esset niti contra torrentem: partim etiam, quia immutatione vix esset opus, eò quòd in multis minùs internosceretur sexus: in cujusmodi vel uno genere fuere contenti; ut in *lepus*, *vulpes*, *ciconia:* vel utrumque genus, sed sine sexus discrimine, usurparunt; ut in *grus*, *lynx*, *serpens.* Quod si omnino vel in his, vel illis, sexus esset distinguendus, *mas*, vel *femina* addebant: ut mox exemplis planius fiet. Atque hæc pro veterum instituto dicta sunto. Quod siquid in antiquis culpandum; non tam id fuerit, quod Scaliger putavit, quàm quòd ubi jam Græci distinguerent, non sequerentur exemplum: quale quòd *thunnus* de femina dixere, ut in Plinio vidimus: cum Græcè sit ἡ θύννη, vel θυννίς. Item, quòd ubi Romani antiquiores jam veteres sexum distinxissent, juniores alterius sexus vocabu-

cabulum intermori paterentur. Quale est, quòd veteres *puer*, vel *puerus*, & *puera*; item ὑποκοριστικῶς *puellus*, & *puella*, dixere: postea autem *puer* de utroque sexu usurparunt. Nec enim *puerum* semper *puella* opposuere: sed sic de quocunque puerilis ætatis dixerunt: ut testis Paullus J.C. L. CCIV. D. De verb. signif. Ubi quoque ait, hinc quæ puellam peperit *puerperam* dici. Quod tamen argumentum infirmum, quia *puerpera*, & à *puerus* & à *puera*, esse potest. Unde Suetonius in Calig. cap. VIII: *Cùm qualiscunque partus sine sexus discrimine Puerperium vocetur: quod antiqui etiam puellas pueras, sicut & pueros puellos dictitarent.* Objectant, quòd pueritia, epicœni nomine decepta, sæpe judicet, utroque se aliquid genere posse usurpare, quod alterutrius solùm generis sit. At quid si amplius quoque iis concedamus? nempe doctiores ipsos quandoque in epicœnis falsos: quomodo in Paulli Eberi, & Casparis Peuceri Nomenclatore legas, *parus montana*, & *cristata*, pro *montanus*, & *cristatus*. Nec difficile, sed putidius videatur, multa id genus ex aliis, nominis in his studiis etiam majoris, congerere velle. Suffecent hoc loco, quòd ipsorum hæc culpa; non veterum, qui apertè dicunt, de utroque ■ sexu genere uno usurpari; atque id genus terminatione cognosci. Neque turbabit eorum doctrina discentium ingenia, si in extremum rejiciatur locum: quod Quinctilianus jubet lib. I, cap. IV: *Nec statim*, inquit, *diligentem putabo, qui promiscua, quæ & epicœna dicuntur, ostenderit; in quibus sexus uterque per alterum occurrit.* Verùm, inquiunt, Grammatici non est rerum naturas intueri, sed philosophi. Quasi non philosophus, ut fine diverso, ita longè aliâ id faciat ratione. Quippe is θεωρίας* caussâ, & ἀκριβῶς† rerum naturam intuetur: Grammaticus verò spectat eam ὡς ἐν τύπῳ*, idque ut voces componat rebus ipsis accommodatas. Certè si Grammatici non esset habere rationem sexus: Grammaticè Latineque Priscianus diceretur *antiqua Grammaticus*; Sappho autem *Lesbius poëtria.* Et quomodo negare possunt, ad Grammaticum propriè pertinere, utrùm *anser fœta*, aut *passer gravida*, dici oporteat, an pro eo *fœtus*, ac *gravidus* sit dicendum? De quo si constiterit, facile erit statuere de epicœnorum cæteris. Par enim omnium ratio est. Quare de eo paucis videamus. Ac primò sic nobis videtur, propriè & integrè dici, *anserem femellam fœtam*, aut *passerem femellam gravidam*: quomodo Columella lib. VIII, capite XI. dixit *pavonem masculum*, & *pavonem feminam.* Nec multum abit, quod Plinius ait lib. XXX, cap. VII. *anates masculas: Sistit*, inquit, *alvum anatum mascularum sanguis.* Atque ita & Aristoteles discriminis caussâ ait in sexto Hist. Animal*. Καὶ ὁ θῆλυς ὁ ὀρεὺς ἤδη ἐκυήθη· Quasi dicatur, *Atque olim mulus femina est gravida facta.* Pro quo Latini *mula*. Et paullo pòst†: Γηράσκει δὲ βραδύτερον ὁ θῆλυς ὀρεὺς ἢ ἄρρην. Quasi dicas, *Serius senescit mulus femina, quàm mulus mas.* Nec propterea iis assentiendum, qui nisi *mas*, aut *femina*, addatur, sublato damnant supercilio, quotquot masculino substantivo addunt generis muliebris adjectivum. Nam veteres ipsi faciunt hoc interdum. Ut Plautus Sticho*:

Solere elephantum gravidam perpetuos decem
Esse annos.

Arbitror verò id non propriè fieri, sed κατὰ σύνθεσιν; ut *gravida* non cum *elephantus* conveniat, sed cum *femina*, quod reticetur. At Plinius extra σύνθεσιν lib. VIII, cap. LV: *Lepus omnium præda nascens, solus, præter dasypodem, superfœtat; aliud educans, aliud in utero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter. Solus* ait de lepore femella. Idem lib. X, cap. XII: *Corvi pariunt, cùm plurimùm, quinos: ore eos parere vulgus arbitratur.* Et cap. LI: *Polypi pariunt vere ova tortili vibrata pampino, tantâ fœcunditate, ut multitudinem ovorum occisi non recipiant cavo capitis, quo prægnantes tulere. Occisi* ait de polypis femellis. Et lib. IX, cap. III de vitulo marino: *Hic parit in terrâ pecudis more, educat mammis.* Quin idem Plinius eidem voci, eodem sexu, nunc subjicit masculinum, ratione habitâ terminationis; nunc femininum, per synthesin. Nam lib. X, cap. LI ait: *Mus marinus in terra scrobe effossa parit ova, & rursus obruit terrâ.* At idem cap. LXV inquit: *Supra cuncta est murium fœtus, ex unâ genitos centum viginti tradiderunt: apud Persas verò prægnantes, & in utero parentis, repertas.* Eo quidem modo is locus editus à Dalecampio quoque. In Parmensi meâ veteri anni CIↃ CCCC LXXVI, aliquanto aliter expressus: utraque tamen *eas* habet, & *repertas.* Ac simile illud libro IX, cap. XV: *Thynni mares sub ventre non habent pinnam. Intrant è magno mari pontum verno tempore, nec alibi fœtificant. Cordila appellantur partus, qui FOETAS redeuntes in mare auctumno comitatur.* Sunt qui idem in *palumbis* nomine locum habere arbitrentur: cum tamen id de utroque sexu utroque genere usurpetur. Nec enim σύνθεσιν puto, cùm apud Maronem* legimus,

——*Aëria quò congessere palumbes.*

Nec cùm eâ voce utitur Plinius in virili genere, de solis maribus loquitur, sed ἁπλῶς. Locus est lib. X, cap. XXXV: *Vivere*, inquit, *palumbes ad trigesimum annum, aliquos ad quadragesimum, habemus autores*; sive, ut in veteri Parmensi legitur, *Aristoteles autor est.* Sin de iis sermo sit, quæ conveniant solis femellis, non alio, quàm feminino genere, ausim usurpare. Nimirum Plinium sequar, qui eodem capite ait: *Nigidius putat, cùm ova incubat, sub tecto nominatam palumbem relinquere nidos.* Eo modo quoque is legitur locus, cùm in aliis, quas viderim, editionibus; tum in veteri, quam dixi, Parmensi; (nisi quòd in hâc sit *nominata*, errore credo Typographico) tum in illâ, quam nobis dedit doctissimus vir, Jac. Dalecampius. Quædam autem censentur epicœna, cùm non sint: ut *anguilla.* Nam qui epicœnum dicatur, cum in anguillis non sit sexus? ut Plinio monitum lib. VI, cap. LXVIII. Et contrà non sola masculina, & feminina, ut vulgò fit, in epicœnis habenda; sed etiam neutra: ut *mancipium*, *scortum*, *jumentum*, Græcis τέκνον: quod masculino quidem jungit Homerus, cùm ait*, τέκνον φίλε: sed κατὰ σύνθεσιν. Et hactenus quidem de Epicœnis: in quibus siquid tenebrarum erat, id me sermonis exigui faculâ pepulisse arbitror.

* Contemplationis. † Accurate. * Rudi Minerva. * Cap. 24. sect. 352. † Sect. 355. * Act. 1, Sc. famem fuisse. * Ecl. 3. * Odyss. β. v. ..

CAP. XVII.

Dubii *generis appellatio improbata.* Forceps *tantùm femininum videri.* Crux, cardo, socrus, humus, *aliaque, utriusque olim generis.*

INter regulas generales nonnulli quoque de dubiis agunt: at ordine præpostero, cùm eorum genus neutiquam cognoscatur è significatione. Sed neque rectè vocant *dubia*, cùm tum ea, tum quæ *communia* appellantur, utriusque generis dici debeant. Sanè dubii generis rectiùs dicantur *pinaster*, *spinus*, *thus* pro arbore, aliaque hujuscemodi: de quorum genere meritò ambigitur. At dispar ratio est in *margo*, *adeps*, *clunis*, *anguis*, *serpens*, *torquis*, *penus*, *finis*; ac aliquammultis aliis; quæ cùm & masculina, & feminina esse, certum sit; quomodo dubii incertique generis commodè apteque dici possint, non satis video. Agnosco, eorum, quæ utriusque sunt generis, alia quidem sexu discreto pro maribus in masculino, pro feminis in feminino usurpari; ut *parens*, *civis*: alia verò sine discrimine isto nunc in virili, nunc in muliebri genere poni; ut *serpens*, *dies*. Verùm hoc discrimen, cùm planè accidentale sit, specie distincta genera non efficit, ac proinde communia, dubiaque quæ vocantur, non diversorum, sed ejusdem generis censeri debent.

Interim ne videar λογομαχεῖν de verbis solùm contendere, ac simul ut meliùs intelligar, utar deinceps receptis vocibus, ut communia, utriusque generis sint, pro naturæ qualitate; dubia, pro nostra voluntate: ut ea distinguit Sergius in secundam editionem Donati.

In dubiis quoque (ita, ut dixi, cum iis nunc loqui liceat) distinguenda sunt illa, quæ oratores utroque usurpant genere, ab iis, quibus soli sic usi Poëtæ. Imprimis verò cavendum, ne passim in masculino usurpentur, quibus semel

mel fortasse usi veteres. Nam hic quoque habet locum illud Asconii in II Verr. *Semel vicinum est ad penè nunquam.* Ex eodem sensu est, quod semel in vitâ Crassium risisse scribit Lucillius †. At Crassus ἀγέλαστος* dictus. Quare & ejusmodi, quæ semel fortasse in alio inveniuntur genere, unius quodammodo generis censeri debent. Quæ verò semel sic usurpentur, quæ contrà sæpius; & ex his, quo genere frequentiùs reperiantur in prosa; propriè pertinet ad canonas de terminatione.

† *Cic. extremo lib. 5 de Fin. & Asconius in Verr. 2.*
* *Risus expers.*

Sed imprimis cautione in iis opus, quibus utrumque genus tribuunt Grammatici veteres sine autore. Quare in talibus omnino assensum sufflaminare convenit. Profectò, nisi me cum depontano illo Catulli * municipe velim,

* *Carm. 17 ad Coloniam.*

Ire præcipitem in lutum per caputque pedesque:

non *alieno forcipe* dicam, quod apud Baptistam Mantuanum legere est: neque *forcipes denticulati*, quod est apud Hadrianum Junium in Nomenclatore. Scio, Prisciano *forceps* esse dubii, hoc est, utriusque generis: verùm tantùm in muliebri invenitur genere: nisi dicere lubeat, Prisciani ævo exstitisse autores, qui in masculino usurparent. Sed hoc planè incertum: &, ut exstitisse daremus, quis spondeat nobis, non fuisse è cascis scriptoribus: uti sunt Nævius, Attius, Pacuvius, ac similes; quorum auctoritatem sæpe non defugiunt Grammatici veteres. At qui obsoletorum etiam habendam putet rationem, is dubia inter reponat quoque *crux*; quia Gracchus, Festo teste, dixerit, *malo cruce:* item *cardo*, quia *grata cardo* fuerit in Gracchi Atalantâ, teste Prisciano in VI: item *socrus*, quia apud Accium in Atreo fuit: —— *Simul & præmia Pisaa crepta à socru possedit suo*, pro socero. Item *humus*, quia Livius, sive potius, (ut Msus meus Priscianus habet) Lævius in Adone dixerit: *Humum humidum pedibus fodit.* Et Sempronius Gracchus in Thyeste †:

Mersit sequentis humidum plantis humum.

Item *cupressus*, *platanus*, *cervix*, *collis*, *aquila*, *fex*, *charta*, *concha*; quæ veteres quoque in masculino usurparunt, ut testatur Priscianus *: itidemque *amnis*, *populus*, *lembus*, *callis*, *grex*, *vesper*, *latex*, *agnus*, *crinis*, *limus*; quæ eos in feminino genere usurpâsse, idem † autor est. Idemque in aliis multis faciat, quæ idem refert, ac Nonius commemorat Tit. de indiscretis generibus.

† *Prisc. lib. 6, & fragmentum Censorino adjunctum.*
* *Lib. 5, sub finem capitis de generibus.*
† *Ibidem.*

CAP. XVIII.

Adjectiva propriè nullius sunt generis: impropriè autem illius dicuntur generis, cui se terminatio eorum potest accommodare. Genus adjectivi substantivè usurpati cognoscitur ex genere substantivi intellecti. Quadrupes *trium generum. Plenior horum explicatio rejecta ad* σύνταξιν, *cujus propria est.*

DE dubiis satis: præsertim quando ea, ut dixi, non ad canones generales de genere ex significatione cognoscendo; sed ad speciales regulas de terminatione pertinent. Superest, ut de iis agamus, quæ ex significatione scimus omnis esse generis. Cujusmodi sola sunt adjectiva. Quæ tamen, ut superiùs dicebamus, non tam ratione sui ipsorum ullius sunt generis; quàm ratione convenientiæ cum substantivo. Nec enim tam substantivum se adjectivo, quam adjectivum substantivo accommodare debet. Accommodatio hæc minùs est aperta, quando una est terminatio: ut, *sapiens*, vel *demens vir*, *femina*, *mancipium*. Nec tamen nulla est; ut liquet, ex neutris accusativi casus, ac tribus casibus numeri pluralis. Ut, *sapientem virum*, aut *feminam*; sed *sapiens mancipium: sapientes viri*, aut *viros*, *femina* & *feminas*; sed *sapientia mancipia.* Apertior est accommodatio in terminationibus duabus, ut *celebris vir*, aut *femina*, & *celebre mancipium:* maximeque in tribus; ut *vir robustus*, *robusta femina*, *robustum mancipium.* Quomodo verò hæc variatio per genera fiat, propriè non est hujus loci, sed declinationis transversæ: de qua postea dicendum.

Incuriæ autem Grammaticos postulare liceat, quòd in adjectivorum doctrinâ illustrem hunc prætereant canona: Adjectiva substantivè usurpata ejus esse generis, cujus est substantivum subintellectum. Quippe hoc canone semel constituto, multò plurimas, cùm generales, tum speciales regulas, atque exceptiones, præterire licebit, quibus Grammaticorum vulgus mirificè turbat tenellas puerorum mentes. Sanè, quod suprà quoque dicebamus, de mensibus frustra speciatim tradunt in regulis generalibus, cùm omnia mensium nomina naturâ suâ sint adjectiva, ut argumento est, quòd dicimus *Kalenda Apriles*, *Nonis Septembribus*, *Idus Decembres.* Nam ut *acer*, & *acris*; *saluber*, & *salubris*; sic *September*, & *Septembris*; *December*, & *Decembris*, dixere. Quare non aliam ob caussam nomina isthæc masculina sint, quàm quia intelligatur *mensis.* Itidem masculinum est *natalis*, quia respicitur *dies*; *majalis*, quia intelligitur *porcus*; *oriens*, & *occidens*, quia *sol*; *torrens*, quia *amnis*; *rudens*, quia *funis.* At *bidens* femininum, quia deest *ovis*; *volucris*, quia *avis*; *vocalis*, quia *litera*; *biremis*, & *triremis*, quia *navis*; *bipennis*, quia *securis*; *continens*, quia *terra*; *profluens*, quia *aqua.* Sed *præsens* neutrum est, quia intelligitur *tempus*; *altum*, vel *profundum*, quia *mare.* Quin una eademque vox in omni genere usurpatur, eo quòd nunc hoc, nunc aliud, atque aliud desideretur. Ita Virgilius * dixit:

* *7 Æn.*

Saucius at quadrupes:

quia nimirum respicit vocem *cervus.* Idem Ecl. V ait:

—— *Nulla neque amnem*

Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam:

quoniam in animo erat *bestia.* At Columella dicit *quadrupedia*, intelligens *animalia.* Ut lib. XI, cap. II: *Quin etiam pecus lanatum, cateraque quadrupedia, tempus idoneum est castrandi.* Ac alibi similiter: uti & Plinius. Eoque id magis observandum, quia Servius, ad locum ex Eclogâ V adductum, ei tantùm duo tribuit genera. Sunt verò alia ejus generis multa: de quibus in συντάξει meliùs à nobis dicetur. Utcunque enim ea quodammodo huc possint referri; quòd adjectivum, substantivi induens naturam, quasi substantivum, ac vox simplex censeatur: propriè tamen pertinent ad structuram orationis; quia adjectiva genere conveniunt cum substantivo κατ' ἔλλειψιν intellecto. Quare de istiusmodi dicemus pluribus lib. VII, sive de structura, cap. sexto.

CAP. XIX.

Ubi speciatim agi debeat de genere nominum, quatenus ex terminatione cognoscitur. Polenta *perperam statui neutrum. Julius Cæsar Strabo, poëta, & orator.* Prophetæ *vox & veteribus Latinis usurpata.* Τὰς προφήτας. Γεώργικα. Cometes *potiùs, quàm* cometa. Sidus cometes. Psaltes, & psalta. Socratici chartæ, *vel* charti. *Horatii vetus lectio adserta. Malè substantivè dici* ἡ ματευτή. Pandectæ *esse masculinum, contrà quàm viris summis visum.* Adria *ut genus variet. Error veteris Juvenalis interpretis.* Damma *pro* dama. *Cur Maro* dama, & talpa, *prætulerit genere virili.*

EXcussimus regulas generales, de quibus antè declinationum doctrinam Grammatici omnes tradunt: neque hoc eorum consilium reprobari aut potest, aut debet. At de parte speciali, quam & ipsam plerique omnes mox generali subjungunt, longè secus sentio: neque me vanâ adduci conjecturâ, apud eos, qui haut habent rationem præjudiciis & anticipatis opinionibus mancipatam ligatamque, vel fidem fecerit, quòd genus è declinatione non minus, quàm è terminatione cognoscitur. Sanè cur *drachma* sit femininum; *dragma*, aut *dogma*, neutrum; licet utrumque sit Græcum in MA exiens: non alia est ratio, quàm quod illud est primæ, hoc tertiæ declinationis. Et cur *epitome* femininum, *mare* neutrum? Nempe declinationis id facit diversitas? Cur *tiara*, & *lampas*; cur *gurges*, & *species*; cur item *arcus*, & *decus*, non sunt ejusdem generis? nempe ipsi in regulis suis caussam in diversa ponunt decli-

declinatione. Nec hoc in iis tantùm locum habet, quorum obliqui diversimodè exeunt: sed etiam, quæ ad nullam è quinque declinationibus referri possunt. Nam unde cognoscimus, *fas*, *nefas*, *hir*, *pondo*, *gummi*, *sinapi*, *git*, *frit*, aliaque nonnulla, terminatione discrepantia, ejusdem, neutri nempe generis esse, quàm hoc ipso, quod ἄκλιτα * sunt? Quare lolio eum vivere necesse est, qui nondum videt, quæ speciatim de genere præcipiuntur, haut rectè declinationibus præmitti.

* *Indeclinabilia.*

In hac tamen censura Grammaticorum, utram insistamus viam, parùm interest. Nec enim hæc scribuntur illis, qui, quod dicitur, adhuc inter apia versantur; sed qui jam idonei nobis videntur, ut de magistris judicium ferant. Quandoquidem igitur priores aliter præivere, vestigia eorum premam: eò magis, ne si partes has de genere divellam, novitate illâ magis animos turbem, quàm juvem. Age igitur, exordiamur telam de iis, quæ e terminatione, sive, ut Fabius * loquitur, positione cognoscuntur per regulas speciales: in quibus vereor cum Plautino † illo sycophanta, ne face & viatico nobis opus sit in tam longa errorum serie.

* *Lib. 1, cap. 4 & 5.*
† *Trinummo Act. 4, sc. 2.*

Ac primò fallunt, falluntúrque, qui *polenta* neutri esse generis suffulcire conantur hoc Nasonis ‡:

—— Lymphamque roganti,
Dulce dedit, testâ quod coxerat ante, polenta.

‡ *Lib. 5 Met. fab. 7. sive aliis 10.*

Nam legendum,

Dulce dedit, tostâ quod coxerat antè polentâ.

Quod de loco ita Turnebus *: *Significatur* κυκεών, *quem Cicero vertit cinnum.* Et paullo pòst: *Interdum mel ei admiscebatur, quo factum, ut dulce vocârit Ovidius in neutro genere, quod aut coctum cum polentâ fuisse. Qui enim Grammatici hic polentam neutrius generis faciunt, in pollinariis & pistoribus potiùs, quàm Grammaticis, numerandi videntur.* Nimirum optimè vidit Turnebus, per *dulce* signari dulcem potum; quem anus, antequam Cereri daret, coxerat tostâ polentâ, hoc est, hordeo sive farinâ hordeaciâ. Imò eo pacto, multò ante Turnebum, hunc versum interpretatus fuerat Raphaël Regius; quique eum secutus Joannes Ninivita, Grammaticorum suæ ætatis princeps.

* *Lib. 12 Advers. cap. 8.*

Præterea Græca omnia in TA masculina esse adserunt. Exempla huic rei firmandæ adducunt, *poëta*, *propheta*, *planeta*, & *cometa*. Classicorum quoque scriptorum locis hæc firmatum eunt, nisi quòd de *propheta* vocabulo ad Ecclesiasticos confugiunt, quasi eam ignorarint veteres Latini. At C. Julius Cæsar (non Dictator, sed cognomine Strabo †, Cinnanis temporibus occisus ‡, quem inter summos Oratores Cicero * retulit, ac Tragicum poëtam fuisse, cùm idem, tum Asconius † testatur) in tragœdiâ suâ, Adrasto, Festo ‡ teste, dixit:

Tum capita viridi lauro velare imperans
Propheta, sancta castè qui purant sacra.

† *Velleius lib. 2, & Suetonius in Julio cap. 57.*
‡ *Cic. Tusc. 5 & 3 de Orat. item Livius epit lib. 80, & Suetonius in Calig. cap. ult.*
* *Lib. 2 & 3 de Orat. & in Bruto.*
† *In Orat. Cic. pro M. Scauro.*
‡ *In Propheta.*

Sed nihil hic locus, aut similes, caussam eorum juvant; quando nec *propheta*, nec *poëta*, hujus sint loci; ut quæ è significatione cognoscantur masculina, ac feminina forment *poëtria*, & *prophetis*, vel, si malis, *prophetissa*: quæ tamen refugiens Æschylus τὰς προφήτας dixit. Sanè antiquiores maluere ejusmodi communi genere usurpare: ubi juniores sexum terminatione discrevere. Neque id in hac modò terminatione, sed etiam aliis. Ut *diaconam* dixere διακόνισσαν: ac φυλάκισσαν maluere, quàm τὴν φύλακα. Quorum exempla apud LXX, & SS. Patres. Sic quoque pro ἡ γεωργὸς, γεώργισσα habes Justiniani Novella CLVI.

Cometa verò, & *planeta*, κατ' ἔννοιαν masculina sunt, quia respicitur ad vocem ἀστήρ; Nam primùm quidem κομήτης de viro comato, πλανήτης de homine erratico dicebatur. Sed per translationem postea sic vocati sunt οἱ ἀστέρες *: quia comati, & erratici viderentur. Quomodo & aliqui eorum dicti πωγωνίαι, & κεράτιαι. q. d. *barbati*, & *cornuti*. Etsi igitur κομήτης, & πλανήτης, sint naturâ suâ substantiva; ut quæ ad primam simplicium pertineant: tamen proximè abeunt ab adjectivorum natura: quæ substantivè usurpata ejus sunt generis, cujus est substantivum intellectum. Imò & substantivum quandoque exprimitur. Ut apud Geminum lib. εἰσαγωγικῆς cap. 1: καὶ τὰς ποτὲ πλανητῶν ἀστέρων τὰς κινήσεις. Ac similiter paullo post de stationum punctis in planetis: στηριγμοὺς εἶναι τῶν πλανητῶν ἀστέρων. Quomodo *natalis* masculinum est, quia intelligitur *dies*; *continens* femininum, quia intelligitur *terra*; quâ de re dicere cœpimus, cùm de adjectivorum genere ageremus, pleniusque tractabimus libro de orationis structura. Illud tamen inficiari non possumus, interdum ἀστήρ intelligi non posse: ut cùm additur substantivum diversi generis per Appositionem, quam vocant. Tacitus lib. XIV Annal. *Inter quæ & sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendat.* Ubi & *cometes*, non *cometa* dicitur. Eodemque modo loquitur lib. proximo. Et plurimùm profectò Latini utuntur hâc terminatione. Lucanus lib. 1:

* *Stellæ.*

—— Et terris mutantem regna cometen.

Silius lib. 1:

Crine ut flammifero terret fera regna cometes.

Et lib. VIII.

Regnorum eversor rubuit letale cometes.

Claudiani quoque est lib. 1 de raptu Proserpinæ:

Præceps sanguineo delabitur igne cometes.

Similiter lib. de bello Getico †:

Et nunquam cælo spectatum impune cometen.

Item Panegyri de consulatu Mallii Theodori *:

—— Aut tristem figat crinita cometen.

† *Vers. 243.*
* *Vers. 111.*

Eodemque modo dixit Tertullianus lib. de fugâ in persecutione cap. X: *Fugerat & quidam animosus Prophetes dominum.* Ac *propheten* usurpat lib. de monogamia capite VIII. Par ratio in *Psaltes*, quo Sidonius utitur lib. VIII, ep. IX. Habet & vetus tabula marmorea *: DECURIONUM. COCCEII. L. CURAT. STRATONE. COMOEDO. IBYCO. PSALTE. CHRESTO &c. Rectum tamen & *psalta*. Gloss. vett. ψάλτης, *nablio*, *psalta*. Verùm sanè, ut & *cometa*, & *planeta*, excipi hoc loco debuerint; de quo non magnopere pugnabo, cùm vox ad quam respicitur, Græca sit, eoque Græcè nescientibus ignota: at quid dicent de *charta*, *catapulta*, atque aliis, quæ & Græca sunt, & in TA desinunt, & nihilominus feminina? Quare quantò meliùs super hujuscemodi nominum genere scripsere antiqui! quod ut magis pareat, unà operâ novellis doctoribus, tum doctissimum Varronem obducere visum, tum priscum & nomine, & fide, Grammaticum; Priscianum dico, cujus hæc verba lib. VII. *Varro de linguâ Latinâ ait, talia ex Græco sumta ex masculino in femininum transire, & A literâ finiri: ὁ κοχλίας, hæc cochlea; ὁ χάρτης, hæc charta; ὁ γαυσάπης, hæc gausapa.* *Charta* tamen Lucillius sat. XXVII in masculino usurpavit more Græcorum: si genuina hæc apud Nonium † lectio est: *Ubi nunc Socratici charta?* Mirum verò summum virum putare, Horatium similiter in Arte scripsisse:

* *Inscript. Smet. ac Gruteri, pag 331. num. 2.*
† *In Charta.*

Rem tibi Socratici poterunt ostendere charta.

Etsi enim Horatius Lucilium imitetur quandoque in satyra: non tamen ita κακόζηλος * fuit, ut *meus charta* diceret; idque eà in epistolà, quà Pisones juvenes docet artem poëticen. Sanè si hoc esset; in aliquo codice sic legeretur, vel olim saltem lectum fuisse, sciremus ex interprete ejus veteri, vel Nonio, aut Prisciano; vel alius veterum Grammaticorum rem tam miram, & insolentem, verbo attigisset. Ut mittam, quod ne satis quidem liquet, ipsene ita scripserit Lucilius. Nam in Aldina Nonii editione, atque etiam in Mstis, non *charta* est, sed *charti*. Sæpe etiam Nonius aut corruptâ lectione deceptus, aut mentem veterum non est adsecutus.

* *Malus & infelix affectator.*

Sed de *charta* vocabulo abunde. Ad alia venio ejusdem monetæ: ut ὁ μαργαρίτης, *hæc margarita*; ὁ καταπέλτης, *hæc catapulta*; ὁ μανδραγόρας, *hæc mandragora*; ὁ παρασάγγης, *hæc parasanga*; ὁ τιάρας, *hæc tiara*; ὁ μετρητὴς, *hæc metreta*: de quo vulgarem Lexicographorum errorem, ἡ μετρητὴ scribentium, optimo jure taxat Leopar-

dus

dus lib. xv, cap. xxiii. Similiaque *balista*, *catarracta*, *crypta*, *catasta*. Sed dubitatur de voce *pandecta*. Vulgò quidem muliebre putatur: imò & à Budæo annotat. in Pandectas scriptum est: *Cùm essemus Florentiæ Pandectas Pisanas, quas archetypos esse putant, in palatio vidimus.* Et mox: *Has si diebus aliquot otiose nobis tractare licuisset.* Verùm Antonius Augustinus*, Adolphus Mekerchus†, & Henricus Stephanus‡, contendunt, esse generis virilis, eò quòd Græcè sit ὁ πανδέκτης: iisque assentit Andr. Schottus observat. Hum. lib. ii, cap. xvi. Et sanè etiam Cujacius ipse tandem *Pandecta Florentini* cœpit scribere. Pro vulgata verò sententia adversus hos pugnat Isaacus Casaubonus Castigationibus in librum quintum Strabonis, & Obertus Giffanius, in Observationibus L.L. Ac Casaubonus quidem femininum esse contendit, eo quòd Græca in ΑΣ, vel ΗΣ, cùm apud Latinos in A desinunt, fiunt feminina, juxta regulam Prisciani, quam antea attulimus. Sed hunc canona tum tantùm verum esse existimo, quando in vocabulis non intelligitur aliud nomen, unde suum genus accipiunt. Talia sunt, quæ adfert Priscianus; quæque iis superiùs addebamus. At ratio est dispar, quando κατ' ἐξοχὴν respicitur aliquod substantivum: uti fit in πλανήτης, & κομήτης; in quibus intelligitur ἀστήρ. Ac hujusmodi quoque est πανδέκτης, ubi intelligitur λόγος*. Quare Latinis etiam masculinum erit. Similiter de *Etesiis* judicamus, quia in ἐτησίαι† respicitur substantivum ἄνεμοι‡. Aristoteles, sive alius potiùs, lib. de mundo: Τῶν ἀνέμων, οἱ μὲν χειμῶνος, ὥσπερ οἱ Νότοι, δυναστεύοντες· οἱ δὲ θέρους, ὡς οἱ Ἐτησίαι λεγόμενοι. *Ventorum alii quidem pollent hyeme, ut austri: alii æstate, ut Etesiæ qui dicuntur.* Itaque & rectus ejus Latinis non tam *Etesia* est, quàm *Etesias*. Plinius lib. xviii, cap. xxxiv de aquilone agens: *Mollit sidera æstate media, mutatque nomen, & etesias vocatur.* Non *Etesia* inquit, sed *Etesias*. At nomina primæ in AS, & ES, semper generis sunt virilis. Quare & *Pandecta* puto esse à *Pandectes*: ut simile sit istis *cometes*, *planetes*, de quibus antè dictum. Ita etiam terminatione discernetur à femininis: ut femininum *tiara* à masculino *tiaras*. De *ornithiis* verò idem, ac de etesiis, judicium esto. Idem scriptor libri de Mundo: Οἱ δὲ Ὀρνιθίαι καλούμενοι, ἐαρινοί τινες ὄντες ἄνεμοι, Βορέαι εἰσὶ τῷ γένει. Ubi apud Appulejum: *Ornithiæ verni appellantur Aquilonum genus, aere præsati.* Sic enim legendum, non *prelati*; quod monitum Clarissimo Bonaventuræ Vulcanio, præceptori in adolescentia meo. Qui & pro *verni* ex MSo *venti* malebat, & apud Aristotelem αἴγιοι pro ἐαρινοί.

Hadria pro urbe femininum est, pro mari masculinum. De Urbe est hoc Silii in viii: *Humectata Vomano Adria.* Et Justini lib. xx: *Hadria Illyrico mari proxima, quæ & Hadriatico mari nomen dedit.* De mari illud Horatii lib. iii, od. iii: *Dux inquieti turbidus Adriæ:* & od. ix. *—— Improbo Iracundior Hadriâ.* In caussa est, quia respicitur *sinus*. Unde Græcis ὁ Ἀδρίας κόλπος. Strabo lib. v: Τὴν Ἀτρίαν ἐπιφανῆ γενέσθαι πόλιν φασίν· ἀφ' ἧς καὶ τοὔνομα τῷ κόλπῳ γενέσθαι τῷ Ἀδρίᾳ, μικρὰν μετάθεσιν λαβόν. *Atriam illustrem fuisse urbem ajunt: à quo & sinui nomen datum Hadriæ, exiguâ factâ mutatione.* Ac similiter κόλπος Ἀδρίας dicitur Stephano in Ἀδρία. Ac fluvius quoque, sive portus ejus urbis, ὁ Ἀδρίας: teste eodem Stephano, item Joanne Tzetze in Chiliad. ac Isacio Tzetze in Lycophr.

Dubito, an attingi etiam mereatur ridiculus error veteris interpretis in illud Juvenalis sat. x:

Frangendus misero gingivâ panis inermi.

Ad quem locum ita vett. glossæ à Pithœo editæ: *Notandum masculino genere dixisse, ut hic gingiva.* Atqui bullâ mihi dignissimus videatur, qui sententiam esse non videat; homini misero panis est frangendus gingivâ inermi, quia ei dentes jam exciderint.

Advena, *auriga*, & *indigena*, non sunt communia, ut suo loco ostendimus. Nec *conviva* commune esse, adstrui potest, præterquam unico Pomponii*, casci scriptoris, loco. *Talpa* & *dama* (pro quo libri veteres *damma*) à solo Marone in masculino usurpantur, idque κατὰ μεταπλασμόν: atque inde est, quòd Charisius inter barbarismos genere commissos poetæ illud reponat†:

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Sanè non dubitat Servius‡, quin *timidæ* fuerit dicturus, nisi refugisset ὁμοιοτέλευτον. Idem judicandum puto de illo ejusdem*:

Aut oculis capti fodere cubilia talpæ.

Nam & hìc si *captæ* dixisset, fuisset ὁμοιοτέλευτον: cujusmodi lenocinia imminuunt heroici carminis majestatem.

*Indice propriorum in Pandectæ Nomin. editio Ilerdæ.
† Lib. de pronunciat. L. Græc.
‡ De abusu L. Gr.
* Liber.
† Etesiæ.
‡ Venti.
* Lib. 1, epist. 39.
† Rel. 8.
‡ Ad Bucolicum citatum.
* Georg. 1.

Cap. XX.

Πάσχα Græcis ἄκλιτον, Latinis primæ potiùs declinationis, quàm tertiæ, utrisque neutrum. De origine vocis deceptos Tertullianum, Lactantium, Ambrosium. Hebræum esse, sed flexu Chaldæo. Φασίχ. *Interpres Παραλειπομένων alius est ab* LXX. Manna *neutrum, pro cibo Israëlitarum in deserto.* Manna, *pro micis thuris. Glossa vett. semel & iterum correcta: uti & interpres vetus Juvenalis.* Manna.

Atque hæc origine vel Latina sunt, vel Græca. Videamus nunc de iis, quæ ab Oriente accepimus.

Pascha Hebræis, & Chaldæis, masculinum est, non neutrum: quo genere utrique destituuntur. Græcis Latinisque nihilominus neutrum est. Sic LXX semper τὸ πάσχα, & τοῦ πάσχα. Quomodo & Joann. cap. ii. ἐν τῷ πάσχα: & Nazianzenus orat. xlii, μεταλαμβάνειν τοῦ πάσχα*. Augustinus ad liter. Petil. Donat. lib. ii, cap. xxxvii: *Aliud est pascha, quod adhuc Judæi de ove celebrant: aliud autem, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Nec id de pascha tum tantùm dictum velim, cùm tertiæ est inflexionis, inque obliquo *paschatis* facit: sed etiam quando primæ. Sanè apud Tertullianum legas, *sollemnibus*† *paschæ:* & in‡ *paschæ jejunare.* Idem tamen*, *Cur pascha celebramus in annuo circulo in mense primo?* Imò jungit ista lib. advers. Jud. cap. x: *Hanc sollemnitatem diei hujus, id est, paschæ azymorum, cum amaritudine manducaturos prædicabat: & adjecit, pascha esse Domini, id est passionem Christi.* Ausonii quoque est epist. xi, quæ ad Paullum:

Instantis revocant quia nos sollemnia paschæ.

Idem tamen epist. prox. ad eundem:

Nos etenim primus sanctum post pascha diebus
Avemus agrum visere.

Etiam B. Ambrosius libellum suum inscripsit, *De mysterio Paschæ:* eumque ab iisdem verbis orditur. *Paschatis* pro eo nunc magis obtinet: quomodo inter cæteros jam olim Eligius Noviomus, qui anno ɔɔLXV obiit†, homil. iv‡ de cœna Domini, scripsit: *Suo paschate, id est transitu ex hoc mundo ad Patrem, nos de vitiis ad virtutem, de terrenis ad cælestia, de caducis ad æterna transire docuit.* Sed rectiùs Tertullianus, & alii, *pascha* inflectunt. Nec enim, cur in tertia uterentur, aliud in caussa est, quàm quod existimarent, verbale esse à πάσχω*; eoque declinationis esse ejusdem, ac *ænigma*, *dogma*, aliaque verbalia à Græcis accepta. Hoc sanè etymon amplexus Tertullianus, & quidem, quod factum nollem, eo libro, quo disputat contra Judæos. Idem sequuntur Lactantius Divin. Instit. lib. iv, cap. xxvi, Ambrosius de mysterio paschæ cap. i, atque alii. Atque πάσχα non Græcum est, sed Hebræum: ut optimè monitum B. Hieronymo, de celebratione paschæ. Hebræis enim *transitus* dicitur פסח *Pesach*, ut vulgò quidem corruptè pronunciant: vel potiùs (cùm Hebræi careant P Latino, ac Π Græco) *Phesach*. Sed ut ex *Tharach*, *Thare*; ex *Corach*, *Core*; ex *Jephthach*, *Jephthe:* ita ex *Phesach* fuerit *Phese*, pro quo *Phase* lectitabant: uti pro *Phesach*, Φασίχ. Chaldaicè א addito, פסחא, *Phascha*; quomodo & Hierosolymitani pronunciabant. Græci, mutatâ adspiratione in tenuem, Πάσχα extulere. Quod legere etiam apud Philonem: semperque apud LXX in

* Participem esse paschatis.
† Lib. 2 ad Uxorem cap. 4.
‡ De jejunio adversus Psychicos cap. 14.
* Ibidem.
† Sigebertus in Chronicis.
‡ In bibliotheca Patrum tom. 2. edit. 2.
* Pation.

in libris Mosaicis. Uti & Jos. v, 10, 11, & iv Reg. xxiii, 21. Esi. vi, 19, 20. Ezech. xlv, 21. At in ii Paralipom. cap. xxx, & xxxv, crebrò pro eo est φασὲκ: nec unquam πάσχα: quod argumento est Παραλειπομένων libros esse alius interpretis, quàm Pentateuchum. Ubi toties in Exod. Levit. Numer. Deut. πάσχα legas, nec aliter unquam. Et firmat hanc sententiam, quòd Theodotio pro πάσχα soleat scribere φασὲκ: ut est apud Theodoretum Quæst. in Exod. Hæc pluribus sum persecutus, ut liqueret, *pascha* esse Hebræum, sed formâ Chaldaicâ deflexum, ac Græcos quidem declinare τὸ πάσχα, τοῦ πάσχα: Latinos autem *hoc pascha*, *hujus paschæ*.

Eodem modo in *manna*, מַנָּא, Chaldaicâ formâ א additur ad Hebræum מָן, *man*: ac cum Hebræis & Chaldæis sit masculinum: Græcis hoc quoque, & Latinis, est neutrum. Exod. xvi, 35. Ἔφαγον * τὸ μάννα τεσσαράκοντα. Num. xi, 7. τὸ † δὲ μάννα, ὡσεὶ σπέρμα κορίου. Ac similiter Deuter. viii, 3 & 16. Jos. v, 12, & alibi. Etiam Joh. vi, 31. ubi Nonnus reddidit:

Μάννα ‡ πολυκλήϊστον ἐδήδοκαν...

Quare *caleste manna* dicemus, non *calestem mannam*, ut plerique.

Atque hæc de eâ mannæ significatione, quâ in sacris accipitur literis. Præterea autem signat, quas *thuris micas* vocat Columella *, *pollinem thuris* Scribonius Largus non uno loco, *minutum thus* Juvenalis sat. ix:

O parvi nostrique lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exornare coronâ.

Ubi vetus interpres: *Thus minutum manna vocant.* Gloss. Arabico-Latinæ: *Mannes, pulvere turis.* Malim in auferendi casu, *Mannâ, pulvere turis.* Sic μάννης vocabulo usi Dioscorides lib. i, cap. lxxxiv, edit. Saraceni: sed 83 edit. Ruellii, & Galenus lib. iv τῶν κτ τόπους. Existimare autem aliquis possit, esse eâ significatione neutrum, allatum ob locum è Juvenalis scholiaste antiquo. Sed enim Plinius aliter lib. xii, cap. xiv. *Micas* (thuris) *concussu elisas mannam vocamus.* Quare *mannam* apud scholiastem illum malim. Nam, ne de Plinii loco dubitemus, librorum vett. consensus facit.

Nec dubium, quin si *manna* etiam designat fœni manipulos, ejusdem sit generis. Idem enim scholiastes ad illud Juvenalis sat. viii, —— *Atque maniplos Solvet: Mannas*, inquit, *fœni.* Quamquam verò in vett. etiam glossis legatur, *Manna*, δέσμη: utrobique tamen *manua* censeo legendum. Nam & gloss. Cyrilli, Δράγμα, *manipulum*, *manua*, *dragma.* Et glossæ Isidori: *Manua*, *manipuli.* Ubi, ut plurale plurali reddatur, *manua* rescribo. Favet quoque ἔτυμον. Nam ab eâdem origine *manipulum*, & *manuam* dixere.

Mamona masculinum est, etsi Lucæ cap. xvi, vers. xi, Theod. Beza vertat *veram mamonam.* Meliùs alii, *verum.* Nam in linguâ Aramæâ, quâ Christus usus, masculinum est. Etiam *Mammonam improbum* dixit Ambrosius in Lucam. Idem liquet ex terminatione recti *Mamonas*, vel *Mammonas.* Nam gemino M scribitur ea vox apud Matthæum, unico apud Lucam. Recto usus Tertullianus libro de fuga in persecutione cap. xii: *Si non possumus Deo servire, & Mammona, possumus & à Deo redimi, & à Mammonâ? Quis enim magis serviet Mammona, quàm quem Mammonas redemit?* Utitur & lib. iv contra Marcionem cap. xxxiii. Nempe Hebræis est *Mamon*: Chaldaicè *Mamona*, Græcè *Mamonas*: ut *Satan*, *Satana*, *Satanas.* Significare *præfectum*, existimabat Cælius Calcagninus in Epistolicis Quæstionibus *. Sed falsus ille. Meliùs Clemens lib. iv Στρωμ. vertit φιλαργυρίαν: & Hesychius, Μαμωνᾶς, θησαυρὸς πλεονεξίας. Item Hieronymo, cui est πλοῦτος, sive *divitiæ.* Vide eum in cap. vi Matth. & epist. ad Algasiam quæst. vi. Augustinus lib. ii de sermone Domini in Monte ait, Pœnis similiter notare *lucrum.* Quod & scribit in Quæstionibus Euangelii; atque addit, vicinas esse linguas, Hebræam: & Afram: quod ignorare non potuit, qui Tagastæ in Numidia esset natus, Madauræ & Carthagine esset literis imbutus, Hippone Regio presbyter fuerit, atque annis quasi xxxvi episcopus.

* Comederunt mannam annos quadraginta.
† Manna verò, ut semen coriandri.
‡ Manna valde celebratum spectarunt parentes.
* Lib. 6. cap. 30.
* Lib. 1. epist. 39.

CAP. XXI.

De exeuntibus in E, vel I. Bubile *pro* pascuo. *Lambini lapsus.* Melo *in ablativo.* Pelage. Cete, *&* ceti. Gummis, *vel* commis. *Plauti vera lectio indicata.* Scelera sinapis, *pro* scelerata. Homo scelerus, *&* scelerum caput. *Charisii lapsus.*

IN E planè eodem se habent modo, atque nomina in A. Quanto igitur satius fuisset, conjunctim ea hoc pacto complecti? Singularia in A, vel E, si primæ sint declinationis, feminina sunt: si tertiæ, neutra. Pluralia in alterutram vocalem meram desinentia, neutra sunt: at quæ utrâque, hoc est, diphthongo Æ, terminantur, sunt feminina.

Ovile, & *bubile*, adjectiva sunt, quæ neutro accipiuntur, quia intelligitur *stabulum.* Ea caussa est, cur mutato genere dixerit Plautus Persâ †:

Enim metuo, ut possim in bubilem rejicere, ne vagentur.

Ubi per *bubilem* puto signari, non *stabulum*, ut censet Lambinus; sed *pascuum*, ac respici ad vocem *agrum.* Sanè antecesserat versu proximo:

Emitte sodes (boves) *ne enecet fame, sine ire pastum.*

Atque ut *stabulum* signaretur, non tamen id adversaretur ei, quod de genere dicebamus. Nam ut in *bubile* subauditur *stabulum*, ita in *bubilis* intelligatur *cauda.*

Nec eo leviter peccant, quòd *mele* reponunt inter illa, quæ tantùm in plurativo inveniantur. Nam *cete* quidem, & *tempe*, quæ contracta sunt ex κήτεα, & τέμπεα, apud Latinos in solo inveniuntur plurativo etiam Genitivo apud Ælianum lib. 3, Var. Hist. cap. 1. semel iterumque τῶν τεμπῶν: ut apud Maronem Æn. v.

Tum varia comitum facies, immania cete.

Et Georg. ii.

Frigida tempe.

Et apud Tullium *, qui Græcam retinet scripturam: *Reatini me ad sua τέμπη duxerunt.* Pro quo *tempea* est apud Solinum in Pontico †:

Vos quoque, qui resono colitis cava tempea cœtu.

At in *mele* contrà fit, quod apud Latinos in singulari etiam declinatur: non hoc integro tamen, cùm destituatur genitivo, dativo, & ablativo. Nec enim morari convenit autorem carminis de Pascha sive de Resurrectione, quod vulgo Lactantii Firmiani esse creditur, cùm sit Venantii Fortunati: in quo legere est,

Fitque repercusso dulcior aura melo.

Est autem hoc major oscitantia Grammaticorum in *mele*, quòd ipsi, quando ad nomina in OS devenerunt, quasi sui obliti, *melos* reponant inter neutra. Sanè qui *mele* hic adjecerunt, pari, aut majori jure *pelage* addidissent, quo usus Lucretius lib. v & vi. Nam itidem ex πελάγεα est πελάγη. De quo postea. At erit credo, qui nec *cete* hujus loci existimabit, quia ut *melos*, & *pelagus*, ita & *cetus* dicant Latini. Verùm dispar hic ratio, quia à *cetus* in plurali fit non *cete*, sed *ceti*; quomodo *cetos* legere est apud Plinium lib. xxxii, cap. i.

De duabus primis vocalibus diximus: de cæteris videamus.

Fortasse aliquis ambigat, num singularia in I semper neutra & aptota sint, eò quòd apud Columellam lib. xii, cap. l legere sit: *Existimaruntque satius esse, nova dolia liquidâ gummi perluere.* Et mox: *Serias crassâ gummi liverunt.* Sed nihil hoc adversus vulgarem regulam, quando *gummi* utrobique ablativus est à *gummis*, quod femininum est. Usus idem Columella: *Talis materies, qualis gummis.* Nonii hâc de re locum ita emendabat Paullus Leopardus lib. xviii, cap. xxx. *Cummi*, (ita Nonius scribit Græcorum more, qui κόμμι dicunt) *generis neutri, ut est usu monoptoton. Tamen femininum cummis, ut Alpinaque*

† Act. 2. Sc. Paratum jam esse dicito.
* Epist. 14 lib. 4. ad Atticum.
† In editione veterum poëmatum ac epigrammatum à P. Pythœo procurata.

naque cummis; ut sit genitivus ejus hujus cummis: ut puppis, febris, pelvis. Pari ratione, & in neutro dicimus *sinapi*, & in feminino *sinapis*: quo in gignendi casu usus Plinius lib. XXVIII, cap. XI. *Laudatur & fel, & fimum, cùm sinapis pari modo illitum.* In recto autem usurpat Columella lib. X:

Seque lacessenti fletum factura sinapis.

Et Plautus Pseudolo *:

Teritur sinapis scelera cum illis, qui terunt.
Priusquam triverunt, oculi ut exstillent, facit.

* Act. III Sc. Ferion coquinam.

In vulgatis est, *sinapis scelerata.* Sed veteres *scelerus* dixere pro *sceleratus.* Atque id cùm metrum hoc loco flagitat, tum genuinum esse testatur Servius P. Danielis in IX Æn. ubi inquit: *Funera pro funesta, ut homo scelerus, sicut scelestus, vel scelerosus dicebatur. Plautus in Pseudolo: Teritur sinapis scelera. In eâdem: Nunc jube venire Pseudolum, scelerum caput. id est scelestum.*

Portò cùm & Columella, & Plautus, in nominativo ipso *gummis*, & *sinapis*, dicant: errâsse liquet eos, qui, Charisio teste, voluerunt, *gummi* & *sinapi*, contra naturam nominum in I, esse diptota, ac genitivo in IS desinere; cæteris verò casibus non variare terminationem. Quod verò hoc loco, quasi de compacto affirmant Grammatici, *frugi, nauci, nihili, mancipi, adjectiva esse, & aptota*; id adeò fœdum est, ut nulli Africæ portento monstrositate concesserit. Quippe nullum eorum vel adjectivum est, vel ἄπτωτον; ut cognoscere erit ex iis, quæ dicturi sumus; cùm in casuum doctrinâ agemus de illis, quæ casu aliquo deficiunt.

Neutrum similiter *zingiberi*, pro quo & nunc libri genere *zingiberis* dicitur. Pervulgatum pro eo *zingiber*: sed semibarbarum. Vide quæ de eo diximus lib. I de vitiis sermonis cap. XII.

CAP. XXII.

De terminatione O, Verrepæus, & Caucius excussi, ut inde conjectura de aliis fiat. Unio, *pro genere margarita, virile: pro* concordia, *Latinum non est: at invenitur pro cepæ genere, & eo, quod Græcis μονάς. Nec Latina sunt* albedo, *&* nigredo. Pugionis *etymon.* Ἐγχειρίδιον *pro* pugione. *Unde* ditio, portio, superstitio. Optionis *triplex acceptio.* Postulio. Sortio. Rebellatio, *an* rebellio, *dicendum.* Talio *unde dicta, & cujus generis.* Arrabo *quandoque muliebre, sæpius virile.* Sola, *vel* seta bubo. Margo plena. *Terminatio Y sociandanon tertia, sed quinctæ vocali.*

IN nominibus in O non minùs turpiter se dedêre, cùm veterum aliqui, tum juniores, & melioris quidem notæ: inque his, qui magnæ apud multos dignationis, Simo Verrepæus, Sylvæducis Collegii Pontificii canonicus, & gymnasii præfectus. Is Ninivitam Despauterium in pauciora constrinxit, bonoque judicio, quod negari non debet, plurimis in locis castigavit, inque Belgicæ scholis passim regnat, jam ab eo tempore, quo Mechliniensis provincialis Synodi auctoritate ac decreto constitutum (id anno fuit CIƆ IƆ LXX) ut Ninivita in compendium contractus Alexandro a Villa Dei, cæterisque rejectis, solus in scholas reciperetur. Quare utcunque minuti animi videatur, cum Grammaticis nuperis conflictari, eorumque præcepta ad vivum resecare: quia tamen non inutile est scire, quam parum fidei plurimis eorum sit habendum; tædium hoc in quarta vocali terminatis devorabo: unde liquebit, quàm incuriosè se gesserit, qui curâ atque industriâ prope omnes post se creditur reliquisse. Initium inde faciam, ubi hunc Grammaticum non omnino ratio fugit. Uti quòd *unio* pro margarita masculinum esse ait. Nam ita usus Plinius lib. IX, cap. XXXV: ac Solinus cap. XX. eoque non Grammaticus ille, sed doctissimus Joachimus Vadianus lapsus est in epitome suâ trium orbis partium, ubi Arabiam describit. Hic scribere non dubitat: *Altera illa unio, quam dictator Cæsar Serviliæ emit.* Sed in illo operæ parcere potuit is, quem dixi, Grammaticus, quòd addidit, *unio* pro concordia esse femininum. Nam eâ in significatione nunquam usi scriptores ævi melioris. Scio, in glossis Cyrilli Ἑνῶμαι exponi *unior*: scio quoque, apud Appulejum in XI legi, *unita ratio, & lumine uniti.* Sed ne *unire* quidem apud priores lego, verum *adunare*, quod apud Plinium. Nec ab *unire* ἀναλόγως fit *unio*, sed *unitio.* Quare *unio* non sit ἕνωσις, ab *unire*; sed ἑνότης, ab *unus.* Atque ita reperio apud Tertullianum lib. I adversus Marcionem cap. IV. *Sed & alterius formæ reges, qui singulares in unione imperii præsunt.* Ubi *unio* non *societatem* notat, sed μονάδα. Quare rectiùs Verrepæus *unio* unitatem, quàm concordiam interpretaretur. Sed quod femininum ait, id nec e loco hoc Tertulliani colligi potest, cùm appositum sit nullum. Etiam *unio* Latinis σκόροδον μονοκέφαλον *: ut ex Columella † constat. Non dubito, quin ejusdem sit generis, ac *unio*, pro margaritæ genere. Interim deest veterum auctoritas. Idem Verrepæus in DO & GO feminina esse ait: rectè: at exempla virginis *albedinis* & *virginis* putidè usurpat. Nam *virgo* ad regulam generalem pertinet: *albedo & nigredo* (etsi prius illud etiam apud Sulpitium Severum ‡ legatur) Latina non sunt; sed *albor, nigror, nigritia* vel *nigrities.* A femininis verbalibus excipit *pugio.* Certè & Festus sic dici ait, quia *eo punctim pugnetur.* Verùm quid si dicamus, non à *pugnando* venire, sed à *pugno*? nempe quòd commodè pugno comprehendi queat: quemadmodum & eandem ob caussam à Græcis ἐγχειρίδιον appellatur. Sanè ad hanc enchiridii significationem allusit Erasmus, cùm libello aureolo nomen fecit, Enchiridium militis Christiani. Idem Verrepæus, cùm duo fecisset genera verbalium in IO analoga, quæ à supino veniunt, & anomala, quæ aliunde descendunt: rectè prioris generis esse ait, *ambitio, oratio*, &c. At ineptè posterioris generis facit *communio, ditio, portio, seditio*, & *superstitio.* Nam partim ea non sunt verbalia, sed denominativa: partim verbalia quidem, sed quæ similiter veniant à supino. Prioris generis est *communio* à *communis*, & *ditio* à *dis*, quo pro divite usi Terentius, Cicero, alii: ac Belgæ quoque ditionem eodem modo *een rijck* appellant: nisi per *c* malis *dicio*, ut in glossis Philoxeni, ac Cyrilli scribitur; quomodo ἀπὸ τῆς δίκης fuerit. Nec *portio*, unde *proportio*, est à *partior*, unde *partitio* foret; sed à *pars*, quasi *partio.* Unde τὸ ἐπιβάλλον μέρος ab interprete veteri Luc. XV, 12, item in glossis vett. *portio* exponitur. In *seditio* quoque, ratione posterioris partis, non minùs est ἀναλογία, quàm in *reditio, ambitio*, & similibus. Ut D insertum in *reditio*, inque *ambitio* B, ex vulgari opinione (veriùs esse ab *ambe* ex ἀμφὶ, alibi ex Varrone ostensum) ita & D insertum in *seditio.* Solùm distant, quod *reditum*, & *ambitum* dicimus, *seditum* non dicimus. *Superstitio* etiam vel verbale non est, sed denominativum à *superstes*: vel verbale si fuerit, analogum erit, quia ut à *statum statio*, ita à supino verbi *superstare* erit *superstitio.* Prius placuit Ciceroni lib. II de nat. Deorum: *Non enim philosophi solùm, verùm etiam majores nostri superstitionem à religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latiùs patuit.* Sed verisimilius videtur, esse à *superstare*; quod nec Servio displicet in VIII Æn. Verùm caussam perperam adfert. Censet enim sic dici, quia à cæli regionibus, ut Lucretius * loquitur,

Horribili SUPER adspectu mortalibus INSTET.

At si, *superstitio*, ut Servius ibidem definit, est *inanis & superfluus timor*: absque dubio fit à *superstare*, hoc est, superesse, sive superfluum ac nimium esse.

Quemadmodum autem ista malè censet esse verbalia anomala, quæ vel denominativa sunt, vel verbalia analoga: ita quæ verè verbalia anomala sunt, hoc est aliunde, quàm à supino veniunt, præterit non pauca. Nam ut *legio, regio, concio*, excipit, quia formentur à præsenti: ita excipi etiam oportuit, *usucapio, religio*, quod à *religo*; *contagio*, quod à *tago*, pro *tango*, unde *tagax*; *alluvio*, quod ab *alluvi*, ut à *fluvi* pro fluxi *fluvius*; à *pluvi, pluvius*

* Cepa uno constans capite.
† Lib. XII, cap. 10.
‡ Lib. I, histor. sacræ.
* Lib. I, v. 65.

vius & pluvia. *Optio* etiam, etsi per generalem regulam masculinum cognoscitur, cùm pro † *accenso* accipitur, hoc est, ministro centurionis aut decurionis, itemque cum generatim pro *adjutore* ponitur; quomodo Plautus Asinaria ‡ ait:

Tibi optionem sumito Leonidam;
Fabricare quidvis, quidvis comminiscere:

tamen semper femininum est, cùm significat ἐκλογὴν, ut in veteribus glossis exponitur: hoc est, optationem, sive eligendi facultatem: unde Plautus in Casina *:

Optio hæc tua est; utram harum vis conditionem accipe.

Postulio quoque (quæ sacrorum vox est à Varrone, ac Arnobio, usurpata) huic planè geminum est; cùm & ipsum veniat à præsenti, ut *optio*, *religio*, ac fortasse *sortio*: quomodo in exemplari Longobardicis literis exarato Hieronymus Ferrarius scribi ait; idque non modò Philipp. III: sed in omnibus Ciceronis locis, quibus codd. vulgati habent *sortitio*.

Adhæc malè præterit nonnulla in *io* à nominibus venientia. Nam excipi oportuit *perduellio*, quod à *perduellis*. Item *rebellio*, quod à *bellum*: uti à supino *rebellatum rebellatio*. Quod verbum improbabat Suetonius, ac *rebellio* pro eo dicere jubebat, teste Servio in XII Æn. Usus tamen altero Val. Max. lib. VII, cap. III. Sed scriptor is non adeò verborum est curiosus, quæ interdum accipit à vulgo. Quid quòd Verrepæus etiam *talio* præterit? Nec enim verbale dixerit, cùm veniat à *tale*, quia tale quis patitur, quale fecit: unde Harmenopulo † ταυτοπάθεια dicitur. Muliebre autem id esse, ostendit Gellius lib. XX, cap. I. *Acerba*, inquit, *talio*. Apud Tertullianum tamen legas lib. IV adversus Marcionem, *Talione opposito*. Sed hac parte potior Gellius.

Prastò quoque exemplis nominum in O inserit Verrepæus. Verùm id non nomen est, sed adverbium. Quippe eadem ratione dicitur *coràm adesse*, & *prastò adesse*. Virgilius ‡:

—— Coràm, quem quaritis, adsum
Troius Æneas, Libycis ereptus ab undis.

Terentius Eun. * *Ubi est frater?* CH. *Prastò adest.* Si tamen nomen est, adjectivum fuerit: de quibus agere non est hujus loci. Quis facilè putasset, tot hactenus mendis obsitum esse opus, quod toties recoctum, annoque ab editione prima vigesimo summam accepisset manum: præterea & a Belgis passim in Scholis enarraretur, inque celebres Germaniæ scholas & Academias jam esset receptum: ut ipse auctor † gloriatur?

Fortasse autem persuadeat sibi quispiam meliora de Antonio Caucio, vel quia illustri adeò eum elogio dignatus est, Belgicæ ocellus, Justus Lipsius. At is quoque nihil profectò, nisi ollas lippit. Nam *superstitio*, *ditio*, *communio*, *portio*, aut verbalia ei sunt, aut feminina non sunt. Propè piget referre, quòd si ipsi Plantinianæ editioni fides, *caro* & *grando* ei sunt verbalia in *io*: quod sanè fateor non imperitiæ, attamen insignis oscitantiæ signum est evidentissimum. Et tamen talia ille, cùm quæ in gratiam Holsatiæ Principum antè scripserat, ad incudem, ut ipse agnoscit, revocata, serenissimo Daniæ regi consecraret. Et cur idem præterit *pondo*? Neque enim regulam sequitur: sed neutrum quidem ac singulare est, cùm pro *pondere* accipitur; ut Livii illo lib. IV: *Corona aurea libra pondo.* hoc est, pondere. At plurale cùm *libram* significat. quomodo Fabius lib. VI, cap. IV: *Torquem aureum centum pondo*, hoc est, librarum. Dicas fortasse, istiusmodi rectiùs comprehendi generali regula, qua dicatur, ἄκλιτα * omnia esse neutra: ut, *fas*, *semis*, *hir*, *pondo*, *mille*. Sed si verum est, quod ajunt, regulas generales tantum eorum esse, quorum genus è significatione cognoscitur: sanè de ἀκλίτοις universè in regulis generalibus præcipi nequit. Vel si generatim hoc tradendum putant, oportuit eas generales regulas definire, quibus ex significatione, vel declinatione defectu, genus cognoscitur.

Nec satis mirari possum, apud Grammaticos altum adeò silentium esse de voce *arrhabo*. Nam licet ἀῤῥαβὼν Græcis sit masculinum, ut apud Apostolum epist. II ad Cor. I, 22: apud Latinos tamen est dubium. Feminino usus Varro lib. IV de L. L. *Arrhabo sic dicta, ut reliquum reddatur.* Ita ab Aldo quoque editum, & in Romanâ Ant. Augustini, ut de cæteris taceam. At Græcos sequi maluit Plautus Mil. Glor. Act. IV, sc. I. *Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe.* Item M. Cato in L. Veturium: *Cùm tantus arrhabo penes Samnites populi Romani esset.* Citat Gellius lib. XVII, cap. II, qui & ipse ita loqui maluit, *Arrhabo*, inquit, *in sordidis verbis haberi cœptus.*

Apud Horatium legas, nunc *falsum cupidinem*, nunc *pravum*, nunc *sordidum*. Atque Acro, ad I Serm. sat. I, ait ita novè loqui poëtam. Tamen & ejus exemplo Seneca in Hippolyto dixit, *cacum auri cupidinem.* Verùm femininum genus multò est usitatius: imò apud Oratores perpetuum.

Unedo muliebris generis dicitur Cœlio secundo in Thesauro L. L. sive Foro Romano. Sed idonea deficit auctoritas. Eoque alii masculinis annumerant. De *harpagone* etiam non satis evidens: ut alibi dictum.

Bubo, quod Priscianus in sexto, dubium facit, haut facilè alibi reperias in feminino, quam hoc Virgilii Æneidos IV.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sape queri, & longas in fletum ducere voces.

Quo loco & Nonius comprobat, Maronem, contra aliorum autorum consuetudinem, *bubo* in feminino usurpâsse. Sed is pro *solaque* legit *seraque*, μνημονικῷ * fortasse ἁμαρτήματι †. Neque enim id in ullis codd. MSS inveniri arbitror. Sanè SOLA legit & Servius; qui sic eum ad locum: *SOLA contra genus posuit. Lucanus ‡: Et lata jurantur aves bubone sinistro. Item Ovidius: Infandus * bubo. Et est in usu. Sed Virgilius mutavit, referens ad avem. Plerumque enim genus, relictâ specialitate, à generali sumimus: ut si dicas, bona turdus, referens ad avem.* Quare in prosâ Maronem non ausim imitari: sed sequar Julium Obsequentem: cujus est, *Bubone in urbe viso.* Et, *Bubo in Capitolio occisus.* Imò & Plinii est lib. X, cap. XII, *bubo abominatus publicis auspiciis.*

Insolens & illud Juvenalis sat. I:

—— Plenâ jam margine libri.

Quod Priscianus quoque adducit in VI. Habuit tamen, quos sequeretur. Ut ex Charisio lib. I liquet, ex Æmilio Macro adducit:

—— Fluviorum margine summa.

Et ex Rabirio:

—— Idaos summa cum margine colles:

Nec audiendus Varro cùm *albo grandine* dixit, ut Nonius ostendit. Sed Caper de verbis dubiis jure *hunc marginem* dicere præcipit. Sic semper qui prosâ scripsère; si exceperis Appulejum: cujus est in Asino aureo; sub *extrema saxi margine.*

Carbo verò etiam ab Ulpiano † in muliebri genere usurpatur. *Si*, inquit, *lignum sit paratum ad carbones coquendas, atque conficiendas: ait Ofilius lib. V juris partiti, carbonum appellatione hujusmodi materiam non contineri.* Haloander, invitis libris, mutatum ibat. Sed Græcum τὰς ἀνθρακας Ulpianum respexisse, suspicatur Scipio Gentilis lib. XI παρέργ. cap. XVIII.

Cardo olim etiam femininum fuit. C. Gracchus in Atalanta:

O grata cardo regium egressum indicans.

Citat Priscianus lib. VI. Unde videmus etiam tragœdias scripsisse. Sanè & postea Priscianus quædam ex ejus Thyeste adducit.

Terminatio V, & Y, eodem canone comprehendi debet. Utraque enim neutra: ut *cornu*, *moly*. Quid manifestius? Et tamen plerique Y subjicere malunt terminationi I. Nempe vulgata eos decipit pronunciatio, quæ corruptissima est, cùm apud antiquos V responderit Græco Y: ut indicant, δύω duo, τύρβη turba, &c.

Marginalia: † Varro lib. 4 de L. L. & lib. 3. de vita pop. Rom. Festus, Nonius, Vegetius lib. 2. cap. 7. ‡ Act. 1, Sc. 1. * Sc. Qui illum dii omnes deaque perdant. † Lib. 6, tit. 6. ‡ 1 Æn. * Act. 5. sc. ult. † Præfat. lib. 2, sive etymologia. * Indeclinabilia. * Memoria. † Errore. ‡ Lib. 5. vers. 396. * Forte ignavus, quod est lib. 5. Metam. † L. ligni. 55. de legat. 2.

Cap. XXIII.

De exeuntibus in C. Lac, lact, & lactis. *Prisciani error.* Alex, & alec, *ut differant. Horatius explicatus.*

LAc κατ' ἀποκοπὴν factum ex *lact*, vel potiùs *lacte*: quo præter Catonem usus Plautus Menæchmis. Imò & Ennius, Hemina, Cæcilius, & Varro, ut Nonius docebit. *Lact* fuit apud Varronem, teste Probo*: improbat Flavius Caper†: at probat Martianus Capella lib. III, cap. de mutis: *T*, inquit, *finit neutra, caput, sinciput, lact.* Et *lac*, & *lacte*, vel *lact*, est neutrum. Sed antiqui etiam *lactis* dixere in muliebri. Gloss. vett. *Lactem*, γάλα. Ita Plautus Bacch. Act. V, sc. ult.

> BA. *Coguntur quidem intro.* SO. *haut scio, quid eo opus sit,*
> *Quæ nec lactem, nec lanam ullam habent. sic sine adstent.*

Ubi Lambinum vide. Hinc pluralivus lactes, quæ Græcis γαλακτίδες. Plautus Curcul.

> *Ita cibi vacuitate venis laxis lactibus.*

Plin. lib. XI cap. XXXVII: *Lactes in homine, & ove, per quas labitur cibus: in cæteris ilia.* Unde femininum esse dilucet.

Priscianus lib. VI, tradit *halec* interdum femininum esse: sed confundit *halec*, & *halex*; quorum illud neutrum, hoc femininum est. Horatii est lib. II, sat. IV:

> *Hanc ego cum malis, ego fæcem primus & alec,*
> *Primus & invenior piper album cum sale nigro*
> *Incretum puris circumposuisse catillis.*

Ita enim, non ut Nonius adduxit, hos versus conceptos videre est in plerisque omnibus codd. MSS. Alterum quoque Nonius locum apponit ex ea Plautinæ Aululariæ parte, quæ deperiit:

> *Qui mihi olera cruda ponunt, alec danunt.*

Sed *alecem* hìc legendum, metri ratio clamat. Emmanuel Alvarez, ut *alex* femininum esse comprobet, citat è Plinii lib. XXXI, cap. VIII. *Alex imperfecta, necdum colata.* At, ut Dalecampianam mittam, quam is fortasse videre non potuit, sanè in veteri quoque Parmensi legitur: *Vitium hujus* (gari) *est alex, imperfecta, nec colata fex.* Quo ex loco genus adstrui nequit, sed quid veteres *alecem* vocârint; nempe fecem gari: quæ res facit, ut in eo Horatii loco, quem suprà adduxi, ἓν διὰ δυοῖν esse suspicer, *fecem, & alec*, pro *alecis fece*, seu, eo fecis genere, quod *alex* vocatur. Pro liquamine hujusmodi accepit quoque Martialis epigrammate quodam, de variis esculentis: in quibus tam est frequens, ut *Coqui* cognomen, quod ei juniores‡, corrupto Lampridii loco decepti, dedere, hoc nonnullis credatur accepisse, quia in libellis suis, præcipueque Xeniis, multus adeo sit in tali argumento. Eo, quo dixi, epigrammate* est inter alia:

> *Capparin, & putri cepas alece natantes,*
> *Et pulpam dubio de petasone voras.*

Sed nec hinc genus exterebrari potest: uti neque ex eo, quòd Plauto Pœn.† Pœnus appellatur *alex* (alii *allex*) *viri*; q. d. non vir, sed viri muria, & quasi fex. Contrà genus quidem cognoscimus ex ejusdem libri XI, epigr. XXVIII.

> *Cui portat gaudens ancilla paropside rubrâ*
> *Alecem; sed quam protinus illa voret.*

Verùm de significatione hic dubitari potest. Mihi quidem *muriam* intelligi placet; quamquam aliter Priscianus lib. VI. Sanè pro *muria* tutò in muliebri usurpatur; quando & Plinius lib. XXXII, cap. X, de piscium medicinis agens, scribit: *Alex defervefacta unguium scabritiam, cutisque è capite manantem, extenuat.* Ita enim & in antiqua Parmensi legitur. Et profectò dubitari possit, an *hallex* quoque dicatur de pisce; nisi hoc aliquid est, quòd Charisius lib. I dicat: *hoc allex* (in genere falsum suspicor Charisium) ἄλιξ, ἰχθὺς ποταμογενής.

* In Catholicis.
† Lib. de Orthographia.
‡ Joannes Saresberiensis Policratici lib. 7: Vincentius Bellovacensis lib. 3 Speculi Doctrinalis cap. 37. Richardus Bury in Philobiblio, Jacobus Magnus Toletanus, Sophologii viginti & amplius locis &c.
* Lib. 3. epigr. 77.
† Act. 5, sc. Si ego minam.

Cap. XXIV.

De terminatione L, M, N. Sal *pro condimento sæpius virile. Donatus in eo refellitur. Flavius Caper leviter correctus.* Sale *pro* sal. Sales *pro eodem.* Strigilis, *non* strigil, *esse dicendum. Novius locus emendatus. Isidori, atque Aldi alucinatio.* Strigilis ἔτυμον. Tantandem. *Moschopuli error.* Χερουβεὶμ, & Χερουβίμ, Σεραφείμ, & Σεραφίμ. *Chirec gadol Hebræorum à Græcis sæpe per* ει *reddi, & quæ eius rei caussa.* Cim. *Prisciani lapsus de propriis in UM.* Positio *pro terminatione.* Lichen. *Ubi* flumen *antecessit, sequi apud Varronem* cum, *quia* fluvius *in animo esset.* Alcyon *potius, quam* halcyon, *scribendum, etsi* ἔτυμον *densum spiritum requirere videatur.* Aëdon. *Calepini lapsus.* Πυθώ, Πυθὼν, *& fortasse* Πυθία *pro Delphis, & quæ nominis caussa.*

TErminationi C quidam, eosque inter è veteribus Priscianus in quinto; è junioribus, Emmanuel Alvarez, & Verrepæus, subdunt D: quæque hoc pacto exeunt, neutra esse ajunt: ut, *id, aliud, quid, quod.* Sed hæc & adjectiva sunt, & provocabula: ut omnino alius sint loci.

Ab neutris in *al*, excipiunt *sal*: quod rectè statuunt, variare pro significatione diversâ. Non tamen hanc rem satis explicarunt. Pro *sapientia*, masculinum; pro *condimento*, neutrum esse, scribit Donatus in illud Terentii Eunucho‡:

> *Labore alieno magno partam gloriam*
> *Verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem;*
> *Quod in te est.*

Ac puto, idem voluisse Flavium Caprum libro de Orthographia. Sic enim legendum arbitror: *Ille sale adspersus est Musarum. Non hoc sal, vel sales. Sed hoc sal, erit, quod edimus: hi sales pluraliter, urbanitates alicujus.* Vulgò editum, *Sed hic sal, quod edimus.* Quomodo non erit ἀντίθεσις ulla; quam ponendam, indicat adversativa *Sed.* Interim falluntur Donatus, & Caper. Nam sæpius pro condimento invenitur in masculino, quàm neutro. Cato lib. II Orig. *Ex sale, qui apud Carthaginenses fit.* Similiter de R. R. cap. LXXXVIII. Plaut. Pers.* *Nisi me hac defendet, nunquam delinget salem.*

Sallust. in Jugurthâ: *Neque salem, neque alia gulæ irritamenta quærebant.* In neutro verò placuit Verrio Flacco, ut Charisius scribit lib. IX. Ususque hoc pacto Varro in II de poëmat. *Nunc vides in conviviis ita poni sal, & mel.* Item Columella lib. XII, cap. LIII. *Deinde in feriam substernitur sal coctum, sed modicè infractum.* Quibus defenditur hic Ausonii Idyll. XVII:

> *Irritamentum quibus additur æquoreum sal.*

In plurali verò hac ipsâ significatione semper masculinum est. Paullus JC. lib. V Sententiarum†: *Cotem ferro subigendo necessariam, hostibus quoque venundari, ut ferrum, & frumentum, & sales, non sine periculo capitis licet.* Eandemque vocem eopse numero ac genere legere est l. XI C. de vectigalibus: *Siquis sine personâ mancipum, id est, salinarum conductorum, sales emerit, vendereve tentaverit, sive propriâ audaciâ, sive nostro munitus oraculo: sales ipsi unà cum eorum precio mancipibus addicantur.*

Censeo autem hic *sal* esse ex recto *salis*, ut à *mugilis*, *mugil*: hoc *sal* esse ex recto *sale*, ut *animal* ex *animale*. Sed de hoc pleniùs cap. XXXV.

Strigil vulgò excipiunt à neutris, quia apud Plautum sit Persâ‡:

> *Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium.*

Et apud Persium sat. V:

> *I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.*

Verùm hæc sunt a recto *strigilis*: quo usus Cicero lib. IV de Finib. *Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla, aut strigilis accedat, sumturum sapientem eam*

vitam

‡ Act. 3. Sc. 1.
* Act. 3. Sc. Curate istuc intus.
† L. 11 D. de publicanis.
‡ Act. 1, Sc. Omnem rem inveni.

vitam potiùs, quò hæc adjecta sint; nec beatiorem tamen ob eam caussam fore. *Strigil* verò vel barbarum, vel obsoletum est. In vulgatis quidem Arnobii * exemplaribus *strigil* invenimus: verùm *strigilis* legitur in melioribus, etiam Mso regio: ex quo variantes lectiones codici, quem habeo, adscripsit Jos. Scaliger. Siquis tamen *strigil* rectum esse pertendat, non tam dixerim, *strigilis* esse antiquum nominativum, ut *sanguinis*, & *vulturis* (quamquam hæc quorundam sententia est) quàm antiquum esse *strigil* pro *strigilis*. Gloss. Cyrilli: ξύστρα, *strigila*, *strigilis*. Ubi pro *strigila* reposuerim *strigil*. Nonii locus de voce *strigilis* in Aldinâ, & Plantinianâ quoque, est corruptissimus. Interim ex voce *neutri*, quæ apud eum legitur, suspicio mihi oboritur, vocem *strigil* a Nonio fuisse additam, scriptumque ab eo fuisse hoc modo: *Strigilim manifestum est esse generis feminini, strigil neutri. Varro Bimarco:* Κατάχρησις *enim est vera, cùm in candelabro pendet strigilis.* Quare non audiendus vel Aldus, qui masculinum facit, vel Isidorus, qui eo in genere usurpat cap. ult. lib. ult. Originum, *Strigiles*, inquit, *nuncupati à tergendo, quod iis equi terguntur.* Quomodo non tantùm in omnibus excusis invenimus, sed etiam in veteribus membranis nostris. Mirum verò est, Isidorum à tergendo deducere, cùm ut à *facio* est *facilis*; ab *ago*, *agilis*; à *frago*, pro *frango*, unde *fregi*, *fragilis*: sic à *strigo*, pro *stringo*, unde *strictum*, *striglis*, *strigosus*, veniat *strigilis*.

* Lib. 2.

A terminatione L accedit Verrepæus ad AM, ut *nequam*; EM, ut *tantundem*; & IM, ut *Cherubim*. Verùm hæ terminationes securè poterant præteriri; cùm, quæ in eas desinunt, è regulis generalibus cognoscantur. *Nequam* enim adjectivum esse, nec ipse Verrepæus diffitetur. Par autem ratio est in *tantundem*; ut vel indicium fecerit hic Plauti locus in Pœnulo *:

Malo benefacere tantundem est periculum,
Quantum bono malefacere.

* Act. 3. Sc. Jam istuc ego revortar.

Item ille Pomponii Jurisconsulti: *tantidem ponderis petitio.* Adde quòd in feminino quoque usurpatur, cùm Ulpianus dixerit, *tantandem pecuniæ summam.* Atque hæc eorum errorem arguunt, qui semper neutrum esse pertendunt. At dicas, cùm substantivum est, semper neutrum esse: ut apud Columellam, *tantundem sanguinis*: apud Terent. Adelph. †.

† Act. 2, Sc. 1.

Ob malefacta hæc tantidem emtam, postulas sibi tradier:

quomodo & usurpavit Varro Eumenidibus:

*Hospes, quid miras numo * curare Serapin?*
Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles?

* Al. animo vel animos sed numo magis placet.

Sed hæc minime movent, quia constat, adjectiva neutri generis esse, cùm ponuntur substantivè, nec respicitur ad certum substantivum, vel saltem nonnisi ad generale, & transcendens: ut est *negotium* pro χρῆμα, sive *res*. Nam id si est, in hujuscemodi neutiquam cognoscitur genus ex terminatione, eoque nec ad regulas speciales pertinent.

Neque meliori jure de terminatione IM agitur in regulis specialibus. Nam plurativa hæc, *Cherubim*, & *Seraphim*, angelorum sunt nomina; quæ comprehenduntur sub viris, quia facie virili effinguntur. Obiter verò hic observa errorem Moschopuli, libro περὶ σχεδῶν scribentis, χερουβὶμ & σεραφὶμ esse nomina singularia: χερουβὶμ & σεραφὶμ pluralia. Nam utrumque plurativum. Ac in Mosaicis quidem libris, & quatuor libris Regum, nunc hoc, nunc illud invenias crebrò: in libris verò Παραλειπομένων, item psalmis, & prophetis, sæpius est χερουβὶμ, χερουβεὶμ nunquam. Jesaiæ vero capite VI, priùs σεραφὶμ, mox σεραφεὶμ habes. Imò priori etiam loco libri quidam σεραφεὶμ. Nempe Græci chirec gadol non semper per I, sed etiam per ει expresserunt. Ut בְּעָלִים, βααλιμ, & βααλειμ: יָרֵב, ῥαβὶ, & ῥαββεὶ: similiaque complura. Cujus caussa est, quòd I longum fere olim sonabat, ut diphthongus EI: unde veteres Romani *binei* scripsere pro *bini*, *puerei* pro *pueri*, *castreis* pro *castris*, *heic* pro *hic*, similiaque; ut ex veteribus lapidibus, item Fabio, Victorino, & aliis constat.

Est & pagi nomen ejusdem positionis, *Cim*: quod neutrum esse tradidit Celsus, & ex eo Priscianus in quincto, & sexto. Verum de hoc jam dictum in regulis generalibus.

A neutris in UM excipiunt nomina virorum ac mulierum, quasi hoc non satis ex regula constet generali. Et minùs tamen peccant, quàm Priscianus in quincto: qui figuratè dici ait, *Glycerium mea, vel mea Dorcium, aut Philotium.* Ac parem esse rationem in *Sophronium*, & *Abrotonium.* Nos propriè hæc dici contendimus; uti & *mi Pagnium*, & similia. Nam ubi propriè magis masculino utimur, quàm in masculis: aut feminino, quàm in feminis? Et si *Murana*, *Catilina*, *Scrofa*, similiaque, sunt masculina, etsi terminatio sit feminina: cur *Sophronium*, *Leonium*, *Planesium*, quod apud Donatum *, similiaque, ex terminatione feminina statuamus esse generis feminini? Sane aliter Quinctilianus, cujus potior nobis, quàm Prisciani auctoritas. Sic autem ille lib. I, cap. IV: *Nec statim diligentem putabo, qui promiscua, quæ & Epicœna dicuntur, ostenderit; in quibus sexus uterque per alterum apparet: aut quæ feminina positione mares, aut neutrali positione feminas significant; qualia sunt, Murana, Glycerium.* Ubi *positio* vocatur, quod Grammaticis est terminatio: quomodo idem cap. seq. ait: *Inde Castôrem mediâ syllabâ productâ pronunciarunt, quia hoc omnibus accidebat, quorum prima positio in easdem, quas Castor, literas exit.* Voluit igitur Fabius, parem esse rationem in *Murana*, & *Glycerium*: eoque ut virile est *Murana*, propter significationem, etsi terminatio aliud requirere videatur: ita *Glycerium* esse muliebre, licet sit neutralis terminatio.

* In Phorm. act. 1, sc. 2.

A neutris in EN excipi oportet *turben*. Scio, Servium facere neutrum, ut *flumen*. Sed adversatur illud Tibulli:

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben.

Quo de versu inferius etiam dicam; *lichen*, ὁ λειχὴν: quod *impetiginem* glossæ Philoxeni vertunt. Martialis libro XI, ep. XCIX.

Nec triste mentum, sordidive lichenes.

Virile quoque *attagen*: Græcis ὁ ἀτταγὴν, teste Eustathio *. Sic Horatius lib. epod. od. II. *Non attagen Ionicus Iucundior.* Item Plinius lib. X, cap. XLVIII. Nec *hymen* esse neutrum, docet illud Cœcilii: *Hymenem virginis deintegrare.*

* Il. λ. pag. 854. ed. Rom.

Flumen cave virilis aliquando generis esse putes. Quippe figuratum est illud Varronis lib. I de re Rusticâ, capite XII: *Sin cogare secundum flumen ædificare, curandum, ne adversum eum ponas.* Nam respexit Varro ad vocem *fluvius*. Cujusmodi in classicis σολοικοφανῆ vocamus, in imperitis σολοικισμούς. Scio, in plerisque libris pro *eum* esse *eurum*. Sed non Didymus solùm in secundo Geoponicôn, verùm natura ipsa reclamat.

Ab masculinis in ON non modò *sindon*, & *icon*; sed etiam *alcyon*, & *aëdon*, excipi debuere. Nam *halcyon*, sive potius *alcyon*, (nam ἀλκυὼν citra adspirationem rectiùs proferri, Eustathius auctor est Iliad. IX †) generis esse muliebris, ostendit hoc Maronis I Georg.

Dilectæ Veneri alcyones.

† Pag. 776 edit. Rom. vers. 40, 41.

Ac similiter usus Aristoteles in Histor. Animal. lib. V, cap. VIII, & lib. IX, cap. XIV, & Græcorum alii. Ut audiri non mereatur Servius ad superiorem Virgilii locum; ubi annotat, *hic*, & *hæc alcyon* dici: perperam profectò. Nam *alcyon* quidem de femina dicitur: sed non si significatione sit commune, eò quoque commune sit constructione.

Aëdon etiam muliebre, ut Græcis ἡ ἀηδὼν, & Mitylenæis ἡ ἀηδὼ, quo Sophocles usus, ac Theocrito ἡ ἀηδονίς. *Aëdon* usurpat Petronius: sed ita ut ex eo, ob lectionem incertam, de genere haut certò constare queat:

—— *Testis silvester aëdon,*
Atque urbana Progne.

Nam pro *aëdon* libri omnes *Jasdon*. Malim *sylvestris aëdon.*

* Act. 5, sc. 2.

Accommodatior itaque locus Senecæ in Octaviâ*:

Quis mea dignè deflere potest
Mala? quæ lachrymis nostris questus
Reddet aëdon?

Python pro serpente, quem Apollo interemit, tantùm masculinum est. Claud. IV Paneg. Honorii:

Cæruleum talis prostratum Apolline Python.

Nec obstat illud Tibulli lib. II, eleg. III.

Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Python?

Neque enim hîc *Python* serpentis nomen est: sed neque, quod Ambros. Calepinus sensit, intelligi debet πυθώνισσα sive femina Pythonico spiritu correpta: verùm omnino ponitur pro urbe: uti argumento est, tum quòd cum Delo, insulæ & urbis nomine, conjungatur: tum quòd, ut Eustathius scribit in II Iliad. & XI Odyss. quæ postea urbs *Delphi* dicta, ea priùs vocata est Πυθὼ & Πυθών. Imò & Πυθία videntur dixisse antiqui, si sana lectio illa apud Ptolemæum: Φωκίδος, Πυθία, Δελφοί. Interea verum est, urbem dictam *Pythona* à *Pythone* serpente: uti serpens *Python* à פתן, *pethen*, hoc est, *aspis*. Nempe quia Apollo ibi in serpente coleretur.

CAP. XXV.

De exeuntibus in A R. Albus jubar, *pro Luna*. Lucar. *Nestor Novariensis notatus. Vetus inscriptio restituta.* Lucus Libitinæ. Bustar. Bacchar, *&* baccharis. Baccar, *vel* bacar, *&* bacario. *Idem genus vocabuli pro Deo positi, & cui præest.* Salar *piscis.*

A Neutris in A R exeuntibus, ut sunt *far*, *columbar*, *lacunar*, excepere veteres *jubar*: quod, Prisciano* teste, nunc masculinum erat, nunc neutrum. Utrius horum sit, dijudicare non possis ex isto Pacuvii apud Varronem†:

* Lib. 5.
† Lib. 5 & 6 de L. L.

Exorto jubare, noctis decurso itinere.

At virile videmus Ennio in Annalibus*:

* Apud Prisc. in 5.

Interea fugit albu' jubar Hyperioni' cursum.

Ubi *albus jubar* est Luna, quæ Hyperione sive Sole oriente dicitur recessisse. At *aureus jubar* de Sole est apud Cornelium Severum in Ætna:

Purpureoque rubens surgat jubar aureus ostro.

Neutrum verò est Ennio Ajace*:

* Apud Varronem in 5 & 6 de L. L.

Lumen, iubarve cerno?

Et Calvo in Epithalamio†:

† Priscian. lib. 5.

Hesperium ante jubar quatiens.

Nam virile si foret, *jubarem* dixissent. Ac posteriores hoc genus prætulere, Horatius, Ovidius, Statius: etiam Plinius lib. II, cap. XXXV, de cometis: *Fiunt & hybernis mensibus, & in Austrino polo: sed ibi citra ullum jubar.*

Ninivita excipit quoque *lucar* avis, quod virile facit. Pro ave accipi, scripserat quoque in glossis suis Nestor Dionysius Novariensis. Sed semper pecuniam significat, quæ ludis impendebatur: unde Charisius* exponit θεατρικὸν ἀργύριον, & Cyrilli glossæ, θεατρικὰ χρήματα. Ac glossæ etiam Isidori indicio sunt, venire à lucis, qui plures circa urbem. Ex iis pretium conquirebatur, inque ludos postea erogari solet. Nempe à *lucus* est *lucar*, ut à *bustum bustar*; quo, teste eodem Charisio, significatur *locus, ubi concremantur mortuorum corpora. Lucar* verò neutrum esse, ostendit Tertullianus adversus Gnosticos cap. VIII: ubi de Joanne Baptista, præcursore Domini, sic scribit: *Ipse claustula legis, & prophetarum, nec prophetes, sed angelus dictus, contumeliosâ cæde truncatur in puellæ salticæ lucar.* Ubi *puellam salticam* vocat saltatricem Herodiada. Idem genus docet Inscriptio vetus*: UT. LUCAR. IIIIIINAE. REDEMTUM. A. REP. SUA. UNIVERSIS. CIVIBUS. SUIS. IN. PERPETUUM. REMITTERET. Sed quid IIIIIINAE? Non dubito, quin ductus hi reliqui sint ex voce LIBITINÆ: ut significetur pecunia ex luco Libitinæ: cujus mentio in cippo quadrato è Tiburtino, rudi literâ, & inæquali, ac vetustâ. Inscriptio est istiusmodi†:

* Lib. 1.
* Opere Inscript. Gruter. pag. 436, num. 5.
† Pag. 971, num. 8.
* Fort. Libitinæ.

AB. LUCO. LIBITINA *
Q. CORUNCANI. STATI
Q. Q. L. EROS
CORUNCANIA. Q. L. CRESTE
IN. FR. P. XIIII. IN. A. P. XIII

Nihilo justiùs idem Ninivita à neutris excipit *bacchar*. Nempe confudit *bacchar*, & *baccharis*: quorum illud semper neutrum est. Plinius lib. XXI, cap. VI: *Eorum quoque error corrigendus est, qui bacchar rusticum nardum appellaverunt.* Idem in eod. cap. XIX. *Bacchar in medicinæ usu aliqui ex nostris perpensam vocant.* Utrobique *baccharem* dixisset, si esset femininum. Etsi autem *bacchar*, & *baccharis*, genere differant, significatione tamen conveniunt: ut ostendit hic ejusdem scriptoris locus lib. XII, cap. XII: *Baccharis vocatur nardum rusticum, de quo dicemus inter flores.* Ac *baccar*, vel *bacar* absque spiritu aliud est: nempe *vas vinarium*, ut Festus testatur: ad quem & magnus interpres in veteribus glossis corrigit, *Baccar*, εἶδος ἀγγείου; ubi corruptè vulgo *bavar*. Nec dubium, quin ex eo sit *bacario*; quod in Isidori glossis *urceoli genus* esse dicitur.

Sunt quoque, qui excipiant *par*, & *lar*. At *par* cum substantivum est, neutrum est: cùm adjectivum, alius est loci. *Lar* quoque non tantùm pro Deo ad generalem de viris regulam pertinet; sed etiam cùm pro domo accipitur. Nam idem manet genus in Deorum Dearumque nominibus, etiam cum μετωνυμικῶς accipiuntur, pro iis rebus, quibus præesse creduntur: ut, *Jupiter* pro aëre, *Vulcanus* pro igne, *Mars* pro bello, *Ceres* pro frugibus. Quanto igitur satius fuisset, excipere *salar*; quod semper masculinum est. Ausonius in Mosellâ:

Purpureisque salar stellatus tergora guttis.

Sidonius lib. II, epist. II: *Ut nocturnis per lacum excursibus rapacissimi salares in consanguineas agantur insidias.* Est verò non carpio, sed salmo minor: imò è salare fit salmo, unde & salmoni junxit Ausonius.

CAP. XXVI.

De terminatione E R. Linter *Tibullo masculinum. Falsum videri Priscianum, cum Græcè ὁ λυντὴρ dici putavit.* Tuber, *pro triplici significatione, triplici genere usurpatur. Alucinatio Nebrissensis, & Sabellici. Non* ruder *dici, ut Papias putavit; sed* rudus, *& olim* rodus, *vel* raudus; *unde* rauduscullum. *Nonii lapsus.* Biber *pro* bibere. *In Flavio Capro emendatiuncula. Mos Criticorum quorundam perperus, temere voces priscas infercientium optimis scriptoribus.* Laser, *&* laserpitium, *unde.* Cancer, *pro morbo, obsoletum est in genere neutro.* Carcer *ex* cancer, *R in N converso. Olim neutrum fuit.* Cancelli, *quasi parvi cancri.* Inter Orci cancros adhærere. *Cum* Tullianum *dicitur, intelligi fortasse* carcer, *quod olim neutrum.* Aër *pro caligine: & etymon ejus. Etiam in feminino usi veteres. Juniores contrà in neutro. Unde iis pluralis* aëra. *Maronis in Culice locus aliter, quàm à Barthio, enarratus. Non dici* cucumer, *pro* cucumis: *ac fortasse nec* zingiber, *pro* zingiberi. Siser *pastinacæ genus, nunc virile, nunc neutrum. Grosippi sive Scoppii Grammaticus canon expensus.* Verber. Laver. Spinther.

SEquuntur exeuntia in E R: quæ plurimùm virilia, tam nomina secundæ, ut *ager*, *culter*: quàm tertiæ, sive Latina, ut *carcer*, *agger*: sive Græca, ut *panther*, *clyster*, *prester*. Ab hoc canone excipere solent dubium *linter*: & neutra *ver*, *cadaver*, *iter*, *uber*, *tuber*, *ruder*, *biber*. Et fructuum nomina: ut *cicer*, *papaver*, *piper*, *zingiber*: præter *cucumer* masculinum. Hæc deinceps expendemus.

Linter, quod quidam inter dubia reponunt, semper in feminino legitur, præterquam uno hoc Tibulli* loco:

* Lib. 2, eleg. 5.

At quà Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pullâ per vada linter aquâ.

Pulsa.

Quo loco *Exiguus* prætulit, cùm metri, tum & φωνίας caussâ: quemadmodum & Catullus†,

†Carm. 1.

Aridâ modò pumice,

maluit, quàm

Arido modò pumice:

quod auribus ingratius est, quia tria O concurrunt, ut in Tibulli loco A compluria. Priscianus ait, etsi *linter* Latinis femininum sit, Græcos tamen dicere ὁ λιντήρ. Quare Græcos imitatus fuerit Tibullus, si verè Priscianus. Cujus hac parte fidem penè est, ut in dubium vocem, cum neque apud Pollucem, ubi navigiorum genera recenset, neque veterum quemquam, hoc vocabulum inveniam. Credo, è recentioribus Græcorum quispiam usus sit voce Romanâ, atque hoc imposuerit Prisciano. Nam ut ad λιντήρ respexerit, parum verisimile est, præsertim cùm id aliud signet.

Nec debuere *tuber* ἁπλῶς neutrum facere, cùm pro significatione variet genus. Pro arbore, de qua Columella lib. XI, cap. II, femininum esse, ex regula notum generali: ne tamen ab eâ excipi putes, locupletem visum testem adjungere. Plinium dico; cujus illud lib. XVI, cap. XXV: *Ab Amygdala proximè florent Armeniaca: dein tuberes, & præcoces: illa peregrina, hæ coacta.* Pro fructu autem hujus arboris, qui Plinio* teste, baccis, quàm pomis, similior, masculinum est. Suetonius in Domitiano†: *Pridie quam periret, cùm oblatos tuberes servari jussisset.* Ita constantissimè Mssi, & editi omnes: quod addo, quia dubitare visus de veritate hujus lectionis doctissimus amicus noster ὁ μακαρίτης, Matthias Martinius‡. At pro tumore neutrum est. Plinius lib. VIII, cap. XVIII: *Tubera bina in dorso habent cameli.* Item pro plantæ genere, sponte nascenti intra terram, sed sine caule, foliis, aut capillamentis. Idem Plinius lib. XIX, cap. II: *Tubera enim undique terrâ circumdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec utique extuberante in quo gignuntur loco, aut rimam agente,* &c. Antonius Nebrissensis, & Sabellicus, existimarunt, interdum quoque pro fructu femininum esse. Movit eos illud Martialis in Xeniis epigr. XLIII:

* Lib. 15, cap. 14.
† Cap. 16.
‡ In Etymologico suo.

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes: quid tibi cum Libycis?

Verùm somnus iis obrepsit, cùm hinc genus muliebre exterebrare sunt conati. Quippe *vernæ* hic non est tempore verno crescentes; sed vernaculi, sive domi nati, non aliunde translati: eodemque modo dictum *vernæ tuberes*, quo apud hunc ipsum Martialem lib. I, epigr. L, *vernas apros* legitur in vett. codicibus. Nam in Plantinianâ H. Junii *vernos* excusum. Sed lectio vetus eo quoque stabilitur, quòd *vernas equites**, *verna liber*†, ac *lupos vernas*‡ apud eundem Martialem legamus.

* Lib. 1, epigr. 85.
† Lib. 3, epigr. 1.
‡ Lib. 10, epigr. 30.

Perperam neutris addunt *ruder*, à quo in plurali *rudera*, non *ruderes* dici ajunt. At *rudera* quidem Latinè dicitur: verùm non à *ruder*, etsi id Papias in glossis suis tradiderit; sed à *rudus*, unde venit *ruderis*, ut à *vulnus*, *vulneris*. Usus in singulari Vitruvius lib. VII, cap. I: *Deinde ruderi novo tertia pars tusæ admisceatur.* Et Plinius, penè iisdem verbis, lib. XXXVI, cap. XXXV: *Ruderi novo tertiam partem testæ tusæ addi.* Item Tacitus quindecimo Annalium: *Ruderi accipiendo Hostienses paludes destinabat, utique naves, quæ frumentum Tiberi subvectassent, onustæ rudere decurrerent.* Nec est, quòd de nominativo tricentur. Nam in Græco-latinis quoque Philoxeni glossis legitur: *Rudus*, βῶλος, χῶμα, καὶ χαλκὸς ἀνέργαστος, ἢ γῆς σωρός. Imò Vitruvii est paullo ante verba adducta: *Rudus, si novum erit, ad tres partes una calcis misceatur: si redivivum fuerit, quinque ad duûm mixtiones habeant responsum.* Et Plinius quo ante loco diximus: *Rudus in quo duæ quintæ calcis misceantur.* Varro quoque, ac Festus, autores sunt, æs infectum in æstimatione censoriâ vocatum *raudus*, *rodus*, vel *rudus*. Indeque *raudera* apud Val. Max. lib. V, cap. VI. uno consensu, non *rauda*, legitur in codd. manuscriptis; ut testatur Steph. Pighius. Cicero quoque epist. VIII, lib. IV ad Att. à veteri *raudus*, unde *rudus*, fecit *rauduſculum*, hoc est, pauxillum æris. Nam opponit gravi æri alieno, quo antè fuerat obrutus. Denique & Nonius (qui tamen eo lapsus, quòd *rudus* interpretetur *stercus*) hoc Lucillii adducit e sat. XI:

——*Viamque*
Sternendam, & jaciendum huc aggerem, & id genu' rudus.

Sive, ut alii legere malunt,

——*Viai*
Sternenda faciendum huc aggerem, & id genu' rudus.

Sternendam, non *struendam*, etiam legitur in antiqua Veneta*.

* Anni 1496 à Philippo Pincio edita.

Nec probo, quòd & neutris addunt *biber*. Siquidem verbum est infinitum κατ' ἀποκοπὴν, pro *bibere* usurpatum. Caper de verbis dubiis: *Bebere, non beber.* Emendo, *Bibere, non biber.* Damnat *biber*, ut obsoletum. Usus Titinnius†, cùm dixit, *Date illi biber*; ut Græci, Δός μοι πιεῖν. Ac par ratio in illo, quod è Fannii annalibus‡ adferunt: *Domina ejus, ubi ad villam venerat, jubebat biber dari.* Sunt qui & in illo Terentii*,

† Præliis, apud Charisium lib. 1.
‡ Charis. ibid.
* In Andr. actus tertii sc. 2.

Quod jussi ei dare bibere, & quantum imperavi,
Date:

legendum scribant *biber*: sed Donato, omnibusque Mssis invitis. Verùm seculi nostri is mos est, ut nulla sit vox rarior, quin pleríque omnes, sicubi antiquis eam scriptoribus inserere possint, non parcant operæ: quasi veteres illi Romuli nepotes similiter fuerint animati ac ipsi, qui ab animis suis impetrare vix possunt, ut vulgatis utantur, quando rariora occurrunt, atque adeò etiam obsoleta.

Loco verò hujus *biber* rectiùs ab aliis excipitur *laser*; quomodo vocatur humor Cyrenis in ferulis crescens, ut Vitruvius ostendit lib. VIII, cap. III. unde ὀπὸν Κυρηναϊκὸν vocant Græci, ut ait Palladius lib. III, cap. XXIX. Plantæ nomen *Silphium*, *Silphi*, vel *Serpe*; unde *Laserpitium*, quasi *lac serpitium*, hoc est, silphii succus. Sed *laserpitium* καταχρηστικῶς pro silphio sumi solet: *laser*, quod ex eo κατ' ἀποκοπὴν factum, propriè pro succo. Neutrum esse, indicat hoc Columellæ libro de arboribus cap. XXIII: *Nos exiguum admodum laser Cyrenaicum vino diluimus.* Similiter Plinius lib. XIX, cap. III: *Laserpitium in Cyrenaicâ provinciâ repertum; cujus succum vocant laser.* Augustinus de moribus Manich. lib. II, cap. XIII: *Orizam, tubera, placentas, caranum, piper, laser, distento ventre cum gratulatione ructantem.*

Quod si etiam priscorum ratio habenda, *cancer* pro morbo olim neutrum fuit: ut Priscianus in V testatur, inque sexto ostendit illo Claudii Quadrigarii in IV Histor. *Quod verminatione ad cancer pervenerit.* Et sanè similiter usi ex Ecclesiasticis nonnulli antiquiorum: etiam Cyprianus lib. I, epist. VIII: *Sermones eorum, ut cancer, & pestem fugiendo vitatote.* Sed masculino usus Cato de re rust. capite CLVII de brassica: *Eadem vulnera putrida, cancrosque purgabit, sanosque faciet. Si cancer ater est, is olet, & saniem spurcam mittit: si albus, purulentus est. Sed si fistulosus, subtus suppurat sub carne.* Catonem classici omnes sequuntur. Falluntur igitur, qui, Quadrigarii auctoritate decepti, neutrum similiter putant in illo Ovidii lib. II Met.*

* Fab. 12.

Utque malum latè solet immedicabile cancer
Serpere, & illæsas vitiatis addere partes.

Nam quis non videt, *immedicabile* cum *malum*, non cum *cancer* cohærere? Itidem *carcer* semper masculinum, ut ait Flavius Caper libro de Orthographia, & Priscianus in quinto; ubi cum agnovisset, quosdam *hoc cancer* dixisse, addit, eos non esse sequendos nobis. Nec mirum, si ejusdem generis sint *cancer*, & *carcer*: cum *carcer* non à *coercendo* sit, ut Varro putabat; sed à *cancer*, non quidem, prout *morbum*, vel *animal* signat; sed quatenus, ut Festus docet, diminutivum format *cancelli*: quomodo usus eo Appulejus in sexto Met. *Inter Orci cancros jam ipsos adhæsisti.* Nec magnopere iis adverser, qui ex eo, quia anti-

quis

quis *carcer* etiam neutrum putant fuisse, credunt *Tullianum*, imò & *pistrinum* dici genere neutro: respiciendo nempe ad substantivum intellectum.

Accipiter etiam muliebre esse, probat Nonius istoc Lucretii in IV:

> *Accipiter somno in leni sipralia, pugnasque*
> *Edere sunt persectantes, visaque volantes.*

Uter, eodem Nonio teste, nunc masculinum fuit, nunc neutrum: unde pro *utres* etiam *utria* dixere: quo usus Lucilius.

Aer in feminino usurpat Homerus: sed cum caliginem notat, quâ significatione quibusdam dici videtur, non ab ἄημι, id est, *spiro*, (nempe ob spirabilem naturam, quam & ei tribuit Cicero lib. II de nat. Deor.) sed ab α, & ὁρᾷν, unde & ἀορασίαν interpretantur. Ennius quoque in feminino usus; dubium quâ significatione. Agellius lib. II, cap. XXVI: *Sic Q. Ennius in Annalibus fulvâ aëre dixit.* Ita legendus is locus, ut indicant hæc ejusdem Agellii verba lib. XIII, cap. XIX. *Ennius in annali duodevicesimo, aëre fulvâ dixit, non fulvo: non ob id solùm, quòd Homerus ἠέρα βαθεῖαν dicit; sed quòd hic sonus, opinor, hoc habilior est visus, & amœnior.* Nonnullis medii ævi poëtis *aër* est neutrum: ut Abboni Cernuo lib. II:

> *Vocibus explentes aer, calumque boatu.*

Et eo antiquiori Orientio, Illiberitano episcopo, qui paullo post annum quingentesimum vixit:

> *Ecce tibi cœlum pendet, tibi terra resedit,*
> *Aëra librantur, fluctuat Oceanus.*

Bedæ quoque est in Vita Cutperti cap. IX:

> *Clausa diu reserans credentibus athera seclis.*

Ubi similiter æthera in plurali videmus, genere neutro.

Sed quid dicemus de isto Maronis in Culice:

> *Nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem*
> *Immanis vario maculatus corpore serpens,*
> *Mersus ut in limo magno subsideret æstu,*
> *Obvia vibranti carpens gravis aëra linguâ,*
> *Squamosos late torquebat motibus orbes.*

Barthius quidem, Adversariorum lib. XLI, cap. XXIII, censet, Maronem dixisse *obvia aëra*, neutro plurali. Quod si esset, puto aliquis veterum Grammaticorum meminisset rei tam insolentis. Quare mihi placet, *aëra* quidem regi à *carpens*; *obvia* autem à *vibranti*. Nempe ait, serpentem, dum aëra carpit linguâ, quæque obvia vibrâsse, ut gramina, lutum, & similia.

Venio ad fructuum nomina. Ex his *papaver* rectè in neutris reponitur: utcunque Plautus Trinummo act. II, sc. IV:

> —— *Si tu objicias formicis papaverem.*

Et Pœnulo dicat *:

> *Sesamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces.*

* Act. I, sc. Negotii sibi.

Nempe in masculinis est obsoletum. Quod tamen non reformidat antiquarius Varro in Admirandis: ut Nonius docet.

Zingiber vel *zinziber* vulgo quidem dicitur: sed Dioscoridi ζιγγίβερις vocatur: Latini autem veteres per I extulere. Plinius lib. XII, cap. VII: *Non est hujus arboris radix, ut aliqui existimavere, quod vocant zimpiberi, alii vero zingiberi.* Ac similiter L. interdum 16. § species 7. ff. de publ. & vect. inter species ad vectigal pertinentes *zingiberi* refertur. Sed de eo non magnopere contenderim. Fortè enim, ut ex πέπερι *piper*, ita ex ζιγγίβερις & *zingiberi*, *zingiber*.

De *cucumer* scrupulum non levem injicit, quòd apud Maronem *, Martialem †, atque alios, *cucumis* legas. Potuit autem à *cucumis* esse *cucumeris*, ut à *pulvis pulveris*: aut si hoc est ab obsoleto *pulver*, sanè quid prohibet, *cucumer* quoque reponi inter obsoleta? Quid quòd antiqui hujus *cucumis*, non *cucumeris*; hunc *cucumim*, non *cucumerem* dixere. Unde Servius in IV Georg. *Sanè hic cucumis, hujus cucumis declinatur, sicut agilis, secundum IDONEOS. Nam NEOTERICI hujus cucumeris dixerunt, ut pulvis pulveris.* Ubi *idoneos* vocat Tullium, Maronem, Varronem, & æquales: *recentiorum* vero nomine, more suo, etiam Plinium signat: cujus illud libro XIX, capite V: *Cucumerum Græci tria genera fecere.*

* 4 Georg.
† Lib. II, epig. 19.

Sed de hoc iterum dicendum erit lib. seq. cap. VIII.

Pro *cucumer* mallem excepissent *siser*, σταφυλῖνος εἶδος †, ut in glossis exponitur. Id quidem neutrum esse, negare non possumus: cum Plinius lib. XX, cap. V dicat: *Siser erraticum sativo simile est & effectu.* At idem paullo post ait: *Hicesius ideo stomacho utile videri dixit, quoniam nemo tres siseres edendo continuaret: esse tamen utile convalescentibus ad vinum transeuntibus.* Quâ in periochâ *siser*, si locus non est corruptus, nunc in masculino, sive, si malis, feminino, nunc in neutro usurpatur. *Utiles* aliquis pro *utile* utrobique rescripserit: sed omnes libri reclamant.

† Pastinacæ genus.

Priusquam verò manum de hac tabula tollam, expendere etiam animus, quæ scripsit Grammaticorum priorum acris censor, Pascasius Grosippus, sive Caspar Scoppius, in Institutionibus Grammaticæ Latinæ. Verba ejus:

> *Nomen * in AR neutrum: sed in ER distingue virile.*
> *Hoc iter, hoc tuber, laser, piper, atque papaver.*

* Pag. 19. edit. Mediol. an. 1628.

Nimis hæc perfunctoriè, cum tot alia excipi debeant. Ex parte hoc vidit ipse. Itaque in Annotationibus † addit, tum *suber*, de quo in generalibus regulis dictum est: tum *cadaver*, *uber*, *ver*, *verber*, *laver*. Atqui *verber* obsolevit: solùm in singulari numero in usu sunt *verberis*, & *verbere*. Interim neutrum esse, ostendit pluralis *verbera*. *Laver* autem, herbæ genus, quæ Græcis dicitur σίον, in feminino reperitur. Plinius lib. XXVI, cap. VIII: *Laver quoque nascens in rivis condita & cocta torminibus medetur.* Nempe vel τὸ σιῶδες respexit nomen herbæ: vel re verâ dubium est. Cur idem Scoppius omittit *cicer*? quod Horatio, Plinio, Martiali, semper est neutrum: utcumque diminutivum ejus *cicercula* genus mutârit. Cur & præterit *spinther*? Id (quemadmodum è quincto Prisciani, & Festo discimus) est armillæ genus, quo mulieres utebantur in summo brachio sinistro. Græcis dicitur ἀκροχείριον. Utitur eo Plautus *:

† Pag. 111.

> *Jubeasque novum spinther reconcinnarier.*

* Menæchmis act. 3, sc. 3.

Et mox:

> *Scin hoc quod sit spinther?*

Item:

> *Redde igitur spinther, si non meministi.*

Et act. IV †, semel iterumque. Et Act. V *.

† Sc. Quis hic me quæritat?
* Sc. Ut ætas mea est. Itemque sc. ultima.

CAP. XXVII.

De terminationibus IR, OR, UR. Hir. Abaddir. Uxoris *etymon.* Auctor *cur commune.* Defensor, persuasor, sponsor. *de femina. Stoicorum opinio de sexu Deorum.* Lunus. Calor, decor, & ador, *in neutro. Dissensum ab Agellio super Ennii versu.* Guttur *in masculino, Servii lapsus.*

IN IR definit neutrum *hir*, hoc est, vola manus, & masculinum *abaddir*, hoc est, bætylus, sive lapis, quem Saturnus pro filio devoravit, cujusque in memoriam, ut quidem Lactantius scripsit *, Romani coluerunt *Capitoli immobile saxum*: ut vocat Poëta in nono magni operis. Utrumque est aptoton, si audimus Priscianum lib. VI. Nam prius declinat Charisius. Cætera in IR ad generalem pertinent regulam; ut, *vir*, *levir*, *duumvir*, &c.

* Primo Instit. Divin. cap. 20.

Verbalia in OR priùs fuere generis communis: ut vel indicio sit nomen *uxor*, sive ejusdem sit originis ac *auxilium*: nempe ab αὔξω, vel *auxi*, quasi *auxur*, *au* in *u* abeunte, ut in *rudus* pro *raudus*, *cludo* pro *claudo*, & similibus: sive, juxta veteres fuerit ab *ungendo*, quasi *unxor*, quia mariti postes ungeret oleo, axungiâ, vel adipe suillo, aut lupino: quemadmodum autor est Plinius lib. XXVIII, cap. IX; ut Donatum †, Isidorum *, & Grammaticorum alios, mittam. Ob eandem hujus terminationis apud veteres naturam atque usum, *auctor* est commune: sive ab *augendo* esse placet, quâ significationes posteriores

† In Hec. act. 1, sc. 2.
* Lib. 9 Orig. cap. ult.

riores in muliebri *auctrix* maluere: sive ab inusitato fit supino verbi *aveo*, quomodo à *fautum* est *fautor*. Nam qui fieri quid avet, suadendo ejus fit *autor*. Eâdem terminatione apud Ulpianum L. 11. Dig. de S. C. Vellejano legas, *mulier defensor*, & apud Cassianum, elegantem scriptorem, lib. VIII, cap. XI, *mulier persuasor*. Imò Ovidius ipse epistolâ Paridis ad Helenam de Venere inquit:

Sponsor conjugii stat Dea picta sui.

Est & Cornelii Severi apud Sosipattrum:

Ignea nam Phœbe ducebat sidera cœlo
Fraternis successor equis.

Hanc qui caussam non attenderunt, falsò putarunt, poëtam respexisse Stoicorum opinionem, Deos utriusque sexus facientium: unde Soranus Jovem ita compellat: *Tu genitor genitrixque Deûm*. Et, ut superius* etiam diximus, Virgilius Venerem Deum nuncupavit, atque adeò Levinus scripsit: *Venerem igitur almum adorans*: videturque ab hac ipsa opinione esse, quòd & siderum regina, tum *Luni*, tum *Luna* nomine est appellata: unde Carrhis templum Dei Luni, ut scribit Spartianus in Caracalla.

* Cap. 11.

Quædam olim in OR exeuntia erant neutra, quæ nunc sunt masculina: quemadmodum Nonius docet isto Plauti †:

Nec calor, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem.

† Mercat. act. 5. sc. Divum atque hominum.

Est trochaicus; ne *calorem* legi posse putes, prout est in vett. editt. ‡ & vulgatis Nonii codd. contra Nonii ipsius mentem, exempla eorum adferentis, quæ utrumque genus recipiunt. Denique *calor*, non *calorem* scripsisse Plautum, monuit Junius Philargyrius*, vetus Virgilii interpres. Ut audiendos non putem, qui *calor* censent non cum *metuo* conjungi, sed cum *obsistat*; quod versu fuit præcedenti.

‡ Veneta an. 1518. & aliis.
* Ad lib. 2 Georg.

Quædam etiam neutra in OR terminationem mutarunt, genus retinuerunt. Ut pro eo, quod *jecinor* olim, ac postea κατὰ συγκοπὴν dixere *jecor*, nunc *jecur* obtinet. Sic enim à plurimis traditum. Sed potiùs *jecur* ex *jecinor*: de quo inferiùs agam. *Decor* olim quoque neutrum fuit. Quod imitatus Ausonius in Coronide Professorum:

Dum decor egregiè commeminit patriæ.

Ubi *decor* posuit pro *decus*. Ac similiter *ador* in neutro posuere pro *adus*. Idem Ausonius in Monosyllabis;

Hinc ador, atque adoris de polline pultificum far.

Nam *adoris*, penultimâ correptâ, neutrum est, ut *decoris*. *Adoris* verò, eâdem porrectâ, est ab *ador* masculino, ut *honoris*. Nisi magis placet, semper esse neutrum: ac, ut Priscianus censet, corripi secundùm hanc regulam, quâ neutra in OR dicuntur penultimam corripere: at secundùm derivatorum regulam producere eandem, quia sit ab *adoro*. Sed de etymo fallitur. Potius sit ab ἀθὴρ, id est, *arista*. Rectè autem produci quoque ait. Quomodo, Prisciano teste, usurpat Gannius in III:

Emicat in nubes nidoribus ardor adoris.

Idem Gannius in I corripit à masculino *ador*.

Hic adoris dat primitias, sibi sanguine libat.

Ita est in membranis nostris. Ejusdem est in secundo:

Illam sponte satos adoris stravisse maniplos.

Sed de hoc pleniùs dicimus libro de vitiis Sermonis.

Cor ab Ennio in masculino usurpari, putavit Nonius Marcellus, & ante eum Cesellius Vindex in Antiquarum Lectionum commentariis. Ejus sententiam refutat Agellius lib. VII, cap. II. Verùm de interpretatione Enniani loci, nec Agellio adsentio. Nam cùm ait,

—— *Quem credidit esse meum cor,*
Suasorem summum, & studiosum robore belli:

cor μετωνυμικῶς accipi puto pro *sapientiâ*, ut sententia sit, quem Annibalem putavit mihi esse sapientis consilii promumcondum: atque ita versus sequens interpretatio quodammodo sit antecedentis.

Marmor masculinum est Plinio Valeriano lib. III cap. XIV. *Et super marmorem aqua lotum fundes medicamen.* Sed hujus levis auctoritas.

Furfur excipi à neutris, indicat, quòd plurali dicitur *furfures*. Singulo numero *furfuris* usurpat Plinius lib. XVIII, cap. IX: ubi & *furfure* invenias: item apud Plautum Captivis.

Guttur olim fuit masculinum; ut Nonius, & Priscianus, probant illo Plauti*:

Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Nequid animai forte amittat dormiens?

* Aulul. Act. 2. sc. Postquam obsonavit herus.

Ita enim legendus is locus, ut alibi ostendimus. Usus hoc genere idem in Trinummo †:

Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem.

† Sc. Stasime, fac te properè celerem.

Atque ut de Nævio taceam, similiter Varronem loqui, Nonius docebit.

Marmor quoque monet in virili itidem usurpare. Ut cujus sit Sexagesimâ: *Verus murmur.*

Turtur quandoque femininum esse, probat Servius illo Maronis Ecl. I:

Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Mirum, tantum virum in re adeò clarâ cæcutiisse. Nam quid apertius, quàm *aeria* cum *ulmo* convenire? Et de exeuntibus in R hactenus. Accedamus ad ea, quæ litera S terminantur.

CAP. XXVIII.

Tiaras, & tiara, *genere discrepare*. Grammatias, chalazias, *similiaque*. Dionysias *muliebre esse: etsi aliter usus Solinus*. Absinthites vinum, & *id genus alia*. Pyrites, & Pyritis, Aëtites, & Aëtitis, Selenites, & Selenitis *propriè genere differre: etsi Plinius, si vulgatis codd. standum, discrimen id non observet*. Merges, & merga. Ales *in virili*. Tudes, trudes, ames, *incerti generis*. Fides, & fidis *distare*. Palumbes *utriusque generis*. Acinaces *perperam in muliebri poni. Scytharum mos jurandi per ventum & acinacem*. Panaces, nepenthes, cacoëthes, & hippomanes, *cur in neutro sumantur. Discrimen, quod inter dies virile, & muliebre statuit Asconius, non semper observari.*

IN AS primæ sunt Græca, & masculina. Cujusmodi Latinis in A quoque exeunt. Sed in propriis manet genus: ut *Æneas*, *Ænea*. In appellativis non item. Nam *tiaras* est masculinum, *tiara* femininum. Prius est apud Maronem in septimo:

—— *Sceptrumque, sacerque tiaras.*

Alterum Juvenalis prætulit sat. VII:

—— *Et Phrygiâ vestitur bucca tiarâ.*

Aliquis tamen existimare possit, *grammatias* (gemmæ genus) esse muliebre, propter illud Plinii lib. XXXVII, cap. IX: *Totus verò Oriens pro amuletis traditur gestare eam, quæ ex iis smaragdo similis est, & transversâ lineâ albâ mediâ præcingitur, & grammatias vocatur: quæ pluribus polygrammos. Libet obiter vanitatem Magicam hic quoque coarguere, quoniam hanc concionantibus utilem esse prodiderunt.* Verum cùm Plinius ait, *quæ polygrammos vocatur*: item, *hanc concionantibus utilem*, non respicit *grammatias*, sed *jaspis*, quod antecessit, & cujus species est ὁ γραμματίας: estque sic vocatus, ἀπὸ τῆς γράμμης*, quia lineâ præcingitur transversâ.

* A linea.

Similiter masculinum est *chalazias*, ὁ χαλαζίας, cui nomen dedit ἡ χάλαζα †, quia grandinum & candorem, & figuram habet; ut est apud Plinium ‡ & Solinum*. Item *capnias*, ὁ καπνίας; *asterias*, ὁ ἀστερίας. At cave simile putes *Dionysias*: quâ de gemmâ sic Plinius lib. XXXVII, cap. X: *Dionysias nigra ac dura, mistis rubentibus maculis: ex aqua trita saporem vini facit, & ebrietati resistere putatur.* Est igitur muliebre. Quid mirum? Non primæ est, sed quinctæ. Nempe Græcè est ἡ διονυσιὰς διονυσιάδος. Quod non attendit Solinus cap. XL. Nam, contrà quàm Plinius, virili genere ait: *Dionysias fuscus est, rubentibus maculis, sparsus*. Putavit igitur dici ὁ Διονυσίας Διονυσίου. Siquis tamen existimet, pro diversâ declinatione utrumque genus locum habere; non magnopere repugnabo. Vidimus de *as* primæ.

† Grando.
‡ Lib. 37. cap. 11.
* Cap. 40.

AS

AS tertiæ est femininum. Ut *anas*. Petronius: *Et pictis anas enovata pennis*. Martialis lib. III, epigr. XCIII:

Et anatis habeas uropygium macræ.

Virilia tamen præter *gigas*, etiam *as assis*, *adamas*, *elephas*. Quibus adde *vas vadis*. Nam etsi de femina quoque dicatur, non tamen adjectivum femininum admittit. *Ætas* olim quoque virile: ut Nonius probat illo Plauti Trinummo:

Propter eosdem, quorum caussâ fui hoc ætate exercitus.

Neutrum est *vas vasis*. Uti & Græca *artocreas*, & *erysipelas*. Græcè enim τὸ ἀρτόκρεας ἐρυσίπελας, τὸ ἐρυσίπελας, ατ⊙. Illo usus Persius sat. VI. Hoc Celsus lib. V, cap. XXVI. Imò & herba buceras, βούκερας, neutrum Plinio lib. XXIV, cap. XIX. Latinum *fœnum Græcum*, vel etiam *siliquam* appellant. *Fas*, & *nefas*, neutra esse cognoscitur canone, qui universè præcipit de aptotis.

Nomina in ES partim sunt primæ, partim tertiæ, partim quinctæ. Quæ primæ, ea Græca, ac masculina sunt: ut *sorites*, de quo nec epistolium à se exaratum edere dubitavit doctissimus Cælius Calcagninus*. Eo autem in virili usum docet Ciceronem in secundo de Divinatione. Ejusdemque in IV Acad. Quæst. *Soritas hos vocant*. Et lib. IV de Fin. *Jam ille sorites*. *Bootes*, qui aliter *Arctophylax*, Tullio, Nasoni, aliis, semper virile. Quid mirum? cùm propriè *bubulcum* signet? Masculina etiam *aromatites*, *absinthites*, *hyssopites*, *abrotonites*, similiaque. Columella lib. XII, cap. XXXV: *Vinum absinthiten, & hyssopiten, & abrotoniten, & marathiten, & glycyrrhiziten, sic condire oportet*. Et cap. XXXVIII: *Vinum myrtiten sic facito*. Item Plin. lib. XIV, cap. XVI: *Aromatiten quoque invenio factitatum*. Idem ibi in accusativo *catorchiten*, & *rhoiten* dixit: quæ si neutra forent, ut à nonnemine proditum, sanè accusativus esset similis nominativo. Nec obstat, quòd intelligatur *vinum*: cùm ea, quæ adduxi, origine sint Græca, Græceque intelligatur οἶν⊙. Adde quod & *flumen Rhenus* dicatur, nec iccirco *Rhenus* neutrum sit.

* Epist. 35. lib. 1. quæst. epistolic.

Similiter virilia sunt *pyrites*, *selenites*, *ætites*, *chernites*, *ostracites*, *ophites*, *paranites*, *aspilates*, aliaque id genus. Plinius lib. XXXVI, cap. XVII: *Chernites ebori simillimus*. Cap. XIX: *Est alius etiamnum pyrites, similitudine æris*. Cap. XX: *Hæmatites ustus minus colorem imitatur*. Idem tamen in muliebri quoque usus. Ut lib. XXXVII, cap. XI: *Pyrites nigra quidem, sed attritu digitos adurit*. Ita & vetus Parmensis editio, & inde consecutæ. In quibusdam tamen MSSis, *pyritis*, ut Græcis ἡ πυρῖτις. Ac similiter differunt *selenites*, & *selenitis*, ὁ σεληνίτης, & ἡ σεληνῖτις. Nempe in priori respiciunt ὁ λίθ⊙, in altero ἡ λίθ⊙. Sed hoc in Plinianis editionibus non observatur. Ut lib. XXXVII, cap. I: *Pyrrhus habuisse traditur achaten, in qua IX Musæ & Apollo citharam tenens, spectarentur*. Et cap. VIII: *Molochites laudata signis*. Et cap. IX: *Aspilaten Democritus in Arabia gigni tradit, ignei coloris. Eam oportere cameli pilo spleneticis alligari*. Ac postea: *Botrytes alia nigra est, alia pampinea*. Item: *Capnites, plurimis spiris fumida*. Et mox: *Cepites candida est*. Ac similia id genus deinceps. Fortasse igitur Latini discrimen illud terminationum ES & IS non observant: sed ut Græcis est ὁ ἢ ἡ λίθ⊙, ita hæc nunc virili genere usurpant, respiciendo *lapis*, nunc feminino, intelligendo *gemma*.

Quæ in ES tertiæ sunt; vel in gignendi casu crescunt, vel sunt ἰσοσύλλαβα*. Quæ crescunt, masculina sunt, præter neutrum *æs*: & muliebria hæc, *seges*, *teges*, *merces*, *compes*, & *quies*: quibus adde *inquies* substantivum; ut apud Plinium lib. XIV, cap. XXII: *Furiales somni, inquies nocturna*. Item *requies*: ut apud Nas. epist. IV: *requies alterna*.

* Totidem syllabarum in obliquis à recto.

Merges utrùm virile sit, an muliebre, quæritur. Virile facit Emmanuel Alvarus. Priscianus tamen à femininis non excipit. Imò apud Plinium lib. XVIII, cap. XXX legas: *Inter duas mergites spica distringitur*. Ita non modo est in Dalecampianâ; sed etiam antiquâ † Parmensi. Quod si placet, *merges* fuerit, non manipulus modò spicarum; sed etiam, quas Columella ‡ vocat *mergas*, hoc est, ferramenta, quibus fruges demetebant. Vel in Plinio, quod aliis visum, legi debet, *iterum e desectâ mergite*.

† An. 1476.
‡ Lib. 2. cap. 21.

Temere inter communia reponunt, *eques*, *pedes*, *hospes*, *cocles*, ac quædam alia. At verè communia sunt, *heres*, *miles*, *comes*, *vates*, & *antistes*: de quibus suprà diximus.

Ales plurimùm est femininum. Quomodo & Martialis usus lib. XIV, epigr. LXVII:

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Loquitur de muscario pavonino. Ex iis, qui prosâ scripsere oratione, solus & semel duntaxat (ni me fallit memoria) in masculino usurpat Plinius. Locus est lib. XVIII, cap. XXVI: *Per imitationem alitis temporarii, quem cuculum vocant*. Alibi sane muliebri utitur. Ut lib. X, c. XXI: *Planè digna aliti tantum honoris præbet Romana purpura*. Sermo est de gallo gallinaceo. Poëtæ quoque rarissimè in masculino utuntur. Invenias autem apud Maronem Æneïd. V:

Ipse volans tenues se sustulit ales in auras.

Et in XII ubi ait:

Namque volans rubrâ fulvus Jovis ales in æthrâ
Litoreas agitabat aves.

Quem ad locum Donatus monet, artificiosè *alitem* masculinum immitti, quia si femina esset, non tangeret Æneæ personam. Legitur quoque in vulgatis Ovidii codd. lib. II Amor. Eleg. VI.

Psittacus Eois ales mihi missus ab undis.

Verùm scitè admodum Carrio * è codice Puteani legendum putat:

Psittacus Eois imitatrix ales ab Indis.

* Lib. 2 Emendat. cap. 6.

Ut nempe *ales ab Indis* dicatur, quemadmodum *mulier ab Andro*.

Pes olim quoque femininum: ut Nonius ostendit illo Plauti Vidulariâ:

Ubi quamque pedem videbat, subfurabatur omnis. Ubi *pedem* exponit *pediculum*: quâ ipsâ significatione Varro in virili dixit lib. III, de R. R. cap. IX. *Dato cibo, cùm perpurgarant caput, ne quos habeant pedes, rursus eas includunt.*

Cur plurimum sit femininum, ratio ea est quod intelligatur *avis*. Quod interdum additur, Cic. II de Nat. Deor. *Inde est ales avis lato sub tegmine cœli*. Naturam habere adjectivi, arguit, quod Seneca in Medea act. V, *alitem currum*, & Silius in III *plumbum ales* dixerit. Quandoque verò est masculinum, quia ales de utroque sexu dicitur, & masculinus dignior est. Par ratio in *Volucris*: de quo mox dicam.

Tudes cujus generis sit, incertum est. Eo malleus significatur; unde cuidam nomen factum *Tuditano*, scribit Festus. Nec magis constat, cujus generis sit *trudes*. Utitur Tacitus III Annal. *Quidam trudibus, aut furcis, inertem molem prosternere*. Idem dictum velim de *ames* sive *amis*, quo Horatius*, & Palladius † usi pro pertica aucupum: quomodo & in glossis legas, *Amites*, ἰξευτικοὶ κάλαμοι. Itaque in tribus istis tutiùs abstinemus adjectivo certi generis. Si tamen alterutro uti cogat necessitas, utar virili: quia in ES exeuntia, quæ in obliquis crescunt, prope omnia sunt masculina.

* Lib. Epod. od. 3.
† Lib. 7. cap. 2. & alibi.

Videamus nunc de iis, quæ non crescunt. Cujusmodi sunt muliebria: ut *plebes*, *vulpes*, *cædes*. Ac simile creditur *fides*. Nam seu assensum notet, seu chordam, eandem esse terminationem existimant. Atque id colligi putant è Festo Pompejo: cui placet, chordam μεταφορικῶς *fidem* dici, quia ut inter homines fides, ita inter se chordæ concordent. Sed falli eos, indicat Agrœcius, cùm scribit: *Fides de fidelitate dicitur; fidis de chordâ*: ac Priscianus quoque, cujus illud lib. I ‡: *Fidis, fidicen; fides plurale, cujus singulare fidis est, unde etiam diminutivum fidicula*.

‡ Cap. de numero literarum, col. 553. edit. Putsch.

Ab isosyllabis excipe *verres*: nisi hoc ad regulam generalem de maribus placet referre. Sic enim dicitur porcus castratus. Item excipe *vepres*, nominativum obsoletum: nisi is potiùs *vepris* fuit, vel *veper*: ut est apud Flavium Caprum lib. de Orthographia. Virile esse, liquet ex illo Columellæ lib. XI, cap. III: *Hunc veprem manifestum est interimi non posse.* Et Maronis est in octavo:

Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.

Legitur tamen apud Lucretium lib. IV:

——*Cum lubrica serpens*
Exuit in spinis vestem: nam sæpe videmus
Illorum spoliis vepres volitantibus auctas.

Qui loquendi modus a Capro* improbatur. Et sanè Charisius quoque, & Diomedes, uterque libro primo, referunt *vepres* inter masculina, semper, aut plurimùm pluralia. A *vepre* tamen est *veprecula*. Et Priscianus libro VII ponit *vepres* inter feminina, quæ simile sibi formant diminutivum.

* Lib. de Orthogr.

Palumbes quoque (nisi in nominativo *palumbis* malis) in utroque invenitur genere. In masculino utitur Plinius lib. X, cap. XXXV: *Vivere palumbes ad tricesimum annum, aliquos ad quadragesimum, Aristoteles autor est.* Lucilius in XIII quoque dixit: —— *Macrosque palumbes.* Eodemque genere ait Plaut. Bacch. Act. I, sc. I: *Duæ unum expetitis palumbem.* Et è Pomponio citat Nonius, *unum palumbem.* At feminino usus Maro Ecl. I: —— *Raucæ, tua cura, palumbes.* Et Ecl. III: —— *Aëriæ quo congessere palumbes.*

Excipiuntur etiam Græca, partim masculina, partim neutra. Masculinum est *acinaces*. Horat.†

Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat.

† Lib. I Carm. od. 27.

hoc est, Medicus sive Parthicus. Val. Flaccus lib. VIII:

Insignis manicis, insignis acinace dextro.

Ita enim rectè editum à Lud. Carrione; quamvis *dextrâ* citent Calepinus, & Rob. Stephanus in Thes. L. L. Sanè masculinum quoque est Luciano in Toxaride, ubi Scytham inducit hoc modo jurantem: οὐ μὰ γὰρ τὸν ἄνεμον, καὶ τὸν ἀκινάκην, οὐδὲν πρὸς σὲ ψεῦδος ἐρῶ: *nam per ventum & acinacem, non mentiar apud te.* Et paullo pòst rationem adferens, cur per hæc jurent Scythæ, ait: οὐ σοὶ δοκοῦσιν ὁ ἄνεμος καὶ ὁ ἀκινάκης θεοὶ εἶναι, οὗτος ἄρα ἠγνόεις, ὅτι ἀνθρώποις μεῖζον οὐδέν ἐστι ζωῆς τι, καὶ θανάτου; ὁπόταν οὖν τὸν ἄνεμον καὶ τὸν ἀκινάκην ὀμνύωμεν, ταῦτα ὀμνύομεν, ὡς τὸν μὲν ἄνεμον ζωῆς αἴτιον ὄντα, τὸν ἀκινάκην δὲ ὅτι ἀποθνήσκειν ποιεῖ. *An non Dii tibi esse videntur ventus, & acinaces? Adeone tibi latet, nihil mortalibus majus esse vitâ, & morte? Per hæc utique juramus, cùm per ventum, & acinacem juramus: per ventum quidem, quia is sit vitæ caussa; per acinacem verò, quia is mortem adferat.* Eodem libro legere est, πατάξας τῷ ἀκινάκῃ τὸν λέοντα εἰς τὸ στέρνον· *acinace in leonis pectus defixo.* Qui *acinacis* quoque dici ajunt, uti Ramus, & alii; nec ratione, nec autoritate nituntur.

Sunt & quædam ἰσοσύλλαβα neutra: ut *panaces*, *nepenthes*, *cacoëthes*, *hippomanes.* Plinius lib. XXV, c. IV: *Panaces ipso nomine omnium malorum remedia promittit, numerosum, & Diis inventoribus adscriptum.* Pro quo & *panacea*, & *panax*; uti Græcis: de quo dixi in Originum libris. Idem Plinius lib. XXI, cap. XXI: *Attribuunt & hilaritatis effectum eidem* (helenio) *potâ in vino, cumque quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero**; *quod eo tristitia omnis aboleatur.* Juvenalis sat. VII:

* Odyss. δ.

——*Tenet insanabile multos*
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

Sunt autem hæc adjectiva neutra substantivè usurpata à communibus in ΗΣ. Nam à πανακὴς est πανακές, quod & πανάκεια; & à κακοήθης est κακόηθες, quod & κακοήθεια; & à νηπενθὴς est νηπενθές, supple φάρμακον: eodemque modo ἱππομανὲς est ab ἱππομανής.

In ES quintæ feminina sunt, præter *dies*, & *meridies*: quorum hoc semper masculinum est: illud, si Grammaticis fides, in plurali quidem masculinum tantùm, in singulari autem pro diversâ significatione variat genus. Nam femininum esse volunt, quando ponitur pro tempore indeterminato; ideoque diminutivum ejus esse *dieculam*, quo brevis mora denotatur: at masculinum esse, cùm accipitur pro spatio viginti quatuor horarum; aut eo, quo sol est supra horizontem. Asconius Pedianus†: *Dies feminino genere tempus; & ideo diminutivè Diecula dicitur breve tempus & mora: Dies horarum duodecim, generis masculini est; unde Hodie dicimus quasi hoc die.* Verùm etsi hoc discrimen plurimùm observetur: nonnunquam tamen negligitur. Virg. Æn. II:

† In 2 contra Verrem.

Jamque dies infanda aderat.

Cic. ad Quinctum frat.‡ *Una pluribus verbis, in quâ primùm erat, quòd antiquior dies in tuis fuisset adscripta literis, quam in Cæsaris.* Plinius lib. XIII, cap. XXIV. *Mirum, quòd eâdem die germinat, quâ injectum est.* Quin, contrà quàm existimarunt, pluralivus quoque reperitur in feminino. Sanè Tullii est pro Cn. Plancio: *ô reliquas omnes dies noctesque eas, quibus iste, à me non recedens, Thessalonicam me, in quæstoriumque perduxit!*

‡ Lib 3. epist. 1.

Est qui *acinaces* quoque inter nomina quinctæ referat; sed id Græcis primæ est, Latinis tertiæ: quod nisi esset, ultimam produceret in ablativo, contrà quàm factum à Valerio Flacco, ut paullò antè vidimus.

Et hæc de terminatione ES: quâ multa quoque olim terminabantur, quæ nunc in geminam desinunt consonantem. Ita cùm alia dixere antiqui, tum *trabes*, *adipes*, & *plebes*; quod postremum & apud Sallustium, ac Tacitum legere est.

CAP. XXIX.

De terminatione IS. Amnis ulla, & vocitata. *Caper correctus.* Anguis *dubium non epicœnum, contrà quàm Scoppio visum.* Annali sexto, καθ' ὑπόνοιαν. Callis *in muliebri.* Canalis *sæpius femininum.* Canalicula. Cassis, & cassida. Cenchris. Cinis *qui in fem. revocare conati.* Clunis. *Agræcus Plauti. Servius Horatium solæcismi arguit. Ejusdem error* finis *verbale censentis.* Colis. Coliculus *in brassicis, vitibus, & picturis.* Corbis *frequentiùs femininum.* Corbis messoria, *vel* messuaria. *Servius correctus.* Corbula. Cosis, cosus, cusus. Crinis. Funis aurea. *Cur* rudens *utroque genere dixerint.* Glis *ex* gliris. Glis glitis, & glis glissis, *barbara.* Jugalis. Hæc lapis, *ut* ἡ λίθος. Mapali *unde nomen.* Molaris *duplici significatione.* Pollen *rectiùs, quam* pollis *dici.* Pulvis *Propertio fem.* Retis *masculinum, unde* reticulus. Retes augurales. Scrobis, *unde* scrobiculus. Semis. Sentis. Sotularis *barbarum.* Torquis. Volucris *cur dubium.*

A Femininis in IS multa excipiuntur, alia virilia, alia communia, aut dubia. Vulgatioribus omissis, dicam de omnibus minùs apertis.

Amnis olim fuisse femininum, auctores sunt Nonius in *Amnis*, & Priscianus in V. Usus eo genere, præter Nævium, & Accium, etiam Plautus Mercatore*:

* Act. 5. Sc. 2.

Neque mihi ulla obsistet amnis.

Et Varro in III de R.R. *Ubi confluit altera amnis.* Ac citat Nonius huic probando ex ejusdem lib. I Περίπλου: *In hac civitate agros colunt arenosos:* præter hos fluit amnis, quam olim Albulam dicunt vocitatam.*

Sed fortasse *quam* convenit cum *Albulam*: ut simile sit Sallustiano illi in Catilina: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* Nunc solùm virile est. Caper de Orthographia: *Omnia nomina in IS masculina sunt: ut hic funis, crinis, cinis, amnis.* Ubi pro IS legendum NIS: qualia & *panis*, *penis*, *ignis.* Eodemque Fabius respiciens lib. I, cap. VI ait, *Funis* cognosci virile, quia sit, ut *panis*. Quâ de re mox pluribus.

Anguis sæpius masculinum est. Eo usus etiam Valerius Maximus lib. I, cap. VI: *Anguis eximiæ magnitudinis*

visus. At eodem capite idem dixerat: *Subitò ab imâ parte aræ prolapsam anguem prospexit.* Tacitus quoque ait lib. undecimo Annalium: *Unam omnino anguem in cubiculo visam, narrare solitus est.* Ac similiter Plautus Amphitryone, & ut Charisius ostendit, Tibullus, Ovidius, & Varro Atacinus, hoc versu:

Cujus ut adspexit tortâ caput angue revinctum.

Quod & Nonius adducit. Grosippus sive Scoppius ait in Institutionibus Grammaticis, *anguis* esse epicœnum masculinum, & si feminino jungatur, intelligi *femina.* Sed caussa est nulla, cur in locis adductis credamus, magis de angue feminâ, quàm mare, sermonem esse. Nec enim simile est, ac si dicas, *elephantum gravidam.*

Annalis virile quidem; ut dici debeat *annali sexto, nono*; sed καθ' ὑπόνοιαν, quia intelligitur *liber.* Sic loquuntur Cicero, Plinius, Gellius: ut dicemus inferiùs, cùm agendum de masculinis singulari numero rariùs usurpatis.

Similiter *aqualis*: non quidem, quomodo est adjectivum, sed quia intelligitur urceus.

Callis masculinum Maroni Æn. IV.

—— *Prædamque per herbas*
Convectant calle angusto.

At feminino Livius lib. XXII: *Nisi pecorum modo fert, angusto saltu, per devias calles.* Sic Nonius legit: atque addit, eundem sic frequenter loqui.

Canalis in masculino, Nonio teste, usus Gadulejus Gallicanus: sive, ut viri docti corrigunt, C. Aquilius, aut Gargilius Martialis. Sed ut ad III Georg. scribit Servius, & ex eo Isidorus lib. XV, cap. VIII, *melius genere feminino, quam masculino proferimus.* Certè in feminino usus Varro lib. III de R. R. cap. XI. Alterum quoque ejusdem scriptoris locum indicat nobis Junius Philargyrius ad IV Georg. ubi sic legitur: *Varro divinarum rerum lib.* VI: *Canales eas dispescis. templa feminino genere canales dixit.* Ubi (ut optimè amicus noster ὁ μακαρίτης Janus Rutgersius in Variis suis* observabat) legi omnino debet: *Canalis ea dispescit templa. Feminino genere canalis dixit.* Apud Cornelium quoque Severum *diversas canales*; & eodem poëmate, *rigidas canales*, legit Jos. Scaliger. Atque hinc *canalicula* apud Lucilium, Nonio teste: itemque apud Gellium lib. XVII, cap. XI.

* Lib. I, cap. 2.

Cassis quomodo pro significatione variet, & genus, & obliquos, pervulgatum est. Addit Servius†, accusativum ejus interdum poni pro nominativo. Verùm, cùm accusativus sit *cassidem*, non *cassida*, rectiùs dixisset, quemadmodum efferimus, *Ancon Ancona, Narbon Narbona, lampas lampada*; (quam vocem Jos. Scaliger Manilio restituit è codice Gemblacensi) *bura, buris*, quorum prius est apud Varronem lib. IV de L. L: ita quoque dici *cassis*, & *cassida.* Sanè jam olim *cassida* probavit probatissimus Probus illo Maronis in undecimo Æneïdos:

† In 11 Æn.

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida.

Idemque Charisius*, cùm hoc ipso loco ostendit, tum illo Propertii†:

* Lib. I.
† Lib. 3, Eleg. 10.

Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.

Cenchris quoque pro significatione genus mutat. Pro serpente enim masculinum est. Lucanus lib. IX:

Et semper recto lapsurus limite cenchris.

Pro ave autem in feminino usurpatur à Plinio lib. III, cap. ultimo.

Cinis masculinum est. Maro Ecl. VIII: *Cinis ipse.* Addit Nonius, *bonum sit.* Sed corruptè. Nam scripsit Maro:

Adspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte suâ, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.

Charisius in primo *cinis* dubium facit. In feminino sanè usus Lucretius lib. IV.

—— *Cinere ut multâ latet obrutus ignis.*

Eoque genere revocare sunt conati Calvus, Cæsar, & Catullus; ut cognoscimus ex Prisciano, & Nonio. Catulli quidem est illud‡,

‡ Carm. 69.

Troja virûm, & virtutum omnium, acerba cinis.

Calvi verò hoc Nonius adfert:

Cum jam fulva cinis fueris ——.

Meminit hujus quoque Charisius. Qui & ex eodem poëta adfert:

Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.

Ac similiter Q. Serenus*:

* Cap. 22.

Et cinis ex calido prodest epota Lyæo.

Itidem apud Scribonium Largum, cùm alibi sæpe, tum cap. CCXXVI, item semel iterumque cap. CCXXX, *lixiva cinis* pro *lixivus* legere est. Placet etiam emendatio Scaligeri apud Maronem sive alium in Ciri:

Non minus illa tamen revehi quoque mœnia Creta
Gaudet: at ei cinis est patria jucunda sepulta.

Uti & correctio illa Godscalci Stewechii apud Arnobium in VII legentis, *antiqua cineris frictione*: pro quo in vulgatis, *antiquâ cineris frictione.*

Clunis cujus sit generis, nec veteres ipsi satis consentiunt. Sosipater lib. I: *Clunes feminino genere dixit Melissus: & habet autorem Laberium, qui in Ariete sic ait: Vix sustineo clunes Scævolæ. Et Horatium, Et lassas clunes.* In Laberii loco deest *crassas*, vel simile appositum. Apud Horatium† est, *Quod pulchræ clunes.* Sequitur deinde apud Sosipatrum: *Sed Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam in is syllabâ terminata, animâ carentia, nominativo singulari masculina sunt: ut panis, cinis, crinis, & similia.* Sic usus quoque Plautus:

† Lib. I, Sat. 2.

Quasi lupus ab armis valeo, clunes infractos gero.

Citant Festus, & Nonius; sed hic pro *infractos* habet *desertos*: atque addit, esse ex comœdia *Abroico*, sive, ut legi debet, Ἀγροίκῳ. Nam Ἄγροικος erat inter comœdias Plauto adscriptas, sed quas ei abjudicaret Varro; ut testis Gellius lib. III, cap. III. De eadem voce sic Servius in II Æn. *Omnia Latina nomina, inanima, simplicia, à verbo non venientia, NIS syllabâ terminata, masculina sunt. Inanima, propter canis: simplicia, propter bipennis: à verbo non venientia, propter finis. Ergo clunis Juvenalis bene dixit, Tremulo descendunt clune puellæ. Horatius malè: Quòd pulchræ clunes.* Hæc ille, sanè satis superciliosè. Et quam arroganter solœcismi Horatium damnat, falsò adeò *finis* facit verbale, cùm *finio* potiùs sit denominativum. Modestiùs Acro, qui ad illud Horatii, *Quod pulcræ clunes*, *Clunes*, inquit, *dixit genere fœminino: sed Juvenalis hic clunis dixit, quod tenemus.* Nonius judicium non interponit: tantùm nunc masculinum, nunc femininum esse, Horatii & Plauti locis probat.

Colis virile, ut *caulis*; unde & venit, uti *caulis* à καυλός. Itaque *cauliculus*, & *coliculus*, dicitur. Plinius lib. XIX, cap. VIII: *Cymas à prima sectione præstat* (brassica) *proximo vere. Hic est quidam ipsorum caulium delicatior teneriorque cauliculus. Coliculi* lemma est Martiali lib. XIII, epigr. XVII. Nec in brassicis modo id genus, sed etiam vitibus. Unde Varro de R. R. lib. I, cap. XXXI. *Ex altera parte caprea dicta, quòd parit capreolum. Is est coliculus viteus intortus, ut cincinnus.* Item in ædificiorum picturis: de quibus Vitruvius lib. VII, cap. V. *Coliculi teneri plures.*

Corbis masculinum facit Priscianus in quincto. Atque ita usurpat Hirtius. At sæpius femininum est: unde Caper de verbis dubiis, *corbes hæ, non hi* dicere jubet. Sic Cicero pro P. Sextio: *Messoriâ se corbe contexit.* Ubi *messoria corbis* est, quæ Servio ad Ecl. VIII* vocatur *messuaria corbis.* Sed in Servio P. Danielis vitiosè *cornibus messuariis* editum est. Utitur in feminino etiam Petronius: *Repositorium*, inquit, *allatum est cum corbe, in quâ gallina erat lignea.* Hinc diminutivum *corbula*, quo usus Cato de R. Rust. cap. XI. Ac non Cæcilium modò, sed Varronem quoque in primo de re rust. usurpare, monet Non. Marcellus.

* Ad illud, Sparge marite nuces.

Cossis virile est, si sic dixere. Nam variant Plinii codd. lib. XXX, cap. XIII: ubi aliqui *cossi*, aliqui *cosses.* Sed *cossi* probat Festus, uti & glossæ, ut puto: ubi exaratum, *Cussus* (l. cosus) ξύλου σκώληξ.

Crinis

Crinis virile Maroni, & aliis. Olim verò & muliebre; quomodo usus Plautus Mostellariâ, & Atta in Epigrammatis. Nonium adi.

Cucumis esse hujus loci, rectiusque sic dici, quàm *cucumer*, superiùs monitum nobis.

Delphis etiam masculinis addunt. Sed Latini, potiùs *delphin*, quàm *delphis*, dicunt.

Finis olim dubium, teste Prisciano in quinto, & Nonio Marcello. In feminino usurpatur à Marone II Æneidos:

Hæc finis Priami fatorum.

Verùm quàm insolens olim quibusdam visus sit hic loquendi modus, tum illud indicat, quòd Comminianus hic soloecismum esse dicat per genera nominum: tum istoc, quòd Probus in Arte quærat, cur Maro contra Grammaticorum canonas dicat HÆC FINIS, ac id factum scribat ob metrum, hoc est, ἁρμονίαν, sive rationem musicam. Ita enim *metri* vocem plerumque accipit Probus. Interim satis mirari non possum, adeò id novum visum Grammaticis, cùm & ita proferre maluerint Varro, Cassius, Cælius, Attius, Lucretius, & Sisenna: ut ex Nonio constat. Imò præter eum, quem modò è Marone adducebamus locum, & alter est III Æneidos:

Quam fessis finem rebus ferat.

Nam non ita modò in antiquis aliquot legitur codd. ut Pierius monuit; sed & olim agnovit hanc lectionem Non. Marcellus. Quin idem Pierius adserit quinto Æneidos in omnibus penè codd. MSS. inveniri:

—— *Fessique sub ipsam*
Finem adventabant.

Addit inibi, apud Livium lib. IV, dec. I, in antiquo codice legi: *Finem ergo non fieri, nec futuram:* non, ut in vulgatis, *futurum.* Sed finem de fine dissertandi faciamus.

Funis Charisio masculinum est: & cui non veterum? Antiquis tamen, ut Priscianus in quinto ait, etiam femininum fuit. Atque ita usurpatur à Lucretio: cujus illud sub finem lib. secundi, adductum quoque a Nonio, & Agellio lib. XIII, cap. XX.

Haut (ut opinor) enim mortalia secla supernè
Aurea de cœlo demisit funis in arva.

Imò non desunt, qui Gellium, & Nonium, vitiosis codd. deceptos existiment. Nam scripsisse Lucretium:

Aureus de calo descendit funis in arva.

Et movet eos, quòd Quinctilianus dicat, certò constare de masculino, quia *funiculus* dicatur. Equidem nec aliter, quàm *funiculus*, vel *hic funis* dicere ausim. Sed antiquis *funis* interdum fuisse muliebre, ex eo quoque colligo, quia Plautus, *hanc rudentem* dicat. Nam *rudens* masculinum aliis, quia respicitur *funis* καθ' ὑπόνοιαν.

Glis virile: pro quo & *gliris* in recto dici, ait Charisius. *Glis* fuit apud Catonem in Orig. & Varronem in Admirandis; unde idem Charisius adducit: *In sylva mea est glis nullus.* Papias, & mox Alexander à villa Dei, qui sub Frederico II vixit anno CIƆCCXI, eosque secuti Sulpitius Verulanus, Mancinellus, atque alii, distinguunt inter *glis gliris*, *glis glitis*, & *glis glissis*: primum ajunt esse animal, ac virile; alterum terram tenacem, & femininum; tertium esse lappam, & neutrum. Secundum legas & in glossis Isidori: *Glis glitis, humus tenax.* Sed apud Festum, Nonium, Priscianum, & probatiores alios, planè de eo silentium est: ut Latinum minimè videatur. Nempe decepit eos quod *glus* sit limus tenax. Charisius *Hac Glus glutis: alii gluten dixerunt.* Ausonius in Monosyllabis:

Tergora dic clypeo accommoda qua faciat? glus.

Sic meliores codices; Alii *glux:* unde esset in obliquo *gluctis*, ut à *nox noctis*. Dicimus de hoc Barbarum quoque *glisses* pro lappis: credo ex *klissen*, quomodo Belgæ *lappas* vocant.

Jugalis quidam masculinis addunt, quia apud Maronem sit VII Æneidos:

—— *Geminosque jugales*
Semine ab atherio spirantes naribus ignem.

Verùm hoc καθ' ὑπόνοιαν cognoscitur masculinum, quia respicitur ad vocem *equus*: ut suprà dictum.

Lapis Ennius in muliebri posuit, more Græcorum, qui dicunt ὁ ἢ ἡ λίθος. Quod Nonius probat isto Ennii:

Tanto sublata sunt agmine tunc lapides. ——

Majalis, & *molaris*, virilia quidem sunt; sed, ut paullò antè de *jugalis* dicebam, δι' ὑπόνοιαν. In priori intelligitur *porcus*: est enim porcus castratus, Majæ, Mercurii matri, solitus sacrificari *; unde & nomen. In altero, Prisciano † teste, respicitur *dens*, vel etiam *lapis*: ut in illo Papinii tertio Thebaidos:

* *Isidorus in glossis.*
† *Lib. 5.*

—— *Vastaque sudes, fractique molares.*

Messis, Nonio teste, in muliebri usurpat Lucilius sat. XXVII: *Potiùs quàm non magnam messem, non magnam esse vindemiam.*

Mugilis virile, ut *mugil*, quod Charisius quoque agnoscit.

Natalis Maroni, & aliis, semper est masculinum: etsi *dies* sit dubium; quod, Servio † auctore, intelligitur, ac quandoque exprimitur: ut apud Juvenalem *:

† *Ad Ecl. 3.*
* *Sat. 12.*

Natali, Corvine, die mihi gratior hac lux.

Sic & Censorini aureolus libellus *de die natali* inscribitur. Imò Cicero quoque lib. IV ad Att. ep. I: *Brundusium veni Nonis Sextilibus. Ibi mihi Tulliola mea fuit præsto natali suo ipso die: qui casu idem natalis erat & Brundusina coloniæ.* Donatus in Phorm. act. I, sc. II: *Cùm adjectione temporis cujuslibet natalis dies melius dicitur: ut natalis locus, natale astrum. Sed Virgilius serviens persona rustica, Meus est natalis Iola, inquit, nec addit dies.*

Ovis in masculino usurpabant veteres: unde, Nonio teste, Varro lib. XXIII rerum Humanarum: *Ut etiam notantibus*, (sic legendum è MSSis, ubi *nutantibus*) *qui oves duos, non duas dicunt.* Ejusdem est: *Terentio, quando citatus neque respondit, neque excitatus est, ei ego unum ovem multam dico.* Quem locum, quo ex Varronis libro hauserit Nonius, præter morem non apposuit. Nempe non apud Varronem legerat; sed exscripserat ex Agellio, qui librum præterierat. Vide eum lib. XI, cap. I.

Pollis est in glossis Cyrilli: Γύρις, *pollis.* Phocas censet esse masculinum; Charisius femininum. At Cæsar, & Probus, quorum major apud nos auctoritas esse debet, *pollen pollinis* declinant in neutro: ut est apud Priscianum in sexto. Similiter glossæ Philoxeni: *Pollen*, γῦρις. Apud Isidorum lib. XX, cap. II, editum: *Polles genus est farina candidissima.* Dubium, utrùm *pollis*, an *pollen* scripserit. In veteri Onomastico est: *Pollinis*, γύρεως. Genitivum, puto, reposuit, quia de recto dubium esset. Tamen pro *pollis* facit, quòd *pollinem* legere est apud Catonem de R. R. cap. CLVI, ac Plinium lib. XVIII, cap. IX, & lib. XXIII, cap. XXV. Nam à recto hoc *pollen* similiter esset in accusandi casu. Ut *pollinem* omnino sit à *pollis:* sive hoc sit virile; sive muliebre, quod Charisium velle, ex Prisciano diximus. Nunc tamen in Charisio legas quidem, dici *pollis, pollinis:* verùm de genere non addit. Utrùm olim exstitisse credemus, an Priscianum de genere falsum esse? Dicebamus quoque, Cæsaris majorem esse autoritatem debere, quàm Charisii, & Prisciani. Rectè sanè. Sed quid si contendam; in pollinario hoc argumento meliùs usum vocabulorum novisse Catonem, rei rusticæ scriptorem, & Plinium, naturæ interpretem, quàm magnum illum Cæsarem, etsi minime hospitem in re Grammatica? Sed more nostro potiùs, quantum possumus, sententias, quæ pugnare videntur, inter se conciliemus. Sic igitur statuere liceat, ut priùs *sanguen* dixere; unde hujus *sanguinis*, ac κατὰ συγκοπὴν *hic sanguis:* ita priùs dixisse hoc *pollen*, hujus *pollinis*, & inde *hic pollinis*, & per syncopen *hic pollis*.

Pulvis masculino longè usitatius: quomodo Tullius * *eruditum pulverem* de Mathematicis dixit disciplinis. Sed Ennii est in VIII Annal.

* *Lib. 2 de Nat. Deor.*

Jamque fere pulvis ad cœlum vasta videtur.

Ejusdem quoque de pulvere est, *fulva volat.* Imò nec sic usurpare dubitavit Propertius lib. I, el. ult.

Sit mihi præcipuè pulvis Etrusca dolor.

Et lib. II, eleg. XIII.

— Qui nunc jacet arida pulvis,

Unius hic quondam servus amoris erat.

Cujus rei & Charisius meminit in primo.

Retis masculinum. Charisius lib. I: *Rete neutrali genere, an retis masculino dicendum sit, quaeritur: ut in neutrali quidem plurali numero facit hac retia; in masculino retes. Feminine enim nullam capit adfirmationem; cum per diminutionem, aut masculinum sit, ut hic reticulus; aut neutrum, ut hoc reticulum. Nemo tam obstinata impudentiae est, ut dicat, hac reticula, hujus reticula, quemadmodum hac navicula, hujus navicula. Retis* usurpat Plautus Rudente*:

* Act. 4, sc. 3.

Ubi demisi retem atque hamum, quicquid haesit, extraho.

Sic legit Priscianus lib. VII, & consentiunt MSSi, ac editt. vett. Similiter Varro lib. III de R. R. cap. V. *Ha sunt avibus omne genus repletum, quibus administratur per retem, & aqua rivulo tenui adfluit.* Ita & à Rob. Steph. editum. Gloss. Philoxeni: *Retes augurales*, Νεφέλη ὀρνέων. Hinc *reticulus*. Ut in iisdem glossis: *Reticulus*, γέργαθος. Usus Varro ibidem: *Inter columnas exteriores pro pariete reticuli e nervis sunt.* Similiter, *reticuli circa columnas*. l. fundi. 18. §. 1. ff. de act. emt. & vend.

Scrobis in recto agnoscit Capella. In glossis etiam Cyrilli est, Βόθρος, *vorago, scrobs, scrobis, fossa, fovea, lacuna.* Imò usurpat Columella lib. V, cap. V, & X. In virili obliquis utuntur Plautus Amph. & Aulularià, & Varro Manio, teste Nonio. Atque inde *scrobiculum* dicere Varronem monet. De eodem sic Servius in II Georg. *Scrobes sunt masculini generis. Nam Cicero in Oeconomicis sic dicit: & Plautus ait, Sexagenos scrobes. Minor autem est Lucani, & Gracchi auctoritas. Nam Lucanus ait, Exiguâ posui scrobe. Gracchus, Abunde fossa scrobis est. quod exemplum in Terentiano est.* Et Priscianus in VII. *Hac scrobs, hujus scrobis. sic alii. sed Probus nominativum similem protulit genitivo, quod Plautus in masculino genere profert in Amphitruone: Ibi scrobes effodito duplos sexagenos indies.*

Semis in recto usurpat Varro in IV de L. L. Priscianus in V ait, id patrio casu facere *semissis*. Atque adducit illud Appuleji in Epitoma: *Sed tum sestertius dipondium semissem valebat.* Unde virile esse liquet. Sed sic pertineat ad canona generalem: quae partes assis esse virilis generis statuit. Censeo ego, aliud esse *semis*, aliud *semissis*. *Semis* enim non quasi *semias*, ut Varro ait: sed ex ἥμισυς contractum, ut Festus rectè monet. Quippe generatim convenit cujusque rei dimidio: quod tum è compositis, tum extra compositionem liquet. Quare *semissis* quidem, quod dicitur, quasi *semis assis*, ad regulam pertinet generalem: *semis* autem inter terminata in *is* locum sibi vindicat peculiarem.

Sentis in singulari usurpat Columella lib. XI, cap. III: *Nos sentem canis appellamus.* Esse verò masculinum, cognoscimus ex hoc ejusdem lib. VI, cap. III: *Liberantur arva sentibus, qui aestivo tempore per Canicula ortum recisi.* Baptista tamen Mantuanus in muliebri usurpat in primo de Calamitatibus. Sed peccat: uti & Antonius Caucius, cum dubium facit: & Rob. Stephanus in Thesauro, qui Maronem dixisse ait, *aspra sentes*. Meliùs *aspri* scripsisset. Locus est Æn. II:

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem

Pressit humi nitens.

Unde genus cognosci nequit. Sed ejusdem est in IX:

— Quam densi complerant undique sentes.

Sotularis à Jo. Ninivitâ inter masculina refertur. Sed deceptus est corrupto B. Hieronymi loco; apud quem nunc legitur penè extremo lib. I adversus Jovinianum: *Et hic soccus, inquit, quem cernitis, videtur vobis novus, & elegans; sed nemo scit praeter me, ubi me premat.*

Torquis masculinum facit Priscianus in quinto. Sed dubium esse, ostendit Nonius: virile quidem, illo Ciceronis lib. III de Off. *Atque hinc T. Manlius is est, qui ad Anienem, Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, nomen invenerat:* femininum autem Claudio Quadrigario; cujus est, *torquem, eamque sanguinolentam:* item Varroni, qui gemino in loco scripsit, *torques aurea.*

Volucris quoque apud Cicer. reperias in mascul. Cujus* versus est,

* Lib. 2 de divinat.

Hunc ubi tam teneros volucres, matremque peremit.

De passere, pullisque, sermo est. Vertit autem hoc Homeri Iliad. β:

Ὡς οὗτος κατὰ τέκν᾽ ἔφαγε στρουθοῖο, καὶ αὐτήν †.

† Ut hic filios devoravit passeris, & ipsam.

Sed rarum hoc genus, atque insolens. Nec ratione id caret. Nam naturâ suâ est adjectivum: feminino autem sumitur, quia intelligitur *avis*. At Tullio est virile, quia, cùm uterque sexus insit avibus, dignioris habita est ratio.

CAP. XXX.

De nominibus in OS. Amos pro amor. Capri, & Agraecii sententia rejecta. Colos pro color, dolos pro dolor. Diameter seu potiùs diametros muliebre esse. Nepos pro neptis. Eos pro die. Sacerdotissa non esse Agellianum verbum. Praepos.

NOmina in OS, quae usitatiùs per OR efferuntur, ejusdem sunt generis, ac illa in OR. Istiusmodi sunt, *honos, lepos, labos*; quod apud Sallustium est in Catilinariâ, & Maronem VI Æneidos. Nam, ubi legitur vulgò,

Terribiles visu forma, Letumque, Laborque,

in antiquis penè omnibus est, *Labosque*. Huc refer obsoleta, ut inter alia *clamos, odos, amos:* quod postremum apud Plautum est Curculione*: uti *odos* in Captivis, teste Prisciano lib. I. Sunt haec masculina, quia masculina sunt, cùm in OR desinunt. Contrà *arbos* (ut omnino hic habeat locum) femininum est, quia & muliebre est *arbor:* nec aliter haec, quàm terminatione, differunt. Nam falluntur Caper, & Agroecius, cùm aliud *arbor* esse putant, aliud *arbos:* illo plantas omnes ligno constantes, hoc fructiferas duntaxat signari. Siquidem promiscuè his usi veteres.

* Act. 1, sc. 1.

Multa etiam in OS antiquè efferebantur, quae nunc in US desinunt; in cujusmodi quoque nominibus idem fuit genus. Istiusmodi est *scorpios* pro *scorpius:* de quo in secundâ declinatione dicturi sumus. Item *corvos*, quod exemplum cum *avos*, & *flavos*, conjungit Marius Victorinus lib. I. Item *nervos* in carmine phallico Tibulli, si lectionem vulgatam sequimur. At contrà nec pauca, quae olim desiere in OS, vel OR, extulere posteriores per US. Itaque Isidorus lib. I Origin. cap. XXVI, nihil aliud discriminis ponit inter rectum nominis *honoris*, & *oneris*, quàm quòd ille adspiretur, hic sine spiritu scribatur. Eodemque modo *colus* dixere pro *colos*, vel *color*; *labus* (quod & Columellae† restituit Savaro) pro *labos*, vel *labor*; *dolus*, pro *dolor*. Vide plusculа hâc de re apud Savaronem ad Sidonii lib. V, epist. III.

† In horto.

Sunt & Graeca feminina in OS. Nam etsi plurimùm OS mutant in US, aut ER: interdum tamen OS retinent, ut in *diametros:* quomodo Vitruvius, Columella, & Macrobius, vocem hanc efferre maluerunt, quàm *diametrus*, aut *diameter*, quomodo vulgo efferunt: sed ut puto, sine veterum auctoritate. Cave autem vulgaris lexicis credas, quae vocem hanc faciunt masculinam. Nam Archimedi, & Euclidi, semper feminina est: & ratio subest, quia intelligitur γραμμή †.

† Linea.

Nepos ex regula generali cognoscitur. Quidam, ut Priscianus in sexto ait, commune putaverunt. Credo, quia olim fuit commune; ut Nonius probat illo Ennii:

Ilia dia nepos, quas aerumnas tetulisti.

Eos femininum, sive pro dea, sive pro die sumatur. Ovid. Fast. IV:

Proxima victricem cum Romam inspexerit Eos.

Bos, custos, & sacerdos, sunt communia, ut superiùs ostensum. Ajunt* tamen & *sacerdotissa* dici, propter haec

* Despauterius Lib. I. Rob. Steph. in Thes. & alii.

Gellii

Gellii verba lib. x, cap. xv: *Eadem ferme ceremonia sunt, quas Flaminicas sacerdotissas Dialis seorsum ajunt observare.* Sed *sacerdotissa* à melioribus codicibus abest; planeque ex glossemate in contextum irrepsit. Sanè Gellius ipse lib. xiii, cap. xix, pro eo *sacerdotes feminas* dixit. Sic enim loquitur: *Sacerdotes quoque feminas M. Cicero antistitas dicit: non, secundum grammaticam legem, antistites.*

In neutris nihil caussæ erat, cur *chaos* & *melos* ponerent *, *epos* non ponerent. Nam apud Horat. est 1 Serm. sat. x.

——Forte, epos, acer,
Ut nemo, Varius ducit.

Exos, compos, & *impos* (quibus geminum *præpos*, hoc est, valde potens, quod in glossis Isidori legere est) immeritò huc inferciunt, quia adjectiva sunt: unde Lucretius in iii †. ——*Animantum copia tanta Exos, & exsanguis.* Et Seneca in Agamemnone *:

Tibi grandævi lassique senes
Compote voto reddunt grates.

* Lisbonmus, & alii.
† Vers. 721.
* Vers. 361.

CAP. XXXI.

De Latinis in US desinentibus. Acus *pro* palea *in fem. Probus adversus Parrhasium defensus.* Alvus *etiam in virili reperitur. Catulli pleraque deperiisse.* Carbasus *fortè in masculino.* Colus *in eodem.* Faselus *dubium.* Fimus *olim muliebre.* Intubus *tutiùs in virili sumitur.* Metus *priscis fem.* Pampinus *sæpius mascul.* Rubus *dubium.* Specus *itidem dubium.* Virus, viri, viro. *Sergii oscitantia.* Secus, *pro* sexus, *neutrum.* Sexu virile.

IN nominibus quoque in US errorum plena sunt omnia; ut de plurimis Grammaticorum hic verè habeat locum illud Ennianum *:

Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.

Id quò planum fiat, in tres partes doctrinam hanc dispertiam. Primò dispiciam de Latinis secundæ, aut quartæ. Deinde de Græcis. Postremo agam de nominibus tertiæ.

De Latinis primi ordinis priùs videbimus.

Acus pro pisce, qui Græcis ῥαφὶς, & βελόνη, masculinum esse ajunt, & declinationis secundæ. Nec falli eos in declinatione, indicat illud Martial. lib. x, epigr. xxxvii.

An Laurentino turpes in litore ranas,
Et satius tenues ducere credis acos?

Pro instrumento, quo farciunt, femininum est, & quartæ. Quod gemino Juvenalis loco probat Priscianus in v. Pro *palea* plurimùm quidem neutrum est, & tertiæ; neutrum quidem, ut apud Varronem lib. i de R. R. cap. ix. *Cum parturient* (gallinæ) *acus substernendum.* Tertiæ verò apud eundem in primo: *Argillam mixtam acere.* Atque inde *acerosus*, & *aceratus*; quibus usus Lucilius, teste Nonio. Attamen falluntur, cùm ajunt, eum, qui aliter loquatur, βαρβαρίζειν. Nam apud Columellam de *paleâ* quoque in feminino, & quartâ legimus, lib. ii, cap. x. *Ac durissima quidem acus resecta, separataque erunt a cudentibus.* imò possis quoque Varronis illud *acus substernendum*, sic capere, quasi esset, *paleas substernendum*: ut simile sit, ac *pacem petendum.* Nec propterea deficiant exempla. Nam *acus fabaginum* apud Catonem de R. R. legas cap. liv.

Probus in Catholicis, si audimus Janum Parrhasium *, censuit *acus* pro muliebri instrumento esse masculinum, atque hoc inde probat, quia in diminutivo *aculeus*, non *aculea* dicamus. Hanc verò Probi sententiam refellit isto Juvenalis †, *Obliquâ producit acu.* Sed deceptus est Parrhasius vitiosis Probi codicibus. Sic enim apud eum legendum: *CUS syllabâ terminata masculina quidem omnia secundæ sunt declinationis. Excipiuntur tria quartæ declinationis, arcus, lacus, acus. genus non servat diminutivo, hic aculeus, non aculea.* Quod operæ non fuisset monere, nisi probus adeò Grammaticus defendendus fuisset à tam spisso errore.

* Apud Cic. 1 de Divinatione.
* Comment. in Claudianum pag. 112 edit. Basil.
† Sat. 2.

Alvum usurpat Accius in masculino: ut cujus sit in primo Annalium *:

Maja nemus retinens gravido concepit in alvo.

Et iisdem Annalibus:

——Ut quàm fragilissimus alvus.

Eumque imitatus Cinna in Smyrnâ dixit:

At scelus incesto Cinyræ crescebat in alvo.

Ut & Cato ad filium: *Ex cataplasmatis, ex alvo lavando.* Sed aliter idem Cato de R. R. cap. cxxv. item Cic. lib. ii de Nat. Deor. Columella lib. vii, cap. x. Celsus passim, Plinius lib. xxiii, cap. vii, & alibi; ut taceam de Marone, Horatio, Ovidio, aliis Poëtarum; qui muliebri genere utuntur: eosque imitandum nobis, etsi nec Erasmus in masculino reformidet.

Arcus in feminino genere non Ennius modò usurpat, sed & Catullus; ut quidem scribit Servius ad illud Virgilii lib. v Æneidos:

——Per mille coloribus arcum.

Hodie enim nihil tale in Catullo comparet: unde cognoscimus, vel Servii esse μνημονικὸν ἁμάρτημα *, vel locum esse corruptum, vel plura, quàm hodie habemus, à Catullo scripta esse: quod maximè verisimile fit, quia (ut Josepho Scaligero jamdiu observatum) Rhæticum quoque vinum à Catullo laudatum fuit, ut scribit idem Servius ad illud Maronis †:

——Et quo te carmine dicam
Rhætica.

Et Nonius adducit ex Priapejo Catulli: *De meo Ligurire libido est*: aliaque item citat Terentianus Maurus, quæ in Catullo nullus invenias.

Carbasus masculinum esse, negat Caper *. In feminino sanè usitatum est. Propertius lib. iv, eleg. ultimâ:

Exhibuit vivos carbasus alba focos.

Statius Achilleidos lib. i †:

Nec mora jam dextras Ithaceïa carbasus auras
Poscit.

Lucretii est lib. v:

Carbasus ut quondam magnis intenta theatris.

Sunt qui masculinum quoque esse contendant. Et sanè pro iis faciunt Phocas, & Probus. Quin apud Val. Max. lib. i, cap. i de Æmiliâ virgine in libris vulgatis legere est: *Cùm carbasum, quem optimum habebat, foculo imposuisset.* Ac lectionem hanc in Pulmanni codice, & Gemblacensi, se reperisse, scribit Stephanus Pighius; quamquam is aliorum secutus exemplarium fidem, *optimam quam*, potiùs ediderit.

Colus femininum esse, ex Tullio probat Nonius. Interim etiam in masculino invenitur. Catullus carmine de nuptiis Pelei & Thetidos:

Leva colum molli lanâ retinebat amictum.

Et Propertius lib. iv, el. x, sic Herculem inducit loquentem:

Idem ego Sidoniâ feci servilia pallâ
Officia, & Lydo pensa diurna colo.

Crocus in muliebri usus Appulejus in x: *Crocus vino diluta.* Diomedes tamen ait, semper esse neutrum. Cui obduci solet hoc Virgilii iv Georg.

Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem.

Verùm Servius ait, hic *masculino usum poëticè, & retulisse ad puerum, qui in hunc florem dicitur esse conversus.* At quid dicat Servius de isto Ovidii iv Fast.

Ipsa crocos tenues, liliaque alba legit.

Et hoc Juvenalis sat. vii:

Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver.

Quare non semper est neutrum. Sed num virile sit, an muliebre, ex Appulejo quidem, at non Ovidio, ac Juvenale, dijudices. Omnino autem tutiùs in neutro usurpatur: de quo inferius † etiam dicam.

Faselus, navigii Campani genus *, virile est. Catullus †:

Faselus ille, quem videtis hospites.

Eodemque modo usus Cicero ad Att. lib. xiv, epist. xviii, Columella lib. iv, cap. i, & Ausonius in Mosellâ. At femininum est i de Ponto eleg. ultimâ:

* Apud Priscianum in quinto.
* Memoriæ errorem.
† 2 Georg.
* De verbis dubiis.
† Vers. 557.
† Cap. 36.
* Non.
† Carm 4.

Vos estu fracta tellus non dura faselo;
Quamque negant multi, vos mihi fertis opem.

Ac similiter locutus Martialis lib. x, epigr. xxx, & Statius III & v Sylvarum.

Ficus pro arbore, fructu, & vitio, ut genere variet, dictum antea.

Fimus masculinum passim. Appulejo autem femininum est. Ejus est, *Liquidâ fimo strictim egestâ.*

Grossus cujus sit generis, vidimus cùm de fructuum nominibus ageremus.

Humus priscis fuisse virile, antea ostensum. Sed eo genere exolevit.

Intubus quoque inter dubia referunt; quod apud classicos nusquam legere aliter est, quàm genere virili. Plinius lib. ix, cap. VIII: *Intubi caule non minus grati.* Et lib. xx, cap. VIII: *Intubus erraticus.*

Metus virile: olim tamen fem. fuit, ut Nonius ostendit illo Ennii:

Ni metus ulla tenet, rite virtute quiescunt.

Pampinus inter dubia reponit Servius. Ita enim de eo scribit ad Ecl. VII: *Sanè sciendum, pampinos nunquam Virgilium cum genere dicere; sed Varronem feminino uti frequentius.* Inter dubia quoque id referunt Probus, Caper, Sergius art. II, alii. Quin Varronem secutus Sidonius Apollinaris: apud quem lib. v, epist. XVII, legere est, *pampinus superducta.* At haut temere aliter invenias, quàm in masculino apud meliores scriptores, & Augusti ævo propiores. Columella lib. III, cap. XVII: *Omnis enim fecundus pampinus intra quinctam, aut sextam gemmam, fructu exuberat.* Plinius proœmio libri XXIII: *Pampini triti, & impositi, tumorem omnem siccant.*

Penus quartæ, nunc est masculinum, nunc femininum; uti Donatum, & Caprum sentire, ait Priscianus in sexto: qui & testes laudat Plautum, ac Lucilium. Sed de eo diximus superius †.

† Cap. 6.

Rubus dubium est. In masculino usus Maro *:

* Ecl. 3.

Qui te Pollio amat, veniat, quo te quoque gaudet.
Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.

At Columella, Seneca, Gellius, & Prudentius, in feminino usurpant.

Socrus pro *socer* virile, ex canone generali. Nævium sic loqui Nonius docet. Nempe utriusque olim generis erat, ut *nepos.*

Specus quartæ nunc virile est, nunc muliebre. Virile est Varroni in IV Rerum divinarum: *Ibi cum amissam capram desiderarent, animadvertissentque quendam specum tenebricosum.* Adducit Priscianus; ac simul tergeminum Ovidii locum. E III Metam.

Est specus in medio virgis ac vimine densus.

E VII:

Specus est tenebroso cæcus hiatu.

In XI:

Est specus in medio, naturâ factus, an arte,
Ambiguum.

Femininum verò Ennio, cujus versum sic Lucas Fruterius corrigebat:

Concava sub montis latere specus intu' latebat.

Plurium verò de utroque genere testimonia cap. VI adducebamus.

Et hæc quidem virilia, aut feminina. Sunt præterea duo Latina nomina secundæ inflexionis, quæ neutra sint; *virus*, & *vulgus*. *Virus* olim secundæ fuisse, indicat, quòd Lucretius dicat in secundo:

Liquit enim supra tetri primordia viri.

Et eodem:

Concoctosque suo contactos perdere viro.

Vulgus effusa qui diceret, metuo ne malè excipiendus fuerit Orbilio. Et tamen Sergius in editione secundâ Donati: *Vulgus & neutro, & feminino genere, legimus apud Virgilium. In feminino, In vulgum ambiguam. Neutro, Ignobile * vulgus.* Sed insigniter spissus est hic Grammatici istius error. Siquidem scripsit Maro Æneidos II:

* In Æn.

——Hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conscius arma.

Quo loco muliebris æquè, ac virilis generis dici posset, nisi masculino usurparet Sallustius, cum in Jugurthâ ait: *Alii vulgum effusum oppido cadere, alii ad portas festinare.* Item Silius, cujus isthoc lib. quartodecimo:

Femineum credas maribus concurrere vulgum.

Curtius item lib. VIII: *Orta seditio in diversa consilia deduxerat vulgus.* Similem Sisennæ, itemque Varronis locum, suggeret Nonius in *Vulgus.*

Leviculum hoc est, quod de Sergiano errore dixi: & tamen de eo neque caput integrum contexere dubitavit Joh. Bapt. Pius in annot. posterioribus. Eò magis venia nobis est danda, si minutias ejusmodi hic repetiat lector.

Sexus quoque olim neutrum fuit; ut scribit Priscianus lib. v, qui id comprobat istoc Plauti in Rudente †:

† Act. 1, sc. Et uos à vestru.

Virile sexus nunquam ullum habui.

Verum Charisius videtur apud Sallustium *secus* legisse, non *sexus*. Nempe *secus* nunc adverbium est separandi, nunc *sexum* notat; ut ibidem legas, & Probus scribit in Catholicis. Sanè *virile*, & *muliebre secus*, dixere, Nonio teste, Sisenna lib. IV Histor. & Sallust. Hist. lib. II. Scio, si Mercerianæ credimus editioni, Nonium dicere *sexus* esse neutrum. Sed in exemplis est *secus*: & in Msis membranis nostris tam in Nonii verbis, quam exemplis, *secus* reperio. Imò apud Ausonium quoque legunt Mariangelus, Parrhasius, & Scaliger:

Vesta, Ceres, & Juno, secus muliebre sorores:

pro quo in antiquâ, cùm Parisiensi, tum Lugdunensi, expressum, *decus muliebre.* Ac longiùs quoque recessit Veneta:

Vesta, Ceres, Juno, sexus muliebre sorores;

quomodo & editum à Vineto. At dubium non est, quin *secus* scriptum sit ab Ausonio: quomodo & idem in Technopægnio ait:

Nota Caledoniis nuribus muliebre secus strix.

Apud Arnobium quoque lib. quinctо legere est: *Partem illam corporis, per quam secus femineum, & sobolem prodere, & nomen solet acquirere genericum.* Scio Gelenium edidisse, *sexus femineus.* Sed *secus femineum* legitur in vett. membranis; ut tum Carrio monuit, tum in Mso codice Regio est, unde Jos. Scaliger variantes lectiones in codice, quem habeo, annotavit. Estque eodem modo legere apud Ammianum Marcellinum lib. XIX, ut quidem in Mstis legas: *Prædas hominum virile, & muliebre secus agebant.* Idem lib. XVI: *Egressi promiscuè virile & muliebre secus, sine ætatis ullo discrimine trucidabant.* Ita hunc locum etiam adducit Janus Parrhasius epistola ad Jacobum Varronem Cremonensem. In Castelli, & Accursii editione est *sexus*: quod ex allato Plauti loco possit defendi. Imò *sexu* quoque *virile* dici, docet Carrio in Sallust. histor. & lib. II Emend. cap. XIII. Vide & Stewechium ad secundum Arnobii.

CAP. XXXII.

De Græcis in US desinentibus. Biblus, *seu* byblus, cytisus, costus, hyacinthus, hyssopus, berillus, opalus. Smaragdus *Græcis muliebre, & fortasse Plinio. Cinnæ versus emendatus.* Crystallus *Græcis etiam virile. Vii & Prudentio* chrysolithus. Balanus Sardiana. Camelus *an virilis rectè sumatur.* Colossus, corymbus, isthmus, pelagus. *Pammeliana in Tertulliano correctionis censura. Nonii judicium refellitur.* Abyssi *vox Ecclesiastica.* Atomus, diphthongus, eremus, *naturâ suâ esse adjectiva. Prisciani error.* Pecus *recto casu perperam credi femininum.* Pecuda, *pro* pecudes. Pecu, pecua, pecuum. Grus *in virili. Calderini error. Juvenalis scholiastes correctus. Unde* lagopodi, & pygargo *nomen.*

De Latinis hactenus: videamus de Græcis. Ex his de derivatis ab ὀδὸς res aperta. Non æquè de fruticum & herbarum nominibus: quæ feminina prædicant. Quomodo

biblus,

biblus, seu *byblus* muliebre; sive sumatur propriè pro papyri frutice, sive μετωνυμικῶς pro papyri philyris, in quibus scribebatur: unde & βίβλος ac βιβλίον pro *libro*. Sed ut in pluribus sic exeuntibus id apertum, ita est ubi fallat regula.

Cytisus enim & Græcis, & Latinis, virile est. Theocritus Idyll. X:

Α' * αἶξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.

* Capra cytisum, lupus capram sequitur.

Columella, vel alius, libro de Arboribus, cap. XXVIII: *Cytisum (quem Græci, aut ξία, al. ξία, aut καρνίκλω, aut τείφυλλον al. τεύφυλλον, vocant) quàm plurimùm habere expedit, quòd gallinis, apibus, ovibus, capris, & omni genere pecudum utilissimus est.* Nec tamen hoc perpetuum. Galenus lib. I, pag. 298, col. b. edit. Ald. de antidotis: Γεγράφαμεν περὶ τοῦ κυτίσου. Et mox: Φυτὸν ὁ κύτισος εἰς ὕψος ἀνήκων. Imò & Columella lib. IX de R. R. cap. IV: *Utraque cythisus. Est enim sativa, & altera sua sponte.*

Hyacinthus Græcis est commune: sed sæpius muliebre; ut Theocrito Idyll. X:

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Et viola est nigra, atque notis inscripta hyacinthus.

Ac similiter ibi scholiastes τὴν ὑάκινθον: & Euphorion, Πορφυρέη * ὑάκινθε. Virgilius tamen in IV Georg. ait,

* Purpurea hyacinthe.

——*ferrugineos hyacinthos.*

Ac similiter Latinorum alii.

Sunt item alia, quæ frustra excipiant. Ut *costus*, quod Græcis virile. Dioscorid. lib. I, cap. XV: Κόστος ἀριστεύει ὁ Α'ραβικός. Quasi dicas: *Præcellit costus Arabicus.* At Latinis semper est femininum. Lucanus lib. IX.

Et tamarix non lata comis, Eoaque costus.

Sunt qui id probare etiam sunt conati, corrupto Catulli loco; apud quem in carmine de nuptiis Pelei, & Thetidis (quod ineptè vulgò Argonautica appellant) in vulgaris legitur codicibus:

Regia quam suavis exspirans costus odores.

Quippe in libris emendatioribus est:

Hunc simulac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suavis exspirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat.

Hyssopus quoque masculinum putarunt: quia apud Columellam legatur lib. VI, cap. X: *Veterem tussim sanant dua libra hyssopi macerati sextariis aqua tribus.* Et Plinius lib. XIV, cap. XVI, *Similiter hyssopites è Cilicio hyssopo.* Sed est id à recto *hyssopum*. Nam ut Græcis ἡ ὕσσωπος, & τὸ ὕσσωπον, ita & Latinis. Recto usus idem Plinius lib. XXV, cap. XI: *Hyssopum in oleo contritum phthiriasi resistit, & pruriginì in capite.* Simile est *hac nardus*, & *hoc nardum*: ut *nardum rusticum*, apud eundem lib. XXI, cap. VI. Sed de hoc pluribus cap. XXXVI dicam.

Papyrus itidem, & *papyrum*, dixere. Theophrasto πάπυρος masculinum Hist. plant. cap. IV, lib. IX. Dioscoridi est femininum lib. I, cap. XVI. Ac similiter Virgilius, vel alius in Ciri:

Docta Palaphatia testatur voce papyrus.

Nec aliter Latini unquam.

Gemmarum omnia nomina faciunt feminina. Quasi non *carbunculus* semper sit virile: ac *beryllus* masculinum sit Plinio lib. XXXVII, cap. V. *Berylli raro alibi reperti.* Et, *Alibi politi non habent fulgorem.* Item: *Probatissimi sunt ex iis, qui viriditatem puri maris imitantur.* Sic *opalus* cap. sequenti, ubi legas, *Veri opali fulgor:* &, *Vilissimi in Ponto.* Etiam *smaragdus* Græcis, Latinisque, masculinum est. Strabo lib. XVI: Λέγεται * καὶ ὅτι ὁ σμάραγδος, ὁ βήρυλλος ἐν τοῖς τῶν χρυσίων μετάλλοις γίγνεται. Plinius lib. XXXVII, cap. I: *Sculpi etiam smaragdos solitos.* Et cap. V, de iisdem ait: *Praterea soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant.* Ibidem: *Smaragdi Scythici, Bactriani, Ægyptii, Cyprii.* Sed & alibi sæpe idem in masculino usurpat. Est tamen locus, ubi feminino jungatur. Nam lib. eodem cap. I, editum est: *Indicato in Cypro sex aureis denariis smaragdo, in quâ † fuerat sculpta amymone.* Is locus quia, ni fallor, unicus est, & *indicato* antecessit, omnino suspicor legendum, *in quo*. Id si cui minùs placet, dubium per me statuat licet: præsertim cùm apud Suidam ‡ legatur de smaragdo Polycratis Samii: Τῆς * σμαράγδου τῆς ἐμβληθείσης εἰς τὸ πέλαγος εὕρεσις.

* Dicitur & smaragdum, ut beryllum, in aurifodinis inveniri.

† Sic est in Parmensi an. 1476. Ac legit ita Hermolaus in Castigationibus suis. Etiam Despauterius, ut alius mittam. Sed in Dalecampiana quo pro ea reponitur.

‡ In σμάραγδος.

* Inventio smaragdi in mare conjecti.

Sapphirus muliebri ponitur Plinio lib. XXXVII, cap. II: *Cærulea & sapphiri, raroque cum purpura. Optima apud Medos, nusquam tamen placida.* Ac similiter Dionysius in περιηγήσει:

Χρυσείης † κυανέης τε καλὴν σαπφεῖρον ἀείροις.

† Aurea cæruleæque pulcherrimum lapidem sapphiri.

Crystallus tantùm muliebre esse agnoscimus. Ita Propertius lib. IV, eleg. III:

Crystallusque tuas ornet aquosa manus.

Similiter semel iterumque usus Plinius lib. XXXVII, cap. IX. Item auctor carminis Ithyphallici: & Cinna versu eo, quem non alibi, quàm apud veterem Juvenalis interpretem ‡ reperias:

‡ In sat. 6.

Atque imitata nives ludens legitur crystallus:

ubi pro *ludens*, *lucens* legi debet. Græcis tamen pro *glacie* quidem est virile: ut apud Lucianum in historia scribenda, Τὸν * κρύσταλλον τὸν Κελτικόν: pro gemma autem utroque genere invenitur.

* Glaciem Celticam.

Itidem fatendum, *chrysoprasius*, *topazius*, similiaque, in muliebri potiùs usurpari. Plin. lib. XXXVII, cap. VIII: *Præfertur his chrysophrasius, porri succum & ipsa referens: sed hac paullum declinans à topazio in aurum.* Ibidem de cylindris: *India has generat.* Item: *Est autem color fumida topazii, aut aliquando mellea.* Et cap. IX: *Hyacinthos Æthiopia mittit, & chrysolithos, aureo colore translucentes. Præferuntur iis Indica, & si variæ non sint, Bactriana. Deterrima autem Arabica, quoniam turbida sunt, & varia.* Et sæpius deinde; inter cætera: *Chrysolithon XII pondo à se visam.* Prudentius tamen in Psychomachiâ ait:

Ingens chrysolithus nativo interlitus auro.

Videtur autem ex eo hæc generis diversitas esse, quòd Græci respiciant λίθος, quod pro lapide pretioso sæpius quidem femininum, quandoque autem masculinum est. Latini verò nunc *lapis* respiciunt, nunc *gemma*.

Præter fruticum, & gemmarum nomina, alia etiam Græca excipiunt: quorum potissima expendemus.

Balanus Græcis muliebre. Ut apud Dioscoridem lib. I, cap. CXLIV: Αἱ βάλανοι * οὐρητικαί, καὶ πνευματώσεις. Et cap. CXLVI: Σαρδιαναὶ † βάλανοι, ἃς τινὲς κάστανα καλοῦσιν. Similiter legas, βάλανος ‡ μυρεψική, Αἰθιοπική, Α'ραβική, &c. Atque ita Horatius lib. III, od. XXIX:

* Glandes urinam cient, & flatus pariunt.

† Sardianæ glandes, quas aliqui castaneas appellant.

‡ Glans unguentaria, Æthiopica, Arabica.

Pressa tuis balanus capillis.

Apud Plinium tamen lib. XV, cap. XXIII scriptum, nuces castaneas, quæ Sardibus primùm provenere, *Sardianos balanos* appellari. Sed fortasse *Sardianas* rescribendum: ut Dioscoridi vocantur Σαρδιαναὶ βάλανοι. *Sardianos* tamen est in Dalecampianâ, & illa Aldi, sive potius Asulani, anni 1540 antiquâ Parmensi *, item in codice nostro MSo: ut propemodum videatur inter dubia referri posse.

* An. 1476.

Barbitus, cùm Græcis, Strabo lib. X, tum Latinis, dubium est. Masculino usus Horat. lib. I, od. XXXII.

——*Age dic Latinum*
Barbite carmen,
Lesbio primùm modulate civi.

At Ovidio femininum est epist. Sapphus ad Phaonem:

Flendus amor meus est, elegi quoque flebile carmen:
Non facit ad lacrymas barbitos ulla meas.

Camelus, quod Caucius, & tot alii, dubium statuunt, Latinis semper est virile: at Græcis femininum est; ut vel proverbium indicium facit, Η' κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων, καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν· *Camelus, cùm affectaret cornua, etiam aures amisit.* Ac decepit hoc, cùm alios, tum Bruyerium Campegium, hominem multæ lectionis, qui lib. XIII, de re cibariâ, cap. XXXIX, scribit, Antiphanem apud Athenæum autorem esse, solitos aliquando Græcos camelum *solidam assam* apponere, etiam regibus: & mox, lac *earum* suavissimum esse. Quasi Latinis non semper masculinum sit.

Colossus quoque tantùm masculinum est. Statius initio Sylvarum:

Qua

Quæ super imposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum, cælone per auras
Fluxit opus!

Ita legendus is locus ex Senensi manuscr., ex quo variæ lectiones libro nunc-nostro Scaligeri manu adscriptæ. In vulgatis pro *geminata* est *gemmata*, & *peractum* pro *per auras*.

Corymbus, ὁ κόρυμβος, semper virile est. Quare ne imponat illud Cornelii Severi in Ætna:

Ut crebrò introrsus spatio vacuata corymbos
Pendeat in sese.

Legendum enim, ut idem Scaliger monet,

Ut crebrò introrsus, spatioque vacante corymbus.

Sanè in virili quoque usus Columella, de cinara carduo agens:

Hæc modò purpureò surgit glomerata corymbo.

Emplastrus, & *emplastrum*, in usu fuere Gellii ætate. Sed hic, *emplastrus* dicentes, *novitios semidoctos* vocat lib. XVI, cap. VII. Sanè tutiùs *emplastrum* dixeris cum Laberio, Celso, aliis. Sed utroque modo loquentes Græcorum sequebantur exemplum: qui in recto ajebant, nunc ἔμπλαστρος, nunc ἔμπλαστρον. Est autem ἔμπλαστρος virile Galeno ad Glauc. lib. II: muliebre Dioscoridi, cujus est ἔμπλαστρος κεφαλική. Ac similiter Ignatius epist. VIII: Οὐ πᾶν τραῦμα τῇ αὐτῇ ἐμπλάστρῳ θεραπεύεται. *Non omne vulnus eodem emplastro curatur.* Ubi Græcanico more, *eâdem emplastro* non ausim dicere.

Isthmos malè in feminino usurpant multi. Dixit enim Plinius lib. IV, cap. XI: *Alius namque ibi Isthmos angustiâ similis est.* Ita eum locum rectè emendavit Herm. Barbarus, cùm in vulgatis esset, *angustias similes*. Sed & Senecæ est in Thyeste sc. II: *Isthmi siquis amat regna Corinthii.* Et Solini*: *Alter Isthmos in Thraciâ*; &c. Ac ne librarium in his leviculâ mutatione peccâsse dicas, en quoque locum Ovidii lib. IV de Ponto, Eleg. X:

* Cap. 16.

Non tibi sunt hostes ferro clavâque domandi,
Per quos vix illi pervius Isthmos erat.

Ubi *pervia* respuit metrum. Quid, quòd in feminino nusquam legere sit apud antiquos? Primus, quod sciam, aliter Appulejus; qui, ut penè obsoleta revocat, ita nova comminiscitur. Ei initio I Metam. *isthmos*, non *Ephyræus* dicitur, sed *Ephyrea*: hoc est, *Corinthiaca*: nam *Corinthus* priùs *Ephyra* dicta: teste Plinio†, Pausania‡, aliis. Est interea, quo purgari Appulejus possit. Nec enim Isthmum sumit, ut vulgò solent, pro angustiis Peloponnesi: sed pro regione eâ, quæ præter angustias vicinum etiam tractum complectitur. Nempe, ut ibidem, quemadmodum superiùs dicebamus, non dubitat dicere, *Hymetton Atticam*, & *Tænaron Laconicam*. Quod non aliter excusatur, quàm quia *Hymettos* hìc non solùm Atticæ montem, sed regionem Atticæ, & *Tænaros*, non promontorium Laconicæ solùm, sed Laconicam notat integram. Nam pro montibus ea solent esse virilia: sed, cùm pro regionibus sumeret, genus etiam usurpare voluit, quod in regionum nominibus magis obtineret.

† Lib. 4 cap. 4.
‡ In Corinth.

Pelagus prope uno ore volunt Grammatici interdum masculinum esse, quia dixerit Valerius Flaccus lib. I:

—— *Pelagum quantos aperimus in usus!*

Verùm in vett. codd. legitur *pelagus*: ut monet Carrio*. Nec aliter alii utuntur auctores.

* In Castig. ad Val. Fl.

Pharus etiam, quod quidam dubium faciunt, apud Græcos quidem masculinum est (ut apud Strabonem lib. XVII, ὁ φάρος πύργος) at apud Latinos in feminino tantùm invenio: idque non modò, cùm pro insula ponitur; ut Ovidio lib. II Amor. El. XIII: *Quæ colis & Memphim, palmiferamque Pharon*: sed etiam pro ejusce insulæ turri; ut apud Papinium†:

† Lib. 3. Silv. ad Claudiam uxorem.

Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Nec obstat ille Suetonii locus in Claudio Cæsare: *Supposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini phari.* Nam libri emendatiores habent *Alexandrinæ*: quam & ipsam lectionem comprobat Beroaldus. Leviculum hoc, at in quo tamen cespitant doctissimus Pammelius. Nam libro extremo Tertulliani de pœnitentiâ legendum ait: *De istis duobus humanæ salutis quasi pharis.* Idque quia alludat ad turrim Pharon, quæ in insula Pharo inter orbis miracula reponebatur. Atqui hoc potiùs argumento est *duabus* legi debere. Nec movet, quòd Pammelius se *duobus* reperisse ait in codice manuscripto. Nam, quod in veteri verbo est, Μία ‡ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ.

‡ Una hirundo non facit ver.

Polypus Lucilio femininum esse, probat Nonius eo, quia dicat in XXIX:

—— *Edet hæc se, ut polypus ipsa.*

Sed ficulnum hoc telum. Nam quid si post *polypus* distinguamus? ut sententia sit, hæc se ipsa comedet, ut polypus.

Sunt Græca alia, quæ feminino quidem genere ponantur; sed καθ' ὑπόνοιαν. Tale est *abyssus*. Nam ἄβυσσος est naturâ suâ adjectivum, ex α στερητικοῦ, & Ionico βυσσὸς pro βυθὸς*, ut propriè sit *fundo carens*: unde Aristophani in Ranis λίμνη ἄβυσσος†: & ἄβυσσα χάσματα‡ Euripidi Phœnissis. Latinis verò *abyssus* non est in usu, nisi scriptoribus Ecclesiasticis; idque propterea, quia Latinus interpres hoc retinuerit. Nempe ἐμφατικώτερον illud judicavit, quàm si *voraginem aquarum* vertisset.

* Fundo.
† Palus fundo carens.
‡ Hiatus fundum non habentes.

Simile est *hæc atomus*, ἡ ἄτομος. Nam intelligitur οὐσία, vel etiam ἰδέα· quod expressit Plutarchus libro in Coloten Epicureum; Εἶναι δὲ ταύτας τὰς ἀτόμους ἰδέας ὑπ' αὐτοῦ καλουμένας· *Esse verò has atomos ideas sive formas ab illo vocitatas.* Ἁπλῶς verò usus paullo pòst; Ἡ δ' ἄτομος αὕτη τε καθ' ἑαυτὴν ἔρημός ἐστι καὶ γυμνὴ πάσης γονίμου δυνάμεως· *Atomus ex se ipsa est vacua nudaque ab omni genitali facultate.* Nec aliter Epicurus, epistolâ ad Herodotum, quam apud Laërtium in X legere est, Μηδὲ ποιότητά τινα περὶ τὰς ἀτόμους εἶναι· *Neque qualitatem ullam illas atomos habere.* Et mox, Αἱ τοιαῦται ἄτομοι· *Hæ ejusce modi atomi.* Cicero quoque, lib. I de Fin. bonorum & mal. *Ille atomos, quas appellat.* Et lib. I de Nat. Deor. *Infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quæ, interjecto inani, cohærescunt tamen inter se.* Lib. de Fato; *Non enim atomus ab atomo pulsa declinat. nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet? sequitur enim, ut si alia ab alia nunquam depellatur, nec contingat quidem alia aliam ex quo efficitur, ut jam si sit atomus, eaque declinet, declinare sine caussa.*

Diphthongus quoque, ἡ δίφθογγος, muliebri dicitur, quia integrè sit συλλαβὴ δίφθογγος, cui opponitur μονόφθογγος.

Eremus hæc, ἡ ἔρημος, quia integrè fuerit ἔρημος γῆ, vel χώρα.

Superest ut videamus de nominibus tertiæ. Ac primò de illis, quæ V in obliquis retinent. Ajunt dici, *hic pecus, hæc pecus, hoc pecus.* De primo autor Priscianus, qui eo *hic pecus* in masculino dici posse probat, quia apud Ennium sit in Nemeâ: *Pecudi dare viva marito.* Sed valde infirmum hoc argumentum. Nam *pecudi marito* per Appositionem effertur, ut Maro* ait, *fatis autoribus.*

* 10 Æn.

Hæc pecus dici posse, Grammatici prope omnes tradidere. Nec negare possumus, apud Tacitum de Julio Syllano legi initio lib. XIII Annal. *Adeò ut C. Cæsar pecudem auream eum appellare solitus sit.* Imò Ciceronis ipsius esse in Pisonianâ: *Impurissima & intemperantissima pecudis sordes.* Et lib. II de Nat. Deorum; *Sus vero quid habet præter escam? quâ pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius.* Sed assentire malo Sosipatro Charisio, qui lib. I docet, *pecudis* esse πτεράπτωτον, & carere nominativo ac vocativo, ut *precis, dapis*, & similia. Quare qui *morbida pecus* dicere jubent, vellem illud classico scriptore comprobarent. Contendat aliquis, *pecudis* olim habuisse in recto *pecus*, sed nominativum hunc exolevisse; ut *prex*, unde *precis*, *daps*, unde *dapis*. Mihi verò ne illud quidem fit verisimile. Nam *pecus* si dixissent in feminino, genitivus esset *pecûdis* penultimâ longâ; ut *palus paludis*, *incus incudis*. Dixeris, ab *intercus* esse *intercutis* penultimâ correptâ. Sed cogitan-

tandum, *interecm* esse κατ' συγκοπὴν factum ex *intercutis*: ut rectus & genitivus sint similes. Potius igitur priscus nominativus fuerit *hac pecudis*, vel *pecudes*. Quantum autem suspicari licet, dixere quoque in recto *hoc pecude*. Indeque pluralis *hac pecuda*. Eo, ut Nonius nos docet, usus Attius Medeâ:

Vagant, pavore pecuda in tumulis deserunt.

Et Sisenna in IV Histor. *Jumenta, pecuda, locis trepidare compluribus.* Imò & Tullius in IV de Rep. *Cùm adhibent in pecuda pastores.* At *pecora* est à recto *pecus*, ut notum. Dixereque & *pecua* a recto *pecu*. Eo Nævium, & Accium usos, docebit Nonius. Item hinc genitivum *pecuum* formarunt. De quo sic Festus: *Pecuum cum dixit M. Cato per casum genitivum, à singulari casu recti formavit, quo utebantur antiqui, id est pecu, ac testu* (leg. *ut testu*) *tonitru, genu, veru: quorum omnium genitivus pluraliter geminat V literam. Nunc quia dicimus, ut pecius, eam, qua in usu est, formam in declinationibus sequimur.* Sed de hoc plura in quartâ.

Grus feminino usurpant Maro, & alii. Masculino, ut Nonius docet, usus Laberius in Fullonicis: *Virum tu hunc gruem Balearicum, an hominem putas esse?* Ex iis verò, qui supersunt, vix alibi masculino reperias, quàm apud Horatium lib. II Serm. sat. VIII:

—— *Discerpta ferentes*
Membra gruis sparsi sale multo.

Masculinis tertiæ V mutantibus adjicere debuerunt composita à πῦς. Seneca in Med. act. IV, Scenâ Vos precor:

Sonuistis ara; tripodas agnosco meos,
Favente commotos Dea.

Par ratio in *polypus*, *chytropus*, *apus*: quod postremum in masculino usurpatur ab Aristotele lib. IX de historiâ animal. Sunt qui femininum faciant, quia apud Plinium sit lib. X, cap. XXXIX. *Plurimùm volant, quæ apodes, quia carent usu pedum, ab aliis cypselli appellantur, hirundinum specie.* Sed respexit Plinius ad vocem *volucris*. Etiam *dasypus* potiùs est masculinum. Unum excipitur *lagopus*, quod tum herbæ, tum avis nomen est à similitudine pedum leporinorum. Pro herba usurpat Plinius lib. XXVI, cap. VIII. *Lagopus sistit alvum è vino pota.* Vide de eâ Dioscoridem lib. IV, cap. XVII. Pro ave accipit idem lib. X, cap. XLVIII; ut & Martialis lib. VII, epigr. LXXXVI.

Si meus aurità gaudet lagopode Flaccus.

Quem locum non intellexit Calderinus. Nam *lagopodem* ancillæ nomen esse putat. At ea avis est, quæ alio nomine dicitur *pygargus*; quia posteriori corporis parte alba est. Usurpat & hanc vocem Juvenalis sat. XI: ad quem id, quod de pygargo dixi, vetus monet scholiastes. Sed locus in vulgatis est corruptissimus, in quibus hæc legas: *Pygargus fera est specie cervi, quæ retriores partes albas habet. Ideo & pygargus dictus est, quia Græcè nates πυγὴ dicuntur, & alvum Argo navis. Pylargus avis genus clagalopes appellatur.* Sed extrema verba sic emendanda: *nates pyga dicuntur, & album, argon. Avis pygargus, avis genus, quæ & lagopus appellatur.* Imò apud Martialem quoque non *lagopode* legendum, sed *glaucopide*; quod abunde ad Propertii lib. IV, eleg. III. probavit Jos. Scaliger. In AVS duo tantùm exeunt; *laus* & *fraus*, de quorum genere res est aperta.

CAP. XXXIII.

De habentibus consonam ante S. Olim rectus singularis fuit plebes, trabes, adipes, sortis, mentis, lentis, scobis, stipis, artis, partis. *Cur* bidens, & tridens *masculina.* Dentes splendidas. Frundes. Frus, *vel* fros, *pro* frons. *Vera apud Cæsarem lectio indicata.* Nefrens. Scobs, & scops, *differre.* Seps *pro serpente, & sepimento.* Stirps *pro trunco dubium, olim etiam pro sobole.*

DE iis, quæ V habent ante S, abunde actum. Aliquid quoque dicendum de illis, in quibus consona antecedit: cujusmodi facta sunt ex nominibus in ES, vel IS: ut *plebs* ex *plebes*, quo præter Sallustium, ac Tacitum, usus quoque Lucanus lib. III.

—— *Nescit plebes jejuna timere.*

Trabs ex *trabes*. Ennius in Medea:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Casa accidisset ad terram abiegna trabes.

Usurpat etiam Tertullianus cap. I. scholastici scripti de Pallio.

Adeps ex *adipes*. Unde Varro lib. I de Re Rust. *Adipes illa.*

Sors ex *sortis*. Plautus Casina*:

Vide nequa illic insit alia sortis sub aqua.

Mens ex *mentis*. Ennius in Epicharmo:

Terra corpus, at mentis ignis est.

Lens ex *lentis*, teste Prisciano. *Scobs* item est ex *scopis*, *stips* ex *stipis*, *ars* ex *artis*, *pars* ex *partis*, & ita in aliis. Antiquis enim nullus nominativus sic desinebat: sed inter duas ultimas consonas media erat vocalis. Atque hinc cognoscere est, cur pleraque sic exeuntia sint feminina. Nempe in caussâ est, quia pleraque in ES, vel IS, unde fiunt, ejus sunt generis. Nec tamen id perpetuum magis, quàm in integris, unde contrahuntur. Quod planius fiet ex iis, quæ dicemus.

Adeps virile Plinio lib. XXVIII, cap. IX, *Proxima adipi laus, sed maximè apud antiquos etiam religiosi.* At muliebre Columellæ lib. VIII, cap. XIV: *Quæ res ad creandas adipes multum conferunt.*

Adolescens commune: unde *optima adolescenti* apud Terentium, ut superius† dictum. Itaque ut *adolescentulus*, sic & *adolescentula* dicitur.

Animans omnis est generis, etiam cùm substantivè sumitur. Virili usus Cicero in Timæo: *A quo enim animante reliquos omnes contineri vellet animantes, hunc eâ formâ figuravit, quâ unâ omnes reliquæ formæ concluduntur.* Horat. lib. II, Sat. I. *Quemquam animantem.* Sed usitatiùs est in neutro, *animantia*: vel etiam in feminino; ut apud Tullium I de Legg. *cæteras animantes*: ac tum *bestia* respicitur.

Bidens pro instrumento rustico est masculinum. Ac par ratio in *tridens*. Fit hoc, vel quia utrobique intelligitur *ligo*: vel quia sequuntur naturam simplicis *dens*. Maro II Georg.

—— *Superest deducere terram*
Sæpius ad capita, & duros jactare bidentes.

I Æneid.

—— *Durumque tridentem.*

Ovidius IV Fast.

Sarcula nunc, durusque bidens, & vomer aduncus,
Ruris opes, niteant: inquinet arma situs.

At pro ove femininum est κατ' ἐξοχὴν. Æneidos IV:

—— *Mactant lectas de more bidentes.*

De verre rursum est masculinum; ut Pomponio apud Nonium: *bidenti verre.*

Chalybs vulnificus est apud Maronem in VIII. Ac similiter scriptorum alii. Nempe eodem genere ac *Chalybes*, *per quos erutum & domitum est primitus ferrum*: ut ait Ammianus lib. XXII.

Confluens, & *profluens*, virilia, quia intelligitur *amnis*.

Dens, uti & *fons*, *mons*, *pons*, virilia esse, frustra moneam. *Dentes* tamen *splendidas* dixit Appulejus extremâ apologiâ: si sequimur emendationem Lipsii, quam antiquis video codicibus approbari. Sed non imitandum.

Etiam *fons*, pro cratere, qui inde in cyathos infunderetur, femininum esse probatum eant illo Plauti Sticho V, IV: *Tibi propino decuma fonte: tibi tute inde si sapis.* Sed magis placet Acidalii emendatio:

Tibi propino eccum à fonte: tibi tute inde si sapis. Vide sis Taubmannum ad hunc locum.

Forceps Prisciano & virile, & muliebre est. Sed in iis, qui nunc exstant, scriptoribus, semper est femininum. Qua de re superiùs* diximus.

* Act. 2. Sc. Face Chalino.

† Cap. 15.

* Cap. 17. hujus libri.

Frons,

Frons, quando μέτωπον notat, antiquis dubium erat. In virili autem exolevit. Sic usi Titinnius, Pacuvius, Cato, & Plautus. Quorum verba apud Nonium vide. Etiam Agellium adi lib. xv, cap. ix: ubi Plautinæ addit auctoritatem Cæcilii. Iis verò, quos tutò sequimur, sive arboris folium, sive μέτωπον signet, semper est femininum. Sed non genere quidem, attamen scribendi modo, ea distinguebant. Nam Charisius autor est, pro foliis *frundes* & *frundibus* efferri solere: atque ita Ennium posuisse: *Rurescant frundes*. Imò & in singulari absque liquidâ dicebant *frus*, & *fros*. Ita apud Cæsarem lib. iii de bello civili scriptum fuit: *Sed etiam frus ex arboribus deficiebat*. Id cùm ignorarent librarii, ex *frus* fecere *fructus*, quasi vox non integra, sed per compendium scripta esset. Antonius Augustinus suspicatur, legendum, *strictus ex arboribus*: quia antea dixerat, *foliis ex arboribus strictis equos alerent*. Verùm dubitandum non est, quin rectum sit *frus*; præsertim cùm idem Augustinus agnoscat, in vett. codd. *deficiebat* legi numero singulo. Nempe *frus deficiebat*, eodem modo dixit Cæsar, quo Cato *frundem bubus* maluit, quàm *frundes*.

Gryps quoque masculinum. Plinius lib. x, cap. viii: *Pegasos equino capite volucres, & gryphas auritos aduncitate rostri fabulosos reor; illos in Scythiâ, hos in Æthiopiâ*.

Hydrops virile, ut Græcis ὕδρωψ. Sic Horatius od. ii, lib. ii:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops.

Lens, ut Nonius docet, virile Titinio; cujus est, *Lenti calido*: sed Maroni est muliebre primo Georg.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Merops masculinum, ut Græcis ὁ μέροψ. Aristoteles lib. ix Hist. Animal. cap. xiii: Φασὶ * δέ τινες κ, σὺν μέροπας ταὐτὸ τοῦτο ποιεῖν. Aliquibus *riparia*, nonnullis *apiaria* dicitur, Gazæ *apiaster*: credo, quia putarunt avem eam esse, cui Cretenses *melissophago* nomen dedere. Hæc sententia est Bellonii. Sed non convenit philosophi descriptio. Quare satius est Græcam retinere appellationem cum Plinio lib. x, cap. xxx: imò & Marone in iv Georg.

Nefrens masculinum videtur καθ' ὑπόνοιαν, seu de porcellis propriè dicatur; quod Varro innuit lib. iv, cap. iv: sive arietibus propriè competat, quod Festus docet. De infantibus quoque usurpat Livius Andronicus †:

Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.

Sunt qui suspicentur, esse commune, vocis significatione adducti. Nam dicitur, quasi *ne*, hoc est, non *frendens*. Sed in feminino nusquam legitur.

Oriens, & *occidens*, meritò prætereantur, cùm eorum genus ἐξ ὑπονοίας cognoscatur. Quid enim aliud intelligatur, quàm *sol*? Arnobius lib. ii: *In insulis, & provinciis omnibus, quas sol oriens, & occidens lustrat*. Hic tamen propriè usurpatur vox utraque, non μετωνυμικῶς; ut fit, cùm intelliguntur regiones, quæ oriente, aut occidente sole, illustrantur.

Rudens, ut Nonius quoque observat, Plauto femininum est in Rudente *:

——*Dum hanc tibi, quam trahis, rudentem complico.*

At Catullus, Virgilius, Ovidius, aliique in masculino usurpant. Et sanè verisimile est, posterioribus κατ' ὑπόνοιαν masculinum esse, quia respiciatur ad *funis*: quod olim femininum, ut superiùs † ostensum ex Lucretio.

Scobs, si Phocam audimus, masculinum est. Sed ut *plebs* ejusdem est generis, ac *plebes*; *trabs* ac *trabes*; ac par ratio est aliorum: ita *scobs* quoque femininum est, quia *scobis* est femininum: ut apud Columellam lib. vii, cap. x: *Nauseantibus quoque salutaris habetur eburnea scobis sale fricto, & faba minuta fresa commista*. Unde etiam femininum esse, cognoscimus; quemadmodum Priscianus scripserat in vii. Similiter usus idem Columella lib. xii, cap. xliii, & Plinius lib. xxxiv, cap. xviii, ubi *elimatam scobem* legas. At *scops* per P aliud est: nempe avis nocturna, aurita, noctuâ minor: de qua plura Ælianus ‡, & apud Athenæum * Alexander Myndius, item Eustathius in Odyss. E. † Meminit & Plinius lib. x, cap. xlix. *Nominantur ab Homero scopes, avium genus: neque horum satyricos motus, cum insident, plerisque memoratos, facilè conceperim mente, neque ipsa jam aves nascuntur.*

Serpens naturâ est adjectivum, ac genere utroque sumitur, quia intelligitur *anguis*, quod utrumque habet genus. In feminino verò etiam *bestia* intelligi possit.

Seps, pro scolopendrâ minore, masculinum est. Lucanus lib. ix.

Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps.

Quo loco ad ἔτυμον respexit Poëta. Est enim à σήπω ‡, quòd membra icta putrefaciat. Utitur & Ausonius:

An Libyæ ferale malum sit Romula vox, seps.

Quod ad quæstionem Ausonianam, omnino Græcum est σήψ. Itaque & *sepa* in inculativo dixit Plinius lib. xxix, cap. v: *Lacerta, quam hi sepa, alii chalcidem vocant*. Similiter cap. seq. Ac plurativo idem *sepas* ut *rhetoras* lib. xxiii, cap. ii: *Profuisse fatentur contra serpentes, quas sepas vocant*. Sic τὰς σῆπας Theophrastus lib. ix, cap. xii. At pro sepimento femininum est. Quamquam magnopere dubitem, an *seps* hac in significatione sit Latinum: tum quia obliqui *sepem*, & *sepibus*, quibus usus Maro, à recto *sepes* non minùs, quàm à *seps* deduci queant: tum imprimis, quòd *sepes* in recto singulari apud eundem Maronem legamus Ecl. i:

Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes
Hyblæis apibus florem depasta salicti,
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.

Sepes, inquit, depasta florem, hoc est, habens flores depastos, caussa erit, cur ibi condormiscere liceat, apicularum susurro somnum suadente. Etiam Varronis est lib. i de R. R. cap. xiv: *Secunda sepes est ex agresti ligno*. Solùm injicit scrupulum Ausonii illud Idyll. v:

Bucolico sepes dixit Maro: cur Cicero seps?

Hodie id in Tullio frustra quæras: nec alius, præter Ausonium, id prodidit, quisquam: ut omnino tutiùs eo abstineatur.

Stirps, pro origine sive progenie, semper femininum est: at, pro arboris trunco, interdum in masculino invenitur. Maro ii Georg.

Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorso signata in stirpe cicatrix.

Ita in veteribus aliquot codd. legitur, & agnoscit hanc quoque lectionem Servius, ut *admorso* sit *adroso*. In Romano tamen codice, itemque Mediceo, *admorsu* per V scriptum fuisse, ex Pierio cognoscimus. Est & alter locus xii Æn.

Cùm semel in silvis imo de stirpe recisum.

Ita libb. omnes veteres ac novi, eamque lectionem agnovere quoque Servius, & Donatus: sed hîc, ne *stirps* masculinum statuere cogatur, sua nobis narrat somnia. Nam *imo* separandum ait à *stirpe*, ut sit sententia; *Abscissum de stirpe ab imo*, hoc est, ab inferioris arboris parte. Nunquam eo ineptiarum devenisset nobilis Grammaticus, si in mentem venisset illud libri xii à Charisio quoque adductum:

Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.

Itemque isthoc, quod paullò pòst subjicit:

——*Lentoque in stirpe moratum.*

Quare dubium non est, quin *stirps* dubium sit, cùm pro arboris trunco accipitur. Imò olim quoque pro sobole dubium fuit. Usus in masculino Pacuvius: *Quis stirpem occidit meum?* Sed non imitandum.

Torrens cùm dicimus, respicitur nomen *amnis*. Nam naturâ suâ esse adjectivum, indicat hoc Claudiani lib. ii de raptu Proserp. *

——*Torrentiùs amne*
Hiberno, tortàque ruunt perniciùs hastâ.

* Ajunt nonnulli, & meropas hoc facere.

† Apud Festum.

* Act. 4. Sc. Hemmani.

† Cap. 29.

‡ Lib. 15. Hist. animal. cap. 28.

* Lib. 9.

† Pag. 1523. & seq. edit. Rom.

‡ Putrefacio.

* Vers. 198.

CAP. XXXIV.

De genere eorum, quæ exeunt in T, vel X. Frit. Git. Calx *pro calcaneo dubium.* Dorx. Lynx. Abaces eas *an scripserit Javolenus J.C.* Cordax. *Trochæus κορδακικώτερος.* Dropax. Styrax. Storax. Limacis ἔτυμον. Apex. Atriplex. Caudex. Cimex. Cortex *dubium. Fabii error.* Culex *an Plauto femininum.* Exlex. Imbrex. Obex. Rumex. Silex. Sorex. Tumex. Vibex, *an* vibix *dicendum. Plauti locus excussus.* Calix. Nutrix. Perdix. Phœnix. Pistrix, *vel* pistris. Scandix. Thomix, *deque eo lexicographorum error.* Solox. Celox. Esox. Volvox. Tradux. Lux *in masculino apud ipsum Tullium.* Crux *olim virile.* Bombyx. Calyx. Coccyx. Onyx. *Martialis locus expensus.* Oryx. Cetræ. Sandyx. Sardonyx. *Ausonii in Grammaticos epigramma.*

NEutris in T annumerant aptota: rectè, dummodo nihil generatim antea de iis fuerit præceptum. Hujusmodi sunt duo illa, *frit*, & *git*. Est autem *frit* in summa spica jam matura, quod est minus quam granum; ut autor Varro lib. I de R. R. cap. XLVIII. *Git* est seminis genus, de quo Plinius lib. XIX, cap. VIII, & lib. XX, cap. XVII. & Palladius Sept. Tit. XIII. Apud Columellam quoque legas lib. VII. *Interdum fastidio ciborum languescit pecus. Ejus remedium genus seminis: git appellatur.* Et Ausonius idyllio de monosyllabis:

Est inter fruges morsu piper æquiparans git.

Neutrum esse, ostendit hoc Plauti Rudente*:

LA. *Dabo septingentos.*

GR. *Os calet tibi. num git frigefactas*†?

Ita rectè editiones omnes ante Camerarianam, & Lambinianam divulgatæ. Per *git* autem intelligit pultem ex eo confectam. Charisius, & glossæ vett. μελάνθιον vocari docent. *Tot* verò, & *quot*, cur à canone exciperent, caussæ nihil erat, cum eorum genus ex generali de adjectivis regula cognoscatur.

* Act. 5, sc. Nunquam edepol

† Vide Janum Gulielmum in Plautinis, & Alciati lexicon.

Supersunt in X terminata: quæ muliebris generis traduntur, sive vocalem habeant ante X, sive consonam. De posterioribus pauca excipiuntur. Uti *calx:* quod pro parte plantæ posteriori, pedisque percussione, ac fine Cicero utitur in masculino: ut & è Poëtis tum Persius, tum ante hunc Plautus, & Varro; quorum loca adducit Nonius. Varronis locus, qui illustrem continet γνώμην, sic habet:

Nemini fortuna currum à carcere intimo missum
Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit.

Ita editum in Aldina: sed metrum, quod trochaicum est, versu priori, leviculâ trajectione unius vocis, requirit, *missum à carcere intimo.*

Nisi κατ' ἀναστροφὴν scripserit, *carcere à missum intimo.*

At in feminino usus Silius, atque adeò Maro in undecimo:

Quadrupedemque citum ferratâ calce fatigat.

Nam paucorum manuscriptorum, multorumque excusorum fidei, in quibus *ferrato* legitur, opponimus autoritatem cum antiquissimorum librorum; tum Sosipatri, & Marcelli, qui *ferrata* legêre in muliebri.

Fortasse & masculinum est pro *calculo*, quod inde derivatur, Festo teste. Plautus Pœnulo act. IV, sc. V.

Quin prius disperibit faxo, quam unum calcem civerit.

Ita jam olim Nonium legisse constat. Sed in plerisque MSSis, & editis, est *unam.* Et convenit cum eo, quod proximè antecessit:

Profectò ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.

Ubi viri eruditi, *ad incitas*, integrè esse putant, *ad incitas calces.* Sed quid si dicamus, potiùs *lineas* intelligi, ut Græci γραμμὴν dicunt, concipiendo χαμμὴν. Vide, quæ affero lib. de Structura cap. VI.

Dorx, Græcè ἡ δόρξ, δορκὸς, masculinum est Gratio in Cynegetico:

——— *Pavidosque juvat compellere dorcas.*

Nisi *pavidas* legendum: quod Gesnero videtur in Historia animalium.

Lynx rarum est in masculino, & fortasse uni Horatio lib. II Carm. od. XIII:

Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

In iis verò, quæ vocalem habent ante X, immane quantum nugarum obtrudunt scriptores, imi, summi, medioxumi. Ordiar ab exeuntibus in AX. Ac primo Græcis. Ex quibus virile *abax:* unde deminutivum *abaculus.* Scrupulum injicit plerisque hic Javoleni locus l. hæres D. de legat. III: *Cui Corinthia vasa legata essent, & abaces quoque eorum vasorum collocandorum caussâ paratas deberi, Trebatius respondit. Labeo autem id non probat, si eas abaces testator numero vasorum habuit. Proculus verò rectè ait, si ænea quidem sint, non autem Corinthia, non deberi.* Verùm etsi Brodæus* statuere non ausit, utrùm *abaces*, an βάκεις, scripserit Javolenus; ac vulgatam lectionem retineat Haloander: tamen vel ob autoritatem Pandectarum Florentinarum, in quibus βάκεις scriptum est, lectionem hanc longè prætulerim alteri: ac sentit mecum Alciatus in παρέργοις lib. IV, cap. II. Ninivita ait, omninò *baces* esse nihili vocem, eoque *abaces* legi oportere. Sane *baces* quidem vox reicula: sed de *bases* id dici non possit.

* Lib. 10 Miscell. cap. 20.

Cordax Græcis mascul. Harpocration: Ὁ κόρδαξ† κωμικῆς ὀρχήσεώς ἐστιν εἶδος. Aristoph. in Nub. ὁ κορδακισμὸς* ... Sic Mnesimachus apud Athenæum lib. IX, Plutarchus Sympos. lib. VII Quæst. VIII, Arrianus in Indicis, atque alii. Utuntur Latini; sed ita, ut ex iis ejus genus non cognoscas. Cicero in Orat. *Trochæum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, cordacem* (Aristoteles) *appellat, quia contractio, & brevitas, dignitatem non habeat.* Et Quinctilianus lib. IX, cap. IV. *Et* (licet) *herous, qui idem est dactylus, Aristoteli amplior, jambus humanior videatur: trochæum, ut nimis currentem, damnet, eique cordacis nomen imponat.* Sed fortasse utrobique non *cordacem*, & *cordacis*; sed *cordacicum*, & *cordacici* legi debet. Nam Aristoteles lib. III Rhetor. cap. VIII, ait eum pedem esse κορδακικώτερον, hoc est, cordaci convenientiorem, ob celeritatem. Atque idem visum maximo & amicissimo Meursio nostro in Orchestra. Vulgata tamen lectio defendi possit. Nam, ut siquis ob celeritatem dicat aliquem Pegasi similem, tantundem agit, ac si eum pegasum vocet: ita qui trochæum ob celeritatem ait similem cordaci, is tantundem dicit, ac si per translationem *cordacem* appellet.

† Cordax est genus saltationis Comicæ.

* Cordacis caussa.

Dropax, δρώπαξ, (id est unguentum ex pice & aliis, ad pilos corpori evellendos) masculinum est, uti Græcis, ita etiam Martiali in X, ep. LXV:

Lævis dropace tu quotidiano.

Mystax virile, ut ὁ μύσταξ Theocrito, & Plutarcho in Agide.

Nycticorax, ὁ νυκτικόραξ.

Styrax non pro arbore modò, sed & quando θυμίαμα odoremque significat, femininum esse volunt Cyrillus, & Ammonius. At in masculino usurpat, cùm Aristoteles lib. IV. de histor. animal. cap. VIII, & Dioscorides lib. I, cap. VIII. tum Maro in Ciri, ut mox visuri sumus, & Plinius quoque lib. XXIV, cap. VI. quo loco de styrace agens; *Placet*, inquit, *præter illa, quæ diximus, maximè pinguis, purus.* Nec in genere tantùm lapsi, qui hac in parte Cyrillum, & Ammonium sequuntur; sed in eo etiam, quòd succum semper *styracem* vocari putant; *storacem* verò, quomodo officinæ nominant, barbarum esse. Nam, ut mittam Donatum, qui servulum Terentianum *Storacem* ab odore appellatum ait; usus hâc voce Virgilius sive Valerius Cato, vel quisquis autor poëmatis, quod inscribitur Ciris:

Non storace Idæo fragrantes picta capillos.

Et Plinius lib. XXVI, cap. VIII: *Furfures cutis, & ma-*

nantia ulcera, sale addito sanat: suffitu veterem cum storace sumtum. Ita habet vetus Parmensis anno cIↄ cccc LXXVI. Usus quoque Solinus cap. XLVI. *Nisi*, inquit, *odore cremati styracis occurrant.* Sic omnes MSti.

Ineptè autem à Lithocomo, & aliis, inter Græca in A X, reponitur *limax*, cui à limo nomen. Græcè autem dicitur γυμνοκοχλίας, prout explicat glossarium Philoxeni. Adde quod *limax* dubium est. Nam lib. XII cap. Columellæ masculinum, femininum Plinio lib. XXIX, cap. VI, est.

Nec minùs controversiæ de nominibus in EX.

Apex, quod ferè prætereunt, masculinum est. Claudianus lib. III de raptu Proserp.*

Coniferi micuere apices.

Atriplex (herbæ est genus, quæ Græcè ἀτράφαξις, & χρυσολάχανον †) à Macro poëtastro usurpatur in feminino:

Atriplicem tritam cum nitro, melle, & aceto,
Dicunt appositam calidam sedare podagram.

At potior apud me autoritas Plinii, qui neutro utitur libro XX, capite XX: *Atriplex*, inquit, *& sylvestre est, & sativum.*

Caudex, & *codex* ejusdem generis sunt. quid mirum? cum non magis differant, quàm *caurus*, & *corus*, *plaustrum*, & *plostrum*. Vulgò tamen *caudicem*, pro trunco; *codicem*, pro libro dicere solemus.

Cimex censeo ejusdem esse generis, ac *pulex*, & *culex*. Et similiter Priscianus in quincto. Auctoritas tamen veterum non occurrit.

Cortex juxta Nonium utriusque est generis. De masculino testem adducit Varronem in Prometheo: cujus est, *Supernus cortex.* Et hoc ejusdem in Tithono, περὶ γήρως: *Sic invitatam matura anima corporeum corticem facilè relinquit.* Item hoc Maronis Æn. VII:

——*Raptus de subere cortex.*

At de muliebri adfert hoc Lucretii lib. IV:

Quæ quasi membrana, vel cortex nominitanda est.

Et Maronis hoc Ecl. VI:

Tum Phaëtontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.

Ita Poëtam scripsisse, Fabius testatur. Ut veteres libros mittam; de quibus nobis autor Pierius. Etiam *amara corticis* legit Servius: sed addit: *Alibi ait, Raptus de subere cortex: quod magis sequi debemus, ut masculino utamur.* In feminino tamen utitur quoque Plinius Valerianus lib. I, cap. XLVI, & lib. V, cap. IX, atque alibi.

Culex virile. At femininum obsoletum, si modò eo in genere usurpârit quisquam. Producunt è Plauti Casina*: *Cana culex.* Sed summus vir, & mihi affinitate, dum viveret, junctissimus, Janus Gruterus, legendum putabat, *Canalicola vix.* Quod impensiùs placet, quàm sententia Francisci Sanctii Brocensis; qui credebat, senem amatorem jocosè *canam culicem* vocari, quasi *vetula* potiùs, quàm vetulus foret. Sanè si Plautus sic esset locutus, Nonius, ubi de discretis generibus agit, vel alius veterum, verbo attigisset.

Eryx mons Siciliæ masculinum. Ut Ovid. II de Arte, *altus Eryx.*

Exlex non commune, ut ajunt, sed semper virile.

Grex masculinum nunc: olim & muliebre, ut Nonius ostendit illo Lucretii lib. II: *Buceriæque greges.*

Forfex Prisciano dubium est. Nunc in feminino solùm reperitur: de quo vidimus antea*.

Imbrex femininum est Plauto Mil. Glor. act. II, sc. VI.

Quod meas confregisti imbrices, & tegulas.

Plinio est masculinum extremo cap. XIV, lib. XVII: *Servari inter duos imbrices juxta rivos.*

Index commune volunt; quia & femina rectè *index* dicitur. At non propterea jungitur adjectivo feminino.

Irpex, sive urpex, mascul. Cato de R. R. cap. X: *Urpicem unum, crates stercorarias.* Nisi & hic *irpicem* legendum: ut vocant Varro, Festus, Servius.

Obex sæpius masculinum est. In feminino autem usus non Plautus modò in Persa, sed & Plin. in Paneg. *Nulla obices, nulli contumeliarum gradus, superatisque jam mille liminibus ultra semper aliqua dura & obstantia.* Etiam apud Virgilium est in X: *Ecce maris magnâ claudit nos obice pontus.* Quem ad locum ita Servius notavit: *Modo usus habet, ut hic obex dicamus; unde quidam magno obice legunt. Antiqui etiam hæc obix dicebant, secundum quod est Magna obice. Hinc est, quia nonnulli vitant generis dubietatem, & legunt Magni, scilicet maris. Caper tamen in libris dubii generis, probat dici, & hic obex, & hæc obex: quod, ut diximus, hodie de usu recessit.* Pierius quoque ad eumpsè Maronis locum annotavit: *Magno, virili genere in impressis omnibus codicibus legas. In antiquis vero Magna feminino genere. Idque recepisse Servius videtur, cùm dixit: Quidam Magno objice legunt. Atque nonnullos ad evitandum ambiguitatem legere malle Magni, scilicet, maris. Usque adeò vates, summus loquendi scribendique artifex, sub ferulam, si Deo placet, revocatur à Grammaticis; qui nolunt ampliùs, hic & hæc obex dici, ut veteribus dicere concessum est.* Feminino usus & Sidonius lib. VII, epist. I: *De nostrâ tantum obice.* Idem carm. II †:

Cerea destituit resolutis axibus obex.

Pumex femininum, præterquam uni Catullo:

Arida modò pumice expolitum.

Quod ob εὐφωνίαν prætulit.

Rumex virile Plaut. Pœn. *Tua caussa nemo nostrûm est suos rupturus rumices.*

Ubi rumices quid sint exponit Hieronymus Mercur. lib. I Var. lect. cap. XX.

Pulex virile esse constat.

Rumex virile. Auctor Moreti:

Fecundusque rumex, malvaque, inulaque virebant.

Silex, ut Nonius ait, *omnium consensu feminino appellatur genere.* Sic Ecl. I.

——*Ab silice in nudâ connixa reliquit.*

Et VIII Æn.

Stabat acuta silex.

Sed masculino usum docet Lucretium in I:

Unde queant validi silices, ferrumque creari.

Et lib. V:

Non ruere avulsos silices à montibus altis.

Sorex virile. De quo suppetit illud Sereni Sammonici cap. V:

Si prægnans artus captivi soricis edit.

Tumex, vel *tumix*, virile. Sic vocatur tumor carnis percussæ, aut livor: si rectè glossæ Phil. *Tumex*, σμῶδιξ, αἱματώδης πῆχος. Ubi malim πῆγος. Aliter tamen glossæ Cyrilli: τύμπανον, *tumix*.

Vibex referunt inter virilia. De genere rectè. Sed in terminatione peccant: etsi & Priscianus sic dicere jubeat. Nec movet me, quòd Camerarius legit apud Plautum Trinummo*:

Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui,
Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes?
Atque honori posterorum tuorum ut vibex fieres?

quam lectionem Lambinus quoque, & Duza comprobant. Sed pro *posterorum* legi debet *posterûm*: quod metrica lex requirit. Nisi *tuorum* disyllabon est τῷ συνίζησει: ut Comicis sæpe, vel in eo, quod proximè adferam. Pro *vibex* autem in MSSis, Camerario teste, fuit *vindex*. Ac similiter vetus Veneta editio, quæ cum Saraceni, & aliorum notis, prodiit †. Et retinet Petrus Valla: rectèque vindicem exponit *ultorem*. Nempe, qui ulciscitur, decus aufert: unde *vindicare*, auferre; *vindicta*, ablatio; *vindex*, qui aufert: ut ex vett. glossis constat. Hæc firmantur eo, quòd paullo pòst sequitur:

Si istuc, ut conare, facis indicium, tuum incendes genus.

Ubi *incendere* est, non *celebrius reddere*, ut Scaliger putabat (planè enim sententia repugnat) sed quasi incendio perdere & absùmere.

Vibix autem, non *vibex*, dici debere, non absurdè ex eo colligitur, quòd penultima genitivi sit longa. Dices fortasse, *forfex* quoque in EX desinere; cujus tamen penultima

* Vers. 398.

† Dioscorides lib. 2, cap. 145. Columella lib. 11. cap. 3. & glossa Philoxeni.

* Sc. Omnibus rebus.

* Cap. 17.

† Vers. 493.

* Sc. Stabilio.

† Ann. 1518.

tima brevis sit in obliquis. Sed hoc est τὸ* ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Nam & *forfix* fortean veteres dixere: unde diminutivum *forficula*; quo aliquoties usus Plinius.

* Petere quod in principio est.

Venio ad terminata in IX.

Calix, Græcis κύλιξ. Sed Græcis ἡ κύλιξ, Latinis *hic calix*.

Fornix item virile, sive sumatur pro *camera*, sive pro *lupanari*; unde *fornicari*, & *fornicaria*, πόρνη, ἀπὸ χαμαίας, ἡ ἱσαπτω, ut est in glossis Philoxeni. Ubi continuò subditur: *Fornex*, πόρνη, χαμαίας. Sed *fornix* rescribendum. At *fornax*, quod ibidem κάμινος exponitur, muliebre est: unde ὑποκοριστικῶς *fornacula* Vitruvio lib. VII, cap. X.

Natrix Phocæ masculinum videtur. Nempe quia apud Lucanum est lib. IX.

Et natrix violator aquæ.

Sed Priscianus* ob terminationem putat, figuratè dictum. Aliter tamen, quam masculino, usurpare vix ausim.

* Lib. 5.

Perdix masculino genere dici posse, probat Nonius illo Varronis in Admirandis: *Perdices Bæotios*. Sanè Græcis est utriusque generis.

Phœnix avis masculinum est: quamquam non desint, qui dubium statuant. Claudianus lib. II de laudibus Stiliconis†:

† Vers. 417.

Unicus extremo Phœnix procedit ab euro.

Ex iis, qui in muliebri usurpat est Tertullianus:

Et renovata suâ vivit fuligine Phœnix.

Pistrix masculinum faciunt pro Indici maris belluâ, quæ in Gloss. Græcol. κῆτος vel κητὶς vocatur. Sed auctoritatem requiro. Quin pro *pistrix* in multis Maronis, Sidonii, aliorumque codd. *pistris* vel *pristis* invenitur; quod magis accedit ad Græcum πρῆστις, de quo Suidas.

Sandix aliqui scribunt; alii *sandyx*; de quo mox dicam.

Scandix herba memoratur Theophrasto in Histor. Plant. lib. VII, cap. VIII. Dioscoridi lib. II, cap. LXVIII, & Plinio lib. XXII, cap. XXII: etiam Diogeni Laërtio in Aristippo; ubi meminit Metroclis Cynici σκάνδικας* πλύνοντος. Sed iis ex locis nihil de genere statui possit. At possit ex illo Plinii lib. XXI, cap. XV: *Scandix, quæ ab aliis andropogon vocatur.* Apud Stephanum tamen in L. Gr. Thesauro ὁ σκάνδιξ legas.

* Scandicas abluentis.

Spadix etsi Græcis* notet ramum à palma avulsum: Latinis nihilominus semper sumitur adjectivè pro colore rutilo seu puniceo, qualem videre est in avulso palmæ ramo. Sic Virgilio III Georg. equi commendantur *Spadices, glaucique*. Et Gratii est in Cynegetico:

* Pollux lib. I, cap. II. Gellius lib. 2, cap. 26. & lib. 3, cap. 9.

Spadices vix Pellæi valuere cerauni.

Utcunque igitur masculinè sumatur, his locis: naturâ tamen suâ est adjectivum, eoque omnis generis.

Thomix legimus in Lucilii fragmentis, itemque Columellâ†, Vitruvio‡, Plinio*, & Palladio†; sed in obliquis, aut recto plurali; ut ex hisce autoribus cognosci non possit, num *thomex* scribi debeat (sanè *tomex* scribit Hermolaus Barbarus in glossis Plinianis) an *thomix*, quod magis accedit ad Græcum θώμιγξ. Utut sit, femininum esse, ostendit illud Pausaniæ‡: ὁ αὐτὸς οὗτος συνάγει ἣ ὄχνυ τὴν θώμιγγα: *homo hic contorquet thomicem sive funiculum Ocni.* Falsi lexicographi, qui rectum fecere *tomice*, quasi à τομικὴ, cùm Plinius, & Vitruvius, in sexto casu dicant *tomice*, Lucilius in plurali *tomices*, Palladius *tomicibus*. Imò & apud Plautum Mercatore* legendum putabat Scaliger:

† Lib. 12, cap. 32. ‡ Lib. 7, cap. 3. * Lib. 7, cap. 3. & lib. 17, cap. 10. † Lib. 1, cap. 13. ‡ In Phoc.

Armamentis complicandis, componendis tumicibus.

* Act. 1, Sc. Ex summis opibus.

Sed *studuimus* est in MSS, ac editionibus antiquis, etiam Venetâ†, quæ cum Pyladæ & aliorum notis prodiit. Nec *tumicibus* satis huic loco convenit. Aliud enim *tomices*, aliud *tumices*: de quo paullo antè dictum. Porrò ut illud *tomice* ostendit, non esse tertiæ in E: ita ex *tomices* liquet, non esse primæ. At nihili vox est *tomicus*, quod ponit Perottus.

† Ann. 1518.

Varix masculinum esse, ait Phocas in Arte. Et profectò Despauterius in Instit. Rob. Stephanus in Thes. Calepinus recoctus, pluresque alii, citant ex Horatio, *Varice succiso.* Quod nusquam apud Poëtam hunc legas. Sed Celsus lib. VII, cap. XVIII ait: *Evenit, ut in quorundam ventribus varices sint, quorum‡ nulla alia curatio est.* Et ejusdem lib. cap. XXXI: *Ab his ad crura proximus transitus est, in quibus orti varices non difficili ratione tolluntur.* Ac mox: *Eorum varicum, qui in ventre sunt.* Alii dubium faciunt, ob hoc Senecæ epist. LXXVIII*: *Dum varices exsecandas† praeberet, legere librum perseveravit.* Obtendunt etiam, quòd Celsus ipse lib. V, cap. XXV diminutivum formet *varicula*. *Si*, inquit, *varicula intus est, quæ sanari prohibet, ea quoque excidenda.* Sed in aliis libris est *carnicula*. Et hæc de nominibus in IX.

‡ In Lugdunensi, quæ cum Thriveri, & Roussei narratione prodiit, legas quarum. Sed quorum scripsisse, fidem facit Phocas, cum masculinum ait: tum quod cap. 31, in virili usurpat. Vel quid si dicamus, nunc virile ei esse, nunc muliebre?

* Cujus initium, Vexari te.

† Ita optima editt. etiam Gruteri, Lipsiique.

In OX adjectiva sunt compluria, quorum genus notum. Ut *atrox*, *velox*, *pernox*. Quomodo Livius lib. V, *Luna pernox*. Item *solox*, quod *crassum* notat, ut ex Festo, & glossis Philoxeni constat. Titinius in Barathro, *Lanâ soloci*. Lucilius:

Pascali pecore ac montano hirto atque soloce.

Sed substantiva, quæ hujus propriè sunt loci, tria solùm mihi occurrunt, *celox*, *esox*, *volvox*. *Celox* (navigii id genus, à celeritudine sic dictum‡) muliebre est. Varro Bimarco:

‡ Non.

Nauta remivagam movent celocem.

Esox piscis est in Rheno: ut est apud Plinium lib. IX, cap. XV. Nisi cum Hadriano Junio legere malis *exos*, ut ita dicatur, quia piscis sit sine ossibus; quomodo Lucretius* adjectivè dixit *Exos*, & *exsanguis*.

* Lib. 3.

Volvox animal est prærodens pubescentes uvas: ut scribit Plinius lib. XVII, cap. ult. Quæ lectio si sana est, (ita quidem legitur in antiqua etiam Parmensi, & postea consecutis) nomen ex eo erit, quia pampinis se involvit. Columella lib. de arboribus cap. XV *volucram* vocat. Sed vulgatior *convolvuli* appellatio. Utrius autem generis sint *esox*, & *volvox*, ex Plinio non liquet. Juniores & hoc, & illud, inter masculina retulerunt.

Unum est masculinum in UX, *tradux*: ut apud Varronem I de re R. cap. VIII. *Quos traduces quidam rumpos appellant:* & apud Columellam lib. V, cap. VI: *Ut novi traduces connectantur.*

Lux dubium videtur. De feminino ambigit nemo. Masculino utitur Plautus Aulularia*:

* Sc. Quis homo hic loquitur.

Luce claro deripiamus aurum matronis palàm.

Et Cistellariâ†:

† Act. 2, sc. Credo ego amorem.

—— *Cum primo luci cras nisi ambo occidero.*

Eodemque modo Varro Bimarco, & in Ephebo dixit *luci claro*, ut Nonius observat: imò, ut ad Ecl. VII Pierius monet, etiam hoc pacto loquitur lib. V de L. L. Quin Nonius docet, sic ipsum Ciceronem in III de Offic. dicere, *Et cum prior ire luci claro non queo.* Simileque in II Off. *Luce claro in foro saltet.*

Crux virile, Nonio teste, Ennio est in XI:

—— *Malo cruce fatur uti des*
Jupiter.

Sed eo genere obsoletum.

Superest YX, in quo ipso quoque aliquammulti sese offerunt errores.

Bombyx masculinum quidem est, sed pro vermiculo: at pro materiâ, è quâ fiunt vestes bombycinæ, semper est femininum: unde apud Plinium‡, *De bombyce Coâ*; & *, *De bombyce Assyriâ.* Neque repugnat illud Propertii†:

‡ Lib. 11, cap. 23. * Ibidem. † Lib. 2, el. 3.

Nec siqua Arabio lucet bombyce puella.

Siquidem μετωνυμικῶς per bombycem Arabicum significatur effectum ejus, hoc est, vestis bombycina, seu Serica.

Calyx, ἡ κάλυξ ‡. Rosa est nondum expansa habens folia, sed adhuc clausa: ut præter Grammaticos* testis B. Hieronymus in Esaiæ cap. XXXV.

‡ Hom. Il. 2, & in An. * Hes. & Suid.

Muliebre est in Anthologia:

—— Ἁπαλαῖς ἀδνησίων κάλυκας.

Etiam Plinii est lib. XX, cap. XIX: *Quidam id decerptum protinus cum tota calyce mandunt.* Sic invenio in MSo. Vetus tamen Parmensis anni CIↃCCCCLXXVI, ut & illa Aldi, sive Asulani potius, adhæc Dalecampiana, & nupera Leidensis, habent *toto calyce*. In lexicis legas *calculus* inde

dici,

dici. Quod adstruunt ex Plinii lib. XVI, cap. XLIV, ubi *caliculis* legas. Sed hoc tam à *calicula*, quam *caliculis* esse possit. Speciosius, quod Plinius lib. XV, cap. XXIII dicat, *Trini quibusdam* (castaneis) *partus ex uno calyce, cortexque lectus.* Ita & Aldina editio, & Msus noster. Ut dubium videatur, consule & Parmensem.

Coccyx, cujus itidem nullam plerique mentionem faciunt, non Græcis modò, sed & Plinio lib. X, capite IX virile est.

Onyx (quod multi masculinum tantùm esse volunt) variat genus pro significatione. Pro gemma, quæ & ἐνύχιον dicitur, femininum est. Illustrem dabo Plini locum è libro XXXVII, cap. VI, ubi octies in feminino usurpat. *Zenothemis* (dicit) Indicam *onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, intervenientibus quarundam oculis obliquis venis. Sotacus & Arabicam onychem tradit: sed eam à cæteris distare, quod* Indica *igniculos habeat albis cingentibus zonis singulis pluribusve, aliter quàm in sardonyche Indica. Illic enim momentum esse, hic circulum.* Arabicas *onychas* nigras *inveniri candidis zonis. Satyrus* carnosas *esse* Indicas, *parte carbunculi, parte chrysolithi, & amethysti, totumque id genus abdicat. Veram autem onychem plurimas variasque cum lacteis zonis habere venas omnium in transitu colore inenarrabili.* At masculinum est, cum sumitur pro lapide, qui *onychites*, & *alabastrites* dicitur: aut pro ampulla, sive vase unguentario ex alabastrite lapide confecto. Idem Plinius lib. XXXVI, capite VII, ubi de onyche tractans, *Cùm*, inquit, *P. Lentulus Spinther amphoras ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset.* Ubi satis liquet, non agi de gemma, cùm addat de amphoris ex onyche factis. Similiter usurpant Poëtæ. Catullus eleg. de coma Berenices:

> *Quæ jucunda mihi munera libet onyx:*
> *Vester onyx, casto petitis quæ jura cubili.*

Horatius lib. IV, od. XII. *Nardi parvus onyx eliciet cadum.* Propertius lib. II, El. XIII. *Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.* Item lib. III, Eleg. VIII. *Et crocino nares murreus ungat onyx.* Statius lib. I Silv. epithalamio Stellæ & Violantillæ.

> *Hic Libycus Phrygiusque silex. hic dura Laconum*
> *Saxa virent, hic fossus onyx.*

Ita legendum hoc loco ex Senensi Mſ. pro quo in vulgatis, *hic flexus onyx.* Eodem in genere utitur Martialis lib. IV, epigr. XXVIII, lib. IX, epigr. LX, lib. X, epigr. LXXXVII, lib. XI, epigr. L. & lib. XII, epigr. I. Unicus, quod sciam, locus est, ubi in ea significatione usurpetur genere muliebri. Est is apud Martialem lib. VII, epigr. XCIII.

> *Unguentum fuerat, quod onyx modò parva gerebat:*
> *Olfecit postquam Papylus, ecce garum est.*

Ut non de nihilo sit, quòd V. C L. Petrus Scriverius suspicabatur pro *parva*, vel *Nerva*, vel aliud proprium reponi debere. Nam est quidem *onyx* crebrò femininum: sed pro gemma, non verò pro lapide alabastrite, aut vase exinde confecto.

Oryx, pro quo & *orix* legitur (prætereunt vulgò utramque terminationem) masculinum est Plinio lib. VIII, capite LIII; Mart. lib. XIII, epigr. XCV; Juvenali lib. IV, sat. II. Est autem *oryx* animal bubalo minus; è cujus pellibus Mauri scuta faciunt, quæ *cetra* vocantur. Ita enim, non *citura*, legendum apud veterem Juvenalis scholiasten, monuit optime Pithœus.

Sandyx sive *sandix* (utroque enim modo scribitur) quod & qui μεθοδικὴν scripsere, & Lexicographi, masculinum esse tradunt, semper ferè muliebre est. Certè non modò Galenus * dixit, κεκαυμένον ἢ ψιμύθιον εἰς τ̃ καλουμένην σάνδικα μεταβάλλον †: sed & apud Plinium lib. XXXV, cap. VI legimus: *Pingentes sandyce sublitâ, mox ovo inducentes, purpurissum fulgore minii faciunt.* Item Flavium Vopiscum in vita Aureliani: *Dicitur enim sandyx Indica talem purpuram facere, si curetur.* Nec propterea audiendus doctissimus Emmanuel Alvarez, qui tantùm muliebre esse arbitratur. Nam apud Gratium, qui Augusti ævo floruit, deque venatione scripsit, in Aldinâ, & aliis editionibus, constanter legitur: *Interdum Lybico fucantur sandice pinnæ.*

* Lib. de simplicium medicamentorum facultatibus

† Adustæ cerussa in sandycem quam vocant transit.

Ubi & videmus secundam in obliquis corripi posse. At etiam produci indicat hoc Propertii:

> *Illaque plebeio sit vel sandicis amictu.*

Sardonyx genus variat. Plinio est femininum. Ut lib. XXXVII, cap. VI: *Indicas Sardonychas.* Et alibi semper. At a Martiale in masculino usurpatur lib. IX, epigr. LX:

> *Sardonychas veros mensa quæsivit in omni.*

Ac similiter lib. IV, ep. XXVIII; lib. X, ep. LXXXVII; lib. XI, ep. XXXVIII.

Juvenalis utroque in genere utitur. Nam sat. VI inquit;

> —— *Densi radiant testudine totâ*
> *Sardonyches.*

At lib. III, sat. I, ait idem:

> —— *Ideo conductâ Paullus agebat*
> *Sardonyche.*

Profectò quoties tam spissos errores etiam in præstantissimis Grammaticis conspicor, non video, quid bonæ mentis à minutæ turbæ præscriptionibus exspectandum sit. Ut non sit mirandum, si in eos Ausonius hoc luserit epigramma *:

* Ep. 126.

> *Felix Grammaticus non est, sed nec fuit unquam,*
> *Nec quisquam est felix nomine Grammaticus.*
> *Aut siquis felix præter fatum exstitit unquam,*
> *Is demum excessit Grammaticos canones.*

CAP. XXXV.

De iis, quæ duas habent terminationes, quarum utraque, vel alterutra, sit vocalis. Cepa. Gausapa *& singulo numero & plurativo. De Augusti loco conjectura.* Attagena. Lymfor. Amicities, blandities, puerities, desidies, prosicies, notities, prosapies. Effigia. *Cornelius Fronto refellitur. Diomedi lectio sua restituta.* Acina. Sale *pro* sal *Ennio restitutum, apud Gellium.* Altar *pro* altare. Exemplarium. Pane *pro* panis. Carnis *pro* caro. *Verbalia in* io *&* us *terminata.* Gelus, genus, *pro* gelu, genu.

DE regulis generis specialibus hactenus diximus. Deinceps agi solet de generis anomaliâ: cujus doctrinæ duas faciunt partes: unam de iis, quæ genus in eodem variant numero: alteram de illis, quæ diversum habent genus pro numeri diversitate. Verùm priora illa vocari debent non genere anomala, sed terminatione abundantia: magisque eorum consideratio ad lexicographum, quàm ad artis præcepta pertinet. Nam quæ hic anomalia, si *papyrus*, & *cepa* sint feminina: *papyrum*, & *cepe*, neutra? Quippe variat genus, sed pro diversâ terminatione: ac terminatio è lexicis, genus à specialibus regulis cognoscitur. Videas tamen doctissimos etiam viros, quia aliquid unam tantùm terminationem habere existiment; eam nempe, quæ vulgatior est; huic terminationi genus tribuere, quod alterius est terminationis. Ut siquis, quia legerit *optimo papyro*, etiam dicat *optimus papyrus*: cum prius sit à recto *papyrum.* Sanè veteres etiam Grammatici in talibus interdum à rectâ eunt viâ. Quare non inutile putavi, si hoc loco pluscula intexerem de nominibus, quæ diversam habent terminationem; sive eodem genere, & declinatione; ut, *sal*, & *sale*; *honor*, & *honos*; *torques*, & *torquis*; *scobis*, & *scobs*: sive diverso genere, non declinationem, ut *cingulus*, *cingulum*; *tiaras*, *tiara*: sive diversâ declinatione, non genere; ut *luxuria*, *luxuries*; *exemplar*, *exemplarium*; *elephas*, *elephantus*; *occiput*, *occipitium*: vel *& genere, & declinatione diversa*; ut, *gausapa*, *gausape*; *obsidio*, *obsidium*; *crater*, *cratera.* In quibus omnibus, vel utraque vox exit in vocalem; vel una in vocalem, altera in consonam; vel utraque in consonantem.

Primi generis sunt, quæ terminantur in A, & E: ut *cepa*, *cepæ*; & *cepe*, *cepis.* Priori usus Lucilius lib. V.

> *Lippus edendâ acri assiduè ceparin' cepâ.*

Ita

Ita eum locum emendavit Leopardus lib. XIV, cap. XIV. Etiam sic usus Nævius. Posterius usurpant Nævius, Nonius, & Varro; ut ostendit Priscianus in VII; fuseque de eodem Marcellus.

Similiter dixere hæc *gausapa, gausapæ*; & hoc *gausape, gausapis*. Imò & hoc *gausapum, gausapi*, dixit Cassius Severus ad Mæcenatem: *Gausapo purpureo salutatus*. Citat Charisius in primo, & Priscianus in VII: sed ita quasi improbet. Sane solus, quod sciam, sic Cassius locutus. Græcis est ὁ γαυσάπης: unde Latinis *hæc gausapa*, ut Varro scripsit in libris de L. L. velut Charisius*, & Priscianus†, testantur. Atque addit hic, simile esse ὁ χάρτης, *hæc charta*; ὁ μαργαρίτης, *hæc margarita*. Sed vulgatius est *hoc gausape*. Usus M. Messalla de Antonii statuis: *Armenii regis spolia gausape*. Pers. sat. IV. *balanatum gausape*. Ac similiter Plin. libro VIII, capite XLVIII. ut inferius* dicemus.

* Lib. 1. † Lib. 7. * Lib. seq. cap. 10.

Quæritur, unde sit pluralis *gausapa*: qui & ipse satis in usu. Ovid. II de Arte:

Gausapa si sumsit, gausapa sumta proba.

Ac similiter *lutea gausapa* Persius sat. VI: *villosa*, Martialis in XIV. Ἀναλόγως quidem à *gausapum* fuerit. Sed nec usus id receperat: & ἀναλόγως à Græcis primæ in ΗΣ solùm veniunt nomina primæ, & tertiæ, non secundæ. Quare quid si cum Prisciano dicamus, ut à *gausape* in ablativo dicitur *gausape* pro *gausapi*: ita in plurativo *gausapa* dici pro *gausapia*? De ablativo fidem fecerit hoc Lucilii:

Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.

Et Horatii ipsius lib. II, sat. VIII, ubi similiter legas:

Gausape purpureo mensas pertersit.

Nempe ut à *mare* Varro Atacinus, & Lucretius *mare* pro *mari* dixere: ita, judicio Prisciani, *gausape* pro *gausapi* usurpatum. Quare infirmo nituntur tibicine, qui ex ablativo hoc colligunt, etiam in recto dici *gausapes*, vel *gausapis*. Validius fortasse illud Augusti in Testamento apud Charisium: *Gausapes, lodices purpureas, & colorias meas*. Sed, credo, Augustus scripserat *gausapas*, à recto singuli numeri *gausapa*: quem Varro, ut vidimus, agnoscit.

Etiam A, & U concurrunt: ut *testa, testu*. etsi quidam significatione distinguant. Nam ut est apud Charisium lib. I: *Separantes, amphoræ quidem testam, dicunt, testudinis vero testu*. A quibus Charisius merito recedit. Idem alibi eo ipse libro & Mummium in Atellana, & Afranium, sic locutum docet. Est quoque Varronis in IV de L. L. *Testu caldo coquebatur*. Item Catonis de R. R. cap. LXXIV. *Cognitoque sub testu*. Et cap. LXXV: *In foco caldo sub testu coquito leniter*. Priscianus quoque in IV, & Phocas in arte ajunt dici, ut *pecus pecu*, sic *testa, testu*. Gloss. Cyr. Ὄστρακον, *testu, dicitur & hæc testa*.

Accedo ad ea, ubi una terminatio est vocalis, altera consonans. Apprimò de principe vocali dicendum: quomodo exeunt multa, quæ alioqui, sæpeque longè usitatiùs, terminantur consona M, N, R, vel S. In A, & UM desinunt ista: *Acetabula, acetabulum. Amygdala, amygdalum. Arva, arvum. Arvas* dixere Nævius, & Pacuvius, teste Nonio. Aulæa, aulæum. Curtius lib. VIII cap. V. *Cum rex post aulaam staret*. Sic meliores libri. *Buccina, buccinum*. Posterius est apud Plinium lib. XI cap. X, & lib. IX cap. XXXVI. *Cæmenta, cæmentum*. Ennius:

Labat, labuntur saxa, cæmenta cadunt.

Castra, castrum. Accius Æneadis aut Decio: *Castra hæc vestra est*. Colocasia, colocasium. Plin. lib. XXI cap. XV: *In Ægypto nobilissima est colocasia, quam cyamum vocant aliqui*. Virgil. in Bucol.

Mistaque ridenti colocasia fundat acantho.

Decipula, decipulum. Olim *delicia, delicium*. *Fœnisicia, fœnisicium*. Columella lib. II, cap. XI: *Fœnisicia instituenda*. Plin. lib. XVIII, cap. XXVIII: *Ante secunda fœnisicia*. *Fulmenta, fulmentum*. Prius in adagione, *Fulmenta lectum scandunt*. Usus Varro sæpius*. Voce eâ Plautus semel, & iterum†.

* Non. in Fulmentum. † Mil. act 1, sc. 2 & Trinum. act 3, sc. 2.

Esseda, essedum. Seneca epist. LVII: *Essedas transcurrentes*. Cicero Philipp. I: *Vehebatur in essedo Tribunus Pl.* *Ganea, ganeum*. Priori usus Plinius in Panegyrico: *Ad clandestinam ganeam*. Posteriori Livius lib. VI belli Hannibalici: *In ganea lustrisque*. *Horrea, horreum*, si de priori rectè Claudii locum Nonius cepit. Atque idem adducit, *insomnia, insomnium*: & prius probat illo Cæcilii in Plocio: *Consequitur comes insomnia: ea porrò insaniam adfert*. Posterius est apud Maronem in IV Æneid. —— *Quæ me suspensam insomnia terrent?* Sed, quod Nonius non attendit, differunt hæc significatione: ut optimè Servius annotavit. Nempe *insomnia, insomniæ*, est vigilia, ἀγρυπνία: *insomnia, insomniorum*, ea quæ per somnium videmus: ut in VI quoque Æneidos:

Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.

Labia, labium: ut Nonius multis probat. Ususque priori quoque Gellius lib. X, cap. IV, & lib. IX, cap. XII ut Appulejum mittam.

Labrusca, labruscum. Prius est apud Maronem Ecl. V: alterum est in Culice:

Densaque virgultis avidè labrusca petuntur.

Lanicia, lanicium. Lixivia, lixivium. Lixiviam præparatam est apud Columellam, lib. XII cap. XVI. Item *lixiviam facere*, & *in lixiviæ sextarios*. Sed quæ eodem capite legas. Sed *lixivium* est apud Nonium in *lix*. Quid mirum? quando naturâ est adjectivum, unde *lixivius cinis* apud Plinium lib. XI cap. XVII, & lib. XIV, cap. XX. *Macella, macellum*. Plutarchus in quæst. Rom. Διὰ* τί τὸ κρεωπώλιον μάκελλον καὶ μακέλλας καλοῦσι; Imo *ista macella*, dixisse Ennium vel potius C. Memmium, Tribunum plebis, oratorem facundum iis temporibus, quibus Jugurtha Romæ disceptabatur, ex Flavio Capro ostendimus libro de vitiis Sermonis. *Mandibula, mandibulum. Manibula, manibulum. Menda, mendum*. Ovid. I Am. Eleg. V: *Et nulla in toto corpore menda fuit*. Cic. IV Verr. *Quod mendum ista litura correxit*. *Mulctra, mulctrum. Myrteta, myrtetum*. Quorum prius, teste Prisciano, Plautus usurpavit Vidulariâ: *Nescio qui servus e myrteta prosiluit*. *Ostia* etiam pro *ostium* dixisse, ex eo verisimile fit, quia *Ostia* dicatur oppidum ab Anco Martio XVI M. P. ab urbe conditum. *Ostrea, ostreum. Palpebra, palpebrum. Pistrina, pistrinum*. Prius probat Charisius illo Lucilii in XVI: *Mediâ è pistrinâ*. Atque addit, ita loqui, quia respiceret substantivum *taberna*: Terentiumque† etiam hinc formare diminutivum *pistrilla*. Sed de hoc alibi‡ quoque loquimur. *Postica, posticum*. Sed utrumque natura adjectivum. Illic pars domus, hic ostium, vel utrobique simile intelligitur. *Prosecta, prosectum*; quod & *prosicies*. *Prostibula, prostibulum*; unde quidam *prostibulam* legunt pro *prostibulem*, apud Plautum Persâ*. *Ramenta, ramentum. Rapa, rapum. Seplasia, seplasium. Sesama, sesamum. Stragula, stragulum*. Cic. IV Verr. *Plurimum stragulam*. IV Tuscul. *Textili stragulo*. Posterius passim legas, ut Græcis σήσαμον. Altero usus Curtius lib. VII: *Succo ex sesamâ expresso*. Et Plinius lib. XVIII, capite X: *Sesama ab Indis venit*. *Terricula, terriculum. Testa, testum*: verùm hoc, ut Nonius ait, *apud obscuræ auctoritatis, sed summos scriptores*. *Textrina, textrinum*. Cic. VI Verr. *Textrinam institueret*. Eadem: *Quod textrinum*. *Tribula, tribulum*, juxta Nonium. Priori usus Columella lib. II, cap. XXI: *Si pauca juga sunt, adjicere tribulam, & traham possis*. Sed quod Maronem eo usum censet Nonius, satis metro ipso refellitur. *Vertibula, vertibulum*. Et juxta eundem, *vigilia, vigilium*, unde *pervigilium*.

* Cur locus, ubi carnes publice venduntur, macella dicuntur. † Adelph. act. 4, sc. 2. ‡ Lib. de Structura cap. 6. * Act. 5, sc. Qui sunt, qui erunt.

Seorsim aliquid de *margarita* dicamus. Utrùm enim *margarita*, an *margaritum*, dici oporteat, quæsitum olim fuit. Charisius, lib. I, cap. de Analogia, probat *margaritum*: nec obstare, ait, quòd nullius animalis speciale nomen in neutro inveniatur, quia non caro, quatenus concha est prægnans, *margaritum* dicitur; sed calculus, qui illi inest. Idem tamen eodem libro cap. de deficientibus sic scribit: *Margarita feminini generis est, quia quæ Græca*

Græca nomina, ΠΣ *terminata*, *in A transeunt*, *fiant feminina: ut*, ὁ χάρτης, *hæc charta*, ὁ μαργαρίτης, *hæc margarita: aut communia*, *ut* ὁ καὶ ἡ ἀθλητὴς, *athleta. Ergo neutraliter hoc margaritum dicere vitiosum est. Et tamen multi dixerunt*; *ut Valgius in Epigrammate*; *Si tu* † *rugosa*, *rotunda margarita. Et Varro epistolarum* VIII: *Margaritum unum*, *margarita plura. Sed idem Varro sæpe*, *& alii plures*, *margarita feminino dixerunt. In genitivo tamen plurali non nisi feminino genere margaritarum.* Hæc Charisius. Sanè si Varro, & Valgius, *margaritum* dixere; quin rectè ita dicatur, dubitare nefas duco. Nec dubitavit Tacitus in vita Agricolæ, qui similiter usurpat: uti & Tertullianus lib. II ad Uxorem, cap. V. *Nolite margarita vestra porcis jactare.* Et mox: *Margarita verba sunt quotidiana conversationis insignia.* Et lib. de Pallio, cap. V. *Margarita namque vel ipso nomine pretiosa dehausit.* De Clodio, Æsopi histrionis filio, loquitur; cujus luxuriam Plinius quoque narrat lib. IX, cap. XXXV.

† *Si phalæcius est, ut videtur, in principe pede alterutra syllaba superest. Vel, quod multo malim, pro* si tu, *rescribendum*, sint.

Etiam in A, & EN, exitur: ut *attagena attagena*; quod ab *attagen attagenis*: item *Sirena* ex *Siren.* Vel ON, ut ex *Narbon*, *Narbona.*

Adhæc R altera terminatio est: ac præcipuè ER: ut *æther*, *æthra*, *ex æthera*; *crater*, *cratera*; illo usus Maro: hoc Cicero in Arateis, Persius sat. II, Curtius lib. IV; etiam Appulejus lib. IV. Flor. *Prima cratera ad sitim pertinet.* Salamis, Salamina. Horatius lib. I od. Cic. I. off. *Citaturque Salamis clarissimæ testis victoriæ.* I Tuscul. *Salaminam ipsam. Panther*, *panthera*; *stater*, *statera*; *vesper*, *vespera.* In quibus ER nativa est terminatio. Nisi quod in *vespera* non satis apertum, utra sit prior ac potior terminatio. Nam & Græci dicunt Ἕσπερος, ἑσπέρα. Ac ab ἑσπέρα quidem est *vespera.* Turpil. apud Non. *Vesperâ oriente.* Plautus Curcul. *

* *Act.* I, *Sc.* I.

Si media nox est, *sive est prima vespera.*

Ab ἕσπερος verò, sive Æolico Ϝέσπερος est *vesper*: ut illâ Varronianæ Satyræ inscriptione: *Nescis*, *quid serus vesper vehat.* Quomodo & Virgil. I Georg.

Denique quid vesper serus vehat.

Ac ibidem:

Illic sera rubens accendit lumina vesper.

Fortassè & *vesperus* dixere: atque inde sint obliqui secundæ: ut à *vesper* obliqui tertiæ. Aut hoc verum est, aut *vesper* olim fuerit secundæ, tertiæque. In auferendi enim casu & *vespero*, & *vespere*, legas. Prius est apud Horatium lib. II, od. IX:

—— *Nec tibi vespero*
Surgente decedunt amores.

Ubi videmus, ut vesperum, qui propriè Hesperus, sive Nocturnus, pro Phosphoro, sive Lucifero, usurpet: cùm Hesperus vesperi, mane Lucifer dici soleat, teste Tullio I de Nat. Deor. & Varr. in III de R. R. Similiter in accusandi casu *vesperum* legas: ut Philipp. II: *Perpotârit usque ad vesperum.* At in tertiâ, *primo vespere*, ait Cæsar. lib. II, de bello Civili: *sero vespere*, Ovidius I Trist. el. II: *vespere pacato*, Lucanus in VII. Ac ut *luce*, *luci*; *mane*, *mani*; sic *vespere*, *vesperi*, dixere; quorum posterius adverbii instar usurpatur. Sed vere nomen esse, indicat hoc Plautinum Mil. Glor. act. IV, sc. II:

—— *Qui de vesperi vivat suo.*

Interdum in OR quoque exitur. Ut à *lympha*, quod à νύμφη, *lymfor.* Unde Lucilius, Nonio teste, *Impermixtum lymforem.* Adderem *pigror*, & *pigritia*; nisi pluribus syllabis differrent.

Sed longè plurima sunt, ubi altera terminatio sit S. Aliaque horum in AS exeunt, vel ES; alia in IS, vel US. In AS, ut *tiaras*, *tiara*; de quo superiùs vidimus. Item *hebdomas*, *hebdomada*; *lampas*, *lampada*, quod apud Manilium.

In ES, partim primæ, partim quinctæ. Primæ, ut *Scytha*, *Scythes*: quod apud Horatium lib. II, od. XI; lib. IV, od. V, & XIV. *Geta*, *Getes*, quorum illud fere vulgare, imò servile etiam nomen Comicis: hoc apud Ovidium lib. II de Ponto Eleg. I, & lib. IV, el. VII: item Lucanum lib. II: *Hinc Dacus premat*, *inde Getes*: Sidonium quoque in Narbone, & Carm. II. Simile *Epirota*, *Epirotes.* Posterius in melioribus Ciceronis libris reperias in II de Legg. *Geometra*, *geometres*, quo Fabius usus lib. I, cap. X. *Choraula*, *choraules.* Illud Suetonio usurpatum in Nerone, Appulejo lib. VIII; ac habet quoque Isidorus in glossis. Altero usi Petronius, Plinius, Juvenalis. Aliaque hujus generis adduxi cap. XIX.

Alia in A etiam exeunt in ES quinctæ. Ut pro *maceria*, *maceries*, avaritia avarities, quod apud Lucretium lib. III. durities, apud Tullium pro domo sua, mundicies muries Catoni cap. LXXXVII. Bauginus plura p. 391. &c. Afranio in *Excepto*, apud Nonium, & in veteri inscriptione. Pro *nequitia*, *nequities*, Horatio lib. II, sat. II. Pro *pinguitia*, quod apud Arnobium lib. VII, *pinguities*, Appulejo lib. X. Pro *mollitia*, *mollities*, Claudiano lib. I in Eutropium:

Mollities, *levesque genæ*, *se prodere possunt.*

Segnitia, *segnities*, quod Maro usurpat; ut alterum Terentius, Columella, Plinius. *Planicia*, *planicies*: quorum hoc apud Livium; illud apud Hyginum, ac Frontinum de Limitib. inque veteri inscript. *Canitia*, *canities*: illud in veteribus Lucani codd. lib. VIII: hoc Maronis VI Æneïd. utrumque apud Charisium. *Fallacia*, *fallacies*, quod apud Appulejum lib. V, juxta codices aliquos MSos, & editionem Vulcanii. Sic ut, *materia*, *materies*; *luxuria*, *luxuries*; *amicitia*, *amicities*; quo usus Lucretius lib. V:

Tunc & amicitiem cœperunt jungere habentes.

Meminit & Charisius lib. VI. *Pueritia*, *puerities*, quod apud Ausonium. *Tristitia*, *tristities*; unde in glossis Philoxeni, *Tristities*, λύπη. Utitur Appulejus lib. IV, & X. *Blanditia*, *blandities*; *delicia*, *delicies*; *sævitia*, *sævities*; *minutia*, *minuties. Blandities* dixit Appulejus lib. IX, ex Colvii restitutione: similequé *delicies*, Apol. I: *sævities*, lib. V Met. *minuties*, eodem lib. IX. Sic *proficia*, *proficies*, quod est apud Varronem lib. IX Rerum divinarum: *notitia*, *notities*, quod in glossis: imò & Lucretium lib. V:

Notities hominum divis unde insita primùm.

Prosapia, *prosapies*, unde in Philoxeni glossis, *prosapies*, γένος, καταγωγή. Utitur Lucretius, quo ipso autore adstruitur quoque non *desidia* tantùm, sed & *desidies.* Uti contrà *effigia* quoque pro *effigies* dixit Plautus Rudente *:

—— *Pro di immortales*, *Veneris effigia hæc quidem est.*

Ut in ocellis hilaritudo est!

* *Act.* 2. *Sc. Quis est qui.*

Item Afranius Vopisco, teste Nonio: Lucretius lib. IV:

Dico igitur rerum effigias, *tenuisque figuras.*

Ita plerique MSSi, & noster proximè accedit, qui *effugias* habet. Appulejus de Deo Socratis: *Effigia*, *& exuvia templorum*, *religiones*, *& regiones.* Glossæ Cyrilli: Πενία, *Pauperia*, *pauperies.* Sed *pauperia* non memini me alibi legere. Πενία potiùs *paupertas*: *pauperies*, *damnum*, ut Caper exponit libro de Orthographia: ac similiter sumitur in Jure, cum *quadrupes* dicitur *pauperiem fecisse*: ut L. XXXVII, D. ad legem Aquiliam, & alibi.

Nugantur, qui vocabula ob terminationis hujusce discrimen distinguunt: quos inter Cornelius Fronto; ut cui *materies* sit animi, *materia* arboris, illa ingenii qualitas, hæc fabris apta. Cave etiam credas viris doctis, qui hujus generis esse dicunt, *provincia*, *provincies*: cùm posterius hoc in usu fuerit nunquam. Decepit eos corruptus Diomedis locus in primo: ubi editiones, quæ Putschianâ sunt priores, sic habent †: *Invenimus in quibusdam*, *provincies*, *hujus provinciei.* Verùm in MSSis est, *pernicies*, *hujus perniciei.* De cujusmodi genitivis in ES libro proximo dicemus.

† *Cap. de casu ablativo finium. Catholica.*

In IS, ut *buris*, *buris.* Etiam à *cassis* est *cassida*, teste Charisio, & Prisciano: usique Maro II Æn. & Propertius lib.

lib. III, el. x. Posteriores etiam pro *absis*, quod Isidorus retinuit lib. III Orig. cap. LXVIII, *absida* dixerunt: ut Anastasius bibliothecarius in Leone III.

In US, ut *syngraphus*, *syngrapha*. Cicero de aruspicum responsis: *Alterum putabo regens, si habuerit, unde tibi solvat, quod ei per syngraphum credidisti.* Et sæpe alibi. Plautus Asinaria:

Agedum, ostende istum, quem scripsisti syngraphum.

Araneus, *aranea*; *acina*, *acinus*. Catullus ‡:

Ebriosâ acinâ ebriosioris.

‡ Carm. 27.

Sed masculino tutiùs utimur. *Cavillus* apud Appulejum lib. II Met. *Cavilla* apud Plautum Aulul. IV, IV. *Cavillum* apud Appul. lib. I Met. *Juventus*, *juventa*; *senectus*, *senecta*. Majus discrimen in *usus*, *usura*; *mercatus*, *mercatura*; *venatus*, *venatura*: etiam *nervus*, *nervia*; quo usus Varro, ut Nonius ostendit. In glossis etiam est: *Nerva*, νεῦρος: ubi *nervia* puto legendum. A Græcis accepimus *baptisma*, & *baptismus*.

In UM, ut *alimonia*, *alimonium*; quod apud Varronem, & Vitruvium.

In YS, ut *chlamys*, & inde *chlamyda*, de quo Nonium vide. Usus & Appulejus lib. x Met. item in II Florid. *Chlamyda velat utrumque brachium.*

In IX, ut *fulix*, *fulica*. Hoc apud Maronem, Pliniumque: illud apud Ciceronem in Arateis: *Cana fulix.* Et I de Divin. *Rauca fulix.*

Similiter aliqua nunc in E, nunc in consanam desinunt. Nempe C, & T: quomodo ex *lacte* est *lact*; ut alibi dictum. Item has, L, M, R, S. Ac in M, quidem, ut *tapete*, *tapetum*, quod & *tapes*. Pluraque postea adferam.

In L, ut quæ in AL nunc terminantur, olim autem desinebant in ALE, teste Charisio. Sic *penetrale* dicimus, & *penetral*, quo, inter alios, usus Boëthius lib. I de Consolatione Philos. Item *capital*, pro *capitale*. Similiaque *Minerval*, *sal*, *virginal*; pro *Minervale*, *sale*, *virginale*. Imò *sale* potiùs, quàm *sal*, dicere jubet Charisius. Itaque apud Terentium * legit Muretus: *Qui habet sale, quod in te est.* Dixerat eo pacto Ennius in quartodecimo Annali apud Agellium lib. II, cap. XXVI:

* Eun. act. 3. sc. 1.

Verrunt extemplo placidè mare marmore flavo.

Caruleum spumat sale conferta rate pulsum.

Sed pro *sale* corruptè ab Henrico quoque Stephano editum *mare*: quod ex glossemate irrepsit. Nam *sal* pro *mari* accipi, notum vel ex illo Maronis †:

† 1 Æn.

—— *In altum*

Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.

His adde *penetral* ex *penetrale*: illo Propertius utitur in IV: hoc Ovid. I Trist. Item *toral* ex *torale*: illud apud Horatium exstat epist. V: hoc in plerisque Varronis editt. lib. IV, de L. L. item & Consentio, & vett. gloss. Sic *puteal*, *quadrantal*, *tribunal*, *autumnal*, *virginal*, *cervical*, *cubital*, aliaque.

Itidem in AR terminata olim desiere in ARE: atque illa ex his facta videntur κατ' ἀποκοπήν: cumque priùs essent adjectiva, usu facta sunt substantiva. Planè enim censeo ab *exemplare* esse *exemplar*; à *pugillare*, *pugillar*; à *torculare*, *torcular*; à *cochleare*, *cochlear*; à *pulvinare*, *pulvinar*; à *lacunare*, *lacunar*; à *calcare*, *calcar*; ab *altare*, *altar*, ut apud Prudentium περὶ στεφ.*

* Hymnus in Vincent.

Altar quietem debitam

Præstat quietis ossibus.

Item:

Altar tepescit ore, saxum pectore.

Multisque aliis in locis similiter habent codices antiqui. Etiam ex *boletare*, *boletar*, in veteri epigr.

Comtas nolo dapes, vacuum mihi pone boletar.

Nec dubium, quin apud Trebellium Pollionem legi debeat, *boletar halieuticum*: de quo plura ad eum scriptorem maximus Salmasius. Quid quod in ARIUM quoque desinebant. Ita *altarium*, pro *altar*, vel *altare*, dixit Sulpitius Severus lib. I Historiæ sacræ: *Altariumque ex duodecim lapidibus sub monte constituit.* Glossæ vett. ab H. Steph. editæ †: *Altarium*, θυσιαστήριον. Sic *torcularium* Catoni de R. R. cap. LXVII, & alibi: *cochlearium*, Plinio lib. XXVIII, cap. XVII, & Apicio lib. III, c. LXVII: *pulvinarium*, in vett. glossis, & similia. Imò & *lupanarium* legimus apud Ulpianum l. ancillarum etiam partus D. de hæred. petit. *Licet a lupanario percepta sint.* Quin Valla ‡, & Perottus, *exemplarium* quoque pro *exemplar* dici, censent. Adducunt autem Plinii locum è lib. VI, cap. XXIX. *Nisi exemplarium vitiosum est.* Sed in antiqua Parmensi * invenio: *Nisi si exemplarium vitium est.* Nec aliter ea, quam recensuit Dalecampius. Sed ut Plinii ætate sic locutos non puto: ita certum est, apud proximi ævi scriptores obtinuisse hanc vocem. Nam ea utitur Sempronius Proculus lib. XLVII, D. de legat. II, *Bina tabulæ testamenti eodem tempore exemplarii caussa scripta.* Usurpat & Tertullianus, cujus est *exemplarius*. Item interpres constitutionum Justiniani sub Tit. ut null. mut. agri.

† Pag. 14.

‡ Lib. 6, Eleg. cap 33.

* Anni 1476.

Etiam E, & ES, concurrunt: ut *tapete*, & *tapes*, uti dictum. Item IS: ut *rete*, *retis*, *præsepe*, *præsepis*, *panis*, & *pane*, cujus Arnobius † meminit, ac Plautum eo in Curculione ‡ usum, Nonius docet. De *præsepis* indicat hoc Plauti: *Hæc præsepis mea est.* Nisi *præsepes* malis: ut legere est apud Probum in Catholicis. Similiter in propriis: ut *Soracte*, & *Soractis*.

† Lib. 1,

‡ Act. 1. sc. 3.

Item E, & UM. Ut *aplustre*, *aplustrum*: de quo inferiùs * dicemus. *Milliare*, *milliarium*, L. XL. II. D. De excusat. *Gausape*, *gausapum*; si sequendus nobis Cassius Severus, cujus verba paullò antea adduximus. *Præsepe*, *præsepium*. Varro lib. II, de R. R. cap. V: *Pabulo viridi obiciendo in præsepiis.* Ac similiter Appulejus in VI Met. *Præsepium meum hordeo passim repleri jubet.* Gloss. vett. φάτνη, *præsepe*, *præsepium*.

* Lib. seq. cap. 13.

I, & IS; ut *gummi*, *gummis*; *sinapi*, *sinapis*: de quibus antea.

O quoque concurrit cum M, N, R, S.

O, & UM; ut *adagio*, *adagium*; *alluvio*, *alluvium*; *contagio*, *contagium*; *obsidio*, *obsidium*; *consortio*, *consortium*; *interstitio*, *interstitium*; *sabulo*, *sabulum*. Consortio in recto est apud Plinium lib. IX, c. XI: *Hominum quadam consortione degentia.* Ubi tamen in veteri cod. *consortio degentia*, ut monet Dalecampius. Addunt *debitio*, *debitum*. Sed posterius naturâ suâ est adjectivum.

O, & EN, ut *Anio*, *Anien*. Prius est apud Horat. lib. I, od. VII:

Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda.

Alterum est apud Statium I Sylv.

Quà præceps Anien, atque exceptura, &c.

Et ante eum sic Cato; teste Prisciano. Ab *Anio Anionem* dixere, quo Ennium esse usum, ait Servius. Ab *Anien* verò *Anienem*: quod apud Maronem in VII, ut *Aniensis* apud Catullum. Indeque *limfa Aniena*, apud Propertium in III. Similiter non *Nerio* tantùm dixere, unde est *Nerionis*: sed & *Nerien*, unde *Nerienis*. Usus eo Plautus Trucul. act. IV, sc. VI. Vide Gellium lib. XIII, cap. XXI. Etiam *turbo* est apud Maronem in VII:

—— *Torto sub verbere turbo.*

At Tibulli est lib. I, el. V:

*Namque ager, ut per plana citus sola verbere turben**.

Qui versus si occurrisset Charisio †, credo, non scripsisset, stultè dici *turben*.

* Ita editum à Scaligero, Duza, Passeratio. Ubi Regiensis vetus Aldina, alia, turbo. Etiam MSSi Palatini.

† Lib. 1,

O, & ON; ut in propriis, *Agamemno*, *Agamemnon*; *Simo*, *Simon*; *Ctesipho*, *Ctesiphon*: in quibus O ex ON factum κατ' ἀποκοπήν. Ita apud Terentium est; *Antipho Antiphonis*, & *Antiphon*, *Antiphontis*: *Demipho Demiphonis*, & *Demiphon Demiphontis*. Ac Cicero eodem modo in Frumentariâ dixit *Xeno*, pro *Xenon*: item pro Muræna, ac Fundanio, *Dexo*, & *Meno*, pro *Dexon*, & *Menon*. Sed & Statii est in Achill.

—— *Stimulatque Agamemno volentes.*

Imò in melioribus etiam Ciceronis MSSis est lib. XIII ad Att. epist. XV: *Posteaquam à te Agamemno.* Contra Cornelius Nepos: *Dion Hipparini filius.* *Xenon* Plinio lib.

lib. XXII, cap. XXII: uti & Censorino. Apud quem & *Meton* legas. *Telamon* Ovidio XIII Met. Manilii quoque est lib. I:

Ætherusque Platon, & qui fabricaverat illum.

Vide Fabium lib. I, cap. V, & Priscianum lib. I: è junioribus multa inprimis congessit Claudius Dausquius in Orthographicis.

Etiam in declinatione isosyllabâ interdum N aufertur à Latinis: ut *Mino*, & *Atho*, à Μίνως, & Ἄθως: qua de re dicemus, cum ad declinationem secundam deventum erit.

O, & OR; ut *squallor*, & *squallitudo*, à *squaleo*.

O, & AS; ut, *beatitudo*, *beatitas*; *concinnitudo*, *concinnitas*; *necessitudo*, *necessitas*; *teneritudo*, *teneritas*: illo Appulejus usus lib. V, Met. at priori Cicero in V, de Fin. Bon. & Mal. Simileque *temeritudo*, & *temeritas*: illud est Pacuvii Dulorefte: alterum frequens Ciceroni.

O, & ES; ut, *alluvio*, *alluvies*; *colluvio*, *colluvies*; *proluvio*, *proluvies*. Item *contagio*, *contages*; *propago*, *propages*; *diluvies*, *diluvium*; *compago*, *compages*. Ac possis huc quoque referre, *ambago*, *ambages*. Priori usus in obliquo Manilius in IV:

Et verum in cæco est, multâque ambagine rerum.

Posterioris exempla multa, sed in auferendi casu, adduximus lib. I de Analog. cap. XLIII.

O, & IS; ut, *caro*, & *carnis*; quo in recto usus Livius Andronicus in Odyss. teste Prisc. in VI. Sic & *Apollinis* rectus olim, pro *Apollo*. Quod probatum eunt istoc Plauti Menæchmis *:

Imperium tuum denuntat, atque edictum Apollinis.

Ubi ajunt, *Apollinis* esse vocandi casum. Sed falluntur. Nam *tuum Apollinis imperium* ait, ut Cicero Philipp. II, *Tuum hominis simplicis pectus*. Et in Manilianâ: *Tuum gravissimi viri judicium.*

O, & US; ut *lanio*, *lanius*; *ludio*, *ludius*; *pavo*, *pavus*; *scorpio*, *scorpius*; *capo*, *capus*; *gobio*, *gobius*; *strabo*, *strabus*; *architecto*, *architectus*; *termino*, *terminus*. Priori usus Ennius, à Græco τέρμων: ut *terminus* à genitivo τέρμονος. *Architecto architectus*, à priori *architectionem* Plautus dixit Pœn. V. 2, & IV. *Capo*, *capus*. Varro lib. III de R.R. cap. IX. *Capi semimares*. Capo lemma Martiali lib. XIII, ep. LXIII. Est hoc in verbalibus frequens: ut in his, quæ Nonius † adducit: *admonitio*, *admonitus*; *auditio*, *auditus*; *contemtio*, *contemtus*; *dominatio*, *dominatus*; *famulatio*, *famulatus*; *flexio*, *flexus*; *ingressio*, *ingressus*; *interitio*, *interitus*; *lusio*, *lusus*; *partio*, *partitudo*, & *partus*; *piscatio*, *piscatus*; *reditio*, *reditus*; *tactio*, *tactus*; *venatio*, *venatus*; *usio*, *usus*. Similiaque, *cantio*, *cantus*; *concursio*, *concursus*; *consensio*, *consensus*; *potio*, *potus*; *simulatio*, *simulatus*; *conjectio*, *conjectus*; *lapsio*, *lapsus*, (priori usus Tullius IV Tuscul.) *raptio*, *raptus*, (prius apud Terent.) &c.

U, & US, ut *tonitru tonitrus*, quod & *tonitruum*. Olim etiam pro *gelu* & *genu*, *gelus*, & *genus* dixere, teste Nonio. Item pro *artus*, *artu*; unde *artua*, apud Plautum Menæchmis ‡:

—— Ut ego hujus membra atque ossa, atque artua,
Comminuam illo scipione, quem ipse habet.

Sed de talibus plura disseram cum ad declinationem quartam accessero.

* Act. 5. sc. 2.

† Tit. de indiscretis generibus.

‡ Act. 5. sc. 2.

Cap. XXXVI.

De iis, ubi terminatio utraque est consonans. Oscus, & Doricus mos voces truncandi. Debil, *non* debilo, *veteres dixere.* Subtil. Facul, difficul. Mugil, *pro* mugilis. *Plinianorum librorum dubii sermonis argumentum.* Famul, *pro* famulus. *Quæ in MEN terminabantur, efferebantur quoque per MENTUM.* Carmentæ. Limentum. Deus Limentinus. *Ennii vetus lectio defensa.* Sublimus, *pro* sublimis. *In recto* fulminis, ocinis. Sanguen. *Giffanii lapsus.* Vermina, *&* verminare. Baccar, *&* baccaris. Torques, *vel* torquis; puppes, *vel* puppis; *similiterque* valles, feles, *seu* felles. Perses, *&* Perseus. Mentis, glandis, concordis, *in recto.* Senicis, suppellectilis. Melus, *pro* melos. Absinthius. Acinum. *Nonii Marcelli error.* Autumnum. *Num* balteus, *&* balteum, *different.* Candelabrus, *vel* candelaber. Capillum. Caseum. Cepitius. Cingulus, *&* cingillus; *& an differat ab eo* Cingulum, *vel* cingillum. Clypeus, *&* clypeum, *promiscuè sumi.* Collus. Compitus. Cotis. Filus. Fimum. Forus. Fretus. Gladium. Jugulus. Libus. Lutus. Nasum. *Et similia multa in US, & UM, exeuntia.*

Subjiciam nunc ea, ubi terminatio utraque exit in consonantem. Consonantes eæ sunt L, M, N, R, S.

L concurrit cum S, in plerisque exeuntibus in IL; sed per apocopen factis ex ILIS, more Osco; qui, Dorum exemplo, voces truncabant. Ennius * verò imitatus Oscos, quorum linguam callebat, ut a veteribus † proditum. Itaque in VIII Annalium non refugit, *Debil homo:* pro quo corruptè *Debilo* est apud Nonium. Simile est *subtil* pro *subtile*, teste Prisciano: &, ex conjectura clarissimi Meursii, *consimil* pro *consimilis*, apud Plautum Amphitryone ‡. Etiam hujusmodi in UL exiere: ut *facul*, pro *facile*; *difficul*, pro *difficile*. Varro Bimarco: *Quod utrùm sit magnum, an parvum; facul, an difficul.* Similiter locum Pacuvius, Afranius, Accius, Lucilius, ut Nonius ostendet. Et hæc in adjectivis.

Ex substantivis videmus *mugil*, & *mugilis* dici. Integro utitur Juvenalis sat. X. Gloss. vett. *Mugilis*, κεφαλῖς, κέφαλος ἰχθύς. Similiter Isidorus lib. XII, cap. VI. Ac reperias apud Plinium lib. IX, cap. ult. *Mugil & lupus mutuo odio flagrant.* Et lib. XXXII, cap. II: *Scit & mugil, esse in esca hamum.* Apud Charisium etiam scriptum in secundo: *Mugil, an mugilis?* Ut de recto dubitâsse videatur. Eoque jure de hoc quoque libris Sermonis dubii egit Plinius: ex cujus operis lib. VI. idem Charisius adducit: *Hic mugil, & vigil.* Atque hic etiam locus comprobat, quod alibi diximus, Plinium egisse de iis, ubi docti quoque olim hæsere, quomodo loqui, aut scribi, oporteret: non verò, ut putabat vir præstans, tractâsse istic de ambiguitate, quæ inest sermoni, ut Rhetores vocant, ἀμφιβολίαν: quomodo opus fuerit, non Grammaticum, sed Rhetoricum, planè contra vett. omnium mentem.

Ut *mugil* pro *mugilis*, sic & *strigil* pro *strigilis*, dixisse antiquos, vulgaris est opinio. Sed de eo antea * vidimus.

Etiam terminatio US in substantivis κατ' ἀποκοπὴν invenitur. Ita *famul* dixere pro *famulus*: ut monitum Nonio Marcello, & Mario Victorino. Ennius in VIII:

—— Mortalem summum fortuna repentè
Reddidit, ut summo regno famul optimus esset.

Sive, ut P. Merula feliciter corrigebat:

Reddit, ut ex summo regno famul infimus esset.

Quomodo & Lucretius in tertio de rerum Natura,

Scipiades belli fulmen, Karthaginis horror,
Ossa dedit terræ, proinde ac famul infimus esset.

Altera consona est M. Pleraque in MENTUM desiere etiam in MEN. Ita dixere veteres *momen*, *monumen*, *augmen*, *documen*, aliaque, quæ posteriores extulere per MENTUM. Hujusmodi vocabulis gaudent Lucretius, & Prudentius. Liviana epitome lib. XLVIII fine *pulpamine mandere & gustare panem.* Ac contrà pro *carmen* iidem dixere *carmentum*; unde *Carmenta*, *al* ἀοιδαί, vel Parcæ. Sed & pro *limen* apud Varronem est *limentum*; unde Deum liminum vocarunt *Limentinum*; cujus meminit Tertullianus lib. de coronâ militis, Scorpiaco adversus Gnosticos, & lib. de Idololatria; item Arnobius lib. IV, *glutinum*, *gluten*. *Sublimentum* eodem dixere modo pro *sublimen*, quo usus Propertius †:

At nullo dominæ teritur sublimine amor, qui
Restat, & immeritâ sustinet aure minas.

Quin

* Vide Lipsii epistolicas quæst. lib. 1. ep. 19.

† Gell. lib 17. cap. 17.

‡ Act. 1. sc. Quis me alter.

* Cap. 24.

† Lib. 2. eleg. 25.

Quin apud Ennium Scaliger in Conjectaneis legendum putat:

Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes Jovem.

Sed, quemadmodum in Oratoriis† monitum nobis, expressit Ennius Euripideum illud,

† Lib 4. cap. 6.

Ὁρᾷς τὸ ὑψοῦ, τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα.

Quare *sublime* retinendum. Et siquid mutare oporteret, non *sublimen* pro *sublime* legi deberet, sed *sublimum*. Nam *sublimus* pro *sublimis* dixere quoque Lucretius, & Sallustius: ut è Prisciano, ac Nonio, scimus.

Quædam item in UM, aliàs exeunt in R: sive præcedente A, ut *exemplum exemplare*, sive E, ut, *jugerum jugeri*, & *juger jugeris*, de quo postea. Olim etiam, Arnobio* teste, *candelaber*, quod aliter *candelabrum*. Sed Nonius pro *candelaber*, *candelabrus* dicit.

* Lib. 1.

Vel in S, præcedente E, O, aut U.

In ES, ut *tabum*, *tabes*; *contagium*, *contages*; *diluvium*, *diluvies*, de quo Nonium vide. Item *tapes*, *tapetis*, & *tapetum tapeti*.

In OS, ut *Ilium*, *Ilios*.

In US: ut *buxus*, *buxum*, multaque alia, de quibus postea dicam.

Denique & cum T concurrit: ut *occiput*, *occipitium*.

N convenire cum M, liquet ex *momen*, *momentum*: de qualibus jam dictum. Et extra hæc sunt alia: ut *gluten*, *glutinum*. Priori usus Maro IV Georg. altero Plinius libro XIII, cap. XII.

Item conspirat cum IS, ut *Eleusin*, *Eleusis*; *Salamin*, *Salamis*. Neque id in Græcis modò. Nam priscis quædam in IS terminabantur, quæ posteriores extulere per EN: ut *oscinis*, & *fulminis*, pro *oscen*, & *fulmen*: & contra in EN desiere, quæ posteriores per IS extulerunt. Sic Græcis ἀκτὶς, ἀκτὶν, δελφὶς δελφὶν, ῥὶς, ῥὶν, &c. Istiusmodi est *sanguen* pro *sanguis*. Lucretius lib. I:

Visceribus viscus gigni, sanguenque creari:

& aliquanto post:

Scire licet nobis venas, & sanguen, & ossa,
Et nervos alienigenis ex partibus esse.

Ac suspicatur Obertus Giffanius eodem modo *vermen* dictum pro *vermis*, quia apud Lucretium legere sit lib. V:

Donicum eos vitâ privarant vermina sæva.

Verùm fallitur, cùm *vermina* sint tormina, unde *verminare*, pati tormina. Id cùm disertim scribit Festus, tum Pomponii, ac Martialis loco liquidò ad eum scriptorem probat princeps interpres.

Etiam quædam in N, & US, exeunt: ut *Titan*, *Titanus*; *delphin*, *delphinus*. Sed *Titanus*, & *delphinus*, sunt posteriora ex obliquis nominum *Titan*, & *delphin*. Nam Τιτὰν ὁ Τιτᾶνος: inde *Titanus*. Τιτὰν verò à τίτω, id est, *lutum*: ut idem sit ac γηγενὴς, sive *terrigena*. Nam gigantes, qui cum Diis pugnarunt, è Terra natos fabulantur, *Titani*, pro *Titanes*, est apud Nævium lib. I belli Punici: *Inerat signa expressa, Titani quomodo, & bicorpores gigantes, Minas, Ephialtes, Rhœtus, atque Purpureus, filii Terras.* Plautus Persâ act. I, sc. I:

Quid ergo faciam? disne adverser? quasi Titani cum Dis belligerem?

At *Titanes* iidem Tullio, Horatio, Ovidio, & aliis. Sic à δελφὶν, vel δελφὶς ὁ δελφῖνος, est *delphinus*: quod apud Horatium initio epistolæ ad Pisones. Sed *delphines* ait Ovid. III Trist. el. X: uti Maro Ecl. VIII:

——*Inter delphinas Orion.*

Similiter quædam desinunt in YS, & YN. Ut *Phorcyn*, *Phorcynis*, & *Phorcys*, *Phorcyis*. Priùs agnoscit Priscianus in VI, alterum Phocas. Sanè & φόρκυνα est Il. ρ, quod à φόρκυν: proque φόρκυνα, monet Eustathius, etiam φόρκυνι legi, quod à φόρκυς.

Sequitur R: ubi interdum sola vocalis mutatur: ut (ex communi opinione, quam alibi expendimus) *jecinor*, *jecor*, *jecur*. Itaque ambigunt quidam, an nominibus in OR debeant annumerari *ebor*, *marmor*, *robor*: quæ Antonius Gniso, cùm in recto, tum in obliquis non O, sed U, habere putabat, teste Fabio; qui contrà *robur* per U præfert in recto, at *roboris* per O in obliquis. Sed Gnisonem multi olim secuti. unde & in glossario veteri legimus: *robor*, ῥώμη, δένδρον, στερέωμα, σίδηρος. Ac Pierius quoque ad X Æn. cùm in Charisio Longobardicis literis scripto, tum in aliis codd. antiquis, *robor* per O se invenisse testatur.

Sæpe verò commutantur R, & S: idque partim in secunda, partim in tertiâ. In secunda: ut *exter*, *exterus*; *infer*, *inferus*; *prosper*, *prosperus*; *pestifer*, *pestiferus*; quod apud Celsum lib. II, cap. II: *Sudor quoque frigidus in acutâ febre pestiferus est.* Item in propriis; tum virorum, ut *Teucrus*, *Teucer*; *Evandrus*, *Evander*; tum aliis quoque, ut *Ister*, *Istrus*. Gell. lib. X, cap. VII: *Istrus enim quoque in Europa fluit.* In tertiâ verò, ut *algor*, *algus*; *arbor*, *arbos*; *honor*, *honos*; *impuber*, *impubes*. Quamquam de *impuber* res non satis est aperta. Nusquam enim me legere hoc memini, nisi apud Grammaticos: quos Josephus Scaliger secutus, in Galliambo Catulli, pro *mulier*, contra omnes libros, *puber* reponit. Sed cùm Grammatici nullum laudent auctorem, ut aliud non esset, incerta foret Scaligeri conjectura. At *pubes* adjectivum rejici nequit. Est enim Ciceronis pro Rabirio perduellionis reo: *Neminem esse dico, qui pubes tum fuerit, quin arma ceperit.* Ac *impubes* similiter usurpat Ovid. lib. II Fast.

Nam puer impubes, & adhuc non utilis armis.

Dicitur quoque hic & hæc *impubes*, & hoc *impube*. Ita *puer impubis* est apud Plinium lib. XXIII, cap. VII. Atque hinc Maro in V:

——*Comitemque impubis Iüli.*

Horatius lib. II, od. IX, *impubem Troilon* ait. Imò *pubis* quoque adjectivo pro *pubes* Cæsar dixit: ut Priscianus ait in VI. Dixere etiam *Ligus*, *Ligur*, sive nationem signet, sive gentis sit Æliæ nomen. *Ligus* pro natione est apud Sallust. V Hist. teste Prisc. in VI: item Maronem in XI:

Vane Ligus, frustraque animis elate superbis.

Silium in VIII: etiam Charis. in I. Nempe ut Græci, ὁ Λίγυς, Λίγυος. At *Ligur* est apud Lucanum in I, Prisciano teste. Ut cognomen Æliorum est, legas sic apud Cic. pro Domo, & Verr. III. Qui *Ligus* lapp. Capitolinis. Item *decor*, *decus*; *ador*, *adus*. Ubi & commutatur vocalis. Est ubi præter vocalem & declinatio mutetur. Ut *algor*, *algus*. Posteriori, ut etiam Charisius monet, usus Plautus Rudente: *Tu vel suda, vel peri algu.*

Multa etiam exeunt in AR, ER, OR, vel UR; quæ in IS extulere. In AR, ut *Arar*, *Araris*; *baccar*, *baccaris*. *Baccar* neutrum est, teste Prisciano in IV. Usus Plinius. At *baccaris* femininum. Hesychio dicitur βάκκαρις, Dioscoridi βάκχαρις: apud Galenum in glossis Hippocraticis βάχαρις.

In ER, OR, UR: ut *celeris*, pro *celer*; *sacris*, *sacer*; unde Plauto, *porci sacres*, de quo postea; *memoris*, pro *memor*. Dixere enim hic & hæc *memoris*, & hoc *memore*; ut ex Capro refert Priscianus: qui & locum hunc Cæcilii adducit:

Itane Antipho est inventus profluvia fide?
Itane est immemoris? itane est madidâ memoriâ?

Simile est *indecoris*, & *indecor*. Par quoque ratio in substantivis. Ut *capparis*, *cappar*. Palladius lib. XI, capite XI: *Servator thymum, & origanum, & cappar mensis initio.* Ita quoque est in editione Rob. Stephani, *Turturis*, pro *turtur*, ait se in veteri codice Ausonii reperisse Mariangelus Accursius. Simileque *vulturis*, pro *vultur*. Ennius*:

Vulturis in silvis miserum mandebat hemonem,

* Apud Charisium in I, & Priscianum in 6.

nisi potius *vulturus* legendum, quomodo scribi in chirographis libris, & ipsi observavimus, & autor quoque est Obertus Giffanius in indice Lucretiano. *Vulturius* pro eo legere est apud Appulejum lib. IV, VI, & X Metam. imò & Livium lib. XXVII, juxta Lipsii restitutionem.

Sed imprimis ER, & US, concurrunt in iis, quæ veniunt à Græcis in OS, ut Μένανδρος, *Menandrus*, vel *Menander*: Θύμβρος, *Thymbrus*, vel *Thymber*: Εὔανδρος, *Evandrus*, vel *Evander*. De quibus pleniùs dicam, cum

cum ad terminationes secundæ declinationis erit deventum. Similiter *uter*, & *uterus* dixere. Cæcilius in Umbris: *Nunc uter crescit, non potest celari.* Quid si & *acer*, & *acrus*, huc referamus? Sanè *acrum*, pro *acrem*, Charisio teste, dixit Cn. Marius Iliad. xv.

Superest S: ubi videbimus ordine de exeuntibus in AS, ES, IS, OS, US, vel S impurum, hoc est, quod consona præcedit.

AS, & ATIS, in adjectivis se offerunt. Ut, *Ardeas, Arpinas, Capenas*; ex *Ardeatis, Arpenatis, Capenatis*; quæ tria integrè sic extulit Cato in primo Originum. *Larinas*, & *Macenas*, ex *Larinatis*, & *Macenatis*: quæ in vetustissimis libris inveniri, ait Priscianus libro de Accentibus. *Ferentinas*, ex *Ferentinatis*, quo usus Titinius *Psaltriâ*. *Penas*, ex *Penatis*, quomodo dici posse Labeo Antistius putabat, teste Festo. *Summas* ex *summatis*, *infimas* ex *infimatis*. Plautus Sticho:

Ergo oratores populi, summates viri,
Summi accumbent, ego infimatis infimus.

AS & US concurrere, liquet ex *elephas*, & *elephantus*. Sed imprimis conspirant ES & IS. Ut *apes, apis*; *vehes, vehis*; *torques, torquis*. Glossæ Cyr. Στρεπτός, *torquis, torques, tortus*. Similiter *canes* dixere, & *canis*, ut superiùs ostensum. Item Probus inter ea, quæ in ES desinunt in singulari, non tantùm reponit *rupes*, & *vulpes*, quæ hodieque ita desinunt: sed etiam (ut Pierius* Probi locum corrigit) *puppes, valles, apes*; quæ omnes per IS proferunt. Sanè Probi præceptum veteribus libb. confirmatur; in quibus *puppes*, pro *puppis*, & *valles*, pro *vallis*, non rarò scribitur. Unicum tantùm ponam locum ex Maronis undecimo:

* In 11 Æn.

Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi,
Armorumque dolis.

Feles quoque damnant in singulari: attamen apud Plinium lib. vi natural. histor. in MSS, tum *feles*, tum *felis aurea*, legitur: ac apud Plautum Pers. Sc. ix, leno, à rapacitate hujus animalis, vocatur *felles virginaria*, quod virgines raperet: similiterque apud Ausonium epigr. LXIX legimus, tum *felis* seu *fellis*, tum *felles pullaria* de eo, qui pullos, hoc est, pueros rapere solet:

Quis Marcus? Felles nuper pullaria dictus,
Corrupit totum qui puerile secus.

Nec leve pondus huic sententiæ addit, quòd Charisius disertim docet, *hac feles* dici, ut *hac moles*: ut etsi *felis* non ausim damnare, nec temere tamen usurus sim: quemadmodum neque in masculino usurpare ausim; quamvis Rob. Stephanus in Thesauro suo communis esse generis dicat.

Etiam ES convenit cum UM, sive sit ES quintæ: ut, *diluvies, diluvium*; *proluvies, proluvium*; sive ES tertiæ: ut in *tapes*, & *tapetum* vidimus: & cum EUS, ut *Perses Perseus, Achilles Achilleus, Ulysses Ulysseus*: ex quibus illa in ES ab Æolibus accepta. Nam Æoles pro Ὀδυσσεὺς dicunt Ὀδύσσης; unde *Ulysses*: item Πέρσης, pro Περσεύς: unde apud Livium in accusativi casu & *Persen*, & *Persea*, legere est.

Item cum US: ut, *palumbes, palumbus*. Apud Terentium quoque est *Æschinus*: at Græcè Αἰσχίνης, & nobilis ille Orator Ciceroni, & aliis semper *Æschines*. Num verò similiter *Hercules*, & *Herculus*, dixerint, an genitivus *Herculi* potiùs sit ab *Herculeus*, meliùs exponam libro sequenti cap. viii, & imprimis extremo cap. x.

Item in ES terminata, elisâ vocali, exeunt in BS, vel PS: ut *trabes, trabs*; *plebes, plebs*; *adipes, adeps*; *sepes, seps*. Sic ex *satrapes satraps*, apud Sidonium Carm. ii:

Quisque sedet sub rege satraps. ita vinxerat omnes.

Et *nubs* ex *nubes* apud Ausonium in Monosyllabis habes:

—— *Junonia ludificat nubs.*

Ac meminit etiam Beda. Sed respuit Servius in x.

Item in X: ut *fax* ex *faces*. Festus: *Faces antiqui dicebant, ut fides. Pollux ex Polluces*, quod è Πολυδεύκης. Varro lib. iv de L. L. *Pollucis à Græcis, in Latinis literis vett. nomen, quod est, inscribitur, ut* Πολυδεύκης, *Polluces, non, ut nunc, Pollux.* Plautus Bacch. act. iv, sc. viii:

Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules.

Similiter in IS exeuntia, vocali amissâ, in duas exeunt consonas. In BS, vel PS, ut *scobis, scobs*; *stipis, stips*.

In CS, sive X, ut hæc *nucis, nuceris*: quæ postea τῇ συγκοπῇ, *nux, nucis*. In GS, sive X: ut hic *regis, regeris*, quæ nunc *rex regis*. Dicimus de his ex Charisio lib. seq. cap. viii. Nec de genitivo hujusmodi mirum, cum, ut Scaliger ad Festum observat, similiter dixerint, *bovis boveris, suis sueris, axis axeris, lapidis lapideris*: imò & hic *Jovis Joveris* fortasse & *Apellinis Apellineris*, pro *Apollo Apollinis*. In NS, ut *mentis, mens*. Ennius:

Istic est de sole sumtus ignis, isque mentis est.

Idem:

Terra corpus, at mentis ignis est.

Item *glans* ex *glandis*: quo Virgilium in recto usum esse in iv Georg. suspicatus est Obertus Giffanius in Indice Lucretiano. Sed ab eo dissentio. Nempe ei imposuit Valerius Probus in Catholicis: ubi Varronem sic ait in recto dicere. Sed locum Poëtæ non apponit. *Laurens* ex *Laurentis*. Ennius in Annal.*

Quos homines quondam Laurentis terra recepit.

* Libro, ut videtur, primo: quod tamen Priscianus non expressit.

Item in RS, ut *concordis, concors*; *discordis, discors*. *Tiburtis, Tiburs*. Prius est apud Catonem in primo Originum: *Populus communiter Tusculanus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis, Rutulus*. Posterius est in veteribus Inscriptionibus: *Senatus populusque Tiburs*. Vel in X: ut *senex*, ex *senicis*, unde *senecio*; *supellex* ex *supellectilis*, quod & *supellectile*, unde *supellectilia*.

IS quoque, & EUS, commutantur: ut *Adonis, Adoneus*: unde *Adonei* apud Apulejum.

Multa etiam adjectiva nunc in IS exeunt, nunc in US. Ut *hilaris*, & *hilarus*. Unde *hilara* apud Plautum Rudente. *Sterilis, sterulus*. Unde *sterulam*, teste Festo. *Improlis*, & *improlus*, secundùm eundem. *Imbecillis, imbecillus*. *Manis, manus*. A priori est *immanis*: uti & *dii Manes*. *Pronis, pronus*. Prius apud Varronem Parmenone. Sed imprimis hoc fit terminatis in ARIS, & ARIUS. Ut *palmaris, palmarius*; *vulgaris, vulgarius*; *singularis, singularius*; *jocularis, jocularius*; *auxiliaris, auxiliarius*, aliaque. Satis de IS.

NS nunc est ex IS; ut *glandis, glans*; de quo actum: nunc etiam convenit cum US; ut *opulens, opulentus*; *violens, violentus*.

OS interdum quidem concurrit cum UM; ut in *Ilios, Ilion*: interdum autem cum US; ut, *melos, melus*: quemadmodum Nonius probat illo Pacuvii Peribœâ: *Thesiantem fremitu concidi melum*. Ubi legere malim, *Thyasiantem fremitu concidi melum*. Et hoc Varronis Cato, vel de liberis educandis: *Omnes enim, qui loquuntur, habere debeant quosdam melos*.

US quandoque mutatur terminatione UR: ut *Ligus, Ligur*; de quo dictum. Sed familiare imprimis, ut commutentur US, & UM: quorum alia naturam habent adjectivi; de quibus nihil mirum, si terminationem varient: alia verè sunt substantiva. Prioris generis sunt, *commentarius, commentarium*; *effectus, effectum*; *eventus, eventum*; *intestinus*, de quo Nonius, *intestinum*; *jussus, jussum*; *suggestus, suggestum*; *textus, textum*; *tributus, tributum*.

Posterioris modi sunt ea, quæ subjungam, pauculis exceptis; quæ alterius quidem generis creduntur, cùm prioris tamen sint ordinis, ut suis locis dicam.

Absinthium vulgò etiam in usu. *Absinthius* autem dixit Varro Quinquatribus: *Quid medico mihi est opus? nempe tuo, absinthium ut bibam gravem, & castoreum, levemque robur?* Citat Nonius*. Græci quoque non solum ἀψίνθιον dicunt, sed etiam ἄψινθος: quod & reperias Apocal. cap. xxviii.

* In Absinthium, & posteriori parte, in Grave.

Acinus, acinum. Posteriori præter Catonem de R. R. usus & Columella lib. xii, cap. xxxix: *Passum si ex uva apia-*

apiana facere volueris, uvam apianam integram legito, acina corrupta purgato, & secernito. Ubi satis corrugata erunt acina, demito, & sine scipionibus in dolium conjicito. Varronem sic sæpe loqui, observat Nonius.

Actus, actum: ut *actus Apostolici*, & *nota Apostolica*. Plin. Jun. .... Nunc me actus rerum modice, sed tamen distingit. Cic. Philip. I. Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum ejus, qui togatus in Rep. cum potestate imperioque versatus est, quam lex?

Ærarius, ærarium, si Nonium audimus: qui adducit illud Varronis γεροντοδιδασκάλῳ: *Hoc est magnum censorem esse, ac non studere multos ærarios facere.* Sed si Nonius, ut videtur, idem credidit hoc loco *ærarius* esse, ac *ærarium*, valde fallitur. Nam Varroni sermo de iis, quos censores notassent, ut delerentur ex albo suæ centuriæ, ita ut hactenus tantùm cives essent, quòd in legionibus, non sociorum auxiliis, militarent, proque capite suo tributi nomine penderent æra; unde & dicebantur *ærarii*.

Ævus, ævum. Lucretius lib. II:

—— *Ævum debebunt sparsa per omnem*
Disjectare.

Et lib. III:

Non modò non omnem possit durare per ævum.

Angiportus virili, & *angiportum* in neutro dicitur; quemadmodum Plinius Secundus prodidit in primo artis Grammaticæ, & ex eo Priscianus in VI. Qui de Neutro probat, Terentii loco ex Adelph. Act. IV, sc. II, & Phorm. act. V, sc. VII. Sed hic in Putschianâ perperam editum: *In angiportum hunc proximum.* Ubi meliùs in Ascensianâ: *Angiportum hoc.* Ac idem Eunuch. Act. V, sc. II. *In angiportum quoddam desertum.* Addit Nonius, similiter *angiporta* dicere Plautum Cistellariâ, & Ciceronem de Divinatione.

Anfractus & *anfractum.* Accius Eurysace:

Nunc per terras vagus, extorris,
Exturbatus regno atque mari,
Super Oceani stagna alta patris
Terrarum anfracta revisam.

Varro itidem Parmenone: *Cavata aurium anfracta*, dixit, teste Nonio. Sed de *anfracta* minùs mirum: cum naturam sapiat adjectivorum, ut *fractus*. Gloss. *Anfractus*, πέλαξ τινές.

Antidotus, antidotum. Antidotus hæc dicere jubet Caper de verbis dubiis. Ac sic Gellius lib. XVII, cap. XVI: *Hujus regis antidotus celebratissima est, quæ Mithridatios vocatur.* Ac similiter Serenus Sammonicus. In recto *antidotum* intelligitur *medicamentum*, vel *pharmacum*: quod exprimitur in secundo Epigrammatum:

Τοῦτο * γάρ ἐστι κακῶν φάρμακον ἀντίδοτον.

Quare & hoc naturam habet adjectivi.

Autumnus, autumnum. Varro † Ephemeride navali: *Etesiæ diutiùs, & uberiùs, flaverant, & autumnum ventosum fuerat.* Neque B. Cyprianus refugit libro ad Demetrianum: *Nec adeò arboreis fetibus autumna fecunda sunt.* Etiam sic dici testatur Charisius lib. I, & Beda de Orthographia.

* Quippe mala hoc contra est pharmacon antidoton.
† Apud Non.

Baculus, baculum. Ovid. XV Met.

—— *baculumque tenens agreste sinistrâ.*

Silius lib. XIII:

Pastorale Deo baculum.

Festus: *Agolum, pastorale baculum, quo pecudes aguntur.* Sic *bacillum* apud Afranium Homine; imò & Tullium lib. II de Fin. *Ut bacillum aliud est inflexum & incurvatum, aliud ita natum.* Et lib. I de Divinat. *Lituus, id est incurvum, & leviter à summo inflexum bacillum.*

Balteus, balteum. Etsi aliquod inter hæc duo discrimen è Plinio adferat Charisius. Ait enim, illum voluisse in masculino poni pro vinculo; in neutro pro loris ad ligandum aptis. Sed ut, quod sentio, dicam, metuo, ne subtiliùs, quàm veriùs, hoc à Plinio scriptum sit. Nam quomodo Varro lib. IV de L. L. ait: *Balteum, quod cingulum è corio habebant bullatum*: ita apud Sidonium est Panegyrico, quem Anthemio bis consuli dixit:

Applicat à lævâ surgentem balteus ensem.

Barbitus, barbitum. Ausonius epigr. LIII:

Hoc genere, & chordas, & plectra, & barbita conde.

Philoxeni glossæ: *Barbutum* (l. barbitum) εἶδος ὀργάνου.

Buxus, buxum, de arbore: de quo superiùs † vidimus.

Calamistrus, calamistrum. Quippe Cicero in Orat. ad Brutum dixit, *Nec calamistri quidem adhibebuntur.* Plauti verò est Curculione *:

At ita me volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum,
Bene me amassint.

† Cap. 13.
* Act. 4. Sc. 4.

Varronem utroque modo loqui, Sosipater observat.

Calcaneus, calcaneum. Auctor Moreti:

Continuis rimis calcanea scissa rigebant.

Candelabrus pro *candelabrum* dici, ostendit Nonius illo Cæcilii Moletrice: *Memini ibi candelabrum ligneum ardentem.* Sed possit id non minus esse a *candelaber*. Quod apud Arnobium in primo: ut postea videbimus.

Capillus, capillum. Plautus Mostell.

Vide, capillum satis compositum est commodè?

Caseus, caseum, teste Charisio, qui è Pomponii Lenone adfert, *caseum molle.* ac Nonio; qui adducit hoc Novii Macco: *Pecunia quid? bonum breve, respondi, Sardis veniens caseum.* Et illud Plauti Medico Parasito: (cujus fabulæ & in *Lopades* meminit) *Cum virgis caseum radi potest.* Varro quoque lib. II de R. R. cap. I ait: *Ad cibum lacte & caseum adhibitum: ad corpus vestitum & pelles attulerunt.*

Census, censum. Cicero in Consulatu suo:

Quorum luxuries fortuna censa peredit.

Sic enim rectè apud Nonium emendant: ubi in MSS & vett. editt. est, *fortunata censa peperit.* Sed *census* quoque naturâ est adjectivum; ut de utroque genere nihil sit mirum.

Cepitius, & *cepitium*, veteres pro *cepa*, & *cepe*, dixisse, auctor est Caper, teste Prisciano in VI.

Chirographus, chirographum, huc prope omnes nunc referunt Grammatici. Sed *chirographus* substantivè Latinum non est.

Cingulus, cingulum. Neutrum est apud Varronem libro IV de L. L. Val. Flaccum lib. VI Arg. & alios. Masculino usus Tullius in Somnio Scipionis: *Cernis terram quibusdam redimitam & circumdatam cingulis, è quibus duos maximè inter se diversos, & cæli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruinâ vides: medium autem illum, & maximum, Solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles, quorum Australis ille, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus. hic autem alter subjectus Aquiloni, quem incolitis, cerne, quam tenui vos parte contingat.* Macrobius similiter in Somn. Scip. lib. II, cap. V. *Et hi velut duo sunt cinguli, quibus terra redimitur; sed ambitu breves. Horum uterque habitationis impatiens, quia torpor ille glacialis nec animali, nec frugi vitam ministrat. Illo enim aëre corpus alitur, quo herba nutritur. Medius cingulus, & ideo maximus, æterno adflatu continui caloris ustus, spatium, quod & lato ambitu & prolixius occupavit, nimietate fervoris facit inhabitabile victuris.* Ὑποκοριστικῶς quoque *cingillus*, & *cingillum.* Veteres glossæ Philoxeni: *Cingillus*, Στρόφιον, ζώνιον. Glossæ aliæ ab H. Steph. editæ: *Cingillum*, ζωνάριον. Imò & *cingula* in feminino dixere. Glossæ Philox. *Cingula*, ἀποζώνη. Et gloss. aliæ: Ζωστὴρ, *cingula, balteum, cingulus.* Est & in glossis, primùm Argentorati excusis, posteaque Lugduni cum aliorum glossariis, recusis: *Cingula*, ζῶμα. Sed fortasse hoc non alibi, quàm in equis usurparunt. Sanè non Perottus solùm hoc putabat: verùm & Beda de Orthogr. *Cingula hominum, generis neutri est. Nam & animalium genere feminino has cingulas dicimus.* Atque ita usus Naso lib. I de Remedio Amoris:

Aspicis, ut prensos urant juga prima juvencos,
Et nova velocem cingula lædat equum?

Et in III:

Nec brevis in rugas cingula pressa sitas.

Etiam Calpurnius Ecl. VI.

Clivus, clivum. Cato de Tribunis Militum: *Loca ardua, & cliva depressa.* Addit Nonius hoc Memmii; sed scriptoris, cujus, ut ait, auctoritas sit dubia: *Ille ardua nitens fortuna escendere cliva.*

Clypeus, clypeum. Quamquam in his discrimen posuere. Ut Labienus, qui in virili putavit, scutum; in neutro autem, imaginem significare: quod discrimen Asinius, Livius, & Pomponius, rejecerunt: ut eorum testimoniis comprobat Charisius lib. I. Nonius quoque autor est, Maronem promiscuè pro scuto usurpâsse: in masculino quidem, cum ait*, *Ardentes clypeos, atque ara micantia cerno*: at in neutro, cùm in nono inquit,

* 2 Æn.

Dat tellus gemitum, & clypeum superintonat ingens.

Ac similiter Livius lib. IV de bello Macedonico ait, *clypea argentea decem*: quamquam & hoc de imaginibus accipiant quidam; sed perperam.

Cælus, & *cælum* dici, auctor Arnobius lib. I, ut mox liquebit. Pleniusque de hoc cap. seq.

Collus, collum. Virili usi Accius, Cæcilius, Nævius, Lucilius; ut Nonius ostendit. Qui & adducit Catonis hoc in Sercia: *Accipite, si vultis, hoc onus in vestros collos.* Et Varronis Sexagesimâ: *Ut nitens pavonis collus, nihil extrinsecus humens.* Apud Plautum invenias Captivis act. II, sc. II, & act. IV, sc. III. Sed Amphitr. act. I, sc. I. ubi Nonius legit *collus*, nunc *collum* editur.

Compitus pro *compitum* dixit Cæcilius Titthe: *Ubi*† *adjicientem compitum.* Et Varro lib. III de scenicis Originibus: *Ubi compitus erat aliquis.*

† Al. Vidi adjacentem.

Corius, corium. Plautus Pœnulo:

Tres facilè corios contrivisti bubulos.

Varro Eumenidibus‡: *Nunc corius ulmum tuus depuvit, pergis hera**.

‡ Alina, Eudæmonibus, sed perperam.

* Al. hera.

Costus, costum. Κόστος Theophrasto Hist. Plan. IX, cap. VIII. Similiter Dioscorides. Hesych. κοστὶς, γένος ἀρώματος. Nam est ei ὀξύτονον. Neutrum est Horatio lib. III, od. I, ubi in recto: *Achamenium costum.*

Crocus, crocum. Virgil. IV Georg.

—— *Crocumque rubentem.*

Alii putant *florem* hic respici, ut sit synthesis. Sed nihil eò recurrere opus, quando & *croci* in plurativo dixere Ovidius, & Juvenalis. Neutro autem usus est Sallustius Hist. lib. II: *Iter vertit ad Corycum, urbem inclytam, pastusque nemore, in quo crocum gignitur.* Plinius lib. XXI, c. VI. *Crocum sylvestre optimum.*

Cubitus, cubitum. Posteriori Lucilium uti, Nonius docet. Adde illud Plinii lib. VII, cap. XVI: *Invenimus in monumentis Salamiam, Euthymenis filium, in tria cubita triennio adolevisse.* Similiter Solinus cap. V. Sed apud eum pro *Salamiam* est *Salamine.* Imò apud Plinium ipsum in veteri Parmensi* *Salamina*, quod prope accedit, legere est.

* Ann. 1476.

Culeus, culeum. Varro lib. I de R.R. cap. II: *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium: in eo agro aliquot fariam in singula jugera, dena culea fiunt.*

Dorsus, dorsum. Plautus Milite Glorioso act. II, sc. IV.

Timeo, quid rerum gesserim, ita dorsus totus prurit.

Filus & *filum* dici, probant illo Lucani lib. VI†:

† Vers. 457.

—— *Quos non concordia mixti*

Alligat ulla tori, blandaque potentia forma,

Traxerunt torti magicâ vertigine fili.

Sed *torti fili* hic dicitur casu patrio, ac cum *vertigine* sociatur. Interea & *filus* dixisse, credo Arnobio in sexto.

Fimus, fimum. Plin. lib. XXIV, cap. XIX. *Prodest & fimum gallinaceum.* Et, *Remedium est fimum caballinum.* Ut ignosci debeat Plinio Valeriano sive Empirico; qui similiter usus lib. II cap. XXXV, & XLIX.

Forus, forum. Priori usus Pomponius Petitore, & Lucilius lib. III Sat. Nonio teste; qui & Sallustii hoc citat è primo Histor. *Illum nautis forum.* Agnoscit quoque Charisius lib. I. & Isidorus lib. XV, cap. II. Imò hinc φόρος non semel apud Codinum legas. Est & apud Oppiani scholiastem in II Halieut. Hesychius: Φόρος, ἡ τῶν χρημάτων καταβολὴ, ἢ νέον τέλεσμα. Gloss. Phil. *Forum*, ἀγορὰ, φόρος. Ubi planè φόρος legendum. Atque hinc *fori.* Quo similiter usi posteriores Græci. Hesychius: Φόροι, δημόσιοι ἀπαιτήσεις. Suidas: φόρος, τὸ πωλητήριον, ὁ τόπος, ἐν ᾧ πωλοῦνται τὰ ὤνια.

Fretus, fretum. Ennius trochaico hoc:

Crassa pulvis oritur, omnem pervolat cæli fretum.

Novius, ut est in Aldinâ, vel, ut alii, Nævius:

Dubii faventem per fretum introcurrimus.

Lucretius lib. VI*:

* Vers. 353.

Nam fretus ipse anni permiscet frigus, & æstum.

Varro Gallo, aut Fundanio: *Inter Italiam & Siciliam qui est fretus, inter Rhegium & Messanam.* A. Gellio quoque observatum lib. XIII, cap. XIX, Ciceronem quinctâ in Verrem dicere: *Perangusto fretu divisa.* Ac plura de eo dicam declinatione quartâ.

Gladius, gladium. Posterius Lucilius usurpat, teste Nonio. Etiam Plautus Casinâ act. V, sc. II:

Sed cum cogito, non habuit gladium. nam esset frigidius.

Quem locum huic probando & Nonius adducit. Gloss. Phil. *Gladia*, ξίφη. Fabius tamen lib. I, cap. V ait: *Gladia qui dixerunt, genere exciderunt.* Nempe non sic Cicero loqueretur. Sed antiquarius Varro in VIII de L.L. disertim ait, dici hic *gladius*, & hoc *gladium.* Inque I de R.R. cap. XLVIII ait, *Herbacea vocatur vagina, uti qua latet conditum gladium.*

Helleborus, helleborum. Virili *helleboros* Maro III Georg. & Columella lib. X. Neutrum sæpius Plinio lib. XXV, cap. V.

Hyssopus, hyssopum: de quo antè vidimus.

Incestus, hujus, *incestus*, & hoc *incestum*, *incesti*, de quibus notum.

Intubus, intubum. Neutrum est Maroni IV Georg. Ac similiter Columella lib. X vers. III.

—— *Torpenti grata palato*

Intubo.

Virile Pomponio Placentâ, Lucilio lib. V, & XXX, ubi ait:

Pulmentariâ, ut intubus, aut alia id genus herba.

Plinio nunc masculinum est, nunc neutrum. Ut lib. XX cap. VIII: *Intubi quoque non extra remedia sunt.* Et mox: *Idem cum vina potus.* Posteà verò, *In cibo sumtum, & illitum collectiones solvet.* Et lib. XIX cap. VIII: *Est & erraticum intubum, quod in Ægypto cichorium vocant.*

Jugulus, jugulum. Masculino Lucanus lib. III*:

* Vers. 743.

—— *Jugulumque senilem*

Confodiam.

Neutro Cic. de Fato: *Quod jugula concava non haberet.* Gloss. Philox. *Jugulus & jugulum*, κλειδὼν, σφαγή.

Lacertus, lacertum. Accius Atreo:

—— *Concoquit partem vapor*

Flamma, Lacerta tribus verubus in foros.

Sic eum locum numeris suis apud Nonium reddidimus.

Lectus, lectum: ut L. XIX, §. Item Celsus, D. de auro arg.

Libus, libum. Nigidius de diis apud Nonium: *Deinde surgat, faciat libos*: & infrà, *libos duos à dextra, & duos devexos.* At Maro Ecl. VI. *Liba.*

Lucrus, lucrum. Prius adstruit Nonius isto Plauti Persâ:

Nunc ea narrabo, unde tu pergrandem lucrum facias.

Lupus, lupinum. Quod Nonius probat hoc Varronis de R.R. lib. I: *Lacum esse oportet, ubi maceretur lupinum.*

Lutus, lutum. Claudius in Annalibus, nempe juxta quosdam codd. lib. IV: (nam in Mssis nonnullis id desideratur) *Pluvia, imbri, lutus erat multus.*

Medimnus, medimnum. Lucilius lib. XV:

—— *Pluris, quàm totu' medimnus.*

Cicero V Verr. *In jugere Leontini agri medimnum fere triti-*

tritici feritur. Et mox: *Ut quot jugera sint, totidem medim in decuma debeantur.*

Mundus muliebris, & *mundum.* Lucilius Sat. XVI.

Legavit quidam uxori mundum omne penumque.
Quid mundum? quid non? nam quis dijudicet istæc?

Citat utrumque versum Gellius lib. IV, cap. I: priorem & Nonius Marcellus.

Nardus, nardum. Priori terminatione Horatius *Assyriam* *, & *Achæmeniam* † *nardum* dixit; more Græcorum, quibus ἡ νάρδος. Posteriori Plinius *nardum rusticum* ait lib. XII, cap. XII, & lib. XXI, cap. VI. Imo & idem Horatius,

* Lib. 2. od. 11.
† Epod. 13.

Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborabant manus.

Tibullus:

Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo.

Item:

Illius puro distillent tempora nardo.

Ubi non herbam, sed unguentum ex ea signari satis liquet.

Nasus, nasum. Posteriori Lucilius gemino usus loco, ut Nonius docet. Adde his tergeminum Plauti locum. Quorum unus Amphitr. Act. I, sc. I:

Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra.

Alter est Curcul. act. I, sc. II: *Sagax nasum habet.* Tertius est Menæchmis act. I, sc. II:

Nam ex isto loco spurcatur nasum odore illutibili.

Nuntius, nuntium. Sed posterius, ut apertè Nonius ait, *apud aliquos non recepta auctoritatis.* Nimirum classicis *nuncius*, non eum modò, qui nunciat, sed & rem nunciatam significat. Corruptis Plauti, Catulli, aliorumque locis, decepti sunt, qui aliter statuêre: ut cognoscent, qui emendatiores inspexerint codices.

Ocimus, Ocimum, teste Sosipatro: qui virili Æmilium Macrum usum docet.

Pagus, pagum. Sed posterius apud scriptores minoris auctoritatis: in quibus Sidonius carm. XVIII ‡.

‡ Vers. 18.

Palatus, palatum. Cic. lib. II de Finibus bon. & mal. *Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus.*

Palus, palum. Varro Flaxtabulis, περὶ ἐπαρχιῶν: *Quid tu non vides in vinea, quòd tria pala habeant, tripales dici?*

Pannus, pannum. Novius * Tabellariâ: *Qui habet uxorem sine dote, pannum positum in purpura est.* Citat Nonius. Nec alibi, puto, reperias exemplum.

* Al. Nævius.

Papyrus, papyrum. De utroque antea vidimus. Tantùm igitur apponam hæc Plinii lib. XIII, cap. XI: *Papyrum nascitur in palustribus Ægypti.* Et mox: *Et ipso quidem papyro navigia texunt.* Rursum: *Nuper & in Euphrate nascens circa Babylonem papyrum intellectum est.* Ac deinde: *Præparantur ex eo charta.*

Patibulus, patibulum. Licinius * rerum Romanarum lib. XXI: *Deligat ad patibulos; deligantur & circumferuntur, cruci desiguntur.* Qui locus in Aldina Nonii editione dicitur esse è Lucilii libris rerum humanarum. Sed aliter MSSi, & optima editio Merceri. *Peccatum, peccatus*, quartæ. Quomodo Cicero Verrinâ II ait, *manifesto peccatu*: ut Gellius etiam observat lib. XIII, c. XIX.

* Apud Nonium.

Peplus, peplum, Plautus in Fragmentis:

Nunquam in urbem venio, nisi cum infertur peplum.

Claudianus de nuptiis Honorii:

——*Peplumque fluentem Allevat.*

Pileus, pileum. Plautus Corniculariâ: *Te obsecro, Lyde, pileum meum, mi sodalis, mea salubritas.* Similiter *pilea* in plurali Persius, Statius, alii. Festus: *Pilea Castori, & Polluci, dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos est.*

Pistillus, pistillum. Novius † Maniâ Medicâ: *Lacrimæ & addent, cadet pastillus.* Sic MSus Cujacii. Idem Fullonibus: *Testu pestinas* (MSi, *patinas*) *pistillos mihi cantent.* Neutro Munatius (MS. Horatius) *Pistillum grande est.*

† Al. Nævius.

Punctus, punctum. Plin. lib. II, cap. LXVIII. *Non aliud est terra in universo, quàm mundi punctus.* Horat. in Arte: *Omne tulit punctum.* Similiter Seneca proœmio Natur. Quæst. *Punctum est istud, in quo navigatis, in quo bellatis.* Et vetus Poeta apud Porphyrionem, de Sempronio Rufo:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Ipse est duobus elegantior Plancis.
Suffragiorum puncta non tulit septem.
Ciconiarum populus ultus est necem.

Puteus, puteum. *Puteos* in masculino dixit Maro III Georg. At *putea* in neutro prætulit Varro de Admirandis ad Fundanium socerum: *Secundò de statuis aquis; ut sunt lacus, & stagna, & putea, & maria.*

Reticulus, & reticulum. Unum à *retis*, alterum à *rete.* Prius, de quo solo quæstio est, usurpavit Fenestella in Annalibus: *Fascem pectoralis reticulus.*

Rictus, rictum. Cicero de signis apud Nonium: *Ut rictum, mentumque ejus paullò sit attritius.* Idem Nonius Titinium sic loqui docet, & Lucretium in V. Adde iis illud è VI ‡:

‡ Vers. 1192.

——*Nasi primoris acumen*
Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,
Duraque; inhorrebat rictum; frons tenta meabat.

Rogus, rogum. Afranius Epistolâ:

——*Pulcrè hoc incendi rogum.*
Ardet, tenetur, hoc sepulcro sepeliet.

Ita legendum, ubi Aldina *sepelietur.* MSSi *sepeli licet:* perperam syllabâ LI geminatâ, mox & C adjectâ.

Sagus, sagum. Ennius:

——*Tergum igitur sagu' pinguis opertat.*

Varro Virgulâ divinâ: *Cùm neque aptam motus humeris fibulam sagus ferret.* Ubi repone, *ferret sagus.* Ut sit trochaicus.

Salus, salum. Ennius Hecuba: *Undantem salum.*

Scutus, scutum. Turpilius Demiurgo *: *Quia non minus res hominum, quàm scutus tegit.* Ubi apertior γνώμη, si *hominem* rescribat.

* Non.

Semen, seminium. Quod è Plauti Milite probat Priscianus in V.

Sensus, sensum. Cic. lib. III de Orat. *Sensa mentis & consilia sic verbis explicat.*

Sesamis, ut ἡ σήσαμος. At *sesamus*, ut apud Theophrastum, & Dioscoridem est τὸ σήσαμον. Ac similiter Columella.

Sestertius, sestertium, addi solet. Sed diversa hic significatio: cum *sestertius* signet duos asses cum semisse: *sestertium* duas minas cum semisse. Mina autem valet centum drachmas, sive denarios: uti denarius decem asses.

Sinus, sinum, pro vase lactis. Priori usus Plautus Curcul. Act. V, sc. II:

Præterea sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.

Neutrum dicitur Maroni in Bucol.

Sinum lactis, & hæc tibi liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est.

Ac Priscianus in VI monet, similiter extulisse Varronem lib. I de vita pop. Rom. *Ubi erat vinum in mensa positum, aut galeola, aut sinum.* Sanè hoc loco nihil apertius: Quem etiam adducunt Nonius in *Sinus*, & *Servius* in Eclog. VII. Sed parùm solidum de Maronis loco: ubi tamen neutrum statuit Priscianus, eumque secutus Erythræus in indice Virgiliano, & alii.

Sparus, sparum, teli genus. Virili usus Virgil. XI Æn. & Sallustius in Catilin. *Ceteri, ut quisque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii præacutas sudes portabant.* Neutrum usurpavit Lucilius in Sat.

Tum spara, tum rumices portantur, tragula porrò.

At piscis tantùm *sparus*: ut dicitur Varroni apud Servium in XI Æn. Isidoro lib. XII Orig. cap. VI. Glossis Cyrilli, ubi est, Σπάρος, ἰχθύς, *cammarus, sparus.* Ut Papiam, Junianum Maium, & alios, mittam.

Spicus, spicum: quod vulgatius *spica.* Servius ad illud Virgilii: QUID QUI NE GRAVIDIS PROCUM-

CUMBAT ARISTIS (inquit,) *Gravidas aristas periphrasticôs pro spicis posuit. Dicimus autem & hic spicus, & hoc spicum. Cicero in Arato:*

Spicum illustre (al. tenens) ferens insigni corpore virgo.

Sed scire debemus, in usu esse à masculino utrumque numerum: à neutro verò, rarò, & tantum singularem inveniri: nam plurali nusquam lectum est. Pluraque Festus in *Spicum*, & Nonius in eàdem voce.

Stadius, *stadium*, Macrobius lib. I in Somnium Scipionis, cap. XV: *Centum enim & octoginta stadios non excedit acies contra videntis.* Nempe more Græco, qui & στάδιος, & στάδιον, dicunt.

Supparus, *supparum*. Priscianus lib. V: *Supparus*, σίφαρον, *& hoc supparum.* Varro lib. IV de L. L. *Alterum, quod suprà, a quo supparus.* Festus in scedis Farnesianis: *Supparus dicebatur puellare vestimentum lineum, quod & subucula appellabatur.* Lucanus lib. V:

—— *Summaque pandens*
Sipara velorum.

Ac similiter Papinius V Sylv. & Festus Avienus.

Symbolus, *symbolum*. Plautus Pseudolo *:

* *Act.* 2. *sc. Dulcia atque amara.*

PS. —— Epistolam modo hanc intercepi, & symbolum.
CH. Symbolum? quem symbolum? PS. qui à milite allatu'st modò,
Ejus servo, qui hunc ferebat, cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc accersebat; ei os sublevi modò.

Et eâd. sc. non multò pòst:

Symbolum hunc ferat leoni cum quinque argenti minis.

Sic Bacch. †

† *Act.* 2, *sc. Ibo in Piræum.*

Eo præsente homini extemplo ostendit symbolum,
Quem tute dederas ad eum ut ferret filio.
NI. Quid, ubi ei ostendit symbolum? CH. infit dicere,
Adulterinum & non eum esse symbolum.

Justinus lib. II: *Et cum colloquendi copiam non haberet, quò applicaturi erant, symbolos proponi, & saxis proscribi curat.* At *symbola*, singulo numero, aliud est: nempe quod confertur ad convivium: quomodo Terentius Andriâ ‡: *Symbolam dedit.* Unde, qui symbolam non dedit, *asymbolus* * dicitur.

‡ *Act.* 1, *sc.* 1.
* *Phorm. act.* 2, *sc.* 2.

Tergus, *tergum*. Quod Nonius probat hoc Plauti Asin. act. II, sc. II:

Habeo, opinor, familiarem tergum, ne quæram foris.

In nonnullis tamen MSSis legas *familiare*: ac neutrum metro repugnat.

Thesaurus, & *thesaurum*, dici putant, quia legatur apud Plautum Aululariâ act. II, sc. II.

Credo ego, jam illum inaudisse, mihi esse thesaurum domi.
Id inhiat, eâ affinitatem hanc obstinavit gratiâ.

Atqui *id* ponitur pro *ideo*: quomodo idem Amphitr. * ait:

* *Act.* 3, *sc. Durare nequeo.*

Et id huc reverti, uti me purgarem tibi.

Ut habeant, quo se tueantur, Angelomus præfat. in libros regum, & Beda in vita Cudberti: apud quos *thesaura* in plurativo legas.

Thymus, *thymum*. Ὁ θύμος Dioscoridi lib. IV, cap. XLIV. At Theophrastus Hist. plant. lib. VI, cap. II: Καὶ θύμον † τὸ μὲν λευκὸν, τὸ δὲ μέλαν. Et Columella lib. XI, cap. III: *Thymum, & transmarina cunila, & serpyllum olitoribus studiosè conservatur.* Plin. lib. XXI, cap. X: *Translatum est ex Attica thymum, & vix flore satum.* Etiam θύμος, θύμον, & θύμιον, dicitur de tuberculo carnoso, verrucæ instar eminente, & colore referente florem thymi. De utraque apud Græcos terminatione, auctor nobis Cornelius Celsus lib. V. Ac Latini quoque utrâque utuntur. Vide est apud Plinium lib. XXIII, cap. VII. *Cru-*

† *Ac thymum aliud album, aliud nigrum.*

da grossi verrucas, & thymos, nitroque farinâque additis, tollunt. Neutrum invenias lib. XXXII, cap. X.

Torus, *torum*. Lapis antiquus: *Julia Firma sita tumulo, Qua commune torum servavit casta maritis.* Sunt alia id genus complura in vett. lapp. quibus non insistam, quia multi sequioris sunt ævi, nec exemplum habemus apud priores.

Tributus, *tributum*. Gellius lib. XIII, cap. XIX: *Hic incestus, quod admissum est, & hic tributus, quod tributum nos dicimus, a plerisque veterum dicta sunt.* Signat Catonem, quem sic loqui probat Nonius istoc ex Originum libris: *Ne prædia in lubricum dirigerentur, cùm tributus exigeretur.* Est & Plauti Epidico act. II, sc. II:

At tributus cum imperatus est, negant pendi potesse:
Illis, quibus tributus major penditur, pendi potest.

Vadus, *vadum*. Prius probat Nonius illo Sallustii in primo Histor. *Et mox Fufidius adveniens cum legionibus, postquam tantas spiras, haut facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti, quàm suis, opportuniora videt.*

Vallus, *vallum*. Cæsar lib. III belli Civilis: *Erat eo loco fossa pedum XV, & vallus contra hostem, in altitudinem pedum X.* Tibullus lib. el. X:

Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.

Viscus, *viscum*. Plautus Bacch. act. I, sc. XVI:

Viscus merus vestra est blanditia.

Virg. VI Æn.

Quale solet sylvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova.

Uterus, *uterum*. Posterius usurpant Afranius, & Turpilius, ut Nonius ostendit. Qui & illud adducit ex Aulularia Act. IV, sc. VII:

Perii, mea nutrix, obsecro te, uterum dolet.

Ac similiter loquitur Appulejus Apologiâ: *O infelix uterum tuum, Pudentilla! ô sterilitas liberis potior! ô infausti decem menses!* Imò & *uter*, Nonio teste, dixere pro eo. Cæcilius Umbris: *Nunc uter crescit, non potest celari.* Ubi relcribe metri caussâ:

—— *Nunc uter*
Crescit, non pote celari. ——

Vultus, *vultum*. Ennius:

Aversabuntur semper vos, vostraque vulta.

Lucretius lib. IV:

Ut patribus patri; sed quos utriusque figurâ
Esse vides, juxtim miscentes vulta parentum.

Ex his satis liquet, quanta sit eorum turba, quæ in UM, & US, desinunt. Et tamen nec sic omnia adduximus.

Etiam in US exeuntia efferuntur extrito U; ut *Arabus*, *Arabs*. Priori sunt usi Plautus in Bacch. Lucilius, Maro VIII Æneïd. & alii. Etiam in prosâ usi: ut Charisius ostendit illo Cassii, epistolâ, quam de Dolabella scripsit: *Arabi mirifico animo erga nos fuerunt.* Item desinunt in x: ut, *abacus*, *abax*. Sed nativa sunt, *Arabs*, *abax*; ex quorum obliquis Ἄραβος, ἄβακος, sunt recti Latini, *Arabus*, & *abacus*.

Sic *Æthiops*, *Æthiopus*. Lucilius;

Rhinoceros velut Æthiopus. ——

Cappadox, *Cappadocus*. Columella lib. VI, cap. XVII; *Cappadocus* (sal) *minutè tritus, & immistus melli.* Et lib. X;

—— *Cappadoca servat cognomina gentis.*

Appulejus quoque usus in VIII. *Cilix*, *Cilicus*: quod Virgilii vett. libb. in Culice habent, sequiturque eos Scaliger. Etiam, ut Græci γρύψ, ita *gryps* Latini; ac præterea ex obliquo γρυπὸς, *gryphus*, adsumto spiritu. Ita *gryphis*, pro *gryphibus*, dixit Plinius lib. VII, cap. II.

In T exeuntia etiam in UM exire, ut ab *occiput*, *occipitium*, superiùs dictum.

Uti & T concurrere cum C, & E, cognoscimus inde, quòd ex *lacte* fecere, *lact*; ex *lact*, *lac*: ut vidimus.

Suffe-

Suffecerint hæc de substantivis, quæ geminam habent terminationem. De cujusmodi nominibus egregius observatur memoriæ locus Arnobii lib. primo: *Nonne*, inquit, *alibi hæc utria, alibi * dicitis hos utres? cœlus, & cœlum? non item filus, & filum? non item crocus, & crocum? non item fretus, & fretum? non item apud vos est positum hoc pane, & hic panis? hic sanguis, hoc sanguen? candelabrum, & jugulum, ratione eâdem jugulus, & candelaber?*

* Ita rectè hunc locum emendat Lipsius.

Nec ita, solum est comparatum cum substantivis. Similiter enim etiam adjectiva sæpius duplicem habent terminationem. Ut in ER, & IS. Quomodo *campester, equester, pedester, volucer, sylvester*, etiam in IS efferuntur. Sic Cicero *equester ordo*, & *equestris disciplina*. Interea videndum, quid usus magis probârit. Malim *pedestris oratio*, quàm *pedester: campus equestris*, quàm *equester*.

Item in IS, & US. Ut *exanimus*, & *exanimis*; *declivis*, & *declivus*; quod apud Ovid. II Fast.

Ventum erat ad mollem declivo tramite ripam.

CAP. XXXVII.

De iis, quæ diversi generis putantur in singulari, ac plurali. Ut differant balneum, & balnea. Mænala, Massica, *similiaque, non esse à rectis masculinis.* Eventum, *pro* eventus; locum, *pro* locus; portum, *pro* portus; cœlum, *pro* cœlus; delicia, & delicies, *pro* delicium; epula, *pro* epulum. Petilus. *Serviana differentia, inter* dapes, & epulas, *rejecta.* Raster, *pro* rastrum.

Satis superque actum nobis de iis, quæ in nominativo duas habeant, vel plures terminationes. Cujusmodi non rarò pro vario exitu genus etiam variant, ac declinationem. Nec propterea ἀνωμαλίαν hic statui debere; sed alterius potiùs terminationis redundantiam; liquet ex iis, quæ superiùs dicebamus. Nunc ad illa accedendum, quæ alius in singulari generis sunt, alius in plurali. Quomodo singulari numero neutrum est *balneum*, sive *balineum* (quod immeritò damnat Caper †) in plurativo autem tum *balneæ* legitur in muliebri, tum *balnea* in neutro. Nam idem planè sunt *balinea*, & *balineæ*, etsi à *balineo* differant. *Balineum* enim privatum erat, quod singulo numero efferebant, quia domi uterque sexus eodem balineo utebatur. At *balineæ* sive *balinea* erant publica: & pluralivè proferebatur, quia locus, in quo viri lavabantur, distinctus erat ab eo, in quo se feminæ lavabant. Vide quæ hoc de veterum more ex antiquis scriptoribus inter alios refert Radulphus Fornerius lib. VI rerum quotidianarum, cap. X. Balinea dici negat Varro. Sed usurpat Horatius.

† De verbis dubiis.

Mirum autem, quàm pauca sint hujuscemodi, contrà quàm Grammatici existimarunt. Id quò pareat, priùs aliquid dicam de propriis; deinde de communibus.

Montium nomina ajunt in singulari esse masculina; in plurativo neutra: ut *Gargarus, Gargara*. Atqui de *Gargaru* facilè refellitur; quia Idæ promontorium semper *Gargara* dicitur, vel *Gargarum*; non *Gargarus*. Γάργαρον est apud Lucianum de Dearum judicio ἐν τῷ Γαργάρῳ. Objectet aliquis *Mænalus, Mænala*; *Massicus, Massica*; *Taygetus, Taygeta*; *Pangæus, Pangæa*, & similia. Sed non dubium mihi est, quin pluralia hujusmodi sint à rectis *Mænalum, Massicum*, atque ita in aliis. Ac ne solus, contradicendi studio, deserere videar edicta Grammaticorum, ajo eapse in hæresi esse magnum Germaniæ meæ columen Joachimum Camerarium; cujus, etsi recentis scriptoris, tamen integram hac de re πραγματείαν adscribere non pigebit, è commentario ad Ecl. X: *Grammaticis*, inquit, *est hic Mænalus, hæc Mænala, neutri generis in plurali numero: sed esse potest hæc terminatio à nominativo* Μαίναλον. *Dixerunt enim Græci* ὄρος Μαίναλον, *sicut* Λύκαιον, & Παρθένιον. *Et Eustathius * ait, terminatione generis in hoc nomine distingui significationem fluvii, & montis: quòd sit* ὁ Παρθένιος *fluvius Paphlagoniæ, cujus mentio fit apud Homerum*; τὸ παρθένιον *vero mons in Peloponneso.* Ex hisce Camerarii verbis non difficilis est de similibus conjectatio. Accedamus ad communia.

* In Iliad. pag. 362. edit. Rom.

Eventus, inquiunt, & *eventi*, & *eventa* facit. At sciant, *eventa* esse ab *eventum*. Lucretius lib. I:

Eventum dici poterit, quodcunque erit actum.

Nihilo melius huc referunt *effectus effecti* & *effecta*. Cum dicatur hic effectus & hoc effectum. De nonnullis tamen fatendum rectè præcipi. Nam *mons Dindymus* est apud Plinium lib. VI, cap. XXXII. Pro quo *Dindyma* Æneid. IX. Sic Mænalus de monte Ecl. VIII, & X, Mænala I Georg.

Locus volunt, & *loci* facere, & *loca*. At ego veteres in recto *locum* dixisse odoratus sum ex isto Varronis lib. VIII rerum divinarum: *Sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatur; ita, in quo deum ponerent, delubrum appellatum.* Citat hoc pacto Macrobius lib. III Sat. cap. IV.

Sibila quoque (quo Ovidium, Cornelium Severum, & Macrum v Theriacôn, usos esse, docet Sosipater lib. I.) omnino est à rectô *sibilum*. Nam & *sibilus* dixere, & *sibilum*. *Sibilus* est apud Maronem Ecl. V. Ac similiter locutus Cicero in II de gloria, auctore Charisio in I. At *Suave sibilum* dixit Serenus, teste Nonio. Est autem naturâ suâ adjectivum: unde Maroni *ora* *, & *colla* † *sibila*, hoc est, sibilantia. Quando igitur *sibilus* ἁπλῶς, sumitur, *sonus*, vel simile intelligitur.

* 2 Æn. † 3 Georg.

Sibili tamen, pro *soni sibili*, non ausim dicere, quamdiu non reperi scriptorem classi qui præiret.

Porri, quod a *porrum* esse putant, præeunte Probo in Catholicis, venit a *porrus*; quo usus Celsus lib. IV, cap. VI. & Plinius lib. XIX, cap. VI: ut de Palladio taceam.

Cœli (unde *cœlos*, est apud Lucretium lib. II, & Ciceronem quoque in Hortensio eo usum Servius docet) non est à *cœlum*, sed *cœlus*. Quo *æther* significatur: ut apud Ennium, Sosipatro teste, *Cœlusque profundus*: nec non Deus ætheris, ut in illo ejusdem Ennii: *Saturno, quem Cœlu' genit* ‡: item in antiqua inscriptione inter eas, quas in illo antiquitatis thesauro affinitate nobis, sed studiis magis junctus Janus Gruterus * edidit.

‡ Al. genuvit.

* Pag. 4. num. 12 inscriptionum Gruteri.

Cœlum verò plurali caret, ut discere est ex Agellii lib. undevicesimo cap. VIII. Cui & Charisius subscribit. Ciceronis est lib. IX, epist. ult. *Ille baro* (seu *varo*, aut *varro*, hoc est, *fatuus*) *te putabat quæsiturum, unum cœlum esset, an innumerabilia.* Ubi respicit vocem *cœlum*, quæ tamen eodem genere κατὰ κοινὸ reperi nequit.

Delicias dicimus non à *delicium*; sed à *delicia*: quod, ut monuit Agellius †, apud Plautum ‡ legere est, *Mea voluptas, mea delicia.* Est & apud eundem Rudente *:

Otium ubi erit, tum tibi operam ludo & delicia dabo.

Et Truculento †:

PH. *At ego ad te ibam.* STR. *ad me, delicia?*

Solinus quoque usus cap. XLVIII: *Et senatui placuit adeò odorum delicia, ut eâ etiam in pœnalibus tenebris uteretur.* Est & legere in antiquis lapp. ut illo, qui Romæ fuit in ædibus Marii Mellini: PRO SALUTE JULIÆ VENERIÆ FILIÆ DOLCISSIMÆ DELICIÆ SUÆ: & altero, qui est Beneventi: P. MARTIUS P. L. PHILODAMUS TECTOR SIBI SUISQUE HIC JUCUNDA SEPULTA EST DELICIA EJUS. Quare nec mirum, quod *delicies* quoque dixerit Appulejus lib. de Deo Socratis, & Apolog. I. Nam plurima in A hanc etiam terminationem admittunt: ut, *luxuria, luxuries*; *materia, materies*; eodemque modo *puerities, amicities, savities, notities*, aliaque nonnulla, vulgò ignota, inveniuntur in vett. libris, & inscriptionibus.

† Lib. 19, cap. 8. ‡ Pœnulo act. 1, sc. 2. * Sc. Quis est qui nostris. † Sc. ultima.

Epulum quoque in singulari esse neutrum tradunt; in plurali autem feminino genere facere *epulas*. Sed *epula* est à recto *epula*. Nam Godscalco Stewechio assentio, qui in commentario Arnobiano Lucillii versum è XIV sat. ita apud Nonium * corrigendum putat: *Idem epulo cibus, atque epulâ*

* In epulum.

epulâ Jovis omnipotentis: ut nempe utrumque, & *epulo*, & *epula*, sint Latini sive sexti casûs. Præit hâc in parte, præter Nonium, Paullus Diaconus, cùm scribit, *epulam etiam singulariter antiqui posuere*. Ad quem locum Jos. Scaliger scribit: *Non mirum, cum adjectivè sumatur. Intelligitur enim dapem, & epula dapes. Sic epula oves Varroni.* Imò & P. Victorius apud Varronem lib. II de R. R. cap. primo, se in omnibus manuscriptis hunc in modum repensse scribit: *Præterea scire oportet, in grege, quot feminas habeat, quæ parere possunt: quot arietes, quot utriusque generis soboles, quot epula sint alienanda.* Verùm hoc quidem loco cum Jos. Scaligero legendum puto, *quot petila*, hoc est, *exiles, macra, frigosa*; quomodo dixit Lucilius †:

> *Insignis varis est cruribus, atque petilis.*

† *Lib. 12. apud Nonium in Petilus.*

Quod autem in *epula* κατ᾽ ἐξοχὴν ad *dapes* respici dixi, id mirum videri non debet. Neque enim verum est discrimen illud Servii, & Isidori, ut *dapes* regum sint, *epula* privatorum. Sanè quàm ticulnâ ratione subnixi hoc scripserint uterque; indicio esto, quòd Servius ipse alibi, *dapes* Deorum, *epulas* hominum esse, tradit.

Rastrum in plurali neutrale genus retinet, quia legere est hi *rastri*, & hæc *rastra*. Non tamen desunt, qui ad *rastros* ablegandos putent, quotquot *rastra* dicere ausint. Sanè Stewechius in Commentario ad secundum Vegetii librum: *Mirum*, inquit, *in tantâ librorum copiâ, præsertim cùm pluribus locis hoc nomen rastra apud Vegetium reperiatur, nullum esse, qui aliam scripturam præ se ferat.* Et aliquantò post: *Rastros Latinos scriptores, non rastra scripsisse, pueris cognitum est.* Exciderat Stewechio isthoc Juvenalis sat. quintadecimâ:

> *Ast homini ferrum letale incude nefandâ*
> *Produxisse parum est, cùm rastra & sarcula tantum*
> *Adsueti coquere, & marris, ac vomere lassi*
> *Nescierint primi gladios excudere fabri.*

Ac similiter Cornelius Celsus apud Nonium: *Omnes rastra & adigunt, & tollunt.*

Fuit autem *rastri* à *raster*, *rastra* à *rastrum*. Gloss. Philoxeni: *Raster*, δίκελλα. Grammatici, qui à *claustrum* similiter *claustri* & *claustros* dici putant, planè errant. Et de genere hactenus. Accedo ad numerum: ubi ea solùm persequar, quæ ἀνωμαλίαν habent. Nam universè de numero satis antea ‡ dictum.

‡ *Cap. 4.*

Cap. XXXVIII.

De anomalia numeri, quâ singularis plura, pluralis singulum notat: & quæ ejus ἀνωμαλίας caussa. Anomalia altera, quâ nomen alterutro deficit numero. Inquisitum, an propria, itemque nomina metallorum, frumentorum, ac leguminum, item liquidorum, careant plurali. Æribus. Electri significatio gemina. Electra, orichalca. *Virgilius à Cornificio derisus, quia* hordea *diceret. Avenæ pro frumenti vitio. Cur eas* steriles *appellet Maro.* Pices. Ceras. Horti. Musti, *& ejus etymon.* Musta ætas, virgo, agna.

Anomalia numeri est duplex. Una eorum nominum, quæ vel in singulari res plures, vel in plurali rem unam significant. Prioris generis sunt ea, quæ Græcis, ut Priscianus etiam monet, περιληπτικὰ, quasi dicas *comprehensiva*; vulgo autem Collectiva dicuntur: ut *plebs*, *turba*, *manus*, & alia id genus. Posterioris ordinis sunt *literæ* pro epistolâ, *ædes* pro domo, & similia. In neutris horum caussa deficit ἀνωμαλίας. Nam in Collectivis multa quidem signantur; sed collectim, ut in multitudine appareat unitas. Sic *plebes Romana* est unius urbis plebs: *consularis exercitus* est alterutrius consulis. Utrobique multi sunt; sed ex multis unum. Materialiter multi; formaliter unum. Contra in iis fit, quæ plurali unum quid significant. Nam una quidem epistola est, quæ *literarum* nomine signatur; sed ea vere multis constat literis. *Rostra* itidem unum erant suggestum ante Curiam Hostiliam. Sed illud ex multarum navium rostris factum fuit. *Gabii*, *Philippi*, *Veii*, primò, ut arbitror, dictum de civibus Gabinis, Philippensibus, Veientibus: posteaque Urbi illud nomen datum, quod populi fuerat, populoque aliud quæsitum. Itaque in prima significatione inest multitudo, ob quam pluraliter efferuntur.

Altera anomalia est eorum, quæ alterutro numero deficiunt. Porrò in horum etiam doctrinâ lapsi sæpiusculè Grammatici vetustiores, dum alterutro ea numero spoliant, quæ in utroque invenimus. Verùm eorum errores immane quantum novis erroribus accumularunt novelli Grammatici, partim quòd non cogitarent, quæ alterutro tantùm in numero hodie invenimus, ea, secus quàm ab ipsis fit, non privari altero à vetustioribus, quòd tum exstarent iis in scriptis, quæ hodie deperierunt: partim quòd homines exiguæ lectionis sui cæteros similes existimarent, eaque in bonis scriptoribus à nemine lecta opinarentur, quæ ipsi, aut nulli, aut oscitantes legissent. Quare fusiùs hâc de re agere animus est; utut quidam hæc habeant pro affâniis; cujusmodi hominum generi jure occinamus isthoc Chæremonis:

> Πρὶν γὰρ φρονεῖν εὖ, καταφρονεῖν ἐπίστασαι *.

* *Antequam sapere, didicisti contemnere.*

Sed tandem ad id, quod polliciti sumus, gradum promoveamus.

De defectivis numero aliæ sunt regulæ generales, aliæ speciales. Generales sunt quatuor imprimis. Nam primò nomina propria plurali carere ajunt. Dicendum fuerat ea, si singularis sint numeri, plurativo carere, ut *Roma*: sin pluralis fuerint, singulo carere, ut *Athenæ*. Sed & cùm usitatè dicamus, *Tullios*, & *Cicerones*, *Cornelios*, & *Scipiones*, vel *Lentulos*, aliaque gentis ac familiæ nomina, quæ συνωνύμως de pluribus dicuntur: talia immeritò verè propriis adjecerunt. Sanè propriè propria non sunt; eoque non mirum, si usitatiùs in plurativo usurpentur, quam prænomina; cujusmodi sunt *Marcus*, *Cnæus*, *Titus*, *Sextus*. Imò nec caussam video, cur hæc ipsa minùs in plurativo à Latinis possint declinari, quàm à Græcis, Αἰνείας, Χρύσης, Αἴας, ac similia. Certè ut rectè dicunt Græci, Τῶν δύο Αἰάντων, ὁ μὲν Τελαμῶνος, ὁ δὲ Οἰλέως παῖς ἐγένετο: ita cum Prisciano † dicere non refugiam, *Duorum Ajacum, hic Telamonis, ille Oilei filius fuit.* Cui levis est Prisciani auctoritas, is Ovidium audiat: cujus hoc Amorum lib. II, eleg. I:

† *Lib. 17.*

> *Quid pro me Ajaces alter & alter agent?*

Atque ita quoque Suetonius in Augusto cap. c: *Duobus Sextis, Pompeio, & Appulejo coss.* Rectiùs igitur dixissent, propria rarò utroque in numero pro eâdem re declinari.

Altera regula est de nominibus metallorum; ut, *aurum*, *argentum*, *plumbum*. Quæ non aliter, quàm singulo numero usurpem. At siquis universè propterea idem statuat de metallorum nominibus: næ ille imperitiam suam prodat. Nam quid pervulgatum magis illo Horatiano:

> —— *Quid ‡ distent æra lupinis?*

‡ *Horat. lib. 1, epist. 7.*

Ubi ærei nummi opponuntur auro Comico ex lupinis facto. Acutiùs enim, puto, quàm veriùs, qui pro *æra* legunt *erva*: vel *æra* deducunt ab recto *ærum*; eò quod in glossis vett. * legatur, *Ærum*, ὄροβος. Unde & Radulphus Fornerius † in iisdem glossis, ubi *œvum* exponitur εἶδος σίτου, *ervum*, vel, *ærum* putat reponendum. Verùm quicquid de eo sit, saltem controversiâ caret hoc Lucretii libro II:

* *Cap. de ξηρασίας.*
† *Lib. 3 rerum quotidianarum cap. 30.*

> —— *Pernice choreâ*
> *Armati in numerum pulsarent æribus æra.*

Usi & Maro, Ovidius, Plinius, alii multi. Imò in gignendi casu Cato *ærum equestrium* dixit; & in dandi casu *de æribus equestribus*; ut ostendit Priscianus lib. VII. Ejusdem est: *Fundum æribus suis emtum possidebant.* Arnobius quoque lib. III ait de Curetibus: *Qui occultâsse perhibentur Jovis æribus aliquando vagitum.*

Electrum etiam pluralem habet, sive pro succino sumatur, qui flavus est cereique coloris arborum succus, ex pineis arboribus desudans, ac paullatim indurescens; ut docet

cet Isidorus lib. XVI, cap. VIII: sive accipiatur pro auro, in quo quincta est argenti portio; quomodo *electrum* definit Plinius lib. IV, cap. XVI. Id quò pareat, etsi posterior tantùm significatio hujus sit loci, utriusque tamen exempla dabo. Ovid. Met. II, fab. III.

Inde fluunt lachrymæ, stillataque sole rigescunt
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Martialis lib. VIII, epigr. LI.

Vera minùs flavo radiant electra metallo.

Claudianus lib. I de raptu Proserpinæ.

—— *In celsas surgunt electra columnas.*

Et panegyri de VI consulatu Honorii.

—— *Totisque fluunt electra capillis.*

Sed & *orichalca* legimus, itemque *stanna* apud Vitruvium.

Tertius canon est de rebus è terra nascentibus. Verùm quis nescit, arborum & florum nomina huc minimè pertinere? Quodque ad herbarum vocabula, cur reformidem, *carduos, urticas, molles malvas, allium cicutis nocentius*, & trecenta id genus? Nec propterea *triticum, ador, siligo, ruta, hyssopus, anethum, zingiberi, piper, cannabis*, & similia quædam, in plurali usurpem. Nempe veterum ubique usus spectandus. At par, inquiunt, ratio in *hordeum, avena, fœnum*. Minime verò. Nam ne Appulejum adducere necesse habeam, cujus istoc*, *In asini faciem fœna rodebamus:* quis nescit Maronem † non refugisse,

Mox ‡ & frumentis labor additus.

Nec refugit

Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis.

Derisus quidem ille etiam suo ævo, ut scribit inter alios Cledonius, qui isthoc Cornificii in eum adducit:

Hordea qui dicit, superest ut tritica dicat.

Sed quis non majoris faciat judicium Maronianum, quàm pipilos quorundam pipilonum verè dignorum, qui ipsi omni ævo pipulo differantur? Quare ne in prosâ quidem ita loqui dubitavit Mamertinus in panegyrico, quem vulgò appellant Genethliacum Aurelii Maximiani A. *Rumpunt horrea condita messes, & tamen cultura duplicatur.* Sunt qui de *avena* probatum eant hoc ejusdem Maronis Ecl. V:

Infelix lolium, & steriles nascuntur avenæ.

Ita enim omnes habent codd. manuscripti: at primo Georg. est,

Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.

Eodemque modo, licet κατὰ μεταφορὰν, loquitur Tertullianus cap. I, lib. III adversus Praxeam: *Fruticaverunt avenæ Praxeanæ.* Et mox: *Avenæ verò illæ ubique semen excusserant.* Verùm ex hujusmodi locis non consequitur, quod putarunt. Nam nec Maro, nec Afer ille, habuere in animo avenam, quæ est frumenti genus: sed segetis vitium. Scio, Servium ad priorem Virgilii locum scribere, *avenas steriles* dici ad discrimen earum, quæ seruntur. Verùm potiùs crediderim, *avenam* hîc esse, quod Græci *agilopas* vocant; Latini autem *avenas* nominant, quòd spicas habeat barbatas, spicis avenæ similes, etsi multò majores. *Steriles* autem dicuntur, quia meti non possunt, eo quòd grana, quæ in summo sunt, priùs maturescant, quàm quæ in imo. Quare potiùs adducere debuerant illud è primo Georg. *Vere fabis satio.* Sed & idem Ecl. II, & I Georg. papavera, atque alibi usurpat *frumenta, fraga, lupini, absinthia*, &c.

Appuleji quoque est, *In asini faciem fœna rodebamus.*

Quartus canon est de liquidis: in quibus *pix* & *cera* omnes reponunt. Dixit tamen Maro lib. III Georg.

Idæasque pices, & pingues unguine ceras.

Plauti quoque est Pœn.* *Obsecro hercle, ut mulsa loquitur.* Eodem usus B. Hieronymus ad Gaudentium. *Mella* crebrum Maroni. Apud quem & *defruta* legas in IV Georg. Quin & Naso in quarto & decimo operis, quo in nova corpora mutatas formas, vel potiùs corpora in novas formas mutata cecinit, haut dubitavit scribere †:

Tercentum messes, tercentum musta videre.

* Extremis verbis lib. 3 Met.
† Ecl. 5.
‡ 1 Georg.

* Act. 1, Sc. Nego tu sibi quis.
† Met. 14, fab. 4.

Et lib. III Trist. eleg. X:

Non hîc pampineâ dulcis latet uva sub umbrâ,
Nec cumulant altos fervida musta lacus.

Et lib. II Ponti, eleg. IX:

Nec dabit intonso jugulum caper hostia Baccho,
Musta sub inducto si pede nulla fluant.

Poëtæ huic quasi succedaneam addo autoritatem Martialis; cujus illud lib. I, epigr. XIX:

Quid te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?

Et lib. III, epigr. LXXXII:

Vel cocta fumis musta Massilitanis:

prout veteres codices habent; ubi in vulgaris est *Massilianis*, quod metro repugnat. Et lib. VII, epigr. XXVII:

—— *Immodici dent bona musta lacus.*

Item lib. Xeniorum epigr. VIII:

Imbue plebejas Clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia musta bibas.

Est & in carmine Ithyphallico:

Cùm capiant alti vix sua musta lacus.

Ac ut Poëtas mittam, est Plinii lib. XXIII cap. I: *Musta naturales habent differentias has, quod sint candida, aut nigra, aut inter utrumque, aliaque ex quibus vinum fiat, alia ex quibus passum.*

Fortasse tamen hac in parte ficulno inniti argumento judicabimur, quia *mustum* non sit nomen liquidi: sed adjectivum substantivè positum pro vino musto, hoc est, novo. Quippe satis verisimile est, ut ab ὄρχος est *ortus*, sive *hortus*; ita & à μόσχος, quo Græci nomine appellant quicquid novellum est, venire *mustum* sive *mustum*. Itaque non modò *mustum vinum* legimus apud Catonem; sed & *mustam ætatem* dixit Nævius; itemque *mustam virginem*, teste Nonio. Et Priscianus lib. VI. citat Catonem Censorium, *de agnâ mustâ pascendâ.* Sed ut *mustum* propriè non sit liquidi nomen: quid tamen eos hoc juvat, quando ipsi inter liquida reponunt: atque è veteribus etiam plurali spoliabat Diomedes; idemque antea Probum fecisse, discere est è Prisciano. Sed aliis quoque argumentis comprobemus, liquida non destitui plurativo. Nisus (ut Charisius ait in primo) eleganter & secundùm consuetudinem dici ait, *mella, vina; cum in genera recipiuntur; ut, Attica mella, Italica vina.* Servius ad illud Ecl. V; *Grandia sæpe quibus mandavimus ordea sulcis*; scribit hunc in modum: *Ordea usurpative metri caussâ dixit. Nam triticum, vinum, hordeum, mel, numeri tantùm singularis sunt. Unde plurali in prosa uti non possumus. Vina tamen possumus dicere, Ciceronis exemplo, qui ait in præturâ: Vina, ceteraque, quæ in Asiâ facile comparantur.* Subjicerem & poëtarum aliquot loca, qui *vina* dixerunt; ut inter alia hoc Ovidii lib. IV de Ponto, eleg. VII:

Ipse vides rigido stantia vina gelu.

Sed quia de poetis non æquè dubitatur, ut vel liquet ex Servii loco proximè adducto: magis ad rem præsentem facit, quòd Cicero in V Tusculanarum Qu. dicat, *Tanquam levia quadam vina nihil valent in aqua.* Imò Plinius in plurativo flectit *vina, vinorum, vinis:* atque adeò nec *villa* pro *vinis* reformidat lib. XIV, cap. I. *Defruta* est apud Maronem IV Georg.

—— *Aut igni pinguia multo*
Defruta.

CAP. XXXIX.

De masculinis, quæ plurativo privant. Adipes, *&* adipibus. Aëribus. Ἀέρων. Aëra, *&* æthera, *in plurali.* Auctumnos. Carceres. Clavi *multiplici significatione.* Cruores. Pulveres. Rores. Sales. Situs.

NEque magis è Grammaticorum plebe quemquam judicem, aut sculnam ceperim in regulis specialibus de iis, quæ Charisius Sosipater, atque alii, plurativo deficere arbitrantur. Etsi de plerisque verum est, casibus nonnullis destitui. Ut rectiùs referantur inter ἄπτωτα, τρίπτωτα, & his

his similia, quàm ea, quæ ἁπλῶς altero numero carent. Ordiemur ab iis, quæ generis sunt virilis.

Adeps interdum pluralem habet. Nam, *adipes tenuare*, est apud Fabium lib. II, cap. XI. Sic Plinius lib. XI, cap. XXXVIII, *adipes detrahere*. Et lib. VIII, cap. XXXVI: *Iis sunt adipes medicaminibus apti*. Imò & Columella non *adipes* modò usurpat*; sed & *adipibus*. Ut lib. VI, cap. II. *Corporatura pecudis operarii debet esse nervis & masculis robusta, non adipibus obesa*.

Aër pluralem habere negat Sosipater. Sed non refugit Lucretius in IV:

Aëribus binis quoniam res confit utrâque.

Et in V:

Aëribus posse alternis à partibus ire.

Vitruvius quoque lib. I, cap. I ait: *Novisse oportet aëres locorum, qui sunt salubres aut pestilentes*. & ejusdem libri cap. IV: *Nam semper calor cum excoquit, aëribus firmitatem eripit*. Quæ Græcorum imitatione dicuntur. Nam in plurativo utitur Plutarchus præceptis de valetudine tuendâ, item in Solone. Estque Hippocratis liber, περὶ† ἀέρων, ὑδάτων, καὶ τόπων.

Æther semper singulare, ut ait Charisius. Illi tamen, qui vixerunt, collapsâ Romani sermonis puritate, in plurali utuntur; sed genere neutro. Quod & in *aër* fecere. Nempe cùm *aëra*, & *æthera* diceretur accusandi casu more Græco, illi hanc terminationem accepere, ut neutrorum pluralium. Fit hoc in illo Marii Victoris Massiliensis*:

Sed quid id est, quòd mundus erat, quòd sidera & ortus,
Ætheraque, & vitreum pelagus, terraque virentes,
Ni spectator adest?

Quamquam dicere possis, ut *lampas*, & *lampada*; *hebdomas*, & *hebdomada*, extulere: sic & *æther*, ac *æthera*. At res aperta in illo Bedæ in vita Cutperti:

Clausa diu reserans credentibus æthera seclis.

Quem locum & superiùs*, sed paullo aliter, adduximus. Verùm *æthera* est apud Bedam. *Aëra* verò similiter in plurali dixit Orientius, ut antea vidimus: item Aldhelmus libro de Virginitate.

Almus à Philippo, & aliis, plurali spoliatur. At quid notius, quàm *almas vites* dicere Maronem II Georg. *almas Musas* Horatium lib. III, od. IV. Quomodo & Cicero in Arato dixit, *Nereides almæ*.

Alvus iisdem virile, & semper singulare. Sed Plinii est lib. XIX, cap. V. *Sapor* (raphani) *asper*, & *medicamenti instar ad eliciendas alvos*.

Autumnus & *autumnum*, φθινόπωρον, μετόπωρον, singulare semper, si Charisio credimus. Verùm Poëtæ pluralem non refugiunt. Ita Ovidii est I Met.

Perque hyemes, æstusque, & inæquales autumnos.

Carcer, quando locum, in quo servantur noxii, significamus, tantùm numero singulari usurpatur, si Servio* credimus: *carceres* autem numero tantùm plurali dicimus, unde erumpunt quadrigæ. Verùm non modò in posteriori significatione invenitur in singulari: quomodo Servius agnoscit dixisse Maronem III Georg.

Nonne vides, cùm præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus:

ac similiter Ovidius X Met.

Signa tubæ dederant, cùm carcere pronus uterque
Emicat, & summam celeri pede libat arenam.

Imo & Cornificius sive alius ad Herennium lib. IV: *Impudentesque illos dicit esse, qui currere cœperint, ipse intra carcerem stet*, &c.

Et contra in priori ponitur in plurativo; ut apud Senecam, *plenos carceres*: & Julium Firmicum†: *Carcerum squaloribus premitur*. De Mario loquitur.

Cestus, simplici vocali, muliebre est ornamentum, ac plurali, ut puto, non invenias. *Cæstus*, per diphthongum, pugilum est, ac in plurali est crebrum.

Clavus, ἐν πορφύρᾳ ἐσθής, καὶ ὁ ἧλος, masculinum est semper singulare: juxta Charisium lib. I, cap. XVII. At legas *clavos ferreos*, apud Cæs. lib. III belli Gallici: *adamantinos* apud Horat. lib. III, od. XXIV: *caligares*, qui militum, apud Plin. lib. IX, cap. XVIII: *pedum clavos*, apud eundem lib. XXII, cap. XXIII, ubi de latere: *Pedum clavos circumscarificatos ferro*. Itidem narium, de quibus idem lib. XXIV, cap. XIV de Lycio: *In naribus clavos, suppurationes*. In veste item *duo clavi*. Varro lib. II de Analogia: *Siquis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis*. Livius lib. IX: *Taberna circa forum clausa, lati clavi, annuli aurei positi*.

Cruor τὸ λύθρον, singulo solùm numero proferri, Charisii opinio est. Rectiùs Priscianus in V ait *cruores* dici. Nam Maronis est IV Æn.

—— Atros siccabat veste cruores.

Et Val. Flaccus Argonaut. lib. VII:

Terga mihi diros servent infecta cruores.

Fimus, τὸ ὄνθος, ἡ κόπρος, eidem Sosipatro tantùm est singulare. Ac similiter Diomedes, & Phocas.

Fumus etiam duntaxat singulo inveniri, à Charisio monitum, & Phoca. Sed, ut alios mittam, Martialis *fumos* dixit lib. II, epigr. XC, & lib. IV, ep. V, & lib. XIV, ep. CXVIII, item *fumis* lib. III, ep. LXXXII.

Genius, ἡ τύχη ἑκάστου, ut Sosipater interpretatur, & huic, & Diomedi, & Phocæ, semper est singulare. Verùm *genios* & *geniis* legas apud Plautum, Censorinum, Festum, alios.

Jubar itidem plurali destitui, Sosipatro monitum, qui σέλας ἡλίου exponit.

Limus etiam, ἡ ἰλύς, Charisio, Diomedi, Phocæ, perpetuò est singulare.

Meridies, ut puto, non facilè invenias in plurali: sed Naso* sic ἀναφορικῶς:

Proveniant medii sic mihi sæpe dies.

Metus semper singulare, ait Sosipater: idque quia ex iis sit, quæ videri aut tangi nequeunt. Nec sanè *metuum*, aut *metibus* legi puto. Sed Maronis est primo Æn. *Solvite metus*. Ac similiter usi Ovidius, Seneca, Silius, Valerius Flaccus.

Mundus, quia unicus est, inter ea referri solet, quæ ob rei naturam carent plurali. Atqui ipsius est Ciceronis in primo de Natura Deorum: *Anaximandri opinio est, innumerabiles esse mundos*. Et pòst eopse libro: *Infinitatem locorum, innumerabilitatemque mundorum*. Item postea: *Cur igitur non sexcenta millia esse mundorum, sed innumerabilia ausus es dicere?* Et Lucullo, sive IV Academ. Quæst. *Et ais Democritum dicere innumerabiles esse mundos*. Sed *muliebris mundus* in singulari duntaxat invenias.

Muscus solùm singulare Charisio, Diomedi, & Prisciano†: qui scribunt αὐτολεξεὶ*, sic dici *herbam, quæ in parietibus, vel corticibus arborum hæret*.

Nemo quid mirum si careat plurali, quando ubi nec est unus, dici nequeant plures? Ut verè ex iis sit, quæ naturâ careant plurali, non usu duntaxat.

Pallor solùm singulare, juxta Charisium. Nimirum, ut ipse ait, eorum nominum more, quæ videri, aut tangi non possunt. Non dubitavit tamen Lucretius lib. IV dicere:

Quæ contage suâ palloribus omnia pingunt.

Pulvis Charisius, Diomedes, Phocas, Priscianus, semper ajunt singulare. Dixit tamen Horatius lib. Epodôn od. XVII:

Novendiales dissipare pulveres.

Videtur id non occurrisse Prisciano, quando ait: *Pluraliter non utimur, quia autoritas deficit, cui si collibuisset, quomodo cineres, sic pulveres dicere, nihil impediret*. Nisi scriptorum communem, non Poëtarum usum, respexit.

Rores dixit Cicero I de Divin.

Cùm primùm gelidos rores aurora remittit.

Virgilius I Georg.

Certatim largos humeris infundere rores.

Et XII Æn.

—— Spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mistâque cruor calcatur arenâ.

Est & apud Horatium, *pluviique rores*, lib. III, od. III.

Ac Silius quoque lib. IV ait:

—— Tetros è sanguine rores.

Et

* Lib. 8, cap. 14.
† De aëribus, aquis & locis.
* In Genesin.
* Cap. 26.
* In Æn. 5.
† Prolog.
* Lib. 2 Amor. el. 5.
† In 6.
* Iisdem verbis.

Et lib. VII.

Ungula dispersit rores Phaëtontia Phœbo.

Roribus est apud Columellam, & Plinium: uti & Lucanum in VII:

—— Sanguineis stillavit roribus arbor.

At *rorum*, vel *rorium*, non puto occurrere apud classicum quemquam.

Sal in plurali inveniri negant, nisi cùm *facetias* notat: quâ in sententiâ videtur quoque fuisse Charisius. At Columella lib. VII, cap. VIII ait: *Adspergitur caseus tritis salibus, ut exsudet acidum liquorem.* Et cùm Paullus JC. similiter usurpat, ut suprà lib. I de Analogia cap. XXIV, diximus; tum Impp. Arcadius & Honor. l. si quis II. C. De vectigalibus bis utuntur hâc voce. Ammianus quoque ait lib. XXIV. *Diacira invaditur civitas, habitatoribus vacua, frumento & salibus nitidis plena.* Apud Vegetium etiam lib. IV, cap. XI, ter legitur *sales* in antiquis quibusdam codd. ut monuit Godsc. Stewech.

Sanguis singulare semper, ait Charisius, ac Phocas. Caussam hanc ait Priscianus in V, quia *tam singulariter, quam pluraliter prolatum, idem possit significare.* Quod ipsum in *pulvis*, & *pax*, fieri ait. Hebræi verò aliter: & eorum imitatione Hellenistæ. Unde *sanguinum vir* *, &, *è sanguinibus* †, legas apud vulgatum interpretem.

* *Psal.* 5, 25, 58, 138, &c.
† *Psal.* 15, 50, 105, &c.

Silex caret plurali, si audimus Diomedem lib. I. Sed Lucretii est lib. II:

Et validi silices, ac duri robora ferri.

Et lib. I:

—— Silicum suffulta cavernis.

Ovidius quoque lib. IX Met. *rigidi silices*, & II de Arte.

Situs in plurali invenias, sive pro positione sumitur, ut cum *terrarum situs, membrorumve*, dicimus: sive pro squalore, qualis senectutis: ut Ovidio VII Met.

—— Demtos

Æsonis esse situs ——.

Sol plurali privat Charisius. At eo non magis, quam *Luna*, destitui, fidem fecerit hoc Claudiani lib. I, in Eutropium *:

* *Vers.* 7.

—— Visasque polo concurrere Lunas,

Et geminos Soles mirari desinat orbis.

Quin, *Soles duos visos*, legimus apud Livium †. Nempe tum *Solis* nomine parelia complectimur. At *soles* pro æstu ac diebus dixere Lucretius, Maro, Horatius, Seneca, Statius ‡, Claudianus *, & quis non Poëtarum? Nec refugit Arnobius. In danvo etiam usus Juvenalis sat. V:

† *Lib.* 28, & 29. Ut tres Soles, *lib.* 41: plures Soles, *apud Plinium lib.* 2, *cap.* 31.
‡ *Lib.* 2. *Sylv. Surrentino Pollii.*
* *Lib.* 1 *de raptu Proserpinæ vers.* 129.

—— Ruptaque tandem

Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti.

Item Horat. lib. I Epist. XXI, *Solibus* aptum. Et ablativo, Epist. V, ait aristam assiduis *solibus* ustam.

Sopor, κάρωσις, solùm singulare, ut ait Sosipater.

Terror duntaxat plurale eidem. At *discussis terroribus* est apud Lucretium in IV. Et Cicero ipse ad Att. lib. VI, epist. VIII. *Batonius miros terrores ad me attulit Cæsarianos.*

Timor, ut alia quæ videri, aut tangi nequeunt, singulare duntaxat esse, admonet Sosipater. At Lucani est in primo, de Druidis:

—— Quos ille timorum

Maximus haut urget lethi metus.

Et Statii est in V Thebaidos:

—— Hac dubios lethi precor ire timores.

Vigor, ut alia, quæ nec videantur, nec tangantur, destitui plurativo, ait Charisius.

Viscus masculinum caret plurali. At à neutro *viscus* est *viscera.*

Unus pluralem habere, negat Phocas. Quasi non Terentii sit in Andria †:

† *Act.* 4. *sc.* 1.

Ex unis geminas mihi conficies nuptias.

Et Eunucho *:

* *Act.* 2, *sc.* 3.

Aderit unà in unis ædibus.

Item Ciceronis pro lege Manilia: *Ab unis hostium copiis bellum geri.* Dici igitur oportuit, non usurpari in plurali, nisi iis jungatur, quæ aut nunquam, aut rarò, numero singulo reperiuntur.

CAP. XL.

De femininis, quæ plurali carere volunt. Arenas dici Cæ*sar negat: sed usi postea Poetæ prope omnes.* Avaritias, biles, benevolentias, caritates. *Mamertinus emendatus. Servii distinctio inter* cervicem, & cervices, *refellitur.* Contagiones, culpas, cutes, elegantias, famas, fugas, gazas. Feria, feriorum. Gloriæ, gloriarum, glorias. Halex *fortasse, at* halec *neutiquam habere pluralem.* Insanias, inimicitias, iras, luculentias, lues, luces, mortes, obliviones, paupertates, paces, perfidias, pernicies, pestes, pestilentias, plebes, prolum, prosapias, quietes, sanctitates, soboles, sortes, spes *plurali*, sterilitates, taliones, tellures, tusses, vitas.

A Virilibus venio ad feminina, quæ putantur carere plurali.

Arena, judicio ipsius Cæsaris in libris de Analogia, quemadmodum Agellius * testatur, vitiosè in plurativo usurpatur. Cæsarique subscribit Cornelius Fronto. Poëticæ igitur licentiæ est, vel mutatæ paullo pòst consuetudinis Romanæ, quòd *arenas* non refugerit Maro II Georg.

* *Lib.* 19. *cap.* 8.

—— Libyci velut æquoris idem

Discere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ.

Et Horatius lib. III, od. IV:

Tentabo & arentes arenas

Litoris Assyrii viator.

Item Propertius lib. III, eleg. II:

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.

Et eleg. XIII:

Qualis & Eurota Pollux, & Castor arenis.

Et lib. IV, eleg. VI:

Gaude, Crasse, nigras, siquid sapis, inter arenas.

Posteaque Ovidius lib. II Amor. eleg. ult.

Ille potest vacuo furari in litore arenas,

Uxorem stulti quisquis amare potest.

Senecæ etiam est Medea †:

† *Vers.* 653.

—— Serpens Libycis arenis

Concidit Mopsus.

Quid cæteros persequar?

Avaritia, aliaque vitiorum nomina, spoliant plurali. Est tamen Ciceronis lib. IV de Fin. bon. & mal. *Nec enim omnes avaritias, si æquè avaritias esse dixerimus, sequitur etiam, ut æquas esse dicamus.*

Barba, ὁ πώγων, femininum semper singulare, ut ait Charisius in primo. Nempe hoc vult, in homine *barbam*; in hircis dici *barbas*. Sed sententiam hanc ipse refellit Charisius: cujus verba adducam in femininis pluralibus, cùm de voce dicam *barbarum.*

Benevolentias cunctis individuas exhibere: apud Arnobium legas lib. VI.

Bilis pluralem usurpat Plinius lib. XX, cap. IX: *Biles detrahere non percoctam putant.* De brassica sermo.

Caritates dixit lib. I de Off. *Omnes omnium caritates patria una complexa est.* Ejusque exemplo Claudianus Mamertinus gratiarum actione, quam dixit Juliano A. *Cæterorum*, inquit, *regum atque Imperatorum caritates admodum raræ, nec unquam diuturnæ fuerunt: in summis enim hominum habitavere pectoribus, subità & fortunatâ benevolentiâ provocatæ, non virtutum admiratione devinctæ.* Ubi pro *fortunata*, non quidem *forte nata*, ut viro longè doctissimo in auctario philologico * visum fuit: sed *fortuita* legendum arbitror.

* *Cap* 27.

Cervix pro colli parte posteriori dicitur tantùm singulare: plurale autem pro contumacia. Servius in illud II Æn.

Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ.

Cervix, cum numero singulari dicitur, collum significat: si plurali utimur, superbiam ostendimus. Ut in Verrem: Frange cervices. Locus is Tullii est Verrinâ quintâ. Ac hodieque ita est in veteribus codd. ubi vulgò *cervicem* legas. Prius malim. Cæterum distinctio illa Servii non est aliis. Quippe, ut Varro †, & Fabius * docent, primus

† *Lib* 7 & 9 *de L. L.*
* *Lib.* 8, *cap.* 3.

Hor-

Hortensius, puta in prosa, *cervicem* dicere ausus est, cùm ante semper dicerent *cervices*, sive pro colli parte, sive pro fastu poneretur. Sanè apud Tullium, (ut Catonem & alios, qui antea scripsere prosà, omittam) nonnisi plurali invenias.

Contagio privant plurali. At Ciceronis est lib. 1 de Off. *Contagiones malorum, quæ ab uno profecta, manant latius*: lib. 11 de Officiis: *Etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum, quæ à Lacedæmoniis profecta, manarunt latiùs.*

Culpa, ut est apud Charisium, & Diomedem in primo, tantùm singulare est. Verùm Ciceronis est Verr. VII: *In hoc uno omnes inesse culpas.* Ausonius quoque de suis scriptis:

Palmas, non culpas esse putabo meas.

Ubi *palmas* vocat laudabilia, sive præclarè dicta: *culpas* verò ἀθετήσεις, sive ea, quibus, ut loquitur Persius, nigrum possis præfigere Theta. Idem ad Theodosium Aug.

Inque tuis culpis tu tibi da veniam.

Cutibus legimus apud Cælium Aurelianum lib. 1 χρονίων cap. IV: *Abactum tamen cutibus ad cerebrum, & ejus membranas revocat.* Item Arnobius extremo libro secundo: *Pelliculis relevatis, & cutibus.*

Elegantia plurali carere, ait Charisius, & cum eo Diomedes. Quare, si iis standum, non liceat dicere *sermonis Veneres, & elegantias.*

Eloquentia non habere pluralem, ab iisdem proditum est. Quibus hac parte faciliùs accessero.

Fama nunc omnes penè spoliant plurativo. Plauti etiam tamen est Trinummo: *Famas ferunt.* Sallustius etiam non reformidavit *famas.* Ut cujus sit, *Æqui boni famas petit.* Cujus imitatione Arnobius ait lib. VII: *Inhonestas vos famas adjungere Diis vestris.* Multoque antè Aruntius dixit, *Ingentes esse famas de Regulo.* Non tamen temere hæc vox usurpanda. Nam & M. Seneca epist. CXIV, Aruntium eo nomine damnat, quòd consectaretur istiusmodi, quæ apud Sallustium rara sunt.

Fames etiam tam à Charisio, quàm Phoca, reponitur inter ea, quæ nonnisi singuli sunt numeri. Martialis divites, quòd sportulà tenui esurire cogerent, *fames* appellat lib. III, epigr. VII.

Quid cogitatis, ô fames amicorum?

Quanquam huic fortasse loco magnopere nitendum non sit, cùm & *fames* singuli numeri esse possit, ut sit simile isti, *Sanguis erant lacbrymæ*: & illi; *Domus antra fuerunt.* Nam *domus* hic singulare esse, ostendimus, cùm de modulo syllabarum ageremus.

Fides Sosipatro semper singulare, non pro Dea modò, memoratæ, præter alios, Ciceroni lib. 11 de Legg. & Plinio lib. 11, cap. VII; sed etiam, cùm communiter accipitur. At pro genere citharæ usitatum est in plurali *fides*, & *fidibus.*

Fuga etsi singulare semper Charisio videatur, Tacitus tamen non refugit, *Fugas, & exilia.*

Imò Maronis quoque est V Æneid.

Impediunt, texuntque fugas.

Galla, ἡ κηκὶς, semper singulare, juxta eundem Charisium, ac Diomedem.

Gaza Tullius, Livius, & ejus temporis scriptores, semper singulari utuntur. At Lucanus lib. II. *Eoasque premunt tentoria gazas.* Et Seneca in Hercule Oeteo*:

Cupit hic gazis implere famem.

Et Hercule Furente†:

Componit opes gazis inhians.

Claudiani quoque de nuptiis Honorii est *Nobiles gazæ.*

Imò nec refugiunt, qui prosà scripsere. Justinus lib. XXXVI: *Attalicasque gazas hereditarias populi Romani navibus impositas Romam deportavit.* Arnobius lib. IV: *Quorum gazis fuerat locupletatus.* Posterioris ævi scriptores ne quidem *gaza gazorum* reformidant. Nam Corippi est, Africani Grammatici, lib. IV de laudibus Justini Augusti Junioris:

Gratior Augusti servans pia gaza sacello.

* Vers. 621.

† Vers. 166.

Sed hoc non magis imitandum, quàm cum *feria feriarum* dixere: unde eodem libro legere est:

Quos illic ludos, quæ feria vulgus habebat.

Gloria qui tantùm singulare esse tradiderunt, facilè refelluntur illo Ciceronis pro Plancio: *Honorum gradus summis hominibus, & infimis, sunt pares, gloriæ dispares.* Similiter dixerat Plautus Truculento*: *Ita sunt gloriæ meretricum.* Et Milite†: *Hominem gloriarum pleniorem.* Exemplum etiam secutus Tacitus in III Annalium: *Memorare veteres Gallorum glorias.* Et Gellius lib. I, capite II: *Has ille inanes cum flaret glorias.* Ut mittam, qui postea vixere: in his Eumenium, qui in Panegyrico ait, *Gloriarum templa constituere.*

Halex, & *halec*, quorum illud muliebre, hoc neutrum, utrùm habeant pluralem, quæri solet. Mihi sic videtur, si *halex* etiam piscem notat, nihil caussæ esse, quo minùs *haleces* dicamus. Idem visum Cæsari Scaligero, qui Exercitatione CCXXVI, sect. II, sic loquitur: *Ad insulam maris Baltici, halecum ingentem capi vim, qui ab illis Selgi, à Gallis Haran nominantur.* Sed nec rectè dictum videtur, *halecum, qui*, nisi κ῀ συνῴζειν *pisces* respexerit: nec verum puto, quod *harengos* nostros veterum esse halecem existimat. Pluralem nec refugit Ericius Cordus: sed hoc nomine ab aliis culpatus: unde ipse lib. II Epigr. ad Sextum:

Quòd tres haleces dixi, me, Sexte, reprendis.

Credo, qui culparent, Charisii auctoritate se tuebantur; cui *allex*, (id exponit ἰχθὺς ταρειχευόμενος†) est neutrum semper singulare: uti *alec* Diomedi. Verùm *alex* pro pisce est femininum, ut è Martiale* constat: *halec* pro muria, ac liquore gari, neutrum est, ac plurali destituitur, ut pleraque alia liquidorum nomina; velut, *lac, acetum, oleum, butyrum*, & similia.

Hara, συφεός, semper singulare ait Charisius. Sed de anserum haris sic Varro lib. III de R. R. cap. X. *Faciundum haras quadratas.* Et mox; *Cùm sunt inclusi in haras.* Et Columella lib. VIII, cap. XIV: *Sub porticibus quadratæ haræ exstruuntur.*

Impuritia. Plauti est Persâ act. III, sc. III.

—— Trecentis versibus

Tuas loqui impuritias nemo potest.

Quemadmodum nec idem *infamias* refugit eâdem comœdia act. III, sc. I.

Nam si ad paupertatem admigrant infamiæ,

Gravior paupertas fit, fides sublestior.

Inertia plurali caret, juxta Charisium.

Insania item, eodem auctore. Plautus tamen ait in Aulularia*:

Larvæ hunc, atque intemperiæ, insaniæque agitant senem.

Inimicitia similiter carere eo numero, arbitrantur. Verùm ipsius est Ciceronis pro Rabirio Posthumo: *Nec me pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere.*

Ira, irarum, iras, crebra sunt Maroni: notumque Terentii† illud:

Amantium iræ amoris redintegratio est.

Qui & alibi usus. Ac Livius quoque lib. XL dixit, *deflagrare iras.*

Justitia, & *justitias*, frequens admodum est Scripturarum interpreti, & Ecclesiasticis scriptoribus. At non purè locutus. Unde Charisius semper ait singulare.

Labes, ὄλισθος, non modò idem Charisius; sed Diomedes etiam, ac Phocas, censent carere plurali. At Ciceronis est in III de Officiis: *Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse? quæ vulnera?* Imitatus id quoque Arnobius lib. II; *Quid formicarum, & vermium genera in varias labes perniciesque nascentia?* Et lib. IV: *Quas labes flagitiorum.* Etiam Gellius usus lib. I, cap. II, & Symmachus lib. VI, ep. VII.

Luculentias verborum dixit Arnobius lib. III.

Lues plurali apud classicos non memini me legere. Sed Prudentii est in passione Laurentii hymn. II:

Et confer alternas lues.

* Act. 4. Sc. Blitea & lutea.

† Act. 1, Sc. 1.

† Piscis sale maceratus.

* Lib. 11. ep. 28.

* Sc. Foras, foras, lumbrice.

† Andr. act. 3 sc 4.

Lux

Lux semper singulare, ut ait Charisius in I, ac Phocas in Arte. Verùm *luces* apud Sallustium legi, ait Sergius in Edit. II Donati. Similiter Naso VI Fast.

Post septem luces Junius actus erit.

Et lib. II de Ponto, Eleg. I:

Tu mihi narrasti, cum multis lucibus antè
Fuderit assiduas nubilus auster aquas.

Et Horatius lib. IV Carm. od. ult.

Nosque & profestis lucibus, & sacris.

Item Martialis lib. X, epigr. LXXII:

Alba leone flammeo calent luces.

Quamquam hæc fortasse Charisio non adversantur, quia *lux*, cum semper singulare, τὸ φῶς interpretatur. At locis memoratis *luces*, & *lucibus*, ponitur pro diebus: quomodo & Callimachus ‡ φάεα usurpat; Catullus * *lumina*. At Appulei est lib. de Mundo, ubi de Cometis loquitur. *Plerumque luces istæ repentino ortæ, statim occidunt.*

‡ Hymno in Dianam, item in Cererem.

* Carm. de coma Berenices.

Memoriarum veterum libros apud Agellium legas lib. V, cap. V. Usus & Vitruvius.

Mæstitia eidem Charisio semper singulare.

Mors a multis ejusdem saturæ creditur. At hoc in plurativo admodum est frequens. Sylvulam locorum accipe. Ovid. lib. XII Metamorph. *

* Fab. 10.

——*Totidemque videntur,*
Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes.

Lucanus lib. VII, *tot mortibus.* Et lib. IX, *Libyca mortes.* Et, —— *Parvo cum vulnere mortes.* Item,

——*Medio posuisti limite mortes.*

Similiter Silius lib. V, *quas mortes.* Et XIV, *mortesque, fugaque.* Statius † Genethliaco Lucani:

† Lib. 2 Sylv.

Secura procul hinc abite mortes.

Juvenal. sat. I:

Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.

Martialis lib. I, epigr. C:

Mortes hoc tibi quatuor dederunt.

Lib. III, epigr. LXIV:

Blandasque mortes, gaudiumque crudele.

Et epigr. XCIII:

Gaudes ducentas nupturire post mortes.

Claudianus lib. de bello Gildonico ‡:

‡ Vers. 40.

—— *Et crebras corrupto sidere mortes.*

Ausonius Epigram. II:

Quàm grandes parvo patitur sub vulnere mortes.

Et eodem:

Conjungit mortes una sagitta duas.

Et ne tantùm Poëtas in medium adducamus, ipsius Ciceronis est lib. II de Finibus: *Præclare mortes sunt imperatoriæ.* Et Valer. Max. lib. IX, cap. XII: *Sunt & externa mortes digna annotatu*; sive, ut in aliis codd. est, *admiratione.* Et Petronii, *Mille jam mortibus frigida.* Similiter Tacitus lib. XI annal. *Multasque mortes jussu Messallinæ patratas.* Et lib. XIV Annal. *Plerique liberorum ac parentum mortes deflebant.* Et paullò pòst: *Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri, & M. Servilii.* Et XVI Annal. *Obitas pro Rep. mortes.* Item primo Hist. *Et laudatis antiquorum mortibus pares exitus.* Et II Hist. *Unde crebra in vulgus mortes.* Et III Hist. *Omni imagine mortium.* Plinii quoque est lib. VII, cap. XLIII: *Incusata filiorum mortes.* Item lib. XXIX, cap. I: *Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt.* Justinus lib. XII: *Cognitis mortibus duorum æmulorum regum.* Appulejus Apolog. *Crebra mortes imperatorum.* Vegetius lib. IV, cap. XLIV: *Inter tanta mortium genera, quis acerbissimus casus est, absumenda piscibus insepulta sunt corpora.* Nec ignoravere hoc scriptores Ecclesiastici. Est enim Tertulliani libro de Anima cap. LVII: *Immaturas & atroces effici mortes.* Sulpitius Severus similiter lib. II Historiæ sacræ: *Quin & nova mortes excogitata.* Fulgentius lib. de incarnatione & gratiâ Jesu Christi, cap. ultimo: *Cum innumerabiles infidelium mortes obsistant.* Et Jornandes, cujus illud de Gothis: *Martem semper asperrimâ placavere culturâ. nam victima ejus mortes fuere captorum.* Hæc tam multa, penè ex omni scriptorum genere, adferenda duxi, ut tandem eos ineptiarum pudeat, qui seculo hoc non aliud norunt, quam antecedentium errores suis illinere libellis. Sed ad alia adeamus.

Obliviones lividas est apud Horatium in quarto odarum. Sed multò usitatius pro eo est *oblivio*.

Opem pro viribus solum plurale ajunt. At Sallustii est in conjuratione Catilinaria: *Quo mihi rectius esse videtur ingenii, quàm virium opibus gloriam quærere.* Itaque *opis* seu *opes* pro virtute ac viribus utrumque numerum agnoscit. At *opis* pro auxilio, ut observavit Atteius Philologus, Sallustii præceptor, tantum singulare est: *opes* pro divitiis tantum plurale. Vide & quæ de *opum* vocabulo dicam in femininis pluralibus.

Olivitas singulare quidem Varroni lib. I de R. R. cap. LX, & Inglorio, sive ἐλαιῶν φθόνις, apud Nonium. Sed Columellæ est lib. I, cap. I: *Largissimis olivitatibus, Liberique vindemiis exuberent.*

Paupertates dixit Varro lib. I de vita pop. Rom. *Quid inter hos Joves intersit, & eos, qui ex marmore, ebore, auro, nunc fiunt, potes animo advertere, & horum temporum divitias, & illorum paupertates.* Seneca epist. LXXXVII. *Ex malis bonum non fit: ex multis paupertatibus divitiæ fiunt: ergo divitiæ bonum non sunt.*

Pax semper singulare, juxta Charisium in I, Diomedem in I, Phocam in Arte. Sed *paces* apud Plautum non semel invenias. Ut Persâ act. V, sc. I.

Hostibus victis, civibus salvis, re placidâ, pacibus perfectis.

Item Rudente act. I, sc. ult.

Qui sunt, qui à patronâ paces meâ expetessunt.

Itidem Lucretius lib. V dixit, *Ventorum paces.* Cui geminum apud Virgil. I G. *Ventorum prælia.* Horatii est lib. I, epist. III:

Bella quis, & paces longum diffundit in avum.

Et lib. II ad Augustum:

Hoc paces habuere bona ——

Sergius quoque in secundam editionem Donati ait, nec Sallustium *paces* reformidare. Sed verba ejus non ponit. Credo signat illud in Jugurthinâ: *Leges, jura, judicia, bella, atque paces, postremò divina & humana omnia penes paucos erant.* Item verba illa, quæ Cledonius ex Sallustio adducit, *Bella atque paces exercebant.*

Perfidia solùm singulare, juxta Charisium. Plautus tamen *perfidias* non refugit.

Pernicies in plurali dicere ausus Arnobius in II: cujus verba paullo ante in *Labes* adduximus.

Pestes, aut *pestilentias*, barbarum esse, docent. Atqui (ut de Tertulliano taceam, qui lib. I adversus Marcionem dixit: *Pestibus, aliisque plagis creatoris*: quique lib. de Spectaculis, utrumque, & *pestes*, & *pestilentias*, usurpat) Columellæ quoque est, *In morbis, & pestibus.* Agellius item lib. I, cap. II ait, *Animorum labes, & pestilentias.* Est & apud Ciceronem lib. V, epist. VIII: *Sed quadam pestes hominum laude alienâ dolentium.* Et orat. pro Sylla: *Illis inclusis in Rep. pestibus.* Item ex veteri poëta Quæst. Tusc. II:

Perge, aude nate, illachryma patris pestibus:
Miserere, gentes nostras flebunt miserias.

Item apud Senecam in Medeâ *:

* Act. 4.

Pestes vocat, quascunque fervens creat
Arena Libya.

Item,

Æmonius illas contulit pestes Athos.

Etiam apud Senecam philosophum habes præfatione libri III quæst. Nat. *Non minores fuere pestes mortalium, quàm inundatio.*

Utitur & Statius Papinius Soteriis pro Rutilio Gallico:

Donec letiferas vario medicamine pestes,
Et suspecta mali ruperunt nubila somni.

Itemque Silius lib. quartodecimo:

Et posuere avida mortis contagia pestes.

Atque hic etiam locus, uti & ille è Columella antea adductus, validè facit contra Obertum Giflanium; qui in indice

indice Lucretiano scribit, *pestem* barbarè usurpari pro morbo pestilentiæ. Usus denique Claudianus lib. III de raptu Proserp. † *Innumeræ pestes Erebi.* Item Prudentius in passione Laurentii, hymn. II.

Committe formas pestium.

Philosophias non didici, est apud Gellium lib. IV, cap. I, & *Democritus philosophias docuit*, apud eundem lib. V, cap. III.

Pigritia, ὄκνος, plurali caret, ut ait Sosipater.

Pituitas pecorum sanare, dixit Plin. lib. XXV, cap. V.

Plebs ajunt carere plurali. Attamen *plebes urbana* legas L. III Cod. De feriis. Et Columella de apibus agens lib. IX, cap. XI ait, *duas vel tres alveorum plebes.*

Prolum à *proles* dici, ait Capella in tertio.

Prosapias dixit Cato. Utcunque Charisius in I, neget habere pluralem, & cum eo Diomedes in I. Locus Catonis est in primo Originum: ubi eum *veteres prosapias* dixisse ait Nonius: ut quidem habet vetus Mediolanensis editio anni clↃ Ↄ, & Aldina an. clↃ Ↄ XIII, & aliæ ante Mercerianam, quæ *prosapia* habet: quomodo & in nostris est membranis.

Quietes ferarum, pro latibulis, apud Lucretium exstat in V. *

Rabies, ἡ λύσσα caret plurali, ut Charisio monitum, & Diomedi in I.

Salubritates dixit Censorinus de die Natali cap. XVIII: *Quod in eo* (anno Chaldaico) *dicunt tempestates, frugumque proventus, ac sterilitates, item morbos salubritatesque provenire.* Scio, vocem *salubritatesque* abesse ab editione tum Eliæ Vineti, tum Ludovici Carrionis. Sed exstat in MSSis. Atque habet quoque Scaliger de Emendat. temporum lib. II, cap. De periodo Chaldæorum Alexandrea. Adde, quod hoc loco elegantem ἀντίθετον efficit, Nempe eos, qui præteriere, novitas vocis offendit: cùm deterior non sit, quàm *valetudines*: quo utitur idem cap. XV.

Salutes tamen non reperio, præterquam apud Ecclesiasticos. Uti vulgatum interpretem Psalm. XVII †: *Magnificans salutes Regis sui.* Quod imitari non dubitat Marsilius Ficinus. Nec *salutes* modò, sed etiam *salutibus* dicit. Sed aliter classici. Quare Charisium audio, qui negat habere pluralem.

Sanctitas quoque singulo tantùm numero usurpem. Etsi apud Arnobium legam lib. V: *Sanctitates quærere atque efficere.* Cujusmodi apud eum pluria reperias.

Sanies, ὁ λύθρος, pluralem non habere, testes Sosipater, & Diomedes.

Sapientia similiter eo numero carere, idem Sosipater auctor est.

Segnitia item.

Situ quoque. De quo & Phocas auctor.

Soboles eodem numero privant. Sed Ciceronis est in III de Legg. *Censores populi ævitates soboles, familias, pecuniasque censento.* Columella lib. V, cap. VI: *Nemo jam serit ex samara, sed ex sobolibus. Samaram* vocat semen ulmi: *soboles*, ramulos novellos. Idem lib. IX, cap. XIV de apibus: *Ne novæ soboles diffugiant.* Nec *sobolibus* idem refugit. Gellius quoque lib. XIX, cap. XII: *Soboles vitium revellentem.*

Socordia plurali carere, autores Sosipater, & Diomedes.

Sors non solùm pro Dea sortis, quæ Plinio memorata lib. II, cap. VII; sed etiam cùm pro sortitione ponitur, ac presse pro patrimonio sumitur, unde *consortes* * dicimur, creditur carere plurali: quem tum habere duntaxat putatur, cùm de sacris sortibus, Deorumque oraculis, est sermo. Sed enim pro sortitione etiam Tullius plurali usus in II de Divinat. *Dicendum igitur putas de sortibus. Quid enim sors est? Idem propemodum, quod micare, quod talos jacere.*

Spes verò quòd plurativo etiam fraudent Grammatici, nescio quid iis in mentem venerit. Usque adeò multa iis obducere possumus. Certè Plauti est Epid. † *

——*Neque, ubi meas collocem spes,*
Habeo usquam munitum locum.

Ac Curcul. †

——*Ubi sunt spes meæ?*

Terent. Adelph. * *In quo nostræ spes opesque omnes sitæ erant.* Ciceronis Catil. III: *Omnes Catilinæ copias, omnes spes atque opes:* sive, ut in aliis libris est, *spes, opesque.* Et orat. pro T. Annio Milone: *O frustra suscepti mei labores! ó spes fallaces! ó cogitationes inanes meæ!* Sallustius quoque: *Sin reticeat, non salutis fore; sed se, suasque spes, corrupturum.* Horatii est epist. V, lib. I.

Spes jubet esse ratas.

Item epist. XVIII ad Lollium:

Cum pulchris tunicis sumet nova consilia, & spes.

Ovidius Met. IX, fab. XI:

——*Et fecit spes nostras cera caducas?*

Etiam lib. XIII Met. fab. I:

Per spes nunc socias, casuraque mœnia Troum.

Et Petronius: *Spes quoque suas ambitione donant.* Et Quinctilianus †: *O mobiles miserorum spes!* Tacitus lib. II Annal. *Si quos spes mea, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat.* Lib. III: *Donec media Pisonis spes.* Item: *Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur.* Præterea Plinii lib. I, epist. XXII: *Ne spes nostras, si modò non essent inanes, voluntariâ morte desereret.* Et Arnobii lib. I: *Inducta in spes cassas.* Item *Spes vanissimas polliceri.* Item, *In tuto esse spes suas.* Lib. II, *Spes bonas.* Item, *Permittamus spes nostras:* atque alibi sæpius. Vegetio quoque eam vocem restituit Stewechius lib. IV, cap. IX. Mitto, quòd Pierius apud Maronem sexto Æneïdos, ubi in vulgatis est, ——*Per spem surgentis Iuli*; in antiquis omnibus exemplaribus, quotquot nactus fuisset, *spes* legi testatur. Cautiùs alii, qui solo genitivo, dativo, & ablativo plurativi, privant. Nec de genitivo habeo, quod obducam. Sed ablativum usurpat Varro in satyra Menippea ὄνος λύρας, apud Nonium in *Lactare:*

Quibus suam delectet ipse amasiam,
Et aviditatem speribus lactet suis.

Nam *speribus* est *spebus*, à recto *speres:* quo usus Ennius Annali I, apud Festum in *Speres:*

Et semel * *effugit speres ita funditus nostras.*

Item XVI Annal.

Spero, si speres quicquam prodesse potessunt.

Nec *speribus* tantùm, sed etiam *spebus* legitur: attamen apud scriptorem haut classicum, Sidonium: cujus hoc lib. III, epist. VI: *Simul & animorum spebus erectis fas est de cætero sperare meliora.* Quare veniam meretur Vincentius Obsopœus, qui, ejus fortasse exemplo, *spebus* usurpat, Hermotimum transferens Luciani. Uti & doctissimus Leunclavius, qui in primo Zosimi libro, πάντων ἀνθρώπων ἐλπίσι, vertit, *universorum hominum spebus.*

Stultitia singulare semper, juxta Charisium. Sed si Plautus *insanias* usurpat, credo nec *stultitias* refugisset.

Sterilitates Censorini est cap. XVIII. Verba ejus in *Salubritates* posuimus.

Suppellex plurali carere, ait Diomedes. Nec repugnat, quòd *suppellectilia* dicamus. Est enim hoc à recto *suppellectile.*

Tabes quoque, ἡ τηκεδὼν, semper singulare: ut est apud Charisium, & Phocam.

Taliones, imò & *talionum*, est apud Gellium lib. XX, cap. I.

Tellures de diversis continentibus, uti de Asia, & Europa, dici, colligo ex Cornelio Gallo, eo qui Virgilio celebratur Ecl. X. Hujus enim est pentameter iste:

Uno tellures dividit amne duas.

Gallo tribuit Vibius Sequester libro de Fluminibus in *Hypanis.*

Terra Charisius spoliat plurali: sed cùm pro toto ponitur elemento; non pro regione; quomodo dicimus *orbis terrarum*, vel *loca terrarum ultima.*

Tusses Plinii est lib. XXII, cap. XXV: *Contra deploratas tusses.*

† Vers. 29.
* Vers. 405.
† Vers. 51. Sed Hebrais, Psal. 18.
* Festus.
† Act. 4. Sc. Si quid est homini miseriarum.
† Act. 2, Sc. Date viam mihi.
* Act. 3, Sc. 2.
† Declamatione 13. pro civibus contra legatum.
* Al. simul: quod magis placet.

tusses. Et lib. XXIII, cap. 11, *tusses veteres.* Item lib. XXIV, cap. VIII: *Semen juniperi tusses concoquit, & duritias.* Et lib. XXVIII, cap. IV: *Supini cubitus oculis conducunt, at proni tussibus.*

Valetudines legas apud Censorinum cap. XV: *Hippocrates quoque, aliique medici, in corporum valetudinibus non aliud ostendunt.* Eodem Tacitus utitur lib. VI Annal. ac III Histor. & Tertullianus lib. ad Scapulam.

Vecordia semper singulare, teste Charisio.

Velocitas quoque, juxta eundem.

Vis etiam, eodem auctore. Sed Varronem plurativo *hæ vis* dixisse, testis est Probus in Catholicis. De Lucretio, & Sallustio idem ostendam, cap. XLVIII.

Vita admodum frequens. Maro IV Georg.

Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Idem VI Æn.

Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare.

Et paullo pòst:

——*Vitasque, & crimina discit.*

Terent. Adelph.* [* Act. 3. sc. 3 in aliis 4.]

Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.

Cicero etiam sæpius usus. Ut I de Natura Deorum: *Deus hominum commoda vitasque tuetur.* In Lælio: *Serpit per omnium vitas amicitia.* Et IV de Fin. *Duarum vitarum nobis erunt instituta capienda.* Quid Appulejum dicam? Cujus est hoc lib. XI: *Nam in eorum vitas, quorum sibi servitium Dea nostra majestas vindicavit, non habet locum casus infestus.* Sed imprimis illustrem ea de voce locum reperi Gregorii Turonensis præfatione in librum suum de vita Patrum: *Quæritur,* inquit, *à quibusdam, utrùm vitam Sanctorum, an vitas dicere debeamus. Aulus Gellius autem, & complures alii, Philosophorum vitas dicere voluerunt. Nam Plinius autor, in tertio artis Grammaticæ libro, ait, Vitas antiqui cujuscumque nostrum dixerunt: sed Grammatici pluralem non putant habere.* Qui locus Grammaticorum errorem satis refellit, etsi & eos sequi maluerit Turonensis.

CAP. XLI.

De neutris, quæ spoliant plurali. Ævis. Cœlus. An cœli in plurali prosa oratio admittat. Nefantia *pro* nefanda. Luta. Macella. Murmura. Sola. Solia.

ITidem neutra multa in plurativo inveniuntur, contrà quàm existimarunt.

Ævum plurali spoliat Phocas in Arte. At dixit Ovidius lib. I de Ponto, eleg. IV:

Persequar ut cunctos, nulli datus omnibus ævis
Tam procul à patria est, horridiorve locus.

Et II Metam.

——*Et ævis*
Omnibus ut maneas.

Plinius lib. XIV, c. I: *Tot ævis incorruptum.* Et lib. XXXV, cap. XIV: *Parietes, quos appellant formaceos, ævis durant, incorrupti imbribus, ventis, ignibus.*

Allec, ut est apud Diomedem; sive, ut apud Charisium, *allex,* iisdem auctoribus, semper est neutrum singulare. Sed puto, Charisium scripsisse *hallex.* Hoc colligo ex ordine literarum, quem in talibus servat. Utrùm verò in plurali *haleces,* vel *haleca,* liceat dicere, postea videbimus.

Allium singulare semper Diomedi in I. Quasi non dixerit Maro Ecl. II.

Allia, serpyllumque, herbas contundit olentes.

Altum pro mari plurativè usus Maro II Æn. *Tranquilla per alta.* Quid mirum? cum naturâ sit adjectivum, & ut in *altum* intelligitur *mare,* ita *maria,* vel *æquora,* in *alta.*

Barathrum semper singulare, ut tradit Charisius. Similiter Diomedes in primo, ubi dicitur esse *locus apud inferos; propriè autem apud Athenienses, in quem noxii præcipitabantur.*

Callum, ὁ τύλος, semper esse singulare, idem ait Charisius.

Cœli dicere in plurativo vix ausim, quia poëticâ licentiâ à Lucretio* dictum puto lib. II: [* Vers. 1095.]

Qui pariter cœlos omnes convertere.

Certè ut de Charisio taceam, qui ait, semper esse singulare; ipse Cæsar† scripsit *cœlum* ex iis esse, quæ carent numero multitudinis. Cicero quoque idem sensisse videtur; cujus isthoc lib. IX, epist. ad Pætum: *Ille baro te putabat quæsiturum, unum cœlum esset, an innumerabilia.* Nam si *cœli* dici putasset, fortasse dixisset *innumerabiles.* Est autem *cœli* à singulari *cœlus;* quomodo antiqui locuti, sive Deum intelligerent, sive locum: ut ostendimus superius‡. [† Apud Agellium lib. 19. cap. 8.] [‡ Cap. 37.]

Cœnum semper singulare: ut est apud Diomedem in primo, & Phocam in Arte.

Crocum plurali caret, ut ait Diomedes lib. I. Nempe à *crocus* est *croci,* ut apud Ovid. IV Fast. *Ipsa crocos tenues.* Item Juvenalem. Sed à *crocum* non est *croca.*

Fas, & *nefas,* videntur olim habuisse pluralem. Lucilius:

Tantalus qui pœnas ob facta nefantia luvit.

Ubi *luvit,* pro *luit,* ut pro *plui, pluvi,* unde *pluvia: fluvi,* pro *fluxi,* unde *fluvius.* At *nefantia* à *nefans,* quod postea *nefas:* ut *prægnas,* & *prægnans.*

Gaudium etsi in iis, quæ nec videri, nec tangi possunt, à Charisio reponatur; atque istiusmodi carere dicat plurali, hunc tamen habere ipse agnoscit, propter illud Maronis*: [* Æn. 4.]

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Gelu, ὁ ψύχος, tantùm singulare, teste Charisio.

Ingenium semper singulare, juxta Diomedem in primo. Verùm Cicero dixit *ingenia, ingeniorum, ingeniis.* Ut pro C. Cornelio: *O ingenia metuenda!* Et epist. ad M. Titinium†: *Continebar doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant, Græcis exercitationibus ali meliùs ingenia posse.* Pro Archia, *ingeniorum acies.* Et, *ingeniorum celeritas.* Et lib. de Consolatione*: *Quorum ingeniis & inventis omnem vitam legibus & institutis excultam constitutamque habemus.* Fabius similiter lib. I, cap. III: *Præcox genus ingeniorum.* Et lib. III, cap. VII: *Monimenta ingeniorum.* [† Apud Suetonium de claris Rhetoribus.] [* Apud Lactantium lib. 1. cap. 15.]

Jubar. Glossæ: Σέλας ἡλίε, *jubar. Plurale non habet.*

Jus, δίκαιον, singulare solùm, ait Phocas. Idem ait Charisius: sic tamen ut fateatur *jura* dici, non *jurum,* vel *jurium,* & *juribus.* Et sanè *jura* est pervulgatum. Veteres verò nec *jurum,* vel *jurium,* formidabant. Ipse enim Charisius citat ex Catonis Originum lib. VII: *Jurum legumque cultores.* Plautus similiter loquitur: imò Ulpianus etiam dixit *juribus:* ut cap. XLVI liquebit.

Justitium plurali destitui, ait cum Sosipatro Diomedes.

Lethum, ὁ θάνατος, caret plurali, ut est apud Charisium, semel & iterum.

Lutum carere plurali, docet Phocas in Arte. Verùm, ut ait Nonius in Lutum: *Apud Ciceronem in epistolis ad Hirtium, lectum est plurali numero: Luta & limum aggerebant.* Caper de Orthographia: *Lutum atque macellum singulariter exire memento: licet Memmius, Ista macella, dicat: & Cæsar, Luta.*

Macella non refugit Memmius, ut proximè vidimus.

Mare refert Charisius inter semper singularia. Sed addit, in tribus solùm casibus *maria* inveniri: nec enim *marium,* & *maribus* dici. Atqui Cæsaris est initio quinti de bello Gall. *Naves paullò latiores, quàm quibus in reliquis utimur maribus.* Et cùm Curtius lib. VI ait, *Mare Caspium dulcius cæteris:* quid nisi *maribus* intelligitur?

Melos fraudant plurali. At Lucretii est lib. II:

Et cygnea mele, Phœbeaque dædala chordis.

Murmur, ὁ γογγυσμὸς, pluralem non habet, ut ait Charisius. Sed *murmura* legas apud Lucretium, Maronem,

nem, Propertium, Ovidium, alios: quorum imitatione Gallienus Imperator:

—— Pariter sudate medullis
Omnibus inter vos. non murmura vestra columbæ,
Brachia non ederæ, non vincant oscula conchæ.

Pascha hujus loci esse, putat Aldus Manutius. Nec enim dici *paschata*. Atque eum hac parte inter alios sequitur Verrepæus. Sed caussam non video, cur chronologis dicere non liceat, tria minimùm paschata Christus cum discipulis suis celebrâsse. Siquis hìc scrupulus, is in illo videtur, quòd *pascha* potiùs primæ est, ut antea dictum; eoque *paschas* dici oporteret.

Peda duo dici posse, censeo cum Frischlino*: etsi aliter visum Phocæ.

Pelagus neutrale, ut ait Caper de verbis dubiis, *non habet pluralem*. Ac similiter Charisius lib. I, cap. XIV. Atqui ut Græci τὰ πελάγη, ita Lucretii est lib. I:

Propter Atlanteum litus, pelageque severa:

quomodo eum versum optimè ex veteribus libb. (ad quos proximè accedunt membranæ nostræ) edidit Dionysius Lambinus. Et lib. VI.

At pelage multa & latè subtracta videmus.

Apud Catullum † quoque —— *truculentaque pelage*, non *pelagi*, legendum putat Clariss. Jo. Meursius.

Penum plurali carere, ait Phocas. Nam *penora*, quod apud Columellam, & Festum, est à *penus*.

Pus tantùm singulare, ut monitum Diomedi in I.

Rudus plurali carere, ajunt Charisius, & Diomedes in primo. Atqui unde *rudera*, nisi à *rudus*, dicimus?

Rus carere plurali, Charisius ait: attamen Virgilium ‡ agnoscit dixisse, —— *Per florea rura*. Similiter Horatius, Ovidius, & quis non Poëtarum?

Sala qui apud Maronem legi ajunt*, planè falluntur.

Sal neutrum caret plurali. Sed non item *sal* masculinum. Nam *sales*, non *sala* dicitur. A *sales* igitur est hoc Columellæ lib. VII, cap. VIII: *Caseus adspergitur tritis salibus*. Quod ostendit hoc Palladii lib. XII, Tit. XXI: *Tunc sales frictos calentes addi jubent*. Imò ipsius Varronis lib. II, cap. XI: *Quin* (caseo) *adspergi solent sales: melior fossilis, quàm marinus*.

Scrupulum pluralem non habet, ut idem Charisius semel, & iterum, tradit.

Senium quoque semper ait singulare.

Siler, sinapi, siser, plurali destitui, idem ait Sosipater.

Sinapi semper esse singulare, Diomedes in primo tradidit.

Sola est frequens admodum. Ennius lib. III:

Tarquinio dedit imperium, simul & sola regni.

Et alibi:

Sed sola terrarum postquam permensa parumper.

Lucretius lib. II:

Nam multis succensa locis ardent sola terræ.

Ubi *solum*, si vera hæc lectio, priori loco de terrâ dicitur, posteriori verò de soleâ; quomodo & usurpat Plautus Bacch.†

Qui soccis habeat auro suppactum solum.

Sed & Catullus, & Cicero, usurpant: illius est in Galliambo:

Etiam recente terræ sola sanguine maculans:

ac eodem poëmatio:

Sed ubi oris aurei, Sol radiantibus oculis
Lustravit æthera album, sola dura, mare ferum:

hujus, pro L. Cornelio Balbo est: *Vos denique, mutæ regiones, imploro, & sola terrarum ultima*. Maro quoque I Georg.

—— Arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola. ——

Statii item est in Silvis carm. de equo Domitiani:

Vix sola sufficiunt, insessaque pondere tanto
Subter anhelat humus.

Ita enim legitur in vulgatis: sed manuscriptus Senensis, cujus variantes lectiones nobis ab manu Scaligeri, pro *insessaque* habet *exesaque*: quemadmodum & pro eo, quod proximè sequitur, —— *Nec ferro, aut ære laborant, Sed genio*: idem MS habet, *Sub genio*. Utrobique vulgatam retineo. Sed alius fortasse melius exsculpere tentabit.

Denique *sola* usurpant Nemesianus, & Prudentius lib. II adversus Symmachum; quorum loca brevitatis caussâ prætereo. Nec in prosâ refugit Arnobius lib. II: *Excavare alia telluris sola*. Neque istoc numero solùm invenitur pro eo, quod calcamus: sed etiam, cùm plantam pedis significat. Cic. Tusc. quæst. lib. V, epistola, quam scripsit Anacharsis ad Hannonem: *Mihi amictus est Scythicum tegmen, calciamentum solorum callum, cubile terra, &c.*

Ac similiter usus Martialis lib. X, cap. XXII:

Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes humilesque, supplicesque,
Pictorum sola basiate regum.

Solia Regum cur minùs dici possit, caussæ nihil video, Præsertim cum apud Plinium sit lib. XXXIII, cap. XII, *Soliis argenteis*. Et lib. XXVI, cap. XIX, pro XIX planè scribendum I. *Quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam elephantiæ*. Etiam lib. XXXV, cap. XII: *Fictilibus soliis*. Sic enim est in MSSis, & veteri Parmensi. Atque ita jam olim legit Blondus.

Solia igitur rectè dicitur, sive pro loculamento mortuorum sumatur, ut proximè allatis Plinii verbis: sive pro thronis regiis, aliisve magnificis sedibus, in quibus non plures uno possunt considere, ut in iis, quæ præmisimus.

Sulfura est apud Maronem III Æn. *Et spumas miscent argenti & sulfura viva*. Et Ovid. III Metam. *Admotas rapiunt vivacia sulfura flammas*.

Virus pluralem non habere, consentiunt Charisius, Diomedes, & Phocas.

Viscum eo carere, Charisio & Phocæ placet.

Vulgus item eo destitui, iidem tradidere. Ninivita contrà adducit ex lib. III de Nat. Deorum*, *Saturnum maximè colunt vulgi*. Sed meliores libri *vulgo*.

CAP. XLII.

Masculina, quæ negant habere singularem. Annalem sextum, *vel* annali sexto. Antes. Artus *numero singulo*. Cælitem, *&* cælite. Κάγκελλον. Carcerem, *&* carcere, *pro* ἀφετηρίᾳ. Fasce, *de imperii insignibus*. Fotus. *Plauti versus numeris redditus*. Grumus. Indiges. Lar. Lemurem. *Catulli locus explicatus*. Liber, *pro filio*: libera, *pro filia*. *Unde Baccho nomen* Liberi. *Κόρη eadem ac* Libera. Liberalia, *&* Eleutheria, *diversa sunt*. Loci, *&* loca, *speciali significatione*. Loculi. Loculus. Locelli. Lumbus. Major meus. Manes, *pro* mani; *ut* sacres, *pro* sacri. Nomas. Optimas. Penatis, *&* Penas. *Vetus figura literæ* Π. Plerus. Primoris, primorem, primore. Procerem. Pugillar. Pugillaria. Quinquatrus, *&* quinquatria. Quiritem. Sal, *pro* salibus. Sentis, *vel* Sentix. Struix. Pulvix. Locuplex. Milex. Singulus. Superus, *&* inferus Deus. Triplices. Veprem, vepre.

ADdamus quoque complura de iis, quæ singulari deficere voluerunt. Ac primo videndum de masculinis.

Annales cùm dicimus, intelligitur *libri*. Naturâ igitur est adjectivum. Eo minùs mirum, complures dixisse in singulari, *annalis*; ubi similiter intelligitur *liber*. Cicero ad Atticum lib. XII, epist. XXIV: *Quibus Consulibus Carneades, & ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali*. Idem libro de claris Oratoribus: *Est igitur apud illum* (Ennium) *in nono, ut opinor, annali*. Plinius lib. VII Nat. Hist. cap. XXVIII: *Q. Ennius T. Cæcilium Teucrum, fratremque ejus, præcipuè miratus, propter eos sextum annalem adjecit*. Sæpe etiam sic Gellius. Ut lib. I, cap. VII: *Centesimo quinquagesimo Quadrigarii annali*. Et, *Duodevicesimo annali ejusdem*. Item lib. II, cap. II:

Po-

---

* Tract. 1, cap. 1. de Etymol. Nom. p. 18.

† Carm. 64.

‡ 1 Æn.

* Finbius & Helvicus.

† Act. 2, f. Ibo in Piræum.

* Pag. 68. edit. Ald.

Posuimus igitur verba ipsa Quadrigarii ex annali ejus sexto transscripta. Et, puto, qui sic loquuntur, non metuissent dicere, *adjectum annalis sextum*, similiaque.

Antes, οἱ στίχοι τ̃ ἀμπελῶνος, ἡ διάταξις ἀμπέλων, masculinum est, ac semper plurale, ut Charisius ait, Diomedes in primo, & Phocas. Sic usi Maro II Georg. & Sidonius lib. VIII, epist. VIII. Nec aliter Servius, Festus, vel glossarum auctores. Quare etsi, ut à *post* dicuntur *postes*, ita ab *ante* sint *antes*; non tamen ut *postis*, sic *antis* dicere ausim. Nempe quia *postem*, & *poste*, apud Ciceronem, & alios legi: in *antis* hodie deficit auctoritas.

Artus in singulari Poëticum est. Usurpat Lucanus in sexto*:

* Vers. 754.

—— *Tunc artus palpitat omnis.*

Cælites semper plurale est Charisio. Sed *calitem* dixit Tertullianus lib. de Pallio, cap. IV: *Ut qui se calitem deliraret, sorores prius suas, dehinc homines deas salutaret.* Quomodo & Ovidius dixerat lib. IV de Ponto, eleg. VI:

Quale tamen potui de calite, Brute, recenti,
Vestra procul positus carmen in ora dedi.

Et lib. eodem, eleg. IX:

Pervenient istuc & carmina forsitan illa,
Quæ de te emisi calite facta novo.

Amicus vero noster dum viveret, & quando Dordrechtum divertisset, hospes suavissimus, Dominicus Baudius, Poëta idem elegantissimus & disertissimus, ne quidem *cales* refugit, carmine in morbo ad amicos Cæsarodum Turonum scripto:

Ut labe purus, integerque criminum,
Summi tribunal sistar ante judicis,
Mixtus beato calitum cales choro.

Cancelli semper plurale, juxta Charisium, & Diomedem. Id Charisius κάγκελλοι interpretatur. Pro quo & τὰ κάγκελλα legas apud Etymologici auctorem in Δρυφάκτοι. Ac utroque fuerit τ̃ καγκέλων: quod sæpius legas apud Græcos mixobarbaros. Calepinus, ut Latinum, *cancellus* posuit. Perperam, etsi Græcis sit singulare. Nam κάγκελλον est apud Codinum in Originibus Constantinopolitanis; item glossis Basilicorum & alibi.

Cani tantùm esse plurale, conveniunt Charisius, Diomedes, Phocas. Quid mirum, cùm intelligatur *capilli*? Ut naturâ sit adjectivum. *Canos* igitur cùm dico, non tam vox est simplex, quàm oratio ἐλλειπτική. Ac par similium ratio.

Carceres, ἀφετήρια, ἱππαφέσεις, ut glossæ interpretantur, singulari carere, apud Diomedem, & Phocam, legas. Sed Ennii est annali primo:

—— *Veluti consul cùm mittere signum*
Volt, omnes avidi exspectant ad carceris oras:
Quàm mox emittat pictis ex faucibu' currus.

Ac Maro ipse V Æn.

Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripiuntque, ruuntque effusi carcere currus.

Et Ovidius X Metam.

Signa tubæ dederant, cùm carcere pronus uterque
Emicat.

Nec Poëtæ solùm usi: (quod Charisius non diffitetur) sed etiam scriptor Rhetoricorum ad Herennium libro IV: *Quasi si quis ad Olympiacum cursum venerit, & steterit, & emittatur, impudentesque illos dicat esse, qui currere cœperint; ipse intra carcerem stet.* Mallem Ninivita hunc locum adduxisset, quàm illud Tullii libro de Senectute: *Nec vero velim quasi decurso spatio à calce ad carcerem revocari.* Quippe hic *carceres* est apud Ciceronem.

Casses, τὰ δίκτυα*, plurale tantùm, ut idem Charisius ait, & cum eo Phocas. Seneca tamen Agamemnone†:

* Retia.
† Act. 5, sc. 1.

—— *Aper,*
Cum casse vinctus, tentat egressus tamen.

Codicilli strictiori significatione solùm est plurale; quia plures tabellæ junctæ. Naturâ verò habeat singulare. Nam à *codex* fit *codiculus*; unde *codicillus*.

Fascem dixit Cicero apud Charisium lib. I, ubi hæc ex eo verba citat: *Fascem unum si nactus esses.* Addit verò Charisius: *Per quod intelligimus masculino genere dici, & non esse tantum plurale. Fasce* etiam dixit Maro Ecl. IX, & III, & IV Georg. Sed hic propriè sumitur. At pro imperii insignibus vix aliter reperias, quam plurali. Quid mirum? quando qui regibus, posteaque consulibus prælati, erant XII; qui proconsulibus & prætoribus seni.

Fines pro limitibus, ac terminis agrorum, regionum, atque imperii, vix aliter reperias, quàm plurali: ut, *ambigere de finibus*, apud Terentium‡; *tueri fines suos ab excursionibus*, apud Ciceronem*; *tutor finium Sylvanus*, apud Horatium†, & similia. Ac τ̃ μεθορίων, *juris fines transscendere*, apud Lucretium‡: *ingenii fines*, Tullio I de Orat.

‡ Heaut. 3. 1.
* Pro Dejotaro.
† Epod. od. 2.
‡ Lib. 3.

Foci pro sedibus patriis plurale est. Nec mirum, cum multi sint. Sic Plautus Amphitr.

Urbem, agrum, aras, focos, seque uti dederent.

Et Cicero III de Nat. Deor. *Pro aris & focis pugnare.*

Fori, quomodo Charisius ait vocari *in navibus, quibus nautæ sedentes remigant*, plurale tantùm dicitur eidem Charisio, Diomedi, ac Phocæ. Ennius tamen apud Isidorum*, ait:

* Lib 19, cap. 2.

Multa foro ponens, ageaque longa repletur.

Ubi MSS nostri, *ponit*. Sed *ponens* metrum exigit, atque ita jam olim legit Despauterius. Ennium imitatus Agellius lib. XV, cap. ult. *Stans in summo puppis foro.* Atque hinc glossæ Benedicti: Κατάστρωμα, *forus.*

Freni carere singulari, docent Charisius & Diomedes: utcumque Maro dicat lib. XII:

Ni frenum accipere, & victi parere fatentur.

Nec repugno. Nam à *frenum* est *frena*. At *freni* foret à *frenus*, quod non memini me legere, ne quidem in veterum fragmentis.

Furfures plurale tantùm esse, tradunt Diomedes, & Phocas: sed pro capitis vitio. Quomodo Plinius lib. XX, cap. IX, *furfures capitis* dixit. Nam pro crassiori farinæ recremento Plautus Captivis ait:

Tum pistores scrophipasci, qui alunt furfure sues.

placet, quod ex vett. libb. *furfuri* emendant: quod pro *furfure* ponitur, ut Cicero dixit —— *parti miscetur in una.*

Sed neque sic versus, qui trochaicus esse debet, integer erit, quia sede quintâ sic jambus erit. Quare rescribo:

Tum pistores scrophipasci, furfuri qui alunt sues.

Despauterius ait, etiam pro capitis vitio esse singulare: quod probat illo Sereni Sammonici cap. XV:

Additur excussus niveâ similagine furfur.

Sed nihil certius, quàm hic pro farinæ sumi purgamento.

Garamas est apud Senecam in Hippolyto*, & Hercule Oeteo†, itemque Claudianum lib. I de laudibus Stiliconis‡, & alios.

* Act 5, vers. 67.
† Act. 3, vers. 1104.
‡ Vers. 216.

Gemini plurale semper esse ajunt. Hoc quoque à natura erit, non vocis naturâ. Nam duo sint necesse, qui *gemini* dicuntur. Et *fratres* intelligitur, quod quandoque exprimitur. Nec tamen nunquam singulare. Nam Plauti est Menæchmis*: *Geminus est frater tuus.*

* Sc. ult.

Ac similiter loquitur Persa act. IV, sc. VI, & act. V, sc. II: item *Gemina germana soror*, Milite act. II, sc. IV, & V.

Grumi, οἱ τ̃ ὄρων λίθοι, carere singulari dicit Charisius. Accius tamen Oenomao† ait:

† Apud Nonium in Grumum.

Quemcunque institeram grumum, aut præcisum jugum.

Horti, pro locis ad voluptatem consitis, in plurali dicitur: de quo Valla Eleg. lib. III, cap. IX.

Indigetes in plurativo solùm poni volunt. At Julii Frontini est libro de Aquæductibus: *Romana Urbs indiges, terrarumque Dea, Cui par est nihil, & nihil secundum.* Etiam Prisciani verba sunt in VI: *Hebeo, hebes; hic, & hæc, & hoc hebes, hebetis: indigeo, indiges; indiges, indigitis.* Ubi Priscianus eos sequitur, qui Deos indigetes ita dictos putant, quia nullius indigeant: quod etiam apud Servium legere est in XII Æn. & à Petro Crinito probatur lib. I de honesta discipl. cap. ult. Sed veriorem nominis caussam in Originum libris adducimus.

Inferi plurale semper Charisio, & Diomedi. Nempe quia

quia *Dii* intelligitur. Sed naturâ dici *inferus Deus* postea liquebit.

Lares tantùm plurali numero enunciari, Charisii, & Diomedis est opinio. Sed agnoscit tamen Charisius *Lar* dici. Usurpat Plautus Aulularia, prologo Mercatore act. v, sc. i. Trinummo act. i, sc. ii. Item Cic. in Verr. Sallust. in Catil. Horat. lib. i. Sat. ii. Ovid. in Fastis. Etiam L. Pomponius, Atellanarum Poëta, ut Gellius* vocat, fabulam scripsit, cui nomen *Lar familiaris*. Meminit Priscianus in vi. Imo Horatii est Serm. lib. i, sat. ii:

* Lib. 16. cap. 6.

Qui patrium mimis donat fundumque laremque.

Usi & Appulejus, Ausonius, & alii, in his Capella lib. i: *Lar cælestis, nec non etiam militaris.*

Lemures, νυκτερινοὶ δαίμονες, plurale semper ait Charisius, ac Diomedes.

Lemurem tamen est apud Appulejum de Deo Socratis.

Lendes, κονίδες, virile, ac semper plurale; ut ait Charisius, ac cum eo Diomedes.

Liberi plurale semper, juxta Charisium, Diomedem, Phocam. At alii *liber* singulari reperiri pro filio, probant illo Catulli de nuptiis Pelei & Thetidos †:

† Vers. 402.

Optavit genitor primævi funera nati,
Liber ut innuptæ poteretur flore novercæ.

Nempe, ut ἀντίθεσις sit, ac genitor quidem dicatur optare mortem filii; filius autem, ut, patre defuncto, securè possit cum noverca concumbere. Sed potiùs censeo, *liber* adjectivè accipi, & ad patrem referri: ut *noverca* hic dicatur κατὰ πρόληψιν, quæ filio futura sit noverca. Ita sententia erit: Pater de connubio altero juvenculæ cogitans, optat filii mortem, quò liber sit à metu ejus. Sed alia suppetunt exempla. Quinctilianus Declamatione Cæci in limine: *Liberi, ac parentis, non alius mihi videtur adfectus, quàm pro rerum natura, quo mundus ipse constitutus est.* Etiam Aurelius Victor à Schotto editus similiter locutus. Item Justinianus Institut. lib. iii, tit. vii: *Et hoc humanitate suggerente concessum, ut siquis in servili constitutus consortio liberum, vel liberos habuerit, sive ex libera, sive ex servilis conditionis muliere*, &c. Item in Cod. Justin. l. xxxiii de inoffic. testam. *Siquis suo testamento maximam quidem portionem libero relinquat, minusculam alii, vel aliis de stirpe sua progenitis.* Ac similiter l. viii, §. iv. Cod. de secundis nuptiis: *Illius etiam patris, qui in sua potestate talem liberum vel liberos habens.* Imò l. xxxiv Dig. de pactis, ubi Modestini verba in Pandectis Florentinis sic leguntur: *Jus adgnationis non posse pacto repudiari, non magis, quàm ut quis dicat, nolle suum esse:* in vulgatis fuit, *liberum esse:* quod Accursius exponit *filium.* Quin quod Dionysius Latinis *Liber* dicitur, sororque ejus *Libera:* id non aliud signare puto, quàm *filius, filiaque.* Sanè apud Livium legas lib. iii: *Familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberaque, venum iret.* Et Tacitus lib. ii Annal. *Libero, Liberaque, & Cereri, juxta Circum Max.* At apud Dionysium Halic. pro eo est, Δήμητρι, καὶ Διονύσῳ, καὶ Κόρῃ. Uti & in veteri inscript. Romæ: DEO BACCHO, CERERI, ET CORÆ SACRATÆ APUD ÆGINAM. Ut igitur Castor & Pollux, Διόσκουροι, hoc est, Διὸς κοῦροι seu κόροι, *Jovis liberi:* ita Cereris liberi*, *Liber, Liberaque:* hoc est, filius, filiaque. Quomodo apud Pausaniam in Atticis, Δήμητρος †, καὶ τῆς παιδὸς, ἀγάλματα. Ut audiendi non sint, qui Baccho inde nomen Liberi factum censent, quòd vino obruti liberiùs loquantur, ut Festus ait: vel quòd vinum animum liberet servitio curarum, ut Seneca mavult in fine libri de Tranquillitate vitæ: vel quod sit Liberi soror, ut J. Lipsio visum. Quod si Libero non est nomen à libertate: minùs mirandum, si *Eleutheria* Plauto aliud sint ac *Liberalia.* Nempe *Liberalia* sacra Libero, hoc est, Baccho, qui Liber dictus ratione Cereris matris: at Ἐλευθέρια sacra Διὶ Ἐλευθερίῳ, cujus & Plutarchus meminit in Aristide. Ex his satis cognoscimus, veteres singulo numero *liber* dixisse pro filio. Eaque fortassè caussa est, cur, licet distributiva numeralia jungantur singulo numero carentibus, Tacitus tamen lib. iv Annalium dicat, *Pellit domo Sejanus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat.* Pro, *ternos liberos.*

* Cicero lib. 2 de Nat. Deor.

† Cereris, & Liberæ (seu filiæ) simulachra.

Loci muliebres, ubi nascendi initia consistunt, ut Varro* loquitur, tantùm plurale, juxta Charisium. Quod & Plinius firmat lib. xi, cap. xxxvii. Sed perpetuum non est, quod in homine ait *locos* dici, in mutis animantibus *vulvam.* Nam & in equa sic vocat Columella lib. vi, capite xxvii. *Detersis spongiâ feminæ locis, & admotâ equi naribus.* Nisi rectus hic *loca.* Quomodo idem lib. viii, cap. xi de pavonibus ait: *Sæpiusque digitis loca feminarum tentanda sunt: nam in promtu gerunt ova.*

* Lib. 4. de L. L.

Loculi, in quos pecunia reconderetur, plurale semper putant. Et vix aliter invenias. Varro tamen lib. iii de R. R. extremo cap. v: *Quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum.* Charisius quoque eâ de re sic scribit lib. i: *Loculos, & locellos pluraliter dici, multi putant, cùm sit hic loculus, cujus hypocorisma est hic locellus. Nam Varro Rerum Rusticarum libro ii loculum dixit. Et Cæsar ad Pisonem, Locellum tibi signatum remisi.*

Ludi, pro spectaculis publicis, juxta Charisium, & Diomedem, semper est plurale: quomodo *Apollinares ludos* ait Tullius in Verrinis: *funebres ludos, & gymnicos*, Plinius lib. vii, cap. lvii.

Lumbi in plurali longè est usitatius. Nec refugit tamen Martialis singularem lib. xiii, epigr. v:

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo.

Majores, προγενέτορες, singulari carere, inquit Charisius. Nempe quia multi sunt, à quibus genus ducimus. Etiam de iis dicitur, à quibus hæresis aliqua quasi per manus accepta. Quâ significatione & numero singulo invenitur. Nam ut Gellius lib. xix, cap. i dixit, *Majores nostri conditores sectæ Stoicæ:* & Appulejus in Apologia, *Jampridem majores meos, Aristotelem dico, & Theophrastum, & Eudemum:* ita idem ille Madaurensis scribit in Floridis, *Major meus Socrates.*

Magistratus οἱ ἄρχοντες in plurali usurpari cum dixisset Charisius: addit, *& magistratum invenimus.* Sic Tullius i Off. *Proprium munus magistratus.* Et consul dicebatur *major magistratus*, teste Festo.

Manes plurale semper ait Diomedes in primo, Phocas in Arte, & Priscianus in v. Appulejus tamen de Deo Socratis ait: *Cùm incertum, utrum lar sit, an larva, Deum manem vocant.* Quid mirum? cum naturâ sit adjectivum, ac *bonum* notet. *Manis* enim veteres dixere pro *manus:* ut *porci sacres** pro *sacri.* A *manis* remansit *immanis.* Quemadmodum igitur in *superi*, & *inferi*, ita in *manes* Dii intelligitur. Quod exprimi sæpius solet. Quid enim in antiquis inscriptionibus vulgatius, quàm illud, D. M. hoc est, *Diis manibus?*

* Plautus Rudente act. 4. sc. 6. item Menæchmis act. 2, sc. 2. & apud Varronem de R. R. lib. 2, cap. 1 & 4.

Menses, pro profluvio, plurimùm plurale. Singulari verò usus Plinius lib. xvii, cap. xxviii: *Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas à muliere incitati mensis nudis pedibus recinctâ.* Ita quoque in antiquâ & optimâ editione Parmensi. Quidam tamen libri, *incitatis mensibus.*

Mores, ἦθος, τρόποι, à Charisio, & Diomede, refertur inter semper pluralia: verùm subjungit prior, *Sed & Mos legimus.* Et certè apud Ciceronem, & alios, passim invenias; ut non sit huic immorandum.

Natales, ab iisdem semper dicitur plurale. Intellige pro generis nobilitate, aut sordibus. Nam pro die natali in singulari est usitatum.

Nomades, & alia quædam populorum nomina, rarò legas in singulari. Verùm ut *Garamas* apud Senecam esse diximus: ita *Nomas* est apud Martialem lib. viii, epigr. lv, & lib. ix, epigr. lxxvii.

Nostrates, ἡμέτεροι, Charisius refert inter ea, quæ carent plurali. Sed addit: *Huic quidam singulare dant, nostras nostratis, ut potestas potestatis.* Sic Plinius lib. xv, cap. xxix dixit, *myrtum sativam nostratem.*

Optimates, οἱ κράτιστοι, προέχοντες, Glossæ Cyrillo tributæ: Ἄριστοι, *optimates. Singulare non habet.* Etiam plurale solùm dicitur Charisio, Diomedi, Phocæ. At subdit

dit Charisius: *Invenimus Optimas, & Infimatem legimus.* Sic legendum. Prius habes apud Cælium ad Ciceronem †: *Vide, ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter, quod optimum sit, eligas.* Ac ipsius quoque Ciceronis est lib. IX ad Att. ep. VI: *Id mandavi Philotimo, homini forti ac nimium optimati.*

† In illis ad Att. lib. 10, ep. 11.

Pantices, ut arbitror, solum in plurali reperitur. Sic pandendo intestina. Indeque Germanicum *pantzen*, Belgicum *pensen*, Gallicum *pance*, Italicum *pancia* vel *panza*, Hispanicum *pança*.

Penates, πατρῷοι θεοί, plurale solùm Charisio, ac Diomedi. Sed in eodem *Penate* est apud Livium lib. XXVIII. Nempe à nominativo *Penatis* vel *Penas*. De priori sic Priscianus in VII, *Invenitur tamen apud vett. ejus singularis, hic Penatis, hujus Penatis.* At ex *Penatis* alter nominativus *Penas*, ut ex *nostratis*, & *Arpinatis*, *nostras* & *Arpinas*. Festus: *Penatis singulariter, Labeo Antistius posse dici putat, quia pluraliter Penates dicantur; cum patiatur proportio etiam Penas dici; ut optimas, primas, Antias. Penas* confirmat Dionysius Halicarnassensis lib. I Antiquitatum Romanarum: ubi se in pervetustâ ait æde sub Velia conspexisse Deorum Penatium signa, cum inscriptione ΔΕΝΑΣ. Unde Dionysius colligit, veteres ante inventum Π pro eo usos figura Δ. Sed verisimiliùs Scaliger inde colligit, Π quondam habuisse figuram, quæ proximè ad Delta accederet. Vide eum in digressione de Ionicis literis ad Eusebii an. DCXVII.

Plerique, οἱ πλεῖστοι, semper plurale, secundùm Charisium. *Plerus* tamen dicitur, unde *pleri*; à quo *plerique*, ut à *quis*, *quisque*, & *quique*. Pacuvius *:

Periere Danai, plera pars pessumdata est.

Et in Dulorestе †:

Pater Achæos in Capharais saxis pleros perdidit.

* Apud Prisc. in 5.
† Ibid.

Cato lib. I Orig. *Agrum, quem Volsci habuerunt, campestris plerus Aboriginum fuit.* Sic & *plerum*, pro *plerumque*. P. Sempronius Asellio Historiarum lib. III: *Ut fieri solet plerum, ut in victoria mitior mansuetiorque fiat.* In fragmentis historicorum veterum, ab Ausonio Popma divulgatis, pro *plerum* editum est *plerumque*; sed planè contra Prisciani mentem in quincto: ubi hunc Asellionis locum adducit, ut inde ostendat, veteres sicut *plerus*, & *plera*, sic & *plerum*, sine syllabica ἐπεκτάσει *que*, dixisse.

Plures, πλείονες, idem Charisius semper ait plurale. Nempe *plura* quidem vel *pluria* est à *plus*: verùm *plures* non habet genus in singulari, quod respondeat.

Posteri, μεταγενέστεροι, plurale solùm eidem Charisio, ac Diomedi. Quid mirum? cum multos signet: nempe omnes, qui post nos erunt, οἱ μεθ' ἡμᾶς: quomodo *majores*, οἱ πρὸ ἡμῶν. Alioqui dicitur *postero*, vel *posterâ die*, ac similia.

Primores inter ea, quæ semper pluralia sunt, reponit Charisius lib. I, Diomedes lib. I, & Phocas in Arte. De eodem sic Servius ad IX Æn. *Genitivus primorum hic est ab eo, quod est hic primus, hi primi; & ab eo, quod est primores, sicut hi proceres: quorum nominum nominativus singularis non invenitur, licet dicamus hujus primoris, hujus proceris.* De genitivo *primoris* quod ait, verissimum est, cùm adjectivè sumitur. Ut illo Lucretii lib. VI:

——*Nasi primoris acumen.*

Verùm nihil hic singulare, quando adjectivè alii etiam casus inveniuntur. Silius lib. XI:

Hu super excisam primori Marte Saguntum.

Nec soli sic Poëtæ loquuntur. Nam Taciti est III Histor. *primori in acie.* Etiam Suetonius in Tiberio: *Adsidebat in parte primori.* Agellius lib. X, cap. XIX: *Si me non fallit, quod in primori pueritiâ legerim.* Et lib. XVI, cap. V: *Animadverti quosdam haudquaquam indoctos viros opinari, vestibulum esse partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat.* Quomodo & Cato cap. LI dixerat: *Pullos in terram deprimito, extollitoque primorem partem.*

Proceres singulo carere, ajunt Charisius, Diomedes, Phocas. Verùm Juvenalis est sat. VIII:

Agnosco procerem: salve Gætulice.

Pugillares plurale semper Diomedi, ac Phocæ. Ausonii * tamen est,

Bipatens pugillar expedi.

* Epigr. 137.

Ut non debeat barbariei arcessi vulgatus Scripturæ interpres, quod Luc. I, 63. ubi Græcè πινακίδιον, is dicat; *Et postulans pugillarem, scripsit.* Nempe naturâ est adjectivum, & ut in *annales*, *duplices*, *triplices*, ita in *pugillares*, intelligitur *libri*. *Pugillaria* pro eo dixit Catullus †, & Agellius * intelligendo *schedia*, vel simile. Naturâ igitur æquè habet singularem, ac *annales*. Ac *pugillaria* à *pugillare*; *pugillares* à *pugillaris*. Onomasticon: *Pugillaris*, πινακίδιον.

† Carm. 43.
* Lib. 17, cap. 9.

Quinquatrus Charisio refertur inter ea, quæ semper pluralia. Quemadmodum & *quinquatres* inter hæc recenset, & quidem inter masculina. Sed *quinquatres* non ausim dicere: etsi & apud Priscianum inveniam lib. VII. Apud Diomedem verò etiam *quinquatria* lego. Puto tamen, solùm *quinquatrus*, & *quinquatria*, dici posse. Prius est apud Varronem lib. VIII de L. L. Ovidium VI Fast. Plinium lib. XXXV, cap. XI, Festum in *Quinquatrus*. Posterius, apud Tranquillum in Domitiano cap. IV: *Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ.* Ac similiter Glossæ: *Quinquatria*, Παναθήναια. Utrumque, *quinquatrium*, *quinquatribus*, in gignendi, & dandi casu facit. Cicero tamen ad M. Cælium epist. XII, lib. II earum, quæ ad familiares, ait: *Ita tumultuosæ conciones, ita molestæ Quinquatriis adferebantur.* Sed facilis lapsus ex *u* in *ii*: eoque placent, qui legunt, *quinquatrus*. Ut ex hoc loco etiam, esse femininum, consequatur: quomodo & Varro in V de L. L. ait, *minuscula Quinquatrus*. Sanè Cicero nusquam *quinquatriis* dixit: sed *quinquatribus* apud eum legas epist. XXV, lib. XII, & ad Att. epist. IX, lib. IX. Uti & apud Nævium Quinquatribus, Plautum Milite, Horatium lib. II, epist. II, Juvenalem sat. X. Objiciat aliquis Suetonii illud in Augusto capite LXXI: *Nos, mi Tiberi, Quinquatriis satis jucundè egimus.* Sed hic quoque adsentio Casaubono, *quinquatrus* ex Memmii & Lislæi cod. reponenti. Aliqua de hac voce etiam dico libro sequenti cap. XV.

Quirites semper esse plurale, tradunt Charisius, Diomedes, Phocas. Sed Poëtæ non refugiunt singularem: ut rectè Sergius in Donati editionem secundam observat ex Horatio: cujus est lib. II, od. VI:

Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, Italoque cœlo?

Et epist. VI, lib. I:

Ludicra quid, plausus, & amici dona Quiritis?

Est & apud Persium sat. V:

——*Heu, steriles veri, quibus una Quiritem*
Vertigo facit!

Sed hoc non temere usurpandum in prosâ. Quippe, ut ad eum locum scribit vetus Scholiastes: *Quiritem singulariter abusivè dixit licentiâ Poëtica. Nam sicut pater Conscriptus non dicitur, ita nec Quiritem dicere possumus.* Antiquum nominativum esse *Quiris*, ait Sergius. Nisi legendum, *hic Quiritis*. Nam inconstanter nunc *hic Quiris*, nunc *hic Quirites*, in eo est exaratum.

Sales dictionis singulo carere numero, à Charisio proditum est, ac Diomede. Sed Plauti est Casina:

——*Nec pote quicquam commemorari quod plus salis*
Plusque leporis habeat.

Imò Cicero hoc numero non abstinet. Ut lib. II de Natura Deorum: *Ita salem istum, quo caret vestra natio, in irridendis nobis nolitote consumere.* Et epist. I ad Quinctum fratrem: *Dicendi sal facetiaque valuissent.* Et lib. II de Oratore. *Nullam artem esse salis.* Et de claris Oratoribus: *Publius Scipio omnes sale facetiisque superabat.* Et alibi * apud eundem.

* Philipp. 2. & ad Quinct. Fratrem lib. 1, ep. 2.

Sentes inter pluralia refert Charisius, ac Phocas. At Columellæ est lib. XI, cap. III: *Nos sentem canis appellamus.* Idem tamen in plurativo usurpat lib. VI, cap. III: *Liberantur antea sentibus*, &c. Singularem usurpat & Pru-

 den-

dentius lib. II in Symmachum; at novè non *sentis* dicit, sed *sentix*. Ita enim in vett. codicibus legi, scribit in indice Lucretiano Obertus Giffanius*:

*In Lateramen.

Ne frugem segetemque animæ spinosa malorum
Impediat sentix scelerum peccamine crebro.

Ambiguum sanè, num errore librarii ita scriptum sit, an ab auctore. Sanè in multis hasce literas commutarunt. Ita dixere *strues*, & *struix*: unde *struices patinariæ* apud Plaut. Menæchmis†: *struices saxeæ*, apud Livium Andronicum*. Similiter, Prisciano teste, dixere, *Ajax*, & *Ajas*; *pistrix*, & *pistris*. In vett. quoque Philoxeni glossis *pulvix* pro *pulvis* lego, & *follex* pro *folles* sive *follis*: ac in manuscriptis Appuleji codd. est *locuplex* pro *locuples*: *milex* quoque pro *miles* invenio in antiqua inscriptione, quæ Romæ est in Quirinali, in ædibus, quæ quondam fuere Pomponii Læti*:

† Act. I, sc. I.
† Teste Festo, in Struices.

DEO SANCTO
APOLLINI PACIFERO
EX VOTO LIBES† SOLVIT
MILEX CORTIS PRÆTORIÆ
CENTURIA DASI
ÆLIUS C. LIBES VOTUM
REDDEDIT.

* Pag 38. num. 7 Inscriptionum Gruterianarum.
† Ita lapis, pro libens: uti & mox cortis, pro cohortis; & reddedit, pro reddidit.

Singulus habere singularem, negant Charisius, Priscianus, alii. At Plauti est Cistellariâ ‡:

Atat, singulum video vestigium.

‡ Act 4. sc. Nisi quid mihi.

Nisi *singulum* poni dicas pro *singulorum*: uti Lambinus sentit, qui cum Prisciano negat, *singulum* in singulari antiquitus esse usurpatum. Sed hac parte Nonium potiùs audio: qui Plauti ita, ut dixi, locum cepit. Etiam adducit geminum Varronis locum. Unus est Περίπλου lib. I: *Tum verò doces historiam necessariam, semel unum singulum esse.* Alter ex Octogesima, περὶ νομισμάτων: *Hoc erat incommodi, quod nesciebamus, semel unum singulum esse.* A. Gellius quoque *numerum singulum* pro *singulari* dixit libro XVIII, cap. XIII, & lib. XIX, cap. VIII. Item Terentianus Maurus:

Sescuplo vel una vincet alterius singulum.

Glossæ Cyrilli: Ἕκαστος, *singulus*. Agnoscit & Papias.

Spiritus pro animi elatione usitatius quidem est in plurali. Ut illo Cic. pro Sylla: *Res gestæ credo meæ me nimis extulerunt, & mihi nescio quos spiritus attulerunt.* Non tamen id perpetuum est. Nam ejusdem est ad Quinctum fratrem lib. I, epist. II: *Quid L. Cæcilium, nonne omni ratione placavi? quem hominem? quâ irâ? quo spiritu?*

Superi, & *inferi*, non aliter quidem, quam plurali, efferuntur, cùm ἐλλειπτικῶς intelligitur *Dii*. Verùm non propterea dixerim, singulo destitui numero, quia ut pluraliter efferuntur, cùm intelligitur *Dii*, ita singulariter enunciantur, cum additur *Deus*. Ut illo Livii Andronici apud Priscianum:

Inferus, an superus, tibi fert Deus funera Ulysses?

Triplices carent plurali, cùm sumuntur pro pugillaribus trium foliorum, quos ex ebore, citro, aliâve materiâ faciebant. Martialis lib. VII, ep. LII:

Bis senos triplices, & dentiscalpia septem.

Et ep. LXXI:

Nec vani triplices, brevesque mappæ.

Est verò natura adjectivum, in quo intelligitur *libelli*. Quomodo & *duplices*, & *eborei* dicimus, eâdem voce intellectâ.

Vepres plurale semper statuitur à Charisio, Diomede, ac Phoca. At Ovidii est lib. V Met. fab. X:

Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum.

Caper de Orthographia: *Veper, vel vepres masculinum.* Fortasse pro *veper* rescribendum *veprem*. Interea censeo rectum potiùs *veper* fuisse, quàm *vepres*. Et movet, quòd *hunc veprem* dicatur: at illa in ER sæpius *virilia*: illa in IS plurimum sunt feminina. Sanè *veper* non legitur. Grosippus sive Scoppius in Institutionibus Grammaticis ait*, Columellam eo uti lib. XI, cap. III. Sed apud eum est: *Hunc veprem manifestum est interimi non posse.* Ac purissimæ hoc Latinitatis auctore defenditur illud vulgati Scripturarum interpretis Esai. IX, vers. 18: *Veprem & spinam vorabit.* Et XXVII, 4: *Quis dabit via spinam & veprem?*

* Pag. 111.

CAP. XLIII.

Feminina, quæ existimantur carere singulari. Ædem, æde. *Lævini Torrentii lapsus.* Alpis, Alpe. Ambage. Angustiæ. Antæ. Antenna. Antiæ. Argutia, *&* argutiola. Barbam *quoque de bestiis*, barbas *de homine dici, contra quam Caper, & Servius, censuere.* Biga, triga, quadriga. Blanditia. Caulæ. Ceremonia. Compede. Copia, *pro exercitu.* Cratim. Daps, dapis, dapi, dapem, dape. Decima. Eumenis. Facetia. Falæ. Fascis, *de consulum insigni.* Fauce. Feria *in plurali.* Fides, *&* fidicula. Foris, forem, fore. Frugum *vox propriè accepta, quanto latiùs pateat, quam* frumenta. Gena. Gerra. Gingiva, gingivula, *& fortassè* gingilla. Grates *ex* χάριτες. Grossus. Habena. Illecebra. Inducia. Ineptia. Inferium vinum. Calpar. Lactis agnina, *vel* tua. Latebra. Lutinæ. Manubiæ. Minutia, minuties. Nænia. Natis, nare. *Quod primum Claudiani fuerit poëma Latinum.* Nundina *Dea.* Offucia. Ops. Palea. Præstigia. Quisquilia. Reliquia. Salebra. Scala. Sordis. *Beda emaculatus.* Sors *pro* oraculo. Symplegas. Vigilia. Vindicia.

A Masculinis transeo ad feminina pluralia.

Ædem, juxta Servium*, *numero singulari de templo tantùm dicimus: plurali & de domibus, & de templo.* Id ipsum Charisius censet, ac Diomedes. Sed Plauti est Asinariâ Act. I, Sc. Unumquodque istorum:

* In 2 Æn.

—— *Ædis nobis area est, auceps sum ego.*

Attejus Capito in Conlectaneis, & ex his Gellius lib. IV, cap. XIV, citant decretum tribunorum; ubi inter alia legitur: *Mamilia ad Tribunos plebei provocavit. apud eos dixit, comissatorem Mancinum ad ædes suas venisse: eum sibi recipere non fuisse† in æde suâ: sed cum vi irrumperet, lapidibus depulsum.* Varro lib. I de vita pop. Rom. apud Nonium: *Hæc ædis, quæ nunc est, multis annis post facta fit.* Curtius quoque usus cum alibi, tum lib. VIII: *Excubabant, servatis noctium vicibus, proximi foribus ejus ædis, in qua rex acquiescebat.* At pro templo sacrisve ædibus, nihil usitatius. Nec tamen perpetuum est, quod [illegible] vinus Torrentius in notis ad Horatium putabat, nunquam pro templo usurpari, nisi Dei, cujus templum est, nomen addatur. Nam de Apollinis æde dixit Horatius sat. X, libro I:

† Sic lego, non ut in Stephaniana est, fas non fuisse: vel ut in aliis, [illegible] fuisse. Nam fas, & visum absunt ab antiquis codd.

—— *Hæc ego ludo,*
Quæ nec in æde sonent certantia, judice Tarpâ.

Et alibi:

—— *Vacuam Romanis vatibus ædem.*

Item Ulpianus JC. l. I. §. si pecunia in sacculo. D. depositi: *Vel si hoc recusaverit, in æde deponendo.* Et mox: *Rem in ædem deponi.* Ibid. §. seq. *Oportere igitur rem deponi in æde aliqua, donec de hæreditate judicetur.* Nam in sacris ædibus pecunia ex more deponebatur.

Alpes semper esse plurale, ait Charisius in primo. Sed *Alpem* dici, Lucani duobus, & uno item Juvenalis loco, docet Priscianus. Etiam *Alpis* est apud Silium lib. IV:

—— *Equitemque per ardua vectum*
Insultasse jugo, & fremuisse hinnitibus Alpis.

Sed qui eo pugnet, non attendat hic plurativè dici *Alpis* pro *Alpes*. At singulare est illo Livii libro XXV: *Ipsi per Taurinos, saltusque Iulia Alpis, conscenderent.* Ovidii quoque est in III de Arte:

Nec quot apes Hybla, nec quot in Alpe feræ.

Lucani item lib. III:

Agmine nubiferam capto superevolat Alpem.

Etiam Dionysius in περιηγήσει ait:

—— Ἐκ δ' ἢ βορείης
Ἄλπιος ἰσχόμενος.

Etiam,

Etiam, Latinâ imitatione legas in VII Sibyllinorum oraculorum:

Δυ̃βατον ἄλπεων.

Alpe, apud Claudianum lib. III de laudibus Stiliconis*:
Dixit, & extemplo frondosâ fertur ab Alpe.

* Vers. 285.

Sidonius verò Apollinaris non usurpat modo Carmine II, IX, & XVI: sed & lib. V, epist. XVI ait: *Cùm primum tetigit Alpe transmissâ Galliæ solum.*

Ambage usurpat Ovidius VII Met. fab. XXVI
——— *Nec longâ ambage morer vos.*

Item lib. VIII, fab. II:
Ducit in errores variarum ambage viarum.

Tacitus lib. VI Annal. *Namque Macroni, non abditâ ambage, Occidentem ab eo deseri, Orientem spectari exprobravit.* Et Seneca in Oedipo†:
Ambage nexâ Delphico mos est Deo
Arcana tegere.

† Vers. 216.

Claudianus lib. de bello Getico*:
O semper tacitâ sortes ambage malignæ!

* Vers. 552.

Et Prudentius lib. II contra Symmachum:
Instigat bacchantis anus, ambage Sibylla.

Angustia, στενοχωρία, plurale semper Charisio. Sanè eo numero usitatius multò. Plinius tamen *angustia loci*, lib. XIV, cap. I. Et Cicero, ut pro Cæcina *verborum angustias*: ita lib. II de Nat. Deor. ait: *Angustia conclusæ orationis non facilè se ipsa tutatur.*

Anta referri solet inter ea, quæ carent singulari. Plurali crebrò uti videas Vitruvium lib. III, cap. I: ut alios mittam. Sed eo, puto, plurale, quia geminæ antæ. Nam sic dicuntur latera ostiorum, Festo teste. Quare culpare non ausim, qui *dextram*, vel *sinistram antam*, dixerit.

Antenna, κέρας πλοίου, plurale solùm Charisio, & aliis, statuitur. Sed singulari utuntur Ovid. III Trist. Eleg. IV, & Statius lib. III Sylv. carm. II: imò & Plinius lib. VII, cap. LVI: *Vela*, inquit, *Icarus: malum & antennam Dædalus.* De rerum inventoribus sermo est. Item Julianus l. VI. D. ad legem Rhodiam de jactu: *Navis adversâ tempestate depressa, ictu fulminis deustis armamentis, & arbore, & antennâ, Hipponem delata est.*

Antiæ, κόμαι διάτονοι τ̃ κροτάφων, Charisio duntaxat plurale dicitur. Ac similiter Phocas. Credo naturâ adjectivum; & intelligi *comæ*: ut plurale solùm sit, quia significationi multitudo naturâ inest. Appulejus lib. I Floridorum: *Jam primùm crines ejus, præmulsis antiis, promissis capronis, anteventuli, & propenduli.* In glossis Isidori numero singulo legas, *Antia*: sed exponitur, *ferrum in scuto.* Ut hujus loci non sit. Et metuo, ne sequioris ævi.

Ara Charisius, & Diomedes, plurale semper tradunt: sed pro penatibus. Ut cùm dicimus, *pro aris, & focis certare.* Nimirum, quia non pro una certatur ara, sed multis. Nam pro una singulo sæpe sumitur. Ut vel Ecl. I:
——— *Illius aram*
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Argutiæ singulari caret, juxta Charisium, & Phocam. Appulejus tamen initio primi Met. *Argutia Nilotici calami.* Gellius quoque usus lib. III, cap. I, & lib. XII, cap. II. Qui & inde format *argutiola* lib. II, cap. VII.

Barba in bestiis, Flavius Caper, & Servius, ajunt semper plurale. Sed refellit hanc sententiam Charisius Sosipater lib. I, his verbis: *Barbam singulariter in uno homine rectè, pluraliter in pluribus dicas. Nam & Virgilius* de pluribus ait:*
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Errant enim, qui in hominibus, barbam; in hircis, barbas dici putaverunt. Nam hic de hominibus Virgilius loquitur. Quamvis & hircorum dixerit barbas; sed, ut dixi, multorum. Locus Virgilii, quem signat, est ille III Georg.
Nec minùs interea barbas, incanaque menta,
Cyniphii tondent hirci.

* Lib. 3, Georg.

Barbam verò, contra quàm Caper & Servius docent, etiam de mutis dici animantibus, fidem fecerit illud Horatii lib. I Sat. VIII:
Utque lupi barbam varia cum dente colubræ.

Biga, δίφρος, συνωρίς, *triga*, τρίπωλος, *quadriga*, τέθριππος, semper pluralia dicuntur Sosipatro, Diomedi, & Phocæ. Nec singulare probat Varro lib. IX, de L. L. Senecæ tamen est in Hercule Oetæo:
Lassa nocturna levat ora biga.

Et apud Papinium legimus, Epithalamio Stellæ & Violantillæ:
——— *Nec si alma per auras*
Te potiùs prensâ veheret Tritonia bigâ.

Stat. III Sylv.
——— *Olorinaque jubet, considere biga.*

Et lib. I Thebaidos:
Roriferâ gelidum tenuaverat aëra bigâ.

Sed hæc Poëtarum. At ii prosæ scriptoribus usus Valerius Max. lib. I, cap. VIII: *Pausanias in capulo gladii quadrigam habuit celatam.* Plinius lib. XXXV, cap. XI: *Eucrides pinxit bigam regis cum victoria.* Ac lib. XXXIV, idem & *quadrigam*, & *quadrigulam* dixit. Suetonius in Tiberio: *Vix unius bigæ adjectione honorari passus est.* Dixit quoque Ulpianus*: *Quadriga aut lecticariorum stipulatio una est.* Et Julius Capitolinus in Gordiano juniore: *Misitheo autem quadriga equorum, & triumphalis currus.* Et Cassiodorus lib. III Var. ad Faustum de Circensibus: *Biga quasi Luna; quadriga Solis imitatione reperta est.* Ciceronis tamen ævo hæc in prosâ locum non habebant, cùm non Varro modò lib. IX de L. L. neget dici *biga*, & *quadriga*; sed Cæsar quoque lib. I de analogiâ negarit, *quadrigas* habere singularem; ut autor Agellius libro XIX, cap. VIII: qui tamen addit, Varronem ipsum in Exdemetrico *quadrigam* extulisse. Ac idem docet Sergius in Donati editionem secundam. Sed hoc Poëticæ tribuendum licentiæ.

* L. Scire debemus. D. de verb. obligationibus.

Blanditia, κολακεία, semper est plurale; juxta Charisium, Diomedem, & Phocam. *Blanditia* tamen est non apud Plautum Bacchid. modò, & Propertium; sed etiam Ciceronem pro Plancio: *Facilis est illa occursatio, & blanditia popularis.* Idem lib. IV de Rep. *In cive excelso, atque homine nobili, blanditiam, ostentationem.* Q. Cicero de petitione consulatus: *Quid opus est magnopere blanditia?* Rutilius Lupus, Rhetor Fabio ipso antiquior: *Blanditiâ suâ, quod petisset, à patris mollitie impetraturum.*

Caula, μάνδραι, plurale tantùm esse, docet Charisius.

Ceremonia semper plurale ait Charisius, ac Diomedes. At Cicero ait pro Sex. Roscio Amerino: *Perfidiâ legationis ipsius, ceremoniam polluerunt.* Itidem pro Cornelio Balbo, de Aruspicum responsis, Verrina quinctâ, & alibi. Item Cæsar lib. VII: *Quod more eorum gravissimâ continetur.* Tacitus lib. IV Annal. *Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianæ, ceremoniâ occupavisse civitates.* Similiter Suetonius, Gellius, alii. Imò Gellius sic scriptores veteres locutos, clarè ait lib. XIX, cap. VIII.

Compedes, πέδαι, tantùm esse plurale, judicium est Charisii, Diomedis, ac Phocæ. At eis obduco autoritatem Horatii ter singularem usurpantis, lib. IV Carm. od. XI, lib. Epod. od. IV, & lib. I, epist. III: itemque Juvenalis sat. IV, & Martialis lib. V, epigr. LXXV: imò & Columellæ, cujus illud lib. VIII, cap. II: *Eâque quasi compede cohibentur feri mores.* Extra tamen auferendi casum haut temere reperias.

Copiæ, pro *copiis*, plurale tantùm, juxta Charisium. Dixit tamen Plautus Amphitryone†:
Postquam utrinque exitum est maximâ copiâ.

Cn. Pompejum‡, ac Maronem*, eodem modo locutos esse, ostendit P. Victorius castig. in lib. VIII, epist. ad Atticum, & Giffanius in Observationibus L. L. Est & Cæsari crebrum.

† Act. 1, sc. 1.
‡ Lib. 8, ep ad Att. epist. 17.
* 11 Æn.

Crates, πλέγματα ἐκ ῥάβδων, inter ea quæ tantùm pluralia, retulit Diomedes, & ante eum Charisius lib. I. Sed addit hic, *Et cratem dixerunt.* Sanè Plauti est Pœnulo: *Sub cratim ut sese jubeas supponi.* Atque hinc *craticula.* Ut apud Martialem lib. XIV* lemma est, *Craticula cum veru*: cui subjectum,
Parva tibi curvâ craticula sudet ofellâ.

* Ep. 221.

Abla-

Ablativus *crate* est apud Ovid. VIII Met.

—— Pendere putares

Pectus, & à spina tantummodo crate teneri.

Et Juvenal. sat. XI:

Sicci terga suis rara pendentia crate.

Cuna tantùm plurale, testibus Charisio, Diomede, ac Phoca. In glossis tamen Philoxeni est: *Cuna, & cunabulum*, βαβαλισήριον. Sed *cunæ* puto rescribendum.

Dapes singulari carere, judicium est non Phocæ modò, sed etiam Charisii: hic tamen addit: *Et hac daps dixerunt.* Ut apud Catonem de R. R. cap. L. in recto: *Ubi daps, profanata comestaque erit.* Et cap. CXXXII: *Daps Jovi assaria pecunia urna vini Jovi caste: profanato fine contagione.* Ubi sic corrigit R. Fornerius: *Daps Jovi assir † à pecu vim caste profanato in contagione.* Habes & *daps* in epitome Festi: & Priscianus lib. VII citat ex primo Odysseæ Livianæ:

† *Vide Festum.*

—— Quæ hæc daps est? quis festus dies.

Gloss. vett. *Daps*, εὐωχία. Genitivum *dapis* usurpat Hor. lib. IV, od. IV:

Egit amor dapis, atque pugnæ.

Et lib. Epod. od. XVII:

Egens benigna Tantalus semper dapis.

Dativum Cato, loco proxime memorato: *Dapi eius rei ergo.* Accusativum ibidem: *Dapem hoc modo fieri oportet.* Item: *Qui dapem facient.* Itidem Livius lib. I, ab V. C. *Tum sacrum factum, adhibitis ad ministerium, dapemque, Potitiis ac Pinariis.* Ablativo usus Cato ibidem: *Dape pollucendâ.* Item, *Postea dape factâ.*

Imò & Ovidius V Fast. ait:

Nunc dape, nunc posito mensa nituere Lyæo.

Et epist. IX:

Efferum humanâ qui dape pavit equos.

Vide an non & Catulli sit, *mensas dape construxit.*

Decima sæpius, puta *partes*. Sed & *decumam* legas, tum addito substantivo, tum ἀπλῶς. Plautus Sticho:

—— Ut decimam partem Herculi polluceam.

Cicero III de Nat. Deor. *Neque Herculi quisquam decimam vovit unquam, si sapiens factus esset.*

Deliciæ, ἡ σπατάλη, tantùm pluratívum esse, censent Charisius, Diomedes, Phocas. Sed singulo numero *delicia*, & patrio casu *deliciæ*, veteres dixere, ut superiùs * ostensum.

* *Cap. 37.*

Diræ, κατάραι, plurale solùm, ut rectè Charisius. *Imprecationes* intelligere videtur, vel *execrationes*.

Singulari tamen numero dixit Maro in XII:

At procul ut Diræ stridorem agnovit & alas.

Divitiæ etiam singulari carere, monitum Diomedi in primo, & Phocæ in Arte.

Dryas est apud Martialem lib. IX, ep. LXII:

Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas.

Epulæ quoque destitui volunt plurali. Nam *epulum* quidem dici, at non *epula*; unde *epulæ*. Verùm antiquis *epula* fuisse in usu, antea † ostensum.

† *Cap 37.*

Esquiliæ, τόπος ἐν Ῥώμῃ, plurale duntaxat, juxta Charisium.

Eumenis singulo numero est apud Statium lib. VIII:

Necdum illum aut truncâ lustraverat obvia taxo

Eumenis, aut furvo Proserpina poste notârat

Cœtibus assumtum functis.

Excubiæ, πρόφυλακή, Charisio semper plurale; uti & Diomedi.

Exsequiæ, ἐκκομιδή, plurali solùm usurpatur: ut est apud Agellium lib. XIX, cap. VIII; item Charisium, Diomedem, Phocam.

Exuviæ, λάφυρα, σκῦλα, Charisio, & Phocæ, refertur inter ea, quæ nesciunt singularem.

Facetiæ, εὐτραπελία, ἀστειότης, plurale ait Charisius, ac Phocas. Sed Gellius lib. III, cap. III: *Adductus stylo, atque facetiâ sermonis.* Appulejus quoque in Apologia: *Atque ego scio, nonnullos, & cumprimis Ælianum istum, facetiæ sibi habere.*

Falæ plurali usurpatur, Ennio Annali XIV, & Plauto Mostell. Nec aliter Festus, & Nonius: unde turres ligneas sic vocari discimus. Etiam Græci pluratívè φάλαι, ὄρη, πύργοι: teste Hesychio. Sic enim apud eum legendum. Attamen, cùm nonnisi plures turres *falas* vocarint; negare non ausim, *falam* dixisse, si unam signarent. Interea auctoritas non suppetit.

Faleræ sive *phaleræ*, ἱπποκοσμία, à Charisio rectè dicitur singulari carere. In glossis tamen Philoxeni est, *Phalera*, φάλαρα. Sed *phaleræ* scribi debuit. Φάλαρα verò, quo Euripides usus, est neutrum plurale.

Fasces, ῥάβδοι τῶν ὑπάτων, plurale semper ait Charisius: addit tamen, Ciceronem dicere, *Fascem unum si nactus esses.*

Fauces, φάρυγγες, Charisio semper dicitur plurale. Legere tamen est apud Ovidium in Ibin:

Utque Syracusio præstrictâ fauce Poëta,

Sic anima laqueo sit via clausa tua.

Feriæ, ἀργίαι, plurale solùm Charisio, Diomedi, Phocæ: imò & Agellio lib. XIX, cap. VIII: ubi negat, *ferias* magis singularem habere, quam *inducias*, *inferias*, *exsequias*. Apud Ecclesiasticos tamen scriptores usitata est *feria* vox singulo numero. Sed ab iis pietatem Christianam discere est, non castimoniam veteris linguæ Romanæ. Nam prope ejusdem illud monetæ, ac *feria* in plurali: ut apud Corrippum Grammaticum:

Quos illic ludos, quæ feria vulgus habebat!

Fidibus canere, usitatiùs dicitur. Nec tamen significatione eâ semper est plurale. Poëtæ enim sæpe singulo usurpant. Rectò casu Cicero in Arateis:

Cedit clara fides Cyllenia.

Genitivo, Persius sat. VI:

Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ.

Ablativo Horat. lib. I, od. XVII:

—— Fide Teiâ

Dices laborantes in uno.

Item lib. epod. od. XIII:

—— Et fide Cyllenêâ

Levare diris pectora

Sollicitudinibus.

Item Ovid. epistolâ Oenones:

Me fide conspicuus Troja munitor amavit.

Etiam hinc diminutivum *fidicula* usurpat Cicero lib. II de Nat. Deor. & Gellius lib. I, cap. XI. Onomasticon vetus: *Fidicula*, λύρα. At *fidiculæ*, pro tormenti genere, semper est plurale: ut Valla observat Elegantiarum lib. I, cap. V.

Fores, θύραι, plurale tantùm dici, ait Charisius, ac Diomedes. At rectum singularem apud Comicos legas. Plautus Aulul. *

* *Act. 3, sc. Emortuum ego.*

Atat foris crepuit. senex eccum aurum effert foras.

Et Persâ †:

† *Act. 3, sc. 2.*

Sed ibi concrepuit foris. quisnam egreditur foras?

Terentius Adelph. ‡

‡ *Act. 2, sc. 3.*

—— Quidnam concrepuit foris?

Genitivus est apud Ovidium epistolâ Medeæ:

Constitit ad gemina limina prima foris.

Accusativus est apud Plautum Bacchidibus, & alibi non semel. Item apud Varronem Γεροντοδιδάσκαλῳ *:

* *Apud Nonium in Fascia.*

In quibus Libyssa citrus fasciis cingit forem.

Et Ciceronem pro L. Cornelio Balbo: *Aperuit forem scalarum.* Livius pæne initio lib. XL: *Tempestas forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptum tulit & in posticis parietibus Cereris templi affixit.* Quem locum quoque adducit vetus Horatii interpres †. Usus itidem Plautus Casinâ:

† *Ad lib. 1. sat. 2.*

Forem obdo, ne senex me opprimat.

Catullus Epithalamio Juliæ:

Rasilemque subi forem.

Ovidius lib. II de Ponto, eleg. II:

Nec rigidam timidis vocibus obde forem.

Idem lib. III Amor. Eleg. VI:

Difficilem moto cardine subde forem.

Appulejus lib. IX:

Jam

Jam forem pulsare validius.
Denique ablativum usurpat Horatius lib. I, sat. II:
Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.
Et Ovid. lib. II Fast. ubi de Regifugio:
——*Custos in fore nullus erat.*
Appulejus lib. I Met.
Ego verò adductâ fore, pessulisque firmatis.
Et lib. X:
Obserata fore.

Fortunæ, ὑπάρχοντα, οὐσία, plurale solùm, ut cum Charisio prodit Diomedes. *Fortuna* verò singulo numero aliud est: nempe Dea, vel eventus præter consilium eveniens.

Fruges, καρποὶ, carere singulari, docent iidem. Nec ratio obscura, cùm multitudinis significatio insit. Siquidem duo earum genera; frumenta, ut triticum, avena; legumina, ut faba, cicer. Imò & arborum fructus sic vocasse, argumento sit, quòd eas *frugiferas* nuncupamus.

Genæ, παρειαὶ, plurale tantùm Charisio dicitur, & Phocæ. Sed Plinii est lib. XI, cap. XXXVII: *Palpebræ in genis utrimque: sed quadrupedi in superiori tantum gena, volucribus in inferiore.* Et mox: *Graviores alitum inferiore genâ connivent.* Et post paucula: *Quadrupedes, quæ ova pariunt, ut testudines, crocodili,* (connivent genâ) *inferiore tantùm.* Ac deinde: *Extremum ambitum genæ superioris antiqui cilium vocavere.*

Gerræ, πλεκτά τινα περιφερόμενα τείχεσιν, quomodo Charisius exponit, plurale tantùm, ut idem ait. Unde pro nugis poni cœperint, docebit Festus. Quâ significatione, itidem est plurale. In Philoxeni tamen glossis: *Gerra*, ὑδαυνές. Sed malim & hic *gerræ*.

Gingivæ, τὰ οὖλα τῶν ὀδόντων, solùm plurale traditur Charisio, & Diomedi. Atqui Catulli est carm. XL:
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem, atque russam defricare gingivam.
Juvenal. sat. X:
Frangendus misero gingivâ panis inermi.
Indeque diminutivum *gingivula*, apud Appulejum in Apologia:
Complanatorem tumidulæ gingivulæ.
Atque ex *gingivula*, *gingilla*, vel *gingila*: si rectè in glossis Philoxeni; *Gingiva*, οὖλα, γόμφοι. *Gingila*, οὖλον ὀδόντος.

Grates duntaxat pluraliter inveniri, Diomedi monitum. Caussa non alia videtur, quàm quia contractum est ex χάριτες. Charisius: *Hæ grates, & gratia*, χάριτες. Ac similiter glossæ Philox. & Onomasticon vetus.

Grossi sæpius quidem plurale: singulari interim legas apud Plinium lib. XIII, cap. VII: *Sed grossus ejus non maturescit.* Imò Macrobius quoque lib. II Sat. cap. XVI, adducit hæc verba Martii, veteris scriptoris*: *In milibus tot ficorum non videbitis grossum.* Glossæ Philoxeni: *Grassus*, ὄλυνθος, καὶ παχὺς, καὶ λιπαρός: ubi confundit *grossus*, quod est ὄλυνθος, & *crassus*, quod est παχύς.

Habena quoque legimus. L. Varius:
Quem non ille sinit lentæ moderator habenæ,
Quà velit ire; sed angusto prius ore coercens,
Insultare docet campis, fingitque morando.
Adducit Macrobius lib. VI Sat. cap. II. Imò ipsius est Maronis in VIII:
——*Ille actus habenâ*
Curvatis fertur spatiis.

Idus, εἰδοὶ, plurale solùm, ut ait Charisius, Diomedes, Phocas, Priscianus.

Illecebræ, δελεασμοὶ, plurale solùm Charisio, & Diomedi. Sed Plautus in Asinaria ait †:
Atque eccam, illecebra exit tandem.
Et Menæchmis ‡:
Mundicia illecebra est animo amantum.
Cicero quoque I Catil. *Jam verò quanta id ullo unquam homine juventutis illecebra fuit.* Et pro Milone: *Impunitatis spes, maxima est illecebra peccandi.* Ac similiter Gellius lib. II, cap. XXIX, lib. III, cap. V, lib. X, cap. XII.

* *Fortasse ejusdem, unde Priscianus in sexto citat:* Meos hortulos plus stercoro, quam holero. *Sed ibi vocatur* Cn. Marcius. *Verum, credo, librarius* Martii *nomen in vulgatius illud* Marcii *mutârit. Argumentum quidem utrobique rusticum: quod conjecturam nostram juvat.*
† *Act. I, sc. 2.*
‡ *Act. 2, sc. 3.*

Induciæ, ἀνακωχὴ, Charisio solùm plurale, ac similiter Diomedes, & Phocas. Sed ut Agellius lib. XIX, cap. VIII ait, *inducias nonnunquam scriptores veteres singulari numero appellaverunt.*

Ineptiæ, μωρίαι, tantùm plurale; ut ait Charisius. Et longè sanè hoc numero usitatius. Sed ineptia sit, propterea negare etiam singulum numerum habere. Nam Plauti est Mercatore act. I, sc. I:
Ineptia, stultitiaque adeo, & temeritas.
Ita MSSi omnes. Nec versus claudicat, quia ultima in *ineptia* porrecta est ob duas consonas, à quibus vox sequens incipit. Cujusmodi compluria adduxi lib. II artis Grammaticæ, cap. XV. Eodem numero usus Terentius Eunucho Act. IV, sc. VI:
Usque adeo ego illius ferre possum ineptiam.
Et Adelph. act. IV, sc. VII:
Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam.
Ut de Prudentio taceam, cujus est adversus Symmachum lib. I, *ineptia vulgi.* Et lib. II, *gentilis ineptia.*

Inferiæ, χοαὶ, plurale solùm esse, ait Gellius lib. XIX, cap. VIII: ac similiter Charisius, Diomedes, Phocas. Puto, naturâ esse adjectivum, ut necessariò intelligatur substantivum ejusdem generis; scilicet *res*, vel simile. Inferebant enim sepulchro lac, mel, aquam, vinum, olivas: etiam flores spargebant. Atque ex eo, quòd hæc inferrentur, *inferiæ* vocabantur. Similiter adjectivè dixere, *inferium vinum*: ut verbis istis, *Macte hocce vino inferio esto.* Quibus utebantur, cùm solùm calpar inferrent, quod iccirco *inferium vinum* dixere. Alioqui *calpar* latiùs pateat. Gloss. *Calpar*, θυσίαι ἀπαρχῶν οἴνου. Item: *Calpar*, οἶνος ἐν θυσίᾳ.

Inimicitiæ plurale tantummodo, juxta Diomedem, & Phocam. Sed *inimicitiam* quoque non semel usurpat Cicero: ut Orat. pro rege Dejotaro: *Parvam inimicitiæ culpam.* Et secundâ invectivâ in L. Catilinam: *Inimicitiam hominum.* Et IV Tuscul. quæst. *Odium, inimicitia, discordia.* Et eodem: *Ira, inveterata inimicitia.* Ennius apud Agellium lib. XIX, cap. VIII;
——*Eo ingenio sum ego*
Natus, amicitiam, atque inimicitiam, in frontem promtam gero.
Sic locus is numeris reddendus. Attium usum, docebit Charisius. Etiam Pacuvius Chryse; *Sed cesso inimicitiam integrare.* Et Mart. Capella in quarto; *Namque inscientia scientiæ contraria, inimicitia amicitiæ.* Ac leviculam hanc de *inimicitia* vocabulo observationem, nec puduit Collectaneis suis inserere L. Joannem Scoppam lib. I, cap. XIX.

Insidiæ, ἐνέδραι, plurale solùm Charisio, Diomedi, Phocæ.

Kalendæ semper plurale dicitur Sosipatro, Diomedi, Phocæ, Prisciano. Ac similiter glossæ in Cyrilli calce inventæ; Καλάνδαι, *Calendæ: singulare non habet.*

Lactes inter feminina pluralia reponit Diomedes in primo. Idem facit Priscianus in VI; *Hæ lactes*, inquit, *partes sunt intestinorum à Græco γαλακτίδες dictæ: & servaverunt apud nos quoque idem genus, cujus singulare hæc lactis est.* Ubi videmus, Priscianum agnoscere singularem *hæc lactis.* Quem mox comprobat illo Titinnii in Ferentinati; *Craticula, cerebellum, lactis agnina.* Plurali eo in genere usum docet Pomponium in Lare familiari; *Oro te, Basse, per lactes tuas.* De genere tamen scrupulum injicit Valerius Probus in Catholicis, his verbis; *Hi lactes, genere masculino, numero semper plurali.* At mox; *Sunt hæ lactes partes corporis in intestinis pinguissima.* Ubi *hi lactes* rescribendum. Similiter P. Consentius; *Lactes masculinum semper plurali significatu: ut ait Horatius; Pulmone, & lactibus unctis.* Itaque & Gaspar Scoppius, notis in Institutionibus Grammaticis, sub Pascasii nomine editis, *Lactes* ait falsò credi femininum. Ego in hoc veterum dissensu non Probum sequor, sed Priscianum; neque id, quia hic probatior mihi, sed quia e Pomponio & Titinnio comprobat

probat sententiam suam; quod Probus facere vel non potuit, vel neglexit.

Latebra semper plurale Charisio, & Phocæ. Cicero tamen in tertio de Officiis ait; *Videant, ne quæratur latebra perjurio*.

Litera, τὰ γράμματα, perpetuò plurale Charisio statuitur, atque item Diomedi. Poëtis tamen *litera* ponitur pro epistolâ. Ut Ovidio epist. Bris.

Quam legis à rapta Briseide litera venit.

Et alibi sæpe. Si tanti, Vallam adi lib. III, cap. VI.

Lutina plurale tantùm; ut ait Charisius, juxta codd. MSSos, quos repræsentat Andr. Schottus Observationum Philologicarum lib. I, cap. IV. In vulgatis non habes; sed solùm, *Latebra*, σπήλωμα. In MSSis, *Hæ latebræ*, μυχοί. *Hæ lutinæ*, πήλωμα. His si standum, ut πήλωμα à πηλὸς, sic *lutina* fuerit à *lutum*. Credo *ædes*, *officina*, vel simile, intelligitur.

Manubiæ, τὰ ἐκ ζώντων σκῦλα, Charisius, Diomedes, Phocas, plurale tantummodo dicunt. In Augurali tamen disciplina secus videtur. Seneca lib. II Nat. Quæst. I: *Tertiam manubiam idem Jupiter mittit*. De fulmine sermo est.

Mina Charisius reponit inter semper pluralia. Nempe pro comminatione, vel murorum eminentiâ, unde propugnatores hostibus minantur. At singulo *mina* dicitur tum pro C, vel XCVI drachmis (priori modo Attici, altero accepere Romani) Rhennius Fannius de Ponder. tum mamma * altera lacte deficiens; tum ovis † glabro ventre. Imò nec pro *comminatione* olim eo defecit; si rectè ita Festi locum mutilum supplevit Josephus Scaliger; *Mina singulariter dici pro eo, quod pluraliter dicitur, Curiatius auctor est. Item M. Cato in Suasione: Mina cogi nulla potuit.*

* Festus. † Varro lib. 2. de R. R. cap. 2.

Minutia sæpius quidem plurale; sed Senecæ est ep. XCI; *Donec in minutiam frequenter tritæ redigantur*. Onomasticon vetus; *Minutia*, λεπτὸν, σκύβαλον. Imò ut *materia*, *materies*; *luxuria*, *luxuries*: sic & *minutia*, *minuties* dixere. Appulejus lib. IX: *Ad summam minutiem contere*. Et lib. IX: *Aures enormes repetunt parvitatem pristinam: dentes saxei redeunt ad humanam minutiem.*

Næniæ, ἐπιτάφια, plurale solùm esse, statuunt Charisius, ac Diomedes. Etiam in glossis vett. Græcolatinis legitur: Ἐγκώμια νεκρῶν, *Næniæ*, *singularem non habet*. Verùm id falsum esse, evincit hic Varronis * locus lib. IV de vitâ pop. Rom. *Deinde næniam cantari solitam ad tibias, & fides*. Afranium quoque, ac Plautum, eo usos, docet Festus. Usurpant item Fabius, Sidonius, alii. Imò in iisdem glossis alicubi hæc conjunguntur, *epitaphium*, *nænia*, *laudatio*.

* Apud Nonium in Nænia.

Nares, juxta Charisium, & Diomedem, est plurativum tantùm. Nam genitivo singulari usus Horatius, cujus est † *naris obesæ*, & ‡ *emunctæ naris*: ac Lucanus, cujus * est, *naris aduncæ*. Ablativus est apud Claudianum lib. II de laudibus Stiliconis:

——*Ceu tenerâ venantem nare molossi.*

Et lib. III de iisdem:

Hæ pedibus celeres, hæ nare sagaces.

Quin & nominativus est in usu: qui tamen non est *nar*; sed *naris*: ut Charisius ostendit illo Æmilii Macri: *Saucia naris*. Ac similiter Ovid. III Met. fab. IX:

——*Et lati rictus, & panda loquenti*
Naris erat.

Et lib. VII:

Defluxere comæ, cum quis & naris, & aures,

Etiam pseudo-Ovidius in secundo de vetula:

Nec stillas cerebri naris cava pandit hiatu.

Nar autem fluvii in Sabinis nomen est, & masculinum: ut illo Claudiani;

Vulturnusque rapax, & Nar vitiatus odoro
Sulfure.

Locus est in panegyri de Probini & Olybrii consulatu †. Quod primum Claudiani poëma Latinum fuit; ut liquet ex epigrammate ad Probinum, cujus initium, *Quem precor inter nos* &c.

† Lib. Epod. od. 12. ‡ Lib. 1 Serm. sat. 4. * Lib. 2. † Vers. 253.

Nonæ, αἱ νόνναι Plutarcho ‡, nempe appellatione à Latinis acceptâ; plurale tantùm, juxta Charisium, Phocam, & Priscianum. Naturâ est adjectivum; ut intelligatur *dies*. Nam etsi propriè *nona* dies unicus, qui proximè VIII idus antecedit; tamen nunc quatuor, nunc sex dies præcedentes ab nonis accipiunt nomen: eaque, ut puto, caussa, cur plurativè dixerint *nonas*, non *nonam*. Atque eâdem de caussa, credo, & *idus*, & *kalendas*, plurali protulere: nimirum quia etsi unus iduum, unus item calendarum dies foret: tamen & dies, qui antecedunt idus, ab idibus nominantur, & itidem à calendis, qui inter idus, & calendas interjecti. Quod sicui ratio hæc nostra non satisfacit, is, per me licet, magis verisimilem excogitet.

‡ In Romulo.

Nugæ, φλυαρίαι, carere singulo numero, monitum Charisio, & Diomedi.

Nundinæ, ἡ κατ᾽ ἐννάτην πανήγυρις, semper plurale dicitur Gellio lib. XIX, cap. VIII, ac præterea Charisio, Diomedi, Phocæ. In glossis tamen vett. *Nundina*, ἀγορὰ ἡ τῶν ὠνίων. Sed malim, *nundinæ*. At singulari numero potiùs *nundinum* dicitur: ut ex Varrone, & Lucilio, Nonius ostendit. *Nundina* autem Dea nuncupata à nono nascentium die, qui *lustricus* dicitur. Macrobium adi lib. I Saturn. cap. XVI.

Nuptiæ, γάμος, itidem plurale duntaxat Charisio, Diomedi, Phocæ.

Offuciæ non semper plurale esse, docemur Plautino istoc Mostellariâ *:

Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam
offuciam.

* Sc. Jampridem ecastor.

Operæ pro iis quibus ad opus aliquod utimur, interdum est singulare. Horat. lib. II sat. VII:

——*Ocius hinc te*
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Opes singularem nescit, juxta Charisium. Sed addit, Virgilium nihilominus dixisse I Æn. *Non opis est nostræ Dido*. Atqui hic *opis* non *divitias*; sed *potestatem*, signat: unde Servius, *nostræ possibilitatis*, exponit. Singulare verò *ops*, *opis*, potiùs divitem notat: unde contrarium *inops*. Festus: *Ops antiquis dicebatur, quem nunc opulentum dicimus*. *Ops* etiam *opem sive auxilium ferens*: quomodo Accius † de Hercule: *Quorum genitor fertur ops esse gentibus*. Sed nihil hoc ad divitiarum significationem. Sunt qui pro divitiis etiam accipi singulo numero probent istoc Horatii lib. I, Serm. II:

Dives opis natura suæ.

† Apud Prisc. lib. 7.

Ubi ex voce *dives* colligunt, *opis suæ* idem valere, quod *opum suarum*. At *opis* hic laxè pro omnibus sumitur, quibus opitulatur natura: ut nihil aliud signet poëta, quàm sufficere sibi naturam ad omnia. Nihiloque validius ad hanc rem Ovidii illud lib. I Trist. El. III:

Non apta profugo vestis, opisve mihi.

Nam & hic laxè ea vox accipitur, non de pecuniis solis. Accommodatius hoc antiqui Poëtæ apud Cic. III Tusc.

——*Priami domum*
Septum altisono cardine templum
Vidi ego te adstantes ope barbarica.

Ubi opulentia & fastus ejus comes, intelligi videntur. Et contra etiam cum pro auxilio sumitur, in plurativo invenitur. Horat. lib. I, epist. X:

——*Donec minor in certamine longo*
Imploravit opes hominis.

Paleas, & *paleam*, ita distinguunt, quòd *palea* singulari signet cartilaginem de collo gallinacei dependentem: quomodo Varro ait lib. III de R. R. cap. IX: *Gallos salaces paleâ rubrâ subalbicante*. *Palea* autem pluraliter notent pabulum jumentorum, sive grani folliculum: quâ ratione Maro in Georgicis * *leves*, & *inanes paleas* dixit. Sed in gallo *paleas* quoque ait Columella lib. VIII, cap. II: *Paleæ ex rutilo albicantes, quæ velut incana barba dependent*. Et contrà de pabulo jumenti dixit Horatius in satyris †, *hornam paleam*: & Virgilii est Georgicôn primo:

* Lib. 1 & 3 G. † Lib. 2, sat. 6.

At

At si luxuriâ foliorum exuberat umbra,
Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.

Scio, Servium dicere, Virgilium sic loqui contra artem. Ac rationem hinc addit; *quia quæ à pluribus constant, sunt tantum numeri pluralis, licet abutantur poëtæ.* At cogitare debuit, Ciceronem quoque in Paradoxis scripsisse: *Auri navem evertas gubernator, an paleæ, in re aliquantum, in gubernatoris inscientiâ nihil interest.* At idem Tullius lib. IV de Fin. *Gubernator æquè peccat, si palearum navem evertit, & si auri.* Ut nihil intersit, *palea*, an *palearum navem*, dicas. Adde quòd κατὰ μεταφορὰν *paleam æris*, pro ramentis ejus, dicat Plinius lib. XXXIV, cap. XIII.

Partes, pro *factione*, sæpius plurale. Sic & *primæ*, ac *secundæ*; ubi intelligitur *partes*. Ut cùm dicitur *primas*, aut *secundas tenere.*

Plagæ, ζῶναι δικτύων, plurale tantùm, ut ait Charisius. Sed apud eum corruptè † *hæc plaga*, pro *hæ plagæ*, editum est. Idem tradit Diomedes.

† In Putschiana.

Præstigiæ refugit plurativum, si Charisium, & Diomedem, audimus. Quinctilianus tamen lib. IV, cap. I: *Hujus velut præstigia plausum petat.*

Preces, ἱκεσίαι, expers esse singularis, censent Charisius, & Diomedes. At ablativum *prece* legas apud Plautum, Horatium, Ovidium, Persium, Senecam: imò apud Ciceronem lib. I de Inventione: *Si prece & observatione humili ac supplici utemur.* Et ad Atticum lib. X, epist. XIV: *Quintus non modo non cum magna prece ad me; sed acerbissimè scripsit.* Similiter Cornificius Rhetoricorum ad Herennium lib. II: *Nec prece, nec pretio, nec gratiâ, nec simultate, à recta via ostendemus deduci oportere.* Terentius nec *preci* refugit Andr. Act. III, sc. IV:

Nihil est preci loci relictum: jam perturbavi omnia.

Ac similiter Phorm. Act. III, sc. III:

—— Ut nullus locus relinquatur preci.

Plauti quoque est *precem* Captivis Act. II, sc. I:

Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem.

Antiquus nominativus fuit *precis*, vel κατὰ συγκοπὴν, *prex*. Glossæ Græco-lat. ad Cyrilli calcem inventæ: Παράκλησις, *obsecratio, prex.*

Phaleræ semper plurale, ait Diomedes lib. I. Verùm singulo numero Plinius videtur dicere lib. XXXIII, cap. I: *Quo facto tanta Senatus indignatione exarsit, ut annulos ab se abjectos fuisse in antiquissimis reperiatur annalibus. Fallit plerosque, qui tum & equestrem ordinem id fecisse arbitrantur. Est enim adjectum hoc quoque: sed & phaleræ posita: propter quæ nomen Equitum adjectum est.*

Primitiæ, ἀπαρχαὶ, tantummodo in plurali usurpatur, teste Charisio, Diomede, Phoca. Naturâ esse adjectivum, arguit, quòd Ovid. XII Met. * dicat:

• Fab. 5.

Ecce rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris
Primitium torrem.

Quare cùm *primitiæ* dicitur ἁπλῶς, *frugum* intelligitur. Postea latiùs extensa significatio.

Quadrigæ plurale semper dicitur Charisio, & Diomedi. Sed hanc opinionem paullo ante refellebamus, cùm de *Bigarum* nomine sermo esset.

Quisquiliæ, φρυγάνων χαῦται, σκύβαλα, non habere singularem, dicitur Charisio, Diomedi, Phocæ. Nempe obsoletum est *quisquilia*. Usus Novius † in Togulariâ:

† Ita Festi exemplar Farnesianum. Al. Nævius.

Abi abi, deturbate saxo, homo non quisquiliæ.

In glossis Philoxeni legas, *Quisquilia*, σκύβαλα. Utrùm hic singulo numero, an plurali? Sanè & Plinius lib. XVI, cap. VIII ait, granum ilicis cocciferæ vocari *quisquilium*: si proba est Dalecampii conjectura. Cui antiqua Parmensis favet. Sed in aliis est *cusculium*. Ut verisimile magis sit, quod maximo Salmasio ‡ visum, esse ex Græco κοσκύλιον, quod ἀπὸ τοῦ κοσκύλλειν *: unde similiter κοσκυλματία, & κοσκυλμάτια, *minuta pellium præsegmina*; ut interpretantur Aristophanis scholiastes, Hesychius, & Suidas.

‡ In Plinianis Exercitationibus.
• Resecare minutias, quæ exstant.

Reliquiæ, λείψανα, plurale tantùm Charisio, & Phocæ. *Reliquia* tamen in vett. Plauti codd. invenitur Mil. Glor. Act. I, sc. I:

At pedites tibi reliquia erunt, si viverent.

Appuleji etiam est in Apologia:

Converritorem pridianæ reliquiæ.

Censeo autem, & hoc naturâ esse adjectivum: ut in *reliquia*, *res* aut *pars* respiciatur: in *reliquiæ*, *res* aut *partes*, vel simile. Movet, quòd *reliquus* sit adjectivum. Atqui *relicuæ*, à *relicuus*, quod postea *reliquus*. *Relicuo*, &, *relicuas* quatuor syllabis, apud Lucretium legas lib. I, & IV. Scio διαφόρως statui. Sed censeo, priùs dixisse *relicuus*, τετρασυλλάβως. Ut enim à *pasco pascuus*, ab *irrigo irriguus*, à *cado caduus*: sic à *reliquo*, quod postea *relinquo*, *relicuus.*

Retes, δίκτυα, juxta Charisium, singularem ignorat. Ut cùm dicimus, *In retes meas incidisti.* Sed fallitur. Nam ut *retia* à *rete*, sic *retes* à *retis*: de quo antea * dictum.

• Cap. 29.

Salebras singulum habere numerum, ostendit hoc Ciceronis in V de Fin. *Hæret in salebra.* Similiter Val. Max. lib. VI, Appul. lib. I Met. Apud Papiam quoque est: *Salebra, via inæqualis.*

Salinæ, ἁλικαὶ, plurale tantùm, juxta Charisium. Sed naturâ est adjectivum, ac respicitur *taberna*: ut *vas*, cùm dico *salinum*.

Sarcinæ, ἀποσκευαὶ, semper plurale, eidem Charisio. Quomodo & *sarcinulas* dixere Catullus ad Veranium, Juvenalis sat. VI, & Ulpianus L. XV. §. ult. D. Ex quibus caussis major. Sed singulari dixit Plautus Mostellariâ:

Unde advenienti sarcinam imponam seni.

Propertius lib. IV, el. III:

Essem militiæ sarcina fida tuæ.

Cui planè geminum hoc Ovid. epistolâ Briseidos:

Non ego sum classi sarcina magna tuæ.

Scalæ, κλίμαξ, in iis, quibus nonnisi plurali utendum, refertur à Charisio, Diomede, & Phoca. Rectè tamen *scala* dicitur: quod & vidit in lexico suo Phavorinus, cùm ait: Ἀναβολεὺς †, ἡ παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένη σκάλα. Usurpat Cajus Jurisc. ‡ *Vel scalam sciens accommodaverit ad adscendendum.* Imo & Cornelius Celsus, cujus est, *Necessaria est scala lignea, quæ crassitudinem duorum digitorum habeat.* Et, *Si brachium deligatum super scala gallinaria gradum posuerit.* Aquilus Romanus: *Malo enim adscensum quam scalam, quam gradiculos ut quidam dixere.* Quamquam *scalas* malim, cùm Sallustius dixerit in Jugurtha: *Ubi una atque altera scala comminuta sunt.* Similiterque Cicero, Cæsar, alii.

† Græcis ἀναβολεὺς, quæ Romanis dicitur scala.
‡ In l. Si pignore. §. penult. ff. de furtis.

Scopæ plurale solùm, juxta glossas Philoxeni, ubi legas: *Scopæ*, σάρος, τοῦτο * ἀεὶ πληθυντικῶς λέγεται. Imò Diomedes idem tradit, & Servius in illud I Georg.

• Hoc semper pluraliter dicitur.

Nequicquam pingues palea teret area culmos.

Notandum, inquit, *paleam dictam numero singulari contra artem. nam ea, quæ ex pluribus constant, numeri sunt tantùm pluralis, secundùm artem: ut, cancelli, bigæ, scopæ; licet abutantur poëtæ.* Etiam Charisius inter plurali carentia retulit: sed addit ille, *Dicimus tamen & scopa.* Quin & Onomasticon vetus: *Scopa*, σάρωθρον. *Scoparii*, οἱ σαρωταί. *Scopula*, κορημάτιον. Postremo hoc utitur Columella lib. XII, cap. XVIII: *Deinde peniculo detergitur, & ferventissimâ pice infusâ, novo alio rutabulo, & scopulâ picatur.* Herbæ inde etiam nomen *scopa regia*. Plinius lib. XXI, cap. VI: *Non levior ei, quam scopam regiam † appellant; quamquam folia ejus olent, non flores.* Gloss. Philox. *Scopa regia*, Σιδερῖτις, βοτάνη. Ubi corrigo, Σιδηρῖτις. Nam σιδηρῖτις herba, quæ nonnullis *Achilleum*: ut docet Dioscorides lib. IV, cap. XXXIII, & Plinius lib. XXXV, cap. V. Propriâ vero significatione *scopa* pro *scopæ* non memini me legere apud idoneum quemquam Latinæ linguæ auctorem. Obduci olim solet Suetonii illud in Nerone: *Alterius collo & scopa deligata.* Sed *ascopera* legendum, monuit Angelus Politianus Miscell. cap. XX.

† Plurativo idem extulit lib. 25. cap. 5.

Sordes carere singulari, ajunt Charisius, & Diomedes. Atqui & *sordis*, & *sordem*, & *sorde* dicitur. Plautus Pœnulo:

Imò etiam in medio oculo parum sordis est.

Item Horat. lib. I epist. ad Lollium:

Auriculas cithara collecta sorde dolentes.

Imò Cicero pro Flacco: *Nullam in re familiari sordem posse proferri.* Et ad Att. lib. I, epist. XIII: *Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti: apud sordem urbis, & fecem, multò melius nunc, quàm reliquisti.* Huc pertinet quoque ille Bedæ locus lib. de Orthographia: *Sors sortis, & sors sordis dicitur. Ambrosius: Mundet vasa, ne sordis aliqua vini gratiam decoloret.* Hæc Beda. Ubi fortasse legendum, *sors, sortis, & sordis sordis.* Nam Ambrosii locus à Beda productus *sordis* in recto, non *sors*, usurpat. Nec *sors* pro eo dixit quisquam.

Sortes plurale pro oraculis sive Deorum responsis, juxta Diomedem. Appulejus tamen IV Met. ait: *Apollo sic Latinâ sorte respondit.* Et, *Sua conjugi præcepta sortis enodas infausta.* Ubi manifestum est, pro oraculo sumi. Ac ne solum sic Appulejum loqui censeas, ipsius Ciceronis est lib. II de Divinat. *Nam cum sors illa edita est opulentissimo regi Asiæ;*

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim:

hostium vim sese perversurum putavit; pervertit autem suam. Similiter Ovid. V Fast. *obscura sortis ambages.*

Suppetiæ, βοήθεια, tantum plurale; juxta Charisium, & Diomedem.

Symplegades propterea est plurale, quia geminæ. Sed de unâ sic Seneca Hercule Furente *:

—— Illa quæ Pontum Scythen

Symplegas arctat.

Tenebræ, σκοτία, solùm est plurale; ut rectè Charisius, Diomedes, Phocas. Lampridius tamen in Commodo: *Repentina caligo ac tenebra in Circo Calendis Jan. oborta.* Ita in membranis omnibus reperit Isaac. Casaub.

Tricæ, τειχώματα, solùm plurale Charisio. Idem de *Apinis* judicandum: quæ Martialis jungit lib. XII, ep. I:

Sunt apinæ, tricæque, & siquid vilius istis.

At *Apina*, & *Trica*, numero singulo, sunt oppida Apuliæ, unde *apinis* & *tricis* nomen. Plinius lib. III, capite XI: *Arpi; aliquando Argos Hippium, Diomede condente, mox Argyrippa dictum. Diomedes ibi delevit gentes Monadorum Dardorumque: & urbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertêre, Apinam, & Tricam.*

Vigiliæ pluraliter dicitur de excubiis nocturnis, cùm totæ intelliguntur: at singulariter de parte earum: quomodo apud Cæsarem sæpe legas, *prima, secunda, tertia, quarta, vigilia.* Atque ita Cicero Philipp. I: *Quasi in vigilia quadam consulari ac Senatoria.* Et Philipp. VII: *Ut populum Romanum vacuum metu nostra vigilia redderemus.* Et III in Catil. *Tertia fere vigilia exacta.* Censorinus similiter, capite de diebus.

Vindiciæ solùm plurale Charisio. *Vindiciam* tamen est in legg. XII Tabb. *Si vindiciam falsam tulit.* Etiam Servius Sulpitius apud Festum ait, *Vindiciam esse, quâ de re controversia est.*

Vires semper plurale statuit Charisius. Atqui *vires* est à *vis*: cujus antiquus genitivus videtur fuisse *vieris*, ut à *fus fueris*, vel *furis*, unde *furire.* Vel rectus fuerit hæc *viris*, unde postea *vis.* A *viris* autem *vires.* Verùm de eo pluribus in triptotis.

Urbium his nomina addere solent: ut, *Athenæ, Thebæ, Mycenæ.* Sed, ut monet Priscianus in V: *Inveniuntur in his quædam singulariter prolata, idem significantia.* Sic *Cyrenas*, & *Cyrenen* dixere; *Cumas Æolidis*, & *Cymam*; *Thebas*, & *Theben.* Statius VIII Theb.

Vive superstes ait, diraque ad mœnia Thebes

Solus abi.

Imò Virgilii ipsius est in V:

Argolicove mari deprehensus, & urbe Mycenæ.

Sed fortasse *Mycenæ* adjectivè hic sumitur pro *Mycenæa.* Plinius lib. XVI, cap. IV: *Fidenam primus irrupisset.* Et Silius Italicus lib. XV:

—— Roma minanti

Impos. Fidena.

At *Fidenæ* pluraliter Livius, Tacitus, alii.

At *Venetiæ* urbs, *Venetia* regio.

CAP. XLIV.

De neutris, quæ ajunt singulo numero carere. Aplustre. Arbitrium, *pro* arbitri sententia. Avius. Batualia. Castrum. Γαιώς. Genialia. Genitale. Jugum *pro* cacumine. Jugere *pro* jugero: *&* jugeris *pro* jugeribus. Ile. Licium. Lumen *pro* die. Mapali. Multicia tunica. Oblivium. Palear. Pascuum. Tempus *capitis.* Vadum. Verbere. Utensile. *De festorum nominibus.*

Supersunt neutra, quæ nescire pluralem dicuntur. Hæc deinceps exponam.

Æstiva, & *hyberna*, atque item *stativa*, ex se adjectiva sunt: atque intelligitur *castra*, vel *loca.* Ut naturâ habeant singularem.

Aplustra, vel *aplustria*, pluraliter dixit Ennius. Unde in glossis: *Aplustra*, πτερὸν πλοίου, ὡς Ἔννιος. Item Lucretius lib. II, Cicero, & Cæsar in Arateis, Silius in X. Ac similiter ablativo *aplustris* usus idem Lucretius in IV. Sed singulare *aplustre* est apud Lucanum lib. III *:

—— Grajûmque audax aplustre retentat.

Et post aliqua †:

—— At hi tortum validis aplustre lacertis,

Avulsasque rotant excusso remige sedes.

Arbitria semper esse plurale, Charisii opinio est; non quidem prout simpliciter sumitur pro judicio; sed pro arbitri sententia, quomodo μεσιτεία in glossis vertitur. Sic usus M. Tullius in tertio de Officiis ‡: *Q. quidem Scævola, pontifex maximus, summam vim dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, Ex fide bona.* At singulo numero aliquanto antè * idem dixerat: *Reliquorum autem judiciorum hæc maximè excellunt, in arbitrio rei uxoriæ, Melius, æquius.* Similiter loquitur alibi non semel.

Arma, ὅπλα, singularem ignorare, Gellius monet libro XIX, cap. VIII. Nec aliter Charisius in primo, Phocas in Arte, & Priscianus in V. In caussa videtur, quòd multa hoc nomine contineantur: nempe scutum, gladius, galea, lorica, fustis, lapides: ut Festus docet, & Cajus de verborum significationibus.

Avia, ἄνοδα, plurale tantummodo esse, tradidit Sositpater. Verùm non magis singulo caret, quàm *invia, pervia, devia.* Quippe Plauti est Aulularià:

Sylvani lucus extra murum est avius.

Ac similiter Lucretius lib. II:

Avius à vera longè ratione vagaris.

Uti & eopse libro:

Avius à vera longè ratione recedit.

Et in tertio:

Quin etiam morbis in corporis avius errat

Sæpe animus.

Batualia, γυμνασία μονομάχων, solùm plurale, ut Charisius in primo ait. Nempe naturâ est adjectivum, & intelligitur *exercitia*, vel *certamina.*

Bellaria non modò, sed *bellarium* etiam dicitur, si Festum audimus.

Bona, ὑπάρχοντα, tantùm plurale, ut ait Charisius.

Brevia, βραχῆ, solùm plurale, juxta eundem.

Castra, παρεμβολὴ, plurale semper, ut idem ait Charisius, & Phocas. De voce eâdem ita Servius in illud VI Æn.

Pometios, Castrumque Inui.

Castrum civitas est. Nam castra numero plurali dicimus: licet legerimus in Plauto, Castrum Pœnorum. Censet igitur Servius, Plautum à *castris* numerum singulum formâsse *castrum*: sed usitatè *castrum* à *castris* differre, quia illud notet civitatem: unde Maroni *Castrum Inui*, id est, civitas Panos, eo quòd *Inuus* (sic apud Servium Danielis, non *Inus* legi debet) sit Pan, cui nomen sit *ab ineundo passim cum omnibus animalibus*: ut ibidem dicitur. Falluntur igitur, qui hoc Maronis loco probare conantur, *castra* habere numerum singulum. Nihilque magis

* Vers. 1209.

* Vers. 586.

† Vers. 672.

‡ Pag. extrema 65. edit. Ald.

* Pag. 64. edit. ejusdem.

gis id colligas ex illo Cn. Pompeji ad Domitium Procon. *Cæsarem Firmo progressum in Castrum Truentinum venisse.* Habes in epist. ad Atticum lib. VIII, epist. XVIII. De *castri*, sive *castelli*, *pagi*, *vici*, *oppidi*, *urbis*, *villæ*, discrimine vide sis Aldum de Quæsitis lib. III, epist. VII.

Cete, κήτη, singulari caret; ut ait Charisius. Nam *cetus* quidem dicitur; sed inde est *ceti*. At κῆτος, unde κήτεα κήτη, est neutrum.

Cibaria, σιτομέτριον, singularem nescire, sententia est Sosipatri, & Diomedis. Puta quando accipitur substantivè. Nam adjectivè ait Cicero Tuscul. V: *panis cibarius*: Plautus Capt. *res cibaria*: Columella lib. XII, cap. L, *oleum cibarium*.

Comitia plurali tantùm efferre jubet Gellius lib. XIX, capite VIII: ac similiter Sosipater. Sed intellige pro conventu populi ad creandos magistratus; unde idem Sosipater ἀρχαιρέσια interpretatur. Pro loco enim *comitium* est in usu, non modò apud Plautum, Asconium, Gellium; sed etiam Ciceronem primo de Divinat. & alibi.

Compita non aliter, quam plurativè efferimus: sed antiqui etiam *compitum* dixere: uti & *compitus*; quod ex Cæcilio, & Varrone, superius* ostendimus.

*Cap. 36.

Crepundia, ἀναγνωρισμός, ut quidem interpretatur Charisius, (nempe quia crebrò inde in fabulis fit agnitio) plurale tantùm est; ut idem ait, ac Diomedes, & Phocas.

Cunabula duntaxat plurale, juxta Diomedem, & Phocam. Glossæ tamen Philoxeni: *Cuna, & cunabulum*, βαυκαλιστήριον. Sed hodie deficit auctoritas.

Diaria carere singulo, ait Charisius: qui, retentâ voce Latinâ, interpretatur διάρια: nempe quia ea vox posterioribus Græcis in usu: ut videre est Justiniani Novell. CXXIII; inque Constitutionibus Manuelis Comneni, & Heraclii, atque alibi. Horatius lib. I, epist. XIV:

Cum servis urbana diaria rodere mavis.

Ubi Lambinus: *Diarium*, inquit, *victus est diurnus.* Quod ipsum in Thesauro Rob. Steph. legas. Credo, si Charisii locus ille animo occurrisset, *diaria* scripsissent. Quomodo Cicero quoque ad Att. lib. VIII *militum diaria* ait, & Martialis similiter lib. IX, epigr. CIX:

——— *puerique diaria poscunt.*

Sed his locis de pluribus diebus agitur: ut fortasse rectiùs dicatur, *Hodie servo diarium non dedit*: quàm *diaria*.

Donaria singulari fraudat Charisius. Appulejus tamen in secundo Floridorum inquit: *Ibi donarium Deæ perquam opulentum.* Apud Servium etiam in XII legas: *Sacrarium propriè locus est in templo, in quo sacra reponuntur: sicut donarium est, ubi collocantur oblata.* Sed voluit Charisius plurale esse, cum notat dona ipsa, unde ἀναθήματα interpretatur. At Appulejus pro loco usurpat: similiterque Servius exponit. Scio, Vallam Elegantiarum lib. I, cap. VI hoc nomine Servium reprehendere. Sed pro loco usi quoque Maro III Georg. & Agellius lib. II, cap. X. Papias: *Donaria propriè dicta, quod ibi dona reponantur, quæ in templis offerre consueverunt: abusive etiam templa dicuntur.*

Exta semper plurale, auctore cùm Phoca, tum Sosipatro; qui interpretatur σπλάγχνα, τὰ κατεπτημένα βωμοῖς.

Flabra pro ventis dixit Maro II Georg. ac sæpius sic Lucretius, *Etesia flabra.* Eâ significatione tantùm esse plurale, tradit Servius*. In glossis tamen Cyrilli est: Φύσημα, *flamen*, *flatus*, *flabrum*. Item Papias: *Flabrum*, *tempestas.*

* In 2 Georg.

Fraga non Poëtæ modò, sed Plinius quoque, & alii, non aliter, quàm plurali usurpant. Sed dicere possis, cum sic vocentur exigua quædam mora terrestria, in iis scriptorum locis de pluribus fragis sermonem esse. Equidem puto, si distinctè loquendum esset, dicturos fuisse, *hoc fragum majus est isto.* Non ejus habemus exemplum. Scio. Sed ista familiaris erant sermonis: cujus sæpe nequit auctor laudari, quia scriptores se ad hujusmodi non demitterent, vel siqui id fecerint, perierunt. Atque idem dictum velim de aliis ejus generis multis, quæ privant singulari, non quia caruerint, sed quoniam nunc autoritas desit.

Gesa, sive *gæsa*, εἶδος ἀκοντίου, semper plurale ait Sosipater. Sic usi Maro, Propertius, Silius, Statius, Claudianus. Et ne Poëtas solùm dicam, Livius lib. VIII: *Leves autem, qui hastas tantum gesaque gererent, vocabantur.* Singulo tamen numero legas in historia Judith cap. IX: ἠλπίκασιν ἐν ἀσπίδι, καὶ γαίσῳ, καὶ τόξῳ, καὶ σφενδόνῃ. *Confisi fuere clypeo, gæso, arcu, & fundâ.* Quamquam hoc fortassè à γαῖσος, vel γαισός, non γαῖσον. Sanè γαισὸς est apud Pollucem lib. VII, cap. XXXIII, item Hesychium. Sed neutro singulari est apud Festum: *Gesum, grave jactum.* Ubi lege, *jaculum.* Papias: *Gessum, hasta jaculum.* Malim, *hasta, jaculum.*

Genialia, tantùm plurale Charisio. Sed hoc ad festa pertinet, de quibus postea. Quippe interpretatur τυχαῖα: at eidem *genius* exponitur ἡ τύχη ἑκάστου.

Genitale pro *genitalibus* dici, Plinii hoc ostendit libro XXVIII, cap. XI: *Vulpis mascula genitale circumligatum.* Quomodo & idem cap. IX dixerat, *genitale maris*: & lib. XI, cap. XLIV: *Præter genitale, & in hoc maribus tantum*: ac Celsus similiter, *genitale muliebre.*

Intestina, ἔντερα, singularem non habere, proditum Charisio, ac Diomedi. Videlicet multa sunt intestina. Alioqui de uno dixere in singulo; ut apud Celsum lib. II, cap. I: *Tenuioris intestini morbus, quem ileon nominant.*

Juga, ἀκρώρεια, seu *summa montium*, non aliter, quàm plurali inveniri, Charisio, & Diomedi, traditum. Atqui Maronis est VI Æn. *Hoc superate jugum.* Ac similiter Propertius, Ovidius, Statius, alii. Imò Cæsar ipse in VII de bello Gallico: *Tandem Germani, ab dextro latere summum jugum nacti, hostes loco depellunt.*

Jugera, πλέθρα, Charisius sic refert inter pluralia tantùm, ut continuò addat: *Verùm & jugerum dicimus.* Quasi *jugera* possit esse à *jugerum*, cum casu gignendi plurativo habeat *jugerum*. Nec movet, quòd Priscianus in VI ait, *jugerum* dici pro *jugerorum*. Nam eum refellit, quòd & *jugeribus* legitur. Quare *jugera*, *jugerum*, sit à *juger*, vel, ut Priscianus ait, *jugus*. Ab eo in gignendi casu *jugeris* dixit Pomponius Mela lib. III cap. V: *Plus jugeris spatio sublimis.* Sic enim est in MSS melioribus, & optimis editionibus: uti illa, Andreæ Schotti. Ac similiter Tibullus *jugere* dixit lib. II, eleg. III:

Ut multò innumeram jugere pascat ovem.

Uti a *jugerum* contrà est in plurali *jugeris*, pro *jugeribus*, apud Varronem lib. I de R. R. cap. X.

Ilia in singulari habet *ile*. Onomasticon vetus: *Ile*, κῶλον. Sed in eo errat, quòd κῶλον vertit, cùm hoc sit intestinum crassum. At *ili* nomen ab εἰλεὸς, quod μετωνυμικῶς quidem morbum intestinorum notat: at propriè est intestinum tenue, ita dictum ἀπὸ τοῦ εἰλεῖν, id est, *vertere*, *volvere*. De singulo autem ejus vocabuli numero autor quoque Plinius lib. XI, cap. XXXII. *Ab hoc ventriculo lactes in homine, & ove, per quas labitur cibus; in cæteris ile.* Variant interim codd. Servius in illud Ecl. VII:

——— *Rumpantur ut ilia Codro.*

Sicut in Æneide dictum est, hoc ile, & hæc ilia facit. Unde Juvenalis ait:*

* Sat. 5.

———*Vis frater ab ipsis*
Ilibus?

Verùm Juvenalis is locus non ostendit, *ile* dici in singulari; sed tantùm declinationem indicat. Addit deinde Servius: *Maryllus mimographus contemsit artem; qui, ad jocum movendum, parasito dixit; Tu, ut Hector, ab Ilio nunquam.* Quasi nempe *ilia* esset non ab *ile*, *sed ab ilium.*

Justa, ἔθιμα, plurale semper Charisio, ac Diomedi. Sed etsi substantivè sumatur, ut in illo Nasonis†, *Injustaque justa peregit*: naturâ tamen est adjectivum; ac intelligitur *funera*: quæ *justa* dicuntur, quia jus est ea tribui defunctis. Unde liquet, naturâ suâ non carere plurali.

† Metam. lib. 2.

Lamenta plurali legas passim. Etsi *lamentum* Papias agnoscit.

Lautia Charisio tantùm plurale. Quomodo usus Livius lib. XXVIII, Appulejus lib. III, Festus, alii.

Licia quoque huc referunt. At *licium* dici, ostendit formula de furtis per lancem liciumque conceptis. Vide Gellium lib. XI, cap. XVIII.

Lumina, pro oculis, vel diebus, plurale est. De priori auctor Charisius. Sed addit, apud Maronem tamen *lumen* pro oculo legi. Nempe pro *oculis*, *lumina*; pro *oculo*, *lumen* dicitur. Ut de oculo Polyphemi Maro III Æn. —— *cui lumen ademtum.* Et mox, *Luminis effossi.* —— Similiter pro *diebus* quidem plurale est; ut apud Catullum de coma Berenices:

Placabis festis luminibus Venerem.

At pro *die* est singulare; ut cùm apud Ennium sic Creon compellat Medeam, eamque regni sui finibus exire quam primum jubet:

Si te secundo lumine hic offendero,
Moriere.

Hoc est, proximâ die.

Nimirum par ratio est, ac in *lux* pro *die*, & *luces* pro *diebus*. De quo antè dictum.

Lustra plurale est pro lupanari, vel ferarum latibulis. At usitatum est singulari pro spatio quinquennii, vel quadriennii, aut pro lustratione, quæ censu perfecto suovetaurilibus fiebat: unde Censores dicebantur *lustrum condere*.

Magalia, & *mapalia*, Afrorum casæ, Charisio, & Phocæ, semper pluralia: deque priori idem prodit Diomedes. Posterius singulari non refugit Valerius Flaccus lib. II:

—— *Cott e sparso concita mapali*
Agrestum manus.

Mœnia, τείχη, περίβολοι, non aliter, quàm plurali, usurpatur: ut consentiunt Charisius, Diomedes, Phocas, & Priscianus in V.

Mœne tamen Ennii est: Festus: *Mœne* singulariter dixit Ennius: *Apud emporium in campo hostium per mœne.* Sive, ut in chartis est Pomponii Læti: *Pro mœne.*

Multicia utut substantivè solùm in plurali sumatur, naturâ suâ est adjectivum: eoque puto, non minùs *tunicam multiciam* dixeris, quàm Flavius Vopiscus in Aureliano *tunicas multicias.*

Nutricia item, pro nutricis mercede, est plurale; sed naturâ adjectivum. Utitur Ulpianus l. 1. §. penult. D. de var. & extraord.

Oblivia solùm plurale existimant. Intellige non adjectivè; quomodo *verba oblivia* dixit Varro in IV de L. L. hoc est, oblivioni data; ut singularis in virili sit *oblivius*: sed substantivè pro oblivione; quâ ratione Maro ait in VI: —— *Et longa oblivia ponunt.* Verùm sic quoque in singulari reperio apud Cornelium Tacitum lib. III Histor. *Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit.* Rectè igitur glossæ Cyrilli: Λήθη, *oblivium*, *obliteratio.* Et vetus Onomasticon: *Oblivium*, λησμονή, λήθη.

Olympia, *Pythia*, & similia, naturâ sunt adjectiva; in quibus intelligitur *certamina*, vel simile.

Orgia, Διονύσου μυστήρια, semper plurale; ut ait Charisius. Ac similiter Græci semper τὰ ὄργια.

Palaria semper plurale; ut ait Charisius. Nempe intelligitur *exercitamenta*: uti & cùm dicimus *batualia*. Quæ hoc solùm differunt, quòd *batualia* sint congressus duorum; *palaria* autem, singulare certamen adversus palum. Si tamen Scaligerum in Conjectaneis ad Varronem audimus, non *exercitia*, sed *loca* intelligatur. Censet enim, locum, ubi ad palum certaretur, *palaria* vocatum: *batualia* item locum, ubi batuerent. Sed de *palaribus*, refellitur Charisii verbis; qui *palaria* exponit, non *ubi*, sed *cum milites ad palum exercentur.* Deque *batualibus* sic Adamantius Martyrius apud Cassiodorum de Orthographia: *Bat in uno tantum reperitur nomine generis neutri pluraliter enunciato, id est, batualia, quæ vulgo batalia dicuntur. Exercitationes autem militum vel gladiatorum significant.*

Palearia fraudant singulari, cùm Seneca in Hippolyto* dicat:

Musco tenaci pectus, ac palear viret.

* Act. 4.

Parentalia Diomedes ait tantùm in plurali usurpari. Nimirum *opera*, vel simile intelligitur. Naturâ enim est adjectivum; unde *parentalis labes*, apud Cyprianum sermone de lapsis. Par igitur ratio est ac in *justa*, ubi eadem ellipsis.

Parapherna semper plurale, ut Græcis τὰ παράφερνα: quomodo Ulpianus† docet vocari, quæ uxor παρὰ φερνὴν, hoc est, *præter dotem*, ad virum defert.

† L. 9. §. 2. ff. de jure Dot.

Pascua, si Grammaticos audimus, non habet singularem. Quasi non *viride pascuum*, dicat Varro lib. II de R. R. cap. XI. Ac Columella item lib. VII, cap. I: *In eo rure, quod pascuo caret.* Et cap. XII: *Si ager sine pascuo est.* Pro quo *pascua* in singulari dixere plerique alii veterum: sed imprimis posterioris ævi scriptores: ut Tertullianus Apologetici cap. XXII, Minutius Felix, si recta est doctissimi Meursii emendatio, & Arnobius Junior in Psal. XXII, & CVI.

Præbia, quasi *prohibia*, tantùm plurale. Sic amoleta, sive remedia dicuntur, quæ fascinationes prohibent: ut constat ex Varronis lib. VI de L. L. & Verrio apud Festum.

Præcordia frustra in singulo numero requiras: etsi in veteri vocabulario *præcordium* legere sit: & Pollucis interpres, Rodolphus Gualterus†, προκάρδιον semel & iterum *præcordium* vertat. Sed Cicero, & Plinius, semper *præcordia*: imò & Poëtæ omnes, etsi iis major licentia. Ut nihil dicam de Charisio, & Diomede; qui perpetuò plurale esse ajunt.

† Lib. 2 cap. 4. sect. 33.

Rapacia, seu *rapicia*, quomodo dicuntur cauliculi raporum, plurale semper: ut ex Catone, Plinio, atque aliis colligere est. Onomasticon vetus: *Rapacia*, γογγυλίδος.

Repotia tantum plurale. Quo exemplo basilicorum glossæ itidem ῥεπότια: sed vulgo legitur ῥεπώτια: perperam absque dubio, cùm exponatur ibidem, ἡ τρίτη* τῶν γάμων ἡμέρα.

* Tertia dies nuptiarum.

Rostra locus in Urbe, ubi concionantur, semper plurale: ut est apud Charisium: quicum consentit Diomedes. Caussam superiùs eam attulimus, quòd locus is foret ex plurimis Antiatium navium rostris constructus.

Serta, στέφανοι, στεφανώματα, tantummodo plurali usurpatur: juxta Charisium, Diomedem, Phocam. Sed quid de eo sentire oporteat, optimè exposuit Servius in I Æn. his verbis: *Sertum, & serta, cum nihil adjicitur, dicitur: ut hoc loco*, (Sertisque recentibus) *Item alibi expressius*†:

† Ecl. 6.

Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.

*Si autem SERTOS dixero, addo FLORES. Si SERTAS, addo, CORONAS: ut Lucanus**;

* Lib. 10. vers. 164.

Accipiunt sertas nardo florente coronas.

Spectacula, θεωρίαι, Charisius & Diomedes plurale solùm dicunt. Plinius tamen in Panegyrico, *pantomimorum spectaculum* dixit.

Spolia, λάφυρα, Charisius, Diomedes, Phocas, tantummodo volunt plurale. Sed subjungit Diomedes, Virgilium *spolium* dixisse. Locus est XII Æn.

—— *Validam vi corripit hastam,*
Actoris Aurunci spolium.

Subsellia tantùm in plurativo dici ajunt. Et verum hoc, ubi de theatralibus subselliis sermo est universè. Cæteroqui Plautus non refugit Captivis†, & Sticho‡, *imi subsellii virum.* Estque ejusdem Sticho act. V, sc. IV:

† Act. 3. sc. 1.
‡ Act. 3. sc. 2.

Potius in subsellio Cynicè accipiemur quàm in lectis.

Tempora, χρόνοι, inter pluralia semper reponit Charisius. Sed agnoscit Virgilium singulari usurpare. Locus est Æn. IX*:

* Vers. 418

—— *It† hasta Tago per tempus utrumque*
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cruore.

† Al. lit. Prisc. volat.

Nec sic locutus sine exemplo. Nam Catulli est epithalamio Juliæ, & Manlii:

Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.

Eodem modo locutus Lucretius lib. II*: quamquam Lambinus *pectus* corrigat, invitis omnibus libris.

* Vers. 44.

Vada,

Vada, βραχέα, inter semper pluralia referunt Charisius, & Diomedes. Sed addit Charisius, *vadum* dixisse Sallustium: *Unum haut facilem pugnantibus vadum.* Verùm non is modò sic locutus; sed & Cæsar lib. I belli Gallici: *Rhodanus nonnullis vado transitur.* Et Livius lib. VIII belli Macedonici: *Pontem, quia vado nusquam transitus erat, facere instituit.* Et κατὰ μεταφορὰν Terentius Andria: *Res est in vado.*

Verbera, μάστιγες, plurale solùm ait Charisius: item Diomedes. Sed hic addit Virgilium dixisse*:

—— *Illi instant verbere torto,*
Et proni dant lora.

* 3 Georg.

Similiter *verbere* legas apud Nasonem sæpius; item Lucanum, Statium, Martialem. Imò & in patrio casu *verberis* dicitur. Quod rectè Phocas ostendit isto Lucani:

At saxum quoties ingenti verberis ictu
Excutitur.

Est locus iste ex libris Lucani deperditis. Ex quibus etiam tergeminum locum citat Lactantius sive Lutatius, vetus Papinii interpres. Usus eodem fuerat Naso lib. XIV Met. Fab. XIX.

Impavidus conscendit equos Gradivus, & ictu
Verberis increpuit.

Vinacea plurale est, quando sumitur pro στεμφύλοις sive folliculis uvæ expresso vino. Adjectivè autem *acinum vinaceum* dicimus. Sic *vinacea uva* est apud Varronem lib. III de R. R. cap. XI. *Paleas vinaceas* apud Plinium lib. XVII, cap. XXII.

Viscera, σπλάγχνα, singulari carere, ajunt Sosipater, & Diomedes. Phocas verò tradit in singulari unicum habere casum, *ab hoc viscere.* Ovidius VI Met.

E quibus una trahens hærentia viscere tela.

Sed Charisius quoque meminit genitivi *visceris.* Quin Lucillius, eodem teste, etiam in recto dixit *viscus aprinum*, quod aliis *aprugnum.* Et quid apertius illo Lucretii:

Visceribus viscus gigni, sanguenque creari:

sive, ut legit Charisius, *sanguenque creari.* Neque refugit Suetonius in Vitellio cap. XIII: *Nec temperavit, quin inter altaria ibidem statim viscus, & farra penè rapta è foco manderet.* Frequens etiam est apud Celsum.

Utensilia usitatiùs dicitur in plurale: sed singularem *utensile* Varro lib. I de R. R. cap. II. non refugit. Estque naturâ adjectivum. Onomasticon vetus: *Utensilis, utilis*, χρειώδης.

Zizania, τὰ ζιζάνια, quod & ipsum huc referunt, non alibi, quàm apud Euangelistas, & Theologos, legas. Adhæc singulare τὸ ζιζάνιον agnoscit Suidas.

Addunt his quoque appellationes seu urbium, ut *Susa*, *Artaxata*; seu insularum, ut *Cythera*; seu regionum, ut *Bactra*; seu montium, ut *Acroceraunia.* Item festorum nomina. Ita singulari carere Phocas ait *Bacchanalia: Terminalia*, & *Vulcanalia.* Diomedes: *Compitalia*, *Floralia*, *Saturnalia*, Priscianus: *Neptunalia* & Diomedes, & Priscianus: cuncta verò hæc Charisius, ac præterea *Carmentalia*, *Cerealia*, *Liberalia.* Nempe omnium istorum, & hisce similium, par ratio est. Sunt verò naturâ adjectiva: ac intelligitur *festa*, vel simile. Ex se igitur singularem habent. Qua de re luculentus est Macrobii locus in primo Saturnalium cap. IV: *Compitalia*, inquit, *& Bacchanalia, & Agonalia, Vinaliaque, & reliqua his similia festorum dierum nomina sunt, nec singulariter nominantur; aut si singulari numero dixeris, non idem significabis, nisi adjeceris festum: ut Bacchanale festum, Agonale festum, & reliqua; ut jam non positivum sit, sed adjectivum, quod Græci ἐπίθετον vocant.*

Hactenus de Numeri anomalia: in qua vidimus, quantopere sæpius fallantur Grammatici veteres; & plurimi juniorum; etiam eorum, qui in hac Arte aliorum judicio non sunt aspernandi; suo verò tanti, ut & caput ad Fabii fornicem possint submittere: ut de Memmio quodam dicebat Crassus*. Interea illud diffiteri non possumus, multa ex his esse, quæ rarò in utroque numero, nec nisi certis casibus, reperiantur. Qualia & nobis rara esse debent; nec temere aliis casibus usurpanda, quàm quibus veteres præiverunt.

* Cic. lib. 2. de Orat.

CAP. XLV.

De casibus universè. Varia casuum appellationes ex Prisciano. Casus interrogandi *pro* genitivo. Casus Latinus *quis dictus. Esse eam appellationem veterem, etsi Prisciano omissam. Græcis eundem esse dativum, & ablativum. Malè Latinis septimum, & octavum tribui casum. An recto etiam conveniat nomen casus. Ablativis minus scitè in declinando præmitti præpositionem.*

VEnio nunc ad Casuum doctrinam: in quâ ipsâ quoque errores,

Quasi † herba irrigua, succreverunt uberrimè.

† Plautus Trin. 1, 1.

Ac primùm in eo, quòd Latinis casus senis plures esse contendunt; Græcis verò plures quinis. De quo antequam agam, dicenda erunt quædam de variis casuum appellationibus. Nam hoc nobis ad prius illud muniet viam. De nominibus verò hisce, propter viri in talibus auctoritatem, laudare testem malo Priscianum: qui eâ de re libro V sic scribit: *Est Rectus, qui & Nominativus dicitur. Per ipsum enim nominatio fit, ut nominetur iste Homerus, ille Virgilius. Rectus autem dicitur, quòd ipse primus naturâ nascitur, vel positione, & ab eo factâ flexione, nascuntur obliqui casus. Genitivus autem, qui & Possessivus, & Paternus appellatur. Genitivus, vel quòd genus per ipsum significamus, ut genus est Priami: vel quòd generalis videtur esse hic casus genitivus, ex quo ferè omnes derivationes, & maxime apud Græcos, solent fieri. Possessivus verò, quòd possessionem quoque per eum casum significamus: ut, Priami regnum: unde possessiva quoque per eum casum interpretamur. Quid est enim Priameium regnum, nisi Priami regnum? Paternus etiam dicitur, quod per eum casum pater demonstratur: ut, Priami filius: unde patronymica pariter in eum resolvuntur. Quid est enim Priamides, nisi Priami filius? Post hunc est Dativus, quem & Commendativum quidam nuncupaverunt: Do homini illam rem: &, commendo homini illam rem. Quarto loco est Accusativus, sive Causativus: Accuso hominem, & in causa hominem facio. Vocativus Salutatorius etiam vocatur: ut, ô Ænea, & salve Ænea. Ablativus etiam Comparativus: ut, aufero ab Hectore; &, fortior Hectore. Multas tamen alias quoque, & diversas, unusquisque casus habet significationes: sed à notioribus, & frequentioribus, acceperunt nominationem; sicut in aliis quoque multis hoc invenimus: ut Patronymica vocamus, non quòd omnia, sed quòd pleraque à patribus derivantur. Neutra dicimus verba, non quòd solùm ea in hac specie inveniuntur, quæ neutram habent significationem, id est, nec activam, nec passivam, absolutè dicta: sed quòd ex maxima parte. Syllabas nominamus, non quòd omnes comprehensione literarum constent; sed quòd pleraque. Sic ergo etiam casus ab aliqua notabiliore significatione sunt nominati.* Hactenus Priscianus: qui tamen neque sic omnes casuum appellationes recensuit. Nam, ut mittam alias, Romanorum post Varronem doctissimus, Nigidius Figulus, genitivum appellabat *casum interrogandi.* Verba ejus ex vigesimoquarto commentariorum Grammaticorum adducit Gellius lib. XIII, cap. XXIV.

Nunc videamus de numero casuum apud Græcos, qui uno casu vincuntur à Latinis. Est is casus auferendi, quem iccirco *casum Latinum* appellare possumus; etsi nec illud nomen commemoret Priscianus. Sed præivit hac parte nobis Varro ipse; ut ex Diomede, & P. Consentio, cognoscere est. Quare falluntur aliquot viri docti, quibus complacitum, nuperam eam esse appellationem, atque adeò insubidam; quia, ut inquiunt, Græci non minùs casum sextum agnoscunt, quàm Latini. Sunt in hac sententia, præter alios, Nicodemus Frischlinus, & Pascasius Grosippus, sive Gaspar Scoppius. Utrique autem præivit Franciscus Sanctius Brocensis: qui in Paradoxis suis contendit,

tot

tot debere statui casus in nominibus, quot sunt casuum officia; nec uni casui (si præpositionum vires excipias) plura posse tribui officia; eoque etiam delirare, qui apud Græcos dativi præpositiones excogitarunt, cùm eæ omnes sint ablativi. Verùm malim hâc in re adsentiri Charisio, qui lib. primo Græcos hunc casum habere negat, ut & Diomedes lib. VI, Donatus in edit. II, Priscianus extremo lib. quinto, & P. Consentius in arte suâ. Nec enim à significationis, sed terminationis diversitate, peti debet casuum diversitas; quia in immensum alioqui excresceret eorum numerus. E. G. Genitivus est à genendo, sive gignendo, unde & vocabulum hoc pro nativo usurpat Naso Met. III*:

—— Percussis anguibus iisdem
Forma prior redit, genitivaque venit imago.

* Fab. 4.

Attamen Grammaticis genitivo non solùm significatur, à quo quis sit genitus, ut, *filius Anchisæ*: sed & possessio, ut, *villa Ciceronis*. Erit igitur possessivus diversus à genitivo. Itidem dativo quoque ablatio notatur; quia, ut dico, *do tibi*; dico etiam, *adimo tibi*. Erit igitur & alter ablativus. Accusativo non modò utimur crimen aliquod impingentes, sed & laudantes. Proinde sit & laudativus Vocativo quoque salutamus. Fuerit ergo præter eum & salutativus. At quis non videt, quàm hæc inepta sint? Quare cùm dandi auferendique casus apud Græcos neutiquam differant terminatione; contrà quàm fit apud Latinos: non video, quo jure apud Græcos sextum casum introductum eant. Habent quidem Græci casum, quo ablationem, vel caussam, instrumentum, modumve signent: sed est is Græcis casus tertius, quem potiùs dativum, quàm ablativum dixere, quia etsi tum acquisitionem, tum ablationem notet, tamen adquisitio naturâ prior est ablatione. Latinorum verò hac parte ratio est dispar, quia terminatio est diversa. Interim ablativum eorum ex Dativo originem ducere certum est. Nam seu declinationem primam spectemus, ut Græcis τῇ κρεάγρᾳ, sic Latinis *hac creagra*, & η in α conversâ, à μοῦσα est *musa*, à προσευχῇ, *proseuchâ* apud Juvenalem*: seu secundam consideremus, τῷ Κύρῳ est *hoc Cyro*, τῷ ἀγρῷ, *hoc agro*: seu tertiam, I abit fere in vicinum E, τῷ πατρὶ, *hoc patre*, τῷ Τιτᾶνι, *hoc Titane*. Imo, ut testis est Victorinus, etiam in prima olim similis prorsus fuit dativus & ablativus. Nam ut dativo dixere *huic mensai*, sive ablativo *hac mensai*. Quomodo Latinis etiam quinque tantummodo fuerint casus.

* Sat. 3.

Eâdem peccant prodigalitate, qui Latinis septimum donarunt casum, quia ablativus sæpe ponatur absque præpositione; ut cùm caussam vel instrumentum, vel modum notat. Septimum quoque casum vocant Valerius Probus lib. I artis Grammat. ac Servius interpret. in edit. II Donati. Quin Fabius hujus casus meminit lib. I, cap. IV: *Quæras, inquit, etiam, sitne apud Græcos vis quadam sexti casus, & apud nos quoque septimi. Nam cùm dico, hastâ percussi, non utor ablativi naturâ: nec, si idem Græce dicam, dativi, τῷ δορί.* Hæc ille. Nos Priscianum sequimur, qui hanc de septimo casu sententiam refellit: ut postea patebit.

Multoque minùs suam nobis prodigalitatem probant, qui comminiscuntur nescio quem casum octavum: ut, *It clamor cælo*. Ubi quia *cælo* ponitur, pro *ad cælum*, octavum esse casum ajunt. Idem censent de istoc Ecl. II:

Hædorumque gregem viridi compellere hibisco:

quod Servius quoque exponit, *ad hibiscum*. Et in isto, *Inferretque Deos Latio*: quod est, in Latium. Cui geminum fuerit hoc Tibulli lib. I, el. I:

Me mea paupertas vitæ traducat inerti.

hoc est, ad inertem vitam, atque, ut Maro† loquitur, ignobilis otii studia. De octavo hoc casu etiam apud Servium in edit. II Donati, itemque Cledonium legere est. At plures esse casus non possunt, quam a recto cadunt differentes terminationes, diversumque officium constituentes. Id attendit & contendit Priscianus, qui sub exodium lib. V, septimum casum negat, quia septimus *nulla differentia vocis in nullo nomine distet à se ipso*. Deinde, ut idem ait, *si præpositiones adjunctæ, vel non, ablativo, mutant ejus vim, accusativo quoque adjunctæ, vel non, debent similiter mutare casum.*

† Georg. 4

Quæritur præterea, an nominativus quoque rectè proprieque casus dicatur. Sanè si casus ex eo nomen indepti sunt, quòd a recto cadunt: rectus nonnisi καταχρηστικῶς dicetur casus. Sed magis mihi fit verisimile, casus μεταφορικῶς vocari diversum vocis exitum, quòd in has, vel illas syllabas, nomen, aut verbum, quasi cadat: quod si est, rectus non minùs casus erit, quàm obliqui. Pro hâc opinione facit, quòd doctissimus Nigidius Figulus apud Gellium lib. XIII, cap. XXIV, pro eo, quod *nominativum pluralem* vocamus, dicat *casum multitudinis rectum*. Idem eo firmatur, quòd Rhetores ὁμοιόπτωτον, sive *similiter cadens*, non minùs in rectis statuant casibus, quàm obliquis. Nec Grammaticis *exstes* minùs est μονόπτωτον, quàm *inficias*.

Neque prætereundum istoc, quamvis percutiet nonnullos rei novitas, haut rectè in flectendis vocibus ablativo præmitti præpositionem A: ut, *à patre*. Nam ut ea necessaria est, cùm ablativus ablationem notat: ita solœcismus committitur manifestarius, si adjiciatur, cùm notatur instrumentum; ut, *Occidit cum gladio*. Et sanè, quid caussæ est, cur magis in ablativo dicant *à patre*, quàm in accusativo, *ad patrem*: Verùm quantumcunque hoc liqueat, non tamen latum unguem à more suo discedunt pædagogi nostri; quibus*,

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

* Horat. lib. 2. ep. 1.

Et hæc quidem generatim de casuum numero dicta sunto, in eorum gratiam, quibus volupe est aures animumque farcire scholicâ hac dape.

Cap. XLVI.

Vocabula ἄπτωτα, & μονόπτωτα, quàm variè ab antiquis sumantur. Frux, frugis, frugi, frugem, fruge. Nauco ducere. Mancipi *esse genitivum, contra opinionem Prisciani. Agrœcii in* nihilo *lapsus.* Puris, puri, *&* pure, *à* pus. Viri, *&* viro, *à* virus. *Ablativi* chao, *&* milli. Ruribus. Jurium, juribus. Instar *nominandi, & accusandi casus.* Instaris. Volup. Gloris.

Porrò videamus de sextuplici genere eorum, quæ casibus deficiunt. Ea dicuntur ἄπτωτα, μονόπτωτα, δίπτωτα, τρίπτωτα, τετράπτωτα, πεντάπτωτα. Sed appellationibus istis non uno omnes modo utuntur; præsertim duabus primis. Siquidem Charisio μονόπτωτα sunt, quæ non variantur in obliquis; ut *nequam*: ἄπτωτα, quæ uno tantùm casu inveniuntur; ut genitivus *dicis*. Sed Diomedes, Rhemnium Palæmonem secutus, ἄπτωτα vocat, quæ Charisius μονόπτωτα. Nam ἄπτωτα definit, *quæ à prima sui positione non cadunt; ut nequam, & nomina numerorum indeclinabilia a quatuor usque ad centum.* Μονόπτωτα, *ut quæ per ablativum tantum enunciantur.* Etiam Phocas *cornu*, & similia, in singulari aptota vocat cum Diomede. Imò & Donatus in edit. II, ubi aptota definit, *quæ neque per casus, neque per numeros declinantur; ut nequam, & nomina numerorum a quatuor usque ad centum.* At Priscianus propiùs accedit ad Charisium. Nam μονόπτωτα ei sunt, *quæ pro omni casu unâ eâdemque terminatione funguntur. In his*, inquit, *id est, carentibus declinatione finalium syllabarum, quæ μονόπτωτα nominamus, videntur casus fieri non vocis, sed significationis duntaxat.* Quibus ex verbis cognoscimus, cur hujusmodi ab aliis vocentur ἄπτωτα, hoc est, casibus carentia. Nempe quia, ut Priscianus hic dicit, *non fiunt casus vocis, sed significationis duntaxat.* Sed Prisciano ipsi aptota aliud sunt; non tamen planè idem, quod Charisio. Nam huic aptota dicuntur, quæcumque habent unum duntaxat casum; sive is rectus, sive obliquus: unde ei, *dicis caussa* ἄπτωτον est. Sed Prisciano aptota propriè vocantur, quæ carent omnibus obliquis. Verba ejus apponam: *Aptota sunt propriè dicenda, quæ nominativum solum habent: ut, hic Jupiter; qui plerumque & vocativus invenitur, &*

non accipitur etiam pro obliquis; ut Jupiter, Diespiter. Non enim licet eodem pro genitivo, vel alio casu obliquo uti. Ideo autem dixi propriè dicenda, quia inveniuntur antiqui aptota pro monoptotis, & monoptota pro aptotis posuisse.

Ex his ita colligimus, etsi omne nomen alicujus sit casus; tamen posse aliquid dici ἄπτωτον; vel quia rectum habeat, at non obliquos; ut *Jupiter*, *expes*; quæ ἄπτωτα sunt Prisciano: vel quia unum habeat obliquum, absque recto; ut genitivus *dicis*, accusativus *inficias*; quæ ἄπτωτα sunt Charisio: vel quia casus habeat ratione significationis, at non ratione diversæ terminationis; ut *nequam*, & *cornu* in singulari; quæ ἄπτωτα sunt Diomedi. Μονόπτωτα item, sive unius casus, dici ea possunt, quæ, etsi significationis ratione declinentur in casus, tamen non mutent terminationem; ut *nequam*, *cornu*: vel quæ ita unius sunt terminationis, ut ne significationis quidem ratione varientur; ut *dicis*, *inficias*. Priora Charisio, & Prisciano sunt μονόπτωτα; posteriora Diomedi. Nos etsi ea, quæ neque terminationis, neque significationis ratione, in casus declinantur, rectiùs putemus ἄκλιτα * dici: nihilominus ἄπτωτα vocabimus *cornu*, & *nequam*: μονόπτωτα *dicis*, & *inficias*. Non quia appellatio ea magis ratione sit subnixa, vel potior apud me sit Diomedis, quàm Prisciani autoritas: sed quia vulgò ferè ea nomina sic accipi nunc solent. Nempe illud philosophi placet, ut cum vulgo loquamur, sapiamus cum paucis. Quem animum quoque præstabimus in aptotorum, & monoptotorum exemplis. Multa enim coacervant vulgò, quæ non machinâ, aut ariete ullo, sed vel solius manus impulsu facilè evertantur.

* *Indeclinabilia.*

Ordiemur ab aptotis. Quæ duplicia sunt. Nam forma, quam habent, vel omnibus, vel certis casibus est communis. Prioris generis sunt ista: *pondo* plurale, *nequam*, *tot*, *totidem*, *quot*, *quotquot*, *aliquot*, *quotcunque*. Item exeuntia in I; ut, *gummi*, *sinapi*: vel V, ut *cornu*, *veru*: nisi quòd in patrio casu quoque in US desinant, ut postea dicetur. Adhæc numeralia à quatuor usque ad centum; nec non *mille* adjectivum. Præterea nomina literarum; ut, *alpha*, *beta*. Quamquam id perpetuum non est, ut superius * vidimus. Item quæ ab Hebræis, vel barbaris, accepta: ut, *Adam*, *Noë*, *Cham*, *Abraham*. Etsi & legas, *Ada*, *Abraha*; quasi à rectis, *Adas*, *Abrahas*.

* *Cap.* 12.

Vulgò autem, idque præeuntibus antiquis, hujus esse generis aptota docent, *frugi*, *nauci*, *nihili*, *mancipi*. Sed, ut de singulis ordine dicamus, etsi Charisius *frugi* alicubi malè, & adjectivum, & aptotum statuat: tamen alibi fatetur, esse πεντάπτωτον; quia dicamus, *frugis*, *frugi*, *frugem*, *fruge*. Virum *bona frugis* dixit Appulejus, & ante eum Agellius. Plautus pro eo non semel usurpat *frugi bona*, ut Pseudolo †:

—— Dum ego vivus vivam, nunquam eris frugi bona.

Et in Trinummo ‡:

Is probus est, quem non pœnitet, quàm probus sit,
& frugi bona.

Accusativum usurpat Plautus eâdem Comœdiâ *:

Quin eum restituis, quin ad frugem corrigis?

Et sc. III:

Certum est ad frugem applicare animum.

† *Act* 1, *sc. Pseudole, non audis.*
‡ *Sc. Quo illic homo foras.*
* *Act.* 1, *sc.* Larem coronâ nostrum.

Cicero pro M. Cœlio: *Equidem multos & vidi in hâc civitate, & audivi, qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, & se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse.* Lampridius in Heliog. *Milites se parsuros dixerunt, si ad frugem bonam rediret.* Lactantius lib. VI de litera Pythagorica agens: *Si philosophiam didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honestæ artis, quo evadat ad bonam frugem.* Quid quod nominativum habeat *frux?* quem Ennius usurpat Annal. lib. XVII:

Si luci, si nox, si mox, si jam data sit frux.

Et lib. IX:

Sed quid ego hæc memoro? dictum factumque facit
frux.

Et Ausonius Idyllio V:

Ante equidem campis quàm spicea suppeteret frux.

Atque ex hoc loco, ac plerisque aliis antè adductis, etiam cognoscere est, *frux* & substantivum esse, & femininum. Erravit igitur Priscianus, cùm scribit lib. I: *In I neutra sunt, vel omnis generis: ut hic, & hæc, & hoc frugi, nihili, mancipi, hujusmodi.* Dicimus autem *homo bonæ frugis*, ut *homo non semissis*. At *homo frugi* dicimus, intellecto verbo substantivo, quod exprimitur in simili locutione Ciceronis II Philipp. *Nec tu solvendo eras.* Itemque Livii hoc lib. XXIII: *Ea modò, quæ restinguendo igni forent, portantes.* Quæ ἐλλειπτικὰ sunt. Nam intelligitur *idoneus*, aut simile. Nisi magis placet, *frugi*, extrito S, poni pro *frugis*, more antiquo; qui in patrio casu dixere itidem, *Herculi*, *Themistocli*, *fami*. Sed horum dispar ratio, ut planum faciam libro sequenti. Quare priorem præfero sententiam.

Eundem impingat in errorem, qui eo quòd recentiores Grammaticorum, adjectivum faciant *nauci*, aptotumque; iccirco, cùm dico *homo nauci*, nominativum utrumque esse credat. Nam *nauci non facere*, haut aliter extulit Plautus, quàm alibi dixit, *flocci non facere*: ac *nauco ducere* etiam apud Festum inquit Nævius. Voce autem hac signatur fabæ granum, cùm se aperit, ut ait Charisius: vel putamen nucis, ut est apud Priscianum in VI.

Idem de *nihili*, & *mancipi*, statuendum; quorum utrumque est patrii, sive, ut Nigidium vocare diximus, interrogandi casus, ac nomen substantivum. Et *mancipi* quidem per apocopen factum est ex *mancipii*. Malè Priscianus lib. VI dativum scripsit esse à *manceps*. At *nihili* nominativo casu habet *nihilum*, & per apocopen *nihil*. Neutiquam verò adverbium est, quod scripsit Sosipater; aut aptoton, ut alii opinati; quos vel illud Persii * in ruborem dabit:

—— Gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

* *Sat.* 3.

Atque hinc quoque liquet, errare Agrœcium, cùm scribit, *Nihil adverbium, nihili nomen est.* Nam utrumque nomen.

Hæc de iis, quæ vel aptota sunt prioris generis, vel falsò esse creduntur. Venio nunc ad alterum eorum genus, quod non omnes, sed certos tantùm casus habet, atque iis, quos habet, similiter exit. Ut *fas*, *nefas*, *farra*, *mella*, *instar*, *cete*, *mele*, *tempe*. Quæ summùm tribus casibus invenias; nominandi, accusandi, vocandi: ut, *hoc fas est*; *per fas, & nefas*; *ô fas, & æquum.* Similiaque *hir*, *frit*, *hir*. Nisi hoc *hiris* facit, ut censet Priscianus. Valerius Probus, (ut Charisius ex Flavio Capro refert) *Alecto* quoque ἄπτωτον, sive, ut ipse loquitur, μονόπτωτον putabat. Quod si est, in patrio casu non liceat *Alectûs* dicere. Vult enim recto quidem, & vocandi casu, dici *Alecto*, ac præterea accusativo, propter Maronis illud, *Luctificam Alecto*: at cæteris casibus carere.

Vulgò hujus etiam generis faciunt; *pus*, *virus*, *chaos*, *mille* substantivum: quæ tribus illis casibus similiter ajunt exire, nec aliis inveniri. Sed non minùs hic eos ratio, quàm in prioris generis aptotis, fugit. A *pus* enim genitivum format Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici: *Subitò tanta vis morbi in imum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistulæ puris erumperent.* Celsus lib. V, cap. de igne sacro: *Prodest etiam infra os ulcerum lædi, quò plus puris exeat.* Et cap. de fistulis: *Neque alienum est, si plus puris fertur, vino fistulam eluere.* Similiterque Cælius Aurelianus lib. V tardarum passionum cap. VIII: *Item aliis etiam in singula loca ex aliis factam susceptionem puris, quam metalepsim vocaverunt, signis explicari conati sunt.* Quare corruit Prisciani illud in VI: *Pus non habet in usu genitivum, ne si puris diceretur, esset, quantum ad eandem scripturam, dubitatio, utrùm dativus esset pluralis, à purus puris; an genitivus singularis, ab eo quod est pus indeclinabile.* At Valerius Probus in Catholicis non genitivo solùm spoliat, sed etiam dativo, & ablativo. *Pus*, inquit, *& virus, tres tantùm casus recipiunt; & in numero tantummodò singulari declinantur; hoc pus, vel virus; ô pus, vel virus.* Similiter Charisius lib. I, ut de Alcuino, & aliis taceam. Verùm dativum usurpat idem

Celsus

Celsus lib. v, cap. xxviii; quod de furunculo inscribitur: *Cætera si desunt, imponi debet primùm non pingue emplastrum: deinde, si non expressit, quodlibet puris movendo accommodatum.* Nec multò post ablativo utitur: *Expresso pure, nulla ultra curatio necessaria est.*

Nec super eo audiri Probus, vel alii, in quibus Consentius, debent, quod de *virus* ajunt. Nam inflectit Lucretius lib. ii:

> —— *Tetri primordia viri.*

Et eodem:

> —— *Contactos perdere viro.*

Apud alium tamen haut fortassè hæc reperias.

Nec majori jure *chaos*, & *mille* substantivum, referunt Grammatici inter aptota certi casus. Nam Maronis est iv Georg.

> *Atque chao densos divûm numerabat amores.*

Ubi Servius, *id est, à chao narrabat crebros amores Deorum.* Pro Deo autem etiam in accusativo *Chaon* facit, juxta aliquos; qui legunt apud Nasonem xiv Met. Fab. viii:

> *Et noctem, noctisque Deos, Ereboque, Chaonque,*
> *Convocat.*

Sed de hoc in tertia declinatione plura.

Mille, quod aptoton esse ajunt, in ablativo facit *milli*; ut duobus Lucilii locis ostendit Agellius lib. i, cap. xvi. Unus est:

> *Tu * milli nummûm potes uno quærere centum.*

Alter est:

> *Hunc † milli passûm qui vicerit atque duobus*
> *Campanus sonipes, succussor ‡ nullu' sequetur.*

* *Lib. 9.*
† *Lib. 15.*
‡ *Henrici Stephani editio Gelliana habet* subcursor: *sed perperam.*

Apud eundem tamen Agellium lib. iii cap. xiv, hæc verba Varronis leguntur: *Qui ex mille numum, quod ei debebatur, quingentos recepit.* Ut Varroni videatur plane ἄκλιτον fuisse. Nisi & hic *milli* legendum.

Alia etiam sunt, quæ aptota posterioris generis falsò putant: ut *æra, maria, rura, jura, ora.* Quæ in plurali negant * inveniri extra nominativum, accusativum, & vocativum. Cato tamen *ærum* dixit, & *æribus*: quo & usus Arnobius. Cæsar autem *maribus.* Non reponam, quæ de iis superiùs † nobis dicta. Plinii quoque est in Epistolis: *Fontibus, ruribus, & agro.* *Rurum* vel *rurium*, non puto occurrere. At *jurium* est apud Plaut. Epid. ‡

> *Atque me minoris facio præ illo, qui omnium*
> *Legum, atque jurium, fictor, conditor, cluet.*

* *Phocas, & alii.*
† *Cap. 38 & 41.*
‡ *Act. 3, sc. Cave præteribites.*

Sic Cato apud Sosipatrum; *Jurium* (alii *jurum*) *legumque cultores.* Et Ulpianus ad Edictum lib. xxvii: *Quia debita juribus non est pecunia.* hoc est, civili, & prætorio. *Oribus* apud Maronem * legimus, itemque Arnobium lib. i: *Belluarum agrestium ritu cruentis oribus mandere.* Et lib. ii: *In tam sævis, atque horridis oribus, sortem suam flerent.* Et lib. v: *Caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis.* Utitur & Nonius, in voce *omen.* Imò & *orium* legi ajunt apud Plinium lib. xx, cap. ix. Et sanè in antiquâ etiam Parmensi sic editum: *Vitia orium, graveolentiamque.* Sed meliùs libri alii, *Vitia earum.* Nempe *narium*, quod antecessit.

* *Æn. 8 & 10.*

Rectiùs huc retulissent *astu*, & *instar*. Prius esse *indeclinabile, ut cornu*, ait Priscianus in xv. Mallem dixisset, *ut fas, & nefas.* Nec enim in dativo, vel ablativo, ut *cornu*, ita *astu* etiam dixeris. *Instar* perperam adverbium credidere, cùm idem significet, quod similitudo sive exemplar. Nominativo usus Cicero de Clar. Orat. *Plato mihi unus instar est omnium.* Item Virgilius vi Æn.

> *Quis strepitus circa comitum! quantum instar in ipso est!*

Ubi Servius, *Instar, similitudo, effigies.* Et Ulpianus †: *Si præponatur instar quoddam operis.* Ubi vides, & adjectivum neutri generis adsciscere. At accusativo usurpat Cicero Tuscul. Quæst. lib. i: *Terra ad universi cæli complexum quasi puncti instar obtinet.* Item Ovid. lib. ii de Ponto, el. iii: *Instar & hanc vitam mortis habere puta.* Et Justinus lib. xxxvi: *Vallis ad instar castrorum clauditur.* Suetonius in Cæsare: *Nec patientem* (equum) *sessoris alterius primus adscendit, & instar pro æde Veneris genitricis postea dedicavit.* Item Appul. ix Met. *Iste quoque ad instar infelicissimi sui filii jugulum sibi multis ictibus contrucidat.* Ejusdem est: *Ad instar Solis exornatus.* Qui & alibi sæpe sic loquitur. Non tamen *instar* hujus sit loci, si *instaris* facit: quod traditum à Valerio Probo in Catholicis. Sed dissentit Charisius in primo. Etiam B. Augustinus de Grammatica: *Instar, quod est similitudo, tres habet casus tantum; nominativum, accusativum, & vocativum: & est numeri tantum singularis.* Vocativum tamen non arbitror inveniri. Verùm sic quoque aptoton fuerit posterioris generis: quia duo erint casus similes, nominativus, & accusativus: quale & *volupe*, vel, ut veteres κατ᾽ ἀποκοπὴν dixere, *volup.* Item *necesse*, vel *necessum*; quorum illud est neutrum à *necessis*, hoc à *necessus.* Uti & referri etiam huc possunt, quæ solo nominativo & vocativo legimus. Quale *exspes.* Item *glos*, nisi Prisciano accedendum, qui *gloris* declinat. Etiam *Jupiter.* Nam *hujus Jovis* est ab *hic Jovis*: de quo postea.

† *De novi operis nunciatione L. Stipulatio.*

Cap. XLVII.

De monoptotis. Dicis caussâ. Cuicuimodi *pro* cujuscujusmodi. *Giffanius refellitur.* Alimodi. Inficias. Ad incita, *vel* incitas, adigi, *aut* redire. Ingratiis tuis. *Giffanii error geminus. Probi, Phocæ, Charisii, aliorum, lapsus.* Suppetiæ. Astus. Feminis *à recto* femur. Femina *in plurali ab eodem.* Impetis. *Prisciani error triplex.* Teres *unde, itemque* impete. Indigitamenta *quid, & unde dicantur.* Impetibus. Damnás. Satiás, satiatem, satiate. *Claudius Verderius reprehensus.* Despicatui, irrisui, ludificatui, *& similes dativi.* Mactum *Buchananus leviter notatus.* Macti.

Vidimus de illis, quæ vel omnes, vel minimùm tres duosve casus habent, verùm iis non variant terminationem. Nunc accedo ad μονόπτωτα, sive ea, quæ unius tantùm sunt casus. Ac alia quidem horum sunt gignendi casus, alia accusandi, alia auferendi.

Genitivus solùm est *dicis*, teste Charisio. Ut, *dixit*, vel *egit hæc dicis caussâ*; quod est δίκης ἕνεκα, sive λόγου χάριν. Ita utuntur Cic. Verr. vi, & pro Muræna; Cornelius Nepos in vita Attici; Plinius lib. xxviii, cap. ii; Ulpianus in l. i. §. Excusantur. xxxiv. ff. ad Senatusconsultum Silanianum. Vide de eo & Petrum Victorium Var. Lect. lib. viii, cap. xxiv; Turnebum Adv. lib. xi, capite xx; Petrum Pithœum Subsec. lib. ii, cap. viii. Ut Hotomannum, & Jurisconsultorum alios, mittam.

Etiam genitivi solùm casus sunt, *hujusmodi, ejusmodi, cujusmodi*: sed vix μονόπτωτα dici merentur, quia in recto dicitur, *hic modus, is modus, quis modus*; ac similiter in cæteris casibus. Hactenus tamen naturam monoptoti induêre, quia compositâ voce solùm in genitivo utimur; cæteri casus divisim efferuntur. Plus à simplicibus recessit *cuimodi*; quod iccirco magis monoptoti nomen meretur. Est verò *cuimodi* quoque gignendi casus. Unde apud Tullium *cuicuimodi*, pro *cujuscujusmodi*, sive *cujusmodicumque.* Sed librarii imperiti interdum alterum *cui* omisere, quòd putarent, errore manus in eo esse peccatum. Hoc non attendit doctissimus Obertus Giffanius, in Observationibus L. L. ubi *cuimodi* ubique pro *cuicuimodi* rescribendum censet. At longè credibilius, librarios passim *cui* alterum omisisse, quàm addidisse. Gellius lib. ii, cap. viii: *Sed Epicurus, cuicuimodi homo est, non inscitia videtur partem illam syllogismi prætermisisse.* Et sanè Petrus Victorius Castigat. in lib. iii Cic. ad Att. clarè profitetur, se in Mss suis, ita uti dixi, invenisse. Et Priscianus in xiii, cap. de secunda declinatione, sic scribit: *Cuicuimodi, pro cujuscujusmodi. Cicero pro Sexto Roscio: Vereor enim, cuicuimodi est Rosci, ne ita hunc videar servare, ut tibi omnino non pepercerim.* Quomodo non modò nuperrima Putschii editio habet; sed etiam Veneta vetus anni CIↃCCCCLXXVI, & antiquissimus noster, optimæque notæ codex Msus. Quemadmodum autem *cuimodi*, pro *cujusmodi*,

modi, dixere, ita & *alimodi* usurparunt pro *aliusmodi*: cujus rei non alium hoc tempore auctorem laudare possumus, quàm Festum sive Paullum in *Alimodi*.

Μονόπτωτον solius accusativi casus est *inficias*: unde glossæ Philoxeni itidem accusandi casu ἄρνησιν interpretantur. Nimirum dicimus *ire inficias*, ut *ire exsequias*; qui absque dubio est accusativus ab recto *exsequia*: item *ire suppetias*, quod est a *suppetia*. Planeque censeo in hisce tribus κατ' ἔλλειψιν reticeri præpositionem A D.

Nec eorum rejicio opinionem, nec penitus improbo, qui *incitas* quoque, vel *incita*, hujus loci existimant. Ut cum dicitur *ad incitas*, vel *ad incita redigere**, vel *adigere*†, aut *deducere*‡, vel *redire**. Translatio enim est ab calculorum ludo; ubi *ad incitas redactus*† dicitur, qui amplius calculos movere nequit. Ergo *ad incitas* cum dicitur, intelligitur *fines*, vel *calces*, hoc est, calculos. Nempe *incitas*, ut dicerent, quia citari, hoc est moveri amplius non possunt. Nisi *lineas* malis intelligere: de quo alibi‡. Sed utrumcunque intelligas, etsi *incitas*, & *incita*, eâ significatione, nonnisi accusativo casu apud classicos invenio: tamen naturâ suâ casibus variatur. Cur enim alia ratio sit in *incitus*, cum præpositio negat, quam cum affirmat? ut *inciti delphini* apud Cic. *vis incita venti*, apud Lucretium. Præsertim quando, ab altera significatione, ut Isidorus* ait, *& egentes homines inciti vocantur, quibus spes ultra procedendi nulla restat.*

* Plautus Pœnulo, & Trinummo.
† Lucilius lib. sat. 15.
‡ Appul. lib. 3 Met.
* Lucilius lib. sat. 3.
† Isidorus Orig. lib. 18, cap. 67.
‡ Lib. de structura cap. 6.
* Lib. 18, cap. 67.

Μονόπτωτον ablativi casus est *ambage* in singulari; de quo antea† dictum. Item *ingratiis*: quod mirum vulgo inter μονόπτωτα non reponi. Usus Plautus Casinâ:

Vobis invitis, atque amborum ingratiis.

† Cap. 43.

Et Mercatore:

Tuus pater vult tempore tuam amicam tuis ingratiis.

Ubi adjectivum additum clarè non adverbium, sed nomen esse, ostendit. Eodemque errare liquet Obertum Giffanium, qui Latinè dici negavit, *ingratiis tuis*, quo uti videmus Plautum ipsum. Neque, quod idem putavit, *ingratiis*, pro *ingratis*, metri caussâ dicitur; sed Lucretio contrà *ingratis*, pro *ingratiis*, συναίρεσις est.

Sunt autem paucissima verè μονόπτωτα. Nam pleraque, quæ huc referunt, aliis etiam casibus inveniuntur. Hujusmodi sunt accusativi *laterem*, *dapem*, & *suppetias*: quorum primum μονόπτωτον dicitur a Phoca, & Prisciano in quincto, item Consentio: alterum à Probo in Catholicis: tertium à Charisio. Atqui Cicero *latere*; Vitruvius, & Columella etiam, *later* dixerunt. Quod & Probus in Arte comprobat, ut etiam apud Cledonium legas. Ac apud Charisium quoque est, Varronem id v de L. L. dicere *later*, & genitivum esse *lateris*, ablativum *latere*. *Dapis*, *dapi*, *dapem*, *dape*, apud Catonem legas: qui nec *daps* refugit, ut superius† ostensum. *Suppetia* etiam dicitur in recto: ut non modò Diomedes lib. I; sed Charisius ipse alibi agnoscit, ubi βοήθειαν interpretatur. Usus verò Plautus Amphitr. Act. v, Sc. I:

† Cap. 43

Non metuo, quin mea uxori latæ suppetiæ sient.

Et Epidico Sc. ult.

Quicquid ego malè feci, auxilia mihi, & suppetiæ sunt domi.

Itidem μονόπτωτα statuunt ablativi casus, *astu*, *sponte*, *verbere*, *viscere*, *femine*. Atqui Silii est lib. XVI:

Non ars, aut astus belli, vel dextera deerat.

Ac similiter Valer. Flaccus in secundo. Cicero etiam in plurali lib. III de Officiis: *Quorsum hæc? ut intelligas, non placuisse majoribus nostris astus.* Eodemque usi Silius in VII, & Seneca Troadibus.

Sponte, si credimus Servio in II Georg. adverbium est. Sed meliùs in III Æn. ait esse septimi casus. Sanè per dativum, sive ablativum mavis, exponunt & Glossæ Philoxeni: *Sponte*, αὐθαιρέτως. Et Gloss. Cyrilli: Ἑκουσίᾳ γνώμῃ, *sponte*. Ausonius Idyll. v:

Sponte ablativi casus quis rectus erit? spons.

Sed rectus iste non est in usu. Nec propterea est μονόπτωτον, quæ opinio inter cæteros Probi in Catholicis, item Charisii, Diomedis, Phocæ: planeque inveteravit & introboravit in vulgariis diatribis. Siquidem *suæ spontis* dixere Columella lib. IX, cap. IV, & Cornelius Celsus lib. I, capite I: ut taceam de Varrone, & Gellio. Agnoscit & hunc genitivum P. Consentius.

Non *verbere* solùm, sed etiam *verberis* dici: item *viscus*, *visceris*, superiùs* nobis ostensum.

* Cap. 45.

Femine non esse μονόπτωτον, docemur his Marii Victorini verbis lib. I: *Hoc femur, quamvis nominativo per literam R dicamus; tamen genitivo feminis, dativo femini, ablativo femine scribite.* Est igitur *femine* à *femur*; quòd & *femoris* facit, (unde *femoralibus* nomen) & *feminis*; unde Tibullus, *Implicuitque femur femini.* Quem locum etiam Charisius citat, atque ista subjungit: *Femini, non femori, quasi sit hoc femor hujus feminis. Femen enim nominativo, ut semen, necdum legimus à veteribus adsertum.* Caper tamen in libris enucleati sermonis posuit *femen*: sed non apposuit exemplum; ut monet etiam Servius in illud x Æn. —— *Magnique femur perstrinxit Achatæ.* item illud ejusdem libri: —— *Latus Eripit à femine*: ubi addit, etiam Caprum agnoscere, *femen* non inveniri. Priscianus lib. VI, ait, in raro usu esse. Sed frustra cautus est, si, ut puto, legerit nusquam. Idem in proximo Maronis loco legit *femore*, sed malo *femine*; quomodo citat Charisius. Quemadmodum verò Tibullus obliquum *femini* cum recto *femur* junxit: ita etiam Plautus Milite Glor.† cùm priùs dixisset, *in femine habet lævum manum*: subdit mox; *Dexterâ digitis rationem computat feriens femur dexterum.* Usus & Tullius ablativo Verr. VI: *Signum Apollinis pulcherrimum, cujus in femine nomen Myronis inscriptum.* Cæsaris est VII de bell. Gall. *Stipites feminis crassitudine.* Curtius lib. VIII: *Jovis femine Liberum patrem esse celatum.* Plinius similiter lib. XXVIII: *Hic adalligatus femini omnes impetus discutit.* Et mox: *Femina atteri adurique equitatu, notum est.* Atque hæc satis ostendunt, verissimum esse, quod tergemino in loco à Charisio scribitur, *femur* non *femoris* tantùm, sed & *feminis* facere. Ab eodem & in plurali *femina* legitur: ut in isthoc Ballionis apud Plautum Pseudolo*:

† Act. 2, Sc. Nisi herele.

—— *Nempe quod femina summa sustinent.*

ubi malè quidam codd. *sustinet*: ut jam olim monuit G. Canterus lib. VII, cap. XIX.

* Act. 4, sc. Malus & nequam est homo.

Viscere tantùm singulo numero ablativum habere, Phocæ sententia est. Sed de eo jam vidimus. Idem Phocas ait, *obice* solo inveniri ablativo. Quasi non Plautus Mercatore, *iste obex*, dicat, Plinius Panegyrico, *nulla obices*, & alii similia.

Alia etiam sunt, quæ perperam monoptota ablativi casus putarint. Ut *crate*, & *impete*. Cùm *cratim* sit apud Plautum Pœnulo, ac Charisius quoque in primo *cratem* agnoscat: ut cap. XLIII dicebamus. *Impete* verò, quod glossæ Philoxeni ὁρμῇ exponunt, etiam in patrio invenitur. Nam *impetis auctum* est apud Lucretium in VI; *rapidi impetis*, apud Silium Italicum. Imò Onomasticon vetus rectum quoque agnoscit: ut in quo sit, *Impes*, *impetus*, ῥύμη, βία. Et favet Priscianus in I: ubi ait, ut ab *hebeo*, *hebes*, est *hebes*, *hebetis*; ab *indigeo*, *indiges*, est *indiges*, *indigetis*; à *tero*, *teris*, est *teres*; *teretis*; à *prapeto*, *prapetis*, est *prapes*, *prapetis*: sic ab *impeto*, *impetis*, esse *impes*, *impetis*. Sed *impes* nusquam legere est. Et *hebeo* est ab *hebes*; *teres* à Græco τείρω, κατὰ μετάθεσιν: *indigetes* verò dicuntur ab *indigito*, quod est ex *indu*. i. *in*, & *cito*, id est *voco*; ut *indigito* sit *invoco*; unde *indigitamenta*, ἱερατικὰ βιβλία; ut exponitur in vett. glossis. Nempe quia iis continentur Deorum cognomenta, ac preces supplices, quibus superos invocarent. In plurali etiam *impetibus* legas apud Lucretium lib. I:

Quamlibet in partem trudunt res ante ruuntque,
Impetibus crebris.

Sed non minùs hoc videri possit venire ab *impetus*, quàm ab *impes*, vel *impetis*, *impetes*.

In eo quoque peccatum, quòd cùm, ut ego quidem censeo, μονόπτωτα omnia vel genitivi casus sint, vel accusativi,

vel ablativi: vulgò quædam etiam statuant nominativi, quædam dativi, quædam vocativi.

Nominativi iis monoptota putantur *damnas*, & *satias*. Atqui *damnas* est ex *damnatus*, κατὰ συγκοπὴν eoque genitivus ejus est *damnati*. Uti, sive integrè dicas *nihilum*, sive κατ' ἀποκοπὴν *nihil*, genitivus est *nihili*. Itidem *satias* κατὰ συγκοπὴν ex *satietas* factum, nec aliter quàm *satietas* inflectitur, Charisio teste. Rectiùs igitur dixissent, nominativum esse *satietas*, vel *satias*; sed genitivum *satietatis* tantùm. Quid quod syncope ista etiam in obliquis invenitur? Nam Lucretii est lib. II;

—— Jam nemo fessus satiate videndi
Suspicere in cœli dignatur lucida templa.

Et lib. V:

Hæc animos ollis mulcebant, atque juvabant
Cum satiate cibi.

Accusativo etiam usus eopse libro:

—— Ita ad satiatem terra ferarum
Nunc etiam scatit.

* Censione in auctores.

Quo ex loco simul dilucet ineptia Claudii Verderii*, in Pomponio Melà culpantis, quòd Britanniam dixerit *ferarum scatere*.

Satis comprobavimus, *satias* non esse μονόπτωτον: eoque malè hinc colligi, μονόπτωτα quædam esse recti casus. Æquè autem falsi in eo, quòd aliqua dativi esse casus tradunt. Objectant *ostentui*, quod apud Sallustium*; *divisui*, quo Livius† utitur; *induti*, quod Tacitus‡ usurpat. Negant enim hæc alio casu inveniri. Iis sic occurrimus. Primùm ipsi agnoscunt, supina *indutum*, *indutu*; *divisum*, *divisu*. At, quicquid est de priori supino, saltem illa in *u* sunt ablativi casus, ut postea ostendemus. Quare si *indutui*, & *indutu*; *divisui*, & *divisu*, dicitur; non erunt hæc μονόπτωτα. Dixeris, *ostentu* non esse supinum, eoque saltem *ostentui* μονόπτωτον fore. Sed cur *ostentu* supinis eximunt? Quid certius, quàm ut *tendo* in supino habet *tensum*, & *tentum*; unde *extensum*, & *extentum*; *intensum*, & *intentum*: sic etiam compositum ejus *ostendo* habuisse *ostensum*, & *ostentum*; unde nomen *ostentis*, & verbum *ostentare*. Dixere igitur *ostentui*, & *ostentu*. Et quid similius huic, quàm compositum aliud *obtentui*? Nam ut *obtentui* ab *obtendo*, ita *ostentui* ab *ostendo*; quod ab antiqua præpositione *obs*, pro *ob*; unde *obstineo*, & *obstrudo*; de quibus Festus. Atqui, ut Sallustii est oratione Lepidi ad pop. Rom. *Quia secunda res sunt mirè vitiis obtentui*: ita Maronis est in XI: *—— Obtentu frontis inumbrat*: & Gellii lib. X, cap. XXII: *Obtentu philosophia*. Par ratio in *irrisui*, *derisui*, *arbitratui*, *ludificatui*, *despicatui*, *frustratui*. Nam ut Plinii* est, *irrisui sumus*: ita Tacitus in primo Annalium ait: *Irrisu, & contumeliis & postremo verberibus insectantur*. Et lib. III: *Non sine irrisu audientium*. Item Quinctil. lib. VI, cap. III: *A derisu non procul abest risus*. Itidem non *arbitratui* solùm dixere: sed etiam *arbitratu meo*, vel *suo*, apud Ciceronem legas, & apud Ulpianum†, *arbitratu L. Titii*. Imò & *arbitratum* legas apud Plaut. Amph.*.

* In Jug.
† Lib. 3 belli Maced.
‡ Lib. 16, Annal.
* Lib. 22, cap. 5.
† De verb. signif.
* Act. 1, sc. 1.

Dedunt se, divina humanaque omnia, urbem, &
liberos,
In ditionem atque arbitratum cuncti Thebano poplo.

De dativo satis. Denique & vocandi casus μονόπτωτα inducunt: quale ajunt esse *macte*. Atqui rectus ejus est *mactus*. Ut ostendit Servius in IX Æn. his verbis: *Quoties tus, aut vinum, super victimam fundebatur, dicebant, Mactus est taurus vino, vel ture: hoc est, cumulata est hostia, & magis aucta. Macte ergo, pro, mactus esto, vocativum pro nominativo posuit Maro: ut Persius**,

* Sat. 6.

Stemmate quòd Tusco ramum millesime ducis,
Censoremve tuum vel quòd trabeate salutas.

Imò Livius usus putatur accusandi casu lib. II, ubi sic inducit Porsenam ad Mucium loquentem: *Tu verò abi, inquit, in te magis, quàm in me, hostilia ausus. Juberem mactum te virtute esse, si pro meâ patriâ ista virtus staret.* Ita enim legendum in Spicilegiis docebat Palmerius: pro quo in vulgatis est, *juberem macte virtute esse*. Ex cujus sententia, & *mactus* legi oportebit lib. IV in verbis dictatoris ad Servium Ahalam, cùm Sp. Melium obtruncâsset: *Mactus virtute*, inquit, *C. Servili esto, liberatâ Rep.* Ac monet idem Sallustium quoque dixisse, *macta munera*, *mactas partes*, *& mactum infortunio Chremem*. Equidem ἐπέχω*. Sanè in Livii codd. *macte* ubique constanter legitur, non *mactus*, vel *mactum*. Ut vulgatus loquendi modus videatur, non quidem ratione justâ; sed consuetudine tamen, obtinuisse. Et certè, quod Servius ait, *macte* poni pro *mactus*, id evidens est ex illo Horatii lib. I, sat. II:

* Assensionem retineo.

—— Macte
Virtute esto, inquit, sententia dia Catonis.

Locutus autem Horatius exemplo Lucilii, cujus illud è Sat. lib. V:

Macte, inquam, virtute, simulque his versibus esto.

Et Turpilii Boëthuntibus: *Macte virtute esto.*

Item Pacuvii Dulorestâ:

Macte esto virtute, operaque omenque approbo.

Vide Nonium Marcellum cap. IV. Quemadmodum autem in singulari dicitur *macte*; ita & in plurali est *macti*; idque tam nominandi, quàm vocandi casu. Livius lib. VII: *Macti virtute, inquit Decius, milites Romani este.* Plinius lib. XII, cap. XII in Astrologiæ laudem: *Macti ingenio este cœli interpretes, rerumque natura capaces.*

Atque hæc de monoptotis tum veris, tum iis quæ falsò huc retulerunt. Quam doctrinam non esse inutilem, argumento est, quòd quandoque viri etiam doctissimi in minutis hisce aberrent. Ut cum egregius poëta Georgius Buchananus lib. V Sphæræ suæ ita canit:

Macte animi heroës seclis melioribus orti.

Sed *macti* fortasse scripserat vir summus: saltem ita debuit. Etiam optimus & doctissimus Abrahamus Ortelius, ubi *Tempe* descripserat, ita desinit: *Atque hæc de Tempis.* Quasi *Tempe* non ἄκλιτον sit; ut antea dictum. Possum & alia multa adferre, quæ similiter eruditissimis viris exciderint. Sed istis insistere ut illis minùs honorificum, ita nec mihi decorum satis videatur.

CAP. XLVIII.

De diptotis, triptotis, tetraptotis, & pentaptotis. Tabi. Servius, Charisius, & vetus glossographus notantur. Dica malè rejici à Phoca. Repetundæ. Vicis, vici. Unde vix adverbium. Fors, fortuna. Emendatio summi viri in Varrone rejecta. Sitemps, sirempse. An sirempse tantùm auferendi casu dixerint. Vis in recto singuli numeri, & accusativo plurativi. Plure. Phoca lapsus. Ditio, sive dicio non legi. Condicio ex Servii mente è dicio componi. Procerem, bilicem, trilicem, septemplicis, decemplicis, falsò credi μονόπτωτα: quæ minimùm sint πεντάπτωτα. An usi pecudem auream, sic pecus aurea dicatur. Mane, & mani, in ablativo. Frons ex frondis. Nex. Jovis in recto. Unc, sole. Multa veteres non aliâ de caussâ in certo casu refugisse, quàm quia minùs morigera essent aurium voluptati.

Sequuntur δίπτωτα, ut *suppetia*, *suppetias*; *impetis*, *impete*: de quibus antea diximus. Item *tabi*, *tabo*; ut rectè docet Priscianus in quinto, septimo, & undecimo. Pro genitivo adducit Lucani hoc in sexto*:

* Vers. 547.

—— Nigramque per artus
Stillantis tabi saniem, virusque coactum
Sustulit.

Quare fallitur Servius, qui μονόπτωτον esse scribit ad illud III Æneidos, *Et terram tabo maculant.* Idem docet Charisius: *Tabo, inquit, & pondo, monoptota sunt.* In glossis quoque Philoxeni legere est, *Tabo*, αἵματι † νεκρῷ. λύθρῳ. ἔστι δὲ μονόπτωτον. Imò & Probus similiter in Catholicis.

† Sanguine hominis mortui, sanie. Est verò monoptoton.

Hic etiam poscit locum *dica*. Phocas quidem negat inveniri in recto. Sed Ciceronis est Verr. IV: *Scribitur Heraclio dica.* Longè interea usitatius est in accusativo, *dicam*

cam scribere ‡, vel subscribere *, vel impingere †; δικὴν ἐπάγειν. Quomodo & in plurali, dicas sortiri, ait Cicero ‡.

‡ Terent. Phorm. 1, 1. & 2, 2.
* Plaut. Pœn 3, 6.
† Ter. Phor. 2, 3.
‡ Verr. 4

Quædam verò diptotis falsò accensentur. Ut repetundarum, & repetundis. Quomodo legimus, Lex Julia repetundarum; vel, repetundarum reus; vel, damnatus de repetundis. Sed rectus est repetunda, ac καθ' ἐξαίρεσιν pecunia reticetur. Unde accusandi casu dicitur, missos legatos ad res repetendas. Nempe habet repetunda omnes casus: sed propterea in accusatione solùm genitivum & ablativum invenias, quia verba accusandi (ut nunc sic loquar ex communi opinione, quam suo loco expendam) duos tantummodo hos casus regunt: ut accuso te negligentiæ, vel de negligentia; proditionis, vel de proditione. Planè enim his simile accusatus, vel postulatus repetundarum, vel de repetundis.

Etiam vicem, vice, diptotis accensent. Sed scrupulum injicit, quòd Phocas triptoton facit; vicis, vicem, vice: Charisius verò etiam tetraptoton; vicis, vici, vicem, vice. Sed vici non memini me legere. Vicis regia est apud Livium lib. I, & aliena vicis lib. III. Suam cujusque vicem eodem libro. Et apud Brutum ad Cic. lib. II: & meam & vestram vicem. Nominativus foret vicis, vel κατὰ συγκοπὴν vix. Sed eum ne Grammatici quidem agnoscunt. Non dubium tamen, quin adverbium vix ab hoc fonte promanet. Nam in iis potissimùm alternamus vices, quæ ab uno vix ac difficulter fiunt.

Tantummodo etiam fors, & forte, dici ajunt: ut fors fortuna, & forte fortunâ. At Varronis est lib. IV de L. L. Laram, Vestam, Salutem, Fortem Fortunam *, Fidem. Nec enim assentio Scaligero, qui malit: Fortunam †, Fortem, Fidem. Idem in V de L. L. usus genitivo: Dies Fortis Fortunæ appellatus à Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense. Etiam dativus invenitur. Quippe in lapidibus quoque, & nummis antiquis, frequens est hæc inscriptio, FORTI FORTUNÆ. Nec Godscalco Stewechio multùm repugnem, qui putat, apud Arnobium lib. VII adversus Nationes legi debere: Cur non minaci Forti se obtulit. Non, fortiter, quod est in vulgatis.

* Ita editio Romana Ant. Augustini.
† Ita editio Aldina.

Triptoton est, hujus sordis, hanc sordem, hac sorde. Quamquam & B. Ambrosius dicat hac sordis. Quædam autem tres quidem casus habent, sed sub duplici terminatione: ut in recto, & accusativo, tantundem; in gignendi casu, tantidem. Sirempts quoque, quod, Festo teste, significat, similis re ipsâ, in nominativo, & vocativo, sirempts; in ablativo autem habet sirempse. Est hæc sententia Sosipatri. Recto usus Cato in dissuasione legis, quæ postea relicta est: Et præterea rogas, ut quemquam adversus ea, si populus condemnaverit, sirempts lex fiet, quasi adversus legem fecisset. Cujacius quoque monuit, sic legendum apud Senecam epist. XCII: Ubi verò ad finem mortalium ventum est: Discede, inquit, ambitio: omnium, quæ terram premunt, sirempts lex esto. Antea, pro sirempts lex, inepte legebatur, fere miles. Sed sirempse non videtur ablativi solùm casus esse. Nam Plauti est prologo Amphitryonis:

Sirempse legem jussit esse Jupiter.

Nisi magis placet, Sirempse lege: quod magis ex mente fuerit Charisii. At veteres libri, ut vetus editio Veneta, quæ cum Pyladæ & aliorum notis prodiit †, ad alterum propiùs accedit. Quippe ibi legitur:

† Anno 1518.

Similem rem ipse in legem jussit esse Jupiter.

Quamquam nec multum abeunt ab iis, qui corrigunt, Sirempse in lege. Quo pacto etiam Charisio sua præceptio constabit.

Vis non tres solùm casus in singulari habet, sed quatuor. Nam & vis in genitivo agnoscit Probus in Catholicis, & Sosipater lib. I. Imo reperitur, cùm apud Jurisconsultos; tum etiam scriptorem dialogi de Oratoribus, qui Tacitus vulgò existimatus: Quamquam in magnâ parte librorum suorum plus vis habeat, quàm sanguinis. Quin in plurali quoque vis dicimus, pro vires. Lucretius lib. II:

Et quo quisque * magis vis multas possidet in se,
Atque potestates.

* Al. Et quam quidque magis.

Et Sallustius in III Histor. ‡ Malè jam adsuetum ad omnes vis controversiarum.

‡ Apud Priscian 6.

Τετράπτωτον est plus. Recto legas apud Livium, plus duo millia cæsa; item, plus trecenta vehicula amissa. Genitivo apud Cic. pluris est eloquentia; item, pluris æstimare. Accusativo usus Terentius: Plus quingentos colaphos infregit mihi. Ablativo Plautus in Cœco, seu Prædonibus †: Plure altero tanto, quanto ejus fundus est velim. Glossæ: Plure, πλεῖον. Ut solùm desiderentur dativus, & vocativus.

† Apud Charis. lib. 2.

Precis verè tetraptoton. Nam precis, preci, precem, prece legitur: quemadmodum superiùs * ostensum. Ut valde erret Phocas, qui numero singulari tantùm in ablativo ait reperiri.

* Cap. 43.

Ditionis terminum, ditioni permittere, in ditionem concedere, & in ditione esse, apud optimos legas scriptores. At rectum non esse in usu, ait Diomedes lib. I. Etiam Donatus edit. secundâ, & Priscianus lib. XI, inter defectiva referunt. Cledonius itidem, Hæc ditio non est lecta. Imò & Servius in illud I Æn. Pòst alii proceres; ait, proceris, & dicionis, esse ex iis, quæ carent nominativo singulari: sed hoc discrimine, quòd utcunque in simplici non dicatur dicio, in composito tamen ejus dicatur condicio. Quæ verba lucem ex eo capiunt, quòd aliquanto antè in illud, Victor dicione tenebat; dicione exponat potestate: atque addat, Omnis enim potestas dictis constat: id est imperio. Voluit igitur Servius, à dicendo dicionem dici; à condicendo, condicionem: quia condicio fit, cum caussam agentes condicunt, sive utrimque addicunt, sic ut illud, quod promittitur, pendeat ab eventu incerto. Sed de conditionis vocabulo, quod, uti & ditio, per T scribendum, fallitur, cùm eo propriè significetur condendi actus; inde ad alia transferatur; ut dicimus in Originum libris.

Proceris quoque Charisio πεντάπτωτον est: imò & Servio, ut proximè dicebamus: & rectiùs, ut puto, quàm procerem aliis est μονόπτωτον. Quemadmodum nec dubito, quin bilicem, & trilicem, non μονόπτωτα sint, ut ajunt; sed minimùm πεντάπτωτα. Etiam septemplicis, & decemplicis, huc potiùs referam, quàm ad monoptota. Quid quod decemplex est apud Varronem: bilix, & trilix, in veteribus glossis. Ut illis Philoxeni: Bilex, (l. bilix) δίμιτος. Et aliis Cyrilli: Τρίμιτος, trilix. Quæ verisimile est glossographos non fuisse posituros, nisi apud priores repperissent, aut olim in usu fuisse credidissent.

Videtur & pecudis πεντάπτωτον. Nam præter genitivum hunc legitur, pecudi, pecudem, pecude: nominativo autem & vocativo carere, sententia est Charisii lib. I. Sunt, inquit, quæ quamvis plurali numero per omnes casus declinentur; nominativum tamen singularem, & vocativum non habent: ut dapes, preces, proceres, pecudes, fruges, fauces, vices, cæteri, plerique, verbera. Atque is locus valde iis adversatur, qui dici putant, egregia pecus. Contra quos superiùs * disputavimus. Sed in mentem nunc venit, Caprum etiam, Prisciano † teste, putare, dici hæc pecus, pecudis, & hoc pecus pecoris. Ac, ut classicum dem scriptorem, ipsius esse Cæsaris in Auguralibus: Si sincera pecus erat. Quod Priscianus citat in VI. Sed scriptorum, qui supersunt, nemo imitari hoc ausus fuit. Ut multò satius videatur eo casu in feminino abstinere. Præsertim cum ἀναλογία quoque adversetur. Nam, ut superiùs etiam dicebamus, feminina potiùs penultimam producunt in obliquis: ut incus incudis, palus paludis. At pecudis eam corripit. Quid quod Cæsar, qui Augurum res eo tractabat libro, fortasse illud protulit ex veteribus Augurum libris? Quomodo non magis imitari hac parte oporteat, quàm allata à Grammaticis ex Saliaribus Numæ hymnis.

* Cap. 32.
† Lib. 5.

Mirum autem, non retulisse inter πεντάπτωτα mane: quod interdum quidem in adverbium degenerare, negari non debet: ut in illo Ciceronis ad Atticum: Bene mane hæc scripsi. Sed naturâ suâ, primoque nomen est, cujus solus interrogandi ac dandi casus desiderantur. Estque hujus loci,

loci, quatenus ablativus in *i* exit: nam, ut similis est is prioribus, aptoton erit. Rectum habes apud Persium Sat. III: —— *Jam clarum mane fenestras Intrat.* Unde & de vocativo constat. Accusativo usus Martialis lib. I, cap. XVII: *Sed mane totum dormies.* Ablativo Columella lib. VII, cap. XII: *Sub obscuro mane, vel etiam crepusculo.* Et Oppius sive Hirtius de bello Africano: *Præsertim cum milites à mane diei jejuni stetissent defatigati.* Nec est, quòd objectet quisquam, neutra in E ablativum per I facere. Nam, ut infra docebimus, similiter dicitur, *ab hoc mare*, & *mari*. Imò, ut dixi, non semper per E effertur. Nam veteres, Donato* teste, dicebant, *mane*, *mani*; ut *vespere*, *vesperi*; *luce*, *luci*; *tempore*, *tempori*. Ita Plautus ait: *A mani usque ad vesperum.* Quo etiam Servius probatum ibat, ablativum esse à recto *mane*.

* Phorm. act. I, sc. I.

Dapis, *dapi*, *dapem*, *dape*, dici, satis convenit. Sed veteribus etiam *daps* in usu; ut non ex Livio solùm Andronico, sed Catone quoque comprobavimus. Verùm posteriores refugêre. Uti & *ops*: quod pro δύναμις, ac copiâ, vel auxilio, Charisius agnoscit, & cum Capro Priscianus semel iterumque. Sed de eo quoque dictum; uti & de *frugis*; quæ non repetam.

Frondis, *frondi*, *frondem*, *fronde*, in usu esse, in confesso est. Sed de nominandi, & vocandi casu, inter cæteros negat Charisius. Cui obducimus hoc Mar. lib. II Georg.

Texendæ sepes etiam, & pecus omne tenendum est,
Præcipuè dum frons tenera, imprudensque laborum.

Ubi Servius: *Apud antiquiores singularis nominativus erat frondis. Hodie verò & à fronte, & à fronde, unus est nominativus frons: sicut etiam lens à lente, & à lende, capitis breviore pediculo.*

Fallò etiam *necis* huc retulere. Nec enim solùm *necis*, *neci*, *necem*, & *nece*, legas: sed etiam *nex*. Sisenna lib. IV Histor. *Quoniam neque mea nex, neque intercessio, posse videtur illorum dementem reprimere audaciam.* Imò ipsius est Ciceronis in Milonianâ: *Insidiatori verò, & latroni, quæ potest adferri injusta nex?* Gloss. *Nex*, σφαγή. *Multorum civium neces*, Cic. in Catil. *Miscere neces*; Valerius Flacc. III Argonaut. Usus & Plinius nom. acc. & vo. casu.

Jovis τετράπτωτον est Diomedi. Sed antiquus est nominativus *Jovis*; quo usi Accius, ac Cæcilius: quorum loca adducit Priscianus lib. VI. Item Ennius versibus illis ab Appulejo lib. de Deo Socratis, & Martiano lib. I, adductis, quibus ille Deorum Consentium numerum complexus est:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

* Sive, ut alii, Juno, Vesta, Ceres, Diana, Minerva, V. M.

Idem Appulejus IV Metam. Apollinem sic respondisse ait:

Quem tremit ipse Jovis, quo numina terrificantur.

Quin Julius Hyginus in Fabulis crebrò usurpat. Ut Fab. LIV: *Hoc præter Prometheum cùm sciret nemo, & Jovis vellet cum ea concumbere, Prometheus Jovi pollicetur, se eum præmoniturum.* Et Fab. LXIII: *Jovis in imbrem aureum conversus cum Danae concubuit.* Et Fab. LXXV: *Jovis ob id fecit, ut septem ætates viveret.* Et Fab. XCII: *Jovis imperat Mercurio, ut deducat eas in Ida monte.* Atque alibi sæpe. Vulgò putant hujus *Jovis* esse ab hic *Jupiter*. Verùm rectè Valerius Probus in Catholicis: *Excipitur unum, quod nominativo solùm, & vocativo casu declinatur; hic Jupiter, ò Jupiter. Nam qui declinant, hujus Jovis, declinent hic Phœbus, hujus Apollinis.* Sanè ipsum *Jupiter* corruptum ex *Jovis pater*; quomodo & dicimus *Marspiter*, *Diespiter*. Vide Gellium lib. V, cap. XII.

Πεντάπτωτα sunt, quæ solo carent vocativo. Cujusmodi esse *Unus*, quidam veterum putarunt: sed, ut Priscianus ait in quincto, *Caper, doctissimus antiquitatis perscrutator, ostendit, hoc usum Catullum, & Plautum. Catullus*†:

Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili.

† Carm. 38 ad contubernales.

Plautus in Frivolariâ:

O amice, ex multis mihi une Cephalio.

Nec *solus* eo casu rectè privant. Nam citat Priscianus in quincto ex hymenæo A. Ticidæ (ejus, quem & in apologia laudat Appulejus)

Felix lectule talibus
Sole amoribus ——.

Etiam *omnis*, *quilibet*, *quisque*, huc referunt: quæ vocativum habere, in Pronomine ostendemus. Sed omnia si persequar, quid nisi Iliada errorum texam?

Contrà sunt multa Grammaticis intacta, quæ in certo numero, aut casu usurpare non ausim, quia sint duriora. Istiusmodi, teste Cicerone in Topicis, sunt *specierum*, & *speciebus*: quod nihilominus integrum inflectere vulgò pueritiam docent. Suntque id genus alia, in quibus non Grammaticos canonas, sed usum veterum, & aures quisque suas, nisi Midæ fortè habeat aures, consulere debeat. Vidit hoc quoque vir in Rhetorum lectione multum versatus, nec malè de arte eâ meritus, Ludovicus Carbo. Verba ejus non refugiam adscribere è primi de Oratoriâ Elocutione libri disputatione quinctâ: *Elegans igitur & exculta oratio horridas, & vastè hiantes voces, refugit, ut aurium voluptati morigeretur. Ex quibus colligeres, quàm ineptè quidam Grammatici faciant, dum multa nomina in heteroclitis ponunt, quòd illis, vel alter numerus, vel aliquis casus desit: quasi omnia declinationum, & conjugationum membra, quibus antiqui scriptores non sunt usi, certo numero comprehendi possint. Nec propterea, quòd illi aliquo casu alicujus nominis non sunt usi, colligere licet, nomen illud altero numero carere: nam dulcedines diceres, non dulcedinibus, in quo nullus est gratiæ decor. Ex his autem verbis, quæ durè inflectuntur, nonnulla sunt, quorum usus non est omnino interdictus: eorum verò asperitatem is vitabit, qui loquendi formam mutare noverit.*

FINIS LIBRI PRIMI DE ANALOGIA.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

ARISTARCHI,

SIVE

DE VOCUM ANALOGIA, ET ANOMALIA,

LIBER SECVNDVS;

seu commentariorum

DE ARTE GRAMMATICA,

LIBER IV.

Qui est de Nominum Declinatione in Casus, Numeros, Genera, Gradus, Derivata, & Composita.

CAP. I.

Quàm latè pateat declinationis appellatio. Dividitur ea in naturalem, & voluntariam. Posterior Speciem, & Figuram comprehendit. Prior vel directa est, vel transversa. Transversa in casus inflectitur. Recta in numeros, vel genera, vel gradus. Ea quæ declinat in casus, & numeros, non quinctuplex est Græcis; sed triplex. De characteristica quinque declinationum apud Latinos. Varronis super hoc sententia adfertur, & refellitur.

CAsuum doctrinam declinationes excipiunt: ubi non leviùs peccari solet. Age igitur novas ad lineas, iterumque ad gradum nos accingamus. Ac à nomine ipso ordiamur.

Quod Græcis κλίνειν, id Latinis *clinare*; quo Lucretius utitur in II, & Cicero in Phænomenis. Quodque κλίσις Græcis, id Latinè *declinatio*; Varroni etiam *declinatus*; Gellio *inclinatus*, & *inclinamentum*.

Declinatio fit vel intra se, vel extra se. Quâ de re sic Varro lib. VII de L. L. *Nomina declinantur, aut in earum rerum discrimina, quarum nomina sunt: ut à Terentius, Terentii: aut in eas res extrinsecus, quarum ea nomina non sunt: ut ab Equo, equito.* Prior declinatus dicitur *naturalis*, quia qui *Terentius* audit, ex natura linguæ Romanæ sciet, in patrio casu *Terentii* esse; in dativo, *Terentio*: quique audit *justitia*, vel *bonitas*, statim hujus *justitiæ*, aut *bonitatis* inflectet. Alter dicitur *voluntarius*, quia etsi natura etiam hic spectatur, tamen voluntas magis attenditur. Nam naturà scire non possum, ab *justus* esse *justitia*; à *bonus*, *bonitas*; à *magnus*, *magnitudo*: item ab *amo*, *amor* dici; à *doceo*, *doctrina*; à *lego*, *lectio*; ab *audio*, *auditus*. Hac de re sic idem Varro lib. VIII de L. L. *Declinatus verborum & voluntarios, & naturales esse puto: voluntarios, quibus homines vocabula imposuerint rebus quædam; ut à Romulo Roma, à Tibure Tiburtes: naturales, ut ab impositis vocabulis, quæ inclinantur in tempora, aut in casus; ut ab Romulus, Romuli, Romulo, Romulum; & à Dico, dicebam, dixeram.* Unde liquet, declinationis esse voluntariæ, à *bonus*, *bonitas*; à *magnus*, *magnitudo*. Naturalis esse à *bonus*, *boni*; à *magnus*, *magni*. Nempe voluntaria est omnis nominis impositio. Hoc autem loco intelligitur impositio non prima, ut *pius*, *equus*: sed ea, quæ ab alio, ut *pietas*, *impius*, *equito*. Speciem enim sive derivationem, & figuram sive compositionem comprehendit. Estque naturalis declinatus non solùm nominum, pronominum, & participiorum: sed etiam verborum. Quod liquet ex verbis Varronis allatis; ubi pro exemplo declinatus ejus adducit, *dico*, *dicebam*, *dixeram*. Et passim sic loquitur Varro. Loca ea quia obvia, Arnobii potiùs verba apponam è libro secundo: *Quia per casus, & tempora, declinare verba scitis, & nomina.* Ac similiter dixerat Fabius lib. I, cap. VII: *Nomina declinare & verba imprimis pueri sciant.*

Declinatio nominum naturalis, (idemque de pronominibus & participiis accipi velim) vel recta est, vel transversa. Recta est, cùm quid declinatur in casus rectos: transversa, cùm in obliquos. Qua de re sic idem Varro lib. IX de L. L. *Ad hunc quadruplicem fontem ordines diriguntur bini; uni transversi, alteri directi; ut in tabula solet, in qua latrunculis ludunt. Transversi sunt, qui à recto casu obliqui declinantur; ut albus, albi, albo: directi sunt, qui à recto casu in rectos declinantur: ut albus, alba, album.*

Declinationem directam statuo triplicem. Una est in numeros; ut, *rex*, *reges*; *fortis*, *fortes*; *forte*, *fortia.* Altera est in genera; idque tum in substantivis, ut, *rex*, *regina*; *hospes*, *hospita*: tum in adjectivis, ut, *fortis*, *forte*; *doctus*, *docta*, *doctum.* Tertia est in gradus; ut, *fortis*, *fortior*, *fortissimus*; *doctus*, *doctior*, *doctissimus.* Nam in hisce omnibus casum rectum videmus; ut, ex Varronis mente, directa declinatio dici debeat.

De tam varia nominum declinatione agere nunc animus est. Ac primùm de ea, quæ fit in casus, & numeros; ac sibi quasi peculiare *declinationis* nomen vindicat: ut sæpe genus, & species eodem nomine signantur. Deinde videbimus

bimus de declinatione in genera; quæ *Motio* dici solet. Hinc de declinatione in gradus; quæ *Comparatio* appellatur. Denique de declinatione in derivata, & composita: quæ *Speciei*, & *Figuræ* nominibus vocari solet.

Declinatio sic peculiariter ac presse dicta, hoc est, ea, quæ in casus & numeros fit, Latinis est quinctuplex; Græcis triplex. Ac prima quidem Græcorum sequitur articulum femininum; secunda masculinum, aut neutrum; tertia plurimùm ab articulo abit, propeque accedit ad naturam tertiæ Latinorum. Primæ nominativus pluralis exit in AI, ut Ἀτρεῖδαι, Μοῦσαι: sicut Latinis, *Atridæ*, *Musæ*. Secundæ in OI, ut ἀδελφοί, sicut Latinis olim *Adelphæ*: ubi postea I, ut ἀγροί, *agri*. Tertiæ in ES, ut πατέρες, sicut Latinis *patres*.

Huic sententiæ à vulgo pleno velo, obversâque resistitur prosâ. Ac primò priorum auctoritatem obducunt. Quam non contemno; dummodo eam rationis firmet anchora. Nam absque ea sæpe periculum est, ne ventus navim è portu in mare magnum propellat. Verùm, inquiunt, nec vulgaris opinio ratione est defecta. Diversa enim genitivi terminatio diversas facit declinationes: eoque Αἰνείας, & μούσης ejusdem esse declinationis non possunt. Nimirum non cogitant, si sola terminatio genitivi, declinationis foret character; jam Αἰνείας & λόγος unius futura declinationis, cùm ambo desinant in OY. Adde quòd apud Latinos quoque, ut suo loco* dicemus, *Themistocles*, *Aristoteles*, multaque hujus generis, genitivum in I faciebant; nec propterea secundæ erant: obstabat enim, quòd cæteri casus referrent declinationem nominum tertiæ. Sed quemadmodum hi lapsi, quòd solum genitivum declinationum characteristicam statuerunt: ita in eo decipitur doctissimus Varro†, quòd declinationum discrimina petenda existimet ex diverso ablativi exitu: qui vel A est, ut *mensa*; vel E, ut *lance*; vel I, ut *levi*; vel O, ut *cælo*: vel U, ut *versu*. Duobus enim nominibus displicet hæc sententia. Quippe quintam vulgarem cogitur comprehendere sub ea, quæ vulgò tertia vocatur: adeò ut *pater*, & *dies*, unius Varroni sint declinationis. Præterea ex tertia nostra facit duas, cùm ei *pater*, secundæ; *fortis*, tertiæ sit. Quis verò non videt, majorem esse convenientiam inter *pater*, & *fortis*; quàm *pater*, & *dies*; eoque hæc potius, quàm illa, diversæ declinationis statui oportere.

* Cap. 8.

† Lib. 9 de L. L.

Sunt qui septem faciant declinandi formas; ut Diomedes scribit in primo. Sed hi secundam, quartamque vulgarem, in duas dispescunt. Nam alius his declinationis sunt genitivi in *ii*, quàm in *i* simplex: hoc est, *Virgilius*, & *ingenium*; quàm *pius*, & *cælum*: alius item *cornu*, & *gelu*; quàm *portus*, & *porticus*. Quibus refellendis non est, quod immoremur: cùm ea, præsertim ratione nominum secundæ, planè sint absurda. Quare hæc generatim de declinationibus dixisse sufficiat.

Cap. II.

De quatuor primæ declinationis terminationibus. Latini à nominibus in AS vel *ES auferebant S; E item in A mutabant, unde dicebant*, Ænea, Anchisa, Atrida, Apella, *&c.* Ἀναλογία *Servii. Rob. Titius notatus. Latini Græcorum E mutant in A; unde dicunt*, Penelopa, Semela, Circa, *&c. Latini Græca in E desinentia declinant more Græcorum: unde ablativi*, Penelope, Musice, Grammatice, *&c.*

IN prima declinatione quatuor sunt terminationes, tum apud Latinos, tum apud Græcos; A, E, AS, ES. Quæ in A desinunt, partim Latina sunt, partim Græca. Nam fugit eos ratio, qui cuncta in A esse Latina scripserunt; cùm *Musa*, *poëta*, *charta*, aliaque plurima, sint à Græcis. At quæ terminantur in E, AS, vel ES, semper Græca sunt. Nec latet mihi vetus hæc Inscriptio in agro Sorano:

OPPIA CASSINE MATER FECI FILIÆ, QUOD ÆQUUM FUERAT FILIA FACERET MIHI.

Verùm non arbitror, hoc tanti esse: præsertim cùm tam multa peccarint insculptores monumentorum. Sanè Latini quidem, & imprimis vetustiores, abhorruisse videntur à positionibus Græcis; cum ea, quæ apud hos in AS, vel ES, vel E desinunt, per A efferre consueverint. De prioribus duabus terminationibus, autor locuples Quinctilianus lib. I, cap. X: *Nec in A quidem, atque S literas, exire temere masculina Græca nomina recto casu patiebantur. Ideoque & apud Cælium legimus, Pelia Cincinnatus; & apud Messalam, benefecit Euthia; & apud Ciceronem, Hermagora. Ne miremur, quòd ab antiquorum plerisque Ænea, & Anchisa, sit dictus.* Priscianus lib. V: *Propria apud Latinos in A terminantia, apud Græcos assumunt S: ut, Catilina, Sylla, Fimbria, Aquila.* Κατιλίνας, Σύλλας, Φιμβρίας, Ἀκύλας. *Contrà apud Græcos in AS desinentia, vel in ES, apud nos in A terminantur: ut,* Μαρσύας, Σωσίας, Βυῤῥίας, Χαιρέας, Τυρίας, Βαγράδας; *Marsya, Sosia, Byrrhia, Chærea, Turia, Bagrada:* ποιητής, κιθαριστής, Σκύθης, σκνίφης, σοφιστής, Μελικέρτης, Λεπτάστης, *Poëta, citharista, Scytha, scnipha, sophista, Melicerta, Leptasta. Sallustius in Histor.* II: *Quem ex Mauritania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat.* Idem Priscianus lib. VI: *Græca nomina tam fluviorum, quam aliorum, in AS apud illos desinentia, quæ in OY faciunt genitivum Græcum, nostri absque S solent plerumque proferre: ut, Marsya, Geta, Chærea, Sosia. Lucanus in* III:

Qua celer, & rectis descendens Marsya ripis,
Errantem Meandron adit.

Hæc verbatim malui Fabio, ac Prisciano adscribere, quàm ad fontem digitum intendere; ne fortasse, cui consulendi otium non est, miretur ab Horatio sat. III, lib. II scribi:

Ne quis humâsse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?

Quippe, ut Priscianus quoque disertè ait lib. VII, *Atrida* est vocativus Latinus, à recto *Atrida*, quo usus Propertius*. At si Græcus esset vocativus, uti quidam scripsere, ultima produceretur: pro ut factum in hoc Maronis III Æneidos:

* Lib. 2, eleg. 14, vers. 1.

Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo.

Quem in locum ita Servius: *Anchisa vocativus hic non est Latinus. Nam brevis esset A, ut Catilina. Græcus est ergo. De quo valde apud eos quæritur, quemadmodum exeat ab his nominibus, quæ in ES mittunt nominativum. Nam Tydides, Tydide, facit: ut†,*

† Maro I Æn.

—— O Danaûm fortissime gentis,
Tydide.

Atrides, cùm sit simile, Atrida facit, ut Horatius:*

* Lib. 2, sat. 3.

Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?

Tale est ergo Anchisa. Sanè apud Latinos horum nominum caussa manifesta est. Nam nominativus ipse in A mutatur, & recipit Latinam declinationem: ut Atrides, Atrida; Scythes, Scytha. Quo in loco secum pugnat Servius. Nam si *Anchisa* ultimam natura producit, non est simile alteri illi *Atrida*: sed erit vocativus Doricus, Ἀγχίσα, pro Ἀγχίση. Quare dicere oportuerat, esse vocativum Latinum ab *Anchisa*, & A produci ob cæsuram. Mirum autem in Putschiana editione hunc locum esse corruptum, qui in prioribus rectè fuerat expressus. Ita enim nunc legitur: *Latina vero proportio in E correptam vult vocativum primæ declinationis, sicut suprà dictum est, terminari etiam in Græcis. Unde Horatius in II Serm. Ne quis humasse velit Ajacem Atride vetas cur?* At in Veneta anni CIↃ CCCC LXXVI pro *E correptam*, *A correptam*, & pro *Atride*, *Atrida* rectè excusum est. Quemadmodum autem *Anchisa*, & *Atrida*, dicitur pro *Anchises*, & *Atrides*; ita & *Scipiadam* Horatius dixit pro *Scipiadem* lib. II, Sat. I:

—— Et justum poteras, & dicere fortem
Scipiadam.

Ac similiter Plautus Pœnulo*:

* Act. 5, Sc. Fuit hodie.

—— ô Apella, ô Zeuxis pictor,
Cur numero estis mortui?

Etiam

Etiam vocativus *Daucia* ultimâ brevi à recto *Daucia* est, cùm à *Daucias* esse brevis non possit. Maro x Æn.

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia Laride, Thymberque, simillima proles.

Cumque idem dicat iv Æn.

—— Non ante Tyro despectus Iarbas:

Ovidius tamen iii Fast.

Et potitur captâ Maurus Iarba domo.

Plauto Amphitr. est *Pterela*, qui *Pterelas* Ovidio iii Met. & Statio vi Theb. *Marsya* Horatius ait lib. i, sat. vi: & rectè observatum Dausqueio, similiter apud Silium in viii reseribendum, ubi vulgò *Martia*. At Latinorum alius *Marsyas*, uti Græcis Μαρσύας.

Porrò in iis, quibus Latini non sunt usi, satius est retinere terminationem Græcam: quomodo *histrionem* malim *hypocriten*, quàm *hypocritam*, dicere: idque Fabio præeunte lib. xi, cap. iii: *Apud Andronicum hypocriten.* Item malim *equus samphoras*, & *coppatias*, quàm *samphora*, aut *coppatia*, aut *samphoras*, & *coppatias*: quamquam Robertus Titius posteriori modo loquatur lib. vii locorum controversorum cap. xx: imò etiam in suis adversus Ivonem Villiomarum, hoc est Josephum Scaligerum, Assertionibus, tueri id conetur. Et hæc de nominibus in AS, & ES.

Superest E, ut in veteribus Inscriptionibus, *Hieronice*, pro *Hieronica*. Sic Seneca Herc. Fur.

Meumque victrix teneat Alcmene locum.

Ubi *Alcmena* legi nequit, cùm sit Iambicus trimeter. Sic *Helene* quoque omnino legendum in hoc Martialis lib. ix, epigr. cvi:

Mansisses Helene, Phrygiamque redisset in urbem
Dardanus.

Nymphe in melioribus libris † est apud Nasonem xiv Metam. fab. xvii:

—— Inque figurâ
Capta Dei Nymphe est, & mutua vulnera sensit.

Quod & semel iterumque habes v Fast. Uti *Crete* vii Met. *Hesione* xi Met. Propertii item est ‡:

Andromedeque, & Hypermnestre sine fraude marita.

Maronis, *Erigone*, i Georg. *Hermione*, ii Æneid. *Ilione*, sæpius: & innumera alia.

Crebrò tamen E à Latinis in A convertitur. Plautus Stichi Act. i, Sc. i, ita orditur:

Credo ego miseram fuisse Penelopam, soror.

Geminum et *Circa*, Epidico *:

Abi modò intrò, atque hanc asserva Circam, Solis filiam.

Eodemque modo dixit Horatius lib. i, od. xix, de Glyceræ amore:

Mater sæva Cupidinum,
Thebanaque jubet me Semela puer.

Ita enim habent libri vett. pro quæ vulgati *Semeles.* Idem † inquit:

Sirenum voces, & Circæ pocula nosti.

Apud Virgilium ‡ quoque est, *Argivæ Helenæ*: Statius *Tegea*, & *Nemea*, dixit: & Papinianus (quod non indignum observatione duxit Scipio Gentilis lib. ii παρέργ. cap. ix) usurpat *Penelopa*; quod imitatione factum Horatii. Nam ejus est lib. i, epist. ii ad Lollium,

Sponsi Penelope.

Terentianus quoque Maurus *Lycamba* dixit pro *Lycambe*. Ita enim lego hos jambos:

Archilochus isto sævit iratus metro
Contra Lycambam, & filias.

Nam *Lycamben*, quomodo in vulgatis * editum est, metro repugnat.

Imò dubitari possit, an E rectè inter terminationes Latinas reponatur, cùm Græca in E apud Latinos etiam in singulari retineant declinationem Græcam. De genitivo satis convenit: ut ab *epitome epitomes*, τῆς ἐπιτομῆς. Sic Ovidio *Thisbes* iv Met. fab. iv: *Circes* ix Met. fab. ii: Lucano in ix *Libyes*: Statio item iii Theb. *Pholoës habitator opaca*: Juvenali sat. viii, *Menalippes* &c.

† Etsi aliter Veneta Bernardini an. 1486. & noster MSus: sed sic MSS alii, quos sequitur Aldina.
‡ Lib. 4, el. 7.
* Act. 4. sc. Quid est pater.
† Lib. 1, ep. 2.
‡ Lib. 1 Æn.
* Etiam ea, quæ castigata notisque illustrata à viro erudito Nicolao Bursio.

Planum quoque de accusativis in EN: ut *Thracen*, Lucretii lib. v: *Hermionen* ii Æn. Sic quoque Horat. lib. iii, od. iii:

Secernit Europen ab Afro.

Ovid. iv de Ponto lib. iv. el. v:

Cum gelidam Thracen, & opertum nubibus Æmum.

Martial. lib. xi, ep. xli:

Formosam Glyceren amat Lupercus.

Sed neque de dativo est, quòd aqua hæreat, quasi is apud Latinos per Æ scribatur, ut, *epitoma*. Nam rectum quoque est huic *epitome*, τῇ ἐπιτομῇ. Quod ostendit Probus, cum ait omnino Græcè declinari. De ablativo fidem fecerit ille Diomedis locus in primo: *Quartus* (primæ declinationis modus est) *quoties nominativus, vocativus, & ablativus, sibi congruunt: ut Thisbe.* Unde etiam discimus, ablativum esse eundem voce ac dativum, τῇ ἐπιτομῇ, hac *epitome*, pro *epitomâ*. De quo ne in subnubilo nobis res sit; facit, quod etiam Priscianus lib. vii disertim scribat, quamvis ablativo careant Græci, tamen in eo Latinos, tum Poëtas, tum Oratores, retinere terminationem dativi Græci, quò hi ablativi significationem exprimere solent. Imò hoc ipsum ex illo Juvenalis dilucet, sat. ii:

—— Vos tenui prægnantem stamine fusum
Penelope meliùs, leviùs torquetis Arachne.

Quin & multa id Fabii loca confirmant: ut lib. i, cap. xvi: *in musice*: item, *sine musice*: lib. ii, cap. xv: *Excludunt à Rhetorice malos*: lib. viii, cap. i, *Cùm de Grammatice loqueremur.* Itaque non repugnem, si quis, cum Probo, & Prisciano, tres solùm faciat primæ declinationis terminationes; A, AS, & ES. Quod siquis scrupulus supersit, de solo is fuerit dativo: ut Diomedes silentio suo indicat verbis antea allatis.

CAP. III.

De obliquis nominum primæ declinationis in singulari. Vetus Genitivi terminatio in AI, quæ κατὰ διάλυσιν profertur à Poëtis. In Plautinis aliquot versibus vera lectio defensa. Altera Genitivi terminatio apud veteres, AS; unde familias in usu remansit. Moneta Latinis dicta Musarum mater, & ratio ejus nominis. Theodori Marcilii commentum super Martialis loco rejicitur. Genitivum per AI, dativum per Æ quidam scribebant, discriminis caussâ. Unæ *pro* unius, & uni. *Quis Marcus ille Tullius à Marco Tullio oratione defensus.* Majam, & Majan: Electram, & Electran. *Æneam esse ab* Ænea; Ænean, *ab* Æneas. *Charisius leviter emendatus. Propria Græca in ES nunc primam, nunc tertiam sequuntur declinationem: unde* Dares *hunc* Daren, & Daretem; Æacides *hujus* Æacidæ, & Æacidis, *facit*; Chremes, ὦ Chreme, & Chremes; Socrates, ὦ Socrate, & Socrates. *Vocativi* Oresta, Æeta, Thyesta. *Vocativi* Achille, Ulysse, *correptâ ultimâ. Nominum in ES ablativi in E desinunt.*

Nomina in A apud Latinos duplicem olim in genitivo habuerunt terminationem. Prior erat diphthongus AI, pro quâ posteriores Æ usurparunt. Ita in vett. inscriptionibus legere est, *Agrippinai*, *Antoniai*, *Augustai*, *Bonai Deai*, plurimaque alia; quæ Grammaticus Inscriptionum antiquarum index facilè suggeret. Ex AI quidem diphthongo κατὰ διάλυσιν apud Plautum Aulul.* non dubium, quin *animai* debeat legi, quia alioqui claudicabit versus:

Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Nequid animai fortè amittat dormiens?

Pro quo quidam fecere, *Tum ne quid animæ*; illud *tum* de suo malo more appingentes.

Apud eundem eâdem Comœdiâ * vulgò legitur:

Ut bene haberem meæ me filiæ in nuptiis.

Sed τὸ *meæ* in antiquis codd. deest. Quare non displicet:

* Act. 2, sc. Postquam obsonavit herus.
* Act. 2, sc. Volui animum.

Ut bene me haberem filiai in nuptiis.

Apud eundem in Milite Glorioso est †:

Magnai reipublicai gratiâ.

prout hunc locum citat Marius Victorinus in Orthographiâ. Nam in Camerarianâ est corruptissimè editus. Maro, ut Probus observavit, quater hujusmodi genitivos usurpat. Nam in tertio est, *Aulai in medio.* In sexto est,

—— *Aurai simplicis ignem.*

Et septimo,

—— *Furit intus aquai.*

Et in nono:

Dives equûm, dives pictai vestis, & auri.

Verùm in duobus intermediis aliter quoque legitur in codd. antiquis. Imò Servius scribere non dubitat, cùm à Marone in septimo positum esset, *aqua vis* (ita à Servio esse scriptum, non *aqua amnis*, rectè monet Pierius) à Vario, & Tuccâ substitutum esse, *aquai*: quod nullus credo, utut hanc lectionem improbet in indice Erythræus. Sunt & apud Ciceronem in versu ‡, *Nepai*, & *Terrai.* Apud Lucretium *, *Triviai*, & *Iphianassai.* Apud Ausonium Idyll. VII:

—— *Nescivit herai*

Imperium.

Aliaque apud alios.

Scribit Papirianus apud Cassiodorum †, genitivos hujuscemodi diæresin pati, ut distinguantur à dativis. Sed hoc cujusmodi sit, patebit, cùm ad nominativum pluralem deventum erit. Cæterùm genitivus *ai* etiam invenitur à masculinis in ES: ut à *Geryones*, Γηρυόνης. Lucretius lib. V:

Quidve tripectora tergemini vis Geryonai.

Geryona, Græcis Γηρυόνης, quod apud Lucianum ad indoctum multos ementem libros: Θηβαῖοι ‡ ὀστᾶ τοῦ Γηρυόνου, ἢ Μεμφῖται τῆς Ἴσιδος τὼν πλοκάμους.

Altera genitivi terminatio erat AS, more Græcorum, exeuntium in δα, θα, ρα, & α purum. Unde *familias* pro *familia* remansit in compositis, *pater familias*, *mater familias*, *filius familias.* Tale hoc Livii Andronici in Odyssea:

Atque escas habemus mentionem. hoc est, *escæ.*

Item:

Mercurius, cumque eo filius Latonas. pro *Latonæ.*

Et opere eodem:

Nam diva Monetas filiam docuit.

Hoc est, *Monetæ*; quomodo à *monendo* vocant Latini, quæ Græcis Μνημοσύνη. Gloss. vett. *Moneta*, Μνημοσύνη. Quare legendum puto, *Nam diva Monetas filia.* Hoc est, *Musa*, quæ Mnemosynes filia. Nempe expressit Livius illud Homericum Odyss. Θ *:

—— Οὕνεκ' ἄρα † σφέας

Οἴμας Μοῦσ' ἐδίδαξε. ——

Optimus, & doctissimus Paulus Merula ‡ legebat, *Nam diva Monetas filiam*, vel, *divam.* Verùm, ut ex Homerico illo liquet, non Musa edocta, sed edocuisse ipsa dicitur. Nævius quoque in primo belli Punici: *Filii Terras.* Item,

Et venit in mentem hominum fortunas.

Ennius quoque in VII Annalium:

—— *Dux ipse vias.* ——

Attius Phinidis:

Neque ulla curas finis interea datur.

Nisi exponere placet, *quod ad curas.* Priscianus in Periegesi:

Dianas fons est, Camerinâ gignitur undâ.

Plauti etiam est, in prologo Amphitryonis:

Amore captus Alcumenas Jupiter.

Et prologo Pœnuli:

Sed nisi molestum est, nomen dare vobis volo

Comœdias.

Nisi *comœdiai* magis placet: quod in nonnullis legitur codicibus. Utriusque scripturæ jam olim meminit Joannes Saracenus *.

At cave credas commento Theodoti Marcilii, qui in notis ad libellum de spectaculis, Martiali tributum vulgò, ipsum Martialem, qui alicubi † *terrai*, & *frugiferai* deridet, ut casca & obsoleta, usum esse putat genitivo *Latias*, pro *Latiai*, sive *Latiæ*. Locus, quem signat, est lib. VIII, epigr. XV:

Dat populus, dat gratus eques, dat thura Senatus,

Et ditant Latias tertia dona tribus.

At rectè ejus loci sententiam perspexit doctissimus, & amicissimus Scriverius, vir præclarè de poëta hoc meritus. Nempe ut per tertia dona intelligantur dona à tribus ordinibus, senatu, equitibus, & populo, collata in Latias tribus, hoc est in pauperes tribules, & capitecensos. Quomodo similis sit locus huic Claudiani, Panegyrico in VI consulatum Honorii:

—— *Tecum prælarga vocavit*

Ditandas ad dona tribus.

Est & tertia terminatio in veteribus Inscriptionibus, quàm ab imperitiâ esse arbitror. Nam in iis legere est, *aeternes*, pro *aeternæ*; *Julies Veranilles*, pro *Juliæ Veranillæ*; *Victories*, pro *Victoriæ*; ac quædam alia ejus monetæ; quæ suggeret Grammaticus Gruterianarum Inscriptionum Index.

Dativus eorum, quæ genitivum per AI, vel Æ, terminant, similis est genitivo. Nam & *huic terrai* dixere, teste Fabio lib. I, cap. VII. Quanquam nobiles Grammatici discrimen aliquod hic statuere sunt conati. Eos inter Nigidius Figulus lib. XXIV commentariorum Grammaticorum; unde ista exscripsit Gellius lib. XIII, cap. XXIV: *Si huius terrai scribas, I litera sit extrema: si huic terra, per E scribendum est.* Nempe vult genitivum in AI, dativum in Æ desinere: quomodo & alii genitivum à nominativo plurali discriminant. Sed meritò hæc sententia est improbata: uti pleniùs dicemus, cùm ad rectum pluralem deventum erit. Nunc illud solum adversus eam Nigidii sententiam adferam, quemadmodum apud Græcos omnes dativi exeunt in I; ut Αἰνείᾳ, μάθῃ, λόγῳ, Μενέλεῳ, πτωχῷ: ita veteres etiam Latinos terminâsse hunc casum semper in I; ut in primâ, *terrai*, de quo dictum è Fabio: in alterâ, *populoi Romanoi*, de quo postea * è Victorino loquar: de cæteris declinationibus res satis est aperta.

A genitivis, & dativis, vulgò excipi solent nomina (sed pronomina potiùs sunt, de quo postea dicetur) quæ nunc in IUS genitivum; dativum in I faciunt: ut *nulla rei*, apud Cat. & Plaut. *altera, tota, sola*, in dandi casu apud Terentium: *alia*, apud Gellium. Longum esset loca istæc, & alia, integra apponere. Potiùs ipsum adi Priscianum lib. VI. Item Propertium sic, & Tibullum, loqui, docebit Scaliger †. Vide & Oberti Giffanii indicem Lucretianum in UNÆ, & Scipionem Gentilem lib. I Παρέργ. cap. VII. Omittere interim non possum verba hæc Marci Tullii Ciceronis: *Hoc judicium sic expectatur, ut non una rei statui, sed omnibus constitui putetur.* Qui locus à Prisciano ‡ adducitur ex orat. pro M. Tullio. Videtur is fuisse M. Tullius Decula, qui cum Cn. Dolabellâ consul fuit. Duo item alia ex eâdem oratione fragmenta legere est apud Fabium *. Ut mittam Victorinum, Capellam, & Rufinianum, qui etiam aliqua ex ea citant: ac Tacitum, vel quisquis autor est dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ, qui & ipse ejusce orationis meminit. Quod eò adscripsimus, nequis prurigine quadam sollicitandi lectionem veterem, locum esse corruptum contendat, cum Ciceronem pro M. Tullio, aut ἁπλῶς pro Tullio, apud Quinctilianum, Priscianum, atque alios legit.

Accusativus Græcorum in A exeuntium à poëtis etiam effertur in AN: ut indicat Ovidii illud IV Fast.

Majan, & Electram, Taygetamque Jovi.

Et hoc Statii VII Theb.

Namque ferunt raptam patriis Æginan ab undis.

Accusativus verò nominum in AS, nunc in M, nunc in N, desinit. In M, ut *Anaxagoram*, apud Ciceronem de Nat. Deorum, & Plinium lib. II, cap. LVIII. *Pythagoram* apud Gellium lib. I, cap. I. Quo exemplo & *Æneam* dixeris. At in N extulit Maro VIII Æneid.

Marginal notes:

† Act. I. sc. Mihi ad enarrandum.

‡ Lib. 2 de Nat. Deorum, & Arateis.

* Lib. I, vers 84. & 85.

† In invellectaneis de Orthographiâ.

‡ Thebani ossa Geryonæ, & Memphitæ Isidis capillos.

* Vers. 481.

† Quoniam ipsos tantum Musa docuit.

‡ Ad Ennii Annal. lib. 7.

* Notis in Plautum editis Venetiis anno 1518.

† Lib. II, ep. 91.

* Cap. 5.

† Ad Propertii lib. I, el. antepenult.

‡ Lib. 6.

* Lib. 4, cap. 2. & lib. 5. cap. de Refutatione.

Accipite Ænean, & tandem arcete periclis.

Similiter *Ænean*, versu ita exigente, habes Æn. IV*, & Æn. VI†. Est & Horatii lib. II, sat. IV:

Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.

[* Vers. 214. † Vers. 685.]

Cùm verò S abjectum est, quomodo à Γέτης, Δημέας, Πυῤῥίας, Σωσίας, Φαιδρίας, facta sunt *Geta, Demea, Byrrhia, Sosia, Phadria*, tantùm in M accusativus desinit. Itaque apud Terentium haut aliter legimus, quàm *Getam, Demeam, Byrrhiam*, &c. Quidam tamen negant ab *Æneas*, aut *Pelias*, venire *Æneam*, aut *Peliam*. Quin dubitant, an Latini his omnino sint usi. Equidem sicubi ultima in his apud Poëtam elisa inveniatur (quod, sic dici, certum fuerit argumentum) non tamen esse censeam ab *Æneas*, & *Pelias*; sed *Ænea*, & *Pelia*; cùm AN sit ab AS; AM verò ab A: quod ipsum disertim Charisius quoque scribit, ac exemplo *Callia*, & *Seneca* declarat; quorum illud ait iccirco *Callian*, hoc *Senecam* facere. Mirâ verò oscitantiâ inibi ab *Æneas Æneam*, pro *Ænean*, in accusativo dici; contra Charisii ipsius mentem, excusum est: quod de Putschianâ quoque editione dictum velim.

Saltem ab ES, non EM, sed EN dixero. Quomodo Ovidius epistolâ Penelopes ait:

Respice Laerten, ut jam sua lumina condas.

Sunt autem quædam nomina, quæ apud Græcos, tum primæ, tum tertiæ sint inclinationis; unde factum, ut licet apud Latinos tertiæ quoque sint, tamen casus nonnullos forment more nominum primæ declinationis. Græci enim dicunt, Χρέμης, Χρέμου, & Χρέμης, Χρέμητος: Δάρης, Δάρου, & Δάρης, Δάρητος, &c. Itaque Virgilius, & *Daren*, & *Dareta*, dicit: illud primæ, hoc tertiæ accusativus est. Locus uterque est lib. V:

Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto.

Et paullò post:

Sed finem imposuit pugnæ, fessumque Dareta
Eripuit.

Nam Δάρην est, ut Χρύσην; Δάρητα, ut πίνακα.

Nec *Æacides* tantùm *Æacida* in genitivo facit; sed & *Æacidis*. Seneca Troadibus‡:

[‡ Sc. 1.]

Ipsasque ad aras majus admissum scelus
Æacidis armis: cùm ferox sævâ manu
Comâ reflectens, &c.

Ita legendum, non *Æacida*, versus clamat: etsi satis insolens sit in veris patronymicis, ut tertii in declinando ordinis fiant. Quare de R. Mose Ægyptio potius *librum Maimonida*, quam *Maimonidis* dixero: etsi nec alterum penitus damnem.

Idem in vocativo videre est. Nam *Drances* in genitivo facit *Drancis*, ex more tertiæ: vocativum *Drance*, more primæ. Rectum habes Æn. XI:

Tum senior, semperque odiis & crimine Drances
Infensus juveni Turno.

Ac similiter bis terve eodem libro: Genitivus est lib. XII:

—— *Nec Drancis dicta refellam.*

Vocativus in XI:

Larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi.

Et mox:

Argue tu, Drance, tot quando stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit?

Drance ab *Drances*, ut *Æacide* ab *Æacides* primæ. Ovid. Epist. III:

Arma cape, Æacide, sed me tamen ante receptâ.

At ab *Æacides* tertiæ foret, ὦ *Æacides*. Verùm ut *Æacidis* insolens, ita nec temere, ὦ *Æacides*, puto inveniri. Terentius quoque in vocandi casu nunc *Chreme*, aut *Lache* dicit; nunc *Chremes*, & *Laches*: hæc tertiæ, illa primæ sunt. Σωκράτης etiam licet sit tertiæ, tamen non tantùm *Socrates* facit in vocativo; sed &, quasi primæ declinationis foret, dicitur *Socrate*, more Græcorum, qui dicunt, ὦ Σώκρατη. Cicero in Protagorâ apud Priscianum lib. VI: *Quid tu? unde tandem appares, ô Socrate? an id quidem dubium non est, quin ab Alcibiade?* Seneca in Agamemn.*

[* Act. 5.]

Tuque ô paternis assidens frenis comes,
Condisce, Pylade, patris exemplo fidem.

Imò, quia nomina Græca in της vocativum per A faciunt, Latini quoque eodem utuntur vocativo. Ovidius I Trist. eleg. IV:

Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
Fecerunt furiæ, tristis Oresta, tuæ.

Seneca in Agamemn.†

[† Idem.]

Pone jam trepidos metus, Oresta.

Et paullo post:

Aggrediar, & te, Oresta, furabor libens.

Idem in Thyestâ‡:

[‡ Act. 4.]

Bonum est, Thyesta, quòd mala ignoras tua.

Val. Flaccus Argonaut. lib. VIII:

Non te, Æeta pater, generi, aut Sol magne pudebit.

Martialis lib. IV. epigr. XLIX:

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos, aut cœnam, crude Thyesta, tuam.

Sunt & alia nomina in ES, quæ apud Græcos communiter in ευς, sed Doricè in ης desinunt, & quosdam casus in modum primæ declinationis habent. Nam pro Ὀδυσσεύς, & Ἀχιλλεύς, Doricè dictum Ὀδύσσης, & Ἀχίλλης: Dores verò & Æoles sequuntur Latini: ac quia nomina primæ in ΗΣ apud Græcos Σ in vocativo abjiciunt; Latini quoque vocativum Græcum imitantur. Ovidius XII Metam.*

[* Fab. 5.]

Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille.

Et lib. XIII:

Tuque tuis armis, nos te poteremur Achille.

Et inibi:

Quaque ruit, non tu tantùm terreris, Ulysse;
Sed fortes etiam.

Seneca Troad.†

[† Act. 3, sc. 1.]

Si vis, Ulysse, cogere Andromacham metu.

Iterum‡:

[‡ Idem.]

Quid agis, Ulysse? Danaida credent tibi?

Item*:

[* Idem.]

—— *Ad genua accido*
Supplex, Ulysse; quamque nullius pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.

Posteaque:

Hic puer hic est terror, Ulysse,
Mille carinis.

Sequenti item scenâ:

Lachrymis, Ulysse, parva, quam petimus, mora est.

Act. IV, sc. I:

Duc duc, Ulysse: nil moror, dominum sequor.

Illud omnino animadversione dignum, istiusmodi vocativos etiam ultimam corripere, quamvis apud Græcos sit Η. Nam id quidem evincit hic Propertii locus lib. IV, eleg. ultimâ:

Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos.

Itaque videri queat, *Achille* non esse ex Ἀχίλλη: sed pro *Achilleu* poni, per apocopen τοῦ U.

Ablativus Græcis idem est, qui dativus: quæ & caussa est, cur Latinis vel eadem vox sit, vel proximè abeat. Sanè in primâ solum aufertur I: ut τῷ Αἰνείᾳ, & Doricè τῷ Ἀγχίσᾳ, τῇ Μούσᾳ, τῇ ἐπιτομῇ: Latinis, huic *Aineiai*, huic *Anchisai*, (quæ postea *Ænea*, *Anchisa*) hoc *Ænea*, hoc *Anchisa*: huic *Musai*, hac *Musa*: huic *epitomai*, hac *epitoma*. Nec mirum, I abjici, cùm Latini fere Æoles sequantur, qui in dativis declinationum parisyllabarum I abjiciunt, ut τῷ Αἰνεία, τῇ Μοίσα, τῷ λόγω. Hodie discriminis caussa circumflexum vocali imponunt: ut *Æneâ*, *Musâ*. Olim apicem vocali superscribebant: teste Fabio lib. I, cap. VII. Vide Scoppium sive Grosippum pag. 50. Antiquissimi autem scripsere HAC MENSAI, teste Victorino. Nempe ut in dativo HUIC MENSAI. Olim enim etiam in singulari eadem erat dativi & ablativi terminatio: ut hodie in plurali. Quare non plures tum Latinis erant casus, quam Græcis: ut diximus cap. XLV, p. 637.

A rectis in *e* in auferendi etiam casu dici *e*, antea* ostensum. De iis, quæ in ES exeunt, arguit illud Fabii: *Plato in Sophiste.* Sic Maro I Æn.

Ipse uno graditur comitatus Achate.

Ovid. epistolâ Briseidos:

Laërteque satum, per quos comitata redirem.

Et lib. III de Ponto, eleg. IV:

Denique tantus amor nobis charissime semper,
Quantus in Æacide, Actorideque fuit.

Nec Ovidii illud obstat epistolâ Briseidos:

Si tibi ab Atridâ pretio redimenda fuissem.

Est enim ab recto *Atrida*; de quo superius† vidimus. Illud magis mirum, à *Calpe* dici *Calpe* ultimâ brevi. Juvenalis sat. XIV:

Æquora transiliet, sed longè Calpe relictâ.

Quo nomine culpatur à Scaligero. Sanè ut rectus ἡ Κάλπη, ita dativus τῇ Κάλπῃ. Verùm nullus dubito, quin *Calpe* hic tertiæ sit ab hæc *Calpes*, hujus *Calpis*. Quippe Philostrati est lib. V de vita Apollonii Tyanei cap. I: Τὸ δὲ τῆς Εὐρώπης ἀκρωτήριον, ὃ καλεῖται Κάλπις. *Europa promontorium, quod vocatur Calpis.*

* Cap. praecedenti.

† Cap. superiori.

CAP. IV.

De plurali nominum primæ declinationis. De nominativis in AI olim exeuntibus. Marii Victorini locus emendatus. Æolum mos pro H proferentium AI. Romani genitivos in AI ab Æolibus acceperunt. De dativis in ABUS. Servabus, animabus. *Pro* abus *etiam* is *optimi scriptores usurpant.* Eabus, maniabus, *aliaque. In Varrone conjectura.*

DE singulari hactenus: ad pluralem transeamus. Ut genitivus singulus, ita pluralis quoque nominativus olim desinebat in AI. Sed fuere quondam, qui distinguere hos casus conarentur, verùm frustra. Obversatur animo hâc de re illustris locus Velii Longi, quem appono: *Illud etiam adnotandum circa I literam est, quòd ea, quæ nos per Æ, antiqui per AI scriptitaverunt, JULIAI CLAUDIAI. Sed quidam in hâc quoque scriptione voluerunt esse differentiam; ut pluralis quidem numeri nominativus casus per A, & E, scribatur; genitivus verò singularis per A, & I: hoc quoque argumentantes, quòd diæresis, sive dialepsis illa diceretur, à nominativo plurali non fit, sed ex singulari obliquo, cùm dicitur, Aulai in medio: &, Dives equûm, dives pictai vestis, & auri. Item, Rei nostrai, faciendai, magnai. Sed scilicet nihil obstat, quominùs hoc, aut illo modo scribamus in utroque numero; cùm multa alia quoque nobis excogitanda sint, si velimus diversitates scriptionis, ambiguitatem casuum, numerorumque, discernere.* Hæc Velius. Eandem in sententiam scribit Marius Victorinus lib. I: *AE syllabam quidam, more Græcorum, per AI scribunt: ne illud quidem custodientes, quòd omnes ferè, qui de Orthographiâ aliquid scriptum reliquerunt, præcipiunt, nomina feminina casu nominativo A finitâ, numero plurali in Æ exire, ut, Ælia: eadem per A, & I scripta, numerum singularem ostendere, ut, hujus Aeliai: indulti à Poëtis, qui, Pictai vestis, scripsere: & quòd Græci per I potissimùm hanc syllabam scribunt, propter exilitatem literæ: η autem, propter naturalem productionem, jungere vocali alteri non possunt. Jota verò, quæ est brevis, eademque longa, aptior ad hanc structuram visa est. Quam potestatem apud nos habet & I: quæ est longa, & brevis. Vos igitur sine controversiâ ambiguitatis, & pluralem nominativum, & singularem genitivum, per Æ scribite. Nam qui non potest dignoscere supra scriptarum vocum numeros, & casum, valde est hebes.* Hactenus Victorinus. Sed quid sibi vult, cùm ait, Græcos genitivum femininorum in A, potissimùm per I scribere? Nam quis nescit, per H imprimis exarari: ut, Μούσης? Dicat ergo aliquis, pro I reponi debere H; pro quo I scripserit librarius, vulgari pronunciatione deceptus. Sed obstat, quòd H non sit vocalis exilis: qualem Victorinus literam esse dicit à Græcis usurpatam. Quare Victorini locum sic emendo: *Propter exilitatem literæ* E. H *autem* &c. Nempe eo Victorinum respicere puto, quòd Græcorum aliqui, Æoles potissimùm, quos Romani imitari solent, in Genitivo pro η dicunt AI; ut pro Μούσης, Μούσαις. Hos ait Victorinus post A non exile illud E, sed I subjunxisse: indeque aliquos collegisse, Latinis quoque genitivum rectiùs per AI, quàm per Æ efferri. Sanè de Æolibus quod dixi, etiam Priscianus docet libro I: *Ponitur*, inquit, (diphthongus Æ) *pro E longa, ut*, σκηνὴ, *scæna: & pro A, ut Æsculapius, pro* Ἀσκληπιὸς: *in quo Æoles sequimur. Illi enim* Νύμφαις, *pro* Νύμφας; *&* φαισὶν, *pro* φασὶν, *dicunt.* Sic iidem Æoles, pro Ἡσίοδος, dicebant Αἰσίοδος; pro ἡμίονος, *αἰμίονος*; pro μιμνήσκω, *μιμναίσκω*; pro νὴ, *ναί*; atque ita in aliis. Estque id eo magis notandum, quòd hinc ratio pâret, cur Latini dicant, *aulai*, *pictai*. Nam solent potissimùm imitari Dores, & Æoles: quorum illi pro Μούσης dicunt Μούσας; hi, adjecto I, Μούσαις: à priori est *Musas*, ut *Latonas*, *Monetas*, pro *Musa*, *Latona*, *Moneta*: à posteriori, rejecto sibilo, est *Musai*, ut *terrai frugiferai*. Ex AI verò posteriores fecere Æ; uti ex Αἰνείας, *Æneas*.

Genitivus pluralis in ARUM fit ab Æolico in άων, inserto R: Μουσάων, *Musarum*. De syncope verò, quæ hic fit, res prope nota etiam iis, qui needum ære lavantur. Possis tamen & dicere, genitivos tales esse à Græcis communibus: ut *Æneadum* ex Αἰνεαδῶν. Sic *Macetum* ex Μακέτων. Nam Μακετία, *Macedonia*, Μακέτης, *Macedo*: ut errent, qui *Macedûm* scribunt, quasi sit à *Macedo*, pro *Macedonum*.

De dativis pluralibus nominum, quos complexi sunt versu isto Grammatici,

Filia, nata, Dea, liberta, equa, mula, duæ, amba,

scribit Valla libro I Elegant. capite I. Certè *filiabus* dixit M. Cato apud Priscianum lib. VII; Livius lib. XXIV; Justinus lib. VII. *Deabus* Cicero Orat. & pro Rabirio, & pro Cornelio; ut Priscianus testis est. *Equabus* est apud Palladium, mense Martio, Titulo XIII. *Libertabus* apud Modestinum L. CV. D. de verbor. significatione. Et in antiquâ inscriptione Romæ in Nucciorum vineâ, viâ Nomentanâ ad portam*: ET SIBI, ET SUIS LIBERIS, LIBERTABUSQUE, POSTERISQUE. Et hæc quidem agnoscit Vallensis; uti & *natabus*, & *mulabus*. De *mulabus* insignem locum vide apud Charisium. At præter ea & alia sunt. Mitto *raptabus*, *puellabus*, *paucabus*: quibus Gellius usus, ut Sosipater ait lib. I, cap. de Analogia. Dixit similiter Scævola l. prædia maritima D. de fundo instructo, *Relictis conservabus. Famulabus* usurpat Beda libro IV Historiæ Eccles. gentis Anglorum capite XXIII. Seneca declamatione II, lib. II: *Quædam se maritorum amore regis ardentibus miscuerunt: quædam animabus suis* (ita habent meliores notæ codices) *redemerunt maritorum suorum salutem sollicitudine brevi.* Discriminis causâ hæc usurpari, Sosipater monet: atque idem innuit Priscianus.

* Pag. 155. Inscript. Gruter.

Nonnulla verò ex his veteres quoque aliter extulere. Varro lib. tertio de re Rust. *Ut his Diis Helicona atque Olympum attribuerunt homines. Diis* dixit pro *deabus*. Idem lib. II de R.R. *equis* dixit pro *equabus*. *Sed*, inquit, *ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt.* Eodemque modo locutus Plinius lib. XI, cap. XLI: *Tenuissimum lac camelis, mox equis, crassissimum asinæ.* Scipio Gentilis lib. I περίεργ. cap. VI eundem loquendi modum observat in Ulpiano†; cujus est, *equis fetuque earum.* Ennius in Andromeda‡ usurpat *filiis*, pro *filiabus*: *Filiis propter ted objecta innocens sum Nerei.* Sic enim numeris is versus reddendus, ut trochaicus fit. Nisi malis,

Filiis te propter objecta innocens sum Nerei.

Item Plautus Pœnulo*:

O mi here salve, Hanno, insperatissime
Mihi tuisque filiis salve.

Et Sticho†:

† L. de usu aquæ. D. de extraord. cognitionib.

‡ Apud Prisc. lib. 7.

* Act. 5. sc. 3.

† Act. 4. sc. Ita me Di bene ament.

Sed

Sed ego ibo intro, & gratulabor vostrum adventum filiis.

Quin Ovid. similiter XIII Met. † *natis* dixit, pro *natabus*.

† Fab. 4.

Effugiunt, quò quaque potest: Eubœa duabus,
Et totidem natis Andros fraterna petita est.

Itidem pro *asinabus*, quo utuntur Jurisconsulti, *asinis* dixit Plinius lib. XI, cap. XL: *Asinis mamma à fœtu dolent.* Imò sunt, qui parùm tutò usurpari dativos in ABUS existiment, quia Priscianus de iis lib. VII agens, dicat, vetustissimos non esse imitandos. Verùm hoc intelligendum de *eabus*, quo Cassium Heminam IV Annal. differentiæ causâ, usum esse dixerat: ac de similibus; ut *habus*, *illabus*, *dextrabus*. Item de *raptabus*, *captabus*, *puellabus*, *pudicabus*: quæ Cn. Gellium in historiis posuisse docet Sosipater lib. I. Adhæc fortasse de *maniabus*, si eo usus Varro Cato de liberis educandis: *Hisce Maniabus lacte fit, non vino; Cunina, propter cunas; Rumina, propter rumam*, &c. Ita legit Josephus Scaliger ‡, cùm apud Nonium pro *maniabus* sit *manibus*. Tamen nulla necessitas extorsit Varroni, cur *Maniabus*, quàm *Manis* mallet. Sed cogitemus, eundem Gellium etiam in nonagesimo septimo *portabus*, & mox *oleabus* dixisse: ut ibidem * est apud Sosipatrum. Imò fortasse nec *Deabus* necessarium fuit. Nam potuere à recto plurali *Deæ* facere *Deis*; à recto *Dii*, *Diis*. Et sanè verisimile sit, Varronem † pro *deabus*, quo Ciceronem uti diximus; non *diis* scripsisse, sed *deis*: in quo facilis fuit librariis lapsus. Si tamen opus sit distinctione sexus, *abus* præfertur. Ut Tullio in Rabirio, quemadmodum dixi: *Cæterisque Diis Deabusque pacem peto.* Et in veteri inscriptione Auxumi: DIVIS, DIVABUSQUE LUCI SABULLI. Nempe ut Demosthenes: Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις.

‡ Ad Festum in Maniæ.
* Cap. de analogia.
† Lib. 3 de R. R.

CAP. V.

Terminationes secundæ declinationis in Latinis. Veteres pro UM, OM; *proque* US, OS *extulere.* Teucrus, *&* Teucer; Euandrus, *&* Euander; Tymbrus, Tymber; prosperus, prosper; puerus, puer, puellus. *IR, & UR, non sunt integræ terminationes, sed passæ apocopen. Genitivi per apocopen abjicientes ultimam vocalem. Latini antiquitus dativis in O apponebant I; more Græco; ut* Magestroi, *pro* Magistro. *In Accusativo pro UM veteres OM scribebant.* Chorus alme. *Phocas notatus.* Puere. *Ausonius fortè emendatus.* Dee, *pro* Deus. Geni, *&* manuari, *in vocandi casu.* Manuor. Filie, *pro* filius. Pómpei, Vultei. Caí, Mai. Cajus *trisyllabum. Cæsaris Scaligeri sententia de natura literæ I in* Pompei *disyllabo, &* Huic, *ac* Cui *monosyllabis, refellitur.* Diepristini, diecrastini, diequarti, diequincti, *pro* diepristino, diecrastino, diequarto, *atque ita in aliis.*

SEcundæ declinationis terminationes, partim Græcæ sunt; ut, OS, ON, EUS: partim Latinæ; ex quibus usitatiores sunt, ER, US, UM. De nominibus exeuntibus in terminationem Græcam, seorsum postea dicemus. Nunc ea persequemur, quæ propria sunt Latinorum. Ex quibus terminatio ER, & US, facta est ex Græca OS: ut, ἀγρὸς, *ager*; Κῦρος, *Cyrus*; ἀλάβαστρος, *alabaster*; σμάραγδος, *smaragdus*. Terminatio verò UM respondet Græcæ ON; ut σύμβολον, *symbolon*; εἴδωλον, *idolum*. Unde & veteres pro UM usurpabant OM. Plautus prologo Pseudoli:

Nam bona bonis ferri reor æquom maximè.

Similiterque etiam pro US dixere OS in merè Latinis. Sanè Comici frequentant. Plautus Persâ *:

* Act. 1. sc. Vetterem atque antiquum.

Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos,
Quasi mures semper edêre alienum cibum.

Apud Maronem quoque III Æneid. in antiquis exemplaribus legitur,

Arduos inde Acragas.

Sed hujusmodi non defendam in Latinis Augustæi ævi: etsi & alia ejus generis extare apud antiquos, sciam: & sciant, quotquot veteres manu exaratos codices diligentiùs tractarunt.

Sunt autem quædam, quæ simul in ER, & US desinunt: ut *Leander*, & *Leandrus*; quod apud Ovidium, ut Græcè Λέανδρος: *Meleager*, & *Meleagrus*, à Μελέαγρος, unde *Meleagron* VIII Metam. Sic *Teucer*, & *Teucrus*; *Euander*, & *Euandrus*. Maro III Æn.

Teucrus Rhœteas primùm est advectus ad oras.

Idem in VIII:

Rex Euandrus ait, non hæc sollemnia nobis.

Et eodem:

Tum pater Euandrus dextram complexus euntis.

At in X:

—— Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis.

Ita loca istæc adducit quoque Priscianus in VI. Idemque in VII simile esse docet *Tymber*, & *Tymbrus*. Maro in X:

Daucia Laride, Tymberque simillima proles.

Et,

Nam tibi, Tymbre, caput Euandrius abstulit ensis.

Qui vocativus est à *Tymbrus*. Sic *Anaximander*, & *Anaximandrus*. Utroque usus Seneca lib. II Nat. Quæst. cap. XVIII, & XIX. *Antipater*, *Antipatrus*: quorum posterius in veteri Inscriptione. *Cassander*, *Cassandrus*, quo usus Ovidius libro II de Ponto, & Censorinus capite XVIII: etiam Silius in VII:

Qualis Mæoniâ passim Mæandrus in orâ.

Ita plerique MSS. Unde in accusandi casu Lucanus in III:

Errantem Mæandron adit.

Terpandrus, II Æn. Apud Justinum lib. V: *Pisandrus dux patriæ relictus.*

Meleagrus est apud Ovidium VIII Met.

Etiam appellativa quædam utrâque terminatione efferuntur: eaque partim adjectiva, partim substantiva. Adjectiva, ut *super*, *superus*; *infer*, *inferus*. De quibus postea. Item *prosper*, & *prosperus*. Priori usus Cæsar Domitianus in senatu pro se *: *Ut prosper dicendi successus ostenderet auditorum benevolentiâ crescere dicentium facultatem.* Alterum usurpat Tullius † in VI de Rep. *Deinde est hominum generi prosperus, & salutaris.* Videtur autem *prosper* ex *prosperus* factum esse κατ' ἀποκοπήν. Uti & *puer* à *puerus*; quo usus Afranius in Incendio, Cæcilius in Umbris, & Plautus aliquoties ‡: indeque est *puellus*; ut à *puera*, *puella*. Glossæ, *Puera*, παιδίσκη. *Puelli* quidem voce usi Plautus in Lenonibus geminis, Lucilius, & Varro in Sat. *Puera* dixit Livius in Odyss. Item Varro sat. væ victis, & lib. II de vita pop. Rom. Singulorum loca adducunt partim Nonius in *Puera*, partim Priscianus lib. VI; ad quos satis sit digitum intendisse.

* Apud Prisc. in 6.
† Idem.
‡ Mercat. act 5, sc. 2. Pers. act. 5, sc. 1. Pseud. act. 1, sc. Exite, agite, ite, ignavi.

Quædam tamen in US potiùs facta sunt à rectis in ER. Ut ab *Iber*, *Iberis*, Græcè ὁ Ἴβηρος, est *Iberus*. Nempe ut ab ἐλέφας, cujus obliquus est ἐλέφαντος, fit *elephantus*; & à γρὺψ, γρυπὸς, *gryphus*. Priscianus in VI, atque iterum in VII, ait, *Iber Iberi* dici de Hispano; *Iber Iberis* de gente juxta Colchos: atque addit, similiter Græcos distinguere. Sed negligunt id discrimen veteres. Claudianus in primo de laudibus Stiliconis:

—— Mistis hic Colchus Iberis. non *Iberibus*.

Et Strabo in XI ait, Asiaticos Ἴβηρας * ὁμωνύμως τοῖς ἑσπερίοις καλεῖσθαι. Ut utrique sint Ἴβηρες. Nec fluvius solùm *Iberus*, sed & *Iber* vocatur. Utroque enim modo Lucano dicitur. Strabo quoque de eo in III: ἐντὸς † ὁ Ἴβηρος: & πλησίον ‡ ὁ Ἴβηρος.

* Iberos eodem nomine vocari, ac Occidentales Iberi.
† Intra Iberum.
‡ Juxta Iberum.

Plerique omnes hodie inter terminationes secundæ ponunt IR, ut *vir*, & UR, ut *satur*. Sed propriè inter terminationes reponi non debent, quia in integris locum non habent. Sanè *vir* κατ' ἀποκοπήν factum à *virus*; unde *vira Querquetulana*, teste Festo; ut apud Hebræos ab איש *isch*, אשה, *ischa*. Quod icirco Genes. II. 23. *vira*, transtulit sacer Junius; idque præeunte quodammodo jam barbaro illo seculo Nicolao Lyra. *Satur* est ex *saturus*; à quo

quo *satura* in feminino est apud Terentium Hecyrâ*. Quod si eæ quoque terminationes, quæ præcisionem passæ sunt, secundæ fuerint inclinationis; etiam L addi debebat. Nam eodem modo factum est *nihil* è *nihilum*, teste Prisciano: qui & agnoscit, componi hoc ab *ne*, & *hilum*: unde Lucilius in XIV:

—— Hilo non rectiu' vivas.

Quod si rectè terminatio L sub integrâ UM comprehenditur, puta *nihil* sub *nihilum*: quid caussæ est, cur non pariter IR, & UR, subjiciatur terminationi US? Quin dubitari possit, an L tertiæ quoque principalis terminatio sit. Nam *animal*, *cervical*, *sal*, *tribunal*, facta sunt ex *animale*, *cervicale*, *sale*, *tribunale*. Ennius, ut superiori etiam libro dicebamus:

Cæruleum spumat sale confertâ rate pulsum.

Genitivus in hac declinatione desinit in I; uti & nominativus pluralis: inter quos tamen aliqui hoc olim discriminis statuerunt, quòd genitivus per I; pluralis nominativus per EI scriberetur: ut dicemus, quando ad pluralem erit deventum.

Controversati olim Grammatici de genitivis, ac vocativis, nominum in IUS, unicone I, an geminato, scribi deberent. Sanè Terentius Scaurus, & Val. Probus, existimarunt, in vocativo quoque gemino I utendum. Hodie Charisii obtinuit sententia, ut genitivos gemino; at vocativos, ad genitivorum discrimen, simplici I proferamus. Ut hujus *Antonii*, ô *Antoni*, non *Antonii*: ut aliqui dicebant, cujus caussam mox exponam. Par ratio genitivorum à rectis in *ium*. Tum tamen ferè simplici quoque I scribebantur, cùm metrum id exigere videretur: ut Ecl. I,

—— Nec cura peculi.

Ferè inquam, quia neque desunt codd. antiqui, quibus, in hujusmodi locis quoque, utrumque II exprimatur: ut in illo Lucretiano lib. VI:

Nec ratio remedii communis certa dabatur.

Et apud Ovidium Pont. lib. II, el. II:

Sacrificii genus est, sic instituere priores.

Sic utrobique est in nostris, & aliorum, optimæ notæ MSS. Neque existimandum, id imperitiâ factum esse. Nam quemadmodum, qui in hujusmodi locis simplici utebantur I, indicabant, duo II per συναίρεσιν in unum coaluisse: quomodo nempe Græcis ex τῷ συνήθει fit σύνηθι: ita qui geminum ponebant, volebant in pronunciando fieri συνίζησιν; quo pacto & *alveo* spondeus est apud Maronem †; & ‡, *Oenotrii*, molossus: *Oenotrii coluere viri.* Nam Græcè est Οἰνώτειος per ω. Vide quæ fusè de genitivis hujusmodi scribit Pierius ad illud Ecl. I: *Pauperis & tuguri*: & hoc I Æn.

Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum.

Item adi Josephum Castalionem Variarum Lectionum cap. IX: ubi contra Prisciani sententiam docet, non id semper metri caussâ fieri: quippe quod etiam in solutâ oratione habeat locum; uti liquet ex inscriptionibus antiquis. Sanè & in *mancipi*, pro *mancipii*, vulgò id obtinet.

Genitivi novem, qui in IUS efferuntur, olim quoque per I inflectebantur, instar aliorum. Terent. Andria Act. I, sc. III: *Tam iners, tam nulli consilii.* Qua de re vide eos scriptores, ad quos in primâ remisimus. Tantùm hoc loco monebo, cùm *unius Dei* dicamus; similiter à *triunus*, novâ, sed aptâ voce, dicendum esse, non *trinum*, ut quidam loquuntur, sed *triunius Dei*: quamquam & *triunni* utcumque excusari possit per archaïsmum, ut simile sit illi, quo *neutri generis* dicitur à Grammaticis.

Dativus definit in O. Sed uti Græci dativis in Ω exeuntibus adscribunt I, ut ΛΟΓΩΙ: ita & Romani olim I ad latus appingebant. Marius Victorinus lib. I: *Dativis autem casibus apud nos juxta apponebatur I; ut antea vobis dixisse meminimi, cùm POPULOI ROMANOI, pro, populo, solitos priores scribere ostenderem.* Et eodem libro: *Significaveram, prius quàm Græcis inter vocales reperta sunt H, & Ω, vicem earum tam apud illos, quàm apud nos, explesse E, & O: O etiam scribi solitum, pro syllabâ OT: E autem, pro E, & I: easdemque & O, & E, quoties accepissent in finem iῶτα, dativum casum apud utrosque significare: & harum scriptionum exempla non solum ex libris veteribus, sed etiam ex peritorum quorundam scriptionibus, ut CAMELOI, CAPROI.* Hactenus Victorinus.

In Accusativo pro UM antiqui dixere OM: ut *avos*, *avom*; quod & Terentius Scaurus approbat penè initio libelli de Orthographia. Similia sunt *equom*, *servom*; de quibus eundem inibi dissertantem vide.

De vocativo sunt, quæ scrupulum injicere possint. Nam Sidonius Carm. XXII, quod est in Burgum Pontii Leontii, scribere non dubitat:

—— Naiadas istic
Nereidum chorus alme doce.

Ac ne vel licentiæ id Poëticæ tribuas, vel ævo, quo vixit: ecce etiam Phocas nos in prosa potiùs jubet proferre, *felicissime populus*, quàm *popule*. Dicit enim disertim, multa in US potiùs servare US in vocativo, quàm in E mutent; ejusque rei exempla ponit *populus*, & *lucus*. Verùm Ciceronis est*, *Quantum te, popule Romane, de me fefellit opinio!* Quodque ad illud Lucani lib. II: *Degener ô populus*: cogitandum *ô* quoque nominativo jungi; ut in illo Terentii in Phorm.† *O vir fortis, atque amicus.* Neque tamen repugnem, si vel Græcismum statuas (nam Atticè vocandi casus est rècto similis) vel si Antiptosin casuum, sive Enallagen esse dicas cum Linacro. Sic sanè Livius lib. I, ab V.C. *Audi Jupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus.* Similiter loquitur Lucretius lib. I:

Quod superest vacuas auris mihi, Memmius, & te
Semotum à curis adhibe veram ad rationem.

Quam lectionem frustra, & invitis codd. omnibus, sollicitat Lambinus: uti dictum libri hujus cap. IV. His adde illud calcatum Persii sat. I: *Vos ô patritius sanguis.* Et Horatii in Arte: *Vos ô Pompilius sanguis.* Atque illud ipsius Maronis I Æn.

Adsis lætitiæ Bacchus dator ——.

Et VIII Æneid.

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.

Scio, Cledonium in arte suâ scribere, antiquè à Marone dictum *fluvius*. Sed antiqui etiam vocativum à nominativo distinguebant, ut vel indicio est illud Cæcilii, apud Priscianum lib. VI:

—— Age age, puere,
Duce me ad patrios fines decoratum opipare.

Et hoc Afranii apud eundem:

O puere, puere, sine me prospicere mihi.

Fortasse Græcismus, sive enallage quoque videatur in isthoc Ausonii carm. XIX, in professf. Burdigal.

Nec te Marcello genitus Marcelle silebo.

quomodo Elias Vinetus, & Jos. Scaliger, ediderunt, aliique postmodo expresserunt. Verùm legendum *genitum*; cùm, ut lemma indicat, agatur de Marcello, Marcelli filio. Nam si cum *Marcelle* conveniret, vel utrumque nominativi, vel utrumque vocativi terminatione extulisset. Nec tamen nimis pertendam: quia *genitus Marcelle*, dicere poterat, ut Sidonius, *chorus alme*.

Quemadmodum verò Nominativus pro Vocativo, ita & Vocativus interdum ponitur pro Nominativo; nempe more Macedonum, & Thessalorum, ut ait Priscianus; vel Æolum, & Bœotorum; quod Eustathius indicat. Virgilius II Æn.

—— Quibus Hector ab oris
Expectate venis? Pro, *Expectatus.*

Et apud Pers. Sat. III:

Stemmate quòd Thusco ramum millesime ducis,
Censoremve tuum vel quòd trabeate salutas. Pro, *trabeatus.*

Propertius lib. II, eleg. XV:

Lectule deliciis facte beate meis.

Sic *Macte esto*: de quo antea* dictum. Et apud Ausonium:

* Act. 5, sc. 2.
† Æn. 6.
‡ 11 Æneid.
* Ad Quirites post reditum.
† Act. 2, sc. item patris ais censpectum.
* Libri præcedentis cap. ult.

nium: *His opibus confise times.* Nec interea diffitendum, quodammodo in talibus locum etiam esse vocativo: imprimis in Maronis loco allato.

Une, & *sole* dici, indicat Diomedes, quando ait pro sex casibus sextuplicem esse exitum. Priori Catullum, & Plautum uti, altero Ticidam, superius † ostendimus. Ut sanctè quidem, si mysterium spectes; at si σύνταξιν, inscitè dicatur, *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.* Sed *unus*, & *solus*, veriùs sunt pronomina: de quibus suo loco.

† *Lib. præcedenti cap. ult.*

Pro *Deus*, ὦ θεός, quod Atticum, legitur quidem, *ô Dee*, sed non apud alios, quàm Ecclesiasticos scriptores: uti Tertullianum sub finem lib. primi adversus Marcionem: *Gratus esses, ô Dee baretice, si isses in dispositionem creatoris.* Et apud Prudentium in Hamartigenia: *O Dee cunctipotens.* Et ibidem: —— *O Dee Christe.* Ut Græcis, ὦ θεέ ‡.

‡ *Matth. cap. 27, vers. 46.*

Omne appellativum in IUS, IE facere ajunt. Itaque juxtim eos dicendum sit, *ô genie.* At aliud nos docet Tibullus; cujus isthoc, lib. IV, el. V:

Magne Geni, cape thura libens. ——

Ac Laberius à *manuarius* (sic furem vocat; quomodo & *manuor*, pro *furor*, usurpat) in vocativo dixit *manuari*, non *manuarie. Manuari*, inquit, *pudorem perdidisti.* Citat Gellius lib. XVI, cap. VII. Sunt verò hujusmodi κατ' ἀποκοπὴν facta ex *filie*, *genie*, *manuarie*: quomodo primitus loquebantur. Livius Andronicus in Odyssea*: *Pater noster Saturni filie.* Propria in IUS similiter olim in E desinebant. Quod probat Priscianus illo Livii Andronici in Odyssea: *Neque enim te oblitus sum, Laërtie noster.* Et hoc Livii, vel Lævii, in Sereno †: *Cura nunc Laërtie velle* ‡, *para ire Ithacam.* Sed præterquam, quòd dicere liceat, esse vocativum Græcum Λαέρτιε: ne *Laërtie* quidem tam proprium est, quam adjectivum è proprio formatum: qualia & *Delie*, *Tyrinthie*, & similia apud Statium, & alios. Mallem igitur, vel prænomen apposuisset, vel saltem gentis, aut familiæ proprium. Nam prisci illi dixere sine dubio, tum *Spurie*, *Numerie*, *Publie*: tum *Julie*, *Horatie*, *Tullie*. Postea hæc simili ἀποκοπῇ per I extulerunt. Nec ratio obscura est. Nam in vocando brevitati studemus: unde est, quòd ut *fili* pro *filie*; sic *Antoni*, *Virgili*, *Æmili*, dixere, pro *Antonie*, *Virgilie*, *Æmilie*. Quorum exemplo Erasmus *Eusebi*, quàm *Eusebie*, mavult. Primum illud E tenuiter admodum proferri solet: postea penitus est absorptum; accentu tamen in eàdem syllabâ, quà ante erat, reservatâ: ut lib. II ostendimus. Quod autem dicebam, E tenuiter admodum proferri solere; id ex eo quoque colligas, quòd, ut extulere *here*, & *heri*: ita *Antonie*, & *Antonii*; *Æmilie*, & *Æmilii*. Atque inde est, quòd (ut verbo antea monui) Terentius Scaurus, *ô Antonii*, *Æmilii*, *in singulari vocativo & dicendum, & scribendum esse*, contendat. Quodque Valerius Probus in Arte tradat, ut vocativus & nominativus, pari syllabarum numero scribantur; etiam *ô Mercurii* per duo II esse exarandum. Et subscribit quoque horum sententiæ Aldus Manutius lib. I artis Grammat. Nec ignorarunt illi, Horatium dicere lib. I, od. X:

* *Apud Prisc. lib. 7.*

† *MSus noster Priscianus, Sinero; Veneta vetus anni 1476. Sireno: ut suspicer legendum Sirene.*

‡ *Etiam Veneta vetus, Cura. Sed MSus, Cis ca.*

Mercuri, facunde nepos Atlantis.

Item od. XXIV:

Nulli flebilior, quàm tibi, Virgili.

Sed putarunt, hic esse ἀποκοπήν. Solùm dissensus est, num decisum sit E, an I. Græcis hic est E: & sæpe à Latinis E exprimitur. Videmus tamen, Scaurum, & Valerium malle, I esse hic recisum. Nempe quando exprimebatur ultima vocalis, raptim adeò efferebatur, ut vix discerni posset, E, an I sonaret.

Cæterùm non illa solùm per I terminantur, quæ I vocale habent ante US; sed idem fit in *Pompejus*, *Vultejus*, & similibus: ubi non vocalis, sed consona antecedit: siquidem, juxtim eos, I inter duas vocales constitutum duplex consona fit. Mihi in his etiam I vocale esse videtur: quippe quod ad præcedentem pertineat syllabam, ut secunda in *Pompejus*, & *Vultejus*, sit diphthongus EI. Quare quid mirum, si ut ab *Antonius*, & *Virgilius*, detracto US, fit vocativus; ita hoc ipsum fiat in *Pompejus*, & *Vultejus*. Horat. od. VII, lib. I:

Pompei meorum prime sodalium.

Et epist. VII, lib. I:

Durus ait, Vultei, nimis attentusque videris.

Idem videre est in dissyllabis: sed hæc vocativos formant in nominativis ἀλλάλλων diphthongi passis. Itaque *Cai*, *Mai*, dicimus à trisyllabis *Caius*, & *Maius*. Martialis lib. X, epigr. XVI:

Si donare vocas promittere, nec dare, Caï.

Ausonius de mensibus:

Maja Dea, an major, Maï, te fecerit ætas,
Ambigo: sed mensi est autor uterque bonus.

Hujusmodi autem in recto interdum trisyllaba fieri, indicat hoc Martialis lib. XI, epigr. XXXIV:

Cajus hanc lucem gemma mihi Julius albâ
Signat.

Et mox:

Cajus ut fiat, Julius, & Proculus.

Etsi verò timidè à magno Scaligero dissentire soleam: tamen in eo accommodare assensum non possum, quòd in vocativis *Pompei*, *Vultei*, & similibus, I pro consono habeat cap. XII de caussis L. L. Movet eum, quòd idem sit I, ac est in *Pompejus*, *Vultejus*. Quo argumento ibidem colligit, in *Huic*, & *Cui* dissyllabis, I esse consonum, quia idem sit I, ac in genitivis *Hujus*, & *Cujus*; ubi, Grammaticorum consensu, I consonum judicatur. Sed sanè sunt ista parùm firma, si verum est, quod paullò antè dicebam, secundam in *Pompejus*, & *Vultejus*, esse diphthongum. Atque ut id non esset, quid apertius est, quàm I consonum interdum transire in naturam vocalis; ac vicissim I vocale in consonam degenerare? Argumento fuerit illud Maronis Æn. I:

Julius à magno demissum nomen Julo.

Et Scaliger ipse, capite quo dixi, fatetur IAM, nunc monosyllabon esse, nunc dissyllabon. Uti in prologo Asinariæ:

Hoc facite sultis spectatores nunc iam.

Nam trimeter est. Et cur id minùs fiat in I, quàm V consono? Atqui *sylua* Horatio* trium, *dissoluo* Tibullo † quatuor syllabarum est, ubi V consona fit vocalis. Item cum à *lavo*, vel *lavatum*, fit *lautus*: à *caveo*, vel *cavitum*, *cautus*: ab *averruncare*, *auruncare*, unde Dii *Averrunci*, θεοὶ ἀποτρόπαιοι, & *Aurunci*, Italiæ populus: de quibus in libris Originum.

* *Lib. 1, el. 7. & 10.*
† *Epod. od. 13.*

Nomina in ER, quæ Græcè exeunt in βρος, δρος, vel χος, ea vocativum quandoque formant in E. Nempe ut à *Tymber* est *ô Tymber*: sic à *Tymbrus* est *ô Tymbre*. De utroque ex Marone paullo ante vidimus. Ac dicebamus, similiter apud Maronem gemino in loco *Euandrus* legi. Unde idem Maro *Euandre* format XI Æn. Item à *Leandrus Leandre* est apud Ovid. epist. Herûs. Propertii quoque est lib. III, el. XX:

Librorumque tuos, docte Menandre, sales.

Meleagre est apud Martialem, vel alium, libello de spectaculis epigr. XV. Item Valerium Flaccum lib. I. Vulgo ajunt, hujusmodi vocativos κατὰ μετάθεσιν fieri: puta RE, pro ER reponendo. Quibus crederemus, nisi apertum esset, nos vocativos hosce mutuari à Græcis, qui dicunt ὁ Εὔανδρος, ὦ Εὔανδρε, ὁ Μελέαγρος, ὦ Μελέαγρε, & ita in aliis.

Puere Plauto, & aliis, est ab antiquo *puerus*; de quo antea vidimus.

A *Panthus*, est *Panthu*. Nempe ex Πάνθοος, Πάνθους, fit Πάνθοε, Πάνθου. II Æn.

Quo res summa loco, Panthu?

Rectus est paullo antè:

Ecce autem Panthus telis elapsus Achivûm.

De ablativo res plana est. Nisi quòd antiqui in quibusdam E, vel I, pro O dixere: ut Macrobius docet lib. I Saturnal. cap. IV. Nempe in istis, *die pristini*, pro *die pristino*;

ſtino; pro quo poſteriores *pridie* maluerunt. Item *diecraſtini*, pro *diecraſtino*; *die quarti*, *die quincti*, *die noni*, vel *diequarte*, *diequincte*, *dienone*, pro *die craſtino*, *die quarto*, *die quincto*, *die nono*. Pomponius in Atellanâ, cui Mæviæ nomen:

> *Dies hic ſextus, cùm nihil egi: die quarte moriar fame.*

Ubi *dies*, & *die*, κατὰ συνίζησιν efferenda, cùm ſit trochaicus.

Cato in Originibus de Maharbale, Hannibali ſuadente, ut Romam quamprimum iretur: *Igitur Dictatorem Carthaginenſium magiſter Equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum; diequincti in Capitolio cœna cocta erit.* Idemque eſt apud Cælium lib. II Hiſtor. Etiam Prætor Compitalium ferias, more majorum, concipere his verbis ſolet: DIENONI. POPULO. ROMANO. QUIRITIBUS. COMPITALIA. ERUNT. QUANDO. CONCEPTA. FUERINT. N. Hoc ſolum diſcriminis obſervabant, quod per O iſta enunciarent, cùm de tranſacto eſſet ſermo: per E, vel I, cùm de futuro. Fortaſſe tamen, cùm per ſecundam, vel tertiam vocalem efferuntur, rectiùs adverbia cenſeantur. Saltem hoc Macrobius* velle videtur, cum ait, veteres modò *diequinti*, modò *diequinte*, *pro adverbio copulativè* dixiſſe.

* Lib. 5 Sat. cap. 4

CAP. VI.

Pluralis nominativus per E I à quibuſdam ſcribi ſolet antiquitus, ut à genitivo in I differret. Lucilii de eo verſus emendati apud Velium Longum. Jacobi Ceratini ſive Hornani error. Superior Lucilii ſententia ex Fabio, Velio, & Scauro refellitur. In quorum nominum genitivis ſyncope imprimis habeat locum apud oratores. Boſii, & Hottomanni in Cicerone emendatio rejecta. Faba, *nomen Mimi apud Tullium. Servii, & Macrobii lapſus.* Duo, & ambo, *pro* duos, & ambos. *Veterum loci multi ignorantiâ ejus rei à librariis corrupti.* Duo, *pro* duas.

PLuralis nominativus in maſculinis ac femininis eodem modò exit, ac genitivus ſingularis. Sed antiquiores eo diſtinxere, quòd ſingularis genitivus in I ſimplex, nominativus pluralis in E I exiret. Meminere hujus rei complures Grammatici, eoſque inter Marius Victorinus. Sed eorum nunc verba omittemus, quando hac ipſa de re ſuppetunt verba Nigidii Figuli, vigeſimo commentariorum Grammaticorum: unde eos exſcripſit Gellius lib. tertiodecimo, cap. XXIV. Sunt autem iſtiuſmodi: *Si hujus amici, vel hujus magni ſcribas; unum I facito extremam: ſin vero hi magnei, hi amicei, caſu multitudinis recto; tum ante I ſcribendum erit E: atque id ipſum facis in ſimilibus.* Secutus in eo Nigidius Lucilium in IX ſat. Verſus ejus adſcribam, prout eos emendabat Joſephus Scaliger Caſtigat. in Catullum:

> *Jam PUEREI venêre: E poſtremum facito, atque I,*
> *Ut plures puerei fiant. I ſi faci' ſolùm*
> *PUPILLI, PUERI, LUCEILI; hoc unius fiet.*
> *Hoc ILLI factum eſt uni: tenue hoc facies I.*
> *Hac ILLEI fecere: addes E, ut pinguius fiat.*
> *MEILE hominum, duo MEILIA, item huic utroque opu', MEILES,*
> *MEILITIAM. tenues I, PILAM quâ ludimu'. PILUM*
> *Quo pinſo, tenues I. plura hac feceri'. PEILA*
> *Qua jacimus, addes E, PEILA, ut plenius fiat.*

Verſu tamen quincto malim:

> *Hac ILLEI fecere: adde E, ut pinguius fiat.*

quomodo hic verſus legitur apud Velium Longum. Nunquam enim eliditur vox tota, utcumque unius ſit literæ: quales ἃ, ἒ, ἰ, ὃ. Aliæ interim aliquot mendæ commiſſæ in Velio: ut de hiatibus taceam. Nam ſic apud eum legitur vulgò:

> *Jam PUEREI VENERE. E poſtremum facito atque I.*
> *Ut plures * faciant. I ſi faci' ſolùm*
> *Pupilli, * * hoc pueri unius fiat.*

Secundo verſu ſcribendum: *Ut PUEREI plures fiant*: quomodo legitur apud Quinctilianum lib. I, c. VII; quo de Orthographiâ tractat. *Pupilli* autem claudere verſum ſecundum non poteſt, cùm primam producat. Verſu igitur tertio legendum, *Pupilli, pueri, Lucili, hoc unius fiet*: quomodo in melioribus Chariſii Soſipatri* codd. verſus hic ſcriptus invenitur. Porrò cùm Lucilius, diſtinguendi cauſsâ, aliter jubeat ſcribere ſingulum genitivum, aliter nominativum pluralem: liquere arbitror, nullum fuiſſe in pronunciando diſcrimen. Alioqui enim nihil hoc præcepto fuiſſet opus. Pronunciabant autem utrobique non I, ſed E I. Nam & *bini* in plurativo, & imperativum βινεῖ, eodem modo efferebant: ut videre eſt ex eruditâ Ciceronis epiſtolâ ad Pætum. Fallitur Jacobus Ceratinus†, Batavus, cùm libello ad Eraſmum eo ex loco colligit, veteres Græcos E I protuliſſe, ut nos I longum. Nam, ut primo Grammatici hujus operis libro dictum, Latini veteres E I ſonabant. Quærat fortaſſe aliquis, an diſcrimen illud, quod inter I, & E I ſtatuit Lucilius, debeat à nobis obſervari. Verùm hoc, ut utar verbis Quinctiliani‡, *Cum ſupervacuum eſt, quia I, tam longa, quàm brevis, naturam habet: tum incommodum aliquando. Nam*, inquit, *in iis, quæ proximam ab ultima literam E habebunt, & I longâ terminabuntur, illam rationem ſequentes, utemur E geminâ: qualia ſunt hæc, aureei, argenteei, & ſimilia. idque iis præcipuè, qui ad lectionem inſtituentur, etiam impedimento erit.* Fabio ſubſcribit quoque Velius Longus. Cùm enim Lucilii verſus commemoraſſet, *Hoc*, inquit, *mihi videtur ſupervacaneæ eſſe obſervationis. Nam ſi omnino in ſcribendo diſcernenda caſuum, numerorumque ambiguitas eſt: quid faciemus in his nominibus, quorum ſcriptio diſcrimen non admittit? ut ædes, ſedes, nubes; cum & una, & plures, eodem modo dicantur, & ſcribantur? quid, cum dicimus geſtus, fluctus, portus; cum & genitivus ſingularis, & nominativus, & accuſativus, & vocativus pluralis, eodem modo ſcribantur? Quid denique in his, quæ ambiguitatem habent inter nomina, & verba; rotas, rotat; feras, ferat? Nam* hæ rota tam rotas faciunt, quàm roto, rotas, rotat; & fero, feras, ferat. Sic nec aliter ſcribitur amor; & ex nomine facit amoris, & ex verbo amaris. Satis ergo collectum, quædam per E & I non debere ſcribi; ſed tantùm per I; cùm apud Græcos quoque ex veteri illâ conſuetudine inveniantur nomina, quæ per I ſcribantur, quamvis producte enuntientur.* Denique Fabio, Velioque, adſtipulatur quoque Terentius Scaurus.

* Lib. I.

† Lib. de pronunciatione lingua Græca.

‡ Loco ante memorato.

* Ita lium locum emendo.

Græcis nominativus nominum in OS tertiæ, cui ſecunda Latinorum reſpondet, deſinit in OI; ut ἀδελφοί: unde Terentii comœdia inſcribitur, ADELPHOE. *Bolce* apud Plinium in gemmis lib. XXXVII, cap. X. Sic in carmine Saliari fuit, PILUMNOE POPLOE, & FASCINOE, pro quo poſtea E I maluerunt, *Pilumnei populei*, & *faſcinei*: nempe ut, *Capteivei*, *ameicei*, pro *Captivi*, *amici*.

Dii pro *Dei* eſt ex *Divi*; ut *audiit* ex *audivit*. Par ratio in *Diis* pro *Divis*. Niſi magis placet, ut ab *is*, eſt *ei*, & *ii*, *eis*, & *iis*: ſic à *Deus* eſſe *Dei*, & *Dii*; *Deis* & *Diis*. *Dei* & *Deis* minùs ſunt obvia. Sed apud Varronem eſt in IV de L. L. *Hi Dei, cœlum, & terra.* Et mox: *A quo Dei dicti, qui inde.* Lucani quoque eſt in I: *Inferni venere Dei.* Ac Priſcianus quoque in VII citat ex ſecundo Lucani, *Calique Deis*. Ac ſimiliter alibi idem, ſecundùm optimos codd.

Frequens eſt in genitivo plurali ſyncope: in quibus Nonius Marcellus† accuſativum poni ait pro genitivo. Sed quod bene ſenſit, malè expreſſit. Neque enim magis hic accuſativus eſt, quàm in primâ: ubi *Æneadûm* ſimiliter dici-

† Cap. de numeris & caſibus.

dicimus pro *Æneadarum*. Exempla ejus syncopes in hac declinatione multa legimus apud Maronem: ut *Achivûm*, *Argivûm*, *Danaûm*, *Deûm*, *divûm*, *equûm*, *Graiûm*, *magnanimûm*, *sociûm*, *Teucrûm*, *virûm*, & quædam hujusmodi alia. Nec parciores in talibus alii poëtæ. Ac ne Comici quidem ab iis abstinent. Nam Plauti est Menæchmis: *Avertit prædam ab hostibus nostrûm salute sociûm.* Ubi & in nomine, & pronomine, factum vides. Idem Pœnulo: *Ecquid meministi tuum parentum nomina?* Et Trinummo: *Ut rem patriam & gloriam majorum fœdarim meûm.* Terentius prologo Heaut.

—— Quamobrem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquûm possit, quam æquûm oratio.

Imò nec abstinet Cicero, cujus est pro Vareno; *Deûm fide:* pro Muræna; *Præfectus fabrûm:* Verrinâ tertiâ; *Pro sepulturâ liberûm:* & ibidem; *Liberûm nostrorum.* Ac in veteri formulâ similiter erat; LIBERUM QUÆRENDUM GRATIA. Cujus geminum exemplum vide apud Festum in *Quæsere*. Sed imprimis, & Cicero, & alii, hujusmodi syncope utuntur in nominibus rei nummariæ, quæque mensuram, vel numerum significant: uti etiam Priscianus monet in VII. Ita dixit Tullius pro Cluentio: *Millibus quadragenis nummûm.* Item Verrinâ III: *Sestertiûm vicies quingenta millia.* Et in IV Verr. *Quadringenta millia modiûm.* Et in Frumentariâ: *Tritici septies medimnûm ex Nymphonis arationibus tollit.* Idem Verr. IV: *Pueri annorum senûm septenûmque denûm.* Quomodo & scriptor ad Herennium dixit lib. III: *Pedum tricenûm.* Varro lib. I de vita populi Rom. *Quaternûm digitûm tabellis.* Livius lib. XXX: *Hordei trecenta millia modiûm.* p. 330. Quare non in quibusvis nominibus hac syncope utendum: sed veterum usum attendemus. Sanè, puto, non dixisset Tullius, *imûm* pro *imorum:* quamquam doctissimus Simo Bosius credat, epist. XVI, lib. I ad Att. scripsisse *fabam imûm*, pro *imorum:* quod mihi quidem verisimile non fit. Sed neque placet summi viri Hottomanni sententia, legentis *fabam nummum:* verùm rectum est, *Fabam mimum*; quod nomen erat mimi, tum temporis notissimi.

Quæritur, an syncope hæc etiam in neutris habeat locum. Negat id Plinius, teste Servio in illud II Æneïd. *Huc delecta virûm sortiti corpora. Virûm*, inquit, *pro virorum: quâ figurâ & in prosa utimur. Dicit sanè Plinius in naturali historia, hoc in neutro non esse faciendum: scilicet propter casuum similitudinem, ni forte nimia metri necessitas cogat.* Ubi sine dubio verba illa, *in naturali historia*, sunt ab inepto homine infarta. Nihil enim tale Plinius in historia naturali. Sed certissimum putamus, hoc Plinium scripsisse in libris DUBII SERMONIS. Scio virum eruditum*, ut alibi etiam diximus, putare, libros illos fuisse περὶ ἐσχηματισμένων λόγων, sive, ut Latini etiam vocant, de sermone figurato; cùm nempe latenter ejus rei injicitur suspicio, quam aperte nolumus dicere. Sed valde fallitur. Planè enim opus fuit Grammaticum; ut in quo quæreret, *gibber*, an *gibbus*, *clipeum*, an *clipeus*, *balteum*, an *balteus*, dici oporteret; similiaque, ut ex Sosipatro Charisio cognoscimus. Nempe de his ambigi solet etiam ab eruditis, quomodo dicere, & scribere oporteret. Sic dubitatum, an in neutris quoque genitivus pluralis syncopen patiatur. Negat Plinius, quia, inquit, dubium foret, utrùm quid esset singuli numeri, an genitivus pluralis. Ennius tamen in primo annali dixit:

Horrida Romuleûm certamina pango duellûm.

Ac *verbûm*, pro *verborum*, non refugit Plautus Bacchidibus*, Rudente†, Truculento‡. Imò *studiûm* pro *studiorum* dixit Sallustius. Etiam *triginta mille talentûm auri*, apud Curtium legas libro V in oratione Parmenionis. Sed hæc rara. Verissimum enim est, quod Plinius scribit, facilè ex casuum similitudine dubium oboriri. Quod quandoque etiam in masculinis usu venit. Ut in illo Licinii Calvi apud Servium II Æneid. & Macrobium lib. III Saturn. cap. III:

Pollentemque Deûm Venerem.

Qui locus etiam doctissimis hominibus imposuit. Nam veteres ipsi Venerem hic Deum vocari putarunt. Atqui *Deûm pollentem*, dixit, ut, *Vini pollens* ait Plautus Curcul.* quâ ratione dicitur *potens Cypri*, *sylvarum*, *maris*, & similia.

Dubitari etiam possit, utrùm *Deûm* sit factum ex *Deorum*; an integrè dicatur, instar Græci θεῶν. Uti & in primâ, an non *Æneadum* sit, ut Αἰνεαδῶν. *Orum* fieri videtur ex Ionico ac poëtico duali οιν: ut λόγοιν, pro λόγων. Quomodo *arum* ex αιν in prima fieri, superiùs diximus.

Dativus Græcè exit in οις; ut θεοῖς: quo exemplo fortasse & Latini dixere *Deois*. Nam OI abit in OE. Saltem hinc ab *olus* seu *ollus*, pro *ille*, est dativus & ablativus *oloes*, pro *olis*, seu *ollis*, hoc est, *illis*. Paullus è Festo: *Ab oloes dicebant pro Ab illis. Antiqui enim literam non geminabant.* Facileque Scaligero adsentio; cùm apud Festum, ubi in schedis Fulvii Ursini est, *Privicloes, id est, privis, singulis:* pro *privicloes*, rescribit *privoes:* ut veteres pro *priveis*, seu *privis* dixere. Credo esse è carmine Saliari: ubi similiter *Pilumnoe poploe*, pro, *Pilumnei poplei:* ut antea ex Festo diximus. Mirum verò, aliqua secundæ in dativo hoc plurali per BUS efferri, quasi tertiæ forent. Ut *generibus*, pro *generis*. Quomodo, Nonio teste, Attius ait in Alcmæone:

—— Qui ducat, cum socerum videret,
In generibus tantam esse impietatem? ——

Sic numeris locus reddendus. Num statuemus, etiam *genus generis*, pro *gener generi* dixisse? Nempe ut simile sit istis, *vulturus* (quomodo aliqui apud Ennium legunt) *vulturi*, & *vultur vulturis:* *jugerum jugeri*, & *juger, jugeris*. Legitur quoque *pannibus*, pro *pannis:* ut olim videatur etiam fuisse quartæ: ut dicam cap. XX. Nec *mannibus*, pro *mannis*, refugit Hieronymus in Ecclesiasten cap. X: *Dignitate perflati vias publicas mannibus terunt, quos vulgo burichos vocant.* Credo, ætate Hieronymi, ut *diacones*, & *diaconibus*: ita *mannes*, & *mannibus* dixere. Nec optimo etiam ævo refugerint *colones*, pro *coloni*, si vera est conjectura Cujacii libro XXVI, cap. XIII; ubi Sallustium in Catilina putat scripsisse: *Cum libertis, & colonibus.* Imò & in oratione L. Philippi: *Lepidus latro cum colonibus.* Ajunt à *coloni*, *panni*, *manni*, non minùs venire posse *colonibus*, *pannibus*, *mannibus*, quàm à *qui* est *quibus*. Sed non cogitant, rectum esse *quis*; unde ablativus *qui*, ut à *fortis forti*; nominativus pluralis *ques*, ut *fortes*; dativus *quibus*, ut *fortibus*. Sed de eo pluribus postea*.

Accusativus pluralis Græcè in ους, Doricè in ως, quod Latini imitantur: τοὺς θεοὺς, Doricè θεώς, Latinè *Deos*.

Quod ad accusativum pluralem nominum *ambo* & *duo* (quæ tamen non nomina mihi, sed pronomina videntur) Charisius autor est, antiquos indifferenter dixisse *duos*, & *ambos*; itemque *duo*, & *ambo*; idque Græcorum exemplo, qui τοὺς δύο, καὶ τοὺς ἄμφω dicunt. Hoc ipsum exemplis firmat Marius Corradus†, atque addit, nescire se, an multò plura inveniantur. Nos inveniri scimus. Hæc propter compluria, non quidem omnia; sed tamen, quæ occurrebant, congessimus. Dixit Maro XI Æn.

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros.

Idem IV Georg.

Verùm ubi ductores acie revocaveris ambo.

Ita enim & Charisius legit, & in vett. plerisque codd. scriptum invenitur. Ecloga quoque VI habent codd. antiqui:

—— Spe carminis ambo
Luserat.

Quomodo & Servius legit. Sic enim ibi scribit: *Ambo vetustè, ut alibi‡:*

Verùm ubi ductores acie revocaveris ambo.

*Et**,

—— Eminus ambo Imbrasidas ——.

Et†,

Craterasque duo statuam.

Et Cum

* Daniel Heinsius in Asino suo.

* Act. 4. sc. Meamne hic Mnesilochus.
† Act. 3. sc. Meamne ille amicam.
‡ Act. 2, sc. 8.

* Act. 4. sc. Flos veteris vini.

* Lib. 4 de Analog. cap. 6.

† Lib 4 de L. L. pag. 155.

‡ 4 Georg.
* 12 Æn.
† Ecl 5. Vide Pierium in hunc locum.

Cum hodie sub eâdem significatione ambos, & duos, dicamus. Est & Plauti Amphit. ‡

Erreris ambo ego illos, & dementia,
Complebo.

Item Pseudolo *:

Eâdem duo greges virgarum inde ulmearum adegero.

Et Terentii Adelphis †:

Tu illos duo olim pro re tollebas ‡ tuâ.

Ubi Helenius Acro *: *Duo*, inquit, pro *duos*. At hodie in vulgatis, etiam MSSis nostris, & veteri Tarvisinâ †, legitur *duos*. Cicero quoque scripsit lib. VII, epist. XXV: *Præter duo nos loquitur isto modo nemo.* Ita invenio quoque in Mssis. Apud eundem in epistolâ ad Appium * olim, ut è Prisciano discimus, legebatur: *Duo enim duarum ætatum plurimi facio, Cn. Pompejum, filiæ tuæ socerum, & Marcum Brutum, generum tuum.* At hic quoque locus hodie corruptus †. Itidem epist. XIX, lib. IV ad Att. *duo consulares*, in casu incusativo in omnibus suis codicibus se reperisse ait Malaspina: pro quo in vulgatis itidem substitutum *duos*. Apud Livium etiam ait Pierius ‡ in vetusto codice legi in calce lib. III ab V. C: *Prælium fuit, quale inter fidentes sibimet ambo exercitus, veteris perpetuaque alterum gloriâ, alterum nuper novâ victoriâ elatum.* Apud Martialem quoque lib. VII, epigr. XXXIX, similiter in antiquis est:

—— *Elysium possidet ambo nemus.*

Pro quo corrupte in vulgatis, *possidet umbra nemus.* Censorinus de die natali, in scito Tribunitio cap. XIX: *Præter urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat, duo lictores apud se habeto.* Ita è veteribus membr. legit Stewechius; qui & Flavio Vegetio bis eam vocem restituit, lib. II, cap. VI, & lib. III, cap. XV. Dixit itidem Ulpianus: *Dicendum erit post SC. ambo teneri.* Terentianus quoque Maurus ait:

Hexametros tradit genitos duo prima vetustas:
Herous ille est, hunc vocant Iambicum.

Item Prudentius in Ἀποθεώσει:

—— *Panes jubet, & duo pisces*
Apponi.

Scipio Gentilis lib. I παρέργων cap. VI, annotavit, muliebri etiam genere accipi in illis Paulli JC *. *Tritavia similiter numerata facit personas triginta duo.* Imò Contius monuit, pro genitivo quoque poni in illis Scævolæ † verbis: *Duo millium aureorum*, pro *duorum*. Fortasse & illi Paulli loco antè à nobis adducto simile quis esse existimet Plautinum hoc in Mostellariâ ‡:

Alexandrum magnum, atque Agathoclem, ajunt maximas
Duo res gessisse.

Sed hic *duo* respicit reges duos. Nam sequitur: *Quid mihi fiet tertio,*
Qui solus facio facinora immortalia?
Ut iis sit accensendum, ubi *duo* pro *duos* ponitur.

‡ Act. I, sc. Bene prospere-que. * Act. I, sc. Pseudole, non audis. † Act. V, sc. 3. ‡ Al. tollerabas. * Teste Charisio lib. I. † Anni 1477. * Lib. 5. epist. 4. † Etiam in Mssis, quos consuluimus. ‡ In E. l. 6. * L. 10. §. 17. de grad. † L. ult. §. 2. De legat. 2. ‡ Act. 3, sc. Melius anno hoc.

Cap. VII.

Nominativi secunda in OS breve, vel longum desinentes. Lotus *pro tibia è loto.* Scorpios, *pro* scorpius. Androgeo, *pro* Androgei. *Terentianus Maurus emendatus, rejecta conjectura Lipsii. Probi sententia improbatur.* Pelei, & Orphei, *pro* Peleo, & Orpheo. Πέρσην *Æolicum*, *pro* Περσέα. Hymenæa *pro* hymenæum *barbarè à Stigelio, atque aliis, dici. Rectène Alciatus* baltea *dixerit. Ursini Velii lapsus*, balteon *usurpantis. Quâ ratione vel* Orpheon, *pro* Orphea, *aut* Orpheum: *vel* Androgeona, *pro* Androgeum, *vel* Androgeon, *veteres dicant.* Mino, Minonis, *pro* Minos, Minois. *Accusativi* Atho, Athon, Athona, & Athonem. Atho *item pro* Athoni, & Athone. *Servius notatus.*

EGimus de declinatione nominum exeuntium in ER, US, & UM. Tum autem de plurativis, seu dualibus anomalis, *ambo*, & *duo*. Nunc, uti nos facturos receperamus, seorsum tractandum de terminationibus Græcis. Sunt istæ, ΟΣ, & ΟΝ, in lingua communi: pro quibus Atticè ponitur ΩΣ, & ΩΝ. Sanè Latini in Græcis Græcam sæpe terminationem retinent; ut *Rhodos, Delos, Sestos, Tenedos*, & similia. Estque Latinorum OS, vel ex Græco ΟΣ, quod corripitur; vel ex ΩΣ, quod producitur. Breve igitur Lucilio *:

Carpathium Rhodos in pelagus inclinat aperta.

Ac similiter Horat. lib. I, epist. XI: *Incolumi Rhodos, & Mitylene.* Ovid. XIV Metam. †

—— *Postquam alta cremata est*
Ilios, & Danaas paverunt Pergama flammas.

Martialis lib. VIII, epigr. LI:

Palladius tenero lotos ab ore sonat.

Ubi *lotus* μετωνυμικῶς notat tibiam è loto; cujus & Athenæus meminit quarto δειπνοσόφις. Quin Maro quoque I Georg. scripsit:

—— *Ipse tibi jam brachia contrahit ardens*
Scorpios, & cæli justâ plus parte relinquit.

Quo loco Probus ‡ ostendit, nominativum in OS corripi in nonnullis: ac Pierius quoque ad hunc locum monet, se *scorpios* invenisse in codice Romano. Similia sunt, *Ismaros, aut Rhodope.* Et, *Neritos ardua saxis.* Item, *Omnis eo terrore Ægyptos, & Indi:* quomodo hæc loca jam olim adduxit Probus *. Suntque sexcenta id genus in vett. & optimæ notæ codd. quæ in vulgatis scribuntur per US. Nec dubium, quin sic Maro in Græcis expresserit. Minùs apertum de Latinis: ut cùm II Æneid. in cod. Romano semel iterumque legitur *parvos Iulus.* Nam cui non magis verisimile fiat, saltem scripturum potiùs fuisse, *parvus Iulos?* Sanè *parvus* constanter in nostris, & aliorum Mssis, invenimus. Et hæc quidem de OS brevi.

At producit idem II Æneid.

Primus se Danaûm magnâ comitante catervâ
Androgeos offert nobis.

Etsi incertum planè, an ita scripserit Maro, cùm in antiquis codd. ut Pierius testatur, & ipsi de Mssis nostris testari possumus, legatur *Androgeus*, ut ob triemimerim producatur ultima. Sed *Androgeos* magis placet. Hujus genitivum Atticum idem usurpat VI Æneid.

In foribus letum Androgeo.

Quam lectionem confirmant Charisius, Servius, Priscianus, alii. Itaque haut movet me, quòd membranæ nostræ habeant *Androgei:* quod Probus * rejicit, ac Græcæ declinationis ignorantiâ à librariis manâsse putat. Quidam adducunt & alterum locum è II Æneid.

—— *Comantem*
Androgeo galeam, clypeique insigne decorum
Induitur.

Verùm Charisius hic legit *Androgei.* Atque ita vetera Maronis exemplaria: ut partim ex Pierio, partim ex Mssis nostris cognovimus. Nihilo magis adsentio Probo, cùm, ubi nunc †, —— *Portusque subimus Chaonios*, legit, *Chaonio*, ac Græcum esse genitivum ait, pro *Chaonii.* Ex Probo tamen ita Virgilium esse castigandum ac interpretandum, censet Andreas Schottus lib. II Observationum Humanarum, cap. I.

Terminatio genitivi à rectis in OS est V: unde in frontispicio Terentianarum fabularum, ubi Mssi nostri, & vetus editio Tarvisina ‡, *Menandri, & Apollodori;* in vetustissimis, ut illo optimæ notæ codice Bembino, atque aliis, quos Faërnus secutus, legitur, GRÆCA MENANDRV, GRÆCA APOLLODORV. Nam V posuere pro OV. Sic Fannius in Periegesi:

Pro merito Graii Criu dixere metopon.

Κριοῦ μέτωπον. Terentianus Maurus:

Græca diphthongus OT literis tamen nostris vacat.
Sola vocalis quòd V complet hunc satis sonum.

Priori versu vel postrema in *diphthongus* producitur ob cæsuram; vel corrigendum; *Græca literis diphthongus OT tamen nostris vacat.* Posteriori quoque, ut itidem trochaicus sit, legam:

* In Hor. lib. I, od. 7. † Fab. 10. ‡ Lib. I, cap. de syllabis naturalibus. * Ibidem. * Ibidem. † Æn. 3. ‡ An. 1477.

Sola vocalis quod hunc V compleat satis sonum.

Malim hæc, quam, quod Lipsio * visum, ut priori versu O Y sit disyllabon, quomodo diphthongus non erit: posteriori pro V scribatur VV, quo pacto vocalis non erit; contrà quam de utroque pronunciat Terentianus.

* De pronunciatione L. L. cap. 10.

ON quoque I facit: ut, *Pelion*, *Pelii*. Pro quo contractè *Peli* dicitur. Catullus de nuptiis Thet. & Pel.

Quorum post abitum princeps è vertice Pelii.

Dativus in hujusmodi semper in O exit. Virgil. I Georg.

—— *Imponere Pelio Ossam.* Quid mirum? Cum etiam Græcè desinat in ω: ut λόγῳ, ac Æolice λόγῳ, absque ἰῶτα.

At in Accusativo pro UM sæpe accipiunt ON, more Græcorum. Itaque Terentianus Maurus, cùm priùs dixisset,

Spondeos autem si sequetur creticum:

subjicit mox,

Spondeon, aut qui dactylo est contrarius.

Et ne Grammaticos solum sic loqui putes, dixit Horatius lib. I, od. VII:

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen.

Ovid. VIII Met. *Dædalon.* Idem in XIII:

Quod Thebæ cecidere meum est: me credite Lesbon,
Me Tenedon, Chrysenque, & Cyllan, Apollinis urbes,
Et Syron cepisse.

Juvenalis sat. II:

Siquis Aristotelem similem, vel Pittacon emit.

Martiali nihil penè frequentius. Ut lib. IV, epig. XLIX:

Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.

Et lib. VI, epigr. XIII:

A te Juno petat ceston, & ipsa Venus.

Item lib. VIII, epigr. XLIV:

Ædemque Martis, & colosson Augusti.

Et ejusdem libri, epigr. LXIII:

Thestylon Aulus amat, sed nec minùs ardet Alexin.
Forsitan & nostrum sic Hyacinthon amat.

Item lib. IX, epigr. XCI:

Infamem nimio calore Cypron
Observes.

Et similia apud eundem.

Nec addere his alia opus, quæ se offerunt, postquam & nominativorum, & accusativorum talium ingentem ex variis copiam congessit industria doctissimi Dausqueji in Orthographicis lib. I, sect. V.

Diximus de Græcis in OS. Similiter verò Latini retinent interdum ON Græcorum in recto, & accusandi casu. Horatius lib. III, od. III:

—— *Ilion, Ilion.*

Ovidius V Fastorum:

Pelion Æmoniæ mons est obversus in austros:
Summa virent pinu: cætera quercus habet.

Martialis lib. X, epigr. LXI:

Hic festinatâ requiescit Erotion umbrâ.

Terentianus Maurus:

Ut tale colon esset
Junctum tribus trochæis.

Est & Græca terminatio EUS, quâ quæ desinunt, apud Græcos quidem sunt tertiæ, quam vulgò quinctam appellant: at apud Latinos secundæ sunt declinationis. Ita Propertius * ait:

* Lib. 3, eleg. 4.

—— *Aut jejunia Phinei.*

Similiter *Orphei*, & κατὰ συναίρεσιν, *Orphei*; ab *Ulysseus*, *Ulyssei*, & per syncopen *Ulyssei*. De cujusmodi genitivis plura dicemus in genitivis tertiæ declinationis. Nec secundam tamen ubique sequuntur. Nam excipi debet vocativus, qui Græcorum more semper in EU desinit: quamvis Probus, sed adversante Prisciano, velit *Penthee*, & *Tydee*, posse dici: & apud Maronem IV Georg. (ubi vulgò, & in nostris etiam Mssis, est *Proteu*) more Attico in quibusdam codicibus, *Proteus* legi Pierius testetur:

Scis, Proteus: scis ipse.

Quæ imitanda non sunt. Livius lib. XXXIX: *Oportuit autem, Perseu, si proditor ego patris regni eram*, &c. Ovidius VII Metam. †

† Fab. 23.

—— *Te, maxime Theseu,*
Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri.

Quod ad cæteros casus nominum in EUS, interdum quoque in iis omnibus Græca retinetur terminatio.

Genitivo, ut apud Nasonem IV Fastorum:

Alta jacet vasti super ora Typhoëos Ætna,
Cujus anhelatis ignibus ardet humus.

Certissimaque est Josephi Scaligeri emendatio apud Manilium legentis lib. I:

—— *Quam Perseos armis*
Excipit, & sociat sibi ——.

Apud Statium quoque II Silvar.

Longos Orpheos exuit dolores.

Ab communi Ὀρφέος, non Attico Ὀρφέως. Sic I Theb.

—— *Magnique Phoroneos inclyta fama.*

A communi φορωνέος. Et XI Theb. legas,

—— *Prometheus artes.*

Item, *Peleos*, apud Martialem lib. II, ep. LXIV.

Dativo, ut apud Catullum *:

* Carm. 65. De nuptiis Pelei & Thetidos.

Nulla domus tales unquam contexit amores,
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Pelei.

Et Maronem Ecl. IV:

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adsit:
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

Orphei dixit, pro *Orpheo*. Dubium autem est, num *Orphei* hoc loco scribi debeat, ut dactylus sit (nam Græci dativi corripiunt ultimam) an *Orphei*, ut sit spondeus, sive *Orphi*; quia Græcorum ει mutatur in I longum. Sanè & *Orphei*, & *Orphi*, in veteribus codd. legi, tradit Pierius, ac utrumque in Mssis nostris invenimus. Apud eundem Maronem IV Georg.

Inferias Orphei lethæa papavera mittes.

Quamquam hic, Pierio teste, in Romano codice sit *Orpheo*: ut sit συνίζησις similis, atque in illo quincti Æneid.

Heic læta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto, Mnestheoque, Gyan superare morantem.

Ubi tamen è contrario in antiquis codd. *Mnesthei*, pro *Mnestheo*, scribi, ex eodem Pierio didici. Et videtur ita fuisse in uno è Mssis nostris: sed, ex liturâ liquet, recentiorem manum mutâsse.

Accusativo: ut apud Maronem in VI:

—— *Quid Thesea magnum?*
Quid memorem Alcidem?

Pro quo Cicero in III de Nat. Deor. dicit *Theseum*. Qui & Romanis *Piræeum* potiùs, quàm *Piræa*, dicendum putat † à recto Πειραιεὺς. *Achillea* est apud Lucanum lib. X ‡. Manilii est in II:

† Lib. 7 ad Att. epist. 3.
‡ Vers. 523.

Persea, & Andromedæ pœnas, matremque dolentem.

Imò Livius quoque lib. XLV: *Legatos eodem & ad vos, & ad Persea, misimus.* Alibi etiam apud eum passim *Persea* legas: pro quo lib. XL *Perseum* usurpat: *Perseum filium*, inquit, *cum modicâ manu misit.* At *Persen* est à recto *Perses*: ut Græci & Πέρσην dicunt, & Περσέα: hoc à Περσεὺς; illud à Πέρσης; non solùm quatenus Πέρσης linguâ sumitur communi, & aliquem ex Perside significat: sed etiam ut Æolicè capitur pro Περσεύς: quomodo iidem Æoles Ἀχίλλης, dicunt pro Ἀχιλλεύς, Ὀδύσσης, pro Ὀδυσσεύς: unde Latinis *Achilles*, & *Ulysses*. Ut fallatur Cæsar Scaliger, cùm Latinos *Achilles*, & *Ulysses*, fecisse putat ex Ἀχιλλεύς, & Ὀδυσσεύς, extrito Υ. Vide eum de caussis L. L. c. XXVII.

Satis verò mirari nequeo viros eruditos, ab *hymenæus*, quasi id quoque in diphthongum EU desineret, in accusandi casu dicere *hymenæa*, pro *hymenæum*. Ita enim apud Stigelium legimus:

Gratulor ergo tibi felicem hymenæa, Sabine.

Ac similiter dixerat Elysius Calentius:

Audis tædiferum pueros hymenæa canentes.

Et Lotichius postea:

—— Ad sponsæ thalamos hymenæa canamus.

Nisi hìc malis esse accusativum pluralem, tanquam ab adjectivo *hymenæus, a, um.*

Quemadmodum autem Græca nomina tertiæ contractorum per E in obliquis communiter efferuntur; ut βασιλέος, & Ionicè per H, ut βασιλῆος: ita Latini, eos secuti, penultimam in accusativo, nunc corripiunt, nunc producunt. Certè corripit Maro IX Æneid.

—— Et amicum Cretea Musis,
Cretea Musarum comitem, cui carmina semper,
Et citharæ cordi.

At producit I Æneid.

Ilionea petit dextrâ, lævâque Serestum.

Et III Æneid.

Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretæ.

Quæritur, rectene Andreas Alciatus dixerit Emblem. CLXVII:

Baltea Priamides, rigidum Telamonius ensem,
Instrumenta sua cepit uterque necis.

Quem versum valde exagitant H. Stephanus de abusu L. Gr. & Cl. Minos notis in Alciatum. Sanè si singulo numero *Baltea* protulit, peccavit; cùm non dicatur Græcè βαλτοὺς, vel etiam βάλτους accentu Æolum & Dorum more retracto, unde βάλτια foret; sed Romanum sit vocabulum à Tuscis acceptum, ut Sosipater tradidit ex Varronis XVIII rerum humanarum. Verùm quid si statuamus, *baltea* hic per synecdochen numeri poni pro *balteum*: quomodo *cingula* dicere potuit pro *cingulum*? Certè in recto, & *balteus*, & *balteum*, dici, ex Varrone, Plinioque, jam olim Grammaticis * est observatum.

Sed ut *baltea* hic, pro *balteum*; ita *balteon* pro eodem posuit Ursinus Velius vir doctissimus, versu istoc de laboribus Herculis ex Anthologia Græcorum expresso:

Balteon arripui, Thracisque armenta cecidi.

Quod facilè excusaretur, si Græcè βάλτεος diceretur. Nunc Romanum vocabulum est, ut monuimus. Quare nec pro eo fecerit illud Nasonis in Ibin:

Diripiantque tuos insanis unguibus artus
*Strymoniæ matres, Orpheon * esse rata.*

Quod ipsum planè novum est; cùm neque Græca, neque Latina servetur declinatio. Non Græca, quia *Orphea* dicendum esset: non Latina, quia hi dicerent *Orpheum*. Nec simile est, ac *Dædalon*, *Pittacon*, *Polyphemon*, *Cypron*, ac similia, quæ antea vidimus. Nam hæc omnino Græca sunt. Itaque non desuere, qui apud Ovidium legendum putarent:

—— Orphea te esse rata.

quomodo apud Martialem est lib. X, epigr. XIX:

Illic Orphea protinus videbis.

Verùm nihil mutandum. Nam interdum Latini Græcas voces, Latinâ donatas terminatione, eâ Græcorum declinatione inclinant, quâ apud eos isthæc continetur terminatio. Ita pro *Androgeos*, quod est secundæ, vel, ut vulgò loquuntur, quartæ parisyllabæ; dicunt in recto *Androgeo*, ac genitivum faciunt *Androgeonis*: in accusativo verò interdum neque dicunt *Androgeon*, qui est accusativus ab *Androgeos*; neque *Androgeonem*, qui accusativus est Latinus ab *Androgeo*; sed *Androgeona*, quæ à Latina nominativi terminatione est Græca accusativi terminatio. Accusativum hunc usurpat Propertius libro II, eleg. I:

Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis,
Restituit patriis Androgeona focis.

Eodem igitur modo pro *Orpheus*, quod tertiæ est, sive, ut loquuntur, quinctæ, dicunt *Orpheos*; ac quasi nomen secundæ esset in US, cui apud Græcos respondet ΟΣ; ut à λόγος quarto casu est λόγον, ita dicunt *Orpheon*, velut ab *Orpheos*. Nec mirum, Latinos pro *Androgeos* dicere *Androgeo*: quandoquidem Latini in Atticis declinationis parisyllabæ abjiciunt Σ, atque ea in Latinorum modum inclinant. Ita pro *Minos* (quod & ipsum ab Atticis, ut *Androgeos*, inflectitur) Latini *Mino* dicunt. Unde Sallust. V Histor. † *Dædalum ex Siciliâ profectum, quò Minonis iram atque opes fugeret.* Itidem dicunt pro *Athos*, *Atho*. Livius lib. XLIV: *Nec minus quàm in altum magnitudine Atho mons excurrit.* Sic Cicero III de Republ. apud Priscianum lib. VI: *Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi quis Athonem pro monumento vult funditus efficere? Quis enim est Athos, aut Olympus tantus?* Ab *Atho* dixit *Athonem*, pro quo *Athona* quoque usurpet Poëta: alii pro eo ab *Athos*, dixere, vel *Athon*, vel, juxta Atticos veteres, *Atho*. Maro I Georg.

Aut Atho, aut Rhodopen.

Quod expressum ex illo Theocriti Idyll. VII: Ἢ Ἄθω, ἢ Ῥοδόπαν. Herodotus pro eo non semel posuit τὸν Ἄθων. Verùm apud Maronem *Athon* (quomodo in Aldinis, atque aliis quibusque optimis codd. legitur) locum habere nequit; quandoquidem *Athos*, & *Athon*, posteriorem producunt. Emendandus etiam Valerius Flaccus in primo: ubi & in ea, quæ cum Carrionis scholiis, & altera, quæ cum ejus castigationibus prodiit, legitur hoc pacto:

Aut Athon, aut Rhodopen, aut mœstæ mœnia Pisæ.

At dixit Val. Maximus, lib. I, cap. VI de prodigiis: *Eodem montem Athon vix tandem transgresso.* Plinius lib. VII, cap. II: *Qui Athon montem incolunt.* Livius lib. V, decad. V: *Portus ad Toronem ac montem Atho.* Græcam quoque terminationem Latinæ prætulit Mela, cùm *Atho* in dativo dixit lib. II: *Atho monti Lemnos obversa.* Eodemque modo locutus Livius libro XLV: *Sub Atho monte.* Nam idem est Græcis ablativus, ac dativus. At Cicero hìc quoque Latinam maluit terminationem, cùm II de finibus ait, *Athone perfosso.* Servius putat, *Athon* etiam in nominativo dici. Nam ad illud XII Æneid.

Quantus Athos, aut quantus Eryx:

scribit *Athon* legendum, metri gratiâ. Ac de metro quidem falsus, cùm Græcè sit Ἄθως per ω. Interim & Græci Ἄθων dicunt, ac in antiquis codd. ex Servii præscripto *Athon* legitur. De secunda nominum flexione hactenus.

† Apud Prisc. in 6.

* Charis. lib. I.

* Ita constanter Mss. & edit. vett. in his Veneta Bernardini, an. 1486.

CAP. VIII.

De tertia declinatione. Terminationes nominativi. Volturis, *pro vultur.* Paris, *pro* par. *Ostenditur in casuum formatione non tantam esse* ἀνωμαλίαν, *quam putarunt.* Præceps, *hujus* præcipis; *at* præcipes, *hujus* præcipitis: *item* anceps, *hujus* ancipis; *sed* ancipes, *hujus* ancipitis. Iter, iteris; *sed* itiner itineris. Impuber, impuberis; *sed* impubes, impubis. *Hæc* supellectilis. Lapiderum, regerum, nucerum. Lapi. Senecis.

Tertia declinatio apud Latinos comprehendit omnes terminationes, quas cæteræ declinationes habent, præter UM & U: ac multas insuper proprias obtinet; adeò quidem, ut Priscianus putet, esse ei terminationes septuaginta octo, vel paullò plures. Verùm ei quoque diversæ sunt terminationes, quæ solo differunt tempore: ut *salus*, & *corpus*.

Nonnullæ verò terminationum passæ sunt, aut ἀποκοπὴν, aut συγκοπήν. Ut *lac*, pro *lacte*; *animal*, & *vectigal*, ex *animale* & *vectigale*; *mellis*, & *fellis*, à rectis hoc *melle*, hoc *felle*; *plebs*, & *trabs*, ex *plebes*, & *trabes*; *fors*, & *mens*, ex *fortis*, & *mentis*; *vultur*, & *par*, ex *vulturis*, & *paris*. Illo Ennius usus in hoc calcato, *Volturis* (nisi *volturus* malis) *in sylvis miserum mandebat hominem.* Hoc est apud Attam in Socru: *Ad hanc fortunam accessit ei fortuna paris.* Pluraque hujusmodi attulimus in Generum doctrina.

In Genitivis Latinis non tanta est, quàm putarunt, ἀνωμαλία. Nam quod ajunt, ἀνωμαλίαν esse, si similium non fuerit similis ratio, id quidem verum est: sed & verum est, multa vulgò similia statui, quæ istiusmodi non sint. Sanè vulgo *princeps*, & *præceps*, volunt ἀνωμαλίαν arguere,

quòd unum *principis*, alterum non *principis*, sed *præcipis* faciat. Et ad Gordium hunc nodum opus alicui videbitur Tenediâ securi; non mihi: neque effugium quæram cum Rhemnio Palæmone, qui, ut dissimilia esse ostendat, hunc in modum scribit: *Princeps*, inquit, *quòd primum capiat dictus est, & venit à capiendo. Præceps verò à capitis significatione dicitur, quod præbeat caput.* Quàm enim haut rectam Palæmon insistat viam, argumento est, quod & *anceps*, quod à *capiendo* esse manifestum est, *ancipitis* faciat. Vera solutio ex eo petenda, quòd olim dictum fuit *præceps*, & *anceps*, & *præcipes*, & *ancipes*: atque à *præceps*, & *anceps*, genitivus fuit *præcipis*, & *ancipis*: at à *præcipes*, & *ancipes*, fuit *præcipitis*, & *ancipitis*. Plautus Rudent.*

Qui scelestus sacerdotem anum præcipem
Reppulit.

Item in eadem †:

Post altrinsecus est securicula ancipes, item aurea
Literata: ibi matris nomen in securiculâ 'st.

Sed & ejusdem in Commorientibus est: *Saliam in puteum præcipes.* Et *præcipe casu* dixit Livius in Ione, ut docet Priscianus lib. VI.

Multa quoque alia adtexunt ad evertendam ἀναλογίαν: verùm argumenta eorum non sunt à Deâ Suadâ. Juvat id in plusculis ostendere, etsi scio non defore, qui hoc totum, ut illepidum tricosumque aversentur. Cur, inquiunt, *halec*, *halecis* facit: *lac* non *lacis*, sed *lactis*? Itidem cur *carcer carceris* habet: at *iter*, non *iteris*, sed *itineris*? Verùm sciant, *lactis* esse à *lacte*, quo usus inter alios Ennius apud Nonium:

Sic mulier erubuit, ceu lacte & purpura mixta.

Versus est heroicus, quia in *mulier* secunda vocalis absorbetur, quod antiquis haut insolens. Vel potiùs, quia in optimis etiam membranis nostris est, *Et si mulier erubuit*, unius solùm literæ trajectione legamus:

—— Et si
Erubuit mulier ceu lacte, & purpura mixta.

Iter autem non facit *itineris*, sed *iteris*; at *itineris* est ab *itiner*, ut testatur Priscianus; qui inibi laudat illud Plauti Mercatore ‡:

—— Quin tu ergo itiner exsequi meum me finis?

Et hoc Nævii in Lycurgo: *Ignoti iteris sumus. tute scis.* Vide & Nonium. Et quæ de *iteris*, ac *itiner*, diximus in Originum libris. Tantùm addo, *itiner* quoque legi in epistola Æardulfi, Hrosensis Ecclesiæ antistitis, quæ a Nicolao Serrario edita unà cum epistolis S. Winfrid Bonifacii. *Puberem*, & *impuberem* (utroque utitur Tullius) idem Nonius docet esse a *puber*, & *impuber*. At *impubis Iuli*, quod usurpat Maro*, est ab *impubes*, vel potiùs ab *impubis*, cùm Ennius dixerit, *impube corpus.* Imò ne illud quidem satis certum, an *puber*, & *impuber* dicatur. Nam ut à *Ceres Cereris*: sic non minùs à *pubes*, & *impubes*, deflexeris *puberis*, & *impuberis*. Fusè de eo vidimus libro superiori cap. XXXVI.

Sanguinis est à *sanguen*, quo usus Ennius, itemque Lucretius. Neque mirum, *conjugis* in genitivo dici; cùm rectus sit *conjux*, nempe à *jugo*. At fallitur Priscianus, qui à *conjungendo* dictum putat *conjunx*; sed N abjici in obliquis, ut genitivus differat à secundâ personâ verbi *conjungo*.

Supellectilis est à nominativo antiquo *supellectilis*. Quod Priscianus probat illo Catonis adversus Tiberium Sempronium: *Si posset actio* (puto legendum, *auctio*) *fieri de artibus tuis, quasi supellectilis solet.* Sed non video, cur non cohæreant *auctio supellectilis*. *Anienis* est ab antiquo *Anien*. Cato †: *Non minus quam quindecim millibus Anien abest.* Vide, quæ dicta libro præcedenti cap. XXXIV. Alioqui videri etiam posset, *Anienis* dici pro *Anionis*, ut veteres *benus* dixere pro *bonus*, *elim* pro *olim*, *hemo* pro *homo*, & similia. *Cineris* est à *ciner*, Prisciano teste, ut *vomeris* à *vomer*, *pulveris* à *pulver*: simileque *cucumeris*, & *cucumeres*, à *cucumer*: etsi *cinis*, *vomis*, *pulvis*, *cucumis*, sint in usu. A *cucumis* quidem *cucumim*, & ablativum *cucumi* apud Plinium legas. Ut autem ab istis in *er* est genitivus *eris*: sic credo à *lapider* dixere *lapideris*. Etsi cum eo contendere nolim, qui ab *is* putet quoque esse *eris*; ut *cinis cineris*: eoque ab *lapidis* obliquo esse rectum *lapidis*, indeque *lapideris*. *Lapiderum*, pro *lapidum*, ut *regerum* pro *regum*, dixit Gellius; & Cælius *nucerum*, pro *nucum*, teste Charisio. Nempe à rectis *reger*, & *nucer*, vel *regis*, & *nucis*: unde *rex*, & *nux* postea. Etiam à *lapis* dixere hujus *lapis*. Ennius XV Annal.
Occumbunt multi letho ferroque, lapique.

Carnis est à recto hæc *carnis*. Eo Livius Andronicus in Odyssea usus: ut diximus alibi ‡ ex Prisciano. Qui addit, similiter legi apud Livium Patavinum lib. XXVI ab V.C. *Latinaque instaurata, quòd Laurentibus carnis, quæ dari debet, data non fuerat.*

Far non *faris* facit, ut *par paris*, *Nar Naris*; sed *farris*: idque ut à verbo *faris* differat, quemadmodum Priscianus ait in V, & VI.

Lar facere *Lartis*, à Charisio quidem in I, & Prisciano in V, proditum est: nempe propter Ovidii illud in epigrammatis:

Larte ferox cæso Cossus opima tulit.

Sed etsi vulgò apud Tullium *Lar* legatur: tamen verisimilius est, *Lartis* venire à recto *Lars*; qui apud Livium, & Ausonium. Nempe ut dicimus *Mars*, *Martis*: *pars*, *partis*.

Jovis non est à *Jupiter*; sed à recto *Jovis*, de quo dictum libro superiori cap. XLVIII. At *Jupiter*, ut Cæsellio Vindici placuit, facere debuit, *Jupiteris*, vel *Jupitris*. Atque addit Priscianus, sic apud veteres inveniri, *Marspiteris*, & *Marspitris*, *Diespiteris*, & *Diespitris*, imò & *accipiteris*, *accipitris*. Ubi mirum, tantum Grammaticum *accipiter* recensere inter ea, quæ à *pater* derivantur. Interea sanè credamus Prisciano, *accipiter* olim quoque *accipiteris* fecisse. At hodie parum tutò usurpes: cum *accipitris* tantùm reperiamus. De genitivis autem nominum *Marspiter*, & *Diespiter*, dicam lib. seq. cap. XX.

Jecur ait Sosipater facere *jecoris*, & *jecinoris*. Addit tamen, alios *jecinoris* flectere à recto *jecinor*. Priscianus pro eo dicit *jecinus*. Puto *jecinor* esse nativum magis. Nam ut ab *iter* est *itiner*, à *fruor fruniscor fruniscor*: sic à *jecur* prius fuisse *jecinur*: pro quo postea & *jecinus* dicere potuere, cùm R, & S sæpe adeo commutentur. Omnino igitur ἀναλογία dictat, *jecoris* quidem est à *jecur*, *jecinoris* autem à *jecinor*: nisi malis, *jocinoris* à *jocinor*; ut vulgo ea vox apud Plinium* scribitur. Et E, atque O, facilè commutantur: ut *benus*, *bonus*. Sed malim *jecinor*, propter ἀναλογίαν, & veterum Grammaticorum autoritatem.

Hepar hepatis facere, nihil mirum, cùm Græcè sit τὸ ἧπαρ ἥπατος: ut δέλεαρ, δελέατος facit; φρέαρ, φρέατος.

A Græcis quoque accepimus genitivos in *antis* à rectis in *as*. Ut *adamantis*, *gigantis*, & propria *Atlantis*, *Calchantis*, *Pallantis*, *Euantis*. Maro X Æn.

Nec non Euantem Phrygium, Paridisque Mimanta.

At adjectivum *euantem* est ab *euans*, quasi ab *euare*: quod est εὐοῖ canare, vel *euan* acclamare. Ita Maro VI Æn.

—— Euantes orgia circum
Ducebat Phrygias.

Et Propertius lib. II, eleg. III:

Egit ut euantes dux Ariadna choros.

Simois Simoëntis facit. Ovid. epist. I:

Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus.

Virgil. I Æn.

—— Simoentis ad undam.

Quid mirùm? cùm Græcè sit Σιμόεις, Σιμόεντος. Simile, *Pyrois Pyroentis*, ut Πυρόεις, Πυρόεντος.

Etiam dixere *Amathus Amathuntis*, *Opus Opuntis*. Ovid. X Metam. fab. X:

—— Gravidamque Amathunta metallis.

Idem I de Ponto el. IV:

Cade puer factâ Patroclus Opunta reliquit.

* Act. 3, sc. Nunc id est.

† Act. 4, sc. Serio edepol.

‡ Act. 5, sc. Divum atque hominum.

* 5 Æn.

† Contra Veturium, apud Prisc. in 6.

‡ Lib. superiori cap. 35.

* Lib. 31, cap. 8.

Nemo

Nempe ex Ἀμαθόεις Ἀμαθοῦς, ex Ἀμαθόεντα Ἀμαθοῦντα. Item ex Ὀπόεις Ὀποῦς, ex Ὀπόεντα Ὀποῦντα.

Semis quæritur sitne ἄκλιτον: an genitivum *semissis* ex se formet: quod censent Sosipater in I, & Priscianus in VI. Quibus posterius placet, ajunt, *semis* esse ex *semias*, eoque ut *as* facit *assis*, sic *semis* facere *semissis*. Sed *semis* non est ex *semias*, verùm ex ἥμισυ: ut ostendimus libro superiori cap. XXIX. Apud vulgatum interpretem legas accusativum *semis*, & *semissem*. Locus est Exodi XX, 10: *Longitudo habeat duos, & semis cubitos: altitudo cubitum similiter ac semissem.* Sed veteres, quantum recordor, non usurpant *semis*, nisi in recto. Cæteros casus mutuantur à *semissis*: ut *semissem impendere*, *semisse emere*; & fortasse etiam *homo semissis*, ut *homo nihili*. Video esse, qui censeant, vocem *semis*, vel *semi* solùm in compositione reperiri: ut *semicinctium*, *sembella*, *sestertius*, *selibra*. Sed ipsius est Varronis lib. IV de L.L. *Dupondius, & semis, antiquus sestertius est.* Et mox: *Sembella, quod sit libellæ dimidium, quod semis assis.* Horatius quoque epist. ad Pison.

> —— *Redit uncia, quid fit?*
> *Semis.* ——

Usus & Cornelius Celsus: adhæc Scribonius cap. CCLXVI. Item Festus, qui docet, ut dixi, ex ἥμισυ fieri κατ᾽ ἀφαίρεσιν.

Serapis, & *Isis*, more Græco *Serapidis*, & *Isidis*. Sed Varro, Tullius, & Cincius, (Sosipatro teste) etiam dixere hujus *Serapis*, hujus *Isis*. *Thetis* quoque *Thetidos* facit Horatio. Et tamen hujus *Thetis* dixisse, colligit Priscianus ex eo, quòd Plautus dicat Epidico act. I, sc. I:

> —— *Tum ille prognatus Theti*
> *Sine perdat: alia apportabunt ei Nerei filiæ.*

Nempe *Thetidos* à Græcis; hujus *Thetis*, Latinorum more.

Gliris est à recto hic *gliris*: quo Catonem in Originibus usum, testis Sosipater.

Similiter dixere hæc *litis*, hujus *litis*, unde *lis litis*. Hic *Quiritis* hujus *Quiritis*: unde hic *Quiris*, *Quiritis*. Hic *Samnitis*, hujus *Samnitis*, unde hic *Samnis*. A masculino *Samnitis* in neutro hoc *Samnite* dixit Nævius in carmine de bello Punico, teste Prisciano in VI, & VII.

Etiam *Dis*, sive divitem, sive Plutonem notet, contractum est, vel ex *dives*, unde *u* extrito *dies*, posteaque *dis*: vel ex recto hic *Ditis*, hujus *Ditis*, unde *Dis Ditis*. Glossæ vett. *Ditis pater*, Πλούτων. Petronius:

> *Has inter sedes Ditis pater extulit ora.*

Ac Cornelius Severus similiter in Ætna, si standum Scaligeri conjecturæ.

Minos, & similia, quæ gignendi casu Græcè per ωος desinunt, Latinè habent *ois*, more Græco. Ut in Ciri, —— *Minois amores.* Et ibidem:

> *Essent qui generum Minoa auctoribus extis.*

Sallustius tamen, more Latino, *Minonis* format. Uti Priscianus probat illo ex V Histor. *Dædalum ex Sicilia profectum, quo Minonis iram atque opes fugeret.* Quid mirum? quando & ἰσοσύλλαβα quartæ simplicium declinant per O, ONIS: ut *Androgeo*, *Androgeonis*: *Atho Athonis*: ut vidimus cap. præcedenti.

Monoceros, & *Rhinoceros*, *otis* faciunt, more Græco: unde *monocerotem* Plinius lib. VIII, cap. XXI: *Rhinocerotis*, Martialis lib. I, ep. IV. Ac *Chryseros*, Χρυσέρως, similiter inflectitur, ut Priscianus ait in VI. Sed *Ægoceros*, Αἰγόκερως, qui Latinis *Capricornus*, sequitur secundam. Unde Germanicus in Arateis*:

* Vers. 213.

> *Cùm sedem Ægoceri Cythereius attigit ignis.*

Et Lucanus in X:

> *Ægoceron, Cancrumque tenet.*

Compotis, *impotis*, genitivi sunt à rectis *compotis*, *impotis*, quæ à *potis*. Nam à *compos*, & *impos*, integris, genitivi flecterentur penultimâ longâ. *Bos*, *bovis*, ex Æolicis βοῦς, βοϝός, pro βοῦς, βοός. *Sanguis* olim fecit hujus *sanguis*, ut *panis*, hujus *panis*. Sic Catonem declinâsse, auctor Sosipater. At genitivus *sanguinis* est à recto *sanguen*; quo Ennius usus. Imò & Attius, Lucretius, Varro, ac Tullius, ut Nonius ostendit. Ex quibus Lucretii verba jam adduximus libro superiori cap. XXXVI. Ab obliquo *sanguinis* à *sanguen* fuit rectus hic *sanguinis*, unde accusativus *sanguinem*. Ac puto, & prius hujus *pectinis* fuisse ab hic *pectinis*; unde *hunc pectinem*. Nam alioqui potiùs in accusativo esset hoc *sanguen*, hoc *pecten*; ut hoc *gramen*, *flumen*, & similia, quæ genitivum per *inis* formant. Et quid si similiter dicamus, ex hoc *pollen* esse hujus *pollinis*, inde hic *pollinis*, & concisè hic *pollis*, hujus *pollinis*. Vidimus de eo libro præcedenti cap. XXIX. *Nix nivis* ex hæc *ninguis*, hujus *ninguis*: quod à *ninguo*, ut à *duco*, & *voco*, hic *ducis*, hæc *vocis*, & per syncopen *dux vox*. Hujus *senis*, contractum ex *senicis*; quod teste Charisio, à *senex*; ut *verticis*, à *vertex*. Genitivum *senicis* usurpavit Plautus Cistellariâ, ut monitum Prisciano. Indeque *senecio*, & *senectus*, quasi *senecitus*. Atque ex his quidem facilis est conjectatio de sexcentis aliis, quæ nobis fugitiva ademit oblivio. A Latinis nunc genitivis ad Græcos accedo.

CAP. IX.

Genitivi in O S exeuntes. Cur Panos, *quàm* Panis; Panas, *quàm* Panes, *malint Poëtæ. Male in genitivis à quibusdam dici* Adonis, Ianthis, clematis, *pro* Adonidis, Ianthidis, clematidis. *Genitivi propriorum in es exeunt quandoque in I: ut* Aristoteli, Themistocli. *Videri hæc potiùs esse à rectis in E V S. Ut genitivi* Achilli, Ulyssei, Simonidei, Mosi. *Genitivi in V S, vel O S, ut* Calypsûs, *vel* Calypsôs. *A Phoca dissensum de* Didois, *&* Didoi. *In Varrone vera lectio indicata: vulgaris etiam in Martiale defensa.*

IN Græcis non rarò Græca retinetur terminatio. Unde Martialis, sive alius de Spectaculis libelli auctor, epigram. III:

> *Et quem suprema Tethyos unda ferit.*

Maro item Ecl. III:

> —— *Cum Daphnidos arcum*
> *Fregisti.*

Quomodo Valerius Probus legit. Ubi in tribus nostris membranaceis codd. *Daphnidis* invenimus. At in iisdem constanter erat *Panos* in VIII Æneid.

> *Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.*

Quin Phocas à *Pan* Græco more tantùm *Panos* dicendum putat, ut distinguatur proprium à communi. Certè *Panos* prætulit Virgilius*, cùm scripsit, —— *Panos de more Lycæi.* Eandem ob caussam in plurativo *Panas*, quàm *Panes*, malim; præsertim cùm & Ausonius Idyll. IX dicat:

* 8 Æn.

> *Capripedes agitat cùm læta protervia Panas.*

Imprimis autem O S retinent in iis, quæ genitivum apud Græcos faciunt in D O S. Ovidius I Metamorph. fab. XI:

> *Nec superûm rector mala tanta Phoronidos ultrà*
> *Ferre potest.*

Et I Trist.

> —— *Custos Erymanthidos ursæ.*

Statius II Thebaidos:

> —— *Immites citiùs Busyridos aras.*

Lucanus in II:

> *Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas*
> *Arctos habet.*

Sic *Pallados* est apud Martialem lib. IV, epigr. LIII. Et est talium densa adeò seges apud Poëtas, ut isti pluribus immorari non alius sit, quàm & suo otio abutentis, & alieno.

Illud potiùs operæ sit monere, viros etiam eruditissimos quandoque in eo peccare: quòd genitivos declinationis hujus, quæ imparisyllaba est apud Græcos, ἰσοσυλλάβως inclinent. Ut Poëta Italus, cum dixit:

> *Lux mea luce mea cara dependet Ianthis.*

pro *Ianthidos*, vel *Ianthidis*. Quomodo & in obliquis aliis peccari solet. Ut in dativo ab eodem:

Dum

Dum Venus exstincto flens oscula figit Adoni.

Pro *Adonidi*. Item in Ablativo: ut cùm magnus Desiderius, *De clemati Ægyptiâ*, pro *clematide* scripsit. Similis fit error, hujus *Bryaxis* pro *Bryaxidis*, vel *Bryaxidos*. Plinius lib. XXXVI, cap. V: *Sunt in Gnido & alia signa marmorea illustrium artificum, Liber pater Bryaxidis, & alter Scopa* &c. A quo accusandi casus *Bryaxin*. Unde aliquanto pòst: *Scopas habuit æmulos eâdem ætate Bryaxin, & Timotheum, & Leocharem: de quibus simul dicendum est, quia simul cælavere Mausoleum.* Multi volunt, rectum esse *Bryax*; inde obliquum, *Bryaxis*. Sed refellit eos idem Plinius lib. XXXIV, cap. VII: *Hos deorum quinque colossos fecit Bryaxis.* Et cap. seq. *Bryaxis Æsculapium, & Seleucum fecit.*

In iis tamen, quæ Græcè Genitivum formant per OS purum, genitivus possit esse isosyllabus. Nam ab hæc *poësis* dixeris hujus *poësis*; ab *emphasis*, vel *ellipsis*, hujus *emphasis*, vel *ellipsis*. Ut triplex in talibus fit terminatio. Quippe præter hanc Latinam est duplex Græca. Ut enim Græci dicunt ποιήσιος, & ποιήσεως, ἐλλείψιος, & ἐλλείψεως; ita Latini quoque *poesios*, & *poeseos*, *ellipsios*, & *ellipseos*. Atque ita in *emphasis*, *phrasis*, *metamorphosis*, & aliis.

Nec illud observatione indignum, Genitivos propriorum in ES apud veteres sæpe habere terminationem secundæ. Ita Attius dixit: *Inclutis Achilli armis vesci*: ubi *Achilli* est *Achillis*; *vesci* verò, *uti*; quomodo Lucretius dixit *vesci loquelâ*, Maro *vesci aurâ ætherea*, Cicero *vesci voluptatibus*. Servius quoque ad I Æn. —— *Acris Oronti*, pro *Orontis*, à Marone dictum ait: nempe ad vitandam κακοφωνίαν. De genitivis hujusmodi ita Priscianus lib. VI: *Frequentissimè veteres dativum proferebant pro genitivo, Aristoteli, Demostheni, Thucydidi, Euripidi; pro Aristotelis, Demosthenis, Thucydidis, Euripidis, ponentes. Virg. in I Æn.*

Præcipuè pius Æneas nunc acris Oronti,
Nunc Amici casum gemit.

Idem in eodem:

Troas, reliquias Danaûm atque immitis Achilli.

In II:

—— Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopúmve, aut duri miles Ulyssi,
Temperet à lachrymis?

Terentius in Heaut. Archonidi filiam, pro Archonidis. Cicero in IV Verrinarum: In Timarchidi potestate sociorum populi Romani antiquissimorum, atque amicissimorum liberos, matresfamilias, bona, fortunasque omnes fuisse. Idem in eod. dativum similiter protulit, Neque in præsentiâ Timarchidi, quid respondeat, habuit. Et magis secundùm tertiam ea proferunt nominatissimi autores. Idem in Arato:

—— Sub pedibus profert finita Booti, pro Bootis.

Hactenus Priscianus; cui & Charisius subscripsit, adducto illo Sallustii primo è Histor. *Bellum Persi Macedonicum*, & isthoc à Prisciano quoque è Marone* citato: *Immitis Achilli*; & hoc ejusdem poëtæ †, *Pellacis Ulyssi*. Idemque Plinio observatum ait lib. VII dubii sermonis, *Herculi*, pro *Herculis*, ut *Ulyxi*, pro *Ulyxis*, olim dici cœptum. Varro quoque in VII de L. L. *Herculi, & Herculis clava, utrumque in consuetudine.* De *Ulyssi* tamen, & *Achilli*, ambigi possit, num genitivi prisci sint, (quamquam hoc etiam senserit Quinctilianus lib. I, cap. V.) an verò I longum ex diphthongo ει factum sit. Nam & dicitur *Achillei*, & *Ulyssei*, quæ κατὰ συναίρεσιν sunt ex *Achillei*, & *Ulyssei*, ab *Achilleus*, & *Ulysseus*. In cujusmodi nominativus EVS quandoque patitur diæresin. Ut apud Ovid. XII Met.

* I Æn.
† 2 Æn.

Non ea Tydides, non audet Oileus Ajax.

Et apud Maronem in Culice *Orpheus* fit disyllabon:

—— Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis.

Et postea:

Pœnaque respectus, & nunc manet Orpheu in te.

Eo minùs mirandum est, διαίρεσιν hanc obtinere etiam in gignendi casu. Ita Horatius Epod. od. XVII:

Heu, pervicacis ad pedes Achillei.

Et ibidem:

Laboriosi remiges Ulyssei.

Item I Carm. od. VI:

Nec cursus duplicis per mare Ulyssei.

Sic apud Ausonium in elogio Citarii Siculi:

Concedat Cei Musa Simonidei.

Quasi à Σιμωνιδεῦς, more Tarentinorum, pro Σιμωνίδης. Similiter Catullus epigr. LVI, *Herculi* sive *Herculei* ex *Herculeï* dixit, si stamus emendatione Scaligeri. Nempe ab *Herculeus*, ut Ἡρακλεῦς pro Ἡρακλῆς. Imò & in dandi casu *Tantaleo*, à Ταντάλευς, pro Τάνταλος, Propertius dixit lib. IV, eleg. ult.

Fallax Tantaleo corripiare liquor.

At συναίρεσιν habes lib. I, epist. ad Numicium:

—— Remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei.

Sic Virgilius Æneïd. III:

Sum patriâ ex Ithacâ, comes infelicis Ulyssei.

Et Ovid. Met. XIV:

Hic quoque substiterat post tædia longa laborum
Neritius Macareus, comes experientis Ulyssei.

Imò in illo ipso Maronis loco, à Prisciano antè adducto,

Troas reliquias Danaûm, atque immitis Achilli,

Achillei, non *Achilli*, Pierio testante, scriptum fuit in codice illo oblongo, quem delicias suas vocabat Pomponius Lætus. Sed enim, dixerit aliquis, cætera, quæ apud Priscianum, ac Charisium, adduntur loca, abunde indicare, genitivos nominum propriorum tertiæ apud veteres etiam in I desiisse. Uti cùm apud Plautum legimus*, *Senis hujus uxor Periplectomeni*, pro *Periplectomenis*: apud Ciceronem ipsum, *filia Verri*, pro *Verris*. Quin lib. IX, epistolarum ad Att. † legimus: *Et Lucceii consilia, ac Theophani, persequamur.* Et XIII libro ‡ etiam in vulgatis: *Ariarathes, Ariobarzani filius*, pro *Ariobarzanis*. Et lib. eodem*: *Non vides ipsum Aristoteli discipulum?* pro *Aristotelis*. Sed & lib. V ad Metellum †, ubi in vulgatis est, *Themistoclis fuga*, vetera exemplaria exhibent *Themistocli*; quemadmodum monet doctissimus P. Victorius castigat. in Ciceronem. Itidem nonnulli codd. Cornelii Nepotis habent in Themistocle; *Neocli filius*. Ac putabat Lambinus eundem, ubi de regibus acturum promittit, *Xerxi* pro *Xerxis* dicere. Verba Nepotis sunt, *Xerxi maximè est illustre.* Sed nihil impedit, quo minùs hic dandi esse casum credamus. Apertius illud Persii sat. IV:

* Milit. Glor. act. 4. sc. Voluptas est quod agas.
† Epist. 1.
‡ Epist. 2.
* Ep. 28.
† Ep. 12.

—— Dic hoc, magni pupille Pericli.

Sed quomodo *Pericli*, *Aristoteli*, & similia, ab recto ES inflectantur? Planè eò inclinat animus, ut credam, quemadmodum Æoles extulere pro Σιμωνίδης, Σιμωνιδεῦς, unde *Simonidei*: ita & Περικλεῦς dixisse, & Ἀριστοτελεῦς: unde *Pericleï*, *Periclei*, *Pericli*; *Aristoteleï*, *Aristotelei*, *Aristoteli*. Sic & dixere Μωυσῆς, & Μωυσεύς. Ab illo est hujus *Moysis*; ab hoc *Moysei*, *Moysei*, *Moysi*. Quo genitivo usus Tertullianus lib. I adversus Marcionem ‡: *Nec enim si aliquantò posterior Moyses, primus videtur in templo literarum suarum Deum mundi dedicâsse; iccirco à Pentateucho natales agnitionis supputabuntur; cùm totus Moysi stylus notitiam creatoris non instituat, sed à primordio enarret, à paradiso, & Adam, non ab Ægypto, & Moyse, recensendam. Denique major popularitas generis humani, ne nominis quidem Moysi compotes, nedum instrumenti, Deum Moysi tamen norunt.* Et pauculis interjectis: *Nec hoc ullis Moysi libris debent.* Idem lib. II adversus eundem: *Qui Christum non agnoscitis in personâ Moysi figuratum.* Et tamen in dativo mox subjicit: *Sed sufficit, si & Moysi propriè donatus est populus ad præsens.* Eodem modo loquitur Sulpitius Severus lib. I hist. sac. & plures alii. Pluscula etiam de hujusmodi genitivis puerum me legere memini in Erythræi indice Virgiliano, voce *Ulyssi*.

‡ Cap. 10.

Porrò præter hasce genitivi terminationes, est & quædam in US à nominibus Græcis in ω exeuntibus, & in

geni-

genitivo ΟΟΣ in ΟΥΣ contrahentibus. Hujusmodi sunt *Calypsus*, *Mantus*, *Didus*, *Sapphus*, *Cotyttus*, pro *Calypsonis*, *Mantonis*, *Didonis*, *Sapphonis*, *Cotyttonis*. Virgil. x Æneïd.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantûs, & Tusci filius amnis.

Ovidius epist. Sapphus:

An nisi legisses auctoris nomina Sapphûs.

Et in I operis de Arte suâ:

Non mihi sunt visa Clio, Cliûsque sorores.

Varro Cosmotoryne:

Didûs atque suum misceri sanguine sanguen.

Quamquam nec desunt, qui præferant *Mantos*, *Didos*, atque ita in aliis. Adscribam hàc de re illustrem locum Joviani Pontani in Actio*: *Audivi non semel, & quidem persanctè jurantem, eruditum apprimè & observantem vetustatis hominem, se complures codices, & Horatii, & Ovidii, & aliorum poëtarum, legisse penè vetustate ipsâ consumtos, in iisque scriptum observâsse, non Cliûs, sed Cliôs; non Didûs, sed Didôs; non Eratûs, sed Eratôs; quod priscis illis temporibus majores nostri genitivis casibus Græco more his in nominibus minime uterentur: cum qui Græcè sunt, Didoos, Eratoos, Clioos, contraherent in O productum, Didos, Eratos, Clios; qui casus Atticè sunt, Didus, Eratus, Clius. At nunc quis est e literatoribus adeò compositis moribus, quin ora sinusque ipsos impudentiùs conspuat, ubi quem aliter locutum senserit?*

* Fol. 100. edit. Aldinæ.

Usitatiùs tamen istiusmodi nomina Latinorum more inflectuntur; ut Priscianus lib. VI ostendit auctoritate Accii, Pacuvii, Plauti, Livii, & Ennii. Eàdem de re ita Fabius lib. I, cap. X: *Nunc recentiores instituerunt Græcis nominibus Græcas declinationes potiùs dare; quod tamen ipsum non semper fieri potest. Mihi autem placet Latinam rationem sequi, quousque patitur decor. Neque enim tam Calypsonem dixerim, ut Junonem; quamquam secutus antiquos C. Cæsar utitur hâc ratione declinandi. Sed autoritatem consuetudo superavit.* Phocam quoque si audimus, non *Didonis*, aut *Didoni*, dicere liceat. Scribit enim: *O literâ finita propria sunt generis feminini, quæ translata in Latinam linguam nihilominus Græcam declinationem obtinent; ut Dido, Manto, Erato, Calypso, Themisto. Declinantur enim hoc modo; hæc Dido, Didois, Didoï, Didoem, ab hâc Didoë. Errant enim, qui Didonis, aut Mantonis, genitivum dicunt: & vocis asperitas, & veterum autoritas, ejusmodi declinationem repudiant.* Verùm Phocæ jure adversatur Sergius, qui in Donat. edit. II scribit, *Dido*, & *Manto*, Græcè, & Latinè, declinari: ut *Dido*, *Didois*; & *Dido*, *Didonis*; *Manto*, *Mantois*; & *Manto*, *Mantonis*. Et Priscianus lib. VII ostendit, hujusmodi, Latinorum more, inflecti posse, quia Pacuvius, & Livius, dixerint, *Calypsonem*; Accius, & Plautus, *Ioni*; Ennius,

—— *Pœnos Didone oriundos.*

Non desunt autem viri eruditi, qui etiam nomina in ES, quæ Græcis sunt primæ contractorum formæ, in US facere putant genitivum: ut *Demosthenus*, quia Græcæ est Δημοσθένους. Ita *Cleanthus* pro *Cleanthis* dixisse censent Varronem Saturâ Menippeâ, Longè fugit, qui suos fugit: *Si ad hunc characterа Cleanthus conveniet, cave attigeris hominem.* Sed puto, Varronem scripsisse Græcè, χαρακτῆρα Κλεάνθους. Etiam in antiquissimo codice reperit præstantissimus vir P. Scriverius:

Solus Praxitelus manus, Scopæve.

Sed unius libri tanta non est mihi autoritas, ut mutare quicquam ausim, vel velim: præsertim cum nullo idoneo auctore probetur, sic veteres locutos: atque ut id fecisset Varro antiquarius, non tamen locum haberet in Martiale, qui verbis utebatur receptis in vulgus: denique ut alibi ita loqui voluisset, hic tamen non fecisset. Nam cur quæso, ubi dicere posset, *Solus Praxitelis manus*, ibi tribus vocibus in US exeuntibus mallet, *Solus Praxitelus manus*? qui numerus minùs est concinnus.

CAP. X.

Dispar quantitas ultima in Latinis, Græcisque Dativis. Dativi pro I quandoque olim accipiebant E. Accusativi tertiæ in Latinis pro EM habentes IM. Ravim, Cucumim, Cannabim. *Flavii Capri error.* Clavim, Aqualim, Cutim, Præsepim, Strigilim, Sementim, Lentim. *In Græcis accusativi desinentes vel in A, aut EM, ut* Hectora, *&* Hectorem: *vel IN, aut IM, ut* Charybdin, *&* Charybdim: *vel in YN, ut* Capyn: *vel in O, ut* Dido, *vel in UN, aut UM, ut* Didun, *aut* Didum. *Vocativi Græci à nominativo venientes, abjecto S.*

DAtivus in I desinit, non in Latinis modò, sed etiam Græcis, hoc solùm discrimine, quòd I in Latinis producitur, ut *Patri*: in Græcis corripitur, ut *Palladi*: uti ostensum, cùm de modulo syllabarum in Græcis ageremus*.

Antiqui videntur Dativos interdum per E extulisse. Catullus Carm. LXII: *Quæ tibi sene serviet.* Quomodo emendat Jos. Scaliger, pro quo in veteri Regiensi † editum est: *Quæ tibi sine fine serviet.* Simile verò ait Scaliger esse illud Lucilii apud Nonium ‡:

Esuriente leoni ex ore exsculpere prædam.

Et Propertii istud *:

Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.

Ejusdem est lib. IV, eleg. VII:

Et quoscunque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi: laudes desine habere meas.

Ut sententia sit, quas laudes meo nomini, hoc est, mihi, scripsisti, eas flammis des peto. Est & Ovidii VI Fast.

In qua par facies nobilitate fuit.

* Lib. 2 de arte Grammatica, quæ est de syllabis, cap. 34.
† An. 1481.
‡ In Exsculpere.
* Lib. 3, el. 5.
Sed vulgo legitur, morte meâ.

Multaque hujus generis observavi: sed pleraque eorum jam congessit Ausonius Popma lib. I de usu antiquæ locutionis cap. IX. Quæ non reponam. Nec in obscuro mihi videtur, cur ita fiat. Solùm cogitemus, quod antè diximus, Græcis etiam dativi & ablativi vocem esse eandem: tum illud item, vicinum admodum sonum esse vocalium E, & I; unde *heri*, & *here* dixerunt; *benevolus*, & *benivolus*; *leber*, & *macester* priùs, quæ postea *liber*, & *magister*, & sexcenta id genus. Ut nihil mirandum sit, si ut ablativi innumeri in E & I exeunt; ita in dativis quandoque terminationem E & I confuderint poëtæ.

Accusativus in plerisque pro EM habet IM. Quomodo tria hæc desinunt, *febris*, *tussis*, *sitis*: ut Plinium scripsisse, autor est Charisius. Sed *febris*, nunc *febrem*, nunc *febrim* facit: *tussis* † verò, & *sitis* ‡, tantùm per IM inveniuntur. Uti & *vis*, *pelvis* *, *buris* †, *amussis* ‡, *ravis*, *cucumis*, *cannabis*. De tribus postremis (quæ plerique omittunt) laudabo autores. Plautus Aulul. *

Ubi siquid poscam, ad ravim poscam prius,
Quam quicquam detur.

Ejusdem Comici est:

Expurgabo hercle omnia ad raucam ravim.

Qui locus a Nonio adducitur è Plauti *Cistellaria*; ut quidem non in Aldinâ modò, & illâ Junii, ac Merceri, sed & membranis nostris invenimus. Verùm frustra ibi hodie quæras. Ut dubium non sit, quin pro *Cistellaria*, legi debeat *Clitellaria*, quæ aliter *Astraba*. Nam ἀστράβη, *clitella*. *Astrabæ* meminere Varro, Probus, Gellius, Festus, Nonius. *Clitellariæ* imprimis Nonius; sed vox in *Cistellaria* corrumpi solet. De *ravis* satis. De aliis nunc auctores laudemus. Plinius lib. XX, cap. I: *Cucumim vocant.* Et ibidem: *Cucumim silvestrem.* Varro lib. I de R. R. cap. XXXIII: *Sic ubi cannabim, linum, juncum, spartum &c.* Atque hinc obiter liquet error Capri de verbis dubiis scribentis: *Cannabe hoc, non cannabis.* Nam à recto *cannabe* in quarto casu *hoc cannabe* foret: uti a *cannabes*, *cannabis*, *cannabem*; quod non memini me legere. Uti nec *securem*; sed tantùm *securim*. At tum

† Catull. carm. 45. Propert. lib. 4. el. 5. Plin. lib. 20, cap. 4. 5, & alibi.
‡ Maro ecl 1, & Martial. sæpe.
* Laberius. & Cæcilius, apud Non. in Pelvis.
† Maro 1 Georg.
‡ Gell. lib. 1, cap. 4. & Varro apud Non.
* Act 2, sc. Tace nunc.

tum EM, tum IM habent, *clavis*, *aqualis*, *turris*, *navis*, *puppis*, *reſtis*. *Clavem* eſt apud Tibullum*: at *clavim* dixit Plautus Moſtell.†

—— clavim mihi harunce ædium Laconicam
Jam jube efferri intus.

Sed & *aqualim* eſt apud Plautum Curcul.‡ *Turrem* quoque dixit Maro Æneid. II:

Turrem in præcipiti ſtantem.

Ita enim legit Chariſius. At alibi videtur ſcripſiſſe *turrim* per I: ut & Chariſius innuit, & Pierius ex antiquis codicibus obſervavit. *Navim* quoque v Æneïd. in antiquis codd. legi, idem prodit: quamquam Varro apud Chariſium *navem* per E proferre jubeat. *Puppim*, & *reſtim*, uſitatiùs dicitur. Sed tamen per EM quoque efferuntur. *Puppem* enim eſt apud Lucanum*, & Statium†: *reſtem* eſt apud Plin. lib. XVII, cap. X. Etiam *cutem* invenias, & *cutim*. Illud eſt apud Celſum lib. I, cap. IV, & Cælium Aurelianum lib. I χρονίων, cap. I. Hoc legas apud Quinctilianum lib. X, cap. II. *Sufficiat imaginem virtutis effingere, & ſolam, ut ſic dixerim, cutim.* Appulejus in Apolog. *Pectoris enim primorem cutim vitiligine inſignit.* Etiam à recto *præſepis*, *præſepim* dixit Plautus Curculione‡: *Quin recipere ſe huc viſum ad præſepim ſuam.* Ita legit Nonius, pro quo in multis *ad præſepe ſuum*: quæ lectio numeris adverſatur. *Strigilim* etiam fuit apud Lucilium*: uſuſque copiſe modo Nonius† Grammaticus. *Sementim* dixit Cato‡. Item *lentim*; quo & uſus Varro*. Et *gummim*, ſeu *cummim* eſt apud Catonem de R.R. *Cummim pridie in aquam infundito.* Sic & *ſinapim* dicit Columella. In hujuſmodi autem accuſativis imprimis ſonitum vocis, quam εὐφωνίαν vocant, attendebant: ut Probus Valerius ait apud Agellium lib. XIII, cap. XIX.

* Lib. 2, el. 4. ut mune codices habent: ſed Chariſius clavim iſtic legit.
† Act. 2, ſc. Jupiter ſupremus.
‡ Act. 2. ſc. Date viam mihi noti atque ignoti.
* Lib. 3, verſ. 545. juxta Priſc.
† Lib. 2 Silv. carm. in Surrentinum Pollii.
‡ Act. 2, Sc. Migrare certum eſt.
* Apud Chariſ.
† In Strigilim.
‡ De re R. cap. 27.
* Apud Soſipat.

Et hæc tum Latina ſunt, tum communia. Videamus de Græcis, quæ fere propria ſunt. In his Græcam non rarò terminationem ſervant Latini: ut *Hectora*, *Amaryllida*, *Gnoſida* &c. Quæritur igitur, an & *Ajaca* ſimiliter proferri poſſit. Id verò negamus, quia Græcè ab Αἴαντος ſit Αἴαντα, Latine ab *Ajacis*, *Ajacem*. Itidem *Ajacen* pro his nec Græcum ſit, nec Latinum. Apud Alciatum tamen editum eſt embl. CLXVII:

Bellorum cepiſſe ferunt monumenta viciſſim
Scutiferum Ajacen, Hectoraque Iliacum.

Video ita ſcribi ad vitandum hiatum. Sed ſatiùs ſit *Ajacem* reſcribere, ut ſynalœpha negligatur, quod ſæpe faciunt poëtæ. Nempe non eſt utendum illis in A, niſi in planè Græcis. quale non eſt Ajax, cum Græcè ſit Αἴας. Ita dixit Petronius: *Neque Platona, neque Demoſthenem, ad hoc genus exercitationis acceſſiſſe.* Imprimis verò gaudent iis Poëtæ. Martialis lib. X, epigr. XIX:

Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.

Sic idem Martialis, *elephanta*, *Babylona*, *Rhinocerota*, *giganta*, *Rhetora*.

Difficulter tamen invenias accuſativos hujuſmodi à maſculinis deſinentibus in IS. Quid mirum? quando Græcis etiam frequentiora ſunt, Πάριν, Ὄσιριν, Ἄδωνιν, Ἆπιν, quàm Πάριδα, Ὀσίριδα, Ἀδώνιδα, Ἄπιδα. In femininis vero paſſim occurrunt. Sic Maro dixit *Amaryllida*, & *Phyllida*. Et Statius Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

—— Si curvo (ita legendum ex Mſ Senenſi, pro quo in vulgatis eſt, *ſecura*) *in litore Naxi*
Theſeum juxta foret hæc conſpecta cubile,
Gnoſida deſertam profugus liquiſſet & Euan.

Sed multò uſitatiſſimi ſunt accuſativi Græci in IN: ut, *Daphnin*, *Charybdin*, &c. Ovidius in IV de Ponto, eleg. X ad Albinovanum:

Nec potes infeſtis conferre Charybdin Achais.
Ter licet epotet, ter vomat ille fretum.

Eſt tamen, cùm & à Græcis in IS Latini ſuos formant accuſativos per EM; ut *Paridem*: quamquam Henricus Stephanus, libello de Abuſu linguæ Græcæ, tradat, *Parin* dici debere: aliumque accuſativum ad eum uſque diem oculos ſuos fugiſſe, tam apud Latinos, quàm Græcos, agnoſcat. Sed ipſius Maronis eſt in quincto:

Solus qui Paridem ſuetus contendere contra.

Et Juvenalis ſat. VI*:

Utque magis ſtupeas, ludos, Paridemque reliquit.

Uſus & declamator vetus in epiſtolâ nomine Ciceronis ad Octavium ſcriptâ.

Ac ſimiliter dixit Tranquillus in fine libri VI: Perſius quoque ſat. I†, ait,

Iratum Eupolidem prægrandi, cum ſene palles.

Accuſativi verò per IM longè ſunt uſitatiores: ut *Charybdim*, *Syrtim*, *Memphim*, &c. Cicero III de Oratore: *Deinde videndum eſt, ne longè ſimile ſit ductum. Syrtim patrimonii, ſcopulum libentius dixerim: Charybdim bonorum, voraginem potiùs.* Tacitus IV Hiſtor. *Sedem, ex quâ tranſierit, Memphim perhibent.* Apud Maronem Ecl. II. alios codices *Daphnim*, alios *Daphnin* habere, ſcribit Pierius. Idem in cod. Romano, *Alexin*, verſu ultimo legi ait. Sunt & apud Maronem, *Thyrſim*, *Parim*, *Irim*: quæ tamen per N quoque ſcripta inveniuntur in aliis codd. IX Æneïd.

Irim de cælo miſit Saturnia Juno.

Lucanus *Iſim* itidem dixit lib. VIII:

Nos in templa tuam Romana recepimus Iſim.

Martialis lib. XII, epigr. LII:

Abſolvit Phrygium veſtra rapina Parim.

* Verſ. 84.
† Verſ. 124.

In accuſativis nominum in IS, vel YS, quandoque etiam labi cernas doctiſſimos viros; dum ea, quæ tantùm per A, aut per IN duntaxat, efferuntur, non ſatis diſtinguunt ab iis, quæ utramque habent terminationem. Per A tantummodo à Græcis; à Latinis ſolùm per A, vel EM, terminantur ὀξύτονα: ut Λαΐς, Λαΐδος, Λαΐδα. *Lais*, *Laidos*, *Laida*, vel *Laidem*: non *Lain*; quod video viro docto excidiſſe. Sic Θηβαΐς, Θηβαΐδα· *Thebais*, *Thebaida*, vel *Thebaidem*: non *Thebain*; quo & ipſo utitur nonnemo in notis, quibus Papinium* illuſtravit. Simile χλαμὺς, χλαμύδα· *chlamys*, *chlamydos*, *chlamyda*, vel *chlamydem*: non *chlamyn*. Diſpar ratio Barytonorum in IS, & YS, non purè declinatorum: cujuſmodi quarto caſu in A, & N, exeunt. Ut Μαιῶτις, Μαιώτιδα, & Μαιῶτιν· *Mæotis*, *Mæotida*, *Mæotidem*, *Mæotim*, & *Mæotin*. Sic non tantùm *Serapidem* dicimus, quod apud Tertullianum in Apologetico; ſed &, *Serapim*, *Iſimque*, apud Tullium legas in III de Natur. Deorum; & *Serapin*, apud Martialem lib. IX, epiſt. XXX. Simile quoque, *Paris*, *Paridem*, *Parim*, vel *Parin*: ut antè vidimus. Purè verò declinata, ſeu illa barytona, ſeu oxytona fuerint, N habent, non A. Ut *geneſis*, hujus *geneſios*, vel *geneſis*, *geneſin* vel *geneſim*. *Apocalypſis*, *apocalypſios*, vel *apocalypſis*, *apocalypſin*, vel *apocalypſim*.

* Bernartius in Theb. Papin. pag. 146.

Nomina fluviorum in IS exeuntia per IM efferuntur; ſive Latina, ſive à Græcis, aut barbaris, accepta. Ita apud Maronem legas, *Tiberim*†, *Tibrim*‡, *Ararim**, *Tigrim*†, *Fabarim*‡, *Athesim**. Apud eundem†, & Horatium‡, ac Senecam*, *Tanaim*. Similiaque, *Ligerim*, *Batim*, *Halym*. Cæſar lib. VII de bello Gallico: *Cùm ad flumen Ligerim veniſſet.* Plin. lib. IV, cap. XVIII: *Flumen clarum Ligerim.* Livius lib. XXVIII: *Cùm hæc ad Bætim fluvium geruntur.* Ac ſimiliter Hirtius de bello Alexandrino: item de Hiſpanienſi. Cicero in ſecundo de Divinat.

Cræſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Ubi tamen in antiquiſſimâ omnium Ciceronis editione, *Halyn* invenio, more Græco. At magis inſolens, quod Martialis *Bætin* dixit lib. IX, epigr. LXII:

Quæ dives placidum Corduba Bætin amat.

Nempe metri gratiâ Græcos imitatur in voce non Græcâ. In proſâ igitur *Bætim* dicendum. Ita Germaniæ fluvium *Albim*, vocamus. In verſu tamen puto, *Albin* non minùs, quàm *Bætin* permittitur. Etiam alia exeunt in IM. Ut *Syrtim* apud Lucanum†: *Leucaſpim*‡, & *Opim** Maroni.

† 7 Æn.
‡ 8 Æn.
* Ecl. 1.
† Ibid.
‡ 7 & 9 Æn.
* Ibidem.
† 4 Georg. & 12 Æn.
‡ Od. 10, lib. 3. od. 15. lib. 4.
* ſat. 1, lib. 1.
* Agamemn.
† Lib. 1 & 8.
‡ 6 Æn.
* 11 Æn.

Atque hæc propria. At in communibus etiam hanc terminationem reperias. Nec ignoro esse, qui Græca tantùm per *in*, non per *im*, petunt efferri. Sed Plauti est Rudente *, *magydarim*. Uti & Plinii lib. XIX, cap. III. Nempe ut μαγύδαριν Theophrastus Hist. Plant. lib. VI, cap. II, & Dioscorides lib. III, cap. XCIV. Simileque *mephitim*. Maro in VII:

—— Sævamque exhalat opaca mephitim.

Item *tigrim*. Nam ut à *tigris*, *tigridis*, est *tigrida*, vel *tigridem*; ita à *tigris*, hujus *tigris*, est *tigrim*, vel *tigrin*. Ut IX Æn.

Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.

Par ratio in *phrenitim*. Ut apud Cælium Aurelianum in proloquio libri de morbis acutis: *Phrenitidem esse alienationem mentis celerem.* Et cap. I, lib. I: *Secundùm nos itaque declivitatis atque pronæ ægritudinis in phrenitim signum recte nuncupatur.* Et initio cap. III: *Intelligimus phrenitim ex toto signorum concursu.* Et alibi sæpe.

Ut Ἄθως τὸν Ἄθω, ita & Latinis. Maro I Georg.

Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia cælo
Dejicit.

Sed hoc ad secundam pertinet. In tertiâ verò dicitur, *Atho*, *Athonis*. Quemadmodum superiùs † expoluimus.

Nomina in YS sæpius in YN desinunt: ut *Capyn*, *Tethyn*, *Cotyn* &c. Maro I Æn.

Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.

Martialis lib. IX, epigr. CIV:

Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
Disce, Libyn domitus, aurea poma tulit.

Et lib. X, epigr. LI:

Ismarium pellex Attica plorat Ityn.

Quod & apud Senecam est in Agamemnone ‡:

Ityn in varios modulata sonos.

Sic *Erynnys*, *Erynnyn*, non *Erynnya*.

Nomina quartæ contractorum faciunt apud Latinos accusativum quoque per O. Maro Æn. IV:

Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum.

Et manifestiùs illo ejusdem in VII: *Luctificam Alecto.* Et apud Varronem Sat. Menipp. *Age modo: Argo citiremem.* Item apud Ovidium, epistolâ Didûs ad Æneam:

Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido.

Simileque hoc Silii lib. VIII:

Terque suam Dido, ter cum clamore vocârat.

Est & apud Ovidium lib. IV de Ponto, eleg. X:

An grave sex annis pulchram fovisse Calypso,
Æquoreæque fuit concubuisse Deæ?

Et apud Martialem lib. VII, epigr. LXVIII:

*Carmina fingentem Sappho laudavit * amatrix.*

Ovid. epist. Med.

Cur unquam Colchi Magnetida vidimus Argo?

Dido quoque *Didun* facit. Ita Atteius Philologus, teste Charisio, edidit librum, cum inscriptione hujusmodi: *An Didun amaverit Æneas.* Ubi tamen quidam legunt, *Didum*, per M: quod & in nonnullis Maronis codicibus invenimus. Malim ego *Didun*. Nam Iones accusativos quartæ contractorum per ῦν efferunt. Itaque pro τὴν Σαπφώ, Σαπφῶ, vel Σαπφοῦ, dicunt Σαπφοῦν. Sic Διδώ, Διδῶ, vel Διδοῖ, & Ionicè Διδοῦν. Nec Latinam terminationem respuo. Nam etsi & in genitivo *Didus*, & in accusativo *Dido*, vel *Didun* dicatur: tamen cur non illic *Didonis*, hic *Didonem* dicere liceat, cùm in dandi casu *Didoni*, in ablativo *Didone* cogamur uti? Ut si velim dicere Herodotus ἐν Κλιοῖ, non possum aliter, quam *in Clione*. Quomodo & Ennius dixit, —— *Pœnos Didone oriundos.* Pluribus de hoc Henricus Stephanus Appendicis suæ ad Varronem de analogia cap. XXIV.

De accusativo satis diximus. Nunc præcipua de vocandi casu adferemus. Ubi ordine videbimus de terminatione Græca in ΑΣ, ΗΣ, ΙΣ, ΥΣ, ΟΥΣ: ac postremò etiam de propriis in Ω.

Propria in ΑΣ, Græcè flexa per ΝΤΟΣ, desinunt in A. Virgil. XI Æn.

Non hæc, ô Palla, dederas promissa parenti.

Seneca Troade:

Effare, Calcha, nosque consilio rege.

Nisi magis placet, ut dicitur *Æneas*, *Ænea*, ô *Ænea*: sic dici *Calchas*, *Calcha*, ô *Calcha*. Sanè *Calchas* olim primæ; unde *cum Calcha*, pro *cum Calchante*, apud Plautum Menæchmis †. Sed *Pallas* non memini me legere in prima. Eo lubentiùs iis astipulor, qui & *Calcha* tertiæ putant. Nec obstat, quòd Græci vocativos formant ablato ΤΟΣ: ut Αἴας, Αἴαντος, ὦ Αἶαν. Nam poëticè dicitur ὦ Αἴα. Sic ὦ Θόα, ὦ Λαοδάμα, ὦ Πολυδάμα. Simile igitur fuerit *Calcha*.

Propria in ΗΣ quando Græcis sunt quintæ, sive Latinis tertiæ, faciunt vocativum in ES: ut ô *Socrates*, ô *Chremes*. Sic vetus Poëta apud Ciceronem III de Orat.

—— Vive Ulysses, dum licet.

Nec obstat, quòd etiam dicatur, ô *Socrate* ‡, ô *Chreme* *. Sunt enim illa primi ordinis: ut ô *Achille*, *Ulysse*: de quibus in prima vidimus. Solùm hic adferam locum Prisciani in VI: *Ne mireris, siquando apud Latinos legeris, ô Socrate. Nam Attici propria nomina primæ declinationis contractorum, ut Σωκράτης, accusandi & vocandi casu instar nominum primæ declinationis declinant, τὸν Σωκράτην, ὦ Σωκράτη.*

Verùm unde est vocativus *Hercule*, pro *Hercules*? Ut apud Plautum Rudente *:

Sed ô Palæmon, sancte Neptuni comes,
Quique, Hercule, illi socius esse diceris.

Nec dubium, quin *hercle* sit ex *Hercule*. Nempe vocativus est in adverbium degenerans. Credat aliquis, esse ab *Herculus*, quia in gloss. vett. sit *Herculus*, Ἡρακλῆς. Non desunt etiam, qui eo illud firmatum eant, quòd *Herculi* in patrio casu dicatur pro *Herculis*. Quomodo apud Plautum in Mssis legas eâdem comœdiâ †:

Jam hoc Herculi est, Veneris fanum quod fuit.

Sed sic versus, qui senarius esse debet, claudicabit: eoque vel *Herculis* retinendum, ut *jam hoc* sit jambus, *Herculis* verò pedem constituat secundum: vel si *Herculi* magis placet, post *Herculi*, *hercle*, librarii incuriâ exciderit; quod Jano Grutero nostro non displicuit. Sed quicquid est de Plautino hoc loco; *Herculi* pro *Herculis* dici, ex Varrone, & Plinio, antea ostensum nobis. Verùm addebamus, ab Ἡρακλέος esse *Herculeus*, inde *Herculei*, *Herculei*, *Herculi*. Quare & puto, *hercule* esse κατ' ἀποκοπὴν ex Ἡρακλεῦ. Vel, si malis, simili apocope dixeris esse ab Ἡρακλεες.

In propriis nominum in IS, more Græco abjicitur S. Ut *Mæri*, & *Daphni*, apud Maronem IX Ecl. Et X Æn. *Iri decus cæli.* Sic *pari*, *Tyndari*, *Thai*: quod apud Martialem. Sed apud Terentium sæpe ô *Thais*; sive more Atticorum, sive Latinorum; ut, ô *civis*. Ac similiter idem Comicus, ô *Mysis*.

A *Simois* quoque est *Simoi*, ut Græcis, Σιμόεις, ὦ Σιμόεί: cui simile χαρίεις, ὦ χαρίεί.

Etiam S abjiciunt propria in US, & ΥΣ. In US, ut *Melampu*. In YS, ut *Capy*, *Coty*.

Sed de *Melampu* scrupulum injicit, quòd πούς, unde Μελάμπους, faciat ὦ πούς. Verùm non semper composita sequuntur flexionem simplicis. Et ajunt Grammatici, ὦ πούς dici, ne confundatur cum adverbio ποῦ. Quæ ratio cessat in compositis, ubi nihil periculi ab ὁμωνυμίᾳ. Denique alia propriorum, quàm communium ratio est. *Melampus* autem nomen est proprium ejus, qui Prœtides furore liberavit. Quod vocabulum *Melampu* facere, ostendit hoc Statii Papinii in III Theb.

—— Illum, venerande Melampu,
Qui cadit, agnosce.

Græca in O quartæ contractorum, etsi Græcè habeant OI, ut ὦ Λητοῖ, Latinè tamen in O semper desinunt: ut, ô *Dido*, ô *Sappho*; sive id more fiat Latino, sive Attico.

* Act. 3, sc. 2.
† Cap. 7.
‡ Vers. 668.
* Al laudarit.
† Act. 5, sc. Nimis stultæ.
‡ Cic. in Protagora.
* Terent.
* Act. 1, sc. 2.
† Rud. act 3, sc. 5.

Cap. XI.

Ablativi in I tantùm desinentes. Capye, *&* Capy; Atye, *&* Aty. *Dores in talium genitivo, & dativo, auferre OS, & I. Julii Cæsaris sententia refellitur de ablativis neutrorum in E.* Præneste, Reate, *& similia propria, casu auferendi.* Mare, *pro* mari. Gausape *in casu sexto. Hac retis, unde ablativus* rete. Laqueare, *eopse casu.* Tricuspis, *&* cognominis, *in E formant ablativum.* Memoris, *pro* memor. Affinis, rivalis, *& similia, pro adjectivis habenda. Item* bipennis, annalis, triremis, *& quædam alia.* Familiare, ædile, patruele, sodale, rivale, trireme, natale, volucere, *casu sexto. Ninivita lapsus. Ablativi* cæleste, bimestre, letale. *Seneca tragico lux. Ablativi* humile, incolume, contubernale, nobile, Vestale. *Plinius, & Charisius, refelluntur; qui nominum in IS ablativos in E, de homine; in I, de re existimant dici. Propria in E solùm formare hunc casum.* Juvenalis, *pro* juvenilis. *Prisciani, & juniorum lapsus, credentium* October, *similiaque, ex* imber *componi.* Faber, Mulciber, tuber, *unde veniant. Non omnia, quorum accusativus in* im *vel in* em, *ablativum in I facere.* Bæte, site, cannabe, Atare. Canali, strigili. Plure. *Alvarez refellitur.*

A Vocativo nunc vocor ad auferendi casum: qui vel E est, vel I: si exceperis in YS exeuntia, quæ in E, vel Y exeunt. Ut *Capys, Capye,* vel *Capy: Atys, Atye,* vel *Aty.* Livius lib. I: *Latino Alba ortus, Albâ Atys, Aty Capys, Capy Capetus.* At idem lib. XXXVII: *Capuam ab duce eorum Capye appellatam.* Similiter lib. XLII: *Ipse cum Cotye Thessalonicam est profectus.* Nempe *Capye* dicitur, more Latino, quibus dativus *Capyi:* imò & Græcis τῷ Κάπυι, linguâ communi. At *Capy*, exemplo Dorum, quibus illa in YS declinantur ἰσοσυλλάβως: ὁ Κάπυς τοῦ Κάπυ, pro Κάπυος, τῷ Κάπυ, pro Κάπυι.

De nominibus in I solùm terminatis, quatuor se offerunt canones. Quorum primus est de neutris in E, AL, & AR. De illis in E, sic Charisius in I: *Omnium nominum, quæ sunt neutri generis, & in E terminantur, ait Plinius, Cæsarem scisse, eosdem esse ablativos, quales sunt dativi singulares.* Sed quod magnus ille Cæsar generatim sciscebat, restringi oportet ad communia sive appellativa in E: *cubile*, ab hoc *cubili: aplustre*, ab hoc *aplustri.* In propriis enim secus reperias. Ut *Præneste.* Maro in VIII:

—— *Præneste sub ipsa.*

Scio, Servium putare; esse hoc à recto *Prænestis:* atque id colligere ex eo, quia alioqui dicendum esset, *sub Prænesti ipso.* Verùm de genere non tanti est, quia *ipsa* dicitur κατὰ σύνθεσιν, respiciendo ad generale vocabulum, quod est *urbs.* Nec majoris est momenti, quod de terminatione E objectant. Nam semper in ablativo *Præneste* dicitur, nunquam *Prænesti.* Horat. lib. I, epist. II:

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi.

Ac similiter Cicero epist. II, lib. XII ad Att. *Ludi interea Præneste.* Livius lib. III de bello Punico: *Statua ejus indicio fuit Præneste in foro statuta.* Item Juvenalis sat. III. Qua de re & diximus libro superiori*. Sic *Cære, Reate, Bibracte.* Livius lib. I: *Cære, opulento tum oppido imperitans.* Lib. V: *Reate saxum ingens visum volitare.* Cæsar lib. I de bello Gallico: *A Bibracte, oppido Æduorum longè maximo ac copiosissimo.* Nam id esse à *Bibracte*, indicio est, quòd mox subjicit: *Iter ab Helvetiis avertit, ac Bibracte ire contendit.* Parque ratio in *Nepete, Soracte,* ac propriis aliis.

* Cap. 12.

Imò in communibus quoque sive appellativis canona hunc sæpe transiliunt antiqui. Nam Ovidius *mare* quoque in ablativo dixit lib. V Trist. eleg. II:

Exiguum pleno de mare demat aqua.

Et Ponti lib. IV, el. VI:

—— *Euxino de mare vertet iter.*

Item in Ibin:

—— *Frondes ut siquis in Idâ,*
Et summam Libyco de mare carpat aquam.

Imò & Varro Atacinus† antè dixerat:

Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

† Apud Charisium.

De Africâ sermonem fuisse, apparet. Item Terentius Varro lib. XII Antiq. Hum. *Ab Erythræo mare orti.* Et in Fundanio: *In mare aquam oriri.* In plurimis quoque Plauti codd. Cistell. I, I. legitur, *Tranquillo mare,* non *mari.* Ejusdem est Mil. Glor.‡

Maris caussâ hercle isthoc ego oculo utor minùs.
Nam si à mare abstinuissem, tamquam hoc uterer.

‡ Act. 4 Sc. Si nullum alio pacto.

Quo loco luditur ambiguitate pronunciationis, quia Pleusides *amare* intelligebat: at *à mare* intelligi volebat à fatuo milite. Hanc ejus loci sententiam esse monuit J. Lipsius, & ante eum Cælius, sed Secundus: atque adeò tertius potiùs. Nam etsi primum id se observâsse scribat Antonius Muretus lib. III Var. Lect. cap. XVII: tamen ne is quidem, quod hic se jactet adversus Cælium Curionem magnopere habet, cùm eâ super re, ante seculum & amplius, contenderit Vgoletus cum Saraceno, & Baptistâ Pio. Quæri possit, an non similiter oratores, & historici loquantur. Sanè in plerisque codd. apud Curtium lib. V legas: *Medus à mare ad meridiem versus, minor amnis eo, quem accipit, evehitur.* Sed vera lectio est, *ad mare*, ut est in Aldina, & ea, quam Hadrianus Junius recensuit.

Imò quædam non aliter, quàm per E, efferuntur: ut *gausape.* Quod in recto pariter, & in auferendi casu usurpat Plin. lib. VIII, capite XLVIII. Rectus est his verbis: *Antiquis enim torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris gausape.* Sententia est, Olim torus è stramine, nunc torus villosâ gausapa; ut vocat Martialis libro XIV, epigr. CXXXVIII:

Nobilius villosa tegant tibi gausapa citrum.

Ablativus est paullò post: *Nam tunica, lati clavi in modum, gausape texi nunc primùm incipit.* Dixeris, ablativum *gausape* esse à recto *gausapis.* Verùm obstat, quòd hæc *gausapis* non legatur: sed hæc *gausapa*, & hoc *gausape*, vel *gausapum*; ut monstratum libro superiori*.

* Cap. 35.

Contra sunt alia, quæ frustra excipiant. Ut *rete:* quod ablativo etiam in E exire, comprobant partim illo Plauti in Persâ†: *Albo rete aliena oppugnare bona:* (qua de allegoriâ Ivo Villiomarus, sive Jos. Scaliger adversus Titium‡) partim Ovidii istoc in V Fastorum:

† Act. I, sc. 2.
‡ Lib. 10, cap. 23.

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus?

Verùm ablativus iste est à recto *retis*, quo usus Plautus Rudente*:

Non vides referre me uvidum retem sine squamosu pecu.

* Act. 4. Sc. Heus mane.

Ita enim legit Priscianus. Et certè paullo pòst subjicit Plautus:

Ubi demisi retem, atque hamum, quicquid hæsit, extraho.

Sic, uti superiùs ostensum, *præsepis*, & *præsepe*, dixere. Ab illo ablativus *præsepe* erit: ab hoc autem, *præsepi.*

A neutris in AL, (quæ per apocopen facta ex *ale*; ut *animal* ex *animale*†; *autumnal*‡ ex *autumnale*) abit *sal*, quod *sale* facit. Sed hoc excipi, eo minùs mirandum, quia sæpius virile est, quàm neutrum. Ut mittam, quòd penultimam corripit, contrà quàm fit in *animali*, & similibus.

† Lucret. lib. I.
‡ Varro apud Charisium lib. I.

De neutris in AR ita Charisius in primo: *Plinius ait, inter cætera etiam istud Cæsarem dedisse præceptum, quòd neutra nomina AR nominativo clausa, per I dativum ablativumque singulares ostendant. Jubar tamen, & far, ab hac regula dissidere. Nam huic jubari dicimus: ab hoc jubare dicendum est. Sicut Maro*, It portis jubare exorto. Ut huic farri, & ab hoc farre.* Mallem Cæsar dixisset, neutra in *ar* habere I, si penultimam naturâ producunt: ut *hoc calcari, hoc torculari.* Nam si ea sit positione longa, habere E; ut *far, farre:* item si ea fuerit bre-

* 4 Æn.

brevis: quale non solùm est *jubar*, ut Cæsar putâsse videtur; sed & *nectar*, & *hepar*; quæ iccirco faciunt, *nectare*, & *hepate*. Eoque nec *lucari*, sed *lucare* dicendum.

Imò quandoque etiam Poëtæ E dicunt, ubi penultima naturâ est longa. Ut à recto *laquear* hoc *laqueare*. Maro in Culice:

—— Si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum.

Alter canon est de adjectivis in IS, & ER: ut *fortis*, *hoc forti*; *acer* hoc *acri*. Quæ quid mirum, ablativum facere per E, quando neutra eorum in E desinunt: eoque juxta canona primum requirunt I? Si enim neutrum in E non desinat, nec ablativus in I terminabitur. Ut in *tricuspis*. Ovid. I Met.

—— Positoque tricuspide telo
Mulcet aquas rector pelagi.

Item in *cognominis*. Maro in VI:

—— Gaudet cognomine terrâ.

Quod temere mutarunt: adeò ut Pierius scribat, se in antiquis omnibus exemplaribus, quæ potuerit nancisci, *terra* invenisse: quomodo *cognomine* non adjectivum fuerit, sed substantivum.

* Lib. 7. Ad adjectiva in IS rectè à Prisciano* etiam referuntur *memor*, & *immemor*: quippe eò auferendi casu in I exeunt, quia recto olim *memoris*, & *immemoris*, dicebatur. Cæcilius Epiclero:

Itane Antipho (est †) *inventus profluviâ fide?*
Itane est immemoris? itane est madidâ memoriâ?

† Est versus caussa additus, quem senarium esse convenit.

Etiam huc pertinent adjectiva quædam in *is* substantivè usurpata. Ut sunt, *affinis*, *rivalis*, *familiaris*. Cicero libro I de Oratore: *Ita si de re militari dicendum huic erit Sulpicio, quæret à C. Mario affini nostro, & cùm acceperit, ita pronunciabit, ut ipsi Mario penè hic melius, quàm ipse ille, scire videatur.* Lib. III ad Quinctum fratrem: *Pompejus planè se negat velle: antea ipse inibi non negabat. Hirrus autor fore videtur. O dii quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali!* Horat. in Arte:

Quin sine rivali teque, & tua, solus amares.

Cic. lib. II de Divinat. *In Æsopo familiari tuo.* Item initio Philipp. II: *An ego non venirem contra alienum pro familiari, & necessario meo?* Brutus ad Cæsarem: *A Sceptio, familiari meo.* Eadem ratio in *contubernalis*, *popularis*, etiam *sodalis*, quod ab unà *sedendo*, naturâque adjectivum. Cic. II de Orat. *Pro meo sodali.* Item *adilis*. Plinius lib. VII, cap. XLVIII. *A M. Pomponio, Ædili plebis.*

Nec in iis id solùm habet locum, quæ de homine dicuntur: sed etiam, ubi respicitur res. Ut in *bipennis*; ubi *securis*, aut simile intelligitur. Maro lib. XI:

—— Ferro sonat alta bipenni
Fraxinus, evertunt actas ad sidera pinus.

Ubi *ferro bipenni* dixit, ut Varro *securim bipennem*. In *annalis* intelligitur *liber*. Ablativo usus Cicero lib. XII ad Att. epist. XXIV: *Quibus consulibus Carneades, & ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali.* Idem in Bruto: *Est igitur sic apud illum* (Q. Ennium) *in nono, ut opinor, annali.* Similiter Cornelius Nepos in vita Annibalis, & Agellius lib. VI, cap. IX, & lib. XI, cap. XIV. Varro per EI, *annalei*: ut Charisius probat istoc ex lib. VI epistolicarum Quæst. *Eclogas ex Annalei descriptas.*

Sic *biremis*, *triremis*, *quadriremis*, & similia, ubi intelligitur *navis*. Suetonius in Tiberio*: *Triremi usque ad proximos naumachiæ hortos subvectus est.* Eodemque modo Horat. lib. III, od. I. *Quadriremi* est apud Tullium Verr. V: *quinqueremi*, Verr. VI. In *Natalis* intelligitur *dies*. Cicero lib. II de Divinat. *Chaldæis in prædictione, & in notatione cujusque vitæ ex natali die minimè esse credendum.* Similiter lib. VII ad Att. epist. V, & lib. IX ad eundem, epist. IV.

* Cap. 72.

Cæterum, quia hujusmodi quodammodo naturam substantivorum induêre: inde est, quòd more substantivorum etiam in E formant ablativum. P. Rutilius lib. III de vita sua †: *Pro L. familiare veniebam.* Varro ad Neronem: *A Lare familiare.* Idem in II de Originibus Scenicis: *A Claudio Pulchro ædile.* Citat Charisius: atque addit, similiter *ædile* scripsisse P. Rutilium lib. V de vita sua. Cornelius Nepos, lib. XVI illustrium virorum ‡: *A fratre patruele.* Plinius lib. II, epist. XIII: *Quid enim aut illo fidelius amico, aut sodale jucundius?* Et ne de lectione hâc ambigat quisquam, Martialis quoque est lib. I, epigr. CVII:

† Apud Charis.

‡ Apud Charis.

Interponis aquam subinde, Rufe,
Et si cogeris à sodale, raram
Diluti bibis unciam Falerni.

Ovid. I Amorum, eleg. VIII:

Ne securus amet, nullo rivale caveto.

Et de remed. amoris, lib. II:

Hunc quoque, quo quondam nimium rivale dolebas.

Similiter in iis, quæ de rebus dicuntur. Ut apud Cæsarem lib. II de bello civili est: *Appulsâque ad proximum litus trireme constratâ, & in litore relictâ.* Pro *triremi*. Et apud Lucanum lib. VII, *natale*, pro *natali*:

—— Gentes Mars iste futuras
Obruet, & populos avi venientis in orbem
Erepto natale feret.

Item *volucre* pro *volucri*. Plinius lib. IX, cap. VII, de delphino: *Ocior volucre, ocior telo.*

Imò & adjectiva, quæ non usurpantur substantivè, apud Poëtas ablativum faciunt per E. Quod Ninivita, & alii plerique, adstructum eunt illo Ovidii in III Fastorum:

Amne perenne latens Anna Perenna vocor.

Sed *perenne* hic est adverbium, ut Columellæ quoque lib. XII, cap. XVIII: nempe ut *æternùm* crebrò sumi solet. Accommodatius illud XV Metam. Fab. L:

—— Et finem, specie cæleste resumtâ,
Luctibus imposuit.

Et epistolâ Paridis:

Hoc mihi (nam recolo) fore, ut à cæleste sagittâ
Figar, erat verax vaticinata soror.

Et in IV Fast.

Extaque de porcâ cruda bimestre tenet.

Sic *letale ferro*, pro *letali*, dictum puto à Senecâ, extremo Hercule Fur.

Letale ferro pectus impresso induam.

Nam ut *induere se veste* dicimus: ita & *induere pectus ferro letali.* Simile est Nasonis hoc lib. II de Am. El. X:

Induat adversis contraria pectora telis
Miles, & æternum sanguine nomen emat.

Charisius quoque in primo citat ex L. Pomponii Cœna: *Ex humile rege.* Et ex ejusdem Ephebis: *Incolume illo.* Et è Macho milite: *Cum contubernale pugnavi.*

Imò & oratores atque historici sic extulere. M. Cicero lib. II de Gloria: *Quo stante, & incolume.* Et libro de jure civili: *Aliquo excellente ac nobile viro.* Quod & Plinius asserit, teste Charisio. Nepos lib. II Exemplorum: *A virgine Vestale.* Sallustius in primo Histor. itidem auferendi casu ait *agreste*. Quæ veterum loca Charisio debemus.

Quin idem Charisius, quoties de homine sermo est, jubet omnia ejusmodi in ablativo per E efferre. Atque ait, iccirco Pomponium dicere: *Ex humile rege.* De re dictum fuisse, *Ex humili re.* Eoque archaismum statuit in illo Catulli, *impotente amore.* Qui non sit, si dixero, *impotente muliere.* Et eandem fuisse ait sententiam Plinii in libris Dubii sermonis. Atqui, ut ipse monet Charisius, Ciceronis est in Oratore: *Ab hoc forti viro.* Et lib. II de Divinatione: *In Æsopo, familiari tuo.* Item Bruti ad Cæsarem: *A Sceptio, familiari meo.* Atque idem è Poëtis apertius. Ut Horatio lib. III, od. V:

Incolumi Jove, & urbe Româ.

Et lib. I, sat. V:

Qui locus à forti Diomede est conditus olim.

Propria tamen tantùm faciunt E, teste Prisciano. Cicero pro Fundanio: *Non modò hoc à Julio Annale, sed vix mehercule à Quincto Mutone factum probari potest.* Pro Cn. Plancio: *Confiteor summum in Laterense ornamen-*

ta esse. Similiter ad famil. epist. XI, lib. X. Martialis lib. VII, epigr. XXIII:

Cum Juvenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?

Nam veteres *juvenalis* dixere pro *juvenilis*. Quomodo, si Sosipatrum audimus, Maro dixit in quincto:

Et mihi quæ fuerint juvenali in corpore vires.

Eadem ratio in *Cerealis*, *Vitalis*, *Natalis*, *Nobilis*, *Celeris*, *Apollinaris*, & similibus. Ut minùs probem, quod cùm vulgo vir summus*, nisi librarii hunc lapsum credere malumus, *è Martiali* dicat. Nempe de propriis Plinio, & Charisio, credo: utcunque secus de iis sentiam, quæ appellativè de hominibus dicuntur. Sed cætera persequamur.

* *Præfat. in Ἀνθολογίαν Græcam Martialis.*

Post ista novum canona constituunt de nominibus mensium, quæ in I terminantur: ut *Sextili mense*, apud Horatium †: *medio Septembri* apud Juvenalem ‡: hoc *Decembri*, apud Martialem * sæpius. Porrò, quæ tertium faciunt, primo, vel secundo saltem ordine poterant comprehendi. Nam sunt adjectiva in IS, vel ER desinentia: ut *Aprilis*, *Quinctilis*, *Sextilis*, *September*, vel *Septembris*; *October*, vel *Octobris*, atque ita in aliis. Nam olim & hæc quæ nunc in *ber* exeunt, in *is* desinebant. Eaque vera est ratio, cur casus is Latinis in I terminetur. Cato de sacrificio commisso apud Prisc. lib. VI: *Mense Octobri fecimus: Novembris reliquus erat*. Unde etiam liquet, hæc adjectiva esse: uti & cùm dicimus, *Kalendas Octobres*, *Nonas Novembres*, *Idus Decembres*. Minimè verò dicitur *September*, quasi *septimus imber*; *October*, quasi *octavus imber*: sed, uti *lis* in *Aprilis*, *Quinctilis*, *Sextilis*: ita *ber*, & *bris* in *September*, & *Septembris*; *October*, & *Octobris*, vocis tantum productio est. Quod si alia etiam hujus generis desiderant: *faber* est ex *faciber*, à *facio*; *Mulciber*, à *mulco*, quia mulcet ac molliat ferrum; *tuber* est à *tumeo*: atque ita in aliis; quæ satis docent, *ber* duntaxat esse παρέλκον, sive productionem vocis.

† *Lib. 1, epist. 11.* ‡ *Sat 14.* * *Lib. 2, ep. 85, & lib. 4, epigr. 19, & lib. 5, epigr. 18, 31, 51.*

Quartus superest canon, quo in I exire præcipitur, quæ accusativum faciunt per *im*: ut *vis*, *vim*, *vi*; *tussis*, *tussim*, *tussi* †; *securis*, *securim*, *securi* ‡; *cucumis*, *cucumim*, *cucumi* *; *Tyberis*, *Tyberim*, *Tyberi* †; *Ligeris*, *Ligerim*, *Ligeri* *. Ac similiter *tigri* †, *Hierapoli* ‡, *Neapoli* *, *Tanai* †, *Athesi* ‡, *Charybdi* *, *hæresi* †, *Eleusi* ‡, *genesi* *, aliaque id genus.

† *Lucret. lib. 4.* ‡ *Cic. lib. 2 ad Q. Fratrem epist. 10.* * *Plin. lib. 20, cap 9.* † *Cic. in Mil. & Horat. lib. 2, sat. 3.* * *Cæsar lib. 3 de bello Gall.*

Nec tamen existimandum, perpetuum esse, quod de hujusmodi nominibus traditum est. Nam excipi debent, quæ in genitivo crescunt. Sic à *Thetis* dicimus, non *Thetidem* modò; sed etiam *Thetim*, & *Thetin*. In ablativo tamen *Thetide* potiùs, quàm *Theti*, dicendum: etsi apud Plautum Epidico † legatur, *Theti prognatus*. Sic *Daphnis*, *Daphnin*, *Daphnide* ‡, non *Daphni*: quia dandi casus est *Daphnidi*, non *Daphni*. Item *iris*, *iridis*, *iridem*, vel *irin*, *iride*, non *iri*. *Eris*, *eridem*, vel *erin*, *eride*, *non eri*.

† *Maro 10 Æn. v. 166.* ‡ *Plin. lib. 3, cap. 93.* * *Ibid. cap 81.*

Imò in iis etiam E invenias, quæ non crescunt in obliquis. Nam à *Batis*, *Batim* dicimus. Tamen ut Plinius *Bati*, lib. III, cap. I: ita Livius lib. XXVIII, *Superato Bate amni*. A *sitis* est *sitim*, & *siti*: unde Cicero I Tusc. *Siti enectus Tantalus*. Boëthius tamen libro tertio de consolatione philosophiæ carm. XII:

Et longâ site perditus
Spernit flumina Tantalus.

† *Idem lib. 3, cap. 1.* ‡ *Ibid. cap. 16.* * *Horat. lib. 1, od. 27.* † *Cic. in Parad.* ‡ *Tacitus lib 4 Histor.*

Cannabis facit *cannabim*, unde *cannabi*. Plin. lib. XIX, cap. V: *Præferunt è cannabi funes*. At Persii est sat. V:

—— *Tibi tortâ cannabe fulto*
Cæna sit in transtro.

Ac fortasse aliquis etiam huc referat, quòd *Araris* quoque *Arare* facit, licet accusativus sit *Ararim* *. Cæsar lib. I de bello Gallico: *Pontem in Arare faciendum curat*. Et eodem: *Eo autem frumento, quod flumine Arare navibus subvexerat, propterea minus uti poterat, quòd iter ab Arare Helvetii averterant*. Sed *Araris* quidem *Arari* facit: *Arare* autem est ab *Arar*. Nam non Græcis modò Ἄραρ † dicitur: sed & Cæsari lib. I de bello Gallico: *Flumen est Arar, quod per fines Æduorum, & Sequanorum, in Rhodanum influit*. Ac similiter Lucanus in VI:

* *Sulpit. Severus lib. 1 Hist. sacræ.* † *Act. 1, sc. 1.* ‡ *Maro Ecl 8.* * *Virgil. Ecl. 1.* † *Strabo lib. 4.*

—— *Rhodanumque morantem*
Præcipitavit Arar.

Præter ea verò, quæ hactenus adduximus, alia etiam sunt, quæ tantummodo in I exeant: uti *canalis*, & *strigilis*. Nam Fabii est lib. XI, cap. III; *Pleniore tamen hæc canali fluunt*. Plinius lib. XXIV, cap. XI, circa finem: *Nec alibi, quàm in canali deponere*. *Strigili* verò dixit Horat. II Serm. sat. VII, uti & Plinius lib. XXIX, cap. ult. *Deinde cùm opus sit, strigili temperatâ infundere*. Quid mirum; quando accusativum, uti ostensum, per IM efferunt? A *mugilis*, vel *mugil*, Plinius etiam *mugili*; sed Charisius *mugile* mavult. Sunt qui Plinium in Historia naturali dicant *mugili* usurpare lib. IX, cap. XVII. Sed solùm legas in lemmate capitis. Mirum autem Alvarez iis, quæ tantùm I faciant, *Plus* annumerare. Nam Plauti est in Cœco, aut Prædonibus: *Plure altero tanto, quanto ejus fundus est, velim*. Lucilii est: *Plure foras* (f. foris) *vendunt*. Ciceronis ipsius est: *Plure venit*. Quæ tria loca Charisius adducit lib. II, uti & posteriora duo lib. I.

Cap. XII.

De Ablativis tum secundâ, tum tertiâ vocali terminatis. Exeuntia in NS non semper sexto casu desinere in E, contra sententiam Verrii Flacci. Refutatur discrimen, quod Charisius statuit inter ablativos E, & I. Servii error de ablativis in NS. Æs, ferrum, rostrum tridens. Paris *pro* par. *Frischlinus refellitur, quòd gentilia in AS semper ablativum in I facere putarit. Comparativi in OR apud antiquos neutrius quoque generis erant. Ab Ausonio Popma receditur in Lucilii loco.* Avi, & Civi, *in ablativo. Prisciani querela de librariis.* Fini, *pro* fine. Furfuri, *pro* furfure. *In Plauto levicula correctio.* Fusti. Fustim. Igni. Imbri. *Cicero apud Prisc. leviter emendatus.* Labi, luci, mugili, navi, nepti, occipiti, orbi. *Charisius corrigitur.* Ovi, parti, posti, sordi, sorti, stercori, strigili, supellectili, ungui, *in casu sexto. Antiqui in ablativo* noctu *dixere*, *pro* nocte.

DE facientibus ablativum per E, & I simul, quinque canones concinnant. Quorum primus est de adjectivis omnis generis unâ terminatione. Ut *vetus*, *felix*, *duplex*. Horat. lib. II, sat. II:

Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.

At lib. I, epist. XVII:

—— *Quem duplici panno sapientia velat.*

Charisius idem firmat illo Bibaculi: *Duplici togâ involutus*. Ac deinde subjungit: *Unde quidam errant, qui X literâ nominativo singulari finita nomina ablativo E tantummodo putant claudi: cùm, Mendaci animo, &, Artifici ingenio, &, Atroci vultu, ait Plinius, rectè dicamus.* Qui locus absque dubio ex Plinii libris Dubii sermonis. Sic Horatius * quidem, *supplice vitâ*: & Tibullus †,

—— *Quæ plurima voce peregi Supplice.* At Sallustius in bello Catil. *voce supplici*: ut Priscianus quoque legit in VII. Non audiendus verò idem Charisius, cùm monet, hujusmodi adjectiva, si de homine dicantur, habere E; si de re, facere I. Unde dicere jubet, *A veloce honoratus: à veloci verò equo superatus*. Atqui ipse adducit hoc Varronis lib. III de actionibus scenicis (sic legendum ‡) *Vetere vino*. Sanè Varronis est,

* *Lib. 3, od. 14.* † *Lib. 1, el. 11.* ‡ *Ubi vulgo scenis.*

Qui vino utuntur vetere, sapientes puto.

Aliaque his similia postea adducemus.

Expendenda nunc nobis sententia Verrii Flacci, antiqui & nobilissimi Grammatici; qui, ut Augusti nepotes doceret, quotannis ab eo centena accepit sestertia *. Hic † volebat, ablativum nominum adjectivorum ac participiorum in NS terminatorum, desinere in E. Nec quin crebrò sic definat, dubitandum. Nam dixit P. Rutilius ‡ de vita sua lib. II; *Animo constante*. Cæsar epist. ad Cic. *

* *Sueton. de illustr. grammat.* † *Charisius.* ‡ *Apud Charis.* * *Ibidem.*

Neque pro cauto, & diligente se castris continuit. Catullus †:

Illum deperit impotente amore.

Varro ‡ lib. III de rebus urbanis: *Spartaco innocente conjecto.* Imò ablativi absolutè positi semper sic exeunt. Ovid. I Fast. *Quo feriente, cadit.* Sic, *regnante Romulo*; *pugnante Cæsare*: non *regnanti*, aut *pugnanti*. Sed quod Charisius putabat, utcunque non ponantur absolutè, nihilominus semper in E claudi, id minimè verum est. Nam dixit Cicero pro Archia: *Excellenti animo ac virtute.* Varro in III de R.R. *Candenti ferro.* Idem in I de gente pop. Rom.* *In terra continenti.* Cæsar lib. III de bello civili: *Qui cum essent ex continenti visi.* Asinius Pollio ad Cæs.† *Primo insequenti die.* Ac similia apud alios.

† Epigr. 36.
‡ Apud Sosipat.
* Apud Charis. in I
† Ibidem.

Mirum verò est Servii supercilium, improbantis illud, quòd Maro *tridenti* dicat. Sic enim scribit in illud ‡, *Magnoque emota tridenti: Omnia in NS exeuntia, aut participia sunt, aut nomina. Sed si participia sunt, ablativum & in I, & in E mittunt, pro nostro arbitrio. Juvenalis**: —— *Nec ardenti decoxit aheno. Contrà* †: —— *Semperque ardente camino. Si verò nomina fuerint, in E tantummodo exeunt. Si autem eadem sint & nomina, & participia, ut, amans; cum nomina fuerint, omnimodo in E mittunt: cum participia, licenter utimur. Ergo quia tridens nomen est, tridente debuit dicere. Sanè in nominibus, quæ & propria esse possunt, &, appellativa, ut liberalis, felix, juvenalis, ablativum à proprio in E exit; ab appellativo in I.* Hæc Servius. Sed quod negat nomina in NS claudere ablativum in I, id vel eo facilè refellitur, quòd apud Maronem, Horatium, atque alios, tot in locis legas *ingenti*, *recenti*, & similia. Nec *tridens* solùm loco memorato facit *tridenti*; sed etiam apud Valerium Flaccum lib. I Argonaut.

‡ 2 Æn.
* Sat 15.
† Idem sat. 14.

—— *Volat immissis cava pinus habenis,*
Infunditque salum, & spumas vomit ære tridenti.

Planeque geminum illud Arnobii in III: *Atque ita tollitur & removetur e medio Stygii frater Jovis, Olympii germanus, tridenti armatus ferro.* Nempe *tridens* hic sumitur adjectivè: quomodo & Maro dixit quinto ‡, & octavo * Æneidos: utrobique enim hunc versum habes:

‡ Vers. 143.
* Vers. 690.

Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor.

Quippe si legamus *stridentibus*, quod reperimus in nostris, aliorumque Mssis, erit quartâ sede amphimacer. *Rostrum* autem *tridens* vocat trisulcum; quale ad hostiles naves proruendas est accommodatius. Scio interim, & alias esse aliorum hoc de loco conjecturas: quas apud Jo. Pierium vide.

Imò *tridens* tum quoque, cùm substantivè sumitur, utramque vocalem admittit. Ovid. I Met.

Ipse tridente suo terram percussit.

Maro I Æn.

Detrudunt naves scopulo: levat ipse tridenti,
Et vastas aperit Syrtes, & temperat æquor.

Nempe hoc inde est, quia etsi hic substantivum sit, tamen naturâ est adjectivum: ac cum substantivè sumitur, καθ' ἀπόλειψιν respicitur ad certi generis substantivum: quod loca ex Marone, Valerio Flacco, & Arnobio adducta, satis ostendunt. Atque idem etiam Prisciani judicium est in VII; ubi pro hac sententia adfert, quòd & *tridens hasta*, & *telum tridens* legatur: quæ plane docent esse adjectivum.

Etiam utramque terminationem admittit *locuples*. *Locuplete* dixit Horatius lib. II, sat. VI, & Pers. sat. V. Cicero autem lib. III de Orat. *In omni locupleti oratione.* Et in Frumentariâ: *In provincia locupleti ac referta.* Sic *divite*, & *diviti*. Horatii enim est *divite spe**, *linguâ*†, *venâ*‡. Plinii autem lib. III, cap. I, *diviti cultu.* *Vigil*, & *artifex* non in E tantum desinere, indicat hoc Juvenalis sat. XIII:

* Lib. 1, ep. 15.
† Lib. 2, ep. 2.
‡ In Arte.

Præterea lateris vigili cum febre dolorem.

Et Statii illud lib. I Achill.

Qualiter artifici victura pollice cera
Accipiunt formas.

Ut Priscianus ibi legit: ubi nunc *artificis*. De *uber*, & *degener*, malè negant, cùm Curtii sit lib. III: *Uberi & pingui solo.* Et Senecæ Hercule Furente:

Et omne quicquid uberi cingit solo.

Ac Lucani lib. IV:

Si me degeneri stravissent fata sub hoste.

Sed *pauper*, *hospes*, *sospes*, tantùm in E inveniuntur, teste Prisciano*. *Par* adjectivum potiùs *pari* facit. Lucanus in IX:

* Lib. 7.

Ergo pari voto gessisti bella juventus.

Par substantivum, pro *socio*, vel *sociâ*, facit *pare*, Ovidio III, & IV Fast. Composita ejus, adjectivè sumta, utramque habent terminationem. Martialis lib. VI, epigr. LXXVIII:

—— *Atlas cum compare mulo.*

Sed usitatiùs dicitur *impari*, *dispari*. Itaque ad illud Maronis Ecl. VIII, *Numero Deus impare gaudet*: sic scribit Servius, *Impare autem propter metrum. Nam ab hoc impari dicimus.* Nec ratio obscura est, quando olim in IS desinebant. Atta in Socru*: *Ad hanc fortunam accessit ei fortuna paris.*

* Apud Priscian. in 7.

Memor tantùm *memori* facit. Cujus caussa est, quòd olim dixere, hic & hæc *memoris*, & hoc *memore*: teste Capro, & Prisciano. Posteriores quovis genere *memor* dixere, etiam neutro; ut Maro in IV Æn.

—— *Tum siquod non æquo fœdere amantes*
Curæ numen habet, justumque memorque precatur.

Quod si Nicodemum Frischlinum † audimus, barbarissimum committere docet Priscianus lib. VII, cùm ait, dici quoque, *Arpinate*, vel *Arpinati villâ*; *Carpinate*, vel *Carpinati bello*. Atqui per I quoque efferri hujusmodi ablativos, indicat locus ille Marci Ciceronis epist. IV, libro XI ad Att. *De Frusinati, si modò futuri sumus, erit mihi res opportuna.* Fundum Frusinatem ait sibi opportunum fore, seque de ejus redemtione cogitare. Hac enim lege vendiderat, ut redimere posset. Lambinus quoque putat, *Aletrinati* debere scribi in illo Ciceronis pro A. Cluentio: *C. & L. Fabricii fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinati, homines inter se, cùm formâ, tum moribus similes.* Interea fateor, me non videre, quid hic mutatione ullâ sit opus; præsertim, cùm E sit usitatius. Unde idem Cicero pro Varreno, apud Priscianum in VII: *E municipio Fulginate.* Et in eâdem apud eundem inibi: *In præfectura Fulginate.* Item Livius lib. VIII: *In Capenate agro.* Val. Max. lib. VI, cap. IX: *Ex illo Mario, tam humili Arpinate* ‡. Plin. lib. II, cap. CIII: *In Atinate campo fluvius mersus.* Et post pauca: *In Casinate fluvius appellatur Scatebra.* Et mox: *In agro Pinnate trans Apenninum fluvius.* Martialis lib. III, epigr. LVIII:

† Disputationis Grammaticæ propositione XVI.
‡ Ita, inter alios, Msus amicissimi Guilhelmi Neomsii. In nonnullis tamen Mssis legitur Arpini, ut monitum Pighio, & ab eo cautum.

Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis Saffinate de sylva.

Vidimus de canone primo. Alter est de comparativis in OR, & US. Ut *major*: unde Fabius prologo lib. XII: *Licet majori, quam unquam, mole premar.* At Virgilii est in X:

Mox illos sua fata manent majore sub hoste.

Imò Plinius tradidit, comparativos per E finiri oportere; eoque *nobiliore* esse dicendum. Sed Charisius obducit illi hoc Cælii: *Publicatos quippe fastos omnes, & libros à Fulvio Nobiliori scripta retulisse.* Sed in propriis, quale hic *Nobilior*, E magis obtinet. In appellativis verò promiscuè E, vel I, usurpatur. Hujus rei caussam optimè observat Priscianus in VII. Nam quid mirum, si instar adjectivorum unius terminationis in E, & I, forment casum sextum; cum olim quoque unius fuerint terminationis? Quod Priscianus his docet exemplis. Valerius Antias in VI Annal. *Hoc senatusconsultum prior factum est.* Cassius Hemina Annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: *Bellum Punicum posterior.* Claudius in VIII Annal. *Qui prior bellum, quod cum his gestum erat, meminissent.* Idem in eodem: *Ubi decreverunt, commemorant Graccho fœdus prior Pompejanum non esse servatum.*

Tertius canon est de verbalibus in TRIX: quæ substantivè

stantivè quidem accepta E tantùm habent; ut *nutrix*, *nutrice*; *natrix*, *natrice*; *obstetrix*, *obstetrice*: adjectivè autem sumta in E, & I, exeunt: ut, *victrix*, *victrice*, & *victrici*. Ovid. I Fast.

Victima, quæ dextrâ cecidit victrice, vocatur.

Lucanus lib. I:

In sua victrici conversum viscera ferro.

Justinus in V:

Alcibiades cum classe victrici Asiam vastat.

Par ratio in *ultrix*, Prisciano teste. Quid mirum? cùm utrumque sit adjectivum unius terminationis. Nam in neutro etiam usurpari, ostendit Lucani locus adductus. Atque idem in primo inquit, *victricia signa*. Statius quoque in V Thebaidos ait:

—— *Potuitne ultricia Grajis*
Virginibus dare tela pater?

Sed de plurali plerique non diffitentur. Verùm negant cum Prisciano *, se singulo numero unquam *hoc victrix* legisse. Etiam Josephus Scaliger epistolâ III, quæ est ad Mamertum Patissonum, ait, stolidi esse ingenii, putare, *victrix genus* dici, ut *victricia arma*. Respicit autem illud Maronis III Æn.

Res Agamemnonias, victriciaque arma secuti.

Quem ad locum ita Servius: *Omnia nomina à verbo venientia, cùm in O R exeunt, masculina sunt, ut Victor: cum in T R I X feminina sunt; ut Victrix. Neutra verò non faciunt, nisi tantum ex numero plurali: ut Victricia.* Sed hoc non semper observari, indicat Lucani illud, quod vidimus, *victrici ferro*. Quomodo & Claudianus dixit, *victrix solum*: quod insolens esse loquendi genus, idem Scaliger ait, ad Sphæram barbaricam Manilii. Similiter tamen Minutius Felix, *victrix tropæum*. Quare potiùs dixerim, *victor* quidem masculino; *victrix* autem feminino dici genere, & neutro. Nam in masculino *victrix triumphus*, quod est apud Vigilium Martyrem, probare non possum. Sed minori sermonis curæ hoc tribuendum, vel ætati, quâ vixit.

* Lib. 7.

Quartus canon præcipit de iis, quæ accusativum formant per E M, & I M. Nam etsi ablativus fiat non ab accusativo, sed dativo, quicum & voce convenit sæpe: tamen ea hic est cognatio, ac similitudo accusativi, & ablativi, ut alter ex altero cognoscatur. Itaque ut tantùm *patrem* dicimus per E, sic solùm etiam *patre* obtinet: ut tantum *vim* per I, sic duntaxat *vi*: ut per *e*, & *i*, *puppem*, & *puppim*; sic ablativo *puppe*, & *puppi*. Maro III Æn.

Stans celsa in puppi.

Lucanus in III:

Raptâ puppe minor subducta est montibus Argo.

Atque ut *febrem*, & *febrim*; sic *febre*, & *febri*. Prius est apud Juven. sat. X:

Febre caret solâ.

Et sat. XIII:

Præterea lateris vigili cum febre dolorem.

At sæpius sic Martialis. Alterum apud Ciceronem habes ad Atticum lib. VI, epist. IX: *Scripseras te Romam venisse cum febri.* Et alibi apud eum semper. Ut *turrem*, & *turrim*; sic *turre*, & *turri*. Juven. sat. VI:

Hannibal, & stantes Collinâ turre mariti.

Et sic dicendum ajebat Plinius in libris suis Dubii Sermonis: ut ex Charisio cognoscere est. At Cicero in quinta Tuscul. quæst. *Dionysius concionari ex turri altâ solebat.* Ut *clavem*, & *clavim*; sic *clave*, & *clavi*. Juvenal. sat. XV:

—— *Atque unâ portarum clave teneri.*

Varro lib. I de R. R. cap. XXII: *Quæ non possunt esse sub clavi.*

Incertus Poëta in Moreto:

Et referat clausa, quæ prævidet, ostia, clavi.

Ut *navem*, & *navim*; sic *nave*, & *navi*. Horat. lib. II, epist. II:

Nave ferar magnâ.

At Cicero in Vatin. *Mercatores è navi egredientes terrere.* Ac similiter Terentius, Prisciano quoque teste. Sed de eo mox pluribus. Etiam ut *strigilem*, & *strigilim* dixere; sic, *strigile*, & *strigili*. *Strigile* probat Plinius Secundus libro Sermonis dubii, ut Charisius auctor nobis. Posterius est apud Horatium lib. II, sat. VII:

—— *An hic peccat, sub noctem qui puer uvam*
Furtivâ mutat strigili?

Putant quoque, ut *restem*, & *restim*; sic *reste*, & *resti* dixisse. Prius quidem Juvenalis usurpat sat. III:

—— *Nec reste movendus.*

Et Martialis lib. V, epigr. LXIV:

Putris & abruptâ fascia reste jacet.

Interea tutiùs *strigili* per I; *reste* per E usurpatur.

Quincto canone complecti student cætera substantiva facientia E, & I. Sed pluscula ab iis prætereuntur. Utraque secundùm literarum ordinem digeremus.

Affinitati. Venulejus L. XXXIX de injuriis: *Nisi ita conjunctus est affinitati.*

Alipedi. Valerius Flaccus lib. V:

Atque hanc alipedi pulsantem corpora curru.

Nisi hoc malis referre inter adjectiva, quia cum *curru* conjungitur.

Amni rejicitur à Frischlino in Propositionibus Grammaticis. At agnoscit Charisius: atque usus eo Maro I Georg.

Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

Quomodo in vett. nostris membranis invenimus, inque suis exstare observavit Pierius. Sed & Charisius, ac Priscianus, sic legêre. Itidem in cunctis Horatii codd. exaratum lib. I, sat. X:

—— *rapido ferventius amni*
Ingenium.

At per E legitur apud Tacitum lib. II Histor. *Et erat insula amne medio.* Imò quid apertius illo Horatii libro IV, od. VI:

Phœbe, qui Xantho lavis amne crines.

Similiter Lucanus in VI, Martialis non semel; Claudianus quoque panegyri de VI consulatu Honorii *:

—— *Et pronas puppes nunc amne secundo,*
Nunc redeunte vehit.

* Vers. 497.

Angui rejicit idem Frischlinus †: sed Priscianus id probat illo Horatii ‡:

—— *Cane pejus, & angui.*

Attamen hodie in optimis quibusque libris est *angue*, etiam editionibus antiquis *. Et sanè *angue* dixit Lævius, sive, ut vulgo putant, Livius Andronicus:

Cujus ut amplexu tortâ caput angue revinctum.

Item Propertius lib. III, el. IV:

Tisiphones atro si furit angue caput.

Et Statius in III Thebaidos †:

Angue ter excusso.

† In propos. Grammat.
‡ Lib. I, epist. 17 ad Scævam.
* Uti Venetâ anni 1478.
† Vers. 486.

Assi huc refert Ausonius Popma lib. I de usu antiqui sermonis, cap. IX: ubi hoc probat illo Lucilii apud Charisium lib. I: *Assi duas ficos.* Sed vel *Assiduas* scripsit Lucilius, prout apud Charisium legitur vulgò: vel, quod Francisco Duzæ placebat, *Asse duas ficos.* Ut simile sit isti Martialis in IX, epigr. LX:

Asse duos calices emit, & ipse tulit.

Avi etiam dici, auctor Varro lib. VII de L. L. Sic, Charisio teste, Cicero de auguriis: *Omnibus avi incertâ.* Etiam Horatius lib. I Carminum od. XV:

—— *Malâ ducis avi domum,*
Quam multo repetet Græcia milite.

Quid mirum? quando & *avim* Nævius dixerit. Sæpicule autem hic ablativus apud Plautum est corruptus. Interea *ave* etiam dici, auctores sunt Varro in II de Analogia, & Priscianus in VII. Et sanè, *ave sinistrâ*, apud eundem Varronem legas lib. VI de L. L.

Cani, & *cane*, auferendi casu dixisse veteres, Charisius * indicat. Sed tutiùs vocali E claudimus.

* Lib. I.

Civi. Plautus Persa †:

Summe probus? sum lepidus civis? qui Atticam hodie civitatem
Maximam majorem feci, atque auxi civi feminâ.

† Act. 4. Sc. Cui homini.

Sed & Ciceronis est lib. VII ad Att. epist. III: *Ut nunc*

in uno civi res ad resistendum sit. Et lib. XIV ad eundem, epist. XI: *De clarissimo civi.* Utrobique ferè in vulgatis legitur *cive:* sed in cunctis prope antiquis codd. *civi* scriptum est: ut monuit Leonardus Malaspina. Complura loca alia adducit Priscianus in VII: sed quæ suâ quoque ætate ab imperitis corrupta fuisse conqueratur. *Cive* autem liquidò est apud Juvenalem sat. X ‡:

‡ Vers. 378.

—— Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam?

Classi. Maro VIII Æn.

Advectum Æneam classi, victosque Penates
Inferre.

Colli. Lucretius lib. II *:

* Vers. 317.

Nam sæpe in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes.

Ac mox:

Et veluti in viridi candor consistere colli.

Fine vulgatius est: ac sic dicere jussit Plinius Secundus libro III Dubii sermonis: ut Charisius est testis ‡. Sed *fini* est apud Agellium lib. I, cap. III; & lib. VII, cap. III; & lib. XIII, cap. XIX. Papinianus quoque usus aliquoties: quod primus observavit Duarenus. Imò multò ante Hirtium ‡ ita scripsisse, censet Scipio Gentilis lib. I Παρέργ. cap. XXVIII.

‡ Lib. I, cap de anal. in Amni.

‡ De bello Alexandrino.

Manilii quoque est lib. I:

Fini cum visu pariter sua fila moventem.

Terentianus etiam Maurus:

Quem tantum in fini sumunt heroica metra.

Item:

Namque referre nihil, sit quali syllaba fini.

Furfuri. Plautus Capt. Act. IV, Sc. II:

Tum pistores scrophipasci, qui alunt furfuri sues.

Ubi malim, trajectis vocibus, *Furfuri qui alunt sues.* Ut sit Trochaicus; quales versus proximè antecedunt, ac sequuntur.

Fusti suspectum est Emanueli Alvarez. At Plautus Asinariâ * ait:

* Act. 2, sc. Quid hoc est negotii.

Nihil est: tanquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum.

Et Capt. † *Fusti plectito*, sive, ut est in plerisque Mssis, *fusti pectito:* quomodo Terentius ‡ dixit, *depexum dare:* & Plautus * alibi, *pectere os pugnis.* In vett. quoque libris legitur apud Valerium Max. lib. VI, cap. III: *Ignatius Metellus uxorem, quòd vinum bibisset, fusti percussam interemit.* Nisi cum Stephano Pighio malis, *fustim interemit:* ut *fustim* adverbium sit; quemadmodum *mucronatim*, atque alia. Sanè *fustim* in Mssis reperio. Etiam Taciti est in Annal. *Fusti caput ejus afflixit.* Et Appuleji IV Met. *Fusti occumbere.*

† Act. 4, sc. 2.
‡ Heaut. act 5, sc. 1.
* Menæch. 5, 7.

Igni probat Priscianus gemino Maronis † loco: sed utrobique ea vox versum claudit. Proinde certius apertiusque Horatii illud lib. I, od. XXXIV:

† 1 Georg. & 4 Æn.

—— Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens.

Igne est apud Maronem Æn. VIII:

—— Commissis igne tenebris.

Similiter Juvenalis sat. XV:

Et minor igne rogi.

Lucani ‡ etiam similem locum Priscianus adducit. Imò sic potiùs dicendum Plinius * ajebat.

‡ Lib. I, vers. 50.
* Libris sermonis dubii, teste Charisio lib. I.

Imbri. Cicero de signis †: *Cùm esset vinctus nudus in aëre, in imbri, in frigore.* Quomodo ab Helia Putschio editum. Sed lege, *in imbri*, prout est in vett. membranis nostris, & veteri editione Venetâ ‡. Idem Tullius in Frumentariâ, sive Verrina V: *Ferebat hanc quoque iniquitatem Septitius, & imbri frumentum in area corrumpi patiebatur.* Maro I Georg.

† Apud Prisc. lib. 7. nempe ex Verrina 6.
‡ An. 1476.

Nec minus est imbri soles, & aperta serena
Prospicere.

Statius I Theb.

—— Imbri ventoque rigentes.

Varronis quoque est: *Non quærenda homini, qui virtutem habet, penula in imbri.*

At Horatius lib. I, epist. XI:

—— Romam petit, imbre, lutoque
Adspersus.

Martial. lib. XI, epigr. XCVII:

Et puerum prohibes divitis imbre lacus.

Labi. Lucretius lib. V:

Nec novitate cibi, nec labi corporis ullâ.

Lapidi. Lucretius lib. I:

Cum lapidi lapidem terimus. ——

Ubi tamen membranæ nostræ, *Cum lapidi in lapidem terimus.*

Luci. Idem lib. IV:

—— In luci quæ poterit res
Accidere ad speciem, quadrata nisi ejus imago?

Melli. Sammonicus Serenus:

Aut pice cum melli, nitrum, sulfurque, & acetum.

Messi factâ, apud Varronem, in primo de R. R. Ubi tamen *messe* in nonnullis.

Monti. Varro lib. VIII de L. L. *Qui dicit hoc monti, & hoc fonti, cùm alii dicant, hoc monte, & hoc fonte: sic alia, quæ duobus modis dicuntur.*

Mugili probant è Plinii lib. IX, cap. XVII. Cujus inscriptio est, *De mugili.* Sed in ipso Plinio non invenias.

Navi dixit Cicero de suppliciis: *Quò enim tibi navi opus fuit?* Et Terentius Andr. *

—— Navi fractâ ad Andrum ejectus est.

* Act. 5, sc. 4.

Et Heaut. †

† Act. 1, sc. 2.

—— E navi egredientem illico
Abduxit ad cœnam.

In Hecyra ‡:

‡ Act. 3, sc. 4.

Dies triginta, aut plus eo in navi fui.

Virgilius per E extulit in quinto:

At mediâ Mnesthem incedens nave per ipsos
Hortatur socios.

Atque ita potiùs dicere Plinius Secundus libris Sermonis dubii jussit, ut auctor Charisius.

Nepti approbat Priscianus: sed veterem non laudat auctorem, quem neque nos invenimus.

Occipiti. Pers. sat. I:

Vos ô patritius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.

Ausonius epigr. XII, de occasione:

—— Sed heus tu.
Occipiti calvo es. ——

Orbi. Lucretius lib. II:

Cui similis toto terrarum non sit in orbi.

Ita est in veteribus membranis nostris: quod & de duobus codd. suis testatur Lambinus. Sic idem lib. V:

Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur.

Sic eædem membranæ; nec aliter vel Lambinus, vel Giffanius excudit. Etsi in editione Florentinâ à Petro Candido ante seculum recensitâ *, corruptè *orbis* legatur. Varro lib. III de R. R. cap. V: *Aquâ calidâ, & frigidâ ex orbi ligneo.* Et cap. XVI: *In orbi rotundo ostendunt.* Charisii * etiam de hoc verba adscribamus: *Orbi*, inquit, *pro orbe, apud Cic. de Rep. lib. V: Orbi terrarum comprehensos. Sed & P. Rutilius de vitâ suâ quinto: Ex orbi terrarum. Et frequenter Santra ita locutus, ut Plinius Sermonis dubii lib. VII notat: quia consuetudo melior, inquit, quæ facit ex orbe non sine ratione in nomine juri dominis.* Quæ extrema verba corrupta sunt. Fortean scripsit Charisius: *Quæ facit orbi, non sine ratione, à nomine orbis.* Extrema vox *dominis* corrupta est ex *omnis*, pertinetque ad versum sequentem: ubi sic legi debet: *Omnis vel omnes. Sallustius in Catilina: Omnes homines, P. C. qui de rebus dubiis consultant* &c.

* An. 1512.
* Act 3, sc. Putem ut quosdam.

Ovi. Varro lib. VII de L. L. *Nam sine reprehensione vulgò alii dicunt in singulari hac ovi, & hac avi: alii hac ove, & ave.* Agnoscit & Sosipater in I, & Priscianus in VII.

Parti. Plautus Menæchmis:

Nequeo, quæ loquitur, exaudire clanculum:
Sati' nunc loquitur de me, & de parti meâ.

Lu-

Lucretius lib. I:

Nam quæcunque prius de parti corpora cesse
Constituas.

Item lib. III:

Ut sensus alios in parti quemque suâ scit
Dissolvi.

Et in VI:

Præterea magni ex parti mare montis ad ejus
Radices frangit fluctus.

Et mox:

Ille ex æstiferâ parti venit amnis ab Austro.

Cicero in versibus Arateis:

——*Patri miscetur in unâ.*

Quamquam Hyginus lib. IV, hunc in modum citet:

Ortus ubi, atque obitus, parte admiscentur in unâ.

Imò & plerique Ciceronis codd. habent,

——*Partem admiscentur in unam.*
Raptaque de dextro robusta repagula posti
Ossibus illisit media cervicis.

At Lucanus in V dixit:

——*Tum poste recluso.*

Sordi. Lucretius lib. VI:

Visceribus cæcis prope jam, sordique sepultis.

Sorti quoque rectum. Nec ut ita sentiam, movet me Plautinum illud Casinâ †:

Si non impetravit, etiam specula in sorti restat mihi.

Nam Gruterus legit, *in sortitu st mihi*: quæ lectio proximè accedit ad codd. Mss, in quibus est, *in sortita est mihi.* At incorruptus est locus iste eâdem Comœdiâ *:

——*Equidem tamen*
Sorti sum victus.

Stercori sæpe est in Pandectis Florentinis: ac Appulejum ita esse locutum, putat Gaspar Schoppius lib. IV. Susp. Lect. epist. XII.

Suppellectili. Cic. Verr. VI: *In instrumento ac suppellectili C. Verris.* Est & titulus in Digestis, *De suppellectili legatâ.*

Vecti. Terent. Eun. Act. IV, sc. VII:

——*In medium huc agmen cum vecti, Donax.*
Tu Simalio, in sinistrum cornu; tu Syrisce, in dexterum.

De *vecle* testis Priscianus in VII. Sed auctorem non laudat.

Ungui est apud Horat. lib. III, od. VI:

De tenero meditatur ungui.

Et lib. I, epist. XIX:

——*acuto ne secer ungui.*

Dixeris, ex clausula versus minùs liquere: quia fortasse aliter scripserat Poëta, sanè potuit, cùm metrum non repugnet. Primùm sic occurritur, constanter ita esse in Mss, & editionibus antiquis. Præterea Charisius testis est, scripsisse ita Licinium Calvum in poëmate: *Vaga candida nympha quod secet ungui.* *Ungue* autem est apud Propert. lib. III, eleg. ult.

Ungue meam morso sæpe querere fidem.

Et Ovidium, epistolâ Phædræ ad Hippolytum:

Est aliquid plenis pomaria carpere rivis,
Et tenui primam deligere ungue rosam.

Martialem item, cùm alibi, tum lib. IIX, epigr. XXXIII:

An magis astuti derasa est ungue ministri.

In hujusmodi Poëtæ metri rationem habent. At in prosa veteres præcipuè sonum, & judicium aurium, attendebant; ut superiùs diximus, cùm de accusativis ageremus.

Cæterùm antiquiores & alia per I extulerunt: unde in usu remansere nomina adverbialiter usurpata, *vesperi*, & *tempori*: similequè est *luci*; de quo dictum.

Illud quoque addamus, veteres etiam pro E in quibusdam dixisse U: ut *noctu*, *diu*; quæ nunc quidem adverbialiter sumuntur, (uti *casu*, *forte fortuna*, similiaque) primùm verò ablativi nominum fuerunt; quemadmodum Macrobius lib. I Saturn. cap. IV, luculentus hisce testibus probat. Ennius †:

Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti
Mœnia concubia, vigilesque repente cruentant.

Ubi & *quà noctu*, & *noctu concubi* dicit. Sic idem in X:

Hac noctu filo pendebit Etruria tota.

Item Claudius Quadrigarius Annali III: *Senatus autem de noctu convenire, noctu multâ domum dimitti.*

Græca in YS ablativum faciunt integrè in E; ut *Capye*, *Atye*, *Erinnye*: & κατ' ἀποκοπὴν in Y; ut *Capy*, *Aty*, *Erinny*. Utriusque ex Livio suprà adduximus exempla. Ex quibus liquet, rectum esse; *Legi in supposititio Dictye Cretensi, vel Dicty. Capua condita à Capye*, vel *Capy*. Sunt qui in ablativo ἀναλόγως magis putent dici, *Capy*, *Aty*, *Dicty*; quia in accusativo sit *Capyn*, *Atyn*, *Dictyn*: unde ablativos formant, abjecto N. Verùm ablativi non fiunt ab accusativo, sed dativo; quicum voce conveniunt apud Græcos; apud Latinos verò in secundâ. Itaque etsi Græci Πάριν dicant, & Æolicè Πάριδα, ac Latini item *Parin*, & *Paridem*: tamen quia dativo solùm est *Paridi*, ablativo etiam solùm est *Paride*. Similiter igitur non si accusativus fit *Capyn*, *Atyn*, eò ablativus sit *Capy*, *Aty*: sed quia dativus est *Capyi*, *Atyi*, ablativus ἀναλόγως erit *Capye*, *Atye*. *Capy* vero, *Aty*, & similia, ex ablativis illis in E per ἀποκοπὴν fiunt.

Quæstio una superest de *chaos*; quod cùm quinctæ sit apud Græcos, tertiæ fuerit apud Latinos: unde colligunt, ex χάεος χάους in genitivo dicendum *chaûs*: ex dativo χάει χᾷ, esse dativum *chai*, & ablativum *chae*, vel *chai*. Sed longè aliter est. Nam ablativum per O format. Virgil. IV Georg.

Atque Chao densos divûm narrabat amores.

Ovid. XIII Metam.

Et noctem, noctisque deos, Ereboque, Chaoque
Evocas.

Lactantius similiter lib. I Instit. Div. cap. V: *Hesiodus non à Deo conditore sumens exordium, sed à chao: quod est rudis inordinataque materia confusa congeries.* Nimirum ut Græci dicunt, τὸ ἔλεος, ἐλέεος ἐλέους, & ὁ ἔλεος ἐλέου; τὸ σκότος, σκότεος; & ὁ σκότος, σκότου: ità & Latini interdum in talibus mutant declinationem. Ut cùm Græcis sit ἔρεβος, ἐρέβεος, Maro tamen flectit, *Erebus*, *Erebi*: item à κῆτος, κήτεος, Plinius dicit, *cetus*, *ceti*. Simile igitur est, χάος, χάεος, & Latinè, *chaos*, *chai*: unde ablativus *chao*. Idem de *melos* dictum velim. Græcis est μέλος, μέλεος. At Latinè non tantùm, *dulce melos*; sed etiam, *dulcis melus*. Unde, Nonio teste, Pacuvius in singulari accusativo *melum*: ac in plurativo Accius, & Varro, *melos* dixere. Quorum exemplo Lactantius, vel alius, hymno de resurrectione ait:

Fitque repercusso dulcior aura melo.

Et discipulus anonymus in vita præceptoris sui S. Eugendi abbatis, ait in prologo; *Dum melo delectatur, aut musicis.*

Imò & Terentianus *melorum*, & Capella *melis* usurpant.

CAP. XIII.

De nominativo plurali, qui & in EIS, vel IS desinit.

Hospita *in plurali.* Gausapa. Aplustra, *vel* aplustria. Majoria *cur non dicatur.* Bicorpor, *&* bicorporus. Tripectorus. Ossuum, *&* ossum, *pro* os. Ossuarium, *&* ollæ ossuariæ.

SEquitur pluralis, cujus nominativus in masculinis, & femininis est ES, ac quandoque etiam EIS, vel IS. Ac primùm in iis, quæ Græcis in εις contrahuntur. Ut *Syrteis*, vel *Syrtis*; *Tralleis*, vel *Trallis*; *Sardeis*, vel *Sardis*; *Alpeis*, vel *Alpis*. Auctor Priscianus, qui huic probando adducit illud Horatii in primo epistolarum;

Smyrna quid, & Colophon? quid Crœsi regia Sardis?

Nec in hujusmodi solùm hoc locum habet, sed etiam penitus Latinis. De quo auctor nobis Varro in VII de L.L.

Gg Nam

† Act. 2, Sc. Qui illum Dii omnes Deæque perdant.

* Act. 2, Sc. Si nunc me suspendam.

† Lib 7 Annal.

Nam sine, inquit, *reprehensione vulgo alii dicunt in singulari, hac ovi, & avi: alii hac ove, & ave. In multitudinis, ha puppeis, resteis, & ha puppes, restes.* In quibus autem terminatio EIS, vel IS habeat imprimis locum, cognoscere ex iis erit, quæ postea de accusativis dicemus.

In neutris, si ablativus singularis exit in E, nominativus pluralis erit A impurum. Sin terminetur ablativus in I, nominativus hic erit IA. Unde *hospes*, *sospes*, *pauper*, quæ in auferendi casu tantùm habent *hospite*, *sospite*, *paupere*, faciunt *hospita*, *sospita*, *paupera*. Maro III Æn.

—— Quo tutior hospita lustres
Æquora.

Statius IV Theb.

—— Iterum hospita pandam
Flumina.

Et I Achill. *—— Hospita sacra*
Discutiam turba securus.

Sed *pauper* quidem *paupera* facit: *at locuples, locupletia; dives, prius divitia*, unde κατὰ συγκοπὴν *ditia*. Nempe ob diversam ablativi terminationem.

Similiter *gausape*, quia in ablativo est *gausape*, ut ostensum antea* ex Lucilio, & Horatio; in plurali non *gausapia* facit, sed *gausapa*: ut ex Ovidio, Persio, Martiale, ibidem comprobatum. Nihil igitur opus recurrere ad *gausapum*: quo unus est usus Cassius Severus.

Excipiunt vulgò *aplustre*, cujus ablativus *aplustri*, pluralis tamen & *aplustra*, & *aplustria*. Nimirum non vident, *aplustra* esse à recto *aplustrum*: quod Lucretius usurpat lib. IV*:

Navigia, aplustris fractis, obnitier undis.

Aplustris, inquit, non *aplustribus*. Inde igitur *aplustra*. Lucretius lib. II†:

Per terrarum omnis oras fluctantia aplustra.

Cicero in Arato:

Navibus absumtis fluitantia quarere aplustra.

At ab *aplustre* (quo Lucanus‡, & Juvenalis* utuntur) *aplustria* dixit Cæsar Germanicus in Arateis:

Fulgent Argoa stellis aplustria puppis.

Et Silius Italicus lib. X:

—— Laceroque aplustria velo.

Vetus tamen, etsi *veteri* dicitur, *vetera* facit. Ac similiter comparativi: ut *majora*: etsi *majoria* pro eo legas in veteri inscriptione†. Sic *meliora, minora*. Caussa, cur hæc excipiantur, est ista, quòd usitatiores essent ablativi, *vetere, majore, meliore*, & similes. Quod adeò verum est, ut Charisius propterea negârit, dici, *veteri, majori, meliori*; in quo eum ratio fugit. At comparativus *plus*, *plura*, & *pluria* facit; unde *complura*, & *compluria*. Gellium vide lib. V, cap. XXI; Charisium lib. I, & Priscianum in III, & VII.

Vulgo, præter comparativos, etiam excipiunt *bicorpor, tricorpor, tripectior*: quæ in ablativo ajunt habere I; ac in plurali nihilominus facere *bicorpora, tricorpora, tripectora*. Nec negare possumus, hæc in OR exire: quando Accius‡ *tricorpor* dixit; vetus poëta apud Tullium*, *bicorporem*; Maro† *tricorporis*. Verùm negamus sic solùm dixisse. Nam etiam in US exisse, arguit illud Lucretii in V:

Quippe tripectora tergemini vis Geryonai.

Ac similiter pro *unicolor*, & *versicolor*, *unicolorus*, & *versicolorus*‡, legere est. *Bicorpora* igitur, & *tricorpora* fuerint à *bicorporus*, & *tricorporus*.

Pro *ossa* quoque *ossua* dicimus: verùm id hujus loci non est. Neque enim venit ab *os*, quod tertiæ est; sed ab *ossum*, quod secundæ est; vel ab *ossu*, quod Charisius* quartæ esse ait, ut *genu*. Testatur B. Augustinus in Psalm. CLVIII‡, *ossum* pro *osse* à Grammaticis sui seculi conviciis excipi solere. Quod injuria sanè ab iis factum. Nam apud Terentium quoque legere est Eunucho†:

Viden' ossuum, & cibus quid faciat alienus?

Quo de versu Palmerius in Spicilegiis‡. At fallitur cum Carolo Langio Obertus Giffanius*, qui divisim legit, *os suum*. Nihilo rectiùs in vulgatis *otium*: quamquam ita quoque MSS nostri, & editio vetus Tarvisina†. Usi voce *ossum* & alii. Nam (ut Charisium‡ mittam) qui è Plinio sic Varronem loqui docet: ut etiam Attium, & Pacuvium* præteream, citat Priscianus è Gellii lib. XXX: *Calvariaque ejus ipsum ossum expurgaverunt inauraveruntque.* Qui tamen locus fortasse non Gellii, sed Cœlii est, cùm Caper libello de Orthographiâ scribat, Cœlium, & Varronem dixisse *calvaria*: quod in loco adducto factum vidimus. In notis quoque Tyronis, ac Senecæ, reperias†. Quare nec imperitiâ factum, cùm in antiquo marmore Romæ legere est:

Sed quod ego hac cerno, mea sunt hic ossua in ollâ
Condita. Vive hospes, dum licet, atque vale.

Aliæ quoque inscriptiones usurpant; ut illa Romæ in viâ Carpensi‡: *Ossua posita sunt.* Et in alterâ Romanâ*, *Hic super ossua, cineresque tuos.* Sed & *ossuarium*†, & *olla ossuaria*‡, in iisdem invenitur.

* Libri superioris c. 38.
* Vers. 438.
† Vers. 555.
‡ Lib. 3.
* Sat. 10.
† Pag. 337 inscript. Gruter.
‡ Triphyla, apud Prisc. in 6.
* Lib. 2. Tusc. quæst.
† 6 Æn.
‡ Prudentius lib. 2 adversus Symmachum.
* Lib. 1.
‡ Al. CXLIIII, sed non invenio istic.
† Act. 2. sc. 2.
‡ Fol. 106 & seqq.
* In Indice Lucret. voce suus.
† An. 1476.
‡ Lib 1.
* Apud Prisc. lib. 6.
† Pag. 96.
‡ Inscript. Gruter. pag. 575.
* Ibid. pag. 375.
† Pag. 915.
‡ Pag. 616.

CAP. XIV.

Expenduntur sex canones de genitivis in IUM. Vigilium, hospitium, carnificium. *Syncope in genitivis participiorum in NS.* Sontûm, Veronensûm, marûm. Principium, *pro* principum. *Nebrissensis error.* Panium *Cæsar*, panum *Verrius*, *neutrum Charisius probabat.* Volucrum, & volucrium. Cladûm, mensûm. Utilitatium, civitatium, hæreditatium. *Marius Victorinus refellitur.* Paludium, Fornacium. *De monosyllaborum genitivis ne quidem inter veteres convenit.* Crucium. Murium, *pro* murium, *apud unum Tullium. Trogus à Plinio, & Charisio, immeritò reprehensus, quòd* parium, & imparium *dixerit.* Jurium, laudium, fraudium, extispicium, meretricium, hominium, servitutium, compedium, judicium, virtutium. *Festorum nomina genitivum formabant per* orum, & ium. *Rectus singularis* milliarium, torcularium, lupanarium. Vulgarius, singularius. Alis, *pro* alius. Vectigaliorum, anciliorum, sponsaliorum, viridiorum. Conclavium, *pro* conclave. Poëmatorum, analemmatorum, parapegmatorum, tetrantorum. Tetrans.

Accedamus ad genitivum, qui nunc in UM, nunc in IUM finitur. Ac sextuplicia quidem IUM facere dicuntur. Primùm ea, quæ in ablativo singulari habent I tantùm, vel E, & I simul. Quem canona apud Sosipatrum legas in primo, & Priscianum in VII. Ad eum refer gentilia in AS. Ut *Arpinatium*, apud Ciceronem ad Att. lib. IV, epist. VII: *Fidenatium*, apud Livium lib. IV sæpius: similiaque sunt *Capenatium, nostratium, vestratium.* Nam hujusmodi quoque ablativum in I faciunt: cujus caussam hanc adduximus, quòd integrè priùs dixerint, hic & hæc *Arpinatis*, *nostratis*, atque ita in cæteris. Ac propterea & ab *optimas*, quod prius fuit *optimatis*, in ablativo fuit *optimati*. Ut genitivus sit *optimatium*, quod Ciceroni crebrum. At *optimatum* κατὰ συγκοπὴν dicit Cornelius Nepos*: simileque *summatum* apud Plautum Pseudolo†. Hanc naturam gentilium in AS imitantur quandoque non gentilia, ac ne adjectiva quidem, nec ablativum in I exeuntia. Ut *utilitas, civitas*. Sed de his canone quarto commodiùs dicetur. Hic potiùs videamus, quæ à superiori canone excipiantur. Cujusmodi sunt comparativi: ut *meliori, meliorum*. Neque id mirum, quando in ablativo E usitatius, quàm *i* foret. Contrà comparativus *plus* tantùm habet *plurium*: nempe quia in recto etiam est *pluria*. Similiter *compluria*, & *complurium* dicitur; etsi Plinius apud Charisium præferat *complurum*. Sed nonnisi cum I veteres videntur extulisse.

Nec comparativi solùm eximendi; sed alia quoque iisdem ablativo in I terminata. Ut, *veteri, veterum*; *inopi, inopum*. Simile *memorum*, apud Maronem in XII; *ditum*, Horatio lib. III, od. XI, & XVI; *mugilum* Plinio

* In Alcibiade.
† Act. 1, sc. 2.

nio lib. IX, cap. XVII; *strigilum*, apud eundem lib. XXXI, cap. XI. Adhæc ablativos quidem in I, genitivos tamen in UM impurum claudunt, *uber*, *puber*, *impuber*, *degener*, *congener*, *compos*, *impos*, *bicorpor*, *tricorpor*. At *vigil* non ausim huc referre. Nam substantivè acceptum ablativum facit *vigile*: unde genitivus *vigilum*, itidem sumtus substantivè, apud Maronem in IX. At à *vigili aure*, quod apud Papinium, metuo ne potiùs *vigilium aurium* dicatur. Præsertim cùm & substantivè *præfecti vigilum* legatur L. unica. C. de officio præfecti vigilum. Fortasse & *hospes* adjectivè olim *hospiti* fecit; atque inde genitivus *hospitium*; quomodo in Ætna ‡. legimus, *hospitium fluviorum*. Imo in Pacuvii versu exIlionâ, apud Nonium in *Cluet*, ubi in plerisque editis, ac nostro etiam Mso legitur:

‡ Vers. 128.

Sed hæc cluentur hospitum infidelissimi:

in Msis aliis est *hospitium*: atque ita vett. editt. ut Mediolanensis anni CIↃ IↃ: & Veneta Pincii, quæ quadriennio eam antecessit.

Quædam tamen *ium* refugiunt; ut à *facio* composita. Sic ab *artifex*, quod adjectivè acceptum *artifice* vel *artifici* facit; unde *artifici pollice* apud Statium; in genitivo non *artificium pollicum*, sed *artificum* dixeris. Simile *opifici manu*; non *opificium manuum*, sed *opificum*. Et verisimile est, id fieri, ut differant à rectis *artificium*, & *opificium*. Idem locum habeat in *carnifex*: quod adjectivè sumitur sæpius: unde *carnifices pedes* Silio lib. I: *carnifices epulas*, apud Claudianum in bello Gildonico. Quare sextus casus sit, *carnifice*, vel *carnifici manu*: genitivus tamen *carnificum manuum*; ut differat a recto *carnificium*. Quomodo *carnificum cribrum* multæ habent editiones Plauti Mostell. act. I, sc. I. Nisi cum Scoppio * malis, *carnificium* esse genitivum, pro *carnificum*. Sed in libris plerisque est *carnificinum*; in aliis, *carnificum*; quod in melioris est notæ Msis; nec minùs placet.

* Lib. 5 suspect. lect. epist. 5.

Cæterùm in multis eorum, quæ ut ablativum per *i*, ita genitivum per *ium* faciunt, non rarò syncope invenitur. Ac imprimis id fit in genitivis participiorum: quomodo apud Maronem legere est, *cadentum*, *faventum*, *furentum*, *loquentum*, *monentum*, *natantum*, *potentum*, *precantum*, *quadrupedantum*, *recusantum*, *rudentum*, *sequentum*, *silentum*, *venientum*. Nec in solis participiis invenitur. Nam & Statii est III Theb.

—— *Æternaque fontum*
Supplicia.

Et, ne sic quoque contineam me terminatis in NS; *agrestum* pro *agrestium* habes I Georg. *cælestum* pro *cælestium* est VII Æn. Et Catulli est *:

* Carm. 101 de Cælio, & Quintio.

Flos Veronensum depereunt juvenum.

Ita enim emendant juniores. Sed in antiquis editionibus *Veronensium* reperio; ut pro syncope possis συνίζησιν statuere; qualis in *alvearia*, *semiustum*, & aliis id genus.

Contrà sunt quædam, in quibus vix syncopen invenias. Ut in neutris E finitis. In his enim raram esse, testatur Priscianus in VII, & Servius in XI Æn. ubi ait, propterea non dici, *animalum*, pro *animalium*. Durius sanè illud Nævii in bello suo Punico: *Neptunum, regnatorem marum*. Quod nemo dixerit orator.

Nec minùs insolens syncope in plerisque adjectivis trium generum sub unâ terminatione. Nec enim, quia dicitur *atroce*, & *atroci*; *felice*, & *felici*: eò etiam *atrocum*, & *felicum*, legas. Neque diffiteor, *locupletium* dici, & *locupletum*. Sed fortasse hic nulla syncope. Nam tam à *locuplete* fit *locupletum*, quàm à *locuples locupletium*: ut ad Att. lib. VII, epist. VII: *In pecuniis locupletium.*

Alter canon genitivorum in IUM est de substantivis in duas consonas finitis. Nec temere restringo ad substantiva. Nam & *prudens*, *demens*, *amans*, *concors*, & similia, duabus consonis clauduntur, inque genitivo *ium* faciunt: sed cùm eorum ablativus terminetur in I, ad superiorem canona pertinent, ut eorum ratione hoc canone nihil fuerit opus. Sed opus eo fuit propter substantivorum illa, quæ in geminam consonantem exeunt, inque ablativo terminantur secundâ vocali, non tertiâ. Cujusmodi sunt, *mons*, *monte*, *montium*; *fons*, *fonte*, *fontium*; *pars*, *parte*, *partium*; item *ars*, *gens*, *dens*, *stirps*, *urbs*, *trabs*, & alia. Quin hæc quoque excluseris, si canona concipias de solis substantivis disyllabis, & polysyllabis. Quæ enim proximè memoravi, monosyllaba sunt, eoque universa sexto canone, qui de monosyllabis est, comprehenduntur. At propria sunt hujus loci, *cohors*, *cohortium*, quod apud Cæsarem in secundo de bello civili; *parens*, *parentum*, apud Horatium lib. III, od. XXIV; imò & Ciceronem, teste Charisio *, & Prisciano †. Item multa adjectiva substantivè usurpata. Ut *serpens*, *serpente*, *serpentium*; *bidens*, *bidente*, *bidentium*. Horatius epod. carm. I:

* Lib. 1.
† Lib. 7.

Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet.

Et lib. III, od. XXIV:

Tentare multâ cæde bidentium.

Sic *infantium*, *adolescentium*, *rudentium*, *torrentium*. Cujusmodi substantivè accepta, ablativum per E formant.

Cæterùm ab hoc canone excipi oportet, *cælebs*, *princeps*, *consors*, *hiems*, *senex*. Et à *capio* derivata; ut, *forceps*, quod à candenti ferro capiendo, quasi *ferriceps*; *manceps*, quod ex *manuceps*; *municeps*, quod à munere capiendo; *particeps*, ubi origo aperta; & *princeps*, quod ex *primiceps*. Ac pleraque horum differentiæ caussâ sic proferri videntur. Nam recti sunt, *mancipium*, *municipium*, *principium*, ut mittam grammaticorum *participium*. *Principium* tamen pro *principum* est apud Justinum lib. I: ut observat Bongarsius. Ac Cujacius monet, similiter locutum Licinium tit. de Stupratoribus.

Præterea à canone secundo excipiuntur Græca omnia; quæ ut Græce in ων, ita Latinè in *um* exeunt impurum. Ut sunt, *Arabs*, *Æthiops*, *Cyclops*, *chalybs*, *gryps*, *lynx*, *sphinx*, *phalanx*. Eoque valde fallitur Nebrissensis, cum *lynx* putat facere *lyncium*.

Quod verò diximus de exeuntibus in duas consonas, id non accommodandum quibusvis in X terminatis. Nam, ut ex Plinio Charisius ait, dicimus, *filicum*, *filicum*. Idem citat ex Hortensio pro C. Rabirio: *Cicatricum mearum*. Atque addit, *Hoc emendatè dictum est*. *Radix* tamen *radicum*, & *cervix cervicum*, facit: ut Plinium quidem tradidisse, idem auctor est. Verùm Fabianus de animalibus: *Radicum genera*. Et Hyginus de agricultura lib. III: *Ab extremis radicum partibus*. Citat Charisius, & addit, *magis hoc cum ratione dici*. Ex scriptoribus rei rusticæ, qui exstant, Varro quidem *radicium* habet in primo, & tertio: at *radicum* est apud Columellam libro III, capite XVIII. De monosyllabis in X terminatis canone sexto dicemus.

Tertius canon comprehendit nomina non crescentia in obliquis, quorum rectus exit in ES: ut *nubes*, *nubis*, *nubium*; apud Horatium lib. IV, od. II: vel in IS, ut *piscis*, hujus *piscis*, *piscium*; apud eundem lib. I, od. II. Eoque refer & Græca ex secundâ contractorum: ut *syrtis*, hujus *syrtis*, *syrtium*, apud Plinium lib. V, cap. IV: *diœcesis*, hujus *diœcesis*, *diœcesium*, apud Ciceronem lib. III ad famil. epist. VIII, & lib. V ad Att. ep. ult. Vel in ER, ut *venter*, *ventrium*, apud Plin. lib. IX, cap. L. ac similia, *utrium*, & *lintrium*; cum *imbrium*, apud Horat. lib. III, od. XXVII. Sed hoc non minùs ad primum canona refertur, quia ablativus in *i* exit.

Ab hoc canone excipiuntur *vates*, *vatum*; *canis*, *canum*; *panis*, *panum*. Sed de tertio hoc dissentiunt veteres. Charisium audiamus in primo: *Panium Cæsar de analogia libro secundo dici debere ait. Sed Verrius contrà. Nam i detractâ panum ait dici debere. Neutrum autem puto posse dici, quia de iis est nominibus, quæ cùm pondere, numero, mensurâque constent, semper sint singularia.* Sed Verrio etiam Priscianus assentit in VII. Charisii verò argumentum & in se admodum est infirmum, & eo minoris ponderis, quia *panes* in plurali dixit Varro in vita populi Romani *: & apud Martialem lib. XIII, epigr. XLVII lemma est, *panes Picentini*. Etiam excipiunt composita ab *oleo*, *indoles*, *suboles*, *proles*; quod *prolum* facere, ait

* Apud Nonium.

ait Martianus Capella in tertio. Sed tria hæc rarò in plurativo invenias: qua de re diximus † in femininis singulari solùm, aut vix aliter, usurpatis. *Juvenis* quoque *juvenum* facit. *Volucris*, *volucrum*, & *volucrium*. De quo sic Charisius in primo: *Volucrium, Cicero de finibus malorum & bonorum; nec non & Fabianus Naturalium caussarum libro II, & III. Volucrum, Mecenas in dialogo II, & consuetudo, ut ait Plinius.* Sanè *volucrium* etiam ait Varro lib. I Rei Rust. cap. XXXVIII: *Stercus optimum volucrium.* At *volucrum* cùm Maro, & Martialis; tum Plinius libro X, capite LXI: *Volucrum animal parit vespertilio tantùm.* Itemque alibi ‡. Etiam *apum*, & *apium*, dicitur. Prius est apud Columellam lib. IX, capite III, & IX, & Plin. lib. XI, cap. VII, & IX. Altero usus Varro lib. III rei R. cap. XVI, Columella lib. IX, capite III, VI, & XI. Itidem Ovidius Met. XV:

> *Melliferarum apium sine membris corpora nasci.*

Juvenalis sat. XIII:

> *Examenque apium longâ consederit uvâ.*

Et Boëthius de Consol. philos. lib. III, metro VII:

> *Apiumque par volantum.*

Crebra autem est syncope in iis, quæ ad tertium canona pertinent. Ut apud Silium lib. I:

> *Turbine mox sævo venientum haut inscia cladûm.*

Et in IV:

> *Exoritur rabies cadûm, ac vix tela furori*
> *Sufficiunt.*

Sic *mensûm*, pro *mensium*, apud Ovid. V Fast. & VIII Met. fab. II, & Senecam act. IV Theb. Ut mittam Lactantium, vel alium, sed gentilem, in Phœnice, Honorium Fortunatum, ac juniorum poëtarum alios. Nec, qui prosa utuntur, his penitus abstinent. Nam, Prisciano teste, Cicero pro Sextio dixit: *Vestrarum sedûm, templorumque caussâ.* Et ut potissimùm insistam memorato *mensûm* vocabulo, apud Censorinum in MSS. codd. quos Carrion secutus, cap. XX legitur, *duodecim mensûm*: & rursum, *decem mensûm*: item, *extremis partibus mensûm*: & cap. XX. *mensûm genera duo*: item semel iterumque, *mensûm nomina*, & alibi item: quibus omnibus locis corrupte ab Elia Vineto *mensium* editum est. Quin Paullus quoque J. C. lib. singulari de Cognitionibus ait: *Ubi lex duorum mensûm fecerit mentionem.* L. CI. D. de divers. reg. juris antiqui. Ita enim in multis codicibus ibi legere est. Imò Brissonius Παρέργων libro singulari, observat, sic plurimùm legi in juris libris: semper verò in codice Theodosiano.

Ad quartum canona pertinent polysyllaba in AS: ut *utilitas*, *civitas*, *hæreditas*. Livius lib. XLV: *Responsum ab Senatu est, Rhodios neque utilitatium Græciæ, neque curâ impensarum pop. Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse.* Ibidem: *Tam civitatium, quam singulorum hominum mores sunt.* Item, *Prædam Epiri civitatium*, dixit. Charisius quoque citat ex Cornuti, ejus qui Persii præceptor fuit, lib. X de Virgilio ad Silium Italicum: *Jamque exemplo tuo etiam principes civitatium, & poëtæ incipient similia fingere.* Ac similiter Porcius Cato apud Diomedem in primo: *Leges nervos esse civitatium.* Ita enim in melioribus libris legitur. Et Justinus initio lib. IX: *Sollicitatus paucarum civitatium direptione.* Censorinus quoque cap. XX libri de die natali: *Diversarum civitatium conferens tempora.* Ita in MS. codice legitur, ac rectè à Carrione editum: pro quo Vinetus *civitatum*; credo, quia alterum illud librariorum esse errorem suspicabatur. Atqui saltem ejus meminisset, quod scribit Varro lib. II de Analog. *Quod in patrio casu dispariliter dicuntur civitatum, parentum; & civitatium, & parentium.* Justinus lib. III: *Communia civitatium auxilia.* Ac similiter inscriptiones veteres, una Tordæ ad Boarium: CIVITATIUM VOLMERII ET PETOVII CURATORI: altera Firmi in Piceno: DANUVII ET CIVITATIUM DUARUM. Parque in aliis ratio est. Vellejus lib. II: *Qui favore omnium hominum, ætatium, ordinum, exceptus sit.* Justinus lib. XIII: *Calamitatium necessitas fuit.* Et lib. XVII: *Opesque affinitatium auxilio magnas paravit.* *Hæreditatium* est in Pandectis; itemque in veteri inscriptione prope Farsarum fluvium in Sabinis. Etiam *facultatium*, & *hæreditatium*, in iisdem Digestis legas. Ob tam multa hæc, miror Marium Victorinum scribere libro I *: *In eo, quod est amans, adjicienda est I litera in genitivo plurali, siquando sunt participia, aut ex participiis figurata: ex nominibus autem nusquam, ut ætas, & similia.* Negat igitur, dici *ætatium*, *civitatium*, *utilitatium*, & similia; planè contra præstantium scriptorum mentem.

Præter polysyllaba in AS alia quoque ad canona quartum pertinent. Ut *palus*, & *fornax*. Columella lib. III, cap. IX: *Ex limo concretarum paludium emergere.* At Mela lib. III, cap. III: *Paludum Suesia, Mæsia, & Melsiagum maxima.* Plinius lib. XXXIV, cap. X: *Cameris lateribusque fornacum est.* Et alibi sæpe. At idem quoque *fornacium* dixit lib. XXXV, cap. XIV. Referunt huc quoque, quæ in genitivo habent *itis*, penultimâ longâ. Ut *Sammitium*, apud Livium in VII: *Quiritium*, apud eundem in X, & Horatium lib. I, od. I. Sed hæc olim in recto habuere, hic *Quiritis*, *Samnitis*: eoque ad canona tertium liceat referre. Uti & *caro*, *carnium*. Nam olim fuit hæc *carnis*, hujus *carnis*.

Quinctus canon est pluralium tantùm. Sed de his ex ἀναλογίᾳ judicium faciendum. Nam *manes*, facit *manium*, quia singularis esset *manis*, hujus *manis*, unde *immanis*; ut ad tertium canona pertineat. Sic ex *foris*, harum *forium*. Nam syncope est in *forum*; quo usus Plautus Curcul. act. I, sc. III. Item *vires*, *virium*; quia rectus *vis* ex *viris*, itidem per syncopen. At *tres*, *trium*, ut τρεῖς, τριῶν. Excipiunt *procerum*, *Lucerum*, *Celerum*. Sed recti eorum sunt, *procer*, *Lucer*, *Celer*. Ut similia sint, ac *carcer*, *carcerum*. Unde de cæteris facilis conjectura.

Sextus canon est de monosyllabis, non omnibus, sed plerisque. Nam *os* facit *ossium*, at *flos*, *florum*: *nox*, habet *noctium*; sed *vox*, *vocum*: *mus* item *murium*; at *thus*, *thurum*. Ob hanc varietatem veteres non statuêre de monosyllabis certum canona. Itaque Charisius ostendit, fuisse olim de multis dubitatum. Quò illa pertinent: *Pacium, an pacum; & lucium, an lucum, dubitari etiam nunc ait Plinius: quoniam nec finitionem ullam in monosyllabis, inquit, Grammatici tentaverunt. nam ut fax, fex, nux, crux, rex, lex, sine I genitivo plurali sunt dictitanda: ita contra nox, falx, arx, lanx, cum i pronuncianda sunt.* Cæterùm de totâ hac re, ita statuo. Monosyllaborum alia sunt Græca, alia Latina. In prioribus est UM impurum. Nam ut Græci Φρυγῶν, Θρᾳκῶν; ita nos *Phrygum*, *Thracum*. In Latinis attenditur terminatio. Si ante X finale præcedat consona, judicium de iis faciendum ex canone secundo: quo traditur, duabus consonis clausa facere *ium*. Quod Charisius pronunciat de tribus illis, *falx*, *arx*, *lanx*. Ac par ratio in *calx*, *merx*. At eorum, ubi ante X vocalis ponitur, aliqua habent *ium*: ut *nox*, *nix*, *faux*, *crux*. *Faucium* crebrum est Plinio *. *Crucium* est apud Tertullianum in Apologetico: utcunque Charisius *crucum* dicere præcipiat. *Trucium* etiam dicitur. Sed hoc ad primum quoque canona pertinet, cùm ablativus sit *truci*. At longè plura habent *um* impurum: ut *rex*, *lex*, *grex*, inusitatum *prex*, *vox*, *dux*, inusitatum *frux*, unde *frugum*; *nux*, unde *nucum*, Plinio lib. XV, cap. XXII. Quædam etiam non temere in genitivo plurali reperias: ut *pax*, *fax*, *fex*, *pix*, *lux*. Fortassè nec *plebs*: etsi Prudentii sit in Romano:

> *Scribas & ipsas, & coronam plebium.*

Hæc de finitis in X.

Exeuntia in liquidam variant. *Mel*, *fel*, *sol*, destituuntur genitivo plurali. *Ren*, *renum* facit Plinio lib. XIX, capite II, III, & alibi sæpe. A *par* est *parium*: etsi aliter Charisio visum; de quo mox dicam. Item *Lar* habet *Larium*; quod apud Ciceronem *, & Plinium †: apud Varronem tamen lib. VIII de L. L. vulgò legitur, *Manium*, ma-

† Lib. superiore cap. 40.

‡ Ut lib. 3, c. 11.

* Extremo capitis de orthogr.

* Lib. 21, cap. 21, l. 22. c. 9. l. 26. c. 4.

* Lib. 2 de Legg. & 3. de Nat. Deor.

† Lib. 28, cap. ult.

matrem Larum. *Fur* facit *furum* apud Catullum ‡, & Horatium *.

‡ Carm. 34.
* Lib. 1. Sat. 8.

Etiam trisyllabos habent genitivos quædam in AS: ut *as assium*, *mas marium*, *vas vadium*. In ES, ut *bes bessium*. In IS, ut *lis litium*, apud Horat. lib. III, od. XIV; *glis glirium* apud Plautum, teste Nonio; *dis*, *ditium*; *vis*, *virium*. In OS, ut *cos*, *cotium*; *dos*, *dotium*, apud Jurisconsultos; *os*, *ossium*; nam *ossium* apud Appulejum κατὰ συγκοπὴν factum. Quare ad instar *ossium*, si necessitas jusserit, *orium* potiùs, quàm *orum* dixero. Plura de hoc dicam libb. de Vitiis Sermonis tom. 2. In US, velut *mus*, *murium*: ut apud Plinium lib. X, cap. XLV, *murium fetus*. Ac similiter idem lib. XI, cap. XXXVII, & alibi. Cicero tamen, Charisio teste, in II de Nat. Deorum scripsit: *Nec enim homines murum, aut formicarum caussâ, frumentum condunt*. Sed solus ita locutus esse Tullius videtur; & fortasse semel duntaxat. Ideo sic de eo apud eundem Charisium Plinius in sexto Dubii sermonis (Murium Cicero) *pro murum: quoniam non ut fures, furum, & mugilum, & celerum dicimus; ita murum censere debemus*. Addit deinde hanc discriminis caussam, quia *murium* sit à recto in S: *furum* sit à recto in R. Atqui, inquit Plinius: *Quæcunque R litera nominativo singulari sunt terminata, oportet ea genitivo plurali UM, non IUM recipere*. Hinc colligebat Plinius, *par* quoque facere *parum*, & ejus composita *imparum*, *comparum*, *disparum*. En verba; *Itaque Trogum de animalibus libro X, Parium numerorum, & imparium, non rectè dixisse: sed parum, & imparum*. Miror tam levi argumento à Plinio, & Charisio, damnari Trogum. Nec enim verum est, omnia in R exeuntia facere UM; sed substantiva duntaxat, quæque ablativo habent E: ut *salar*, *salare*, *salarum*; *cadaver*, *cadavere*, *cadaverum*; *arbor*, *arbore*, *arborum*; *turtur*, *turture*, *turturum*. At adjectiva, vel alia etiam in ablativo habentia I, finiuntur in IUM: ut, *calcar*, *calcari*, *calcarium*; *par*, *pari* (hoc enim usitatius esse diximus *) *parium*: velut *impari*, *imparium*. Ut mittam, quòd veteres hic *paris*, hujus *paris* dixere: unde *parium*, juxta canonem secundum.

* Cap. sup.

Alia verò sunt monosyllaba literà S clausa, quæ habent UM impurum. In ES, ut *pes*, *pedum*. Cujus exemplum & composita sequuntur. Cicero pro Domo suâ: *Hoc ministro omnium, non bipedum solùm, sed etiam quadrupedum nequissimo*. In OS, ut *mos*, *morum*; *flos*, *florum*. In US, ut, *thus*, *thurum*; de quo auctor Charisius: *crus*, *crurum*; quod legas apud Maronem in III Georg. & XI Æn. Senecam epist. XCV, & Appulejum, lib. IX, ex Lipsii † restitutione, κατὰ τμῆσιν *crurum* ait *fragium*, pro *crurifragium*. *Jurum* ait Cato in VII Originum ‡: *Jurum*, *legumque*. Plautus tamen *jurium* dixit Epidico *. Sed utrumque insolens. Unde Charisius: *Numero plurali tantummodo per nominativum, & accusativum, & vocativum declinatur: ut maria, rura, ara, jura*. Potiùs tamen dicendum *jurum*, quàm *jurium*; *rurum*, quàm *rurium*; *arum*, quam *arium*. At dispar ratio in *maria*: quod addit Charisius. Quid mirum? cùm *mare* sit disyllabum, priora autem monosyllaba: priora item ablativum in E faciant, *mare* in I.

† De cruce lib. 2. c. 24.
‡ Apud Charis. in 1
* Act. 2, sc. 4.

Unum monosyllabum habet O ante UM: *bos*, *boum*, sive κατὰ συγκοπὴν ex *bovium*, sive ex Græco βοῶν. Duo habent U, *sus*, *suum*; *grus*, *gruum*. Utrumque apud Plinium, & rei rusticæ scriptores.

Laus facit *laudum*. Virgil. III Georg.

Tantus amor laudum, tanta est victoria curæ.

Atque ita veteres semper: ut non sequendus sit Sidonius Apollinaris, carmine XXII de Narbone:

Nam quod carmine pro tuo rependo,
Hoc centesima laudium tuarum est.

Muretus tamen Philippica II reperit in codice Mso, atque ita etiam in Philippicarum suarum editione expressit: *Se æmulum mearum laudium exstitisse*. Mihi unicus codex non tanti sit, ut sequi ausim.

Sic *fraus*, *fraudum*: etsi Appulejus *fraudium* dicat, cùm alibi, tum lib. V Met. *Facinorosæ mulieres, destrictu gladiis fraudium, simplicis puellæ paventes cogitationes invadunt*.

Imò Carolus Langius in sua Officiorum Ciceronis editione lib. III sic expressit. *Fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium*. Ac in annotationibus monet simile esse *fraudium* Philipp. II de quo dictum.

Sex quos canonas ponunt excussimus. Sed præter ista invenias nonnulla per *ium* prolata; attamen haut temere imitanda; pleraque etiam controversa. Accius Medeâ *:

* Apud Non. in Extispices.

Principio extispicium ex prodigiis congruens ars te arguit.

Scio, *extispicum* scribere cùm alios, tum H. Stephanum in Collectione fragmentorum Poëticorum. Sed *extispicium* est in nostris membranis, aliorumque MSis, & editione Aldinâ, & antiquiore hac Mediolanensi. Eamque lectionem etiam Hadr. Junius, & Mercerus expressere. Itidem Plauti est Casinâ *:

* Act. 3, sc. 3.

Non matronarum officium est, sed meretricium.

Ut quidem eum locum princeps restituit Lipsius †. Eodemque modo Bacchidibus loqui Pistoclerum, observat Duza in quæstionibus Plautinis lib. II, cap. XX. Est & apud Sallustium Jugurthâ: *Neque quisquam hominium satis placebat*. *Hominium* quidem, pro *hominum*, se reperisse in fideli exemplari, cum annotatione in margine, quæ omnem mendi suspicionem tollat, scribit Josephus Scaliger ad Ætnam Severi. *Servitutium*, & *compedium*, dixit Plautus Persâ, act. III, sc. Curate isthuc intus. Quamquam pro *servitutium*, quomodo & Scaliger, ac Colerus legunt, corruptè edi soleat, *servitricium*. *Judicium*, pro *judicum*, in membranis Vegetii esse, scribit Godscalcus Stewechius: quod ipsum est L. II. C. De officio comitis sacri palatii; & in L. nulli. C. de officio Rectoris provinciæ. Paullini est epist. I ad Ausonium:

† Lib 3 Antiquarum Lectionum, cap. 1.

Magister hic virtutium.

Fortasse autem & hujus quodammodo generis sit, quòd Lucretius lib. VI, & Maro VIII Æn. *alituum* dicant. Nempe πτηνῶν pro *alitium*, uti hoc pro *alitum*. Veteres enim pro I frequentabant U: unde illa, *optumus*, *maxumus*. Alii in *alituum* U inseri dicunt per epenthesin. Sed seu I, seu U interponatur, epenthesis erit.

Quædam etiam nomina tertiæ facere dicuntur genitivum in *orum*. Nam, ut Charisius ait lib. I, & Phocas in Arte, non solùm dicitur, *Saturnalium*, *Lupercalium*, *Floralium*, *Compitalium*, *Terminalium*, *Liberalium*: sed etiam, *Saturnaliorum*, *Lupercaliorum*, atque ita in cæteris festorum nominibus. Quod ita esse, probat Macrobius ‡ auctoritate Sallustii, Masurii, Verrii Flacci, Julii Modesti, & Valerii Antiatis. Ac similia habet Nonius Marcellus, cap. de mutata declinatione, & Priscianus in septimo. Quæritur igitur, utrùm hæc sint declinationis tertiæ, an secundæ. Communis est opinio, ad tertiam pertinere. Et pro hac sententia sunt duo ista. Primùm quòd in recto singulari dicitur, *Agonalis*, *Furinalis*, *Floralis*: unde Ovidio *, *festum Florale*: *Furinales feriæ* †, & *Agonales dies* ‡ Varroni: atque ita in aliis. Deinde quòd dativus in *bus* terminetur: ut illo Martialis *:

‡ Lib. 1 Sat. cap. 4.
* Lib. 4 Fast.
† Lib. 4 de L. L.
‡ Lib. 5 de L. L.
* Lib. 6, ep. 24.

Saturnalibus ambulat togatus.

Sic apud Ciceronem, Juvenalem, alios est, *Quinquatria*, *Quinquatrium*, *Quinquatribus*. Sed corruit hæc sententia, si dicatur, duos fuisse rectos singulares; in E unum, alterum in UM: à rectis *Florale*, *Agonale*, *Saturnale*, esse horum *Floralium*, *Agonalium*, *Saturnalium*: à rectis *Floralium*, *Agonalium*, *Saturnalium*, esse *Floraliorum*, *Agonaliorum*, *Saturnaliorum*. Dixeris, rectos in ALIUM non esse in usu. Sed sufficit, si fuerint: quod ἀναλογία verisimile facit. Par enim ratio videtur, ac in *alvearium*, & *alveariorum*: at illud ab *alvear*, vel *alveare*; hoc ab *alvearium*; quorum utrumque apud Varronem in libris de R. R. Item apud Jurisconsultos non solùm *exemplar*, sed etiam hoc *exemplarium* * legas. Ab illo fit horum *exemplarium*; ab altero, *exemplariorum*. Et Cicero nunc *milliare* †, nunc *milliarium* dicit: ut in Bruto;

* L. 47 ff. de leg. 2. item l. 10. ff. de testam. aper.
† Cic. ad Att. lib. 6, epist. 1.

Cum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset. Nec torculare solùm, vel *torcular* dicitur, sed & *torcularium*: ut apud Catonem de R. R. cap. XVIII: *Torcularium si ædificare voles.* Item *lupanar*, & *lupanarium*: ut L. XLIII. D. de ritu nupt. *Quæ in lupanario se prostituit.* Et L. XXVII. D. de hered. petit. *A lupanario perceptæ pensiones.* Sic *vulgaris*, & *vulgarim*: ut apud Agellium lib. XVI, cap. V, *vulgariam traditionem.* Item, *singularis*, & *singularim*; quo Turpilius utitur apud Nonium. Etiam *alis* veteres dixere pro *aliis*. Ut Catullus de coma Beronices:

> *Anne bonum oblita es facinus, quòd regium adepta es*
> *Conjugium? quòd non fortior aut sit alis?*

Ex his verò etiam statuere liceat de similibus genitivis. Qualis est *vectigaliorum*: quo frequenter pro *vectigalium* est usus Macrobius. Nec tantum id dictum velim de iis, quæ in *ale* vel *al*, exeunt: sed aliis quoque; quale est *anciliorum*, pro *ancilium*, apud Horatium lib. III, od. V:

> *Anciliorum nominis, & toga,*
> *Oblitus.*

Adhæc *sponsaliorum*, pro *sponsalium*, apud Suetonium in Augusto, capite LIII. Item *viridiorum*, pro *viridium*, apud Macrobium ‡. Et *conclaviorum*, pro *conclavium*, apud Vitruvium lib. VII, cap. V. Posterius à *conclave*; unde *conclavibus* apud eundem lib. VII, cap. V. Alterum à recto *conclavium*: quo usus Plautus Aulul. Act. III, sc. II. Sic *mantele* & *mantelium*.

‡ Lib. I Sat. cap. 4

Neutra quoque in M A, à Græcis venientia, utramque terminationem admittunt. Nam, ut autor est Charisius lib. I, dicimus *poematum*, & *poematorum*; *diadematum*, & *diadematorum*; *diplomatum*, & *diplomatorum*; *ceromatum*, & *ceromatorum*. Idem eopse libro ait, Varronem assiduè dicere *poematorum*, ac Ciceronem quoque pro Gallio sic locutum. Sed & Q. Lælium ex principibus Grammaticis librum suum sic inscripsisse, *De vitiis virtutibusque poëmatorum.* Et Accium similiter dicere Didascalicorum nono: *Nam quàm varia sint genera poëmatorum, Bæbi, quamque longè ab aliis distincta, nosce.* Alia quoque in M A similiter exeuntia apud Vitruvium invenias: ut lib. IX, cap. IV: *Umbrarum enim æquinoctialium magnitudinibus designantur analemmatorum formæ.* Pro, *analemmatum.* Et ejusdem libri, cap. VII: *Hipparchus, Aratus, cæterique ex Astrologiæ parapegmatorum disciplinis invenerunt.* Pro *parapegmatum.*

Mirum verò, quòd Vitruvius etiam *tetrantorum* dixerit. Sic enim scribit lib. III, cap. ultimo: *In singulis tetrantorum actionibus*, pro, *tetrantum.* Est verò à *tetrans*, quod idem ac *quadrans*: atque ut à *quatuor*, *quadrans*, sic à τετρὰς * *tetrans* factum est. Est enim *tetrans* idem quod τεταρτημόριον. Et sanè Vitruvius ipse *tetrantibus* in dandi casu ait lib. X, cap. XI: *In capitibus circino dividuntur circinationes eorum tetrantibus in partes quatuor.* Festus quoque in *Naucum* ait, *glossematorum scriptores*: & voce *Ocrem* citat *Attejum Philologum in libro glossematorum.*

* Quaternarius numerus.

Mirum quoque, quòd & *olerorum* pro *olerum* dixere, ut Nonius ostendit illo Lucilii sat. XV:

> *Tintinnabulum abest hinc, sirpiculaque olerorum.*

Ut verisimile sit, non solùm dixisse *olus*, *oleris*; sed etiam *oler*, vel *olerus*, *oleri*.

De Græca terminatione *ôn*, res nota: ut Varronis *hebdomadôn libri*, apud Nonium: *epigrammatôn* apud Martialem. Similiaque *metamorphoseôn*, *hæreseôn*.

CAP. XV.

De dativis pluralibus. Antiquitus in B O S exibant. Bubus, *&* subus. Quinquatrus, *&* quinquatria. Quinquatribus, *&* quinquatriis. *Neutra in M A dativos per I S efferre; nec rectè tales pro obsoletis à Riccobono haberi. Græci dativi, & ablativi, Latinis etiam in S I N terminati.* Boëthuntes *Turpilii.*

VEteres in dativo, & ablativo plurali, BOS pro BUS usurparunt: unde *navebos*, pro *navibus*, legere est in columnâ rostratâ C. Duillii. Nempe O pro U eo extulere seculo: unde & *consol*, & *ollorom*, & *captom*, inibi legitur, & apud Comicos *servos*, *Davos*, sexcentaque hujusmodi.

Bobus, & *bubus*, contracta sunt ex *bovibus*: quod integre, sed præter morem veterem, in farragine epistolarum S. Winfrid cognomento Bonifacii, aliorumque à Serrario editarum, usurpatur epistolâ centesimâ. *Bobus* est apud Horat. od. II, lib. Epod. ubi tamen *libri* alii *bubus*; unde *bubulcus*: sed hoc, contrà quam in *bubus* fit, primam corripit: uti apud Maronem Ecl. X:

> *Venit & opilio, tardi venere bubulci.*

Ita legendum docet Pierius: etsi pro *opilio* quidam codd. habent *upilio*; & pro *bubulci*, *subulci*: quod ipsum est à *subus*: id autem ex *suibus* factum κατὰ συγκοπὴν; ut à *bovibus*, *bobus*. *Suibus* integrè dixit Cicero in V de Fin. ac similiter editum apud Varronem lib. I de R. R. cap. XXXVI. In MSo tamen *subus* reperit Giffanius. Eo usus Lucretius lib. VI:

> *Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne*
> *Unguentum. nam setigeris subus acre venenum est.*
> *At contra nobis cænum teterrima cum sit*
> *Spurcities, eadem subus hæc jucunda videtur.*

Sive, ut Lambinus edidit;

> ——*subus hæc res munda videtur.*

nempe insertâ syllabâ *Res*. Sanè in nostris etiam membranis est, *subus hæc munda videtur.* Vulgatam tamen immeritò exagitat Lambinus. *Subus* etiam est apud Varronem lib. I de R. R. cap. XXXVIII. *Bubus, ac subus, ut fiant pingues.* Ubi, uti & lib. II, *subus* in veteribus libris se reperisse, fatetur P. Victorius. Est & *subus* apud Festum in *Sucula*. Cæterùm in allato Lucretii loco *subus* ex *suibus* fit κατὰ συγκοπὴν: alioqui enim princeps syllaba produceretur; ut in *bubus* sive *bobus* Lucretio*, & Horatio†. Ausonius etiam in *bobus* priorem corripit; ubi itidem συγκοπῇ, non συναιρέσει: quæ syllabam facit porrectam.

* Lib 6.
† Epod. od. 2.

Quinquatribus, & *quinquatriis* dicitur. Posteriori usus Cicero ad famil. lib. II, epist. XII, & Augustus in epistolis, Suetonio auctore*. Si Diomedem audimus, fuerit hoc à recto *Quinquatria*. Sed potiùs censeo, esse à *Quinquatria*, *quinquatriorum*: quem genitivum Priscianus agnoscit in septimo. Nempe ut *Saturnalia*, *Saturnaliorum* dixere; de quo superiùs actum. At *quinquatribus* vel est à *quinquatria*, *quinquatrium*; ut *Saturnalia*, *Saturnalium*, *Saturnalibus*: vel à *quinquatrus*, ut à *fructus*, *fructibus*. Nam festum hoc & *Quinquatria*, & *Quinquatrus* vocabatur: ut ex Varrone†, Cicerone‡, Ovidio*, Gellio†, Festo‡, & aliis constat. Imo *quinquatres* etiam dixisse, auctores nobis Sosipater, & Priscianus. Sed uti eo non ausim ut dixi lib. I de Analogia cap. XLII.

* In Augusto, cap. 70.
† Lib. 5 de L. L.
‡ Ad Atticum lib. 9, ep. 15.
* 6 Fast.
† Lib. 2, cap. 21.
‡ In Quinquatrus.

Neutra in M A duplicem habent terminationem: unam ἀναλόγως, in ATIBUS; ut *poëmatibus* Ciceroni libro III de Offic. *diplomatibus* Suetonio in Augusto, cap. L. alteram verò in ATIS, ad modum primæ & secundæ declinationis; ut *poëmatis* Plauto in Asinariâ. Simileque *schematis*; quo exemplo utitur Diomedes in primo. Antonius tamen Riccobonus, in paraphrasi Rhetoricorum Aristotelis*, eos, qui *enthymematis* ausint dicere pro *enthymematibus*, pari putat jure posse usurpare *enthymema*, *enthymema*, & *enthymemâtum*, *enthymemati*. Ac rectè videt illa in M A utroque hoc modo inflecti solere. Si enim primum inclinandi ordinem spectes; Pomponii est in Satyra, *Diademam dedit.* Plauti in prologo Amphitry. *Cum servili schema.* Sive consideres alteram seriem inclinandi; *diplomatorum*, *ceromatorum*, & alia, veteres dixere, ut superiùs ostensum. Verùm enimvero, quod Riccobonus credidit, jam rancidæ hæc & obsoletæ esse antiquitatis, id verò mihi aliter videtur. Sive enim primam declinationem attendas, sive secundam; invenias & quædam ejusmodi, apud medii, & labentis ævi scriptores; quæ ostendunt, neutrum penitùs obsolevisse. De primo, mitto

* Lib. 2, cap. 22.

Appu-

Appulejum dixisse, *candidam diademam*, & *dramatas explicatas*: insistamus ævo Julii, & Augusti: Laberii est in Cancro, *Pythagoream dogmam doctus*. Ac ne Poëticum hoc dicas, Vitruvii est lib. IX, cap. III, *ad sacomam pendere*: quo de loco dictum nobis lib. I Oratoriarum institutionum, cap. I. Etiam proximi huic ævi scriptor Tranquillus ait in Tiberio, cap. XLIII: *Ne cui in operâ edenda exemplar impetrata schema deesset.* De secunda declinatione, fidem fecerint Varro *, atque ipse Cicero †: qui *poematorum*, pro *poëmatum* dixere. Verùm sanè, ut obsolevissent casus alii, nihil tamen prohibet, quo minùs medii etiam optimique ævi scriptores certis in numeris, aut casibus, inclinationem retinuerint antiquam. De dativo quidem in TIS exeunte id certissimum mihi videtur. Nec enim esse inter ea, quæ squalle senioque sunt obliterata; argumento est, quòd (Prisciani verbis utor è lib. VII) *Cicero frequenter in Verrinis toreumatis dicit*, & *peripetasmatis*, & *emblematis*. In libro de signis ‡: *Nunc de peripetasmatis, quemadmodum te expedias, non habes.* Idem in eodem: *Scapha cum emblematis*. Idem * ad Herennium in IV: *De orationibus aut poëmatis*; *quamvis neutro genere hoc ubique ille profert.* Hactenus Priscianus; cui de voce *peripetasmatis*, etiam subscribit Cledonius. Imò Ciceronis quoque est Philipp. II: *Conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis.* Sed & Varronem itidem lib. IV de utilitate sermonis, *ænigmatis* dixisse pro *ænigmatibus*, scribit Charisius lib. I. Atque idem auctor est nobis, Varronem inscripsisse librum suum *de poematis*: & Annæum Florum ad Hadrianum Cæsarem scribere, *Poëmatis delector.* Gellius lib. XVII, cap. XXI: *Poëmatis clarum.* Similiter Plinius lib. XXIX, cap. VI: *Glaucomatis medentur.* Lib. XXI, cap. I: *Emplastris etiam maximè albis*, & *malagmatis miscent.* Et ejusdem libri cap. X: *Carcinomatis cum uva Taminia.* Etiam Appulejus lib. XI Met. *Tunc cuncti populi tam religiosi, quam profani, vannos onustas aromatis*, & *hujuscemodi suppliciis, certatim congerunt.* Quin, ut idem Charisius ibidem innuit, existimabat Plinius *, rectiùs dici *ænigmatis*, & *peripetasmatis*, quàm *ænigmatibus*, & *peripetasmatibus*, quia prius illud tum usitatius est, tum suavius. Equidem neminem hominem, non dico surdâ, & jacenti, sed exploratâ aure esse scio, cui non *peripetasmatis*, & *enthymematis*, jucundius conspectiusque ad aurem sit: at insuavius imperfectiusque, *enthymematibus*, & *peripetasmatibus*. Quare etsi in patrio singularis casu dicamus *enthymematis*, & *peripetasmatis*: tamen, quicquid dicat Riccobonus, neutiquam reformidabimus iis uti in plurativi casu dandi, & auferendi.

Nec ea hic est ἀνωμαλία, quam existimant vulgo. Nam hujusmodi dativi non veniunt à nominibus tertiæ in MA exeuntibus: sed à nominibus secundæ inde Latino more deflexis in MATUM. Nam ποίημα videntur Latini *poëmatum* dixisse; unde dativus *poëmatis*: pro περίστρωμα, *peristromatum*, unde dativus *peristromatis*, atque ita in aliis. Imò Græcorum hic Latini sequuntur exemplum. Æoles enim, quorum à sermone Latinus proficiscitur, pro terminatione MA dicunt MATON: ut ex Eustathio discere est. Qui in Iliad. B † hunc è scriptore veteri senarium adducit:

Μὴ καταγελᾶτε τοῖς ἐμοῖς παθημάτοις. Pro παθήμασι.

Atque idem monet in Odyss. Ξ ‡: & addit, similiter ab Æolis γερόντοις dici pro τοῖς γέρουσι.

Interdum quoque utuntur Poëtæ dativis & ablativis Græcorum in SIN: cujus rei ARCASIN exemplum ponit Martianus Capella. Ac geminum ei hoc Propertii lib. I, eleg. XX *:

Non minor Ausoniis est amor in Dryasin.

Τοῖς Δρυάσιν †. Et eâdem pòst:

Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.

Hoc est, *Hamadryadibus*. Iterum eâdem:

Grata domus nymphis humida Thyniasin.

Sequor autem his in locis certissimam emendationem Scaligeri ‡, ac Lipsii *. At qui prosâ scripsere, non aliter id faciunt, quàm in quibus locum non haberet inflexio Latina. Varro Parmenone †: *In argumentis Cæcilius palmam poscit, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus.* Plinius sermonis dubii lib. VII de Varrone ‡: *Quàm maximè vicina Græco Græcè dixit, ut nec schematis quidem dicat, sed schemasin.* Turpilius tamen cùm fabulæ suæ nomen fecerit βοηθοῦντες, Nonius passim citat poëtam hunc in *Boethuntibus*, pro *Boëthûsi*. Vulgò *bœtontibus*, corruptiusque *bethontibus*, vel *bæthonibus*, vel *bethonibus* exaratum. Sed in membranis nostris *boëtuntibus*, ut solus desiat spiritus, invenio.

* Charisius.
† Pro Gallo, teste Charisio lib. I.
‡ Sive Verr. 6.
* Vel potius Cornificius.
* In libris Dubii sermonis.
† Pag. 279. edit. Rom.
‡ Pag. 1761.
* Cujus initium, Hoc pro continuo.
† Dryadibus.
‡ Castigationibus in Propertii elegiam memoratam.
* Lib. I Antiq. Lect. c. 4.
† Apud Nonium in Poscere.
‡ Apud Charisium lib. I.

CAP. XVI.

De Accusativo, quando in ES, quando item in IS desinat, quatuor Prisciani canones adducti: & Valerii Probi de hujusmodi accusativis judicium. Malaspina refellitur. Plinius item refutatus. Qui Græcâ terminatione genitivi in OS utantur, & accusativi singularis in A, & pluralis in AS. Erinnys, *pro* Erinnyas.

Accusativos hodie non aliter, quàm per ES, efferimus, qui olim plerumque per IS, rariùs per ES, finiri solent. Quare, ut veterum vestigiis hac etiam parte insistamus, pretium fore puto, si ea in medium adducam, & expendam, quæ hanc in rem legere est apud antiquos. Sunt autem istiusmodi:

Quorum genitivus pluralis desinit in UM impurum, eorum accusativi literis ES clauduntur: ut, *patrum*, *patres*: quorum autem genitivus exit in IUM, eorum accusativi finiuntur in EIS, vel IS: ut *montium*, *monteis*, vel *montis*. Adfert hunc canonem etiam Servius in illud I Æn. *Treis Notus abreptas in saxa latentia torquet.* Asperum similiter tradidisse, indicat Charisius cap. de Analogia, in voce *Omnes*. Sed Varro, ut ex Plinio Charisius scribit, *exemplis hanc regulam confutare tentavit istiusmodi: falcium falces, non falceis facit: nec has merces, nec hos axeis, lintreis, ventreis, stirpeis, urbeis, corbeis, vecteis, nepteis.* Addidit deinde Plinius: *Et tamen manus dat* (Varro) *præmissa regulæ ridiculæ, ut exceptis his nominibus valeat regula.* Videmus, ut regula superiùs adlata vocetur ridicula: &, licet Varro putârit, eam locum semper habere, si duntaxat decem istæc vocabula exceperis; Plinii tamen, ac Charisii etiam judicio, multò plura eximi oportere. Priscianus igitur operæ se facturum existimavit, si de tota hac re traderet accuratiùs. Itaque ex illis, quæ *ium* habent in genitivo, quadruplicia nomina in *eis* vel *is* terminare præcipit. Primus canon est istiusmodi: *Omnium quæ tam nominativum, quàm genitivum similem habent, eorum accusativus rarò in ES, frequenter in IS solet terminari. Ut, hic & hæc omnis, hujus omnis, hos & has omnis.* Hæc istis illustrat exemplis. Sallustius in Catil. *Omnis homines, qui sese student.* Terentius in Andriâ: *Omnis nos gaudere.* Virgilius in III Georg.

——*Aquas dulcis, & frondea semper*
Tecta petunt.

Item I Æn.

Quoque magis fessas optem dimittere navis.

Idem in eodem:

Muneraque in navis ternos aptare juvencos.

Inque allato Sallustii loco etiam *omnis* legit Charisius. Et ita constanter MSS nostri. Juxta igitur canonem illum, quia dicitur, hic *funis*, hujus *funis*; in plurali etiam hos *funis*, aut *funeis*, dici oportebit. Sed nec omnes de eo convenisse, arguit Sosipater *; qui Plinium ait negare, hos *funeis* posse dici: erraréque eos, qui omnia in recto, & genitivo singulari, similiter exeuntia, & plurali genitivo *ium* habentia, in EIS, vel IS, putant terminari.

Alter Prisciani canon est talis: *Similiter faciunt accusativum ejusdem formæ* (EIS, vel IS) *semper pluralia. Ut, hi manes, horum manium, hos manes, vel hi ma-*

* Cap. de analogia in voce Funes.

maneis, vel *manis*. Exempla hæc addit. Virgil. IV Æneid.

Id cinerem, aut manis credis curare sepultos?

Et III Æn.

Tris adeò incertos cæcâ caligine soles
Erramus pelago.

Tertius ei canon est: *In ER quoque desinentia, quæ in I terminant ablativum, similiter faciunt accusativum pluralem plerumque per IS, raro per ES. Ut acer, ab acri, hos & has acris.* Exempla deinde hæc adducit. Virgilius in XI:

—— metuensque moneret,
Acris esse viros.

In XII:

—— sparsitque salubris
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.

In IX:

Cùm fremit ad caulas ventos perpessus & imbris.

In IV Æn.

—— Et celeris defer mea dicta per auras.

Horat. lib. I, epist. ult.

Me quater undenos sciat implevisse decembris.

Quartus, idemque ultimus canon Prisciano est iste: *Similiter faciunt accusativum in NS, vel RS terminata.* Ut, hic *fons*, hos *fonteis*, vel *fontis*: hic, & hæc, & hoc *iners*, hos & has *inerteis*, vel *inertis*: hæc *pars*, has *parteis*, vel *partis*. Exempla apud eum sunt istiusmodi. Terentius Heautont.†

Parentis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.

† Act. 1, sc. 2.

Virgil. II Georg.

Aggredior sanctos ausus recludere fontis.

In VI Æn.

Hic locus est, partis ubi se via pandit in ambas.

Et II:

—— Penitusque cavernas
Ingentis, uterumque armato milite complent.

Item in IV:

—— Mactant lectas de more bidentis.

Simile *feriens*: unde Stilo, Charisio teste, putabat, *ferienteis* facere debere; ut *docenteis*, *saltanteis*.

Post hosce quatuor canonas addit hoc Priscianus; quæ ad eos pertinent, raro exire in ES, utcunque genitivus desinat in IUM: ut in AS, vel X terminata. Nam etsi *civitatium*, *felicium*, *audacium*, dicatur; non temere tamen reperiri, *civitateis*, vel *civitatis*; *feliceis*, vel *felicis*; *audaceis*, vel *audacis*. Pauca tamen esse agnoscit, quæ in IS inveniuntur. Ut apud Maronem IV Georg.

—— Deinde tenacis
Suspendunt ceras.

Nec *lis*, vel *plus*, regulis superioribus continentur. Fatetur tamen Priscianus apud Ciceronem in Frumentaria legi: *Sedasti etiam litis illorum.* Et Horatium lib. I, epist. XX.

Cum tibi sol tepidus pluris admoverit aures.

Ac similiter in composito ejus *compluris*. Ter. Phorm. Act. III, sc. II:

Ego te compluris adversum ingenium meum menses tuli.

Cicero pro Cornelio I:

Quæ intermissa compluris annos.

Imò quædam etiam in genitivo clausa UM impuro, inventa olim in accusativo finita in EIS. Charisius: *Ferocior, tanquam pejor, melior, ait Stilo in EIS accusativo posse proferri, ferocioreis.* Idem mox ex Plinio addit, Cæcilium *facilioreis*, & *sanctioreis* dicere. Nimirum existimo, nec in illis solis, quæ Priscianus suis regulis complexus; nec iis semper, EIS, vel IS, sonare: sed veteres attendisse soni jucunditatem; proque eo ES, EIS, vel IS dixisse. Estque eadem mens Valerii Probi; de quo sic Gellius lib. XIII, cap. XIX: *Tum is, qui quæsierat, Quonam modo*, inquit, *ut aurem meam interrogem? & Probum ais respondisse, quo suam Virgilius percunctatus est, qui diversis in locis URBES, & URBIS dixit, arbitrio consilioque usus auris. Nam in primo Georgicôn, quem ego*, inquit *librum manu ipsius* (Virgilii) *correctum legi, URBIS per i literam scripsit. Verba è versibus ejus hæc sunt:*

—— Urbisne invisere, Cæsar,
Terrarumque velis curam.

Verte enim, & muta, ut, URBES, dicas; insubidius nescio quid facies, & pinguius. Contrà in tertio Æneidos URBES dixit per E literam:

Centum urbes habitant magnas.

Hic item muta, ut URBIS dicas; nimis exilis vox erit, & exsanguis. Tanta quippe juncturæ differentia est in consonantiâ vocum proximarum. Postquam hæc, & alia, de Probo retulit Gellius, ista subjungit: *Nos aliud quoque postea consimiliter à Virgilio duplici modo scriptum invenimus. Nam & TRES, & TRIS, posuit, eodem in loco, eâ judicii subtilitate, ut, si aliter dixeris, mutaverisque, & aliquid tamen auris habeas, sentias suavitatem sonitus claudere. Versus ex decimo hi sunt:*

Tres quoque Threicio Boreæ de gente supremâ,
Et tris quos Idas pater, & patria Ismara mittit.

Tres illic, tris hic. pensicula utrumque, & moderare. reperies suo quodque in loco sonare amplissimè.

Quærat aliquis, num, uti refert, *urbes*, an *urbis*; *tres*, an *tris*, dicas: itidem intersit, num *urbeis*, an *urbis*, *treis*, an *tris* sones. Multis ita videtur, qui iccirco digladiantur, *plurisne*, an *plureis*; *omnis*, an *omneis*, dicere oporteat. Sed hi manifesti sunt ineptiarum, quia olim I longum sonuit, vel planè vel prope eodem modo, ac Græcum EI; qua de re libro primo artis Grammaticæ satis diximus. Non venit hoc in mentem Leonardo Malaspinæ; qui agnoscit, Latinos esse usos diphthongo EI; at non Ciceronis; Varronisque ævo; sed tum tantùm, cùm AI quoque uterentur pro Æ. Hæc quippe vel eo redarguuntur, quòd Cicero Latinorum *bini* sonuisse dicat, ut Græcum βινεῖ. Sic enim scribit*: *Cùm terni loquimur, nihil flagitii est; cùm bini, obscœnum.* Meliora, sed non hujus loci sunt, quæ idem Malaspina fusè adeò disputat de terminatione ES, & IS. Vide eum in epist. III, lib. IV ad Att.

* Lib. 9, epist. ad Pætum.

Satis de accusativis in EIS, vel IS terminatis. Est præterea terminatio accusativi AS, sed in Græcis; imprimis in propriis, ut *Cyclopas*, *heroas*. Interdum & communibus. Nam ut Græci à τάπης τάπητας dicunt, ita & Maro ait lib. IX Æneid.

Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.

Spisse verò hàc in re erravit Charisius. Nam is, cùm dixisset apud Maronem †, —— *tapetibus altis*, legi à *tapete*: subjicit hæc verba: *Sed & masculino genere dicit, —— pictosque tapetas: cujus nominativum faciunt quidam hic tapes, qui facit hos tapetas: quod ego, quia nusquam scriptum puto, nequaquam probo.* Sanè cogitare debuerat, τάπης esse Græcis usitatum. Et unde alioqui sit Maronianum illud, —— *Pulcrosque tapetas*, sive, ut legit Charisius, *Pictosque tapetas*; aut hoc Statii lib. I Theb. —— *Altosque inferre tapetas?* Videtur autem Plinius hujusmodi accusativos refugisse. Nam ad vocem *Titanas*, Charisio teste, hæc annotavit: *Nec Pæanas accusativo, rectè dicimus. Nullum enim nomen accusativo plurali in AS venit, nisi quod nominativo plurali in Æ sonabit.* Quare, si Plinium audimus, non possimus dicere *heroas*, *Cyclopas*, & similia. Nec enim in recto plurali *heroæ* dicimus, sed *heroës*; nec *Cyclopæ*, sed *Cyclopes*. Sed si accusativis hisce pluralibus in AS uti non licet, nec licebit singularibus in A; ut *heroa*, *Cyclopa*. Imò nec genitivis in OS, ut *Pallados*, *Mæotidos*. Par enim Græcorum hic omnium ratio videtur, cùm ubique Latina suppetat terminatio. Paucis iccirco de his tribus expediam.

† 9 Æn.

Genitivis singularibus in OS utuntur Poëtæ, idque nullâ sæpe metri necessitate compulsi: ut in *Mæotidos*,

Atha-

Athamantides, *Colchides*, & similibus. Sed in prosâ hæc potiùs per IS efferuntur: ut apud Plinium in *Maotidos*, *Athamantidos*, *Colchidos*. Uti & à Comicis, ac plurimùm etiam Lyricis, & Bucolicis. Ut *Thaidis*, prologo Eunuchi; *Phyllidis*, Maroni Ecl. v, & vii, & Horatio lib. ii, od. iv.

Epici etiam, ac tragici, & elegiaci, ac reliquus prope poëtarum grex, *Thaida*, *Agamemnona*, & similia, dicunt: oratores, ac comici, *Thaidem*, *Agamemnonem*. Sic *Propontida* Catullus; *Propontidem*, Plinius*: *Lacedæmona* Ovidius†; *Lacedæmonem* Cicero‡: Horatius *Agamemnona**; *Agamemnonem* idem Cicero†: *Agathoclea* Ausonius‡; *Agathoclem*, Justinus*.

Accusativis verò pluralibus in AS utuntur & poëtæ, & oratores: quomodo *Cyclopas* apud Tullium, & *Æthiopas*†, legimus: *Cycladas* apud Plinium‡, & *Phœnicas**. Sic *Arabas* dixit Ovid. x Met. fab. ix; *Thracas*, Statius iii Theb. *Heroas*, Sulpitia in Sat. In epistolis tamen, & orationibus, præfertur Latina terminatio.

Quia verò de Græcis accusativis orsi sumus dicere, nec illud prætereundum, esse etiam, cùm desinant in YS: ut has *Erinnys*, quod contractum ex *Erinnyes*, sive *Erinnyas*. Græcè Ἐρίννυας, & Ἐριννῦς, quomodo Iliad. i, legimus†,

—— στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐριννῦς‡.

Et apud Hesiodum in Theogon.*

—— τίσαιτο δ' Ἐριννῦς πατρὸς ἑοῖο†.

Utitur è Latinis Seneca in Oedipo‡:

Et mecum Erinnys pronubas thalami trabas.

Ita enim eo loco legendum, non *Erinnes*, ut Delrio edidit: quod nec Græcum, nec Latinum: neque *Erinnyas*, quod probum, at metro repugnat.

* Lib. 2, cap 97. & lib. 11, cap. 37.
† Epist. 1.
‡ Lib. 2 de Nat. Deor.
* Lib. 4. od. 9.
† Lib. 1 de divinat.
‡ Epigr. 8
* Lib. 2 de divinat.
† Ibid.
‡ Lib. 2, cap. 87.
* Lib. 3, cap 1.
† Vers. 454.
‡ Odiosas vero invocabat Furias.
* Vers. 472.
† Ulcisceretur autem Furias patris sui.
‡ Act. 3. vers. 644.

CAP. XVII.

De quarta declinatione, & unde ea profluxerit. Valerius Probus, & Diomedes, perperam corripi putant ultimam nominativi, accusativi, & vocativi in V. Recti tonitrus, gelus, cornus: artu, sexu, pecu: cornum, gelum, verum. *Hic* fretus, *hujus* fretus, *hoc* fretu. Ossu. Peccatu. *Genitivi* geli, tumulti, fructi, adventi, senati, *& similes. Etiam* domi *esse ab hoc loquendi more. H. Stephanus refellitur. Genitivi* anuis, ritùis, partuis, senatuis, fructuis, domuis, graduis. Senatus ἔτυμον, *superque eo spissus error Prisciani.*

QUarta quæ dicitur declinatio mihi non tam nova declinatio videtur, quàm ἀνωμαλία quædam tertiæ, ex crasi, syncope, vel apocope proveniens. Ut *fructus*, *fructuis*, & per crasin *fructûs*; *fructui*, & per apocopen *fructu*; *fructuem*, sed hoc exolevit, at per syncopen *fructum*; ô *fructus*; hoc *fructue*, pro quo per crasin *fructu*. Hi & hos *fructues*, & ô *fructues*, *fructus*. Horum *fructuum*, ἀναλόγως. Ut enim à *patris* est *patrum*, *is* in *um* converso, sic à *fructuis*, *fructuum*. Dativo, & ablativo, *fructibus*, ut *patribus*. Verùm hæc planiora fient ex iis, quæ deinceps dicemus.

Terminationes hujus declinationis sunt duæ, US, & U. Sed illa in U toto singulari ἄκλιτα* sunt: in plurali autem tertiam sequuntur. Si tamen veterum plerosque audimus, sic ἄκλιτα sunt, ut interea quantitatis sit discrimen. Nam Valerius Probus in Catholicis, & Diomedes lib. i, tradunt, in nominandi, accusandi, & vocandi casu, U esse correptum: porrectum autem in genitivo, accusativo, & ablativo. Sed hanc sententiam refellit eo Priscianus, quòd Maro, Naso, poëtarum cæteri, U toto singulari producant. Diximus hac de re quoque Rei Grammaticæ lib. ii, qui de syllabis est, cap. xxviii.

Aliqui inclinant *cornu*, hujus *cornus*; *genu*, hujus *genus*; atque ita in cæteris. Nec obliquos hujusmodi reperiri inficior. Verùm sunt isti, non à rectis in U, sed in US. Nam nomina ejusmodi olim utramque habebant terminationem. Ut *tonitru*, *tonitrus*: quod apud Ovid. ii Met. Lucanum in vii, Plin. lib. viii, cap. xlvii.

* Indeclinabilia.

Gelu, *gelus*. Afranius in Epist.†

—— *Quis tu es ventoso in loco*
Soleatus, intempestâ nocte, sub dio
Aperto capite, silicem cum frangat gelus?

Attius in Promethæo:

—— *Tam profusus flamine hiberno gelus.*

Genu, & *genus*. Cicero in Arato:

Quæ genus ad lævum Nixi delapsa resedit.

Et sæpius ibidem.

Cornu, *cornus*, teste Prisc. in vii. Posteriori utitur Celsus lib. vi, & Plinius lib. xxvii, cap. xi; quorum uterque *cervini cornus* dixit: tum Lucanus lib. vii:

—— *Cornus tibi cura sinistri,*
Lentule.

Plinius lib. xxxvii, cap. x: *Hammonis cornu inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas aureo colore arietini cornus effigiem reddens.*

Monet Priscianus, *Capricornus* non sequi naturam simplicis; quia in secundâ utatur Cicero in Arateis. Quid mirum? cum non signet *cornu caprinum*, sed caprum cornutum; quomodo & Græcis dicitur αἰγόκερως.

Contrà itidem quædam hodie in US solùm efferuntur, quæ olim terminabantur in U. Tale pro *artus*, *artu*; unde *artua* Plauto, ut superius* ostensum; ab *artua* autem *deartuare*, apud eundem†: quod Nonius interpretatur, quasi per artus concidere.

Pro *sexus* quoque *sexu* in usu fuit; si Scaligerum audimus; qui sic apud Festum legit‡, & in Sallustii, ac Sisennæ locis, apud Nonium. Proque eo est ἀναλογία aliorum; ubi US masculinum, U neutrum. Sed dubiam hanc conjecturam reddit, quòd non modò in membranis nostris, & vett. Nonii editt. illâ etiam Merceri, *sexus* dicitur quandoque esse neutrum: sed apud Plautum quoque sit *virile sexus*. Alii verò legunt *virile secus*. Pluscula de eo diximus lib. præcedenti, cap. xxxi.

Addunt & *pecus*, *pecu*. Sed hujus aliquanto alia ratio est; quia *pecus*, non quartæ est, sed tertiæ. De *pecu* interea non repugnandum, quando id Charisius agnoscit lib. i, & Phocas in Arte. Imò usus Plaut. Mercat.*

—— *Non didici bajulare,*
Nec pecua ruri pascere, neque pueros nutricare.

Itidem Livius lib. xxxv: *In agris passim inundatis pecua ablata.* Solinus cap. xxv de Britannia ait: *Ita pabulosa, ut pecua, nisi interdum à pastibus arceantur, ad periculum agat satietas.* Plura loca adferunt Nonius Marcellus in *Pecua*, & Priscianus lib. vi. In his illud Hostilii lib. i Annalium:

Sæpe greges pecuum ex hibernis pastibu' pulsi.

Atque ex Festo discere est, etiam Catonem *pecuum* dixisse. Verba ejus attulimus libri præcedentis cap. xxxii.

Quin nomina quædam in U, non in US solùm; sed in UM etiam desinunt. Nam pro *cornu*, non *cornus* modò, de quo vidimus; sed etiam *cornum* dicitur. Eo utitur Ovidius Met. v†:

Oppositoque genu curvavit flexile cornum.

Quanquam in vulgatis, etiam Mso nostro, & editt. vett. sit *cornu*. Sed Priscianus *cornum* legit: uti & in secundo ejus operis: *Dextra tenet cornum.*

Nec pro *gelu* duntaxat *gelus* reperias, de quo antea dictum; sed *gelum* quoque, ut Priscianus testatur. Ac censeo respexisse illud Lucretii in vi‡, prout in nostris etiam membranis legitur:

—— *Quasi sæpe gelum, quod continet in se,*
Mittit, & exsolvit glaciem, nervosque remittit.

Scio, Giffanium velle, *gelum* esse accusandi casum à recto *gelus*. Sed obstat, quòd subjicitur non *quem*, verùm *quod*. Mirum interea, non meminisse hujus terminationis Nonium Marcellum. At non item liquet, utrum à *gelus*, an *gelum* sit, sive Catonis lib. ii Originum: *Qui aquatum & lignatum videntur ire, securim atque solum ferunt, gelum crassum excidunt, cum loco colligatum auferunt.*

† Apud Nonium.
* Libri præcedentis, c. 35.
† Captivis Act 3, sc. 4. & 5.
‡ In Sexus.
* Act. 2, sc. Amicè amico operam dedi.
† Fab. 6.
‡ Vers. 877.

ferunt.

ferunt. Etiam genitivum *geli*, apud Lucretium reperias lib. v, & vi.

Simileque est *verus*, & *verum*. Plautus Rudente*:

Namque quidem hoc vere natum est verum: ita in manibus consenescit.

Rubiginosum *veru* (quod antiquè *verum* vocat) confert floribus vernis, & in manu consenescentibus.

Quædam etiam in U exeunt, & UM; non item US. Ut pro *os* dixere *ossum*, & *ossu*: unde *ossa*, & *ossua*; de quo & antea † dictum. Α᾽ναλόγως autem *ossa* ab *os*, ut *ora* ab *os*: vel ab *ossum*; ut *cassa*, *lassa*; à *cassum*, *lassum*. *Ossua* verò ab *ossu*, ut *cornua*, à *cornu*; *genua*, à *genu*.

Alia item sunt, quæ non in U quidem exeant; sed in US quartæ, & UM secundæ. Ut *fretus*, *fretum*. *Fretus* in recto dixere Lucretius, & Varro: ut superius ‡ ostensum. Hinc genitivus hujus *fretus*. Messalla contra Antonii literas: *Angustia fretus.* Porcius Licinius: *Salsi fretus.* Citat utrumque Charisius*. Accusativo, *omnem fretum*, Ennius: *faventem fretum*, Nævius. Verba utriusque adduximus ibidem. Ablativo *fretu*, pro *freto*, Lucretius lib. I:

Angustoque fretu rapidum mare dividit undas
Italiæ terrarum oras a finibus ejus.

Imò Charisius † ait, Ciceronem quoque dixisse, *Gabitano fretu*: & Augustum ad Antonium, *Fretu recessi*.

Similia *anfractum*, *anfractus*; *censum*, *census*; *rictum*, *rictus*; *sensum*, *sensus*. Quæ ibidem veterum auctoritate comprobavimus. Viderique hujus loci possit & illud Ciceronis Act. II in Verrem: *Manifesto peccatu*, pro *peccato*. Sed hujusmodi, qualia etiam *arbitratu*, *permissu*, *obtentu*, rarò cunctis casibus declinantur.

Uti autem illa in UM tantùm sunt secundæ; ita à rectis in US, tum genitivi veniunt in I, more secundæ, tum in IS, more tertiæ. Ut, *fructus*, hujus *fructi*, & *fructus*. Utrumque exemplis adstruemus. Genitivis in I esse usum Lucretium, gemino loco probat Nonius. Prior est lib. v ‡:

Assiduusque geli cursus mortalibus adfert.

Alter est lib. VI *:

Denique sæpe geli multus fragor, atque ruina
Grandinis.

Similiter Terentius Andriâ †:

—— *In adibus*
Nihil ornati, nihil tumulti.

Ejusdem est in Adelph. ‡

Nunc exactâ ætate hoc fructi pro labore ab iis fero,
Odium.

Quomodo & citat Charisius, & Helenium Acronem, veterem Terentii interpretem, legisse, satis indicat, quando addit, & alterum esse genitivum *fructuis*. Idem Comicus in Phormione*:

Patrem ut extimescam, ubi ejus adventi venit in mentem.

Sic dixere, *quæsti*, *victi*, *æsti*, *senati*, *sumti*, *exercitis*, *adspecti*, *lucti*, *salti*, *parti*, *gemiti*, *flucti*, *piscati*, *strepiti*, *porti*, *soni*: de quibus omnibus vide Nonium. Estque apud Ciceronem quoque is Archaismus. Certè Sosipater docet nos, apud eum Divinatione in Verrem legendum esse, *Beneficio senati, populique Romani*: & Malaspina autor est, libros suos in secundâ ad Brutum epistolâ earum, quæ seorsim editæ, magno consensu habere: *Neque senatum, neque senati ducem.* Cumque apud Terentium † legatur, *domi focique*, dubium non est, quin sint genitivi adverbialiter positi; ne quis fidem habeat H. Stephano, qui in Pseudocicerone ‡ *domi* potiùs dativum esse existimat κατ' συγκοπὴν ex *domui* factum.

Altera prisca genitivi terminatio est in IS: ut *anuis*, pro *anus*. Terentius Heaut. *.

Mediocriter vestitam veste lugubri
Ejus anuis causâ, opinor, quæ erat mortua:

quomodo Priscianus quoque legit lib. VII.

Similiter Varro † Cato sive de liberis educandis: *Eam nutricem oportet esse adolescentem. Anuis enim, ut sanguis deterior, sic lac. Lac enim, ut quidem dicunt physici, sanguinis spuma.*

Quæstuis. Novius ‡:

Per deam sanctam Lavernam, quæ cultrix quæstuis sit.

Ubi, ut trochaicus sit, rescribo, *quæ sit cultrix quæstuis*.

Varro * Cato, sive de lib. educ. *Nam liberti quæstuis caussâ diribebant suas res pueris.*

Graduis †. Idem Varro de vita populi Rom. lib. II: *Multò præditi pudore, & pudicitiâ adulescentes vixerunt, cùm majore parte ejus graduis, & ætatis, stipendia facerent.* Ita is locus legendus videtur. In membranis nostris pro *vixerunt* est *dixerunt*: pro *ætatis* autem, *ad te*.

Fluctuis, æquè ac *domuis*, & *Senatuis*, dixisse, indicat hoc Gellii lib. IV, cap. XVI: *M. Varronem, & P. Nigidium, viros Romani generis doctissimos, comperimus non aliter locutos esse, & scripsisse, quàm Senatuis, & Domuis, & Fluctuis; qui est patrius casus.*

Rituis pro *ritus*, Varro Cato, sive de liberis educandis: *Itaque domi rituis nostri, qui per Dium Fidium jurare volt, prodire solet in compluvium.*

Partuis, pro *partus*. Varro Andabatis*:

Candidum lacte è papilla cùm fluit, signum putant
Partuis, quòd hic sequatur mulierem è partu liquor.

Senatuis, pro *senatus*: unde *Senatuisconsulto* apud Sisennam in tertio Histor. teste Nonio; ubi in nostris membranis, unius literæ defectu, *senatisconsulto*. Sanè veteres *fructuis*, & *senatuis*, dixisse, etiam, Charisio teste, Helenius Acro annotavit in Adelphos Terentii. Assentio quoque Andreæ Schotto †, qui Sisennæ locum è tertio Historiarum sic emendat: *Senatuis auctoritate saga induunt.* Ubi vulgo apud Nonium ‡ editum est, *Senatus autoritate sagaria nunc*. Quomodo & in membranis nostris invenimus. Sisennam autem *senatuis* pro *senatus* dixisse, Nonio dictum in *Senati*.

Fructuis verò probat Nonius ex Varronis περὶ ἢ Μελέαγρι· *Aliquot Romæ sunt, qui cellas vinarias fructuis caussâ fecerunt.* Et hoc ejusdem Meleagro: *Quæro, utrùm fructuis, an delectationis caussâ: fructuis, ut vendatis.* Ita nostræ etiam membranæ. Credo, præcesserat, *habeatis*, vel simile: ut sententia sit, num hortos habeatis solùm delectationis caussâ, an etiam utilitatis: ac utilitatis quidem, ut fructus vendendo, rem faciatis: at voluptatis ergo, ut duntaxat oculos pascatis.

Domuis, pro *domus*. Varro περὶ ἢ Μενίππου· *Perrexit in interiores partes domuis.*

Victuis, pro *victus*. Varro de vita populi Romani, lib. primo: *Primùm de re familiari, ac partibus; secundò de victuis consuetudine primigeniâ; tertiò de disciplinis priscis necessariis vitæ.*

Graduis, pro *gradus*. Varro de vita populi Romani libro secundo: *Multo præditi pudore, & pudicitiâ adolescentes dixerunt, cum majore parte ejus graduis ad te stipendia facerent.* Quæ Varronis huic rei comprobandæ Nonius adducit. Quin, Agellio teste, Varro, ex quo ista afferebamus, atque item Nigidius Figulus, Romanorum omnium doctissimi, non aliter quàm *senatuis*, *domuis*, *fluctuis*, scribere solent.

Nec omnes tamen genitivum extulere per *us*: quin Augustus Cæsar pro *us*, *os* malebat. Unde de autographis ejus literis sic in vitâ illius Tranquillus cap. LXXXVII: *Item* (ponit) *simus*, *pro sumus*: *& domos genitivo casu singulari*, *pro domus. Nec unquam aliter hæc duo; nequis mendam magis, quàm consuetudinem putet.* Marius Victorinus de Orthographia: *Divus Augustus genitivo casu hujus domos meæ, per O; non, ut nos, per V literam, scripsit.*

Porrò ex hisce fiunt genitivi usitati, *senatus*, *domus*, *fluctus*; non quidem per apocopen, quia sic corriperentur, uti ante apocopen; sed per crasin, ut arguit ultima porrecta. Nugatur Priscianus, cùm scribit, *senatus* genitivum

Marginal notes: * Act. 5, Sc. 2. — † Libro superiori cap. 13. — ‡ Libro præcedenti, cap. 36. — * Lib. 1, cap. de analogia. — † Ibid. — ‡ Vers. 206. — * Vers. 155. — † Act. 2, sc. 2. — ‡ Act. 5, sc. 4. — * Act. 1, sc. 3. — † Eunuchi act. 4, sc. 7. — ‡ Pag. 243. — * Act. 2, sc. 3. Anuis. — † Apud Non. — ‡ Apud Non. — * Ibid. — † Ibid. — * Apud eundem Non. — † Lib. 3 Nodor. Cicer. cap. 9. — ‡ In Saga, capite de genere vestimentorum.

tivum facere *hujus senatus*, quia componatur è *natus*, quod quartæ est. Siquidem simplex est; sed derivatum à *senex*. Ovid. v Fast.

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros:
Nomen & ætatis mite Senatus habet.

Florus lib. 1, cap. 1: *Ut consilium Reip. penes senes esset, qui ab auctoritate, Patres; ab ætate, Senatus vocabantur.*

CAP. XVIII.

Dativi singulares in VI unde veniant, & ut I recidatur, more Æolum, qui ἰῶτα prætereunt, si duabus is casus exeat vocalibus. Nec solos Poëtas sic loqui, sed & pedestris orationis scriptores. Error Prisciani, Nonii, & Stewechii. Gelo, *auferendi casu.* Impete. *Genitivi plurales per syncopen prolati.* Artibus, *pro* artubus. Artitus. *Duzæ emendatiuncula rejecta.* Attius *veriùs, qui vulgò* Actius, *vel* Accius. *Ejus locus emendatus. Servius defensus. Poëtas heroibus non apponere carnes elixas; sed duntaxat hominibus efferis, & improbis.*

A Genitivis in VIS veniunt dativi in VI: ut, *senatui, domui, fluctui*, atque ita in aliis. Cæsar tamen in lib. de Analogia, hunc dandi casum sine I literâ efferendum putat: quomodo apud Lucilium est *victu*, & *anu*; pro *victui*, & *anui*: apud Virgilium, tum *victu*, tum *metu*, *concubitu*, *adspectu*; pro *metui*, *concubitui*, *adspectui*. *Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu*, pro *usui*. Sententia est, non ad possidendum, sed duntaxat utendum. Ac ne Poëtas solùm hoc pacto locutos putes, Ciceronis est: *Quibus subito impetu, ac latrocinio paricidarum resistat.* Et apud Varronem legimus lib. IV de L. L. *Prætor dictus, qui præiret jure, & exercitu.* In antiquis quoque Vegetii codd. legitur lib. 1, cap. IX: *Sed & cursu præcipuè adsuefaciendi.* Vide Gellium lib. IV, cap. XVI, Priscianum libro VII, & Nonium Marcellum. Godscalcus Stewechius* putabat, cum eodem Marcello, in locis Varronis, Vegetii, ac similibus, dativum pro ablativo poni. Id mihi neutiquam verisimile fit. Omnino enim, ut ex *senatuis* per crasin fit *senatûs*; ita ex *senatui* per apocopen fit *senatu*. In quo ipso, more suo, Romani imitantur Æoles; qui auferunt è dativis I subscriptum. Nam, ut antea monitum nobis, dicunt Αἰνείᾳ, μύσῃ, λόγῳ, pro Αἰνείᾳ, μύσῃ, λόγῳ. Quorum exemplo Latini in secundâ non jam ex Κύρῳ, ἀγρῷ, *Cyroi*, *agroi*, (qui scribendi mos exolevit) sed neglecto I, *Cyro*, *agro*, scribunt: inque quartâ hac similiter non tantùm dicunt, *senatui*, *metui*, *adspectui*; sed etiam *senatu*, *metu*, & *adspectu*. Sic Terentius Adelphis†:

Vestitu nimio indulges: nimium ineptus es.

Lucilius, Gellio* teste, similiter, *Anu noceo*, pro *anui*: item,

Quod sumtum atque epulas victu præponis honesto.

Lucretius lib. III:

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu. pro *usui*.

E Virgilio quoque geminum locum† adducit Gellius‡. Ac similiter 1 Æn.

Parce metu, Cytherea.

Nec soli sic Poëtæ loquuntur. Nam, ut Gellius* ait, *Cajus Cæsar, gravis auctor linguæ Latinæ, in Anticatone: Unius arrogantiæ, superbiæ, dominatuque. Item in Dolabellam act. III: Ibi isti, quorum in ædibus fanisque posita & honori erant, & ornatu. In libris quoque analogicis omnia istiusmodi sine I literâ dicenda censet.* Et sanè in commentariis belli Gallici, ac civilis, nunquam aliter loquitur. Ut manifestus sit error Prisciani, qui credebat, solos sic loqui Poëtas. Ac ne Cæsarem unum in ea hæresi fuisse credas: etiam apud Sallustium, in bello Jugurthino, quidam habent MSS: *Non se luxu atque inertiæ corrumpendum dedit.* Taciti quoque est in III Annal. *Luxu propior.* Et XIV: *Cruciatu, aut præmio, cuncta pervia esse.* Nonius verò, cùm ait, in his ablativum poni pro dativo, quod bene sensit, malè expressit. Nam ut *domino*, & *forti*, sic *victu*, & *fructu*, tum dandi casus sunt, tum auferendi: sed in auferendi casu recisum E; in illo dandi, ablatum I. Quippe ut dicimus, *patris*, *patri*, *patrem*, *patre*: ita foret hujus *senatuis*, unde *Senatus*; *senatui*, & per apocopen *senatu*; *senatuem*, ex quo *senatum*, per syncopen; *senatue*, & per apocopen *senatu*. Ex quibus solùm *senatuis*, & *senatui* leguntur: non item *senatuem*, & *senatue*.

Videas esse, qui tradant, è contrario finitis in U quandoque addi I. Quomodo apud Martianum Capellam† legas, ex aliquorum sententia pro *cornu*, *genu*, dici quoque *cornui*, *genui*. Equidem fateor, aliquos *cornuis*, & *genui* dixisse: sed sunt ista à rectis *cornus*, *genus*; unde *cornuis*, *cornui*; *genuis*, *genui*.

Itidem à genitivo *corni*, *geni*, quidam videntur formasse dativos, *corno*, *geno*; quod conjicio ex ablativis ejus terminationis. Nonius enim testis, Varronem Sesquiulysse in ablativo dixisse, *putri gelo*. Ac similiter Giffanius putat, Lucretium lib. 1 extulisse, *concurso*, pro *concursu*; & lib. IV, *culto*, pro *cultu*; & Ciceronem in Lælio, *senato*; pro *senatu*. Vide indicem Giffanii in *concurso*, & imprimis in *culto*. Sed hujusmodi, quæ unius, & alterius, si fortè, codicis fide nituntur, uti non temere damnem, ita nec imiter. Atque ut certum sit, sic veteres scripsisse: non inde colligendum, ablativos quartâ etiam in O exiisse, sed potiùs statuendum, quædam nomina olim, tum secundæ fuisse, tum quartæ; sive terminatione diversâ; ut, *fretus*, *fretum*; *anfractus*, *anfractum*; de qualibus dictum cap. XVII: sive diversâ, ut *Laurus*, *lauri*, & *laurus*; de quibus agam cap. XX.

Volunt Grammatici, unum esse nomen quartæ, quod ablativo desinat quoque in E. Nam *impetus* facere hoc *impetu*, vel *impete*. Ut, *vasto impete* apud Ovidium III Met. & Statium VII Theb. Et, *magno impete*, apud Lævium, Poëtam veterem, teste Gellio lib. XIX, cap. VII. Verùm *impete* non est ab *impetus*; sed, ut Priscianus tradit, ab *impes*. Quod tamen exolevit. Sed genitivus *impetis* semel iterumque est apud Lucretium: qua de re actum libro præcedenti*.

Pluralis nominativus, accusativus, & vocativus, contrahuntur ex obsoletis in *ues*. Nam ut à *patris*, *patres*, sic à *fructuis*, *fructues*: ex utroque autem *fructus*, posteriori ob crasin porrectâ, uti antea etiam dictum nobis.

Genitivus ἀναλόγως in *uum*. Nam ut *patris*, *patrum*; sic *fructuis*, *fructuum*. Sed ex *fructuis* est *fructus* per crasin: at ex *fructuum* est *fructum* per syncopen. Sic *currum*, pro *curruum*, est VI Æn. *nurum*, pro *nuruum*, in XII. Martialis quoque est lib. II, epigr. V:

Sed duo sunt, quæ nos distinguunt millia passum.
pro *passuum*.

Nisi magis placet, in talibus U retineri; sed in dimetiendo versu quasi absorberi κατὰ συνεκφώνησιν.

Dativus pluralis desinit in *ibus*; in nonnullis verò, *ubus*: quod differentiæ caussâ fieri, putant Diomedes in 1, Priscianus in VII, atque alii. Ut in *arcus*, *artus*, *partus*. Alioqui enim eundem fore ajunt dativum ab *arx*, & *arcus*; ab *ars*, & *artus*; à *pars*, & *partus*. Discrimen hoc observare etiam jubet Curtius Valerianus apud Cassiodorum†, item Caper de Verbis dubiis, & Beda de Orthogr. atque alii. Sed veteres omnino videntur illud in pronunciando neglexisse. Est eâ de re egregius locus Velii Longi: *Nonnulli etiam variè, modo per U, modò per I, scripserunt Artibus: ut cum juxta significationem Artus essent, ut Arcus, & Partus, U litera in dativo servaretur: si verò essent Artes, ut Arces, & Partes, tunc iidem illi casus per I literam scriberentur. Mihi videtur nimis rusticana enuntiatio futura, si per U extulerimus: ita tamen existimo enuntiandum, ut nec nimis I litera exilis sit, nec U literam scripseris enuntiationis sono cum nimis pleno: ac meminerimus, artis ὀρθοεπείας esse, ut sive hâc, sive illâ literâ, scripseris, enuntiationis sonum temperes.* Eadem sententia est Terentii Scauri, qui inter alia ait: *Si distinctionis caussâ ratio corrumpitur, CAVEAS quoque.* Qua-

Marginal notes:
* Ad Veget. lib. 1, cap. 9.
† Act. 1, sc. 1.
* Lib. 4, cap. 16.
† Georg. 4. & Æn 6
‡ Ibid.
* Ibid.
† Lib. 3, cap. de analogia.
* Cap 47.
† In Collectaneis de Orthog.

Quare non accentu, aut literâ I mutamus; cùm & verbum & nomen significetur, & in hoc TECTIS, cum & nomen, & participium sit, & in similibus. Ergo vox scribenda, quomodo & sonat: nemo autem unquam tam insulse per V, ARTVBVS, dixerit. Est pro Scauro locus Festi, ita scribentis: *Artitus, bonis & strictis artibus.* Ubi *artibus* est ab *artus:* etsi aliter ceperit Philoxenus, qui *artitus*, quasi ab *arte* sit, interpretatur, πολύτεχνος, δαίδαλος. Duza apud Festum *artubus* legere jubet per U. Sed nihil mutatione opus: ut patet ex iis, quæ diximus. Valla* etiam putabat, à *quæstus* esse *quæstibus:* sed à *questus, questubus.* Quod in vett. libb. non observatur, ubi & *questibus* legitur. Attamen alia sunt, quæ per *ubus* efferantur, non differentiæ, sed εὐφωνίας caussa. Quod nos Servius docet in illud III Georg. *Ipsi in defossis specubus: Artis*, inquit, *fuerat Specibus, quia quarta declinatio in Dativo, & Ablativo pluralibus V in I vertit, & ita facit dativum pluralem: ut ab hoc fluctu, his fluctibus. Sed quia pinguius sonat, & melius, specubus dicimus. Unum tamen nomen est, quod aliter non dicimus: ut Tribubus. Nam Tribibus nemo dicit. Specubus* dicere etiam jubet Priscianus. Nec minùs de *tribubus* apertum. Vel etiam de *lacubus:* quo utitur Ovid. in IV Fastorum†:

Præmia de lacubus proxima musta tuis.

Nec differentia attenditur in *genubus.* Sed hoc per U, & I, promiscuè scribitur. Apud Maronem, & Horatium, per I exaratum: quod Plinius, & Charisius, maluere; ut de Capella‡ taceam. At apud Ovid. in epistolis est:

Vita precor, genubusque tuis regalia tendo
Brachia.

Et Senecam in Hippolyto*:

—— En supplex jacet
Allapsa genubus.

Apud Cæsarem in III de bello civili, nunc *portubus*, nunc *portibus* editum videas. Sed in MSS is est *portubus* per U. A *pecu*, non *pecibus* dixeris, sed *pecubus:* quod apud Lucretium in VI. *Verubus*, an *veribus*, scribi debeat, nec Grammatici, nec MSS veteres consentiunt. Per *i* probabat Plinius lib. VI dubii sermonis; ut Charisius testatur in primo. Ac invenias non rarò in libb. veteribus, item inscriptione antiqua a Pierio adductâ in illud I Æn.

Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt.

Sed *verubus* per U maluit Rhemnius Palæmon. Atque id in libris vulgaris reperias passim. Duo è plurimis adduxisse loca sufficerit. Citat Nonius ex Atreo Accii, sive Actii, sive Attii (omnibus enim hisce modis scribitur ea vox; sed postremum probant marmora, & numismata; tum item Dio, & Victorinus) *Concoquit partem vapore, flammam tribuit verubus, lacerta in focos.* Quem locum sic emendo, & numeris restituo:

—— Concoquit partem vapor
Flamma, lacerta tribuit verubus in foco.

Ubi tamen nostræ Nonii membranæ *veribus* per I. Alter est Ovidii locus VI Met.

—— Pars inde cavis exultat ahenis,
Pars verubus stridit.

Attii verba sunt de Atreo; Ovidii, de Itylo, sive Ity. Utroque loco (ut obiter hoc addam) non assatum modò, sed elixarum etiam carnium mentio fit: atque eo nonnulli Servium erroris evincere conantur: ut qui in I Æn.* neget, heroës elixis esse carnibus usos. Sed parum validus est hic aries, quo nobilem Grammaticum percellere conantur. Utrobique enim describuntur epulæ hominum sceleratorum, humanisque carnibus vescentium: quomodo Euripides quoque in Cyclope ait, parata esse Polyphemo ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ†: similiterque Ovidius I Met. de Lycaone scribit:

Atque ita semineces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.

Idemque confirmatur loco Senecæ‡, in descriptione epularum, quas Atreus Thyesti apposuit ex membris occisi Tantali, & Plisthenis. Hactenus de declinatione quarta.

* Lib. 3. cap. 12.

† Verf. 886.

‡ Lib. 3. cap de analogia.

* Verf. 664.

* In illud, Athena locant alii.

† Elixa & assa.

‡ Thyeste Act. 4. verf. 766.

CAP. XIX.

De quinctâ declinatione. Unde ea ortum ducat. Genitivi ejus in II, ut pernicii, luxurii, dii. Item in ES, ut rabies, dies. Item in E, ut acie, requie, die, facie. Spebus. Facierum. An specierum, & speciebus, quæ Cicero Latina esse negat, liceat usurpare. Ut differant species, & forma.

Quincta quoque declinatio fluxisse è tertiâ videtur. Sanè non multum ab illâ abire, clarè cognoscet, qui comparationem inter eas instituere volet. Quare, quid mirum, si nonnulla simul sint tertiæ, & quinctæ? ut *plebes*, & *quies*; de quibus postea dicam.

Terminatio Nominativi unica est, ES. Sed quod pauci attendisse videntur, genitivus quadrifariam profertur: ut vel hinc liqueat, terminationem genitivi solam, ne apud Latinos quidem, declinationis esse characteristicam.

Prima, & vulgatissima hujus declinationis terminatio est EI. Cui non est quod immoremur. Nam cur penultimam habeat porrectam, dictum nobis lib. II rei Grammaticæ*, cùm de syllabarum modulo ageremus.

Altera terminatio ejus est II; sed quando nominativus exit in ES purum; ut *pernicies, pernicii:* vel I impurum, quando nominativus clauditur ES impuro; ut *fames, fami:* simileque sit *fides, fidi.* Hæc exemplis sunt comprobanda. Cicero pro S. Roscio: *Quorum nihil pernicii caussâ divino consilio, sed vi ipsâ, & magnitudine rerum, factum putamus.* Ita legit Agellius lib. IX, capite XIV. Sosipater verò lib. I legit *perniciei;* de cujusmodi genitivis post dicam. Idem Cicero in Lælio: *Dirimi tamen interdum contentione luxurii.* Ita ex vett. libris emendat Giffanius*. Virgilius I Æn. *Munera, lætitiamque dii.* Siquidem *dii* legit C. Julius Romanus in libello de analogia; cujus rei Sosipater meminit. Scribit & Agellius†, imperitiores quidem legere, *Munera lætitiamque Dei:* verùm à Virgilio *dii*, pro *diei*, scriptum esse: atque inibi adducit M. Catonis, Lucilii, Sisennæ, Pacuvii, Cn. Matii, & C. Gracchi exempla; quibus itidem *famii, pernicii, progenii, acii*, & *luxurii*, pro *famei* (nam & *fames* apud veteres quinctæ fuit, ut alibi‡ diximus) *perniciei, progeniei, aciei, speciei*, & *luxuriei*, usurparunt. Servius quoque ad eum, quem adducebamus, Maronis locum, adfert geminum e Plauti Mercatore*:

Vidi ego facere amatores, qui aut nocti, aut dii,
Aut Soli, aut Lunæ, miserias narrant suas.

Sed in vulgatis Plauti codd. *die* legitur corruptè. Nonius etiam Marcellus Pacuvium *progenii* dixisse ostendit. Et certè multò suavius est *progenii*, quam alterum isthoc: unde Fabius lib. I: *Nec multum*, inquit, *refert, nulla hæc, an prædura sint. Nam quid progenies genitivo singulari, quid spes plurali faciet?* Quibus verbis negat, *progeniei*, aut *sperum* auribus satisfacere. Obertus quoque Giffanius ex vet. cod. legit apud Cornelium Nepotem in vitâ Thrasybuli: *Quæ quidem res, & illis contemnentibus pernicii, & huic despecto saluti fuit.* Quemadmodum autem ab *Achilleus, Ulysseus*, sunt genitivi *Achillei, Ulyssei;* hinc per synæresin *Achillei, Ulyssei;* ex his, abeunte *ei* in *i* longum, *Achilli, Ulyssi;* ut superiùs dictum: ita ex *progeniei*, & *perniciei*, fiunt *progenii, pernicii;* hinc verò *progenii, pernicii.*

Tertia genitivi terminatio est ES: unde Plautus Persâ act. II, sc. II:

Neque tippulâ levius pondu'st, quàm fides lenonia.

Scio, in vulgatis esse *lenonia*. Sed alterum placuit Lambino, & Duzæ. Nec est hoc nodum in scirpo quærere, cùm multò sit venustius, & facile Æ in A abeat. Et similiter Lucretius dixit lib. IV:

Et stimuli subsunt, qui instigant lædere id ipsum
Quodcunque est, rabies unde illa hæc germina surgunt.

Scribit quoque Agellius†, affirmasse Cæsellium, à Cicero-

* Cap. 13.

* In indice Lucretia, voce effigia.

† Lib. 9. cap. 14.

‡ Lib. secundo artis grammaticæ, qui de syllabis est, cap. 25.

* Act. 1. Sc. 1.

† Lib 9. cap. 14.

cerone in oratione pro Sextio *dies* positum fuisse pro *diei*: seque impensâ operâ conquisitis veteribus libris pluseulis ita, ut Cæsellius ait, scripta hæc verba invenisse: *Equites verò daturos illius dies pœnas.* Addit ibidem, eò se adduci, ut facile iis credat, qui scripserunt, se inspexisse idiographum Virgilii librum, inque eo invenisse:

Libra dies, somnique, pares ubi fecerit horas.

Hodie tamen in nullis Virgilii codd. antiquis hanc lectionem inveniri arbitror. Imò jam olim Priscianus *die* legit, nec ullam genitivi *dies* mentionem facit. Quare & Henricus Stephanus suspicatur in Pseudocicerone suo, aut Cæsellium, & Agellium, usos esse exemplaribus corruptis (posse enim multis comprobari argumentis, sæpe fideliores ad nos pervenisse codices, quàm interdum fuerint, quibus multi antiquiores nobis utebantur) aut, quod hoc quidem in loco magis ei verisimile fit, Ciceronem ita loqui, quia referat, non sua, sed consulis ἀρχαΐζοντος* verba.

* Antiquorum more loquentis.

Quarta postremaque genitivi terminatio est E; ut apud Sallustium in primo Histor. *Dubitavit aciæ pars.* Item: *At inde nulla munitionis, aut requie, mora processit ad oppidum.* Utrumque locum citat Priscianus lib. septimo: qui & apud Virgilium legit, *Munera lætitiamque die.* Et sanè in aliquot Maronis codd. Mss. ita hodieque invenitur. Multosque ita legere agnoscit Servius. Nec pauci tamen *dii* habent: quo de genitivo antè dixi. At multò plurimi, imò omnes ferè vetustiores, nec *dii*, nec *die*, sed *Dei* præferunt; ut intelligatur Bacchus, qui paullò pòst *dator lætitiæ* appellatur: ac lectio hæc maximè placet Pierio. Meminere ejus quoque Servius, ac Agellius: sed hic eam tamquam imperitiorum rejicit, ac Agellio hâc in parte subscribit Erythræus in Indice suo. Interim si *die* legamus cum Prisciano, simile fuerit isti Plautino Amphit.†

† Act. 1, sc. 1.

Ita statim stant signa, neque nox quoquam concedit die.

Et huic Sallustiano in Jugurtha: *Vix decimâ parte die reliquâ*: ac ibidem: *Et jam die vesper erat*: & isti Ausonii, carmine de Rosa, olim Maroni tributo:

Ad primos radios interitura die.

Sunt & alia id genus apud alios. Nam dixit Ovidius III Met. fab. VIII:

Prima fide, vocisque rata tentamina sumsit.

Sic est in plerisque Mss. ubi in membranis nostris *fidem*: quod & in vulgatis. VI Met. fab. de Tereo:

Utque fide pignus dextras utrasque poposcit.

Agellius quoque lib. VII, cap. IX, citat ex Lucilii satyris:

—— *Primum facie quòd honestas*

Accedit.

Ita is locus corrigendus. Imò Cæsar. lib. II de analogia, *hujus die*, & *hujus specie*, dicendum putavit: quod me movet, ut nolim damnare illud Horatii*:

* Lib. 3 carm. od. 7.

Constantis juvenem fide:

quamquam H. Stephanus in Pseudocicerone neget, sibi verisimile videri, ita scripsisse Horatium, quia numeri quoque ferant,

Constanti juvenem fide.

Et hæc de quadruplici genitivi terminatione. Unde liquet, veteres dixisse, *speciei*, *specii*, *species*, & *specie*: *dies*, *dii*, *dies*, & *die*: atque ita in aliis, quando nominativus exit in *es* purum. At *fidei*, *fidi*, *fides*, *fide*: & ita in aliis venientibus à recto exeunte in ES impurum.

In dativo etiam apocope locum habet. Lucilius lib. VII:

Ætatis facieque tua.

Horatius lib. I, sat. III:

Prodiderit commissa fide. pro *fidei*.

Nempe more Æolum, qui è dativo auferunt I, si A, H, vel Ω præcesserit. More item Latinorum in quartâ, ubi *metu* dicitur, pro *metui*, ut antea monitum nobis.

Quod ad cæteros casus, ii sequuntur paradigma *res*, aut *dies*. Sed pleraque omnia destituuntur genitivo, dativo, & ablativo plurali. Aldus excipit istoc versiculo comprehensa: *Res*, *speciesque*, *dies*, *facies*, *spes*, *progeniesque*. Antiqui tamen aliqua ex his non refugêre iis casibus, quos excipiunt. Est enim Catonis Censorii, oratione quam scripsit, uti præda in publicum referatur: *Miror audere, atque religionem non tenere, statuas Deorum, exempla earum facierum, signa domi pro suppellectile statuere.* Varro quoque à *speres*, (unde *spes* κατὰ συγκοπὴν factum) *speribus* dixit satyrâ Menippeâ; ut antea † monitum. Ut mittam, quòd *spebus* sit apud Sidonium Apollinarem lib. III, epist. VI: item Victorem Uticensem, & scriptores Ecclesiasticos: etiam tripartitæ Historiæ conditorem; apud quem lib. III, cap. II legas: *Cùm soleant languentes hujusmodi spebus aures accommodare. Specierum*, & *speciebus*, dici an possit, video dubitari. Negat id Tullius; cujus hæc sunt verba in Topicis: *In divisione formæ sunt, quas Græci ἰδέας vocant: nostri, si qui hac forte tractant, species appellant: non pessimè id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne, si Latinè quidem dici possit, specierum & speciebus dicere; & sæpe his casibus utendum est: at formis, & formarum, velim.* Hæc Tullius. Attamen ex antiquioribus Cælius Aurelianus dicere non dubitavit lib. I χρονίων, cap. V. *Nec aliarum specierum errore fallantur.* Sive, ut in aliis codd. est: *Et in illorum speciebus.* E recentioribus quoque Jul. Scaliger, vir cum antiquitate componendus, lib. I de Caussis L. L. cap. III, dicere non veretur: *Necessariò fatebimur suapte naturâ species esse illas post genus. Siquidem genus materia quasi quædam specierum est.* Et meritò sanè cùm Medicis, tum imprimis Dialecticis, ac Philosophis nostris, Ciceronem hic sequi religio est. Siquidem iis *species* longè aliud est, quàm *forma*. Quippe illo significatur totum, quod vocant *ens completum*: hoc verò est pars essentiæ potissima; unde philosophis dicitur λόγος τῆς οὐσίας. Cæterùm extra etiam versiculum illum, quem diximus, quædam iis casibus invenias: sed in scriptoribus minimè classicis; ut *acierum* apud Servium. Quod non temere usurpem. Uti nec *superficierum*: etsi a simplici *facies*, *facierum* dicat Cato, ut antea vidimus. Mirum autem, veteres quosdam maluisse genitivos nonnullos per EUM, quam per ERUM, efferre. Eâ de re sic Sosipater lib. I: *Quare specierum pluralem genitivum non similiter observabis, sicut in die, & meridie, per RUM; sed per UM syllabam; ut, specieum, materieum, luxurieum.* Idem Diomedes lib. I refert iisdem verbis; ac subdit: *Sed consuetudo RUM effert, ut Specierum.*

† Lib. superiori, cap. 40.

CAP. XX.

De iis, quæ declinationem variant vel in eodem numero, vel in diversis. Calchas, & Calchantis: Euphrates, æ, & is: Ganges, æ, & is. Πολύποδος, ὁ πολύπους, & πώλυπος, ὁ πωλύποδος. Cyma, diadema, dogma, sacoma, schema, syrma, *olim erant primæ.* Sequestri, & sequestris; cancri, & canceris; Mulcibri, & Mulcibris. Gibberis, *pro* gibberi, *rejectum.* Gallinæ gibberæ. *Cur* Antipater, Antipatri; Semipater, Semipatris *facias.* Arci, *sive* arqui, *pro* arcus. Cibus, *casu patrio.* Colo, & colu. Cornio, & cornu. Domorum, domus, domu. Umbrosæ fagus. Aëriæ platanus. Fastus, & fasti. *Lucanus contra Servium defensus.* Humu. Lauros, & laurus. Lectus *in patrio casu.* Pannibus, *pro* pannis. *Pomponius apud Nonium correctus.* Pinus, & pinos. Quercorum, *pro* quercuum. Somnu, *pro* somno. Sonu, *pro* sono. Succus, *pro* succi, & succuum, *pro* succorum. Susurru. Ventu. Versi, versis, *pro* versus, versibus. *Laberius*, & *Valerius, apud Priscianum emendati.* Vulgus, *pro* vulgi. Vulgu. Sinus *pro notione diversâ diversæ est declinationis. In Servio levicula correctio. A* penus *non dici* peni, *contra quàm Charisius putavit. Prisciani geminus error.* Acus resectæ. Rei *in* plebes: *atque inde* plebei, & plebi, *pro* plebis. Quie, *pro* quiete. Requiem, & requietem *substantivè.* Quietem, inquietem, requietem, *pro* quietum, inquietum, requietum. Vasum, *pro* vas. Vasibus. Juger, *vel* jugus.

QUae hactenus diximus, ferè pertinent ad voces unius declinationis. Subjicere his Grammatici solent tractationem eorum, quae declinatione variant. Quare, necubi industria nostra meritò desideretur, de hac etiam parte aliquid dicemus.

Quinque sunt classes eorum, quae ab eodem recto obliquos formant diversae declinationis. Prima est illorum, quae declinationis sunt primae, ac tertiae. Uti quaedam in AS: quale *Calchas*, à quo ut *Calchantis* dixit Maro secundo magni operis: ita *Calcha* quoque rectum esse docemur illo Plauti in Menaechmis*: *Novistin tu illum? ME. Novi cum Calcha simul.*

* Act. 5. Sc. Nimis stulte.

Item quaedam in ES: ut *Thucydida*, & *Thucydidis*; *Mithridata* (sive *Mithradata*: utrumque enim in vett. monumentis legitur) & *Mithridatis*: ac par ratio est in *Orontes*, *Tigranes*, *Heraclides*, *Timarchides*, *Aeetes*, *Herodes*, *Euripides*: uti de omnibus hisce testatur, ac de plerisque probat in sexto Priscianus. Et ista sunt virilia nomina: quibus addere potes *Bootes*. Nam *huic booti*, est apud Cic. II de Nat. Deor. At Juvenalis est sat. V:

—— *Pigri sarraca boota.*

At in aliis quoque id locum habet: ut nominibus fluviorum. Nam *Euphrates*, & *Ganges*, non tantùm faciunt hujus *Euphratis*, & *Gangis*: sed *Euphrata* etiam, & *Ganga*. Ab *Euphrates* tertiae, Plinius *Euphratis* dixit lib. VI, cap. XXV, XXVI, & XXVIII. Ab *Euphrates* primae est hoc Lucani in X†:

† Vers. 33.

Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangem.

Et in VIII‡:

‡ Vers. 358.

Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequentur.

Nimirum, ut Strabo ὁ Εὐφράτης, τὸν Εὐφράτην, dicit in X. Itidem *Ganges*, *Gangis*, inflectit Plinius lib. VI, cap. XVII, XIX, XX. At à *Ganges*, *Ganga*, est hoc Papinii in I Thebaidos*:

* Vers. 676.

Quique bibit Gangen, aut Nigrum occasibus intrat.

Nempe ut ὁ Γάγγης, τοῦ Γάγγου, Straboni in XV.

Idem videas in compositis à πούς: non omnibus quidem; nam à *tripus* tantùm est *tripodis*; ab *Antipus*, *Antipodis*: ac licet Graecis πολύπους, πολύποδος faciat, & πολύπους, πολύποδος, Latini tamen *polypi* potiùs dicunt, more secundae: ut *polypi*, Catoni de R. R. cap. CLVII; *polypos* apud Plautum Aulul. act. II, sc. II; *polyporum*, & *polypis*, Plinio lib. IX, cap. XX, XXIX, XXX, & alibi. Verùm utramque flexionem videas in *Oedipus*. Ita *Oedipo* ait Plautus Poen. act. I, sc. III; *Oedipum* Cicero lib. de Fato. At *Oedipodis* dicere jubet Valerius Probus in Catholicis, ac Priscianus in VI: atque ait Seneca in Oedipo†:

† Vers. 1003.

Lux te refugit, vultus Oedipodem hic decet.

Sic *Melampus*, *Melampi*, & *Melampodis*. Nec tamen exempla in obliquis facile invenias. Melampe in vocandi casu Statium dicere alibi ostendit. Id est à melampus tertiae. Nam alioqui esset Melampe. In caussa est, quòd Graeci non solùm dicant, ὁ Οἰδίπους, τοῦ Οἰδίποδος; sed etiam ὁ Οἰδίπος, τοῦ Οἰδίπου: quod Atticum. Sic δίπους, τοῦ δίποδος, & τοῦ δίπου: item accusativo, τὸν δίποδα, & τὸν δίπουν.

Adhaec Graeca quaedam in MA olim etiam primae erant, quae nunc tantùm tertiae. Ut *cyma*, *cyma*, quod ostendit Nonius: *diadema candida*, Appulejo X Met. ubi tamen *candidum* membranae nostrae, quas munificentiae Clarissimi collegae nostri Caspari Barlaei debemus: *dogmam* apud Laberium in Cancro: *glaucomam*, Plauto Trinummo; *sacomam* Vitruvio lib. IX, cap. III: *schema*, in auferendi casu, Plauto semel iterumque: *syrma* eodem casu, apud Valerium Phormione.

Altera classis comprehendit ea, quae secundae sunt, tertiaeque: ut Graeca in EUS. Velut *Typhoeus*, *Typhoei*, & *Typhoeos*: *Perseus*, *Persei*, & *Perseos*: de quibus dictum antea. Sic, in Latinis, *sequester*, in secundà usurpat Plautus Nidulariâ; cujus est, *Haut fugio sequestrum*; Virgiliusque in XI, cùm ait: —— *Et pace sequestrâ.* At id etiam esse tertiae, docet illud apud Tullium II Verrin. *Aut sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii.*

Olim etiam & *cancer*, *cancri*, ut *culter*, *cultri*; & *cancer*, *canceris*, ut *cicer*, *ciceris*, dixere; Prisciano teste in V, & VI. Lucretius lib. V: *Canceris ut vertat metas se ad solstitiales.* Ubi de cancro sidere sermonem esse, satis est apertum. At pro morbo similiter usus Arnobius lib. I adversus nationes: *Iui haut aliter contumaciam canceris saevi ad subeundam cicatricem circumscriptis congationibus compulerunt.* Dansqueius p. 73 ait Catonem similiter dixisse *canceres* pro *cancri*.

Mulciber, tum *Mulciberi*, vel *Mulcibri* facit: tum *Mulciberis*, ut apud Ovidium in secundo de Arte:

Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.*

* Ubi Mss plerique, etiam noster, Mulciberi: atque ita Aldus edidit. Sed alii Mss Mulciberis, & editio Veneta anni 1506: atque id praetulit Caesellius in Stromateo, teste Prisciano in 6.

Mulcibri ex veteri poeta est apud Tullium†: *Mulcibero* apud Martianum Capellam‡. Sic *glomus*, *glomi*, & *glomeris*: modo Erasmo standum, qui ἀγαθῶν ἀγαθίδες vertit *bonorum glomi*. *Sine lini glomere* dixit Plinius libro XXXVI, cap. XIII. Et omnino in tertia tutius usurpes. At malè plerique, in his etiam Rob. Stephanus*, huc referunt *gibbus*: quod non *gibbi*, tantùm; sed *gibberis* etiam facere arbitrantur. Adferunt pro se è Juvenali: *Attritus gibbere nasus.* Sed nusquam apud eum hic locus extat: satyra solùm VI ista leguntur:

† Lib. 2 Tuscul. quaest.
‡ Lib. 6.
* In Thes. L. L.

Attritus galeâ, medusque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum semper stillantis ocelli.

Certè *gibber*, sive substantivum, sive adjectivum, tantùm secundae est. Varro lib. II de R. R. cap. V: *Sint compressis mulis, subsimisve, gibberi spinâ leviter remissâ.* Et lib. III, cap. IX: *Gallinae Africanae sunt variae, grandes, gibberae.* Iidem Plinius lib. X, cap. XXVI ait: *Gallinarum genus gibberum.*

Composita verò ex *pater*, diversimodè se habent. Sunt quae secundam sequuntur: ut planè Graeca; quale *Antipater*, *Antipatri*; ut Graecis ὁ Ἀντίπατρος, τοῦ Ἀντιπάτρου. Item *Sosipater*, *Sosipatri*; ut ὁ Σωσίπατρος, τοῦ Σωσιπάτρου. At Latina sunt tertiae; quale *Semipater*; quod apud Ovidium in Fastis. Unde inscriptio veteris carminis: *Ad Sancum Semipatrem.* Par ratio in *Marspiter*, *Diespiter*.

Ad tertiam classem pertinent, quae sunt declinationis secundae & quartae. Ut sunt ea, quae deinceps congessimus.

Arcus quartae est saepius: unde *arcu* Horatio libro I, od. XXII, & XXIX, & alibi. At in secundâ utitur apud Nonium Varro in IV de vita populi Romani, ad Pomponium Atticum: *Eoque pecuniam magnam consumsisset, quòd arci, quos summo opere fecerat, fessi pondere, diu facti, celeriter corruissent.* Item de coelesti arcu Lucretius in VI*:

* Vers. 525.

Tum color in nigris exsistit nubibus arqui.

Imo & Cicero lib. III de Nat. Deor. *Cur autem arqui species non in Deorum numero reponatur.* In plurali tamen solùm *hi arcus*, & *hos arcus* dicimus. Nominativo usus Plinius lib. XVIII cap. XXXV: *Arcus cum sunt duplices, pluviam nunciant.* Accusativo lib. II, cap. LIX: *Arcus vocamus extra miraculum frequentes, & extra ostentum.* Similiter Vitruvius lib. IX, cap. IV. *Aqua vapores à fontibus ad nubes, per arcus excitari.*

Cibus nunc solùm secundae est; olim autem quartae etiam fuit: unde Plautus Captivis act. IV, sc. II:

Tantus ventri commeatus meo adest in portu cibus.

Ubi *cibûs* esse casum patrium, docet Priscianus in sexto. Palmerius tamen credidit, *commeatus cibus* per appositionem dici ad discrimen cibi, qui non est commeatus.

Colus, *coli*, & *colus*. Quemadmodum ait Charisius in primo. Secundae etiam esse, ait Priscianus in quinto: & in sexto probat eo, quòd Maro in VIII Aen. *colo* dicat, pro quo Statius VI Theb. *colû*. Et sanè extra istaec quae dixi, semper videtur quartae. Unde Statius III Theb.

—— *Nigraque sororum*
Juravere colus.

Has coli dicere non *ausim*.

Cornus, *corni*, & *cornus*. Statius, *Cornu depressus Achivâ*. At Serenus Sammonicus, *corno*.

Domus. Unde hujus *domus*, & olim *domi*. Quomodo dicimus, *domi militiaeque*: & cùm certis adjectivis; ut, *domi nostrae*, vel *alienae*. At *tectum domi meae* non dicitur.

In

In dandi casu usus Cato antiquè de R. R. cap. CXXXIV, & duobus sequentibus: *Domo familiaque mea.* Imò nec refugit Horatius lib. I, epist. X:

Ponendaque domo quærenda est area primum.

At Cicero, *domui sua*, & *domui aliena.* Sic *domorum.* Donatus in Eun. act. IV, sc. VII: *Fortiter pugnant, qui sunt memores domorum.* Item *domos.* Plinius lib. VII, cap. LVI: *Domos constituerunt primi Euryalus, & Hyperbius.* Sed secunda caret vocandi casu singulari; nominandi, dandi, & auferendi plurali. Similiter quarta destituitur singuli numeri ablativo. Plautus tamen ἀρχαϊζων *domu* usurpat Milite Glor. act. II, sc. I:

Ait sese Athenas fugere ex hac domu.

Imò, si Popmæ credimus lib. I Antiq. Lect. cap. IX, Livii sit lib. I: *Domu profugus.* Crebrum etiam tum in Digestis, ut observat Brissonius Παρέργων libro: tum in antiquis inscriptionibus, ut Gruterianus earum index ostendet.

Fagus quoque; pro *fagos*, juxta nonnullos II Georg. dixit Maro: ac in Culice, *Umbrosa fagus.* Et eodem carmine: *Aëria platanus.* Sic enim legit Scaliger ex vett. membranis, pro quo in vulgatis *platani.*

Fastus quoque secundæ, & quartæ olim declinationis fuit. Malè enim id negat Servius in III Æn. Ubi scribere non veretur, errore Lucani prolatum esse *fastibus*, cum ait in X:

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Et video esse viros eruditos (in his Henricum Brucæum Belgam in catalogo eorum, qui in Astrologia floruerunt, quem subjecit tribus libris de motu primo) qui legant

Nec meus Eudoxi fastis superabitur annus.

Ac meminit quoque ejusce lectionis Jacobus Severtius Theologus Parisiensis præfatione in Orbem Catoptricum, sive Mappam Mundi. Sed non dubitandum, quin aliter scripserit Lucanus.

Lucanum itaque imitatus Sidonius Apollinaris ad Majorianum Augustum:

Sic, lustro imperii perennis acto,
Quinquennalia fastibus dicentur.

Ita emendat Jos. Scaliger lib. V de emendatione temporum. Verùm quia doctissimus Savaro, non in vulgaris modò codd. sed & in vetustis, ac codd. manuscriptis, *fascibus* reperisse ait: age vocem hanc aliorum quoque scriptorum autoritate defensemus. Ac primò Horatii, apud quem III Carm. od. XVII, olim, Prisciano * teste, legebatur,

——Et nepotum
Per memores genus omne fastus.

Atque apud Claudianum in nonnullis manu exaratis, idque Cujacio approbante, sic legitur lib. I in Eutropium *:

Inter Arinthei fastus, & nomen herile
Servus erit.

Quod si utrobique in libris aliis *fastos* legi prætexent: at quid facient Varroni? è cujus Ephemeride Priscianus ipse citat: *Postea honoris virtutum caussâ Julii Cæsaris, qui fastus correxit, mensis Julius appellatus est.* Quid item Columellæ? cujus est in IX, cap. XIV: *Verùm in hac rurù disciplina sequor nunc Eudoxi, & Metonis, antiquorumque fastus astrologorum.* Ita etiam editum à Rob. Stephano, ut cæteros præteream. Interea agnoscimus, in secundâ multò esse usitatius: quomodo Silius lib. VIII ait:

Marcellum fastis labem suffragia cæca
Addiderant.

Et Ovidius inscripsit *Fastorum*, non *Fastuum* libros. Ac probat id quoque Agrœcius: *Fastus*, inquit, *de superbia, & facit genitivum fastuum: fastus de libris, & facit fastorum.* Eadem legas apud Bedam de Orthograph. Nempe utrique *fastus* singulare est: quomodo & Philoxenus fortasse usus, in cujus glossis exponitur ἡμερολόγιον.

Ficus, hujus *fici*, & *ficus*, pro arbore & *fructu*; de quo antea dictum †.

* In 6.

* Vers. 478.

† Lib. præced. cap. 14.

Humus, unde *humu*, pro *humo*: ut Nonius ostendit illo Varronis sat. quæ inscribitur Pransus paratus:

Contrà coactus cervus latratu canum
Fertur bisulcis ungulis nitens humu.

Et τῷ Μενίππῳ· *In pavimento non audes facere lacunam: at in humu calceos facis elixos.* Popma lib. I Antiq. locut. cap. IX addit è Virgilio:

Pressit huma nitens.

Laurus, lauri, & laurus. Unde Horatius lib. II, od. VII, *Sub lauru meâ.* At similiter Plinius, & Tacitus. At Virgilii est lib. III Æn. ‡

Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis.

Et Ecl. VIII:

——Incende bitumine lauros.

Item Ecl. II:

Et vos, ô lauri, carpam.

Quem ad locum ita Servius: *Licet Horatius dixerit, Depone sub lauru meâ: melius tamen est juxta secundam formam inflectere. Nam melius sonat.* Adi & Pierium ad Ecl. VIII. Idem Servius in X Æn. negat *lauribus* dici ob asperitatem.

Lectus olim pro *lecti*, *lectus* habuit. Plautus Amphitr. act. I, sc. ult.

Priùs abis, quàm lectus, ubi jacuisti, concaluit locus.

Palmerio tamen placebat, *lectum locum* dici per appositionem, quia non omnis locus est lectus. Sed patrium esse casum, censet Priscianus in VI: atque addit, similiter loqui Cornificium in primo de cœnis Deorum: *Ipsis verò ad Cereris memoria renovanda gratiam lectus sternuntur.*

Pannus olim quartæ. Unde Ennius in Protreptico, *pannibus*, teste Charisio in primo. Ac Nonius idem probat illo L. Pomponii Maccis geminis:

Bono animo es, video: eripisti primiter de pannibus.

Ita membranæ nostræ: non, ut in plerisque editum, *eripuisti.* Genuina autem lectio, ut puto, est,

——Erepisti primiter de pannibus.

Nempe ἀρχαικῶς *erepisti*, pro *erepsisti.*

Pinus. Virgil. in X:

Nos sumus Idæa sacro de vertice pinus.

At Ecloga VIII:

——pinosque loquentes.

Quercus, querci, & quercus. Cicero in Chorographia *: *Ibi quercorum rami ad terram jacent, ut sues, quasi capræ ex ramis glande vescantur.*

Senatus, senati, & senatus. Quinctilianus lib. I, cap. VI: *Quid de aliis dicam, cùm Senatus, senatus, senatui; an Senatus, senati, senato faciat, incertum sit?* *Senati* crebrum Sallustio: ac sic Plautus Casinâ dixerat, *Senati columen.* De *Senato* non æquè apertum. Ciceronis locus è Lælio adfertur: *Hoc tamen verè licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos latissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, cùm Senato dimisso domum reductus ad vesperam est à patribus conscriptis, à populi Rom. sociis, & Latinis, pridie quàm excessit è vita.* Ubi *Senatu* est in innumeris Mssis, etiam nascentis typographiæ editionibus, quas consului. Sed *Senato* reperit in codice veteri Giffanius: ut cap. XVIII dixi. Etiam Carolus Langius in optimo se id codice conspexisse testatur. Adhæc Janus Guilielmius apud Livium lib. III similiter in optimo & vetustissimo codice invenit: *Ut si quis memorem libertatis vocem, aut in Senato, aut in populo misisset.* Nec dubitabat Guilielmius, quin ita scripserint & Cicero, & Livius.

Somnus. Varro lib. I de R. R. cap. II: *Æstivo die si non diffinderem meo insititio somnu, vivere non possem.* Sic in optimis suis Mssis legi, refert Petrus Victorius.

Sonus, soni, & sonus. Sisenna lib. III Histor. *Postquam in sonu signorum prælium magno cum clamore virorum commissum est.* Quo Nonius ostendit, *sonu* dixisse, pro *sono.* Andreas Schottus lib. IV Nodorum Ciceronis

‡ Vers. 360.

* Apud Prisc. in 6.

cap. IX, ubi vulgo est apud Nonium; *Soni, & sonus, pro sonitus, & sonu*; at in Complutensi codice à se inspecto legi; *Soniti, & sonu, pro sonitus & sono*. Popma lib. I Antiq. Locut. cap. IX, addit hoc Varronis de R. R. *In sonu sonorum prælium commissum*. Sed in nostris membranis est *soni*, & *sonus*. Et quomodocunque legas; verum est, dixisse veteres, *sonus, soni*; & *sonus*, hujus *sonus*.

Succus omnino secundæ est, quo tamen in quartâ usus Appulejus lib. IX: *Ad instar scoparum in amarum canosi succus cariem exolescunt*. Item lib. X: *Coquus sapidissimus nutrimentis succuum pulmenta vapore mollibat*.

Susurrus, hujus *susurri*, & *susurrus*. Appulejus lib. III Floridorum: *Tibia questu delectabilior, & fistula susurru jucundior, & buccina significatu longinquior*. Ita quoque est in membranis nostris.

Ventus, *venti*, & *ventus*. Plautus Cistell. act. I, sc. I:

> —— *Qui secundo ventu vectus est*
> *Tranquillo mari*.

Ita adducit Sosipater lib. I.

Versus quoque, ut classicis quartæ, ita priscis secundæ erat. Lælius in Polymetris: *Omnes sunt denis syllabis versi*. Ubi pro *sunt denis* lego, *undenis*: ut Phalæcios signet, qui aliter *Hendecasyllabi*. Lævio verò, non Livio Andronico (uti in sua fragmentorum collectione Rob. Stephanus) tribuimus hunc versum; secuti in eo fidem, tum antiquæ Prisciani editionis Venetæ anni CIↃ CCCC LXXVI: tum imprimis codicis nostri Msi optimæ notæ. Puto autem eundem esse, qui erotopægnia, & polymetra, & de poëmatorum virtutibus ac vitiis scripsit. In quo si verum video, *Lævius* rescribi debet apud Charisium in primo; ubi legitur vulgo: *Lælius ex principibus grammaticis, qui librum suum ita inscripsit: De vitiis virtutibusque poëmatorum*. Quamquam nihil etiam impedit, quo minus diversos dicamus. Ad *versi* vocabulum redeamus. Similiter Laberius in Lacu Averno:

> *Versorum, non numerorum, numero studuimus*.

Ita emendo ex iisdem membranis: ubi vulgò *numerum numero*, & sententiâ, & metro claudicante. Item Valerius Phormione:

> *Quid hic cum tragicis versis, & syrmâ facit?*

Ubi in Putschianâ editione *versibus*: atque adeò & veteri Venetâ*. Sed *versis* hic quoque in membranis nostris invenimus. Et sine dubio hæc vera lectio est.

* An. 1476.

Vulgus, hujus *vulgi*, & *vulgus*. Ut ostendit Charisius illo Varronis lib. XV Antiquitatum rerum Humanarum: *Vulgus rumorem*. Et in nono Hebdomadum: *A vulgu condemnaretur*. Nisi rectus sit *vulgu*.

Sed tamen quædam sunt, quæ minùs circumspectè ad hanc classem retulerunt. Tale est *sinus*, quod quidem inclinationis est secundæ, & quartæ; sed variatâ significatione. Nam pro vase, secundæ; pro gremio, quartæ est. Quod ad locum Attæ in Megalensibus: *Nempe ad mensam, ubi sermo de sinu solet oboriri* (quomodo is locus in Servio Petri Danielis* editus est) pro *sinu* omnino *sino* legi debet.

* Ad Ecl. 7. verba ista, Sinum lactis, & hæc te l. P q.

Neque à recto *penus*, quamvis id Charisius, & Cledonius, faciant secundæ & quartæ declinandi formæ, *pene* in vocandi casu dixerim. Nam patrius casus *peni*, quod utrique imposuisse judico, est à recto *penum*; quod Phocas jure agnoscit; ut, quo Afranius apud Priscianum, Terentiusque†, utantur. Multò minùs *speci*, aut *speco*, à *specus* dici posse existimo; quomodo tamen loqui docent Grammatici nostri.

† Eunuch. act. 2, sc. 3.

Priscianus lib. VI, ut *manus* est quartæ, ita & dici vult, *hic centimanus, hujus centimanus*. Subdit deinde isthoc Horatii è III Carm. od. IV:

> *Testis mearum centimanus Gyges*
> *Sententiarum notus*.

Verùm *centimanus* hic esse recti casus, nemo non videt. Idem cùm dixisset *sibilus* in genitivo facere hujus *sibilus*, hunc subjicit locum Sisennæ e XII Histor. *Procul sibilus significare consuli cæpit*. Sed hìc quoque *sibilus* est nominativus. Ut nihil uterque locus ad rem faciat.

Quartus ordo eorum est, quæ sunt tertiæ, & quartæ; ut *specus, specoris*, & *specus* hujus *specus*; unde ablativus *specu*. A *penus*, *penoris*; unde *penora* apud Columellam‡: & *penus*, hujus *penus*; unde ablativus *penu*. Ab *acus* item tum *aceris* dicitur; tum hujus *acus*; ut apud Columellam*, *Acus resecta*.

‡ Lib. 12, cap. 4.
* Lib. 2. cap. 9.

Quincta classis habet ea, quæ sunt tertiæ, & quinctæ. Ut *plebes*; quomodo integrè pro *plebs* Tacitus† sæpe, & alii, loquuntur. Ab eo non *plebis* solùm patrio casu legimus: sed etiam *plebei*; ut apud Varronem lib. IV de L. L. Tacitum lib. VI Annal. semel iterumque, Gellium lib. VII, cap. XIX, ubi in decreto de Scipione legas, *Tribunus plebei*: & cap. XI, ejusdem libri, ubi in editione H. Stephani excusum *plebi*: rectè, quia *plebi* ex *plebei*, ut *fami* ex *famei*, *pernicii* ex *perniciei*; de quo antea satis dictum.

† Lib. 3, & 15 Ann. & 4 Hist.

Quies etiam non tertiæ solùm est, de quo nemo ambigit; sed quartæ quoque; ut docemur isthoc Afranii in Emancipato‡: *Sollicito corde corpus nunc potitur quie*. Et hoc Nævii in Protesilaodamia*: *Complexa somno corpora operiuntur, ac suavi quie dicantur*. Ubi malim, *quie rigantur*. Idem cognoscere est ex composito *requies*: quod in quinctâ invenias passim. Ut illo Sallustii I Histor.†: *At inde nulla munitionis, aut requie mora processit ad oppidum*. Ubi *requie* pro *requiei* ponitur, Prisciano teste. Sexto casu usus Maro IV Æn.

‡ Apud Priscianum in 6.
* Ibidem.
† Apud Prisc. lib. 7.

> *Tempus inane peto, spatium, requiemque furori*.

At etiam in tertia usus Tullius, si rectè in vett. quibusdam libris scriptum est dialogo de senectute: *Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? satiari delectatione non possum; ut meæ senectutis requietem oblectamentumque noscatis*. Quomodo & Priscianus legit in VI. Idem ad Hostilium similiter hoc usus; teste Charisio. Et I de Fin. *Et ad dolores ita paratus est, ut meminerit, maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla requietis*. Et lib. I, epist. XV ad Att. *Ita sum destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiolâ, & mellito Cicerone consumitur*.

Imò & *quies*, *inquies*, *requies*, adjectivè olim in tertiâ usurpabant. De primo testis Priscianus, qui adfert illud Nævii lib. III Belli Punici: *Jamque ejus mentem fortuna fecerat quietem*: & hoc Licinii Macri è I Annal. *Non minimo opere milites quietes volebant esse*. *Inquietem* pro *inquietum* Sallustius dixit II Histor.* *Quia corpore & linguâ percitum, & inquietem, nomine histrionis vix sani, Barbulejum appellabant*. Appulejus similiter, *inquieti procacitate*. *Requies* pro *requietus* in recto usus Maro in Culice, si Scaligeri placet emendatio:

* Apud Prisc. ib.

> *Quolibet ut requies victu contentus abundet*.

Sunt qui classibus quatuor à nobis commemoratis etiam quinctam adjungant. Hanc esse ajunt eorum, quæ sunt primæ, & quinctæ. Sed hujusmodi pro variâ terminatione variant declinationem. Uti *materia*, *materies*, *luxuria*, *luxuries*; & alia id genus, de quibus vidimus libro antecedenti†:

† Cap. 35.

Et hujusmodi quidem sunt, quæ in eodem numero variant declinationem. At præter hæc alia esse, tradunt Grammatici, quæ sub eâdem terminatione pro diverso numero declinationem habeant diversam. Uti *vas*, quod Priscianus lib. VII in singulari tertiæ, in plurali secundæ esse docet. Sed *vasorum*, & *vasis*, sunt à nominativo *vasum*; quem & Caper‡ agnoscit. Usus Cato apud Gellium lib. XIII, cap. XXII: *Neque mihi ædificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est in manu pretiosum*. Pictor lib. XVI: *Polubrum sinistrâ manu teneto, dexterâ vasum cum aquâ*. Plautus Truculento Act. I, sc. I:

‡ De verbis dubiis.

> *Aut aurum periit, aut conscissa pallula est,*
> *Aut empta ancilla, aut aliquod vasum argenteum,*
> *Aut versum aheneum aliquod, aut lectus dapsilis, &c.*

Lucretius lib. VI:

> —— *Rareque facit lateramina vasi*:

quomodo hunc quoque locum citat Martianus Capella

lib. III: quo loco ambigi à quibusdam ait, num *vas*, an *vasum* dici debeat. *Vasibus* pro *vasis* dixit Cornelius Severus in Ætna: —— *Cavis cunctatus vasibus hæsit.*

At *vasis* Cæsar lib. III de bello Civili: *Et noctu, neque conclamatis vasis, flumen transit.*

Neque rectiùs alii *jugerum* in singulari secundæ, in plurali tertiæ esse ajunt. Nam *jugerum*, & *jugeribus*, sunt à nominativo *juger*. Tibullus lib. II, eleg. III:

Ut multo innumeram jugere pascat ovem.

Mela lib. III, cap. V: *Plus jugeris spatio sublimis.* Quin neque *jugerum* plurali caret, cùm Varro lib. I de re Rust. cap. X, in dativo plurali *jugeris* dixerit. Idem docet Priscianus lib. VII, nisi quod *jugere* putet esse à *jugus jugeris*: de quo haut multùm repugnem.

Sunt etiam composita ex duabus vocibus, quæ utrimque declinata aliam priori, aliam posteriori voce, declinationem sequantur. Ut *respublica*, & *rosmarinus*; quorum illud partim quinctam, partim primam; hoc tertiam, & secundam sequitur declinationem.

Sed quæ utrimque, quæ ex altera duntaxat parte declinentur, non tam est manifestum, quàm Grammaticis multis visum fuit. Quare de re tota accuratiùs dicendum. Componuntur alia ex duobus rectis: ut *respublica*, *jusjurandum*: alia ex recto, & obliquo: ut *paterfamilias*, *materfamilias*: alia ex *obliquo*, & *recto*, ut *Senatusconsultum*, *jurisperitus*, *triumvir*. Ex qua parte est obliquus, nulla est variatio casus; sed tantùm, ex parte recti. Ita tantùm dicimus *materfamilias*, & plurali *matresfamilias*, vel variato etiam numero, casúque servato, *matresfamiliarum*: unde *matrumfamiliarum* est apud Columellam lib. XII, cap. I. Nec tamen ad hoc, ut utrimque aliquid casibus varietur, sufficit vocem ex duabus rectis componi. Nam præterea necesse est, ut sit ex duobus integris. Nam *Marspiter*, ut Varro lib. VIII de L. L. ait, *Marspitris* facit. Cujus rei, quam aliam adferemus caussam, quàm quia posterior pars vocis non integra sit, sed corrupta? Atque idem de *Diespiter* dixero. Nam & hoc *Diespitris* facere, ibidem docet Varro. Et Priscianus ait, apud veteres inveniri, *Marspiteris* & *Marspitris*; *Diespiteris* & *Diespitris*. Sed de *Diespiter* non æque contendero: quia videri id possit non esse ex duobus rectis. Gellius* enim censet, sic dici quasi *diei* & lucis *pater*. Sed de *Marspiter* secus est, quod idem ac *Marspater*. At si integer sit uterque rectus, uterque etiam inflectitur. Quò & refer *rosmarinus*. Quid mirum? quando ut dicitur *respublica*, vel *publica res*; ita *ros marinus*, vel *marinus ros*, quod apud Horatium lib. III, od. XXIII:

* Lib. 5. cap. 12.

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Atque *marinum rorem* similiter ad eum locum ait vetus interpres. Quare inflectemus, *rorismarini*, *rorimarino*, & ita dejnceps. Dixeris, inveniri & *rosmarinum* accusandi casu: ut apud Plinium lib. XIX, cap. XII: *Quidam eam nomine alio rosmarinum appellant.* Sed facilè occurritur. Nam rectus nunc est *rosmarinus*, qui facit *rorismarini*: nunc *rosmarinum*, qui *rosmarini* facit, quia est ex recto & obliquo. Nam qui *marinum ros* dicat, φλοιωίζη· quia *ros* non solùm virile est pro nocturno humore, quem serenitatis tenuitas spargit, ut eum describit Appulejus*: sed etiam pro planta, quæ Virgilio II Georgicôn *ros*, ut Turnebus observat Advers. lib. XIII, cap. XXI: item *rosmaris* Ovidio lib. III de arte†: Horatio *marinus ros*, ut vidimus: *rosmarinus* passim, ac plurativè etiam *roresmarini* Virgilio in Culice:

* De Mundo.

† Vers. 690.

Liliaque & rores, Nonacria turâ, marini.

Rosmarinum autem in recto etiam dici, fidem fecerit Plinius lib. XVII, cap. XIII: *Iisdem modis rosmarinum seritur.* Et lib. XXIV, cap. XI: *Est & rosmarinum.* Ubi & ἀπλῶς *rorem* vocat. Paullò enim pòst ait: *Quæ ex rore supradicto nascitur.* Sic quidem optimi quique libri: *non rosmarino.* Tamen *olusatrum* non tantùm *olerisatri* facit; quod apud Columellam lib. XI, cap. III: sed etiam *olusatri*; quomodo Plinius lib. XIX, cap. XII ait, *Radicem habet olusatri, nihil a thure differentem.* Vulgò similiter à *jusjurandum* dicunt, *jusjurandi*, *jusjurando*. Ac Cæsaris se, & Taciti locis tuentur. Sed metuo ne loca omnia, quæ adferunt, sint corrupta.

De *leopardi* nomine parum laboro, quia antiquissimi, apud quos legas, videntur Diocletiani demum temporibus vixisse. Nisi quod Festi ætas non satis aperta; qui & ipse vocem eam habet in *Bigenera*. Antiqui vocant *pardos*, & *pantheras*: item *Africanas* & *Libycas feras*. Plinius sic πανθήρας lib. VIII, cap. XVI, uti & Solinus cap. XL, *leonum genus ex pardis generatum.* Sed si voce eâ inflexâ omnino utendum, non *leones pardos*, sed *leopardos* dicam cum Lampridio in Heliogabalo, Capitolino in Gordianis, Vopisco in Probo. De *alteruter*, quia veriùs pronomen est, libro dicam de Analogia IV, cap. VII.

Cap. XXI.

A recta declinatione acceditur ad transversam: qua motionem, & comparationem comprehendit. Prior, *pro* prius; posterior, *pro* posterius; potis, *pro* pote; *&* pote, *pro* potis. *Adjectiva in E R, genere muliebri: quæ nunc per is potiùs efferuntur.* Paupera. Celerissimus. Pauper lorum *quod Juvenali.* Arpinate, Sarsinate, *& similia, non rectè in neutro usurpari, pro* Arpinas, Sarsinas, cujas *&c. Substantiva adjectivè sumta moveri adjectivorum more. De Persii loco à Britannico, & Casaubono recessum. Substantiva substantivè posita moventur de genere virili in muliebre.* Colubra. Antistita. Lea. Caupona, caupa, copa, cupa, *eâdem significatione.* Straba.

HActenus diximus de declinatione rectâ, quæ fit in casus, & κατ᾽ ἐξοχὴν sibi *declinationis* nomen vindicavit. Sequitur transversa, ut Varro eam vocat in tertio de Analogia. Hæc partim fit in genera, & *Motio* dicitur; partim in gradus, & *Comparatio* nominatur. *Motio* tum substantivis inest, tum adjectivis; sed primariò, & propriè magis adjectivis; de quibus icirco priori loco agendum.

Adjectivorum alia moventur unâ terminatione: ut, *concors*, *par*, & similia; in his *infans*, ut argumento est illud Ovidii in Ibin:

Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino.

Alia duabus; ut positivi in IS, quorum neutrum in E; quale, *fortis*, *forte*: item comparativi in OR, in quis neutrum in US: ut, *melior*, *melius*.

Alia tribus; ubi feminina in A, neutra in UM; ut, *probus*, *dexter*, *satur*: quod κατ᾽ συγκοπὴν ex *saturus*. Interdum & neutra in D; ut in provocabulis, *aliud*, *illud*, *quid*; cujus & femininum in Æ; ut in Pronomine dicemus.

Juxta priscos comparativi in OR, quos secundi ordinis faciebamus, primi erant. Unde apud Valerium Antiatem VI Annal. *Hoc senatusconsultum prior factum est.* Et Cassius Hemina Annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: *Bellum Punicum posterior.* Geminum quoque Claudii è IX Annal. locum vide apud Priscianum lib. VII.

Nec quod de adjectivis in IS diximus, in *potis*, & *pote*, est perpetuum. Nam etsi non negamus, *potis* plurimùm masculino, aut muliebri; *pote* autem sæpius in neutro usurpari: sunt tamen & loca non pauca, in quibus secus fiat. Verissimum enim est, quod ad Catullum monuit Muretus, *potis*, pro *pote*, accipi in isto Lucretii lib. V:

Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.

Et contrà *pote*, pro *potis*, dixit Propertius*:

* Lib. 2. el. 1.

Quâ pote, quisque in eâ conterat arte diem.

Catullus utrumque modum habet. Nam *potis*, pro *pote*, ponitur in isto†:

† Ad Lesbiam Carm. 73.

Qui potis est? inquis. quòd amantem injuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.

Græcè, πῶς ἂν τοῦτο δυνατὸν εἴη. At *pote* pro *potis* usurpat, cum ait‡:

‡ De Acme & Septimio, Carm. 46.

Quantum qui pote plurimum perire.

 Hu-

Hujusce rei ignoratio ansam præbuit multis locis depravandis. Nam ubi vett. membranæ habent *potis est*, in codicibus vulgatis, quia nomen neutrum antecessit, *pote* editum est. Id minimùm duodecim locis ab Arnobio factum esse, docet Carrio lib. II Emendat. cap. XVII.

Quædam, ut dupliciter desinunt, sic bifariam movent. Ut *hic acer*, *hæc acris*, *hoc acre*. Et, *hic & hæc acris*, *& hoc acre*. Sic *saluber*, *& salubris*; *alacer*, *& alacris*. Asconius in Verr. II: *Alacris, sive alacer*, (*utrumque enim dicimus*) *dicitur is*, *qui intentus est sensibus universis*, *cui omnes sensus in loco quisque suo vegeti sunt*, *& intenti.*

Nimirum adjectiva quædam tertiæ declinationis in ER exeuntia, nunc femininum fere in IS, neutrum per E faciunt: olim autem in feminino etiam ER retinebant. Sic Nævius dixit in carmine de bello Punico: *Fames acer augescit hostibus.* Et Ennius in XVI: *Æstatem auctumnus sequitur, post acer hyems* ——. Pro quo *acris hyems* maluit Horatius od. IV, lib. I: *Pauper* in muliebri usus Terentius Andr.*

Potius, quàm in patria honestè pauper vivere.

Pro quo *paupera* dixit Plautus Vidulariâ: *Paupera hæc res est.* *Uberis*, vel *ubera*, non memini me legere in recto feminino: sed citat Priscianus è Catone in secundo Originum: *Itaque res uber fuit, antequam vastassent legiones.* *Celer* se habet, ut *celeber.* Nam *celeris* de femina dixit Naso VIII Met.

—— *Prædâque potita nefandâ,*
Fert secum spolium celeris.

Neutrum est apud Terentium Phormione†:

Nullus es, Geta, nisi jam aliquod tibi consilium celere repperis.

Ac ut à *celer* est superlativus *celerrimus*; ita à *celeris* (quo etiam M. Catonem de re militari, & Cæcilium in Epifatomo, usos, docet Priscianus in VII) venit *celerissimus*: ut apud Cn. Manlium, sive Mattium in Iliade:

—— *Celerissimus advolat Hector.*

Et Ennium in Annal.

Exin per terras postquam celerissimus rumor.

Ad adjectiva unius terminationis etiam pertinent *dives*, *teres*, *memor*, *uber*, *hebes*, *sospes*, & quædam alia: quæ rarius quidem, attamen interdum reperiuntur in genere neutro: quomodo Naso IV Trist. dixit: *Divitis ingenii*: *teretia* non refugit Agellius‡; uti nec Maro in VII, *teres flagellum*: idemque IV Æneid. dixit: *Numen justumque, memorque, precatur*: & in IX, *memoris avi*: in Bucol. *pauperis tuguri*: Lucanus in X: *pauperis avi*: ac Juvenal. sat. V:

Vel nodus tantùm, & signum de paupere loro.

Ubi *pauper lorum* vocat corrigiam illam, à qua dependebat bulla puerorum, pauperum quidem, sed tamen ingenuorum, & hoc ingenuitatis signum gestantium: ut annotavit vetus ejus poëtæ scholiastes.

Non semel verò in genere motioneque adjectivorum cursum est extra veritatis curriculum. Certè multi Priscianum, Rhemnium Palæmonem, aliosque secuti, ajunt, dici, hic & hæc *Arpinas*, aut *Sarsinas*, & hoc *Arpinate*, aut *Sarsinate*. Et fortasse si id inficiemur, nonnemini, cui à tantis nominibus pendere sollemne sit, Lamiæ turres, somniaque narrare videbimur. Attamen, nihil pensi habentes, quid dicant plebeji judicii homines, asserimus, *Arpinate municipium*, *bellum Capenate*, similiaque, esse vel ἀδόκιμα, vel obsoleta. Nam Cicero epist. XIII, lib. XVI ad Att. dixit: *O casum mirificum! v. Id. cum ante lucem de Sinuessano surrexissem, venissemque diluculò ad Pontem Tiretium*, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obviam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα†.* Apud Livium lib. V legimus: *Corneliis Faliscum bellum*; *Valerio, ac Servilio, Capenas sorte evenit.* Et lib. VIII: *Eodem anno bellum Privernas sorte initum est.* Lucilii quoque est, *oleum Casinas.* Caussâ erroris est, quòd olim dixerint, *Arpinatis*, *Sarsinatis*; è quibus *Arpinâs*, & *Sarsinâs*, facta esse, ideoque ea circumflecti in ultimâ, rectè docent. Cato in Originibus apud Priscianum lib. VII: *Siquis mortuus est Arpinatis, ejus heredes sacra non sequuntur.* Ejusdem est, *lucus Capenatis.* Est & Plauti Menæchmis‡:

Rogant cujatis sit. quid ei nomen siet.

Et Mostell.*

Quid? Sarsinatis ecqua est, si Umbram non habes?

q. d. quomodo ulla sit Sarsinâs, si tibi non sit umbra, cùm Sarsina sit Umbriæ civitas?

Verùm etsi antiquè istæc in ATIS desierunt, non tamen iccirco neutra in ATE efferenda; quia cum terminatione genus quoque immutarunt, atque è communibus omnis esse generis cœperunt; quemadmodum argumento est, quòd veterum nemo neutra per ATE, sed omnes per AS efferant.

Interdum autem fit, ut & substantiva adjectivorum naturam capiant; eoque terminationem quoque mutent, instar adjectivorum. Sic Virgilius† dixit, *Arcadium magistrum*; &‡ *laticem Lyæum*; pro *Arcadico*, & *Lyæo.* Horatius*: *Medum flumen*, &†, *Sulpicia horrea.* Persius Sat. I, *heroas sensus*: quod, ut observavit Casaubonus, affine est illi prope ἀρχαικὸν δυσφημίῳ veteris scriptoris dicto apud Eustathium, ἄνθρωπον ἦθος. Apud Sophoclem quoque, Apollonium, & alios, ἑταῖρος legas pro ἑταιρεῖος· ac similiter apud Plin. lib. XIX, cap. XII, *hora matutina, atque vespera.* Et, *Matutinum tempus, atque vesperum.* pro *vespertina*, & *vespertinum.* Par ratio fortassis in *terra Italia*, pro *Italica*; *terra Hispania*, pro *Hispanica.* Qua de re dixi aliquid lib. superiori cap. XII: plenìusque agam libro de Structura cap. II. Etiam præcedenti libro* huc referebam ex Horatio, *Metaurum flumen*, & *flumen Rhenum*: pro *Metaurinum*, & *Rhenanum.* Aliis tamen placet, veteres, ut *nardus*, *nardum*; *jugulus*, *jugulum*; *cingulus*, *cingulum*, similiaque: ita & *Metaurus*, *Metaurum*; *Rhenus*, *Rhenum*, dixisse. Quibus facilè adsentirem, si *Metaurum*, & *Rhenum*, uspiam, nisi addito *flumen*, invenirentur. Et profectò, quis *amnis Metaurum*, vel *Rhenum*, dicere ausit? Putabat Britannicus, imò & maximus Casaubonus†, similiter Persium *Rhenos* dicere pro *Rhenanos*, hoc est Germanos, Rheni accolas. Persii locus est sat. VI:

—— *Missa est à Cæsare laurus*
Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam postibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.

Sed verisimilius est, eò respicere poëtam, quòd & fluminum picturæ præferrentur in triumphis: uti Rheni in triumpho de Germanis. Accommodatius exemplum, quòd eâdem satyrâ dicat, *Ligus ora*, pro *Ligustica*, & *juvenes jocos*, pro *juveniles.* Gruterum etiamsi audimus, Seneca lib. V de Beneficiis cap. XXIV, dixit, *machæra Hispania.* Sed melius codices alii, *Hispana.* At multa prioris generis apud Arnobium. In Codice‡ quoque Justiniani legit Stewechius, *dies autumnos* pro *autumnales.* Plura si voles, adi Janum Guiljelmium in Plautinis, Palmerium in Spicilegiis, Stewechium ad primum Arnobii, Meursium ad Lycophronem, pluresque alios: quos in vulgatâ laudare piget.

Sed hæc quidem substantiva sunt, verùm adjectivè accepta. At motio etiam est substantivorum, quæ suam retinent naturam: cujusmodi solùm moventur de virili genere in muliebre. Ut *rex*, *regina*; *tibicen*, *tibicina*; *fidicen*, *fidicina*; *hospes*, *hospita*; *sospes*, *sospita*; ut *sospita Juno*: *cliens*, *clienta*, de quo superius* dictum; *flamen*, *flaminea*; quo Trogus usus, libro XXII, teste Prisciano†: *coluber*, *colubra*, quod non apud Lucilium modò, Turpilium, & Varronem, de quibus Nonius auctor: sed etiam Ovidium in Ibin:

Pectoraque unxerunt Erebeæ felle colubra.

Quædam autem etsi quandoque eâdem terminatione dicantur de utroque sexu; habeant tamen & propriam feminis terminationem. Tale est *antistes.* Nam de femina eo

usus

* Act. 4. sc. 5.
† Act. 1. sc. 4.
‡ Lib. 7. cap. 14.
* V. C. Tiretinum.
† Longam navigationem ingredientem.
‡ Act. 2. sc. Nulla est voluptas.
* Act. 3. sc. Melius anno hoc.
† Georg. 4.
‡ 1 Æn.
* Lib. 2. od. 9.
† Lib. 4. Carm. od. 12.
* Cap. 12.
† Comment. in Persii sat. ult.
‡ L. Omnes dies. De feriis.
* Lib. superiori, cap de genere communi.
† Lib. 7.

usus Valerius Maximus lib. I, cap. I: *Ne Dea vetusti ritus perita deesset antistes.* At propriè hæc *antistita.* Plautus Rud. act. III, sc. II: *Veneris, Venereaque antistita.* Imò Cicero Verr. VI: *Sacerdotes Cereris, atque illius fani antistitæ.* Sic enim Ciceronem scripsisse, auctor est Gellius lib. XIII, cap. XIX. Ovid. lib. XIII Met. fab. II:

—— Tractisque comis antistita Phœbi
Non profectural tendebat ad æthera palmas.

Cornelius Severus*:

Stabat apud sacras antistita numinis aras.

* Apud Charisium lib. I.

A *cliens* esse *clienta*, diximus lib. I de Analogia capite XV.

Olim & *leo* utriusque generis fuit: sed postea in feminino *lea*†, & inprimis *leana* prætulere. *Leana* est Græca terminatio, λέαινα: ut *draco*, *dracæna*, ex δράκων, δράκαινα. At *lea* terminatio est Latina: ut *leno*, *lena.* Juvenalis sat. II:

† Lucret. lib. 5.

Aut apud Isiaca potius sacraria lena.

Sic *caupo*, *caupona.* Quod tam mulierem, quàm tabernam signat, Prisciano teste in VI; qui id comprobat illo Lucilii in III:

Caupona hic tamen una Syra.

Pro quo Maro in Copâ:

Copa Syrisca caput Graiâ redimita mitellâ.

Nempe à *caupo*, *caupa*, &, *au* in *o* converso, *copa*: ut à *caurus*, *corus*; à *cautes*, *cotes.* Nec *caupa* solùm, sed & *cupa.* Ut Tullio in Pisonianâ: *Panis, & vinum, de propola, & cupa.* Ut à *fraudo*, *defrudo*; sic ex *caupa*, *cupa.* Etiam à *strabo* esse *straba*, ostendit idem Priscianus isto Varronis de numismatis: *Non hæc res de Venere patâ strabam facit* ἐπιρίφθαλμον ‡.

‡ Unenculam.

CAP. XXII.

Comparatio non est solius Nominis affectio. Si naturam vocabulorum sive significationem spectes, omnia comparari possunt, quæ incrementum vel intentionem admittunt: sin usum, ea solùm per gradus declinabimus, in quibus veterum præit autoritas. Unde fit, quod etiam, quæ locum significant, comparabilia sunt. Saturnii lapsus. Αὐτότατος, ipsissimus, patruissimus, pumilior, cinædior. *Substantivè positum* Meritissimum.

Accedo ad Comparationem: de qua similiter examinabimus, quæ à Grammaticis traduntur. Auspicabimur autem à disceptatione istâ, cui Comparatio accidat primò. Sanè non primò competere Nomini, clarè arguit, quòd etiam convenit participiis, & adverbiis: ut *honoratus*, *honoratissimus*; *sæpe*, *sæpius*: quâ de re pluribus in utraque hac classe dicemus. Non igitur Nomini, sed Voci accidit primò. Porrò quæritur, num omni accidat nomini, an soli adjectivo: item num omni adjectivo, an isti soli, quod incrementum, aut qualitatem signat: ac denique an omni adjectivo, quod incrementi, aut qualitatis significationem habet. De hoc ita statuimus, sola adjectiva comparari, at non omnia; verùm duntaxat, quæ incrementum, aut qualitatem notant: imò nec hæc universè, sed tantùm, quæ usus veterum per gradus declinavit. Nam *cicur*, *opimus*, *claudus*, *canorus*, *egenus*, *crispus*, *balbus*, *almus*, & multa alia, magis, & minùs, admittunt; quorum tamen comparativi, & superlativi, non inveniuntur.

At enim, inquiunt nonnulli, *exterior*, *citerior*, *interior*, *anterior*, aliaque hujusmodi, in usu sunt: & tamen locum designant; qui, siquidem à philosopho* rectè definitur, *extremitas corporis continentis immobilis primò*; neque incrementum recipere potest, neque intentionem. At horum ratione, uti dicebamus, fit omnis comparatio, ut, quæ eo carent, nec comparari posse videantur. Solvit hunc nodum Augustinus Saturnius; qui lib. IX, cap. II duo in hisce considerare jubet, locum, & intervallum; hujus ratione comparationem institui, non illius; qui cùm substantia sit, magis aut minus neutiquam admittit. Optimè cætera Saturnius: unum hoc incommodè, cùm rationem ex eo petit, quòd locus substantia sit. Nam corporibus omnibus accidere, tum locum, tum tempus, tantùm iis ignorabile esse potest, qui in sophistarum cœno potiùs, quàm limpidis Aristotelis fontibus, didicerint philosophari.

* Lib. 4 φυσικῆς ἀκροάσεως.

Verùm nec desunt, qui velint, non ea solùm, quæ in concreto (ut loquimur vulgò) quantitatem, aut qualitatem significant, (in cujusmodi propriè incrementum, intentioque, spectatur) sed etiam substantias ipsas comparationem admittere. Id eo adstruere conantur, quòd, quemadmodum Aristophanes ab αὐτὸς dicit αὐτότατος, ita ab *ipse* apud Plautum in Trinummo† legere sit *ipsissimus.* Sed mirandum, viris doctissimis non venisse in mentem, summam esse Plauti audaciam in fingendis novis vocabulis; nec talia in exemplum trahi debere. Adferunt iidem è Pœnulo‡:

† Scena I Huic ego dies nomen Trinummo faciam.

‡ Act. 5. sc. Aut tu dixe.

—— MI. Vin' appellem hunc Punicè?
AG. An scis? MI. nullus me est hodie Pœnus Pœnior.

Item*,

* Act. 5. sc. Fuit hodie operæ pretium.

—— AG. ó patrue mi patruissime.
POE. Quid est, fratris mei gnate? mi gnate, quid vis? expedi.

tum autem Catulli† esse *cinædior*, Appuleji‡ *pumilior*, Agellii* *Plautinissimus.* Verùm cogitare debuerunt, & *pumilior* quantitatem, & *Plautinissimus* qualitatem signare; cætera autem de moribus dici; uti agnoscet, qui ea curatè ad judicii lancem expenderit. Adde quòd, si ea quoque morari oportet, quæ novè finguntur à Plauto; valido argumento commonstrare possim, nec substantiva comparationem planè aversari. Nam à *meritum* legimus *meritissimum*, pro maximo merito. Plautus Asinariâ act. III, sc. III:

† Epigr. 10.
‡ Lib. 5 Metam.
* Lib. 3, cap. 3.

Meritissimo ejus, quæ volet, faciemus, qui hosce amores
Nostros dispulsos compulit.

Ubi *meritissimum* omnino substantivè accipi, ex casu addito manifestissimum est. Sed hujusmodi, quemadmodum dicebamus, cùm profecta sint à licentiâ poëticâ, præjudicare non possunt Grammaticorum definitionibus ac regulis, quando concordant cum Romanorum in loquendo consuetudine.

CAP. XXIII.

Positivi, comparativi, superlativi nomina parum esse idonea; potuisseque aptiora excogitari. Vulgaris, & comparativi, & superlativi definitio refellitur, meliorque adsertur. Ratio Scaligeri de Superlativo rejecta. BB. FF. MM. similiaque, superlativum significant in Inscriptionibus antiquis. Comparativus interdum minus significat, quàm positivus. Priscianus contra Vallam defensus. Valla de Prisciano, Volaterrani de Valla judicium. Comparativi quandoque ponuntur pro positivo. Est & cum plus significent superlativo. Unde ea loquendi ratio originem traxerit.

Vidimus universè, quibus accidat comparatio. Nunc de tribus ejus gradibus agamus. Ubi primùm se quæstio offert, quæ de positivi, comparativi, ac superlativi, tum nomine, tum definitione instituitur. *Positivum* quidem haut rectè appellant, cum & ponat comparativus, atque adeò etiam superlativus, qui Græcis iccirco à τιθέναι dicitur ὑπερθετικός. Nihilo accommodatius est nomen *comparativi* gradus, cùm & iis nominibus adverbiisque instituatur comparatio, quæ hujusce gradus non sunt. Talia sunt *similis*, *dissimilis*, *geminus*; & inter adverbia, *æquè*, *similiter*, aliaque. Quin comparatio non minùs superlativo fit, quàm comparativo. Æquè enim comparatio fuerit, si de Varrone, Nigidio, ac Cicerone, dicam; *Varro horum doctissimus*: quàm si de solis, Varrone, ac Nigidio, dixero, *horum Varro doctior.* Nec satisfacit *superlativi* vox, quando comparativus quoque superlationem indi-

indicat, quàm superlativi nomen requirit. Quippe cùm dico, *Varro Nigidio fuit doctior*, eruditionem Varronis super Nigidianam effero.

Quæras fortasse, quando vulgata damnamus nomina, ecqua ipsi meliora eorum in locum substituere possimus. Possumus sanè; eoque faciliùs, quia prævit hac parte Cæsar Scaliger; qui positivum putat debuisse appellari ἀόριστον sive *indefinitum*: pro *comparativo* item malit ὑπερθετικὸς seu *superativus*: ac pro *superlativo* censet Græcè dici potuisse ἀκροθετικὸς: Latinè verò excogitandum fuisse nomen quoppiam, quo extremus notaretur excessus. Vel sanè ex antiquis sequamur Quinctilianum; qui pro *positivo* dicit *absolutum*. Nam lib. IX, cap. III ait: *Utimur vulgò & comparativis pro absolutis, ut cùm se quis infirmiorem esse dixerit.* Similiterque appellat Valerius Probus libro I Grammat. Inst. cap. de Adverb. Video & esse, qui *simplicem* vocent: quos inter minutiarum hujusmodi non incuriosus Henricus Stephanus, Animadversionibus in librum Corinthi de dialectis, themate XLIX.

Quæritur præterea, rectène comparativum dixerint significare *magis* supra positivum: superlativum supra eum signare *multum*, sive *valde*. Sanè non diffitear, ita hos casus quandoque exponi; idque exemplo antiquorum, qui positivis etiam comparabilibus interdum *magis*, aut *valde* addunt. Ut apud Maronem IV Æn.

—— *O luce magis dilecta sorori.*

Et apud Ovidium II Met.

—— *Puràque magis pellucida gemmâ.*

Et alibi:

Quid magis est durum saxo? quid mollius undâ?

Ac longè etiam crebriora sunt exempla, ubi pro superlativo ponatur positivus cum *valde*, aut *longè*. Sed quòd iccirco putarunt, gradus eos per *magis*, ac *valde*, rectè definiri; id longè aliter est. Nec enim cùm dico, *Titius est nemine popularium inhumanior*; vel, *nullo nostri indoctior*: interpretari possis, *magis inhumanus, quàm nemo popularium*; *magis indoctus, quàm nullus nostri*. Præterea ipsum *magis* comparativum esse non negabunt. At quomodo id *magis* significabit supra positivum? Nam si *magis*, quia comparativum est, supra positivum *magis* significat: hoc ipsum *magis*, quod supra positivum significatur, comparativum quoque erit; eoque & ipsum in aliud *magis* resolvetur, atque istoc in aliud, atque aliud; quo nihil insulsum magis dici, aut cogitari potest. Quanto itaque rectius vir humanæ divinitatis, Julius Scaliger, cui comparativus est *species dictionis excessum significans ad alterum relatum*?

Nec superlativus, (siquidem naturam ejus, usumque spectare malumus, quàm abusum) supra positivum significat *valde*, sed extremum excessum. Idem nobiscum sentit Scaliger; sed invalidus mihi aries videtur, quo vulgariam conatur evertere opinionem. *Valde*, inquit, est *validè*: ergo *validissimus* est *validè validus*. Putatque vir summus, id planè esse infacetum. At cur deterius sit *validè validus*, pro admodum valido, hoc est, validissimo, quàm *parcè parcus*, pro parcissimo; *miserè miser*, pro miserrimo: cujusmodi loquendi modus frequens est apud Plautum? Verùm inquit, *validè validus*, est *bis validus*: superlativus autem notat *ter validus*: atque id quoque lingua terræ Galliæ testatum facit, quæ superlativos per *ter*, & positivum ἀφαιρεῖ. Equidem de superlativo dixerim, quod in ænigmate de Termino dixit Marcus Varro apud Agellium*,

Semel minusne, an bis minus sit, haut scio,
An utrumque eorum†.

* *Lib. 12, cap. 6.*

† *Ita versum hunc pravo male tala sultum restitui debere arbitror.*

Nec multùm referre puto, utrùm hanc, ân illam sequamur sententiam. Interim si lubeat cum Scaligero serram reciprocare, nec argumenta defiant, quibus comprobetur, omnino magis verisimile esse, superlativis bis *magis* significari. Nam, ut alia mittam, non parùm hanc sententiam juvat, quòd superlativi in antiquis inscriptionibus, positivi geminatione exprimi soleant. Ita BB. in iis notat *bene bene*, hoc est, optimè. Item BB. *bonis bonis*, hoc est, optimis, & FF. PP. FF. *fortissimi*, *piissimi*, *felicissimi*. Item LL. *libentissimi*, MM. *meritissimo*: etiam *malus malus*, hoc est, pessimus. Inscriptiones ipsas siquis fortè requirat, commonstrabit eas syllabus sive elenchus Grammaticus: qui, uti cæteri Gruterianæ illius editionis indices, non judicio eruditioneque minori, quàm labore est confectus.

Sed spinosam, atque inutilem hanc quæstionem, bisne, an ter magis positivo fuerit superlativus, missam faciamus: ac illud potiùs dicamus, quæ propria, quæ item καταχρηστικὴ, & comparativi, & superlativi, acceptio esse soleat. Propriè quidem quid comparativus notet, antea diximus. Sed interdum minùs significat, quàm positivus. *Juvenior* enim esse comparativum per imminutionem, scripsit ipse Varro, ut autor est Servius in V Æn. Estque simile, cùm quis se infirmiorem esse dicit. Scio, Quinctilianum lib. IX, cap. III statuere, hic comparativum poni pro absoluto. Sed falli eum, nemo negaverit, qui cogitârit caussam, cur, qui se infirmiorem dicit, non item dixerit, se esse infirmum. Omnino enim hic quoque aliqua comparatio est. Ut in illo Maronis I Æn.

Tristior, & lacrymis oculos suffusa nitentes.

Hoc est, non quidem admodum tristis; sed tamen solito tristior. Ergo, si absolutè spectes, *tristior* est *subtristis*, vel *ex parte tristis*, ut Priscianus rectè explicat. Hic quoque, more suo, pro Quinctiliano contra Priscianum stat Valla: sed valida est ratio, quam antè adferebamus. Sæpe enim fit, ut qui alterutro horum utitur, non fuerit altero usurus. E. G. *audaciorem*, hoc est, audaculum quempiam dixero, quem *audacem* non dixero. Hæc ratio est, cur & *paullò*, vel simile adverbium interdum addatur, ad pleniùs exprimendum absoluti imminutionem. Ita dixit Terentius ‡,

Siqua est habitior paullò, pugilem esse ajunt.

‡ *Eun. Act. 2, sc. 3.*

Habet autem hæc imminutio quoque in adverbiis locum; ut cùm Ovidius* ait:

Duriùs incedit, fac ambulet.

* *Lib. 1 de Remedio Amoris.*

Ubi *duriùs* est *durinsculè*.

Hæc eo lubentiùs pro Prisciano contra Vallam attulimus, quia is perpetuus est in tuendo Fabio, sugillando Prisciano; adeò quidem, ut nec lib. primo in Bartholomæum Facium scribere dubitarit, Priscianum vix idoneum esse, qui sit Quinctiliani, velut Agamemnonis, aut Ajacis, aut Diomedis, aut Hectoris auriga, plusque hunc artis Grammaticæ, dum oratorem instituit, per transennam aperuisse, quàm ex suo ingenio illum omnibus suis libris, omni suo studio, omni suâ ætate. Quare rectè de eo Raphaël Volaterranus lib. XXI: *Quinctiliani*, inquit, *imprimis admirator, simul & imitator; maledicus alioquin in omnes.*

Interea tamen agnoscimus, comparativum tam adverbiorum, quàm nominum, pro positivo accipi posse. Ita cùm *ocius* redire aliquem jubemus, non aliud dicimus, quàm si uteremur insolito adverbio *ociter*. Cùm item dicimus, aliquid à compluribus traditum, quid aliud intelligimus, quàm à multis? Nec imminutio locum habet in illo Fabii de Isocrate lib. III: *Eoque jam seniore (octavum enim & nonagesimum implevit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit.* Eodemque modo dixit Maro de Priamo II Æn.

Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequiquam humeris.

Nam quo pacto minùs significet, quàm *senex*, cùm humeri ejus ævo tremere dicantur? Nec aliter accipio illud ejusdem †:

Et ferrugineâ subvectat corpora cymbâ
Jam senior: sed cruda Deo, viridisque senectus.

† *6 Æn.*

Ut sententia sit, id in eo fuisse admirabile, quod, cùm jam tot annorum esset, tamen corpore esset adeò vegeto. Quare non assentio Servio, qui ad hunc de Charonte locum ita scribit: *Aut pro positivo posuit, aut, ut diximus, Senior est, virens senex, ut Junior intra juvenem est. Quam rem è Varrone confirmat etiam Plinius.* Qui locus lucem capit ab iis, quæ idem hâc de re tradit ad V Æn. cùm ait:

Se-

Secundùm Varronem juvenior, & senior, comparativi sunt per diminutionem. Hinc est, Jam senior; sed cruda Deo viridisque senectus. Additum enim hoc est ad exprimendum, quid sit Senior. Et Ovidius, Inter juvenemque senemque. Et reverà non convenit, hunc satis senem accipi, qui & vincere potest, & uno ictu tantum necare. Hæc Servius. Verùm eo, si fortè, unum hoc effecerit, *senior* quincto Æneidos imminutionem significare. At nihil illa ad locum de Priamo, aut Charonte, aut eum, quem è Fabio adducebamus. Quare meritò triplicem statuimus usum comparativi; ut vel plus, vel minus, vel tantundem ac positivus significet.

Quid si autem dicamus, comparativum interdum plus, non positivo tantùm, sed ipso etiam significare superlativo? Scio hoc παράδοξότατον videri. Quippe, ut ait Seneca epist. LXVII: *Maximo non est incrementum.* Et ibidem inquit: *Crescere posse, imperfectæ rei signum est.* Et alibi: *In summum producta incrementi non habent locum.* Attamen si usum attenderimus, optimorum scriptorum; fatendum erit, interdum comparativos majorem habere significationem superlativo. Ita enim Cicero dixit pro M. Marcello: *Maximas tibi omnes gratias agimus C. Cæsar, majores etiam habemus.* Et lib. II Tusc. quæst. *Hoc igitur tibi propone: amplitudinem, & quasi quandam exaggerationem quàm altissimam animi, quæ maximè eminet contemnendis & despiciendis doloribus; unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans, se tantùm ipsa delectet.* Idem libro III Off. *Scias, te quidem mihi esse charissimum; sed multo fore chariorem, si talibus monumentis præceptisque lætabere.* Marcus Seneca lib. III Controv. *Viro fortissimo sum fortior.* Plinius in Panegyr. *Meliorem optimo genuit.* Caussa & origo hujusce locutionis videtur fuisse istiusmodi. Cùm primò ei superlativum tribuissent, quod tum temporis summum judicaretur; postea autem aliud excedere animadvertissent: satius visum fuit, loquendi genere reservato, aliud excogitare, quod superlativum excederet, quàm eripere semel donata, eoque optimo jure possessa. E. G. Hortensius habitus Romanorum eloquentissimus: at tempus venit, quo, superstite ipso Hortensio, gloria hæc penes Ciceronem fuit. Quid ergo? Hortensiusne nullà culpâ suâ fraudabitur elogio viri eloquentissimi, quod ei mercedis loco à civibus, de quibus optimè erat meritus, reportârat, & jam diu, donationis vi, jure optimo possederat? Minimè verò: potiùs comminiscendum fuit quippiam, quo & semel donata Hortensio relinquerentur, & Tullius tamen honore debito à gratis civibus non fraudaretur. Id autem erat, si Hortensio quidem concederetur nomen eloquentissimi: sed Tullius diceretur eloquentior eloquentissimo: nempe non ἁπλῶς eloquentissimo; neque enim erat eloquentior se ipso; sed eloquentissimo aliorum. Et istiusmodi quidem fortassis hujusce rei initium fuit. Sed, ut nihil in suis primordiis consistit, pòst, nullà etiam opinionis immutatione factâ, cœpit hoc loquendi genus καθ' ὑπερβολὴν usurpari.

Ex his, quæ de comparativo diximus, non difficile erit, certi aliquid statuere de superlativo. Nam ex iis nulli obscurum esse potest, superlativo notari propriè cæterorum excessum. Neque enim κυρίως* *doctissimus* vocari possit, nisi qui vel ἁπλῶς† omnibus antistet; quomodo dixerim, Aristotelem fuisse omnium philosophorum φιλοσοφώτατον: vel qui omnes in suo superet genere; ut si Boëthium vocem philosophorum inter Romanos doctissimum, atque inter Arabas Averroëm: vel denique, qui ut nec suo in genere excedat cæteros, tamen omnes rei expleverit numeros, de quâ sermo est; aut saltem superiorem agnoscat neminem: quo pacto, si complures eodem tempore uno in studio exsuperent cæteros, ac inter sese de eruditione certent; quivis eorum meritò dicetur doctissimus. Si horuncce fuerit nihil, superlativus locum non habebit; cùm si propriè loqui amamus, doctissimus esse non possit, qui & ἁπλῶς, & suo in genere alios habeat superiores. Quod verò aliter utimur vulgò superlativis, is forsasse initio abusus veriùs dici potuit. Postquam verò semel ea significatio recepta fuit in vulgus, sapientibus quoque eâ potiùs utendum fuit, quàm consuetudini repugnandum. Itaque nec Maro ‡ reformidat dicere,

> —— *Danaûm fortissime gentis*
> *Tydide.*

Atqui non erat Diomedes fortior Achille. Verùm superlativus hic non significat Diomedem toto suo genere esse præstabiliorem: sed unum esse ex iis, qui cæteris præstant. Charisius quoque Sosipater* tradit, ex Terentii Scauri sententiâ, cùm Maro ait, *Troja qui primus ab oris*, non primum dici Æneam, eò quòd antevenerit, quotquot in Italiam venêre; sed quia unus fuerit è primis. Verba Scauri fuere ista lib. X. Comment. in artem Poëticam: *Non quia ante omnes; sed ante quem nemo est.* Et addidit: *Quo genere plures primi accipi possunt.*

Atque hæc caussa est, ut antea diximus, cur superlativum auxerint per comparativum. Præterea verò superlativi excessum judicarunt particulis *multo, longè, per, quàm, perquam.* Sed de eo, in quo à multis Grammaticorum multiplex error committitur, commodiùs dicemus, cùm de Adverbiis, cæterisque particulis, agendum erit.

* Propriè.
† Simpliciter.
‡ Æn. I.
* Lib. 2, cap. de Adverbio in Primus.

Cap. XXIV.

De Comparativis in LIMUS desinentibus. A Mario Corrado, & Laurentio Valla, discessum. Imbecillimus, & imbecillissimus, *dici. Unde veniant,* melior, optimus; pejor, pessimus; nequior, nequissimus: major, maximus; minor, minimus. Deus Majus, Dea Maja. Jugi *etymon, & verbi* jugo. *Claudius Verderius reprehensus.* Plus, & plures, *non esse positivum, ut Asinius, & aliqui juniorum credunt. Unde sint* plus, & plurimus. Multissimus *an Ciceronianum sit. Bembi in eo lapsus.*

QUæ hactenus diximus, universè magis spectant naturam eorum, quæ comparantur. Nunc persequemur ea, quæ ad singulorum gradus pertinent. In quibus hunc ordinem servabimus, ut priùs agamus de integris, quàm defectivis: prius de istis, quæ canona sequuntur, exinde de anomalis. Integra appello, quæ tres gradus habent. Canona verò sequuntur, quorum comparativus formatur à casu in I addito OR, ut *doctior:* & superlativus desinit in SIMUS, ut *doctissimus*, aut RIMUS, ut *nigerrimus.* Addunt plerique LIMUS: de quo calcatum illud,

> *Dant tibi quinque LIMUS, quas signat dictio FAGUS.*

Quinque ista sunt, *Facilis, Agilis, Gracilis, Humilis, Similis.* Sed *Agillimus*, & *Gracillimus*, quæ & Priscianus lib. III, cap. de superlativo, ac Marius Corradus* agnoscunt, non memini me legere apud probatos scriptores. Quemadmodum nec *docillimus* à *docilis:* quod Valla probat lib. VI Elegantiarum, cap. XXVI. Quare tutiùs multò sequemur nobilem Grammaticum, Sosipatrum Charisium; apud quem hæc verba reperimus cap. de Adverbio: *Agilis, docilis, superlativo S geminant; efficiuntque agilissimus, docilissimus: unde agilissimè, docilissimè.* Pro *agillimus* verò, aut *docillimus*, locum hic jure suo sibi vindicat *imbecillimus:* quod Seneca usurpat; non quidem Consolatione ad Marciam†, ubi in melioribus libris est, *corpus imbecillum*, non *imbecillimum*, prout citant: sed epist. LXXXV, ubi sic loquitur philosophus: *Quantulum autem sapienti damus, si imbecillimus fortior est, & mæstissimus lætior, & effrenatissimis moderatior, & humillimus major?* Tamen rectum quoque est *imbecillissimus:* quod Celsus usurpat lib. II, cap. XVIII: *Ovum durum valentissimæ materiæ est: molle, vel sorbile, imbecillissimæ.*

Imprimis autem negotium facessunt anomala, non quasi lateat in obscuro, quomodo varientur per gradus; sed quia plurima sunt, quæ vel aliunde, quam credidere, descendant; vel ob syncopen, aliudve grammaticum schema, quadam anomaliæ specie parùm peritis imponant. Hujusmodi

* Lib. 3 de L. L. cap. 120.
† Cap. 18.

modi sunt comparativi, & superlativi, adjectivorum *bonus*, *malus*, *magnus*, *parvus*, *multus*, *vetus*. De quibus ordine dicemus.

Melior fortasse ex *magis*, & *velim*, factum videatur. Nam cùm *bonum* significet id, quod volumus; unde philosophus ‡ *bonum* definit, quod omnia appetunt: vix potuit, cùm inter duo bona comparatio institueretur, ei quod præferremus, vox imponi accommodatior, quam exinde, quòd illud *mavelis*: unde *mavelior* esset, pro quo dicitur *melior*. Cur enim hoc etymon durius, quam *malo* ex *mavolo*, hoc ex *magis volo*? Sed in *malo* est crasis, unde prior porrecta: in *melior* syncope, unde prior correpta. Vel cum aliis originem arcessimus è magna Græcia. Tarentini enim pro ἀμείνων ἀμίνων dixere: unde καθ' ἀφαίρεσιν *menior*, &, N in L converso, *melior*; quomodo à νύμφη *limfa*. *Optimus* absque dubio est ab *opto*, quasi dicas *optatissimus*. A quo non multùm abit Terentius Scaurus, cùm ab *optione* deducit. *Pejor* fortasse fuit *pessior* à *pessum*; unde & *pessimus*. Quo verò jure *pejor* statuitur comparativus positivi *malus*: eodem & *nequior* erit ejusdem comparativus. Et sanè Sosipater Charisius non dubitat hoc ejus comparativum appellare cap. de Adverbio, ubi ait: *Lautè, male, & bene, in comparatione dissimiles sunt. Facit enim lautus, lautior, lautissimus: malus autem, nequior; bonus, melior.* Sed *nequior* ἀναλόγως est à *nequam*, vel antiquo *nequus*, quod in glossis Cyrilli exponitur αἰσχρὸς, *spurcus*: unde & femininum *nequa*, apud Charisium lib. I. Utrùm verò sit ex *ne*, & *aquus*, vel *ne* & *queo*, an *ne* & *quam*, vel *quicquam*, quod Varro lib. IX de L. L. voluit; non satis est apertum. *Major* priùs fuit *magior*, unde remansit adverbium *magis*: *magior* autem est à *magnior*, extritâ liquidâ. Vel, quòd nec minùs placet, *major* est ab antiquo positivo *majus*, à quo *majestas* pro magnitudine, & Jupiter dictus *Deus Majus*; Terra *Dea Maja*; ut lib. I, cap. XII testatur Macrobius, scriptor, nisi quà plagii nomine malè audit, non malus. Vel, quod maximè omnium adlubescit, *major* est à μείζων. Nam Latini Z, quo ipsi carebant, in I consonum convertebant: quomodo & a ζεύγω, & ζυγὸς, dixere *jugo*, & *jugum*. *Maximus* è *magnissimus* κατὰ συγκοπὴν fieri, scribit Terentius Scaurus de Orthographia. *Minor*, & *minimus*, sunt à *miner*, vel potius à *minus*, à quo verbum *minuo*. Est verò *minus*, sive *miner*, à μινύος, quod Atticum est pro μικρὸς, ut scribit Eustathius*. Sanè à μινὺς quoque est μινύθω, hoc est, *imminuo*. Sed pro *minor* etiam *parvior* ἀναλόγως legitur. Uti apud Pontium, Cypriani diaconum, in ejus vita: *A quo Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum, aut, quod magis est, fidei parvioris, consolarentur spe futurorum.* Sed hoc demus ætati, qua vixit. At *parvissimus*, pro *minimus*, etiam Lucretius dixit lib. I. Neque me fugit, Claudium Verderium in variorum scriptorum censurâ scribere, minus in eo Latinè Poëtam loqui. Sed in hoc, & aliis multis, censore huic opus est censori. Est enim Lucretius optimus Latinitatis auctor. Et locutus hoc pacto etiam Varro ipse περὶ ἐγκωμίων, in descriptione pueri formosi:

At rictus oris candidi parvissimus.

Quare nihil mirandum, si hoc pacto etiam loquantur Vegetius, Boëthius, Festus, Acro, & tot alii juniorum: in his anonymus, qui vitam Abrahami Eremitæ ab Ephrem diacono scriptam vertit: item qui transtulit vitam sanctorum Epicteti presbyteri, & Astionis monachi.

‡ Lib. I Eth. Nicom. c. I.

* In Il. A. pag. 116. edit. Rom. & Il. B. p. 273.

Plura, ac *pluria*, omnino est comparativus; quamquam Asinius Capito absolutum, hoc est, positivum esse, existimârit; ut discimus ex Agellio lib. V, cap. XXI. Nec *complures* rectè comparativus esse negatur. Nam refellit eos illud Terentii Heautontimor. *

—— Agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii majoris, nemo habet:
Servos complures: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attentè illorum officia fungere.

* Act. I, sc. I.

Quo ipso veterum sententiam quoque diluit Julius Scaliger lib. IV de caussis L. L. cap. CI.

Sunt qui *plures* quidem, & *plura*, & *complures*, adjectivum esse agnoscant; at non item *plus*. Hos inter Antonius Caucius, qui *multus* vult carere comparativo, quia (verbis ejus utar) *plus, & genitivus pluris, naturam adjectivi non habent.* Mihi secus videtur. Nam cùm dico *pluris emi*, subintelligo *pretii*: ut cùm Plautus ait Truculento †:

Pluris est oculatus testis unus, intelligit *fidei*.

Par ratio, cùm in ablativo usurpatur: ut apud Plautum in Cæco ‡:

Plure altero tanto, quàm ejus fundus est.

Lucilius:

Plure foras vendunt ——.

Ciceronis* quoque est, *Plure venit*. Nam *pretio*, aut simile, in his intelligendum. Id ita esse, comprobari quoque potest diminutivo *plusculus*. Nam non tantùm *plusculum temporis*, sed & *plusculum tempus* Latinè dicitur. Plautus Persâ †:

TO. *Mihi quidem tu jam eras mortuus, quia te non visitavi.*
SA. *Negotium edepol fuit.* TO. *ferreum fortasse.*
SA. *plusculum annum*
Fui præferratus apud molas tribunus vapularis.

† Act. 2, sc. Ne cuspectetia, spectatores.

‡ Apud Charisium, & Priscianum.

* Ibidem.

† Act. I, sc. I.

Est autem *plus* à πλεῖον, converso N in S, quomodo & à πρὶν est *prius*. A *plus* vero est *plurimus*. Nempe à casu in I exeunte. Fortasse verò, ut à *parvus*, *parvissimus*, ita & à *multus*, *multissimus* Latinè dicitur. Nam adferunt è Ciceronis epistol. II, lib. XI ad Att. *Literas tuas accepi prid. Non. Febr. eoque ipso die ex testamento crevi hereditatem. Ex multissimis & miserrimis curis est una levata, si, ut scribis, ista hereditas fidem & famam meam tueri potest, quam quidem te intelligo etiam sine hereditate tuis opibus defensurum fuisse.* Ita hic locus concipitur in editione Badii Ascensii: quam secutus Petrus Bembus, *multissimus*, ut puram putam Ciceronianam vocem usurpare neutiquam reformidat. Sed jure eâ voce se usurum negat Joannes Sambucus Pannonius de Imitatione dialogo III *. Omnino enim pro *multissimis*, apud Tullium *multis meis* legi debet: ut meliores editiones comprobant, ac Henricus quoque Stephanus censet in Pseudocicerone suo †. *Veterrimus* est à *veter*. Ennius apud Priscianum libro III:

Cùm veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo.

Attius in Hecubâ, apud eundem lib. VI:

Veter fatorum terminus sic jusserat.

Eodemque modo legere est apud Varronem lib. VI de L. L. OLLA VETER ARBOR: indeque *veterior* dixit Cato in libris Origin. & Plautus Bacchidibus, teste Prisciano, eodem lib.

* Pag. Editra I, 3. a.

† Pag. 38.

CAP. XXV.

De comparatione compositorum ex dico, volo, facio. Benevolens. Malevolens. Beneficientia. Beneficientissimus. Beneficissimus, munificior, magnificior, magnificissimus, mirificissimus. *Attius apud Priscianum emendatus.* Confidentiloquius. Mendaciloquius. Deterius, *&* Potius, *quos habeant positivos. Positivi* super, *&* superus; infer, *&* inferus; exter, *&* exterus; *& fortè* inter, *&* interus; *item* nuper, *&* nuperus; poster, *vel* posterus, citer, *similiaque. Priscianus refellitur.*

Composita pleraque à *dico*, *volo*, *facio*, quamquam in US desinant; tamen comparativos, & superlativos, formant ab antiquis participiis in NS. Sic *benevolentior* dicimus à *benevolens*; quo utitur Plautus Trinummo ‡:

CA. *—— Cuja vox prope me sonat?*
ME. *Tui benevolentis, si ita es, ut ego volo:*
Sin aliter es, inimici atque irati tibi.

Et sc. Quo illic homo foras se:

Deûm virtute habemus, & qui nosmet utamur, pater,
Et aliis qui comitati simus benevolentibus.

‡ Act. I, Sc. Larem corenâ nostrum.

Item

Item Sc. Sta illico, noli adversari:

An id est sapere, ut qui beneficium à benevolente repudies?

Et in Truculento *:

Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam
Tam esse tristem posse: at pol hero benevolens ut is est suo!

Idem Sticho †:

Venales logi sunt illi, quos negabam vendere.
Illico & meo malo est, quòd malevolentes gaudeant.

Et alibi passim *.

* Act. 2, sc. 2.
† Sc. Quisnam obsecro has frangit fores?
* Uti Cas. Act. 2, Sc. Si nunc me suspendam.

Similiter veteres dixere *beneficiens*: unde *beneficientia*, pro *beneficentia* ferè in vett. invenitur libb. ut Carolus Langius in 1 de Off. annotavit. Hinc igitur *beneficientior*, & *beneficientissimus*: quod in Lælio legitur, itemque in Mstis Senecæ exemplaribus, testante eodem Langio. Sed vulgò κτ συγκοπὴν, extritâ tertiâ vocali, *beneficentior*, & *beneficentissimus* scribimus. Uti & à *munificiens*, *magnificiens*, & *mirificiens*; *munificentior*, *magnificentior*, & *mirificentior*; *munificentissimus*, *magnificentissimus*, & *mirificentissimus*, dicimus; etsi ἀναλογία I exigat ante E.

Porrò veteres hos etiam gradus formarunt à positivis in US. Quod Priscianus triplici testimonio comprobat. Unum est Marci Catonis contra Thermum: *De Ptolemæo rege optimo atque beneficissimo.* Quomodo & *magnificior*, & *munificior*, eundem Catonem dixisse, auctor est Festus Pompejus †. Alter locus est Terentii in Phormione: *Quidnam arbitrare nescio, atqui mirificissimus.* Ubi *mirificissimum* scribe. Locus enim est Act. v, Sc. Ubi sic legitur: *G. Facinus audivi. P. Quod? G. Quodnam arbitrare? A. nescio. G. atqui mirificissimum.* Tertius locus est Attii in IX Διδασκαλικῶν: *Et magnificissimè excellissimeque honore.* Ita editum Putschianâ. Sed vel *excellentissimè* lege, ut est in veteri Venetâ; vel potiùs *excelsissimè*, prout est in membranis nostris.

† In Magnificior, & Mirificior.

Quæritur de compositis à *loquor*, utrùm per *ior*, an *entior*, inflectantur. Sanè Plautus in Trinummo ‡ dicere non dubitavit:

‡ Act. 1, Sc Larem coronâ.

Nihil est profectò stultius, neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quàm urbani assidui cives; quos scurras vocant.

Sed licenter hæc, nec præter morem suum, fingit Plautus. Qui, credo, nec reformidasset *mendaciloquentius*, aut *confidentiloquentius*. Sunt enim paris monetæ. Et à *loquor* composita non in US tantùm, sed etiam NS desiisse, Tullii illud argumento est in VII ad Att. ep. XIX. *Breviloquentem jam me tempus ipsum facit.* Lucretius quoque in I, & IV: *Suaviloquenti carmine* dixit. Interea à comparativis, & superlativis ejusmodi, satius sit abstinere, ubi veterum desideratur auctoritas.

Ad ἀνώμαλα quoque referunt comparativos, ac superlativos, quæ Verbum habere volunt pro positivo. Istiusmodi sunt *deterior*, & *deterrimus*, ab obsoleto *deter*. Id autem à *detero* derivari fatemur, cùm deteriora sint, quæ magis detrita. At non iccirco *detero* ex se comparativum format, quod putavit Priscianus. Nec rectiùs à Verbo *potior* esse volunt comparativum *potior*, & superlativum *potissimus*; quæ sunt à *potis*. Nam, cæteris paribus, id potiùs facimus, quod magis facere potes sumus. Atque hinc quoque liquet, quæ propria ac prima sit hujus vocis significatio. Nam idem notat, quod possibilius. Favet huic sententiæ Priscianus lib. XV, cum ait: *Pote ab eo, quod est potis, nascitur, hic & hæc potis, & hoc pote. Unde Persius: Qui pote? vis dicam? nugaris, tum tibi Calve. id est, quomodo possibile est? Ab eo autem, quod est, hic & hæc potis, & hoc pote, fit comparativum, hic & hæc potior, & hoc potius, & superlativum potissimùm: ex quibus etiam adverbia potius & potissimè.*

* Lib. 9, cap. 2, & 3.

Æquè ridiculè putarunt Augustinus Saturnius *, Marius Corradus †, atque alii, præpositiones, aut adverbia, positivos esse nominum comparativorum, aut superlativorum. Scio, magnam eorum catervam adduci, in quibus id usu venire non aspernandi scripserint autores. Sed ab veritatis studium professis, rationibus omnia putari debent. Quare si illa nomina non prætexantur, quorum magnum apud multos pondus esse solet: tantam reperiemus rationum, quibus fuere subnixi, levitatem, ut videar mihi universum earum agmen uno difflaturus spiritu. Atque idem sentiet mecum, qui plerorumque omnium positivos ejusdem classis exstare sciat apud scriptores antiquos. Istiusmodi sunt *superus*, *inferus*; itemque *super*, & *infer*; *exterus*, & *exter*; *nuper*, sive *nuperus*, quod approbat Caper, ut Priscianus scribit in quartodecimo. Atque ita in aliis. Loca veterum omnem animis scrupulum evellent. Livius Andronicus, vel, ut alii ‡ malunt, Lævius in Odysseâ *:

† Lib. 3 de L. L. p. 119.
‡ Yvo Villiomarus adversus Titium l. 6 c. 17.
* Apud Prisc. lib. 3.

Inferus, an superus, tibi fert Deus funera Ulysses?

Cato de R. R. cap. CXLIX: *Prato irriguo, ubi super inferque vicinus permittet, tum decedito.* Lucretius quoque lib. I dixit, *super ignis*, hoc est, *cælestis*. Et apud Varronem est lib. IV de L. L. *Cæli dicuntur loca supera, & ea Deorum: terræ loca infera, & ea hominum.* Atque adeò apud ipsum Ciceronem lib. II de Nat. Deorum: *Spectatores rerum superarum, & cælestium.* Et primo Tuscul. Quæst. *Supera, inferaque omnia.* Et quid magis obvium, quàm *mare superum, & inferum*? *Nuperrimus*, ut Caper, Prisciano teste, observavit, est à *nuperus*: cujus accusativus est apud Plautum Capt. act. III, sc. V:

Recens captum hominem, nuperum, & novitium.

Et fortasse apud Terentium Heautont. † legi debet:

† Act. 1, sc. 1.

Quamquam hæc inter nos nupera notitia admodum est.

Nec enim id minùs placet, quàm ut *nuper* legatur, ac vel cum *notitia*, vel cum *admodum* cohæreat. *Postera aurora*, dixit Maro IV Æn. *postera dies*, Sallustius in Jugurtha. Gloss. Ἐξωτικὸς, *Exter*, *extraneus*, *externus*. Sunt qui Ennium usum putant. Sic enim legunt in secundo Annalium:

Ecquis exter erat Romæ regnare quadratæ.

Lucretii est libro II: *res extera.* Apud Cic. in II Catil. *Exterus hostis, atque longinquus.* Quamquam hic aliqui malint *externus*. Apud eundem pro Fontejo, & Divinat. in Q. Cæcilium legas, *exteræ nationes, & gentes*: &, *extera regna*, apud Maronem IV Æn. *Mundi extera*, apud Plinium libro I: *Exter honos*, apud Statium XII Theb. Scio esse, qui censeant, *exstet* hic scribi oportere. Sed *exter* jam olim legit Priscianus, & è junioribus Pierius ad IV Æn. Tertullianus opusculo de Jona:

Conclusus, neque tinctus aquis maris intimus exter.

Etsi Franciscus Juretus hunc locum censeat corruptum. Impp. Arcadius & Honor. C. de Judæis & cælic. *Nemo exterus religionis Judæorum Judæis pretia statuet, cùm venalia proponunt.* Paullinus ad Cytherium de eodem propheta:

Nam liber undis, intra mare, & exter maris,
Natat in natante belluâ.

Sic legendus is locus, copulâ & insertâ, quod & Barthio * monitum. Posterioribus enim temporibus posterior in *intra* corripi solet. Idem Paullinus:

* Advers. lib 43, cap. 14.

Nunc ille nobis exter & vester manet.

Item:

Permixtus Sodomæ testis, sed moribus exter.

Etiam in Christianis inscriptionibus habes, *exterum* † *corpus*. Item, ——*luxit* ‡ *peregrinus, & exter.* Quod si recta est Josephi Scaligeri emendatio, Cornelius Severus, sive quisquis auctor poëmatis de Ætna, similiter dixit, *interus*, vel *inter*. Verba ejus inferiùs adferam. Neque cum *penitiorem partem domus* Appulejus dixit in I Hermagoræ: aut Plautus in Persa, *Arabiam penitissimam*: id est ab adverbio *penitus*, quod Priscianus ait: sed nomine *penitus*, unde *penitis faucibus* apud Plautum Asinar. act. I, sc. I, *penita flamma* apud Catullum Carm. in nupt. Juliæ.

† Collectionis Gruterianæ pag. 1115.
‡ Pag. 1168.

Uls quoque, & *cis*, dixere veteres, pro *ultra*, & *citra*, teste Festo in *Citimus*, & Agellio lib. XII, cap. XIII.

De-

Declinant verò, *cis*, *citis*; *uls*, *ultis*: quo præter Varronem usus Pomponius De origine Juris: *Ultis Tiberim.* Quamquam fortasse comparativi, & superlativi, non tam sunt ab *uls*, vel *cis*, quam ab *ulter*, & *citer*: quod etiam Priscianus probat in XIV. Sanè dixit Cato de agnâ pascendâ: *Citer ager alligatus ad sacra erit.* Afranium quoque in Patellâ eo usum, scribit Aruntius, teste Prisciano. Negat tamen Priscianus, hinc fieri *citimus*, ut hæc ejus verba indicant: *Ab adverbiis sive præpositionibus venientia desinunt hac: extra, exterior, extremus; supra, superior, supremus; post, posterior, postremus. Ex quo apparet, neque à supero, neque à postero, fieri comparativos, sive superlativos; sicut neque ab infero, infimus, quod solum in fimus desinit; sed ab adverbio infra, inferior, infimus. Nam si essent à nominibus, supero, postero, infero, servassent regulam in US terminantium secunda declinationis, qua in simus proferunt superlativum, & facerent superissimus, & inferissimus*, &c. Verùm perquàm frigida est hæc Prisciani ratio. Nam *citimus* κατὰ συγκοπὴν factum è *citerrimus*; *supremus*, & *infimus*, eodem modo sunt ex *superissimus*, & *inferissimus*; *extimus* ab *exterrimus*, atque ita in aliis, de quo mox pluribus dicemus. At, inquiunt, saltem, ut Priscianus ait, *prior* est à *pridem*, *dem* abjecto, & *pri* correpto. Minimè verò. Nam nimis dissidet horum significatio, cùm illud dicatur de tempore tantùm; hoc quoque respiciat naturam, ordinem, dignitatem: ut ex hypotheoriâ categoriarum Aristotelis notum est. Par enim Græci πρότερον, & Latini *prius* ratio est. Deinde non *prior* est à *pridem*; sed obsoleto *pris*; à quo ipso, adjectione syllabæ DEM, venit *pridem*; ut ab *is*, *idem*; à *tantum*, *tantundem*. *Pris* autem est à πρὶν, ν, in s mutato.

Unus præterea scrupulus restat. Nam & summus vir, Julius Scaliger *, agnoscit, ab adverbiis venire nomina superlativa; quia Cato Nepos †, Prisciano ‡ teste, dixerit, *propter diem atque sæpissimam discordiam fuisse.* Verùm caussam non video, cur *sæpissimus* minùs ab obsoleto *sæpis* vel *sæpus* esse possit, quàm *deterior*, à *deter*: quod etsi nusquam legamus, tamen non ab Augustino Saturnio modò, sed ab ipso quoque agnoscitur Scaligero *. Interea demus sanè his, *sæpissimam* à *sæpe* descendere: at quomodo hinc exterebrabunt, *citimus*, *extimus*, *supremus*, similiaque, ab adverbiis, aut præpositionibus, declinari, quorum nomina positiva apud classicos scriptores inveniantur? Arbitror hisce telis tam ineptæ sententiæ autores ac fautores nullo negotio de statu suo dejici posse.

* *Lib. 9, cap. 3.*
† *De actionibus ad populum, ut lex sua abrog. tur.*
‡ *Lib. 3, cap. de Compar.*
* *Ibid.*

Sed quia nullum pertinacius est hominum genus Grammaticis, non abeundum è pugnà, priusquam & arma omnia eripuerimus, quibus se tueri solent. *Propior*, inquiunt, & *proximus*, aliunde esse non possunt, quàm à *prope.* Ratione quoque eâ hoc telum amentant, quòd *propior*, & *proximus*, eundem, quem præpositio *prope*, casum regat. Et sanè de casu quod ajunt, manifestius est, quàm ut negari à quoquam possit. Nam Sallustii est: *In colle Jugurtha ipse propior montem cum omni equitatu suos collocat.* Legimus item apud Plautum Pœnulo †:

GI. Quis pultat? MI. qui te proximus est.

† *Act. 5, sc. 3.*

Denique Livius quoque dixit lib. XXXV: *Laconicus ager proximus fines Megapolitarum est.* Verùm hoc est in aëra jaculari, cùm similitudine structuræ non consequatur alterum alterius esse originem, ac fontem. At Achaicum istoc telum, quod adversus eorum libramus opinionem. Nam necesse est ea, quæ planè diversæ sint classis, etiam essentiâ differre. At comparativus excessum notat positivi sui, manente essentiâ. Quare vel utrumque nomen, vel utrumque præpositionem esse, necesse est. Idem de aliis omnibus dictum velim. Itaque verbum non addam, sed ad ulteriora capesso gradum. Sunt enim præter hosce comparativos, & superlativos, alii etiam, qui planè ἀναλόγως formentur, licet ob syncopen, quam patiuntur, ἀνώμαλοι videantur.

Ita *junior* est ex *juvenior*; quod est in nonnullis Columellæ * libris. Dixeris esse à *junis*, propter illud in glossis MSS. *Junis*, νέος. Sed vel *juvenis* legendum, vel error est glossographi. *Ditior* est ex *divitior*, quod Plautus usurpat Aulul. † & Pseud. ‡ Lucretius lib. V. Terentius Phorm. * Cicero lib. III de Orat. † Martialis lib. I, ep. LXXVII, & lib. IV, epigr. LIV, & lib. V, epigr. XLI, & Calpurnius Ecl. III. Eodemque modo *divitissimus* dixit Sidonius lib. IV, epist. III. Imò & hæc ipsa vox à Carolo Langio in vett. libris apud Ciceronem reperta lib. II de Officiis, eademque rectè legitur in antiquis Cornelii Nepotis codd. in vitâ Phocionis. *Imus* quoque est ex *infimus*. ac *summus* ex *supremus*: quod etiam notavit Cæsar Scaliger com. in Theoph. de Plant. Quin ipsum *infimus*, & *supremus*, κατὰ συγκοπὴν facta sunt; ut infrà ostendemus. At vanum est discrimen, quod Cornelius Fronto ponit inter *imum*, & *infimum*. *Imum*, inquit, *summo respondet: infimum, ut infra humum.* *Maturrimus*, quod & apud Cæsarem invenitur I de bello Gall. & Tacit. XII Annal. est è *maturissimus*; quo usus autor ad Herennium lib. IV: & Columella lib. IV, cap. XXIX, & lib. XI, cap. III, at neutiquam *maturrimus* venit ab obsoleto *matur*, quod sentire videtur Priscianus. A *maturissimus maturissimè* dixit M. Cato Orat. dierum dictarum de Consulatu suo: & Cicero pro Cæcinna: item Columella. A *maturrimus maturrimè* usurpat idem Cato ibidem, & Sallustius in primo Historiarum: imo & Cicero de Oratore. Vide Charisium cap. de Adverbio.

* *Lib. 9. cap. II in editione Regiensi an. 1498. Sed junior est in Stephanica.*
† *Act. 5.*
‡ *Act. 5. sc. ultima.*
* *Act. 1, sc. 1.*
† *Pag. 160. a. edit. Ald.*

Fortasse & eodem modo *postumus* olim fecere ex *posterrimus*: à quo *posterrimè*, pro *postremò*, Festo in *Rumentum*, restituit Josephus Scaliger. Sanè à Marone VI Æn. *postumam prolem*, non eam, quæ nata humato patre; sed quæ postremo nata loco, parente superstite, censet Cæsellius Vindex apud Agellium ‡. Scio, Cæsellium refelli, cùm à Gellio lib. II; tum Francisco Luisino lib. I, cap. IV: ubi novam planè interpretationem adfert. Scio & Janum Parrhasium Apollinari subscribere epist. XXXIV. Verùm Cæsellii sententiam confirmat, quòd Appulejus dicat *postuma spes.* Et apud Tertullianum lib. contra Gnosticos, de scorpio legitur: *Cauda erit, quodcumque de postumo corporis propagatur, & verberat.* Eodemque modo apud Sidonium lib. III, epist. XII legimus, *tempore postumo*, hoc est, postremo. Et lib. IV, epist. XXII, *postuma laus.* Item lib. VIII, epist. V, *ætas postuma.* Et in Panegyrico Aviti:

‡ *Lib. 2, cap. 16.*

Sunt alii, per quos se postuma jactet origo.

Citat quoque Savaro ex glossis manuscriptis Isidori: *Postumus, ultimus, necessarius.* Nec Græci πόσθυμος, sed πόστυμος scribunt. Sunt & alia multa pro Cæsellio adducta à Guiljelmo Cantero lib. II Var. Lect. cap. X. Cujacium quoque hac de voce adi lib. III Observat. cap. IV. Turnebum lib. XVIII Advers. cap. I, & lib. X, cap. XXIII. Lambinum in Aulul. Plauti act. II, sc. I, & Barnabam Brissonium lib. XIV de verborum significationibus.

Ex Prisciani verò judicio, etiam *dextimus*, & *sinistimus*, superlativi sunt, facti ex *dexterrimus*, & *sinisterrimus*: nempe quâ ratione, *citimus*, & *extimus*, ex *citerrimus*, & *exterrimus*, fiunt. Etiam pro sua sententia adferunt, quòd *honestimus calor*, pro *honestissimus*, legatur. Sed, ut putamus, *dextimus*, & *sinistimus*, omnino sunt positivi, ut cùm è Festo cognoscimus, tum è Nonio, qui *dextimam viam* interpretatur, *dextram.* Sed & confirmat hanc sententiam illud Sallustii Jugurth. *Sylla cum equitatu apud dextimos; in sinistrâ parte A. Manlius cum funditoribus, & sagittariis.*

CAP. XXVI.

De defectivis. Intera. Ocius, *non ocyus, scribendum. Xenophontis Æquivoca Annii commentum.* Habitus *omnes gradus habet. Superlativi gignentes ex se novos comparativos, & superlativos.* Pessimissimus. Extremior, extremissimus. Postremius, minimissimus, proximior.

Sunt

Sunt verò etiam quædam, quæ vel positivo careant, vel comparativo, vel superlativo. Primi generis est *prior*, *primus*. Atque huc quoque referuntur, *deterior*, *deterrimus*; *potior*, *potissimus*. Sed illud est ab antiquo *deter*; hoc à *potis*, ut diximus suprà. *Interior*, *intimus*, videntur esse ab *inter*, vel *interus*: quomodo Scaliger credit Cornelium Severum in Ætna dixisse:

—— Vertit vasa intera vertice sævo.

Ubi in veteribus libris *vasa vitrea* ꝗ unde *omnia* fecere. Quod si obsoletorum etiam habenda est ratio, *ulterior*, & *ultimus*, similiter videntur esse ab *ulterus*, vel *ulter*. Quomodo Cato * ait, *super*, *inferque vicinus*. Et quid si *propior*, ac *proximus*, itidem dicamus esse ab obsoleto *propis*, & *propus*? Si item ire licet extra linguam Latinam; nec *ocior*, & *ocissimus* omnino careant positivo, cùm sint ab ὠκὺς, cujus comparativus est ὠκίων per I; eaque ratio est, cur *ocius*, & *ocissimus* per I scribantur. Falluntur itaque viri docti, qui Y malunt, quia dicamus ὠκὺς per Υ.

* De R. R. cap. 149.

Comparativo destituuntur *nuper* sive *nuperus*, *nuperrimus*; *sacer*, *sacerrimus*; *invitus*, *invitissimus*: & quædam alia, etsi non tanto numero, quàm creditum vulgo.

Superlativum non agnoscunt, *adolescens*, *juvenis*, *senex*. Nam putidum, quod aliquando objectarunt de Xenophonte, qui Æquivocorum libellum sic auspicetur: *Saturni dicuntur familiarium nobilium regum, qui urbes condiderunt, senissimi.* Quasi Xenophon quisquam Latinè scripserit, vel Æquivocorum horuncce auctor sit alius ab illo impostore non indocto, Joanne Annio, Viterbiensi monacho. Similia sunt, *ingens*, *satur*, *dexter*, *sinister*. Nam *dextimus*, & *sinistimus*, potiùs positivi videntur. A *supinus*, *supinior* legas apud Martialem *: ab *infinitus*, *infinitior* apud Tullium †: à *dives*, *divitior* apud eundem ‡, atque etiam Martialem *, Plautum †. Verùm à *dis* non solum est *ditior*; sed *ditissimus* quoque. Etiam *taciturnus*, & *salutaris*, hujus sunt loci.

* Lib. 2, ep. 6.
† In Topic.
‡ Lib. 3 de Orat.
* Lib. 1, ep. 77.
† Pseud. act. 5, sc. 2.

Anterior verò in comparativo solùm invenitur: etsi fortasse olim fuerit *anterus*, vel *anter*; ut *posterus* dixerunt.

Volunt & simile esse *habitior*: quo usus Terentius Eunucho ‡:

Siqua est habitior paullò, pugilem esse ajunt.

‡ Act. 2, sc. 3.

hoc est, pinguior, ut exponit Verrius Flaccus. Verùm & positivo, & superlativo, usus est Agellius lib. IV, cap. ult. *Censores*, inquit, *P. Scipio Nasica, & M. Pompilius, cùm equitum censum agerent, equum nimis strigosum & male habitum; sed equitem ejus uberrimum & habitissimum viderunt.*

Interdùm verò superlativa fiunt positiva, sive fixa; & quia induerunt positivi naturam, alios ex se comparativos, aut superlativos gignunt. Hujusmodi erit *pessimissimus*; si sana est lectio illa Senecæ epist. LXXXI: *Minimum ex nequitia, levissimumque, ad alios redundat: quod pessimum ex illa est, & (ut ita dicam) pessimissimum, domi remanet, & premit habentem.* Sanè ita legit Pincianus, assentientibus nonnullis manu exaratis codd. Verùm Justus Lipsius mavult, *spississimum*, atque existimat, Senecam sic præfari, (*ut ita dicam*) non quia vox inusitata; sed quia metaphora durior videri poterat. Sed suppetunt alia non pauca, de quibus ambigat nemo. Nam, ut Xenophon * ab ἔσχατος dixit ἐσχατώτατος· ita dixit Appulejus I Met. *Siquid est novissimo extremius.* Et de Deo Socratis: *Nullum animal in terris postremius homine.* Ac in Apologiâ: *P.er cum adulescentulis postremissimus inter scorta convivium agebat.* Ac ne solum Appulejum ad partes advocemus, eandem vocem legere est oratione C. Gracchi apud Agellium lib. XV, cap. XII, & apud Tertullianum in ingressu ipso libri de cultu feminarum: quemadmodum & *extremissimus* usurpat. cap. XIX Apologetici. Apud Arnobium quoque lib. V legimus, *minimissimus digitorum.* Sed & *proximus*, cùm pro vicino, aut cognato, sumitur, format ex se comparativum *proximior*. Seneca ep. CVIII *: *Ita tamen, ut quorum abstinentiam interrupi, modum servem, & quidem abstinentiæ proximiorem, nescio an difficiliorem.* Item l. 1. D. unde cognati, legimus: *Siquis proximior cognatus nasci speretur, in ea conditione est, ut dici debeat, obstare eum sequentibus.* Præterea lib. 1 Instit. Tit. De capitis deminutione §. ult. legimus: *Cùm ad agnatos tutela pertineat, non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantum, qui proximiores gradu sunt.* Est & similis locus lib. III, Tit. de legitima agnat. tutel. Dixit quoque Vegetius lib. I Rei Militaris, cap. XX. *Proximior dextra sit, quæ plagam possit inferre.* Quin nonnulli Ciceronem quoque ita ajunt locutum. Adferunt autem ex epist. XI, lib. I ad Att. *Proximius Pompejum sedebam.* Sed legendum, *Proximus Pompejo*: quomodo à Prisciano citatur, ac in optimis editt. excusum est: vel *proxime Pompejo*, quomodo, Diomedem secutus, legit Lambinus.

* Lib. 2 Κυνηγετ.
* Al. 109.

Cap. XXVII.

De adjectivo incomparabili. Comparativi, & superlativi multi adjectivorum exeuntium in US, vel IS purum. Comparativi, & superlativi, à Plauto novè ficti. Retriores partes.

Superest videamus de adjectivis, quæ non variantur per gradus. Talia sunt gentilia, ut *Romanus*, *Spartiata*: possessiva, ut *patrius*, *Euandrius*: numeralia, ut *primus*, *decimus*: materialia, ut *aureus*, *aeneus*: diminutiva, ut *aureolus*, *nasutulus*: interrogativa, ut *qualis*, *quantus*: temporis significativa, ut *hesternus*, *crastinus*: participialia in *dus*, ut, *amandus*, *reverendus*: desinentia in *bundus*, ut *errabundus*, *moribundus*: *tremebundior* tamen est apud Columellam lib. X. Candidus effœtæ tremebundior ubere porcæ. in *plex* exeuntia, ut *duplex*, *triplex*. Excipe *simplex*, & *multiplex*. Desinentia in *inus*, ut *bimus*, *legitimus*. In *ivus*, verbalia puta, nam *festivissimus* est apud Terent. Adelphis. ut *fugitivus*, *deliberativus*. Composita à *fero*, & *gero*, ut *frugifer*, *letifer*, *armiger*, *corniger*. Item hæc adjectiva, *almus*, *balbus*, *canorus*, *canus*, *cicur*, *claudus*, *compos*, *crispus*, *degener*, *dispar*, *egenus*, *exos*, *geminus*, *hodiernus*, *impos*, *magnanimus*, *mediocris*, *memor*, *mirus*, *mutus*, *mutilus*, *opimus*, *preditus*, *silvester*, *vetulus*, *unicus*: atque alia, sed pauca, ut puto, in quibus per particulas excessus, (uti sunt *magis*, *valde*, & *maximè*) supplemus comparativorum, & superlativorum defectum.

Huc etiam à Grammaticis referuntur nomina, quæ vocalem habent ante US. Sed istiusmodi, quanquam rariùs ex se comparativum aut superlativum formant; idque ut fugiatur nimius vocalium concursus: non tamen semper necesse habemus in iis uti periphrasticâ comparatione, quæ fit per *magis*, & *minus*. Quod, ut liqueat, literarum ordine de præcipuis dicam.

Arduius, & *arduissimus*, dixit Cato. Ut apud Priscianum in III: *Quod iter longius arduiusque erat à curia.* Idem ad populum, de triumpho: *Asperrimo, atque arduissimo aditu.*

Assiduiores usurpat Varro lib. II de R. R. cap. IX. *Assiduissimè* est apud Ciceronem in Bruto. Sueton. in Galba: *vasa area assiduissimi usus.* Ovidii est *barbariora* lib. 3 de Ponto el. 2: Columellæ lib. 2 cap. 3. *crispissimi*: Plauti Curcul. act. 1, sc. 2, *parissimus*.

Egregius quoque ex sese augetur. Quomodo Pacuvius in Medo dixit, *Mulier egregiissimâ formâ.* Imò comparativo ejus usus ipse Juvenalis sat. X:

Egregius cœnat, meliusque miserrimus horum.

Ubi *egregius*, pro *egregiius*, poni, & Priscianus testatur, & sententia clamat. Eodemque modo antè dixerat Lucretius lib. IV:

Nam nihil egregius't, quàm res discernere apertas
A dubiis.

Exiguius est apud Ulpianum in fin. legis. Si ita sit adscriptum, De Legat. I, eodemque modo pars *exiguissima*

legi-

legimus, cum apud Ovid. epist. xiv, tum Plinium lib. vii, epist. ad Geminium.

Idoneior, non memini me legere, nisi apud scriptores collapsæ jam Latinitatis. Uti Petrum Damianum epistolâ ad Gilleuum in undecimo Baronii Annalium tomo. Et Salmasius in Tert. de Pall. p. 178.

Industriior varii dixere. Uti Plautus Mostell. act. i, sc. ii:

Quo neque industriior de juventute erat.

M. Cato in oratione, ne quis iterum consul fiat *: *Imperator laudem capit, exercitum meliorem, & industriiorem, facit.* C. Gracchus contra Æmilium Tuberonem †: *Utrùm inimicorum meorum factio, an magis solitudo patriæ, te impulit, ut in me industriior sis, quàm in te?*

Injurius etiam comparativus videtur. Duza quidem apud Plautum legit Cistell. act. i, sc. i: *Nihil amore injuriu'st*, Hoc est, injuriius, sive injuriosius.

Innoxius, vel *innoxiius* comparativo dixit Cato ‡ de Ptolemæo minore, de Thermi quæstione: *Quantoque suam vitam superiorem atque ampliorem, atque antiquiorem animum, inducent esse, quam innoxiiorem.*

Necessarius quoque est comparativus, saltem apud labantis ævi scriptores. Sic sanè usus vetus interpres i Cor. xii, 22: *Quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt.* Imò & Tertullianus lib. i adversus Marcionem: *Quibus utique necessarius, quà Deus, & quidem melior, quo necessarior, latère non debuit.* Quo etiam usus libro de habitu muliebri, cap. v, & lib. de patientia, cap. xi. Uti & in neutro, *necessarius lumen*, dixit in quarto adversus Marcionem. Et libro de carne Christi cap. vii, *Necessarius aliquid.* Ambrosius quoque lib. i Offic. cap. xviii, *membra necessariora*, retinuit è veteri interprete. Ubi perperam in Basileensi * editum, *necessaria.*

Piissimi de voce ita Cicero Philipp. xiii: *Tu porrò ne pios quidem, sed piissimos quæris; & quod verbum omnino nullum in linguâ Latinâ est, id; propter tuam divinam pietatem, novum inducis.* Verùm non tanta fuit apud posteros Ciceronis autoritas, ut, quia is reprehenderat, eâ abstinerent. Nam, ut de Appulejo, & Hieronymo, nihil dicam; ut item veterem lapidem ab Hieronymo Mercuriali † citatum, & tot alios, qui in Gruterianis inscriptionibus obvii sunt, prætercam: sanè usurpatur ea vox à Seneca Rhetore lib. v, Controvers. xxvii, L. Seneca consolat. ad Polyb. cap. xxvi: Curtio lib. ix, & Quinctiliano Declamat. vi.

Perpetuior, & *perpetuissimus*, probat Priscianus in iii, hoc Catonis de Macedonia liberanda: *Idque perpetuius, atque firmius repsit.* Et in Thermum: *Sed à benefactis, atque ab optimis artibus, fugit quàm maximâ fugelâ, perpetuissimo curriculo.*

Strenuus quoque hujus generis est. Plauti enim est Epid. Act. iii, Sc. Cave: *Nam strenuiori deterior si prædicat, Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.* Et Lucilii in xvi ad Fundium:

Fundi, delectat virtus te, villicu' paullò
Strenuior si evaserit.

Ubi pro *evaserat* (ut in Putschianâ Prisciani editione, & in Lucilii fragmentis a Duza editis legitur) rescripsi *evaseris*; secutus, cum nostras Prisciani membranas, tum veterem editionem Venetam. *Strenuissimus* similiter dixit Sallustius, in Catil. & Sallustii imitator Cornelius Tacitus lib. iv Histor.

Tenuis quoque comparari negant; quod imprimis insulsum videtur. Nam apud Ciceronem ‡ legimus: *Tenuiorum, & non occupatorum amicorum, est ista assiduitas: quorum copia bonis & beneficis deesse non solet.* Item *: *Cùm majores nostri tantâ diligentiâ prudentiâque fuerint, ut omnia omnium non modo tantarum rerum, sed etiam tenuissimarum, jura statuerint, persecutique sint.*

Vacuissimus est apud Ovidium lib. iii de Ponto, eleg. i:

Nec rursus jubeo, dum sit vacuissima, quæras:
Corporis ad cultum vix vacat illa sui.

* Apud Prisc. lib. 3.
† Ibid.
‡ Ibid.
* An. 1555.
† Lib. 3 de arte Gymnastica, c. 12.
‡ Orat. pro L. Murena.
* Orat. pro A. Cæcinnâ.

De iis, quæ vocalem ante US, vel IS, habent, satis diximus.

Nec comparativum, nec superlativum habent, *mancus, mutilus, crispus, compos, impos, exos, exlex, præditus, medius, hodiernus, omnipotens, geminus, pax, duplex, triplex*: aliaque id genus permulta, magnam partem alibi a nobis relata. Quædam tamen huc referri solent, undè comparativus vel superlativus apud bonos scriptores inveniatur. Sic *sylvestrior* est apud Plinium lib. xvi, cap. xxvii. *Opimior*, apud Agellium lib. v, cap. xiv. Excipiunt etiam composita à *præ*. Præclarissimus tamen bis legas in Miloniana. Et in Oratore est, Thucydides *præfractior*: etsi *fractior* non dicatur. Sed hoc minus mirandum: quia significatio est mutata. Nam aliud notat *fractus* in *fractior*, aliud in *præfractior*.

Multa autem multi comparativos, ac superlativos, habere existimant, quia legantur apud Plautum. Sed non omnia Plautina albâ lineâ signare convenit, cùm tam multa confingat, quæ nunquam recepit sermo Romanus. Et arduum quidem nobis de singulis asseverare, cùm tot deperierint antiqui scriptores, qui fortassè aliqua eorum, quæ nova nobis videntur, usurparint ante Plautum. Sed tamen, quibus perspectus est genius Plautinus, non difficulter conjectant, quæ Plautinæ sint monetæ. Quis enim ambigat, quin ab eo sit *verberabilissimus*, pro, maximè verberibus digno? quomodo loquitur Aululariâ, Sc. Foras, foras. Idem Pœnulo * dixit, *spissigradissimus*: & Menæchmis †, *exclusissimus*: & Casinâ ‡, *occisissimus*. Cui geminum est Curculione *, *parissimus*, pro gemino ac simili prorsus: &, quod eâdem comœdiâ usurpat, *ostium oculissimum*: quomodo non modò in antiquis editionibus invenire est; sed jam olim legit Festus: Mirum interim in omnibus Palatinis esse, *occlusissimum*, & satis convenit sententiæ. Vide quæ ex Grutero Taubmannus: ut audiendi non sint, qui *occlusissimum* legendum autumant. Idem quoque in comparativis facit. Ita Bacchidibus † dixit,

Confossiorem soriciná naniâ.

Ac fortassè etiam ab eo *tacitus* per gradus variatur. Nam scripsisse ajunt Pœnulo ‡:

Tacitius tibi resistam, quàm quod dictum est male mulieri.

Ita emendant Camerarius, & Josephus Scaliger; pro quo vulgò quidem legitur, *tacitus*: at in veteribus codicibus, *citius* reperitur. Sed potiùs censeo *tacitus* scripsisse Plautum, ac subintelligi *magis*; ut μᾶλλον apud Græcos solet.

Multò minùs in exemplum trahi debent, quæ sequioris sunt seculi. Istiusmodi est *retrior*; quod legitur apud veterem Juvenalis interpretem, qui in sat. xi * scribit, *pygargum ita dici, quòd albas habeat retriores partes*, hoc est, ὀπισθίδια μέρη. Sed interpretis hujus non magnopere nobis habenda est ratio, quando certis indiciis eum vixisse constat post tempora Constantini Magni. Video tamen Lipsium non refugisse *retriora*.

Sunt & alia hujus farinæ apud ejusdem ævi ac sequentium scriptores. Verùm ea coacervare haut visum, quia nemini ignotum esse potest, quo loco haberi debeant, quæ irrepsere post divisionem aut ruinam imperii Romani.

* Act. 3. Sc. Ita me Di ament.
† Act. 4. Sc. Quis hic me quærit.
‡ Act. 3. Sc. Nulla sum, nulla sum.
* Act. 2. Sc. Ita præ virgo.
† Act. 4. Sc. Neammi.
‡ Act. 4. Sc. Satis spectatum est.
* Vers. 138.

Cap. XXVIII.

Nomina non à nominibus tantùm derivari, vel verbis: sed etiam pronominibus, adverbiis, & præpositionibus. Patronymica sic dici à specie nobiliori. Romanos, qui pene mille post Ilium deletum annis vixere, Iliensium nepotes vocari. Priscianus emendatus. Num Homerus patronymica etiam è matribus, vel avis formet, præterquam iis, qui ex Jove prognati. Masculina in Des *desinere, ac sex modis formari. Priscianus iterum corrigitur. Ionica, & Æolica terminatio patronymici virilis. Feminina exire trifariam, ac quomodo plurimùm formentur.* Amazonis *quâ ratione tertiam corripiat. Patronymicorum forma tributa iis, quæ à loco petuntur: item librorum titulis:*

Vi-

* Lib. 7 de L. L.

VIdimus de nominum declinatione naturali; ut Varro* vocat: quæ est in casus, numeros, genera, & gradus. Superest, ut idem appellat, voluntaria, quæ est nominis ex alio nomine impositio, ac speciem, sive derivationem, & figuram, seu compositionem complectitur. De utraque nunc agendum nobis, non universè, quomodo & hæc, & illa, omnium est classium communis: sed particulatim, quatenus in nominibus spectatur; non omnibus quidem, cùm nomina etiam sint primigenia; sed iis solùm, quæ aliunde originem ducunt. Fuse de derivatis Priscianus in v. Eum adi.

Derivantur nomina, vel à nominibus, ut *justitia* à *justus*: vel à pronominibus, ut *alienus* ab *alius*, similiterque *qualitas*, *quantitas*, *solitudo*, à *qualis*, *quantus*, *solus*, quæ pronomina esse, alibi † ostendimus: vel à verbis, ut *victor* à *vinco*: vel à participiis, ut *doctus*, *sapiens*, & similia, quæ abjectione temporis è participiis in nomina degenerant; vel ab adverbiis, ut *crastinus*, à *cras*; *hodiernus*, ab *hodie*: vel à præpositionibus, ut *propinquus*, à *prope*; *contrarius*, à *contra*.

† Super. lib. cap. 2

Quæ à nominibus veniunt, dividuntur vulgo in patronymica, gentilia, possessiva, diminutiva, & denominativa.

Patronymicorum vox quibusdam nimium videtur angusta. Nam, inquiunt, *Æacides* pro Achille non est à patre, sed avo Æaco; eoque κυρίως non πατρωνυμικόν, sed παππωνυμικόν est. Verùm patris nomine etiam avus continetur; uti avi nomine majores universi, utcunque multis etiam distent seculis. Itaque & Romani dicuntur *Æneadæ*; nempe eo pacto, quo Æneas diceretur eorum pater, vel avus. Quomodo loqui inter cæteros non dubitavit Justinus lib. XXXI, ubi sermo est de mutua Iliensium & Romanorum gratulatione, tum factâ, cùm exercitus Romanus, L. & P. Scipionibus ducentibus, Hellespontum transmisisset ad bellum gerendum cum Antiocho rege. Verba Justini sunt: *Juvabat Ilienses, nepotes suos*, (hoc est suæ gentis, majorum quippe suorum nepotes) *Occidente & Africâ domitâ, Asiam, ut avitum regnum, vindicare.* Ecce veteres Ilienses vocat avos; præsentis temporis Romanus nuncupat nepotes. Atqui contigit ea gratulatio anno Urbis IↃLXIII. Conditaque Urbs annis CCCCXXX post captum Ilium: ut quos nepotes vocat Justinus, prope mille annis absuerint ab Iliensibus, quibus avorum tribuit nomen.

Nec ab avis solùm paternis, sed etiam maternis, fit denominatio. Quomodo Mercurius, Majæ filius, facundus nepos Atlantis, ut eum Horatius vocat *Atlantiades* Nasoni dicitur I Met. quomodo item ibidem Epaphus, filius Iûs, quæ Inachi filia fuit, *Inachides* nominatur. Corrigendus verò Priscianus lib. II, apud quem in Heliæ Putschii editione sic legitur: *Inachides, Jovis filius Epaphus, quæ filia fuit Inachi.* Ubi in antiquâ Venetâ pro *Jovis* est ΙΟΙΣ; in membranis verò nostris optimè ΙΟΥΣ legitur.

Imò patronymica etiam veniunt à matribus, fratribus, & regibus sive conditoribus. A matribus, quomodo Æsculapius Nasoni* dicitur *Coronides*, quia illi Larissæa Coronis mater fuit: quomodo item à Rhea Sylvia, quæ & *Ilia* dicta est, Romulus *Iliades* † vocatur. A fratribus, ut à Phaëtonte dictæ *Phaëtontides*, pro quo *Phaëtontiades* per epenthesin dixit Maro in Eclogis. A regibus, ut apud Maronem *Theside* ‡, & *Cecropidæ* *, pro Atheniensibus; *Romulidæ* †, pro Romanis. Imò & ab illustribus posteris fit denominatio. Ut *Ægidæ*, majores Ægei; & fortasse *Timodemidæ*, majores Timodemi, apud Pindarum Nem. od. II, quæ in honorem Timodemi. Scholiastes tamen vetus: Τιμοδημίδαι, φράτρια, ὅθεν οἱ πρόγονοι τοῦ Τιμοδήμου.

* 15 Met.
† Ovid. 14 Met.
‡ 4 Georg.
* 6 Æn.
† 8 Æn.

Cùm verò laxè adeò attenditur patronymicorum appellatio, manifesta est ejus vocabuli κατάχρησις. Nec propterea comminisci opus aliud nomen: quando philosophis non est insolens, à præcipua specie nomen generi imponere.

Sed de Homero non satis est apertum, an etiam à matribus, vel avis ipsis, formet patronymica, præterquam in iis, quæ à Jove originem ducant. Si veteres Grammaticos audimus, in his solis id sibi permittit. Quomodo ab Æacus, & Dardanus, qui ex Jove nati, format Αἰακίδης, & Δαρδανίδης. Obducunt aliqui illud Iliad. Λ*:

Καί † νύ κεν Ἀκτορίωνε Μολίονε παῖδ' ἀλάπαξα.

* Vers. 749.
† Et sane Actoriones, Moliones liberos, interfecissem.

Ubi *Moliones* dici creduntur à matre Molione, Moli filiâ. Sed contrà contendunt alii, μολίονε hìc valere idem ac πολεμικοί, esseque id nomen ἀπὸ τοῦ κατὰ μάχην μολήσεως. Itidem objectant, Homero in hymnis, & Poëtarum aliis, Apollinem dici Λητοΐδην. Sed oggerunt his, non de Poëtis aliis se loqui, sed Homero; nec de aliis operibus, quàm Iliade, ac Odyssea; quia, an hymni sint Homeri ipsius, non satis convenit.

Ex patronymicis virilis sunt generis, quæ in DES desinunt. Hæc vel veniunt à nominibus primæ, vel secundæ, vel tertiæ. In prima quædam derivantur ab nominibus exeuntibus in A purum, vel AS. Et hæc terminantur in ADES, ut *Ilia*, *Iliades*; *Æneas*, *Æneades*. Quandoque etiam in IDES, ut ab Αἰνέας, *Aenides*. Ut IX Æn.

Sit satis, Ænide, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis.

Alia derivantur à nominibus terminatis in A impurum, vel E, aut ES. Ab A, clauduntur syllabâ IDES. Ut *Philyra*, *Philyrides*. Ab E habent IADES: ut *Acrisione*, *Acrisioniades*. In ES quoque impurum nunc ADES accipit, ut *Butes*, *Butades*; *Hippotes*, *Hippotades*; nunc IDES, ut, *Cornetes*, *Cornetides*; nunc IADES, ut *Anchises*, *Anchisiades*.

In secundâ verò, vel veniunt à nominibus finitis in US purum; qualia casui in I adjiciunt DES; ut *Priamus*, *Priami*, *Priamides*; *Nestor*, *Nestori*, *Nestorides*: vel ab exeuntibus in IUS, & hæc casui in I apponunt ADES; ut *Menætius*, *Menætii*, *Menætiades*: vel à nominibus in EUS, quæ casui in I addunt DES, sed pro EI diphthongo Latini habent I: ut *Theseus*, *Thesei*, *Thesides*; *Prometheus*, *Promethei*, *Promethides*: ut I Met.

Inde Promethides placidis Epimethida dictis.

Item *Peleus*, *Pelei*, *Pelides*: pro quo & Poëticâ epenthesi *Peliades* dicitur.

In tertiâ, casui in I apponitur DES: ut, *Thestor*, *Thestori*, *Thestorides*. Sic à *Scipio*, *Scipionides* foret, & per epenthesin *Scipioniades*: pro quo Maro per syncopen dixit *Scipiades*. Vel ἀναλόγως erit à *Scipius*; quod mavult Priscianus lib. II: *Virgilius secundùm Græcam formam Scipiadas dixit* ἀπὸ τοῦ Σκίπιος, *cum Scipionides dicere debuit.* Ita rectè legitur, cum in antiquâ Venetâ, tum etiam in membranis nostris. Helias Putschius rescripsit ἀπὸ τοῦ Σκιπίωνος. Quod probare non possum. Nam quæ à nominibus quinctæ fiunt, mutant ΟΣ in ΙΔΗΣ. Ut ὁ Πηλεύς, τοῦ Πηλέος, ὁ Πηλεΐδης, & crasi Πηλείδης: ὁ Ἠετίων, τοῦ Ἠετίωνος, ὁ Ἠετιωνίδης, & κατὰ συγκοπὴν Ἠετίδης. Sic ὁ Σκιπίων τοῦ Σκιπίωνος, ὁ Σκιπιωνίδης. *Scipiadæ* igitur non sit à nomine tertiæ, sed secundæ: nempe ut ab Ἥλιος, verso ΟΣ in ΑΔΗΣ, fit Ἡλιάδης: sic à Σκίπιος, câpse mutatione, fiat Σκιπιάδης.

Porrò Iones pro ΙΔΗΣ, vel ΙΑΔΗΣ, dicunt ΙΩΝ: unde ab *Japetus*, pro *Japetionides*, quo usus Ovidius IV Met. de Atlante loquens, etiam dicitur *Japetion*; item ab *Oedipode*, pro *Oedipodiades*, *Oediopodion*. Æoles verò pro ΙΔΗΣ habent ΑΔΙΟΣ: quomodo Hirræ filius pro Ὑρρίδης, Ὑρράδιος. Ita dictus Pittacus, VII sapientum unus, ut ait Priscianus in II. Sed Laërtius, in ejus vitâ, sic vocatum ait Pittaci parentem. Atque hæc de terminatione Patronymicorum virili.

Muliebria verò desinunt in AS, IS, NE. Priora illa plurimùm veniunt à masculinis in DES, abjecto DE: ut ab *Iliades*, *Ilias*; à *Peliades*, *Pelias*; à *Dardanides*, *Dardanis*; ab *Inachides*, *Inachis*. Ac similiter ab Ἀμαζών sit Ἀμαζονίδης, unde ἀναλόγως femininum, ἡ Ἀμαζονίς, sive κατὰ συστολὴν Ἀμαζονίς: qua in re Græcorum exemplum secutus Maro I Æn.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.
Nempe tertiam corripuit, & patronymicum posuit pro primitivo; quale *Scipiades* pro *Scipione*.

Sed quorum masculina veniunt à primitivis in EUS, hæc penultimam efferunt per E porrectum: ut *Theseus*, *Thesides*, *Theseis*: *Chryses*, *Chrysides*, *Chryseis*. Item *Nereus*, *Nerides*, *Nereis*, penultimâ ancipiti. Etiam à *Michaël* juniores formarunt *Michaëlis*, cujus genitivus *Michaelidos*, vel *Michaëlidis*. Nomen hoc inter alias fuit Caroli VI Galliarum Regis filiæ, Philipp. Bono Burgundiæ Duci nuptæ.

Patronymica, quæ in NE desinunt, formantur ex genitivo singuli numeri, addito NE; sed EI mutatur in I longum: ut *Nerei*, *Nerine*; *Adrasti*, *Adrastine*. Quod si nominativus desinat in IUS, pro INE dicitur IONE: ut *Acrisius*, *Acrisione*.

Interdum autem patronymici terminatio aptatur etiam appellationibus iis, quæ à loco petuntur, sive ubi quis natus, sive ubi educatus, & versari soleat. Nec ratio est obscura, quia locus hujusmodi est instar parentis. Ut *Troas*, *Cyclas*, *Ias*, *Thessalis*, *Colchis*, *Æmonis*, *Mænalis*, *Libystis*, *Parrhasis*, *Sithonis*, *Tritonis*, *Sarmatis*, &c. Sic Venus, *Cypris*, à Cypro: unde & Κυπρογένεια, & Κυπρογενὴς vocatur. Item Musæ *Aonides*, à monte Aone; & *Aganippides*, à fonte Aganippe: ac par ratio in *Sicelides*, *Pimpleides*, *Pierides*.

Hanc formam etiam sequuntur quædam nomina librorum ab argumento petita. Sic *Ilias*, mulier ex Ilio. Sed Homerus ita inscripsit libros de rebus ad Ilium gestis. Similiter à persona, quam celebrat Poëta. Ut ab Ἡρακλῆς, vir *Heraclides*, mulier dicitur *Heracleis*. At Poëta incertus opus suum de Hercule inscripsit Ἡρακληΐδα: ut testis Aristoteles libro de Arte Poëtica. A Theseo vir *Thesides*, mulier *Theseis*. Sed Θησηΐδα vocavit suum poëma Diphilus, ut est apud Pindari scholiastem, atque alios. Ab *Alexio* fuerit *Alexides*, femina *Alexias*. Sed Annæ Comnenæ historia de gestis patris sui Alexii Comneni ab ea Ἀλεξιὰς est vocata. Similiter Latini. Ab *Ænea* vir *Æneades*, mulier *Æneis*. At Maronis quoque divinum opus *Æneis* nuncupatum. Ab *Achilles* vir *Achillides*, femina *Achilleis*. Verùm hoc quoque nomen est poëmatis Statiani. A *Bryses* similiter est *Brysides*, & *Bryseis*. Sed *Briseida* quoque scripsit L. Attius, Pacuvii ὁμόχρονος*: unde Persius sat. 1:

* Æqualis.

Est nunc Briseis quem venosus liber Atti,
Sunt quos Pacuviusque, & verrucosa moretur
Antiope.

Ita legi debere, facilè adsentio doctiss. Casaubono.

Cap. XXIX.

Terminationes gentilium, possessivorum, diminutivorum. Mulionius *potiùs, quàm* mulionicus, *dicendum.* Græculi *qui sint. Nomina in* aster *nunc diminutionem, nunc imitationem, nunc neutrum significant. Refelluntur, qui* domicula, *pro* domuncula, *dicere jubent. In O exeuntium diminutiva ἀναλόγως desinunt in UNCULUS. Non venire diminutiva ab omnibus nominibus.* Tabula, fabula, macula, *unde deriventur. Diminutiva non semper sequuntur genus primigenii.* Ungula *non est diminutivum, quod Diomedes credidit. Nec rectiùs à* scutum *deduxit* scutella, *cùm veteres dixerint* scuta *in muliebri genere. Ejusdem, & aliorum error,* pistrilla *à* pistrinum *deducentium, quod est à* pistrina. *Charisii locus emendatus. Priscianus notatus.* Qualus, & qualum; quasillus, & quasillum, *dicebatur.* Glandium, & glandula, *quid sint, & unde dicantur.* Ensicula. Beraceus, & malvaceus, *quâ occasione συγχρησμὼς capi cœperint. Diminutiva diminutivorum. Diminutivis additum* parvus, *vel* minutus.

Transeo ad GENTILIA, quæ has terminationes habent:

A, ut *Persa*, *Galata*, *Sybarita*: ac feminina, *Lacæna*, *Cressa*, *Threissa*, vel *Thressa*, *Phœnissa*, *Libyssa*.

O, ut *Macedo*, *Saxo*.

AN, vel ON, ut *Acarnan*, *Ion*, *Lacon*, qui & *Laco*.

AR, ER, IR, UR: ut *Car*, *Afer*, *Trevir*, *Ligur*.

AS, ut *Arcas*: ac similiter *Arpinas*, *Ardeas*; quæ priùs *Arpinatis*, *Ardeatis*. Item feminina, ut *Troas*, vel *Troias*, apud Persium sat. 1.

ES, ut *Cres*, *Magnes*. Ut *Cres Epimenides* apud Cicer. 1 de divinat.

IS, ut *Atheniensis*, *Samnis*, qui antea *Samnitis*. Item hæc feminina, *Sybaritis*, *Spartiatis*, *Achais*, *Scythis*, *Æthiopis*, *Libystis*, ut *Libystidos ursæ*, V Æn. nisi *Libyssidos* cum nonnullis malis.

US, præeunte Æ, ut *Achæus*, *Judæus*; à *Saba*, *Sabæus*; item *Thebæus*, apud Hyginum, pro *Thebanus*; US præcedente C, ut *Hethruscus*, *Atticus*: IACUS, ut *Corinthiacus*, *Peloponnesiacus*: US post I, *Ægyptius*, *Corinthius*; post L, ut *Italus*, *Siculus*; N, ut *Romanus*, *Germanus*; O, ut *Cous*, *Argous*; R, ut *Syrus*; V consonum, ut *Achivus*, *Argivus*.

TA, TES, masculina, & TIS muliebre. Hic *Spartiata*, vel *Spartiates*, & hæc *Spartiatis*: *Sybarita*, & *Sybarites*, & hæc *Sybaritis*. Iidem hic *Epirotes*, vel *Epirota*.

TANUS, ut à *Tauromenium*, Ταυρομενίτης, unde *Tauromenitanus*; ut à Νεάπολις, Νεαπολίτης, *Neapolitanus*. Sic à *Gadibus*, *Gaditanus*; à *Drepanum*, *Drepanitanus*.

BS, NS, PS, RS; ut *Arabs*, *Libs*, *Laurens*, *Picens*, *Æthiops*, *Camers*, *Tiburs*.

X, ut *Thrax*, *Cilix*, *Cappadox*, *Phryx*.

POSSESSIVA ἀναλόγως terminantur in IS, vel US. In IS trifariam.

LIS, ut *herilis*, *senilis*.

RIS, ut *puellaris*, ac, E præeunte, *muliebris*.

SIS, sive ENSIS, ut *castrensis*, *hortensis*.

In US multifariam exeunt. Præcipuæ formæ sunt istæ:

EUS, E brevi, ut *Herculeus*, *Romuleus*, *Cæsareus*, *Tartareus*. E longo, ut *Phœbeus*, *Sophocleus*, *Aristoteleus*, *gynæceum*: cujusmodi Græcè scribuntur per EI.

IUS, ut *Euandrius*, *patrius*, *mulionius*. Quomodo Cicero pro Sextio, *Mulioniam pænulam* dixit. Sic legendum, non *mulionicam*, ut editum est apud Priscianum in 11.

NUS, ut *paternus*, *montanus*, *hybernus*, *formicinus*, *Pompeianus*, ut cum dicimus, *Pompeianus miles*, aut *domus Pompejana*. Sic ab *Anio Anienus*, ut apud Maronem*, *Anienæ fluenta*.

* 4 Georg.

Est & terminatio CUS; idque vel præeunte A brevi, ut *Cypriacus*, *Bebryacus*; vel I brevi, ut *Italicus*, *Creticus*; vel Y brevi, quale unum esse ait Priscianus, nempe *Libycus*; ubi Y ex principali nomine *Libya* acceptum. Sed hæc terminatio CUS vix in aliis, quàm Græcis, invenitur. Et *aicus* quidem fit ex *aus*: ut *Achaicus* ab *Achæus*; *Bardaicus* à *Bardæus*. Ut *cuculli Bardaici*, apud Capitolinum in Pertinace; à Bardæis, Illyridis populo. Similisque formatio etiam extra possessiva obtinet: ut ab ἀρχαῖος, *archaicus*.

Possessiva non solent jungi adscendentibus. Itaque *Hectoreum* quidem *fratrem*, aut *servum* dicimus: at non *Hectoreum patrem*. Priscianus lib. IV.

Interdum autem eadem est forma gentilium, ac possessivorum. Ita gentile est *civis Romanus*; possessivum, *ager Romanus*.

DIMINUTIVA quæ sint, vox ipsa indicio est. Hujusmodi est à *Græcus*, *Græculus*. Ita dicebatur per contemptum, non quisquis impensè Græcis literis studeret* (quod viro erudito visum fuit) sed qui insimul mores Græcorum haberet. Nec enim *Græculus* est, qui Græcis φιλέλλην*; sed quem κατὰ χλευασμὸν† dicebant Ἑλληνικόν. Ita Hadrianus, auctore Spartiano, & Julianus, Ammiano‡ teste, *Græculi* dicebantur.

* Amans studiorum Græcorum.
† Per irrisionem.
‡ Lib. 17.

Dimi-

Diminutiva plurimùm exeunt in LUS, LA, LUM. Ac alia quidem O habent ante L; ut *filiolus*, *filiola*, *negotiolum*: alia U; ut *adolescentulus*, *adolescentula*, *columbulus*, *tantulus*, *tantula*, *tantulum*: alia in *allus* terminantur; ut *rarus*, *rallus*: vel *ellus*, ut *cultellus*, *pagella*, *flagellum*, *bellus* à *benus*, unde *bene*: vel in *illus*, ut *pugillus*, ex *pugnus*; *mamilla*, à *mamma*; *furca*, *furcilla*; *arvina*, *arvilla*; *hira*, *hilla*; *vasculum*, *vascillum*; *osculum*, *oscillum*, συμάτιον ludicrum; *villum*, à *vinum*; *sigillum*, à *signum*. Sic *ovilla*, & *suilla* caro, ab *ovina*, & *suina*, juxta Priscianum. Vel in *ullus*; ut ab *unus*, *unulus*, *ullus*. Sic *homullus*; item *satullus*, apud Varronem. Item *pullus*, ex antiquo *puerus*; *rullus*, ex *rurulus*, à *rure*. Vel in *culus*, ut *flosculus*, *lepusculus*, *matercula*, *bucula*, *sucula*, *nubecula*, *crusculum*, *melliculum*, quod apud Plautum.

Præterea exeunt in IO; ut *senex*, *senecio*; *pusus*, *pusio*; homuncio ab antiquo *homonis* pro *hominis*. Nempe ex *homonicio* κτ̀ συγκοπὴν est *homoncio*, sive *homuncio*.

Vel *eus*, ut *equus*, *equulus*, *equuleus*; *hinnus*, *hinnulus*, *hinnuleus*; *araneus*, *araneolus*.

Est & Græca terminatio ISCUS: ut *Syrus*, *Syriscus*, *Pan*, *Paniscus*, *calathus*, *calathiscus*, apud Catullum. Item *mas*, *mariscus*; *scortum*, *scortiscum*; de quibus maximus Salmasius in Exercitationibus Plinianis ad Solinum *.

* Pag. 1127.

Quæritur, an etiam nomina in ASTER diminutiva sint. Ubi distinctione opus. Sunt quæ diminutionem, sunt quæ imitationem, sunt quæ neutrum significent. Neutrum notat *apiastrum*, cui ideo ab apibus nomen, quia eo gaudent. Sed *surdaster*, & *recalvaster*, denotant diminutionem nominum, à quibus derivantur. Sic *philosophaster*, *poëtaster*, *parasitaster*. At *Antoniaster*, *Fulviaster*, & similia, quæ à propriis veniunt, imitationem significant: ut falsus sit Priscianus, qui & illa ὑποκορισικῶς sive blandimenti caussâ sic efferri putavit. De *parasitaster* sunt, qui dissentiant. Si inquiunt diminutionem notaret, non diceret Terentius *, *parasitaster parvulus*. Sed acutè occurrit Scaliger cap. xcv de caussis L. L. *Parvulus*, inquit, *significat corporis quantitatem ætate imperfectam, ut sit diminutio corporis: at parasitaster est artis diminutio, ut sit is, qui haud magna cum re parasitatur.* Atque, ut ibidem observat, hanc derivationis formam accepimus à Græcis, qui dicunt Φιλιππίζειν, Ἀντωνιάζειν: his autem simile sit παρασιτάζειν, unde παρασιτασὴς, & Σ in Ρ, more Æolum converso, παρασιτασὴρ.

* Adel. act 5. sc. 2.

Præterea quæritur, an etiam diminutiva exeant in UNCULUS, vel UNCULA. Sanè doctissimus vir, Bonaventura Vulcanius †, ait ἀναλογίαν requirere *icula*, vel *ucula*. Eoque non *domuncula*, sed *domucula*, vel *domicula*, jubet dicere. Nempe quia (ut Prisciani verbis utar) *quarta declinationis nomina faciunt diminutivum US, vel U, nominativi in I convertendo: ut versus, versiculus; artus, articulus; fluctus, flucticulus; anus, anicula; cornu, corniculum; genu, geniculum.* Sed cogitare oportuerat, quod ibidem subjungit Priscianus, excipi *acus*, *aculeus*; & *domus*, *domuncula*. Præterea *domumcula* disertim scribitur in Pandectis Florentinis Lib. XLVII. Tit. XII. Leg. III: *Si in sepulchro non habitet, sed domumculam ibi habeat servus: noxale judicium erit dandum, si modò habere posse videtur.*

† Notis in glossas vett.

Similis quæstio est, num *homunculus*, & *homuncio*; an *homuniculus*, & *homunicio*, dici debeat. Pro posteriori scribendi modo est, quòd Petrus Victorius in Ciceronis codice Mediceo, quem omnium probatissimum fuisse judicat, in epistola Servii Sulpicii ad Ciceronem pro *homunculi* disertim scriptum reperit *homuniculi*. *Hem, nos homuniculi quid indignamur?* Item quòd in optimo illo Terentii codice, cujus antiquitatem tantopere laudat Politianus, similiter scriptum erat in Eunucho ‡: *Ego homunicio non facerem?* Quemadmodum idem Victorius testatur Castigationibus in Ciceronem †, ac præterea Faërnus notis in Terentium. Imò videtur hæc scribendi ratio ἀναλογίᾳ posse comprobari. Nam ut ab *ignis*, est *igni*, unde *igniculus*; à *venter*, *ventri*, unde *ventriculus*: sic ab *homo* est *homini* (pro quo veteres *homuni*, imò & *hemoni*, ut apud Ennium) indeque erit *hominiculus*, sive *homuniculus*: ut item ex multorum opinione est a *senex*, *seni*, *senicio*, pro quo *senecio* dicimus: ita ab *homo*, *homini*, est *homonicio*, sive *homunicio*. Hæc faciunt, ut non improbem *homuniculus*, vel *homunicio*. Tamen *homunculus*, & *homuncio* malim. Nam ut sanè *homunicio*, & *homuniculus*, integra sint, nihil prohibet altera ex iis κτ̀ συγκοπὴν esse efficta. Præterea Priscianus disertim probat *homunculus*, & *homuncio*, tetrasyllaba. Adhæc in codd. Mssis vix aliter invenias. Denique ἀναλογία magis pro hac sententia facit. Nam in O desinentia mutant vocalem extimam in *unculus*: ut *leno*, *lenunculus*, apud Plautum Pœnulo; *gurgulio*, *gurguliunculus*, apud eundem Rudente; *lolligo*, *lolligunculа*, Casinâ; *offensio*, *offensiuncula*, apud Cicer. pro Plancio; *carbo*, *carbunculus*, apud scriptorem ad Herennium lib. III; *virgo*, *virguncula*, apud Juvenal. sat. II; *tyro*, *tyrunculus*, apud eundem sat. III; item *ratio*, *ratiuncula*: *caro*, *caruncula*, apud Varronem in Andabata: *Sed quid vis potius homo, quam caruncula nostra.* parque ratio in *leo*, *leunculus*; *latro*, *latrunculus*; atque aliis.

‡ Act. 3. sc. 5.
† In lib. 4 epist. ad famil.

De diminutivis ita Diomedes lib. I: *Meminisse debemus, quòd non omnia diminutiones faciunt. Quædam enim singularia sunt, quæ non inveniunt comparationem: tanquam cælum, mare, & similia. Sunt etiam quasi diminutiva, quorum origo non cernitur: ut fabula, macula, tabula.* Ubi rectè Diomedes, non esse illa diminutiva, sed quasi diminutiva. Nam etsi *tabula* fortasse sit, ab obsoleto *taba*, hoc autem à τάζω: tamen in *macula* & *fabula* diminutio est nulla. Sed est *macula* potius à כָּהַל, quod est *maculavit*; *fabula* autem eâ formâ venit à *fari*, quâ *latibulum* est à *latere*, *patibulum*, à *patere*, & similia. Sequitur apud Diomedem: *Sunt item, quæ non servant genera, quæ ex nominibus primæ positionis acceperunt: ut scutum, scutella; pistrinum, pistrilla; canis, canicula; rana, ranunculus; unguis, ungula, ungellula.* Quem locum expendemus. Uti & illa, quæ de hoc, & Charisius, & Priscianus, scripserunt. Ac primò non diffitemur, diminutiva quædam non servare genus primæ positionis. Uti *scamillus*, à *scammum*. Nam Vitruvius lib. III, capite III dixit: *Per scamillos impares.* Item *ranunculus*, quod apud Ciceronem epist. ad Trebat. & in libb. de divinatione legitur. Quamquam istis quidem locis adjectivum non additur. Adhæc ab *ervum*, *ervilla*. Nam *ervillam* dixit Varro, ut Nonius ostendit. Item *panicula* à *panus*: quod Priscianus pro exemplo ponit. *Panus* enim virile esse ostendit Lucilius in VIII:

—— Modò stet rectus subtemine panus.

At Plauti est Mil. act. I, sc. I:

Quasi ventus folia, aut paniculam textoriam.

Et fortassè ejusmodi quoque sunt, *majusculus*, *minusculus*, *plusculus*, *celeriusculus*; à comparativis neutris, *majus*, *minus*, *plus*, *celerius*. Etsi hic non deest, quod obducere possis. Nam videntur quædam in virili genere à veteribus fuisse usurpata: unde *Deus Majus*, de quo antea * dictum. Verùm sanè, ut non inviti demus, quædam diminutiva recedere à genere primogenii; tamen Diomedis exempla id minimè evincunt. Nam, ut ab *ungula* ordiamur, non est hoc ab *unguis*; sed ejusdem ambo originis sunt. Solent enim Romani ab obliquis Græcorum formare suos rectos. Unde ab ὄνυχος, fecere *unguis*; ab ὄνυχα *unga*, & ex eo *ungula*. Ab *unguis* verò est diminutivum *unguiculus*: unde quod Græci dicunt ἐκ τῶν ἁπαλῶν ὀνύχων, id Ciceroni epist. ad Lentulum est, *à teneris unguiculis*. Atque, ut daremus Diomedi, ab *unguis* dici *ungula*; non tamen diminutivum foret, sed ἁπλῶς denominativum; quemadmodum verisimilius statuit Priscianus libro III: *Anguis, anguilla; unguis, ungula facit: quæ tametsi formam habere videntur diminutivi; significatione tamen non sunt diminutiva.* Et post multa: *Anguis, anguilla;*

* Cap. 24 hujus libri.

gulla; *unguis*, *ungula*; *nubes*, *nubilum*; *magis denominativa sunt existimanda, quàm diminutiva: quippe non habent diminutivorum significationem, sed formam tantùm.* *Scutella* verò non est à *scutum*, uti Diomedes putat; sed à *scutula*, quod à *scuta*, quo in singulo numero usus Lucilius in VI †: *Scutam ligneolam cerebro infixit.* Nec *pistrilla* est à *pistrinum*; unde non Diomedes tantùm deducit, verùm & Charisius, & Priscianus; sed est à *pistrina*. Terentius Adelph. act. IV, sc. II: *Apud ipsum lucum est pistrilla.* Ubi sic Donatus: *Veteres absolutè dicebant pistrinam, ut sutrinam, & medicinam, ad tabernam referentes. Nam pistrino pistrina non convenit.* Imò Charisius ipse alibi docet, Lucilium *pistrinam* dixisse: *Pistrinum*, inquit, *in neutro dicitur; sed Lucilius XVI feminino extulit: Media è pistrina ad tabernam referens, ut Caupona dicitur. Nam & Terentius diminutivè pistrillam dixit, Pistrilla erat quædam.* Ita vulgo is Charisii locus legitur. Et sanè etiam Josephus Scaliger in Conjectaneis tanquam è XXVI Lucilii adducit hæc verba, *Media à pistrina ad tabernam referens.* In quo planè fallitur. Nam locus Charisii sic interstingui debet: *Lucilius XVI feminine extulit*; Media è pistrina; *ad tabernam referens, ut caupona dicitur.* Nempe idem dicit Charisius, quod Donatus, *pistrina* in feminino dici, quia vox ea ad tabernam refertur; quomodo & *sutrina*, & *caupona* dicitur in fem. Quare Lucilii solùm verba sunt ista, *Media è pistrina.* Ad quæ respexit Varro in IV de L. L. cum ait: *Pilum, quòd eo far pinsunt: id ubi fit, Pistrinum. L. & S. inter se sæpe commutant. Inde Lucili, Pistrina, & pistrix.* Nam voluit Lucilii meminisse, quia *pistrina* is insolenti voce usus esset. Superest apud Diomedem *canicula*, quod quidem à *canis* venit: sed hoc non minùs in feminino, quàm masculino, invenitur apud antiquos. Uti apud Ennium:

Tantidem quasi fata canes sine dentibus latrat.

Et Lucilius in primo*:

Irritata canes, quàm homo, quod planius dicet.

Expendamus nunc ista, quæ Priscianus adjecit. Tale est hic *dies*, hæc *diecula*. Sed cùm dies etiam femininum sit, de hoc idem, ac de *canis*, judicium esto. Adfert quoque *acus*, *aculeus*: sed *aculeus* denominativum, non diminutivum est. Addit idem *hic qualus*, *hoc quasillum*. Sed hac etiam parte fallitur. Nam non tantùm *qualus* dixere veteres, sed etiam *qualum*; nec tantùm *quasillum*, sed etiam *quasillus*. *Qualum* est apud Catonem de R.R. cap. XI: *Corbulas Amerinas XX, quala satoria VII, alveos XL.* *Quasillus* est apud Festum Pompejum: *Calathos*, inquit, *Græci; nos dicimus quasillos.* Ergo à *qualus* erit *quasillus*; à *qualum*, *quasillum*. Idem Priscianus ex Probo, ut ait (etiam Charisium addere potuit) huc refert *hoc glandium*, *hæc glandula*: quo significari dicit partem intestinorum. Plinius lib. XI, cap. XXXVII: *Tonsilla*, inquit, *in homine; in sue, glandula.* Sed & *glandium*, & *glandula*, ejusdem originis sunt: nec à *glandium*, sed à *glans*, unde & *glandium* nomen accepit, *glandula* ὑποκοριστικῶς dicitur. Addit quoque Priscianus, *ensis*, *ensiculus*, & *ensicula*. Et videtur idem scripsisse Charisius, etsi apud eum nunc in Putschianâ quoque editione *ensiculus* tantùm legatur. Sed vellem alteruter de *ensicula* idoneum laudasset auctorem: uti de *ensiculus* à Charisio factum, de quo nemo dubitat. Denique tam apud Charisium, quàm Priscianum, legas à *beta*, & *malva*, ὑποκοριστικῶς dici, *hic betaceus*, *hic malvaceus*. Quod non fit nisi per κατάχρησιν. Propriè enim, ac primò, materiam signant: quomodo autem factum sit, ut pro minuta beta, aut malva, accipi cœperint; satis ingeniosè explicat Turnebus lib. XI Advers. cap. III. Nam ait *betaceus* absolutè dici, cùm pes intelligatur: ac parem esse *malvacei* rationem: sed postea, substantivo tacito, in substantiva migrâsse, & pro minuta beta, vel malva, cœpisse usurpari. Pedis betacei meminit Varro lib. V de L. L. & de R. R. lib. I, cap. II, & Apicius libro III, capite I. Sed de diminutivis, quæ genus mutare dicuntur, satis dictum. Nunc cætera de iisdem persequamur.

† Apud Prisc. lib. 3.

* Apud Charisium lib. 1. Donat. in Adelph. 2, 4. & Non. in irritare.

Sunt diminutiva quædam, quæ ab altero diminutivo descendant: ut à *cista*, *cistula*, unde *cistella* (à quo *Cistellaria* Plauti) ex hoc *cistellula* apud eundem Plautum. Sic à *puer* est *puerulus*, unde *puellus*, ex quo *puellulus*. *Unguellula*, quod apud Diomedem est, ab *unguella* venit, hoc ab *ungula*. Quod si Diomedem audimus, ulterius etiam procedere licet, cum *ungula* dici putet, quasi *unguicula*; uti vidimus. Etiam hic processus in adverbiis locum habet. Nam *pauxillulum* est à *pauxillum*: *pauxillum* vel à *paullulum* venit, quod à *paullum*; vel (quando major inter C & X, quàm L & X affinitas est) à *pauculum*, quod à *paucum*. Quare, ut *multum*, ita *paucum*, adverbialiter dixisse veteres, vel hinc colligas.

Interdum etiam diminutio geminatur, addito nomine *parvus*, vel simili. Terent. Andr. act. II, sc. II: *Olera, & pisciculos minutos.* Ad quem locum Donatus ait: *Sufficeret diminutivè pisciculos dixisse.* Cicero item præfat. Paradox. dixit, *minutis interrogatiunculis*.

Cap. XXX.

Terminationes denominativorum substantivorum, plurimorumque nominum origines.

Sequuntur denominativa; quomodo, nomine generis, vocantur, quæ à nomine derivantur, nec ad quatuor priores classes pertinent. Horum terminationes nunc exponam. Ac primùm in substantivis.

A purum, præcedente E, ut *cavus*, *cavea*, *vinum*, *vinea*. Præeunte I, *gratus*, *grati*, *gratia*; *justus*, *justi*, *justitia*; *victor*, *victoris*, *victoria*; *sapiens*, *sapienti*, *sapientia*. Quo exemplo à *sentiens*, esset, *sententia*: pro quo, eliso I, *sententia* dicitur. Præeunte V, ut à *noctu*, *noctua*.

ACA, vide inferiùs sub syllaba CA.

ACUM, ut *merum*, *meracum*. Sed utrumque hoc naturâ est adjectivum, quia intelligitur *vinum*.

AL, ut *cervix*, *cervical*; *anima*, *animal*; *vectus*, *vectigal*; *baccha*, *bacchanal*. Verùm ista etiam propriè sunt adjectiva. Integrè enim dicitur, hic & hæc *animalis*, & hoc *animale*, ut κατ' ἐξοχὴν *animal*. Par ratio in cæteris.

ARE, vel AR, ut *lumen*, *luminare*; à *calce*, *calcar*; *cochlea*, *cochleare*, & per apocopen, *cochlear*; *altus*, *altare*, & simili apocope apud Prudentium περὶ στεφάνων, *altar*.

ARIUM, ut *armarium*, ubi arma reponuntur; *vivarium*, ubi animantia adservantur viva; *collarium*, quod in collo est; *mensarium*, quod in mensa fit; *palmarium*, quod in palma est, hoc est, laude, ut Priscianus exponit. *Apiarium*, in quo apes. Sic *violarium*, *rosarium*, *viridarium*, *plantarium*, *pomarium*. Sunt verò & ista naturâ suâ adjectiva, à masculinis in *arius*: ut *jumentarius*, *argentarius*; quæ ipsa quoque substantivè sumuntur, ut *vir* intelligatur.

AS, ut *primus*, *primas*; *summus*, *summas*. Sic *optimas*, *magnas*.

ATA, vide in CA.

ATOR item in TOR.

ATRUS, vel ATRE; ut à *quinque*, *quinquatrus*, & *quinquatre*: unde *quinquatria*.

ATUS, ut *reus*, *reatus*; *senex*, sive *senes*, *senatus*.

BRUM, ut *candela*, *candelabrum*, &, si Varronem* audimus, *Deus*, *delubrum*. Sed hoc potiùs verbale est, ac locum signat, ubi religiosè deluerent se in lacu, quò se à criminibus purgarent.

BRIUM, ut *manus*, *manubrium*; *ludus*, *ludibrium*: nisi hoc verbale esse malis à *ludo*.

BULA, & BULUM; ut *pestis*, *pestibula*, quod in vett. Justiniani† libris exstare, monent Cujacius‡, & Casaubonus*; *desidia*, *desidiabulum*; si rectè sic MSS codices Plauti Bacch. act. III, sc. I, de quo postea. Item à *concilium*, *conciliabulum*; à *thure*, *thuribulum*; à *Vesta*, *vesti-*

* Lib. 8 rerum divin. apud Macrob.

† L. penult. C. de adil. act.

‡ Lib. 16 Observat. cap. 24.

* Lib. 1 de satyrica po si cap. 3.

vestibulum; nisi illud verbale à *concilio*; hoc autem constituitur à *ve*, & *stabulum*; de quo Gellius lib. XVI, cap. V.

CA, præcedente interdum quidem I longo; ut à *lectus*, *lecti*, *lectica*; *lorum*, *lori*, *lorica*: interdum vero V longo; ut à *lacte*, *lactuca*: sæpissime autem A longo; ut a *verbena*, *verbenaca*; à *lingua*, *lingula*, *lingulaca*; à *porta*, *portula*, *portulaca*, nempe quia folia ejus portularum habeant figuram: à *scandula*, *scandulaca*; a *pastinum*, *pastinaca*, sive sumatur pro herba pastinum referente, sive pro pisce telum instar pastini habente: à *securicula* item *securiclaca*; quæ corruptè *securidaca*, cum ut Græcis dicitur πελεκῖνος, ita Latinis etiam à securi nomen acceperit. Verùm doctissimus Turnebus lib. VIII Adv. cap. XXIII, per T scribere hæc jubet, *portulata*, *verbenata*, *pastinata*, atque ita in aliis. Quod eo minùs damno, quia in libris plerisque veteribus sic exaratum invenias, & *atus* terminatio est vulgaris eorum, quæ habitum, vel aliud adjunctum significent; ut *tunicatus*, *segmentatus*, *barbatus*, *ansatus*, & similia.

CIA, ut *fiducia*, à *fidus*. Nisi verbale putes à *fido*.

CILIUM, ut à *domus*, *domicilium*. Quamquam nec displicet, ut quasi *domicolium* dicatur, quia incolitur.

CINIUM, ut a *leno*, *lenocinium*; à *tyro*, *tyrocinium*; à *patronus*, *patrocinium*.

CULUM, ut à *taberna*, *tabernaculum*.

CUS, vel CA, ut fortasse à *rudis*, *rudica*.

DO, præeunte E longo, ut à *dulce*, *dulcedo*; à *grave*, *gravedo*; vel I longo, ut *formido*, à *formis*, id est spectris, vel à *formus*, id est calidus, quia præ metu sæpe æstuant homines ac sudant: vel præcedente V longo, ut à *testa*, *testudo*.

DOS, ut *sacer*, *sacerdos*.

EDO, vide DO.

EIUS, vide LEIUS.

ELA, inferiùs in LA.

ERNA, ut *cavum*, *caverna*; λάκη, ut vestem notat, *lacerna*; *taberna*, à *tabæ*, unde *tabula*. Etiam à βαςῶν, quod à βάζω, *basterna*; de quo τὸ πάνυ Salmasium adi in Lampridium.

ERUM, ut *jugum*, *jugerum*.

ES, ut ab *equo*, *eques*; à *pede*, *pedes*.

ETUM, ut à *pomus*, *pometum*; à *dumus*, *dumetum*; à *myrtus*, *myrtetum*: similiaque, quæ quia aliquid continent, περιεκτικὰ* dicuntur. In hujusmodi crebra est syncope, ut *frutex*, *fruticetum*, *frutectum*, *carex*, *caricetum*, *carectum*; *salix*, *salicetum*, *salictum*; à *filix*, *filictum*; ab *arbos*, *arbosetum*, *arbostum*, sive *arbustum*.

* Comprehensiva.

GAMA, ut à *sale*, *salgama*, quia sale condita.

GO, præcedente A, ut à *carrus*, *carrago*, munimentum ex carris; à *farre*, *farrago*. Cujusmodi sæpe significant similitudinem, ut in femina *virago*; in plantis, à *lappa*, *lappago*; à *cunila*, *cunilago*; à *citro*, *citrago*. Præcedente I, ut à *calis*, id est lignis, *caligo*. Nisi malis esse ab ἀχλὺς †. Præcedente V, ut *lana*, *lanugo*; *albus*, *albugo*; *salsus*, *salsugo*; *ferrum*, *ferrugo*; ab *ære*, *ærugo*.

† Caligo.

IA, ut à *mater*, *materia*.

ILA in terminatione CA antea vidimus.

IDO, vide DO.

IES, ut *pauper*, *pauperies*; *mater*, *materies*, *barbarus*, *barbaries*.

INIUM, ut *vaccinium*, à *vacca*; à *muccus*, *muccinium*, quod apud Arnobium ‡.

‡ Lib. 2.

INUS, ut *Sol*, *Solinus* proprium, *sal*, *salinum*. Videntur natura esse adjectiva.

IO, ut *tabella*, *tabellio*; *pusus*, *pusio*; *pumilus*, *pumilio*; *libellus*, *libellio*.

ITIUM, ut *capillus*, *capillitium*; *sodalis*, *sodalitium*; *avis*, *avitium*; *lana*, *lanitium*; *servus*, *servitium*. Nam si esset à supino *servitum*, antepenultimam produceret.

ITUS, ut à *mare*, *maritus*.

IUM, ut à *conjuge*, *conjugium*; à *præcone*, *præconium*. Sic *hospitium*, *magisterium*, ubi E insertum.

LA, ut a *cliente*, *clientela*; à *parente*, *parentela*.

LAGO, ut *salsus*, *salsi*, *salsilago*, ἅλμη, *mucus*, *muci*, *mucilago*; *caro*, *carni*, *carnilago*, & mutatione literæ, *cartilago*, quod inter carnem, & ossa, mediæ est naturæ.

LCUS, ut à *bubus*, *bubulcus*; à *subus*, *subulcus*.

LE, ut *hasta*, *hastile*; *equus*, *equile*; *ovis*, *ovile*.

LEIUS, ut à *lege*, *leguleius*.

LENA, ut *cantus*, *cantilena*.

LIGO, ut *vitium*, *vitiligo*; *udus*, *udiligo*, *uligo*; *fumus*, *fumiligo*, *fuligo*, per syncopen.

LIS, vide ALIS.

LIUM, ut *pecus*, *peculium*.

MENTUM, ut *puls*, *pulmentum*.

MONIA, vel MONIUM, ut *castus*, *castimonia*; *sanctus*, *sanctimonia*; *cerus*, id est, *sanctus*, *cerimonia*. Item à *patre*, *patrimonium*, à *matre*, *matrimonium*, à *teste*, *testimonium*. Ac similiter à *merce mercimonium* nomen, à *mendico*, *mendicimonium*: A *mœcho* etiam, *mœchimonium*, apud Laberium, pro μοιχεία.

NA, vel NUM, præeunte I, ut *piscis*, *piscina*; à *sale*, *salinum*: vel præcedente O, ut à *matre*, *matrona*; ab *anno*, *annona*. Sed hujusmodi vel omnia, vel prope omnia, naturâ suâ sunt adjectiva, utcunque substantivorum induerint naturam.

NAR, ut à *lupa*, hoc est meretrice, *lupanar*. Sed hoc quoque propriè est adjectivum ex *lupanare*, κατ' ἀποκοπήν.

NIUS, ut *Calpus*, *Calpurnius*; S in R abeunte.

NUS, vel NA, ut à *veter*, pro *vetus*, *veternus*; à *membra*, *membrana*, à *tribu*, *tribunus*. Puto κατὰ συγκοπὴν sic dici i extrito. Ut pro *vulturinus*, *vulturnus*.

O purum, ut *alea*, *aleo*; *talis*, *talio*.

O impurum, ut à *capite*, *capito*; *nasus*, *naso*; *nebula*, *nebulo*; *gerra*, *congerro*; *aquila*, *aquilo* ventus.

ONA, vel ONAS, vide in NA, vel NAS.

OR, ut *album*, *albor*; *nigrum*, *nigror*.

ORIUM, ut *portus*, *portorium*.

RA, ut *censor*, *censura*; *prætor*, *prætura*. Nisi hæc malis verbalia à *censu*, & *prætu*; quomodo à *positu*, *positura*, à *jactu*, *jactura*. Sic *prætura* fit ex *prætura*, ut *prætor* ex *prætor*.

RIA, vel RIES, ut *luxus*, *luxuria*, vel *luxuries*.

RIUM, vide in ARIUM, & ORIUM.

STAS vide TAS.

TA, ut *rubus*, *rubeta*; *vindex*, *vindicis*, *vindicita*, *vindicta*; *senecta* item ex *senecita*, quod ab antiquo genitivo *senecis*, unde & *Seneca*, & *senecio*.

TAS, ut *auctor*, *auctoritas*; *potis*, *potestas*; *majus*, *majestas*; *Venus*, *venustas*; *avum*, *avitas*, ex quo *ætas*; *necesse*, *necessitas*; *facile*, *facilitas*, ex quo *facultas*; *volupe*, *volupitas*, ex quo *voluptas*.

TELA, ut fortè à *mus*, *mustela*. Vide LA.

TERA, ut *mater*, *matertera*.

TIA, ut *justi*, *justitia*; *avari*, *avaritia*; *segni*, *segnitia*; *pigri*, *pigritia*; *primi*, *primitiæ*.

TIES, ut *cani*, *canities*; *spurci*, *spurcities*. Sic *scabrities*, *mundities*, *segnities*, & alia.

TILIO, ut *vespertilio*.

TIMUS, ut *adis*, *æditimus*. Sed videtur naturâ adjectivum, ut intelligatur *vir*.

TIS, ut à *semen*, *sementis*.

TIUM, ut *calvus*, *calvitium*.

TOLIUM, ut à *caput* Capitolium; non à capite Toli, quod apud Arnobium legas lib. VI.

TOR, præcedente A longo, ut *senex*, *senator*: vel I brevi, ut *olus*, *olitor*; *fundæ funditor*.

TORIUM, ut *terra*, *territorium*: non à terrendis hostibus; quod est apud Siculum Flaccum.

TRUM,

TRUM, ut *talus*, *taletrum*, seu *talitrum*, quòd fiat digitorum talis, hoc est, quadratis ossiculis.

TUDO, ut *habitus*, *habitudo*; *beatus*, *beatitudo*.

TULLIUM, ut *medius*, *meditullium*.

TUM, ut *veru*, *verutum*. Simileque volunt *arbos*, *arbustum*. Sed contractum hoc ex *arbosetum*, ut diximus.

TUS, præeunte A longo, ut à *senibus*, *senatus*; à *magistris*, *magistratus*. ut in ATUS dictum. Præmisso I brevi, at per syncopen eliso, ut à *viro*, *viritus*, *virtus*; à *senex*, *senicis*, *senecutus*, *senectus*. A *liber* quoque *libertus*, i ejecto.

UDO, vide DO.

ULCUS, vide LCUS.

UNUS, vel UNA, vide NUS.

URA, vide RA.

URNIUS, vide NIUS.

Cap. XXXI.

Quomodo terminentur adjectiva denominativa, & origines variorum nominum.

HÆc de denominativorum illis, quæ sunt substantiva. Venio ad adjectiva: quæ his modis clauduntur:

ALIS, ut *anima*, *animalis*; *vita*, *vitalis*; *Mercurius*, *Mercurialis*; *Martius*, *Martialis*.

ANEUS, ut *momentum*, *momentaneus*; malim tamen *momentarius*; forum circumforaneus.

ANUS, ut *Marius*, *Marianus*; *Pompejus*, *Pompejanus*; *Tullius*, *Tullianus*; *sol*, *solanus*, ex quo *subsolanus*; *lux*, *lucanus*; unde *antelucanus*; *homo*, *humanus*, non ab *humus*, quod apud Priscianum legere est. A *Priscus* quoque *Priscianus*, vel potiùs à *Priscius*; ut Priscianus ipse ait, cui de suo sanè nomine credamus; præsertim cùm faveat ἀναλογία.

ARIS, ut *peculium*, *peculiaris*; *familia*, *familiaris*.

ARIUS, ut ab *ostium*, *ostiarius*; ab *ordine*, *ordinarius*; à *primus*, *primarius*; à *topium*, *topiarius*; à *plenus*, *plenarius*; à *planus*, *planarius*: unde *Planaria* insula, quia plana foret, teste Plinio lib. III, cap. VI. Sic lex *agraria*, *frumentaria*, *stataria*; *cella vinaria*, &c.

Sæpe verò eadem & in *aneus*, & *areus* exeunt: ut à *momentum*, non tantùm *momentaneus*, sed & *momentarius* dicimus. Et contrà à *proles*, non modò *proletarius*; sed etiam *proletaneus*: ut observat Giffanius Indice Lucretiano.

ATICUS, ut à *pulvere*, *pulveraticus*: à *fœdere*, *fœderaticus*, quod in Novellis Justiniani. Nec absimilia, quæ ab exeuntibus in A terminationem in *aticus* formant, de quibus in terminatione *ticus*.

ATILIS, ut *saxatilis*, *fluviatilis*.

BER, vel BRIS, ut à *salus*, *saluber*, vel *salubris*; à *septem*, *september*, ab *october*, non ut nugantur, quasi *septimus*, vel *octavus imber*. At à *pubes*, *puber*, pro *pubeber*.

CER, ut ab *ala*, *alacer* deducunt. Solùm quantitas diversa scrupulum injicit.

CEUS, ut *charta*, *chartaceus*; *beta*, *betaceus*; quæ & diminutiva, uti dictum *. Item *ilex*, *iliceus*. Papin. VI Theb. *Ornique, iliceaque trabes.*

* Cap. 29.

CIDUS, ut *ros*, *roscidus*.

CINUS, ut *dura*, *duracinus*.

CRIS, ut à *medio*, *mediocris*.

CUS, ut *civis*, *civicus*; *hostis*, *hosticus*; *modus*, *modicus*; *villa*, *villicus*, quod natura est adjectivum: *cœlum*, *cœlicus*; *astrum*, *astricus*; *tetrum*, *tetricus*; *gens*, *genticus*; ut *more gentico*, apud Tacitum VI Ann. *saltus* pro *saltatio*, salticus, ut apud Tertullianum, adversus Gnosticos cap. VIII, *puella saltica*, pro *saltatricis*. Sic ab *Afro*, *Africus*, unde *Africa*, puta *terra*: à *fabro*, *fabricus*, unde *fabrica*; hoc est, fabrilis, puta *domus*. Nisi verbale malis à *fabrico*: de quo postea.

DAM, ut *quis*, *quidam*. De quo in provocabulis.

DEM, ut *is*, *idem*; *tantum*, *tantundem*.

DICUS, ut à *Threce*, *Threcidicus*, apud Ciceronem Philipp. II.

DUS, ut *Salmacis*, *Salmacidus*. Sic *herba*, *herbidus*; *fumus*, *fumidus*; *gravis*, *gravidus*; nisi verbalia malis esse ab *herbeo*, *fumo*, *gravo*, vel *graveo*, unde *gravesco*.

ENSIS, ut *circus*, *circensis*; non à circuitu ensium, quod nobilis ait Grammaticus *.

* Serv. in Æn.

ENUS, ut ab *alius*, *alienus*; à *socius*, *socienus*; à *dubius*, *dubienus*; & fortasse à *porca*, *porcilena*, quod est in vett. codd. Plaut. Mil. act. IV, sc. II.

ERUS, ut à *quercu*, *quercerus*: unde Lucilio, *quercera febris*: à *lana*, *lanerum*, de quo Festus.

EUS, ut ab *aurum*, *aureus*; à *ferrum*, *ferreus*; ab *osse*, *osseus*. Similiaque *vitreus*, *cereus*, *luteus*.

GINEUS, ut à *ferrum*, *ferrugineus*.

GINUS, ut *faba*, *fabaginus*: unde *fabaginum arcus* apud Catonem cap. LIV.

GNUS, ut *malus*, *malignus*; *bonus*, *benignus*. Veteres enim pro *bonus* dixere *benus*; unde *bene*, & ex *benulus*, *bellus*. Item ab *abies*, *abiegnus*; ab *ilex*, *ilignus*. Maro III Georg.

Currentem ilignis potare canalibus undam.

Terentius Adelph. †

† Act. 4. sc. 2.

Lectulos in sole ilignis pedibus faciendos dedit.

Ita in Bembino codice erat, ut monet Faërnus. At *iligneis* est in Tarvisina ‡ veteri edit. item Mssis nostris. Atque ita quoque apud Priscianum lib. II, tum in membranis nostris exaratum, tum in veteri Venetâ * excusum. *Iligneus* verò κατὰ συγκοπὴν fit, pro *iligineus*, ut à *ferrum*, *ferrugineus*.

‡ An. 1477.
* An. 1476.

ICEUS, vide CEUS.

ICIUS, pro quo vulgò ITIUS, sed contra auctoritatem Prisciani, & lapidum, nummorumque, ac Mssorum melioris notæ: ut à *patre*, *patricius*; à *tribunus*, *tribunicius*; à *crate*, *craticius*; à *latere*, *latericius*; à *sarmentum*, *sarmenticius*; à *stramen*, *stramenticius*; à *cæmentum*, *cæmenticius*; à *novus*, *novicius*. Etiam *pigneraticius*, *commentaticius*, *conducticius*, *translaticius*, *feneraticius*, *ficticius*, *adscripticius*, *dediticius*, *insiticius*, *adventicius*, similiaque, hujus loci videntur. Possis tamen ea & verbalia dicere. Sed censeo ἀμέσως venire à nominibus, vel participiis; nempe à casu in I, addito CIUS.

IDUS, vide DUS.

ILIS, interdum *i* brevi, ut ab *humo*, *humilis*; à *pari*, *parilis*; & à *dapis*, sive *daps*, *dapsilis*. Sæpius verò *i* longo, ut à *cive*, *civilis*; à *viro*, *virilis*; ab *ade*, *adilis*. ILUS, vide LUS.

INUS, vide TINUS.

IUS, ut *noxa*, *noxius*; *quæstor*, *quæstorius*; *censor*, *censorius*; *cursor*, *cursorius*. Item *Julus*, *Julius*; *cæcus*, *cæculus*, *Cæcilius*; unde *cæcilia serpens* Columellæ *, quæ Plinio † *cæca serpens*; Isidoro ‡ *cæcula*; Græcis similiter τύφλωψ.

* Lib. 6. cap. 16.
† Lib. 9. cap. 51.
‡ Lib. 12. cap. 4.

IVUS, ut *furtum*, *furtivus*; *festum*, *festivus*.

LENS, ut à *vi*, *violens*; ab *ope*, *opulens*.

LENTUS, ut à *somno*, *somnolentus*. Sed hoc parum Latinum: cum optimi scriptores malint *somniculosus*: de quo in libro de Vitiis Sermonis. Aptiora sunt ab *esca*, *esculentus*; à *potu*, *potulentus*; à *vino*, *vinolentus*; à *corpus*, *corpulentus*; à *temetum*, *temetulentus*: & per syncopen, *temulentus*: à *jusculum*, *jusculentus*, pro *juscululentus*.

LIS præcedente *a*, *e*, *i*, vel *u*; ut à *vita*, *vitalis*, à *fide*, *fidelis*; à *servo*, *servilis*; à *tribus*, *tribulis*. De *alis*, & *ilis*, & antea dictum.

LUS, ut *nubes*, *nubilus*.

MNIS, ut ab Osco *sollus*, *sollemnis*.

NA-

NARIUS, ut deducunt à *merces*, *mercenarius*; à *centum*, *centenarius*. Sed, puto, *mercenarius* mutatione unius literæ est ex *mercedarius*: quod apud Isidorum legas in glossis. Nec *centenarius* à *centum*, sed *centenus*.

NUS, præcedente A, ut *primus*, *primanus*; *decumus*, *decumanus*, præeunte E, ut *septem*, *septenus*; *centum*, *centenus*; *terra*, *terrenus*: I antecedente, seu longo, ut *vicus*, *vicinus*; *adulter*, *adulterinus*; seu brevi, ut *tartarus*, *tartarinus*. Ut illo veteris Poëtæ*:

* Apud Varronem in 6 de L. L.

Corpore tartarino prognata Paluda virago.

Sic *byssinus*, *amethystinus*, *adamantinus*, *crystallinus*, *cedrinus*, *faginus*. In qualibus & syncope occurrit. Ut *quercus*, *quercinus*, *quernus*; *corylus*, *corylinus*, *colurnus*; *ficus*, *ficulinus*, *ficulnus*; *populus*, *populinus*, *populnus*; ut apud Plautum Casinâ, *Populna sors*. I longo, ut *censor*, *Censorinus*, proprium; &, in communibus, sive appellativis, *lepus*, *leporinus*; *formica*, *formicinus*; ut apud Plautum Menæchmis, *formicinum gradum*; *hirundo*, *hirundinus*; ut apud eundem Menæchmis, *Hirundininum nidum*. Apud Priscianum lib. 11 legas: *Macer*, *Macrinus*; *libertus*, *libertinus*; *dives*, *divinus*. Corrige, *divus*, *divinus*. Saltem sic scribere debuit.

OSUS, ut *gula*, *gulosus*; *piscis*, *piscosus*; *lachryma*, *lachrymosus*; *acinus*, *acinosus*. Sic *lapidosus*, *morosus*, *suspiciosus*, *ebriosus*, *rimosus*; multaque id genus alia à Bartio congesta Adversariorum lib. XXXV, c. IX.

OX, ut *vena*, *venox*.

RIS, vide ARIS.

RIUS, vide ARIUS.

RNUS, ut *tacitus*, *taciturnus*; ab ablativis *diu*, *noctuque*, *diurnus*, *nocturnus*; à *mensis*, *mensurnus*; quæ tria Cicero in primo de Inventione jungit: *Pars quadam aternitatis, cum alicujus annui, mensurni, diurni, nocturnive spatii certâ significatione.* Ab *hyeme* similiter esset *hyemernus*; pro quo *hybernus* dicitur. Nisi cum nonnullis deducere malis ab *imber*, ejecto M. Sed prius longè verisimilius.

STINUS, vide TINUS. STIS, ut *cælum*, *cælestis*; *ager*, *agrestis*.

STRIS, ut *campus*, *campestris*; à *pede*, *pedestris*.

SUS, vide OSUS.

TARIUS, ut *proles*, *protelarius*. Quod & *proletaneus*, ut antea dictum.

TERNUS, ut *alter*, *alternus*; *acer* arbor, *acernus*; *ævum*, *aviternus*, quo Varro usus, ut Priscianus docet, atque inde *aternus*, κατ συγκοπὴν, ut *atas* ex *avitas*.

TICUS, ut ab *aqua*, *aquaticus*; à *via*, *viaticus*; à *favilla*, *favillaticus*; à *scena*, *scenaticus*; à *familia*, *familiaticus*, unde *sella familiatica*, apud eundem: à *sylva*, *sylvaticus*; ut *mus sylvaticus*, apud Plinium lib. XXX, cap. IX. Etiam à *balnea*, *balneaticum*, pretium, quod pro lotione in balneis persolvebatur. Gloss. *Balneaticum*, βαλανικόν. A *Martiâ* pecuniâ, *Martiaticum*. Priscianus lib. ult. qui est de primis versibus XII libb. Æn. *Solemus etiam Martiaticus*, *Martiatica*, *Martiaticum dicere: unde stipendia militum Martiatica dicuntur.* Etiam à *cathedra*, *cathedraticum* legas, apud Pelagium epistolis ad Cresconium.

TIMUS, ut à *mari*, *maritimus*; à *lege*, *legitimus*; à *fine*, *finitimus*; ubi *timus* esse productionem vocis, etiam Tullius ait in Topicis. Simile ab *ade*, *editimus*. Sed hoc, etsi natura adjectivum, substantivè sumitur. Ineptè autem Charisius, *aditimus*, quasi *adis intimus*. Simile est à *claustris*, *claustritimus*. Usus Lævius in Protesilaodamia, teste Gellio lib. XII, cap. X; ubi sic ait vocari, *qui claustris januæ præesset*.

TINUS, ut *vester*, *vespertinus*; à *vesper*, *vespertinus*; à *pariete parietinus*; unde *parietina*, *supple ruina*. Item ab *ariete*, *arietinus*; ut *arietinum oraculum*, pro illo Jovis Ammonis, cujus caput cum arietis cornibus erat. Item præeunte S, ut *medius*, sive *media*, *mediastinus*; non à *medio stando*, vel *tenendo*, ut ait Priscianus in 11.

TRUUS, ut *mensis*, *menstruus*; ex quo *menstruus*.

TUMUS, ut à *quotus*, *quotumus*, πόστος; *medius*, *mediotumus*, quod & *medioxumus*.

TUS, sive A præeunte, ut à *corde*, *cordatus*; *tunica*, *tunicatus*: à *reus*, *reatus*: sive I, ut *avus*, *avitus*; *ignis*, *ignitus*: sive V, ut *nasus*, *nasutus*; *astus*, *astutus*; sive consonâ S, ut *moles*, *molestus*; *honos*, *honestus*; *modus*, *modestus*; *jus*, *justus*; *Venus*, *venustus*; *vetus*, *vetustus*; *fides*, *fidustus*, teste Festo; item ab *augur*, vel *augurium*, *augustus*.

UNDUS, ut à *joco*, *jucundus*. Nisi verbale à juvum, quod verius puto, ut inferius dicam.

US, præcedente consonâ, & ante eam vel præeunte V puro, I, ut *septem*, *septimus*; *decem*, *decimus*; sive O, ut *decor*, *decorus*; *honor*, *honorus*; & ab antiquo *sonor*, *sonorus*: vel præeunte V puro, ut *annus*, *annuus*.

US post U vocale, vide in US.

US post V consonum, vide IVUS.

XUMUS, ut *medius*, *medioxumus*.

Ex his denominativa materialia desinunt in EVS, ACEVS, ICIVS, & INVS. EVS, ut *areus*, *buxeus*.

ACEVS, ut *rosaceus*, *argillaceus*.

ITIVS, ut *lateritius*, *sarmentitius*.

INVS, ut *amygdalinus*. Ac simile est *acernus*, pro *acerinus*. Sed abit, *abiegnus*, pro *abietinus*.

Quædam duplicem habent terminationem: ut, *arundineus*, & *arundinaceus*; *eboreus*, & *eburnus*, quod ex *eborinus*: *ficulnus*, & *ficulneus*: *populnus*, & *populneus*.

CAP. XXXII.

Verbalium substantivorum variæ terminationes, veraque in multis origo ostenditur.

VErbalium terminationes itidem variant. Illas Substantivorum primùm referemus.

A, ut *scribo*, *scriba*; *suadeo*, *suada*; *fugio*, *fuga*; *strigo*, pro *stringo*, *striga*; *cæno*, *cæna*; *curo*, *cura*; *accolo*, *accola*; *advenio*, *advena*; à *pertigo*, pro *pertingo*, *pertica*, ut eadem Belgis *recke* à *reiken*, hoc est, *extendere*. Similiter fortasse à *fabrico*, *fabrica*, & à *tego*, *toga*; nisi hoc à στέγω, ut στέγη, à στέγω. Item à supino, ut *fossum*, *fossa*.

ACA, ut *cloaca*, sive *cluaca*, à *cluo*, sive *colluo*.

AR, ut *subligo*, *subligar*; & si veterum multos audimus, à *casum*, *Cæsar*.

ARIVS, vel ARIVM, ut ab *auctum*, *auctarium*; ab *inventum*, *inventarium*. Sed naturâ hæc adjectivis accensentur.

AVER, ut *cado*, *cadaver*; & fortasse à *papo*, *papaver*; quia pueris papandum, hoc est in papa comedendum daretur.

BER, ut *facio*, *faber*; *tumeo*, *tuber*; *glubo*, vel γλάφω*, unde γλαφυρὸν†, *glaber*; *luo*, *liber*, quia reluitur, sive deglubitur. Propriè enim *liber*, quod inter corticem, & lignum. *Suo*, *suber*; quia calceis insuitur. Vulcanus quoque *Mulciber*, à *mulceo*, quia mulcet, hoc est, molliat ac feriat ferrum.

* Scalpo. † Sculptura perpolitum.

BRA, ut *dolo*, *dolabra*; *lateo*, *latebra*; *salio*, *salebra*; *scateo*, *scatebra*; *tero*, *terebra*; *verto*, *vertebra*: & per syncopen *finio*, *fibra*.

BRIS, ut ab *anculo*, sive *anclo*, hoc est, ministro, *anclabris* mensa. Sed veriùs hoc adjectivum, ut cap. proximo liquebit.

BRO, ut *crabro*, à *craceo*, hoc est, gracilis sum.

BRVM, ut *ventilo*, *ventilabrum*; *cerno*, *cribrum*; *prohibeo*, *procbrum*, sive *probrum*; *polluo*, *pollubrum*; *volutatum*; *volutabrum*, *flo*, sive *flatum*, *flabrum*; *deluo*, *delubrum*, ubi se sacrâ deluerent aquâ, uti dictum*.

* Cap 30.

modi sunt comparativi, & superlativi, adjectivorum *bonus*, *malus*, *magnus*, *parvus*, *multus*, *vetus*. De quibus ordine dicemus.

Melior fortasse ex *magis*, & *velim*, factum videatur. Nam cùm *bonum* significet id, quod volumus; unde philosophus ‡ *bonum* definit, quod omnia appetunt: vix potuit, cùm inter duo bona comparatio institueretur, ei quod præferremus, vox imponi accommodatior, quam exinde, quòd illud *mavelis*: unde *mavelior* esset, pro quo dicitur *melior*. Cur enim hoc etymon durius, quàm *malo* ex *mavolo*, hoc ex *magis volo*? Sed in *malo* est crasis, unde prior porrecta: in *melior* syncope, unde prior correpta. Vel cum aliis originem arcessamus è magna Græcia. Tarentini enim pro ἀμείνων ἀμίνων dixere: unde καθ' ἀφαίρεσιν *menior*, &, N in L converso, *melior*; quomodo à νύμφη *limfa*. *Optimus* absque dubio est ab *opto*, quasi dicas *optatissimus*. A quo non multùm abit Terentius Scaurus, cùm ab *optione* deducit. *Pejor* fortasse fuit *pessior* à *pessum*; unde & *pessimus*. Quo verò jure *pejor* statuitur comparativus positivi *malus*: eodem & *nequior* erit ejusdem comparativus. Et sanè Sosipater Charisius non dubitat hoc ejus comparativum appellare cap. de Adverbio, ubi ait: *Lautè, male, & bene, in comparatione dissimiles sunt. Facit enim lautus, lautior, lautissimus: malus autem, nequior; bonus, melior.* Sed *nequior* ἀναλόγως est à *nequam*, vel antiquo *nequus*, quod in glossis Cyrilli exponitur ἀχρεῖος, *spurcus*: unde & femininum *nequa*, apud Charisium lib. I. Utrùm verò sit ex *ne*, & *aquus*, vel *ne* & *queo*, an *ne* & *quam*, vel *quicquam*, quod Varro lib. IX de L. L. voluit; non satis est apertum. *Major* priùs fuit *magior*, unde remansit adverbium *magis*: *magior* autem est à *magnior*, extritâ liquidâ. Vel, quòd nec minùs placet, *major* est ab antiquo positivo *majus*, à quo *majestas* pro magnitudine, & Jupiter dictus *Deus Majus*; Terra *Dea Maja*; ut lib. I, cap. XII testatur Macrobius, scriptor, nisi quà plagii nomine malè audit, non malus. Vel, quod maximè omnium adlubescit, *major* est à μείζων. Nam Latini Z, quo ipsi carebant, in I consonum convertebant: quomodo & a ζεύγω, & ζεῦγος, dixere *jugo*, & *jugum*. *Maximus* è *magnissimus* κατὰ συγκοπὴν fieri, scribit Terentius Scaurus de Orthographia. *Minor*, & *minimus*, sunt à *miner*, vel potius à *minus*, à quo verbum *minuo*. Est verò *minus*, sive *miner*, à μινυός, quod Atticum est pro μικρός, ut scribit Eustathius*. Sanè à μινυός quoque est μινύθω, hoc est, *imminuo*. Sed pro *minor* etiam *parvior* ἀναλόγως legitur. Uti apud Pontium, Cypriani diaconum, in ejus vita: *A quo Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum, aut, quod magis est, fidei parvioris, consolarentur spe futurorum.* Sed hoc demus ætati, qua vixit. At *parvissimus*, pro *minimus*, etiam Lucretius dixit lib. I. Neque me fugit, Claudium Verderium in variorum scriptorum censurâ scribere, minus in eo Latinè Poëtam loqui. Sed in hoc, & aliis multis, censore huic opus est censori. Est enim Lucretius optimus Latinitatis auctor. Et locutus hoc pacto etiam Varro ipse περὶ ἐγκωμίων, in descriptione pueri formosi:

At rictus oris candidi parvissimus.

Quare nihil mirandum, si hoc pacto etiam loquantur Vegetius, Boëthius, Festus, Acro, & tot alii juniorum: in his anonymus, qui vitam Abrahami Eremitæ ab Ephrem diacono scriptam vertit: item qui transtulit vitam sanctorum Epicteti presbyteri, & Astionis monachi.

Plura, ac *pluria*, omnino est comparativus; quamquam Asinius Capito absolutum, hoc est, positivum esse, existimârit; ut discimus ex Agellio lib. V, cap. XXI. Nec *complures* rectè comparativus esse negatur. Nam refellit eos illud Terentii Heautontimor.*

—— Agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii majoris, nemo habet:
Servos complures: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attentè illorum officia fungere.

Quo ipso veterum sententiam quoque diluit Julius Scaliger lib. IV de caussis L. L. cap. CI.

‡ Lib. I Eth. Nicom. c. I.

* In Il. A. pag. 116. edit. Rom. & Il. B. p. 273.

* Act. I, sc. I.

Sunt qui *plures* quidem, & *plura*, & *complures*, adjectivum esse agnoscant; at non item *plus*. Hos inter Antonius Caucius, qui *multus* vult carere comparativo, quia (verbis ejus utar) *plus, & genitivus pluris, naturam adjectivi non habent.* Mihi secus videtur. Nam cùm dico *pluris emi*, subintelligo *pretii*: ut cùm Plautus ait Truculento †:

Pluris est oculatus testis unus, intelligit *fidei*.

Par ratio, cùm in ablativo usurpatur: ut apud Plautum in Cæco ‡:

Plure altero tanto, quàm ejus fundus est.

Lucilius:

Plure foras vendunt ——.

Ciceronis * quoque est, *Plure venit*. Nam *pretio*, aut simile, in his intelligendum. Id ita esse, comprobari quoque potest diminutivo *plusculus*. Nam non tantùm *plusculum temporis*, sed & *plusculum tempus* Latinè dicitur. Plautus Persâ †:

TO. Mihi quidem tu jam eras mortuus, quia te non visitavi.
SA. Negotium edepol fuit. TO. ferreum fortasse.
SA. plusculum annum
Fui præferratus apud molas tribunus vapularis.

Est autem *plus* à πλεῖον, converso N in S, quomodo & à πρὶν est *prius*. A *plus* vero est *plurimus*. Nempe à casu in I exeunte. Fortasse verò, ut à *parvus*, *parvissimus*, ita & à *multus*, *multissimus* Latinè dicitur. Nam adferunt è Ciceronis epistol. II, lib. XI ad Att. *Literas tuas accepi prid. Non. Febr. eoque ipso die ex testamento crevi hereditatem. Ex multissimis & miserrimis curis est una levata, si, ut scribis, ista hereditas fidem & famam meam tueri potest, quam quidem te intelligo etiam sine hereditate tuis opibus defensurum fuisse.* Ita hic locus concipitur in editione Badii Ascensii: quam secutus Petrus Bembus, *multissimus*, ut puram putam Ciceronianam vocem usurpare neutiquam reformidat. Sed jure eâ voce se usurum negat Joannes Sambucus Pannonius de Imitatione dialogo III*. Omnino enim pro *multissimis*, apud Tullium *multis meis* legi debet: ut meliores editiones comprobant, ac Henricus quoque Stephanus censet in Pseudocicerone suo †. *Veterrimus* est à *veter*. Ennius apud Priscianum libro III:

Cùm veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo.

Attius in Hecubâ, apud eundem lib. VI:

Veter fatorum terminus sic jusserat.

Eodemque modo legere est apud Varronem lib. VI de L. L. OLLA VETER ARBOR: indeque *veterior* dixit Cato in libris Origin. & Plautus Bacchidibus, teste Prisciano, eodem lib.

† Act. 2, sc. Ne en spectetis, spectatores.

‡ Apud Charisium, & Priscianum.

* Ibidem.

† Act. 1, sc. 1.

* Pag. litera 1, 3, a.

† Pag. 38.

Cap. XXV.

De comparatione compositorum ex dico, volo, facio. Benevolens. Malevolens. Beneficientia. Beneficientissimus. Beneficissimus, munificior, magnificior, magnificissimus, mirificissimus. *Attius apud Priscianum emendatus.* Confidentiloquius. Mendaciloquius. Deterius, *&* Potius, *quos habeant positivos. Positivi* super, *&* superus; infer, *&* inferus; exter, *&* exterus; *& fortè* inter, *&* interus; *item* nuper, *&* nuperus; poster, *vel* posterus, citer, *similiaque. Priscianus refellitur.*

Composita pleraque à *dico*, *volo*, *facio*, quamquam in US desinant; tamen comparativos, & superlativos, formant ab antiquis participiis in NS. Sic *benevolentior* dicimus à *benevolens*; quo utitur Plautus Trinummo ‡:

CA. —— Cuja vox prope me sonat?
ME. Tui benevolentis, si ita es, ut ego volo:
Sin aliter es, inimici atque irati tibi.

Et sc. Quo illic homo foras se:

Deûm virtute habemus, & qui nosmet utamur, pater,
Et aliis qui comitati simus benevolentibus.

‡ Act. I, Sc. Larem coronâ nostrum.

Item

Item Sc. Sta illico, noli adversari:

An id est sapere, ut qui beneficium à benevolente repudies?

Et in Truculento*:

Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam
Tam esse tristem posse: at pol hero benevolens ut is est suo!

Idem Sticho†:

Venales logi sunt illi, quos negabam vendere.
Illico & meo malo est, quod malevolentes gaudeant.

Et alibi passim*.

* Act. 2, sc. 2.
† Sc. Quisnam obsecro has frangit fores?
* Uti Cas. Act. 2, Sc. Si nunc me suspendam.

Similiter veteres dixere *beneficiens*: unde *beneficientia*, pro *beneficentia* ferè in vett. invenitur libb. ut Carolus Langius in 1 de Off. annotavit. Hinc igitur *beneficientior*, & *beneficientissimus*: quod in Lælio legitur, itemque in Mss. Senecæ exemplaribus, testante eodem Langio. Sed vulgò κατὰ συγκοπὴν, extritâ tertiâ vocali, *beneficentior*, & *beneficentissimus* scribimus. Uti & à *munificiens*, *magnificiens*, & *mirificiens*; *munificentior*, *magnificentior*, & *mirificentior*; *munificentissimus*, *magnificentissimus*, & *mirificentissimus*, dicimus; etsi ἀναλογία I exigat ante E.

Porrò veteres hos etiam gradus formarunt à positivis in US. Quod Priscianus triplici testimonio comprobat. Unum est Marci Catonis contra Thermum: *De Ptolemæo rege optimo atque beneficissimo.* Quomodo & *magnificior*, & *munificior*, eundem Catonem dixisse, auctor est Festus Pompejus†. Alter locus est Terentii in Phormione: *Quidnam arbitrare nescio, atqui mirificissimus.* Ubi *mirificissimum* scribe. Locus enim est Act. V, Sc. Ubi sic legitur: *G. Facinus audivi. P. Quod? G. Quodnam arbitrare? A. nescio. G. atqui mirificissimum.* Tertius locus est Attii in IX Διδασκαλικῶν: *Et magnificissimè excellissimeque honore.* Ita editum Putschianâ. Sed vel *excellentissime* lege, ut est in veteri Venetâ; vel potius *excelsissime*, prout est in membranis nostris.

† In Magnificior, & Mirificior.

Quæritur de compositis à *loquor*, utrùm per *ior*, an *entior*, inflectantur. Sanè Plautus in Trinummo‡ dicere non dubitavit:

Nihil est profectò stultius, neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quam urbani assidui cives; quos scurras vocant.

‡ Act. 1, Sc. Larem corona.

Sed licenter hæc, nec præter morem suum, fingit Plautus. Qui, credo, nec reformidasset *mendaciloquentius*, aut *confidentiloquentius*. Sunt enim paris monetæ. Et à *loquor* composita non in US tantùm, sed etiam NS desiisse, Tullii illud argumento est in VII ad Att. ep. XIX. *Breviloquentem jam me tempus ipsum facit.* Lucretius quoque in I, & IV: *Suaviloquenti carmine* dixit. Interea à comparativis, & superlativis ejusmodi, satius sit abstinere, ubi veterum desideratur auctoritas.

Ad ἀνώμαλα quoque referunt comparativos, ac superlativos, quæ Verbum habere volunt pro positivo. Istiusmodi sunt *deterior*, & *deterrimus*, ab obsoleto *deter*. Id autem à *detero* derivari fatemur, cùm deteriora sint, quæ magis detrita. At non iccirco *detero* ex se comparativum format, quod putavit Priscianus. Nec rectiùs à Verbo *potior* esse volunt comparativum *potior*, & superlativum *potissimus*; quæ sunt à *potis*. Nam, cæteris paribus, id potiùs facimus, quod magis facere potes sumus. Atque hinc quoque liquet, quæ propria ac prima sit hujus vocis significatio. Nam idem notat, quod possibilius. Favet huic sententiæ Priscianus lib. XV, cum ait: *Pote ab eo, quod est potis, nascitur, hic & hæc potis, & hoc pote. Unde Persius: Qui pote? vis dicam? nugaris, tum tibi Calve. id est, quomodo possibile est? Ab eo autem, quod est, hic & hæc potis, & hoc pote, fit comparativum, hic & hæc potior, & hoc potius, & superlativum potissimum: ex quibus etiam adverbia potiùs & potissimè.*

Æquè ridiculè putarunt Augustinus Saturnius*, Marius Corradus†, atque alii, præpositiones, aut adverbia, positivos esse nominum comparativorum, aut superlativorum. Scio, magnam eorum catervam adduci, in quibus id usu venire non aspernandi scripserint autores. Sed ab veritatis studium professis, rationibus omnia putari debent. Quare si illa nomina non prætexantur, quorum magnum apud multos pondus esse solet: tantam reperiemus rationum, quibus fuere subnixi, levitatem, ut videar mihi universum earum agmen uno difflaturus spiritu. Atque idem sentiet mecum, qui plerorumque omnium positivos ejusdem classis exstare sciat apud scriptores antiquos. Istiusmodi sunt *superus*, *inferus*; itemque *super*, & *infer*; *exterus*, & *exter*; *nuper*, sive *nuperus*, quod approbat Caper, ut Priscianus scribit in quartodecimo. Atque ita in aliis. Loca veterum omnem animis scrupulum evellent. Livius Andronicus, vel, ut alii‡ malunt, Lævius in Odysseâ*:

* Lib. 9, cap. 2, & 3.
† Lib. 3 de L. L. p. 219.

Inferus, an superus, tibi fert Deus funera Ulysses?

‡ Yvo Villiomarus adversus Titium l. 6. c. 17.
* Apud Prisc. lib. 3.

Cato de R. R. cap. CXLIX: *Prato irriguo, ubi super inferque vicinus permittet, tum decedito.* Lucretius quoque lib. I dixit, *super ignis*, hoc est, cælestis. Et apud Varronem est lib. IV de L. L. *Cæli dicuntur loca supera, & ea Deorum: terræ loca infera, & ea hominum.* Atque adeò apud ipsum Ciceronem lib. II de Nat. Deorum: *Spectatores rerum superarum, & cælestium.* Et primo Tuscul. Quæst. *Supera, inferaque omnia.* Et quid magis obvium, quàm *mare superum, & inferum?* *Nuperrimus*, ut Caper, Prisciano teste, observavit, est à *nuperus*: cujus accusativus est apud Plautum Capt. act. III, sc. V:

Recens captum hominem, nuperum, & novitium.

Et fortasse apud Terentium Heautont.† legi debet:

Quamquam hæc inter nos nupera notitia admodum est.

† Act. 1, sc. 1.

Nec enim id minùs placet, quàm ut *nuper* legatur, ac vel cum *notitia*, vel cum *admodum* cohæreat. *Postera aurora*, dixit Maro IV Æn. *postera dies*, Sallustius in Jugurtha. Gloss. Ἐξωτικός, *Exter, extraneus, externus.* Sunt qui Ennium usum putant. Sic enim legunt in secundo Annalium:

Ecquis exter erat Roma regnare quadrata.

Lucretii est libro II: *res extera.* Apud Cic. in II Catil. *Exterus hostis, atque longinquus.* Quamquam hic aliqui malint *externus*. Apud eundem pro Fontejo, & Divinat. in Q. Cæcilium legas, *exteræ nationes, & gentes*: &, *extera regna*, apud Maronem IV Æn. *Mundi extera*, apud Plinium libro I: *Exter honos*, apud Statium XII Theb. Scio esse, qui censeant, *exstet* hic scribi oportere. Sed *exter* jam olim legit Priscianus, & è junioribus Pierius ad IV Æn. Tertullianus opusculo de Jona:

Conclusus, neque tinctus aquis maris intimus exter.

Etsi Franciscus Juretus hunc locum censeat corruptum. Impp. Arcadius & Honor. C. de Judæis & cælic. *Nemo exterus religionis Judæorum Judæis pretia statuet, cùm venalia proponunt.* Paullinus ad Cytherium de eodem propheta:

Nam liber undis, intra mare, & exter maris,
Natat in natante belluâ.

Sic legendus is locus, copulâ & insertâ, quod & Barthio* monitum. Posterioribus enim temporibus posterior in *intra* corripi solet. Idem Paullinus:

* Advers. lib 43, cap. 14.

Nunc illo nobis exter & vester manet.

Item:

Permixtus Sodomæ testis, sed moribus exter.

Etiam in Christianis inscriptionibus habes, *exterum*† *corpus*. Item, —— *luxit*‡ *peregrinus, & exter.* Quod si recta est Josephi Scaligeri emendatio, Cornelius Severus, sive quisquis auctor poëmatis de Ætna, similiter dixit, *interus*, vel *inter*. Verba ejus inferiùs adferam. Neque cum *penitiorem partem domus* Appulejus dixit in I Hermagoræ: aut Plautus in Persa, *Arabiam penitissimam*: id est ab adverbio *penitus*, quod Priscianus ait: sed nomine *penitus*, unde *penitis faucibus* apud Plautum Asinar. act. I, sc. I, *penita flamma* apud Catullum Carm. in nupt. Juliæ.

† Collectionis Gruterianæ pag. 115.
‡ Pag. 1168.

Uls quoque, & *cis*, dixere veteres, pro *ultra*, & *citra*, teste Festo in *Citimus*, & Agellio lib. XII, cap. XIII.

De-

Declinant verò, *cis*, *citis*; *uls*, *ultis*: quo præter Varronem usus Pomponius De origine Juris: *Ultis Tiberim.* Quanquam fortasse comparativi, & superlativi, non tam sunt ab *uls*, vel *cis*, quam ab *ulter*, & *citer*: quod etiam Priscianus probat in XIV. Sane dixit Cato de agna pascendâ: *Citer ager alligatus ad sacra erit.* Afranium quoque in Patellâ eo usum, scribit Aruntius, teste Prisciano. Negat tamen Priscianus, hinc fieri *citimus*, ut hæc ejus verba indicant: *Ab adverbiis sive præpositionibus venientia desinunt hæc: extra, exterior, extremus; supra, superior, supremus; post, posterior, postremus. Ex quo apparet, neque à supero, neque à postero, fieri comparativos, sive superlativos; sicut neque ab infero, infimus, quod solum in fimus desinit; sed ab adverbio infra, inferior, infimus. Nam si essent à nominibus, supero, postero, infero, servassent regulam in US terminantium secundæ declinationis, quæ in fimus proferunt superlativum, & facerent superissimus, & inferissimus*, &c. Verùm perquàm frigida est hæc Prisciani ratio. Nam *citimus* κατ' συγκοπὴν factum è *citerrimus*; *supremus*, & *infimus*, eodem modo sunt ex *superissimus*, & *inferissimus*; *extimus* ab *exterrimus*, atque ita in aliis, de quo mox pluribus dicemus. At, inquiunt, saltem, ut Priscianus ait, *prior* est à *pridem*, *dem* abjecto, & *pri* correpto. Minimè verò. Nam nimis dissidet horum significatio, cùm illud dicatur de tempore tantùm; hoc quoque respiciat naturam, ordinem, dignitatem: ut ex hypotheoriâ categoriarum Aristotelis notum est. Par enim Græci πρότερον, & Latini *prius* ratio est. Deinde non *prior* est à *pridem*; sed obsoleto *pris*; à quo ipso, adjectione syllabæ DEM, venit *pridem*; ut ab *is*, *idem*; à *tantum*, *tantundem*. *Pris* autem est à πρὶν, ν, in *s* mutato.

Unus præterea scrupulus restat. Nam & summus vir, Julius Scaliger *, agnoscit, ab adverbiis venire nomina superlativa; quia Cato Nepos †, Prisciano ‡ teste, dixerit, *propter diem atque sæpissimam discordiam fuisse.* Verùm caussam non video, cur *sæpissimus* minùs ab obsoleto *sæpis* vel *sæpus* esse possit, quàm *deterior*, à *deter*: quod etsi nusquam legamus, tamen non ab Augustino Saturnio modò, sed ab ipso quoque agnoscitur Scaligero *. Interea demus sanè his, *sæpissimam* à *sæpe* descendere: at quomodo hinc exterebrabunt, *citimus*, *extimus*, *supremus*, similiaque, ab adverbiis, aut præpositionibus, declinari, quorum nomina positiva apud classicos scriptores inveniantur? Arbitror hisce telis tam ineptæ sententiæ autores ac fautores nullo negotio de statu suo dejici posse.

* Lib. 9, cap. 3.
† De actionibus ad populum, ne lex sua abrogetur.
‡ Lib. 3, cap. de Compar.
* Ibid.

Sed quia nullum pertinacius est hominum genus Grammaticis, non abeundum è pugnâ, priusquam & arma omnia eripuerimus, quibus se tueri solent. *Propior*, inquiunt, & *proximus*, aliunde esse non possunt, quàm à *prope*. Ratione quoque eâ hoc telum amentant, quòd *propior*, & *proximus*, eundem, quem præpositio *prope*, casum regat. Et sanè de casu quod ajunt, manifestius est, quàm ut negari à quoquam possit. Nam Sallustii est: *In colle Jugurtha ipse propior montem cum omni equitatu suos collocat.* Legimus item apud Plautum Pœnulo †:

GI. Quis pultat? MI. qui te proximus est.

† Act. 5, sc. 3.

Denique Livius quoque dixit lib. XXXV: *Laconicus ager proximus fines Megapolitarum est.* Verùm hoc est in aëra jaculari, cùm similitudinem structuræ non consequatur alterum alterius esse originem, ac fontem. At Achaicum istoc telum, quod adversus eorum libramus opinionem. Nam necesse est ea, quæ planè diversæ sint classis, etiam essentiâ differre. At comparativus excessum notat positivi sui, manente essentiâ. Quare vel utrumque nomen, vel utrumque præpositionem esse, necesse est. Idem de aliis omnibus dictum velim. Itaque verbum non addam, sed ad ulteriora capesso gradum. Sunt enim præter hosce comparativos, & superlativos, alii etiam, qui planè ἀναλόγως formentur, licet ob syncopen, quam patiuntur, ἀνώμαλοι videantur.

Ita *junior* est ex *juvenior*; quod est in nonnullis Columellæ * libris. Dixeris esse à *junis*, propter illud in glossis Mssis, *Junis*, νέος. Sed vel *juvenis* legendum, vel error est glossographi. *Ditior* est ex *divitior*, quod Plautus usurpat Aulul. † & Pseud. ‡ Lucretius lib. V. Terentius Phorm. * Cicero lib. III de Orat. † Martialis lib. I, ep. LXXVII, & lib. IV, epigr. LIV, & lib. V, epigr. XLI, & Calpurnius Ecl. III. Eodemque modo *divitissimus* dixit Sidonius lib. IV, epist. III. Imò & hæc ipsa vox à Carolo Langio in vett. libris apud Ciceronem reperta lib. II de Officiis, eademque rectè legitur in antiquis Cornelii Nepotis codd. in vitâ Phocionis. *Imus* quoque est ex *infimus*, ac *summus* ex *supremus*: quod etiam notavit Cæsar Scaliger com. in Theoph. de Plant. Quin ipsum *infimus*, & *supremus*, κατ' συγκοπὴν facta sunt; ut infrà ostendemus. At vanum est discrimen, quod Cornelius Fronto ponit inter *imum*, & *infimum*. *Imum*, inquit, *summo respondet: infimum, ut infra humum.* *Maturrimus*, quod & apud Cæsarem invenitur I de bello Gall. & Tacit. XII Annal. est è *maturissimus*; quo usus autor ad Herennium lib. IV: & Columella lib. IV, cap. XXIX, & lib. XI, cap. III, at neutiquam *maturrimus* venit ab obsoleto *matur*, quod sentire videtur Priscianus. A *maturissimus maturissimè* dixit M. Cato Orat. dierum dictarum de Consulatu suo: & Cicero pro Cæcinna: item Columella. A *maturrimus maturrimè* usurpat idem Cato ibidem, & Sallustius in primo Historiarum: imo & Cicero de Oratore. Vide Charisium cap. de Adverbio.

* Lib. 9, cap. 11 in editione Regiensi an. 1498. Sed junior est in Stephaniana.
† Act. 5.
‡ Act. 5, sc. ultima.
* Act. 1, sc. 1.
† Pag. 160. a. edit. Ald.

Fortasse & eodem modo *postumus* olim fecere ex *posterrimus*: à quo *posterrimè*, pro *postremò*, Festo in *Rumentum*, restituit Josephus Scaliger. Sanè à Marone VI Æn. *postumam prolem*, non eam, quæ nata humato patre; sed quæ postremo nata loco, parente superstite, censet Cæsellius Vindex apud Agellium ‡. Scio, Cæsellium refelli, cùm à Gellio lib. II; tum Francisco Luisino lib. I, cap. IV: ubi novam planè interpretationem affert. Scio & Janum Parrhasium Apollinari subscribere epist. XXXIV. Verùm Cæsellii sententiam confirmat, quòd Appulejus dicat *postuma spes*. Et apud Tertullianum lib. contra Gnosticos, de scorpio legitur: *Cauda erit, quodcumque de postumo corporis propagatur, & verberat.* Eodemque modo apud Sidonium lib. III, epist. XII legimus, *tempore postumo*, hoc est, postremo. Et lib. IV, epist. XXII, *postuma laus.* Item lib. VIII, epist. V, *ætas postuma.* Et in Panegyrico Aviti:

‡ Lib. 2, cap. 16.

Sunt alii, per quos se postuma jactet origo.

Citat quoque Savaro ex glossis manuscriptis Isidori: *Postumus, ultimus, necessarius.* Nec Græci πόσθυμος, sed πόσυμος scribunt. Sunt & alia multa pro Cæsellio adducta à Guiljelmo Cantero lib. II Var. Lect. cap. X. Cujacium quoque hac de voce adi lib. III Observat. cap. IV. Turnebum lib. XVIII Adverss. cap. I, & lib. X, cap. XXIII. Lambinum in Aulul. Plauti act. II, sc. I, & Barnabam Brissonium lib. XIV de verborum significationibus.

Ex Prisciani verò judicio, etiam *dextimus*, & *sinistimus*, superlativi sunt, facti ex *dexterrimus*, & *sinisterrimus*: nempe quâ ratione, *citimus*, & *extimus*, ex *citerrimus*, & *exterrimus*, fiunt. Etiam pro sua sententia adferunt, quòd *honestimus calor*, pro *honestissimus*, legatur. Sed, ut putamus, *dextimus*, & *sinistimus*, omnino sunt positivi, ut cùm è Festo cognoscimus, tum è Nonio, qui *dextimam viam* interpretatur, *dextram*. Sed & confirmat hanc sententiam illud Sallustii Jugurth. *Sylla cum equitatu apud dextimos; in sinistrâ parte A. Manlius cum funditoribus, & sagittariis.*

CAP. XXVI.

De defectivis. Intera. Ocius, *non* ocyus, *scribendum. Xenophontis Æquivoca Annii commentum.* Habitus *omnes gradus habet. Superlativi gignentes ex se novos comparativos, & superlativos.* Pessimissimus. Extremior, extremissimus. Postremius, minimissimus, proximior.

Sunt

Sunt verò etiam quædam, quæ vel positivo careant, vel comparativo, vel superlativo. Primi generis est *prior*, *primus*. Atque huc quoque referuntur, *deterior*, *deterrimus*; *potior*, *potissimus*. Sed illud est ab antiquo *deter*; hoc à *potis*, ut diximus suprà. *Interior*, *intimus*, videntur esse ab *inter*, vel *interus*: quomodo Scaliger credit Cornelium Severum in Ætna dixisse:

——Vertit vasa intera vertice sævo.

Ubi in veteribus libris *vasa vitreaq;* unde *omnia* fecere. Quod si obsoletorum etiam habenda est ratio, *ulterior*, & *ultimus*, similiter videntur esse ab *ulterus*, vel *ulter*. Quomodo Cato * ait, *super*, *inferque vicinus*. Et quid si *proprior*, ac *proximus*, itidem dicamus esse ab obsoleto *propis*, & *propus*? Si item ire licet extra linguam Latinam; nec *ocior*, & *ocissimus* omnino careant positivo, cùm sint ab ὠκὺς, cujus comparativus est ὠκίων per I; eaque ratio est, cur *ocius*, & *ocissimus* per I scribantur. Falluntur itaque viri docti, qui Y malunt, quia dicamus ὠκὺς per Y.

* De R. R. cap. 149.

Comparativo destituuntur *nuper* sive *nuperus*, *nuperrimus*; *sacer*, *sacerrimus*; *invitus*, *invitissimus*: & quædam alia, etsi non tanto numero, quam creditum vulgo.

Superlativum non agnoscunt, *adolescens*, *juvenis*, *senex*. Nam putidum, quod aliquando objectarunt de Xenophonte, qui Æquivocorum libellum sic auspicetur: *Saturni dicuntur familiarium nobilium regum, qui urbes condiderunt, senissimi.* Quasi Xenophon quisquam Latinè scripserit, vel Æquivocorum horuncce auctor sit alius ab illo impostore non indocto, Joanne Annio, Viterbiensi monacho. Similia sunt, *ingens*, *satur*, *dexter*, *sinister*. Nam *dextimus*, & *sinistimus*, potiùs positivi videntur. A *supinus*, *supinior* legas apud Martialem *: ab *infinitus*, *infinitior* apud Tullium †: à *dives*, *divitior* apud eundem ‡, atque etiam Martialem *, Plautum †. Verùm à *dis* non solum est *ditior*; sed *ditissimus* quoque. Etiam *taciturnus*, & *salutaris*, hujus sunt loci.

* Lib. 2, ep. 6. † In Topic. ‡ Lib. 3 de Orat. * Lib. 1, ep. 77. † Pseud. act. 5, sc. 2.

Anterior verò in comparativo solùm invenitur: etsi fortassè olim fuerit *anterus*, vel *anter*; ut *posterus* dixerunt.

Volunt & simile esse *habitior*: quo usus Terentius Eunucho ‡:

Siqua est habitior paullò, pugilem esse ajunt.

‡ Act. 2, sc. 3.

hoc est, pinguior, ut exponit Verrius Flaccus. Verùm & positivo, & superlativo, usus est Agellius lib. IV, cap. ult. *Censores*, inquit, *P. Scipio Nasica, & M. Pompilius, cum equitum censum agerent, equum nimis strigosum & malè habitum; sed equitem ejus uberrimum & habitissimum viderunt.*

Interdùm verò superlativa fiunt positiva, sive fixa; & quia induerunt positivi naturam, alios ex se comparativos, aut superlativos gignunt. Hujusmodi erit *pessimissimus*; si sana est lectio illa Senecæ epist. LXXXI: *Minimum ex nequitia, levissimumque, ad alios redundat: quod pessimum ex illa est, & (ut ita dicam) pessimissimum, domi remanet, & premit habentem.* Sanè ita legit Pincianus, assentientibus nonnullis manu exaratis codd. Verùm Justus Lipsius mavult, *spississimum*, atque existimat, Senecam sic præfari, (*ut ita dicam*) non quia vox inusitata; sed quia metaphora durior videri poterat. Sed suppetunt alia non pauca, de quibus ambigat nemo. Nam, ut Xenophon * ab ἔσχατος dixit ἐσχατώτατος: ita dixit Appulejus 1 Met. *Siquid est novissimo extremius.* Et de Deo Socratis: *Nullum animal in terris postremius homine.* Ac in Apologiâ: *Puer cum adulescentulis postremissimis inter scorta convivium agebat.* Ac ne solum Appulejum ad partes advocemus, eandem vocem legere est oratione C. Gracchi apud Agellium lib. XV, cap. XII, & apud Tertullianum in ingressu ipso libri de cultu feminarum: quemadmodum & *extremissimus* usurpat. cap. XIX Apologetici. Apud Arnobium quoque lib. V legimus, *minimissimus digitorum.* Sed & *proximus*, cùm pro vicino, aut cognato, sumitur, format ex se comparativum *proximior*. Seneca ep. CVIII *: *Ita tamen, ut quorum abstinentiam interrupi, modum servem, & quidem abstinentiæ proximiorem, nescio an difficiliorem.* Item l. 1. D. unde cognati, legimus: *Siquis proximior cognatus nasci speretur, in eâ conditione est, ut dici debeat, obstare eum sequentibus.* Præterea lib. 1 Instit. Tit. De capitis deminutione §. ult. legimus: *Cùm ad agnatos tutela pertineat, non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantum, qui proximiores gradu sunt.* Est & similis locus lib. III, Tit. de legitimâ agnat. tutel. Dixit quoque Vegetius lib. 1 Rei Militaris, cap. XX. *Proximior dextra sit, qua plagam possit inferre.* Quin nonnulli Ciceronem quoque ita ajunt locutum. Adferunt autem ex epist. XI, lib. 1 ad Att. *Proximiùs Pompejum sedebam.* Sed legendum, *Proximus Pompejo*: quomodo à Prisciano citatur, ac in optimis editt. excusum est: vel *proximè Pompejo*, quomodo, Diomedem secutus, legit Lambinus.

* Lib. 2 Κυνηγετ. * Al. 109.

Cap. XXVII.

De adjectivo incomparabili. Comparativi, & superlativi multi adjectivorum exeuntium in US, vel IS purum. Comparativi, & superlativi, à Plauto novè ficti. Retriores partes.

Superest videamus de adjectivis, quæ non variantur per gradus. Talia sunt gentilia, ut *Romanus*, *Spartiata*: possessiva, ut *patrius*, *Euandrius*: numeralia, ut *primus*, *decimus*: materialia, ut *aureus*, *aëneus*: diminutiva, ut *aureolus*, *nasutulus*: interrogativa, ut *qualis*, *quantus*: temporis significativa, ut *hesternus*, *crastinus*: participialia in *dus*, ut, *amandus*, *reverendus*: desinentia in *bundus*, ut *errabundus*, *moribundus*: *tremebundior* tamen est apud Columellam lib. X. Candidus effœtæ tremebundior ubere porcæ. in *plex* exeuntia, ut *duplex*, *triplex*. Excipe *simplex*, & *multiplex*. Desinentia in *imus*, ut *bimus*, *legitimus*. In *ivus*, verbalia puta, nam *festivissimus* est apud Terent. Adelphis. ut *fugitivus*, *deliberativus*. Composita à *fero*, & *gero*, ut *frugifer*, *letifer*, *armiger*, *corniger*. Item hæc adjectiva, *almus*, *balbus*, *canorus*, *canus*, *cicur*, *claudus*, *compos*, *crispus*, *degener*, *dispar*, *egenus*, *exos*, *geminus*, *hodiernus*, *impos*, *magnanimus*, *mediocris*, *memor*, *mirus*, *mutus*, *mutilus*, *opimus*, *preditus*, *silvester*, *vetulus*, *unicus*: atque alia, sed pauca, ut puto, in quibus per particulas excessus, (uti sunt *magis*, *valde*, & *maximè*) supplemus comparativorum, & superlativorum defectum.

Huc etiam à Grammaticis referuntur nomina, quæ vocalem habent ante US. Sed istiusmodi, quanquam rariùs ex se comparativum aut superlativum formant; idque ut fugiatur nimius vocalium concursus: non tamen semper necesse habemus in iis uti periphrasticâ comparatione, quæ fit per *magis*, & *minus*. Quod, ut liqueat, literarum ordine de præcipuis dicam.

Arduius, & *arduissimus*, dixit Cato. Ut apud Priscianum in III: *Quod iter longius arduiusque erat à curia.* Idem ad populum, de triumpho: *Asperrimo, atque arduissimo aditu.*

Assiduiores usurpat Varro lib. II de R. R. cap. IX. *Assiduissimè* est apud Ciceronem in Bruto. Sueton. in Galba: *vasa area assiduissimi usus.* Ovidii est *barbariora* lib. 3 de Ponto el. 2: Columellæ lib. 2 cap. 3. *crispissimi*: Plauti Curcul. act. 1, sc. 2, *parissimus*.

Egregius quoque ex sese augetur. Quomodo Pacuvius in Medo dixit, *Mulier egregissimâ formâ.* Imò comparativo ejus usus ipse Juvenalis sat. X:

Egregius cœnat, meliusque miserrimus horum.

Ubi *egregius*, pro *egregiius*, poni, & Priscianus testatur, & sententia clamat. Eodemque modo antè dixerat Lucretius lib. IV:

Nam nihil egregiu' st, quàm res discernere apertas
A dubiis.

Exiguius est apud Ulpianum in fin. legis. Si ita sit adscriptum, De Legat. 1, eodemque modo pars *exiguissima*

legi-

legimus, cum apud Ovid. epist. XIV, tum Plinium lib. VII, epist. ad Geminium.

Idoneior, non memini me legere, nisi apud scriptores collapsæ jam Latinitatis. Uti Petrum Damianum epistolâ ad Gilletium in undecimo Baronii Annalium tomo. Et Salmasius in Tert. de Pall. p. 178.

Industriior varii dixere. Uti Plautus Mostell. act. I, sc. II:

Quo neque industriior de juventute erat.

M. Cato in oratione, ne quis iterum consul fiat*: *Imperator laudem capit, exercitum meliorem, & industriiorem, facit.* C. Gracchus contra Æmilium Tuberonem†: *Utrum inimicorum meorum factio, an magis solitudo patriæ, te impulit, ut in me industriior sis, quàm in te?*

* Apud Prisc. lib. 3.
† Ibid.

Injurius etiam comparativus videtur. Duza quidem apud Plautum legit Cistell. act. I, sc. I: *Nihil amore injuriu'st*, Hoc est, injurius, sive injuriosius.

Innoxius, vel *innoxuus* comparativo dixit Cato‡ de Ptolemæo minore, de Thermi quæstione: *Quamtoque suam vitam superiorem atque ampliorem, atque antiquiorem animum, inducent esse, quam innoxiiorem.*

‡ Ibid.

Necessarius quoque est comparativus, saltem apud labantis ævi scriptores. Sic sanè usus vetus interpres I Cor. XII, 22: *Quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt.* Imò & Tertullianus lib. I adversus Marcionem: *Quibus utique necessarius, quâ Deus, & quidem melior, quo necessarior, latere non debuit.* Quo etiam usus libro de habitu muliebri, cap. V, & lib. de patientia, cap. XI. Uti & in neutro, *necessarius lumen*, dixit in quarto adversus Marcionem. Et libro de carne Christi cap. VII, *Necessarius aliquid.* Ambrosius quoque lib. I Offic. cap. XVIII, *membra necessariora*, retinuit e veteri interprete. Ubi perperam in Basileensi* editum, *necessaria.*

* An. 1555.

Piissimi de voce ita Cicero Philipp. XIII: *Tu porrò ne pios quidem, sed piissimos quaris; & quod verbum omnino nullum in linguâ Latinâ est, id; propter tuam divinam pietatem, novum inducis.* Verùm non tanta fuit apud posteros Ciceronis autoritas, ut, quia is reprehenderat, eâ abstinerent. Nam, ut de Appulejo, & Hieronymo, nihil dicam; ut item veterem lapidem ab Hieronymo Mercuriali† citatum, & tot alios, qui in Gruterianis inscriptionibus obvii sunt, prætercam: sanè usurpatur ea vox à Seneca Rhetore lib. V, Controvers. XXVII, L. Seneca consolat. ad Polyb. cap. XXVI: Curtio lib. IX, & Quinctiliano Declamat. VI.

† Lib. 3 de arte Gymnastica, c. 12.

Perpetuior, & *perpetuissimus*, probat Priscianus in III, hoc Catonis de Macedonia liberanda: *Idque perpetuius, atque firmius repsit.* Et in Thermum: *Sed à benefactu, atque ab optimis artibus, fugit quàm maximâ fugelâ, perpetuissimo curriculo.*

Strenuus quoque hujus generis est. Plauti enim est Epid. Act. III, Sc. Cave: *Nam strenuiori deterior si prædicat. Suas pugnas, de illius ore fiunt sordida.* Et Lucilii in XVI ad Fundium:

Fundi, delectat virtus te, villicu' paullò
Strenuior si evaserit.

Ubi pro *evaserat* (ut in Putschianâ Prisciani editione, & in Lucilii fragmentis a Duza editis legitur) rescripsi *evaseris*; secutus, cum nostras Prisciani membranas, tum veterem editionem Venetam. *Strenuissimus* similiter dixit Sallustius, in Catil. & Sallustii imitator Cornelius Tacitus lib. IV Histor.

Tenuis quoque comparari negant; quod imprimis insulsum videtur. Nam apud Ciceronem‡ legimus: *Tenuiorum, & non occupatorum amicorum, est ista assiduitas: quorum copia bonis & beneficis deesse non solet.* Item*: *Cum majores nostri tantâ diligentiâ prudentiâque fuerint, ut omnia omnium non modo tantarum rerum, sed etiam tenuissimarum, jura statuerint, persecutique sint.*

‡ Orat. pro L. Muræna.
* Orat. pro A. Cæcinnâ.

Vacuissimus est apud Ovidium lib. III de Ponto, eleg. I:

Nec rursus jubeo, dum sit vacuissima, quæras:
Corporis ad cultum vix vacat illa sui.

De iis, quæ vocalem ante US, vel IS, habent, satis diximus.

Nec comparativum, nec superlativum habent, *mancus, mutilus, crispus, compos, impos, exos, exlex, præditus, medius, hodiernus, omnipotens, geminus, par, duplex, triplex*: aliaque id genus permulta, magnam partem alibi a nobis relata. Quædam tamen huc referri solent, undè comparativus vel superlativus apud bonos scriptores invenitur. Sic *sylvestrior* est apud Plinium lib. XVI, cap. XXVII. *Opimior*, apud Agellium lib. V, cap. XIV. Excipiunt etiam composita à *præ*. Præclarissimus tamen bis legas in Miloniana. Et in Oratore est, Thucydides *præfractior*: etsi *fractior* non dicatur. Sed hoc minus mirandum: quia significatio est mutata. Nam aliud notat *fractus* in *fractior*, aliud in *præfractior*.

Multa autem multi comparativos, ac superlativos, habere existimant, quia legantur apud Plautum. Sed non omnia Plautina albâ lineâ signare convenit, cùm tam multa confingat, quæ nunquam recepit sermo Romanus. Et arduum quidem nobis de singulis asseverare, cùm tot deperierint antiqui scriptores, qui fortasse aliqua eorum, quæ nova nobis videntur, usurparint ante Plautum. Sed tamen, quibus perspectus est genius Plautinus, non difficulter conjectant, quæ Plautinæ sint monetæ. Quis enim ambigat, quin ab eo sit *verberabilissimus*, pro, maximè verberibus digno? quomodo loquitur Aulularia, Sc. Foras, foras. Idem Pœnulo* dixit, *spissigradissimus*: & Menæchmis†, *exclusissimus*: & Casinâ‡, *occisissimus*. Cui geminum est Curculione*, *parissimus*, pro gemino ac simili prorsus: &, quod eadem comœdia usurpat, *ostium oculissimum*: quomodo non modò in antiquis editionibus invenire est; sed jam olim legit Festus: Mirum interim in omnibus Palatinis esse, *occlusissimum*, & satis convenit sententiæ. Vide quæ ex Grutero Taubmannus: ut audiendi non sint, qui *occlusissimum* legendum autumant. Idem quoque in comparativis facit. Ita Bacchidibus† dixit,

* Act. 3. Sc. Ita me Di ament.
† Act. 4. Sc. Quis hic me quærit.
‡ Act 3. Sc. Nulla sum, nulla sum.
* Act. 2, Sc. Ita præ virgo.
† Act 4. Sc. Meam ne.
‡ Act. 4. Sc. Satis spectatum est.

Confessiorem soricinâ nâniâ.

Ac fortassè etiam ab eo *tacitus* per gradus variatur. Nam scripsisse ajunt Pœnulo‡:

Tacitius tibi resistam, quàm quod dictum est male mulieri.

Ita emendant Camerarius, & Josephus Scaliger; pro quo vulgò quidem legitur, *tacitus*: at in veteribus codicibus, *citius* reperitur. Sed potiùs censeo *tacitus* scripsisse Plautum, ac subintelligi *magis*; ut μᾶλλον apud Græcos solet.

Multò minùs in exemplum trahi debent, quæ sequioris sunt seculi. Istiusmodi est *retrior*; quod legitur apud veterem Juvenalis interpretem, qui in sat. XI* scribit, *pygargum* ita dici, *quòd albas habeat retriores partes*, hoc est, ὀπισθίδια μέρη. Sed interpretis hujus non magnopere nobis habenda est ratio, quando certis indiciis eum vixisse constat post tempora Constantini Magni. Video tamen Lipsium non refugisse *retriora*.

* Vers. 138.

Sunt & alia hujus farinæ apud ejusdem ævi ac sequentium scriptores. Verùm ea coacervare haut visum, quia nemini ignotum esse potest, quo loco haberi debeant, quæ irrepsere post divisionem aut ruinam imperii Romani.

CAP. XXVIII.

Nomina non à nominibus tantùm derivari, vel verbis: sed etiam pronominibus, adverbiis, & præpositionibus. Patronymica sic dici à specie nobiliori. Romanos, qui pene mille post Ilium deletum annis vixere, Iliensium nepotes vocari. Priscianus emendatus. Num Homerus patronymica etiam è matribus, vel avis formet, præterquam iis, qui ex Jove prognati. Masculina in Des *desinere, ac sex modis formari. Priscianus iterum corrigitur. Ionica, & Æolica terminatio patronymici virilis. Feminina exire trifariam, ac quomodo plurimùm formentur. Amazonis quâ ratione tertiam corripiat. Patronymicorum forma tributa iis, quæ à loco petuntur: item librorum titulis.*

Vi-

[* Lib. 7 de L. L.] VIdimus de nominum declinatione naturali; ut Varro * vocat: quæ est in casus, numeros, genera, & gradus. Superest, ut idem appellat, voluntaria, quæ est nominis ex alio nomine impositio, ac speciem, sive derivationem, & figuram, seu compositionem complectitur. De utraque nunc agendum nobis, non universè, quomodo & hæc, & illa, omnium est classium communis: sed particulatim, quatenus in nominibus spectatur; non omnibus quidem, cùm nomina etiam sint primigenia; sed iis solùm, quæ aliunde originem ducunt. Fuse de derivatis Priscianus in v. Eum adi.

Derivantur nomina, vel à nominibus, ut *justitia* à *justus*: vel a pronominibus, ut *alienus* ab *alius*, similiterque *qualitas*, *quantitas*, *solitudo*, à *qualis*, *quantus*, *solus*, quæ pronomina esse, alibi † ostendimus: [† Super. lib. cap. 2] vel à verbis, ut *victor* à *vinco*: vel à participiis, ut *doctus*, *sapiens*, & similia, quæ abjectione temporis è participiis in nomina degenerant; vel ab adverbiis, ut *crastinus*, à *cras*; *hodiernus*, ab *hodie*: vel a præpositionibus, ut *propinquus*, à *prope*; *contrarius*, à *contra*.

Quæ à nominibus veniunt, dividuntur vulgo in patronymica, gentilia, possessiva, diminutiva, & denominativa.

Patronymicorum vox quibusdam nimium videtur angusta. Nam, inquiunt, *Æacides* pro Achille non est à patre, sed avo Æaco; eoque κυρίως non πατρωνυμικὸν, sed παππωνυμικὸν est. Verùm patris nomine etiam avus continetur; uti avi nomine majores universi, utcunque multis etiam distent seculis. Itaque & Romani dicuntur *Æneadæ*; nempe eo pacto, quo Æneas diceretur eorum pater, vel avus. Quomodo loqui inter cæteros non dubitavit Justinus lib. XXXI, ubi sermo est de mutua Iliensium & Romanorum gratulatione, tum factâ, cùm exercitus Romanus, L. & P. Scipionibus ducentibus, Hellespontum transmisisset ad bellum gerendum cum Antiocho rege. Verba Justini sunt: *Juvabat Ilienses, nepotes suos*, (hoc est suæ gentis, majorum quippe suorum nepotes) *Occidente & Africâ domitâ, Asiam, ut avitum regnum, vindicare.* Ecce veteres Ilienses vocat avos; præsentis temporis Romanus nuncupat nepotes. Atqui contigit ea gratulatio anno Urbis IↃLXIII. Conditaque Urbs annis CCCCXXX post captum Ilium: ut quos nepotes vocat Justinus, prope mille annis absuerint ab Iliensibus, quibus avorum tribuit nomen.

Nec ab avis solùm paternis, sed etiam maternis, fit denominatio. Quomodo Mercurius, Majæ filius, facundus nepos Atlantis, ut eum Horatius vocat *Atlantiades* Nasoni dicitur I Met. quomodo item ibidem Epaphus, filius Iûs, quæ Inachi filia fuit, *Inachides* nominatur. Corrigendus verò Priscianus lib. II, apud quem in Heliæ Putschii editione sic legitur: *Inachides, Jovis filius Epaphus, qua filia fuit Inachi.* Ubi in antiquâ Venetâ pro *Jovis* est ΙΟΙΣ; in membranis verò nostris optimè ΙΟΥΣ legitur.

Imò patronymica etiam veniunt à matribus, fratribus, & regibus sive conditoribus. A matribus, quomodo Æsculapius Nasoni * [* 15 Met.] dicitur *Coronides*, quia illi Larissæa Coronis mater fuit: quomodo item à Rhea Sylvia, quæ & *Ilia* dicta est, Romulus *Iliades* † [† Ovid. 14 Met.] vocatur. A fratribus, ut à Phaëtonte dictæ *Phaëtontides*, pro quo *Phaëtontiades* per epenthesin dixit Maro in Eclogis. A regibus, ut apud Maronem *Theside* ‡ [‡ 4 Georg.], & *Cecropidæ* * [* 6 Æn.], pro Atheniensibus; *Romulidæ* † [† 8 Æn.], pro Romanis. Imò & ab illustribus posteris fit denominatio. Ut *Ægidæ*, majores Ægei; & fortasse *Timodemidæ*, majores Timodemi, apud Pindarum Nem. od. II, quæ in honorem Timodemi. Scholiastes tamen vetus: Τιμοδημίδαι, φρατρία, ὅθεν οἱ πρόγονοι τοῦ Τιμοδήμου.

Cùm verò laxè adeò attenditur patronymicorum appellatio, manifesta est ejus vocabuli κατάχρησις. Nec propterea comminisci opus aliud nomen: quando philosophis non est insolens, à præcipua specie nomen generi imponere.

Sed de Homero non satis est apertum, an etiam à matribus, vel avis ipsis, formet patronymica, præterquam in iis, quæ à Jove originem ducant. Si veteres Grammaticos audimus, in his solis id sibi permittit. Quomodo ab Æacus, & Dardanus, qui ex Jove nati, format Αἰακίδης, & Δαρδανίδης. Obducunt aliqui illud Iliad. Λ *: [* Vers. 749.]

Καί † νύ κεν Ἀκτορίωνε Μολίονε παῖδ᾽ ἀλάπαξα. [† Et sane Actorionés, Moliones liberos, interfecissem.]

Ubi *Moliones* dici creduntur à matre Molione, Moli filiâ. Sed contrà contendunt alii, μολίονε hìc valere idem ac πολεμικοὶ, esseque id nomen ἀπὸ τοῦ κατὰ μάχην μολήσεως. Iidem objectant, Homero in hymnis, & Poëtarum aliis, Apollinem dici Λητοΐδην. Sed oggerunt his, non de Poëtis aliis se loqui, sed Homero; nec de aliis operibus, quàm Iliade, ac Odyssea; quia, an hymni sint Homeri ipsius, non satis convenit.

Ex patronymicis virilis sunt generis, quæ in DES desinunt. Hæc vel veniunt à nominibus primæ, vel secundæ, vel tertiæ. In prima quædam derivantur ab nominibus exeuntibus in A purum, vel AS. Et hæc terminantur in ADES, ut *Ilia*, *Iliades*; *Æneas*, *Æneades*. Quandoque etiam in IDES, ut ab Αἰνέας, *Aenides*. Ut IX Æn.

Sit satis, Ænide, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis.

Alia derivantur à nominibus terminatis in A impurum, vel E, aut ES. Ab A, clauduntur syllabâ IDES. Ut *Philyra*, *Philyrides*. Ab E habent IADES: ut *Acrisione*, *Acrisioniades*. In ES quoque impurum nunc ADES accipit, ut *Butes*, *Butades*, *Hippotes*, *Hippotades*; nunc IDES, ut, *Cornetes*, *Cornetides*; nunc IADES, ut *Anchises*, *Anchisiades*.

In secundâ verò, vel veniunt à nominibus finitis in US purum; qualia casui in I adjiciunt DES; ut *Priamus*, *Priami*, *Priamides*; *Nestor*, *Nestori*, *Nestorides*: vel ab exeuntibus in IUS, & hæc casui in I apponunt ADES; ut *Menœtius*, *Menœtii*, *Menœtiades*: vel à nominibus in EUS, quæ casui in I addunt DES, sed pro EI diphthongo Latini habent I: ut *Theseus*, *Thesei*, *Thesides*; *Prometheus*, *Promethei*, *Promethides*: ut I Met.

Inde Promethides placidis Epimethida dictis.

Item *Peleus*, *Pelei*, *Pelides*: pro quo & Poëticâ epenthesi *Peliades* dicitur.

In tertiâ, casui in I apponitur DES: ut, *Thestor*, *Thestori*, *Thestorides*. Sic à *Scipio*, *Scipionides* foret, & per epenthesin *Scipioniades*: pro quo Maro per syncopen dixit *Scipiades*. Vel ἀναλόγως erit à *Scipius*; quod mavult Priscianus lib. II: *Virgilius secundùm Græcam formam Scipiadas dixit ἀπὸ τοῦ Σκίπιος, cum Scipionides dicere debuit.* Ita rectè legitur, cum in antiquâ Venetâ, tum etiam in membranis nostris. Helias Putschius rescripsit ἀπὸ τοῦ Σκιπίωνος. Quod probare non possum. Nam quæ à nominibus quinctæ fiunt, mutant ΟΣ in ΙΔΗΣ. Ut ὁ Πηλεὺς, τοῦ Πηλέος, ὁ Πηλείδης, & crasi Πηλείδης: ὁ Ἠετίων, τοῦ Ἠετίωνος, ὁ Ἠετιωνίδης, & κατὰ συγκοπὴν Ἠετίδης. Sic ὁ Σκιπίων τοῦ Σκιπίωνος, ὁ Σκιπιωνίδης. *Scipiadæ* igitur non sit à nomine tertiæ, sed secundæ: nempe ut ab Ἦλιος, verso ΟΣ in ΑΔΗΣ, fit Ἡλιάδης: sic à Σκίπιος, eâpse mutatione, fiat Σκιπιάδης.

Porrò Iones pro ΙΔΗΣ, vel ΙΑΔΗΣ, dicunt ΙΩΝ: unde ab *Japetus*, pro *Japetionides*, quo usus Ovidius IV Met. de Atlante loquens, etiam dicitur *Japetion*; item ab *Oedipode*, pro *Oedipodiades*, *Oediopodion*. Æoles verò pro ΙΔΗΣ habent ΑΔΙΟΣ: quomodo Hirræ filius pro Ὑρρίδης, Ὑρράδιος. Ita dictus Pittacus, VII sapientum unus, ut ait Priscianus in II. Sed Laërtius, in ejus vitâ, sic vocatum ait Pittaci parentem. Atque hæc de terminatione Patronymicorum virili.

Muliebria verò desinunt in AS, IS, NE. Priora illa plurimùm veniunt à masculinis in DES, abjecto DE: ut ab *Iliades*, *Ilias*; à *Peliades*, *Pelias*; à *Dardanides*, *Dardanis*; ab *Inachides*, *Inachis*. Ac similiter ab Ἀμαζὼν fit Ἀμαζωνίδης, unde ἀναλόγως femininum, ἡ Ἀμαζωνίς, sive κατὰ συστολὴν Ἀμαζονίς: qua in re Græcorum exemplum secutus Maro I Æn.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Nempe tertiam corripuit, & patronymicum posuit pro primitivo; quale *Scipiades* pro *Scipione*.

Sed quorum masculina veniunt à primitivis in EUS, hæc penultimam efferunt per E porrectum: ut *Theseus*, *Thesides*, *Theseis*: *Chryses*, *Chrysides*, *Chryseis*. Item *Nereus*, *Nerides*, *Nereis*, penultimâ ancipiti. Etiam à *Michaël* juniores formarunt *Michaëlis*, cujus genitivus *Michaelidos*, vel *Michaelidis*. Nomen hoc inter alias fuit Caroli VI Galliarum Regis filiæ, Philipp. Bono Burgundiæ Duci nuptæ.

Patronymica, quæ in NE desinunt, formantur ex genitivo singuli numeri, addito NE; sed EI mutatur in I longum: ut *Nerei*, *Nerine*; *Adrasti*, *Adrastine*. Quod si nominativus desinat in IUS, pro INE dicitur IONE: ut *Acrisius*, *Acrisione*.

Interdum autem patronymici terminatio aptatur etiam appellationibus iis, quæ à loco petuntur, sive ubi quis natus, sive ubi educatus, & versari soleat. Nec ratio est obscura, quia locus hujusmodi est instar parentis. Ut *Troas*, *Cyclas*, *Ias*, *Thessalis*, *Colchis*, *Æmonis*, *Mænalis*, *Libystis*, *Parrhasis*, *Sithonis*, *Tritonis*, *Sarmatis*, &c. Sic Venus, *Cypris*, à Cypro: unde & Κυπρογένεια, & Κυπρογένης vocatur. Item Musæ *Aonides*, à monte Aone; & *Aganippides*, à fonte Aganippe: ac par ratio in *Sicelides*, *Pimpleides*, *Pierides*.

Hanc formam etiam sequuntur quædam nomina librorum ab argumento petita. Sic *Ilias*, mulier ex Ilio. Sed Homerus ita inscripsit libros de rebus ad Ilium gestis. Similiter à persona, quam celebrat Poëta. Ut ab Ἡρακλῆς, vir *Heraclides*, mulier dicitur *Heracleis*. At Poëta incertus opus suum de Hercule inscripsit Ἡρακληΐδα: ut testis Aristoteles libro de Arte Poëtica. A Theseo vir *Thesides*, mulier *Theseis*. Sed Θησηΐδα vocavit suum poëma Diphilus, ut est apud Pindari scholiastem, atque alios. Ab *Alexio* fuerit *Alexides*, femina *Alexias*. Sed Annæ Comnenæ historia de gestis patris sui Alexii Comneni ab ea Ἀλεξιὰς est vocata. Similiter Latini. Ab *Ænea* vir *Æneades*, mulier *Æneis*. At Maronis quoque divinum opus *Æneis* nuncupatum. Ab *Achilles* vir *Achillides*, femina *Achilleis*. Verùm hoc quoque nomen est poëmatis Statiani. A *Bryses* similiter est *Brysides*, & *Bryseis*. Sed *Briseida* quoque scripsit L. Attius, Pacuvii ὁμόχρονος *: unde Persius sat. I:

Est nunc Briseis quem venosus liber Atti,
Sunt quos Pacuviusque, & verrucosa moretur
Antiope.

Ita legi debere, facilè adsentio doctiss. Casaubono.

* Æqualis.

Cap. XXIX.

Terminationes gentilium, possessivorum, diminutivorum. Mulionius *potius, quàm* mulionicus, *dicendum.* Græculi *qui sint. Nomina in* aster *nunc diminutionem, nunc imitationem, nunc neutrum significant. Refelluntur, qui* domicula, *pro* domuncula, *dicere jubent. In O exeuntium diminutiva* ἀναλόγως *desinunt in UNCULUS. Non venire diminutiva ab omnibus nominibus.* Tabula, fabula, macula, *unde deriventur. Diminutiva non semper sequuntur genus primigenii.* Ungula *non est diminutivum, quod Diomedes credidit. Nec rectiùs à* scutum *deduxit* scutella, *cùm veteres dixerint* scuta *in muliebri genere. Ejusdem, & aliorum error,* pistrilla *à* pistrinum *deducentium, quod est à* pistrina. *Charisii locus emendatus. Priscianus notatus.* Qualus, & qualum; quasillus, & quasillum, *dicebatur.* Glandium, & glandula, *quid sint, & unde dicantur.* Ensicula. Betaceus, & malvaceus, *quâ occasione* ὑποκοριστικῶς *capi cœperint. Diminutiva diminutivorum. Diminutivis additum* parvus, *vel* minutus.

TRanseo ad GENTILIA, quæ has terminationes habent:

A, ut *Persa*, *Galata*, *Sybarita*: ac feminina, *Lacæna*, *Cressa*, *Threissa*, vel *Thressa*, *Phœnissa*, *Libyssa*.

O, ut *Macedo*, *Saxo*.

AN, vel ON, ut *Acarnan*, *Ion*, *Lacon*, qui & *Laco*.

AR, ER, IR, UR: ut *Car*, *Afer*, *Trevir*, *Ligur*.

AS, ut *Arcas*: ac similiter *Arpinas*, *Ardeas*; quæ priùs *Arpinatis*, *Ardeatis*. Item feminina, ut *Troas*, vel *Troadis*, apud Persium sat. I.

ES, ut *Cres*, *Magnes*. Ut *Cres Epimenides* apud Cicer. I de divinat.

IS, ut *Atheniensis*, *Samnis*, qui antea *Samnitis*. Item hæc feminina, *Sybaritis*, *Spartiatis*, *Achais*, *Scythis*, *Æthiopis*, *Libystis*, ut *Libystidos ursa*, V Æn. nisi *Libyssidos* cum nonnullis malis.

US, præeunte Æ, ut *Achæus*, *Judæus*; à *Saba*, *Sabæus*; item *Thebæus*, apud Hyginum, pro *Thebanus*; US præcedente C, ut *Hetbrusens*, *Atticus*: IACUS, ut *Corinthiacus*, *Peloponnesiacus*: US post I, *Ægyptius*, *Corinthius*; post L, ut *Italus*, *Siculus*; N, ut *Romanus*, *Germanus*; O, ut *Cous*, *Argous*; R, ut *Syrus*; V consonum, ut *Achivus*, *Argivus*.

TA, TES, masculina, & TIS muliebre. Hic *Spartiata*, vel *Spartiates*, & hæc *Spartiatis*: *Sybarita*, & *Sybarites*, & hæc *Sybaritis*. Itidem hic *Epirotes*, vel *Epirota*.

TANUS, ut à *Tauromenium*, Ταυρομενίτης, unde *Tauromenitanus*; ut à Νεάπολις, Νεαπολίτης, *Neapolitanus*. Sic à *Gadibus*, *Gaditanus*; à *Drepanum*, *Drepanitanus*.

BS, NS, PS, RS; ut *Arabs*, *Libs*, *Laurens*, *Picens*, *Æthiops*, *Camers*, *Tiburs*.

X, ut *Thrax*, *Cilix*, *Cappadox*, *Phryx*.

POSSESSIVA ἀναλόγως terminantur in IS, vel US. In IS trifariam.

LIS, ut *herilis*, *senilis*.

RIS, ut *puellaris*, ac, B præeunte, *muliebris*.

SIS, sive ENSIS, ut *castrensis*, *hortensis*.

In US multifariam exeunt. Præcipuæ formæ sunt istæ:

EUS, E brevi, ut *Herculeus*, *Romuleus*, *Cæsareus*, *Tartareus*. E longo, ut *Phœbeus*, *Sophocleus*, *Aristoteleus*, *gynecæum*: cujusmodi Græcè scribuntur per EI.

IUS, ut *Euandrius*, *patrius*, *mulionius*. Quomodo Cicero pro Sextio, *Mulioniam panulam* dixit. Sic legendum, non *mulionicam*, ut editum est apud Priscianum in II.

NUS, ut *paternus*, *montanus*, *hybernus*, *formicinus*, *Pompeianus*, ut cum dicimus, *Pompeianus miles*, aut *domus Pompejana*. Sic ab *Anio Anienus*, ut apud Maronem *, *Aniena fluenta*.

* 4 Georg.

Est & terminatio CUS; idque vel præeunte A brevi, ut *Cypriacus*, *Bebryacus*; vel I brevi, ut *Italicus*, *Creticus*; vel Y brevi, quale unum esse ait Priscianus, nempe *Libycus*; ubi Y ex principali nomine *Libya* acceptum. Sed hæc terminatio CUS vix in aliis, quàm Græcis, invenitur. Et *aicus* quidem fit ex *aus*: ut *Achaicus* ab *Achæus*; *Bardaicus* à *Bardæus*. Ut *cuculli Bardaici*, apud Capitolinum in Pertinace; à Bardæis, Illyridis populo. Similisque formatio etiam extra possessiva obtinet: ut ab ἀρχαῖος, *archaicus*.

Possessiva non solent jungi adscendentibus. Itaque *Hectorem* quidem *frater*, aut *servus* dicimus: at non *Hectoreus pater*. Priscianus lib. IV.

Interdum autem eadem est forma gentilium, ac possessivorum. Ita gentile est *civis Romanus*; possessivum, *ager Romanus*.

DIMINUTIVA quæ sint, vox ipsa indicio est. Hujusmodi est à *Græcus*, *Græculus*. Ita dicebatur per contemtum, non quisquis impensè Græcis literis studeret (quod viro erudito vitium fuit) sed qui insimul mores Græcorum haberet. Nec enim *Græculus* est, qui Græcis φιλέλλην *; sed quem κατὰ χλευασμὸν † dicebant Ἑλληνίσκον. Ita Hadrianus, auctore Spartiano, & Julianus, Ammiano ‡ teste, *Græculi* dicebantur.

* Amans studiorum Græcorum.
† Per irrisionem.
‡ Lib. 17.

Dimi-

Diminutiva plurimùm exeunt in LUS, LA, LUM. Ac alia quidem O habent ante L; ut *filiolus*, *filiola*, *negotiolum*: alia U; ut *adolescentulus*, *adolescentula*, *columbulus*, *tantulus*, *tantula*, *tantulum*: alia in *allus* terminantur; ut *rarus*, *rallus*: vel *ellus*, ut *cultellus*, *pagella*, *flagellum*, *bellus* à *benus*, unde *bene*: vel in *illus*, ut *pugillus*, ex *pugnus*; *mamilla*, à *mamma*; *furca*, *furcilla*; *arvina*, *arvilla*; *hira*, *hilla*; *vasculum*, *vascillum*; *osculum*, *oscillum*, σχημάτιον ludicrum; *villum*, à *vinum*; *sigillum*, à *signum*. Sic *ovilla*, & *suilla* caro, ab *ovina*, & *suina*, juxta Priscianum. Vel in *ullus*; ut ab *unus*, *unulus*, *ullus*. Sic *homullus*; item *satullus*, apud Varronem. Item *pullus*, ex antiquo *puerus*; *rullus*, ex *rurulus*, à *rure*. Vel in *culus*, ut *flosculus*, *lepusculus*, *matercula*, *bucula*, *sucula*, *nubecula*, *crusculum*, *melliculum*, quod apud Plautum.

Præterea exeunt in IO; ut *senex*, *senecio*; *pusus*, *pusio*; homuncio ab antiquo *homonis* pro *hominis*. Nempe ex *homonicio* κατὰ συγκοπὴν est *homoncio*, sive *homuncio*.

Vel *eus*, ut *equus*, *equulus*, *equuleus*; *hinnus*, *hinnulus*, *hinnuleus*; *araneus*, *araneolus*.

Est & Græca terminatio ISCUS: ut *Syrus*, *Syriscus*, *Pan*, *Paniscus*, *calathus*, *calathiscus*, apud Catullum. Item *mas*, *mariscus*; *scortum*, *scortiscum*; de quibus maximus Salmasius in Exercitationibus Plinianis ad Solinum*.

* Pag. 1127.

Quæritur, an etiam nomina in ASTER diminutiva sint. Ubi distinctione opus. Sunt quæ diminutionem, sunt quæ imitationem, sunt quæ neutrum significent. Neutrum notat *apiastrum*, cui ideo ab apibus nomen, quia eo gaudent. Sed *surdaster*, & *recalvaster*, denotant diminutionem nominum, à quibus derivantur. Sic *philosophaster*, *poëtaster*, *parasitaster*. At *Antoniaster*, *Fulviaster*, & similia, quæ à propriis veniunt, imitationem significant: ut fallus sit Priscianus, qui & illa ὑποκοριστικῶς sive blandimenti caussâ sic efferri putavit. De *parasitaster* sunt, qui dissentiant. Si inquiunt diminutionem notaret, non diceret Terentius*, *parasitaster parvulus*. Sed acutè occurrit Scaliger cap. xcv de caussis L. L. *Parvulus*, inquit, *significat corporis quantitatem ætate imperfectam*, *ut sit diminutio corporis*: *at parasitaster est artis diminutio*, *ut sit is*, *qui haut magna cum re parasitatur*. Atque, ut ibidem observat, hanc derivationis formam accepimus à Græcis, qui dicunt Φιλιππίζειν, Ἀντωνιάζειν: his autem simile sit παρασιτίζειν, unde παρασιτασὶς, & Σ in Ρ, more Æolum converso, παρασιτασὴρ.

* Adel. act. 5. sc. 2.

Præterea quæritur, an etiam diminutiva exeant in UNCULUS, vel UNCULA. Sanè doctissimus vir, Bonaventura Vulcanius †, ait ἀναλογίαν requirere *icula*, vel *ucula*. Eoque non *domuncula*, sed *domucula*, vel *domicula*, jubet dicere. Nempe quia (ut Prisciani verbis utar) *quarta declinationis nomina faciunt diminutivum US*, *vel U*, *nominativi in I convertendo*: *ut versus*, *versiculus*; *artus*, *articulus*; *fluctus*, *flucticulus*; *anus*, *anicula*; *cornu*, *corniculum*; *genu*, *geniculum*. Sed cogitare oportuerat, quod ibidem subjungit Priscianus, excipi *acus*, *aculeus*; & *domus*, *domuncula*. Præterea *domumcula* disertim scribitur in Pandectis Florentinis Lib. XLVII. Tit. XII. Leg. III: *Si in sepulchro non habitet*, *sed domumculam ibi habeat servus*: *noxale judicium erit dandum*, *si modò habere posse videtur*.

† Notis in glossas vett.

Similis quæstio est, num *homunculus*, & *homuncio*; an *homuniculus*, & *homunicio*, dici debeat. Pro posteriori scribendi modo est, quòd Petrus Victorius in Ciceronis codice Mediceo, quem omnium probatissimum fuisse judicat, in epistola Servii Sulpicii ad Ciceronem pro *homunculi* disertim scriptum reperit *homuniculi*. *Hem*, *nos homuniculi quid indignamur?* Item quòd in optimo illo Terentii codice, cujus antiquitatem tantopere laudat Politianus, similiter scriptum erat in Eunucho ‡: *Ego homunicio non facerem?* Quemadmodum idem Victorius testatur Castigationibus in Ciceronem †, ac præterea Faërnus notis in Terentium. Imò videtur hæc scribendi ratio ἀναλογίᾳ posse comprobari. Nam ut ab *ignis*, est *igni*, unde *igniculus*; à *venter*, *ventri*, unde *ventriculus*: sic ab *homo* est *homini* (pro quo veteres *homuni*, imò & *homonis*, ut apud Ennium) indeque erit *hominiculus*, sive *homuniculus*: ut item ex multorum opinione est à *senex*, *seni*, *senicio*, pro quo *senecio* dicimus: ita ab *homo*, *homini*, est *homonicio*, sive *homunicio*. Hæc faciunt, ut non improbem *homuniculus*, vel *homunicio*. Tamen *homunculus*, & *homuncio* malim. Nam ut sanè *homunicio*, & *homuniculus*, integra sint, nihil prohibet altera ex iis κατὰ συγκοπὴν esse effecta. Præterea Priscianus disertim probat *homunculus*, & *homuncio*, tetrasyllaba. Adhæc in codd. Mssis vix aliter invenias. Denique ἀναλογία magis pro hac sententia facit. Nam in O desinentia mutant vocalem extimam in *unculus*: ut *leno*, *lenunculus*, apud Plautum Pœnulo; *gurgulio*, *gurguliunculus*, apud eundem Rudente; *lolligo*, *lolliguncula*, Casinâ; *offensio*, *offensiuncula*, apud Cicer. pro Plancio; *carbo*, *carbunculus*, apud scriptorem ad Herennium lib. III; *virgo*, *virguncula*, apud Juvenal. sat. II; *tyro*, *tyrunculus*, apud eundem sat. III; item *ratio*, *ratiuncula*: *caro*, *caruncula*, apud Varronem in Andabata: *Sed quid vis potius homo*, *quam caruncula nostra*. parque ratio in *leo*, *leunculus*; *latro*, *latrunculus*; atque aliis.

‡ Act. 3. sc. 5.
† In lib. 4 epist. ad famil.

De diminutivis ita Diomedes lib. I: *Meminisse debemus*, *quòd non omnia diminutiones faciunt. Quædam enim singularia sunt*, *quæ non inveniunt comparationem*: *tanquam cælum*, *mare*, *& similia. Sunt etiam quasi diminutiva*, *quorum origo non cernitur*: *ut fabula*, *macula*, *tabula*. Ubi rectè Diomedes, non esse ista diminutiva, sed quasi diminutiva. Nam etsi *tabula* fortasse sit, ab obsoleto *taba*, hoc autem à τάζω: tamen in *macula* & *fabula* diminutio est nulla. Sed est *macula* potius à מָהַל, quod est *maculavit*; *fabula* autem eâ formâ venit à *fari*, quâ *latibulum* est à *latere*, *patibulum*, à *patere*, & similia. Sequitur apud Diomedem: *Sunt item*, *quæ non servant genera*, *quæ ex nominibus primæ positionis acceperunt*: *ut scutum*, *scutella*; *pistrinum*, *pistrilla*; *canis*, *canicula*; *rana*, *ranunculus*; *unguis*, *ungula*, *unguellula*. Quem locum expendemus. Uti & illa, quæ de hoc, & Charisius, & Priscianus, scripserunt. Ac primò non diffitemur, diminutiva quædam non servare genus primæ positionis. Uti *scamillus*, à *scammum*. Nam Vitruvius lib. III, capite III dixit: *Per scamillos impares*. Item *ranunculus*, quod apud Ciceronem epist. ad Trebat. & in libb. de divinatione legitur. Quamquam istis quidem locis adjectivum non additur. Adhæc ab *ervum*, *ervilla*. Nam *ervillam* dixit Varro, ut Nonius ostendit. Item *panicula* à *pannus*: quod Priscianus pro exemplo ponit. *Pannus* enim virile esse ostendit Lucilius in VIII:

—— *Modò stet rectus subtemine pannus.*

At Plauti est Mil. act. I, sc. I:

Quasi ventus folia, *aut paniculam textoriam.*

Et fortassè ejusmodi quoque sunt, *majusculus*, *minusculus*, *plusculus*, *celerisculus*; à comparativis neutris, *majus*, *minus*, *plus*, *celerius*. Etsi hic non deest, quod obducere possis. Nam videntur quædam in virili genere à veteribus fuisse usurpata: unde *Deus Majus*, de quo antea* dictum. Verùm sanè, ut non inviti demus, quædam diminutiva recedere à genere primogenii; tamen Diomedis exempla id minimè evincunt. Nam, ut ab *ungula* ordiamur, non est hoc ab *unguis*; sed ejusdem ambo originis sunt. Solent enim Romani ab obliquis Græcorum formare suos rectos. Unde ab ὄνυχος, fecere *unguis*; ab ὄνυχα *unga*, & ex eo *ungula*. Ab *unguis* verò est diminutivum *unguiculus*: unde quod Græci dicunt ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων, id Ciceroni epist. ad Lentulum est, *à teneris unguiculis*. Atque, ut daremus Diomedi, ab *unguis* dici *ungula*; non tamen diminutivum foret, sed ἀπ' αὐτῶν denominativum; quemadmodum verisimilius statuit Priscianus libro III: *Anguis*, *anguilla*; *unguis*, *ungula facit*: *quæ tametsi formam habere videntur diminutivi*; *significatione tamen non sunt diminutiva*. Et post multa: *Anguis*, *anguilla*;

* Cap. 24 hujus libri.

gulla; *unguis*, *ungula*; *nubes*, *nubilum*; *magis denominativa sunt existimanda, quàm diminutiva: quippe non habent diminutivorum significationem, sed formam tantum. Scutella* verò non est à *scutum*, uti Diomedes putat; sed à *scutula*, quod a *scuta*, quo in singulo numero usus Lucilius in VI †: *Scutam ligneolam cerebro infixit.* Nec *pistrilla* est à *pistrinum*; unde non Diomedes tantùm deducit, verùm & Charisius, & Priscianus; sed est à *pistrina*. Terentius Adelph. act. IV, sc. II: *Apud ipsum lucum est pistrilla.* Ubi sic Donatus: *Veteres absolutè dicebant pistrinam, ut sutrinam, & medicinam, ad tabernam referentes. Nam pistrino pistrina non convenit.* Imò Charisius ipse alibi docet, Lucilium *pistrinam* dixisse: *Pistrinum*, inquit, *in neutro dicitur; sed Lucilius* XVI *feminine extulit: Media e pistrina ad tabernam referens, ut Caupona dicitur. Nam & Terentius diminutivè pistrillam dixit, Pistrilla erat quadam.* Ita vulgo is Charisii locus legitur. Et sanè etiam Josephus Scaliger in Conjectaneis tanquam e XXVI Lucilii adducit hæc verba, *Media à pistrina ad tabernam referens.* In quo planè fallitur. Nam locus Charisii sic interstingui debet: *Lucilius* XVI *feminine extulit*; Media è pistrina; *ad tabernam referens*, *ut* caupona *dicitur*. Nempe idem dicit Charisius, quod Donatus, *pistrina* in feminino dici, quia vox ea ad tabernam refertur; quomodo & *sutrina*, & *caupona* dicitur in fem. Quare Lucilii solùm verba sunt ista, *Media è pistrina.* Ad quæ respexit Varro in IV de L.L. cum ait: *Pilum, quód eo far pinsunt: id ubi fit, Pistrinum. L. & S. inter se sæpe commutant. Inde Lucili, Pistrina, & pistrix.* Nam voluit Lucilii meminisse, quia *pistrina* is insolenti voce usus esset. Superest apud Diomedem *canicula*, quod quidem à *canis* venit: sed hoc non minùs in feminino, quàm masculino, invenitur apud antiquos. Uti apud Ennium:

Tantidem quasi fata canes sine dentibus latrat.

Et Lucilius in primo*:

Irritata canes, quàm homo, quod planius dicet.

Expendamus nunc ista, quæ Priscianus adjecit. Tale est hic *dies*, hæc *diecula*. Sed cùm dies etiam femininum sit, de hoc idem, ac de *canis*, judicium esto. Adfert quoque *acus*, *aculeus*: sed *aculeus* denominativum, non diminutivum est. Addit idem *hic qualus*, *hoc quasillum.* Sed hac etiam parte fallitur. Nam non tantùm *qualus* dixere veteres, sed etiam *qualum*; nec tantùm *quasillum*, sed etiam *quasillus*. *Qualum* est apud Catonem de R.R. cap. XI: *Corbulas Amerinas* XX, *quala sataria* VII, *alveos* XL. *Quasillus* est apud Festum Pompejum: *Calathos*, inquit, *Graci; nos dicimus quasillos.* Ergo à *qualus* erit *quasillus*; à *qualum*, *quasillum*. Idem Priscianus ex Probo, ut ait (etiam Charisium addere potuit) huc refert *hoc glandium*, *hæc glandula*: quo significari dicit partem intestinorum. Plinius lib. XI, cap. XXXVII: *Tonsilla*, inquit, *in homine; in sue, glandula.* Sed & *glandium*, & *glandula*, ejusdem originis sunt: nec à *glandium*, sed à *glans*, unde & *glandium* nomen accepit, *glandula* ὑποκοριστικῶς dicitur. Addit quoque Priscianus, *ensis*, *ensiculus*, & *ensicula*. Et videtur idem scripsisse Charisius, etsi apud eum nunc in Putschianâ quoque editione *ensiculus* tantùm legatur. Sed vellem alteruter de *ensicula* idoneum laudasset auctorem: uti de *ensiculus* à Charisio factum, de quo nemo dubitat. Denique tam apud Charisium, quàm Priscianum, legas à *beta*, & *malva*, ὑποκοριστικῶς dici, *hic betaceus*, *hic malvaceus*. Quod non fit nisi per κατάχρησιν. Propriè enim, ac primò, materiam signant: quomodo autem factum sit, ut pro minuta beta, aut malva, accipi cœperint; satis ingeniosè explicat Turnebus lib. XI Advers. cap. III. Nam ait *betaceus* absolutè dici, cùm pes intelligatur: ac parem esse *malvacei* rationem: sed postea, substantivo tacito, in substantiva migrâsse, & pro minuta beta, vel malva, cœpisse usurpari. Pedis betacei meminit Varro lib. V de L.L. & de R.R. lib. I, cap. II, & Apicius libro III, capite I. Sed de diminutivis, quæ genus mutare dicuntur, satis dictum. Nunc cætera de iisdem persequamur.

† Apud Prisc. lib. 3.

* Apud Charisium lib. 1. Donat. in Adelph. 2 4. & Non. in Irritare.

Sunt diminutiva quædam, quæ ab altero diminutivo descendant: ut à *cista*, *cistula*, unde *cistella* (à quo *Cistellaria* Plauti) ex hoc *cistellula* apud eundem Plautum. Sic à *puer* est *puerulus*, unde *puellus*, ex quo *puellulus*. *Unguellula*, quod apud Diomedem est, ab *unguella* venit, hoc ab *ungula*. Quod si Diomedem audimus, ulterius etiam procedere licet, cum *ungula* dici putet, quasi *unguicula*; uti vidimus. Etiam hic processus in adverbiis locum habet. Nam *pauxillulum* est a *pauxillum*: *pauxillum* vel a *paullulum* venit, quod à *paullum*; vel (quando major inter C & X, quàm L & X affinitas est) à *pauculum*, quod à *paucum*. Quare, ut *multum*, ita *paucum*, adverbialiter dixisse veteres, vel hinc colligas.

Interdum etiam diminutio geminatur, addito nomine *parvus*, vel simili. Terent. Andr. act. II, sc. II: *Olera, & pisciculos minutos.* Ad quem locum Donatus ait: *Sufficeret diminutive pisciculos dixisse.* Cicero item præfat. Paradox. dixit, *minutis interrogatiunculis*.

CAP. XXX.

Terminationes denominativorum substantivorum, plurimorumque nominum origines.

SEquuntur denominativa; quomodo, nomine generis, vocantur, quæ à nomine derivantur, nec ad quatuor priores classes pertinent. Horum terminationes nunc exponam. Ac primùm in substantivis.

A purum, præcedente E, ut *cavus*, *cavea*, *vinum*, *vinea*. Præeunte I, *gratus*, *grati*, *gratia*; *justus*, *justi*, *justitia*; *victor*, *victoris*, *victoria*; *sapiens*, *sapienti*, *sapientia*. Quo exemplo à *sentiens*, esset, *sentientia*: pro quo, eliso I, *sententia* dicitur. Præeunte V, ut à *noctu*, *noctua*.

ACA, vide inferiùs sub syllaba CA.

ACUM, ut *merum*, *meracum*. Sed utrumque hoc naturâ est adjectivum, quia intelligitur *vinum*.

AL, ut *cervix*, *cervical*; *anima*, *animal*; *vectis*, *vectigal*; *baccha*, *bacchanal*. Verùm ista etiam propriè sunt adjectiva. Integrè enim dicitur, hic & hæc *animalis*, & hoc *animale*, ut κατ' ἐξοχὴν *animal*. Par ratio in cæteris.

ARE, vel AR, ut *lumen*, *luminare*; à *calce*, *calcar*; *cochlea*, *cochleare*, & per apocopen, *cochlear*; *altus*, *altare*, & simili apocope apud Prudentium περὶ στεφάνων, *altar*.

ARIUM, ut *armarium*, ubi arma reponuntur; *vivarium*, ubi animantia adservantur viva; *collarium*, quod in collo est; *mensarium*, quod in mensa sit; *palmarium*, quod in palma est, hoc est, laude, ut Priscianus exponit. *Apiarium*, in quo apes. Sic *violarium*, *rosarium*, *viridarium*, *plantarium*, *pomarium*. Sunt verò & ista naturâ suâ adjectiva, à masculinis in *arius*: ut *jumentarius*, *argentarius*; quæ ipsa quoque substantivè sumuntur, ut *vir* intelligatur.

AS, ut *primus*, *primas*; *summus*, *summas*. Sic *optimas*, *magnas*.

ATA, vide in CA.

ATOR item in TOR.

ATRUS, vel ATRE; ut à *quinque*, *quinquatrûs*, & *quinquatre*: unde *quinquatria*.

ATUS, ut *reus*, *reatus*; *senex*, sive *senes*, *senatus*.

BRUM, ut *candela*, *candelabrum*, &, si Varronem* audimus, *Deus*, *delubrum*. Sed hoc potiùs verbale est, ac locum signat, ubi religiosè deluerent se in lacu, quò se à criminibus purgarent.

BRIUM, ut *manus*, *manubrium*; *ludus*, *ludibrium*: nisi hoc verbale esse malis à *ludo*.

BULA, & BULUM; ut *pestis*, *pestibula*, quod in vett. Justiniani† libris exstare, monent Cujacius‡, & Casaubonus*; *desidia*, *desidiabulum*; si rectè sic Mssi codices Plauti Bacch. act. III, sc. I, de quo postea. Item à *concilium*, *conciliabulum*; à *thure*, *thuribulum*; à *Vesta*, *vesti-*

* Lib. 8 rerum divin. apud Macrob.

† L. penult. C. de ædil. act.

‡ Lib. 16 Observat. cap. 24.

* Lib. 1 de satyrica poesi cap. 3.

vestibulum; nisi illud verbale à *concilio*; hoc autem constituit à *ve*, & *stabulum*; de quo Gellius lib. XVI, cap. V.

CA, præcedente interdum quidem I longo; ut à *lectus*, *lecti*, *lectica*; *lorum*, *lori*, *lorica*: interdum vero V longo; ut à *lacte*, *lactuca*: sæpissime autem A longo; ut a *verbena*, *verbenaca*; à *lingua*, *lingula*, *lingulaca*; à *porta*, *portula*, *portulaca*, nempe quia folia ejus portularum habeant figuram: à *scandula*, *scandulaca*; a *pastinum*, *pastinaca*, sive sumatur pro herba pastinum referente, sive pro pisce telum instar pastini habente: à *securicula* item *securiclaca*; quæ corruptè *securidaca*, cum ut Græcis dicitur πελεκῖνος, ita Latinis etiam à securi nomen acceperit. Verùm doctissimus Turnebus lib. VIII Adv. cap. XXIII, per T scribere hæc jubet, *portulata*, *verbenata*, *pastinata*, atque ita in aliis. Quod eo minùs damno, quia in libris plerisque veteribus sic exaratum invenias, & *atus* terminatio est vulgaris eorum, quæ habitum, vel aliud adjunctum significent; ut *tunicatus*, *segmentatus*, *barbatus*, *ansatus*, & similia.

CIA, ut *fiducia*, à *fidus*. Nisi verbale putes à *fido*.

CILIUM, ut à *domus*, *domicilium*. Quamquam nec displicet, ut quasi *domicolium* dicatur, quia incolitur.

CINIUM, ut à *leno*, *lenocinium*; à *tyro*, *tyrocinium*; à *patronus*, *patrocinium*.

CULUM, ut a *taberna*, *tabernaculum*.

CUS, vel CA, ut fortasse à *rudis*, *rudica*.

DO, præeunte E longo, ut à *dulce*, *dulcedo*; à *grave*, *gravedo*; vel I longo, ut *formido*, à *formis*, id est spectris, vel à *formus*, id est calidus, quia præ metu sæpe æstuant homines ac sudant: vel præcedente V longo, ut à *testa*, *testudo*.

DOS, ut *sacer*, *sacerdos*.

EDO, vide DO.

EIUS, vide LEIUS.

ELA, inferiùs in LA.

ERNA, ut *cavum*, *caverna*; λάκη, ut vestem notat, *lacerna*; *taberna*, à *taba*, unde *tabula*. Etiam à βαστὸν, quod à βάζω, *basterna*; de quo τ̃ πάνυ Salmasium adi in Lampridium.

ERUM, ut *jugum*, *jugerum*.

ES, ut ab *equo*, *eques*; à *pede*, *pedes*.

ETUM, ut à *pomus*, *pometum*; à *dumus*, *dumetum*; à *myrtus*, *myrtetum*: similiaque, quæ quia aliquid continent, περιληπτικὰ * dicuntur. In hujusmodi crebra est syncope, ut *frutex*, *fruticetum*, *frutectum*, *carex*, *caricetum*, *carectum*; *salix*, *salicetum*, *salictum*; à *filix*, *filictum*; ab *arbos*, *arbosetum*, *arbostum*, sive *arbustum*.

* Comprehensiva.

GAMA, ut à *sale*, *salgama*, quia sale condita.

GO, præcedente A, ut à *carrus*, *carrago*, munimentum ex carris; à *farre*, *farrago*. Cujusmodi sæpe significant similitudinem, ut in femina *virago*; in plantis, à *lappa*, *lappago*; à *cunila*, *cunilago*; à *citro*, *citrago*. Præcedente I, ut à *calis*, id est lignis, *caligo*. Nisi malis esse ab ἀχλὺς †. Præcedente V, ut *lana*, *lanugo*; *albus*, *albugo*; *salsus*, *salsugo*; *ferrum*, *ferrugo*; ab *ære*, *ærugo*.

† Caligo.

IA, ut à *mater*, *materia*.

ILA in terminatione CA antea vidimus.

IDO, vide DO.

IES, ut *pauper*, *pauperies*; *mater*, *materies*; *barbarus*, *barbaries*.

INIUM, ut *vaccinium*, à *vacca*; à *muccus*, *muccinium*, quod apud Arnobium ‡.

‡ Lib. 2.

INUS, ut *Sol*, *Solinus* proprium, *sal*, *salinum*. Videntur natura esse adjectiva.

IO, ut *tabella*, *tabellio*; *pusus*, *pusio*; *pumilus*, *pumilio*; *libellus*, *libellio*.

ITIUM, ut *capillus*, *capillitium*; *sodalis*, *sodalitium*; *avis*, *avitium*; *lana*, *lanitium*; *servus*, *servitium*. Nam si esset à supino *servitum*, antepenultimam produceret.

ITUS, ut à *mare*, *maritus*.

IUM, ut à *conjuge*, *conjugium*; à *pracone*, *praconium*. Sic *hospitium*, *magisterium*, ubi E insertum.

LA, ut à *cliente*, *clientela*; à *parente*, *parentela*.

LAGO, ut *salsus*, *salsi*, *salsilago*, ἅλμη, *mucus*, *muci*, *mucilago*; *caro*, *carni*, *carnilago*, & mutatione literæ, *cartilago*, quod inter carnem, & ossa, mediæ est naturæ.

LCUS, ut à *bubus*, *bubulcus*; à *subus*, *subulcus*.

LE, ut *hasta*, *hastile*; *equus*, *equile*; *ovis*, *ovile*.

LEIUS, ut à *lege*, *leguleius*.

LENA, ut *canius*, *cantilena*.

LIGO, ut *vitium*, *vitiligo*; *udus*, *udiligo*, *uligo*; *fumus*, *fumiligo*, *fuligo*, per syncopen.

LIS, vide ALIS.

LIUM, ut *pecus*, *peculium*.

MENTUM, ut *puls*, *pulmentum*.

MONIA, vel MONIUM, ut *castus*, *castimonia*; *sanctus*, *sanctimonia*; *cerus*, id est, *sanctus*, *cerimonia*. Item à *patre*, *patrimonium*, à *matre*, *matrimonium*, à *teste*, *testimonium*. Ac similiter à *merce mercimonium* nomen, à *mendico*, *mendicimonium*: A *mœcho* etiam, *mœchimonium*, apud Laberium, pro μοιχεία.

NA, vel NUM, præeunte I, ut *piscis*, *piscina*; à *sale*, *salinum*: vel præcedente O, ut à *matre*, *matrona*; ab *anno*, *annona*. Sed hujusmodi vel omnia, vel prope omnia, naturâ suâ sunt adjectiva, utcunque substantivorum induerint naturam.

NAR, ut à *lupa*, hoc est meretrice, *lupanar*. Sed hoc quoque propriè est adjectivum ex *lupanare*, κατ᾽ ἀποκοπήν.

NIUS, ut *Calpus*, *Calpurnius*; S in R abeunte.

NUS, vel NA, ut à *veter*, pro *vetus*, *veternus*; à *membra*, *membrana*, à *tribu*, *tribunus*. Puto κ̀τ συγκοπὴν sic dici *i* extrito. Ut pro *vulturinus*, *vulturnus*.

O purum, ut *alea*, *aleo*; *talis*, *talio*.

O impurum, ut à *capite*, *capito*; *nasus*, *naso*; *nebula*, *nebulo*; *gerra*, *congerro*; *aquila*, *aquilo* ventus.

ONA, vel ONAS, vide in NA, vel NAS.

OR, ut *album*, *albor*; *nigrum*, *nigror*.

ORIUM, ut *portus*, *portorium*.

RA, ut *censor*, *censura*; *prætor*, *prætura*. Nisi hæc malis verbalia à *censu*, & *præitu*; quomodo à *positu*, *positura*, à *jactu*, *jactura*. Sic *prætura* fit ex *præitura*, ut *prætor* ex *præitor*.

RIA, vel RIES, ut *luxus*, *luxuria*, vel *luxuries*.

RIUM, vide in ARIUM, & ORIUM.

STAS vide TAS.

TA, ut *rubus*, *rubeta*; *vindex*, *vindicis*, *vindicita*, *vindicta*; *senecta* item ex *senecita*, quod ab antiquo genitivo *senecis*, unde & *Seneca*, & *senecio*.

TAS, ut *auctor*, *auctoritas*; *potis*, *potestas*; *majus*, *majestas*; *Venus*, *venustas*; *avum*, *avitas*, ex quo *ætas*; *necesse*, *necessitas*; *facile*, *facilitas*, ex quo *facultas*; *volupe*, *volupitas*, ex quo *voluptas*.

TELA, ut fortè à *mus*, *mustela*. Vide LA.

TERA, ut *mater*, *matertera*.

TIA, ut *justi*, *justitia*; *avari*, *avaritia*; *segni*, *segnitia*; *pigri*, *pigritia*; *primi*, *primitiæ*.

TIES, ut *cani*, *canities*; *spurci*, *spurcities*. Sic *scabrities*, *mundities*, *segnities*, & alia.

TILIO, ut *vespertilio*.

TIMUS, ut *ædis*, *æditimus*. Sed videtur naturâ adjectivum, ut intelligatur *vir*.

TIS, ut à *semen*, *sementis*.

TIUM, ut *calvus*, *calvitium*.

TOLIUM, ut à *caput* Capitolium; non à capite Toli, quod apud Arnobium legas lib. VI.

TOR, præcedente A longo, ut *senex*, *senator*: vel I brevi, ut *olus*, *olitor*; *funda funditor*.

TORIUM, ut *terra*, *territorium*: non à terrendis hostibus; quod est apud Siculum Flaccum.

TRUM,

TRUM, ut *talus*, *taletrum*, seu *talitrum*, quòd fiat digitorum talis, hoc est, quadratis ossiculis.

TUDO, ut *habitus*, *habitudo*; *beatus*, *beatitudo*.

TULLIUM, ut *medius*, *meditullium*.

TUM, ut *veru*, *verutum*. Simileque volunt *arbos*, *arbustum*. Sed contractum hoc ex *arbosetum*, ut diximus.

TUS, præeunte A longo, ut à *senibus*, *senatus*; à *magistris*, *magistratus*, ut in ATUS dictum. Præmisso I brevi, at per syncopen eliso, ut à *viro*, *virtus*, *virtus*; à *senex*, *senicis*, *senectus*, *senectus*. A *liber* quoque *libertus*, i ejecto.

UDO, vide DO.

ULCUS, vide LCUS.

UNUS, vel UNA, vide NUS.

URA, vide RA.

URNIUS, vide NIUS.

Cap. XXXI.

Quomodo terminentur adjectiva denominativa, & origines variorum nominum.

HÆc de denominativorum illis, quæ sunt substantiva. Venio ad adjectiva: quæ his modis clauduntur:

ALIS, ut *anima*, *animalis*; *vita*, *vitalis*; *Mercurius*, *Mercurialis*; *Martius*, *Martialis*.

ANEUS, ut *momentum*, *momentaneus*; malim tamen *momentarius*; forum circumforaneus.

ANUS, ut *Marius*, *Marianus*; *Pompejus*, *Pompejanus*; *Tulius*, *Tullianus*; *sol*, *solanus*, ex quo *subsolanus*; *lux*, *lucanus*; unde *antelucanus*; *homo*, *humanus*, non ab *humus*, quod apud Priscianum legere est. A *Priscus* quoque *Priscianus*, vel potiùs à *Priscius*; ut Priscianus ipse ait, cui de suo sanè nomine credamus; præsertim cùm faveat ἀναλογία.

ARIS, ut *peculium*, *peculiaris*; *familia*, *familiaris*.

ARIUS, ut ab *ostium*, *ostiarius*; ab *ordine*, *ordinarius*; à *primus*, *primarius*; à *topium*, *topiarius*; à *plenus*, *plenarius*; à *planus*, *planarius*: unde *Planaria* insula, quia plana foret, teste Plinio lib. III, cap. VI. Sic lex *agraria*, *frumentaria*, *stataria*; *cella vinaria*, &c.

Sæpe verò eadem & in *aneus*, & *areus* exeunt: ut à *momentum*, non tantùm *momentaneus*, sed & *momentarius* dicimus. Et contrà à *proles*, non modò *proletarius*; sed etiam *proletaneus*: ut observat Giffanius Indice Lucretiano.

ATICUS, ut à *pulvere*, *pulveraticus*: à *fœdere*, *fœderaticus*, quod in Novellis Justiniani. Nec absimilia, quæ ab exeuntibus in A terminationem in *aticus* formant, de quibus in terminatione *ticus*.

ATILIS, ut *saxatilis*, *fluviatilis*.

BER, vel BRIS, ut à *salus*, *saluber*, vel *salubris*; à *septem*, *september*, ab *october*, non ut nugantur, quasi *septimus*, vel *octavus imber*. At à *pubes*, *puber*, pro *pubeber*.

CER, ut ab *ala*, *alacer* deducunt. Solùm quantitas diversa scrupulum injicit.

CEUS, ut *charta*, *chartaceus*; *beta*, *betaceus*; quæ & diminutiva, uti dictum *. Item *ilex*, *iliceus*. Papin. VI Theb. *Ornique*, *iliceaque trabes*.

* Cap. 29.

CIDUS, ut *ros*, *roscidus*.

CINUS, ut *dura*, *duracinus*.

CRIS, ut à *medio*, *mediocris*.

CUS, ut *civis*, *civicus*; *hostis*, *hosticus*; *modus*, *modicus*; *villa*, *villicus*, quod natura est adjectivum: *cœlum*, *cœlicus*; *astrum*, *astricus*; *tetrum*, *tetricus*; *gens*, *genticus*; ut *more gentico*, apud Tacitum VI Ann. *saltus* pro *saltatio*, *salticus*, ut apud Tertullianum, adversus Gnosticos cap. VIII, *puella saltica*, pro *saltatricis*. Sic ab *Afro*, *Africus*, unde *Africa*, puta *terra*: à *fabro*, *fabricus*, unde *fabrica*; hoc est, fabrilis, puta *domus*. Nisi verbale malis à *fabrico*: de quo postea.

DAM, ut *quis*, *quidam*. De quo in provocabulis.

DEM, ut *is*, *idem*; *tantum*, *tantundem*.

DICUS, ut à *Threce*, *Threcidicus*, apud Ciceronem Philipp. II.

DUS, ut *Salmacis*, *Salmacidus*. Sic *herba*, *herbidus*; *fumus*, *fumidus*; *gravis*, *gravidus*; nisi verbalia malis esse ab *herbeo*, *fumo*, *gravo*, vel *graveo*, unde *gravesco*.

ENSIS, ut *circus*, *circensis*; non à circuitu ensium, quod nobilis ait Grammaticus *.

* Serv. in 3 Æn.

ENUS, ut ab *alius*, *alienus*; à *socius*, *socienus*; à *dubius*, *dubienus*; & fortasse à *porca*, *porcilena*, quod est in vett. codd. Plaut. Mil. act. IV, sc. II.

ERUS, ut à *quercu*, *quercerus*: unde Lucilio, *querquera febris*: à *lana*, *lanerum*, de quo Festus.

EUS, ut ab *aurum*, *aureus*; à *ferrum*, *ferreus*; ab *osse*, *osseus*. Similiaque *vitreus*, *cereus*, *luteus*.

GINEUS, ut à *ferrum*, *ferrugineus*.

GINUS, ut *faba*, *fabaginus*: unde *fabaginum arcus* apud Catonem cap. LIV.

GNUS, ut *malus*, *malignus*; *bonus*, *benignus*. Veteres enim pro *bonus* dixere *benus*; unde *bene*, & ex *benulus*, *bellus*. Item ab *abies*, *abiegnus*; ab *ilex*, *ilignus*. Maro III Georg.

Currentem ilignis potare canalibus undam.

Terentius Adelph. †

Lectulos in sole ilignis pedibus faciendos dedit.

† Act. 4. sc. 2.

Ita in Bembino codice erat, ut monet Faërnus. At *iligneis* est in Tarvisina ‡ veteri edit. item MSSis nostris. Atque ita quoque apud Priscianum lib. II, tum in membranis nostris exaratum, tum in veteri Venetâ * excusum. *Iligneus* verò κατὰ συγκοπὴν fit, pro *iligineus*, ut à *ferrum*, *ferrugineus*.

‡ An. 1477.
* An. 1476.

ICEUS, vide CEUS.

ICIUS, pro quo vulgò ITIUS, sed contra auctoritatem Prisciani, & lapidum, nummorumque, ac MSSorum melioris notæ: ut à *patre*, *patricius*; à *tribunus*, *tribunicius*; à *crate*, *craticius*; à *latere*, *latericius*; à *sarmentum*, *sarmenticius*; à *stramen*, *stramenticius*; à *cæmentum*, *cæmenticius*; à *novus*, *novicius*. Etiam *pigneraticius*, *commentaticius*, *conducticius*, *translaticius*, *feneraticius*, *ficticius*, *adscripticius*, *dediticius*, *insiticius*, *adventicius*, similiaque, hujus loci videntur. Possis tamen ea & verbalia dicere. Sed censeo ἀμέσως venire à nominibus, vel participiis; nempe à casu in I, addito CIUS.

IDUS, vide DUS.

ILIS, interdum *i* brevi, ut ab *humo*, *humilis*; à *pari*, *parilis*; & à *dapis*, sive *daps*, *dapsilis*. Sæpius verò *i* longo, ut à *cive*, *civilis*; à *viro*, *virilis*; ab *ade*, *adilis*. ILUS, vide LUS.

INUS, vide TINUS.

IUS, ut *noxa*, *noxius*; *quæstor*, *quæstorius*; *censor*, *censorius*; *cursor*, *cursorius*. Item *Julus*, *Julius*; *cæcus*, *cæculus*, *Cæcilius*; unde *cæcilia serpens* Columellæ *, quæ Plinio † *cæca serpens*; Isidoro ‡ *cæcula*; Græcis similiter τύφλωψ.

* Lib. 6. cap. 16.
† Lib. 9. cap. 51.
‡ Lib. 12. cap. 4.

IVUS, ut *furtum*, *furtivus*; *festum*, *festivus*.

LENS, ut à *vi*, *violens*; ab *ope*, *opulens*.

LENTUS, ut à *somno*, *somnolentus*. Sed hoc parum Latinum: cum optimi scriptores malint *somniculosus*: de quo in libro de Vitiis Sermonis. Aptiora sunt ab *esca*, *esculentus*; à *potu*, *potulentus*; à *vino*, *vinolentus*; à *corpus*, *corpulentus*; à *temetum*, *temetulentus*: & per syncopen, *temulentus*: à *jusculum*, *jusculentus*, pro *jusculentus*.

LIS præcedente *a*, *e*, *i*, vel *u*; ut à *vita*, *vitalis*, à *fide*, *fidelis*; à *servo*, *servilis*; à *tribus*, *tribulis*. De *alis*, & *ilis*, & antea dictum.

LUS, ut *nubes*, *nubilus*.

MNIS, ut ab Osco *sollus*, *sollemnis*.

NA-

NARIUS, ut deducunt à *merces*, *mercenarius*; à *centum*, *centenarius*. Sed, puto, *mercenarius* mutatione unius literæ est ex *mercedarius*: quod apud Isidorum legas in glossis. Nec *centenarius* à *centum*, sed *centenum*.

NUS, præcedente A, ut *primus*, *primanus*; *decumus*, *decumanus*, præeunte E, ut *septem*, *septenus*; *centum*, *centenus*; *terra*, *terrenus*: I antecedente, seu longo, ut *vicus*, *vicinus*; *adulter*, *adulterinus*; seu brevi, ut *tartarus*, *tartarinus*. Ut illo veteris Poëtæ*:

Corpore tartarino prognata Paluda virago.

Sic *byssinus*, *amethystinus*, *adamantinus*, *crystallinus*, *cedrinus*, *faginus*. In qualibus & syncope occurrit. Ut *quercus*, *quercinus*, *quernus*; *corylus*, *corylinus*, *colurnus*; *ficus*, *ficulinus*, *ficulnus*; *populus*, *populinus*, *populnus*; ut apud Plautum Casinâ, *Populna sors*. I longo, ut *censor*, *Censorinus*, proprium; &, in communibus, sive appellativis, *lepus*, *leporinus*; *formica*, *formicinus*; ut apud Plautum Menæchmis, *formicinum gradum*; *hirundo*, *hirundinus*; ut apud eundem Menæchmis, *Hirundinum nidum*. Apud Priscianum lib. 11 legas: *Macer*, *Macrinus*; *libertus*, *libertinus*; *dives*, *divinus*. Corrige, *divus*, *divinus*. Saltem sic scribere debuit.

* Apud Varronem in 6 de L. L.

OSUS, ut *gula*, *gulosus*; *piscis*, *piscosus*; *lachryma*, *lachrymosus*; *acinus*, *acinosus*. Sic *lapidosus*, *morosus*, *suspiciosus*, *ebriosus*, *rimosus*; multaque id genus alia à Bartio congesta Adversariorum lib. xxxv, c. ix.

OX, ut *vena*, *venox*.

RIS, vide ARIS.

RIUS, vide ARIUS.

RNUS, ut *tacitus*, *taciturnus*; ab ablativis *diu*, *noctuque*, *diurnus*, *nocturnus*; à *mensis*, *mensurnus*; quæ tria Cicero in primo de Inventione jungit: *Pars quædam æternitatis, cum alicujus annui, mensurni, diurni, nocturnive spatii certâ significatione.* Ab *hyeme* similiter esset *hiemernus*; pro quo *hybernus* dicitur. Nisi cum nonnullis deducere malis ab *imber*, ejecto M. Sed prius longè verisimilius.

STINUS, vide TINUS. STIS, ut *cælum*, *cælestis*; *ager*, *agrestis*.

STRIS, ut *campus*, *campestris*; à *pede*, *pedestris*.

SUS, vide OSUS.

TARIUS, ut *proles*, *protelarius*. Quod & *proletaneus*, ut antea dictum.

TERNUS, ut *alter*, *alternus*; *acer* arbor, *acernus*; *ævum*, *aviternus*, quo Varro usus, ut Priscianus docet, atque inde *æternus*, κατὰ συγκοπὴν, ut *ætas* ex *avitas*.

TICUS, ut ab *aqua*, *aquaticus*; à *via*, *viaticus*; à *favilla*, *favillaticus*; à *scena*, *scenaticus*; à *familia*, *familiaticus*, unde *sella familiatica*, apud eundem: à *sylva*, *sylvaticus*; ut *mus sylvaticus*, apud Plinium lib. xxx, cap. ix. Etiam à *balnea*, *balneaticum*, pretium, quod pro lotione in balneis persolvebatur. Gloss. *Balneaticum*, βαλανικόν. A *Martiâ* pecuniâ, *Martiaticum*. Priscianus lib. ult. qui est de primis versibus xii libb. Æn. *Solemus etiam Martiaticus, Martiatica, Martiaticum dicere: unde stipendia militum Martiatica dicuntur.* Etiam à *cathedra*, *cathedraticum* legas, apud Pelagium epistolis ad Cresconium.

TIMUS, ut à *mari*, *maritimus*; à *lege*, *legitimus*; à *fine*, *finitimus*; ubi *timus* esse productionem vocis, etiam Tullius ait in Topicis. Simile ab *æde*, *æditimus*. Sed hoc, etsi natura adjectivum, substantivè sumitur. Ineptè autem Charisius, *æditumus*, quasi *ædis intimus*. Simile est à *claustris*, *claustritimus*. Usus Lævius in Protesilaodamia, teste Gellio lib. xii, cap. x; ubi sic ait vocari, *qui claustris januæ præesset*.

TINUS, ut *vesper*, *vespertinus*; à *vesper*, *vespertinus*; à *pariete parietinus*; unde *parietina*, *supple ruina*. Item ab *ariete*, *arietinus*; ut *arietinum oraculum*, pro illo Jovis Ammonis, cujus caput cum arietis cornibus erat. Item præeunte S, ut *medius*, sive *media*, *mediastinus*; non à *medio stando*, vel *tenendo*, ut ait Priscianus in 11.

TRUUS, ut *mensis*, *menstruus*; ex quo *menstruus*.

TUMUS, ut à *quotus*, *quotumus*, ποσός; *medius*, *mediotumus*, quod & *medioxumus*.

TUS, sive A præeunte, ut à *corde*, *cordatus*; *tunica*, *tunicatus*: à *reus*, *reatus*: sive I, ut *avus*, *avitus*; *ignis*, *ignitus*: sive V, ut *nasus*, *nasutus*; *astus*, *astutus*; sive consonâ S, ut *moles*, *molestus*; *honos*, *honestus*; *modus*, *modestus*; *jus*, *justus*; *Venus*, *venustus*; *vetus*, *vetustus*; *fides*, *fidustus*, teste Festo; item ab *augur*, vel *augurium*, *augustus*.

UNDUS, ut à *joco*, *jucundus*. Nisi verbale à *jutum*, quod verius puto, ut inferius dicam.

US, præcedente consonâ, & ante eam vel præeunte V puro, I, ut *septem*, *septimus*; *decem*, *decimus*; sive O, ut *decor*, *decorus*; *honor*, *honorus*; & ab antiquo *sonor*, *sonorus*: vel præeunte V puro, ut *annus*, *annuus*.

US post U vocale, vide in US.

US post V consonum, vide IVUS.

XUMUS, ut *medius*, *medioxumus*.

Ex his denominativa materialia desinunt in EUS, ACEUS, ICIUS, & INUS. EUS, ut *æreus*, *buxeus*.

ACEUS, ut *rosaceus*, *argillaceus*.

ITIUS, ut *lateritius*, *sarmentitius*.

INUS, ut *amygdalinus*. Ac simile est *acernus*, pro *acerinus*. Sed abit, *abiegnus*, pro *abietinus*.

Quædam duplicem habent terminationem: ut, *arundineus*, & *arundinaceus*; *eboreus*, & *eburnus*, quod ex *eborinus*: *ficulnus*, & *ficulneus*: *populnus*, & *populneus*.

CAP. XXXII.

Verbalium substantivorum variæ terminationes, veraque in multis origo ostenditur.

VErbalium terminationes itidem variant. Illas Substantivorum primùm referemus.

A, ut *scribo*, *scriba*; *suadeo*, *suada*; *fugio*, *fuga*; *strigo*, pro *stringo*, *striga*; *cœno*, *cœna*; *curo*, *cura*; *accolo*, *accola*, *advenio*, *advena*; à *pertigo*, pro *pertingo*, *pertica*, ut eadem Belgis *recke* à *reiken*, hoc est, *extendere*. Similiter fortasse à *fabrico*, *fabrica*, & à *tego*, *toga*; nisi hoc à στέγω, ut στολή, à στέλλω. Item à supino, ut *fossum*, *fossa*.

ACA, ut *cloaca*, sive *cluaca*, à *cluo*, sive *colluo*.

AR, ut *subligo*, *subligar*; & si veterum multos audimus, à *cæsum*, *Cæsar*.

ARIUS, vel ARIUM, ut ab *auctum*, *auctarium*; ab *inventum*, *inventarium*. Sed naturâ hæc adjectivis accensentur.

AVER, ut *cado*, *cadaver*; & fortasse à *papo*, *papaver*; quia pueris papandum, hoc est in papa comedendum daretur.

BER, ut *facio*, *faber*; *tumeo*, *tuber*; *glubo*, vel γλάφω*, unde γλαφυρὸν†, *glaber*; *luo*, *liber*, quia reluitur, sive deglubitur. Propriè enim *liber*, quod inter corticem, & lignum. *Suo*, *suber*; quia calceis insuitur. Vulcanus quoque *Mulciber*, à *mulceo*, quia mulcet, hoc est, molliat ac feriat ferrum.

* Scalpo. † Scalptura perpolitum.

BRA, ut *dolo*, *dolabra*; *lateo*, *latebra*; *salio*, *salebra*; *scateo*, *scatebra*; *tero*, *terebra*; *verto*, *vertebra*: & per syncopen *finio*, *fibra*.

BRIS, ut ab *anculo*, sive *anclo*, hoc est, ministro, *anclabris* mensa. Sed veriùs hoc adjectivum, ut cap. proximo liquebit.

BRO, ut *crabro*, à *craceo*, hoc est, gracilis sum.

BRUM, ut *ventilo*, *ventilabrum*; *cerno*, *cribrum*; *prohibeo*, *proæbrum*, sive *probrum*; *polluo*, *pollubrum*; *volutatum*; *volutabrum*, *flo*, sive *flatum*, *flabrum*; *deluo*, *delubrum*, ubi se sacrâ deluerent aquâ, uti dictum*.

* Cap 30.

BULA, ut à *tero*, *tritum*, *tribula*; à *fari*, *fatum*, *fabula*; à *flecto*, *flectibula*; à *mando*, *mandibula*: à *verto*, *vertibula*.

BULUM, ut *despolio*, *despoliabulum*: quo, ex mente Nonii, usus Plautus Bacch. act. III, sc. I. Nam in vulgatis est *desidiabulum*, quod denominativum sit à *desidia*. Sic *exoro*, *exorabulum*: *pateo*, *patibulum*: *lateo*, *latibulum*: *infundo*, *infundibulum*: *ruo*, vel *rutum*, *rutabulum*, instrumentum ad ruendum, *πάω*, unde *pasco*, *pabulum*: *sedeo*, *sessibulum*, quod usurpat Plautus Pœnulo act. I, sc. II: *sto*, *stabulum*: &, credo, similiter, *prosto*, *prostibulum*: *suscito*, *suscitabulum*: quo usus Varro ὄνῳ λύρας·

Phonascus adsum, vocis suscitabulum,
Cantantiumque gallus gallinaceus.

Item *tintino*, quod à *tinnio*, *tintinabulum*: *venor*, *venabulum*.

CER, vel CRIS, ut *volo*, *volucer*, *volucris*: quomodo Belgis *vlug* à *vliegen*. Sic à *ludo*, *ludicer*, vel *ludicris*.

CIA, ut *fiducia*, à *fido*: nisi potiùs à *fidus*.

CLA, vide in VLA.

CRUM, ut *simulatum*, *simulacrum*: *ambulatum*, *ambulacrum*: *lavatum*, *lavacrum*: *lutum*, *lucrum*: *involutum*, *involucrum*: *sepultum*, *sepulcrum*: *politum*, *polcrum*: *fultum*, *fulcrum*.

CULA, ut *subucula*, à *subuo*, quod est, sub alio induo: nempe à *sub*, & *duo*, eliso D, ut in *exuo*, pro *exduo*. Insubidè Marcellus Donatus†, *subucula*, quia *sub culo* nectatur.

† *Dilucidat. in Pollionem.*

CULUM, præcedente A, ut *guberno*, *gubernaculum*: *signo*, *signaculum*: *habito*, *habitaculum*: *iento*, *ientaculum*: *specto*, *spectaculum*: *oro*, *oraculum*: *pio*, *piaculum*: *noto*, *notaculum*: quo utitur Minutius Felix: *retineo*, *retinaculum*: ab umbro, (non ab umbra) umbraculum. Prævio I, ut *perpendo*, *perpendiculum*: *veho*, *vehiculum*; *curro*, *curriculum*; *cubo*, *cubiculum*; *redimio*, *redimiculum*. Etiam post O, ut *potum*, vel *πίω*, *poculum*. Item post consonam, ut *fero*, *ferculum*; *operio*, *operculum*. Sed puto hic *i* elisum per syncopen.

CUS, ut *foveo*, *focus*; *pudet*, sive *puditum*, *pudicus*.

DO, antecedente E longo, ut *torpeo*, *torpedo*; *cupio*, *cupedo*; *uro*, *uredo*. Vel I longo, ut *cupio*, *cupido*; *libet*, *libido*. Vel V longo, ut *valeo*, *valitum*, & olim *valetum*, *valetudo*, vel *valitudo*. *Dulcedo*, *raucedo*, *rubedo*, ut à *dulceo*, *rauceo*, *rubeo*, ita & à *dulcis*, *raucus*, *ruber*, possis deducere.

EDO, vide DO.

ELA, vide LA.

EN, ut *pecto*, *pecten*; *unguo*, *unguen*.

ENO, ut *tollo*, *tolleno*, sive *toleno*, à *tolo*, unde *tetuli*, & *tolero*.

ENTUM, ut *unguo*, *unguentum*. Sed fortasse cùm ut illa in *men*, & *mentum*, duplicem ferè habent terminationem; ita *unguen*, & *unguentum* dicamus: potiùs per syncopen hæc efferuntur, pro *unguimen*, & *unguimentum*. Quomodo autem *men*, & *mentum*, sæpe vocem producant, paullò pòst dicemus.

ER, ut *scalpo*, *scalper*, unde *scalpellus*.

ERNA, ut à supino *latum*, *laterna*, quia fert lucernam; à *luceo*, *lucerna*, utcunque variet quantitas.

ES, ut *trameo*, *trames*; *cado*, *cedes*; *tego*, *teges*; *veho*, *vehes*; *nubo*, *nubes*; *antisto*, *antistes*; *luo*, *lues*; *struo*, *strues*; *sepio*, *sepes*; *pago*, (unde *pepigi*, & *pagina*) *compages*; *tudo*, (unde *tutudi*) *tudes*; à *rupo*, pro *rumpo*, (unde *rupi*) *rupes*; à *rabio*, *rabies*; ab *acuo*, *acies*, V in I abeunte; ab *esurio*, *esuries*; à *præsideo*, *præsides*, & κατὰ συγκοπὴν, *præses*.

ETAS, vide TAS.

ETUM, vide TUM.

EUS, ut *abigo*, *abigeus*.

EX, ut *apio*, *apex*, & fortè à *rumo*, *rumex*. Vide X.

GO, præcedente A, ut *voro*, *vorago*; ab *imitor*, *imitago*, & per syncopen *imago*. Præeunte I, ut *prurio*, *prurigo*; *uro*, *urigo*; *verto*, *vertigo*; *rubeo*, *rubigo*; *scaturio*, *scaturigo*; *orior*, *origo*, *impeto*, *impetigo*.

IA, ut *furia*, à *furo*; *attegia*, ἡ σκηνή, ab *attego*; *lacinia*, à *lacino*, quod & *lancino*, λακίζω.

ICIUS, ut à *proseco*, *prosicia*. Sed naturâ est adjectivum.

IDO, vide DO.

IES, ut à *facio*, *facies*; à *sero*, *series*; à *scabo*, *scabies*; à *progeno* pro *progigno*, *progenies*; ab *eluvo*, pro *eluo*, *eluvies*; à *proluvo* itidem *proluvies*; à *figo*, pro *fingo*, unde *figura*, *effigies*.

IL, ut à *vigilo*, *vigil*; à *pugno*, *pugil*; nisi à πὺξ, unde πύκτης.

ILE, ut à *cubo*, *cubile*; à *sedeo*, *sedile*.

INA, vide NA.

INIUM, ut *scrutor*, *scrutinium*, Appulejo in IX.

IO, sive à præsenti, ut *lego*, *legio*; *ludo*, *ludio*; *occido*, *occidio*; *interneco*, *internecio*; *opinor*, quod olim *opino**; *opinio*: ab *alluvo*, pro *alluo*, *alluvio*: sive à supino, ut *fricatum*, *fricatio*; *frictum*, *frictio*; *præstatum*, *præstatio*; *quæstum*, *quæstio*; *ratum*, *ratio*; *flexum*, *flexio*; *itum*, *itio*; *reditum*, *reditio*; *ambitum*, *ambitio*. A *suspicatum* similiter esset *suspicatio*, pro quo per syncopen dicitur *suspicio*, antepenultimâ longâ, ut defectus syllabæ moduli incremento quodammodo compensetur.

* *Prisc. lib. 8.*

IS, ut à *meto*, *messum*, *messis*; à *metior*, *mensum*, *mensis*, nisi à Græco μήν; à *consulo*, *consulis*, & per apocopen *consul*; à *præsilio*, *præsulis*, unde simili apocope *præsul*.

IUM, ut *incendo*, *incendium*; *ædifico*, *ædificium*; *obsono*, *obsonium*, vel ex Græco ὀψώνιον; *consulo*, *consilium*; *litigo*, *litigium*; *excido*, *excidium*: *judico*, *judicium*, nisi malis esse à *judex*. A supino autem, ut *solor*, *solatum*, *solatium*; ab *ineo*, *initum*, *initium*; ab *exeo*, *exitum*, *exitium*.

IUS, ut *genius*, à *geno*, hoc est, *gigno*.

IX, ut *appendo*, *appendix*: *offendo*, *offendix*: de quo Festus.

LA, præcedente E longo, ut *suadeo*, *suadela*: *candeo*, *candela*: *medeor*, *medela*. Etiam à supinis, ut *sutum*, *sutela*: *corruptum*, *corruptela*: *tueor*, *tuitum*, *tutum*, *tutela*. Eoque exemplo, ubi priores *cautio*, posteriores *cautela*, à *cautum*: Tertullianus etiam à *peccatum*, *peccatela*. Item præcedente V brevi, sive à præsenti, ut *rego*, *regula*: *tego*, *tegula*: sive à supino, ut *claudo*, *clausum*, *clausula*.

LUM, ut *jacio*, *jaculum*: *capio*, *capulum*: *specio*, *speculum*: *cingo*, *cingulum*: *vincio*, *vinculum*: *amicio*, *amiculum*: *premo*, *prelum*, seu *prælum*: *sequor*, *seculum*, quia notat temporum seriem.

LUS, ut *capio*, *capulus*: *cingulo*, *cingulus*.

MEN, præcedente A longo, ut hæc à supino venientia, *puto*, *putatum*, *putamen*: *foro*, *foratum*, *foramen*: *flo*, *flatum*, *flamen*, pro *flatu*: *sterno*, *stratum*, *stramen*: *gravor*, *gravatum*, *gravamen*: *lator*, *latatum*, *latamen*: *pedatum*, *pedamen*. Præcedente I brevi, ut *rego*, *regimen*: *specio*, *specimen*. Sed *i* breve sæpius exteritur, ut *ago*, *agimen*, *agmen*: *tego*, *tegimen*, *tegmen*. Præcedente I longo, ut *farcio*, *farcimen*: *vieo*, *vimen*: *discerno*, *discrimen*, pro *discremen*, à *discretum*. Nisi ut à κρίμα *crimen*, sic à διάκριμα *discrimen*. Præeunte O longo, ut à *notum*, *nomen*. V longo, ut *albeo*, *albumen*: *lego*, *legumen*. Et per syncopen, *luceo*, *lucimen*, *lumen*: *fluo*, *fluimen*, *flumen*.

MENTUM post A, ut *juratum*, *juramentum*; *incitatum*, *incitamentum*; *sacratum*, *sacramentum*; non quasi sacratio mentis; *testatum*, *testamentum*, non quasi testatio mentis: etiam in tertiâ, ut *rasum*, *ramentum*; pro quo & Plautus *ramenta**: *pedatum*, *pedamentum*. Item præcedente I brevi, ut *alitum*, *alimentum*. Sed I hoc quandoque exteritur: ut à *frago*, (unde *fregi*, & *fragilis*) *fragimentum*, *fragmentum*; *augeo*, *augimentum*, *augmentum*; *seco*, *secimentum*, *segmentum*. Præcedente I longo, ut *nutritum*, *nutrimentum*; *muni-*

* *Rud. act. 4. sc. 3.*

munitum, *munimentum*. V brevi, ut *monitum*, *monimentum*, & *monumentum*: *doceo*, *documentum*: *tego*, *tegumentum*. V longo, ut, *juvo*, *jutum*, *jumentum*: *induo*, *indutum*, *indumentum*.

Quædam autem utramque habent terminationem. Quomodo dicitur, *calciamen*, & *calciamentum*: *fundamen*, & *fundamentum*: *tormen*, & *tormentum*: *medicamen*, & *medicamentum*: *momen*, & *momentum*: *fragmen*, & *fragmentum*: *indumen*, & *indumentum*. Rufinus in tralatione Josephi lib. XVII: *Quando civitatem intrabat, induminibus utebatur*.

MNIA, *ut* à *calvo*, hoc est, frustror, *calumnia*: nempe à supino *calutum*, juxta Priscianum.

MNVS, ut à *verto*, *Vertumnus*, ab *auctu*, *auctumnus*.

MONIA, ut *alimonia*, *querimonia*. Quæ satis liquet venire à præsenti, non supino. Quare & *parcimonia* malim, quàm *parsimonia*.

N, ut *fidicen*, *tibicen*: quæ verbalibus accensemus, ratione partis posterioris. Sed, puto, integrè prius, *fidicinis*, *tibicinis*.

NA, sive præeunte E longo, ut *habeo*, *habena*: *lanio*, *laniena*: *transeo*, *transena*, seu *transenna*, quia per eam visus transeat: sive I longo, ut *rapio*, *rapina*: *fodio*, *fodina*: *ruo*, *ruina*: *colo*, *culina*: *ango*, *angina*: sive I brevi, ut à *pago*, (unde *pepigi*) *pagina*: & à *pateo*, *patina*, nisi potius à πατάνη.

NTAS, ut *volo*, *voluntas*. Sed priùs, credo, *volunitas*, unde *voluntas*: ut à *volupe*, *volupitas*, *voluptas*.

NVM, ut à *fatu* oraculorum, *fanum*. Et similiter à *rego*, *regnum*: quod contractum è *reginum*.

NVS, ut *facio*, *facinus*; *colo*, *colonus*; à *venio*, ut putant, *Venus*.

O, ut *cado*, *casum*, *caso*. Quædam verbalia in O planè conveniunt cum verbis; ut *calcitro*, *comedo*, *verbero*, *lanio*, *anteambulo*, *formido*. R verò abjiciunt *prædo*, *lurco*, *epulo*; quæ à deponentibus veniunt.

OR, sive à præsenti, ut *amor*, *calor*, *canor*, *clangor*, *decor*, *fragor*, *furor*, *rubor*, *sonor*, *sopor*, *sudor*, *tenor*, *terror*, *timor*, *vigor*: sive à supino, ut *arator*, *orator*, *messor*, *potor*, *potator*, *quæstor*, *fossor*, *victor*. Fortasse & à præterito: ut ab *unxi*, *unxor*, & postea uxor: quia mariti postes ungeret. Nisi ab αὔξω *auxor*, & inde *uxor*, vel à præterito *auxi*: quia domum augeat liberis.

ORIVM, ut *diverto*, *diversum*, *diversorium*; *tendo*, *tentum*, *tentorium*; *adjuvo*, *adjutum*, *adjutorium*. Etiam à *promineo* ἀναλόγως fit *prominitum*, indeque *prominitorium*, pro quo per syncopen *promuntorium*: non *promontorium*, ut vulgò scribitur, contra auctoritatem veterum codd.

OX, ut à *volvo*, *volvox*, vermis, qui aliter *volucra*, & *convolvulus*.

PLVM, ut ab *eximo*, sive *exemtum*, *exemplum*, quia ex turba aliorum eximitur.

RA, ut *pateo*, *patera*.

RINA, ut *doceo*, *doctum*, *doctrina*; *molo*, *molitum*, *moletrina*.

RINVM, ut *pinso*, *pistrum*, *pistrinum*; *texo*, *textum*, *textrinum*.

RIX, ut *victum*, *victor*, *victrix*. Vide X.

RVM, ut *aro*, *aratum*, *aratrum*; *ruo*, *rutum*, *rutrum*; *fulgeo*, *fulgitum*, *fulgetrum*; *scalpo*, *scalptum*, *scalprum*; *rado*, *rasum*, *rastrum*; *mulgeo*, *mulctum*, *mulctrum*; *claudo*, *clausum*, *claustrum*; *tondeo*, *tonsum*, *tonstrum*, unde *tonstrina*; *video*, *visum*, *vitrum*; *veritum*, *veretrum*; *haustum*, *haustrum*; *clausum*, *claustrum*.

RVS, RV, & RVVM, ut à *tonitum*, *tonitrus*, *tonitru*, & *tonitruum*.

SCA, ut ab ἔδω, *esca*; à πίω, *posca*: & fortè à *noceo*, *nosca*, ac per μετάθεσιν *nocsa*, sive *noxa*.

SIO, vel SIVS, ut *amo*, *amasio*, *amasius*.

SO, ut ab *ago* volunt esse *agaso*. Sed est hoc à Tarentinis.

STAS, ut ab *egeo*, *egestas*.

STRVM, ut *moneo*, *monitum*, *monstrum*; *fluo*, *flutum*, pro *fluxum*, *flustrum*.

STVM, ut à *fraudo*, sive *frudo*, *frustum*, quia frudatur totum.

TA, ut *moneo*, *moneta*, de Junone, Mnemosyne, & pecunia.

TAS, ut *satio*, *satietas*.

TRVM, vide RVM.

TVM, ut *vireo*, *viretum*; *aceo*, *acetum*; *oleo*, *oletum*.

VER, vide AVER.

VL, ut *consulo*, *consul*; *præsilio*, *præsul*. Sed κατ' ἀποκοπὴν, puto, ex *consulis*, *præsulis*.

VLA, ut *rabo*, vel *rabio*, *rabula*. Etiam ab *assequor* similiter *assecula*, ex quo *assecla*.

VM, ut *freno*, *frenum*; *signo*, *signum*; *guberno*, *gubernum*; *visio*, βδέω, *visium*, βδέσμα.

VR, ut *fulgeo*, *fulgur*.

VS, ut *mergo*, *mergus*; *salio*, *Salius*; *impeto*, *impetus*, ἐπιφορά.

VLTVS, *tumeo*, *tumultus*, non quasi *timor*, aut etiam *tumor multus*.

VLVS, vel VLVM, ut *tumeo*, *tumulus*; *specio*, *speculum*.

VRA, ut à *censu*, *censura*; à *positu*, *positura*; à *mensu*, *mensura*; à *natu*, *natura*; à *figo*, pro *fingo*, *figura*. Sic *jactura*, *impostura*, *mercatura*, *calatura*, *genitura*, alia, quædam etiam minus obvia, ex parte Giffanio memorata Indice Lucretiano, in *Dispositura*.

VS, à præsenti, ut *sono*, *sonus*; *gusto*, *gustus*; *mergo*, *mergus*; *condo*, *condus*; *promo*, *promus*; *arceo*, *arcus*; *decet*, *decus*; *sibilo*, *sibilus*; *coquo*, *coquus*; *gero*, *gerus*, pro quo in usu *gerulus*. A supino, ut à *latratum*, *latratus*; à *crepitum*, *crepitus*; ab *habitum*, *habitus*; à *nexum*, *nexus*; à *visum*, *visus*; ab *ortum*, *ortus*; ab *accedo*, & *excedo*, *accessus*, & *excessus*; ab *abscedo*, *abscessus*; & similia.

X, à præsenti, ut *verto*, *vertex*: *lateo*, *latex*: *illicio*, *illex*: *pellicio*, *pellex*: *lego*, *lex*: *rego*, *rex*: *struo*, *struix*: *tumeo*, *tumix*, vel *tumex*: *duco*, *dux*: *traduco*, *tradux*: *luceo*, *lux*: *conjugo*, *conjux*: *arceo*, *arx*. Item feminina, quorum masculina in TOR exeunt: ut *altrix*, *ultrix*, *genetrix*. Quæ veniunt à supinis.

CAP. XXXIII.

Verbalium adjectivorum terminationes, & multorum origines. Currax, crepax, cadax. *Verbalium in BILIS alia solum activè, alia passivè, alia utroque modo accipi. Eoque defensus Boethius, quòd* risibilis, hinnibilis, *dicat de iis, qui rideant, vel hinniant.* Alebris. *Verbalia in BVNDVS non significant similitudinem, ut putarunt: sed idem notant, quod participia, unde descendunt.* Impeteius, satureius, utensibilitas.

ADjectiva verbalia desinunt hoc pacto:

ALIS, ut à *penetrando*, *penetralis*: quomodo *penetrale sacrificium* legimus apud Festum.

ARIS, ut *speculor*, *specularis lapis*, per quem viderent.

ARIVS, ut ab *admittendo*, *admissarius*: à *ferendo*, *ferentarius*: à *sedendo*, *sedentarius*.

ATICVS, ut *erro*, *erraticus*, ut *stella*, vel *herba*, *erratica*: *dono*, *donaticus*, unde *hasta donatica*, de quibus Festus.

AX, ut *edo*, *edax*: *voro*, *vorax*: *fero*, *ferax*: *emo*, *emax*: *vendo*, *vendax*, apud Catonem*: *sequor*, *sequax*. Et elisâ vocali, *audeo*, *audax*: *rapio*, *rapax*: *efficio*, *efficax*: *teneo*, *tenax*. Et totius syllabæ syncope, *pellicio*, *pellax*. Sunt etiam, ubi sola vocalis O in AX vertatur, & in his quædam minùs obvia: ut *currax* apud Gratium Cynegetico. Glossæ: Δρόμαξ, *currax*. *Crepax*, apud Mæcenatem, ex quo Seneca† citat: *Genium festo vix suo testem*,

* De R.R. cap. 2.

† Epist. 114.

stem, tenuis cerei ‡ *fila, & crepacem molam.* Ausonius initio Ephemeridis:

Jam strepit nidis vigilax hirundo.

Item *cadax.* Isidorus in glossis: *Cadax, claudus, qui sæpe cadit.*

BILIS, à præsenti, *vinco, vincibilis: resto, restibilis:* antiquum *odio,* unde *odi, odibilis,* apud Attium, & Lampridium; item *utor, utibilis.* Nam à supino foret *victibilis, osibilis, usibilis.* Sic à præsenti *patibilis,* & *ineloquibilis,* quod apud Lactantium. A supino verò *volutum, volubilis.* Quippe à præsenti esset *volvibilis.* Sic *amatum, amabilis.* Nam à præsenti potiùs esset *amibilis. Flebilis,* & *credibilis,* ab utroque possis deducere. Hujusmodi verbalia sæpius exponuntur passivè, ut *amabilis,* amari dignus; *placabilis,* qui facilè, vel aliquâ saltem ratione placari potest: *nobilis,* qui noscitur. Interdum & activè, ut *conducibile,* quod conducit: Terentio *, *vincibilis caussa,* quæ facilè vinceret: Virgilio †, *penetrabile telum,* facilè penetrans. Etiam Poëtis, *sol genitabilis,* qui generat: *exitiabile telum,* quod afferat exitium: nec aliter *exitiabilis dies* ‡: item *impetrabilis* *, à quo quid facilè impetres, utrumque apud Plautum: & apud eundem, *amicabilis, ignorabilis, voluptabilis,* & *utibilis,* similiter usurpantur.

Quædam etiam nunc ἐνεργητικῶς † capiuntur, nunc παθητικῶς ‡. Ita *immemorabilis* nunc eum significat, qui nihil memorat: nunc qui memorari non debet. Priori modo usus Plautus Cistel. act. II, sc. II, ubi de lena ait: *Sibi moderatrix fuit, atque immemorabilis.* Hoc est, pertinaciâ usa est maximâ in reticendis iis, quæ maximè nôsse gestiebam. Posteriori modo usurpat idem Captivis *, cum dicit, *versus immemorabiles,* quos Græci ἀῤῥήτους vocant. Ac Lucretius † eodem modo:

Immemorabile per spatium transcurrere posse.

Similiter *excruciabilis* tum activè dixeris, de illo, qui cruciat alterum: tum passivè de eo, qui dignus excruciari. Atque utroque modo accipere possumus eâpse Comœdiâ act. IV, sc. I, ubi anum excruciabilem vocat, quæ inficias ibat, quòd fuerat confessa. Ut immeritò Boëthium reprehendant ‡, quòd γελαστικὸν transtulerit *risibilem,* pro ridere apto, sive eo, qui insitam habet ridendi facultatem. Et par ratio in *binnibile,* & aliis.

BRIS quoque verbalium terminatio est, ut *lugeo, lugubris: alo, alebris,* θρέμμα, apud Festum, Diomedem, & Isidorum in glossis.

BVNDVS sæpe post A sequitur, ut ab *errabam, errabundus.* Nam formantur hujusmodi ab imperfectis. Sic à *vagabar, vagabundus.* Similiaque *plorabundus, populabundus, palabundus.* Interdum & præit E, vel I, ut à *gemebam, gemebundus:* à *ludebam, ludibundus:* ab antiquo *sitibam,* pro *sitiebam, sitibundus.* Sic *ridibundus, pudibundus, moribundus.* Putat Priscianus in IV, verbalia hujusmodi significare similitudinem. Sed dubium non est, quin idem notent ac participia activa. Unde Servius in illud Ecl. VI: *Errabunda bovis vestigia: Errabunda,* inquit, *errantia: ut ludibundus, ludens. Cicero: Omnia ludibundus conficiens.* Signat Servius locum illum in tertiâ Verrinâ: *Si Vultejum habebis, omnia ludibundus perficies.* Similiter *vitabundus* idem est, quod vitans; non similis vitanti. Tacitus in vita Agricolæ: *Cæterùm ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre; in fugam versi non agminibus, ut priùs, nec alius alium respectantes; rari, & vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere.* Et sanè Nonius quoque *errabundus,* & *volutabundus,* non aliter exponit, quàm *errans,* & *volutans.* Sed imprimis adi, quæ de hujusmodi nominibus fusè disserit Gellius Att. Noct. lib. XI, cap. XV.

CER, CRIS, vel CRVS; ut à *volo, volucer,* vel *volucris;* à *ludo, ludicer,* vel *ludicrus.*

CVLVS, ut *rideo, ridiculus.*

CVNDVS, ut à *fatum, facundus;* à *jutum, jucundus;* ab *iratum, iracundus;* à *veritum, verecundus.*

CVS, ut à *pudet, pudicus;* ab *amo, amicus,* quod olim *amecus;* à *cado, caducus.*

DIS, ut *vireo, viridis.*

DVS, ut *caleo, calidus; areo, aridus; aceo, acidus; valeo, validus; torpeo, torpidus; palleo, pallidus; liveo, lividus; candeo, candidus; albeo, albidus.* In quibus E mutatur in I.

EIVS, ut *impeto, impetejus: saturo, satureius,* unde herba *satureia.*

ENSILIS, ut *utor, utensilis,* unde *utensilia, euchrestia,* & *utensilitas,* apud Tertullianum libro de habitu mulierum.

ER, ut *piget, piger.*

EVS, vide VS.

ICIVS, à supino, ut *commendatum, commendaticius; pigneratum, pigneraticius; fictum, ficticius.* Ac similiter *facticius, adscititius, suppositicius, adscripticius,* aliaque, de quibus dictum cap. XXXI.

ICVS, à supino itidem, ut *erratum, erraticus; volatum, volaticus.* A præsenti autem *labor, lubricus.* Sed hic R inseritur, & A in V mutatur.

IDIS, vide DIS.

IDVS, ut *vivo, vividus; turbo, turbidus; fluo, fluidus.* Quomodo & desinunt, quæ retulimus in DVS: sed istic EO, hic O, in IDVS convertitur.

ILIS, à præsenti, ut *doceo, docilis: sorbeo, sorbilis: vigeo, vigilis,* & κατ' ἀποκοπὴν *vigil,* simili apocope ac à *consulo, consulis, consul.* A præsenti etiam *ago, agilis: facio, facilis: verto, vertilis,* apud Sidonium Panegyrico Majoriani:

——*Quoties crassatur vertile tergum*

Flatibus.

Ita constanter codices. Quod imitatus Saxo Gramm. lib. I:

Vertilis, inque novos converti cerea vultus.

Non *versilis,* ut edidere.

Item in deponentibus *gradior, gradilis: utor, utilis: labor, labilis.* A supino autem, *plicatum, plicatilis: tornatum, tornatilis: rotatum, rotatilis,* ut *rotatiles trochai.* Item *solutum, solutilis: rasum, rasilis: plexum, plexilis: nexum, nexilis: sectum, sectilis: coctum, coctilis.* Plurimùm verò, quæ hujus sunt loci, sumuntur passivè: ut *fusile,* quod funditur: *docilis,* qui docetur: *coctile,* quod coquitur. Quandoque & activè, vel neutraliter: ut *sessiles lactuca* *, quasi sedentes.

INVS, ut ab *interneco, internecinus:* nisi denominativum à *nece.* A *pariete, parietinus:* unde *parietina.*

IS, ut à *rebello, rebellis.*

ITIVS, vide ICIVS.

IVS, ut ab antiquo *anxum,* (quod ab *ango, anxi*) *anxius.* A *pluvo,* pro *pluo, pluvius:* à *fluvo,* pro *fluo, fluvius,* puta *amnis.* Ut in *fluvia,* quo Sisenna usus, Nonio teste, item in *pluvia,* intelligitur *aqua.*

IVUS, à præsenti, ut *cado, cadivus: recido, recidivus: vaco, vacivus: interneco, internecivus: intergero, intergerivus:* ab *adopto, adoptivus.* A supino, ut *satum, sativus: succisum, succisivus: actum, activus: passum, passivus: ablatum, ablativus: statum, stativus,* unde *stativa.*

LVS, ut *bibo, bibulus.* Item *pendeo, pendulus: pateo, patulus.* Præcedens vocalis absorbetur; vel mutatur, si malis productionem vocis esse non LVS, sed VLVS.

MVS, ut *alo, almus.*

NVS, ut *egeo, egenus: pleo, plenus.*

R, ut *rubeo, ruber.*

RICVS, vide ICVS.

RIVS, ut *statarius,* à *statum,* à *suasu* Fabio *suasorius.*

RVS, ut *aveo, avarus.* Non ex *avidus aris,* ut putarunt †.

STVS, ut ab *angendo, angustus:* nisi ab *angore* malis.

TICVS, vide ICVS.

TINVS, vide INVS.

VIS, ut à *gero* fortasse *gravis,* quasi *geravis.*

VLCVS, ut *bio, biulcus: peto, petulcus.*

VLIS, vide LIS.

VLVS, ut *tremo, tremulus: credo, credulus.* vide LVS.

VM,

‡ Alii Ceteris.
* Phorm. act. 1, sc. 4.
† Lib. 10.
‡ Plaut Epid. act. 4, sc. 2.
* Plaut. Mercat. & Mostellaria.
† Active.
‡ Passive.
* Prologo.
† Lib. 4.
‡ Perionius Ammon. in Porphyr. Isag.
* Martial. lib. 3, cap. 47.
† Nigidius apud Gell. lib. 10, c. 5. & Isidor. lib. 10.

VM, *fero*, *fertum*. Quod substantivè quidem sumitur, sed naturâ est adjectivum: ut dictum lib. I, cap. XLIV. In *fertum* autem intelligitur *coronamentum*: quod Plinius usurpat. At in *ferta*, cum est femininum, intellige *coronam*.

VS, ut *vivo*, *vivus*; *fido*, *fidus*; *pando*, *pandus*; *probo*, *probus*; *vagor*, *vagus*. Quæ verbalia derivantur a verbis exeuntibus in O impurum. Ab O puro veniunt *rubeo*, *rubeus*; *scio*, *scius*, unde *sciolus*; *nescio*, *nescius*; *saucio*, *saucius*. Quandoque vocalis ante O exteritur, ut *invideo*, *invidus*; *præsagio*, *præsagus*. Et hæc à præsenti veniunt. At à Supino, *solutum*, *solutus*; *acutum*, *acutus*; *adultum*, *adultus*; *statum*, *status*.

VS præcedente U vocali, sive à supino, ut *fatu*, *fatus*: sive à præsenti, idque vel exeunte in O purum, ut *resideo*, *residuus*; *assideo*, *assiduus*; *noceo*, *innocuus*: vel in O impurum, ut *cerno*, *cernuus*; *muto*, *mutuus*; *pasco*, *pascuus*; *irrigo*, *irriguus*; *divido*, *dividuus*; *cado*, *occido*, *occiduus*; *prodigo*, *prodiguus*, unde *hostia prodigua*, Festo. A *reliquare*, etiam *relicuus*, & κατὰ συναίρεσιν, *reliquus*. *Arduus*, dubium, sitne ab *ardeo*, an παρὰ τὸ ἀέρα δύειν, ab aëra subeundo.

VS præeunte V consono, ut fortè ab *alo*, *alvus*. Vide & IVUS.

X, vide AX. *Præcox* est ex *præcoquus*, à *præcoque*.

Cap. XXXIV.

Participialia. Adverbialium, & à præpositione venientium, terminationes. Antilena, postilena. *Tres syllabæ posteriores in* postliminium, *solùm vocis sunt productio. S veteres pro R amabant. Ad figuram transitur. Ex quatuor vocibus conflata. Nomina componi cum quibusvis orationis partibus, præterquam conjunctione, & interjectione.* Nihili *etymon.* Ve *præpositio loquelaris.* Vejovis *quis, & unde dicatur.*

HActenus de verbalibus: sequitur de iis, quæ veniunt à participiis, adverbiis, ac præpositionibus.

Participialia dicuntur, quæ ex participiis degenerant in nomina, amissione temporis. Ut *adolescens*, *torrens*, *præbenda*, *turunda*, ex *terenda*, & similia.

Horum terminationes cognoscere erit ex participiorum doctrina.

Adverbialia, & à præpositione venientia, his modis terminantur.

ANEVS, & ARIVS, ut *extra*, *extraneus*, & *extrarius*. Utroque enim modo in vett. codd. exaratum. De quo & Giffanius indice Lucretiano. A *clanculum*, *clancularius*, apud Tertullianum de Pallio.

ER, *citra*, vel *citera*, *citer*; *extra*, sive *extera*, *exter*.

ICVS, ut *ante*, *anticus*; *post*, *posticus*.

IA, ut *antia*, ab *ante*.

INQVVS, ut *longè*, *longinquus*; *prope*, *propinquus*.

IS, vide S.

IVS, ut *pris*, vel *priùs*, *pristinus*. Simile volunt, *mâne*, *Manius*. Sed *mane* ablativus est, ut alibi dictum. Quare simile est ac *luce*, *Lucius*.

LENA, ut *ante*, *antilena*; *post*, *postilena*. Illa enim in anteriori, hæc in posteriori parte equi.

LIMINIVM, in *postliminium*, productio est vocis, si audimus Servium Sulpicium. Sed melius de eo Scævola, qui junctum putat verbum ex *post*, & *limen*: de quo Tullius in Topicis ad Trebatium. Ac similiter Justinianus Instit. lib. I, Tit. XII.

NVS, ut *ter*, *ternus*; *quater*, *quaternus*.

RIVS, ut *contra*, *contrarius*.

RNVS, ut *hodie*, *hodiernus*, & lapsâ Latinitate, *modò*, *modernus*; quod apud Cassiodorum, & alios, legas.

S, ut *ante*, *antes*; *post*, *postes*.

TERNVS, ut *hesternus*, ab antiquo *hesi*, pro *heri*. Nam veteres S pro R amabant; unde dixere *asa*, *asena*, *Lases*, *Papisii*, *Ausesii*, & similia, pro *ara*, *arena*, *Lares*, *Papirii*, *Aurelii*. Fortasse & in *sempiternus*, *ternus* vocis est productio. Nisi malis conflari ex *semper*, & *æternus*.

TINVS, sive i brevi, ut *cras*, *crastinus*; *horno*, *hornotinus*; *diu*, *diutinus*: sive i longo, ut *intus*, *intestinus*. Nisi hoc ab ἐντόσθιος.

VS, ut *nuper*, *nuperus*; *extra*, sive *extera*, *exterus*; *super*, vel *supra*, *superus*; *post*, *posterus*.

De specie, sive derivatione satis dictum est. Quod attinet ad figuram sive compositionem, quam alterum declinationis voluntariæ genus faciebamus cap. I, & XXVIII hujus libri; ea universè nobis declarata libro superiori capite IV. Ubi inter cætera ostendimus, non esse figuram tertiam, quam vocant decompositam. Omne igitur nomen vel simplex est, vel compositum: nec minus, sed magis compositæ est figuræ, quod è tribus, vel quatuor vocibus componitur. Quale est δυσεκνόφθαρτος. Ut mittam Dithyrambicas compositiones, quarum exempla in Oratoriis institutionibus * adduximus.

Hebræis quoque conflari aliquid è quatuor vocibus, vel fidem fecerit מִלְּפָנֶיךָ *millephanecha*, q. d. *à apud faciem tuam*: nimirum ex hisce quatuor vocibus ךָ, פָּנִים, לְ, מִן *min*, *le*, *panim*, *cha*.

* *Lib. 4. cap. 1, sect. 8, & lib. 6, cap. 4. sect. 1.*

Componuntur nomina, vel cum nomine, ut *Respublica*, *magnanimus*, *paterfamilias*. Vel cum pronomine, ut *hujusmodi*, *ejusmodi*. Vel cum verbo, ut *lucifer*, *armiger*, *fatidicus*, *solpuga*, vel *solipuga*, à *sol*, & *pugo* seu *pungo*. Vel cum participio, ut *breviloquens*, *plebiscitum*, *senatusconsultum*. Vel cum adverbio, ut *benevolus*, *nihilum*, ex *ne*, & *hilum*. Unde Lucilius in XIV:

—— *Hilo non rectius vivas.*

Et vetus Poëta apud Varronem in VIII de L. L.

—— *Nec dispendi facit hilum.*

Vel cum præpositione, ut *advena*, *anteventulus*, *pomeridianus*, *transmarinus*, *perfidus*, *intercus*, *inhumanus*, *amens*, *demens*, *exspes*, &c. Addunt etiam conjunctionem; unde sit, *uterque* & *siquis*. Sed hæc pronomina sunt. Addunt & interjectionem, ut *Vejovis*. Verùm non est hoc à *va*, interjectione minantis, aut imprecantis: sed à *ve*, præpositione loquelari; quæ interdum auget, ut in *vepallidus*; sæpius autem minuit, ut in *vecors*, *vesanus*, *vegrandis*, *Vejovis*; quod *parvum Jovem* interpretatur Festus. Similiter Ovidius III Fast.

Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Et hæc de Nominibus: de quibus quia cursum meum confeci, non quidem vela colligo, sed rectà ad Verbum navigo; inde cum bono Deo, Pronomen petiturus, & reliquas vocum classes.

FINIS LIBRI SECUNDI DE ANALOGIA.

GERARDI JOANNIS VOSSII

ARISTARCHI,

SIVE

DE VOCUM ANALOGIA, ET ANOMALIA,

LIBER TERTIUS;

seu commentariorum

DE ARTE GRAMMATICA,

LIBER V.

Qui est de VERBO.

CAP. I.

Ad VERBUM acceditur, cujus super definitione sententia Julii Scaligeri, ac Diomedis refellitur. De Personalibus ubi loci agi debeat. Falsam esse definitionem, ex eo petitam, quia habeant ante se nominativum certa persona. Refellitur Diomedis error, existimantis, Impersonalia in TUR semper significare actionem: item Prisciani, putantis semper intelligi nominativum cognata significationis: adhac Julii Scaligeri, & Nicodemi Frischlini, negantium esse Impersonalia: item Diomedis & Nebrissensis, qui impersonalia passiva vocis existimarunt semper per signum universale exponi debere.

NEc minùs invitâ mihi Deliâ venati videntur Grammatici in Verborum doctrina. Ecce in Verbi definitione, in ipso nempe frontispicio, tanquam cantherius in porta labuntur: quemadmodum suprà* satis est ostensum. Nec magnus Cæsar Scaliger satis hic acutè vidit. Ut cui cap. I, lib. V de caussis L. L. definiatur *nota rei sub tempore.* Quæ definitio etiam Participio convenit. Addere debuerat, *sine casu.* Quomodo Diomedi definitur, *pars orationis præcipua sine casu.* Sed ista Diomedis definitio in altero peccat, quia οὐσίαν* verbi non tangit, sed potiùs elogium Verbi continet. Forma verò οὐσιώδης† est, quòd agere, pati, vel esse significat. Unde definitionem exstruere in proclivi est.

* Lib. 3 de re Grammatica cap. 2 & 3.

* Essentia.

† Essentialis.

Definitioni proximè subjungere Grammatici solent de Qualitate: ubi de Personalibus, & Impersonalibus, agunt. Verùm omnis hæc doctrina tractari demum debet in explicatione de accidente Personæ. Præterea nec verum est, quod dicunt, Personalia esse, quæ ante se obtinent nominativum: impersonalia, quæ eo destituuntur. Quod si esset, *innominativa*, non *impersonalia*, dici debuissent. Sed *innominativorum* vox inaudita est. Nec injuriâ; quandò impersonalia quoque tum activæ, tum passivæ vocis, crebrò ante se nominativum habent. Plautus Amphitr. act. II, Sc. II:

Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.

Et act. III, Sc. IV:

—— Ornatum capiam, qui potiùs ‡ decet.

‡ Al. potius.

Idem *pœnitet* quoque antiquè cum nominativo copulat in Sticho, Act. I, Sc. I:

Et me quidem hac conditio nunc non pœnitet.

Imò Cicero quoque Tuscul. V: *Sapientis est proprium nihil, quod pœnitere possit, facere.* Sic *pudet*, & *piget*; quorum illud ad turpe factum, hoc ad damnum refertur. Prius nominativum habet apud Terentium Adelph. Act. I, sc. II:

—— Quem neque pudet
Quicquam, nec metuit quemquam.

Alterum Phorm. Act. III, sc. III:

—— Quare, obsecro,
Nequid plus minusve faxit, quod nos pòst pigeat, Geta.

Similiter in *libet*, *liquet*, *licet*. Cicero lib. II de Oratore: *Si tibi id minus libebit, non te urgebo.* Idem lib. IV Acad. Quæst. *Si habes, quod liqueat, neque respondes, superbis.* Et Verr. IV: *Non idem mihi licet, quod iis, qui nobili genere nati sunt.* Similiterque Ovidius:

Quod licet, ingratum est; quod non licet, acriùs urit.

Idem lib. XII Met.

—— Nunc tertia vivitur ætas.

Martialis lib. VI, epigr. XLIII:

Canaque sulfureis nympha natatur aquis.

Et lib. XIII, ep. LIX:

Tota mihi dormitur hyems.

Adde quòd, cùm nominativus nullus est, haut diffiteri possunt, casum obliquum recti munia præstare. E. G. *Miseret me tui*, idem est huic, *Ego misereor tui.* Sanè si sic disseram, Quem alterius miseret, is affectu ducitur: at me miseret alterius: affectu igitur ducor: in minori pronunciato subjectum est *me*; prædicatum verò, *miseret alterius*: non quasi *me* naturâ suâ sit ὑποκείμενον*, quod non est

* Subjectum.

est nomen, sed casus nominis; verùm quia *ἰσοδυναμεῖ*† hîc nomini recto. Nam planè eadem vis & significatio istius est argumentationis, ac si efferas hoc pacto, Qui alterius miseretur, is affectu ducitur. Ego alterius misereor. Similiter, *Pœnitet me conditionis*, idem est illi Plautino, *Conditio pœnitet me.* Et, *Pudet me horum*, idem est, quod Terentii isthoc, *Hæc pudent.* Imò nec incommodè dicas, intelligi nominativum cognatæ significationis, vel infinitivum pro nominativo positum: ut *pœnitentia pœnitet me*; *miseratio miseret*; *tadium tædet*; *pudor pudet*; *pigere piget*, quasi *pigentiam* dicam. Nam *pigritia*, quod pro eo reponunt, aliud est. Ac tot quidem modis comprobatur, in impersonalibus activis nominativum tacitè intelligi.

† Idem valet.

Par verò ratio impersonalium passivæ vocis, iis absque nominativo usurpatis. Itaque Diomedes lib. I, ut ostendat impersonalia infiniti modi habere significationem agentis, exempli loco adducit, *Legitur*, *scribitur*; *hoc est*, *omnes legunt*, *omnes scribunt.* Non quidem diffiteor; lapsum in eo Diomedem, tum quòd existimet, impersonalia isthæc tantùm actionem significare, quasi non dicat Tullius‡; *Nihil mihi ab istu noceri potest*; quo disertim passio significatur: tum in illo etiam, quòd, ut necessarium, addit signum universale *Omne*; quasi, quod quidam voluere, hujusmodi impersonalibus semper significetur generalitas, ac non minùs rectè dicatur, *Cicero legitur a me*, quàm, *Cicero legitur ab studiosis eloquentiæ*: quo de errore aliquanto pòst dicemus. Verumtamen hæc non impediunt, quò minùs rectè doceat idem, in impersonalibus passivæ vocis intelligi nominativum. Nam in illo Plauti Pseudolo: *Quid agitur? P. statur hic in hunc modum*: & isthoc Persâ: *Quid agitur? P. vivitur*: quis, nisi Hypseâ cæcior, non videt, *statur*, & *vivitur*, idem esse, ac *stamus*, & *vivimus*? Itidem illud Maronis Ecl. I, *Usque adeo turbatur agris*: (quam lectionem, & Servius probat, ac jam olim agnovit Quinctilianus lib. I, cap. VIII) quis aliud esse credat ab illo, *Usque adeò turbamur agris*? quod Jo. Pierius se reperisse scribit in antiquissimo codice Romano, & in oblongo, Vaticanis, itemque Mediceo. Imò nec Solinus refugit cap. XLVII: *Bucephalus cum ab equario suo aliàs etiam molliter sederetur.* Nec rarò intelligendus nominativus cognatæ significationis, hoc est, qui rem verbi contineat. Quomodo in *vivitur* non malè intelligitur *vita*. In *curritur*, cursus: in *itur*, iter, vel via; in *sedetur*, sessio. Martialis lib. II, epigr. XXXII:

‡ In Catil.

Non bene, crede mihi, servo servitur amico.

Ubi *servitus* intelligitur; ut indicat illud Plauti Milite:

Nam ego jamdiu apud hunc servitutem servio.

Martialis isto, *Tota mihi dormitur hyems*, dormitur valet, dormiendo *transmittitur*, *abit*, *consumitur*. Similequè illi Ovidii, *vigilata noctes*. Sic, *pugnatur*, cùm dico, intelligitur *pugna*. Cicero pro Muræna: *Ex omnibus pugnis, quæ sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quæ cum Rege commissa est, & summâ contentione pugnata.* Eodemque penè modo dixit Sallust. in Jugurth. *Quæ negotia multo magis, quàm prælium male pugnatum a suis, regem terrebat.*

Non tamen, (quod Priscianus existimavit, secutus hâc in re Apollonium, ac Theotistum) id in omnibus locum habet. Interdum enim contrà fit. Cicero in Verrem: *Non est ab isto perseveratum.* Nam, *perseveratio est perseveratum*, Latinum non est. Sic cùm Tacitus lib. II Annalium ait; *Procursum est ab hoste*; nominativus *cursus* subintelligi nequit; etsi rectè dicamus, *cursum currere*; ut liquet ex isthoc Tullii contra Rull. II: *Cur non eosdem cursus hoc tempore, quos L. Cottâ, L. Torquato Coss. cucurrerunt?* Et tamen in his quoque nominativus potestate inest; cùm prioris loci sententia sit, *Iste non perseveravit*: posterioris, *Hostes procurrerunt.* Par ratio in hoc Liviano lib. I: *Romam frequenter migratum est à parentibus raptarum.* Et illo Plinii lib. V epist. *Legitimæ postulationi à quibusdam reclamatum est.* Sunt qui & aliâ ratione ostendere sunt conati, in hujuscemodi nominativum intelligi. Ajunt enim, per *se*, & nomen, resolvi posse: quomodo, *procursum est*, significat, *Cursus est factus*: &, *Migratum est*, signat, *Migratio facta est.* Interim diffiteri non possunt, quædam duriusculè isthoc modo resolvi. Sed dixeris, parum id referre, dum res ipsa clamet, posse sic resolvi. Est interea & tertia ratio, qua possit nominativus intelligi, vel saltem quod nominativi expleat vicem. Nam ut in præsentibus, præteritis imperfectis, & futuris, verus intelligitur nominativus: ita in præteritis perfectis, & plusquam perfectis, intelligere licet infinitivum pro nomine positum. E. G. Cum dico, *pugnatur*, *pugnabatur*, & *pugnabitur*, intelligitur, *pugna.* At in illo *pugnatum fuit*, vel *pugnatum fuerat*; intelligere licet, *pugnare*; quod pro *pugna* positum eâ ratione, quâ *scire* ponitur pro *scientia.* Ut igitur neutro genere dicitur, *Scire tuum*: ita eodem genere dicetur, *pugnare* est *pugnatum.* Par ratio in exemplis antea allatis. Nam, *Non est ab isto perseveratum*; integrè fit, *Perseverare non est perseveratum.* Ubi, *perseverare*, idem valet ac, *perseveratio.* Item, *Procursum est ab hoste*, valet, *currere est percursum.* Hoc est, *cursus est percursus.* Solùm hoc discriminis est, quòd infinitivi pro nomine positi sint generis neutrius; verbalia verò in A, vel IO, sint muliebria. Ac quanto magis hanc sententiam attendo, tanto impensiùs placet. Nam *pugnatum*, *perseveratum*, *cursum*, & similia, non sunt verba, sed participia, quæ necessariò sunt adjectiva. Non possunt igitur in oratione poni, nisi intelligatur vel verum substantivum, vel verbum infinitum, quod veri substantivi locum suppleat: atque ita usurpatum, generis fiat neutrius. Pluraque in hanc mentem dicimus libro de Structura cap. XIX: lucemque etiam afferent, quæ de gerundiorum constructione disseruntur ejusdem libri cap. LIII. Atque ex his liquidò liquet, impersonalia neutiquam dici, quòd non habeant ante se nominativum certæ personæ. Nec icirco sequendus nobis, vel Jul. Scaliger*, qui impersonalia putat commentum esse Grammaticorum, ac quomodo irrepserint, multis ostendere conatur: vel Nicodemus Frischlinus, qui, Scaligero tibicine nixus, nulla esse impersonalia asserit, quodque è Grammaticis expulerit, in præfatione suâ gloriatur. Vera enim, cur impersonalia dicantur, ratio illa est, quòd careant personis. Hinc Phocas disertim scribit: *Sunt verba, quæ in personis deficiunt, & impersonalia dicuntur.* At, inquit vir præstantissimus, si tertiæ sunt personæ, sunt alicujus personæ, ac proinde non *impersonalia*, sed *defectiva* dici debent. Et sanè hanc ejus sententiam confirmare haut leviter videtur, quòd quæ infinitivi modi sunt, à veteribus, teste Diomede, tum *insignificativa* dicta sunt, tum *impersonativa*; nempe quia non significant certam personam. At quid aliud significat *impersonativum*, quàm *impersonale*? Pro eapse sententiâ adduci possit isthoc Donati: *Sunt quæ in T desinunt, & impersonalia dicuntur: ut pudet, tædet, pœnitet, libet, oportet. Sed hæc & similia, defectiva existimanda sunt.* Utrique argumento unâ operâ respondemus. Certè *defectiva* vocari posse, non negamus: verùm non quia in defectivorum numero sunt, icirco *impersonalium* nomen iis minùs convenit. Neque enim sic vocantur, quia nullam certam significent personam, quomodo verba infinita dicta sunt *impersonativa*: sed quòd personis primariis, hoc est primâ secundàque, destituantur. Hoc modo personalia, & impersonalia, agnovit jam olim togatorum doctissimus Varro in IX de L. L. Nam de personalibus quidem hæc scribit: *Quæ verba tempora habent, neque casus, sed habent personas, eorum declinationum species sunt sex. Una, quæ dicitur temporalis, ut legebam, gemebam; lego, meto. Altera, personarum, ut sero, meto; seris, metis. Tertia, rogandi, ut scribone? legisne? legone? Quarta respondendi, ut fingo, pingo; fingis, pingis. Quincta optandi, ut dicerem, facerem; dicam, faciam. Sexta imperandi, ut cape, rape; capito, rapito.* Et hæc quidem de personalibus, sive, ut Varro appellat, verbis quæ tempora habent cum personis. De impersonalibus verò idem continuò hunc in mo-

* De causs. L. L. cap. 124.

modum: *Item sunt declinationum species quatuor, quæ tempora habent sine personis: in rogando, ut foditurne? seriturne? & fodieturne, sereturne? Ab respondendi specie eadem figuræ fiunt: extremis syllabis demtis. Optandi species, ut vivatur, ametur: viveretur, amaretur. Imperandi declinatus sitne, habet dubitationem: & earum sitne hæc ratio, paretur, pugnetur.* Videre hic est, ut Varro impersonalia vocis passivæ appellet declinationum species, seu verba, quæ habent tempora sine personis. A. gellius quoque impersonalia agnoscit. Nam lib. XV, cap. XIII: *Vetitum*, inquit, *sicut puditum, pigitum, non personaliter per infinitum modum dictum esse, non à vetustioribus tantùm videmus: sed à Marco quoque Tullio in II de finibus, Primùm, inquit, Aristippi, Cyrenaicorumque omnium: quos non est veritum, in eâ voluptate, quæ maximâ dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere.*

Denique nec hoc verum, quod Diomedes, & Antonius Nebrissensis, putarunt, impersonalia passivæ vocis significare generalitatem. Movit eos, quòd apud Tullium legamus ad Lentulum: *Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum est.* Et apud Tacitum lib. I Annal. *Accurritur ab universis.* Verùm non minùs Latinè dici potuit, *reclamatum est à Cicerone, accurritur à Bruto.* Cic. I Acad. *Nunciatum est nobis à M. Varrone, venisse eum Roma.* Idem ad Balbum lib. VI epist. *Nihil est à me inservitum temporis caussa.* Seneca lib. III Controv. *Insanitur à patre.* Plinius in Panegyr. *Pariter à te necessitatibus ejus subventum est.* Suntque id genus sexcenta.

Cap. II.

De Genere. Latinos ac Græcos, secus ac populi Orientales solent, nescire discrimen sexus in Verbis: eoque ἀκύρως* *Genus nuncupari, quod vel Significatio, vel potiùs Forma, aut Terminatio, dici debuit. Aliud à Grammaticis per verbum activum intelligi, aliud à Philosophis. Supina verba quæ dicantur Diomedi. Verbum dispescitur in Biforme, & Uniforme: ac utrumque pro terminatione O, vel OR, duplex statuitur.*

* Impropriè.

NEc commodè magis loquuntur Grammatici, cùm apud Latinos, aut Græcos, Verbo tribuunt Genus. Nam Genus nihil aliud est, quàm differentia vocis secundùm sexum. At Latini, Græcique, non habent in verbis sexus rationem: ut omnino ea aut nullius, aut omnis generis, dici debeant. Neque latet mihi, quemadmodum de viro dicimus *doctus*, de femina *docta*: ita & Latinæ linguæ auctores in verbo aliam de viro, aliam de femina terminationem excogitare potuisse. Nam cur minus id quiverint, quàm Hebræi, Syri, Chaldæi, Arabes, & Æthiopes: quorum in lingua non minùs diversitas hæc in verbis, quàm nominibus, invenitur. Verùm philosophi quidem est spectare rerum naturam: at Grammatico in talibus non tam dispiciendum, quid potuerit fieri, quàm factum quid sit. Constat autem, *doceo*, ratione utriusque sexus, liberum esse undique & promiscuum. Ut homini elegantiori non possit satisfacere, quòd verborum aliud activi, aliud passivi generis esse dicant: quamquam hac loquendi ratione præter alios usus sit Servius in edit. II Donati. Potiùs dicere malim, esse verbum activæ, aut passivæ significationis: ut inter alios locutus Asper Junior. Priscianus utrâque utitur appellatione, quum dicat, *significatio sive genus.* Interim agnoscimus, ne significationis quidem vocem satis aptam videri. Nam latè ea nimis patet, cùm omnium vocum forma sit significatio. Quare maximè placet nomen Formæ, ut per hanc intelligatur forma accidentalis, quam Græci διάθεσιν in verbis vocant. Possis & dicere, Terminationem: quando hæc in generibus maximè spectatur: ut mox parebit. Et hæc de voce Generis. Videamus porrò de ejus, quod Genus appellant, distributione.

Certè aliud est actio, aut passio Grammatica, aliud Physica: quemadmodum in nominibus, aliud est genus Grammaticum, aliud Physicum, ut suprà diximus. Nam, ne longè abeamus, *ambulo*, & *curro*, signant actionem: Grammaticis tamen non activa sunt, sed neutra. Item *fio*, *veneo*, *vapulo*, & *liceo*, passionem physicam notant: Grammaticè tamen passiva non sunt. Imò ipsum *patior* non passivum est, sed deponens: ac quidem deponens καταχρηστικῶς, quum aliud nomen non suppetat. Nam propriè quî *deponens* dici possit, quum significationem activam habuerit nunquam, eoque nec deponere eam potuerit?

Sunt autem quatuor verborum classes. Quædam significant actionem, ut *amo*, *aio*, *volo*, cum compositis *nolo*, *malo*; item *ambulo*, *sequor*, *inquam*: quædam passionem, ut *amor*, *vapulo*: quædam utrumque, ut *tueor*, *dignor*: quædam neutrum, ut *sum*, *fio*, *morior*, *intereo*; quæ dicuntur substantiva: quia notat substantiam esse, fieri, vel esse desinere. Ad quartùm hunc ordinem refert vulgus Grammaticorum (quorum sententiam Cæsar Scaliger solidè refellit*) *vivo*, *curro*, *sto*, *sedeo*: cujusmodi verba Diomedes ait à veteribus appellata fuisse *supina*, quòd nempe velut otiosa resupinaque dormiant, nec actionem, nec passionem significantia. Quadripartita hæc distributio facta est ratione actionis, aut passionis physicæ. At aliter longè Grammatici quadruplex, aut quincuplex, faciunt genus. Nam hi, ut diximus, terminationis habent rationem. Verbum autem, (si paucissima excipias) vel in O desinit, vel in OR. Si in O, vel admittit R, vel respuit. Si admittat, verbum Activum vocant, quia plurimum notat actionem: si respuit R, nominant Neutrum. Si in OR terminatur, vel R abjicere valet, quod Passivum vocitant: vel non potest, quod Commune, aut Deponens dicitur.

* De caussis L. L. cap. 110.

Ad ambiguitatem tollendam, non malè mihi facere Grammatici videntur, qui distinguunt inter verbum activum, qualia etiam sunt *sto*, & *consolor*: interque verbum generis activi, ut *amo*: ubi genus Grammaticum intelligunt: item verbum passivum, ut *fio*; & verbum passivi generis, ut *amor*. Sed omnium aptissimè, qui, ut monui, Generis appellatione in totum abstinent: & dicunt, verbum triplicis quidem esse significationis, quia vel agere vel pati, vel esse significat: quadruplicis autem formæ, activæ, passivæ, neutralis, & deponentalis: ubi attenditur, tum quomodo desinat, tum an uno desinat modo. Nam aliis terminatio est biformis: quæ activa, & passiva dicuntur: in aliis uniformis, sive in O tantùm, ut in neutris: sive OR tantùm, ut communibus, & deponentibus.

Cap. III.

Aro, bibo, cœno, sudo, spiro, aliaque hujusmodi, activa esse, non neutra. Imò nulla verè esse neutra, sed absoluta potius, quia actionem notent, licet immanentem. Sylvula eorum, quæ cum actionem signare soleant transeuntem, etiam sumuntur passivè, vel potius absolutè. Et fieri id Græcorum exemplo.

ATque hæc in genere de verborum, tum significatione, tum formâ, seu terminatione sufficiant. At verò nec minùs luscitiosi fuerunt Grammatici in digerendis verbis, suæque singulis classi adscribendis. Quod tam significationis, quàm formæ ratione, dictum velim. Ac primò malè quædam activa transitiva, uti *aro*, & *bibo*, ad neutra referunt. Nam quod haut legimus, *aror*, *bibor*, id non factum vocum naturâ, sed rerum defectu. Alioqui quid impediat, quò minùs κατὰ προσωποποιΐαν* terram inducamus dicentem, *aror*? aut vinum compellantibus, cur non liceat dicere, *dum biberis*? Præsertim cùm *aratus* dixerit Ovidius, item *aqua pota* (pro quo Plinius *aqua potata*) & Persius, *cœnandi olla*.

* Per personæ fictionem.

Imò fortasse nulla sunt verba, quæ verè neutra dixeris, vel saltem non alia, quàm quæ ὕπαρξιν † notant. Quod excu-

† Constitutionem.

exemplis planius fiet. *Sudo* cùm dico, *sudorem* intelligo. Quare & rectum est, *sudare sanguinem*. Et *sanguis* si loqui possit, dicat, *dum sudor*. Nec *sudatus* retorquidat Claudianus III in Stiliconem:

—— *Secundâ Tibris ab Arcto*
Vexit Lingonico sudatas vomere messes.

Ac *desudatus* est apud Optatum Afrum lib. v. Similiter *sto statum*, vel *halitum*; *spiro spiritum*, vel *odorem*. Appulejus lib. VI: *Nutricula leni crepitu dulcis aura divinitus inspirata*. Sic *sto*, *sedeo*, *eo*, *curro*. In quibus intelligitur accusativus cognatæ significationis. Ut integrè sit *sto stationem*, *sedeo sessionem*, *eo itionem*, *curro cursum*. Similia *gaudere gaudium*, *furere furorem*, *vivere vitam*. Sanè, nisi *vivo* esset activum; non diceretur *vitam agere*, aut *degere*. Nempe hoc eos decepit, quòd non cogitarunt, non solùm actionem notare, quorum actio est transiens, *amo*, *aro*: sed etiam ubi ea immanens, ut in illis, quæ proximè diximus. Activa igitur sunt, etsi non transitiva, sed absoluta.

Non exiguus verò eorum est numerus, quæ cùm activa sint, passivè etiam vel absolutè accipiantur. Quæ res quia facit ad scriptores veteres meliùs intelligendos, sylvulam eorum juxta literarum seriem digessimus.

Abscondo. Appulejus lib. VIII: *Et nos quidem cuncti pavore deterriti, tegumentis frondis, & arboribus abscondimus*. Video in Elmenhorstii editione esse *abscondimur*. Sed Beroaldi illa, atque item Colvii, *abscondimus*. Et ita veteres membranæ nostræ.

Accendo huc etiam video referri. Livius lib. II ab V. C. *Ita dimissis, quo minus consules velle credunt, crescit ardor pugnandi. Accendunt insuper hostes ferociùs multò, ut statuisse non pugnare consules cognitum est*. Ἐμφαντικώτερον hoc iis videtur, quàm *accedunt*. Nempe, eos si audimus, mutarunt sic librarii, quia non viderent, passivè hic *accendendi* verbum accipi.

Adglomero. Virgilius Æneid. II:

Addunt se socios Riphem, & maximus annis
Iphitus, oblati per lunam, Hypanisque Dymasque
Et lateri adglomerant nostro.

Ubi Servius: *Adglomerant, pro Adglomerantur*.

Æquo. Cicero lib. I Offic. *Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non solùm orationes meas; sed hos etiam de philosophia libros, qui jam illis fere æquarunt, studiosè legas*. Ita libri vett. teste etiam Carolo Langio. Et Dionysius Lambinus testatur, se quidem in libris nonnullis invenisse additum *se*: sed inconstanter, dum partim habent, *se jam illis fere æquarunt*: partim *illis fere æquarunt se*. Ut ex inconstantia hac verisimile fiat, *se* ab aliquo esse insertum: præsertim cùm idem Lambinus adjungat, *libros se vett. retractâsse, non solùm eos, quos olim adhibuerat; sed etiam alios multò plures, & fortasse meliores: in quibus fere omnibus provocabulum SE non compareat*. Quæritur, an eodem modo dicat Hirtius lib. VIII belli Gallici: *Exstruitur agger in altitudinem pedum IX, collocatur in eo turris decem tabulatorum, non quidem quæ mœnibus æquaret, sed quæ superare fontis fastigium posset*. Sed fere in omnibus hic Mssis & editis *æquantur*, vel *adæquantur*, legas.

Averto, vide *verto*.

Augeo. Ut *augent labores*, *morbus auxit*. Sic *res auxit*, Catoni in Originum libris, teste Gellio lib. XVIII, cap. XII. Similiter Vellejo lib. I de Roma, *Quamquam jam asylo facto inter duos lucos auxit*. Ubi passivè sumi, etiam Acidalius observavit. Item Plinio lib. XXXVI, cap. XV: *Balnea ad infinitum auxere numerum*. Tacitus lib. III Hist. *Auxerat potentia*.

Capero. Plaut. Ep. Act. V, sc. I: *Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine?* Pro *caperatur*, rugisque contrahitur ad modum crispantis caprinæ frontis.

Como. Plautus Sticho Act. V, sc. IV:

Sed amica mea, & tua, dum comat; dumque se exornat.

Sic Mssi, ut Schoppio monitum. Nec tamen ita constanter est in vett. libb. quorum aliqui *cenat*; etiam Veneta vetus Saraceni, & Pyladæ. Nempe sic mutarunt, quia insolens vox esset *comat*, pro *comit*, vel *comitur*. Quemadmodum & apud Terentium Heaut.* reposuere, *Dum moliuntur, dum comuntur*, Ubi prope omnes libri vett. *conantur*; quod sine dubio ex *comantur*.

* *Act. 2, sc. 2.*

Congeminare. Plautus Amphit. Act. II, sc. II:

Tu peperisti Amphitruonem, ego alium peperi Sosiam:
Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminavimus.

Converto, vide *Verto*.

Crucio. Plautus Trucul. Act. II, sc. V:

—— *Ut miseræ matres sollicitaque*
Ex animo sunt, cruciantque.

Ita Mssi, & vett. editt. ubi vulgo *cruciantur*.

Decoquo. Florus prologo hist. Rom. *Quibus* (populus Rom.) *inertiâ Cæsarum quasi consenuit, atque decoxit*.

Expedio. Plautus Amphit. Act. I, sc. III:

Nequiter penè expedivit prima parasitatio. pro *expedita est*.

Gesto. Tranquillus in Domit. cap. XII: *Aretinum Clementem, consularem virum, e familiaribus, & emissariis suis, capitis condemnaturus, in eâdem, vel etiam in majore gratiâ habuit, quoad novissimè simul gestanti, conspecto delatore ejus: Vis, inquit, hunc nequissimum servum cras audiamus? Gestanti*, hoc est, in lectica vel sella gestato à servis: quo de more Mercurialis lib. III de arte gymnastica cap. XI.

Ingemino. Virgilius Æneid. IV:

—— *Nec unquam*
Solvitur in somnos, oculisve, aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curæ.

Idem Æneid. V:

Tum verò ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis.

Insinuo similiter accipi, monitum Servio*. Sic sanè Virgilius Æn. II:

* *In I Æn.*

Tum verò tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor.

Lucretius quoque lib. V:

Et quibus ille modis Divûm metus insinuârit
Pectora.

Lavo incertæ esse significationis, nempe nunc activæ, nunc passivæ, ait Donatus Edit. II, & Consentius in Arte. Sed apud Donatum pro *lavo* perperam *labo* habent codd. etiam editio Putschiana †. Ἀμεταβάτως ‡ usurpat Terent. Heaut. Act. IV, sc. I:

† *Col. 1756.*
‡ *Intransitivè, sive absolute.*

—— *Atque illa si jam laverit, mihi nuncia.*

Livius lib. XLIV: *Lavanti regi dicitur nunciatum, hostes adesse*. Quinctilianus lib. I, cap. VI: *At lavamus, & tondemus, & convivimus ex consuetudine*. Suetonius in Calig. cap. XXIV: *Eâdem defunctâ justitium indixit: in quo risisse, lavisse, cœnasse, cum parentibus, aut conjuge, liberisve, capitale fuit*. Similiter Nerone cap. XXXV, Vespas. cap. VIII, Domit. cap. VII. Martial. lib. IV, epigr. XC:

Pondero, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco.

Lenio. Plautus Mil. act. II, sc. VI:

Nam jam aliquò aufugiam, & me occultabo aliquot dies,
Dum hæc consilescunt turbæ, atque iræ leniunt.

Maculo passivè sumi, observat Gellius libro duodevigesimo, cap. duodecimo. Atque id probat è Terentii comœdia: ubi vel Terentium Libonem intellige; vel, quod amicissimo τῷ μακαρίτῃ Jano Rutgersio* visum fuit, pro *Terentio* lege *Juventio*, qui nobilis Comicus fuit, etsi à Sedigito † in censione sua insuper habitus. Comici, inquam, illius locus legi hunc in modum debet: *Pallium face ne maculet*. Nam illud, *ut splendeat*, glossema, puto, fuit. Posteaque cùm librarius à glossemate non distingueret verba auctoris, illa in horum substituit locum.

* *Lib. 4 Var. Lect. cap. 9.*
† *Apud Gellium lib. 15. cap. 24.*

Moveo. Terent. *move ocius mea nutrix*. N V. *Mo-*

veo.

veo. Livius lib. XL extremo: *Terra movit in foris publicis, ubi lectisternium erat.* Suetonius in Claudio cap. XXII: *Observavitque sedulò, ut quoties terra in urbe movisset, ferias advocatâ concione prætor indiceret.* Gellius lib. II, cap. XXVIII: *Ubi terram movisse senserunt, nuntiatumve erat, ferias ejus rei caussâ edicto imperabant.* Idem lib. IV, cap. VI: *Ut terram movisse nuntiari solet.* Ibidem: *Scriptum legimus, nuntiatum esse Senatui, in sacrario, in regiâ, hastas Martias movisse.* Sic *promoveo.* Macrobius præfat. Saturn. *Moraque omnis impatiens non operior, ut per hæc sola promoveas, quibus edifcendis gnaviter ipse invigilas.*

Mutito, pro *mutitor*, poni, sententia est Palmerii in illo Plauti Truculento act. I, sc. II:

—— Ne ut in astu mutitamus irâ.

Sed in Palatinis codd. est *mutuamur*, hoc est mutamus, ac reciprocamus.

Muto. Lucretius in V:

—— Mutare videtur

Alterutram in partem filum.

Varro in libris quos ad Marcellum de L. L. fecit: *In priore verbo graves prosodia, quæ fuerunt, manent: reliqua mutant.* Citat Gellius lib. XVIII, cap. XII, ac *mutant* exponit *mutantur.* Atque addit, similiter ab eo dictum videri in VII rerum Divinarum: *Inter duas filias regum quid mutet, inter Antigonam, & Tulliam, est animum advertere.* Etiam Nigidius apud eundem: *Syllaba mutat.* Sallust. in Jug.* *Mortis metu mutabant.* Ejusque imitator Tacitus lib. XII An. *Vannius diuturnitate in superbiam mutans.* Nec Livius refugit lib. XXXIX †: *Mores populi Romani quantum mutaverint.* Tertulliani quoque est lib. de Pallio cap. II: *Mutavit & totus orbis aliquando aquis omnibus* (leg. *omnis*) *obsitus.* Eodemque modo loquitur adversus Valentinianum, & alibi sæpe. Ut mittam Varronem lib. II de R. R. & Appulejum in Floridis. Quare rectum illud Catulli de Suffeno:

—— Tantum abhorret, ac mutat.

Ubi alii malunt, *nutat.* Par ratio in composito *demuto.* Appulejus lib. III Florid. *A quâ paullulum demutavit liber, quem Strabonis Æmiliani excellentissimus honor flagitat.*

* Cap. 38, sed corrupte fere in libris mutabantur, minitabantur, cogebantur, urgebantur, motabantur, tenebantur, agitabantur, nutabant. Quæ inconstantia est ex ignorato usu verbi muto, pro mutor.

† Cap. 51.

Pasco. Nam *pascit juventa*, & *pascitur juventa*, eâdem mente dicitur, ut in Arte suâ ait P. Consentius. Suetonius in Tiberio cap. II: *Claudius Pulcher apud Siciliam, non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemtum religionis mari demersis, ut biberent.* Ita quoque hac voce usus Ovid. IV Metam.

Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Pascebant.

Item Martialis lib. IX, epigr. LXXXII.

Pono. Virgil. I Æneid.

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis,
Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus.

Statius lib. II Sylv.

Tum rabidi ponunt flatus, maria ipsa vetantur
Obstrepere.

Præcipito similiter accipi, ait Servius in I Æn. ac multa id veterum loca evincunt. Cicero lib. II de Legg. *Fibrenus statim præcipitat in Lirim, & quasi in familiam patritiam venerit, amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorem facit.* Estque pro Rab. Post. *Satis est homines imprudentiâ lapsos non erigere: urgere verò jacentes, aut præcipitantes impellere, certè est inhumanum.* Pro P. Sest. *Qui præcipitanti patriæ non subvenirent.* Pro P. Sylla: *Reip. præcipitanti subveni.* Cæsar lib. III de bello Civili: *Hyems præcipitaverat.* Suetonius in Julio cap. LXIV: *Pluribus in scapham præcipitantibus.* Crebrò imprimis sic Poëtæ. Virgil. Æn. II:

—— Et jam nox humida cælo
Præcipitat.

Et XI: *—— Excussus Aconteus*
Præcipitat longè, & vitam dispergit in auras.

Lucretius lib. IV:

Cum verò deorsum per fauces præcipitavit,
Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus.

Et in VI:

—— Eodem fertur, quò præcipitavit
Jam semel, & partem in vacuam conamina sumsit.

Præverto, vide *Verto.*

Pulvero. Plautus:

—— Exi tu Dave
Age, sparge; mundum esse hoc vestibulum volo.
Venus ventura est nostra. non hoc pulveret.

Hodie in Plauto non legas. Sed citat Gellius lib. XVIII, cap. XII, atque ait, *pulveret dici, non quod pulvere impleat, sed quod ipsum pulvere plenum sit.*

Quasso. Plautus Asinariâ act. II, sc. III:

Atque hercle ipsum adeò contuor: quassanti capite incedit.

Lambinus quidem *casanti* malebat; quod est casabundo sive demisso. Sed aliud voluit Plautus. Nam quassâsse caput minantium, atque indignantium more significat. Sic Bacch. act. II, sc. III:

Subducunt lembum capitibus quassantibus.

Quâ de re plura diximus lib. VI Oratoriarum Institut. cap. XI.

Rugo. Plaut. Casinâ Act. II, sc. III:

—— Vide, palliolum ut rugat.

Ac Gellius lib. XVIII, cap. XII adducit hoc ejusdem Comici:

Quid est hoc? rugat pallium, amictus sum non probè.

Quod hodie in Plautinis comœdiis frustra quæras.

Sedo. Cn. Vellius in Annalibus, apud Gellium lib. XVIII, cap. XII: *Postquam tempestas sedavit, Atherbal taurum immolavit.*

Tondeo incertæ esse significationis, ait Donatus*, atque idem legas apud P. Consentium. Sanè ἀμφιβόλως † ait Maro Ecl. I:

Candidior postquam tondenti barba cadebat.

* Artis edit. 2.

† Intransitive.

Nam *candidior* cum *barba* jungendum, ut canities significetur: cui interpretamento favet, quod postea Tityrum vocat Fortunatum senem. Nequis Servii, quem Nannius etiam sequitur, auctoritate compulsus, *Candidior* cum *Libertas* conjungat. *Tondenti* autem non aliter, quàm passivè, sumi hic potest. Uti neque in hoc tertio Georg: *Incanaque menta Cyniphii tondent hirci.* id est, tondentur. Livius quoque similiter lib. XXVII.

Turbo. Virgil. Æn. VI:

Et septemgemini turbant trepidi ostia Nili.

Ubi Servius, *Turbant, pro turbantur.* Similiter Lucretius lib. V:

Nec liquidum corpus turbantibus aëris auris
Commiscet: sinit hæc violentis omnia verti
Turbinibus, sinit incertis turbare procellis.

Ubi *turbantibus*, pro *turbatis*, & manifestiùs *turbare* pro *turbari.* Item in VI:

—— Quare pugnare necesse est
Dissimiles inter se res, turbareque mixtas.

Varronis quoque est, *Cùm mare turbat.*

Vario. Propertius lib. II, Eleg. V:

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ: pro *variantur.*

Veho. Cicero de claris Oratoribus: *Adolescentia per medias laudes, quasi quadrigis, vehens.* Et primo de Nat. Deor. *Qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens belluis.* i. qui invehitur. Livius lib. XXII: *Cn. Lentulus cum prætervehens consulem vidisset.* Suetonius Claudio cap. XXVIII: *Lecticâ per urbem vehendi jus.* Sed de gerundio minus mirum. Idem Jul. cap. XXXVI: *Gallici triumphi die Velabrum prætervehens pene curru excussus est.* Et cap. LXXVIII: *Prætervehenti sibi non adsurrexisse indignatus.* Similiter in August. cap. IX, & XCIII.

Verto. Virgilius Ecl. IX: *Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.*

Id ita exponit Servius, *Quæ res in perniciem vertatur ejus.* Ac eâ sic voce sæpius Plautus, & Terentius, usi. Etiam Livius lib. II: *Omnis ira belli ad populationem vertit.* Ibidem: *Libertatem aliorum in suam vertisse servitutem inter se querebantur.* Idem in VII: *Postquam ludus in artem paulatim verterat.* Curtius lib. IV: *Ira deinde vertit in rabiem.* Tacitus in sexto Annal. *Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant.* Ibidem: *Sin extra domum successor quæreretur, ne memoria Augusti, ne nomen Cæsarum, in ludibrium & contumeliam verteret, metuebat.* Sic dicimus, *Anno vertente*, non *qui vertit*, sed *qui vertitur*. Parque ratio in compositis. *Averto*, & *converto*; non apud Lucretium modò, lib. IV*, ac Silium lib. XV: sed Maronem ipsum, cujus illud I Æn.

* Vers. 117.

——Tum prora avertit, & undis
Dat latus.

Avertit, pro *avertitur*, positum; ut multis ostendit Servius. Sanè Poëticum hoc magis, quam *proram*; quod in Romano codice legi, Pierius ait, ut respiciatur ad nominativum *procella*. Et ut Poëtas mittam, Sallustii quoque est in Catilin. *Regium imperium in superbiam dominationemque convertit.* Gellius lib. IV, cap. XVIII: *Id cùm dixisset, avertit, & ire in Capitolium cœpit.* Et libro XIII, cap. XXIII: *Ac deinde ad eum convertit, qui manubias esse prædam dixerat.* Itidem Justinus lib. XXXVI: *Res paullatim in disciplinam convertit.* Etiam *præverto* sic accipi videtur à Plauto Mercat. act. I, sc. II:

Abige abs te lassitudinem, cave pigritia prævorteris.

Scio, in editt. veteribus† esse, *cave pigritiæ prævorti*; vel *prævortier*. Quomodo & Petrus Valla legit. Sed prius est in Mss: sic quoque Camerarius edidit. Ut *pigritiæ præverteris*, valeat, *à pigritia fueris præversus*, sive *præventus*.

† Ut Veneta anni 1518, quæ cum Saraceni, Pyladæ & aliorum, notis exiit.

Vestio, pro *vestior*, dixit Florens Tertullianus primore libro de Pallio: *Sic & in proximo soror civitas vestiebat.* Hoc est, Utica similiter, ac Carthago, vestiebatur. Eodemque modo loquitur alibi non semel. Uti & Appulejus Apol. I: *Vivo gracili Lare, pauciores habeo, parcius pasco, levius vestio, minus obsono.*

Volvo. Virgilius lib. I Æneid.

Certè hinc Romanos olim volventibus annis
Pollicitus.

Anni volventes qui *volvuntur*, Græcè ἐνιαυτοὶ περιπλόμενοι. Idem in I Georg.

Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.

Sic *voluto*. Virgil. Æn. III:

——Genibusque volutans
Hærebam.

Atque hæc de verbis activis passivè acceptis. Sed si accuratè loquendum, quomodo passivè sumuntur, quæ structuram passivorum non recipiunt? Rectè enim dixeris, *Ingeminatur ab iis clamor: terra à ventis movetur: armenta Admeti ab Apolline pascebantur: variantur aquæ à ventis.* At non itidem dixeris, *Ingeminat ab iis clamor: terra à ventis movet: armenta Admeti ab Apolline pascebant: variant à ventis aquæ.* Potiùs igitur statuendum, activa verba sumi absolutè. Vel, quod maximè arridet, dicuntur ista per ellipsin accusativi. Ut *ingeminat clamor*, pro *ingeminat se clamor: terra movet*, pro *se movet.* Præit hac in sententia Sosipater Charisius. Nam illud Maronis*, *Genibusque volutans Hærebat*, exponit, *volutans se.* Similiter igitur, *volutans hærebat*, integrè sit, *volutans se: volutans hærebam*, integrè fuerit, *volutans me.* Ac par ratio aliorum.

* Æn. 3.

Idem de Græcis dixero, ubi activa ajunt capi passivè. Ut in verbo ἀναλαμβάνειν, quod propriè est *resumere, recolligere.* Passivè autem capi videtur, cùm Galenus, & alii dicunt, ἀναλαμβάνειν ἐκ τῆς νόσου, *ex morbo convalescere*, quasi dicas, *refici è morbo.* Sed potiùs accusativus intelligitur ἑαυτὸν: quomodo Thucydides integrè ait, ἀναλαμβάνειν ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς νόσου. Hoc est, *recolligere se ab morbo.* Ac similiter Galenus, ἀναλαβεῖν τὴν ἐξ ἀρχῆς ἕξιν, *resumere habitudinem, sive valitudinem priorem.* Legas & apud Appianum, atque alios, ἀναλαμβάνειν τὸ σῶμα, & τὴν ἑαυτοῦ ἰσχὺν: hoc est, *resumere corpus*, seu *vires corporis.* Ex cujusmodi locutione integrâ supplendus est accusativus, cùm desideratur.

Cap. IV.

Verba neutra sive absoluta accepta & constructa more eorum, quæ actionem transeuntem signant.

Contrà sunt alia, itidem in O exeuntia, quæ cùm usitatiùs sumantur absolutè, interdum etiam capiuntur activè, hoc est, actionem significant transeuntem, eoque transitivorum more construuntur. Horum etiam bonam partem subjunxi.

Abstineo. Cicero sæpe, *abstinere manus.* Et Livii est, *abstinere ignem ab æde*; item *ius belli*: item *ignem & vim ab aliquo*: adhæc†, *Romano bello fortuna Alexandrum abstinuit*: & similia.

† Lib. 8.

Adsuesco, consuesco, insuesco. Virgilius VI Æn.

——Nec tanta animis adsuescite bella.

Lucretius lib. VI:

An tum brachia consuescunt, firmantque lacertos?

Columella lib. VI, cap. II: *Ubi plaustro, aut aratro, juvencum consuescimus.*

Horat. lib. I, sat. IV:

——Insuevit pater optimus hoc me
Ut facerem.

Annuo. Virgil. XII Æn.

Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem.

Horat. lib. IV, od. VI:

——Divûm pater annuisset
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros.

Cachinno. Appulejus Met. lib. III: *Insuper exitium meum cachinnat.*

Celero. Ut Virgilius, *celerare fugam, gradum, iter, viam.* Similiter *accelero.* Ut *accelerare iter* Cæsari; *mortem*, Plinio; *magistratum* Tacito. Appulejus quoque libro II Met. *Ac dum amenti similis accelero vestigium.*

Clamo. Virgil. IV Æn.

Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.

Hoc est, *vocat, nominat*, ut Servius exponit.

Etiam Ecl. VI:

His adjungit Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamassent, ut litus Hyla Hyla omne sonaret.

Propertius lib. IV, eleg. IX:

Territa vicinas Teia clamat aquas.

Appulejus lib. III Met.

Præcone publico silentium clamante.

Coëo. Cicero Philipp. II: *Utinam, Cn. Pompei, cum Cæsare societatem, aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses.* Et lib. II de Nat. Deor. *Pinna verò duabus patula conchis cum parvâ squillâ quasi societatem coit comparandi cibi.* Similiter loquitur pro Roscio Amer. & pro C. Rabirio perduellionis reo. Ac sæpe sic Ulpianus, Paullus, & Jurisconsultorum alii.

Consisto. Lucretius lib. VII

Et per quæ possunt vitam consistere tutam,
Omnia jam ferme mortalibus esse parata.

Ubi *consistere vitam* est constituere. Atque ait Giffanius, simile esse illud Sallustii Jugurth. *Dein brevi cognitis insidiis, paulisper agmen consistit.* Ita libri vett. Ubi in aliis, *constituit.*

Declino. Plaut. Aulul. act. IV, sc. VIII:

Nam ego modò declinavi me paullùm extra viam.

Quippe pro vocabulum *me* in omnibus exstat Mss, & vett. editt.

Despero. Ut Ciceroni *desperare vitam, salutem, pacem, reditum, honores.*

Duro. III Georg.

Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durant.

At absolutè idem Æn. I:

Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Ejulo. Appul. lib. III Met. *Hæc identidem mecum replicans, fortunas meas ejulabam.*

Emergo. Cicero de Aruspicum responsis: *Jam ista serpens, quæ tum hic delitescit, tum se emergit.* Cornelius Nepos in vita Attici: *Quibus ex malis ut se emerserat.* Appulejus Apol. II: *Veritas olim interversa nunc se offert, & velut alto barathro calumniæ se emergit.*

Erumpo. Terent. Eunucho act. III, sc. V:

Jamne erumpere hoc mihi licet gaudium?

Ubi Donatus: *Erumpere quasi activum verbum posuit pro neutrali: ut sit, Licetne mihi erumpere hoc gaudium?* Subjungit deinde: *Aut erumpere, quasi exire: mihi, pro à me.* Sed nihil eò recurrere opus. Nam similiter Cicero ad Att. lib. XVI, ep. III: *Ne in me stomachum erumpant, cùm sint irati.* Cælius ad Cic. ep. XIV: *Invidiosa conjunctio non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad bellum se erumpit.* Varro in descriptione tempestatis:

Ventique frigido se ab axe eruperant.

Virgil. IV Georg.

Et caput unde altus primùm se erumpit Enipeus.

Petronius:

Atque has erumpit furibundo pectore voces.

Similiter *prorumpo.* Maro III Æn.

Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem.

Gell. lib. XV, cap. XXII: *Ea cerva quodam die in fugam se prorupit.*

Illucesco. Plautus Bacch. act. II, sc. III:

Vulcanus, Sol, Luna, Dies, dei quatuor,
Scelestiorem nullum illuxere alterum.

Etiam Camerarii membranæ habent Amphitr. act. I, sc. III:

Nunc te nox, quæ me mansisti, mitto, uti cedas die,
Ut mortaleis illucisces luce clarâ & candidâ.

In aliis tamen libb. est *mortalibus.*

Inolesco. Gell. lib. XII, cap. V: *Natura omnium rerum induit nobis inolevitque in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, amorem nostri, & caritatem.*

Juro non res modò, ut cùm Cicero ait, *jurare morbum,* de eo qui morbo se excusat; item *jurare jusjurandum:* sed & personam, ut *Jovem lapidem jurare,* apud Cic. lib. VII ad famil. epist. XII, & Gell. lib. XI, cap. VI: *Jurare Herculem.* Sed, credo, præpositio *per* hic intelligitur.

Latro. Plautus Pœn. Act. V, sc. IV:

Etiam me meæ latrant canes. ——

Lambinus maluit *allatrant*; Acidalius, *in me latrant.* Sed aliter MSS. Et similiter Gellius lib. VII, cap. I de Scipione Africano: *Solum id temporis in Capitolium ingredientem canes semper in alios sævientes, neque latrarent eum, neque incurrerent.* Imò apud Horatium quoque libro II, Sat. I optimi habent codd.

—— *Siquis*
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse.

Ubi in nonnullis *laceraverit.* Græci similiter, ut Herodotus in vita Homeri: Τῶν δὲ κυνῶν μὴ ἐσθιόντων καὶ ὑλακτεόντων διηνεκέως*. Et Isocrates, σοὶ τυχόντας ὑλακτεῖν†. Nihil igitur mirum, si passivè dicat Plinius lib. XXII, cap. X: *Hanc habentes negant latrari à canibus.* Et his locis personæ tribuitur. Rei verò, apud Lucretium in II:

Nil aliud sibi naturam latrare ——.

Ennius quoque, ut Festus ait, *latrare pro poscere posuit.*

* Cùm canes à cibo abstinerent, & continentem latrarent, *sive adlatrarent.*
† Quosvis latrant.

Maneo. Plaut. Epid. Act. III, sc. II:

Dedit mihi ad hanc rem Apœcidem. Is apud forum manet me.

Terent. Phorm. act. IV, sc. I:

Simul autem non manebat ætas virginis
Meam negligentiam.

Ac similiter Maro I Georg. ‡

‡ *Vers.* 168.

Migro. Gellius lib. II, cap. XXIX: *Atque ita cassita nidum migravit.*

Mussito. Appul. Apol. I: *Hunc ille timorem mussitabat.*

Penetro. Plaut. Amphitr. Act. I, sc. I:

—— *Perduelles penetrant se in fugam.*

Trinumm. Act. II, sc. II:

Quò illic homo foras se penetravit ex ædibus?

Et alibi. Ejusque imitatione Gellius lib. V, cap. XIV: *Specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam me penetro, & recondo.* Et lib. XVII, cap. X: *Et in Grammaticam sese, atque Dialecticam, literasque antiquiores, altioresque penetraverat.*

Plaudo. Papinius lib. I Sylv.

Claraque gaudentes plauserunt lumina cygni.

Requiesco. Virgil. Ecl. VIII:

Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Propert. lib. II, el. XXII:

Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos.

Et ejusdem libri el. XXXIV:

Quamvis ille suam lassus requiescat avenam.

Resulto. Appul. lib. V Met. *Ibique deflebant oculos, & plangebant ubera; quoad crebris earum ejulatibus saxa cautesque parilem sonum resultarent.*

Ruo. Terent. Adelph. act. III, sc. II:

Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prosternerem.

Appul. lib. I Flor. *Et quærit, quorsus potissimùm in prædam superne sese ruat.* Similiter *irruo,* & *proruo.* Terent. Adelph. act. IV, sc. II:

Obsecro, vide ne illic prorsus se irruat.

Ubi Donatus: *Neutrum verbum, quasi activum, posuit.* Idem Eun. act. III, sc. V:

Vix elocuta est hoc, foras simul omnes proruunt se.

Sapio. Plautus Pseud. act. I, sc. V:

Desiste. rectè ego rem meam sapio, Callipho.

Cicero ad Att. lib. XIV: *Nam ista quidem Cæsaris liberorum conjuratio facile opprimeretur, si recta saperet Antonius.* Ut Euripides in Medea:

Τί φῄς*; φρονεῖς μὲν ὀρθά, κοὐ μαίνῃ, γύναι.

Apud Apostolum quoque, τὸ αὐτὸ φρονεῖν†, φρονεῖν τὰ τοῦ Θεοῦ, τὰ τῆς σαρκός.

* *Quid ais? rectè quidem sapis, nec insanis, mulier.*
† *Idem sapere, sapere quæ Dei, quæ carnis.*

Spiro. Virgil. Georg. II:

—— *Spirantes naribus ignem.*

I Æn.

Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere.

Horatii quoque est lib. IV, od. XIII:

Quæ spirabat amores.

Græci similiter, πνέειν Ἄρη, Ἔρωτα‡.

‡ *Spirare Martem, Amorem.*

Supersedeo. Gellius lib. II, cap. XXIX: *Cognati, & affines, operam, quam dare rogati sunt, supersedent.* Nec durius illo Cornificii in secundo Rhetoricorum ad Herennium: *Non sunt visa aliqua supersedenda.*

Trepido. Appulejus lib. VI Met. *Stupore defixi mirantur, ac trepidant divina præsagia.*

Vergo, ejusque composita *invergo, devergo, evergo,* utroque modo accipi, Priscianus monet in VIII. Absolutè, ut apud Maronem in XII:

Quem damnet labor, aut quò vergat pondere rerum.

Et Cicero lib. II de Nat. Deor. *Ut omnibus terræ partibus in medium vergentibus nihil interrumpatur.* Et Tranquillus in Othone: *Vergente die jam ingressus senatum.* Et alibi passim. Activè pro *fundere* sumitur à Lucr. lib. V*:

* *Vers.* 1007.

Illi imprudentes ipsi sibi sæpe venena
Vergebant, nunc dant aliis sollertiùs ipsi.

Sed usitatius id in compositis. Maro VI Æn.

—— *Frontique invergit vina sacerdos.*

Ovid. VII Met. Fab. II:

Tum superinvergens liquidi carchesia vini,
Alteraque invergens tepidi carchesia Bacchi.

Imò Livius quoque dixit lib. LIV: *Jussit in litore alios alibi modicis intervallis fodere: montes ingentis altitudinis eò spem faciebant magis, quia nullos apertos evergerent rivulos, occultos continere latices, quorum venæ in mare promanantes, undæ miscerentur.* Quibus in locis in-

vergo

vergo est infundo, *evergo* effundo. Hinc passivum *vergor*. Lucretius lib. II *:

* Vers. 212.

In terras igitur Solis quoque vergitur ardor.

Lucanus lib. I (quem locum etiam Priscianus adducit)

Et polus adversi calidus quo vergitur Austri.

Papinius lib. IV Sylv. ad Marcellum:

—— *Nos facta aliena canendo*
Vergimur in senium.

Uro. Maro VII Æn.

Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Ac similiter *flagro* usurpâsse videntur. Nam *deflagrata domus* dixit Cæsar Strabo apud Prisc. lib. VI.

CAP. V.

De passivis activè acceptis.

QUemadmodum autem ex verbis in O multa activa usurpantur passivè sive absolutè; multaque passiva accipiuntur activè, sive transitivè: ita ex verbis in OR, multa passiva activè sumuntur, deponentium induendo naturam; multaque item deponentia capiuntur passivè, utcumque activa terminatio O non sit in usu. Prius videbimus de iis, quæ naturâ sunt passiva, sed activè significando deponentia potiùs dici mereantur.

Affector. Varro apud Diomedem in primo: *Affectatus est regnum.*

Bellor. Maro XI Æn.

—— *Pictis bellantur Amazones armis.*

Ubi Servius: *Solent verba pro verbis poni. Unde nunc passivam declinationem sub passiva posuit significatione.* Paullus Manutius, notis in Cælii epist. IX ad Cic. ait Valerium Maximum similiter dicere *rebellatos* pro *rebellasse*. Locus est lib. IX, cap. X: *Quod eorum consilio Veliternos Privernatesque rebellatos diceret.* Sed *rebellaturos* est in editione Rob. Stephani: uti & eâ, quæ Stephano Pighio medicinam ac prope vitam debet.

Censeor, pro *censeo*. Ovid. lib. I de Ponto, eleg. III:

Hanc probat, & primo dilectam semper ab ævo
Est inter comites Marcia censa suos.

Similiter quoque dicitur Cicero ipse sumere pro Flacco: *Census es, mancipia Amyntæ: neque huic ullam in eo fecisti injuriam: possidet enim ea mancipia Amyntas.* Et paullò antè: *Census es præterea numerata pecunia centum triginta millia.* Ubi *census es* poni ajunt pro *censuisti*. Sed accuratiùs consideranti mentem Ciceronis, liquebit, *census es*, passivè accipi, ac sermonem esse de homine glorioso, qui ditior, quàm esset, censeri vellet.

* Cap. 24.

Communicor, pro *communico*. Ut apud Livium lib. IV *: *Nec adversarum rerum quærere socios, cum quibus spem integram communicati non sint.*

Copulor, pro *copulo*, teste Prisc. & Non. Plautus Aul. act. I, sc. II:

Adeunt, consistunt, copulantur dexteras.

Elucubror. Cicero ad Att. lib. VII, epist. XVIII:

Eam epistolam, quam eram elucubratus.

Erumpor, pro *erumpo*. Ac similiter *prorumpor*, activè. Lucretius in VI:

—— *Post incita cùm vis*
Exagitata foras erumpitur, & simul atram
Diffindens terram, magnum concinnat hiatum.

Et eodem:

—— *Hinc prorumpitur in mare venti*
Vis, & fervorem mirum concinnat in undis.

Fabricor, pro *fabrico*. Cicero in III de Orat. *Capitolii fastigium illud, & cæterarum ædium, non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est.* Plura Nonius.

Feneror, pro *fenero*, dici, observat quoque Gellius lib. XVIII, cap. XII. Nempe pro do ad usuram, idque cum dandi, & accusandi casu. Nam cum præverbio *ab*, & ablativo, notat fenori do.

Fluctuor, pro *fluctuo*. Livius de Philippo Macedoniæ rege, libro XXXIII: *Utrius populi* (Pœni, an Romani) *malles victoriam esse, incertis adhuc viribus, fluctuatus animo fueras.*

Fruticor est apud Cic. ad Att. lib. XV, epist. IV. Ac *frutico* Columella, Plinius, alii.

Gliscor, pro *glisco*. Sempronius Asellio in quarto Historiarum apud Nonium:

Ut major invidia Lepido glisceretur.

Juratus sum, pro *juravi*. Cicero lib. II de Invent. *Quo in loco judici demonstrandum est, quid juratus sit, quid sequi debeat.* Et post aliquammulta: *Cum intellexerint, vos ex ingenio ejus, non ex lege, in qua jurati simus, judicare.* Similiter Gellius lib. VII, cap. XVIII: *Statimque, ut jurati erant, ad Annibalem profecti sunt.* Unde *juratus*, qui juravit; *injuratus*, qui non juravit.

Multor, pro *multo*. Suetonius in Augusto cap. XXI: *Neque aut crebriùs, aut perfidiosiùs rebellantes, graviore unquam multatus est pœnâ, quàm captivos.*

Objurgor, pro *objurgo*. M. Cœlius ad Ciceronem epist. IX: *Curionem prorsus non mediocriter objurgatus.* Sed P. Manutius suspicatur legendum, *objurgas*. Uti & Passeratius, ac Lambinus.

Muneror te, pro *munero*. Gellius lib. XVIII, cap. XII, & Diomedes lib. I. Sic *remunero*, & *remuneror*.

Murmuror, pro *murmuro*. Appulejus tertio Floridorum: *Quidam tarditatem poëtæ murmurari, plures defendere.*

Nictor Plinio lib. XI, cap. XXXVII: *Graviores alitum inferiore gena connivent. Eadem nictantur, ab angulis membrana abeunte.* At à niveo ἀναλόγως fit *nicto*, quo Plinius usus eo ipse libro I: uti & Plautus Asin. act. IV, sc. I.

Nutrior quoque, pro *nutrio*, dixisse, testis Priscianus in VIII. Nisi *nutrico*, & *nutricor* rescribendum. Nam illo activè usus est Plautus, hoc Cicero. Sed nihil mutandum. Nam sic scripsit Priscianus propter illud Maronis II Georg. *Hoc pinguem, & placitam paci nutritor olivam.* Ubi *nutritor* pro *nutrito* dixisse etiam Servius observat.

Oscitor. Plautus Menæch. act. V, sc. II: *Ut pandiculans oscitatur!* Cornificius sive alius ad Herenn. lib. IV, ubi de licentiæ schemate: *Maximas & privatas, & publicas, calamitates accepistis: cum etiam majores, impendere videantur, sedetis & oscitamini.* Glossæ Cyrilli dictæ: χασμῶμαι, *Oscitor*, *Hieto*.

Pascor. Virgil. III Georg.

Pascuntur verò sylvas, & summa Lycæi
Horrentesque rubos & amantes ardua dumos.

Peragror. Vellejus: *Peragratus est regionem*, pro *peragravit*.

Perlinor, pro *perlino*. Appulejus lib. III Met. *Ab imis unguibus sese totam ad usque summos capillos perlita, multumque cum lucerna secretò collocuta, membra tremulo successu quatit.*

Pigneror, pro *pignero*. Gellius lib. XVIII, cap. XII, & Non. Marcellus.

Potestur quoque, pro *potest*, veteres usurpâsse, in Anomalis dicetur.

Prævertor, pro *præverto*, Plaut. Liv. Curt. Tac. Appul. Sed in præterito *præverti* solum.

Punior, pro *punio*. Quod & Quinctilianus observat libro IX, cap. III. Cicero pro Milone: *Cujus tu inimicissimum multò crudelius etiam pœnitus es* (ita in vett. libb. hæc vox scribitur) *quàm erat humanitatis meæ postulare.* Pro *punivisti*. Lambinus quoque è tribus codd. Mss reponit apud Ciceronem lib. I Tuscul. Quæst. *Tenendum est igitur, nihil curandum esse post mortem, cùm multi inimicos etiam mortuos pœniuntur.* Et ita legit Nonius. Qui & alium Ciceronis locum adfert. Iis simile hoc Appuleji in VIII: *Punita sum funestum mearum nuptiarum prædonem.*

Queatur, pro *queat*, est apud Lucretium: de quo in Anomalis dicam.

Quiritor, pro *quirito* (quod Plinius, & Fabius, maluere) Varro dixit ad Ciceronem: ut Diomedes ait in primo.

 Ru-

Ruminor, pro *rumino*, (quod Maro prætulit) lectum apud Varronem Tanaquile, & Livium Andronicum Ægistho, teste Nonio.

Ructor. Varro lib. III de R. R. cap. II: *Aves hospitales etiam nunc ructor, quas mihi apposuisti paucis ante diebus.*

Horat. epist. ad Pisones:

Hic dum sublimes versus ructatur, & errat.

Sacrificor, pro *sacrifico*. Gellius lib. XVIII, cap. XII. Atque ita usus Varro lib. II de R. R. cap. VIII: *Venirent illuc, & ipsi pro se sacrificarentur.* Cujus & tria loca Nonius adducit.

Spector, pro *specto*. Ut illo Varronis: *Spectatus est suem.* Quod malè quidam immutant.

Significor, pro *significo*, posuisse veteres, testis Gellius lib. XVIII, cap. XII.

His, quæ diximus, adde *adjutor*, *convertor*, *emungor*, *excalceor*, *fatiscor*, *fecillor*, *ignescor*, *labascor*, *ludificor*, *manducor*, & *commanducor*, *murmuror*, & *commurmuror*, *palpor*, & *expalpor*, *præsagior*, *spolior*, *urinor*. Quod veterum locis firmavit Nonius. Eum adi, cap. de contrariis generibus verborum.

Suppeditor. Cicero ad Att. lib. XIV, epist. XXI, sive al. XVIII: *De Patulciano nomine, quod mihi suppeditatus es.* Sic Mssi prope omnes: quod & retinet in notis suis socer Franc. Junius.

Cap. VI.

De deponentibus passivè acceptis.

Quartus ordo est Deponentium passivè sumtorum. Hujusmodi si non nisi apud cascos illos sic usurpata inveniantur, jure *Deponentia* dicuntur, quia passivam significationem deposuerint. Sin etiam apud Ciceronem, & alios optimi ævi scriptores, accipiuntur passivè, rectiùs *Communia* vocantur. Utrorumque syllabum texam: in quibus ipsis sequar seriem literarum.

Abominor. Verrius Flaccus, nepotum Augusti præceptor, apud Priscianum: *Sævitiaque eorum abominaretur ab omnibus.* Livius quoque lib. XXXI, cum prodigia varia exposuisset, &, in his, de incerto sexu natis, subdit ista: *Ante omnia abominati semimares, jussique in mare extemplo deportari.* Ubi *abominati* παθητικῶς dixit. Plinius lib. X, cap. XXII: *Bubo funebris, & maximè abominatus, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit.* Ac similiter Horatius epod. lib. od. XVI:

Parentibusque abominatus Hannibal.

Adipisci passivè usurpant Boëthius de Consol. Phil. lib. III, cap. II, & Justinianus Institut. de Legatis, & multò antè (ut Priscianus* docet) C. Fannius, cujus est: *Hæc adipiscuntur.* Hoc est ἐπιτυγχάνονται. Item Fabius Maximus: *Amitti magis, quàm adipisci.* Plautus Trinum. Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

* Lib. 8.

Adminiculor. Varro apud Priscianum†: *Tribunicio auxilio adminiculati*, hoc est, βοηθέντες. Agellius lib. II: *Id autem ipsum, quod dicimus, ex illis Homericis versibus adminiculari potest.* Hoc est, confirmari.

† Ibid.

Admiror. Canutius apud Priscianum in VIII: *Turpe est propter venustatem vestimentorum admirari, ut propter turpissimè vitam actam contemni.* Ubi *admirari* est θαυμάζεσθαι. Videri hic possit Publius Canutius, vir ingeniosus & in dicendo exercitatus, ut Cicero testis est orat. pro Cluentio, item in Bruto, ubi eum æqualem suum appellat, & suo judicio disertissimum fuisse dicit. Etiam Philipp. III, & apud Vellejum Paterculum, est de Tiberio Canutio, Trib. Pl. qui Antonium, hostem judicatum, orationibus suis lacerabat, Cicerone præeunte: quemadmodum & libertas ista utrique morte ipsa constitit.

Adorior. Aurelius apud Prisc. in VIII: *Ab his Gallos adortos, ex insidiis plurimos necatos.* Ubi *adortos* est ἐφοδευθέντας. Fortè est hic P. Aurelius Opilius, à Festo sæpius advocatus. Musarum is, sive variæ eruditionis libros scripsit, ut ait Suetonius de claris Grammaticis: item Gellius lib. I, cap. XXV.

Adulor. Cassius apud Prisc. *Adulatique erant ab amicis, & adhortati.* Hoc est, κολακευθέντες καὶ προτραπέντες. In Venetâ veteri; uti & Ascensianâ, ac Basileensi, est, *Adulati ab inimicis.* Sed, *ab amicis*, est in Mso nostro, atque ita a Putschio quoque editum.

Aggredior. Cicero ad Nepotem: *Hoc restiterat etiam, ut à te fictis aggrederer donis.* *Aggrederer*, ἐπιβουλευθῶ, ut Priscianus interpretatur. Similiter Terentianus Maurus in præfat.

Aggressus labor arduus,
Nec tractabile pondus est.

Ubi perperam à Nicolao Brissæo editum, *Aggressis*.

Amplector. Petronius: *Animam nostro amplexam in pectore:* περιπλεχθεῖσαν. Lucilius: *Quin amplexetur, qui velit; ego non sinam me amplectier.* *Amplexetur*, περιπλεχθῇ. Et illa citat Priscianus. Similiter *complector*, de quo postea.

Antestor. Livius, teste Prisc. *Impubes libripens esse non potest, neque antestari.* Hoc est, προδιαμαρτυρηθῆναι.

Arbitror. Cœlius apud Prisc. *Ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur.* Hoc est, ὑπολαμβάνονται. Similiter Gellius lib. I, cap. XIII: *Arbitrata quæstio.*

Architector. Nepos apud Prisc. *Ædis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio.* *Architectata*, ἀρχιτεκτονηθεῖσα.

Argumentor. Aufusius: *Omnia argumentata nomina.* πεισθέντα, ut exponit Prisc. Sed in veteri Venetâ*, & Mso etiam nostro pro *Aufusius*, ut in Putschianâ editum, legitur *Aufustius*. Fortasse scripserat Priscianus, *A. Furius*. Sanè Aulus Furius Antias, Poëta vetus, memoratur Gellio, & Macrobio.

* An. 1476.

Aspernor. Cicero ad Nepotem: *Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, aspernatur.* Passivè, ἐξουθενεῖται: ut Priscianus monet. Hircius de bello Afric. *Caius Virgilius, postquam intellexit Regem ab omnibus aspernari, se proconsuli tradit.*

Assector. Ennius: *Assectari se omnes cupiunt.* ἀκολουθεῖσθαι. Alpheus Philologus: *Themistocles, cùm à formoso assectaretur.* ἀκολουθεῖτο. Citat utrumque Priscianus.

Auguror. Lucius Cæsar: *Certaque res augurantur*, οἰωνοσκοποῦνται. Cujus activum Virgilius in VII: *Si quid veri mens augurat opto.* Cicero tamen Verrin. IV: *Ex nomine istius, quid iste in provincia facturus esset, perridiculè homines augurabantur.* Hæc quoque Priscianus in VIII.

Auxilior. Lucilius: *A me auxiliatus si est.* Quod Prisc. βοηθεῖς exponit.

Blandior. Verrius:

Blanditusque labor molli curabitur arte.

Blanditus, κολακευθεὶς, ut ait Prisc.

Calumnior. Staverius de proportione: *Non esse positiones regulæ, à quibus interdum analogia calumniatur.* συκοφαντεῖται. In Mso nostro Prisciano, & veteri Venetâ, legas, *Staverius de portione.* Sed de analogia hic sermo, quæ Latinis *proportio*, ut omnino hoc præstet.

Carnificor. Sisenna: *Vitam cum dolore & insigni cruciatu, carnificatus amisit.* *Carnificatus*, βασανισθεὶς, ut ait Prisc.

Cavillatus passivè Appulejo lib. III Met. *At sic lepido sermone Fotidis invicem cavillatus.*

Cohortor, vide *Hortor*.

Comitor. Justin. lib. XXX: *Jam in publico visuntur, jam salutantur, jam comitantur.*

Commentor. Ap. Cæcus apud Priscianum: *Amicum cum vides, obliviscere miserias: inimicus si es commentus nec libens aqua.* *Commentus*, καταλαμβανόμενος. Sed posteriora verba, quæ absque dubio corrupta, in Mso nostro sunt omissa.

Complector passivè usus Virgilius in Culice. Sed & Cicero pro Roscio Amer. *Quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.* Similiter accipi monet Priscianus in illo ejusdem scriptoris: *Cupio eum tam invidiosâ fortunâ*

nâ complecti. Nempe ut *complecti* valeat non *comprehendere*, sed *comprehendi*. Usus quoque sic Scævola L. Si sic stipulatus sim. D. de verborum obligationibus: *Non enim* (stipulatio) *ad unam vim pertinet. nam sicut & ipsius, & heredis caput, ita ipsius vis, vel sæpius facta, complectitur.* Hoc est, comprehenditur.

Confiteor, tam activâ, quàm passivâ significatione accipi, ait Priscianus. Sed de passiva exemplum non addit. Sic verò *confessus* usurpat Optatus Afer lib. III. Vide inferiùs, *Fateor*. Pluraque de eo in Participiis*. Imo & Cicero Verr. V: ut lib. IV dicemus.

* Lib. seq. cap. 11.

Consequor, & *consector*. Orbilius†: *Quæ vix ab hominibus consequi possunt.* hoc est, ἀνύεσθαι. Varro‡: *Vestales incesti compertas ansâ petuntur incognitâ: consecutæ negliguntur.* Ubi *consecutâ* valet *impetratâ*. Laverius*: *Uxorem tuam, & meam novercam, à populo lapidibus consectari video.* Ubi *consectari* valet διώκεσθαι. Sic *exsequi*, & *sectari*, de quibus postea.

† Apud Prisc. lib. 8. ‡ Ibid. * Ibid.

Consolor quoque (verba sunt Gellii†) *in partem alteram, præterquam dici solitum est, scriptum invenimus in epistola Q. Metelli* (Numidici:) *quam cum in exilio esset, ad Cn. & ad L. Domitios dedit. At cùm animum, inquit, vestrum erga me video; vehementer consolor: & fides utriusque vestra mihi ante oculos versatur.* Etiam Priscianus citat hoc Asinii Pollionis: *Sed cùm ob ea, quæ speraveram, dolebam, consolabar ob ea, quæ timui.* Ut vulgatus Scripturæ interpres (qui immeritò nimis sæpe vapulet) reprehendi non debeat, quòd Matthæi II. παρακληθῆναι vertat *consolari*, pro *consolationem accipere*. Vel Boëthius, qui similiter usus lib. III de Consolat. philos. cap. III: uti & supposititius Hegesippus lib. IV, cap. IV.

† Lib. 15. cap. 13.

Conspicor passivè usurpat Plautus Epidico act. I, sc. I:

—— *Quia patrem*
Priùs se convenire non vult, neque conspicari, quàm id argentum,
Quod debetur pro illa, dinumeraverit.

Varronis quoque est apud Priscianum: *Paupertas enim hæc tum non ita nutricata, ut nunc conspicatur.* Ubi, *conspicatur*, planè est θεωρεῖται.

Contestor. P. Aufidius apud Priscianum: *Si quis alio vocitatur nomine, tum cum his contestatur, atque olim vocitabatur. Contestatur*, συμμαρτυρεῖται.

Criminor. Cicero contra Rullum: *Criminor defendere res Syllanas.* Appuleji quoque est lib. VIII, *Criminatus asinus.* Similiter Boëthius de Consolatione Philosoph. lib. I, cap. IV.

Demolior, & *immolior*. Curio pater apud Priscianum: *Nusquam demolitur, nusquam exoneratur pecunia.* Livius lib. XXXIX*: *Immolitum, & inædificatum est in loca publica.*

* Cap 44. ex distinctione Gruteri.

Depeculor. Lucius Cælius: *Ubi senatus intellexit populum depeculari*, hoc est, συλᾶσθαι, ut exponit Priscianus.

Delargior. C. Gracchus: *Ærarium delargitur populo Romano.* Ubi *delargitur* passivè posuisse, testis Priscianus.

Despicor. Q. Pompejus apud Priscianum: *Me miserum! quem mille feminæ despicari ausæ sunt.*

Detestor. Appulejus in Apologiâ: *Neque enim gravius est in cuniculo despui, quàm in isto honestissimo cœtu detestari.* Horatii quoque est lib. I, od. I: —— *Bellaque matribus Detestata* ——. Ac similiter Vincentius Lirinensis in Commonitorio.

Dignor. Cicero secundo de Invent. *Observantia est, per quam homines aliquâ dignitate antecedentes cultu quodam & honore dignantur.* Et eodem libro: *Qui ob egregiam virtutem tali honore dignati sunt.* Idem tertio de Oratore: *Res dissimiles inter se, quæ tamen consimili laude dignentur.* Item in Oeconomico: *Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur.* hoc est, ἀξιοῦνται. Gellius quoque lib. XV, cap. XIII, *dignor* passivè capi, probat istoc Maronis†:

Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo.

† Æn. 3.

Ipseque Gellius lib. XI, cap. II sic loquitur: *Elegans*, inquit, *dictus antiquitus non ob ingenii elegantiam; sed qui nimis lecto amœnoque cultu, victuque esset. Postea Elegans reprehendi quidem desiit; sed laude nullâ dignabatur, nisi cujus elegantia erat moderatissima.*

Dilargior, vide *Largior*.

Dominari ait Emmanuel Alvarez passivè accipi in istoc Æn. II:

Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

Nempe putavit, simile esse isti Æn. III:

—— *Acri quondam regnata Lycurgo.*

Quod ante eum etiam scripsere Rob. Stephanus in Thesauro L. L. & Cælius Secundus in Foro Romano. Sed quin *dominata* hic activè sumatur, dubium non est. Accommodatius igitur exemplum illud veteris Poëtæ apud Ciceronem primo de Off. *O domus antiqua, heu, quàm dispari dominare domino!* Et hoc Nigidii Figuli apud Priscianum: *Omne pecus indomitum habet quiddam in se ferum: sed tamen ea natura est, ut curari, & dominari possit.* hoc est, δεσπόζεσθαι.

Ementior. C. Memmius apud Prisc. *Quam stultè conficta, quàm apertè ementita sunt!* ἐψευσμένα. Cicero in Antonium lib. II: *Quem ipse ementitus auspiciis vitiosum fecerat. Ementitis*, ψευσθεῖσιν.

Enitor. Sulpicius Severus lib. I Hist. Sacræ: *Vovisse traditur, si puer nasceretur, sacrandum Domino: ita enixum puerum sacerdoti tradidit.*

Execror. Cato in IV Origin.* *Exules duo lege publicâ execrati*, hoc est, καταρασθέντες.

* Apud Prisc.

Exhortor, vide *Hortor*.

Exorior. Visellius: *Bonæ res per illos à raro initio exorsæ, in te ad summum pervenerunt. Exorsæ*, id est, initæ. Porrò Visellius ille, unde hæc adducit Priscianus, vel puto, est Visellius rhetor, quem non negligentem auctorem appellat Quinctilianus lib. IX, cap. II, ubi de sententiarum figuris disputat: vel est C. Visellius Varro, Ciceronis consobrinus, qui eum in Bruto laudat, ut oratorem populo quidem non satis vendibilem; sed verbis aptum, & sententiis crebrum.

Experior. P. Nigidius: *Experienda ratio.* Asinius: *Cujus experta virtus bello Germaniæ traducta ad custodiam Illyrici est.* Attius: *Multa inventa expertaque ex hoc sunt bona.* Quæ tria citat Priscianus. Similiter Cicero pro Balbo: *Cujus igitur aditu virtus dubitationi locum non daret, huic præsens experta, atque perspecta, obtrectatorum voce lædetur?* Statius Achill. lib. I†:

—— *Solantia curas*
Fila movet, leviterque expertas pollice chordas
Dat puero.

† Vers. 187.

Exsequi passivè dixit Emporius Rhetor. Imò & Ulpianus lib. XIX de Jurisdict.

Fari. Suetonius in VIII Prætorum‡: *Fasti dies sunt, in quibus jus fatur, id est dicitur: ut nefasti in quibus non dicitur.*

‡ Apud Prisc. lib. 8.

Fateor. Cicero Agrariâ II: *Quæ est ista æquitas?* (agros) *cæteros, etiamsi privati sint, permittere, ut publici judicentur: hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur?* Hoc est, quem publicum esse in confesso sit. Gellius quoque lib. XV, cap. XIII, ubi de communibus tractat, docet, similiter accipi in legibus XII Tabb. Ut in quibus sit: QUI. SE. SIERIT. ANTESTARI. LIBRIPENS. VE. FUERIT. NI. TESTIMONIUM. FARIATUR. IMPROBUS. INTESTABILIS. QUE. ESTO. Ubi pro *fariatur* (ut quoque est in Stephanicâ) *fateatur*, rescribendum. Nam eo capite agit de communibus, proximeque dixerat, passivè dici, *confessum æs, de quo facta confessio est.* Sic enim & hunc locum emendo, cum etiam in Stephanica sit, *de quo facto confessio est.* Ita verò accipi docet in XII tabb. his verbis: ÆRIS. CONFESSI. REBUS. QUE. JUDICATIS. TRIGINTA. DIES. JUSTI. SUNTO.

Frustror. Fenestella: *Frustratus igitur à spe, devictus in*

in castra se recepit. Frustratus, ματαιωθείς. Laverius: *Frustramur, irridemur.* Citat Priscianus.

Furor. Appulejus lib. x: *Quotidie furatis clanculò partibus prævenisti querimoniam.*

Hortor. Gellius lib. xv, cap. XIII: *Dici utroqueversus potest, hortor te, & hortor abs te, id est, tu me hortaris.* Ita Tacitus XII Annal. *Memmium*, inquit, *Pollionem, Consulem designatum, ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, quâ hortaretur Clodius Octaviam despondere Domitio.* Par ratio in compositis, *adhortor, cohortor, exhortor.* Cassius apud Prisc. *Adulatique erant ab amicis, & adhortati.* Hoc est, προτραπέντες. Marcus Cato in quinto Orig.*. *Exercitum suum pransum, paratum, cohortatum, eduxit foras, atque instruxit.* Etiam apud Tullium de Senectute in plerisque libris est: *Exhortatus est in convivio à scorto.* Ubi alii *exoratus.* Ausonius quoque Periochâ Il. XIV: *Exhortatoque somno, ut eum mitteret in soporem, dehinc vigilias ejus uxoriis labefactat illecebris.*

* Apud Gell. lib. 15. cap. 13.

Jaculor passivè non temere reperias, nisi in participio, & Latinitate multum collapsâ. Quomodo Victor Uticensis lib. I ait: *Sagittâ in gutture jaculatus.*

Immolior, vide *Molior.*

Interpretor. Paullus L. XII. de reg. Juris: *In testamentis pleniùs voluntates testantium interpretantur.* Quomodo & Hieronymus, atque Augustinus, sæpe loquuntur. Imò Cicero ipse in primo de Divinatione *interpretata* passivè dixit: unde verbum *interpretor* commune esse, colligit quoque Gellius lib. xv, cap. XIII.

Intuor. Turpilius Pedio:

—— *Tamen oculis*
Longâ intercapedine appetunt, cupidè intui.

Videtur de virginibus loqui, quæ conspici volunt.

Largior itidem utroqueversus dici, probat idem Sallustii istoc: *Dilargitis proscriptorum bonis.*

Loqui passivè est apud Cælium ad Ciceronem ep. VIII: *De damnatione ferventer loqui est cœptum.* Nempe Cælius amat ἀρχαΐζειν †.

† Antiquè loqui.

Machinor. De quo Priscianus citat hoc Sallustii in II Histor. *At Lucullum Regis curâ machinata fames brevi fatigabat.*

Meditor. Terentius Phorm. act. II, sc. I:

Meditata mihi sunt omnia mea incommoda.

hoc est, μεμελετημένα. Ac similiter Cicero lib. I Off. Ovidius lib. IX Met. Gellius lib. I, cap. VII. Etiam Appulejus lib. II Met. *Emeditatos fletus.* Et Minutius Felix in Octavio: *Ubi autem magis à sacerdotibus, quàm inter aras & delubra, conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur?*

Metior. Arnobius libro secundo: *Orbe sit sol amplior, an pedis unius latitudine metiatur.*

Metor. Horat. lib. II, od. XV:

—— *Nulla decempedis*
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.

Et lib. II, sat. II:

—— *Videas metato in agello*
Cum pecore, & natis, fortem mercede colonum.

Moderor. Epigramma vetus à G. Fabricio editum:

Urbanos fasces gaudens tibi, Roma, parabat,
Consilio fratris nunc moderata tui.

Modulor. Gellius lib. I, cap. XV: *Linguâ modestâ, & parcâ, & modulatâ.*

Molior. Appulejus XI Met. *Inter has oblectationes ludicras popularium, quæ passim vagabantur, jam sospitatricis Deæ peculiaris pompa moliebatur.* Similiter compositum *immolior.* Livius lib. XXXIX*: *Immolitum, & inædificatum est in loca publica.*

* Cap 44.

Moror. Papinianus L. V. §. I. D. ut legator. nom. cav. *Si petitionis dies moraretur.* Paullus L. LXXXV. §. ult. D. de diversis reg. Juris: *Quoties æquitate desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur.* Id est, tardatur, differtur.

Nanciscor. Hyginus Fab. I: *Occasione nactâ.* Similiter fab. VIII. Est & Appuleji libro VII: *Nactâ libertate, veris initio, pratis herbentibus, rosas utique reperturus aliquas.*

Obliviscor. Maro in Bucolicis:

Nunc oblita mihi tot carmina.

Nec aliter accipi debet, cùm vetus Juvenalis scholiastes in sat. VII † ait: *Mala consuetudo scribendi, quæ oblivisci non potest.* Item cùm Boëthius initio libri IV de philosoph. inquit: *Eaque si ob injuria dolorem nuper oblita, non tamen prorsus ignorata.*

† Vers. 51.

Ordior. Columella lib. I, cap. V: *Cùm ex depressiore loco fuerint orsa fundamenta.* Diomedes quoque præfat. lib. I: *Ordita lectio.* Par ratio in compositis. Visellius apud Priscian. *Bona res per illos à raro initio exorsa, in te ad summum pervenerunt.* Exorsæ, id est, initæ.

Osculor, à plerisque Grammaticis exemplum statui generis communis solet. At hoc non temere aliter, quàm activè, reperias. Quanto igitur satius fuisset, accommodatius adferri exemplum. Quale inter cætera est *dignor.* Quod apud Ciceronem, Varronem, atque alios, significatione habes activâ: ut diximus.

Paciscor. Tacitus lib. II Annal. *Sed Tiberius demoverat Syriâ Creticum Silanum, per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum ejus, pacta erat.*

Percontor. Appul. Metam. lib. I: *Percontatum pretium.*

Polliceor. Metellus Numidicus, oratione, quâ apud populum C. Manlio tribuno plebis respondit: *Nam ut aliis plerumque obvenienti magistratu ob metum statua polliceantur.* Quod Priscianus* rectè exponit ἐπαγγέλλονται. Ac Brissonius παρέργων libro singulari docet, similiter dixisse Ulpianum: *Actio pollicetur:* id est, promittitur. Addunt è Cæsaris lib. II, cap. XXI belli civilis: *Pecunias, quæ erant in publicum Varroni à civibus Romanis pollicita, remittit.* Sed in libris optimis est: *quas erant in publicum Romani cives polliciti.*

* Lib. 8.

Populor. Cicero initio Divinationis: *Qui nunc populati atque vexati sæpe ad me venerunt.* Et lib. III in Verrem: *Populatam vexatamque provinciam.* Sed de hoc minùs mirandum, cùm & *populo* in usu remanserit, ut inferiùs dicetur.

Potiri hostium παθητικῶς dixit Tryphonius l. in bello. Tit. De captivis & postliminio reversis: *Cætera, quæ in jure sunt, postea quam postliminio redit, pro eo habentur, ac si nunquam iste hostium potitus fuisset.* Et Papinianus, l. quòd si filius, tit. eodem: *Exinde sui juris videtur fuisse, ex quo pater hostium potitus est.* Quam lectionem meritò tuetur Stewechius adversus virum magnum, qui substituit: *Pater hostium potestati subditus est.* Stewechium ipsum vide, & Cujacium ad lib. XLIX Digest. Tit. XV, leg. XI. Et hausere Jurisconsulti hoc loquendi genus à Plauto, qui aliquoties sic loquitur: ut Captivis act. I, sc. I, & bis Epidico act. IV, sc. I. Ac similiter idem Asin. act. III, sc. II ait, *potiri herorum*, pro, in *potestatem herorum venire*, ut monet Palmerius: &, quod observat Janus Guilielmius, Terentius Phorm. act. III, sc. I dixit, *potiri mali*, pro, à malo opprimi, & in ejus quasi potestatem venire.

Precor. Ausonius Ephemeride:

Deus precandus est mihi,
Ac filius summi Dei.

Et similiter Prudentius hymno περὶ στεφ. in Vincent. dixit, *Ara precanda.*

Queror passivè inveniri, monet Priscianus in VIII.

Remorari passivè ait Hegesippus lib. II, cap. XV. Sed levis ejus auctoritas nobis.

Reor utroqueversus dici, auctor est Prisc.

Sector passivè usurpat Varro lib. II de R. R. cap. IX: *Qui velle se à cane sectari.* Sic *consector*, de quo in *Consequor.*

Solor quoque sic reperiri, idem Priscianus monet. De *consolor* superiùs jam dictum.

Stipu-

Stipulor tam profertur in activa, quàm passiva significatione: ut Priscianus in VIII ait. Subjungit inde: IN QUO illud quoque est observandum, quod tam activâ significatione, quàm passivâ, ablativo conjungitur, *stipulor à te*, pro interrogo te, & interrogor à te, quomodo dicimus, *quæro à te*, pro interrogo te, quamvis sit activum. Juvenalis in IV:

Quantum vis stipulare, & protinus accipe quod do,
Ut toties illum pater audiat.

Et subauditur, à me stipulare. Ecce hic est activè. Suetonius autem passivè protulit in IV Prætorum: *Læteria, quæ vetat minorem annis XXV stipulari.* Ἐπηρεάζεσθαι. Livius in XXXIII ab Urbe conditâ: *Nec alieni momentis animi circumagi stipularique irato Consuli, Tribuno inde plebei.* Plautus Cistellariâ:

Me respondere postulas. injurium est.
Stipulari semper me ultro oportet à viris.
Eum quæstum facio. nihil jures promittere.

Activè dixit idem in Pseudolo *:

Minæ viginti salvæ ac sanæ sunt tibi,
Hodie quas abs te est instipulatus Pseudolus.

Idem in Rudente † passivè dixit:

Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem
Quinque & viginti natus annos.

* Act. 4. sc. 6.

† Act. 5. sc. 3.

Hactenus Priscianus: ut nos quidem totum hunc locum correximus. Et fortasse etiam pro *Cistellaria* legendum *Clitellaria.* Nam in Cistellaria frustra quæras. Mendosus etiam videtur locus Livii: quem nec ipsum in eo legi puto. In Mso nostro Prisc. uterque locus desideratur.

Testor verbum commune esse, colligit Gellius ex eo, quòd Cicero in primo de Divinatione *testata* dicat passivè. Ac Priscianus pro eo adfert hoc ejusdem Ciceronis pro Muræna: *Publicis literis testata sunt omnia.* hoc est, μαρτυρηθέντα.

Tueor, & *tutor*, tam passivè, quàm activè sumi, ait Priscianus in VIII. Sic usus est Varro de R. R. lib. III, cap. I: *Quod & in pace à rusticis Romani alebantur, & in bello ab his tuebantur.* Cui, vir eruditus, Emmanuel Alvarus geminum esse censet Senecæ illud epist. XCI: *Infirmiores à validioribus tuebantur.* Sed fallitur, quia *infirmiores* hic est casus incusativus, eoque *tueor* hic activè sumitur, ut sententia sit, priscis seculis principatum eos meritis suis inter homines obtinuisse, qui infirmiores tuerentur adversus validiorum injurias. Nihilo rectiùs idem Alvarus adducit illud Livii lib. XXI: *Melita à Carthaginensibus tuebatur.* Nam apud eum sic legitur: *Ipse in insulam Melitam, quæ à Carthaginensibus tenebatur, trajecit.* Sed habes illustrem locum apud Vitruvium in præfatione lib. VIII: *Animadvertimus vero non solum nascentia ex his esse procreata, sed etiam res omnes non ali sine eorum potestate, neque crescere, nec tueri.* Ac Philander ad eum locum annotavit similem locum ex veteri inscriptione. Postrema solum verba apponam: SENATUS ET POPULI ROMANI IMPERIUM, ET DEORUM NUMINE, ET MILITUM FORTITUDINE, ET TUERI ET REGI.

Vador etiam passivè accipi, Priscianus auctor est.

Velificor item, ut probat hoc Juvenalis in IV:

Velificatus Athos.

Veneror similiter sumitur in illo Cæsaris Germanici, ubi de Deltoto:

—— Siquis donum hoc spectabile Nili
Divitibus veneratum Indis in sede notârit.

Veneror. Virgilius Æn. III:

—— Cursusque dabit venerata sacerdos.

Quo *veneror* passivè etiam dici, probant Gellius lib. XV, cap. XIII. & Priscianus in VIII.

Venor, tam proferri in activa, quàm passiva significatione, auctor est Priscianus ibidem. Passivâ usus Vigilius lib. I contra Eutychem.

Vereor te, dicimus, & *vereor abs te*, id est, tu me vereris. Testis Gellius lib. XV, cap. XIII. Atque huic probando adducit illud Afranii in Consobrinis:

*Hem ista parentum * est vita vilis liberis,*
Ubi malunt metui, quam vereri se a suis.

* Lips. in Var. Horrince parentum. Censeo potius Hem retinendum: nec elidi, ut fit senarius.

Addit postea: *Veritum autem, sicut puditum, & pigitum, non-personaliter per infinitum modum dictum esse, non à vetustioribus modo, sed à M. quoque Tullio in secundo de Finibus: Primum, inquit, Aristippi, Cyrenaicorumque omnium, quos non est veritum in ea voluptate, quæ maximà dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere.* Pontius diaconus non dubitavit imitari Afranium in vita B. Cypriani: *Ut esset ambigere, vereri plus an diligi vereretur: nisi quod & vereri & diligi merebatur.*

Ulcisci. Sallustius Jugurthâ: *Quicquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit.* Item Porcius Latro in Catil. *Quid erit, judices, quod dubitetis de liberanda patria, deque ulciscenda crudelissimi sceleris immanitate?* Sic Valerius Flaccus *ultus* passivè dixit lib. IV Argon.

Vociferor tam passivè, quàm activè sumi, testis Priscianus in VIII.

Utor quoque commune esse, & utroqueversus dici, Gellio traditum lib. XV, cap. XIII. Auctoremque laudat Novium in Ligartacâ †, ubi dicat: *Quia suppellex multa, quæ non utitur, emitur tamen.* id est, quæ usui non est. Similiter *abutor.* Q. Hortensius: *Abusis jam ab omnibus locis. Abusis*, καταχρηστικῶς. Varro: *Utile utamur potius, quam ab Rege abutamur.* Utrumque citat Priscianus.

† Codd. alii, Ligitarca, vel Ligararta.

Ex his cognoscere est, quantopere fallantur, qui nulla putant superesse communia; quasi omnia, cùm priùs utraqueversum dicerentur, postea tamen alteram exuerint significationem. Quippe ex iis, quæ adduximus, liquet, multa passivè prolata esse à Cicerone, Varrone, Cælio, & cæteris ejus ævi scriptoribus; item illis proximi temporis, Asinio Pollione, Marone, Horatio, Suetonio, atque aliis. Et plura hujusmodi adducam in Participiis *.

* Lib. seq. 11.

Nunc quia veritatis radiis abunde dispulimus opinionem, de qua nobis hactenus dictum: haut difficile mihi erit, alium eorundem eluere errorem. Putant enim, commune genus diversum esse à deponenti, quum deponentia eadem sint, quæ communia; sed communia sint, quatenus olim utramque habuerunt significationem; deponentia, quà alteram vel plane, vel penè deposuerunt. Et sanè, si cur communia à deponentibus diversum constituant ordinem, caussa est satis gravis, quòd nunc significent actionem, nunc passionem: etiam quæ actionis duntaxat sunt significativa, ut *precor*, *fateor*, diversi generis erunt ab illis, quæ solùm notant passionem, ut *pascor*, *nascor*. Quare etsi communia, si physicum genus attendamus, deponentium naturam excedant: tamen, ubi Grammaticum genus spectatur, communia sub deponentibus comprehenduntur.

CAP. VII.

De deponentibus, quæ olim in O, & OR exibant.

MUlta etiam deponentia eâdem significatione in O inveniuntur: sed pleraque apud priscos, pauca etiam apud classicos. Utrorumque hunc syllabum subjecimus.

Adminiculo, pro *adminiculor*. Varro Cato, vel de liberis educandis: *Quod petisti, ut ejus educationis fierem tibi socius, quoad potui adminiculavi tuam voluntatem scribendo.*

Adaquare, pro *adaquari*: si fides libris nonnullis, apud Suetonium in Galba cap. VII.

Adulare, pro *adulari*, non modò dixere Attius Peribœâ, & Lucretius lib. V: sed eadem vox in codd. MSS, teste Steph. Pighio, invenitur apud Val. Maximum lib. IV, cap. III loco gemino, & Columellam lib. VII, cap. XII. Appulejum quoque in V de A. A. Ausonium in Gratiarum actione, & vett. glossis.

Adultero, pro *adulteror*, dixit Agellius lib. X, c. XXIII:

In adulterio uxorem si deprehendisses, sine judicio impune necares: illa te, si adulterares, non auderet digito contingere.

Alterco, pro *altercor*, ut apud Pacuvium, *altercas*, teste Nonio: & Terentium Andr.* *Scio, cum patre altercasti dudum.* Ac similiter Appulejus in II Metam. *Et mente sacrilegâ coarguenti marito altercat.*

* Act. 4. sc. 1.

Assentio, & *assentior*, dici, monitum Gellio Fabio lib. I, cap. V, & lib. V, cap. IV: item Gellio lib. II, c. XXV, & lib. XVIII, cap. XII. Nonio item, & Diomedi, qui id testibus probant. Sæpe prius est in MSSis, ubi alterum in vulgatis.

Amplecto, pro *amplector*, & *amplexo*, pro *amplexor*. De utroque testis Priscianus, qui citat illud Q. Claudii in II Annal. *Conservare suos quisque, servare, amplexare.* Et hoc Ciceronis pro Cluentio: *Autoritatem censorum amplexato.* Ac Nonius adducit hunc senarium Attii Alcmæone: *Postremo amplexa; fructum, quem Di dant, cape.*

Arbitro. Plautus Sticho:

Probiores credo arbitrabunt, si probi narraveris.

Aucupo, pro *aucupor*, dixisse veteres, testis est Priscianus in VIII. Atque, id ut doceat, Nonius Marcellus congerit loca Titinnii, Plauti, Ennii, Pacuvii, & Attii. Ipsum vide.

Auguro, pro *auguror*, ut est apud Prisc. ibidem. Eique comprobando Nonius allegat Attium, Ennium, Pacuvium; imò & Virgilium, ac geminum Ciceronis locum. Prior est ad Calvum: *Præsentit animus, & augurat quodammodo, quæ futura sit suavitas.* Alter lib. IV de Rep. *Cui quidem utinam verè, fideliter abundiente* † (Mercerus, *quidem certè*) *auguraverim.*

† Abundiente etiam est in membranis nostris. Unde in Aldina, abundante: Had. Jun. abunde ante. Sed sententiæ convenientior illa correctio Merceri, quam posui.

Auspico, pro *auspicor*. Prisc. Atque usus Cato apud Festum in *Prohibere*. Testimonia plura ponit Nonius, interque alia Nævii; cujus locum corruptum ita emendat Godsc. Stewechius ad secundum Arnobii librum: *Tum prætor advenit, & auspicat auspicium prosperum.* Arnobii verò, qui & ipse hoc pacto usus, verba sunt, *Spem pretii similis*, sive, ut Stewechius corrigit, *spem præsumitis, & ex acuminibus auspicatis.*

Auxilio, pro *auxilior*. Gracchus adversus Furium: *Quibus ego primus quomodo auxilium?* Citat Diomedes in primo. Legas & in epistolarum S. Bonifacii, & aliorum, ea farragine, quam debemus Serrario. Verùm hoc barbaræ ætati scriptoris tribuendum potiùs, quàm veterum imitationi.

Cachinno, Attio *, Lucretio, & Suetonio †, quod *cachinnor* Ciceroni.

* Phœnissis apud Non.
† Lib. I. 917. & lib. 2. 974
‡ In Vespasiano cap 5.

Coborto. Quadrigarius Annalium lib. V ‡: *Et dicerent castra capta esse, atque hos cobortarent, uti maturarent.* Citat Nonius.

Comito, pro *comitor*. Ovid. cùm VIII & XIV Metam. tum lib. II Pont. el. III:

Pirithoum Thesem Stygias comitavit ad undas.

Et Propertius lib. II, eleg. VII, vel aliis VIII:

Quod si Romana comitarent castra puella.

Comitarent. Quoque est in duobus Palatinis. Sic quoque edidit Scaliger.

Commento, pro *commentor*. Prisc. in VIII.

Comminisco. Appulejus lib. IV Metam. *Medium è re nata validum, eo volente, comminiscimus.* Ubi *commissimo* est in editione Venetâ an. CIↃCCCCXCIII. Sed *comminiscimus* est in optimis membranis nostris. Atque ita edidit Colvius.

Commisereo, commiseresco. Vide *Miseret.*

Complecto. Pomponius Fullonibus:

Quin ergo, quando convenit, complectite?
Mi frater, salve. O soror salve mea.

Conflicto. Terentius Phorm. act. III, sc. II:

Nec cum hujusmodi unquam usus venit ut conflictares malo.

Tacitus lib. V:

Plura per scelera Remp. conflictavisset.

Congredio dixisse, colligit Nonius ex hoc Plauti in Epidico: *Quid si adeam? Hant scio, an congredias, si hac est.* Idem nec *progredio* refugisse veteres, docet hoc Novii Vindemiatoribus: *Quid stas? age, move te manem, in prius, progredi.* Ubi in membranis nostris pro *manem*, *mane*: pro *prius*, *primus*. Quare emendo: *Manen? i, primus progredi. Manen, ut viden?*

Consolo, pro *consolor*. Prisc. in VIII. Ac comprobat Nonius illo Varronis Oedipothyeste: *Per idem tempus Oedipus Athenas exul venire dicebatur, qui consolaret.* Vix tanti puto, addere, etiam legi in farragine epistolarum S. Bonifacii, & aliorum, a Serrario publicatâ.

Contemplo, pro *contemplor*. Prisc. in VIII. Ac Nonius id adstruit locis Attii, Nævii, Titinnii, Ennii, Plauti. Est & Nemesiani fragmento de Aucupio, de tetrace:

Cum pedicas nectis sibi contemplaverit, adstans.
Vixit is temporibus Cari imperatoris.

Convivo, pro *convivor*. Quod probat Nonius hoc Ennii sat. lib. I:

Malo hercle suo magno convivat sine modo.

Et isto Pomponii Mundâ:

Si calendis convivant, idibus cœnant foris.

Fortasse tamen Nonius deceptus. Trochaicus quidem fuerit, si rescribas:

Si calendis convivantur, idibus cœnant foris.

Crimino, pro *criminor*. Prisc. in VIII. Ac Nonius citat Ennii illud lib. IV Sat. *Nam is non bene vult tibi, qui falsò criminat apud te**.

* Trochaicus sit hoc pacto: Nam non is bene vult tibi, qui falso apud te criminat. Sed nihil mutandum, si finis fuit & initium Iambici senarii.

Cuncto, pro *cunctor*. Uti Nonius uno Attii, gemino Ennii loco demonstrat.

Demolio, pro *demolior*. Ita Alfenus I. C. *demolire*, & *demolierit*, dixit lib. VII de usufr. leg. Diomedes adducit è Nævii Corollariâ: *Hac demolite.* Et è Varronis libris Poëticis: *Et tamen non demolio rostra.* Item ex Epistolicis ejus Quæst. *Demolivit tectum.*

Delucto, vide *Lucto*.

Digno, pro *dignor*. Priscianus. Item Diomedes in primo, qui illud Pacuvii citat in Hermiona:

Cum neque me adspicere æquales dignarent mea.

Sic apud eum ex Nonio rescribendum: qui & illud Attii Meleagro adducit:

—— *Remanet gloria*
Apud me. exuvias dignavi Atalantæ dare.

Ejulo, pro *ejulor*. Priscianus testis.

Expergisco. Pomponius Agamemnone supposito:

Nequis miretur, cùm tam clarè tonuerit,
Ut si quis dormitaret, expergisceret.

Apud Nonium legas.

Exsecro, pro *exsecror*. Priscianus in VIII. Usus Afranius Incendio, teste Nonio:

Experiurabant, exsecrabant se, ac suos.

Fabulo, pro *fabulor*. Plautus Milite, & Truculento. Item Appulejus Floridis. Gloss. *fabulat*, λαλεῖ.

Frustro, pro *frustror*. Pomponius Majali apud Nonium:

Miseret me eorum, qui sine frustis ventrem frustrarunt suum.

Usus & Plautus Milite act. III, sc. III: *Quin ego me frustro.* Quamquam pro *frustro*, *ultro* legendum censeat Janus Guilielmius lib. III Verisim. cap. XI. Verùm usus quoque Cæsar apud milites de commodis eorum, teste Diomede †: *Non frustrabo vos, milites.* Ex posterioribus usurpat & Possidius in vita S. Augustini, cap. XVII.

† Lib. I.

Frutico Columella, & Plinius: pro quo Cicero *fruticor.*

Horto, pro *hortor*. Prisc. in VIII.

Imito. Livius Achille:

Si malos imitabo, tum tu pretium pro noxa dabis.

Varro epistolâ Latinâ lib. II: *Tuum opus nemo imitare potest.* Utrumque à Nonio adducitur.

Impertio, & *impertior*, eâdem significatione usurpat Cicero.

Insidio, pro *insidior*. Callistratus L. Capitalium. §. q. de

de pœn. *Igni cremantur plerumque servi, qui saluti dominorum insidiaverint.* Non tamen assentire possum Grammaticorum illis, qui Maronem quoque usum putant I Æn. cùm ait:

—— Inscia Dido,
Insideat quantus misera Deus.

Invenio quidem in Servio P. Danielis, quosdam legere *insidiat*, hoc est, *insidias faciat*. Sed ab *insidio* potius *insidiet* dixisset. Nec si insidias significare Virgilius voluisset, alio usus esset quam *insidendi* verbo, unde *insidia* dicuntur.

Jurgo, *jurgor*. Cicero libro IV de Rep. *SI JURGANT*, inquit lex XII Tabb. *benevolorum concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur.* Et ibidem: *Jurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare.* Adducit Nonius in *Jurgium*. Justinus lib. IX: *Ut in convivio, antea primùm cum Attalo, mox cum ipso patre jurgaret.*

Lachrymo Terentio, & Ovidio; *lachrymor*, Ciceroni. De utroque & testis Diomedes lib. I.

Lato, pro *lator*. Prisc. in VIII.

Largio, pro *largior*. Ut Priscianus ostendit illo Sallustii in primo Histor. *Igitur venditis proscriptorum bonis, aut dilargitis.* Nonius idem probat locis Lucilii, & Attii. Ac Catonem Bæbiâ similiter ait dixisse: *Pecuniam inlargito tibi.*

Liceo, pro quo Tullius passim & Jurisconsulti, *liceor*, & in frequentativo *licitor*. Curtius lib. XXII: ubi de Besso parricida: *Ancipitem hostem ad nutum licentium, circumferri.*

Lucto, pro *luctor*, & *luctito*, pro *luctitor*, juxta Prisc. in VIII. Ac evincit hoc Nonius illo Ennii lib. VIII: *Viri validi viribus luctant.* Sive, metri ergo, *——viri validi cum viribu' luctant.* Plautus similiter Vidulariâ:

Quid multa verba? plurimùm luctavimus.

Delucto itidem usurpat Trinummo act. IV, sc. I:

Quibus ærumnis deluctari filio cum divitias quæro!

Terentius Hecyra act. V, sc. III:

Dicitque sese illi annulum, dum luctat, detraxisse.

Ludifico Plauto; *ludificor* eidem, item Terentio, Ciceroni, Livio. Meminit & Non. ac Prisc.

Luxurio probat Nonius è Tuberone, & Virgilio. Pro quo *luxurior* Columella, & Plinius.

Medico. Virgil. I Georg.

Semina vidi equidem multos medicare serentes.

At *medicor* nunc activè sumitur, nunc etiam passivè; unde *vinum medicatum*.

Mereo, *merui*; & *mereor*, *meritus sum*. De priori Plautum, & Turpilium, Nonius laudat auctores. Ac *promereo* similiter dici, docet hoc Plauti Trinummo *:

* Act. 3, sc. 2.

—— Nam retineri nequeo, quin ea dicam, quæ promeres.

Minito, pro *minitor*, ut Nonius è Nævio, & Plauto, colligit.

Miro, pro *miror*. Quod idem ostendit hoc Varronis Eumenidibus:

Hospes, quid miras nummo curare Seraphim?
Quid? quasi non cures tantidem Aristoteles.

Et hoc ejusdem:

Aut ambos mira, aut noli mirare de eodem.

Item illo Pomponii Patruo:

Mirum facies, fatua si studium mirabis diu.

Ubi, ut sit trochaicus tetrameter catalecticus, post *si*, interpone *istud*; quod librarius neglexit, quia & *i* in *si* præiret, & *stud* in *studium* sequeretur.

Misero, pro *miseror*. Attius Athamante:

Atque ita de illis meruis, ut jure hac nunquam miserarent mala.

Sic *misereo*, & *misereor*; unde *miseret*, & *miseretur*. Ennius Hecubâ:

Miserete manus (vel potiùs, *mei anuis*) *date ferrum, qui me animâ privem.* Item *miseresco*, & *commiseresco*. Virgil. Æn. II:

—— Miserescimus ultro.

Ennius Hectoris Lytris:

—— Per vos, & vestrum imperium, & fidem Myrmidonum, commiserescite ——.

Citat Nonius.

Modero, pro *moderor*, Attium & Pacuvium posuisse, idem Nonius est auctor. Plauti etiam est Milite act. IV, sc. V:

—— At modicè decet
Moderare animo.

R. Stephanus similiter ait locutum Sallustium in Catil. cùm Cæsar dicit: *Ubi hoc exemplum per Senati decretum Consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet, aut quis moderabit?* Sed in melioribus libb. est *moderabitur*: etiam in MSS nostris. At usus quoque Ulpianus L. LXXII. D. De judiciis: *Ordinem editorum, vel compendium moderare.* Est & Rufini de metris Horatianis: *Desinit jambicus videri, nisi percussione ita moderaveris.*

Modulo, *modulor*, dixere, teste Prisciano.

Molio, pro *molior*, juxta Priscianum in VIII. Ac similiter compositum *demolio*, quod tergeminâ hac auctoritate evincit Diomedes lib. I. Varro in libro poëtico: *Et tamen non demolio rostra.* Idem in quæstionibus Epistolicis: *Demolivit tectum.* Atque hæc exemplo Nævii, cujus illud in Corollariâ: *Hac demolite.*

Moro, pro *moror*. Ut Diomedes ostendit hoc Nævii in Projecto *:

* Al. Protecto.

—— Quid moras? quia imperas.

Similiterque Pacuvius Hermionâ:

Paucis absolvit, ne moraret diutius.

Munero, pro *muneror*. Ut Nonius docet istoc Turpilii Thrasyleone: *Dat ultro, ac munerat, quod ab illo abstulit* †. Similiter Gellius lib. XVIII, cap. XII.

† Fortè melius, ab illo quod abstulit. Ut sit jambicus senarius.

Mutuo, non tantùm valet mutuum do, sed & sumitur pro *mutuor*, hoc est, mutuum sumo. Quod Nonius planum facit illo Cæcilii in Asoto:

Ad amicos curret mutuatum, mutuet causâ meâ.

Obsono etiam, & *obsonor*, activè cepere; ut est apud Priscianum in VIII. Atque ita Plautus Aululariâ: *Obsonavit herus.* Itaque tam *obsonavit*, quam *obsonor* legas in Aularia act. II, sc. IV. Ac prius etiam est apud Appulejum in Apolog.

Omino, pro *ominor*. Pomponius Cretulâ, vel Petitore:

Bene eveniat. Ita & tibi bene sit, qui rectè ominas.

Sic legendum.

Opino, pro *opinor*, dixisse similiter, idem Priscianus inibi tradit. Ac probat id Nonius locis Plauti, Pacuvii, Ennii, Cæcilii.

Opitulo. Livius Equo Trojano: *Da mi hasce opes, quas peto, quasque precor, corrige, Opitula.* Nonius adducit. Sed ubi vulgò, *quas precor*, versus caussâ, rescripsi *quasque*.

Osculo. Titinnius Ilarubrâ (sive ilâ vel hillâ rubrâ) apud eundem:

Laudor, quod osculavi privignæ caput.

Pacisco, Nonio teste, dixit Nævius belli Punici lib. II: *Id quoque paciscunt, ut mœnia sint, quæ Lutatium reconciliant.* Idem hoc ejusdem, vel alterius, citat: *Captivos plurimos Sicilienses paciscit, obsides ut reddant.*

Palpo ait Juvenalis ‡, quod alii *palpor*; etiam Lucilius. Ac similiter *expalpor* activè Plautus Vidulariâ, teste Nonio.

‡ Sat. 1, vers 39.

Partio, pro *partior*, ut gemino loco monet Nonius, geminoque probat Lucilii loco: item ex Plauto, Attio, Ennio. Est & Sallustii in Jugurt. *Provincias inter se partiverant.* Sic *impertio*, pro *impertior*, ut diximus.

Patio, pro *patior*. Nævius in Projecto:

—— Populus patitur, tu patias modò.

Sic Diomedes in primo.

Percunto, pro *percontor*, Nonio teste, dixere Novius Malevolis, & Nævius in secundo belli Punici.

Perscruto, pro *perscrutor*. Plautus Aulul. act. IV, sc. IV:

Postremo jam hunc perscrutavi. ——

Polliceo, pro *polliceor*, ut ostendit Nonius isto Varronis Anthropopoli: *Ne dares, ne pollicereς, quod* * *datum est.* Sic legendum.

* *In Mso nostro, uti in vulgatis, perperam,* quid, *pro* quod.

Populo, pro *populor*. Virgil. I Georg.

—— *Populatque ingentem farris acervum*
Curculio.

Diomedes adducit ii Plauti Feneratrice: *Qua ego populabo probe.* Nonius docet, eodem uti Cæcilium, Quadrigarium, Attium. Item Ennii esse Ambraciâ:

Agros audaces depopulant servi, & dominorum domos †.

Ita emendo. Itaque *populatus* nunc activè sumitur, nunc passivè.

† *In eodem Mso, ac vulgatis, &* deest, *&* domini *legas pro* domos: *sed nullâ commodâ sententiâ, & invito versu, qui trochaicus est.*

Prælio, pro *prælior*. Ennius Achille Aristarchi ‡:

—— *Ita*
Mortales inter sese pugnant, præliant.

Præstolo, pro *præstolor*: apud Turpilium Pedio, & Livium Tereo, teste Nonio.

Preco, pro *precor*, teste Prisciano in VIII.

Proco, pro *procor*. Livius Ægistho:

—— *Quin, quod parère vos majestas mea*
Procat, toleratis, temploque hanc deducitis?

Citat Nonius in *Procacitas*.

‡ *Apud Non.*

Proficisco. Turpilius * Ἑταίρᾳ:

Hortatur hominem, quamprimum proficisceret.

* *Apud Non.*

Progredio, vide *Congredio*.

Promereo, vide *Mereo*.

Recordo. Quadrigarius † libro III Annal. *Patria eum recordavit.* Glossæ Philoxeni: *Recordat ἀναμιμνήσκει.*

† *Ibid.*

Refrago, pro *refragor*; *suffrago*, pro *suffragor*: teste Nonio, qui posterioris auctorem laudat Sisennam lib. XXIII: *Multi populi, plurima conciones, dictaturam omnibus animis, & studiis suffragaverunt.*

Reminisco est apud Augustinum epist. LV. Qui tamen illud damnat libro de Grammaticâ. Imò ante Augustini quoque ætatem ita quosdam locutos, argumento est illud Ausonii in Rufum Rhetorem:

Reminisco Rufus dixit in versu suo:
Cor ergo versus, imò Rufus non habet.

Item hoc ejusdem:

Qui reminisco putat se dicere posse Latinè,
Hic ubi CO scriptum est, faceret COR, si cor haberet.

Eodem quoque modo locutus B. Ardulfus, antistes Ecclesiæ Rhofensis, epistolâ quadam, quam invenire est in epistolis S. Bonifacii, aliorumque, quas Nicolaus Serrarius publici juris fecit.

Reverto, pro *revertor*, dici, docet Nonius loco è Pomponii Majali. Sed classici etiam sic loquuntur, ut notum. Sed in præterito, non præsenti. Imò in præsenti non alia, quam passiva utar forma, in præsenti solum terminatione passiva.

Rhetorico, pro *rhetoricor*. Novius Asinio:

Age nunc, quando rhetoricasti, responde quod * *te rogo.*

Ita legendum.

* *Vulg.* quid, *etiam Mso noster.*

Ringo obsoletum, unde *rictus*. At *ringor* usitatum.

Rixo, pro *rixor*. Ut gemino Varronis loco à Nonio comprobatur.

Rumino. Maro in Bucol.

Ilice sub nigrâ pallenteis ruminat herbas.

Scruto, pro *scrutor*; *perscruto*, pro *perscrutor*, usurpâsse antiquos, docet nos Nonius hoc Plauti in Aulul. †

Postremò hunc jam perscrutavi.

† *Act. 4. sc. 4.*

Solero, *soleror*, inter ea, quæ utroque modo terminentur, refert Priscianus. Ita enim habet cùm antiquissima Veneta anni CIↃ IↃ LXXVI: tum recentissima à Putschio recensita. In Mso meo hoc monstrum verbi non legitur. Puto, Priscianum scripsisse, *soleo*, *soleor*: quod inde conjecto, quia præteritum *solui*, *& solitus sum*, inveniatur: unde & præsentis confusam fuisse terminationem, verisimile fit.

Sortio, pro *sortior*. Ennius Cresphonte ‡:

An inter sese sortiunt urbem, atque agros.

‡ *Apud Non.*

Varro lib. XX rerum humanarum: *Cum venerint censores, inter sese sortiant.*

Stabulo. Varro lib. I de R. R. cap. XXI. *Si prata sunt, neque pecus dominus habet, danda opera ut, pabulo vendito, alienum pecus in suo fundo pascat, & stabulet.* Ac similiter Maro III Georg. & VI Æn.

Stipulo non memini legere apud veteres, ut librarii fortè error sit in glossis Cyrilli, ubi exaratum: Ἐπερωτῶ, *consulto, interrogo, stipulo.*

Suavio, pro *suavior*. Ut *suavies*, pro *suavieris*, apud Pomponium Mundâ, & Novium Quæstione, auctore Nonio.

Suffrago, vide *Refrago*.

Testo, pro *testor*. Prisc. in VIII.

Tumultuo, pro *tumultuor*. Plautus Rudente act. II, sc. III:

Ut mihi istuc negotii dicas, quod tumultues.

Macrobius lib. II Saturn. cap. X: *Populum Romanum objurgat, quòd Roscio gestum agente, tumultuaverit.*

Tuto, pro *tutor*. Usi sic, Nonio teste, Plautus, Nævius, Pomponius, & Pacuvius.

Vago, (de quo Nonius adducit testes, Plautum, Serenum, Pacuvium, Attium, Turpilium, Ennium, Varronem, & Pomponium,) legere quoque est apud Prudentium hymn. VI Cathem.

Liber vagat per auras
Rapido vigore sensus.

Ac autor est Gruterus, eodem usum JC. l. XL IV in fine ad Senatusconsultum Silanum; ubi tamen librarii, *vacat*.

Velifico, Plinio, lib. IX, cap. XXXIII, & Propertio, lib. IV, eleg. X. Atque inde passivè Juvenalis sat. X:

Velificatus Athos.

At activè *velificor* Cicero.

Venero. Plautus Truculento: *Date mihi huc flactam atque ignem, ut venerem Lucinam meam.* Nam *venerem* non nomen, sed verbum esse, & pueri vident. Non dubitavit tamen G. Canterus hac de re caput integrum contexere in sexto Novarum Lect.

Ulcisco veteres dixisse, testis Priscianus in VIII. Atque ita Ennius Eumenidibus:

Nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem.

Vocifero, pro *vociferor*, est in farragine epistolarum S. Bonifacii, & aliorum, quam bono publico exhibuit Serrarius. Sed condonandum hoc ætati, qua scriptores isti vixere. Antiqui verò semper *vociferor*: si cascos excipias, & antiquarium Varronem. Uti III de R. R. cap. IX: *Vociferant sæpe in certamine pertinaces.*

Pauca talia cùm adduxisset Diomedes in primo, continuò subjungit, *Citius me dies deficiet enumerantem exempla.* Sanè ὑπερβολικώτερον ille. Priscianus plura, ut vidimus, promit. Sed quia auctores præteriisset, subdit, istorum *omnium usus, tam apud Caprum, quàm Plinium, & Probum, inveniri.* Quare utcunque in plerisque non apponat scriptorum verba; fidem tamen meretur, quia olim ea apud Plinium, Probum, & Caprum, invenirentur. Et plerorumque ex iis, ut ostendimus, Nonius Marcellus laudat auctores. Ipsi etiam aliqua, Grammaticis illis intacta, adjecimus. In omnibus verò istis nihil æquè attendere opus, quàm ut obsoleta ab usitatis dignoscamus.

Cap. VIII.

DE MODIS. Varia Indicativi, Imperativi, & Subjunctivi appellationes. Præter hos non esse modos alios: sed comprehendi sub iis Optativum, Potentialem, Concessivum, Αὐθυποτακτικόν, Promissivum, Hortativum, Precativum. Imperativus rectius Postulativus dicatur. Infinitivus unde vocetur. Varia ejus nomina. Non esse modum actu, sed potestate, quia in modos propriè dictos resolvitur.

Post

POst Generis doctrinam agi solet de Numero, Persona, Modis, & Conjugatione. Sed de Numero universè diximus lib. primo De Analogia, cap. IV. Ubi illam etiam quæstionem discussimus, an verba habeant numerum dualem. Ibidem de Persona actum nobis generatim. In Verbo igitur solùm opus tradi discrimen verbi personalis, & impersonalis; modi personativi, & impersonativi. De impersonali verbo actum cap. I. Ubi ostensum, dici impersonalia, non quia omnibus careant personis, ut aliqui contendunt: sed quia, (ut Diomedes ait*) *primam & secundam personam non habent: per tertiam verò tres personæ addito pronomine significantur.* Nec enim dicimus *pudeo, pudes*; sed *me pudet, te pudet, illum pudet.* Vide & Priscianum in XVII †. Cætera, quæ ad impersonalia pertinent, inferiùs afferemus in Defectivis.

* Lib. 1, cap. de Impersonali.

† Cap. de Pronominum constructione col. 1077.

Impersonativus autem modus non est alius, quàm infinitivus; qui sic vocatur, quia actu nullius est personæ, etsi in omnes resolvitur personas. Ut, *Gaudeo me, te, illum venisse*: hoc est, quòd ego, tu, ille, venerimus. Quod planius fiet, cùm de infinitivo inferiùs dicemus.

Proximum igitur est, ut ad Modum accedam. De quo etsi non possim subscribere Sanctio Brocensi, juxta quem, *Qui finxere modos, ratione modoque carebant*: etsi etiam non diffitear sæpe promiscuum esse indicativi, & subjunctivi usum, quod magnâ serie exemplorum luculentè Groscippus‡ comprobavit; longeque majori evincere possimus; tamen neutiquam junioribus, veteribus longe minùs, in eo adsentior, quòd tantam nobis pepererint modorum copiam. Veterum sententiam paucis mihi complexus videtur Diomedes lib. I his verbis: *Modos quinque esse, omnes ferè Grammatici consentiunt. Nam qui sex voluerunt, vario judicio, alii promissivum, quidam impersonalem conjungunt. Qui septem, utrumque prioribus adjiciunt. Qui amplius, percontativum assumunt. Qui novem, conjunctivum à subjunctivo separant. Qui decem, etiam adhortativum adscribunt.* Hæc Diomedes. Sed si edicta hæc veterum ad rationis trutinam ponderemus, tres tantum modos esse planum fiet. Eorum primus à Varrone lib. III de analogia vocatur rogandi, ac respondendi species: à Quinctiliano lib. I, cap. VI, modus fatendi: à Probo & Donato in II edit. pronunciativus: à Diomede, finitivus: à Probo, Diomede, Donato, Prisciano, indicativus. Maximè autem placet ὁριστική, hoc est finitivi seu definitivi appellatio. Illa verò indicativi nimis latè patet. Alter modus est imperativus, qui & mandativus. Tertius vulgo conjunctivus, aut subjunctivus: à Diomede adjunctivus, à nonnullis, Prisciano teste, dubitativus appellatur: dubitativus quidem, *quia frequentissime ei conjunctio dubitativa SI sociatur*: subjunctivus autem, *vel quod subjungitur conjunctioni: vel quod alteri verbo omnimodo subjungitur: vel quod subjungit sibi alterum verbum*: quas caussas adfert Priscianus in XVIII.

‡ In Grammaticis institut. p. 57 & deinceps.

Hisce tribus modis, si alius adjici debet, is fuerit infinitivus, de quo infra dissertabimus. Cæteri verò, promissivus, impersonalis, percontativus, adhortativus: tum etiam optativus, potentialis, concessivus, & participialis, vix colore ullo defendi possunt. Ac de Optativo quidem primùm videamus, quia eum si everterimus, sponte corruent cæteri. Tantùm eorum nobis memoriam refricemus, quæ de sexto Græcorum, item septimo & octavo Latinorum casu dicebamus lib. I de Analogia, cap. XLV. Quippe cujusmodi argumentis evicimus, casus eos non esse ab aliis diversos: ejus generis quoque argumentis comprobatur, nec Optativum, & Adjunctivum apud Latinos (Græcorum enim dispar ratio est) esse modos diversos: utcumque eos non Augustinus modò Saturnius, sed Cæsar etiam Scaliger, pro diversis habuerint: sic tamen ut contrariam sententiam non refellant, quam tum scripserat nemo. Primus enim, eundem esse modum, ostendit Hier. Ruscellus: cujus in sententiam pedibus ivit Nicodemus Frischlinus. Quod addere visum, ne quis conqueri possit, nos sua messe fraudare alios, alienosque labores intercipere. Ut igitur, quas rationes è Prisciano de casuum numero suprà adducebamus, eas hìc quoque ostendamus habere locum, consideranda sunt seu tria, seu quatuor optativi tempora, quæ ipsa nullâ vocis differentiâ in Adjunctivo reperimus. Nec movet me, quod Donatus existimârit, nos solo præsenti tempore optare. Nam ei obduco Probum, & Sabinum; qui, teste Cledonio, *sic volunt declinari optativum per singula tempora, quomodo conjunctivum.* Et res ipsa hoc evincit. Nam dicimus, *utinam amem, cùm amem*; *utinam amarem, cùm amarem*; *utinam amaverim, cùm amaverim*; *utinam amavissem, cùm amavissem.* Ac similiter in voce passiva, *utinam amarer, cùm amarer*; *utinam amer, cùm amer.* Etiam ubi periphrasi locus, ut *utinam* vel *cùm amatus sim, fuerim, essem*, vel *fuissem.* Nec de plusquamperfecto scrupulum quicquam injicere debet: cùm rectè dicatur *utinam doctiori magistro usus essem: utinam cùm nupta fuissem.* Altero etiam argumento pugnemus. Si particula *utinam, cùm, si*, aliave addita, aut prætermissa, diversos efficit modos, etiam indicativus dispesci poterit in modos alios, quia dicimus, *cùm amabo, si amabo*, &c. Imò hinc efficiatur, in nominibus quoque diversos esse casus ob diversas præpositiones, *à fratre, cum fratre, coram fratre, sine fratre*, &c. Adde quod in declinando rectiùs à subjunctivo removeatur CUM, quemadmodum in ablativo meliùs præpositio AB præteritur. Unus igitur modus est, quo licet etiam optemus, tamen, ut, Prisciano teste, ratione primarii usus casibus sex nomen inditum est (Genitivus certè est, licet significet possessionem, & Dativus, quamvis ablatio notetur, & Accusativus, quamvis indicetur defensio) ita hic quoque modus à potissimâ significatione Adjunctivus, sive Conjunctivus dicitur, quia rarò per se implet sententiam, sed ut plurimùm verbo ὁριστικῷ, seu definitivi modi, quem vulgò Indicativum appellant, adjungatur; ut, *cùm veneris, scribam*: sive, quia ei rem subjungamus; ut, *scribam, cùm veneris*; ubi scriptio subditur adventui. Neque est, quòd quis Varronem opponat, qui lib. IX de L. L. modum optandi nominat, quia non idcirco pro diverso judicat, ut qui ibidem interrogandi, & respondendi modum ponat, quem nemo hodie fecerit diversum. Aliud si voluerit Varro, negabimus eum hìc acutè satis vidisse.

Multò minùs diversæ ab Adjunctivo ἐγκλίσεις sive inclinationes ac modi fuerint, potentialis, ac concessivus. Potentiali primus nomen hoc imposuit Thomas Linacer: ut ipse ait lib. I de Emendata structura cap. de Modo. Sic autem eum vocavit, qui per *possum, debeo*, aut *volo*, exponitur. Ut apud Terentium, *Diceret, quid feci!* Item, *Hem, prædiceres.* Similiter: *Ubivis potius passus sim, quàm in hac re me deludier.* Item, *Aufugerim potius, quam redeam.* Itidem Cicero, *Non facile dixerim.* Idem, *Nec verò reprehenderim.* Apud Virgilium, *Videas & flumina sicca.* Item, *Faces in castra tulissem.* Apud Ovidium, *Quod petis, hinc propiore loco, Romane, petisses.* Apud Livium, *Injussu tuo nunquam pugnaverim.* Apud Senecam, *Maluerim veris offendere, quàm placere adulando.* Apud Quinctilianum, *Frangas citiùs, quàm corrigas.* Similiter, si dixeris:

Tranquillitate conscientia nihil
Excogites beatius.

Pro quo Augustinus in libris de civitate Dei, ait: *Tranquillitate conscientia nihil beatius excogitari potest.*

Concessivum vocant, qui concessionem continet. Ut apud Ciceronem: *Age, restitero Peripateticis, sustinuero Epicureos.* Item, *Egeris, quod volueris; vixeris, ut lubet.* Item, *Confringas iste consilia Senatoria.* Apud Livium, *Vos videritis.*

Ad adjunctivum modum etiam pertinet αὐθυποτακτικὸς: nisi hunc non tam subjunctivo, quàm imperativo, subjicere malis, uti facit Servius; qui vult*, imperativum primâ quidem singulari destitui, at non item plurali: itemque Julius Scaliger, qui & ipse refert ad imperativum, sive, ut ipse appellare mavult, postulativum modum.

* Interpret. in edit. 2 Donati.

Itidem, ut bene monet in Arte suâ Cledonius, neque à pro-

pronuntiativo, sive indicativo, diversus est modus promissivus: quamvis Rhemnius Palæmon, *amabo*, *docebo*, similiaque, nunc futuri temporis, nunc modi promissivi, nunc temporis promissivi esse dicat: ac Phocas scribat, *faxo* aliis temporis futuri tantùm dici, aliisque modi promissivi.

At ineptè idem Cledonius alibi promissivi modi nomine insignivit optativum: *Optativus*, inquit, est, *qui & promissivus, quando nobis promittimus, & optamus aliquid evenire.* Neque magis modus *hortativus* diversus est ab imperativo, quia eadem est utriusque terminatio. Neque item precativus. At, inquiunt, non imperamus Deo, eoque cùm Poëta ait †, *Musa mihi caussas memora:* & ‡, *Pandite nunc Helicona Deæ:* non imperativi est, sed precativi modi. Quasi imperativus vocaretur, eò quòd semper illo utamur, quando imperamus; ac non potiùs, quia plurimùm imperamus, quando hoc utimur. Interea rectiùs, fateor, postulativus diceretur: etsi ne quidem semper eo postulemus. Nam non raro concessio significatur. Ut in Eunuch. act. III, sc. V: *Ubi nos laverimus, si voles, lavato.* Et act. V, sc. IX: *Si placuerit, facitote.* Item Phorm. act. IV, sc. III: *Sexcentas mihi scribito dicas, nihil do.* Tangit eam quæstionem Priscianus quoque in XVIII.

† Æn. 1. ‡ Æn. 7.

Atque ex iis quidem, quæ hactenus diximus, tres modos cognovimus: indicativum, imperativum, adjunctivum: qui modi sunt finiti. Proximum est, ut videamus de infinitivo, ut plerique omnes vocant, quem Græci ἀπαρέμφατον*; Quinctilianus †, & Probus *infinitum*; Agellius ‡ *indefinitum*; nonnulli etiam *perpetuum*, *insignificativum*, & *impersonativum* nominant, ut ex Diomede* constat. Neque appellationum ratio obscura esse potest. Nam ut finitum est nomen, tum *philosophus*, tum pluratívus *philosophi*; quippe illo unus, hoc multi significantur: at contrà infinitum est *sui*, quia utriusque est numeri; item Græcum αὐτὰ, quo & *ille*, & *illi* denotantur: sic finitum verbum est *audio*, ac *facio*; ut quo certus numerus designetur: infinita autem sunt *audire*, *agere*; ut quæ deficiant numeris ac personis, & undique sint indefinita, ac indeterminata. Assentior autem Jul. Scaligero, qui actu modum esse negat, contrà quàm vulgus non modò semidoctum putat; verùm etiam existimarunt scientissimi, ut cum Ausonio † loquar. Ratio autem, cur contrà sentiam, solida hæc mihi videtur, quòd numeris destituatur, ac personis. Nam, *lator venisse*, dixeris de quavis personâ, seu de uno, seu pluribus, fiat mentio. Resolvitur quoque in alios modos; ut non nisi horum ratione, hoc est, δυνάμει*, habeat ἐγκλίσεων †. E. G. *lator me venisse*, id est, quòd venerim: aut, *abesse te doleo*, id est, doleo, quia abes. Quinctilianus lib. x, cap. I: *Lyricorum Horatius fere solus legi dignus*, id est, ut legatur.

* Apollonius Dyscolus lib. 3 † Lib 9, cap. 3. ‡ Lib 1, cap 7. * Lib. 1, cap de infinitivo modo.

† Epist. 21.

* Potestate. † Variationem.

Cap. IX.

Eadem olim gerundia, supinaque, *fuisse appellata: item* gerundia, *&* gerundiva. *Contra Diomedem, & alios, variis probatur argumentis, gerundia non esse verba. Item ostenditur, non esse participia. Ac refellitur Saturnii opinio, formam* οὐσιώδη ‡ *participii credentis, quòd habeat structuram verbi sui.* Reditio domum, obtemperatio legibus, servitus opulento, vitabundus castra, *aliaque verbalia cum casu Verbi constructa. Gerundia non à participiis, sed ἀμέσως* à Verbo venire. Ea etiam passivè accipi, multis probatur exemplis. Esse ea nomina verbalia, servatâ verbi structurâ, agendi, aut patiendi, significativa. Propriè non actionem, & passionem; sed agere, & pati, diversarum esse categoriarum nomina. Non omnia gerundia, & activam, & passivam habere significationem. Nec gerundia solùm, sed etiam gerundiva, interdum accipi passivè.*

‡ Essentialem. * Immediate.

SUpersunt gerundia, supinaque; de quibus porrò videamus. Ac primò tollenda nominis ὁμωνυμία †. Nam longè aliter veteres gerundii, supinique voce usi, quàm hodie fit. Veteres enim etiam ea gerundii nomine sunt complexi, quæ hodie supina appellantur. Id cognoscere est ex Diomede, qui in ratione inflectendi ait: *Modo participiali, amandi, amando, amandum, amatum, amatu.* Ac mox subjicit: *Sed apud quosdam gerundia sunt, quæ Probus supina appellat.* Et paullò pòst: *Gerundia vel participialia, legendi, legendo, legendum, lectum, lectu.* Et eodem libro: *Supina, tollendi, tollendo, tollendum, sublatum, sublatu.* Unde liquidò liquet, eadem olim fuisse gerundia supinaque: quæ & participialia appellat Phocas. Verùm vulgò, secuti autorem libelli de arte Grammaticâ, qui Donati nomine circumfertur, priora quidem gerundia, posteriora autem supina nominant. Nos quoque retinebimus has appellationes, eo quòd obtinuerint in vulgo, ac imprimis, quia, uti post ostensuri sumus, certâ sunt ratione subnixæ, eo solo excepto, quòd *gerunda* meliùs, quam *gerundia* dixissent: vel potius *gerundi verba*: nempe *verbi* voce laxius accepta, cum propriè verba non sint, ut postea parebit.

† Ambiguitas.

Multi autem certant incerti, num gerundia novum constituant modum. Nam Diomedes ait, quosdam veterum Grammaticorum sextum addidisse modum, quem participialem appellarint: is verò, ut antè vidimus, ea continebat, quæ hodie gerundia, supinaque, dicuntur. Servius quoque in illud Virgilii XII Æn. —— *Exsuperat magis, ægrescitque medendo: medendo* vocat *modum gerundi.* Quod & bis facit in illud Æn. x:

> *Cui Juno illachrymans: Quid si, quod voce gravaris,*
> *Mente dares?*

Idem Servius in Donatum, *modum gerundivum* appellat: unde etiam liquet, veteres inter *gerundia*, & *gerundiva*, non distinxisse, uti faciunt juniores: ut quibus gerundium sit, *studio juvandi Rempublicam*; gerundivum autem, *studio juvandæ Reip.* At contrà Priscianus, quamvis modò participialia, modò gerundia, modò supina vocet: idem tamen lib. VIII negat, ea constituere modum verborum, propterea quòd minimè discernant personas, & temporibus careant, sine quibus verbum esse non possit: quòd item casus adsumant, & præpositionibus separatis adjungantur. Hinc lib. VI Exercitationum vocat *nomina participialia.* Equidem licet non ignorem, quomodo adversus has Prisciani rationes dissertarint Saturnius, & Alvarus: nunquam tamen quivi ab animo meo impetrare, ut adstipularer illis, qui vel verba, vel participia esse arbitrantur. Nam, ut alia Prisciani argumenta mittam, quo pacto, quæso, quod habet casus, verbum erit? Atqui gerundium casus minimùm tres habet. Genitivum, ut cùm Cicero ait pro Milone, *Illecebra peccandi:* aut de Senectute, *Studio videndi:* cumque Plinius lib. XVIII, capite XXVII inquit, *Tempus lavandi.* In cujusmodi constructione illa in DI gerundia videri, etiam Cledonius scripsit. Accusativus verò est in hoc Ciceronis pro Lege Manilia: *Hic locus ad agendum ampiissimus, ad dicendum ornatissimus est visus.* Et illo Virgilii Ecl. IX:

> —— *Et inter agendum*
> *Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.*

Item hoc ejusdem III Georg.

> —— *Namque ante domandum*
> *Ingentes tollent animos.*

Et istoc Jurisconsulti XLVIII Dig. *Lege Juliâ repetundarum tenentur, qui cum aliquam potestatem haberent, pecuniam ob judicandum, vel non judicandum, decernendumve, acceperint.* Ablativo denique usus Maro Ecl. VIII:

> —— *Cantando rumpitur anguis.*

Ut quoque Ovid. III de Ponto, Eleg. VII:

> *Curando quædam fieri majora videmus*
> *Vulnera.*

Et Fabius lib. XI, cap. II: *Sed memoria excolendo, sicut alia omnia, augetur.* Idem ostendit Plautus Aulul. act. III, sc. III:

> *Heu senex, pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam.*

Cice-

Cicero lib. II de Orat. *In quo isti nos Jureconsulti impediunt, à discendoque deterrent.* Item ad Att. lib. IX, epist. I: *Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sanè velim.* Quinctil. lib. I, cap. V: *Sed ratio rectè scribendi juncta cum loquendo est.* Καὶ ψαμμακόσια ὅσα*. Neque adeò invalida est ratio de præpositionibus, quàm videri voluit Alvarus. Græci, inquit, etiam præpositiones addunt infinitivis, quæ nihilominus verba sunt. Non inficior; sed impromiscuè quævis addunt præverbia, quasi tu Latinè dicas, *in amare, ad amare, ex amare.* Ecquid tale in gerundiis? Præterea etsi infinitivi verbis non malè accenseantur, tamen multum quoque trahunt ex nominum natura: quod ex eorum structura libro patebit septimo cap. L. Quinctiliani quoque autoritatem allegant. Is lib. I, cap. IV, de verbis agens, supina in V inter verba numerat; eoque, uti ajunt, multò magis cætera fuerat inter ea relaturus. *Quædam*, inquit Fabius, *simile quiddam patiuntur vocabulis in adverbium transeuntibus: nam ut noctu, & diu, ita & dictu, & factu: sunt enim hæc quoque verba, participialia quidem, non tamen qualia dicto, factoque.* Sed primùm, Fabii autoritas non est nobis Minervæ calculus. Præterea nego, me videre, quomodo hinc exterebrare queant, supina esse verba, quum Fabius ea non ἁπλῶς† appellet verba; sed verba participialia, hoc est, vera participia, vel nomina è participiis facta. Verùm, hinc quoque dejecti, prætendent fortasse magnum Varronis nomen, qui gerundia in DUM disertim verba facit. Nam lib. VII de L. L. *Quæ vocabula*, inquit, *dicuntur, à verbis fiunt: ut à scribendo scriptor, à legendo lector* &c. Sed dixit Varro, *à legendo*, & *scribendo*, pro *à legere*, & *scribere:* quod mollius illa apud Latinos sonent. Aliter si est, Varronem audiri necesse non sit, qui se non audiat. Ipse enim alibi eo verbum à participio distinguit, quòd hoc præter tempus, quo à nomine differt, habeat casus, quo differt à verbo. Quippe lib. IX de L. L. *Tertia*, inquit, *divisio est, quæ verba declinat à naturâ. Ea dividitur in partes quatuor: in unam primam; videlicet, quæ habet casus, neque tempora habet; ut docilis, facilis: in alteram, quæ tempora habet, neque casus; ut docet, facit: in tertiam, quæ utraque habet; ut docens, faciens: in quartam, quæ neutrum; ut doctè.* Estque hic locus eo magis pensiculatione dignus, quòd non tantùm inde cognoscere sit, gerundia neutiquam esse verba, eò quòd casum habeant: verum etiam τεκμήριον‡ nobis ostendat, quo dignosci queat, utrùm ea nomina sint, an participia, quod hactenus in medio reliqueramus. Nunc hac quoque de re cum curâ dissertabimus. Ait Varro, *docilis*, & *facilis*, quæ nomina sunt, casum habere, non tempora: at *docens*, & *faciens*, quæ participia esse constat, & casum habere, & adsignificare tempus. Et rectè sentire Varronem, argumento est, quòd participia, Prisciano teste, olim vocata sint *verba casualia: verba* quidem, quia tempus significarent; *casualia* autem, propter casum. Atqui gerundia non significant tempus. Quippe *spectandi* per se & naturâ indefinitum est, ac cujusvis temporis verbis jungitur: ut, *eo spectandi gratiâ, ivi spectandi gratiâ, ibo spectandi gratiâ.* Gerundia igitur, uti verba non sunt, ita neque participia esse possunt. Quid igitur superest, quàm ut nomina sint? Præsertim quando in allatis exemplis, *spectandi gratiâ* tantundem est, ac si dicas, *ob spectationem.* Quibus secus videtur, hi negant, gerundia posse nomina esse, quia regant casum verbi: ut, *spectandi ludos gratiâ, ad spectandum ludos, spectando ludos.* Est in hac sententia Saturnius, qui lib. VIII, cap. II hunc in modum scribit: *Participia nullâ re evidentiùs separantur à nomine, quàm transitivâ verbi constructione; quia ratio temporis in eis vacillare potest, constructio non potest.* Atque idem expendit gerundiorum ac supinorum doctrinam ad istum canonem, tanquam ad lapidem Lydium. Sed canon iste æquè est incertus, ac quæ inde concludit: ut omnino hoc sit τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν*. Longè rectiùs Varro, qui, ut antè vidimus, tempus perpetuam notam participii facit; at structuræ nullus meminit. Nec ita judico ob autoritatem maximi ejus viri: sed adductus compulsusque rationum momentis; quibus non ignoro potius res ponderandas esse, quam nonnullorum autoritate; præsertim quando (uti hic usu venit) & iidem ab aliis, & à se dissideant ipsis. Nego itaque, & pernego, transitivam verborum constructionem propriam esse participiorum notam. Nam neque semper convenit participiis, neque solis. Siquidem participia in DUS in recto casu non admittunt structuram verbi. Ac de passivis quidem res perspicua est. Neque enim dicimus, *Est mihi adeundus patrem*, vel, *Sunt mihi spectandi ludos.* Rectum tamen, *Adeo patrem:* &, *Specto ludos.* Fatemur, inquiunt; sed cogitandum ne quidem dici, *adeor patrem*, aut *spector ludos.* Verùm quid dicent de deponentibus? Nonne quamvis probum sit, *sector Aristotelem, obliviscor injuriam, consolor matrem:* neutiquam tamen dicimus, *Est ei sectandus Aristotelem: est tibi obliviscenda injuriam; est mihi consolanda matrem.* Non igitur participia passiva regunt casum verbi. At dispar gerundiorum ratio. Quippe per gerundium optimè, licet usitatè minùs, dixeris: *Est tibi sectandum Aristotelem; est obliviscendum injuriam; est consolandum matrem.* Ita enim Varro loquitur lib. II, cap. XVI: *In fœturâ dandum potius hordeaceos, quàm triticeos panes.* Et lib. III de re Rusticâ: *Acus substernendum gallinis parturientibus.* Nam *acus* incusativi casus est, non rectus. Eodem quoque libro habes: *Eas haras substernendum paleâ.* Et Maro in undecimo,

—— aut pacem Trojano ab rege petendum.

Imò apud Lucretium id loquendi genus frequens est: neque omnino illud ignorat Cicero; ut lib. de Structura vocum ostendemus.

Sed neque sola participia casum verbi regunt; quum idem conveniat nominibus multis à verbo suo factis; quæ iccirco haut minùs, quàm participia, aliquid de naturâ originis retinent. Ejusmodi sunt verbalia in IO, quæ & ipsa interdum verbi casum regunt; ut docet nos Plautus Asin. act. II, sc. Ubi ego nunc Libanum:

Verbis velitationem fieri compendi volo.

Sed est, qui hic *verbivelitationem* unicâ voce legat, quò ita exprimatur λογομαχία. Quare alia addam certiora. Ejusdem est Amphitry. act. I, sc. III: *Quid tibi hanc curatio est rem?* Et Asinariâ act. V, sc. II: *Quid tibi hunc receptio ad te est meum virum?* Et Aulularia act. III, sc. Redi: *Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio est?* Et in Truculento act. II, sc. VII: *Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est, inquam, amicam meam?* pro hujus amicæ meæ. At, inquit Saturnius, *hoc genus dicendi est antiquitati prorsus relictum.* Verùm isthoc ut verum sit, quid quæso tuam, Saturni, caussam juvet? Neque enim quicquam insubidum magis, quàm ut verbalia isthæc, reservatâ significatione, nomina pòst facta sint, quum Plautino ævo essent participia. Atqui hoc fatearis necesse est, si, quod ais, sola verbi structura de participii essentia est. Adde quòd isthæc loquendi forma prorsus antiquata non est, quod volebat Saturnius. Nam ut dicimus, *proficisci, aut profectus domum*, vel *domo*; ita & Latinum est, *profectio domum*, vel *domo.* Cæsar lib. I belli Gall. *Reliqua privata ædificia incendunt: frumentum omne, præterquam quod secum portaturi erant, comburunt: ut domum reditionis spe sublatâ, paratiores ad omnia pericula subeunda essent.* Similiter Cicero primo de legibus: *Quod si justitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum.* Ad quem locum optimè in suis ad eum autorem notis monet Turnebus, esse Græcismum: ut si Græcè dicas, πειθάρχησις τοῖς [illegible] νόμοις· et quæ modo à Josepho dici, τὴν ἐθελούσιον ἡμῶν τοῖς νόμοις ἀκολουθίαν.

Nec in solis verbalibus in IO hoc genus loquendi invenitur. Nam dixit Cicero in Philippica IV: *Cum capitalem & pestiferum Brundusio M. Antonii reditum timeremus.* Cui simile illud Plauti Amphitr. act. I, sc. Qui me alter, *Opulento homini hoc magis servitus dura est.* pro servitus, quæ opulento homini servitur. Itaque casum verbi

* Ac hujusmodi instar arenæ innumera.

† Simpliciter.

‡ Signum certum.

* Petere id quod in principio est.

bi hic tribui nomini, rectè monet idem Turnebus lib. XXX Adversf. cap. XXXIV. Imò, quod vel maximè vulgarem jugulat opinionem, quis nescit, verbalia in BUNDUS usitatè regere casum verbi sui? Ita dixit Livius lib. XXV: *Hanno vitabundus castra hostium, consulesque, loco edito castra posuit.* Ac simile illud Appulejanum III Metam. *Ubertim flebam, carnificem imaginabundus.* Et lib. IV: *Multi numero, mirabundi bestiam, confluebant.* Hæc loca adeò torsere, doctissimum alioqui virum, Augustinum Saturnium, ut cap. ultimo lib. octavi hunc in modum scribere sit coactus: *Perplexum illud, ac propemodum inexplicabile, vitabundus, imaginabundus, mirabundus, & id genus inflexa, ecquà in parte orationis collocanda sint. Si formam intueare, nomina videntur. Sin intrinsecus æstimes, posterioremque structuram perpendas, quidvis potius, quàm nomina.* Et paullò pòst: *Itaque satius multò arbitror, suspensam sententiam tenere, quàm temere aliquid autoritate mea, quod non probem, definire.* Nempe in hunc labyrinthum compulit acutissimum virum falsa illa ὑπόθεσις, qua credidit, transitivam verbi structuram esse unicè unicam notam, quà participia à nominibus distinguerentur. Quare hic quoque locum habet illud oraculum Aristotelis: *Uno absurdo dato, consequuntur alia.* Nos verò, solam temporis adsignificationem cum casu, de participiorum essentia esse dicimus: ac priori quidem conditione, quæ temporis adsignificationem requirit, à nomine; posteriori autem, quæ docet inflecti per casus (pressè casus vocem accipio) a verbo differre statuimus. Quod igitur gerundia casum verbi regant, id non evincit, ea esse participia. Imò tantùm abest, ut participia sint, ut ne quidem à participiis veniant, sed ἀμέσως* descendant a verbo, haut secus ac participia ipsa. Ita ut censeam, ratio non una compellit. Nam & nomina sunt apud Græcos, λεκτέον †, γραπτέον ‡, similiaque; quæ ipsi vocant ἐπιῤῥήματα θέσεως. Iis autem respondent Latinorum gerundia, *dicendum, scribendum* &c. quod cùm illis etiam, qui necdum ære lavantur, notissimum sit; nonnihil miror, caput integrum de eo in Variis* suis contexuisse doctissimum Petrum Victorium; magis quoque miraturus, nisi pluscula ejus generis alia in libros istos conjecisset. Altera ratio est, quòd participia in ablativo producuntur: at gerundia in O terminata, eam syllabam, haut secus ac verba, habent communem. Quare hàc quidem parte magis ad verbi naturam accedunt, quàm ipsa participia. At si a participiis essent, magis quam participia, verbi naturam exuissent. Tertiam quoque rationem addo, validam sanè. Participia enim unius sunt significationis, quia vel ab activà voce oriuntur, ut *amans:* vel passivà, ut *amatus.* At gerundia, quia ab utraque veniunt voce, utramque significationem gerunt; unde & nonnulli (alii enim aliter, ut ostendam, quum ad supina perventum erit) nomen iis inditum volunt, eosque inter doctissimus Varro. De passivà significatione non omnes assentiunt. At vel unica vox *fando* scrupulum eximere potuit. Nam crebrò adeò usurpatur in passivà, ut mirandum sit, hanc rem subterfugisse eorum sive oculos, sive mentes. Plautus Amphitr. act. II, sc. Age, i tu: *Neque fando unquam accepit quisquam.* Cic. primo de nat. Deor. *At vero ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem, violatum ab Ægyptio.* Virg. Æn. II:

Fando aliquid si fortè tuas pervênit ad aures.

Ovid. XV Metam. fab. XLV:

Fando, aliquem Hippolytum, vestras si contigit aures,
Credulitate patris, sceleratæ & fraude novercæ,
Occubuisse neci.

Quibus locis *fando* significat, *dum dicitur*; non, *dum dicit*; quomodo accipit Maro* in isthoc:

—— Quis talia fando
Temperet à lachrymis?

Sunt verò & alia sexcenta passivè usurpata. Idem Plautus Pœnulo †:

—— Modus muliebris nullus est,

Neque unquam lavando & fricando simus
Saturæ †.

id est, dum lavamur, & fricamur. Lucret. l. I:

Nam neque conlidi sine inani posse videtur
Quicquam, nec frangi, nec findi in bina secando.

Lib. IV:

—— Dolorem oculis quæ gignunt insinuando.

Lib. VI:

—— Qui quasi murmur
Dant infringendo graviter.

Varro de R. R. lib. II, cap. IX: *Quam paucissimos reliqueris, tam paucissimi in alendo fiunt propter copiam lactis.* Sallustius in Jugurth. *Pauca suprà repetam, quò, ad cognoscendum, omnia illustria magis, magisque in aperto sint.* Hoc est, ut cognoscantur. Virgil. II Georg. —— *Lentescit habendo.* Idem III Georg. —— *Alitur vitium, vivitque tegendo.* Et eodem, —— *Uritque videndo Femina.* II Æneid. *Ægrescitque medendo.* Item Ecl. VIII:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Quem in locum sic Servius: *Cantando, dum ei incantatur. Nam gerundivus modus ab omni verbo similiter procreatur. Unde modò, CANTANDO, a passivo ait, cùm suprà activo dixerit: ut, Cantando tu illum? Tale est illud in Sallustio: Cùm ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, id est, ut ei imperaretur.* Hactenus Servius. Istum verò Sallustii locum in belli Jugurthini historia habemus, ubi de Jugurtha agit à Metello Tisidium vocato, postquam, à Bomilcare persuasus, multa magnaque præsidia tradiderat Romanis. Ac Sallustii verba, à Servio adducta, similiter interpretatur Andreas Alciatus: eum sequitur Scipio Gentilis in Apolog. Appul. Eodemque modo Ciceronem & Alphenum usos volunt. Sed dissentit Duarenus, cui & assentire mavult Rob. Titius Assert. lib. I, cap. I. Imò nec locus ipse controversiâ caret, quando in vett. Sallustii codd. legimus, *Ad imperatorem.* Sed utcunque de Sallustii loco sit, sunt alia satis aperta. Columella lib. V, cap. VII: *Quàm paucissimos reliqueris, tam optimi in alendo fiunt propter copiam lactis.* Quinctilianus lib. XI, cap. II: *Sed memoria excolendo, sicut alia omnia, augetur.* Propter talia fatentur aliqui de gerundiis in DO: sed de illis, quæ in DI, vel DUM, exeunt, secus esse pertendunt. Atque hoc nomine meritò Vallam reprehendit Martinus Cueva Cremonensis lib. de Corrupto genere docendi artem Grammaticam*. Pleraque tamen exempla quæ adducit, parùm firma sunt. Uti alia inter, illud Tullii in Topicis: *Caussarum genera duo; unum quod vi suâ efficit, ut ignis: alterum, quod naturam efficiendi habet, ut æs.* Ubi omnino scribendum, *quod naturam efficiendi non habet.* Uti nunc in melioribus legitur libb. Item illud Tranquilli in Claudio: *Harpocratem, cui lecticâ per urbem vehendi jus tribuit.* Nam *veho* etiam passivè dixere, ut Tullius de Claris Oratoribus: *Sed in te intuens, Brute, doleo; cujus in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem, transversa incurrit misera fortuna Reip.* Sed idoneum planè ejus, quod diximus, exemplum est illud Justini lib. XVII: *Athenas quoque erudiendi gratiâ missus, quanto doctior majoribus suis, tanto & gratior populo fuit.* Idem in præfat. *Quod ad te, Imperator Antonine, non tam cognoscendi, quàm emendandi caussa, transmisi.* Appulejus in Apol. *Themison medicus, à quo mulier ad inspiciendum perducta est.* hoc est, ut inspiceretur. De activà significatione exemplis supersedeo; cùm eà usurpari adeò in aperto sit, ut hanc solam habere in vulgus sit persuasum.

Dignum autem animadversione arbitror, quod paullò antè dicebamus, gerundia non à participiis venire, sed verbis. Inde enim lucem fænerat quæstio, quæ multos torsit. Dissertant viri eruditi, cur gerundia, vel solùm, vel plurimùm sanè, activè accipiantur, quum veniant à participiis passivis, non activis. Nos autem à neutris venire ostendimus: neque aliud ea esse, quam nomina verbalia, servatà verbi structurà, agendi aut patiendi significati-

va

Marginal notes:

* Immediate.

† Dicendum.

‡ Scribendum.

* Lib. 33. cap 22.

* Lib. 2 Æn.

† Sc. Negotii.

† Ita emendat I. Chamr. Ramelius. Quo minus tamen certi aliquid statuere sit, faciunt numeri ejus scenæ obscuriores.

* Cap. de Gerundiis.

va. Sicuti tamen, aut participia esse, aut à participiis venire, magis fit verisimile, is per me licet se oblectet acumine Scaligeri, qui ait, passionem in iis spectari; *ex parte oppositi, non suppositi.* Lucem accipit id responsum ex Aristotelis † doctrinâ, cui actio, & passio, non differunt aliter, quam via, quæ Thebis ducit Athenas, & Athenis Thebas. Itaque ei non actio & passio, quæ uno vocabulo signari solent; sed agere, & pati, *ποιεῖν*, & *πάσχειν*, diversas constituunt *κατηγορίας*; quod parùm attendisse videntur, qui actionem & passionem reponunt inter decem prædicamenta, eoque confiteri coguntur, quædam prædicamenta tantùm ratione differre. Atqui *μανθάνειν* *, & *διδάσκειν* †, differunt re: at *μάθησις*, ac *δίδαξις*, ratione. Itidem *calefacere*, & *calefieri* quidem, ad diversa pertinent prædicamenta; at *calefactio*, pro consideratione diversa, ad utrumque refertur.

† *Lib. κατηγοριῶν, cap. 9.*
* *Discere.*
† *Docere.*

Sed ut à rectâ viâ aberrarunt, quibus persuasum fuit, gerundia non habere significationem passivam: ita in contrarium peccant, qui docent, omnia gerundia & activè, & passivè posse exponi. Hoc enim locum non habet in verbis, vel actionem solam, vel solam passionem significantibus. Nam, *veni studendi caussâ*, tantùm active exponi potest. Contrà, *non veni vapulandi caussâ*, passivam duntaxat interpretationem admittit. At, *veni docendi caussâ*, vel, *ut doceam*, significat, vel, *ut docear*. Nec id tantùm de activis, passivisque, verum est; sed etiam deponentibus, quia hæc non usquequaque exuerunt significationem passivam; ut inprimis è participiis constat, ad quorum naturam gerundia proximè accedunt. Quare nec mirum, si deponentium gerundia ut plurimùm quidem activâ; at interdum quoque passivâ significatione inveniantur. Cic. II de Nat. Deorum: *Quâ pecude, quòd erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius.* Ubi *vescendum* est, non quæ hominibus vesceretur, sed quâ homines vescerentur. Idem II de Finib. *Negat tenuissimo victu, id est contemtissimis escis & potionibus, minorem voluptatem percipi, quàm rebus exquisitissimis ad epulandum.* hoc est, non quæ ipsæ epulentur, sed quibus homines epulentur. Varro lib. II de R. R. *Equus hujusmodi ad medendum est appositus.* Id est, cui medicina fiat. Sexcentis etiam locis sic *fando* usurpatum videas, de quo superiùs dicebamus. Sunt igitur gerundia ejus naturæ, cujus sunt verba, unde descendunt.

Nec in gerundiorum modò significatione; sed eorum etiam, quæ vulgò vocant gerundiva, multi eruditissimi homines falluntur; eosque inter Priscianus, Vallensis, Nebrissensis; qui ea passivè tantùm significare, tradiderunt. Atqui, *tui instituendi caussâ adveni*, significat, *ut te instituam.* Ita dixit Cicero in Rullum: *Finem feci offerendi mei.* id est, desii offerre me. Et pro Rabirio: *Confiteor, interficiendi Saturnini caussâ C. Rabirium arma cepisse.* id est, quò interficeret Saturninum. Nec ratio obscura est: quia actio, & passio, non differunt, nisi ratione. Nam qui arma capit, ut interficiat Saturninum, is ea capit, ut interficiatur Saturninus. Et cùm Cicero se offert alteri, à se alteri offertur. Quare etsi participia in DUS formæ sint passivæ: & gerundia cum eorum obliquis conveniant terminatione: in eo tamen recedunt, quod quandoque potius activè intelligantur.

Cap. X.

Gerundia non esse nomina τρίπτωτα, sed πεντάπτωτα, ostenditur.

VErùm cætera etiam exponamus, quæ ad gerundiorum naturam pertinent. Ac primò illud ad rationis trutinam expendendum, quod non pauci tradiderunt, gerundia omnia esse *τρίπτωτα*: ut quæ non habeant, nisi genitivum, accusativum, & ablativum. De quo longè mihi aliter videtur. Nam, præter hos casus, illis & nominativum, ac dativum quoque, lubens assignem: eoque, cùm solo careant vocandi casu, inter *πεντάπτωτα*, judicio nostro, sibi vindicant locum. De recto, & dativo, inde adstruitur, quòd, uti dicimus, *occasio audiendi, ad audiendum, & audiendo consequi*; quibus tres minimùm casus habere evincitur: ita quoque dicitur in recto, *Eundum est patri*; & dativo, *Charta scribendo apta.* Sed quod de magnis rebus in Politico suo ait Plato, idem quoque in Grammaticis locum habet. Nempe, *χαλεπὸν μὴ παραδείγμασι χρώμενον ἱκανῶς ἐνδείκνυσθαί τι*: *difficile est, si non utare exemplis, aliquid perspicuè commonstrare.* Quare classicorum age scriptorum hæc testimoniis comprobemus.

Pro nominandi casu, patrono utimur Cicerone, cujus illud ad M. Marium *: *Discessi ab eo bello, in quo aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus aut ad Jubam confugiendum.* Geminum hoc Livii lib. XXXV: *Boii nocte saltum, quà transeundum erat Romanis, insederunt.* Par ratio omnium locorum, quibus gerundium in DUM ita recipit accusativum, ut nec addatur, nec intelligatur infinitivus ESSE. Nam si ESSE quidem exprimatur, aut tacitè animo concipiatur, etiam gerundium fuerit casus accusativi; ut in hoc Maronis †:

* *Lib. 7. ep. 3.*
† *Æn. 11.*

Legati responsa ferunt, alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendum.

Et illo Livii lib. XXXVII: *Conclamatum prope ab universo senatu est, perdomandum feroces animos esse.* At rectus est in hoc Plauti Epidico: *Aliqua consilia reperiundum est.* Similiterque Lucretius lib. primo:

Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Et Cicero in Catone: *Tanquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit.* Multa hujuscemodi suggerent Augustinus Saturnius lib. VII, cap. VIII, & Obertus Giffanius Indice Lucretiano in voce *Gerundiis.* Imò, si Saturnium inibi audimus, gerundia hæc usurpantur in nominativo plurali. Quod fieri censet in isto Lucretii lib. V:

At nisi purgatum'st pectus, quæ prælia nobis,
Atque pericula tunc ingratis insinuandum?

Ubi *insinuandum* poni censet pro *insinuanda.* Sed fallitur. Nam *pericula* est casus incusativus; quia, ut dicimus, *insinuo*, vel *fugio pericula*, sic *insinuandum*, vel *fugiendum pericula.* Est igitur rectus, sed singuli numeri.

Nec magis caussa est, cur de dativo litem moveat quisquam. Maxima siquidem suppetit exemplorum copia, quibus id evinci queat. Saturnius pro triplici regimine (ut pinguiori Minervâ, laxiusque eâ utar appellatione, quam suo loco * accuratiùs ventilabo) ea ad tres revocabat classes. Aliquando enim ait dativum regi à nomine adjectivo, aliquando à verbo, aliquando poni absolutè. Et rectè sanè, quamquam exemplorum, quæ adducit, quædam istiusmodi sint, ut scrupulum non penitus evellant. A nomine adjectivo gerundium regi ait apud Valerium Maximum lib. III, cap. VI: *Publ. Scipio, quum in Siciliâ augendo exercitum, trajiciendoque in Africam, opportunum quæreret gradum, inter molitiones tanta rei gymnasiis operam dedit.* Sed hic locus nihil Saturnium juvat. Ita enim in melioribus codd. legitur: *Publius Scipio, cùm in Sicilia augendo exercitum, trajiciendoque in Africam, opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volveret.* Accommodatius suggeret Plinius lib. XV, cap. XVIII, ubi, de variis agens ficorum generibus, inter alia inquit: *Nam Alexandrina vix sunt vescendo.* Intelligendum *apta, utiles*, vel simile. Et manifestiùs quoque in illo ejusdem lib. XIII, cap. II; ubi de chartarum generibus tractat: *Emporetica inutilis scribendo.* Sic Columella lib. I, cap. IX: *Mediastinus qualiscumque status potest esse, dummodo perpetiendo labori sit idoneus.* Livius lib. II ab V. C. *Ut divites conferrent, qui oneri ferundo essent.* Cornelius Celsus lib. VII, cap. XIII: *Et transeundum ad medicamenta, quæ puri medendo sunt.*

* *Libro de Structura.*

A verbo regitur idem in hoc Plauti Epidico act. IV, sc. II:

Ego relictis rebus Epidicum quærendo operam dabo.

Oo

Et

Et Pœnulo act. 1, sc. Negotii sibi:

Ea (ancillæ) *nos lavando, eluendo, operam dederunt.*

Et illo Ciceronis in Hortensio: *Magna animi contentio adhibenda est explicando Aristotelem.*

Denique absolutè ponitur, idque vel activè, vel passivè. Activè, ut illo Nasonis lib. xv Metam. *Mox apta natando Crura dat.* Et Pliniano hoc lib. x1, cap. 11: *Telum* (culici natura) *ita reciprocâ generavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendoque fistulosum esset.* Passivè, ut apud Plautum Truculenti Prologo:

—— Dat operam, ne sit reliquum
Poscendo atque auferendo,

id est, quod poscatur, auferaturque. Cui geminum hoc Plinii lib. x1x, cap. x1: *Nullum semen ultra quadrimatum utile est serendo.* hoc est, quod seratur.

Cap. XI.

De Supinis. Unde hæc nomen acceperint. Supina in UM non esse vel verba, vel participia, sed nomina. Item supina in U esse nomina ablativi casus; unde & adjectivis ablativum exigentibus sæpe junguntur.

Atque hactenus de gerundiis: reliquum est, ut videamus de supinis. Ea, juxta Probum, ita vocata sunt, quòd nec certum habeant numerum, nec personam, nec significationem: ut quæ ad quamvis referantur personam, & utriusque sint numeri, & tam agentis, quàm patientis, habeant significationem. Quæ si vera est ratio, μεταφορικῶς ita dicta erunt, quòd, instar supinorum otiosorumque hominum, omnia habeant confusa permistaque. Aliter autem Priscianus, qui ita dici tradit, quòd nascantur à participiis passivis, quæ *supina* appellata sunt; quia, infimo loco sita, totum conjugationis ordinem molemque sibi incumbentem veluti suspiciant. Verùm, quum gerundia, non minùs quàm supina, à participiis passivis fiant: liquet, hanc nominis rationem tantùm locum habere, si cum Diomede, aliisque, supinorum quoque nomine gerundia complectamur: non item, si cum Donato, vel quisquis ille autor est, cujus conjugationum exempla sub Donati nomine circumferuntur, gerundium quidem appelles *amandi*, supinum verò, *amatum*; prout quoque juniores facere solent. Quamobrem, cur ab iis è verbis participialibus alia gerundiorum, alia supinorum nomine sint donata, paucis exponam.

Liquet gerundia, licet participia non sint, similia tamen esse participiis in DUS: item supina, sive nomina, sive verba, sive participia sint (qua de re pòst dicturi sumus) quum in TUS desinant, aut participia in TUS fore, aut nomina ab iis originem ducentia, aut verba ejusdem ac participia in TUS naturæ. Utut est, participia in DUS sunt futura: at quousque rem necdum sumus exsecuti, labos nobis incumbit. Itaque *amandi*, *legendi*, similiaque, quæ ejusdem sunt originis ac participia in DUS, gerundia dixere à *gerendo*, hoc est, administrando. Nam, ut veteres etiam Glossæ testantur, *gerere* antiquis non solùm dicebatur ὁ βαστάζων, hoc est, qui aliquid portat; sed generatim ὁ πράττων, seu ὁ πρακτὴρ, id est, qui aliquid efficit; indeque Plauto * fortasse *gerulifigulus flagitii*, de eo qui & fingit, & gerit sive facit flagitium. At participia in TUS sunt præterita. Re autem gesta licet nobis esse supinis, atque otiosis. Itaque meritò hinc nomen acceperint supina. Veramne utriusque nominis caussam attulerim, an secus, doctiorum arbitratus esto.

* Bacch. 3. 1.

In varias autem opiniones scinduntur Grammatici in disceptatione super supinis in UM, & U. Priscianus contendit, ea esse nomina. Valla verba esse pertendit. Augustinus Saturnius judicat, illa in UM esse partes orationis per se, illa in U esse nomina. Saturnio de posterioribus adsentit Frischlinus; at illa in UM participia esse autumat. In tantâ opinionum pugnâ nobis tacitis esse non licet. Quare & aliorum sententiam expendemus, & adferemus nostram.

Supina in UM ideo Saturnius nomina esse negat, quia regunt casus suorum verborum, ut, *spectatum ludos:* & apud Maronem 11 Æn.

—— Aut Grajis servitum matribus ibo.

Validane hæc ratio sit, necne, mox dicemus.

Neutiquam sanè, quod Valla putabat, sunt verba, quum non sint certi modi, aut temporis. At adsignificare tempus, est de verbi essentiâ, ut Aristoteles docet initio libri περὶ ἑρμηνείας *. Nec supina hæc sunt participia, quia non adsignificant tempus. Nam *spectatum* nullius per se temporis est, quum dicamus, *eo spectatum*, *ivi spectatum*, *ibo spectatum*. Dixeris, etiam infinitivo, quod verbum est, dici, *Volo*, *volui*, & *volam spectare*. Sed enim dispar hic ratio est, quia supinum semper est nomen; infinitum verbum nunc verbi, nunc nominis obtinet naturam. Si tempus adsignificet, & naturâ suâ verbum erit. Ut in isto, *Dicitur ludos spectare*. Nam aliud est, *spectavisse*. Naturam verò exuit, cùm ajo, *Eo spectare*; vel, *ivi spectare*; vel, *ibo spectare*. Nam *spectare* hic non significat tempus, sed vim nominis accipit, quia ponitur pro *adspectare*, hoc est, *ad spectationem*. In supinis, ne quidem si naturam attendas, est temporis significatio: sed semper se habent, ut infinitivus ille degenerans, nominisque induens naturam. Quare nunquam verba, sed semper sunt nomina.

* De Interpretatione.

Nec, quæ Saturnii sententia erat, constituunt distinctam vocum classem. Sapientis enim est imitari naturam, quæ nihil temere facit, neque multiplicat res frustra. At nihil caussæ est, cur augeri debeat numerus classium, sive, ut vocant, partium orationis, quum ea nominibus subjici possint. Nam, quod Saturnius ait, nomina esse non posse, quia regant casum suorum verborum, id nullâ ratione subnixum est; quando & alia sint nomina à verbis deducta, quæ admittant transitivam verbi, unde deducuntur, structuram: quod fusè ostensum nobis, quum de gerundiis disputaremus.

Non quidem diffiteor, esse & alia quædam, in quibus supina hæc à reliquis abeant nominibus. Verùm accidentia rei non mutant essentiam ejus: eoque caussæ nihil est, cur augeantur iccirco vocum classes.

Dixeris, si nomina sint, fuerint casus alicujus. Non diffiteor: sed puto, esse casus nunc nominativi, ut *puditum est*, *ventum fuit:* nunc accusativi, ut, *puditum esse*, *ventum fuisse*. Unum illud objici posse video, naturam verbi *eo* repugnare, quo minus accusativum statuamus, cùm dicitur, *Eo spectatum*. Nec enim simile est, ac cum aio, *eo mille passus*. Sed nodus hic exsolvitur, si respondeatur, ἐλλείπειν esse, cum dico, *Eo spectatum*, pro *ad spectatum*, hoc est, ad spectationem, quasi dicas, *Eo ad spectationem ludos*. Ut Plautus *; *Quid tibi hanc tactio est?* Et similia, quemadmodum cap. 1x ostendimus.

* Aulul. act. 3. sc. Redi.

De supinis verò in U res magis etiam aperta est. Nam ea quomodo aliud, quàm nomina verbalia, esse possint, quum ita à verbo veniant, ut haut tempus adsignificent, & (quod de supinis in UM non æquè parebat) liquidò sint certi casus? Sanè ablativos esse, apparet ex illo Plinii lib. v11: *Parvum dictu, sed immensum æstimatione:* tum eò quòd, ut dicimus, *facto opus est*, ita apud Ciceronem legamus lib. 1 de Invent. *Non longius, quàm scitu opus est, in narrando procedetur.* Et apud Terent. Heaut. act. v, sc. 1: *Sed ita dictu opus est, si me vis salvum esse, rem, & filium:* tum autem, quia, ut rectum est, *domum eo*, &, *domo eo:* sic apud Catonem sit de re Rust. cap. v: *Primus cubitu* (villicus) *surgat, postremus cubitum eat.* Suntque id genus, ὅσα κόνις †. Ac hæc quidem ratio de casibus absque temporis adsignificatione omnium instar esse possit. Sed quo magis error hic conspicuus fiat, non abs re fecerim, si alias quoque rationes adjiciam.

† Instar pulveris innumera.

Non leviter sanè nostram sententiam fulcit, quòd supina in U adjectivum admittant instar cæterorum nominum substantivorum. Lucilius: *dictu honesto.* Plautus Trinummo sc. ultimâ: *Meo datu*, id est, παρ' ἐμοῦ. Quomodo

modo & dicimus, *meo allegatu*, *meo concessu*, ac similia. Livius lib. II: *Creatus Sp. Lucretius consul: qui magno natu intra paucos dies moritur.* Quinctilianus lib. VIII, cap. III, quod de Ornatu: *Rebus atrocibus verba etiam ipso auditu acerba magis convenient.* Plinius Secundus libro XX, cap. V: *Cepa ;ativa olfactu ipso & delacrymatione caligini medentur.* Agellius lib. XII, capite IV: *Eos* (Ennii) *versus frequenti assiduoque memoratu dignos puto.* Et lib. XVIII, cap. XI: *Voces mihi visa neque dictu profatuque ipso tetra aut insuaves esse.* Praeterea admittunt praepositiones ablativum regentes casum: ut apud Fabium libro XI, cap. III: *Spiritus nec brevis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis.* Eodemque modo ait Naso lib. I de Remedio Amoris:

> *Quaeritur, Ægisthus quare sit factus adulter.*
> *In promtu caussa est; desidiosus erat.*

Insuper inveniuntur horum & alii quidam casus. Nam ut Columella dixit, *Postremus cubitu surgat:* ita apud Plinium lib. XXVIII, cap. IV legimus: *Supini cubitus oculis conducunt, at proni tussibus:* atque ut Cicero lib. III de Oratore inquit: *Senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit:* ita apud Maronem legas XII Æn.

> —— *Nunc, o nunquam frustrata vocatus*
> *Hasta meos, nunc tempus adest.*

Et quemadmodum Plautus ait:

> *Excipiam te lepidis victibus, piscatu probo:*

Itidem apud eundem * est:

> *Post id piscatum hamatilem & saxatilem*
> *Aggredimur.*

* Plaut. Rud. act. 2. sc. Omnibus modis.

Sic non solum *nuptu* dicitur, sed & *nuptui*. Ita Caesaris est lib. I belli Gallici: *Et sorores suas nuptum in alias civitates collocasse.* At Columella lib. IV, cap. III dicit, *filiam nuptui collocare.* Pluraque id genus attulimus superiori libro, cap. XLVII.

Quod si non inveniatur idem nomen in casu alio; dispiciendum, an non simile, & ejusdem significationis, in recto, aliove casu usurpetur. Nam, ut Plautus Casinâ dixit; *Illorum oratu faciunt:* ita apud Statium libro VIII Theb. est;

> —— *Hilares deos ore precatus*
> *Nosse tuos* ——.

Fateor interim, nonnunquam usu venire, ut nec alium casum inveniamus ejusdem vocis, nec vocabuli huic gemini; quomodo dicimus, *difficilia elocutu*, & *facilia lectu*; at *elocutus*, aut *lectus*, non dicimus: quomodo item apud Censorinum † legitur, *à conditu urbis Romae:* at *conditus Roma* non invenimus. Verùm quando contingit, ut neutrum habeat locum, quid caussae est, cur, cùm pro μονοπτώτοις agnoscant *natu*, *permissu*, *jussu*, ac quaedam alia; non itidem supina habeant pro διπτώτοις quartae declinationis, solum accusativum in UM, & ablativum in U habentibus?

*Cap. 15.

CAP. XII.

Supina priora naturâ suâ significant motum ad locum. Eadem interdum passivè exponuntur. Et contrà supina posteriora etiam activè nonnunquam accipiuntur. Valla refellitur, qui putabat, non posse ea exponi per nomen verbale.

NEc levis est quaestio de significatione supinorum priorum. Sed de hac ambigere non possit, qui sciat, ea semper jungi verbis motum ad locum significantibus, idque vel occultè, vel manifestè. Occultè, ut in illo Plauti Aulularia *:

> *Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.*

* Sc. Hui quidem hercle.

Nam qui coctum conductus erat, idem, ut coctum veniret, erat conductus. Sic in illo Ter. Hec. *dare* aliquam *nuptum*. Hoc est, dare alteri, ut eam domum ducat. Nam ut virgo dicitur *nubere*, quod est faciem flameo velare: ita dicitur adolescens *domum ducere*, pro quo vulgò κατ' ἔλλειψιν *ducere* usurpatur. At manifestus est motus, quum apud Plautum Aulul. legimus: *Te id admonitum advento.* Et alibi, *Deos atque amicos iit salutatum ad forum.* Item apud Terent. Eunucho: *Nam hac est, quam miles à me vi nunc ereptum venit.* Apud Ciceronem, *venire admonitum.* Item: *Oratum, obsecratumque venire.* Apud Livium, *venerunt questum.* Item, *misit speculatum.* Apud Catullum carm. X:

> *Varrus me meus ad suos amores*
> *Visum duxerat.*

Suntque alia id genus infinita. Negat tamen Saturnius, id perpetuum esse, ac lib. VIII, cap. VII, multa congerit loca, in quibus nullus significetur motus ad locum. Verùm, ut puto, poterat hac operâ supersedere. Quod ut pareat, exempla ab eo allata ad duas revocabo classes. Una erit illorum, in quibus omnino intelligitur verbum substantivum; ut simplex supinum esse non possit. Ita dixit Plautus Cistellariâ:

> —— *Eas si adeas,*
> *Abitum, quàm aditum malis* ——.

Ubi *aditum*, & *abitum esse*, dicuntur, ut *amatum esse:* quod est praeteritum infinitivi passivi. Sic idem Persâ: *Dum stas, reditum oportuit.* Pro *reditum esse*, ab impersonali *reditur*. Terent. Heaut. †

> *Aliquot me adiere, ex te auditum qui ajebant, hodie filiam*
> *Meam nubere gnato tuo.* ——

† Act. 3. sc. 3.

Quo loco nihil manifestius: ut omnino hic Saturnii acumen desiderem. Quid quod his omnibus locis activi infinitivi perfectum usurpari potuit, *abiisse*, *quam adisse te*; *rediisse te*; *audiisse se*. Quae quum manifeste tempus praeteritum signent; priora quoque illa ejusdem temporis erunt, solâque different voce; puta, quòd haec ab activis sint, illa non item.

Altera locorum classis est eorum, in quibus verbum substantivum intelligi nequit, eoque validiùs sententiam nostram concutiunt. Tale est hoc Terentii in Andr. *Ubi ubi erit, inventum tibi curabo & adductum tuum Pamphilum.* Et hoc Plauti Persâ: *Satis jam dictum habeo.* Et illud Ciceronis Philipp. V: *De Caesare satis hoc tempore dictum habeo.* Sed his in locis arbitror usurpari participium accusativi casus, non supini. Unum superaddit locum Saturnius, Cn. Pompeji in epist. ad Luc. Domitium *: *Cohortes, quae ex Piceno & Camerino venerunt, ad me missum facias.* Qui loquendi modus planè insolens; non tamen Saturnii sententiam firmat, quum eo, contrà quàm voluit ille, motus significetur ad locum.

* Apud Cic. lib. 8 ad Att. epist. 18.

Interdum tamen, fateor, supina exuunt naturam suam; ut quum juncta verbis *eo*, aut *pergo*, pro verbis ponuntur, unde descendunt. Plautus Casinâ †:

> *Argentum si quis dederit, ut ego suspicor,*
> *Ultro ibit nuptum.*

† Prologo.

Id est, nubet. Sallust. Jugurth. *Ne, ignoscendo malis, bonos perditum eatis.* hoc est, perdatis. Tacitus Annal. lib. XV: *Contumelias ultum ibat.* Plinius in Panegyrico: *Ereptum alienas pecunias eunt.* Delectatus quoque hâc loquendi figurâ Agellius. Qui nunc *pergo*, nunc *eo* jungit supino. Ejus est lib. VII, cap. III: *Tum M. Cato exsurgit, optimos fidissimosque socios defensum conservatumque pergit.* Et lib. XIV, cap. VI: *Mea noctes, quas instructum ornatumque isti, de uno maximè versu Homeri quaerunt.* Ac alibi similiter, *Peccatum suum peccatis alienis exemtum purgatumque ibat.* Usurpat & Claudianus lib. II de laudibus Stiliconis ‡:

> *Ut bello Furias ultum, quas pertulit, iret.*

‡ Vers. 84.

Imò in passivâ quoque voce hoc loquendi genus locum habet. Nam M. Catonis est in oratione, quam pro se habuit in C. Cassium: *Contumelia mihi per hujusmodi petulantiam factum itur*, hoc est, fit. Verùm ne haec quidem tanti sunt, ut me dejiciant de gradu. Siquidem primò in his significatio fuit motus: pòst usu aliam significationem induerunt. E. G. *Factum itur*, propriè est, opera datur, ut fiat: *perditum ire*, propriè est, in eo omnem esse, ut alius perdatur. Eademque in aliis ratio est. Quare aliud est de

de natura supinorum disputare; aliud de usu, vel abusu. Quamquam etiam in his omnibus motus ad aliquid intelligitur, si placet, quod capite superiori dicebamus, supina regi à præpositione intellectâ. Nam, *ultro ibit nuptum*, integrè sit, *ibit ad nuptum*: quasi dicas, *ad nuptionem*, vel *ad nubere*, sive *ad nubendum*. Sic, *bonos eatis perditum*; valeat, *ad perditum bonos*; sive, *ad perditionem bonos*, vel *bonorum*. Et fere par ratio in passivo: ut, *Contumeliæ factum itur*, pro, *itur ad factum*: hoc est, opera datur, ut fiat. Quam rem accuratè exponemus libro de Structura.

Itidem errant plerique Grammatici, quum priora supina volunt venire ab activis, posteriora à passivis; ideoque priora activè exponi, posteriora passivè. Nam plurimùm quidem illa in UM (si *vapulatum*, similiaque exceperimus, quæ in præsenti ipso passionem notent) activè exponuntur: attamen, ut Saturnius quoque observavit, id perpetuum non est. Locus illustris est apud Martialem lib. XI, epigram. in Paullam. Verùm, quia vox in eo obscena, hic apponi non meruit. Unum tamen Agellii, vel Mutii potiùs, locum adferam. Ita enim Agellius lib. III, cap. II: *Quinctum Mutium Jurisconsultum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem, quæ Kalendis Januariis apud virum caussâ matrimonii esse cœpisset, & ante diem quartum Kalendas Januarias sequentes usurpatum isset.* hoc est, usurpata fuisset. Verùm hic loquendi modus planè infrequens est; ut meritò oscitantiæ damnandus sit Priscianus, qui quum nullam passivæ significationis adferat exemplum, credo quòd occurreret nullum; tamen, omnia albâ lineâ signans, utramque æquè supino huic significationem adsignat.

At magis etiam decepti sunt illis in U; quæ actionem quoque significare, autores sunt Diomedes lib. I, & Priscianus lib. octavo. Fateor quidem, non rarò ea rectiùs per passivum exponi, quo pacto *dignus lectu* idem est, quod *legi dignus*: quomodo Quinctilianus dixit lib. X: *Lyricorum Horatius fere solus legi dignus.* Et, *cognitu utile*, idem est, quod *cognosci utile*: quomodo Val. Maximus ait lib. IX: *Ardua imitatu, cæterum cognosci utilia.* Verùm sexcenta præsertim è neutris & deponentibus adferri possunt, in quibus id non habeat locum. Nam quomodo passivè exponant illud Plauti Menæchmis act. II, sc. III: *Obsonatu redeo.* Nonne enim sententia est: Redeo enim inde ubi obsonium erat. Aut hoc Catonis de re Rust. cap. V: *Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat.* Vel illud Taciti lib. XV Annalium: *Cæsar rarus egressu.* Quod valet, raro egrediens vel foras prodiens. Item hoc Statii primo Thebaid.

Quem tu venatu rediturum in limine primo
Opperiens.

Addamus his illud Livii lib. I *fœdus inceptu, fœdum exitu.* hoc est, quando incipit, & exit. Et hoc Plinii libro XIV: *Forenses uva celeres proventu, vendibiles adspectu, portatu faciles.* Nam prima verba solùm activè, puta per verbum actionis immanentis, cujusmodi absoluta vel neutra vocant, explicantur, cùm eorum sententia sit, *forenses uva celeriter proveniunt.* Quomodo idem Plinius alibi, *eventu mirabile, & triste*: hoc est, quando evenit. At duo sequentes ablativi non minùs activè, quam passivè, possunt exponi; *vendibiles sunt, si adspicias*, vel *si adspiciantur*; *tales, ut facilè eas portes*, vel *ut facilè portentur.* Sed cur non ipsum Ciceronem ad partes vocamus? Sanè usitatè dicitur, *difficile dictu, difficile cognitu.* Sed Cicero hæc activè extulit. Nam lib. I Tuscul. Quæst. ait: *Hominum quanta sit mens, difficile est existimare.* Item de Perfecto Orat. *Non est difficile cognoscere.* Parque fortasse ratio in istis, *fluvius facilis navigatu*, vel *gratus potatu*, aut *res quæsitu digna.* Scio Melam dicere lib. I: *Oestros fluvius navigari facilis.* Et lib. II: *Borysthenes potari pulcherrimus.* Item Agellii esse lib. VII: *Digna quæri, tragicaque.* Verum possis & exponere, fluvius facilis *naviganti*, pulcher *bibenti*, *res digna, de qua quæras.* Imò & superius illud *lectu dignus* possis exponere, *dignus quem legas.* Et alterum *cognitu utile*, interpreteris *utile*, si cognoscas.

Neque verum est, quod Valla putabat, supina, quæ vocant, in U, non posse exponi per verbale. Nam, ut Fabius dixit, *Lyricorum Horatius ferè solus legi dignus:* ita ait Agellius lib. XII: *Dignus sanè Seneca videatur lectione.* Imò & Cicero primo Offic. inquit: *In rebus cognitione dignis.* Et ad Dolabellam: *Oratiunculam pro Dejotaro velim sic legas, ut inopem, nec scriptione magnopere dignam.* Et hæc de modis. Nunc ad temporum doctrinam transeamus.

CAP. XIII.

In temporum doctrina, etiam florente Roma, hæsere viri præstantes. Cur Ægyptii triplex tempus signarint capite leonis, lupi, & canis. Triplex tempus infectum. Faciem, pro faciam. Triplex tempus factum. Futurum exactum, quod in RO desinit, distinguitur à futuro simplici, sive infecto. Futurum exactum non minùs esse indicativi, quàm subjunctivi modi. Etiam Græcos hoc tempus habere ostenditur.

Etsi autem non ignoro, quàm multis tempus & oleum perdere videar, qui, prolatis posthabitisque studiis gravioribus, non dubitem hasce Grammaticorum minutias, &, ut illi putant, περιεργίας, in medium adferre, & è re tenui aliquid, si non gloriæ, saltem fructus publici sperare: tamen, quod bonâ cum eorum veniâ dictum velim, majoris nunc apud me sunt judicia augustæ antiquitatis; quæ existimabat, ab horum notitiâ non multa modò Poëtarum, aut Historicorum loca lucem fœnerare; sed & gravissimas Juris controversias. Hacpropter nec Q. Scævolæ pater, nec Brutus, Maniliusque, nec Nigidius Figulus, Romanorum post Varronem doctissimus, disquirere gravabantur, utrùm vox, SURREPTUM ERIT, in post-facta, an ante facta valeat; hoc est, futurine, an præteriti sit temporis, quando in veteri lege Atiniâ legitur; QUOD SURREPTUM ERIT, EJUS REI ÆTERNA AUTORITAS ESTO. Nec puduit Agellium hac de re caput integrum contexere septimodecimo Atticarum noctium libro. Apud eundem cap. secundo libri duodevicesimi legimus, inter Saturnalicias quæstiones eam fuisse postremam, *scripserim, venerim, legerim, cujus temporis verba sint, præteriti, an futuri, an utriusque.* Quamobrem eos mirari satis non possum, qui hujusmodi sibi à pueris cognitissima fuisse parùm prudenter, aut pudenter, adserunt; quum in iis olim hæsitarint viri excellentes, & quidem Romani, suæ sine dubio linguæ scientissimi. Nos verò sciolos istos valere jubeamus, veterumque curatam sequentes diligentiam, Grammaticorum de temporibus edicta non somniculosè ponderemus.

Tempus ex Grammaticorum, ac vulgi sententiâ (aliter enim disputat Philosophus lib. V Φυσ. ἀκροασ.) triplex statui solet: præsens sive instans (quomodo id Charisius * passim, item Diomedes †, & alii, appellant) adhæc præteritum, & futurum; quæ tria tempora tricipitis animantis signo indicabant Ægyptii. Quippe apud eos, uti autor est Macrobius primo Saturnalium libro, cap. XX, leonis capite monstrabatur præsens tempus, quia conditio ejus inter præteritum futurumque actu præsenti valida fervensque est. Præteritum tempus lupi capite signabatur, quoniam memoria rerum transactarum rapitur & aufertur. Canis blandientis effigies futuri temporis designabat eventum, de quo nobis spes, licet incerta, blanditur.

Hæc tria tempora revocamus ad duo, infectum, & perfectum. Infectum est triplex; præsens, ut *facio*; præteritum imperfectum, ut *faciebam*; futurum simplex, ut *faciam*, sive, quomodo veteres, Fabio teste, locuti, *faciem*: quo usus Plautus Asin. ‡ *Faciem exoptata obtingant.* Sanè ita scripsisse Plautum, non *facile*, quòd est in vulgatis, pignus in omnes fortunas suas dare se paratum scripsit Lipsius. Καὶ τοῦτο πιθανῶς. Perfectum itidem triplex:

* Lib. 3. cap. de confusis, &c.
† Lib. 1 de verb. declin.
‡ Act. 3. Sc. Cur me retentas nunc.

plex: perfectum simplex, ut *feci*; plusquamperfectum, ut *feceram*; futurum exactum, ut *fecero*. Nam quum dico, interim *fecero*, *docuero*, *amavero*, rem significo, quæ nondum est; & eandem considero, quasi fuerit; eoque in hoc tempore, & futuri, & præteriti significatio concurrit; unde futurum exactum appellatur: quod qui à futuro simplici non distinxerunt, haut satis cogitarunt, aliud esse, *cum cenabo*; aliud, *cum cenavero*: illud valere *inter cenandum*; hoc, *cenâ peractâ*: parque in similibus ratio est. Præterea iidem Varronis autoritate refelluntur; qui & ipse secundo, tertioque de Analogiâ, tria agnoscit tempora infecta, *pungo*, *pungebam*, *pungam*: & totidem perfecta, *pupugi*, *pupugeram*, *pupugero*. Quin hoc vel origo ipsa docuerit Grammaticos nostros. Nam merum futurum est a præsenti; quomodo *pungam* est à *pungo*. At *punxero* non minus est à *punxi*, quam *punxeram*.

Dicent fortasse, esse loca non pauca, quibus hujusmodi significent futurum infectum. Verùm de locis, quæ adferunt, non laboro; tum quia in iis quoque præteritum tempus occultè adsignificatur; tum quia, ut hoc non esset, nobis nunc de primariâ duntaxat significatione quæstio est.

Itidem falluntur, cùm tempus illud in RO exiens, quod futurum exactum appellamus, in adjunctivi tantùm temporibus reponunt. Quippe non minùs indicativi modi esse, vel hæc fidem fecerint. Cic. lib. VII ad Att. epist. XV: *Vicerit enim, si COS. factus erit.* Idem ad Plancum lib. X, epist. XIII, iterumque XIX: *Qui Antonium oppresserit, is bellum confecerit.* Terent. Andr. act. IV, sc. Hoccine credibile est:

> —— *Atque aliquis dicat, nihil promoveris.*
> *Multùm molestus certe ei fuero, atque animo morem gessero.*

Καὶ μύρια ὅσα*.

* Et infinita ejusmodi.

Portò nec Græci hoc tempore destituuntur: sed hi, ut Latini in voce passivâ solent, circumloquuntur id per participium præteriti passivi, & futurum vocis εἰμί. Dicunt enim τετυφὼς ἔσομαι, νενικηκὼς ἔσομαι, &c. Ita locutus Aristoteles in Topicis: Δείξαντες ὅτι παντὶ ὑπάρχει, καὶ ὅτι τινὶ ὑπάρχει δεδειχότες ἐσόμεθα: hoc est, *qui monstravit inesse aliquid omni, & alicui inesse monstraverit.* Quod sicui nihilominus stet sententia, tempus hoc sub ambiguâ significatione in conjunctivo potiùs tradere, quàm in indicativo: mihi quidem tanti hæc res non erit, ut magnopere adversùs ejus sim adversaturus sententiam; modò idem hoc saltem agnoscat, tempus isthoc unâ voce comprehendere præteritum, & futurum.

Cap. XIV.

Quo pacto verbum passivum habere possit imperativum. Ne quidem Latinos carere tempore misto ex præterito, & futuro. Unius ejusdemque temporis videri, quæ præsens ac futurum imperativi vocitant. Imperativum non minùs primâ caret plurali, quàm singulari. Tertia singularis nunquam in T, sed in TO semper definit. Secunda pluralis vel TE, vel TOTE, terminationem habet. Cornelii Frontonis discrimen inter eas rejectum. Lambini in Plauto correctio improbata. Secunda pluralis passivæ vocis in MINOR. Antiquitùs singularem secundam in MINO exiisse. Pluralia in UNTOTE non sunt Latina, sed inane Grammaticorum commentum. Futurum indicativi pro imperativo positum.

De Imperativo etiam varia in disceptationem veniunt. Primùm, qui fieri possit, ut imperativum habeant passiva, cùm passio imperari non possit. Sanè servo si dicam, *amator ab hero*, dicat ille, non sibi hoc imperari debere, ut ametur; quippe qui nihil æquè expetat: sed à domino poscendum, ut amare fidelem servum velit. Verùm non obscurè huic argumento occurritur. Nam etsi passio semper pendeat ab agente, eoque, si propriè sumas, absurdè præcipiatur: tamen dispositio ad patiendum pertinet ad agentem, & iccirco meritò mandatur. E.G. *amator ab hero.* hoc est, ita vitam compone, ut ameris. Sic *docetor*, hoc est, ne respue doctorem, sed imbibe ejus verba. *Patitor injurias*, hoc est, ne par pari dato redhostimentum: atque ita in aliis.

Sed operosior quæstio consurgit de præterito tempore imperativi passivi. De quo priusquam exponam sententiam meam, egregium adducam Prisciani locum è lib. VIII: *Apud Græcos etiam præteriti temporis sunt imperativa: quamvis ipsa quoque ad futuri temporis sensum pertineant: ut ἀνεῴχθητω πύλη, aperta sit porta. Videtur enim imperare, ut in futuro tempore sit præteritum: ut si dicam, aperi nunc portam, ut crastino sit aperta. Ergo nos quoque possumus in passivis, vel in aliis, passivam declinationem habentibus, uti præterito tempore imperativi, conjungentes participium præteriti cum verbo imperativo præsentis, vel futuri temporis: ut, amatus sit, vel esto, πεφιλήσθω: doctus sit, vel esto, δεδιδάχθω: clausus sit, vel esto, κεκλείσθω.* Hæc Priscianus: eandemque quæstionem tangit in XVIII. Quibus compulsi, ita planè judicamus, Latinos quidem non habere vocem simplicem, uti Græci: sed si passiva non omnino carent præterito, nec imperativum destitui hujusmodi futuro. Nam cur illud Basii lib. I Ἀνθολογ. * Νῦν γε μόθῳ κεκορέσθε, transferre non liceat, *Nunc verò labore satiati estote*: vel, (quando pro imperativo etiam subjunctivo sæpe utimur) *satiati sitis*. Item cùm Aristoteles in Prædicamentorum ait libro: Περὶ μὲν τῆς οὐσίας τοσαῦτα εἰρήσθω. Nonne hoc valet, *De substantia hæc dicta sunto.* vel, *hæc dicta sint.* Quomodo Varronis ipsius est lib. IV de L. L. *Quod ad temporum vocabula Latina attinet, hactenus sit satis dictum.* Ciceronis item lib. IV de Finibus: *Sed primum positum sit, nosmet ipsos commendatos esse nobis; primamque ex natura hanc habere appetitionem, ut conservemus nosmet ipsos.* Livii quoque est lib. VII: *Hæc dicta sint patribus.* Fabii est libro I, cap. I: *De pueris, inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem, quod de nutricibus, dictum sit.* Quare si κείσθω, & εἰρήσθω, Græcis sint præteriti temporis, etiam ejus temporis erint hæc circumlocutione prolata, *posita sint*, vel *sunto*; *dicta sint*, vel *sunto*. Itidem cur dicere non liceat, *cibus intra horam coctus esto*: *hi vincti sunto*, *ante adventum meum*: *prinsquam reveneris tribunus*, *chlamyde indutus esto*: *ante Nonas proximas omnes parati sunto*: similiaque. Nec enim dici potest, *indutus*, *paratus*, cæteraque, hìc esse nomina, cùm tempus præteritum adsignificent. Et cur in indicativo passivo, itemque subjunctivo, dicamus, circumscribi præterita perfecta, & plusquamperfecta, per participium, & verbum substantivum: at in imperativis idem fieri negemus, quum rarò quidem usum eorum exigat necessitas: neutiquam tamen, vel vocis, vel rei repugnet natura?

* Eis dedeiati.

Quamobrem aut nusquam eorum, ubi periphrasi opus, in temporum doctrina ratio habenda; aut, contrà quàm Grammatici tradiderunt, tria sint imperativi passivi tempora: è quibus tertium hoc, quod adjecimus, magis differt à duobus aliis, quàm ipsa inter se. Nam etsi *ama*, & *amato*, itemque *amare*, & *amator*, eo distinguant, quòd illis imperemus, aut rogemus, ut aliquid statim præstetur: his autem quippiam præscribamus, ut successu temporis fiat: tamen usus docet, promiscuè usurpari; adeò quidem, ut eâdem quoque in oratione diversæ hæ terminationes habeant locum. Virgil. Ecl. IX:

> *Et potum pastas age, Tityre, & inter agendum*
> *Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.*

M. Cicero epist. ad Appium: *Vale, & in censura, si jam es censor, ut spero, de proavo multùm cogitato tuo.* Q. Cicero comment. de pet. cons. *Cura, ut tui cupidi sint, elaborato, appetito*, &c. Quare & videri possint ejusdem esse temporis, *cave*, & *caveto*; *punge*, & *pungito*. Nobis quidem, quantò hæc magis pensiculamus, tantò impensiùs se hæc probat sententia. Nam & dixit Plautus Mercat. act. II, sc. II:

DEM. Lysimache, salve. LYS. Euge, & tu Lysimache, salveto.

Idem Pœn. act. v, sc. II:

AGAR. Mi patrue, salve. POEN. & tu salveto, Agarastocles.

Quibus in locis, si *salve* præsentis sit temporis, consequitur, Lysimacho, & Agarastocle, salutem in præsenti optantibus, Demiphontem, & Pœnum, optare eandem in futurum: quod mihi quidem ineptum ac ridiculum videtur. Scio, Diomedem aliud sentire, qui agnoscit quidem, promiscuè usurpari *amo*, & *amato*: sed vocat hoc abuti personis futuri temporis, pro præsenti. Aliquid diceret, si ratus esset usus iste promiscuus. Atqui, ut bene observat Martinus Cueva Carmonensis*, multa sunt loca, ubi non post aliquod tempus, sed jamnunc, aliquid fieri postulemus. Cicero pro Roscio Amerino: *Etenim quærere ita debetis: ubi multa avarè, multa audacter, multa improbè, multa perfidiosè facta videtis, ibi scelus quoque aliquod latère inter illa tot flagitia putatote.* act. III in Verr. *Homines scitote esse quosdam.* Virgil. x Æn.

* Lib. de corrupto genere dicendi sermonem Latinum.

Nunc conjugis esto
Quisque suæ, tectique memor.

De tertia quoque singulari, ac primâ plurali, secus sentimus, quam vulgus facit. Nam *caveat, pungat, amet; caveamus, pungamus, amemus*; non magis imperativi modi esse possunt; quàm si ei, qui impediat, quò minùs possis amare, docere, legere, audire, dicas, *amem, doceam, legam, audiam*; quæ nunquam imperativi modi esse fatentur ipsi. Quare utraque subjunctivi modi dici debent. Nempe primam pluralem non magis agnoscit imperativus, quàm singularem. Nam sani hominis non est, *amem*, & *amemus*; *doceam*, & *doceamus*; modis integris separare. Tertia verò singularis non est *amet*, sed *amato*; non *doceat*, sed *doceto*. Maro v Æn.

Omnibus hic erit unus honos, tres præmia primi
Accipient, flavâque caput nectentur olivâ.
Primus equum phaleris insignem victor habeto.
Tertius Argolicâ hac galeâ contentus abito.

At secunda pluralis est duplex, *amate*, & *amatote*; *videte*, & *videtote*. Cornelius Fronto, libello de vocabulorum proprietate, inter *videte*, & *videtote*, hoc statuit discriminis, quòd illud imperet, hoc mandet: quo innuit, illud esse præsentis, hoc futuri temporis. Verùm quia hanc sententiam sola tuetur veterum aliquot Grammaticorum autoritas; nondum aliud mihi persuadere possum, quàm ea unius esse temporis.

Immeritò verò ab aliquibus de posteriori terminatione dubitatur. Nam dixit Ennius Annali I:

Alternum seritote diem concorditer ambo.

Cicero pro Roscio Amerino: *Verum id, quod adhuc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit, hunc adfinem culpæ judicatote.* Et eadem: *Deinde, si voletis, etiam tum, cum verisimile erit aliquem commisisse in suspicione latratote.* Ovidius lib. IX Met. fab. VIII:

Lac facitote bibat, nostrâque sub arbore ludat;
Cumque loqui poterit, matrem facitote salutet.

Sed crebra imprimis apud Plautum. Ut Sticho act. I, sc. Qui manet: *Siquis me quæret, inde vocatote aliqui.* Idem Rudente act. III, sc. Utrùm tu leno, usurpat, *respondetote, itote*, & antiquum, *amplectitote*. Et scenâ ultimâ act. V, *venitote, cœnatote*. Ejusdem est Epidico act. II, sc. Tacete:

—— Si placebit, utitor
Consilium, si non placebit, reperitote rectius.

Ubi *utitor* Periphanem respicit, cujus res agebatur: *reperitote* autem, & Periphanem, & Apœcidem. Quare frustra est Lambinus, quum pro *utitor* legere jubet *utiminor*.

Etsi autem *utiminor* hic, ut metrum quoque indicat, locum non habet: non tamen tantopere insaniendum, ut damnemus, tanquam minùs Latinum, viri docti exemplo, qui *amaminor, doceminor*, similiaque, barbara esse ait. Nam alia suppetunt Plauti loca, quibus hæc Latina esse evincamus. Unum alterumque apponam. Pseudolo act. III, sc. Forum coquinum:

Si quò hic gradietur, pariter progrediminor.

Epidico act. V, sc. Satin' ille homo, idem usurpat *arbitraminor*. Facta sunt hujusmodi ab antiquis singularibus, *progredimino, arbitramino*, &c. Ita Cato dixit *præfamino*, & apud Festum est *famino*. Quin in priori Plauti loco Turnebus, & Lambinus, è Camerarii manuexaratis legunt *progredimino*. Sed *progrediminor* retinendum esse, putat nobiscum Valens Acidalius. At non displicet correctio Amplissimi, nec exiguo literarum damno denati, Jani Rutgersii nostri: qui in eruditis ad Horatium notis verba Legis XII Tabb. sic emendat: SI IN JUS VOCATIO FUAT, ATTESTAMINO. Qui locus in vulgatis Porphyrionis codd. corruptissimè legitur.

Tertia pluralis imperativi est non *ament, doceant*, &c. (nam hæc quoque subjunctivi sunt modi) sed *amanto, docento*, &c. Eodemque pacto in passivâ voce tantùm *amantor*, & *docentor* legitur. Horatius in epist. ad Pisones:

Non satis est pulchra esse poemata: dulcia sunto,
Et, quocunque volent, animum auditoris agunto.

At *amantote, faciuntote, aguntote*, similiaque, sunt Grammaticorum commenta, quum nusquam vel in antiquis reperiantur legibus; in quibus, *sunto, parento, habento*, non *suntote, parentote*, aut *habentote* legimus. Cicero lib. III de Legibus: *JUSTA imperia sunto, iisque cives modestè ac sine recusatione parento.* Ibidem: *REGIO imperio duo sunto, eique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules appellantor. militiæ summum jus habento. nemini parento. ollis salus populi suprema lex esto.*

Quod autem de *amet*, & *ament*, ac similibus, dixi, idem in voce passivâ locum habet, quia *ametur*, & *amentur, doceatur*, & *doceantur*, subjunctivi sunt modi; quum non magis notent imperium, quam *amer*, aut *docear*. Neque est, quòd quis veterum recentiorumque autoritatem mihi opponat: nam rationibus putari oportet; quibus si vincar, primus ero, qui propria cædam vineta. At enim dicas, non minùs imperium notare *amet*, quàm *amato*; & *ament*, quàm *amanto*; itemque *ametur*, quàm *amator*; & *amentur*, quàm *amantor*. Fateor: verùm non dispiciendum, quid fiat interdum, verùm quæ princeps sit significatio, quæ contrà secundaria; qualis est, quum conjunctivus induit imperativi significationem; ut in illo Martialis lib. V, epigram. de Erotio:

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa: nec illi
Terra gravis fueris: non fuit illa tibi.

At quis dixerit, *tegat*, & *fuerit*, propriam esse imperativi terminationem? Donatus in illud Terentii*: *Si certum est facere, facias: facias*, inquit, *pro facito.* Et alibi†, *Quiescas*, inquit, *positum, pro quiesce: aut deest volo, aut facito.* Quod postremum impensè placet; ut sit ellipsis. Ita *amet*, integrè fit, fac, vel facite, ut amet: *ament*, valeat, fac, vel facite, ut ament; *Bono sis animo*, integre sit, facito, ut bono sis animo. Sanè & aliàs sæpe imperativus reticetur. Maro: *Ah ne te frigora lædant.* Pro, vide, cave ne lædant. Sic, *Verum, nequid illa titubet.* Nisi malis in talibus *metuo* intelligi.

* Eun act. 2, sc. 3.
† Andr. act. 3, sc. 4.

Adde quòd, si ea nos ratio movere debet, ut talia imperativi modi credantur; sanè futura indicativi, imperativo quoque accenseri possunt; quia *valebis*, & *salvebis*, idem sunt, quod *vale*, & *salve*. Equidem sæpe ita locuti veteres. Multorum locorum instar sit illud Columellæ libro XII, cap. XXXVI: *Id mistum conjicies in amphoram novam, & implebis ad summum: tum adjicies ramos roris marini*, &c. Quod si hæc imperativo accensere ausi non fuerunt; profectò nec illa debuerunt, quum par sit amborum ratio.

Nec tempore hæc differre, arguit quod jungantur subinde. Plautus Truculento act. II, sc.

P. Num quippiam me vis aliud? D. ut, quando otium
Tibi sit, ad me revisas. D. Valeas. P. Vale.

Quid

Quid apertius, quàm idem hic tempus signari in *valeas*, & *vale*? Par ratio in illo Q. Ciceronis de Petit. Consul. *Hos internoscas, & videto, ne spe in aliquo majore posita, præsidii parum comparetur. Perquiras etiam, & investiges homines ex omni regione, eosque cognoscas, appetas, confirmes.* Sane *videto*, & *internoscas*, *perquiras*. Cæteraque, quis ad idem tempus pertinere inficias iverit? Nempe *valebis*, *vale*, *valeto*, *valeas*; *videbis*, *vide*, *videto*, *videas*, idem tempus indicant. Sic cum Cicero lib. VII ad Trebonium scribit: *Puerum Ciceronem curabis, & amabis*: dicere etiam potuit eadem prorsus mente, *cura & amato*: *curato & amato*: *cures & ames*. Nec unquam aliter: quia etsi præsens sit, qui imperat, id tamen, quod imperat, haut aliter concipi possit, quàm sub ratione futuri. Quibus itidem firmatur, quod unicum esse imperativo tempus antè dicebamus. Hactenus de Imperativo.

Cap. XV.

De temporibus Subjunctivi. Terminatio EM, vel AM, nunc præsentis est, nunc futuri. Terminatio REM triplici tempori accommodata est. Terminatio RO semper notat futurum exactum: sed illa in RIM, nunc simplicis præteriti, nunc futuri exacti significativa est. Præter vulgares, duæ olim subjunctivæ terminationes erant; in IM, & SSO. Excantassò, levassò, abjurassò, licessò, jussò, superessò. *Festus, & apud eum Ennius, ac Attius, emendantur.*

IN temporibus Subjunctivi (sub quo Optavum comprehendi dicebamus) primò se offert terminatio in EM, vel ER; AM, vel AR: ut, *amem*, *amer*; *diligam*, *diligar*. Hæc nunc præsentis est temporis, nunc futuri. Nam præsens est, *Cum te amem*, vel *diligam fratris germani loco*: item, *Cùm à te nunc amer*, vel, *diligar quam maxime*. At futurum fuerit, *Si æquè, in posterum amer*: *si futuris in annis æquè diligar*; *si cras venians*, &c. similia. Quare futurum est in illo Ciceronis ad Att. lib. VIII, epist. 11: *Est mihi præcipua caussa manendi: de qua utinam aliquando tecum loquar.* Et similiter statuo de illo Ovidii epist. Hypsipyles ad Jasonem:

Credula res amor est: utinam temeraria dicar
Criminibus falsis insimulâsse virum.

Linacer* putat, esse præsens modi Potentialis: sed addit, hoc sæpe futuro esse æquale. Atque hoc etiam ait contingere in illo Terentii†, *Di illum perdant.* Et‡, *Di te eradicent.* Item isto Ciceronis ad Att.* *Atque utinam ipse Varro incumbat in caussam.* Mihi non incommodè dici videtur, hæc esse præsentis; sed ejusmodi, quod admistam habeat futuri significationem.

* Lib 1, cap de Modo. † Eun. act. 2, sc. 3. ‡ And. act 4. sc. 5. * Lib 8. epist. 2.

Similiter terminatio in REM, & RER, tum præsentis temporis est, tum præteriti imperfecti, tum futuri. Præsentis est, *Utinam Titius studia magis amaret.* Præteritum verò, *Cùm studia magis amaret, quàm nunc facit.* Futurum est, *Operam dedisses, quam debebas: magis te amarem posthac, & fortasse paucis diebus darem, quod desiderium expleret.* Quæritur, quo tempore Terentius utatur in isto†: *Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres.* Præteriti imperfecti esse, ait Linacer‡. Sed qui attenderit ad dicentis sententiam, præsens potiùs statuat. Quo in tempore etiam dicit Cicero ad Cæcinam lib. VI*: *Nolo enim, hunc de me optimè meritum, existimare, ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga, & princeps: sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet.* Ubi *haberet* non alius temporis est, quàm *habet*.

† Eun act. 1, sc. 2. ‡ Lib. 1, cap. de Modo. * Epist. 6.

Sed præcipua controversia est de tempore in RIM, & RO. Nam RIM vulgò præteriti, RO futuri esse dicunt. Ac metuo, ne si aliquem è trivio audias, sibilo excipiat, hoc qui ignoret. Nimirum hanc sapientiam necdum didicerant veteres illi doctique Romani, quos, uti ex Agellio suprà audiimus, non puduit disceptare, utrùm illa in RIM præteriti sint temporis, an potiùs futuri.

Ut verò omnis hæc controversia meliùs intelligatur, distinctè aliqua considerare oportet. Primùm illud, ut, quæ in RO desinunt, nunquam de præterito usurpentur. Quis enim dicit, *Si heri fuero Romæ*, pro *fuerim*. Alterum est, ne quidem signari eo unquam futurum infectum. Nam aliud est, *Cum Romam perreptabo*: aliud, *Cùm Romam perreptavero*: quia illic consideratur res simpliciter, ut futura: hic insimul, ut peracta. Sic Cicero l. XVI ad Tironem: *Satis te maturè videro, si planè confirmatum videro*: Idem ad Att. lib. IX: *Cum tu hæc leges, ego fortassis illum convenero.* Simileque adducebam cap. XIII. Quare liquet, illa in RO habere significationem ex præterito futuro conflatam: & eapropter à Varrone vocatur futurum exactum, ut superiùs dicebamus. Dispar verò ratio est illorum, quæ in RIM desinunt. Nam est cùm hæc designant simpliciter rem omnino præteritam: est item cùm eandem habent significationem ac futura exacta. Quod ita esse ex eo colligimus, quia non Latinè minùs dicatur, *Si Roma cras fuerim*, quàm, *Si fuerim heri.* Ita apud Terentium legimus Andr.*

Eâ lege atque omine, ut si te inde exemerim, ego pro te molam.

Item†:

—— Certè si resciverim.

Eunucho‡:

Si id fecerim.

Ejusdem est Heautontim.*

Ubi si paullulum modò quid tete fugerit, ego perierim.

Plautus Pseudolo†:

—— Si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.

Ibidem: *Quis igitur argentum reddet, si dederim tibi?* Ac similia passim occurrunt.

* Act. 1, sc. 2. † Act. 3, sc. 2. ‡ Act 5. sc. 2. Ubi tamen Faernus, fecero. Sed præteri modo legit quoque Donatus. * Act. 2. sc 3. † Sc. Pseudolo non audis.

Ex his alia etiam quæstio lucem capit, an RIS, & RITIS, modulo discrepent, cùm præteritum significant, à RIS & RITIS futuri. De qua satis diximus lib. II Artis Grammaticæ, cap. XXI, & XXXI.

Præter vulgares terminationes subjunctivi duæ fuere aliæ apud antiquos: una præsentis in IM, qualia *edim*, *duim*, atque alia: ut dicemus, cùm in Heteroclitorum doctrina de *Ausim*, & *Faxim*, agemus. Altera est futuri exacti in ASSO exeuntis: ut in Legg. XII Tabb. SIQUIS ALIENAS FRUGES EXCANTASSIT, KAPITAL ESTOD. Unde Seneca lib. IV Nat. Quæst. cap. VII: *Et apud nos in XII Tabulis cavetur, nequis alienas fruges excantâssit.* Ennii quoque est apud Ciceronem‡:

O Tite, siquid ego adjûro, curamve levasso.

‡ De Senect.

Multa hujusmodi sunt apud Plautum: ut Persa act. IV, sc. Cui homini:

—— Nequis mihi in jure abjurâssit.

Et Rudente act. III, sc. Utrum tum leno:

—— Tetigerit
Invitas, ni istunc istis invitassitis:

quo ex loco quoque est cognoscere, in pluralis primâ & secundâ personâ rectè corripi penultimam. Idem Sticho act. 1, sc. Famem fuisse:

Ni verè perierit, si cœnâssit domi.

Et scenâ, Quisnam obsecro:

Præter hâc si me irritassis.

Idem eâdem Comœdiâ act. IV, sic scenam inchoat:

Ita me Di bene ament, measque mihi bene servassint filias.

Et sc. penultimâ:

Agedum Stiche, uter demutâssit, poculo multabitur.

Mostellariâ act. 1, sc. Jam pridem ecastor, legere est *emicasso*, *liberasso*, *servasso*:

Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives.

Casinâ act. V, sc. ult. *amasso*, & *occepso*.

Videtur quoque hujus formæ esse *licesso*, pro *licuero*. Asinariâ act. III, sc. Cur me retentas:

Na

Na iste hercle ab istâ non pedem discedat, si licessit. Simileque apud eum non semel, item Catonem, & Cic. de Leg. *prohibessit* pro *prohibuerit*.

Nec dissimile admodum esse censent apud Maronem *, *Cætera quæ jusso:* pro *jussero:* & in lege antiquâ apud Ciceronem in II de Legg. *Prodigia, portenta ad Hetruscos & haruspices, si senatus jussit, deferunto.* Ubi *jussit*, pro *jusserit*, poni, rectè monet ad eum locum Turnebus. Sed hoc dissimile est. Nam *jusso* pro *jussero* mera syncope est. At in prioribus præterea R in S mutatum est. Ut, *expugnavero, expugnâro, expugnasso; levavero, levâro, levasso; licuero, licêro, licesso; occæpero, occæpro, occæpso.* Cujusmodi antiquissimi simplici S: (nec enim illi geminabant consonas:) postea secuti geminato sibilo extulerunt. Magis simile est *superesso*. Etsi enim in cunctis Festi codd. nunc *superescit* per tertiam literam legere sit: tamen planè censeo, *superessit* scribi debere. Nam à *supero* quidem erit *superesco*, ut ab *aggravo, aggravesco:* sed *superescit* non habet significationem inchoativorum: eoque potiùs censeo, ut pro *licuero*, post U extritum, R in SS mutato, dicimus *licesso:* ita & pro *superero*, R in SS converso, *superesso* dixisse veteres. Et juvat, quòd non alibi invenias hoc verbi, quàm in uno istoc tempore. Uti apud Ennium:

Dum quidem unus homo Romanu' togâ superessit.

Ita locum hunc puto legi debere. Uti & istum Attii in Chrysippo, quem idem adducit:

—— *Qui superessit hinc,*
Spartam atque Amyclas trado ——.

Sanè Mssi, & codex Ald. ac eo antiquior Mediolanensis, habent, *Qui huic superescit.* Sunt qui reponant; *Quin huic si superescit, Spartam atque Amyclas trado.* Sed nulli hic numeri, nisi scribas, ut ex jambico sit:

—— *Quin, si superescit, huic*
Spartam, atque Amyclas trado ——.

Quod non improbo: nisi quod *superessit* malo, quàm *superescit*, uti dixi.

* Æn. 11. vers. 467.

Cap. XVI.

In Infinitivo non est eadem vox præsentis, ac præteriti imperfecti. In eodem duplex futurum male à Grammaticis confundi. Futurum hoc esse omnis generis, ac numeri. Ac par fortasse ratio præteriti passivi. Etiam tempus hoc περιφράζομεν per verbum FORE. Saturnii error, credentis FORE esse præsentis. Futura futuris rectè jungi: imò & præteritis tum activa vocis, tum passiva.*

* Circumloquimur.

SUperest infinitivus: cujus triplex item tempus; præsens, præteritum, & futurum. Sed præteritum imperfectum malè putarunt voce idem esse ac præsens. Nam pro *gaudeo, quòd amas*, rectè dicitur, *gaudeo te amare.* At pro illo, *gaudeo quòd jam tum amabas*, non item dicere liceat, *gaudeo te jam tum amare*, sed *amâsse.* Quare *amare* quidem est præsens: sed *amavisse*, non tantùm præteritum perfectum, & plusquamperfectum, sed etiam imperfectum comprehendit. Video objici à nonnullis, quòd sæpe, per enallagen, prima infinitivi vox pro indicativi imperfecto accipiatur: ut illo Maronis †:

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem.

† 5 Æn.

Ubi *abscindere* poni ajunt pro *abscindebat.* Sed falluntur. Neque enim est enallage, sed ellipsis, quia intelligitur *cœpit:* quod in libro de structura pleniùs ostendemus.

Altera difficultas occurrit in temporibus, quæ circumloquimur per SUM, vel EO. Tale est futurum activum; quod duplex hic non minùs se offert, quàm in Indicativo passivo. Nam ut istic aliud est futurum simplex, quale *amabor:* aliud, quod Varro vocat exactum, ut *amatus ero, vel fuero:* ita hic in voce activâ, aliud est futurum simplex sive infectum, quale *amaturum esse*, id est, quod amabit: aliud verò futurum exactum, ut *amaturum fuisse*, id est, quod amavisset. Cicero in Verrem: *Dico illum hæc venditurum non fuisse.* Quod sanè aliud est, quàm *venditurum esse.* Idem in eundem: *Ut perspicuum sit omnibus, nunquam Lampsacenos in eum locum progressuros fuisse.* Idem Tuscul. III: *Theophrastus moriens accusâsse naturam dicitur, quòd corvis & cornicibus vitam diuturnam, quarum id nihil interesset; hominibus, quorum maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ hominum vita erudiretur.* Cæsar lib. III belli civilis: *Existimabant plerique, futurum fuisse, ut oppidum amitteretur.* Plinius in Panegyr. *Non putassemus, istud te facturum fuisse, nisi recusasses.* Mirus Grammaticorum stupor, cùm hæc confundunt.

Futura in RUM antiquis haut fuere certi generis, aut numeri: quemadmodum de infinitivo tradunt Gellius lib. I, cap. VII, Priscianus lib. IX, extremo cap. de prima Conjugat. Augustinus Saturn. lib. IV, cap. X, Carrio lib. II Antiquarum Lect. cap. I, &c. Exemplis aliquammultis id confirmabimus. C. Gracchus: *Credo ego inimicos meos hoc dicturum.* Valerius Antias: *Aruspices dixerunt, omnia ex sententia processurum.* Lucilius apud Prisc. lib. IX, sic ad Penelopam conversus ait: *Nupturum te nupta negas, quòd vivere Ulyssem Speras.* Cato in V Originum: *Illi pollicitisese facturum omnia.* Quadrigarius: *Hostium copias ibi occupatas futurum.* Idem: *Est quod speremus Deos bonis benefacturum.* Sylla in XXI rerum suarum: *Ad summam perniciem Remp. perventurum esse.* Ita rectè est in Mso Prisciano meo; pro quo antiqua Veneta, & nupera Putschii, habet *perventuram*, contra Prisciani mentem, qui disertim participii neutri fecerat mentionem. Laberius: *Non putavi hoc eam facturum.* Ac denique Tullius ipse Verr. V: *Hanc sibi rem sperant præsidio futurum.*

Neque id tantum verum videtur in futuris activis; sed etiam præteritis passivis. Plautus Amphitr. Prologo:

Justam rem, & facilem, esse oratum à vobis volo.

Ita libb. vett. ac probat hanc quoque lectionem Janus Guilielmius lib. I. Quæst. Plautin. cap. I.

Augustinus Saturnius, ac Martinus Cueva Cremonensis*, adferunt & illud Gellii lib. I, cap. V: *Elegans illa vestis, & molles tunicula, Demostheni ab æmulis probro datum.* Verùm in castigatioribus codd. legitur: Κομψὴ illa χλανὶς καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι, *ab æmulis adversariisque probro data*, sive, ut in Ascensianâ est, *dati.*

* De corrupto more docendi Gramm.

Ad futurum infinitivi redeamus: quod non tantùm circumloquimur per verbum *esse*, vel *fuisse:* sed etiam per *fore*, ut *amaturum fore:* etsi id neget Valla lib. I, c. XXVI. Quasi non Ciceronis ipsius sit ad Attic. lib. V, epist. ultim. *Deinde addis, siquid secus, te ad me fore venturum.* Scio, Lambinum reponere, *fortasse venturum:* sed libris invitis. Adferunt & hoc pro Milone: *Vivo P. Clodio, nihil vos horum visuros fore.* Quomodo & Nizolius citat: sed in melioribus codd. est, *visuros fuisse.* Item adferunt è Livii lib. VIII de bello Punico II: *Acturum se ait per populum apertè fore.* Locus est in verbis P. Scipionis, proximè ante orationem Fabii M. Sed meliores libri habent, *apertè ferret.* At accommodatius veriusque est hoc Livii extremo lib. VI ab. V.C. *Deorum immortalium caussâ libenter facturos fore.* Itidem Gellius ait lib. XII, cap. XI, *ignoraturi forent.* Nec video, cur addere non liceat Porcium Latronem; non eum, cujus de eloquentia Plinius lib. XX, cap. XIV, & Fabius lib. X, cap. V: sed sub ejus tamen nomine declamatorem antiquum, cujus ista: *Lucem nescio quam de domo Corneliâ quondam prodituram fore, quæ gloriâ nominis sui Romanum imperium complexura sit, & illustratura.* Idem: *Putare matronas Urbis, ac liberos nostros, observatam pudicitiam supplices ac congratulantes universos ad genua vestra obversaturos fore.* Ibidem: *Credite item vim universam flagitiosæ juventutis, hodierno Catilinæ supplicio simul conficiendam fore.* Dicat quis pro Laurentio, hæc nomina potiùs esse, quàm participia: aut cum Augustino Saturnio * hinc colligat, *fore* præsentis, non futuri esse temporis. Verùm fugit utrumque

* Lib. 4. cap. 14.

que ratio, quum nihil prohibeat, quo minus futura copulentur futuris. Cicero 1 de Invent. *Altera est, in quâ rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa.* Pro Fonteio: *Ita verò, si ibi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius.* Imò & futura miscentur præteritis, ut cùm in Philipp. ait: *Dixit aliam sententiam se dicturum fuisse*, &c. Et 11 de Divinat. *An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu nonnumquam, fortè, temere concurrerent?* Idem Bruto lib. x1, epist. v111: *De reliquis rebus à te jam exspectare literas debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus: quos spero brevi tempore societate victoriæ tecum copulatos fore.*

Cap. XVII.

Circumlocutio per supinum, & verbum ire, *non est futuri, sed præsentis temporis. Futura antiqua in* assere, *ut* impetrassere, expugnassere, *& unde ea fluant.* Abjugassere. *Circumlocutionem per* IRI *contrà esse futuri, non præsentis. Saturnii in hoc error. Esse futura hæc omnis & generis, & numeri. Etiam præteritum circumloquuntur veteres per verbum* EO, *atque adeò etiam modos finitos.*

Vidimus de periphrasi eâ, quæ fit per verbum substantivum: nunc accedamus ad alteram, quæ fit per verbum *eo*. Ubi primum quæritur, *perditum*, & *prohibitum ire*, similiaque, num præsentis, an futuri sint temporis. Futuri esse docent Donatus, Diomedes, cæterique veteres Grammatici: præsentis esse vult Saturnius lib. 1v, cap. x. Pro Saturnio facit Agellius ipse lib. x, cap. x1v, ubi illud M. Catonis, *Contumelia mihi factum itur*, exponit, *itur ad contumeliam faciendam*, hoc est, opera datur, quò fiat contumelia. Eandem vero esse rationem infinitivi, ostendunt hæc veterum testimonia. Plautus Cistellariâ*:

* Act. 1, sc. Qui ego antehac.

> *Qui magis potueris mihi honorem ire habitum,*
> *Nescio.* hoc est, habere honorem.

Idem Bacch.†

† Act. 5, sc. Qui sonitu ac tumultu.

> *Ut istuc delictum desistas tantopere ire oppugnatum.*

id est, oppugnare.

Idem Pœnulo‡:

‡ Act. 3, sc. Ita me Di.

> *Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum?*

hoc est, operam dare.

Idem Persâ*:

* Act. 1, sc. 2.

> —— *Neque enim decet*
> *Sine meo periculo ire alienam ereptum bona.*

Quem locum imitatur Plinius in Panegyrico: *Ereptum*, inquit, *alienas pecunias eunt? Perdent, quas habent.* Similiter Cicero lib. x1v epist. 1 ad Terent. *Per fortunas miseras nostras, vide ne puerum perditum eamus.* Sic enim legendum, ut rectè emendat Andr. Schottus Nodorum Ciceron. lib. 111, cap. 11. Ubi vulgati ineptè *perditum perdamus. Perditum ire*, pro *perdere*, etiam dixere Plautus Aulul. Terent. And. Sallust. in Catil. & Aurelius Victor. Horatius lib. 1, od. 11:

> *Vidimus flavum Tiberim, retortis*
> *Littore Etrusco violenter undis,*
> *Ire dejectum monumenta Regis,*
> *Templaque Vestæ.*

Agellius lib. x1v, cap. v1: *Homo nobis familiaris, Adjutum, inquit, ornatumque volo ire noctes tuas.* id est, adjuvare, ornareque. Nec tamen dissimulare possum, in hujusmodi circumlocutione etiam inesse notionem futuri. Nam cùm dico, *ire cœnatum*, in eundo quidem significatio est præsentis: cœnatio autem intelligitur futura. Cumque dico *ire perditum*, indico quid fiat, & quid futurum. Nempe hoc agi, ut perditio alicujus consequatur. Ac illud movit Grammaticos, ut istiusmodi facerent futura. Sed ex iis, quæ dixi, abunde liquet, principalem significationem esse præsentis.

Caveautem imponant testimonia, quibus nonnulli probare sunt adnixi, hujusmodi potiùs futuri esse temporis. Nam ea in melioribus codd. longè aliter concipiuntur. Adferunt è Cic. lib. 11 de Invent. *Si illud concedatur, illud non concessum ire oportet.* Verùm *oportet* non est apud Ciceronem. Citant item è Plinii lib. 11, epist. v ad Lupercum: *Quæ absolutiora mihi videbantur, non fuit alienum judicio tuo traditum ire.* Atque ita vetus Parisina à Phil. Beroaldo recensita. Sed apud Plinium nunc est *tradi*; quomodo & jam olim excusum in Aldinâ; quamquam in eâ corruptè legitur, *judicio tuo his tradi.*

Errant quoque Saturnius, & alii, quum unum esse Plauti locum in Milite* autumant, quo istiusmodi futura defendi queant. Quippe apud Comicum hunc in melioribus libris est; *Credo te facilè impetrassere*; non autem *impetratum ire*. Est verò *impetrassere* idem, quod *impetraturum esse*. Ita quoque usurpat in Aululariâ act. 1v, sc. Dixi tibi mater:

* Act. 4, sc. Quid mihi nunc.

> *Et istud confido à fratre me impetrassere.*

Nam sententia est, colloquar cum avunculo Megadoro de te, & amicâ tuâ, Euclionis filiâ: ac quandoquidem ea à te vitiata est, spero me impetraturum ab eo, ut tu eam ducas uxorem. Summus vir mavult *impetrascere*. Sed id hic locum vix habet, quia illa in *sco*, uti dictum, significant inchoationem; ut *labasco* est *labi incipio*: eademque in *amasco*, *hiasco*, atque aliis, ratio est. Idem Plautus Casinâ act. 1, sc. Omnibus rebus ego: —— *Atque me hoc credo impetrassere.* Quemadmodum autem his locis *impetrassere* usurpatur, pro *impetraturum esse*, vel *fore*; sic Captivis act. 1, sc. *Adverte animum sis, reconciliassere* legimus, pro *reconciliaturum esse*:

> *Habe modò bonum animum. nam illum confido domum*
> *In his diebus me reconciliassere.*

Et *expugnassere*, pro *expugnaturum esse*, dixit idem Plautus Amphitryone†:

† Act. 1, sc. Qui me alter est.

> *Si quæ asportassent redderent, se exercitum extemplo domum*
> *Reducturum, abituros Argos Argivos, pacem atque otium*
> *Dare illis. sin aliter sient animati, neque dent, quæ petat:*
> *Sese igitur summâ vi virisque eorum oppidum expugnassere.*

Nec obscurum est, unde hujusmodi futura descendant. Nam (quod etiam Turnebus monet lib. 1v Advers. cap. xv,) uti Græcis à τύψω est τυψείειν, ita Latinis *expugnassere*, *impetrassere*, *reconciliassere*, veniunt ab *expugnasso*, *impetrasso*, *reconciliasso*: quæ antiqua esse subjunctivi futura, superiori capite ostendimus. Sic quoque ab *abjugásso*, pro *abjugáro*, puto dixisse *abjugassere*. Gloss. vetr. ab H. Steph. editæ: *Abjugassere*, Ἀπεζεῦξαι.

Etsi autem *amatum*, *expugnatum ire*, cæteraque ejus generis, sint præsentis temporis: non tamen existimandum, *amatum*, & *expugnatum iri*, præsentis quoque esse. Nam ea futuri esse, hæc abunde loca innuunt. Cic. lib. 1 de Invent. *Majores nostri, si, quod obesset, scripsissent, quum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant.* Idem ad Atticum lib. v11, epist. 1: *Dederam equidem L. Saufeio literas: sed, ut philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius.* Idem lib. 1x, epist. x1: *Metuo, ne vexetur Epirus: sed quem tu locum Græciæ non direptum iri putas?* Ad eundem lib. x, epist. 11: *Quod scribis, te ipsum putare, me attractum iri, si de pace agatur.* Livius lib. xx1x: *In eam spem erecta civitas erat, in Africa eo anno debellatum iri.* Falsus hîc in re Augustinus Saturnius, qui lib. 1v, cap. x docet, hujusmodi nonnunquam esse temporis præsentis.

Porrò, quod dicebamus, de futuris activis, quæ per *esse*, vel *fuisse* circumloquimur, eàdem voce invariatâ, jungi cujusvis generis ac numeri nominibus: idem longè etiam usitatius in hujusmodi participiis passivis. Ita Cicero dixit lib. primo de Divinat. *Vaticinatus est, madefactum iri*

iri minus triginta diebus Græciam sanguine. Terentius Prol. Hecyr.

—— Quum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores ——.

Quinctilianus lib. IV, cap. II: *Rem parricidii damnatum iri videbitur.* Plautus Rudente *:

Mi isthac videtur præda prædatum irier.

* Act. 4, Sc. Quam mox licet.

Quemadmodum item labuntur Grammatici falsum adferentes futurum, quod per IRE circumloquamur: ita cæcutiunt iidem, dum unicum duntaxat præteritum esse autumant. Siquidem non minùs rectè dici, *amatum ivisse*, quam *amatum ire*; fidem fecerit hoc Taciti lib. XIII Annal. *Tradunt plerique scriptores, crebris ante exitium diebus illusum isse pueritiæ Britannici Neronem.* pro *illusisse*.

Imò extra quoque infinitivum hæc circumlocutio locum habet. Plautus Cistell. act. I, sc. Quum ego antehac: *—— Eunt depressum*, hoc est, deprimunt nos. Casinâ act. III, sc. Vide sis: *—— Si eas ereptum, illico scindunt.* Terent. And. act. I, sc. I: *—— Cur te is perditum?* Idem Heaut. act. II, sc. III: *—— In meâ vitâ tu tibi laudem is quæsitum, scelus?* Livius lib. II belli Maced. *Neu pertinaciâ suâ gentem universam perditum iret.* M. Cato apud Gellium lib. X, cap. XIV: *In hâc contumeliâ, quæ mihi factum itur.*

Aliud vero *obligatum iri*, aliud *obligatum fore*, vel *futurum esse*: in illo est futurum simplex, quale *amabo*: in hoc futurum exactum, quale *amavero*. Itaque dicam, *Nondum mihi es obligatus: sed spero te propediem futurum obligatum: cibus etiamnum coquitur:* sed puto intra horam fore *coctum*. Ac par ratio, quoties participium passivum cum *fore*, vel *futurum* conjungitur.

Cap. XVIII.

Variantes veterum sententiæ DE NUMERO CONJUGATIONUM, *& earum characteristica. Plauti locus adversus Emmanuelem Alvarum expositus.*

HInc rectà transeo ad conjugationes. Quas vetustiores statuêre numero tres. In iis Comminianus, disertissimus Grammaticus, ut eum vocat Charisius; qui & hæc è Comminiano exscripsit: *Conjugationes, quas Græci συζυγίας appellant, sunt apud nos tres; Prima, Secunda, Tertia. Hæ dignoscuntur in verbis activis, & neutralibus, sic. Primæ conjugationis verba, indicativi modi, temporis præsentis, personâ secundâ, AS literis productis terminantur: ut amo, amas: canto, cantas. Secundæ conjugationis verba ES literis productis terminantur: ut video, vides; moneo, mones. Tertiæ conjugationis verba IS literis, interdum productè, interdum correptè terminantur. Correptè, ut lego, legis: productè, ut, audio, audis.* Hanc Comminiani sententiam amplectuntur etiam Diomedes, & Donatus. Nobilis nostri ævi Grammaticus, Emmanuel Alvarus, autumat, hinc lucem capere locum Plauti Mercatore *:

* Act. 2, sc. 2.

DEMIPHO. Hodie ire in ludum occœpi literarium,
Lysimache: ternas scio jam. LYS. quid, ternas?
DEM. Amo.

Censet enim senem intelligere ternas conjugationes: quarum paradigmata sint *Amo*, *Doceo*, *Lego*. Sed mihi dubium non est, quin ternæ literæ, A, M, & O, intelligantur. Nam pueritia Romana, cui lingua Latina erat vernacula, non conjugationibus discendis occupabatur: sed duntaxat legere scribereque discebat: cujusmodi veterum fuisse γραμματικὴν, libro rei Grammaticæ primo ostensum à nobis abunde fuit. Illud etiam Emmanueli adversatur, quòd ternas quidem literas uno die puer in ludo discat; ternas conjugationes tam brevi spatio discere non possit.

Ex tribus verò Comminiani, Diomedis, & Donati conjugationibus, tertiam in duas dispescunt Charisius, & Priscianus: quos nunc sequimur vulgò.

Etiam in eo est diversitas aliqua, quòd plerique omnes nunc malunt penultimam infinitivi facere characteristicam conjugationum: idque quia terminationes indicativi AS, ES, IS, tantùm sint activorum, & neutrorum; non passivorum, & deponentium. Neque non animadverterunt hoc veteres: sed putarunt, A longum infinitivi non posse notam statui primæ declinationis, quia *do*, A corripit in infinitivis, *dare*, & *dari*, sive, ut veteres dixere, *dasi*, teste Festo. Nempe ut *asena* posuere, pro *arena*; *Lases*, pro *Lares*; *Papisii*, pro *Papirii*. Itidem in compositis corripitur, ut *circumdari*, *pessumdari*. Hæc cum alii viderent, conjugationes maluerunt distinguere ex imperativo: qui A habet in prima; ut *ama*, *amare*, & *amator*: E longum in secunda; ut *doce*, *docere*, & *docetor*: E breve in tertia; ut *lege*, *legere*, & *legitor*: I in quarta; ut *audi*, *audire*, & *auditor*. Estque canon is perpetuus in imperativis integris: sed in syncopen passis nunc locum non habet; uti sunt, *dic*, *duc*, *fac*, *fer*. Apud veteres autem salva erat regula; quia dicebant, *dice*, *duce*, *face*, *fere*: ut Diomedes ait in primo. Unde & Maro antiquitatis, ut ibidem legas, amantissimus, lib. XI ait:

Tu Voluse, armari Volscorum edice maniplos.

Sed in his, quos sequare, non magni refert. Veniamus ad alia majoris momenti: uti est præteritorum, & supinorum doctrina: ubi multa sanè occurrunt maximi usûs ad sermonem Latinum: nec pauca, in quibus castiganda nobis sit Grammaticorum non ignobilium inscitia. Id quò pareat, primo loco dicam de compositis ex [illegible], quæ præteritum habent geminatum. Satius enim judico, semel hoc labore defungi, quàm ut in singulorum compositis eandem doctrinam ad nauseam reponamus.

Cap. XIX.

De præteritis & supinis eorum, quæ geminationem præterito admittunt. Malaspina refellitur. Prisciani lapsus. Attotonse, cresse, cesse, consumse, *&c.* Præmemordi, præmorsi. *Capri discrimen inter* repupugi, *&* repunxi. *Geminatio in præteritis profluxit ab augmento Græcorum.* Memordi, spepondi. Cæcidi *pro* cecidi *malè scribi.* Sescidi, scescidi, *vel* sciscidi.

NEgant præteritum ullum primitivi geminationem retinere, præterquam in *do*, *sto*, *disco*, *posco*. At & malè addunt *do*, & *sto*; in quibus, nisi placeat κατὰ συγκοπὴν ex *stetavi*, vel *dedavi*, facta, nullam geminationem cernere est: & malè prætereunt composita à *curro*: non omnia fortasse; nam *accurro*, *circumcurro*, *discurro*, *incurro*, *occurro*, *recurro*, *succurro*, nondum reperi cum geminatione præteriti: attamen *decurro*, *excurro*, *præcurro*, *procurro*, *concurro*; quæ interdum geminant primam. Plautus Sticho act. II, sc. Quisnam obsecro:

—— Sed ego huc citus
Præcucurri, ut nunciarem nuncium exoptabilem.

Terentius Hec.

Una illarum interea propere præcucurrit.

Cicero lib. III de Orat. *Faciles enim, Antoni, partes eæ fuerunt duæ, quas modo percucurri.* Cato contra C. Pisonem: *Video hac tempestate concucurrisse omnes adversarios.* Hirtius lib. VIII de bello Gall. *Cum omnes regiones Galliæ Cæsar percucurrisset.* Livius lib. I, al. 2: *Quum plures igni, quàm ferro, armati excucurrissent.* Idem lib. XX, apud Priscianum lib. X: *Etsi ferociùs procucurrisset.* Ita editi omnes, & Msus noster. Plinius lib. III, epist. ad Cannium: *Cujus tædio ad mortem irrevocabili constantiâ decucurrit.* Curtius lib. VI, cap. XIV: *Eodem temporis momento ad Philotam decucurrisse.* Suetonius in Nerone cap. XI: *Notissimus eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decucurrit.* Et in Galbâ cap. XVIII: *Quumque exterritus luce primâ ad expiandum*

dum somnium præmissis, qui rem divinam appararent, Tusculum excucurrisset, nihil invenit præter tepidam in arâ favillam. Tacitus lib. II Annalium: *Restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit.* Itidem *decucurrerint* usurpat Tertullianus lib. de velandis virginibus, cap. IX. Quemadmodum & apud eundem lib. I ad uxorem legere est: *Oportebat legis adimplendæ caussas præcucurrisse.* Alia quoque aliquot loca nobis intacta adfert Carrio lib. III Antiq. lect. cap. V. Hæc sanè, quæ adduximus, abunde errorem detegunt Leonardi Malaspinæ, qui castigat. in lib. I ad Att. epist. XVIII putat, pro *concucurrerunt* necessariò vel *cucurrerunt*, vel *concurrerunt*, legi debere; quia, ut ait, in *curro*, adjectâ præpositione, cesset geminatio syllabæ: ac solùm duo sint, quæ admissâ præpositione iterent, *disco*, & *posco*. Estque is error eo spissior, quòd præter *curro*, & alia sint, quæ geminationem admittant. Nam *detondeo* quoque *detondi*, & *detotondi*, facit, juxta Priscianum in IX: ubi hoc Varronis in Magno talento citat, *Detotonderat forcipibus viticarpiferis.* Idem adfert illud Ennianum in Annal.

Et detotondit agros lætos, atque oppida cepit.

Sed pravo malè talo carmen id fultum est, nisi legamus *detondit*: vel, quod verius, *Deque totondit*, κατὰ τμῆσιν, ut apud Lucilium, *Deque petigo*, pro *Et depetigo*. In vett. nostris membranis copulâ omissâ scriptum est, *Detotondit agros.* Sed sic quoque claudicat. Quod emendationem superiorem firmat. Ac Joannes Livineius (ut Carrio monuit loco antè citato) in παρῳδίᾳ, quæ in Ventidium Bassum exstat, censet legi debere:

Ubi iste post Sabinus antè Quinctio
Bidente dicit attotonse forcipe.

Ubi *attotonse* κατὰ συγκοπὴν positum pro *attotondisse*. In vulgatis scriptum erat:

Bidente dicit attondisse forcipe.

Unde Scaliger conjectabat, *attodisse*. Sed Livineji illud magis placet. Sic *cesse*, pro *cessisse*; *cresse*, pro *crevisse*; *consumse*, pro *consumsisse*, Lucretius dixit; Terentius *produxe*, pro *produxisse*; *promisse*, pro *promisisse* Catullus, similiaque alii. Est & apud Plautum *despopondi* in Trinummo *:

* Sc. Quomodo tu istuc.

—— dixsti nostrum herilem filium
Lesbonicum suam sororem despopondisse?

Et in Truculento act. IV, sc. Egone tibi:

—— Dinarchus, cui illam priùs despoponderas.

Nisi malis *spespondi*, ut antiqui extulere, quemadmodum apud Gellium legas lib. VII, cap. IX.

Etiam *præmemordi* dixit, eodem Gellio † teste, qui illud citat ex Aulul. *Ut admemordit hominem.* Pro quo eundem in Trigeminis *præmorsi* dixisse, idem observat ex his verbis: *Ni fugissem, medium credo præmorsisset.*

† Lib. 7, cap. 9.

Grammaticorum quoque ἀναλογίαν illud arguit, quod ipsi agnoscunt alibi, *repungo* facere *repupugi*, & *repunxi*. Imò Caper quoque, ut Priscianus docet lib. decimo, voluit *repupugi* esse vicissim punxi, *repunxi* verò referri [illegible] rationes. Non inficior, vanum esse commentum, quod de discrimine adducit, ac cujus fides meritò sit penes autorem: interea tamen hinc evincitur, veteres utrumque ei præteritum tribuisse.

Non dubitandum autem, quin hujusmodi præteritorum geminatio facta sit exemplo Græcorum. Nam olim quoque per E dicebant *memordi* & *spepondi*: nempe quâ formâ dicunt Græci, λέληχα, & γέγραφα. Quin, ut Gellius docet lib. VII, cap. IX, Tullius ipse, & C. Cæsar, dixêre *memordi*, *pepugi*, *spepondi*, nequis id ab antiquissimis tantùm factitatum putet. Quare non librarii culpa, sed antiquitatis vestigium est, quod hodieque apud Maronem XI Æn. *memordit* per E legitur in antiquis aliquot codd. ut observavit Pierius. Imò & multa ejusce generis in usu remanserunt; ut *fefelli*, à *fallo*; *peperi*, à *pario*; *tetigi*, à *tango*; *cecidi*, à *cado*; & *cecidi*, à *cædo*. Ita enim hanc vocem scribendam ratio dictat; non *cæcidi*, quum *cecidi* dicatur pro *cecadi*, *a* in *i* converso, quemadmodum fit in *occido*. Hanc rem illud quoque liquidò comprobat, quòd prima in *cecidi* corripitur: ut apud Ovid. VIII. Metamorphos.

Cum subit illa nemus, quod nulla ceciderat arte.

Ac similiter Lucanus lib. IV:

Terga fugæ, donec vetuerunt castra, cecidit.

Et Juvenalis ‡ sat. III:

‡ Lib. 1.

Ebrius, ac petulans, qui nullum fortè cecidit,
Dat pœnas.

Seneca Herc. Fur. *

* Vers. 859.

—— Adverso Lycus
Terram cecidit ore.

Ita est in MSS. At malè *cecidit* mutant in *petivit*. Idem eâdem tragœdiâ †:

† Vers. 1036.

Tibi hunc dicatum maximi conjux Jovis
Gregem cecidi.

Etiam *tollo tetuli* habuit; quo utitur Plautus Rudente ‡, & alibi: & *scindo*, *sescidi*, vel *scescidi*, fecit, Gellio * teste; qui adfert illud L. Attii in Sotadicorum libro primo: *Non ergo aquila ita, uti prædicant, scescideral pectus.* Quem locum etiam Priscianus citat in decimo: sed *sciscideral* per tertiam vocalem perperam apud eum legitur vulgo. Qui & Afranium, & Nævium, & Ennium, similiter docet locutos. Atque Obertus Giffanius † apud Plautum Pseudolo ‡. legendum censet:

‡ Act. 4, sc. 1.
* Lib. 7, cap. 10.

Nam ego cicilendrum quando in patina sciscidi.

† Indice Lucret. in Scindere.
‡ Act. 3, sc. 2.

De præteritorum geminatione ad rei necessitudinem satis egimus.

CAP. XX.

De verbis primæ geminationem nescientibus. Increpui *in objurgandi significatione.* Adjuvatum *quidem, at non item* adjuvarunt *dicitur. A* juvo *præteritum* ivi, *vel* juvi, *priori brevi.* Potaturus, *&* poturus. Præstaturus. Constaturus. Artire, impetrire, abstit, *similiaque I pro A recipientia. A Prisciano semel, iterumque, recessum.* Intonaturus. Sonaturus. *Verbalia prima, A in antepenultima fere amant, etsi supina in ITUM sint usitatiora. Valla notatus.*

VEnio nunc ad præterita supinaque aliorum, quæ geminationem nesciunt: ubi errorum *plus est fere* *,

Quàm olim muscarum est, cum caletur maximè.

* Plautus, Truculento Act. pr. Sc. Non omnis ætas increpo.

Potissimos proponere contentus ero.

Increpo pro *objurgo* volunt facere *increpavi*, *increpatum*. At veteres eâ quoque in significatione semper *increpui*, & *increpitum*, dicunt. Hoc quidam agnoscunt nobiscum: sed parùm rectè tuentur. Nam adferunt illud Plauti Amphitry. act. V, sc. Spes atque opes:

—— Totus timeo, ita me increpuit Jupiter.

Nam de sono tonitrus hic locus accipi debet, ut vel indicat versus, qui paullò antecesserat:

Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus, ut subitò, ut
properè, ut validè tonuit!

At firmiora, quæ subdam. Plinius lib. III, epist. IX ad Minutianum: *Summo die Salvius Liberalis reliquos legatos graviter increpuit.* Suetonius Vespas. capite VIII: *Adolescentulum flagrantem unguento, nutu aspernatus, voce etiam gravissimâ increpuit, Mallem allium oboluisses.* Livius lib. II belli Macedonici: *Multis probris increpitum.* Similiter Sulpitius Severus, sermonis puritate nulli ecclesiasticorum scriptorum secundus, lib. I Histor. sacræ: *Multis tamen increpitis, Levitas ad se congregavit.* Item: *Multum à sene increpiti, agreque exorati.* Ita enim legendus is locus, non *exhortati*: quod & Sigonius observavit. Idem tamen Sulpitius nec *increpavi* refugit. Nam ejus est eodem libro: *Quamquam plerumque eos pater increpâsse referatur.* De Heli, ac filiis, sermo est. A *discrepo* quoque Horatius * dixit *discrepuit*; sed *discrepavit* usitatius est. Eoque usus Cicero II de Orat. *Nihil sane ad rem pertinet, si qua in re discrepavit ab Antonii divisione nostra partitio.*

* Arte Poët.

Jutum tantùm in compositione inveniri videtur, ut *ad-*

jutum. Dixit tamen Sallustius in Jugurthâ: *Ratus id quod res monebat, frequentiam negociatorum & commeatum juvaturum exercitum.* Ac similiter *adjuvatum* legimus. Petronius Arbiter: *Adjuvaturos nos divinam providentiam vel periculo nostro.* In præterito tamen dicere non ausim *juvavit*; quod apud Manilium est, Theodosiani, non Augustæi ævi poëtam. *Adjuvarunt* tamen, pro *adjuverunt*, hodie in multorum scriptis legas; etiam eorum, qui in literis sunt primi nominis. Fortasse autem antiqui in carmine etiam *ivi* dixerunt, pro *juvi*. Id comprobari videtur hoc Catulli de coma Beronices:

Non, ita me Divi, vera gemunt, iverint.

Nisi cum Scaligero malis *juverint*, ut reservet quantitatem præsentis. Quamquam *iverint* probet quoque Acidalius; qui apud Plautum itidem legit Mostellariâ act. III, sc. II:

Melius anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando esca una bene me iverit magis.

Poto in supino *potatum*, &, κατὰ συγκοπὴν, *potum* facit. Illo utitur Terentius Phorm.† *Nam potaturm apud me est.* Columella lib. XII extremis verbis capitis LI: *Id si non exhauseris medicamentum, dabitur potatum imbecillis bubus, & cætero pecori.* Plinius lib. II, cap. CIII: *potata aqua.* At posterius semel iterumque usurpat Maro in Bucolicis, & IV Georg. Ita enim legit Priscianus,

Quoque modo potis gauderent intuba fibris.

Pro quo in Longobardico codice *positis* legitur, ut tradit Pierius. Lucani itidem est lib. V:

Strymona sic gelidum, brumâ pellente, relinquunt
Poturæ te, Nile, grues.

Necuit dixit Ennius, cujus est:

Hos pestis necuit; pars occidit illa duellis.

Quod & apud Priscianum in IX. Unde *enecuit* apud Sueton. de illustribus Gramm. Sed extra compositionem exolevit.

Nectum in supino non legitur; præterquam in compositis, ut *internectus* apud Ciceronem Philippicâ XIV, & Plautum Amphitr. Item *enectus* I Tuscul. & alibi: pro quo *enecatus* legimus apud Plinium lib. XVIII, cap. XIII. Quomodo autem *necatus*, vel *enectus*, aut *neci datus*, distinguant Grammatici ab *occiso*, vide apud Festum in *Neci datus*, & *Occisus*. Sed discrimen id non observatur.

Composita à *sto* rarius in præterito habent A. Tale est *restaverit* apud Propertium*. *Id quoque præstaverit*, apud Ammianum lib. XXXI. Itidem *præstaverit* est in Institut. Justin. *Præstasse* in plerisque Mss. Vegetii lib. I, capite I. *Distasse* pro *distitisse*, legas apud veterem Irenæi interpretem lib. I, initio cap. XXIV. Hoc imperitiæ tribueretur, nisi propter priora suspicio foret sic tum locutos. At in supino sæpius habent A longum; rarius I breve. Brutus in epist. apud Priscianum lib. IX: *Occiso C. Cæsare, postquam mare transierat, præstatum est.* Idem ad Ciceronem, libro XI, epist. ad tam. *Utrumque me præstaturum spero.* Et Cicero epist. XIX, lib. XIV ad Att. *Puto, si quid in homine pudoris est, præstaturum eum, ut pro se quodammodo dependatur.* Livius lib. XXVIII, in sermone Masanissæ ad Scipionem: *Id se minus præstare in Hispania, aliena atque ignota terra, potuisse. In qua autem genitus educatusque in spem paterni regni esset, facilè præstaturum.* Ita quoque Aldi, & Asulani editio habet. Vitruvius lib. I, cap. I: *De artis vero potestate, quæque insunt in ea ratiocinationes, polliceor, uti spero, his voluminibus, non modò ædificantibus, sed etiam omnibus sapientibus, cum maxima auctoritate me sine dubio præstaturum.* M. Seneca antelo-quio lib. I Controversiarum: *Ipsis quoque multum præstaturus videor, quibus oblivio imminet.* Item Tertullianus lib. de pœnitentiâ extremo, capite septimo: *Ante enim quàm debeatur, repromittit, quo semper is, qui est præstaturus, offenditur.* Et lib. de fugâ in persecutione cap. XII: *Non aliud venditat, quàm quod præstaturus est præmio tuo.* At Cicero ad Cæcinam lib. VI, ep. VIII dixit: *Se præstituros, nihil ex eo te offensionis habiturum.* Quamquam & hic nonnulli codd. *præstaturos.* Item Brutus Ciceroni, in libro epistolarum ad Brutum: *Ut non dubitem, quin se præstiturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis.* Quod verò in *præsto* vidimus, id in *consto* quoque, ac similibus, locum habet. Lucanus lib. II:

Constatura fides superûm.

Martialis lib. X, epigram. XLI:

Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus.

Imò Augustinus Saturnius solum *constaturus* agnoscit.

Plinius lib. XII, cap. XXII: *Exstatura etiamnum duabus gemmis.* Quinctilianus lib. II, cap. XII: *Video quosdam in ipso statim limine obstaturos mihi.* Frontinus lib. I, cap. VI: *Fugientibus instaturos victores.* Similiaque reperias in Pandectis compluria. At Æmilius Porcina Orator in oratione, Ut lex Æmilia abrogetur, apud Priscianum libro IX, ait: *Tempore adstiturum, atque petiturum, me abesse.*

Fortasse autem hæc diversitas ex eo orta est, quòd veteres, quomodo ajebant, *artire*, pro *artare*, & *impetrire*, pro *impetrare*; ita & dixerint *præstire*, *obstire*, *adstire*, pro *præstare*, *obstare*, *adstare*. Quod qui censent, ii apud Plautum Asin. act. II, sc. Quid hoc est negotii? è schedis Langii legere malunt: *Ita iracundia obstit oculis*: pro *obstat*. Ubi in vulgatis est *obstitit*. Itidem in illo Ovid. XI Metam. *Et qua pars admonet, abstit*: *abstit* poni putant, pro *abstat*; non pro *abstitit*, ut censet Priscianus. Sententiam quoque suam probatum eunt compositis *obstitus*, *vestibulum*, *prostibulum*. Sed fortiora hæc essent, nisi tanta esset eorum seges, ubi in compositis A in I convertatur, nec caussa hæc possit adferri.

E compositis à *plico*, quatuor hæc, *applico*, *implico*, *complico*, *explico*, duplex habent præteritum, ac duplex supinum. Ut nihil caussæ videatur, cur Bongarsius apud Justinum lib. XI pro *applicito* rescribere jubeat *applicato*. At *duplico*, *triplico*, *multiplico*, *replico*, & *supplico*, tantùm *avi*, & *atum*, faciunt, non *ui*, & *itum*. Priora illa quatuor scribit Priscianus, in AVI quidem desinentia inveniri; at hoc rarum esse: interim & *applicavi* dici posse, Pacuvii, Ciceronis, & Varronis loco ostendit. Verum mihi in hanc rem inquirenti, videtur Cicero sæpius isthæc efferre per AVI, quàm per UI: atque idem quoque visum Malaspinæ in lib. IX ad Att. epist. VII. Ita epist. VI, lib. X ad Att. *Meas cogitationes omnes explicavi tibi superioribus literis.* Et alibi sæpe. Non dubium tamen, quin contrarium interdum, non tam ἀναλογίας, quàm numeri caussà, fiat: ut in Manlianæ loco, quem Gellius expendit lib. I, cap. VI. Quod verò Priscianus ait, cum nomine composita facere AVI; cum præpositione juncta, utroque modo, ac sæpius per UI, efferri; id non videtur locum habere in *replico*. Nam *replicâsset* legitur apud Plinium in epist. ac *replicatâ cervice* apud alterum Plin. libro XXXIV, capite VIII. At *replicui*, & *replicitum*, vix puto inveniri. Nisi quòd *replicta*, pro *replicita*, sit apud Statium lib. IV Silv. carm. IX. Adde, id quàm verum sit, liquet ex *supplico*, quòd quum sit à præverbio *sub*, tamen tantùm *supplicavi* facit. Neque est, quòd tergiversetur quisquam, quasi *supplico* non tam compositum sit à *plico*, quàm derivatum à *supplex*. Nam *supplex* non minùs à *plicare* est, quàm *duplex*, & *multiplex*, à quibus *duplico*, & *multiplico*; quæ ipsi, & meritò quidem, reponunt inter composita à *plico*.

Multò autem plurima posteriores in supino tantùm per *itum* declinarunt, quæ olim quoque per *atum* inflectebantur. Indicio sunt participia recta, quæ apud veteres legimus. Horat. lib. Epodon. od. II:

Hyems Eois intonata fluctibus.

Et, *sine ictu tonatio*, apud Senecam lib. II Nat. Qu. Paullinus, in epistolis: *Cum prima signum suscitandis mortuis cælo tuba intonaverit.* Idem Horatius lib. I, sat. IV:

Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.

Nempe a *sonavi*, quo Tertullianus utitur lib. ad Scapulam cap. III: *Et pristina tonitrua quid sonaverint, sciunt qui obdormierunt.* Ac similiter, *classicum personavit*, apud

Appu-

† Act. 5, sc. 5.

* Lib 2, el. 34, ad Lynceum, cujus initium, Cur quisquam.

Appulejum legas v Met. quos credo secutus Leo Allatius, interpretans nimirum περὶ ἀπίστων, quam una cum Heraclito, & aliquot aliis antea ineditis, primus Romæ in lucem emisit *, ἀντήχησαν αἱ πέτραι, transtulit † *petra vero resonarunt*: pro *resonuerunt*.

* Anno 1641.
† In fabula de Pan. pag. 35.

Mico nunc *micui* tantùm facit: uti *emico*, *emicui*: Senecæ & Plinio: sed olim fuit *micavi*, & *emicavi*. Imò posterius usurpat Solinus cap. LVI. *Si repente micaverit coruscatio.* Verùm haut temere imitandum. Sanè Quinctilianus, ut antea dixi, reprehendit eos, qui *emicavit* potiùs, quàm *emicuit* dicerent. Supinum autem, si illud habeat, fuerit *emicatum*: unde *emicaturus* apud Senecam consolatione ad Albinam.

Dimicuisse, pro *dimicâsse*, dixit Ovidius lib. II Amor. eleg. XIII:

Hac tibi sit pugnâ dimicuisse satis.

Sed *dimicavi* longè est usitatius. *Emicui* tamen malim. Sanè Fabius lib. I, cap. VI, culpat eos, qui *emicavit* mallent, quàm *emicuit*.

Seco non minùs *secavi secatum*, quàm *secui*, & *sectum* fecit. Columellæ enim est lib. IV, cap. IX: *Supra quam ramum secaturus es.* Quo exemplo, *præsecata gula*, legas apud Appulejum I Met.

Frico etiam non modò *fricui*, *frictum*, habuit, unde *frictus*, & *frictio*, ac *perfrictio*: sed & *fricavi*, *fricatum*. Tullius ad Att. lib. XII: *Quæ res forsitan sit refricatura dolorem meum.* Est & Plinii *, *defricatus*, *infricatus* †, & *perfricatus* ‡. Hinc *fricatio* apud Columellam lib. VI, cap. XII, eundemque Plinium lib. XXXVIII, cap. IV: *Vehemens enim fricatio spissat, lenis mollit.* Item *fricatura* apud Columellam lib. VI, cap. XII, & *refricatura* apud Tullium lib. XII ad Att. Atque ut pro *fricavi* dicitur *fricui*: ita & veteres à *ligo* fecere *ligui*, *lictum*; unde *lictor*. Vide Lips. lib. I elect. cap. XXIII.

* Lib. 28, cap. 12.
† Lib. 26, cap. 8.
‡ Lib. 8, cap. 12.

Domo similiter se habet. Unde Florus: *Copias ejus domaverunt.* Tibullus * quoque *domator*, pro *domitor*. Et Tertulliano de Pallio, *edomator primus vocis*, dicitur ὁ Φωνασκός.

* Lib. 4.

Veto etiam huc referendum. Sanè Statii † est *vetatus*. Imò *vetavi*, pro *vetui*, est apud Persium *. Etsi in libris aliis pro *vetavit* est *notavit*. Uti ea editione quam cum notis suis Marmellius dedit. Idemque error apud Calpurnium Ecl. IV. etiam in Aldina, & Pythœana. In prosa tamen *vetavi* non ausim dicere.

† 3 Theb.
* Sat. 5.

Cubo quoque hujus generis est. Unde *cubasse*, apud Quinctilianum lib. VIII, cap. II: *Qui suos artus morsu lacerâsset, fingitur in scholis supra se cubasse.* *Incubavere* ‡, & *incubatio* * *ovis noxia*, apud Plinium. *Supercubavit* apud Appulejum †. Imò apud Tullium lib. de Senectute est *accubatio*: nisi *accubitionem* scribendum putes. Ita quidem jam olim legit Nonius Marcellus. Et *incubitio* eodem modo est apud Plinium lib. X, cap. XXIV. Ut perpetuum non sit, quod scribit Valla lib. I, cap. II, verbalia primæ habere vocalem primam ante IO, non tertiam. Quomodo *vetatio* dicimus, non *vetitio*; *domatio*, non *domitio*; *juvatio*, non *juvitio*. A *seco* verò & *secatio* est, & *sectio* sæpius apud Celsum. A *frico*, & *fricatio* est, & *frictio*, etsi neget Valla. Sed posteriori usus Celsus lib. III, cap. IX: ut de Plinio taceam. Ac similiter *perfrictio* dicitur. Quin Priscianus lib. X, ait omnia verba primæ conjugationis, quorum præteritum exit in *ui* vocalibus divisis, tertii apud vetustissimos fuisse ordinis. Certè *lavere*, pro *lavare*, nec Maro † refugit, nec Horatius *. A *lavere* igitur est *lavi*: at à *lavatum* Ovidius ‡ dixit *lavaturus*. Ex *lavatum* vel *lavitum* potius, quod à *lavi*, κατὰ συγκοπὴν est *lautum*; unde *lotum*; ut *corus*, & *plostrum*, dixere, pro *caurus*, & *plaustrum*; à *plaudo* item *explodo*. Itidem usurpâsse *sonere*, & *resonere*, cùm Nonius docet ex Accio, Afranio, Ennio, Pacuvio, Lucretio; tum à Prisciano quoque lib. IX probatur gemino Ennii, & uno Accii loco; itemque hoc Lucretii lib. III:

Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus.

Pluraque hujus generis inferiùs adferemus.

‡ Plin. lib. 11, cap. 16.
* Lib 10, cap 56, ut incubatus, cap. 54, ejus libri.
† 6 Met.
† 3 Æn. vers. 662.
* Od. 4. lib. 3.
‡ 3 Fast.

Cap. XXI.

De Neutropassivis primæ secundæque conjugationis. Cœno, prandeoque, *tantum* cœnavi *facere*, *&* prandi; *non* cœnatus, *&* pransus sum. *Præterita antiqua*, ausi, gavisi, solui. *In Prisciano conjectura.* Juratus est, *pro* juravi. *Verba* transgressiva, *ac mixta quæ.*

Antequam à prima declinatione manum tollamus, pensiculatè discutiendum est nobis, rectène Grammatici *cœno* dicant habere geminum præteritum, *cœnavi*, & *cœnatus sum*. Et quia par ratio vocis *prandeo*, eàdem de hoc operâ dicemus. Mihi quidem verisimile fit, tantùm dici *prandi*, & *cœnavi*: *pransus* autem, & *cœnatus*, Latinissima quidem sunt, verùm aliud significant: nempe locum habent, cum aliquem prandio cœnâque confectâ fecisse quid narramus. Itaque dicam, *prandi*, aut *cœnavi apud te*; non autem *pransus*, aut *cœnatus sum*. At rectum sit, *pransus*, vel *cœnatus*, *te accedam*. Sententiam nostram confirmat hic Tullii locus lib. I de Divinatione: *Qui ut cœnati quiescerent.* Et ille epist. XVI, lib. II ad Atticum: *Cœnato mihi, & jam dormitanti, pridie Kal. Majas epistola est illa reddita.* Atque alius pro Deiotaro: *Et quum illa munera inspexisset cœnatus.* Est & Horatii lib. I Serm. sat. X:

—— *Amet scripsisse ducentos*
Ante cibum versus, totidem cœnatus.

Sallustii itidem est in Jugurthâ: *Consilium adprobat, ac statim milites cœnatos esse, in castris, ignesque creberrimos fieri; deinde primâ vigiliâ silentio egredi jubet.* Idem confirmat impersonale passivum *cœnatur*: à quo venit *cœnatum est*. Cornelius Nepos in vitâ Attici: *Neque unquam sine aliquâ lectione apud eum cœnatum est.*

De *pransus*, multorum locorum instar sit istoc Tulliano de penu *: *Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis.* *Prandi* verò, ut & *cœnavi*, in præterito multò usitatissima sunt. Plautus Pœnulo: *Calidum prandium prandisti.* Cic. ad Att. lib. V, ep. I: *Sed prandimus in Arcano.* Ad Qu. Fr. lib. II, ep. VIII: *Eo die cœnavi apud Crassipedem.* In Vatinium: *Quis in funere familiari cœnavit cum togâ pullâ?* Unus, quod sciam, est Varronis locus, qui scrupulum injiciat. Nam is lib. VIII de L. L. ad Ciceronem apud Agellium lib. II, capite XXV: *Quumque*, inquit, *à cœno, & prandeo, & poto: & cœnatus sum, & pransus, & potus sum, dicamus: & ab adstringor tamen, & extergeor, & lavor, adstrinxi, & extersi, & lavi, dicimus.* Verùm commodè factum, quòd Varro adjecit verbum *poto*. Absque eo esset, fortasse hæreremus. Nunc res expedita videtur. Nam si *poto* in præterito habeat, *potus sum*, idem fuerit ac *potavi*. At id, puto, nunquam dixerint: etsi ἀναλόγως ita dici potuerit, cùm in supino *potum* dicatur, & *potatum*. Quare neque est, quòd de cæteris hunc locum molestè urgeant. Præsertim, quando similiter jungit Plautus Curcul. act. II, sc. III:

* Pro Milone.

Postquam cœnati atque appoti, talos poscit sibi in manum.

Ubi *cœnati* æquè est nomen, ac *appoti*, id est, ebrii. Ac similis ratio illius in Aulul. act. II, sc. VII:

Si autem deorsum comedent, siquid coxerint,
Superi incœnati sint, cœnati inferi.

Sententia est, si coqui, quicquid in puteo coxerint, priusquam inde sursum attollatur, ipsi absumserint: sanè illi, in infero agentes locô, saturi erunt, ac saburrati: qui autem superiùs exspectabant cibum, cœnæ expertes ac famelici cubitum discedent. Ut nihil caussæ videatur, quo minùs & *cœnatus*, & *incœnatus*, nomina sint. Adde quòd Priscianus lib. IX disertim semel, & iterum, scribit, *prandeo* facere *prandi*: at alterum præteritum nullus ponit. Quin lib. VIII enumerans ea, quæ, cùm in O desinant, præterita tamen more passivorum forment: *prandeo*, & *cœno*, nullus inter ea agnoscit. *Inveniuntur*, inquit, *etiam in O desinentia: sed non multa, in quibus*

præteritum perfectum per participium solet demonstrari, quæ neutropassiva artium scriptores nominant. Sunt autem hæc SOLA: gaudeo gavisus sum, audeo ausus sum, soleo solitus sum, fido fisus sum, fio factus sum: quorum tamen antiquissimi solebant etiam præteritum perfectum proferre hoc modo, gaudeo gavisi, audeo ausi, soleo solui, fido fisi: sed nunc his non utimur. Quod verò ea ipsa quoque, instar aliorum verborum in O desinentium, præterita olim formasse dicit, id lib. IX idem his testimoniis comprobat. Cato Censorius in oratione pro L. Antonio, sive, ut in Mso nostro legitur, Autronio: *Beneficii postridie jussisti adesse in diem. ex die non ausi recusare.* Livius in Odyssea: *Quoniam audivi paucis gavisi.* L. Cassius Hemina in II Annali: *Idque ammiratum* (ita V.C. habet pro *admiratum*, ex veteri ὀρθογραφίᾳ) *esse gavisi.* Similiter *soleo*, & *solui*, & *solitus sum*, facit: ut Nonius probat illo Cœlii Annali lib. VII: *Duos & septuaginta lictoris domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium antè soluerint ferri.* Eodem usum Sallustium, auctor est Priscianus in IX, his verbis: *Obsoleo non est à soleo, quod solitus sum, vel solui secundùm Sallustium facit perfectum; qui in II Histor. ponit: Neque subsidiis, uti soluerat, compositis: sed ab obs & oleo, sicut obscanus ab obs & canendo*, &c. Sed in Venetâ antiquâ anni CIƆIƆLXXVI abest *compositis*. In Mso nostro est *compositum*. Ut fortasse legi debeat: *Neque subsidiis uti soluerat: sed compositum ab obs, & oleo.*

Etiam aliud est verbum primæ, quod inter neutropassiva sibi deposcit locum, *juro*, *juravi*, & *juratus sum*. Plautus Persâ act. III, sc. II: *Qui mihi juratus est, sese hodie argentum dare.* Et apud Turpilium in nobili comœdiâ, cui nomen erat Demetrius, meretrix juveni consulenti respondet, *Non sum jurata*: pro, *Non juravi*; ut Diomedes testatur in secundo. Cicero II Verr. *Malo et jurato suo, quam injurato aliorum tabellas committere.* Maro II Georg.

Aut conjurato descendens Dacus ab Istro.

Sed veteres etiam *juror* dixisse, observatum jam aliis: unde *jurantur* apud Lucanum, & *jurabere* apud Statium. Atque hæc de neutropassivis primæ secundæque declinationis: cujusmodi a Diomede *transgressiva*, ab aliis *mixta* appellantur.

Cap. XXII.

De verbis secundæ: ac primum de iis, quæ in BEO, vel CEO, vel DEO exeunt. Habuvi, *pro* habui. *A* sorbeo *Lucanus, & juniores,* sorpsi *fecere, pro quo antiquiores* sorbui *dixerunt: unde alterum illud à Probo, Capro, Velio, damnatum ut novum.* Mistum, *an* mixtum, *dicendum. Præteritum* acui *nunc ab* acuo *est, nunc ab* aceo *seu* acesco. *Sic* licitus *nunc est à* licet, *nunc à* liceor. *Item* licuit *nunc à* licet, *nunc à* liqueo.

OCcasione vocis *cæno*, cui geminum erat *prandeo*, ad *audeo*, *gaudeo*, aliaque verba secundæ, me delapsum fuisse cerno: nec ejusce rei pœnitet, quando, quæ in primâ nobis relicta, haut tanti esse videntur, ut retro cursum legam. Quare, iis supersessis, rectà conferam me ad reliqua secundæ declinationis verba. In iis servabimus hunc ordinem, ut incipiam ab illis, quæ B ante EO habent, hinc quæ C, & ita deinceps.

Obsoletum est *habivi*, seu *habuvi*, ab *habeo*. Sanè in illo Plauti Asin. act. III, sc. II: *Equidem hercle nullum perdidi, quia nunquam ullum habui*, Camerarius, ne claudicet versus, *habivi* legit, ut *posivi*. Lambinus *habuvi* præfert. Etiam Plauti est eadem Asinariâ, act. IV, sc. I:

Si forte purè velle habere dixerit,
Tot reddat spurcas, quot puras habuverit.

Sorbeo sorbui facit, teste Diomede; qui adfert illud è Ciceronis Tuscul. II: *Sanguinem omnem sorbui.* Respicit autem senarium istum,

Jam decolorem sanguinem omnem exsorbuit.

Qui ex Sophoclis Trachiniis expressus. Videtur verò Diomedes pro *exsorbuit* legisse *sorbuit*. Eodem præterito usus Plinius lib. XXII, cap. XVIII. Crebrum autem est in compositione; ut apud Ciceronem pro Muræna, *Difficultatem exsorbuit*: & Philipp. II: *Sanguinem civilem exsorbuit.* Idem in Bruto dixit *absorbuit*. Quod etiam apud Plinium est lib. IX, cap. XXXV. Videntur & *sorbitum* dixisse: unde verbale *sorbitio*. Sed *sorptum* pro eo est apud Plinium. Quomodo & *sorpsi*, pro *sorbui*, dixit Lucanus lib. IV:

Absorpsit penitus rupes, & tecta ferarum.

Verum Valerius Probus, de syllabis in BEO finitis agens, *sorpsi* barbarismum esse ait. Meminit ejusdem alibi, cum tractans de BO syllabâ exeuntibus, *BO*, inquit, *terminata tertia correpta PSI, ut nubo, nupsi, aut BUI, ut sorbo sorbui, quamvis & sorpsi lectum est. Sed* ut *sorpsi*, à *sorbo* sit, tamen *sorbui* non est nisi à *sorbeo*. Interim cum Probo *sorbui*, malim. Nam & Caper, *non sorbo*, inquit, *sed sorbeo; nec sorpsi, sed sorbui: sic & absorbui, non absorpsi, ut Lucanus.* Similiter *sorpsi*, ut recentis nimium ævi, damnat Velius Longus lib. de Orthographiâ: *Mihi verò placet, ut in Latino sermone antiquitatis religio servetur, ut potiùs Sorbui, secundùm auctoritatem eruditissimorum & eloquentium virorum, dicamus, quam Sorpsi; cum recens hæc declinatio sordidi sermonis virus ceperit.*

CEO. *Acui* non tantum venit ab *acuo*, quod tertiæ est; sed & ab *acesco*, sive primogento ejus *aceo*; quod hujus est ordinis, ut a Sidonio usurpatur lib. VII, epist. VI. Itaque *acuit* legere est pro *acidum fuit*, sive *factum*. Ulpianus L. IX §. ultimo D. de contrah. emtion. *Si modo vinum acuit*: item, *Vinum non acuit.* Pomponius l. LXXXV, de legatis III: *Si coacuerit vinum.* *Peracuit* eodem modo legere est apud Plautum Aululariâ act. III, sc. Illinc hinc abiit: & *inacuit* est apud Appulejum lib. V Met. *Si tibi inacuit nostra contumelia.*

Arceo negant habere præteritum. Atque *arcuit* est apud Tullium*, & Ovidium†. A supino *arcitum* est *arctus*, pro *arcitus*, & frequentativum *arctare*. Composita quoque ejus *coerceo*, & *exerceo*, *ui* & *itum* faciunt, ut notum.

* II Phil.
† 13 Met.

Misceo in supino *mistum* facere ajunt, & *mixtum*. Sed Pierius ad I Æn. scribit, se in omnibus antiquis codd. uno consensu invenisse *mixtus* per X. Rodolphus tamen Agricola *mistum* probabat. Et videri possit, *mixtus* esse corruptum ex *mistus*, fere uti ex *Ulysses* fecere *Ulyxes*. Nisi magis placet, ἀναλόγως *miscitum* dici debuisse: ex *miscitum* autem, per syncopen literarum *ci*, esse *mistum*: at eliso solo I, & trajectis SC, esse *mixtum*. Nam X valet CS. Et hoc sine dubio verius. Nec *mixtus* damnare possum; quod in tot antiquis monumentis invenitur, ac prope accedit ad Græcum μισγω, unde μίξις, *mistio*.

A *licet* venire *licuit*, & *licitum* est, satis constat. Sed utrumque aliunde etiam venit: *licitus* quidem à *liceor* deponenti. Cicero quintâ Verrinâ: *Herbitenses cum viderent, si ad Æschrionem pretium redisset, se ad arbitrium libidinosissimæ mulieris spoliatum iri, licitis sunt usque eò, quoad efficere posse arbitrabantur.* Ac ibidem legas, *Digitis licitus sit.* Ut omnino falsus sit Valla, cum lib. V. Elegantiarum cap. XXVIII putat, *liceri* carere præterito. *Licuit* verò etiam perfectum est à *liqueo*: quod *licui* facere, rectè ex Ovidio ostendit Priscianus. Ejus est Met. IV, fab. V:

Protinus imbutum cælesti nectare corpus
Delicuit.

Et hoc in VII ejusce operis, fab. XIV:

—— Flendo
Delicuit, stagnumque suo de nomine fecit.

De *luceo*, & *mulceo*, in *lugeo*, & *mulgeo*, dicemus.

Ab *ardeo*, *ardurint*, legitur in veteri inscriptione Gruterianæ collectionis pag. CXXI. Sed imitandum non est.

Frendeo ajunt in supino facere *fressum*: unde *faba fressa*, teste Festo. Et sanè, si ἀναλογίαν spectes, non minus a *frendeo* possit esse *fressum*, quàm a *sedeo* est *sessum*.

Strideo ἀναλόγως habeat *stridui*: quod, ut probum, Priscia-

Priscianus agnoscit. Sed tantum *stridi* legimus, fortasse à *strido*: quando hoc verbum etiam in tertiâ invenitur. Dicemus de hoc in tertiâ.

Cap. XXIII.

De verbis secundæ exeuntibus in G E O, vel L E O. Frixi *nunc est à* frigo, *nunc à* frigeo. *Item* luxi *à* luceo, *vel à* lugeo. Mulsi *à* mulceo, *&* mulgeo. Mulxi, permulctus. *Supinum* mulsum *rejicitur*. Levi *à* leo, *vel* lino. Oletum facere *quid*. Virectum. Obsoletis, *&* exoletis, *unde nomen videatur*. Adoluit *de ætate*.

GEO. FRixi non tantùm est à *frigo*, sed etiam *frigeo*; de quo etsi Diomedem, & Phocam, laudare testes possim; tamen, cum tam multa peccent etiam eruditissimi Grammatici, autoritate me tueri malo Cornelii Celsi, cujus illud lib. I, cap. III: *At ei, qui perfrixit, opus est balneo primùm involuto sedere, donec insudet, tum ungi*, &c. Ubi *perfrixit* est, quod Belgæ similiter dicunt *verkout*. Nempe ut dicimus *refrixit*; quod apud Catonem, Terent. Cic. Ovid. Plin. &c.

Itidem *luxi* tum à *lugeo* est, tum à *luceo*: idque tum in simplici, tum in compositis. Hinc Agrœcius: *Fluxit, qui luctum deponit: illuxit, cùm lumen apparuit.* A *luceo* quoque est *pollucere*, quasi *pellucere*, quòd splendor epuli pelluceat. Hoc similiter facit *polluxi*, *polluctum*: unde *polluctus* apud Macrob. lib. III Sat. cap. XVI.

Mulsere a *mulgeo* est apud Maronem in III Georgicon, & Plinium lib. X, cap. XL. *Mulxi* verò, quod ei præteritum Diomedes tribuit, id Priscianus in IX, putat differentiæ caussâ esse prolatum, quia *mulceo* quoque *mulsi* facit. Fortasse *mulxi* positum pro *mulsi*, quomodo pro *mistus* (quod Priscianus quoque probat) in veteribus libris, ac Virgilio Carpensi, & antiquis lapidibus, legitur *mixtus*. Contrà factum in *adnixus*, *connixus*, *innixus*, *obnixus*; uti scripsere veteres. Juniores per S extulere; quemadmodum & suâ ætate hæc scribi solita, asserunt Diomedes lib. primo, & Servius in illud Virgilii *:

> *Cymothoë simul, & Triton adnixus, acuto*
> *Detrudunt naves scopulo.*

* I Æn.

Supinum *mulctum* non tantum è derivatis *mulctus*, *mulctra*, *& mulctrale*, comprobatur: sed & composito *permulctus*. Nam apud Sallustium lib. IV Histor. teste Prisciano, legitur, *verbis permulcti*. Ac Agellii est lib. I, capite XI, *sonis permulcti*. Ajunt & *mulsum* facere. Itaque dicere juxta eos liceat, *rustica ii mulsum*. Ego non aliter, quam *mulctum* extulerim. Nec, quod Perottus credidit, *οἰνόμελι mulsum* dicitur, quia mulcet ac delinit, sed à melle id nomen factum.

LEO. *Levi* quoque tum à *leo* venit, à cujus supino mors *letum* vocatur, quia *let*, hoc est, delet, omnia: tum à *lino*, unde Horatius *:

> —— *Græcâ quod ego ipse testâ*
> *Conditum levi.*

* Lib. pr. Carmi- num oda XX.

id est, signavi. Cui contrarium *relevi*, id est, resignavi, aperui: ut apud Terent. †

> *Relevi dolia omnia, omnes serias.*

† Heaut. Act. 3, sc. 1.

Oleo nunc tantùm *olui*, & *olitum* facit. At antiquitus etiam *olevi* dixisse, existimantur. Sed parùm forte est argumentum, cùm hoc inde probat Priscianus, quia apud Persium legamus, *faxit oletum*. Nam *oletum* omnino non à supino venit, sed à præsenti. Fefellit, & Priscianum, & alios plurimos, quòd putarunt, *oletum* significare merendam Cyprii bovis, cùm locum notet malè olentem; ut indicat, quod cùm Persius ‡ dixisset,

> —— *Veto quisquam faxit oletum:*

‡ Sat. 1.

pòst subdit,

> —— *Pueri, sacer est locus, extrà*
> *Meiite.*

Adde quòd idem indicat terminatis in ETUM: quæ loci est index, ut *viretum*, sive *virectum*. Nam & hanc vocem agnoscunt Grammatici, & VI Æn. pro *amæna vireta*, in antiquis exemplaribus legitur *virecta*; teste Pierio. Idem confirmant *dumetum*, *quercetum*, *pometum* (quod apud Charisium) *salictum*, & *carectum*, quæ duo κατὰ συγκοπὴν facta ex *salicetum*, & *caricetum*. Ab *oleo* quoque deducit Priscianus *exoleo*, & *obsoleo*: indeque *exoletus*, & *obsoletus*, dici ait. Verba ejus iterum adponam è lib. IX: *Obsoleo quoque obsolevi facit. Non est enim à soleo, quod solitus sum, vel solui, secundum Sallustium, facit, qui in secundo Histor. ponit: Neque subsidiis, uti soluerat, compositis**: *sed ab obs, & oleo; sicut obscanus ab obs, & canendo, vel cœno, vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, unde & inquino.* Et paullò pòst: *Exoleo quoque exolevi, unde exoletus, exoleta, exoletum. Plautus in Medico:*

* Vide superiùs cap. 21.

> *Domi reliqui † exoletam virginem.*

† Forte, reliquit.

Idem scribunt Festus in *Exoletus*, Cætellius apud Cassiodorum ‡, ac Beda de Orthographia. Sed non est hoc ita apertum, quàm putarunt. Nam quid si contrà statuamus, hæc esse non ab *oleo*, sed à *soleo*? Nempe ut propriè *obsoleta* dicantur, quibus uti solemus, nec utimur amplius, quia jam nitorem suum amiserint. *Exsoleti* verò sint, quibuscum nemo solet, hoc est, consuescit; quomodo apud Comicum legimus in Cistellariâ *:

‡ Lib. de Orthogr. cap. 10.

> *Viris cum suis prædicant nos solere.*

* Act. pr. Sc. Cum ego antehac.

At, inquit, Priscianus, ab *oleo* esse argumento sit, quòd hoc in supino *oletum* facit: *soleo* autem faciat *solitum*, non *soletum*. Verùm fortasse hic quoque dormitat bonus ille Grammaticorum, ut ajunt, Homerus. Nam si non dubitat ex Persianâ *oleti* voce colligere, *oleo* olim *oletum* in supino fecisse: quanto justiùs ex vocibus *obsoletus*, & *exsoletus*, collegerit quispiam, *soleo* in supino fecisse *soletum*; etsi jam sit *obsoletum*? Certè hodie quoque tantùm dicimus *valitum*, neque *valetum* usquam legi puto: at utroque usos veteres, indicium facit, quòd *valitudo* seu *valetudo*, apud Horatium ipsum, E longum † habet, ut sit à *valetum*; junioribus I breve ‡, ut sit à *valitum*.

† Lib. 2, sat. 2, & lib. 1, ep. 4.

‡ Alibi.

Sed licet hæc primâ possint facie adblandiri: malim tamen & ipse ab *oleo* deducere. Nec enim solùm dicimus puerum *exoletum*: sed etiam *virginem exoletam*. Quomodo, uti vidimus antea Plautus in Medico ait:

> *Domi reliqui exoletam virginem.*

Num putandum, patrem hoc voluisse, viros, ob ætatem filiæ, non amplius cum ea solitos rem habere? Esto autem, ut, ne hiet versus, scribi debeat, *reliquit*. Quomodo non patris sed de patre fuerit sermo. Non alia tamen mens erit Comici, quam virginem esse illocabilem. Quia dotem non haberet, & abiisset flos ætatis puellaris. Quare non dubitandum, quin *exoletus* sit ab ea *exolescendi* significatione: qua *exolevisse atas*, dicitur auctori orationis Ciceroni tributæ in Sallustium.

De *exoleo*, & *obsoleo*, dictum. Addam nunc aliqua de similibus compositis.

Aboleo, sive ejusdem sit originis, sive veniat à Græco ἀπολλύω, *perdo*; semper facit *abolevi*. Vulgo addunt *aboletum*. Sed Plinius, & Tacitus, *abolitum* dicunt.

Adoleo, cùm de sacrificiis usurpatur, *adolui*, facere ajunt: inque supino *adolitum*, sive *adultum*: quomodo Valerius Antias lib. XXIV Annalium inquit: *Eo omnes hostia, vituli XXVII, conjecti: & ita omnia adulta sunt.* hoc est, concremata. De ætate verò dicere præcipiunt *adolevi*, & *adoletum*. Quomodo XII Æneidos est,

> —— *Mox cùm matura adoleverit ætas.*

Sed Priscianus in IX agnoscit, Varronem dixisse lib. III Rhetoricorum: *Postquam adoluerit hæc juventus.* Addit & de sacrificio locum Attii Cassii in secundo ad Tiberium, ubi *adoluerit* legatur. Sed Diomedes in secundo eum hoc pacto citat: *Sic est contra Ægyptiis maximum sacrificium, ubi integrum anserem adoleverunt.*

Inolevi est apud Gellium lib. XII, cap. V. *Inolitum* haut facile dicam. Caussam mox aperiam.

Oboleo aliud est, ac *obsoleo*: illud venit ab *ob*, hoc ab *obs*: sicut ex Prisciano antea vidimus. Significatio quoque est

est diversa. Uti & inflexio. *Obsoleo* facit *obsolevi*, & *obsoletum*: sicut dictum. *Oboleo* Plauto sæpius *obolui*: ac similiter Suetonio in Caligula. Ac hinc ἀναλόγως fuerit obolitum. Sed deficit veterum auctoritas. Nulla enim ab *oleo* reperias supina in *itum*: præterquam quòd *adultum* sit ex *adolitum*: & *abolitum*, sit apud Plinium, Fabium, Tacitum, Gellium.

Perolevi subnixum est auctoritate Lucilii, è cujus sat. XXX Priscianus lib. IX adducit:

Quis totum scis corpus jam perolesse bisulcis.

Pro *peroleviffe*. Ubi mallem, trajectis vocibus, *corpus scis*: ne vox unica tertium constituat pedem. Sed scio, Horatium etiam hoc in Lucilio culpare, quòd fluat lutulentus.

Prooleo non dicitur: sed est inde verbale *proles*: quasi dicas, incrementum.

Suboleo, unde verbale *suboles*, facit *subolui*, Plauto sæpius, uti & Suetonio. Sed diversa est significatio. Nam *suboles* est à crescendi significatione. *Subolui allium, marsupium*, & similia, sunt à significatione spirandi odorem: quomodo *oleo* est ὄζω, sive ὀδωδα. Notum ut D, & L, sæpe commutentur: de quo in Originum libris. Video Frischlinum in Strigili suâ indignari, quod verbum hoc fraudent supino *subolitum*. Interim, qui eo utatur, non laudat auctorem. Nec tamen damnem, qui dicat, *subolitum hoc seni, patri, consuli*. Facilè credidero, fuisse aliquid tale in autoribus, qui deperierunt. Et si non auctoritate, nititur tamen ἀναλογίᾳ. Utar igitur, sed potiùs in versu: & si usus sic requirat. Cæteroquin similior ero fugienti.

Cap. XXIV.

De verbis secunda in NEO, QUEO, REO, SEO, TEO, VEO. *Corippus emendatus.* Tentum *supinum à* teneo, *vel* tendo. Abstenti *in Jure qui.* Tentum, *verbum Ithyphallicum, unde dictum. Nec* cassus *est participium à* careo, *nec* mœstus *à* mœreo. Censire, censitor, censitus, recensitus. Passus *malè à* pateo *deducit Priscianus.* Faba fressa *qua.* Catum *non est supinum.* Cavitus, cavitio. Fervi, *&* ferbui, *dici; sed à verbis diversis.* Connivi, *&* connixi. *Priscianus emendatus. A Josepho Scaligero recessum super Ninnio Crasso.* Dolitutus, nociturus, *aliaque participia à neutris, quæ existimantur carere supino.*

Etiam *tentum* est vel à *teneo*, vel à *tendo*. A priori in jure *abstenti* dicuntur, qui auctoritate tutoris revocantur ab adeunda hæreditate. Ubi Scævola, Papinianus, Ulpianus. Ab altero dixit Maro in VII: *Tellus extenta.* Indeque & τὸ αἰδοῖον *tentum* Catullo *, itemque Horatio †. Cæterùm *teneo* non tantùm *tenui* fecit; sed & *tetini*, & *tenivi*. De priori testatur Festus: de altero Charisius. Sed utrumque obsoletum.

* Carm. 18.
† Lib. epod. od. 12.

Etsi *maneo* habeat *mansi*, tamen in compositis est *eminui*, *imminui*, *prominui*. Nisi hæc malis dici à *minis*, sive altitudine ædificiorum: quæ quorundam opinio. Sed prius omnino simplicius, vetiusque.

Nevi à *neo* dixere Ovidius, Silius, alii. *Netum* usurpat Corippus, Africanus Grammaticus, lib. I de laudibus Justini Augusti:

Justinianorum series ubi tota laborum
Neto auro insignita fuit, gemmisque corusca.

Ita legi is locus debet: ubi vulgò *Necto auro* editum est.

Torqueo, torsi, tortum: unde *tortiles*, & *tortor*, & composita *intortum*, *retortum*, *contortum*, *extortum*, *detortum*, *distortum*, *contortor*, *extortor*. Veteres tamen & *torsum* dixere. Unde Cato II Orig. *Marsus hostem occidit prius, quam Pelignus. propterea Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen.* Auctor Priscianus in IX.

Liqueo olim facit *licui*: ut indicant composita *deliqueo*, *delicui*; *colliqueo*, *collicui*. Ovid. IV Met.

Protinus imbutum cælesti nectare corpus
Delicuit, terramque suo madefecit odore.

Varro lib. III Rer. Divin. ‡ *L. Scipio, cum aurum haberet in cista viminea, fulmine ita est ictus, ut cista esset integra, aurum collicuisset.* Conjugatione autem differunt *liquo*, *liqueo*, & *liquor*. *Liquo* primæ est, unde *liquamen*: ac notat, liquidum reddo. *Liqueo* secundæ est, ac signat, liquidum esse, diffluere: ut apud Poëtam *, *Camposque liquentes.* Unde κατὰ μεταφορὰν *liquere* dicuntur, quæ clara sunt. *Liquor* tertiæ est; ut apud Maronem Æn. III:

——*Huic atro liquuntur sanguine guttæ.*

‡ Apud Nonium in Liquidum. Sed Msus noster pro, ut cista, habet, ut ista; & pro collicuisset, conliquisset.
* 6 Æn. vers. 724.

Festus: *Liquitur, labitur, fluit.*

Mœreo, juxta Priscianum lib. VIII, caret præterito. At *mœstus* nomen est; non participium, uti putarunt. Sæpius autem in istiusmodi peccatum. Nam, ut diximus, & *cassum* nomen est, non supinum à *careo*. Neque *fessus*, & *defessus*, magis sunt à *fatiscor*, & *defetiscor*, quàm *lassus* à *lacio*.

A *careo* est *caritum*; unde *cariturus* apud Senecam lib. I de benef. & Juven. sat. VI. At *cassus*, ut Prisc. quoque docet lib. X, & XI, nomen est, quemadmodum *lassus*. Imò Servius existimâsse videtur, *cassus* esse à *quasso*; credo quia C, K, Q, sunt eadem essentiâ literæ, ut suo loco * diximus. Verba Servii sunt in illud II Æneid. ——*Nunc cassum lumine lugent. Cassum, privatum, vacuum: & cassum est, quasi quassum, & nihil continens. Nam & vas quassum, quod humorem in se non continet: & est vacuum, unde & retia casses, quia multum in se vacui habeant.*

* Lib. I, artis Grammaticæ, cap. 29.

Censeo supino facere *censum*, indicant verbalia *census*, *censor*, *censura*, & *censi*, atque *adcensi* apud Festum. Item quod *recenso Senatu* dixit Suetonius in Vespas. Nec obstat, quòd pro *censor* etiam *censitor* legamus apud Ulpianum L. Forma § illam æquitatem ff. de censibus, & Pomponium in L. Ergo § alluvio ff de acquirendo rerum dominio. Nam *censitor* est ab antiquo *censire*, pro *censere*; unde & *recensitus*, penultimâ productâ, dixit Claudianus lib. II in Eutrop. †

Prisca recensitis evolvite secula fastis.

† Vers. 260.

Et Prudentius ὁμοίως.

Cumque recensitis constaret partibus ille.

Usus & Suetonius in Julio.

Pateo supino caret, ut innuit Phocas, cùm negat habere participium in RUS. Nam *passum*, quod ei tribuit Priscianus lib. IX, venit à *pando*: ut ‡, *Crinibus Iliades passis.* Estque in hac quoque sententiâ, cùm Diomedes lib. primo, tum Gellius lib. XV, cap. XV. Factum igitur est *passum* ex *pansum*; ut *fressum*, unde, quemadmodum antea quoque dictum, *faba fressa*; pro *frensum*, & *frensa*, à *frendo*, quod est *frango*. Glossæ Philox. *Defrensa*, ἀμεσῶς θεθλασμένα. Interim non negamus, à *pando* rectè etiam dici *pansum*: quod infrà variis auctorum locis adstruemus.

‡ I Æn.

Caveo etiam *catum* in supino facere, inde colligit Frischlinus, quia *catus* dicimus pro cauto ac prudenti. Cui iccirco minùs assentimus, quoniam *catus* nunquam participium est. Verùm igitur supinum est *cautum*, quod κατὰ συγκοπὴν factum ex *cavitum*. Nam sic olim dixere. Hinc *cavitio*. Festus: *Cavitionem dicebant, quam modo cautionem.* Scaliger quoque legit apud Plautum Pseudolo, act. II, sc. III:

Nam ipsa mihi opportunitas non potuit opportunius
Advenire, quàm hac cavita est mihi opportunè epistola.

In vulgaris pro *cavita* est *cavata*. Unde alii *allata*, alii aliud fabricant.

De *ferveo* ita Adamantius Martyrius apud Cassiodorum *: *Ferveo, etsi in præterito perfecto fervi facit per V, cui etiam ego magis adsentior, ferbui tamen per B mutam scribetur.* Adamantio subscribit Priscianus in IX, ubi ait, à *ferveo* esse *fervi*; unde *defervisset* apud Plinium in epistolis. Et fortasse supino olim *fersum*: ut à *video*, *visum*:

* Lib. I de Orthograph. cap. 8.

sum: unde, quod fervefactâ aquâ ejicitur, *defersum* dicitur. Glossæ Philox. *Defersum*, ἀπόζεσμα. At est à *ferbeo ferbui*; unde Horatius in primo serm.

Velatumque stolâ mea cum conferbuit ira.

Sic *deferbuit* apud Cat. cap. XCVI, Terent. Adel. act. I, sc. II, Cic. pro Cælio, nec non Cluentio, & Gellium.

Langueo non destitui præterito, indicat hoc Claudiani in I de raptu:

—— *Animusque relanguit atrox.*

Conniveo, *connivi*, & *connixi* facit, Prisciano teste in IX: qui gemino id testimonio probat. Prius est Nimii Cassii in XXIII Iliad.

Nam non connivi oculos ego deinde sopore.

Alterum est Turpilii in Paraterusâ: *Dum ego connixi somno, hic sibi prospexit vigilans virginem.* Sed qui in vulg. editt. etiam Putschianâ, vocatur Nimius Cassius, is in Venetâ anni CIↃCCCCLXXVI, appellatur Nummius Crassus: in Manuscripto nostro optimæ notæ, Ninnius Crassus. Et sanè ejusce Crassi etiam mentio fit apud Nonium in Fite: ubi citat illud ex XIII Iliad. *Nunc socii, nunc fite viri.* Jos. Scaliger Conjectaneis in Varronem, tum apud Priscianum, tum Nonium, legit Cn. Matius, quia is Iliada Homeri vertit. Sed sanè plures Iliada scribere nihil prohibet. Quare nos, veterum codicum autoritatem secuti, ut Nimii Crassi nomen respuimus, ita Nunnii sive Ninnii Crassi planè probamus. Præterito *connixi* Plautus quoque fortean usus est. Nam Menæchmis act. IV, sc. III ita emendant:

Quia connivi, ut me defrudes, ad eam rem affectas viam.

Pro quo in vulgatis *commisi*. Appulejus etiam, ut ex manuscriptis codd. paret, *conniverat* dixit. Vide Gasp. Scoppium in Suspectis lib. IV, epist. IV, & lib. V, epist. primâ.

Postremo illud loco addamus, neutra multa, quæ supino carere ajunt, participia habere. Livius lib. IX belli Macedonici: *Ignominiâ suâ quemquam doliturum censeret.* Ovid. IX Met. fab. IV:

—— *Siquis tamen Hercule, siquis*
Fortè Deo doliturus erit.

Idem XI Met. fab. III:

Annuit optatu, nociturâque munera solvit
Liber.

Et fab. seq.

—— *Nociturâque, ut antè,*
Rursum erant domino solida præcordia mentis.

Item lib. XIII:

Des mihi sacrificos, caliturasque ignibus aras.

Virgilii est XII Æn. *Haut placitura refer.* Statii est VII Theb. —— *Nudus jaciture sepulchro.* *Paritum esse conditioni* legimus apud Scævolam, & Jabolenum ICC.

De impersonalibus secundæ dicemus in doctrina de Defectivis.

CAP. XXV.

De verbis tertiæ in BO, vel CO, exeuntibus. Carbsi, *per B.* Opstiti, *per P.* *Non esse hic sonum* § Ψ. Labsus, prolabsus, labsare *per B.* Scribsi. Scaberat. Scabo, *vel* scabeo. Nubere cum aliquâ. Novus nuptus. Lambo, *vel* lambio. *Glossa Philoxeni emendantur.* *Ut veteres distinguant* parsi, *&* peperci. *Tertium præteritum* parcui. *Supinum* parsum, *&* parcitum. Conquexi. Conquinisc̄ere *quid.* Agnitus, *&* agnotus; agniturus, *&* agnoturus; ignosciturus, *&* ignoturus. Disciturus. Senectus *adjectivè sumtum.* Fessus, *&* defessus, *non videri participia.* Apiscor, *unde* aptus. *Pacuvius apud Nonium emendatus.* Depeciscor, *&* depectus. Expergitus, *&* experrectus, *ut distinguant veteres.*

Diximus de verbis, quæ secundæ sunt inclinationis: videamus porrò de illis, quæ ad tertiam pertinent.

Quæ in BO, & PO, desinunt, non rarò immutant characteristicam præsentis. Ita *scribo* facit *scripsi*, B conversio in P. Contrà P in B mutat *carpo*. Nam *carbsi* scribendum, docet Scaurus. Facilè enim hæ literæ commutantur: unde & ab *obsisto*, *opstiti*, fecere veteres; ac hodie quoque aliqui hanc non injuriâ revocant ὀρθογραφίαν: qui tamen in eo falluntur, quòd putent, hic esse sonum literæ Ψ. Nam cùm sit compositum ab OB, P ad priorem syllabam pertinebit. Porrò in veteribus MSS, ac monumentis, non rarò quoque remanent characteristicæ præsentis. Ita Pierius in vett. codd. *labsus* legi ait in III Georg. & *elabsus* I Georg. Idque ex Probi præscripto, qui *illabsus*, *prolabsus*, *labsantem*, per B scribere jubet. A *scribo* quoque *scribsi* est in optimo illo Vaticano Terentii* codice:

Tute ipse his rebus finem præscribsti, pater.

* Andr. act. I, sc. I.

Scabo facere *scabi*, probat Priscianus illo Lucilii:

Scaberat ut porcus contritis arbore costis.

Scaliger verò ad Varronem de R. R. vult esse à *scabeo*: sed ἀρχαικῶς †, quia veteres præterita formarent à præsentibus characteristicâ servatâ: quomodo *neglegi*, pro *neglexi*, est apud Æmilium Macrum: *atterui*, pro *attrivi*, apud Tibullum, & alia apud alios, de quibus infrà.

† Antiquè.

Nubo facit *nupsi*, & *nupta sum*. Cicero lib. XV ad Fam. ep. III: *Quocum esset nupta regis Armeniorum soror.* Quæ loquendi forma obiter observanda, quia femina dicatur cum marito nupta, licet sola nupserit, hoc est, velata fuerit. Locuti tamen & eodem modo Plautus, Terentiusque. Vide Albericum Gentilem de nuptiis lib. II, cap. III: *Novum nuptum* quoque legere est apud Plautum Casinâ act. V, sc. I. Sed sermo est de Chalino, qui sub feminæ specie ducebatur. A *glubo* esse *gluptum*, pro *glubitum*, indicat Plauti hoc in Pœnulo*, *deglupta mænas.*

* Act 5. sc. 5.

Lambo lambi facit, teste Prisciano. Atque ita Lucilius lib. XXIII:

Jucundasque puer quas † lamberat ore placentas.

† Al. qui.

Et Calpurnius Eclog. X:

—— *Nullo lamberunt ore liquores.*

Sed Adamantius Martyr apud Cassiodorum de Orthographia cap. VIII, agnoscit quoque *lambio*, *lambivi*. Et ita vel saltem, *lambio*, *lambui*, ut *rapio rapui*. Posterioribus seculis dixisse, arguit vetus interpres Judicum cap. VII, vers. 5, 6, 7; ubi reperias, *lambuerint*, *lambuerant*, *lambuerunt*; etiam in editione operis regii. In veteri Dictionario legas: *Invenitur Jud.* VII, *Lambuerint, quod secundùm artem deberet dici lamberint: quod antiquitati, vel auctoritati, attribuimus: vel fortè litera corrupta est vitio scriptorum.* Subjicit deinde Lucilii locum antea à nobis citatum. Sed nullum hic librarii erratum esse, arguit, tum quòd constanter ita omnes libri habent: tum etiam Adamantii autoritas, quam adduximus. Nec tamen juniores hac parte nobis imitandi. Supinum *lambitum* plerique Grammaticorum agnoscunt: sed auctoritatem requiro.

CO. *Parco parcivi* facere, existimare aliquis possit, compulsus autoritate glossarum Philoxeni. Nam in iis legas, *Parcivi*, φείδομαι σοῦ. Ubi penè est, ut legam *parcui*: quo Nævius usus in Quadrigeminis, Nonio teste. Sed interpretatio Græca satis docet, pro *parcivi* legendum esse, *parco tibi*. Vera igitur præterita sunt *parsi*, & *peperci*; quæ inter ponit discrimen Cornelius Fronto. *Parsi*, inquit, *semel: peperci sæpius.* At discrimen id vanum est, ut pleraque alia in isthoc differentiarum libello. Donatus ad Hec. act. III, sc. I, distinguit hoc pacto. *Parco*, inquit, *pro conservo, parsi fecit: pro veniam do, peperci.* Sed rectè hoc quoque discrimen negat Servius. *Parsisset* est apud Gellium lib. V, cap. XIV. A *parcui* est supinum, *parcitum*. Plinius lib. XXX, cap. IV: *Italiæ parcitum est vetere interdicto Patrum, ut diximus.* Pro quo tamen quidam emendant: *Italiæ parci vetere interdicto Patrum diximus.* A *parcitum* quidem factum *parcitas*, quo utitur Seneca primo de Clementiâ: *Civitatis mores magis* corri-

corrigit parcitas animadversionum. A *parsum* verò *parsurus* dixit Varro apud Prisc. & Livius lib. xxv.

Conquinisco apud veteres fecit *conquexi*, teste Capro*. Pomponius Atellanarius Vaccâ sive Marsupio:

> —— *simul introveni, accessi ad patrem, prendo manum,*
> *In terrâ ut cubabat nudâ. Ad eum ut conquexi, interim*
> *Mulieres conspiciunt.*

* Apud Priscian.

Est autem *conquinisceere*, se cernuum inflectere, quod faciunt alvum exoneraturi; ac venit à *conquinire*, hoc est, cunire. Qua de re Priscianus, Festus, & nos in Originum libris.

Ab *agnosco* usitatius est *agnitus*: sed *agnotus* dixit Pacuvius; *agnoturus* Sallustius in II Historiarum, teste Prisciano. Ab *ignosco*, *ignoscuurus*, est apud Pisonem II Annalium. Sane à *noscitum* est *noscito*, apud Catul. Liv. alios. *Ignoturus*, verò dixere Cic. in Catil. & Cato lib. v Originum. Videntur autem *agnosco*, *ignosco*, *cognosco* G habere ex eo quia veteres *gnosco* dixere, ex Græco γιγνώσκω. Prisciano tamen mens alia, qui putat ἀναλόγως esse *annosco*, *innosco*, *connosco*: sed N in G mutari.

Disciturus est apud Appulejum, in Phædone. Priscianum vide.

Sic *expositum caput*, apud Sen. Quasi à supino *poscitum*. Quod Priscianus agnoscit.

Senesco, *senui*, *senectum*, facit, unde *senectus*, cum substantivè, tum adjectivè pro *senilis*: ut *ætas senecta*, Plauto Amphitr.† *membris senectis*, apud Lucretium lib. III; *senecto corpore*, apud Sallustium IV Hist.

† Act 4. sc. 2.

Suesco, *sueo*, *suetum*, ab antiquo *sueo*: unde *suemus* apud Lucretium: nisi præteritum sit pro *suevimus*.

A *fatisco*, & *defetiscor*, censet Priscianus, venire, *fessus*, & *defessus* sum. Sed Diomedes mavult ea esse nomina. Qui Priscianum sequuntur, hi, & participia esse, & nomina, contendunt. Nos sequimur Diomedem.

Simplici *apiscor* (à quo *adipiscor*, & *indipiscor*) usus quoque Tacitus lib. v Annal. *Nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur*. Ibidem: *Junius Gallio censuerat, ut prætoriani, actis stipendiis, jus apiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi.* Præteritum *aptus sum* est in epitaphio Plauti apud Agellium I‡:

> *Postquam est mortem aptus Plautus, comœdia luget.*

‡ Lib. 1. cap. 24.

Male enim Alciatus defendit *captus*, ut alibi diximus. Nonius Marcellus etiam alios laudat auctores: eosque inter Pacuvium in Herminona, ex quo citat:

> *Quod ego, in acie celebri objectans vitam, bellando aptus sum.*

Ita in fragmentis vett. poët. edidit Stephanus, cùm in Mediolanensi antiquâ legeretur *celebro*, prout & Hadr. Jun. edidit. Est verò *celebro* corruptum ex *cerebro*, uti habet vetus Veneta Pincii. *Cerebro* autem, unius literæ adjectione, depravatum ex *crebrò*: prout hunc locum ante seculum & amplius citavit Junianus Majus: estque ea genuina lectio. In Aldinâ verò, cùm *celebro acie*, viderent ὑπέρμετρον esse, & *cerebro* non habere hic locum scirent, utroque extrito editum est, *Quod ego in acie objectans vitam bellando aptus sum*. Sed hoc est nodum secare, non solvere. Vera igitur lectio est, *Quod ego in acie crebrò objectans vitam bellando aptu' sum*. Est trochaicus quadratus catalecticus.

Nanciscor facit *nactus sum*, à *nancio*; unde *nanciam* apud Priscianum, teste Prisciano.

Depaciscor facit *depactus*; pro quo tamen nonnulli malunt *depeciscor*, & *depectus* sum. Apud Ulpianum quidem aliqua exemplaria habent *depactus*, alia *depectus*. Apud Ciceronem lib. II de invent. est *depactus*: *Depactus est cum eo, ut arma, & impedimenta, relinqueret*. Similiter pro S. Roscio & III Verr.

Ab *expergiscor* tum est *expergitus* (quod Festus agnoscit) tum *experrectus*. Hæc duo ita distinguuntur, ut *expergitus* dicatur, qui somno satiatus sponte vigilat; unde Lucilius:

> —— *Ergo*
> *E somno pueros cùm mane expergitu' clamo.*

Experrectus autem fit à quiete impeditus: atque ita Sallustius, *Interdum somno experrectus, arreptis armis, tumultum facere*. Ita distinguit Diomedes; cujus hàc de re locum emendat Gaspar Schoppius lib. IV suspect. lect. epist. II. Verum discrimen id non observatur.

Nascor facit *natus*. Sed futuro caret: nisi quod *nasciturus* sit apud Porcium Latronem: cujus major foret autoritas, nisi esset supposititius. Theologi tamen sequuntur.

Cap. XXVI.

De verbis tertiæ terminatis in DO. Pansum, *pro* passum, *probum videri*; *etsi Gellius, Serviusque, ita locutos esse veteres, negitent.* Obtunsus, *pro* obtusus. Mandi, *an* mandui, *dicendum.* Descendidi. Pendi, *pro* pependi. Peditus, *vel* peditum. Tendi, *pro* tetendi. *In Propertio vetus lectio defensa.* Tentum *ab* tendo, *uti* ostentum *ab* ostendo. Ostenturus, *pro* ostensurus. *Diomedis locus emendatur.* Accedisse, *pro* accessisse. Consistisse, *pro* constitisse. *Antiquos in præteritis retinere interdum consonam præsentis, quæ vulgò mutatur.* Cudi, *non* cusi. Comesus, *&* comestus. Rudivi. *Pomponius apud Nonium correctus.* Absconditum, *&* absconsum. Absconsè *adverbium.* Concredui. Occasô sole. Recasurus, incasurus. Stridi, *non* stridui. Sidi *à* sido. *Prisciani, & Decembrii error.* Subsedi, *dubium, sitne à* subsido, *an* subsedeo. Vasi *à* vado.

DO.

Pansum, à *pando*, crebrum est Ecclesiasticis. Tertullianus adversus gentes cap. XLVIII: *Dispositioni æternitatis aulæ vice oppansa est.* Et alibi apud eum legas: *Expansos ungula fodiant, cruces suspendant.* Similiter dixit Minutius Felix in Octavio: *Signum planè naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cùm expansis palmulis labitur.* Usus quoque Prudentius in Psychomachia:

> *Cornibus oppansis, & summâ fronte coruscum.*

Et Cathemer. hymno ult.

> *Pansis in altum brachiis.*

Item præfat. lib. primo contra Symmachum:

> *Vix panso poterat currere carbaso.*

Sed in controversiam venit, an ita loquantur antiqui. Scribit Agellius lib. XV, cap. XV, *ab eo quod est Pando, Passum veteres dixisse, non Pansum; & cum præpositione Expassum, non Expansum.* Similiter Servius in illud I Æneid.

> —— *Crinibus*
> *Iliades passis:*

Participium, inquit, *est ab eo, quod est Pandor. ideo autem non facit Pansus, quia plerumque N, quod in primâ verbi positione invenitur, in præterito participio non est: de qua re euphonia judicat. ut ab eo, quod est Tundor, & Tunsus facit; ut, Tunsæ* pectora palmis: & Tusus; ut, Non† obtusa adeò gestamus pectora Pœni. Sciendum tamen est, licet alia euphonia caussâ varientur, vel in generibus, vel in numeris: Nactus tamen, & Passus, N penitus nunquam accipere.* Sed non deest, quod tam Gellio, quàm Servio, obduci possit. Nam dixit Lucretius lib. I:

* 1 Æn.
† Ibid.

> *Denique fluctifrago suspensæ in litore vestes*
> *Uvescunt: eædem dispansæ in sole serescunt.*

Ita exaratus is locus in aliorum, nostrisque membranis. Multaque id genus apud alios scriptores in MSS legüntur. Et sanè nihil prohibet, à *pando* esse *pansum*, cùm à *scando* dicamus *scansum*. Imò à *pando*, & *pansum* est, & *passum*; ut à *tundo*, & *tunsum* est, & *tusum*; quemadmodum testatur Priscianus; cui adstipulatur Giffanius indice Lucretiano in voce *dispansus*. Iis, quæ de *tunsum* adfert, adde, quòd *obtunso ore* exaratum Casinâ V, sc. I, de eo cui messis pugnorum in os ingesta: *& obtunso allio*, legatur

gatur apud Columellam lib. VI, cap. VIII. quodque *obtunsis sensibus* legimus apud Tertullianum lib. I adversus Marcionem; prout quidem in Parisiensi B. Rhenani edit. excusum est. Id eò magis observandum, quia in Virgilii optimo illo codice Romano, ubi N plerumque videtur redundare, (unde & in eo legitur *obtunsior usus*) hunc tamen versum Pierius testatur ita concipi:

Cum graviter tusis gemit area frugibus:

non, uti in aliis legitur, *tunsis*. Præteritum hujus vocis producitur ab Ennio; è cujus Annalibus à Prisciano profertur hic locus:

Contudit crudelis hyems.

At Maro corripit VIII Æn.

—— *Et lapsa ancilia cœlo*
Extuderat.

Mando quidam *mandui*, quidam *mandidi* facere, putarunt, Prisciano teste. Sed *mandi* probat ipse illo Livii in Odyss.

Cum socios nostros mandisset impius Cyclops.

A *scando* est *scandi*, *scansum*. Veteres tamen à *descendo descendidi* dixisse, pro *descendi*, auctor est Gellius libro VII, cap. IX.

Pendo sine geminatione etiam *pendi* facere, doceri potest isthoc Livii lib. XLV: *Vectigal dimidium ejus, quod regi pendissent.*

Scindo usitatè *scidi*, ut olim *scescidi*, vel *sciscidi* fecit. Posterius usurpavit Plautus Pseud. act. IV, sc. I. Sed corrupere in *scindidi*; unde postea *indidi* factum. Quo de pluribus diximus, cùm de geminatione præteritorum agerenus*. Nec tamen ferram cum eo reciprocato, qui *indidi* malit: quando Priscianus, cum ait veteres *sciscidi* dixisse locum hunc Plauti non memorat. Et *in patinas sciscidi* videri possit longius paullo abire ab *in patinas scindidi*, vel *cindidi*; ut habent libri MSSi, & vett. editt. aliquæ. A *scidi* est præteritum, *scisum*, pro quo vulgò *scissum*. Nempe quia *scidi* priorem corripit, *scissum* producit; eo *s* addidere: ut cùm *Jupiter* putarent esse ex *juvans pater*, ne prima, origine adversante, corriperetur, *Juppiter* scripsere. Livius lib. III: *Detruncata corpora brachiis abscisis.* Ita libri MSSi. Uti & apud Justinum libro XV: *Abscisis auribus.* Et similiter *abscisio* est in vett. libb. pro *abscissio*: etsi Lambinus mutârit. Monuit Giffanius in Observationum libro. Ubi & *abscidere*, pro *abscindere*, in præsenti ait legi. Quomodo in v. c. Plauti in Amphytr. est:

Istam tibi sceleftam scelus linguam abscidam.

Nec mirum. Nam ut à πήγω, πηγεῖν, unde *pago*, posteaque *pango*: sic à σχίζω, σχιδεῖν, unde *scido*, postea *scindo*.

A *pedo* ut supinum *peditum* agnoscam, facit verbale *peditus*, vel *peditum*; ut à *crepitum*, *crepitus*. Catullus†:

Subtile & leve peditum Libonis.

Gloss. vett. *Peditus*, *peditum*, πορδή. Est & apud Charisium in II.

Fido, *fisus* sum, ad instar passivorum. Sic *confido*, *confisus* sum. Sed Livius etiam *confidi* dixit lib. XLIV. *Nec tum mœnia modò, sed agros etiam, confiderunt se à populationibus tueri posse.* Quod, credo, movit Henricum Stephanum, ut in sententiis Comicis*, Menandri versum transferens, non reformidet:

Damno carebis, hostibus ni fideris.

Tendo non tantùm *tetendi*, sed & *tendi*. Propertius libro III, Eleg. VII:

At tibi qui nostro tendisti retia lecto.

Scio, in recentibus edd. esse *nexisti*: sed *tendisti* est in vett. uti Aldinâ, & omnium primâ, quæ Regii Lepidi prodiit anno CIↃ CCCC LXXXI. Hoc qui mutarunt, Latinum non putabant. Atqui & Seneca dixit Hercule Furente:

Et qua plena rates carbasa tenderant.

In supino *tentum*, & *tensum* facit. Maronis est in VII, *Tellus extenta.* Indeque, ut suprà diximus, *tentum*, τὸ αἰδοῖον. At Lucani est in I:

Et varias ignu tenso dedit aëre formas.

Et in III:

—— *Tensisque rudentibus alta.*

Similiterque *ostendo*, *ostensum*, & *ostentum* facit. Lucanus in III:

Ut scelus hoc Sylla, cadesque ostensa placeret.

Et Varro lib. I de Re Rust. *Ostensus sol.* At idem libro III Rerum Divin. *Salute ostentâ.* Et Cato pro L. Cæsare ad populum: *Quod ego me spero ostenturum.* Citat utrumque Prisc. in IX. Indeque genitum, factumve contra naturam, *ostentum* dici, observat. Plura etiam addam ex Diomede. Sed locus est corruptus. In Putschianâ quidem legitur: *Publius Rutilius de vita sua: Uni una ostentata est.* Emendo, *ostenta est.* Nam *ostentata* sit ab *ostento*, non *ostendo*. Sequitur postea: Item pro Lucio Cærucio ad populum ex hoc derivavit participium: *Quod ego me spero ostenturum.* Vides citati ea verba ex Rutilio pro L. Cærucio ad populum: quæ Priscianus adducit ex Catone pro L. Cæsare ad populum. Prisciani locum integrum esse, fidem fecere nobis membranæ nostræ vett. optimæ sanè notæ, & antiquæ editt. a nobis consultæ, quæ hic conspirant. At apud Diomedem editio, quam Cæsarius exhibuit, sic habet: *Ideo P. Lucius Calius ad populum ex hoc derivavit participium.* Unde Diomedem sic corrigo: *Inde Cato pro Lucio Cæsare.* Ita probè convenient Diomedes & Priscianus. Pergit deinde Diomedes, ac similem locum Livii adducit: *Item pro Figulo ostentâ promissione.* Et Varronis lib. I. R. R. *Lacus optimus vino fit, & obtentus Soli.* Dispice interim, an non *ostentum*, & *obtentum*, veniant à verbis diversis: ac *obtentum* quidem sit ab *ob* & *tendo*: unde Valerius Flaccus lib. III Argonauticôn: *Ibat, & obtentâ mulcebat lumina pallâ.* Ostentum verò sit ab *obs* & *tendo*. Nempe ut *ob*, & *obs* dixerunt, sicut *ab*, & *abs*, unde *abstineo*. B in *ostentum* abjicitur: ut in *asporto*, pro *absporto*.

Cedo, *cessi*, facit. In Pandectis* tamen, *accedisse* scriptum est, pro *accessisse*: quomodo & in iisdem est *consistisse*, pro *constitisse*; cujusmodi damnare non ausim. Nam veteres & præterita sæpe præsentium modo inflectebant; & præsentia nonnunquam præsentium more efferebant: de quorum utroque notata quædam Scipioni Gentili lib. I Παρέργ. cap. XXXIII, & Antonio Popmæ de Usu antiqui Sermonis, cap. XII.

Itaque nec mirum, si dubitarint olim Grammatici, utrùm *cudo* faciat *cudi*, an *cusi*. Nam, ut ait Priscianus lib. X, *secundùm Diomedem, Charisium, Phocam, cusi; secundùm alios cudi: & videtur etiam Virgilius sic protulisse I Æn.*

Ac primùm silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis.

Excudit enim, tam præsens, quàm præteritum, potest intelligi: sed quia Suscepit subjunxit, meliùs præteritum intelligitur. Idque etiam Servius in commentariis Æneidos comprobat his verbis: Excudit autem, feriendo ejecit, quia cudere est ferire. Hactenus Priscianus. Verùm de Phoca quidem, si vulgari libello, nomen ejus præferente, stare licet, falli videtur Priscianus, cùm in eo disertim legatur: *Pauca præterea eandem clausulam habent novissimâ literâ præsentis temporis in I conversâ; ico, ici; solvo, solvi; cudo, cudi; volvo, volvi.* Diomedes quoque lib. primo, cùm dixisset, *cudo*, *cusi*, mox se revocans ait, *vel potiùs cudi, ut ejus compositum:*

Ac primùm silici scintillam excudit Achates.

Interea diffiteri non possum, Maronis locum neutiquam cogere pervicaces, quia, ut alibi ostendemus, conjunctio etiam diversos conjungat modos. Quocirca operæ pretium fuerit, illustriori testimonio terminationem isthanc comprobare. Id autem esto Columellæ, qui lib. III, cap. IX de Re Rust. ait: *Excusos pullos subducendum ex singulis nidis, & subjiciendum ei, quæ habeat paucos: ab eaque, si reliqua sunt, ova pauciora tollenda, & subjicienda aliis, quæ nondum excuderunt.* Idem lib. VIII, cap. III: *Die undevigesimo animadvertas, an pulli rostellis ova percuderint.*

* Cap. 19.

† Carm 55.

* Pag. 216.

* Ex Pomponii lib. I Senatusconsultorum.

Dubitâsse veteres, monet Diomedes, num *comesum* dicendum sit, an *comestum*: ac Didymum quidem de Sallustio scripsisse ait, *Comesto patrimonio*: mox verò hæc subjicit: *Valgius autem, De tralatione, Comesa patina* †. *Similiter & Varro: & ita melius, quasi adesa, & ambesa; ut Virgilius* ‡:

Ambesas subigat malis absumere mensas.

† *Ita hunc locum distinguo, ut Valgius dicatur librum de tropo translationis scripsisse, unde depromantur hæc verba,* Comesa patina.
‡ 3 *Æn.*

Rudo non *rudi* tantùm facit, sed & *rudivi*; quo usus Appulejus VII Met. Nisi id à *rudio* esse malis. Ab hoc etiam *ruditus* dici posse videtur asini vox, ut boum *mugitus*, leonum *rugitus*.

Ut *condo*, *condidi*, *conditum*, sic in compositione *abscondidi*, *absconditum*, probat Priscianus. Atque ita usi veteres. Nec aliter legere possis in illo Silii lib. VIII:

—— *Vitreisque abscondidit antris.*

Ut Ovidium, & alios mittam. Interea rectum quoque est *abscondi*: ut ostendit Nonius isto Pomponii Maccis Geminis: *Peri, non puellæ est, numquid abscondisti inter nates?* Ubi legendum, *Perii. num puella est? numquid abscondisti i. n?* Nec aliter fert versus in illo Lucani lib. X:

—— *Crassumque trabes absconderat aurum.*

Usus & Seneca lib. III de Beneficiis cap. XXV. Sic in supino tum *absconditum* dicitur, quod Tullius usurpat, uti & *abscondite*: tum etiam *absconsum*, unde *absconsio* apud Plinium; *absconsor* apud Julium Firmicum, & *absconse*, λαθραίως, in vett. glossis.

Concredui, pro *concredidi*, obsoletum est apud Plautum Casinâ act. II, sc. VIII:

Locus est paratus, ei ego amorem omnem meum
Concredui.

Nempe à verbo *concreduo*: quo usus in Aulularia act. III, sc. VI. Ut à δύω, *duo*, ac à δῶ, *do*: sic & *perduo* dixere, ac *perdo*; *creduo*, & *credo*. Nam & *credo* à *do* compositum, juxta Priscianum, qui sic dici censet, quasi *cretum do*. Aliis placet esse ex *cor do*, vel κῆρ δῶ.

A *cado* composita retinent A in supinis. Ita *occasurus* est apud Ciceronem *: *occaso Sole*, apud Gellium ex Cl. Quadrigario †: *recasurus* apud eundem Ciceronem ‡, & Suetonium *, ac Plinium †.

* *Pro Mil.* † *Lib.* 17, *cap.* 2. ‡ *Lib.* 15 *ad Att.* * *Aug. cap.* 96. † *Lib.* 2, *cap.* 26.

A *strido* quidam *stridui* protulerunt, Prisciano teste in VIII: sed *stridi* probat ipse illo Ennii in XI Annalium:

Missaque per pectus, dum transit, striderat hasta.

Similiter Seneca in Hercule Oetæo ‡:

Morior, nec ullus per meum stridit latus
Transmissus ensis.

‡ *Act.* 4, *vers.* 1163.

Quod si *stridui* invenitur, id à *strideo* erit.

Sido an præteritum habeat, disputatur. Priscianus quidem, *Abeo*, inquit, *quod est sido, præteritum non inveni.* Atqui Columella dixit lib. XII, cap. XXIV: *Deinde patiemur picem considere, & cùm sederit, aquam eliquabimus.* Lapsus eâ in re etiam Angelus Decembrius lib. IV de politia literaria, cap. XLVIII. Sed de compositis minùs apertum est. Ut cùm Seneca lib. II de Benef. cap. II, ait: *Cum subsedit cupiditas.* Nam alii à *subsideo*, alii à *subsido* deducunt. Priscianus censet, *sido* in compositione præteritum mutuari à *sedeo*. Quod etiam Diomedes docuerat lib. I, his verbis: *Sedeo, cum sit secundæ conjugationis, acceptâ præpositione mutatur in tertiâ*, fortè *tertiam*, *& facit, consido, assido, subsido. Quippe cùm Virgilius dicat* *, *Considere in ignes. Et Terentius* †, *Assido, concurrunt servi.*

* 2 *Æn.* † *Heaut. act.* 1, *sc.* 1.

Adde quod ut Maro ait V Æn.

Considere in ignes:

ita Ovid. XIII Met. dicat,

Neque adhuc consederat ignis.

Vasi, & *vasum*, vix extra compositionem invenias apud quemquam, præter priscos illos. Dixit tamen Tertullianus lib. de pallio, cap. III: *Eâ tempestate Osiridis, quâ ad illum ex Libya Hammon vasit ovium dives.* Ac apud Martialem lib. XII, epigr. V, legitur in Aldinâ:

Arctatus labor est, & breve vasit opus.

Pro quo in aliis, *rasit*.

Scando, *scandi*, *scansum*. Sic *adscendo*, *exscendo*, *escendum*, & *escendo*. Ab *exscendo* dixit Livius, *exscensum è navibus*. Idem ad *descensum*. Sed *ascendo*, idem ac *adscendo*. Unde apud Plautum, *escendere ad summum*.

Trudo, *trusi*, *trusum* facere colligimus ex præterito *detrusi*, & quia *molas trusatiles* dicimus. Vix tamen in simplici præteritum, vel supinum invenias.

Tudo, & *tundo*, dixere antiqui, ut *pago*, & *pango*. A tudo fuit *tutudi*, unde frequentativum *tutidare*, apud Ennium, & Lucretium: item verbale *tudes* mallei genus, unde *Tuditani* cognomen. Nam qui primus in familia id habuit tuditi simile. Ab eodem *tudo* est *tusum*: ut apud Plinium lib. XXXI,

Hæc tusa cribrataque vino.

Retuli in vitiis sermonis, & fusius.

Cap. XXVII.

De verbis, in GO, vel GUO, desinentibus. Ringo *non videri Latinum. Prisciani super eo error, & Decembrii.* Mingere, *vel esse barbarum, vel obsoletum. Camerarii ἁμάρτημα μνημονικόν.* Angor *nec* anctus, *nec* anxus, *nec* anxius, *facere in participio.* Fictus, *&* infictus, *pro* fixus, *&* infixus. Clanxit, *non* clanguit. Neglêgi, *&* intellêgi, *pro* neglexi, *&* intellexi. Ninxi. Ninguis. Ungui, *pro* unxi. Fligo, flictus. Pegi, *pro* panxi, *à* pango. *At* pepigi *à* pago, *hoc est* paciscor. Compactum *nunc à* compingo, *nunc à* compaciscor *dicitur.*

GO,

R*ingo* & Priscianus agnoscit lib. X; quem sequitur Grammaticorum vulgus. Nusquam tamen id hodie legere est; sed *ringor*, quod deponens est; ut & compositum ejus *subringor*. Terent. Phorm. act. II, sc. II:

Dum tibi sit, quod placeat; ille ringitur, tu rideas.

Quo tamen loco *ringis* corruptè legit, ac *ringo* dici, antè sesquiseculum probatum ibat Angelus Decembrius libro IV de politiâ literariâ parte XLVII. Cicero epist. V, libro IV ad Att. *Erimus uberiores, si & ille libenter accipiet, & hi subringentur.* Sidonius Carm. XXIII, quod Narbo inscribitur:

Multùm ringitur otiosa virtus.

Glossæ Philoxeni: *Ringitur*, σεσηρίζεται, ὀργίζεται. Olim habuisse præteritum, indicat verbale *rictus*.

Etsi verò & veteres Grammatici *mingo* agnoscant, pro eo tamen *meio* poni debuit: quo usus Persius sat. I, & Martialis, cùm alibi *, tum lib. III, epigr. LXXVIII:

Minxisti currente semel, Pauline, carinâ:
Meiere vis iterum, jam Palinurus eris.

* *Lib.* 11, *ep.* 47.

Cujus carminis elegantiam cognoscet, qui respexerit etymon Palinuri. Neque enim arbitror, verum esse, quod Turnebus censet in Adversariorum libris †, respexisse Poëtam ad obitum Palinuri: quasi sententia sit, in lotio suo, quod Græci οὖρον vocant, submersum iri, uti in undis periit Palinurus Virgilianus ‡. Porrò distichon hoc citat quoque Camerarius in argumento Curculionis Plautinæ. Sed, memoriæ lapsu, pro *meiere* posuit barbarum *mingere*: nisi culpam hancce in typographum conferre malimus. Supino *minctum* usus C. Titius, Lucilianæ vir ætatis, oratione eâ, quâ legem Fanniam suasit: *Judex testes poscit. ipsus it minctum.* Ita est in Stephanicâ, & Raphelengianâ. At in Aldinâ est *mictum*, quomodo Plautus *commictilis* dixit.

† *Lib.* 13, *cap.* 19. ‡ *Æn.* 5.

Ab *ango* præterito anxi usus Agellius lib. I, cap. II: *Ea res in fine quoque vitæ ipso animum ejus anxit.* Ab eodem Priscianus format supinum *anctum*, Diomedes verò *anxum*. Pro Prisciano sunt glossæ vett. ubi legas: *Antli*, ἀναγκασθέντες, ἀγχόμενοι. Sed neutrum apud classicos invenire potuimus. Imò nec illud liquet, an *angor* in præterito faciat *anxius*, quod scribit Diomedes. Nam videtur hoc esse nomen. Interim non dubium, quin ab *anxum* sit *anxius*, & *anxietas*.

Lingo in supino facit *linctum*. Plinius lib. XXXV, cap. XV: *Sulphur prodest & suspiriosis linctum.* Et lib. XXXVI, capite XVII: *Assius lapis prodest & phthisicis linctu.*

Fri-

Frigo, *frixi* facere, auctores sunt Diomedes, & Phocas. In supino habet & *frixum*; quo usus Corn. Celsus*: & *frictum*; unde Horatio† *frictum cicer*; *fricta nuces*, apud Plautum Pœn.‡

Figo in supino *fictum* habet, & *fixum*: ut scribit Diomedes lib. primo; ubi laudat illud Scauri de vita sua: *Sagittis confictus*. Idem Ciceronis, Varronis, aliorumque autoritate comprobat Obertus Giffanius in Indice, voce *fictus*. Jacobus quoque Cujacius, ac Scipio Gentilis*, observarunt, Callistratum† eodem modo dixisse: *Si quando navis, vel infícta, vel fracta, intra finis agri cujusque fuerit*. *Infícta* pro *infixa*.

Clango, *clanxi* habet: etsi *clanguit* dicat vetus S. S. interpres Num. cap. x. Sed de isto plura in libro de vitiis Sermonis.

Neglego olim *neglegi* fecit. Ita Æmilius Macer, in xvi Annal. teste Diomede, & Prisciano: *Omnem nostrum neglegerit autoritatem*. M. quoque Antonius, quem antiquas voces affectâsse, è Suetonio‡ constat, ita locutus videtur in epistolâ apud Ciceronem Philipp. xiii: *Theopompum, nudum, expulsum à Trebonio, confugere Alexandriam neglegistis*. Ita è manuscripto cod. emendat Janus Guiljelmius lib. ii Verisi. cap. xi. Estque huic simile *intellegerit*, pro *intellexerit*; quo non semel usus Ulpianus.

A *ningo*, *ninxi*, dixit Accius in Andromeda:

Cum ninxerit cælestium molem mihi.

Atque inde Priscianus esse vult *nix*; ut à *duxi*, *dux*; à *rexi*, *rex*. Sed *nix* est ex *nivis*, pro quo veteres dixere *ninguis*: quo Lucillium esse usum, testatur Charisius in primo. Ac Priscianus in vi citat ex Appuleji Hermagora: *Aspera hiems erat: Omnia ningue canebant.*

Ungo tantùm *unxi* habere, scribit Charisius: sed *ungui* etiam facere, Nisus, Papirianus, & Probus, putarunt, teste Prisciano in ix.

Veteres in præsenti *unguo* dixere: unde *unguen*, & *unguentum*.

Stinguo penè exolevit. Gloss. Cyr. Σβεννύω, *stinguo*. Onomast. *Stinguo*, σβεννύω. Vetus Poëta, Cn. nempe Martius vates, apud Livium lib. xxv:

Nam is Dius vestros perduelles stinguet ad unum.

Ut quidem Scaliger legendum conjectat ad Varr. Apud Livium est: *Nam is divus exstinguet perduelles vestros.* Unde malim ego, ut merus spondiacus sit:

Namque ollus dius stinguet perduelles vestros.

Eodem *stinguendi* verbo etiam Lucretium usum constat. Uti & Tullium in Arateis, quemadmodum Priscianus ostendit in x. Fortassè autem hoc verbum in elementalibus libellis à Grammaticis poni non debuit: sed ejus in locum substitui oportuit compositum *restinguo*, *exstinguo*, aut *præstinguo*; nempe eâ ratione, quâ ipsi *affligo* ponunt, non item *fligo*; quo tamen usus Lucretius lib. ii:

——*Nam cita supernè*
Obvia cùm flixère, fit ut diversa repente
Dissiliant.

Livium quoque Andronicum, & Attium, usos, docebit Nonius Marcellus. Indeque verbale *flictus*. Virgil. libro ix:

Dant sonitum flictu galeæ.

Hanc enim lectionem agnoscit quoque Servius; ut movere nos haut debeat, quòd in quibusdam codd. legatur *adflictu*: quod ex glossemate irrepsit. Sed & usus Silius lib. ix:

——*Galea horrida flictu*
Adversæ ardescit galeæ.

Itemque Ausonius epist. xxv:

Cymbala dant flictu sonitum.

Vide de hac voce, quid adversum Titium notârit Yvo Villiomarus, sive Scaliger lib. vi Locor. Controv. in capite ix.

Pergo, & *surgo*, primam simplicis *rego* in præsenti perdunt, quam in perfecto supinoque retinent.

Ineptè docent, *pango* in præterito facere *pepigi*, & *panxi*, cùm tantùm habeat *panxi*; quo utitur Columella lib. xi, cap. ii: *Olearum*, inquit, *taleam oportet*, *cum panxeris*, *fimo & cinere mistu obtinere*. Olim pro eo dixisse, *pegi*, ut *frango fregi*, tum indicant composita, *impegi*, *compegi*; tum testatum facit hoc Pacuvii apud Priscianum:

——*Tonsillam pegi lævo in litore.*

Usus quoque Cicero, ut testatur Turnebus in Apologetico*. Ejus est primo de legibus: *Requiri placere terminos*, *quos Socrates pegerit*. Ubi *pegerit* nihil aliud est, quàm *panxerit*. At *pepigerit* aliud fuerit. Nam significat, *pactus foret*. Quare *pepigi* non à *pango* est, sed à *pago*; pro quo posteriores dixere *paciscor*. Visum hac de re adscribere illustrem Quinctiliani locum è lib. primo, cap. vi: *Prima quoque aliquando positio ex obliquis invenitur*, *ut memoriâ repeto*, *convictos à me*, *qui reprehenderant*, *quòd hoc verbo usus essem Pepigi*. *Nam id quidem dixisse summos autores confitebantur*; *rationem tamen negabant permittere*, *quia prima positio Paciscor cùm haberet naturam patiendi*, *faceret tempore præterito Pactus sum*. *Nos*, *præter autoritatem oratorum*, *atque historicorum*, *analogiâ quoque dictum tuebamur*. *Nam cùm in* xii *Tab. legeremus*: *Ni ita pagunt*, *inveniebamus simile huic Cadunt*: *inde prima positio*, *etiamsi vetustate exoleverat*, *apparebat Pago*, *ut Cado*: *unde non erat dubium sic Pepigi nos dicere*, *ut Cecidi*. Fabii caussam juvat Priscianus lib. x; ubi citat illud Ciceronis è lib. ii ad Herennium: *Pacta sunt*, *quæ legibus observanda sunt*: *hoc modo rem ubi pagunt*, *oratione pagunt*. Supinum idem habet ac *pango*. Nam à *compingo* quidem Cic. lib. de finib. dixit: *Quod enim in operibus manu factis*, *tamque compactum & coagmentatum inveniri potest?* At à *compago*, vel *compaciscor*, dixit Plautus Captivis: *Extemplo rem de compacto geris*: & Livius lib. vi: *Ut multo verisimilius sit*, *compacto eam rem*, *& communi fraude patritiorum actam*.

Dego degi facit, cùm sit ab *ago*. Apud Symmachum tamen lib. i, epist. xxxii sic Ausonius: *Cum in comitatu deguimus ambo ævo dispari*. Sed in vett. codd. est *degimus*. Atque ita in ipso Ausonio legitur.

Diomedes à *vergo* format *verxi*: sed sine auctore.

Pollingo non reperi apud veteres: sed præteritum *pollinxi*, & verbale *pollinctor*. Ut apud Plautum in prologo Pœnuli:

Quia mihi pollinctor dixit, qui eum *pollinxerat*. In glossis Græcolatinis unico legas: ταριχεύω νεκρὸν, *Pollingo*. Et convenit cum etymo, si est ex *polio*, & *ungo*: ut ad Tertullianum notavit socer Franciscus Junius. Ubi *polire* sumitur, quomodo polire agros Ennius ait apud Nonium. Alteram compositi partem firmat hoc Appulei in Hermagora: *Pollinctor ejus funeri dum unctionem parat*.

CAP. XXVIII.

De verbis in LO. Alitum, *&* altum, *ab* alo: *sed illud præferri*, ὁμωνυμίας *vitandæ ergo*. Psalli. Pulsi. Excelleo. Plaustrum perculi, *paræmia*. *Erasmus notatus*. Velli, *&* vulsi; revelli, *&* revulsi.

A *Molo* est *molitum*. Cæsar lib. i de bello Gall. *Trium mensium molita cibaria sibi quemque domo efferre jubent.*

Alo quoque *alitum* facere, indicio est hoc Valerii Maximi lib. v, cap. iv: *Quid tam inusitatum*, *quid tam inauditum*, *quàm matrem natæ uberibus alitam?* Ex eo autem κατὰ συγκοπὴν factum *altum*. Sallustius apud Diomedem: *Arpini altus*. Sed *alitus* præfert Diomedes, ad ambiguitatem vitandam. Unde & *alimentum*.

A *psallo* est *psalli*. Bassus lib. ii Lyricorum apud Priscianum:

Calliope princeps sapienti psallerat ore.

A *pello* etiam *pulsi* videntur dixisse. Ulpianus quidem lib. lxx ad Edictum*: *Marcellus autem ait*, *siquis jus habens pecoris ad aquam appellendi*, *plura pecora adpulserit.*

LO.

* Lib. 2, cap. 18. etsi aliqui elixa reponant pro frixa.
† In Arte.
‡ Act. 1, sc. 2.
* Lib. 1 παρεργ. cap. 33.
† L. 7. de incendio, ruina, naufragio.
‡ Aug. cap. 86.
* Pag. 36. Apolog.
* Leg. 1. § 18. de Aqua quotidiana & æstiva.

ferit. Scio in vulgatis esse *appulerit*, vel *adpulerit.* Sed in Florentinis pandectis liquido exaratum *adpulserit.* Quod retinet quoque Scipio Gentilis lib. I Παρέργων, cap. XXXIII.

Dubitare videntur Grammatici veteres, num *exculi*, an *excellui*, an *excellivi*, dicendum sit. Probus quidem *excellivi* præfert. Sed Priscianus lib. X, duo priora: at ita ut fint à verbis diversis. Vult enim, tum *excelleo* dici, tum *excello*: ac *excelleo* quoque rectum esse, probat illo Plauti Pseud. act. II, sc. III: *Ut quisque fortunâ utitur, ita præcellet.* Et manifestiùs hoc Ciceronis primâ epist. ad Filium: *Quare effice, ut excelleas.* Ac docet Diomedes, similiter loqui Æmilium Macrum in secundo Ornithogonias: *Cum laude excellet omnes. Excello* autem, uti *antecello*, apud Ciceronem, & alios, passim usurpatur. Sic omnium instar est locus Lucretii*, ut qui infinitivum ejus efferat penultimâ correptâ:

* Lib. I, vers. 27.

Omnibus ornatum voluisti excellere dictis.

Itaque censet Priscianus, ab *excelleo* quidem esse *excellui*, ut a *caleo* est *calui*: at ab *excello* esse *exculi*, ut à *percello*, *perculi.* Gloss. *Perculit*, κατέβαλεν, ἐξέπληξεν. *Perculsum*, ἀποσεισθὲν. Habemus apud Maronem V Æn.

Perculit, & fulvâ moribundum extendit arenâ:

& apud Plautum Epid. act. IV, sc. II: *Peris, plaustrum perculi.* Ubi maximus Desiderius †, atque item Cælius Rhodiginus ‡, libris quibusdam decepti, perperam legunt, *austrum perculi.* Est enim adagium rusticorum, qui, ut Festus, ac Donatus*, docent, plaustrum perculisse dicuntur, cùm negotium aliquod everterunt, & perturbarunt. Ajunt & dici *perculsi*, unde sit *perculsum.* Ac Terentium laudat Andr. I, sc. I. Sed ibi in melioribus libris est *percussit*: uti in omnibus Mssis Palatinis. Objectant quoque Horatium lib. I, od. VII, Ciceronem pro Mil. & Lucanum lib. II. Sed Rivius ubique mavult *percussit.* Eademque Lambini mens, comment. in Horatium †.

† In Chiliad. ‡ Lib. 15, cap. 7. * In Eun. act. 2, sc. 3.

† Lib. 1, od. 7. Qui Lambinus tamen, Ciceronis locum adducens, perculit retinuit notis in illud ejusdem Poetæ lib. 2, sat. 2: Atque affligit humo.

De *sallo* dicam cap. XXXV.

Veuo, Charisio, Diomede, Priscianoque testibus, & *velli* facit, & *vulsi. Vulsi*, & *vulserunt*, sæpe est apud Lucanum. Ex Laberio etiam citat Diomedes: *Aliqua parte prævulserat.* At prius prætulit Cicero. Ejus est epist. XX, lib. V ad Att. *Ibi morati biduum perillustres fuimus, honorificisque verbis omneis injurias revellimus superiores.* Et epist. XV, lib. VIII: *Quæ me convellerunt de pristino statu.* Apud eundem de suppliciis est: *Revellistis, atque in profundum abjecistis.* Ovidius & *vulsi* usurpat. Ait enim epist. Hypsipyles ad Jasonem:

Aurea Phryxea terga revulsit ovis.

In aliquibus tamen codd. est *revellit.* Etiam est Metam. lib. VIII:

A silvis silvas, & ab arvis arva revulsi.

At paullò pòst legas:

Continuam diduxit humum, pariterque revellit
In totidem medius, quot cernis Echinadas, undis.

Similiterque dixit Maro IV Æn.

— Et quos Sidoniâ vix urbe revelli,
Rursus agam pelago.

Fortassè autem & altero usus est.

Nam primo Æn. in vulgatis quidem exaratum:

Nec patris Æneæ cineres, manesve revelli.

Sed in oblongo codice, quem delicias suas Pomponius Lætus vocare solet, *revulsi* legi ait Pierius: quod tamen improbat Servius.

CAP. XXIX.

De verbis tertiæ desinentibus in NO. Geno. *Censorinus cujas, & quando vixerit.* Genii, *unde dicantur.* Recano, *pro* recino. Recanui, occanui, concanui, *à* cano. Premi, *pro* pressi. *Imperfectum pro plusquamperfecto Subjunctivi.* Litum, delitor. *Varro correctus, apud Nonium.* Lino, lini, livi, *aut* levi *facit.* Posivi, reposivi, deposivi. Crevi, *pro* vidi, *aut* constitui. Cretum, *pro* statutum. Cretio. Sii, sivi, *vel* sini.

NO.

GIgno præterito caret: sed mutuatur *genui* à *geno*, quod non refugiunt Paullus & Ulpianus J. C. ut probat Scipio Gentilis in παρέργοις*, uti de altero horum Radulphus Fornerius †, sed post Gentilem, imò uterque post Scaligerum ‡. Usi quoque, Lucretius non uno loco, Varro lib. I de R. R. cap. XL, & lib. II, cap. II, Severus in Ætna, Appulejus lib. de Deo Socratis, multique alii. Unum tantùm adducam, Censorinum, scriptorem Romanum, (Romam enim suam, ac Q. Cærellii, ad quem scribit, communem patriam facit*) & sat antiquum, ut qui se scribente agi dicat † annum à conditu Romæ nongentesimum, nonagesimum primum ‡. Ejus, quem dixi, scriptoris hæc sunt verba cap. tertio aureoli libelli de die natali: *Hic sive quòd ut genamur curet, sive quòd unà genitur nobiscum, sive etiam quòd nos genitos suscipit, ac tuetur, certè à genendo genius appellatur.* Ita enim in Msf. codd. legere est, quorum scripturam repræsentavit Carrio: ne quis moretur, vel editionem Eliæ Vineti, in qua & *gignendo*, & *gignitur* corruptè editum est: vel autoritatem Antonii Delrio, qui initio commentarii in Senecæ Medeam, hunc locum adducens, pro *genamur* legit *generemur*, ac *gignitur* retinet cum Vineto.

* Lib. 1, cap. 27. † Lib. 5 rerum quotid. cap. 10. ‡ Comment. in Severi Ætnam. * Cap. 15. † Cap. 21. ‡ Hic est, annum Christi Dionysianum 238.

Cano cùm *cecini* habeat, in composito erit *occini*, quod probat Diomedes. Sed alii malunt *occinui.* Ejus præsens est *occino*, vel *occano.* Nam veteres simplicis vocalem retinebant. Tacitus lib. II Annalium: *Tum Sentius occanere cornua, tubasque, jussit.* Similiter *recano* dicebant, pro *recino.* Itaque vett. Msf. apud Maronem in Culice habent:

Et recanente lyrâ.

Ubi vulgares, *recinente.* Itidem aliquantò post in vett. codd. legitur:

—— Calamo recanente palustri.

Porrò *cano* olim etiam *canui* fecit: item compositum ejus *occano*, *occanui.* Verba sunt Servii ad II Georg. *Sic etiam ab eo, quod est cano, non cecini, sed canui dicebant. Sallustius: Cornua occanuerunt.* Idem testatur his verbis Priscianus lib. X: *Quidam & occano occanui protulerunt, ut Sallustius in pr. Histor. Metelli cornicines occanuère.* Itaque dubitat Petrus Colvius, an apud Appulejum primo Floridorum *concanuisse* sit legendum, ubi in vulgatis quidem est *certavisse*, at in nostris etiam membranis *concanisse.* Sunt & alia id genus, quæ apud antiquos in præterito reservarint consonantem præsentis, contrà quam nunc fit. Nam Ennius, atque alii, *consisti*, pro *constiti*, dixerunt. *Premi*, pro *pressi*, usurpat Cato capite LXVI. *Atterui*, pro *attrivi*, Tibullus, & fortassè *atteritis* pro *attritis* Tacitus: de quibus postea dicemus. Ac, hujuscemodi exemplis adductus, vir eximius putabat, Plautum Milite I, I, quo loco *transmitteres* legitur in vulgatis, *transmitteras* scripsisse, pro *transmiseras.* Sed eos hic sequimur, qui *transmitteres* retinent, & pro *transmisisses* poni ajunt; eâ nempe ratione, qua, eâpse scenâ, *occideres* ponitur pro *occidisses*: quod cùm non attenderet Duza, *occideras* scribendum, pro *occideres*, credidit.

Lino, *litum*, facit. Virgil. IV Georg.

—— Et paribus lita corpora guttis.

Martialis lib. X, epigr. LXVIII:

Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis.

Cicero epist. I ad Calvum: *Tuli molestè, quod litera delita sunt a te reddita.* Et IV Verr. *Tabulæ sunt in medio, quæ se corruptas, atque interlitas esse, clamant.* Attius in Atreo:

Epularum fictor, scelerum fratris delitor.

De præterito ejus non convenit. Apud Columellam* *livi* legitur: *Nova dolia, vel serias, crassâ gummi liverunt.* Apud Quinctilianum † *lini*: *Mariti*, inquit, *tui cruore parietum linisti.* Apud Varronem *linii*: *Cum*, inquit, *oblinierit vasa.* Tamen nullum vulgò ex hisce præteritis probant: sed *levi.* Unde *relevi* apud Terentium ‡. Sed alii malunt esse à *releo*, quod ejusdem erit originis ac *deleo.* Sanè apud Diomedem disertim scribitur: *Deleor, delitus, & deletus. Cicero ad Filium: Ceris deletis. Varro*

* Lib. 12, cap. 50. † In Declamatione cæci. ‡ Heaut. act. 3, sc. 1.

in

in Prætorianâ: Delita litera. Calvus ad uxorem: Prima epistola videtur in via delita. Similiter ab *oblino*, sive *obleo*, est *oblevi*. Varro Mysteriis apud Nonium in Portitores: *Æs defraudasse cauponem, bonam luto oblevisse, tum portitores ara induxere.* Ubi pro *bonam* legendum *obbam*. Canterus enim Novarum Lectionum lib. VI, cap. VI, haut rectè *cauponam* emendat. At *linivi*, vel *lini*, *linitum*, sunt à *linio*; quod est quartæ.

Pono olim fecit *posivi*: quod e Plauti Vidulariâ, & Appulejo in primo Hermag. probat Priscianus. Adde Plautum Asin. act. III, sc. I: *Quin pol si reposivi remum.* Et Curcul. act. IV, sc. III:

Nunc nisi tu mihi propere properes dare jam triginta minas,
Quas ego apud te deposivi, vitam properâ ponere.

Item Casinâ act. IV, sc. IV: *Peni exposivit cubito.* Catullus*:

O Latonia, maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam.

Hinc *deposisse*, pro *deposivisse*, ἀρχαϊκῶς† dixit Maro in parœdia:

Tuâ in palude deposisse sarcinas.

Sic cum Scaligero lego. Alioquin enim non sint jambi meri.

Cerno tum tantùm *crevi*, & *cretum*, facere ajunt, quando de hereditate sermo est. Sed contrarium evincit Priscianus illo Titinnii in Geminis: *Simul ut pueras has noctu suspirare crevi.* id est, vidi. Et isto Plauti Cistell. act. I, sc. I: *Cùm ego antehac te amavi, & mihi amicam esse crevi.* Quem locum Varro etiam profert lib. VI de L. L. ubi hæc eâ de voce apponit: *Crevi*, inquit, *valet constitui. Itaque heres cum constituit se heredem esse, dicitur cernere, & cùm id fecit, crevisse.* Idem Plautus eâdem comœdiâ act. II, sc. I‡:

Satin' tibi istuc in corde cretum est?

Ita eum locum legit Jos. Scaliger, pro quo in vulgatis *certum*, fortè ex glossâ. Nam idem significant *cretum*, & *decretum*, quod constitutum, aut certum. Hinc Sallustius Orat. ad Cæs. *Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitanti tibi in promtu sit.* Est & in usu verbale *cretio*: quo quid in hæreditatibus significetur, docebunt Ulpianus Tit. XXII, Isidorus lib. V, cap. XXIV, & Alciatus lib. III Distinctionum, cap. VII.

Sino usitatius *sivi*, vel *sii*, interdum & *sini* facit. *Sii*, sive, ut in aliis legitur libris, *sivi*, usurpant Varro lib. VI Epist. quæstionum, & Terentius in Adelphis‡. *Sini* vero idem Varro apud Priscianum, tum & Publius Rutilius, & Scaurus de vitâ suâ: quorum verba adfert Diomedes, sed corruptè totus is locus legitur in editionibus, quæ Putschianâ priores. Hæc enim codicum antiquorum fide veram lectionem indicat, ut & Gaspar Schoppius lib. III suspect. lect. epist. III.

* Carm. 35.

† Antique.

‡ Act. 1, sc. 2. ubi siit est in codice Bembino, quem Faernus expressit: sivit in aliis, etiam Tarvisina veteri an. 1477: item Mss nostris. In paucis etiam Mss pro sivit est sinit. Ut & And. act. 1, sc. 11, vers. 17.

CAP. XXX.

De verbis exeuntibus in PO. Clepere. Clepsi. Scelerus, *pro* scelestus. *Plauto medicina.* Terui, *pro* trivi: teritum, *pro* tritum. Serui. Dissero, desero, inserui, *quid propriè notent.* Desitus, & desertus, *pro insito sive inserto.* Verri. Versa templa, *hoc est*, σεσαρωμένα. Versus *unde dicantur.* Verritum. Converritor. Curri. Futui, *sequioris ævi vox.*

PO. Carpo, juxta Terentium Scaurum, facit *carbsi*, contra quàm fit in *scribo*, quod *scripsi* habet. Illic P in B; hic B in P abit. Sed hæc ratio scribendi non observatur in vett. libb. ubi & *scribsi*, & *carpsi*, legitur. Diximus de hoc suprà, cum de *Scribo* ageremus.

Clepo clepsi facit. Neque enim assentio iis, qui utrumque aut barbarum censent, aut sanè obsoletum. Nam Senecæ est in Medeâ act. II, sc. II:

Levis est dolor, qui capere consilium potest,
Et clepere sese.

Et in Hercule furente act. III, sc. II:

Tunc ipse rictum, & Cleonæum caput
Opponit, ac se tegmine ingenti clepit.

Quibus locis *clepere* est *tegere* sive *abscondere*: quomodo & idem Seneca *furari* accipit in Agamemnone act. V, sc. II:

Germane, vultus veste furabor tuos.

Clepsi verò est apud Manilium lib. primo:

——*Quis enim condentibus illis*
Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur?

Antiquè pro eo *clepi* dicebatur. Sanè vett. lib. apud Cic. II de Legg. habent: *Sacrum sacrove commendatum, qui clepserit, rapsitque, parricida esto.* Atque eam lectionem probat Turnebus in Comment. & Scaliger in lib. II. Varronis de R. R. cap. IX. Vulgati habent *clepsit*, *rapsitque*. quod *clepi* non minus, quàm clepsi firmat. Nam ut à *rapuero*, *rapro*, *rapso*: sic à *clepo*, *clepero*, *clepro*, *clepso*, R in S abeunte, ut alias sæpe.

A *tero* est *terii*, & *trivi*, juxta Appulejum; quemadmodum scribit Charisius in tertio*. Sed fortasse pro *terii*, *terui* legendum. Quo usus Plautus Pseud. act. III, sc. II:

Teritur sinapis scelera cum illis, qui terunt:
Priusquam teruerunt, oculis ut exstillent facit.

In vulgatis pro *scelera* est *scelerata*, & pro *teruerunt*, *triverunt*. Sed *scelera*, pro *scelerata*, & versus requirit, & Servius Danielis† hoc loco agnoscit. *Teruerunt* verò, pro *triverunt*, Plautum hic scripsisse, Priscianus auctor est lib. VI. Ubi tamen *triverunt* in Heliæ Putschii editione‡ legitur: sed *teruerunt* reperi in antiquis, uti Venetâ anni CIↃ CCCC LXXVI. Et similiter dixit Tibullus lib. I, eleg. IV: *Aut operi insuetas atteruisse manus.* Ita & princeps editio*. Apud Tacitum quoque primo Historiarum in optimo illo Vaticano, teste Lipsio, scriptum est, *Mox atteritis opibus*: pro quo vulgati habent, *attritis*. Longè tamen *trivi* præfert Velius Longus, cùm scribit: *Item terui, & trivi, non adscribo huic disputationi, sed consuetudini, sed nova, & veteri adnotationi. Nam & Virgilius, secutus antiquos, cùm possit dicere (terui,) non impediente metro; maluit dicere†, Nec te pœniteat calamo trivisse labellum: &‡, Hinc radios trivere rotis.*

Quemadmodum autem à *tero* fuit *terui*: sic à *sero* non *sevi* tantùm, sed & *serui* dixere. Usus hoc Ennius in præceptis, Prisciano teste. Atque hoc remansit in compositis, quando translatè sumuntur: ut *inserui*, *asserui*, *conserui*, *deserui*, *disserui*, *exserui* &c. Nam propriè *deserere* est, à satione decedere; *inserere*, semina inspergere; *disserere*, semina in diversas areolas spargere, & sic in cæteris. Varro lib. I de R. R. cap. XXIII: *In recentibus pomariis, desitis seminibus, in ordinemque arbusculis positis, primis annis, antequam radices longiùs procedere possint, alii conserunt hortos, alii quid aliud.* Ubi Scaliger *desita semina* interpretatur malleolos in agro surculario depositos. At pro eodem *desertus* dixit Tibullus*:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Ubi *desertus* est in terram depositus, seu solo insertus. Fortasse tamen veriùs dixeris, olim duplex fuisse *sero*: unum ab εἴρω, hoc est, *ordino*: alterum à σπείρω, seu σπέρω, id est *sero*, π extrito: ac priori significatione fecisse *serui*, *sertum*: posteriori autem, *sevi satum*. Sanè *consevi*, *insevi*, habent significationem seminandi: at *inserui*, *conserui*, ordinandi.

Verro, inquit Priscianus, *versi facit, secundum Servium; secundum Charisium, verri, quod & usus comprobat. Licinius Macer pro Thuscis: Quos opertuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt. Publius†: Cellas servorum converri.* Supinum ejus est *versum*: unde apud Catonem‡, *Villam conversam mundamque habeat.* Apud Cic. Verr. III: *Etenim quam tu domum, quam urbem adiisti, quod fanum denique, quod non*

* Cap. de tertio ordine.

† In illud 9 Æn. Nec te tua funera mater.

‡ Pag. 682.

* Anni 1481, Regii Lepidi procurata.

† Ecl. 2.

‡ 2 Georg.

* Lib. 1, el. 1.

† In Mutone, al. Muto. Mutone; pro quo in Mss nostro est, Muntone.

‡ Cap. 143.

non eversum atque extersum reliqueris? Fortasse & apud Maronem 1 Æn.

Et versâ pulvis inscribitur hasta.

Nam, si credimus Diomedi, *melius est tractâ intelligere, quàm inversâ.* At apertiùs apud Diomedem Seneca e deperdito * dialogo de superstit. *versa templa.* E Plauto quoque idem Diomedes citat, *versa, sparsa.* Ac putat Acidalius, signari locum Pseudoli act. 1, sc. 11, ubi in vulgatis legitur:

Versa, prasterga †, strata, lautaque coctaque omnia uti sint.

Nam legendum esse,

Versa, sparsa, tersa, strata, lauta, coctaque omnia ut sient.

Quam emendationem pluribus rationibus idem Acidalius comprobat. Porrò quia non à *vertendo* tantùm, sed à *verrendo* etiam in supino *versum* dicimus: hinc eruditus interpres Mat. XII σεσαρωμένον transtulit *versum:* ubi vulgatus habet *scopis mundatum.* Eapse de caussa, si codicibus editis fidem habemus, Julius Scaliger lib. 11 de re Poëtica, cap. v, more suo à Grammaticorum vulgo dissentiens, *versui* nomen esse autumat à *verrendo*, hoc est sulcando, scalpendo, & tollendo aliquid è ceræ, in qua scribebant, superficie, ita ut depressio relinqueretur. Quæ verba attentiùs consideranti patet rationem potiùs adferri, cur à vertendo sit, quam verrendo. Nam *vertere* est sulcare, more agricolarum, qui in arando terram vertunt, ut loquitur Maro *, ac sulcum faciunt. Quare omnino est à *vertendo:* ac licet nonnulli doctissimi viri, autoritate Scaligeri compulsi, à *verrendo* deducere malint: tamen eorum magis mihi judicium probatur, qui apud Scaligerum, typothetarum culpâ, *verrere*, pro *vertere*, irrepsisse conjectant. Fortasse & *verritum* pro *versum* dixere. Nam verbale *converritor* est apud Appulejum in Apologia:

Converritorem pridiana reliquia.

Curri in præterito usurpat Tertullianus lib. de fuga in persecutione cap. XII: *Pedibus stetisti, curristi nummis.* De compositis ejus diximus, cùm ea expenderemus, quæ præteritum geminant.

Furo, pro quo malè apud Nebrissensem est *furio*, præterito caret. *Furui* tamen inde flectit Servius. Imò & Sedulius dixit lib. 1 operis paschalis:

Nec minus & Darii furuerunt jussa tyranni.

Neque dubitavit copse modo loqui Philelphus, epistolâ ad Antonium Panormitam: ubi Lucretium ait, hausto poculo amatorio, *furuisse.* *Furo* in primâ est insolens. Eo tamen usus Varro, teste Prisciano, qui inflectere jubet, *furis, furit.* Imò ipsius est Ciceronis in 11 de Divinat. *Qui valetudinis vitio furunt, & melancholici dicuntur.* Et ad Quinct. F. *Clodius furebat, se contumaciter urbaneque vexatum.* Quorum exemplo usus quoque Aratus lib. 11:

Cui pelagus, tellusque furunt.

Cap. XXXI.

De verbis in SO, vel TO. Lacessivi, lacessii, & lacessi, *similiaque.* Depsui, perdepsui. Pinsitum, pinsum, pistum. Pinsere, pisere, pinsire. Pexui, *vel* pexi; pexum, pectitum, pectum, *unde* impectare. Fluctum, nectum, connectus. Complexus, *a* complecto. Sterti, & stertui. Messui. Nexui, & nexi. Statum *a* sisto. Abstit, *pro* abstitit. *Discrimen, quod inter* enisus, & enixus, *ponunt, non observatur.*

50. Capesso, arcesso, lacesso, similiaque, malè quidam spoliant præteritis supinisque, cùm in illis habeant IVI, in his ITUM. Quod plurimis evincitur exemplis. Cic. pro domo suâ: *Nos te, Antoni, nullâ lacessivimus injuriâ.* Et in Pisonem: *Responsione me inimicâ homo promtissimus lacessivit.* Idem lib. IV de Repub. apud Augustinum lib. 11 de Civit. Dei: *Æschines, civis Atheniensis, vir eloquentissimus, cùm adolescens tragœdias actitavisset, Remp. capessivit.* Tacitus quintodecimo Annal. *At Flavium Scevinum, & Afranium Quintianum, uterque Senatorii ordinis, contra famam sui, principium tanti facinoris capessivêre.* Ibidem: *Igitur digressus castellis Vannius funditur prælio, quamquam rebus adversis laudatus, quod & pugnam manu capessivit, & corpore adverso vulnera excepit.* Supinum quoque, & participium hinc deductum, ab eodem usurpatur. Ut IV Histor. *Nos quamquam toties lacessiti, jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur.* Idem lib. VI Annal. *Meliora capessiturum Macrone duce.* Dixitque eodem modo Cic. VI Verr. *Antequam audissent, ei negotium facessitum.* Et Claudianus lib. de bello Getico *:

Sæpe lacessitam, sed non impune, fatemur Ausoniam.

Quibus refellitur Ugutionis & Alexandri somnium, scribentium *capessum*, & *lacessum*, dici debere. Et hæc quidem integra. Interdum verò in præteritis V κατὰ συγκοπὴν ejicitur. Certè Priscianus quoque autor est, Verrinâ primâ, in quibusdam libris, legi: *Ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum facessieris.* Dixitque copse modo Livius lib. x ab V. C. *Per biduum lacessière hostem.* Et Tacitus lib. XII Annal. *Pugnam manu capessiit, & corpore adverso vulnera excepit.* Hinc alterius quoque literæ abjectione *lacessisset* est apud Comicum in Phormione †:

Vetus si poëta non lacessisset prior.

Estque isthæc συγκοπὴ multò usitatissima in *incesso.* Columella lib. XII. *Pluviæ incesserunt.* Livius lib. III ab V.C. *Ingens metus incesserat patres.* Tacitus lib. III Annal. *Quoties valetudo adversa flaminem Dialem incessisset.* Idem lib. XV: *Quia rumor incesserat, pontem cessurum oneri, dolo fabricantium.* Et lib. II Histor. *Marium Celsum variis criminibus incesserant:* Et lib. III Hist. *Fuere qui uxorem L. Vitellii Triariam incesserint.* Occurrit & ea syncope in *capesso*, & *facesso.* Tacitus lib. XIII Annal. *Julius quidam Montanus senatorii ordinis; sed qui nondum honorem capessisset.* Et lib. IV Histor. *Igitur à laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives & eloquentiâ clarus, nulli unquam sub Nerone periculum facessisset.* Hæc eo fusiùs adferre visum, quia multi è Grammaticis, inter præterita integra, & συγκοπὴν passa, non satis distinxerunt.

Depso, etsi ad nequitias transferatur, naturâ tamen suâ verbum est honestum. Atque ita usus Porcius Cato cap. XC. Præteritum ejus *depsui.* Unde L. Pomponius ‡, Atellanarum poëta, in Nuptiis:

—— Partem insipui, conclusi, condepsui.

Et Catullus * similiter *perdepsui.* Catonis etiam est: *Ubi depsueris, aliam aquam infundito.*

Pinso pinsui facit: quod Probus illo Pomponii ostendit:

Neque molis molui, neque † pilis pinsui.

At triplex habet supinum, *pinsitum*, & κατὰ συγκοπὴν, tum *pinsum*, tum *pistum.* Columella lib. XII, cap. XXVII: *Irim bene pinsitam, nec plus unciæ pondere addito.* Sic, *pinsitum panicum*, apud eundem extremo cap. IX, lib. II: &, *pinsitum hordeum*, cùm alibi, tum lib. VIII, cap. IV. *Pinsum* dixit Vitruvius lib. VII, cap. I: *Id non minùs pinsum * absolutum crassitudine sit dodrantis.* *Pistum* est apud Plinium lib. XVIII, cap. X: *Si pista serantur.* Indeque *pistor*, & *pistrinum.* Veteres autem, Diomede teste, pro *pinso* etiam dixère *piso* absque N, quâ de re post Turnebum, & Scaligerum, pluribus agit Gaspar Schoppius lib. 1 Suspect. lect. epist. XVI. Adi & Casaubonum ad illud Persii sat. I:

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit.

Olim hoc verbum quartæ fuit. Unde Ennius apud Varronem lib. IV de L. L. —— *Cubitis pinsibant humum.* Imo & *pisare* dictum. Varro lib. III de R. R. cap. LXIII: *Ut in pistrino pisetur, ac torreatur.* Similiter ex Veranio Verrius, sive Festus in *Muries: Sali in pila pisato.* Sic codex Farnesianus: ubi in aliis *pinsato*, sed perperam.

Nem-

* Dialogorum ejus meminit & Fabius: libri de Superstition., Tertullianus in Apoleg. & Augustinus lib. 6. de Civ. Dei.

† Al. pratterga.

* 1 Georg.

* Vers. 290.

† Prolog.

‡ Apud Nonium in Condepsere.

* Carm. 75.

† Fortasse scribendum, neve pilis: ut sit jambicus senarius.

* Ita & Florentina lunta an. 1522.

Nempe ut *cubare* & *cumbere*, sic *pisare* & *pinsere* dixerunt.

Plerique, ut inquit Priscianus, *pexui à pecto protulerunt. Charisius, pexi. Mecænas in Octavia: Pexisti capillum natura muneribus gratum. Asper tamen, pectivi.* Hæc ille. Supinum est *pexum*, vel *pectitum*. Columella lib. x: *Verùm ubi jam puro discrimine pectita tellus.* Idem lib. xii, cap. iii: *Præparata sunt, & pectita lana.* Et, credo, quia *pectitum* dicitur, etiam *pectivi* dici putavit Asper. Equidem ita loqui non ausim. Fortasse autem in supino & *pectum* dixêre; unde *impectare*, prout in vett. codd. legi, scripsit Victorius, apud Varronem lib. iii, cap. xvi: *Itaque impectantes à se ejiciunt fucos.* Sanè & *fluctum* in usu olim pro *fluxum*, & *nectum* pro *nexum*; unde *connectus* apud Lucretium lib. ii:

Exiguis intervallis connecta resultant.

Atque inde & lib. iii comparativus *connectius*, pro *conjunctius*.

Plecto plexui format, saltem in significatione implicandi. Ita quidem Hieronymus in libro Judicum cap. xvi: *Si septem crines capitis mei licio plexueris, & clavum his circumligatum terra fixeris, infirmus ero.* Priscianus ait *plexi* facere, sed antiquè. Adfert autem hoc Lævii in vi Erotopægnion:

Andromacha perdudum, manu
Lascivulà, ac tenellulà,
Capiti meo, trepidans, libens,
Insolita plexit munera.

Prout eos versus digessit, ac correxit ὁ πάνυ Grotius. In vulgatis, ac Mso etiam nostro, & veteri Venetâ†, est *insolito munere*: sed sententia, & metrum, suadent prius.

† *Anni 1476.*

Complexus non tantùm venit à *complector*, sed & à *complecto*. Ita usus Plautus Amphitr. act. pr. sc. primâ:

Qui complexus cum Alcumenâ, cubat amans, animo obsequens.

Fallitur Lambinus, cùm *eam* subintelligit. Nam *complexus* conjungi debet cum duabus seqq. vocibus. Eodem modo voce *complexus*, & *implexus*, Lucretium uti, ostendit Duza in Centurionatu. In glossis Philoxeni legas, *Plectibile*, & *plectile*: quæ exponuntur, πλεκτὸν, πλοκτόν.

Sterto, juxta aliquos, *sterti* facit. Sed *destertuit* est apud Persium sat. vi. Nec Priscianus, aut Valerius Probus, præteritum aliud, quàm *stertui*, agnoscunt.

Meto messui habet: etsi eo tempore deficere credat Diomedes. Quæ & sententia est Charisii. Nam præterito ait dici, *messem feci*. Ad circumlocutionem autem non recurreret, si ex se præteritum gignere putaret. Atqui Catonis* est apud Priscianum†: *In campo Tyburti, ubi hordeum demessuit.* Supinum est *messum*; unde *messus*, *messis*, *messio*.

* *Lib. 2 Orig.*
† *Lib. 10.*

Necto nexi habere constat. An *nexui* quoque faciat, dubitatur. Priscianus quidem *nexui* agnoscit, sed à *nexo*: ac sententiam suam probat illo Maronis in quinto:

Et paribus palmas amborum innexuit armis.

Verùm id non evincit, quod Priscianus existimavit, quia dicere possumus cum Diomede, *necto* habere geminum præteritum, *nexui*, & *nexi*; priori usum Maronem; posterius usurpari à Lucilio lib. quincto:

—— *Hic solus vigilavit opinor,*
Et cùm id mi visus facere est, tum retia nexit.

Similiter Mecænas apud Diomedem:

—— *Nexisti retia lecto.*

Sisto facere *stiti*, M. Catonis loco ostendit Agellius lib. ii, cap. xiv. Usurpat hoc præteritum Ulpianus‡ quoque; ut & supinum *statum*, *Cum*, inquit, *quis judicio sisti promiserit, neque adjecerit pœnam, si statum* non esset.* Idem†, *Non videri in eadem caussa statum.* Item Paullus Jurisc. *Ita stipulatus sum, te sisti certo in loco, si non steteris.* Item, *Licet unus status non sit.* Et, *Omnes status non esse.* Indeque *Stator* Jupiter. Cui ædem Romulus vovit in pugna cum Sabinis, cùm sui fugerent. Ut & Samnitico bello fecit M. Attilius Regulus consul, anno Urbis cccclix. Nempe nomen Statori ex eo, quia fœdam sisteret fugam. Vide Livium lib. i, & x. Pro *abstitit* per syncopen *abstit* dixit Ovid. xi Metam.

‡ *L. 3. Si quis in jus vocat.*
* *Quamquam nec status displicet: ut in locis Paulli, quos subdo.*
† *Si ex nox. caus. leg. 1.*

Alcyones lachrymas, & qua pars admonet abstit‡.

‡ *Sic vett. libb. & Prisc. lib. 9. ubi vulgo perperam absit: etiam in Mso nostro, & Veneta veteri an. 1486. item Aldina.*

Viro docto magis placet, *abstit* ἀρχαϊκῶς dici, pro *abstat*: ut *obstire* pro *obstare*. Sed mihi id parum fit verisimile. Ab *existo* supinum est *exstitum*, unde *exstiturus* est apud Ulpianum: *Si diu incertum, hæres exstiturus, nec ne sit.*

Nitor nisus sum facit, & *nixus*. Utrumque legitur in codd. antiquis: sed *nisus* probat Valerius Probus; qui *nisus* à *nitor* nihil scribendi modo differre vult à proprio *Nisus*. Ita apud Ciceronem ad Q. Fratrem epist. iii: *In quo enitar non minus, quam sum enisus in nostro.* Cæsar lib. ii belli Civ. *Brutus celeritate navis enisus, ut parvo momento antecederet.* Livius lib. iv, & v, *annisi sunt. Annisurus* lib. ii, iv, xxxv. Tacitus i Annal. *Seque inferre munitoribus nisi.* Et aliquantò post: *Enisaque legiones.* Et lib. iii: *Latonam partu gravidam, & olea, qua tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea numina.* Ubi *adnisam* de partu legimus. At de alio conatu *enixum* dixit Sallustius in Jugur. *Ab adolescentia ita se enixum, ut ab optimo quoque probaretur.* Livius lib. i ab V.C. *Quod annixurus pro se quisque sit.* Unde liquet, falli Grammaticos, qui *enixus* de partu; *enisus* de alio quovis conatu, dici semper, putant. Cautiùs Diomedes, qui agnoscit, confundi ea à veteribus: sed addit, *Nisus meliùs dici à nitendo: ut Enisa sit viribus conata, Enixa ad partum referatur.* Idem, uti & Servius tradunt sua ætate adnixus per s, non per x scribi solere in illo Maronis:

Cymothoe simul & Triton adnixus acuto
Detrudunt naves scopulo.

Cap. XXXII.

De verbis tertiæ in O purum. Parui *an dicatur pro* peperi. *Manilii versus aliter, quam à Scaligero factum, digesti.* Allicui, & pellicui. Salsum, & salitum. Sapui, sapivi, sapii; resipui, resipivi, resipii. Quassi. Compluitus. Pluvi, *pro* plui. Luvit, *pro* luit. Annuvit, *pro* annuit. Rutum, *unde* ruta cæsa, & dirutus. Ruitum, *unde* ruiturus, & diruitus. Fluctum, *vetus supinum.* Defrutum *quid, & unde dictum.* Defrui. Fretus *non est à* fruor; *sed* fruitus, & fructus. Perfructus. *Circa* fructus ἔτυμον *aberratum à Varrone, Isidoro, Angelo Caninio.* Fructurus.

Venio ad verba desinentia in O purum: ex quibus verba in IO hoc habent singulare, quòd cùm verba alia O mutent in IS, ut *lego*, *legis*; *carpo*, *carpis*; *ruo*, *ruis*: hæc IO in IS convertant; ut *facio*, *facis*, non *faciis*; *capio*, *capis*, non *capiis*.

Pario olim, non *peperi* tantùm, sed etiam *parii* fecit, quia verbum hoc olim quartæ erat: unde *parire*, apud Ennium. Itaque, si Scaligero credimus in Conjectaneis, Manilii versus, qui apud Varronem leguntur in vi de L.L. sic debent digeri:

Deli gemellos creta Titano Deos
Latona pariit casto complexu Jovis.

Sed in cunctis Varronis codicibus *geminos*, non *gemellos*; *parit* item, non *pariit*, legitur. Præterea pro *creta*, *creata* est in Aldinâ, & hac antiquiore Mediolanensi, quæ curâ Baptistæ Pii prodiit anno cIↄ Iↄ. Quare versus eos sic potiùs legendos censeo:

Deli geminos creata Titano Deos
Parit Latona casto complexu Jovis.*

* *Quamquam nec damno, Latona pariit: priori versu reservato, ut emendavimus.*

Allicui, & *pellicui*, quæ Priscianus adsert pro *allexi*, & *pellexi*, jam exoleverunt. Prius illud Varroni in Conjectaneis restituit Josephus Scaliger.

Salio salsum habuit. At *salitum* est à *salio*; de quo dicemus in verbis diversæ conjugationis.

Sapio, juxta Asperum†, habet *sapivi*, & *sapii*; juxta item

† *Teste Prisc. lib 9. atque addit, Diomedem etiam approbare.*

item Charisium ‡ *sapui*, vel *sapivi*. Probo * *sapui* placet. *Sapivi* Nævius dixit in Virgine prægnante: *Quando ego plus sapivi, qui fullonem compressi Quinquatribus.* Quem locum sic lego, & distinguo, ut sit ex trochaicis tetrametris catalecticis:

—— Quanto ego
Plus sapivi, qui fullonem compressi Quinquatribus!

Similiter in composito *resipivi* est apud Cic. ep. v, lib. iv ad Att. *Vix aliquando te autore resipivi.* Ita enim in Bosianâ, aliisque emendatioribus libris, legitur; pro quo in quibusdam est *resipui*. *Sapii* est apud Martialem lib. ix, ep. vi:

Nubere vis Prisco, non miror Paulla; sapisti.

Sapui est apud Plautum Rudente act. iv, sc. i:

Pol magis sapuisset †, *si dormivisset domi.*

Unde *resipus* apud Afranium in Brudusinis:

Equidem nunc resipus, postquam pectus est lætitiâ onustum.

Verisimile verò est, *sapio* olim fuisse quartæ, indeque esse, quòd *sapivi* olim fecit, & *resipio*, *repisivi*. Quod etiam confirmat Diomedes, cùm *resipio* ait esse quartæ, ejusque impersonativum modum esse *resipire*. A *resipivisse* est *resipisse*, inde *resipisse*, apud Terent. Heaut. act. iv, sc. viii ‡.

Quassi non legimus; teste Charisio, ac Prisciano. In supino tamen *quassum* fuisse, arguit, quòd dicimus *quassa rates*, & frequentativum *quasso*.

Sternuo est apud Columellam lib. viii, uti & Propertium. *Sternuisse* apud Plinium lib. vii, cap. vi. A supino *sternutum* est frequentativum *sternuto*.

Metuo, *metui*, nunc quidem destituitur supino; sed olim fecit *metutum*. Lucretius lib. v:

Nam cupidè conculcatur nimis antè metutum.

Congruo supino deficit: sed præteritum est *congrui*. Terent. Eunucho *:

—— Nam in me planè Di potestatem suam
Omnem ostendêre, cui tam subitò tot congruerint commoda.

Similiter igitur *ingruo* facit *ingrui*, supino autem caret. Ejusdem enim originis sunt, si *congruere*, ut Festus ait, significet propriè, convenire instar gruum, quæ se non segregant: *ingruere* autem, more gruum invadere. Priori ergo propriè usus sit Solinus, cùm cap. xv ait: *Concors cum omnium (gruum) pro fatigatis, adeo ut si qua defecerint, congruant universæ, lassasque sustollant, usque dum vires otio recuperentur.* Sed de etymo horum verborum accuratiùs in Originum libris disseremus.

Videntur & dixisse *delibuo*, *delibui*, *delibutum*. Unde remansit *delibutus*. Gloss. vett. ἐλαιῶ, βρέχω, *delibuo*. Fuerit *delibuo*, à *libuo*; hoc à λείβω, quod est *libo*, *stillo*, *fundo*.

Arguo, in supino facere *argutum* indicio sunt *argutus*, & *argumentum*. In melioribus tamen Sallustii libris est *arguiturus*, quinque syllabis.

A *pluo* sive *compluo*, *complutus* dixit Solinus †, pro *pluviâ madefactus*. Vulgare præteritum est *plui*. At *pluvi* antiquum est, quasi à *pluveo*. Plautus prologo Menæchmorum:

Nam rus ut ibat fortè, ut multum pluverat.

Imò Prisciani ætate etiam legere erat apud Livium in ii ab V. C. & in xxi. Item in xxii: *Lapidibus pluvisse.* Et in xxiii: *Sanguine pluvit.* Hodie in Livio est, *pluisse* & *pluit.*

Sic *luvit* à *luo* dixit Lucilius sat. lib. iii:

Tantalu', qui pœnas ob dicta nefantia luvit.

Et *annuvit*, quasi ab *annuveo*, est apud Ennium lib. ii:

Annuvit sese mecum decernere ferro:

quamquam Obertus Giffanius, in indice Lucretiano, *Annuit* (prout apud Priscianum legitur) probat, ut sit versus acephalos, quales non pauci inveniuntur apud antiquos, ut idem inibi fusè ostendit.

A *ruo* est *rui*, *rutum*. Unde *ruta cæsa*. *Ruiturus* tamen est apud Lucanum lib. ii. Similiter à *diruo* dicimus *dirutus*, pro quo *dirnitus* legitur in antiquâ inscriptione ‡ Romæ in S. Marci:

SILVANO SACRUM. C. VETTENIUS
NICON ET C. VETTENIUS AUSPI-
CALIS ÆDICULAM DIRUITAM
A NOVO REFECERUNT ET
D.D.

Ac similiter *eruiturus* dicitur, etsi supinum sit *erutum*.

Fluo videtur olim non tantùm *fluxum* fecisse, sed & *fluctum*. Siquidem verbalia ab eo sunt *fluctus*, & *fluxus*.

Fruor, juxta Perottum, triplex præteritum habet; *fruitus*, *fretus*, *frutus*. Atque à postremo hoc deducit *defrutum*: quomodo vocatur *mustum* ex duabus partibus ad tertiam decoctum. Sed *frutus* non dicitur. Est verò *defrutum* ex *defruitum*: quia ex eo omnis musti fructus percipitur. Nam, ut Festus ait, *Defrui dicebant antiqui, ut deamare, deperire, significantes omnem fructum percipere.* At longè etiam minùs *fretus* facit, cùm id aliud significet; nempe eum, qui aliquo confidit. Vera autem hujus verbi præterita sunt, *fruitus*, & *fructus sum*. Novius * Atellanâ, quæ Parcus inscribitur:

Quod magnopere quæsierunt, id frunisci non queunt:
Qui non parsit, apud se fruitus est.

Sed quia in quibusdam libris *frunisci*, & *frunitus*, legitur, altero quoque autore opus est. Is esto Ulpianus L. xxix, al. l. 27. D. Quibus modis ususfructus vel usus amittitur: *Licet*, inquit, *proprietarius mihi pensionem solverit, tamen usumfructum amitti: quia non meo nomine, sed suo, fruitus est emtor.* Idem ad Sabinum dixit *fruiturus*: ut testatur Priscianus in ix. *Fructus* verò usurpat Lucretius lib. iii:

Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profusa.

Hoc est, quæcunque fruitus sive fructus es, κατὰ τμῆσιν. Item Vetus inscriptio †:

c. *Nævius*, ↄL. *Dromo*, & *Nævia*, ↄL. *Philumena*, *dum licuit*, *suaviter fructi sunt annos* LV.

Item in æneâ tabulâ ‡, continente decretum inter Genuates & Veiturios:

Quod ante K. Januar. primas Langenses fructi sunt eruntque vectigal, invitei dare nei debento.

Idem indicat verbale *fructus*, & participium *perfructus*; quo & ipso utitur Lucretius eodem libro:

Omnia perfructus vitai præmia marces.

Usus & Cicero in Hortensio apud Priscianum lib. x: *Summâ amœnitate perfructus est.* Manifestè igitur falsus est, cùm Varro, qui lib. iv de L. L. *fructum* dictum putat à *ferendo*: tum Isidorus lib. xvii, cap. vi, ubi à *frumine* esse ait: tum Angelus Caninius in Hellenismi Alphabeto, ubi suspicatur, esse à Syriaco *fer*, sive *fir*; pro quo Chaldæi *feri*. *Fructurus*, pro *fruiturus*, dixit Appulejus, eandemque vocem Panegyrici scriptori restituit Stewechius ad Appulejum. Et hæc de verbis tertiæ.

Cap. XXXIII.

Verba quarta, olim dicta tertiæ productæ. Amicui, & amixi, *ab* amicire. Salui, & salii. Obediturus. Sepitum, & septum, *à* sepio. Veneor, & vendor, *pro* veneo. Venum *non est supinum, sed nomen.* Veno exercere. Veno posita. Venui producere. Haurii, & hausi. Raucui, *vel* rausi. Sancivi, & sanxi. Sepelitum, & sepultum.

Pervenimus ad quartam verborum declinationem, quam multi veterum sub tertiâ complectuntur, ac tertiam productam appellant. Constat id, cùm ex Donati methodo; tum Valerio Probo, Diomede, Victorino, Prisciano, & Phocâ. Id qui ignorat, multa ab antiquis optimè dicta temerario judicio damnabit: uti, quod Priscianus scribit, veteres in gerundiis verborum tertiæ conjugationis mutare E in V, dicereque *faciundum*, *gerundum*, atque ita in aliis. Neque enim eo excludit Priscianus verba quartæ, sed

[Margin notes, left:] ‡ *Lib. 3, cap. de tertio ordine. Ubi & Caper utrumque dicitur probasse.* * *Prisc. lib. 9, neque MSo nostro post illud de Probo additur.* Et nos illum debemus sequi. † *Ita Priscianus, juxta Putschii editionem: sed in MSo nostro locus is Plauti præteritur. Camerarius autem in Plauto edidit sapisset, idque ex MSforum fide.* ‡ *In Palatinis MSis est* resipiscere. *Sed* resipisse *est apud Prisc. lib. 10.* VO. * *Act 5. sc. 8.* † *Cap. 15.*

[Margin notes, right:] ‡ *In Collectione Gruteriana pag. 1071. num. 6.* * *Apud Gellium lib. 17. cap. 2.* † *Inscript. Gruter. pag. 986. num. 7.* ‡ *Ibid. pag. 104.*

sed sub tertiâ comprehendit. Idem judicandum de illo Diomedis loco lib. I: *Secunda forma in I puram literam desinit: ut, alo, alui; arguo, argui, &c. &, quod quidam exterminant, amicio, amicui: ut Brutus in laudatione Appii Claudii: Quæ te toga prætexta amicuit? Sed Varro in Cynorbetore: Celerius mater amixit.* Nam *amicio* quartæ esse, indicio est istud Horat. lib. II epist.

Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Item Ovid. III de Ponto, elegiâ VIII, & quinto Metam. Imò planè censeo quartam esse ex tertia factam per contractionem. Nam ut a lego mutato *o* in *ere* fit *legere*: similiter ab *audio* mutato *o* in *ere*, fuerit, *audiere*, unde per crasin *audire*.

Salio, pro sale conspergo, habet *salivi*, *salitum*. At pro salto, *salii* facit; ut *resilio*, *resilui*, & *resilii*: quemadmodum Priscianus in X ostendit è Marone, Ovidio, Lucano, Statio, & Quadrigario. De simplici verò *salii*, argumento est Maronis* illud: —— *Unctos saliere per utres.* Sed Diomedes, partim ex hoc loco, partim ex aliis Maronis†, item Ciceronis‡, & Livii* locis, probat *salui*, *desilui*, *transilui*. Magis tamen verisimile fit, Maronem *salii* scripsisse: quomodo in antiquis codd. legi, testatur Pierius: & ego in MSS. meis reperi. Imò jam olim hanc lectionem Priscianus agnovit: ac Servius etiam, quamquam *salui* facere suo seculo doceat; tamen fatetur Maronem *salii* per I, secundùm artem, scripsisse. Posterioribus autem seculis *salio*, ejusque composita, per U scribi solita esse, plusculis MSS.orum codicum testimoniis probat Obertus Giffanius in indice Lucretiano, voce *Dissilui*.

* 2 Georg. vers. 382.
† Æn. 2.
‡ Pro Milone.
* Lib. 1.

Obedio non caret supino. Livius lib. IV: *Utrimque obeditum Dictatori est.* Hinc Plinius lib. XVII: *Ramo oleæ quàm maxime obedituro.*

Farcio in supino *fartum* facit, pro *farctum**, uti hoc è *farcitum*. Unde in usu est verbale *farcimen*.

* Prout in melioribus libris exaratum apud Cic. lib. 5 in Verr.

A *sepio* est *sepsi*, *septum*. Apud Livium tamen *sepiissent* est lib. XLIV. Ut *sepivit*, apud B. Hieronymum in Jes. cap. V.

Singultio in supino fecisse *singultum*, pro *singultitum*, suspicari licet ex verbali *singultus*.

Ferio, *feris*, facere, ait Charisius. Diomedes verò, & Priscianus, negant habere præteritum. Et idem voluit Varro in VIII de L. L. cùm a *ferio* ait esse *percussi*. Nam nisi eo tempore destitueretur, non mutuaretur aliunde. Solius igitur Charisii auctoritate excusari videtur Baptista Mantuanus, cùm ait: *Glans ignita manum feriit; mox altera tergum.* At in supino non habere *feritum*, certum est. Eoque nec à *ferior*, dicitur *feritus sum*: ut Charisius quoque agnoscit. Nam ait, à *ferior* esse *ictus sum*: nempe non propriè, sed quia ab *icere* hoc mutuò accipiat. Eoque sequendus non est, vel Servius, qui in VII Æn. non refugit, *feriturum*: vel Petrarcha, cùm in VIII Africæ ait:

Pax populis, ducibusque placet, fœdusque feritum.

Veneo in præterito *venii* habet. Cato†: *Cui olea venierit.* Pro eo etiam *veneor* dici, docet Diomedes‡ illo Plauti: *Egone illi venear?* Sed hoc scire magis attinet, quàm imitari. Quippe usitatum pro eo est *vendor*. Quod idem Diomedes probat illo Titiani lib. primo de Agricultura: *Patrem familias vendacem magis, quàm emacem, expedit esse. Nam id melius emitur, quàm venditur.* Et hoc Ciceronis XIII Caussarum: *Re venditâ iterum emtâ.* At non rectè *veneo* supino donant. Adferunt Sallustii illud in Jugurthâ: *Quippe cui omnia venum ire in animo hæserat.* Et hoc Labeonis J. C. apud Agellium lib. IV, cap. II: *Sues feminæ, si steriles essent, & venum issent.* Ubi *venum issent*, pro *vendita essent*, eo modo dici ajunt, quomodo legimus *ire perditum*, *obsecratum*, *admonitum*, *purgatum*, quæ supina sunt. Verum dispar ratio est in *venum*: quod nomen esse, vel hic indicat Taciti locus libro XIII Annal. *Militibus immunitas servaretur, nisi in iis, quæ veno exercerent.* Et ille lib. XIV: *Posita veno irritamenta luxus.* Imò ipsum *veneo* factum ex *venum*, & *eo*. At supina fiunt à verbis, non verba à supinis. De *venuo* idem, quod de *veno*, dicendum puto. Usus illo Appulejus lib. IX Metam. *Alterâ die productum me venui subjiciunt.* Arbitror autem *veno*, & *venui*, esse ab antiquo *venus*; hoc autem venditionem vel mercatum notare. Nempe ab Æolico ϝῶνος pro ὦνος, quod, Hesychio teste, id ipsum significat. Sic *venum* accusativus fuerit: & *venum ire* dicatur pro *ad venum ire*: ut Plautus *mercatum ire*, pro, *ad mercatum*. Locus est prologo Mercatoris: ubi cùm priùs dixisset,

† De R. R. cap. 144.
‡ Lib. 1.

Pater ad mercatum hic me meus misit Rhodum:

post multa subjungit,

Dico, esse iturum me mercatum, si velit.

Fortassè malis, *mercatum* priori loco esse nomen, posteriori *supinum*. Sed alibi ostendimus, supina in UM esse accusativos rectos à præpositione intellectâ. Hoc igitur solum discriminis est inter *venum ire*, & *mercatum ire*, quòd hoc verbale sit à *mercor*: illud non sit à verbo Latino, sed Græco: puta ὠνέω, unde ὦνος. Uti autem *veneo* ex *venum eo*; ita & *vendo* ex *venundo*; q. d. *do venum*.

Haurio non tantùm *hausi*, sed & *haurii* facit. Varro, apud Priscianum*, ad Ciceronem lib. XXIV: *Cùm inde haurierint.* Itaque non mirum, apud Appulejum aliquoties† inveniri *hauritum*, pro *haustum*, vel *hausum*: ab illo *haurituros* dixit Juvencus: sed ab *hausum*, *hausurus* maluit Maro IV Æn.

* Lib. 10, cap. de præterito 4 conjug.
† Met. lib. 3, 3, 4.

Fulcio, *fulsi*, *fultum*. Ovid. epist. Deian.

Quod te laturum est cælum, prius ipse tulisti:
Hercule supposito sidera fulsit Atlas.

Dubitari possit, num *raucio rausi* faciat, an *raucui*. Nam in vulgatis Ciceronis exemplaribus primo de Oratore hodie legitur: *Itaque nos raucos sæpe attentissime audiri video: tenet enim res ipsa, atque caussa: at Æsopum, si paullum irraucuerit, explodi.* Ac sic quoque editum à Petro Victorio. Priscianus verò *irrauserit* legit: quem & sequitur Lambinus. Sanè *Rausum* facere, ostendit illud Lucilii in XIX:

Rausuro Tragicus qui carmina perdit Oreste.

Puto *irraucui* esse ab *irrauceo*, quod est secundæ; ut ab *habeo* habui: *irrausi*, esse ab *irraucio*, quod est quartæ; ut ab *haurio hausi*.

Sancio nunc *sanxi* ex se gignit: sed olim *sancivi* quoque, vel *sanxi* dixere: unde apud Priscianum ait Pomponius Secundus ad Thraseam: *Sancierat jus utile civitatis.*

Sepelio in supino *sepelitum* facit. Cato in Thermis‡: *Mortuum est, sepelitus est.* Hinc *sepultum* κατὰ συγκοπήν.

‡ Apud Prisc. lib. 9. extremo.

Metior mensus sum facit. Apud Curtium* tamen legi dicunt: *Stipendium metitum est.* Atque id præteritum quoque usurpat Jul. Scaliger, cùm in Exercit. adversus Cardanum: tum libb. de caussis L. L. cap. XCI. Xylander quoque illud Plutarchi de Iside & Osiride, Τὸ δὲ Ὀσίριδος ἐκμετρησάμενον λαβεῖν τὸ σῶμα. Sic vertit: *Metitum furtim corpus Osiridis.* Jam retuli ad librum de vitiis Sermonis. Imò, ut ajunt, apud Cic. lib. II de Nat. Deor. est *demetiti cursus*. Sed in melioribus libris, imò & antiquissima omnium editione, legitur *demetata*.

* Citant è lib. 3. Sed falsò censeo, licet Rob. Stephanus quoque in Thesauro dicat, Curtii esse lib. 3: Stipendium metiri. Ubi nihil tale reperi. Sed lib. V legas passivè, stipendium mensum. Et cùm fortasse spectavit Stephanus.

Operior opertus sum facit apud Terentium Phorm. act. III, sc. II: *Si non tum dedero, unam præterea horam ne oppertus sies.* Sed *operitus* pro eo dixit Plautus Mostellaria*: *Seni non otium erat, id sum opperitus.*

Comperio, & *comperior*, in præsenti eâdem significatione dicitur, utcumque distinguat Diomedes†. Prius est apud Terentium, Ciceronem, Cæsarem. Usus posteriori significatione nempe activâ, Sallustius, & alii. Sed præteritum tantùm est *comperi*: non *compertus sum*: quamquam etiam dicatur *compertum est mihi*. Jubet Diomedes‡, etiam distinguere inter integrum *comperi*, à *comperio*, hoc est, compertum habeo: & *comperi* κατὰ συγκοπήν ex *comperii*, à *comperio*, hoc est, unà pereo. Sed nondum hoc verbi reperi ea pereundi significatione. Porrò locus iste corruptè vulgò legitur, hoc pacto: *Comperio, comperii. Compereo, comperii.* pro, *Comperio, comperi. Compereo, comperi.* Nam subjicitur, etsi vox eadem sit, accentu tamen distingui, quia *comperi*, id est, rescivi, habet

* Act. 3, sc. 2.
† Lib. 2.
‡ Aliquanto ante eodem libro.

habet acutum: *comperí*, pro, unà perii, unde *comperieram*, circumflexo in ultimâ signetur. *Compertus sum*, passivè sumitur; non activè, ut *comperior*. Tertullianus tamen adversus Hermogenem cap. xxviii: *Unde ergo compertus est Hermogenes, informem & confusam illam* (materiam) *fuisse?* Et lib. iv adversus Marcionem: *Quo die* (David) *ipse compertus est veniam, jejunii dico.*

At *punio* etiam apud Tullium *punii*, & *punitus sum*, facit. Ut in Miloniana: *Cujus tu inimicissimum multò crudelius punitus es.* Quâ de verbi figura etiam Fabius lib. ix, cap. iii. Ac similiter Appulejus lib. viii: *Punita sum nefarium mearum nuptiarum prædonem.* Et hæc de præteritis supinisque quartæ classis.

Cap. XXXIV.

De archaïsmo, cùm imperfecti in conjugatione quartâ, quod desinit in IBAM, pro IEBAM; ut custodibam: *tum inprimis futuri in tertiâ, & quartâ: in quartâ quidem pro IAM habentis IBO; ut* expedibo: *in tertiâ autem pro AM facientis IBO, vel EBO; ut* reddibo, exsugebo. *Sequioris verò ævi scriptores in eodem tempore pro EBO contrà dixere AM; ut* indulgeam, *pro* indulgebo.

Illud præterea in quartâ conjugatione observandum, verba ejus in imperfecto olim per IBAM solere efferri, citra vocalem E. Terentius Eunucho act. i, sc. ii:

—— Et signa cætera
Neque scibat, neque per ætatem etiam potuerat.

Et Phorm. act. iii, sc. ii:

Nam hic me hujusmodi scibat esse: ego hunc esse aliter credidi.

Catullus de nuptiis Pelei, & Thetidis:

Vellera virginei custodibant calathisci.

Virgil. vi Æn.

Lenibat dictis animum.

Et viii:

Tum mihi prima genas vestibat flore juventa.

Eodemque modo idem *redimibat*, *nutribant*, & *polibant*, dixit. Item Propertius lib. i, el. iii:

Omniaque ingrato largibar munera somno.

Idem lib. iv, eleg. xii:

Atque hinuli pellis totos operibat amantes.

Multa imprimis talia legere est apud Plautum, & Lucretium.

Præterea futura quartæ, Nonio teste, olim in IBO desiere. Quomodo Charisius lib. iii, cap. De defectivis, à *ferio*, & *ferior*, format *feribo*, & *feribor*. Nempe veterum exemplo. Nam sic *expedibo* est apud Plautum Truculento act. i, sc. Ad fores. Eàdem scenâ legere est:

Redi verò actutum: ego interim te apud vos opperibor.

Et act. ii, sc. Ne exspectetis:

—— Verùm jam scibo magis.

Et act. iv, sc. Lepidè efficiam:

—— Ego edepol jam tua probra aperibo omnia.

Et Milite glorioso act. primo, sc. primâ:

Et assentandum est, quicquid hic mentibitur.

Persâ act. ii, sc. Satin' hæc:

Nunquam ecastor hodie scibis, priusquam ex te audivero.

In eàdem act. ii, sc. Paratum jam:

Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriose.

Et Epidico act. i, sc. ii:

—— Aliquâ reperibitur.

Item Trinummo, Scenâ Sta illico:

—— Dormibo placidè in tabernaculo.

Et ne solum sic Plautum loqui putes; aut Cæcilium, Pomponium, aliosque deperditos, de quibus nunc non dicam: sanè apud Terentium sæpius legas, *scibo*, *scibis*, *scibit*: idem in Hecyra ait act. iii, sc. v:

Matris servibo commodis. ——

Catonis quoque est in libb. de R. R. *dormibit lubentius.* Palladius etiam lib. iii, tit. xxxi, *Vas operies, ac linibis.* Ipseque Horatius lib. iii, od. xxiii:

Mollibit aversos penates.

Pœnibitur, pro *punietur*, legere est in inscriptione antiquâ.

Nec tantùm illa quartæ futurum per IBO antiquè fecere; sed & in verbis tertiæ idem habuit locum. Plautus enim *reddibo* dixit, pro *reddam*. Locus est Epidico act. primo, sc. primâ:

—— Operam mihi da, opera reddibitur tibi.

Et Casinâ act. i, sc. i:

—— Nunquam edepol jejunium
Jejunum est æquè, atque ego ruri reddibo te.

Nisi adsentiri potiùs placet Gaspari Schoppio, qui lib. iv Suspect. Lect. epist. xiii, & hisce locis, & apud Nonium, *reddebo* mavult: quomodo *fidebo* dixere, pro *fidam*, & *fugebo*, pro *fugam*, similiaque: de quibus capite sequenti agemus. Sed sic quoque exempla suppetent. Nam Plauti est *audibis* Captivis act. iii, sc. iv, & Pœn. act. i, sc. ii. Item *scibo* apud Terentium habemus Eunucho iv, iv. & Adelph. v, ii. item Hecyra ii, ii. *Scibis* Heaut. v, ii. *Scibit* Phorm. v, i.

Quemadmodum autem antiqui futura verborum tertiæ, & quartæ, quæ in AM desinunt, per BO efferebant: ita contrà posterioris ævi scriptores verba secundæ, quæ in BO exeunt, interdum extulere per AM. Ita, ut Savaroni quoque observatum, Symmachus lib. i, epist. xc, dixit: *Studium, quod scribendis orationibus exhibeam*: pro, *exhibebo*. Idem Sidonius lib. iv, epist. xii: *Taceam vestros.* Et eodem lib. epist. xxiv: *Quod & annuum solutioni spatium prorogabo, & superpositam medietatem, quæ per usura nomen accrevit, indulgeam.* Similiter lib. vii, epistol. xiv: *De cætero, si vos à me videri Christi munera datur, ita gaudeam, tanquam cui de te nec minora subtracta sint.*

Et Carm. v*:

—— mortem mandare valebo
Insontis? taceam nostri.

* Pers. 277.

Et pôst eodem:

—— Jam jam studeam pensare pruinas.

Priscianus in Periegesi, vel quisquis ille Dionysii interpres:

Si placet Europes quoque me tibi dicere formam,
Haut taceam.

Gregorius Turonensis lib. i, cap. xxvii histor. *Cumque mihi vas illud sors dederit, quæ Papa poscit, adimpleam.* Fortassè & idem factum in conjugatione primâ. Sidonius Carm. xiii:

Quod si contuleris tuo poëta,
Mandem perpetuis legenda fastis.

pro *mandabo*. Sed hæc sequioris sunt ævi. Redeamus ad ea, quæ in usu erant, vel fuerant, priusquam illuvies gentium nativum Romani sermonis decus corrupisset.

Cap. XXXV.

Verba pro diversa significatione conjugationis diversæ. Item verba eàdem significatione habentia geminam inclinandi formam. Densêre. Lávere. Sónere. Connivere. Respóndere. Férvere. *Quinctilianus notatus.* Fúlgere. Olere. Ridere. Cávere. Sugêre. Irascebor, vivebo, dicebo. *Priscianus fortè emendatus.* Cupire, parire, *unde* aperire, & operire. Sallere, & sallire. Moriri. Pótitur, & potitur; óritur, & oritur.

Plurima verba geminam habent conjugationem: idque vel in eàdem significatione, vel in diversâ. In diversâ sunt ista, apud Priscianum in viii:

mando, ἐντέλλομαι, *mandas*; *mando*, μασάομαι, *mandis*:
fundo, θεμελιόω, *fundas*; *fundo*, ἐκχέω, *fundis*:
obsero, περιβάλλω τὸν μοχλὸν, *obseras*; *obsero*, περισπείρω, *obseris*:

appel-

appello, *προσαγορεύω*, *appellas*; *appello*, *προσάγω*, *appellis*:
volo, *πέτομαι*, *volas*; *volo*, *βούλομαι*, *vis*:
consternor, *καταπλήττομαι*, *consternaris*; *consternor*, *καταστρώννυμαι*, *consterneris*.

Simileque est *pando*, *pandare*, *κυρτόω*; *pando*, *pandere*, *πετάννυμι*.

His vulgò, idque Charisio præeunte, accensent, *lego*, *legas*; & *lego*, *legis*: *dico*, *dicas*; & *dico*, *dicis*. Sed rectè hæc Priscianus separat; quia, cùm quantitas prioris syllabæ sit dispar; nec dici potest, idem esse utrobique verbum. Nam utcunque nos similiter efferamus; veteres tamen pronunciatione ipsâ distinguebant.

Quæ in eàdem significatione geminam conjugationem habent, in quatuor classes dividuntur. Quædam enim sunt primæ, & secundæ: ut *denso*, *densas*; & *denso*, *denses*. Hoc usus Maro in x:

Postremi addensent acies.

Et I Georg.

—— Et Jupiter humidus austris
Denset, erant quæ rara modò, &, quæ densa, relaxat.

quæ non à *denso*, sed *denseo*, venire, arguit hoc Lucretii lib. I:

Tum putat id fieri, quia se condenseat aër.

At prius usurpavit Ennius in VIII Annali:

Densantur campis horrentia tela virorum.

Et Lucanus in IX:

Densaturque globus, quantum pede prima relato
Adstrinxit gyros acies.

Quædam sunt primæ, & tertiæ. Ut, *lavo*, *lavas*; & *lavo*, *lavis*. Quomodo veteres dixisse, compluribus locis ostendunt Diomedes, & Nonius. Iis adde hoc Plauti in Truculento act. II, sc. III:

Pisces ego, credo, qui, usque dum vivunt, lavant,
Minus diu lávere, quàm hæc lavat Phronesium.

Et Horatii illud Odâ IV, lib. III:

Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos.

Nam si *lavit* præteritum hic foret, penultimam produceret. Et verisimilius est supinum *lautum* κατὰ συγκοπὴν esse ex *lavitum* tertiæ, quàm *lavatum* primæ. Itidem *sonare*, & *sonere*; *resonare*, & *resonere*, dixerunt: ut Nonius, & Priscianus, probant ex Attio, Afranio, Ennio, Pacuvio, & Lucretio.

Parque ratio in *tonere*: ut apud Varronem Eumenidibus: *Tibi tympana non inani sonitu matri Deûm tonimus.* Item *boant*, & *bount*: quo, Nonio teste, usi Pacuvius Meda, & Varro Parmenone. Item *nexo*, *nexas*; & *nexo*, *nexis*. Lucretius lib. II:

Pars etiam brevibus spatiis nexantur ab ictu.

Virgil. in V:

Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.

At Livius in Odysseâ, apud Prisc. in IX:

Nexebunt multa inter sese flexu nodorum dubio.

Apud Diomedem libro I. *Nexabant* corruptè editur in Putschianâ: quod patebit Priscianum, & Diomedem, conferenti. Attius in Deiphobo, ibidem:

Nos continuò ferrum eripimus, omnibu' manicas neximus.

Quod si Priscianum audimus in VIII, quædam etiam sunt primæ, & quartæ: ut, *uno*, *unas*; & *unio*, *unis*. Sed hæc, non minùs, quàm priora, adstruenda erant veterum autoritate.

Quædam sunt secundæ, & tertiæ. Ut *connívere*, & *connivére*. Calvus apud Prisc. in IX:

Cum gravis ingenti connivere pupula somno.

Quem versum in fragmentis Calvi ponere neglexit Rob. Stephanus*.

* In fragmentis poëtarum Latinorum, qui non exstant.

Persius Sat. VI:

Vansi connives; oleum, artocreasque, popello
Largior.

Sic *respóndere*, & *respondére*. Producit Maro Ecl. VII:

Et cantare pares, & respondére parati.

Corripit Manilius in quinto:

Sic etiam magno quædam respóndere mundo
Hæc natura facit.

Itaque & postremam in imperativo corripit Martialis lib. III, epigr. IV:

Si, quando veniet? dicet: responde, Poëta
Exierat: veniet, cùm citharœdus erit.

Item *férvere*, & *fervére*. Sed, quod mirum, Quinctilianus lib. primo, cap. VI, notat Lucilium, quòd *fervit*, verbo tertii ordinis, fuerit usus. Ait enim, *fervo* Latinis inauditum esse. At eo, præter Lucilium, usi Pomponius Fullone, Attius Achilli, imò & Terentius, Virgilius, Propertius. Maronis quidem est III Georg.

Omnia tum pariter vento, nimbisque, videbis
Fervere.

Et VIII Æn.

—— Instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.

Itidem *stridere* tertiæ apud eundem est VIII Æn.

—— Striduntque cavernis
Stricturæ chalybum.

Fulgere in tertiâ dixere Lucil. lib. VII sat. Pomponius Macco sequestre, & Lucretius lib. VI. De quibus Nonium sis adi. Etiam Maro usurpat VI Æn.

Illa autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc.

Olere quoque tertiæ fuit; sed argumentum, quo id comprobat Priscianus, validum satis non est. Nam adfert illud Plauti Mostellariâ*:

* Act I, sc. Exit è culina.

Non omnes possunt olere unguenta exotica.

Qui locus nihil magnopere efficit; quando, ut locis amplius sexcentis evincere est, creticus etiam in Jambico apud Comicos locum habet. Nihilo fortiùs argumentum est, quo probat, *oleo* in supino fecisse *olitum*, & *oletum*: ut suprà † ostensum.

† Cap. 23.

Ridere olim etiam tertiæ fuit. Unde, apud Diomedem, Marcus Brutus De patientia: *Irridunt horum lachrymas.*

Gemina sunt *stridére*, & *strídere*; *excellére*, & *excéllere*; *fulgére*, & *fúlgere*; *tuor*, *tuéris*, & *tuor*, *túeris*: quorum exempla adfert Priscianus lib. VIII, & IX. Atque ita apud Statium legas, *tuor*, *contuor*, *intuor*. Similiter *scatére*, & *scátere*; ut ostendit Giffanius in Indice Lucretiano. Item *cávere*, & *cavére*: unde & apud Tibullum ‡ legit Jo. Scaliger:

‡ Lib. I, eleg 4.

Hæc mihi, quæ caverem Titio, Deus edidit ore.

Ubi etiam princeps editio*: *Quæ canerem.* Nec damnare ausim.

* Procurata Regii Lepidi an. 1481.

Item *tergére*, & *térgere*; *sugére*, & *súgere*: ut Rudente act. IV, sc. Heus mane:

Ni hunc amittis, exugebo, quicquid humoris tibi est.

Et illud Epid. act. II, sc. II:

—— Jam ego me convertam in hirudinem,
Atque eorum exsugebo sanguinem, senati qui columen cluent.

Quamquam Nonius legerit, *exsorbebo*. Est & in glossis vett. *Irascebor*, ὀργισθήσομαι. Quid, quòd non refugerint, *dicére*, & *dicere*; *vivere*, & *vivere*? Quod Nonius ostendit isto Novii Depaticis: *Primum quod dicebo, rectè: secundum quod dicebo, eo meliùs.* Et ex iisdem: *Tibi cum vivebo, fidelis ero.*

Quædam sunt secundæ, & quartæ: ut, *cieo*, *cies*; & *cio*, *cis*. Maro in I:

Bella cient, primâque vetant consistere terrâ.

Et in II:

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

At in quartâ usus Statius in IV Theb.

—— Suus excit in arma
Antiquam Tirynthia Deus.

Lucanus in II:

Nunc urbes excite feras, date gentibus arma.

Livius in XIIX: *Adversus interfectores Caji Cæsaris, ultoribus manum comparans, concibat.* Citat Priscianus in

in IX. Puto autem esse, non ex XIIX Livii libro, ut vulgo legitur, etiam in Mso nostro: sed ex CXIIX, ubi de bello adversus Julii Cæsaris interfectores sermo fuit, ut epitome Livii ostendit. Ibidem Priscianus addit hoc Lucretii: *Aurâ cimus adortus.* Prout habet Putschiana editio. In Venetâ antiquâ est, *Avarum cimus adortus.* Sed in Mso nostro est, *Aurarum cimus ad ortus.* Neutrum placet. Sed legendum:

—— Terrai cimus ad ortus.

Planè enim respexit hunc locum:

—— Fecundas vertentes vomere glebas,
Terraique solum subigentes cimus ad ortus.

Quæ legere est apud Lucretium tum primo, tum quincto libro: &, quod mirandum, utrobique, versu ducentesimo undecimo ac duodecimo.

Teneo hujus etiam loci videtur, quia veteres *tenivi* quoque dixere, teste Charisio in I.

Quædam denique sunt tertiæ, & quartæ: ut *cupere*, & *cupire.* Lucretius lib. I:

—— Confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.

Sic *párere*, & *parire.* Ennius*:

Ova parire solet genus pennis condecoratum.

* Apud Varr. Diomed. Prisc. nempe ex Ennii Epicharmo, ut optime Hier. Columna ostensum.

Indeque fortassis † est, quòd *reperio*, & *comperio*; imò & *aperio*, & *operio*, sint quartæ. Nam illud cum *ab*, hoc cum *ob* compositum est: sed ex tritâ in utroque consonâ.

† Nec enim de etymo horum convenit; de quo nos in Originum libb. plura.

Sic *sallere*, & *sallire.* *Sallere* dixit Lucilius in VIII;

Sallere muranas, mercem in frigdaria ferre.

pro *frigidaria*, ut *caldaria*, Plinio, pro *calidarium.* Gloss. *caldarius*, θερμοδότης.

Varro lib. IV de L. L. (qui Charisio, ac Diomedi, quinctus ad Ciceronem vocatur) *Succidia ab suibus concidendis. nam id pecus primum occidere cœperunt domini, &, ut servarent, sallere.* Idem antiquitatum Humanarum lib. XV: *Mortuos sallunt.* Sallustius lib. III Histor. *Parte consumtâ, reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent.* Indeque supinum, *salsum.* Mummius apud Prisc. in X: *Istac sum multo sale salsurus.* At *sallire* usurpat Sisenna apud eundem: *Sic in eam paludem multi piscium salliendorum caussâ navibus semionustis commeant.* Ita legendum, pro eo quod in Putschianâ, *piscium salliendorum caussâ à navibus semionustus.* Christophorus Colerus, notis in Sallustii fragmenta, vocem *semionustus* præterit, tanquam reiculam & aliunde insertam. Sed *semionustis*, ut dixi, rescribendum: quomodo liquidò est in Venetâ vetustâ*. Nec placet, quod idem Colerus pro *in eam paludem* (ubi in eâdem Venetâ, *meam*, sed perperàm) legit, *in Gelam paludem.* Nempe quia Plinius lib. XXXI, cap. VII, juxta Gelam dicat nasci salem. Sed Gela fluvii, non paludis nomen est. A *sallio* est supinum *sallitum.* Nævius: *Sallitururs istac mittam salem.* Cornelius Severus in VIII de statu suo: *Ad quem salliti pumiliones adferebantur.* Citat Priscianus utrumque. Idem Severus, apud Diomedem in primo: *Districtos, atque sallitos.* Et, apud eundem, Fabianus Caussarum III: *Cum caro sallita, est diuturnior.* Nec tamen cum eo contenderim, qui *salita* malit. Nam & *sallire* dicitur, & *salire.* Celsus libro II, cap. XVIII: *Item pisces omnes, qui salem non patiuntur, solidive saliuntur.* Indeque *salitor*, ταριχευτής, ut exponunt glossæ.

* An. 1476.

Itidem dixerunt *linere*, & *linire.* Columella libro VI, cap. XVII: *Liquida pice cum oleo linire.* Et postea: *Circumliniendus erit oculus pice liquida.* Etiam in foro Romano adducitur hoc Propertii lib. III, eleg. XI, quæ ad Posthumum:

Neve tuâ Medæ liniantur cade sagitta.

Sed in cunctis editt. *latentur* reperio: etiam vetusta, quæ Regii Lepidi prodiit anno CIↃ CCCC LXXXI.

Similiter declinarunt *morior*, & *gradior.* Ennius † Annali XIV:

† Apud Prisc. lib. 9.

Nunc est illa dies cùm gloria maxima sese
Nobis ostendat, si vivimu', sive morimur.

Terentius Eun. act. III, sc. I: *Risu omnes, qui aderant, emoriri.* Pacuvius apud Festum in Manticulatum:

Aggreditur astu regem: manticulandum est hic mihi.

Versus est trochaicus, ut tertia syllaba sit porrecta.

Potior quoque nunc tertiæ est, nunc quartæ. Tertiæ, ut Catullo, extremo carmine de nuptiis Pelei & Thetidos:

Liber ut innupta poteretur flore juvenca.

Ubi perperam editio Scaligeri *potiretur.* Sic enim secunda esset porrecta. Ergo ut a *fodior foderentur*, sic à *potior* dicendum *poterentur.* Est & tertiæ apud Maronem in III Æn.

—— Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur.

Quartæ vero est apud Lucilium:

Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.

Et Nævium (nisi potiùs legendum *Lævius* apud Priscianum, quod verum puto) lib. II Iliados:

Fecundo penetrat penitus, thalamoque potitur.

At in infinitivo semper est quartæ: ut apud Ciceronem, *rerum potiri*, tertio Invectivarum, & alibi non semel. Sic *oriri solem* dicimus, non *ori*; etsi in indicativo usitatius sit *oreris.* Sed remansit is infinitivus ab antiquo ejus verbi usu, quem nos docet Priscianus illo Lucilii III Sat.

Conturbare animam potis est, quicunque adoritur.

Fodere, & *fodire*: ut apud Columellam lib. XI, cap. III *Runcari, & adhuc fodiri possunt.* Et libro de Arboribus cap. ultimo: *Sed omnibus annis ante cal. Mart. fodiri, & interputari oportet.*

Tueor dicimus in secunda, & *tuor* in tertia. Sæpius hoc usurpat Lucretius; uti *intuor*, & *contui* legas apud Plautum. A *tueor* est *tuitio*: a *tuor* est *tutus*, & *tutari.*

Plura istius generis adducere hic possumus: sed pleraque eorum indicavimus, cùm de conjugationibus singulis ageremus. Quædam etiam vide sis apud Ausonium Popmam lib. I de usu serm. antiqui, cap. XII.

Cap. XXXVI.

De verbo sum, *& composito* possum. *Declinationem verbi* sum *prius addiscendum, quàm conjugationum quatuor paradigmata.* Esum, *&* sum; *item* sunt, ero, eram, est, *unde formentur.* Escit, *pro* erit. Obescit. Superescit. *In Tullio, Lucretio, Gellio, genuina defenditur scriptura. Attius emendatus.* Ens. Fui, *&* fuvi. Fuo. *Ennius patria.* Potis, *vel* pote est. Potestur. *Non eo usum Maronem.* Poteratur. Possetur.

PRiusquam verò manum tollamus de hac Declinationum tabulâ; appendenda est nobis mantissa de Anomalis, & Defectivis. Ac primò illud in considerationem venit, ut multa maxime censeantur ἀνώμαλα, quibus vel nulla inest ἀνωμαλία, vel minimè tanta, quàm putarunt. Nam, ut à verbo *sum* ordiamur, (à quo in Scholis etiam rectè conjugationes pueritia auspicaretur, quandoquidem in passivis præterita perfecta, & plusquamperfecta, per participium, & verbum SUM, circumloquimur, nisi satius videatur, in totum præteritis passivorum, ac deponentium, initio inter inflectendum abstinere) id quidem anomalum esse agnoscimus, ac qui propter Aristarchum, Aristophanem Grammaticum, Pindarionem, & alios veterum, ἀνωμαλίαν tollentes, inficias hoc ire ausit, næ ille se Argum, cæteros talpas putet, cùm solum hoc verbum in UM desinat. Verumtamen non propterea in tantum recedit ab ἀναλογίας, quàm vulgi fert opinio. Nam, ut disertim scribit Varro, in secundo de Analogia, antiqui dixere *esum, es, est; esumus, estis, esunt.* Ac Cicero in III de Legg. *esunto* posuit, pro *sunto.* Ita enim corrigendum censeo: non *estunto*; quomodo in quibusdam legitur editionibus. Est verò *esum* fortasse ab ἔσομαι; unde *esom*, abjectâ diphthongo, ac mutatâ paullùm significatione, quam Græcum illud futuri habet: in Latino verò est instantis. Quod si hoc minùs placet, sanè non repugnem, quo minùs factum dicatur ab εἰμί. Scio, summos viros, Cæsarem Scaligerum, & Angelum Caninium, quia id scripserint,

rint, à sciolis rideri. Nempe immane quantum inter sonum amborum interesse ajunt. Sed sciant, oculatiores eam hic affinitatem perspicere, quam illi non vident. Quemadmodum enim à μέλι fit *mel*; ab ἀπὸ, *ab*: similiter hic omittitur vocalis ἐ εἰμί: ac velut ab ἕπω est *sequo* (unde ἔννεπε, *inseque*, ut vetus Poëta vertit) ita hic S præponitur: E verò abit in U; ut à Βρεντέσιον, *Brundusium*. Tria verò istæc etiam concurrunt in *sunt* à Dorico ἐντί, pro εἰσί. Sanè hæc ostendunt, sententiam istam non esse absurdam. Nec tamen displicet, quod antea dicebamus, venire ab ἔσομαι. Quid mirum enim, præsens venire à futuro, quando ab eodem est imperfectum *eram*? Nam ab ἔσω, unde ἔσομαι, est *ero*, converso S, in R: ut, *Valerii*, *Furii*, *Papirii*, prius fuere, *Valesii*, *Fusii*, *Papisii*. Ab *ero* verò esse *eram*, satis puto manifestum. A præsenti enim potiùs *sebam*, vel *ebam*, diceretur. Quærat aliquis, cur non, ut à *doces* est *docet*, sic ab *es* in tertia dicamus *et*. Nempe, ut Priscianus ait, factum id, ut differret à conjunctione ET. Opinor tamen, aliam subesse caussam. Puta, quòd sit à Græco ἐστί, abjectâ vocali ultimâ. Quod nisi pro certo haberem, dicerem, ut *fert* κατὰ συγκοπήν est ex *ferit*: ita *esum* in tertia fecisse *esit*, & per syncopen *est*. Ab *esum* olim quoque in futuro *escit* dixere, pro *erit*; unde apud Ciceronem II de Legibus è XII Tabb. QUOI AURO. DENTES. VINCTI. ESCUNT. Ubi in libris vulgatis, *Cui auro dentes juncti essent*. Meliùs alii, *Auro dentes vincti*. Quomodo dicuntur, qui Luciano ὀδόντας χρυσῷ ἐνδεδεμένοι: nempe dentes eburnei atque exemtiles. Pro *essent* autem rectè Giffanius, ac Lambinus, reposuere *escunt*. Ut in iisdem est Tabb. XII apud Gellium libro XX, cap. I: SI. MORBUS. ÆVITAS. VE. VITIUM. ESCIT. Est & Lucretii lib. I:

Ergo rerum inter summam, minimamque, quid escit.

Quomodo etiam legitur in membranis nostris. Nec sanè *esit* hic habeat locum, quia sic prior æquè corriperetur, ac in *erit*. Eoque iis non accesserim, qui apud Tullium, & Gellium, *esunt*, & *esit*, non *escunt*, & *escit*, legere jubent. non quasi *esit*, pro *erit*, minùs dixerint; sed quia istis in locis alterum propiùs abeat à MSS. Imò etiam Festus liquidò: *Escit, erit.* Idem: *Obescit, oberit, vel aderit.* Item: *Superescit, supererit.* Ennius*:

Dum quidem unus homo Romanus togâ superescit.

Prout is locus rectè legitur in vetusto codice Farnesiano: ubi alii tamen non ineptè reponunt, *Romà totâ superescit*. Subdit deinde Festus illud Attii Chrysippo: *Quin hinc superescit, Spartam atque Amyclas trado.* Ut est in iisdem Farnesiis schedis. Sed legendum puto:

—— Qui superescit hinc,
Spartam atque Amyclas trado ——.

Aliqui malunt, *superessit*: ut simile sit, ac *probibessit*, pro *probibuerit*; *levâssit*, pro *levaverit*. Verùm sunt ista futuri conjunctivi, sive, ut Varro appellat, præteriti infecti: in quo *fuero* dicitur, non *ero*, sive *esco*: quæ sunt ἁπλῶς futura, & ad indicandi modum pertinent; ubi δι-χασμὸς iste non habet locum.

Participium fuit *ens*, idque ἀνάλογον. Nam ut à *neo*, *nens*; à *fleo*, *flens*; sic ab ἔω, unde εἰμί, *ens*. Ac apud Appulejum in Colvii codice erat, *Ens latâ facie*, quod Barthio placet Adversariorum lib. XXXV, cap. XIV. Quicquid de eo est, superest illud in compositis *præsens*, *absens*.

At *fui* est à *fuo*; quo usus Plautus Bacch. act. I, sc. Jamdudum Pistoclere; & Trinummo, act. I, sc. Multas res; & Truculento, act. IV, sc. Neque gnatu'st. Imò & apud Terentium legas Hec. act. IV, sc. III. Ac Maronem ipsum, cujus illud X Æn.

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine agetur.

Veteres pro *fui* etiam *fuvi* dixere. Ennius:

Nos sumus Romanei, quei fuvimus antè Rudeinei.

Ait Ennius, se domo quidem Rudiatem esse (quod etiam de eo testantur Mela†, Silius Italicus‡, atque Ausonius*) sed factum esse civem Romanum. Ab eodem *fuo* Diomedes statuit esse *forem*, & *fore*: cui adsentior, ut integrum sit *fuerem*, & *fuere*. Neque est, quod *sim* in IM terminari, non AM, aut EM, quisquam miretur. Nam est ex *siem*. Cicero in Oratore: *Siet*, inquit, *plenum est: sit, imminutum.* Similiter *possiem* pro *possim*. Ennius trochaico istoc:

Nequid exspectes amicos, quod tute agere possies.

Et hæc de verbo substantivo: è quo intelligere quoque est caussam, cur *possum* similiter declinetur. Dicitur enim quasi *potis sum*: quo utitur Plautus Curculione act. V, sc. III:

Animadvertite, si potissum hoc inter vos componere.

Et Milite act. III, sc. I:

Tute homo, & alteri sapienter potis es consulere, & tibi.

Et alibi sæpe. Imitatus quoque Arnobius lib. II: *Ergone, inquiet aliquis, sine Dei voluntate quicquam potis est fieri?* Ubi & videmus, *potis est* adjungi nominibus neutris; pro quo alibi *pote est* mavult; ut eodem libro: *Sed quantum fieri pote est.* Interdum quoque absolutè ponitur *potis est*, pro *pote*; ut eodem libro: *Qui fieri potis est, ut alii præstare id, quod ipsi sunt, valeant*, &c. *Potesse*, vel *potisse*, pro *posse*, apud Ennium, Lucilium, Terentium Eunucho, Lucretium lib. I, II, III, Catullum. Vide Lipsii Varias lib. I, cap. XIV. A *possum* antiqui quoque dixere *potestur*. Plautus Merc. sc. Tandem impetravi:

Demum igitur, cum senex sis, tunc in otium
Te colloces, dum potestur.

Et Lucretius lib. III:

—— Laticem pertusum congerere in vas,
Quod tamen expleri nullâ ratione potestur.

Pacuvius Chryse, apud Nonium:

Siquâ potestur investigari viâ.

Et Ennius, apud Diomedem: *Nec retrahi potestur imperiis.* Quadrigarius lib. III Annal. *Adeò memorari vix potestur, ut omnes simul suum quisque negotium adorti essent.* Falluntur, qui eo & Maronem usum putant. Nam cùm prima in *electro* producatur, omnino legendum*, *—— Liquidove potest electro*: non *potestur*, ne sit amphimacer. Sanè Angelus Politianus, Miscell. cap. LXXI, in optimo exemplari Vaticano *potest* reperisse se, disertim scribit. Ac Pierius, quamquam agnoscat, in codd. aliquot antiquis *potestur* legi: in Romano tamen, longè omnium vetustissimo, ac aliquot antiquitatis venerandæ, *potest* legi ait; atque id magis probat. Quod si omnino, ob multorum adeò codicum consensum, *potestur* apud eum legere placet: potiùs esse versum dixerim lagarum (ut appellant veteres Grammatici;) quàm ut primam in *electrum* corripi censeam: etsi hoc Germano Valenti Pimponcio placeat; atque item Nicolao Erythræo in Indice Virgiliano; ubi hanc sententiam comprobare conatur istoc versu in Ciri:

Coralio fragili, & lachrymoso movit electro.

Cùm in melioribus libris sit:

Non me deliciis commovit regia dives
Coralio fragili, ac electro lacrymoso.

In aliis verò legatur hoc pacto:

Non me deliciis commovit regia dives,
Dives coralio fragili, ac lacrymoso electro.

Utcunque autem de Marone est, alios verbum *potestur* usurpare constat, quos antè laudabam. Ac similiter *poteratur* dixit Cælius lib. I Annal. apud Nonium: item Scaurus lib. III de vita sua, apud Diomedem lib. I. Imò veteres nec *possetur* refugisse, probat Nonius illo Quadrigarii lib. I Annalium: *Cùm non possetur decerni, utrius putaretur victoria esse.*

* In 6 Annalium, ut Hier. Columna conjectat.
† Lib. 2, cap. 4.
‡ Lib. 12.
* In Monosyllabis.
* 8 Æn. vers. 402.

CAP. XXXVII.

De anomalis, Volo *cum compositis*, Nolo, *&* Malo; *item de* Fero, *&* Edo. Noltis. Tuli *unde venias*, *&* tolero. Tollisse. Ferre gradum. Tetuli. *Macrobius emendatus. Suevius, vel Sævius, à Cornelio Severo diversus.* Attollo, sustollo, contollo, protollo. *Supinum* latum *quo pacto à* tollo *originem* cœperit. Stlites.

res. Silocus. Es, comes; est, comest. Exest. Comesse. Estur. Comestus. Edim, Duim, & perduim, *unde dicantur.*

Reliqua nunc anomala persequamur: quorum alia tertiam magis declinationem sequuntur, alia quartam. Tertiam istæc, *volo*, *fero*, *edo*; quod de postremo horum satis est evidens. De prioribus verò cognoscere est ex integris. Nam *vis*, *volt*, *voltis*, per syncopen facta sunt, ex *volis*, *volit*, *volitis*, Caussam συγχύσεως quidam eruere conati, sed infeliciter. *Vis* enim potiùs, quàm *volis*, dici ajunt, ut differat à dativo plurativi *volis*. Sed hoc si alicujus momenti fuit; neque a *volo* *volas* dicere debuerant, quò hoc differret ab accusativo *volas*. Quid, quòd & ipsum *vis* non minùs nomen est, quàm *volis*? Futuro *nec volam* non semel usus Cicero? Imperativo caret: ut etiam est apud Phoam. Sed pro eo obtinet subjunctivus *velis*. *Velim* autem non mirum est dici, cùm O, & E, facilè commutentur. Olim sanè, ut ab *edo* est *edim*, ita à *volo* dixere *volim*; quemadmodum scribit Priscianus l. IX. Quin apud Ciceronem quoque ea vox in antiquis invenitur codd. ut ostendit Obertus Giffanius Conlectaneis in Lucretium, voce *Pervolit*. *Nolo* itidem ἀναλόγως magis olim declinatum. Lucilius apud Diomedem lib. primo: *Voltis? emta est. noltis? non emta est.* Mirum cùm *volo* destituatur imperativo, non idem fieri in *nolo*? Nam Ciceronis sunt *noli*, & *nolite*: Lucilii, *nolito*: Sisennæ, *nolitote*. A *malo* etiam *mavelim*, & *mavellem*, & *mavolam*, legitur apud Plautum Amph. & Asin.

Itidem *fers*, *fert*, *fertis*, sunt ex *feris*, *ferit*, *feritis*: ac per syncopen ideo efferri, scribit Priscianus lib. IX, ne putentur esse a *ferio*.

Tuli verò est à *tollo*, vel potiùs *tolo*, seu *tulo*, quomodo antiqui efferebant. Sanè Diomedes lib. I adducit ex Nævii Tabellariâ: —— *Dotem ad nos nullam attulat.* Et ex Plauti Rudente: *Aulas abstulas.* Aliquanto etiam pòst citat idem ex Pacuvii Medo:

Custodite hunc vos, ne quis vim attulat, neve attigat.

Ut quidem in Putschianâ expressum. Sed apud Nonium *, etiam in nostris membranis, sic legitur:

* In Attolere.

Custodite istum vos, ne eum qui attolat, neve qui attigat.

Puto, ut sit trochaicus tetrameter catalecticus, ac *qui* pro *quis* sumatur; sic legi oportere:

Custodite istum vos, ne eum quis attollat (vel, *attulas*) *neve attigat.*

A *tollo* fuerit *tolli*: unde *tollisse* dixit Ulpianus; ut observat Scaliger ad Varr. lib. I de R. R. cap. ult. Sed olim pro eo *tetuli* dictum, quasi à *tolo*, unde *tolero*. Nec mirum, si tetuli mediam corripiat, quam *fefelli* à *fallo* producit. Nam *fallo* est à σφάλλω, ubi prior longa. At *tetuli* est à *tolo*, uti hoc à τλῶ, ubi prior Homero, & aliis, brevis. A *tolo* igitur ἀναλόγως est *tetuli*, ut à *pago*, *pegigi*; à *pungo*, *pupugi*. Glossæ Benedicti: *Tetulit*, ἀνήνεγκεν. Usus Attius Andromedâ:

Donec tu auxilium, Perseu, tetulisti mihi.

Et Cæcilius Hypobolimæo †:

† Apud Nonium.

—— *Ærumnam pariter tetulisti meam.*

Sive, ut ὁ μακαρίτης Merula ‡ noster legit:

‡ In Lib. I Annal. Ennii.

—— *Ærumnam, pater,*

Tetulisti meam.

Nempe ut rei respondeant ista Cæcilii apud Festum *:

* In Stolidus.

Hic ubi, tu stolide, ille ut tibi siet pater?

Plauti item est Rudente act. IV, sc. I:

—— *Hodie me bis mulierculis*

Tetulisse auxilium.

Et eadem:

Tetuli ei auxilium, & lenoni exitium simul.

Et Menæchmis act. IV, sc. II:

—— *Conditiones*

Tetuli tortas, confragosas.

Et Pseud.

Opemque herili ita tetulit.

Terentius quoque Andriâ act. IV, sc. V:

Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.

Nec scenici solùm Poëtæ sic locuti, sed etiam Catullus. Charisius enim citat ex carmine ejus de vere, quod deperiit (nam in Pervigilio non exstat is locus, & ut extaret, non id poëma est Veronensis Poëtæ.) *Concitum tetuli gradum.* Unde Pierius colligit contra nonnullos, Latinè etiam dici, *ferre gradum*: rectè sanè, nisi obstet, quod carmen id sesquiseculo minimùm scriptum sit post Veronensis Catulli ætatem. Quid nunc epicos dicam? Ennii enim est lib. I Annal.

Ilia dia nepos, quas ærumnas tetulisti!

Lucretii lib. VI:

Ut tempestates pluvia graviore coortu

Sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.

Suevii quoque est apud Macrobium lib. III Saturnal. cap. XXVIII:

—— *Cum rege potenti,*

Nomine Alexandro Magno, fera prælia bello

In Persas tetulere suo.

Ita enim legendum, ubi vulgò *retulere.*

Suevii verò hujus meminit idem Macrobius quoque lib. II Saturn. cap. XV, & lib. VI, cap. I, & V. Qui *Severum*, Ætnæ auctorem, credunt, valde decipiuntur. Nam dictio ejus scriptoris longè alia est; ac versuum, quos Macrobius adducit. Quibusdam placet, *Sævium* legi debere, ut intelligatur Sævius Nicanor, de quo Tranquillus in illustribus Grammaticis. Atqui, ut idem foret, cur non potiùs Tranquillum è pluribus Macrobii locis corrigamus, quàm Macrobium ex uno Tranquilli? Sed ad *tetuli* redeo. Quod & in prosâ inveniri, indicat illud Arnobii lib. IV: *Ab Hippocoontis liberis ipsum Sosibius Herculem cruciatum retulisse pronunciat, & illati vulneris, & doloris.* In compositis geminatio hujus præteriti omittitur. Ut *attuli*, ab *attollo*; *abstuli*, ab *abstollo*: pro quibus & *attulo*, & *abstulo*, dixere, ut antea monitum nobis. *Sustuli* itidem à *sustollo*; quod Plautus usurpat Mil. Glor. act. I, sc. Nisi quidem ego, & Catullus carm. de nuptiis Pelei & Thetidos:

Candidaque intorti sustollant vela rudentes.

Item Cælius Aurelianus lib. I χρονίων, cap. IV: *Erit igitur sustollendus ægrotans subjectione manuum ex utraque alarum parte.* Utitur quoque lib. II, cap. I, atque alibi. *Contuli* est à *contollo*; quod apud Plautum legas Bacch. act. III, sc. Reddidi patri. Et Aulul. sc. ult. *Protuli* est à *protollo*; quod apud eundem reperias Caf. act. I, sc. Sine modo.

Imò, quod mirandum magis, nec supinum *latum* aliunde est, quàm à *tollo*, sive *tolo*. Nam dixere primò, non solùm, *tolo*, *tetuli*, vel *tuli*, *tulitum*, seu *tolitum*: sed etiam in prima, *tolavi*, *tolatum*. Quomodo à derivato ejus *tolero* est *toleravi*, *toleratum*. A *tolatum* per syncopen est *tlatum*, & per ἀφαίρεσιν *latum*: quomodo *lites*, & *locus* nunc est, quod prius *stlites*, & *stlocus*. Nisi malis, simili aphæresi *latum*, pro *tlatum*, dici à Dorico τλατὸν, pro τλητὸν, *quod ferri potest.* Nempe à τλάω, quod contractum ex ταλάω. Hesychius: Τλάς, ὑπομείνας. Sic *lator* fuerit Græcum τλάτωρ, quod Doricum pro τλήτωρ ab eodem τλῆναι. Et sanè ipsum *tolo*, vel *tulo* ex ταλῶ factum videtur: ut quod & ipsum notet *fero*, *suffero*, *perpetior*.

Ab *edo* veteres *edis*, & *edit*, proferebant. Quod probat Diomedes hoc Catonis ad Filium, vel de Oratore: *Lepus multum somni adfert, qui illum edit.* Et hoc Virgilii *:

* 12 Æn. vers. 801.

Nec te tantus edit tacitam dolor.

Ubi tamen nunc vulgò *edat*, etiam in optimis edit. nec aliter MSSti nostri: sed potior nobis Diomedes, antiquitatis caussâ.

Ex *edis* verò contractum *es*; unde *comes*, pro *comedis*, dixit Plautus Mostell. act. I, sc. I. Itidem ex *edit* fecere

tere *est*; quo Maro usus in IV Æn. Sic *comest*, pro *comedit*. Tullius Hortensio †: *Se ad extremum pollicetur prolaturum, qui se ipse comest.* Varro Margopoli, sive περὶ ἀρχῆς ‡:

Naturâ humanis omnia sunt paria.
Qui pote plus, urget: pisces ut sæpe minutos
Magnus comest; ut aves enecat accipiter.

Plautus Trinummo, sc. Multas res simitu:

—— Non sat
Id est mali, nisi amplius etiam, quod ebibit, quod comest.

Et *exest*. Lucretius Lib. III:

Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor.

Sic *comessem*, pro *comedissem*. Catullus epigr. XXX:

Ducenties comesses, aut trecenties.

Ac Tullius pro Sestio: *Usque eò fuit popularis, ut bona solus comesset.*

Esse, pro *edere*, est apud Tullium lib. II de orat. *Catulus fœnum alios, ajebat, esse oportebat.* Et lib. II de Natura Deorum: *Claudius mergi pullos in aquam jussit, ut biberent, quia esse nollent.* Crebrum verò Plauto: ut Trinummo act. II, sc. I: *Est dulce, esse, & bibere.* Nec capiendum aliter Curcul. act. I, sc. I:

Qui e nuce nucleum esse vult, frangit nucem.

Imò Mostellariâ act. IV, sc. II legas:

—— Numquam hic triduum in unum desitum est esse, & bibi.

Nisi, ex Lambini conjecturâ, malis *essi*. Nam passivè sumitur. *Comesse*, pro *comedere*, apud eundem est Bacch. act. IV, sc. I:

Comesse panem tres pedes latum potes.

Imò Cicero ipse similiter pro Flacco: *Quid attinuit relinquere hanc urbem? quasi bona comesse Romæ non liceret.*

Ab *es*, adjecto, *ur*, fit *estur*, haut secus atque à *potest* est *potestur*, à *poterat*, *poteratur*: atque, ut magis vulgata dem, ab *edit*, *editur*; ab *amat*, *amatur*, &c. Plautus Mostell. act. pr. sc. Jampridem:

Jam istæc quidem absumta res erit, dies noctesque estur.

Neque id refugit Ovidius lib. I de Ponto, el. I:

Estur, ut occultâ vitiata teredine navis,
Æquoreos scopulos ut cavat unda salis.

Vel etiam Columella lib. II, cap. X: *Dum est in siliquâ, estur.*

Sic in participio *comesto*, pro *comeso*. Sallustius, *Comesto patrimonio.* Pro quo *comeso*, apud Diomedem, usus Valgius: ut suprà diximus.

Edim, pro *edam* dici, probat Marcellus tergemino testimonio. Similiter verò Horatius lib. epod. od. III:

Edit cicutis allium nocentius.

Plautus Aulul. act. III, sc. Redi, quò fugis:

—— Quid tu, malum, curas,
Utrum crudum, an coctum edim, nisi tu mihi es tutor?

Idem Trinummo, sc. Quo illic homo:

De mendico male meretur, qui ei dat quod edit, aut quod bibat.
Nam & illud, quod, dat perdit, & illi producit vitam ad miseriam.

Et Menæchmis act. primo, scenâ primâ:

Dum tu illi quod edit, & quod potet, præbeas.

Cicero quoque lib. IX, epist. ad Pætum: *Cura, si me amas, ut valeas; ne ego, te jacente, tua bona comedim.* Ita non solùm Nonius legit: sed Victorius quoque reperit in Medicæo, ac Petrarchæ libro. Fortassè, si ita scripserit Cicero, alluserit ad aliquem veteris Poëtæ locum.

Simile est *duint* *, pro *dent*, & *perduint* †, pro *perdant*, apud Comicos. Nam, ut antea quoque monitum nobis, ex Græco δόω, unde δίδωμι, fit Latinum *duo*, O in V abeunte; ut in Κῦρος, *Cyrus*. A *duo* vero fuit *duim*, & à *perduo*, *perduim*. Usus & Livius lib. I: sed in sermone . . . . . *Bellona, si nobis hodie victoriam duis.* hoc est, *dederis*. Et naturam horum sequitur etiam *credeo*, unde contractum *credo*: uti *creduo* vel est ex *cretum duo*; quod Priscianus putavit: vel ex κρεῖ δόω, *cordi duo*, sive *do*. Inde igitur apud Plautum *creduam*, *creduas*, *creduat*. Singula enim horum usurpat. Item *creduis*, *creduis*. Nempe à *creduim*, ut *duim*, *perduim*.

† Apud Nonium in Comest.
‡ Ibid.
* Terent. Andr.
† Ter. Heaut. & Phorm.

CAP. XXXVIII.

De anomalis aliis, Eo, Queo, Fio, & *hinc conflatis*. Exiet, & præteriet, *pro* exibit, & præteribit. Morte obitâ. Multis interitis. Quirem, quitus sum, queuntur, nequitur. Fi, fite, fiti, fitur, fiebantur, fitum est. *Ennii locus numeris redditus.* Fio à φύω. Parvifaciatur, satisfacitur, facitur. *Defectiva, quia aliunde suppletur defectus, interdum dicuntur habere præteritum, quod mutuantur.*

Vidimus de anomalis magis sequentibus tertiam. Agendum nunc de istis, quæ propiùs accedunt ad quartam. Cujusmodi sunt, *Eo*, & compositum ejus *Veneo*: item *Queo*, cum composito *Nequeo*; adhæc *Fio*.

Eo in futuro retinuit *Ibo*, ex veteri declinandi more, quo futura quartæ sic desinebant, ut *servibo*, *dormibo*. In compositis tamen id perpetuum non est. Nam Tibulli est lib. I, eleg. IV:

At si tardus eris, errabis, transiet ætas.

Eodemque modo vetus interpres Matth. II, 6: *Ex te enim exiet dux, qui pascat populum meum Israël.* Atque ita etiam citat Tertullianus adversus Judæos. Est & scriptoris de limit. constitut. *Celerius domus exstirpabitur, gensque omnis ejus interiet.* Similiaque *præteriet*, vel *præteribit*; *iniet*, vel *inibit*. *Periet* pro *peribit* est apud veterem interpretem epist. S. Barnabæ.

Composita ab eo, quæ activè significant, etiam passivè declinantur. Cicero ad Q. Fratrem lib. I, epist. II: *Cum neque prætores adiri possent.* Columella lib. I: *Pericula adeuntur*: apud Juvenal. * *Subeuntur prospera castra.* Apud Maronem †, *Morte obitâ.* Antiqui etiam sic declinant neutrum *intereo*; ut apud Claudium Quadrigarium ‡: *Interitis multis*: hoc est, cùm multi interiissent, Græcè, πολλῶν ἀναιρεθέντων.

A *venum*, & *eo*, (ut Priscianus agnoscit in IX,) conflatum est *veneo*; ut à *venum*, & *do*, est *vendo*, pro *venundo*. Claudianus in Eutropium:

—— Venumque redibat,
Dum vendi potuit.

Quare ridiculi sunt, qui censent, *venum* esse supinum à *veneo*. Sed de eo satis diximus in verbis quartæ.

Queo etiam maximè sequitur quartam. Plautus Milite act. IV, sc. Hera eccum:

—— Si non quibo impetrare.

Estque apud eundem in argumento Militis Gloriosi:

Licere ut quiret convenire amantibus.

Et in prologo Mercatoris:

Trahere, exhaurire me quod quirem ab se domo.

quomodo & apud Senecam in Thebaide * legitur:

Utinam quidem rescindere has quirem vices.

Passivum quoque ejus est in usu. Neque id tamen rectè probatum eunt ex tertio Ciceronis de Legg. quandoquidem, ut ante nos alii observarunt, pro *quitur* illic, *quit illud*, legi debet. Verba ipsa Tullii apponam, prout ea emendabat Hier. Ferrarius *: *Cujus impunitatem amittit hac lege. Quit illud? Quit*, pro *quid*; ut *at*, pro *ad*; *set*, pro *sed*, scribebant veteres; quemadmodum codices, & monumenta antiqua, ostendunt. Sed ut de Tulliano istoc frustra fuerunt, qui inde passivum *quitur* comprobarunt: ita alia suppetunt, quæ eorum sententiam validè firment. Quale hoc Attii, ut quidem numeris censeo reddi oportere:

—— Nam neque
Pretio, neque amicitiâ, neque vi impelli, neque prece sum quitus †.

Et hoc ejusdem: *Unde omnia perdiscei, ac percipi queuntur.*

* Sat. 16. vers. 2.
† 10 Æn. vers. 641.
‡ Apud Prisc. lib. 9.
* Sc. primâ.
* Emend. in Cic. Philipp.
† In vulgatis quitus sum. Sed reclamat versus, qui est trochaicus acatalecticus octonarius.

tur. Et illud Cæcilii: *Si non sarciri quitur*. Citat ista Diomedes ‡. Quibus adde, quòd & apud Lucretium legitur lib. I * *queatur*; apud Appulejum in Apol. *quitus est*; apud Terent. Hec. act. IV, sc. I: —— *Forma in tenebris nosci non quita est.* item Gell. lib. XX, cap. I: *Quoniam sævitia ista pœna contemni non quita est.* Imò & *nequeor* rectè dicitur: ut *nequeor comprehendi*, *cognosci* &c. Probat id Festus è Pacuvio, Plauti Saturione, & Catone in primo Originum. Quibus adde illud Plauti Rudente act. IV, sc. IV: *Ut nequitur comprimi!* Hoc est, quàm difficile est comprimere Gripum. Appulejus in Apol. *Sola virginitas, cum semel accepta est, reddi nequitur.* Priscianus in tralatione Dionysii περιηγητοῦ:

‡ Lib. I, cap. de diversa verborum positione.
* Vers. 1043.

Hic nasci lapidem, qui tacto accensus ab igni
Exstingui nequitur.

Quo loco penultimam corripi videmus, quasi foret verbum tertiæ.

A *fio* antiqui in præterito dixere *fii*, si audimus Priscianum in VIII. In imperativo facit *fi*, *fite*. Plautus Curcul. act. I, sc. I:

PH. *Sequere hac, Palinure, me ad fores, si mi obsequens.*
PA. *Ita faciam.* PH. *Agite, bibite, festivæ fores, potate, fite mihi volentes propitiæ.*

Priùs usurpat quoque Persâ act. I, sc. Age: *Fi benignus, subveni.* Et Horat. lib. II, sat. V: *Fi cognitor ipse.* Posterius nec reformidavit Nunnius, sive Ninnius Crassus, lib. XVI Iliados: *Socii, nunc fite viri.* Sive, si malis,

Nunc socii, nunc fite viri. ——

Josephus Scaliger, Conjectaneis in Varronem, censet esse Cn. Mattii; qui Cæsaris Dictatoris amicus fuit, atque Iliada transtulit: vertisseque eum hic illud Homericum, Ἀνέρες ἔστε φίλοι †. Sed sententiam istam alibi ‡ excussimus.

† Viri este, amici.
‡ Cap. 24. hujus libri.

Nec mirandum, *fieri* syllabâ excedere thema *fio*, contrà quàm fit in *audiri*, *sanciri*, atque aliis. Nam priùs dixere *firi*, sive, ut veteres scribebant, *feiri*, aut *feirei*. Quâ de re actum libro secundo de arte Grammatica, cap. XIII: ubi etiam exposuimus, quomodo Donatus dicat, primam in *Fieri* produci, in istoc Ennii:

Cum memini fieri me pavum ——.

Nempe vel συνεκφώνησιν esse, *i* longi, & *e* brevis, in I longum: vel Ennium ἀρχαϊκῶς *firi* scripsisse. Quod verius puto. Sed Ennii locum, quod nunc modò in mentem venit, possis sic digerere:

—— *Memini cum*
Me fieri pavum.

Vel sic potiùs:

—— *Memini me*
Cum fieri pavum.

Prius illud propiùs accedit ad scripturam istam: *Minime nomine fieri pravum.* Prout legitur apud Donatum in Adelph. act. I, sc. II. Nimirum ut ex *nomine* fiat, *quom me*, sive *cum me*. Posterius minùs abit ab scriptura, quæ est apud eundem in Andr. act. II, sc. V. Est ea hujusmodi: *Memini me tum fieri pavidum:* sive, ut est in quibusdam MSS, ac veteri nostrâ Tarvisinâ *: *Memini me quum fieri pavidum.* Ubi non video, quod mutationis egeat: nisi quod pro *pavidum*, legendum *pavum*. Quare nihil opus sit, *quom* trajici in locum principem, libris omnibus invitis.

* Anni 1477.

Fior planè obsoletum. Adducit Priscianus ex M. Catone Censorio in Thermum: *Postquam diutius fitur.* Et ex eodem de L. Veturio: *Græco ritu fiebantur Saturnalia.* R. Goclenius lib. II Annal. sect. LXXXIII. pro *fiebantur* reponit *faciebantur*. Sed omnibus libris invitis: & sine caussa, cum *fitur*, legatur. Ac Nonius † etiam citat ex Livii Odysseâ: *Fit, quoque fitum est.*

† In Fite.

At *factus sum*, non est præteritum à *fio*; uti Diomedes lib. I scribit; sed à *facior*: pro quo nunc quidem *fio* dicitur, à Græco φύω; unde & *fuo*, *fui*, *futurus*; sed olim *facior* etiam in usu fuisse, multa ostendunt. Primùm composita usitata, *afficior*, *perficior*, & similia. Deinde alia, quæ nunc in usu esse desierunt. Nam Titinnius in Quincto, *parvifaciatur* dixit, Nonio, & Prisciano, testantibus. Ac Varronis in Cynico, apud eundem Priscianum, sunt ista: *Si me hercule pergunt, & Deorum curâ non satisfacitur Reip.* Denique & ipsum *facior* posuit Nigidius Figulus commentatione Grammatices lib. XIX, apud Nonium ‡: *Id quod dico hujusmodi est: ποιεῖ, facit; ποιεῖται, facitur; ποιεῖν, facere.*

‡ In Facitur. Duo postrema verba, ποιεῖν, facere, quæ in plerisque libb. desunt, in nostro etiam Mso, sed corrupte, comparent.

Est igitur *fio* reponendum inter defectiva præterito carentia: uti & *reminiscor*, & *medeor*. Quamquam Diomedes utrumque etiam horum inter anomala referat: atque illud dicat in præterito habere *recordatus sum*; hoc verò *medicatus sum*. Quibus sanè, si verba solùm spectes, nihil dici potuit insubidum magis. Ac ratio par, cùm Phocas ait, *ferio* facere *percussi*. Sed profectò meliùs eos sensisse, quàm loquebantur, indicant isthæc ipsius Phocæ: *Deponentia hæc, vescor, fruor, medeor, liquor, reminiscor; quæ in præterito sic proferuntur; pastus sum, potitus sum, medicatus sum, liquefactus sum, recordatus sum: quæ ab alio præsenti veniunt, sed ad supplementum declinationis defectivæ accommodantur.* Interim cautius loqui debuisse, nemo inficiabitur: atque hoc inprimis liquet in *fruor*, quod non *potitus* sum facit, sed *fruitus*, & *fructus sum*, ut suprà ostensum. Adde quòd significatio horum sæpe est diversa: ut illo, *Frui* * *ingenio suo:* &, *frui* † *præsentibus.* Ubi *potiri* non habeat locum.

* Terent. Heaut. act. 2, sc. 4.
† Cic. I de Fin.

Cap. XXXIX.

De defectivis præsentis, Odi, Memini, Cœpi. Odio, *pro* odi. Odibunt, oditur. Osus sum, *pro* odi. Perosus, & exosus aliquem. Meno *priscum.* Mentum. Meniscor. Meminens. Dememini. Cœpio, cœperet, cœpiam. *Flavii Capri error.* Cæpi, fæci. *Cur* Novi *Defectivum statuatur, cum* Nosco *dicamus.* Nômus, *pro* Novimus. *Joannes Cæsarius notatus.*

Ab anomalis transeamus ad defectiva. In his multa inveniuntur iis usurpata temporibus, quibus illa deficere persuasum est Grammaticorum vulgo. Eaque res facit, ut non pauca, tam in externis, quàm Ecclesiasticis scriptoribus, librariorum inscitia corruperit. Nam, ut eruditissimus Joannes à Wouweren observat, Petronius ab *odio* dixit *odientes:* ubi vulgò legitur *audientes*, quod locum istic habere non potest. Ac similiter Appulejus περὶ ἑρμην. *Orationis variæ species sunt: ut sunt imperandi, narrandi, mandandi, succensendi, optandi, monendi, irascendi, odiendi.* Vetus autem utriusque Instrumenti sacri interpres crebrò admodum usurpat. Ejus sunt, *odiet*, *odient*, *odivi*, *odivit*, *odite*, *odientes*, &c. Etiam Goldastus in Mso S. Valeriani libro, qui de bono disciplinæ inscribitur, sic legi monuit: *Laudo quidem in te conscientiam castitatis, sed odio conloquium meretricis.* Et agnoscit idem verbum Nestor Novariensis; qui & veteris interpretis hæc adducit ex Parabolarum cap. I: *Usque quò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam?* Legitur & passivum. Ut apud eundem Siracidæ cap. XX, vers. VIII. Ac similiter Tertullianus adversus gentes: *Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* Et iterum: *At enim secta oditur in nomine utique sui autoris.* Imò clarissimus, affinitateque dum viveret conjunctissimus, Janus Gruterus ‡, hanc vocem restituit quoque Senecæ ex veteri exemplari H. Stephani, & altero Coloniensi. Verba ejusce philosophi sunt: *Necesse est aut imiteris, aut odiaris.* Etiam ut à *tædet* est *tæduit*, & *pertæsum est*; à *soleo*, *solui*, & *solitus sum:* ita & *odi*, & *osus sum*, dixere optimi Latinæ linguæ scriptores. Uti Plautus Amphitr. *

‡ Pag. 579.

—— *Ita ingenium meum est:*
Inimicos semper osa sum obtuerier.

* Act. 3. sc. Durare nequeo.

Gellius lib. IV, cap. VIII: *Hunc Fabricius non probabat, neque amico utebatur, osusque eum morum caussâ fuit.* Indeque

deque composita, *perosus*, *exosus*: ut, *Populum Romanum perosi*, apud Suetonium in Tiberio, cap. XXI, epistola Augusti ad Tiber. Item, *Patrios mores exosus es*, Curtio lib. VIII. Et, *Plebs consulum nomen, haut secus quam regum, perosa erat*, apud Livium lib. VIII ab V.C. Similiter, *Diis exosos*, Gellio lib. II, cap. XVIII: *Exosa parentes*, apud Val. Flaccum lib. V.

Memini est præteritum ab antiquo *meno*; ut *cœpi* ab obsoleto *cœpio*, de quo infrà dicam; & *odi* à prisco *odio*, de quo ante vidimus. A *meno* fit *memini* per reduplicationem, more Græcorum; cujus generis etiam sunt *fefelli*, à *fallo*; *pepigi*, à *pango*; *memordi* (sic enim veteres dixere) a *mordeo*. *Meno* autem olim in usu fuisse, multis antiquæ istius vocis vestigiis comperimus. Nam unde aliter deducas verbale *mentio*, quàm ab inusitato hujus verbi supino, quod est *mentum*? Imò unde alioqui fuerit verbale *mentum*, quo pro *commento* veteres usos esse, docebit Festus? Nec video, unde *meniscor* esse possit, nisi à *meno*. Nam ut ab *apere*, *apiscor*; à *pacere*, *paciscor*; sic à *menere*, *meniscor*; unde composita vulgò obtinent *comminiscor*, & *reminiscor*. Nec *moneo* aliunde, quàm à *meno*, converso E in O; quomodo à *benus* est *bonus*; à *ferriceps*, *forceps*, à *dermio*, *dormio*; ab *hemo*, *homo*, &c. *Meno* verò propriè est in animo habeo, à μένος, quod Græcis ἁπλῶς interdum animum affectumque notat; unde εὐμενὴς †, & δυσμενὴς ‡. Nec tamen *meno* tantùm; sed & *memino*, dixisse veteres, certis, ut credam, adducor conjecturis. *Meminens* quippe ab eo invenitur. Livius Erotopægniôn IV: *Meminens Varro corde volutat*. Citat Priscianus lib. XI, cap. de temporibus & naturis participiorum. Hoc de participio ita Donatus art. II, & Sergius: *Abeo, quod est Memini, artis nullum participium reperitur. Si ad usum, verum est; si ad autoritatem, falsum: nam invenimus in Plauto Meminens.* Imò & utitur Ausonius in tumulo Minervii Rhetoris:

† Benevolus.
‡ Malè affectus.

Vivis adhuc, avi, quod superest, meminens.

Sidonius verò Apollinaris mirificè eo delectatus videtur. Nam libro II, epist. XX, ait: *Sisque oppidò meminens.* Lib. IV, epist. III: *Aliquantisper mei meminens.* Et ejusdem libri, epist. XII: *Naturæ meminens, & professionis oblitus.* Et lib. VI, epist. III: *Mei meminens non sum*: quæ ipsa quoque verba legere est lib. VII, epist. VI. Addo obiter, esse quibus videatur, veteres quoque dixisse, *dememini*, pro, non memini. Martial. lib. II, epigr. LIX:

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.
Ipse jubet mortis dememinisse Deus.

Ac ita quidem habet antiqua Calderini, itemque Aldina editio I. Sed rectum est, quod in aliis legitur, *Te meminisse.*

Cœpi olim quoque integrum fuit. Cæcilius Peribœâ:

—— Aere obscuro hercle desinam
Manè cœpiam.

Plautus Truculento act. II, sc. Ha ha ha:

Dum habeat, tum amet; ubi nihil habeat, alium quæstum cœpiat.

Et Menæchmis act. V, sc. Ædepol ne hic:

Neque ego insanio, neque ego pugnas, neque lites cœpio.

Cato quoque *cœpiam* dixit, teste Festo. Ac Terentius Adelph. act. III, sc. IV:

—— Non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quicquam cœperet?

Ab eo in usu est præteritum *cœptus*. Cicero Bruto, sive de claris Oratoribus: *Hortensius igitur, cùm admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad majores caussas adhiberi cœptus est.* Atque eodem libro, de M. Pisone: *Is cùm satis floruisset adolescens, minor haberi est cœptus postea.* Spissus autem est error Capri, qui libello de elegantiis putat, *cœpit*, per OE, scribi, ab *incipio*; *capit* per Æ, à *capio*. Nam cum à *capio* venit, *cepi* exarandum nudâ vocali: & ut omnino tum per Æ scriberetur, (nempe, ne pereat A præsentis, quomodo & FÆCI, in Longobardico Virgilii codice reperisse se, ait Pierius) attamen illud dubium esse nequit, cùm *cœpi* per OE scribitur, non ab *incipio* esse, sed à *cœpio*: quod veteres usurpâsse ostendimus.

Tribus istis, de quibus vidimus, à Diomede, & aliis, *Novi* additur. Neque fugit eos, *novi* esse à *nosco*: sed eo respexere, quòd *novi* significationem habeat præsentis. Monet Diomedes, pro *novimus*, κατὰ συγκοπὴν, dici *nômus*. Ut apud Ennium Hectoris Lustris:

Nos quiescere æquum est, nômus ambo Ulyssem ——;

Sed in illâ Diomedis editione, quam Cæsarius recensuit, & hæc, & innumera alia, ab eo planè sunt interpolata, corruptaque.

CAP. XL.

De defectivis aliis, fari, inquam, ajo, infit, cedo. Effor. Fans. Inquam *prius imperfectum notabat tempus.* Inquitis. Ai, aibat, aierunt, aiat. Infit *unde*. Desit. *Germanus Valens notatus. Unde sit, quòd præsto, pro coram; aut* cedo, *pro* dic, *usurpetur, è Rod. Agricolâ ostensum. Ab eo recessum super Terentii loco.* Sermones cædere. ἐ Κόπις *unde Græcis dicatur.*

A Tribus his confero me ad quinque ista ejusdem, uti creditur, significationis, *faris*, *inquam*, *aio*, *infit*, *cedo*. De primo ita Diomedes: *Faris, fatur. Raro For invenitur. Verùm in compositione, ut apud Caium, reperimus Effor.* Cui simile est, quòd *Addor*, & *reddor*, dicimus; *dor* non dicimus: etsi *daris*, & *datur*, non minùs in usu sint, quàm *faris*, *fatur*. *Fans* est apud Plautum Persa act. II, sc. I:

Cuculus, si in ludum iret, potuisset jam fieri, ut probè literas sciret,
Cùm interim tu meum ingenium fans non didicisti, atque infans.

Inquio, ut Phocas, Diomedes, & alii artium scriptores, putarunt, in usu non est. Eos conatur refellere Priscianus, autoritate ipsius Ciceronis in secundo de Oratore, ubi dicat: *Aucupari verba oportebit, inquio.* Gravis sanè Tullii auctoritas. Sed enim nunc in cunctis codd. legitur, *in quo*: & sententia id requirit: ut Lambino, ac cæteris, adsentiam, qui corrupto Priscianum codice usum arbitrantur. Validius fortasse illud Catulli, epigram. X:

—— Volo ad Serapin
Ferri manè. mane, inquio, puella.

Quomodo Muretus quoque edidit. Veterem editionem, quæ Regii Lepidi procurata anno CIƆ CCCC LXXXI, nihil moror, ubi legas:

Deferri mane, tum inquam puella.

Metro enim hæc planè repugnant. Sed Achilles Statius Lusitanus emendat:

Deferri: inane, inquio puella.

Nec multum abit Scaliger. Solùm pro *inquio*, *inquii* reponit. Nempe & illi, *inquio*, parùm visum Catullo convenire. Cæterùm, *inquam*, utcunque nunc præsentis sit, tamen aut valde me judicium fallit, aut primò præteriti fuit imperfecti. Puto enim ex *inquiebam*, κατὰ συγκοπὴν, factum esse. *Inquimus* est apud Horatium lib. I, sat. III:

Communi sensu planè caret, inquimus.

Atque ad eam formam *inquitis* apud Arnobium legimus libro I: *Sed antiquiora, inquitis, nostra sunt.* Item lib. II: *Non credimus, inquitis, vera esse, quæ dicit.* Et trecentis aliis in locis. *Inquiebant*, & *inquisti*, sunt ipsius Ciceronis. Uti & *inquies*, *inquiet*. *Inque* est apud Plautum Pseudolo, sc. Si te damnosis, & Terent. Heaut. act. IV, sc. VII. Idem Plautus *inquito* usurpat Trinummo, sc. Quindecim dies.

Aio an imperativum haberet, nonnulli olim dubitarunt, Diomede teste in primo: qui eos refutat istoc Nævii:

An nata est sponsa prægnans? vel ai, vel nega.

Qui locus absque dubio est ex poëtæ ejus Virgine prægnante. Videtur tamen postea exolevisse: nam posteriores

aias pro *ai* maluissent. *Aibant*, pro *aiebant*, ἀρχαϊκῶς extulit Attius in Ione:

—— Quibusnam te aibant ortum locis?

Nempe ut ab *aio* est *ais*, pro *aiis*; sic ab eodem est *aibam*, pro *aiibam*, vel, ut postea dixere, *aiebam*. Perfectum habere negat Priscianus in decimo. Probus agnoscit *ai*. Et apud Tertullianum legimus lib. de Fuga in Persecutione: *Atque ita omnes aierunt, Fiat voluntas Domini.* *Aiat* probat Nonius Marcellus istoc Tullii de Fin. bon. & mal. *Quasi ego curem, quòd ille aiat, aut neget.* *Aiens* dici, ostendit hoc Tullii in Topicis: *Negantia ajentibus contraria.*

Verbi *infit* prima persona est *infio*: quo Varronem in Mensuralibus usum esse, monet Priscianus lib. VIII. Ergo, ut a *capit* est *incipit*, sic à *fit* est *infit*: quod ipsum quoque notat *incipit*. Simile compositum est *desit*: unde dicitur, *desiet*, *desiat*, *desieri*. Apud Græcos quoque simile habemus. Nam iis ἐπιγίνεσθαι est *existere*, *oriri*, *confieri*. Glossæ Philoxeni: *Infit*, ἐπιγίνεται, ἄρχεται. Vulgi opinio est, *infit* idem esse, quod *ait*, sive *inquit*: imò idem censet doctissimus Germanus Valens Pimponcius in XI Æn.* Ubi in illo Maronis, *Ita farier infit*, similem esse συνωνυμίαν ait, ac in istoc Homeri†, ἔειπε ἔπος. Sed refellitur, cùm originatione ipsâ, quam adduximus; tum autoritate Festi, à quo exponitur *incipit*. Ut liquidò sumit Plautus Aulularià act. II, sc. IV:

Homo ad prætorem plorabundus devenit.
Infit ibi postulare, plorans, ejulans.

Et Lucretius lib. III:

Commutare animum quodcunque adoritur, & infit.

Item lib. V:

Illa quoque expergefactum caput erigere infit.

Idem firmant veteres glossæ Philoxeni, in quibus legere est, *Infit*, ἄρχεται λέγειν‡. Gloss. Phil. *Infe*, ἄρξε. Congruè sanè isti Liviano, *Ibi infit, annum se tertium & nonagesimum agere.* Est enim ὑπακουόμενον*, *loqui*, sive *fari*: haut aliter ac si dicas, *Ita cœpit*, puta *dicere*. Quod integrè extulit Maro, cùm ait, *farier infit*.

Cedo porrigentis est manum: ut Donatus ait ad illud Comici And.†

Nova nunc religio in te istæc incessit? cedo.

Unde autem fit, quòd pro *dic*, vel *porrige*, sumatur, docere conatur, magnum sui ævi decus, Rodolphus Agricola, Annotationibus in M. Senecæ Declamationes; ubi sic scribit: *Credo hæc verba, Præsto, & Cedo, quemadmodum & Amabo, longo usu ad aliarum partium orationis vim esse detorta: ut cùm diceretur, Adesto, responderet alter Præsto, adsum: id est, facio quod vis, adsum. Inde tandem usu eò deductum, ut intelligeretur Præsto, pro eo, quod est promtum ac paratum. Sic & cùm diceret quis, Dicam tibi hoc, respondebat alter, Cedo, id est, Permitto, dic: &, Ibo per fundum tuum? dicebat alter, Cedo, ito: id est, permitto, ut eas: quod & Terentius significâsse dicitur in Heautont.* dicens, Dumque sermones cedimus. Inde postea consuetudo tenuit, ut diceretur, cedo manum, cedo cantharum.* Hactenus vir ille maximus, cui de reliquis facilè subscripserim; non item de loco Terentii, qui dixit *sermones cædere*, ut Græci λόγους κόπτειν, unde & Orator κόπις† appellatur. A *cedite* κατὰ συγκοπὴν est *cette*. Plautus Mercat. act. V, sc. ult. *Cette dextras nunc jam.* Nam *cette* est *date*, à *cedo*, ut ex Nonio discimus: qui & quatuor similes locos adducit. Quorum duos apponam. Unus est Ennii è Medea:

—— Salvete optima corpora:
Cette manus vestras, measque accipite ——.

Ubi *cette* est *date*. Nam expressit illud ex Euripidis Medea‡:

—— Δότ', ὦ τέκνα,
Δότ', ἀσπάσασθε μητρὶ δεξιὰν χέρα*.

Unde & verisimilis est Henrici Stephani conjectura†, pro *corpora* legentis *pignora*. Alter locus est Nævii; sed qui in Aldinâ, & hac antiquiori editione Mediolanensi, itemque apud Junianum Majum, legatur corruptissimè.

* Pag. 504.
† Iliad. α & alibi.
‡ Incipit dicere.
* Subauditum, sive subintellectum.
† Act. 4, sc. 3.
† Act. 2, sc. 3.
† Lycophron Cassandrâ.
‡ Vers. 1069.
* Date, ò liberi, Date, salutate, matri dextram manum.
† Notis in fragmenta Lat. Poet. pag. 121.

Nempe hoc pacto, *Pro industria ne te regem prognatum Patrem Lycurgum cette.* Ubi præclarè, nec multùm abeuntibus vett. membranis nostris, emendat Hadrianus Junius:

Proin Dryante regem prognatum patre
Lycurgum cette.

Pacuvii, & Attii similes locos, apud ipsum Nonium vide.

Cap. XLI.

De Faxo, Ausim, Forem, & Quæso. Faxo *quo pacto à* facio *fluxerit.* Axo. Adaxim. Axites, axitiosi. Iniexo. Perduaxint. Faxim *unde*, & Axim. Levasso, impetrasso, & *unde formentur.* Faxitis. Ausim, *ex* auserim. Ausi, *pro* ausus sum. Respexis. Quæso *quare pro* posco, & invoco, *sumatur.* Quæse, quæsit, quæsere.

Sequuntur è Defectivis *Faxo*, *Ausim*, *Forem*, *Quæso*. Ac primùm, *Faxo* unde formarint, disquiramus. In mentem venit, Latinos hac in parte secutos esse morem declinandi Græcorum: qui dicunt, ἄγω, ἄξω: πλέκω, πλέξω: τύπτω, vel τύπω, τύψω. Similiter ergo Latini, *facio*, *facto*, *faxo*: *ago*, *acto*, *axo*; unde *adaxint* apud Plautum‡. Ubi tamen MSS aliqui *adaxsint**: quod Pylades Brixianus non improbat, quia X sæpe abeat in SS: ut πατρίζω, *patrisso*. Sed antiqui Grammatici *axo*, *faxo*, & similia, non aliter, quàm per X, scripsere. Par autem ratio in *adaxo*, & similibus. Simplicis *axo* meminit Festus; qui & inde *axites*, & *axitiosos* dici monet. Sic enim scribit: *Axitiosi factiosi dicebantur, cùm plures unà quid agerent, facerentque. Axit autem antiquos dixisse pro egerit, manifestum est: unde Axites* (male vulgò *Axies*) *mulieres, sive Dii, dicebantur unà agentes.* *Axitiosos* dixit Plautus† apud Varronem‡:

Axitiosa annonam caram è vili concinnant viris.

Similiter à *jacio*, *jacto*; unde *jaxo*; ab *injicio*, *injecto*, unde *injexo*. Plaut. Pers. act. I, sc. II:

Ubi quadruplator quempiam injexit manum,
Tantidem ille illi rursus injiciat manum.

Dicat fortassè aliquis, *faxo*, *axo*, *injexo*, potiùs esse temporis futuro-præteriti, quod subjunctivi futurum vocant: nempe ut *axo* sit *egero*, prout exponit Festus; *faxo*, sit *fecero*; *injexo*, *injecero*. Sed sic quoque non abeunt Latini à Græcis, quando eadem his vox est futuri Indicativi, & Subjunctivi. Quippe qui in subjunctivo utantur aoristo pro futuro: unde τύψω est *verberabo*, *verberaverim*, vel *verberavero*. Videntur autem Latini hanc terminationem in solis usurpâsse frequentativis. Nam, uti dicebamus, *faxo* est à *factare*; unde *factitare*, & *affectare*. *Injexo* item ab *injectare*. *Axo* ab *actare*, unde *actitare*. In aliis tamen etiam habuerit locum, si vera est lectio apud Plautum Mostell. act. II, sc. Habeo Neptune*. Ubi legimus *perduaxint*. Quod si rectum est; uti pro *jactabo*, *actabo*, *factabo*, dixere *jaxo*, *axo*, *faxo*: sic ab antiquo *perduo*, pro *perdo*, fuerit *perduabo*, instar simplicis *dabo*; pro *perduabo* autem dixerint *perduaxo*. Sed profectò non minùs mihi, quàm Turnebo, ac Lambino, suspecta hæc scriptura est: præsertim cùm in Camerarii libris fuerit non *perduaxint*, sed *axint*, indeque aliâ manu, *faxint*.

Aliter etiam ἀναλογίαν in *faxo*, & similibus, investigabamus. Veteres in præteritis sæpe retinebant vocalem præsentis, ubi posteriores mutarunt. Sic *canuere*, pro *cecinere*, dixit Sallustius; *atteruisse*, pro *attrivisse*, Tibullus; & alii alia. Ab *ago* ergo similiter fuit *agi*; à *facio*, *faci*; unde *agero*, & *facero*, pro *egero*, & *fecero*; ex his autem E extrito, & R in S abeunte, *facso*, seu *faxo*; *acso*, seu *axo*. Eademque mutatio fuit in *injecero*, unde *injecso*, seu *injexo*. Nam X valet CS.

Veniamus ad terminationem hujus verbi IM, *faxim*. Quod similiter est ex *facerim*, pro *fecerim*. Sanè significatio convenit. Ut apud Comicum*, *Tibi lubens bene faxim.* Itidem ex *agerim* factum *acsim*, seu *axim*. Pacuvius Peribœâ:

Ut quæ egi, ago, vel axim, verruncent bene.

Ubi

‡ Aulul. act. 2, sc. 2.
* Ut & editio Veneta anni 1518.
† Astraba, sive Clitellaria.
‡ Lib. 5 de L. L.
* Vers. 33.
* Adelph. act 5, sc. 5.

Ubi Nonius *axim* exponit *egerim*. Plautus Aulul. act. I, sc. I:

Utinam me Divi adaxint ad suspendium.

Pro *adegerint*. *Taxis*, ex *tetigeris*. Varro Modio: *O Petrulle, ne meum taxis librum.* R verò in S mutari in hujusmodi præteritis perfectis, ac præterito-futuris; discimus ex *impetrasso*, *levasso*, & similibus. Nam ex *levavero*, & *impetravero*, fiunt *levaveso*, & *impetraveso*; unde, extritâ syllabâ, & ad compensationem ejus geminatâ consonâ, *levasso*, *impetrasso*. A *faxo*, vel *faxim*, *faxis* est apud Plaut. Asin. & Mil. imò & Horat. lib. II, sat. III, & VI. *Faxit* item Rudente, & Legg. XII Tabb. FORTOM FAXIT: *faximus* Truculento, *Quod cum celamus, faximus conscios.* *Faxitis*, in carmine antiquo devotionis urbium atque exercituum. *Faxem*, pro *fecissem*, est apud Plautum Pseud. act. I, sc. V:

Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.

Sic & vett. editt. †

† *Ut Veneta anni 1518.*

Quemadmodum autem *faxim*, pro *fecerim*: ita *ausim*, pro *auserim*, hoc est *ausus fuerim*, usurpatur. Nempe ut à *soleo* est *solui*, & *solitus sum*: sic ab *audeo* fuit *ausi*, & *ausus* sum. Itaque, Prisciano teste, Cato Censorius pro L. Antonio, sive, ut Mſ. noster habet, Antronio dixit, *Non ausi recusare*: cujus rei etiam superiùs meminimus. Ab *auserim*, *auseris*, *auserit*, κτ̀ συγκοπὴν facta sunt, *ausim*, *ausis*, *ausit*: quomodo & *respexis*, pro *respexeris*, dixit Plautus Mostell. act. II, sc. II: *Cave respexis.* De *faxo*, seu *faxim*, & *ausim*, satis verborum fecimus.

Supersunt *forem*, & *quaeso*. Ex his *forem*, quemadmodum etiam Diomedes testatur, κτ̀ συγκοπὴν factum ex *fuerem*, ut *fore* ex *fuere*: puta ab antiquo *fuo*; de quo suprà abunde diximus. Nunc tantùm apponam verba Prisciani extremo libro VIII: *Reperiuntur tamen & alia verba, quæ in usu deficiunt personis: ut cedo, sodes, salve, furis, age, infit, forem: quamvis & infio, & furo, apud Varronem inveniuntur; & forem, apud Ter. in Hecyra* ‡:

‡ *Act. 4, sc. 1.*

Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem.

* *Act. 1, sc. 1.*

Fore quoque dicitur, ex quo confore. Ter. And. compositum protulit, Et id spero confore.* Unde liquet, veterum judicio *forem* esse insolens, uti *furo*, & *infio*.

Quaeso, si vera est suspicio nostra, ex veteri lingua remansit, quâ S pro R usurpabant: ut *asa*, pro *ara*; *asena*, pro *arena*; *Auselii*, pro *Aurelii*, similiaque. Sanè Ennius dixit in secundo Annal.

—— *Nautisque mari quaesentibus vitam.*

Idem Cresphonte:

Duxit me uxorem sibi liberûm quaesendûm gratiâ.

Et Andromedâ:

Liberûm quaesendûm caussâ familiamatrem suæ.

Sed his locis *quaesere* ἁπλῶς notat *quaerere*, ut notavit Festus Pompejus. Quia autem qui poscit, aliquid requirit, hinc *quaesere* etiam pro exposcere, vel invocare, accipitur. Nempe quâ ratione Belgis *versoecken*, quod est quærere seu poscere, dicitur à *soeken*, hoc est, quæro. Ita, ut ad Manilium notavit Scaliger, usus eo Poëta hic, cum ait, *Quaesivere Deos*, id est invocarunt. Idem: *In Ponto quaesitum rector Olympi.* *Quaesere*, pro *poscere* vel *rogare*, est apud Plautum Bacch. act. II, sc. II:

Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto quaesere.

Quaesit est apud Lucretium lib. V:

Non Divûm pacem votis adit, ac prece quaesit
Ventorum pavidus paces, animasque secundas.

Etiam Plautus, si Colvium audimus, scripsit Menæchmis act. V, sc. Nimis stultè:

I, Decio, quaese meum patrem, tecum simul
Ut veniat ad me.

Ac dixit eodem modo Appulejus IV Metam. *Multis nos affatibus, multisque precibus quaesens adhortatur.* Ita enim legi debere, non modò Colvius* censuit; sed & Justus Lipsius †, itemque Janus Guiljelmius; quem vide in Plautinis Quæst. ad Trinummum, cap. IV.

* *Notis in Appul.*
† *Teste Colvio, ibidem.*

C A P. XLII.

De impersonalibus, non deficere ea in tertiâ plurativi. Decent. Oportent. Oportebant. Pudent. Pœnitebunt. *Pacuvius correctus. Eandem ab impersonalibus passiva vocis in usu esse. Error vetus, solùm ea Indicativum habere, refellitur.* Oporteto, oportuerint, deceant, pertæduissent. *Impersonalia olim etiam primam, secundamque personam, habebant: ut* Pudeo, pudes; Pœniteo, pœnites, *&c.*

INter defectiva quoque impersonalia numerantur à Phoca. Item Donato in editione secundâ; uti & ejus interprete Sergio: *Hoc ipsum*, inquit, *verbum impersonale defectivum est: sublatis enim duabus personis, primâ, & secundâ; tertia utique superest.* Unde etiam cognoscimus, cur *impersonalia* dicantur. Nec tamen deficiunt tam multis, quàm vulgò putant. Spissus sanè est iste multorum error, cùm existimant, penitùs destitui tertiâ plurali; quâ toties usi veteres: præsertim in *Decet*, & impersonalibus patheticis. Cicero I Off. *Quæ contemplantes expendere oportebit, quid quisque habeat sui, eaque moderari, nec velle experiri, quàm se aliena deceant.* Horat. lib. III, od. XV: —— *Nec citharæ decent.* Lib. I, epist. VII: *Parvum parva decent.* Et in Arte:

—— *Tristia mæstum*
Vultum verba decent.

Ovid. lib. I de Rem. Am.

Lude: decent annos mollia regna tuos.

Et I Amor.

Nec dominam nota dedecuere coma.

Plinius lib. V, epist. VIII, de discrimine orationis, & historiæ: *Hanc sæpius ossa musculi, nervi: illam tori quidam, & quasi jubæ decent.* Quandoque autem idem etiam videas in *Oportet*. Terentius Andr. act. III, sc. II:

Adhuc, Archilis, quæ adsolent, quæque oportent,
Signa ad salutem esse omnia huic esse video.

Ita est in optimis quibusque Mſſis. Itidem Heaut. act. III, sc. II:

—— *Hæc facta ab illo oportebant, Syre.*

Idem dicebamus crebrum esse in patheticis. Plaut. Epid. act. II, sc. I:

Plerique homines, quos cum nihil refert, pudent.

Ita quidem jam olim legit Ninivita Joannes. Ac deinceps etiam in Spicilegio emendabat Palmerius:

Ubi pudendum est, ibi eos deserit pudor,
Cum usu'st, ut pudeant.

Sed utrobique, & *pudet*, & *pudeat*, in Mſſis, & antiquis codd. invenitur. Quare validius illud Terentii Andr. act. IV, sc. I:

—— *Attamen, ubi fides,*
Roges; nil pudent. ——

Et hoc Lucani lib. VIII*:

* *Vers. 495.*

—— *Semper metuet, quem sæva pudebunt.*

Similiter *pœnitebunt* dixit Pacuvius Armorum judicio †:

† *Apud Non.*

Prologo nunc pœnitebunt libunt liberi grato ex loco. Prout is locus exaratus in Mſo nostro, & ex suis codd. a præstantissimo Mercero expressus. Eum, sanè corruptissimum, Hugo Grotius, præcipuum æternumque cùm Erasmo Bataviæ suæ decus, sic felicissimè restituit: *Pol nunc pœnitebunt, si ivit liber ignaro loco.* Quippe, ut in Castigationibus etiam veterum tragicorum dicebamus, expressit Pacuvius illud Sophoclis Ajace:

Μολὼν ᾗ χῶσιν ἐνθ' ἂν ἀστιβῆ κίχω.

Et ibo, solum donec inveniam locum.

Nec obscurior res in impersonalibus passivæ vocis. Cic. I de Off. *Quo in genere etiam multa in repub. peccantur.* I de Orat. *Attamen ista, quæ abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus.* Ovid. Epist. Medeæ ad Jasonem:

Non mihi grata dies: noctes vigilantur amara.

Tacitus lib. I Hist. *Neque enim hic, ut in cæteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus.* Idem de moribus

busGerm. *Exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur.* Et eodem: *Trans Lygios Gothones regnantur.* Martialis lib. IV, epigr. XXX:

Sacris piscibus hæ natantur undæ.

Nec minus falsi, qui crediderunt, impersonalia tantùm inflecti in indicativo: quamquam vetus admodum sit hæc opinio. Siquidem Diomedes autor est, impersonalia à quibusdam vocata esse *modum impersonalem*, quòd unius tantum modi esse existimarent. Atque adeò Diomedes ipse, quum impersonalia declinat, non progreditur ultra indicativum. Sed his opponimus, cùm Varronem, qui, ut suprà vidimus, omnes modos tribuit impersonalibus: tum optimos quosque scriptores, qui & modos cæteros usurpant. Ita OPORTETO non semel fuit in Legg. Numæ Pompilii: si fides Scaligero ad Festum in *Occisum*: item in *Opima spolia**. Cæcilii quoque est apud Priscianum in VIII: *Morbosum factum, ut ea, quæ oportuerint, facta non sint.* Cicero I Off. *Nec velle experiri, quàm se aliena deceant.* Gellius lib. I, cap. II: *Has ille inanes cùm flaret glorias, jamque omnes finem cuperent, verbisque ejus defatigati pertæduissent.* Nam *pertædeo*, unde deducit Saturnius†, nusquam legi arbitror: utcunque hinc, priscis in usu fuisse, verisimile fiat.

* In schedis Farnesianis, & Pomponii Læti, est oportet, & oporteat. At vetinent Ant. Augustinus, Steph. Pighius, Clarus Sylvius. Sed oporteto cum Scaligero legit quoque Lipsius.

† Lib. 6, cap. 8.

Ac similiter in voce passivâ. Cicero III Off. *Cùm malè pugnatum apud Claudium esset.* Cæsar III belli Gall. *Cum jam horis amplius sex continenter pugnaretur.* Ovid. III de Arte:

Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Infinitivum habes apud Terent. Hec.‡

Trepidari sentio, cursari rursum prorsum ——.

Et Cicero ad Att. lib. XI, epist. XIV: *Hic maneri diutius non potest.* Idem pro Quinctio: *Septingenta millia passuum vis esse decursa biduo?*

‡ Act. 3, sc. 1.

De impersonalibus verò activis eo minùs mirandum, quia primò fuere integra: unde adhuc in primâ, & secundâ personâ inveniuntur. Ita, apud Ennium, Hecuba anus, ereptam lugens Polyxenam:

Miserete mei anuis: date ferrum, qui me animâ privem.*

* Vide sis de Analogia librum præcedentem, cap. 17.

Cui geminum hoc Virg. lib. VIII:

—— *Arcadas quæso miserescite regis.*

Veteres quoque Plauti editt. habent Menæchmis act. V, sc. IX:

Adolescens, quæso loquere tuum mihi nomen, nisi piget.

Quomodo & in Thesauro suo citat Rob. Stephanus. Sed in Camerarianâ, & optimâ quaque, est *piget.* Nec validius illud Epid. act. II, sc. I: *Pudes, quod pudendum siet.* Prout legit Palmerius, ut vocis *pudes* prior syllaba ad priorem, posterior ad posteriorem pertineat versum: quod parum mihi fit verisimile. At probum illud Casinâ, act. V, sc. II: *Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo.* Item Papinii est X Theb.

Si non dedecui tua jussa ——.

Pœniteo quoque, pro *pœnitet me*, dixisse prisci videntur. Nam apud Justinum legimus lib. XI: *Primi pœnitere cœperunt.* Quod non à *pœnitet* est, sed quasi à *pœniteo.* Alioqui diceret, *Primos pœnitere cœpit.* Sic Appulejus V Met. *Tum memineris meæ seriæ monitionis, quum cœperis serò pœnitere.* Pro, *Cum cœperit te serò pœnitere.* De participio *pœniturus*, pro *pœnititurus*, dicam libri sequentis cap. XIII.

Tædet, vel *pertædet*, habet *pertæsum* est: ac fortasse etiam *pertæduit*: quo, sed personaliter, usus est Gellius lib. I, cap. II. Imperfecto usus idem lib. XV, capite XX: *Matrimonii pertædebat.* Etiam *libet, licet, piget, pudet, placet*, geminum habent præteritum; *libuit*, & *libitum est*; *miseruit*, & *misertum*, & interdum *miseritum*, &c. Exempla passim obvia. Plinius lib. XXXVI, cap. XV, dixit *puditum*; uti & Plautus Casinâ act. V, sc. II, & Appulejus lib. II Florid. *Enim non pigebit me commemorare, quod illum non puditum est ostentare.* Imò Sallustius non reformidavit *pœniturum*, teste Fabio lib. IX, cap. III. Si Ramum audimus, *pertæsum est, puditum est*, & similia, fuerint supina. Nam similiter, Grammat. lib. III, cap. II, *pugnatum est*, supinum facit in *um.* Sed planè fallitur. Nam supinis utimur in significatione futuri: ut *eo pugnatum*, hoc est, ut pugnem. At cùm dico *pugnatum est*, manifesta est præteriti significatio.

Quæritur an, ut à passivis, ita à deponentibus, impersonalia oriantur. Ut si *adipiscitur*, dicas, velut *amatur.* Sed deponentia deposuerunt significationem passivam, eoque nec passivè impersonalibus eorum scriptores utuntur, nisi multò rarissime. Ut cùm Varro, quia *progredior* olim commune fuit, in IV de L.L. non dubitat dicere: *Dictus peregrinus* (ager,) *à pergendo, id est, progrediendo. Eo enim ex agro primum progrediebatur.* Simileque illud Appuleji lib. IV Met. *Mæretur, fletur, lamentatur.* Ad ἀνωμαλίαν in conjugando etiam refer præterita indicativi perfecta syncopen passa in secunda persona. Ut Catullo, *abstersti*, pro *abstersisti*: *adverſti*, apud Plautum Mercat. *auxsti*, pro *auxisti*, Ausonio: *consumsti*, apud Propertium: *emunxsti*, in Mostellaria: *evasti*, pro *evasisti*, Horatio lib. II, sat. VII, uti & Silio: *exstinxti*, IV Æn. *luxti*, pro *luxisti*, Catullo: *percusti*, Horat. lib. II, sat. III: *surrexsti*, Martial. lib. V.

Quandoque etiam in persona tertia: ut *abstit*, pro *abstitit*, apud Ovid. de quo diximus*. Statii quoque est in II Sylv. *Porxit & obtuso pallentes germine flores.* Sed de eo quoque neutiquam mirum: quia & *porgere* dicebant pro *porrigere.* Ita Cicero in Arateis: *Hic dextram porgens.* Et Silius in IX:

—— *Porgebat protinus ensem.*

* Cap. 20.

Item in plusquamperfecto: ut *surpuerat*, Horatio. Sed hoc quoque minùs mirandum; quia & *surpite* idem ait, pro *surripite*; ut Lucretius *surpere*, pro *surripere.*

Etiam in præteritis subjunctivi hæc syncope obtinet. Ut *excessis*, pro *excesseris*, apud Ter. Andr. *noxit* pro *nocuerit*, apud Lucill.

Inguen ne existat, papulæ, tama, ne boa noxit.

Item in plusquamperfectis ejusdem modi: ut, *recesset*, pro *recessisset*, apud Plaut. Mercat. *Vixet*, pro *vixisset.* Virgil. in XI:

Vixet, cui vitam deus, aut fortuna, dedisset.

Valde etiam usitata esse in præteritis perfectis infinitivi, ostendi cap. XIX. Atque hoc quoque indicant, *adduxe*, pro *adduxisse*, Plauto Rudente; *clepse*, pro *clepsisse*, Tusc. II; *dixe*, in Amphitr. & Ausonio; *fluxe* pro *fluxisse*, Varr. lib. II de R.R. cap. ult. *illexe* apud Plaut. Merc. & Tull. lib. III de Nat. Deor. *indixe*, Varroni apud Non. *subduxe*, pro *subduxisse*, eidem in II de R.R. Imò & Cicero sic, *veritum est* dixit, ut videbimus lib. IV, cap. XIII.

Mirum vero etiam impersonalia inveniri a verbis exemtæ actionis: ut sunt *ningit, pluit.* Est enim Appuleji lib. I Floridorum: *Aquila cum se nubium tenus altissimè sublevavit evecta alis, totum istud spacium, quà pluitur, ninguitur, & ultra quod cacumen nec fulguri, nec fulmini locus est.* Hactenus de Conjugatione. Deinceps de Specie, ac Figurâ agendum.

Cap. XLIII.

De verbi Specie, ac sigillatim de Inchoativis. Unde ea formentur. Certisso *an dicatur. Nonius emendatus.* Tremisco *rectum esse, etsi* tremesco *dicere jubeat Pierius.* Luciscit, *pro* Lucescit, *veteribus libb. approbari. Inchoativa an rectè dicantur, ac non potius Continuativa debeant appellari. An habeant præteritum. Quo indicio cognoscatur, utrùm præteritum sit ab inchoativo, an primigenio. Solvitur argumentum, quo veteres suffulti inchoativa præterito spoliarunt.*

VErborum alia esse primigenia, alia derivata, dictum nobis, cùm de generalibus vocum affectionibus ageremus. Ac quemadmodum in nominibus varia sunt derivatorum genera, ita etiam in verbis. In his principem sibi

locum

locum vindicant illa in *sco* exeuntia. Quorum alia à verbis veniunt, alia à nominibus. A verbis, ut *calesco*, *horresco*, *floresco*, *sordesco*, *squallesco*, *splendesco*. Etiam *glabresco*, à *glabreo*. Utroque usus Columella*. *Pudesco* apud Prudentium Apotheosi, & *minuesco*, Ausonio Ephemeride. Item *anesco*, & *acesco*. Nam *anet*, & *acet*, agnoscit etiam Flavius Caper†.

* Lib. 2, cap. 9. & 10.
† De verbis dubiis.

A nominibus derivantur duplicia: alia à substantivis; alia ab adjectivis. Substantivis, ut *ruresco*, apud Ennium Annalium lib. VII: *lutesco*, *noctesco*, *viresco*, in illis Furii Antiatis apud Gellium lib. XVIII, cap. XI:

Sanguine diluitur tellus, cava terra lutescit.
Omnia noctescunt tenebris caliginis atra.
Increscunt animi, virescunt vulnere vires.

Ac quâ formâ *noctescere* finxit Furius, eâ *crepusculascere* commentus Sidonius Apollinaris lib. VIII, epist. III, ubi *crepusculascentem horam* pro primo dixit diluculo. Similia *repuerasco*, *irascor*, *sylvesco*, *nivesco*: quod apud Tertullianum de Pallio.

Ab adjectivis, ut *dulcesco*, *ditesco*, & huic geminum *opulesco*, apud Furium Antiatem, teste Gellio‡:

‡ Lib. 18. cap. 11.

Quo magis in patriis possint opulescere campis.

Longisco, Nonio* testante, Ennio Annal. XVII. *Pulcresco*, apud Serenum Sammon. cap. X. Nisi horum aliqua malis esse, non à nominibus, seu substantivis, seu adjectivis; sed à verbis inusitatis.

* In Longiscere.

Certisco, hoc est, certus fio, ut Nonius interpretatur, illud adferens Pacuvii Chryse: *Atque eccos, unde certiscent*. Sic enim legendum, etsi in nostro etiam Mso pro *atque*, sit *aqua*; pro *certiscent*, *certissent*. Vel verum est, quod dixi, vel Nonius, corrupto codice utens, pro *certi sint*, legit *certissent*.

Quæ veniunt à verbis, formantur ab secundâ personâ indicativi præsentis, addito CO: ut in primâ declinandi formâ, à *labo*, *labas*, *labasco*; in secundâ, à *caleo*, *cales*, *calesco*; in tertiâ, à *tremo*, *tremis*, *tremisco*; in quartâ, ab *obdormio*, *obdormis*, *obdormisco*. Quod eo monere operæ duxi, quia hac parte fallitur doctissimus Pierius in XI Æn. ubi scribere non veretur, *ἀναλόγως tremesco* dici, quoniam dicamus *pavesco*, *calesco*, *ardesco*. Quasi hæc non veniant à verbis secundæ: *tremisco* sit à verbo tertiæ. Sin parùm referre putavit, quam conjugationem primitivum sequatur, eàdem fateatur, dici debere, *obdormesco*, pro *obdormisco*; *labesco*, pro *labasco*; *integresco*, pro *integrasco*; quod est apud Terentium Andr.† *Hoc malum integrascit.*

† Act. 4. sc. 2.

Tamen in verbis primæ, A interdum abit in E. Hujusmodi erit *superescit*, si standum vulgatis Festi codd. ubi scribitur, *superescit* poni, pro *supererit*. Nam videtur *superesco* esse à *supero*; quod ejusdem est significationis verbum; ut apud Maronem*:

* 3 Æn.

—— *Superatne, & vescitur aurâ*
Æthereâ?

Sed hoc argumentum planè, puto, imbelle; quando in *superescit* non est significatio inchoativorum: eoque apud Festum *superessit* potiùs legi debere, quorundam opinio est; quam superiùs refutavimus. Veriùs illi, qui *superescit* retinent: sed deducunt non à *supero*, verùm *esum* pro *sum*. Cujus futurum *esco* pro *ero*: quemadmodum antea ostendimus. Accommodatius exemplum est, quòd ab *ingravo* dicimus *ingravesco*, si codices vulgati non fallunt. Etiam ante seculum, & amplius, quæsitum fuit, *flammascat*, an *flammescat*, scribendum sit in Ambrosii hymno, ubi canitur:

Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessionem personent.
Flammascat igne charitas.

Super quâ lectione jam olim à Petro Schotto doctissimus Rodolphus Agricola per epistolam consultus fuit.

Imò & in iis, quæ à secunda veniunt, E quandoque in I mutatur. Ut *Luciscit*, pro *lucescit*. Sanè Petrus Bembus, in dialogo suo de fabulis Terentii, in optimo illo Comici hujus codice, ac Politiano ipsi tantopere laudato, liquidò ita scriptum fuisse, ait:

Luciscit † hoc jam: cur cesso pultare ostium?

† Heaut. act 3, sc. 1.

Ut quidem ibi editum, cum scribi debeat:

Luciscit hoc jam: cesso pultare ostium.

Etiam Petrus Victorius in Ciceronis codice Mediceo, quem cæteris præferebat, locum illum in epistola ad Catonem ita scriptum invênit: *Expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad III Idus Octobr. cùm lucisceret, in Amanum ascenderem*. Imò idem Castigat. in lib. IV, epist. ad Att. disertim ait, *Luciscit per I, non Lucescit, semper in antiquis libris scriptum se observâsse*.

Valla, lib. I, cap. XXII, negat, verba in SCO rectè dici *inchoativa*. Certè in illo Maronis‡ de Turno, salubria Latini regis consilia aspernante, *agrescitque medendo*: cùmque idem* ait de Didone,

‡ 12 Æn. vers. 46.
* 1 Æn. vers. 717.

Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo:

neque significatur, Turnum, cùm medicinam facere ejus morbo tentaret Latinus, cœpisse ægrotare; sed ægrum magis factum: neque poeta vult, Didonem ardere cœpisse intuendo; sed amorem sumsisse incrementum. Complura id genus apud Vallensem vide, quæ idem adstruant. Quare rectiùs *continuativa* dici videntur. Augustinus tamen Saturnius, lib. IV, cap. XVI, existimat, non malè *inchoativa* appellari: cujus sententiæ etiam subscribunt Cæsar Scaliger de caussis L. L. cap. 123. & Nicodemus Frischlinus. Movet eos, quòd quæ perfecta non sunt pro inchoatis habeantur. At ista inchoationem, quamquam cum incremento, significant. Nam *calesco* denotat calorem inchoatum in me magis magisque augeri. Ac par aliorum ratio videtur. Qui incrementum malunt attendere, non *inchoativa*, sed etiam *augmentativa* vocant, vel quoque *exercitativa*. Et certe cùm verbum *cœpit* apponitur non per *incipio*, sed *fio* exponere cogimur. Ut illo Cæsaris VI belli Gallici: *Cum maturescere frumenta inciperent.* Et isto Plinii lib. XI, cap. XI: *Cum mella cœperunt maturescere.* Virgilii quoque est, Incipiunt agitata tumescere: ubi non possis per *incipiunt* exponere. Nec commodè satis dixeris poni pro primogenio: cùm sententia sit, incipiunt magis & magis tumere. Ut hujusmodi verba non solum inchoativa, sed etiam augmentativa rectè dicantur.

Malè autem negatur à Charisio, Servio, Diomede, atque aliis, inchoativa habere præteritum. Nam etsi à *caleo*, *palleo*, *horreo*, sunt *calui*, *pallui*, *horrui*; atque à *calesco*, *pallesco*, *horresco*, dici debebat, *calescui*, *pallescui*, *horrescui*: tamen, cùm linguæ Latinæ auctoribus non fuerit visum *ἀναλογίαν* sequi; minimè eò quòd inchoativorum præterita voce eadem sint, ac verborum, unde veniunt; carere illa præteritis putari debet: sed contrà præteritum ea habere existimandum, quia præterita istæc nunc neutrorum, nunc inchoatorum, habent significationem. E.G. *caleo* est, calidus sum; *calesco*, calidus fio. Itaque cùm *incalui* dico, pro *calidus factus sum*, erit ab *incalesco*. At si *calui* usurpes, pro *calidus fui*, erit à *caleo*: ut, *Calui priusquam ad ignem accesseram*. Itidem si dicam, *Semper Titio magis genæ rubuerunt, quàm Sempronio*: *rubuere* est à *rubeo*, quia significo *rubras fuisse*. At in illo*, *Erubuit, salva res est*: *erubuit* est ab *erubesco*, quia notat *factum esse rubicundum*. Sic *peraruit* à *perarescο* signat *factum esse aridum*. Varro lib. I de R.R. *Quoad perarescat, furcillis versari; cùm peraruit de his manipulos fieri.* Ubi præteritum verbo jungitur principali: ut & in illo Catonis lib. de R.R. cap. CXXVIII: *Quatriduum fracescat; ubi bene fracuerit, rutro concidito.* Et apud Lactantium lib. V, cap. XIX: *Decet eos suscipere defensionem Deorum suorum; ne, si nostra invaluerint, ut quotidie invalescunt, cum delubris suis deserantur.*

* Adelph. act. 4, sc. 5.

Objectant Charisius, & Diomedes, cùm ista sibi mutuò adversentur, ut quid inchoet, & simul perfectum sit: fieri minimè posse, ut quod inchoativum est verbum, id tempus habeat præteritum. At levius plumâ hoc est argumentum. Nam ipsum verbum *incheo* præteritum perfectum habet. Præterea non significatur verbis in SCO

mera inchoatio; sed etiam, sicut diximus, continuatio, ut perfectum tempus significare mirum non sit. Cùm enim, ut philosophi docent, motus omnis fiat successivè; erit in eo initium, medium, finis: atque aliud longè erit perfecta esse, quæ initii sunt, aliud jam rem incrementum cœpisse, aliud rem totam esse absolutam perfectamque. Jam verò, qui inchoâsse se ait, hoc solùm vult, esse perfecta, quæ initii sunt. Qui verò dicit, *tam citò macruisti*, aut *pinguisti?* non tantùm de eo, quod initii est, quærit: sed sententia est, *tam cito macer, aut pinguis factus es?* ut ipse agnoscit Valla.

Ad inchoativa aliqui etiam referunt imitativa, quia in imitatione est actio frequens. Sed nobis de iis nunc sermo, quæ in SCO desinunt. Imitativa nunc neutra sunt in ISSO, ut *patrisso*, *Græcisso*; nunc deponentia OR, ut *vulpinor*, *philosophor*, *Græcor*, &c. Præterea non semper frequens actio denotatur imitativis. Nam possim semel omni in vita poëtari, cornicari, poëtari; quæ imitativa sunt. Denique non idem est formale, hoc est considerandi modus, in frequenti actione, alius in imitatione. At pro formæ diversitate debent diversa constitui genera verborum. Atque hæc de verbis inchoativis.

Cap. XLIV.

De iis, quæ frequentativa *appellant. Gellius correctus.* Syriados *scriptor notatus. Verba in TO, nunc frequentem actionem signare; nunc significationem intendere; nunc accipi pro verbo, unde veniunt; nunc diminutionem notare; nunc studium ac voluntatem. Postremi generis esse* capto, vendito, dormito, ostento, munito. *Verba in SO non esse inchoativa, quod Valla putavit. Nec omnia esse desiderativa, quod Saturnio visum.* Prenso *quid propriè. De iis, quæ S ante SO habent.* Facesso, *&* petisso, *studium notare, contra quàm Servius, & Festus, tradunt.* Incipisso. *Errare, qui omnia in ISSO vocant imitativa.* Pitisso, *unde. De verbis in XO. Verba in CO potiùs idem ac primitivum, vel ejus imminutionem, quàm frequentem actionem, significare.*

FRequentativa, sive iterativa (utraque appellatio apud Charisium est, ac Diomedem) desinere dicuntur in TO, SO, XO, & CO. Exeuntia in TO multa colligit Gellius lib. IX, cap. VI. Inter alia hæc duo adfert: *Moveo, monitus, monito: pendeo, pensus, pensito.* Atqui *monito* non dicitur: nec *pensito* est à *pendeo*. Corrigo igitur, *Moveo, motus, motito: pendo, pensus, pensito*.

Quædam ex his totidem sunt syllabarum, ac verbum principale, & ejus supinum: ut *traho, tractum, tracto*; *adjuvo, adjutum, adjuto:* quædam æqualia verbo principali, at non supino; ut *hæreo, hæsum, hæsito*; quædam supino, at non verbo principali; ut *vendo, venditum, vendito:* quædam utrumque syllabâ exsuperant, ut *unguo, unctum, unctito*. Sunt & quæ geminum habeant frequentativum, quorum unum ab altero syllabâ exceditur: ut, *gero, gestum, gesto, gestito*; *capio, captum, capto, captito*. Ac Petrus Angelius Bargæus simile putavit, *fluo, fluctum, flucto, fluctito*. Sic enim scripsit in primo Syriados:

> *——Ut conditus alveo*
> *Pertenui, in summo primùm fluctaverat amne.*

Verùm non *flucto*, sed *fluctito*, in usu est.

Etsi verò hujusmodi verba frequentem dicant actionem notare: ut *clamito* est frequenter clamo; *agito*, sæpius ago: nonnunquam tamen veriùs sunt ἐπιτατικά*. Velut cùm Maro ait I Æn.

* Significantia incrementum.

> *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.*

Nisi malis, ἁπλῶς sumi pro primigenio: quomodo illa in TO sæpe accipiuntur. Unde apud Plautum Bacch. *Itat ad eam frequens*. Et Plin. lib. II: *Sæpius factitatum*. Et lib. XXV, cap. V: *Sæpius sumsitaverunt*. Item lib. XXXV, cap. X: *Frequenter in officinam ventitanti*. Et Agell. lib. XI: *Sæpius lectitarentur*. Est etiam cùm illa potiùs diminutionem, quàm frequentem actionem signant: ut in *Esito*, *Cœnito*. Possis & *dormito* huc referre, ut sit leviter dormio. Vel exponendum, *cupio dormire*. Saltem non significat, frequenter dormire. Idem de multis aliis dictum velim. Nec enim *venditare* est crebrò vendere, sed velle vendere. Plinius lib. I, epist. XXIV: *Tranquillus, contubernalis meus, vult emere agellum, quem venditare amicus meus dicitur.* In eâdem nobiscum sententiâ est Turnebus lib. XXV Adversf. cap. XV. Locum apponam, propter summam viri auctoritatem. *Verba, inquit, sunt multa, quæ à Grammaticis literatis forma censentur frequentativa, & ejus planè speciem præ se ferunt: quæ tamen siquis propius inspiciat, & quo iis modo auctores utantur, attendat; animadvertet, desiderativa potiùs esse. Eorum pauca commemorabo: sed quæ studiosis exemplo erunt, ut alia ejusdem generis exquirant.* Ac paullo pòst: *CAPTO non est frequenter capio, sed capere desidero: ut, capto cœnam, capto benevolentiam. VENDITO non est frequenter vendo, sed vendere cupio. Cicero†, Atque ei sese, cui totus venierat, etiam vobis inspectantibus venditaret. id est, se ei vendere vellet. Proinde apud Plautum in Sticho‡, Lingua venditaria ea est, non quæ vendit, sed vendere cupit; qualem suam dicit parasitus, qui auctionem faciebat, & vendere cupiebat. DORMITO non est sæpe dormio, sed dormire expeto. Plautus*: Te dormitare aiebas, mensa sublata est, cubitum hinc abimus. Sic in sancto Euangelio†, quod ἐνύσταξαν Græcè scriptum est, dormitarunt, reddidit interpres eleganter, quod qui dormire cupiunt, caput tenere non possunt. OSTENTO non est frequenter ostendo, sed ostendere in re aliquâ volo. MUNITO, pro munire cupio, pro Rosc. Amer. Denique multa esse alia scio, quæ referri possunt: sed satis est eam speciem tanquam digito indicâsse, studiosisque specimen demonstrâsse.* Hactenus Turnebus. Pro Roscio verba Ciceronis sunt ista: *Nunc vero quam viam munitet, quo iter affectet, videtis.* Ubi ex eo, quod sequitur, *affectet*, satis clarum arbitror, desiderium ac studium designari. Ut non possim assentiri Henrico Stephano, quando in Pseudocicerone suo* hanc Turnebi sententiam impugnat. Mavult exponere munire incipiat, vel paret. Sed non excludit Cicero studium. Tantum dicimus esse hic sermonem de studio se exerente, & jam erumpente in actum. Nempe uti dormito est, dormire cupio, & jam incipio, ita *munito* est munire cupio studeoque, non autem frequenter munio. Sic tamen ne sit ἀντιλογία, interpretari non possumus in illius Ciceronis in primo de Divinatione: *Ad lucem denique arctè & graviter dormitare cœpit.* Ubi ponitur pro primitivo.

† De Aruspicum resp.

‡ Sc. Famem fuisse suspicor.

* Amph. sc. Satis parva res.

† Matth. 25.

* Pag. 80. 81.

Venio nunc ad verba in SO: de quibus litem Grammaticis intentat Laurentius†. Negat illa esse frequentativa: quando *viso* non significat, frequenter video; sed in eo omnis sum, ut videam. Conatum igitur significat. Unde colligit, rectiùs dici *inchoativa*. Sed si *viso* est, eo ad videndum, quomodo erit inchoativum? Nam qui hoc agit, ut videat, is nondum videt. Quare hac quidem parte perspicuus est error Vallæ. Nec tamen idcirco assentimus Saturnio, qui verba in SO censet esse desiderativa. Ut enim *viso* sit desiderativum; alia tamen sunt, quæ omnino sint frequentativa. Sanè *pulso* est sæpius pello: ut cum dico, *pulsare ostium*. Et *verso* est frequenter verto. Quomodo Horatius in Arte ait:

† Lib. I Elegant. cap. 23.

> *——Vos exemplaria Græca*
> *Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.*

Prenso tamen & ipsum est desiderativum, si audimus maximum Turnebum, qui de eo sic scribit, loco, quem antea signavimus: *PRENSO non est prendo frequenter, sed prendere cupio. Nam qui suffragium alicujus mereri studebat, & qui suffragium captabat, prensare dicebatur. quod erat tanquam hominem eum, cujus suffragium captabat, prendere velle. Itaque qui se adiri à candidato viderat, dicebat, Iste me prensat, id est, prendre cupit.*

cupit. Mihi hoc de verbo paullò aliter videtur. Nam candidati, blandiendi caussa, sæpius manum eorum prehendebant, quorum suffragia rogarent.

Quæritur, utrùm verba in SSO frequentativis, an desiderativis, sint accensenda. Servius quidem *facesso* frequentativum esse annotavit ad illud IV Georg.

Haut mora: continuo matris præcepta facessit.

Est, inquit, *Facessit frequentativum, pro principali Facit. Aut certe ideo Facessit, quia plures hostias immolavit.* Verùm alia mens Nonii Marcelli: uti & Donati in Phorm. act. IV, sc. III. Uterque enim *facesso* simpliciter exponit *facio*. Meo tamen judicio *facesso* plus significat verbo principali. Ut in illo ✱ Marone jam adducto. Ubi *facessit* idem est, ac studiosè facit, ac exequitur. Quod indicant illa verba, *Haut mora*; & *Continuo*. Similiter cùm dico, *Facesse hinc*, sententia est, Fac omni studio, ne hic te deprehendat quisquam.

Quod si Festum audimus, etiam *petisso* sit frequentativum. Sic enim scribit: *Petisso antiqui dicebant pro petere, ea formâ verbi, quâ sunt lacessere, & incessere. Sed ut mihi videtur, eo significabant, sæpius petere; ut petissant, sæpius petant.* Mihi contrà, consideranti usum veterum, magis placet, & hoc verbum primò intendere significationem; ut *petesso* sive *petisso* sit ardenter peto: secundò autem idem significare ac primigenium: ut *petisso* sit *peto*. Lucret. lib. V:

——*Humorem, auramque petissens.*

Cicero lib. II de Consulatu suo:

Præcipites cæli partes obitusque petisset.

Item:

Menteque divinâ cælum, terrasque petissit.

Nec refugit in prosa. Ut lib. II Tusc. Quæst. *Qui hanc gloriam petissunt, nullum fugiunt laborem.* Sic *appetisso*, & *expetisso*. Attius Armorum judicio apud Festum: *Cur vetera tam ex alto appetissis dissidia Agamemnon?* Plautus Mil. act. IV, sc. I:

Quæ te amat, tuamque expetissit pulcram pulchritudinem.

Et sc. cujus initium, Hera eccum:

Ut ejus mihi sit copia, quem amo, quemque expetisso.

Sic *incipisso*. Idem Mil. act. I, sc. III:

Nunc sic rationem incipissam, ita hanc instituam fallaciam.

Usus eodem Capt. act. II, sc. I, ubi clarissimus Meursius observat, in vett. codd. legi *incipesso* per E, ad instar verbi *lacesso*. Atque ex his constare arbitror, illa in *isso*, vel αὐξητικὰ * esse, vel primogeniorum loco usurpari. Eâdem liquet, falli, qui imitativorum hanc propriam esse terminationem putant. Nam solùm imitatio significatur illis, quæ à nominibus veniunt: *ut Atticisso, Sicelisso, patrisso*. At locum ea non habet in iis, quæ veniunt à verbis: ut in *vibrisso*, à *vibro*. Vel quæ a Græcis profecta sunt: ut, *comissor*, quod est à κωμάζω: & *pitisso*, quod Priscianus lib. I deducit à πιτύζω; & à Festo, juxta Gifanii † emendationem, exponitur, *sæpius bibo*. Verum non simpliciter significat sæpius bibere, sed paululum sæpius bibere: ut solent vinum degustantes, quo bonitatem melius explorent. Terent. Heaut.

* Augentia significationem.

† Ind. Lucretiani.

Pitissando modo mihi, quid vini absumsit!

Censeo enim non multum distare ab eo, quod in Adelphis legas, *cyathos sorbillare*: de quo mox loquar.

Tertia erat terminatio in XO. Ut *nexo*, quod frequentativum à *necto* esse, etiam testatur Priscianus in nono. Sic *amplexor*. Caper de verbis dubiis: *Amplector semel. Amplexor sæpius.* Item *taxo* à *tago*, sive *tango*. Sanè *taxare pressius crebriusque esse, quam tangere*, etiam Gellius ait lib. II, cap. VI. Atque idem scribit, *vexo* esse *gravius & violentius*, quàm *veho*. Quamquam ea interpretatio non tam frequentativum esse arguat, quàm significationem augere.

* Augens significationis.

† Significationem imminuens.

At contrà quarta terminatio CO non tam αὐξητικὴ * videtur, quàm μειωτικὴ †. Liquet hoc ex *albico, candico, nigrico*. Nam aut nihil est discriminis inter *nigrantem*, & *nigricantem* colorem, aut eo differunt, quòd *nigricans* minus sit, quàm *nigrans*. Itidem *albico* sit, parùm albeo; *candico*, parùm candeo. Sed magis eo inclinat animus, ut nihil putem differre. Nam ut Maro XII Æneid. ait, ——*Campique ingentes ossibus albent*: ita Horatius inquit lib. I, od. IV: *Nec prata canis albicant pruinis.* Sin velis dicere leviter *albere*, suppetit vox *subalbico*: ut apud Varronem lib. III de R. R. cap. IX: *Palea rubra subalbicans.* Qualia cum Diomede dixeris παράγωγα, quia terminationis incremento, non significatione variant a primitivis. Fortasse nec *fodicare* differt à verbo principali. Nonio quidem ἁπλῶς exponitur *fodere*: item in veteri onomastico, ὀρύττειν. Et cura dicitur animum fodicare, non solùm quæ sæpius quasi fodit: sed simpliciter, quæ stimulat ac pungit. *Vellicare* similiter proprium eorum, quæ vellendo extremis corporis partibus molestiam exhibent. Unde κατὰ μεταφορὰν sumitur pro criminari. Nec puto naturam vocis id omnino exigere, ut sæpius quis vellat, aut criminetur. *Frondico* quoque, quod est apud Eutychem lib. I, haut aliud videtur notare, quàm quod Maroni est *frondeo*. *Claudicare* itidem ἁπλῶς signat *claudere*, sive *claudire*, quod est claudum esse. Onomasticum, *Claudeo*, χωλεύω. Cæcilius in Epiclero apud Priscianum: *An ubi vos sitis, ibi consilium claudeat?* Gloss. Isidori: *Claudire, claudicare.* Quod si aliud sit *claudeo*, quàm *claudico*; existimem, *claudico* valere, leviter claudeo, hoc est aliquantum claudus sum; non autem idem ac frequenter χωλεύω.

CAP. XLV.

De Desiderativis, Meditativis, & Diminutivis. Verba in RIO potius desiderium; verba in SSO insuper studium significare, & apparatum. Moriturio. *Unde verba in RIO formentur. Poni interdum pro primitivis.* Scaturio, & ligurio, *non esse desiderativa. Martialis lux. Verba in LO diminutiva esse.* Sorbillo *quid*, conscribillo, haustillo. *Super modulo penultimæ in talibus recessum à Turnebo.*

Accedamus ad ea, quæ vel *Desiderativa*, vel *Meditativa* appellant. Hujusmodi sunt desinentia in RIO, quæ differunt à verbis in SSO, quòd hæc adfectum tantùm; illa tum adfectum, tum effectum notent. Nam *cœnaturio* non significat *cœno*; sed *cœnare cupio*: *nixurio* item non est jam *nitor*, sed niti volo, ut Nigidius apud Nonium interpretatur: unde & φιλοληπτέω exponitur in Onomastico Latinogræco. At *facesso* est facere desidero, ac jam ago. Itaque (contrà quàm Saturnio visum lib. IV, cap. XIX) verba in RIO *Desiderativa* rectiùs vocentur; verba autem in SSO, *Meditativa*. Nam desiderare tantùm adfectus est: ut in *esurio, nupturio, cacaturio, moriturio* (quo Ciceronem de philosophis usum esse, ait B. Augustinus in Grammaticis *) ac par ratio est similium: quippe quæ, ut dixi, nihil aliud, quàm adfectum notent. At *petisso, facesso*, aliaque id genus, non tantùm signant adfectum, sed & studium atque apparatum: unde jure iis competit nomen *Meditativorum*, quia *meditari*, ut ipse agnoscit Saturnius, est *moliri*, & *apparare*. Itaque Livius, cùm dixisset lib. XL: *Fugam ad Romanos Demetrius meditabatur*: pòst sese interpretans ait: *Fugâ per Pæoniam præparatâ.* Ac Tacitus similiter Annal. lib. IV: *Neque Seianus ita Drusum fovebat, ut non in eum semina futuri exitii meditaretur.* id est, molitetur.

* Cap. de desiderativis.

Formantur verba in RIO, vel, ut vulgò dicunt, à supino, sive, quod eodem recidit, à participii passivi præterito: ut à *nuptu*, sive à *nuptus*, aut *nupta*, *nupturio*: vel, ut mavult Jul. Scaliger †, à participio activo in URUS: ut à *nupturus*, sive *nuptura*, *nupturio*. Sed potiùs accedimus receptæ sententiæ, eo quòd V in *cœnaturit*, & similibus, corripiatur: contrà quàm fit in *cœnaturus*, & talibus. Unde & cognoscimus, *scaturio* non esse desidera-

† Cap. 123 de causs. L. L.

derativum, cùm penultima in *scaturit* producatur: idemque judicium de *ligurio*: quod potiùs per geminum RR, *ligurrio*, scribitur: ut observat Muretus annot. in Terent.

Quod verò de frequentativis dicebamus, ea interdum poni pro primigeniis, idem hic quoque locum habet. Plaut. Aulul.‡ *Ubi erit hæc defossa, occœpit scalpturire* ibi unguibus.* id est, scalpere. Ac similiter capio illud Martialis lib. III, epigr. XCIII:

Gaudes ducentas nupturire post mortes.

Ubi *nupturire* dixit pro *nuptum ire*. Nam κυρίως† capi vix possit, cùm in voce *gaudes* desiderii sive affectus vis insit. Vel hæc vera est sententia, vel legendum, *Audes* pro *gaudes*. Et sanè *Audes* in vett. libris reperias hoc loco. At non probo clarissimi viri sententiam, qui legere jubet:

Gaudes ducentas nuptum ire post mortes.

Nec enim, puto, quod Ennii seculo licuit, id fecisset Martialis, ut M, vocali sequente, non eliderer. Neque effugere est, si dicatur, *nuptumire* vel *nuptuire* vocem esse unicam: eoque nihil impedire, quo minùs secunda syllaba permaneat integra. Nec enim ex ullo Poëtarum simile exemplum adduci potest.

‡ *Act. 3. sc. 4.*

* *In omnibus libris est ibi* scalpturire, *contra naturam versus trochaici, quia sic sede sextâ esset jambus. Reponi igitur,* scalpturire ibi. *At similiter eidem scenâ pro* me intus, *lege* intus me. *&* pro illi mercedem, mercedem illi. *Alioqui enim duobus locis versus claudicabit: qui trochaicus octonarius catalecticus esse debet.*

† *Propriè.*

Finxere vero Romani etiam desiderativa quædam à nominibus. Quale *Syllaturio*. Cicero lib. IX ad Att. ep. XII de Cn. Pompejo: *Ita Syllaturit animus ejus, & proscripturit jamdiu.* Hoc est, Syllæ mores desiderat imitari, & proscriptionem ejus. Simile *adolescenturio*. Laperius apud Nonium: *Incipiunt adolescenturire, & nescio quid nugarum facere.* Hoc est, adolescentes imitari. Usus & Quinctilianus lib. II, cap. II: *Qui jam sunt in suprema parte pueritiæ, & adolescenturire incipiunt.*

Supersunt diminutiva, quæ in LO desinunt & cum imminutione frequentiam actus signant sæpius. Terent. Adelph. act. IV, sc. II:

Et cyathos sorbillans paullatim hunc producam diem.

Non satis dicit vir doctus, qui *sorbillans* exponit, *potum continuans*. Est enim haustillatim, & minutim sæpius tamen sorbere. Sic *cantillo* parùm, vel submissâ voce cano. Item *conscribillo*, leviter aut minutis notis conscribo. Sic tamen utrobique, ut actus continuatio accedat. Varro Marcipore: *Astrologi non sunt, qui conscribillarunt pingentes cœlum.* Idem Columnâ Herculis, περὶ δόξης: *Itaque eas in ceram inscribillavi Herculis athlis.* Sic Mercero rescribenti adsentio, quia & in membranis nostris pro *conscribillavi* reperiam *inceravi*: & pro *athleta*, *adlu*.* Catullus*:

Ne laneum latusculum, natesque mollicellas,
Inusta turpiter tibi flagella conscribillent.

* *Carm. 25.*

Satullo etiam hujus loci videtur. Ut enim ad *satur* se *satullus* habet, sic ad *saturo satullo*. Usus eo, Nonio teste, Varro περὶ αἱρέσεων: *Neque in pulvere mythico coquam carnes, quibus satullem corpora, ac famem ventris.* Hoc est, paullatim sæpius aliquid cibi sumentibus saturem. Nempe ut actûs imminutio, & iteratio concurrunt.

Haustillare quoque dixit, recentior quidem ille, sed elegantissimus tamen scriptor, Jovianus Pontanus in Ægidio†: *Agite, optimi viri, haustillate penuli nostri, non Rhætica illa Virgilii, aut Horatii Cæcuba pocula; sed nostratia hæc, tum Sorbinia, tum Montonica.* Doctissimus Turnebus lib. XXV, cap. XXI, suspicatur, verba istiusmodi unico L scribi debere: idque quia legere sit apud Plautum Pœn. act. I, sc. II: *Hem mihi jam video propter te victitandum sorbilo.* Versus est trochaicus, ut penultimam corripi sit necesse. Sed summo viro adversatur Catulli versus ille, quem adducebamus. Nec è Plautino illo certi quid exterebrare licet, quando versum istum variè adeò emendant viri docti.

† *Fol 155. edit. Ald.*

CAP. XLVI.

Varia derivatorum terminationes: NO, ut expleno, natino, redino, prodino, suffarcino, lurcinor, pagino, tricino, evaginor, sentino, carinor, negino, *seu* neguno, stano, *aliaque.* CINOR, *ut* lenocinor, vaticinor. GO, *ut* jurgo, mergo, spargo, clarigo *&c.* RO, *ut* tolero, blatero, lambero, angero. CULO, *ut* pensiculo, fissiculo *&c.* ULO, *ut* ustulo, postulo.

PRæter terminationes derivatorum hactenus expositas; aliæ quoque sunt: sed quibus exeuntia non habeant proprium nomen, quo a derivatis aliis distinguantur. Aliquas ex terminationibus istis adjiciam. Non parum enim earum notitia prodest ad veram originem verbi indagandam, sive illud a nomine, sive à verbo derivetur.

Hujusmodi est NO: ut *expleo*, *expleno*. Festus: *Explenunt*, *explent*. *Nato*, *natino*, pro *fluctuo*, & *negotior*; apud Isidorum in glossis. Indeque *natinatio*, *negotiatio*, de quo Festus. Apud eundem legas: *Redinunt*, *redeunt*. Similiaque *prodeo*, *prodino*: *suffarcio*, *suffarcino*, à quo *suffarcinatus*: *lurcor*, *lurcinor*, unde *collurcinatio* Appulejo: *pago*, *pagino*, à quo *pagina*. Etiam à *trico*, *tricino*: ab *evagor*, *evaginor*: à *sentio*, *sentino*, apud Cæcilium: à *carere*, *carinare*, apud Ennium. Scio illud a *sentina*, hoc à *carina* navis, deducere Festum Pompejum: ac Josephum quoque Scaligerum putare, ob secundam porrectam non posse ex hexametro esse illud Ennii:

—— *Neque me decet hæc carinantibus edere chartis.*

Verùm magis placent, quæ de iis ad Solinum notavit Salmasius, non Galliæ suæ duntaxat, sed jam & hujus Bataviæ ingens decus, atque adeò totius Reip. literariæ præsidium. Qui & à *laco*, sive λακῶ (unde λάκος, & λακὶς) *lacino* deducit, indeque *lacinia*. Sanè in vett. libb. *lacino* est, quod usitatius *lancino*, adscito N: quomodo à *frago*, & *pago*, sunt *frango*, & *pango*. A *nego* quoque fuit *negino*, seu *neguno*: pro quo in vulgatis Festi codd. *negumo*, sed ἀναλογίᾳ adversante. Usus Cn. Martius vates: cujus verba sic corrigit Scaliger: *Quamvis endoitium duonum, negunate.* Hoc est, quamvis initium bonum, negate.

A *sto* quoque, sive *stare*, est *stano*: unde *destino*, *præstino*, *obstino*: a quo *obstinatus*. Et quid si a *separo* dicamus fuisse *separino*; atque inde, vocis compendio, *sperno*? Quid item si statuamus à *vereor* fuisse *verinor*, indeque esse *veneror*? item à *nugor* fuisse *nuginor*: proque eo dici *muginor*? Sed de istis satis.

Vicina est terminatio CINO, vel CINOR: ut *leno*, *lenocinor*: *vates*, *vaticinor*: nec enim Perottus audiendus, qui à fatis canendis originem arcessit.

Multa etiam GO adsumunt. Ita à *lite* est *litigo*: à *fumus*, *fumigo*: à *jure*, *jurgo*: à *mari*, *mergo*, utrobique ι eliso: à σπορά*, vel ἔσπαρον†, *spargo*: à *fustis*, *fustigo*: ab *humus*, *inhumigo*, apud Livium Andronicum; ubi *humus* adjectivum, pro *humido*. Sic *clarus*, *clarigo*; *mitis*, *mitigo*. Credo & à ῥὶν‡, *ringor*.

* *Seminatio.*
† *Seminavi.*
‡ *Naris.*

Quædam etiam in RO exeunt, adscito R ante O verbi, unde descendunt. Sic à *tolo*, (unde *tetuli*, & *tuli*) est *tolero*: à *blatit* est *blaterat*: à *lambo* quoque *lambero*; quod Festus quidem exponit, *laniare*, *scindere*; sed videtur primò idem notâsse ac *lambere*; ac possis sic accipere in illo Lucilii lib. XXIII:

Jucundasque puer quas lamberat ore placentas.

Sed Priscianus, ut superiùs* dicebamus, eo ostendit, *lambo* in præterito facere *lambi*. Si ipse Lucilius exstaret, certiùs aliquid diceremus. At lacessendi significatione habes apud Plautum Pseudolo act. II, sc. IV. Facilè etiam maximo Salmasio credo, ab *ango* dixisse *angero*: indeque silentii Deam præsidem dici *Angeronam*; non quasi *angenoram*, ab angendo ore, ut Scaliger conjectabat.

* *Cap 25. hujus libri.*

Sunt & quædam desinentia in CULO, præeunte I: quæ à supino veniunt, vel participio passivo: ut, *pendo*, *pensum*, vel *pensus*, *pensiculo*: *mitto*, *missum*, *missiculo*: *findo*, *fissum*, *fissiculo*. Interdum & à præsenti: ut a *pando*, *pandiculor*. Nisi cum Festo malis a *pandus*, quod à *pando*.

Sunt

Sunt & quæ U habeant ante LO, & similiter à supino sive participio passivo deriventur. Ut ab *uro*, *ustus*, *ustulo*: à *posco*, *poscitum*, &, compendii caussâ olim, *postum*, unde *postulo*. Fortasse & à *cado*, *casum*, *casulo*, & per syncopen *calo*.

Atque ex his non difficile erit statuere de cæteris. Nunc à specie transeo ad figuram.

Cap. XLVII.

De figura verborum. Quibuscum verba componantur. Simplicia multorum exoleverunt. Composita non semper retinent simplicium genus, vel conjugationem. Nec raro pro simplicibus sumuntur.

Ut nominum, ita verborum, alia sunt simplicia, alia composita, sive ex uno, sive ex pluribus verbis. Ac constantur hæc, vel cum nomine, ut *ædifico*, *belligero*: vel cum verbo, ut *calefacio*, quasi calere facio; *patefacio*, hoc est, facio, ut pateat: vel cum adverbio, ut *satago*, *malo*: sed cum præpositione, ut *perficio*, *antecello*.

Sæpe verò simplicia non sunt in usu. Ut *leo*, unde *deleo*, juxta Priscianum. Nisi à δηλέω*. Vel ex *de*, & *oleo*, quod olim *eleo*, ab ἔλαιον†. Item *pedio*. Unde *impedio*, ἐμποδίζω; uti *impedimentum*, ἐμπόδιον, ἐμποδισμός. Eadem ratio in *expedio*; item *præpedio*, apud Plaut. Terent. Cic. & *compedio*, quo usus Varro, apud Nonium‡. Nisi hæc potiùs ab *impes*, *expes*, *præpes*, *compes*. Puta à genitivis: ut *compes*, *compedis*, *compedio*. Similiter *fendo*. A quo *defendo*, *offendo*, *infensus*. Glossæ Isidori: *Fensus*, *iratus*. Par ratio in *specio*. Unde derivatum *specto*: composita, *inspicio*, *conspicio*, & similia: nomina item derivata, *species*, *specimen*, *spectrum*. Similiter *liviscor*. A quo *obliviscor*, ut Cæsellius ait apud Cassiodorum. Tamen non displicet, esse ab *oblino*; cujus præteritum fuisse *oblivi*, indicant *oblivio*, & *oblivium*, atque adjectivum *oblivius*. Nempe veteres eâdem significatione *leo*, & *lino*, dixere: ut nihil mirum sit, si *oblevi* à *leo* dicamus, quod olim *oblivi*, à *lino*. Huc refero quoque *pleo*. Festus: *Plentur antiqui etiam sine præpositionibus dicebant.* Respicit quòd cum præpositione efferantur *impleo*, *compleo*, *expleo*, *repleo*; nec non *depleo*; quod apud Papinium*, & Manilium†. Notum quoque de *lacio*, ex quo conflata *allicio*, *illicio*. Adderem *fligo*; unde *affligo*. Sed simplici usi non solùm Livius Andronicus, & Attius; Nonio teste: sed etiam Lucretius lib. II. Atque inde *flictus* apud Virgil. IX Æn. Ubi Servius *flictum* ait poni pro *afflictu*. Huc etiam referunt *pernocto*, & *suffragor*. Nec enim *nocto*, & *fragor*, dicimus. Sed puto hæc potiùs esse denominativa à *pernox*, & *suffrago*. Nisi malis *suffrago* esse à *fragare*; unde *refragare*, & *refragari*. Quam sententiam firmat illud Nonii: *Refragabunt*, *pro suffragabunt*. Quibus subjicit Sisennæ locum, ubi *suffragaverunt* dicat. Nimirum *refrago*, & *suffrago*, sint à *frago*, unde *frango*: quomodo *refrago* sit *refringo*; *suffrago*, *suffringo*. *Frago* autem veteres dixisse, ostendit præteritum *fregi*; & derivatum *fragilis*.

* Noceo.
† Oleum.
‡ In Flextabulis.
* 1 Achill.
† Lib. 4.

Quorundam verò simplicia, non quidem Latinis, attamen Græcis sunt usitata. Ita à δύω, est *induo*, Græcè ἐνδύω: & *exuo*, quod ἐκδύω. Atque à κέλλω sunt *antecello*, *excello*, *præcello*; quemadmodum & verbale *celsus*. Nam à *cello*, *celsus*: ut ab *excello*, *excelsus*. Similiter à πειρέω* sunt *comperior*, & *experior*. Id enim non paullò est verisimilius, quàm ut sint à *pario*. Sed de his, & aliis id genus multis, pleniùs in Originum libris agemus.

* Tento, experior.

Ac plurimùm quidem composita retinent simplicium genus, & conjugationem: quomodo, ut *amare*, ita *redamare*; atque ut *currere*, ita *succurrere*, dicitur. Sunt tamen non pauca, ubi contrà fiat. Sic genere variant *sacro*, & *exsecror*. Nec à *sentio* solùm *assentio*, sed *assentior* etiam dicimus. Conjugatio autem diversa est in *ædificare*, & *magnificare*, à *facere*: item in non paucis à *do* compositis; ut *abdere*, *tradere*, *condere*, atque aliis. Item à *cubo* venientibus, quando M assumunt: ut *recumbere*, *discumbere*, ac similibus. Quædam etiam & genus, & conjugationem, variant: ut à *facio* sunt *nidificare*, *mellificare*, *gratificari*, *velificari*. A *specere*, *conspicari*, *suspicari*. A *spernere*, *aspernari*. A *sternere*, *consternari*, & *exsternari*. A *gerere*, *morigerari*. A *ferre*, *vociferari*.

Nec raro videas composita sumi pro simplicibus: ut *mitto*, pro *omitto*: *temno*, pro *contemno*. Atque hoc imprimis apud antiquissimos habet locum. Uti in legibus vetustis apud Tullium lib. II de Legg. scriptum est, APPARENTO, pro PARENTO; & ADSCISCERE, pro SCISCERE. Suntque multæ hujus notæ apud alios.

Excussimus Speciem, & Figuram; quarum beneficio primigenium verbum in formas penè innumeras diffunditur. Habet id locum etiam in nominibus: sed magis in verbis; præsertim si pro diversis habeamus, quæcunque numero, persona, vel alio declinationis accidente variant. Est hac de re illustris locus apud Varronem lib. V de L. L. *Cum*, inquit, *verborum declinantium genera sint quatuor: unum quod tempora adsignificat, neque habet casus; ut ab lego, legis: alterum, quod casus habet, neque tempora adsignificat; ut ab lego, lectio, & lector: tertium, quod habet utrumque, & tempora, & casus; ut ab lego, legens, lecturus: quartum, quod neutrum habet; ut ab lego, lecte, lectissimè: horum verborum si primigenia sunt ad mille (ut Cosconius scribit) ex eorum declinationibus verborum discrimina quingenta millia esse possunt: ideo quia singulis verbis primigeniis circiter quingentæ species declinationibus fiunt. Primigenia dicuntur verba, ut lego, scribo, sto, sedeo; & cætera, quæ non sunt ab aliquo verbo, sed suas habent radices. Contrà, verba declinata sunt, quæ ab aliquo oriuntur; ut ab lego, legis, legit, legam; & sic itidem hinc permulta. Quare si quis primigeniorum verborum origines ostenderit, si ea mille sunt, quingentûm millium simplicium caussas aperuit unà.* Etsi verò satis mirabile sit, quod de tantâ unius verbi fœcunditate Varro ex Cosconio ait: tamen longè ea major est, quàm ipsi putarunt. Quippe à recentioribus est observatum, ex uno verbo *doceo* deduci species non quingentas solùm, ex numero Varroniano: sed mille sexcentas, & quinquaginta. Ac eo ipso longè fœcundius esse verbum *duco*: ex quo, si septendecim ejus composita accenseas; proveniant voces amplius quater mille. Quod monitum quoque aliis, & in iis, erudito viro, Thomæ Freigio. Hæc fœcunditas mirum in modum ditavit sermonem: qui quo uberior, eo meliùs certiusque animi sensa exponimus. Sed ad hæc artis Grammaticæ miracula non attendit vulgus; sapientes verò penè obstupescunt.

Atque hæc potissima sunt, quæ de Verbo in mentem venerunt. Sunt quædam in istis, quæ cùm carptim tantùm ac vellicatim dixerimus, fusiùs exponi potuissent. Sed eo consilio pepercimus verbis, quòd ista ab aliis fusiùs exponantur. Nonnullos etiam errores taciti, idque prudentes, præteriimus. Nempe metus erat, ne fastidium gigneremus, si minutias omnes sectaremur. Et Augiæ stabulum egerere sese studeat, qui adnitatur omnes expurgare errores. Quare anchoras tollo, & remis velisque tendo ad reliquas vocum classes.

FINIS LIBRI TERTII DE ANALOGIA.

GERARDI JOANNIS VOSSII

ARISTARCHI,

SIVE

DE VOCUM ANALOGIA, ET ANOMALIA,

LIBER QUARTUS;

seu commentariorum

DE ARTE GRAMMATICA,

LIBER VI.

Qui eſt de ſex reliquis Vocum Claſſibus.

Cap. I.

DE PRONOMINE. Pronomen, & Provocabulum, *rectè pro eodem ſumi, etſi diſtinxerit Varro. Diſſertatum, quatenus & Pronomen Nominis, & Nomen Pronominis ſit nota. Item num de Verbo priùs, an Pronomine, agere debeat Grammaticus.*

Reſiduæ ſunt nobis ſex vocum claſſes, Pronomen, Participium, Adverbium, Præpoſitio, Conjunctio, & Interjectio; in quibus non ita multa ſunt, quæ, expoſitis jam duabus claſſibus primariis, conſiderationem magnopere mereantur: eoque univerſas libro hoc ſexto, uno quaſi faſce, complecti viſum fuit.

Ab appellatione ipſa Pronominis initium fiat. Quæ duplex apud veteres invenitur; ſed ab eàdem cauſsâ promanans. Nam quia plurimùm idem ſunt *nomen*, & *vocabulum*; etiam *pronomen*, & *provocabulum*, idem erunt. Varroni tamen ſecus videtur. Nam cùm *nomen*, & *vocabulum*, ita diſtinxiſſet, quòd illud uni, hoc multis conveniat: etiam *pronomen*, & *provocabulum*, eo differre putavit, quòd illud proprii ſubeat vicem, hoc pro communi ſumatur. Sanè de *nominis*, & *vocabuli* uſu, quæ non incommodè ſic diſtingui fatemur, nolumus contendere cum doctiſſimo Varrone: ſed quod ait, pronomina finita pro propriis, infinita pro vocabulis accipi; eoque illa rectiùs *pronomina*, hæc *provocabula* dici; id verò verum eſſe pernegamus. Siquidem & finita accipiuntur pro communibus, ſive, ut vulgò loquuntur, appellativis: & infinita viciſſim ſumuntur propriorum loco. Prioris exemplum fuerit: *Satius eſt in corvos incidere, quàm in adulatores; cum illi mortuos ſolùm comedant, hi etiam vivos.* Poſterioris exemplum habemus in illo Maronis*:

> —— *Coram, quem quæritis, adſum*
> *Troïus Æneas.*

* 1 Æn.

Altera quoque de ipſo *pronominis* vocabulo, ac *provocabuli* nomine, diſceptatio oritur. Quæritur enim, utrùm pronomen nominis nota ſit, an verò nomen pronominis; adeò ut pronomen debuerit potiùs nominis nomine nuncupari. Hanc rem eò lubentiùs ad judicii examen perpendemus, quòd eàdem inde cognoſcere liceat, utrùm nominis, an pronominis doctrina debeat præcedere. Ac mihi quidem ſuum nimis præcipitâſſe judicium videntur, qui uno verbo de re totâ ἁπλῶς ſtatui poſſe crediderunt. Quippe non una nominum omnium, pronominumque, ratio eſt. Longè aliter enim de pronomine gentili, aut poſſeſſivo; aliter judicandum eſt de demonſtrativo. In iis, quæ vel gentem, vel poſſeſſionem, ſignant, pronomen eſt nomine poſterius, ac nominis proinde nota. Nam cùm *meus* dico, conſtare nequit, quem dicam, niſi ex eo, quod anteceſſit; filius puta, pater, famulus: neque aliter perſpici poteſt, ſi *noſtrâs* dixero, num agricolam dicam, an militem, an juriſconſultum, an mercatorem. Quare hujuſmodi pronomina nihil certi ſignificant, niſi ex iis, quæ anteceſſerunt. Quod ſi eſt, hujuſcemodi provocabula erunt priora nominibus. Nam nemo ignorat, prius eſſe ſubjectum accidentibus. In demonſtrativis verò provocabulis diſpar ratio eſt. Siquidem res, vel ſunt abſentes, vel præſentes; eædemque, vel nomine ſunt donatæ, vel donandæ. Si ſpectentur, ut nomine donandæ; priora erunt pronomina, ac proinde nomina ſint eorum notæ. Quippe, antequam nomina rebus eſſent impoſita, hunc in modum conſultare ſolent. Quid nominis huic, quid illi item rei indemus? quod iſti, atque iſti rei nomen faciemus? pòſt placuit, ut huic *arboris*, illi *equi*, iſti *veſtis*, alii aliud nomen inderetur. Hæc ſic ſe habere, argumento eſt evidentiſſimo, quod hodieque pronomine demonſtrativo utamur, quoties nomen rei præſentis, aut nullum eſt, aut nobis ignotum eſt, aut non ſuccurrit. At aliter longè hac de re judicandum eſt, ſi res conſiderentur, quatenus jam donatæ ſunt nomine; quomodo in Grammaticis conſiderari ſolent. Et tamen ne ſic quidem uno de omnibus modo judicium ferri debet. Conſiderantur enim res, vel ut præſentes, vel ut abſentes. In præſentibus certum magis individuum ſignificant pronomina demonſtrativa, quam nomina. Si enim Alexander Macedo dicat, *Ego Clitum occidi*, certiùs cognoſcitur, quis interemerit, quam

ſi

si dicatur, *Alexander Clitum interemit.* Quippe plures sunt Alexandri. Quare hæc considerantibus paret, nomen potius pronominis istiusmodi notam esse, quam contra. Non eadem verò in rebus absentibus ratio est. Nam in his vix usus ullus pronominis demonstrativi esse potest: ac proinde priùs erit nomen, quando, cùm pronomine destituimur, nomen necessaria est pronunciati pars: at necessarium prius est eo, quod necessarium non est.

Quæstionem hanc excipit altera de ordine. Nam nomini proximè doctrinam pronominis subjiciunt Palæmon, Probus, Diomedes, Donatus, alii. At Priscianus priùs tractat de verbo, quàm pronomine; atque id facit approbante magno censore, Julio Scaligero; qui ejusscemodi argumento sententiam suam fulcit. Cùm, inquit, nomen, & verbum, constituant enunciationem; pronomen necessaria orationis pars esse non potest. Ubi autem est rei nota, haut opus fuerit notâ nominis. Pro Diomede verò hæc ratio adfertur: quandoquidem, quod alicui subjicitur, ac substernitur, prius est illo, quod de eo prædicatur; certè & pronomen fore prius verbo. Nec flaccidus tibicen sententiæ huic est Aristoteles; qui cùm lib. *περὶ ἑρμηνείας* de nomine agit, antequam de verbo tractat; etiam pronomen sub nomine comprehendit, cùm ei Aristotelica nominis competat definitio. Quod autem opponit Scaliger, pronomen haut esse necessariam enunciationis partem, id non usquequaque verum est. Nam ante ostendebamus, sive res considerentur, ut donandæ nomine; priorem fuisse usum pronominis, quàm nominis: sive spectentur, ut nomen nactæ, modò consideremus easdem, ut præsentes, certiùs pronomina demonstrativa indicare rem, quàm nomina. Quæ profectò si sunt, extra controversiam poni debet, neque Nomen, neque Pronomen, necessariam esse orationis partem, sed nunc Nomen, nunc Pronomen, necessariò adhiberi. In hoc argumentorum conflictu ita judicium est meum, saltem dignitatis ratione priorem Verbo, quàm Pronomini, locum deberi. Nam res in Grammaticis considerantur, ut nomine donatæ: eoque Pronomen ferè Nominis nota est. At quod vicarium est, non adsurgit ad dignitatem principis; quale Verbum non minùs est, quàm Nomen; cujus vice Pronomen fungitur, uti nomen ipsum arguit.

CAP. II.

De Pronominum Significatione, Numero, & Persona. Pronominum significatio quinctuplex. Interrogativa nominibus adscripta ad pronomina pertinere; contrà quàm Priscianus putavit. Gentilia etiam dici, quæ notant aliquem esse secta ejusdem. Cur Romani non, uti nostrates, & vestrates, *ita etiam dixerint* suates. Totus *relativum &* Quotus. *Quinctuplici, quæ vulgo adfertur, significationum classi addendam esse sextam, Distributivam, & Partitivam. Idem pronomen pro usu, aut respectu diverso, diversam ad classem pertinere. Discrimen, quod inter Pronomina pleraque ab iis statuitur, qui* De vocum differentiis *scripsere, non rarò negligi ab antiquis. Pronomina omnia utrumque numerum habent. Persona definitio. Universa pronomina,* Ego, & Tu, *exceptis, omnis sunt personæ; non tertiæ solius.*

DE interrogativis dubitant multi, utrùm ea hujus sint classis. Stoici illa, propter relationem, Articulo subjiciebant: ut testatur Priscianus in XVII. Sed ipse ea Nomini subdit. Mihi sic videtur, duas esse classes principes, Nomen, & Verbum: omnem item interrogationem ad alterutram earum referri. Nam de Nomine quæro, *quis, uter, qualis, quantus, quot, quotus*: de Verbo autem, *ubi, unde, quò, quà, quando, quoties, qualiter, cur, quare.* Quemadmodum igitur hæc, quæ Verbo inserviunt, Adverbiorum ad classem pertinent: ita illa, quæ de Nomine interrogant, Pronomina esse arbitramur. Eoque supervacua est quæstio illa à Prisciano* proposita: *Quæritur,* inquit, *quamobrem cum nominativæ interrogationes pronomina soleant fieri, non etiam verbales fiant per verba.* Nam nec nominativæ per Nomina, sed per Pronomina fiunt: uti verbales non per Verba, sed Adverbia.

* Lib. 17, cap. 1.

Gentilia non rectè definiunt, quòd patriam, aut gentem, significent. Est enim cùm signent sectam; ut optimè ostendit Valla in secundo Elegantiarum, cap. III. Mirum verò, cur homines Romani, cùm *nostrâs*, & *vestrâs*, dicerent, non etiam finxerint *suâs*. Uti si dicas, *Romani captivos suates Annibali tradendos censuerunt.* Simplicissimè, puto, & verissimè dicemus, id propterea omissum, quòd sæpe exigeret usus voces *nostras*, & *vestras*; multò autem rarissimè opus esset vocabulo *suas*; eoque tanti non esset, ut nova vox induceretur. Sed subtilissimus Cæsar Scaliger † alteram etiam rationem adtexit, imperandi libidinem: quod, uti in totum, vel summi viri caussâ, rejicere non lubet, ita non video, ut solidi quicquam crepet. Quippe si eos dicere *suates* gravarentur, qui degerent extra imperium Romanum, adde etiam, si lubet, socios populi Romani: at saltem *suates* dixissent cives suos.

† De caus. fis L. L. cap. 130.

Ista etiam ad Significationem Pronominum quæstio pertinet: utrùm Pronomina illa, quæ eo quòd Nomina esse putarent, nullo hic loco habuerunt (cujusmodi esse longè plurima libro artis Grammaticæ tertio* ostensum fuit) accenseri possint quinctuplici Significationum classi, quam, consentientibus Grammaticis, attulimus: an verò, adaucto Pronominum numero, etiam opus sit, constituere novas significationum classes. Super hac quæstione eorum me sententiæ aggrego, quibus placet, quædam novorum horumce, ut ita dicam, civium, rectè referri ad interrogativorum tribum; ut, *uter, quantus, qualis, quot, quotus*: quædam item non malè relativis accenseri; uti ea, quæ vel substantiam referunt; ut, *alius, alter, cæterus, reliquus*: vel accidentis relationem habent; ut, *qualis, quantus, quot, quotus*; quando extra interrogationem ponuntur. Ut in illo Lucretii, lib. VI †:

* Sive de Analogia primo, cap. 2.

Nec tota pars homo terrai quota totius unus:

† Vers. 652.

quomodo versum eum ex manuscripto nostro codice libro II rei Grammaticæ, cap. XVII, emendavimus. Ubi & Manilium similiter loqui videbamus. Sed, præter ista, sunt alia, quibus classis propria debeatur. Nempe distributiva, & partitiva: cujusmodi sunt, *omnis, quisque, nemo, nullus, quidam, aliquis, uter, alter, neuter, ambo, uterque*, & his similia. Ac propter hujusmodi, quinctuplici omnino significationum classi sexta annumerari debet.

Sunt interim ex istis, quæ pro diverso vel usu, vel respectu, ad diversas pertineant classes. Nam ex partitivis, *uter*, & *alter*, prius quidem etiam interrogativum, posterius autem quoque relativum est. Quod eo in his minùs mirari convenit, quando idem usu venit in quinque classibus vulgatis. Nam *hic, ille, ipse*, nunc demonstrativa, nunc relativa sunt: & *cujas* tum interrogativum, tum possessivum est: imò & genitivi, *hujus, illius, ipsius, istius, ejus, cujus*, etsi demonstrativa, & relativa sint, tamen etiam possessionem significant.

Nimiâ verò religione se obstringunt, qui anxiè adeò observant, quæ commenti, an commentati, sunt Grammatici de provocabulorum differentiis. Vix enim dici potest, quàm multa apud veteres legere sit, in quibus discrimen, quod adferunt, negligatur. Est tamen, ubi eorum laudemus curiosam industriam: in iis dico, quæ pertinent ad proprietatem vocabulorum. Hujusmodi fuerit discrimen, quod inter *Hic, Iste, Ille, Is*, Cornelius Fronto statuit lib. de sermone Latino: *Hunc, & Istum,* inquit, *in proximo notant: Illum, ostendit quidem longè stantem, sed in conspectu: Eum, absentem refert.* A quo haut longè abeunt, qui *hic* ad primam, *istic* ad secundam, *illic* ad tertiam personam referri docent. Atque id discrimen tuetur quoque Augustinus Saturnius, cùm in pronominibus, tum adverbiis exinde derivatis. Idem tamen agnoscit, non perpetuò id discrimen observari: eoque nec

nec nobis huic rei immorari visum. Ipsum, sis, potiùs adi lib. II, cap. IV.

Itidem nec discrimen illud perpetuum est, quod ponunt inter *quis*, & *qui*: uti Attii, & Virgilii loco, evincit Charisius. Etiam Pierius, ad Ecl. II, auctor est, promiscuè legi in vett. libris; *Nec quis sim quaeris, Alexi*; &, *Nec qui sim*.

Neque semper observatur differentia, quâ *omnis*, & *quisque*, ab *uterque* separant: aut quâ *alter*, & *alius*, distinguunt. Nam *omnis*, & *quisque*, de duobus interdum dicuntur. Terentius Phorm. act. II, sc. I:

> *Ecce autem, similia omnia, omnes congruunt.*
> *Unum cognôris, omnes nôris.* PH. *haut ita'st.*
> D. *Hic in noxâ'st, ille ad defendundam caussam adest.*

De Antiphone, ac Phædriâ, loquitur Demipho. Quo exemplo & Agellius lib. XVI, cap. IX: *Susque deque fero, aut susque deque habeo (his enim omnibus modis dicitur) verbum est scriptum plurifariam.* Quinctilianus lib. VII, cap. V: *Illa quoque pendet ex jure, an cùm duo fures pecuniam abstulerunt, separatim quadruplum quisque, an duplum, debeat.* Et lib. X, cap. I: *Macer, & Lucretius, legendi quidem; sed non, ut phrasim eloquentiæ faciant. Elegantes in suâ quisque materiâ: sed alter humilis, alter difficilis.* Similiter Cajus J. C.* usurpat.

Itidem *alius* quoque de duobus invenitur, contrà quàm docuit Agrœcius. Plautus prologo Captivorum:

> *Captus fuit in pugnâ Hegionis filius:*
> *Alium quadrimum fugiens servus vendidit.*

Cæsar lib. III belli civilis: *Duas leges promulgavit; unam quâ mercedes habitationum annuas conductoribus donavit; aliam tabularum novarum.* Crebrò ita locutus Appulejus. Et contrà *alter*, pro *alius*, usurpat Phædrus fab. XVIII.

Ajunt quoque, *uter*, & *quis*, differre, quòd illud de duobus, hoc de multis usurpetur: eoque *uter* exigere comparativum, *quis* superlativum. Hinc dicere Quinctil. lib. VII, cap. V: *Ex duobus uter dignior, ex pluribus quis dignissimus.* Verùm discrimen id non semper observatur. Nam *uter* superlativo jungit Cicero lib. II de Invent. *Quamquam præstat honestas incolumitati; tamen utri potissimùm consulendum sit, deliberetur.* *Potissimùm* dixit, non *potiùs*.

Quis autem rectè de duobus usurpari, ostendit hoc Livii lib. XXVII: *Duo celeberrimi duces, quis eorum prior vicisset.* Et istud Hirtii, vel Balbi potiùs, aut Oppii, lib. de bello Hispanico: *Inter duos fit contentio, quis prior pontem occuparet.* Etsi quoque *uter* de duobus tantùm dicatur; adverbium tamen, quod ab eo venit, de multis quandoque interrogat. Cicero in Verrem: *Utrùm impudentiùs à sociis abstulit, an turpiùs meretrici dedit, an improbiùs populo Romano ademit, an audaciùs tabulas publicas commutavit?*

Pariter neglegi solet discrimen inter *aliquis*, & *quidam*: etsi non diffitear, si proprietatem spectes, τὸ *quiddam* significare rem certam: *aliquid* verò incertum quid; quasi dicas, *aliud quid*. Unde Plaut. Curcul. act. II, sc. III:

> PH. *Jam edes aliquid.* CU. *Nolo hercle aliquid; certum, quàm aliquid, mavolo.*

Vide & Saturnium lib. V, cap. XXXV.

Cæterus, & *reliquus*, interdum referunt antecedens diversæ speciei. Columella lib. II: *Leguminum non alia cura, quàm reliquorum frumentorum.* Plinius lib. IX: *Delphini, & reliqua cete, simili modo coëunt.* Sed dixeris, *frumentum* & *cete*, laxius hic capi, ut illud legumina, hoc & delphinos comprehendat. Sed quid dicemus de isto Appuleji lib. VIII de A. A. *Jamque me* (asinum) *cursu celeri cæteros equos antecellentem mirabantur omnes.*

Sed hæc fortasse, quia significationem respiciunt, ad Exegeticen potius, quàm Methodicen, pertinent: vel si ad Methodicen pertinent, non in Ἀναλογίᾳ, sed Συντάξει de iis agi debet: nempe ubi de Convenientia nominum tractatur.

* L. Si servus. § Similiter. ff. De verb. obligat.

A Significatione nunc accedamus ad Numerum, & Personam: quorum utraque Pronomini accidit. Ac ratione Numeri quidem hoc distat Pronomen à Nomine, quòd illud, contrà quàm in Nomine fit, nunquam numero alterutro destituitur. Persona, non quidem, ut communis est Pronomini, & Verbo; sed quatenus hujus est loci propria, rectè definitur à Thoma Aquinate, proprietas, secundùm quam Pronomen significat suo modo loquendi de se, ut de se; ad alium, ut ad alium; de alio, ut de alio. De se, ut de se, velut *ego*. Ad alium, ut ad alium, velut *tu*. De alio, ut de alio, quomodo Pronomina cætera plurimùm accipi solent. Plurimùm inquam. Nam ex se promiscua, atque omnis personæ sunt. Ita *ille* primæ est personæ, cùm Maro dicit, *Ille ego**: item *meus*, in hoc Persii:

> *Vindictâ postquam meus à prætore recessi.*

Cumque Euripides ait, Ἐγὼ δ' ἱκέσιμι. Quod & Priscianus observat in XVII. Item *noster*, cùm Plautus ait, *Noster sum*: similiter *ipse*, cùm dicitur, *Ego ipse*. At idem est secundæ, cùm dicimus, *Tu ipse*. Sic *tuus*, si dicas, *Tua es*: ac par ratio in aliis. Quod parùm consideravit Grammaticorum vulgus; uti nec Brassicanus, qui, *Ille ego*, figuratè dici putavit. De quo proprius erit agendi locus libro de Structura: ubi Grammaticorum ἔκκλησιν sive evocationem expendam. Interim, si, *ipse* & *idem*, exceperis, cætera semper fere esse tertiæ, verissimum est.

* I Æn.

CAP. III.

Refellitur Grammaticorum error, qui Pronomina omnia, tribus solùm, ut Priscianus voluit, sive quatuor, ut alii malunt, exceptis, vocativo carere tradiderunt. Charisii lapsus contrarius, etiam Ego *donantis Vocativo. Partitiva quoque, & distributiva, vocativum habere ostenditur.*

Metuo, ne jamdudum iis, qui omnia solo sermonis usu metiuntur, spinosas atque inutiles videar quæstiunculas consectari. Quare etsi non temere ab his dissentiam: tamen, quia illa, quæ hoc de genere supersunt, præsertim quæ ad Reciprocorum naturam pertinent, sedulò jam ab aliis sunt excussa, nihil, puto, peccabo, si, iis supersessis, conferam me ad genus, casum, & declinationem provocabulorum; quorum notitiam adeò necessariam esse confitentur ipsi, ut prope in talibus solis Grammaticam esse artem positam existiment. Auspicabimur autem à casu. Ac quia in eo penè omnes sumus, ut runcinemus, cùm vulgarium, tum etiam primi subsellii Grammaticorum errores; quos inter etiam est ille de Vocativo Pronominum: age de isto nunc litem intendamus penulatis illis magistris. Quotusquisque enim eorum non illuviem verborum consectari contendat, qui libertum ita compellarit, *O tue nunc?* aut ad libertam scripserit, *O tua nunc virgo?* At nihil est caussæ, cur minùs patrono ita loqui fas sit: quàm si antè dixisset, *O mi Sosia*; aut, *ô mea Syra.* Quamquam hìc siquis dissentiat, manum non verterim. De aliis quibusdam non æquè me facilem sentiant. Nam eum, qui Latinè sese scriptitare studeat, negant *hic*, vel *ille*, vel *ipse*, in vocandi casu usurpaturum. At error iste Ætnæo est scarabæo grandior. Nam ipsius est Maronis XII Æn.

> *Esto nunc, Sol, testis, & hæc mihi terra precanti.*

Itidem Tullii est pro Flacco: *O nox illa, quæ penè æternas huic Urbi tenebras attulisti.* Et hoc Tibulli*:

> *Tu mihi libertas illa paterna vale.*

Ovidius† quoque dixit:

> *Ipse meas æther accipe summe preces.*

* Lib. 2. el. 4.
† In Ibin.

Quare hac in parte Bonæ Menti litare debuerunt viri cætera haut indocti, qui ut minùs errarunt, quàm Trypho, quem Priscianus libro XVII soli TU vocativum tribuisse scribit: ita eo interim nomine penè dicam pastoritiâ digni sunt fistulâ, quòd omnia, quatuor exceptis, vocativo docuere destitui. Estque hæc ipsius Prisciani sententia, cùm scri-

scribit: *Et sciendum est, quòd vocativum non habet aliud pronomen, nisi secunda persona primitivum, ô tu, ô vos: & prima possessivum, quando ad secundam transit personam. Nam possessio est, quæ vocatur ab ipso possessore, ad quem loquitur prima persona: ut Terentius in Eunucho** [* Act. 4, sc. 3.], *Mea tu. Idem in Andria*† [† Act. 4, sc. 2.]: *O noster Chreme.* Hactenus Priscianus, qui, parùm consideratè, omittit *nostras*: quod ipsum quoque à prima venit persona, neque tamen possessivum, sed gentile est. Quare minùs miramur, si in cæteris idem sæpius aberret. Nam rariùs quidem, obscuriusque, attamen præter *sui* (quod etiam recto caret) penè omnia vocativum habent: adeò ut Charisius propiùs absuerit à veritate, cùm ne *Ego* quidem, in quo tamen valde eum fugit ratio, hunc habere casum prodidit.

Itidem iratos me veterum Romanorum manes habiturum multi autument, si partitivis, & distributivis (quæ & ipsa esse pronomina, non semel diximus) casum hunc tribuam. At ea hunc habere, haut mihi

Difficile ‡ [‡ Lucret. lib 5.] *est ratione docere, & vincere verbis.*

Neque tamen cum Frischlino id probatum ibo isthoc Plauti* [* Pseud.]: *Quisquis es, adolescens.* Nam *quisquis* esse nominandi casum, liquet ex simili loquendi genere: ut cùm dico, *Quomodocunque de me meritus es, adolescens.* Nec fortasse validum magis illud Maronis, quod idem affert è IV Æn.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.

Nam itidem dixero,

Exoriare aliquis Pœnorum accensus amore.

Accommodatius verò istud Terentii Adelphis† [† Act. 4, sc. 4.]: *Aperite aliquis actutum ostium.* Eidem probando est illud Virgilii primo Georg.

Dique, Deæque omnes, studium quibus arva tueri.

Et Ovidii hoc:

Quilibet huc, dixit, confuge: tutus eris.

Et ista, puto, sufficient ad jugulandum errorem vulgarium.

CAP. IV.

De declinatione pronominum, Ego, Tu, Sui. *Pro* mei, *&* tui, *olim dixere* mis, *&* tis; *unde dativi* mihi, *&* tibi. Nos, *&* Vos, *unde veniant.* Nostri, *&* vestri, *an* nostrum, *&* vestrum, *ab eo dicatur, quod est* ego, *&* tu. *Flavius Caper emendatus.* Vestrorum, *pro* vestrum. Meum, tuum, nostrum, *in genitivo plurali. Cur* Sui *destituatur casu recto. Ut ejus defectum suppleant Latini.* Sui, sibi, se, *unde deriventur.*

A Casuum doctrina ad Declinationem transeo: quæ in Pronomine est triplex. Quædam enim longissimè abeunt ab ἀναλογίᾳ nominum; ut, *ego, tu, sui.* Quædam propiùs absunt: ut, *ille, iste, hic, is, quis, qui.* Quædam planè sequuntur, vel secundam, vel tertiam. Secundam, ut, *meus, tuus, noster, vester,* &c. Tertiam, ut, *cujas, nostras, vestras.* De primis nunc videamus.

Ego, & *tu,* in patrio casu olim *mis,* & *tis,* habuisse, pro *mei,* & *tui*; agnoscunt Donatus, Servius, Priscianus. Usus priori Plautus Trinummo, sc. Salsipotenti. Alterum idem usurpat Milite, act. IV, sc. II:

—— *Lamentari*
Ait illam miseram, cruciari, & lachrymantem se afflictare:
Quia tis egeat, quia te careat: ob eam rem huc ad te missa st.

Idem Pseudolo, vel Agellio teste lib. XX, cap. VI. Scio, Emmanuëli Alvarez impensiùs placere, *mis,* & *tis,* apud Plautum esse dativos plurales, pro *meis,* & *tuis*: idque eo magis, quia & Diomedes illa omiserit; & *sis* (quod veterum nemo genitivum fecit) eodem modo legatur pro *suis.* Verùm mihi secus videtur, eo quòd TIS nullo modo pro *tuis* accipi possit in illo Plauti* [* Pseudolo Act. 1, sc. 1.] adducto ab Agellio:

Si ex te tacente fieri possem certior,
Here, quæ miseriæ te tam miserè macerent:
Duûm labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi, & tis respondendi mihi.

Ita legendi hi versus, & in numeros redigendi apud Agellium† [† Lib. 20, cap. 6.]. Temerarii sunt, qui pro *tis* substituunt *tui.* Neque aliter exponi potest *mis* in illo Enniano, in secundo Annalium:

Ingens cura mis cum concordibus æquiperare,

quomodo apud Priscianum etiam in membranis nostris invenimus; sive, prout Valla citat,

Ingens cura mis est concordibus æquiperare.

Quare nihil caussæ est, cur cum Alvero immutemus, legamusque,

Ingens cura meis est concordibus:

ut S, per ἔκθλιψιν, elidatur: quod verè eliditur in *mis,* si Prisciani scripturam sequamur, quasi *mi'* scriptum esset. Quod nec Scaliger attendit, cum pro *mis cum concordibus,* reponeret, *mihi concordibus.*

A genitivo *mis* non tantùm *mius* olim dixere pro *meus,* (de quo postea agemus) sed hodieque in usu est *mihi.* Et similiter à *tis* est *tibi.* Falluntur, qui contra malunt, *mis,* & *mihi,* deducere à *mius*: quod non magis, quàm possessiva alia, primigenium esse potest. Quare falluntur, cùm dicunt, vocativum MI factum esse ex *mie.* Quemadmodum nec verum est, quod Priscianus scribere non dubitavit, *mi* ex *mee* contractum esse. Nam si dativum *mihi,* aut *mi,* non habet à *mius,* vel *meus*: quid caussæ erit, cur vocandi casum ab alterutro mutari credamus?

Mirantur quidam, quâ ratione ab *ego* in plurativo sit *nos, nostri, nobis*: à *tu, vos, vestri, vobis.* Sed *nostri,* & *nostrum,* ac *nobis,* à *nos* venire, satis est apertum. Uti & illud, à *vos* esse *vostri,* & *vostrum,* & *vobis.* Quare de solo nominativo dispiciendum. Descendit autem nos à Græco νῶ, adjectione literæ S. Uti à *nos* κατὰ μετάθεσιν factum Germanicum *ons. Vos* quoque à σφῶ venit, itidem per literarum trajectionem.

Illud præterea de provocabulis *Ego,* & *Tu,* anquisitione indignum non est, utrùm in genitivo plurali dicendum sit *nostri,* an *nostrum*; *vestri,* an *vestrum.* Sulpicius Apollinaris, ut ex Agellio* [* Lib 20, cap. 6.] constat, malebat, *miserere nostrum,* quàm *nostri*: etsi eo pacto locutos esse fateatur L. Syllam, Terentium, Afranium, & Laberium. Apollinaris sententiam etiam probat Flavius Caper lib. de Orthographia. Verba ejus in postrema editione Heliæ Putschii sic concipiuntur: *Hilarus, hilari facit; Hilaris, hilares. Sic Nostri, nostrorum, nostrum, venit à nos: sicut Vestri, vestrorum, venit à vos.* Sed locus hoc pacto corrigendus: *Sic Nostri, nostrorum; Nostrum venit à nos: sicut Vestri, vestrorum; Vestrum venit à vos.* Imò Diomedes quoque (cujus editiones varias consuluimus) ab *ego, nostrum*; à *tu, vestrum,* declinat: *nostri* verò, & *vestri* omittit. Nos utrumque probamus, quia Ciceroni utrumque in usu est: ut in provocabulorum constructione ostendemus. Nunc hoc tantùm dicam, *nostri,* & *vestri,* facta esse ex *nostrum,* & *vestrum*; quæ usurpata Gracchο Sempronio, aliisque antiquis: indeque factum, ut altera illa *nostri,* & *vestri,* (quibus tamen & Cicero usus) Apollinaris damnârit, tanquam nova, minusque proba. *Nostrum* autem, & *vestrum,* κατὰ συγκοπὴν facta videri queant ex *nostrorum,* & *vestrorum.* Id confirmat hic Plauti locus Mostell.† [† Act. 1, Sc. Jam pridem ecastor.]

Verùm illuc esse maxima pars vestrorum intelligit,
Quibus anus domi uxores sunt, quæ vos dote meruerunt.

Ubi *vestrorum,* pro *vestrum,* positum esse, rectè censuit Apollinaris apud Agellium‡ [‡ Lib 20, cap. 6.]. *Vestrûm* autem, pro *vestrorum,* dixere; uti *meûm, tuûm, nostrûm,* pro *meorum, tuorum, nostrorum.* Quod Priscianus in VII probat his Plauti locis. In Trinummo* [* Act. 3, sc. 2.]:

Ut rem patriam, & gloriam majorum fœdarim meûm.

In Pœnulo† [† Act. 5, sc. 2.]:

Ecquid meministi tuûm parentum nomina.

Idem in Menæchmis‡ [‡ Act. 1, sc. 2.]: *Avertit prædam ab hostibus nostrûm salute sociûm.* Nempe quasi Æolum hæc more,

qui

qui Ionum genitivos in ιων, ut ἐμίων, & similes, in ῶν contrahunt.

Sed de duobus pronominibus primæ secundæque personæ satis multa. Nunc transeamus ad SUI. Quod cur Nominativo careat, justa ratio est. Nam, ut Prisciani verbis utar, *nec ἑαυτῦ apud Græcos habet nominativum, quia ipse in se agere, qui patitur, per hoc pronomen ostenditur: nec eget recto casu, quem verbum habet in se.* Quod si nominativo casu exprimere lubeat, id quod in obliquis per *sui* dictum erat: operam suam commodabit provocabulum *ipse*. Cæsar libro primo belli Gallici: *Divitiacus Cæsarem complexus obsecrare cœpit, ne quid gravius in fratrem statueret: propterea quod ipsi gratiâ plurimùm domi, ille minimùm posset.* Nam poterat dixisse: *plurimùm se domi, illum minimùm posse.* Est autem à Græco ὗ, ut ab accusativo ἕ, *Se* dicitur. Spiritus asper in S mutatur, ut aliàs sæpe. *Sibi* autem est à σφὶν, converso Φ in B: quomodo pro Φρύγες veteres dixere *Bruges*, teste Tullio in Oratore ad Brutum.

CAP. V.

De declinatione pronominum ille, ipse, iste, hic, *&* is. Ollus, olle, oloe. Ipsus. *Cur veteres non dixerint* ipsud, *ut* illud. Alium corpus. Alis, alid, aliuta. Hic *unde derivatum, & qua ratione ex se formet obliquos suos.* Hæc *in plurali feminino, pro* hæ. Im, *pro* eum: ibus, *& in feminino* eabus, *pro* iis.

SEquuntur pronomina, quæ minùs recedunt à nominum declinatione. Hujusmodi, ex omnium consensu, sunt, *Ille*, *Ipse*, *Iste*, *Hic*, *Is*, *Quis*, *Qui*. Pro *ille* veteres dixere *Ollus*, vel *Olle*. Unde *Olli* apud Enn. Plaut. Lucret. atque etiam Maronem, cujus antiquus pluralis est *oloe*, pro *olli*, sive *illi*. Ut in lege Regia: SI PARENTIS PUER VERBERIT, AST OLOE PLORASSINT. *Ipsus*, pro *ipse*, Comicum est. *Ipsud* barbarum esse, disertim scribit Diomedes lib. primo; ut locus corruptus esse videatur, quo id legitur in novantiquâ Querculi comœdia. Sanè damnat quoque Rhemnius Palæmon, eumque sequitur Beda. Glossæ tamen Cyrilli: Αὐτὸ, *ipsud*. Invenitur quoque in farragine epistolarum Bonifacii, aliorumque ab Nic. Serario editarum. Sed nostrum non est in sermonis castimoniâ hos morari scriptores, qui vitio, non tam suo, quàm seculi, barbarè sunt locuti. Porrò nec ratio desit, cur non æquè dicamus *ipsud*, atque *illud*. Quippe *ipsum* est ab *ipsus*, quo Comici utuntur. Prisciano tamen è plumbo, aut vitro, esse argumentum hoc videtur. *Illa*, inquit, *quæ quibusdam visa est ratio, non adeò firma videtur; ideo in UM facere neutrum, quia in US desinit masculinum. Nam Alius, cùm in US terminetur, neutrum tamen Aliud facit.* Verùm rectè Rhemnius Palæmon, Diomedes, aliique, quos Priscianus signat, eam adferunt rationem, quia sufficit, ut pleraque in US desinentia UM faciant in neutro. Adde quòd justa caussa est, cur *alius* non faciat *alium* (quâ tamen ratione, *alium corpus*, legere est in antiquâ hominis Christiani inscriptione, quæ Mediolani est in æde Divi Victoris*) sed pro eo malit *aliud*, contra quàm faciunt cætera in US. In caussâ enim est, quòd olim dixerint *alis*, & in neutro *alid*. Posteriori usus Lucilius lib. IX, teste Charisio: item Lucretius lib. I, III, V. Prius usurpat Catullus, carmine de comâ Berenices:

> *Anne bonum oblita's facinus, quo regium adepta's*
> *Conjugium? quòd non fortior aut sit alis?*

* *Inscriptionum à Gentero collectarum pag. 1056. num. 1.*

Est igitur *aliud* per ἐπένθεσιν unius vocalis factum ex *alid*, quod ab *alis*; à quo adverbium *aliter*, ut à *fortis*, *fortiter*. Nam ab *alius aliè* diceretur; pro quo antiqui maluere *aliuta*: ut in legibus Numæ Regis: *Siquis aliuta faxit, ipsos Jovi sacer esto.* Ac Plautino quoque Rudentis prologo hanc vocem restituendam putabat Janus Guiljelmius Verisimil. lib. II, cap. ultimo.

Nec tanta est ἀνωμαλία in *Hic*, quàm videtur. Nam ut *fac* est ex *face*, ita *hic* est ab *hice*; pro quo nunc, geminatâ consonâ, *hicce* malumus. *Hice* autem est ex antiquo *his* (quod ex ὅς) & *ce*: ut ab *is*, & *pse*, *ipse*, unde femininum *eapse*, de quo postea. Ut verò ab *Is* est *ejus*, *ei*, *eum*, *eo*: ita ab *his* esset *hujus*, *hui*, *hum*, *ho*: sed pro *hui*, & *hum*, & *ho*, adjecto *ce*, fuit, *huice*, *humce*, *hoce*: unde, abjectâ vocali, factum, *huic*, *hunc*, *hoc*. Sic in plurativo erat *ha*, etiam in neutro. Nempe, ut à *quis* dicimus *qua*, tum in feminino, tum in neutro. Sed pro *ha*, addito *ce*, fecere *hace*, unde *hæc*. Quod in neutro remansit in usu, ut differret à feminino *ha*. Sed olim etiam in muliebri genere *hace*, &, per apocopen, *hæc* dixere. Plautus Mostell. act. I, sc. III: *Periere hæc oppido ædes*. Ea est vera lectio, ut Camerarius monuit. Et possis similiter capere Rudente act. I, sc. III: *Hæc bonorum ejus sunt reliquiæ.* Prout est in MSS. Terent. Eun. act. III, sc. V:

> —— *Continuò hæc adornant, ut lavet.*

Ubi sic Donatus: *Hæc pluraliter, pro hæ: ut in Phormione*†, *Hæc illa erant itiones.* Similiter de hoc Comici loco Junius Philargyrus in illud Maronis III Georg. *Hæc quoque non curâ nobis leviore tuenda.* Ac scribit Calpurnius, similiter accipi Heautont. act. IV, sc. VII:

† *Act. 5. sc. 9.*

> *Minas quidem jam decem habet a me filia*
> *Quas pro alimentis esse nunc duco datas.*
> *Hasce ornamentis consequentur alteræ.*
> *Porrò hæc talenta dotis apposcent duo.*

Sed caussam non video, cur adsentiam. Nec tanti nobis Calpurnius, qui a multis pro Donato citari solet, quia, quod Donato deerat, supplevit. Atqui Donatus B. Hieronymi præceptor fuit; ut ante annos vixerit prope mille trecentos: Calpurnius ante annos centum quinquaginta, æqualis Angeli Politiani, discipulus Omniboni; ut ipse de se ait epistolâ ad Marcum Aurelium, quæ editioni Terentii Tarvisinæ* subjungitur.

* *An. 1477.*

Ab *ea* feminino antiqui in genitivo fecere *eæ*, pro *ejus*. Ab *is* item in accusativo *IM*, idque ἀναλόγως, uti à *sitis sitim*. Festus: *Im ponebant pro eum, à nominativo IS.* Glossæ Philoxeni: *Im*, αὐτὸν, εἰς αὐτόν. Macrobius lib. I Saturn. cap. IV, citat è legibus XII Tabb. *SEI IM OCCISIT.* Atque addit: *Notandum quòd ab eo, quod est Is, non Eum casu accusativo, sed Im dixerunt.* Lucilium quoque usum non dubito lib. IX. Sed locus est corruptus, cui varii medicam adferre manum conati. Verùm proximè ad MSS, ac nostras etiam membranas, accedit emendatio Josiæ Merceri:

> *Arripio, & rostrum, labeasque, osque ferio, atque im*
> *Percutio, dentesque adversos discutio omnes.*

Locus est apud Nonium in *Rostrum*. Atque apud eundem, in Mendicarier, est illud Plauti Vidulariâ:

> *Malim moriri meos, quam mendicarier.*
> *Boni im miserantur; illunc irrident mali.*

Ita eleganter restituit Lipsius Antiq. Lect. lib. I, cap. ult. *Assentio* quoque iis, qui apud Plautum legunt Pseudolo, act. III, sc. I:

> *Is odos demissis pedibus in cœlum volat.*
> *Im odorem cœnat Jupiter quotidie.*

Nempe ut *im* non elidatur, primâque sede sit anapæstus. In MSS pro eo est, *Eum moderem*; in excusis, *cum in odorem*. Nempe *im* aliquis interpretatus fuit *eum*: quæ glossa in contextum irrepsit. At planè audiri non debent, qui & apud Terentium legunt Phormione act. V, sc. ult.

> *Im faxo tali immissum, ut hic nunc est, infortunio.*

Ubi in optimo illo codice Bembino, & nostris MSS, ac veteri editione Tarvisina†, utique plurimis in locis optimæ notæ, legitur hunc in modum:

† *Ibid.*

> *Faxo tali sit mactatus, atque hic est infortunio.*

Quo pacto vel S in *mactatus* elidi debeat, vel versus claudicabit. In aliis libris est,

> *Faxo tali eum mactatum, atque hic est infortunio.*

Quæ vera est scriptura: ut ostendit Donatus, qui eum in locum sic notavit: *Pro, is sit mactatus.* Sic locum hunc emen-

emendo, ac supplevi: ubi vulgò duntaxat, etiam in veteri, quam dixi, Tarvisinâ, & quam Lindenbrugius collatis edidit MSSis: *Pro eo, quod est Eum.* Sententiam nostram firmat, quòd subjiciat Donatus: *Sic frequenter veteres. Ennius:*

Omnes corde patrem præbent, animoque benigno
*Circumfusum**.

* *Alii tamen*, Circumfusum duntax.

Nempe hoc velle videtur Donatus: ut Ennius ait, *præbere animo circumfusum*; sic Comicum dicere, *facere mactatum.*

Sed ad IS redeamus: à quo in plurali pro *ea* videntur dixisse *eo*: unde *adeo*, pro *ad ea*: q. d. ad eum locum. Nempe ut *quoad*, pro *ad qua*: & *quousque*, pro *ad qua usque*: de quibus cap. prox. Ab eodem *is* in dativo & ablativo plurali etiam *ibus* dictum pro *iis*. Plautus Milite Glorioso act. I, sc. Curate, ut splendor:

—— *Ibus dinumerem stipendium.*

Et Rudentis prologo:

—— *Navis confracta est ibus.*

Et Truculento act. I, sc. II:

Ibi est ibus pugna & virtuti, de prædonibus prædam capere.

Eidem in Captivorum prologo, tum autem Varroni περὶ ἐγκωμίων, vocem hanc restituit Janus Guiljelmius quæst. Plaut. in Capt. cap. I. Titinnium quoque, & Pomponium, similiter esse locutos, ex Nonio Marcello discimus. In feminino item pro *iis*, *eabus* dixere. Ut Priscianus in VII ostendit illo Cassii Heminæ in IV, sive, ut in aliis libris est, in III Annalium: *Scriba Pontificius, qui cum eabus* (de Vestalibus sermo est) *stuprum fecerat.*

Porrò quid si dicamus, videri *is* olim in casu patrio fecisse *itis*? Valde id fateor incertum: nec qui sic locutus sit, valeo adferre. Attamen, ut à *tu* est *tis*, & in nominibus à *Charis*, *Charitis*: sic ab *is* potuit esse *itis*, correptâ priori. Sanè ab *itis* videtur esse *item*, indeque *itidem*, quasi & *item*, vel *ita item*. Imò ut ab ὅτος est ὅτως, sic ab *itis* fuerit *ita*. Verùm hæc, ut incerta, in medio relinquamus.

CAP. VI.

De declinatione pronominum Quis, & Qui. *Quomodo ex se* cujus, & cui, *gignant.* Quoius, *pro* cujus. Quoi, *pro* cui, *nec Maro, nec Cicero ipse refugerunt.* Ques, *pro* qui; & quescunque, *pro* quicunque. *Ablativus* qui, *pro* qua. Ullus, alius, *similiaque, olim secundum casum per I, tertium per O, inque feminino utrumque per Æ terminabant.* Altero, *pro* alteri.

MAxima etiam ἀνωμαλία in eo quibusdam esse videtur, quòd *Quis*, & *qui*, in obliquis *cujus*, & *cui*, faciant, per C. Atqui eadem est litera C, & Q: uti ostensum, cùm de literis ageremus*. Adde quòd veteres ut Victorinus lib. I Grammatices testatur, in genitivo dixere *quojus*. Ut si legas apud Plautum Pseudolo, act. I, sc. Exite, agite:

* *Lib. I artis Grammatica, cap. 18.*

—— *Quojus amatores olivi*
Dunamin domi habent maximam.

Itidem in dativo quoque scripsere *Qui*, per Q: Donato teste in Andr. act. I, sc. I. posteriores verò C prætulerunt, ut differret à nominativo *Qui*: aut si qui mallent Q reservare, *Quoi* scribebant, per diphthongum. Auctor mihi hujusce rei Fabius lib. I, cap. VII. Ejus verba sunt: *Illud nunc melius, quòd CUI tribus, quas posui, literis enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem sanè sonum, Quoi utebatur, tantùm ut ab illo Qui distingueretur.* Donatus quoque in Andr. sc. primâ ad illhæc verba:

—— *Restat Chremes,*
Qui mihi exorandus est:

scribit hunc in modum: *legitur & Expurgandus. Si expurgandus, lege Cui, non Qui: quia Cui per Q veteres scripsere. Quoi* legas in veteri inscriptione Romana†,

† *Inscript. Gruter. pag 842. num. 2.*

QUOI FATUM GRAVE. Ac usurpat quoque Plautus, cùm alibi, tum in prologo Mercatoris, & Pseudolo act. I, sc. Si de damnosis. Item Lucretius lib. I, II, & III, & Catull. Epigr. primo, atque adeò Maro ipse. Nec tamen huc refero illud in Bucol.‡ —— *Quoi non risere parentes.* Nam *qui* jam olim legit Quinctilianus lib. IX, cap. III. Qua de re satis dictum nobis in Institutionibus Oratoriis*. Potiùs igitur monebo, in plerisque codd. (ut scribit quoque Pierius) similiter legi III Georg.

‡ *Ecl. 4.*

* *Lib. 4. cap. I. sect. 14.*

Quoi non dictus Hylas puer?

Et alibi non semel. Imò & Tullius scripsit epist. VII, lib. VIII ad Att. *Quoi tu* (*video enim quid sentias*) *me comitem putas debere esse.* Et epist. IX: *Quoi tali in re libenter me ad pedes abjecissem.* Et epist. ult. lib. XI: *Quoi siquâ re consulere aliquid possum.* Leonardus quoque Malaspina refert, se lib. VII ad Att. epist. XIII, invenisse penè in omnibus libris suis: *Quoi ne Picena quidem nota fuerint.* Iidem lib. VIII semel iterumque *quojus*, pro *cujus*, legere est in castigationibus codd. Nec dubium, quin aliis quoque in locis crebrò ita scripserit Tullius: sed, ut antè conquesti sumus, librariorum audacia imperita scripturam eam nobis immutavit.

Ab hoc dativo *quoi* est ablativus *quo*, omisso *i*: quomodo, abscissâ eâdem vocali, à veteribus dativis, *musai*, & *poploi*, sunt ablativi *musa*, & *poplo*. Nec inde solùm apertus ablativus *quo*, sed etiam dubius, sive *quo* adverbiale, quando ponitur pro *ad quid*. Ut cùm Cicero ad Gallum sic scribit: *Martis verò signum quo mihi pacis auctori?* Vel in illo Horatii lib. I, ep. V:

Quo mihi fortuna, si non conceditur uti?

Nam *quo* valet *quoi*, puta *rei*, vel *negotio*. Sed *quo* in *quoad* non est à *quoi*; verùm mutatione vocalis venit à *qua*: *qua* verò, vocali abscissâ, *quai*, sive *qua*: ut *quapropter*, pro *quapropter*; *hacpropter*, pro *hac propter*. Ergo *quoad* valet *ad quo*: ut pro eo Afranius in Promo dixit, & iterum in Privigno, teste Nonio. *Ad quo* valet *ad qua*; uti *ad qua*, notat *ad qua*. Ac similiter *quousque* valet *quausque*, sive *quausque*.

Etiam in plurali nominativo veteres, teste Charisio* & Festo, tum *qui* dixere, tum *ques*. Pacuvius Medo:

* *Lib. I.*

—— *Ques sunt isti*†? *ignoti, nescio ques ignobiles.*

† *Al. ii.*

Cato lib. II Orig. *Quescunque Roma regnavissent.* Et Plautus: *Ques ignobiles.* Citat ista Charisius lib. I. Ac Priscianus lib. XII addit, similiter Attium in Neoptolemo dicere: *Sed quesdam.* Imò in codd. aliquot antiquis Virgilii, *quescunque*, pro *quascunque*, invenisse se refert Pierius ad Æn. III. Sed Virgilium usum non arbitror. A *ques* remansit dativus, & ablativus, *quibus*: nimirum ut à *puppes* est *puppibus*. Charisius lib. I: *Vocem QUES tametsi novitas abdicavit, declinatio ejusdem tamen manet. Nam QUIBUS crebrò dicimus.* At tertius sextusque casus *quis* est à *qui*, ut à *docti*, *doctis*. Nisi eos casus malis formare à tertio sextoque singulari. Sunt in hac sententia Rhemnius Palæmon, & Servius, interpretatione in secundam editionem Donati. Uterque volunt, quemadmodum à *docto* est *doctis*, ita & à *quo* esse *quis*: ut apud Maronem‡, *Quis ante ora patrum*: ut item à *puppi* est *puppibus*, ita & *quibus* esse à *qui*: quo usus Plautus Amphitr. act. I, sc. Qui me alter:

‡ *I Æn.*

Post ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea est,
Qui Pterela potitare rex solitus est.

Legitur & apud eundem Aulul. act. II, sc. Tace nunc jam:

—— *Si qui uti voles,*
Domo abs te afferto.

Ubi in MSSis quidem, & editt. antiquis, *Si quid* legitur. Sed nisi *qui reponas*, versus talo pravo incesserit. Et *qui* edidit Camerarius. Recteque Lambinus *qui* interpretatur, *qua re.* Si hoc de loco est dubium, at sanus ille Curcul. act. IV, sc. Iruptæ virgo:

—— *Quibus sui nihil est, nisi una lingua,*
Qui abjurant, si quid creditum est.

In compositis usitatius est. Plautus Asinariâ act. I, sc. Unumquodque istorum:

Nam neque fictum usquam, neque pictum, neque scriptum in poematis,
Ubi lena bene agat cum quiquam amante, quæ frugi esse volt.

Terentius Adelph. act. II, sc. III:

Abs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas.

Usus quoque Maro, cùm in XI ait, *Quicum partiri curas.* Etsi nec ignorem, *quacum* in antiquis aliquot codd. inveniri.

Extra verò compositionem *qui* in usu esse desiit, quia nunc non dicimus, *à qui nancisci*, teste Servio. Excipe, cùm intelligitur *modo*. Nam cùm ajo, *Qui fieri potest?* planè est ablativus, ac intelligitur *modo:* ut dicimus integre, *quomodo*. Multò minùs *qua* in nominativo singulari extra compositionem usurpare liceat: eoque haut rectè Donatus inflectit, *quis*, vel *qui*; *qua*, vel *quæ*; *quod*, vel *quid*. Certè & Diomedes *qua* prætermittit; etsi *qui* in ablativo ponat: quod & Priscianus in XV facit; ubi de adverbiis in I disputat. Etiam *quicum* in plurali legas apud Plautum Captivis act. V, sc. IV:

—— Quasi patriciis pueris, aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent:
Itidem hæc mi advenienti upupa, qui me delectem, data est.

Imò Janus Duza in Centurionatu Plautino lib. I, c. XXV, censet *quibuscum* barbarè dici, proque eo semper *quicum* dicendum. Nempe ut singulari sit ex *qui*; plurali ex *quis*.

Quæcunque verò pronomina, & hoc, & superiori capite, expendimus, in eo omnia conveniunt, quòd genitivum in IUS, dativum in I faciant. Solum *Hic* in dandi casu recedere videtur. Sed, ut antea monitum nobis, primùm fuit *hui*, unde *huice*, ex quo *huic*. Similiter verò per IUS, & I, inclinantur, *ullus*, *uter*, *alter*, *alius*, & quædam alia. Quid mirum? cùm & ipsa pronomina sint, ut non semel diximus. Olim tamen alteram etiam terminationem habuerunt: quia dicebatur, *ullus*, *ulli*, *ullo*, item *alius*, *alii*, *alio*; atque ita in cæteris. Cato in Censura de vestitu, & de vehiculis: *Nam perinjurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur; ubi datus est, tum uti eos mutem, atque alii modo sim.* Ait Dausquejus*, corruptè hunc locum legi apud Priscianum in novissimâ Putschianâ. Nam in ea *perjurium* scribi pro *perinjurium*. Sanè bis eum locum citat Priscianus: prius in VI, iterum in VII. Utrobique autem in eâ *perinjurium* excusum est: ut in erudito viro senile sit ἁμάρτημα. Nec aliter vel Msus noster, vel antiqua editio Veneta. Sic M. Cato, *alii modi*, (quod & apud Licinium) item *illi modi:* & *isti modi*, apud eundem. Titinius, *uni collegii*. Afranius, *ipsi vestimenta*, pro, *ipsius*. Plautus, *coloris ulli*. Terentius, *nulli consilii*. Loca integra non appono, quia id Priscianus facit, gemino libri VI loco*. Simileque hoc Severi in Ætna: —— *Nec corporis ulli.* Crebrò item sic Appulejus; ut lib. VII: *Caput pessimo isto asino demere.* Lib. VIII: *Uno potiundi studio postponens omnia.* Lib. IX: *Inhiansque toto filiæ patrimonio immunebat.* Lib. XI: *Principi magno, senatuique, & equiti, totoque populo Romano renunciat.* Quibus Godscalcus Stewechius tuetur genuinam Ulpiani lectionem, quæ est in Pandectis Florent. L. Invitus. CLVI. ff. de diversf. reg. juris: *Cùm quis in alii † locum successerit, non est æquum ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit.* Est & in veteri inscriptione, fortassè tamen ab imperita manu:

DATE TER. FRUCTUM UT
TERRA REDDERE POSSIT.
AB ALTERO SPERES
ALTERO QUOD FECERIS

Atque ista quidem in masculinis, & neutris. Par autem ratio in femininis: quemadmodum ostensum nobis lib. II de Analog. cap. III. Mirum verò apud Priscianum in VI, bis idem comprobari, priorique loco corruptè legi loca auctorum omnia, quæ de genere sunt feminino. Ut hoc ‡ Cæcilii in V: *Nullius alius rei, nisi amicitiæ eorum caussa.* Et Afranii illud in Suspectâ:

Adeò ut te satias caperet totius familiæ.

Et M. Catonis Orig. lib. II: *Qui tantisper nulli rei sies, dum nihil agas.* Nam post aliquot paginas*, ubi ea repetuntur, editum est, *aliæ rei*, *totæ familiæ*, *nullæ rei*. Quæ absque dubio vera est scriptura. Nec Prisciani hic ulla culpa, sed librariorum, & qui edidere. Locutus eodem modo dicitur Cornificius ad Herennium lib. IV: *Non rei totæ toti rei necesse est similis fit.* Sed aliter Mssi, & prælo excusi. Sed sic locutus videtur ejusdem ætatis scriptor Cornelius Nepos in Eumene: *Præfuit etiam alteræ equitum alæ.* Idem in Timoleonte: *Otium totæ insulæ conciliavit.* Ita iis in locis quidam Mssi. Etiam Terent. Eunuch. act. V, sc. VI:

Mihi solæ ridiculo fuit, quæ, quid timeret, sciebam.

Et Heaut. act. II, sc. II:

—— Hoc ipsa, in itinere alteræ
Dum narrat, fortè audivi. ——

Imò & Cicero in secundo de Divinatione: *Sed si eâdem horâ aliæ pecudis jecur nitidum atque plenum est, aliæ horridum & exile.*

Etiam *duo*, & *ambo*, pronomina sunt; uti numeralia omnia. Et hæc mistam declinationem habent. Nam juxta secundam habent *duorum*, & *duos*; *amborum*, & *ambos*. Sed secundùm tertiam habent *ambobus*, & *duobus*. Pro *ambos*, & *duos*, etiam *ambo*, & *duo*, inveniri; satis ostendimus libro de analogia secundo, cap. sexto. Solùm addam, veteres in tribus casibus, sed neutro duntaxat genere, etiam *dua* pro *duo* dixisse. Attius apud Ciceronem in Oratore:

Video sepulcra dua duorum corporum.

Posteriores verò id tantùm retinuere in compositione. Fabius lib. I, cap. V: *Quid quod quædam, quæ singula procul dubio vitiosa sunt, juncta sine reprehensione dicuntur? Nam & dua, & tre, & pondo, diversorum generum sunt barbarismi. At duapondo, & trepondo, usque ad nostram ætatem AB OMNIBUS dictum est: & rectè dici, Messalla confirmat.*

Similiter postea Gellius lib. IX, cap. IV: *Nulli aliæ caussæ obnoxia.* Sic constanter Mssi, & editi omnes.

CAP. VII.

De eorum pronominum declinatione, quæ secundam nominum sequuntur. Vocativus singularis meus, *pro* mi; *& mi fortassè, pro* meum; *item vocativus pluralis* mi, *pro* mei. Sis, *pro* suis, *vel* eis; *ut* sam, *pro* eam. *Duzæ correctio Plautina improbatur. Uti & Cameri sententia de Maronis loco. De pronominum compositorum declinatione.* Eccum, eccam, *similiaque, non esse μονόπτωτα, cum legamus in recto,* ecca, *&* eccista. Alterius utrius. *Falli, qui alterutrum in dativo, accusativo, vel ablativo tantum posteriori ex parte putant declinari.*

Diximus de istis, quæ mixtam declinationem habent. Aliquid etiam de illis addamus, quæ sequuntur secundam. Uti est *Meus*; cujus vocativus, tum singularis, tum pluralis, patitur ἀνωμαλίαν. Sed singularis apud posterioris ævi scriptores; pluralis apud antiquos. Nam pro *Mi* (quod non ex *mee*, ut Priscianus* putabat, sed ex *mie*, ab antiquo *mius*, contractum est; ut rectè censent Diomedes †, & Caper ‡) labascente Romani sermonis puritate *meus* dixere. Ita locutus est vetus bibliorum interpres*. Quod culpant aliqui: defendit autem Joannes Filesacus lib. I Selectorum, cap. XIV. Sanè locutus eodem modo vetus interpres B. Irenæi lib. primo adversus hæreses cap. primo:

* In Orthographicis pag. 94.

* Col. 694. & 717.

† Vulg. cod. alicujus.

‡ Editionis Putschianæ col. 694.

* Col. 717. edit. ejusdem.

* Lib. 3, de 3 decl. lin.
† Lib. I de Pronomine.
‡ Lib. de Orthographia.
* Ps. 49. vers. 7. & Ps. 77, vers. 1. sive Hebr. Psal. 78: item Isai. 3, 12, & 26, 20. Jer. 51, 45.

primo: & Tertullianus, qui bis libro adversus Praxeam adfert verba isthæc: *Deus meus, ad quid me dereliquisti?* Eodemque modo Optatus lib. IV †: *Oramus, & cum non vultis, ut dicas unusquisque vestrûm, Pater meus, qui in cœlis es.* Victor Uticensis lib. II ‡: *Curre, Domine meus: vides universos sanctos, quomodo pergunt & festinant hilares ad coronas?* Salvianus epist. VIII ad Eucherium: *Vale, Dominus, & dulcis meus.* Crebrum quoque hoc sermonis genus Sidonio: ut lib. I, epist. IX: *Eia*, inquit, *Solli meus.* Lib. IV, epist. X: *Erumpo in salutationem licet seram, domine meus.* Lib. V, epist. XVII: *Es, Heriphi meus.* Et in Narbone:

† Pene initio libri.
‡ In medio libri.

Marcelline meus, perite legum.

Itaque non est, quòd miremur, hæc apud Charisium legentes, lib. primo Instit. *Scaurus artis Grammaticæ libris addit, quod vocativus singularis generis masculini multos dissidentes etiam nunc generat, ô mi, an, ô meus, facere debeat.* Quod ipsum e Donati * in Ter. commentariis cognoscere. Nos interim cum veteribus illis inculpatæ Latinitatis auctoribus *mi* dicemus, non *meus*. Neque enim illi unquam dixissent, *Domine meus*; sed *Domine mi*. Etsi per Enallagen casûs, sive antiptosin, in vocandi casu non refugerent, *Dominus meus*: nempe eâ ratione, quâ apud Livium † in vocativo est, *populus Albanus*: apud Horatium ‡, *Pompilius sanguis*: apud Persium *, *patricius sanguis*: de quibus in secundâ Nominum diximus. Ita legimus apud Plautum Asinar. act. III, sc. III:

* In Andr. act. 5, sc. 2 & Adel. act. 3, sc. 2.
† Lib. 1.
‡ In Arte.
* Sat. 1.

Da meus ocellus, da mea rosa, da anime mi.

Casinâ act. I, sc. I:

Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea.
Sine amabo ted' amari, meus festus dies,
Meus pullus, passer, mea columba, mi lepus.

Persâ act. V, sc. I:

Sed amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?

Quibus geminum illud Maronis Æn. VI:

Projice tela manu, sanguis meus.

Et imprimis illud Augusti ad Cajum nepotem, apud Gellium lib. XV, cap. VII: *Ave, mi Cai, meus ocellus jucundissimus.* Sanè si *mi* dixisset, etiam maluisset, *ocelle jucundissime*: nunc ut *meus*, ita quoque *ocellus* prætulit. Ac Plautus similiter, vel *mi ocule*, vel *meus oculus*, uti & *meus pullus* ait; non, *meus ocule*, vel *pulle*: quomodo tamen, *Domine meus*, Victorem, Salvianum, Sidoniumque, dicentes audivimus.

Videamus deinceps de plurativo: in quo *Mi* itidem vocandi casu dicebant: ut apud Plautum Cistell. act. IV, sc. II: *Mi homines.* Petronius: *ô mi hospites.* Puto autem, *mi* contractum hîc esse ex *mei*. Cujusmodi compendium in obliquis à *suus* usitatius est. Ut *sis*, pro *suis*. Fuere olim, qui, ut *mis*, & *tis*, usi veteres pro *mei*, & *tui*; ita *sis* statuerent accipi pro genitivo *sui*. Verùm assentio Prisciano, qui ait, *sis* numquam esse genitivum; sed semper poni pro *suis*. In eo tamen nobilem hunc Grammaticum falli puto, quòd scribit, veteres *mis* quidem, & *tis* usurpâsse; at *sis* eò aversatos, ne confunderetur cum *sis* verbo. Nam hæc justa si ratio foret, nec *sis* pro *suis* dicendum esset. At dixit Ennius †:

† Apud Festum, lib. 17.

Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit.

Nec est, quòd de veritate hujus scripturæ ambigamus. Nam & *sos* eodem modo usurpat idem, teste Festo. Versus Ennii est Annalium primo:

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.

Vel potius,

Virgnes nam sibi quisque domum Romanu' rapit sas.

Ut describat Sabinarum raptum, de qua Ennium egisse constat in primo Annalium. Eoque & *rapit*, quàm *habet*, Merula malebat. *Virgines* autem ἀσυναλόγως efferendum, καὶ συνίζησιν, ne sit creticus primâ sede: etsi non ignorem, Gifanium in Lucretiano indice contendere, etiam creticum locum habere in hexametro. Quod si *rapit* placeat, puto quoque non *domi*, verùm *domum*, rescribi oportere. Nec enim domi raptæ, sed cùm certamen spectarent ludorum equestrium: unde eas Romanus quisque domum suam rapuit.

Quod verò de *sas* monuimus, idem in similibus habuit locum. Ita *sis*, pro *suis*, dixit Nævius *: *Sic Pœni contremiscunt artubus: magni metus tumultus pectora possidet.* Audiamus & Cornutum, ut vulgò inscribitur, qui potiùs, ex MSS fide, Helenius Acro dicendus. Is in Persii satyram primam ait: *Sis, pro suis, apud antiquos ponebatur; & Sos, pro suos; Sas, pro suas, detractâ U syllabâ.* Subjungit deinde, *Lumina sis oculis relinquere.* Ubi sine dubio Ennianum illud respexit. Aliàs verò agnoscimus, *sam*, & *sos*, exponi debere, *eam*, & *eos*. Enn. I Annal.

* Apud Calpurnium Pisonem, lib. 1.

Constitit inde loci propter sos dia Dearum.

Et lib. III:

Circum sos quæ sunt magnæ gentes opulentæ.

Item lib. VIII:

Dum censent terrere minis, hortantur ei sos.

Præterea in XI:

Contendunt Grajos: Græcos memorare solent sos.

Quæ Festo debemus: ac putabat Duza, Plautum Asin. act. IV, sc. I, *sorum* itidem dixisse, pro *eorum*. Sed rectum est *eorum*, quod in vulgatis legitur. Error, ut clarissimus Gruterus sagaciter observavit, ortus est ex eo, quòd E, & F, similes sint; unde pro *eorum* scriptum *forum*. Pro *forum* autem *sorum* unde irrepserit, videt quivis. Nihilo rectiùs existimabat Canterus, lib. VI Novarum Lect. cap. XXXVIII, Maronem *sua* κατὰ συνεκφώνησιν unâ extulisse syllabâ, versu istoc:

Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.

Nam, ut alibi diximus, *sua* hîc omnino nominandi casu prolatum.

Extremùm aliquid addamus de declinatione compositorum. Qualia sunt *istic*, & *illic*. Ea non declinantur, nisi casibus in C desinentibus: ut *istic*, *istæc*, *istoc* vel *istuc*, *istunc*, *istanc*, &c. Quæ cum *en*, vel *ecce*, componuntur, usitatè accusandi casum habent; ut, *eccum*, *eccam*, *eccos*, *eccas*, *ellum*, *ellam*, *ellos*, *ellas*; similiterque *eccillum*, & *eccistam*, apud Plautum legimus. Falli tamen, qui nominativo ajunt carere, docebit Plautus, qui *ecca*, & *eccista*, usurpat in nominativo: illud Menæchmis act. I, sc. Ni mala, ubi ait, —— *Hercle ab se ecca exit.* posterius hoc Sticho act. IV, sc. Ita me di bene ament.

Alteruter non tantum apud scriptores priscos *alteriusutrius* facit: sed & Ciceronem, è cujus Protagorâ Priscianus hæc citat verba: *Quæ igitur potest esse indignitas voluntatis ad molestiam, nisi in magnitudine, aut in longitudine alteriusutrius, posita?* Sed & Leonardus Malaspina se apud eundem in compluribus MSS. epist. I, lib. X ad Att. reperisse ait: *Non alteriusutrius partis.* Cave autem verum putes, quod vulgò ajunt, *alteruter*, in *alterutrius*, & *alterutri*, & similibus, ab alterâ tantùm parte declinari. Nam integrum est *alterius utrius*, & eliso S, veterum more, *alteriu' utrius*; ex quo δύφωνίας ergo fecere *alterutrius*. Itidem ex *alterumutrum*, κατ' ἔκθλιψιν, est *alterutrum*. Et sic in aliis. Nonnullis magis placet, *alterutrius* conflari ex *alteri*, & *utrius*. Mihi ob hoc solùm id minùs placet, quia sic fieret ex antiquo genitivo in I, & usitato in IUS. Eoque malo recurrere ad elisionem literæ S in priori parte. Nec aliter de *alterutras* statuo. Sed si nec hoc satisfacit, superest dicamus, *alteruter* nunc ex altera, nunc ex utraque parte declinari. Nunc de genere pronominum agamus.

CAP. VIII.

De genere pronominum. Ego, tu, sui, *malè credi adjectiva.* Mi, *pro* mea, *vel* meum. *Non videri sic locutum Tibullum, etsi id visum Scaligero. At veterem interpretem videri eo usum, licet mutarint juniores.* Quis, *pro* qui. *Et* quisquis, *pro* quæcunque. *Prisciani, vel librarii error.* Ecqui, *&* aliqui, *pro* ecquis, *&* aliquis. Ecqua, *pro* ecquæ, *immeritò improbari.* Cuia vox. Cuiate, vestrate, nostrate, *non videri Latina*, con-

contrà quàm docuit Donatus. Cuiatis, nostratis, vestratis, *in casu nominandi.*

Pronomina penè omnia sunt adjectiva; quæ iccirco, omnis esse generis, consequitur. Sed præter ista quædam sunt substantiva. Ex quibus, *Ego*, *tu*, *sui*, adjectivorum instar omnis sunt generis. Nec desunt, qui inde ipsa etiam adjectiva esse collegerint. In quo planè falsi sunt. Significant enim semper se subsistentem. Ut in istis; *Ego dixi*; *tu ades*; *sui caussâ fecit.* Unum inter pronomina substantivum est, & neutrum; nempe *Quid*.

Olim verò quædam alius quoque generis erant, quàm hodie usurpantur. Nam *Mi*, non utriusque tantùm numeri erat, quod supra ostendimus: sed etiam omnis generis. Sane Appulejus epigramma Platonicum sic vertit apolog. I:

> *Astra vides. Utinam fiam, mi sidus, Olympus,*
> *Ut multis sic te luminibus videam.*

Apud eundem IV Metam. puella à latronibus capta anui subiratæ, & vivicomburium minanti, ait hoc pacto: *Parce, mi parens.* Ac paullò pòst sic anus virginem compellat: *Bono animo esto, mi herilis, nec vanis somniorum figmentis terreare.* Integrè sit, *mi filia herilis.* Item libro VIII, *Umbra*, inquit, *miserè trucidati Tlepolemi quietem pudicam interpellat uxoris: Mi conjux, quod tibi prorsus ab alio dici non licebat*, &c. Vides, ut hic quoque Tlepolemus Charitæ conjugi, *mi*, pro *mea*, dicat. Quare metuo, ne fallatur Sosipater, cùm sic scribit*: *Nec aliud significat in masculino MI, quàm in feminino MEA. Denique in omnibus ferè comœdiis MI ad masculinum dicitur: ad femininum nunquam.* Si enim nunquam sic veteres essent locuti: credo nec ausus fuisset ita loqui Appulejus; quem antiquitatis verba sedulò adeò sublegisse, nemo ignorat. Et credebat propterea Josephus Scaliger, Tibullum ei præivisse istoc lib. I, eleg. VI:

[* Lib. I, cap. de Pronomine.]

> *Vive diu, mi dulcis anus.*

Sed, si Scaligeri editionem excepero, cæteræ, etiam vetusta Regiensis†, habent:

[† An. 1481.]

> *Vive diu mihi, dulcis anus.* ——

Sanè dativi illi, *mihi*, *tibi*, *sibi*, sæpe πλεονάζουσι‡: ut alibi ostendimus. Nec Tibullianum est, dicere, *mi anus*: imò neque cujusquam illius seculi. Vel siquis sic loqueretur, is Varro potiùs, aut alius antiquarius, foret: non cultissimus Tibullus. Sed Appuleji seculo, ac deinceps, complures non refugisse, certissimum est. Quomodo Alexander Severus ad Mammæam, *Mi mater.* Etiam B. Hieronymus epistolâ, quâ Paullam solatur super obitu filiæ Blesillæ: *Testor*, inquit, *mi Paulla*, *Jesum*, *quem Blesilla nunc sequitur.* Quare nolim damnare lectionem antiquam, quæ est in historia Ruth cap. I, vers. XI: *Revertimini filiæ mi.* Quam scripturam retinuit editio Complutensis, item Stephanica anni CIↃ IↃ LVII, ut cæteras optimæ notæ taceam. Etsi non diffitear, in Mso nostro esse *mea*, etiam Venetâ Juntarum, quæ cum notis Isidori Clarii anno prodiit CIↃ IↃ LV. Atque adeò Romanâ* quoque, à Sixto V recognitâ.

[‡ Redundant.]

[* An. 1603.]

Quis olim in feminino quoque usurpatum. Plautus Aulul.†

[† Act. 2, sc. 1.]

> MEG. *Da mihi optima femina manum.* EUN. *Ubi ea est? Quis ea*
> *Est nam optima?*

Quisnam, pro *quanam*. Ac postea:

> *Dic mihi quæso, quis ea est, quam vis ducere uxorem?*

Item Vidulariâ, propè iisdem verbis:

> *Dic mihi, si audes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?*

Citat Priscianus in XIII. Ambigo, utrùm Priscianus errârit memoriâ; an Plautus utrobique eundem prope usurpârit versum. Idem Truculento act. I, sc. I:

> *Sed hæc quis mulier? Astaphium est ancillula.*

Vulgò, *quis mulier est?* Sed metri ratio verbum *est* recusat. Idem Sticho act. I, sc. Tamen fuisse:

> —— *Quis hæc est, quæ adversum it mihi?*

Eoque Scaliger apud Varronem lib. I de R.R. cap. XVIII legit, *Quis itio ad priorem dominum.* Ubi editum, *Requisito ad priorem dominum.* Atque idem apud Varronem lib. VI de L.L. legit, gemino in loco: OLLA VETER ARBOR, QUISQUIS EST. Utrobique vulgò pro *quisquis* est, *quicquid*. *Quisquis* autem feminino etiam genere dixisse veteres, ostendit Nonius ex Livio Andronico, Cæcilio, Pacuvio, & Ennio. Ac Donatus similiter *quisquam* usurpari ait, ad illud Terentii Eun. act. II, sc. III:

> *Quandoquidem illarum neque quisquam te novit, neque scit, qui sies.*

Ubi sic Grammaticus, quem dixi: *Quisquam multis exemplis probatur etiam feminino genere veteres protulisse: ita ut in numeris, & generibus, hæc pronomina infinita sint.* Idem Comicus eâ ipse comœdiâ ait act. IV, sc. IV:

> —— *Hunc oculis suis*
> *Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.*

Quem versum Priscianus adducit lib. XIII, cap. de secunda Pronominum declinatione. Continuò autem præmiserat: *Quis etiam communis esse generis, putaverunt vetustissimi, sicut apud Græcos, ὅστις.* Atqui ὅστις in feminino facit ἥτις. Quare lubens pro eo τίς rescribam: unde *quis* venire est verisimile: uti τίς à Chaldæo די, *qui*.

Fortasse aliquis huc referat, quod Paullus* dicat: *Verbum hoc, SI QUIS, tam masculos, quàm feminas complectitur.* Sed in Jure id tantummodo locum habet, ubi maris, & feminæ functio est: ut in factione testamenti. Eoque nihil necesse sit in testamentis, *qui quæve*, *ille illave*, dicere, quia sub virili sequior sexus comprehenditur. Vide similem locum Ulpian. L. VII. §. I. De jurisdict.

[* L. I. D. de verb. signif.]

Quæstio est inter Grammaticos, utrùm à *quis* venientia, & exeuntia in IS, ut *siquis*, *aliquis*, *ecquis*, *nequis*, tantùm in IS desinant: an ut *quis*, & *qui* dicimus, sic composita hæc utroque modo terminentur, *ecquis*, *ecqui*; *aliquis*, *aliqui*; & ita in aliis. Utroque modo exire, fidem fecerit Plautus Sticho act. I, sc. Famem fuisse:

> *Qui cœnâ poscit? ecqui poscit prandio?*

Ubi *qui*, pro *quis*: *ecqui*, pro *ecquis*. Cicero pro Sulla: *Atque illud etiam addam, nequi fortè incipiat improbus.* Ibidem: *Providi primùm, nequi posset tantum, aut de republica, aut de alicujus periculo meminisse.* In vett. quoque codd. legere est lib. VII, epist. I ad Marium: *Si te dolor aliqui corporis, aut infirmitas valetudinis tua tenuit.* Et apud Cælium ad Cicer. epist. VII: *Ne hunc risum meum metus aliqui perturbet.* Et eâdem: *Cum qua sit aliqui deprehensus.* Gellius lib. XI, cap. XIII: *Dicatque mihi quæso aliqui vestrum.* Paullus lib. II Sentent. *Siqui debitum quocunque modo confessus fuerit.* Utitur quoque Appulejus lib. I, & VI Milesf. ac Tertulliani est de Anima: *Aliqui Chrysippi adsentator.* Multa hujus generis in antiquis sunt codicibus, quæ imperiti librarii mutarunt: quemadmodum inter alios testantur Petrus Victorius Castigat. in Cælii epistolas ad Ciceronem, & Obertus Victorius Ind. Lucret. voce QUI.

Composita à *quis* in feminino pro Æ simplicis, accipiunt A: ut *siquis*, *siqua*, non *siquæ*: *aliquis*, *aliqua*, non *aliquæ*. Sed *ecquis* facit *ecqua*. Virgil. III Æn.

> *Ecqua jam puero est amissæ cura parentis?*

Tamen nec *ecquæ* damnare audemus, etsi id faciant non pauci. Nempe, ad ita sentiendum, compellimur autoritate cùm MSorum, tum excusorum melioris fidei codicum; quos in hoc manu exaratos esse secutos, minimè dubitandum. Sanè apud Ciceronem in Lucullo, ab Aldo quidem, Pauloque Manutio, editum est: *Quid si in ejusmodi cerâ centum sigilla hoc annulo impressero, ecquæ poterit in agnoscendo esse distinctio?* Item lib. I in Verrem: *Statim negotium dat illis suis comitibus nequissimis, turpissimisque hominibus, ut videant, ecquæ virgo sit, aut mulier digna, quamobrem iste Lampsaci diutius commoraretur.* Sed utrobique à Roberto Stephano, item à Sebastiano Gryphio, ac denique à Dionysio Lambino, *ecqua* per A est excusum. Etiam in Vaticano codice locus iste

primæ

primæ Verrinæ *ecqua*, non *ecqua*, habet. Ac Muretus quoque in cōpſe loco Manutiani exemplaris, quod dono ipſius Paulli acceperat, ex *ecqua*, deleto E, fecit *ecqua*: uti, qui codicem eum vidit, Marianus Benedictus * teſtatur. Imò & epiſt. VIII, libro VII ad Att. *Quod quæris, ecqua ſpes pacificationis ſit*: Lambinus *ecqua* reſcripſit, cùm priùs *ecquæ* legi ſoleret.

* Reſponſo ad Orlandum Peſcettam pro Emmanuele Alvarez. pag. 34. & 35.

Etiam inter adjectiva, quæ ſub tribus terminationibus trium ſunt generum, eſt *Cujus, cuja, cujum*. Bœotum ſanè, vel, ſi malis, Oſcum, aut Volſcum, non Romanum fuiſſe, oportuit, qui in Marone, ut in vitâ ejus ſcribit Donatus, vel alius, reprehendit *Cujum pecus*. Nam Plauti eſt Curcul. †

—— quojam vocem audio?

Et Mercatore ‡:

Neſcio cuja vox ad aurem mihi advolavit.

Suntque ſexcenta hujuſcemodi apud eum ſcriptorem.

† Act. 2, ſc. migrare certum 'ſt.
‡ Act. 5, ſc. 2.

Donatus dicendum docet, *Cujate, noſtrate, veſtrate mancipium*; pro, *cujas, noſtras, veſtras*. At nulla eſt ratio, cur exiſtimemus, aliter hæc in neutro genere deſinere, quàm nomina in *as*; in quibus *hoc Arpinas, hoc Sarſinas* dici, antè oſtendimus. Sed quod in nominibus eos fefellit, idem hic induxit in errorem. Nam *cujatis, noſtratis, veſtratis*, olim dixere Caſſius Hemina apud Priſcianum libro VII: *Hos libros ſiquis noſtratis ſapiens*. Ennius *:

Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis,
Quiſquis erit, cujatis erit †.

Plautus Menæchmis ‡:

Rogant cujatis ſit, quid ei nomen ſiet.

Attius Epigono *:

Qui neque, cujatis eſſet, unquam potuimus
Multa rogitantes ſcire.

Verùm ex his neutiquam conſequitur, in neutro dicendum eſſe *cujate*, aut *noſtrate*. Nam cùm terminationem ATIS in AS converterent, ſimul quoque mutarunt genus; ita ut è communibus duûm generum, omnis generis eſſe cœperint.

* Apud Cic. pro Balbo.
† Sive, ut alii malunt, Quiſqui' ſiet, cujati' ſiet.
‡ Act. 2, ſc. Bene obſonavi.
* Apud Nonium in Cujus.

CAP. IX.

De Pronominum Specie, & Figura. Rejicitur Caninii ἐτυμολογία *in* patella, catinus, lepiſta, meus, *&* veſter. *Antiquum* mius, *pro* meus, *atque unde id veniat. Diminutio etiam pronomini accidit.* Valli *duplex ſignificatio. Compoſitio pronominum quinctuplex.* Ubiquiſque. Met meum, *pro* meummet, *an Plautinum.* Mihipte, nepte. *Particulis, quibuſcum componi ajunt pronomina, adjici debere*, pte, piam, dem, dam, *ac fortaſſe* que, *&* quam, *&* cunque. Uterlibet *trifariam ſumitur.* Ubiquæque. Ipſe *unde conflatum.* Eapſe, reapſe. Hanunpiam. Idem *non eſt ex* is, *&* demum. Hildem. Quidam *non ſemper per contemtum dicitur. Geminatio, & additum* cunque, *tantundem valent in quibuſdam provocabulis.* Cum *in compoſitis omiſſum. De compoſitione numeralium, atque ut nunc minor, nunc major numerus, præponatur. Saturnii error.*

SUperſunt ex iis, quæ accidentia Pronominum faciunt, Species, & Figura. Primitiva ſunt *ego, tu*, & ſimilia; quorum pleraque etſi à Græcis accepimus, eò tamen primitiva vocantur, quia in Latio originem nullam habent. At planè derivativa ſunt, *meus, tuus, ſuus*, ſimiliaque: etſi doctiſſimus Angelus Caninius † etiam iſtorum aliqua à Græco fonte derivabat. Ut ab ἐμὸς, *meus*; à σφέτερος, *veſter*; utrunque κατὰ μετάθεσιν *, quâ, inquit, ratione *patella* eſt à λοπὰς λοπάδος. Sed multimodis fallitur. Primùm enim *patella* eſt à *patina*, quod à πατάνη; ut à κάτινος, *catinus*; à λεπαστή, quod apud Athenæum ac Pollucem, Latinis *lepiſta*, genus vaſis aquarii, ut exponit Feſtus. Deinde manifeſtum eſt, poſſeſſiva venire à genitivis primitivorum. Puta à *mei, tui, ſui, noſtri, veſtri*, & *cujus*; *meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, cujus*; item *noſtras, veſtras, cujas*. Atque hinc ratio patet, cur *mius* etiam pro *meus* dixerint veteres. Nam ut à *mei* fecerunt *meus*; ita à *mis* dicebant *mius*. De quo auctores ſunt Soſipater, Diomedes, Priſcianus; qui & Celſum id oſtendiſſe ſcribit. Idem docet his verbis Velius Longus: *Item mius per I* (ſcribendum) *non meis per E, ut Terentius †*:

At enim iſtic nihil eſt magis, Syre, miis nuptiis advorſum.

Ubi nunc in omnibus codd. legitur *meis*, per E.

† In Hellenismi Alphabeto
* Per transpoſitionem literarum.
† Heaut. act 4, ſc. 3.

Nec pronomina omnia derivata vel poſſeſſiva ſunt, vel gentilia: ſed quædam etiam diminutiva. Nam *ullus*, ex quo *nullus*, eſt ab *unulus*, quod ab *unus*, uti hoc ab ἕνος. Nempe eâ ratione, qua à *benus* pro *bonus*, unde *bene*, eſt *benulus*, à quo *bellus*: item à *vinum, vinulum*, unde *villum*: à *varus, varulus, vallus*: aliàque ſignificatione à *vannus, vannulus, vallus*, pro parva vanno.

Compoſitio pronominum eſt quinctuplex. Prima eſt cum nomine. Qualia ſunt, *hujuſmodi, ejuſmodi, illiuſmodi, iſtiuſmodi*.

Altera fit cum pronomine: ut, *iſthic, illic, quiſquis*. Imò huc quoque pertinent, *alteruter, aliquis, unuſquiſque, quotquot, qualiſqualis, undecim, decimusſextus*, vel *ſextuſdecimus*, & ſimilia.

Tertia fit cum verbis: ut, *quivis, utervis, quilibet, uterlibet*. Quorum poſtremum tum per optionem quandam ponitur, ut apud Ciceronem pro Quinctio: *Utrumlibet elige; alterum incredibile eſt, alterum neſarium; & ante hoc tempus utrumque inauditum*: tum citra eam, ut in illo Livii: *Eos eſſe conſules, quorum utrolibet duce, bellum Etruſcum geri recte poſſit*: tum copulativè, pro *uterque*, ut in hoc Fabii lib. IX: *Nihil refert, quomodo appelletur utrumlibet eorum*. Iiſdemque modis uſurpatur *utervis*; ut docet Saturnius lib. V, cap. XXXII.

Quarta compoſitio fit cum adverbio: quomodo ab *ecce* veniunt, *eccum, eccam; eccos, eccas; ellum, ellam; ellos, ellas*. Item à *ne*, pro *non*, eſt *neuter*. Ab *ubi* eſt *ubiquiſque*: quod Maro uſurpat VII Æn.

—— Io matres audite ubiquæque Latinæ. pro *quæcunque*.

In vulgatis Virgilii codd. legitur *quæcunque*: quod ex interpretatione irrepſiſſe videtur in contextum. Sanè Priſcianus *ubiquiſque* dici, eo ex loco probat: ac Pierius teſtatur, *ubiquæque* legi in Mediceo, & omnibus Vaticanæ bibliothecæ libris.

Etiam nobiles Grammatici huc referunt *idem*: quod conflatum ajunt ex *is*, & *demum*: ſed ſignificatio reclamat. Quare cum Rhemnio Palæmone * ſtatuimus, potius eſſe ex *is*, & ſyllabicâ adjectione, *dem*: de quâ inferiùs dicam.

* In Arte Grammatica de Pronom.

Quincta fit cum præpoſitione per Anaſtrophen: ut, *mecum, tecum, nobiſcum, quicum*: quæ Donato quidem ſunt adverbia perſonalia; ſed Diomedi, ac Priſciano, rectiùs, ob partem principem, inter pronomina referuntur.

Sexta fit cum conjunctione: ut, *quiſque, uterque, ecquis*. Nam T in C abiit. Quamquam Priſcianus malit, C eſſe ex N; ut integrum ſit, *en quis*.

Septima fit cum ſyllabicâ adjectione, ſive, ut Priſcianus † vocat, epectaſi: fortaſſe *poſtpoſitionem loquelarem* novè, at non ineptè, appelles; quomodo, *re, di, ſe*, & ſimiles, vocant *præpoſitiones loquelares*. Particulas tales vulgò recenſent quinque. Eas priùs commemorabimus: pòſt alias illis adjiciemus.

† Lib. 5, ubi de Que in Uterque agit.

Prima eſt *met*: quod vulgò perſuaſum eſt, non aliis apponi, quàm tribus his, *ego, tu, ſui*. Sed ſcrupulum injicit locus Plauti Curcul. act. V, ſc. II:

—— Tanquam met genium meum.

Prout locus is à Rob. Stephano adducitur in Theſauro ‡, ac legitur in editione Plauti Venetâ, quæ cum variorum notis ante ſeculum, & amplius, prodiit *, item aliis antiquis; imò & quam Camerarius recenſuit, ut Paræanam taceam.

‡ Voce Met.
* An. 1518.

Ita *met meum* κατ' ἀναστροφὴν ponetur, pro *meummet*. Verùm in pleriſque Mſſis reperitur:

—— Tanquam me, & genium meum.

Quæ sine dubio genuina est lectio. Maluere aliqui:

—— *Tanquam me genius meus.*

Sed libris omnibus invitis: à quibus non temere recedendum. Et quàm proclivis lapsus, ut librarii ex *me &*, facerent *met?*

Interdum autem *met* redundat. Seneca in Agamemnone act. IV, sc. I:

A. *Secura vive.* C. *mors mihi est securitas.*
A. *Nullum est periculum tibimet.* C. *At magnum tibi est.*

Et Oedipo, act. IV, sc. III:

SE. *Noscisne memet?* P. *Dubitat anceps memoria.*

Et Hippolyto, act. II, sc. II, vers. ult.

Tuu en, alumna, temet Hippolytus tenet.

Sed fortasse hoc metri necessitati, aut labanti tribuendum Latinitati.

Altera loquelaris particula est TE: quæ secundæ tantùm personæ jungitur, *tute, tete.*

Tertia est CE: ut, *hicce, hujusce, hisce, hosce; ejusce, istiusce, illiusce.*

Quarta est PTE: quæ non tantùm jungitur pronominibus possessivorum; ut, *meapte, vestrapte:* sed etiam primitivis; ut, *mihipte:* quomodo Catonem locutum, ait Festus Pompejus: item *mepte*, pro *me ipsum*, apud Plautum Menæchmis act. V, sc. VIII:

—— *Cui certissimum'st,*
Mepte potius fieri servum, quam te emittam manu.

Eandem vocem clarissimus, & amicissimus Meursius restituit Plaut. Asin. act. III, sc. III.

Quinta est CINE; quæ additur pronomini Hic; sed iis duntaxat casibus, quæ in C terminantur: ut, *hiccine, hunccine, hanccine, hoccine, haccine.*

Atque hæ sunt particulæ, quibuscum pronomina componi, etiam Grammaticorum vulgo, atque adeò iis, qui necdum ære lavantur, notum est. Nunc istis quatuor alias adjungemus.

Sexta igitur esto PSE: ex qua, & provocabulo *is*, conflatum est *ipse*. Integrum esset *ispse:* sed, sibilo omisso, *ipse* dicimus ob εὐφωνίαν*. In feminino provocabulum integrum remansit: nam ab *ea*, & *pse*, est *eapse*; quod idem est ac *ipsa*. Usus eo Plautus Mil. Glor. act. II, sc. I: & Festus quoque † auctor est, Scipionem Africanum, cùm pro æde Castoris diceret, eo modo locutum. Verba Scipionis, juxta Scaligeri restitutionem, sunt ista: *Quibus de hominibus cum ego sæpe, atque in multis locis, operâ, factis, consiliis, reque eapse bene meritus siem.* A *re*, & *eapse*, est *reapse:* quod nec Cicero refugit in primo de Divinatione, & epistolâ ad Papirium Pætum, quæ est decimaquinta libri IX.

* Sonum meliorem

† In Reapse.

Septima est PIAM: ut, *quispiam, quempiam.* Etiam cum *Hic* componitur. Claudianus Mamertus lib. II de statu animæ initio capitis duodecimi: *Igitur quamquam nonnullus locorum sit, ubi harumpiam scripturarum testimoniis usus sim.*

Octavum locum damus adjectioni syllabicæ DEM: ut, *idem, ejusdem.* Quod cùm à *demum* venire, ajunt Priscianus, & alii, planè falluntur, ut diximus. Ac vel eo refelluntur, quod similiter dicamus, *tantumdem, totidem, pridem.* Imò fortasse dativus quoque pluralis provocabuli *hic* sibi *dem* adsciscit, ut sit *hisdem:* quod in antiquis codd. crebrum est. Ita, ut observavit Carrio ad librum II Val. Flacci, in Bustidiano codice, atque aliis plerisque veteribus, scribitur secundo Æneidos:

—— *Et sedibus hæret in hisdem.*

Siquis tamen malit *isdem*, pro *iisdem* non multùm repugnabo.

Nona nobis est DAM. Ut enim à *dem* est *idem*, pro *isdem:* ita à *dam* est *quidam*, pro *quisdam.* Ac ponitur hæc vox sæpius in contemtum. Nec semper tamen, ut pàret illo Quadrigarii lib. IX, cap. XIII: *Id subitò perditum est cuidam T. Manlio, summo genere nato.* Et plura similia occurrunt.

Undecima fortassis addi possit, *QUE:* ac duodecima, *QUAM:* ut, *quisque, quisquam.* Nec enim vel *que* in illo naturam conjunctionis sapit; vel *quam* in hoc vim habet provocabuli, aut adverbii. Par ratio est in *plerique.* De quo assentientem habeo Priscianum in quinto. *Nihil aliud*, inquit, *est in hoc nomine QUE, nisi syllabica epectasis: quomodo CE in quibusdam pronominibus, & adverbiis. Nam & plerus, plera, plerum, & plerusque, & pleraque, & plerumque, idem significant.*

Decimamtertiam similiter statuere fortasse liceat CUMQUE. Quod componitur cum *quis, qualis, quantus, quot.* Quemadmodum & hæc ipsa in compositione geminantur. Utroque autem modo generalitas significatur: prout Priscianus monet in XVII. Ita nihil refert, utrùm dicas, *quisquis*, an *quiscunque*; *qualisqualis*, an *qualiscunque*; *quantusquantus*, an *quantuscunque.* Terentius Adelphis*:

Tu, quantusquantus es, nihil nisi sapientia es.

* Act. 3. sc. 3.

Ubi Donatus interpretatur *quantuscunque.*

Sic *quotquot*, vel *quotcunque.* Priori ita usus Horat. lib. II, sat. VII:

—— *Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.*

Similis vis in adverbiis. Quale, *utut*, vel *utcunque.* Terent. Phorm.† *Utut erant alia.* Item *ubiubi*, vel *ubicunque*; *undeunde*, vel *undecunque*; *quaqua*, vel *quacunque.*

† Act. 3, sc. 1.

Ibidem monet Priscianus, interdum *cum* syllabam omitti. Ut *quisque*, pro *quiscunque*; *qualisque*, pro *qualiscunque.* Et similiter in adverbiis, *quoque*, pro *quocunque*; *quaque*, pro *quacunque*; *quandoque*, pro *quandocunque.*

Ad provocabula quoque, non ad nomina pertinent, quæ numerum ordinemve significant. De plurium numerorum compositione, non unus est alterque scrupulus. Priscianus libello de Ponderibus ita numerare jubet: *decem, undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sedecim, decem & septem, decem & octo, decem & novem, viginti.* Apud Suetonium tamen in Nerone legitur, *septendecim*, itemque in Ciceronis Verrinis: *octodecim* quoque, & *novemdecim*, scribitur in Eutropii breviario. Verùm suspicatur Elias Vinetus, librarios, cùm numeros notis comprehensos invenissent, suo more integros extulisse. Illud quidem extra controversiam poni debet, sæpiùs in antiquis codd. inveniri *decem & septem, decem & octo, decem & novem*, quàm *septendecim, octodecim, novendecim:* quæ sola nunc vulgò sunt in usu.

Idem Priscianus jubet dicere, *decimus & tertius, vel tertiusdecimus*; *decimus & quartus*, vel *quartusdecimus*; *decimus & quintus*, vel *quintusdecimus*; atque ita in aliis, usque ad *vigesimus.* Negari tamen nequit, in probatis quoque autoribus inveniri *decimustertius, decimusquartus, decimusquintus*, &c. Interim, quòd facilis in his esse potuerit librariorum lapsus, quandoquidem, ut dicebamus, numeros nunc integros, nunc notis scripsêrint: tutiùs cum Elia Vineto judico, Priscianum hàc in parte sequi, quàm codices vulgatos. Nec caussa est, cur de *septimusdecimus, octavusdecimus, nonusdecimus*, magis dubitemus, quàm de *tertiusdecimus.* Nam Ciceronis est in Cluentianâ: *Sententia septimadecima accederet.* Plinii lib. X: *Namque octavodecimo die excludunt.* Et Taciti est lib. XIII Annal. *Cum nonodecimo ætatis anno Cæsar Octavius civilia bella sustinuerit.* Sed hæc non minùs ad σύνταξιν, quàm huc pertinent. Ut enim *quartusdecimus* vox una censeatur: tamen *quartus & decimus*, oratio est.

Exspectet fortasse aliquis hic quoque nonnulla de erroribus, qui in gentilibus committuntur; quandoquidem Saturnius, in mediâ provocabulorum doctrinâ, tribus capitibus* de iis tractat. Verùm non quia ad provocabulum *cujas* respondetur *Arpinas*, aut *Corinthius:* iccirco hæc quoque provocabula dicenda sunt; non magis sanè, quàm provocabulum est *bonus*, aut *magnus*; quæ respondemus ad provocabula, *qualis*, & *quantus.* Quare iis contentus, quæ de Gentilibus in Nomine diximus, transeo nunc ad Participium.

* Lib. 5, cap. 17, 18, 19.

CAP.

Cap. X.

De PARTICIPIO. Definitio ejus, & ὄνομα, atque ut à Stoicis appelletur. Qui primi à Nomine, & Verbo distinxerint. Quo respectu vel participium pronomini, vel pronomen participio, possit præponi. Angeli Decembrii error. Multa participiis similia, vera participia non sunt. Ut Verba participium habeant vel nullum, vel unum, vel duo, tria, aut quatuor. De significatione participiorum. Volens, *pro eo, quod volumus; ut* evidens, *quod clarè videmus;* volvens, *quod volvitur. Participia passivæ vocis, sed activæ significationis. Neutra supini expertia, non item participii. Terminationibus tribus præteritorum additur quarta, US purum. Refelluntur, qui mortuus participiis excludunt. Uti quoque, qui participium præteritum, & futurum in RUS, à posteriori, quàm priori supino, deducere maluerunt.*

PARTICIPIUM Comminiano apud Charisium definitur, *pars orationis cum tempore & casu.* Ubi, *cum tempore*, est, cum adsignificatione temporis. Nam nomen etiam tempus significat: ut *hora*, *dies*, *mensis*, *annus*. Sed hæc primaria ejus significatio est. At participium commune illud habet cum verbo, quòd tempus προσσημαίνει †, ut loquitur Philosophus περὶ ἑρμηνείας *. Quare clarior definitio erit: Participium est vox variabilis per casus, significans rem cum tempore. Nam cum verbo in eo convenit, quòd tempus consignificet: sed discrepat ab illo, quòd casibus varietur. Cum nomine commune habet, quòd varietur per casus: sed differt eo, quòd tempus adsignificet. Ut igitur mulus asini, & equæ; hinnus equi, & asinæ, unde generatur, participat indolem: ita hujus classis omnia, & nominis, & verbi, participant naturam: unde & meritò *participia* nominantur.

† *Adsignificat.*
* *De interpretatione.*

Ex quibus etiam liquet, etsi Stoici non separent participium à nomine, aut verbo; sed, Prisciano teste, vocarint illud *nomen verbale*, vel *modum verbi casualem*: tamen juniores meritò distinxisse. Quorum primus fuit Trypho: eum secutus Apollonius, maximus Grammaticæ artis auctor: ut idem Priscianus de utroque testatur. Hæc naturæ convenientia cum nomine & verbo, fecit, ut Priscianus, qui ubique se Apollonium sequi profitetur, tertio de participio egerit loco; quartum verò pronomini adsignarit. Et sanè cùm pronomen alterius solùm obeat vices (nam ut nomen rei, ita pronomen nominis nota est) videri possit, vel omnibus debuisse orationis partibus postponi; vel ut sanè ob dignitatem particulis præponeretur, non tamen collocari potuisse ante participium, quod primò rem significat. Nos aliter hæc consideravimus. Nomini, & verbo, principem locum adsignamus, quia omnium consensu præcipuæ sunt orationis partes: particulis postremum, quia primariis famulantur. Medii ordinis sunt pronomen, & participium; ex quibus, quo jure nomen præit verbo, eodem pronomen anteit participio. Nam pronomen nominis solùm vices obit: participium verò verbi ferè locum supplet. Nam uti dico, *Socrates philosophatur*: ita aio, *Ille est philosophatus*.

Sunt viri eruditi, qui negant, verum esse, quod dicebamus, participia adsignificare tempus, & eo differre à nominibus. Nam (ut Grosippus contendit) *nullum participium est certi ac definiti temporis, cum omnia omnibus temporibus deserviant. Ut præsenti: Sum amans, amaturus, amatus, amandus. Præterito, Fui amans, amaturus, amatus, amandus. Futuro, Ero amans, amaturus, amatus, amandus.* Aliquid diceret vir doctissimus, si nihil referret, cujus temporis participium verbo adderetur. Nunc significatio non minùs variat ex participio, quàm verbo. Nam ex verbo quidem, non ex participio, variat tempus, cùm dico, *sum amans*, *fui amans*, *ero amans*. Item in his, *sum amaturus*, & *fui amaturus*. Sed ex participio, non è verbo, est varietas temporis in istis: *sum amans*, *sum amatus*, *sum amaturus*, *sum amandus*. Nam verbum est ejusdem temporis: & tamen diversum signatur tempus: quod unde, nisi è participio tempus definiente? Sic aliud tempus notat, *Socrates est philosophans*; aliud, *Socrates est philosophatus*; aliud *Socrates est philosophaturus*. Nec mirum, verbum præsens triplicis temporis participiis aptari. Nam, ut philosophi docent, solum præsens propriè est: præteritum non est, sed fuit: futurum non est, sed erit: nec de præterito quicquam verum est, nisi quia potuit in præsenti, cùm res fieret, dici, *est*: nec de futuro quicquam verum, nisi quia dici aliquando poterit, *est*: Quare proprius imprimis sermo, *Socrates est philosophans*. Sed dicitur quoque, *Socrates est philosophatus*: quia de philosophato dici antea potuit, *est philosophans*. Ac similiter dicitur; *est philosophaturus*: quia postea dici poterit, esse philosophantem. Interdum autem tum ex verbo, tum ex participio, tempus definitum cognoscitur: ut *philosophatus fui*: ubi præteritum præterito jungitur. Item, *philosophatus ero*: ubi futurum additur futuro. Quod si verbum præteritum societur participio temporis futuri, duplex tempus indicatur. Ut, *fui amaturus*. Parque ratio, si verbum futurum addatur participio temporis præteriti: ut, *ero amatus*. Quomodo Cicero ait: *Scipionis amicitiam, & Lælii, notam posteritati fore*. Item Cæsar: *Commissum cum equitatu fore prælium videbatur*.

Participia omnia à verbis originem capiunt, ideoque participium non est *fretus*. Nam fallitur cum multis Angelus Decembrius, qui lib. III de Politia literaria, c. XXVIII, id participium esse vult à *fruor*. Falluntur item omnes illi, qui participia faciunt, *præditus*, *prægnans*; multaque habitum significantia, ut *pileatus*, *tunicatus*, *galeatus*, *chlamydatus*; aliaque id genus, ut *columnatus*, *virgatus*, &c. Augustinus Saturnius * ea vocat participialia: verùm, non quia ementiuntur participiorum naturam, participialia dici meruerunt: sed illis solùm hoc nomen convenit, quæ è participiis in nomina transierunt.

* *Lib 6, cap. 16.*

Sunt autem & quæ veniant à verbo, nec tamen participia sint. Sic *solens*, quo usus Plaut. Amph. † & Epidico ‡, nomen potiùs videtur. Idemque de *iratus*, *mæstus*, & aliis quibusdam, judicium esto.

† *Scenâ, qui me alter.*
‡ *S. Tamen.*

Porrò licet omnia participia oriantur à verbo: non tamen par omnium verborum fœcunditas, sed quibusdam nullum est participium: ut à *fio*, quod non magis *fiens* habet, quàm *fiendus*; etsi prius illud Diomedes probet. Quædam unicum habent; ut, *furo*, *furens*; *reor*, *ratus*. Aliqua duo; ut prope omnia activa, & passiva, ac maximam partem neutra, præter neutropassiva. Alia tria; ut, *gaudeo*, *gaudens*, *gavisus*, *gavisurus*: *proficiscor*, *proficiscens*, *profectus*, *profecturus*. Quædam quatuor; ut, *amplector*, *amplectens*, *amplexus*, *amplexurus*, *amplectendus*.

Et activorum quidem participia ἀναλόγως significationem habent activam; passivorum participia, passivam; neutrorum, neutralem. Tamen participium *volens* passivè usurpat Sallustius lib. IV Hist. ubi *Volentia verba*, id est, *placentia* dixit, interprete Nonio. Sic *evidens* passivam habet significationem. Etiam *volventia plaustra* passivè usus Maro. Et similia quædam inferius adducemus; cum de præsenti participio passivorum dissertabimus.

Contrà passivæ etiam vocis participia significant actionem: ut *circumspectus*, qui circumspicit; *consideratus*, qui considerat; *profusus*, qui profundit; *cautus*, qui cavet; *tacitus*, qui tacet; *suetus*, qui suevit; ac par ratio in compositis, *adsuetus*, *consuetus*, *insuetus*. Similiaque *argutus*, *falsus*, *disertus*. Cujusmodi pleraque omnia nominum naturam induerunt.

Quodque neutra diximus ἀναλόγως habere significationem neutralem, id etiam locum habet in neutropassivis: ut sunt *solitus*, & *ausus*; quæ etsi terminationem habent passivorum, activam tamen retinent significationem.

Vulgò participium in *rus* à supino formant. Quædam tamen

tamen neutra supino destituuntur, non item participio. Ut *metuo*, *sileo*, *ambigo*, atque alia. Maro XII Æn.

Nuncius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haut placitura refer.

Ovid. XIII Met.* [* Vers. 590.]

—— *Non ut delubra, diesque*
Des mihi sacrificos, caliturasque ignibus aras.

Stat. VII Theb.† [† Vers. 777.]

—— *Haut vetito nudus jaciture sepulchro.*

Nociturus qui hæc inter reponat, fallatur; non quia Latinè non dicatur (nam usurpat Tacitus I histor.) verùm quia & supinum in usu est. Julii enim Cæsaris est lib. V belli Gallici: *Ipsi vero nihil nocitum iri.* Cujus exemplo etiam B. Augustinus sermone de S. Cypriano (quem Possidius etiam in Indiculo, ut genuinum agnoscit) his verbis usurpat: *Non sancto Cypriano aliquid nocitum est.* Magis idoneum exemplum est *moriturus*. Item præteritum *mortuus*, quod ἀναλόγως *moritus* foret, si agnosceret supinum. Ex *moritus* autem κατὰ συγκοπὴν *mortus*, pro quo κατ' ἐπένθεσιν *mortuus*, ut *alituum* pro *alitum*. Atque hinc liquet, tribus præteritorum terminationibus TUS, SUS, XUS, etiam quartam jungi debere: nempe US purum. Nam falluntur, qui *mortuus* esse participium negant, cùm varietur per casus, & cum re tempus significet.

Participium præteritum, ac futurum in RUS, vulgò formari ajunt a posteriori supino: ut *amatus*, & *amaturus*, ab *amatu*; *dictus*, & *dicturus*, à *dictu*. Sed *secutus*, & *secuturus*, non sunt à *secutu*: quia deponentia carent posteriori supino. In caussâ est, quòd posterius supinum habeat significationem passivam. At deponentia, etiam in participio præterito, ac futuro in RUS, activè significant. Quocirca ut præceptum esset καθολικὸν*, rectiùs dixissent, & præterita, & futura in *rus*, venire à supino priori. Ita *secutus*, & *secuturus*, sunt à *secutum*; *amplexus*, & *amplexurus*, ab *amplexum*. Quia autem utrumque hoc tempus à supino venit; eò quæ supino carent, fere etiam carent participiis, quæ inde formantur: uti diximus. [* Universale, ac perpetuum.]

CAP. XI.

Multa eorum, quæ deponentia vocantur, præterita in TUS passive accepta. Participia in DUS sæpius officium significare. Interdum tamen non officium notare, sed aliquid futurum: eoque falli, qui participiorum numero eximunt.

Superest particulatim dicamus de communibus, & deponentibus.

Ac communium quidem præsentia, futuraque in *rus*, significant actionem: ut *tuens*, & *tuiturus*. At futura in *dus* passionem notant: ut *tuendus*. Præterita autem utrumque: ut *tuitus*.

Sola deponentium futura in *dus* notant passionem: ut *sequendus*. At tam præterita, quàm futura in *rus*, actionem signant: ut *secutus*, *secuturus*.

Nec tamen hæc perpetua sunt. Nam præterita in *tus*, aut *sus*, ut de iis priùs dicam, non rarò passionem significant: nempe quia communia olim fuerunt. Hujusmodi, inter alia, sunt, quæ literarum serie subjecimus.

Adeptus. Cicero in Catone: *Senectutem ut adipiscantur omnes optant: eandem accusant adeptam.* Ovid. IV Trist. el. VII:

Ne cadat, & multas palmas inhonestet adeptas.

Aggressus. Justinus lib. VII: *Facillimis quibusque aggressis.* De bellis sermo.

Comitatus. Cic. II Catil. *Illud etiam molestè fero, quod ex urbe parum comitatus exierit.* Ovid. I de Arte:

—— *Populo per me comitata placebat.*

Commentatus. Q. Cicero ad Tironem lib. XVI, epist. XXVI: *Diu & multis lucubrationibus commentatâ oratione.*

Commentus. Appius Cæcus apud Priscianum: *Amicum cum vides, obliviscere miserias; inimicus si es commentus, nec libens æqua.* Commentus, πεπλασμένος. Ovid. VI Met. fab. VII:

Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat.

Complexus. Cicero pro Roscio Amer. *Quo vero maleficio scelera omnia complexa esse videantur.*

Conatus. Cæsar. I bell. Gall. *Perfacile facta esse probat conata perficere.* Livius lib. XXXIV: *Ne literæ interceptæ conata palam facerent.* hoc est, tentata.

Confessus. Cicero V Verr. *Confessa res, & manifesta.* Quinctil. lib. V, cap. IV: *Est & assumtio interim confessa.* In XII Tabb. *Æris confessi, rebusque judicatis XXX dies justi sunto.*

Consolatus. Justinus lib. XXII: *Sic consolatis militibus, universas naves incendi jubet.*

Deprecatus. Idem lib. VIII: *Deprecati belli promissio.*

Despicatus. Terent. Eun. act. II, sc. III:

—— *Illis crucibus, quæ nos, nostramque adolescentiam*
Habent despicatam. ——

Dimensa. Vide Mensa.

Eblanditus. Ut *eblanditæ preces*, apud Plin. in Panegyrico:

Execratus. Horat. Epod. od. XVI:

Eamus omnis execrata civitas.

Exsecutus. Justinus lib. VII: *Brevi tempore, exsecuto regni imperio.*

Exorsus. Virgil. X Æn.

—— *Sua cuique exorsa laborem,*
Fortunamque ferent.

Interpretatus. Cic. lib. II de Legg. *Vesta quasi focus Urbis, ut Græco nomine est appellata: quod nos prope idem Græcum interpretatum nomen tenemus.*

Lamentatus. Silius lib. XIII:

—— *Quàm sunt tua fata per Urbem*
Lamentata diu!

Largitus passivè accipi, ait Robertus Stephanus, apud Plinium lib. XVII, cap. XI. Ubi ille, *Mago ante annum præfodere scrobes jubet, ut solem pluviasque combibant: aut si id conditio largita non sit, ignes in medio fieri ante menses duos, nec nisi post imbres in his seri.* Locum integrum apposui, ut pareat omnino accipi activè. Sed Sallustium passivè dicere *dilargitus*, ostendimus alibi*. [* Lib. 3 de Anal. cap. 6.]

Machinatus quandoque sumi passivè, probant istoc Livii lib. XXIV, in descriptione obsidionis Syracusanæ: *Turres contabulatas, machinataque alia, quatiendis muris portabant.* Quomodo & Calepinus legit. Sed in melioribus libris est, *machinamentaque*.

Mensus. Cic. lib. II de Nat. Deor. *Spatia mensa, quia conficiunt cursus Lunæ, menses vocantur.* Idem in Catone: *A quo essent illa dimensa, atque descripta.* Virg. III Æneïd. —— *Phœbumque remenso*

Hortatur pater ire mari, veniamque precari.

Mentitus. Cicero ibidem: *Mentita, & falsa, plenaque erroris.*

Virgil. II Æneïd.

—— *Primi clypeos, mentitaque tela*
Agnoscunt.

Mercatus. Plin. lib. XXXVII, cap. II: *Alius hic furor, H-S CL. M. trullam unam non ante multos annos mercatam à matre familias, nec divite.* Scio, esse in aliquibus, *mercatâ matrefamilias*. Sed optimi quique, ac prope omnes, vel habent, ut retuli: vel, ut est in veteri Parmensi*, *Trulla una mercata à matrefamilias.* [* An. 1476.]

Meritus. Plin. lib. VII, cap. XXVIII: *Quas Trebia, Ticinusque, aut Thrasymenus, civicas dedere? qua Cannis corona merita?*

Opinatus. Cic. I Academ. Quæst. *Improvisa, nec opinata nobis.* Imò compositum *inopinatus* nunquam aliter sumitur.

Pactus. Horatius lib. III, od. III:

—— *Ex quo destituit Deos*
Mercede pactâ Laomedon.

Sic

Sic *pacta conventa*, sine copula, apud Cic. lib. II de Orat. & apud Jurisconsultos passim: atque interdum cum copula; ut apud Cic. pro Cæcina: *Aut pacti & conventi formula.* Et Sen. de Benef. cap. XV: *Nec pacta conventaque impressis signis custodirentur.* Estque inscriptio, *de pactis & conventis*, apud Paullum lib. I Sentent. Tit. I.

Pollicitus. Ovid. I de Arte:

Pollicitis dives quilibet esse potest.

Et alibi:

Exige polliciti debita jura thori.

Populatus. Livius lib. XXXVII: *Omnis ora maritima depopulata ab Achæis erat.* Et lib. V: *Ab his ager est depopulatus.*

Professus. Ovidius lib. III Am. el. XIII:

Solaque deformem culpa professa facit.

Seneca Medeâ:

Professa perdunt odia vindictæ locum.

Testatus. Cicer. II Verr. *Res ita notas, ita testatas.* Plin. lib. VIII, cap. XL: *Actis populi Rom. testatum.*

Præter ista, quæ jam vidimus, (quorum aliqua superiori etiam libro † allata, sed nunc aliis firmata testibus) multò quoque plurima sunt, quæ nunc omisimus; idque non aliâ de caussâ, quàm ne actum ageremus. Nam sufficere posse arbitror, quæ de participiis hisce exposuimus; cum in deponentibus passive acceptis versaremur. Ubi ostensum nobis, passivè etiam inveniri, *abominatus, adminiculatus, adortus, adulatus, aggressus, amplexus, arbitratus, architectatus, auxiliatus, blanditus, carnificatus, cavillatus, complexus, consecutus, dignatus, ementitus, enixus, frustratus, furatus, hortatus*, cum compositis *adhortatus, exhortatus*; *jaculatus, molitus*, sive compositum *immolitus, meditatus, metatus, moderatus, modulatus, nactus, orsus, percontatus, populatus, stipulatus*, sive *instipulatus, velificatus*, nisi hoc à *velifico* esse malis, *veneratus, usus* cum composito *abusus*.

† Cap. 6.

Est verò ubi simplex quidem activè semper accipiatur: compositum autem semper passivè. Fit hoc in *ultus*, & *inultus*. Quod videas etiam usu venire in neutris. Nam *ausus* activum est; *inausus*, passivum.

De præteritis satis. Futura in DUS passivè accipi solere, planè est pervulgatum. Hujusmodi sunt *ulciscendus* *, *obsequendus* †, *adipiscendus* ‡, *precandus* *, & plurima id genus, quibus propterea non insistam. Sed magis hoc insolens in iis, quæ non tam activam, quàm neutralem, sive absolutam significationem habent. Quomodo Paullus L. XIV. D. de injuriis, ait, *Cùm de jure finiendo agatur.* Et Ulpianus L. XXXIII. De rebus auctoritate judicis possidendis, vel vendendis: *Si pupillus ex contractu suo non defendatur, ideoque bona ejus creditores possidere cœperint: diminutio ex his bonis fieri debet, vescendi pupilli caussa.* Hoc est, alendi.

* Porc. Latro declamat. in Catil.
† Gell. lib. I, cap. 13.
‡ Idem lib. 18.
* Auson Ephemeride.

Verùm, quæ hac de re diximus, planè alius sint loci, si illa in DUS participia non sunt; uti quorundam est sententia; qui nec ratione destitui videntur. Nam censent, istiusmodi potiùs esse nomina, eò quòd non tam tempus significent, sive præsens, sive futurum; quàm officium ac necessitatem. Nec mediocriter illud sententiam eorum juvat, quòd exponantur per *debet*, aut *oportet*. Ita dixit Cicero pro Fonteio: *Orandus erit nobis amicus meus Pletorius.* Et eâdem: *Si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit C. Marius.* Longè verò clarissimè id perspicere est ex illo magistri Herenniani loco lib. III: *Justitiæ partibus utemur, si aut innocentum, aut supplicum dicemus misereri oportere: si ostendemus, bene merentibus gratiam referri convenire: si demonstrabimus, ulcisci male meritos oportere: si fidem magnopere censebimus conservandam: si leges & mores civitatis egregiè dicemus servari oportere: si societates atque amicitias studiosè dicemus coli convenire: si quod jus in parentes, Deos, patriam, natura comparavit, id religiosè colendum demonstrabimus: si hospitia, clientelas, cognationes, affinitates, castè colendas esse dicemus: si nec prece, nec pretio, nec gratiâ, nec periculo, nec simultate, à viâ rectâ ostendemus deduci oportere: si dicemus, in omnibus jus æquabile statui convenire.* Ex hoc loco, vel cœco pareat, illa in DUS significare officium. Quis autem nescit, participia necessariò significare tempus? Quare, quæ in DUS desinunt, videri possint nomina potiùs esse, quàm participia. Sensit hoc Augustinus Saturnius lib. VI, cap. ult. item præstantis judicii vir, Emmanuel Alvarus, extremo cap. de Constructione gerundiorum. Sunt tamen, quæ scrupulum injiciant. Nam quid si dicamus, ita officium signare, ut simul notent tempus futurum? Accedit, quòd officium non significatur illo Ciceronis pro Sexto Roscio Amerino: *Quomodo occidit? ipse percussit, an aliis occidendum dedit?* Adhæc dici nequit, officium tum notari, quando vel præsens liquidò indicant; cujusmodi aliquammulta inferiùs commemorabimus: vel futurum, ut cùm Gellius ait lib. III, cap. X: *Ad homines quoque nascendos.* Pro quo Porcius Latro in declamatione sua *nascituros* dixit. Video esse, qui * Gellianum illud respuat, ut propè barbarum. Sed Gellius nihil dixisset sine veterum auctoritate: ut sciunt, qui subacto sunt in istis judicio. Et Varro prior usus, imò & Silius. Denique liquet ex gerundiis: ut hoc ejusdem Gellii lib. XVIII, cap. VI: *Nomine non adepto jam, sed cum spe, & omine, jam adipiscendi.* Quid apertiùs, quàm *adipiscendus*, hic futuri esse temporis; nec significare, quid fieri oporteret, sed quid fore speraretur? Aliaque ejus generis apud alios invenias. Quare non possum penitùs rejicere sententiam veterum Grammaticorum, qui hæc participia faciunt: uti & doctissimus Fabius, qui lib. IX, cap. III, *gerendum* disertim *participium* appellat.

* Rod. Goel. Gramm. problem. cap. 43.

CAP. XII.

De participiis anomalorum, & defectivorum. Ens quis veterum dixerit. Præsens utrum à præ sit, an præs. Unde prius S in Absens. Fiens, aut fiendus, an dicatur. Iens. Phocas malè ita dici negabat. Meminens. Osus.

DE participiis verborum, quæ ἀναλόγως, atque integrè declinantur, hactenus vidimus. Nunc accedamus ad ea, quæ veniunt ab anomalis & defectivis.

Ab *eram* Julius Cæsar in libris de Analogia non incongruè protulit *ens*; ut Priscianus ait in duodevigesimo. Syllaba ultima, uti in aliis, mutatur in NS. Sed hoc si est, unde S in *præsens*, & *absens*? De priori ratio videtur esse in proclivi. Nempe ut conflatum dicatur, non ex *præ*; sed ex *præs*, & *ens*. Nam ait Festus, *prædem* dici, quòd interrogatus à populo, num *præs* esset, responderet *præs*, supple *sum*. Itaque *præesse* antiquitus significabat præsentem esse, παρεῖναι: quâ de re plura Scaliger ad Festum. Unde autem S in altero illo composito? An putandum, esse ex *Abs*, & *ens*? At hoc si foret, in secundâ, tertiâque, *abses*, & *absest*, pro *abes*, & *abest*, diceretur. Quid si ergo potiùs statuamus, ab *esum*, (quomodo, Varrone teste †, antiqui pro *sum* efferebant) fuisse priùs *esens*, atque ut κατ' ἀφαίρεσιν pro *esum* dixere *sum*, ita ab *esens* fecisse *sens*; tandem etiam sibilum abjecisse; sed eum tamen remansisse in compositis, *præsens, absens*? Nunc quidem nihil verisimilius occurrit.

† Lib. 2 de Analogia.

Fio participio destituitur. Nam *fiens* non arbitror inveniri; *factus* verò est à *facior*; quo usus Nigidius Comm. XIX *: *Id quod est hujusmodi facitur.* *Fiendus* quoque barbarum. Nam apud Plinium lib. XXIX (ut Saturnius † monuit) ex codice antiquo legi debet: *Quæ ut unà cremari possit, minutim findenda est.* non *fienda*.

* Apud Non. in Facitur.
† Lib 6, cap. 5.

Sed unde *iens*? ab *ibam* esse non potest. nam ut à *serviebam*, *bam* in *ns* mutato, est *serviens*: sic ab *ibam*, converso *bam* in *ns*, foret *ins*. Imò unde ipsum *ibam*? Nam ne unica quidem hic litera est verbi principalis *Eo*. Quod si ἀναλογίαν spectemus, ut à *servio*, pro *o* recepto *bam*, vel *ebam*, dixere *servibam*, & *serviebam*: ita ab *eo*,

eo, pro *o* posito *bam*, vel *ebam*, fuerit *ebam*, vel *eebam*. Mihi sic videtur, ut Græci ab ἴω fecere εἴω, inde εἶμι, ac futurum εἴσομαι, *ibo:* sic Latinos quoque formare imperfectum, ac participium, ab *eio*. Unde ἀναλόγως est *eibam*, & per ἀφαίρεσιν *ibam:* porrò ab *eibam* esset *eins*, pro quo κατὰ μετάθεσιν dictum *iens*, idque propterea, ut simile, non formatione quidem, sed exitu tamen, aliorum esset participiorum: qualia *faciens*, *veniens*, cæteraque id genus.

Verùm de *iens* repugnat nobis Phocas, qui id participium respuit. Adversus eum ad partes vocabimus optimum omnium patronum, Marcum dico Tullium: cujus est illud epist. IX, lib. IV ad Attic. *Ante diem quartum Kalen. Majas, iens in Pompejanum, bene mane hæc scripsi.* Et lib. XVI, epist. primâ: *Nonis Quinctilibus veni in Puteolanum. Postridie iens ad Brutum in Nesidem, hæc scripsi.* Interim in obliquis non dicimus *ientis*, *ienti*, sed *euntis*, *eunti*.

A defectivo *memini* dixere *meminens:* cujus caussa est, quòd *memini* non minùs præsens, quàm præteritum, significet: ut observat Priscianus in XI. Ubi & eo usum docet Livium in Erotopægniois, his verbis: *Meminens Varro corde volutat.* Usi quoque Ausonius, & alii; ut suprà ostendimus.

Ab *odi* dicitur, & *osus*, & *osurus*. Plautus Amphitr. act. III, sc. II:

Inimicos semper osa sum obtuerier.

Festus ‡: *Osi sunt, ab Audio* (*ab Odio*, rectè est in schedis Pomponii Læti) *declinâsse antiquos, testis est C. Gracchus in eâ, quæ est de lege Minucia, cum ait: Mirum, si quid iis injuria sit? semper eos osi sunt. Quod nunc quoque cum præpositione elatum frequens est, cùm dicitur perosi.* Gellius lib. IV, cap. VIII: *Osusque eum morum caussa fuit.* Idem lib. I, cap. III: *Hæc*, inquit, *fini ames, tanquam forte fortuna osurus.* Ab *osus* remansit non modò *perosus*, sed etiam *exosus*; quod activè sumitur, cùm jungitur accusativo: passive, cùm dativo; ut apud Gellium lib. II, cap. XVIII: *Diis exoses.*

‡ In Osi.

Cap. XIII.

De participiis, quæ orta ab impersonalibus, quadripartito actum: puta de præsentibus in ns; *futuris in* rus; *præteritis in* tus, sus, xus; *& futuris in* dus. Pœnituturum. Placendus. *Multa participia præterita oriri ab impersonalibus, quæ perperam venire credantur ab integris. Lævius corrigitur. Appulejus emendatus.* Sol occasus. *Sosipatri error.* Properor. Regnor. Senecta membra, *&* ætas. Successa bona. *Lambinus, & Stephanus, refutantur. Palmerius trifariam refellitur. Participia in* dus *ab impersonalibus progenita.* Navis naviganda. Pereundus.

Veniamus ad participiorum illa, quæ ab impersonalibus gignuntur. Nam cùm & impersonalia sint inter defectiva; proximus sanè hic iis locus debetur.

Prima terminatio est præsentium in NS; ut *pœnitens*, quod crebrum: *pudens*, apud Horat. in Arte:

Cur nescire pudens, pravè, quàm discere, malo?

Ac similiter, *animi pudentis signum*, apud Ter. Heaut.* Nisi malis, ex participio in nomen degenerâsse; ut *libens* à *libet*.

* Act. I, sc. I.

Altera terminatio est futurorum in RUS: ut apud Cic. lib. II ad Att. epist. I: *Nihilo magis ei liciturum esse plebeio, quàm similibus ejus, me consule, patricius esset licitum.* Plin. lib. XXXVI, cap. XV: *Cum puderet vivos, tanquam puditurum esset exstinctos.* Fabius quoque, lib. IX, cap. III, indicat, Sallustium scripsisse, *pœniturum*, pro *pœnitentiam acturum*. Analogia tamen requirat, *pœnititurum*. Et suspicor ita scripsisse Sallustium, Fabiumque. De *præstat*, *constat*, *vacat*, *evenit*, *convenit*, & similibus, minùs mirum; quia propriè impersonalia non sunt, utcunque absolutè interdum in tertia inveniantur persona. Cujusmodi cùm participium obtinent in RUS, etiam habent futurum in infinitivo. Terentius Hecyrâ act. IV, sc. IV:

Nunc, cùm ejus alienum esse à me animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac arbitrer,
Quamobrem reducam?

Præterita exeunt in TUM, SUM, vel XUM: atque alia quidem veniunt ab activæ, alia à passivæ vocis impersonalibus. Activæ, ut, est *miseritum*, vel *misertum*, *pertæsum*, *libitum*, *licitum*, & similia. Cicero pro Sex. Roscio: *Id quod postea, si per vos, judices, licitum erit, aperietur.* Idem II de Legg. *Libitum est vobis, me ad hoc impellere.* Virgilius Æneidos IV:

Si non pertæsum thalami, tædæque, fuisset.

Et V:

Huic trade, amissis superant qui navibus, & quos
Pertæsum magni incepti rerumque tuarum est.

Claudius Quadrigarius annali primo*: *Id subitò perdolitum est cuidam T. Manlio.* Statius lib. VII Thebaidos:

* Apud Gell. lib. 9, cap. 13.

Nec pigitum parvosque lares, humilesque subire.

Appulejus in Apolog. *Nonne vos puditum est, hæc crimina tali viro objectare?*

Imprimis verò hujusmodi præterita veniunt ab impersonalibus passivæ vocis. Ut à *pugnatur*, *pugnatum est*; à *curritur*, *cursum est*; & similia. Quædam & à deponentibus; ut, *veritum est*. Cic. lib. II de Fin. *Primùm Aristippi, Cyrenaicorumque omnium; quos non est veritum in ea voluptate, quæ maximâ dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere.*

Supersunt participia impersonalium, in DUS terminata: quæ similiter vel sunt à voce activa, vel passiva. Ab activâ, ut à *pudet*, *pudendus*; à *piget*, *pigendus*. Cic. de Clar. Orat. *Induci ad pudendum, ad pigendum.* Ovid. epist. Didûs ad Æn.

—— *Nullâ parte pigendus erit.*

Et quid mirum, sic dici, cùm & *puditum*, & *pigitum*, dicatur? Similiter à *placet* est *placitus*, & *placendus*. Plautus Trinummo act. V, sc. II:

Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quàm dat tibi.

Porrò longè plurima sunt participia vocis passivæ, quæ vulgo quidem creduntur à verbis integris descendere, cùm revera oriantur ab impersonalibus. Participia ejusmodi partim in TUS desinunt, partim in DUS. Illorum in TUS alia veniunt ab impersonalibus usitatis, alia inusitatis. Prioris generis sunt *cessatus*, *erratus*, *conspiratus*. Quæ non possunt esse ab integris verbis. Nec enim dicitur, *cessor*, *error*, *conspiror*. Sed in usu sunt, *cessatur*, *erratur*, *conspiratur:* unde participia, *cessatus*, *erratus*, *conspiratus*; indeque præteritorum circumlocutio, *cessatum est*, *erratum fuit*, *conspiratum fuerat*. At *obsolescitur* non est in usu: unde tamen participium *obsoletus*. Nec ab *accido*, mediâ correptâ, dicimus *occiditur:* attamen hinc, *occasus*. Utriusque generis participiorum in TUS, vel SUS, plusculа congessi, juxta seriem literarum.

Adultus. Ut *virgo adulta*, quæ adolevit, apud Tullium in Clar. Orat. & ibidem, *Jam adultis Athenis.* Petronius:

—— *Non Solis adulti*
Mansuescit radiis, non verni temporis aurâ.

Ubi *adulti* rectè interpretantur *meridiani:* quomodo & Sidonius loquitur lib. IV, ep. VIII.

Antecessus. Ut apud Senecam. epist. CXIX: *Bene credi tibi scio: itaque in antecessum dabo.* Et epist. VII: *In antecessum accipe.* Ac fortasse apud Petronium: *Ubi antecessa latrocinia didicistis?* Quomodo legendum Scoppius in Verisimilibus docet.

Cessatus. Ovid. IV Fast.

Largaque provenit cessatis messis in arvis,
Et vix congestas area cepit opes.

Etiam apud Vegetium lib. I artis Veterinariæ cap. XXIII sic est in MSS: *Cum niger, vel corruptus humor cessatus est,*

est, & exserit rubicundior emanare, vel purior. Ubi pro *cessatus est*, repositum est *egeretur*, in editione Basileensi Joannis Fabri anni cIↄ Iↄ XXVIII.

Concretus. Cic. III de Nat. Deor. *Corpus concretum ex elementis.* Gell. lib. XII, cap. I: *Cujus ex sanguine concretus homo & coalitus sit.* πεπηγμένος.

Conspiratus. Suet. in Jul. cap. LXXXII: *Assidentem conspirati specie officii circumsteterunt.*

Decretus, ut *concretus*. Livius, prout vulgò apud Priscianum vocatur, vel potiùs Lævius, ut est in MSo nostro, lib. III Erotopægnion: *Nocte dieque decretum, & auctum.* Quomodo nec idem refugisset, *Lunâ decretâ*: vel, *ostreis decretis.*

Decessus, ὁ ἀναχωρήσας. Ita apud Priscianum Cæcilius, ut est in vett. libb. sive potius Cælius, in IV Histor. *Custodibus discessis, multi interficiuntur.*

Decursus. Lucretius lib. III:

—— *Decurso limine vitæ.*

Solinus cap. XLVI: *Tenuatur, cùm, jam Leone decurso, a sextima Virginis curricula facit transitum.*

Defectus. M. Seneca Suasoriâ pro Cicerone: *Quippe non satiatus modò* (Antonius) *cadendis civibus, sed defectus quoque.* Quinctilianus lib. III, cap. VIII: *Aquâ, ciboque defecti.* Seneca Hippolyto act. II:

——*Vadit incerto pede*
Jam viribus defecta.

Deflagratus. Ennius apud Cic. III Tuscul.

Fana flammâ deflagrata: tosti alti stant parietes.

Emeritus. Ut, *Emeritus miles*, apud Lucanum in primo. *Emeritam puppim.* Martiali lib. X, ep. LXXXV, hoc est, jam carie ac vetustate fatiscentem.

Emersus. Cic. in Vatin. *E cœno emersus.*

Erratus. Ut apud Maronem Ecl. I, *Pererratis finibus:* III Æn. *Errata litora.* Ubi Servius, *Participium sine verbo.* Ovid. III Fast.

Protinus erratis læti vescuntur in agris.

Evasus. Liv. lib. XXII: *Exercitum cæsum, evasumque se esse.*

Excretus. Virgil. III Georg.

—— *Excretos prohibent à matribus hædos.*

Exoletus. Liv. lib. XXVII: *Exoleta annalium vetustate exempla.*

Festinatus. Ut, *Mors festinata*, apud Tacitum in vita Agricolæ: *Festinatis honoribus*, apud Plin. in Panegyr. *Maturitatem festinatam*, Quinctiliano in proœmio lib. VI.

Interitus, ἀναιρεθείς. Claudius Quadrigarius *: *Pugnâ acriter commissâ, multis utrimque interitis.*

* Apud Prisc.

Inveteratus. Ut *inveterata querela*, Ciceroni in Lælio.

Juratus passive. Ovid. epist. Phyllidis:

At tu lentus abes; nec te jurata reducunt
Numina: nec nostro motus amore redis.

Laboratus. Maro II Æn.

Arte laborata vestes.

Nuptus: ut passim *nova nupta*: & apud Plautum Casin. *Novus nuptus.*

Obitus. Livius, sive potiùs Lævius (prout in chirographis nostris est) in Protesilao †: *Cupidius miserulo obito.* Sive potiùs,

Cupidius obito miserulo.

† Apud Priscianum lib. 9.

Ut sit jambicus dimeter. Quales iidem ex Laodamia Livii, vel potiùs Lævii, adducta ‡:

—— *Aut*
Nunc quæpiam alia te Ilio,
Asiatico ornatu affluens,
Aut Sardiano ac Lydio
Fulgens decore, & gloriâ,
Pellicuit.

‡ A Prisciano lib. 10.

Sic in numeros redigendi hi versus, *Ilio* etiam rescripto, pro *illo*: ut optimè vidit maximus, nec sine laude nominandus, Hugo Grotius. Cæterùm participium *obitus*, crebrum imprimis, cùm *morte obitâ* dicitur. Ut apud Lucretium gemino in loco *:

Morte obitâ quorum tellus amplectitur ossa.

* Lib. 1, vers. 135 & lib. 4, vers. 735.

Item Maronem in X:

Morte obita quales fama est volitare figuras.

Imò Cicero ipse pro Sextio: *Quos a majoribus nostris morte obitâ positos in illo loco videtis.* Est & Appuleji de Mundo: *Diis sacrificatur, genius ministratur, obitis libatione perfunditur.* In vulgatis est, *aliis libatione p.* sed corruptè. proximè ad veram lectionem accedit MS. ubi est *obiis libatione p.* Unde *obitis* restituendum: quomodo idem eopse libro dixit: *Sors nascentium, obitorum loco pullulat.* Ubi Aristoteles, vel alius, quem Appulejus vertit: αἱ μὲν φύσεις ἀνταποδίδωσι τὰς φθοράς: sive potiùs, prout Stobæus citat, ἀναπληροῖ τὰς φθοράς, quod est, *compensat obitus.*

Obsoletus. Ut *obsoletum amiculum*, apud Curtium libro VI. Sic autem vocatur, quo quis ab longo tempore uti solet. Ut hoc quoque ostendat, potiùs esse a *soleo*, quàm ab *oleo*: de quo suprà * diximus. Nempe ut à *solere* est *insoleo*, & *insolesco*: ita ab *exoleo*, *exolesco*, unde *exoletus.*

* Lib. 3 de analogia, cap. 23.

Occasus, ὁ δύσας. Leges XII Tabb. *Sol occasus suprema tempestas esto.* Etsi pro eo *Solis occasu* legere sit lib. VI Varronis, etiam in editione Rom. Antonii Augustini. Plautus Epid. act. II, sc. I: *Ante solem occasum.* Claudius Quadrigarius in primo Annali †: *Sole occaso.* Lucilius in secundo:

† Apud Gell.

—— *Quaboris sublata duabus*
Omnia sunt Sole occaso, ductoque.

Quem versum ita Franciscus Duza non incommodè supplebat,

—— *Sole occaso, obductoque tenebris.*

Satis verò mirari nequeo, quid in mentem venerit doctissimo Sosipatro, ut libro III scriberet: *Quædam nomina manent; ut, Occasus Solis. Nam dici non potest, Sol occasus*, δύσας ὁ ἥλιος. Quanto aliter Gellius lib. XVII, cap. II. *SOLE*, inquit, *OCCASO*, *non insuavi venustate est; siquis aurem habeat non sordidam, nec proculcatam.* Nec tamen iis accedo, qui existimant, similia esse, *sol occasus*, & *sol meridies.* Nam *occasus* est adjectivum, ὁ δύσας, *qui occidit*: quasi dicas, *sol decursus*: ut simile sit ac *sol exortus*, vel *sol adultus*, pro meridiano, apud Petronium. Plinius tamen, Gelliusque ‡, nec refugisse dicuntur *, *Sol meridies*: indeque colligunt, non solùm dici posse, *à sole occaso*; verùm etiam *à sole occasu.* Sed de eo alibi dicemus. Nunc hoc agamus, hoc est, de solis Participiis videamus.

‡ Lib. 3, cap. 2.
* Lips. lib. 2 Elect. cap. 3.

Potus & activum, & passivum est. Verùm *appotus* semper activè, vel neutraliter; *epotus* semper passive accipitur.

Properatus. Ut *stylus properatus*, apud Quinctilianum lib. X, cap. III. At de isto quid mirum? quando & Plinius in Panegyrico ait: *Hinc porticus, hinc delubra, occultâ celeritate properantur.*

Redundatus. Ovid. III Trist. el. X:

Sive redundatas flumine cogit aquas.

Et VI Fast.

Amne redundatis fossa madebit aquis.

hoc est, refusis.

Regnatus quoque huc refertur, propter Maronis illud VI Æn.

—— *Regnata per arva*
Saturno quondam ——.

Cui geminum, *regnata terra*, apud Ovid. lib. IV Ponticorum, eleg. XV.

Nec mirandum, cùm & *regnatur* dicatur. Tacitus lib. I Histor. *Neque enim hic, ut in cæteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus.*

Requietus. Columella lib. II, cap. IX: *Vicibus annorum requietum volunt arvum.* Seneca de Tranquill. capite XV: *Danda est remissio animis: meliores, acrioresque, requieti surgent.*

Senectus, ὁ γηράσας, à *seneo*; quo usus Catullus, carm. in phaselum. Sallust. in IV Histor. *Omnes, quibus senecto corpore animus militaris erat.* Sic *senecta membra*, apud Lucretium lib. III; & *senecta ætas*, lib. V, & Plaut. Amphitr. act. IV, sc. II.

Status, ut *stato tempore* apud Plin. lib. IX, cap. XXIII.

Successus. Cicero filius libro XVI, epist. XXI, ad Tir. *Nam cum omnia meâ caussâ velles mihi successa, tum etiam tuâ*. More suo facit Lambinus, cùm præterit verba isthæc, *mihi successa*: quæ meritò retinuit Manutius. Improvidè quoque hæc verba in Pseudocicerone* suo damnat Henricus Stephanus; ubi ita scribit: *Ne Latinum quidem esse crediderim sermonem, si hæc addantur*. Quippe ita quoque locutus, sive Plautus, sive incertus, sed antiquus auctor prologi, qui præmittitur Plauti Pseudolo. Ejus est:

Hos fugitâstis, Quirites, successis bonis.

Titubatus. Maro VI Æn.

——*Vestigia presso*

Haut tenuit titubata solo.

Triumphatus, ut apud Mar. *triumphata† gentes*, &, *triumphata‡ Corinthus*. Taciti quoque est, *Triumphati magis, quàm victi Germani.*

Vigilatus. Ovid. I de Arte:

Attenuant juvenum vigilata corpora noctes.

Eodemque à fonte & alterum participium. Quinctilianus lib. XI, cap. III: *Et vigilandæ noctes, & fuligo lucubrationum bibenda.*

Par ratio compositi *evigilo*. Cicero ad Att. lib. IX, epist. XIV: *At quàm honesta, at quam expedita tua consilia! quam evigilata tuis cogitationibus, quà itineris, quà navigationis!* Sive, ut Lambinus mavult, *Quàm evigilatæ tuæ cogitationes!* Sed prius est in omnibus MSS.

Miretur fortasse aliquis, à nobis præteritum esse *adventus*, pro eo, qui advenit: quomodo usi Terentius, & Sallustius; si fides Palmerio in Spicilegiis‡. Cujus iccirco sententiam nunc paullo accuratiùs examinabimus. Ac geminum quidem Terentii locum adducit. Prior est Andr. act. V, sc. II:

Ego commodiorem hominem adventum ad tempus non vidi.

Sed præverbium *ad* abest ab optimis MSS, ut Rivius quoque testis. Nec in meis chirographis, uno excepto, reperio. Eoque omnino sic legi ac distingui oportet:

Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi.

Quin & legit ita jam olim Donatus, ut hæc ejus verba ostendunt: *Potest & commodus esse quis, & alieno tempore supervenire potest. Et commodum in homine est: sed & opportunus malum etiam adventum habere potest. Nam commodum in homine est; adventus in facto est; tempus in opportunitate facti. Commodiorem hominem, adventum, tempus*, σύλληψις. Alter Comici locus est Phorm. act. I, sc. III:

Adeon' rem rediisse, ut qui mihi consultum optume velit esse,

Phædria, patrem ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit!

Ubi *ejus adventi* interpretatur, patris qui advenit. Sed *adventi* est substantivum; ponitur que more antiquo, pro *adventûs*. Imò in plerisque libb. *adventûs* legitur. Sed rectum esse *adventi*, fidem fecerit vetus interpres, his verbis: *Sic veteres genitivo casu proferebant*. Et post pauca: *Multipliciter declinatur, & adventi, & adventus. Sic & in Andria*: Nihil ornati, & tumulti.* Credo, notationem unam esse ab Helenio Acrone, (quem in Terentium esse commentatum, Charisius nobis testis) alteram ab Donato. Nihil enim attinebat bis idem dici. Atque alibi quoque hoc fieri observo: ut commentarius ille non solius sit Donati, sed ex eo, & alio interprete, consarcinatus. Interea hæc ostendunt, *adventi* non participium esse, sed nomen.

Præterea à Palmerio adfertur Sallustii locus in Jugurthinâ, ubi sermo de Capsâ, Marii insidiis interceptâ: *Deinde tertiâ multo antè lucem adventam pervenit in locum tumulosum ab Capsâ non amplius duûm milium intervallo*. Sic enim existimat Sallustium scripsisse, contra omnium, & MSorum, & excusorum fidem: atque id censet levissimo impulsus argumento. Nempe non alio, quàm quia in Coloniensi simpliciter esset, *ante lucem*; in aliis, *ante lucem advenientem*. Nos verò in nostris MSS reperimus, *multò antè lucu adventum*. Ac sic quoque editiones veteres†, & recentes, ex MSorum fide doctissimorum hominum industriâ recensitæ: ut, quin ea germana sit scriptura, minimè debeat dubitari.

Quemadmodum autem ab impersonalibus in TUR multa veniunt participia in TUS, vel SUS, quæ ab integris neutris vel absolutis proficisci existimantur: ita quoque non a verbis integris, uti traditur vulgò, sed ab impersonalibus vocis passivæ, descendunt participia compluria in DUS. Nec enim dicitur *juror*, vel *vigilor*, vel *audeor*: sed in usu sunt impersonalia, *juratur*, *vigilatur*, *audetur*: unde ut præterita *juratus*, *vigilatus*, *ausus*; sic futura, *jurandus*, *vigilandus*, *audendus*. Horat. ad Augustum lib. II epist.

Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Virgil. VI Æn.

——*Si unquam regnandam acceperit Albam.*

Tibullus lib. I, eleg. II:

——*Cum fletu nox vigilanda venit.*

Livius de Annibale: *Nullâ re, quæ agenda audendaque magno futuro duci esset, prætermissâ*. Similiaque Catullo, *nox dormienda*: Ovidio, *vir carendus*, *pœna dolenda*. Persio, *olla cœnanda*: Tacito*: *exeunds ordinis ius*: ubi perperam aliqui, *exuends*: Gellio†, *ad desinendam seditionem*. Item *horrendus*, *pavendus*, *tremendus*, *erubescendus*, & alia ejus monetæ. Apud Jurisconsultos quoque à *navigatur*, *navigandus* dixit Ulpianus. Ut, *Qui navis naviganda caussa in nave sunt*. L. I. §. I. D. de exercitoria: & L. I. §. 2. D. nautæ, caupones. Fortasse & quemadmodum ab *itur* est *eundus*, ita à *peritur* est *pereundus*. Plautus Epid. act. I, sc. I:

—— *Puppis*

Pereunda est probè.

Ut vulgati habent codices. Sed valde eò inclinat animus, ut iis assentiam, qui corrigunt: *Pupis*, hoc est, pueris, sive servulis, *pereundum est probè*: quasi dicas, de tergo eorum actum esse.

CAP. XIV.

Participia in NS usurpata in significatione temporis præteriti. Vetus Novi fœderis interpres ab Humfredo, atque aliorum reprehensione vindicatus. Eadem participia in NS sumta in significatione præsentis passivi. Diomedis locus emendatus. Participia in TUS, SUS, aut XUS, in eâdem passivi præsentis significatione. Nonii error super voce Torti. Item participia in DUS similiter accepta. Ennii locus apud Varronem correctus. Scaligeri emendatio improbata. Participia in DUS sæpius significare officium. Esse nihilominus ea participia potius, quàm nomina, contra Saturnium, atque alios, ostensum.

Ex iis, quæ hactenus diximus, cognoscere fuit, & activæ verborum formæ, & passivæ, duplex plurimùm esse participium: activæ quidem præsens in NS, & futurum in RUS: passivæ, præteritum in TUS, SUS, XUS, & futurum in DUS. At constat, Græcos aliud præterea tempus habere in participiis, & activis, & passivis. In activis quidem præteritum, ut τετυφώς: in passivis autem præsens, ut τυπτόμενος. Hinc quæstio exsurgit, quomodo Latini efferant hæc Græcorum participia. Communis ita fert opinio, tum præterita in voce activâ, tum præsentia in voce passivâ, Latinè non nisi περιφραστικῶς exprimi posse. At secus se res habent: quia Latini, quò linguæ Latinæ egestati hâc in parte succurrerent, sæpius & participiis in NS, præteriti; & participiis in DUS, præsentis donant significationem. Ac illa quidem in NS, non semper præsentis, sed præteriti quoque temporis significationem habere; multa multorum loca evincunt. Ita nusquam non vetus Novi fœderis interpres vertit participium per-

* Pag. 213.

† 3 Georg.
‡ 6 Æn.

‡ Tom 4 facis Critica, pag. 652.

* Act 2, sc. 2.

† In his Mediolanensis anni 1508, à Pomponio Læto, & Hyacintho Arpinate castigata.

* 11 Annal.
† Lib 2, cap 12.

perfecti temporis per præsens. Pluscula ejus generis adducit doctissimus Gaspar Sanctius comm. in Act. Apost. cap. I, vers. 2. Quibus præteritis, unum ex Euangelio Lucæ adferam. Lucæ cap. primo dicitur de Zachariâ: *Postulans pugillarem scripsit.* At fieri non poterat, ut scriberet, cùm postularet. Sed *postulans* dixit, pro, *cùm postulasset.* In Græco est, Καὶ αἰτήσας πινακίδιον ἔγραψε. Scio, a Laurentio Humfredo*, aliisque plurimis doctissimis viris, reprehendi hoc nomine interpretem. Sed ignoråsse hi videntur, frequentari id ipsum loquendi genus, non dico ab aliis quoque scriptoribus Ecclesiasticis, (nam hos non immeritò censent potiùs habendos bene vivendi, quàm loquendi, magistros) sed optimis illis, ac classicis linguæ Latinæ autoribus. Ita ait Plautus Amphitr.†

* Lib. de ratione interpretandi.

† Act. 4. sc. Quis ad fores est.

> *Abscede, moneo, molestus ne sies, dum Amphitryo*
> *Cum uxore, modò ex hostibus adveniens, voluptatem capit.*

Adveniens, id est, postquam advênit. Similiter Terentius Phormione‡:

‡ Act. 5. sc. 1.

> ——*Offendi adveniens,*
> *Quocum volebam, atque ut volebam, collocatam filiam.*

Cicero pro Ligario: *A quo hoc ipso C. Pansâ mihi nuncium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi.* hoc est, cùm nuncium pertulisset. Val. Maximus lib. v, cap. II: *C. quidem Marii, non solùm præcipuus, sed etiam præpotens grata mentis fuit impetus. Duas etiam Camertium cohortes, mirâ virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsâ acie, adversus conditionem fœderis, civitate donavit.* id est, quæ sustinuerunt. Columella lib. v, cap. I; *Neque inficior, aliqua me præteriisse, quamvis inquirentem sedulò, quæ nostri seculi cultores, quæque veteres literarum monumentis prodiderunt.* hoc est, quamvis inquisivissem. Plinius lib. VIII, cap. LII: *Tunc apri inter se dimicant, indurantes attritu arborum costas.* hoc est, ubi priùs induraverunt costas. Martialis lib. x, epigr. LXXIII:

> *Vilior hæc nobis, alio mittente, fuisset.*

Plura qui desiderat, adeat Augustinum Saturnium lib. VI Mercurii Majoris, cap. XI.

Vidimus, quomodo in activâ voce, citra circumlocutionem, exprimi queant præterita, cùm finita, tum ἀόριστα*. Porrò ostendam, in voce passivâ præsens, quo ea vox destitui videtur, trifariam posse per simplex participium significari. Ac primò per participium in NS. Diomedes lib. I: *Participia in passivis præsentis temporis non sunt. Abutuntur autem veteres activo pro passivo: veluti, Genibusque* volutans Hærebam. Deest Se, ut sit volutans se. κυλιόμενος. Item, Præcipitans† traxi mecum, deest Se, ut sit, Præcipitans se. καταχρημνιζόμενος.* Sed locus hic Diomedis planè est corruptus. Legendum puto: *Præcipitans traxi mecum, deest Me, ut sit, Præcipitans me.* Imposuit oscitanti librario, quòd Diomedes, in *Volutans*, dixerat subintelligi *Se*; unde in cæteris parem esse rationem credidit. Alius existimet rescribendum, *Præcipitans traxit omnia. Deest se, ut sit, præcipitans se.* Quomodo legitur apud Charisium lib. III, cap. de Confusis, quem Diomedes exscripsit. Sed omnino potiùs Charisius ex Diomede emendandus. Nec enim verisimile est, alterutrum Grammaticum immutâsse verba Maronis in VI; ubi sic loquitur Palinurus, uti adducit Diomedes.

* Infinita.

* 3 Æn. vers 607.

† 6 Æn. vers 351.

Alter modus est, cùm participium in TUS, SUS, aut XUS, induit significationem temporis præsentis. Ut apud interpretem divini scriptoris ad Hebræos capite I: *Omnes sunt administratorii spiritus ad ministerium missi.* Græcè est, ἀποστελλόμενοι, id est, qui mittuntur. Interdum hoc à classicis quoque fieri, ostendit Plinii illud lib. II, cap. CIII: *In Salentino, juxta oppidum Manduriam, lacus ad margines plenus, neque exhaustis aquis minuitur, neque infusis augetur.* hoc est, neque, si exhauriantur aquæ, minuitur; neque, si infundantur, augetur. Et hoc Maronis primo Georg.

> *Quàm quibus in patriam ventosa per æquora vectis*
> *Pontus, & ostriferi fauces tentantur Abydi.*

Vectis dixit de iis, qui vehuntur, Græcè ὀχουμένοις. Plura hujusmodi adfert Saturnius libri ejusdem cap. XIII. Quibus non possum, quin addam illud Pacuvii in Dulorestè:

> *Nam te tenebricâ sæpe lacerabo fame*
> *Clausum, & fatigans artus torto distraham.*

Quippe sententia est, distraham artus tibi, dum torqueris. Ut omnino falsus sit Nonius Marcellus, & quos ille lexicographos in errorem induxit, quando hinc colligunt, *tortum* antiquè accipi pro *tormento*: quod solidiori sanè argumento adstruere eos oportebat.

At multò etiam magis id, quod diximus, præstant, (qui tertius modus est) participia in DUS: ut jam nec pueris ignotum esse debet ex illo Tulliano, in ipso penè ingressu primi de Officiis: *Orationem Latinam legendis nostris efficies pleniorem.* hoc est, legens nostra. Et hoc ejusdem lib. I de Oratore: *Exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quam plurimis, & nostris scriptis, & alienis.* Quasi diceret, Exercere debemus memoriam ediscentes. Etiam indicium facit vox *volvenda*, quæ crebrò ita accipitur. Maro Æneidos I:

> *Triginta magnos volvendis mensibus orbes.*

Et lib. IX:

> *Turne, quod optanti Divûm promittere nemo*
> *Auderet, volvenda dies en attulit ultro.*

Id est, dies quæ volvitur.

Sed & Ennius apud Varronem lib. VI dixit:

> *Clamor* (F. clamos) *ad cælum volvendu' per æthera vagit.*

Ita habet & antiqua Mediolanensis anni CIↃ IↃ. Vellem autem vir illustris eum locum non sollicitâsset. Nunc corrigit:

> *Clamor it ad cœlum, volitatque per æthera vagor.*

Sanè *volvendus* eo, quo dixi, modo usurpat quoque Lucretius: ut lib. V, *volvenda ætas*: & lib. VI, *glans volvenda.* hoc est, quæ volvitur. Respondet Alvarus, hujusmodi locis, *volvenda* figuratè poni, pro *volubilis.* Quomodo nempe *pudenda* usitatum, pro *pudibilia*; ut loqui maluit Lampridius in Heliogabalo: *Ad honores*, inquit, *reliquos promovit commendatos sibi pudibilium enormitate membrorum.* His ita occurrimus. *Pudendum* propriè est, cujus pudebit, vel jam pudet. Sed quod ejusmodi est, id turpe, pudoreque dignum, sive, ut Lampridium loqui dicebamus, pudibile est. *Volvendus* propriè, qui volvetur, vel volvitur. Sed quæ volvuntur, ea volubilia esse necesse est. Quid igitur impediisset, quo minùs promiscuè hæc usurpentur? Verùm non si loco illorum in DUS nominibus uti possimus, eo illa nunquàm fuerint participia, vel esse jam desierint. Nam hodieque iis, nunc futuri, nunc præsentis significatio inest. Quid enim illustrius illo Livii lib. I: *Quæ ante conditam, condendamve urbem, poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis, traduntur, ea nec affirmare, nec refellere, in animo est.* Nam sententia hujus loci est, antequam urbs aut condita esset, aut jam conderetur. Vide quæ hoc de Livii loco scripsit P. Nannius lib. quincto Συμμικτ. cap. II. Par ratio in voce *jurisjurandi.* Quanquam non ignoro, *jusjurandum*, ut & *volvenda*, prius fuisse futura; quod etiam monuit Jul. Scaliger de caussis L. L. cap. CXLIII; & ex iis satis liquent, quæ de propria participiorum in DUS significatione superius dicebamus.

Participia hujusmodi in NDUS, quando veniunt à verbis tertiæ aut quartæ, olim pro E habuêre U. Tale est, *prologis scribundis*, apud Ter. And. *præda dividunda* apud Cat. teste Gellio, *reddunda* apud Lucret. Ac sic loquitur etiam Cicero. Ut pro Cæcina: *Cum ad vim faciundam veniretur.* Et Verr. VII: *Quid censetis in hoc fœdere faciundo voluisse Mamertinos impendere laboris?* Ac observatum Hotomanno, similiter esse in vett. libb. Verr. V: *Ornatiores, tuo judicio, ad testimonia dicunda venerunt.* Et ibidem: *Ob jus dicundum.* Item in III: *Jurisdicundi.* Est & Velleji Paterculi lib. II: *III viros agris dividundis.*

Similiaque, *rei gerundæ caussa*, *regundorum finium*, *herciscundæ familiæ*, aliaque in vett. inscripr. Participiorum naturam gerundia sequuntur. Ut Verr. v: *Emundi duo sunt genera. Visundi* apud Sallust. in Jug. & sexcenta hujusmodi: quibus, ut notissimis, quid insistam?

Cap. XV.

Participia nec compositione, nec comparatione, nomina fieri docetur. Etiam participia passiva fieri nomina, contra Cæsarem Scaligerum ostenditur.

EXtremo illud loco considerandum, cujus debeat fieri, quod non parvo consensu à vulgo traditur Grammaticorum, participia vel compositione, vel comparatione, fieri nomina. Mihi longè aliud videtur. Nam compositione ea non mutare naturam, indicat hoc Terentii Andr. act. III, sc. IV:

> *Feci hodie, ut fierent, insperante hoc atque invito*
> *Pamphilo.*

Si enim participium sit, *me sperante*; utique erit &, *me neutiquam sperante*: si hoc, sanè & istoc, *me insperante*. Quippe ubi eadem sit significatio. Par ratio in isto Tullii Ciceronis ad Tironem lib. XVI, ep. XXI: *Hac introductâ consuetudine, inscientibus nobis, & cœnantibus, obrepit*. Quemadmodum enim, cùm dico, *me gnaro*, *me ignaro*; *gnarus*, & *ignarus*, ad eandem vocum classem pertinent: itidem cùm ajo, *me sciente*, & *insciente*; *sciens*, & *insciens*, ejusdem fuerint classis.

Par ratio in præteritis. Horatius lib. III Carm. od. XXV:

> *Dicam insigne, recens, adhuc*
> *Indictum ore alio.*

Cato apud Agellium lib. XIII, cap. XXIII: *Decem hominibus vitam eripis indictâ caussâ, injudicatis, indemnatis.* Addit Saturnius, ex ejusdem Agellii lib. IX, cap. X: *Annæus Cornutus, homo sanè pleraque alia non indoctus, neque imprudens.* Sed *indoctus* non notat tempus: eoque participium esse nequit. Neque obstat, quòd accusativum habet annexum. Nam id fit, Græcorum more, per προλῆψιν Grammaticam: de quâ suo loco dicemus.

Nihilo magis Comparatio mutat participiorum naturam: quanquam id à Prisciano quoque traditum est in XVII. Ut *occlusissimus*, apud Plautum Curculione*: ubi perperam aliqui libri, *oculissimus*. Simileque *exclusissimus*, Menæchmis†: & apud Petronium. *Cognitior*, apud Nasonem IV Trist. eleg. VI*. Cognitissimus apud Catullum ep. IV. Apud Cic. quoque II de Orat. est *pervagatior*: in Oratore item *pervagatissimus*. Apud Ciceronem quoque pro Cæcina, *armatissimus*: & alibi: *exspectatior*, *exspectatissimus*; *optatior*, *optatissimus*; *intricatior*, *intricatissimus*; *confusior*, *confusissimus*: item *tectior*, *spoliatior*; *meritissimus*, *persuasissimus*; & similia, quamdiu tempus adsignificant. Ita Ciceronis est ad Cornificium lib. XII, epist. XXVI: *Cæterisque omnibus rebus habeas eos à me commendatissimos*: quo loco adversus recentiores pro veteribus pugnat Jul. Scaliger lib. IV de caussis L. L. cap. CI. Et alios duos addam locos. Ejusdem Ciceronis est in Pison. *Tu abundantior consilio, ingenio, sapientiâ.* Et lib. I, epist. ult. ad Quinct. fratrem: *Sic enim habeto, nunquam me à caussis, & judiciis, districtiorem fuisse.* Nam hæc participia esse, ostendit, quòd tempus adsignificant, nec constructionem verbi mutant. Non quidem nego, ferè usu venire, ut quæ comparantur, eàve conflantur compositione, quam verbum non agnoscit, (quomodo *indoctus* dicitur, *indoceor* non dicitur) sæpius multò esse nomina, quam participia: verùm id neutiquam fit ob compositionem, vel comparationem; quemadmodum ex iis, quos adduxi, locis videre fuit: sed quòd tempus amiserint, aut verbi constructionem. Interim est, ubi nec Julio Scaligero adsentiri possim. Quemadmodum, cùm, ut *commendatissimus*, similiaque, nunquam nomina esse comprobet*, negat participia omnia in nomina posse transire. Nam si, inquit, participia passiva semper passionem significant sub tempore, *quomodo nominum naturam adsciscant?* Atqui hæc quoque temporis amissione fieri nomina, vel indicio sit vox *doctus*. Nam *vir bene doctus*, idem est, quod summâ doctrinâ præditus, aut vir magnæ eruditionis. Quod si hæc non significant tempus, utique nec *doctus* semper significabit.

* Act. 1, sc. 1.
† Act. 4, sc. 3.
* Vett. e ditt. el. 5.
* Lib. 4, cap. 101.

Cap. XVI.

Quo ordine debeant collocari quatuor postrema vocum classes. Adverbio *unde nomen impositum. Defenditur ea appellatio adversus Cæsarem Scaligerum. Vera adverbii σύνταξις. Veterum item definitiones recensentur, & censentur.*

EXposuimus eas partes, quæ variantur per casus, numeros, modos, aut personas. Sequuntur, quæ mutationem istiusmodi ignorant: ut sunt adverbium, præpositio, conjunctio, & interjectio. Unde liquet, haut rectè de participio inter adverbium & conjunctionem tractari à Donato, Aspero Juniore, Servio, Sergio, & Cledonio. Accedat illa ratio, quòd ut nomen & verbum, ita participium determinetur adverbio. Nam ut *bene doctus*, & *benedicere*; ita & *bene differens* dicimus. Quare ut nomen & verbum, ita participium præponi debet adverbio, tanquam determinatum determinanti. Nec de pronomine scrupulus injici debet. Nam caussæ nihil video, cur non illud etiam adverbio determinetur. Ut enim dixero, *prorsus amicus*, sic *prorsus meus*: ut *propemodum liber*, sic *propemodum suus*: ut *magis Romanus*, aut *Græcus*, sic *magis nostras*: atque ita in aliis. Et quid mirum, cùm pronomen ponatur pro nomine?

Quam seriem servare in his classibus oporteat, minimè convenit. Diomedi hoc ordine tractantur: adverbium, præpositio, conjunctio, interjectio. Prisciano autem istoc: præpositio, adverbium, interjectio, conjunctio. Atque is sequi se ait ordinem Apollonii, Græcorum doctissimi. Aliis illo ordine: adverbium, conjunctio, præpositio, interjectio. Ita Valerius Probus, Charisius, Donatus, Asper Junior, Servius, Sergius, Cledonius. Nos Diomedem sequimur. Sed Cæsar Scaliger censet, præpositionem adverbio præmitti oportere, eo quòd adverbium sit minùs necessarium in oratione. At si ratio ea idonea sit, etiam præpositionem sequetur pronomen. Nec propterea de ordine dissentio à Prisciano, sed aliud me movet. Videlicet, quod ut se habet verbum ad nomen, sic adverbium ad præpositionem. At nomen est natura prius verbo. Præpositio igitur præit, quia jungitur nomini: ut adverbium præcipue verbo, ut ipsum nomen indicat. Nec rectè præpositionem conjunctioni postponunt; cùm hæc sententias conjungat; illa etiam simplici voce sit contenta, ut munus compleat. Atqui simplicia sunt priora compositis. Interjectio ultimum sortita est locum, non quia imperfectior aliis (nam per se complet sententiam) sed quia fere continet sonum rudem atque inconditum, quem homines edunt, quando affectu aliquo moventur.

De caussa nominis sic Apollonius Dyscolus lib. I Syntaxeos: Ἐπιῤῥήματα μᾶλλον ἀπὸ τῆς συντάξεως τὴν ὀνομασίαν ἔλαβεν, ἤπερ ἀπὸ τῆς δηλώσεως. *Adverbia magis à structura nomen acceperunt, quàm à significatione.* Rectè Apollonius, quia primùm inventa, ut verbo adjecta ejus significationem implerent. Quod exemplo ejusmodi declarat Charisius: *Cùm dico, Palæmon docet, nondum significo satis vim plenam verbi, nisi adjecero, bene, aut malè.* Idem pleniùs expressit Priscianus: *Hoc*, inquit, *perficit adverbium verbis additum, quòd adjectiva nomina appellativis nominibus adjuncta: ut prudens homo, prudenter agit: felix homo, feliciter vivit.* Non tamen solis adjicitur verbis; sed etiam nominibus, & participiis. Nomen igitur accepit, non ex eo quod semper, sed quod plurimùm fit, & cujus caussa primùm est inventum. Atque hoc satis fuit, ut rectè istud nomen imponeretur: ut omnino injuriâ eam appellationem reprehendat Cæsar Scaliger.

Quid

Quid Adverbium sit, lib. III dicebamus. Ibi sic definivimus, *Adverbium est vox, quæ nomini, verbo, aut participio, additur ad circumstantiam, aut qualitatem ejus significandam.* Ubi nominis voce & pronomen complectimur; quia nominis vicem subit. Videamus verò, in quo ea definitio distet ab antiquis.

Comminiano, & Julio Romano, itemque aliis, apud Charisium definitur, *pars orationis, quæ adjecta verbo significationem ejus implet, atque explanat.* Eandem definitionem retinet Diomedes. Græci similiter, eodem Charisio teste: Ἐπίῤῥημα* ἐςὶ μέρος λόγου ἄκλιτον, ἐπὶ τὸ ῥῆμα τὴν ἀναφορὰν ἔχον. Scaurus apud Diomedem ita describit: *Adverbium est, quæ modum rei ipsâ dictionis pronuntiatione definit.* Asper Junior hoc pacto: *Adverbium est pars orationis, quæ verbi vim explicat.* Donatus in Edit. II, isto modo: *Adverbium est pars orationis, quæ adjecta verbo significationem ejus aut complet, aut mutat, aut minuit.* Maximus Victorinus sic: *Adverbium est pars orationis, quâ adjectâ verbo, plenior, & manifestior redditur.* Priscianus denique in hunc modum: *Adverbium est pars orationis indeclinabilis, cujus significatio verbis adjicitur.* Omnes verò istæ definitiones in eo mihi deficere videntur, quòd adverbii οὐσίαν † in eo constituant, quòd adjiciatur verbo. Atqui accidit ei quoque, ut aliis classibus jungatur: ut cùm dico, *bene doctus, scitè pingens.* Fortasse nec illud verum est, quòd Priscianus appellat vocem indeclinabilem. Declinatur enim per gradus: quod Comparationem appellant. Atque id manifestius fiet ex iis, quæ mox dicam. Interim scrupulus hic non difficulter eximitur. Nam *declinandi* vox trifariam sumitur: communiter, propriè, & maximè propriè. *Communiter* dicitur de quacunque terminationis variatione, sive per genera, quæ vulgo *motio* dicitur: sive per gradus, quæ *comparatio* vocatur: sive per numeros & casus, quæ pressè, generis nomine, *declinatio* appellatur: sive per numeros, personas, ac modos, quæ *conjugatio* vulgò nuncupatur. Quam declinationis nomine contineri, ostendi lib. II de Analog. cap. I. Ex his *propriè* dicitur *declinatio*, quæ fit per numeros, casus, personas, aut modos. Itaque motio, & comparatio, ab hoc ejus vocis usu excluduntur. *Maximè* autem *propriè* presseque *declinatio* est, quæ per numeros, & casus fit. Itaque & opponitur *conjugationi*, quæ fit per numeros, personas, & modos. Cùm adverbium dicitur indeclinabilis vox, declinationis vox secundo accipitur modo: quo pacto comparationem excludere dicebamus.

* Adverbium est pars orationis indeclinabilis, ad verbum habens relationem.

† Essentiam.

Cap. XVII.

Comparatio etiam accidit adverbiis, quæ non veniunt à nomine comparabili. Non tamen esse ejus generis sæpius, *&* sæpissimè, *vel* penitissimè; *cum etiam* sæpissimus, *&* penitissimus, *legatur. Numerum non accidere Adverbio; quod statui oporteret, si de* age, *&* agite, *vera esset Prisciani sententia.*

COmparationem autem, quam vulgò prætereunt, rectè a nobis inter adverbii accidentia referri, liquidò comprobatur ex comparativis ejus, & superlativis. Ut cùm Tacitus ait, penè initio quartidecimi Annalium: *Compositiùs cuncta, quàm festinantiùs, agerent.* Huic argumento sic occurri video: accidere quidem adverbio comparationem; attamen non primò, & suâ naturâ, verùm ratione vocis primogeniæ comparabilis. Nempe ut, quia absolutum *pulcher* format adverbium pulchrè, & à comparativo *pulchrior* alterum venit adverbium *pulchriùs*, & a *pulcherrimus* itidem descendit *pulcherrimè*; hinc fiat, ut non minùs istiusmodi adverbiis, quàm nominibus, à quibus descendunt, institui possit comparatio, non quidem καθ' αὑτὸ*, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός. Voluit id Comminianus apud Charisium: *Comparationem recipiunt adverbia, quoties appellationes, unde transeunt, comparantur: ut doctè, doctiùs, doctissimè; quia doctus, doctior, doctissimus.* Eadem verba apud Diomedem legas lib. I. Itaque & *validius* non reformidat Horatius: non tam à *valde*, quod ex *valide*: quam ex nomine *validus* κατὰ συγκοπὴν. Sed enim longè alia mihi, cur comparentur adverbia, ratio videtur. Nimirum, quia adverbia sæpe qualitatem significent, & qualitas recipiat magis, & minus; ut vel notum ex doctrina τῶν κατηγοριῶν. Præterea nec illud perpetuum est, quòd dicunt adverbia comparari, quia a nominibus, quæ comparantur, descendant. Nam (ut Priscianus ait in XV) *inveniuntur pauca, quæ quamvis a nominibus non deriventur, tamen habent comparativa, vel superlativa.* Hujusmodi est *satius* à *satis*; *secius* à *secus*; nisi *satius*, à *satior*; & *secius*, à *secior*. *Satior* est apud Plinium lib. XVII, cap. V: *Erit igitur hæc* (terra tenera, quæ vocatur pulla) *optima, & operi satior.* Altero usus Appulejus: apud quem in VI, & VII de A. A. legas, *sequior sexus.* At non memini me legere *diutior*, *diutissimus*; vel etiam *penissimus*: eoque hujus fortasse generis sunt, *diu, diutius, diutissimè*; *pene, penissimè.* Plautus Mostellariâ: *Itane mea consilia pervertit penissimè?* Item à *tempori* est *temporius*; quo usi Columella, & Ovidius; imò ipse Cicero. At *tempori* est a substantivo, & ejusmodi quidem, ut ex Aristotelis eâdem τῶν κατηγοριῶν πραγματείᾳ norunt omnes, non admittat intentionem, aut remissionem, cùm sit ex numero quantorum. Rectè igitur Priscianus PAUCA ait inveniri, quæ gradus admittant, præter nominum, unde veniunt, naturam. Quod & ante eum indicârat Valerius Probus lib. I Grammaticarum Institut. *Adverbia qualitatis sive quantitatis pleraque gradus recipiunt, PRÆSERTIM si à nomine veniant. Nam PERPAUCA sunt adverbia, quæ ab se orta gradus recipiunt.* At pauca si fuerint non venientia a nominibus, quæ nihilominus comparentur, sufficerit illud, ut Comparatio inter adverbii accidentia reponatur.

* Per se, sed ex accidenti.

Quæritur, an in istis paucis, quæ Probus, & Priscianus, excipiunt, etiam sint comparativi, & superlativi, à *sæpe*, & *penitus*. De priori rectè negat Priscianus in XV, eò quòd *antiqui & sæpior, & sæpissimus, protulisse inveniuntur.* Quod ab eo verè dici, arguit illud Catonis Nepotis de actionibus ad populum ne lex sua abrogaretur*: *Facile vobis in mentem veniat, Quirites, ex ære alieno in hâc civitate, & in aliis omnibus, propter diem, atque fœnus, sæpissimam discordiam fuisse.* Itidem *penitissimè*, quo Plautus usus in Mostellariâ, venit à *penitus*: unde apud eundem Asinariâ: *Ex penitu faucibus.* Et in Persâ: *Ex penitissimâ Arabiâ.* Sed ut per gradus variari Adverbia fatemur; ita numerum quoque accidere ei, pernegamus. Estque eâ parte liberalior nobis Priscianus in XV, ubi ait: *Notandum videtur, quòd Adverbium Age etiam pluralem habet: ut Virgilius in VIII:*

Ergo agite, o juvenes, tantarum in munere laudum.

* Apud Priscianum lib 3.

Nos negamus, *agite*, adverbium esse: imò nec age ejusmodi est naturâ. Nempe uti *vim obtinent imperativi activi*, (quod de iis agnoscit Charisius in secundo) ita etiam veri sunt imperativi verborum, non adverbia. *Age* autem tum demum videtur induere adverbii naturam, cum plurali verbo sociatur. Ut apud Valer. Flaccum lib. III Argon.

Vos age funereas ad litora volvite sylvas.

Ubi *age* pro *agite* dicit. Quomodo Maro I Æn.

Quare agite ô tectis juvenes succedite nostris.

Par ratio in *agedum*, & *agitedum*. Illud cum adverbium fit, jungitur etiam plurali. At *agitedum* semper pluralem exigit. Exempla suggeret Linacer in V de emendata structura. Nec aliter de *apage*, & *apagite*, statuendum.

Cap. XVIII.

Adverbiorum significatio multiplex. Quàm multa veteres falsò habeant pro adverbiis. Repens, *&* repentinò, *pro* repente. *Adverbia prohibendi, excludendi, & personalia, comprehendi sub negandi, separandi, & qualitatis adverbiis.*

Transea-

TRanseamus nunc ad significationem adverbiorum. Est ea multiplex. Charisius has viginti & unam recenset. Adfirmationis, ut *etiam*. Communicationis, ut *pariter*. Comparationis, ut *potius*. Demonstrationis, ut *ecce*. Dubitationis, ut *fortasse*. Eventus, ut *forte*. Hortationis, ut *eia*. Interrogationis, ut *cur*. Invocationis, ut *heus*. Loci, ut *hic*. Negationis, ut *non*. Numeri, ut *semel*. Optationis, ut *utinam*. Ordinationis, ut *deinde*. Prohibitionis, ut *ne*. Qualitatis, ut *bene*. Quantitatis, ut *nimium*. Responsionis, ut *hem*. Separationis, ut *seorsum*. Similitudinis, ut *quasi*. Temporis, ut *heri*. Quibus duas ab aliis adjungi, idem Charisius ait: Monstrationis, ut *ecce*: & Percunctationis, ut *quicum*, *mecum*; quæ ab nonnullis *Personalia* ait vocari.

His alias alii significationes addunt: sed, dum adverbia singula suas ad classes referre conantur, nimium quantum de alieno sunt liberales. Adeò multa inferciunt, quæ minimè ad hanc classem pertineant. Quod est ex parte ostensum nobis antea*: visumque pluribus id nunc ex ipsis commonstrare veteribus. Sic Charisio nomina, & pronomina, fiunt adverbia, cùm dicimus, *quanti* dantur, *magni* te facit, *magno* stabit, eras *Romæ*, is *Romam*, venit *Româ*; item, est *rure*, vel *ruri*, vel *domi*, venit *die quarto*, *post meridiem*, *ante meridiem*, comprehendam *brevi*, *Lilybæo* mittit, primo *pedato*, *pedibus* ingressus, *rumore* primo, *utero* suo recepit. Etiam *Plinius Secundus*, eodem auctore, *inter adverbia qualitatis posuit*, *dicendo*, *legendo*; *dicendi*, *legendi*. Idem Charisius testatur, esse qui inter adverbia referant, *quot*, *tot*, *aliquot*: atque ait: non esse *suæ æstimationis reprobare* hanc sententiam: interea suum se magistrum sequi profitetur, qui retulit ea inter nomina aptota pluralia; uti alii inter pronomina. Idem Grammaticus autor est, alios *inter adverbia hæc posuisse*, *quæ etiam apud veteres observata sunt*, *transitui*, *dimissui*, *receptui*, *ostentui*, & quæ ejusmodi sunt alia. Priscianus lib. XV, non tantùm *Romæ*, *Athenas*, *domi*, *militiæ*, *ruri*, *vesperi*, *forte*, adverbia facit, sed etiam *forti*. Uti in illo Georg. IV:

> *Sunt quibus ad portam cecidit custodia forti.*

Item *alternis*: ut in Bucolico:

> *Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.*

At rectè idem postea: *Sponte suâ, & mane primo, nomina esse ostenduntur, conjunctione aliorum casualium, ut domi suæ.* Rectè etiam Donatus in Edit. II: *Facilè, & difficile, quæ adverbia ponuntur, nomina potiùs dicenda sunt pro adverbiis posita; ut est, torvùm clamat, horrendùm resonat.* Quæ etiam exscripsit Cledonius in Arte suâ. Imò non adverbia sunt, sed ablativi, *primo*, *secundo*, *tertio*, *postremo*; puta *loco*. Sic *sero*, vel *optato adveniis*. Puta *tempore*. Ac par ratio in *horno*. Etiam *diu noctuque*, (quæ adverbia Fabio dicuntur lib. I, cap. IV) veri sunt ablativi. Unde Ennius, *Hac noctu*, & *quâ noctu*, & *noctu concubiâ*: & Quadrigarius, *de noctu*, & *noctu multâ*. Vide de eo Macrobium lib. I Sat. cap. IV. Addereque potuit, similiter Plautum loqui Amphitr. act. I, sc. II, & alibi. Fortasse & *interdiu* ablativus est, cùm Cicero dicat, *noctu, ac interdiu*: ac apud Plautum sit *interdius*, Aulul. act. I, sc. I:

> *Tum autem interdius,*
> *Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.*

Imò & *repente* itidem est ablativus à recto *repens*. Qui & ipse pro adverbio sumitur. Ut enim *libens* pro *libenter* sumitur; sic *repens* pro *repente*, quasi *repenter* barbarè dixeris, crebrum est. Recto usus Cic. III Tuscul. *Hostium repens adventus.* Varro lib. VI de L. L. *Recens ruina aperuit.* Silius lib. X:

> *Clamor sæpe repens, & sæpe silentia fixis*
> *In tellurem oculis.*

Et postea:

> *Hæc Libys, atque repens crepitantibus undique flammis*
> *Æthereas anima exultans evasit in auras.*

Statius Papinius VII Theb.

> —— *Vocisque repens singultus apertum*
> *Interclusit iter.*

Terentianus Maurus:

> *Sed ne corporeum repens*
> *Tabem arcesseret otium.*

Placidus Lactantius in commentariis illis, quos ex Hygino, Servio, paucisque aliis, congessit, ad superiorem Statii locum, *Repens*, inquit, *& adverbium potest esse temporis, & nomen participiale.* Sed semper est nomen. Itaque idem in X Theb.* *repens* interpretatur *repentinus*. *Repente* igitur dicitur, ut *repentino*, puta tempore. Posteriori hoc Afranius utitur in Emancipato:

> *Ut sint repentino apparandæ nuptiæ.*

Item in Vopisco:

> *Ubique repentino hujus consimile accidit.*

Adducit utrumque locum Charisius: atque addit, Statilium Maximum notare, similiter loqui Ciceronem. Credo, signat illud pro Quinctio: *Moritur in Gallia Quinctius, cùm adesset Nævius, & moritur repentino.* Hæc satis ostendunt, *repente*, & *repentinò* dici, ut *brevi*, *subitò*, & similia; in quibus itidem *tempore* intelligitur. Etiam ablativi sunt *falso*, & *merito*; ac supplendum *jure*: *secreto*, ubi reticetur *modo*: ac par ratio in *perpetuo*. Unde Plautus Mostell. act. III, sc. I, promiscuè ait: *Peris perpetuo*, &, *in perpetuum modum*. Imò & *tanto*, *quanto*, *multo*, & alia ejus farinæ, sunt ablativi; atque intelligitur *negotio*, hoc est, re. Ut *multo doctior* aut *melior*, pro *multo negotio*. Quomodo dicimus, *multis partibus*, aut *multis rebus melior*. Lucilius:

> *Qui melior multis, quàm tu, fuit, improbe, rebus.*

Eo me accusat, pro *in eo*, puta negotio. Sic *eo veni*, pro *de eo*. Ut dicimus, *eâ de caussâ*. Præpositio *de* omissa, ut in *quare*, pro, *qua de re*. In *fortuito* omissum *casu*. Nec diffiteor, sæpius hæc per copulam jungi. Sed tum *fortuitu* semper scribendum. Ut apud Cornificium in primo ad Herennium: *Casu, & fortuitu, navis in portum delata est.*

Quod pronomen est, etiam cùm dico, *Gaudeo, quod veneris*: vel illo Horatii lib. I, sat. IV:

> —— *Incolumis lætor quod vivit in Urbe.*

Nam integrè sit; Gaudeo eo nomine, vel lætor ob id, sive propter id negotium, quod est, te venisse; hoc est, adventus tuus. Sic in illo Terent. Eunuch. act. IV, sc. VII:

> *Sanè, quòd tibi nunc Vir videatur esse hic, Nebulo magnus est.*

Ubi *quod κατ' ἔλλειψιν* ponitur, pro *ad id, quod*. Nam sententia est, Quod attinet ad illud, quod tibi hic videatur vir. Sic idem eâdem comœdiâ act. V, sc. VIII:

> —— *Quod dicas mihi,*
> *Alium quærebam, iter hac habui: peristi.*

Pro, Ad illud, quod dicas. Sive, De illo. hoc est, quantum attinet ad istud. Favet his etiam Donatus, vel alius in illud Hecyrâ act. III, sc. III:

> *Postquam me adspexere ancillæ advenisse, illico omnes simul*
> *Lætæ exclamant: Venit, id quod me repente adspexerant.*

Ubi in illud, ID QUOD ME, annotat: *Deest PROPTER, ut sit, PROPTER ID: ac per hoc, IDEO.* Ac ex altero, ut censeo, Grammatico subditur: *Caussa cur lætæ exclamaverint. ID, ergo, OB ID.* Interdum & pronomen *id* exprimitur, ut solùm desit præpositio. Cicero ad Quinctum fratrem lib. III, epist. II: *Teneo ab accusando vix mehercule: vel id quod nolo cum Pompeio pugnare, vel quod judices nullos habemus.* Utrobique *id* omittit Lambinus: sed est in vett. libb. Neque caussa est, cur suscillet. Nam *id* ponitur pro *propter id*, vel, *ob id*.

Referunt & huc præpositionem cum nomine positam. Ut *Inter-ea*, *præter-ea*, *post-ea*, puta, *tempora*. Item *adhuc*, pro, *ad hoc tempus*: *antehac*, & *posthac*, pro *ante*, vel *post hæc tempora*. Nam *huc*, pro *hoc*, dixere: & *hac*, pro *hæc*. At verè ablativus est in *hactenus*, pro *hac fine tenus*.

[Margin notes: * Lib. I de analog. cap. 2. — * Vers. 154.]

Quæ

Quæ adduximus, vel nomina sunt, vel pronomina, vel participia, vel saltem ex præpositione cum pronomine conflata. Præterea verò & verba huc retulerunt: uti *age*, *agite*, de quibus antè diximus. Item *amabo*: quod semper esse Verbum etiam agnoscit Cælius Calcagninus. Sic enim ille epist. VIII, lib. II: *AMABO minimè adverbium est, ut Grammatici putavere (alioqui casum habere non posset) sed dicendi figura, qua ita rem nobis gratam fore ostendimus, ut inde amori cumulus fit accessurus. Interdum sine casu pronunciamus: ut illud Catullianum* *:

Amabo, mea dulcis Hypsithilla.

Interdum casum addimus, & tunc perfecta locutio est. Cicero ad Atticum † *sic quandam finit epistolam: Amabo te, epistolam, & πολιτικόν.* Unde colligas, *amabo*, *scribe epistolam*, valere, *amabo te*: ut hic Cicero loquitur. At si dicas, *amabo*, *scribite epistolam*, significare, *amabo vos*. Eadem ratio in *quaso*, & similibus; quemadmodum dictum in primo de Analogia cap. secundo.

* Carm. 33.

† Lib. 9, ep. 21.

Denique huc inserciunt particulas alius classis: uti quæ optandi, vel hortandi significationem habent. Nam illis sanè competit magis definitio interjectionis, quàm adverbii. Item ordinis significativas: ut sunt, *deinde*, *praterea*, *tum*, *insuper*: pro quibus vulgò dicunt, *secundò*, *tertio*, *quarto*, & ita deinceps. Sunt verò priora ista conjunctiones potiùs, quàm adverbia: nisi fortè, pro diverso respectu, diversarum classium facere visum est: quomodo *verò* non semper est conjunctio, sed quandoque etiam adverbium: ut cum affirmandi vim habet, atque idem valet ac *sanè*, vel *profectò*. Quo pacto usi Terentius, Cicero, alii.

Alterum etiam in classibus significationum digerendis errorem committunt. Nam multas, velut distinctas, recensent, quæ sub aliis comprehendi queunt. Sanè prohibendi adverbia referenda sunt ad negandi adverbia, & adverbia excludendi complecti debemus sub adverbiis separandi, eademque ratio in quibusdam aliis.

Neque ulla sunt adverbia personalia. Nam *tuatim*, quo Plautus utitur in Amphitryone ‡, est qualitatis, quia significat *tuo more*. Neque obstat, quòd *tuus* personam notat. Nam si iccirco architectari insuper debeamus aliam adverbiorum significationem: pari ratione etiam tempus reposueris inter nominum accidentia, ob vocabula *castrinus*, *hornus*, similiaque; quæ non minùs in nomine tempus notant, quàm in adverbiis antiqua illa, *meatim*, ac *tuatim*, significant personam.

‡ Act. 2, sc. 1.

CAP. XIX.

Adverbia diversa terminationis sub eâdem significatione: ut here, heri; præfiscine, præfiscini; peregre, peregri; tutissimè, tutissimò; arcanè, arcanò; cotidie, cotidio, cotidianè, cotidiano; commodè, commodò; rarè, rarò; falsè, falsò: largè, & largiter; amplè, & ampliter; durè, & duriter; lascivè, lasciviter; humanè, humaniter; firmè, firmiter; insanè, insaniter; severè, severiter. *In sermone potiùs consuetudinem sequi oportet, quàm rationem.* Disertè, disertim; minutè, minutim; sceleste, scelestim, juxta, juxtim; hinc, & him; illinc, & illim; primò, primùm; publicè, publicitus. *Discrimen, quod Priscianus inter* humanè, & humanitus; *statuit, non esse perpetuum, ostenditur. In Plinio vetus lectio defensa, adversus Dalecampium.*

PLurima verò adverbia geminam habent terminationem: unde jam olim inter Grammaticos quæsitum fuit, hoc, an illo modo, proferre ea oporteret. Ac primùm sunt, quæ promiscuè in E, vel I, desinant: ut *here*, & *heri*. Horat. II Serm. Sat. VIII:

Nam mihi convivam quarenti, dictus here illic
De medio potare die.

Ita etiam Priscianus legit in XV. Ac manifestiùs in illo Juvenalis sat. I:

Res hodie minor est, here quàm fuit; atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid.

Simile est *præfiscine*, & *præfiscini*: illo usus est Afranius in Consobrino; hoc autem Titinnius in Setinâ; Charisio testante lib. II. Ubi & *peregre*, & *peregri*, ita distinguit, quòd hoc in loco, illud in locum significet. Sed nihilo amplius discriminis est inter ista, quam in prioribus. Quod probare nihil attinet, quia Charisius ipse agnoscit, *peregri*, pro *peregre*, dixisse Nævium, & Plautum.

Sunt item alia, quæ utrùm in E, an O, desinant, olim fuerit quæsitum. E. G. *tutissimè*, an *tutissimò*; *arcanè*, an *arcanò*. Per E efferri vulgò audias: & ita etiam legas in plurimis codd. antiquis. Sed, uti Charisius observat, ipsius Ciceronis est ad Atticum lib. VII: *Ubi tutissimò essent.* Et ad eundem: *Rhetoris convivis tui arcanò legis.* Inque Cæsaris lib. I de bello civili est: *Domitius arcano cum paucis suis familiaribus colloquitur.* Ita est in optimis quibusque Mssis; etiam Palatinis: ut non debeant audiri, qui, *in Arcano*, reponunt. Ex eodem Charisio scimus, *cotidio*, pro *cotidie*, dicere Cæpionem, in M. Æmilium Scaurum, his verbis: *Cum ab isto viderem cotidio hostes consiliis adjuvari.* Ac similiter, teste eodem, *cotidianò*, pro *cotidianè*, est apud Afranium in Vopisco, & Frontonem ad Marcum Imperatorem. *Repentino* item apud Ciceronem *; ut superiùs dictum. Et *commodò*, pro *commodè*, apud Plautum Frivolariâ: *Commodò dictitemus.* Sed nisi aliorum exemplis niteremur, hac quidem parte minor apud nos esset Plauti auctoritas; quia, ut ejusdem Charisii verba usurpem, *Ultra Sarsinum, Osceatinis, & Marrucinis, erat moris, E literam relegare; O videlicet pro eâdem literâ claudentibus dictionem.* Nunc, præter Sarsinatem Plautum, ita alios loqui videmus. Est enim apud Titinnium in Jurisperitâ: *Nunc adeò visum: velle rem magnam ajebat sese* † *mecum loqui. Et commodo eccum exit.* id est, in tempore. Item Sisennæ est Milesiarum decimotertio: *Eamus ad ipsum: atque ipse commodò de parte superiori descendebat.* Similia, *assiduò* apud Plautum Trucul. *assiduè* Maroni Ecl. II: *tacitè* Cicero sæpe, *tacitò* idem Verr. IV, uti & Justinus lib. XVIII de Didone: *Tacitò fugam molitur.* In talibus neutrum damnabimus: sed eo sæpius utemur, quod veteres frequentarunt. Quomodo *rarò* malim, quam *rarè*: etsi hoc Ciceronem usum esse Statilius notavit; ac Cato quoque, & Plautus Rudente, usurparint; ut Charisius observat. Similiter *falsè* non damnem, quando Charisius citat ex lib. IV Sisennæ: *Judicium falsè factum.* Sed *falsò* magis amem: quomodo apud Tullium loco non uno legitur: & Sallustius ab eo Jugurtham suum orditur; idque Catonis sui exemplo, qui dixerat in orat. dierum dictarum de Consulatu suo: *Et rei dant operam, ut mihi falsò maledicatur.*

* Pro Quinctio.

† Aut velle redundat, aut sese. Scaliger in Catull. praterit, velle Malim ego omitti sese. Versus est jambicus ellomarius: cum sequentis tribus pedibus prioribus.

Præterea sunt adverbia, quæ exeant in E, & ER. Nec enim perpetua est regula illa Rhemnii Palæmonis in Arte Grammaticâ: *Ablativo diriguntur adverbia. Si habuerit ablativus O, adverbium in E mittit. Si verò ablativus in I exierit, adverbium in ER exierit.* Quo subnixus Charisius *tenerè* mavult, quàm *teneriter*. Sed, uti dixi, regulam hanc securè transiliunt veteres: quod Charisius agnoscit; ac Donatus item in Edit. II. Nam *largiter*, pro *largè*, dixit Laberius in Augure: & *ampliter*, pro *amplè*, Plautus Bacch. & *duriter*, pro *durè*, Terentius Adelphis: & *longiter*, pro *longè*, Lucretius in tertio: & *lasciviter*, pro *lascivè*, Livius in ἐρωτοπαιγνίων sexto. Itaque Cicero & *humanè*, & *humaniter*, usurpat; ut Priscianus in XV probat ex ejus epist. ad Pansam, & III Verr. Simileque est *firmè*, & *firmiter*. Nisi quòd, ut Charisius putat, veteres quoque *firmis* dixerunt: ut *hilarus*, & *hilaris*; unde *hilarè*, & *hilariter*. Sed ut duplex ista nominum terminatio in aliquibus habuerit locum; de omnibus tamen ex se formantibus duplicis terminationis adverbia, id verum esse non potest: ut in *insanus*, unde *insaniter*, apud Pomponium in Autorato: & in *severus*, unde *severiter*, apud

Titinnium in fabula, cui nomen Proelia*: multaque id genus suppeditabit Priscianus in xv, & Dausquejus in Orthographicis.

* In Prisciano est Proelia; sed apud Nonium in Mso nostro est Praelia: & ita quoque edidit Mercerus.

Nec tantùm à nominibus secundæ, fiunt quandoque adverbia in ER desinentia: sed etiam à nominibus tertiæ veniunt adverbia in E; ut à *facilis*, *facile*. Quippe hoc non definit in R, nisi in compositione: ut *difficulter*. Fuere tamen olim, qui contenderent, juxta illum Palæmonis canonem, *faculter* dici oportere. Testis Charisius, qui optime respondet, *Ridiculum esse, legem adversus consuetudinem ferre; quæ sola in nostro sermone dominatur.* Eâque consuetudine quoque docet, etsi ἀναλόγως ab *audaci*, *audaciter* descendat: tamen *audacter* pronunciandum κτ̃ συγκοπὴν. Sic enim Charisius: *Meminerimus Audacter eruditorum consuetudine sine I literâ elatum; non ut Procaciter, aut Loquaciter.*

Quemadmodum verò sunt, quæ per E, vel I, efferuntur, ut suprà diximus: ita etiam sunt, quæ in EM, & IM, desinunt: ut, *diserte*, *disertim*; *minute*, *minutim*; *caute*, *cautim*; *exquisite*, *exquisitim*; *arcte*, *arctim*. Quibus adde, *scelestè*, & *scelestim*. Ennius Phœnice, apud Nonium:

Plus miser sim, si scelestim faxim, quod dicam fore.

Ita est in membranis nostris, nec non Mso, quem sequitur Mercerus. In prioribus editt. malè *scelestum* legi solet. Vulgare etiam *confuse*, pro quo *confusim* Plin. lib. XVIII, cap. XVI: *De ea, & cythiso, volumen Amphilochus fecit confusim.* Pro *occulte*, *occultim* Solinus cap. x. Pro *perplexe*, *perplexim* Plautus Sticho. Pro *restrictè*, *restrictim*, Afranius Thaide. Etiam *directè* Cicero: at *directim* Macrobius lib. VII, cap. XIII, & Appulejus περὶ ἑρμηνείας.

Sunt etiam adverbia in IM, quæ aliàs in A, vel O, desinant. In A, ut *juxta*, *juxtim*, quod usurparunt Lucretius, & Tranquillus. In O, ut *privato*, *privatim*: illo (ut Priscianus in XV monet) usus Livius in XIV, hoc Sallustius in Catil. Imò & quædam in IM, vel INC, exibant. Nam pro *hinc*, & *illinc*, veteres *him*, & *illim*, usurpabant: ut docet Muretus lib. XII Var. Lect. cap. XI, & Giffanius indice Lucret. in *Illim*.

Adhæc multa per O, vel UM, proferebantur: ut *primò*, *primum*; *tertiò*, *tertium*, *postremò*, *postremum*. Quæ tamen natura suâ sunt sublativi, & accusativi, ἐπιῤῥηματικῶς positi. Sic, *quanto*, *quantum*; *tanto*, *tantum*; *aliquanto*, *aliquantum*; *paullo*, *paullum*; *multo*, *multum*; *nimio*, *nimium*; ubi *paullo*, pro *à paullo*; *paullum*, pro *ad paullum*; *nimio*, pro *à nimio*; *nimium*, pro *ad nimium*, & ita in aliis. Plautus: *Nimio satius*: &, *Nimium libenter.* Item *æterno*, pro *ab æterno*; *æternum*, pro *ad* vel *in æternum*. Priori usus Plinius lib. II, cap. CVII. *Viret æterno hunc fontem igneum contegens fraxinus.* Ubi tamen antiquissima Parmensis*, *ex æterno*. Sed prope omnes MSS, & alii, aliter.

* An. 1476.

Aliqua etiam efferuntur per O, & US, sive ITUS: ut *primo*, *primitus*. Item per E, & US; ut, *publicè*, & *publicitus*. Sed in his subinde contingit, ut significatio variet. Quod Priscianus factum ait in *divinè*, & *divinitus*; *humane*, & *humanitus*. Nam *divinè* notat, similiter ac divi: *humane*, similiter ac homines. At *divinitus* est ab divis: *humanitus*, ab hominibus. Tamen hoc Prisciani discrimen non observatur perpetuò. Nam *humanitus*, pro *hominum more*, dixit Cicero Philipp. I: *Siquid mihi humanitus accidisset.* Mortem περιφραστικῶς. Item Plinius lib. X, cap. LXIII. Ubi de coitu loquens animantium, *Ursi*, inquit, *humanitus strati.* Doctissimus Dalecampius legit, *humi strati*; quomodo de iis loquitur Aristoteles Histor. lib. V, cap. II. Sed Plinius amplius dicere voluit, quam istis verbis indicatur. Nam subjungit mox, vulpes in latera projectas misceri: quæ sanè ipsæ etiam humi sternuntur; nec tamen iis convenit, quod Plinius de ursis dicere voluit, quia vulpes femellæ non ineuntur supinæ à pronis. Sed istiusmodi mittamus.

Denique etiam sunt, quæ in UM, & US desinant, ut *rursum*, *rursus*; *prorsum*, *prorsus*; *adversum*, *adversus*. Frustra enim sunt, qui *rursus* negarunt rectè dici: quos Charisius refellit auctoritate Maronis, crebrò usurpantis; Nævii item, cujus hoc in Tarentillâ: *Quâ porrò confidentiâ ausus fueris rursus verbum cum eo facere.* Duplex verò his terminatio, quia dicitur *versus*, & *versum*; unde veniunt. Nam *rursus*, à *reversus*; *rursum*, à *reversum*: *prorsus*, à *provorsus*, *prorsum*, à *provorsum*. Par ratio in aliis inde derivatis. Ut *retrorsus*, quod apud Plinium, Fabium, alios: *quorsus* apud L. Senecam non semel, & Appul. lib. I Flor. *introrsus* apud Ovid. XII Met. *deorsus* apud Appul. lib. VIII, & IX: ut mittam, *antrorsus*, *dextrorsus*, *extrorsus*; de quibus Charisius. Etiam alia videntur utramque hanc terminationem habuisse: ut *demum*, pro quo Livius Andr. *demus*, teste Festo.

Cap. XX.

De adverbiis derivatis. Fortunatim, testatim, columbatim, filatim, templatim, pectinatim, anseratim, cuspidatim, *aliaque id genus multa.* Fustim. *Stephani Pighii emendatio gemina in dubium vocata.* Blanditer, primiter. Tuatim, meatim, nostratim. *Sed* suatim, *ut* canatim, bovatim. Perditim, coactim, cogitatim, *similiaque.*

Superest de Specie, & Figura. Ac de illâ priùs videamus.

Veniunt adverbia ab omnibus vocum classibus; sed terminatio multùm variat.

Si nomen exeat in A, adverbium rariùs finitur in ITUS; ut *medulla*, *medullitus*: plurimùm in ATIM; ut, *centuriatim*, *decuriatim*, *copulatim*, *summatim*, *guttatim*, *semitatim*, *fortunatim*, quod apud Ennium; *testatim*, quomodo Juventius*, *Caput ei testatim defregero*; *particulatim*, apud Varronem satyrâ, Age modò; *columbatim*, Mæcenati; *tessellatim*, Apicio lib. VII, cap. IX; *fistulatim*, & *laciniatim*. Appulejo; *cochleatim*, apud Sidonium; *lunatim* Eulogio. Puto & à *coxa* priùs fuisse *coxatim*; inde *coxim*, sive *cossim*, Plauto.

* Apud Charisium.

Similiter ab O fuerit ATIM, si à *mucro*, *mucronatim*. Sed Charisius putat, potiùs esse à *mucronatus*.

Ab UM etiam videtur quandoque esse ITUS: ut *cœlum*, *cœlitus*. Sed vocem eam metuo ne apud quemquam reperias Lactantio vetustiorem: qui usus lib. V Instit. ut & postea Servius in I Georg. vers. 168. At frequenter ab UM est ATIM; ut *membratim*, *ostiatim*, *filatim*, quod apud Lucretium lib. II; *granatim*, Appulejo; *frustratim*, eidem, & Victori Uticensi; *templatim*, Tertulliano; nempe ad instar *ostiatim*.

Ab EN similiter terminantur: ut *agminatim*; *pectinatim*, quod apud Vitruvium lib. II, cap. V.

Ab R secundæ declinationis venientia amant E: ut *piger*, *pigre*; *æger*, *ægre*; *faber*, *fabre*, apud Plautum in Cæco, sive Prædonibus: à *satur* item *saturè*.

Quandoque ITIM, vel ATIM: ut, *vir*, *viritim*; *sequester*, *sequestratim*, apud Cassiodorum lib. XI, epist. I. Nisi hoc potius verbale.

Ab R tertiæ interdum in R terminantur: ut, *acer*, *acriter*; nisi potius ab *acris*. Sic *par*, *pariter*; *memor*, *memoriter*; quamquam aliquid est, quòd in recto antiquissimi etiam *paris*, & *memoris*, dixerint.

Interdum autem in ATIM: ut *anseratim*, *passeratim*; quæ apud Charisium: *aggeratim*, Appulejo. Sed ab *uber*, *ubertim*.

Ab ES in IM: ut *vices*, *vicissim*, unde *vicissatim*.

Ab IS, in ER, ut *fortis*, *fortiter*; *dapsilis*, *dapsiliter*, Nævio Corollariâ.

Item in E, ut *facilis*, *facilè*. Similiter, si audimus Charisium, *vilis*, *vile*. A *peregris* quoque (unde accusativus *peregrem*) *peregre*, vel *peregri*: quo Plautum, & Titinium, usos, docet idem Charisius. Item AS, ut *foris*, *foras*; vel O, ut *omnis*, *omnino*.

Item

Item ATIM, ut *cuspis*, *cuspidatim*, apud Plinium; *tenuis*, *tenuatim*, Apicio lib. II, cap. VI; *fascis*, *fasciatim*. Nam non esse à *fascis*, eo probat Charisius, quia ut *centuriatim* est non *per centuriones*, sed *per centurias*, unde à *centuria* venire consequitur: sic *fasciatim* non est *per fascias*, sed *per fasces*: quod inde propterea derivari colligitur.

Etiam IM, ut *amussis*, *amussim*, unde *adamussim*. Imò à *fustis*, *fustim* quoque dixere, si recta est emendatio Stephani Pighii, apud Valerium lib. VI, cap. III, legentis: *Quod vinum bibisset, fustim interemit.* Ubi veteres libri *fusti*. Idem adverbium restituendum putat Plinio lib. XXII, cap. XIII. Ego contrà omnium codicum fidem vocem alibi non lectam inserere illis scriptoribus non ausim.

Ab US, in E: ut *doctus*, *doctè*; *placatus*, *placatè*. Ut, *Placatè & moderatè feramus*; apud Ciceronem, quemadmodum observavit Statilius Maximus* libro de Singularibus Ciceronis. Sic *effrenatè*, apud Cic. de Senectute. *Facetè*, & *defricatè*, apud Nævium Tarentillâ. Ennius†:

Hispanè, non Romanè, memoretis loqui me.

In O, ut *citus*, *citò*. Sic *continuò*, *secretò*, *tutò*, *bipertitò*, *tripertitò*, *fortuitò*, *continuò*. Helenius Acro‡ in Ter. Adelphos: *Ut falsò, & consultò, ita sedulò dictitatum.*

In ATIM, ut *gradus*, *gradatim*; *vicus*, *vicatim*; *articulus*, *articulatim*. Sic *angulatim*, *acervatim*, *minutatim*, *cuneatim*, quod apud Appulejum; *canaliculatim* Plinio lib. IX, cap. XXXIII. *cancellatim* eidem lib. VII, cap. XX: item Sidonio lib. IV, ep. III; *Gracatim* Tertulliano. *Saltuatim* dubium, sitne à *saltu*, an *salio*, aut *salto*. Ἀναλόγως à *salio* est *saltim*, unde *exsultim*: à *salto* autem, & *saltus*, fit *saltatim*. Nempe *u* insertum κατ' ἐπένθεσιν. A *cunctus* est *cunctim*, apud Sidonium.

In ITER, ut *largus*, *largiter*; *blandus*, *blanditer*. Sic *duriter* Terentio; *naviter* Plauto; *primiter* apud Titinium Maccis Geminis prioribus.

In ITUS, ut *fundus*, *funditus*; *humanus*, *humanitus*. Item *antiquitus*, *publicitus*.

In UM, ut *primum*, *cæterum*. Sed hujusmodi potiùs sunt nomina κατ' ἔλλειψιν prolata. Sallustius Histor. lib. IV: *Scio equidem, tibi magnas opes virorum, armorum, & auri esse, & eâ re ab nobis ad societatem; ab illis, ad prædam peteris. Cæterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul à domo, per nostra corpora bellum conficere.* Ubi Asper, Charisio teste, hæc annotavit: *Cæterum, quomodo positum est? pro, alioquin consilium est? an pro, reliquum consilium est?* Puto ego, *cæterum* dici ἐλλειπτικῶς, pro, *ad cæterum*, sive, *ad reliquum quod attinet.*

Atque hæ sunt terminationes venientium ab US secundæ. Ab US tertiæ est *atim*; ut, *genus*, *generatim*.

Ab S præcedente consonâ, item ab X, quandoque finiuntur in ITUS: ut *stirps*, *stirpitus*; *radix*, *radicitus*; etiam à *mordix*, (unde *mordicibus* Plauto*) *mordicitus*, & κτ̃ συγκοπὴν, *mordicus*, ὀδάξ. *Partim*, vetus accusativus est, pro, *quod ad partem*, κατ' ἔλλειψιν.

Vel in ATIM, ut ab *imbrex*, *imbricatim*, apud Plinium. Aut IM, ut *pars*, *partim*.

Sed sæpius in ER terminantur: ut, *elegans*, *eleganter*; *prudens*, *prudenter*; *opulens*, *opulenter*, quo usus Plautus in Cæco sive Prædonibus; *incidens*, *incidenter*, Laberio in Thuscâ; *demens*, *dementer*; *audens*, *audenter*, ut ex Verrio Flacco ait Charisius; *concors*, *concorditer*, Ennio in I Annal. *procax*, *procaciter*; *loquax*, *loquaciter*; *audax*, *audaciter*, *audacter*. Etiam à prisco *alis* est usitatum aliter: ut ab usitato alius priscum *alinta*.

Sunt & aliæ terminationes: ut à *fores*, *foras*: ab *omnis*, *omnino*.

Alia veniunt à pronominibus: de quo frustra ambigunt. Nam clarè id evincunt adverbia loci derivata ab *hic*, *iste*, *ille*, *is*. Ut *hic*, *huc*, *hac*, *hinc*, *istic*, *istuc*, *istanc*, *istinc*, &c. Quod si *uter* est pronomen, ut diximus, etiam hujus loci est *utrùm*. Sed de prioribus res est extra controversiam. Quare cautè parùm scripsit Charisius cap. de Adverbio: *Siqua videntur à pronominibus trahi adverbia, tantùm in Grammaticorum commentariis animadvertimus; in consuetudine non videmus: quæ ut fuerint, tamen consensu publici usus antiquata sunt.* Hujusmodi est *tuatim*: quo utitur Plautus Amphitr. *Jam tuatim facis.* Ubi Sisenna (ut ibidem Charisius testatur) ita scripsit: *Tuatim, ut nostratim. Significat autem tuo more.* Sic *meatim* est apud Diomedem lib. I, Asperum Juniorem in Arte, Donatum in Edit. II, Cledonium in Arte II. Addunt aliqui *suatim*. Sed hoc aliunde est. Nam notat, *suum more.* Quomodo & *canatim*, & *bovatim*, dixere: ut Nonius notavit, & ante eum Nigidius Figulus.

Præterea veniunt adverbia à verborum supinis, aut participiis. Ac plurimùm in IM desinunt: ut *perditim amare*, apud Afranium Vopisco; *perplexim*, Plauto in Sticho; *blanditim*, Lucretio lib. II. Item *statim*, *raptim*, *cæsim*, *strictim*, *cursim*, *afflictim*, *efflictim*, *fartim*, *pressim*, *discretim*, *contemtim*, *tractim*, *singultim*, *præstructim*, quod apud Tertullianum de Pallio; *coactim* Sidonio lib. IX, ep. XVI; *secretim*, Vincentio Lirinensi. Sic illa in ATIM, *vellicatim*, *saltuatim*, *geminatim*, *memoratim*, *rotatim*, *glomeratim*, *celatim*, quod apud Gellium lib. XII, capite XIV; *cogitatim*, de quo Festus Pompejus; *congregatim*, Prudentio; *emicatim*, Sidonio lib. II, ep. XIII; *tumultuatim*, eidem lib. VIII. Abundè etiam fit à verbo *abundo*: nisi prisci dixerint *abundus*: unde ἀναλόγως magis derivetur.

Sunt etiam, quæ à præpositionibus deriventur: ut *subtus* à *sub*; *intro* ab *intra*; *clanculum* à *clam*.

Accidit & adverbiis diminutio primitivi. Ut *celeriuscule*, apud scriptorem ad Herennium lib. III: *sæpiusculè*, apud Plautum Casinâ. Hæc de Specie.

CAP. XXI.

De figura adverbiorum. Forsit, *ex duobus*; forsitan, *ex tribus conflatum.* Quomodo, quare, quamobrem, *utrùm partim nomina, partim pronomina sint; an rectiùs adverbiis accenseantur.* Cur, *ex cui rei, vel* quare. *Unde* pedetentim, perendie, nimirum. Per *quandoque non præpositio, sed syllabica adjectio, & Latinis, & Græcis.* Utibi. Utrinde. Quin, *ex* qui ne: *ubi* qui *utriusque generis.* *Unde conflata*, ilicet, & deinceps. Adhæc. Amussim *adverbium*; *unde* examussim *non minùs, quàm* adamussim, *dicitur.*

UT in aliis classibus, ita quoque in adverbiis, compositorum alia fiunt è duobus; ut, *perdiu*, *abhinc*: alia è pluribus; ut, *forsitan*. Nam ut *forsit*, ex *fors*, & *sit*, quasi *fortè sit*; ac *forsan* ex *fors*, & *an*; quod & in *fortassean*: ita *forsitan* ex tribus istis, *fors*, *sit*, *an*.

Nulla verò est vocum classis, (si interjectionem excipias) ex qua non adverbium componatur. Quod exemplis deinceps planum faciemus.

Ex duobus nominibus fiunt, *postridie*, quasi *postero die*; *nudius tertius*, quasi, *nunc dies tertius*.

Ex nomine, & pronomine, sunt *quare*, *adhuc*.

Verùm quæstio hic exoritur, utrùm *quomodo*, *quare*, *quamobrem*, *adhuc*, & similia, rectè inter adverbia recenseantur. Ut de *quomodo* primùm dicam, videtur id nomen compositum ablativi casus. Cicero lib. XII ad Att. ep. VI: *Quomodo hoc ergo lues? uno scilicet, si mihi librum miseris.* Plautus Truculento act. V, sc. I:

PH. *Quem ego magis amo, quàm te.* ST. *Quàm me? quomodo?*

PH. *Hoc modo, ut molestus ne sis.*

Videmus, ad *quomodo* responderi, *uno modo*, *hoc modo*. Quæ & *quomodo* esse ablativum arguunt. Dicas obstare, quòd, si *quomodo* ablativus foret, ultimam produceret. Nunc corripit Horatius lib. I, sat. II:

Cum Victore sequor. Mæcenas quomodo tecum.

* Teste Charisio lib. I.
† Ibidem.
‡ Apud Charis.
* Aulul.

Sed enim jure oggerat aliquis, cùm, *quomodo*, unam in vocem coalescit, ob pronunciationis celeritatem aliquid deteri de modulo ultimæ syllabæ: nec tamen illud, cum modulus solùm sit accidens vocis, significationem variare: ex significatione autem statuendum esse, ad quam vocum classem aliquid pertineat. Puto igitur, verè esse nomen compositum; sed quod adverbii penè universam induerit naturam: cujusmodi appellant *nomina adverbiascentia*; vel, *adverbia non nativa, sed reperta*, sive, ut dicunt, *usurpata*.

Quod de *quomodo* dixi, idem dictum velim de *quare*. Nam nomen est compositum ex *qua*, & *re*: quod κατ' ἔκθλιψιν ponitur, pro *qua de re*, vel, *qua in re*. Hæc integrè sic interdum reperias. Atque hoc non parùm confirmat id, quod de ellipsi dicebamus. Plaut. Pœn. act. I, sc. II:

> AN. *Nimia nos socordia hodie tenuit.* AD. *Quâ de re, obsecro?*
>
> AN. *Quia jam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus.*

Similiter Cornelius Nepos in Timoleonte: *Qui quidem, cum suas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quàm se in eâ re maximas Diis gratias agere, atque habere.*

Idem de *cur* statuendum videtur. Est enim contractum ex *cui rei*. Integro hoc usus Plautus Pœnulo, act. II, sc. I:

> ——*Viscum legioni dedi,*
>
> *Fundasque eo præsternebant folia farferi.*
>
> LY. *Cui rei?* AN. *Ne ad fundas viscus adhæresceret.*

Quamquam & dicere possis, *cur*, sive *quor* (sic enim veteres pro eo scripsere) κατ' ἀποκοπὴν factum esse ex *quare*: quod pro *qua de re*, vel *qua in re*, poni, antea diximus. Sed ad composita ex aliis nunc classibus veniamus.

Ex nomine, & verbo, conflatur *pedetentim*: quasi *pede tentando*. Cato, dierum dictarum de consulatu suo: *Eam ego viam pedetentim tentabam.* Est apud Charisium in II.

Ex nomine, & participio est, *perendie*, quasi ex *peremta die*: ut Grammaticos notâsse, idem ait Charisius.

Ex nomine, & adverbio, est *numirum*, quasi *ne*, hoc est, non *mirum*. Sic *dextrorsum* pro *dextroversum*, quasi dextram versus. Item *mecastor*, ex adverbio *me*, quod Græcis μὰ, & *Castor*: quasi dicas, per Castorem.

Ex nomine, & præpositione, fiunt, *extemplo*, *illico*, *profectò*, *obviam*, *obiter*, *præsiciscini*, *peregre*.

Ex nomine, & syllabicâ adjectione, sunt, *tantisper*, *aliquantisper*: ubi *per* accessio est syllabica, ut in *parumper*, & Græco ὥσπερ, ac similibus.

Ex duobus pronominibus, ut *ideo*. Nam prior pars est *id*, pro *ob id*: quomodo Terentius ait Andr. act. II, sc. IV: *Si id succenseat nunc.* Posterior pars est *eo*, pro *ex eo*, hoc est, ea de caussa. Quomodo idem Hec. ait act. II, sc. I:

> *Enim lassam oppido tum ajebant: eo ad eam non admissa sum.*

Ex pronomine, & adverbio, resultat *alicubi*: puta ex *aliquo*, & *ubi*. Sic *alibi*, ex *alio*, & *ibi*; *alicunde*, ex *aliquo*, & *unde*, & similia. Nævius in Tarentillâ:

> *Utribi cœnaturi estis? hiccine, an in triclinio?*

Cato pro Lusitanis: *De frumento utrobi bona, utrobi mala gratia capiatur; utrinde iram, utrinde factiones tibi pares.* Utrumque hoc est apud Charisium. Huc etiam pertinet *Quin*. Est enim conflatum ex *qui*, & *ne*: ubi *ne* valet *non*, ut in *nefarius*, *nescio*, *nequaquam*: *qui* autem ponitur pro *quo*, vel *qua*; ut in *quicum*: hoc est, *cum quo*, vel, *cum qua*. Eaque caussa est, cur *quin* dicatur de viro ac femina, & horum naturam sequentibus. Cic. ad Att. lib. VII, epist. XV: *Ut ab urbe discessi, nullum adhuc intermisi diem, quin aliquid ad te literarum darem.* Imò & naturam nominativi includit. Ut si dicam, *Nullus est mortalis, quin peccet.* Pro, qui mortalis non peccet. Itidem in feminino. Plautus Persa act. III, sc. I:

> SA. *Virgo, atque mulier, nulla erit, quin sit mala,*
> *Quæ præter sapiet, quam placet parentibus.*
>
> VIR. *Virgo, atque mulier, nulla erit, quin sit mala,*
> *Quæ reticet, si quid fieri perversè videt.*

Utrobique, *quin sit*, pro, *qui non sit*. Nam & *qui* in recto olim utebantur genere feminino.

Ex pronomine, & præpositione sunt, *antea*, *postea*: item *adhuc*, *adhac*. Eorum prius ponitur pro *ad hoc*: quod integrè sit, *ad hoc temporis*. Posterius ab aliquibus viris doctissimis improbatur. Sed *adhac* legitur in optimis libris Ciceronis pro Flacco, item apud Sallustium, ac Tacitum sæpius. Est tamen, cùm unum pro altero irrepserit. Unde Gellio lib. I, cap. IV, ubi vulgò *adhac* legebatur, alterum illud, fidem MSSorum secutus, restituit Carrio lib. I Antiqu. Lect. cap. XIX.

Ex duobus verbis est *scilicet*, pro *scire licet*; *videlicet*, pro *videre licet*; item *ilicet*, pro, *ire licet*; ut Celsus ait apud Charisium. Etsi, ut ibidem ex Martio Salutari legas, quandoque interrogativum putent pro *bene*.

Ex verbo, & adverbio, fit *deinceps*, quasi *dein capiendo*. Nisi, quæ ordinem significant, conjunctionibus adnumeranda: de quo antea*.

* Lib. I de Analogia, cap. 2, & hujusce libri, cap. 17.

Ex duobus adverbiis sunt, *etiamnum*, pro *etiam nunc*; *sicut*, pro, *sic ut*. Item *tanquam*: quod tamen integrè sit ex duobus nominibus, *tantum*, *quantum*.

Ex adverbio, & præpositione, componuntur, *antequam*, *inibi*, *protenus*, *adeo*, *abhinc*, *deinde*, *perinde*, *proinde*, *subinde*. Ac hujus quoque loci est *adamussim*, quod significat *examinate*. Ac par ratio in *examussim*. Quamquam non desunt, qui, compositione nova offensi, *examussim* Latinè dici negent. Nos, ut *adamussim* probamus: quippe quo Varro utatur lib. I de R. R. cap. I, Macrobius lib. I Saturn. cap. IV, atque alii: ita *examussim* quoque Latinum esse didicimus, cùm ex Sisenna apud Charisium, & veteri glossario, atque aliis; tum Plauto, qui eo utitur sæpius. Neque offendit, quòd præpositio *ex* videatur jungi accusativo. Nam *amussim* hic non accusativus est, sed adverbium obsoletum. Estque simile *exadversum*, quod non est ab *ex*, & nomine *adversus* (nam semper *exadverso* diceretur) sed adverbio, vel præpositione *adversum*.

Ex adverbio, & conjunctione, est *etiam*, pro, *& jam*.

Ex adverbio, & syllabicâ adjectione, est *parumper*. Nam *per* hic se habet, ut in *tantisper*, de quo dictum. Censeo & *que* in *quandoque*, & *ubique*, potiùs ad ἐπέκτασιν* pertinere, quam ut conjunctio sit. Sed in *cunque* videtur *que* conjunctio. Nam *ubicunque* valet hoc loco, & cum eo quovis alio. Par ratio in *quandocunque*, & *quomodocunque*. In quibuscunque notat distributionem rerum suo eodem toto pertinentium. Sic in pronomine *qualiscunque*, quasi dicas, qualis, & iterum qualis. De Adverbio hactenus.

* Extensionem vocis.

Cap. XXII.

*De Præpositione. Eam potiùs, quàm Adverbium, Præ*verbium *appellari. Utrumque nomen ex eo desumi, quod plurimùm fit. Ordinem quoque Præpositioni accidere. Prisciani, & Cæsaris Scaligeri definitiones refelluntur. Vera definitio. Præpositionum distributio. Sola ex particulis præpositio casum naturâ suâ regere videtur. Malè nonnullos in præpositionibus omittere* ponè, palàm, *&* secus. *At* versus, *aut* versum, *non est præpositio.* Ad meridiem versum. *Ciceronis memoria lapsus.* In Arvernos versus. A Concordiæ versum. *Cur* adversus, *&* adversum, *adsciscant accusativum.* Procul, *&* usque, *non esse præverbia, casusque iis addi solitos regi à præpositione intellectâ, quæ quandoque etiam exprimitur. An, inter accidentia præpositionis, etiam Comparatio sit.*

SEquitur Præpositio, quam (ut Priscianus nos docet in XIV) *Stoici non bene inter conjunctiones ponebant, præposi-*

positivam conjunctionem eam nominantes. Quomodo enim *conjunctionis* nomen mereatur, cum hujus natura sit jungere verba & sententias; eoque inserviat orationi compositæ: præpositio verò primò inserviat simplici orationi sive non enuncianti: ut, *In quid dirigis arcum?* Et, *Redito, circiter meridiem:* sive enunciativæ: ut, *Mævius direxit arcum*, interam: *Seius rediit circiter meridiem. Præpositiva* Tullio vocatur in Topicis. Alio etiam nomine *Præverbium* dicitur. Varro lib. v de L. L. *Consuetudo autem communis, quæ cum præverbiis conjuncta sunt, etiam nunc servat: ut adspicio, conspicio, respicio*, &c. Et eodem libro: *A quibus iisdem principiis, antepositis præverbiis paucis, immanis verborum accedit numerus, quod præverbiis additis, atque commutatis, aliud atque aliud fit. Ut enim Cessit, atque Recessit, sic Accessit, & Abscessit.* Item Gellius lib. VII, cap. VII: *Addebat Annianus, AD præverbium acui, cùm significat ἐπίτασιν*: sicuti Adfabre, & Admodum, & Adprobe, dicuntur.* Quare miror, à Sosipatro quæri, *Præverbium, an Adverbium, dici debeat.* Ubi & ista subjungit: *Suetonius Tranquillus Præverbium putat dici debere, quod ante; vel Adverbium, quòd post verbum appellatio ejus nomenque ponatur.* Unde cognoscimus, secundùm Tranquillum, quæ vulgò dicuntur *Adverbia*, alio ea nomine *præverbia* nuncupari: etsi, ex mente Varronis, præpositiones potiùs præverbiorum obtineant nomen. Cornelius Fronto, libello de vocabulorum differentiis, quæ adverbia sunt, cum Tranquillo & ipse vocat *præverbia*, planeque rejicit *adverbii* vocabulum. Ita enim loquitur: *Præverbium est ὀρθότερον: adverbium & vitiosum, & fictum est: tamen in usu nunc est receptum.* In libello autem Terentii Scauri quatuor ista, *ex, in, ad, ab*, vocantur *adverbia localia:* sed additur, aliis *præverbia* nominari. In hoc appellationum dissensu, Varronem tutiùs sequimur; neque id solum ob viri auctoritatem, sed etiam quia pro eo stat ratio. Sanè adverbium, etsi in sermonis usu sæpius præponatur verbo, (quomodo dicere solemus, *male canit, celeriter currit*) tamen naturâ posterius est: ut rectè docent, qui disserunt de discrimine ordinis Grammatici, & Oratorii. Præpositio verò, ut usu, ita naturâ etiam prior est verbo suo. Ut omnino præpositioni potiùs, quam adverbio, *præverbii* nomen competat. Itaque nec Cæsar Scaliger scribere veritus est libb. de caussis L. L. *Non est præpositio, quia præponitur: sed præponitur, quia est præpositio.* Satis acutè, etsi ineptum videri possit. Rem enim significatam Scaliger attendit, à cujus natura vocabulum petitum. Sanè ordinem naturæ, quem Grammaticum vocant, spectare si velimus: præpositio omnis in mente humana casum suum præcedit: & inde *præpositionis* nomen datum est rei. Verùm vocabulum si spectes, non semper præponitur, quomodo præpositio sive præverbium non semper fit, quod dicitur. Interim vocis quoque usum non rem ipsam, & naturæ in mente ordinem si consideremus. Fateri cogimur istam etiam appellationem ab eo sumi, non quidem quod semper, attamen quod plurimùm fiat. Sunt enim præpositionum aliæ præpositivæ, aliæ postpositivæ. Priores non postponuntur, nisi figuratè; ut illo Sallustii i Histor. *Quos inter maximè.* Posteriores semper postponuntur. Ut *tenus:* quomodo dicimus, *Pube* tenus.* Ac *versus*, etiam, & *usque*, quæ a plurimis præpositiones creduntur, frequentiùs postponuntur. Ac movit hoc nonnullos, ut Ordinem inter Præpositionis accidentia reponerent. Quos inter Nicodemus Frischlinus: atque idem veteres quosdam factitâsse, auctor est Diomedes. Quare non placet definitio ista Prisciani, quâ dicitur esse *pars orationis indeclinabilis, quæ præponitur aliis partibus, vel appositione, vel compositione.* Nam in eo peccat, quòd non convenit cuivis præpositioni; uti *tenus*, quæ veriùs *postpositio* dici mereatur. Imò est, cùm in compositione quoque postponantur: ut *hactenus, quatenus; quicum, mecum, quibuscum, nobiscum.* Atque adeò sibi etiam ipsi postponitur: ut, in *circumcirca, inante, exante*, & aliis, de quibus mox plura. Præterea definitio ista etiam competit conjunctionibus præpositivis: ut, *nam, si.* Item particulis optandi: ut, *utinam, ô si.* Atque aliis.

* Incrementum.

* 3 Æn.

Ex acutissimo Julio Scaligero videtur definitio ejusmodi exstrui posse: *Præpositio est vox significans rei motum, vel quietem.* Sed *ob*, & *propter*, non motum, vel quietem signant, verùm caussam. Non fugit hoc perspicaciam Scaligeri; sed occurri eo putavit, quòd olim habuerint loci rationem: ut, *Ob Romam obequitans Hannibal:* &, *Athesim propter amœnum.* Verùm hoc non est satis. Nam si de οὐσίᾳ† præpositionis est, signare motum, aut quietem; etiam cùm denotant caussam, connotabunt motum, aut quietem: vel si ea non connotant, præpositiones esse desinent. Aliud quoque telum libramus. *Absque* non significat motum, aut quietem. At, inquit Scaliger‡, *tametsi verum motum non dicat, significat* tamen *absentiam, & intervallum, quod possit esse locus rei motæ inter duo extrema.* Mirificum responsum, quasi idem foret, notare absentiam, ac notare locum: quasi item pro eodem censere oporteat motum, & locum, in quo motus fiat.

† Essentia.

‡ De causs. L. L. cap. 54.

Melior ὑπογραφὴ* ista, quam etiam alibi dedimus, ut definiatur vox, quæ nomen adjungitur verbo, ad caussam, locum, tempus, conjunctionem, aut privationem significandam. Sanè Frischlinus etiam, è Prisciano, ac Valla, distinguit præpositiones, in temporales, ut *circiter:* caussales, ut *pro, præ, ob, propter, secundùm:* privativas, ut *præter, absque, sine, clam:* comitativam, ut *cum:* locales, ut sunt cæteræ omnes, aliæ ad locum, aliæ in loco, aliæ per locum, aliæ de loco.

* Descriptio.

Quod si, ut verisimile credimus, inque libro de Structura ostendemus, adverbia nulla, nullæ etiam interjectiones, casum regant: casusque additus adverbio, si dativum exceperis, potiùs regitur à præpositione κατ᾽ ἔλλειψιν subauditâ: non meliùs præpositio definitur, quàm particula casum regens: sive, ut ἀκριβῶς illa apertiùs excludantur, naturâ suâ casum regens. Nec propterea existimandum, rectè præpositionem etiam adjungi adverbiis, vel præpositionibus, quoties casus adponitur. Quippe ubi perpetua est ἔλλειψις ex probatâ loquendi consuetudine: ibi nec nobis licet eam Latii legem migrare. Dixeris, regimen non ad singularum vocum ἀναλογίαν, sed ad structuram earum, quam σύνταξιν dicimus, pertinere. Non diffiteor: verùm nihil hoc officit nobis. Quippe si voces singulæ sint propter orationem, cujus est structura: à structura, tanquam fine, singularum vocum petere discrimen ac definitionem licet. Ut prætercam illud, quòd hic universè modò dicatur, præpositionum esse naturam, ut extra compositionem casum regant: non autem additur, quem casum regant: quia posterius hoc συντάξις explicetur.

Ex iis, quæ de præpositionum natura generatim diximus, facile deinceps erit statuere, ut quædam præpositionibus annumerent, quæ hujus loci non sunt: quædam contrà prætereant, quæ iis conveniat accenseri. Hoc exemplis planius fiet. Ita *ponè*, & *palàm*, addi oportet, etiam Charisio judice. Livius lib. x belli Macedonici: *Ponè castra.* Idem lib. VI ab V. C. *Palàm populo.* Cicero, sive potiùs declamator vetus in Sallustium: *An turpius est scribentem mentiri, quàm illum palàm hoc ordine dicentem?* Nec displicet ibidem: *His* palàm refelle:* ubi postponitur. Uti & in illo Horatii libro Epod. od. XI:

* Al. Hic.

Ubi hæc severus te palàm laudaveram.

Quo ex loco simul diluect, falli Fl. Caprum libello de Orthographiâ, ubi legas: *Coram illo dicendum est; non, Palam illo: nam palàm ad multos refertur.* Quæ & Alcuini in Grammaticis, & aliorum, sententia fuit. Quæritur, an *secus* addi etiam oporteat. Sanè vulgatus interpres Psal. I ait: *Ligno secus decursus aquarum.* Sed adversatur Sosipater Charisius lib. I, ubi ait: *Secus adverbium significat aliter. Unde nascitur Secius, ἀλλοιοτέρως. Cæterùm id quod vulgus usurpat, Secus illum sedi, id est, secundum illum, & fatuum, & sordidum est.* Verùm non solùm vulgus sic locutum videtur. Nam est Sempronii Asellionis lib. XIV Histor. *Ne possent stationes facere secus hoc.* Et Plinius lib. XXIV, cap. XV, *Secus fluvios.* Item Fabius lib.

lib. VIII, cap. II: *Pessima sunt ἀδιάνοητα, hoc est, quæ verbis aperta occultos sensus habent: ut, Conductus est cæcus secus viam stare.* Ubi non satis video, cur is sensus sit obscurus. Nam satis liquet, hanc eorum esse verborum mentem: *Cæcus est pretio ad hoc conductus, ut staret juxta viam*: puta ad stipem emendicandam, vel aliud. Interim liquet, *secus* præpositionem esse; verùm quâ elegantiæ studiosus rectiùs abstineat: utcumque semel & iterum exciderit bonis scriptoribus, qui ex vulgari usu eam admisere, non ex consensu doctorum.

At perperam præpositionibus addidere *versus*. Scio, Ciceronem ad Matium *, scribere, *Brundusium versus*: similiaque alibi legi. Verùm est sermo hic ἐλλειπτικῶς, quia *ad* reticetur, unde *Brundusium* regitur; non autem ab adverbio *versus*. Integrè dixit Livius lib. I: *Deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit.* Imò quandoque etiam *in* additur. Cæsar lib. VII de bello Gallico: *Quorum ille precibus permotus, castra ex Biturigibus movet in Arvernos versus.* Ac similiter fortasse Tullius, libro de Amicitia. Nam ubi vulgò editum: *Is primum instituit in forum versibus agere cum populo*: quod planè ineptum: in libris vett. ut Carolus Langius, & Dionysius Lambinus, observarunt, legitur, *in forum versus*. Sermo est de C. Licinio Crasso; qui cùm alii, cum populo agentes, senatum versus spectare soleant; faciem in forum versus convertebat, ut honorem populo præstaret. Plutarchus tamen id non de C. Crasso, sed C. Graccho narrat. Quæ nomina adeò sunt vicina, ut facilis in eo fuerit lapsus Tullio. Nam quo minùs librarii culpa putetur, facit quòd Licinius, non Tiberius vocetur. Plutarchus, dum id refert, habet hunc in modum, Πρῶτον † τότε στραφεὶς ἔξω πρὸς τὴν ἀγορὰν δημηγορῆσαι. Eaque verba confirmant, quod diximus. Nam quod Plutarchus, στραφεὶς ἔξω πρὸς τὴν ἀγορὰν δημηγορῆσαι, id Tullio est, *in forum versus agere cum populo*. Unde aliquis conjectet, *versus*, quod στραφεὶς redditur, participium, non adverbium esse. Verùm non minùs probabile est, Plutarchum sententiam solùm, ac vocis ἔτυμον, spectâsse. Nam ad *Orientem*, vel *urbem*, vel *forum versus*, dicimus, quia eò nos vertimus, quò iter dirigimus.

* Lib. 11, ep. 27.

† Primum tunc exterius conversus ad populum concionatus.

Porrò quòd non *versus* solùm, sed etiam *versum* dixere, minimè mirandum: quando in his nihil aliud est discriminis, quàm quòd illic sit recti casus forma, hic incusativi, vel illic masculini generis, hic neutrius. Cato dierum dictarum de consulatu suo: *Ponè versum illac mare est.* Nec tantùm dico, *ad Romam versum ire*: sed etiam *à Roma versum.* Quomodo locutus Varro lib. IV de L. L. *Tum quendam Curtium, virum fortem, armatum adscendisse equum, & à Concordia versum, cum equo in eum præcipitatum.* Ei quod hic dicitur, *à Concordia versum*, contrarium est, *ad Concordiæ versum.* Sive unâ voce, sed compositâ, *adversus*, vel *adversum Concordiæ*, puta *ædem*. Sic *adversus*, vel *adversum urbem*, valet *ad urbem versus*, vel *ad urbem versum.* Atque hinc caussam videmus, cur *adversus*, & *adversum*, regant accusativum: nempe non vi posterioris partis, quæ est *versus*, vel *versum*; sed prioris, quæ est *ad*.

Quâ verò de caussâ *versus*, & *versum*, è præverbiis ejicimus: ob eandem inde arcemus *procul*, & *usque*. Non quidem ignoro, *procul* ablativo jungi. Ut apud Livium initio lib. XLIV: *Tumulo haut procul hostium castris capto.* Et lib. XLVIII: *Procul Oceano.* Item apud Suetonium in Claudio: *Procul dubio*: & Columellam præfat. lib. I: *Procul vero.* Sed enim hæc ἐλλειπτικῶς dicuntur, quia reticetur præpositio *a*, vel *ab*. Sanè ut Ennius *, *patriâ procul*: ita Maro †, *procul à patria.* Et Ovidius epist. Phædræ ad Hippolyt.

Sint procul à nobis juvenes, ut femina, comti.

Fabius ‡, *Procul à literis.* Item *, *Procul ab ostentatione.* Objectant, quòd & accusativo jungatur. Ac adferunt illud Livii lib. XXXI: *Locus procul muros satis æquus agendis vineis fuit.* Item hoc Plinii lib. IX, cap. LIII: *Villa est Campaniæ haut procul Neapolim.* Utrumque locum sic adducunt Nuñivita, & Linacer: priorem etiam Rob. Stephanus in Thesauro. Sed in melioribus Livii codd. est, *procul muro*: in Plinianis, *procul Neapoli*: quomodo & habet antiquissima & optima editio Parmensis. Atque hinc etiam liquet, cujus sit fidei, quod e Curtii lib. IV, de Alexandro aciem disponente, vulgò objiciunt: *Impedimenta haut procul aciem in edito colle constituit.* Ubi Hadrianus Junius ex codd. suis expressit, *haut procul ab acie*: sed ad oram addidit, in aliis libris legi: *haut procul acie.* Mirum, Modiũm quoque edidisse, *haut procul aciem.* Nisi, quæ Acidalii est suspicio, culpâ typothetæ *aciem* pro *acie* irrepsit.

* Medea apud Cic. lib 7, epist. 6.

† Ecl. 10

‡ Lib 7, cap. 2.

* Proœmio lib. 4.

In *usque* similiter deceptos diximus. Nec diffiteor, accusativo jungi. Ut Terent. Adelph. act. IV, sc. V: *Miletum usque.* Et Cic. ad Att. lib. XV, ep. XXVIII: *Usque Puteolos.* Sed ellipsis est præpositionis *ad*, quæ sæpe adjungitur. Ut Cic. lib. II de Invent. *Usque ad hoc tempus.* Virgil. Ecl. V:

Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sidera notus.

Horat. lib. I, sat. III: —— *Ab ovo Usque ad mala* ——. Tacitus lib. XIX: *Ad serum usque diem.* Et alibi crebrò. Quare quod dico, *Romam usque*, integrè fuerit, *usque ad Romam.* Interdum & *sub* possis intelligere: quod exprimitur à Marone I Georg.

—— *Serite ordea campis*

Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem.

Ac similiter & ablativo jungitur cum præpositione. Ut Terent. Eunuch. act. III, sc. II: *Ex Æthiopia est usque hæc.* Et Phorm. act. II, sc. III:

Progeniem vestram usque ab avo, atque atavo proferens.

Cic. in Top. *Usque à capite arcessere.*

Virgil. VII Æn.

—— *Siculo prospexit ab usque Pachyno.*

Videtur & *prope* magis adverbium esse. Nempe ut, *prope urbem*, usu receptum dicamus, loco integri, *prope ad urbem*: quomodo Belgæ dicunt *dicht by de stad*: ubi *by* (quod valet *ad*) exprimi videmus. Et cur non æquè intelligatur præpositio *ad*, cum accusativus sequitur: quàm exprimitur præpositio *à*, cum sequitur ablativus? Ut apud Ciceronem *, *Bellum prope à Sicilia*: item †, *Prope ab domo detineri*: & similibus. Nam ut dicimus, *prope abesse ab urbe*: sic dici potuit, *prope adesse ad urbem.* Valde etiam pro hac sententia est, quòd *prope* comparetur, & tum comparativus, tum superlativus, eidem casui jungatur. Unde apud Livium, *Propiùs Albam*: item, *Propius fidem*: & apud Ciceronem VI Philipp. *Propiùs urbem*: & Philipp. X: *Quàm proximè Italiam.* item apud Sallustium in Jugurth. *Proximè Hispaniam Mauri sunt.* Julius Scaliger lib. IV de L. L. cap. 81, colligebat ex ejusmodi structurâ, etiam comparationem inter præpositionis accidentia reponi oportere. Vellem, præter *prope*, adducere aliud potuisset. Nam hoc, an præpositio sit, in controversia est nobis. Alii aliter respondent. Nam dicunt, præpositiones comparatione fieri adverbia. Verùm nemo, qui philosophiæ oram adbiberit, ex accidente, quale est comparatio, judicium facere volet de οὐσίᾳ ‡ vocum, ad quam pertinet classium distinctio. Quare si *prope* est præpositio, cùm dico, *prope Romam*: præpositio quoque erit, cum aio, *propiùs Romam*, & *proximè Romam.* Sin hæ præpositiones non sunt, ne *prope* quidem fuerit. Fortasse & aliquid est, quòd hi gradus eâdem significatione etiam dativo junguntur. Nam dicimus, *propius urbi*, & *urbem*; *propius castris*, & *castra.* Maro I Georg.

* 7 Verr.

† 4 Verr.

‡ Essentia.

Agricolæ propiùs stabulis armenta tenerent.

Cæsar: *Quàm proximè potest hostium castris castra communit.* Atqui præpositiones nullæ dandi casum regunt. Oggeret pro Scaligero aliquis, cùm aio, *propiùs*, vel *proximè urbi*, esse adverbia: at cùm dico, *propiùs*, vel *proximè urbem*, esse præpositiones. Sed si utrobique eadem omnino significatio est, eadem quoque, uti dixi, erit pars orationis. Omnes enim orationis partes distinguuntur significatione, ut formâ essentiali, sive differentiâ, quam Græci εἰδοποιὸν, vulgò autem *specificam* appellant. Nihil hic obten-

obtendere possumus, nisi fortè, quod propriè non est regimen, cùm dativus apponitur acquisitivus: de quo libro proximo.

Penè etiam est, ut ne *circiter* quidem præpositionem agnoscam. Nam aliquando suspicio mihi incidit, ut *obiter* dicimus voce ex *ob*, & *iter*, composita: ita etiam *circiter* esse conflatum ex *circum* vel *circa*, & *iter*. Ita *circiter Romam*, integrè sit, *circum iter ad Romam*: hoc est, *circa illud iter, quo Romam itur*.

Cap. XXIII.

De præpositionum derivatione, & compositione. Origo præverbiorum propter, circùm, secundùm. Præsente, *&* absente, *cum plurali*, testibus, suis, omnibus, nobis, legatis, ambobus. Nobis insperanti. Præfiscini. *Unde consentur* apud, prope, post. *Cum adverbiis præpositiones componi, exemplis comprobatur.* Deprocul, proporro, impridie, impalam, propalam *&c. Appulejus emendatus. Ostenditur easdem cum se ipsis componi: ut,* inante, exante, postante, circumsecus, incircum. Insuper *cum accusandi casu.* Insuperhabere. Incoram. *Præpositionem compositione cum altera præpositione non fieri adverbium, contrà quàm credidit Valla.*

Accidit quoque præpositioni, tum derivatio, tum compositio. Derivatio, ut, *intra, extra, citra.* Item *inter, subter.* Quorum primogenia, *in*, & *sub.* Simile *propter*, à *prope*. Nam primò idem valuit ac *juxta*. Etiam à nomine veniunt: ut, *circum* à *circus*, quod à κίρκος: *secundum* a *secundus*, quia quod secundo loco situm est, id post aliud est, ac prope illud. Hinc Priscianus lib. XIV, quando præpositio est, significare dicit κατὰ, vel μετὰ. Atque ita ait accipi apud Sallustium, oratione Adherbalis ad Senatum: *Secundùm ea, si desideranda erant, uti debitis uterer.* Et istoc Lucani lib. VIII:

> —— *Secundùm*
> *Emathiam lis tanta datur* ——.

At fallus cum aliis Linacer, cùm *secundùm* hic exponit *super*. Nec audiendus Fulvii codex, qui apud Sallustium pro *secundùm ea*, habet *sed ea*.

Ex his liquet, præpositionum aliquas à nominibus venisse. Prope igitur est, ut iis adsentiam, qui *præsente*, & *absente*, arbitrantur in præpositiones degenerare, quoties plurali sociantur; idemque valere ac *coram*. Pomponius Syris:

> *Quidam apud forum, præsente testibus, mihi vendidit.*

Attius Menalippâ:

> *Est res aliqua, qua, præsente his, maturè priùs institit.*

Ita rescribo, metro compulsus: pro quo, *prius maturè*, est apud Nonium. Qui & Fenestellam in secundo Annalium, & Novium in Maniâ Medicâ, similiter docet locutos. Illius est: *Et quadam exta, præsente suis, quadam absente porrecissem.* Hujus est:

> *Te volumus dono donare pulcro, præsente omnibus.*

Alibi etiam adducit ex Afranii Auctione:

> *Sin* hic, absente nobis, venerit puer.*

* *Al.* Adest. si hic a. *Membranæ nostræ*: Abest. si hac a' sente. *Sed* hic *malim. Senarius sit*, Abest, si absente hic n. v. p.

Et Plauti hoc Amphitry. act. II, sc. II:

> *Nec, nobis præsente, aliquis nisi servus Sosia adfuit.*

Quanquam versus iste, uti & prior, in codd. aliquot desideretur. Sed non levis est pro eo Nonii auctoritas. Et quid vulgatius illo Terentiano Eun. act. IV, sc. III:

> *Nescio quid profectò, absente nobis, turbatum est domi.*

Ubi sic vetus interpres: *Pro præpositione ponit* ABSENTE: *ac si diceret, coram nobis.* Alter etiam vetus Grammaticus (nam ex duobus minimùm consarcinati illi commentarii) antè dixerat, vel in *absente* subaudire *me*, quomodo post *absente* debeat distingui: vel esse ἀρχαϊσμὸν, ac similiter dixisse Pomponium:

> —— *Ergo istuc sine*†,
> *Præsente amicis, inter cœnam* ——.

† *Ita numererum ergo rescripsi*, pro, Sine ergo istuc.

Item Varronem ad Marcellum: *Id, præsente legatis omnibus, exercitu*‡ *pronunciat.* Nec respuere ausim eorum conjecturam, qui jam a Decemvirorum temporibus hoc loquendi genus arcessunt. Sic enim legunt in XII Tabb. POST. MERIDIEM. PRÆSENTE. AMBOBUS. STLITEM. CONDICITO. Quod nisi istiusmodi obstarent, ubi *præsente* jungitur cum *suis, omnibus, amicis, legatis*: poterat in illo, *absente nobis*, videri *nobis*, per synecdochen poni pro *mihi*, vel *me*. Ut in hoc Catulli*:

‡ *Distinctionis notam post* exercitu *sustuli, quia censeo* exercitu *non esse auferendi, sed dandi casus.*

> —— *Insperantique ipsa refers te*
> *Nobis.*

* *Carm.* 108.

Compositionem quoque præpositioni accidere, liquet ex *adversum*, & *absque*. Etiam *apud*, juxta Cæsarem Scaligerum, prius fuit *ad pedes*, πρὸς ποδῶν. Quo exemplo itidem *prope* dictum, quasi *pro pedibus*. *Post* etiam fortasse ex *pone*, & *est*. *Pone* autem à *ponendo*, id est, desinendo. Non, ut visum aliquibus, ex *po*, pro *post*, (ut in *pomeridianus*) & *ne*: ut *sine* ex *se* (unde *sedulo, separo*) & eodem *ne*.

Componuntur autem præpositiones cum quibusvis classibus. Cum nomine; ut, *prædives, subrubidus, præfiscini*, quasi *præ*, hoc est, sine *fascino*, ἀβασκάντως. Cum pronomine; ut, *quicum, tecum*: quod malè negat Priscianus in XVII. Cum verbo; ut, *perfero, cispello*, quod apud Plautum. Cum participio; ut, *præcedens, inambulans*. Cum adverbio; ut *perdoctè, adprime*. Cum se ipsa; ut, *præterpropter*. Cum conjunctione; ut, *absque*.

De adverbiis tamen negant veteres. Verba sunt Maximi Victorini in Arte Grammaticâ: *Adverbiis adjici præpositiones, negant omnes Technici: quamvis licenter veteres usi sint.* Quod de veterum usu addit, exemplis istis comprobatur. Legimus apud illos, *derepente, desubito, deprocul*, quo Plautus utitur Pers. act. IV, sc. II; & *proporro*, quod aliquoties apud Lucretium invenitur; *insimul*, quo usus Papinius primo Sylvarum; *inpridie*, ut apud Tertullianum ad Scapulam: *Sed iidem ipsi, qui per genios eorum inpridie usque juraverant.* Et *inpalam*, ut apud Hilarium ad Constantinum: *Pugnaremus inpalam cum fiducia contra negantes, contra torquentes, contra jugulantes.* Sic *propalam*. Appulejus de Mundo: *Species innumeras modo propalam, sæpe confectas, ab uno principio agitari jubet.* Ubi Aristoteles, ποτὲ* μὲν ἀφανιζομένων, ποτὲ δὲ φαινομένων. Unde legendum liquet: *modò propalam, sæpe contectas*: ut quidem emendat Vulcanius: vel potiùs *consepta*s. In Mso est *confectas*, unius literulæ vitio. Similiter cum *ibi* conjunguntur variæ præpositiones. *Inibi*, & *interibi*, quod Appulejus in Apolog. usurpat: *Interibi revalesco.* Hoc est, interea. Ubi notat Scipio Gentilis: *Non memini alibi legere.* Sed etiam utitur Plautus. Ut & *postibi*, apud eundem legas aliquoties. De quo Scoppium vide lib. I Susp. Lect. cap. XV. Ac alia quædam in hanc mentem Rævardus lib. III Var. cap. IV.

* *Modò condita, modo apparens.*

Nihilo rectiùs dubitant, an etiam componantur cum se ipsa. Quod Donatus, Cledonius, alii, aperte testantur. Sergius in edit. II Donati: *Præpositionem præpositioni sic cohærentem, ut pro una parte præpositionis habeatur, invenimus sæpe apud Catonem: ut, circumcirca, id est, circa.* Simile est *præterpropter*, apud Ennium; de quo Gellius lib. XIX, cap. X: *exadversus*, & *exadversum*, apud Terentium Phormione act. I, sc. II, Cicer. lib. I de Divin.† Appul. in Apolog. Item *inante*, quo, juxta veteres aliquos codices, usus Cicero lib. II ad Att. epist. IX: *Inante diem XVI Kal.* Et Propertius lib. II, El. III:

† *Pag.* 101. *edit. Ald. Ubi* exadversus *habet omnium Ciceronis editionum vetustissima. In Stephanica, ubi Lambini, & aliis, est* adversus.

> *Hic dominam exemplo ponas inante meam.*

Ita rectè legit Georgius Fabricius. Ac Scaligeri conjectura est, eodem usum Catullum, Carm. de Acme. Estque simile *exante*. Cic. lib. III ad Attic. epist. XVII: *Exante diem Non. Jun.* Appulejo quoque hanc vocem restituit Janus Guiljelmius lib. II Verisl. cap. IV. *Postante*, apud

Var-

Varronem lib. v de L. L. *Circumsecus*, Appulejo lib. v, & xi. *Incircum*, apud Mactum Jurisconſ. L. xxvii. D. de reliq. & ſumt. funer. *Veluti incircum porticationes*. *Inſuper*, quod eundem, ac *ſuper*, caſum regit. Vitruvius lib. v, cap. xii: *Deinde inſuper eam exæquationem pila quàm magna conſtituta fuerit, ibi ſtruatur.* Eodemque modo & Cæſar, & alii, uſurpant: ſed ſæpius ſumitur adverbialiter. Nec minùs, quàm præpoſitiones cæteræ, cum verbo componitur. Nam *inſuperhabere*, pro poſthabere ac contemnere, uſurpat Papinianus in Pandectis; uti & Agellius, & Appulejus.

Quod verò Laurentius ait, præpoſitiones fieri adverbia, quoties aliis præponuntur præpoſitionibus; id tantùm verum eſt, cùm caſum amittunt. Ut in illo Terentii Adelph.*

* *Act. 4. ſc. 2.*

—— Apud ipſum lacum

Eſt piſtrilla, & exadvorſum fabrica: ibi eſt.

Livius lib. xxvi: *In æde Concordiæ, Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta decuſſaque ad Victorias, quæ in ante fixa erant, hæſit, neque inde procidit.* Appulejus lib. ix Met. *Inſiſtens jubebat, incoram ſui, plagas mihi quam plurimas irrogari.* Et lib. x: *Nam & juniorem, incoram ſui, funerari videbat.*

Cap. XXIV.

De præpoſitionibus inſeparabilibus. Æquivocè eas & impropriè præpoſitiones dici. A veteribus quoque vocari loquelares. Ve *etiam loquelarem eſſe.* Di, & dis, *eandem eſſe; ut* tra, & trans. Dis à διά. Con *eandem videri ac* cum, *etſi aliter Fabius. Probus male* di, & dis; co, & con, *pro diverſis habet. Nec* an, & am, *diverſa ſunt.* Anquiro. Anus, & annus, *unde veniant.* Am *extra compoſitionem in uſu olim erat. Palæmon malè* AS *inter loquelares reponit: malè item Diomedes* AU. Aſporto, & aſpello, *cur* S *pro* B *habeant. De* au *Diomedi favet Gellius. Idem Gellius emendatur.* Ne *loquelarem non eſſe.* Sed *pro* ſe. Marid.

HActenus egimus de præpoſitionibus ſeparabilibus, hoc eſt, quæ extra compoſitionem ſunt uſitatæ: quas etiam ſolas, cùm ſuperiùs definiremus hanc claſſem, reſpiciebamus. Cæteræ æquivocè *præpoſitiones* dicuntur; cùm non voces ſint, ſed partes vocis, eoque ad nullam ex octo vocum claſſibus directè pertineant. Quod etiam Priſcianus fatetur; ſed alias adducit cauſſas, ob quas præpoſitionibus accenſeantur. Sic enim loquitur in xiv: *Quamvis per ſe poni non poſſunt ſeparata in contextu orationis, ideoque partes orationis dici vera ratione non poſſint: tamen, quia vim & ſignificationem præpoſitionum habent, & in ipſâ compoſitione ſemper præpoſitivæ ſunt; ideo & præpoſitionibus connumeravere.* Sed quod dicit, vim habere præpoſitionum, perpetuum non eſt. Nam *repono* eſt iterum pono; *revertor*, iterum vel retro vertor; *ſecubo*, ſeorſim cubo. In cujuſmodi non præpoſitionis, ſed adverbii vis eſt. At rectè nobis largitur, non eſſe VERA RATIONE partes orationis. Ubi rationem vocat λόγον τῆς οὐσίας. Quod ſi eſt, nec competere ei debet præpoſitionis definitio, cujus eſt explicare λόγον τῆς οὐσίας*. Et tamen indirectè ad aliquam ſaltem claſſium, ſive ea præpoſitio, ſive adverbium ſit, pertinere, argumento eſt, quòd compoſitio vocis ſit accidens; ut ex ea ſimpliciter judicium de eſſentia fieri non debeat: quodque extra etiam compoſitionem quædam olim in uſu fuerint, ut *am*: quædam etiam à Græcis accepimus; ut *dis*, quod è διά, ut poſtea explicabitur.

* *Rationem naturæ.*

Hujuſmodi præpoſitiones à veteribus dicuntur *loquelares*. Valerius Probus lib. i, cap. de Præpoſit. *Præpoſitiones duobus generibus conſtant. etenim aliæ ſunt Loquelares, quæ ornandi ſenſus, aut agendi, vel minuendi gratiâ, cæteris partibus præponuntur; aliæ autem Caſuales vocantur, quod caſibus ſerviant. Loquelares ſunt, an, co, con, re, ſe, di, dis.* Hæc Probus, qui & paullò pòſt indicat, *loquelares* dici, quoniam *per compoſitionem loquelis inhæreant. Loquelare* verò dicitur, ut Græcè λεκτικόν. Ac monet Achilles Statius, Obſervationum difficiliorum cap. xi, apud Tullium de Somnio Scipionis itidem legi: *Homines loquelariter annum tantummodo Solis, id eſt, unius aſtri reditu metiuntur.* Sed melius vulgati *populariter*: quod ipſe Achilles non diffitetur.

In enumeratione præpoſitionum loquelarium Probum ſequitur Grammaticorum vulgus. Sed profectò, & mutilè, & malè, loquelares præpoſitiones recenſent. Nam *ve* prætereunt, quæ & ipſa inſeparabilis eſt: ut in *vecors*, *veſanus*, *vehemens*, *vegrandis*, *vejovis*. Nam cum VE tantùm in compoſitione nominum præponi queat: quò potiùs, quàm ad præpoſitionem loquelarem, referatur? Contrà alias bis ponunt. Quemadmodum enim TRA in compoſitione haut eſt aliud, quàm TRANS: quomodo dicimus *tradere*, & *tranſdere*; *tralatio*, & *tranſlatio*: ita & DI idem eſt, quod DIS: unde *diſſudet*, apud Plaut. Bacchid. †

Nam alia memorare, quæ illum facere vidi, diſſudet.

† *Act. 3. ſc. 3.*

Item *diſtædet*. Terent. Phorm. ‡

—— Nam me cum hoc ipſo diſtædet loqui.

‡ *Act. 5. ſc. 9.*

Chariſius cap. de Adverbiis interpretatur *valde tædet*. Eſt vero DIS à δίς, id eſt, *bis*, quod diviſionem indicat. Ut in *diſtraho*, *diſtinguo*. Vel potius à διά. Nam quod Græcis eſt διαφέρω, Latinis eſt *differo*: quod illis διαγινώσκω, aut διαλύω, id his *dignoſco*, aut *diluo*. Confirmat, quæ dixi, hic Velii Longi locus lib. de Orthographiâ: *Et quatenus incidimus in mentionem præpoſitionis Dis; adnotabimus, & illam plenam præſcribi cæteris, niſi his partibus orationis, quæ incipiunt à litera M, ut dimovit: aut N, ut dinoſcit: aut L, ut diluit: aut B, ut dibucinat: aut G, ut digerit: aut ſi à D litera incipit, ut dididit; quomodo Virgilius, Tua terris dedita fama: aut in F literam tranſit, ſi ab hac eadem ſequens vox incipiat, ut diffudit.* De *tra*, & *trans*, ibidem ſic ſcribit: *Trans quoque præpoſitio interdum plena eſt, ut tranſtulit: interdum minuitur, ut trajicit, traduxit.* Idem de TRA, & TRANS; DI, & DIS, legere eſt apud Papirianum in Conlectaneis Caſſiodori de Orthogr. Fortaſſe nec meliori jure CON inter loquelares reponunt, cum idem ac CUM eſſe videatur. De quo tamen non pertinaciter repugnem, quando pro diverſis etiam habuit vir ſummus, Quinctilianus, lib. i, cap. vii: *Frequenter*, inquit, *præpoſitiones quoque copulatio iſta corrumpit: inde abſtulit, aufugit, amiſit, cùm præpoſitio ſit AB ſola: & coit, cùm ſit præpoſitio CON.* Idem cap. vi: *Inhærent tamen quidam moleſtiſſimâ diligentiæ perverſitate, ut audaciter potiùs dicant, quàm audacter; licet omnes oratores aliud ſequantur; & emicavit, non emicuit; & conire, non coire.* Vides, ut utrobique dicat CON, non CUM. Adi & Gellium lib. ii, cap. xvii. At longè etiam ſpiſſior eſt error Valerii Probi in Catholicis: ubi ut DI, & DIS, ita CO, & CON, pro diverſis ponit. Nam CO amiſit N: ut in *cohæreo*, *coërceo*, *coaleſco*, *cogo*, *cohibeo* &c. At interdum pro CON dicimus COM, non ſolum ſequente M, ut in *communis*: ſed etiam aliàs: ut *compello*, *comburo*. Quod ſi ex *uro* ſit, *b* fuerit inſertum. Sed fortaſſe eſt ex *buro*, hoc is πυρῶ. A *buro* autem ſint *buſtum*, & *buſtar*.

Nec rectè inter præpoſitiones loquelares ponunt AN. Nam AM dicere debuerant, ut ex Feſto Pompejo cognoſcimus. Sanè dicitur *ambedo*, *ambages*, *ambigo*. Eſt autem *am* κατ' ἀποκοπὴν ab *ambe* vel *ambi*: quod apud Varronem in vi de L. L. *Ambages*, inquit, *profectum à verbo AMBE: quod eſt in AMBITU, & AMBITIOSO. Ambe* autem, vel *ambi* eſt à Græco ἀμφί. Sanè ut Latini ab *ambi*, & *icere*, vel *jacere* dicunt *amicire*, unde *amictus*, & *amiculum*. Sic Græci ex ἀμφί & ἑννύω vel ἕννυμι fecerunt ἀμφιέννυμι, quod idem ac amicire. In *amicire* non comparet *b*, uti neque in *amplector*. Sed eſt illud in ambigo, unde ambiguus. Item in ambarvalis,

an-

ambarvales, ambegnus, ex ambi, & agnus. Vide de his Festum. Unde integrè erat *ambe:* de quo dictum lib. III de arte, qui est de syllabis, cap. XVIII. In compositione verò interdum M commutatur in N: ut, *anfractus:* item *anquiro:* quo Cicero, aliique usi, pro am, hoc est, circum sive undequaque quæro. Nec in compositis tantùm locum habet, sed etiam derivatis: ut in *anus* pro podice, & *annus* pro circo, unde *annulus*. Olim verò A M etiam separabile fuit. Siquidem Cato, *am terminum*, pro, *circum terminum*, dixit: ut cognoscimus ex Macrobio lib. I Saturn. cap. XIV. Unde Comminianus apud Charisium inter eas reponit, quæ casum regunt; exemplumque idem ponit, *Am segetes*. Et fortasse iccirco eam inter loquelares præterit Palæmon, apud eundem Charisium. Sed Palæmon ejus loco reponit AS, ut *aspello*. Malè. Est enim ex *abs*, & *pello*, eliso B: nisi ex *ab* esse malis, & B in S abire. Nihilo rectius Diomedes addit AU, ut *aufero*. Nam integrum est *abfero*. B in U abiit, ut in sexcentis. Et illum Palæmonis, & hunc Diomedis errorem refellit Priscianus in XIV: *In Aufero B in U convertitur, tam euphoniæ, quàm differentiæ caussâ: ne, si adfero dicas, ab ad, & fero componi videatur. Asporto, in quo B in S commutatur, sicut & aspello, differentiæ caussâ; ne si apporto, & appello, dicamus, ab AD composita existimentur.* Imò longè antè idem docuerat Cicero in Oratore, ubi dicit (ut Gellius etiam monet lib. XV, cap. III.) *verba hæc, aufugio, & aufero, composita quidem esse ex ab, & ex verbis fugio, & fero: sed eam præpositionem, quo fieret vox pronunciatu audituque levior, versam mutatamque esse in AU syllabam; cœptumque esse dici aufugio, & aufero, pro abfugio, & abfero.* Diomedi tamen accedere videtur idem Gellius, quando postea subjungit: *Sed illud magis inspici quærique dignum est, versáne sit, & mutata AB præpositio in AU syllabam, propter levitatem vocis; an potiùs AU particula suâ sit propriâ origine, & proinde, ut pleraque alia præpositiones, à Græcis, ita hæc quoque inde accepta sit: sicuti est in illo versu Homeri:*

> Αὖ* ἔρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν.
> Καὶ ἄβρομοι αὐίαχοι.

* Retro traxerunt quidem, primum, & jugularunt, & excoriarunt.

Prout locus is legitur etiam in Stephanicâ. Priorem habes versum Homeri Il. α, estque CCCCLIX: atque iterum Il. β, numero CCCCXXII. Quæ sequuntur, non puto esse à Gellio, sed Græculo, qui similem locum adscripserit, hoc pacto: Καὶ, Ἄβρομοι, αὐίαχοι. Ut illud καὶ sit non Homeri, sed ejus, qui similem locum annectebat. Habes eum Il. N vers. XLII. Sed Eustathius censet, istoc Υ in αὐίαχοι, esse ab Æolicâ epenthesi, pro ἀίαχοι: ut αὐγανὲς, & αὐγαυρὸς, ab ἀγάω, & pro ἄρρηκτος, αὔρηκτος dicitur.

Video etiam esse, qui NE inter loquelares referant, propter *nefrens*, *nefas*, *nefastus*, *nolo*, quod ex *nevolo*, & similia. Sed hoc etiam extra compositionem obtinet. Uti in dehortatione: *Tu† ne cede malis.* Quod est, *non cedes*. Terent. Phorm.‡

† 6 Æn.

‡ Act. I. sc. 3.

> *Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset.*

Vide Priscianum initio lib. XV. Sed enim, inquiunt, *ne* adverbium producitur in compositis: ut, *nequaquam*, *nequicquam*. Sanè producitur in his: sed in aliis corripitur: ut in *neque*, & *nequeo*. Nec ex quantitate solâ, quæ tantummodo accidens est; sed imprimis, ut sæpius diximus, ex significatione judicium fieri debet. Quare de *ne* statuimus, uti de *nec:* quod & ipsum, tum seorsim, tum in compositione, pro *non* sumitur. De quo vide, quæ Festus ex Sinnio Capitone in *Nec* annotavit.

Pro *se* etiam *sed* dixere: teste Festo, qui *sine* exponit. Atque ita in lege vetustâ, ut ibi Scaliger monet, QUÆSTORQUE EAM PECUNIAM SED FRUDE SUA SOLVITO. Metuo, ne semper *se* dixerint: nisi cum *d* apponeretur formâ aliis etiam vocibus communi: ut cum *marid*, pro *mari*, legitur in columna Duillii. Aut cum *med* posuere, pro *me*, unde *mederga*. Quomodo item à *se*, & *itio*, est *seditio*; à *re*, & *itio*, *reditio*. Verùm si non aliâ ratione, *sed fraude*, dixerint, nihil in eo erit proprium ac peculiare. Sanè *se* nunc tantùm in compositione, nisi vocalis sequatur, invenias: ut *sedulo*, *separo*, *segrego*. Sæpè verò E in O abit: unde socors, & sobrius, a *bria*, unde & *ebrius:* ut alibi dicimus. Non semper verò SE in compositione è præpositione est, sed quandoque ex nomine *semis:* ut in *semodius*, & *selibra*.

F CAP. XXV.

Conjunctio quid. Propriè ea sententias, non verba connectit. Aliqua inter conjunctiones falsò referuntur. Aliqua item, pro diverso usu, nunc adverbia sunt, nunc conjunctiones. Igitur, *pro* postea. Quatinus, & quatenus, *ut à veteribus Grammaticis distinguantur.*

Conjunctio, quam Græci σύνδεσμον, nonnulli ad verbum, sed duriusculè, *convinctionem* nominant, est *pars orationis connectens ordinansque sententias:* prout à Comminiano apud Charisium, & à Palemone apud Diomedem, non incommodè definitur.

At parùm rectè illi, qui dicunt conjungere verba: quandoquidem non simplices connectit voces, quatenus tales: sed voces complexas, quatenus constituunt pronunciata plura vel reapse, vel potentiâ. Quomodo τῇ δυνάμει* duæ sunt sententiæ, Catonem fuisse bonum & senatorem, & agricolam.

* Potentiâ.

Non pauca verò sunt, quæ falsò ad Conjunctiones retulerunt: quam rem etiam attigimus lib. III artis Grammaticæ†. Sanè nomina sunt *caussâ*, & *gratiâ*, etiam cùm pro *ergo* sumuntur: etsi aliter visum Charisio.

† Sive lib. I de Analog. cap. 2.

Quamobrem, *quasobres*, *propterea*, *quare*, & similia, non videntur hujus esse classis; quia non tam vox unica sunt, eaque composita, quàm plures: cui rei argumento nobis est, quòd structura, quæ in simplici voce locum non habet, in earum singulis observatur. Et vix caussa apparet, cur *quamobrem* magis sit vox unica, quàm *eam ob rem:* vel *quare*, quàm, *eâ re:* ut illo Tulliano, *Eâ re statim ad te Aristocritum misi.*

Nec, quòd vulgò conjunctionem disjunctivam faciunt, ex Festo discimus esse adverbium negandi, & idem valere, quod *non*. Nam ut ea prætercam, quæ Festus adducit, etiam ex compositione id liquet. Quippe *negotium* dictum, quòd *non* sit *otium: negligens*, quòd *non legens*, ut idem Festus alibi testatur.

Quàm Priscianus statuit conjunctionem electivam. Sed rectius lib. XV facit adverbium comparandi. Idem judicium esto de *tanquam*, & *tam*. Item de *potiùs*, *magis*, *imò:* ut cùm dico, *Hic eat, imò ille, aut potiùs iste.* Quamquam propterea Plinius ponat conjunctiones *relativas ad aliquid:* ut Charisius, & Diomedes, perhibent.

Sed neque ἁπλῶς conjunctiones sunt, quæ utramque rem tollunt. Ut in isto, *Neque natare, neque literas novit.* Ubi *neque* magis negandi adverbium est, quàm conjunctio. Certè in eâ particula duo sunt, τὸ *ne*, quod negandi adverbium est, & τὸ *que*, quod copulativa est conjunctio. Utrumque munus præstat *neque:* ac quatenus negat, adverbium est: quia verò & disjunctas connectit sententias, quodammodo conjunctio est.

Multa etiam esse alia fatemur, quibus, & in adverbiis, & hic, rectè tribuatur locus. Sic *deinde*, cùm verbo jungitur ad circumstantiam temporis indicandam, adverbium est: conjunctio autem, cùm tantùm ad orationis juncturam pertinet. *Ac*, &, *atque*, conjunctiones sunt, cùm dico, *Brutus, ac* vel *atque Cassius.* Adverbia sunt in isto, *Aliter facis, ac tu*, vel *atque tu.* Nam idem valent, ac adverbium comparandi *quam*.

Igitur quoque interdum non conjunctio est ratiocinativa; sed adverbium temporis; ponuturque pro *deinde*, sive *postea*. Plautus Mostellariâ*:

* Act. 2. sc. Jupiter supremus.

 —— Mi-

—— *Miserum est opus,*
Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet.

Et Amphitryone †:

† Act. 1, sc. Et qui me alter.

—— *Sin aliter sient animati, neque dent, quæ petat,*
Sese igitur summa vi, virisque, eorum oppidum expugnassere.

Ubi *igitur*, pro *deinde*, accipi, observat Nonius Marcellus: ut & Donatus ad illud Terent. Eunucho: *Quid igitur faciam?* Ac eodem modo locutus Propertius ‡, & fortasse Maro *. Vide Guil. Canterum lib. IV Nov. Lect. cap. XXXVI, & Ob. Giffanium Indice Lucret. voce *Igitur*.

‡ Lib. 3. el. 2.
* 6 Æn. vers. 384.

In nonnullis verò hujus generis literarum aliquod discrimen commenta est Grammaticorum curiositas. Sic *Quatinus*, per I, ad caussales retulerunt. At *Quatenus*, per E, loci, vel temporis adverbium est, juxta Caprum. Quomodo & in *Protinus*, ac *Protenus*, discrimen statuerunt.

Cap. XXVI.

De potestate seu significatione, itemque de ordine Conjunctionis. Quomodo conjunctiones aliqua dicantur copulativæ, *si omnes copulent: qui aliqua* disjunctivæ, *cum omnes conjungant. Ut subdisjunctivæ à disjunctivis differant. Adversativa. Diminutiva. Caussales, juxta Apollonium, quinctuplices. Ratiocinativa. Ramirezii error. Ordinativa. Expletiva.* Πλεονασμὸς *alterius conjunctionis, cùm duæ junguntur ejusdem significationis: ut,* quamvis licet, ergo igitur, quoque etiam. *Similis pleonasmus in adverbiis; ut,* jamnunc: *in nominibus; ut,* totus integer, universi omnes, totæ perpetuæ. Enim *interdum est præpositiva. Enclitica alteri juncta voci, quam exigit ordo naturalis.*

Potestas seu significatio conjunctionum variat. Aliæ sunt copulativæ; ut, *&*, *que*, *ac*. Quæ *copulativa* dicuntur strictè. Nam omnis quidem conjunctio copulat; uti ipsum arguit nomen: sed hæ simpliciter id præstant citra disjunctionem sententiæ, aut caussalitatem, vel ratiocinationem. Gellius lib. X, cap. ult. *connexivas* vocat. Aliæ sunt *disjunctiva*; ut, *vel*, *aut*. Mirifica autem videtur appellatio, ut conjunctio sit disjungens. Sed conjunguntur voces materialiter; disjunguntur formaliter. Nam ita conjunguntur sententiæ, ut iis res disjungi significetur. E. G. cùm ita dissero, *Vel dies est, vel nox est*, non utraque, sed alterutra significatur vera. Item cùm dico, *Vel hoc fac, vel illud*, non utrumque, sed alterutrum præcipitur. Atque hoc est, quod Boethius ajebat, conjunctionem ea, quæ conjungit inter se, disjungere in tertio.

A *disjunctivis* non immeritò eas distinguit Priscianus, quas *subdisjunctivas* vocat. Nam in disjunctivis unum esse, alterum non esse, indicatur. Exemplo fuerit, *Aut dies est, aut nox est.* Contrà in subdisjunctivis utrumque esse significatur. Ut, *Alexander, sive Paris*; pro, *Alexander, qui & Paris dicitur.*

Copulativis & disjunctivis adfines sunt *concessiva*, & *adversativa*. Ut etsi *sit indoctus, vir tamen est pius.* Ubi etsi est concessivum: *tamen* adversativum. Sententia enim est, Concedo tibi esse hominem indoctum. Attamen in eo adversabor, si pium neges. Concessivæ sunt *etsi*, *tametsi*, *quamvis*, *quamquam*, *licet* &c. Adversativa est, *tamen*. Item *sed*, *at*, *ast*, ac similes, ex quibus *ast* nec oratores refugiunt. Nam Cicero utitur ad Atticum lib. I, ep. II. His cognatæ sunt *diminutiva*. Quale est *saltem*.

Præter istas sunt *caussales*. Ut, *nam*, *quoniam*. Has verò Apollonius, Herodiani pater, Prisciano teste, in quinque species dividebat: in *continuativas*, *subcontinuativas*, *caussales*, *adjunctivas*, *effectivas*. *Continuativa* sunt, quæ significant ordinem præcedentis rei ad sequentem: idque cum dubitatione de essentia rerum. Ut, *Si ex animo quidem ista dixit, sane dignus est amore nostro.* *Subcontinuativa* caussam continuationis ostendunt consequentem cum essentia rerum. Ut, *Quia ista ex animo dixit, dignus est, quem amemus.* *Caussales* vocantur, quæ caussam reddunt superioris sententiæ. Ut, *Amore dignus est. Nam vir probus est, & amat nos.* Ubi significatur caussa impulsiva. *Adjunctiva* sunt, quæ subjunctivis verbis adduntur. Ut, *Amo te, ut vicissim ames.* Ubi est caussa finalis. *Approbativa* dictæ, quæ rei approbationem continent. Ut, *Equidem fateor, te semper dignum fuisse amore nostro.*

Proximum post caussales locum obtinent *illativa*, ut vocat Linacer: aliis *rationativa*: quæ & *rationales* nuncupantur Probo, Prisciano, Alcuino. Σύνδεσμοι συλλογιστικοὶ Sosipatro. Ut, *ergo*, *proinde*, *itaque*. Hæ conclusionem accommodant præpositæ rationi. Cave autem credas Laurentio Ramirezio de Prado, docto cæteroquin Hispano; qui *ergo* interdum non conjunctionem esse censet, sed idem valere, quod Græcum ἔργῳ, vel Latinum *reapse*: atque ita in Notis suis capere jubet apud Martialem lib. IV, epigr. XXVII:

Sæpe meos laudare soles, Auguste, libellos.
Invidus ecce negat. non minus ergo soles.

Et penultimo ejusdem libri epigrammate:

Ergo nec argenti sex scriptula Septitiani,
Missa nec à querulo mappa cliente fuit.

Quæ sententia, salvo aliorum judicio, nec refutatione digna est.

Præterea sunt & conjunctiones *ordinativa*, ut, *Deinde*, *postea*, *insuper*, *denique*, & similes.

Expletiva sunt, quæ nullâ necessitate sententiæ, sed explendi tantum gratia, usurpantur. Ut quæ metri, vel ornatus caussâ, inferuntur. Sallust. in Catil. *Verum enimvero is demum mihi vivere, & frui animâ, videtur.* Ubi *verum* redundat. Virgil. in XII:

—— *Equidem merui, nec deprecor, inquit.*

Plena fuerit sententia, licet *equidem* tollas. Huc refero, quando altera conjunctio redundat κατὰ πλεονασμόν. Nam, ut passim legimus, *nunc jam*: ita etiam, *quamvis licet*, dixit Lucretius *: *ergo igitur*, aliquoties usurpat Appulejus, ut lib. XI, ubi Iis Dea ita Appulejum, tum asinum, compellat: *Jam tibi providentiâ meâ illucescet dies salutaris. Ergo igitur imperiis istis meis animum intende sollicitum.* Plautum quoque Sticho ita locutum, censet Gaspar Schoppius: quem vide lib. quinto Suspect. lect. ep. XIII. Nempe is veterum mos fuit, ut interdum conjungerent voces idem significantes. Unde & similiter legimus, *quoque etiam*. Ut Epid. act. IV, sc. II:

* Lib. 6. vers. 600. & 610.

Hanc quoque etiam, si me appellet filiam, matrem vocem.

Apud eundem Cistell. actu III in manuscriptis Camerarii, ac Langii, legitur, *propere ocyus*. Idem in nominibus fieri (ut obiter hoc addam) docet, quòd dixere, *totus integer*; quo Agellius usus, ut in noctibus Parisinis ad eum scriptorem docuit H. Stephanus. Item, *universi omnes*; &, *totæ perpetuæ*; quomodo locuti Plautus, & Appulejus; ut docet Schoppius, eâ, quam suprà dicebamus, epistolâ.

Conjunctioni etiam accidit Ordo: secundùm quem aliæ sunt præpositivæ; ut, *&*, *nam*: aliæ postpositivæ; ut, *quoque autem*: aliæ communes; ut, *equidem*, *itaque*. *Igitur* sæpius postponitur. *Enim* etiam est particula præpositiva. Terent. Phor. act. V, sc. VIII: *Enim nequeo solus.* Ita enim est in melioribus libris. Plaut. Epid. act. V, sc. II: *Enim istæc captio'st.* Sic idem Aulul. III. V. Casinâ II. VI. item V. II. Adhæc Milit. IV. II. Pseud. I. I. Pers. II. II. & V. II. Trinummo II, & alibi. Eum crebrò imitatus Appulejus: cujus loca, hujusce rei ignorantiâ, corrupit, vir alioqui multæ lectionis, Philippus Beroaldus. Locutus & ita Tacitus putatur lib. IV Hist. *Asiaticus* (*enim is libertus*) *malam potentiam servili supplicio expiavit.* Sed rectè hic legendum H. Grotius monuit me: *Asiaticus neu civis libertus.* At locutus ita Julianus lib. XXX Digest. *Enim dum proprietatem adquiris, jus omne legati ususfructus omittis.* Vide plura apud Godescalcum Stewechium ad quartum Arnobii, & Obertum Giffanium in indice Lucretiano: ubi & ostendit, *enim*, cùm postpositiva est, tertio nonnunquam quartoque loco poni, ac hujusce quoque rei ignaros multa loca depravâsse.

Ad postpositivas etiam pertinent Encliticæ. Ex his *quæ* interdum alteri verbo jungitur, quàm nativus verborum ordo exigebat. Ut apud Horat. lib. II, od. XIX:

Ore pedes, tetigitque crura.

Pro, *cruraque tetigit.* Tibullus lib. I, eleg. III:

Messallam terrâ, dum sequiturque mari.

Pro, *marique sequitur.* Insolens etiam est illud Plauti Captivis*:

Est profectò Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque, & videt.

* Act. 2. sc. 2.

Sed de Ordine satis, præsertim quando alieno loco. Nec enim rectè ordineque Grammatici hoc loco de Ordine tractant, quia consideratio ejus non ad voces singulas, sed ad vocum structuram pertinet.

Cap. XXVII.

De Conjunctionum derivatione, & compositione. Quoniam, hacpropter, iccirco, *unde conflata.* Sedum. Equidem *non dici, quasi ego quidem. Jungi quibusvis personis cujuscunque numeri.* Etiam *an dicatur quasi,* & jam. Iam *disyllabon.* Et etiam. Etiamque. Et *ab* ἔτι.

Accidit Conjunctioni quoque Derivatio, & Compositio. Derivata sunt *verò, licet.*

Componitur Conjunctio etiam cum se ipsa. Ut, *etsi,* ex *&*, ac *si*, ut κἄν ex καὶ & ἄν. Item *verumtamen namque, siquidem, etenim, sedenim,* sive, unde seu, *quoniam,* quod ex *quom* sive, *cùm,* & *jam:*

Item cum adverbio: ut, *neque, quandoquidem, dummodo,* quod est, *si modò.*

Est verò cùm utraque compositi pars alterius est classis. Ita ex nomine, & pronomine, fit *quare:* quod utrùm hujus loci sit, vidimus antea. Sed ut naturâ suâ conjunctio non sit, vim tamen habet conjunctionis *itaque.*

Ex duobus pronominibus nascitur *ideo:* ex pronomine, & verbo, *quamvis,* & *quamlibet.* Ex pronomine & verbo, *quamvis.* Quod simile pronominibus *quivis,* & *quolibet:* quasi dicas, quovis, quolibet. Ex pronomine, & præpositione, *quocirca, iccirco.* Nam integra essent, *quod circa, id circa.* Similiaque, *quapropter, hacpropter;* si vox unica sint. Sed videtur & hic justa structura, ut, *quapropter* sit *propter qua; hacpropter, propter hac,* κατ' ἀναστροφήν. Veteres enim *qua,* pro *quæ,* dixere: unde in compositis, *siqua, aliqua.*

Item constantur ex præpositione, & adverbio: ut, *proinde.* Estque & hujus generis *sed,* sive *set.* Nam ut ex *ne,* & *dum, nedum:* sic ex *se,* præpositione loquelari, & *dum,* est *sedum:* unde κατ' ἀφαίρεσιν, *sed.* Veteres *sedum,* pro *sed,* dixisse; auctores sunt Charisius lib. I. Mar. Victorinus lib. I artis Grammaticæ*, & Isidorus lib. I, capite XXVI. Alioqui poterat videri, D esse ex usu veterum; ut *mariâ,* pro *mari:* vel dici quasi *se &*, quando promiscuè *sed,* & *set,* legas in vett. libris.

* Cap. de Orthograph.

Quamquam fit ex duobus adverbiis, sive uno secum geminato; sed quod vim habeat nominis, unde factum. Nam *quam* ex *quantum.* Ut illo Livii lib. V belli Maced. *Homo non quàm isti sunt gloriosi.* hoc est, *quantum.* Sic in composito II Æn.

Quamquam animus meminisse horret.

Pro, *quantumquantum,* id est, *quantumcunque.*

Duæ verò conjunctiones sunt, de quibus, an composita sint, dubitatur. Eæ sunt *equidem,* & *etiam.* *Equidem* ex *ego,* & *quidem,* conflatum esse, scribit Servius in I Æn. Sed Priscianus in fine sextidecimi duplici telo hanc jugulat opinionem. Unum est, quia *etiam* cum *ego* conjungitur: ut in illo Sallustii in Catilinariâ: *Equidem ego sic existimo, Patres conscripti.* Cui simile hoc in Jugurth. in orat. Micipsæ: *Equidem regnum ego vobis trado firmum.* Et similiter dixerat Plautus Amph. act. II, sc. II: *Ego equidem ex te audivi.* Alterum est, quia jungitur verbis secundæ, tertiæque personæ. Secundæ: ut apud Persium sat. V: *Non equidem hoc dubites.* Tertiæ verò, ut apud Catonem in Originibus: *Equidem principatus originis semper Scythis debetur.* Et Ciceronem fortasse*, epistol. XXVI, libro XIII ad Att. *Equidem credibile non est, quantum scribam die.* Et certiùs illo Propertii libro II, eleg. XXXI:

Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso.

His adde, quòd etiam jungitur plurali. Cum primâ quidem personâ: ut apud Sallustium in orat. Catonis: *Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus.* Cum tertiâ verò: ut apud Plautum Epidico, sc. Quid est pater: *Adolescentem equidem dicebant emisse.* Et Pers. sat. I:

—— *Per me equidem sint omnia protinus alba.*

Quæ pluribus eo prosecuti sumus, quia quantivis pretii argumentum illud esse videtur, quòd Maro religiosè illud observârit, ut ne alteri jungeret, quàm verbo singulari primæ personæ. Nos propterea, quæ diximus, simplex esse putamus; vel, si compositum est, valere, *& quidem.* Ubi *&* vim propè eam habet, quàm in illo Maronis primo Æn.

—— *Et quisquam numen Junonis adoret Præterea?*

* *Fortasse ajo, quia Pisis post* equidem *distinguere, ut illud conveniat cum scribam. Addit Nizolius e lib. 2 de Divinat.* Huic equidem Antipho. *Ut quoque Rob. Stephanus* edidit. *Verùm Lambinus mallet,* Sed eidem. *Quod ad lib. ... orat. pro Plancio, & ad Att. lib. 13, ep. 16, pro* equidem *utrobique legas,* & quidem. *Primæ plurali addi ajunt lib. 3 de Fin. tertiæ plurali ad Quintum Fratrem lib. 3, ep. 1, & lib V Tusc. Qu. Sed prioribus locis pro* equidem *est,* & quidem: *postremo, pro eodem est* quidem. *Ut Cicero non minùs, quàm Maro, semper primæ plurali jungere equidem videatur.*

Etiam videtur dici, quasi, *& jam.* Quod aliqui probatum eunt isto Martialis lib. I, epigr. LXXII ad Fidentinum:

Hac etjam ratione tu Poeta es.

Ubi *etiam* disyllabum esse ajunt. Sed in melioribus libris est, *Hac & tu ratione.* Objectant alii, quòd, si à *jam* veniret, disyllabon foret: contra quàm in Horatiano illo fit lib. I, sat. II:

Hunc perminxerunt calones, quin etiam illud.

Et lib. II, sat. III:

Clarus erit fortis, justus, sapiens, etiam rex.

Et lib. II, epist. I:

—— *Paullatim vello, demo unum, demo etiam unum.*

Item epist. II:

Si tamen attendas, quereris super hoc etiam, quòd.

Sed dici potest, & simplex *iam* interdum disyllabon esse: uti agnoscit Cæsar Scaliger cap. XII de caussis L. L. Exemplo est trimeter iste in prologo Asinariæ:

Hoc agite sultis, spectatores, nunc iam.

Nam quod ajunt, ut *hice* pro *hic,* sic *jame* pro *jam,* dici solere, commentum non placet. Denique objiciunt, quòd *etiam* inveniatur conjunctum cum *&*, vel *jam.* Cum *&*, ut apud Cic. epist. XXVI, lib. IX ad famil. *Autoritate tuâ nobis opus est, & consilio, & etiam gratiâ.* Itemque Oppium de bello Africano: *Cæsare clamante, & etiam aciem sustentante.* Quomodo & apud Vitruvium non semel *Etiamque* invenias. Cùm *jam* verò jungitur lib. II ad Att. epist. IX: *Populares isti jam etiam modestos homines sibilare docuerunt.* Sed his quoque non difficulter obviam itur. Nam, *&*, nunc idem est ac Græcum καὶ, nunc idem quod ἔτι, hoc est, *præterea, insuper.* Atque ita hic sumitur. Imò fortè ab ἔτι fit *&*, κατ' ἀποκοπήν. Cum *jam* verò conjungi, nihil mirum, cùm Latini non refugiant, *jam nunc.* Itaque, ut Græci ajunt, ἔτι καὶ νῦν, ita quoque Latini dicunt, *etiamnum,* quasi, *& iam nunc.*

Cap. XXVIII.

De Interjectione. Cur ita dicatur. An distincta sit classis ab adverbiis. Bifariam interjectionem differre ab adverbio. Variæ definitiones interjectionis ex antiquis. Malè pro interjectionibus habita. Trit. Bat. Bat tat ti. Malum *χλευαστικὸν non esse interjectionem.* Si *interjectio. Erythræi error.* Si, *pro* ô *si. Servii ἁμάρτημα.* Io *nunc gaudentis est, unde* jubilo *nomen: nunc dolentis.* Babæ, bombax. Pax. Πάξ. *Terentio lux. Priscianus emendatus. De Interjectionum derivatione, & compositione.* Sis, Sodes, Sultis, *unde. Plautus correctus. Item vetus Persii interpres.*

Restat classium extrema, Interjectio. Hujus appellatio non similiter se habet ac Conjunctionis. Nam cùm hæc

hæc dicatur conjunctio, quia conjungat: interjectio tamen, non quia interjacet, sed quia interjicitur, nomen accepit. Nec tamen de οὐσίᾳ ejus est, ut interjiciatur; cùm per se compleat sententiam, nec rarò ab ea incipiat oratio.

In dubium aliquis vocet, annon rectiùs sub adverbiis comprehendatur: uti fit apud Græcos. Sanè *Umbrius Primus interjectionibus locum non dedit*: ut testatur Charisius cap. de Adverbio. Sed rectiùs, meo judicio, Charisius ipse ibidem, cùm ait: *Hanc partem orationis inde, non ut numerum octo partium articulo, id est, τῷ ἄρθρῳ deficiente, suppleerant: sed quia videbant, adverbium esse non posse, segregaverunt.* Nempe in eo ab adverbio differt, quòd hoc circumstantiam, vel qualitatem rei, signet: interjectio autem sit animi affecti nota: unde & Comminiano apud Charisium definitur, *pars orationis significans adfectum animi.* Cajo Julio Romano ibidem sic: *pars orationis motum animi significans.* Palæmoni apud eundem in hunc modum: *Interjectiones sunt, quanihil docibile habent: significant tamen adfectum animi.* Quæ definitio nunc in Palæmone non comparet: sed fuerit e libro de Artibus, ubi in extremo hoc libello ait cætera se de Particulis pleniùs persecutum. Itidem Asper Junior: *Interjectio est pars orationis affectum animi significans.* At iisdem planè verbis Maximus Victorinus: verbis aliis, sed mente eâdem Cledonius. At, duobus verbis additis, Diomedi ita definitur: *Pars orationis adfectum mentis significans voce inconditâ.* hoc est, rudi & illiteratâ. Ac iisdem verbis Cassiodorus definit. Quas definitiones quatenus vel probemus, vel improbemus, diximus lib. I de Analogia, cap. II, & III.

Alterum etiam & illustrius est discrimen harum partium; quia interjectio, contra quàm in adverbio fit, per se implet sententiam, animumque explet audientis, utut nullum apponatur verbum. Velut si *papa* dicam, tantundem est, ac, *Equidem miror.* Quæ & Prisciani sententia est in fine quinctidecimi. Sic *heus* idem fere ac *ades.* Hanc caussam adducit Priscianus extremo lib. XV, cùm ait: *Interjectionem Græci inter adverbia ponunt: quoniam hæc quoque vel adjungitur verbis, vel verba ei subaudiuntur. Ut si dicam, Papæ, quid video? vel per se, Papæ! etiamsi non addatur, Miror; habet in se ipsum verbi significationem: quare maximè fecit Romanarum artium scriptores separatim hanc partem ab adverbiis accipere; quia videtur affectum habere in sese verbi, & plenam motus animi significationem, etiamsi non addatur verbum, demonstrare.*

Ac verisimile est, hoc voluisse B. Augustinum cum in fine Grammaticæ suæ scribit, interjectionem non esse partem orationis. Nempe censet non semper esse partem, sed si interseratur orationi, hoc convenire illi ex accidenti, non verò esse de essentia; quia ejusmodi se aliter habere non possunt. Imò tum quoque non est pars orationis, cum interjicitur, quia novam per se sententiam constituit, haut aliter, ac aliquid per παρένθεσιν. Nam sententia, quæ sic inseritur, non est pars illius sententiæ, cui inseritur; non magis sanè, quam clavus ferreus ligno infixus est pars ligni.

Quod si interjectio est animi adfecti nota, ut Charisius agnoscit: jam voces bestiarum hujus loci non erunt. Male igitur idem huc refert TRIT; quæ murium vox est apud Nævium Corollariâ. Par ratio erit Aristophanici βρεκεκὲξ: quæ vox ei Ranarum.

Idem censendum de rei inanimæ sono; vel humano quidem, sed nec ex instituto aliquid significante, nec animi affectum testante. Uti *bat*, qui sonus est ex ore cornicinis lituum eximentis; quemadmodum ex Cæsellio Vindice observat Charisius. Utitur Plautus Pseud. Item *bat tatti*, *flictus quidam, & sonus vocis effeminatior, ut esse in sacris anagmenorum, vocum veterum interpres scribit*: & ex eo idem Charisius, extremo lib. II.

At sunt alia, quæ, etsi animi adfectum testentur, ad hanc tamen classem non pertinent. Ut, *malum*; quod rectè interjectionum numero eximit Cælius Calcagninus lib. II, epist. VIII. Sed est ἐπιφώνημα per interpositionem; ut Donatus quoque annotavit super Terentii non imo loco. Similis ratio in istis, *miserum*, *infandum*, *nefas*, atque aliis: ut diximus lib. de Analogia primo.

Ne *utinam* quidem interjectio videtur, etsi contra disserit Cæsar Scaliger de caussis L. L. cap. CLVIII. Cui & in Strigili sua accedit Nicodemus Frischlinus. Eo autem in contrariam adducor sententiam, quod animi quidem adfectum indicet, non tamen per se sententiam perficiat. Nam cum dico *utinam*, integre sit, utinam *fores*, vel *contingat id, de quo sermo, vel cogitatio est.*

Si Scaligero nihilominus assentire placet, etiam optandi interjectionibus annumerari debet O SI. Nam eadem significatio est ejus, ac particulæ *utinam*. Hoc inde appàret, quia, ut dixit Naso *:

> *O utinam tum, cùm Lacedæmona classe petebat,*
> *Obrutus insanis esset adulter aquis!*

* Epist. Penelopes.

Sic dixerit Maro Æn. VIII:

> *Quamquam ò si solita quicquam virtutis inesset!*

Erythræus in Virgiliano indice, ubi de SI tractat, his addit illud in sexto:

> *Este duces ò si qua via est.*

Sed *siqua* dixit Maro voce unicâ. Nec *ò* hic est optantis, sed orantis. Interdum autem, ut *utinam*, ita *si* quoque per se est optantis. Quemadmodum apud Maronem VI Æn.

> —— *Sic ore precatur:*
> *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus*
> *Ostendat nemore in tanto!*

Quem ad locum ita Servius: *Si adverbium rogantis, & optantis, est per se plenum: sicut & O, licet neoterici hæc jungant, & pro uno ponant. Persius* †:

> —— *O si Ebullit patrui præclarum funus!* ——

† Sat. 2.

Hæc Servius, quæ sanè doctissimo Grammatico excidisse miramur. Nam quod Persius, atque alii, quos neotericos vocat, *ò si* conjunctim dicunt; id Maronis faciunt exemplo, quem ita esse locutum, paullò ante vidimus.

Sed ut de *utinam* antea fecimus, ita de *si* etiam sententiam nostram exponamus. Ne *si* quidem his in locis interjectio videtur: sed potius non quidem adverbium, sed conjunctio tamen. Nam Maronianum illud *o si inesset virtus*: ac Persianum hoc, *O si ebulliat funus*: integrè sint, o, si hoc foret, vel si hoc contingat, quantum felicitatis accessterit, sive quam beati simus, &c. Ubi *si* esse conjunctionem conditionalem satis est evidens.

Doloris interjectiones sunt, *hei*, *heu*, *ah*, *ò*. Ah similiter *dolentis* est Hebræis, qui itidem dicunt אח *ach*: ut Ezechielis XV. 15. Sed pro *ah* in veteribus libris sæpius *a* legas absque spiritu: ut *prò*, ἀντὶ τοῦ *proh.* Et sanè similiter Græci *ἆ* sine spiritu dicunt. Imò Priscianus in XV disertim ait, A esse & nomen literæ, & præpositionem, & interjectionem: ac Probum apud Maronem legisse liquet, *A virgo infelix!* Quomodo etiam in optimo cod. Romano Pierius invênit. Fusius de hoc Achilles Statius Observationum, ut ipse vocat, difficilium cap. XXII.

Ad gaudii interjectiones refer non solùm *euax*, sed etiam *io*: ut *, *Dicite io pæan.* Unde *jubilum*, & *jubilare*. Calphurnius Ecl. VII:

> *Et tua mærentes exspectant jubila tauri.*

Interdum tamen (ut ad Claudianum Parthasius † monuit) *io* dolorem indicat. Quomodo Claudianus in II de raptu Proserpinæ ‡ usurpat: & Tibullus, in isto *,

> *Uror, io, remove, sæva puella, faces.*

* Ovid. initio lib. 2 de arte Amandi.
† Pag. 176.
‡ Vers. 267.
* Lib. 2, el. 4.

Et apud Sophoclem Philoctetes identidem clamat, *ἰώ, ἰώ*: item Polymestor apud Euripidem Hecubâ.

Contra dolentis sunt *hei*, *heu*, *eheu*, *vah*. Lacrimantis, *hei*, *hoi*. Uti & Hebræis הוי *hoi*, I Reg. XIII. 30: item אוי *oi*, Num. XXIV. 23.

Euæ est bacchantis, Græcè εὐοῖ, fortasse ex Hebræo אהוי *ahoi*. Ab εὐοῖ sunt εὔιος, & εὐάζειν.

Baba, & *bombax*, sunt hominis cum admiratione aliquid approbantis, aut mala ingesta læto animo rejicientis. Ita utroque utitur Plautus Pseud. act. I, sc. Pseudole non audis.

Vah interdum esse mirantis, comprobant e Plauto in Casina act. III: ubi post memoratas veras fictasque nationes multas dicitur:

Dimi-

Dimidiam partem nationum usque omnium
Subegit solus intra viginti dies.
LYCO. *Vah!* CURCUL. *Quid mirare?*
Quia enim in cavea si forent
Conclusi, itidem uti pulli gallinacei
Ita non potuere uno anno circumirier.

Sed, puto, sedulo dispicienti, parebit Vah esse hic non mirantis, utcumque ita interpretaretur parasitus: sed vere esse ridentis. Non enim rem mirabatur Lyco, qui nihil eorum credebat, sed miram Curculionis impudentiam: quem ob tam calida spissaque mendacia irridet.

Vere ajunt hem esse indignantis: nec tamen id perpetuum est. Quandoque enim est commiserantis: ut Donatus docet in Andr. act. IV, sc. V. Imò lætitiæ etiam esse videtur act. IV, sc. VIII, vers. 25.

Male autem quidam interpretes * posuere *pax* inter admirationis interjectiones. Nam, ut pluribus ostendit Jos. Scaliger in Ausonianis lectionibus †, est silentium sibi, aut alteri, imponentis. Hesychius: Πὰξ ‡, ὅτι τὶ πέλας ἔχειν. Usus hoc pacto Plautus Mil. act. III, sc. *Cohibete intra limen.* Item Terentius Heaut. act. II, sc. III. Nam cùm Syri verba interrumperet Clinia, veniam sibi hac voce postulavit: ut bene observavit doctissimus, & amicissimus Meursius. At in codd. vulgatis malè ea vox Syri claudit sermonem. Hinc cùm se extricare non possent interpretes, eorum nonnulli admirantis esse adverbium persuadere aliis studuerunt. Atque hoc etiam in Bembini Terentii margine annotatum fuit, Faërno teste: qui in eo legi testatur, *pax interjectionem esse tranquillantis, admirantis, & sollicitudinem adimentis.* Sed hoc classici scriptoris autoritate comprobandum fuerat. Quâ quia destituebantur, fortè satius foret, si tantummodo dicerent, *adverbium esse Comicum, quo Terentius utatur, quod similiter Græcum est.* Ita Priscianus lib. XIV. Sed ne id quidem hic locum habere potest, cùm eundem pòst sermonem insistat Syrus. Siquis est Comici locus, qui eam interpretationem admittat, is fuerit hic eâdem Heautontimorumeni comœdiâ, act. IV, sc. III:

Unus est dies, dum argentum eripio. pax! nihil amplius.

Quod verò in superiori Prisciani loco editio Putschiana habet, *pax*, παντελῶς (quomodo & legitur in veteri Venetâ anni CIƆ CCCC LXXIV) Græcum illud interpretamentum planè est nihili, neque est à Prisciano, cùm is dicat, esse à Græco πάξ, quod longè aliud signare, ex Hesychio ostendimus: præter quem vide sis doctissimum Casaubonum libro II Animadvers. in Athen. cap. XXVI. Quare τὸ παντελῶς planè furcillandum è Prisciano. Quod eo facimus fidentiùs, quia etiam in Mso nostro, Græcorum alioqui retinentissimo, planè abest.

Valde autem errat Nicodemus Frischlinus *, cùm negat opus esse *interjectionem, quæ animi affectus exponit, è præceptis addiscere, cum pueri è quovis obvio rustico possint percipere, quæ sint interjectiones gaudii, quæ doloris, quæ risus, quæ vocantis, quæ respondentis.* Hæc speciosè dicerentur, si voce convenirent ubivis. Nunc aliter hunc illumve affectum exprimit Germanus, aliter Gallus, vel Italus, aliter Latinus, aut Græcus. Significationum numerus ad naturalem Grammaticam pertinet: eoque est uniusmodi. Sed in artificiali Grammatica, vel saltem lexicis, doceri opus, quomodo quæque gens hunc illumve exprimat affectum. Atque hinc facile corruit, quod idem alibi ait * *interjectiones melius disci in foro scrutario, quàm in schola.* Mihi verò res dictu satis difficilis videtur, quam varias una sæpe interjectio significationes habeat: nec lexicographi vel diligentissimi satis accurate has excusserunt.

Superest de interjectionum derivatione, & compositione dicamus. *Interjectionum voces propriè sunt primitivæ:* ut ait Priscianus extremo lib. XVI, *hem, papæ, euax, hei, au,* & similia. Mihi quoque similiter, derivationem non accidere interjectioni videtur: nisi quatenus nonnullæ alia ex lingua veniunt: ut *euæ*, ex εὐοῖ: *ah* ex אח: *hoi* ex הוי, vel הו. Qui verò speciem inter accidentia ejus referunt, pro exemplo adducunt, *ehem*, ab *hem*; & *eheu*, ab *heu*. Alii compositionem hic agnoscunt. Neutris accedimus. Sed compositionem invenimus in *euge*. Nam Græcum est εὖγε, quod ex εὖ, & γε. Similiter in *ehodum*. Item in *sis*, *sodes*, & *sultis*, si eas interjectiones esse placet. Nam *sis* est, *si vis*; *sodes* est, *si audes*; *sultis*, *si vultis*; Festo, & Donato, testibus. Et sententiam eorum confirmat vetus Persii Scholiastes à Pythœo editus in sat. III, vers. XXXIX: ubi sic scribit: *Sodes antiquæ affectationis est, adeò ut soluto eo quidam usi sint: ut Plautus, qui per solutionem sic ait: Dic mihi, si audes, quæ est quam ducere vis uxorem?* Verùm locus is Plauti aliter nunc concipitur in libris vulgatis. Ita enim legimus Aulul. act. II, sc. I: *Dic mihi, quæso, quis ea est, quam vis ducere uxorem?* Quare tum apud Plautum, tum Persii interpretem, legendum censeo: *Dic mihi, si audes, quis ea est, quam ducere vis uxorem?* Nam *quis*, non *quæ*, legit quoque Priscianus lib. XIII. Illud verò *quæso* ex glossemate irrepsit. Cæterùm miror locum eum, qui est in Plauti Aululariâ, à Prisciano citari è Vidulariâ. Ita enim non modò in Putschianâ editione, sed etiam Aldinâ, imò & Venetâ anni CIƆ CCCC LXXVI, atque adeò & optimo Mso meo, constanter legitur. Ut Prisciani ipsius μνημονικὸν ἁμάρτημα †, aut librarii error, videatur.

Hactenus de octo vocum classibus: necnon ἀναλογίᾳ, & ἀνωμαλίᾳ, quatenus definiuntur, illa quidem *similium similis declinatio*, hæc verò *inæqualitas declinationum consuetudinem sequens*: ut apud Gellium legere est lib. II, cap. XXV. Atque hinc videmus, strictè vocem ἀναλογίας sumtam in privis duntaxat vocibus considerari, non item in verborum structura: etsi in eâ quoque similitudo, &, ut ita dicam, regularitas spectetur: quemadmodum libro proximo videbimus. Quod si analogia, & anomalia, in declinationis similitudine & dissimilitudine consistant: solùm videntur ἀναλογία, & ἀνωμαλία, in quatuor declinabilibus vocum classibus inveniri. Hæ enim solæ inclinantur in genera, numeros, casus, tempora, personas, ac modos. Ac propterea negare non possumus, præcipuè hic ἀναλογίαν attendi. Falluntur tamen, qui eam penitùs à cæteris classibus excludunt. Nam, ut nihil dicam de comparatione per gradus, quæ in quibusdam particulis invenitur: saltem in illis locum habet derivatio, quæ Varroni dicitur declinatio voluntaria: quia nempe terminatur quidque, ut tulit voluntas eorum, qui primi voces eas induxere. Hanc declinationis ἀναλογίαν etiam in particulis considerat Terentius Varro; & ex eo Gellius loco antè memorato; ubi cùm de ἀναλογίᾳ, & ἀνωμαλίᾳ, quædam præmisisset, ista subjungit: *M. Varronis ad Ciceronem de lingua Latina liber octavus, nullam esse observationem similium docet. Itaque in omnibus pene verbis dominari consuetudinem ostendit. Sicuti cùm dicimus, inquit, Lupus, lupi; Probus, probi; & Lepus, leporis. Item, Paro, paravi; Lavo, lavi; Pungo, pupugi; Tundo, tutudi; & Pingo, pinxi. Cumque, inquit, à Cœno, & Prandeo, & Poto, & cænatus, & pransus, & potus sum, dicamus: & ab Adstringor, tamen, & Extergeor, & Lavor, adstrinxi, & extersi, & lavi, dicimus. Item cùm dicamus ab Osco, Thusco, Græco; Oscè, Thuscè, Græcè: à Gallo tamen, & à Mauro; Gallicè, & Mauricè dicimus. Item à Probus, probè; à Doctus, doctè: sed à Rarus non dicitur rare, sed alii rarò dicunt, alii rarenter.* Unde satis liquet, in particularum etiam derivatione attendi declinationis similitudinem, & dissimilitudinem; quam ἀναλογίαν, & ἀνωμαλίαν, dicimus.

FINIS LIBRI QUARTI DE ANALOGIA.

* Notis in Ter. Heaut. 2, 3.

† Lib. 1, cap. 19.

‡ Πὰξ ad significandum, sermoni finem esse. Præmittit Hesychius, Πὰξ etiam esse ὑπόδημα ἀνειδῶς, calceamentum, quod facile induatur. Atque inde baxeæ, Plauto Menæch. act. 2, sc. 3. Uti πὰξ fortasse à πήγνυμι, eo.

* Præfat. Grammaticæ Latinæ.

* Pag. 159.

† Memoriæ lapsus.

GERARDI JOANNIS VOSSII

ARISTARCHUS,

SIVE

DE SERMONIS CONSTRUCTIONE

LIBER;

qui est commentariorum

DE ARTE GRAMMATICA,

LIBER VII.

Cap. I.

Syntaxios objectum, oratio. Orationis definitio. In Charisio conjectura. Orationis ἐτυμολογία *vera, contra Diomedem, & Alcuinum, adfertur. Definitio Diomedis, & Prisciani, refellitur. Chrysippi Stoici geminum opus* περὶ συντάξεως*, sed dialecticum. Ratio veterum tradendi Latinam structuræ doctrinam. Constructionis divisio in analogam, & figuratam; analoga in convenientiam, & regimen; convenientia in propriè, & impropriè dictam.*

NOvas iterum ad lineas revertimur. Postquam enim de literis, syllabis, vocibus, egimus; de oratione dissertandum est nobis. Hæc Charisio initio lib. II sic definitur: *Oratio est ore missa, & per dictiones ordinata pronunciatio, ut oris ratio.* Est ea, ut ex Diomede constat, Scauri definitio; nisi quòd illic tria postrema verba non habentur. Et meritò sanè, quando non ad definitionem, sed ἐτυμολογίαν, pertinent. Planeque verisimile fit, ea apud Charisium ex margine irrepsisse. Verùm neque definitio, neque ἐτυμολογία, placet. Nam antiquum verbum est *orare*, pro *ore proferre*. Unde *Orator*; ut Græcis ῥήτωρ à ῥέω, κατ᾽ ἀποκοπὴν facto ex ἐρέω; quòd idem est ac εἴρω, sive *dico*. Ab *orare* igitur *oratio* est; non quasi *oris ratio*, quod Diomedes, & Alcuinus, scripserunt: uti neque ab ὀαρίζω, quo Homerus* utitur pro *sermocinari*. Quam alteram ἐτυμολογίαν apud eundem Diomedem invenias. Vera autem orationis definitio petenda est ex Aristotelis lib. περὶ ἑρμηνείας. Ex quo etiam discimus, mutilam esse definitionem istam quorundam apud Diomedem: *Oratio est compositio dictionum consummans sententiam, remque perfectam significans:* sive, ut apud Priscianum est, *oratio dictionum congruam sententiam perfectamque demonstrans.* Nam, secundùm hanc definitionem, oratio non erunt, si dicam, *scripta philosophorum*, aut *præcepta Grammaticæ*, aut *loqui & scribere*; similiaque quæ non significant sententiam perfectam, verùm animum auditoris relinquunt suspensum. At esse eas veras orationes, argumento est, quòd sint plures voces conjunctæ, earumque structuræ ratio explicetur in συντάξει, quæ circa orationem versatur.

* Il. ζ. χ. & in hymnis.

Περὶ συνθέσεως, sive συντάξεως varii olim scripsere: at non pauci eorum de Rhetoricâ potiùs, vel Dialecticâ structurâ, quàm Grammaticâ, egerunt. Sanè Rhetoricum est opus Dionysii Halicarnassensis, quod περὶ συνθέσεως ὀνομάτων † inscribitur. Chrysippus Stoicus, ut Laërtius in Indice ejus librorum testatur, fecit περὶ τῆς συντάξεως τῶν λεγομένων δ´, περὶ τῆς συντάξεως καὶ στοιχείων τῶν λεγομένων πρὸς Φίλιππον γ´. *De structura eorum quæ dicuntur, libros* IV. *De structura & elementis eorum, quæ dicuntur, ad Philippum libros* III. Sed cujusmodi fuerint argumenti, hæc verba Dionysii docent libro memorato: Ἃς δὲ Χρύσιππος καταλέλοιπε συντάξεις διττὰς, ἐπιγραφὴν ἐχούσας περὶ τῆς συντάξεως τῶν τοῦ λόγου μερῶν, οὐ ῥητορικὴν θεωρίαν ἐχούσας, ἀλλὰ διαλεκτικὴν, ὡς ἴσασιν οἱ τὰς βίβλους ἀνεγνωκότες, ὑπὲρ ἀξιωμάτων συντάξεως, ἀληθῶν τε καὶ ψευδῶν, καὶ δυνατῶν, καὶ ἀδυνάτων, ἐνδεχομένων τε, καὶ μεταπιπτόντων, καὶ ἀμφιβόλων, καὶ ἄλλων τινῶν τοιουτοτρόπων, οὐδεμίαν οὔτε χρείαν οὔτ᾽ ὠφέλειαν τοῖς πολιτικοῖς λόγοις συμβαλλομένων, εἰς γοῦν ἡδονὴν, ἢ κάλλος ἑρμηνείας, ὧν δεῖ στοχάζεσθαι τὴν σύνθεσιν. *Geminum vero illud de structura opus à Chrysippo relictum, quorum utrumque de partium orationis collocatione inscribitur, non rhetoricam, sed dialecticam considerationem habet: ut sciunt, qui eos libros legêre: nempe ubi agatur de compositione enunciationum, verarum & falsarum, possibilium, & impossibilium, contingentium, & migrantium, & ambiguarum, aliarumque ejusmodi; quæ nullum usum sermoni adferunt civili, nec elocutioni præstant voluptatem, aut elegantiam, ad quæ collocatio præcipuè debet collimare.* At verè opus Grammaticum est, quod περὶ συντάξεως quatuor libris reliquit Apollonius Alexandrinus, cognomento Δύσκολος, sive Difficilis, summus artis Grammaticæ scriptor: ut eum Priscianus appellat. Qui & in orationis structurâ lib. XVII, & XVIII, ejus maximè vestigiis insistit; ut ipse agnoscit. Idem e Græcis postea fecit Theodorus Gaza libro IV Grammaticæ. Et ex Latinis junioribus, Thomas Linacer, Anglus.

† *De structura verborum.*

Quâ ratione autem veteres Romani docere hanc Grammatices partem soleant: cognoscere est ex iis, quæ de idiomatis scribit Sosipater libro ultimo, & Diomedes lib. primo. Nobis certe, quibus non est lingua vernacula, aliquantò

quantò aliam συντάξεως docendæ ineundam esse rationem, lubens agnosco: etsi interim tantam canonum exceptionumque molem, qua pueritiæ ingenia hodie obtundunt, neutiquam necessariam, imò noxiam maximopere esse sentio. Quod utinam intelligerent, qui pueritiam in hujus artis præceptis formandam aut firmandam suscepere. Nam per eos haut alia ratione Grammaticam licet discere, quam discendis tot supervacuis, quæ paullo post ventis tradantur. Atque utinam hac solùm parte peccaretur. Nunc illi etiam, qui non exiguâ curâ omnia in docentium potius, quàm discentium, gratiam persequi sese studuerunt, immane quantum falsorum canonum coacervarunt: & tamen in tantâ commentorum commentariorumque mole plurima quoque momenti maximi nec digito attigerunt. Quæ cùm ita sint, operæ me facturum existimo, si ea hoc loco persequar, quæ magnâ ex parte, vel assecuti non sunt, vel saltem non persecuti. Ordiemur autem à structurâ analogâ, sive regulari, hoc est, eâ, quæ sequitur nativam loquendi formam, regulisque artis maxime communibus consentanea est. Cui opponitur consecutio figurata, sive irregularis; quæ quidem consuetudini convenit rectè loquentium: à nativa tamen ac primogeniâ loquendi formâ recedit; uti & a simplicissimis maximeque communibus artis regulis. Ita ut, si eam conferas cum nativâ & simplicissimâ locutione, aliquid comperias vel superesse, vel deesse, vel transponi, vel immutari.

Qui sequitur regulas linguæ nativas, Grammaticè loquitur. Si tamen aliud ferat consuetudo Romana: Latinè non loquitur. Porrò tam analoga, quàm anomala structura est duplex, concordia, & rectio. Illa est duarum, vel plurium vocum convenientia. Hæc est jus sive potestas justum casum exigendi. Ut enim in societate humana, nunc duo pluresque conspirant, etsi unus in alterum non habeat imperium: nunc posterior priori adhæret, eo quod imperium ejus sequi debeat: ita etiam in structura orationis nunc voces quasi sponte congruunt, nunc ob unius potestatem altera certo casu, quem illa requirit, sequi cogitur. Una igitur vox præest, altera inservit: ut quæ nonnisi certo flexionis fine voci jungatur: idque fine eo, quem prior exigit.

Concordia vel est propriè, vel impropriè sic dicta. Propriè dicta est, quando convenitur in aliquo tertio. Ita *Æneas adsum*, convenientia est propriè dicta: quia & *Æneas*, & *adsum*, est singulare. *Litera, quas dedisti*, est convenientia generis, & numeri; quia & *litera*, & *quas*, sunt generis muliebris, ac numeri pluralis. Etiam *boni mores*, est convenientia horum, ac insuper casus. Impropriè Concordia dicitur, quando non est aliquod tertium, in quo partes conveniant. Eaque in particulis locum habet. E.G. *Ut*, pro *postquam*, sive *ex quo*, non subjunctivum adsciscit, sed indicativum. Ovid. v Trist. eleg. xi:

Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister.

Non potest dici, *ut*, & *sumus*, convenire in tertio, puta modo indicativo: nam particulæ sunt modi expertes. Non igitur est concordia propriè dicta. Nec regimen potest vocari. Nam quomodo particulæ ea insit potestas, ut modum præscribat verbo, cùm verbi ea sit dignitas, ut ne à nomine quidem regatur, nedum à particula? Discors tamen sermo fuerit, si dicamus: *Ut fuissemus in Ponto.* Concors, *Ut sumus*; vel etiam, *ut fuimus*: quomodo Cicero ad Att. lib. vii, epist. xv: *Ut ab urbe discessi, nullum adhuc intermisi diem, quin aliquid ad te literularum darem.* Quare & hæc *Concordia* vocetur: utcunque non tam propriè, quàm illa duarum partium declinabilium.

Cap. II.

Appositionem videri ἐλλείψεως genus. Terra Gallia, Hispania, Arabia. *Appositio alia ἑρμηνευτική, alia ἐγκωμιαστικός.* Rete jaculum, taberna diversorium, pallium peristroma, nugæ ambages. *Falli, qui arbitrantur, in Appositione alterum nomen semper proprium esse.* Homo servus, homo histrio, mulier meretrix, nemo conviva, nemo homo, *& similia. Adjectiva substantivè, substantiva adjectivè usurpata.* Latex Lyæus, longum inane, heroës sensus, generosum honestum. Eridani amnis. Medorum hostes, *pro* hostes Medi.

IN Convenientiâ propriè dictâ primùm eam spectabimus, quæ est nominis cum nomine: in hac, priori loco eam, quæ est substantivi cum substantivo. Vulgò Πρόσθεσιν, sive Appositionem, vocant. Idque præeunte Alexandro Grammatico. Veteres ἐπεξήγησιν nominant: *appositionis* appellationem nesciunt. Apud Fabium quidem, Charisium, Diomedem, Priscianum, & iis æquales, nusquam legas. Est verò Ἐλλείψεως genus, ubi intelligitur participium verbi substantivi, aut vocativi. Ut, *Anna soror*, valet, *Anna ens soror*, sive Græcè, οὖσα, *qua es. Urbs Athena*, integrè sit, *Urbs, qua est, vel dicitur Athenæ.* Livius: *Celtiberi, novus miles, diffugerunt*, h.e. ὄντες cum essent novus miles. Substantiva sic sociata necesse est casu convenire: de genere, aut numero, nihil necesse. Nam, ut dicimus, *Leo rex quadrupedum*; sic, *Aquila rex avium.* Ut, *stella Capra Olenia*; sic, *stella cometes, stella Arcturus*, aut *Sirius*, vel *Canopus.* Ut, *sidus plaustrum*; sic *sidus Perseus*, vel *Andromeda.* Ut, *tempus magister multorum*; sic *usus*, vel *dies magister.* Ut *urbs Roma*, vel *Stagira*; sic *urbs Sulmo*, *urbs Lugdunum, urbs Philippi, urbs Athenæ, urbs Bactra.*

Etiam hujus generis sunt *vinum absinthites, abrotonites*, aliaque id genus: quasi dicas, *vinum, quod dicitur absinthites.* Ubi itidem genus diversum, quia *absinthites*, & similia, virilia sunt: quæ propterea genere hoc donarunt, quia virile Græcis esset generale nomen οἶνος, quod in hisce, substantivis quidem, sed naturam adjectivorum resipientibus, respicitur.

Quæritur, utrùm ad πρόσθεσιν quoque pertineant, *terra Gallia, regio Thessalia.* Quomodo Appulejus dixit i Met. *Et morem Thessaliæ regionis, instar solitudinis, & scopuli, edulium caritate deducis.* Ac *terra Gallia, Hispania, Græcia*, passim apud Gellium legas: idque Plauti exemplo, cujus est in Trinummo, *Arabia terra.* Nec refugêre aut Cæsar, aut Livius. Illius est lib. i de bello Gallico: *Eam rem non minus ex usu terræ Galliæ, quam populi Rom. accidisse.* Hujus est lib. xxxix: *Siquis eorum, qui tum extra terram Italiam essent, nominaretur.* Et lib. xlii: *Non urbs tantum Roma, nec terra Italia*, sed omnes *reges civitatesque.* Sunt qui hic malint statuere ἐναλλαγὴν substantivi pro adjectivo. Nam, inquiunt, *terra Gallia* ponitur, pro *Gallica*; *Thessaliæ*, pro *Thessalica.* Sed si *Gallia*, & *Thessalia*, esse substantiva agnoscunt: cur hic magis ἐναλλαγὴν statuunt, quàm cùm dico, *urbs Roma?* Sin verè substantiva non sunt, jam nec Appositio erit. Et sanè alibi * ostendimus, potiùs esse adjectiva: sed quorum masculina, & neutra, exoleverint in plurimis; nec tamen in omnibus. Nam à *Babylone*, est *Babylonius*; unde *Babylonia.* A *Lacedæmon*, est *Lacedæmonius*; unde *Lacedæmonia.* A *Phryx* est *Phrygius*; unde *Phrygia.* A *Thrax*, *Thracius*; unde *Thracia.* A *Juda* patriarchâ, *Judæus*; unde *Judæa.* Nempe *terra.* Atque ita in aliis quibusdam. Qua de re diximus quoque lib. i de Anal. cap. xii.

Est verò duplex Appositio; una simplex, quæ unius est vocis, & ἑρμηνευτικὴ † à nonnullis vocatur: altera ἐγκωμιαστικὸς ‡, cùm quasi oratio adtexitur illustrandi caussâ. Prioris generis sunt, quæ hactenus diximus. Similemque, *rete jaculum*: quod apud Plautum Asin. & Trucul. utrobique act. i, sc. i. Et alibi*, *tabernam diversorium.* Ulpiani est †, *pallium peristroma.* In Sergii Polensis epitaphio legitur, *nugæ ambages*, pro *nugaces ambages*, aut *nugæ ambagiosa.* Et Palmerius, *acus ervum*, legit apud Plautum Casina i, i. Alterius exemplum est illud Horatii lib. iv Carm. od. viii:

* Lib. i de Anal. cap. 12.

† ᾗ d. interpretatoria.

‡ ᾗ d. cumulatoria.

* Menæchmis act. 2. sc. 3.

† L. instrato 45. D. de verb. signif.

Dona-

Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum.

Et hoc Claudiani lib. II de laudibus Stiliconis, in descriptione ævi*:

* Vers. 450.

—— Stabant rutili, grex aureus, anni.

Ita enim is locus legi debet.

Ex quibus omnibus falli etiam liquet, qui in Appositione putant, alterum nomen semper proprium esse.

Ad Appositionem quoque referunt ista, *homo servus*, *homo histrio*, & similia. Cicero lib. II de Orat. *Cùm mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur.* Plautus Mil. act. II, sc. VI: *—— Hominem servum suos. Domitos habere oportet oculos, & manus, Orationemque.* Et Mercat. IV, I: *Mulier meretrix.* Item hoc Gellii lib. III, cap. X: *homo fabulator.* Idemque statuunt de aliis verbalibus in TOR, & TRIX, exeuntibus. Ut apud Cic. pro lege Maniliâ: *Bellum in Africâ maximum confecit, victorem exercitum deportavit.* Et apud Maronem, *victor equus, fatis auctoribus.* Verùm hæc ad naturam adjectivorum proximè accedunt.

Etiam sunt alia, quæ, etsi utrumque videatur substantivum, tamen hujus loci non sint. Ut apud Plaut. Asin. IV, I: *Voces conviviam neminem, tum voces.* Sic *nemo homo*, crebrò legas apud eundem. Nec refugêre vel Terentius†, vel Cicero‡. Verùm hic *nemo* ponitur pro *nullus*. Nec enim rarum est, ut vel substantiva pro adjectivis, vel adjectiva pro substantivis, ponantur. Prioris generis est illud Maronis*:

† Eun. 3, 5.
‡ In Mil.
* Æn. 1.

Regales inter mensas, laticemque Lyæum:

hoc est, Lyæium, sive Bacchicum. Item cùm Persius sat. I, ait, *Heroas sensus*, hoc est, heroicos. Posterioris generis est istud Maronis XI Æn.

Ante leves jaculo longum per inane secutus.

Et Pers. sat. II:

—— Incoctum generoso pectus honesto.

Interdum verò alterum substantivorum effertur gignendi casu. In quo Græcos imitantur. Ac obtinet hoc sermonis genus etiam in sermone Belgico. Sic enim dicimus non solùm, *de stad Amsterdam*, *urbs Amstelodamum*: sed etiam, *de stad van Amsterdam*, *urbs Amstelodami*. Ita Cicero in V ad Att. libro, ep. XVIII: *In oppido Antiochia.* Qui & alibi†, *Arbor fici.* Imprimis verò hoc sermonis genus à Poëtis frequentatur. Ita Maro‡ dixit:

† Pro Flacco.
‡ 6 Æn.

Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis.

Pro *amnis* Eridanus.

Horat. lib. epod. od. II: *Aut herba lapathi.* Et lib. II, sat. IV: *Et lapathi brevis herba.*

Propertii quoque est*:

* Lib. 3, el. 8.

—— Medorum pugnaces ire per hostes.

Pro *hostes Medos*. Est verò Hebraïsmus. Nam sic in Scripturis, *Expansum cœli*, pro expanso cœlo: ut exponit Abenezra ad Gen. I: *sculptilia Deorum*, pro sculptiles Dii, Esai. XXI. 9. *Sidus Dei vestri*, pro sidere Deo vestro, Ose. V. 26. Hæc de appositione: de quâ, an Figuræ nomen mereatur, non satis est apertum. Priscianus quidem initio lib. XVIII, ellipsios genus facit. Nam pro exemplo adducit, *filius Pelei Achilles*: ac deinde addit: *subauditur participium verbi substantivi ENS: quod in usu nunc nobis non est: pro quo possumus, qui est, vel qui fuit Pelei filius, dicere, vel subaudire.* Sed enim mox idem subjungit, itidem hæc esse ἐλλειπτικά: *commodus mihi amicus proficiscitur*; pro, *qui est mihi commodus. Vir faciem honestus*, pro, *qui est faciem honestus. Homo pedibus celer*, pro, *qui est celer.* Quam viam si insistimus, metuo, ne tandem omnis adjectivi, & substantivi, convenientia dicenda sit figurata.

CAP. III.

Adjectivum se accommodare accidentibus substantivi, non contrà. Plura adjectiva citra conjunctionem interdum uni substantivo jungi: etsi aliter Servius putârit. Ellipsin videri, quoties duobus vel pluribus singularibus, sociatur adjectivum, aut verbum plurale. Idem fieri, si substantivorum alterum in ablativo ponatur cum præpositione. Collectiva, ac partitiva, singulo numero vim habent pluratrvi. Ambo duo *per pleonasmum.* Synthesis *vocem fuisse ignotam olim Grammaticis: ac rectiùs* Synesin *dici potuisse.*

Nunc videamus de convenientia adjectivi cum substantivo. Sic enim dicere malo, quam convenientiam substantivi cum adjectivo: non quasi non ambo inter se conveniant; sed quia adjectivi est accommodare se substantivo; utpote digniori. Nec quia *adjectivi* dico, eò existimandum, uni substantivo unum semper adjectivum convenire. Interdum enim plura ei adjectiva, ac sine copula quidem, junguntur. Scio hoc Servium negare, ad illud Maronis Ecl. III:

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

Ubi Donatus legebat *facilis*. Sed Servii sententiam jam varii discussere: inque aliis eam refellit Obertus Giffanius in Ind. Lucret. Tit. *Epitheta geminata.* Locis ab eo productis multa addere possemus. Quale inter cætera isthoc ex Asin. act. II, sc. I:

Atque ad ingenium vetus versutum te recipis tuum.

Et hoc Catulli Carm. LVI ad Camerium:

Nec Rhesi nivea cita quadriga.

Quod etiam usu venit in adjectivis substantivè positis. Ut, *ruta cæsa*, *sarta tecta*, *pacta conventa*. Quamquam Marius Corradus in quarto de L. L.‡ censeat ea in vocem unam conflari.

‡ Pag. 141.

Atque hic quidem plura adjectiva uni sociantur substantivo. Sæpe autem contrà unum adjectivum pluribus substantivis respondet. Sed in substantivis copula vel exprimitur, vel intelligitur. Nec adjectivum semper numero cum substantivis convenit. Nam non tantùm dicitur, *pater*, *& Chremes reversus*: sed etiam, *Pater*, *& Chremes*, *reversi*. Ac similiter etiam cum verbo, *Revertitur pater*, *& Chremes*: vel, *Pater*, *& Chremes*, *revertuntur*. Cujus caussa est, quòd duo numeri singuli pro plurativo censeantur in structura. Num autem hoc fieri credamus propter ἰσοδυναμίαν†? Tantundem enim valet, *Castor*, & *Pollux*, ac *Tyndaridæ fratres*, vel *Dioscuri*. Tantundem item, *Prætor urbanus*, *& peregrinus*: ac *ambo prætores*. Quid mirum igitur, si dixero, *Castor*, *& Pollux*, *alternis orientes & occidentes*: vel, *Prætor urbanus*, *& peregrinus*, *jus dicentes*. An potiùs cum aliis, & in his Grosippo, sive Scoppio, ἔλλειψιν statuemus? Ut integrè sit, duo illi, Castor, & Pollux, sive, duo, qui sunt Castor, & Pollux: item duo illi, quorum unus urbanus, alter peregrinus prætor. Sanè sententia hæc à vero non abhorret. Siquidem ἔλλειψις, quam dicebamus, sic quandoque ab optimis scriptoribus suppletur. Fidem fecerit vel unicus Plautus: qui ante plurale verbum (par autem adjectivi pluralis, ac verbi ratio est) *duo hi*, vel *ambo*, vel utrumque etiam, præmittit. Ut Amphitr. act. III, sc. III:

* Sulpic. prol Ter. Phorm.
† Æqualem eorum potestatem.

Jam hi ambo, servus & hera, frustra sunt duo.

Ubi superfluâ ac redundanti utitur oratione, cùm dicit; *Jam hi ambo duo sunt frustra.* Integer & proprius sermo fit: *Jam hi ambo*, vel, *Jam hi duo sunt frustra.* Sed ἔλλειψις foret: *Servus*, *& hera*, *sunt frustra.* Similiter Epidico act. V, sc. I:

Quem Apelles, atque Zeuxis, duo pingent pigmentis ulmeis.

Ἔλλειψις esset, *Apelles*, *atque Zeuxis*, *pingent*, aut *pingentes*. Nunc integrè ait, *Duo pingent.* Nempe *Apelles*, *atque Zeuxis.* Ubi intelligitur Græcum ὄντες, sive, *qui sunt.* Quasi dicas, *Duo pingent*, *qui sunt*, *Apelles*, *atque Zeuxis.*

Nec hoc solùm habet locum in duobus: sed etiam cùm intelligitur, *hi tres*, *hi quatuor*, ac ita deinceps. Citra hanc ἔλλειψιν dixit Plautus Bacchidibus act. II, sc. III:

Vulcanus, Sol, Luna, Dies, dei quatuor,
Scelestiorem nullum illuxere alterum.

Unde

Unde liquet, potuisse similiter participio dici, *illucentes alterum:* vel nomine, *illuminatores alterius.*

Eadem ratio, cùm substantivum alterum priori in auferendi casu cum præpositione adjungitur. Quod Poëtis usitatius. Cum adjectivo quidem plurali, apud Ovidium lib. II Met. fab. I:

Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat.

Quod integrè fit, duos illos amnes Ismarios, Hebrum cum Strymone, sive Hebrum & Strymonem.

Cum verbo plurali similiter eidem lib. I Met.

Litora cum plausu clamor, superasque Deorum
Implevere domos.

Ubi, *clamor cum plausu*, tantundem est, ac, *duo illa, clamor cum plausu.* His enim duobus ait litora, & Deorum domos impletas. Item Maroni I Æn.

Cana Fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt.

Pro, *duo illi, Remus & Quirinus.*

Interdum & oratores sic loquuntur. Cic. lib. I Tuscul. Quæst. *Dicaarchum vero cum Aristoxeno æquali & condiscipulo suo, doctos sanè homines, omittamus.* Ac similiter Curtius lib. IV: *Pharnabazus cum Apollonide, & Athenagora, vincti traduntur.*

Quandoque etiam pro plurali censetur nomen, vel collectivum; ut, *omnis, populus, civitas, pars, manus* &c. vel partitivum; ut, *quisque, uterque, aliquis, alter, neuter,* & similia. Itaque & illa plurali junguntur, tum nomini, tum verbo. Horat. lib. epod. od. XVI:

Eamus omnis execrata civitas.

Ubi, *Omnis civitas execrata*, tantundem valet, ac, *omnes cives execrati.* Idem lib. I, sat. V:

—— *Missi magnis de rebus uterque*
Legati.

Nihil refert, *ambo*, an *uterque* dicas. Sic Ovidius lib. II de Remedio Amoris:

Utraque formosæ Paridi potuere videri.

Poterat dixisse *ambæ*. Virgil. II Æn.

Ascaniumque, patremque meum, juxtaque Creüsam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam.

Nativus sermo requirebat *mactatum:* sed *mactatos* ait, quia sententia est, *alios in aliorum sanguine mactatos.*

Ac ne poëtas solùm adducam, Sallustii est in Catil. *Alius alium cunctantes exspectatis.* Livius similiter lib. II: *Missi confestim honoratissimus quisque ex patribus.* Tacitus: *Tum intimus quisque libertorum vincti, abreptique.* Item: *Eo suffragio turbidissimus quisque delecti.* Gellius lib. I, cap. XXIII: *Ad Senatum posterâ die matrumfamilias caterva lachrymantes atque obsecrantes orant.* Ignoto veteribus Grammaticis nomine σύνθεσιν vulgò appellant. Id Latinis foret *compositio.* Rectiùs autem σύνεσις, hoc est, *intelligentia*, vocaretur. Est enim structura congrua non ratione ejus, quod dicitur, sed quod intelligitur.

CAP. IV.

Triplex Zeugmatis appellatio, pro situ diverso adjectivi. Syllepsis. Poëtica magis est, quando sociantur nominativus, & ablativus cum præpositione. Femininum potius est neutro. Familiæ ercti ciendæ, *vel* ciscendæ. *Quandoque adjectivum pariter cum propiore & digniore convenit. Nonnunquam item cum neutro: ut cùm adjectivum neutrum subditur masculinis, vel femininis: præsertim si res signent inanimas. Cum utro conveniat adjectivum, si substantiva diversi generis per Appositionem jungantur. Item num superlativa, & partitiva, genus sequantur genitivi, quem superlativus, aut partitivum regit; an verò ejus nominis, quod subjecti munus obit.*

HActenus in substantivi, & adjectivi dissensu non aliud, quàm numerum, spectavimus. Nunc videamus de generis consensu, ac dissensu. Quæ res plus difficultatis habet. Ac primùm dispiciemus de genere adjectivi, quando pluribus substantivis diversi generis subjicitur. Estque ea doctrina bipartita. Primùm enim videndum de genere adjectivi substantivis additi conjunctione connexis, sive ea copula exprimatur; ut cùm dico, *locus, & tempus*; sive intelligatur, ut, *locus, tempus.* Hæc ipsa doctrina est trimembris. Trifariam enim adjectivum à substantivorum alterutro, vel etiam plurium aliquo, discordat. Primùm id fit Zeugmate: deinde Syllepsi: denique Ellipsi istiusmodi, ubi nec cum propiore, nec cum digniore, fit consensus.

Ζεῦγμα Prisciano *Conjunctio*, vel *Adjunctio*, Julio Scaligero *Jugatio* dicitur. Fit hoc, cùm nomen adjectivum diversis additum substantivis convenit cum propiore. Estque vel generis, vel numeri. Generis, ut illo Horatii*:

Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.

Et Terentii †,

Utinam, aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.

Numeri ζεῦγμα est in illo Maronis ‡:

—— *Sociis, & rege recepto.*

* Lib. 2, sat. 5.
† Andr. act 3, sc. 1.
‡ 1 Æn.

Pro situ autem nominis adjectivi (uti & verbi in Zeugmate verborum, de quo suo loco dicemus) dicitur vel πρωτόζευγμα, sive ζεῦγμα τὸ ἡγεμών: vel μεσόζευγμα, sive συζεύξις, ἢ ζεῦγμα τὸ μέσον: vel ὑπόζευγμα, ἢ ὑστερόζευγμα, ἢ ζεῦγμα τὸ ἑπόμενον.

Altera figura est σύλληψις, quæ Prisciano in XVII, *præceptio* dicitur. Ad verbum sit *comprehensio, conceptio.* Imò & Papiæ definitur, *in dissimilibus clausulis per unum verbum conglutinata conceptio.* Nempe minus hic, & ignobilius, comprehenditur sub majori, ac nobiliori. Quippe in eo adjectivum cum digniori convenit. Ut illo Ciceronis lib. II de Nat. Deor. *Quin etiam vites à caulibus brassicisque, si prope sati sint, ut à pestiferis & nocentibus refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere.* Ovidii lib. II de Arte:

Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.

Et I Fast.

Jane fac æternos pacem, pacisque ministros.

Nam genus masculinum est dignius feminino. Unde fit, ut *uter, alter*, similiaque, de femina quoque dicantur, cùm de viro feminaque est sermo. Maro Ecl. III:

Bisque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

Ad quem locum sic Servius: *ALTER de noverca. Nec nos moveat, quòd ALTER dixit de femina. Nam & in subauditione ponuntur ea, quæ non possumus dicere, & scimus: quia quoties hæc duo genera junguntur, masculinum præponderat feminino. Syllepsin* hoc *implicitam* appellant. Quale etiam fit, si de marito & uxore dixeris, *Uterque beatus.* Sed nunc de explicitâ loquimur. Qualis fuerit, *Maritus, & uxor, beati.*

Cæterùm antea vidimus, non solùm, *Mars, & Venus*, pro plurali censeri: sed etiam, *Mars cum Venere.* Itaque non tantùm dixere, *Mars, & Venus, capti*; verùm etiam, *Mars cum Venere*, vel, *Venus cum Marte capti.* Ovid. lib. IV Fast.

Ilia cum Lauso de Numitore sati.

Imò similiter Justinus extremo lib. XIV: *Filium Alexandri cum matre in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.* Quod integrè fit, duos illos, Alexandri filium, & matrem, custodiendos mittit.

Similiter femininum genus dignius est neutro. Eoque dicendum, *Uxor & mancipium salva. Ancilla & jumentum reperta.* Nempe ut in isto, *Feminas & pecora ducendas habebat.* Sic Lucanus lib. I:

—— *Hinc leges, & plebiscita coacta.*

Sive divisim, ut Claudio Salmasio visum,

—— *Hinc leges, & plebis scita coacta.*

Leges, inquit, & scita plebis vi coactæ. Ac censebat idem maximus* vir, huic geminum esse illud, *Familia ercti cienda*, vel *ciscenda.* *Familiæ* enim nomine notari homines, sive famulorum turbam, quæ potior pars hæreditatis. *Erctum* dici pecunias, ac cætera bona. Istis, à *cio*, vel frequentativo *cisco*, hoc est, *divido*, subdi adjecti-

* In Solinum.

jectivum *cienda*, sive *ciscenda*, id est, dividundæ: quod cum *familia* conveniat genere, non cum *erčti*, quia feminimum dignius est, ut dicebamus.

Fortasse & simile hoc Ovidii lib. XI Met.

Jamque mare invecta flumen populare relinquunt.

Nisi ad lyram, & linguam, poeta respexit: quia proximè antecessit:

Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis.

Sed potiùs censeo, attendisse id, quod præmisit:

—— Caput, Hebre, lyramque
Excipis.

Nam utcunque sola lingua flebile quid sonaret: non tamen sola, sed caput integrum, mare est invectum. Eoque *invecta* non ad linguam, & lyram; sed caput, & lyram, verisimilius refertur.

Aliquis etiam hujus loci esse dixerit illud Gellii lib. IX, cap. III: *Vim atque arma* (Philippi) *toti Græciæ cavendam metuendamque inclytæ illæ Demosthenis orationes concionesque vocificant.* Sic quidem etiam adducit Augustinus Saturnius lib. X, cap. IV, ac *præposterum zeugma* appellat. Sed in optimis libris nunc legas in neutro, *cavenda*, *metuendaque*.

Quod si masculinum feminino, hoc autem neutro est dignius: longè magis virile dignitate exsuperat neutrum. Ut, *Servus, & jumentum mortui. Fatum, Deusque adversati.* Plancus Ciceroni*: *Amor tuus, ac judicium de me, utrùm mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis, quotidie sit allaturus, non facile dixerim.* Sic Virgilius Æn. VII:

* Lib. 10, ep. 24.

—— Cæsosque reportant,
Almonem puerum, fœdatique ora Galesi.

Quamquam hic altera etiam ratio est: quia *ora Galesi* dixit poeta περιφραστικῶς, pro Galeso ipso. Ut synthesis sit: quia in animo erat, Almonem, & Galesum cæsos.

Interdum junguntur substantivum virile, femininum, & neutrum, sequente adjectivo masculino. Valerius Max. lib. IX, cap. II: *Protinus caput ejus, & pedes præcisos, & manus, in cista chlamyde opertos, pro munere natalitio matri misit.* Ubi *opertos* ad *caput*, *pedes*, & *manus*, pertinet.

Est verò, ubi idem sit propius digniusque. Masculinum quidem illo Ciceronis Catil. IV: *Video, P.C. in me omnium vestrum ora, atque oculos, esse conversos.* Et Somnio Scipionis: *Concilia, cœtusque jure sociati.* Femininum autem hoc ejusdem lib. I ad Att. ep. XIV: *Nobis inter nos, nostra, sive incommoda, sive vitia, sive injurias, esse tolerandas.* Atque hæc de zeugmate, & syllepsi: in quorum utroque est ellipsis. Nam cum dicitur, *Locus* †, *tempus constitutum est*; integrè sit, *locus constitutus, tempus constitutum.* Adjectivum igitur, quod semel tantum exprimitur, iterum animo concipitur. In syllepsi item hac, *Pater* ‡, *& mater mortui*; sic supplendum videtur, *Duo illi, puta pater, & mater*, sive, *qui sunt pater & mater, mortui.*

† Eun. act 3, sc. 3.

‡ Ter. Eun. act. 3, sc. 4.

Venio nunc ad ea, ubi ellipsis quidem statui possit; sed in genere adjectivi, nec ad propius, nec ad dignius, attenditur: ut cùm duobus virilibus animatis subjicitur neutrum. Solinus cap. XXIII: *Sed & polypus, & chamæleon, glabra sunt.* Imò & tribus: ut hoc Taciti in V Annalium: *Parentes, liberos, fratres, vilia habuere.* Sed possis priori loco sic supplere, *duo ista glabra.* Posteriori sic, *tria hæc vilia.* Itidem masculino, & feminino, neutrum subjicitur. Lucretius lib. III*:

* Vers 95.

Sic anima, atque animus, quamvis integra, recens in
Corpus eunt.

Livius quoque lib. V, in oratione Camilli ad Ardeates: *Gens est, cui natura corpora, animosque, magna magis, quàm firma dederit.* Videtur autem eo neutrum subjicere, quia respiciatur ad illud, quod deest. Nam integrè sit, *duo illa, anima, & animus: utraque hæc, corpora, & animos.* Atque hic principes animalis partes referuntur: quæ non possunt inanimis accenseri.

Similiter neutrum quandoque subjicitur, cùm substantivorum unum est animatum, alterum inanimum. Cicero de Senectute: *C. Duilius, rediens à cœna, delectabatur crebro funali, & tibicine: quæ sibi nullo exemplo privatus sumserat.* Ovidius similiter:

Classe virisque potens, per quæ nova bella geruntur.

Vicinumque illud Statii VII Theb.

Jura, fidem, ac superos, unà calcata ruinà.

Quod sic suppleveris, universa hæc, & jura, & fidem, & superos, hæc, inquam esse calcata.

Imprimis autem neutrum genus amant scriptores, cùm utrumque substantivum vere rei est inanimæ. Virgil. Ecl. III:

—— Cum Daphnidis arcum
Fregisti, & calamos: quæ tu, perverse Menalca,
Et cum vidisti puero donata, dolebas.

Livius similiter: *Murus, & porta, de cœlo tacta erant.* Quod integrè erit, *duo illa murus, & porta.* Atque ita in aliis.

Inanimatorum autem nomine Grammatici, qui crassiùs philosophari solent, etiam accidentia sive affectiones comprehendunt. Livius lib. V: *Labor, voluptasque, dissimillima naturà, societate quadam inter se naturali sunt innexa.* Sallust. in Catil. *Huic ab adolescentia, bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis, grata fuere.*

Vidimus hactenus de genere adjectivi, quando additur pluribus substantivis copulà sociatis, sive ea copula expressa sit, sive animo solùm concipiatur. Nunc dicamus de eo, quando copula hujusmodi non habet locum. Quod fit bifariam. Nam vel substantivorum unum alteri per appositionem sociatur: vel in genitivo positum partitive accipitur.

De priori quæritur hoc loco, quando in Appositione junguntur substantiva diversi generis, cum utro substantivo adjectivum debeat convenire. Exempli gratiâ, dicendumne sit, *Tullia, deliciæ meæ, mortua*; an *mortuæ.* Apud optimos scriptores, cùm alterum est hominis proprium, adjectivum potiùs respondet proprio. Cicero pro Cornelio Balbo: *Cum, duo fulmina nostri imperii, subitò in Hispania, Cn. & P. Scipiones, exstincti occidissent.*

Atque idem locum habet, si appellativum sit, quo animal significetur. Catullus Carm. II:

Passer, deliciæ meæ puellæ;
Quicum ludere, quem sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti,
Et acres solet incitare morsus.

Ubi relativum vides masculinum, ac singulare. Nominum autem adjectivorum par ratio est, ac pronominis relativi. Ut igitur dixeris, *Dicæarchus, deliciæ meæ, mortuus*: ita quoque, *Filiolus, deliciæ meæ*, vel, *passerculus, deliciæ filioli, mortuus est.*

Quod si substantivum sit proprium urbis, potiùs adjectivum cum appellativo, quam cum proprio, consentiet. Plinius lib. II, cap. LIII: *Volsinii, oppidum Tuscorum opulentissimum, totum concrematum est fulmine.* Idem lib. III, cap. V: *Præterea auctor est Antias, oppidum Latinorum Apiolas captum à L. Tarquinio Rege.* Nec tamen id perpetuum videtur. Est enim Justini lib. IX: *Ad cujus emolumentum egregiè pertinere ratus, si Byzantium, nobilem & maritimam urbem, receptaculum terrà marique suis copiis futurum, in potestatem redegisset.* Si urbem respexisset, dixisset, *receptaculum futuram.* Dispar interim hic ratio est, ac in illis Plinii: quia in Justini verbis alterum etiam substantivum accedit. Nam, inquit, *Byzantium urbs receptaculum futurum.* At prius foret simile isti, *Byzantium urbs capta.*

In ludorum quoque nominibus appellativo videas potius, quam proprio, concordare. Livius lib. IX belli Macedonici: *Ludi Tauritia per biduum facti religionis caussâ.*

Superest dicamus de superlativis, & partitivis. Ubi quæstio est, an genus petere debeamus ex substantivo, de quo

quo sermo est, an ex genitivo partitivè posito. E. G. utrùm dici conveniat, *Leo animalium fortissimus*; an, *Leo animalium fortissimum.* Utroque autem modo loquuntur antiqui. Posterius, ut de eo prius dicam, defenditur hoc Pliniano lib. IX, cap. VIII: *Velocissimum omnium animalium, non solùm marinorum, est delphinus, ocior volucre, ocior telo.* Est & ejusdem lib. X, cap. XXVII: *Veneris capreæ & coturnices pinguescunt, placidissima animalium.* Et lib. VIII, cap. XXXII: *Cervis quoque est sua malignitas, quanquam placidissimo animalium.* Verùm est hic gemina ellipsis. Una apertior, ejus nempe substantivi, quod in genitivo ponitur. Quomodo *animal* intelligitur, cùm dico, *fortissimum animalium:* atque hoc è genitivo *animalium* cognoscitur. Altera est occultior, quia deest, *e numero:* ac genitivus *animalium* regitur à substantivo *numeri* intellecto. Istoc igitur è Plinio sic suppleveris: *Capreæ & coturnices animalia è numero animalium placidissima.*

Alterum verò loquendi genus multò est frequentius. Cicero lib. II de Natura Deorum: *Indus, qui est omnium fluminum maximus, non aquâ solùm agros lætificat, sed eos etiam conserit.* Plinius lib. VIII, cap. XXXIII: *Solus animalium (chamæleo) nec cibo, nec potu, alitur; nec alio, quam aëris alimento.* Et ejusdem lib. cap. XLV: *Boves animalium soli & retro ambulantes pascuntur.* Idem lib. XVIII, cap. I: *Hordeum frugum omnium mollissimum est.* His in locis nulla est nominativi ellipsis; sed solùm tectior illa nominis *numerus* cum præpositione. Integrè enim fuerit: *Indus maximus e numero fluminum. Hordeum mollissimum è numero frugum.* Et ita in aliis. Nempe, ut Cicero, *Ex numero disertorum*, in primo ait de Oratore. Et sanè ipsi, qui propriam volunt locutionem esse, exponunt ejusmodi genitivos per *ex.* Ut, *sapientum octavus*, interpretantur, *ex sapientibus.* Rectè, quando & sæpe sic loquuntur scriptores. Ut Cicero in secundo de Oratore: *Acerrimum autem ex omnibus sensibus esse sensum videndi.* Sed non sic caussa intelligitur, cur hujusmodi etiam per genitivum efferantur. Ea autem elucebit, si integrè sic extuleris: *Ex numero sensuum sensus videndi est acerrimus.* Quod concisâ oratione erit: *Visus*, vel *visio*, vel *videndi sensus est acerrimus sensuum.*

Cap. V.

Substantivo duûm generum adjectiva sociata priùs unius, hinc generis alterius. Servitia, cujus: *pro*, quorum. *In quibus Synthesis maxime habeat locum.* Triste lupus, varium femina, *similiaque, non tam per enallagen generis dici, quàm per ellipsin substantivi* negotium, *aut* quiddam, *aut similis.*

EXpositis iis, ubi duobus diversi generis substantivis adjectivum vel solùm alterutrius, vel neutrius etiam generis, subjicitur: ad ea nunc venio, ubi uni substantivo unum adjungitur adjectivum genere diverso. Quod trifariam fit. Primùm, cùm substantivum unum duorum est generum: ac priùs quidem uno genere accipitur; mox verò diverso genere ἀπὸ κοινοῦ repeti debet. Ut, si dicam, *Dies initio lætus, mox infelicissima.* Poëtæ quidem videntur hoc interdum sibi permisisse. Nam Ovidii est XIII Met. fab. VIII, ubi Cyclops sic Galateam compellat:

> *Hoc pecus omne meum: multæ quoque vallibus errant:*
> *Multas sylva tegit: multæ stabulantur in antris.*

Priùs *pecus* neutro usurpat, cujus genitivus *pecoris:* postea non *pecora*, sed *pecudes* respexit. Quod alibi, etiam ubi *pecus* non antecessit, intelligitur. Ut IV Fast. in precibus ad Palem:

> *Pelle procul morbos: valeant hominesque, gregesque,*
> *Et valeant vigiles, provida turba, canes.*
> *Neve minus multas redigam, quam manè fuerunt:*
> *Neve gemam referens vellera rapta lupo.*

Cùm *multas* ait, *pecudes* intellige. Nisi *oves* malis.

Idem Ovidius copsè libro Fastorum, ubi agit de Cerere raptam Proserpinam quærente, priùs *specus* jungit masculino; mox femininum subdit. Sic enim canit:

> *Est specus exesi structurâ pumicis asper,*
> *Non homini facilis, non adeunda feræ.*

Nempe est in talibus ἔλλειψις vocis alio genere supplendæ. Quomodo ἔλλειψις vocis alio numero repetendæ est apud Sallustium in Catil. *Servitia repudiabat, cujus initio ad eum magna copia concurrebant.* Scio, Priscianum, *cujus*, interpretari, *cujus rei.* Sed statuas simpliciùs, cùm *servitia* dixisset, postea, *cujus*, pro, *cujus servitii*, posuisse: inque caussâ esse, quia, ut *dies*, & *specus*, duorum sunt generum: ita *servitium* significatione sit utriusque numeri. Sanè in eâdem Catilinariâ legas pluratives, *servitia concitare.* hoc est, *servos.* At Ciceronis est Verrinâ VII: *Captum esse in Sicilia moveri aliquot locis servitium.* Ubi *servitium* singulo numero pro *servis* dixit. Sallustius igitur, cùm *servitia* dixisset, mox *servitii* in animo habuit; quia & *servitia*, & *servitium*, idem omnino, nempe multitudinem servorum, significarent. Sed hoc quidem propriè numeri discordiam spectat. Ad eam, quæ generis est, redeamus.

Altera generis disconvenientia est, cum in substantivo expresso aliud substantivum animo attenditur; atque huic potiùs adjectivum accommodatur. Synthesin vocant: de qua antea quidem diximus, quatenus in collectivis, & distributivis, quæ singuli sunt numeri, plurativi vis consideratur: nunc autem particulatim de eo agimus, ob diversitatem generis. Ita usurpat Livius lib. I: *Maxima pars ab equitibus in flumen acti.* Propriè fuerit, Homines, vel milites, maximâ ex parte in flumen acti.

Similiter cùm ad generale nomen respicitur: ut illo Ciceronis lib. II de Oratore: *Cætera fere artes, se ipsa tuentur per se singula: benedicere autem, quod est scienter, & perite, & ornatè dicere, non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur.* Ubi Lambinus maluit *septum:* sed repugnantibus libris. Nempe non cogitavit, Ciceronem *ars* respicere, quod longiùs antecessit. Præterea cùm vox per metaphoram ponitur pro proprio virili. Livius lib. X: *Capita conjurationis virgis cæsi.* Pro, potissimi, sive principes, sive qui imprimis auctores ducesque erant. Item cùm numerus numerans, (ut loquuntur) ponitur pro numerato. Curtius lib. IV: *Duo millia crucibus adfixi.* In animo erat, *homines bis mille.* Item cùm per metonymiam affectio accipitur pro subjecto. Terent. Eunucho *:

> *Ut illum Di Deæque senium perdant, qui me remoratus est.*

Senium, pro *sene.* Itidem cùm in individuo ad speciem, sive in specie ad genus attenditur. Ut apud Maronem †, *Centauro magnâ*, puta *navi.* Apud Terentium ‡, *Eunuchum suam*, nempe *fabulam.*

* *Act.* 2, *sc.* 3.
† *Æn.* 5.
‡ *Prol. Eun.*

Reliquum est tertium discordiæ genus, quo substantivo virili, aut muliebri, additur generis neutrius adjectivum. Ut Ecl. III:

> *Triste lupus stabulis.*

Et ibidem:

> *Dulce satis humor.*

Et Ecl. V:

> *Tale tuum carmen nobis, divine Poëta,*
> *Quale sopor fessis in gramine ——.*

Et IV Æn.

> *—— Varium & mutabile semper*
> *Femina.*

Vocant quidam ἐναλλαγὴν generis. Sed, si rem ad vivum resecemus, nulla hic ἐναλλαγή est, sed ἔλλειψις. Sic enim loquuntur Latini more Græcorum, quibus intelligitur χρῆμα. Ut in illo Homerico *:

> Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Quasi dicas, *Non bonum est multorum dominatus.*

Integrè fit: Οὐκ ἀγαθὸν χρῆμά ἐστι πολυκοιρανίη. q. d. *Non est bonum negotium multorum dominatus.* Par ratio in isto Demosthenis: Πονηρὸν ὁ συκοφάντης, *Improbum est sycophantes.* Item hoc ejusdem: Ἄπειροι τῆς πολιτείας ἡ τυ-

* *Il.* B.

ἡ τυραννίς. *Insidum rebuspublicis est tyrannis.* Latinis verò similiter posse intelligi *negotium*, liquidius erit ex iis, quæ capite proximo de hujus vocis ellipsi afferemus. Quamquam & supplere defectum possis pronomine *quid*, *quiddam*, vel *aliquid:* quæ vel vera sunt substantiva, vel eorum naturam penitùs induerunt. Itaque illud, *Triste lupus stabulis*, possis sic integrè efferre: *Triste quid lupus.* Item hoc, *Varium & mutabile semper femina*, hunc in modum suppleveris: *Varium, & mutabile quiddam.* Sic supplet Seneca ipse libro de beata vita: *Altum*, inquit, *quiddam est virtus, excelsum, & regale.*

Fortasse autem hujus etiam loci sunt ista, in quibus Nonius ait, neutrum poni pro masculino. Ut *simile est*, pro *similis est*. Titinnius Fullonibus: *Formicæ pol persimile est rusticus homo.* Nævius Gymnastico: *Pol haut parasitorum aliorum simile est.* Novius in Militibus Prometinensibus: *Tu enim pueri pausilli simile es: quia enim ad os fers, quicquid nactus es.* *Simile* pro *simile negotium*, vel *simile quid*. Idem Nonius sic legit Captivis act. II, sc. III:

Fac fidele sis fideli. cave fidem fluxam geras.

Perperam tamen *fidele* explicat *fideliter*. Nam si *simile* pro *similis* dixere, cur non & *fidele* pro *fidelis*? *Fidele* autem etiam est in Aldina, & aliis antiquis. Legitque ita Pylades Brixianus. Festus* quoque sic legit hunc Aululariæ locum act. II, sc. II:

* In Nundinalis.

Cocus ille nundinale est, in nonum diem
Solet ire coctum.

Etiam Mssi plerique, & vett. editt. habent Mercatore act. V, sc. ult.

Eamus intro. non utibile hic locus factis tuis.

Utibile pro *utibile negotium*, vel *utibile quid:* ut diximus. Vel hoc verum est: vel fides deroganda plerisque codd. antiquis: imò Festo quoque, Nonioque, qui sic legerunt. Grutero tamen id displicuit: arbitratur autem loca esse corrupta, idque occasione eâ, quòd S foret extritum, & I facile in E commigraret. Nempe ut sic scriptum fuerit, *utibili' st*, *nundinali' st*, *fideli' sis*, & ita in aliis.

CAP. VI.

Exemplis illustribus comprobatur, substantivum sæpe per ellipsin desiderari, in nominibus natura adjectivis, sed positis substantivè.

EXposui, quàm variè, uno pluribusve substantivis expressis, adjectivum vel revera discordet, vel discordare saltem videatur. Nunc ostendam, ut sæpe nullum exprimatur substantivum; & tamen concordia sit adjectivi cum substantivo: nempe cum eo, quod per ellipsin reticetur; cujus generi se adjectivum æquè accommodat, ac si exprimeretur. Præcipua talis ellipsios apponam exempla, idque juxta seriem literarum.

Æs intelligitur, cùm dico, *ratio*, vel *tabula accepti, & expensi.* Supple *æris*. Sic, *parvi facio*. Item, *non sum solvendo:* nempe *æri*. *De meo*, vel *de tuo:* videlicet *ære*.

Ætas reticetur quandoque in *senecta*. Virgil. XI Æn.

—— *Sors ista senectæ*
Debita erat nostra.

Ubi sic Servius: *Deest ætati. Nam senecta ætas dicitur.* Sallustius: *Senecta jam ætate. Per se autem plenum est, si senectus dicamus. Nam si senecta, aut addendum ætas, aut intelligendum.*

Amnis desideratur in *torrens*, *confluens*, *profluens:* imò & in *fluvius*, cùm naturâ suâ sit adjectivum, ut *pluvius*. Itaque ut *pluvia* dicitur, ita & olim *fluvia*. Utrobique intelligitur *aqua*. Sisenna Historiarum lib. IV*: *Quod oppidum tumulo, excelso in loco, propter mare, parvis mœnibus inter duas fluvias, intra Vesuvium collocatum.* Et eodem: *Transgressus fluviam, quæ secundum Herculaneum ad mare pertinebat.*

* Apud Nonium, in Fluvius.

Anguis deficit in *serpens*; unde, uti *anguis* est utriusque generis, ita & *serpens*. Sed si ponatur in feminino, etiam *bestia* intelligere possis.

Aqua deest in profluens. Ut apud magistrum Herennianum lib. I: *Qui parentem necâsse judicatus erit, is obvolutus & ligatus culeo, devehatur in profluentem.* Integrè legas lib. III ad Quinctum fratrem, ep. I: *Ego locum æstate umbrosiorem vidi nunquam: permultis locis aquam profluentem, & eam uberem.* Etiam *aqua*, ut dixi, intelligitur, in *pluvia:* &, ut puto, par ratio est in *piscina*. Eademque ellipsis est apud Græcos: qui dicunt, θερμῷ λέεσθαι, *calidâ lavari.* Ut Latinè intelligitur *aquâ*, sic Græcè ὕδατι, vel speciatim λουτρῷ, *lavacro*, unde Latini in muliebri dicunt *thermæ*, quia *aquæ* intelligitur. At Strabo, Græcum respiciens substantivum, Θερμὰ Καυρεζανὰ ait. Variaque loca Θερμὰ dicta: ut Stephanus ait in Ethnicis. Simileque, ψυχρὸν πίνειν, *frigidam bibere:* puta ὕδωρ, *aquam*, vel speciatim Græcis πῶμα, *potionem.*

Par ratio in *Stativæ*. Plinius lib. II, cap. LXXXVIII: *In eadem & oppidum haustum profundo, alioqui motu terræ stativas emersisse.* Integrè dixit Varro de Admirandis ad Fundanium Soceris: *Secundo de stativis aquis: ut sunt lacus, stagna, puteæ, & maria.*

Ars, vel *scientia*, vel *facultas*, in *Grammatica*, *Rhetorica*, *Musica*. Nempe ut Græcis τέχνη, *ars*; δύναμις, *facultas*, vel simile. Puto quoque, idem habere locum in *fabrica*, & *Medicina*. Quod integrè fortassis extulit Plinius lib. XVIII, cap. VII: *Unum laudibus ejus dicavit volumen Hippocrates, clarissimus medicinæ scientiæ.* Ut editum in veteri Parmensi†. Sed in aliis est *scientiâ*.

† An. 1476.

Arvum in *novale*. Maro Ecl. I:

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?

Possis & *rus* intelligere; quomodo Servius Ecl. I, *novalia* exponit *nova rura*. Item *sola*, vel singulo numero, *solum:* quod Columella expressit præfat. lib. VI, cap. I: *Cùm ille quam maximè subacto & puro solo gaudeat; hic novali, graminosoque.* At idem Maro I Georg.

—— *Tonsas cessare novales.*

Puta *terras*. Quod additur in glossis Cyrilli: Νέασις, *novalis*, *novalis terra*. Ac in Dig. lib. L. tit. XVI, leg. XXX legas: *Novalis est terra præcissa**, *quæ anno cessavit.*

* Al. præcisa, vel proscissa.

Avis in *volucris*, atque etiam *prapes*, & *ales*.

Bestia in *animans*, *quadrupes*, *fera*.

Bucula, in *burra*. Festus: *Burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum: unde rustici burram appellant buculam, quæ rostrum habet rufum. Pari modo rubens cibo ac potione ex prandio burrus appellatur.*

Canis, in *Molossus*. Virg. Georg. III:

Veloces Spartæ catulos, acremque Molossum,
Pasce sero pingui.

Seneca in Hippolyto†:

† Act. I, sc. I.

Teneant acres lora Molossos.

Substantivum exprimitur à Marone in Culice:

Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis.

Capilli in *cani*. Cic. de Senect. ut Græcis πολιαὶ, scilicet τρίχες.

Caro, in *agnina*, *bubula*, *caprina*, *ferina*, *ovilla*, *suilla*. Virgil. I Æn.

Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.

Castra, in *stativa*. Quod Cicero addidit in Verrina VII: *Iste novo quodam ex genere Imperator pulcherrimo Syracusarum loco stativa sibi castra faciebat.* Nisi *castra* ex glossemate sit. Possis & *loca* intelligere, ut quoque in *hyberna*. De quo postea.

Cœlum, vel *tempus*, in *serenum*, & *nubilum*. Plinius libro XI, capite XXIV: *Aranei sereno non texunt, nubilo texunt.*

Corona, in *civica*, *laurea*, *muralis*, *obsidionalis*. Item in *serta*. Uti in *sertum*, *coronamentum*, quo post Catonem usus non uno loco Plinius. Sed de hoc dictum quoque lib. II, cap. XXXI.

Consilium, in *arcanum*, *secretum*, *propositum*.

Culmen, in *tectum*, cùm pro summo domus sumitur. Expressit Maro II Æn.

—— *Tecta domorum*
Culmina convellunt.

Cul-

Culpa, in *noxia*. Nam *noxius* est adjectivum; ut *noxius conjurationis*, apud Tac. v Annal. Nempe à *noxa*, quod à *nocendo*, ac *damnum* sive *nocumentum* signat.

Dentes, in *molares*, teste Prisc. in v.

Dies, in *natalis*. Ecl. III:

—— *Meus est natalis, Iola.*

Et similiter in *prima*, & *novissima*. Ovidio I Fast.

Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis.

Sic Græci, τῇ προτεραίᾳ ‡, τῇ ὑστεραίᾳ *, sive τῇ ἐπιούσῃ †: quasi dicas, *priori*, & *posterâ*.

Dii, in *superi*, *inferi*. Item in *manes*, pro *mani*, id est, boni; ut *porci sacres*, pro *sacri**. A *manis*, remansit *immanis*, & ablativus *mane*.

Domus, in *regia*, & *basilica*.

Equus, in *ferus*, *cornipes*, *sonipes*, *quadrupes*. Ut *equulus*, in *burrichus*; quod ex πυῤῥιχος, id est, *rufus*. Et fortasse *equulus*, vel *equus*, similiter intelligitur in *mannus*. Nam videtur natura adjectivum à νάννος, id est, *pumilus*, N in M converso.

Fabula, in *prætexta*, *togata*, *palliata*. Quomodo Ennius, Pacuvius, Attius, dicuntur doctissè prætextas: sed Afranius, & Titinnius, togatas; puta *fabulas*.

Factum, exprimitur quidem isto Plauti Asinariâ act. II, sc. IV:

Non hercle te provideram. quæso, ne vitio vertas.
Ita iracundia obstitit oculis. MERC. *Non mirum factum est.*

At reticetur hoc Menæchmis act. II, sc. III:

Animule mi, mihi mira videntur,
Hic te stare foris.

Exprimitur quoque Rudente act. II, sc. III:

—— *Pol haut miranda facta dicis,*
Si deos decepit, & homines, lenonum more fecis.

Pro quo citra ἔλλειψιν hanc dicit Pseudolo act. IV, sc. VII:

Mihi quoque edepol jamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Symbolum qui hoc accepit. Mira sunt. Pseudolus est.

Febris, in *tertiana*, *quartana*, *quotidiana*. Ut Græcis τεταρταῖος, supple πυρετός. Suetonius in Julio: *Quamquam morbo quartana aggravante.*

Feriæ in *Latinæ*. Livius lib. XXXVII. Latinæque instauratæ, quod Laurentibus carnis, quæ dari non debet, data non fuerat.

Festa, in *Agonalia*, *Saturnalia*, *Terminalia*, & similibus. Ac interdum & substantivum apponitur. Horat. Epod. od. II: *Vel agna festis cæsa Terminalibus.* Possis & *sacra* intelligere: ut postea dicam.

Finis, in *hactenus*, *quatenus*. Nam integrè fit, *hac fine tenus*.

Frater, in *germanus*, *patruelis*, *uterinus*.

Frumenta, in *sata*; uti *fruges*, in *sata*.

Funera, in *justa*, *suprema*, *sollemnia*.

Funis, in *rudens*: quomodo dicitur, quia rudit ventorum procellis.

Homo, in *adolescens*, *amicus*, *familiaris*, *juvenis*, *liber*, *maritus*, *nuncius*, *rivalis*, *servus*, *socius*, *tabellarius*. At *homo amicus* intelligitur illo Terentii Eun. act. II, sc. II:

—— *Plurimâ salute Parmenonem*
Summum suum impertit Gnatho.

Et Adel. act. III, sc. III:

Nam is nostro Simulo fuit summus, & nos coluit maxime.

Similiter *homines* supple in *ceteri*, *mortales*, *majores*, *minores*, *magnates*, *optimates*, *Germani*, *Britanni*, *Galli*. Sic, *Mortui non mordent*. Ut Græcis, νεκροὶ: puta ἄνθρωποι. *Homines* quoque, vel potius specialius quid (ut *domestici*, *amici*, *ministri*, vel simile) intelligitur illo Ciceronis ad Valerium lib. I, epist. ult. *Tanquam Ulysses cognosces tuorum neminem.* Et hoc Plinii ad Pompejum Celerem lib. I, epist. IV: *Hoc tamen differt, quòd sollicitius, & intentius, tui me, quam mei, recipiunt.*

Hora, in *quarta*, *prima*, *sexta*.

‡ Pridie. * Postridie. † Act. c. 21. * Varro lib. I de R.R. cap. I. Plaut. Menæchm. act. 2, sc. 2. & Rud. act. 4, sc. 6.

Horologium, in *solarium*.

Jaculis, in hoc Maronis IX Æn. *Missilibus certant.*

Jure, vel *judicio*, in *falso*, & *merito*.

Lapis, in *molaris*, teste Prisciano in quincto.

Liber, in *annalis*, & *diurnus*. Sic *annales*, puta *libri*: *pugillares*, supple *libelli*. Quod & intelligendum in *duplices*, *triplices*, *eborei*.

Ligones, cùm ajo, *duri bidentes*. Nisi *rastri* potiùs, de quo mox.

Lineas, cùm quis dicitur *ad incitas redactus*: ut non Plautus modo, de quo vidimus lib. I de Analogia, capite XXXIV: sed etiam ut Appulejus loquitur lib. III Met. Nam in ludo XII scruporum, redacti ad lineas ultimas, non poterant calculos amplius *ciere*, hoc est, movere: unde & calculi dicebantur *inciti*, quasi immobiles: teste Isidoro lib. XVIII, cap. LXVII. Lucilius lat. III, ac XV*, apud Nonium †, pro eo dixit, *ad incita*: ubi *loca* intelligitur.

Litera, in *vocalis*, *consonans*, *semiconsonans*, *muta*, *liquida*, *duplex*.

Literas apud Plautum Mercatore ‡: *Hodie in ludum occæpi ire literarium: ternas jam scio.* Intelligit tres has literas, A, M, O: unde verbum *Amo* conflatur. Sed hic *literarum* vox cognoscitur ex eo, quod proximè de ludo literario antecessit. Est verò cùm *literarum* nomen pro *epistola* sumtum penitus reticetur. Ut ad Att. lib. XV, ep. XXII: *Acceperam autem satis celeriter Iconii per publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. In his illud confirmas*, &c. Et alibi: *Triduo abs te nullas acceperam.*

Locus, in *æstiva*, *hiberna*, *rosaria*, *pomaria*, *supera*, *infera*, *secreta*. Sic, *de proximo*: *ab humili in summum*. Item in his, *primo*, *secundo*, *tertio*, *quarto*, *postremo*. Simileque, *in medio*, supple *loco*. Nisi *spatio* malis, de quo postea.

Manus, in *dextra*, *sinistra*. Ut Græcis, τῇ δεξιᾷ, τῇ ἀριστερᾷ, scilicet χειρί. Ἀντλεῖν ἀμφοτέραις*, puta χερσί †.

Mare, in *profundum*, *altum*, *tranquillum*, *cærulum*. Ut I Æn.

—— *Terris jactatus, & alto.*

Æn. IV:

—— *Torquent spumas, & cærula verrunt.*

Sic cùm dicitur, *In tranquillo quemvis posse esse gubernatorem*. Unde κατὰ μεταφορὰν Terent. Eunuch. act. V, sc. ult.

Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo.

Ubi Donatus, *Bene in tranquillo, quia mari, & tempestatibus, amica mobilitas & instabilitas comparatur.*

Membrana intelliguntur, cum in muliere dicimus *secundas*: nempe quia secundò ex utero excluduntur.

Mensis, in *Januarius*, *Aprilis*, *September*, vel *Septembris*, & similibus. Ut *Kalendis Januarii*. Nam esse adjectivum, indicat, quòd dicimus quoque, *Kalendis Januarius*. Sic *Nonis Februariis*, *Idibus Martiis*.

Milites in *hastati*, *cetrati*, *sagittarii*, *triarii*.

Modo, in *perpetuo*, *certo*, *secreto*, & similibus. Itaque Plautus Mostell. act. III, sc. I, non solùm dicit, *Metuo, ne perpetuo perierim*: sed etiam, *Perii in perpetuum modum*. Par ratio in his, *ex composito*, *de compacto*, & similibus. Sic, *Qui fieri potest?* Pro, *quo modo*. Nam *qui* est *quo*; ut *quicum*, *cum quo*.

Morem, vel *animum*, in istoc Terentii Eunucho*:

—— *Non cognosco vestrum tam superbum.* ——

Et hoc Andr. †

—— *Pol, Crito, antiquum obtines.*

Quamquam & *ingenium* intelligere possis. Ut omnino apud Plautum opus Mostellariâ ‡:

Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut sies.

Navis, in *Liburnica*. Item, *biremis*, *triremis*. Ut Græcè in τριήρης, puta ναῦς. Similis ratio in πεντηκόντορος, *quinquaginta habens remos*, φορτὶς, *oneraria*, & aliis.

Negotium, significatione, ut vocant, transcendentali, pro eo, quod Græcis χρῆμα, Latinis aliter *res* dicitur, crebrò admodum intelligitur in adjectivis neutris, quæ substantivè poni dicuntur. Eam rem video accuratè satis expositam

* Al. 17. † In Incitas. ‡ Act. 2, sc. 1. * Haurire duabus. † Manibus. * Act. 5, sc. 8. † Act. 4, sc. 5. ‡ Act. 3, sc. 2.

sitam à Pascasio Grosippo in Mercurio bilingui. Quem, cùm nostra jam prælo excudi cœpta essent, invisum antea, sponte nobiscum communicavit, ut alibi* quoque diximus, præstantissimus & amicissimus David de-Willem, cujus consiliis bono publico utitur magnus Arausionensium Princeps. Habes autem ejus vocis ἔλλειψιν in illo Ovidii†:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Τὰ τῶν ἀνθρώπων πάντα: puta, χρήματα. *Omnia hominum negotia.* Sic in hoc Terentii Adelph. act. III, sc. IV: *Utinam hoc sit modo defunctum.* Quo loco Donatus: *Hoc, id est, negotium, id est raptus virginis.* Sic illo Ciceronis, in IV contra Verrem: *Fecerunt, ut ego istum accusarem: à quo mea longissimè ratio, voluntasque abhorrebat.* Ubi ita Asconius annotavit: *A quo, à qua re, à quo negotio; accusationis scilicet.* Nec soli sic Grammatici veteres supplent: sed ipsi etiam scriptores classici addunt sæpius. Ut Horatius lib. II, Sat. IV:

—— Aliena negotia curo,
Excussus propriis.

Quod ἐλλειπτικῶς extulit Terentius Heautont. act. I, sc. I:

Chreme, tantumne ab re tua est oti tibi,
Aliena ut cures, eaque nihil quæ ad te attinent?

Sic *lætari sævo, bono.* Ut Attius:

—— Et te ut triplici lætarem bono.

At idem Horatius lib. III, od. XXIX:

Fortuna sævo læta negotio.

Sic Plautus Trinummo act. IV, sc. II:

Viden egestas, quid negoti dat homini misero mali?

Pro quo usitatiùs diceretur, *quid mali det homini.* Ciceronis quoque est ad Att. lib. V, ep. XII: *Negotium magnum est navigare, atque id mense Quintili.* At omisso substantivo ait pro Plancio: *Decertare mihi ferro magnum fuit.* Et Tusc. Qu. lib. I: *Quos enumerare magnum est. ita sunt multi.* Pro quo & *magnum quid* legas: ut lib. II ad Att. *Magnum quid, & multa cogitationis, atque otii.* Hæc eo quoque firmantur, quod promiscuè sumi videmus, *rem,* & *negotium.* Ut *conficere rem,* & *negotium.* Priori modo loquitur Cicero oratione post reditum in Senatu: *Qui cùm suam rem non minùs strenuè, quam postea publicam, confecisset.* Posteriori autem ad Att. lib. XVI, ep. XVII: *Ut totum hoc negotium, ita agas, ita tractes, ita conficias.* Sic dicimus, *Timeo, quid res sit.* At Plautus Casinâ act. III, sc. V: *Timeo hoc negotium, quid est!* Idem Sticho act. V, sc. III:

Inter illud tamen negotium meis curavi amicis,
Sticho, & conservo Sagarino meo, cœna cocta ut esset.

At idem Cistell. act. IV, sc. II:

Sed inter rem agendam istam hera huic respondi, quod rogabat.

Etiam Plautus Bacch. act. IV, sc. IV:

Cum amicâ suâ uterque accubitum eatis. ita negotium est.

Item Milite act. II, sc. VI:

Transcurre curriculo ad nos. ita negotium est.

At Menæchmis ait act. V, sc. I:

I Decio, quære meum patrem, tecum simul
Ut veniat ad me: ita rem esse dicito.

Item Terentius Eun. act. I, sc. I:

—— Sed ita erat res: faciendum fuit.

Denique Plauti est Truculento, sc. ult.

Fiat. ut rem gnatam video, hoc accipiendum est, quod datur.

Ubi *rem gnatam* dixit, pro *natam.* At Scipio Africanus*, apud Festum Pompejum†: *Ut negotium natum erat.* Atque his quidem, & similibus, compulsus, cum Grosippo, sive veriùs Scoppio, existimo, sæpe in adjectivis neutro genere positis intelligi *negotium,* hoc est, χρῆμα, sive *rem.* Itaque huc etiam respici statuo in his ablativis, *tanto, quanto, aliquanto, hoc, eo, quo, multo, paullo, nimio.* Ut *multo doctior,* idem sit, ac *multo negotio doctior.* hoc est, multâ re, vel multis partibus doctior. Etiam, cùm Poëtæ ajunt, *dulce ridet, torvum videt:* integrè sit, *dulce negotium,* id est, dulcem rem, sive dulcem risum ridet. *Torvum negotium,* id est, torvam rem, torvam visionem videt. Scio, dici, nomen pro adverbio poni; *dulce,* pro *dulciter; torvum,* pro *torviter.* Et, si mentem loquentium spectes, rectè. Sed non aliunde, quam eo, quod dixi, caussam videmus, ob quam nominis pro adverbio usus esse cœperit. Nec minùs *negotia* intelligo in illis, *Strata viarum, abdita rerum,* & similibus. Cui tamen duriùs videtur, in istis *negotia* intelligi, is sanè dicat Hellenismum esse, ac quasi Græcorum more respici χρῆμα, & χρήματα. Nam quin Græcis χρῆμα sit *res,* & in neutris adjectivis intelligi soleat, ambigit nemo.

Nomen, pro caussâ, sæpe intelligitur. Ut Aululariâ act. II, sc. II:

—— Eo me salutat blandius.

Quod tantundem est, ac *eo nomine.* Quomodo Cicero ad Att. *Ego eo nomine sum Dyrrachii, ut quàm celerrimè, quid agas, audiam.* Et in Verrem lib. I, seu Præturâ urbanâ: *Hoc uno nomine absolvi.* Idem Plautus Amphitryone act. III, sc. II:

Et id huc revorti, uti me purgarem tibi.

Integrè sit, *Ob id nomen.* Nec tamen adverser, siquis in hoc posteriori *negotium* malit intelligere.

Nummus intelligitur in *quinarius, denarius.* Varro lib. IV de L. L. *Denarius, quod denos æris valebat.* Item in *sestertius,* quia dicitur, quasi *semitertius.* Simileque, *donari centenis æris.* Intelligitur quoque idem in *assarius, as pondius, decussis, centussis, argenteus, aureus.* Livius lib. XXXVIII. *Dum pro argenteis decem aureus unus valeret.*

Nux in *avellana, pinea, persica, castanea.*

Oculis intellige in *Limis adspicere:* ut monitum Donato‡. Ac quandoque* additur.

Officium, ut illo Terentii Andr. act. IV, sc. I:

Tuum est, siquid præter spem evenit, mihi ignoscere.

At integrè idem dixerat act. I, sc. I:

Nunc tuum est officium, has bene ut assimules nuptias.

Opera, in muliebri genere, cùm dico, *Eâdem feceris.*

Opus, ut in hoc Propertii lib. IV, eleg. XI:

Vincere cum Vejos posse laboris erat.

Integrè Ovidius lib. II de Arte:

Casus inest illic, hic erit artis opus.

Quamquam & *negotium,* & *factum,* & similia, intelligere possis. At pluralivus hujus vocis, qui est *opera,* intelligendus in istis, *Bucolica, Georgica, Rhetorica, Astrologica, Meteorologica,* & ejus monetæ aliis.

Oratio, supple in *prosa,* seu *prorsa:* quod valet *recta;* cui opponitur *versa.* Sic *prorsi limites,* de quo Festus. Et *prosa, pexa tunica,* πεζὸν ἱμάτιον, ut est in glossiis.

Ordines, cùm dicitur, *in quatuordecim.* Asinius Pollio ad Ciceronem*: *Herennium Gallum in quatuordecim sessum deduxit.* Sic legendum. Suetonius in Augusto capite XL: *Cùm plerique equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e quatuordecim non auderent.* Citra hanc ἔλλειψιν Cicero Philippicâ II: *Illud tamen audacius, quod sedisti in quatuordecim ordinibus, cum esset lege Rosciâ decoctoribus certus locus constitutus; quamvis quis fortunæ vitio, non suo, decoxisset.* Juvenalis sat. XIV:

Ergo aliquid nostris de moribus, effice summam
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.

Ac similiter Plinius lib. XXXIII, cap. II, & Suetonius in Augusto cap. XIV. Possis & in XIV intelligere *gradus, sedes,* vel *subsellia:* juxta hoc Martialis lib. V, epigr. XXVIII:

Bis septena tibi non sunt subsellia tanti.

Epitome Livii lib. XCIX: *L. Roscius, Tribunus plebis, legem tulit, ut equitibus Romanis, in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.* Ausonius in ludo Sapientum: *Interpretare tu, qui orchestra proximus Gradibus propinquis in quatuordecim sedes.* Itaque Seneca expressit lib. III de Benef. cap. IX: *Beneficium vocas, dedisse potentis populi civitatem, in quatuordecim gradus deduxisse, & defendisse capitis reum.* Nisi, cum Obsopœo, delere

---

* Lib. 2 artis Grammaticæ cap. 3.
† Lib. 4 de Ponto, el. 3.
* Oratione eâ, quam scripsit, postquam ex Africa rediit.
† In Quatenus.
‡ In Eun. act. 3, sc. [illegible]
* Plaut. Mil. act. 4, sc. 6.
* Ad famil. lib. 10, ep 32.

lere malis vocem *gradus*. Ut hic ea vox, vel *subsellia*, vel potiùs *ordines*, intelligatur. Sed, ut puto, nihil coëgit Senecam magis, quàm alios, ἰδιωτικῶς loqui.

Ostium, intellige in *posticum*.

Oves, in *bidentes*, *fœta*. Ideo *bidens* muliebre. At virile idem, si jungatur cum *verre*. Pomponius apud Nonium: *Mars, tibi voveo facturum, si unquam redieris, Bidenti verre.*

Pars in *antica*, *postica*; *decima*, *quadragesima*. Ac similiter Græcis, ἐξ ἴσης, ἐξ ἡμισείας, puta μοίρας, vel μερίδος, q.d. *ex aqua*, *ex semussi*, puta *parte*. Sed Latini pro eo potiùs, *ex æquo*, &, *ex semisse*, dicunt. Lucianus: Τὸ ἡμίτομόν σου, supple μέρος: *dimidiatui*, nempe *pars*. Sic, *Pro virili*, puta *parte*. *Primas*, *secundas*, *postremas ferre*: nempe *partes*. Terent. Adelph. act. v, sc. IV: *Non posteriores feram*. Quinctilianus lib. x, c. I: *Quamvis ei secundas fere Grammaticorum consensus deferat.* Sic cum dicimus *secundas agere*, cum qui semper assentit, & sequitur. Loquitur sic Seneca lib. III de Ira cap. VIII. Substantivum expressit Horatius:

Aut mimum partes tractare secundas.

Vide Taubman. ad Asia, act. II, sc. IV.

Pecunia, cum dicitur, *lex*, vel *crimina*, vel *pœna repetundarum*: item *insimulari*, vel *postulari*, vel, *reum agi repetundarum*: vel *de repetundis*. Nec rarò tamen substantivum adjungitur. Ut apud Ciceronem pro Cluentio: *Teneri lege pecuniarum repetundarum.* Et eâdem: *Rationem repetere de pecuniis repetundis.* Item Verr. VI: *Ferre legem de pecuniis repetundis.* Quod etiam est lib. II de Offic. Ac similiter Calvus apud Quinctilianum*: *Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quàm majestatis; neque majestatis magis, quam Plautia legis.*

* Lib. 9. cap. 3.

Pellis, ut *leoninam*, vel *vulpinam*, *induere*. Sic Græcis, λεοντῆ, *leonina*; ἀλωπεκῆ, *vulpina*; ἀρκτῆ, *ursina*; νεβρὶς, *hinnulina*; ἀρνακὶς, *agnina*: puta δορὰ, *pellis*.

Porcus, in *majalis*. Est enim χοῖρος τομίας†: ut in Onomastico exponitur.

† Porcus exsectus.

Prædium, ut in *suburbanum*, *Tusculanum*, *Pompejanum*, & similibus. Plinius lib. I, epist. IV: *Quantum copiarum in Otriculano, in Narniensi, in Carsulano, in Perusino tuo.*

Pretium, cùm dico, *magno emere*: vel, *non parvo stare*.

Puer, vel *puella*, in *infans*, à *parvulo*, & *exoletus*, h.e. qui *olescere* sive crescere desiit. Quamquam & altera est nominis ratio, de quâ alibi‡. Sic *pueri* intelligo in *liberi*, & *geminum*.

‡ Lib. 3 de Anal. cap 23.

Raster, vel *rastrus*, (ut antiqui pro *rastrum* dixere, unde plurale *rastri*, & *rastra*) intelligi videtur in *bidens*, *tridens*, *quatridens*. Glossæ Cyrilli: Δίκελλα, *raster*, *rastrum*, *rudens*. Ubi *bidens* rescribendum esse, satis liquet.

Ratio, deest in *expensa*, *impensa*, *summa*.

Res, fortasse in hac formula*, *Satin salva?* Integrè est in veteri proverbio, apud Festum: *Salva res est, dum saltat senex.* Nec semel apud Terentium†. Sed malim adverbio, *Satin salvè*: id est, *integre*: idque ob Donati‡ auctoritatem, & quia *salvè** extra etiam hanc formulam legas.

* Plaut. Trinum. sc. ult. Terent. Eunuch. act. 5. sc. 6. Liv. lib. 1. 10. & 40. Sallust. apud Don in Terent Eunuch Auson in Grat. act.
† Eun. act. 2, sc. 3. Adel. act. 4. sc. 5.
‡ In Eun. act 5, sc. 6.
* Plaut. Stich. act. 1, sc. 1. Appul. 1 Met.

Reliquia, intellige in *parietina*. Ut apud Ciceronem lib. XIII, ep. I, ad Memmium: *Ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes.* Nempe à *paries* est *parietinus*, ut ab *aries*, *arietinus*, apud Columellam, Plinium, Capellam, alios: ac oraculum Jovis Ammonis, quia is cum arietinis cornibus fingeretur, *arietinum* propterea dicitur.

Sacra, vel potiùs *negotia sacra*, in *Bacchanalia*, *Liberalia*, *Compitalia*, *Terminalia*, & similibus.

Securis, in *bipennis*. Ac interdum substantivum exprimitur. Varro Parmenone, apud Nonium: *Ferens ferream humero bipennem securem.* Pro quo similiter *ferrum bipenne* dixit Maro Æn. XI:

—— Ferro sonat alta bipenni
Fraxinus. ——

Ubi sic Servius: *Ad epitheton transtulit nomen proprium. Nam bipennis per se plenum est, & securim significat. Ut**, *—— Crebrisque bipennibus instant.* Sed hæc sententia eo refellitur, quòd *hic*, & *hæc bipennis*, & *hoc bipenne*, dicatur à binis pennis, hoc est, pinnis: nempe quia (ut Servius ipse ait in XI Æn.) *ex utraque parte habeat aciem quasi duas pinnas, quas veteres dicebant pennas.* Ut & refert II Æn. Ergo *securis bipennis*, ut ἀξίνη δίστομος, quæ uno verbo πέλεκυς, teste Hesychio, & veteri Homeri scholiaste. Priscianus in quincto geminam adfert caussam, cur *bipennis* sit femininum: unam, quia intelligatur *securis*: alteram, quia sit à *penna*. Sed posterior nullius est momenti: cùm à *penna* etiam *pennatus*, *penniger*, & similia, dicantur.

* 2 Æn.

Sermo, vel *rumor*, in *nuncius*, cùm de re dicitur nunciatâ. At *homo*, cùm de persona nunciante.

Servius, in *ostiarius*, *vicarius*, *mediastinus*, *atriensis*.

Sinus, in *Puteolanus*, *Tarentinus*.

Sol, in *Oriens*, *Occidens*. Sic, *die crastini*, *die quincti*, *die perendini*; de quibus Gellius lib. x, cap. XXV. Ubi integrè fit, *solis crastini*, *quincti* &c.

Solum, ut illo Suetonii in Tiberio: *Judicesque, aut è plano, aut è quæstoris tribunali, admonebat.* *Plano*, puta *solo*. Nam *plani* nomine intelligenda soli planities, ubi populus staret. Sic, *De plano interloqui*, L. 1. ff. De constitut. Princip. Et alibi sæpe apud vett. J. C.

Spatium, ut *medio campi*, *diei*, & similibus. Sic, *in medio relinquere*, Cic. pro Cælio: *in medium proferre*, II Verr. *de medio tollere*, pro Roscio Amer. Virgil. III Georg.

In medio mihi Cæsar erit.

Stabulum intelligitur in *bubile*, *equile*, *suile*.

Stipendia, vel *æra*, cùm dico, *quadringenta annua*. Sic Juvenalis sat. VI: *Sunt quæ tortoribus annua præstent.*

Stridor, vel *sonus* in *sibilus*. Nam *sibilus* valet *sibilans*; unde apud Maronem, *colla*†, &, *ora sibila*‡.

† 3 Georg. & 5 Æn.
‡ 2 Æn.

Stuprum, vel *flagitium*, deest in *incestum*. Nam adjectivum hoc æquè est, ac *castus*, unde conflatur.

Tabella deest in *pugillares*, *duplices*, *triplices*, & similibus. At in neutro *pugillaria* dicit Catullus, subaudiendo *schedia*, vel simile.

Taberna subaudiendum in *textrina*, *tonstrina*, *sutrina*, *fabrica*, *medicina*. Plautus Amph. act. IV, sc. II: *In medicinis, in tonstrinis, apud omnes ædes sacras.* Varro lib. VII de L. L. *Taberna, ubi venit vinum, à vino vinaria, à creta, cretaria, ab unguento, unguentaria dicitur ἀναλογικῶς si essent vocabula; ubi caro venit, carnaria; ubi pelles, pellaria; ubi calcei, calcearia, dicerentur: non laniena, pellesuina, sutrina.* Charisius lib. I: *Pistrinum in neutro dicitur: sed Lucilius in XVI, feminino extulit: Media è pistrina: ad tabernam referens.* Sententia est, eo Lucilium *pistrina* dicere in feminino, quia respiciat *taberna*. *Taberna* in libraria. Agellius lib. v, cap. IV: *Apud Sigillaria forte in libraria ego, & Julius Paulus Poeta, vir memoriâ nostrâ doctissimus, consederamus.* Similiter Donatus in Adel. act. IV, sc. II: *Veteres absolutè dicebant pistrinam, ut sutrinam, & medicinam, ad tabernam referentes.* Ex his satis liquet, *sutrina*, *pistrina*, *textrina*, *medicina*, & similia, naturâ suâ esse adjectiva. Nec ἀναλογία repugnat. Nam ut ab *adulter*, *adulterinus*; à *Macer*, *Macerinus*, & per syncopen *Macrinus*: sic à *pistor*, *textor*, *sutor*; *pistorinus*, *textorinus*, *sutorinus*; & per syncopen, *pistrinus*, *textrinus*, *sutrinus*. Item ut à *vicus*, *vicinus*; à *libertus*, *libertinus*: sic à *medicus*, *medicinus*. Atque hæc etiam firmant, quod dicebam*, fortasse apud Plinium retinendum, *medicinam scientiam*. Nec impedit aliquid, quo minùs adjectivè capiamus apud Hyginum illud fab. CLXXIV: *Nequis ser-*

* Cap. 6.

vus

vum artem medicinam disceret. Etsi vulgo Appositionem statuant.

Tabula in *Duodecim.* Cicero lib. II de Legg. *Discebamus pueri Duodecim.* Festus quoque: *Vagulatio in* L. XII *significat quæstio cum convicio.* Ubi in illa etiam Scaligeri est, *in lege* XII *Tabb.* Sed *Tabularum* abest ab schedis MSSis Pomponii Læti. Nec dubium, quin è glossemate irrepserit.

Tempus deest in istis, *Ex quo, ex eo, ex illo.* Virgil. II Æn.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri.

Sic *tertio, quarto, septimo, consule. Extremo,* quod integrè, *extremo tempore,* Nepoti in Datame, & Eumene. *Optato advenis,* pro *tempore optato.* Item, *brevi senties, sero sapiunt Phryges.* Etiam *mane,* pro *mane tempore.* Nam ablativus est ab inusitato *manu,* unde *immanis.* Ut simile sit illi Græcorum: πρωίας χρωμένης, supple ὥρας. hoc est, *tempore matutino.* Sic, *in continenti accidit.* Atque in his intelligitur auferendi casus. At genitivus in isto †, —— *Non ignara futuri.*

Accusativus in hoc Plauti Epidico*:

—— *Qui illam, ut primum vidi, nunquam vidi postea.*

Ac Ciceronis ad Licinium lib. V, ep. VIII: *Ut primum forum attigi.* Ubi quoque præpositio *ad* intelligitur, ut apud Græcos in talibus κατά. Eoque integrè fit, *Ad primum tempus.* Sic, *tertium consul. Postremum ad me venit.* Itidem in illis, *hoc noctis, id ætatis.* Sed exprimitur *ad* in *adhuc*: quod integrè sit, *ad hoc tempus,* vel *factum.* Nam veteres *huc,* & *hoc,* dixere. Etiam in hoc III Georg. —— *Hosti*

Ante exspectatum positis stat in agmine castris.

Pro, *ante tempus exspectatum.*

Itidem in plurali, *antehac, posthac. Hac* enim pro *hæc,* ut in *hactenus.* Etiam in *postea*, & *præterea,* vel *tempora,* vel *negotia,* possis intelligere.

Terra, vel *regio,* in *continens.* Quod integrè extulit Varro in primo de gente populi Romani: *In terra continenti.* Citat Charisius. Similiter in *patria*: ut Græcè εἰς πατρίδα †, εἰς πολεμίαν ‡, puta γῆν*.

Toga, in *prætexta*: de toga, quæ purpurâ prætexeretur. Integrè Livius lib. XXXIV: *Liberi nostri prætextu purpurâ togæ utuntur.*

Tribu, in ablativis, quibus proprium nomen urbanæ, rusticæve tribus indicatur. Cicero lib. II contra Verrem: *C. Verrem Romiliâ.* Ubi sic Asconius: *C. Verrem nomen est proprium. Romiliâ nomen est tribus, ablativi casus, ut sit, ex Romilia.* Subjicit postea, sic alibi dicere Ciceronem: *L. Claudium Palatinâ.* Nempe citra ellipsin fuerit, *Ex tribu Palatinâ.* Idem Cic. Philipp. IX: *Serv. Sulpicius Q. F. Lemoniâ Rufus.* Hoc est, *ex tribu Lemoniâ.* Pluscula ejusmodi jungit Cœlius ad Cic. epist. VIII: *Pridie Kal. Octob. in æde Apollinis adfuerunt, L. Villius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirinâ, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Ateius L. F. An. Capito, M. Oppius, M. F. Terentinâ.* Ubi videmus, nomen tribus nunc integrè exprimi; ut *Quirinâ, Terentinâ*: nunc prioribus solùm literis; ut *Pom.* pro *Pomptinâ, Pup.* pro *Pupiniâ, An.* pro *Aniensi.* Ac posterius in vett. lapp. prope perpetuum est: ubi legas, FAL. pro FALERINA, MÆC. pro MÆCIA, VOL. pro VOLTINIA, VET. pro VETURIA: atque ita in tribubus aliis.

Tunica, in *Dalmatica,* quia tunica hæc à Dalmatis †. Similiter *chiridota* ‡, puta *tunica,* χειριδωτὸς χιτών, *tunica manuleata,* sive habens χειρίδας, id est, *manicas.* Contrarium *colobus**, κολοβός, nempe *tunica.* Nam tunica erat sine manicis: ut Isidorus indicat lib. XIX Orig. cap. XXII.

Vada, in *brevia,* quæ Græcis similiter βραχέα, à βραχύς, vel βράχεα, à βράχος. Virgil. I Æn.

—— *Tres Eurus ab alto*

In brevia, & Syrtes, urget, (miserabile visu)

Illiditque vadis, atque aggere cingit arena.

† 4 Æn. * Act. 4. sc. 2. † In patriam. ‡ In hostilem. * Terram. † Isid. lib. 19. cap. 22. ‡ Capitol. in Pertin. * Lib. 1. quo quemque habitu in urbe esse oporteat, in Cod. Theod. nempe lib. 14. tit. 10.

Ubi Servius: *Brevia vadosa dicit, per quæ pedibus possumus vadere.* Sanè sunt *brevia vadosa.* Sed sic generale *loca* intelligas. At cum *vada* naturâ sit substantivum, *brevia* adjectivum: non *brevia* in *vadis,* sed *vada* in *brevibus,* animo rectiùs concipimus.

Vasa, supple in *fictilia, vitrea, crystallina.* Itidem in *atramentarium,* & *salinum,* puta *vas.*

Ventus deest in *Favonius, Subsolanus, Africus.* Sic Græcis ἐτησίαι, q. d. *anniversarii,* puta ἄνεμοι, *venti, flatus.* Item τροπαῖοι. q. d. reciproci flatus, è mari in terram revertentes. At τροπαία est femininum, quia intelligitur πνοαί. Masculino τροπαῖοι, sive *tropæi,* usus Plinius lib. II, cap. XLIII. Puta à recto τροπαῖος. Femininum τροπαίας usurpat Aristoteles lib. V, problemate V, & XL. Nempe à recto τροπαία, qui apud Plutarchum in Othone.

Verba, in istis, *Paucis te volo. Quid opus est multis? Homeri illud.* Ut Græcis, Ὁμηρικὸν ἐκεῖνο, nempe, ἔπος, *verbum.*

Vestes, in *serica, Coa, undulata, bombycina, burra.* Ut in veteri epigrammate:

* *Nobilis horribili jungatur purpura burræ.*

Nam, ut eximius Salmasius ad Vopiscum optimè notavit, *burrus* nunc valet *rufus,* à πυῤῥός: nunc *hispidus,* à βερρός: unde *vestis burra,* quæ villosa, *hispidaque,* &, ut hic dicitur, *horribilis.* Isidorus in Gloss. *Reburrus, hispidus.*

Vestimenta itidem in *galbana, pexa, rasa, scutulata.* Sic Matth. cap. XI: Οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, *mollia gestantes,* nempe ἱμάτια, *vestimenta,* sive ἐνδύματα, *indumenta.* Joann. cap. XX: Ἀγγέλους ἐν λευκοῖς καθεζομένους. *Angelos candidis amictos.*

Via, in his, *qua, hac, illac, istac, ea, recta.* Ter. Phorm.* *Postridie ad anum rectà pergit.* Cicero ad Att. lib. VI, ep. VIII: *Rectà venit ad me.* Similiter Græci, ut illo Synesii: Ὡς δ' οὐ προὐχώρει ταύτῃ, ἑτέραν ἐτράπετο. *Ut hac non successit, ad aliam se convertit.* Ταύτῃ, puta ὁδῷ: & ἑτέραν, nempe ὁδόν. Latinè *hac via,* &, *aliam viam.* Interdum autem & integrè loquuntur scriptores. Cicero orat. I in Catilinam: *Si mihi inimico, ut prædicas, tuo conflare vis invidiam, rectà viâ perge in exilium.*

* Act. 1. sc. 2.

Vinum supple in *mustum, merum, Falernum, Massicum* &c.

Vir, vel *uxor,* in *conjux, maritus, marita.* Ut *viri,* vel *femina,* cùm dico, *optimates, primates, magnates.* Sunt enim naturâ adjectiva. *Conjux,* ex *conjugis,* σύζυγος. Quemadmodum apertè hoc usus Solinus cap. XXX. Sic *optimas,* (si rectus ille invenitur) ex *optimatis.* Cyrilli Glossæ: Ἄρχοντες, *optimates.*

Virga in *rudis*: ut, *rude donatus, rudem accipere,* vel *mereri.*

Viscera in *intestina,* & *interanea.* Nam etsi *viscerum* appellatio latiùs pateat: præcipuè tamen ea his tributa. Nisi *ilia* malis intelligere, quod proprium magis: quippe ex Græco εἰλεός. Similiter *ile* intelligas in *intestinum.*

Urceus, in *aqualis.*

Usura, in *centesima, besses, semisses,* sive *semissales, dextantes, quincunces,* & ita in aliis. Sic *tertiam centesimæ* ait Paullus L. XVII in fin. D. de usuris. Hoc est, *usuræ centesimæ,* ἑκατοστιαίου τόκου, ut dicitur Constantin. lib. III Epitom. Tit. VII.

CAP. VII.

De substantivis genitivum regentibus. Quàm variè genitivus sumatur. Res voluptatum, *aut* cibi; *pro* voluptatibus, *ac* cibo. Abietis arbores. Parthorum equites, *pro* Parthis. Argenti crater, *aut* talentum. Vir opinionis, *aut* gloriæ. *Genitivi vel activè, vel passivè, vel utroque modo, accepti.* Vulnus Ulyssis, *quod accepit, vel inflixit.* Dotis logi, *pro* dos logorum, *& alia, ubi nomen regens, & rectum, casus suos commutant.*

Ἔλλειψις quintuplex substantivi regentis genitivum. Acuta belli, inania famæ, *ac, quæcunque ejus monetæ, κατ' ἔλλειψιν dici.* Sophia Septimiæ, *pluriaque; ubi* filia, *vel* uxor, *vel* servus, *aut simile, intelligitur.* Libertatis, *pro* libertatis caussâ, *& alia id genus.* Ad Apollinis, in Veneris, à Vestæ, ex Apollodori, *& his affinia. Genitivi falsò crediti à nomine regi, cùm à nomine regantur, quod intelligitur.*

EX multis, quæ de Convenientia occurrebant, exposuimus ea, in quibus etiam ab non indoctis hæreri solet. Ad Regimen casuum nunc accedo. Ac primùm de Nomine videndum.

In hoc priùs considerabimus substantivum. Cujus regimen vel verum, vel apparens, ac falsò creditum. De vero, tum universè tractandum, tum particulatim de verbalibus.

In vero substantivorum regimine, ut generatim attenditur, princeps est canon de rectione genitivi. Estque hujusce modi. Omnis genitivus regitur a substantivo vel expresso, vel suppresso. Si exprimatur substantivum, constructio est analoga, sive regularis. Si supprimatur, est anomala, sive irregularis.

Genitivus, quem regi diximus, variè significat. Interdum enim, quod est essentiale, notat: ut genus, aut speciem; materiam, aut formam; totum materiale, vel partem. Interdum designat, quod non est de οὐσίᾳ*; attamen essentiæ est conjunctum: ut si subjectum sit, vel affectio inhærens, vel caussa efficiens, aut finalis. Interdum est res disjuncta, ut objectum, vel relatum, vel aliud ejusmodi. Hæc exemplis illustrabimus. Ac primùm, quibus essentiale aliquid denotatur: ut inter alia sunt species, materia, totum, ut vocant, quantitativum, & pars materialis.

* Essentia.

Species significatur isto Plauti Amphitryone act. II, sc. I:

> *Satin parva res est voluptatum in vitâ,*
> *Atque in ætate agundâ,*
> *Præ quàm quod molestum est.*

Sententia est, parum esse homini voluptatum, si cum molestiis conferas. *Res* igitur *voluptatum*, pro *ipsis voluptatibus*. Genitivus speciem signat; quia *res* sub se voluptatem omnem comprehendit. Similiter Phædrus fab. LXV:

> *Hæc cum tentaret, siqua res esset cibi,*
> *Limam momordit.*

Hoc est, *siquis foret cibus*. Planeque hoc loquendi genus petitum à Græcis: apud quos Aristophanes similiter, principio Nubium, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, q. d. *res noctium*, pro ipsis noctibus, posuit. Ac pluribus id firmarem exemplis, nisi abunde ab aliis præstitum scirem.

Huc etiam refer, quæ alioqui per Appositionem eodem casu efferuntur. Ut apud Ciceronem, *oppidum Antiochiæ*, & *arbor fici*, pro, *oppidum Antiochia*, & *arbor ficus*: de quibus antè † dictum. Ac Livius similiter: *Lucus frequenti silvâ, & proceris abietis arboribus septus.* Pro, *abietibus arboribus*: sive, *arboribus, quæ abietes sunt.* Adduximus quoque antea ‡ ex Propertio, *Medorum hostes*, pro, *hostibus Medis*. Cui geminum hoc ejusdem Poëtæ lib. II, el. X:

† Cap. 2.

‡ Ibid.

> *Jam negat Euphrates equitem post terga tueri*
> *Parthorum.*

Nam *eques* pro *equitibus*. *Equites* autem *Parthorum*, pro, *equitibus Parthis*, sive, equestri exercitu Parthico. Est & Lucani lib. IX:

> *Quam juxta Lethes tacitus prælabitur amnis.*

Lethes amnis, pro *Lethe amnis*.

Materia significatur illo Plauti Pseudolo act. I, sc. III:

> *Nimis miser sum; nummum nusquam reperire argenti queo.*

Ac Persius similiter, sat. II, *crateras argenti*. Imò & Maro V Æn.

> —— *Argenti, aurique talenta.*

Simile etiam, *acervus lapidum*.

Totum integrale significat, cùm dicimus, *Cornua boum, jecur anseris, vertex montis, conclave ædium.* Etiam in affectionibus: ut hoc Publii Syri:

> *Pars beneficii est, quod petitur, si citò neges.*

Pars exprimitur hoc pacto: *Vir magni nasi: herba exiguæ radicis.* Et hæc omnia essentiam respiciunt. De conjunctis videamus.

Subjectum notat genitivus in his, *Facundia Ulyssis: officium*, vel *munus, pastoris*, aut *regis*. Sic *felicitas rerum, benevolentia hominum, vulnus capitis, incommodum militis.* Cæsar lib. II de bello Civili: *Felicitas rerum gestarum exercitus benevolentiam imperatoribus, & res adversæ odia conciliant.* Ibidem: *At non uti corporis vulnera, ita exercitus incommoda sunt tegenda, ut spem adversariis augeamus.*

Adjunctum receptum, sive inhærens significatur in illis: *Puer optimæ indolis, boni ingenii, egregiæ formæ, eximiæ spei. Vir moris antiqui, excelsi animi, summæ prudentiæ, magnæ auctoritatis.* Item, *homo proceræ staturæ, magnæ audaciæ, nullius fidei.* Cicero lib. IX, epist. ult. *Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci.* Hoc est, facetum magis, quàm voracem. Sine adjectivo rariùs reperias. Oratione tamen declamatoris antiqui, Ciceronis nomine in Sallustium editâ, legas: *Velim mihi respondeat, numquid ii, quos protulit, antè fuerint, aut opinionis, aut gloriæ, quam eos res gesta sua, & vita innocentissimè acta commendavit.*

Caussam *efficientem* explicant, *Ilias Homeri, oratio Demosthenis, Venus Praxitelis, opus virtutis, vel artis.*

Caussæ *finalis* est, *apparatus triumphi*; quia triumphi gratiâ fit apparatus. *Potio soporis*, quia præbetur, ut quis soporetur. Ubi etiam notatur effectum. Nam sopor finis est, quatenus animo proponitur: effectus, ubi consecuti sumus, quod nobis proposuimus.

Hæc de conjunctis. Sequuntur disjuncta, sive externa: ut sunt objectum, correlatum, possessor, circumstantia loci, & temporis, quodve in tempore est, aut loco.

Objecti genitivus est, *deliberatio studiorum*, quæ de studiis suscipitur: *cogitatio belli*, quæ circa bellum versatur.

Correlati, ut *mater Socratis, pupillus Periclis, auditor Aristotelis, inimicus Clodii, servus Pompeji.* Hujus etiam loci sunt, *canticum canticorum, rex regum, ars artium.* Nam excellentiam significant, ac quasi principatum: quæ sunt ἐκ τῶν πρός τι.

Possessorem indicant, *pecus Admeti, domus Crassi, horti Sallustii, codex fratris.*

Tempus verò, *spatium horæ, iter bidui.*

Quod *in tempore* est, *tempus belli*, vel *induciarum. Hora cœnæ*, vel *somni.*

Locum, sive continens, *incolæ hujus urbis, vinum majoris cadi.*

Locatum, seu contentum, *cadus* vel *amphora vini, sinum lactis, aula*, sive *olla auri.*

In hujusmodi structurâ, quando actio vel passio significatur, gignendi casus nunc activè solùm accipitur, nunc solùm passivè, nunc utroque modo. Activè solùm, ut *Providentia Dei*, hoc est, qua providet rebus omnibus; *regnum Dei*, hoc est, quo ipse nos verbo & spiritu regit. Passivè solùm, ut *timor Dei*; hoc est, quo timetur; *cultus Dei*, hoc est, quo colitur. Nec enim natura Dei sinit, ut aliter illa sumantur. Utroque autem modo accipi possunt, *amor*, vel *odium Dei*; hoc est, quo amat suos, odit improbos; vel quo pii amant Deum, impii eundem odio prosequuntur. Sic, *metus Pompeji*, quo metuit, vel quo metuitur; quomodo Sallustio *metus Punicus*, (pro quo *Pœnorum* quoque dici potuit) is vocatur, quo Pœni metuunt, vel metuuntur. Ac ne putemus, id solùm habere locum in affectibus: similiter vocatur *vulnus alicujus*, quod ipse dedit, vel quod accepit: ut apud Maronem Æn. II:

> —— *Pelias & vulnere tardus Ulyssi.*

Hoc est, quod Ulysses Peliæ inflixerat. Vide Gellium lib. IX, cap. XII.

Scitè autem scriptores classici nomen regens casu recti, & rectum regentis casu efferunt. Plautus Pers. act. III, sc. I:

Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi.

Logi dotis, pro, *Dos logorum*. Quod imitatus Appulejus in Apologia ait: *Trecentis millibus dotis fuit contenta.* Pro, *dote trecentorum millium nummorum*. Idem Plautus Pœnulo: *Trecentos nummos præsidii*, pro *præsidium trecentorum nummorum*. Nec refugit Cæsar lib. I de bello Gall. *Sex dies ad eam rem conficiendam spatii postulant.* Pro, *spatium sex dierum*. Aliaque hujusmodi.

Abunde de iis vidimus, ubi substantivum regens exprimitur. Venio ad ea, ubi reticetur. Quod quinque imprimis modis fit. Primùm cùm adjectivum poni dicitur substantivè. Ubi substantivum, *negotium*, *χρῆμα*, vel aliud specialius, intelligi, satis antea ostendimus. Fit hoc numero vel singulo, vel plurativo. Singulo, ut apud Livium, *ultimum dimicationis*, *ultimum seditionis*. Ubi genitivus regitur a substantivo *tempus*, quod supprimitur. Plurativo, ut apud Maronem*, *telluris operta*; apud Horatium†, *amara curarum*; item‡, *acuta belli*, pro strategematis. Quæ quomodo supplenda sint, nihil attinet repetere. Hoc loquendi genus mirè amant Lucretius, Tacitus, Appulejus. Singulorum unum apponam locum. Lucretius lib. I:

Nubibus ut tenebras faciat, caelique serena
Concutiat sonitu.

Tacitus lib. II Annal. *Neque suspiciones imbecilles, aut inania famæ pertimescenda.* Appul. lib. I Met. *Postquam ardua montium, & lubrica vallium, & roscida cespitum, & glebosa camporum emensi.*

[Margin notes: * 6 Æn. † Lib. 4, od. 12. ‡ Lib. 4, od. 4.]

Alter modus est, cùm reticetur nomen relativum: ut *filius*, *uxor*, *pellex*. Cicero lib. IX, epist. X: *Cum Sophia Septimiæ.* puta *filia*. Ac similiter Maro VI Æn. *Deiphobe Glauci.* At idem III Æn. *Hectoris Andromache.* puta, quondam uxor. Item Tacitus in IV Annal. *Per Apicatam Sejani proditum.* Nempe *uxorem*. Quomodo & Plinius lib. XXVIII, cap. XII: *Poppæa hoc Neronis principis instituit.* Pro quo integrè lib. XXXIII, cap. XI: *Poppæa conjux Neronis principis.* Quod autem Servius ait, hoc loquendi genus tantummodo obtinere in parentibus, & maritis, id perpetuum non est. Nam Plauti est Curcul. act. II, sc. I: *Estne hic Palinurus Phædromi?* Nimirum, *servus*. Ac similiter Terent. act. II, sc. II: *Fortè hujus* (Charini) *video Byrrhiam.*

Tertius modus est, cùm reticetur ablativus, *caussâ*, vel *ratione*: ut Græcis ἕνεκα, vel χάριν. Plautus Rudente act. V, sc. III:

Jusjurandum rei servandæ, non perdendæ, conditum est.

Cicero lib. II de Oratore: *Cùm ille se custodiæ diceret in castris remansisse.* Apertiusque non uno loco Sallustius. Sic enim is loqui amat. Ut in Catilin. *Pòst ubi regium imperium, quod initio conservandæ libertatis, atque augendæ Reip. fuerat.* Idem in Jugurth. *Quæ postea gloriosa modò, nec belli patrandi, cognovit.* Scio, *copiam* in vulgatis apponi. Sed non agnovit Priscianus, ut liquet ex XIX. Idem Sall. lib. I Histor. tum orat. L. Philippi, tum illâ M. Æmilii: *Omnia retinendæ dominationis honesta æstimat.* Livii quoque est: *Ea prodendi imperii Romani, tradenda Annibali victoria esse.* Item Taciti lib. IV Annal. *Magis usurpandi juris, quam quia unius culpa foret.* Ubi falsi, qui *caussa* inferciunt. Rectè etiam in Pandectis Florentinis sic Ulpiani verba leguntur: *Siquis evitandi criminis id egit, ut Reip. caussa abesset.* Sed plurimis scriptorum locis *caussa*, aut simile, inculcarunt nobis librarii. Quod Andreas Scottus* etiam factum arbitratur istoc Sallustii Jugurth. *Præterea iere sagittarii, & cohors reliqua cum velitaribus armis, itineris properandi caussâ.*

[Margin note: * Observationum Humanarum lib. 3, cap. 13.]

Quartus modus est, quando genitivus additur præpositioni locali. Ut cum AD jungitur genitivo, intellecto accusativo *ædem*. Hujusmodi sunt, *ad Jovis*, *Apollinis*, *Opis*, *Vestæ*, *Dianæ*, &c. Cicero ad Att. lib. VI, ep. II: *Eâ statuâ, quæ ad Opis apertè posita in excelso est.* Pro Cluentio: *Sicut in statuis inauratis, quas ad Juturnæ posuit.* Itidem pro Mil. *Ad Castoris.* Philipp. II: *Ad Opis.* Cælius ad Cic.† *Ad Apollinis.* Livius lib. I, *Ad Murciæ:* item, *Ad Jovis Statoris.* Et trecenta id genus. Similiter, cum præpositione IN, Plautus Pœn. act. I, sc. II, *in Veneris* dixit. Ubi *ædem* addidere: sed contra vett. libb. fidem. Idem fit, cùm genitivus jungitur præpositioni A, intellecto *æde*. Cicero lib. XIV, ep. II: *Ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, quemadmodum à Vesta ad tabulam Valeriam ductus esses.* Nec putandum, solùm id fieri intelligendo *ædem*, vel *æde*. Nam similia, *per Varronis*, puta *fundum*. *Ex vicini*, nempe agro. Imò & Tullii est, *Ex Apollodori* puta *Chronicis*. Ulpiani autem, *Ex feminini sexus descendentes.* Videlicet *stirpe*.

[Margin note: † Lib 8, ep. 4.]

Quintus modus est, cùm genitivus additur verbo, qui non à verbo regatur, sed nomine substantivo. Ut, *est regis*, vel *pastoris*. Nempe *munus*, *officium*, *opus*, *negotium*. *Æstimare litis*, scilicet *caussâ*, apud Cælium ad Cic. ep. VIII. Etsi Manutius antiquè *litis*, pro *lites*, scribi putet. *Abesse bidui*, puta *itinere*, apud Cic. ad Att. & Cæs. lib. VI de bello Gall. *Accusare furti*; scilicet crimine. *Est Romæ*, pro, *in oppido Roma*. Aliaque id genus, ut in Verbo dicetur.

Est denique ubi reticetur genitivus rectus, ut in mensuræ vocabulis. Livius lib. XLIII: *Tritici decies centum millia, & hordei quingenta, indicantes se ad mare devecta habere.*

CAP. VIII.

Verbalia regunt casum verbi sui. Domuitio, *vel* domum itio. *Supina non esse verba, sed nomina quartæ declinationis: eoque aliorum instar verbalium regere casum verbi sui. At, præter verbalia, nullum substantivum regere alium casum, quàm genitivum. Eoque ablativum caussa, instrumenti, & modi, propriè non regi à nomine; sed præpositione per ellipsin præteritâ. Eam præpositionem quandoque exprimi.* Fas, & nefas, *naturâ suâ videri adjectiva. Unde ea dicantur: item* res *unde veniat. Ab Alvaro recessum.* Opus *nec adjectivum est, nec* necesse *notat.* Opus impensæ, opus lectionis. *De Fabii loco quæsitum.* Opus, & necesse, *ut differant.* Hæc res est opus: *sed*, hanc rem esse opus. *Prioris simile*, Opus est loqui: *posterioris*, Opus esse loqui. *Ab nomine* usus, *hoc est* usio, *dici*, Usus est vires, & viribus.

Vidimus, quibus modis substantivum unum alteri jungatur in casu patrio. Sunt verò substantiva quædam, quæ diversam sequantur structuram. Ut verbalia, quæ interdum adsciscunt casum verbi sui. Cicero in Topicis: *Abalienatio est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio.* Ut, *tradere alteri* dicimus: ita hic vides, *traditio alteri*. Idem lib. I de Divinat. *Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem* dari.* Nisi *domuitionem* placet; quo Nonius usum docet Pacuvium, ac Lucilium. Imò apud Cornificium quoque in IV ad Herenn. versus ille adducitur:

Jam domuitionem reges Atridæ parant.

[Margin note: * Ita Rob. Stephanus, eumque Manutius & Nizolius secuti.]

Et apud Appulejum id vocis habes Met. lib. III, IV, X. Sed utcunque id est, *domuitio* saltem priùs fuerit *domum itio*. Similiter Asconius Pedianus in II contra Verrem: *Duæ res consequebantur damnationem: altera redditio iis, ad quos pertinebat (in quo vel simpli, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur) altera exilii.* Ut *reddo ei*, sic *redditio ei*. Nec Cæsar hoc loquendi genus ignorat. Ejus est lib. I belli Gallici de Helvetiis: *Reliqua privata ædificia incendunt, frumentum omne, præterquam, quod secum portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent.* Imprimis autem Plauto in deliciis est: cujus sunt, *hanc actitio*, & *notio*, *ac tactio nos*, & similia. Vide, quæ ex eo, & aliis, addu-

adduximus lib. III de Analogia cap. IX. Ac fortassè etiam hujus erit loci illud Mil. Glor. act. II, sc. II:

Curre in obsidium perduelleis, nostris præsidium para.

Nam *perduellium* dicendum erat. Sed videtur *perduelles* posuisse, quia dicimus, *obsidere perduelles.* Aut assentiendum Camerario, qui pro *curre* legit *coge*; idque assentiente Lambino; sed dissentientibus Lipsio, & Douzâ, qui *curre* approbant. Vel, quo nihil puto simplicius, *perduellis* singulo numero posuerit, pro *perduellium.* Quasi dixisset, *in obsidium hostis*, sive *populi hostilis.* Adducunt quoque ex eadem comœdiâ act. III, sc. I:

—— *Neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio.*

Ubi *oblocutor alteri* videtur esse, ut *obloqui alteri.* Sed dicere possumus, simile esse ac *hostis*, vel *inimicus alteri.*

Ad verbalia substantiva etiam pertinent supina. Sunt enim nomina quartæ declinationis: quorum alia omnes, vel penè omnes casus habent; alia solum accusativum, & ablativum, vel præterea etiam nominativum. *Supina* autem à Grammaticis tum dicuntur, cùm in accusativo junguntur verbis motum ad locum, vel apertè, vel occultiùs, significantibus: vel cùm in ablativo adduntur nominibus adjectivis, aut verbis. Itaque, etsi naturâ suâ alios etiam casus habent: tamen vulgò iis casibus non habentur pro supinis. Ita supinum iis non est Taciti hoc in III Annal. *Non sine irrisu audientium.* Multoque minùs Plinii * illud, *Irrisui esse.* At supina iis censentur, *venit irrisum*; &, *dignum irrisu.* Totâ autem hac de re sententiam nostram exposuimus lib. III de Analogia cap. XI. Ubi illud quoque monebamus, supina in UM verbis jungi *ἐν κοινῶς*. Sic *venit irrisum*, valet, *ob*, vel, *propter irrisum*, sive *irrisionem.* Et Plautinum hoc †, *Conductus coctum*: idem notat ac si dicas, *ad coctum*, sive, ut Plinius ‡ loquitur, ad *coctionem faciendam.* Et quid aliud, *Grex it pastum*, quàm *ad pastum*? Quomodo Varro in III de R. R. cap. XVI ait: *Non omnis tempestas apes ad pastum prodire longius patitur.*

* Lib. 22, cap. 5.
† Aulul. act. 3, sc. 3.
‡ Lib. 29. cap. 9.

Nihil igitur mirum, si, ut verbalia in *io*, aliaque nonnulla: sic etiam supina in UM, casum regant verbi sui. Ut cum dicitur, *spectatum ludos.* Nam similiter Plautus diceret, *Quid tibi ludos spectatio est?* Nempe ut in Amphitryone * ait: *Quid tibi hanc curatio est rem?* Cui simile fuerit, si in supino dicas: *Quid venisti curatum hanc rem?*

* Act. 1, sc. 3.

Hæc de vero regimine substantivi. Nunc expendamus, quid statuere conveniat de eo, quod tradunt, substantiva regere ablativum, qui partem significet. Ut cum Terentius † ait: *Virginem sparso ore, adunco naso.* Aut Virgilius ‡:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ.

Item *,

Victorem Buten immani corpore.

† Heaut. act. 5, sc. ult.
‡ 1 Æn.
* 5 Æn.

Et Plinius lib. VII, cap. II, de Choromandis: *Gentem hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.*

Adhæc si signetur caussa, modus, adjunctum, vel circumstantia. Terent. Andriâ †: *Mulier egregiâ formâ, atque ætate integrâ.* Item Adelph. ‡ —— *Homo antiquâ virtute, ac fide.* Livius lib. XXXVI: *Mulier magno natu.* Quod ipsum etiam fit sine adjectivo. Terent. Adelphis act. I, sc. II:

† Act. 1, sc. 1.
‡ Act. 3, sc. 3.

Naturâ tu illi pater es, consiliis ego.

Cæsar lib. III de bello Civili: *Ibi casu rex erat Ptolemæus, puer ætate.* Hirtius de bello Alex. *Eunuchus, nomine Photinus.*

Sed, extra verbalia, nullum substantivum regit alium casum, quàm genitivum. In iis verò omnibus, ubi ablativus apponitur, κατ' ἔλλειψιν præpositio desideratur. *Virgo adunco naso*, integrè fuisset, *cum adunco naso. Gens dentibus caninis*, pro, *cum dentibus. Mulier ætate integrâ*, pro, *in ætate integrâ. Eunuchus, nomine Photinus*, pro, *ex nomine.* Hæc ita esse, partim eo evincitur, quod in idiotismo Belgicæ linguæ, & aliarum, hæ præpositiones addantur: partim quòd Latini ipsi quandoque præverbium exprimant. Sanè Terentii esse dicebamus, *homo antiquâ virtute ac fide.* At Plautus ait Trinummo act. IV, sc. IV:

Qualine amico mea commendavi bona?

CAL. *Probo, & fideli, & fido, & cum magnâ fide.*

Sic Cicero lib. I ad Att. ep. X: *Consul ipse parvo animo, & pravo, facie magis, quàm facetiis, ridiculus.* Cui contrarium, *vir pulcro magnoque animo.* At Ennii est:

Optima cum pulcris animis Romana juventus.

Ac Terentii quoque Phorm. act. III, sc. I:

Enimvero, Antipho, multis locis cum istoc animo es vituperandus.

Ubi Donatus, *Cum istoc animo, pro hujus animi.* Quod idem ac, *hoc animo.* Nam dicitur, *vir hujus animi*, &, *hoc animo*: pro quo Terentius citra ellipsin, *cum hoc animo.* Subjungit deinde Donatus Ennii locum, quem antea adduximus. Itidem pro illo, *Nomine Miccotrogus*, integrè, *ex nomine*, habes apud Plautum Sticho, act. II, sc. II:

Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.

Atque hæc planiora erunt ex iis, quæ mox in adjectivis, posteaque in Verbo de ablativis caussæ, vel modi, dicemus.

Quatuor præterea substantiva regere ajunt ablativum; *fas, nefas, opus, usus.* Ut apud Ciceronem lib. V Tuscul. Qu. *Sed hoc fas est dictu.* Et Ovidio III Fast. *Ecce nefas visu.* Item Terent. Andr. act. I, sc. I:

Nihil istac opus est arte.

Et ejusmodi pervulgata. De voce *usus* arguere ajunt Plautum Asin. act. I, sc. I:

Viginti jam usu'st filio argenti minis.

Et Persâ act. II, sc. Paratum jam:

Non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi.

Ac ne solos ita Comicos locutos putemus, etiam Maronis est in VIII:

Arma acri facienda viro; nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistrâ.

Sed nihil hæc, similiaque, vulgarem sententiam juvant. Nam ut priùs de *fas*, & *nefas*, dicam, ea origine suâ sunt adjectiva. Uti enim dixere *singularis*, & *singularius*; ita, ut censeo, à *fari* fuit *faris*, & *farius.* Ex *faris* contractum *fas*; ex *nefaris*, *nefas.* A *farius* autem est *nefarius. Fas* igitur idem ac *fandum*, vel *fari dignum. Nefas, nefarium, nefandum*, indignum fari, sive dici, magisque indignum fieri. Nam dici, & fieri, quodammodo sunt ἀντιστρέφοντα *: unde & *res* ex *resis*, ῥῆσις, ab ῥέω, id est, *dico.* Et Hebræis דבר, *dabar*, & *verbum*, & *rem*, notat. *Fas* igitur, quod dicere, vel facere liceat. Nempe ὅσιον καὶ δίκαιον: sive, ut in vett. glossis exponitur, θεμιτόν: *nefas*, ἀθέμιστον. Unde & Servius in I Georg. ea interpretatur *licitum*, & *illicitum.* Quare *fas*, & *nefas dictu*, similia sunt, ac *licitum*, aut *illicitum*; *honestum*, aut *turpe dictu.* Ut ea ad substantivorum structuram minimè pertineant. Accedit, quòd non est sermo is proprius ac naturalis. Dicuntur enim hæc ἐλλειπτικῶς: quia intelligitur præpositio IN: ut planiùs fiet ex iis, quæ postea tradêmus de ablativis sociatis nomini adjectivo.

* Reciproca.

Accedo ad *opus*: quod, quando adjectivum est, ablativum regere, etiam à doctissimo Alvaro traditum est. Atqui *opus* non magis est adjectivum, quàm *usus* quartæ declinationis; quod non minùs ablativo jungitur. Verùm, inquiunt, *opus* valet *necesse*, sive *necessum*, quæ adjectiva sunt. Veteres enim dixere, hic & hæc *necessis*; unde neutrum, hoc *necesse*: item, hic, & hoc *necessus*; unde hoc *necessum*; quod idem ac *necessarium.* Equidem fatemur, *necesse*, & *necessum*, esse adjectiva. Sed etsi *opus* μεταληπτικῶς possis exponere *necesse*: si tamen vocis naturam spectemus; non *necesse*, verùm *operam*, vel *negotium*, notat. Unde & adjectivo jungitur. Ut apud Horat. lib. I, od. VII:

Sunt quibus unum opus est, intactæ Palladis arcem
Carmine perpetuo celebrare.

Item, aliorum more substantivorum, genitivum regit. Quod etsi verissimum, malè tamen aliqui firmatum eunt illo Ciceronis lib. II de Divinat. *Si mures corroserint aliquid,*

quid, quorum est opus. Ubi integrè locus habet, *quorum est opus hoc unum, monstrum putemus.* Atque hic itidem adjectivum videmus addi. Magis firmum validumque hoc Cn. Plancii ad Coss. Præt. &c. lib. x, epist. VIII: *Sed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multæ impensæ opus fuit; ut, quæ Reip. bonisque omnibus polliceremur, exitu præstaremus.* Nam *temporis* quidem ab *aliquantum* pendet: verùm *laboris*, & *impensæ*, aliunde reguntur; cum Latinè non dicatur, *aliquantum magni laboris*, aut *aliquantum magnæ impensæ.* Ac fortasse etiam similiter Quinctilianus lib. XII, cap. III: *Sed etiam si nosse, quid quisque senserit, volet, lectionis opus est.* Scio, *lectione* maluisse Vallam, & Ascensium: atque ita editum non ab Ascensio modò, sed etiam Rob. Stephano. Verùm credibilius est, sciolum aliquem ex *lectionis* fecisse *lectione*, quam ut pervulgatum sermonis genus in insolens mutârit. Sanè *lectionis* editum ab Aldo, Vascosano, Gryphio: & similiter MSus noster membranaceus, bonæ notæ: qui olim fuit magni illius, Joachimi Camerarii, Germaniæ suæ Phœnicis; nobisque ex avitâ paternâque suâ bibliothecâ donatus ab nobilissimo, & doctrinâ pariter ac prudentiâ summo viro, Ludovico Camerario, Lud. F. Joach. N. Serenissimi Suecorum regis apud Fœderatos Belgicæ Ordines Legato. Porrò *lectionis opus* dixerit Fabius, ut Plancus, *Opus multæ impensæ.* Et sanè, si non anticipatâ opinione, verum proprietate vocis, rem æstimemus: simile fuerit, ac Maronis illud in VI, *Hoc virtutis opus:* vel illud Nasonis in II de Arte: *Hic erit artis opus.* Græcis ea sint, ἔργον πολλῆς δαπάνης, ἀρετῆς, τέχνης. Atque ex his caussam videre licuit, cur *opus* genitivum regat.

Ab eâdem caussa est, quod crebrò fungatur munere nominativi consequentis, sive, ut vulgò ineptè dicunt, à tergo recti. Ita Plautus Aulul. sc. Præsagibat: *Siquid opus est, impera.* Idem Curcul. act. II, sc. II:

> *Palinure, quid stas? quin depromuntur mihi,*
> *Quæ opus sunt?*

Terent. Heaut. act. IV, sc. VII:

> *Et illum ajunt velle uxorem, ut, cùm desponderim,*
> *Des, qui aurum ac vestem, atque alia, quæ opus sient, comparet.*

Et Phorm. act. III. sc. III:

> *Quantum est tibi opus argenti? eloquere.* ——

Cicero lib. II, epist. VI ad Famil. *Dux nobis, & auctor opus est, & eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator.* Idem act. I in Verrem: *Quis, dum hic, quæ opus essent, compararent, caussam interea ante eum diceret?* Seneca epist. XCV, citat illa Catonis: *Emas, non quod opus est, sed quod necesse est.* Item: *Quod non opus est, asse carum est.* Ubi *necesse* dicitur, quo carere non possis: *opus* autem, quod utile quidem, sed tamen necessarium non est. Quomodo & distinxit Cicero in extremo longæ illius epistolæ ad Lentulum libro I: *Legem curiatam consuli ferri opus esse; necesse non esse.* Porrò ex his apparet, rectè dici, *Hæc res mihi opus est:* hoc est, res hæc opera mea est, sive, hâc in re operam pono.

Nec tantùm in casu nominativo convenit cum nominativo antecedente; sed etiam est casus accusativi præcedente accusativo: quasi dicam, *hanc rem esse operam*, hoc est, in hâc re operam poni. Nam quia rectè dicitur, *nummi sunt mihi opus*; ideo nec Cicero dubitavit dicere lib. VI ad Att. epist. ult. *Dices, nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi.* Et lib. XV, epist. XX: *Equidem video, mihi quoque opus esse viaticum.* Et ad famil. lib. VII, epist. XXXII: *Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis literis multum opus fuisse.* Item in melioribus codd. legitur apud Justinum lib. XI, quo loco nodi Gordii fabulam exponit: *Oracula responderunt, regem discordiis opus esse.* Pro, rege in istis discordiis esse opus. Dixerint aliqui, his in locis accusativum regi ab *opus:* ac similiter Plautum dicere Truculento*: *Puero opus est cibum.* Sed Lambinus hic *cibus* malebat. Mihi, propter MSSorum, & editorum auctoritatem, *cibum* placet retinere. Sed suspicor, *cibum* esse nominativum antiquum pro *cibus.* Quomodo dixere, *baculus, baculum; barbitus, barbitum; fimus, fimum;* aliaque id genus, adducta nobis lib. I de Analogia cap. XXXVI. Atque, ut ἀρχαϊκῶς‡ regeret accusativum; nunquam tamen sic locuti essent Cicero, vel Justinus. Quod verò in allatis eorum locis accusativum videmus; id non fit, quoniam eum casum regat: imò neque propterea, quòd adjectiva cum substantivis debeant consentire (quam Alvares rationem adfert) sed quia verbum substantivum aut utrimque nominativum habet, aut utrimque accusativum: quomodo dicimus, *ira furor est*; & in accusativo, *iram esse furorem.*

* Act. 5, sc. ult.

‡ Antiquorum more.

Pro nominativo hujusmodi, vel etiam accusativo, interdum est infinitivus. Ut cùm Cicero ait lib. VII ad Att. ep. VIII: *Quid opus est de Dionysio tam valde affirmare?* Et in hoc Terentii And.†

> *Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa, adversum hunc loqui.*

† Act. 1, sc. 5.

Ubi infinitivus nominativi loco est. Accusativi verò vicem supplebit, si dixeris: *Negat fuisse opus affirmare.* Item, *Puto, peropus esse loqui.*

Ex hisce omnibus colligimus, *opus* planè esse substantivum; nec quicquam compellere, ut pro *necesse* unquam poni dicamus. Ac tum quoque, cùm ablativo jungi videtur; exponi posse per *opera*, vel *labor.* Exempli caussâ, *Opus est arte*, vel *libris*, valet, *opera*, sive *labor*, aut *negotium est arte*, vel *libris.* Quod ἐλλειπτικὸν est, pro, *in arte, in libris.* Quasi dicas, *opera, & occupatio omnis est in arte, in libris.*

Quodque de *opus* diximus, idem fortasse in *Usus* locum habet. Nam quid impedit, quo minus Plautinum istud, *Usus filio XX minis argenti*; exponas, Labor & opera requiritur, ut acquirantur XX minæ argenti. Sic Maronis illud, *Viribus usus*; valet, Nunc labor & opera omnis in viribus comparandis.

Sed de voce *usus* nolo pertendere. Nec mihi obstiterit, quòd antea negabam, extra verbalia ullum à substantivo casum regi, præterquam genitivum. Nam & *usus* verbale est ab *utor.* Diciturque *usus*, & *usio*; *abusus*, & *abusio:* ut *itus*, & *itio*; *reditus*, & *reditio.* Quemadmodum igitur legas, *reditio domo*, & *reditio domum*; uti, *redire domo*, & *domum:* sic quia dicimus *utor viribus*, vel *vires*; rectum quoque erit *usus viribus*, vel *vires.* De ablativo res satis est aperta. De accusativo nobis fidem fecerit hoc Plauti Pseudolo*:

> *Ad eam rem usu'st hominem astutum, doctum, scitum, & callidum.*

* Act. 5, sc. Pseudolo non audit.

Nam, qui *usus* hic participium esse credat, næ eum planè fugiat ratio.

Cap. IX.

Adjectiva verbalia casum etiam regunt verbi sui: sæpe illa in bundus, *rarò alia.* Medentes, *pro* medici. Studentes. *Participia in NS nomina sæpe fieri, semper autem, si genitivum regant.*

TRanseo ad adjectiva: ubi primùm de iis videbimus, quæ verè casum regunt; deinde, quæ regere existimantur.

Verbalia adjectiva regunt quandoque casum Verbi sui. Plautus Mil. act. III, sc. I:

> *Qui nisi adulterio studiosus, rei nulla alia est improbus.*

Quamquam alii ablativum esse malint, simileque illi Enniano:

> —— *Studiosum robore belli.*

Quod integrè sit, *in robore belli:* hoc est, cujus studia versarentur in iis, quæ ad belli robur pertinerent. Similiter igitur, *studiosus adulterio*, ponatur, pro *in adulterio.* Sed magis fit verisimile, ut *studere adulterio* dicitur, ita dixisse *studiosus adulterio.* Nec aliter Justinus lib. IX: *Rex armorum, quam conviviorum apparatibus studiosior.* Sed quicquid de eo, nihil sanè apertius Ovidii illo I Met.

Cum-

Cumque sit ignis aquæ pugnax.

Aqua pugnax ait, ut Virgilius*:

—— *Placidone etiam pugnabis amori?*

Interim agnoscimus, raram esse hujusmodi structuram; præterquam in verbalibus, quæ exeunt in *bundus*. Hæc enim crebrò regunt verbi sui casum. Ut, *populabundus agros. Vitabundus hostium castra.* Nempe ad modum, quo dicimus, *agros populari*, *castra vitare*.

Ad verbalia etiam pertinent adjectiva in NS, eorumque comparativi & superlativi. Hæc regunt genitivum. Ut, *abstinens vini*, *tolerans injuriæ*. Ovid.†

Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa metuentior ‡ ulla Deorum.

Virgil. 11 Æn.

—— *Justissimus unus*
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.

Sic, *patiens*, *patientior*, *patientissimus*, *inediæ*, *algoris*, *vigiliæ*.

Nec dubitandum, quin hujusmodi in NS ex participiis vera fiant nomina. Uti in illo Lucretii lib. 1, & IV:

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur.

Ubi clarè *medentes* ait, pro *medici*. Quemadmodum & Ovidius XV Metam.

—— *Nihil artes posse medentum.*

Cujus generis multa possunt adferri. Nec sine aliunde est, quòd *studentes* vulgò audias, pro *studiosis*, sive *scholasticis*. Et ita jam olim Isidorus in Glossis: *Pappas*, *padagogus*, *qui sequitur studentes*. Planeque hic sermo à Græcis profectus. Qui εἰδότες dicunt, pro εἰδήμονες; οἱ φρονοῦντες, pro φρόνιμοι, atque ita in aliis. Et Latinis quid aliud *appetens vini*, quam *appetitor*; *amans virginis*, quàm *amator*? Dixeris, his in OR non significari tempus: contrà fieri illis in NS. Sed aliter est. Nam sæpe illa in NS, tempus amittunt. Imò id semper fit, cùm genitivo junguntur. Sanè *fugitans lites* est, qui eas fugit. Ut planè hic participium sit, quia tempus significatur. At non item, cùm ajo, *fugitans litium*; quomodo de eo loquimur, cujus mos ac ingenium tale, ut fugere eas soleat. Sic *patiens inediam*, qui nunc patitur. *Patiens inediæ*, qui pati idoneus, sive naturâ, sive consuetudine, vel aliter.

Multò minus ambigere liceat de illis, quæ composita sunt cum præpositione suo verbo ignotâ. Ut, *intolerans*, *impatiens*, *insolens*. Tacitus primo Annal. *Multitudo laborum intolerans.* Ovid. Trist. lib. III, el. II: —— *Impatiens animi laboris eram.* Cicero ad Att. lib. II, ep. II: *Amicus ille noster insolens infamiæ, semper in laude versatus.*

CAP. X.

De adjectivorum illis, quæ falsò dicuntur regere genitivum, cum genitivus potius regatur ab substantivo intellecto. Ut in partitivè acceptis: qualia, Nigræ lanarum: idonei Græcorum. *Parque in comparativis ratio, & superlativis. Valla obiter refellitur. Item Alvarus. Ellipsis partitivi* unus. *Genitivus, quem verbalia, aliaque adjectiva, regere traduntur, regitur à substantivo* caussâ, *vel* ratione. *Servii lapsus.* Lætus frugum, liber legum, invictus laboris, delicti manifestus, impiger militiæ, pervicax iræ, potentiæ anxius, fatigationis saucius, maleficii infamis, animi infirmus, judicii rectus, *& similia* ἑλληνικά. *Distingui in talibus oportere, inter ea, quæ solùm poëtis, vel historicis, quæque etiam oratoribus sint concessa.*

Dictum de vero adjectivi regimine. Sequitur falsum. Quando nempe adjectivo additur casus, qui non regatur ab adjectivo; sed vel à nomine substantivo, quod per ellipsin intelligitur; vel à præpositione, quæ similiter reticetur. Priùs de genitivo videamus.

Adjectiva partitivè posita regere dicuntur genitivum, cùm genitivus ille aliunde regatur; ut liquet, si suppleatur, quod deest. Plinius lib. VIII, cap. XXXVIII: *Nigræ lanarum nullum colorem bibunt.* Quod integrè sit: *Ex numero lanarum, lanæ nigræ nullum bibunt colorem. Lanarum* igitur non regitur à *nigræ*: sed à *numero*; quod brevitatis, & elegantiæ caussâ reticetur. Similiter in illo Gellii lib. V, capite XX: *Nos neque solœcismum, neque barbarismum, apud Græcorum idoneos adhuc invenimus.* Integrè esset; *Apud scriptores idoneos ex numero Græcorum scriptorum.* Itaque videas, Græcos interdum ante hujusmodi genitivos exprimere* præpositionem ἐκ.

Quod verò de positivo vidimus, idem in gradibus aliis locum habet. Comparativus est, cùm idem Plinius ait lib. XXXVII, cap. II: *Diligentiores eorum Electridas insulas in mari Hadriatico esse dixerunt.* Et cap. VIII: *Callaidum pulchriores oleo, unguento & mero, calorem deperdunt.* Quibus quoque locis confirmatur, comparativum rectè de pluribus dici; quod pleniùs infra contra Vallensem ostendemus. Superlativo similiter Lucanus ait libro II:

—— *Minimas rerum discordia turbat.*

Et Tranquillus in Vespasiano cap. VIII: *In asperrimas insularum avehi.* Imò idem quoque usu venit substantivis: quomodo loqui amat Plinius; ut lib. IX, cap. L: *Piscium lupus, & trichias, bis anno parit:* hoc est, ex piscibus. Et lib. X, cap. VI: *Volucrum animal parit vespertilio tantum:* hoc est, inter volucres. Autumat Alvarez, in locis hujusmodi intelligi posse partitivum *solus*, a quo genitivus regatur. Verùm id verisimile non est, nedum verum. Alioqui enim Plinius non addidisset *tantum*.

Illud interea negari minimè debet, interdum κατ' ἔλλειψιν intelligi ipsum partitivum. Ut in illo Horatii lib. III, od. XIII:

Fies nobilium tu quoque fontium.

Hoc est, unus nobilium fontium, sive, è nobilibus fontibus. Quomodo & Græci loquuntur. Uti Strabo lib. VIII: Ἑρμιόνη δ' ἐστὶ τῶν οὐκ ἀσήμων πόλεων. *Hermione est non obscurarum urbium.* Pro μία πόλεων, *una urbium*.

Hæc de partitivè usurpatis. Venio ad secundum canonem, quo genitivum regere dicuntur verbalia, multaque adjectiva, significantia animi affectum: ut desiderium, metum, curam. Sed canon ille non uno nomine peccat. Nec enim genitivus, qui addi adjectivis hujusmodi solet, regitur ab adjectivo, sed aliunde. Præterea multa sunt adjectiva quæ similiter construuntur, nec tamen affectum notant; sed notitiam; vel ignorantiam; crimen aut contrarium; & multa alia: ut postea parebit. Canon verò sic potiùs concipi debuit:

Adjectiva multa, & in his etiam verbalia, junguntur genitivo per ellipsin nominis substantivi, *caussâ*, vel *gratiâ*, vel *ratione*: idque Græcorum more, quibus genitivus adjectivo additus similiter regitur ab intellecto ἕνεκα*, vel χάριν†. Hujusmodi, Servii quidem judicio, est Maronis illud Ecl. I:

—— *Rapidum Cretæ veniemus Oaxem.*

Ubi *cretæ* nomen commune esse putat, ac *rapidum cretæ* interpretatur, *lutulentum*, quod rapiat cretam. At id Latinum non est. Ac vel hoc præcipuè argumento Servii sententiam impugnare poterat Politianus‡.

Sed ut in eo deceptus sit nobilis Grammaticus, exemplorum tamen abunde est; quæ si coacervare velim, vastum sit ingrediendum mare. Paucis ero contentus. Tale hoc Maronis I Æn.

Lucus in urbe fuit mediâ lætissimus umbræ.

Ubi Servius monet, vel *umbrâ* legi debere, ut sit quem casum septimum vocant: aut *umbræ*, secundùm Probum, ut simile sit isti Sallustii: *Frugum pabulique lætus ager:* quod Servius ait esse dictum ad imitationem Græcorum; qui, itidem ajunt, εὐτυχὴς τῶν πόνων*. Similiter in XII:

Præterea regina tui fidissima dextrâ
Occidit ipsa suâ.

Hoc est, fidissima ratione tui. Lucanus lib. VI:

—— *Felix, ac libera legum*
Roma fores.

Marginal notes: * 4 Æn. — † 1 Met. fab. 10. — ‡ Sic Mss aliqui. Alii, reverentior, etiam Mss noster, & vetus Veneta an. 1486, & Aldina. — * Joann. Evang. cap. 8, vers. 46, & 1 Cor. cap. 15, vers. 6. — * Caussâ. — † Gratiâ. — ‡ Miscell. cap. 37. — * Felix laborum.

Id est, ratione legum, sive, quod ad leges. Crebrum id sermonis genus Tacito. Ut Annal. I: *Antiquam duramque militiam revocabat, invictus operis ac laboris.* Pro, *invictus ratione operis:* hoc est, quod ad opus ac laborem attinet. Sic lib. II Ann. *Cur in uxore delicti manifestâ ultionem legis omisisset.* Et libro Annal. III: *Impiger militiæ.* Et Annali IV: *Ferox scelerum.* Item: *At Agrippina pervicax iræ, & morbo corporis implicata.* Postea que: *Anum suapte naturâ potentiæ anxiam.* Item: *Sui non anxius.* Et Annal. VI: *Magis ac magis trepidus admirationis, & metus.* Item: *Gallo exprobrabat, quòd scientiæ ceremoniarumque vetus apud senatum infrequentem egisset.* Ubi *vetus* valet *gnarus.* Similia sunt apud Livium, Gellium, alios; imprimis Appulejum. Ejus sunt ista: Lib. II Met. *Mihi verò, fatigationis hesternæ etiam nunc saucio, da veniam.* Lib. III: *Quod alioqui publicitus maleficæ disciplinæ perinfames sumus, arreptam inclementer increpat.* Lib. IV: *Tandem postumæ spei fatigati.* Item: *Sed Psyche virgo vidua domi residens, deflet desertam suam solitudinem, ægra corporis, animi saucia.* Lib. V: *Psyche & corporis, & animi alioquin infirma.* Lib. XI: *Quibus, & cæteris benevolis præceptis summatis Deæ, recreatus animi, ad receptaculum sacerdotis contendo.* Et lib. I Florid. *Eo igitur omnium metu factum, solus Alexander ut ubique imaginum summus esset.* Hoc est, ut imaginibus vinceret alios. Sed ista oratori esse imitanda, nemo sanus dixerit. Imò ne quidem albâ signabit lineâ, quæcunque legerit apud Sallustium, Livium, Tacitum; ut mittam, quæ apud solos Poëtas inveniuntur. Quocirca graviter plerique peccant Grammatici, dum non discernunt, quæ adjectiva oratores; quæ item historici, aut Poëtæ, gignendi casui adjungant. Sanè *integer animi* magis Poëtarum, aut historicorum est, quàm oratorum; qui dicerent, *integer animo.* Scio à Budæo adferri e secundo Ciceronis de Invent. *Hoc autem ipsum genus erit eo firmius, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer animi fuisse demonstrabitur.* Verùm in editione Roberti Stephani, & aliis optimis codd. pro *animi* editum est *antea.* Nec oratori imitandum illud Senecæ lib. de vitâ beatâ, *Timida lucis:* aut, *Judicii rectus.* Senecæ enim dictio proximè ad historicorum phrasin accedit. Itidem Poëtarum, & historicorum, magis sunt: *Fessus belli, inglorius militiæ, tenuis opum, ambiguus consilii,* multaque id genus. At contrà sunt alia plurima, quæ tutò imitabitur Orator. Tale est hoc Ciceronis ad Att. lib. II, ep. XXI: *Tam insuetus contumeliæ.* Columella lib. II, cap. II: *Callidissimi rusticarum rerum genera terreni tria esse dixerunt; campestre, collinum, montanum.* Quinctilianus lib. IV, cap. II: *Judex quàm primùm certus esse sententiæ cœpit.* Idem lib. VIII, cap. III, sive de Ornatu: *In quod sæpe incidit etiam Cicero, securus tam parvæ observationis.* Plinius Veronensis lib. XXV, cap. II: *Medicina peculiariter curiosus.* Tacitus lib. II Annal. *Dum vetera extollimus, recentium incuriosi.* Et lib. III Hist. *Summi discriminis incuriosis.*

Sed enim contendat aliquis, hæc Latinè quidem, nec ineleganter, dici: sed falli nos, quando putamus ut Græci in talibus genitivis intelligunt ἕνεκα, vel χάριν, sic apud Latinos etiam intelligi *caussâ,* gratiâ, vel *ergo:* & inde genitivum regi, non ab adjectivo. Interdum quidem id satis verisimiliter dici: ut *trepidus rerum suarum,* valeat, *rerum suarum caussâ:* ac *furti reus* integrè sit, *furti ergo.* Sed enim durè quædam sic exponi, ut *tenax ficti pravique: rudis rerum;* Esto, ut duriuscula sit hæc ἔκφρασις, non tamen absurda, & ἀσύστατ☉. Nam sententia est, *Tenax, & quidem rei fictæ, ac pravæ ergo. Rudis rei ignoratæ caussâ.* Quicquid sit de nonnullis: illud saltem pro certo habemus, ab hujusmodi caussa fuisse, quod adjectiva primò cœperint jungi genitivis. Nec enim existimandum linguam vel Græcam, vel Romanam nullis esse caussis subnixam.

CAP. XI.

Ad falsum genitivi regimen referuntur adjectiva amicitiæ, proprietatis; similitudinis, æqualitatis. Par ejus. *Non esse perpetuum, quod aiunt, similis genitivo additum referri ad formam. Itidem falsò statui, adjectiva mensuræ, vel copiæ & inopiæ, regere genitivum.* Expers unguentis, *de unguentato. Quo pacto genitivo jungantur,* contentus, dignus, alienus, diversus.

HAbemus de iis, quæ solùm regere genitivum, Grammaticorum est opinio. Sed sunt alia, quæ præter genitivum creduntur regere, vel dativum, vel accusativum, vel ablativum. De quibus nunc dicam. Ac primùm de illis, quæ putantur regimen habere genitivi, & dativi. Ut sunt, quæ amicitiam, proprietatem, similitudinem, vel his contrarium signant. Ut, *Ciceronis,* vel *Ciceroni amicus,* vel *inimicus. Propria ejus, & ei. Communia omnium, & omnibus. Similis Socratis, & Socrati.* Ac de dativo quidem non est, quòd ad ellipsin recurratur. Nativa enim ea locutio est, ut dicam capite proximo. Ubi eàdem ostendam, propriè hoc *regimen* vocari non posse. Nunc autem genitivo insistendum: qui, extra verbalia, nunquam regitur ab adjectivo, nisi suam priùs exuerit naturam; ut tùm veriùs sit substantivum. Quando igitur genitivum videmus jungi illis ante memoratis: alterutrum statuere convenit; vel ea naturam exuere adjectivorum, ut veriùs pertineant ad canona de substantivo regente alterum substantivum in casu patrio; vel si ea videantur naturam retinere adjectivi, regi genitivum non ab adjectivo, sed ab substantivo intellecto; quod est *caussâ,* vel *ratione.*

Ita substantivè hæc sumi videmus: *Amicus, cognatus, propinquus, affinis ejus.* Nam eodem modo hæc dicuntur, ac *frater ejus.* Et hoc quidem locum quoque habet in illo Ciceronis, *Plato veritatis amicissimus.* Idemque judicium esto de illo Ciceronis in IV de Fin. *Conferam autem avunculum tuum cum C. Graccho, ejus ferè æquali.* Et illo in Pisonianâ: *Cujus paucos pares hæc civitas tulit.* Ubi tamen Lambinus *cui* mavult. Nihil verò controversiæ de Lucretiano hoc lib. II:

Quem metuis, par ejus erat.

Errant quoque, cùm adjectiva similitudinem significantia genitivum regere ajunt, quoties forma significatur; dativum, cùm mores: ut nempe aliud sit, *patris similis;* aliud, *patri similis.* Nam contrà ad mores pertinet hoc Terentii in Eunucho act. III, sc. II:

Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.

Et isthoc Ciceronis Philipp. II: *Antonius saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium.* Imò &, si nonnullis codicibus credendum, contrà eodem in loco, de forma agens, utroque in casu dixit Cicero lib. I de Nat. Deorum: *Est enim vis tanta naturæ, ut homo nemo velit, nisi homini similis esse. Et quidem formica formicæ. Sed tamen cujus hominis?* Verùm in illâ Roberti Stephani, & aliis melioris notæ, utrobique nunc *hominis* legitur.

Proximum est, in ea inquiramus, quæ apud vulgus se jactant regimine tum genitivi, tum accusativi. Ut sunt, quæ mensuram significant. Dicimus enim, *longa sex pedum,* vel *pedes,* imò & *pedibus. Crassus sex digitorum, sex digitos, & sex digitis.* Sed accusativi, & ablativi caussam suo loco adferemus. Nunc de genitivo solùm videndum. Ut illo Columellæ lib. XI, cap. II: *Medica singulos cyathos serere oportet in areolis longis pedum denum.* Eodemque modo lib. secundo dixerat: *Areas longas pedum denûm, longas pedum quinquaginta facito.* Ubi genitivus non regitur ab adjectivo, ut putarunt: sed à substantivo, sive generatim significante spacium, aut mensuram: sive speciem mensuræ, ut longitudinem, latitudinem, vel crassitiem. Ita in illo, *Areolæ longæ pedum denum:* intelligitur, *mensurâ, spatio,* vel *longitudine.* Similiter illo Plinii: *Pyramides quinque in imo latæ pedum septuaginta quinûm; altæ centum quinquagenûm.* Ubi similiter, vel generatim supplendum *mensurâ,* aut *spatio:* vel speciatim, priori loco *latitudine,* posteriori *altitudine.* Ablativus autem hic unde regatur, postmodo dicendum erit.

Deinceps se offerunt, quæ vulgò gloriantur de regimine geni-

genitivi, & ablativi. Utrumque enim tribuitur adjectivis copiæ, & inopiæ. Nec inficias ire licet, utrique casui conjungi solere. Nam, ut à copiæ verbis ordiamur, Virgilii est, tum, *Dives pecoris*: tum, *Dives agris*. Taciti est, *Pecuniæ opulentus*: Plauti, *Auro opulentus*. Ovidii est, *Res est solliciti plena timoris amor*: Ciceronis, *Plenus corporis, & externis bonis*. Ejusdem est, *Urbs bonorum referta*: &, *Græcia referta sceleratissimorum hominum*: at idem quoque dixit, *Literis refertis omni officio, diligentiâ, suavitate*. Virgilii est, *Lactis abundans*: Ciceronis autem, *Timaus, & rerum copiâ, & sententiarum varietate, abundantissimus*. Taciti est, *Provincia annonæ fœcunda*: Plauti verò, *Amor & melle, & felle, est fœcundissimus*. Terentii est, *Omnium rerum satur*: Ovidii, *Ambrosiæ succo saturos*. Plauti est, *aulam onustam auri*: Ciceronis, *Onustus cibo, & vino*. Martialis est, *Macte animi*; uti Silii, *Macte virtutis*: Virgilii, *Macte novâ virtute puer*. Nam *mactus* quoque inter copiæ nomina meritò reponi, vel ἔτυμον ostendit, cùm dicatur, quasi *magis auctus*: teste Servio, in IV, & IX Æn. ac Prisc. lib. V.

Similis est ratio in adjectivis inopiæ. Ciceronis est, *Inops amicorum*: &, *Inops verbis*. Ejusdem est, *Inanissimus prudentiæ*: uti Ovidii, *Sanguinis, atque animæ corpus inane fuit*: Ciceronis iterum, *Nulla abs te per hos dies epistola inanis aliquâ re utili, & suavi, venerat*. Terentii est, *Tempus vacuum laboris*: Ciceronis, *Molestiis, & negotiis vacuus*. Plauti est, *Auxilii orbus*: Plinii, *Luminibus orbus*; &, *Altero lumine orbus*. Ovidii est, —— *Nudus arboris Othrys erat*: Ciceronis, *Urbs nuda præsidio*. Statii est, *Simque augur cassa futuri*: h. e. mendax: Virgilii, *Nunc cassum lumine lugent*. Ovidii, ac Silii est, *Viduus teli*: Horatii, *Viduus pharetrâ*. Maronis est, *Immunis belli*; uti Ovidii: *Immunis mali*: at Livii, *Immunis militiâ*; Senecæ, *Immunis metu*. Taciti est, *Captus animi*: Ciceronis, *Captus membri*; Virgilii, *Capti oculis*. Ejusdem est, *Truncæ pedum*: Ovidii, *Truncus pedibus*. Lucretii est, *Jejunus vini*: & alibi, *Succo jejuna*. Silii, *Extorris regni*: Livii, *Extorrem urbe*: imò Silii ipsius, *Extorrem regno, patriâque*. Quin *expers* quoque utroque modo invenitur. Nam Cicero* inquit: *Antonium omnis eruditionis expertem*. Ac Horatius†:

Vis consili expers mole ruit suâ.

At Plauti est Amphitr. act. II, sc. II:

Eo more expertem te factam adveniens offendi domi.

Idem Asin. act. I, sc. I:

Dono te ob istuc dictum, ut expers sis metu.

Et Persâ act. IV, sc. III:

—— *Ea res me domo expertem facit.*

Lucret. lib. VI: *Lumina somno expertia*. Item lib. II:

Ipsa suâ per se sponte omnia Dis agere expers.

Sallustius in Catil. *Crudelitate fœneratorum plerique patriâ, sed omnes famâ atque fortunis expertes sumus*. Imò huc quoque Muretus referebat illud Catulli*: —— *Omnibus expers Unguentis*. Sed vel *expers* notat hoc loco *adspersus*, nec à *pars* descendit, verùm *exspergo*: vel, ut à *pars* sit, præpositio hic habeat vim augendæ significationis. Utrumque summos viros adsertores habet: illud Scaligerum, hoc Casaubonum.

Quamquam autem hæc abunde doceant, duplicem esse talium structuram: non eò existimandum, nihil referre, utrùm hoc, an illo pacto loquamur. In aliquibus enim tutiùs priori; in aliis, posteriori modo rectiùs utimur. Ita, ut Quinctilianus† auctor est, Cicero potiùs *plenus* jungit gignendi casui, quàm auferendi. Etiam *pauper* malim sociare genitivo: quomodo Horatius ait‡:

—— *Pauper agrestium*

Daunus.

Item*, *Argenti pauper, & auri*. Ac similiter *egenus*. Lucretius†: *Lucis egenus*. Itidem *indigus*. Idem gemino in loco‡:

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Similiter *fertilis*, & *sterilis*. Cicero*: *Agros fertiles* *fructuum*. Livius†: *Fertilis hominum, frugumque Gallia*. Tacitus‡: *Virtutum sterile seculum*.

Nec verum est, genitivum hic, vel ablativum, regi ab adjectivo. Caussâ de ablativo dicetur postea. Genitivo autem junguntur more Græcorum: qui itidem dicunt, πλούσιος χρημάτων, *dives pecunia*: ἐνδεὴς πάντων, *indigens omnium*. Sic Sophocles:

Στέγαι φίλων ἔρημοι, τῶν δ᾽ ἀπολλυμένων πλέαι.

Quasi dicas:

Inops amici, plena perdentum domus.

Cujusmodi structura nec apud Græcos videtur esse nativa, sed ἐλλειπτική: ut nempe genitivus regatur à præpositione ἐκ, vel aliâ. Hujus rei inde argumentum capio, quòd Latini sæpius exprimant præpositionem, ac in vulgarium etiam linguarum idiotismis præpositio addi soleat. Hinc enim conjecturâ adsequi licet, quis sermo sit nativus, & simplicissimus, communique hominum conceptui maximè conveniens. Latini verò, qui omnia prope debent Græcis: eos quoque imitati sunt in hac structura. Sed si supplendum sit, quod deest: quia nulla est Latinis præpositio, quæ genitivum amet; eò animo concipitur substantivum generalissimum; puta *negotium*, vel *res*. Itaque *plenus vini*, valet, *re vini*; sive, cum præpositione, *ad re vini*. *Vacuus curarum*, valet, *à re curarum*, hoc est, *à curis*. Quomodo *res voluptatum* pro *voluptatibus*, dixit Plautus. Sic, *dives agrorum*, hoc est, *re agrorum*. Possis tamen in his etiam *ratione*, vel *ergo*, intelligere. Ut, *dives agrorum* ponatur, pro *ratione agrorum*, sive *agrorum ergo*. Nam *ergo* dativum, sive ablativum esse ab ἔργον*, aliàs diximus.

Præter ista, etiam genitivum, & ablativum, regere ajunt ista quatuor; *contentus, dignus, alienus, & diversus*. Ac de *contentus* Linacer Livium laudat; cujus sit, *Contentus libertatis*. Ac similiter Claudius Jurisconsultus L. XXXVII. §. nuptura, in fin. D. de leg. III: *Quoniam in his expressit, ut contentus esset partis dimidiæ dotis*. Justinus quoque ita locutus lib. XLII: *Scythæ autem contenti victoriæ, depopulatâ Parthiâ, in patriam revertuntur*. Ita in MS. Fuldensi legi, monuit Modius. Appulejum quoque de pugna dixisse, *Contenta manus unica*; suspicatur Gaspar Schoppius, lib. II Suspect. Lect. epist. VIII. Videtur autem intelligi substantivum *re*: q. d. *contentus re libertatis*, vel *re victoriæ*. Ubi præpositio *de*, vel alia, est intelligenda: ut postea dicetur.

Dignus non semper ablativo, sed à Poëtis etiam, Græcorum more, genitivo jungi, jam pueris etiam notissimum. Ut sine dubio genuina sit lectio in tertio de Amore:

Curia consilii nunc est dignissima tanti:

De stipulâ, Tatio regna tenente, fuit.

Ita enim maxima codd. pars; non *consilia tanto*, quod in nostris etiam est membranis. Item apud Plautum Trinummo act. V, sc. II:

Non ego sum salutis dignus? ——

Ubi MSS, & vett. editt. *salute*: sed *salutis* jam olim Nonius legit.

Quidam verò à Cicerone quoque genitivo jungi putant orat. de Arusp. resp. Ita enim ex eâ locum citant: *Unum esse in hâc civitate dignum hujus imperii*. Sed libri omnes habent, *dignum hujus imperii gloriâ*. Non tamen soli Poëtæ hâc in parte Græcos imitantur. Nam & Balbi est lib. VIII, epist. Cic. ad Att. *Obsecro te, Cicero, suscipe curam, & cogitationem, dignissimam tuæ virtutis, ut Cæsarem, & Pompejum, perfidiâ hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas*. Et Tranquillus in Othone cap. IV: *Ut jam vix ullus esset, qui non & sentiret, & prædicaret, solum successionis imperii dignum*. Intelligitur autem istis, vel generale nomen *re*, vel speciale aliquod. E. G. *Dignus laudis*, dicatur, pro, *re laudis*, hoc est, *laude*. Vel speciatim, *dignus præmio laudis*. Sic in illo Maronis*:

—— *Magnorum haut unquam indignus avorum.*

Quasi dicas, *indignus genere avorum*.

Alienus quoque, etsi usitatè ablativo, sive cum præpositio-

---

* Initio libri 2 de Oratore. † Lib. 3, od. 4. * Carm. de Coma Berenices. † Lib. 3, extra capitis 3. ‡ Lib. 3, od. 3. * Lib. 2, sat. 3. † Lib. 3. ‡ Lib. 1, vers. 60, & lib. 2, vers. 649. * Lib. 2 de Nat. Deor. † Lib. 5 ab V. C. ‡ Lib. 1, Histor. * Opus. * 12 Æn.

sitione, sive absque ea, jungitur; ut postea liquebit: interdum tamen cum genitivo invenitur. Lucretius lib. III:

Aut quia non veniunt omnino aliena salutis.

Et semel iterumque libro VI. Item Sallustius in Catilin. *Ille eos in domum D. Bruti perducit, quòd foro propinqua erat, neque aliena consilii propter Semproniam.* Imò Tullius ipse primo de Finibus: *Quis alienum esse putet ejus dignitatis, quam mihi quisque tribuit?* Et lib. IV Acad. Qu. *Et uno nomine omnia, quæ essent aliena famæ, & constantis conversionis, à virtute sapientiáque removebant.* Verùm nec ista sunt nativæ Romanorum consuetudinis; sed transmarinæ. Sic enim Græci: Κακίας ἀλλότριον, *alienum vitii*: pro, *à vitio*. Par ratio in διάφορος. Ut apud Platonem, διάφορον τοῦ ἑτέρου, *diversum alius*: pro *ab alio*. Ac sic quoque Tertullianus lib. de coronâ militis: *Nam & si potest aliquando quid fieri diversum ejus, per quod fit; nihil tamen potest fieri per id, quod vacuum & inane est.* Romani autem, cùm *diversus*, vel *alienus*, genitivo jungunt, ἑλληνικῶς loquuntur. *Alienum* enim *dignitatis*, significat, *ratione dignitatis*: q. d. ab aliquo, ob dignitatem ejus, alienum esse. Sic in isto, *Diversum hujus*; vel substantivè *diversum* sumitur; ut in hoc, *Contrarium ejus*: vel sic supplendum animo, *diversum ab re hujus*; hoc est, *ab hac re*.

CAP. XII.

Adjectiva nulla, uti neque verba, regere dativum: eum tamen casum illis convenire. Vino cupidæ, auctor consiliis, particeps studiis, conscius facinori, alienus, *vel* diversus huic. Hujus caussa par illis. *Cùm dicitur*, non esse solvendo, κατ' ἔλλειψιν *intelligi adjectivum. Priscianus, & alii, refelluntur, qui* solvendo *sexti esse casus arbitrantur.* Aptus vescendo, *vel*, ad vescendum. Bonus canere. Aptus occulere. *Utrobique præpositionem ad intelligi.*

DE falso genitivi regimine satis dictum. Proximum est, videamus de adjectivis, quæ regere dicuntur dativum per modum acquisitionis. Huc igitur referunt adjectiva, quæ significant commodum, vel incommodum; aptitudinem, vel ineptitudinem, facilitatem, aut difficultatem: amicitiam, vel odium; æqualitatem vel inæqualitatem; verbalia quoque in *bilis*, & quæ in *dus* exeuntia ex participiis nomina sunt facta. Et cuncta quidem ista, atque item alia indicta, dativo jungi, satis est apertum; ut exemplis opus non sit. Illud solùm in disquisitionem venit, an dativus ille ab adjectivo regatur. Negat id Franciscus Sanctius Brocensis. Cujus judicio (ut verba ejus* retineam) *dativum nulla verba, nullaque nomina regunt: sed cuivis orationi per modum acquisitionis aptè jungitur.* Ac similia alibi † habet. Et ut aliàs plurimùm, ita hac quoque in re, Sanctium sequitur Pascasius Grosippus, sive Gasparus Scioppius ‡. Et, puto, si consideremus, quid verè sit *regimen casus*, nullum regimen agnoscemus, quando dativus jungitur nomini aut verbo: facileque videbimus, omnium hoc adjectivorum, omnium etiam verborum, commune esse, ut dativus iis congruat seu personæ seu rei, quando significatur aliquid accedere, vel decedere. Etsi autem propriè non possit *regimen* nuncupari: tamen nolim cum eo contendere, qui laxè vocet *regimen*. Nam de voce solùm contentio fuerit. Ut si altero dicente, *utile* regere *mihi*; alter dicat *mihi* jungi adjectivo *utile*. Ambo enim conveniunt non in illo solùm, *utile mihi*, Latinum esse: sed & illo, dativum non aliunde pendêre, quàm ab adjectivo *utile*. At dispar ratio, si sermo sit de istis, *integer vitæ, albus dentes, doctior illis*: ubi casus non dependet ab eo, quod exprimitur, sed quod reticetur. Quia integrè sint, *vita ergo, albus quod ad dentes, doctior præ aliis*: ut suis locis pleniùs comprobatur.

* *In Grammatica Græca à Plantino edita an. 1581.*
† *In Paradoxis ab eodem excusis anno seq.*
‡ *Institut. L. L. cap. de rectione Nominis: item annotat. in easdem.*

Quanquam quid si dicamus, & hic præpositionem intelligi? Παράδοξον hoc, quia nulla Latinis præpositio regat dativum. Sed cogitandum, ut Græcis eadem est terminatio dativi, & ablativi: ita & Latinis prius eandem fuisse. Nec, (si exceperis, quòd in tertia nunc in ablativo sæpe est E pro I,) aliter hi casus differunt, quàm quòd I, more Æolum, auferatur: ut huic *Musai*, hac *Musa*; huic *fructui*, vel *speciei*, hoc *fructu*, hac *specie*. Quid igitur impedit, quo minùs dicamus, præpositionem animo concipiendam, quæ olim dativum & ablativum rexerit: sive ea sit *in*, sive *pro*, vel alia? Sanè Græci in dativis acquisitionis videntur præpositionem intelligere: ut χρήσιμον τούτῳ, *utile illi*, pro ἐν, vel ἐπὶ τούτῳ, *in illo*, vel σὺν τούτῳ, *cum illo*: vel ἀμφὶ τούτῳ, *pro illo*, sive *caussa illius*. Possit & ὑπὸ, παρὰ, vel πρὸς concipi: quæ & ipsæ recipiunt dativum. Sanè & Latini sæpe ejusmodi per præpositionem efferunt. Ut, *Utilis illi*, vel *ad illud*: de quo postea. Item in aliis linguis hæc nunc cum præpositione, nunc sine ea exprimuntur. Ut Belgis, *'t is my goet*, &, *'t is voor my goet.* q. d. *Bonum mihi*, & *pro me*.

Ab universali, quam diximus, naturâ sive proprium, sive ἑλληνικὸν esse sermonem placet, est illud, quòd tam multa, quæ naturâ suâ genitivum postulent, dativo etiam jungi videamus. Plautus Pseudolo act. I, sc. II: *Vino modo cupidæ estis.* Maro Æn. XI:

——Consiliis habitus non futilis auctor.

Ovid. lib. II de Ponto El. VII:

Participem studiis Cæsar habere solet.

Ubi, si præpositionem intelligi placet, ea fuerit *in*, q. d. *in vino cupidæ: in consiliis auctor: in studiis particeps.* Planè ut Græcis intelligeretur ἐν, quæ dativum regit.

Cæteroquin diceretur, *vini cupidæ, consiliorum auctor, studiorum particeps.*

Huc quoque pertinet, quòd *conscius*, non tantùm, cùm ad personam refertur, quomodo dicimus *conscius sibi*; sed etiam, cùm respicit rem, interdum dativum admittit. Cicero pro Cluentio: *Conscium illi facinori fuisse, arbitrabantur.* Et pro Cælio: *Huic facinori tanto tua mens liberalis conscia.* Item Ovidius Metam. lib. VII:

Tuque triplex Hecate, captis quæ conscia nostris.

Par ratio, cùm Græci dicunt συνειδὼς * σεαυτῷ, vel ἑαυτῷ. Ubi satis aperta est caussa dativi, cùm à præpositione dependeat. Nam σὺν, ut extra compositionem, ita in adjectivis cum ea compositis, exigit dativum.

* *Conscius tibi vel sibi.*

Alienus quoque ob eandem caussam dativum adsciscit. Cicero pro A. Cæcina: *Quod illi caussæ maximè est alienum.* Et Quinctil. proœmio lib. I: *Ego autem cum existimem, nihil arti Oratoriæ alienum.* Pro quibus ἑλληνικῶς etiam dicitur, *alienum dignitatis*; &, *artis Oratoriæ*: ut antea dictum. Sed usitatius est, *alienum arte Oratoriâ*, vel, *ab arte Oratoriâ*: ut ostendam, cùm ad falsum Ablativi regimen deventum erit.

Par ratio in *diversus*. Ut *diversum huic.* Quinctilianus lib. XII, cap. X: *Nihil est tam Lysiæ diversum, quàm Isocrates.* Justinus lib. XXXI: *Diversum cæteris mortalibus esse illud, & hominum, & belli genus.*

Idemque locum habet in *par*: quod usitatè quidem confert personam personæ; ut, *Tydidem † superis parem*: aut rem rei; ut, *Par ‡ virtutis oratio*: sed quandoque etiam collationem instituet inter rem, & personam; eam tamen rem, quæ conveniat personæ. De Græcis quidem id dubium non est. Sic enim Aristophanes Pluto:

† *I Horat. od 6.*
‡ *Cic in Manil.*

Οὐ γὰρ μετέλαχες τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοί.

Versu fortè minùs concinno, attamen verbum verbo, sic expresseris:

Nec enim participasti pares plagas mihi.

Mihi, pro *meis*, puta *plagis*. Ac viris eruditis * observatum, similiter legi in Digestis: *In pari caussa cæteris servis habendus est.* Et alibi: *In pari caussa ei est.* Item: *In pari caussa factori habendus est.* Ubi *par caussa cæteris servis*, aut *par factori*, poni statuo μετωνυμικῶς, pro *caussa servorum cæterorum*; item *caussa factoris*.

* *Scip. Gentil. lib. I Παρέργ. cap. 6.*

In ambiguo est, cujus casus sit *solvendo*, cùm Cicero ait Philipp. II: *Nec solvendo eras.* Et lib. III ad famil. epist. VIII: *Cum solvendo civitates non essent.* Et lib. XIII ad Att. epist. X: *Magius solvendo non erat.* Quod etiam loquen-

loquendi genus apud Senecam, Fabium, Macrobium, invenias, & imprimis apud Jurisconsultos. Ablativum esse, credidit Priscianus in XVIII, ubi legas: *Frequentius in hujuscemodi sensu Romani ablativo utuntur.* Terentius Andriâ*:

*Act. 1. sc. 1.

> *——Fortè unam adspicio adolescentulam*
> *Formâ.* SO. *Bonâ fortasse.* SI. *& vultu, Sosia,*
> *Adeò modesto, adeò venusto, ut nihil suprà.*

Cicer. in Philipp. contra Antonium: Tu nec solvendo eras. Hæsit hic etiam Laurentius Valla. Nam lib. I Eleg. cap. XXVII, sic scribit: *Solvendo non sum, nunquam patitur secum substantivum: ideoque dubitari potest, an dativus sit, an ablativus.* Sed sæpe adeò substantivum additur, ut mirum sit, hoc excidisse vel Prisciano, vel Vallæ. Tamen non desunt hodieque, qui eos sequantur. Atque hi tuentur se illo Livii lib. XXXI: *Nec solvendo ære alieno Respubl. esset.* Sed placet sententia Budæi, qui legendum putat, *æri alieno.* Quomodo idem Livius lib. II ait: *Ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent.* Et lib. XXX: *Ea modò, quæ restinguendo igni, forent, portantes.* Similiterque Ovidius XV Metam. de Phœnice:

> *Ut dedit huic ætas vires, onerique ferendo est.*

Et Seneca epist. LXXII: *Vires suas novit, scit esse oneri ferendo.* Plinius item lib. XI, cap. II: *Telum perfodiendo tergori, quo spiculavit ingenio!* Imò par ratio in substantivis. Macrobius lib. III, cap. XIX: *Sunt de agricultura scriptores, qui nuces, & mala, sic dividunt, ut Nuces dicant omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat, quod esui est: Malum verò, quod est esui, & durum intus includat.* Ubi pro *esui* poterat dicere *vescendo.* Ut Plinius lib. XXI, cap. XVI: *Scolymi radix vescendo est decocta.*

In hujusmodi autem congruit dativus cum adjectivo *aptus, idoneus, par, accommodatus, bonus*, vel simili: ut optimè observat Linacer lib. VI. Cujus sententia eo probatur, quòd aliquando additur adjectivum. Cato de R. R. cap. VI: *Ager oleto conserundo, qui in ventum favonium spectabit, & soli ostentus erit, alius bonus nullus erit.* Celsus lib. V, cap. XIX: *Puri movendo aliud non est melius.* Et lib. V, cap. XXVIII: *Si cætera desint, imponi debet primum non pingue emplastrum, ut id reprimat: deinde, si repressit, quodlibet puri movendo accommodatum.* Columella lib. I, cap. IX: *Mediastinus qualiscunque status potest esse, dummodo perpetiendo oneri sit idoneus.* Vitruvius lib. II, cap. VIII: *Ergo, quæ non in tectis poterit ferre laborem, ea non potest in structura oneri ferendo esse firma.* Appulejus VII Met. *Oneri ferendo non inhabiles, & cæteri ministeriis patientes.* Hæc satis ostendunt, cùm dicitur ἁπλῶς, *esse solvendo, esse oneri ferendo*, atque ita in aliis, esse ea dandi casus: cumque casum convenire cum nomine adjectivo, vel expresso, vel intellecto. Et quomodo alius sit casus, cùm acquisitio, ac commodum significetur? ut inde etiam liquet, quòd exponitur per præpositionem *ad* cum suo casu. Nempe haut aliter, ac in illo Ciceronis Philipp. II: *Illud Cassianum, Cui bono:* ubi Priscianus interpretatur, *Ad cujus bonum.* Par enim ratio, cùm quis dicitur *solvendo*: quia valet, *ad solvendum.* Quomodo extulit Vitruvius lib. X, extremo cap. VI: *Sic Paconius ducendo, & reducendo, pecuniam contrivit, ut ad solvendum non esset.* Sed sive *solvendo* dicas, sive *ad solvendum*, ἔλλειψις est nominis adjectivi, ut diximus.

Ex eo autem, quòd videmus, pro dativo etiam poni accusativum cum præpositione *ad*; caussam quoque cognoscimus, cur loco ejus ponatur infinitivus. Nam infinitivus vim habet nominis, ac cum additur adjectivis commodi, vel similis significationis, intelligitur præpositio AD. Ut *bonus*, pro *idoneus*, dativum amat. Unde Fabius procemio lib. I: *Bona studiis.* Pro quo possis dicere, *bona ad studia.* Ut Livius lib. II belli Hannibalici: *Bonus habitus ad cætera.* Varro in primo de R. R. cap. IX: *Ad quam rem bona, aut non bona, sit.* Quomodo & eodem ait capite: *Terra ad omnes res commodior.* Pro, *cui res bona: omni rei commodior.* At *peritus canendi*, est *bonus* sive *idoneus cantui*, sive *ad canendum.* Proque eo, *bonus canere* dicitur: quod integrè esset *bonus ad canere*, sive *ad canendum.* Maro Ecl. V:

> *——Boni convenimus ambo,*
> *Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.*

Similiter dicitur, *aptum occultationi*, vel *occulendo*, sive *occultando*: item, *ad occultationem*, vel *occulendum*, sive *occultandum*: ac præterea, *aptum occulere*, sive *occultare*, pro *ad occulere.* Ovidius lib. II Fast.

> *Sylvaque montanas occulere apta feras.*

Sed hæc planiora fient, ex iis, quæ in Verbo de Infinitivo dicemus.

CAP. XIII.

De adjectivis, quæ falsò accusativum regere creduntur; cum casus is non à nomine regatur, sed præpositione intellectâ; uti genitivus apud Græcos, qui & κατὰ τὸ μέγεθος quandoque exprimunt. Synecdoche Grammatica. Etiam usitata est oratoribus cum accusativo cætera: Gellio quoque cum pleraque. *Easdem præpositiones intelligi, quando mensura significatur. Dignus* odium: *ubi in structura ratione etiam hæsit Donatus.* Natus annos centum *dici, pro* ante annos. Sollicitus vicem *alicujus, pro* ob vicem.

NUnc considerationem intendamus in adjectivorum illa, quæ accusativum regere arbitrantur. Nostra hæc sententia est, esse in his Græcismum; ac tum apud Græcos, tum Latinos, intelligi præpositionem, quæ cum regat casum. Ut in illo: Σύρος καὶ τὄνομα, καὶ πατρίδα. Ubi κατὰ intelligitur. Latinè similiter dixeris: *Syrus nomen, & patriam.* Sic enim Maro in V: *Cressa genus Pholoë.* Pro, *quod ad genus*, hoc est, ratione generis. Nec eum morem loquendi refugit Tacitus VI Annal. *Clari genus.* Simile fortasse illud Gellii lib. IX, cap. XIII: *Sed quid hostis, & quod genus, & quàm formidandæ vastitatis, Q. Claudius descripsit.* Integrè, *quod genus hostis.* Ubi *hostis*: casus recti; ut si dicas, *quod genus hostes*: pro, *ad quod genus hostes*: id est, *cujus generis.* Eodem modo Herodianus, Εἰκόνα πάντα ὁμοίαν τῷ τετελευτηκότι. *Imaginem omnia similem defuncto.* Quomodo Maro ait IV Æneid.

> *Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque.*

Interdum autem à Græcis exprimitur præpositio κατὰ, vel περὶ. Nam Theognidis quidem est: Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός. *Mortalis sapiens omnia nemo datur.* Et Luciani, τὰ θαλάττια σοφός: *callidus res marinas.* Sed Plato pro eo: Περὶ τῶν τοιούτων σοφός: *Circa talia callidus.* Ac similiter Herodiani est: Σοφὸς περὶ ἐπιβουλήν: *Callidus ad insidias struendas.* Et Xenophon quidem: Ἀγαθοὶ τὰ πολεμικά: a. v. *boni res bellicas.* At Plutarchus: Ἀγαθοὶ πρὸς τὸν πόλεμον: *boni*, sive *apti ad bellum.* Itidem Isocratis quidem est ad Demonicum: Πειρῶ τὸ μὲν σῶμα εἶναι φιλόπονος, τὴν δὲ ψυχὴν φιλόσοφος: q. d. *Studeo corpus quidem esse amans laboris; animum autem, amans sapientiæ.* At in veteri epigrammate est:

> Ὃς κατὰ σῶμα καλός, κατὰ νοῦν δ' αὖ ἐστὶν ἄμορφος,
> Αἰσχρὸς δή πλεῖον μοι δοκεῖ, ἢ καλός.

Qui, inquit, *quod ad corpus pulcher, quod ad mentem deformis, Deformis magis mihi videtur, quam pulcher.* Quare nihil apertius, quàm ἔλλειψιν esse, cùm accusativus ponitur sine sua præpositione: ac Græcis quidem intelligi κατὰ, aut περὶ: Latinis verò præpositionem *circa*, vel *ad*, præcedente pro vocabulo *quod.* Ut illo IV Georg. *Crura thymo plenæ.* Pro, *quod ad crura.* Et apud Statium II Sylv.

> *Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus.*

Integrè sit, *quod ad fidem, incorrupte.* Vulgò συνεκδοχὴν vocant: quod Latinè sit *comprehensio.* Nempe, quia pars toto comprehenditur; adjunctaque etiam toti insunt, & eo quasi contineantur. At in synecdoche Grammaticâ accusativus, cujus locum aliàs ablativus solet obtinere,

significat totum, vel adjunctum. Synecdoche hæc figuræ nomen non meretur, nisi quatenus ellipsis in ea est præpositionis. Esto igitur figura, sed quæ sub ellipsi contineatur. Eam non temere invenias apud Oratores; vix etiam historicos, utcunque eorum dictio ad poëticam propiùs accedat. Cùm accusativo tamen *cætera*, non apud poëtas duntaxat; verùm & crebrò apud historicos, & apud oratores interdum, reperias. Cicero pro Quinctio: *Sane cætera paterfamilias, & prudens, & attentus, unà in re minùs consideratus.* Et Vellejus Paterc. *Qui vir cætera sanctissimus, immunisque voluptatibus.* Ac eodem modo loquuntur Sallustius, Livius, Tacitus. Gellius etiam junxit accusativum *pleraque*. Ut lib. VII, cap. II: *Hominis pleraque haut indiligentis.* Et lib. IX, cap. X: *Annaus Cornutus, homo sane pleraque alia non indoctus, neque imprudens.* Similiter lib. XII, cap. V, & lib. XIII, cap. XX.

Eadem præpositio AD intelligitur, cùm accusativus certam significat mensuram. Dicitur enim non modò, *longus trium pedum*, vel *tribus pedibus*: sed etiam, *tres pedes*. Pro, *ad pedes*. Sic loquitur, inter alios, Columella lib. V, cap. VI: *Esto ager longus pedes mille, & ducentos.* Item Livius lib. XXXVII: *Habentes gladios longos quaterna cubita.* Plinius lib. XXVI: *Caulis palmam unam altus.*

Græci loco accusativi habent genitivum. Ut apud Herodianum lib. I: Ἀνδριὰς δώδεκα πήχεων, χρυσοῦς. *Statua virilis duodecim cubitorum, aurea.* Sed intelligunt κατὰ τὸ μέγεθος: quod expressit Diodorus Siculus lib. II, de palmarum agrestium fructibus: Κατὰ τὸ μέγεθος ἐξ δακτύλων ὄντες. *Quod ad magnitudinem, sex palmarum.* Atque horum exemplo Romani dicunt, *longus sex cubitorum*: puta *magnitudine*, vel *longitudine*, ut suprà vidimus.

Intelligenda quoque præpositio *ad*, cùm dicitur, *dignus odium*. Insolens quidem sermo: attamen non refugit Terentius Andr. act. V, sc. IV: *Dignus es cum tuâ religione odium.* Sic enim Bembi codex. Atque eam lectionem jam olim agnovit Donatus: ut inde est cognoscere, quòd ait, aut *odio* reponi debere, aut, si *odium* retinendum, accusativum poni pro ablativo. Aut post *religione* esse distinguendum: ut, quemadmodum *scelus* dicitur pro *scelesto*, sic *odium* usurpetur pro eo, qui dignus odio. Hæc enim mens est verborum Donati. Unde satis liquet, non satis intellexisse, quâ ratione, *dignus odium*, dicatur. Quod ἐλλειπτικὸν est, pro, *dignus ad odium*. Satis hoc quoque insolens. Verumtamen sic Plautus Mil. Glor. actu IV, scenâ I:

Ad tuam formam illa una digna est. ——

Ante autem intelligendum, cùm dicitur, *Natus annos triginta*. Grosippus, sive Scoppius *, ut eos refellat, qui adjectivum credunt regere accusativum, dimensionem temporis signantem, hujusmodi ponit exemplum: *Vixit annos centum.* Atque hic dependere ait accusativum, non ab adjectivo, sed a præpositione *per* subintellectâ. Verùm, exemplum istoc ad nomina non pertinet: eoque credo scribere voluisse, *Natus annos centum.* Atque accusativum regi non à *natus*, sed à præpositione *ante*. Neque enim hoc nescivit vir doctissimus: sed festinatione aliud scripsit, quàm voluit. In cujusmodi culpis omnes veniam poscimus, & meremur.

* P. 29. edit. Mediol.

Sunt etiam adjectiva curam, vel affectionem animi, significantia, quibus accusativus *vicem* addatur; regiturque is accusativus a præpositione *ob* intellectâ. Ut apud Livium: *Clamor undique ab solicitis vicem Imperatoris militibus sublatus est.* Item, *Suam vicem magis anxios, quam ejus, cujus auxilium ab se petebatur.* Et apud Curtium lib. VII: *Is tum flere cæpit, & os suum converberare, mæstus non suam vicem.*

Atque ex his cognoscimus, nullum adjectivorum regere accusativum: semperque a præpositione intellectâ casum eum dependere.

CAP. XIV.

Ablativos non regi aliunde, quàm à præpositione. Domo Phœnix. *Ac similiter cum substantivo*, Arrius Reate, ficus Zacyntho. *Eundem intelligi casum, cum ablativus additur adjectivis copiæ, vel inopiæ, vel etiam mensuræ. Cur* dignus *ablativo societur.* Contentus *sine ablativo, aut verbo.* Alienus, & alius aliquo, *vel* ab aliquo.

NUnc expendamus adjectivorum illa, quæ significant caussam, vel modum. Modi autem nomine nunc circumstantias quoque complector. De his similiter statuendum, ac de adjectivis, quæ accusativum regere existimantur. Nam utrobique regitur casus à præpositione: si accusativus sit, à præpositione accusativum regente: si ablativus, à præpositione itidem, quæ ablativum requirat. Hoc exemplis planius fiet. *Firmus equitatu*, est ἐλλειπτικόν: integrum autem, *firmus ab equitatu*. Quomodo Plancus * ad Ciceronem scribit: *Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur.* Livii quoque est in octavo belli Hannibalici: *Pœnos tenere castra à stationibus, vigiliis, omni justâ militari custodiâ, tuta & firma.* Itidem ἐλλειπτικόν est, *invictus labore, instructus philosophiâ*. At integre ait Cicero lib. de Off. I: *Non est consentaneum, qui invictum se à labore præstiterit, vinci à voluptate.* Et in Bruto: *Ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui à philosophia, à jure civili, ab historia fuisset instructior.* Eadem ἔλλειψις in hisce: *Animo otiosus, ingenio improbus, corpore validus, facie similis, nudus pectore, pallidus metu, æger*, vel *tardus vulnere, siccus sole, insignis arte, armis validus*, & id genus cæteris. Ut Ovidii illo XI Met.

* Lib. 10, ep 15.

Felix & nato, felix & conjuge.

Pro, à nato, & conjuge. Quomodo Cicero de Claris Oratoribus ait: *Ab omni laude felicior.* Sic illo, *Jove natus*: pro, *ab Jove*. Ut Euripidi, Διὸς πεφυκώς. Pro ὑπὸ, vel ἀπὸ, vel ἐκ Διός: quomodo Nazianzenus ait, ἐκ τοῦ υἱοῦ πεφυκώς *. Eadem ellipsis in istis: *Genere Afer, domo Siculus.* Solinus cap. XXX, ex oratione Catonis: *Karthaginem cum rex Jarbas rerum in Libya potiretur, Elisa mulier extruxit, domo Phœnix: & Karthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit, civitatem novam.* Citra ἔλλειψιν sit, *ab genere Afer, ab domo Phœnix*. Ejusdem præpositionis defectus est, cùm urbis nomen in ablativo ponitur. Nec enim solùm dicitur aliquis, *domo Antiochenus*; sed & *domo Antiochiâ*. Ac similiter, *domo Karthaginensis*; vel, *domo Karthagine*. Cujus rei exempla suggerent inscriptiones vett. Imò interdum *domo* præteritur: ut apud Cæsarem lib. III Bell. Civil. juxta edit. Ful. Urs. *C. Felginatem Placentiâ*. Inscriptio Vetus: *Arrius Reate*. Vide omnino Andr. Schottum Obs. Hum. lib. III, cap. XI. Hinc verò cognoscimus, substantivis etiam ablativos addi, qui à præpositione intellectâ regantur. Cujus etiam generis sunt, *Vinum Chio, ficus Zacyntho*. De qualibus alibi plenius.

* E filio ortus.

Quod diximus de ablativis caussæ, vel modi; idem locum habet in ablativis, qui adduntur adjectivis copiæ, vel inopiæ. Nam & his caussa, vel modus, significatur. Ut, *Dives agris*; pro, *ab agris*, vel *ex agris*. *Plenus vino*, pro, *de vino*; ut Itali dicunt, *Pieno di vino*; Belgæ, *vol van wijn*. Hæc rectè referri ad ablativum caussæ, inde cognoscimus; quia, *dives agris*, & *plenus vini*, idem valeant, ac *dives ob agros, plenus propter vinum*, sive *vini caussa*. Par ratio in *liber*. Nam Ciceronis quidem est in I de Fin. *Liber omni curâ animus*: & in quincto: *Liber terrore animus.* Sed idem orat. I contra Rullum ait: *Liber à delictis.* Et IV Acad. Qu. *Liber ab irrisione.* Item Livii quidem est lib. VII: *Liber omni metu.* Verùm idem lib. XXXIX ait: *Liber à metu insidiarum campus.* Ac Plautus similiter Trinum. act. IV, sc. III: *Libera à legibus.* Itidem in aliis: quomodo Ciceronis est, *inops à verbis, ab amicis*: item, *vacuus à molestia, à periculo, à sumtu: nudus à propinquis, nuda à magistratibus Resp.* Ex his ita colli-

colligimus, trifariam quidem dici, *inops verborum*, *verbis*, vel *à verbis*: *vacuus curarum*, *curis*, vel *à curis*. Sed in primo intelligi substantivum *ratione*: in altero supplendam esse præpositionem *à*: tertium duntaxat genus sermonis esse nativum ac integrum.

Itidem trifariam construuntur adjectiva, quæ dimensionem significant. Dicimus enim, *Longus sex pedum*, *sex pedes*, *& sex pedibus*. Sed in primo intelligitur ablativus *longitudine*, indeque regitur genitivus *pedum*. In secundo κατ' ἔλλειψιν reticetur præpositio AD, unde accusativus regitur. Quemadmodum de utroque superiùs exposui. Tertium hujus loci est. Quomodo Livius lib. XXXVIII ait: *Fossam sex cubitis altam, duodecim latam*. In qualibus præpositio A intelligi videtur.

Dignus cur ablativo jungatur, non aliunde petendum, quàm quòd ablativus ille caussam dignitatis, aut modum significet: eoque par hic ratio sit, ac in ablativis aliis caussæ, vel modi: de quibus antea diximus. Sit exemplo hoc Ciceronis lib. I de Off. *Quod opera in rebus cognitione dignis ponitur, id jure laudatur*. Rebus accidit dignitas quædam: earum dignitas est ex cognitionis bono. Similiter, cùm dicitur, *dignus amore*, *odio*; *vitâ*, *morte*. Ubi itidem est verisimile, *ab*, vel *ex*, intelligi.

Contentus ut genitivo interdum jungi vidimus, κατ' ἔλλειψιν ablativi *re*: ita sæpe ablativum habet expressum. Ut *parvo*, aut *modico contentus*. Sed regitur is quoque ablativus à præpositione DE. Integrè in Lælio ait Cicero: *De his communis vita contenta est*. Etsi nec natura respuit *IN*: quomodo dicimus, *in aliquo acquiescere*. Ut eodem Lælio: *Vicissim senes in adolescentum charitate acquiescimus*. Vel etiam CUM, ut Belgis, Eo contentus, *hier met te vreden*, q.d. cum eo contentus. Præterea in eo errant, quòd negant, absolutè inveniri, hoc est, absque ablativo, aut infinitivo. Quippe dixit Ovidius lib. VII Met. fab. XXVII:

> *Cui non ista fide satis experientia sano,*
> *Magna foret? non sum contentus, & in mea pugno*
> *Vulnera.*

Eodemque modo locutus Plautus Mercat. Cicero in Bruto *, atque alii.

* *Ubi tamen Lambinus eo addi mavult.*

Nec *alienus* unquam ablativum regit. Objectant hoc Ciceronis in primo de Divinat. *Neque hoc Di alienum ducunt suâ majestate*. Et de provinciis consular. *Alienum sibi videri dignitate imperii*. Sed præpositionem A intelligi, indicat hoc ejusdem in VI ad Att. *Navigationis labor alienus non ab ætate solum nostrâ, verùm etiam dignitate*. Ac Terentius similiter Adelph. †

† *Act. 5, sc. 8.*

> —— *Alienum a vita mea*
> *Videtur.* ——

Dicitur igitur, *alienum ætatis tuæ*, *ætati tuæ*, *ætate tuâ*, &, *ab ætate tuâ*. De prioribus duobus superiùs vidimus: de posterioribus, liquet ex iis, quæ nunc diximus. Atque hinc est, quòd interdum dissideant codices. Ut apud Ciceronem lib. IX, epist. XIV, quidam libri habent, *Non alienum dignitati tuæ*; alii, *dignitate tuâ*; alii, *à dignitate*. Interdum etiam de casu vix statui potest. Ut illo Cic. lib. XIII, ep. LIII: *Quod si alienum tuis, aut etiam suis moribus*. Nam *moribus* & dandi, & auferendi esse casus, possit.

Hinc etiam liquet, quid statuere conveniat de illo Horatii lib. I, ep. XVI:

> *Neve putes alium sapiente bonoque beatum.*

Et isto lib. II, ep. I:

> —— *Ne quis se, præter Apellem,*
> *Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra.*

Nempe auferendi casus dependet à præverbio *ab*. Multò enim usitatius, *alius ab illo*. Quomodo Brutus & Cassius ad Antonium apud Cic. lib. XI, ep. II. *Nos ab initio spectâsse otium, nec quicquam aliud à libertate communi quæsisse, exitus declarat*. Ubi tamen præpositio in aliquibus codd. præteritur; etiam editione Guiljelmii, & Gruteri. Ac similiter Varro lib. III de R.R. cap. XVI: *Erithacen vocant, quo favos extremos inter se conglutinant, quod est aliud melle, propoli*. Ellipsis fortasse & in illo Tibulli lib. III, el. V:

> *Felix hoc alium desine velle virum.*

Ita enim veteres Cujacii membranæ, quibus usus Scaliger. Sed distinguit ille hoc pacto:

> *Felix hoc, alium desine velle virum.*

Possis tamen hoc modo:

> *Felix, hoc alium desine velle virum.*

In vulgatis pro *hoc* est, *ac*: etiam in antiquâ editione, quæ Regii Lepidi anno prodiit CIↃCCCCLXXXI. Sed *hoc* legunt quoque Muretus, ac Lambinus, cumque *alium*, non cum *felix*, conjungunt. Quorum Lambinus existimat, similiter legi apud Horatium debere lib. II, sat. III:

> *Qui species alias veris, scelerisque tumultu*
> *Permistas capiet.*

Ubi in vulgatis, *alias veri*: quod non temere alibi reperias: sed pro eo, *alias veris*, vel *à veris*.

CAP. XV.

De casu, quem comparativi regunt vi eâ, quam à positivo trahunt, nihil in comparativorum doctrina speciatim præcipi debet. Prior *etiam de multis dici, contra Agrœcium ostenditur: caussaque ejus rei adfertur. Vana in eo error. Saturnius quoque refellitur, qui genitivos ait comparativo jungi, per Hellenismum. Comparativi mensuræ genitivum adsciscunt, non ut comparativi, sed ex communi natura adjectivi.* Plus, minus, amplius, *cuivis junguntur casui: sed casus is, si sit nominativus, non regitur ab ullo; sin obliquus fuerit, regitur, non à* plus, minus, *vel* amplius, *sed nomine substantivo, Verbo, aut præpositione.*

POst ea, de quibus hactenus egimus, seorsim tradere Grammatici solent de comparativis, & superlativis. Sed prope quicquid de iis adferunt, id vel falsum est, vel superfluum, vel alieno loco insertum. Quod ut liqueat, canones eorum expendemus ad rectæ rationis trutinam, eorumque consuetudinem, qui optimè sunt locuti.

De comparativis, & superlativis, sic universè statuendum, parem eorum rationem esse, ac positivi. Quare, quæ universè de adjectivorum vel verâ, vel falsâ rectione diximus, ea non in positivis solùm, sed comparativis etiam, & superlativis, habent locum.

Hæc ut planiora sint, priùs de comparativo agam: ordineque ibo per casus singulos, quos regere dicitur.

Genitivi exemplum fuerit, *prior*, vel *nequior horum*: ac similiter in comparativis aliis partitivè acceptis. Sed ut in positivis, ita hic quoque est ellipsis: integreque erit, *prior* vel *nequior è numero horum*.

Sed perpetuumne, quod Agrœcius ait, *prior* dici de duobus; *primus* de multis; eodemque modo differre *posterior*, & *postremus*; *alter*, & *alius*? Sanè, contrà quàm Agrœcius putavit, *prior* de pluribus dicit Varro apud Gellium lib. XIV, cap. VII: *Quotiescunque usu venisset, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent; qui eorum prior alius esset, ei potissimùm Senatus consulendi jus fuisse*. Plinius lib. IX, cap. LIV: *Eadem ætate prior Licinius Muræna, reliquorum piscium vivaria invenit: cujus deinde exemplum nobilitas secuta est, Philippus, Hortensius; Lucullus, exciso etiam monte*. Eodemque modo usurpatur Tit. de re militari. Plura loca suggeret Saturnius lib. IX, cap. XXXII. Nec caussa hujusce locutionis obscura est. Nam, ut Julius Scaliger * observavit, quoties *prior* de pluribus dicitur, universi in duas dispescuntur partes, ac primus partem priorem, alteram alii conficiunt: ita ut tum quoque, cùm multi intelliguntur, de duobus propriè dicatur.

* *De caussis L. L. lib. 4. cap. 151.*

Hoc dum non cogitat Laurentius Vallensis, contendit, comparativos tantùm partitivè poni, cùm de duobus est sermo: ut in illo †, *O major juvenum*. At si de pluribus ageretur, dicendum fuisse, *Maximus juvenum*, non, *Major juvenum*, sive *è juvenibus*, aut *inter juvenes*.

† *Horatius in art. Poet.*

Quod

Quod Laurentianum præceptum transgredi non metuit Plinius lib. XXIV, cap. XIV: *Inter genera ruborum*, inquit, *Rhamnos appellatur à Græcis candidior, & fruticosior.* Et lib. XXVIII, cap. XI: *Inter omnia communia animalium fel* præstantius in effectu.* Legas quoque apud eundem lib. IX, cap. XVI: *Piscium feminæ majores, quam mares.* Et alibi: *Graviores alitum inferiore genâ conniv ent.* Et, *Apum adulescentiores ad opera exeunt.* Aliaque id genus supra‡ adduximus, cùm de comparativis partitivè acceptis diceremus.

* Ita plerique MSS. & vetus editio Parmensis anni 1476. Ubi in aliis reperitur, vel* præstantissimi effectus fel est.

‡ Cap. 10.

Eandem ob caussam etiam comparativus de pluribus usurpatur, quando conjungitur accusativo cum præpositione *inter*. Macrobius lib. I. de somnio Scipionis cap. II: *Colotes inter Epicuri auditores famosior, & loquacitate notabilior.* Item eodem cap. *Numenio, inter philosophos occultorum curiosiori, offensam numinum somnia prodiderunt.*

Item cùm sequitur, *ante omnes*. Ut illo Maronis I Æn.

—— Regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.

Nempe in his quoque *omnes* in duas partes dispescuntur: ac partem unam unus is constituit, cujus nomen exprimitur: sed altera est pars omnium eorum, quibuscum fit unius collatio.

Quod si audimus Saturnium lib. IX, cap. V, Latini interdum in comparativorum constructione imitantur Græcos, qui iis genitivum addunt. Quasi dicas, *Doctior Varronis*, pro, *Varrone. Dulcior mellis*; pro, *melle.* Verùm loca, quæ adfert, id neutiquam evincunt. Adducit hoc Ciceronis, nescio unde, *Cæterarum rerum præstantior erat.* Sed forsitan interpretari possumus, *è cæteris rebus.* Adducit è Plinii lib. VII, cap. XXX: *Omnium triumphorum lauream adepte majorem.* Sed subintelligitur *laureis.* Adfert è Curtii lib. V: *In oculis duo majora omnium navigia submersa sunt.* Verùm *majora navigiorum* ait, ut Plinius, *apum adolescentiores:* quo de loquendi genere superiùs dictum. At Hieronymum non audimus; cujus, more Græco, illud in Danielem: *Ad ipsum confluebant Judæi, eò quòd esset honorabilior omnium.*

Præter comparativos partitivè acceptos, eoque genitivum, ut ajunt, regentes; etiam adjectiva mensuræ regere docent genitivum: idque tum absolutè, tum additâ particulâ *quàm*. Atque hæc exemplis istiusmodi confirmant. Plinius lib. XIII: *Non altiore quatuor digitorum sulco.* Et lib. XXXVI: *Nec longiores duodecim pedum.* Columella lib. II: *Sulcum ducere longiorem, quam pedum centum viginti, contrarium est pecori.* Et lib. VIII: *Dum ne vetustiora sint, quàm dierum decem.* Et aliquot aliis apud eundem scriptorem locis. Sed hic etiam canon superfluus est, quia satis ex eo cognoscitur, quod antea dicebamus, quemcunque casum admittit positivus, eundem admittere comparativum, & superlativum, sive propriè, sive ἰδιωτισμῶς. Atqui, ut superiùs quoque monitum, similiter in positivo dicimus, *altum sex pedum*, *latum octo pedum*, &c.

Etiam *plus*, & *minus*, quod ipsum de *amplius* dictum velim, genitivo junguntur. Ut illo Plinii lib. XXIII, cap. I: *Virium plus Surrentino, austeritatis Albano, vehementiæ minus Falerno.* Sed non inde consequitur; adjectivum ullum, extra verbalia, regere genitivum. Nam si *plus* substantivum est, ut quidam existimant, pertinebit hæc structura ad canona de substantivo alterum substantivum regente in genitivo. Sin verè est adjectivum; jam non genitivus regetur à *plus*, sed ab substantivo in *plus* intellecto: puta *negotium*, vel simili; ut apud Græcos in πλέον intelligitur χρῆμα. Verè autem adjectivum esse, arguit hoc Sallustii in Jugurth. *Neque pluris pretii coquum.* Quare in illo, *pluris emi*, *pretii* intelligitur: *pretio* item in illo *pluris venditum.* Pluraque de eo lib. II de Analogia cap. XXIV.

Non desunt, qui contendant, *plus* quadruplicem regere casum. Dici enim, *Interfecti plus trecenti. Cædes plus trecentorum. Interfecit plus trecentos. Plus trecentis interfectum.* Sed non cogitant, hic ellipsin esse particulæ *quàm: plus trecenti*, pro, *quàm trecenti: plus trecentorum*, pro, *quàm trecentorum*, & ita in aliis. Non igitur casus regitur a *plus*; sed si nominativus sit, ad convenientiam, non ad regimen pertinet. Sin casus obliquus, regitur a nomine, aut verbo, aut præpositione intellectâ. Hæc pleniùs exponam.

Plus nunc de qualitate dicitur; ut *plus virium*, de quo antè egi: nunc certo numero sociatur. Quod cùm fit, casus additus aut ad convenientiam pertinet, aut ad regimen. Ad convenientiam, si fuerit nominativus. Ut illo Varronis lib. III de R. R. *Ne plus tertia pars eximatur mellis.* Livius lib. XXXIX: *Romani haut plus sexcenti ceciderunt.* Et alibi: *Paullo plus trecenta vehicula amissa.* Item Ovid. XI: Met. fab. X.

Aut minus, aut certè medium non amplius æquor
Puppe secabatur.

Plinius quoque lib. XI: *Animalibus, quibus plus quaterni pedes, nullus sanguis.* Valde errant, cùm hic *plus*, vel *amplius*, regere ajunt nominativum. Nunquam enim aliunde regitur nominativus; sed convenit cum altero nominativo, aut verbo. Uti illo Livii: *Romani haut plus sexcenti ceciderunt: sexcenti* concordat cum *Romani:* quicum & convenit *ceciderunt.* Atque hoc apertius erit, si integrè exprimas, *Romani ceciderunt plusquam sexcenti.* Imò *plus*, vel *plusquam*, prætereatur: eadem erit structura. Ut, *Romani sexcenti ceciderunt.* Quare, cur nominativo utamur, ex *plus* ratio petenda non est.

Nec verùs regere ajunt genitivum. Nam, quomodo dicimus, *intervallum trium pedum:* ita & apud autorem Herennianum legas lib. III: *Intervalla locorum mediocria esse placet, ferè paullò plus, aut minus, pedum tricenûm.* Et quemadmodum dicitur; *Exercitus viginti millium:* ita ait Livius lib. X; *Paullò plus viginti millium alius exercitus fuit.* Quare genitivus regitur non à *plus*, sed ab *intervallum*, & *exercitus*.

Nec unquam accusativus à *plus* regitur. Objicitur Plautus Sticho*:

Nam illa me in alvo menses gestavit decem:
At ego illam in alvo gesto plus annos decem.

Et Terentius Adelph.†

Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.

* Sc. Pamem fuisse suspicor.

† Act. 2. sc. 1.

Plinius quoque lib. X: *Singulos vere parit, nunquam plus ternos.*

Verùm accusativus quoque iis in locis requiritur, licet *plus*, & *amplius*, omittam: quod arguit, casum hunc in primo quidem exemplo à præpositione PER, quæ intelligitur, regi: in secundo autem tertioque inniti verbis *infringo*, & *pario*.

Quandoque & ablativi par ratio est. Nam ut dicitur, *Triennio vixit:* pro *in triennio.* ita quoque, *plus triennio vixit.* Sic illo Plauti Bacchidibus‡:

Hunc si ullus Deus amaret plus annis decem,
Plus jam viginti mortuum esse oportuit.

‡ Act. 4. sc. Constringi tute illi.

Nam eadem structura *plus* omisso. Sed sæpe, si non vi comparativi; at præpositionis intellectæ, ablativus innititur. Ut, *Plus æquo postulat.* Nec enim dicimus, *æquo postulat.* Itidem in illo Livii lib. XXI: *Ab utrâque parte sexcentis plus equitibus cecidit.* In his eadem ratio, ac in aliis comparativis. Ubi ablativus, per *quam* exponi solitus, regitur à præpositione *præ*; quemadmodum inferiùs dicemus.

CAP. XVI.

Comparativos non regere dativum, accusativum, vel ablativum. Comparatio etiam instituitur voce homonymâ inter res diversas. Refelluntur, qui negant, unum ex omnibus dici posse omnibus, *vel* cunctis, doctiorem, *aut* fortiorem. *Ocius fine ablativo, pro* dicto ocius. *Comparativus omnis duo respicit, quæ comparantur.* Tristior, *pro* tristior solito. *Cur* subtristem *malimus* tristiorem, *quàm* tristem, *dicere. Vallæ error, existimantis,*

mantis, quisque *non jungi comparativis. De Valla judicium Ramirezii, ac nostrum.* Μᾶλλον *Græci* magis *Latini addunt comparativis*, κατὰ πλεονασμόν. Demagis. *Festi error. Cur non ut* pervulgatior, perlucidior; *sic dicatur* perdoctior, pertristior. Quàm *non componi comparativo.*

DE Genitivi regimine, comparativis perperàm tributo, abunde videor egisse: imò quia comparativus *plus*, præter genitivum, etiam nominandi, accusandi, & auferendi casum regere arbitrantur; eàdem, quicquid hoc est, excussimus. Nunc particularim videamus de falsò regimine dativi, accusativi, ablativi.

Quamquam de dativo nihil magnopere dictu opus. Nam quæ antea de adjectivis, dativum regere creditis, universè exposuimus; ea hic æquè locum habent. Quale enim, *aptum esui*; tale, *aptius esui*. Uti & cùm positivus deficit. Quemadmodum illo Ciceronis lib. II de Off. *Res virtuti propiores.* Apud Sallustium, *nulli inferior*: ut dicimus, *nulli secundus*: *Nulli*, inquit, *res bellica laude inferior est.* Uti & Plinius, *Nulli omnium celeritate inferior est.* Atqui *propis*, vel *propus*, nusquam legitur. *Infera* genere quidem neutro legas apud Tullium ipsum. Sed *infer*, vel *inferus*, apud neminem ejus ætatis: etsi *infer* sit Catonis: *inferus*, Livii Andronici. Nempe gradus non variat adjectivorum naturam; quæ hujusmodi est ut iis, quemadmodum & verbis, dativus addatur, quandocunque acquisitionem significamus.

De accusativo paullò plura veniunt in considerationem. Alvarus, multique alii, in comparativorum doctrinâ præcipiunt, eos interdum regere accusativum mensuræ: quomodo passim legere est, *longior cubitum*, *latior duos pedes*. Verùm superflua est hæc admonitio. Quandoquidem comparativi eum casum non suâ regunt naturâ; verùm ratione communi adjectivorum, quæ mensuram signant. Similiter enim in positivo dicitur, *longus cubitum*, *latus duos pedes*, & ita in aliis. Præterea nec dici potest, accusativum regi ab adjectivo, cùm is regatur à præpositione AD intellectâ, ut superiùs vidimus.

Propior non dativo solùm, sed accusativo etiam, sociatur: ut Priscianus observat lib. XVIII. Ita Hirtius lib. VIII de bello Gallico: *Alter, quo propior hostem in vallo collocatus esset.* Sallust. in Catilin. *Quod tamen vitium* (ambitionis) *propius virtutem erat.* Et in Jugurth. *Ipse propior montem cum omni equitatu.* Livius lib. II: *Propius fidem est.* Videtur in istis AD intelligi; unde casus regatur. Nisi magis placet, quia sic loquerentur, *prope fidem*, *montem*, *virtutem*; etiam *propior*, & *proximus*, *fidem*, *montem*, *virtutem*, dicere voluisse.

Venio ad ablativum; quem à comparativo regi ajunt, ac posse exponi per *quam*, *ac*, vel *atque*. Ut, *Fœcundior fortibus*: pro, *fœcundiores*, *quàm fortes*, vel *ac*, aut, *atque fortes*. Ut Plinius lib. X: *Tribuit hoc avium generi natura, ut fœcundiores essent fugaces earum, quàm fortes.* Sic, *Amicior aliis*, pro, *quam alii*, vel, *ac alii*, vel, *atque alii*: Quomodo Plautus ait Mercat. *Amicior mihi nullus vivit, atque is.* Verùm regitur ablativus non à comparativo, sed præpositione PRÆ intellectâ: ut integrè sit, *Fœcundiores præ fortibus*: *amicior præ omnibus.* Nempe, ut in positivo dicitur, *Fœcundus*, vel *amicus*, *præ illo*. Ubi *præ* valet *ante*. Quomodo Maro I Æn. ait,

—— *Scelere ante alios immanior omnes.*

Ubi poterat dixisse, *immanior aliis omnibus*: ut *præ* intelligeretur. Sic, *thymo dulcior*, pro, *præ thymo*: *versutior rotâ*, pro, *præ rotâ*. Maro Ecl. VII:

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hybla.

Plautus Epid. act. III, sc. II:

Versutior es, quam rota figularis.

Ex utroque horum etiam cognoscimus, rectè comparationem institui rerum diversarum voce homonymâ. Aliâ enim significatione *dulcedo* convenit thymo, aliâ Galateæ. *Versutus* quoque diversimodè dicitur de rota, & callido. Præivit in hoc genere Homerus *:

* Il. α.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Melle suavior huic ab lingua sermo fluebat.

Imò multò ante Homerum sacri vates nostri. Ut Salomo Proverb. cap. V: *Nitidius oleo guttur meretricis.* Rhetores nuncupant σύλληψιν, quia diversa significata comprehendimus voce ambiguâ. Vide sis, quæ fusè de hac diximus in Oratoriarum Institutionum libris †.

† Lib. 4, cap. 10, sect. 7.

Video esse, qui in dubium vocent, an rectè instituatur comparatio, si dicatur quis, *fortior*, vel *doctior omnibus*. Nam, inquiunt, voce *omnes*, ipse etiam excluderetur, de quo sermo est: eoque imitandus potiùs Cæsar, qui lib. IV belli Gallici, non quidem, *humaniores omnibus* ait, sed *cæteris humaniores*. Verba ejus sunt: *Ad alteram partem succedunt Ubii; quorum civitas ampla, & florens, ut est captus Germanorum, qui paullò sunt ejusdem generis, etiam cæteris, humaniores, propterea quòd Rhenum attingunt.* Sed profectò intolerandi supercilii res est, velle Latinitatem metiri, non classicorum scriptorum consuetudine; sed judicii sui ratiunculis. Nobis verò satis est, quòd & dixerit Maro VIII Æn.

—— *Sed cunctis altior ibat*

Anchises.

Quod item apud Valerium Maximum legere sit lib. IV, cap. II: *Idem sensit Fabricius Luscinius, honoribus, & auctoritate, omni cive, temporibus suis, major.* Martialis quoque est lib. X, ep. XXIV:

Natales mihi Martiæ Calendæ,

Lux formosior omnibus Calendis.

Interdum ablativus comparationis κατ' ἔλλειψιν reticetur. Quod in adverbio *ocius* fieri, satis est evidens. Ut illo Maronis in VIII:

—— *At illi*

Ociùs incubuere omnes. ——

Ubi comparativum videmus: comparativo autem nomen à comparatione: sed comparatio omnis inter duo: quare concipiendum hic aliquid, quicum fiat comparatio. Id est mandatum jubentis: quasi dicat poëta: Nondum absolverat sermonem Vulcanus, cùm jam videre esset Cyclopes amovere omnia, ut arma fabricarent Æneæ. Vidit hoc Servius, qui illud *ocius* sic interpretatur. *Ocius*, inquit, *incubuere*, *quàm ille præceperat.* Non dubium igitur, quin integrè sit, *ociùs præcepto*, vel *mandato*, sive *dicto*. Quem ablativum expressit Poëta I Æn.

Sic ait, & dicto citiùs tumida æquora placat.

Nec in nominibus minùs locum habet. Nam itidem dicitur, *Tristior*, pro *tristior solito*, vel *æquo*. Potest autem quis esse tristior solito, vel æquo, qui paullùm tristis sit. *Tristior* igitur naturâ quidem suâ plus est, quàm *tristis*. Omnis enim comparativus refertur ad positivum, ac supra eum, non extremum quidem, ut superlativus; sed aliquem tamen significat excessum. Verùm ista est vocis significatio ex natura, & primo usu. Sed postea *tristior* etiam dici cœpit, qui subtristis esset: idque quia, etsi paullum tantùm tristitiæ concepisset; tamen esset tristior solito, vel æquo. Itaque quem tristem non dixero, dixero tamen tristiorem: quia licet non tantum conceperit dolorem, ut fortasse is tristitiæ nomen satis mereatur; si tamen conferas præsentem statum cum priori, tristior jure videatur. Par ratio in *lætior*, *sollicitior*, & similibus comparativis, quando iis utimur, ne excessus ab altero concipiatur. Atque ex his lucis aliquid accipient, quæ de comparativis minus significantibus positivo dicebamus lib. II de Analogia cap. XXIII.

Alvarus, & alii, monent, comparativos regere non comparationis modò ablativum, de quo hactenus dictum; sed etiam mensuræ. Ut, *longior cubito*, *latior pedibus duobus*. Verùm non hoc fit naturâ comparativi; sed vi communi cum positivo. Imò nec positivus propriè casum eum regit. Quemadmodum enim cùm accusativus jungitur, is regitur à præpositione AD: ita cùm additur ablativus, is dependet à præpositione AB.

Hactenus vidimus de genitivis, dativis, accusativis, ablativis; quos à comparativo regi, communis opinio est. Nunc

Nunc alia expediam, quæ huc solent referri; etsi revera non ad regimen, sed ad concordiam, pertineant. Uti est comparativi concordia, vel cum nomine sive pronomine; vel cum particula. De prioris generis concordia quæritur, an comparativus etiam conveniat cum *quisque*. Sanè Valla reprehendit illud Lactantii libro de Opificio: *Imbecilliora, & timidiora quæque animalia.* Arbitratur autem, dicendum fuisse, *imbecillima ac timidissima quæque animalia.* At Cicero quoque in Verrem ait: *Quisque gravior homo, atque honestior.* Et Seneca lib. II de Ira: *Non vides, ut majorem quamque fortunam major ira comitetur?* Plinius item lib. XXIV: *Ex iis majores effectus melioris cujusque erunt.* Fabius lib. IX, cap. IV: *Pedes quique temporibus validiores.* Imò, contrà quàm Valla putavit, *quisque* etiam positivo junctum invenitur. Tacitus lib. XII Annal. *Invalidus quisque.* Et lib. I Histor. *Quisque ingenio validus.* Suetonius in Othone: *Ferebatur & invalidum quemque obviorum corripere.* Plinius lib. I epist. *Bonus quisque liber.* Appulejus in Apolog. *Peccatum bonus quisque sollicitius cavet.* Lactantius lib. I: *Errorem prudentes quique perspiciunt.* Hæc, & alia, subinde fas nobis esto disserere adversus Laurentium Vallam, virum alioqui de linguâ Latina præclarè meritum: etsi eum, vir eruditus, Ramirezius de Prado Hispanus, suis in Martialem notis, audaciùs paullò *audacem Grammaticum*; uti & ejus libros *inelegantes elegantias* appellet. Omnino enim illis temporibus magnus fuit, & acutus Romani sermonis censor: qui tamen non rarò à veritatis via deflectat; idque imprimis contradicendi morbo, quo vehementer laborabat: ut non temere omnino in eum jam olim dictum sit:

> *Carpis majores, & te quoque, Valla, minores.*
> *Carperis, & carpis. sic tua fata ferunt.*

Contrà quàm de se canebat Sulmonensis poëta*:

> *Utque ego majores, sic me coluere minores.*

* Lib. 4. Trist. el. 10.

Ad comparativi, & particularum convenientiam, pertinet, quòd interdum & *magis*, similesque particulæ, adduntur nominibus comparativis. Sic Æschylus ἐπὶ ϑῆβ' Θ.ϛ.

> —— Τίς ἂν ϑεὸς μᾶλλον ἐνδικώτερος;

Quasi dicas,

> —— *Quis alius justior sit hoc magis?*

Euripides similiter Hecubâ:

> Θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερος,
> Ἢ ζῶν.

Quod esset:

> *Moriens sed ille sit magis felicior,*
> *Quàm vivus.*

Aristophanes in Pluto:

> Τίς γὰρ γένοιτο μᾶλλον ἀϑλιώτερος;

Id erit:

> *Quis namque fuerit hoc magis beatior?*

Imò sic quoque Aristoteles Topicorum lib. III, cap. I: Καὶ ὅλως τὸ πρὸς ὃ βίον πλέον, αἱρετώτερον μᾶλλον, ἢ πρὸς τὸ πρὸς ἄλλο τι. *Planeque illud, quod refertur ad vitam, velut finem, optabilius magis est eo, quod ad aliud quid dirigitur.* Sed Latinos videamus. Sic Plautus Captivis, sc. Quo illum nunc:

> *Nihil unquam invenies magis hoc certo certius.*

Et prologo Menæchmorum, *Magis majores.* Item Sticho act. V, sc. IV:

> —— *Hic magis est dulcius.*

Et Virgil. Culice:

> *Qui magis optato queat esse beatior ævo?*

Valer. Maximus lib. III, cap. VII: *Sed uterque nostrum magis invidiâ, quàm pecuniâ, locupletior est.* Imò Pomponius Mela lib. II, cap. VI, etiam geminato *magis*, de Hispania sic loquitur: *Magis magisque latior ad Occidentem abit.* Nec in eo sequentium ætatum scriptores sequi priores dubitant. Arnobius lib. I: *Vide ne magis hæc fortior caussa sit.* Cui geminum illud lib. eodem, sed in adverbio: *Et quis magis rectiùs horum feret invidiam nominum?* Et, quod insolentius, idem ait lib. VII: *Munus gratior.* Ruffinus, eruditus Josephi interpres, lib. II Antiquit. cap. IV: *Cùm Joseph habens compedes familiarior ei magis effectus est.* Boethius lib. III de Consolat. Philos. carm. I:

> *Dulcior est apium mage labor.*

Alcimus Avitus lib. I:

> *Quoque magis natura hominis sublimior exstet.*

Et Arator lib. I Historiæ Apostolicæ:

> *Nona fuit tunc hora, magis quà rectius horâ*
> *Prodiret jam trina fides.* ——

Et, ut tandem desinam, Justiniani quoque est, *magis pluribus*, Institut. de Act. §. Sic itaque discretis. In cujusmodi locis, vel comparativus ponitur pro positivo; vel illud *magis*, ac similia, augent vim comparativi; ut fit in *demagis*, quod plus est, quàm *magis*; quamvis aliter legatur in schedis Festi, sive potiùs apud Paullum, qui præpositionem in *demagis* putabat vim habere minuendi.

Alibi etiam aberratum. Ut cum ajunt, PER, & QUAM, comparativis quoque conjungi posse. De priori probant eo, quòd Plinius libro XIII Histor. Nat. cap. XXIV dicat: *Spondeique jugero ejus annos perplures.* Quomodo est in veteri Parmensi*. Sed in aliis meliùs, *annua HS.* Speciosius, quod adferunt è Ciceronis primo de Invent. *Nos perquisitius, & diligentius, scripsisse pollicemur.* Et hoc lib. II: *Pars autem pervagatior.* Et Agellii istud lib. VII, cap. XVII: *Quod videtur vobis pervulgatius esse, id me doce.* Quæ sanè moverint homines parum acutos, aut attentos: eoque operæ est juventuti in talibus lotus fodicare, ne ut, *pereruditus, perelegans, percontumax*, legimus: sic existimet, in comparativis dici posse, *pereruditior, perelegantior, percontumacior.* Acrioribus verò oculis, vel animis potiùs, intuenti loca illa, nihil periculi sit, ne glaucoma, aut pulverem objiciant. Facile enim patebit, PER hic non usurpari, quâ ratione *perdoctus* dicimus, aut *perbonus*; sed quâ verba ipsa, *perquirere, pervagari, perrepere, personare*, sexcentaque id genus. Quare cum Horatio* non metuam *perlucidior*, ut *perluceo*; cum aliis *perspicacior*, & *perfectior*, ut *perspicio*; *perpolitior*, ut *perpolio*; *pertinacior* æquè ac *pertinax*, de propositi tenaci, ut simplicis *tenax* significationem multùm restrinxerit. At non item dicam, *perurbanior, pertristior, perpauperior, perpaucior, pervilior*, aliaque; quorum tamen positivi cum *per* inveniuntur.

* An. 1476.

* Lib. 1, od. 18.

De QUAM verò decepti sunt corruptis autorum locis. Adferunt è Ciceronis V Tuscul. Quæst. *Abacosque quàm plures ornavit argento auroque cælato.* Ubi in editione Aldinâ, illâ Rob. Stephani, & optimâ quaque, legitur *complures.* Idem de locis aliis sentiendum.

CAP. XVII.

Superlativus nullum naturâ suâ casum regit. Etiam jungi signo universali. Imò admittere quoque exclusivam hanc, inter cætera, *vel* cæterorum: *uti &*, aliorum. *Vallæ error. Superlativus pro comparativo. Macrobius adversus Vallam defensus. Rectene Gallus dicatur Italorum doctissimus, vel contrà. Plinii locus expensus. Superlativus cum* satis. Peroptimus, *& similia.* Apprimè, *& ita, cum superlativo.*

Reliquum est de superlativis videamus. Quos ajunt genitivum regere, cùm partitivè sumuntur. Sed par hic ratio, ac in comparativis: quibus, ut vidimus, casus is jungitur ἑλληνικῶς. Nam *optimus*, vel *pessimus omnium*, integrè est, *e numero omnium.*

Alius hic etiam se error offert. Nam ut malè negarunt, comparativos cum *omnis* conjungi: ita malè idem de superlativis inficiantur. Non jam objiciam illud Ciceronis lib. II de Orat. *Omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima:* aut illud ad Trebatium: *Omni gradu amplissimo dignissimus.* Nam illud solum velle se dicent, superlativis non jungi partitivè. Sed hoc quoque satis refellitur isto Ciceronis epist. ad Brutum lib. XI, epist. XI: *Dii illi Segulio malè faciant, homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fue-*

fuerunt, qui futuri sunt. Ubi hic observata est captiosa ac puerilis conclusiuncula, si omnium nequissimus, ergo & se ipso nequior fuit? Mirum verò iis non occurrisse Catulli hoc † ad Ciceronem:

† Cap. 50.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta:
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Hic Tullius dicitur Romanorum omnium disertissimus, & optimus omnium patronus: Catullus item sese ait pessimum omnium poëtam. Ergone hoc voluit, Ciceronem sese meliorem, Catullum se ipso deteriorem? Id si stultum est credere; quid profectò apertius, quàm in locis hujusmodi, non ἁπλῶς intelligi *omnes*; sed subaudiri exclusivam, *reliqui, cæteri*, aut *alii*: quod adjecit Maro IV Æn.

—— *Ipse ante alios pulcherrimus omnes.*

Imò interdum (quod ita argutantibus magis quoque absonum videbitur) superlativus loco signi universalis ipsam sibi exclusivam particulam additam habet. Seneca de vita beata, cap. XXVIII: *Inter cætera mala illud pessimum est.* Plinius lib. XXXIV, cap. X: *Ostracitis tota nigra, & cæterarum sordidissima.* Tacitus in Agricolâ: *Ii sunt cæterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tamdiu superstites.* Macrobius lib. VII, cap. XII: *Acetum liquidissimum est inter cæteros humores.* Nec abludit hoc Agellii lib. I, capite III: *Hunc locum, omnium rerum aliarum difficillimum, strictim atque carptim transgressus est.* Et Macrobii illud lib. VII Saturn. cap. VIII: *Ægyptus regionum aliarum calidissima est.* Quibus ex locis eadem cognoscere est, falli in Dialecticis Vallam, cùm dici posse negat, *Cæsar est aliorum fortissimus*: aut, *Varro est reliquorum doctissimus*, &c. Hanc eum in sententiam adduxit, quòd & natura, & usus, comparativum cum ablativo exigere videantur, hoc modo: *Cæsar aliis fortior: Varro reliquis doctior.* Quasi non domina sit rerum consuetudo: quæ sibi hoc permisit, ut aliquando superlativus comparativi subiret vicem. Uti & fieri videmus in Quinctii oratione ad Nabidem, apud Livium lib. XXXIV: *Quid minus conveniret, quàm nos cum tyranno instituere amicitiam: & eo tyranno, quàm qui unquam fuit, sævissimo & violentissimo in suos?* At duriùs etiam Appulejus, si VII Met. nec casum comparativi adjungere dubitavit. Ajunt enim scribere: *Omnibus quidem ille puer deterrimus.* Pro, *omnibus deterior*, vel *omnium deterrimus*. Censet ita Beroaldus. Sed in plerisque MSSis est, *omnibus modis*: quod firmat sententiam Jani Guiljelmii, *omnimodis* legentis*.

* Lib. 3, Verisimil. cap. 13.

De superlativo præterea quæritur, rectène is usurpetur factâ comparatione rerum contrariarum. Sanè Valla non dubitat Macrobium reprehendere, quòd scripserit lib. VII Sat. cap. XI: *Age, Servi, non solùm adolescentium, qui tibi æquævi sunt; sed senum quoque omnium doctissime.* Nam quomodo, inquit, senum erat doctissimus, qui ipse senex non erat? Verùm imitatus est Macrobius ipsum Ciceronem; cujus illud pro domo suâ: *Hoc tu scriptore, hoc consiliario, hoc ministro omnium, non bipedum solùm, sed quadrupedum impurissimo, Remp. perdidisti.* Neque enim, arbitror, ambiget Valla, quin bipes, non quadrupes, fuerit Clodius. Quare nec malè dixeris de Gallo: *Vir hic, non suorum Gallorum modò, sed Italorum quoque*, vel, si malis, *Hispanorum*, aut *Germanorum, doctissimus est.*

Sed quid si molles Campani in Romano agant exercitu; num liceat Campano ulli, qui virtutem Romanum sciat, dicere de cive suo supra gentis indolem forti, *Hic & exterorum est fortissimus?* Mihi videtur particula *&* tantundem valere ac, *non solùm aliorum, sed etiam horum.* Quare non damnem.

Dixerit aliquis, sive *non solùm* apponatur, sive *&*; durum omnino esse loquendi genus, ac cui ratio adversetur. Quasi non consuetudo interdum habenas excutiat rationis. Quamquam nec tam durum est, quàm videatur. Cùm enim dico, non solùm Gallorum suorum, sed Italorum etiam, doctissimus est: sententia est, in amplo illo numero, qui Gallis & Italis omnibus constat, hic est doctissimus. Itaque statuo, rectè etiam simpliciter dici, *Gallorum, Italorumque est doctissimus.* Sententia enim est, ex doctis utriusque gentis hic Gallus, vel Italus, est doctissimus.

Imò, si aliquos audimus, rectè etiam dicas: *Hic Gallus est doctissimus Italorum*: vel contrà, *Hic Italus est doctissimus Gallorum.* Item, si Romanum cum exteris conferas, probum, ut inquiunt, erit: *Romanus hic exterorum est honoratissimus.* Tuentur autem sese illo Plinii lib. XXXIII, cap. I: ubi de annulis agens, *Longo*, inquit, *tempore ne Senatum Romanum quidem habuisse aureos, manifestum est. Siquidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, annuli publicè dabantur; credo, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur.* Sed non efficiunt, quod volunt. Nam iidem hic Romani, & exteri, dicuntur. Sermo enim de Romanis in provincia agentibus. Quales erant Romani ratione originis, ac loci, unde venerant: exteri tamen, ratione provinciæ, sive loci, quò venerunt. Quanto hoc aliud, quàm si Romanus Romæ de homine dixerit Romano, *Hic apud nos exterorum est honoratissimus.* Quomodo, credo, nisi madulsa aliquis, loquetur nemo.

De genitivo dictum. De cæteris casibus nihil aliud occurrit, præter *proximus*: quod regere ajunt dativum, & accusativum. Quippe, ut Cicero de Claris Orat. dixit, *Optimis proximus*; & Fabius lib. II, cap. X, *Veritati proximum*: ita Plauti esse in Pœn. *Proximus te sum*; & Livii lib. XXXV, *Laconicus ager proximus finem Megalopolitarum est.* Linacer etiam* ait, in Pisonianâ legi: *Proximus Pompeium sedebam.* Verùm nihil illic tale: sed libro I ad Att. epist. XI legitur: *Proximus Pompejo sedebam.* Quomodo & Ciceronem scripsisse, ait Diomedes lib. I. Robertus tamen Stephanus, in Thesauro suo, legit *Pompejum.* Imò sic in codd. suis invenere Lambinus, & Bosius. Utcunque legatur, nec dativus, nec accusativus, regitur à *proximus*. Par enim ratio hoc loco, ac in *propior*, de quo antè satis diximus: quæ repetere nihil attinet.

* Lib. 3.

Quæ hic inferciunt de particulis superlativo appositione, vel compositione, addi solitis, ad convenientiam, non ad regimen pertinere, liquet ex antea memoratis. In hisce particulis est *satis*. Pomponius JC. L. II. §. post hoc quoque. D. de origine Juris, Ciceronis orationem hisce verbis commendat: *Exstat ejus oratio satis pulcherrima, quæ inscribitur pro Quincto Ligario.* Ubi quidam malè curiosi nobis vocem *satis* furcillare student. Locutus eopse modo Arnobius lib. II: *Potentiæ gradibus satis plurimis ab Imperatore disjunctis.* In hujuscemodi autem locis, superlativus ponitur pro positivo. Quemadmodum & fieri videtur cum *tam* additur. Ut apud Tacitum Annal. lib. I: *Tam intima caussa.* Imò ipsum Ciceronem. Ut II de Fin. *Deinde dolorem tam maximum.* Et in Lælio: *Quo etiam magis vituperanda est rei tam maxime necessariæ tanta injuria.* Ita complures MSSi: atque idem reperi quoque in antiquissimâ editione, ac fortasse omnium primâ. Vetustatem typi arguunt. Et annus præteritur; quemadmodum fieri amabat initiis artis Typographicæ. Sed recentiores hìc edidere: *Rei maximè necessariæ.*

PER positivis tantùm præponi voluit Valla. Sed præscripta ejus non sunt edicta Prætoris. Veteres potiùs, & classicos quidem, audiamus. Dixit Plautus Mostellanâ*: TH. *Non in loco emis perbono.* TR. *imò peroptimo.* Ita enim habent vett. editt. In Camerarianâ, & recentioribus omnibus, pro eo excusum est: TH. *Non in loco emis perbono hæs.* TR. *Imò optimo.*

* Act. 3, sc. Scelestiorem ego annum.

Sed mutatione nihil opus fuit. Livius lib. X belli Macedonici: *Paucis, & expeditis, perdifficillimum aditum.* Columella lib. III, cap. XX: *Adhuc perpaucissimis agricolis contigerit.* Ita in editionibus, quotquot vidi, etiam illâ Roberti Stephani, excusum est. Seneca lib. II rerum

nat.

nat. cap. x: *Pertenuissima* dixit: & lib. de Consol. *perlucidissimum:* eodemque modo Plinius lib. 11, cap. LIV, *perplurimum refert unde venerint fulmina.*

Sic & *perquam* præmittit Curtius lib. IV: *Perquam maximo exercitu coacto.* Item, *inter paucas*; quod valet, *præ multis*, Plinius lib. XVII, cap. VII: *Herba facillima, atque inter paucas utilissima.* De absinthio sermo est.

Apprimè superlativo jungi ut probet Augustinus Saturninus lib. IX, cap. XXII, è secundo (tertium dicere debuit) Ciceronis de Finibus libro adducit illud: *Quod autem, in quo sapienter dicimus, id apprimè* † *rectissimè dicitur.* Eodem argumento pugnat, cùm Robertus Stephanus, in Latinæ Linguæ Thesauro; tum Leonardus Malaspina, Castigationibus in duodecimum Ciceronis epistolarum ad Att. Sed apud Ciceronem, *rectè*, non *rectissimè*, in aliquot optimæ notæ codd. invenimus. Nec propterea alterum damnamus, quod in MSSis Palatinis reperitur: ac editione Jani Guiljelmi, & Jani Gruteri exprimitur. Idem Malaspina censet, *ita frequentissimus*, ut *longè frequentissimus* dici. Eique rei adducit ex oratione Ciceronis pro Sextio: *Cujus sententiam ita frequentissimus senatus secutus est, ut unus dissentiret hostis.* Sed *ita* cum *secutus*, non cum *frequentissimus*, cohæret. Hæc autem adferuntur à Malaspina, ut probet, ferri posse hanc lectionem, quæ est in nonnullis Ciceronis codd. lib. XII ad Att. epist. XXXVII: *Sive hanc aberrationem à dolore delegerim, quæ maximè liberalissima, doctoque homine dignissima.* Ubi Dionysius Lambinus pro, *quæ maximè*, edidit, *maximeque*: sed reclamantibus, (ut ipse in Notis agnoscit) omnibus libris. Malaspina, etsi vulgatam damnandam neget, tamen legi posse existimat, *Quæ maxima, liberalissima, doctoque* &c. Sed ut omnino hic suspectus sit locus, negare tamen non possumus, alios sic loqui scriptores. Nam Columellæ est lib. IX, cap. III: *Apis si sævior, maximè pessima est.* Agellius lib. XIII, cap. XV: *Hi sunt vel maximè humanissimi.* Nec abludit hoc Maronis Æn. IV:

> —— *Ipse ante alios pulcherrimus omnes*
> *Infert se socium Æneas, atque agmina jungit.*

Habemus de verâ falsâque nominum rectione.

† *Al.* apprimò.

Cap. XVIII.

DE VERBO. Convenientiæ doctrina quadripartita. Cum utro conveniat Verbum inter duo positum substantiva. A Budæo recessum. Infinitivus, vel oratio pro nominativo.

TEmpus nunc est, ut de Verbo disseramus. Nam quem ordinem in libris de Analogia instituti, ut priùs de Nomine, & Verbo, tamquam præcipuis Orationis partibus, agerem; inde nostra proficisceretur oratio ad sex reliquas classes; eundem nunc in Structurâ observabimus. Ac primum agendum de Convenientia Nominis, & Verbi. Est ea vel verbi finiti, vel infiniti. Utraque item vel propria, vel figurata. Ut omnis hæc de Convenientia doctrina sit quadripartita. Primùm dicendum de convenientiâ propriâ Nominis & Verbi finiti, seu personalis, seu impersonalis. Altera pars erit de convenientiâ amborum figuratâ. Tertia de convenientiâ propriâ Nominis, & Verbi infiniti. Postrema de figuratâ convenientiâ eorundem.

Convenientia propria Nominis, & Verbi finiti, est duplex, pro Verbo duplici, personali, & impersonali. Utraque est nominativi, & verbi finiti. Attamen nominativi vicem sæpe obit verbum infinitum: ita ut verbum verbo concordet; sed verbum vicem subiens nominis; quod postea pleniùs explicabitur. Nunc illud in considerationem veniret, quomodo impersonale cum nominativo conveniat. Nam receptum penè ab omnibus Grammaticis, impersonalia non habere ante se nominativum. Sed hanc sententiam refellebamus lib. III de Analogia cap. I. Et aliquid quoque de eo mox dicam in convenientia Nominis & Verbi figuratâ.

Convenientia Verbi cum Nominativo fit trifariam. Vel enim solùm præcedit nominativus, qui suppositum sive subjectum dicitur. Vel solùm sequitur, qui appositum, sive prædicatum nuncupatur. Vel utrimque est nominativus. Primi ordinis est illud Horatii lib. 1, epist. II:

> *Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.*

Alterius generis est hoc Ovidii, epist. Didûs:

> *Certus es, Ænea, cum fœdere solvere naves.*

Tertii est illud Terentii Phorm. † *Senectus ipsa est morbus.* Et hoc Sallusti Catil. *Virtus clara æternaque habetur.*

† *Act.* 4. *sc.* 1.

In primo genere, nunc simplex præcedit nominativus: ut, *Amor meus crucifigebatur*: vel, *Christus crucifigebatur*: nunc Appositione geminatur, ut, *Amor meus Christus crucifigebatur.*

Sed hic quæritur, si substantiva per Appositionem conjuncta diversi sint numeri, cum utro verbum conveniat. Par autem ratio hic, ac in adjectivis, de quibus antea dictum. Vidimus illic, ut adjectivum potius consentiat cum eo, quod est hominis proprium; vel cum appellativo, quo animal significetur. Itaque dici, *Tullia, deliciæ meæ, mortua.* Item, *Passer, deliciæ meæ, mortuus.* In caussâ est, quia *Tullia*, & *passer*, sunt pars Appositionis nobilior. Nam Tulliæ, & passeri, hoc tribuitur, quòd sint deliciæ; non contrà. Ratio igitur jussit, ut adjectivum non cum deliciis, sed cum Tullia, & passere, conveniret. Similiter fit in Verbo; ubi illud convenit cum nobiliori, sive eo quod Appositionis, & fundamentum, &, si verbum substantivum interserendo pronunciatum sive enuntiationem facias, subjecti locum obtineret. E.G. si dicam, *Tullia deliciæ nostræ*: *Tullia* est potior pars Appositionis, &, si enunciatio fiat, dicam, *Tullia est deliciæ nostræ.* Ubi *Tullia* est suppositum, sive subjectum. Itaque cum eo conveniet verbum. Ita Cicero lib. 1. ad Att. *Tulliola, deliciæ nostræ, tuum munusculum flagitat.* Ac similiter 1 Tuscul. Quæst. *Acerrimè autem, deliciæ nostræ, Dicæarchus contra hanc immortalitatem disputavit.*

Similis, ac propè eadem quæstio est de tertio Convenientiæ genere; hoc est, cum utrimque est nominativus; num verbum cum priori, sive supposito concordet, an cum posteriori, sive cum apposito. Plurimùm sanè tum quoque convenit cum eo, quod subjecti locum in oratione obtinet, quomodocunque invertantur verba. Neque enim tantùm dixeris: *Cives improbi sunt sentina Reip.* sed etiam, *Sentina Reipublicæ sunt improbi cives*, &, *Improbi cives sentina sunt Reip.* Propert. lib. IV, el. 1:

> *Unus erat fratrum maxima regna focus.*

Ovid. 1 Met.

> *Omnia pontus erant.* ——

Et eodem:

> *Tum primùm subiere domos: domus antra fuerunt.*

In VII Met.

> *Gaudia principium nostri sunt, Phoce, doloris.*

Lucanus lib. III:

> *Omnia Cæsar erat.* ——

Et in VII:

> *Sanguis erant lacryma.* ——

Plinius lib. XXXIII, cap. III: *Nota argenti fuere bigæ, atque quadrigæ.*

Interdum tamen aliter loquuntur auctores. Appulejus initio 1 Met. *Hymettos Attica, & Isthmos Ephyræa, & Tænaros Spartiaca, glebæ felices æternùm libris felicioribus condita, mea vetus prosapia est.* Imò & classicos scriptores similiter loqui, docet hoc Ovidii in tertio de Arte:

> *Vestes, quas geritis, sordida lana fuit.*

Et hoc ejusdem:

> *Uror, & insidiæ sunt pudor ille meæ.*

Quin Terentii * ipsius est, *Amantium iræ amoris redintegratio est.* Imò etiam, qui prosâ scripsere, sic loqui; duobus hisce locis ostendit Budæus in commentariis linguæ Græcæ. Ciceronis est in Pisonem: *Aude nunc, ô furia, de tuo* (consulatu) *dicere; cujus fuit initium ludi Compitalitii, tum primùm facti, post L. Aurelium & C. Marcium COSS. Fuit*, pro *fuerunt*. Plinii est lib. IV, cap. IV. de Pelopon-

* *And. act.* 3. *sc.* 3.

loponneso: *Angustia, unde procedit, Isthmos appellatur. Appellatur*, pro *appellantur*. Putat Budæus, hunc esse sermonem figuratum: sed falli virum doctissimum, ostendit, quòd interdum non habeat ea locum, quam propriam locutionem esse putat Budæus. Sanè dixit Cicero ult. Parad. *Contentum verò suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque divitiæ.* Et Senecæ est lib. I. Epist. *Magnæ divitiæ sunt lege naturæ composita paupertas.* Hic pro *sunt*, (quod figuratum videtur Budæo) singulare *est* usurpare non ausim. Quare in talibus sequendus est classicorum scriptorum usus. Quod autem de verbis diximus; idem locum habet in *dictus, appellatus, creditus*, similibusque participiis; uti in Participio dicemus.

Ostendimus, ut cum Verbo conveniat nominativus. Nunc videamus, ut non rarò locum nominativi, infinitivus, vel etiam oratio aliqua, obtineat. Infinitivi exemplum est, *Ludere est jucundum pueris*: pro, *lusus. Deprendi * miserum est.* Pro, *deprehensio est misera. Virtus † est vitium fugere*: pro, *vitii fuga.* Cic. Orat. ad Brut. *Docere non habet dignitatem, si quasi e ludo.* Sallust. Catil. *Idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* Oratio pro nominativo est in hoc Plauti Aulul. ‡

Certum est Sylvano potius credam, quam Fidei.

Quid enim est, quod Euclio hic ait esse certum? Nempe hoc, ut credat potiùs Sylvano, quàm Fidei. Id igitur erit subjectum, ac pro nominativo. Contra Tullius III Verr. *Incertum est, quam longa nostrum cujusque vita futura sit.* Quid incertum? Quàm vita sit longa futura. Hoc ergo vicem obit nominativi. Sic in illo Plinii lib. IV, ep. XI, ad Minutianum: *Confessus est quidam incestum: sed incertum, utrùm quia verum erat; an quia graviora metuebat, si negâsset.* Nam hic quoque *incertum*, est nominativus consequens: quicquid autem consequitur pro nominativo est præcedente. Hujusmodi enim est pronunciatum: Utrùm confessus sit, quia verum erat, an quia graviora metueret, si negâsset, est incertum. Breviùs sic constrinxeris: Caussa confessionis est incerta.

* Horat. Lib. I. sat. 2.
† Idem lib. I. ep. I.
‡ Act. 4. sc. 6.

CAP. XIX.

De convenientia nominis, & verbi figuratâ. Ἐλλειπτικῶς *hìc interdum intelligi, nunc generatim* homines; *nunc speciatim* Poëtæ, amatores, *vel simile: item nunc generatim* res; *nunc speciatim* cura, potestas, *vel aliud. Impersonalia ante se habent nominativum; sed rarius expressum, sæpius intellectum.* Immane quantum, insanum quantum, *& similia, de Græcorum fonte manantia,* κατ' ἔλλειψιν *videri dicta. Crebra verbi finiti ellipsis in Proverbiis. Item iis, quæ honestè dici non possunt. Ubi per Enallagen modi dicitur infinitivus poni pro imperfecto, ibi potius esse ellipsin verbi* cœpit, *aut similis. Zeugma voce repetitâ sine immutatione ejus. Numeri, ac personæ, tum Zeugma, tum Syllepsis. Zeugma interdum videri, quod non est. Synthesis verbi, collectivo, aut partitivo additi. Enallage accusativi pro nominativo. Malè Evocationem in Figuris reponi. Falsò tradi, omnia nomina esse personæ tertiæ.*

EXpediam nunc de Convenientiâ figuratâ Nominis, & Verbi finiti. Figuratur autem convenientia vel defectu vocis, vel immutatione. Deficit vox vel planè, vel ex parte. Si planè desit, generali appellatione *Ellipsis* vocatur.

Ἔλλειψις vel est nominativi, vel verbi. Nominativus vel est personæ, vel rei. Personæ, ut apud Terent. * *Ita prædicant*, nempe *homines.* Ac similiter illo Catulli †:

Ut solatiolum sui doloris
Credunt, cùm gravis acquiescit ardor.

Integrè sit, *credunt homines.* Sic in Horatiano istoc:

*Sunt * quos curriculo pulverem Olympicum*
Collegisse juvat.

Item †:

Est qui nec veteris pocula Massici
Spernit.

* Act. 5. sc. 3.
† Epig. 2.
* Lib. I. od. I.
† Ibid.

Ejusdem est ‡:

Sunt quibus in satyra videar nimis acer. ——

Sed sæpe generalis *hominum* appellatio restringenda ad materiem, de qua sermo est. Propertius lib. II, el. VI:

Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes.

Ubi non tam universè *homines* dixerim concipiendos; quàm particulatim *amatores.* Plutarchus: Καὶ * ἔξω τούτω μητέρα τῶν Μουσῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν Μνημοσύνην. Videlicet, ποιηταί †.

Atque ut his locis, vel generatim *homines*, vel speciatim *amatores, Poetæ*, vel alii, intelliguntur: ita interdum generale *rei* nomen omittitur, interdum aliquod speciale; ut, *cura, potestas*, vel simile. *Res* generatim intelligitur, cùm dicitur, *bene, melius*, vel *male alicui esse.* Sic Livius de Papirii Cursoris disciplina: *Bene ei*, vel *malè vertat.* Item illo Ciceronis ad Trebatium ‡: *Est quod gaudeas, te in illa loca venisse.* Puta *negotium*, sive *aliquid rei.* Speciatim intelligitur *cura*, in illo Maronis Ecl. X:

Tu procul à patria (nec sit mihi credere) tantùm
Alpinas, ah, dura nives, & frigora Rheni
Me sine sola vides.

Pro, *nec sit cura, vel lubido credere.* Nam sententia est, juxta Servium: *Quod utinam non credam.* Sic cùm dico, *Non est opitulari illis*, intellige *potestas*, uti & in illo, *Est verbo negare*: hoc est, *potestas est negandi.* Livius lib. XL: *Eorum, quæ objecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus nescio an gloriari debeam; partim quæ, verbo objecta, verbo negare sit.* Sic apud Virgilium *, *Cernere erat.* Apud Gellium †, *Est invenire nonnunquam ita scripsisse quosdam non ignobiles.*

Huc refer, quando impersonalia, ut plurimùm fit, non habent ante se nominativum. Tale, *Non decet te; non licet tibi*; puta, *hæc res. Evenit*, puta *res*, vel *eventus.* Ac similiter in verbis, quæ vocant exemtæ actionis. Ut, *pluit*, puta *aqua pluvia. Ningit*, nempe *nix. Lucescit*, videlicet *lux.* Sic in impersonalibus vocis passivæ. Ut, *luditur*, videlicet *lusus. Itur*, nimirum *via*, sive *itio*, vel *iter. Pugnatur*, nempe *pugna. Vivitur*, scilicet *vita.* Nam ut dicitur, *pugnare pugnam*; *vivere vitam*: sic *pugnatur pugna*; *vita*, vel *ætas vivitur.* Item *curritur*, puta *cursus*, & speciatim *mille passuum.* Quod & plurativo dicitur, *mille passus curruntur.* Cicero pro Quinctio: *Septuaginta millia passuum vis esse decursa biduo.* Sic, *peccatur*; nempe *hoc*, vel *illud peccatum.* Ut I Offic. *Quo in genere etiam multa peccantur. Vigilatur*, puta *nox.* Ut apud Ovid. epist. Medeæ ad Jas.

—— *Noctes vigilantur amaræ.*

Sic, *festinatur, properatur.* Scilicet, *res.* Nam si regunt accusativum, habent etiam ante se nominativum. De accusativo autem arguit hoc Plauti Pœn. *Quicquid agis, properas omnia.* Et Taciti illud lib. II Ann. *Nisi voluntariam mortem properavisset.* Item apud Maronem IV Æn.

Festinare fugam.

Ac Ovid. XI Met.

—— *Et jam, quas induat illa,*
Festinat vestes.

Nominativo autem junxit Tacitus de moribus Germanorum: *Nec virgines festinantur.* Et Plinius in Panegyrico: *Delubra occultâ celeritate properantur.* Atque ex his obscurum non est, intelligi nominativum, quoties non exprimitur.

Ab ellipsi nominis nunc accedo ad ellipsin verbi: quæ imprimis crebra in verbo substantivo. Maro I Æn.

Sed vos qui tandem?

Puta, *estis.*

Lucanus lib. I:

Quis furor, ô cives? quæ tanta licentia ferri?

Fit hoc quoque in istis loquendi formis, *immane quantum, mirum quantum, nimium quantum, immensum quantum, insanum quantum, incredibile quantum.* Ubi verbum substantivum addit Tullius in Oratore: *In Oratoribus verò Græcis quidem admirabile est, quantum inter omnes unus excellat.* Sed fere verbum præteritur, etiam à

‡ Lib. 2. sat. I.
* Ac præterea fabulantur, Mnemosynen esse matrem Musarum.
† Poetæ.
‡ Lib. 7. ep. 10.
* 6 Æn.
† Lib. 12.

Cicerone ipso; ut in Oratore: *Huic generi orationis adspergentur etiam sales, qui in dicendo mirum quantum valent.* Et lib. IV de Fin. *Differre dicit inter honestum, & turpe, nimium quantum.* Profluxit hoc loquendi genus à Græcis, qui dicunt, θαυμαστὸν ὅσον, ἀμήχανον ὅσον, ἀμύθητον ὅσον. Eodem verò recidit res, utrùm dicas, deesse verbum ἐστὶ, an superesse τὸ ὅσον, aut esse periphrasin adverbii: ut θαυμαστὸν ὅσον sit θαυμαστῶς, πλεῖστον ὅσον sit πλεῖστα: quæ Rittershusii sententia est ad Oppianum. Sed primum, judicio meo, est simplicius, ac tale, ut hinc locutionis ejus caussam videamus. Ex ignoratione verò ejusce loquendi formæ, sæpius apud Latinos corrupti sunt scriptorum loci: ut ostendit Carrio lib. II Antiq. Lect. cap. XII, & XIII, & And. Schottus lib. V Observat. Human. capite VIII. Cæterùm Appulejus etiam dixit, *immane quanto.* Verba ejus sunt Apol. I: *Quod quidem matrimonium Æmiliano huic immane quanto angori, quantaque invidiæ fuit.*

Videtur & verbum hoc, vel simile, intelligi, cùm adverbiis demonstrativis jungitur nominativus. Ut IV Æn.

—— En, dextra, fidesque.

Quod valet, *Hic tibi dextra est mea, hîc pariter fides.* Sic I Æn. *En Priamus.* Item illo Ciceronis lib. II ad Att. ep. IX: *Epistolam cum à te avide exspectarem, ecce tibi nuncius.* Puta *est, adest, venit*: ut integrè Naso *; *Ecce Corinna venit.* Et quid si itidem dicamus, intelligi verbum substantivum, cum *va* sociatur dativo? Ut in proverbio, *Væ victis*: pro, *væ sit victis.* Ubi *va* nominativi vim habet, quasi *malum* dicas. Sed de eo in interjectione pluribus.

* Lib. I. Amor. el. 5.

Sæpe etiam præteritur verbum *dicunt*, aut simile, nisi participium *dicentes*, vel *dicens*, intelligere malis: de quo non pugnabo. Maro IX Æn.

—— Tunc Nisus, & unà
Euryalus, confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumque moræ fore.

Sallustius in Jugurt. *Postero die cum Aulo in colloquio verba facit: tametsi ipsum cum exercitu fame ferroque clausum teneat; tamen se memorem rerum humanarum, si secum fœdus faceret, incolumes omnes sub jugum missurum; præterea uti diebus decem Numidiâ excederet.* Item eodem libro: *Marius A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad opidum Laris, ubi stipendium & commeatum locaverat, ire jubet; se prædabundum post paucos dies eodem venturum.* Ita enim rectè, meo judicio, legit Andreas Schottus lib. V Observat. Human. cap. XIII. In vulgatis, atque etiam membranis nostris, est, *dicitque se prædabundum* &c.

Crebrò & verbum aliud reticetur, ut notum. Quod in proverbiis imprimis crebrum. Ut in epigrammate Pomponii, apud Varronem in VI de L. L.

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,
Fili Petroni, sesquisenex, puerum.
Dic tu pusam illam. Sic fiet, MUTUA MULI.
Nam verè pusus tu, tua amica senex.

Proverbium notum: *Mutuum muli scabunt.* Unde verbum est supplendum. Sic Cicero lib. II de Fin. *Sedulò, inquam, faciam: sed Fortuna fortes.* Nempe *adjuvat.* Idem pro Flacco: *Hic, hercule, cornici oculum, ut dicitur.* Nempe *confixit*, vel *effodit.* Idem, *Salutem plurimam.* Pro quo integrè aliàs, *salutem plurimam dicit.* Prius fit more Græco, qui ἁπλῶς dicunt χαίρειν, intellecto λέγω, vel simili. Sic poterat Horatius simpliciter lib. I, epist. VIII: *Celso gaudere, & bene rem gerere Albinovano.* Quod Græcè foret: Τῷ Κέλσῳ χαίρειν, εὖ πράττειν Ἀλβινοβανῷ. Sed nunc, ut integer sit sermo, subdit *Musa rogata refer.*

Quandoque etiam verbum finitum honestatis caussâ præteritur. Terentius Eun. act. III, sc. I:

Ego istum Eunuchum, si fiet opus, vel sobrius.

Maro Ecl. III:

Novimus & qui te, transversa tuentibus hirquis,
Et quo, sed faciles nymphæ risere, sacello.

Priori exemplo *ego*, posteriori *qui*, convenit cum verbo eo, quod si honestatis caussâ præterierint Poëtæ, nos sanè dicere non debemus; præsertim cum per se satis intelligatur.

Ad ellipsim verbi finiti etiam pertinent, ubi verbum infinitivum poni ajunt pro imperfecto finito. Ut hoc V Æn.

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem.

Ubi *abscindere*, per enallagen dixisse censent, pro *abscindebat.* Sed nulla hic enallage; verùm ellipsis verbi finiti. Nam *abscindere* ponitur, pro *cœpit abscindere.* Par ratio similium. Ut illo Terentii Andr. act. I. sc. I:

—— Facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cunque unà.

Quod exponunt, *perferebat*, ac *patiebatur.* Sic eâdem scenâ:

—— Ego illud sedulo
Negare factum.

Sed multo malumus statuere ἔλλειψιν verbi *cœpit*: prout Quinctilianus interpretatur lib. IX, cap. III; ubi sic scribit: *Synecdoche, cùm substractum verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur. Ut Cælius in Antonium: Stupere gaudio Græcus. Simul enim auditur, Cœpit.* Atque eadem sententia est Prisciani in XVIII: ubi addit, simili πα-[illegible] à Græcis infinitivum χαίρειν * usurpari pro imperativo. Intelligi enim κελεύω †. *Apud Græcos*, inquit, *infinitivus pro imperativo ponitur: apud nos autem in præterito imperfecto. Et apud illos tamen, & apud nos, hoc fit per figuram ἐλλείψεως, hoc est, defectionis. Gaudere enim dicunt, pro gaude: & subauditur jubeo, vel volo, vel opto. Sic enim antiqui: Gaudere te jubeo, pro gaude. Terentius in Adelph. ‡ Salvere Hegionem plurimùm jubeo: pro, salve, Hegio, plurimùm. Sic ergo & apud nos, cùm imperfectum sit, dicere cœpi, pro dicebam; scribere cœpi, pro scribebam: per ellipsin verbi cœpi, solent autores proferre verba infinita: ut Terentius Andr. * Ego illud sedulò Negare factum. Deest enim, Cœpi negare, pro, negabam.*

* Gaudere. † Jubeo. ‡ Act. 3. sc. 4. * Act. 1. sc. 1.

Servius historicam figuram vocat. Falluntur nihilominus, qui Poëtas, vel historicos solùm, ita loqui putant. Nam Ciceronis est lib. I de Oratore: *Galba autem alludens variè & copiosè, multas similitudines adferre, multaque pro æquitate dicere.* Plinii est in Panegyrico: *Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes.* Alia quoque, ac ipsius Ciceronis loca collegit Bartholomæus Barrientus † in annotationum sylvâ cap. X.

† Facis Critica Gruter. Tom. 3.

Habemus de Ellipsi ■, quâ vox prorsus desideratur. Sequitur illa, ubi vox quidem ponitur, sed ἀπὸ κοινοῦ repeti debet. Ut fit in Zeugmate, Syllepsi, & Prolepsi.

Zeugma, juxta Donatum *, est unius verbi conclusio, diversis clausulis aptè conjuncta. Estque duplex. Nam quandoque verbum, ut exprimitur, sic repeti debet: quandoque autem repetitur non similiter, sed immutatum. Prioris generis hoc exemplum adfert Donatus † è III Æn.

* Libello de Barbarismo, & schematibus. † Ibidem.

Trojugena interpres Divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum pennas, & præpetis omina pennæ.

Nam *sentis*, quod semel ponitur, præterea quinquies similiter repetendum.

Sedulò autem attendere convenit, ne pro Zeugmate hujusmodi habeatur, quando nihil repetendum ἀπὸ κοινοῦ, sed vox alia intelligitur. Ut apud Ciceronem ad Att. lib. X, epist. IV: *Horum ego summorum imperatorum non modò res gestas non antepono meis; sed ne fortunam quidem ipsam, quâ illi florentissimâ, nos duriore conflictari videmur.* Ubi *conflictari* non potest concipi in *florentissimâ*: sed intelligendum hîc *usi*, vel ejus notæ aliud. Similiter fortasse in illo Æn. II:

Sacra manu, victosque Deos, parvumque nepotem
Ipse trahit.

Nam sacra, & Deos, non videtur traxisse: ut intelligendum videatur *portat.* Quanquam aliter Servius: *Trahit licet ad nepotem pertineat, tamen & superiora concludit.* Sed Donatus in priori mavult intelligere *portat.* Sic enim scribit: *Portabat suis manibus sacra; portabat &*

deos victos; parvumque nepotem ipse trahit, quoniam fugientis passibus non valebat occurrere. Possis idem statuere de illo Æn. XII:

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis.

Ubi ita Servius: *Fortunam*] *subaudimus opta. Neque enim fortuna discitur. Quidam autem defectionem putant, & deesse volunt, Pete, aut Accipe.* Aliqui tamen non agnoscunt hic hujusmodi ellipsin: sed existimant, verbum *disce* repeti debere. Unde Servius continuò subjungit: *Alii figuram volunt, pro, Quid fortuna sit, ex aliis disce, cùm & bona, & mala sit fortuna: Quid valeat dea hac, ex aliis disce. Vult enim intelligi, adversâ usum.*

Vidimus de Zeugmate, ubi nulla verbi immutatio. At aliis non tam laxè Zeugma sumitur: sed solùm sic vocatur, cùm substantivis diversi numeri, aut personæ, subjungitur verbum, quod conveniat cum propiore. In numero quidem, ut illo Maronis Æn. V:

Tutatur favor Euryalum, lachrymaque decora.

In personâ verò, ut illo ejusdem Ecl. II:

Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.

Nec alio differt *Syllepsis*, quàm quòd Verbum plurale conveniat cum digniori. In numero quidem, ut isto Æneid. IV:

—— Dum fata Deusque sinebant.

Nam plurativus dignior est singulo. In personâ verò; ut apud Ciceronem ad Cæsarem Imp.* *Sustulimus manus, ego, & Balbus.* Apud Virgil.†

† Lib. 7, ep. 5.
† Æn. 4.

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus.

Nam prima persona dignior est secundâ; secunda item, tertiâ. Interdum autem est ὑστερόζευγμα, sive ζεῦγμα ἐξ ἐπιλόγου: ubi Syllepsin vulgò statuunt. Ut illo Maronis Ecl. VIII:

—— Nihil hic, nisi carmina desunt.

Et illo Ovidii:

Quid nisi secreta læserunt Phyllida sylvæ?

Nec soli sic loquuntur poëtæ. Nam dicit Cicero Philipp. IV: *Quis igitur illum consulem, nisi latrones putant?*

Nonnunquam autem Verbum nec convenit cum propiore per Zeugma, nec cum digniore per Syllepsin: quod *præposterum Zeugma* nuncupatur Aug. Saturnio‡. Exemplo sit hoc Livii lib. I: *Ob eam rem ego, populusque Romanus, populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, bellum indico, facioque.* Per Syllepsin enim diceretur, *indicimus, facimusque*: per Zeugma autem, *populus, & ego indico*; non, *ego, & populus, indico.* Ut verè sit Zeugma inversum.

‡ Lib. 10, cap. 4.

Sequitur Πρόληψις, quâ toti subjiciuntur partes, diversis numeris aut personis, verbo non repetito. Plautus Pseud.

Duorum ego labori hominum parsissem libens,
Mei te rogandi, & tui respondendi mihi.

Maro Ecl. VII:

Compulerantque greges Corydon, & Thyrsis, in unum;
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.

Livius lib. VII: *Consules profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium; ille ad montem Gaurum, hic ad Satriculam, castra ponunt.*

Abunde dictum de Ellipsi, tum omnimodâ illâ, cùm vox penitùs desideratur; & generali nomine ἁπλῶς *Ellipsis* dicitur: tum alterâ, quâ non prorsus deficit; ut in Zeugmate, Syllepsi, Prolepsi; ubi & Ellipsis est, quatenus vox animo supplenda, & aliquid amplius Ellipsi, quando non eodem modo supplenda, sed variato numero, vel personâ. Nunc agendum de figuris, ubi defectus non est; & tamen est discordia: idque vel ratione numeri, ut in Synthesi: vel ratione casus, ut in Enallage: quibus addant tertiam, ratione personæ; ut in Evocatione.

Σύνθεσις hic fit, cùm nomini Collectivo numeri singuli verbum additur plurale. Maro V Æn.

—— Triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt.

Ovid. lib. II Fast.

Conveniunt, celebrantque dapes vicinia supplex.

Livius lib. II: *Hoc tibi juventus Romana indicimus bellum.* Plinius in Præfat. Nat. Histor. *Magna pars studiorum amœnitates quærimus.* Aliquoties etiam occurrit apud Appulejum in Floridis. Ac par ratio in Partitivis. Terentius Adelph.*

* Act. 4, sc. 4.

—— Aperite aliquis actutum ostium.

Scio esse, qui *aperito* malit. Sed Plautus quoque non semel *aperite*: & jam olim ita legit Donatus, qui sic scribit: *Aliquis vim habet pluralem, quamvis singulariter dicatur: non enim est aliquis, nisi de multis.* Sic Plautus Menæchmis: *Uter meruistis culpam?* Et Amph. *Neuter ad me iretis cum querimonia.* Cicero III de Fin. *Ut alter alterum nec opinatò viderimus.* Tacitus XIV Annal. *Agrorum, quos proximus quisque invaserant.*

Est etiam cùm Synthesis duplex concurrit; una nominis, altera verbi. Ut illo Statii lib. VII Thebaidos†:

† Vers. 605.

—— Subeunt Tegeaa juventus
Auxilio tardi ——.

Ad Synthesin etiam refertur, cùm Gen. I dicitur, *In principio creavit Elohim cælum, & terram.* Nam *Elohim*, quod plurale est, (unde II Samuel. VII, 23: *Iverunt Elohim*) id hoc loco jungitur cum singulari *bara*, id est, *creavit*: sive, quia Trinitas eâ locutione innuatur; ut multi viri docti putant: sive, quia, ut veteres Hebræi docent, tria sint nomina, terminatione quidem pluralia, sed significatione singularia; nempe, *elohim*, *adonim*, & *baalim*.

De Synthesi satis, sive potiùs Synesi, ut eam rectiùs vocari, in Nomine diximus.

Sequitur *Enallage*: de quâ hic sermo, quatenus pro casu recto utimur obliquo. Ita dixit Plautus Persâ act. I, sc. III:

—— Hic leno nondum sex menses Megaribus
Huc est cùm commigravit.

Est, inquit, sex menses. Ubi *sex* valet *senos*, non *seni*. Quomodo nec in prologo Aululariæ reformidat idem:

—— Hanc domum
Jam multos annos est cùm possideo.

Nisi cum Simone Bosio statuas, hìc, *multos annos*, scriptum esse, pro *multis annis*. Sed parùm id mihi verisimile fit. Nam & idem Epid. act. IV, sc. II:

Ego, relictis rebus, Epidicum operam quærendo dabo:
Si invenero, exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem.

Item Persâ act. V, sc. I:

—— Hic statui volo, primùm
Unde ego omnes hilaros, ludentis, lætificantis faciam ut fiant aliquà mihi.

Et alibi sæpe. Estque simile hoc Terentii Adelph.*

* Act. 5, sc. 4.

Illum, ut vivat, optant. Pro, *ille ut vivat.*

Etiam analogæ convenientiæ adversatur illud Tibulli lib. I, eleg. VIII:

Sic venias hodierne. ——

Pro *hodiernus*: quod nominativus est à tergo adscitus. Sic, *Macte esto*, pro *mactus*: apud Lucilium, Turpilium, Pacuvium; ut Nonius ostendit. Ac similiter Livius lib. VII.

Atque hæc de enallage doctissimorum etiam hominum sententia est: quæ nunc animus est expendere. Triplex verò exemplorum ratio est, quæ adduximus. Primùm, ubi spatium temporis in accusativo ponitur cum verbo substantivo. Sed hoc cum fit, non tam enallagen casus puto, quàm ellipsin præpositionis *ante*. Nempe, ut dicimus, *Natus annos triginta*; pro, *ante annos XXX*: sic, *Est sex annos, cùm venit*: pro, *est ante annos VI, cùm venit.* Quâ de re iterum dicendum erit cap. XLIV. In altero accusativus ponitur post verbum *facio*, vel *opto*: ubi accusativum suspicor regi à verbo. Nimirum post *facio*, *scio*, *nescio*, vel eandem vim habentia, accusativus sæpius invenitur, qui pro nominativo poni videtur, quia præit, vel sequitur, *ut sit*, vel *fiat*, aut simile; cùm revera hæc redundent, aut pro *esse* sumantur; accusativus autem regatur à

 verbo

verbo antea dicto. Ut in illo, *faciam diem exitiabilem ut fiat:* accusativus regitur, à *faciam:* sed *ut fiat*, πλεονάζει: vel ponitur pro *esse:* q. d. *faciam hunc diem esse exitiabilem.* Item, *Faciam omnes hilaros ut fiant:* valet, ἁπλῶς, *faciam omnes hilaros*, vel *faciam omnes hilaros esse.* Quandoque est ellipsis relativi *talis.* Plautus Amphitr. *At ego te faciam ut miser sis.* Et Pseudolo: *Satis si hanc mulierem efficio ut tua sit.* Hæc sic suppleverо: *Faciam te talem, ut miser sis. Hanc mulierem efficio talem, ut tua sit.* Similiter post *opto*, *volo*, aut *metuo.* *Illum* † *optant, ut vivat:* pro, *talem optant.* Idem Aulul. act. IV, sc. VI:

† Terent. Adel. act 5, sc. 4.

Nimis hercle ego illum corvum ad me veniat velim.

Sententia est, *Velim corvum talem esse, ut ad me veniat.* Vel, *Velim corvum, atque ut venias ad me.* Terentius Phorm. act. III, sc II:

—— *Metuo lenonem nequid suo suat capiti.* ——

Ajunt *lenonem* poni pro *leno*, quia conveniat cum *suat.* Sed distinguere satius post *lenonem.* Quasi dixisset, *metuo lenonem: metuo, inquam, nequid capiti suo suat.* Idem in verbis *scio*, & *nescio* statuendum. Plautus Menæch. act. II, sc. I:

Ego illum scio, quàm cordi sit carus meo.

Et Asin. act. I, sc. I:

Verùm meam uxorem, Libane, nescis qualis siet.

Sed post *scio*, & *nescis*, distinguendum. Copulâ insertà, magis structuræ ratio parebit: nempe hoc pacto: *Scio illum, & quàm carus sit: nescis uxorem, & qualis sit.* Utrobique & fuerit ἐξηγητικὸν, ut sæpe accipitur. Itidem Terentii hoc Eun. act. V, sc. VIII:

—— *Scin me in quibus sim gaudiis!*

Sententia est, *nosti me, fortunamque meam, & in quantis sim gaudiis?* Etiam enallagen statuunt in hoc Aulul. act. IV, sc. VII:

—— *Sed servum meum Strobilum*

Miror ubi sit; quem ego me jusseram hic opperiri.

Sed quid si hic quoque statuamus, *miror* convenire cum nominativo *ille*, qui desideratur: quasi dixisset Comicus: Quem ego Strobilum, servum meum, me jusseram hic opperiri, ille miror ubi sit.

Hactenus tantùm institimus Comicorum exemplis. Expendamus nunc illa, quæ ex Cicerone afferuntur. Quale illud ad Quinctum Fr. lib. II, ep. XIV: *Hæc me ut confidam faciunt.* Pro, *ego ut confidam.* Sed, puto, hic quoque sic supplendum, faciunt me ejusmodi ut confidam. Quasi dixisset, faciunt me confidentem. Multa etiam vulgò afferuntur, ubi accusativus pro nominativo poni dicitur ante verbum *videtur.* Tale ajunt hoc in Rullum: *Consulibus Senatus permisit, ut vini & olei decumas, quas ante te vendere in Sicilia quæstores consuessent, Romæ venderent, legemque, his rebus, quam ipsis videretur, edicerent.* Pro, *quæ ipsis videretur.* Pro Rabirio perduellionis reo: *Fit Senatusconsultum, ut C. Marius, L. Valerius Consules, adhiberent Tribunos plebis, & prætores, quos eis videretur.* Pro, *qui iis viderentur.* Imò Livium quoque ajunt eàdem enallage dicere: *Eam legionem primo quoque tempore in Sardiniam transmittendam curaret, mitteretque cum imperio, quem ipsi videretur.* Pro, *qui videretur.* Sed nulla istis locis enallage, quia loca hæc sic supplenda sunt: *legem, quam edicendam esse videretur, edicerent. Adhiberent prætores, quos esse adhibendos videretur. Mitteret, quem esse mittendum videretur.*

Tertium de enallage exemplorum genus erat: ubi vocativus usurpari dicitur pro nominativo. In quo Latini, more suo, imitantur Æoles: ut diximus lib. II de Analogia cap. V. Ubi similia adduximus loca Maronis, Persii, Ausonii. Estque geminum hoc ejusdem Persii sat. III:

Stemmate quòd Thusco ramum millesime ducis.

Sed in hujusmodi locis non omnino exui vocativi naturam, facilè videbit, qui penitiùs consideràrit. Atque hoc poëtarum licentiæ suffecit, ut casus eos permutarent. Hactenus de Enallage.

Superest Ἔκκλησις, sive *Evocatio.* Hanc figuram definiunt, quâ nomen rectum jungitur verbo primæ, aut secundæ personæ. In prima singulari: ut apud Ovidium epist. ad Ulyssem:

Penelope conjux semper Ulyssis ero.

Sic *Calliopius recensui.* Calliopius Critici nomen est, qui Terentium emendavit, & hanc operam suam subscribendo testatam fecit. Personâ secundâ singulari: ut apud Ovidium, epist. Deianiræ:

Siqua voles aptè nubere, nube pari.

Itidem primâ plurali, apud Maronem Ecl. VIII:

—— *Non omnia possumus omnes.*

Secundâ plurali, ut, *Uterque delusistis: pater, & filius, similes estis.*

Sed nulla in his omnibus est facies solœcismi: ut mirum sit, eam a doctissimo Saturnio quoque reponi inter figuras Grammaticas. Neque enim omne nomen tertiæ est personæ, quod ait Priscianus lib. XII: sed, præter vocativum, per se, & actu nullius est personæ: at per accidens est omnium personarum, non solius tertiæ. Quâ de re pluribus dictum lib. I de Analogia cap. IV.

Cap. XX.

De convenientia nominis, & verbi infiniti. Pro infinitivo cum accusativo præcedente, poni quandoque verbum finitum cum nominativo, & particula quod. *Antiptosis nominativi pro accusativo ante verbum infinitum. Hellenismus dativi, pro accusativo, post* licet, expedit, necesse est, videtur, datur.

Satis de convenientia nominis, & verbi finiti. Deinceps transeamus ad convenientiam nominis, & verbi infiniti. Ac primùm agendum de convenientia propriâ, & naturali: quæ est accusativi expressi, plurimùmque unius duntaxat, ejusque præcedentis: interdum verò unius quidem præcedentis, alterius verò sequentis. Par enim hic ratio est, ac in verbo finito. Hoc solùm est discriminis, quòd cum finito verbo convenit nominativus; cum infinito, accusativus. Ut igitur dicimus, *pietas alget*; sic, *pietatem algere:* &, ut, *homo est bulla*; sic, *hominem esse bullam.* Cujusmodi accusativi resolvuntur in nominativum cum particula *quod*, & verbum finitum. Ut, *Poeta* * *ait, probitatem algere.* Pro, *quod probitas alget.* *Varro* † *ait, hominem esse bullam.* Pro, *quod homo est bulla.* Etsi verò nonnullis hæc, per *quòd* enunciata, Latinis auribus non convenire videantur: sic tamen interdum loquuntur optimi scriptores. Plautus Asinariâ act. I, sc. I:

* Juven. sat. I.

† Præfat. libb. de R. R.

Equidem scio jam, filius quòd amet meus.

Pro, *jam filium meum amare.* Cicero lib. X ad Att. ep. IV: *Cum scripsissem, quòd cuperet me ad Urbem venire.* Pro, *cupere se, me venire.* Seneca lib. XIX, ep. X: *Cum verò commendare paupertatem cœperas, & ostendere, quòd, quicquid usum excederet, pondus esset supervacuum.* Pro, *cœperas ostendere, esse pondus supervacuum.* Plin. lib. III, epist. V: *Pergratum est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas.* Pro, *Pergratum est, te lectitare.* Quandoque etiam resolvitur per verbum finitum cum nominativo, & particula *ut.* Quale hoc pro Cæcinâ: *Si populus jusserit, me tuum servum esse.* Quod sic resolvas: *Ut ego tuus servus essem.* Passim enim præcipiendi verba cum particula *ut* reperias.

Sed de accusativo quod diximus, non videtur perpetuum. Nam infinitivis, quæ sensûs, vel desiderii, vel vocandi, aut opinandi significationem habent, usitatè additur nominativus. Ut, *Titius*, vel *Mævius*, *videtur esse probus, desiderat haberi eruditus, cupit fieri dives, vult vocari consultus, creditur esse liberalis.* Item, cum gestus significatur: ut, *Solet incedere rectus.* Nempe cum verbum utrimque habet casum, casus ille, qui sequitur, etiam convenit cum eo, qui antecessit. Ut igitur dixero; *Catonem esse, quàm videri, bonum maluisse:* itidem cum Sallustio * dicendum; *Cato esse, quàm videri, bonus malebat.* Et ita quoque Terentius Andr. act. II, sc. III:

* In Catil.

Ipsus sibi esse injurius videatur. ——

Et

Et Adel. act. v, sc. vi:

—— Meditor esse affabilis.

Ovid. epist. Briseidos:

Qui merui culpâ fieri tibi vilis, Achille?

Martialis lib. xiii, ep. lxvii:

Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

Quinctilianus lib. iii, cap. vi: *Non sustineo esse conscius.* Quæ sic per accusativum, sed parum usitatè extuleris: *Videtur sibi, se esse injurium. Studeo, me esse affabilem. Merui, me fieri vilem. Non sustineo, me esse conscium. Cupit, se esse salacem.* Quomodo Cicero in Catil. *Cupio, me esse clementem.* Vallam vide libro iii, capite xxiii.

Nunc pergamus ad convenientiam figuratam. Ea est duplex; ellipsis, & antiptosis.

Ellipsis est, cùm accusativus præcedens desideratur. Hoc plurimùm fit in pronominibus, *me, te, se, illum.* Quodque ex iis pronomen intelligatur, cognoscitur ex persona verbi finiti. Ut, *Statui proficisci*; pro, *me proficisci. Mavis abesse*; pro, *te abesse. Negat velle*; pro, *se*, vel *illum velle.* Atque hoc ita esse, cùm natura, & ratio, dictat: tum etiam, quòd antiqui illi interdum hos addunt accusativos. Plautus Aulul. act. v:

Certo enim ego vocem hic loquentis modò me audire visus sum.

Idem Milite Glorioso act. iv, sc. vii:

—— Verear magis,
Me, amoris caussâ, hoc ornatu incedere.

Mercatore act. i, sc. ii:

—— Lubet scire ex hoc me, ut sim certior.

Epid. act. i, sc. ii:

Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.

Capt. act. iv, sc. ii:

Quin ita faciam, ut te cupias facere sumtum, etsi ego vetem.

Casinæ act. i:

—— Quod te postules
Gustare quicquam.

Et paullò pòst:

Nunc ne tu te mihi respondere postules.

Idem Asin. act. i, sc. iii:

Vult placere sese amicæ, vult mihi, vult pedisequæ.

Idem Curculione act. ii, sc. ii:

Hac nocte in somnis visus sum viderier,
Procul sedere longè à me Æsculapium;
Neque EUM ad me adire, neque me magnipendere.

Nec solus ita loquitur Plautus. Lucretii enim est lib. i:

Quippe etenim quàm multa tibi me fingere possum
Somnia.

Sic & aliorum codices chirographi, & optimus Msus noster. Pro quo in Florentinâ Juntæ, à Petro Candido recensitâ, est, *Jam fingere possunt.* Ennius, apud B. Augustinum lib. xiii de Trin.

Omnes mortales sese laudari exoptant.

Terentius Andr. act. iv, sc. vi:

Quæ sese inhonestè optavit parere hic divitias.

Idem prol. Eun.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis,
Quam plurimis.

Cui geminum hoc Sallustii initio Catil. *Omnes homines, qui sese præstare student cæteris animantibus.* Ut Priscianus quoque adducit in vii. Nonnulli non hanc nativam putant structuram; sed esse pleonasmum pronominis. Sanè, cùm prope consuetudo obsoleverit veterum, qui pronomen addere solent; fortassè nunc possis dicere, πλεονάζειν*. Sed non hoc impedit, quo minùs alterum loquendi genus sit prius, & nativum: eoque cùm deest pronomen, potiùs ἔλλειψις videatur.

* Redundare.

Interdum etiam accusativus non à fronte, sed à tergo desideratur per ellipsin. Ut illo Ciceronis ad Terentiam: *Me miserum! Te tantas te calamitates meâ culpâ incidisse?* Supple, *num tolerabile est?* Terentius Andr. act. iii, sc. v:

—— Servon' fortunas meas me commisisse futili?

Intellige, *ferendumne?* vel, *mene dignum*, aut simile. Plin. ad Adrianum: *Hominemne Romanum tam Græcè loqui?* Puta, *an credibile est?* Vallam adi libro ii, capite xiv.

Ab ellipsi venio ad antiptosin: quâ nominativus pro accusativo ponitur, more Græcorum. Horat. lib. i, od. ii:

—— Patiens vocari Cæsaris ultor.

Pro, *patiens te vocari Cæsaris ultorem.* Sic lib. i epist. ad Torquatum:

—— Patiarque vel inconsultus haberi.

Et ibidem epist. ad Quinctium:

Cùm pateris sapiens emendatusque vocari.

Ac magis etiam Atticum est hoc lib. iii, od. xxvii:

Uxor invicti Jovis esse nescis?

Hoc est, nescis te Jovis esse conjugem? Sic Propertius lib. i, el. vi:

Jurabo & bis sex integer esse dies.

Vulgatum quoque hoc Catulli de Phaselo:

Ait, fuisse navium celerrimus.

Ovidius:

Hanc pius Æneas eripuisse ferunt.

Et illud Maronis Æneid. ii:

Dixit, & extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.

Et alibi sæpe. Putat Joannes Bernartius, & cum eo alii, Papinium eodem dixisse modo lib. i Thebaidos*:

* Vers. 321.

—— Sed mox
Attollit flatus ducis, & sedisse superbus
Dejecto se fratre putat.

Sed profectò rectum est, *superbum*; quod in vulgatis legitur. Nam *superbus* cum *se* cohærere nequit. Nisi & *tunc* pro *se* reponas: quod se facere ait Bernartius fide librorum vett. Imò ut *superbus* scribatur, non hujus loci fuerit; sed conveniet cum *putat*: quia sententia erit; Ille superbus putat se jam, dejecto fratre, sedisse, sive in regno stabilitum.

Est & aliud antiptosios genus: quando infinitivus *esse* ponitur post *licet*, vel *expedit.* Nam, juxta nativum sermonem Latinum, utimur tum dativo cum accusativo. Sed more Græcorum pro accusativo ponimus alterum dativum. Priori modo ait Terentius Heaut. act. ii, sc. iv:

Nam expedit bonas esse vobis.

Et Tullius pro Cornelio Flacco: *Si civi Romano licet esse Gaditanum.* Estque simile illud Cæsaris: *Quibus licet esse fortunatissimos.* Et optimus Quinctiliani Msus codex, quem illustris Camerarii munificentiæ debemus, habet lib. iv, cap. iv: *Procuratorem* tibi esse non licuit.* Posteriori modo Cicero lib. i Tuscul. Quæst. *Licuit otioso esse Themistocli: liceat Epaminondæ, liceat etiam mihi.* Ac similiter Livius lib. xxi: *Illis timidis, & ignavis licet esse, qui receptum habent; quos suus ager, sua terra, per tuta ac pacata itinera fugientes accipient: vobis necesse est fortibus viris esse.* Verùm interdum solus ponitur dativus. Cicero pro L. Flacco: *Cur denique esse liberis non licet?* Horatius sat. i, lib. i:

* Ubi Aldus, Vascosanus, Stephanus, Gryphius, procuratori.

—— Atqui licet esse beatis.

Et sat. ii ejusdem libri:

Munifico esse licet ——.

Ovid. lib. v Trist. el. ii:

An magis infirmo non licet esse mihi?

Interdum quoque solus exprimitur accusativus. Cicero pro Ligario: *Liceat esse miseros, quamquam hoc victore esse non possumus.* Idem ad Att. lib. x: *In Italiâ autem nos sedentes, quid erimus? nam medios esse non licet.*

Quandoque autem optimi scriptores, aliis quoque infinitivum ESSE antecedentibus, dativum ponunt pro accusativo. Ut in Livii loco, quem paullò antè adduximus: *Vobis necesse est fortibus viris esse.* Estque simile Plautinum hoc Cistell. act. ii, sc. iii:

Mihi bona necessum est esse ingratiis.

Lucre-

Lucretii quoque est lib. v:

Quidve mali fuerit nobis non esse creatis?

Horatius lib. I, epist. XVI:

Da mihi fallere, da justo sanctoque videri.

Et epist. ad Pisones:

—— *Mediocribus esse Poëtis*

Non homines, non Di, non concessere columnæ.

Ovid. VIII Metamorph. fab. VII:

—— *Vobis immunibus hujus*

Esse mali dabitur.

Claudianus lib. I in Rufinum †:

† Vers. 215.

—— *Natura beatis*

Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.

Imò neque Val. Maximus sic loqui dubitavit. Ejus enim est lib. v, cap. IV, de Cimone: *Nam etsi maximo tibi postea & civi, & duci, evadere contigit.* Et lib. III, capite VI: *Lucius quoque Sylla, cum imperator esset, chlamydato sibi, & crepidato, Neapoli ambulare deforme non duxit.* Plura vide apud Augustinum Saturnium lib. IV, cap. v. Caussam autem utriusque sermonis pauci perspiciunt. Ea est, quòd unus sit nativus linguæ Romanæ; alter transmarinus, & à Græcis acceptus. Romani enim eò accusativum exigunt, quia casus is convenit cum pronomine intellecto. Ut, *Licet vobis esse otiosos:* pro, *Licet vobis, vos esse otiosos. Contigit tibi evadere optimum civem:* pro, *Contigit tibi, evadere te optimum civem.* At altero modo loquuntur exemplo Græcorum. Ut, *Cui primum licet, vel contingit esse medico, postea bono medico.* Sic enim Plato in Protagorâ: Ὦ πρώτον μὲν ὑπάρχει ἰατρῷ εἶναι, ἔπειτα ἀγαθῷ ἰατρῷ. Isocrates in Areopag. Προσήκει ἡμῖν βελτίστοις ἁπάντων ἀνθρώπων εἶναι. *Convenit nobis, hominum esse optimis.* Et similia alibi, & apud alios.

CAP. XXI.

Ad regimen Verbi acceditur. Ubi princeps, si non unicus, veri regiminis canon, de verbis activis regentibus accusativum. Mœchari aliquam *non æquè videri probum,* ac adulterare aliquam. *Accusativi gemini à verbo recti semper sunt ejusdem rei.* Adulor aliquem. *De structura Verbi* condono *error Donati, item alter Julii Scaligeri: ac Erasmus adversus eum defensus.* Eludo, maledico, medicor, noceo, *cum accusandi casu. Hypognosticôn libri non sunt Augustini.* Palpo, parco, suadeo, *cum accusativo. In Tertulliano vetus scriptura vindicata. Dositheus notatus.*

A Convenientia ad Regimen Verbi transeo: ubi primò agendum de vera Verbi rectione: deinde de ea, quæ falsò tribuitur Verbo.

De vero regimine canon est hujusmodi: Verba activæ significationis regunt accusativum, quo actionis objectum, vel effectus, notetur. Verba dixi activæ significationis, quia non illa solùm regunt accusativum, quæ formæ sunt activæ; ut quæ, R addito, fiunt passiva; quale est *amo:* sed etiam activa communia, ac deponentia; ut, *osculor, consolor:* atque adeò absoluta, sive quæ non videntur R ante O admittere; ut, *prasto, eo, ambulo.* Addebam, accusativum, nunc objectum significare, nunc effectum. Objectum notatur isto, *Bacchus* * *amat colles.* Effectus illo, *Pollio* † *& ipse facit nova carmina.* Ambo miscentur in hoc pro Archia: *Studia* ‡ *adolescentiam alunt, senectutem oblectant; secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent.*

* Virgil. Ecl.
† Id. ib.
‡ Cic. pro Archiâ.

Interea in his usus spectandus. Nam *defendo te,* probum; at non *auxilior te.* Latinum quoque *juvo te;* non item, *patrocinor te. Stuprare aliquam* dixero; uti & *adulterare aliquam,* quomodo loquitur Suetonius: at non temere dicam, *mœchari aliquam;* etsi sic loquatur vetus interpres Matth. v: ubi ut Græcè est, ἐμοίχευσεν αὐτὴν, ita ipse, *mœchatus est eam,* pro *cum ea.*

Interdum Verbum regit geminum, sed ejusdem rei, accusativum. Terent. Adelph.* *Facio te Deum.* Cic. lib. I ep. *Præsta te virum.* In qualibus accusativi sunt rei ejusdem, ac alter alteri jungitur per regulam convenientiæ. Sin diversæ sint rei, alter accusativus non erit hujus loci, quia non à verbo regetur, sed à præpositione intellectâ: ut, *Oro te hanc rem.* Ubi *rem* regitur a præpositione, quæ respondeat Græco κατὰ, sive sit *secundum,* sive *juxta,* ac *circa,* sive *ad,* vel, *quod ad:* de quo dicemus postea pluribus.

* Act. 4. sc. 1.

Et hæc quidem usitatè. Sunt verò alia, ubi vulgò obtineat dativus, cùm veteres fere accusativum usurpent. Paucula eorum, ut speciminis loco sint, & ut de uno altero judicium feram, juxta literarum senem digessi.

Adulor. Attius Prometheo apud Cic.

Tum jecore opimo farta & satiata affatim

Clangorem fundit vastum: & sublime advolans,

Pinnatâ caudâ nostrum adulat sanguinem.

Atque, ut cascos illos mittam, Ciceronis ipsius est in I Off. *Cavendum est, ne assentationibus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus.* Item in Pisonem: *Adulantem omnes te videre volui. vidi.* Et Cic. lib. II de Div. *Adulatus fortunam alterius.* Similiter alii optimi ævi. Columella lib. VII, cap. XII, de canibus: *Illi quoque furem adulantur.* Sed sequens seculum, quod non parum degeneravit à puritate illâ Juliani, & Augustæi ævi, *adulari tibi* cœpit dicere. Seneca de vita beata cap. II: *Qui opes sequuntur, quis gratia adulantur.* Super hoc, & aliis id genus, conqueritur Quinctilianus lib. IX, cap. III: *Verborum verò figura, & mutata sunt semper, &, utcunque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si* ANTIQUUM *sermonem* NOSTRO *comparemus, penè jam, quicquid loquimur, figura est. Ut, Huic rei invidere; non, ut omnes veteres, & Cicero præcipue, hanc rem: & incumbere illi, non in illum: & plenum vino, non vini: & huic, non hunc adulari: & mille alia; utinamque non* PEIORA *vincant.*

Condono perperam huc referri arbitror, quia accusativus rei junctus accusativo personæ, non regitur à verbo, sed præpositione intellectâ: ut paullò ante diximus. Ita Afranius Vopisco: —— *Id aurum me condonas literis.* Pro, *Quod ad id aurum attinet.* Eodemque modo dixit Terentius Phorm. †

† Act. 5. sc. 7.

—— *Quid vis tibi?*

Argentum, quod habes, condonamus te.

Quem locum Donatus adducit, ut illustret illud ejusdem Comici Eunucho *:

* Prolog.

Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur.

At malè idem (nisi libri fallunt) ait, *te* in superiori loco esse ablativum: cùm necesse sit, *quæ,* & *te,* esse ejusdem casus. Immeritò quoque reprehendit Erasmum Jul. Scaliger †, quòd ita legendum putarit, cùm in vulgatis esset, *quæ nunc condonabuntur.* Nam futurum hoc pacto, ut metrum claudicet. Deinde, ut de Donati apud doctos omnes autoritate nihil dicam; *condonabitur* legitur quoque in optimo illo codice Bembino, quem omnium, quos unquam videat, antiquissimum sibi videri, testatus est Angelus Politianus. Quod verò vir magnus addit, correctione hâc Latinam linguam ab Erasmo depravari, quia Latinum non sit, *condonare aliquem argentum,* ἄρρητον ἀμείνον ‡: ut indicium faciunt, quæ ante diximus.

† Orat. advers. Erasmum.

‡ Indictum melius.

Eludo nihilo rectiùs huc retulerunt. Nam, *eludo te annulum,* itidem figuratè dicitur, pro, *eludo te, quod ad annulum.* Plautus Curcul.* *Miles, quæso ut mihi dicas, unde illunc habeas annulum, Quem parasitus hic te elusit.*

* Act. 5. sc. Phædrome. prop.

Maledicere (ac par ratio verbi *benedicere*) accusativo junxit Tertullianus lib. adversus Praxeam: *Nos autem dicentes Christum crucifixum, non maledicimus illum, sed maledictum legis referimus.* Similiter alii scriptores Ecclesiastici, ac Latinus Bibliorum interpres. Varennius † autumat, hoc fieri imitatione LXX interpretum. Non inficior: sed tamen similiter locuti scriptores Romani. Nam Petronii quoque Arbitri est: *Maledic illam versibus, ut habeat pudorem.* Alibi tamen idem dativo jungit: ut cùm ait, *Positâ frequentiùs sarcinâ maledicebat properantibus.*

† In Syntaxi sua Græca.

Medeor. Ter. Phorm. act. v, sc. IV:

Quas cum res adversæ sient, paullò mederi possis.

Vitru-

Vitruvius lib. VIII, cap. III: *Bituminosi (fontes) interioris corporis vitia, potionibus purgando solent mederi.*

Medicari. Plautus Mostellariâ:

Habe bonum animum: ego istum lepidè medicabor metum.

Maro I Georg.

Semina vidi equidem multos medicare serentes.

Quem in locum Servius monet, etsi impropriè dicatur, *medeor illum*, pro *medeor illi*, quod proprium: tamen utrumque horum, *medico*, ac *medicor illum*, propriè usurpari. Idem Maro VII Æn.

Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit.

Ubi idem Servius, *Medicor illam rem, & illi rei.* Posterius magis obtinet. Ita Terent. And. act. V, sc. IV:

Cum ego possim in hac re medicari mihi.

Et Maro III Georg.

—— *Senibus medicantur anhelis.*

Nocere. Plautus Mil. Glor. act. V:

Jura, te non nociturum esse hominem de hac re neminem.

Ut in MSSis nonnullis legitur. Etiam, ex summi viri mente, Phædrus lib. IV:

—— *Nocuit hominem protinus.*

Sed & M. Seneca lib. V. controv. at: *Dum filium vindico, ubi me gravissimè nocere possit, ostendit.* Alterum quoque citant alterius Senecæ locum ex epist. CIV, aut juxtim alios CIII; itemque alium Livii ex lib. III ab u. c. Verùm uterque in melioribus libris longè aliter legitur, quàm adfertur: neque *noceo* accusativo junctum, sed vel citra casum, vel cum dativo expressum, habet. Interim accusativo quoque junxit B. Augustinus prologo Hypognosticôn, sive Hypomnesticôn: ubi hæreses Pelagianorum recensens, ait: *Adam, inquiunt, sive peccâsset, sive non peccâsset, moriturum fuisse: tamen peccatum ejus neminem nisi solum nocuit ipsum.* Eodemque locutus modo in ipso ingressu lib. II Hypognost. Si modò libri isti sunt Augustini; quam sententiam ex libro Ecclesiæ Lugdunensis de tribus epistolis ante annos scripto prope octingentos, atque aliis argumentis, refellimus Historiæ de controversiis, quas Pelagius, & ejus reliquiæ, moverunt, lib. I, cap. XVI.

Palpo. Juvenalis sat. I:

—— *Quem munere palpat*
Carus.

Sed usitatiùs Plautus Amphit. act. I, sc. III:

Observatote, quàm blandè mulieri palpabitur.

Et Horatius lib. II Serm. sat. I:

Cui malè si palpere, recalcitrat undique tutus.

Parcere. Plautus Curcul. act. III, sc. I:

Qui homo maturè quæsivit pecuniam,
Nisi eam maturè parsit, maturè esurit.

Locutus eopse modo Virgil. X Æneid.

Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Natis parce tuis.

Et Symmachus lib. I, epist. XXXIII: *Istius muneris operam non reparcam.*

Num verò & *suadeo* huc referemus? Accusativo quidem jungit Tertullianus lib. de habitu mulierum cap. I: *Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit.* Est qui * locum corruptum putet: unde legit, *quæ sic invasisti.* Sed est Græcismus. Nam *eum suasisti* est, ἀνέπεισας αὐτόν. Quomodo Homerus, Plato, Xenophon, & alii passim. Etiam Iudith cap. XII, vers. X: Πεῖσον τὴν γυναῖκα τὴν Ἑβραίαν. Ubi vetus interpres: *Suade illam Hebræam.* Dositheus lib. III: Ἀδριανὸς εἶπεν, πεῖσον τὰς κριτὰς, μὴ ὀφείλειν τοῦτον περὶ ταύτην προσηγορίαν ἐλευθερωθῆναι. Quod ipse sic vertit: *Adrianus dixit, Suadete judices, non debere eum circa eam appellationem manumitti.* Ubi pro, *circa eam appellationem*, rectiùs *eo nomine* dixisset.

* Is Melchior Goldastus, ut est apud Jo. Meursium in Auctario Philologico cap. 25.

Cap. XXII.

Alia accusativum regentia. Servii, & Galeotti Martii error. Priscianus ταυτολόγος. Potiri urbem, regnum. Vesci auras, ova. Fungi munus, vel officia. Abstinere se, manum, vim. Erumpere se, vel stomachum. Verba regentia accusativum suæ originis, vel cognatæ significationis, more Attico. Infinitivus, vel oratio, pro accusativo, quem Verbum regit.

Atque ista pro accusativo sæpius habent dativum. Alia verò sunt, quæ usitatiùs cum ablativo junguntur: ut *lito*. Imò, si Servium audimus in IV Æn. & Galeottum Martium cap. XXXIX de promiscuâ doctrinâ, vel absolutè semper ponatur, vel cum ablativo, non item accusativo. Itaque juxta eos, haut liceat dicere, *litare deo sacra*, vel *exta*: sed tantummodo, *sacris*, vel *extis*. Atqui, ut de Virgilio * nihil dicam, apud quem legimus, —— *Sacrisque litatis*: Propertii est lib. IV, eleg. I: *Pastor & ad calamos exta litabat ovis.* Et Suetonius: *Victimas Diti patri cæsas litare.* Eodemque modo locutus Lactantius lib. IV, cap. XXVII.

* 4 Æn.

Pleraque etiam deponentia, quæ ablativum ajunt regere, ea vi canonis superioris cum accusandi casu sæpe invenias. Ordiar à verbo *potior*. Quemadmodum enim Græci ajunt, ἀπολαύειν τούτου, καὶ ἀπὸ τούτου, καὶ τοῦτο; ut Platonis, Demosthenis, & Isocratis locis Priscianus probat in XVIII: ita Latini dicunt, *potiri illius*, *illum*, & *illo*: quod Priscianus eopse libro non uno, sed tergemino in loco, quamquam minimè diversis, sed iisdem testimoniis, probat: quam ταυτολογίαν passim in eo deprehendas. Sed de genitivo, & ablativo, postea dicemus. Accusativum verò regere, multis probatur exemplis. Cicero lib. II Off. *Clandestino introitu urbem est potitus.* Ita libri vett. Idem lib. I Tuscul. *Ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbem nostram potiturum putem?* Sic plerique omnes libb. Quidam tamen manuscripti, *Urbe nostrâ*: quomodo & Manutius edidit. Idem Tullius Philipp. XIII: *Vincamus odium, pacemque potiamur.* Locutique eodem modo Terentius, & Plautus. Apud Sallustium ‡ quoque in vett. codd. exaratum, *Adherbalem potiretur*: ubi Priscianus lib. XVIII, *Adherbalis*, legit. Justini est lib. XII: *Alexandrum (Cleofis mater) nominavit, qui postea regnum Indorum potitus est.* Similiterque idem loquitur aliquoties.

‡ In Jugurt.

Par ratio in *vescor*. Virgil. III Æn.

Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur auras?

Ita in antiquissimis plerisque libris legi, scribit Pierius. Tibullus lib. II, eleg. V:

Vera cano: sic usque sacras innoxia lauros
Vescar, & æternùm sit mihi virginitas.

Crebrò ita locutus Plinius. Ut lib. VIII, cap. L: *Si caprinum jecur vescantur.* Et lib. IX, cap. L: *Ova vescentes.* Item lib. X, cap. XXXVIII: *Aves nonnullæ vescuntur ea, quæ rapuêre pedibus.* Itidem lib. XI, cap. XXXVII: *Qui absinthium vescuntur.* Est & Taciti in vitâ Agricolæ: *Eò ad extremum inopiæ venêre, ut infirmissimos suorum mox sorte ductos vescerentur.*

Fungor quoque accusativum non rarò adsciscit. Plautus Menæchmis †:

—— *Jam isti sunt decem.*
Nam parasitus octo hominum munus facilè fungitur.

† Act. 4, sc. Sportulam cape.

Idem Trinum. Prologo:

Sequere, mea gnata, ut munus fungaris tuum.

Terentius Adel. act. III, sc. IV:

Neque boni, neque liberalis functus est officium viri.

Idem Phorm. act. II, sc. I:

—— *Functum adolescentuli est*
Officium liberalis.

Lucilius lib. I. sat.

Munu' tamen fungi, & muros servare potissent ‡.

‡ Malim, potissint, vel potessint, quasi potessint.

Idem

Idem lib. v:

* *Lavius pauperem ait se ingentia munera fungi.*

* Ita MSS. nostri: alii, Livius, vel Laelius.

Cornelius Nepos: *Datames militare munus fungens.* Tacitus lib. III Annal. *Supremam erga memoriam filii sui munera fungeretur.* Et lib. IV: *Ego me, P. C. mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, & vos testor, & ceteram meminisse post. ros volo.*

Est qui & *utor* à Cicerone accusativo additum probet illo lib. II de Orat. *Si ærarii corpus utimur ad belli adjumenta.* Sed in corruptos incidit libros, cùm non *corpus*, sed *copiis*, habeant emendati codd. Antiquos tamen ita locutos, agnoscimus. Plautus Asinariâ †:

† Act. 1, sc. Unumquodque istorum verbûm.

Cætera quæque volumus uti, Græcâ mercamur fide.

At *abutor* cum accusativo crebrò ita invenias apud Comicos, ut de eo tacere satius videatur.

Pertinent ad verba activæ significationis multa etiam verba, quæ intransitiva creduntur. Ut *abstineo.* Cicero Philip. II: *Quale autem beneficium est, quod te abstinueris a nefario scelere?* Terent. Adelph.* *Non manum abstines, mastigia?* Horat. lib. II, sat. III:

* Act. 5, sc. 2.

—— *Abstinuit vim*

Uxore, & gnato ——.

Etiam Godescalcus Stewechius è MSSis reponit §, & quidem, Instit. de rerum divis. *Monumentis, & ædificiis, se abstineat.* Et §, si uxor, Instit. de nupt. *Qui ab hujusmodi nuptiis se abstinuerint.* Par ratio in compositis à *rumpo.* Cicero lib. XVI ad Att. epist. III: *Hunc tu tralatum in macrocolum lege arcano convivis tuis: sed si me amas, hilaris, & bene acceptis, ne in me stomachum erumpant, cùm sint tibi irati.* Cælius ad Ciceronem epist. XIV similiter dixit, *erumpere se ad bellum:* ut observat quoque Paullus Manutius. Est & Virg. I Georg.

Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi erumpent radii.

Et IV Georg.

Et caput unde altus primùm se erumpit Enipeus.

Etiam ita loquuntur Terentius, & Cæsar: ac Arnobius quoque lib. I bis dixit, *irrumpere sese:* ut initio notarum in eum scriptorem monet idem Stewechius.

Etiam ad verba activæ significationis pertinent, quæ accusativum habent κατ' ἰδιοπάθειαν, ut appellant: hoc est, vel suæ originis, vel cognatæ significationis. Prioris generis apud Terentium † est, *ludere ludum*; apud Maronem ‡, *furere furorem.* Donatus *archaismum* vocat. Mallem Atticismum dixisset: partim quia Atticorum sunt, ὕβριν ὑβρίζειν, μανίαν μαίνεσθαι, χαρὰν χαίρειν, γελᾶν γέλωτα, λῆρον ληρεῖν, πίνειν πότον, aliaque id genus, quæ Ἀττικὸν σχῆμα etiam Suidas nuncupat: partim quia sic locutos constat, non eos modò, qui desita & obsoleta amant; sed optimos quosque optimi ævi scriptores; etiam Ciceronem, cujus est illud lib. v, epist II ad Famil. *Magnâ voce juravi verissimum pulcherrimumque jusjurandum.* Ac similiter Cælius ad Cicer. epist. II: *Puto, ut suum gaudium gauderemus.* Et Livius lib. IX: *Atque ob eam rem noxam nocuerunt. Vitam vivere*, apud Terent. Adel. Ac Propertius quoque lib. I, el. IV:

† Eun. act. 3, sc. 5.
‡ 12 Æn.

—— *Vita quodcunque sequetur,*
Hoc magis adsueto vivere servitio.

Nec refugiunt Jurisconsulti: quorum sunt, *actionem agi, cautionem cavere, obligationem obligari, tractatum tractari, partem partiri, stipulationem stipulari*, atque alia; quæ apud Jurisconsultos se observâsse ait Scipio Gentilis lib. I παρεργ. cap. VI. Vide & quæ congessêre Budæus, in Commentariis linguæ Græcæ, Fulvius Ursinus ad XII Æn. & Rittershusius ad IV Oppiani Ἀλιευτ.

Sed ut suæ originis accusativum regi videmus in his, *vivere vitam, olere odorem, lucere lucem, cœnare cœnam, pugnare pugnam*, ac similibus: ita accusativus cognatæ significationis est in istis, *vivere ætatem, olere unguenta, lucere facem, cœnare epulas, pugnare prælium*, aliisque. Hujus etiam generis loca ex veteribus apponam. Ac primùm de *oleo.* Plautus Mostell. act. I, sc. III: *Metuo, ne oleant argentum manus.* Terentius Adelph. act. I, sc. II:

Obsonat, potat, olet unguenta, de meo.

Et Cicero Phil. II: *Vinum redolentibus.*

Sic *luceo.* Plautus Casin. act. I, sc. I: *Lucebis nova nuptæ facem.* Et Curcul. act. I, sc. I:

Tute tibi puer es lautus, luces cereum.

Cicero de Amicitiâ: *Prælucere bonam spem.*

Similiter *cœno.* Plautus Asin. act. v, sc. II:

Ecastor cœnabis hodie, ut te dignum est, magnum malum.

Horat. II, Sat. VIII:

Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces.

Epist. II, lib. II:

Emtum cœnat olus.

Appulejus Met. IX: *Sacrificales epulas cum sacerdotibus deæ cœnitabat.*

Item *pecco.* Cicero I de Nat. Deor. *Xenophon eadem ferè peccat.* Horatius epist. ad Pisones:

Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, veniâ caret.

Et Plautus cùm alibi, tum Cistell. act. II, sc. I:

Tu me delenis, propter te hæc pecco.

Tale etiam *plaudo.* Ut, *plaudere aquas natatu*; apud Statium Papinium lib. I. Sylv. carm. II. Atque idem in epithalamio Violantillæ:

—— *Jam Tybridis arces*
Iliacæ, pandit nitidos domus alta penates,
Claraque gaudentes plauserunt limina cygni.

Simile etiam *pugno.* Horatius lib. IV, od. IX:

—— *Non pugnavit ingens*
Idomeneus, Sthenelusve solus,
Dicenda, Musis prælia.

Item *quiesco.* Appulejus Met. IX: *Post multum equidem temporis, somnum humanum quievi quidem.*

Hactenus vidimus, ut verba activæ significationis nomen regant accusativi casûs. Sed pro accusativo interdum est verbum infinitum, vel etiam oratio. Prioris generis est, *Scit canere*, ut dicimus, *scit cantum. Cœpit studere*; ut, *cœpit studia.* Cicero lib. XV ad famil. ep. XV: *Interpositus annus alios induxit, ut victoriam sperarent; alios, ut ipsum vinci contemnerent. Ipsum vinci*, hoc est, *ipsam victoriam.*

Petronius Arbiter:

Tanti non emo, Lai, pœnitere.

Hoc est, *pœnitentiam.*

Oratio pro accusativo est in illo Terentii Phormione*:

* Act. 4, sc. 1.

—— *An verebamini,*

Ne non id facerem, quod recepissem semel?

Sic, *Vereor, ne reprehendar à doctis.* Pro quo Cicero in Oratore, *Vereor reprehensionem doctorum.*

CAP. XXIII.

Accusativus à verbo rectus κατ' ἔλλειψιν *subtractus. Ut* conturbare, *pro*, conturbare rationes: decoquere, *pro*, decoquere rem: *ac similia.*

ATque in his accusativus à Verbo rectus exprimitur. Sæpe vero κατ' ἔλλειψιν subtrahitur. Ut, *nubere alicui*, pro *nubere se*, vel *vultum.* Flameo enim sponsa nubebat, hoc est, velabat vultum. Maro VII Æn. *Cùm venti posuere:* puta *se*, unde Servius exponit, *quievere.* In Eclogis: *Cum faciam vitulâ.* Nempe *sacra. Appulit*, vel, *solvit*, vel, *conscendit* †, puta *navem. Obire, occumbere*, vel, *oppetere*; puta *mortem. I, amabo*, pro, *amabo te.* Ut Cicero ‡. *Cura, amabo te. Imponere*, pro *decipere.* Quod integrè fit, callidè alicui onus, vel ridiculi quippiam imponere. Quomodo & Græci dicunt ἐπιλῆσθαι. Simile etiam *conturbare*, puta *rationes.* Κατ' ἔλλειψιν usus Cic. pro Plancio: *Utrùm igitur me conturbare oportet, an cæteris, cum cujusque dies venerit, hoc nomen, quod urget, nunc cùm petitur, dissolvere?* At integrè Terentius

† Ad Att. lib. 6. ep. 9. & lib. 16. ep. 3 & ad Q. Fr. lib. 2.
‡ lib. 2 ad Att. ep. 2. & 4.

rentius Eun. act. v, sc. II: —— *Ita conturbasti mihi Rationes omnes*, Geminum huic *decoquere*, pro *decoquere rem*. Cic. Philipp. II: *Tenesne memoriâ, prætextatum te decoxisse?* Res enim decoquitur. Quomodo Columella lib. XI, cap. I: *Res tamen ipsa jam domino decoxit*. hoc est, *decoxit se*, sive, *est decocta*. Sic *agere*, *agitare*, *degere*; puta *vitam*. *Ire*, *inire*, *ingredi*; videlicet *viam*. Quo *tendis*, aut *pergis*; scilicet *viam*, vel *iter*. Item, castrense verbum, *tendere**, puta *pelles*. *Incipere*, *nempe rem*. *Curare*, pro *curare rem*, vel *negotium*, vel simile. Plautus Bacch. act. II, sc. II: *Abi intro, ego hic curabo*. Sallust. Catil. *Manlium in dextrâ, Fesulanum quendam in sinistrâ, curare jubet*. Appulejus V: Met. *Hic eam sollicitè sedulòque curantem Ceres alma deprehendit*. Similiter, *servo*. Plaut. Aul. I, II: *Redi nunc jam intro, atque intus serva*. Terentius Eunuch. act. IV, sc. VIII: *Solus Sannio servat domi*. Ita enim est in melioribus libb. & agnoscit quoque eam lectionem Donatus. Ac similiter φυλάττειν dicunt intellecto χρήματα, vel τὰ ὄντα. Simile quoque est *mitto*. Ter. Eun.* *Misit porro orare, ut ad se veniam*. Cic. ad Att. *Itaque obviam illi misimus Athenas*. Quod ipsum fit imitatione Græcorum. Matth. XIV, 35 †: Καὶ ἐπιγνόντες αὐτὸν οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου, ἀπέστειλαν εἰς ὅλην τὴν περίχωρον ἐκείνην. Denique hujus loci sunt omnia illa, quæ cùm naturâ suâ significent actionem transeuntem, sine accusativo tamen ponuntur. Ut, *Morbus auxit, nox præcipitat, curæ ingeminant, tempestas sedavit*: cujus generis & alia complura adduximus, veterumque auctoritate firmavimus, lib. tertio de Analogiâ cap. tertio.

* *Cæsar lib. 2 belli Gallici. & Maro 2 Æn.*

* *Act. 3, sc. 3.*

† Et cum agnovissent eum viri loci illius, miserunt (*puta nuncios*) in totam undique finitimam regionem.

ambulatum, *dormit*, *ornatur*, *lavat*, *potat*, *occupata est*, *opera non est*, *non potest*. Ubi Taubmannus exponit, *non est vacua opera*. Et sane distinguit operam & otium Plautus Mercat. II, II:

Dicam si tibi videam, esse operam & otium.

Agellii item est lib. VII, cap. XVII: *Nunc mihi opera non est: cum otium erit, revises ad me*. Sic Baugius. p. 987. Sed nihil magnopere caussæ video cur nostra mutem.

Itidem in iis, ubi animi corporisve affectio inesse, vel adesse, dicitur. Ut, *Est bonæ indolis*; puta, *puer*, *vir*, *femina*. *Est amplissimæ cervicis*, nempe *jumentum*, vel aliud. *Abrotonum est boni odoris*; videlicet *herba*. Ac hujusmodi etiam ablativum adsciscunt. Quomodo dixeris: *Est bonâ indole: est amplissimâ cervice: est bono odore*. Qui ablativi unde regantur, alibi dicetur. Nec propterea existimandum, nusquam referre, utrùm hoc, an illo casu utamur. Planè enim secus est. Ut illo Terentii Eunucho †:

—— *Bono animo es:*
Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.

Et Cicero in Bruto: *Es animo vacuo*. Item lib. VI ad Att. ep. I: *Sum ‡ magnâ animi perturbatione*. Hic quidem genitivo uti non ausim. At contrà, nolim uti ablativo, ubi Terentius in Andriâ ait*:

—— *Hoc confiteor*
Jure mihi obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli consilii sum:

aut ubi Suetonius ait in Augusto: *Cibi minimi erat, ac ferè vulgaris*.

† *Act. 1. sc. 2.*

‡ *Ita libri veti. Nonnulli tamen*, in magna.

* *Act. 3, sc. 5.*

Cap. XXIV.

Acceditur ad casus eos, quos à verbo dependère tradunt Grammatici falsò. Ac primùm de genitivis, quos à verbo regi substantivo tradiderunt. Referre, utrùm genitivo, an ablativo, in iis utamur, quando inesse aliquid, vel adesse, verbo substantivo significatur.

A Vero Verbi regimine transeo ad falsum ac commenticium. Quæ doctrina est quinquepartita, pro quinque casibus, qui regi à Verbo dicuntur.

Primùm ajunt, verba à tergo regere nominativum, qui significet gestum, aut statum rei. Ut, *incedit rectus: compellat frequens: fies ‡ de Rhetore consul*. Sed hujusmodi nominativus non regitur à Verbo, verùm convenit cum Verbo: ut satis intelligere fuit ex iis, quæ diximus de Verbo utrimque habente nominativum.

Venio igitur ad genitivum, quem sextuplicia verba regere dicuntur. Primi loci est verbum *Sum*, quòd regere ajunt genitivum, partim cùm significatur possessio, aut ad aliquid pertinere: partim cum animi, corporisve affectio alicui inesse dicitur, aut adesse. Prioris generis fuerit: *Pecus* est Melibœi*. *Adolescentis † est majores natu vereri*. Alterius generis est: *Bonæ est indolis, est excellentis ingenii, nullius consilii, ampli corporis, tenuis valetudinis*. Ac par ratio in *fio*: ut, *fit majoris industriæ*, vel *commodioris valetudinis*. Quod apud Fabium ‡ legas.

Verùm nihil horum regitur à verbo substantivo; sed à nomine intellecto. Ut illud*, —— *Cujum pecus, an Melibœi?* ita supplendum, *an Melibœi pecus?* Vel generatim intellige *res*, ut integrè sit, *An pecus hoc est res Melibœi?* Sic, *Est adolescentis*, nempe *proprium munus*. Quod etiam supplendum in illo libri II de Orat. *Tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre*. Nominativum expressit Cicero lib. V Tusc. Quæst. *Sapientis est proprium, nihil, quod pœnitere possit, facere*. *Munus* verò, vel *officium*, passim addi videas. Ejusdem monetæ statuo, *Est moris*; puta *res*. *Vincere est laboris*, nempe *res*, *negotium*, vel *opus*. Simileque, *Est operæ*, pro est operæ pretium. Interdum tamen dativus videtur, ut apud Plautum Pseudolo act. I, sc. III: *Ego operæ si sit, plus tecum loquar*. Ac alibi*. Ubi simile est, *curæ est*, *oneri est*. Et firmat hoc Mil. III, II: *Non domi est, abiit*

‡ *Juven. sat. 7.*

* *Ecl. 3.*

† *Cic. 1 Off.*

‡ *Lib. 6. cap 4.*

* *Ecl. 3.*

* *Cas. act. 5, sc. Quo jurgis*

Cap. XXV.

Genitivos urbem significantes, in qua fit actio, non regi à verbo; sed à nomine urbs, vel oppidum, quod intelligitur. In oppido Antiochiæ, *pro* Antiochiæ, ἁπλῶς: *vel*, In oppido Alexandriâ: *Etiam regionum, & insularum nomina,* ἐλλειπτικῶς *poni in genitivo: ut*, Est Ægypti, Cretæ. *Eademque figurâ dici*, domi bellique: *vel*, domi militiæque. *Item*, terræ, *&* humi, *pro* in terra, *&* humo, *vel* in terram, *&* humum. *Sic* foci, *&* viciniæ.

A Lter falsi regiminis canon est de verbis genitivum regentibus, qui urbem significet, ubi quis agat. Ut, *Est Romæ, Antiochiæ, Dyrrachii*. At genitivus ille non regitur à verbo, sed substantivo intellecto. Romani enim, cum urbis sive oppidi nomen est declinationis primæ, vel secundæ, ac numeri singularis, contenti sunt ponere genitivum, κατ' ἔλλειψιν intelligentes, *in urbe*, *in oppido*. Quæ ipsa interdum exprimuntur. Cicero ad Attic. lib. V, epist. XVIII: *Cassius in oppido Antiochiæ cum omni exercitu*. Sin nomen sit tertiæ declinationis, vel primæ quidem, aut secundæ, sed pluralis numeri, gaudent ablativo: ut, *Est Sulmone, Carthagine, Athenis*. Ubi ablativus regitur ab *in* præpositione intellectâ. Quasi dicas, *in Carthagine*, *in Athenis*.

Sed de ablativo nunc non agemus: verùm postea, cùm ad falsum ablativi regimen deventum erit. Nunc videbimus de urbium nominibus singuli numeri, & primæ secundæve inclinationis, quæ in genitivo Verbis junguntur.

Ubi quæstio ejusmodi exsurgit, an iis subscribere conveniat, qui dicere jubent, *Vivit Amstelodami, celebris emporii*. Vel, *Degit Londini, urbis inclytæ*. Verùm omnino is solœcismus foret: quia dicendum, *Amstelodami, celebri emporio*. *Londini, inclytâ urbe*. Vel sic, *In Amstelodami celebri emporio*. *In Londini celebri urbe*. Vel etiam, *In Amstelodamo, celebri emporio*. *In Londino, inclytâ urbe*. Cicero pro Archiâ: *Primùm Antiochiæ: nam ibi natus est loco nobili & celebri quondam urbe*, &c. Ferè autem additur præpositio, quoties appellativum diversi casus proprio subditur. Cic. pro Rab. Post. *Sed Neapoli in celeberrimo oppido*. Philipp. IV: *Albæ constituerunt, in urbe opportunâ*, &c. Plinius ipsi proprio præponit præ-

positionem lib. II, cap. LXXIII: *Constatque in Berenice, urbe Troglodytarum.* Libro eodem cap. XCVI: *In Neâ, oppido Troadis.* Ibidem cap. XCVII: *Eadem natura in Hispali oppido.*

Ex iis, quæ de nominibus Urbium in genitivo positis dixi, caussam quoque est cognoscere, cur similis interdum obtineat locutio in nominibus regionum, & insularum. Ut illo Maronis Æn. III:

Mutandæ sedes: non hæc tibi litora suasit
Delius, aut Cretæ jussit considere Apollo.

Propriè dixisset, *in Creta*: atque id non paullò usitatiùs. Nunc figuratè ait, *Cretæ considere*: pro, *in insula Creta.* Similiter Varro lib. I de R. R. cap. VII: *Itaque Cretæ ad Gortynam dicitur platanum esse, quæ folia hieme non mutat.* Eâdem ellipsi Appulejus lib. II Metam. *Te Thessaliæ consistere.* Quod integrè sit, *in regione*, vel *terrâ Thessaliæ.* Sed fortasse aliquis auctoritatem Maronis refugiet, quia Poëtæ aliâ linguâ loquantur, ut ait Tullius*: Varronis item phrasin aspernetur, ut antiquarii: ac longè magis Appuleji, qui profectò eruditè interdum ineptit. Sed enim ei opponimus Valerium Maximum; si non classicum omnino scriptorem, tamen ævi Tiberiani; qui & ipse sic loquitur lib. IV, cap. I: *M. Bibulus, vir amplissimæ dignitatis, & summis honoribus functus, cùm in provincia Syriæ moraretur, duos egregiæ indolis filios suos à Gabinianis militibus Ægypti occisos esse cognovit.* Sed video, quid hic quoque aliquis dicere possit. Nempe Stephanum Pighium, virum de Valerio, imò annalibus suis Romanis, de universâ antiquitate Romanâ præclarè meritum, *Ægypti* vocem in codice Campensi non reperisse. Mihi id de uno codice dilutum nimis videtur, ac potiùs censeo, librarium, insolentiori structurâ offensum, vocem eam sustulisse. Et quid dicemus de altero ejusdem Valerii loco, qui est lib. V, cap. III: *Solon*, inquit, *senectutem Cypri profugus exegit.* Ubi nullam Pighius reperit diversitatem. Justini quoque est lib. XXXIX: *Nec filium* (Ptolemæum Lathurum) *regno expulisse contenta, bello Cypri exulantem persequitur.* Prout quoque est in Mssis, & editione Venetâ† Sabellici, & aliis inde consecutis; etiam optimâ illâ, quam exhibuit Jacobus Bongarsius, Galliarum regis legatus. Scio, id aliquos offendisse: in his Salianum, qui in Annalibus suis Ecclesiasticis hunc locum adducens‡, pro *Cypri exulantem*, reponere maluit, *in Cypro.* Sed planè codicibus invitis: & ipse postea*, eundem locum reponens, *Cypri* retinuit. Quid quod Cæsar ipse libro III belli civilis dicat: *Cæsar cum audisset, Pompejum Cypri visum.*

* Lib. 2 de Orat.

† An. 1494.

‡ Ad an. mundi 3948, sive annum Lathuri II.

* Ad an. Lathuri 17.

Vulgò his simile arbitrantur illud M. Ciceronis lib. XVI, epist. VII: *Septimum jam diem Corcyræ tenebamur.* Et ad Att. lib. V, ep. XIII: *Quæ mihi jam Sami, sed mirabilem in modum Ephesi præsto fuit.* At parùm hæc firma: quia *Corcyram* oppidi etiam nomen esse, Plinius testatur lib. IV, cap. XII: & *Samum* urbem vocat Strabo lib. X. Nempe urbs, & insula, cognomines fuere, ut sæpe fit. Quare non evincunt hinc, insularum nomina, cum aliquid in iis fieri signatur, in genitivo poni. Sed sive urbs, sive insula signetur, ellipsis erit: integreque sit, *in urbe* vel *insula Corcyræ*, aut *Sami.*

Sunt etiam appellativa, quæ similiter in genitivo ponantur. Dicimus enim, *domi, bellique*: vel *domi, militiaque.* Cicero lib. II de Offic. *Præterea quibuscunque rebus, vel belli, vel domi poterunt, Remp. augeant imperio, agris, vectigalibus.* Idem IV de Rep. *Periclem, cum jam civitati maximâ auctoritate plurimos annos domi, & belli, præfuisset.* Idem Tuscul. V: *Quorum virtus fuerat domi, militiaque, cognita.* Et pro lege Maniliâ: *Quantas ille res domi militiaque, terrâ marique, quantâque felicitate gesserit.* Sallustius Jugurtha: *Paucorum arbitrio belli domique agitabatur.* Et ibidem: *Animus belli ingens, domi modicus.* Livius quoque in præfat. operis: *Quibus artibus domi militiaque, & partum, & auctum imperium sit.* Sed omnia hæc ἐλλειπτικῶς dicuntur, pleneque extuleris, *domi bellique tempore*: item, *tempore belli militiaque.*

At illud, *domi est*, potiùs sic suppleas, *Est in domi loco.* Nam rogante aliquo, *ubi*, sive, *quo in loco* aliquis esset, respondebant simpliciter, *domi*; ubi ἀπὸ κοινοῦ *in loco* intelligendum. Nimirum, ut dicitur, *Antiochiæ*, & *in oppido Antiochiæ*, ac quandoque, *in Antiochiâ oppido*: itidem dixere, *domi*, pro, *in domi loco*, vel *solo*; proque eo, *in domo*: ut apud Ciceronem ad Att. lib. II, ep. VII: *In domo Cæsaris unus vir fuerit.* Et Plinium in epistolis: *Ille in domo meâ sæpe convaluit.* Locus est lib. VII, ep. XVII. Vel cum Scoppio dicamus, integrè esse *in ædibus domi.* Ut *domus* sit totum; *ædes* dicantur singula conclavia: quomodo ea distinguere videtur Plautus. Vide quæ diximus cap. LXVI. Imò in illo quoque antè memorato, *domi bellique*, si duriùs illud, per *domi tempore*, expleri videatur, pro *pacis tempore*: possis *domi bellique*, sic supplere, *in domi ædibus, inque militiæ tempore*: vel *in domi belliquè loco.*

Sic quoque *terræ* posuere, pro *in solo*, vel etiam *in solum terræ.* Maro II Georg.

Altiùs ac penitus terræ defigitur arbos.

Ovid. II Met. fab. II:

Maxima cùm vellet terræ procumbere, questa est.

Utrobique *terræ* regitur à nomine *solo*: quod quandoque exprimitur. Quomodo Lucretius in secundo ait:

Nam multis succensa locis ardent sola terræ.

Et lib. V:

Ære solum terræ tractabant.

Ac mox:

Et ferro cœpere solum proscindere terræ.

Atque hinc liquet, cùm dicitur, *humi quid jacère*, vel *insistere*, vel *serpere*; valere, *in solo humi.* Similiter Cicero lib. I Tuscul. Qu. *Theodori quidem nihil interest, humine, an sublime putrescat.* Etiam signat motum ad locum. Ut illo Maronis I Æn.

Nec prius absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi.

Nisi cum Servio malis exponere, *per humum.* Ovidii quoque est V Met.

Sternit humi juvenem.

Quod integrè sit, *in solum humi.* Pro quo ἁπλῶς, *in humum* dicitur. Curtius lib. III: *Plura in humum innoxia cadebant.* Ac similiter Tacitus lib. XII Annal. *Projectus in humum.*

Et quid, si tertium addamus? Id erit *foci*, pro, *in foci loco.* Terentius Eun.* *Domi, focique.* Sed hoc ridiculè in persona parasiti. Serium magis est, *viciniæ*, pro, *in viciniæ loco*; vel quandoque, *in locum*, aut *solum viciniæ.* Priori modo capio illud Plauti Bacchid. act. II, sc. II:

Ut istuc est lepidum, proxima viciniæ
Habitat.

* Act. 4, sc. 7.

Scio, esse, qui dandi casum putet: verùm caussam hujuscemodi structuræ non video. Ait, geminum esse illi Terentiano in Andria act. I, sc. I: *Commigravit huic viciniæ.* Ut est in plerisque Mssis; & legêre Charisius, Nonius, Priscianus. Sed in aliis est, *huc viciniæ*: nec aliter legit Donatus: similiterque in Phormione† dictum, *Hic viciniæ.*

† Act. I, sc. 2.

Cap. XXVI.

Non quibusvis, sed certis Verbis, accusandi, absolvendi, damnandi, genitivos addi: eos autem genitivos non à Verbo regi, sed ablativo substracto: puta crimine, actione, pœnâ, *& his similibus. At ablativos hosce regi à præpositione intellectâ. Nec propterea ubique posse addi præpositionem: imò nec ablativum perpetuo locum habere; sed veterum consuetudinem attendi oportere.* Damnare voti, *&* voto. Interrogari, urgeri, purgari, criminis, *vel* facti. Liberari sceleris. Notari impolitiæ. Furti, *vel* mendacii prehendi. Manifestus, *vel* compertus mendacii. Periclitari capite.

Tertia classis est verborum accusandi, absolvendi, & damnandi. Hæc præter accusativum personæ regere ajunt

adjunt genitivum, qui crimen significet. Sed in canone eo varie peccatur. Primùm, utcunque genitivus ille à verbo regeretur, non tamen ἁπλῶς dictum oportuit, verba accusandi, ac similia, regere genitivum; sed certa quædam verba ejus significationis. Nam, quamvis dicamus, *furti*, aut *sceleris te accuso*, *arcesso*, *arguo*, *alligo*, *adstringo*, *defero*, *incuso*, *condemno*, *convinco*: non tamen facilè reperias apud veteres, *taxare aliquem luxuriæ*, *sugillare ambitionis*, *traducere furti*, quibus passim utuntur juniores: sed potiùs, *ambitionem alicujus sugillare*, atque ita in aliis. Ac minùs etiam probare possum, *ago te injuriarum*; pro quo longè malim, *ago tecum injuriarum*; quomodo Cicero dixit pro Cluentio: *Deinde aliquando cum servo Habiti furti egit.* Et Cornificius, vel quisquis ille magister Herennianus, lib. I: *Cum eo Actium egit injuriarum.*

Præterea nec verum est, accusativum semper esse personæ, genitivum criminis. Nam non tantùm dicimus, *accusare adolescentes inertiæ*: sed etiam *accusare* ‡ *inertiam adolescentum*. Utroque enim modo Tullius, & alii, loquuntur.

‡ Cic. ad Qu. Fr.

Sed istis non insistam. Potiùs asseram, numquam accusandi, absolvendi, damnandi verba, regere genitivum, sed tantùm accusativum. Genitivus verò is dependet ab ablativo subintellecto. Ut cùm dico, *argui pigritiæ*, *notari avaritiæ*, genitivus regitur à *crimine*; quod hic intelligitur, à Martiale autem exprimitur. Nam lib. II, epigr. LVI, ait:

> —— *Uxor tua, Galle, notatur*
> *Immodica fœdo crimine avaritiæ.*

Et lib. XI, epigr. LXXX:

> *Arguitur lenta crimine pigritiæ.*

Simile igitur sit, *accuso*, vel *absolvo adulterii*, aut *parricidii*; puta *crimine*. Nec propterea necesse est, semper supplere unà *criminis* voce: sed possis etiam hoc pacto; *damnari*, vel *absolvi parricidii scelere*, *inertiæ peccato*. Quos etiam ablativos jungi videas absolvendi verbis. Cicero pro Mil. *Hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit.* Livius lib. I: *Ego me, etsi peccato solvo, supplicio non libero.* Imò aliter etiam expleas. Ut, *Accuso*, vel *damno te furti*; nempe *caussâ*. *Postulare aliquem repetundarum*; videlicet, *actione*. *Condemno te quadrupli*, vel *capitis*; nempe *pœnâ*.

Necdum tamen sic quoque integer omnino erit sermo: quia ablativus ille, quem vidimus, regitur à præpositione intellectâ. Ut enim ἐλλειπτικῶς dicuntur ista Martialis, *Argui crimine pigritiæ*; *notari crimine avaritiæ*: sic citra ἔλλειψιν efferuntur, *Argui de crimine pigritiæ*; *notari de crimine avaritiæ*. Pro quibus concisiùs dici solet, *Argui de pigritia*; *notari de avaritia*. Cicero quoque aliquoties, *postulare de repetundis*: pro quo, *postulare repetundis*, ait Suetonius in Othone, cap. II: uti & Tacitus lib. III Annal. si vulgata lectio recta est. Idem Cicero pro Roscio Amerino: *De veneficiis accusabantur.* Et lib. I ad Att. ep. V: *Non committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentiâ possis.* Item Verr. II: *Quod in Marco Attilio, qui de majestate damnatus est*, &c. Et Philipp. II: *De vi condemnati sunt.* Ad Q. Fratrem lib. II, epist. XV: *Quo die hæc scripsi, Drusus erat de prævaricatione à Tribunis ærariis absolutus.*

Nec, quia naturalis ille sermo sit, eo existimandum, sic semper loqui licere. Ubi enim à nativâ locutione consuetudo resilit: non primævo sermoni insistendum, sed recepto. Sanè quod dicebamus, de ablativo cum præpositione; id locum non habet, cùm est generale criminis nomen; ut, *scelus*, *maleficium*, *peccatum*, &c. Neque enim dicitur, *postulare*, aut *accusare de crimine*, aut *de scelere*: sed *criminis*, aut *sceleris*; vel *crimine*, & *scelere* sine præpositione. Priorem loquendi modum confirmat, quòd Cicero ait ad Terentiam lib. XIV, epist. XIV: *Sceleris condemnat generum suum.* Posteriorem comprobat hoc Ciceronis ad Curionem lib. II, ep. I: *Si iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine.*

Similiter nec dicimus, *damnare de voto*: sed *damnare voti*, aut *voto*. Prius est apud Livium lib. VII ab U. C. quomodo idem lib. XXXVII ait: *Damnarenturque ipsi votorum.* Ubi sic supplendum existimo, *votorum obligatione*, vel *persolutione*, aut simili voce. At Virgilii est Ecl. V:

> —— *Damnabis tu quoque votis.*

Quomodo Seneca epist. XC ait: *Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt.* Et alibi *, *Damnari morbis virilibus.* Ac Tacitus de mor. Germ. *Damnare tributis.*

* Ep 95.

Itidem quia semper videndum, quid usus postulet; etsi integrum sit, *damnari de furto*, propiusque ad illud accedat, *damnari furto*, quàm *furti*: non tamen dicere ausim, *damnare furto*; quomodo Grammatici nonnulli loqui docent. Neque facilè dixerim, *arguere mendacio*; quamquam præeunte fortasse Solino: ut apud quem capite LVI †, legatur: *Quod si etiam ipse peccato aliquo arguitus sit*; pro, *peccati*. Quippe istoc incertum. In libris enim emendatioribus, vel *in peccato arguetur*, editum est: vel, *in peccato arguitur*: quorum posterius MSS. magis consentit.

† Al. 53.

Quæcunque verò diximus de genitivo recto ab ablativo; ablativo item recto a præpositione; ea locum etiam habent in verbis eandem vim habentibus, quam verba accusandi, absolvendi, condemnandi. Nempe ut *accuso*; sic se habent, *interrogo*, *urgeo*, *increpo*. Tacitus lib. XIII Annal. *Sanè pepigerat Pallas, ne cujus facti in posterum interrogaretur.* Idem lib. V: *Quia malè administratæ provinciæ, aliorumque criminum, urgebatur.* Suetonius in Calig. *Modò avaritiæ singulos increpans, quòd non puderet eos, locupletiores esse, quàm se.* Appulejus in Apologia: *Ipse levitatis, & inconstantiæ increpitus.* Item *purgo*, quod contrarium accusationi. Livius lib. XXXVII: *Quibus purgantibus civitatem omnis facti dictique hostilis adversus Romanos, & juvisse eos commeatu classem hostium arguit*, &c. Appulejus in Apologia: *Nec satis mihi duco, si me omnium quæ insimulastis purgavi.* Pro quo Cicero, & Plautus, *de aliquo se purgare.* Qui sermo omnino proprius. Ut *condemno*, ita se habet *noto*. Gellius lib. IV, cap. XII: *Siquis eques Romanus equum habere gracilentum, aut parum nitidum, visus erat, impolitiæ notabatur.* Ubi *impolitiæ* regitur à *crimine*, ut Martialem vidimus antea dicere, *notari crimine avaritiæ*. Item *plecto*. Appulejus in Apologiâ: *Ut obtentu ejus atatula, ipse insimulationis falsæ non plecteretur.* Simileque verbum *prehendo*. Plautus Bacchidibus act. IV, sc. IV:

> —— *Quem mendacii prehendit manifesto modo.*

Cui geminum illud Agellii lib. XI, cap. XVIII: *Servos item furti manifesti prehensos, verberibus affici, & e saxo præcipitari.* Est & Appuleji lib. IX Met. *Coram noxæ deprehensus.* Parque ratio in *teneo*. Ut in illo Caji lib. XLVII Pandectarum, *Si pignore creditor utatur, furti tenetur.* Et hoc Pomponii ibidem: *Debitori tenetur furti.* Itidem *depositi*, & *commodati teneri*, inibi legimus. Quæ & ipsa κατ' ἔλλειψιν dicuntur, quia *actionis*, aut *judicii* nomen intelligitur. Papinianus ibidem: *Ob pecuniam civitati subtractam, actione furti, non crimine peculatus, tenetur.* Paullus: *Furti actione tenebitur.* Et Ulpianus: *Dicendum est, eum teneri furti judicio.* Plerique huc etiam referunt illud Plauti Truculento *: *Manifestam mendacii, mala, te teneo.* Sed *mendacii* cum *manifestam* conjungitur, quomodo apud Sallustium in Jugurthâ est: *Jugurtha manifestus tanti sceleris.* Et apud Tacitum XIV Annal. *Ambitionis manifestus.* Et lib. XV: *Magnæ cogitationis manifestus erat.* Eodemque modo *compertus* genitivo junxère Livius, & Tacitus. Illius est lib. XXII: *Duæ Vestales eo anno stupri compertæ.* Hujus est lib. I Annal. *Nullius tamen flagitii compertum.* Et lib. IV: *Nullius antè flagitii compertum.*

* Sc. Ad fores auscultate.

Video, ad priorum exemplum, dicere nonnullos, *capitis periclitari.* Sed Martialis aliter lib. VI, epigr. XXVI:

> *Periclitatur capite Sotades noster.*

Ubi *capite* regitur à præpositione *de* intellectâ. Et satis etiam pervulgatum hodie, *de capite periclitari.* Quod etsi ple-

plenum, & nativum; tamen cum Martiale potiùs loquar, dum alterius auctor idoneus non occurrit. At cùm significat *experiri*, accusativum regere, satis est apertum. Cic. pro Quinctio: *Omnia circumspexit Quinctius, omnia periclitatus est.*

Cap. XXVII.

Verba παθητικά, tam personalia, quàm impersonalia, non regere genitivum, sed casum hunc dependêre aliunde. Indolescere, vereri, fastidire alicujus. Pendêre animi, *&* animis, *usu differre.* Falli animi, *vel* sermonis. Desipere mentis. *Accusandi casus additus verbis παθητικοῖς.*

QUarta falsi regiminis classis est de verbis affectionem animi significantibus: sive ea personalia sint; ut *misereor*, *erubesco*, *fastidio*, *vereor*, & similia: sive impersonalia; ut, *pudet*, *piget*, *pœnitet*, *tædet*, *miseret*, & *miserescit.* Nam & illa, & hæc, genitivum regere, communis est opinio. Personalium cum genitivo priùs exempla adducam. Plautus Capt. act. III, sc. V:

> *Neminis misereri certum est, quia mei miseret neminem.*

Ubi & impersonale. Maro VIII Æn.

> —— *Arcadis, quæso, miserescite regis.*

Ovid. Met. II:

> —— *Successorumque Minerva*
> *Indoluit.*

Ad doloris quoque affectum pertinent, *angi*, & *discruciari animi.* Atque ut dolor, ita & metus est in affectibus. Eoque dici videas, *Vereri alicujus*, pro *ab aliquo.* Sanè Appuleji est lib. II Met. *Quin etiam ipse parentem tuam accedis, & salutas? Vereor ignota mihi feminæ.* Ac Valens Acidalius ait, itidem se invenisse in veteri codice Plauti Mil. act. V, sc. VI: *Ut mei veretur!* Terentii quoque illud simile est Phorm.*

> *Neque hujus sis veritus feminæ primariæ.*

* Act. 5, sc. 8.

Aliquammulta id genus loca collegit Nonius Marcellus†: quæ inter unus hic de voce *revereor*, è Varronis Sardis Venalibus:

† Cap. de numeris, & casibus.

> *Non te tui saltem pudet, si nil mei*
> *Revereatur?*

Locum verò Pacuvii ex Hermoniâ ita corrige:

> —— *Fieri contumeliam*
> *Tyndareo, cujus te veretur maximè.*

Duo verba, quæ proximè sequuntur, nempe *actâ gratulatione*, & corrupta sunt, & planè ad hunc locum non pertinent; ut alibi ostendimus.

Etiam hujus loci sunt, *fastidio*, & *erubesco*: quia, quem piget, fastidit; quem pudet, erubescit. Prius cum gignendi casu Lucilius usurpat:

> *Tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum.*

Ac, ne de veritate ejusce lectionis dubitemus, dixit Plautus Aulul. act. II, sc. II:

> *Abiit, neque me certiorem fecit, fastidit mei.*

Locutus etiam eopse modo Titinius apud Nonium in *Psaltriâ.*

Altero usus Curtius lib. V: *Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortunæ.*

De impersonalibus etiam videamus. Terentius Heaut. act. II, sc. III: *Cujus nunc pudet me, & miseret, qui harum mores cantabat mihi.* Cicero in Cat. *Num igitur, si centesimum vixisset annum, senectutis eum suæ pœniteret?* Ovid. II Met.

> —— *Pigetque*
> *Actorum sine fine mihi, sine honore laborum.*

Quo ex loco Ambrosius Calepinus colligebat, *piget* etiam regere dativum. Verùm, *mihi*, non à *piget* dependet; sed ab *actorum.*

Idem fit in præteritis eorum passivis; *misertum est*, *puditum est*, *pertæsum est.* Terent. Heautont.‡

‡ Act. 3. sc. 1.

> *Sic me Di amabunt, ut me tuarum miseritum 'st,*
> *Menedeme, fortunarum.*

Plautus Bacch.*

* Act. 3. sc. 1.

> *Neque mei, neque tui, intus puditum est factis, quæ facis.*

Livius III ab Urbe:

> *Nec nominis homines tum pertæsum esse.*

Atque hæc abunde docent, qualis fuerit Romana loquendi consuetudo. Caussa verò ejus sermonis non est, quòd affectuum verba regant genitivum: sed quia, cùm compendio, & elegantiæ, studerent Romani; nomen omitterent substantivum, unde genitivus regeretur. Nam, *misereri*, *indolescere*, *fastidire*, *vereri alicujus*, dixere, pro, *alicujus caussâ.* Ac similiter, *misereri*, *miseret*, *pudet*, *piget fratris*; pro, *fratris ergo*, sive *fratris nomine*, vel *gratiâ.* Possis etiam supplere hoc modo: *misereri misericordiâ alicujus: indolescere dolore cujusquam: fastidire ullius fastidio: vereri verecundiâ alterius: pudet pudore alicujus: tædet tædio alicujus*, atque ita in aliis.

Eadem est ellipsis in aliis quibusdam, quæ ut affectum non significent, ab natura tamen eorum non longè recedunt. Quale est, *pendêre animi*: quomodo loquimur, si de uno sit sermo: ut *pendere animis*, dicimus, si de pluribus. Cicero Tusc. Quæst. lib. I: *Quòd si exspectando, & desiderando, pendemus animis, cruciamur, angimur.* Quo ipso ex loco clarè videmus, non ineptè, quod *animi pendêre* dicimur, referri ad structuram de animi affectu; quando in eo dolorem, & anxietatem, inesse hic dicitur. Idem Tullius lib. I de legib. *Ego animi pendêre soleo, cùm semel quid orsus traducor aliò.* Cœlius ad Cic. lib. VIII, epist. V: *Quâ tu curâ sis, quod ad pacem provinciæ tuæ, finitimarumque regionum, attinet, nescio: ego quidem vehementer animi pendeo.* Nimirum, *pendere animi*, pro, *pendere animi caussâ*: hoc est, *quod ad animum.* Nisi malis sic supplere, *pendere animi cogitatione*, *consilio*, *voluntate*; vel simili modo. Similis ellipsis, *falli animi.* Usitatius quidem est, *animo falli*: ut Plinius, *falli memoriâ.* Statius *visu falli*, ait. At Lucretii est lib. V:

> *Nec me animi fallit* ——.

Etiam *falli sermonis* dixit Plautus Epid. act. II, sc. II:

> *Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallebar tamen,*
> *Quæ loquerentur.*

Itidem, *desipere animo*, usitatum: sed *desipere mentis*, dixit Plaut. Epid. I, II:

> *Desipiebam mentis, cùm illas scriptas mittebam tibi.*

Schoppius lib. III Suspect. Lect. epist. IX, ostendit, eopse modo locutum Symmachum*. Verba Symmachi ad Patrem sunt: *Num vobis videor multa luxuria ebrius mentis insipere, atque adeò in Poëtas nomen dedisse?*

* Epistolâ primùm à Schoppio in lucem editâ lib. I Verisimil. cap. II.

Ex his cognoscere fuit caussam, ob quam verbis affectuum, & similibus, genitivum addiderint. Naturâ verò suâ accusativum regunt: quem addi sæpe videas, etiam cum adjungitur genitivus. Ut in Plautino illo antè adducto, *Mei miseret neminem.* Ac similiter Turpilius Epiclero†:

† Apud Nonium cap. de contrariis generibus verborum.

> *Quàm matris, nunc patris me miseretur magis.*

Quadrigarius in annali undevigesimo*: *C. Mari, ecquando te nostrûm, & Reip. miserebitur?*

* Apud Gellium lib. 20, cap. 6.

Par etiam ratio in *vereor.* Nam accusativum cum genitivo videmus in illo Pacuvii, apud Nonium†:

† Cap. de numeris & casibus.

> *Nilne te populi veretur, qui vociferare in via?*

Et hoc Attii‡:

‡ Ibidem.

> *Si tui te veretur, qui vociferare in via?*

Citra genitivum usurpat Cicero in II de Finib. *Quos non est veritum in eâ voluptate, quæ maximâ dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere, contemnentes istam vacuitatem doloris.* Similiter in *pertæsus.* Suetonius in Cæsare cap. VII: *Et quasi pertæsus ignaviam suam, quod nihil dum à se memorabile actum esset.* Et in Augusto: *Cum hâc divortium fecit, pertæsus morum perversitatem ejus.* Et in Tiberio: *Semet ipse pertæsus.* Imò *tædet* ipsum accusativo, ut ajunt, junxit Seneca lib. I de Ira, cap. ult. *Ira ea tædet, quæ invasit.* Ubi *tædet* sumi iis videtur, pro *odit*: ut *pertæsus* penè idem, ac *exosus.* Sed in optimis quibusque libris, pro *tædet*, constanter invenio, *tenet.*

Mise-

Miseret etiam gemino jungitur accusativo, uni personæ, alteri rei. Terentius Heaut. act. IV, sc. V:

Ita me Di amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miseret me.

Sed accusativum personæ, exigit naturâ suâ: alter regitur à præpositione intellectâ. Nam integrè fit, *ob vicem Menedemi*. Utcunque autem *misereor* habeat genitivum: *miseror* tamen accusativum tantummodo adsciscit. Cæsar in primo de bello Gall. co: *Commune periculum miserari.* Ac Maro in VI:

Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores.

Et in XII, *sortem miserari*. *Erubescere* quoque, pro *pudere*, genitivo quidem jungitur à Curtio, ut antè vidimus: cum accusativo tamen usitatius est. Cicero in Vatin. *Affines te erubescunt.* Et primo de Nat. Deor. *Epicurus voluptates non erubescens, persequitur omnes nominatim.* Ac par ratio in *fastidio*. Cætera de affectuum verbis inferiùs* dicemus, cùm Græcorum, Romanorumque in his morem comparabimus.

* Cap. 30

Cap. XXVIII.

Memini, recordor, reminiscor, illius, illud, & de illo. Oblitus nominis, & nomen. *An memini amet accusativum personæ.* Memini de re, *dici, sive notet* in animo habere, *sive* mentionem facere. *Cum verbis memoriæ, & oblivionis, additur genitivus, casum eum regi à nomine* memoria, *vel* recordatio, *vel* res, *aut alio. Simili ellipsi dicit*, Venit in mentem alicujus rei. *Pro quo &*, Venit in mentem de hac re. *Verba monendi non quibusvis jungi accusativis. Genitivos iis additos dependêre ab intellecto ablativo.*

QUinctus falsi regiminis canon est de verbis memoriæ & oblivionis. Quæ ipsa nunc genitivum ajunt regere, nunc accusativum: priora quoque ablativum cum præpositione. Ut, *memini multorum, memini multa*, & *memini de multis. Recordor*, vel *reminiscor, talium, talia*, vel *de talibus. Obliviscor actorum*, vel *acta*. Genitivus est in istis. Terentius Eunucho*:

Faciam, ut hujus loci, dieique, meique, semper memineris.

Idem Hecyr.† *Ejus reminiscor.* Virgil. III Æn.

Oblitusve sui est Ithacus. ——

Accusativum usurpat Maro IX ecl.

—— *Numeros memini, si verba tenerem.*

Ovid. Ponticorum lib. I, el. VIII:

Nam modò vos animo, dulces, reminiscor, amici.

Maro II Æn.

—— *Hinc jam obliviscere Grajos.*

Ut non audiendus sit Caper libro de Orthographiâ, cum ait: *Oblitusne sis nostri, non nos.* Quippe ut ipse subjungit: *Veteres & hoc modo dixerunt.*

Ablativo cum præpositione usus Cicero pro L. Flacco: *De vi, de manu, de armis, de copiis memineritis.* Idem pro Plancio: *Quoniam istis vestris lachrymis de illis recordor.*

Sed in hisce discrimen aliquod observatur. Nam *recordor* promiscuè cuivis casui sociatur. At *memini* accusativum rei adsciscit, vix personæ. Quomodo dixeris, *memini Ciceronis*, non *Ciceronem*. Est tamen Ciceronis ipsius Philipp. V: *Cinnam memini, vidi Syllam, modò Cæsarem.* Sed videtur hic intelligi, *videre*: ut integrè sit, *Memini me Cinnam videre*: quia sequitur, *vidi Cinnam, modò Cæsarem.*

Memini verò non solùm ablativum cum præpositione adsciscit, quando significat *in memoria habere*: sed etiam cum notat *facere mentionem*. Prioris exemplum antè vidimus. Estque ejusdem Ciceronis lib. XV, epist. XXVI: *De Planco memini.* Et ibidem: *De Herode, & de Metio meminero, & de omnibus, quæ te velle suspicor.* Metellus similiter ad Ciceronem lib. V, epist. III: *De illo ne meminisse quidem volo.* At pro *mentionem facio*, similiter Fabius lib. XI, capite III: *De quibus multi meminerunt.*

* Act 4, sc. 5.

† Act 3, sc. 3.

Ex his videre est veterem loquendi morem. Sed nihil hæc eos juvant, qui genitivum regi putant à verbis memoriæ, aut oblivionis. Regitur enim ille à substantivo intellecto. Ut, *Memini beneficii*; valet *memoriam*, vel *de memoria beneficii*. Sic *reminiscor*, vel *recordor pueritiæ*, valet, *pueritiæ memoriam*, vel, *de memoria pueritiæ recordari*. Priori modo supplet ipse Cicero pro Archia: *Pueritiæ*, inquit, *memoriam recordari ultimam.*

Eadem est ellipsis, cùm dicitur; *Venit mihi in mentem ejus rei*, vel, *de hac re*. Cicero pro Quinctio: *Non minùs sæpe ei venit in mentem potestatis, quam æquitatis tuæ.* Nam & hic subtrahitur *memoria*, vel *recordatio*: quomodo & supplet Despauterius, ac Linacer in sexto. Alii enallagen statuunt. Nam, inquiunt, *ejus rei* dicitur, pro *ea res*. Sed non sic aperiunt caussam figurati sermonis: quæ non aliunde intelligitur, quàm ex ellipsi.

Dicitur verò non solùm, *venit in mentem* hujus rei; sed etiam, *hæc res*, & *de hac re*. Cicero in Verr. *Venit tibi in mentem nunquam populi Rom. dignitas.* Plautus Mostell.

Ut lepide, atque astute, in mentem venit de speculo.

Sunt viri maximi nominis, qui, ut legimus, *Venit in mentem ejus rei*, sic dicant, *Succurrit ejus rei*. Sed non occurrit mihi nunc veterum aliquis, qui sic loquatur. Sin ita dixere, etiam hic *memoria* intelligitur.

Verbis memoriæ, & oblivionis, affinis admodum est natura verborum *moneo, admoneo, commonefacio*. Nam itidem dicimus, *Moneo te hujus rei, hanc rem*, vel *de hac re*. Livius lib. XLV: *Qui admonerent fœderis cum Romanis.* Cicero lib. II de Nat. Deor. *Multa præterea ostentis, multa in extis admonemur.* Idem pro lege Maniliâ: *De quo vos paullo antè invitus admonui.* Et lib. II de Divin. *A quâ, præterquam de suo plenâ, quid moniti sumus?* Non tamen quibusvis junguntur accusativis; sed pronominis demonstrativi, ut *hoc, illud, istud, id*: adhæc *quod*, vel *quid*, cum composito *aliquid*: præterea quæ ad numerum pertinent, ut, *unum, duo, tria*, & ita porrò: item *multa, pauca, nihil, nonnihil*. Quare etsi Cicero lib. IX, epist. dicat, *Illud me præclarè admones*: non tamen dixero, *Errorem me præclarè mones*; sed *erroris*, vel *de errore*. Imo cùm dicimus, *illud admones*, non videtur sermo integer, sed figuratus. Nimirum intelligitur hoc pronomen à præpositione intellectâ, quæ Græco κατὰ respondeat. Quomodo *illud moneo* simile fuerit, ac *illud dubito*: de quo dicam cap. XLIII.

In genitivis verò, non, ut in memoriæ vel oblivionis verbis, accusativus *memoriam*, vel *recordationem* intelligitur; sed ablativus *caussâ*. Nam *monere aliquem erroris*, valet, *erroris caussâ*. Nisi malis sic supplere, *de re*, vel *negotio erroris*.

Cap. XXIX.

Genitivos non regi à verbis æstimandi, sed ab accusativis, vel ablativis pretii, per ellipsin omissis. Rectene dicatur, parvi curo, *aut* majoris æstimo. Tantidem facit. Ἔλλειψις *suppleta in*, Æqui bonique facio: *&*, Boni consulo. *Item in*, Magno, *aut* nihilo æstimare. *Nec* interest, *aut* refert, *genitivum regere, vel ablativum pronominum: sed & ista dici* ἐλλειπτικῶς. Cujus, *vel* cuia interest. Interest, *&* refert, *quid propriè significent.* Mea, tua, sua, *& similia, duobus, quæ dixi, verbis juncta auferendi esse casus, ostenditur contra Donatum, & Julium Scaligerum.*

SExtus falsi regiminis canon est de verbis æstimandi: quæ regere ajunt genitivum pretii, nunc substantivum, nunc adjectivum. Substantivum quidem, ut illo Catulli epigr. V: *Omnes unius æstimemus assis.* Et epigr. X: *Prætor nec faceret pili cohortem.* Item, *flocci facio, nauci non facio, nihili pendo.*

Adjectivum autem illo Ciceronis IV Acad. Quæst. *Quanti*

ti libertas ista æstimanda est? Et I Acad. Qu. *Ex iis alia pluris esse æstimanda, alia minoris.* Ac similiter cum genitivis, *tanti*, *magni*, *maximi*, *parvi*, *minimi*, *nihili*: quemadmodum mox planius erit.

Sed reguntur universi hi genitivi aut ab accusativo *rem*, vel *pretium*: aut ab ablativo *re*, vel *precio*. Nam illud, *magni æstimo*, integre est, *rem magni pretii æstimo*: sive, *pro magni æris pretio æstimo*: vel hoc pacto, *pro magni pretii re æstimo.* Itidem, *parvi duco*, sic suppleas, *rem parvi pretii duco*: vel, *pro re parvi pretii duco.* Ut usitate dicitur, *pro nihilo ducere.* Adjectiva in talibus cum *æris*, vel *pretii*, convenire, cognoscimus ex eo, quòd similiter dicitur: *Codex accepti, & expensi*, puta *æris*. *De meo*, puta *ære*. Imò Terentius substantivum expressit*. *Videtur*, inquit, *esse quantivis pretii.* Ubi nihil, nisi substantivum *res*, desideratur. Donatus etiam in Adelphos†, *Quanti est*, exponit, *Quanto pretio valet.* Quare ἔλλειψις est in illo Ciceronis II de Fin. *Magni æstimabat pecuniam*: supplendumque hoc pacto: *Rem magni pretii æstimabat pecuniam.* Item Verr. VI: *Quanti is a civibus suis fieret, quanti auctoritas ejus haberetur, ignorabas?* Quod integrè sit, *Quanti vir pretii.* Et pro Plancio: *Magni putare honores*: expleas hoc pacto: *Magni pretii rem putare honores.* Item in *facio*: ut cùm Plautus ait: *Neque jam teruncii faciunt.* Quod sic expleas: *Non faciunt*, sive, *æstimant pro pretio teruncii.* Similiter in *sum*: ut Plauti Truculento‡: *Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem.* Hoc est, *est res pluris pretii.* Item in *valeo.* Ut cum in Digestis legimus: *Tanti valet res, quanti vendi potest.* Item, *Pluris hæreditas valeret.* Nam citra ἔλλειψιν erit, *Tanti æris pretium valet res, pro quanti æris pretio vendi potest. Hæreditas valeret rem pluris æris*; vel, *pluris pretii.* Naturâ enim suâ *Valeo* accusativum requirit. Ut apud Varronem lib. IV de L. L. *Denarii, quòd denos æris valebant; quinarii, quòd quinos.* Quod de *valeo* cum genitivo diximus, idem locum habet, quando *sum* additum habet genitivum pretii. Ut apud Cic. lib. III de Off. *An emam denario, quod sit mille denariûm?* Citra ellipsin fuerit, *res mille denariûm.*

* Andr. act. 5, sc. 2.
† Act. 5, sc. 9.
‡ Act. 2, sc. 6.

Ex iis, quæ de ratione supplendæ ellipsios in verbis æstimandi diximus; judicium quoque facimus de mercandi verbis, cùm genitivis junguntur, *tanti*, *quanti*, *pluris*, *minoris*, cum compositis. Ut illud Petronii: *Tanti non emo, Lai, pœnitere*: integrè est, *Pro tanti æris pretio.* Et ita in aliis.

Quæritur, rectène dicatur, *Parvi curo*: ut, *parvi æstimo.* Non arbitror. Scio, obduci illud Terentii Heautont. act. IV, sc. III:

> *Tu fortasse, quid me fiat, parvi curas, dum illi consulas.*

Sed invalido nituntur tibicine, cùm in melioribus libris sit *parvipendas.*

Etiam in controversia est, utrùm dicatur, *majoris æstimo.* Comprobari inde videtur, quia *magni æstimare* legimus apud Ciceronem lib. II de Fin. &, ut dixi, pro Plancio habemus, *Magni putare honores*: ac Terentii quoque est Andr.*

> *Meritò te semper maximi feci, Chreme.*

Imò & apud Plinium lib. XXXV, cap. X, de Pamphilo dicitur: *Docuit neminem minoris talento annis decem.* Verùm, utcunque hæc non multùm abeant, nondum tamen audimus, *majoris æstimo.* Credo, quia pro *majoris* potiùs *pluris* dixisse videntur. Nam Ciceronis pro Sextio est: *Quis Carthaginensium pluris fuit Annibale, consilio, virtute, rebus gestis?* Et Philipp. VI: *Habetur hic pluris, quam alibi.* Rectè tamen, ut *quanti*, sic *quantivis*, sociaveris. Nempe ut Terentius ait, *Videtur esse quantivis pretii*: sic dixeris, *quantivis pretii æstimes.* Similiter *tantidem* jungas. Cicero pro Sexto Roscio: *Is voluntatem municipum tantidem, quanti fidem suam fecit.* Paullus I. C. *Nec enim tantidem Romæ, ac in Hispali oleum æstimabitur.*

* Act. 3, sc. 3.

Ad verba æstimandi, ob structuræ similitudinem, referre etiam solent, *Æqui bonique facio*: ubi gemina est ellipsis; una substantivi ejus, quod regit; altera illius, quod regitur. Nam, *Consulo æqui, & boni*, valet *statuo*, vel *censeo esse æqui*, vel *boni animi*, aut *hominis.* Ubi substantivum rectum videmus. Regens suppleas, si dicas, *Æqui & boni*, seu *animi*, seu *hominis officium*, aut *factum.* Itidem, *Consulo boni*, valet, *interpretor esse boni animi*, vel *viri munus*, aut *factum.*

Ex iis, quæ hactenus adduximus, videre fuit, ut genitivus verbis æstimandi adjunctus regatur ab nomine accusandi, vel ablativi casus. Nam *æstimo magni*, sic supplevimus, *æstimo rem magni pretii*: vel, *æstimo pro re magni pretii.* Unde facilè est supplere alteram ellipsin, cùm verba æstimandi junguntur ablativis, *magno*, *permagno*, *parvo*, *nihilo.* Ut Verrinâ VI: *Tu ista permagno æstimas.* Et IV de Fin. *Quia sit nonnihilo æstimandum.* Item substantivis ejusdem casus. Ut lib. III in Verrem: *Tribus denariis æstimavit.* Et Quinctil. lib. XI, cap. I: *Sic* (Socrates) *egit, ut qui pœnam suam summis honoribus esset æstimaturus.* Quorum ellipsin sic suppleas: *Æstimas pro permagno, pro nonnihilo, pro tribus denariis, pro summis honoribus.* Quomodo dicitur, *pro nihilo putare*, vel *habere.*

Magna verò est affinitas verborum æstimandi cum impersonalibus, ut vocant, *interest*, & *refert.* Nam ut verbis æstimandi additur in genitivo casu nunc substantivum, nunc adjectivum: ita & verbis *interest*, & *refert.* Substantivi exemplum habes illo Ciceronis pro Domo: *Reip. semper interesse putavi.* Et hoc Verr. V: *Neque illud unquam aratoris interfuit.* Item Quinctiliani lib. IX, cap. IV: *Plurimum refert compositionis, quæ quibus anteponas.* Adjectivo, ut cum genitivis pretii, *magni*, *permagni*, *parvi*, *tanti*, *quanti*, *pluris.* Cic. in Bruto: *Magni interest, quos quisque audiat quotidie.* In Partit. *Quod enim permagni interest, sæpe pro necessario habetur.* Idem ad Quinctum Fratrem lib. I, ep. I: *Sed tamen parvi refert abs te ipso jus dici æqualiter, & diligenter, nisi item ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris.*

Falli tamen censeo, qui dicunt, *plurimi interest*; aut, *minimi refert*: ubi, quantum recordor, veteres semper, *plurimùm interest*; &, *minimè refert.*

Quod etiam nonnulli arbitrantur, Latinè dici, *interest mea esse talium intelligentioris*; *refert tua, esse paullo liberioris*: metuo ne veterum autoritate nequeat comprobari. Quare, usque dum hoc dicendi genus stabiliant idoneo auctore, dixero, *interest mea, ut sim talium intelligentior*: *refert tua, ut paullo sis liberior.* Vel si infinitivum retinere visum, *esse intelligentiorem*, *esse liberiorem.*

In eo etiam conveniunt *interest*, & *refert*, cum verbis æstimandi, quòd ut hæc junguntur ablativis, *magno*, *permagno*, *parvo*, *nihilo*: sic *interest*, & *refert*, jungantur ablativis, *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra*, *cuia.* Cic. ad Tir. lib. XVI, ep. VI: *Et tua, & mea, maximè interest te valere.* Cicero pro L. Vareno*: *Ea cædes crimini potissimum datur ei, cuia interfuit; non ei, cuia nihil interfuit.* Idem pro Muræna: *Detur ei cui interfuit: non ei, cuia nihil interest.* Sic citat Priscianus lib. XII. Terent. Eun. act. II, sc. III:

> —— *Mea nil refert, dum potiar modò.*

Idem Phorm. act. IV, sc. V:

> —— *Quid tua, malum, id refert?*

* Apud Priscianum lib. 12.

Quæritur, an quod ajunt, provocabula memorata semper ablativo, numquam genitivo efferri: id de *cujus* quoque verum sit. Obstare videtur Ciceronis illud Philipp. I: *Quis enim est hodie, cujus intersit, istam legem movere?* Verùm non difficulter occurritur; quia *cuia* ablativus est à recto *cujus*, sive feminino, *cuia*: at genitivus *cujus* est à recto *quis.*

Quærat aliquis, an non interdum utraque jungatur structura, illa genitivi, & hæc ablativi. De genitivis adjectivis minimè ambigo: quomodo dicimus, *Magni interest mea*: *Minima vestra refert.* Plautus:

> *Nihilo pluris tua hoc, quàm quanti illud refert mea.*

Sed non, ut Cicero ait, *Tuum hominis simplicis pectus*:

ita facilè dixero, *Tua hominis simplicis interest.* Nec ut apud Plinium est, *Post tuum hominis eruditissimi judicium:* ita ausim dicere, *Tua eruditissimi hominis refert.* Sic nec, *refert mea natu maximi*; sed, ut apud Terentium est in Adelph.*

* *Act.* 5, *sc.* 4.

Id mea minimè refert, qui sum natu maximus.

Nec, *vestra patrum interest*; verùm, ut est apud Plinium in epistolis: *Vehementer interest vestra, qui patres estis.*

Sed ista fortasse apertiora. Operosior disquisitio, rectène in istis, *interest*, vel *refert*, *mea*, *tua*, *sua*, & similibus, provocabulum ablativi casus statuamus. Donatus cum accusativum facit. Nam in illud Terent. Phorm.†

† *Act.* 4, *sc.* 5.

—— *Quid tua, malum, id refert?*

Et quare, inquit, *quomodo dicatur: Quid mea, quid tua? an deest ad? ut sit ad mea, aut ad tua.* Quod si placet, integrè sit, *interest*, vel *refert ad mea*, aut *tua negotia.* Nec dicere possumus, non loqui sic Latinos. Nam Plauti est Persâ act. IV, sc. III:

Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Persæ quid rerum gerant?

Et eâdem comœdiâ‡:

‡ *Act.* 4, *sc.* 4.

—— *Priùs percontari volo,*
Quæ ad rem referunt.

Cicero quoque lib. II Acad. Quæst. ait: *Hæc refelli possunt; sed ad id, quod agitur, nihil interest.* Idem quoque lib. V, epist. XII, ad famil. *Equidem ad nostram laudem non multùm video interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te exspectare.* Et sanè dicitur quoque, *cui refert.* At quid hoc aliud, quàm *ad quem refert*? Plautus Truculento*:

* *Act.* 2, *sc.* 4.

Sed quid istuc? cui rei id te assimulare rettulit?

Hæc evincere videntur, *interest*, vel *refert mea*, integrè esse, *interest*, vel *refert ad mea negotia.* De casu accusativo etiam Donato adsentit Julius Scaliger de caussis L. L. cap. CXXV: ubi, *tua nihil refert*, sic resolvit, *tuas res non repræsentat.* Nempe vult, *refert* dici: ut *adfert*: eoque *refert tua*, valere, *adfert* sive *repræsentat tua.* Quomodo ne ellipsis quidem erit; sed locutio propria. Illud etiam *interest mea* sic interpretantur plerique: *Est inter mea.* Sed neutrum placet. *Refert* quidem si foret à præpositione loquelari *re*, primam corriperet: quæ semper longa. Diximus de isto lib. II de Arte.

Priscianus verò lib. XVII, & eo, quem de Comicis dimensionibus accuratè scripsit, vult *mea*, *tua*, & similia, esse ablativos; atque addit, subaudiri *in re*: nam *interest*, vel *refert meâ*, valere *interest*, vel *refert in re meâ*, hoc est, utilitate meâ. Quomodo legimus, *in re mea est*, pro *refert* vel *interest mea.* Plautus:

Utrumve veniat, necne, nihil in re est mea.

Terentius Andr.*

* *Act.* 3, *sc.* 3.

Si in re† est utrique, ut fiant, arcessi jube.

† *Alii rem. Sed MSS nostri, & quibus usus Rivius, in re. Et ita Linacer.*

Eundem casum esse censet, cùm Laurentius Vallensis, tum Augustinus Saturnius‡. Ego de casu planè horum sententiæ subscribo: atque, ut alia omittam, vel Iambicus ille Terentii*, jam ab aliis adductus, nodum mihi solvere videtur:

‡ *Lib.* 3, *Merc. Maj. c.* 17.
* *Phorm. act* 5, *sc.* 8.

—— *Vos me indotatis modò*
Patrocinari fortasse arbitramini:
Etiam dotatis soleo. C. quid id nostra? P. nihil.

Ubi metrum claudicabit, nisi *nostra* fuerit ablativus. Aliter etiam hoc evincitur. Nam Plautus *mea* supplet, addito substantivo *gratiâ.* Sic enim ait Persâ:

Meâ istuc nihil refert, tuâ refert gratiâ.

Ergo, *mea refert*, vel *interest*, valeat, *refert*, vel *interest meâ gratiâ*, sive additâ præpositione, quæ desideratur, *meâ de gratiâ*: hoc est, *meâ de caussâ.*

Ex his quoque non obscurum erit, quomodo supplenda sit ellipsis, cum in genitivo dicitur, *interest*, vel, *refert naturæ, hominum, Ciceronis, civium, Reip. magni, parvi, pluris*, & similia. Nam si *gratiâ*, vel *caussâ*, aut simile, intelligitur in ablativo *meâ*, *tuâ*: quid impedit similiter hic genitivos regi à *caussâ*, vel *gratiâ*? Ita *interest Ciceronis*, valeat, Ciceronis *gratiâ*. *Refert civium*, fuerit, *civium caussâ.* Nempe, ut Græci solent intelligere χάριν†, vel ἕνεκα‡. Quanquam possis & cum Prisciano supplere, *in re.* Ita *interest*, vel *refert Ciceronis*, valebit, *interest*, vel *refert in re Ciceronis.* Genitivus igitur regetur ab ablativo *re.* Quod si Verrium Flaccum audimus, *refert Ciceronis*, valet, *rei Ciceronis fert*, hoc est, *adfert utilitatem rei*, vel eam *fert rebus Ciceronis.* Festum audiamus: *Refert cùm dicimus, errare nos ait Verrius. Esse enim rectum, rei fert; dativo scilicet, non ablativo casu: sed esse jam usu possessum.* Sanè credo Verrio, *refert* priùs fuisse *rei fert.* Nullus tamen in eo error, quòd *refert* dicimus. Nam sic locuti ante Verrium scriptores omnes. Et profectò, si extra compositionem veteres ajebant, *die*, pro *diei*; *fide*, pro *fidei*; *facie*, pro *faciei*; ut suo loco* ostendimus: quanto minùs vitiosum, si in compositione vocalis posterior nominis *rei* exteratur? Quid enim usitatiùs, quam ut in compositione litera, maximeque postrema partis prioris, deperdatur? Dixeris, si *refert* propriè est *rei fert*, commode quidem illud, *refert Ciceronis*, exponi, *fert rei Ciceronis*: at *refert mea* explicari non posse, *fert rei mea*, quia *meæ* fuerit dicendum. Rectè quidem, si *refert* primævam indolem retinuisset. Nunc paullum ab ea abiit; ut valeat idem ac simplex *fert*, vel compositum *adfert.* Atque idem in *interest* factum. Nam conflatum ab *inter*, & *est*: eoque *interest Ciceronis*, valet, *est inter res Ciceronis.* Et tamen *interest mea*, non possis supplere, *est inter mea*; nisi casum simul mutes, qui in priori, ut vidimus, non est accusativus pluralis, sed ablativus singularis. Ut igitur ubique par ratio sit ellipsios, *interest*, vel *refert Ciceronis*, item *interest*, vel *refert mea*, potiùs suppleamus hoc modo, *interest*, vel *refert Ciceronis gratiâ*, vel *meâ gratiâ*, pro *mei gratiâ.* Item *interest*, vel *refert in re Ciceronis*, *in re meâ.*

† Gratia.
‡ Caussa.
* *Lib.* 2 *de Anal. cap.* 19.

Porrò tum genitivis, tum ablativis, crebrò additur nominativus *nihil*: ut, *nihil interest mea*, *nihil refert Ciceronis.* Item provocabula, *id*, *hoc*, *illud*, *quiddam*, & similia; ut, *illud interest Ciceronis*, *hoc refert mea.* Præterea, *tantum*, *quantum*, *multum*, *infinitum*; adverbiaque *parum*, *maximè*, & alia hujus generis. Ut, *Multum interest Ciceronis*; *parum refert mea.* Quorum exempla tria habuimus in Terentii, ac Ciceronis locis antea adductis.

CAP. XXX.

Genitivo juncta verba copia: ut, implere denariorum, abundare rerum, obsaturari alicujus, ferarum scatere, inficere fontis. *Item verba inopia: ut*, consilii egere, carere alicujus, esurire & sitire beatitudinis. *Genitivum in his regi ab ablativo subintellecto; illum, à præpositione, qua quandoque additur, quandoque præteritur.* Egere aliquam rem.

Sex classibus, de quibus vidimus, septima accedit, quæ est verborum copiæ, & inopiæ. Nam similiter hæc genitivum regere dicuntur. Seorsim priùs de copiæ, mox de inopiæ verbis agemus. Copiæ verba sunt, quæ plenitudinem signant. Plautus Amph. act. I, sc. II:

Erroris ambo ego illos, & dementia
Complebo, atque omnem Amphitruonis familiam.

Et eâdem comœdiâ:

Quem propter corpus suum stupri compleverit.

Idem Menæchmis*:

* *Act.* 5, *sc. Edepol ne hic dies.*

Quæ me clam ratus sum facere, ea omnia fecit palam Parasitus, qui me complevit flagitii & formidinis.

Item Aulul.† *implere furum*: in Mercat.‡ *implere elogiorum.* Lucret. lib. V:

† *Act.* 3, *sc.* 6.
‡ *Act.* 2, *sc.* 3.

Hoc facilè expletur laticum frugumque cupido.

Et eodem:

—— *Ararum compleverit urbes.*

Imò Tullius similiter Verrinâ VII: *Completus jam mercatorum carcer est.* Nam participiorum verborumque similis

milis est structura. Ejusdem est hoc ad Papirium Pætum *: *Sed quando, ut video, æstimationes tuas vendere non potes; neque ollam denariorum implere: Romam tibi remigrandum est.* Livius itidem lib. 1 ab Urbe C. *Adolescentem sua temeritatis implet.* Idem lib. v: *Multitudinem quoque, quæ semper ferè regenti est similis, religionis justæ implevit.* Et alibi apud eundem non raro. Virgilius Æn. 11:

—— *Animumque explere juvabit*
Ultricis flamma.

Atque ut *compleo*, *impleo*, *expleo*; de quibus vidimus: similiter, *abundo*, *saturo*, *scateo*. Lucilius: *Quarum abundamus rerum.* Terentius Heaut. †

—— *Na tu propediem*
Ut istam rem video, istim obsaturabere.

Lucretius lib. v:

—— *Ita ad satietatem terra ferarum*
Nunc etiam scatet, & trepido terrore repleta est.

Gellius lib. 1, cap. xvii: *Xantippe irarum, & molestiarum, scatebat.* Ita enim rectè editio Ascensiana, & aliæ ‡: ubi perperam in Stephanicâ *satagebat*.

Quandoque & in verbo *inficiendi* inest significatio *imbuendi*, *implendique*: ut nihil mirandum sit, si, ut dicatur *implere aqua*, ita *inficere aqua* legatur. Appulejus prope extremo libro quincto, in Psyches sermone de amasio suo Cupidine: *Tunc injuria mea litatum crediderim, cum ejus comas, quas istis manibus subinde aureo nitore perstrinxi, deraserim: pinnas, quas meo gremio nectareis fontis infeci, pratonderim.*

Venio ad inopiæ verba: ut sunt *egeo*, *indigeo*, *careo*. Sallustius: *Majores nostri neque consilii, neque audacia, unquam eguere.* Terent. Heautont. *

—— *Dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,*
Præterquam tui carendum quòd erat. ——

Esurio quoque, & *sitio*, pro *careo* sumuntur, similiterque additum habent genitivum. Appulejus de Deo Socratis: *Deprehendas villas æmulas urbium conditas, domus vice templorum exornatas, familias numerosissimas, & calamistratas, opiparam supellectilem, omni affluentiâ, omnia opulenta, omnia ornata, præter ipsum dominum, qui solus; Tantali vice, in suis divitiis inops, egens, pauper, non quidem fluentum illum fugitivum captat, & fallacis undæ sitim: sed vera beatitudinis, id est, secunda vita & prudentiæ fortunatissimæ esurit, & sitit.* Quem locum fusiùs adscripsi, ut ex oppositione stulti divitis, & hominis philosophi, appareat, *esurire*, & *sitire*, non hìc esse desiderii verba, sed inopiæ, & egestatis: de quibus nunc agimus.

Ex hisce verò tot, & tam luculentis veterum scriptorum locis, nihil aliud exprimas, quàm veteres ejusmodi verba junxisse genitivo: minimè verò hinc consequitur, genitivum regi à verbo. Omnino enim is regitur à nomine ablativi casus. Qui in verbis inopiæ erit *res*, *præsentia*, vel simile. Ut *careo tui*, nempe *præsentiâ*. *Esurio pecunia*, puta *re*. At in copiæ verbis intelligitur *copia*, vel simile. Ergo, *inficere fontis*, puta *liquore*. Item, *implere vini*, valet, *implere vini liquore*: vel *vini re*, hoc est, *vino*. Itaque crebrò cum ablativo reperias. Ut apud Maronem *:

Implevitque mero pateram.

Simileque, *Abundare divitiis*. Imò quædam non temere aliter invenias. Ut de copiâ, *affluo*, *circumfluo*; de inopiâ, *deficior*, *destituor*, & *vaco*, pro *careo*. Quomodo dicimus, *affluere divitiis*, *spe destitui*, *vacare culpâ*. Abundo non invenitur cum genitivo: sed solum abundans: quod participium est in nomen degenerans.

Nec tamen hic plenus, ac nativus est sermo: sed tum demum, cùm additur præpositio. Ut apud Ciceronem lib. iv Acad. Quæst. *Res jam universas profundam: de quibus volumina impleta sunt, non à nostris solùm, sed etiam à Chrysippo.* Martialis lib. xiv, epigr. xii:

Hos nisi de flavâ loculos implere monetâ
Non decet: argentum vilia ligna ferant.

Quare *implere vini*, aut *vino*, integrè sit, *implere de vini liquore*: aut *implere de vino*. *Carere*, aut *vacare culpâ*, pro *à culpâ*. Et ita in aliis.

Interdum verò & *egeo* accusativo junctum invenitur. Plautus Menæchmis act. 1, sc. 11: —— *Nec quicquam eges.* Scio, Douzam F. legere *quiquam*: sed meritò improbat id Acidalius, cùm Sallustius in Jugurth. dicat, *Pauca munimento egebat*: & apud Gellium similiter legamus lib. xiii, cap. xxii: *Siquid est, quod utar, utor: si non est, egeo. Suum cuique per me uti atque frui licet. Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.* Videtur autem & in hujusmodi intelligi præpositio. Quomodo *egeo nummos* valeat, *quod ad nummos*. Sed *egeo nummis*, *egeo à nummis*.

Cap. XXXI.

De verbis consequendi, & frustrandi. Potiri alicujus. Hostium potiri, *passivè*. Potivit servitutis. Frustrati captionis. Eludere pugnæ. Decipi laboris.

Octava classis esto verborum consequendi; quale est *potior*: & contrarii; cujusmodi est *frustror*. Quæ genitivo juncta inveniuntur, tum apud eos, qui prorsâ, tum qui vinctâ oratione scripserunt. Cicero ad Lentulum lib. 1, epist. vii: *Nos quidem hoc sentimus, si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum: sin dubium, non esse conandum.* Addunt hoc è lib. 1 de Fin. *Nullas enim consequuntur voluptates, quarum potiundi spe inflammati, multos labores, magnosque, susceperant.* Sed *quarum potiundi* dixit, ut Terentius Heautont. prologo:

Facite æqui sitis; date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam
Sine vitiis.

Accommodatius istud Cæsaris lib. 1 de bello Gallico: *Totius Galliæ sese potiri posse sperant.* Similiter Cornelius Nepos in Cimone: *Classis hostium potitus.* In Dione: *Totius ejus partis Siciliæ potitus est.* Et in Agesilao: *Imperii potitus est.* Sallustius in Jugurth. *Romani signorum & armorum potiti sunt.* In Catil. *Cui fatum foret urbis potiri.* Cornificius lib. iv Rhet. ad Herenn. *Atheniensium potiti sunt Spartiatæ.* Item Gellius lib. vi, cap. xvii: *Sed omnem illam postea librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, asportavit in Persas.* Et lib. ix, cap. iii: *Cujus virtute industriàque Macedones locupletissimo imperio aucti, gentium nationumque multarum potiri cœperunt.* Plautus verò etiam passivè construit. Ut Capt. act. 1, sc. 1:

Nam postquam meus rex est potitus hostium.

Et Epid. act. iv, sc. 1:

—— *Eductam* (filiam) *perdidi.*
Hostium est potita.

Ac Lucretius quoque lib. iv:

Nec dissentit eum leti mortisque potitum.

Imò & activum sic usurpat Plautus Amphitr. act. 1, sc. 1:

Qui fuerim liber, eum nunc potivit pater
Servitutis.

Contrarium esse dicebamus *frustror*: quo ita usus Gellius lib. v, cap. x: *Suo sibi argumento confutatus est, & captionis versutè excogitatæ frustratus est.* Eandemque vim habet *eludo*: ut apud Tacitum in iv Annal. *Eludentes optatæ toties pugnæ*: hoc est, pugnâ toties optatâ frustrantes. Item, *falli*, & *decipi*. Ut, *falli sermonis*, quod valet, *non satis assequi sermonem*: ut potiùs hujus loci videatur, quàm verborum παθητικῶν, cui subjecerunt. Plautum verò sic loqui, superiùs * vidimus. Altero sic usus Horatius lib. 11, od. xiii:

Dulci laborum decipitur sono.

Ut est in plurimis MSS. Quomodo sententia erit, dulci sono carminum Alcæi levatur laborum sensu. Sed in aliis libris est *laborem*: nec mihi minùs placet, uti nec Lambino.

* Ad fam. lib 9. ep. 18.

† Act. 4, sc. 8.

‡ Etiam Lugdunensis Vincentii an. 1571.

* Act. 2, sc. Edepol te, mea Antipho.

* 1 Æn.

* Cap. 27.

CAP. XXXII.

In allatis octo verborum classibus collatio instituitur inter sermonem Græcum, & Romanum: in primo ordine utramque gentem conspirare: in altero aliquantum discrepare: in cæteris Latinos omnino sequi Græcorum exemplum: nec Græcis tamen genitivum verbo additum ab eo regi, sed à voce per ellipsin intellectâ.

SUnt extra ordinem classium istarum, de quibus dictum nobis, alia quoque, quæ similiter casui jungantur patrio. Sed sunt ista, vel apud Poëtas, vel eos, qui Poëtas in prosâ sequi ament. Quamobrem, antequam ad ea accedam, operæ videtur, si in octo illis classibus Græca conferam cum Romanis, ut clarè eluceat, ne apud Græcos quidem genitivum regi à verbo; sed vel à nomine, vel adverbio, vel præpositione intellectâ.

Primus ordo erat verborum *sum*, & *fio*, sive proprietatem, vel officium signent; sive adjunctum laudis, aut vituperationis. Utroque enim conveniunt Romani cum Græcis. Prioris apud Græcos generis est Demosthenis hoc: Οὔτι σωφρόνων, ὅτι γνησίων, ἐστὶν ἀνθρώπων· *neque prudentium, neque ingenuorum hominum est.* Puta, *officium, munus*, vel simile. Alterius generis est hoc Sophoclis: Εἰ φρενῶν ἔτυχεν αὕτη μὴ κακῶν· *si hæc non malæ foret mentis.* Ubi genitivus dependet à γυνὴ † [† Mulier.], quod intelligitur. Nec propterea Hellenismum statuam, cùm Latini sic loquuntur. Ut cùm Plautus ‡ [‡ Act. 3, sc. 4.] Captivis ait:

Est miserorum, ut malevolentes sint, atque invideant bonis.

Et similibus. Propriè enim est Hellenismus, ubi à communi Romanorum sermone ad Græcorum consuetudinem receditur. At hic æquè Romani, ac Græci, ἐλλειπτικῶς potiùs, quàm integrè, loqui solent: ut licet sermo non sit planè nativus, proximè tamen ab eo absit; eoque non Græcanicus, sed quasi nativus, meritò censeatur.

Altera classis erat de verbis genitivo junctis, quò urbs significetur, in quâ quid est, aut fit. Ubi dicebamus præpositionem intelligi cum ablativo. Abeunt in eo Romani à Græcis, qui integrè loqui solent. Nec enim, ut Horatius ait lib. II, ep. II:

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri:

ita Græcè dixeris, Ῥώμης, pro ἐν Ῥώμης πόλει * [* In Roma urbe.]: verùm semper ἐν Ῥώμῃ: ut Herodianus lib. II: Διέτριψεν ἐν ὀλίγον χρόνον ἐν τῇ Ῥώμῃ· *educavit pauxillo tempore in Roma:* quomodo & interdum loquuntur Romani; ut ostendam, cùm ad ablativum erit deventum.

Tertiam ad classem retulimus verba accusandi, absolvendi, damnandi. Quæ & ipsa apud Græcos amant genitivum. Demosth. in Midiam: Ἐπαιτιασάμενός με φόνου· *cùm me cædis accusâsset.* Idem: Ἀφίημί σε τῶν ἐγκλημάτων· *absolvo te criminum.* Idem: Ἀπάντων καταγνῶναι, vel καταψηφίζεσθαι· *damnare universos.* Polybius quoque lib. III: Ἀπολῦσαι τῆς ἐπιφερομένης διαβολῆς· *absolvere impacti criminis.* Nec Græcis tamen genitivus ille regitur à verbo: sed ab accusativo δίκην, aut γραφὴν, vel præpositione περί. E. G. Ἐλλειπτικὸν est, Διώκω σε κλοπῆς, *accuso te furti.* Pro, διώκω σε κλοπῆς δίκην, ἢ γραφήν. Qui accusativus exprimitur illo Demosthenis: Κτησιφῶντα γραφὴν ἱερῶν γραμμάτων ἐδίωκες. *Ctesiphontem sacrarum tabularum reum agebas.* Xenophontis quoque est VI Ἑλλην. Διώκω σε περὶ θανάτου, q. d. *Accuso te de capite:* pro *capitis.*

Quemadmodum autem Latini, pro genitivo *criminis*, etiam ablativum ponunt cum præpositione; ut qui non solùm dicant, *accusare repetundarum*, sed etiam *de repetundis:* ita Græci quoque non modò ajunt, αἰτιᾶσθαι κακῶν; sed quoque αἰτιᾶσθαι ὑπὲρ κακοῖς. Demosthenes: Καὶ μὴν οὐδ᾽ ὁ Φίλιππος οὐδὲν αἰτιᾶται ὑπὲρ τοῦ πολέμου κακοῖς. *Ac nec Philippus de belli malis accusatur.* Est & Herodoti: Ἀλόντα ἐπὶ στάσει, καὶ πολλοῖς ἁμαρτήμασι· quod usitatius, στάσεων, καὶ πολλῶν ἁμαρτημάτων· *convicium de seditionibus, ac multis criminibus.*

Quartus nobis ordo erat de affectuum verbis: quæ & ipsa à Græcis sociantur genitivo. Ut illo Euripidis: Ἀλγῶ παιδὸς † [† Al. παιδὸς, pedis, sive pedem.]· *doleo filii:* pro quo Latini dicerent, *filii vicem*, hoc est, *ob filii vicem.* Græcorum tamen more Ovidius, ut superiùs vidimus, *successorum indoluit.* Ubi Latinis potiùs ablativus: ut idem Naso VII Met.

—— Doluit successu læta virago.

Dolendi etiam verbum est στένω, *gemo:* quod patrio casui jungit Euripides Aulide:

Ἑλλάδος μάλιστ᾽ ἔγωγε τῆς ταλαιπώρου στένω.

Græciæ maximè equidem calamitosæ gemo, ac ploro.

Apud eundem Phœnissis chorus ait:

Φεῦ, φεῦ, κακῶν σῶν Οἰδίπου, σὲ γ᾽ ὡς στένω.

Heu, heu, malorum tuorum, Oedipe, tuus ego, gemo & ploro.

Libenter enim *plorandi* voce interpretor, quando hoc verbi similiter Horatius genitivo jungit Epod. XVII:

Plorem artis in te nullum habentis exitum.

Græci ἕνεκα intelligunt. Sic iidem μεγαίρειν, & φθονεῖν, jungunt casui gignendi. Homerus Iliad. N:

Κυανοχαῖτα Ποσειδάων βιότοιο μεγήρας.

Cæruleam habens cæsariem Neptunus cum ejus vita invidisset.

Plutarchus in Cæsare: Ὦ Κάτων, φθονῶ σοι τοῦ θανάτου· καὶ γὰρ ἐμοὶ σὺ τῆς σωτηρίας ἐφθόνησας· *O Cato, invideo tibi mortis: nam & mihi salutis tuæ invidisti.* Pro quo Latinorum sermo nativus, *invideo mortem*, *invidisti salutem.* Quomodo Cicero Tuscul. III: *Optimam naturam invidere.* Maro IV Æn.

Ascanione pater Romanas invidet arces?

Horatius lib. I, sat. VI:

—— Ut forsan honorem
Jure mihi invideat quivis.

Et tamen idem Horatius lib. II, sat. VI:

—— Neque illi
Sepositi ciceris, neque longæ invidit avenæ.

Itidem in irascendi verbis. Ut μαίνεται τῆς ὀργῆς: *furit ira:* quomodo Seneca in Thebaide * [* Vers 41.]:

—— Regni Laius rapti furit.

Χαίρειν quoque, & συγχαίρειν, quorum illud *gaudere*, hoc *una gaudere*, vel *gratulari* significat, similiter usurparunt. Sic enim Demosthenes: Συγχαίρω σοι τούτου. *Gaudeo de eo tecum:* sive, *gratulor tibi de eo.* Atque ita Virgilius XI Æn.

—— Nec veterum memini, lætorve malorum.

Item Appulejus I Metam. *Sed quid istud voti gaudeo.* Et VII Met. *Sed quod solum poteram, tacitus licet, seræ vindictæ gratulabar.*

Etiam μεταμέλειν, quod est *pœnitere*, hanc amat structuram. Isocrates in Trapeziticâ: Σατύρῳ ἁπάντων μεταμέλει τῶν πεπραγμένων· *Pœnitet Satyrum omnium, quæ egit.*

Μετανοεῖ tamen accusativo gaudet: similiterque αἰσχύνομαι, ἐρυθριάω, δυσωποῦμαι, quæ Latino *pudet* respondent. Ac par ratio in κατοκνεῖν, cui itidem respondet verbum *piget.* Adhæc in ἐλεέω, & οἰκτείρω, quæ *misereri* significant.

Porrò ut Latini in genitivis, quando affectuum verbis adduntur, intelligunt *caussa*, vel *gratia:* ita Græci, ut dixi, χάριν, vel ἕνεκα.

Quintam classem constituebant verba memoriæ, & oblivionis. Quæ Græci similiter copulant genitivo. De priori genere indicat Homerus Il. Ω:

Μνῆσαι πατρὸς σοῖο θεοῖς ἐπιείκελ᾽ Ἀχιλλεῦ.

Memento patris tui, diis similis Achilles.

Item Isocrates ad Demonicum: Τῶν ἀπόντων φίλων μέμνησο· *memento amicorum absentium.* De altero docet hoc ejusdem Poëtæ Odyss. A:

—— οὔποτε λήσομαι αὐτῶν.

—— nunquam eorum obliviscar.

Quomodo & Theognis loquitur initio poëmatis.

Intelligi autem περί; quod addunt Thucydides, Plato, etiam Isocrates; cujus est, ἐμνήσθη περὶ τούτων γυναικῶν·

meminit ejus mulieris. Ut Cicero de lege Agrariâ: *De copiis memineritis.* Vel intellige μνήμην, ut Latini *memoriam*, vel λογισμὸν, *cogitationem.* Nam & Græcis verba hæc accusativum amant. Ut cùm Apollonius sic Argonautica orditur:

Ἀρχόμενος σέο, Φοῖβε, παλαιγενέων κλέα φωτῶν Μνήσομαι.

* A te ordiens Phœbe, priscorum laudes virorum Memorabo.
† Memoria prodam illustria Argonautarum acta.

Hoc est, εἰς † μνήμην ἄξω τὰ ἔνδοξα τῶν Ἀργοναυτῶν ἔργα: ut scholiastes verus exponit.

Quemadmodum item Latini dicunt, *venit mihi in mentem hujus rei:* ita Attici quoque, εἰσέρχεταί μοι τούτου τοῦ πράγματος. Atque ut genitivus *rei* Latinis regitur à nominativo *cogitatio:* ita Græcis genitivus τοῦ πράγματος à nominativo λογισμὸς: qui sæpius exprimitur. Sic enim Plutarchus: ὁ λογισμὸς αὐτὸν εἰσῄει τῆς πενίας· *Venit ei in animum cogitatio paupertatis.* Ac apponitur is quoque nominativus, cùm genitivo additur præpositio. Isocrates Περὶ εἰρήνης: Περὶ ἧς μηδεὶς πώποτε λογισμὸς αὐτοῖς εἰσῆλθεν· *De qua nulla unquam cogitatio iis in animum venit.*

Sextus ordo fuit de æstimandi verbis: quibus Græci etiam apponunt genitivum. Xenophon: Μείζονος δῶρα αὐτὰ τιμῶνται οἱ λαμβάνοντες· *Majoris dona ipsa æstimant, qui accipiunt.* Lysias: Ὃν σὺ ἐλάττονος τῶν ἡδονῶν ἐποίησας. *Quem tu minoris fecisti, quàm voluptates.* Demosthenes contra Androtionem: Ἔστι τοίνυν ὑμῖν σκεπτέον, εἰ τοσούτου τιμᾶσθε τὴν πολιτείαν· *Vobis itaque considerandum est, utrùm tanti faciatis Remp.* Ac similiter genitivos addunt, πόσου, πλείονος, ὀλίγου, & alios ejus notæ. Nec tamen hi à verbis pretii reguntur, sed à præpositione περὶ, vel πρὸ, quarum hæc interdum prior crebrò additur. Lysias: περὶ οὐδενὸς ἡγοῦντο. *pro nihilo putabant.* Demosthenes: Καὶ τὸν νόμον παραβαίνων, ὃν σὺ περὶ ἐλάττονος τῶν ἡδονῶν ἐποίησας· *Legemque transgressus, quam minoris fecisti, quàm voluptates.* Idem: Θνητὸν σῶμα περὶ πλείονος ποιεῖσθαι, ἢ δόξαν ἀθάνατον· *Mortale corpus pluris facere, quàm gloriam immortalem.* Plato: Ὅν ἡγεῖτό με περὶ πλείστου ποιεῖσθαι τῶν ἐν Σικελίᾳ· *Quem putavit me plurimi facere omnium in Sicilia.* Isocrates: Πρὸ πολλοῦ ποιησαίμην ἂν σοι κεχαρισμένους εἰπεῖν· *Magni illud fecero, ut tibi grata sint, quæ dicam.* Galenus: Περὶ παντὸς οὖν ἐποιησάμην καὶ περὶ τοὺς κατ' ἡμᾶς ἰατροὺς λαβεῖν τὴν γραφήν. *Maximi itaque feci, nostri etiam temporis medici descriptionem sumere.*

Nec verba solùm æstimandi, sed etiam vendendi, & emendi, genitivo sociantur. Nam ut Latini dicunt, *Dona multò pluris emitis:* ita Isocrates: Δωρεὰς πολὺ πλείονος ἀγοράζετε. Imò Demosthenis quoque est, χρημάτων ὠνεῖσθαι*. Pertinet huc etiam illud Homericum Iliad. ζ:

* Pecuniis emere.

Ὅς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε
Χρύσεα χαλκείων·
Qui cum Tydide Diomede arma permutavit
Aurea æreis.

Septimo loco egimus de verbis copiæ & inopiæ: quibus itidem apud Græcos genitivus subjungitur: idque, ut arbitror, per ellipsin præpositionis ἐκ. Prius plenitudinis & copiæ verba apponam. Aristophanes Pluto: Αἱ δὲ λήκυθοι μύρου γέμουσι. *Lecythi abundant unguenti.* Aristoteles lib. vi Polit. Φαίνεται δ' ἡ τοῦ γάλακτος πλήθουσα τροφὴ μάλιστα οἰκεία τοῖς σώμασιν εἶναι. *Videtur cibus, qui plurimum abundat lactis, maximè esse corporibus accommodatus.* Herodianus: Τριήρεις ὁπλιτῶν πληρώσας· *cùm triremes implevisset armatorum militum.* Matth. xxii: Ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων· *impletæ sunt nuptiæ recumbentium.* Inopiæ verborum par ratio. Homerus Odyss. γ:

—— πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι.
Omnes homines indigent deorum.

Xenophon Κύρου παιδ. lib. v: Καὶ ἀνδρὸς δ' ἔφη τῇ θυγατρὶ μὴ φοβοῦ ὡς ἀπορήσεις ἀξίου τούτης· *neque metuas, ne destituaris viro filiâ tuâ digno.* Demosthenes: Ὁ παρὼν καιρὸς πολλῆς φροντίδος, καὶ βουλῆς δεῖται· *præsens tempus multæ sollicitudinis ac consilii eget.*

Octava classis erat verborum consequendi, & frustrandi: quæ & ipsa apud Græcos genitivo junguntur. Herodotus: Ὡς ἐπεκράτησαν τῶν πολίων *ut potiti sunt urbium.* Plato: Τοῦ σκοποῦ τευξόμενος· *scopum assecuturus.* Polyb. Τετυχότες σχολῆς· *nacti otium.* Ubi χρῆμα, vel simile, intelligendum. Demosthenes: Ἀποτυχεῖν τῆς ἐλπίδος· *spe frustrari*, pro, ἀπὸ τῆς ἐλπίδος. Sic Isocrates: Τῆς ἐλπίδος πολλοὶ ἐψεύσθησαν· *Multi spe suâ falsi sunt.* Atque idem: Πίπτων τῆς ἐλπίδος· *spe excidens.*

Cap. XXXIII.

De verbis aliis, quæ & ipsa per Hellenismum junguntur genitivo. Ut sunt verba abstinendi, admirandi, arcendi, curandi, negligendi, desinendi, dominandi, ignoscendi, liberandi, participandi.

Nec Hellenismus ille solùm locum habet in octo classibus memoratis: sed aliis etiam, quas literarum serie subjecimus.

Abstinendi verba agmen ducunt. Horat. lib. iii, od. xxvii:

Mox, ubi lusit satis, abstineto,
Dixit, irarum, calidæque rixæ.

Ac similiter, puto, Appulejus in Apologiâ: *Et abstinens nominum, sese quidem Corydonem, puerum verò Alexin vocat.* Græci eodem modo loquuntur: ut in Pythagoræ symbolo: Κυάμων ἀπέχεσθαι, *abstinere fabarum.* Aristophanes, οἴνου ἀπέχειν, *vini abstinere.*

Admirandi verba similiter construuntur. Virg. xi Æn.

Justitiæne prius mirer, belline laborum?

Ubi intellige, *causâ*, vel *gratiâ.* Græcè expresseris hoc pacto, θαυμάζειν τῆς δικαιοσύνης, καὶ τῶν τοῦ πολέμου ἔργων. Ubi intelligitur χάριν, vel ἕνεκα. Ita ἐλλειπτικῶς Demosthenes pro Corona: Τίς γὰρ οὐκ ἂν ἀγάσαιτο τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων τῆς ἀρετῆς; *quis enim non miretur virorum virtutis?* pro, ἕνεκα τῆς ἀρετῆς· *virtutis ergo.* Item Xenophon: Ὑμῶν θαυμάζω, εἰ μὴ βοηθήσετε ὑμῖν αὐτοῖς· *Miror vestri, si non vobis ipsis opitulemini.* Pro, ὑμῶν ἕνεκα. Naturâ enim θαυμάζω accusativum exposcit. Quomodo Plutarchus: Καὶ τὸ κάλλος ἐθαύμασε, καὶ τὴν τόλμαν ἠγάσθη· *Et formam miratus est, & fiduciam stupebat.*

Arcendi & prohibendi verborum par ratio. Silius lib. vi:

—— *Capta prohibere nequiret*
Cùm Pœnos aquila.

Sic Plutarchus: Εἴργειν τῆς θαλάσσης· *arcere*, sive *prohibere mari.* Pro, ἀπὸ τῆς θαλάσσης. Chrysostomus: Φόβος κωλύει πονηρευμάτων· *metus prohibet maleficio:* pro, ἀπὸ πονηρευμάτων. Ut Xenophon lib. iii Cyropæd. Ἀπὸ τῶν αἰσχρῶν κωλύειν· *à turpibus prohibere.*

Curandi, & negligendi verba eundem casum adsciscunt. Appulejus lib. v Met. *Curare corporis.* Item, *Novam nuptam interfectæ virginitatis curant.* Quomodo apud Xenophontem legas: Τῶν σωμάτων ἐπιμέλονται· *curant corporum.* Idem, Ἀμελεῖς τῶν φίλων· *non curas amicos:* vel, si Græcisses, *non curas amicorum.* Regitur autem genitivus ab accusativo φροντίδα. Ut cùm dico, *non curas amicorum*, integrè sit, *Non curas amicorum curam.* Sanè verba ejusmodi regunt naturâ suâ accusativum. Unde idem Xenophon: Τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα οὐκ· *curantes talia.* Item, Τὰ τοιαῦτα ἐπιμελεῖτο· *Talia negligebat.* Utrobique, more Græco, *talium* dixeris. Vel potiùs dependet genitivus à præpositione περὶ, vel ὑπὲρ intellectâ: quarum & hæc, & illa, quandoque exprimitur. Isocrates: Περὶ τούτων αὐτοῖς μέλει. *De istis magis iis cura fuit.* Item, Μελετᾶν ὑπὲρ τῶν κοινῶν, καὶ οὐχ ὑπὲρ τῶν ἰδίων· *Curam gerere de publicis, & non de privatis.*

Desinendi verba genitivo jungit Maro Æn. x:

—— *Tempus desistere pugnæ.*

Horatius lib. ii, od. ix:

—— *Desine mollium*
Tandem querelarum. ——

Silius lib. x:

—— *Consul non desinit iræ.*

Imò

Imò & Quadrigarius apud Gellium*: *Manu significare capit, ut quiescerent pugna. Facta pausa est.* Ubi Ascensiana, Lugdunensis†, aliæque nonnullæ editt. *quiescerent pugnare. Pugna facta pausa est.* Sed ita, ut priùs adduxi, vett. membranæ, editioque Stephanica, ac Tornæsiana. Est verò & is Græcismus. Xenophon: Ἔληξαν τῆς θήρας· *destitere venationis.* Herodianus: Τῆς ὀργῆς ἐπαύσατο. *desiit ira.* Latinorum nativa consuetudo ablativum exigit cum præpositione: sed præpositio κατ' ἔλλειψιν negligi solet. Ut, *re aliqua desinere*, apud Cic. lib. IV Acad. Quæst. Etiam accusativum habet, cùm ponitur pro *relinquere*. Quomodo *desinere artem* ait Cicero ad Marium lib. VII, ep. I, Suetonius in Tiber. cap. XXXVI, & Gellius lib. XV, cap. XVI: *desinere bellum*, Silius lib. XII.

* Lib. 9, c. 13.
† Vicentiæ an. 1571.

Dominandi etiam verba genitivo sociantur, more Græcorum. Ita eruditissimus Melchior Goldastus, notis ad Dositheum, locutum putat Alcimum Avitum lib. I de Origine Mundi: ubi sic Adamum Deus adfatur:

Hac qua mundani curam pulcherrima cultus
Incrementa vides, ornatum extensa per orbem,
Solus habe, solisque prior dominare fruendo.
Tu mihi, cuncta tibi famulentur.

Et ita quidem in cunctis codicibus invenio, etiam postremâ: quæ ad MSi codicis fidem recensita prodiit in Germania ante annos paucos. Sed dandi, non gignendi hic casum video. Præterea planè puto legi debere:

Solus habe, solusque prior dominare fruendo.

Accommodatius verò exemplum est illud Juvenci lib. IV Histor. Euangel.

—— Dominantur eorum,
Exercentque trucem subjectis viribus iram.

Locutus similiter vetus Scripturæ interpres*: item Augustinus de civit. Dei lib. XIX, cap. XV: *Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit. Nam dominetur, inquit, piscium maris, & volatilium cœli, & omnium repentium, quæ repunt supra terram.* Quod siquis istorum refugiat autoritatem, at sciat loqui eos Græcorum exemplo, qui dominandi verba jungunt genitivo. Neque eos hic imitari dubitavit Horatius lib. III, od. XXX:

* Gen. 3, 16. & 4, 7. item 15, 6. & Jud. 9, 22, 23. & 1 Par. 29, 12. Psal. 10, 5, &c.

Et qua pauper aqua Daunus agrestium
Regnavit populorum.

Scio, in aliquibus libris esse, *regnator*: sed alterum est in melioribus, & ita jam olim Porphyrio legit: atque etiam Servius in Maronem, gemino loco. Est verò hic quoque Hellenismus. Nam Græci genitivo jungunt, ἄρχειν, βασιλεύειν, δεσποτεῖν, δυναστεύειν, κυριεύειν, τυραννεῖν. Herodotus: Αἱ συμφοραὶ τῶν ἀνθρώπων ἄρχουσι, καὶ οὐχ οἱ ἄνθρωποι τῶν συμφορῶν· *Calamitates imperant hominibus, & non homines calamitatibus.* Isocrates ad Demonicum: Αἰσχρὸν τῶν μὲν οἰκετῶν ἄρχειν, ταῖς ἡδοναῖς δουλεύειν. *Turpe est famulis imperare, voluptatibus verò servire.* Vidimus, ut Latini loquantur more Græcorum. More autem Romano, ut Diomedes ait in primo, *dominor* jungitur ablativis, diciturque eo casu, *Græcis dominor*, & *dominatus sum.* Alii verò dativum exigere ajunt, quia apud Ciceronem est pro Rabirio Postumo: *Dominatus est Alexandriæ.* Sed dicere possis, *Alexandriæ* esse genitivum. Neque validiùs probant illo Maronis in III Æneid.

Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris.

Quippe eodem modo dicatur, *Mortuus est Argis.* Ubi absque dubio est ablativus. Nam citra ellipsin dicatur, *Mortuus est in Argis.* Quare Diomedi potiùs assentio. Sanè Græci quoque præpositionem quandoque addunt. Ita Xenophontis est, βασιλεύειν ἐν Πέρσαις, *regnare in Persis.* Ac eandem Cicero expressit lib. I Tusc. *Vetat enim dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare.* Et pro Aulo Cæcina: *Denique nimia ista, quæ dominatur in civitate potentia.* Pro quo & accusativo cum præpositione utimur. Ut apud Tullium dialogo de Senectute: *Ita enim senectus honesta est, —— si usque ad extremum spiritum dominatur in suos.*

Ignoscendi: ut, *ignoscere delicti*, vel *veniam dare versuum.* Appul. in Apol. *Da igitur Platoni veniam versuum ejus de amore.* Ut apud Philostratum, Συγγνώσεσθαί σοι τῆς ἀπάτης· q.d. *veniam do erroris*, pro *errori.* Ut Græcè ἀπάτης pro ἀπάτῃ· nam utroque modo loquuntur.

Liberandi, ac aliquo levandi verba. Ulpianus Leg. 50. Dig. de Leg. III: *Puto, & de eo sensum casu, quo cura & tutela liberetur.* Horat. lib. II, sat. III: *Et morbi miror te purgatum illius.* hoc est, eo morbo liberatum levatumque. Plautus Rud. act. I, sc. IV: *Ut me omnium jam laborum levas.* Livius, juxta optimos codd. extremo lib. XXI: *Levarunt animum religionis.* Ἐλλειπτικῶς intelligitur *onere*, *molestiâ*, vel simile: indeque is casus regitur, non à verbo. Latinæ enim consuetudinis est jungere casui auferendi. Ut apud Maronem in Eclogis:

—— Ego hoc te fasce levabo.

Simul est Hellenismus. Ita Euripides: Ἐλευθερῶ σε τοῦδε πόνου· *Libero hoc te labore.* Et Philo: Δεσποίνης χαλεπῆς ἐλευθερωθείς· *Gravi dominâ liberatus.* In qualibus est ellipsis præpositionis. Ut, λύω* σε τῶν δεσμάτων, ponitur, pro, ἀπὸ τῶν δεσμάτων. Et, Κουφίζω† σε τοῦ χρέους· pro, ἀπὸ τοῦ χρέους. Quomodo legere est Matth. VI, ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ· *libera nos à malo.*

* Solvo, à te vinculis.
† Levo te debito.

Participandi verba genitivo jungi, ostendit hoc Plauti Cistellaria act. I, sc. III:

Paternum servum sui participat consilii.

Ἐλλειπτικῶς, pro *de re consilii.*

Cæterum is quoque Hellenismus. Nam Græci eodem modo genitivo jungunt μετέχειν, μέτεστι, μεταλαμβάνειν, μεταδίδωμι, κοινωνεῖν: similiaque, quæ *participem esse, facere, vel fieri*, significant. Xenophon Κύρ. παιδ. β: Τοιοῦτοι δὴ ὄντες, ἐν μὲν τῇ πατρίδι οὐ μετείχετε τῶν ἴσων ἡμῖν· *Cùm tales essetis, æqualium nobis in patria non fuistis participes.* Theognis in Gnomis‡:

‡ Vers. 921.

Οὔτε γὰρ ἂν προκαμών, ἄλλῳ καμάτου μεταδοίης.
Neque enim, cum prior laboraveris, alium tui laboris facias participem.

Isocrates ad Demonicum: Κρεῖττον μὲν τοῖς φαύλοις μέτεστι, ταύτης δὲ τοῖς μοχθηροῖς ἀδύνατον μεταλαβεῖν· *Ac mali etiam homines sunt illorum participes: at, ut hujus participent improbi, fieri non potest.* Herodianus: Εὐνῆς κοινωνεῖν, *lecti esse consortem.*

Quandocunque autem participandi verbis genitivus additur, dependet is à nomine, vel præpositione intellectâ. Ut in illo, κινδύνων μετέχειν, *periculorum participare*, κινδύνων regitur à μέρος, *pars.* Quomodo Isocrates ait, Τῶν κινδύνων πλεῖστον μέρος μεθέξειν· *periculorum maximam partem participabunt.* Item in hoc, διώκειν θανάτου, *accusare capitis*, genitivus regiturà περί: quâ ratione Xenophon ait, διώκειν περὶ θανάτου· *accusare de crimine capitis*, sive *de capite.*

Cap. XXXIV.

Dativum propriè non regi à verbo. Exprimi eo finem οὗ. In verbis commodandi, consulendi, auxiliandi, mandandi, nunciandi, ignoscendi, dationem inesse; ut jure dativum adsciscant. Præstolor *unde: quod &* præstolo ἀρχαϊκῶς. Præstolor, invideo, præsto, *cur casum adsciscant dandi, & accusandi: uti &* moderor, deficio, occumbo, curo; *idque eâdem significatione. Diversâ autem*, tempero, & studeo. Studeo *cum gignendi casu* ἐλλειπτικῶς.

A Genitivo ad dativum transeo: de cujus rectione quid censeam, ex iis judicium fieri potest, quæ de regimine ejus casus in Nomine dicebamus. Par enim utrobique ratio est. Nempe nullum nomen, verbum, aut participium, propriè regit dativum: jungitur tamen casus ille, ut nomini, sic verbo, & participio, quò significetur acquisitio, sive, ut loquuntur in scholis, *finis cui.* Aristoteli* enim, ejusque interpretibus, Aphrodisæo, Eustathio, aliis, duplex est finis, οὗ, sive *cujus*, & ᾧ, sive *cui.* Ita in moribus beatitudo est finis, *cujus* gratiâ omnia fiunt: homo autem est, *cui* beatitudo acquiritur. Item in ædificatione

* Lib. de anima cap. 4. text. 35.

catione *finis cujus*, est domus: *finis cui*, est ille, qui inhabitabit. Hujusmodi acquisitio, sive finis cui, exprimitur dativo. Ut huc pertineant, quibus significatur aliquid dari, vel adimi; item prodesse, vel obesse. Nam qui prosunt, dant commodum: qui obsunt, incommodum. Sic veteres loquuntur. Horat. lib. I I Serm. sat. V I I I:

—— Tibi Di, quæcunque preceris,
Commoda dent.

Cicero lib. V de Fin. *Ipsâ scientiâ, etiamsi incommoda datura sit, gaudeant.* Similiaque, *dare beneficium*, *damnum*, aut *dolorem*. Itidem, *consulere alteri*, dicimus, quia, qui consulit, consilium dat. *Auxiliari alicui*, ut *dare auxilia* Livius ait lib. V I I I belli Maced. Etiam sub verbis dandi continentur verba mandandi, sive imperandi. Nam id qui facit, dat negotium, & mandata. Priori modo loquuntur Terentius prolog. Andr. & Cic. Verr. V I: posteriori modo idem ad Att. lib. V I I, & Maro V I Æn. Hinc & κατὰ μετάφορὰν dicimus, *mandare memoriæ*; cui contrarium, *dare oblivioni*. Nam *mandare oblivioni* pervulgatum quidem, sed non puto id apud probatos scriptores legi. Quique mandanti obtemperat, operam ei dat amicam; adversam, qui adversatur. Ut caussa sit manifesta, cur & hæc dativo jungantur. Sub verbis adversandi continentur verba irascendi, & minandi; ut par horum ratio sit. Datio quoque est in verbis nunciandi, & credendi. Nam illis alteri confertur notitia rei nunciatæ: his tribuitur alii fides. Item in verbis eventus, quia boni malive aliquid cuipiam dicitur contingere. Datio etiam significatur verbis ignoscendi. Itaque *alicui ignoscere* dicitur, ut *dare veniam alicui*. Jungit ea Plautus Epidico †:

† *Act. 5. cap. 2.*

—— Oro te, Epidice,
Mihi ut ignoscas, siquid imprudens culpâ peccavi meâ.
At ob eam rem liber esto. E. Invitus do hanc veniam tibi.

Studere dativo, quia notat *studium dare*: quomodo Columella lib. I, ait, *Studium agricolationi dare.* Et Cicero de Claris Orat. *Juris civilis studio multum operæ dabam.* Atque ex his judicium de similibus fiat.

Quædam etiam geminum adsciscunt dativum: personæ unum, alterum rei. Ut, *duco mihi laudi, verto tibi vitio, relinquit illi pignori.* Simile etiam hoc I Æn.

—— Cui nunc cognomen Iulo.

Plerique dici ajunt, *Est mihi cognomen Julius, Julii, Julio, Julium.* Atque inde colligunt, rectè etiam dici, *Est mihi nomen Petrus, Petri, Petro, Petrum.* De recto satis apertum. Nam ut, *hic dicitur Petrus*: sic, *huic nomen est Petrus.* Ac Ciceronis est pro Cæcina: *Clodius, cui nomen Phormio.* De patrio casu indicat hoc Plauti Amphitr. Prologo:

—— Nomen Mercurii est mihi.

Ubi genitivus non à verbo regitur, sed à voce *nomen*. Dativus interim longè usitatior; de quo Maronis jam locum vidimus. De accusativo βαρβαρίζουσι *, qui dicunt: *Est ei nomen Petrum.* Objectant dici, *Est mihi nomen Julium.* Atqui hoc planè dissimile, quia *Julium* est adjectivum, & recti casus. Quemadmodum & *Ascanium*, in hoc Livii lib. I: *Cui Ascanium parentes dixerunt nomen.* Simileque hoc Lucii Pisonis in secundo Annalium: *L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium nomen esset.* De quo Gellius lib. XV, cap. XXIX.

* *Barbarè loquuntur.*

Duplicia etiam inveniuntur, quæ nunc dativum, nunc accusativum adsciscant. Eorum alia utrumque casum admittunt consuetudine Romanâ; alia verò casuum unum more Romano, alterum Græco. Caussa verò, cur verbum idem, vel aliud ejusdem significationis, nunc dandi, nunc accusandi casui jungatur, ab eo capite ac fonte arcessenda, quòd natura verborum ejusmodi sit, ut datio quidem, & acquisitio omnis, significetur dativo: omnis autem actio in alium transiens, (quo in genere est actio accusantis alium) accusandi casu explicetur. Prius hoc in distinctis vocibus considerabimus. Qui verberat, agit in alium. Dixero igitur, *verberare aliquem*, non *alicui*. Agit quoque in alium, qui verbis suis quempiam in fraudem inducit. Dicam ergo, *fallere alium*, non *alicui*. Et tamen utrobique etiam datio est, sive acquisitio; unde dicimus, *dare verba*, & *dare verbera*: quæ datio dativo indicatur: ut in Andria †,

† *Act. 1, sc. 3.*

Cui verba dare difficile est. ——

Et apud Nasonem epist. XVII:

Aptior illa quidem placido dare verbera ponto.

Quod in diversis vidimus verbis, idem locum habet in eodem verbo aliter atque aliter considerato. Ut in *præstolor*; quod nunc dativum, nunc accusativum admittere, auctor est Priscianus lib. VIII, & XVIII. Ut caussa meliùs diluceat, proprietas, & origo vocis adferenda. A *præsto* fuit *præstus*, & diminutivè *præstulus*, sive, ut antiqui scripsère, *præstolus*; unde *præstolari*: quod Donatus in Eun.* exponit *præsto esse, & apparêre.* Ubi *apparere* non significat *comparere*, sed *adesse ministeriis caussâ*; à qua significatione viatores, & similes magistratuum ministri, *apparitores* vocantur. Nonius *præstolari* etiam exponit *exspectare*, vel *manere*: glossæ item veteres interpretantur περιμένειν. Unde colligitur, in præstolando duo considerari, commorationem in loco, ac personam, quam animo commorantes spectant; unde & *exspectare* dicuntur: nempe quasi *exterius spectare*, non semper oculis, attamen animo semper. Si priùs horum, commorationem nimirum, attendamus, non tam actio est, quàm quies in loco: eoque sufficit dativus, qui omnibus jungi verbis potest acquisitivè consideratis. Ut ergo dicimus, *præsto est mihi*, vel *adest mihi*, vel *commoratur mihi*: sic *præstolatur mihi*, hoc est, *meo commodo*, vel *mei caussâ*. Atque observat Donatus, ita Ciceronem dicere Catil. I: *Qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur.* Nonius item, ut doceat, veteres *præstolas* dixisse, pro *præstolatur*; citat illud Turpilii Pedio:

* *Act. 5. sc. 5.*

Ego præstolabo illi, eo citante Opitium.

Verùm dicebamus, in præstolando, præterquam quòd commoremur alicubi, illud etiam attendi, quòd aliquem spectemus, & observemus: ubi cura est erga alium. Ut igitur *spectare, curare aliquem*, dicimus; sic etiam *aliquem præstolari.* Terentius Eunucho †:

† *Act. 3, sc. 5.*

Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?

Ubi Donatus, *Nove, non, cui præstolare; sed, quem, dixit.*

Geminum huic est *invidere*. Nam pro diversa consideratione verbi, dicimus, *invidere alicui*, & *aliquem*. *Invidere aliquem* tale videtur, ac *videre aliquem*. Cicero lib. III Tuscul. Quæst. *Invidia verbum ductum est à nimis intuendo fortunam alterius: ut est in Menalippo,*

Florem quisnam liberûm invidit meûm?

Malè Latinè videtur. Sed præclarè Attius. Ut enim videre, sic invidere florem, rectiùs, quàm flori, dicitur. Nos consuetudine prohibemur: poëta jus suum tenuit, & dixit audaciùs. Ubi aliquanto mihi obscurius videtur, quod Cicero ait, audaciùs dicere Attium, *invidere florem*: seque, quo minùs sic loqui ausit, impediri consuetudine; quæ requirat, *flori invidere*? Quid enim? an non Fabius lib. IX, cap. III, inter ea, quæ malè irrepserint, reponit, *huic rei invidere*: pro quo, ut continuò addit, *omnes veteres, & Cicero præcipue, hanc rem*? Nonne item Cicero ipse Tusc. quæst. lib. III ait: *Ut nobis optimam naturam invidisse videantur, qui nihil meliùs populari gloriâ judicarunt.* Quomodo & Maro Ecl. VII:

Liber pampineas invidit collibus uvas.

Et I Georg.

Jampridem nobis cæli te regia, Cæsar,
Invidet.

An igitur hoc velle Tullium dicemus, *invideo* quidem accusativo jungi, si adsit dativus: sin casus sit unicus; eum, ex consuetudine Romanâ, semper esse dativum: eoque, licet dicatur, *quis mihi florem invidit*; si tamen *mihi* non addatur, dicendum esse, *quis flori invidit*? Aliter etiam occurritur. Nam quid impedit, quo minùs in illo, *quis florem invidit*, intelligatur *mihi*: eò autem non exprimatur,

tur, quia ex pronomine MEUM, quod sequitur, satis intelligitur. Sed sive hoc, sive alterum magis placet, extra controversiam est, veteres utrunque dixisse, *invidit flori liberum*, &, *florem liberûm*. Sed prius ponitur acquisitivè, ut sententia sit, malè aliquem voluisse liberis, eoque incommodum, vel damnum dedisse. Alterum sumitur transitivè, quia notatur, ab invidente damnum in liberos redundâsse. Quomodo acceptum etiam jungitur accusativo personæ. Ut illo Ovidii epistolâ Laodamiæ:

Troadas invideo, quæ sic lachrymosa suorum
Funera conspicient, nec procul hostis erit.

Rationem jam vidimus è Tullio: ut qui dicat, *invidiæ verbum ductum esse à nimis intuendo fortunam alterius:* atque addat, hanc etiam caussam esse, cur accusativo jungat Attius. Nimirum hoc vult, ut dicitur, *videre aliquem*; sic dici, *invidere aliquem:* indeque hoc verbi esse, quia invidi alienam felicitatem multùm, cumque dolore videant: quod fere oculis faciunt retortis; unde & *strabones fieri* dicuntur.

Simile his est *præsto:* ubi itidem duo attendimus, propriam significationem, & translatam. Propriè valet *antesto:* nempe à *præ*, quod propriè est loci: ut cùm dicimus, *i præ*, vel *prai*. Ut *præstare* sit priori loco stare; quemadmodum *praire*, priori loco ire. Sed prior stare solet, qui dignitate potior est: unde *præ* quoque dignitatis est, ac *præstare* significat *vincere*, *superare*.

A propriâ significatione est, quòd *præsto*, communi structura verborum, quæ acquirere vel adimere significant, jungitur dativo. Ab impropria est, quòd, ut alia superandi verba, accusativum regit. Priori modo ait Terentius Eun.‡ *Homo homini quid præstat!* Cic. lib. I de Orat. *Multum cæteris hominibus omnium gentium præstiterunt.* Sallust. initio Catil. *Præstare cæteris animantibus.* At quarto casu usurpat Livius lib. V ab V.C. *Ut nuntiare domum possint, quantum Galli virtute cæteros mortales præstarent.* Fabius lib. I, cap. I: *Præstat tamen ingenio alius alium.* Par ratio in *antesto:* uti & *anteeo*, *antecedo*, & *anteverto:* quæ utrique casui jungi, notius est, quàm ut exemplis sit opus. Nempe ob caussam, quam in *præsto* vidimus.

‡ *Act. 2, sc. 2.*

Etiam *indulgeo* ratione propriæ significationis olim accusativum rexit: postea, ubi eam exuit, dativum amavit. Propriam significationem cognoscere est ex simplici *urgeo*. Conflatum enim est ex hoc verbo, & præpositione *in* ἐν..., inserto D, & R, ut sæpe aliàs, in L mutato. Ergo ut, *urgere aliquem*, sic, *indulgere aliquem*, dixere. Terent. Eunuch. act. II, sc. I: *Nimis me indulgeo.* Ubi tamen Palatini MSS, *mi*. Sed Donatus ME legit: atque addit: *Sic veteres, quod nos MIHI dicimus.* Subjicit deinde similem locum ex Heaut. act. V, sc. II: *Te indulgebant.*

Moderor quoque hujus est generis. Dicimus enim *moderari affectus*, ut *modum imponere*. Horat. lib. I, ep. II:

—— *Qui non moderabitur iræ.*

Et Cicero ad Quinctum Fr. *Animo & orationi moderari, cùm sis iratus, non mediocris ingenii est. Moderari affectum*, ut *regere*, vel *gubernare*. Cicero Tusc. V: *Cantus, numerosque arbitrio multitudinis moderari.* Et Verr. V: *Res rusticas venti, & tempestates moderantur.*

Sic, *medicor morbo*, & *morbum: palpor alicui*, & *aliquem: obtrectare laudi*, & *laudem*.

Par ratio in *deficio*. Nam dicitur, *deficit mihi*, acquisitivè, ut *deest mihi*. Et, transitivorum more, *deficit me*, ut *destituit*, vel *deserit me*. Priori modo ait Virgil. I Georg.

—— *Quin etiam glandes, atque arbuta, sacræ*
Deficerent sylvæ.

Propertius I, I:

Et mihi jam totos furor hic non deficit annos.

Atque id usitatius Cæsari, Columellæ, aliis. Altero modo Cicero IV in Verrem: *Jam me dies, latera, & vox, deficient.*

Sic *occumbere morti*, & *mortem*. Virgil. II Æn.

—— *Seu certæ occumbere morti.*

Simileque, *neci occumbere*, apud Ovidium XV Met. At Suetonius Aug. *Voluntariam occubuisset mortem.* Atque ita quoque Livius lib. I belli Maced.

Curare itidem pro ἐπιμελεῖν, sive *operam dare*, & dativum, & accusativum adsciscit. Ac de accusativo satis notum: nec aliter unquam Tullius, Virgilius, Horatius, Livius, & similes. At Attius Antigonâ:

—— *Jam jam neque*
Di regunt, neque profectò Deûm summus rex omnibus
Curat. ——

Ac sæpe ita Plautus: ut Rudente act. I, sc. II:

Si tu de illarum cœnaturus vesperi es,
Illis curandum censeo, Sceparnio:
Si apud me esurus es, mihi dari operam volo.

Idem Truculento act. I, sc. II:

AS. *Nimis otiosum arbitror hominem esse te.*
DI. *Quidnam arbitrare?*
AS. *Quia tuo vestimento, & cibo, alienis rebus curas.*

Etiam Trinummo ait, *Qui rebus curem publicis.* Et Sticho: *Meis curavi amicis.* Ac similiter Appulejus Apologiâ: *Discat Æmilianus, quoniam usque adeò rebus meis curat.* Macrobius lib. V, cap. XVII: *Sed nec servos Latini, & maximè stabulo regio curantes, bellum generi Deûm oportebat inferre.*

Pleraque item verba, quæ dativum adsciscunt, pro dativo etiam habent accusativum cum præpositione. Ita dicimus, *Adscribi senatoribus:* &, *in numerum senatorum.* Horat. lib. III, od. III:

—— *Adscribi quietis*
Ordinibus patiar Deorum.

Cicero Philipp. I: *Tu vero adscribe me talem in numerum.* Sic, *Conducit huic rei*, &, *ad hanc rem.* Etiam *illudo*, *insulto*, *incesso*, *alicui*, *aliquem* & *in aliquem*; de quo inferiùs dicetur.

Atque hæc eâdem significatione, pro vario considerandi modo, variant structuram. At alia sunt, quæ pro significatione diversâ, nunc dativo, nunc accusativo, socientur. Quale est *tempero*. Nam dativum exigit, cùm idem est ac *modum impono*. Sic Plautus Rudente: *Linguæ temperare.* Livius lib. V, *Temperare lætitiæ:* & lib. XLII, *Manibus temperare.* Plinius lib. XVIII, cap. VI: *Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis adferam.* Similiter, cùm sumitur pro *abstinere*. Ut Cic. Verr. III: *Te putet quisquam, cùm ab Italiâ freto disjunctus esses, socius temperasse, qui adem Castoris testem furtorum tuorum esse volueris?* Accusativum autem regit, cùm significat, cohibere intra ordinem, modum, ac mensuram suam. Quomodo dicimus, *temperare mundum*, *sumtus*, *rates*, *vires*, *vectigalia*, *merum*, *iras*, *lachrymas*, & similia.

Studeo quoque dandi casum poscit, cum notat *favere*. Ut pro Cælio: *Studuit Catilinæ.* Et IX Met.

Cui studeat, Deus omnis habet.

Item cùm significat *operam dare*. Ut I Verr. *Studere optimis disciplinis, & artibus.* Et libro de claris orat. *Studere literis, quibus fons eloquentiæ continetur.* Quâ significatione etiam Fabius lib. X, cap. II ait: *In id solum student.* Et Gellius lib. XI, cap. II: *In eâ re studebat.* Accusativum autem regit, cùm sumitur pro *volo*, *cupio*. Ita Plautus Mil. Glor.*

Magis metuant, minus hæc res studeant. ——

Terent. Andr.†

Horum ille nihil egregiè præter cætera
Studebat.

Idem Hecyrâ‡:

Ut omnes mulieres eadem æquè studeant, nolintque omnia.

* *Scen. ult.*
† *Act. I, sc. I.*
‡ *Act. 2, sc. I.*

Cicero Phil. V: *Unum sentitis, unum omnes studetis.* Nisi malis, his locis esse ellipsin infinitivi *facere:* atque inde regi accusativum. Quod si placet, nihil opus erit *studendi* verbo tribuere novam *volendi* significationem. Aliqui etiam, cùm ponitur pro *operam dare*, regere ajunt accusativum. Atque id probant illo Ciceronis orat. post reditum

tum in Senatu: *Cùm verò literas studere incipit, & helluo immanis cum Graculis philosophari.* Sed princeps editio, & meliores codd. Palatini, Grutero teste, habent *literis.* Nonnulli tradunt, etiam regere accusativum *se*: quod adstruere conantur illo Sallustii, initio Catilinariæ: *Qui sese student præstare cæteris animantibus.* At quid apertius, quàm *se* convenire non cum *student*, sed cum *præstare*? Alii contendunt, etiam genitivum regere: quia vetus Poëta dicat apud Tullium lib. III de Nat. Deor.

Parentem habere avarum, illepidum, in liberos
Difficilem, qui te nec amet, nec studeat tui.

Ubi *tui* poni ajunt pro *tibi*: quia *studere*, pro *favere*, exigit dativum. Sed nulla hic antiptosis, verùm ellipsis: quia, *studeat tui*, ponitur pro, *studeat studio tui*, vel *caussâ tui*: quomodo Plautus ait, *fastidit mei*, pro *fastidit fastidio mei*, vel *mei gratiâ*: Varro item *reveretur mei*, pro *reveretur reverentiâ mei*, vel *mei ergo.* Qua de re diximus cap. XXVII. Cùm igitur Poëta ait, *studeo tui*, genitivus non à verbo regitur, ut putarunt; sed à nomine substantivo.

Cap. XXXV.

De iis, quæ nunc dandi, nunc accusandi casum habent; sed unum Latinorum more, alterum Græcorum. Ut benedicere Deo, *vel* Deum. Latet mihi, *vel* me. Sequi, *&* comitari; *item* precor, *&* oro; *etiam* decet, *&* indecet, *cum dativo.* Incidere portis.

Multa etiam esse dicebamus, quæ nunc dativum habeant, nunc accusativum casum; sed unum more Romano, alterum more Græco. Ac in quibusdam videas dativum juxta Romanam consuetudinem, accusativum juxta Græcam: in aliis verò dativum moris Græci, accusativum Latini. Prioris generis est *suadeo.* Nam Romano more dicitur *suadere alicui*: Græco autem apud Tertullianum, & alios, maximeque Ecclesiasticos, reperias, *suadere alium.* De quo dictum cap. XXI. Uti & de *maledico*, quod Petronius junxit accusativo: nempe ut in illo Solonis: Μὴ λέγε κακῶς τὸν τεθνηκότα· *ne maledic mortuum.* Sic *benedico.* Appulejus Asclepio: *Restat, ut benedicentes Deum, ad curam corporis redeamus.* Mirum verò pluribus videbitur, si dixero, *lateo* quoque Romano more adsciscere dativum; Græco autem, accusativum. Hinc sanè est, quòd dativum præfert Cicero I Catil. *Nihil agis, nihil adsequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat.* Et post reditum in Senatu: *Ubi nobis hæc autoritas tamdiu tanta latuit.* Eodemque modo locutus Varro lib. VIII de L. L. *Quæ & oculis, & auribus, latere solent.* Atque aliqui ita etiam capiunt hoc Lucretii lib. III *:

Sic tibi nominis hæc expers vis sancta minutis
Corporibus latet.

* Vers. 280.

Sed omnino hic est auferendi casus. Accommodatius hoc Plauti Trinummo act. IV, sc. II:

—— *Quid ergo ille ignavissimus*
Mihi latitabat?

Porrò horum exemplo Tertullianus adversus Hermogenem ait: *Prophetis enim, & Apostolis, usque adhuc latuit; puto & Christo.* Et lib. I adversus Marcionem: *Regulam adversarii prius prætexam, ne cui lateat, in quâ principalis quæstio dimicatura est.* At *latet me* non magis est ex nativo Romanæ linguæ, quàm si diceretur, est *occultum me*; vel contrarium, *patet me.* Nec obstat, quod dicatur, *fugit me*: quia sic loquimur κατὰ μεταφοράν. Nam proprium est, *fugit hostes.* Quod verò *latet me* dicimus, id factum Græcorum exemplo, qui dicunt, λανθάνει με. Nec propterea rectè reprehenditur eminentissimus seculi nostri vir, quòd sic loquatur. Nam Hellenismum hunc non refugit Maro I Æn.

Nec latuere doli fratrem Junonis, & iræ.

Poëtam illum dicas; hic autem de prorsâ sermonem esse. At Varronis quoque est lib. VIII de L. L. *Unum genus feminis, quod latet sensum nostrum: alterum, quod apertum.* Eum nunc antiquarium dices; nunc novatorem. Verùm Hellenismum hunc nec illi refugerunt, qui postea secuti, nec inter antiquarios, vel novatores, reponuntur. Plinii enim est lib. II, cap. XX: *Latet plerosque, magnâ cœli adfectatione compertum à principibus doctrinæ viris.* Justinus quoque lib. XXXI ait: *Sed res Annibalem non diu latuit.* In quæstione est, utrùm Cicero quoque sic loquatur. Ita creditur vulgò, propter illud pro Sylla: *Lex dies fuit proposita paucos; ferri cœpta nunquam; posita* † *est in Senatu, populum Romanum latuit.* Sed huic satis acutè jam ab aliis occursum, veteres verba ista *populum Romanum*, non solere integrè scribere, sed duntaxat P. R. quod non minùs *populo Romano*, quàm *populum Romanum*, esse potuit.

† Al. deposita.

Multò autem plura se offerunt, ubi dativus contrà sit consuetudinis Græcæ, accusativus Romanæ. Suntque ea duplicia. Quædam dativum habent pro accusativo sine præpositione: quædam verò pro accusativo cum præpositione.

Prioris generis sunt verba sequendi, & comitandi. Plautus Amphitr. act. II, sc. II:

Ita dis est placitum, voluptati ut mœror comes sequatur.

Sic editt. vett. ut Græci, ἕπεται τῇ ἡδονῇ. Quomodo Xenophon illustri γνώμῃ: Ἕπεται τῇ ἀχαριστίᾳ ἡ ἀναισχυντία· q. d. *Ingrato animo sequitur impudentia.* Et in alterâ Diodorus Siculus: Ταῖς εὐτυχίαις ἀκολουθεῖ ἡ ῥᾳθυμία· *Res prosperas sequitur animi remissio.* Similiter quoque Dositheus lib. III, qui continet Adriani sententias, & epistolas: Ἐξ ὧν μείζων εὐχρηστία ἀκολουθεῖ ἀνθρώποις. Quod transtulit ipse, *Ex quibus major utilitas sequitur hominibus.* Maluissem ego, *comitatur hominibus.* *Comitor* enim dativum adsciscit apud Ciceronem lib. V Tuscul. *Cæteraque, quæ comitantur huic vitæ.* Ac possis sic capere Claudiani illud in Rufinum:

Et luxus populator opum, cui semper inhærens
Infelix humili gressu comitatur egestas.

Sic Oppianus lib. I Κυνηγετ.

—— Πόνῳ δ᾽ ἅμα τέρψις ὀπηδεῖ.
Labori simul voluptas comitatur.

Ubi sermo Latinorum nativus exigeret, *Laborem comitatur.*

Precandi quoque verbis similiter additur dativus. Plautus Asinariâ act. II, sc. IV:

Pergin precari pessimo?

Terent. Phorm. act. I, sc. II:

—— *Precatorem adeam, credo, qui mihi*
Sic oret. ——

Virgil. VIII Æn.

—— *Cui me fortuna precari,*
Et vittâ comtos voluit prætendere ramos.

Pro quibus Latina consuetudo potiùs, *precari pessimum, orare me, quem precari.* Sed Græcos imitati Poëtæ. Demosthenes: Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, καὶ πάσαις· *Omnes diis, & deabus, precamur.* Polybius: Εἰρήνης πάντες εὐχόμεθα τοῖς θεοῖς τυχεῖν· *Omnes diis precamur, ut consequamur pacem.* Paulus I Corint. cap. XIV: Προσκυνήσει τῷ θεῷ. Ubi Latini potiùs, *Deum adorabit.*

Hujus generis quoque est *decet.* Nam Latinâ consuetudine accusativum exigit. Ut Ovidio, primo de Arte:

Forma viros neglecta decet. ——

Et I Met. fab. XIII:

—— *Ista decent humeros gestamina nostros.*

Pro quo Græci, πρέπει ἀνδράσι, καὶ ὤμοις. Sic Latini, *Quæ decent liberum*: Græci, Ἃ πρέπει ἐλευθέρῳ. Lucianus: Ἥκιστα πρέπει πολιῷ πώγωνι καὶ βαθεῖ. Quod Latino more dicas, *Minime decet canam hanc & densam barbam.* Græcâ tamen consuetudine dixeris, *Non decet libero*: vel, *canæ & densæ barbæ.* Ita Plaut. Amphitr. act. II, sc. II:

Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me impudicitiâ captas, non potes capere.

Et

Et act. III, sc. ultimâ:

Ibo intrò, ornatum capiam, qui potis decet.

Ita rectè legit Muretus lib. x Var. Lect. cap. XIII. Terentius Adelph. act. III, sc. IV:

Hæc primum ut fiant, Deos quæso, ut vobis decet.

Ubi sic Donatus: *Græcè dicitur*, ὑμῖν πρέπει.

Idem ad illud Adelph. act. v, sc. VIII:

M. *Haut aliter censeo. Æ. imò hercle ita nobis decet.*

Antiqui, inquit, *si addebant statim verbum Facere, Nos decet facere, dicebant: si non addebant, Nobis decet, dicebant.* Sed si hoc est, quod ait hoc loco Donatus, nativus erit sermo, *Nobis decet*, ut *convenit nobis*: at, *Decet nos*, erit ἐλλειπτικὸν, quia *facere* intelligitur. Et mihi quidem attendenti propriam significationem tam Latini *decet*, quàm Græci πρέπει, omnino videtur, non tam Hellenismus, quàm convenientia utriusque sermonis, cujus caussa non tam ab arbitrio hominis, quàm rerum naturâ, debeat arcessi. Sanè in aliis quoque linguis, ubi casuum discrimen apertum est, dandi casum hic videas sociari. Sed Latinis insistamus. Locutus eopse modo Sallustius: *Locum editiorem, quàm victoribus decebat.* Item Livius lib. XXXIV: *Honesta, aut sola, aut prima certe pensari, decet principi orbis terrarum populo, & tanto regi.* Et in libris Juris* legitur: *Decet enim tantæ majestati eas servare leges, quibus ipse solutus videtur.* Appul. de Mundo: *Sed conducere, ac decere tam bonas res, & ejusmodi opera, ingenuitati suæ professionis credidit.* Hæc veterum est codd. scriptura, cui immeritò alteram prætulit Colvius. Nam magis hæc convenit cum Græcis, quæ ex Aristotele Appulejus expressit. Quamquam nec sic examussim recta est scriptura: scribendumque, *conducere ac decere artes, & ejusmodi operam, ingenuitati.* Quod in quibusdam est Mss. Castissimi quoque scriptoris Agellii est lib. IX, capite XV: *Adolescens præfatur elatius, quàm ætati ejus decebat.* Ac similiter ab eodem usurpatur *indecet*, quod est *valde decet.* Nam lib. VII, cap. XII ait: *Feminis solis vestem longè lateque diffusam indecere existimaverunt, ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda.* Ubi veteres quidam libri *indecorem*: sed alterum est in melioribus: atque ita jam olim ab Ascensio editum. Quidam verò, eosque inter Linacer lib. IV, & Rob. Stephanus in Thesauro suo, citant è Cicer. de Orat. *Quandoque id deceat prudentia tua.* Sed metuo, ne eos memoria fefellerit. Nam apud Ciceronem in tertio de Orat. legas: *Scire, quid quandoque deceat, prudentiæ.* Ubi *prudentiæ* regitur non à *decet*, sed à nomine, quia integrè sit, *Est proprium prudentiæ munus.*

* Paulus l. 23. D. de leg. & fidei commiss.

Sunt alia, quæ more quidem Græco habent dativum; Latino autem accusativum, sed rectum à præpositione. Quale est *incido*. Nam ut Matthæi cap. VII: Προσέπεσον* τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ: sic Livius lib. III: *Agrestesque pavidi incidentes portis.* Et lib. V: *Cùm fuga trepidum, plenum vulnerum, ac pavore incidentem portis exercitum viderint.* Pro, *incidentem in portas.* Ut Cæsar lib. I de bello Gallico: *In ipsum Cæsarem, hostium equitatum persequentem, incidit.* Occurrunt alia non pauca cum IN composita, naturâque suâ accusativum exigentia cum præpositione, more autem Græco cum dativo constructa. Sed de iis commodior erit agendi locus in iis accusativis, qui reguntur a præpositione *in* cum verbo compositâ, animo autem extra compositionem repetendâ.

* Inciderunt domui illi.

CAP. XXXVI.

Oportet tibi. Jubeo tibi, *non aliter, quàm Hellenismo excusari. At*, jubeo te, ut eas, *barbarè dici. Optimos linguæ Latinæ scriptores* jubeo *non usurpare, nisi infinitivo sequente, vel intellecto.*

NEc solùm per Hellenismum dativus ponitur, ubi Latini amant accusativum sine præpositione, vel cum eâ: sed etiam, ubi verbum absolutè sine alterutro casu poni solet. Ut in verbo *Oportet.* Nam cum ei additur accusativus, convenit is cum infinitivo. Ut in Eclogis:

——*Pastorem, Tityre, pingues*
Pascere oportet oves.

Quare *oportet te*, Latinum non est. Ut tamen Græci πρέπειν, sic Latini *oportere* quandoque jungunt dativo. Plautus Milite act. II, sc. ult.

——*Homini servo suos*
Domitos habere oportet oculos, & manus,
Orationemque.——

Jubeo quoque huc pertinet, cùm dativo jungitur. Sic Bembus lib. VI, epistolâ ad Georgium Loxanum: *ut tibi aliquid jubebam.* Ac volunt aliqui sic Livium dicere lib. XXII: *Gracchus jussit Cumanis, omnia ex agris in urbem convehere.* Sed in optimis codd. est, *jussis*: ac dependet sermo à sequentibus, *Ipse, pridie quàm statutum sacrificium Campanis esset, Cumas movet castra.* Nec sanè vel Livius, vel illius seculi quisquam, sic loquitur. Sed non refugit Macrobius lib. I Saturn. cap. XII: *Sacrorum custodibus jussit (Hercules) ne mulierem interesse permitterent.* Binis quoque minimùm locis ita usum hoc verbo observo Claudianum. Ejus est lib. II in Rufinum*:

Hispanis, Gallisque jubet.

Et lib. III de laudibus Stiliconis†:

Ipsa jubet signis, bellaturoque togatus
Imperat.

* Vers. 155.
† Vers. 85.

Prudentius quoque in Romano similiter:

Desiste judex seculi tantum nefas
Viris jubere fortibusque & liberis.

Loquiturque eodem modo in Apotheosi: item Juvencus lib. III, & Arator lib. I. Planè verò est Hellenismus. Ita Homerus Il. B:

Αὐτὰρ ὁ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευε.
Sed is præconibus vocalibus jussit.

Isocrates in Paragr. Τοσοῦτον ὑμῖν παρακελεύομαι μνημονεύειν ὅταν φέρητε τὴν ψῆφον· *Tantum vobis jubeo meminisse, cùm feretis sententiam.* At *jubeo te, ut hoc facias*, quod multi inculcant (etiam Valla lib. V, cap. LXVIII,) Latinum non est. Crebrò quidem cum accusativo personæ jungitur: sed is convenit cum infinitivo, non cum *jubeo*: ut cùm dico, *Jussit te ire, scribere, loqui*, &c. Sæpe autem verbum infinitivum κατ' ἔλλειψιν intelligitur. Plautus Aulul. Sc. Exi inquam:

——*Si hercle tu ex istoc loco*
Digitum transversum, aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te jussero.

Nam subauditur *respicere*. Terentius Heaut. act. IV, sc. V:

CH. *Quin egomet jam ad eam deferam.* SY. *immò filium*
Jube potius.

supple *deferre.* Cicero ad Att. VI, epist. ultimâ: *Quare de hoc satis. Spero enim, quæ tua prudentia & temperantia est, & hercule, ut me jubet Acastus, confido te jam, ut volumus, valere.* Nam subintelligitur *facere.* Idem verbum ἀπὸ κοινοῦ repetendum in hoc ad Sulpicium lib. XIII, epist. XXVI: *Quod quo minore dubitatione facere possis, literas ad te à M. Lepido consule, non quæ te aliquid juberent, (neque enim id tuæ dignitatis esse arbitrabamur) sed quodam modo quasi commendaticias sumsimus.*

Dixeris, Livium jungere accusativo personæ; ut qui lib. III dicat: *Id modò excepere patres, ne postea eosdem tribunos juberent.* Sed dependet accusativus ab infinitivo *esse*, qui intelligitur. Nisi malis, *jubeo* hic pro *statuo* accipi: ut cùm Cicero ait pro Cornelio Balbo: *Populus Romanus legem jussit de civitate tribuendâ.* Quamquam & hic *legem* dependere videatur ab infinitivo *esse*, qui exprimitur in isto Plautino*:

Sirempse legem jussit esse Jupiter.

* Prolog. Amphitr.

Etsi autem *jubeo* non regat accusativum personæ; regit tamen certos accusativos rei: quales, *quid, hoc, id, illud, aliquid, nihil, multa, pauca, unum, duo, quantum, tantum*, & similes. Ut si dicas, *rem hanc jussi*: quomodo

Pru-

Prudentium antea vidimus dicere: *tantum nefas jubere.* Sic Terentius Eun. act. IV, sc. VI:

Quis scis, an quæ jubeam, sine vi faciat?

Cicero lib. I de Legg. *Lex jubet ea, quæ facienda sunt.* Horatius lib. II, epist. II:

Quid dem, quid non dem, renuis tu, quod jubet alter.

Nisi his etiam locis accusativus dependeat ab infinitivo *facere* suppresso.

Cap. XXXVII.

Certandi verba per Hellenismum dativo sociata. Item verba distandi, differendi, & dissentiendi. Adhæc verba coëundi, & miscendi: uti & propulsandi, ac arcendi.

Præterea non pauca, Græcorum more, dativum adsciscunt, ubi Latini uti solent ablativo cum præpositione. Hujusmodi sunt verba certandi, & contendendi. Ita Plinius lib. VIII, ep. ad Romanum: *Rigor aquæ certaverit nivibus, nec color cedit.* Sed Poëtis id multò usitatius. Lucretius lib. III:

—— *Quid enim contendat hirundo*
Cygnis? ——

Catullus carm. nuptiali:

—— *Noli pugnare duobus.*

Propertius lib. I, el. VII:

Atque ita sim felix, primo contendis Homero.

Idem lib. II, el. III:

Et Mæotica nix minio si certet Ibero.

Statius VIII Thebaidos:

—— *Et magno bellare parenti.*

Mitto Virgilium, & Horatium, quibus nihil frequentius. Latinus sermo exigeret, *contendere, certare, pugnare, bellare cum aliquo.* Nunc pro eo est dativus, more Græco. Sic enim Callimachus:

Ὅς μάχεται μακάρεσσιν, ἐμῷ βασιλῆϊ μάχοιτο.
Dis pugnans, nostro regi pugnaverit idem.

Laërtius in Pittaco: Μὴ ἐρίζε γονεῦσι, κἂν δίκαια λέγῃς. *Ne contende parentibus, etiamsi vera dicas.* Atque ita passim.

Distandi quoque, differendi, & dissentiendi verba similiter construuntur. Horatius lib. IV, od. IX:

Paullum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Possit tamen hoc in loco videri casus patrius, quia Græci verba distandi, & discrepandi, sæpius jungunt genitivo. Xenophon: Διεῖχε ταύτης σταδίους δέκα· *distabat ab hac stadia decem.* Similiter in veteri dicto: Ἡ ἄκαιρος εὔνοια οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει· *intempestiva benevolentia nihil differt ab inimicitia.* Item hoc Luciani: Πάμπολυ δὲ μὴ βούλεσθαί τι, τὸ μὴ δύνασθαι διαφέρει· *Inter nolle, & non posse, multum interest.* Cicero ad Att. lib. V, epist. XIX: *Quoniam* νεμεσᾶν *interest* τοῦ φθονεῖν. Ubi *interest* valet *differt.* Nempe κατ' ἔλλειψιν præpositionis ἀπὸ: quæ additur à Thucydide: Διεῖχον, inquit, πολὺ ἀπ' ἀλλήλων· *multùm à se invicem distabant.* Malim tamen in Horatiano illo esse dandi casum, quando idem lib. III, od. V:

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Fœdis. ——

Et lib. I, sat. VI:

—— *Longè mea discrepet istis*
Et vox, & ratio.

Epistolâ ad Pisones;

Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Dixeris fortasse, ablativum hic esse, qui regatur à præpositione A [illegible] intellectâ. Paremque rationem videri in Appuleji illo lib. VII: *Ipse etiam hilarior pro virili parte, ne præsenti negotio, ut alienus, discreparem.* Verùm quid dicemus de illo ejusdem Venusini vatis lib. IV, od. IX:

Dissidens plebi numero beatorum
Eximit virtus.

Item sat. IV, lib. I:

—— *Et tamen idem*
Scire volam, quantum simplex, hilarisque, nepoti
Discrepet.

Item epist. ad Pisones;

Nec sic enitar tragico differre colori.

Et eâdem;

—— *Nisi quod pede certo*
Differt sermoni sermo merus.

Græci similiter. Ita Antipho de testibus, secum dissidentibus, ut loquitur Horatius; Τῶν διαφερομένων σφίσιν αὐτοῖς. Plato lib. I de Rep. Ἔστω· ἵνα σοὶ μὴ διαφέρωμαι· *Esto sane; ne à te discrepem.* Aristoteles lib. I Eth. Nicom. Τῷ ψεύδει ταχὺ διαφωνεῖ τ' ἀληθές· *A falso verum statim dissentit.*

His adde coëundi ac miscendi verba. Virgil. VII Æn.

Mista Deo mulier. ——

Pro, cum Deo. Horat. epist. ad Pis.

Sed non ut placidis coëant immitia.

Propertius lib. II, el. XV;

Dicitur & nuda concubuisse Deæ.

Sic Hesiodus in Theogonia;

Μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι θεῷ, βασιλῆϊ καὶ ἀνδρῶν·
Mista in amore Deo, genus & mortale regenti.

Plato, μητρὶ μίγνυσθαι· *matri misceri.* Pro quo Cicero, *Cum matre corpus commiscere.* Est & Isocratis; Συγγίνεσθαι ταῖς ἄλλαις γυναιξίν· *Concumbere aliis mulieribus.*

Itidem verba propulsandi, & arcendi. Virg. ecl. VII;

Solstitium pecori defendite. ——

III Georg.

Arcebis gravido pecori. ——

Horat. lib. I, od. XVII;

—— *Et igneam*
Defendit æstatem capellis.

Persius sat. I;

Nilne pudet capiti non posse pericula cano
Pellere?

Pro, *à capite cano:* uti priora, Latinâ consuetudine, sint, *defendit,* vel *arcet à capellis,* vel *pecore.* Quomodo Cicero lib. III Offic. *Qui non defendit injuriam, neque propulsat à suis, cùm potest, injustè facit.* Sed sine præpositione Græci quoque. Euripides:

—— Παιδὶ τ' οὐ δυναίμεθα
Θάνατον ἀρῆξαι.
—— *Non puero possemus*
Mortem defendere,

sive, *arcere,* vel *propulsare.* Græcos etiam imitatur, more suo, Appulejus extremo libro VII Met. *Cùm propugnare pedibus, & arcere morsibus, misello puero potuerit.* Simileque videtur illud IX Met. *Lapidum crebris jactibus propugnare fratri, atque abigere canes, adgrediuntur.*

Cap. XXXVIII.

De dativis per Hellenismum additis verbo passivo pro ablativo, vel etiam accusativo cum præpositione.

Quæcunque hactenus adduximus, vel activæ sunt significationis, vel saltem formæ sunt activæ. Præter ea autem etiam passiva accensentur illis, quæ Hellenismo dativum adsciscunt pro ablativo cum præpositione. Ut I Æn.

—— *neque cernitur ulli.* Ubi sic Servius, *id est, neque ab ullo cernitur. Græca figura, ut alibi: Scriberis Vario: id est, scribet te Varius.* Idem similiter hunc locum interpretatur in illud III Georg.

Cui non dictus Hylas puer?

Ubi *cui*, exponit, *à quo:* & in verbis, quæ ex Horatio attulimus, *Vario* explicat *à Vario.* Sed aliquid in his discriminis cernere est. Nam Verbo rariùs additur dativus. Ut priori Maronis loco: atque illo Ovidii lib. V Tristium eleg. XI:

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.

Pro, *ab ullo.* Horat. lib. I, od. VI:

Scri-

Scriberis Vario fortis, & hostium
Victor.

Et in Ibin:

Filius & Cereris frustra tibi semper ametur.

At post Participia passiva dativus ablativo usitatior est. Ut in illo ex Bucolicis allato: item hoc ex iisdem:

Praeterea duo nec tutâ mihi valle reperti
Capreoli.

Et 1 Æn.

Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum.

Ovid. in Ibin:

Et priùs hanc animam, nimium tibi saepe petitam,
Auferet illa dies, quae mihi sera venit.

Nec solùm apud poëtas, sed ipsum Tullium. Ut ad Att. lib. XIII, ep. XXIV: *Ego audita tibi putabam.* Et de claris oratoribus: *Auditus est nobis Laliae, Caji filiae, saepe sermo.* Ac similiter Seneca: *Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemtus.* Pro, *à vadente.* Gellius lib. IV, c. V: *Versus hic cantatus esse pueris urbe totâ fertur.*

Interdum tamen & Verba sic ab oratoribus usurpantur. Ita Ciceronis est in tertio de Officiis: *Honesta bonis viris, non occulta quaeruntur.* Vulgo simile esse dicitur illud Ciceronis: *Omnibus videbatur probari oratio mea.* Sed secus est. Nam planè nativus hic sermo: quia similiter dixeris in activo: *Omnibus probo orationem meam.* Quomodo Cicero non semel: *Probare caussam suam alteri.* Simile, *Seneca non probat dictionem suam Fabio:* vel, *Senecae dictio non probatur Fabio.* Non igitur dativus hic est ex propriâ passivi naturâ: sed communi indole verborum, quae acquisitivè posita dativum exigunt. At magis ex natura passivi est: *Haec res est illi audita:* quia activâ formâ diceretur, *Ille hanc rem audivit.* Verùm, inquias, *audivi illi,* aequè dicitur, ac *auditum illi.* Sanè utrumque dicitur: sed significatione diversâ. Nam siquis secretum, quod intellexit, velit uni amico patefacere, dicat, *Audivi uni amico, non tibi:* hoc est, *bono amici, non tuo;* sive, *in amici, non tuum commodum.* At cum Graecismus est, *auditum illi,* valet, *ab illo auditum.* Sic nativus sermo est, si dicas de Trajano, *Est Senatui laudatus:* quia itidem in activo dicas, *Senatui laudare.* At non aequè nativus, *Est Plinio laudatus;* pro, *à Plinio:* quia in activo eâ significatione non dicam, *Plinio laudavit:* sed, *Plinius laudavit.* Quare planè distinguendum, inter dativos passivis appositos: quia tum demum structura est Graecanica, cum in activo pro dativo est nominativus. Esse autem Graecismum, indicat hoc Demosthenis: Τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων οὐ μέμνηται· *non meminis factorum mihi.* hoc est, *à me.* Item illud Luciani Prometheo, sive Caucaso: Ῥήτωρ ἐστὶ, καὶ τὰ τοιαῦτα οὐ παρέργως μεμελέτηται αὐτῷ· *Rhetor est, nec talia perfunctoriè ei meditata.* pro, *ab eo.* Ac passim similia se offerunt. Hoc solùm discriminis est, quòd Romani pro dativo uti soleant, nunc ablativo cum praepositione *à,* vel *ab;* nunc accusativo cum praepositione *per.* Ut, *factum est mihi, à me,* vel *per me.* *Ad honores evectus est militibus, à militibus,* & *per milites.* At Graeci utuntur genitivo cum praepositione ὑπὸ, vel πρὸς. Itaque dicunt, πέπρακται ὑφ' ἡμῶν, vel πέπρακται ἡμῖν. Item, πρὸς στρατιωτῶν τετίμηται, vel, στρατιώταις τετίμηται.

CAP. XXXIX.

Loca veterum, ubi misereor *dativo jungitur, esse suspecta.* Illachrymare alicui. Miseresco malis. *Corrupta loca, ubi* facio *pro* proficio, *ubi item* audio *dativum amat.* Allatro *accusativum exigere.* Incumbere, *pro* operam dare, *accusativum appetere rectum à praepositione. Verbis multis dativum addi, accusativo per ellipsin suppresso.*

ABunde actum nobis de illis, quae, Graecorum more, dativum adsciscunt. Nunc videndum de iis, quae vel falsò tradidere jungi dativo: vel ubi saltem dativus sit suspectus. Hujusmodi sunt verba quaedam adfectuum. Ut *misereri,* & *miserescere.* Quae dativo sociari, probant illo Senecae patris lib. I, Contr. II: *Fortuna hoc me cogit pati, mi ereri debent omnes mei. Et ego misereor tibi puella: sed non facimus miserandas sacerdotes.* Verùm optimae editiones habent, *misereor tui.* Est & alter locus, sed Senecae Philosophi, lib. de vitâ beatâ cap. XXIV: *Hunc promereor, illi reddo: huic succurro, huic misereor.* Verùm Pincianus in castigationibus suis autor est, in veteribus codicibus haberi, *hujus misereor.* Quod & Lipsius secutus. Linacer ait, apud Ciceronem ipsum legi Tuscul. II, *miserere patris pestibus.* Sed, apud Ciceronem, versus hi sic concipiuntur, ex Sophoclis Trachiniis expressi:

Perge, aude nate, illachryma patris pestibus:
Miserere, gentes nostras flebunt miserias.

Sanè *illachrymo* similiter dativo jungit Cicero lib. III de Nat. Deorum: *Quid dicam de Socrate? cujus morti illachrymari soleo, Platonem legens.* Livius lib. X belli Maced. *Meo infelici errori unus illacrymasti.* Suetonius in Vespas. cap. XV: *Justis suppliciis illacrymavit etiam, & ingemuit.* At *misereor,* vel *miseresco,* non puto apud antiquos dativum admittere. Posterioris tamen aevi scriptores sic loqui, negare non possum. Nam video, Boethium lib. IV de Consolatione Philosophiae Carm. IV dicere:

Dilige jure bonos, & miseresce malis.

Facio, pro *proficio,* dativo jungi, collegêre ex istoc Plinii lib. XXIII, cap. I: *Mustum capitis doloribus facit.* Quod & consuetudini eorum, qui Latinè locuti, adversatur, & praeceptis etiam medicis contrarium est. Vera autem lectio est: *Capitis dolores facit.* Nec aliter vel bonae notae MSS, vel vetus editio Parmensis*.

Neque meliùs, *audio* dativo jungi, isthoc Plauti è Captivis † probant: *Dicto haut audiebat.* Nam in melioribus libris est:

Memini, cùm dicto haut audebat, facto nunc ladas licet.

* An. 1476.

† Sc. Jam ego revortar intro.

Allatro etiam adsciscere ajunt dativum. Et videtur sic uti Sextus Aurelius Victor de viris illustribus: *In Capitolium intempestâ nocte eunti nunquam canes allatraverunt.* Quae verba, ut Plinii, adduci solent; cùm libellus ille sit Aurelii Victoris, qui duobus minimùm seculis Plinio fuit junior; ut ostendimus lib. II de Historicis Latinis cap. VIII. Ac fortasse nec Victor *eunti* scripsit; sed *eunte,* casu auferendi. Utcunque est, optimi aevi scriptores potiùs sociant ei accusativum. Livius lib. VIII belli Macedonici: *Qui, vivo quoque eo, allatrare ejus magnitudinem solitus erat.* Columella in praefat. lib. I: *Sed ne caninum quidem, (sicut dixere veteres) studium praestantius, locupletissimum quemque adlatrandi.* Similiterque locuti Silius lib. VIII, Plinius lib IV, cap. V, & alii. Senecae quoque est libro de vita beata: *Siquis ex his, qui philosophiam conlatrant, dixerit.*

Fortasse etiam, etsi apud praestantissimos veterum legas, *incumbere baculo, lecto, aratro:* non similiter dixerint, *incumbere philosophiae,* vel *juris studio.* Sanè eâ in significatione potiùs accusativum usurpant cum praepositione *in,* vel *ad.* Cicero lib. I de Orat. *In id studium, in quo estis, incumbite.* Et XV ad Att. ep. XXIV; *Incumbe in hanc curam: magna res est.* Lib. X ad Plancum, epist. X; *Mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem.* Catil. IV: *Quare, Patres conscripti, incumbite ad salutem Reipublicae.*

Multa item dativum regere existimantur, quae regant accusativum: sed dativus, quem adsciscunt, exprimitur; accusativus, quem regunt, supprimitur per ellipsin. Ut *nubere,* & *imponere alicui:* de quibus diximus cap. XXIII. Item *detrahere alicui:* ubi intelligitur *laudem.* Simileque, *praelucere alicui;* puta *facem,* vel *cereum.* *Ignoscere alteri;* nempe *culpam, delictum, peccatum.* *Consulere,* vel *prospicere sibi;* puta *bonum,* vel *utile quid.* *Cavere sibi,* vel *alii, ab aliquo;* puta *malum.* *Cedere alicui,* videlicet *locum:* ut *decedere alicui,* puta *de loco:* quomodo Plautus Trinummo: *Decedam ego illi de via:* &, *succedere alicui,* pro, *in locum succedere.* Ἐπαναλήψεις Cicero in Pisonem. Integrè idem lib. III Off. item ad Brutum: *Sororis meae liberos oblivisceris esse Lepidi*

pidi filios, neque his in patris locum successisse, existimes.

Cap. XL.

Ad falsum accusativi regimen acceditur. Ratio tollendæ ambiguitatis orta ex eo, quòd verbum addatur duobus accusativis. Verba docendi, monendi, rogandi, celandi, *non regere geminum accusativum: sed alterum eorum regi à præpositione intellectâ: ac parem esse rationem apud Græcos.*

Habemus de dativo, ac verbis, ut Græci vocant, περιποιητικοῖς, quibus bonum, vel malum aliquod acquiri dicitur. Nunc in præcepta de falso accusativi regimine considerationem intendamus.

Sunt hæc verba sextuplicia: de quibus ordine videbimus.

Ac primùm se offerunt activa, quæ geminum regere dicuntur accusativum. Quod bifariam fieri putatur. Interdum enim unum à fronte regi, alterum à tergo: interdum utrunque regi à tergo. Prioris generis exemplum sit, *Audio Pamphilum amare Glycerium.* Sed accusativus prior non regitur, verum convenit cum verbo. Nam ut verbum finitum convenit cum nominativo, ita infinitum cum accusativo: ut dictum cap. XX. Porrò ex hujusmodi structura subinde oritur ἀμφιβολία· ut fere satius sit accusativum à fronte resolvi in ablativum cum præverbio. Ut si pro priori illo dicas, *Audio à Pamphilo amari Glycerium.* Sic in illo Plauti Aulul.*

> *Si herum videt superare amorem, hoc servi esse officium reor*
> *Retinere ad salutem.*

* Sc. Hoc est servi facinus frugi.

Ubi major obscuritas ex nativo ordine mutato. Sententia fiat *apertior*, sic resolvendo: *Si herum videt superari ab amore.*

Sed accusativorum ejusmodi alterum ad Convenientiam, non ad Regimen, pertinere; plerique nobis non inviti concedunt. Qui tamen contendunt, verba multa geminum regere accusativum, unum personæ, alterum rei. Hujusmodi statuunt esse verba docendi. Ac pro iis facere videtur illud Sallustii, vel alterius, in Ciceronem: *Quem Minerva omnes artes edocuit.* Imò *erudio* quoque sic poëtæ usurpant: ubi oratores pro accusativo rei malunt ablativum. Ovid. VIII Met.

> *Hortaturque sequi, damnosasque erudit artes.*

Statius X Thebaid.

> *Et quæ te leges, præceptaque fortia belli*
> *Erudiit genetrix, nimium didicisse queretur.*

Item hujus ordinis esse volunt verba monendi, & hortandi; quæ tamen non quibusvis rei accusativis junguntur, sed certis: ut, *hoc, illud, multa, duo,* & similibus. Cicero in Catil. *Sed eos hoc moneo, desinant furere.* Et in eundem: *Sin exieris, quod te jamdiu hortor.* Sallust. in Jugurth. *Eam rem locus nos admonuit.*

Præterea verba rogandi. Plaut. Curcul. act. V, sc. II: *Quam tu virginem me reposcis?* Idem Menæchmis; *Ibo, & consulam hanc rem amicos.* Cicero lib. VI ad Att. *Nec te id consulo.* Et I Tuscul. *Pusionem interrogat Socrates quædam Geometrica.* Idem Verr. III; *Parentes precium pro sepultura liberûm posceret.* Cæsar lib. I belli Gall. *Cæsar quotidie Æduos frumentum flagitare.* Horat. lib. II, od. XVI;

> *Otium divos rogat in patenti*
> *Prensus Ægæo.*

Celsus L. XXXII. ff. De reb. cred. si certum petetur; *Si & me, & Titium, mutuam pecuniam rogaveris.*

Insuper huc referunt *celandi* verbum. Terent. Adelph. act. I, sc. I:

> *Ea ne me celet adsuefeci filium.*

Cicero Cælio lib. II, epist. XV: *Non enim te celavi sermonem.*

Hac de re ita censeo, in nullo istorum accusativum rei à verbo regi: sed tum demum verbum duos regere accusativos, quando uterque accusativus est ejusdem rei. Ut illo Terentii*: *Facio te Deum apud illum.* Et hoc ejusdem, *Dare filiam uxorem.* Et isto Plauti Trinummo; *Est ager sub urbe hic nobis: eum dabo dotem sorori.* Cumque Livius lib. III ait; *Singula in dies talenta vectigal dedit.* Ac similiter Maro in Ecl.

* Adelph. act. 4. sc. 1.

> *Addit se sociam.*

Cicero lib. IX ad Attic. *Adjungere se comitem fugæ.* Item similia, *Præstare se virum: æquum capere arbitrum: me petierunt advocatum: fruges appellamus Cererem:* aliaque omnia, ubi accusativi sunt unius rei; eoque alter alteri per regulam convenientiæ conjungitur.

At longè aliter comparatum arbitror, quando accusativi sunt rei diversæ: ut in iis exemplis, quæ priùs adducebamus. Siquidem naturæ quidem convenit, ut una actio sit, quando utrumque, quod accusativo effertur, una est res. Sed repugnat naturæ, ut una sit actio, quando accusativi sunt rei diversæ. Exempli gratiâ, dicere possum, *ego sum arbiter*, vel *advocatus. Filia hujus est illius uxor. Ager est dos filiæ.* Ergo unâ actione complector, *Me dedere arbitrum* vel *advocatum. Filiam petiit uxorem. Agrum dedit dotem.* Ubi unius accusativus cum verbo convenit à fronte, alter à tergo. At non sunt una res, homo & ejus vel scientia, vel monitum, vel postulatum. Eoque nec potest una actio transire in hominem, & ejus scientiam, monitum, aut postulatum. Atque hæc etiam lucem capiunt ex veterum consuetudine: qui, si in personam agatur, eam accusativo exprimebant, rem casu alio; sin agatur in rem, personam non accusativo propriè, sed aliter renunciabant. Quomodo si accusativo dicerent, *dono te*, subdebant ablativum *libro:* sin mallent, *dono librum*, dicebant in dativo, *tibi*; non gemino accusativo, *dono te librum.* Similia, *adspersit tibi labem*, &, *adspersit te labe: instravit equum penulâ*, & *instravit equo penulam: interdixit Romanos omni Gallia*, &, *interdixit omnem Galliam Romanis: impertiam te fortunis meis*, &, *impertiam tibi fortunas meas.*

Sic igitur concludimus, in istis, *doceo te literas*; *pacem te posco:* & similibus; sermonem esse figuratum, & accusativum rei non à verbo regi expresso, sed præpositione suppressâ; ut intelligatur, *ad, secundum*, aliave præpositio, quæ Græco κατ' respondeat. Omnino enim hæc Græcorum more dicuntur; qui eâdem ellipsi geminum accusativum sociant iisdem verbis docendi, monendi, rogandi, celandi. Demosthenes; Ἐγὼ οὐδέποτε ἡγησάμην χαλεπὸν, διδάξαι τὰ βέλτιστα ὑμᾶς· *Ego neutiquam difficile putavi, docere vos optima.* Idem; Ταῦτ' ὑπέμνησα νῦν ὑμᾶς· *Hæc vos nunc commonefeci.* Æschines contra Ctesiph. Χρὴ αἰτεῖν τοὺς θεοὺς ἀγαθά· *Deos oportet rogare optima.* Lysias contra Diogit. Ὁ Διογείτων τὴν θυγατέρα ἔκρυπτε τὸν θάνατον τοῦ ἀνδρός· *Diogiton filiam celavit mortem mariti.* Atque hæc de verbis activis, quæ falso creduntur duos regere accusativos personæ, & rei.

Cap. XLI.

Passiva convenire quidem cum suo supposito; sed nullum regere casum. Accusativos, quibus junguntur doceor, moneor, rogor, poscor, exigor, *eorum item participia, dependere à præpositione intellectâ: ac similiter fieri apud Græcos. Parem quoque rationem esse in accusativis partis, vel adjuncti: quam Synecdochen vocant. Nec propriam hanc esse passivorum structuram, sed cum neutris sive absolutis communem. In quo à Græcis hic differant Latini. Refellitur canon de passivis accusativum regentibus cum præpositione* per, *vel ablativum cum præpositione* à, *vel* ab. *Neque hanc constructionem passivorum propriam esse.*

Accedo ad alteram falsi regiminis classem. Ea est passivorum, quæ eundem, ac activa, regere accusativum existimantur. Ac præcipuè hoc censent locum habere in passi-

passivis activorum, de quibus proximè dictum nobis: puta in *doceor*, *moneor*, *rogor*, *poscor*, cum compositis, & similem vim habentibus. Nec negare possumus, sæpe his verbis jungi accusativum rei. Ita enim Horatius lib. III, od. VI:

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo.

Et Cicero lib. II de Nat. Deor. *Multa præterea ostentis, multa extis admonemur.* Fabius lib. VI, cap. III: *Post acceptam hæreditatem primus sententiam rogabatur, cujus hæreditas est.* Ovidius I Metamorph.

—— Alimentaque debita dives
Poscebatur humus.

Cui geminum illud Cæcilii Hypobolimæo:

Ego illud minus nihilo exigor portorium.

Ac similiter in participiis. Cicero ad Att. *Rogatus sententiam.* Horatius in Arte: *Doctus iter melius.* Q. Metellus Numidicus libro accusationum in Valerium Messallam tertio: *Cum se sciret in tantum crimen venisse, atque socios ad senatum questum venisse, sese pecunias maximas exactos.* Quod Gellius* poni ait, pro eo quod est, *pecunias à se maximas exactas.* Quemadmodum & locum Cæcilii interpretatur, *Nihilominus exigitur de me portorium.*

* Lib. 15. cap. 14.

Sed passiva suo sunt supposito contenta, nec ullum regunt casum: in iis verò omnibus, quæ hactenus adduximus, accusativus regitur à præpositione, aut verbo infinito. Nam *doceri iter*, valet *ad iter*: vel aliâ supple præpositione, quæ Græco κατὰ respondeat. *Admonemur multa*, pro, *quod ad multa*; vel, *facere multa.* *Rogatur sententiam*, pro, *quod ad sententiam*; vel *dicere sententiam.* Monet Gellius, hæc Græcâ dici figurâ. Nam, ut Metellus ait, *pecuniam exigor*, ita Græcos dicere, εἰσεπράχθη με ἀργύριον. Sanè sic S. Basilius: Ἀναγκαῖον ὄφλημα, τὴν εἰς Θεὸν ἀγάπην ἀπαιτούμεθα· *Necessarium debitum, amorem erga Deum, poscimur*, vel, *exigimur.* Similiter Pausanias: Διδάσκοντες τὴν ἅλωσιν τῆς Σπάρτης· *edocentur expugnationem Spartæ.* Plutarchus in Solone: Γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος· *senesco ita, ut multa edocear.*

Docent etiam verba passiva regere accusativum, qui significet partem. Ac συνεκδοχὴν vocant, q. d. comprehensionem, quia, ut in Nominum structura dicebamus†, toti tribuitur, quod est partis. I Æn.

† Cap. 13.

Expleri mentem nequit, ardescitque videndo.

Ubi Didoni tribuitur, quod ei ratione mentis solùm convenit. Simileque, *Consternor mentem.* Sic in membris corporis; sive universè, ut apud Silium lib. XII:

—— Truncatur membra bipenni:

Sive ratione partis certæ, ut Lucano lib. IX:

Pluribus ille notis variatam pingitur alvum.

Statio IX Theb.

Figitur ora Lamus.

Appulejo quoque lib. II Flor. *Cùm sermonem nostrum cogitur æmulari ferreâ clavâ caput tunditur, imperium magistri ut persentiscat.* Dicuntur autem hæc more Græco. Quomodo Sophocles Antigonâ: Ταράσσομαι φρένας· *Conturbor animum.* Lucianus de Prometheo: ὑφ' ἀετοῦ ἐκείρετο τὸ ἧπαρ· *ab aquila tondebatur hepar.* Heliod. Æth. I: Δάφνη τὴν κεφαλὴν ἔστεπτο· *Daphne caput coronabatur.* Est verò hæc figura imprimis usitata in participiis. Virg. I Georg.

—— Tortâ redimitus tempora quercu.

I Æn.

Tristior, & lacrymis oculos suffusa nitentes.

Lucanus lib. IX:

—— Solutas
In vultus effusa comas, Cornelia puppe
Egrediens.

Ac similiter quandoque in prosa invenias: præsertim apud historicos. Pomponius Mela lib. II, cap. I: *Sarmatæ totum braccati corpus, & nisi quà vident, etiam ora vestiti.* Plinius libro VII, capite XXVIII: *Manlius Capitolinus P. Servilium, magistrum equitum, servaverat, ipse vulneratus humerum, ac femur.* Tacitus lib. II Annal. *oblitum faciem cruore suo, ne nosceretur.* Suetonius Augusto*: *Dextrum genu lapide ictus, & utrumque brachium ruinâ pontis consauciatus.* Gellius lib. XI, cap. IX: *Demosthenem lanâ multâ collum, cervicesque, circumvolutum, ad populum prodisse.*

* Cap. 20.

Nec in partibus modò hæc structura locum habet: sed etiam adjunctis, sive iis, quæ insunt, vel adsunt. Catullus ad Varrum:

Nimirum idem omnes fallimur. ——

Maro in Bucol.

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores.

VII Æn.

—— Et pictis scuta Labici.

Horat. lib. I, sat. VI:

Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto.

Silius lib. X:

Quem postquam adspexit geminatus gaudia victor.

Maximeque hoc videre est in verbis *induendi*, & *exuendi*; vel idem significantibus. Virgil. II Æn.

Androgei galeam, clypeique insigne decorum
Induitur.

Curt. lib. X: *Induitur vestem.* Et eorum participiis. Plautus Menæchmis act. I, sc. II:

Tun' me indutum fuisse pallam prædicas?

Seneca in Hercule Oetæo:

Nondum teneras vestite genas.

Sic, *Exutus tunicam.* Similiter Græci. Plutarchus: Ἐνδεδυμένοι χιτωνίσκους· *induti tunicas.* Marci cap. XVI: Καὶ εἶδον νεανίσκον περιβεβλημένον στολὴν λευκήν· *Et viderunt juvenem amictum stolâ candidâ.*

Porrò in omnibus iis, quæ hactenus adduximus, perperam putarunt, accusativum regi à verbo, cùm regatur à præpositione, tam apud Græcos, qui κατὰ intelligunt, vel περὶ, quàm Latinos, quibus intelligitur præpositio eandem vim habens. Ut, *expleri mentem*, pro, *quod ad mentem.* *Redimitus tempora*, pro, *quod ad tempora.* *Inscripti nomina*, pro, *quod ad nomina.* Atque ita in cæteris. In eo etiam aberrant, quòd συνεκδοχὴν hanc ad passivorum structuram retulere, cùm iis sit communis cum neutris sive absolutis. Virgil. III Georg.

—— Micat auribus, & tremit artus.

Idem II Æn.

—— Et cærula colla tumentem.

Horat. lib. II, sat. VII:

—— Tremis ossa pavore.

Propertius lib. II, el. XXXIV:

Sed non antè gravis taurus succumbit aratro,
Cornua quam validis hæserit in laqueis.

Silius lib. II:

—— Nam cætera non latet hostis.

Pro, *quod ad cætera*, sive, *in cæteris.*

Statius IV Theb.

—— Sævoque genas fulgebitis auro.

Ac similiter apud Græcos. Anacreon de sene choreis vacante: Τρίχας γέρων μέν ἐστι, Τὰς δὲ φρένας νεάζει· *Est quidem senex capillos, sive capillis, Sed mentem juvenescit*, sive, *mente est juvenis.* Aristophanes, Ἀλγῶ τὰς γνάθους· *doleo maxillas*: sive, *dolent mihi maxillæ.*

Est tamen, ubi differant Græci à Latinis. Græci enim accusativum jungunt tum personæ, tum rei; ubi Latini personam exprimant dativo, præterquam in verbis docendi, monendi, celandi, rogandi, de quibus ante vidimus. Homerus Odyss. A:

Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;
Mea gnata, quale verbum effugit tibi septum dentium?

In verbis verò *induendi*, & *exuendi*, nihil usitatius. Ut Il. B:

Εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω.
Si non, te apprehendens, caras tibi vestes exuero.

Odyss. ξ:

Ἐκ μέν με χλαῖνάν τε χιτῶνά τε εἵματ᾽ ἔδυσαν.

Exuerunt mihi lanam tunicamque velamina.

Matth. XXVII: *Ἐξέδυσαν αὐτὸν τὴν χλαμύδα, καὶ ἐνέδυσαν αὐτὸν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Exuerunt ei chlamydem, & induerunt ei vestimenta ipsius.*

Ajunt præterea, passiva etiam regere, vel accusativum cum præpositione PER, vel ablativum cum præpositione A, vel AB. Prioris iis exemplum sit, hoc Ciceronis ad Lentulum *: *Res agitur per eosdem creditores.* Et lib. IX ad Att. epist. IX: *Id assequitur, si per prætores consules creantur.* Alterius exemplum fuerit illud Ovidii lib. I Trist. el. VI:

* Lib. 1, ep. 1.

Non tamen illa legi poterunt patienter ab ullo.

Utriusque istud ex Cicerone pro Domo suâ: *Qui meminisset, eum bene de Rep. meritum, nisi & ab improbis expulsus esset, & per bonos restituatur?* Atqui passivum his locis nec accusativum, nec ablativum regit: sed regitur uterque casus à præpositione expressa. De accusativo etiam alter est error, quia neque hæc propria est passivorum structura, sed omnium verborum communis. Nam activâ etiam formâ hæc locum habent. In allatis exemplis consistamus: quæ erant, *Per prætores creantur consules: res agitur per creditores: per bonos restituitur.* Similiter dixeris, *Per prætores creant consules: per creditores agit: per bonos restituit.* Cicero ad Att. lib. IV, ep. XV: *Mihi, mehercle, nihil videbatur esse, in quo tantulum interesset, utrum per procuratores ageres, an per te ipsum.* Cæsar lib. III belli civilis: *Pompejus frumentum omne per equites comportaverat.*

Cap. XLII.

Verba significantia motum ad locum non regere accusativum, qui sit proprium oppidi nomen; sed regi eum à præpositione intellectâ. Ciceronis ad Atticum locus illustratur, ipseque multimodis defenditur ab inscitiâ, cujus in hujusmodi verborum structurâ arguitur. Paull. Manutius refellitur. Donati error. Præverbium ad *oppidorum nominibus additum, quod sæpius supprimitur.* Ad *subinde, nec semper tamen, locum potius propinquum, quam ingressum in eum, significare. Non semper in regionum & provinciarum nominibus accusativo addi præpositionem.* Delus *& insula, & urbis, nomen.* In pro ad, *& ad pro* in, *apud vergentis Latinitatis scriptores.* In domum intrare, *pro* domum intrare. Abire in rura: *sed* abire domos. *De aliis appellativis. In Attii loco conjectura.* Excedere patriam. Exire limen.

Tertia de falso accusativi regimine classis est verborum significantium motum ad locum. Hæc dicuntur regere accusativum, qui sit nomen urbis proprium, aut provinciæ sive regionis; sed cum aliquo discrimine: quia, ut ex Rhemnia Palæmone est apud Charisium lib. II: *Nomina civitatum sine præpositione sunt cum verbis eundi.* Et mox idem Charisius: *Generaliter & canonicè, ut* (C. Julius) *Romanus, disertissimus artis scriptor refert, præpositiones gentibus seu nationibus adduntur; civitatibus adimuntur, & detrahuntur.* Servius quoque in illud I Æn. *Italiam fato profugus, Lavinaque venit Litora:* scribit in hunc modum: *Ars hoc exigit, ut nominibus provinciarum præpositionem addamus, civitatum nunquam.* Imò Fabius lib. I, cap. V, geminum putat solœcismum, *Veni de Susis in Alexandriam:* pro, *Veni Susis Alexandriam.* Magis quoque urgebo. Cùm Cicero ad Atticum scribens, hoc pacto inchoasset epistolam: *In Piræa cùm exissem prid. Idus Octobris:* accusavit Atticus Ciceronem solœcismi ob additam præpositionem. Neque Cicero se aliter excusare videtur, quam quòd *Piræa* locum, non oppidum, esse putârit: tum quòd secutus sit autoritatem Terentii; cujus illud in Eunucho act. III, sc. IV:

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræum.

Verùm præstat adscribere integrum Ciceronis locum; qui est epist. III, lib. VII ad Att. *Venio*, inquit, *ad Piræa: in quo magis reprehendendus sum, quòd homo Romanus Piræa scripserim, non Piræum (sic enim omnes nostri locuti sunt) quam quòd IN addiderim. Non enim hoc ut oppido præposui, sed ut loco. Et tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, & Nicias Cous, non rebatur oppidum esse Piræa. Sed de re videro. Nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quòd non, ut de oppido, locutus sum, sed ut de loco. Secutusque sum, non dico Cæcilium, Mane ut ex portu in Piræum, (malus enim autor Latinitatis est) sed Terentium, cujus fabella, propter elegantiam sermonis, putabantur à Cajo Lælio scribi, Heri* * *aliquot adolescentuli coimus in Piræum* †. *Et idem* ‡: *Mercator hoc addebat, captam* * *e Sunio. Quod si δήμους* † *oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium, quam Piræus. Sed quoniam Grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα persolveris, magnâ me molestiâ liberâris.* Hæc Tullius. Cujus verba, ob summam viri auctoritatem, accuratiùs expendemus. Ac primùm illud, quòd dicit, se putâsse, *Piræa* locum esse, non oppidum. Quem propterea valde culpat doctissimus Pascalius Grosippus, sive Gaspar Scioppius, suâ ad Hieronymum Bossium epistolâ. Ubi de eloquentiæ Romanæ parente sic scribere non veretur: *Flagitiosè opidum à loco distinguit, perinde ac siquis se non de homine, sed de animali, locutum defenderet.* Addit deinde: *Si quærenti*, Quo vadis? *respondeatur*, Romam, aut Ithacam: *similiter*, Ubi est? Romæ, aut Ithacæ: *quis usque eo hebes est, ut de loco quæri ac responderi non intelligat? Quo enim est priscus accusativus, pro* Qua, *vel* Quæ: *quis in* Quocirca *permansit: & subauditur præpositio* Ad, *vel* In: *ut* Quo *sit* ad quæ loca: & Ubi *non est aliud, quàm*, In quo loco? *cui respondetur*, In loco Romæ, aut Ithacæ. *Quomodo apud Virgilium* ‡ *legimus:* Is locus urbis erit. *Et apud Horatium* *: Non est aptus equis Ithacæ locus. Hactenus Scoppius, ut doceat, Ciceronem (quemadmodum alibi loquitur) *ridiculè putâsse, oppida non esse loca.* Atqui non ridiculè, aut flagitiosè, sed verissimè Tullius, oppida non esse loca, quia loci vox non generatim hìc sumitur, ut oppida comprehendit; sed speciatim, ut oppida excludit, quia ponitur pro loco ejusmodi, qui non sit oppidum. Nec enim insolens est ipsis philosophis, ut idem sit generis, & speciei nomen. Quomodo Aristoteles in primo Rhetoricorum dividit σημεῖα * in τεκμήρια, sive signa necessaria, & σημεῖα, sive signa pressè dicta, quæ signa sunt non necessaria. Idem quincto Naturalis auditionis motum distribuit in mutationem, quæ in instanti fit, ut eo nomine generatio, & corruptio, contineantur; & motum propriè dictum, qui in tempore fit, ac successivè, ut hac voce comprehendantur, in quantitate quidem accretio & imminutio; in qualitate autem ἡ ἀλλοίωσις sive alteratio: inque Ubi, ἡ φορά, sive motus localis. In Politicis idem lib. III, cap. VII, πολιτείαν partitur in μοναρχίαν, si unus regnet; ἀριστοκρατίαν, si optimates imperent, & πολιτείαν, si potestas sit non penes reges, aut senatum, sed populum, hoc est tribus. Tertia hæc, inquit, καλεῖται τὸ κοινὸν ὄνομα πασῶν τῶν πολιτειῶν, πολιτεία· *communi omnium politiarum nomine vocatur politia.* Et profectò, quæ disciplina est, ubi non similiter vox eadem nunc universè, nunc oppositè sumatur? Quare Tullius reprehendi non debet: quippe qui hoc tantum voluerit, Piræeum non oppidum esse, sed locum alium, qui communi etiam sermone pressè, & oppositè *locus* vocatur. Fere uti Belgæ quoque aream, quæ extra domum est, *plaets*, hoc est, *locum* appellant: non quasi in loco non sint, quæ intus sunt ipsis ædibus: sed quia cùm propriis ea locorum nominibus distinguerentur, communis loci appellatio, strictiori significatione accepta, areæ relinqueretur. Ac de isto satis, vel plusquam satis.

* Eunuch. act. 3, sc.
† In Terentio est, Piræo.
‡ Eunuch. act. 1, sc. 2.
* Apud Terentium est abreptam. Nempe Cicero, cum e duobus hemistichiis verum conflare vellet, pro abreptam coactus scribere raptam, vel captam.
† Vicos.
‡ 3 Æn.
* Lib. 1, ep. 7.
* Signa.

Accedit deinde Scoppius ad alteram Ciceronis culpam. *Adhac*, inquit, *nonnullius ἀπαιδευσίας* † *vituperationem suscipit cum ipse, tum adstipulatores ejus Nicias Grammaticus, & Ciceronum puerorum magister Dionysius,*

† Imperitia.

cum

cùm Piraeum urbem, aut opidum non esse putant. Quid enim? non illi Attium Poëtam legerant, ab eoque, quod Festus testatur, Athenas Quadrurbem *dictam invenerant?* Nimirum viro eruditissimo imposuit Festi auctoritas; qui dicat, Athenas compositas è Braurone, Eleusine, Piræeo, & Sunio: ac iccirco *quadrurbem* ab Attio vocari. Sed fallebatur Festus: nec satis illud attendit, *quadrurbem* dicere, quod Græci vocant τετράπολιν: eoque nomine non Athenas signari, sed quatuor Atticæ civitates. Quâ de re ita Strabo lib. VIII: Ξοῦθος δὲ, τὴν Ἐρεχθέως θυγατέρα γήμας, ᾤκισε τὴν Τετράπολιν τῆς Ἀττικῆς· Οἰνόην, Μαραθῶνα, Προβάλινθον, καὶ Τρικόρυθον. *Xuthus, cùm uxorem duxisset filiam Erechthei, condidit Tetrapolin, sive Quadrurbem Atticæ, Oenoën, Probalinthum, Tricorythum, & Marathonem.* Quod ipsum etiam Stephanus tradit: Τετράπολις τῆς Ἀττικῆς· ἔχουσα δήμους καὶ πόλεις τέτταρας· Οἰνόην, Προβάλινθον, Τρικόρυθον, Μαραθῶνα· *Quadrurbs Attica, habens quatuor populos ac civitates, Oenoën, Probalinthum, Tricorythum, & Marathonem.* Hæc satis docent, quod Græcis est τετράπολις, id Attio ad verbum dici *Quadrurbem*; nec Athenas eo nomine intelligi: ut propter errorem Festi Cicero non debeat ἀπαιδευσίας* accusari. Pergit deinde Scoppius: *Quarum igitur pars Piraeum erat, ipso Astu ad dignitatem & speciem nullo genere inferior.* Ac sententiam suam probat his verbis Cornelii Nepotis in Themistocle: *Cum Phalereo portu neque magno, neque bono, Athenienses uterentur, hujus consilio triplex Piraei portus constitutus est, isque mœnibus circumdatus, ut ipsam Urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret.* Verùm non video, quomodo hinc erroris convincere possit Tullium, dicentem, Piræea locum fuisse in Athenarum urbe, non opidum. Nec enim ait Nepos, urbem Piræei utiliorem fuisse urbe Athenarum: sed solùm ait, portum Piræeum utilitate superare ipsam Athenarum urbem. Nempe Piræei portus prius extra urbem locus fuit, urbs non fuit: sed, additus urbi, locus in urbe fuit, ac cum Munychiâ, (ut ex secundo Thucydidæ constat) tertia pars Urbis veteris, quæ Ἄστυ dicebatur. Pergit inde Scoppius; atque ait, nullam fuisse rationem, cur Plautum missum faceret, cujus illud in Bacchid. act. II, sc. III:

> *Ibo in Piraeum. visam, ecqua advenerit*
> *In portum ex Epheso navis mercatoria.*

Et in Mostell. act. I, sc. I:

> *Tace, atque rus abi: ego ire in Piraeum volo.*

Atqui eò Terentium adduxit, vel quòd unus ea scribenti occurreret, vel quia sufficere autoritatem unius arbitraretur. Sanè Terentius ut convenientior oratori ejus ætatis, ita Ciceroni familiarior. Et poterat de Plauto objici, cum more suo ἀρχαΐζειν†: non æquè de Terentio; cujus dictionem cultiorem esse, proximeque ab ævo Ciceronis abesse, satis conveniebat inter omnes.

Ad extremum, inquit, *nimis ἀναπολόγητον est, nec excusationem habet, quòd Grammaticorum auctoritate imponi sibi passus est, ut stolida eorum regula subscriberet.* Atqui non eò regula Grammaticorum stolida est, quia perpetua non est: quod nec Grammatici censent. Nam Julius Romanus, ante ex Charisio memoratus nobis, post canona superiorem addit, *Licet contrà dixisse nonnullos veteres, reperiamus.* Et Servius post eandem regulam subjicit: *Sciendum enim usurpatum ab auctoribus, ut vel addant, vel detrahant præpositiones.*

Sequitur hinc apud Scoppium: *Cùm ergo nescire Cicero non posset, quod ipsi Grammatici ultro confitentur; inertis eorum artis canonas ab auctorum lingua Latina consuetudine dissidere: non debuit certe ipse sui accusatorem agere; nec in eo, quòd præpositionem oppido addidisset, ullum suum peccatum agnoscere.* Atqui Tullius non agnoscit peccatum: solùm ait, *nostrum quidem SI est peccatum.* Et quomodo peccatum agnoscat, qui se Terentium dicat hac in re secutum? Præterea jubet, ut Atticus, tamquam Grammaticus, hoc ζήτημα* solvat: quasi dicat, se quidem non morari hâc in parte Grammaticos? at non videre, quid Grammatici ad Terentianum isthoc sint responsuri. Nam quod doctissimus Paullus Manutius per hoc ζήτημα intelligit id, quod proximè sequitur de Cæsare, id nullus mihi persuadet. Neque enim id Grammatici ζήτημα est, sed quod antecessit de Piræeo.

* Inscitia.

† Antiquo more loqui.

* Quæstum.

Nugatur quoque Donatus, qui ne solœcismum confiteatur, ridiculè *corvimus* interpretatur *consensimus*, aut *pepigimus*. Cogitare debuerat, *Piraea* esse non oppidi, sed loci nomen; ut bene ait Tullius. Cogitandum quoque fuit, etsi nomen oppidi foret, non tamen solœcismum fore: quia Plauti est Bacchidibus act. II, sc. II:

> *Herilis patria, salve: quam ego biennio,*
> *Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.*

Et alibi idem: *Quando iturus est hinc in Seleuciam.* Et, *It ex Anactorio huc commigravit in Calydonem.*

Suntque apud eum alia id genus plura. Sed ea dices archaismo excusari. At Sallustii quoque est: *Ad Cirtham oppidum iter constituit.* Caussabis, quòd sic loquatur, quia apponatur nomen generale *urbs*, vel *oppidum*. Quemadmodum & præpositio apponitur, si addatur adjectivum. Ut illo Propertii lib. III, el. XX:

> *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.*

Ubi tamen Poëtæ præpositionem interdum omittunt, Ut Ovid. II epist.

> *Atque aliquis doctas jam nunc eat, inquit, Athenas.*

Sed quid dicent de eo, quòd Livius quoque lib. V ab Urbe, additâ præpositione ait: *Inde ad Vejos exercitus ductus.* Item: *Cùm exercitibus nec opinatò ad Vejos accessere.* At sine eâ ibidem ait: *Voluntarius ductus exercitus Vejos.* Ibidem: *Seu Vejos, seu quo aliò duci velint.* An fortasse respondeant, primo *Vejos* dici de civibus, qui postea Vejentes: sed usu factum, ut ipsa civitas Veji diceretur: ac ab eadem caussa esse, quòd *Gabii*, *Locri*, & similia, in plurativo urbem unicam signent, cùm primò homines ipsi sic fuerint vocati? An potius dicent, promiscuè addi vel omitti præpositionem, cùm quis non ingressum in Urbem sibi proponit, sed locum Urbi propinquum? Itaque *Dyrrachium dici profectum*, qui ingredi velit: *ad Dyrrachium proficisci*, qui ante, vel juxta urbem hærere cogitet: ut in castris, vel villâ, vel alio loco propinquo. Sanè vir doctissimus, Leonardus Malaspina, emendationibus in librum V Cicer. ad Att. ait ad Grammaticum ζήτημα*, quod Tullius ab Attico solvi petit, commodè responderi, quoties præpositio à Cicerone, vel aliis ejus ætatis, additur oppidorum nominibus, non ingressum, sed accessum duntaxat, notari. Ut illo Cæsaris†: *Prius Cassius ad Messanam navibus advolavit, quàm Pompeius de ejus adventu cognosceret.* Et hoc Tullii libro de Senectute: *Adolescentulus miles profectus sum ad Capuam.* Verr. I: *Cùm ego ad Heracliam noctu accederem.* Philipp. II: *Cùm inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet.* Philipp. XII: *Profectus ad Mutinam est.* Ac similem esse rationem aliis quoque locis putat. Ut cùm idem Cicero ait: *Is ad Messanam venturus dicebatur. Tertio die abs te ad Ariciam accesseramus. Ipse iter ad Mutinam dirigerem. Ne citius ad Brundusium, quàm opus sit, accesserit. Ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen, quæ in Ponto est, navigaverunt. A Pyraeo ad Zostera vento molesto venimus.* Sed ut plerisque horum non negàro locum propinquum notari: ita hoc universè verum esse, non ausim dicere. Sane hoc refellit vel locus ille ex parte antea adductus è Lælio Ciceronis: *Miles profectus sum ad Capuam, quinctoque anno post ad Tarentum quæstor.* Nam in urbe sine dubio domicilium habuit. Verisimiliùs, semper locum vicinum signari, si ea præpositio addatur oppido, non ut motus ad locum, sed aliquid esse, aut fieri in eo, significetur. Ut cùm ait Cicero pro Cælio: *Habes hortos ad Tyberim.* De Oratore lib. I: *Conchas & umbilicos ad Cajetam, & ad Lucrinum legere.* Cæsar lib. I belli civ. *Dum hæc ad Ilerdam geruntur.* Hoc est, *ante, vel circa Ilerdam.* Livius: *Cùm in hoc statu ad Capuam res essent.* Maro I Æn.

> *Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis.*

Ubi

* Quæstum.

† Lib. 3 de bello civili.

Ubi sic Servius: *APUD semper in loco significat: AD & in loco, & ad locum.* Verba quoque sunt Prisciani lib. XIV: *AD tam in compositione, quam in appositione, plerumque proximitatem significat: ut adeo adcurro, advenio, assideo: ad Trojam*‡, *pro juxta Trojam: ad urbem**, *pro juxta urbem: ad*† *balneas Palatinas, pro juxta balneas.* Sed dispar ratio, ubi motus ad locum significatur. Et, credo, propterea Cicero pro Cn. Plancio: *Brundisium veni, vel potius ad mœnia accessi.* Nam si *ad* vicinitatem semper significaret, dixisset, puto: *Ad Brundisium veni.* Quare dicere malim, Tullii ætate, ab iis, qui elegantiæ studerent, ferè omitti solere præpositionem: eoque Grammaticos hoc loquendi genus præcepisse: Oratores tamen, ac historicos, eâ in parte haut semper obsecutos Grammaticis.

‡ 1 Æn.
* 2 & 4 Verr. & ad App. lib. 3. ep. 10.
† Pro S. Ros. in Amerino.

Utcunque est, extra controversiam ponendum, etiam cum præpositio omittitur, accusativum nihilominus regi non à verbo, sed à præpositione intellectâ. Ut cum dico, *Romam eo*; *Romam* regi à præpositione, quia integrè sit, *eo ad Romam.* Quod verò præpositio solet præteriri, id, uti dixi, compendii, & elegantiæ caussâ factum fuit.

Altera est controversia, an in regionum quoque, & insularum nominibus, rectè præpositio omittatur. Planè censeo, quandoque præteriri. Nec tamen satis mihi firmum videtur, quod summæ eruditionis viri illud eunt probatum isto Ciceronis lib. V ad Att. epist. XII: *Sexto die Delum venimus.* Nam Delus non insulæ solùm nomen, sed urbis etiam in insula nomen fuit. Quippe Cicero Verrina III Delum vocat oppidum. Et Maro III Æn. ubi refert, ut Æneas in Delon insulam venerit, mox subjungit:

—— Egressi veneramur Apollinis urbem.

Ubi Servius sic: *Ejusdem nominis, & urbs, & insula, Delos dicitur.* Apollodorus quoque libro primo bibliothecæ suæ, cùm narrâsset, ut Asteria, Cœi filia, Jovis fugiens complexum, in coturnicem mutata, sese in mare præcipitem dederit, continuò subjungit, Καὶ πόλις ἀπ' ἐκείνης Ἀστερία πρότερον κληθεῖσα, ὕστερον δὲ Δῆλος· *& urbs, ab ea prius vocata est Asteria, cui postea nomen Delus.* Afferam igitur validiora: quale illud Plauti Curculione*:

Aggredior hominem, saluto adveniens: salve, inquit, mihi,
Prehendit dextram, seducit, rogat, quid veniam Cariam?
Dico, me illò advenisse animi caussâ.

Et Persâ†:

Herus meus me Eretriam misit, domitos boves uti mercarer.

* Act. 2, sc. Date viam mihi.
† Act. 2, sc. Jovi opulento inclyto.

Quod imitatus Appulejus lib. I Met. *Macedoniam profectus.* Verùm hos aliquis respuat, ut ἀρχαΐζοντας‡. At Terentius quoque Adelphis* ait, *Proficisci Cyprum.* Et†, *Porto Cyprum.* Cic. pro Domo suâ: *Cyprum relegari.* Livius lib. XLV, semel iterumque; *Cyprum navigare.* Ac, ne uni *Cypro* insistam, Cicero pro lege Maniliâ ait: *Inde Sardiniam venit.* Livius lib. XLVII: *Ingressi rursus iter per Chersonesum Hellespontum perveniunt.* Ejusdem est: *Ægyptum induxit exercitum.* Tacitus lib. II Annal. *Germanicus Ægyptum proficiscitur.* Cujus exemplo & Sulpitius Severus lib. I: *Mox annona inopia Ægyptum concessit.* Posteaque: *Cujus numerus ex quinque & septuaginta Hebræis, qui primum Ægyptum descenderant.* Imprimis verò sic poëtæ loquuntur. Catullus de nuptiis Pelei & Thetidos:

‡ Antique loquentes more.
* Act. 2, sc. 2.
† Ibid.

—— Quam talia Cretam
Funera Cecropiæ nec funera portarentur.

Virgil. ecl. I:

At nos hinc alii sitientes ibimus Afros,
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

Idem I Æn.

Æoliam venit, loca fœta furentibus Austris.

Item III Æn.

Unde iter Italiam.

Qui prosâ scribunt, fere his locis addunt præpositionem IN: præsertim illi melioris ævi. Nam sequioris ævi scriptores pro *in* solent adjicere *ad.* Capitolinus in Pio: *Profectus est ad Campaniam.* Neque id in propriis solùm faciunt, sed etiam communibus. Spartianus in Hadriano: *Ad patriam redit.* Et quid mirum? quando posteriori ævo & *ad* pro *in*, & *in* pro *ad* usurpabant sæpe: ut etiam Casaubono* observatum. Ita dixit Marcellus Empiricus: *Medicamentum hoc refertur in Musam Antonium.*

* Ad Hist. Aug.

De propriis tum oppidorum, tum regionum vidimus. nunc dicendum de locorum nominibus: uti sunt *villa, ager, mons,* & similia: in cujusmodi præpositio interdum omittitur. Ita Fannius apud Sosipatrum: *Villam venit*; pro, *ad villam.* Sed imprimis à poëtis prætcritur. Ut Æn. I:

—— Lavinaque venit
Litora.

Æn. III:

Tollite me Teucri, quascunque abducite terras.

Æn. IV:

Speluncam Dido, dux & Trojanus, eandem
Deveniunt.

Æn. VI:

—— Tua me genitor, tua tristis imago
Sæpius occurrens hæc limina tendere adegit.

Æn. VII:

—— Consilio hanc, animisque volentibus, urbem
Adferimur.

Æn. IX:

Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva.

Et fortasse eclog. VI:

Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonios montes ut duxerit una sororum:

prout in antiquo codice repent Pierius. Verùm hìc, ut ingenuè idem agnoscit, rectiùs vulgati habent,

Aonas in montes.

Domus contrà in singulari sæpe admittit præpositionem. Ita Cicero Verr. III: *Omnes ad eam domum, in qua iste diversabatur, profecti sunt.* Verr. VI: *Et mecum ad Prætoris domum ferri.* Item Seneca lib. II Controvers. *Ego in domum vestram intrabo.* Videtur autem & *domi* interdum poni pro *domum.* Ita Plautum Trinummo locutum putat Donatum, cùm ait:

Pol quamquam domi cupio, opperior hic, quam gerat rem.

Ubi *domi* est in vulgatis. Sed & Aululariâ act. II, sc. IV, dixit idem:

Nempe huic dimidium ducis, dimidium domi?

Non tamen dissimulandum, in antiquis codicibus non *ducis* legi, sed *dicis.* Mirificè autem hoc se in loco torquet Valens Acidalius*. Sed sententia *dicis* requirit: & versus id proximus comprobat.

* Divinationum in Aulul. cap. 2.

Rus in singulari sine præpositione ponitur, in plurali non item. Justinus lib. XXXI: *Appropinquante vespere equum conscendit, & rus urbanum contendit.* Livius lib. XXXIX: *Jam ubi vos dilapsi domos, & in rura vestra, eritis.* At *domus* etiam in plurativo sine præpositione ponitur; ut vel ex Livii proximè adducto loco cernere est. Ac similiter idem Livius lib. II ab Urb. C. *Tacitus terror Tarquinium, & Hetruscos incessit, ut ambo exercitus suas abirent domos.*

Gymnasium quoque, & *balnea*, omissâ præpositione dixisse videtur Varro: *Olea dominum, & balneas, & gymnasium, sequitur.* Pro, *ad balneas*, & *gymnasium.*

At vix in eo ausim assentire Prisciano, quòd, uti dicimus, *ire rus, reverti domum*; ita ait dici, *comportare humum, ire militiam:* quæ vellem idoneo fulsisset auctore. Nec tamen penitùs rejicere ausim. Nam, ex fide librorum nonnullorum, adduci è Plauto video, *Malam crucem ibo potius.* Et, *Utinam hinc abierit malam crucem.* Idem quoque Asin. act. I, sc. III: *Tam asini te portum refert.* Et apud Attium Phœnissis:

Jussit proficisci exulium quovis gentium.

Ita utrumque locum etiam Palmerius legebat. Sed ut, quod sentio, dicam, apud Plautum quidem in Camerarii codd.

codd. erat, *Te in portum refert.* Attii verò locus (quando sexcenties ordo verborum in fragmentis veterum poetarum turbatus est) sic fortasse restitui debet:

Jussit proficisci quovis gentium exulem.

Obsignabit hoc caput minuta monitiuncula. Monet Pierius I Æneid. in antiquissimis aliquot exemplaribus legi:

Tum celerare fugam, patriamque excedere suadet.

Quod barbarum non est; cùm, Lucanus similiter dicat lib. I:

—— Patrios excedere muros.

Etiam apud Terentium est †, *Cum limen exirem.* Pro quo Lucanus, *limine exire* ‡. Maro quoque in V Æneid. ait:

Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus, exit.

Ubi Servius: *Exit, vitat, declinat.*

† Hec. act. 3. sc. 3.
‡ Lib. I.

CAP. XLIII.

Ἐλλειπτικῶς *dici*, Id prodeo: maria juro: hæc dubito. *Unde de similibus judicium esto. De verbis cum præpositione compositis, quæ accusativum regant vi præpositionis extra compositionem repetendæ.* Invado, incello, insilio, *vel* insulto, aliquem, in aliquem, *&* alicui. Instare currum, *&* currui. Illudere captum, in captum, *&* capto. Inhiare hæreditatem, *&* hæreditati. Impendent me. *Geminus Festi Pompeji error.* Attendere aliquem, *&* aliquid; *item*, ad aliquid, *&* alicui. Adversari regem, adversus regem, *&* regi. Succedere murum, *&* muro: *item*, succedere sub acumen. Subit me, *vel* mihi: *item*, subit in cælum.

Sunt alia etiam accusativo juncta, qui regatur à præpositione intellectâ. Terent. Eun. act. V, sc. VII;

—— Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.

Ubi Donatus *id* exponit, *propter id.* Ita & Andr. act. I, sc. I; *Magis id adeo mihi ut incommodet.*

Per intelligitur VI Æn.

—— Maria aspera juro.

Integrè eodem libro;

—— Per sidera juro.

Dubito hoc, pro *circa hoc*, vel *ad hoc*, id est, *quod ad hoc*, sive *quod ad hoc attinet.* Terentius Adelph. act. IV, sc. V;

—— Hac dum dubitas, menses abierunt decem.

Cic. III Offic. *Hoc non turpe est dubitare philosophos, quod ne rustici quidem dubitent?* Idem epist. XV, lib. I ad Fam. *Illud non dubito.* Virgil. IX Æn.

—— Percipe porrò
Quid dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat.

Plin. lib. I, epist. XVIII; *Tutius illud cautissimi cujusque præceptum, Quod dubitas, ne feceris.*

Simile, *assentior istud*, pro, *quod ad istud.* Cicero lib. I de Orat. *Tum Scævola comiter, ut solebat, cætera, inquit, assentior Crasso.*

Fortasse huc etiam rectè referantur composita cum præpositione IN, significante motum ad locum. Dubium enim, num regatur accusativus à verbo vi præpositionis compositæ, an à præpositione per ellipsin præteritâ, & animo extra compositionem repetendâ. Nempe hic fit, ut in ablativis additis verbo composito cum præpositione motum à loco significanti: cujusmodi sunt, *abesse urbe*, & *exire ore:* ubi non dubium, quin præpositio caussa sit, cur addatur ablativus, sive eam spectes, ut inest verbo, sive potiùs ut animo repetenda: quia integrè fit, *abesse ab urbe:* ut Cicero loquitur lib. VI, epist. ad Torquatum: item *exire ex ore:* quomodo idem de claris oratoribus ait, *Nihil non consideratum exibat ex ore.* Similiter igitur pleraque cum IN composita accusativum adsciscunt, vi præpositionis: quæ nihilominus acquisitivè sumta dativo junguntur. Hoc exemplis planius fiet. Ut in *invado.* Quod accusativo ἁπλῶς * jungit Cicero lib. III Offic. *Negatque, ullam pestem majorem, vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint.* Et III Verr. *Iste quod argenti placuit, invasit.* Sallustius Jugurt. *Milites Jugurthini, signo dato, castra hostium invadunt.* Virgil. II Æn.

* Simpliciter.

Invadunt urbem somno, vinoque, sepultam.

Atque hæc ἁπλῶς. Integrè autem Cicero Philipp. II: *In multas pecunias alienissimorum hominum invasit.* Pro Cæcina: *Ut in Cæcinam advenientem cum ferro invaderet.* Sallust. Jugurth. *Tanta vis avaritiæ in animos eorum, veluti tabes, invaserat.* Ac similiter antiquiores. Ut Attius Athamante:

Ut profugiens hostem inimici invadam in manum.

Lucilius lib. XXX:

Ut semel in cæli pugnas te invadere vidi.

Quæ duo & Nonius * adduxit. Quandoque autem huic verbo & dativus additur personæ, & accusativus cum præpositione IN. Ut, apud eundem Nonium, Cæcilius Syracusis:

* In Invado.

Tantane huic invasit in corda indulcitas?

Nisi malis, Nonium scripsisse:

—— Tanta huic invasit corda indulcitas?

At nihil obducere possis Plautino huic Epid. act. V, sc. II;

Lassitudine invaserunt huic in genua flemina.

Interdum etiam sociatur soli dativo. Lucretius lib. VI;

Usque adeò mortis metus his invaserat acer.

Ut quidem Giffanius putat legi debere. In optimis membranis nostris est *incuserat.* Atque ita non pauci aliorum etiam MSS. & editio Florentina, quam Petrus Candidus recensuit. Unde Lambinus conjectabat legendum, *incesserat.* Utcunque hoc, Varronis † est de vita populi Rom. lib. IV: *Tanta porrò invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel cælum ruere, dummodo magistratum adipiscantur, exoptent.* Ut mirum sit, doctissimum virum, Petrum Victorium, haut ausum esse sequi hanc structuram apud Tullium; quam tamen in vet. lib. invenerat. Locus est epist. ad Tironem ‡: *Sed mirus invaserat furor, non solum improbis, sed etiam his, qui boni habentur, ut pugnare cuperent; me clamante, nihil esse bello civili miserius.* Quam lectionem etiam Obertus Giffanius probat Indice Lucretiano *. Est verò Græcismus. Sic Plutarchus: Πομπηΐῳ δ' ἀνὴρ μέγας πρὸς ἐφώρμησεν· *Pompejo autem vir magnus pedes invasit.* Quod aliter dicitur, *Pompejum*, sive *in Pompejum invasit*, sive *irruit.*

† Apud Non. titulo de Numeris & Casibus.
‡ Lib. 16. ep. 12.
* In Invadere.

Incesso quoque, quod ab *incedo* derivatum, ut invadendi propriè significationem habet, ita similiter construitur. Accusativo jungit Livius lib. I ab V. C. *Timor deinde patres incessit.* Et lib. II: *Magnus plebem metus incessit.* Et lib. XXIV: *Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potiundi.* Curtius lib. III: *Non mediocris omnium animos formido incesserat.* At cum præpositione Terentius Andr. act. IV, sc. I:

Nova nunc religio in te istæc incessit, cedo.

Et Livii est lib. XXIX: *Incessit morbus in castra.* Quæ magis ex nativo Romanorum sermone. More autem Græco etiam acquisitivè usurpantur. Nam, ut Plato ait: Εἰσέρχεται * αὐτῷ δέος· sic Sallustius Catil. *Mulieres, quibus pro Reip. magnitudine belli timor insolitus incesserat.* Livius lib. IV ab V. C. *Gravior cura patribus incessit.* Valerius Max. operis proœmio: *Nec mihi cuncta complectendi cupido incessit.* Curtius lib. IV: *Ingens animus militum desperatio incessit.*

* Incessit eum metus.

Insilire, & *insultare aliquem*, similiter dicitur, pro *in aliquem.* Nam ut Suetonius in Claudio: *Insilire defessos:* ita Plautus Rudente, —— *Insilire in scapham:* Livius lib. VI, & VIII, *Insilire in equum.* Et ut Terentius Eunucho †: *Insultare calcibus fores:* item Sallustius ‡: *Multos ab adulescentia bonos insultaverat:* ita Cicero II de Nat. Deor. *Insultare in omnes:* & pro Milone: *Clodius, qui tot annos in hanc Remp. insultaverat.* Sed acquisitivè etiam sumi videas. Ut apud Maronem in VIII:

† Act. 2. sc. 2.
‡ Apud Servium in 10 Æn.

Huic capiti insultans.

Et Suetonio in Cæsare: *Ex eo insultaturum omnium capitibus.*

Instare

Instare aliquem eodem modo videntur dixisse. Ut, *instat eum*, apud Plautum Pœn. act. IV, sc. Satis spectatum est. Et Maro in VIII:

> *Parte aliâ Marti, currumque, rotasque volucres*
> *Instabant.*

Pro, *in currum, rotasque*. Sed dativus & hîc usitatior. Idem I Æn.

> —— *Instans operi, regnisque futuris.*

Et in VII:

> *Heu, quanta miseris cædes Laurentibus instant!*

Ut rectè observet Priscianus in XVIII, quemadmodum Græci dicunt ἐπιστῆναί ὑμῶν, καὶ ὑμῖν· ita Latinos dicere, *instare illi*, & *illum*.

Illudere aliquem, dixit Terentius And.* (* Act. 5, sc. 1.)

> *Dum studeo obsequi tibi, penè illusi vitam filiæ.*

Cicero lib. I de Orat. *Rhetorum præcepta solebat illudere Carneades.* Item Maro IX Æn.

> —— *I, verbis virtutem illude superbis.*

Censeo & hîc desiderari præpositionem IN: quam expressit Cicero lib. III de Orat. *Qua*, inquit, *cùm dixisset, in Albutiam illudens.* Hoc quoque acquisitivè sumitur: ut apud Tullium pro Sex. Roscio, *illudere dignitati.* Est & Maronis XI Æn.

> —— *Certantque illudere capto.*

Nisi existimes, ut *aliquem illudere* dicimus, pro *in aliquem illudere*: ita rectum quoque esse, *aliquo illudere*, pro *in aliquo illudere*: quomodo Terentius ait Andriâ†: († Act. 4, sc. 4.)

> *Adeone videmur vobis esse idonei, in quibus sic illudatis?*

Sed, *in aliquo illudere*, dicitur: sine præpositione autem, non *aliquo*, verùm *alicui*: idque Græco more, quomodo Isocrates in Parænetico: Ἀτυχοῦντι μὴ ἐπιγέλα· quod Latinè eodem casu reddas, *Misero & infelici ne illude.*

Inhiare quoque his simile existimo. Plautus Sticho*: (* Act. 4, sc. 2.)

> *Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat, quasi esuriens lupus.*

Integrè sit, *inhiare in hæreditatem*. Sed dativus est usitatior. Cicero Catil. III: *Uberibusque lupinis inhiantem.*

Impendere quoque accusativo junxerunt. Lucilius:

> *Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet, agatur.*

Adducit Festus Pompejus, ut doceat, veteres *me*, pro *mihi*, dixisse: simileque esse ait illi Enniano lib. II:

> *Siquid me fuerit humanitus, ut teneatis.*

Mihi neutrum placet: sed Lucilii illud ἐλλειπτικὸν censeo, pro *in me impendet*: cujus generis multa adeò jam vidimus. Itidem Ennii illud ἐλλειπτικὸν est pro, *Siquid de me fuerit.* De quo sermonis defectu agam, ubi deventum erit ad verba, quæ falsò creduntur regere ablativum.

Eadem ratio est in nonnullis cum AD compositis. Ut in *attendo*. Accusativo jungit Cicero nunc personæ, nunc rei. Personæ, ut pro Archia: *Quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis.* Pro, *ad me attenditis.* Rei, ut pro Quinctio: *Quod abs te quæso, ut diligenter attendas.* Et pro Rabirio Postumo: *Ut cùm lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet.* Pro, *ad quod attendas*: item, *ad primum versum attenderet.* Præpositionem Cicero exprimit oratione contra Rullum: *Sed attendite animos ad ea, quæ sequuntur.* At proximi seculi scriptores præferunt dativum. Dativo personæ jungit Plinius in Panegyrico: *Juras in legem, attendentibus Diis. Nam cui magis, quàm Cæsari, attendant?* Dativo rei sociat idem in septimo epistolarum: *Ne sermonibus quidem malignis attendit.* Sic libri ejusdem epist. ult. *Divus Nerva privatus quoque attendebat his, quæ rectè in publico fierent.* Suetonius quoque in Galba dixit, *alicui attendere*, pro *operam dare*: *Inter liberales disciplinas*, inquit, *attendit & juri.*

Etiam in *adversus*, vel *adversum*, præpositio AD inest: cujus vi fortasse compositum hoc accusativum regit, ad instar illius, *adversus Indiam*: cujus sententia est, *ad Indiam versus.* Atque eâ de re etiam diximus lib. IV de Analogia cap. XXII. Quare nihil mirum, si in verbo quoque ab *adversus* derivato par ratio sit. Ita apud Tacitum legas lib. I Annal. *Sua facinora adversari Deos lamentabatur.* Gocl. in Analectis plura ex eodem. Idem IV Historiarum: *Advocatâ concione, jussu numinis, suos Ptolemaique visus, ingruentia mala, exponit. Vulgus adversari* (h. e. adversabatur) *regem, invidere Ægypto, sibi metuere, templumque circumsidere.* Ita Alciati, Lipsii, aliæque editt. *Adversari aliquem*, pro *adversari adversus aliquem.* Sic enim Plautus Mercatore†: († Act. 2, sc. 3.)

> —— *Nolo tuam adversari adversus sententiam.*

Sed dativus & hîc usitatior est: ut, *adversari alicui*, vel *aliorum sententiæ.*

Videas idem locum habere in compositis cum præpositione SUB, significatione eâ, quâ accusandi casum exigit. Ab hac enim caussa est, quòd *succedere*, pro *subire*, ac *penitus intrare* (quomodo Servius in ecl. V interpretatur) tum dandi, tum accusandi casui jungitur; ut rectè dicamus, *succedere domui*, vel *domum*. Hac de re sic ibidem Servius: *Sanè Succedimus, & dativo, & accusativo casibus, secutus tam veterem, quàm nostram consuetudinem, suo more jungit: Sive umbras succedimus, sive antro. Cùm alibi, secutus tantùm antiquos, dativo tantum Succedere junxerit. Ut**, —— *Ac nostris succede Penatibus, hospes. Et*†, *Successitque gemens stabulis.* (* 8 Æn. † 7 Æn.) *Sallustius tamen Succedere accusativo junxit; sed ubi prope significat: Cùm murum hostium successisset, pœnas dederat: h. e. cum prope murum accessisset.* Nempe, *succedere muros*, pro, *sub muros*: quomodo Cicero lib. I de Orat. *Subire, & succedere sub acumen styli.* Et Cæsar primo de bell. Gall. *Succedere sub primam aciem.* Quanquam & *ad*, vel *in*, possis intelligere. Ut, *ad montes*, &, *muros succedere*, Livius‡ dixit: *succedere in locum*, Cicero sæpius. (‡ Lib. 1. & 8.) Imò quandocunque ἁπλῶς dicitur, *succedere alicui*, tacitè illud, *in locum*, debet suppleri, si volumus, integer ut sit sermo.

Subeo ejusdem est notæ. Nam quid aliud, *subire amplexus*, quàm *ire sub amplexus*: ut Ovidius loquitur epist. XVI. Itaque dicitur, *subit me*, ob præpositionem *sub*; & *subit mihi*, acquisitivè. Ovid. epist. Paridis:

> *At mihi cunctarum subeunt fastidia.*

Idem Fast. II:

> *Mens abit, & morior, quoties pugnantis imago*
> *Me subit.*

Ac similiter Virgilius in IX, —— *muroque subibant*: in VIII: —— *Hæc limina victor*
Alcides subiit.

Possis his quoque locis in accusativo intelligere præpositionem *sub*: sed ea reticeri solet in universum, nisi cùm ponitur pro *adscendere*: ut Plinio*, *subire in summa maria*: &†, *subire in cælum*: vel *eundi* potiùs, quàm *intrandi* significatione: ut apud Livium; *subire ad montes*‡, *mœnia**, *portas*†. (* Lib. 9. cap. 27. † Lib. 31. cap. 3. ‡ Lib. 1. * Lib. 26. † Lib. 34.)

Cap. XLIV.

De verbis significantibus spacium loci; item spacium, vel speciem temporis. Distare sex passus, *esse* ἐλλειπτικὸν, *pro*, ad sex passus: sex passibus *item*, *pro*, à sex passibus. *Græcis similiter intelligi* ἐπὶ, *&* περὶ. Ἐπὶ, *&* περὶ, *addita loci spatium significantibus, diversam vim habere. Ostenditur contra Nonium Marcellum, non aliquando, sed sæpe, ab optimis scriptoribus negligi discrimen inter hæc duo*, factum multos annos, *&*, multis annis. Per, *vel*, intra, *intellectum, in accusativis spatium temporis indicantibus.* Est annos decem, *pro*, Est factum ante annos decem. Natus annos decem, *pro*, ante decem. Vixit annis decem, *pro*, in annis decem. Abhinc decem annos periit: *pro*, abhinc ante decem annos. Abhinc decem annis periit, *pro*, in annis. *Veteribus id scriptoribus aliquot comprobatur.* Potare die, *pro*, de die. Venire mane, *pro*, in mane, cum mane, *vel* de mane.

ne. In quinquennio, in hoc ævo, *similiaque. Græcis similiter ἐν nunc apponi, nunc omitti.* Hoc noctis ambulas.

Miretur fortasse aliquis, quòd cùm fusè adeò sim persecutus, quæ accusativum, vel regunt, vel regere existimantur; silentio tamen prætererim præceptum de verbis regentibus accusativum, vel ablativum, quo significetur spacium loci, aut temporis. Sed non injuriâ ejus considerationem in hunc locum rejeci. Nam cum ea, quæ de utriusque casus regimine tradiderunt, divelli commodè non possent; existimavi, convenientissimum illis locum fore inter superiora de accusativo, & sequentia de ablativo; ut doctrina hæc & claudat ea, quæ de accusativi regimine tradiderunt, & incipiat, quæ de ablativi regimine præcipiunt.

Canon Grammaticus sic vulgo habet; Verba regere accusativum, vel ablativum, significantem spacium loci, aut temporis; item, si *abhinc* apponatur, etiam speciem temporis; sed, si ea particula absit, tantummodo ablativum. Ubi ordine considerabimus septem ista; primùm, in spacio loci accusativum; proximè in eodem ablativum. Hinc in spatio temporis, accusandi; quarto loco, in eo auferendi casum. Quincto, in specie temporis, *abhinc* addito, accusativum; tum in eo casum auferendi. Postremo, absente particulâ eâ, ablativum solum. Inque singulis considerabimus tria, morem Romanum, consuetudinem Græcam, & caussam structuræ; quæ petetur ab ellipsi præpositionis tam apud Latinos, quàm Græcos.

Spatium loci sæpius ponitur in accusativo. Plautus Aulularia act. I, sc. I:

—— Si tu hercle ex istoc loco
Digitum transversum, aut unguem latum excesseris.

Cicero ad Attic. lib. XVI, epist. VII; *Cùm à Leucopetra profectus (inde enim transitebam) stadia circiter trecenta processissem, rejectus sum austro vehementi ad eandem Leucopetram.* Cæsar lib. VI bell. Gall. *Hercynia sylva latitudo novem dierum iter expedito patet.* Virgil. in ecl.

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas.

Livius lib. XXX: *Zama quinque dierum iter ab Carthagine abest.* Ovid. Trist. lib. IV, el. IX:

Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab urbe decem.

Similiter Græci. Thucydides lib. II: Ἀπέχει ἡ ἡ Πλαταιὰ τῶν Θηβῶν σταδίους ἑβδομήκοντα· *Abest Platæa à Thebis stadia* LXX. Xenophon lib. III Cyri pæd. Ἀπεῖχον ὅσον παρασάγγην· *Aberant quasi parasangam.* Diodorus Siculus lib. XIX: Ἡμέρας ὁδὸν ἀπεῖχον ἀλλήλων τὰ στρατόπεδα· *Diei iter distabant à se castra.* Lucianus quoque: Οὐδέποτε τὸν ἕτερον πόδα ἀπελθών· *Nunquam vel pedem digressus:* quomodo Cicero in Academicis Quæst. *A Chrysippo pedem nunquam.*

Quandoque autem pro accusativo est ablativus. Plancus Ciceroni: *Ventidius bidui spatio abest ab eo.* Maro XI Æneid.

—— Nec longis inter se passibus absunt.

Plin. lib. VII, cap. II: *Gens Menismìnorum* * *appellata abest ab Oceano dierum viginti itinere.* Similiter Græci. Procopius de ædif. Justin. Πενταπόλεως Τρίπολις ἡμερῶν διέχει ὁδῷ εἴκοσιν εὐζώνῳ ἀνδρί· *Homini expedito Pentapolis à Tripoli distat itinere viginti dierum.* Ac similiter dicitur, Πολλῷ τῷ μέτρῳ κατόπιν ἀφεῖναι· *Longo intervallo post se relinquere.*

* Ita & vetus editio Parmensis. Aliqui codd. Medimnorum.

Hæc usum veterum docent: nunc caussam structuræ aperiamus. Ea non est, quam putarunt. Planè enim & accusativus, & ablativus, regitur à præpositione intellectâ. Ac in accusativo quidem supplendum *ad*, *per*, aut *circa*. Ut, *Abest iter diei:* pro *ad iter*, vel *per*, aut *circa iter diei. Distat* LXX *passus:* pro *ad*, vel *per*, aut *circa* LXX *passus.* Græcè autem intelligitur ἐπί: quod quandoque exprimitur. Diodorus Siculus lib. XVII: Τῆ τείχης καθεῖλεν ἐπὶ δέκα σταδίους. Ubi ἐπὶ valet *ad*, ut decem stadiorum numerus exactè notetur. Existimet aliquis, intelligi etiam posse περὶ, quia similiter addatur hæc præpositio in illo Polybii lib. III: Ἀπέχει δὲ κατ' Ἡρακλείους στήλας στόμα τοῦ αὐτῆς ὁ τόπος περὶ ὀκτακισχιλίους σταδίους. Sed περὶ hic restringit significationem: quia valet *circiter.* Sententia enim est, *Locus is ab ostio ad Herculeas columnas distat circiter octo millia stadiorum.* Ut idem fere valeat, ac ὡς illo Xenophontis: Διεῖχε ταύτης σταδίους ὡς πεντεκαίδεκα· *Distabat ab hac stadia fere quindecim.* Et ista de accusativo.

Ablativus autem regitur à præpositione *à*, vel *ab.* Velut si *exercitus distare* dixeris *multis passibus*, aut *stadiis:* pro *ab multis.* Itaque Græcè interdum additur præpositio ἀπό. Diodorus Sic. lib. XIX: Κατεστρατοπέδευσαν ἀλλήλων ἀπὸ σταδίων τριῶν· q. d. *Ab tribus stadiis castra alii ab aliis sunt metati.*

Videamus nunc de casu, quo exprimitur duratio, sive spatium temporis: & quo respondetur, cùm interrogatio fit per *quamdiu*, vel *quamdudum.* Et is casus nunc accusativus est, nunc ablativus: ut, *Vixit annos* XXX, vel *annis* XXX. Accusativo usus Cicero lib. VII ad Att. *Fuimus unà fortasse duas horas.* Idem I Off. *Te, annum jam audientem Cratippum.* Virgil. ecl. I:

Hic tamen hanc * *mecum poteris requiescere noctem.*

* Ita, Pierius teste, optimi codd. & jam olim sic legit Arusianus Messius Elocutionum libello.

Ablativum usurpat Cicero III de Off. *Triginta annis vixit Panætius, postquam eos libros edidisset.* Seneca epist. XCIII: *Octoginta annis vixit, imò octoginta annis fuit.* Sueton. Calig. cap. LIX: *Vixit annis viginti octo, imperavit triennio.* In quibus & locus fuit accusativo. Non defuere tamen, qui existimarent, tunc esse accusativo utendum, cùm quid continuum significatur: ablativo, cùm intervallis distinctum. Est hæc sententia Nonii Marcelli †; qui sic scribit: *Quoties per accusativum casum* ANNOS, *vel* DIES, *loquimur, juges annos, vel dies, significamus: quoties per dativum, per intervallum interjectis aliquibus annis, vel diebus. Itaque qui optantes, multis annis dicunt, multos annos melius dicerent.* Sententia est, rectiùs dici, *Opto, ut multos annos bene valeas*, quàm *multis annis:* quia optamus, ut bona valetudo sit continua, non morbis aliquoties interrupta. Atque hanc sententiam suam ut probet Nonius, varia adducit loca, cùm Turpilii, Plauti, Lucilii: tum Ciceronis, Sallustii, Maronis. Tandem tamen agnoscit, Varronem ablativo extulisse, cùm de continuis sermo esset: ut qui περὶ γεγαμηκότων dicat: *Cujus ubi annis multis masculum vestigium inventum est.* Et sanè optimi quique scriptores negligunt hoc discrimen. Nam Cæsar, uti ait, *Continuato diem noctemque opere:* ita nec refugit, *Continuato & die, & nocte, itinere.* Item, *Hoc cùm esset modo pugnatum continenter horis quinque.* Atque ut ait, *Paucos dies ibi morati:* ita inquit, *Biduo moratus.* Ac Sallustii similiter est, *Marius toto die intentos prælio Numidas habuerat.* Quid etiam apertius illo Plinii lib. XIV, c. XXII: *Biduo, duabusque noctibus, perpotationem continuavit.* Et qui intervalli ratio haberi potest, cùm Cicero in III de Off. ait: *Triginta annis vixit.* Aut cùm Suetonius de Caligula dicit: *Vixit annis* XXIX.

† Cap. de doctorum indagine.

Hæc satis declarant, quomodo loquantur veteres, cùm exprimendum est spatium temporis. Nunc ostendendum, ut falsi sint de regimine accusativi, & ablativi. Nam accusativus is regitur non à verbo, sed à præpositione *per*, vel *intra:* quarum utraque interdum exprimitur. Cicero lib. VII, epist. V: *Serò resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos.* Pro quo usitatiùs diceretur, *annos decem aluimus.* Cæsar lib. I de bello Gallico: *Intra annos quatuordecim tectum non subierunt.*

Est etiam cum *ad*, vel *in*, apponantur: sed propriam habeant vim, ut κατ' ἔλλειψιν omitti minimè possint. Cicero in Catone: *Si ad centesimum annum vixisset.* Nam aliud est, *centesimum annum vixisset:* aliud, *ad centesimum.* Idem in Somnio Scipionis: *Qui ad multam noctem vigilassem.* Si ratione temporis futuri apud eundem ad Atticum lib. XV, ep. VI: *Quoniam præsidia sunt in tot annos*

provisa. Item Tusc. Quæst. lib. I: *Sapientem non deterret mors, quo minus in omne tempus Reip. suisque consulat.* Et hoc Terentii Eun. act. v, sc. VII:

Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minitare.

Quomodo & Cicero Philipp. II dixit, *In diem vivere,* de eo, qui crastini curam habet nullam.

Hæc confundi minimè debent, cum iis exemplis, ubi præpositio sic apponitur accusativo, ut per ellipsin præteriri possit salvâ sententiâ. In quo Latini Græcos imitantur. Nam his quoque spatium temporis accusativo significatur, qui regatur a præpositione ἐπὶ, vel simili. Ut illo Demosthenis pro corona: Καθῆντο ἐν Μακεδονίᾳ τρεῖς ὅλους μῆνας. *Sedebant in Macedonia tres totos menses.* Ac similiter Arrianus lib. VII: Ἀλέξανδρος ἐβίω δύο καὶ τριάκοντα ἔτη, ἐβασίλευσε δὲ δώδεκα ἔτη, καὶ ὀκτὼ μῆνας. *Alexander vixit annos duos, & triginta, regnavit annos duodecim, & octo menses.* Præpositionem addit Thucydides: Ἐπὶ δύο ἡμέρας: *per duos dies.* Paulan. Ἀνὰ πᾶσαν νύκτα: *per totam noctem.*

Quemadmodum autem dicitur, *vixit sex annos:* ita & reperias, *est sex annos.* Plautus prologo Aulul.

——*Hanc domum*

Jam multos annos est cum possideo, & colo.

Scio, Bosium legere, *Jam multus annus est.* Sed invitis libris. Et rectè annotavit Guiljelmius, simile esse illud Pers. act. I, sc. III:

——*Hic leno nondum sex menses Megaribus*

Huc est cum commigravit.——

Ubi *menses* accusandi casu extulit. Alioqui debuerat dicere, *Nondum sunt sex menses.* Caussa verò locutionis petenda ab ellipsi præpositionis *ante.* Nam integrè est, *Nondum ante sex menses factum est, cùm leno Megaribus huc commigravit.* Sic in priori loco supplendum: *Jam ante multos annos est, cum possideo, & colo, hanc domum.*

Vicinum est genus sermonis, *annos natus triginta:* ubi *ante* intelligi, monuit quoque Priscianus. Cicero in Catone de Masanissâ: *Nonaginta annos natus.* Quod Gaza similiter vertit, Ἔτη ἐννενήκοντα γεγονώς.

Venio ad ablativum, qui & ipse non à verbo regitur; sed à præpositione *in.* Ut, *Vixit annis viginti,* pro, *in annis: imperavit triennio,* pro, *in triennio.* Ac par ratio apud Græcos. Joann. cap. II: Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος: *quadraginta sex annis laboratum est in hujus templi structurâ.* Herodianus lib. IV: Σεβῆρος ἐβασίλευσεν ὀκτὼ καὶ δέκα ἔτεσι: *Severus imperavit annis octo ac decem.* Ubi similiter ἐν intelligendum. Nec refert, an exprimi soleat. Non semel enim monui, aliud esse, quod nativus spectat sermo; aliud, quod dicitur compendii, & elegantiæ caussâ.

Proximum est, ut videamus de specie temporis, ubi quæritur, non πόσον χρόνον, *quamdiu;* sed κατὰ τὸν χρόνον, *quando.* Hic Latini interdum utuntur accusativo, qui regatur à præpositione PER expressâ. Cicero de Claris Oratoribus: *Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se.* Pro, *eo tempore.* Virgil. I Æn.

At pius Æneas per noctem plurima volvens. Pro, *noctu.*

Quod si adsit particula *abhinc,* nunc accusativo utuntur, nunc ablativo.

Accusativum usurpat Terentius And. act. I, sc. I:

Interea mulier quædam abhinc triennium

Ex Andro commigravit huc viciniæ.

Cic. IV Verr. *Horum pater abhinc duos & viginti annos est mortuus.* Et pro Corn. *Etenim si Cn. Pompejus abhinc annos quingentos fuisset.*

Sed hic quoque falluntur, cùm putant, accusativum regi à verbo. Nam regitur à præpositione *ante,* quæ per ellipsin desideratur.

Quod si, eodem *abhinc* apposito, ablativus addatur; regitur is casus à præpositione *in* omissâ. Cicero pro Roscio Comœdo: *Roscium cum Flavio decidisse. quo tempore? abhinc annis quindecim.* Item IV Verr. *Offendit eum mensem comitialem, comitiis abhinc XXX diebus habitis.* Plinius lib. XIV, cap. III: *Septimo hinc anno, in Narbonensis provincia Albâ Elvii, inventa est vitis uno die deflorescens.* Gellius lib. I, cap. X: *Tu sermone abhinc multis annis jam desito uteris.* Atque hic præpositionem *in* desiderari, planius erit ex iis, ubi *abhinc* non apponitur.

Ea enim particula si absit, semper utimur ablativo. Cicero pro Plancio: *Ego mense Decembri mei consulatus id feci.* Idem: *Superioribus diebus veni in Cumanum.* Livius lib. I: *Duodequadragesimo anno ferme, ex quo Tarquinius regnare cœperat, longè maximo honore Servius Tullius erat.* Tibullus lib. II, el. I:

Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator.

Huc etiam refer, cùm intra certum spacium temporis aliquid factum, futurumve, significatur. Cic. ad Q. Fratrem lib. III, ep. VI: *Quatuor tragœdias sexdecim diebus absolvisse cùm scribas.* Ad Att. lib. IX, epist. XVII: *Quicquid est, biduo sciemus.* Pro Milone: *Clodius respondit, triduo illum, ad summum quatriduo periturum.* Eodemque modo accipiendum hoc Catulli Carm. XIII:

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me

Paucis, si tibi Di favent, diebus.

Livius lib. III: *Puncto temporis maximarum rerum momenta vertuntur.*

Verùm his, & similibus locis, ablativus non à verbo regitur; sed præpositione *in:* quæ sæpe etiam apponitur. Plautus Cap. act. I, sc. II:

——*Nam illum confido domum*

In his diebus me reconciliassere.

Idem Truculento act. II, sc. VIII:

Ego faxo dicat, me in diebus pauculis

Crudum virum esse.

Et Pers. act. I, sc. I:

Quos (nummos) *tibi continuò reponam in hoc triduo.*

Terentius Andr. act. I, sc. II:

Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,

Chrysis vicina hæc moritur.

Eun. act. III, sc. III:

Postremò & quâ in die parva periisset soror.

Heaut. act. V, sc. II:

——*Ut pater*

Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?

Cicero ad Cassium lib. XV, ep. XVI: *Ego si semper haberem, cui darem, vel ternas in horâ darem.* Initio orat. pro Quinctio: *Quæ res in civitate duæ plurimùm possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore.* Verr. IV: *Non puto id ages, ut ista pecunia in quinquennio consumatur in statuis.* Livius lib. IV ab. V. C. *Aut in tempore pugnam iniisse.* Plinius lib. II, cap. XXV: *In nostro verò ævo.* Et lib. IX, cap. LI: *Cætera femina in triduo excludunt, si mas attigit.* Ac aliquoties ita Gellius. Uti lib. VII. cap. V; item lib. IX, cap. IV, & XI. Sic quoque Appulejus Apol. *Qui utinam illud non vere respondissent, primum ejus maritum in paucis mensibus moriturum.*

In nonnullis verò ablativis, suppletur defectus non solùm præpositione *in,* sed etiam *cum,* vel *de:* quæ & ipsæ quandoque apponuntur. Terent. Adelph. act. V, sc. III:

Cum prima luce ibo hinc. M. imò de nocte censeo.

Ubi Donatus ait, *de* abundare. Rectè, si usum communem attendas. Sed si spectemus, quid nativus sermo requirat, non cùm adest præpositio, ea πλεονάζει*: sed, cùm abest, ἐλλείπει†. Sic, *de nocte vigilare,* apud Ciceronem pro Muræna, & ad Qu. Fr. lib. II, ep. XVI. Hor. lib. II, sat. VIII:

* *Redundat.*
† *Deficit.*

De medio potare die.

Quare ex istiusmodi locis supplenda ellipsis, quoties præpositio deest. Atque hoc etiam locum habet in iis, quæ multis adverbia videntur, cùm revera sint ablativi: ut, *Mâne venit;* pro, *de mâne.* Item, *venire luci, vesperi, tempori;* qui antiqui sunt ablativi, pro, *luce, vespere, tempore:* integreque sit, *in luce,* vel *de luce,* aut *cum luce:*

luce: item in *vespere*, vel *de vespere*, vel *cum vespere*: item, *in tempore*.

Atque in his etiam conveniunt Latini cum Græcis; qui itidem τινι & χρόνῳ sæpe efferunt dativo, nunc omissâ, nunc expressâ præpositione. Prioris generis est hoc Thucydidæ: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ αὐτοῖς συνέβη· *Eadem die illis accidit*. Similiter Plato: Χρόνῳ οὐ πολλῷ πᾶσα μετέπεσε· *Non longo tempore tota concidit*. Dionysius Hal. Χρόνῳ δ' ὕστερον· *aliquanto post tempore*. Arrianus lib. VII: Ἐτελεύτα τῇ πεντέτῃ καὶ δεκάτῃ ἑκατοστῇ Ὀλυμπιάδι, ἐπὶ Ἡγησίου ἄρχοντος Ἀθήνησι· *Vitam finiebat Olympiade* CXIV, *Hegesia Athenis prætore*. Præpositio autem exprimitur à Demosthene: Ἐν τρισὶν ἡμέραις, καὶ τοσαύταις νυξὶ, διακόσια καὶ χίλια στάδια διελθεῖν· *In tribus diebus, ac totidem noctibus, ducenta & mille stadia transire*. Æschines quoque, Ἐπὶ τινος ἄρχοντος, καὶ ποίου μηνὸς, καὶ ἐν τίνι ἡμέρᾳ· *Quo prætore, & quo mense, & in qua die*. Hesiodus verò etiam ἐπὶ νυκτὶ, quod Xenophonti, ἐν νυκτί. Sed Græci talia etiam efferunt per genitivum, nunc omissâ, nunc additâ præpositione. Ita κατ' Alexis, Περιπατεῖν τῆς νυκτὸς· *ambulare noctu*. At integrè Xenophon, Ἐκ νυκτός. Et Plato, Διὰ νυκτὸς, καὶ ἡμέρας· *noctu, & interdiu*. Item Lucianus, Τεθνᾶσιν ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας· *Mortui sunt uno die*.

Interdum dubitari possit, sitne accusativus, an ablativus. Ut apud Plautum Amphitr. act. I, sc. I:

> —— *Qui hoc noctis solus ambulem.*

Et paullò pòst:

> *Hæc heri immodestia coëgit, me qui hoc*
> *Noctis à portu ingratis excitavit.*

Et Curcul. act. I, sc. I:

> *Quid ted hoc noctis dicam proficisci foras,*
> *Cum istoc ornatu, cumque hac pompâ, Phædrome?*

Ablativus erit, si intelligitur *in*. Ut integrè sit, *in hoc noctis tempore*. Quomodo veteres sæpe loquuntur. Sed accusativus fuerit, si supprimitur præpositio *circa*. Ut simile sit, *Homo id ætatis*. Ubi clarè est accusativus.

Cap. XLV.

De verbis adsciscentibus ablativum, vel suæ originis, vel cognatæ significationis. Non quæcunque ejus generis admittunt casum auferendi, etiam jungi accusativo. Olère nardo, sulfure; redolere thymo. *Diomedis in hoc error.*

QUæ proximè diximus, tam ad accusativum pertinent, quàm ablativum. Nunc ad ea venio, quæ propriè ablativum spectant. Ubi principem merentur locum verba ablativis addita, vel suæ originis, vel cognatæ significationis. Poteramus, ut in loci, ac temporis significatione proximè fecimus, ita quoque in ejusmodi verbis conjungere structuram accusativi, & ablativi: quia ut dicimus *vitam*, ita & *vitâ vivere*; ut *gaudere gaudium*, sic & *gaudio*, & ita in aliis multis. Sed, ut divelleremus, fecit, quòd magnum in his est sermonis discrimen. Nam loci, ac temporis accusativi, & ablativi, eo conveniunt, quòd casus uterque sit improprius, nec à verbo, sed à præpositione rectus. In casibus verò, quæ ejusdem, ac verbum, originis sint, vel cognatam habeant significationem, accusativus verè regitur à verbo, ablativus à præpositione. Quandoquidem igitur de accusativo antea vidimus: de ablativo nunc agamus.

Ejusdem originis ablativum videre est in illo Ciceronis lib. III ad Qu. Fr. epist. III: *In quo, quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus*. Nam *iter* est ab *itum*. Et manifestiùs in illo Cœlii ad Ciceronem lib. VIII, epist. VI: *Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus*. Item apud Senecam ad Lucilium *: *Bella res est, mori suâ morte*. Quomodo & Græci loquuntur. Ut Epiphanius lib. I: Καὶ † μή τις λεγέτω περὶ τοῦ Ἄβελ· ὅτι τῷ θανάτῳ ἰδίῳ τέθνηκε. Sed imprimis gaudet hoc loquendi genere Plautus. Ejus est Capt. act. II, sc. I:

> —— *Nunc obsecro te hoc unum,*
> *Ne me secus honore honestes, quam cùm servibas mihi.*

Et act. II, sc. III:

> —— *Pol istic haut me centesimam*
> *Partem laudas, quàm ipse meritus est, ut laudetur laudibus.*

Quod imitatus Cato apud Charisium: *Laudant me maximis laudibus*. Plautus Curcul. act. IV, sc. III:

> *Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundiâ:*
> *Sed eapse illâ, quâ excidionem facere condidici oppidis.*

Nam eadem verborum est, & participiorum, constructio. Item Persâ act. IV, sc. III:

> *Faciam, ut mei memineris, dum vitâ vivas.*

Ita & Linacer legit, & in vett. codd. ac MSis Camerarii, scriptum invenitur. Quantopere autem placuerit Plauto, jungere vocabula cognatæ significationis, vel argumento est, quòd tribus id continuis faciat versibus: primùm quidem usurpando cum accusativo; iterum nomen cum ablativo; denique verbum etiam cum eodem casu. Locus est Captivis act. II, sc. III:

> *Me hîc valere, & servitutem, servire huic homini optimo,*
> *Qui me honore honestiorem semper fecit, & facit.*
> PHI. *Istuc ne præcipias, facilè memoriâ memini tamen.*

Gaspar quoque Schoppius *, uti & Janus Gruterus, testantur manuscriptos Plauti codices habere Mil. Glor. act. II, sc. VI:

> —— *Neque herile negotium*
> *Plus curat, quam si non servitute serviat.*

Eodemque modo legi ajunt act. III, sc. I:

> —— *Itane tibi ego videor oppidò Acheruntieus,*
> *Tam capularis, tamne tibi diu videor vita vivere?*

Atque in his verbum habet additum suæ originis ablativum. Sæpe verò habet ablativum cognatæ significationis. Ut si pro, *olêre odore sulphureo*, dicas, *olêre sulphure*. Propertius lib. IV, el. VII:

> *Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?*
> *Cur nardo flamma non oluere mea?*

Et Naso:

> *Perque locos sacros, & olentia sulfure fertur.*

Nugatur Diomedes †, cùm eo nomine damnat Nasonem. Nec diffitetur, Maronem dicere Georg. IV:

> —— *Redolentque thymo fragrantia mella.*

Sed ne Maro ejusdem sit culpæ reus, *thymo* ait cum *fragrantia*, non cum *redolens*, construi oportere. In quo æquè fallitur.

Interea minimè existimandum, quævis verba, quæ ablativum ejusdem originis adsciscunt, etiam admittere accusativum. Nam *vitâ*, & *vitam vivere* dicimus: item *servire servitute*, vel *servitutem*: similiter *ire itinere*, vel *iter*: & ita in aliis multis: attamen non, sicut dicimus, *honore honestare*, *laudibus laudare*, *memoriâ meminisse*, *frigore frigescere*: ita etiam legere est, *honorem honestare*, *laudare laudes*, *memoriam meminisse*, *frigus frigescere*. Ac ratio quidem istius ita aperta est, ut meræ adscribere eam moræ videatur.

Sufficiunt ista ad cognoscendum, quomodo veteres loqui soleant. Porrò nec ille sermo est nativus; sed à brevitatis, & elegantiæ studiosis profectus. Ita, *servitute muliebri servire*, dixeris, pro, *in servitute muliebri*. *Paupertinâ vitâ vivere*, pro, *in vitâ paupertinâ*. *Ire itinere*, pro, *in itinere*. *Fragrare thymo*, pro, *à thymo*, vel *ex thymo*. Atque ita in aliis, quæ pluribus firmarem, nisi ex iis satis parerent, quæ deinceps dicam de ablativis caussæ, instrumenti, vel modi.

Cap. XLVI.

De verbis, quibus ablativus additur significans aliquid esse, vel fieri in loco; eoque non à verbo rectus, sed à præ-

* Epist. 69.

† At nequis dicat de Abelo: nec enim sua is morte obiit.

* Lib. 4 Susp. Lect. epist 7.

† Lib. I, cap. de consensu verborum cum casibus.

præpositione IN; quæ quandoque etiam exprimatur. Ut, Natus Sulmone, *pro*, in Sulmone. *Quomodo & legitur*, in Epheso. *Cum dicimus*, Esse Carthagini, Sicyoni, Lacedæmoni, *perperàm à Servio statui* dativum: eumque casum propriè in nominibus tertiæ declinationis locum habere. Perperam quoque ab aliis credi, *Antiptosin dativi pro ablativo: cum reverà hic ablativus sit, sed, more antiquo, desinens in I; quo pacto dicitur*, Esse ruri, Acheronti. *Etiam cùm verbo additur ablativus nominis appellativi, ac ejusdem significationis, præpositionem interdum omitti. Ut*, jacere campo, nasci regione sextà, *& similia*. Vagari totâ Asiâ, *vel* urbe totâ. Terrâ, marique vexari. Humo, *pro* in humo. *Ut* domi, *pro* in domi *sive* domûs loco, *vel* solo: *sic* domo continere se, *pro* in domo: *quam præpositionem etiam veteres addunt scriptores. De verbis ablativum amantibus, qui motum à loco significet, nec tam à verbo regatur, quam præpositione* à, *vel* ab; *quæ ipsa nec semper reticeatur*. Româ venire, *&* à Roma venire, *promiscuè sumi; contra quàm visum Malaspinæ. Præpositiones perspicuitatis gratiâ ab Augusto adjungi solere*. Ægypto venio.

NUnc accedamus ad alia, itidem pertinentia ad falsum regimen ablativi. Ac proximè quidem videbimus de propriis oppidorum, ac regionum nominibus, deque appellativis locum significantibus. Quæ doctrina est bipartita. Nam primò agendum de illis, quæ significant aliquid esse, aut fieri in loco. Deinde de istis, quibus indicatur motus de loco. De priori præcipiunt in hunc modum. Verba, quæ significant esse aut fieri *in loco*, regere ablativos nominum Urbis propriorum, si ea sint numeri pluralis, vel singularis quidem, verùm tertiæ declinationis. Ut, *Ovidius natus Sulmone. Gellius suas noctes scripsit Athenis*. Sed superiùs dicebamus, esse ellipsin præpositionis *in*: ut integrè sit, *in Sulmone, in Athenis*. Ac, ut sæpius ea præpositio, brevitatis & elegantiæ caussâ, præteritur: ita quandoque, juxta nativum sermonem, apponitur. Cæsar lib. II belli Civilis: *Complures præterea* (naves longas) *in Hispali faciendas curavit*. Ita enim complures MSS. Ac similiter Val. Maximus lib. I, cap. VIII: *Cœnanti* (Simonidi) *apud Scopam in Cranone, quod est in Sicilia oppidum, nuntiatum est, duos juvenes ad januam venisse*.

Nempe ut propemodum par hic ratio sit, ac in nominibus oppidorum, quæ primæ sunt, ac tertiæ declinationis: quæ sæpe cùm in loco aliquid esse, aut fieri significatur, in ablativo ponuntur cum eàdem præpositione. Plautus Bacch. act. II, sc. III:

> *Qui nunc in Epheso est Ephesiis carissimus.*

Epid. act. IV, sc. I:

> PE. *Certè ea est, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.*
>
> MU. *Plane hic ille est, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam*
>
> *Pepulit.*

Cicero ad Att. lib. VIII, ep. III: *Navis in Cajeta est parata nobis, & Brundusii*. Julius Obsequens: *In Numantia res male gesta*. Ac similia, *In Taurominio*, pro, *Taurominii: in Tyro*, pro *Tyri*: hoc est, *in Taurominii*, vel *Tyri urbe*. Quæ eò lubentiùs adduxi, quia liqueat inde, quando dicimus, aliquid fieri *Sulmone*, vel *Athenis*, ablativum regi à præpositione suppressâ: simul etiam, ut appareat, quid judicandum sit de illo, quòd Q. Terentius Scaurus hunc in modum libro ait de Orthographia: *Inscribunt quidam literis, Data è Gallia: item, Data in Roma. Vitiosè. Nam sic dici oportet, in Gallia, & Roma*.

Spissus verò est Servii error, qui putat, nomina urbium, quando interrogatio fit per *ubi*, si tertiæ sint declinationis, propriè poni in dativo. Vult enim Virgilium IV Æneid. metri necessitate dixisse:

> —— *Tyriâ Carthagine qui nunc*
>
> *Exspectat:*

Ac antiptosin esse in illo Ciceronis Philipp. II: *An tu Narbone in mensas hospitum cùm vomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret?* Nec ignoro, loca quædam Plauti adferri, ubi in dativo videatur usurpare: ut in prologo Casinæ:

> *Ajo hoc fieri in Græciâ, & Carthagini.*

Et Pseudolo act. IV, sc. II:

> *Nam necesse hodie Sicyoni me esse, aut cras mortem exsequi.*
>
> *Ita herus meus est imperiosus.*

Verùm non iccirco antiptosis est, cùm secus fit, quàm Servius putabat. Quippe terminatio E multò est usitatior; adeò ut, si statuenda sit antiptosis, ea potiùs habeat locum, cùm nomen tertiæ in I, quam cùm in E, exit. Iccirco ablativum etiam prætulit Charisius cap. de Adverbio: *Cum tertii ordinis sunt, ablativo casu utimur: ut Carthagine, Sidone: quamquam recentiores, Carthagini & Sidoni sum, voluerunt. Etenim dicimus, Ruri sum*. Nempe inter istos recentiores etiam Servius est. Sed a Servio quoque dissentiunt Diomedes lib. I, & Priscianus lib. XV, ubi omnia hujusmodi in ablativo ponenda docent. Et sanè tutiùs per E efferri, evincunt sexcenta Ciceronis, atque aliorum, loca. Cicero Philipp. II: *Si interfici Cæsarem voluisse, crimen est, vide quæso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem & Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse, notissimum est*. III de Nat. Deor. *Quos Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit, sepultos esse dicit Lacedæmone*. Et alibi semper. Scio, opponi aliquot loca: ut quod Saturnius* adfert è Cic. lib. XVI ad Att. epist. IV: *Sextum autem nunciavit cum unâ solùm legione fuisse Carthagini*. Alia quoque ab aliis obduci non ignoro. Verùm pro me est, quòd ea aliter hodie legantur in castigatioribus codd. Fateor interim, si non Ciceronem, at alios tamen sic locutos videri, qui cum Cicerone vixerunt. Quippe Cornelius Nepos (quem malè Æmilium Probum credi, ostendi alibi†) in præfatione vitarum ait: *Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat, mercede conducta*. Ad quem locum Lambinus scribit, *Lacedæmoni* poni adverbialiter; quasi quicquam prohibeat esse nomen.

* *Lib. 2, cap. 3.*

† *Lib. 1 de Hist. Lat. cap. 14.*

Nec tantum urbium loca, sed & alia quædam, similiter efferuntur. De *ruri* nemo ambigit. Locutus eo pacto Justinus lib. I: *Igitur antelucano tempore, ruri iter ingressus, obvium habuit servum de ergastulo. Acherunti* quoque, ut *ruri*, veteres dixisse, cognoscimus ex illo Plauti Captivis sc. Injicite huic actutum:

> *Facito ergo tu, ut Acherunti clueas gloria.*

Sed hic fortasse *Acherunti* exponi potest *Plutoni*, sive *apud Acheruntem*. At manifestior locus hic eàdem Comœd. act. V, sc. IV:

> *Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent,*
>
> *Cruciamenta.*

Quid si autem *Carthagini*, *ruri*, *Acherunti*, & similia, non dativos dicamus, sed ablativos, antiquo more in I exeuntes? Veteres enim multa per I terminabant, ubi posteriores E prætulerunt. Itaque & *vesperi* ad instar adverbii dicitur, quod ablativus est pro *vespere*. Nempe ut *luci* pro *luce*, apud Lucretium. Pluraque hujus generis adduximus lib. II de Analogia cap. XII. Et sanè ratio dictat, ut sint ablativi. Nam si quid in loco fieri dicatur, ablativus requiritur, qui à præpositione *in* regatur. Quare ut *vivit Roma*, valet, *In urbe Roma*: ita *vivit Sulmone*, valet, *in Sulmone*: quod satis antea comprobatum. Ut caussæ nihil sit, cur *esse Carthagini*, aliter suppleamus, quàm *esse in Carthagini*, sive *Carthagine*.

Porrò præpositio non solùm in iis præteritur, quæ diximus; sed aliis quoque. Ut, *Hoc loco quæres ex me*. Pro, *in hoc loco*. Maro XII Æn.

> *Saxum antiquum ingens, campo quod fortè jacebat*
>
> *Limes agro positum.*

Pro, *in campo*. Horat. lib. I, sat. IX:

> *Ibam fortè viâ sacrâ, sicut meus est mos.*

Suetonius in Domitiano cap. I: *Natus est regione Urbis sextâ*.

Ac similiter supplendum sæpe IN, eâ significatione, quâ

quâ valet PER: idque tum in propriis, tum appellativis. Prioris generis est, *Totâ obambulabat Româ.* Quomodo Cicero Philipp. XI: *Et nunc totâ Asiâ vagatur*: pro, *in Asia*: hoc est, *per Asiam.* Posterioris generis est hoc ejusdem pro Fontejo: *Hi contrà vagantur læti, atque erecti, toto foro.* Pro, *in foro*, hoc est, *per forum.* Et lib. II in Verrem: *Multa mihi à C. Verre insidiæ terrâ marique factæ sunt.* Et ad Att. lib. V, ep. XIV: *Nunc iter conficiebamus æstuosâ & pulverulentâ viâ.* Virgilius Æn. III:

Tres adeo incertos cæcâ caligine Soles
Erramus pelago.

Imò præpositio quandoque in iis etiam omittitur, quæ usitatiùs in genitivo ponuntur. Ut *humo*, & *domo*, pro *humi*, & *domi*. Columella lib. II, cap. X: *Nec densâ nascitur humo.* Uti cum adjectivo capite præcedenti: *Nam vel pinguissimâ, vel macerrimâ humo iaciatur, perit.* Pro, *in humo*. Cicero pro Domo sua: *Domo me contineo.* Maro III Georg.

Hunc quoque ubi, aut morbo gravis, aut jam segnior annis,
Deficit, abde domo.

Pro, *in domo*. Quomodo Terentius ait Adelphis act. IV, sc. VII:

Meretrix, & mater familiâs unà, in domo?

Quinctilianus lib. V, cap. X: *In domo furtum factum ab eo, qui domi fuit.* Imò Cicero similiter locutus ad Att. lib. II, ep. VII: & Plinius lib. VII, epist. XVI, quæ ad Fabatum. Verba eorum superiùs * adduximus.

* Cap. 25.

Venio ad verba significantia motum à loco: atque hæc regere dicuntur ablativum, qui signet urbem, vel regionem: sed sine præpositione, si sit urbis nomen: cum eâ, si regionis sit vocabulum. Item sine præpositione, in *rus*, & *domus*: at cum eâ in cæteris appellativis. Ut, *Venit Româ, Carthagine, Athenis, rure, domo. Venis è Gallia, Cypro, curiâ, gymnasio, castris.* Sed in posterioribus, ubi præpositio additur, citra dubium ab eâ, non à verbo, regitur ablativus. Eoque in prioribus quoque, ubi præpositio, quæ abest, intelligitur; non à verbo, sed à præpositione, casus is dependet. Integrè enim sit, *Veni à Roma, à Carthagine, à* vel *de Cypro, à rure, à*, vel *ex domo*, & ita in aliis.

Quæstio est, an & exprimi possit præverbium *à*, vel *ex*, vel *de*. Quinctilianus † videtur negare. Nam, ut superiùs quoque diximus, solœcismum esse ait, *Veni de Susis in Alexandriam.* Atqui ab optimis illud scriptoribus quandoque exprimitur. Livius lib. I belli Punici: *Interim ab Roma legatos venisse nunciatum est.* Apud eundem quoque est: *Valerium à Vejis abducere exercitum jubet.* Item, *Abducere infectâ re à Vejis exercitum noluerunt.* Et, *Qui à Vejis fugerant.* Idem quoque, *Cum exercitu novo ab Roma advenit. Placuit ab Ardea Camillum acciri. Æsculapium ab Epidauro Romam arcessendum. Samnitibus ab Aquiloniâ clam egressis.* Ipsius quoque Ciceronis est lib. IX ad Att. epist. III: *A Brundusio nulla adhuc fama venerat.* Et Philipp. XII: *Denunciatum est, ne Brutum obsideret, à Mutina discederet: oppugnavit etiam vehementius.* Ejusdem quoque sunt: *Ut ab Alexandria discederet. Ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen, quæ in Ponto est, navigaverunt. Fugisse à Mutina viderentur. De Pomptino scripsi. De Gyaro ad te dedi de Messala literas. De illius ab Alexandria discessu. Ab Ephese profectum. A Bibone discessimus.*

† Lib. I, cap. 5.

Censet Malaspina *, aliud esse *venire Româ*, aliud *à Roma*: omisso præverbio, signari locum interiorem: addito, notari exteriorem: ut *à Buthroto*, sit *à locis Buthroto vicinis*. Sed, ut aliquando id verum esse agnoscimus; ita sæpe aliter esse, satis ostendunt loca veterum, quæ adduximus. Et ita Augustum loqui solere, verisimile est, non in ablativis solùm, sed etiam accusativis. Nam perspicuitatis caussâ eum præpositiones addere solere, auctor est Suetonius †.

* Castigationibus in Cic. ad Att. epist.

† In Aug. cap. 86.

Uti autem de urbium nominibus quæritur, an Latinè satis præpositio iis addatur: ita quæstio est de propriis regionum nominibus, rectene in his præpositio omittatur. Negat id Rhemnius Palæmon, apud Charisium. Et ne solos ita Grammaticos sensisse credamus, ecce Fabius ipse, magni profectò judicii vir, sed qui interdum tamen humanitus aliquid patiatur, ait lib. I, cap. V, solœcismum detractione in commissum, quotiescunque insulæ, vel regionis nomini, non additur præpositio. Ac talis solœcismi exemplum adfert, *Ægypto venio.* Verùm non ea mens æquali ejus Tacito; qui secundo Annalium minimè refugit: *Germanicus Ægypto remeans.* Dicas fortasse, Tacitum vixisse, vergente jam puritate sermonis Romani: nec Ciceronem, vel alium ejus ævi, sic temere fuisse locuturos. Sed scire aveo, cur absurdius sit, *Ægypto venio*; quàm *Ægyptum eo?* quomodo Cicero ait, *Sardiniam venire*, & *Cyprum relegari*: Livius, *Hellespontum pervenire*: ac similia, ut superiùs ‡ vidimus. Quare nec dubito, quin Tacitus Sallustium suum, vel alios secutus sit auctores.

‡ Cap. 41.

CAP. XLVII.

Ablativos caussæ, instrumenti, vel modi, non à verbo regi; sed præpositione omissâ, à, *vel* ab, de, è, *vel* ex, præ, *aut* cum. *Ac præpositiones eas quandoque exprimi: nisi quod cum ablativo instrumenti non temere invenias. Ablativos quoque additos verbis copiæ, vel inopiæ, dependêre à suppressâ præpositione* à, *vel* de. *At junctos verbis æstimandi, aut mercandi, regi vi præpositionis* pro, *quæ intelligitur.*

DEinceps agemus de verbis, quæ regere dicuntur ablativum, significantem caussam, instrumentum, aut modum. Sed in nullo non istorum concipienda præpositio, unde regitur ablativus. Quod exemplis planum fiet.

A vel AB intelligitur in hoc Maronis II Æn.

—— *Dolis instructus, & arte Pelasgâ.*

Ac similiter, cùm Fabius in prooemio lib. I ait: *Scientiâ studiosos instruat.* Integrè enim sit, *à dolis, ab arte, à scientia.* Ita Cicero in Bruto: *Ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui à philosophia, à jure civili, ab historia, fuisset instructior.* Itidem Ciceronis est I Catil. *Præsidiis, custodiis, vigiliisque, coloniam munire.* Pro, *à præsidiis*; ut Tacitus in vita Agricolæ: *Cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus, a quo se contra ruborem muniebat.* Eadem præpositio intelligenda, cùm dicitur, *pallet amore, horret frigore*, & similibus.

DE concipiendum, cùm Cicero ad Cassium ait lib. XII, ep. X: *Lepidus, tuus affinis, meus familiaris, prid. Kal. Quinctil. sententiis omnibus hostis à Senatu judicatus est.* Et ad Q. Fratrem lib. II, ep. VIII: *Omnibus sententiis absolutus est.* Integrè idem III Off. *Ut res nummaria de communi sententia constitueretur.* Et Livius lib. II ab Urbe: *Imperatores ad id bellum de omnium populorum sententiâ lecti, Attius Julius, & Cn. Martius.* Sic, *Non meo consilio factum*: pro, *de meo*: ut Cicero ad Cassium lib. XII, ep. III: *De meo consilio & vos fecissetis, & Canutius faceret.* Pro quo etiam dicitur, *Ex consilio facere*: ut ad Lentulum lib. I, ep. VII: *Non scripsi ex consilio tuo.* Item, *More hominum fecit*, pro, *de more*: ut VII Æn.

—— *Solito matrum de more locuta est.*

Quod etiam, *ex more*: ut apud Sallustium Jugurt. *Neque id tempus, ex aliorum more, quieti, aut luxuriæ concedit.*

Vivere rapto, apud Ovid. XI Met. Et, *Vivitur exiguo meliùs*, Claudiano lib. I in Ruf. Pro, *de rapto, de exiguo*: ut Cicero, *de lucro vivere*, ad Pætum lib. IX, ep. XVII. *Meâ pecuniâ curabo*, pro *de meâ*: ut Terent. Adelph. * *Olet unguenta de meo. Quare fecisti?* pro, *quâ de re*; ut, *quâ de caussâ.*

* Act. I, sc. 2.

Itidem E, vel EX, sæpe intelligitur. Ut, *Conflare re aliquâ amicitiam*: pro, *ex aliquâ*: ut Terentius Eun. act. V, sc. II:

—— *Sæpe ex hujusmodi re quapiam,*
Et ex malo principio, magna familiaritas
Conflata est.

Plau-

Plautus Mil. *Laborat cerebro.* At Cicero Tusc. II, *Laborat ex renibus:* & ad Gall. lib. VII, *ex intestinis:* ad Pætum lib. IX, *ex pedibus.*

Vocare aliquem suo nomine: pro, *ex suo nomine:* ut Plautus Sticho act. I, sc. III:

Nunc Microtrogus nomine ex vero vocor.

Vino nimio vacillare: ubi Fabius lib. VIII, cap. III, *ex vino vacillantes.*

Fabrefactum ferro, vel *argento:* ubi Plautus Rudente act. V, sc. II:

Nam hoc quidem pol è rubigine, non è ferro, fabrefactum est.

Quinctilianus lib. II, cap. XVII: *Constat experimentis medicina.* Cic. pro Roscio Comœdo: *Ex fraude, fallaciis, mendaciis, constare totus videtur.* Idem *: *Cum constemus ex animo, & corpore.* Sic, *Amore, odio, invidiâ factum. Morte alicujus dolere. Lege agere cum aliquo. Ordine collocare. Merito pati,* pro *ex jure merito.* Ac similiter in aliis.

* Initio lib. 3 Tusculan. Quæst.

IN quoque sæpe reticetur in ejusmodi structurâ. Ut in Eclogis:

—— *Cantando rumpitur anguis.*

Pro, *in cantando.* Plauti est Captivis act. I, sc. II:

Nam istoc me assiduo victu delecto domi.

Et Cic. Verr. VI: *Pictorum artificio delectabant.* Ad Q. Fratr. lib. III, ep. III: *Et ipse puer magis illo declamatorio genere delectare videtur.* At idem lib. II de Legg. *In hoc admodum delector.* Et in I de Fin. *In hac esse rogatiunculâ delectatum.* Sic, *ordine facere,* pro, *in ordine.*

PRÆ quoque supprimitur: ut, *Gaudio lachrymari: pudore aliquid agere.* Integrè Terentius act. I, sc. II:

Credo, ut fit, præ amore, misera hunc exclusit foras.

Heaut. act. II, sc. II:

Præ gaudio, ita me Dî ament, ubi sim nescio.

Cicero pro Cn. Plancio: *Nec loqui præ mœrore potuit.*

Crebrò quoque *cum* subauditur. Ut, *Magnâ curâ legere:* ubi Plautus Mil. & Pers. *Cum cura legere. Bonâ fide persolvere:* ubi Suetonius in Caligula cap. XVI: *Legata ex testamento Tiberii, cum fide, ac sine calumnia, repræsentata persolvit. Bono ejus fiat,* pro, *cum bono.* Ut Terent. Adelph. act. IV, sc. I:

Quod cum salute ejus fiat. ——

Similiter Varro de R. R. lib. I, cap. XIII: *Ac cum Luculli, & Metelli villis pessimo publico certant.* Maro III Æn.

—— *Et magnis quatiunt clangoribus alas.*

Item IX:

Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit.

Plinius de elaterio lib. XX, cap. I: *Nisi maturiùs incidatur, semen exilit, oculorum etiam periculo.* Ac par ratio in aliis, ubi comitatus, non instrumentum, significatur.

Et tamen ablativus etiam instrumenti ab hac præpositione regitur. Ut cùm dico, *gladio ferire, telo sauciari.* Hoc ita esse, inde liquet, quòd omnes fere linguæ vulgares hanc præpositionem exprimant. Ut mirum sit, apud Latinos ablativum instrumenti refugere præpositionem. Dicimus enim, *pugnare gladiis,* non *cum gladiis.* Obducunt hoc Plinii lib. IX, cap. XXVIII: *Cæteri cirri, cum quibus venantur.* Sic sanè & vetus Parmensis anni CIↃ CCCC LXXVI. Sed in aliis est, *cirri, quibus.* Adferunt item hoc Ovidii IV Fast.

Hac modò verrebat raro cum pectine terram.

Sed in melioribus libris est:

—— *Stantem tibicine terram.*

Item objectant hoc I Metam.

—— *Concussit terque quaterque*
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera movit.

Sed *cum* hic non instrumentum, verùm comitans quid notat. Quasi dicat, *Movit cæsariem, & unà terras.*

Neque, si aliter uspiam usurpetur, temere liceat imitari.

Idem judicium esto de verbis copiæ, & inopiæ. Cujus ratio est, quòd hic etiam caussâ, vel modus, significetur. In quibus *a,* vel *de* intelligitur. Ut II Æn.

—— *Uterumque armato milite complent.*

Pro, *de armato milite.* Quomodo Tullium, & Martialem, loqui superiùs * vidimus. Sic in verbis auferendi. Ut sunt *privo, spolio, fraudo, orbo, viduo, emungo.* Terent. Phorm. act. IV, sc. IV:

* Cap. 30.

—— *Emunxi argento senes.*

Maro VIII Æn.

—— *Viduâsset civibus urbes.*

Ovid. XII Met.

—— *Armis nudare jacentem.*

Pro, *ab argento, ab civibus, ab armis.* Est enim par ratio, ac in nominibus; ubi non rarò additur præpositio; ut illo Ciceronis Verr. VI: *Nam ipsa sanè vacua atque nuda est.*

Venio ad verba æstimandi, emendi, vendendi: quæ & ipsa dicuntur regere ablativum significantem pretium: idque nominis tam adjectivi, quàm substantivi. Prioris generis sint, *æstimare, redimere, stare, magno, permagno; parvo, minimo.* Cicero lib. III de Fin. *Næ ego istam gloriosam memorabilemque virtutem non magno æstimandam putem.* III in Verr. *Tu ista permagno æstimas.* Seneca lib. I de Benef. *Nisi fortè parvo te æstimas.* Terentius Eun. act. I, sc. I:

Quid agas? nisi ut te redimas captum, quàm queas,
Minimo: si nequeas paululo, at quanti queas.

Maro X Æn.

—— *Haut illi stabunt Æneia parvo*
Hospitia.

Etiam, *vili emta,* dixit Plautus Epidico, Sc. Heus adolescens. *Caro empta,* est apud Quinctilianum decl. IX: pro quo Varro, Cicero, & alii antiquiorum, *care emta* maluerunt: & fortasse ita quoque apud Quinctilianum legi debet.

Nec minùs sæpe vel solum adsciscunt substantivum, vel unà cum suo adjectivo. Plautus Mil. act. II, sc. III:

—— *Non ego nunc emam vitam tuam vitiosâ nuce.*

Terentius Andr. act. II, sc. VI:

Vix, inquit, drachmis est obsonatus decem.

Cicero Verr. V: *Doceas oportet, aliquo in loco Siciliæ, Prætore Verre, ternis denariis tritici modium fuisse.* Item: *Cùm in Siciliâ sestertiis binis tritici modius esset (ut illius epistola ad te missa declarat) summùm sestertiis ternis.* Valerius Maximus lib. V, cap. IV: *Magno ubique pretio virtus æstimatur.* Martialis lib. VI, ep. LXVI:

Parvo cum pretio diu liceret.

Plin. lib. XXXV, cap. III: *Scrupula valebant sestertiis vicenis.* Juvenal. sat. III:

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Suetonius in Cæsare: *Amplissima prædia nummo addixit.* Ubi aliqui libri *minimo:* sed perperam.

Nihilo quoque *æstimare* dici, ostendit hic Ciceronis locus IV de Finib. *Quippe qui primùm valetudinem bonam expetendam negent esse, eligendam dicant, non quia sit bonum valere, sed quia sit nonnihilo æstimandum.*

Abunde hinc dilucet, quomodo veteres loquerentur. Sed caussâ ejus sermonis est, non quia verba mercandi suâ natura regant ablativum: verùm quòd præpositio intelligatur, unde ablativus regitur. Ea præpositio est PRO. Ut, *Magno æstimare, emere, vendere,* valet, *pro magno.* Sic illud Gellii lib. I, cap. XIX: *Libros tres reliquos mercatur nihilo minore pretio, quam quod erat petitum pro omnibus:* valet, pro *nihilo minore pretio.* Ut apud Ciceronem legimus Orat. pro domo: *Pro nihilo habere.* Et pro Cæcina: *Pro nihilo putare.* Et IV Verr. *Pro nihilo ducere.*

Cap. XLVIII.

Non à verbo, sed præpositione intellectâ, regi ablativum additum verbis, vito, caveo, prohibeo, libero, nitor, glorior, facio, sum, & fio. *Error Festi, Lambini, Fruterii: atque alius ejusdem Lambini. Promiscuè dici, tum*

tum per ellipsin, quid me fiet; *tum plenè*, quid de me fiet; *tum acquisitivè*, quid mihi fiet. *Alia, ubi ablativus dependeat ab intellectâ præpositione* in, pro, de: *maximeque id locum habere in compositis cum præpositione, quia præpositio, quæ præteritur, ex composito intelligitur.*

Similiter suppletur defectus in verbis vitandi, ac cavendi. Ut Plauti illo in Truculento act. II, sc. II, *malo vitare*: pro, *à malo vitare*: quod &, *malum vitare*. Fortasse etiam Curcul. act. II, sc. III, *Vitent infortunio*. Ubi tamen & Mssi, & vett. editt. (in his Veneta, quæ cum Sarraceni, ac Pyladæ notis prodiit:) item illa Camerarii, constanter habent *infortunia*. Sed non ineleganter tamen restituêre, *infortunio*: prout etiam in codice suo, nunc nostro, Scaligerum video emendâsse. Et similiter Petronius Arbiter in Satyrico: *Cùm deinde vultu, atque ipsa trepidatione, mendacium prodidissem, ponere jussit arma, & malo cavere*. Pro, *à malo*. Quomodo Terent. Eunucho, act. V, sc. II:

Tum pol tibi ab isto, hera, cavendum intelligo.

Cicero lib. V de Finibus: *Monuerunt, à veneno ut caveret.*

Item in verbis prohibendi. Terent. Phorm. act. II, sc. III:

Aut quidem: cum uxore hac ipsum prohibebo domo.

Cicero Verr. V: *Cibo prohibere, & tecto.* Columella lib. VI, cap. VII: *Potione prohibere per triduum.* At idem Cic. Verr. VI: *Ab insula procul prædones prohibere.* Cæsar lib. I belli Gallici: *Non facile ab oppidu vim hostium prohibere.* Sallust. Jugurth. *Ab injuria Maurum prohibet.*

Liberare cura, infamiâ, invidiâ, custodiâ, ære alieno, timore, apud Ciceronem legas. At idem de Universitate: *Deus motum cæli ab omni erratione liberavit.* Et declamator sub nomine Ciceronis, orat. antequam iret in exilium: *Arcem urbis ab incendio, ac flammâ, liberavi.*

Nitor, & *glorior*, similiter se habent. Virgil. VI Æn.

Ille (vides) purâ juvenis qui nititur hastâ.

Cæsar lib. I de bello Gall. *Quòd suâ victoriâ tam insolenter gloriarentur.* Pro, *in hastâ nititur: in victoria gloriarentur.* Quomodo Cicero pro Milone: *In hujus vita nititur salus civitatis.* Et II de Nat. Deorum: *Propter virtutem jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur.* Item in Vatin. *De tuis divitiis intolerantissimè gloriaris.* Sic Xenophon lib. I Memorab. ὀγκοῦσθαι* ἐπὶ γένει, ἐπαίρεσθαι† ἐπὶ πλούτῳ, φυσᾶσθαι‡ ἐπὶ δυνάμει.

* *Tumescere ob genus.*
† *Efferri propter opes.*
‡ *Inflari ob potentiam.*

Duzæ etiam, & Acidalii sententia est, ad instar illius, *donare dono*, vel *munere*; etiam dici, *largiri munere*, vel *argento*, vel *bubus*. Atque ita capi volunt illo Plauti Persa act. II, sc. III:

Nunc amico homini bubus domitis mea ex crumena largior.

Quod si placet; sicut *dono bubus* integrè est, *dono cum bubus*; sic *largior bubus*, ponetur, pro *largior cum bubus*. Nempe uti dicunt Belgæ, *Iemand met Ossen of andere gaven begiften.*

Facio etiam, *sum*, & *fio*, regere dicuntur ablativum. Sæpeque hunc casum addi, verissimum est. Mirum verò, id non attendisse Festum Pompejum: qui ut veteres doceat *me*, pro *mi*, sive *mihi* dixisse, illud Ennii adducit ex Annalium secundo:

Siquid me fuerit humanitus, ut teneatis.

Nam planè *me* dicitur, pro, *de me*. Quomodo & Lucilius lib. XXVIII Satyrarum*: *Quid me fiet? siquidem non vis te improbis committere.* Et XII: *Hunc siquid pueris nobis me & fratre fuisset.* Apud Servium ex Ms. Fuld. p. 46. Et Appulejus lib. II Met. *Quid, inquam, me fiet, ubi iste jugulatus mane apparuerit?* Imprimis verò sic loqui gaudent Comici. Ita Plautus Aulul. sc. penult.

* *Apud Nonium in Committere.*

EU. *Quid si fallis?* LY. *Tum me faciat, quod vult Jupiter.*

Idem Pœn. act. V, sc. II:

Quin mea quoque iste habebit, siquid me fuat.

In vulgatis est, *de me fuat*. Sed versus, qui Jambicus esse debet, exigit, ut præverbium tollatur; quemadmodum Duza Fil. observat, & Andreas Schottus Nodorum Cicer. lib. I, cap. II. Idem Mostell. act. V, sc. II:

Dispudet istam veniam. quid me fiet nunc jam?

Terentius Andr. act. III, sc. V: *Nec quid me nunc faciam scio.* Et act. IV, sc. II: *Quid me fiet?* Idem Heaut. act. III, sc. I:

Quid te futurum censes, quem assiduè exedent?

Item act. IV, sc. II:

Tu fortasse, quid me fiat, parvi pendis, dum illi consulas.

Et Adel. act. IV, sc. IV:

Discrucior animi. hoccine de improviso mali mihi objici,
Tantum, ut neque quid me faciam, neque quid agam, certum siet?

Lucas Fruterius lib. I Verisim. cap. XVI, Festum secutus, putabat, in his, & similibus locis, *me* pro *mi* scriptum esse antiquitus. Sed hanc ejus sententiam sequentia refellunt. Plautus Capt. act. V, sc. I:

Vos ite intro: interibi ego ex hac statua verberea volo
Erogitare, meo minore quid sit factum filio.

Idem Trinummo act. I, sc. II:

Nunc si ille huc salvus revenit, reddam suum sibi:
Siquid eo fuerit, certò illius filiæ,
Quæ mihi mandata est, habeo dotem unde dem.

Frustra est Dionysius Lambinus, cum, voculâ insertâ, legit, *Siquid eo fuerit factum.* Utroque etiam modo locuti. Etiam ablativus clarè elucet ex illo Terentii Heaut. act. V, sc. IV:

—— Nunc primùm audio,
Quid illo sit factum.

Cicero similiter lib. XIV ad Terent. ep. IV:

Quid Tulliola mea fiet?

Quomodo etiam in illâ Jani Guiljelmii & Jani Gruteri, ex Mssorum fide est expressum. Idem III Verrinâ: *Quid hoc homine faciatis, aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal, reservetis?* Regitur verò ablativus ille à præpositione, quæ his locis reticetur, sed aliàs non rarò exprimitur. Ut Heaut. act. IV, sc. III: *Tu quid de me fiat, parvi curas.* Et Adelph. act. V, sc. IX: *Sed de fratre quid fiet?* Cicero ad Att. lib. II: *Quid de P. Clodio fiat, rescribe.* Idem in Manilianâ: *Qui cum ex vobis quæreret, si in uno Cn. Pompejo omnia poneretis, siquid de eo factum esset, in quo spem essetis habituri.* Cornelius Nepos in Themistocle: *Miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis.* Frustra hìc etiam est Lambinus, cùm utrobique *de* putat delendum, contra codicum fidem. Utroque enim modo locuti veteres, nunc ἐλλειπτικῶς, sine præpositione: nunc propriè, cum ea. Estque & altera locutio propria, cum dativo. Plautus Bacch. sc. Ibo in Pyræeum: *Quid mihi fiet postea?* Terentius Andr. act. I, sc. I:

—— Si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?

Cicero ad Att. lib. VI, epist. ult. *Quæso, quid nobis futurum est?* Idem lib. XIV ad Terent. epist. I: *Quòd ad me, mea Terentia, scribis, te vicum vendituram: quid obsecro te, (me miserum) quid futurum est? Et si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet?* Sed ablativus utrobique videri possit. Non item loco istoc Philippicæ II: *Vide quæso, Antoni, quid tibi futurum sit.* Idem pro Cæcinâ: *Quid tu huic homini facias?* Et lib. IV Acad. *Quid enim faceret huic conclusioni? Si lucet, lucet. Lucet autem. Lucet igitur.* Tibullus lib. II, el. VII:

Castra Macer sequitur, tenero quid fiet amori?

Ovid. lib. I de Arte:

Perfidus ille abiit, quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait.

Extra hæc quoque, quæ adduximus, multa se alia offerunt, ubi ablativus non à verbo regatur, sed præpositione omissâ.

Ita

Ita IN reticetur ad Att. lib. VI, epist. XII: *Nec multa, nec magna spe sumus.* Et ad Cornificium lib. XII, ep. XXVII: *Ego sum spe bona.* Integrè idem ad Quinctum fratrem de Pet. Conf. *In optima spe esse debebis.* Et Livius lib. V belli Maced. *Primò in spe fuerant.*

IN quoque omittitur, cùm *stare* pro *hærere*, aut *persistere*, ablativum adsciscit. Ut, *stare pacto, promissis, jurejurando* &c. Cicero pro Flacco: *Re judicata stari ostendit placere.* Pro Cluentio: *Et uterque censor censoris opinione standum non putavit.* Eodemque casu à Marone* dictum arbitror:

* Æn. 8.

—— At tu dictis Albane maneres.

Pro, *in dictis*: ut Cicero Verr. IV, & VII, *Manere in amicitia.*

AB desideratur in hoc III Georg.

—— Qua me quoque possim
Tollere humo.

Et II Æn.

—— Atque imo Nereus ciet æquora Ponto.

Eandem præpositionem, vel IN, intelligere possis illo I Fast.

Jupiter arce suâ totum cùm spectet in orbem.

PRO supplendum illo Horatii lib. I, ep. I:

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Item cùm dicimus, *pace bellum mutare*: vel, *par pari referre.*

De compositis verò cum præpositione, ubi eadem sit præpositio, vel eandem habens vim, res satis est aperta. Ut, *abire magistratu*, ἀποπλεῖν, apud Livium lib. III: *abire incepto*, apud eundem. Integrè Cicero Orat. ad Brutum: *Ab hoc parumper abeamus. Abire e medio*, Terentius Phorm.†

Abstinere se ostreis, & muranis, apud Cic.‡ *Abstinere se à viris*, idem, vel potiùs declamator vetus in Sallust.

† Act. 5, sc. 8.
‡ Ad Marcum lib. 7. ep. 26.

Avellere templo palladium, II Æn. Item Plin. lib. IX, cap. XXXV: *Conchis adhærescunt, nec iis avelli queunt, nisi limâ.* At Terent. Eun. act. III, sc. III: *Sperat se à me avellere.* Et Cic. pro Domo sua: *Avulsum à suis.*

Avertere Italiâ regem Teucrorum, Virgil. I Æn. *Avertere à philosophia*, Sueton. in Neron.

Sed tanta est talium copia, ut si insistere iis velim, fastidium verear. Instar igitur tot aliorum esto verbum *decedo.* Quod jungi videas eidem verbo, nunc cum præpositione, nunc absque ea. Sic, *decedere provinciâ*, ait Cicero in Ligarianâ. At *decedere de provincia*, idem Verr. IV, & epistolâ ad Cælium. Itidem *decedere viâ*, Plautus Amphitr. Suetonius in Cæs. & Fabius lib. IV. Sed, *decedere de viâ*, Plautus Trinummo, & Cic. pro Cluentio. *Sententia decedere*, Tacitus lib. XIV Annal. *De sententia decedere*, Cicero pro Cornelio Balbo. *Decedere officio*, Cicero in Verr. & Livius. *Decedere ab officio*, Livius lib. XXXVI. *Possessione decedere*, Plin. in epist. *De possessione decedere*, orat. II de leg. Agr. item L. Si finita, De damno infecto.

Cap. XLIX.

Ablativos etiam, qui absolutè poni dicuntur, regi vi præpositionis intellectæ, quæ sit A, vel AB; quoties tempus consecutum significatur. Participia absolutè posita, etiam sine nomine, vel pronomine. In Sedigiti iambis, de Comicorum discrimine, conjectura. Etiam ablativos usurpatos absolutè, regi à præpositione IN, vel SUB.

IN iis ablativis, quos hactenus excussimus, species est regiminis à verbo: præterea autem verbis addi dicuntur ablativi, qui non à verbo, vel aliunde, existimentur regi, sed absolutè poni: ita ut sui quasi juris, nec cuiquam subjecti habeantur. Sed eos quoque dependere existimo à præpositione intellectâ. Ut cùm Cicero lib. III de Leg. ait: *Nobilium vitâ, victuque mutato, mores mutari civitatis puto.* Ubi intelligitur *à*: nempe eâ significatione, qua significat *post*: ut cum dicimus, *à prandio, à cæna.* Ergo, *nobilium vitâ, victuque mutato*, integrè fit, *à nobilium vitâ, victuque mutato.* hoc est, *post mutatam vitam, victumque.* Ac par ratio in isto ejusdem Ciceronis: *Oppressâ libertate patriæ, nihil est, quod speremus amplius.* Pro, *ab oppressâ libertate.* Sic, *hoste superato, appositâ mensâ secundâ*, & similibus, ubi partic. pro præteriti temporis subjicitur, quod postea consecutum. In cujusmodi interdum participium ponitur absque nomine, vel pronomine. Nec enim solùm dicitur, *re compertâ*, vel *re auditâ*, aut, *eo comperto*, vel *eo audito*: sed simpliciter, *audito, comperto.* Livius lib. I belli Maced. *Inde ad Pluvinum est progressus, nondum comperto, quam regionem hostes petissent.* Tacitus lib. II Annal. *Audito, castellum Luppiæ flumini appositum obsideri, sex legiones eò duxit.* Idem lib. IV Annal. *Neque dum comperto, quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus.* Aliquot quoque aliis locis eodem participio ita utitur idem Tacitus. In cujusmodi structurâ ablativus ille participii refert naturam verbi impersonalis.

At alia præpositio intelligenda, cùm ablativus est participium præsentis temporis, vel nomen eandem vim habens. Q. Cicero ad Tir. lib. XVI, ep. XXVI: *Non potes effugere hujus culpæ pœnam, te patrono.* Horatius lib. I, od. II:

Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæsar.

Seneca lib. III epistolarum: *Acerbum est uri. quanto acerbius fiet, te faciente, patiaris?* Addunt hoc Vulcatii Sedigiti apud Gellium lib. XV, cap. XXIV:

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poetæ comico cui deferant:
Eum, me judice, errorem dissolvam tibi.

Quomodo ab Ascensio editum, & à Vincentio in Lugdunensi. Sed sic syllaba ante *tibi* superfit. Stephanica, & Tornæsiana, habent:

Eum meo judicio errorem dissolvam tibi.

Sed vel *eum*, & *meo*, κατὰ συνίζησιν fiunt μονοσύλλαβα, more Comico: vel pes integer redundabit: eoque, ut senarius sit, legendum fortasse, vocibus trajectis:

Judicio meo eum errorem dissolvam tibi.

Porrò in superioribus illis ablativus regitur à præpositione SUB intellectâ. Ut, *rege Alexandro*, vel *regnante Alexandro*, integrè fit, *sub rege*, vel, *sub regnante Alexandro.* Expressit præpositionem Quinctilianus lib. V, cap. X; ubi temporis generaliter accepti hæc ponit exempla: *Nunc, Olim, Sub Alexandro, Cùm ad Ilium pugnatum est.* Etiam in Horatiano illo, *Te duce*; & hoc quidem, *Teucro duce*; sic supplendus defectus, *Sub te duce.* Nempe, ut optimi scriptores dicunt, *Esse sub imperio*: ita sub alicujus ductu, vel ducatu fieri aliquid, vel factum esse, dicitur. Eademque præpositio animo concipienda in illo, *Sole ardenti proficisci.* Integrè Maro ecl. II:

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

Censeo etiam, similiter supplendum hoc Senecæ lib. de vita beata cap. XX: *Populo spectante fieri credam, quicquid, me conscio, faciam.* Ut citra ellipsin fit, *sub populo spectante.* hoc est, *sub oculis populi.* Quomodo Cæsar lib. I belli Civilis ait: *Neque verò id Cæsarem fugiebat, tanto sub oculis accepto detrimento, perterritum exercitum sustinere non posse.*

Atque inde statuendum quoque de illo Ciceronis lib. de claris Oratoribus: *Ego posthac cautiùs historiam, te audiente, attingam.* Pro, *sub audiente te*, q. d. *sub auribus tuis.* Quippe qui alteri aliquid dicit, quodammodo ejus judicio subest: quia vel apertè, vel tacitè, omnes judicium ferimus de iis, quæ dicuntur. Et par ratio in illis, *auctore Xenophonte, teste Tullio.* Nam qui sic loquitur, judicium iis subjicit.

Sed non, ut, *duce te*, valet, *sub te duce*: sic, *comite te*, supplendum, *sub te comite.* Nam hic non subjectio ulla

ulla signatur, sed comitatus: eoque *cum* intelligi debet. Imò hoc quoque intelligitur, cum dicitur, *Deo juvante*: ut Græcis, Σὺν Θεῷ. Nam etsi quicquid non mali facimus, id sub, & cum Deo facimus: tamen cùm *juvante* dicimus, si propria verbi vis attendatur, magis comitatum, quàm ductum signamus.

Nec Græci solùm præpositionem addunt; sed sæpius & Latini. Ita Ennius:

—— Eoque volentibus cum magnis Dis.

Cato de R.R. cap. XIV: *Circumagi cum Dis volentibus.* Livius lib. I: *Agite cum Dis bene juvantibus.* Pluraque id genus apud Franciscum Sanctium est videre. Ut in re tam aperta non debuerit Emundus Richerius, Theologus, & Cardinalitii Collegii apud Parisienses moderator, Sanctium propterea culpare, & acerbiùs quidem. Sic enim scribit: *Multa insuper alia adducit Sanctius, quæ probare non possum, quia est nimius ostentator, & propagator eclipseos: nullum enim ferme est genus loquendi, in quo vocis alicujus defectum non comminiscatur.* Equidem non ubique Sanctio accessero, uti nec ejus fere vestigiis insistenti Grosippo: sed tamen nihil certius, quàm esse prope innumera, ubi brevitatis studio ellipsin amemus: atque ut interdum eos fugerit ratio, non ea ellipsis ostentatio dici iccirco mereatur. Sanè ne nunc quidem Minerva Sanctiana in manus meas pervenit: Grosippiana nonnisi, dum hoc opere prælum ferveret. Jucundissimum autem fuit, videre non pauca me cum iis communia habere, quæ ante annos XXX publicè docuissem, partim etiam ante edita Grosippiana libris in aliis jam divulgassem. Sed ad institutum redeamus.

Est etiam, cùm IN potiùs intelligitur. Ut illo I Æn.

—— Et afflictis melius confidere rebus.

Scio, Servium interpretari, *de afflictis rebus.* Sed alterum sententia exigit. Vel dativus erit acquisitivus. Sed prius malim. Simile hoc Ciceronis ad Att. lib. XII, ep. XXIV: *Quod me in forum vocas, eò vocas, unde etiam, bonis meis rebus, fugiebam.* Ubi *de* nullum habeat locum. Nec caussa est, cur aliter capiamus, quàm illo Martialis lib. XII, ep. VI:

Temporibusque malis, ausus es esse bonus.

Nam quid aliud, *rebus afflictis*, quàm *temporibus malis*, vel *tempore rerum afflictarum*: hoc est, *in tempore*: ut diximus, cùm de ablativis ageremus, qui speciem temporis significant, sive quibus respondetur ad quæstionem *quando*.

CAP. L.

De infinitivo. Utrùm de structura eius ante cæteros modos agi debeat. Infinitivi variant tempus; non genus, quod semper neutrum censetur: uti neque mutant terminationem; sed nominis aptoti similes sunt. Quemvis enim casum eodem vocis exitu referunt: quod exemplis comprobatur. Servius refellitur, qui negabat, posse jungi duos infinitivos sine præpositione. Apud Græcos adjectiva, quæ peritiam significant, nunc genitivo, nunc accusativo sociari, ac utrumque fieri, nunc additâ præpositione, nunc omissa. Infinitivum iisdem pro dativo. Ad sedare, *pro* ad sedandum. *In infinitivo omni dispiciendum, num cum casu addito conveniat, an eum regat: & an casum regat ex propria infinitivi indole, an communi verborum natura: quandoquidem verbum infinitum eundem casum amat, quem finitum.*

NUnc videamus de structura Infinitivi: in quo recedimus ab ordine Prisciani. Nam is, Apollonium secutus, ab Infinitivo orditur verbum, eò quòd modus is generalis sit, adeò ut pro alio quovis modo accipi possit. Nos eorum potiùs vestigiis insistimus, qui doctrinam Infinitivi in ultimum rejiciunt locum: idque ob imperfectionem ejus. Neque enim nomini junctum absolvere sententiam possit: unde & uno ex superioribus modis semper indiget.

Magnâ ex parte infinitivi habent nominum naturam: quod cum participiis habent commune. Sed ab his in duobus differunt. Primùm quia particip. casibus variantur, &, si illa in NS excepens, etiam genere. Infinitivi autem variantur quidem tempore, cum aliud sit *spectare*, aliud *spectavisse*: sed non variant genus, cùm tantùm sint generis neutrius. Cicero ad Att. lib. XIII, epist. XXVIII: *Quàm turpis est assentatio, cum vivere ipsum turpe sit nobis.* Valer. Max. lib. VI: *Velle ac posse in æquo positum erat.* Persius sat. V:

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Imò etiam cùm circumloquimur infinitivi futurum activum per participium futuri temporis, & infinitivum *esse* vel *fuisse*; veteres, eò quòd infinitivi esset circumlocutio, haut aliter ac in vero infinitivo, terminationem participii invariatam servabant. Ut, *Credo illos dicturum esse*, pro *dicturos.* Quam rem pluribus probatum ibamus lib. III de Analogia cap. XVI. De supinis mitto, quia hæc quidem invariata manent (uti & tempora infinitivi, quæ per ea circumloquimur) verùm non participia sunt, ut ad adjectiva pertineant: sed verè sunt substantiva; uti ostensum ejusdem libri cap. XII: ac deinceps iterum de eo se offeret agendi locus.

Alterum infinitivorum discrimen à participiis est, quòd hæc casûm varient; illa sint quasi nomina ἄπτωτα. Itaque invariata cujusvis casus vicem sustinent: idque tam in Convenientia, quàm in Regimine. Quod enim ad convenientiam, infinitivus in ea nunc pro nominativo est, nunc pro accusativo: nec id duntaxat a fronte, sed etiam à tergo. Utrimque pro nominativo est in illo Terentii Adelphis act. I, sc. II:

—— Nam ambos curare, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. ——

Pro, *Curatio amborum propemodum est alterius repetitio.* Accusativus utrimque erit hoc pacto: *Censeo, curare ambos propemodum esse reposcere alterum.* Nec vitiosum credas, propterea quòd Servius putet, malè duos conjungi infinitivos. Nam eum refellit hoc Lucretii lib. I:

—— Videndum est,
Ne contrà hæc per se cogant nos esse fateri.

Et aliquot versibus post:

Etsi difficile esse videtur credere, quicquam
In rebus solido reperiri corpore posse.

Terentii est Andriâ act. III, sc. II:

Quod jussi ei dare bibere, & quantum imperavi,
Date: mox ego huc revertar.

Cæsar lib. I de bello Gallico: *Siquid ille à se velit, illum ad se venire oportere.* Et sexcenta sunt apud Ciceronem, Livium, alios; ubi duo jungantur infinitivi, nunc convenientiæ, nunc regiminis structurâ.

Sed redeo ad id, quod dixeram, infinitivos omnium casuum vicem supplere. De nominativo, (uti & de accusativo Convenientiæ) dictum satis.

Genitivi loco ponitur illo Maronis in Eclogis:

—— Soli cantare periti
Arcades. Pro *cantandi*, vel *cantus.*

Persius sat. II:

—— Urentes oculos inhibere perita.

Pro *inhibendi*, vel *inhibitionis.* Sic *peritus belligerare*, vel *militare*: quod Ciceroni orat. pro Fontejo: *Peritissimus homo belligerandi.* Item in Pisonianâ: *Rei militaris peritus.* Apud Tacitum quoque est in vita Agricolæ: *Peritus obsequi, eruditusque utilia honestis miscere.* Pro, *peritus obsequendi*, vel, *obsequii.* Sed posterior infinitivus potiùs est pro accusativo: *eruditus miscere*, pro *ad miscere*, de quo dictum cap. XLI. Imò etiam, quod minus videatur, priorem infinitivum per accusativum possis exponere: q. d. periti quod ad *obsequi*, sive *obsequium*: similiterque in aliis, *periti ad cantare*, vel *inhibere*, hoc est, *cantum*, vel *inhibitionem.* Sanè Græci verba facultatem significantia, nunc genitivo, nunc accusativo jungunt. Genitivus est illo Nazianzeni: Σοφοὶ τοῦ κακοποιῆσαι· *Periti malefaciendi.* Ubi præpositionem addit Plato. Cujus est: Περὶ τὰ τοιάυτα σοφός· *Talium rerum*, sive *in talibus*,

libus, *callidus*. Accusativum usurpat Xenophon. Ut, Ἀγαθοὶ τὰ πολεμικά· q. d. *boni*, vel *idonei bellica*, pro *ad bellica*. Quomodo Græcis τὸ, vel πρὸς, desideratur. Quorum posterius suppletur illo Plutarchi: Ἀγαθοὶ πρὸς τὸν πόλεμον· *boni*, sive *apti ad bellum*. Ac similiter Herodianus: Σοφὸς πρὸς ἐπιβουλήν· *callidus ad insidias struendas*.

Etiam infinitivus pro dativo sæpius est Græcis. Ut senario istoc:

Φιλεῖν ἀκαίρως ἴσον ἐστὶ τῷ μισεῖν.

Pro, τῷ μίσει. Quasi diceres ad verbum, metroque servato:

Amare non in tempore est odisse par.

Pro, *par*, vel, *æquale odio*. Diodorus lib. IV, ubi agit de Theseo & Ariadne, ait parentem Thesei, Ægeum, mœrore, ac προσκόπτοντα τῷ ζῆν, dedisse se de tecto præcipitem: ubi τῷ ζῆν προσκόπτων, valet, *offensus ipsi vivere*, pro *vita*. Nec fortasse Latini hunc nesciunt sermonem. Nam non pauca eorum, quæ per accusativum exponimus, etiam dativo licet interpretari: ut mox liquebit.

Pro accusativo est in illo Ovidii lib. I de Arte:

Sed puer est, ætas mollis, & apta regi.

Pro, *ad regi*, hoc est, ut regatur. Sed possis & dativo interpretari; quomodo dicimus, *apta studiis*, &, *ad studia*. Similiter igitur, *apta regi*, fit, *apta ad regi*, seu *apta ad regimen*: vel etiam, *apta regimini*, sive *rectioni*. Sed nomen non caret ambiguitate, quæ abest ab infinitivo. Nam aliud, *apta regere*; aliud, *apta regi*. Quod si pro altero horum verbale, seu hoc, seu illo casu, reposueris: incertum est, utrum parum idoneus aliquis dicatur, ut regat, an ut regatur. Utroque etiam casu possis exponere illud Statii Papinii lib. II Sylv.

—— *Optimus idem*
Condere divitias, opibusque immittere lucem.

Nam possis interpretari, *optimus ad condere*, vel *condendas divitias*: atque item, *condendo divitias*, dandi casu: q. d. *conditioni*, vel *conditui divitias*, sive *divitiarum*. Sed in his quidem eo casu quisque accipiat infinitivum, quo volet. At absque dubio pro accusativo est in illis, *It videre*; &, *Pudet dixisse*; pro, *ad*, vel *ob videre*; &, *ob dixisse*. Nec ignotum antiquis, jungere præpositionem infinitivo, si Lucretius sic locutus lib. V:

*Ad * sedare sitim fluvii fontesque vocabant.*

* *Ubi vulgo etiam in optimis membranis nostris.* At sedare.

Quomodo apud Macrobium is locus legitur lib. VI Sat. cap. I.

Vocativi vicem supplet infinitivus in isto: *O vivere nostrum, ut non sentientibus effluis!* Pro, *ô vita nostra*.

Denique ablativi vim habet in illo: *Dignus amari*, vel *puniri*: pro, *dignus amore*, vel *pœna*, vel *punitione*. De quo itidem paullo pòst plenius.

Atque ista ostendunt, quantum recedant infinitivi à participiis: item ut infinitivi quemvis nominis casum referant, sed eâdem terminatione. Qui hoc non attendunt, quia infinitivus, quod ad exitum similiter se habet, confundere solent ejus convenientiam, & regimen; nec vel in hoc, vel in illo satis vident, pro quo casu infinitivus ponatur: nec distinguunt casum, quem habet ex propriâ naturâ infinitivi, quemque possidet ex communi verborum naturâ. Quæ plurimùm differre, exemplo planius faciam.

Curtii est libro V*: *Quid mirum est, fortunatos semper parem quærere?* Pronunciatum igitur est tale: *Fortunatos semper quærere parem, non est mirum.* Hic *quærere*, vel potiùs tota oratio, *fortunatos quærere parem*, ponitur loco nominativi, ac convenit cum verbo substantivo, & nominativo *mirum*, quem verbum habet à tergo. Hæc structura pertinet ad illum canona: Infinitivus, vel tota etiam oratio, loco nominativi posita, convenit cum verbo. De quo dictum cap. XVIII. Præterea *quærere* convenit cum accusativo *fortunatos*, quem habet à fronte. Et refertur ad canona istum: Infinitivus ante se habet accusativum, qui resolvitur in nominativum per *quod*, vel *ut*. De quo dictum cap. XX. Utraque hæc consideratio ad convenientiam pertinet: tertia non item, quatenus *quærere* regit *parem*. Illa enim structura subjicitur canoni isti: Omne verbum activæ significationis, seu finitum illud sit, seu infinitum, regit accusativum, notantem quid agens efficiat, vel circa quid actio versetur. Deque eo actum nobis cap. XXI. Ergo infinitivus *quærere* habet accusativum *fortunatos*, ex natura sua: hoc est quatenus est infinitivus. Nam si ex infinitivo feceris verbum finitum, pro accusativo ponetur nominativus, hoc pacto: *Non mirum est, quòd fortunati semper quærant parem.* At alterum accusativum, *parem*, quem à tergo obtinet, regit non particulatim, ex infinitivi natura: sed universè ex natura verbi: quia etiam finitum verbum hunc exigit casum, cùm dicatur, *Fortunati quærunt parem.*

* *In orat. Euctemonis, sive Euthymenis Cymæi.*

Nimirum, quæcunque fusè adeò prosecuti sumus de verâ falsâque rectione casus à verbo: ea non solùm habent locum in verbo finito, sed etiam infinito. Nam ut dicimus, casu patrio, *pecus est Melibæi*; *magni æstimo*; *accuso furti*; *misereor tui*; *nutritur Romæ*; *recordor pueritiæ*; *egeo auxilii*: ita eodem casu dicitur, *pecus esse Melibæi*; *magni æstimare*; *accusare furti*; & ita porrò. Ut in dandi casu, *dono alteri*; *narrat surdo*; *est mihi cura*: sic quoque, *donare alteri*; *narrare alteri*; *esse mihi cura*. Ut in accusativo, *amat literas*; *vivo vitam*; *eo Romam*; *egredior urbem*; *obliviscitur nomen*; *vixit triennium*; *patet tres ulnas*: sic *amare literas*, *vivere vitam*, similiterque in cæteris. Ut denique in casu auferendi, *rediit Româ*, *præstat humanitate*; *vendidit asse*; *fungor officio*; *nocte vigilat*; *abest mille passibus*: sic *redire Româ*; *præstare humanitate*; & pariter in aliis. Quare non est exspectandum, ut hoc loco expendamus, quos casus regat verbum infinitum. Hoc enim sit actum agere, quia pertinet ad communem Verborum structuram, de qua copiosè egimus. Sed videndum est potiùs, unde regatur verbum infinitum.

CAP. LI.

Infinitivus pro genitivo positus, ac rectus à nomine. Est videre, & similia dici κατ᾽ ἔλλειψιν nominis facultas. Quibus modis cognoscatur, num infinitivus, accusativi vicem supplens, verè à verbo regatur, casum istiusmodi exigente; an potius à præpositione suppressâ. Habeo dicere, & similia, etiam efferri per gerundium in dum: & tam infinitivum, quàm gerundium, esse pro accusativo recto à verbo habeo. *Verbo finito sæpe additur infinitivus rectus à præpositione* ob, *vel* propter. *Ac similem ellipsin habere locum, cùm post nomen adjectivum, quod voluntatem, aut facultatem notet, ponitur infinitivus: qui interdum etiam est forma passiva. Nec solùm in infinitivorum hac structura omitti præpositionem, quæ accusativum adsciscat; sed etiam quæ exigat ablativum. Etiam ipsum infinitivum κατ᾽ ἔλλειψιν supprimi: ac interdum quidem brevitatis gratiâ, quia facilè sit eum ἀπὸ κοινοῦ supplere: interdum verò propter honestatem.*

Regitur infinitivus vel à nomine, vel à verbo, vel à præpositione.

A nomine si dependeat, vicem obtinet genitivi. Estque is casus nunc nominis substantivi, nunc adjectivi.

Sed rariùs adjectivi. Tale est, *Cupidus scire*, pro *sciendi*. Atque ita Statius quoque III Thebaidos:

—— *Avidi promittere bellum.*

Pro, *promittendi*, vel, *promissionis*. Sic, *Memor venire*, pro *veniendi*. Cui simile hoc ejusdem poëtæ II Sylv. in Psittacum Melioris:

Auditasque memor penitùs demittere voces.

Pro, *demittendi*. Et III Thebaidos:

—— *Imperiique haut flectere molem*
Nescius.

Pro, *Haut nescius flectendi molem.*

Maronis quoque, & Persii locum similem adduximus cap. superiori.

Ex

Ex substantivis vix aliud frequentiùs occurrit in hac structura, quam *tempus*. Ita Cicero in Topicis: *Sed jam tempus est ad id, quod instituimus, accedere. Tempus accedere*, pro, *accedendi*, sive *accessus*. Et lib. II de Oratore: *Tempus esset jam de ordine argumentorum aliquid dicere.* Livius lib. I: *Tempus est majora conari.* Et lib. XXIII: *Tempus esse, aut pacem componi, aut bellum noviter geri.* Parque ratio in aliquot aliis substantivis. Plautus Capt. act. II, sc. III:

—— Nunc adest occasio
Benefacta cumulare. ——

Pro, *cumulandi*, vel *cumulationis*. Cæsar lib. VII de bello Gallico: *Consilium cepit, omnem ab se equitatum noctu dimittere. Consilium dimittere*, pro *dimittendi*, vel *dimissionis*. Sallustius in Jugurth. *Nisi fortè, quem perniciosa libido tenet potentia paucorum decus atque libertatem gratificari suam.*

Interdum nomen substantivum intelligitur. Ut cùm *est* exponi solet *licet*. Sic Virgilium, & Livium, loqui, vidimus cap. XIX. Ac similiter Horat. lib. I, sat. II:

Altera nil obstat Cois tibi: pene videre est,
Ut nudam.

Pro, *potestas est videndi*, sive *visûs*. Ibidem:

Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.

Ovid. III Met.

—— Liceat, quod tangere non est,
Adspicere.

Et sæpe alibi, maximè poëtas. Quos imitari gaudet Gellius. Ejus jam locum unum superiùs * attulimus. Similiter autem lib. III, cap. I: *Multos videre est pecuniæ cupidos.* Et lib. VII, cap. III: *Præterea animadvertere est in tota ista Catonis oratione.* Item lib. XIII, cap. XI: *Vina quoque dulciora est invenire in Comœdiis antiquioribus hoc nomine appellata, dictaque esse ea Liberi bellaria.*

* Cap. 19.

Hæc de infinitivis à nomine rectis, ac positis loco gerundii in *di*, vel nominis substantivi in casu genitivo.

Nunc aperiam, unde cognosci possit, num infinitivus regatur à verbo, an à præpositione. Primùm ita statuimus, dependêre à verbo, quoties oratio resolvenda est per *quod*, non illud caussale, sed alterum, narrationi simpliciter inserviens. Exempli gratiâ: *Scripsit se cupere hanc rem.* Hoc per nominativum, & particulam *quod*, sic resolvas: *Scripsit, quòd cuperet hanc rem.* Quomodo loquitur Tullius ad Att. lib. X, ep. IV: *Cum scripsisset, quòd cuperet me ad urbem venire.* Cùm igitur dicatur, *Scripsit se cupere*: *cupere* regitur à verbo *scripsit*, & pro accusativo censetur: quasi dixisset, *Perscripsit hanc cupidinem* sive *cupiditatem*, aut potiùs *voluntatem suam.* Sic in illo Terentii Heaut. act. III, sc. I:

Id ut maturent facere.

Et apud Plancum ad Cic. lib. X, epist. XXI: *Ut maturarem venire.* Item hoc Sallustii: *Antonius Catilinam cum exercitu persequi maturet.* Quibus locis, *facere id*, valet, *opus id*: *venire* idem, ac *adventum*: *persequi* idem, ac *persecutionem.* Ut satis liqueat, infinitivos vicem obtinere accusativorum. Imprimis autem infinitivum amamus, si accusativus non sit in usu. Ut in exemplo allato, *Maturent facere.* Nam *factionem*, etsi origine respondeat, consuetudine tamen aliud notat. Sin accusativus eâdem significatione obtineat, nunc hic, nunc infinitivus, promiscuè usurpatur. Ut, *Maturate fugere*: &, *Maturate fugam*: quod apud Maronem I Æn. *Fugere* igitur hic pro accusativo est, nec minùs à verbo regitur, quàm vetus accusativus. Similia sunt, *Disce silere*; &, *Disce silentium*: *Cupio ludere*, & *Cupio lusum.* Uti & aliàs, si eadem sit significatio: ut, *Da bibere*, &, *Da potum.*

Ad hujusmodi structuram etiam refer, quando *habeo* sumi putatur pro *possum*, vel *scio*: ut Græcis ἔχω, pro δύναμαι, præsertim post infinitivos λέγειν, vel εἰπεῖν. Sanè Cicero similiter pro Roscio Amerino, pro Cornelio Balbo, in Academ. quæst. & alibi, *Habeo dicere.* Ut ad Att. lib. XV: *De Rep. nihil habui ad te scribere.* Et lib. I ad Lent. ep. I: *De caussa regia tantùm habeo polliceri.* De Nat. Deor. *Hæc fere objicere habui.* Livius lib. XLII: *Illud infirmare pro certo habeo, audeoque.* Sed qui structuram hanc sciunt, fere tamen caussam locutionis ignorant. Eam igitur adferamus. *Habeo* in hujusmodi locis non valet *possum*; sed propriam *habendi* vim retinet: & si vocem aliam pro *est* reponere voles; interdum *debeo* magis conveniat, quam *possum.* Ut apud Ciceronem in Oratore: *Audire habeo, quid hic sentiat.* Et Messallæ, sive Augusti illo apud Suetonium *: *Quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?* Hic contendimus infinitivum poni pro gerundio in DUM; quod est accusativi casus. *Habeo audire*, vel *precari*, pro *habeo audiendum*, vel *precandum*: id est, *quod audiam*, *quod precer*: ubi clarè accusativus relucet. Quid multis opus? cùm videamus, veteres quandoque hic pro infinitivo uti gerundio. Ita enim castissimæ Latinitatis scriptor Columella lib. V, cap. V: *Eatenus habemus præcipiendum, ut intelligant agricolæ.* Ac similiter loquitur lib. II, cap. IX. Quod usitatius, *Habeo præcipere.* At sanè non hoc vult, *Possum præcipere*: sed potiùs sententia est, *Præcipiendum mihi illud*, vel, *Convenit me hoc præcipere.* Similis ratio in hoc Plinii lib. X, cap. LV: *Julia Augusta, primâ suâ juventâ Tiberio Cæsare ex Nerone gravida, cum parere virilem sexum admodum cuperet, hoc usa est puellari augurio: ovum in sinu fovendo, atque, cum deponendum haberet, nutrici per sinum tradendo.* Ubi, *deponendum haberet*, idem ac, *deponere haberet*, sive, *cum necesse haberet deponere*: non autem, *cum posset deponere.* Etiam Tacito similiter, *tolerandum habeo*, idem ac *tolerare habeo.* Sic enim ille lib. IV Annal. *Posse Livium statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet.* Interpretantur hoc, *tolerare posset.* Sed malim, *tolerare deberet*, vel *tolerare convenientius putaret.* Idem, vel alius potiùs, in elegantissimo dialogo de caussis corruptæ eloquentiæ: *Cùm in aliquam invidiam, aut crimen, vocati, suâ voce respondendum haberent.* Quod aliter dixeris, *Cùm vocati respondere haberent*; vel, *cùm respondendum vocatis esset.* Ubi officii itidem, non facultatis, significatio. Paullò pòst quoque pro illo, quod Cicero toties, *habeo dicere*, ille, *dicendum habeo. Nam*, inquit, *multum interest, utrùm de furto, aut formulâ, & interdicto, dicendum habeas.* Quid apertius inde, quàm *dicere*, & *dicendum*, pro eodem sumi? eoque *dicere*, valere, *quod dicas*; h. e. *quod dicere debeas*, vel *cupias.*

* In Aug. cap. 58.

A præpositione contrà regitur infinitivus, cùm resolvitur oratio per *quod* causale, sive, *quia*, vel *quoniam.* Ut illo Ciceronis ad Att. lib. IX, ep. VI: *Probari, quæ fecerimus, valde gaudeo, si est nunc ullus gaudendi locus.* Ubi *probari gaudeo*, valet, *gaudeo, quòd probentur*: hoc est, *quia probentur.* Ut hic sit ellipsis præpositionis *ob*, vel *propter.* Suppleas igitur hoc modo: *Gaudeo ob probari*: hoc est, *propter probationem.* Sic, *gaudeo venisse*, valet, *gaudeo quod* sive *quia veneris.* Ut integrè sit, *gaudeo ob venisse*, sive ἀρχαϊκῶς, *ob ventum.* Quomodo Plautus, sed sine præpositione, Cistellariâ act. I, sc. I:

Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est,
Tranquillo mari, Ventum gaudeo ecastor ad te:
Ita hodie hic acceptæ sumus suavibus modis.

Pro, *ob ventum*, sive, *ob venisse.* Similiter illo Maronis Ecl. III:

—— Nam me discedere flevit.

Ubi sententia est, *quòd*, vel *quia discederem.* Citra ellipsin igitur erit, *ob discedere*; quod idem ac, *propter discessum.* Item illo Nasonis lib. I Trist. el. VIII:

—— Totâ tibi mente, mihique,
Gratulor, ingenium non latuisse tuum.

Gratulor non latuisse, hanc vim habet: *gratulor, quia non latuerit. Non latuisse* igitur ponitur loco accusativi recti ab *ob* sive *propter*: ut plenè sit, *Gratulor ob non latuisse.*

Quod si infinitivus per *ut* resolvatur; nunc regitur à verbo, nunc à præpositione. A verbo, ut, *jussit venire*,

quod resolvitur, *ut venirem*: non *quod venirem*. Ac, *venire*, vicem implet accusativi à verbo recti; quia, *jussit venire*, dicitur, ut, *jussit hanc rem*.

A præpositione autem regitur infinitivus, cùm jungitur verbis motum ad locum significantibus. Cujus rei exempla sunt aliquot apud veterem Scripturæ interpretem. In iis hoc*: *Non veni solvere legem, sed adimplere*: Pro, *ad solvere*, h.e. *ad solutionem*: *ad adimplere*, sive *adimpletionem*. Scio, nonnullos, more suo, propterea sugillare interpretem. Verùm cogitare debuerant, crebrò sic loqui optimos scriptores. Plautus Curcul.†

> —— *Parasitum misi nudiusquartus Cariam*
> *Petere argentum, is hodie hic aderit.*

Et Bacch.‡

> *Senex in Ephesum hinc ibit aurum arcessere.*
> *Hic nostra agetur ætas in malacum modum.*

Item act. IV, sc. III:

> —— *Militis*
> *Parasitus modò venerat aurum petere.*

Terentius Hec. act. I, sc. II:

> —— *Nostra illico*
> *It visere ad eam.* ——

Lucretius lib. IV:

> *Hunc igitur contrà mittam contendere caussam.*

Virgil. I Æn.

> *Non nos aut ferro Libycos populare penates*
> *Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas.*

Horat. lib. I, od. XXIII:

> *Atqui non ego te, tigris ut aspera,*
> *Getulusve leo, frangere persequar.*

Statius IV Sylv. ad Marcellum:

> *Forsitan Ausonias ibis frenare cohortes,*
> *Aut Rheni populos.*

Hisce omnibus locis infinitivus verbo additus, quod motum ad locum significet, non à verbo regitur, sed à præpositione omissâ. Ut integrè sit, *Misi ad petere argentum*: hoc est, *ad petitionem argenti*. Nam verbalia olim verbi sui casum regebant, ut alibi* ostensum. Nunc genitivus est usitatior. Similiter illud, *Persequar frangere te*, ponitur pro, *ad frangere te*: id est, *ad fractionem te*, hoc est, *tui*.

Eadem est ellipsis, cùm infinitivus subjicitur adjectivis, quæ voluntatem, aut facultatem significant. Ita Virgilium, atque Ovidium, loquentes audiimus†, cùm de falso adjectivorum regimine ageremus. Estque mos loquendi transmarinus. Nam, ut Maro ait‡, *bonus calamos inflare*, & *bonus dicere versus*: sic Eupolis Comicus:

> Λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.

Quasi dicas:

> *Loqui optimus, sed dicere idem pessimus.*

Ac Epicharmus quoque similiter:

> Οὐ λέγειν δεινὸς, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος.

Prout legitur apud Gellium*, metro planè claudicante. Nempe, particulâ negante in primum locum restitutâ, legi debet, Δεινὸς λέγειν οὐκ. Latinè utcunque sic expresseris:

> *Haut dicere aptus, at tacere non potis.*

Vel, *tacere est impotens.*

Nulli verò Latinorum, quantum recolere memoriâ possum, familiarior is sermo, quàm Horatio: maximeque in Odis, ubi mirè gaudet Ἑλληνίζειν†. Sic lib. I, od. I:

> *Indocilis pauperiem pati.*

Od. III:

> *Audax omnia perpeti.*

Od. X:

> *Callidum quicquid placuit jocoso*
> *Condere furto.*

Od. XII:

> *Blandum & auritas fidibus canoris*
> *Ducere quercus.*

Ibid.

> —— *Puerosque Ledæ,*
> *Hunc equis, illum superare pugnis*
> *Nobilem.*

Od. XV:

> —— *Et celerem sequi*
> *Ajacem.*

Ibid.

> *Præsens vel imo tollere de gradu*
> *Mortale corpus.*

Od. XXIV:

> *Non lenis precibus fata recludere.*

Od. XXIX:

> *Doctus sagittas condere Sericas.*

Od. XXXV:

> —— *Amici*
> *Ferre jugum pariter dolosi.*

Od. XXXVII:

> —— *Quodlibet impotens*
> *Sperare.*

Similia multa in cæteris odarum libris. Idemque lib. I, epist. XV:

> —— *Opprobria fingere sævus.*

Et ep. XX:

> *Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.*

Et epistolâ ad Pisones:

> —— *Amata relinquere pernix.*

Lib. I, sat. IV:

> —— *Durus componere versus.*

Et,

> —— *Scribendi ferre laborem.*

Et sat. IX:

> *Præsertim cautum dignos assumere.* ——

Et X;

> —— *Doctus cantare Catullum.*

Ubique his locis est accusativus à præpositione rectus. *Nobilis superare*, pro, *ad superare*, hoc est, *ad superandum*. *Celer irasci*, pro, *ad irasci*, sive *irascendum*. *Durus componere*, pro, *ad componere*, sive *ad componendum*. Similiter Propertius lib. II, el. X:

> *Si nos nunc inopes laudis conscendere culmen,*
> *Pauperibus sacris vilia thura damus.*

Persius prologo:

> —— *Ingeniique largitor*
> *Venter, negatas artifex sequi voces.*

Et sat. I:

> —— *Nec ponere lucum*
> *Artifices, nec rus saturum laudare.*

Atque alia alibi. Neque adjectivis solùm additur infinitivus activus; sed etiam passivus. Ut apud Horatium in Arte:

> *Cereus in vitium flecti.* ——

Et lib. I, od. XIX:

> *Et vultus nimium lubricus adspici.*

Seneca Herc. Fur.

> *Et saxa fluctu volvit Acheron invius*
> *Renavigari.*

Ac Poëtis quidem frequens est ea ellipsis præpositionis in quibusvis adjectivis, quæ peritiam, curam, vel simile significant: in prosa verò imprimis obtinet, quando infinitivus jungitur cum adjectivo, *paratus*. Cicero pro P. Quinctio: *Id quod parati sunt facere*. Idem Catoni lib. XV, epist. IV: *Mitto, quòd invidiam, quòd pericula, quòd omnes meas tempestates & subieris, & multo etiam magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris*. Quibus locis, *paratus facere*, valet *paratus ad facere*: *paratissimus subire*, integrè sit, *paratissimus ad subire*. Hoc est, *ad faciendum*, *ad subeundum*. Quomodo Cicero in Lælio ait, *Ad mentiendum paratus*. Et lib. V ad Att. *Paratissimus ad hæc propulsandum*. Ubi potuerat Tullius dicere, *Paratus mentiri*: *paratissimus hæc propulsare*.

Nec solùm regitur infinitivus à præpositione, quæ accusativum exigat, sed etiam, quæ ablativum. Ut in Eclogis:

> *Et cantare pares, & respondere parati.*

Ubi quidem, *parati respondere*, integrè fuerit, *ad respondere*, hoc est, *ad respondendum*, vel *ad responsionem*: sed *pares cantare*, citra ellipsin sit, *à cantare*, hoc est, *à cantu*.

* Matt. 5. v. 17.

† Act. 1, sc. Placide egredere.

‡ Act. 2, sc. Mirum est me.

* Cap. 9.

† Cap. 12.

‡ Ecl. 5.

* Lib. 1, cap. 15.

† Gratificare.

cantu. Vel intellige *in*; ut sit, *in cantare*, hoc est, *in cantando*, sive *cantu*: quomodo Cicero in Lælio, *pares in amore*: & pro Fontejo, *par in belligerando.* Quod si cum ajo, *dignus amore*, ablativus regitur à præpositione intellectâ, ut superiùs* diximus: par ratio erit, cùm dicitur, *dignus amari* †. Quomodo & oratores loquuntur. Ut auctor Invectivæ in Sallustium, Tullio tributæ: *Mihi putasti par esse invidiam ex mea re familiari; quæ multò mihi minor est, quàm habere dignus sim.*

* Cap. 14.
† Virg. Ecl. 5.

Quemadmodum autem reticeri solet præpositio, unde regitur infinitivus: ita sæpe etiam infinitivus ipse desideratur. Quod bifariam fit. Est enim cùm antecessit, atque inde ἀπὸ κοινοῦ repeti debet: est item cùm penitùs prætermittitur, idque honestatis caussâ. Prioris generis est, *Ut voles, age.* Quod suppleas hoc pacto: *Age, ut voles agere.* Maximè autem hoc fit post verbum *videtur.* Cicero lib. XII, epist. XXVII ad Att. *Velim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas: eique de mancipiis, quæ tibi videbitur, attribuas.* Intelligitur, *attribuenda esse.* Cæsar lib. IV de bello Gallico: *Ad hæc, quæ visum est, Cæsar respondit.* Fusiùs eâ de re Budæus in Commentariis linguæ Græcæ.

Alterius generis est, cùm infinitivus desideratur post *solere.* Quod verbum de mœchis, vel scortis, dicitur absolutè, intellecto eo, quod mœchi solent, aut mulieres cum alienis viris. Plautus Cistell. act. I, sc. I:

> *Quæ cum suis viris prædicant nos solere.*

Puta, *consuescere.* Sic Pseud. act. III, sc. I:

> *Neque ego illud possum, quod possunt, qui solent.*

Catullus carm. CXIV:

> *Consule Pompejo, primùm duo, Cinna, solebant*
> *Mœchi.*

Puta *mœchari.* In Aldinâ, & vulgatis, *sedebant* est, pro, *solebant.* Sed *solebant* est in veteri editione, quæ Regii Lepidi prodiit. Atque idem in membranis, quibus usus, reperit Jos. Scaliger. *Consuescendi* verbum, vel aliquod inhonestius, reticebant honestatis caussâ. Imò & in *consuescendi* verbo similiter est comparatum. Cicero: *Mulieres, quibuscum iste consueverat.* Scilicet, *rem habere.* Quod etiam fecere post verbum *posse.* Ut in illo Horatii Epod. od. XII:

> *Inachiam ter nocte potes.* ——

Ubi, quid intelligatur, nihil attinet dicere.

Sæpe imprimis intelligitur *esse*, vel *fieri.* Terentius: *Ne dicas tibi non prædictum.* Sc. esse. Ac possis sic interpretari hoc Maronis, *Promisi ultorem.* Supple me fore: Etiam hoc, *Bene, vel male mihi vult.* Puta *esse*, aut *fieri*, vel etiam *factum.* Secundum illud Plauti Truculento:

> *Cui ego meliùs dictum, aut factum velim.*

Est etiam cùm intelligitur *dici.* Ut, *Male audit*, puta, *sibi dici.* Nam *male* non cum *audit*, sed *dici* cohæret, contrà quàm fit, cum surdastri dicuntur malè, vel parum audire. Sic *Audit bonus*, vel *malus*, integrè fuerit, *Audit se dici bonus*, vel *malus*: ut sit ἐλλειπτικῶς.

CAP. LII.

De infinitivi præterito perfecto. Agrœcius refellitur. Suetonii vetus lectio defensa. Memini *à Tullio ipso jungi præterito perfecto. Nebrissensis error.*

NUnc quia, quæ generatim de infinitivis dicenda erant, excussimus; speciatim agamus de præterito perfecto, & futuro.

Observant Grammatici, *Memini* etiam adsciscere infinitivum præteriti temporis. Qua de re ita Agrœcius libro de Orthographia, & proprietate, ac differentiis sermonis: *Memini me facere, dicere debemus, non, Memini me fecisse. Nam, Memini, sermo est totus præteriti temporis, qui anteactam rem in præsens revocat: &, si dixeris, Memini me fecisse, duo præterita simul jungis. Cicero*: Memini Pamphilum Lilybætanum mihi narrare solitum* †. *Idem infrà: Respondi Metello, ut debui: etiam illud memini me dicere.* Terentius ‡:

* Lib. 4 in Verrem.
† Solitum deest in codd. Ciceronis: & magis Agrœcio adversatur: neque tollendum.

> *Ego illam vidi. Virginem formâ bonâ*
> *Memini videre.*

‡ And. act. 2, sc. 5.

*Virgilius**:

* Ecl. 9.

> *Cantando puerum memini me condere soles.*

Idem †: *Memini —— Auruncos ita ferre senes, & multis præterea locis. Neque invenitur, ubi ab aliis magnis auctoribus Memini positum sit, ut non addatur aut ESSE, aut aliquis talis sermo, qui præsens tempus restituat: nisi uno loco, & quasi hoc mirabile:*

† Æn. 7.

> *Namque* sub Oebaliæ memini me turribus altis*
> *Corycium vidisse senem.*

* 4 Georg.

Quod Poëta pro necessitate metri licuit usurpare. Hactenus Agrœcius: qui lusoriis potiùs, quàm decretoriis, pugnare mihi armis videtur. Quale enim hoc, quod duo negat præterita conjungi? quasi non dicatur; *credidi fecisse, venisse scripsit, intellexi obiisse.* Imò Suetonii quoque est in Augusto cap. 100: *Nec defuit vir prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse juràsset.* Pro, *juraret.* Quod & Casaubonus malit hoc loco; magis tamen *juràsset.* Sed locus non eget medicinâ. Et *juràsset* non tam Suetonio conveniret, quàm Ennio, vel Plauto: ut liquet ex iis, quæ dicebamus lib. III de Analogia cap. XV. Atque hoc primum Agrœcii erratum. Accedit, quòd nec *memini* penitùs præteritum est: quia etsi sit ab antiquo præsenti *meno*, unde & *meniscor*, ac compositum *reminiscor*: tamen naturam induit præsentis, quia significat, *in memoria habeo*: eaque ratio est, cur *meno*, & *meniscor*, obsoleverint: ut quibus carere possent, quia *memini* eandem, ab illa, vim haberet. Præterea nec illud attendit, quòd utcunque dicas, *memini videre*; sic quoque præteritum adsciscet; sed imperfectum: cujus vox Latinis, & Græcis, extra indicativum eadem est, ac præsentis. Sanè, *memini me videre*, non resolvas, *memini, quòd video*: sed, *memini, quòd videbam.* Denique nec Agrœcius meminerat, locutum ita, non Virgilium solùm, sed etiam Marcum Ciceronem. Ut pro Roscio Amerino: *Meministi, me ita distribuisse initio caussam.* Ad Att. lib. I, ep. VI: *Tibi me permisisse memini.* Pro Cornelio Balbo: *Quod quidem nuper in columnâ æneâ meminimus post Rostra incisum, & perscriptum fuisse.*

Nec *memini* solùm, sed alia etiam verba, adsciscunt præteritum perfectum pro præsenti. Virgil. VI Æn.

> —— *Magnum si pectore posset*
> *Excussisse Deum.*

Ubi ita Servius: *Excussisse, pro excutere; tempus pro tempore. Est autem Attica figura, quâ nos uti non convenit, ut δέδοικα ponatur ἀντὶ ἐνεστῶτος: ut κεχάρηκα, pro χαίρειν. Hac licentiâ utuntur Poëtæ.* Sic quoque Horat. lib. I, od. I:

> *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum*
> *Collegisse juvat.*

Et lib. III, od. IV:

> *Fratresque tendentes opacum*
> *Pelion imposuisse Olympo.*

Eodemque modo loquitur idem lib. I, sat. X: Ovid. I de Ponto, el. VIII: Pers. sat. I †, & IV ‡: Statius I Theb.* Sed quod solos sic Poëtas loqui credit Servius, id non omnino verum est. Nam M. Seneca, philosophi pater, præfat. Controvers. ait: *Intra coloniam meam me continui: alioquin potuissem eum audisse in illo atriolo, in quo duos grandes prætextatos ait secum declamare solitos.* Et Gellius lib. III, cap. III: *Vel unus, hercle, hic versus, Plauti esse hanc fabulam, satis potest fidei fecisse.* Et lib. X, capite III: *Galeni, ubi id audiverunt, edixerunt, nequis in balneis lavisse vellet, cùm Magistratus Rom. ibi esset.*

† Vers. 105, & 246.
‡ Vers. 348.
* Vers. 171.

Præterita vocis passivæ sæpe ponuntur sine verbo substantivo. Terentius Heautont. act. I, sc. II:

> —— *Utut erat, mansum tamen oportuit.*

Ubi ajunt, *mansum* poni pro *manere.* Sed sumitur pro *mansum esse.* Nempe à *manetur*; unde *mansum est*, &, *mansum esse.*

Futura infinitivi passivi habere post se ablativum cum præpositione, vel illud Ciceronis lib. XV ad Att. fidem facere possit: *Brutum, ut scribis, visum iri à me puto.* Quare valde fallitur Nebrissensis, cùm, in commentariis suis, dici posse negat, *Spero me amatum iri à Deo*: quia, ut inquit, *amatum iri* sit impersonale, & actionem notet: quod mirum excidisse viro tam erudito.

Cap. LIII.

Gerunda *rectiùs*, *vel* gerundiva, *dici*, *quàm* gerundia. *Infinitivum pro gerundio, non item gerundium poni pro infinitivo. Per ellipsin interdum desiderari nomen substantivum, unde regitur gerundium in* di. *Gerundia omnem habere casum, præter vocativum. Gerundia in* di *cum genitivo plurali. An gerundia passive accepta passivorum more admittant ablativum cum præpositione* à, *vel* ab. *Saturnius notatus. Gerundia in* dum *cum accusativo patiente, præcipuè cùm adest præpositio. Gerundia in* do *cum verbo motus. Valla lapsus. In omnibus gerundiis, cùm naturâ suâ sint adjectiva, necessariò intelligi aliquod substantivum, vel quod vicem obeat substantivi: id vero esse verbum infinitum: Ac casum gerundiis additum, sive is genitivus sit, sive accusativus, non a gerundio regi, sed à suppresso infinitivo.*

AB infinitivo venio ad gerundia, ut ea contra ἀναλογίαν vulgò appellantur. Libro tertio de Analog. cap. IX dicebamus, rectiùs vocari *gerunda*. Nimirum quia illis significatur aliquid *gerundum*, hoc est, agendum, faciendumve. Quomodo Cicero in I de Off. ait: *Ad rem autem gerendam qui accedit, caveat, ne id modò consideret, quam res illa honesta sit; sed etiam, an habeat efficiendi facultatem.* Possimus &, cum veterum aliquibus, *gerundiva* nuncupare. Nam à *gerundo* formare licet *gerundivum*; ut à verbo *infinito* dicimus *infinitivum*. Simileque à *demonstratus*, *demonstrativus*, apud Ciceronem primo de Inventione. Item ab *hortatus*, *hortativus*, apud Fabium. Ut frustra sit Perionius*, cùm adjectiva, in *ivus* exeuntia, habet pro minùs Latinis. Nos tamen, ne videamur in lente, quod dicitur, unguentum quærere, veterem gerundii appellationem nunc quoque retinebimus.

* In I Eth. Nicom cap. 2.

Etiam libro III ostendebamus, gerundia non esse verba; sed participia, vel potiùs nomina: unde aliquis existimet, de iis, antequam ad Verborum structuram accederem, agi debuisse. Sed enim quis ignorat, vulgò, idque etiam veterum exemplo, subjici Verbo? Quare nec hac parte ab ordine recedam vulgario: idque eo minùs, quia negare non possumus, magnam esse convenientiam verbi infiniti, & gerundii: usque adeò ut pro gerundio etiam infinitivo utamur. Ita enim Maro II Georg.

Et jam tempus equûm fumantia solvere colla.

Ubi *solvere*, pro *solvendi*, vel *solutionis*, dixit. Ac similiter Ciceronem, Cæsarem, Sallustium, Livium, locutos, superiùs† vidimus. Falli tamen censeo, cùm ajunt, similiter gerundium poni pro infinitivo. Adducunt e Cicerone ad Terentiam: *Cùm haberem in animo navigandi.* Sed Linacro ‡ malim adsentiri, qui integrè ait esse, *voluntatem* vel *propositum navigandi.* Ac similis ellipsis est in illo Taciti in XV Annal. *Vologesi vetus, & penitus infixum erat, arma Romana vitandi.* Nec insolens est, ut in gerundii ejusmodi structura omittatur nomen substantivum. Quippe Terentii est Adelph. act. II, sc. IV:

† Cap. 49.

‡ Lib. 6.

Ah, vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id assentandi magis, quam quòd habeam gratum, facere existumes.

Ut enim Græcis sæpe χάριν, vel ἕνεκα: ita hic *caussa* intelligitur: quod & monitum Donato.

Illud etiam inter infinitivum, & gerundium, discriminis est, quòd infinitivi non variantur, sed sunt quasi nomina ἄπτωτα: nec temere aliter reperiuntur, quàm loco recti, vel accusativi: ut, *Scire tuum nihil est*, &, *Tuum scire esse nihil.* Gerundia autem variantur quovis casu, nisi quòd vocativo carent. Ut, *Dicendum est*, *dicendi caussa*, *dicendo apta*, *ad dicendum*, & *dicendo consequi.* In recto ait Horatius*, *Nunc est bibendum.* Quod simile est, ac si dicas, *necesse* vel *conveniens nunc est bibere.* Nam si gerundia in *dum*, necessitatem, ut Grammatici ajunt, significant: quid impedit, quo minus ea per hoc nomen *necesse*, aut simile, resolvamus? Nec de obliquis est obscurius. Nam, ut dicitur, *cupidus reditus*; sic Terentius†, *Cupidus redeundi.* Et, ut, *habile confusioni*; sic Plinius‡, *Rubens* (ferrum) *non est habile tundendo.* Similiaque, *aptus ad studia*, &, *aptus ad studendum*; *in judicio*, & *in judicando.* Quæ pluribus firmavimus lib. III de Analogia, cap. IX, & X. Atque ex his liquet, gerundia habere ante se nomina, verba, & præpositiones, more aliorum nominum; eoque paucis illa potuisse Grammaticos complecti, unde quatuor, pluriumve canonum, struem confecerunt.

* Lib. 1, od. 37.

† Hec. act. 3, sc. 1.

‡ Lib. 34, cap. 15.

Gerundium in DI, loco casus, quem verbum regit, interdum adsciscit genitivum. Plautus Captivis act. IV, sc. I:

Nominandi tibi istorum magis erit, quàm edendi copia.

Terent. prologo Heaut.

—— Date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam.

Cicero de Univers. *Reliquorum siderum quæ caussa collocandi fuerit.* Idem Philipp. *Agitur, utrum M. Antonio facultas detur agrorum suis latronibus condonandi.* Varro lib. II de R. R. cap. I: *Aliquod fuit principium generandi animalium.* Gellius lib. V, cap. X: *Euathlus adolescens dives, eloquentia, caussarumque orandi cupiens fuit.* Ac imprimis id in pronominibus contingit. Cic. II de Divinat. *Doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse.* Cæsar III de bello Gall. *Neque sui colligendi hostibus facultatem relinquunt.* Quomodo idem & alibi sæpius loquitur. Livius lib. XXI: *Non vereor, nequis me hoc, vestri adhortandi caussâ, magnifice loqui existimet.* Video esse, quibus placeat, quia gerundia sint numeri singuli, eò intelligi infinitivum ἰσοδυναμοῦντα nomini substantivo. Itaque, secundum eos, *copia nominandi istorum*, integrè sit, nominandi nominare, h. e. nomina, istorum. *Copia spectandi novarum*, fuerit integrè *spectandi spectare*, sive *spectationem novarum.* Mihi magis placet, quia gerundia sunt utriusque numeri, & ut dicimus *copia istorum*, & *copia nominandi*: ita & junctim dici *copia nominandi istorum*, pro *copia istorum nominandorum.* Sic *copia spectandi novarum*, valet *comœdiarum novarum spectandum.*

Censet Saturnius, *gerundia* in DUM, cùm passivè capiuntur, passivorum more, admittere ablativum cum præpositione. Ut si dicas, *Inter docendum à præceptore.* Atque hoc loquendi genus unico defendit Agellii loco, ac cui vix similem reperiri putet in linguâ Latina. Is est lib. I, cap. XII: *Amata inter capiendum à pontifice max. appellatur.* Nam præpositionem cum gerundio, non cum verbo, conjungi, eo probat; quòd ibidem legere sit, *Ita te, Amata, capio.* Sed profectò, quàm invalidum hoc sit argumentum, vident omnes.

Gerundium in *dum* negant accusativum patientem recipere, præterquam apud solos poetas, imprimis Lucretium. At locutus hoc pacto Varro, cùm alibi, tum lib. VI de L. L. *Subulo dictus, quòd ita dicunt tibicines Tusci. Quocirca radices ejus in Etruria, non Latio, quærendum est.* Est & Tertulliani lib. de pallio cap. III: *Multa dicendum fuit: πολλὰ εἰρητέον.* Et cap. IV: *Physconem, & Sardanapalum, tacendum est.* In ejusmodi locis gerundium naturam habet participii in casu recto. Neque ignorat hoc loquendi genus Tullius. Ut in Catone Majore: *Tanquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit.* Et eodem in libro malit è veteri codice Obertus Giffanius*, *Optandum putavi libidinem.* Ubi gerundium vim haberet accusativi. Citant & similes locos

* Indice Lucretiano in gerundio.

è Ciceronis lib. xiv ad Att. & iii Tusc. Livii lib. vii belli Maced. Macrobii lib. iii Sat. cap. vii. Sed ii omnes depravatè citantur: cujusmodi locis paginas implere animus non est.

Imprimis autem gerundium in *dum* accusativum hujusmodi habet, cùm adest præpositio. Plinius lib. vii, cap. xl: *Vana mortalitas, & ad circumscribendum se ipsam ingeniosa.*

Idem dictum velim de gerundiis in *do*. Varro de re R. lib. iii, cap. ix: *In supponendo ova observant, ut sint imparia.* Cic. iii Tusc. *Quod verbum* (invidia) *dictum est ab nimis intuendo fortunam alterius.* Gellius lib. xviii, cap. xv: *Æquè magnam vim haberent in efficiendo versum.* Afferunt & alia loca plurimi: sed quæ ferè omnia aliter legantur in optimæ notæ codicibus.

Gerundia hæc in *do*, si Vallam audimus, conjungi nequeunt verbis motus: eoque nec dicendum, *Revertor ab arando*, sed *ab aratione*; nec, *Redeo à spectando*, sed, *à spectaculis*. Verùm Vallæ adversatur illud Tullii lib. de Claris Oratoribus: *Tum Brutus, Quàm hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Græcis, ut omnes ferè Stoici prudentissimi in disserendo sint, & id arte faciant, sintque architecti pene verborum: iidem traducti à disputando ad dicendum, inopes reperiantur.*

Atque hæc dicta sunto de consuetudine Romanâ gerundiis utendi. Nunc, ut in aliis fecimus, ita hic quoque penetremus in caussam ejusmodi structuræ. Ea, sive convenientiam, sive regimen, spectemus, non vulgo solùm Grammaticorum penitùs ignoratur; sed iis etiam, qui principem in arte hac locum tuentur. Primùm illud in disquisitionem venit, cùm gerundia sint adjectiva, nulla autem adjectiva per se in oratione subsistant: cum quo substantivo illa conveniant. Ut cùm dico, *Pugnandi caussa, ad pugnandum, pugnando vicit.* De hoc ita statuimus, ut verba multa accusativum regunt suæ originis, vel cognatæ significationis, etsi non exprimatur: ita gerundia respicere, & quodammodo includere, infinitivum suæ originis, vel cognatæ significationis. E. G. illud, *Pugno acriter*, integrè fit, *Pugno pugnam acriter.* Quod si *pugnamus pugnam*, sanè *pugna acriter pugnatur.* Ergò cùm dico, *pugnandum est acriter*, aliquod est suppositum idem significans, quod *pugna*. Nam *pugna* non potest esse suppositum, quia non convenit genere cum *pugnandum*. Sed est illud infinitivus *pugnare*. Infinitivi enim pro nomine substantivo positi, sunt generis neutrius: ut, *Scire tuum.* Ergo integrè erit, *Pugnare est pugnandum.* Ubi infinitivus *pugnare* ponitur pro nomine substantivo *pugna*. Ac proinde, *Pugnare est pugnandum*, valet, *Pugna est pugnanda.* Hinc caussam videmus, cur non dicatur, *Est pugnandm.* Nempe quia suppositum est infinitivus, qui censetur generis neutrius. Et hic quidem gerundium erat casus recti. Accusativus verò erit, *Ad pugnandum.* Ubi hoc adjectivum itidem pro substantivo habet infinitivum *pugnare.* Ut citra ellipsin sit, *Ad pugnare pugnandum.* Dixeris, si rectum est, *Pugno pugnam*, rectum quoque erit, *Ad pugnandum pugnam.* At si *pugnare* pro substantivo est, integrè sit, *Ad pugnare pugnandum pugnam.* Quod ridiculum est. De hoc ita mihi videtur; quia dicitur, *Pugno pugnam*, dici &, *Pugna pugnatur.* Sed non *pugna pugnatur pugnam:* quandoquidem jam accusativus est in nominativum versus, ut retineri accusandi casus non possit. Similiter igitur, ut *pugno pugnam*; sic etiam dicitur, *Pugnare pugnandum:* ubi, *pugnare* se habet, ut in priori exemplo *pugna*; *pugnandum* verò, ut *pugnatur.* Proinde, etsi dicatur, *pugnare pugnam*; non tamen dicendum, *pugnandum pugnam:* quia illud *pugnam* jam quasi est conversum in rectum; ut quem infinitivus *pugnare*, qui in *pugnandum* intelligitur, repræsentet. Atque ut rectè diceretur, *Est pugnandum pugnam*; *pugnam* tamen non regetur à *pugnandum*; sed à *pugnare:* ut *pugnare pugnam* sit subjectum; *pugnandum* sit attributum. Objicias illud Maronis xi Æn.

—— *Pacem Trojano à rege petendum.*

Si enim subjectum est, *petere*; integrè sit, *Petere pacem est petendum.* Non diffiteor: quia, *petere pacem*, idem est ac *petitio pacis.* Ut sententia sit, *petitio pacis est petenda.* Cur enim absurdius, *petitio est petenda*, quàm *petere petitionem:* aut *bonas precari preces:* quod in sacra commotione ad Janum legas apud M. Catonem*.

* Cap. 134.

De gerundiis in DUM vidimus. Unde facile erit statuere de cæteris. Ut in illo, *In judicando criminosa est celeritas:* intelligitur substantivum *judicare:* quasi dicas, *in judicare*, vel, *in judicio judicando.* Sic in illo Ovidii iii de Ponto el. vii:

Curando quædam fieri majora videmus
Vulnera.

Curando, pro *curare curando.* Nam, ut dicitur, *curo curam*, & *cura curatur:* sic, *curare curandum*; quod idem ac, *cura curanda.* *Curando* autem videtur regere *vulnera*; quia τοῦ κοινοῦ repetendum. Nam integrè est, *Videmus, quædam vulnera fieri majora, in curando illa vulnera.* Ubi *vulnera* non regitur à *curando*, sed ab infinitivo *curare.* Ut integrè sit, *in curare vulnera curando*, hoc est, *in curâ vulnerum curanda.* Præpositionem IN addo, ut plenus sit sermo. Nam gerundia in DO semper reguntur à præpositione, quæ ablativum exigat. Ut cùm dico, *apparando diem consumere*, præpositio desideratur, quam Terentius expressit in Adelphis*:

—— *In apparando consumunt diem.*

* Act 5. sc. 7.

Sic, *cantando rumpitur*, pro, *in cantando: bibendo periit*, pro *in bibendo*, quasi dicas, *in potu.* Quam rem abunde comprobavi, cum de ablativis caussæ instrumenti, vel modi, ageremus.

De gerundiis in DI postremò videamus. Ut de illo, *Tempus est pugnandi.* Quod integrè est, *Tempus est pugnare pugnandi.* Ubi adjectivum *pugnandi* convenit cum infinitivo *pugnare*, qui supplet vicem substantivi. Ut *pugnare* sit & neutri generis, & casus genitivi: eoque cum illo *pugnandi* conveniat in genere, numero, & casu; ut adjectiva cum substantivis solent. Sententia autem est, *Tempus est pugna pugnanda.* Sed hic controversia incidit iis de locis, ubi gerundiis jungitur genitivus. Ut, *Tempus est videndi nova comœdia*, vel *novarum comœdiarum.* *Dederunt occasionem deridendi sui.* Ubi *sui* est plurativus; *deridendi* est singularis. Sed integrè sit, *occasionem deridendi deridere sui:* hoc est, *derisionem sui.* Ut *ridere risum* dicitur, sic concipiamus, *deridere derisum*, vel *derisionem.* Et, ut *risus alicujus*, sic dicitur *derisio alicujus.* Ergo *sui* regetur non à gerundio *deridendi*; sed ab infinitivo intellecto, *deridere.* Quod manifestius erit, si pro genitivo *sui*, qui tam singularis est, quàm pluralis, ponamus *civium.* Quasi sit, *Occasio deridendi civium.* Quod citra ellipsin fuerit, *Occasio deridendi deridere*, sive *derisionem civium.* Ubi *derisionem deridere* capiendum, non ut *deridere aliquem*, sed ut *ridere risum.* At non ita loquimur. Quid tum? Non de sermonis consuetudine agimus; sed de caussa sermonis. Quam non abs re erit, si paullo apertiùs exponamus.

Sunt enim viri eruditi qui contendant, gerundia in DI esse utriusque numeri: haut aliter, ac pronomina *sui*, *nostri*, *vestri.* Eoque cùm dicitur, *caussa collocandi siderum*, tantundem esse volunt, ac si per participium sic efferas, *caussa collocandorum siderum.* Item, *principium generandi animalium*, per participium dici posse ajunt, *principium generandorum animalium.* Ut nempe non in priori regimen, in posteriori convenientia sit; sed utrumque ad convenientiam pertineat. Atque hoc ajunt perpetuum esse cum pronominibus *sui*, *nostri*, *vestri.* Neque enim dici, *Fecere hoc vestri adhortandorum caussa:* vel, *sui tuendorum gratia:* sed, *vestri adhortandi*; item, *sui tuendi.* Atque ideo hanc structuram prætulisse existimant, quia ut numero, sic terminatione etiam convenirent. Mihi, uti & Vallæ*, videtur, in hujusmodi structura, non esse numeri convenientiam; sed gerundia in *di* tantum esse singularia; *sui*, *nostri*, *vestri*, si verbum plurale addatur, ipsa etiam esse pluralia. Caussa autem locutionis eadem

* Lib. 1 Eleg. cap. 17.

dem est, ac illa quam de gerundiis in *do*, & *dum*, afferebamus. Nempe ut genitivus gerundio additus non à gerundio regatur, sed ab infinitivo intellecto, vicemque implente nominis verbalis in *io*, vel similis. Itaque, *Caussa collocandi siderum*, integrè fit, *Caussa collocandi collocare siderum*: hoc est, *collocationem siderum*. Item, *Principium generandi animalium*, sic fuerit supplendum, *Principium generandi generare animalium*, hoc est, *generandi generationem animalium*. *Caussa adhortandi vestri*, plenè erit, *Caussa adhortandi adhortationem*, vel, *cum adhortatione vestri*. Estque hæc sententia etiam doctissimi Grosippi epistolâ ad Hieronymum Bossium. Et quibus hæc sententia displicet, velim cogitent secum, quod substantivum ipsi intelligant in gerundiis. Nec enim adjectivum consistit sine substantivo expresso, vel intellecto. Velim item respondeant, ecquid magis rationi consentaneum possint adferre, cur dicatur, non solùm, *copia spectandi comœdias*, sed etiam patrio casu, *comœdiarum*.

CAP. LIV.

De SUPINIS. *In* um *exeuntia, quia substantiva sint, non variare genus: ac propterea* βαρβαρίζειν, *qui dicunt*, Ire oppressam Remp. *vel*, Ire sublata latrocinia. *Regere casum sui verbi: regi vero non à verbo, uti creditum, sed à præpositione accusativum amante.* Contumelia factum itur. Præda itur prædatum. Reus itur damnatum. *Ac verius in istis lectio defensa apud Catonem, Plautum, & Quinctilianum. Supina in* U *non regi ab adjectivo, quod præcedit: sed ab omissa præpositione, quæ ablativum exigat. Pro supino hoc etiam substitui infinitivum, vel gerundium in* dum *cum præpositione. An æquè dativi casus sint, ac ablativi.*

A Gerundiis venio ad supina: in quorum structura tria spectantur. Primùm, an pro diverso genere nominis appositi, ipsa etiam genus mutent, ac terminationem. Deinde quem casum regant. Postremò utrùm regantur à verbo significante motum ad locum.

De primo ita statuendum, supina esse nomina substantiva quartæ declinationis: eoque non variare genus; ne priora quidem; sive antecedat præsens activum; ut, *It vitam perditum*; non *perditam*: sive præsens passivum; ut, *Latrocinia iri sublatum*, non *sublata*. Prioris exemplum est isthoc Livii lib. XXXIX: *Vitamque tuam perditum ire hoc pacto properat.* Uti & hoc Terentii Eun.* *Nutricem arcessitum iit.* Simileque, *Do nuptum filiam.* Nam *nuptam* aliud signaret. Alterius exemplum est illud prologo Hec.

* Act. 5, sc. 2.

—— Cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores.

Itidem Cicero lib. I de Divin. *Vaticinatus est, malefactum iri minus triginta diebus Græciam sanguine.* Et Hirtius de bello Alexandrino: *Repentina latrocinia sublatum iri videbatur.* Hinc facilè videmus, jure reprehendi Paullum Jovium, & Henricum Stephanum, quòd dicant, *illos occisos iri*: pro, *occisum iri*: item alium, summum virum, cujus nomini parcemus, cùm scribit hoc pacto: *Virtutem oppressam atque eversam iri.* Pro, *oppressum atque eversum.* Nempe non attenderunt, *oppressum*, *eversum*, *occisum*, & similia, quando *ire*, vel *iri*, antecedit, esse non adjectiva, sed substantiva: ut satis liquet ex iis, quæ diximus lib. III de Analogia, cap. XI.

Nunc de regimine supinorum videamus. Ubi duo consideranda, quid regant, & unde regantur. Supina priora regunt casum verbi sui. Plautus Aulul. act. II, sc. II:

Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam.

Terentius Andr. act. I, sc. I:

—— Cur te is perditum?

Et Phormione act. II, sc. III:

—— Etiam me ultro accusatum advenit.

Cæsar lib. I belli Gall. *Legatos ad Cæsarem mittunt rogatum auxilium.*

Virgil. Æn. II: *—— Scitatum oracula Phœbi*
Mittimus.

Etiam dativum instar verbi sui adsciscunt. Ut ibidem:

—— Aut Grajis servitum matribus ibo.

Parque ratio in structurâ παθητικῇ. Ut, *Venerat me postulatum repetundarum. Accesserat potatum totam noctem*, vel, *tota nocte. Missus erat solutum te periculo. Ire se defensum telo.* Quomodo autem hæc ἔλλειψις sit supplenda; satis liquet ex iis, quæ diximus de falso regimine, sive figuratâ verborum structurâ.

Superest quæstio, unde regantur: in quo à præstantissimis etiam Grammaticis est aberratum. Communis enim opinio est, regi à verbo, quod apertè, vel occultè significet motum ad aliquid. At longè verius est, quod superiùs cap. VIII dictum, regi ea à præpositione per ellipsin omissâ. Nempe, ut *eo Romam* dicitur, pro, *eo ad Romam*: sic, *eo perditum*, pro, *eo ad perditum*; quod idem ac, *eo ad perdere*, sive, *ad perditionem*. Itidem, *Ire factum contumeliam*, dicitur pro, *ad factum contumeliam*. Sanè Gellius* significare ait, *ire ad contumeliam faciendam, id est, operam dare. quò fiat.* Etiam Ovidii† illud, *Spectatum veniunt*; & Horatii‡ hoc, *Spectatum admissi*; sic suppleveris, *Veniunt ad spectatum*; &, *Admissi ad spectatum*; hoc est, *ad spectare*, sive, *ad spectationem*. Pro quo usitatius est, *ad spectandum*. Similiter si dixero: *It immolatum taurum*: sententia est, *ad immolatum*, sive, *ad immolationem*: quomodo apud Julium Obsequentem* est: *Taurus cum ad immolationem duceretur.* Ac par ratio in cæteris id genus. Semper enim animo AD concipiendum, si volumus, integra sit locutio. Imò quod ajunt vulgò, supina ante se habere verbum significans motum ad locum; id verum non erit, nisi simul præpositionem cum verbo attendas. Nam *eo*, vel *venio*, in se considerata, simpliciter motum significant: quia, ut dicitur, *eo*, aut *venio Romam*, sic & *Roma*. Sed generalis illa significatio motûs restringitur à præpositione intellectâ ad accessum. Quod etiam fit, cùm *abeo* præcedit. Ut apud Ter. Heaut.† *Abi deambulatum.* Nam integrè est, *Abi ad deambulatum*, id est, *ad deambulationem*.

* Lib. 10. cap. 14.
† Lib. 1 de Arte.
‡ Epist. ad Pisones.
* Cap. 13, sive in editione, quam Lycosthenes ex Livio, & aliis, supplevit, cap. 75.
† Act. 3, sc. 3.

Sed fortasse nemo admodum repugnabit de iis, ubi præit verbum *eo*, vel aliud formæ activæ. Non æquè autem apertum in verbo *itur*. Ut cùm dicitur, *contumelia illi, vel injuria factum itur. Quæ verborum figura non est in medio loquendi usu*: sed *paullo remotior*: ut Gellius ait lib. X, cap. XIV. Interea rectè sic dici, probat verbis his Catonis pro se contra C. Cassium: *Atque evenit ita, Quirites, uti in hac contumelia, quæ mihi per hujusce petulantiam factum itur, rei quoque publicæ medius fidius miserear, Quirites.* Grosippus, hoc est, Gaspar Scioppius, arbitratur, locum Catonis esse corruptum; legendumque esse, *contumeliam, quam mihi factum itur.* Sed repugnant doctissimo viro hæc Gellii verba, quæ ibidem legas: *Sicut*, CONTUMELIAM *factum iri, significat, iri ad contumeliam faciendam, id est, operam dari, quò fiat: ita* CONTUMELIA *mihi factum itur*, CASU *tantùm* IMMUTATO *idem dicit.* Quid inde apertius, quàm accusativum mutari in nominativum: & ita jam Gellii ætate habuisse codices Catonis: & Gellio nullam fuisse mendæ suspicionem? Hoc argumentum tanti puto, ut, si usu veniat, multò cum Catone, quàm aliter, loqui malim. Sed rationem obtendit vir ille eruditus: ut, juxta quem, *itur factum*, integrè fit, *iter*, vel, *via itur ad factum contumeliam*, sive, *ad faciendam contumeliam*. Nempe non satis distinguit inter nativum sermonem, & consuetudinem, quæ sæpe à nativo recedit. Primò, *ire factum*, notabat *ire iter*, seu, *viam ad factum*, sive, *ut quid fiat*. Sed quia, quando itur, ut quid fiat, illud ob quod itur, effici postea solet: eò κατὰ μετάληψιν, *ire factum*, cœpit sumi pro *facere*: &, *iri factum*, pro *fieri*. Itaque, *ire factum contumeliam*, notat, *facere contumeliam*: *ire factum injuriam*, signat, *facere injuriam*. At, *contumelia itur factum*, idem est, ac *contumelia fit*: *injuria itur factum*, valet, *fit injuria*. Quod non

satis

satis attendit Ascensius, cùm hac de re ita scribit *: *Malim dicere, dicendi figuram, propter viri autoritatem potius, quam ratione certa, defendi: cum non omnium, quæ permittuntur, certa sit ratio, & viri summi subinde in minimis dormitent.* Scilicet dormitavit Cato, cùm ita scriberet: nec dormitavit bonus, non dico Homerus, sed Ascensius, cùm Catonem culparet. Nec tanti sunt, ut expendi mereantur, quæ de Maserii sententiâ subjungit. Nimirum videor mihi videre duos Andabatas pugnantes. Saltem attendissent, ubi quis aliquid facit, ibi quid ab aliquo fieri; cùm agere, & pati, sint ἐκ τῶν πρός τι †. Si ergo quis facit contumeliam, sanè fit contumelia: & si quis it factum contumeliam, contumelia est, quod factum itur, sive ob quod factum itur: hoc est, propter quod opera insumitur. Fusiùs huic exemplo institimus, quia inde de cæteris etiam liquebit. Ut de illo Plauti in Rudente, act. IV, sc. VII:

Mihi istæc videtur præda prædatum irier.

* Notis in Gellium, additis suæ editioni, quæ anno prodiit 1532.

† Ex relatis, sive iis, quæ ad aliquid dicuntur.

Nam hunc etiam locum Grosippus, quia sibi adversari videt, corruptum arbitratur: legendumque censet auferendi casu:

Mihi istâc videtur prædâ prædatum irier.

Sed enim omnibus codicibus, & Mssis, & prælo editis, invitis. Nec caussa est, cur à recepta lectione abeamus. Nam si aliquis it prædam prædatum, hoc est, ad prædam prædatum, sive si aliquis prædam prædatur: præda omnino id erit, quod quis it prædatum; eoque rectè dicitur, *præda itur prædatum:* hoc est, præda est, ob quod itur ad prædatum: seu, quod prædatur, hac voce acceptâ passive, ut olim deponentia capi solent.

Denique & Quinctiliani hoc simile est lib. IX, cap. II: *Rem parricidii, quod fratrem ‡ occidisset, damnatum iri videbatur.* Sed hic idem ille doctissimus vir, quem, ubi dissentio, toties nominare nihil attinet, legere jubet, *Reum damnatum iri videbatur.* Consului editiones Aldi, Ascensii, Vascosani, Stephani, Gryphii, alias: uti & optimas membranas nostras, quæ olim Joachimi Camerarii fuerunt. Sed enim constanter ubique *rem* invenio. Nec, cur mutem, caussam video. Nam si in accusativo dicimus, *Titius it damnatum reum:* mutato casu, dicendum, *reus est, qui itur damnatum.* Ut sententia sit, *qui damnatur,* vel *damnabitur:* sive, *cujus in damnatu nunc opera insumitur.* Quod obtenditur, non *reum iri,* sed *viam iri,* ei jam ante occurrimus, inter nativum sermonem, & figuratum, distinguendo.

‡ Al. patrem.

Dices, ut proba sint, *contumelia itur factum; præda itur prædatum; reus itur damnatum:* non propterea rectè per infinitivum dici, *contumelia iri factum; præda iri prædatum; reus iri damnatum.* Quis negat, si nullum apponatur verbum finitum, quicum nominativus conveniat? Sed in Catone est, *Contumelia factum itur,* non *iri.* In Plauto, & Fabio, est *iri:* sed præit verbum *videtur:* quicum conveniunt nomina *præda,* & *reus.* Nempe, ut dicitur, *Pamphilus it se perditum:* &, *Pamphilus videtur se ire perditum:* sic, *Pamphilus videtur à se iri perditum.* Hoc est, *à se perdendus.* Nam, *iri perditum,* valet, *iri ad perditum,* sive, *ad perditionem.* Sic, *Iste it reum damnatum;* &, *reus itur ab isto damnatum;* &, *reus videtur ab isto iri damnatum:* hoc est, *reus videtur ab isto esse damnandus. Titius it prædatum prædam; præda itur à Titio prædatum; præda videtur à Titio iri prædatum:* hoc est, à Titio *prædanda,* vel *præda ducenda.* Quod si nec sic satis liquet alicui: satius ei saltem erit abstinere utrâque structurâ, quàm illam usurpare, quæ veteribus libris omnibus repugnat.

De supinis prioribus satis. Supina posteriora nihil aliud sunt, quam nomina substantiva ablativi casus: ut abunde ostensum nobis in tertio de Analogia. Hæc arbitrantur regi à nomine adjectivo, quod antecedit. Ut senario illo ex Sophoclis Trachiniis Latinè reddito apud Ciceronem *:

O multa dictu gravia, perpessu aspera!

* Lib. 2 Tusc. Quæst.

Apud Virgil. III Æn.

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.

Sallustius in Catil. *Optimum factu ratus, fortunam bello tentare.* Idem *Ædes faciles defensu.* Livius, *Amnis difficilis transitu.* Plinius, *Acipenser rarus inventu:* &, *acre gustu, durum tactu,* aliaque id genus. Sed quod ìcirco existimant, supina regi à nomine adjectivo, id secus est. Nam si supina in V sint nomina ablativi casus: non aliunde reguntur, quàm à præpositione intellectâ. Ut, *Auditu jucunda,* pro, *in auditu,* hoc est, *in audiendo. Aspera perpessu,* pro, *in perpessu,* sive, *in perpetiendo.* Et ita in aliis. Nec semper junguntur adjectivis. Sanè Prudentius non refugit in Apotheosi:

——*Velut ipsa Dei pars,*

Quod dictu scelus est, tetras trahat oblita culpas.

Ubi substantivum præit, sed vim habens adjectivi. *Scelus dictu,* pro, *scelestum in dictu:* hoc est, tale, ut nec sine scelere dicatur. Etiam antecedit verbum. Ut apud Porcium Catonem de R. R. cap. V: *Primus cubitu surgat, primus cubitum eat.* Quod integrè sit, *Primus à cubitu surgat:* hoc est, *à cubatione: primus ad cubitum,* sive *cubationem eat.*

Interdum autem loco supinorum in V ponitur vel infinitivus, vel gerundium cum præpositione *ad.* Infinitivus, ut apud Horat. lib. II, od. IV:

—— *Fessis leviora tolli*

Pergama Grajis.

hoc est, *leviora sublatu.* Pomponius Mela: *Adspici, cognoscique dignissimum.* hoc est, adspectu, cognituque. Et apud Plinium, *Carmen dignum ubique legi,* hoc est, lectu dignum. Gerundium autem in illo Ciceronis, *Cibus facillimus ad concoquendum,* hoc est, *concoctu.*

Fortasse, quæ *supina posteriora* vocant, non semper sunt ablativi; sed quandoque etiam dativi casus. Nam dativi quartæ non in VI solùm, sed etiam in V exibant: cujus rei multa adduximus exempla lib. II de Analogia, cap. XVIII. Quid si igitur in istis, *tactu durum, malum, acerbum,* dativum potiùs statuamus? Sic quidem idem Scoppius accipit in hoc III Georg.

Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu

Vipera delituit.

Mala tactu, inquit, pro, *mala tactui.* Ac similiter, *bonum sensu,* poni ait, pro, *bonum sensui.* Unde & *bonum sensibus,* sine dubio dandi casu, pro eo dixerit Cn. Matius *, vir eruditus, in Mimiambis suis:

Quapropter edulcare convenit vitam,

Curasque acerbas sensibus gubernare.

* Apud Gell. lib. 15. cap. 25.

Imò Lucretii quoque est lib. II:

Omnia postremò bona sensibus, & mala tactu

Dissimili inter se pugnant perfecta figurâ.

Quasi dicas, depugnant inter se, quæ sensui sunt bona ac jucunda, quæque tactui sunt mala injucundaque. Sed enim utcunque rectè dandi casu dicatur, *bonum, malumve sensui,* aut *sensibus:* non tamen video, cur eo minùs ablativus sit, cùm dicitur, *tactu malum.* Nam valet, *tactione malum.* Eoque, si in Maroniano illo, *Mala tactu vipera,* placeat pronomen *ipse* addere casui, de quo controversia est; non dixero, *ipsi tactu mala:* sed *ipso tactu,* vel *tactione ipsâ.* Sententia enim est, homini contactu suo noxiam esse. Sic malim, *auditu ipso aspera,* quàm *auditu ipsi: insuaves ipso profatu,* quam *ipsi profatu,* vel *profatui.* Præit nobis Quinctilianus lib. VIII, cap. III: *Rebus atrocibus verba etiam ipso auditu aspera conveniunt.* Item Gellius lib. XVIII, cap. XI: *Voces mihi visæ neque dictu profatuque ipso tetra, aut insuaves esse.* Et caussa est, quia in his præpositio IN concipitur mente.

CAP. LV.

Ad PRONOMEN acceditur. Absente nobis, præsente legatis, similiaque. Interrogatio, responsioque, sæpe etiam conveniunt, ubi discordare iis videntur, qui non attendunt, quid animo debeat suppleri. Repeti quandoque antecedens; atque id fieri posse ob simplicitatem, quæ venustatem adfert: fieri autem debere,

si alioquin ambigua sit oratio. Non tam pleonasmum statui debuisse, quando antecedens subditur relativo; quam ellipsin, si tantummodo praecedat. Eoque geminam esse ellipsin, ubi nec praeit, nec sequitur antecedens. At antecedentis solius esse ellipsin, non, ut aiunt, antiptosin, si antecedens, & relativum, casu conveniant. Figuratam etiam, ac Graecanicam esse locutionem, cum qui *convenit generi non substantivi antecedentis, sed consequentis.* Qualis *similiter construi. Verus, sed supervacuus est canon ille, quo relativum dicitur in genere neutro convenire cum infinitivo praecedente. Natura vocum convenientius esse* iccirco quod; *quam* propterea quod. *Adverbium pro relativo pronomine.* Hic *geminatum, ubi alterutro loco* ille *poni solet.* Hic *interdum ad remotius;* ille *ad propius refertur.*

Exegimus operis hujus de Consecutione partem priorem ac nobiliorem, quae de Nomine fuit, ac Verbo. Hanc meritò excipit altera de sex reliquis vocum classibus: quarum primas duas, Pronomen, & Participium, etiam sub Nomine, paullò laxiùs eâ voce acceptâ, liceat complecti. Nam & Pronomina nominum locum implent, & Participia, excepto quòd tempus adsignificant, se habent, ut alia nomina verbalia. Itaque in his duabus classibus non insistemus communi structurae Nominum, Pronominum, & Participiorum: sed solùm persequemur, quae harum classium sunt propria.

In Pronomine priùs Convenientiam spectabimus: hinc Regimen.

Convenientia vel est omnium Pronominum, vel certorum. Prior est eadem ac in Nomine. Ut in illo Horatii lib. I, epist. XVIII:

Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Ubi similis structura est in *tua res*, & *paries proximus*. Ab hac tamen consecutione abiere antiqui, cùm NOBIS, OMNIBUS, simileve pronomen, jungerent nomini singularis numeri. Ac de NOBIS quidem probat Nonius auctoritate Pomponii, Attii, Fenestellae, Novii, Plauti, & Afranii. Vide & Donatum ad illud Terentii Eun. act. IV, sc. III: *Absente nobis.* Ubi & Varronem monet dixisse, *Praesente legatis omnibus.* Sic Catullus Carm. CVIII: *Insperanti nobis.* Ac Scaligero observatum, Tibullum similiter, *Nobis merenti*, dicere lib. III, el. ult.

Consecutio particularis consideratur, partim in interrogativo, & redditivo; partim in relativo, & antecedente.

Interrogativum, & redditivum, quovis casu consentiunt. Sic tamen, ut quando possessio significatur, pro genitivo, qui & possessivus vocatur, rectè ponatur pronomen possessivum in nominativo, & accusativo: & contrà pro hujusmodi pronomine locum etiam habeat genitivus. Ut, *Cujum pecus est, vel cujum pecus ajebas? Regis. Cujus pecus est? Regium est. Meum est.* Terentius Andr. act. IV, sc. IV:

D. *Cedo, cujum puerum hic apposuisti? dic mihi.*
M. *Tu nescis?* D. *mitte id, quod scio; dic, quod rogo.*
M. *Vestri.* D. *cujus nostri?* M. *Pamphili.* D. *hem, quid? Pamphili?*

Maro Eclog. III:

M. *Dic mihi, Damoeta, cujum pecus? an Meliboei?*
D. *Non, verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.*

Interdum autem verè conveniunt interrogatio, & responsio, ubi dicuntur dissentire. Ut illo Plauti Epid. act. I, sc. I:

EP. *Quid istam quam emit, quanti emit?* TH. *vili.*

Ac Horatius similiter lib. II, sat. III:

Quanti emta? parvo. quanti ergo? octussibus. eheu.

Ubi casu conveniunt, si suppleatur, quod deest per ellipsin. Nam integrè est, *Quanti aeris pretio emit? Vili,* vel *parvo aeris pretio emit.* At, inquiunt, quaerenti, *cujus intersit*, vel, *an fratris intersit*, respondeas, non *mei*, aut *tui*; sed *mea*, vel *tua*. Quomodo dixit Cicero epist. XVIII, lib. XIV ad Att. *Magni interest Ciceronis, vel mea potius, vel mehercule utriusque, me intervenire discenti.* Sed non vident, hìc etiam casus convenire, si expleatur defectus. Nam citra ellipsin erit, *Interest Ciceronis gratia*, h. e. *de gratia* sive *caussa Ciceronis:* quomodo dicimus, *quâ de caussâ.* Item, *interest meâ*, valet, *meâ de gratiâ interest.* Quare, *Cujus interest*, &, *Mea interest*, conveniunt in eo, quòd & in illo *cujus*, & in hoc *mea*, dependeant ab ablativo *gratiâ*. Quam rem fusiùs adstruximus cap. XXIX. Ac alias etiam saepe hunc ablativum reticeri, ostensum nobis cap. VII, X, & alibi.

Sequitur convenientia relativi, & antecedentis: quae doctrina est bipartita. Primùm agendum de iis, quae generatim *relativa* dicuntur. Deinde de relativorum illis, quae speciatim *reciproca* vocantur.

In prioribus praecipuè considerationem merentur, *quis*, vel, *qui: hic*, & *ille*.

Relativum *qui* ponitur inter duos casus unius nominis, sive expressos, sive suppressos: cumque priori casu convenit in genere, & numero: cum posteriori, etiam in casu.

Porrò vel uterque casus exprimitur, vel solùm prior, vel solùm posterior, vel etiam neuter. In primo modo oratio est integra. Tribus posterioribus est elliptica. Plenè ait Cicero lib. III ad Attic. epist. III: *Erat hic dies VII Id. quo die suspicabamur, aut pridie, Brundusium venisse Caesarem.* Crebrò admodum ita loquitur Caesar. Ut lib. I de bell. Gall. *Diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret.* Idem: *In castris Helvetiorum tabulae repertae sunt, quibus in tabulis numerus continebatur.* Item: *Ultra eum locum, quo in loco Germani consederant.* At saepe aliàs. Atque in his repetitur antecedens ob sermonis ἀφέλειαν*: quam Caesar maximè sectatur. Nec refugit sequens seculum. Suetonius in Julio cap. II: *Desedit apud Nicomedem, non sine rumore prostratae pudicitiae, quem rumorem auxit.* Plinius lib. VI hist. cap. X: *Juxta Mareotim lacum, qui lacus antea Arapotes nominabatur.* Ubi tamen aliqui libri *locus*, sed perperam. Sextus Aurelius, sive quisquis scriptor libri de viris illustribus: *Morbo solutus* (Numa) *in Janiculo sepultus est: ubi, post multos annos, arcula cum libris à Terentio quodam exarata: qui libri, quia leves quasdam sacrorum caussas continebant, ex auctoritate patrum cremati sunt.*

* simplicitatem.

Tum autem imprimis latius est repetere antecedens, quando duo nomina diversae personae, aut rei, antecedunt. Cujus caussa est, quia alioqui ambiguitas oriretur. Ut illo Appuleji: *Leodamantem, Cleophili discipulum, qui Cleophilus.* Incertum foret, utrùm Leodamas, an Cleophilus, intelligatur, nisi antecedens repeteretur.

Est contrà, cùm solùm videmus relativum; antecedens verò nec praecedit, nec subsequitur. Ut illo, *Quas ad me dedisti, placuerunt.* Nam bis supplenda vox *literarum*. Sed est hic sermo rarus, nisi cùm ponitur post verbum substantivum. Ut apud Horat. od. I, lib. I: *Est qui nec spernit. Sunt quos juvat collegisse.* Plenè erit, *Homo est, qui homo. Homines sunt, quos homines.* Alibi † idem,

Sunt quibus in Satyra videar nimis acer. ——

† Sat. I, lib. 2.

Pro, *Sunt homines, quibus hominibus.* Ita & Gellius lib. XII, cap. XIV: *Atque erat, qui diceret, legisse se.* Et ibidem: *Fuit etiam, qui diceret, homo in literis atque libris assiduus.* Appulejus lib. VIII Met. *Erant, qui sudes praeacutas tollerent.*

Plurimùm verò tantùm alter casus nominis desideratur; praesertim casus consequentis. Ut, *Literae, quas ad me dedisti, placuerunt.* Integrè fit, *Literae ea, quas literas.* At casus antecedens deest, cùm dicitur: *Quas ad me dedisti literas, placuerunt:* vel hoc pacto, *Literas quas ad me dedisti.* Priori modo, tum in prosa utimur, tum in versu. Terentii Andr. act. I, sc. I:

Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.

Integrè fit, Hae nuptiae non sunt verae, quas sive quales tamen esse has credis. Ovidius:

——*Ceciderе, manu quas legerat herbas.*

Fabius:

Fabius: *Vereor ne, quos porrexerim cibos, venena fiant.* Solinus cap. xxx: *In quorum pupillis lapis invenitur (hyænium dicunt) præditum illâ potestate, ut cujus hominis fuerit lingua suppositus, prædicat futura.*

Altera locutio est magis Poëtica: sed quâ nec abstineant Comici; quorum dictio proximè ad prosam accedit. Terentius Hecyrâ act. I, sc. II:

Nocte illâ primâ virginem non attigit.
Quæ consecuta est nox, eam nihilo magis.

Ajunt esse enallagen casus, pro *nocte consecutâ.* Sed est ellipsis nominis antecedentis: integreque fuerit: *Eâ nocte, quæ nox est consecuta.* Similiter Eun. act. IV, sc. III:

—— *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!*

Ubi jam olim se torsere Grammatici. Nam si vetus interpres: *Aut ἀντίπτωσις est; ut, Urbem quam statuo vestra est: aut QUEM cum interrogatione pronunciandum; ut sit QUALEM.* Alius verò interpres (nam non solius Donati, sed partim alterius sunt commentarii illi, qui uni Donato tribuuntur) scribit hunc in modum: *Quidam volunt QUEM distinguere, quasi dicat QUALEM: sed nesciunt hac figurâ multùm veteres usos esse. Eunuchum enim ad DEDISTI verbum retulit. Nunc ergo addit propter aliud ἀξίωμα, assumendum extrinsecus, IS EUNUCHUS. Nam quoties uno nomine, aut pronomine diversa declinationis enunciationes comprehenduntur, necesse est, quod alteri accommodatum fuerit, ab altero discrepare.* Triplex igitur de Terentii loco sententia est. Una, ut sit antiptosis, sive enallage casuum: *Eunuchum*, pro *Eunuchus.* Altera, ut sic distinguamus: *Eunuchum quem dedisti nobis? quas turbas dedit!* Tertia, ut sit ellipsis, integreque sit, *Is eunuchus, quem eunuchum dedisti nobis.* Et tertia sententia, prioribus rejectis, à posteriori interprete (quem potiùs, quam priorem, Donatum puto) rectè comprobatur. Placet autem, quod prior interpres monet, simile esse hoc Maronis I Æn.

Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo vestra est.

Quamquam in libris nonnullis, ut in Pseudocicerone suo monet H. Stephanus *, nota interrogandi ponatur post *statuo*, hoc pacto:

* Pag. 171.

Urbem quam statuo? vestra est.

Ut ἀπὸ κοινοῦ repetatur verbum *vultis*: quasi dicat, *Vultis urbem, quam statuo? vestra est.* Sed non dubium est, quin, uti priùs posuimus, scripserit Maro. Integrè sic expresseris: *Ea urbs, quam urbem statuo, est vestra.* Ajunt, Plautum in hujusmodi structurâ loco casus antecedentis exprimere relativum *is*. Sic enim dixisse Amphitryone act. IV, sc. I:

Naucratem quem convenire volui, is in navi non erat.

Sanè potuit sic Plautus scripsisse, nisi metrum obstaret. Nunc versus claudicabit, qui est trochaicus tetrameter catalecticus. Quare *is* delendum.

Vulgò in his omnibus statuitur Antiptosis, vel Enallage casuum. Nam, inquiunt, dicendum erat, non, *Quas literas*; sed, *literæ, quas*: nec, *Quem Naucratem*; sed, *Naucrates, quem.* Atqui nulla omnino hic antiptosis, vel enallage. Nam ut antecedens, ac relativum, casu discordant, quoties à diverso dependent verbo: ita, si conveniant eidem verbo, casu similiter conveniunt. Nulla ergo hic alia figura præter ellipsin.

Eademque figura est, quando antecedens alio est numero supplendum, ut cum relativo conveniat. Terentius Eun. act. I, sc. II:

—— *Eunuchum porrò dixti, velle te,*
Quia solæ utuntur his reginæ. ——

Scio esse, qui, in *his*, intelligant *delicias.* Sed cur aliud intelligamus, quàm *eunuchos*, nihil est caussæ. Citra enim ellipsin erit: *Velle te eunuchum, quibus eunuchis.* Ac monet ibi Donatus, simile esse hoc ejusdem Comici prologo Eunuchi:

Si quisquam est, qui studere se studeat bonis,
Quàm plurimis, & minimè multos lædere;
In his Poëta hic nomen profitetur suum.

Sine ellipsi erit: *Si quisquam est homo, in his hominibus nomen suum profitetur Poëta.* Cicero quoque similiter pro Milone: *Si tempus est ullum hominis necandi, quæ multa sunt.* Supplendum enim *tempora.* Sallustii itidem est in Catil. *Servitia repudiabat, cujus initio ad eum magna copia concurrebant.* Etsi hic peculiaris etiam ratio sit structuræ ejusmodi; ut cap. V diximus.

At non planè simile illud Maronis in Eclogis:

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco.

Nam hic, *quorum*, refert antecedens, quod animo supplendum. Plenus enim sermo fuerit: *Aliquid eorum, quorum indiget usus.* Sive, apposito etiam substantivo, *aliquid eorum negotiorum*, hoc est, *earum rerum.*

Interdum ipsum relativum, si semel fuerit expressum, postea reticetur, & ita reticetur, ut supplendum sit casu diverso. Ut illo Sallustii in Jugurth. * *Dum equites præliantur, Bocchus cum peditibus, quos filius ejus adduxerat, neque in priore pugnâ adfuerant, postremam Romanorum aciem invadunt.* Pro, *neque in priore qui pugnâ adfuerant.* Ἔλλειψις ejusmodi est Cæsari, Hirtioque, frequens.

* Cap. 101. ex distinct. Gruter.

Relativum *qui, quæ, quod*, quando inter duo ponitur nomina, quæ diversorum sunt generum, cum antecedente convenit consecutione Romanâ; cum consequente verò, Græcanicâ. Ut apud Ciceronem lib. XIII, epist. I ad Famil. *Scribas ad tuos, posse tuâ voluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi vocant, tolli.* Pro, *quod vocant.* Idem Somnio Scip. *Hominibus animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera, & stellas, vocatis.* Pro, *Quos sidera vocatis.* Idem pro Sextio: *Tunc consilia conjuncta, quas urbes dicimus.* Catil. II: *Gladiatores, quam sibi ille maximam manum, & certissimam fore, putavit, potestate in vestrâ continebuntur.* Gell. lib. V, cap. XVIII: *Id eorum est, qui diarium scribunt, quam ἐφημερίδα vocant.*

Idem fit, cùm alterum illorum est nomen proprium; sive hoc præcedat, sive consequatur. Præcedit proprium Philipp. I: *Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent.* Sequitur autem, Verr. VII: *Carcer ille, qui est à crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quæ Latomiæ vocantur, in istius imperio domicilium Romanorum fuit.* Verùm hæc quidem sponte aliqui largiuntur nobis. Nam, inquiunt, quando inter duo communia ponitur relativum, cum utrolibet posse convenire: cùm autem alterutrum proprium est, semper sequi illud proprii naturam. Voluit hoc Servius quoque super versu illo, *Est in secessu*, &c. ubi hunc in modum scribit: *Quoties præmittimus nomen cujuslibet generis, & interposito pronomine sequitur nomen alterius generis; medium illud pronomen proprii nominis genus sequitur. Ut Sallust. in Catilin. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Ecce*, inquit, *proprio junxit, non appellativo.* Verùm valde fallitur Servius, cùm optimi quoque scriptores aliter loquantur. Cicero lib. I de Nat. Deorum: *Propiùs à terra Jovis stella fertur, quæ Phaëton dicitur.* Livius lib. VI belli Macedonici: *Herculi sacrificium fecit in loco, quem Pyram, quòd ibi mortale corpus ejus Dei sit crematum, appellant.* Cæsar lib. I belli Gallici: *Nacti portum, qui appellatur Nymphæum.* Hirtius de bello Hisp. *Grumus excellens naturâ, qui appellatur Castra Postumiana.* Curtius lib. III: *Darius ad eum locum, quem Amanicas pylas vocant, pervenit.* Plinius lib. XVIII: *Sidere illo, quod Caniculam appellamus.* Sueton. in August. *Locus, quem Syracusas vocabat.* Cornelius Nepos in Pausaniâ: *Genus hominum, quod Helotæ vocatur.*

Relativi hujus naturam apud Horatium imitatur quoque relativum qualitatis. Sic enim ille lib. Epod. od. VIII:

Sed incitat me pectus, & mammæ putres,
Equina quales ubera.

Pro,

Pro, *qualia sunt ubera equina.* Est verò & is Græcismus, ut rectè interpretibus observatum. Nec dubium, quin idem similiter ausus fuisset usurpare relativum quantitatis. Ut si dixisset, *Mamma, quanta ubera equina.*

Sed redeo ad relativum *quis.* Hoc monent in neutro poni, quoties refert verbum infinitum, sive relatio fiat ad solum infinitivum, sive ad totam orationem, cujus princeps pars est infinitivus. Ut illo Terentii Heautont. act. II, sc. III:

In tempore ad eam veni: quod rerum omnium est
Primum.

Integrè est, *Quod venire ad eam in tempore.* Sic illo ejusdem*:

—— Qui habet salem,
Quod in te est.——

* Eun. act. 3, sc. 3.

Plenè dixeris, *Quod habere salem.* Ut caussa non sit, cur propter unum alterumve MSsum, ubi *Qui* legitur, abeamus à MSsis aliis, qui tanto consensu habent *Quod.*

Sed verus quidem canon iste; attamen supervacuus. Nihil enim peculiare habet hic relativum; quia non potest non in neutro genere poni, cùm verba infinita sint generis neutrius; ut rectè ipsi tradunt in Generum doctrina.

Terentii † illud, *Scelus qui,* pro *scelestus qui,* σύνθεσις, sive σύνεσις est: de qua dictum abunde cap. VI. At ἐλλειπτικὸν est: *Lugdunum, quæ:* pro, *urbs Lugdunum, quæ.* Sive *Lugdunum, quæ urbs.* Similis ellipsis in hoc Strabonis lib. VI: Ἑξῆς δ᾽ ἐστὶ Μεταπόντιον, εἰς ὃ ἀπὸ τοῦ ἐπινείου τῆς Ἡρακλείας εἰσὶ στάδιοι Μ προς τοῖς ἑκατόν. Pro, εἰς ὅ. Latinè sit: *Exinde est Metapontum, ad quam à navali Heraclea sunt stadia centum & nonaginta.* Propriè esset, *Metapontum, ad quod.* Sed *Metapontum, ad quam,* puta *urbem.*

† Andr. act. 3, sc. 5.

Ἐλλειπτικὸν etiam videtur hoc Plauti Aulul. act. IV, sc. X:

—— Ego te, Euclio,
De aliâ re rescivisse censui, quod ad me attinet.

Scio, vulgo post *censui,* poni τελείαν στιγμήν: ut sequentia cum proximo versu cohæreant. Verùm nihil impedit in *quod* intelligere *negotium:* quomodo idem Plautus Epid. act. I, sc. II:

—— Argenti dare quadraginta minas,
Quod damnisa detur.

Nam integrè sit, *quod negotium,* hoc est, *quæ res.* Simileque hoc ejusdem: *Potius quàm istam à me operam impetres, quod postulas.* Item: *Amor amarum dat tibi, satis quod ægrè sit.*

Ac simili ellipsi etiam ID ponitur post masculinum, aut femininum. Terentius Adelph. act. V, sc. III:

Principio, si id te mordet, sumtum filii
Quem faciunt. ——

Ubi dicendum videretur, *Si is te mordet,* puta *sumtus,* *quem sumtum filii faciunt.* Sed *id* non convenit cum *sumtus,* verùm cum *negotium.* Ut integrè sit, *Id negotium sumtus, quem sumtum filii faciunt. Id negotium sumtus,* valet *ea res sumtus,* hoc est, *is sumtus:* cujus generis plura adduximus superiùs. Similiter Varro lib. I de R. R. capite XXXI: *Vicia dicta à vinciendo, quòd item capreolos habet ut vitis, quibuscum sursum versum serpit ad scapum lupini, aliamve, quem, ut hæreat, id solet vincire.* Ubi *id* ponitur, etsi *scapus* antecesserit. Sic lib. II de R. R. cap. II: *Deterrent ab saliendo fiscellis e junco, aliâve quâ re, quod alligant ad naturam.* Ubi videtur fuisse dicendum *quam rem.* Sed *quod* convenit hic quoque cum generali voce *negotium,* quatenus idem valet ac *res.* Quasi dixisset, *id* negotium, vel, quod apertius, *eam rem.* Prout expressit ipse Varro in III de R. R. cap. XVI: *Melitturgas ita facere oportet: quos alii μελισσοτροφεῖα appellant: eandem rem quidam mellaria.* puta, *appellant. Eandem rem* dixit, pro, *eos μελιτ*ǀ*ῶνας,* vel, *ea μελισσοτροφεῖα.* Imò Plautus non dubitat, nunc *negotium,* nunc *res,* addere. Ut in illo: *Quid negoti est, quamobrem mihi succenseas?*

Ad ἔλλειψιν quoque refero, quando relativum convenit, non cum antecedentis genere, sed synonymæ vocis, quæ animo concipitur. Cicero ad Att. lib. X, ep. IV: *Multas à te accepi epistolas eodem die, omnes diligenter scriptas. Eam verò, quæ voluminis instar erat, sæpe legendam.* *Eam* dixit, quia in animo erat *epistolam.* Varro lib. I de re rusticâ cap. XII, ubi de villa ædificanda ait: *Secundum flumen ædificare, curandum, ne adversum eum ponas.* Ubi *eum* convenit, non cum *flumen* (nam *id* esset dicendum) sed cum *fluvium:* quasi dixisset, *ne adversum eum fluvium ponas.* Lucretius etiam in IV ait:

Primum animalia sunt jam partim tantula, eorum
Tertia pars nullâ ut possit ratione videri,
Harum intestinum quodvis quale esse putandum est.

Cum præcessisset *animalia,* subjicit, *harum,* quia in animo erat *animantum:* quod quandoque femininum, quia respicitur ad *bestiarum.* Atque hæc ita esse, exinde colligimus, quòd synonymum, quicum convenit, interdum exprimitur. Catullus de nuptiis Thetidis & Pelei:

Illâ tempestate, ferox quo tempore Theseus.

Sallustius initio Jugurthinæ: *Si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena petunt.* Ubi poterat dixisse, *quantâ petunt aliena.*

Quandoque etiam relativum convenit cum antecedente, quod implicitè antecessit, & explicitè repetitur. Cæsar lib. I de bello Civili: *Interim Cæsari nunciatur, Sulmonenses, quod oppidum à Corfinio VII millium intervallo abest, cupere ea facere, quæ vellet.* *Sulmonenses* implicitè idem est ac, *cives,* vel *incolæ oppidi Sulmonis.* Cui propriè subjiciatur, *quod oppidum:* at post *Sulmonenses,* nonnisi κατὰ σύνθεσιν, & ratione συνωνυμίας, quatenus *Sulmonenses,* si resolvas, continet in se, *oppidum Sulmonis:* ut vidimus.

Mirum autem, Latinos dicere, *Propter-ea quòd.* Quomodo Cicero lib. V, epist. XVIII: *Propterea quòd nullam rem gravius jamdiu tuli.* Nam *quod* naturâ est pronomen relativum: eoque in nativo sermone convenire debuit cum *ea.* Vel si *ea* retinendum, non *propter-ea,* sed *propter id,* dici oportebat: sive, ut integer sit sermo, *Propter id negotium, quod.* Magis origo vocis attenditur in *iccirco quod.* Nam *iccirco* factum ex *id,* & *circa:* ut, integrè sit, *circa id negotium, quod.* Id in *propterea* non factum. Ut neque in illo Terentii Andr. act. II, sc. V:

—— Id propterea nunc hunc venientem sequor.

Sanè vel *id,* vel idem pronomen, in *propterea* πλεονάζει. Sed posterius malim. Nempe ut *id propterea* dicatur, sicut *propterea quod.*

Interdum relativi vicem implet adverbium locale. Terentius Eun. act. II, sc. III:

Sive adeò digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.

Pro, *in qua.* Idem ad Att. lib. III, ep. III: *Utinam illum diem videam, cùm tibi gratias agam, quòd me vivere coëgisti.* Pro, *quo die.* Terent. Eun. act. I, sc. II: *E prædonibus, unde emerat.* Pro, *à quibus.* Et similia passim. De relativo *qui* satis diximus.

Proximum est, ut videamus de relativis *hic,* & *ille.* De quibus ita plurimi, & in his Antonius Schorus*, tradiderunt: apud Græcos quidem plerumque ὁ μὲν remotiori, ὁ δὲ viciniori respondere: at apud Latinos semper *hic* referri ad sententiam priorem; *ille,* ad posteriorem. Sed est, cùm *hic* geminatur, eoque nunc remotius respicit, nunc quod proximè consequitur. Maro Ecl. IV:

* Lib. de ratione discenda Linguæ Græcæ, p. 99.

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Non Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adsit,
Orphei Calliopeia, Lino formosus Apollo.

Est item, cùm *ille* respicit propius; *hic,* remotius. Ovidius lib. I Trist. el. II:

Quocunque adspicio, nihil est, nisi pontus, & aër;
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

Imò quandoque negligunt & oratores ipsi, atque historici. Cicero pro Roscio Comœdo: *Quid est, quòd negligenter scribamus adversaria? quid est, quòd diligenter conficiamus tabulas? quâ de caussâ? Quia hæc sunt menstrua, illæ sunt æterna: hæc delentur statim, illa servantur*

tur sanctè: hac parvi temporis memoriam, illa perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc sunt dejecta, illa in ordinem confecta. Livius lib. XXX: *Melior certiorque est tuta pax, quam sperata victoria: hæc in tuâ, illa in Deorum manu est.* Similem quoque Columellæ, ac Plinii locum, adfert Saturnius lib. V, cap. IX. Idem inibi ostendit, quoties antecedens unicum est, promiscuè nunc *hic*, nunc *ille*, usurpari; eamque rem cùm Terentii auctoritate firmat, tum hoc Pliniano lib. II, epist. XIII: *Is erit Voconius. hunc ego arctè dilexi, ille meus in urbe, ille in secessu contubernalis: cum hoc seria, cum hoc jocos miscui.*

De discrimine, quod situs, sive structuræ ratione Cornelius Fronto statuit inter *hic*, *iste*, *ille*, & *is*, dictum nobis lib. IV de Analogia cap. II.

Relativa etiam pronomina sunt, *qualis*, *quantus*, *quot*: *talis*, *tantus*, *tot*. Sed sæpe vel antecedens, vel redditivum, desideratur. Antecedens, ut I Æn.

—— *Qui tanti talem genuere parentes?*

Integrè sit, *tanti*, *quanta tu Dido: talem item*, *qualem te conspicimus?* At redditivum deest in hoc Horatii Epod. od. V:

Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborarunt manus.

Pro, *tali nardo*, *quale*. Idem I Serm.

Occurrunt animæ, quales neque candidiores
Terra tulit.

Pro, *tales*, *quales terra non tulit candidiores.*

Virgil. II Æn.

Millia quot magnis numquam venere Mycenis.

Pro, *tot millia*, *quot*. Quid mirum, si non semper exprimatur utrumque? quando, ut Priscianus ait in XVII, *relativa positu, quæ secundam cognitionem significant, etiam antecedentia, vel redditiva, intelliguntur, licet non sint dicta.*

De synthesi distributivorum, & partitivorum (quæ etsi vulgo nominibus accenseantur, verius tamen pronomina sunt) diximus cap. III.

CAP. LVI.

De reciprocis canones tres. Reciproci loco aliud relativum: & reciprocum pro relativo alio.

Venio nunc ad reciproca; quæ Græcis ἰδιοπαθῆ, id est, *suspassa*, ut Priscianus* vertit. Ejusmodi sunt, *sui*, & *suus*. De quibus, qui aliquanto accuratiùs egerunt, multos canonas & exceptiones adducunt. Videamus, an rem brevius, apertiusque, possimus comprehendere.

* Lib. 17.

Si reflectimus ad casum, qui verbum antecedit; vel etiam, si oratio in ejusmodi structuram possit resolvi; reciproco utimur, ad vitandam ambiguitatem: sin nullum est ab ambiguitate periculum, quandoque alio etiam utimur relativo.

His verbis tria sumus complexi. Primum est, reciproci usum esse, quoties reditur ad præcedentem casum; hoc est, eum quem verbum habet à fronte, sive is nominativus erit, sive accusativus.

Alterum est, etiam reciprocum usurpari, etsi redeatur ad casum sequentem, sive a tergo rectum; modò structura hujusmodi sit, ut in priorem possit converti.

Tertium est, si ob neglectum reciproci nulla oriatur ambiguitas; posse aliquando reciproci loco aliud relativum poni.

Exemplis hæc fient planiora.

Primum erat, reciproci usum esse, cùm reflectimus ad casum, qui est à fronte verbi. Ut illo Ciceronis: *Cererem antiquissimam à C. Verre ex suis templis esse sublatam.* Ubi reciprocum habet locum, quia redimus ad *Cererem*, qui casus verbum *esse* præcedit. Perque nominativum, & particulam, sic resolvas: *Quod Ceres antiquissima à C. Verre sublata sit ex templis suis.* At non similiter dicam: *C. Verres sustulit Cererem antiquissimam è templis suis.* Quippe ita C. Verres erit casus verbi à fronte: eoque C. Verris templa intelligi possint. Ac proinde, ne in persona hic erretur, satius sit dicere, *è templis ejus*. Vel si nulla hîc ambiguitas videatur, quia satis pateat, nulla Verrem templa habuisse; pro exemplo illud fuerit: *Verres expulit Sejam ex villa sua.* Ubi Verris potiùs villa intelligitur. Sin de villa Sejæ sermo est, satius sit *ejus* dicere. Similiter in illo ejusdem Ciceronis lib. III de Off. *Tum Pythius piscatores ad se vocavit, & ab his petivit, ut ante suos hortulos posterâ die piscarentur.* Verbum *petivit* ante se habet nominativum *Pythius*: cujus horti cùm intelligantur, *suos* dicendum. Quod si Cicero dixisset, *Piscatores erant à Pythio rogati: piscatores* erunt casus à fronte: eoque, cùm rogati sint piscatores, ut ante Pythii hortos piscarentur; sic potiùs Cicero dixisset: *ut ante ejus hortos piscarentur.*

Alterum erat, etiam reciprocum usurpari, etsi non redeatur ad casum Verbi à fronte positum; modò, servatâ sententiâ, structurâ verborum in priorem formam possit commutari. Ut illo Maronis in Eclogis:

—— *Trahit sua quemque voluptas.*

Integrè erit, *Voluptas sua trahit hominem quemque.* Hic non reditur ad casum à fronte, sed continuò reciprocum ei casui subjicitur. In caussa est, quia tantundem structura valet, ac ista: *Homo quisque trahitur à voluptate sua.* Ubi manifestè reditur ad casum, qui verbum antecedit. Et sententia est eadem; quia, si homo trahitur à voluptate suâ; sua sanè voluptas trahit hominem.

Sic in illo Martialis lib. V, ep. X:

Et sua riserunt secula Mæoniden.

Cujus structuram sic, salvâ sententiâ, convertas in priorem formam: *Et Mæonides est risus à seculis suis.* Ubi perperam dixeris, à seculis *illius*: ac proinde nec in altero, quod parem vim habet, *ipsum* habeat locum. Quemadmodum etiam secundùm priorem formam dicitur: *Dissolutus negligit, quid de se à quoque dicatur:* ita Cicero*, posteriori structurâ: *Negligere, quid de se quisque sentiat, est dissoluti.*

* Lib. I Off.

Tertium erat, quandoque relativum aliud pro reciproco usurpari: ut si nulla inde oriatur ambiguitas. Tale est, cùm utimur præpositione *inter*, post gignendi, dandi, & auferendi casum. Ibi enim nunc reciproco utimur, nunc pronomine *ipse*, vel interdum etiam *iste*. Ut apud Ciceronem ad Att. lib. II, epist. VII: *Una spes est salutis, istorum inter istos dissensio.* Sic in MSS, & editis, constanter legas. Usitatius fuerit, *inter se*, vel etiam *ipsos*. Ut in Bruto: *Nec mihi cæterorum judicio videtur solùm, sed etiam inter ipsos consensu.* Quomodo & Fabius loquitur lib. VIII, cap. VI, & lib. X, cap. II.

Sed non hic sistendum. Nam etiam dixeris: *Cepi columbam in nido suo*, &, *in nido ejus*. Prius rectum est, quia oratio tantundem valet, ac illa: *Capta à me columba in nido suo.* Ubi perspicuè reditur ad casum, qui verbum præcedat. Ac par ratio in accusativo, *Refert columbam à se captam esse in nido suo.* At *ejus* utrobique etiam habeat locum, quia non est periculum ab ambiguitate. Sic, *Supplicium sumsit de famoso fure cum sociis suis*; vel, *sociis ejus*. At si copula addatur, dispar fit ratio. Nec enim dixeris, *Supplicium sumsit de fure & sociis suis*; sed *ejus*.

Ut magis liqueat, quàm latè pateat hæc structura, eundum nobis per omne genus scriptores. Ac primò afferemus, ubi pro reciproco utantur alio relativo. Deinde ubi pro relativo sumatur reciprocum.

Prioris generis est illud Ciceronis Philipp. II: *Omnes boni, quantum in ipsis fuit, Cæsarem occiderunt.* Poterat Cicero SE dixisse. Idem I Offic. *Si non poterit caussas defensitare, illa præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate.* *Ipsius*, hoc est, *suâ*. Idem III de Off. *Perfuga Fabricio pollicitus est, si præmium ei proposuisset, se Pyrrhum veneno necaturum.* *Ei* dixit, pro *sibi*. Auctor declamationis in Sallustium: *Sallustius tamen, ne facinora ejus clandestina clara nobis essent, confessus est vobis adulterium.* Curtius lib. IX: *Abisari Alexander nunciare jussit, si gravaretur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum.*

Varietatis ergò priùs SE, mox IPSUM ait. Plinius lib. XXXV: *Qui sciunt, demonstrare nolunt, tanquam ipsis periturum sit, quod aliis tradiderint.* Quinctilianus III declam. *Neque ignoravit, quæ manerent eum pericula.* *Eum* pro *se.* Et decl. I: *Quapropter non petit, ut illum miserum putetis, nisi & innocens fuerit.* Pro *se.*

Atque his locis, *is*, vel *ipse*, vel *ille*, accipitur pro *sui*, vel *suus.*

Sibi itidem, & *suus*, pro *ei*, & *ejus*, compluribus locis usurpat vulgatus Novi fœderis interpres. Nempe more seculi. Sic Ælius Spartianus in Pescennio Nigro cap. IV ait: *Niger Pescennius eidem, & Clodius Albinus succederent.* *Eidem* pro *sibi.* Loca adducere supersedeo, quia res nota omnibus: &, ut id non esset, plusculа congessit Laurentius Valla in notis ad Euangelistæ Johannis cap. XV. Nec in hoc interprete duntaxat, sed in aliis quoque scriptoribus, illud loquendi genus damnat idem libello, quem conscripsit de reciprocis. Vallam hâc in re secutus Hermolaus Barbarus: qui, ad Plinii lib. VI, cap. XXVI, malè locutum putat Sidonium, cùm de Petro, magistro scrinii epistolarum, hunc in modum Carmine tertio scribit:

> *At mihi Petrus erit Mæcenas temporis hujus.*
> *Nam famæ pelagus sidere curro suo.*

Quomodo & idem *se* pro *eum* dixit carm. V:

> —— *Sed non se pœna moratur*
> *Sanguinis effusi.*

Sed nec Sedulius dubitavit dicere lib. III: *Redde mihi, vel redde sibi.* Verùm quia, qui Vallæ adstipulantur, non minori jure sedulam magis classicorum imitationem requirerent in Sedulio; quàm barbarè locutum Sidonium putavit nomine, non re Barbarus Hermolaus: aliis sanè, ac magis probatorum autorum testimoniis, opus erit; si volumus, ut liqueat *sui*, & *suus*, interdum relativa esse, at non reciproca. Tale est hoc Plauti Milite Glor. act. II, sc. *Ni hercle*:

> *Siquidem centies hic visa sit, tamen inficias eat.*
> *Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,*
> *Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam,*
> *Qui arguet se, eum contra vincat jurejurando suo.*

Cicero Philipp. II: *Non enim à te emit; sed prius, quàm tu suum sibi venderes, ipse possedit.* Lucanus lib. V:

> —— *Quæ nox sibi proxima venit*
> *Insomnis.*

Quibus in locis manifestè *sui* ponitur pro *illius*: quod Græcorum more fieri, docet Budæus in commentariis linguæ Græcæ*. Ipsum adi, fusè disserentem adversus Laurentium.

* Pag. 29. edit. Rob. Steph.

Idem autem de *suus* dicere licet. Cicero IV Philipp. *Quod autem erat præsidium salutis libertatisque vestræ, si C. Cæsaris, fortissimorumque sui patris militum, exercitus non fuisset?* Idem pro P. Sestio: *Quisquis erat, qui aliquam partem sceleris Claudiani attigisset, quocunque venerat, quod judicium sibicunque erat, damnabatur.* Pro, *quodcunque ei judicium erat.* Et pro lege Maniliâ: *Ex eodem Ponto illa Medea profugisse dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in eis locis, quà se parens prosequeretur, dissipavisse.* *Se* pro *eam.* Plinius lib. XIV, cap. II: *Græcinus arbitratur, non naturam ejus repugnare Italiæ, sed culturam: ob id fertilitatem suam abstinere, nisi pinguis soli ubertas lassescentem sustineat.* Porcius Latro in Catilinam: *M. Catoni, aut Scipioni, coætaneo suo, de legibus dicendum erat.* Item, *Nam si odio senatus Catilinam arsisse demonstravimus, si rationes vitæ suæ in exercitatione teterrimarum libidinum collocatas: quid erit, judices, quod dubitetis de liberandâ patriâ?*

CAP. LVII.

Ostenditur, non esse perpetuum canonem illum, quo dicunt vulgò, hæc quinque possessiva, meus, tuus, suus, noster, vester, *capi passivè: activè autem sumi quinque istos genitivos primitivorum,* mei, tui, sui, nostri, & vestri. *Genitivos* ipsius, unius, duorum, paucorum, plurium; *item participiorum; non regi à pronomine possessivo, uti creditum; sed convenire cum pronomine intellecto. Palmerii opinio rejecta. Vallæ error de genitivo* omnium. *Pronomina partitiva, & numeralia, non regere genitivum, sed casum hunc regi à nomine, quod desideratur.* Nostrum, & vestrum, *sæpius partitivè sumi: attamen etiam usurpari, ubi partitio locum non habet.* Nostri, & vestri, *esse patrium casum pluralem, contrà quàm visum Sulpicio Apollinari.*

Ista sunt, quæ in Provocabuli convenientiâ considerationem præcipue merebantur. Consequi videtur, ut ad Regimen sermonem convertam. Ordiar à genitivo, ac primùm expendam, quando locum habeat in primitivis: hinc, quando in possessivis: postremò, quando in partitivis, & distributivis.

In primitivis tria similiter spectabimus: ut pronomen unum regat alterum in genitivo: ut item pronomen eo casu nomen regat: denique ut pronomen à nomine casu eodem regatur. Primi generis exemplum esto: *Quid mei, tam amici hominis, potuit tibi displicere!* Ubi utrumque, & *quid*, quod regit, & *mei*, quod regitur, est substantivum. De *mei*, satis convenit. Ut quod liqueat esse non à *meus*, sed ab *ego*. Unde pro eo dicere possis, *Quid in me tantopere potuit displicere?* *Quid* etiam substantivum esse, inde colligitur, quòd dicatur: *Quid mei*, & non, *quod mei*: sed *quod meum*, puta *negotium*.

Secundi generis, ubi pronomen substantivum regat nominis substantivi genitivum, exemplum sit, *Quid monstri alis?* vel, *Aliquid monstri alunt.* Ac simile dicunt, *Hoc literularum.* Sed *Hoc* est adjectivum: ac genitivus regitur à substantivo *negotium*; quod intelligitur, ut fieri solet in adjectivis, quæ substantivè accipi dicuntur. *Negotium*, vel *res literarum*, idem ac *literæ*; ut *res voluptatum* Plauto idem, ac *voluptates*: quemadmodum non semel diximus.

Tertium genus fuit, ubi pronomen in genitivo regitur à nomine. Sed hoc non in quibusvis nominibus locum habet. Sanè possessio si significetur, sic loqui non licet. Nec enim, uti dixeris, *uxor Titii*, aut, *ager Mævii*: sic quoque, *uxor mei*, vel, *ager tui*: verùm, *uxor mea*, *ager tuus.* Itidem, non ut, *mos est patris*; ita, *mos est mei*; verùm, *meus.* Dispar ratio in verbalibus, atque iis, quæ animi affectum, quæque facultatem, aut partem alicujus, vel simile quid, notant. Ut, *amor*, *odium*, *desiderium*, *fastidium mei*: *imago*, *defensor*, *æstimator*, *miratrix tui*: *exspectatio*, *vindicta*, *cura*, *ratio sui*: *absentia*, *finis*, *memoria*, *magnitudo nostri*: *pars*, *copia*, *utilitas*, *caussa vestri.* Exemplis veterum, quia passim suppetunt, supersedeo.

Monent hoc loco Grammatici, *amor sui*, *odium tui*, *desiderium nostri*, *negligentia vestri*, activè sumi: passivè autem, *amor tuus*, *odium tuum*, *desiderium nostrum*, *negligentia vestra*, atque ita in aliis. Verùm classici scriptores non rarò hoc discrimen negligunt. Ita, ut autor est Cicero IV Tuscul. *invidia* tum activè, tum passivè, usurpatur: unde idem I Catil. semel iterumque dixit, *invidia mea*, de eâ, quâ mihi invidetur. Simile illud Terentii in Phorm.*

* Act. 5. sc. ult.

> *Nam neque negligentiâ tuâ, neque odio id fecit tuo.*

Ubi *negligentia tua* est, quâ tu negligeris: & *odium tuum*, quo te alius prosequitur. Idem Terentius Eunucho ait act. II, sc. III:

> —— *In eâ re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam.*

hoc est, quæ ex me percipitur.

Et Heautont.†

> —— *Lachrymis opplet os totum sibi,*
> *Ut facile scires desiderio id fieri tuo.*

† Act. 3. sc. 2. al. 3.

Pro *tui.* Geminum verò Ciceronis illud ad Tironem‡: *Utilitatibus tuis possum carere: te valere tuâ caussâ primùm volo, tum meâ, mi Tiro.* Contrà, *insidiæ alicujus*, dixit

‡ Lib. 16. ep. 3.

dixit Cicero, pro iis, quæ alicui tenduntur. Ita enim inquit pro M. Cœlio: *Quod in alicujus agrestis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putaret?* Suntque hujus generis plura.

Contrà pro *caussa mei*, aut *sui* (illo Papinianus, hoc utitur Ulpianus) usitatiùs in ablativo dicitur *meâ*, aut *suâ*. Horatius lib. I Serm.*

* Satyr. 4.

—— Caussâque meâ permulta rogatus
Fecit. ——

Eodemque modo dixit Cicero lib. XV ad Cassium: *Abesse te, meâ caussâ molestè fero; tuâ, gaudeo.* Et lib. VIII ad Att. epist. I: *Si me vellet suâ, aut Reip. caussâ, Luceriam venire, statim esse venturum.*

De pronominibus primitivis, quia, quod satis est, dixi, deinceps de possessivis agemus. Hæc regere dicuntur genitivos nominum, aut participiorum, aut etiam pronominum, quæ & ipsa possessionem signent.

Nominis genitivus est in hoc Ciceronis lib. XV, epist. ad Marcellum: *Molestè fero, me Consulem, tuum studium adolescentis perspexisse: te meum, cum id ætatis sim, perspicere non posse.* Item pro Sextio: *Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat, hominis inimici.* Et Verr. V: *Ne tua quidem recentia proximi Prætoris vestigia persequi poterat.* Item Philipp. II: *Tuum hominis simplicis pectus vidimus.* Addunt è III de orat. *Voluntati vestra omnium parui.* Sed in optimis quibusque editionibus *vestrûm omnium.* Atque ita quoque id refertur à Linacro lib. III cap. de Pronominum structura. Sed ita nihil is locus fecerit ad præsens institutum. Accommodatius illud pro Murena: *Ex tuo ipsius animo conjecturam feceris.* Similiter Cato ad Cicer. lib. XV: *Libenter facio, ut tuam virtutem, domi togati, armati foris, pari industriâ administrare gaudeam.* Virgil. in Ciri:

Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumna.

Plinius lib. IX ad Maximilianum: *Incipio gloriam petere, post judicium tuum, viri eruditissimi, gravissimi, ac super ista verissimi.* Idem in Panegyr. *In sua cujusque laude præstantior.*

Quod siquis post istos, etiam Comicos, & Poëtarum alios, exposcit; locutus sic Plautus Menæchmis*:

* Act. 5, Sc. Ut ætas mea est.

Imperium tuum demutas atque edictum Apollinis.

Tuum Apollinis, inquit, pro, *tui, qui es Apollo.* Falluntur, qui putant, *Apollinis* esse antiquum nominativum. Similiterque Ausonius†: prout in veteri membranâ reperit Jos. Scaliger:

† Epist. 5.

Scillito decies si cor purgeris aceto,
Anticipesque tuum‡ Samii Lucumonis acumen.

‡ Vulgo Anticyramque bibas: etiam in Venetâ an. 1494

Casaubonus quoque suspicatur, Persium scripsisse sat. V:

Artificisque tuo ducit sub pollice vultum.

Quamquam nec *artificem* damnet; quia *artificem vultum* dixisse possit pro summâ arte ac cura elaborato: quomodo Macrobius lib. III Saturn. cap. XIII ait; *artifex nodus.* At malè quidam, cum Palmerio, referunt huc illud Ennii in Hecuba*:

* Apud Non. in Miserete.

Miserete mei anuis, date ferrum, qui me animâ privem.

Nam, *mei anuis*, quidem est, *mei, quæ anus sum.* Sed *mei* isthoc est à primogenio *ego*; non autem à possessivo *meus*. De nominum genitivo satis.

Participii genitivus vix alibi, quàm apud Poëtas, obtinet. Horat. lib. I, sat. IV:

—— Cùm mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis. ——

Ovidius lib. I Amor. el. VIII:

—— Sæpe rogabis,
Ut mea defunctæ leniter ossa cubent.

Idem epistolâ Oenones:

Et flesti, & nostros vidisti flentis ocellos.

In prosâ hìc præferretur relativum. Diceretur enim, *mea, qui timeo; mea, quæ sum defuncta; nostros, qui flemus*, vel *meos, qui fleo.* Imò Poëtæ ipsi quandoque sic loqui malunt. Ut idem Ovidius lib. III de Ponto el. IV:

Nec mea verba legis, qui sum summotus ad Istrum.

Non, *mea summoti.* Sic Cic. lib. XIV ad Terentiam: *Sed omnia sunt meâ culpâ commissa, qui ab iis me amari putabam, qui invidebant.* Ubi Poëta potuisset dicere, *Meâ culpâ putantis.*

Pronominis denique genitivus est hoc Ciceronis pro Muræna: *Ex tuo ipsius animo conjecturam ceperas.* Similiter Bithynicus Ciceroni epist. lib. VI: *Itaque contentus ero nostrâ ipsorum amicitiâ.*

Par ratio genitivorum, *unius, solius, duorum, paucorum, cujusque:* qui vulgò nominum creduntur, cùm re verâ sint pronominum, ut alibi satis dictum. Singulorum exemplum ordine apponam. Cicero in Pison. *Sine ullâ dubitatione juravi Remp. atque hanc urbem, meâ unius operâ esse salvam.* Idem pro Marcello: *Solius enim meum peccatum corrigi non potest.* Livius lib. VIII: *Noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior.* Ac similiter *trium*, pluriumve, dicere poterat. Brutus ad Cic.* *Qui vestris paucorum respondeat laudibus.* Cic. lib. V de Fin. *Sua cujusque animantis natura est.* Addit Valla genitivum, *Omnium:* quem adstruere nititur illo Ciceronis lib. III de Orat. *Voluntati vestra omnium parui.* Sed in omnibus codd. est, *vestrum omnium:* quod & sententia requirit.

* Epist. 7 ad Brutum.

Planè autem ratio fugit Grammaticos, cum ex hisce collegerunt, pronomen possessivum regere genitivos nominum, pronominum, & participiorum. In errorem eos hunc impulit, quòd non attenderent ad ellipsin pronominis primitivi. Absque eo esset, facilè, puto, animadvertissent, genitivos illos non regi a pronomine possessivo, quod rationi adversatur: sed à substantivo illo, cui additur pronomen possessivum. Exempli gratiâ, illud, *Judicium tuum viri eruditissimi:* integrè sit, *Tuum, tui eruditissimi viri, judicium.* Ubi quid apertius, quàm tres istos genitivos regi à nomine substantivo *judicium.* *Tui* verò brevitatis caussâ omittitur, quia ex *tuum* satis intelligitur. Par ratio in isto: *Meum unius peccatum:* pro, *meum mei unius peccatum.* Nihil certius, quàm, *mei unius*, dependêre a *peccatum*, non à *meum:* quod cùm adjectivum sit, vim regendi habet nullam. Sola enim substantiva, si verbalia exceperis, regunt genitivum. Itidem istud, *Vestris paucorum laudibus*, plenè sit, *vestris vestri paucorum laudibus.* *Mea timentis scripta*, sic suppletur, *Mea mei timentis scripta.* Utrobique genitivos regi à substantivo, satis est evidens. Hanc ellipsin Græcanicam optimè etiam perspexit Josephus Scaliger cùm de Ausonii verbis antea adductus sic scribit lib. II, Auson. Lect. cap. XI: *Notandum genus loquendi, Tuum acumen Samii Lucumonis. Nam & ita à multis veteribus usurpatum meminis: ut à Jurisconsulto: Cum mens mea fuerit facientis testamentum. Et à Thucydide, aliisque veteribus Atticis. Ita enim loquuntur: ut, ἡμέτερα γνώμη οὕτω βουλομένου, & similia. Hoc igitur modo hìc dictum, Tuum acumen Lucumonis. Intelligendum enim τὸ σοῦ genitivus secundæ personæ. Si enim expressum esset, ignoratione hujus locutionis locus corruptus non fuisset; ut in Plauto* rectè expressum est:*

* Pseudolo act. 1, sc. 1.

Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi, & tui respondendi mihi.

Tanquam si diceret, nostro labori mei, & tui. Quid quod eodem modo dicitur noster utriusque labor? Hactenus Scaliger.

Restant pronomina tum partitiva; ut sunt, quæ dialectici vocant signa universalia, & particularia: tum numeralia, sive quæ numerum, vel ordinem significant. Partitiva enim pronominibus accenseri, satis dictum nobis lib. I de Analogia cap. II, & lib. IV, cap. II. Deque numeralibus idem monitum lib. IV, cap. X. Utraque ajunt regere genitivum pluralem. Quo sequentia referunt exempla. Terent. andr. act. IV, sc. IV:

Quid turba est apud forum? quot illic hominum litigant?

Maro I Æn.

Teucrorumque alios. ——

Idem ibidem:

Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum.

Pli-

Plinius lib. II Hist. Nat. *Cæteris quippe animantium sola victûs cura est.* Et eodem libro: *Reliquis talium, ab initio ad finem, septenarii sunt numeri.* Sed quam in Nominibus partitivè acceptis ellipsin statuebamus: eandem in hisce pronominibus agnoscimus. Nempe hic quoque genitivus pluralis regitur ab ablativo *numero:* atque ablativus ille à præpositione EX. Nam *quot hominum*, integrè est, *quot ex numero hominum. Alii Teucrorum*, valet, *ex numero Teucrorum. Nulla sororum*, plenè fuerit, *ex numero sororum.* Atque ita in cæteris.

Sed unum huic sententiæ objici posse video, genitivos plurales additos distributivis *omnis*, & *cunctus*, non posse exponi per præpositionem *ex.* Ut hoc Livii lib. II belli Macedonici: *Macedonum ferè omnibus, ut manerent persuasit.* Crebrò ita locutus Plinius, ut lib. III, cap. I: *Bætica cunctas provinciarum diviti cultu præcedit.* Et lib. XI, cap. XXXVII: *Renes habent omnia quadrupedum, quæ animal generant.* Et eodem cap. *Piscium omnibus serrati dentes, præter scarum.*

Verùm, quibus inde scrupulus oboritur, non cogitant, *omnes Macedonum*, valere, *ex numero Macedonum singuli*, vel *nemo non.* Sic, *cuncta provinciarum*; idem est, ac *unaquæque*, vel *nulla non è provinciarum numero.* Quâ mente nihil impedit, quo minùs sic ellipsin suppleamus, *omnes ex Macedonum numero: cuncta ex numero provinciarum:* non quasi ex toto aliquid decerpatur, reliquo relicto; ut fit, si dicatur, *aliqui Macedonum, nonnulla provinciarum:* sed quia animum per partes singulas circumferamus, usque dum partes expleant totum.

Docent viri quidam eruditione præstabiles, partitivis, & partitivè positis, ut sunt etiam nominum comparativi, & superlativi, item numeralia, addi genitivos *nostrum*, ac *vestrum:* at alia exigere genitivos, *nostri*, ac *vestri.* Neque id temere ab iis adseri videtur. Nam dixit Cicero contra Rullum: *Tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrûm, illa altera Roma quæreretur.* Et II in Rullum: *Omnibus vobis, aut majori vestrum parti.* Idem Catil. IV: *Video, Patres Conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos conjectos esse.* Et ad Q. Fratrem lib. II, ep. IV: *Domus utriusque nostrum ædificatur egregiè.* Eodemque modo Livius lib. I: *Imperium summum Romæ habebit, qui vestrum primus, ô juvenes, osculum matri tulerit.* Curtius lib. VIII: *Nolo singulos vestrum excitare.*

Verùm hæc quidem testimonia evincunt, *nostrum*, & *vestrum*, rectè partitivis, ac similibus addi: at discrimen id, quod inter genitivos eos ponunt, non valdè satis probant. Nam & apud Ciceronem ipsum loca sunt, quibus *nostrum*, & *vestrum*, aliis quibusvis addat nominibus. Ut Philipp. IV: *Frequentia vestrum incredibilis, concioque Quiritum tanta, quantam meminisse non videor* &c. Pro Plancio: *Quare noli me ad contentionem vestrum revocare.* Ibidem: *Possumus eripere contentioni vestrum.* Eodemque modo scripsit Sallustius in Catilina: *Sæpe majores vestrum miserti plebis Romanæ.* Quo tamen in loco jam Apollinaris, & Gellii * ævo, à librariis, pro, *vestrum*, reponebatur, *vestri.*

* Gell. lib. 20. cap. 6.

Non desunt, qui contendant, obsoletum esse loquendi genus, quoties, *nostrum*, & *vestrum*, usurpantur, ubi partitio non habet locum. Quibus sanè adstipularemur, si nemo ita locutus esset præter Gracchum †, cujus est, *misereri vestrûm:* aut Quadrigarium ‡, cujus hæc apud Gellium verba: *Cai Mari, ecquando te nostrum, & Reip. miserebitur?* Nunc verò, cur iis adsensum non accommodemus, ex tam multis de Tulliano penu, nemini obscurum esse potest.

† Ibid. apud Gell. ‡ Ibid.

Interim falsus quoque Apollinaris *, qui, illis adductis locis, *miseretur nostrum*, non *nostri*, dicendum putavit. Nam hâc in re adversantur ei autores plurimi: in his Afranius in Togatâ:

* Ibid.

> *Nescio qui nostri miseritus tandem Deum.*

Præterea genitivos *nostri*, & *vestri*, usurpant quoque Sylla secundo rerum gestarum, Terentius Phormione, & Laberius in Necyomantiâ: quorum verba suggeret Gellius †. Imò ipsius Ciceronis est IV Catilin. *Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui.*

† Ibid.

Cap. LVIII.

Idem cum illo, non videri Latinum. Ut pro eo dixerint antiqui. Idem tertio, alius sexto casui junctum. Ellipsis pronominis me, te, se.

A Genitivo transeo ad dativum. Quem nullum qui legi pronomen, imò nec vox alius classis, regit: attamen, Græcanico more, *idem* casum hunc adsciscit. Romanâ enim consuetudine dicitur *idem qui*; *idem ac*; vel, *idem atque*; vel, *idem &c.* Crebrò tamen nunc legere est, *idem cum illo:* quomodo sæpius loquitur maximus Erasmus, nec propterea tantillo minor. Ut Annotat. ad cap. VIII Matth. *eundem*, ait, *esse centurionem cum eo, de quo meminit Lucas.* Et aliquanto pòst: *Gerasam quidam existimabant eandem esse cum Gadara.* Quin is sermo erudito hoc seculo adeò obtinuit, ut potiùs quærendum videatur, qui aliter loquantur, quàm qui loquantur hoc pacto. Unum Josephum Scaligerum adducam, qui Castigationibus in Sphæram Manilii ‡ ait: *Minor ursa eadem est cum Cynosura.* At antiqui dixissent, *eadem quæ Cynosura.* Cicero lib. II Offic. *Peripatetici quondam iidem erant, qui Academici.* Idem in Oratore: *Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros; eosdemque esse oratorios, qui sunt Poetici.* Sic lib. I ad Attic. epist. XIV: *Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti.* Ac Plautus similiter Sticho sc. II:

‡ Pag 81. edit. Raphel.

> *Idem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit.*

Vel dicendum *idem &c.* Cic. lib. II de Nat. Deorum: *Dianam, & Lucinam, eandem esse putant.* Pro domo: *Ut eadem sit utilitas uniuscujusque, & universorum.* Ovidius quoque VI Fast.

> *Vesta eadem est, & terra: subest vigil ignis utrique.*

Poëticè verò, ac Græcorum more, dicitur, *idem illi:* ut apud Lucretium lib. III:

> *Adde Heliconiadum comites: quorum unus Homerus*
> *Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete 'st.*

Horatius epist. ad Pisones:

> *Invitum qui servat, idem facit occidenti.*

Hoc est, ταυτὸν ἐποίησε. Vide Victorium lib. X Var. Lect. cap. XXII.

Ut vero *Idem* dativum, ita contrarium ejus *alius* (quod & ipsum pronomen esse, diximus) ablativum admittit. Sallustius: *Aliud bello mallet.* Horatius *:

* Lib. 2 epistolarum.

> —— *Ne quis se præter Apellem*
> *Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra*
> *Fortis Alexandri vultum simulantia.*

Idem alibi †:

† Lib. 1, epist. ad Quintium.

> *Neve putes alium sapiente bonoque beatum.*

Et Cornelius Severus in Ætna:

> *Materiamve aliam credis furere igne favillam.*

Ita in veteribus est codd. ut etiam observatum Scaligero. Phædrus lib. III: *Alius Sejano.* Quin Janus quoque Guiljelmus legendum putat in prologo Plautinæ Pseudoli:

> *Qui quærit alia his, malum videtur quærere.*

Accusandi, vel auferendi casum, nullum pronomen, uti nec nomen, regit. Sæpe autem uterque casus pronominis, aliunde rectus, non comparet ob ellipsin: præsertim accusativi ME, TE, SE. Ita ME intelligitur apud Plautum Asin. act. III, sc. I:

> *Ubi piem Pietatem, si isto more moratam tibi*
> *Postulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?*

Pro, *postulem*, hoc est, æquum censeam, *me placere.* Primæ autem personæ accusativum intelligi, cognoscitur ex eo, quòd verbum primæ personæ, nempe *postulem*, præcedat. Ac similiter, si præeat verbum secundæ personæ, intelligitur pronomen secundæ personæ. Ut si dicas,

dicas, *Postules placere*, pro, *Postules te placere*. Terent. Eun. act. II, sc. III:

> *Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit, qui sies.*
> *Praeterea forma, & aetas, ipsa'st, facile ut pro eunucho probes.*

Pro, *te probes*.

Par ratio in tertiâ: ut, *Postulet placere*, pro, *Postulet se placere*. Ita Plautus Asin. act. II, sc. III:

> —— M E. *Demaenetum volebam.*
> L I. *Si sit domi, dicam tibi.* M E. *quid? ejus atriensis?*
> L I. *Nihilo magis intus est.* M E. *ubi est?* L I. *ad tonsorem ire dixit.*

Pro, *se ire dixit*. Idem Captivis act. II, sc. III:

> *Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem;*
> *Meum ut illic redimat filium; mutatio*
> *Inter me, atque illum, ut nostris fiat filiis.*

Pro, *ait se mittere*. Simileque hoc Curtii lib. VIII: *Octingenta talenta constituit daturum Alexander*. Pro, *se daturum*. Alterum quoque Curtii, & unum item Ciceronis locum, adfert Budaeus in Commentariis Ling. Gr. verùm ii aliter hodie in castigatioribus leguntur codicibus. Sed rectum puto, quod apud Sallustium in Jugurthâ quidam antiqui codd. Rivio teste, habent: *Interim Hiempsal reperitur, occultans tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus, & ignarus loci, profugerat*. Et apud Maronem II Aeneid.

> *Accingunt omnes operi.*

Ac ibidem:

> *Et lateri adglomerant nostro.*

In optimo quoque illo Romano codice Pierius reperit II Georg.

> —— *Neque in vacuum poterunt extendere rami.*

Pro quo in aliis,

> —— *Poterunt se extendere rami.*

Multa hujus generis attulimus libro tertio de Analogia cap. tertio.

Cap. LIX.

Quantus, qualis, quot, *si geminentur, generalitatem significant. Pleonasmus pronominis, ubi vel vox eadem repetitur: ut,* mihi implevit mihi: vidit se vovere se: *vel jungitur alia ejusdem significationis; ut,* illam eam, ambo duo, omnes universi, totus universus, totus perpetuus. *A Linacro receditur.* Id propterea, *pro,* propter id. *Ille πλεονάζων, *praecipuè post,* velut, *aut* sic. Ipse egomet. Alter, alius, quis, *vel* quisquam, *vel semper, vel saepius redundant, post,* nullus, nemo, nihil. *Non esse figuratum sermonem; sed nativum; quibus locis statui solet pleonasmus dativorum,* mihi, tibi, sibi; *vel accusativorum,* me, te, se.

Multa hactenus de ellipsi diximus, quae pertineant, tum ad Convenientiam Pronominis figuratam, tum ad figuratum Regimen ejusdem. Sed tam in convenientia, quàm regimine, quandoque etiam provocabulum redundat. Quandoque item redundare vulgò existimatur, cùm potiùs ellipsis sit futura, si deesset. Quare de vero falsoque pronominis pleonasmo, quaedam subjiciemus.

Unum est pleonasmi genus, cùm vel idem pronomen geminatur, vel duo ejusdem significationis conjunguntur.

Nec tamen pleonasmus putandus, quotiescunque repetitur vox eadem. Ut in *quantusquantus*. Quomodo Ter. Adelph. act. III, sc. III:

> *Tu, quantusquantus, nihil nisi sapientia es.*

Similiaque, *qualisqualis, quisquis, quotquot*. Quae ob geminationem, ut Priscianus ait in XVII, *generalem habent pronunciationem, colligentem universalitatem numerorum*. Unde idem valent, ac si pro altero poneretur *cunque*: ut *qualiscunque, quotcunque*, & ita in aliis.

At verè redundat illo Plauti Aulul. act. III, sc. VI:

> —— *Qui mihi omnes angulos*
> *Furum implevisti in aedibus misero mihi.*

Atque ut hic *mihi*, ita *se* geminatur illo Catulli, epigr. XXXVII:

> *Et hac pessima se puella vidit*
> *Joco se lepido vovere Divis.*

Ubi Aldina, & eâ antiquior Regiensis, *Jocosè lepidè*. Unde alii, *jocosè & lepidè*. Atqui poëta SE duplicavit divisim, ut junctim fit in *sese*. Ubi tamen nihil redundat, quando observatur, quod ex Julio Caesare Servius annotavit. SE simplex usurpari, cùm quid in alium dicitur factum: SESE autem, cùm in se ipsum. Et talis quidem est pleonasmus, ubi pronomen idem voce repetitur.

At ejusdem significationis pronomen redundat in hoc Plauti Menaech. act. IV, sc. III:

> *Imò edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,*
> *Mihi eam redde.*

Ubi *illam* πλεονάζει, vel *eam*. Similiter Amph. act. III, sc. III:

> *Jam hi ambo, & servus, & hera, frustra sunt duo.*

Nam *ambo*, & *duo*, quorum alterum πλεονάζει*, pronomina esse, dixi & antea. Apud eundem Trinummo act. IV, sc. III:

> —— *Nam id genus hominum omnibus*
> *Universis est adversum.*

Quomodo & Appulejus lib. VII Met. *Talibus dictis universi omnes adsensere*. Haec quoque esse pronomina, ostendimus alibi. Pronomina *totus*, & *universus*, eâdem jungit comoediâ act. I, sc. II:

> *Gregem universum voluit totum avertere.*

Ac similiter Mostell. act. I, sc. II:

> —— *Non videor mihi*
> *Sarcire posse aedis meas, quin tota*
> *Perpetua ruant.*

Ubi *perpetua* non aliud, quàm *tota*.

Sed etiam citra hujusmodi repetitionem saepius redundat pronomen. Hoc fieri censet Linacer apud Aemilium Probum, vel potiùs Cornelium Nepotem. Ut qui dicat, *Chabrias Atheniensis hic quoque in summis habitus est ducibus*. Item: *Timotheus, Cimonis filius, Atheniensis, hic à patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus*. De quibus ita Linacer: *Illa paullò duriora, meo judicio; maximè quòd in principio orationis sunt posita*. Nempe non attendit vir eruditus, ante *Hic* τελείαν στιγμὴν † poni oportere: esseque priora inscriptionem sive lemma capitis universi. Rectiùs igitur dixeris, initio apponi in illo Plauti Poenulo act. V, sc. II:

> *Pater tuus, is erat frater patruelis meus.*

Ubi ὑποστιγμὴ* post *tuus* ponenda: quasi dicat: *pater tuus, is inquam, quem dixi*. Eoque nec hic omnino πλεονάζει †. Uti nec isto Sallustii in Catil. *Sed urbana plebs, ea verò praeceps erat multis de caussis*. Nam verba haec, *ea verò*, uti venustatem adferunt orationi, ita quoque ἔμφασιν habent. Imò non parum haec particula inserta ad perspicuitatem facit, quoties nominativus longiùs antecessit. Ita Cicero ad Att. lib. VII, ep. XV: *Postumus autem, de quo nominatim Senatus decrevit, ut statim in Siciliam iret, Fusanoque succederet, is negat se iturum sine Catone*. Quomodo legit quoque Linacer lib. V. Abest tamen *is* ab editionibus Lambini, Bosii, Junii, Guilielmii, ac Gruteri.

* Etiam *ille* salvâ tollas sententiâ ab illo Maronis in II Georg.

> *Quid majora sequar? salices, humilesque genistae,*
> *Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbram*
> *Sufficiunt.*

Fit idem saepius post particulam similitudinis *velut*, aut *sic*. Ut apud Maronem XI Aen. ubi agit de Arunte, post Camillam interemtam se conjiciente in fugam, more lupi, postquam pastorem, & juvencum, interemit. Locum integrum apponam:

* Redundat.

† Punctum, sive distinctionem perfectae sententiae indicem.

* Subdistinctio.

† Superest.

Ac velut ille, prius quàm tela inimica sequantur,
Continuò in montes sese avius abdidit altos,
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, silvasque petivit:
Haut secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns,
Contentusque fugâ mediis se immiscuit armis.

Planeque eodem modo usurpat Statius lib. III Thebaidos:

—— Ac velut ille
Fluctibus Ioniis Calabra decus arbiter alno,
Nec rudis undarum portus: sed linquere amicos
Purior Olenii frustra gradus impulit astri.

Claudianus quoque de bello Getico:

—— Sic ille relinquens
Jejunos antro catulos immanior exit
Hibernâ sub nocte leo. ——

Pluraque id genus observat Guilielmus Canterus lib. III Var. Lect. cap. XXVI ‡.

‡ Edit. postrema. Nam in prima, sive Basileensi, frustra quæras.

Ipse etiam (quod Apollonius ἐπιταγματικὸν, Priscianus * *appositivum* appellat) redundat post *egomet*, cùm *egomet* valeat *ego ipse*. Sed additur *ipse* ad ἔμφασιν majorem. Ita, *nosmet ipsos*, est apud Terentium Phorm. act. I, sc. IV. Ac Tullius similiter lib. I de Off. *Nisi nosmet ipsos amabimus valde.* Laurentius tamen Ramirez de Prado *ille* in talibus locis valere articulum ὁ. Vide eum in Pentecontarcho cap. 30.

* Lib 17.

Etiam, *alter*, *alius*, *aliquis*, *quisquam* (quæ pronomina esse, suo loco ostendimus) redundant post *nemo*, *nullus*, *nihil*. Ut illo Plauti Cistellariâ act. IV, sc. I:

—— Scelestiorem in terra nullam esse alteram.

Et Mercatore act. I, sc. I:

Mulier, quâ mulier alia nulla est pulcrior.

Origo hujus locutionis ex eo est, quòd naturâ suâ aliud est *nullus*, aliud *nullus alter*, vel *nullus alius*. Nam, *Nullus*, excludit omnes: ut si dicam, *Nullo stante*: sed, *Nullus alius*, eximit unum: eoque *alius* intelligitur, si dixeris, *Nullo stante, hic stabat.* Nempe haut aliter, ac Plinii illo lib. I, epist. XXIII: *Hunc, omnibus sedentibus, stare*: pro, *omnibus aliis.* Cùm igitur viderent veteres, interdum post *nullus* sententiam *alius* exigere, cœperunt vulgò etiam *alius* addere, ubi sententia id minimè requireret: nempe solùm ob ornatum, vel emphasin majorem: ut in locis memoratis. Similiter Mercator. act. IV, sc. IV:

Nam mihi nihil reliqui quicquam aliud jam esse intelligo.

Et sæpius alibi. Sed & *unus aliquis*, *quisquam unus*, *nemo unus*, sæpius apud Ciceronem, Cæsarem, Livium, reperias. Etiam *omne quicquid*, apud Valerium Maxim. Itidem cum dico, *nemo quisquam*, posterius redundat; ut Priscianus ait in XVIII. Ita Terentii est Hec. act. I, sc. I:

Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit.

Et And. act. I, sc. I:

—— Comperiebam nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere.

Gellius lib. IX, cap. X: *Tot puris honestisque verbis venerandum illud concubii pudici secretum neminem quemquam alium dixisse.* Et lib. XIII, cap. XIII: *Si duo hæc verba dissident, neque ullâ re aliâ dissident.* Similiter post *Quis* redundat *alter*, aut *quisquam*. Ut Amphitr. act. I, sc. I:

Qui me alter est audacior homo? ——

Et act. IV, sc. III:

Qui me Thebis alter vivit miserior? ——

Et Aulul. act. V, sc. I:

Quis me Athenis nunc magis quisquam est homo, cui Dii sint propitii?

Vulgò etiam dativos, *mihi*, *tibi*, *sibi*, dicunt πλεονάζειν. Ut illo Plauti Mil. act. I, sc. I:

Nam ego hanc macharam mihi consolari volo.

Sed de hoc paullo aliter censeo. Nempe *mihi* valet *meo commodo*. Omne enim nomen, ac verbum, dativum admittit. Ut non minùs Latinum sit, *mihi consolari*, quàm *me consolari*: *mihi amare*, quàm *me amare*: *mihi ferit*, quam *me ferit*: atque ita in aliis. Sic Terent. Phorm. act. V, sc. IX:

Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.

Ubi sic Donatus:

*Eleganter insertum MIHI. Ut in Heautont.**
—— Is mihi, ubi adbibit paullò, sua quæ narrat facinora!

* Act. 2. sc. 1.

Atqui neutro loco penitùs redundat dativus. Nam *narrat mihi*, etiam qui absente me narrat, quatenus inde voluptatem capio, quòd ejusmodi effutiat. Et Nausistrata jure queritur, sibi viros fieri senes, quia ex eo ipsa dammum ac dolorem capiebat. At dicat aliquis, saltem penitùs superesse in isto Catulli in Juvent.

Mallem divitias mihi dedisses
Isti, cui neque servus est, neque arca.

Ubi *mihi* ait, licet sequatur *isti*. Sed poëtæ mens manifestior erit, si pro *dare divitias isti*, dicas, *donare divitiis istum*: ubi si *mihi* addas, nihil liquet redundare. Ut nempe sit, *Mallem donasses mihi istum divitiis.* Ut *mihi* valeat, *bono meo*, sive, *in meam spem gratiam.* Par ratio, cùm ait Lucretius lib. V:

Ergo terra tibi limatur, & aucta recrescit.

Maro Ecl. VIII:

Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis æquoris, en erit unquam &c.

Idem V Æn.

—— Ubi nunc nobis Deus ille magister,
Nequicquam memoratus Eryx?

Propertius lib. X, el. X:

Sentiet illa tuas pòst mihi victa manus.

Nec respuunt hunc usum Oratores. Cicero ad Att. lib. I, epist. XI: *Hic tibi rostra Cato advolat.* Cælius ad Cicer. epist. II: *Hic tibi strepitus, fremitus, clamor tonitruum, & rudentum sibilus.* Nec diffiteor, in talibus plurimùm omitti dativum. Sed hoc non impedit, quo minùs citra ullam figuram possit apponi; sive ad ornatum, sive etiam quia ἔμφασιν habeat.

Ajunt & sæpius ante infinitivum πλεονάζειν accusativos *me*, *te*, *se*. Ut illo Plauti Asin. act. I, sc. I:

Atque ego me id facere studeo, volo amari à meis.

Sed est & hic sermo nativus. Nam ut verbum finitum naturâ ante se habet nominativum: ita infinitum exigit accusativum. Quod igitur verbo finito diceretur, *Equidem studeo, ut ego faciam*: id dixeris per infinitivum, *Studeo me facere*: & κατ' ἔλλειψιν, *Studeo facere.* Pluriaque id genus exempla adduximus cap. XX.

CAP. LX.

DE PARTICIPIO. Dictus, creditus, & similia, interdum genere respondere, non nominativo à fronte, sed à tergo. Participium pro infinitivo. Antiptosis, vel ellipsis. Est loquens, *pro* loquitur. *Participio additus nominativus pro vocativo. Item pro accusativo: nisi hic ellipsis potiùs statuenda.* Exosus *quando accusativum, quando item dativum requirat.* Desperato, comperto, *absolutè, absque pronomine eo.*

Decursis Pronominis spatiis ad Participia pervenimus. Sed pauca hic sunt, quæ non ex superioribus intelligantur. Nec propterea committam, quin qualiacunque illa hic perstringam. Ac primùm de Convenientia, inde agam de Rectione.

Convenientia se habet, ut in nomine substantivo, & adjectivo. Itaque & participia *dictus*, *creditus*, similiaque, usitatiùs conveniunt cum nominativo, vel accusativo à fronte.

Interdum tamen ei respondent, qui est à tergo: hoc est non subjecto, sed illi, quod de alio prædicatur. Cic. II de Divin. *O delirationem incredibilem! non enim omnis error stultitia dicenda est.* Terent. Phorm. act. I, sc. II:

—— Nun-

——*Nunquam aquè, inquit, ac modò,*
Paupertas mihi onus visum est, & miserum, & grave.

Livius lib. I ab V. C. *Gens universa Veneti appellati.* Et lib. IX belli Punici: *Ludi fuere Megalesia appellata.*

Excipe, si prius substantivum fuerit proprium hominis. Cujus, ut dignioris, semper habenda est ratio. Nec enim dixeris: *Bonosus Imperator, cum vitam laqueo finiisset, amphora pendens dicta est:* sed *dictus.* Nec ausim dicere: *Pamphila nostra lilium virgines chori appellatum,* sed *appellata fuit.*

Participium passivum verbi, quod nuncupandi habeat significationem, etiam in vocativo usurpatum, recipit nominativum. Plinius de Cicerone*: *Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguaque lauream, merite.*

* Lib. 7, cap. 30.

Etiamne illud apponi meretur, participia quandoque pro infinitivo poni? Ut apud Livium lib. II: *Recepit extemplo animum pedestris acies, postquam juventutis proceres, æquato genere pugnæ, secum partem periculi sustinentes vidit.* Pro, *sustinere.* Et lib. X: *Cùm adversantes pacis arguerentur.* Hoc est, *adversari.*

Magis operæ sit, monere de antiptosi, ut vocant. Nam quod dicebamus cap. XX, accusativum, quicum verbum convenit à tergo, interdum mutari in nominativum: hoc in aliis etiam adjectivis, attamen in participiis maximè, invenitur. Ac Maronis, & Horatii locum unum alterum ibidem attuli. Similiterque idem lib. III, od. IV:

Injecta monstris terra dolet suis.

Pro, *se injectam.* Caussa mihi locutionis hæc videtur, quòd determinativum prædicati fiat determinativum subjecti, eoque non alio casu, quàm subjectum, id autem est nominativus, debeat efferri. Subjectum enim est *terra*; prædicatum *dolet.* Prædicato addebatur hæc caussa dolendi, quòd esset monstris suis injecta. Sed si doluit, se injectam monstris; sanè injecta jam erat monstris, cùm doleret. Sententia igitur est, *Terra monstris suis injecta dolet se injectam monstris.* Sed si ista ita sunt; magis fuerit ellipsis accusativi, quàm antiptosis nominativi. Possis & aliter ellipsin statuere: nempe ut ante nominativum intelligatur *dum est,* vel *quia sit,* aut simile. Ut sic expleatur, *Terra dolet, quia injecta sit monstris suis.* Videor mihi satis apertam seu antiptosios, seu ellipsios caussam attulisse. Par ratio illius Plautini Asin. act. III, sc. III:

Argenti viginti minæ, me modò ad mortem appulerunt,
Quas hodie adolescens diabolus ipsi daturus dixit.

Prout in vett. codd. legi, Lipsio, Gruteroque, est observatum. Integrè erit, *Adolescens daturus viginti minas dixit se daturum minas eas.* Vel sic, *Adolescens dixit, quòd sit daturus minas XX.* Unde & facile statuere de illo Propertii lib. II, el. IX:

Visura & quamvis nunquam speraret Ulyssem.

Quod antiptosis erit, si dicas, *visura* poni pro, *se esse visuram.* Ellipsis autem, si sic resolvas, *Quamvis nunquam speraret, quòd esset visura.* Græcismum esse, superiùs* diximus. Sic Lucianus: Οὐκ οἶδα ἔγωγε καλλίω παῖδα ἰδών· q. d. *Non memini ego pulchriorem videns puellam.* Pro, ἰδεῖν με· *videre me,* ut sit antiptosis: vel, ut sit ellipsis, ὅτι ἦν ἰδών· *quod eram videns.* Quomodo Aristoteles in Metaphysicis ait, nihil differre, ἄνθρωπος ὑγιαίνων ἐστί, *homo est valens,* & ἄνθρωπος ὑγιαίνει· *homo valet.* Imò & Cicero similiter de Oratore: *Est ut scis, quasi in extremâ paginâ Phædri, his ipsis verbis loquens Socrates.* De Convenientia satis.

* Cap. 20.

Regimen se habet, ut in verbo; sive spectes, quo verè regunt verba; sive quo regere traduntur.

Veri regiminis exemplum est hoc Juvenalis†:

† Sat. 7.

Pectora nostra duas non admittentia curas.

Admittens curas, ut *admitto curas.* Atque hoc etiam locum habet in passivæ formæ participiis, *exosus, & perosus,* modò activè sumantur. Ut V Æn.

Jupiter omnipotens, si non exosus ad unum
Trojanos.

Sic, *perosa segnitiem,* apud Columellam lib. IX, cap. V. Nempe, ut dicimus, *odisse aliquem.* Imò etsi dicamus, *tadet vitæ:* tamen dicimus, *pertæsus vitam.* Ut apud Suetonium*: *Ignaviam suam pertæsus.*

* In Julio cap. 7.

Monent Grammatici, participia in NS, venientia ab activis accusativum regentibus, pro accusativo recipere genitivum, quando in nomina degenerant. Quid mirum? quando tum naturam accipiunt substantivorum. Nam, *amans patriæ,* valet, *amator patriæ: observans tui,* idem ac, *observator tui: sitiens virtutis,* tantundem ac, *sititor virtutis.*

Idem locum habet in quibusdam præteriti temporis. Ut apud Sallustium in Catil. *Alieni appetens, profusus sui.* Pro, *profusor ac decoctor sui.*

Atque hic verum est regimen. Videamus de falso. Genitivus est in istis, *Parvi ducens,* quod valet, *pro parvi æris pretio ducens. Condemnans furti,* pro, *de crimine furti. Miserescens regis,* pro, *de caussa regis. Recordans pueritiæ,* pro, *memoriam pueritiæ:* & ita in aliis.

Dativus est, *nubens patrueli, resistens hosti, invidens alteri, irascens* vel *iratus uxori. Exosus* quoque hunc casum adsciscit, cùm passivè exponitur. Ut apud Gellium lib. II, cap. XVIII: *Non omnimodis* (sive *omnimodo,* ut Janus Guilielmius legit, pro quo *omnes modo* est in vett. libb.) *diis exosos esse.* Putat Linacer, etiam activè dativo jungi: idque propter illud in Augusti epist. ad Tiberium†: *Deos obsecro, ut te nobis conservent, ut valere nunc, & semper patiantur, si non populo Romano perosi sunt.* Sed in melioribus libris, ut editione Rob. Stephani, & aliis, *populum Romanum* reperio. Errorem inde arbitror promanâsse, quia veteres P. R. vel *pop. Rom.* scriberent: unde imperiti quidam librarii fecerint accusativum.

† Apud Sueton.

Est ubi ambigas, sitne dativus, an genitivus. Ut illo Taciti lib. I Annal. *Multitudo lascivia sueta.* Dativum malim, ut simile sit ac, *lascivia suesco.* Genitivus tamen possit esse, ut *sueta* sit nomen; moreque Græco patrium casum recipiat. Sic enim Sophocles Electrâ, ἠθὰς τῶν μόχθων‡.

‡ Assueta laborum,

Accusativus aliunde rectus est in hisce, *iens Romam,* pro, *ad Romam: totam noctem potans,* pro, *per totam noctem: doctus iter,* pro, *ad iter: rogatus sententiam,* pro, *ad sententiam dicendam: jurans Deos,* pro, *per Deos:* & sic in cæteris.

Ablativus aliunde rectus est in istis: *Veniens Româ,* plenè est, *ab Româ. Potans totâ nocte,* est, *in tota nocte. Vendens auro,* est, *pro auro. Constans animo, & corpore,* pro, *ex animo, & corpore. Cogitans animo,* pro, *cum animo. Defensus legibus,* pro, *ab legibus. Lætitiâ exultans,* pro, *præ lætitia:* & similiter in aliis.

De participiis, in ablativo absolutè positis, dictum capite XLIX. Ubi ostendebamus, Livium, ac Tacitum etiam, participio sic uti absque nomine, vel pronomine. Atque ita quoque Curtius: *Desperato, regionem posse retineri.* Et Justinus lib. XXVIII: *Cognito, quòd sibi insidiæ pararentur.* Idem: *Quæsito, an incolumis effugisset.*

Etiam more nominum adjectivorum, de quibus diximus cap. L, crebrò junguntur infinitivo activo, vel passivo. Activo, ut illo Lucretii lib. II:

——*Ictus contemnere sueta.*

Passivo, ut hoc Livii lib. I: *Vejentes, vinci à Romano milite adsueti, fusi fugatique sunt.* Utrobique infinitivus ponitur pro dativo. Nam, *sueta contemnere,* idem valet ac *contemtui;* &, *adsueti vinci,* tantundem fere, ac *adsueti fugæ, & occidioni suorum.*

Atque hîc participio additur infinitivus pro dativo, quem casum non regi, sed adsciscí, sæpius diximus.

At participium verè regit accusativum: cujus vicem tenet infinitivus passivus in illo Senecæ Hercul. Fur. *Polluì metuens:* hoc est, *pollutionem.* Item apud Papinium lib. V Sylv. epith. Stellæ:

Illa refert vultu non aspernata rogari.

Pro, *aspernata rogationem, ac preces.*

Atque ut hîc infinitivus exponitur per participium: ita & participium interpretamur per infinitivum, nunc activum, nunc passivum. Ut cùm post nomen *opus* participium

pium ponitur in casu auferendi. Ita Sallustianum illud, *Opus consulto*: exponitur, *opus consuli*. Similiter Terentius Hec. act. III, sc. IV: *In arcem transcurso opus est.* Hoc est, *transcurrere*, ut Donatus explicat, vel potiùs, *transcurri*.

Cap. LXI.

De ADVERBIO agi cœptum. Jungitur etiam pronomini. Enallage partis, quâ adverbium vicem implet nominis; ut, cras, *pro* crastino: *vel nomen est pro adverbio; ut* turbidum, *pro* turbidè: multum, *&* multa gemens: sera, *pro* serò: crastinus, *pro* cras. *Negativa duplex utrùm ajat, an neget. Ennii vetus lectio vindicata.* Magis major, dulcior, beatior. Malo potiùs. *Sylvius refellitur.* Quàm, *pro* magis quàm, *vel*, potiùs quàm: *ac similiter loqui Græcos. Quos comparationis gradus* tam, *&* quàm, *admittant.*

SUpersunt classes orationis indeclinabiles, quas *Particularum* vocant. Ubi primùm se Adverbium offert. In hujus etiam constructione multa sunt mutila, multa falsa, multa suspecta. Quod ut liqueat, priùs de Convenientiâ, inde de Regimine dicemus. Convenientiam primùm spectabimus generatim, hinc speciatim. Pars generalis tractat de convenientia adverbii cum pluribus classibus: uti specialis de ea, quæ est cum certa classe.

Generalis est quadripartita. Prima pars est de quovis adverbio. Altera de negativo, quatenus variis classibus sociatur. Tertia de comparativo, quod itidem variis classibus additur. Quarta de particulis *tam*, & *quam*, similiter affectis.

In prima parte considerandum, ut adverbia jungantur nomini, pronomini, verbo, participio, & particulæ. Nomini autem tum adjectivo, tum substantivo. Adjectivo; ut apud Cic.* *Graviter impudentem esse oportet, qui semel verecundiæ fines transilierit.* Substantivo; ut, *Semper lenitas*, nisi placet esse ὁεῖν, ut, *semper virgo* ἀειπαρθένος. Dispar ratio in illo, *Mulier admodum anus.* Item, Terentii illo †, *Ne parum leno sies.* Quamquam in his substantivum adjectivè sumi videtur: *anus*, pro vetula ac sene: *leno*, pro mores habente lenonios. Pronomini jungitur, cùm dico, *plane suus*, *omnino meus.* Ubi *suus*, & *meus*, idem valent ac *liber*. Ut illo Persii sat. V:

Vindictâ postquam meus à prætore recessi.

Hujus etiam loci sunt, *prope omnes*, *vix quisquam*, *ter deni.* Nam distributiva, partitiva, ac numeralia, pronomina sunt: ut sæpiùs dictum. Verbo additur; ut illo Plauti: *Bonis quod bene fit, haut perit.* Participio pariter ac verbo in hoc ‡: *Male parta male dilabuntur.* Adverbio, ut hoc Ciceronis*: *Tu verò eum nec nimis valde unquam, nec nimis sæpe laudaveris.* Sic Augusti istoc apud Tranquillum †: Σπεῦδε βραδέως· *Festina lentè.*

Atque observandum hic, ut adverbium pro nomine, vel nomen pro adverbio, ponatur. Ἀντιμερείαν, vel enallagen partis vocant. Prioris generis illud Persii ‡ volunt esse:

—— Jam clarum mane fenestras

Intrat.

Sed malim cum Servio* statuere, *mane* esse nomen, eò quòd apud Plautum Amphitry. † legamus:

—— Usque à mane ad vesperum.

At controversiâ caret illud ejusdem Persii ‡:

Jam cras hesternum consumsimus, ecce aliud cras.

Longè verò plurima exempla, ubi adverbium pro nomine, aut pronomine ponatur, congessit Linacer lib. II. Nec minùs nomen pro adverbio accipi solet. Non tamen enallage hæc in quibusvis nominibus invenitur; sed adjectivorum propria est. Ac locum habet tum in numero singulo, tum in plurali. Singulo, ut apud Plautum Mil. act. III, sc. II: *Magnum clamat.* Item Maronem in VII, *Torvumque repente Clamat.* Apud Horatium, *Turbidum** *lætatur*, *perfidum* † *ridens*, *resonarent* ‡, *triste*, *&* *acutum.* Etiam in prosâ: ut Gellii lib. V, cap. IX: *Repentè in eum, qui id faceret, sese videre, quid faceret, magnum inclamavit.* Tacitus lib. IV Annal. *Enimvero Tiberius torvus, aut falsum renidens vultu.* Et Annal. VI: *Nunciavere accolæ, Euphratem, nullâ imbrium vi, sponte, & immensum, attolli.* Similiter locutus Martianus Capella, & Appulejus non uno loco. In plurali verò dixit Maro, *Multa gemens*, &, *Crebra ferit*, &, *Transversa fremunt.* Item istud Georg. IV:

—— Nec sera comantem

Narcissum.

Hoc est, *serò florentem.* Nam postremus, puta demum circa Septembrem, floret narcissus; cujus rei Theophrastum habemus auctorem lib. VI Histor. Plant. cap. VI.

Nec abludit hoc Cæcinæ ad Cic. lib. VI, epist. VII ad Fam. *Cum ignoverit omnibus, qui multa Deos venerati sunt, contra ejus salutem.* Aut Taciti hoc lib. III Annal. *Reo patronos petenti, iisque diversa excusantibus.*

Atque hæc quidem in neutro genere. In feminino autem dixit Maro IV Æn.

Tu secreta pyram tecto interiore sub auras

Erige.

Item in masculino Horat. lib. III, od. VI:

—— Quod adest, memento

Componere æquus.

Et Stat. III Theb.

Signa feras, lævusque tones.

Huc quoque pertinet, *Nullus dixeris*, pro, *non dixeris.* Ter. Eun. act. I, sc. II.

Sed imprimis ea consuetudo obtinet in illis, quæ tempus significant: ut, *Matutinus*, *vespertinus*, *nocturnus*, *serus*, & similibus. Virg. I Georg.

Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

Nam *Eoæ*, hoc est, *matutinæ*, valet, *mane.* Horat. I epist. ad Num.

Navus mane forum, & vespertinus pete tectum.

Quamquam his in locis non tam adjectivum pro adverbio, quam pro substantivo ponitur ablativi casus. Nam *mane*, esse ablativum, diximus antea. Et par ratio in *vesperi*, *noctu*, *sero*, & similibus. Magis appositum videtur exemplum, *Crastinus ades*, pro, *cras adsis.*

Alter canon generalis est de adverbio negativo; quod prope omnium classium negantibus vocibus sociatur. Nomini, ut, *non ignarus.* Pronomini, ut, *non nullus.* Verbo, ut, *non ignoro.* Participio, ut, *non ignorans.* Adverbio, ut, *non usquam.* Præpositioni, ut, *non sine Theseo.* Conjunctioni, ut, *neque non.*

In his, & similibus, quæstio oritur, utrùm geminata negatio affirmandi vim habeat, an contrariam. Prius placet Donato in hoc Terentii Andr.*

—— Neque tu haut dicas, tibi non prædictum, cave.

Et veteri Juvenalis scholiastæ in hoc sat. VI: *Nil non permittit*: & istud sat. XIV:

Neque enim omnia sustinet unquam.

Interdum tamen duæ negationes pro una ponuntur: quod factum ab Ennio in Erechtheo:

Lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis.

Citat Festus in *Neminis.* Scio, virum eruditissimum, pro, *quos non*, malle, *quorum*; item, *neminem*, pro, *neminis.* Sed est utrumque hoc contra librorum omnium fidem. Præterea explicat Festus, quos vocârit homines *lapideo corde.* Ait verò, hos esse, quos neminis miseretur. Denique penè ovum ovo similius non est, quàm Enniano huic illud Plautinum Mil. act. V, sc. I:

Jura, te non nociturum esse homini hac de re nemini.

Ut enim Ennius, *non misereri neminis*: ita Plautus, *non nocere nemini*, dixit. Ac alibi similiter loquitur hic Comicus. Ut Bacchid. act. IV, sc. IX:

Nihil ego tibi consilii h: die quicquam dabo:

Neque ego haut committam, ut, si quid peccatum siet, Fecisse dicas de meâ sententiâ.

Epid.

* Lib. 5, ep. 12.
† Phorm. act. 3, sc. 1.
‡ Poëta vetus apud Cic. Philipp. 2.
* Initio lib. 3 de Legg.
† In Aug. cap. 25.
‡ Sat. 3.
* In Donatum.
† Act. 1, sc. 1.
‡ Sat. 5.
* Lib. 2, od. 19.
† Lib. 3, od. 27.
‡ Lib. 1, sat. 8.
* Act. 1, sc. 2.

Epid. act. IV, sc. I:

Neque ea nunc ubi sit nescio. ——

Et ibid. act. V, sc. I:

—— *Neque ille haut objiciet mihi,*
Pedibus se provocatum. ——

Terentius Eun. act. V, sc. VIII:

Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo
Nemo est.

Ovid. lib. I de Ponto, el. I:

Mors faciet certè, ne sim, cùm venerit, exul.
Ne non peccârim, mors quoque non faciet.

Tibullus lib. IV, el. VII:

Ne legat id nemo, quàm meus, antè velim.

Propertius lib. II, eleg. XX:

Nam, si Pegaseo vecteris in aërea dorso;
Nec, tibi si Persei moverit ala pedes;
Vel te si sectæ moveant talaribus auræ;
Nil tibi Mercurii proderit alta via.

Non, vel *nec nil proderit*, inquit, pro, *non tantopere proderit.*

Ejusdem Propertii est lib. II, el. XIX:

Absenti nemo non nocuisse velit.

Imò & Terentii illud in prologo Andriæ similiter capit Jos. Scaliger*:

Faciunt ne intelligendo ut nihil intelligant.

* Castig. in Propert. l. 4, el. 4.

Sed imprimis duæ negativæ affirmare solent, cùm *nec* ponitur pro disjunctivo *vel*. Ut illo Maronis Eclog. IV:

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus.

Tertius canon generalis est de adverbiis comparativis *magis*, & *potius*: quatenus junguntur aliarum classium comparativis: expressè quidem in nomine, & participio: implicitè autem in verbo. Prioris exemplum est in hoc Plauti prologo Menæchm.

Nam nisi qui argentum dederit, nugas egerit.
Qui dederit, magis majores nugas egerit.

Et Menæch. act. V, sc. VI:

—— *Nam magis multò*
Patior faciliùs verba. ——

Pluriaque id genus adduxi cap. XVI. Quorum imitatione Julianus Pomerius, vel, ut alii volunt, Celanensis ille, Augustini adversarius, ait libro de Virginibus instituendis: *Seculi virgines, quæ se nuptiis præparant, & indulgentiam Apostoli magis, quàm consilium, sequi malunt.* Ac par ratio, si dicas, *magis amantior*, vel *exspectatior*. Nam participia etiam comparari, ostendimus libro IV de Analogia cap. XV.

Alterius generis est, cùm *potius* post *malo* subjicitur: cui verbo includitur comparativi significatio, quia ex *magis*, & *volo*, componitur. Ita dixit Plautus Sticho, sc. Qui manet:

Si manere hic sese malint potiùs, quàm aliò nubere,
Non faciam.

Terentius Adelph. act. II, sc. II:

SY. *Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio.*
SA. *Credo istuc melius esse: verùm ego nunquam adeo astutus fui,*
Quin, quicquid possem, mallem auferre potiùs in præsentiâ.

M. Antonius epist. ad Ciceronem lib. XIII ad Att. *Tamen arbitror, malle te quietam senectutem, & honorificam potius agere, quàm sollicitam.* Et Cicero ipse in Ligarianâ: *An ille, si potuisset illinc ullo modo evadere, Uticæ potiùs, quàm Romæ; cum P. Attio, quàm cum concordissimis fratribus; cum alienis esse, quàm cum suis, maluisset?* Putat quidem Franciscus Sylvius, hoc loco *potius* tollendum esse: sed egregiè frustratur. Sanè & alibi ita locutus Cicero: ut Divinat. in Verrem: *Tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quàm abs te defensos esse, malunt?* Ad quem locum monet Hottomannus, insolentem esse, & notandam locutionem, quam Ulpianus quoque usurpârit. Adde & hoc Catonis ad Cic. epist. V, libri XV Tullianarum: *Et iccirco casum potius, quàm te, laudari mavis.* Vide & quæ de hoc loquendi genere annotavit doctissimus præceptor meus, Franciscus Nansius, notis in Nonni cap. IV*.

* Vers. 259.

Quemadmodum autem *potius* in his redundat: ita est etiam, cùm deest. Nempe cùm *quàm* ponitur, pro *magis quàm*, vel, *potius quàm*. Plautus Rudente act. IV, sc. IV:

Eo tacent, quia tacita bona 'st mulier semper, quàm loquens.

Menæchmis act. V, sc. II:

Quin vidua vivam, quàm tuos mores perferam.

Terent. Prol. Eun.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis,
Quàm plurimis.

hoc est, potiùs bonis, quàm vulgo: ut rectè interpretatur Æmilius Ferretus, & Antonius Muretus. Livius quoque, Curtiusque, sic locuti, ac Tacitus passim. Cujus duo tantùm loca ponam è multis. Ejus est de Judæis lib. V Histor. *Corpora condere, quàm cremare, è more Ægyptio.* Et lib. de moribus Germanorum: *Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii, quàm formidinis, arbitrantur.* Similiter Valer. Flaccus lib. VII Argon.

—— *Occumbere tandem*
Possumus, idque fedet, quàm non quæcunque subire
Regis jussa tua.

Item Appulejus in Apolog. *Susceptum officii gratiâ, quàm lucri caussâ, docebo.* Nec refugiunt scriptores Ecclesiastici. Nam non semel ita loquitur Tertullianus. Imò Arnobium quoque lib. II ita locutum, autumat Godscalcus Stewechius in notis ad eum scriptorem. Legit enim: *An sunt aliqui vobis in cognitione, quàm in usum, aliquando?* Usurpant & Jurisconsulti. Uti L. I. Cod. ubi caussæ fiscales: *Nec bona à fisco peti posse, quàm de crimine constiterit.* Ubi Accursius, *hoc est, antequam.* Paullus lib. II D. soluto matrimonio: *Si pecunia ad patrem pervenit, quàm filia accepit, albio de dote, utriusque tolletur.* Pandulphus Pratojus explicat in Lexico suo: *Ante ad patrem pervenit, quam*, &c. Marcianus l. I. D. de mortis caussa donat. *Mortis caussa donatio est, cùm quis habere se vult, quàm eum, cui donat, magisque eum, cui donat, quàm heredem suum.* Ubi ex Homero ibidem allegat Marcianus hunc versum Odyss. Ρ:

Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ' ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε.
Te ipsum habere (hæc) volo, quàm aliquem horum.

Estque geminum hoc Homericum Il. Α:

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.
Volo ego populum salvum esse, quàm perire.

Item senatio istoc:

Θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον.
Volo fortunæ bonorum guttam, quàm dolium sapientia.

Locutus & eopse modo B. Euangelista Matthæus capite XVIII*, & B. Lucas cap. XV†. Et aliis jamdudum observatum, sæpe eodem modo apud Hebræos intelligi יותר, jother‡: ut Psal. CXVIII*, vers. 8, & 9. Vide & Ant. Augustinum lib. IV Epist. quæst. XXIII. Item Brissonium in Form. Golvium in Appul. Apol. & alios: imprimis Andream Schottum Observationum humanarum lib. V, capite XXXIV.

* Vers 8. † Vers. 7. ‡ Magis. * Al. 117.

Quarto loco videndum de *tam*, & *quàm*. Nec enim convenit, quos comparationis gradus in nomine, participio, & adverbio, adsciscant.

Laurentius Valla *quàm*, pro *quantum*, vel positivo, vel superlativo, jungi ait. Ac positivo quidem, ut in illo Ciceronis ad Trebatium†: *Quàm sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest.* Superlativo autem, cum verbo *possum*: ut apud Sallustium: *De conjuratione Catilinæ, quàm verissimè potero, paucis absolvam.* Ac bis errat Valla. Nam *quàm* non raro jungitur comparativo. Cicero lib. II de Off. *Quàm in paucis spes, quàm in paucioribus sit facultas.* Valerius Maximus lib. IV, cap. VII: *Posterior*

† Lib. 7. epist. 15.

ejus

mea in excolendo jure amicitiæ, quàm libentiùs, tam etiam religiosius erit operata.

Deinde & superlativo absque verbo *possum* jungitur, si antecedat particula *tam*, vel *ita*. Terentius Heaut. act. v, sc. II:

—— Nam quàm adolescens maximè iste sitim erit,
Tam facillimè patris pacem in leges conficiet suas.

Cato de R. R. cap. LXV: *Quàm acerbissimâ oleâ oleum facies, tam oleum optimum erit.* Et cap. CLVI: *Quàm plurimam brassicam ederis, tam citissimè sanus fiet.* Idem: *Quàm citissimè conficies, tam maximè expediet.* Cicero ad Lentulum: *Gaudeo enim te fidem cognoscere hominum non ita magnâ mercede, quam ego maximo dolore cognôram.* Varro lib. II de R. R. *Quàm paucissimos relinques, tam optimi in alendo fiunt, propter copiam lactis.* Sallustius in Jugurth. *Quam quisque pessimè fecit, tam maximè tutus est.*

Atque ex his liquet, ut *quàm*, ita *tam* quoque, jungi superlativo. Interdum verò *tam*, etiam non sequente *quàm*, superlativum adsciscit. Quomodo dixit Cicero Philipp. XII: *Nondum erat vestris, tam gravissimis tamque multis judiciis, ignominiisque, concisus.* Idem II de Fin. *Deinde dolorem tam maximum.* Et in Lucullo: *Quo etiam magis vituperanda est rei tam maximè necessariæ.* Appulejus in Apolog. *Tam similem suspicionem? tam aptam conjecturam? tam proximum argumentum?* Itidem, *tamque infimi*, dixisse, suspicatur Gaspar Schoppius lib. III Susp. Lect. epist. XX. Sed & similem observavi locum apud Terentianum Maurum:

Exitus nam nostra lingua non habet tam plurimos.

Cap. LXII.

Centena millia *intelligitur, cùm legimus*, decies, vicies, sexagies sestertiûm. *Ne post adverbia prohibendi negare, contra Servium docetur.* Quod *etiam locum habet post verba opinandi, cupiendi, sciendi, fatendi, narrandi, quæque similem habent significationem.* Ut, *ubi vulgò per* postquam *exponitur, indicativum adsciscit.* Non *prohibentis respuit imperativum. Particulæ interrogandi sumta infinitè interdum indicandi modum admittunt.* Scilicet, videlicet, edepol, certè, *cum infinitivo.* Ut *cum eodem, more Græco.* Aliquando, *&* olim, *juncta tempori præsenti.* Dudum *cum compositis, item* jampridem, *&* nuper, *quando præterito, quando item præsenti socientur.*

Vidimus de generali convenientiæ doctrinâ, quâ adverbium conjungitur cum variarum vocum classibus. Sequitur convenientia specialis: quæ est tripartita. Primùm enim videndum de conjunctione Adverbii cum nomine: deinde cum verbo: denique cum adverbio, sive cum se ipso.

In structura cum nomine considerationem præcipuè meretur ellipsis; ut cum ajo, *Optimè omnium vixit*, genitivus regitur à nomine *numerus*. Nam integrè fit, *Optimè ex numero omnium.* Ut par hic ratio sit ac in nominibus superlativis: de quo capite XVII dicebamus. Etiam per ellipsin crebrò admodum, *centena millia*, intelliguntur in numerandi adverbiis, *decies, vicies, quadragies, centies, ducenties, millies*, atque aliis. Livius lib. XXXVIII: *Scipionem librum rationis concerpsisse indignantem, quòd cum bis millies in ærarium intulisset, quadragies ratio abs se posceretur. Bis millies*, pro, *bis millies centena millia sestertiûm. Quadragies ratio posceretur*: pro, *ratio quadragies centenorum millium.* Philipp. II: *Syngrapha sestertiûm centies facta.* Integrè fit, *facta syngrapha sestertiorum centies centenorum millium.* Objecerit aliquis hoc Velleji lib. II de C. Curione tribuno: *Id gratis, an accepto centies HS fecerit, in medio relinquemus.* Nam si intelligitur, *centenis millibus*; dicendum fuerit, *acceptis.* Sed, *accepto*, respicit, *pretio*: ut integrè sit, accepto HS centies centenorum millium pretio. Vel hujusmodi ellipsis est, vel fuerit syllepsis numeri, quod non arbitror. Interdum autem integer est sermo. Quod Cicero ostendit act. IV in Verrem. Et Capitolini est in Vero: *Omne autem convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus HS.* Hæc de junctura cum nomine sive expresso, sive intellecto.

Nec *en*, vel *ecce*, vel nominativum, vel alium regunt; sed casus additus dependet à voce intellectâ. Nam, *En dextra fidesque*, valet, *En, est dextra fidesque. En turba*, valet, *En adest turba. En aras* integrè fuerit, *En, video aras.* Sic, *En hominem*, pro *video*, vel *vides hominem.*

In conjunctione cum verbo consideramus tria. Primùm, quæ particulæ conveniant verbis prohibendi; item opinionem, vel desiderium significantibus. Hinc quos modos adverbia ament. Postea, quæ tempora.

Negant, *ne* locum habere post verba prohibendi, nisi cùm quid affirmatur. Certè Servius interpretans illud Maronis I Georg.

—— Neque illum
Flava Ceres alto nequicquam spectat Olympo:

negat apud Terent. legi posse;

—— Cave, ne te tristem esse sentiat:

quia ita prolatum contrarium significetur, cùm utrumque *cave*, & *ne*, sit negandi. Atqui aliud eum docere potuit vel illud Ciceronis II de Divinat. *Cùm M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas, clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, cavere ne iret: non fuisse periturum, si omini paruisset.* Sic Horatius epist. lib. I, epist. XIII:

Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

Suspectus multis est usus particulæ *Quòd*, cum pro ὅτι ponitur, & jungitur verbis significantibus opinionem, desiderium, aut scientiam. Atqui sic loquuntur Plautus, Cicero, Seneca, & Plinius: ut ostensum cap. XX. Ac apud alios similia invenias. Ita auctor declamationis in Sallustium Ciceroni adscriptæ: *Credo, quòd non omnes tui similes incolumes in hac urbe vixissent.* Ita &, *fateri quòd*, dixit Horatius lib. II, epist. II:

—— Quòd quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?

Martialis lib. XI, ep. LXV:

Hoc scio, quòd scribit nulla puella tibi.

Sed & crebro jungitur verbis narrandi; ut *dico, refero*, &c. Ulpianus: *Sufficit mulieri notum facere, quòd sit pragnans. Mariti est jam, aut mittere custodes, aut eidem renunciare, quod non sit ex eo prægnans.* Paullò pòst: *Illud notandum est, quòd denunciatio à marito non incipit, sed à muliere.* Item: *Quæ caussa si fuerit acta apud judicem, & pronunciaverit, quòd apud eum prægnans fuerit.* Claudianus lib. III de raptu Proserpinæ:

Nec credit, quòd bruma rosas innoxia servet.

Pluraque de hac, & aliis ejusce particulæ significationibus, suggeret Henricus Stephanus lib. de suspectâ Latinitate capitis sexti parte secundâ.

Nunc de modis verborum dicamus.

Ut, pro *postquam*, ajunt poscere indicativum. Catullus ep. LI:

Hesterno, Licini, die otiosi
Multùm lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse delicatos.

Sed, si nativa particulæ ejus vis attendatur, *ut* quoque hic similitudinem notat: integreque est, Ut delicatos esse convenerat, sic quoque multum lusimus. Similiter hoc Ciceronis ad Att. lib. XII, ep. XVIII: *Philippus, ut heri me salutavit, statim Romam profectus est.* Et Ovidii illo V Trist. el. XI:

Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister.

Pro, *Ut salutavit, sic profectus. Ut sumus in Ponto, sic Ister constitit.*

Imò observatum jam aliis, quandoque *sic*, vel *ita*, exprimi. Lucret. lib. III:

Tu

Tu quidem, ut es leto sopitus, sic eris ævi
Quod superest, cunctis privatus doloribus ægris.

Livius lib. XXI: *Saguntini, ut à prœliis quietem habuerant, nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies, ita non nocte, non die, unquam cessaverant ab opere.* Cujus loci mentem non cepere, qui *lacessiti* putant poni, pro, *sunt lacessiti*; ac post *dies*, ponunt πλείαν στιγμὴν*.

* Pentbem.

Non prohibentis futurum indicativi amat, imperativum respuit. Latinum enim, *Non occides*. Barbarum, *Non occide*. Sed *Ne*, eàdem significatione imperativum amat, vel subjunctivum. Ut, *Ne occide*, vel, *Ne occidas*. Ut apud Ter. And. *Ne nega*. Eun. *Ne metuas*.

Volunt particulas interrogandi, si interrogativè sumantur, indicativo jungi; si indefinitè, subjunctivo. Itaque dici, *Ubi degit? Dic, ubi degat. Quò it? scio, quò eat. Unde venit? nescio, unde veniat. Cur negas? Video, cur neges.* Verùm hoc perpetuum non est. Nam interdum quoque indefinitivè posita indicativo jungunt duo præstantissimi linguæ Latinæ autores, Plautus, & Cicero. Plauti est Bacch. act. I, sc. I:

Scio, quid ago. P. & pol ego scio, quid metuo.

Idem Aulularià †:

† Act. 2, sc. Velim te arbitrari.

——*Verba ne facias, soror.*
Scio, quid dictura es, hanc esse pauperem. hæc pauper placet.

Et eàdem Aulularià ‡:

‡ Act 1, sc. Exi inquam.

Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum.

Item sc. sequenti:

Nimis hercle invitus abeo, si quid agam, scio.

Et rursum act. III*:

* Sc. Nimium lubenter edi.

——*Præterea tibicinam,*
Quæ mihi interbibere sola, si vino scatet,
Corinthiensem fontem Pirenen potest.

Nihil enim attinet, aut cum Lambino legere *scatat*, ab antiquo *scato*, pro *scateo*; aut cum Turnebo *scatit*, quod simile sit illi Horatiano* archaismo:

* Epod. od. 3.

Edit cicutis allium nocentius. pro, *edat*.

Sic Rudente act. IV, sc. III:

——*Vide, num quispiam consequitur prope nos.*

Et ibid. act. IV, sc. VI:

——*Eloquere, ut hæc res obtigit de filia.*

Et Mil. act. I, sc. I:

——*Scio jam, quid vis dicere.*

Ciceronis verò est lib. IX ad Attic. epist. XII: *Quæso scribas, quid nobis faciendum, aut non faciendum putas.* Et lib. X, epist. X: *Vides, quam turpe est.* Et lib. XIII, epist. CXVIII: *Vides, propinquitas quid habet.* Et lib. XIV, ep. XIII: *Quid nobis faciendum est, ignoro.* Quibus in Ciceronis locis veteres libros consentire, scribit Leonardus Malaspina †; nequis eam lectionem sollicitare occipiat ex more vulgari; quo, quicquid insolens, immutant, non impudentià minore, quàm imprudentià. Adde quòd alii quoque scriptores ita loquuntur. Terentius Phorm. act. II, sc. III:

† In ep 13 lib 14 ad Att.

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa. Avaritia vide quid facit.

Lucanus lib. I:

——*Quis justius induit arma,*
Scire nefas.

Et alia apud alios.

Quin jubentis, vel hortantis, gaudet indicativo, vel imperativo; non subjunctivo. Ut, *Quin veni*, vel, *quin venis*. Non, *quin venias*. Terent. And. act. II, sc. VI: *Quin dic, quid est?* Cicero in Somnio Scipionis: *Quin huc ad vos venire propero?* Pro Rabino perduellionis reo: *Quin continetis vocem indicem stultitiæ vestræ?* Ubi *quin* valet *qui ne*, unde conflatum. Itaque, *quin accipis?* valet, *qui ne*, hoc est, *quomodo non accipis?* Pro quo & dicitur, *Quin accipe*. Sed, pro *imò*, addi etiam videas subjunctivo. Plautus Epid. act. III, sc. IV:

——*Hic non est locus.*
Quin tu alium quæras, cui centones farcias.

Dum πλεονάζει post imperativos: ut, *agedum, adesdum, dicdum, iteradum.* Addunt, idem habere locum in *sis*: ut, *age sis, dic sis.* Sed *sis* est rogantis: ac valet *si vis*, ut *sultis*, *si vultis*: eoque non magis redundat, quàm si dicam, *age quæso, dic quæso.*

Utinam, &, *si*, optantis, amant optativum, sive subjunctivum; non indicativum. Dicimus enim, *Utinam verum sit*, vel, *utinam verum esset*: non, *utinam verum est*, vel *erat*, vel alio ejusmodi tempore. Sic, *ô si verum sit*, vel *esset*: non *erat*.

Antequam, multi tantùm subjunctivo jungi crediderunt; ideoque apud Maronem ‡ legunt:

‡ 4 Æn.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad Umbras,
Pallentes Umbras Erebi, noctemque profundam;
Ante pudor quàm te violem, aut tua jura resolvam.

Verùm aliter antiqui codd. MSS, aliter quoque Charisius, qui hic *violo* legit, & *resolvo*; eoque ipso, *antequam* indicativo quoque jungi, comprobat.

Scilicet, & *videlicet*, quia valent *scire licet*, *videre licet*, vel *scias licet*, *videas licet*; eo, ut Turnebo*, & Scoppio †, observatum, interdum infinitivum adsciscunt: nempe vi verbi *scio*, vel *video*. Plautus Sticho act. IV, sc. I:

* Lib. 15 Advers. cap. 1.
† Lib. 1 Verisimil. cap. 16.

Videlicet illum fuisse parcum senem.

Quasi dicat, videre licet illum fuisse parcum. Idem paullo pòst:

Videlicet fuisse illum nequam adolescentem.——

Terent. Heaut. act. II, sc. III:

——*Scilicet*
Facturum esse me.——

Ibid. act. V, sc. I:

Continuò injecisse verba sibi Dromonem scilicet.

Lucret. lib. I:

Esse videlicet in terris primordia rerum.

Et lib. II:

Scilicet esse globosa, tamen cum squalida constent.

Sed videas, idem fieri in *edepol*, & *certè*: ubi caussa ex vocis origine nequid adferri. Plautus Asin. act. III, sc. II:

Edepol senem Demænetum lepidum fugisse nobis.

Petronius: *Et ne poetas quidem ad testimonium citem, certe neque Platona, neque Demosthenem, ad hoc genus exercitationis accessisse.* Ubi primus Turnebus ‡, rescripsit, *accessisse video*: idque, quia in Memmii codice repererit, *accessisse & ideo*. Sed aliter MSS alii, & editt. vett. in his Parisina Reginaldi Carderii*; quam omnium principem censeo. Fortasse itidem infinitivo junxit Titinius Veliternà: sanè si sequimur emendationem Palmerii. Vide eum in Spicilegio sect. II †.

‡ Advers. lib. 19. cap. 6.
* An. 1510.
† In Grut. face Crit. Tom. 5. pag. 646, & 647.

Quemadmodum apud Græcos ὥστε infinitivum exigit: ita *Ut* quoque interdum infinitivum apud Latinos adsciscit pro subjunctivo Horatius lib. I, od. XI: ——*Neu Babylonios Tentâris numeros, ut meliùs, quicquid erit, pati.* ὥστε φέρειν, *ut meliùs patiaris, quicquid erit.* Hæc interpretatio placet, præ illà Mureti, quam apud Lambinum videre potes. Porrò Scipio Gentilis lib. I Παρέργ. cap. VI, similem observavit locum Ulpiani in lege LXII ad leg. Falcidiam: *In lege Falcidiâ hoc esse servandum Julianus ait: ut, si duo rei promittendi fuerint, vel duo rei stipulandi, siquidem socii sint, in eâ re dividi inter eos debere obligationem. Ut dividi debere obligationem*, hoc est, *ut dividi debeat obligatio.*

Hæc de Modis, quos amat Adverbium: jam de temporibus dicam.

Aliquando, & *olim*, etiam junguntur præsenti. Agroecius: *Olim, & quondam, & aliquando, tria tempora tenent, præteriti, præsentis & futuri. Affatim inveniuntur exempla. Præsentis demum, quod difficile videtur.* Virgilius Æn. V:

Est procul in pelago saxum, spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus. Idem Æn. II:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Cicero:

Cicero: *Expergiscimini aliquando, & capessite Remp.* De *quondam* fallus videtur Agrœcius, cùm pertineat ad *vicīa*. Sed est Maronis III Georg.

Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.

Ubi vel redundat, vel tempus notat incertum.

Dudum, jamdudum, jamdiu, jampridem, uti præterito junguntur, si actio cessârit: ita, si actio etiamnum duret, præsens amant. Cicero ad Att. lib. IV, ep. V: *Dudum circumrodo, quod devorandum est.* Terentius Eun. act. IV, sc. VII:

Jamdudum animus est in patinis.——

Cicero Verr. V: *Jamdiu flagitat.* Pro quo vulgò dicerent minùs Latinè, *jamdiu est, quòd hoc flagitat.* Virgil. Ecl. II:

Jampridem à me illos abducere Thestylis orat.

Etiam in *nuper* idem locum habere, multorum est opinio, propter illud Terentii Heaut. quod apud Cic. quoque legas II de Fin.

Quamquam hæc inter nos nuper notitia admodum est.

Sed aliqui *nupera* malunt. Alii *nuper-notitia* scribunt, ut sit ὑφ᾽ ἕν, sicut in *semper-dem.* Qua de re in Institutionibus quoque Oratoriis diximus*, ubi de Synthesi agimus.

* Lib. 5. cap. 4. sect. 6.

Jam etiam præteritum adsciscit, sequente præverbio *à*, vel *ab*. Cic. pro Balbo: *Jam à principio Romani nominis.* Idem lib. II, epist. XVI ad fam. *Jam ab illo tempore, cùm in Cumanum mihi obviam venisti.*

Cap. LXIII.

Per pleonasmum, olim quondam, properè ociùs, repente subitò, pòst deinde, deinde deinceps, tandem denique, en ecce, certè hercle, nequicquam frustra, *aliaque id genus. Per ellipsin*, non modò, *pro*, non modò non; simul, *pro*, simulac. *Per anastrophen*, quàm potiùs, *pro* potius-quam: quàm priùs, *pro*, prius-quàm.

Ex speciali convenientiâ superest illa, quæ est Adverbii cum Adverbio. Est ea vel propria, vel figurata. Propria, ut illo Cæsaris: *Fere libenter homines id, quod volunt, credunt.* Sed hæc per se manifesta est. Figurata est triplex, quia Adverbium vel redundat, vel deficit, vel trajicitur.

Redundat, cùm duo conjunguntur Adverbia ejusdem significationis. Imprimis hoc fieri solet in Adverbiis temporis, & ordinis; nisi posteriora hæc ad Conjunctiones malis referre; de quo non disputabo hoc loco. Rem ipsam videamus. *Nunc jam*, & *jam nunc*, passim occurrunt. Simileque, *tunc jam*, apud Appulejum lib. IV. *Olim quondam*, dixit Terentius Eun. act. II, sc. II:

Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius.

Sic *properè ociùs*, & *repente subitò* dixit Plautus. Ut Cisteli. act. III, sc. I:

Dic me orare, ut aliquis intus prodeat properè ociùs.

Et Mil. act. II, sc. II:

Nescio, ita abripuit repentè sese subitò.——

Item, *primùm à principio.* Prologo Menæch.

Salutem primùm jam à principio propitiam
Mihi, atque vobis, spectatores nuncio.

Sic, *pòst hinc, pòst deinde, tum deinde, deinde postea, deinde deinceps, deinceps inde.* Maro VIII Æn.

Pòst hinc ad naves graditur, sociosque revisit.

Terentius And. act. III, sc. II:

Nunc primùm fac istac ut lavet: pòst deinde
Quod jussi ei dare bibere, & quantum imperavi,
Date.

Quomodo & Gellius loquitur lib. VII, cap. III: lib. XI, cap. VII: & lib. XII, cap. V. Idem Gellius lib. VII, c. III: *Tum deinde, ne disparilitas collationis evidens fieret, pluribus id propugnaculis defensat.* Ulpianus l. item apud Labeonem. §. siquis servo. ff. de injuriis: *Siquis servo verberato injuriarum egerit; deinde postea damni injuria agat: Labeo scribit, eandem rem non esse.* Livius lib. II: *Funera deinde duo deinceps collegæ, fratrisque ducit.* Idem lib. V: *Sed, antecedente famâ, nunciisque Clusinorum, deinceps inde aliorum populorum plurimùm terroris Romam celeritas hostium tulit.* Nec dissimile est, *tandem denique.* Appulejus lib. II Met. *Et tandem denique devorato pudore ad Milonem ajo.* Etiam Maro dixit in Ciri: *Olim se meminisse diu.*—— Idem in demonstrativis locum habet: nisi hæc potiùs interjectioni accenseantur. Appulejus lib. I: *En ecce, præfamur veniam, siquid exotici ac forensis sermonis rudis locutor offudero.* Sic lib. X: *En ecce, prolatam coram exhibeo; videat & suum sigillum recognoscat.*

Interdum etiam συνωνυμίας pleonasmus locum habet in aliis adverbiis. Plautus Menæch. act. II, sc. II:

Nam tu quidem hercle certò non sanus satis.

Terentius Phorm. act. I, sc. III:

Nam tua quidem hercle certò vita hæc expetenda
optandaque est.

Et Andr. act. III, sc. II:

Certè hercle nunc hic se ipsus fallit, haut ego.——

Cicero lib. III, epist. II ad Fam. *A te magnopere pro nostrâ summâ conjunctione, tuâque singulari humanitate, etiam atque etiam peto, quæsoque.* Dicit, *magnopere etiam & etiam*, ut Græci μάλα σφόδρα. Appulejus VIII Met. *Sed nequicquam frustra timorem illum satis inanem perfuncti longe pejores inhæsimus laqueos.* Et Apolog. I: *Satis, ut puto, crinium crimen, quod illi quasi ut capitale intenderunt, refutatum est.* Etiam hujus loci est, quando *nimium* jungitur adverbio cum *per* composito: ut apud Terent. And. act. II, sc. VI:

Tu quoque perparce nimium.——

Et cum *ne* jungitur voci post *utrùm.* Et Eun. act. IV, sc. IV: *Utrùm taceamne, an prædicem?* Nisi malis, τῶ τμῆσιν poni, pro *utrumne.*

Post adverbia qualitatis, aut intendendi, sæpe παρέλκει particula *Quàm.* Plaut. Amph. act. I, sc. III:

—— *Ex amore quàm sævus est!*

Gellius lib. IX, cap. IX: *Quod Græcum quidem mirè quàm suave est.* Et lib. XVI, cap. VII: *Laberius in Mimis, quos scriptitavit, oppido quàm verba finxit prælicenter!* Appul. lib. I Metam. *Me satis quàm humane tractare adorta.* Et Apolog. II: *Oppido quàm mihi laborandum est.*

A pleonasmo venio ad ellipsin. Ut cùm, *Non modò*, ponitur pro, *non modò non.* Cic. Catil. I: *Nunquam tu non modò otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium, concupisti.* Et Catilin. II: *Ut jam ista, non modò homines, sed ne pecudes quidem, mihi passuræ esse videantur.* In Ligarianâ quoque codices quidam habent: *Domo est egressus, non modò ad bellum* (ubi alii, *non modò nullum ad bellum*) *sed ne ad minimam quidem suspicionem belli.* Simileque istud Varronis Tanaquile, apud Nonium in *Ruminare: Non modò absens quicquam de te sequius cogitabit; sed etiam ruminabitur humanitatem.* In vulgatis est, *cogitavit:* sed *cogitabit* rectè emendat Stewechius ad quartum Arnobii. Similia loca congessit Muretus lib. X Var. Lect. cap. VII. Item Ausonius Popma antiquæ locutionis lib. II, cap. XI. Ut priorem his Linacrum taceam in VI. Est verò hic mos loquendi à Græcis; quibus οὐχ ὅτι, μὴ ὅτι, οὐχ ὅπως, interdum significant *non solùm*, interdum *non solùm non*; quemadmodum ostendit Budæus in commentariis linguæ Græcæ. Etiam Brodæus Miscell. lib. VIII, cap. XIV, *non possum contentus*, poni à Tibullo ait, pro, *non possum non contentus.* Locus poëtæ est lib. I, el. I:

Jam modò non possum contentus vivere parvo.

Quomodo est in Aldinâ, & aliâ hac antiquiore, quæ Regii Lepidi* prodiit. Sed Jos. Scaliger in Excerptis suis repperit, *Quippe ego jam possum:* quod magis probo.

* An. 1481.

Simul ἁπλῶς, pro, *simul ac*, vel, *simul atque.* Cat. de nuptiis Pelei, & Thet.

Quæ simul optatæ finito tempore luces
Advenere.

Maro

Maro Ecl. IV:

At simul heroum laudes, & fortia facta,
Jam legere, &, quæ sit, poteris cognoscere virtus.

Crebrum est Horatio. Ac loquitur eopse modo Tullius. Ut lib. II Acad. quæst. *Itaque, simul experrecti sumus, visa illa contemnimus.* Et alibi.

Sæpe etiam desideratur *post*, antè *quàm* electivam, numerali præeunte. Columella lib. VIII, cap. VIII: *Quinto die, quàm sustuleris, condire oportebit.* Livius lib. I belli Maced. *Alterâ die, quàm à Brundusio solvit.* Pro, *postquam.*

Atque ista satis ostendunt, ut pleonasmo, vel ellipsi adverbii, figuretur oratio. Superest videamus de trajectione ejusdem: quam ἀναστροφὴν vocant. Ut cùm, *Quàm potius*, dicitur pro, *potius quàm.* Uti apud C. Titium, Lucilianæ ætatis virum, oratione quâ legem Fanniam suasit: *Eunti in consilium ibi hæc oratio: Quid mihi negotii est, cum ipsis nugacibus; quam potius ponamus mulsum mistum vino Græco?* Citat Macrobius† lib. II Saturnalium cap. XII, juxta editionem eam, quam auctiorem ac meliorem habemus beneficio virtute doctrinâque præstantissimi Jo. Isacii Pontani. Similis est locus in Copâ incerti scriptoris‡:

Quid juvat æstivo defessum pulvere abesse,
Quàm potius bibulo decubuisse thoro?

Sic, *quàm prius*, pro, *priusquam.* Ut apud Propertium lib. II, el. XVIII:

Illum sæpe suis decedens fovit in ulnis,
Quàm prius abjunctos sedula lavit equos.

Nempe, ut Scaliger in Copam monet, Atticorum exemplo, qui similiter dicunt, ἢ πρὶν, pro πρὶν ἤ. Aristophanes:

Ἢ πρίν γε τὸ μυστήριον ὑμῖν ἐγχέαι;

Plautum similiter Trinummo* locutum, idem suspicatur. Nam legendum putat:

—— *Lacrumas hæc mihi, cùm video,*
Eliciunt: quia ego ad hoc genus hominum duravi, quàm prius
Me ad plures penetravi.

pro quo in vulgatis, *quin prius*; quod tolerabile fatetur, non tamen sic ut verum putet. Et Scaligero adsentirem, nisi aliter esset in MSS omnibus, & vett. editt.

† Juxta Stephanicam edit. lib. 3, cap. 16.

‡ In poematiis Virgilio adscribi solitis.

* Act. 2, sc. 2.

CAP. LXIV.

Adverbia non gignendi, non dandi, non alium quemquam casum regere. Largiter auri. Ubique itineris. Uspiam rerum. Undique laterum. Ubique litorum. Longè parentum. Intus ædium. Incoram sui. Seorsum sapientiæ, vel sapientiâ. Simul fratre, ac filio.

A Convenientia venio ad Regimen, quod in Adverbiis statui solet. Quæ doctrina est quinctuplex, pro quinque casibus, quos regere Adverbium tradunt.

Ordior à nominativo. Quem *en*, & *ecce*, regere dicuntur: nec solùm tamen, sed subinde & accusativum. Verùm adverbia nullum casum regunt. Cumque *en*, & *ecce*, nominativum additum habent, is casus convenit cum verbo, quod intelligitur: puta *est*, *venit*, vel simili. Ut illo Ciceronis pro Dejotaro: *En crimen, en caussa, cur regem fugitivus, dominum servus, accuset.* Integrè fuerit, *En est hic crimen, en est caussa.* Item isto lib. IV in Verrem: *Ecce autem nova turba, atque rixa.* Puta, *adest.* *En Priamus.* Supple *adest.* Sed si accusativus addatur, intelligitur *video*, vel *vides*, simileve. Ut isto Plauti, vel alius*, Amphitryone act. IV, sc. IV:

En tellum, en tegulas, en obductas fores, en ludificatum herum.

Puta, *cernitis.*
Virgil. Ecl. V:

—— *En quatuor aras.*

Supple, *video*, vel *videtis.*

Genitivum longè plurima regere dicuntur. Ac primùm adverbia copiæ, & inopiæ. Ut apud Sallustium, est sententia Valerii Probi, Gelliique†: *Satis loquentiæ, sapientiæ parum.* Livius lib. X ab U. C. *Habetis affatim lignorum.* Et lib. XXXII: *Agri affatim materiæ præbent.* Par ratio in *largiter.* Plautus Rudente act. IV, sc. IV:

Credo edepol ego illic inesse auri, & argenti, largiter.

Et ibidem act. V, sc. II:

—— *Largiter mercedis indipiscar.*

Appul. Apol. I:

Mihi pro accusationis longitudine largiter aqua superest.

Nec propterea existimandum, adverbia copiæ, & inopiæ, naturâ suâ regere eum casum. Nam genitivus regitur à nomine intellecto: quod est *res.* Ut, *largiter inest argenti*, hoc est, *de re argenti.* Sic, *sapientiæ parum*, pro, *de re sapientiæ.* Quamquam *parum* naturâ est adjectivum. Nam factum ex παῦρον, eliso υ: ut ab eodem est *paulum*, ρ in λ abeunte. *Parum*, igitur, & *paulum*, notant *breve*, vel *parvum*; ac intelligitur *negotium.*

Par ratio in illo Maronis VII Æn. —— *Terrorum, & fraudis abunde est.* Ubi & dicere possis, *abunde* esse naturâ nomen: dixisseque *abundis*, & *abunde*; ut, *necessis*, & *necesse*; *fortassis*, & *fortasse.* Imò similiter etiam naturâ suâ nomina videntur *magis*, & *mage*; *satis*, & *sate*, unde *sat* per apocopen factum. Quid igitur mirum, genitivum habere additum, si naturâ sint adjectiva, ac *res*, vel *negotium*, intelligatur? Nempe dicitur, *abunde*, vel *magis*, vel *satis fraudis*; pro *abunde*, vel *satis*, vel *magis negotium fraudis.* Nec obstat, quòd *magis*, & *satis*, sint terminationes masculinorum, & femininorum. Nam, si istoc durius, possis in istis intelligere *res.* Et quædam tamen in *is* olim fuere etiam neutrius: ut *potis*, pro *pote*; de quo alibi dictum.

De *nimium*, *quantum*, *aliquantum*, *multum*, *nimium*, & similibus, res longè apertior. Nam omnia hæc nomina sunt adjectiva in quibus itidem intelligitur *negotium*: unde is genitivus regitur.

Existimant viri eruditi, casum patrium interdum hîc mutari in accusativum, vel dativum. Ut in illo Terentii Eun. act. I, sc. II:

—— *Forsitan hic mihi parum habeat fidem.*

Ubi tamen in melioribus libris* est, *parvam.* Cic. lib. XII ad Att. *Si satis consilium quadam in re haberem.* App. VII: *Ac ne quidem potatui affatim habemus.* Sed in his, & similibus, adverbium absque casu ponitur: accusativus verò, aut dativus, regitur à verbo.

Præterea genitivum regere ajunt adverbia loci, & temporis. Ut, *interea loci*, *tunc temporis.* Sed, *inter-ea loci*, integrè est, *inter ea loci illum negotia.* *Tunc temporis*, valet, *tunc in temporis re.* Estque pleonasmus, quia *tunc* sufficeret. Vel dic *tunc* accipi pro, *eo*, vel *illo in spacio.* Ac quia & loci est spatium, eo addi temporis. Terentius Andr. act. I, sc. I:

Ex Andro commigravit huc viciniæ.

Ubi *huc*, valet *hoc*, ut in *adhuc*, quod sine dubio idem ac, *ad hoc*: quod integrè fit, *ad hoc tempus.* *Huc viciniæ*, pro, *ad hoc viciniæ locum*, ἀρχαϊκῶς†. nam prisci *hoc locum*, æquè ac, *hæc loca*, dixerunt. Par ratio in illo, *Huc dementiæ pervenit*: pro, *ad hoc negotium dementiæ.* At, *eo dementiæ progressus*: valet, *ea dementiæ*; quod κατ' ἔλλειψιν ponitur, pro, *ad ea*, puta *negotia.* Nisi malis *eo* esse auferendi casum: ut signet, *in eo.* Nam, ut in præpositione dicetur, *in* etiam cùm motum ad rem indicat ab antiquis sæpe ablativo jungebatur. Sic, *quoad ejus possis*: pro, *qua ad*, vel, *quod ad*: hoc est, *ad quod*, sive, in quantum possis. *Quod ejus*, ut, *quid literarum.* Idem judicium de, *quovis gentium.* Nam vel valet, *in loco gentium*, *quovis*, hoc est, *quocunque velis*: vel, *quo*, notat, *qua*: ut plenè sit, *ad quæ gentium loca velis.* Sed oggeras, in his casum posse constitui. At non posse in aliis multis: quæ tamen non minus genitivo junguntur. Ut, *longè*, *nusquam*, *ubi*, *ubique*, & similibus. De his dixero, figuratè jungi genitivo, idque per synthesin,

* Nam ea, item præcedens, ac sequens scena, multis in libris non inveniuntur: nec satis videntur Plautina, et si sint scriptoris admodum antiqui.

† Lib. 10. cap. 15.

* Etiam MSS nostris, & edit. Tarvisina an. 1477.

† Antique.

sin, quia in adverbiis significatio inest nominis cum præpositione. Ut illo Ciceronis lib. XII ad Famil. epist. XXII: *Nostri τεχνῖται longè gentium absunt.* Ubi *longe* valet, *longo spatio*, quod integrè sit, *ab longo spatio*. Dicitur igitur, *longè gentium*, ut, *ab longo gentium spacio*, vel, *longo loco a gentium loco*. Ut Appulejus V Met. *Longe parentum exulantes.* Pro, *longe a parentum loco.* Nec *gentium* omnino πλεονάζει: quia significat, non ædibus solùm, vel vicinia, aut urbe etiam; sed totis gentibus distare. Similiter dixere, *Unde gentium:* quasi esset, *de quo loco gentium.* Item, *nusquam gentium*, quasi, *nullo è loco gentium.* Et apud Appulejum, *ubi gentium*, *alibi gentium.* Quod & adverbium *minimè* imitatur. Nam dicimus, *minime gentium.* Sic, *ubi terrarum*, valet, *quo in loco*, non hujus modò terræ, sed, *omnium terrarum.* Idem judicium de istis, *ubique locorum*, *ubique terrarum:* & apud Appulejum I Metam. *ubique itineris*, quasi dicas, non parte aliquâ *itineris*, sed *quovis* ejus *loco*. Itidem Apol. *ubique litorum*, q. d. non hóc *loco litorum* modò, sed *quocunque.* Ejusdem est VIII Met. *undique laterum.* Pro, *ex quovis adium loco*, vel, *quavis parte*, Et eodem: *Intus adium, audito ruditu meo, pradam absconditam rati.* *Intus*, pro, *interiori parte.* Item IX Met. *Jubebat incoram sui plagas irrogari.* *Incoram sui*, tantundem est, ac *in præsentia sui.* Sic X Met. *Juniorem filium incoram sui funerari videbat.* Hæc satis ostendunt, unde esse existimemus, quod loci, & temporis adverbia genitivo jungantur.

Idem Appulejus adverbia separandi genitivo sociat. Ut de Deo Socratis: *At non apud Homerum, ut in quadam ingenti speculâ, clarius cernis hac duo distributa, seorsum divinationis, seorsum sapientia officia?* *Seorsum divinationis*, valet, *versùm alium locum ac est divinationis.* Sed Lucretius in tertio junxit ablativo:

> *Scilicet avolsis radicibus ut nequit ullam*
> *Despicere ipse oculus rem seorsum corpore toto.*

Et ibidem:

> *At neque seorsum oculi, neque nares, nec manus ipsa*
> *Esse potest animâ.*

Nempe hic intelligitur præpositio: *seorsum corpore*, *seorsum animâ*, pro, *seorsum à corpore*, *seorsum ab anima.*

Præterea ajunt, adverbia superlativi gradus regere genitivum. Ut, *Optimè omnium vixit.* Sed integre est, *Hic homo ex hominum omnium numero vixit optimè.* Quare ut cùm dico, *optimus omnium*; sic etiam in, *optime omnium*, genitivus regitur ab ablativo *numero*, uti ille ab *ex.*

Adhæc genitivum regere dicunt *ergo*, cùm sumitur pro χάριν, hoc est, *gratiâ*, sive *caussâ.* Ut apud Cic. de opt. gen. Orat. *Eum donari virtutis ergo benevolentiaque.* Simileque apud eundem *, *Legis ergo:* apud Maronem †: —— *Illius ergo Venimus.* —— Sed *ergo* est ablativus sive dativus ab ἔργον: ut *virtutis*, vel *legis*, vel *illius ergo*; valeat, *opere istorum.* Nempe qui in caussa est, ut veniam, is facit, ut veniam, eoque caussatum, sive factum vel effectum ejus est, ut veniam: ac proinde rectè dicor illius ἔργῳ sive opere venire.

Etiam *pridie*, & *postridie*, tradunt regere eum casum. Ut, *Pridie Kalendarum*, *postridie Iduum*, *vel Nonarum.* Sed genitivi reguntur à voce *die*, quæ inest in *pridie*, & *postridie.* Nam *pridie*, quasi *priori die*; *postridie*, quasi *postero die.* Itaque & apud Catonem ‡, Ciceronem *, Cæsarem †, legas, *pridie*, & *postridie ejus diei.* Quasi dicas, in die ejus diei præcessore, vel successore.

Insuper *partim* regere dicitur genitivum. Sed *partim* dixere, ut, *restim*, *puppim*, *sementim:* ut sit accusativus antiquus, in quo intelligitur, *ad*, sive *quod ad*; ut apud Græcos κατά. Vel sanè intelligamus *in:* quomodo Plautus Asinariâ act. III, sc. III: *Agesis, tu in partem nunc jam hunc delude, atque amplexare hanc.* Utrumcunque placuerit, ut *pars eorum*, sic dicitur *partim eorum.* Cicero lib. II de Orat. *Sed eorum partim in pompa, partim in acie, illustres esse voluerunt.* Idem lib. II Off. *Eorum autem ipsorum partim ejusmodi sunt, ut ad universos cives pertineant; partim ut singulos attingant.* Parque ratio in hoc Terentii prologo Hec.

> *Partim sum earum exactus, partim vix steti.*

Nam hoc vult, in partem, vel quod ad partem earum fabularum, fui exactus: quod item ad partem, vix stare fabula nostra potuit. Vide omnino, quæ de hac particula refert Atticarum Noctium scriptor lib. X, cap. XIII.

Etiam hoc loco referunt Grammatici, *instar* regere genitivum. Sed hoc nomen est. Maro VI Æn. —— *Quantum instar in ipso.* Livius lib. XXVIII: *Parvum instar.* Vide, quæ diximus lib. I de Analogia, cap. XLVI.

Præterea tradunt, adverbia derivata regere dativum, si nomina, unde veniunt, hunc casum regant. Ita, quia dicimus, *conveniens*, & *congruens natura:* dici etiam à Tullio lib. III de Finibus: *Congruenter natura, convenienterque vivere.* Item, ut dicitur, *similis huic*, vel *his:* sic dicere Plinium lib. XI, cap. XXV; *Similiter his & scorpiones terrestres, vermiculos ovorum specie pariunt.* Atque itidem, ut Cicero pro Quinctio ait; *Tibi propior me nemo est:* & idem ad Att. lib. I, ep. XIV; *Amore tibi proximus:* sic eundem dicere in primo de Nat. Deor. *Deo propius accedebat humana virtus, quam figura.* Et ad Brutum lib. XI, ep. XXI: *Me huic tua virtutis proxime accedere.*

Sed si adverbia in hac structura imitantur nomina; hic etiam locum habet, quod de structura nominis dixi c. XII: uti & quæ de dativis verbo additis afferebam cap. XXXIV. Nempe & nomina, & verba, & participia, & adverbia, in eo conveniunt, quòd dativum adsciscant, qui significet acquisitionem, sive, ut loquuntur, *finem cui.* Quem usum dativi siquis attenderit, facilè videat, hoc *regimen* dici non posse. Nec tamen tanti id videtur, ut de eo contentionis funem cum aliquo duxerim.

Accusativum regere ajunt, partim *en*, & *ecce*; partim *propius*, & *proxime*; partim *versus*, vel *versum.* Sed de *en*, & *ecce*, paullò ante vidimus. De *propius* verò, & *proximè*, simile judicium ferri debet, ac de *propior*, & *proximus:* quibus accusativus quidem jungitur, sed aliunde rectus. Quemadmodum enim dicitur, *propior*, & *proximus urbem*, vel, *castra*, κατ' ἔλλειψιν præpositionis AD; ut monitum cap. XVI, & XVII: ita & *propius* & *proximè urbem*, vel *castra*, per eandem dicimus ellipsin.

Ab eâdem præpositione regitur accusativus, qui ab *usque*, aut *versus*, vel *versum*, regi existimatur. Ut, *Italiam usque*, pro, *Ad Italiam usque.* *Italiam versus*, pro, *Ad Italiam versus.* *Romam versum*, pro, *Ad Romam versum.* Quamquam pro *ad* etiam *in* possis reponere. Vide, quæ diximus lib. IV de Analogiâ cap. XXII.

Nec *pridie*, & *postridie*, regunt accusativum. Dicitur quidem, *pridie Nonas*, vel *Compitalia:* sed intelligitur hic *ante.* Dicitur quoque, *postridie Kalendas*, vel *ludos.* Sed intelligitur *post.* Qua de re pluribus cap. LXVI. Vel dicendum regi genitivum à nomine dies; quod inest voci *pridie*, & *postridie.* Ita *pridie* vel *postridie ludorum*, valeat *priori*, vel *posteriori ludorum die.*

Nec aliter se res habet in ablativis, quos à comparativis regi tradiderunt. Ut enim, *ocior Euro:* κατ' ἔλλειψιν dicitur, quod integrè sit, *præ Euro:* sic, *ocius dicto*, valet, *præ dicto.* Ubi & ablativus, geminatâ sic ellipsi, prætermittitur, cùm Maro ait Æn. VIII:

> *Ocius incubuere omnes.* ——

Itidem Ciceronis illo pro Domo suâ: *Emit domum prope dimidio carius, quàm ille æstimabat. Dimidio carius emit*, plenè erit, *Præ dimidio:* ut, *Dimidio carior*, integrè est, *Præ dimidio carior.* Vide sis, quæ in Nomine dicta cap. XVI.

Adverbia etiam congregandi regere ajunt ablativum. Sed vel more id fit Græcorum, qui dicunt, ἅμα, vel, ὁμοῦ τοῖς ἄλλοις: *unà*, vel, *simul aliis:* vel ἔλλειψις est præpositionis *cum.* Ita Horatius lib. I, sat. X:

—— *Te*

* Ad Att. lib. 3
† 6 Æn.
‡ De R. R. cap 2.
* Lib. 1, ep 4.
† Lib 1 de bello Gall. & 1 de bello civili.

—— *Te dicere possum*
Pollio, te Messalla tuo cum fratre, simulque
Vos Bibuli, & Servi, simul his te candide Furni.

Simul his, pro, *simul cum his*. Livius lib. XLV: *Pullo amiculo, simul filio, Perseus ingressus est castra.* Prout restituit Lipsius lib. V epist. quæst. XIII: ubi & Taciti similia duo loca adducit, & hunc Nemesiani in Cynegetico:

Hos igitur genetrice simul, jam vere sereno,
Molli pasce sero.

Hoc est, *catulos simul cum genetrice.*

Nec *procul* regit ablativum. Nam, *procul mari*, est ἐλλειπτικὸν, pro, *procul à mari*. De quo dictum satis lib. IV de Analogia cap. XXII.

CAP. LXV.

DE PRÆPOSITIONE. Triplicem ab ea casum regi. Falli Linacrum, & alios, qui arbitrantur, tenus regere accusativum. Servii error. Tenus *vel ablativum singularem requirit, vel genitivum, aut ablativum pluralem.* Super, *more Græco, cum genitivo, apud Paullum I.C. Imò* in, *&* ex, *similiter, apud Vitruvium.* In, *contra Grammaticorum præceptum, cum accusativo in significatione quietis: cum ablativo, in significatione motus. Inque priori etiam ab H. Stephano recessum. Præpositio infinitivum habens pro casu suo.* Ab, *&* abs, *quibus consonis præponantur.* A, *vel* ab, *cum ablativo, loco genitivi: item loco nominis gentilis, possessivi, aut similis. Ennius apud Ciceronem emendatus. Catullo lux.*

AB Adverbio transeo ad Præpositionem: ubi priùs agemus de structura propria, deinde de figurata.

In propria imprimis videndum, quos casus præpositio requirat. Tres autem casus sunt, qui ab ea regantur: accusativus, ablativus, & genitivus. Ac quædam accusativum solum admittunt; ut, *ad*, *apud*, *pone*, *secus*, & aliæ pueris etiam notæ. Quædam solum ablativum; ut, *à*, *ex*, *palàm*, atque aliæ. Quædam utrumque hunc casum; ut, *in*, *sub*, *super*, *subter*, & *clam*. Plautus crebro nunc ablativo jungit: ut, *clam hero*, *clam uxore*: nunc accusativo, ut *clam patrem*, *matrem*, *senem*, *uxorem*. Quomodo incertus, sub Ciceronis nomine, in Sallustium: *Timeo, ne facinora ejus clam vos essent.* Sed usitatius ablativo jungitur. Plautus etiam adverbialiter usus cum dativo Milite Glorioso: *Meretricem moneri, quam magni referat, mihi clam est.* Pro, *occultum mihi*. Quædam ablativum, & pluralem genitivum; ut, *tenus*. Quod si Linacrum, adhæc Rob. Stephanum, & alios Lexicographos, audimus; etiam accusativum amat: quod adstruere conantur illo Valerii Flacci in primo Argonauticôn:

Et Tanaim tenus immenso descendit ab euro.

Sed *Tanai* rescribendum: atque ita edidit Carrio. Imò, juxta Servium, solum regit ablativum, at si genitivo addatur, adverbium est. Sed planè Grammaticus is fallitur. Aliquanto illi meliùs, qui tradunt, cùm singulari jungitur, gaudere ablativo: ut II Æn.

—— *Lateri capulo tenus abdidit ensem.*

At cùm plurali sociatur, admittere genitivum: quomodo Lucretius lib. IV, *labrorum tenus*: Catullus Carm. LXV, *nutricum tenus*: Maro III Georg. *crurum tenus*, & X Æn. *laterum tenus*: Plinius lib. XXXIV, cap. VIII, *corporum tenus*: Quinctilianus lib. XII, *aurium tenus*. Sed examussim optimè, qui ajunt, præpositionem hanc exigere vel ablativum singularem; vel genitivum, aut ablativum pluralem. De ablativo plurali arguit hoc Nasonis V Met.

Pectoribusque tenus molles erectus in auras.

Et eodem:

Pectoribusque tenus mediâ sublimis in æde.

Celsus lib. I, cap. III: *Dimittere se inguinibus tenus in aquam calidam.*

Sola verò est *tenus*, quæ, Romano more, genitivum admittunt. Nam *super* quidem genitivo juncta invenitur: sed more Græcorum. Ut apud Paullum L. sæpe ita. LIII. D. de verborum significationibus: *Super pecunia, tutelave sua.* Imò Vitruvius quoque sic Græcissare amat, ut *in*, & *ex*, genitivo jungat: quemadmodum & Grosippo, sive Gaspari Scoppio* observatum. Ita in antiquis codd. est lib. I, cap. II: *Quantitas est modulorum ex ipsius operis sumtio.* Ubi Philander edidit, *sumtione*: imò & Florentina Juntæ anni CIϽ IϽ XXII. At in eàdem Florentinâ rectè est lib. eodem cap. IV: *Piscium natura plurimum ex aëris, & terrenis, sunt composita.* Ubi Philander, *ex aere, & terreno.* At non Florentina solùm, sed & Philandri quoque editio lib. eodem cap. V habet: *Cum ergo iis rationibus erit salubritatis in mœnium collocandorum explicatio.* Pro, *in mœnibus collocandis.* Idem lib. III, cap. II: *Si ex imbrium aqua vis occupaverit.* Ita & Florentina: ubi Philander, *& imbrium.* Sed, *ex imbrium*, pro, *ex imbribus*, dixit Vitruvius. Idem lib. VIII, cap. ult. *Descriptio ex duodecim cælestium signorum sic figurata.* Ita utraque, quam dixi, editio: pro, *ex duodecim cælestibus signis.* Nisi istæc omnia dici putes per ellipsin, quæ hoc pacto debeat suppleri: *Modulatio ex operis*; puta, *modulo*. *Composita ex aëris, & terreni*; puta, *naturâ*. *In mœnium collocandorum*; nempe, *ratione*. *Vis aqua ex imbrium*; supple, *casu*, vel simile. *Figurata ex cælestium signorum*, videlicet, *figuris*. Quæ licet non damnem; tamen, quia Græcos sequi amat Vitruvius, verisimilius puto, ea integre quidem, sed per Hellenismum dicta esse. In quibus non imitabimur hominem mechanicum, Romanæque puritatis minùs curiosum. Ad ea, quæ Romanæ sunt consuetudinis, redeamus.

* *Annotat in Synt. p. 127, & 128.*

IN ajunt accusativo semper jungi, quoties significat motum ad locum: at, cùm quietem notat, exigere ablativum. Verùm video, antiquos indifferenter junxisse accusativo, & ablativo. Nam dixit Cato de R. R. cap. LII: *In arborem relinquito.* Ibid. cap. LXXXVIII: *In patinas in sole ponito.* Et cap. CLVI: *In aquam macerare oportet.* Frequentat & hoc loquendi genus Plautus, ut Aululariâ*:

Multoque prius me collocavi in arborem.

* *St. Picos divitiis, qui aureos.*

Idem Amphitr. act. I, sc. I:

—— *Numerò mihi in mentem fuit.*

Et Bacchid. act. I, sc. II:

Occisus hic homo est. ecquid in mentem est tibi,
Patrem tibi esse?

Mostell. act. I, sc. II:

Argumentaque in pectus multa institui.

Casin. act. II, sc. III:

—— *Ubi in lustra jacuisti?*

Epid. act. II, sc. II:

Nam ego illum audivi in amorem hærere apud nescio quam fidicinam.

Pœn. act. V, sc. IV:

Patrue, facito, in memoriam habeas, tuam majorem filiam
Mihi te despondisse.

Ita est in vett. codd. Idem Rudente act. V, sc. I:

Nunc alteram illam, quæ mea est, visam huc in Veneris fanum.

Ter. Eunucho act. II, sc. II:

Ille ubi miser, famelicus, videt me esse in tantum honorem.

Ubi tamen, ut à Faërno observatum est, libri multi, ac plerique etiam Donati commentarii, habent, *esse in tanto honore.* Ac Henricus Stephanus† negat, *tantum honorem* scriptum fuisse à Terentio; nisi & idem fortè pro ESSE etiam ISSE dixerit. Sed non possum ei hac in re assentiri. Est enim Ciceronis quoque in Manilianâ: *Cùm vestros portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis.* Idem pro Quinctio: *In judicium haberet.* Et eâdem orat. *Res cœpit esse in vadimonium.* Cæsar lib. I de bello Civili: *Quo faciliùs omne Hadriaticum mare extremis Italiæ partibus, regionibusque Græciæ, in potestatem haberet.* Et si sic Cicero ac Cæsar, cur non similiter Sallustius in fine historiæ de bello Jugurthino:

† *Palæstrâ de Latinitate Lipsii.*

thino: *Cùm talem virum in potestatem habuisset.* Ut caussa hic sit nulla, cur eam veterum librorum scripturam Henricus Stephanus ‡ habeat suspectam. Petronius quoque Arbiter ait: *Neque enim res, quæ viderentur in controversiam esse; sed longè aliud quæri.* Quod & observatum Turnebo lib. XIX Adverf. cap. VII. Ac similiter Curtius lib. III: *Darium quinctò die in Ciliciam fore nunciabatur.* Sed quid his insisto? de quibus abunde ex veteribus, Gellius lib. I, cap. VII, & lib. XVII, cap. II, item Priscianus lib. XVII. Ex junioribus autem, Camerarius in Tuscul. Cicer. Obertus Giffanius indice Lucretiano voce IN, Juretus notis in Senecæ lib. III de benef. cap. XXXVII, Passeratius in Propertii lib. III, el. IX, Andreas Schottus lib. I Nodorum Ciceronis, cap. VI, Raderus in Curtii lib. III, cap. X, & alii, quos prætereo.

‡ De Lat. Lips. p. 446.

Ac plerisque horum etiam observatum, ut IN, ubi quietem notat, pro ablativo habeat accusativum. Cic. *Venit in Senatu.* Cui Scaliger observat simile esse hoc Manilii lib. V: *Cum venit in regione.* Apud Plautum quoque libri aliquot vett. Amphitr. act. IV, sc. III:

Seu patrem, sive avum videbo, introrumpam in ædibus.

Ubi codices alii, *obtruncabo.* Idem Aulul. act. III, sc. VI:

Qui mihi intromisisti in ædibus quingentos coquos.

Sic MSS, & vett. editt. ubi Duza, *Qui mihi immisisti in ædes.* Varro lib. IV de L. L. *Qua in Cælio monte itur.* Vide, si tanti, Auson. Popmam de antiqua locutione lib. II, cap. VI: item Notis ad Catonem de R. R.

Valla lib. III, cap. XVIII, *In marmore*, inquit, *incisæ sunt literæ, non in marmor. E diverso, in æs, non in ære.* Sed utrumque rectè dicitur. Cic. Att. VI, in Verrem: *Id non modò tunc scripserunt, sed incisum in ære reliquerunt.* Plinius Histor. Nat. lib. XXXIV, cap. IX: *Usus æris ad perpetuitatem monumentorum jampridem translatus est tabulis æreis, in quibus publicæ constitutiones inciduntur.* Plin. alter, panegyr. ad Trajanum: *Quæ vos, P. C. nequa intercipere oblivio, & in publica acta mittenda, & incidenda in ære censuistis.*

Ajunt & *præter*, utrumque casum adsciscere. Priscianus lib. XVIII: *Apud nos Præter accusativo conjungitur: & ablativo tum, cum pro Sine accipitur. Ut Sallustius in Catilin. Præter rerum capitalium condemnatis. Pro, sine condemnatis.* Quod & postea repetit. Idemque apud Cledonium legas. Verùm non videtur hic *Præter* esse præpositio, sed adverbium, pro *Præterquam.*

De præpositionibus aliis, quando accusativum, quando item ablativum regant, quia alibi dictum, & res est pervulgata, nihil ea attinet hoc loco reponere. Ac ne illud quidem, ut arbitror, repetere opus, quod dictum cap. L, præpositionem etiam pro casu alterutro habere infinitivum: quomodo Lucretius, *Ad sedare sitim:* pro, *ad sedandam sitim.* Græcis, ac Hebræis, nihil hoc sermonis genere usitatius.

Quod A volunt semper præponi consonantibus, AB, & ABS vocalibus: (quod etiam apud Charisium legitur) id perpetuum non est. Nam AB quoque præponitur plerisque omnibus consonantibus; C, ut, *ab classe, ab Carthagine:* D, ut, *ab Delio, ab Dictatore:* G, ut, *ab Gallis:* I, ut, *ab Iove:* L, ut, *ab Legatis:* N, ut, *ab nullo, ab Numâ:* R, ut, *ab Rege, ab Romanis:* S, ut, *ab Samnitibus, ab Servio:* T, ut, *ab Tarquinio, ab tergo. Abs* verò ponitur ante T; ut Terentii Andriâ *:

Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras.

Idem eâdem †:

O Dave, itan' contemnor abs te? ——

Et interdum ante Q: ut Adelph. ‡

Abs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas.

* Act. 1, sc. 5
† Act. 3, sc. 2.
‡ Act. 2, sc. 3.

Particula *a*, vel *ab*, cum casu suo, interdum ponitur loco casus patrii. Ita Plautus dixit Mil. Glor. act. II, sc. II:

—— *Nunc adeò edico omnibus,*
Quemquam à milite hoc videritis hominem in nostris tegulis,
Extra unum Palæstrionem, hunc deturbate in viam.

Pro, *quemquam hominem militis.* Sic alibi: *Foris concrepuit à sene*, h. e. *senis.* Suntque similia apud Lucretium, *fulgor ab auro*, pro, *auri fulgor*; & *Ceres ab Iaccho*, pro, *Iacchi Ceres.* Vide indicem Lucretianum Giffanii.

Præterea est, cùm præpositio ista cum casu suo sumitur loco nominis gentilis. Maro III Georg.

—— *Et te memorande canemus*
Pastor ab Amphryso.

Hoc est, *Amphrysie.* Et Carrio lib. I Emend. cap. VI, similiter interpretatur illud Nasonis lib. II Am. el. VI:

Psittacus Eois imitatrix ales ab Indis.

Hoc est, *Indica.* Nec soli poëtæ sic loquuntur. Nam Livii est lib. I: *Turnus Herdonius ab Aricia fortiter in absentem Tarquinium erat invectus.* Et lib. II: *Obsides dant trecentos, principum à Cora atque Pometia liberos.* Item Gellius lib. VII, cap. XVI: *Pavus è Samo, Phrygia attagena, grues Melica, hædus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia*, &c. Et lib. XIII, cap. V: *Is erat à Lesbo Theophrastus.* hoc est, *Lesbius.* Etiam in aliis hoc dicendi genus invenitur. Ennius apud Cicer. lib. I de Div.

Non vicanos aruspices, non de circo astrologos.

Quem locum sic restituimus: *Non astrologos de circo, non vicanos aruspices.* Nam est ex carmine trochaico quadrato catalectico. Catullus epigr. XXV:

Cùm de viâ mulier aves ostendit oscitantis.

Mulier de via, quævis saga, ἡ τυχοῦσα. In vulgatis, cum *de via* invenissent, inde fecere, *deiva*, sive, *diva.* At longiùs etiam abeunt, qui mox legunt, *Mater alites ostendit occinentes:* uti & in Duziaca est. Sanè vetus editio, quæ Regii Lepidi prodiit anno CIƆ CCCC LXXXI, disertim habet, *Mulier aves ostendit oscitantes:* quod etiam Scaliger retinuit. Sed, ut ad illud, *de via*, revertamur: simile est Ciceronis pro Archia, *poëta de populo*, pro, *popularis.* Et Tibulli lib. I, el. III:

Retulit e triviis omnia certa puer.

Hoc est, *trivialis.* Item Appuleji lib. I Met. *Alium de foro.* hoc est, *forensem.* Et Macrobii lib. I Saturn. *Erant isti philosophi, Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus.* Hoc est, *Carneades Academicus.*

CAP. LXVI.

Pleonasmum præpositionis sæpius statui, ubi nihil redundet. Præpositione eâdem in compositione, & extra eam, concurrente, utro illa loco superflua sit. Re *abundans.* Præscire antè. Simul concurrere. Tecum oro, *pro*, te oro. Principium, *pro*, ad principium: *aliaque, ubi ad deficiat. Ellipsis præpositionum* ante, post, circa, per, a, ab, de, ex, cum, præ, sub. *Ellipsis casus à præpositione recti; atque adeò etiam præpositionis cum suo casu.* Domus, & ædes, *ut propriè differre videantur.* Ἀναστροφή. Tenus *medio loco inter substantivum, & adjectivum.* Hactenus *divulsum* κατὰ τμῆσιν.

QUemadmodum verò de Adverbiis diximus: ita etiam in Præpositione nunc pleonasmus, nunc ellipsis, nunc anastrophe occurrit.

Pleonasmum statuunt multi, ubi, si præpositionem tollas, fuerit ellipsis. Ut in illo Adelphis act. I, sc. I:

In eo me oblecto: solum id est carum mihi.

Ubi Donatus, *nove*, inquit, *pro, eo me oblecto.* Unde colligunt, præpositionem redundare. Rectè, si consuetudinem spectemus: non item, si nativam structuram. Hæc enim præpositionem requirit: sed consuetudo, brevitatis studio, prætulit ellipsin. Nihilo magis pleonasmus est in istis: *Magno cum labore ab Dyrrachio profectus. In eo tempore venit. De nocte surgit. Per dies sex ægrotavit.* Sed, sublatâ præpositione, ellipsis est, eaque magis obtinuit.

At verè est pleonasmus in multis, cùm præpositio repetitur,

titur, quicum componitur verbum. Ut in Andr. act. II, sc. I:

Quid tibi videtur? adeon ad eum? ——

Ubi Donatus: *Consuetudine magis, quàm ratione, dicitur: unum enim A D redundat.* Sed quæritur, utrum horum AD redundet; illudne, quòd inest composito, an quod vocem simplicem constituit. Hoc, an illud, statuas, non multum refert. Verius tamen, in composito supereſſe. Nam accuſativus additus non regitur à verbo, cùm non homo eatur, ſed via: eoque integrè ſit, *adeone viam*, vel, *iter ad eum?* Similiter, cùm Cicero ait in Bruto: *Nihil non conſideratum exibat ex ore:* plenè ſit, *exibat iter*, ſive *itionem ex ore.* Nam *exire* accuſativo jungi, indicio eſt, quòd rectum ſit, *exire patriam.* Quare, cùm dico, *exire patriâ:* ablativus non regitur à præpoſitione, quæ ineſt verbo; ſed quæ intelligitur.

Etiam loquelaris præpoſitio, *re*, interdum ſupereſt in compoſito. Terent. Andr. act. III, ſc. II: *Renuncio hera futurum.* Ubi ſic Donatus: *R E ſyllaba apud veteres interdum redundat: ut Renuncio, pro Nuncio.* Similéque videtur hoc II Æn.

—— *Et retro ſublapſa referri.*

Adhæc, quando *ante* additur compoſitis cum *præ*; aut *ſimul* apponitur compoſitis cum *con*, ſive *cum*: vel adverbium, vel præpoſitio redundat. Terent. Andr. act. I, ſc. V:

—— *Nonne oportuit,*

Præſciſſe me ante? ——

Et act. III, ſc. II:

—— *Multa concurrunt ſimul,*

Qui conjecturam hanc nunc facio. ——

Etiam Plautus, & Terentius, per pleonaſmum præpoſitionis, *tecum oro*, pro, *te oro*, dicunt: ut obſervat Aruſianus Meſſus in exemplis Elocutionum. Rudente act. III, ſc. IV:

—— *Scin quid? tecum oro ſenex,*

Ut illas ſerves, vim defendas, dum ego herum adduco meum.

Idem Curcul. act. III:

Tecum oro, & quæſo, qui has tabellas adferet

Tibi, ut ei detur, quam iſtic emi virginem.

Similiter Bacchidibus loquitur. Et Terentius Hec. act. IV, ſc. IV. Ac, Feſto teſte, in primo Annalium Ennii eſt:

—— *Face verò*

Quod tecum precibus pater orat.

Ac hujuſmodi eſt pleonaſmus. Videamus nunc de ellipſi: & primùm de earum præpoſitionum defectu, quæ accuſativum regunt.

AD, vel IN, intelligitur, cùm motus ad locum, vel in locum ſignificatur. Ut, *ire rus, domum, Romam, Hieroſolymam.* Quomodo & Hebræi loquuntur. Ut I Reg. cap. III, verſ. V, ad verbum Hebræa ſonant, *Et venit Jeruſalem.* Nempe ל deſideratur. Sed Latinis tam uſitata eſt hæc ellipſis in exemplis allatis, ut vulgo naturalis ſermo exiſtimetur. Diſpar ratio in nominibus regionum, & aliis locorum nominibus. I Æn.

Italiam fato profugus, Lavinaque venit

Litora. ——

Ovid. III Met.

Verba refers aures non pervenientia noſtras.

Plauti quoque ſunt, *venire Cariam*, item *Acheruntem.* Appulejus mirè hoc loquendi genus amat. Ut Met. I: *Macedoniam profectus.* II Met. *Ut vix improvidæ noctis caligine liberati hoſpitium feſſi rediremus.* VI Met. *Nec cunctata diutius pergit quandam turrim prææltam.* Et alibi apud eundem, *Caſtra remeare, revenire civitatem, contendere monumentum mariti, ripam maris proximare.*

Etiam hujus loci eſt, *ire exequias.* Terent. Phorm. act. V, ſc. ult.

Exequias Chremeti, quibus commodum ire, jam tempus eſt.

Ac ſimiliter, *exequias venire*, legas apud Appulejum lib. IV Met.

Item intelligitur AD, cùm menſura, vel diſtantia indicatur. Plin. lib. VI, cap. XXXIV: *Umbram reddit quatuor pedes longam.* Cic. pro Cæcina: *Quot millia fundus ſuus abeſſet ab Urbe.*

Similiter cùm finis, ſive propoſitum notatur. Ut: *Quid opus eſt verbis? Quid incaſſum laboras? Et potum paſtas age, Tityre.*

Præterea quando ſignificatur pars, vel proprietas, & universè, quando ſententia eſt, *quod attinet ad illud.* Ut apud Plautum Epid. act. IV, ſc. I:

—— *Ille eam rem adeò ſobriè, & frugaliter*

Accuravit, ut alias res eſt impenſè improbus.

Ubi Lambinus reſcribit, *ad alias:* ſed invitis MSſis, & adverſantibus editionibus, quæ præceſſere. *Ad* interea animo hic concipiendum. Nam, *alias res improbus*, integrè eſt, *ad alias res improbus.* Simile I Æn. *Nuda genu.* Et ibidem:

Expleri mentem nequit. ——

Et IV Æn.

Omnia Mercurio ſimilis, vocemque, coloremque.

Horat. lib. I, epiſt. X:

Excepto quòd non ſimul eſſes, cætera lætus.

In cujuſmodi ſupplemus defectum per *quod ad.* Similiter in proſa. Tullius in Oratore: *Magnam enim partem ex jambis noſtra conſtat oratio.* Pro, *ad magnam partem.* Sic, *Nimium*, vel *aliquid immutavit*, aut *auxit.* Pro, *ad nimium:* &, *ad aliquid.* Ut Ulpianus loquitur I. I. §. VII. D. Nequid in flumine: *Si ea res curſum fluminis ad aliquid immutavit.* Ad partis etiam ſignificationem refer *nihil:* quod ſignificat, *nec hilum*, id eſt, nec minimâ ex parte. Ut illo Plauti Rudente, act. III, ſc. VI: *Nihil ſalutem moror.*

Etiam hæc præpoſitio deeſt in multis, quæ vulgò adverbia ordinis cenſentur. Ut, *Primum*, vel, *extremum te oro: Tertium*, vel, *ſeptimum conſul.* Sic autem ſupple, *ad primum, ſecundum, extremum locum*, vel, *numerum:* ut planius fiet ex iis, quæ dicam de ellipſi præpoſitionis IN.

Eſtque ſimile hoc Afranii apud Soſipatrum:

Principium hoc oro, in animo ut ſic ſtatuas tuo,

Officiis cogi, ut abs te ſeorſum ſentiam.

Nam *principium*, pro, *ad principium:* ut, τὴν ἀρχὴν, pro, κατὰ τὴν ἀρχήν. Joan. cap. VIII, 25: Τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Vulgatus interpres vertit, *Principium quia & loquor vobis.* Ubi *principium* eſſe caſum accuſandi, liquet: ponique pro *ad principium*, atque idem notare, quod *a principio*, ſive *ab initio.*

ANTE intelligitur, cùm tempus ſignificatur. Ut, *Triginta annos natus. Multos abhinc menſes. Tres dies eſt, cum venit. Septimo Kalendas, quarto Nonas, tertiò Idus.* Quâ de re ita Priſcianus in XVIII: *Attici dicunt*, τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ τρίτην ἡμέραν τόδε ἐπεσάτον. *pro, nudiustertius. Hinc Romani, Tertium & tertio Calendas, vel Nonas, vel Idus, vel Calendarum, Nonarum, Iduum. pro, in tertio ante Calendas, vel Nonas, vel Idus. Cicero Invectivarum I: Meministine, me in ante diem XII Calendarum Novembrium dicere in ſenatu, fore in armis certo die, qui dies futurus eſſet in ante diem ſextum Calendarum Novembrium? Pro, in diem ſextum Calendarum Novembrium. ANTE frequentiùs tamen accuſativo adjungitur, & per ellipſin præpoſitionis.*

POST ſimiliter deficit, cùm *poſtridie* jungitur accuſativo. Ut ad Att. lib. XVI, ep. III: *Poſtridie ludos Apollinares.* Sic illo pro Roſc. Comœdo: *Repromittis tu abhinc triennium Roſcio.* Pro, *poſt triennium.*

OB, vel PROPTER, deſideratur, cùm cauſſa finalis, vel impulſiva, indicatur. Ita deeſſe ait Donatus illo Terentii And. act. I, ſc. I:

—— *Magis id adeò, mihi ut incommodet.*

Livius: *Sollicitus vicem Imperatoris militibus.* Curtius lib. VII: *Mæſtus non ſuam vicem.*

Et Eun. act. V, ſc. VI:

—— *Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.*

Heaut. act. v, sc. III:

—— Id quod est consimilis moribus,

Convinces facilè ex te natum. ——

Hec. act. III, sc. III:

—— Illico omnes simul

Lætæ exclamant, Venit. id quod me repente adspexerant.

Ad quem locum Donatus: *Deest Propter, ut sit, Propter id, ac per hoc Ideo.*

Cicero lib. III ad Qu. Fr. ep. III: *Ab accusando* (me) *teneo, vel id* quod nolo cum Pompejo pugnare, vel id† quod judices nullos habemus.* Pro, *ob id quod.* Livius lib. XLI: *Id quod erat vetusta conjunctio cum Macedonibus.* Sic, *Gaudeo quòd veneris.* Pro, ob quod (puta *nomen*, vel *negotium*) veneris. Belgæ interdum præpositionem addunt, dicunt enim, *Ick ben blyde, dat ghy gekomen bent:* Et, *om dat ghy bent gekomen.* Par ratio in infinitivis, ac supinis. Ut, *Eo visere*, vel, *visum. Gaudeo fecisse.* Item in istis, *luget fratrem, manet te:* & fortasse in hoc, *olet unguenta.* Nec enim minùs id verisimile, quàm quod cap. XXII dicebamus.

* Ita vett. codd.

† Et sic item. Alii id omittunt.

CIRCA intelligitur in temporis significatione. Ut, *Homo id ætatis.* Et, *Id noctis ambulas solus. Illud non dubito.*

PER intelligitur, cùm tempus notatur. Ut, *Vixit annos* XXX. Cic. de Divinat. *Totas noctes somniamus.*

Vel partem certo modo affectam. Ut, *Hirsutus brachia.*

Aut locum. Ut, *Mare navigavit.* Propertius lib. II, el. XXVIII:

Ino etiam primâ terras ætate vagata est.

Aut objectum. Ut, *jurare Deos.*

IN quoque hujus loci est, quando intelligitur in accusativis tempus significantibus. Ut, *Annum conduxi*, pro, *in annum.* Sic, *Sis multos annos superstes.*

Item cùm notatur motus in locum: ut, *Cyprum relegari: Hellespontum pervenire:* similiaque adducta cap. XLII. Eodemque modo Papinianus D. De condit. & demonstrat. *Cum Asiam venisset.*

Præterea cùm pars rei notatur, sive cùm oratio exponitur per hæc verba, *quod ad illud attinet.* Ut, *Multum præstat.* Pro, *in multum.* Hoc est, *quod ad multa, præstat.* Par ratio, cum *aliquantum*, vel *paullum*, adverbialiter capiuntur.

Venio ad præpositiones, quæ ablativum regunt.

Ut A, vel AB: quæ intelligitur sæpe, cùm distantia significatur. Ut, *Distat foro, urbe, Ægypto. Stulto intelligens quid interest!*

Item cum signatur caussa, instrumentum, aut modus: ut, *Pallet amore, gladio percussit, joco dicere, prosequi amore.*

Vel cùm notatur pars certa, quam exponere possimus, *quod ad hanc partem*, sive, *quod ad illud attinet.* Ut, *Corpore validus, sed animo infirmus. Pectore nudus. Arte insignis. Numero militum impar. Natione Thessalus. Egere nummis. Privari potestate.*

Vel cùm indicatur tempus consecutum. Ut, *Rege occiso. Sole exorto.*

Item in verbis abstinendi, aut liberandi. Ut, *Abstinere irâ. Liberare errore.*

Etiam cùm notatur, unde quid venerit. Ut I Æn.

—— Stridens Aquilone procella

Velum adversa ferit.

Et lib. II:

—— Atque imo Nereus ciet æquora Ponto.

Sic, *Româ venire.*

Item illo Plauti Asin. act. II, sc. IV: *Periphanes Rhodo mercator.* hoc est, à Rhodo. Mercat. act. V, sc. II: *Video ibi hospitem Zacyntho.* Bacch. act. II, sc. II: *Hospes Epheso.* Terent. Heaut. act. IV, sc. I: *—— Sed erat hic anus Corintho haut impura. ——* Similiter Cato de R. R. *Soleas Syracusis.* Lucilius, *Mensam Libano.* Varro, *Cultros Bithyniâ.* Propertius lib. IV, eleg. VI:

Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.

Hoc est, tibia Mygdonia, sive Phrygia. Nam Cadi urbs Mygdoniæ, quæ Phrygiæ regio est. Gellius lib. III, cap. XV: *Mulierem Naxo insulâ.* Ausonius epist. V:

Paganum Medulis jubeo salvere Theonem.*

hoc est, Medulanum.

* Veneta anni 1494 habet, è Medulis. Sed in MSo veteri præpositio abest teste Vineto.

Sed possis in hujusmodi etiam DE intelligere. Quomodo Cicero ait, se *de Pomptino* scribere. Imò *Ovidius de Ponto*, si vera est hæc Ponticorum inscriptio, valet, libri Ovidiani de Ponto missi. At quod similiter putarunt dici, *Ovidium de Tristibus*, id secus est, cùm hic nulla sit loci ratio, eoque libri illi *Tristium* sint vocandi.

DE etiam intelligitur in ablativis copiæ: ut, *Plenus vino*, vel *nugis.*

Item temporis. Ut, *Nocte surgere.*

Vel caussæ, aut modi. Ut, *Gloriatur opibus. More gentis fecit. Suâ emit pecuniâ.*

Præterea in forensibus. Ut, *Accuso te eo*, pro, *de eo. Condemno hoc crimine.*

EX deficit sæpe, cùm materia notatur. Lucilius: *Pasceolus alutâ.* Sallust. *Tedâ pice, & sulfure.* Maro, *Ære clypeus.*

Item, cùm caussa efficiens signatur. Ut, *Amore factum. Dolorem capere morte alterius.*

Vel modus. Ut, *Nomine suo vocare. Lege agere. Ordine dicere.* Ubi Cicero VI Verr. *Dicere sententiam ex ordine.* Uti II de Legg. *Recitare ex ordine.* Ac similiter locuti Livius lib. IV, & Suetonius in Augusto capite XXXV.

Etiam EX, vel A, intelligitur, cùm origo ac natales signantur. II Æn. *—— Quo sanguine cretus.* Æn. VI: *—— Sate sanguine Divûm.* Liv. lib. I: *Jove nate Hercules salve.*

Alterutrum etiam concipiendum in hoc VI Æn.

Projice tela manu, sanguis meus. ——

CUM intelligitur in ablativis modi, aut comitatus. Cic. pro Flacco: *Pacem maritimam summâ virtute, atque incredibili celeritate, confecit.* Et Philipp. ult. *His viginti cohortibus nullo equitatu conflixit.* Varro Sesquiulysse: *Navibus duodecim domo profectum.* Livius lib. I: *Egressus omnibus copiis.* Virgil. III Æn.

—— Et magnis quatiunt clangoribus alas.

Et IX:

Tum demum præceps saltu sese omnibus armis

In fluvium dedit.

Catullus:

Conscriptum lachrymis mittis epistolium.

Sic, *Nullo egeo negotio. Deo volente. Publico bono. Magno civium periculo.*

Item in quibusdam ablativis temporis. Ut, *Primâ luce adero.*

PRÆ intelligendum in comparatione. Ut, *Crœso ditior.* Sic, *Ocius dicto*, pro, *prædicto.* Item, cùm caussa indicatur. Ter. Adel. act. IV, sc. III: *—— Dolore ac miseriâ Tabescit. ——* Plin. lib. X, cap. LXXIII: *In Africa major pars ferarum æstate non bibunt inopiâ imbrium.*

PRO intelligitur in ablativis pretii. Ut, *Magno, aut vili emit. Par pari retulit.*

SUB intelligendum in ablativis absolutè positis, cùm imperium, aut ductus, significatur. Ut, *Rege Alexandro. Teucro duce.*

IN quoque sæpe in ablativis desideratur. Uti cùm locum notant. Cicero pro domo suâ: *Domo me contineo.* Sic, *Natus Sulmone. Vivo ruri*, vel *rure.* Sic, *tenebris* pro in loco tenebricoso. Tibullus lib. el.

En ego cùm tenebris totâ vagor anxius urbe.

Ubi *in* intelligi ostendit, quod continuò subdit:

Securum in tenebris me facit esse Venus.

Adhæc, cùm tempus indicatur. Ut, *Eo die solvimus. Venit horâ tertiâ. Ades tempori.* Pro, *in suo tempore. Discessit mane, sero. Quincto idus*, vel *calendas:* pro, *in quincto die ante Calendas.* Ac fortassè simile, *Fecit hac filio*,

filio, vel *famulo superstite.* hoc est, in tempore, quo filius, aut famulus, superstes erat. Horat.

> *Sperat adversis, metuit secundis,*
> *Alteram sortem bene praeparatum*
> *Pectus.*

Pro, *in secundis*, vel *adversis.* Cic. *Nec id victoris vitio, quo nihil moderatius: sed ipsius victoria, qua civilibus bellis semper est insolens.*

Item cùm significatur caussa propter quam. Vt, *felix liberis tanta virtutis.* Vel instrumentum. Vt pro Muraena: *Vulgus imperitorum ludis magnopere delectatur.* Pro in *ludis*: ut idem Tullius II de Legg. *In hoc admodum delector.* Vel modus. Vt, *ordine dicere*, apud Ter. Phorm.* Quod Maroni Ecl. VII, *in ordine referre.* Sed hic etiam EX posse intelligi, superiùs ostendimus. Vel cum sententia est, quod ad hanc partem, vel affectionem, sive circumstantiam, attinet. Vt, *togâ bonus, bello melior.* Pro, *in toga*, sive in rebus civilibus. Et similiter in altero illo, *bello melior.* Sic, *similis unâ re*, pro, *in una re*, hoc est, *quod ad unam illam rem.*

[* Act. 4. sc. 1.]

Praeterea IN deest in iis, quae adverbia ordinis censentur, cùm revera sint ablativi. Vt, *primo me orabat.* Quod integrè est, *in primo loco.* Sic, *secundo*, vel, *tertio consul*: pro, *in secundo*, vel, *tertio loco*: vel, si malis, *tempore*, aut *numero*: aut simile aliquid supplendum.

Hactenus de praepositionis ellipsi. Est verò, cùm non praepositio, sed ejus casus deficit. Vt, cùm AD jungitur genitivo, intellecto accusativo *adem.* Ter. Adelph. act. IV, sc. IV:

> *Vbi ad Dianae veneris, ito ad dexteram.*

Horat. lib. I, sat. IX:

> *Ventum erat ad Vestae.*

Fusiùs de hac ellipsi, & aliis id genus, diximus cap. VII.

Etiam, *praeter quod*, interdum ponitur pro, *praeter illud, quod.* Cicero lib. V ad Att. ep. III: *Ad quas literas tibi rescribi velis, nescio. Nullas enim adhuc acceperam, praeter quae mihi binae semel in Trebulano redditae sunt.* Hoc est, *praeterquam quae*, sive, *praeter eas, quae.* Caesar lib. I de bell. Gall. *Frumentum omne praeter quod secum portaturi erant, comburunt.* Hoc est, *praeter illud, quod*, sive, *praeterquam quod.*

Est insuper, cùm non sola desideratur praepositio; sed etiam casus ejus, vel participium aliquod. Vt, *Primus*, vel, *nemo Romanorum*; pro, *ex numero Romanorum. Vir summo genere*; pro, *vir natus à*, vel, *de*, vel, *ex summo genere. Ducere uxorem*, pro, *ducere ad*, vel, *in domum. Vocare*, pro, *ad convivium vocare.* Vt apud Plautum Sticho act. II, sc. I:

> *Nulli negare soleo, siquis me vocat.*

Terentii quoque est Eun. act. V, sc. IV:

> *Quae cùm amatores vocant, ligurriunt.*

Etiam similiter Cicero lib. IX, epist. ad Paetum. Item *decedere*, pro, *decedere de vita.* Cicero ad Att. lib. I, ep. IV: *Pater nobis decessit ad VIII Cal. Decemb.* At integrè idem, *de vita decedere*, ait pro Rabirio perduellionis reo. *Natus Romae*, pro, *in Vrbe Roma. Est domi*, pro, *in loco*, vel *locis domi*: sive, ut Gaspar Scoppius supplet, *in aedibus domi.* Vt *domus* sit totum aedificium: *aedes* dicantur partes, ac conclavia singula: nempe ab adeundo, juxta Varronem: quia loca sint distincta, quò acceditur. Sanè hinc caussam videre sit, primùm quidem, cur *domus* in singulo dicatur numero: *aedes* autem in plurativo. Adhaec, cur templum singulo potiùs numero dicatur, *haec aedis*, quàm plurativo *hae aedes.* Nempe, quia in templo non eadem est, conclavium, aliorumque locorum distinctio. Praeterea, cur dicatur, *Est domi*: non item, *Est aedium*: Firmat quoque hanc sententiam illud Plauti Casinâ act. III, sc. V:

> *Cur eum* (gladium) *habet?* PA. *Insectatur omnes domi per aedes, nec quemquam*
> *Prope ad se sinit adire.*

Uti & hoc Aulul. act. III, sc. II: ——*angulos omnis*
> *Mearum aedium, & conclavium, mihi perviam facitis.*

Restat, ut de Anastrophe dicamus: quâ praepositio postponitur casui. Fit hoc, vel in compositione: ut, *mecum, nobiscum, quicum*: vel extra eam, ut III Georg. *Te sine nil altum mens inchoat.* —— Tacitus eâ gaudet. Ut, *Danubium ultra. Rhenum juxta. Vrbem extra. Praeturam intra. Ripam ad Euphratis. Amnes inter. Quos super. Senatu coram.* Aliaque id genus. Interdum verò etiam inter casum, & praepositionem, aliud interseritur. Ut apud eundem Tacitum: *Litora Calabriae contrà situs.* Imprimis verò apud Poëtas. Vt I Æn. *His accensa super.* ——

Itidem in medio collocatur praepositio, tum in compositione, tum extra eam. In compositione, ut, *quemadmodum, quamobrem.* Extra eam, ut I Ecl. *Fronde super viridi.* Et apud Ciceronem, *Caeteris in rebus, nullo cum hospite*: & sexcenta ejusmodi. Imò *tenus* etiam inter substantivum, & adjectivum, collocatur. Vt I Æn.

> *Primaque libato summo tenus attigit ore.*

Aliàs semper postponitur, tum extra compositionem, ut, *Pube tenus**: tum in eâ, ut, *Hactenus.* Quod & κατὰ τμῆσιν invenitur. Maro V Æn.

[* 6 Æn.]

> *Hac celebrata tenus sancto certamina patri.*

Et VI Æn.

> *Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta.*

Nec hanc ἀναστροφὴν dixero, quia non receditur à natura vocis *tenus*, quae hujusmodi est, ut postponatur. Potiùs ἀναστροφὴ fuerit, si fortè alicubi praeponatur.

CAP. LXVII.

DE CONJUNCTIONE. Ostenditur, quàm ea sint invalida, unde probare conantur, conjunctionem diversos casus connectere. At validè probatur, conjunctionem diversos gradus, diversaque tempora, ac modos copulare. Nec *gemino fungens munere: eâque occasione in Maronis loco vetus lectio contra Auratum, & Canterum, defenditur.* Aut, *sequente* vel. *Contra Grammaticos ostensum*, quamquam, etsi, tametsi, *subjunctivo jungi*; quamvis, licet, etiamsi, *indicativo.* Nisi *diversas etiam res sociare.* Ne, *pro*, ut ne, *dici per ellipsin. An discrimen sit perpetuum, quod Grammatici statuunt inter* vereor, ut, &, vereor ne.

SEquitur, ut videamus de Conjunctione; in qua regimen nullum, sed sola convenientia attenditur. Ea autem vel propria est, vel figurata. Propriae consideratio est bipartita. Primùm enim agendum de eâ, quae generatim sive universè conjunctionem respicit. Deinde speciatim videndum de illâ, quae propria est conjunctionum hujus vel illius classis: hoc est, vel copulativae, vel adversativae, vel ratiocinativae, vel alterius potestatis sive significationis.

Generale praeceptum est hujuscemodi: Conjunctiones in classibus iis, quae casu, vel gradu variantur, eosdem casus, ac gradus, jungere: in verbis autem sociare eosdem modos, ac tempora.

Sed de casibus non usquequaque convenit: quia multorum opinio est, diversos esse casus posse, si substantivo uni addatur alterum substantivum rei diversae, quod aliquid significet inesse, vel adesse. Vt, *Vir magni ingenii, summâque industriâ.* Atque id ajunt locum habere, sive exprimatur conjunctio; ut illo Boëthii lib. I de Consol. Phil. *Mulier reverendi admodum vultus, oculis ardentibus, colore vivido, atque inexhausti vigoris*: sive etiam conjunctio intelligatur; ut hoc Plinii lib. VII, cap. II: *Choromandarum gentem vocat Tauron sylvestrem, sine voce, strideris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.* Sed hic ablativus non regitur inde, unde genitivus. Nam plenè sit, *gentem strideris horrendi, & cum oculis glaucis.* Vti in priori exemplo, *Mulier reverendi admodum vultus, & cum oculis ardentibus.*

Ajunt etiam casus dissentire, si alterum sit possessivum. Vt, *Est domus fratris, ac mea.* Sed integrè sit, *Est domus*

mus fratris, ac domus mea. Ubi eundem videmus casum: nempe nominativum. Horat. epist. ad Pisones:

—— In Meti descendat judicis aures,
Et patris, & nostras. ——

Plenè esset, *Meti aures, & patris aures, & aures nostras.* Ubi eundem similiter accusativum videmus.

Negant etiam convenire ista, *Malo Romæ esse, quàm Athenis.*

Balnea sexcentis, & pluris porticus empta. Interest Ciceronis, & mea.* Sed idem casus fuerit, si citra ellipsin hæc sic efferantur: *Malo in Romæ Urbe esse, quàm in Athenis. Empta pro nummis sexcentis, & pro pluris æris precio. Interest de mea gratia, & de Ciceronis gratia.* Quibus, quia superiùs enucleatè satis exposita sunt nobis, nunc neutiquam insistam.

* Juven. sat. 7.

Quod negant diversos gradus conjungi, planè falluntur. Est enim Ciceronis in Lælio: *Sed hi nec comparentur Catoni, maximo, & spectato viro.* In quibusdam tamen legi fateor, *perfecto, & spectato viro.* Sed meliores aliter. Ac ejusdem Ciceronis est lib. I, ep. II ad Qu. Fr. *Homo & mei observantissimus, & sui juris dignitatisque retinens.*

Nec minùs decepti, quando tradunt, nonnisi similes modos, ac tempora, jungi in verbis. Negligitur enim hoc in particula *quàm.* Ut, *Utinam cautior sis, quàm fueris.* Item in futuris diversorum modorum. Ut, *Interim & patrem conveniam, & literas scripsero.* Quomodo Terentius dixit Hec. act. IV, sc. II:

Et me hac suspicione exsolvam, & illis morem gessero.

Et alias sæpe. Ut Terentius And. act. IV, sc. I:

Nisi me lactasses amantem, & falsâ spe produceres.

Cicero ad Att. lib. I: *Confidebam, ac mihi persuaseram, fore, ut omnia placarentur inter vos.* Virgil. II Æn.

Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
Incipiam.

Obertus Giffanius* suspicatur, esse versum μείουρον, hoc est, qui extremâ sede pro spondeo habeat jambum: uti videre est iis in versibus, quos ex Livii Andronici Ione adducunt Terentianus Maurus, & Marius Victorinus:

* Indice Lucretiano.

Et jam purpureo suras include cothurno;
Balteum & revocet volucres in pectore sinus:
Pressaque jam gravidâ crepitent tibi terga pharetrâ.
Dirige odorisequos ad fæca cubilia canes.

Verùm aliter statuendum de versu Maronis: quemadmodum & Servii judicium est. Nec Persius hujusmodi nexum aversatus. Ut cujus sit sat. IV:

Tecum habita, & nôris, quàm sit tibi curta supellex.

Similiter Quinctilianus lib. X, cap. I: *Ac historia non cesserit Græcis: nec opponere Thucydidi Sallustium vereor.*

Nec aliter capio illud Juvenalis sat. VI:

Quis nescit, aut quis non vidit vulnera pali?

Quamquam Erythræus in Indice scripserit, *nescit*, poni, pro, *nescivit.* Cumque ordinis particulæ quoque sint conjunctiones: fortasse pertinet huc etiam illud Sallustii in Jugurthâ: *Fautores legatorum, præterea magna pars gratia depravata, Atherbalis dicta contemnere: Jugurtha virtutem laudibus extollere: gratiâ, voce, denique omnibus modis, pro alieno scelere & flagitio, suâ quasi pro gloriâ, nitebantur.* Sed dicere possis, cum imperfecto *nitebantur* convenire imperfectum *aggrediebantur*, vel *incipiebant*, vel simile, quod intelligitur in infinitivis *contemnere*, & *extollere.* Vide, quæ de eo dicebamus cap. XIX.

Et hæc de convenientia conjunctionum universè considerata. Ad specialem venio: quæ singulas potestatis sive significationis classes respicit. Hic primùm videamus de copulativis, & disjunctivis; tum concessivis; hinc de conditionalibus; denique de iis, quæ vel impulsivam, vel finalem designant.

Copulativas, & disjunctivas, quosvis modos conjungere, satis est apertum. Quare frustra iis immorer. Illud potiùs operæ est monere, copulativam *Nec* interdum poni pro *& non*: ac tum ratione copulæ ad aliud referri, quam ratione negationis. Ovidius in tertio de Arte:

Ora nec immundâ tota perunge manu.

Pro, *Et non perunges os manu immundâ.* Ubi copula integram hanc sententiam superioribus adnectit: sed negatio prohibet, ne manu immundâ os inungamus. Similiter Virgil. sub initium III Georg.

Hunc quoque ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.

Torquet se hoc in loco Guiljelmus Canterus lib. VI Novar. Lect. cap. VIII: *Quomodo*, inquit, *quis equum senem domi possit abscondere, & simul ejus senectuti non ignoscere?* Itaque jubet, pro *nec* scribere *haut*: atque id se facere ait autore Jano Aurato, viro præstantissimo; ut nempe nulla sit elisio. Verùm Crotone sanior est is Maronis locus: ac sententia est, *Et ignosce senectæ non turpi.*

Putant quoque, si *vel* præcedat, eandem disjunctivam sequi: sin *aut* antecedat, *aut* quoque subjici debere, non *vel.* At Martialis est lib. III, ep. III:

Ipsam crede Deam verbis tibi dicere nostris,
Aut aperi faciem, vel tunicata lava.

Ex concessivis, *quamquam, etsi*, & *tametsi*, indicativum ajunt exposcere. Et multò quidem frequentiùs sic *quamquam* invenias: nec semper tamen. Est enim Ciceronis ad Lentulum lib. I, ep. II: *Quamquam apertè Vulcatio assentirentur.* Et ad Att. lib. I, ep. XIV: *Quamquam à me ipso divellerentur.* Quinctilianus lib. I, cap. IV: *Cadi vero discipulos, quamquam illud receptum sit, & Chrysippus non improbet.* Tryphoninus L. penult. D. De vi, & de vi armatâ: *Quamquam ego moram fecero, quo minùs interdicto te convenirem.* Ulpianus L. Non solum. II. D. De injuriis: *Quamquam adversus patronum liberto injuriarum actio non detur.*

Etsi quoque crebriùs jungitur indicandi modo. Cicero tamen de Senectute: *Etsi planè illis orbatus essem, magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solatium.* Et lib. V, ep. VI ad Anton. *Etsi ejus in me officia omnes desiderent.* Ad Att. lib. VI, ep. V: *Etsi aliquantum via processero.* Et ep. VII: *Etsi Etesiæ valde reflaverint.* Item lib. VII, ep. III: *Etsi cupidissime expressum, & expetitum à me sit.* Cæsar lib. VI de bello Gallico: *Etsi pars aliqua circumventa ceciderit.* Ulpianus L. Non solum. LXVII. D. De ritu nupt. *Etsi optimo consilio usus sit auxilio prætoris jurisdictionis.* Idem L. Servi. D. de furtis: *Sed etsi non possit, attamen ratio haberi debet ejus, quod fecit.* Paullus L. VI. D. De S. C. Syllano: *Etsi percussor certus sit, tamen habenda quæstio est.* Tryphoninus L. cum in fundo. LXXVIII. D. De jure dot. *Etsi non sit fundi domina, nihilominus competit dotis actio.*

Tametsi quoque, si orationem non inchoet, subjunctivo gaudet. Cicero Verr. V: *Non me hercule, quæ loquor, crederem, Judices, tametsi vulgò audirem.*

Quamvis exigere volunt subjunctivum. Et sic passim reperias constructum. Interim Horatii quoque est lib. I, epist. XIV:

Me quamvis Lamiæ pietas, & cura moratur.

Et ejusdem lib. epist. XVII:

Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis, & scis.

Item Ovidii est lib. III Fast.

Mœnia conduntur, quæ quamvis parva fuerunt,
Non tamen expediit transiluisse Remo.

Ejusdem quoque est lib. I de Ponto el. VII:

Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Columella quoque lib. II, cap. IX ait: *Quamvis de mensuræ auctoribus minùs convenit: haut tamen esse commodissimam, magister usus docuit.*

Licet cum indicativo nondum, quod meminerit, legisse se ait Alvarus. Verùm indicativo jungi video à Jurisconsultis. Ulpianus L. cum hi. VIII. §. ult. D. De transact. *Fructus habitationis præstatur, licet ruina, vel incendio, subjecta transactio est.* Modest. L. XX. D. De accusat. *Licet non fuit condemnatio secuta.* Julianus L. Si ei. II. §. II. D. De jur. codicill. *Et ideo licet directæ libertates deficiunt, attamen ad fidei commissarias eundum est.*

Idem Alvarus ait, non occurrere, ubi *etiamsi* legerit cum indicativo. At sæpe sic loquitur Cicero. Ut de optimo genere

genere Oratorum: *Etiamsi est in senore tolerabili, certè non est in optimo.* Et lib. I de Orat. *Quibus etiamsi ingenium, ut tu putas, non maximè defuit.* Ad Att. lib. III, epist. XXIV: *Nam ista veritas, etiamsi jucunda non est, mihi tamen grata est.* Quinctilianus quoque lib. XI, c. III: *Etiamsi non utique vocis sunt vitia.* Ulpianus L. Bonorum. XLIX. D. De verb. signif. *Æquè bonis annumerabitur, etiamsi quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus.*

Sed, *ut*, pro, *quamvis*, tantùm subjunctivo jungi, arbitror. Nec enim indicativus locum videtur habiturus in illo Ciceronis lib. III in Verrem: *Ut ego assentiar orationi, defensionem tamen non probabo.* Aut in hoc Cæsaris lib. III de bell. Gall. *Ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimùm navibus posse.* Ac par ratio in Ovidii istoc lib. III de Pont. el. IV:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Et hæc de concessivis.

Conditionales, ut sunt, *si, sin, siquidem, ni, nisi*, nunc indicativo junguntur, nunc subjunctivo. Veterum exemplis supersedeo, quia de eo satis convenit. Si tamen Diomedem audimus, non promiscuè utrique modo SI jungitur: sed indicativum adsciscit, siquid jam factum sit, ita ut certa sit actio: ut, *Si fecisti, ne nega.* Subjunctivo autem, si incerta sit actio, & ab conditione suspecta: ut, *Si valetudinem curàris, facilè convalesces.* Sed discrimen id non observatur: ut Linacer ostendit in V.

Mirum autem, conditionale *nisi* interdum conjungere res diversas: ut sunt *liberi*, & *divitiæ*. Ita Plautus Menæchmorum prologo:

Ei liberorum, nisi divitiæ, nihil erat.

Supersunt caussales. Ex quibus illæ subjunctivo adhærent, quæ significant caussam efficientem, sive impulsivam. Ut, *quia, quippe, quoniam, quòd.* *Cùm* tamen pro *quia*, vel *quandoquidem*, semper subjunctivum petit, si Linacrum audimus in V. Sed fallitur. Nam, ut ait Donatus, *cùm* pro *quia* ponitur illo Terentii Phorm. act. V, sc. VII:

Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cùm è medio excessit, unde hæc suscepta est tibi.

Ac similiter Andr. act. III, sc. II:

—— Quandoquidem est ingenio bono,
Cumque huic veritus est optimæ adolescenti facere injuriam.

Ubi idem Donatus: *Quando, & Cum, interdum sunt conjunctiones caussales.*

Nec aliter capio in hoc Plauti Rudente act. IV, sc. IV:

Ecce Gripi scelera! cùm istæc res malè evenit, tibi, Gripe, gratulor. ——

Etiam Cicero similiter ad Servium lib. XIII, epist. XXIV: *Tibi maximas gratias ago, cùm tantùm meæ literæ potuerunt, ut his lectis*, &c.

Ut, cùm significat caussam finalem, requirit subjunctivum. Cicero ad Lent. *Non illi quidem, ut mihi stomachum facerent.* Ac par ratio in *Qui*, cùm pro *ut* sumitur. Ter. Prol. Andr.

Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris Poetæ maledictis respondeat.

Ubi hoc pacto Donatus: *QUI, pro UT: ergo non est modò pronomen.*

Eundem modum requirit UT, quando NE sequitur. Terentius Andr. act. I, sc. I:

—— Nunc te per amicitiam, & per amorem obsecro,
Principio ut ne ducas.

Ubi, *ne*, valet, *non*. Nam sententia est, *ut non ducas.* Nec subjunctivus exigitur vi particulæ *ne*, sed *ut*. Quippe similiter dicas, *obsecro ut ducas*: &, *obsecro, ut ne ducas.* Græci similiter dicunt ἵνα μὴ.

Par ratio, cùm *ut* reticetur per ellipsin. Cic. lib. IV Acad. Quæst. *Vide, ne illarum quoque rerum pulcherrimarum à te ipso minuatur auctoritas.* Pro, *vide ut ne*, hoc est, *ut non imminuatur.* Eoque hìc quoque subjunctivus sit ob naturam particulæ UT intellectæ; non propter adverbium NE pro NON.

Post timendi verba passim invenias, *ne, ut, ne non*: sed significatione valde diversâ. Nam, ex veterum mente, *vereor ne fiat*, siquid fieri nolim: *vereor ut fiat*, siquid fieri velim. Quod velle multis ostendere exemplis, non alius sit, quam qui otio suo abuti velit. Sed quæritur, an hoc discrimen non interdum etiam negligatur ab antiquis. Putant id homines non ineruditi, & inter eos Linacer in sexto de structurâ. Ubi docet, *metuo ne* quandoque inveniri pro *metuo ne non.* Eâ nempe ratione, quâ etiam *non modò*, pro, *non modò non*, apud optimos quosque legas auctores. Quod inter alios observatum Mureto Variarum lect. lib. X, cap. VII. Sed de metuendi verbis non idem omnibus videtur. Quippe loca ea, quibus alii se tuentur, librariorum & sciolorum culpâ esse corrupta arbitrantur. Ut apud Ciceronem pro Plancio, ubi legi solet: *Sed quam tempestatem nos vobiscum non tulissemus, metuit ut eam ipse non posset opibus suis sustinere.* Hic Lambinus legit, *Metuit, ne eam ipse sustinere non posset.* Sed longiùs abit à libris, si ex ingenio hoc hausit. Malim cum Stewechio legere, *ne eam ipse.* Nam proclivis hic error, quo pro *ut* succedit *ne*. Etiam ex Tullio objectant: *Vereor, ne satis diligenter in senatu actum sit de literis meis.* Ubi idem Stewechius pro *ne* reponere jubet *ut*. Et magis mihi ejus opinio probatur.

CAP. LXVIII.

De pleonasmo conjunctionis. Quoque etiam. Tametsi tamen. Etsi quamvis. Quamquam etsi. Quamvis licet. Ergo igitur. Itaque ergo. Ne, *&* neque, *si addantur negativæ particulæ, vel voci inde compositæ, sæpe negant; vel redundant.* An &, ac, atque, *superfint, cùm ab iis incipit oratio. Mos in talibus Hebræorum, atque Arabum. De ellipsi conjunctionis, ac primùm copulativæ: ubi disquisitum, quando copula in numeralibus exprimi, quando supprimi debet. Ellipsis disjunctivæ, adversativæ, concessivæ, aliarumque conjunctionum.*

NUnc de figuratâ etiam structurâ videamus. Pleonasmus in variis conjunctionum classibus locum habet.

In copulativâ: ut, *quoque etiam.* Terentius Hec. act. V, sc. I:

—— Ego quoque etiam credidi.

Ibidem: *—— Ego pol quoque etiam timida sum. ——* Ac similiter Plautus Epid. act. IV, sc. II, & prologo Pœnuli, item Lucretius libro V*. Sic *etiam &.* Macrobius lib. I Saturn. cap. II: *Existimo nonnihil ad consuetudinem veterum etiam & pratorũ verba conferre.*

* Vers. 714.

In concessivâ: ut cùm *tametsi*, & *etsi*, conjunguntur: utcunque *tametsi* conflatum sit ex *tamenetsi*: quo usi Ennius Annal. III, Plautus Milite, Terentius Andr. etiam Cicero, Cæsar, Lucanus: quâ de re Muretum vide in Variis †, Janum Guiljelmium in Verisimilibus ‡, & Plautinis*, ut alios mittam. Nihilominus Tullius, *tametsi*, post *tamen*, posuit lib. IV, ep. XV: *Sed tametsi antea scripsi, quæ existimavi scribi oportere: tamen hoc tempore breviter commonendum putavi.* Locutus similiter Ulpianus locis compluribus. Rævardum vide lib. V Variarum, cap. IX. Similiter junguntur, *etsi*, & *quamvis*. Cicero ad Att. lib. XVI, ep. VII: *Etsi quamvis non fueris suasor & impulsor profectionis meæ, approbator certè fuisti.* Item, *quamquam*, & *etsi*. Ita Appulejus Apologiæ parte, quæ vulgo secunda dicitur: *Quamquam etsi districtius magum me dixisset, posset videri, excusabunda se filio, vim meam, quam voluntatem, caussari maluisse.* Similiter Ulpianus L. I. §. ult. D. ut legato nom. cave: *Quamquam etsi sine hac adjectione caveretur, verumtamen exceptione patrem, vel dominum, submoveremus.*

† Lib. II, cap. 17.
‡ Lib. I, cap. 14.
* In Cas. cap. 3.

Quamvis licet. Lucretius lib. VI:

Proinde licet quamvis cælum terramque reantur
Interrupta fore.

Cicero in Lælio: *Quamvis licet excelleas.*

In ratiocinativâ classe sociantur *ergo igitur.* Plaut. Trin. act. III, sc. III:

ME. *Quo pacto ergo igitur?* CAL. *Clam dos depromi potest.*

Appulejus I Met. *Ergo igitur inefficaci celeritate fatigatum, commodum vesperâ oriente ad balneas processeram.* Et lib. II: *Ergo igitur senex ille, veritatis arbitrium in divinam providentiam reponamus.* Quem locum malè mutat Colvius. Et lib. III: *Ergo igitur jam & ipse possum mihi primam istam virtutis adoream numerare.* Et lib. IV: *Ergo igitur cum in isto cogitationis salo fluctuarem.* Similiterque locutus libro VII, & IX. Geminum est, *Itaque ergo.* Terentius Eun. act. II, sc. III:

Itaque ergo amantur. ——

Livius lib. XXVIII: *Itaque ergo prima Romanis inita provinciarum, postrema omnium nostrâ demum ætate ductu auspicioque Augusti Cæsaris perdomita est.*

Ad pleonasmum etiam referre possis, cùm *ne*, & *neque*, particulæ alicui negativæ junguntur, aut voci inde compositæ: ut sunt, *nemo*, *nullus*, *nego*, *nescio*, *nequeo*, *nusquam*: quomodo sæpe non affirmant, sed negant: ita ut alterutra negatio redundet. Sic Plautus dicit, *neque nescio*, pro, *& nescio*: Terentius, *nec nemo*, pro, *& nemo*. Verba eorum adduximus cap. LXI: ubi expendebamus, utrùm duæ negativæ ajant, an negent. Ac similiter idem Heaut. act. I, sc. I: —— *Agrum in his regionibus*

Meliorem, neque pretii majoris, nemo habet.

Ubi sententia eadem erit, si vel pro, *nemo*, ponas, *quisquam*; vel pro, *neque*, dicas, *vel*. Cicero lib. I Academ. Quæst. *Nullam denique esse artem, nec dicendi, nec disserendi putant.* Tantundem erit, si pro eo reponas, *vel dicendi, vel disserendi.* Item si dicas, *Denique esse artem nec dicendi, nec disserendi, ullam putant.* Ac par ratio in illo Maronis Ecl. V: —— *Nulla neque amnem*

Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Livius quoque lib. XXXIII * ait: *Ludicrum deinde ita peractum est, ut nullius nec animi, nec oculi, spectaculo intenti essent.* Pro, vel *animi*, vel *oculi*. Pluraque de hujusmodi particularum usu Linacer in VI, cap. de pleonasmo.

* Cap 19. ex distinct. Gruter.

Sunt qui ad pleonasmum etiam referant, cùm *&*, *ac*, vel *atque*, inchoant orationem. Mihi non videntur penitùs redundare: quia tum quoque, obscuriùs licet, dicenda dictis nectunt; vel affectui inserviunt. Ut apud Terentium Phorm. act. I, sc. III:

Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum senties.

Ubi Donatus: *ET modò non connexiva, sed inceptiva conjunctio est.* Sallustii deinde similem locum apponit. Sed hodie in Terentii codd. pro ET legitur QUOD. At locos minimè controversos suggeret Valla lib. II, cap. LVIII. Verùm ne istis quidem locis otiosa mihi copula videtur. Apud Hebræos dispar ratio est: ubi ipsi etiam libri à ו incipiunt: ut Exodi, Levitici, Josuæ, Judicum, Ruth, prior, posteriorque Samuelis ac Regum, posterior Chronicorum, item liber Esræ, Esther, & Ezechielis. Nempe id ex consuetudine linguæ ▪: ut R. David Kimchi notavit ad initium libri Josuæ. Atque idem monet, ו raphatum apud Arabas eundem incipiendi usum obtinere.

Nam etiam redundat in *numnam*: nempe ut *dum* in *ehodum*, *adesdum*, *manedum*: teste Donato in Ter. Hec. act. V, sc. IV.

Venio ad ellipsin conjunctionum. Ordior ab ea, quæ est copulativarum. Ut apud Ciceronem, *Terrâ mari*. Item, *Dictis factis*. Livio, *Equis viris*. Jurisconsultis, *Emtum venditum*. Similiaque, *æqui boni: ultro citro: hac illac*. Item illo Virgilii disticho in vitâ ejus recensitâ à Servio:

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.

Nocte die tutum carpe viator iter.

Pro quo è Mso Petri Danielis editio Parisiensis, *Nocte dieque tutum*: eâque ex lectione factum in vulgatis, *Nocte dieque tuum*. Nihil verò usitatius ▪, quæ in numeris fit. Ut, *vigesimus octavus: centesimus quintus*. Nec tamen ubique ea locum habet. Ubi quia peccatur à non paucis, paullò rem pluribus exponam.

In numero cardinali usque ad X, voce utimur unâ ac simplici. Ut, *tria*, *quinque*, *novem*, *decem*. Post *decem* usque ad XVI, utimur voce compositâ, in qua minor numerus præcedat. Dicimus enim, *undecim*, *duodecim*, *tredecim*, *quatuordecim*, *quindecim*, *sexdecim*. Post hunc numerum usque ad XX jubet Priscianus * numerum majorem præmittere, eique copulam cum minori numero subjicere, hoc pacto: *decem & septem*, *decem & octo*, *decem & novem*. Sed aut codices sunt corrupti, aut, quod reticet Priscianus, etiam dicere liceat, *septendecim*, *octodecim*, *novendecim*. Nam in Verrinis Ciceronis, & Suetonii Nerone, *septendecim* legas: uti *octodecim*, & *novendecim*, in Eutropii breviario. Itaque Linacer existimat, utroque modo dici. Sed Elias Vinetus censet, quia de eo taceat Priscianus, veteres non ita locutos, ac Ciceronem, Suetonium, Eutropium, usos his notis XVII, XIIX, XIX; quæ librarii vocibus integris, sed minùs Latinis, expresserint. Utcunque est, tutiùs sequimur Priscianum: præsertim cùm in antiquis codd. sic longè frequentiùs legatur.

* Lib. de numeris, nummis, & ponderibus.

In ordinalibus post duodecimum copula omittitur, si minor numerus præcedat. Ut, *tertiusdecimus*, *quartusdecimus*, *quintusdecimus*, *sextusdecimus*, *septimusdecimus*, *octavusdecimus*, qui & *duodevigesimus*, *nonusdecimus*, qui & *undevigesimus*. Plinius lib. X, cap. LVIII: *Namque octavodecimo die excludunt, statimque concipiunt.* Etsi in his fere numerus per notas numerales exprimi potiùs soleat, quàm literis universis. Sed si major numerus præeat, copulam addere jubet Priscianus. Ut, *decimus & septimus*, *decimus & octavus*. In vulgaribus tamen codd. legas, *decimustertius*, *decimusquartus*, & ita deinceps sine copula. Sed hic quoque Vineti judicium est, tutius nos Priscianum sequi, cujus temporibus integriores erant codd. quàm nostris.

A *viginti* usque ad *centum*, si prior sit numerus major, copula omittitur. Ut, *viginti octo*, non, *viginti & octo*: *trigesimus octavus*, non, *trigesimus & octavus*. Plinius lib. VII, cap. XLVII: *Ex fœminis Livia Rutilii nonaginta septem annos excessit.* Sic idem alibi, *quinquagesimoquarto*, *sexagesimo quincto*, & similia. At, si minor præcedat, conjunctione utimur. Itaque dicimus, *primus & vicesimus*, vel etiam, *unus & vicesimus*: *secundus & quinquagesimus*, vel quoque, *duo & quinquagesimus*. Cicero de Senect. *Plato uno & octogesimo anno scribens est mortuus.* Gellius lib. V, cap. IV: *Duo & vigesimo anno, postquam Galli Romam ceperunt.* Similiter in distributivis sine copulâ dicemus, *viceni singuli*, *triceni bini*, *sexageni quaterni*. Sed cum copulâ, *singuli & viceni*, *bini & triceni*, *quaterni & sexageni*.

Post *centum* major numerus præcedit, sequitur minor, nunc cum copulâ, nunc absque eâ. Plinius lib. VII, c. XLIX: *Epigenes centum duos annos impleri negavit posse: Berosus centum septendecim.* Idem ibi: *Faventia una mulier centum viginti quinque: Parma duo centum triginta.* Quinctilianus lib. III, cap. I, de Gorgia: *Centum & novem vixit annos.* Similiter in ordinalibus. Cicero pro Milone: *Centesima lux est hac ab interitu P. Clodii, &, opinor, altera.* Ad Att. lib. VI, ep. I: *Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quincto.* Interdum tamen & hic minor numerus præit, sequitur copula cum majore. Plinius lib. VII, cap. LII, de Epimenide: *Ut tamen in septimum & quinquagesimum atque centesimum duraret annum.* Vide fusiùs de his Linacrum in tertio, & Georgium Heneschium lib. de numerandi ratione*.

* Excusus Augustæ Vindelicorum an. 1605.

In copulativis quoque sunt, *quoque*, & *etiam*. Quæ interdum intelliguntur post *Sed*. Cicero ad Lentulum: *Omnibus negotiis non interfuit solùm, sed præfuit.* Ulpianus D. De Senatoribus: *Liberos Senatorum accipere debemus non tantùm senatorum filios, verùm omnes, qui geniti ex ipsis.* Idem post *non solum*. Cicero lib. XIII, epist. XIV ad Famil. *Non solùm, quia me libenter audire arbitrabatur; sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua & dicta, & facta, laudabat.* Idem lib. III Tusc. Quæst. *Quæ* (dies) *ita mitigat, ut iisdem malis manentibus, non modò leniatur ægritudo, sed in plerisque tollatur.*

Dis-

Disjunctivæ conjunctionis defectus est, *Velis nolis.* Pro, *vel velis, vel nolis.* Aut, *seu velis, seu nolis.* Sic, *Sex septem mensibus*: pro, *sex aut septem mensibus.* Catullus ep. IV:

—— Læva, sive dextera
Vocaret aura. Pro, *sive læva.*

Horat. lib. I, od. III:

—— Tollere, seu ponere vult freta.

Ubi plura interpretes.

Ellipsis concessivæ conjunctionis est illo Ciceronis pro Milone: *Qui nondum liberâ civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est.* Pro, *Qui quamvis nondum.* Idem pro Archia: *Qui sedulitatem mali poetæ duxit aliquo tamen præmio dignam.* Pro, *etsi mali poetæ.*

Ellipsis advertativæ est in hoc Ulpiani L. XXIII. D. de ædil. edict. *Etsi venditio remansisset, nihil hæc res emtori proderat.* Pro, *nihil tamen.* Horat. lib. I, od. XXIV:

Multis ille quidem flebilis occidit,
Nulli flebilior, quàm tibi, Virgili. Pro, *sed nulli.*

Defectus caussalis conjunctionis est Ecl. I:

—— Nimium ne crede dolori;
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Ubi, *nam, enim, quia*, vel similis intelligitur particula. Sic eâdem eclogâ:

Nec sum adeò informis. nuper me in litore vidi.

Pro, *nuper enim*, vel, *siquidem nuper.*

Ratiocinativæ conjunctionis est ellipsis, cùm Terentius ait Andr. act. IV, sc. I:

Hac non successit, aliâ aggrediamur viâ.

Pro, *ergo aliâ*; vel, *aliâ igitur.*

Conditionalis conjunctionis ellipsis est Phorm. act. II, sc. I:

Unum cognôris, omnes nôris. ——

Catull. epigr. X:

Utor tam bene, quàm mihi paràssem.

Pro, *quàm si paràssem.* Terent. Hec. act. IV, sc. II:

Quàm fortunatus cæteris sum rebus, absque unâ hac foret!

Eandem ἔλλειψιν Priscianus in XVIII his probat exemplis. Juvenalis in primo:

Graculus esuriens, in cælum jusseris, ibit.

Statius in II Theb.

—— Mutatosque velint transsumere cultus,
Et Pallas doceat pharetras, & Delia cristas.

Pro, *si velint.* Virgil. in VI:

—— Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.

Deest enim, *Si.* Horatius in primo Carminum od. XI:

Sapias, vina liques.

Pro, *si sapias*: ut quidem Priscianus exponit. Sed nihil impedit, quo minùs simpliciter sic exponatur: Hoc agamus, verè sapiamus, nec seriis vacemus, sed vino, & epulis, juxta insanam Epicureorum sapientiam.

Electivæ conjunctionis ellipsis est in hoc Plauti *:

Non edepol pisces expeto, quàm tui sermonis sum expetens.

Uti istoc ejusdem †: *—— Confit citò,*
Quàm si tu objicias formicis papaverem.

* Rudente act. 4. sc. 3

† Trinummo act. 2, sc. 4.

Item hoc Livii lib. V belli Maced. *Homo non, quàm isti sunt, gloriosus.*

Ubi *tam* intelligitur. Vide multa hujuscemodi Ciceronis, Livii, Columellæ, Terentii, ac omnium penè Jurisconsultorum loca, apud Godsc. Stewechium libro de particulis. At *quàm* supplendum sæpe post *plus*: ut illo Terentii Eun. act. I, sc. II:

—— Jam calesces plus satis.

Et ibidem act. III, sc. I:

Plus millies audivi. ——

Idem Adelph. act. II, sc. I:

Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.

Idem fit post *amplius.* Catullus ep. C:

—— Namque amplius horam
Suffixum in summâ me memini esse cruce.

Cælius ad Cic. ep. XIII: *Amplius quadraginta diebus mansit.* Plinius lib. V, cap. XXVIII: *Torrentes verò amplius centum.*

Idem post *minus.* Varro de R. R. lib. I: *Neque enim si minus CCXX jugera oliveti colas.* Hoc ipsum post alios comparativos fit. Ut, *Ditior*, vel, *doctior opinione vulgi*: pro, *quàm est in vulgi opinione. Tristior visus*: puta, *quàm solet. Facere aliquem certiorem*: nempe, *quàm prius erat.*

CAP. LXIX.

AB INTERJECTIONE nullum casum regi: sed casum additum regi à voce, quæ ob animi motum omittitur. De more sophistis acclamandi φεῦ, ἰού, σοφῶς, *euge, pulcre*, similiaque. Epilogus de instituto in hoc opere.

Superest Interjectio, quæ cùm ad affectum animi exprimendum interseratur orationi: non reliquæ orationi cohæret, sed per se consideratur. Ut apud Plautum Aulul. act. IV, sc. VI:

Euge, euge, Di me salvum, & servatum volunt.

Vel, si id adverbium malis, saltem hoc Terentii Andr. act. I, sc. V:

Ah, tantamne rem tam negligenter agere?

Et Virg. Ecl. I:

Spem gregis, ah, silice in nudâ connixa reliquit.

Item II Æn.

Heu, nihil invitis fas quemquam credere divis.

Tibullus lib. II, el. III:

Ferreus est, eheu, quisquis in urbe manet.

Quare nec concordia, nec regimen, in ea spectatur. Vulgò tamen existimant, ab ea omnes casus regi, præter ablativum. In errorem eos induxit, quòd crebrò ei casus aliquis addatur. Verùm non is dependet ab interjectione; sed à voce aliquâ, quæ, ut plenus sit sermo, animo concipitur; ob affectum verò reticetur: vel istiusmodi fit, ut casus etiam sine interjectione eâ consistat. Exemplis hæc fient planiora.

O, quando particula est exclamandi, regere dicitur nominandi, accusandi, & vocandi casum. Nominandi, ut Phorm. act. II, sc. II:

O vir fortis, atque amicus!

Accusandi, ut I Georg.

O fortunatos nimium, sua si bona norint!

Vocandi, ut Andr. act. III, sc. II:

O Dave. itane contemnor abs te?

Sed in primo sic sententia suppletur: *O, quàm es vir fortis, atque amicus!* In secundo, hoc pacto: *O quàm dicamus*, vel, *credamus fortunatos!* Sic illud Philipp. III: *O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum!* Integrè erit: *O, quàm habemus præclarum custodem!* Item, *O me miserum!* plenè est, *quàm me sentio miserum!* In tertio vocativus *Dave* non regitur ab interjectione: sed per se sufficit. Quod idem dictum velim de vocativis post *hem*, & *ohe*, positis. Ut apud Terent. *Hem Syre.* Apud Martial. *

Ohe jam satis est, ohe libelle.

* Lib. 4. ep. 46.

Vel post *au*, Ut illo Terentii:

Au, mi homo, sanusne es?

Item cum is casus sequitur, post *pro*, sive *proh*, *ah*, & *vah.* Ut Philipp. II: *Pro sancte Jupiter!* Sic, *Ah amice. Vah impure.* Sed si accusativus sequatur, ellipsis fuerit. Ut Andr. act. I, sc. V: *Pro Deum atque hominum fidem!* Quod suppleas, addendo *imploro*, vel *obtestor.* Gemina verò ellipsis, una nempe verbi, altera accusativi, est in illo Terentii And. *Pro Deum atque hominum!* puta, *fidem imploro.* Sic Phorm. *Pro Deum immortalium!* Locus est act. II, sc. III. Ad quem Donatus adducit hoc è Ciceronis Oeconomico: *Quid igitur, pro Deum immortalium, primùm eam docebas, quæso?* Etiam nominativum censet Linacer Eun. act. III, sc. V:

—— Pro Jupiter!
Nunc est profectò interfici cùm perpeti me possum.

At mirum, non vidisse, *Jupiter* esse vocativum, cùm alibi dicat Terentius, *Pro sancte Jupiter!* Ubi *sanctus* dice-

re non auſum. At in illo, *Pro dolor!* nominativus eſt: integreque erit, *pro quantus hic eſt dolor!* Maronis illud in VII: *Heu ſtirpem inviſam!* citra ellipſin ſic efferas: *Heu quàm inviſam ſtirpem video!* Verba enim ſunt Junonis, cùm videret claſſem Trojanam in Italiam tendere. Unde liquet de illo Ciceronis, oratione antequam iret in exſilium, *Eheu, conditionem hujus temporis.* Itemque hoc Terentii Phorm. *Eheu, me miſerum.* Quæ ipſa verba uſurpat Salluſtius oratione Atherbalis ad Senatum. At Plauti illud Mil. *Heu mihi:* vel Maronis II Æn. *Hei mihi:* vel proverbiale hoc, *Væ victis*; aut Martialis iſtud lib. V, ep. XXXIV, *Væ tibi cauſidice:* κατ' ἀνθυπαλλαγὴν, ſive ἐναλλαγῇ partis, dicuntur. Interjectio enim ponitur loco nominis, eum ſignantis affectum, cujus interjectio ſignificationem habet. E. G. *væ* eſt interjectio comminantis triſte aliquid, ſæpe etiam funeſtum. Ergo *væ* ponetur pro *magno malo*. Proinde, *væ tibi cauſidice*, ſignificat, *magnum malum ſit tibi, cauſſidice. Væ victis*, notat, *funeſta omnia Gallis à Romano milite victis obtingant.*

Flavius Caper, libro de Orthographia, dici ait, *væ populo*, & *populum*. Alii arbitrantur, nunquam ita veteres locutos: ſed Caprum eo falſum eſſe, quòd legerat, *væ me:* nec attenderet, *me*, hic poni pro *mihi*, Feſto teſte, qui interdum id fieri probat, uno Ennii, alteroque Lucilii loco. Sed utrobique decipi Feſtum, oſtendimus cap. XLVIII. Nec propterea auſim dicere, *væ populum*, quando nec Græci οὐαὶ aliter, quàm dativo, jungunt. Ita Apoſtolus I Cor. IX. 16: Οὐαὶ δέ μοι ἐστὶν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίσωμαι *væ mihi eſt, niſi evangelizavero.* Et in Apocalypſi IX. 12: Ἡ οὐαὶ ἡ μία ἀπῆλθεν· ἰδοὺ ἔρχονται ἔτι δύο οὐαὶ μετὰ ταῦτα. *Væ unum abiit: & ecce veniunt duo væ poſt hæc.* Et XI. 14: Ἡ οὐαὶ ἡ δευτέρα ἀπῆλθεν· ἰδοὺ ἡ οὐαὶ ἡ τρίτη ἔρχεται ταχύ. *Væ ſecundum abiit, & ecce væ tertium veniet citò.* Quæ loca eo lubentiùs adduxi, quia iis *væ* non ſolùm jungitur cum dativo: ſed etiam additum habet nomen adjectivum, atque adeò verbum. Hoc imperitior aliquis valde illi dixerit adverſari, quòd in primo de Analogia* dicebamus, interjectione compleri ſententiam citra opem verbi. Atqui iſtic loquimur de interjectione naturam ſuam retinente: locis verò adductis, & quandocunque dativum additum habet, naturam ea accipit nominis, ut diximus. At ſi naturam non exuat, quomodo verbi opem requirat, cùm in ſe nominis & verbi latentem habeat ſignificationem? Quomodo *væ* abſolutè tantundem fere eſt, ac, *Malum inſtat*, vel *imminet*. Similiter φεῦ, quod nunc σχετλιαστικὸν † eſt, nunc θαυμαστικὸν ‡; ut monet Ariſtophanis ſcholiaſtes*. Cùm priori modo ſumitur, tantundem ſignat, ac, *miſerè hoc factum*. Cùm poſteriori, valet *præclare actum*. Vel, ſi ſophiſtis acclamaretur, *egregiè dixiſti*. Ut Carthaginenſi Rhetori factum refert Tertullianus adverſus Valentinianum cap. VIII. Verba apponam: *Rhetor Latinus, Phoſphorus nomine, cùm virum fortem peroraret: Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de prælio cum victoriâ mea, cum felicitate veſtra, ampliatus, glorioſus, fortunatus, maximus, triumphalis: & ſcholaſtici ſtatim familia Phoſphori φεῦ acclamant.* Ubi *familiam Phoſphori* appellat homines à Rhetore corrogatos, ſæpe etiam emtos, ut dicenti applauderent. Χόρον οἰκεῖον ſimiliter appellat Lucianus ῥητόρ. διδασκ. Eadem penè vis eſt particulæ *papæ*. Ita in Eunucho*, cùm Chærea formam virginis deſcriberet, mox Parmeno ait, *papæ:* quaſi dicat, *mira narras.* Nam, ut Donatus ibidem inquit, *papæ interjectio eſt mira ſubitò accipientis.* Οὐᾶ tantundem valet. Atque hoc ipſum quoque Rhetoribus idcirco acclamabatur, oratione habitâ. Quod valebat, *admirabiliter dixiſti.* Unde cum θαυμαστῶς † jungit Arrianus Diſſertationum Epicteti lib. III, cap. XXIII: Ἐπαίνεσόν με. τί λέγεις τὸ ἐπαινέσαι; εἰπέ μοι, οὐᾶ καὶ θαυμαστῶς: *Laudato me. Quomodo vis laudem? Dic mihi papæ, & admirabiliter.* Ubi videmus, οὐᾶ, καὶ θαυμαστῶς, vim habere admirantis & approbantis. Ac ſimiliter alibi uſurpat: uti & Dio in Nerone. At θαυμαστῶς ‡ eſt ἐπιῤῥηματικὸν, quia intelligitur εἴρηκας*. Ut eadem vis ſit in interjectione οὐᾶ, & θαυμαστῶς: ſed illo quaſi per ſe; hoc magis, ſi cum verbo intellecto conſideretur. Et quid aliud *euax* apud Plautum? quamquam Varro in VI de L. L. dicat, verbum id nihil ſignificare, eſſeque naturaliter effutitum. Cenſeam ego potiùs eſſe ab εὐάν, quod exultantes Baccho acclamabant. *Euge* itidem Rhetoribus, ac Poëtis, acclamari ſolet: ut ex Perſio, & Martiale, conſtat. Quid mirum, cum εὖ, & εὖγε, ſic uſurpet Plato: *euge* verò nihil aliud ſit, quàm εὖ γε? Promiſcuè nimirum ad affectum exprimendum, nunc interjectionibus uſi; ut φεῦ, οὐᾶ, *euge*, ac ſimilibus: nunc adverbiis, ut θαυμαστῶς, & apud Theophraſtum †, ὀρθῶς ‡: apud Arrianum ὑπερφυῶς*: ſ σοφῶς †, apud varios: apud Ciceronem ‡, *præclare, bellè, feſtivè:* apud Horat. *pulcrè, benè, rectè:* aliaque apud alios. In cujuſmodi lætis acclamatiunculis deſino: ſed magis boni ominis cauſſâ, quam quia vana illa conſecter, eorum inſtar, qui Plinii* ætate nunc σοφοκλεῖς dicti, quia ambitioſe ad dicendum accederent, ut illud σοφῶς audirent: nunc *Laudiceni*, voce ambiguâ; quia antea ſic dicti *Laodicenſes*, ut *Laumedon*, qui aliter *Laomedon*; poſteaque novè id nomen ambitioſulis illis inditum à *laude dicenda*; quæ res gloriæ animalculis unicus erat animæ paſtus. Utinam verò in tam exiguo eorum numero, qui aliqua cum cura, literarum, vel eloquentiæ ſtudia, tractant, non multos adeò hic morbus, peſtilentis inſtar ſideris, afflâſſet. Quod non aliunde eſſe arbitror, quàm quia literis non conjungunt, ut oportuit, ſolidæ ſapientiæ doctrinam. Aliter enim ſi eſſet, num videri, quàm eſſe ſapientes mallent? Quanto meliùs is, quem antea dixi, Arrianus, vel potiùs, cujus diſſertationes refert, ſapientiſſimus Epictetus; qui operam ſemper in dicendo ſcribendoque dare jubet, non ut laudemur, ſed ut proſimus. Equidem ſic prope ab adoleſcentia animatus fui; nunquam tamen fateor, quantum oportebat. Sed quo ætas accreſcit magis, eò impenſiùs allaboro, ut inania famæ contemnam, veraque conſecter bona. In qua cogitatione ſæpius defixus, faciliùs ab animo meo potui impetrare, ut, quamvis ſcirem ſordeſcere magis & magis ſtudia literarum; maximeque ea, quæ propriè artem Grammaticen ſpectant: nihilominus ætate hac aggraveſcente, paulliſper, non quidem ſeponerem, ſed remiſſiùs tamen tractarem, ſtudia graviora, iterumque in manus ſumerem veteres adoleſcentiæ labores; laboreque novo, ſicubi impolitiores viderentur, polirem; & hactenus ineditos, inter tot curas, divulgarem. Nempe conſcientiâ bene merendi de ſcholis, ac Rep. literariâ, contentus fui: beneque adhuc agi mecum puto, ſi pro laude inani, & quali quali nominis celebritate, unum hoc inter homines conſequar, ut faveant boni; beneque illi apud Deum precentur, quos adjutum ire volui hiſce commentationibus meis.

* Cap. 3.

† De miſeria alicujus conquerentis.
‡ Admirantis.
* In Avib.

* Act. 2, ſc. 3.

† Admirabiliter.

‡ Mirandum in modum.
* Dixiſti.

† De chaſtiteri-bus
‡ Rectè.
* Supra modum.
† Sapienter.
‡ Lib. 3 diſſertat. Epict. cap. 23.
* Lib. 2, epiſt. ad Maximum.

FINIS LIBRI SEPTIMI DE RE GRAMMATICA, QUI EST DE STRUCTURA.

IN-

INDEX

OMNIUM HUJUS

VOLUMINIS LIBRORUM.

Numerus paginam, littera *a*, columnam primam, *b*, secundam designat.

Agmen

Atra-

B.

C.

D.

dubi-

F.

faris

H.

K.

L.

O.

Re-

scobs,

suber

T.

tran-

W.

X.

Y.

Z.

F I N I S.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

VITIIS SERMONIS,

ET

GLOSSEMATIS

LATINO-BARBARIS,

LIBRI NOVEM,

Partim utiles ad purè loquendum, partim ad meliùs intelligendos posteriorum seculorum scriptores.

Quinque Libri posteriores ex Auctoris autographo nunc primum prodeunt.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & I. BLAEU,

Prostant apud IANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, à SOMEREN, & GOETHALS.

MDC LXXXXV.

Illustri, & Generosissimo juveni,

ERICO OXENSTIERNA,

magni AXELII Filio,

L. B. in Kimitho, Domino in Fyholm, & Tideun, &c.

Eò jam potentiæ provecta est Regni Suedici magnitudo, Illustris Baro OXENSTIERNI, ut ad pristinam illam Gothorum majestatem, pleno, rapidoque gradu ferri iterum videatur. Nec aliter esse potest, quin Excellentissimus & Illustrissimus Tuus Pater, AXELIUS OXENSTIERNIUS, Regni Senator, ac Cancellarius toto orbe inclytus, Deo gratias agat immortales, quoties cogitat, labores, & consilia sua, & domi, & per Germaniam, & terris aliis, ita prosperè cessisse, ut nihil non beneverterit Suedis: Regnumque, licet antea etiam metuendum, nunc eò pervenerit fastigii, ut horrorem pepererit inimicis, pluribus invidiam, toti verò mundo stuporem & admirationem. Gloriosum certè nasci in tali populo: sed quanto gloriosius nasci ex illo, cujus divina in Regnum merita honores merentur (absit invidia dicto) iis proximos, quos vetustissimi illi Getæ Zamolxi, legislatori suo, decreverunt. Felix es itaque, quòd alterum Gothorum Zamolxim habeas parentem. Sed si ob hoc solùm fortunatum Te censerem, quàm ego propriis Tuis laudibus essem injurius! Neque enim sublimitas generis Tui, quam majorum potiùs laudem censes, tantum Tibi conferre possit, quantum Ipse virtute Tuâ adquiris. A Te igitur incipiat, qui animi Tui dotes enumerare velit: ac sic etiam habebit, quod perficere vix possit. Mihi animus non est, tale quid adgredi: & etiamsi ea mens foret, neque locus, neque tempus, neque ille, cui hæc scribo, istud patiatur. Sufficit illa dicere, quæ ipsemet, dum hic viveres, coram perspexi; quæque omnes norunt. Perspexi ipse insignem Tuam comitatem ac humanitatem; quâ etiam minimis Te æquasti; quæque me admonet, ut gratias quomodocunque rependam. Alterum verò, nulli non cognitum, est illud, quòd cùm pauci admodum sint, qui de generis sublimitate tecum certare aut possint, aut velint: difficilius tamen sit invenire, qui valeat Tecum contendere amore, quo literas, & literatos, prosequeris. Atque hæc duo tanti ego censeo, ut, quamvis de cæte-

ris virtutibus Tuis maximis paullisper vellem cogitationem deponere; vel sola tamen potuerint me impellere ad Illustri Nomini Tuo inscribendum literarias hasce commentationes nostras. Sunt illæ de duplici sermone: uno veterum Romanorum; altero, postea consecuto, earum gentium, quæ, quidquid penè in Occidente possederant Romani, in suam redegere potestatem; cumque imperio magnâ ex parte linguam ipsam transfuderunt. Nemo autem ignorat in iis, quas dicebam, nationibus, facilè primas ferre Gothos vestros. Eóque jucundius futurum, ubi in parte operis nostri conspicies tot vestigia vocabulorum, quibus usi Gothi, & finitimæ gentes, non tam linguâ, quàm solâ dialecto, diversæ. Accedit, quòd non parum hinc lucis accesserit legibus, quas Gothi variis in terris tulerunt. Ut ante annos amplius centum supra millenos in Hispaniis, ac Galliis, (cujus pars Sidonio Apollinari Gothia vocatur) Euricus Rex; ut ex Isidoro cognoscimus. Item centum annis pòst Leuvigildus; posteáque alii, atque alii. In ipsa quoque Italiâ Theodericus, Wisigothorum Rex: à quo leges Theodericianæ, ad instar Codicis Theodosiani, sic vocati à Theodosio Iuniore, qui non multò præcesserat. Ejus Theoderici est edictum capitum CLIV, quod ipse se dedisse ait *devictis tam barbaris, quàm Romanis.* Nempe, dominus Romæ factus, loqui voluit pro more Romanorum; qui, ut Græci antea præter se cunctos vocarant barbaros; ita ipsi, præter se, & Græcos, omnes barbaros dixere. Nec in barbari nomine convitium fuerit, si, ut propriè sonat, extraneum intelligamus; quomodo tam Romanus fuerit barbarus, si in lingua peccet Gothicâ; quàm Gothus in Romana. Totum enim hoc est ex genere eorum, quæ relata, Græcis τὰ πρός τι nominantur. Itaque videmus ab Arabibus in Asia quidem barbaros nominari Græcos, Syros, Persas, & Ægyptios: in Africa contrà sic dici Hispanicè, vel Latinè loquentes. Porrò partim ex illa loquendi consuetudine Romanâ; partim quoque (sic sanè, veterum more, toto etiam opere loqui liceat) barbarâ illâ; conflata est hæc commentatio nostra; quâ operam dedimus, ut tum eorum inserviremus commodis, quibus nihil in sermone gratum est, nisi auribus cognitum Romanis: tum illorum etiam, qui intelligere cupiunt scriptores linguâ usos confusaneâ ac miscellâ ex veteri Romanâ, & illâ inprimis nationum, quæ subegerunt Romanos. Dixerit aliquis, si non in alio desudâro; in re tenui hanc operam, ac tenuis quoque gloriæ fore: quia circa verba solùm, non res ipsas, versemur. Sed qui sic sapiunt, parum intelligunt, quantopere ad Romanam facundiam,

&

& prudentiam univerſam, verborum conferat ſcientia, ac delectus. Nec enim abſque delectu, quem Eloquentiæ originem eſſe Cæſar cenſebat, vel olim Elegantiam conſequi Romanam fuit; vel nunc, in ſermone Romano, ipſam effugere barbariem conceditur. Unde hæc ſic dominatur temporibus noſtris in monumentis virorum non è vulgo; inque publicis perſonat pulpitis, etiam eorum, qui ſe profitentur doctrinarum duces. Non dubium igitur, quin majus quiddam ſit multorum opinione, cum ea pedem comminus conferre: etſi nimium ſibi promittat, qui propterea ſperet, profligare ſe eam penitùs poſſe. Sufficit, ſi illis ſaltem utilis navetur opera, quibus de luto meliore præcordia finxerit Prometheus: quales nunquam literis dèrunt. Alia interim ratio eſt ineunda ſeculo noſtro; quàm olim Cæſaris Iulii, & Auguſti temporibus. Tum (quicquid alii contrà arbitrentur) meliùs loquebatur vulgus rude, & indoctum, quàm nunc (niſi duos tres excipere è numero non magno lubet) fortaſſe ipſi literarum principes ſolent. Cui felicitati veterum accedebat diligens exercitatio apud magiſtrum. Ad variæ etiam eruditionis laudem addiſcebant elegantiores priſcum ac deſitum ſermonem, non ad uſum, ſed ad intelligentiam ſcriptorum, qui uno altero ſeculo præceſſiſſent. Nam puerorum inſtar ſapere judicabant, niſi qui priorum etiam temporum memorias complecterentur. Utcunque verò ex notitia obſoletorum aliquis etiam ad nos fructus redundet; videlicet ad cognoſcendam vocabulorum proprietatem, quæ ab iis originem ducunt: minutum tamen eſt hoc præ illis temporibus, quibus rancidi illius ſermonis ſcriptores exſtarent. Nunc, poſtquam nihil niſi laceras eorum reliquias, velut è magno naufragio, habemus: pro illo deſita diſcendi, alius eſt ſubeundus labor, in cognoſcendo ſermone, qualis multis ſeculis fuit, poſtquam à tot gentibus exteris diſcerptum eſt imperium Romanum. Nec tamen ab iis hoc exigo, qui nondum è barbariei cœno pedem poſuere; ſed iis ſedulò lectis, qui dictionem formant. Scio, delicatulos multos hanc doctrinarum partem pejùs odiſſe, quàm ululam fullones ſolent: ſed defrudent illi animum, ut lubet, ſuaviſſimo tot rerum utiliſſimarum paſtu. Cordatiores ſatis vident, quantum ſtudiis decedat univerſis, ſi, ob ſolam dictionem, diſpretui ſit, quidquid penè ſcriptorum tempora nobis non inviderunt, jam inde ab Antoninis, vel Severi, filiorumque imperio, uſque ad atavos, vel tritavos noſtros. Itaque ſic ſtatuo, etſi multò auguſtius ſit ſapere, quàm dicere: eſſe tamen dignum ſapiente, intelligere omnes, etiam barbaros; ac interim convenien-

nienter loqui auribus Romanis. Nec ita malè agitur cum ſtudiis, ut non multi hac in re nobiſcum ſapiant. His igitur conſultum ivimus gemino iſtoc labore noſtro. Quem Tibi, Illuſtris Baro, comitem do reliqui itineris, ac opto, cupioque, eſſe pignus ac monumentum devotiſſimi affectus. Eò gratum, acceptumque, fore confido. Quid enim non mihi ſpondeam ab illo, cujus acre acri ingenio judicium junctum omnes mirabamur, priuſquam Bataviâ diſcederes? Quid igitur nunc non promittamus nobis poſt aditas, & luſtratas Gallias, Italiam, terráſque alias; poſt cognitas tot nationum leges, ac mores; poſt principum, ſummorumque virorum amicitias, imò cum divûm propagine, de orbis negotiis ſermones? Nec minùs probatum iri confido exactiſſimo illi judicio Fratris Tui, D. Baronis Joannis Oxenstiern, Regni Suedici Senatoris, ac Legati ad conventum Monaſterienſem; ubi nunc permiſtus eſt tot magnorum Regum, ac Rerumpublicarum, caduceatoribus magnis, de hoc uno conſultantibus, ut orbis Chriſtianus, armis poſitis, tranquillitate fruatur longâ, omnibus victoriis potiore: vel, ſi tantus eſt bellandi amor, arma convertat in communem nominis Chriſtiani hoſtem. Et cur non perſuadeam mihi, per inclytum hoc Fratrum par, nec ſine laude nominandum, poſſe etiam laborem noſtrum impenſiùs probari Parenti veſtro Illuſtriſſimo, incomparabili viro: qui nunquam deſiit, aut deſinet, animo meo obverſari, ex quo præſentem in hac urbe vidimus, loquentem audivimus, omni ab eo comitate excepti ſumus. Relucebat in vultu blanda ſeveritas, & facilis majeſtas. In ſermone certabant verborum dignitas, & animus nihil humile cogitans. Ubique ingenium, & eloquium; Gratiæ, ac eloquentia, ſe exſerebant. Inprimis in ſtuporem omnes trahebat cogitatio rerum maximarum, quas ab exceſſu Invicti Regis Gustavi per univerſam Germaniam geſſiſſet. Sed iſta meliùs dicent variarum gentium annales: quibus ſic præterita narrabuntur, ut iterum, imò ſemper, videantur geri; terminari nunquam. Mihi verò, cui non ea eſt facundia, ut rerum magnitudine vinci neſciat, propoſitum eſt, ne culpâ ingenii tantas deterere laudes pergam, eas potiùs cum ſilentio venerari; ac deſinere hunc ſermonem, ſimulac non ficto officio, ſed voto ab imo pectore proficiſcente, Tibi, Illuſtris Baro, totique familiæ Oxenstierniæ, omnia fuero felicia comprecatus. Magno quidem Parenti, ut vegetâ & diuturnâ fruatur ſenectâ, diuque conſiliis ſuis adjuvet Serenissimam reginam, Phœben illam Septentrionis, illam invictam, & nunquam vincendam

Ama-

Amazona. Illustrissimo, & Excellentissimo FRATRI, ut in tam Illustri, & orbi tandiu exoptato cœtu, ejus quoque ope tandem aliquando Jani claudatur templum, & Musarum illud aperiatur. TIBI verò, Illustris Domine, ut id itineris, quod restat in patriam (quæ, quasi eminus conspicata, jam brachia protendit, gnara quantum sibi de virtute Tuâ possit promittere) pari absolvas fortunâ; quamque de Te universo orbi spem fecisti, feliciter impleas. Amstelodami. cIↃ IↃC XLV. Kalendis Sextilibus.

Illustris, ac generosissimi Nominis Tui

cultor devotissimus,

GERARDUS JOANNES VOSSIUS.

B E-

BENEVOLE LECTOR,

VEnustè apud scenicum philosophum Ulysses rogat in Cyclope:

> Βούλει σε γεύσω πρῶτον ἄκρατον μέθυ;
> Vin, ut meraci præbeam gustum priùs?

Cui Silenus:

> Δίκαιον. ἦ γὰρ γεῦμα τὴν ὠνὴν καλεῖ.
> Æquum: emtioni gustus hic struet viam.

Mihi quoque Ulyssem nunc imitari animus est: non quidem vilis emtionis gratiâ, de qua nihil est curæ Hippoclidi; sed ut Reip. literariæ, cujus bono desudo, commendatiores sint labores nostri, ac denti eorum minùs obnoxii, qui vituperare solent, quorum usum non intelligunt. Si igitur grave non est, siste paulisper, atque audi me pauca tecum loqui volentem de instituto nostro, totoque operis argumento. De quo, ut cuncta fiant planiora, rem, quod dicitur, ab ovo ordiar; ac primùm universè aliqua præmittam, de vetustissimis Europæ linguis. Tum particulatim dicam de linguæ Latinæ natalibus, ac quando præcipuè floruerit. Hinc paucis perstringam, quomodo ab eo vigore paulatim desciverit, donec tandem non Italia modò, sed Roma ipsa, facta est barbara. Iis expositis, memorabo, quomodo hoc opere mihi fuerit propositum bene mereri, tum de amantibus sermonis Romani, tum de legentibus scriptores barbaros. Denique non rationem modò reddam, cur multa nunc præterita sint nobis: sed referam etiam, quid ab aliis requiram, ut summa iis manus addatur, quæ exorsi sumus. Multa esse video, quæ pollicear; sed brevitatis studium faciet, ut ne longi nimis videamur.

Ex divino Mose cognoscimus, in divisione mundi, quæ post confusionem linguarum temporibus Heberi facta est, Orientem obvenisse posteris Semi; Meridiem iis, qui à Chamo descendissent; Septentrionem, & Occidentem, generi Iapheti, qui non alius est ab Iapeto poëtarum; utcumque illius omnia fabulis contaminarint. Iapetoniadis istis primæ sedes fuere supra mare Ægeum, ac Syriam, imò & Assyriam: quippe ubi posteritas Madai ab eo Medorum sit nomine nuncupata. Postquam verò numerus eorum, qui à septem Iapheti liberis essent procreati, in tantum cepissent incrementa, ut assignata iis Asiæ portio non sufficeret: transfudere se in Scythiam Europæam, Thraciam, Græciam, Græcos descendere ab Iavane, Iapheti quarto natu filio, fidem fecerint Iones, qui integriùs Ἰάονες. *Æolicè autem* Ἰάωνες. *Minimus natu filiorum erat Thiras; à quo Thraces esse ortos, ex maxima nominis affinitate colligitur. Europææ autem Scythiæ terras, Tanai trajecto, occuparunt Cimmerii; quibus in Asia sedes ad Bosphorum Cimmerium, ac Mæotidem, erant. A Gomero illos, filiorum natu maximo, ab illis verò Cimbros genus ducere, vulgatior opinio est. Ex hisce locis, quæ diximus, paulatim sunt profecti in terras alias, atque alias. Communis verò lingua fuit Scythis, & Celtis; hoc est, Germanis, & veteribus Gallis, Hispanis, Britannis. Sed hi postea multùm à primogenia recesserunt. Nam Britannica, ut de postrema primùm dicam* ὁμηρικῶς, *recepit innumera, priùs quidem Anglorum, & Frisiorum; postea verò Normannorum, Gallorumque recentiorum. Gallica itidem lingua admisit primùm Græca, occasione Massiliensium, coloniæ Græcanicæ; hinc Romana; exinde Francica, Gothica, Burgundica, & Normannica. Hispanica similiter plurimùm à veteri Celtica degeneravit; primùm Phœnicibus eam obtinentibus, hinc Romanis, postea Gotthis, inde Saracenis. Sed non sermo jam est nobis de recentioribus Europæorum linguis; verùm antiquissimis illis: quarum tres sunt, si non*

solæ,

solæ, saltem potissimæ: una Macedonum, & Græcorum. Altera Illyrica, variarum in Sarmatia, & vicinis locis, mater; Sclavonicam nunc dicimus. Tertia Thracum, Dacorum, aliorumque Getarum. Unde illa non Phrygum modò, quos Thracum fuisse propaginem constat; utcumque de antiquitate satis futili de pueris argumento, cum Ægyptiis certare non dubitarint: sed Germanorum etiam, atque adeò Scytharum; quo vocabulo quandoque & Thraciæ gens olim fuit nuncupata. Imò Scytharum nomine continentur quoque Getæ, & Gothi: atque appellationes istæ, uti & Iutarum, & Iutingorum, solâ differunt dialecto. Ad Græcos quod attinet, antiquissimi eorum Thessaliam obtinebant. Hic enim tum Pelasgi fuere, à quibus pars Pelasgiotis dicebatur; tum Phthiotæ, quales priùs Graji, sive Græci, postea Hellenes vocati. Hi cùm occupassent loca inter Thessaliam, & Corinthiacum isthmum; inde etiam Peloponnesum invaserunt. Colonias verò duxere (ut de insulis taceam) partim in Asiam, ubi Ionia, Æolis, Doris: partim in sinistram Ponti ripam, quas colonias Getico sono Græcum corrupisse sermonem, ex Ovidio cognoscimus: partim in Italiam, cujus pars magna Græcia dicebatur, non quidem collata cum Græcia universa, sed antiquissima illa Phthiotica; cujus soli incolæ, vetustissimis temporibus, Graji, & Græci, vocabantur. Etiam in Latium pariter cum colonis se infuderunt: ac primùm Oenotrii, origine Arcades. Loca illi occuparant freto Siculo proxima, inde in Umbriæ partem concessere. Postea Pelasgi, Æmoniâ, sive Thessaliâ pulsi, se Oenotriis junxere, ac, sociatis viribus, veteres Latii incolas, qui Siculi tum dicebantur, ejecerunt. Exinde Arcades, Evandro duce, à Latinis recepti fuerunt. Ab his tribus Græcorum commigrationibus in Latium est illud, quòd lingua Latina, si exceperis ea, quæ vel ex primogenia lingua retinuit, vel à vicinis Celtis accepit, tota penè fluxerit è Græca. Ac fortasse magis id fuisset, nisi eo etiam profugissent Trojani, duce, ut volunt, Æneâ. Nam ut Teutones, & Scythæ, multa habent vocabula Græca, idque cum aliis de causis, tum præcipuè ex commercio cum coloniis Pontum accolentibus: ita & Latini accepere multa à Phrygibus, eoque Teutonicis similiora, quàm Græcis. Quid mirum, quando iidem Thraces, ut Teutonum partis, sic Phrygum, sunt parentes; sicut antea dicebamus? Unde alteram etiam causam perspicimus, cur in plerisque vocabulis Latina lingua, florente Româ, imò ante eam conditam, convenerit cum Germanica. Sed cur talium postea tanta sit facta accessio, ex Walafrido Strabone initio hujus operis exponimus. Singula horum, si rationibus, præcipuéque testibus antiquissimis, adstruere velimus, (quod fortasse aliàs faciam) non epistola, sed liber fiet. Quare potissimùm de Latina nunc dicam; cujus ergo hic sermo instituitur. Cum Romana lingua, imò & aliis, comparatum est, uti cum homine. Habuit sermo Latinus ætatem crescentem, habuit decrescentem, habuit inter utramque vigorem suum. Crescentem divido in pueritiam, & adolescentiam. Ad priorem refero Saliares Numæ Pompilii, ac similes hymnos, quos ævo optimo vix sacerdotes sui intelligebant; item leges Regias, ac Decemvirales; nec non Pontificum leges, & Annales; ad hæc columnam rostratam Duillii, aliáque his similia. Adolescentiam auspicamur à Livio Andronico; quem secuti inter alios Nævius, Ennius, Pacuvius, Attius: meliorque his Porcius Cato, cujus libri de R. rustica perdurarunt: cæterorum fragmenta solùm habemus. Optimi verò in adolescentia hac Plautus, Terentiúsque. Vigorem verò, ac maturitatem, in prosa habent Cicero, Cæsar, Cælius, Sallustius, Cornelius Nepos, Livius, Vellejus, M. Seneca: in carmine, Lucretius, Catullus, Maro, Horatius, Tibullus, Propertius, Gratius, Ovidius, Pedo Albinovanus, & his æquales. Quod si ἀκμὴν eam ultra Tiberii principatum perducere est animus: per me licet, ut adjungantur ex iis,

qui prosâ scripsere, Cornelius Celsus, Pomponius Mela, Columella, L. Seneca, Curtius, Plinius uterque, Rutilius Lupus, Quinctilianus, Suetonius, Tacitus. E poëtis Lucanus, Persius, Silius, Iuvenalis, Martialis, Papinius, Valerius Flaccus. Quanquam in horum aliquibus videas, jam paulùm remisisse vigorem antiquum. Ac liquidiùs hoc evênit sub Divis fratribus: cæteris tamen melior Agellius: nempe se totum ad priora tempora composuerat. Nec aspernandus Iustinus, qui non multùm sibi à Trogi dictione deflectendum putavit. Compluribus quoque Iurisconsultis opera puro est data sermoni, etiam paullò remotioribus: ut Æmilio Papiniano, qui sub Severo claruit, atque à Caracalla est interemtus: item discipulis Papiniani, Ulpiano, Iulio Paulo, Pomponio, Modestino, qui sub Alexandro Mammeæ viguerunt. Horum crudæ, ac viridi senectuti successit ætas decrepita. Videlicet à Severo Alexandro usque ad irruptiones barbaricas in Italiam, amissumque à Momyllo imperium. Quidam tamen tum quoque, neglectâ sui seculi linguâ, non infeliciter se composuere ad veterum exemplum. Qualis sub Constantino Lactantius, sub Honorio Severus Sulpicius; ille Ciceronis, hic Sallustii æmulus. Ac Severo Claudianus æqualis, magni spiritûs poëta. Posteaquam verò Roma, priùs sub Odoacro, mox sub Gothis, fuit; ac à variis gentibus, quas Romani barbaras vocarunt, miserè discerptum est imperium: sermonem Romanum, non jam quasi decrepitum, sed dixero moribundum, vel potiùs emortuum, magisque cadaveri, quàm vivo similem corpori: utcumque in Boëthio, qui sub Theoderico, Gothorum rege, claruit, ac vivere etiam desiit, reluceat carminis genius verè Romanus, longéque supra seculum suum enitescens. Sed nec vir ille se composuit ad suam ætatem; ac vix scio, ecquid à Varronis temporibus Roma eo habuerit undecunque doctius. Penè tribus pòst seculis Carolus Magnus, variis in locis scholas erigendo, præclarè est meritus de studiis universis; meliùs tamen de rerum doctrinâ, quàm linguâ Romanâ: quæ cujusmodi eâ fuerit ætate, è Constitutionibus Caroli ipsius, & filii Ludovici, ac nepotum, clarè satis cognoscitur. Caroli genere exstincto, quod decimo à Christo seculo fuit, propè omnis eruditio ab orbe est profligata. Totisque annis quadringentis delituit crudeli multata exilio. Itaque duos, vel neminem, dixeris, qui, quod Romanam quodammodo saperet dictionem, vel auderet, vel posset. Cæsaris Ludovici Bavari hæc felicitas fuit, quòd eo imperante, literarum studia, sed in Italia magis, quàm Germaniâ, vel terris aliis, duce inprimis Petrarchâ, bonis sint avibus revocatæ, melioribus reductæ. Etsi enim tum quoque infinitis partibus plures sic olido priorum seculorum veterno premerentur, ut neque ad claram Solis lucem oculos attollerent: haut defuere tamen alii innumeri, qui, cùm jam aliquos id posse viderent, ipsi etiam mallent meliùs sapere, ac loqui. Atque hæc fusiùs diduximus, ut meliùs liqueret, quemadmodum hominibus, sic linguis, suam esse, ut dicebamus, infantiam, pueritiam, adolescentiam, virilem ætatem, ac senectutem; eamque & viridem, & mediam, & decrepitam. Sed hoc videmus interesse, quòd ubi ad senium est homini deventum, recurrere ad infantiam quidem nolit; ad vigorem autem vellet, si posset. In linguis verò, etsi seculi vitio vel ipsa facundia penè facta esset elinguis; datur nihilominus loqui, non cum illis in Romana dictione infantibus, sed cum iis temporibus, quibus viguit vis, & gratia Latini sermonis. Cujus rei exempla capere licet ex non paucis, qui licet viverent, non deflorescente dico linguâ Romanâ, sed marcente prorsus, imò emortuâ: tamen grandius quid, puriusque sonuere cæteris suæ ætatis hominibus. Et tulere hi pretium operæ. Nam hodiéque majori cum voluptate, ac propterea diligentiùs, & sæpius, leguntur. Nec iccirco putandum, prorsum negligendos esse ejusce ætatis cæteros, qui sive tamquam æstu torrentis abrepti, sive desperatione quadam meliorum,

con-

contenti fuere plebeio, & idiotico sermone; scripseréque, non ut debuere, sed ut potuerunt. Nam & tales non pauci Libitinam effugerunt: qui, modò rerum pondere commendentur, nunc etiam versandi sint nobis, partim propter tam multa, quæ variis in disciplinis acutè observarunt: partim ne hiatus sit multiplex in historia; sine qua scire non possumus, vel qualis Ecclesiarum facies quibusque fuerit temporibus: vel caussas, modosque, quibus paullatim corruit imperium Romanum; & ex hujus ruinis assurrexere nova regna, ac Respublicæ; atque ea ipsa sæpius formam imperii mutarunt.

Duplicem igitur esse verborum curam, colligimus. Una meliorum est temporum, quorum sermonem æmulari oportet. Uti enim consuetudo vivendi est consuetudo bonorum: ita consuetudo sermonis est consuetudo doctorum; hoc est, eorum, qui in classicis sibi scriptoribus jure suo deposcunt locum. Altera cura seculorum est deterioris notæ, quorum linguam mixobarbaram satis est, si intelligamus. Estque posterius hoc tanto minoris negotii, quanto facilius est loquentes intelligere, quam purè loqui, ac scribere. Quæ qui cogitârit, causas eâdem perspexerit, cur hoc in opere utrumque susceperim laborem; & illum, qui efficit, ut purè loquendo libentiùs audiamur, ac legamur; & alterum, per quem meliùs eos intelligimus, qui aliter scripsere. Ad priorem quidem magnopere me impulit, quòd non absque dolore conspicerem, multis etiam non infimi nominis in loquendo scribendoque excidere tam multa, quæ veteres illi Romuli nepotes nunquam dixissent. Atque interdum hoc iis etiam usu venire videbam, qui mirè student orationis lenociniis, & calamistris; licet scribendi hoc genus multùm temporis cum rerum dispendio requirat; nec tam animum penetret, quàm demulceat. Verùm per me licet, ut suum quisque in scribendo genium sequatur. Solùm juventutem moneo, ne unâ orationis parte sic studeat ornatui, ut aliâ contrahat sordes. Atque hoc eò justiùs facio, quia si jam sesquiseculo, & ultrà, necdum satis sit profectum salubribus & præceptis, & exemplis: difficile sit videre, quid, sine multorum monitu, deinceps sit sperandum, succedentibus aliis temporibus, quæ sensum non tam ad sermonis applicent castimoniam, quam inanes argutias, ac mox etiam ad veterem barbariem paratura esse viam videantur. Usque adeò sordere cœpit omnis literaturæ honos; neque id juventuti modò à labore ad otium proclivi; sed subinde etiam studiorum præfectis, qui sæpiùs hasce literas, tanquam canis Nilum, tantùm degustarunt; ac docendi alios provinciam suscipiunt, antequam didicerunt. Utinam hæc magis ad animum revocarent, qui ad clavum sedent Rerumpublicarum. Non tantopere peccaretur magistrorum inscitiâ, pravâque institutione. Quamquam aliud etiam est, quo gliscat hoc malum: videlicet quotidianus Latini sermonis usus cum iis, quibus studia literarum non maturuerunt. Nam assiduè tales audiendo, simili adsuescimus sermoni: ipsi, perperam loquentes, perperam discimus scribere. Ut mihi propemodum caussam suam probent, qui arbitrantur, Latinè loquendi morem, qualis quidem obtinet vulgò, non minùs officere linguæ castimoniæ, quàm prodesse. Equidem de me ipso istoc dixero, sæpius mihi hoc obtigisse, ut cum semibarbaris cogerer βαρβαρίζειν, si intelligi vellem: quandoque etiam scientem deteriùs locutum, ne exprobrare inscitiam aliis viderer, quibus minus otii tractandis hisce literis fuisset. Interdum etiam, dum rerum momenta solùm attendo, video ex vulgari consuetudine adhæsisse illud verbi, quòd soleam improbare. Sed nunquam magis rideo, dicam, an indignor, quàm si etiam in editis mihi videam, pravo loquendi more abrepto, excidisse, quod seriò ipse damnem.

—— Adeò in teneris consuescere multum est. 2.Georg.

Atque hæc de me ipso eò lubentiùs consigno, nequis fortè arbitretur, quia tam multa rejiciam, quæ in hominum doctissimorum libris occurrant, eo detrahere cujusquam nomini voluisse. Non possum inficiari, quandoque me, quò dictis facerem fidem, nomina eorum apposuisse, quibus hujusmodi excidissent. Sed parcè id egi, ac citra contumeliam: ut cui animus sit tractare ita literas, depreciem ut neminem. Itaque, quantum recordor, superstitum nominibus peperci semper, de vitiis solis dicere contentus. Nam quid ego, vel figurato sermone, tangere aliquem in animum inducerem? Malumne carperem, & indoctum? At non tam seculi, ac rerum, sum ignarus, ut nesciam, quid sit crabrones excitare. Num igitur reprehenderem bene de studiis meritum, vel merentem? At, in hujusmodi quidem argumento, quid hoc foret, nisi in simpulo fluctus excitare? imò quid aliud, quàm pipulum aliis facere, fortasse me ipso longè melioribus? Errarunt aliqui? Commune hoc cum illis habeo: imò nec aliud mihi persuasero, quàm dum homullus, si alicujus industriæ, at ingenii, ut puto, pusilli, spissis adeò occupationibus, domesticis etiam mortibus, ac malis distractus, tot jam annos, tam multa, tam disparis argumenti, scribo assiduè, non paullò sæpius me aliquid humanitus perpessum, quam alios permultos. Atque ab hac diffidentia mea, simul malevolorum livore, proficiscitur, quòd utcumque à sapientiæ doctrina, sacræ imprimis, avellar invitus: subinde tamen relabar ad adolescentiæ nostræ studia; eoque tetricam nunc senectæ soler operam, quòd sciam imbecillitatem meam, ac cogitem, in istiusmodi Grammatico argumento tutiùs aberrari; minúsque laborandum esse de omnisciolis quibusdam. Quemadmodum enim, ut ait poëta †,

† Juvenal. Sat. 1.

—— nulli gravis est percussus Achilles:

ita minùs molestum iis fuerit, si cogitem de barbarie profligandâ. Quo etiam animo septem de arte Grammatica libros ante decennium Serenissimo Walliæ Principi consecrabam. Nec aliâ mente cogito de divulgando grandi Originum opere, in quo agitur de verborum Significationibus. Imò, quò minùs diù adspexerit lucem, id solùm in causa est, quòd sic distinear, &, nescio quomodo, alia semper, atque alia, prævertant. Sed nimis diu insisto priori sermonis curæ, quâ repastinamus barbarorum senticeta, multásque evellimus herbas, quæ non in Romanis succrevere hortis, sed aliunde à barbaris, vel semidoctis, sunt illatæ.

Alteram verborum curam in eo collocabam, ut illos etiam intelligeremus, qui collabente, vel collapsâ jam Latinitate, vivebant. Equidem memini, cùm primitus, aurum duntaxat tractare adsuetus, abderem me in hos seu ferreos, seu lutulentos scriptores; crebrò evenisse, ut propemodum non magis eos intelligerem, quam si alium in orbem delatus forem. Ac interfui simili aliorum querimoniæ; qui eos jamdiu de manibus abjecerant, quia de assequenda eorum mente desperarent; quando, ut dici solet, legere, & non intelligere, veriùs sit negligere. Horum igitur studia adjutum ire volui laboribus nostris, haut ignarus, nonnisi per notitiam vocabulorum posse perveniri ad intelligentiam rerum. Verùm inquiunt nonnulli, damnosam videri operam hanc nostram, tam ratione vocabulorum, quàm etiam rerum. Nam (ut de verbis eos priùs audiamus) cogitare jubent, si Pomponius Lætus, modò ipsi de se credimus, eò discere noluerit sermonem Græcum, ne Græca Latinis misceret, vel structuram Latinam commutaret Græcâ: longè justiùs abstineri à mixobarbaris, ne eorum lectione deteratur Romani sermonis nitor. Sed digna hæc pueris est oratio: quos ab ejusmodi

modi scriptoribus ipsi etiam arcemus. Siquidem hos iis demum commendamus, qui jam subacti sint in optimis auctoribus, ac minimùm historiarum disciplinarumque rudimentis imbuti. Nec enim, jam ætate ac judicio firmatioribus, metuendum inde erit illud periculum, quod formidant. Atque ut fortasse aliquid amitteretur de castimonia sermonis, pulcrè tum id compensabitur utilitate rerum præstantissimarum, quas ex scriptoribus iis addiscimus. Sed enim huic, quod de rebus dicimus, multo magis repugnant. Neque enim persuadere sibi possunt, non cordis fuisse plumbei, qui ferreâ dictione uterentur. Quasi non & in horridè adeò locutis, locum habere possit illud Varronis Bimargo: Avi, & atavi nostri, cùm allium, ac cæpe, verba eorum olerent, tamen optimè animati erant. *Nec sanè quisquam, nisi qui nunquam legerit, diffiteri possit, permulta apud eos inveniri, quibus non solùm doctiores, sed etiam prudentiores, &, quod caput est, meliores reddamur. Longum fuerit, si per singulas ire scientias velim; ac referre nova, præclaraque eorum reperta: sine quibus esset, defraudaremur magnâ, ac perutili prope omnium doctrinarum parte; nobilissimâque etiam studia manca, ac mutila esse, necesse foret. Quamobrem illud solùm dicam, quod antea etiam tangebam; si cui legere suffecerit tempora, quibus viguit sermo Romanus; nec adire eos sustineat, qui purâ minùs, vel etiam impurâ dictione posteà scripserunt: non posse eum in multis, ac maximis rebus, nisi alienis videre oculis, ac sapere ex juniorum compendiis, magnis sæpè veritatis dispendiis, dum propemodum quisque rem narrat, prout ipse factam esse cuperet. Si quem ejusmodi furfures, & lutosæ fossæ pascunt: quo pacto liquidò statuere possit de cunctis illis, quæ pertinent ad inclinationem, ac finem veteris imperii Romani: vel ortum, ac progressum tot novorum regnorum, ac Rerumpubl. quæ inde enascebantur? Quid certi idem promet, de ingentium tot heroum virtutibus, & præclarè gestis? Ac, ne in civilibus consistam, quo pacto providentiam Dei contemplabitur in Ecclesia multis adeò seculis conservandâ, augendâque? Quâ fide referet vitas, mortesque martyrum, confessorum, aliorumque sanctorum? unde sciet, quæ doctrina fuerit omnium temporum? in quibus a se abierint doctores? ubi alii alios tolerarint? quando, & quâ occasione hæresis quæque cœperit, & quibus argumentis adversus eam sit pugnatum? quæ conciliorum vel universalium, vel particularium, fuerint decreta? & id genus alia permulta. Mea proinde sic fert ratio: quisquis solidam sibi comparare doctrinam volet, eum per secula ambulare universa, & ab omnibus sapientibus, quales etiam sunt in illis semibarbaris, discere oportere. Quid enim illa nos barbaries terreat? Verba satis fuerit si intelligamus: res pulcras animo inscribemus: ut hic quoque habeat locum illud Hebræorum proverbium:* Malum granatum inveni, interiora comedi, corticem abjeci.

Atque ex his satis arbitror elucere, cur, cùm nihil pulcrius ducerem, quàm non uno nomine bene de studiis mereri; priori verborum curæ addiderim alteram hanc varia exponendi glossemata, ut eo pacto scriptores mixobarbari meliùs intelligerentur. Itaque, licet non legerem res propter verba; sed attenderem verba, ut res perciperentur: obiter tamen consideravi, quæ præ novis negligerent vetera; quæque præ veteribus usurparent nova. Annotavi etiam pleraque, ut liqueret, quæ posterioribus irrepserint temporibus, & quomodo sint locuti, dum sermo viguit Romanus: atque ubi voces forent obscuriores, quales imprimis illæ, quæ sunt originis barbaræ; ostendi, quomodo illa efferre soleant, qui meliori ævo vixissent. Ut posterior hæc cura quodammodo quoque contineat partem prioris: quia sic interpretor recentia, ut pariter indicem antiqua.

Quod sicui aliqua vidaar injuriâ reposuisse in barbaris, aut quid barbara quædam significent, parum assecutus: ne propterea in eorum me numerum reponat, qui, cùm paucos solùm legerint, de omnibus judicium sibi permittant; sed cogitet potiùs, me exponere (ut Xenophanes Colophonius ait apud Varronem) quid putem; non quid contendam. Illos minùs moror, qui conquerentur, multa adeò nobis præterita. Nam & alius post me cogetur dicere illud Columellæ: * In magna silva boni venatoris est indaganter feras quamplurimas capere; nec cuiquam culpæ fuit non omnes cepisse. Et cur non ingenuè agnoscam, non omnia mihi lecta; ac in iis, quæ legerim, non sic ad omnia attendisse, ut conveniret: sæpè etiam legisse non incuriosè; sed dum cura hæc magis in rerum pondere insumitur, pleraque animi, & corporis oculos subterfugisse in iis, quæ ad vocum minutias pertinerent. Mitto, quòd dum olim observata horis colligo subsicivis, multa eò se minùs animo obtulere, quia semper nobiliorum studiorum ardor hinc revocaret; ac festinantiùs fortasse, quàm res exigeret, deproperare juberet hunc commentarium nostrum. Accipe aliam præterea ejusce rei causam. Cùm, ante hos annos XXX, variâ lectione non pauca in hoc argumento observâssem; posteàque fierem certior de nobilissimi equitis Spelmanni instituto, ac simul conjunctissimi collegæ Joannis Meursii, qui & ipse lexici sui Latino-barbari sæpe mihi, & amicorum aliis, spem faciebat; ac paullo pòst viderem, magno animo eundem laborem aggredi Guilielmum Noomsium, Arlanderveniæ Dominum, tum temporis etiamnum adolescentem, inque Academia Leidensi, studiorum gratiâ, domi viventem meæ: meliùs fore judicavi, si trigæ illi provinciâ hac cederem; quando sat supererat, in quo industriam exercerem. Ita factum, ut quæ scripsissem, in angulum bibliothecæ abderem; ac quanquam innumeros postea scriptores versarem, unde non exigua huic argumento fieri posset accessio; non tamen, ut antea solebam, ejusmodi in chartas nostras referrem. Post luctuosam trium illorum mortem, pœnituit intermissi hujus laboris, cùm aliis de caussis, tum quia nunc in illo hiatu scriptorum, ex quibus adnotare ejusmodi neglexeram, definire non auderem, quis scriptorum superstitum, & hoc illove usurum vocabulo, foret antiquissimus. Quod tamen & utile fuisset, & considerationem habuisset non injucundam. Sed quid agerem? Num idcirco multos adeò, quos legissem, præcipuè sacri argumenti, vel historiæ gratiâ, vel ob res alias, eorum ego lectionem repeterem propter ejusmodi verba? Hæc faciat aliquis, qui Mammotrecti dictionem, aut similium, amare possit, ipse μαμμόθρεπτος, καὶ ἀηδής, nec tribus sanabilis Anticyris.

* Lib. 5. cap. 1.

Sufficere igitur primò putavi, si duobus complecterer libris, quæ de vitiis sermonis, & falsò suspectis, jam olim observâssem. Sed libro primo penè ad finem perducto, in mentem venit, non inutile fore, si saltem ex schedis, quibus præcipuè de glossematis olim egissem, excerperem potiora, ut ne penitùs vel mihi, vel bono publico, vetus labor deperiret. Mox gliscente hoc studio, pulcrius visum, si talia non manu sererem, sed propemodum sacco. Itaque & plura ex nostris admisi, & ex scriptoribus antea necdum lectis mihi, haud pauca adjeci. Verùm quid molestè adeò causam attinet explicare, unde non consummatior sit labor noster? Malim videri, non quantum prætercam, quàm afferam quantum; nec ejusmodi solùm, quæ apud alios legantur, sed etiam quæ non legantur. Præsertim quando non quidquid operæ hujus paratum habeo, id nunc divulgo; sed partem duntaxat; ac ne illud quidem dicere habeo, an meliorem. Multa adeò alteri volumini reservavi. In quo & barbara commemoro longè plurima, quæ hoc volumine eò prætermisi, quòd initio, ut dixi, tantùm animus foret,

foret, dare specimen operis de vocibus Latino-barbaris; non vero ejusmodi, quod quodammodo Glossarii vicem præstaret. Præterea illo volumine prosequor, in quibus non voce totâ, sed solâ significatione peccaretur: ut quando vocabulis Latinis non tam utimur, quam abutimur. Qualium non aspernanda ibidem nobis copia promitur; quæ cùm ignorata fuerit auribus Romanis; meritò & esse debeat hodie fastidio hominibus eruditis. Atque etiam egi de iis, ubi non in privis peccatur vocibus, sed plurium structura. Imò & tractandum putavi de vitio contrario, quale à nonnullis temerariâ committitur censurâ; dum culpant ea in doctissimis viris, ubi à classicis scriptoribus minimè recesserunt. Credo, malit aliquis universa istæc hoc tempore à me publici esse juris facta. Ac præcipuè id dicent, quibus non injucundum est, grande onus alienis imponere humeris; cùm digito etiam illud allevare, grave ducant. Ego verò non aliud potui in animum inducere, quàm quod hoc tempore præstiti, sufficere omnino pro uno hoc homullo, non adeò naris obesæ, ut non sæpius ad istiusmodi argumentum nausearet, ac subinde castigaret seipsum dicto hoc Varronis, Est modus matulæ. *Quem ego modum implêsse nunc mihi hisce quatuor libris visus sum: saltem in tantum, ut licuerit mihi paulisper inamœna hæc permutare, partim amœnioribus, quò animum lassum paullisper reficerem, ac recrearem; partim etiam magis seculo profuturis; modò amicorum stare judicio liceat, qui alium mallent* ἐξακανθίζειν**, me verò rosas potiùs colligere, quàm spinas. Quid quòd aliqui metuerent, ne, ultrà si progrediar, rem faciam gratiorem inimicis, quàm amantibus nostri? ut qui tetricis hisce atteram magis mentem, quàm excitem. Horum ego monita tandem in animum admisi non invitus: sed sic, ut interea hac etiam in studiorum parte locum habere pertendam, quod in re alia scribit Quinctilianus:* † An ideo, *inquit*, minor est M. Tullius Orator, quòd idem artis hujus diligentissimus fuit, & in filio (ut in epistolis apparet) rectè loquendi, ac scribendi, asper quoque exactor? Aut vim C. Cæsaris fregerunt editi de Analogia libri? Aut ideo minùs Messalla nitidus: quia quosdam totos libellos non de verbis modò singulis, sed etiam literis dedit? *Equidem cum tantis viris nolim me vel ingenio, vel doctrinâ, comparare. At non propterea nihil simile habet caussa nostra. Sic enim, dum hæc elaboro, colui Grammaticas tribus; ut frequentiùs Academiam, Lyceum, vel Porticum, cogitarem. Causam attuli, cur, quarto libro exacto, paullum sistere voluerim. Illis, verò, qui è contrario, (quando quot capita, tot sententiæ esse solent) non abruptum hunc laborem mallent; eo me satisfacere æquum est, quòd, ubi melioribus diffidero operam hanc molestam; animus sit redire ad intermissa, orsaque perficere: & sicui id satis non sit, etiam eorum, quæ hîc vides, dare* δευτέραν ἔκδοσιν, *sive repetitam prælectionem; ut veteres fuisse locutos, ex Ulpiani ad Sabinum scriptis docet Iustinianus*. Nam nunc quidem non semper liquebat, quam in trivio hoc insisterem viam. Sed dies multorum magistra esse solet: &, si ipse non observâro, erit, credo, qui, Mercurii Enodii instar, intendat digitum ad verior a; qualem lubens sequar. Fortasse autem, dum hæc tam liberaliter promitto, admodum bellus homo videar, qui non cogitem vel ætatem hanc, vel occupationes varias, & quam multa habeam affecta, quæ præmitti satius sit. Confiteor singula: interea accipe consilium meum. Sic censeo, quidquid de me erit, posse ab aliis, & aliter, publico consuli in hoc argumento, utcumque non diffundant se per omne propemodum scriptorum genus: quod laboris video esse planè Herculei. Ac primùm operam non luserit, si quis observationes Pithæi, Bignonii, Lindenbrogii, Colvenerii, Watsii, atque aliorum, quos passim ad partes advo-*

* Spinas carpere.

† Lib. 1. cap. 7.

* § Supradictis. Constitut. de secunda Cod. edit.

co, ac præcipuè Equitis Spelmanni (cujus utinam partem alteram hæredes non ulteriùs invideant nobis) unum in corpus compingat, nominibus cujusque appositis; partim ut de auctoritate dicentis meliùs constet, partim ne suâ quemquam gloriâ defrudet. Atque hujusmodi glossarium inserviet juventuti, dum nihil habebit majus. Sed ne hic hæreatur, utinam & alterum exorare possim, tum eos, qui sequiorum seculorum scriptores, editos antehac sine glossariis, vel notis, conferre cum vett. codd. melioréśque in lucem dare cogitant: tum illos etiam, qui ineditos prorsus, inque bibliothecis publicis, vel privatis, adhuc delitescentes eruere scriptores parant. Utrosque horum censeo meliùs posse de Rep. literariâ mereri, si non fuerint nudâ eorum editione contenti; sed vestiant eosdem, tum luculentis operis argumentis, tum syllabo, sive indice eorum, quæ sui seculi magis, quàm veterum more, extulerunt: præsertim ubi metus, ne lectori, nec stupido, nec supino, animus hærere dubius possit. Ac velim, ut hoc fiat δακτυλοδείκτως †, *locis nempe indicatis, quibus sic loqui scriptor amet. Ulteriùs etiam si liceat exposcere, illud erit, ut ne facile quisquam alium sibi scriptorem desumat, quàm cujus & argumentum, & dictionem, præ multis intelligat. Sive enim materiem attendamus, nemo vel in uno studio, nedum in tam diversis, ubique Argus esse possit: sive etiam dictionem cogitemus, cùm anus Attica in Theophrasto observârit quiddam peregrinum, ac in Livio animadversa sit Patavinitas; quanto magis ex illis Latinobarbaris unusquisque de linguæ suæ indole aliqua transfuderit in alienam! Quare satius sit, edi à quoque gentis suæ scriptorem, quia is faciliùs, certiúsque, quid è suæ nationis genio proficiscatur, perspiciet. Quod si varii sic variè operam partientur; solum supersit, ut aliquis postea exsurgat, qui, pulcrè adeò priorum adjutus laboribus, hunc judicio bono superaddat, ut ex iis condat corpus plenum justumque, vel ejusmodi saltem, quod à perfectione proximè abesse videatur. Nam, si aliquid in his studiis video, profectò qui unum se perficere hoc omne posse speret; majora viribus aggredietur, tanquam Otus, & Ephialtes. Adeò multa hîc etiam spissis obsepta sunt tenebris. In cujusmodi negotio semper habet locum illud Strabonis lib. x.* ἅπαντα μὲν τὰ αἰνίγματα λύειν ἐπ' ἀκριβὲς, οὐ ῥᾴδιον omnia obscura accuratè solvere non est facile. *Equidem non difficile modò, sed* ἀδύνατον *, *dixero, Exposui liberè, quid fieri ab aliis desiderem. Nec enim periculum esse puto, nequis hujusmodi quid à me exspectet; quando & senium, &*

† Digito intento.

* Impossibile.

Vitæ summa brevis, spem nos vetat inchoare longam.

Horat. lib. 1. Od. 4.

Abundè igitur erit, si ætate hac ingravescenti, post non ita longum intervallum, promissa exsolvam; cumque bono Deo, ex scriptoribus editis, vel ineditis, quos habeo, vel nanciscar, ad grandem ejusmodi substructionem, lapides, & materiem, tanquam unus è multis, deinceps quoque suppeditem; atque ita porrò exornem hanc etiam Spartæ literariæ partem. Neque pro labore, qualem exhibeo, vel relinquo, qui fortasse consequetur, aliud præmii requiro, quàm ut ad tetricum hoc studium, sed Reip. literariæ, civili prudentiæ, ac Ecclesiasticæ antiquitati, mirè utile, aliquid etiam æquis hominibus videar contulisse. Amstelodami, CIↃ IↃ CXLV. III. Non. Sextiles.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII DE VITIIS SERMONIS, FALSOQUE SUSPECTIS LIBER I.

CAP. I.

Operis scopus, agere tum de vocibus malè Latinis, tum de falsò suspectis. Duplex esse vitium sermonis, barbarum, & solœcum. An, quod Agellius voluit, sermo rusticus *idem sit, ac* barbarus. Barbarismus *unde dictus, ejusque definitio: ubi Laërtius fortè emendatus. Secta quadam sic dicta Epiphanio. Barbarismus partim in vocibus singulis, partim conjunctis. Illum privatum vocum, vel esse in vocabulis prorsus peregrinis; vel licet originis sint Latinæ, auri tamen Latinæ ignotis. De posterioribus postmodo majoris operis parte dicendum. Hic actum de planè peregrinis: ut sunt* bagauda, garcio, culbicio, selbmundium, scuria, *& similia magno numero. Quandoque & eo pertinere voces verè Latinas; sed ὁμωνύμως, diversæ quippe tum originis, tum significationis: ut* squilla *pro* tintinnabulo, galea *pro* nave longa. *Ubi & de discrimine navis longæ, ac triremis; & triremim posteriùs inventam. Etiam planè peregrinis accenseri, quæ proximam à barbaris originem habeant; utcumque remotior origo sit à Græcis, vel Latinis: ut* bursa, *quatenus à Gallis; non quatenus à Pœnis, & commento de origine Karthaginis præbuit occasionem. Item* cupla, raubare, *& similia; proximè quidem origine venientia à Germanis, sed remotiore à Latinis. Eâque occasione ostensum, multa etiam Germanos habere à Latinis, & Græcis; & unde hoc evenerit.*

CUM non ratione modò, sed etiam oratione, mutis præcellamus animantibus: operam nos dare oportet, ne sermo noster, vel hirtus sit, & obsoletus; vel peregrinus, & barbarus: sed talis planè, qualem aures Romanæ agnoscant pro suo. Propterea ingenti opere, sed hactenus inedito, egimus de vocum origine, & proprietate: publici verò juris jamdiu fecimus libros septem de arte Grammatica: quibus hanc velut mantissam adteximus, tum de Latinitate eâ, quæ meritò; tum de illa, quæ injuriâ est suspecta. Est quidem rectum, ut dici solet, index, & sui, & obliqui. Non dubium tamen, quin aliud sit scire aliquid † *συγκεχυμένως, καὶ ἐν τῷ πλάτει*, aliud ὅλως, καὶ ἀκριβῶς *. Quod etiam Aristoteles tradit lib. 1. Analyt. Post. cap. 1. Quare & idem non dubitavit agere de Sophisticis Elenchis: ac tum idem, tum alii, cùm de civili doctrina scriberent, vitiosas etiam Reipublicæ formas magnâ curâ explicârunt. Horum igitur exemplo non defugiam laborem, seorsum etiam nostram exponendi sententiam, partim de vitiis sermonis; partim quæ pro reiculis vulgo, ac vitiosis, sed perperam, censeantur.

Omnis verò error sermonis Romani (de hoc enim potissimùm loquar) duo ad genera revocatur; quorum prius Græcis βάρβαρον, veteribus Latinis, si Agellium ‡ audimus, *rusticitas* vocatur; credo, quia rustici duriùs, aspêriusque, pronunciarent; hirta quædam, ac rancida, retinerent; nec valde solliciti essent de sono cultiore, vel nitore, & elegantiâ sermonis. Mihi non videtur vocabulum hoc adamussim exprimere, quod Græcis βάρβαρον dicitur. Nam ut rustici incultiùs loquerentur; non tamen eadem, quæ exteri, vitia committebant. Quod quale sit, quivis intelliget, qui secum cogitabit, quantò aliter loquantur rustici; aliter advenæ indigenam sermonem discere aggressi. Sanè qui Augusti ævo Romæ à populo discere linguam cœpisset Romanam, puto, non dixisset, *cujum pecus*. Nec enim tum sic vulgò loquebantur. Latinum tamen erat, cùm Plautus ipse, *cuja vox*, & similia, dicat. Nec ipse Cicero eo abstinuit. Rustici verò sermonis hoc genus retinuerant: unde quidam * in Antibucolicis παρῳδήσας †:

Dic mihi, Damœta, cujum pecus, anne Latinum?
Non, verùm Ægonis: nostri sic rure loquuntur.

Credo, homo malignissimus non hoc dicere voluit, Gallos, vel Hispanos, aut Afros advenas, cùm Latinè balbutiunt, sic loqui solere: sed illud potiùs, sic sermocinari rusticos, & his similes, Oscos, aut Volscos. At βάρβαρον potiùs ad exteros ac peregrinos, refertur: uti & vox indicio est. Nam בר valet, *extra, foras.* In βάρβαρον geminatur, quam dixi, syllaba ad majorem animi aversionem significandam: ferè ut vox similis significationis in isto,

—— ἑκὰς ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι.
—— *procul hinc, procul este profani.*

Utcumque igitur *barbarum*, & *rusticum*, promiscuè sumantur; propriè tamen *barbarum* non tam *rusticum* notat, quàm extraneum, & peregrinum: quali sermone utentes nec intelligunt, nec intelliguntur. Unde Ovidius v. Trist. el. x1:

Barbarus his ego sum, quia non intelligor ulli.

Et Epops apud Aristophanem * ait, aves, antequam eas loqui docuisset, barbaras fuisse: quod Suidas exponit, *μὴ εἰδότας ἀνθρώπων τὴν φωνήν· nescientes humanam vocem.*

Epiphanio βαρβαρισμὸς etiam est barbaricæ religionis nomen: eamque religionem obtinuisse ait ab Adamo usque ad diluvium: uti Σκυθισμὸν, à Scythis sic dictum, ab diluvio usque ad Abraham. Nempe quatuor illi sectæ sunt; βαρβαρισμὸς, Σκυθισμὸς, Ἑλληνισμὸς, καὶ Ἰουδαϊσμός. Quam sententiam collegit ex illo Pauli ad Coloss. III: οὐ βάρβαρος, οὐ Σκύθης, οὐχ Ἕλλην, οὐκ Ἰουδαῖος †. Sed argumento, si verum dicere licet, parum firmo.

Juxta Stoicos, ut apud Diogenem est in septimo, ὁ βαρβαρισμὸς ἐκ τῶν κακιῶν λέξις ἐστὶ παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδαιμονούντων Ἑλλήνων· *barbarismus ex vitiis dictio est præter consuetudinem felicium Græcorum.* Ubi pro εὐδαιμονούντων legere malim εὐδοκιμούντων, h. e. *probatorum.* Sanè Suidæ definitur λέξις παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμούντων, *vox usurpata præter consuetudinem probatorum scriptorum.* Uti solœcismus, λόγος ἀκαταλλήλως συντεταγμένος, *oratio incongruè constructa.* Quam ipsam definitionem apud Laërtium legas. Unde colligi solet, barbarismum vocibus inesse singulis; solœcismum, conjunctis. Sed discrimen hoc perpetuum non est. Quippe, ut inferiùs ostendam, non omnis

† *Confusè, & latè, sive generatim.*
* *Plenè, & accuratè.*
‡ *Lib. 13. cap. 16. ubi adducit illud è Nigidii Figuli Commentariis Grammaticis:* Rusticus fit sermo, si adspires perperam.
* *Donatus in vita Vergilii.*
† *Verbis in alium sensum commutatis.*
* *In Avibus.*
† *Non barbarus, non Scytha, non Græcus, non Judæus.*

omnis

omnis error in vocibus conjunctis, *solœcismus* est dicendus: sed ille duntaxat, qui adversus structuræ ἀναλογίαν, sive canonas, peccat. Ut, *Pugio mea*, *profectus Lutetiæ*, *penes Romanis*. At non σόλοικα, sed βάρβαρα sunt, *mendicare de domo ad domum*, pro *domatim*, vel *ostiatim*. *Munera dare supra munera*, pro, *munera muneribus cumulare*, & sexcenta id genus.

Est igitur barbarismus, vel in privis vocibus, vel in conjunctis. Prius genus est duplex. Aliæ enim voces nec usu, nec ortu, sunt Latinæ, aut Græcæ: aliæ verò ortu quidem, non tamen usu sunt tales.

Nec origine, nec usu Latinum, aut Græcum; sed Gallicum est, *bagauda* pro latronibus, apud Prosperum in Chronicis, & Salvianum lib. v. *Bannus*, pro proscriptione; *bannire*, pro proscribere, sive interdicere aquâ & igni, in Legibus Longobardicis: *Advisare*, apud Clemangem de annatis non solvendis, pro consulere, vel deliberare; nempe ex Gallico *adviser: Theada*, populus, leg. Sal. Tit. XLIX. §. I. unde *Theodericus*, populis dives. Perperam scribunt *Theodoricus*, quasi à Græcis esset, non Gotthis. Contrà *Toloneus*, pro vectigali, ut Belgis *tol*, Capit. Karoli lib. II. §. XIX. Græca origo in prima secundam exigeret vocalem.

BAILLIVUS pervulgatum. Latini dixere prætorem peregrinum. Ab eadem gente est *garcio*. Nempe ex *garson*. Nunc nemo sic loquatur: sed superioribus seculis bonæ id notæ visum fuit. Itaque legas non in prosa modò; ut apud Petrum Blesensem epist. CII, & Rigordum de gestis Philippi Augusti: sed etiam carmine; ut apud Guilielmum Britonem lib. X:

Hunc præcedebat cum parma garcio.

Et lib. XI:

Circuit, atque alias se garcio vertit ad arces.

Sic illis temporibus à Germanico *truffen*, etiam *truffare* dicebant, pro *delicias facere*. Ut apud Cæsarium Haisterbachensem lib. V, cap. XXIX: *Ego quoque in Suerbachio fui, & satis ibi trufavi.* Ab iisdem est *culbicio*, quod in veteribus glossis exponitur, σφαγίτρεια. Nempe ex *coelpis*, quod aliis *caltpis*. *Trenga* pro pace: ut *Trenga Dei*, apud Ivonem Carnotensem epist. XC. Similiter pro induciis, *Treugis*, Leg. Longob. lib. II†: ut hodie *treuis*.

† P. 65.

Multa id genus habes in capitularibus Caroli Magni: ac Legibus Alamannicis, Ripuariis, & Longobardicis. Ut *campus*, à *camf*, pro *certamine singulari*: *cloca*, pro *campana*, à *gloc*, vel *clok*: *helmum*, pro *galea*, ab *helm*: *muffula*, pro *manicis hibernis*, à *moffe*: *sala*, pro *atrio*, ex *sale*: *suldasius*, pro *prætore*, ex *schultheis*: *selbmundia*, pro *sui jure*, seu potestate, à *selb*, & *mondig*: *scuria* pro *stabulo*, ex *schuer*: *tunicum*, vel *tuninus*, pro *horto*, ex *tuyn*: & trecenta id genus alia.

Sunt etiam voces peregrinæ, ac barbaræ, quas apud Latinos quidem habeas; sed aliâ origine, ac significatione. Ita *squilla* Latinis herba est; item pisciculus, qui Græcè καρίς: at illi infimæ Latinitatis sic tintinnabulum dixere, à Germanico *schelle*: ut leg. Salica XXIX. §. skella. Item Durando lib. I. de Divin. Off. cap. IV. *Nota sex esse genera tintinnabulorum, quibus in Ecclesia pulsatur; squilla, cymbalum, &c.* Posteaque: *Squilla pulsatur in triclinio, id est, refectorio.* Sic *scalam*, & *scalas*, vocavere κλίμακα. Sed barbari pateram appellarunt *scalam*; non profectò ex Græco ξύλον, id est *lignum*, quia olim è ligno fieret, ut credidit Isidorus lib. XX. cap. V: sed planè a Germanico *schale*: ut quoque Paullus Warnefridi indicat lib. I. de gestis Longobardorum cap. XXVII: *In eo prælio Alboin Cunimundum occidit; caputque illius sublatum, ad bibendum ex eo, poculum fecit: quod genus poculi apud eos SCALA dicitur: linguâ verò Latinâ PATERA vocitatur.*

Hujus etiam generis est *galea*, quo Latinis militare capitis tegumentum significatur; sic dictum, quia antiquitus ex pelle τῆς γαλῆς, sive *mustelæ* fieret. At posteriori ævo *galeam* vocitarunt navigii genus, quod Belgis *galeie*; nec multum variante voce Gallis, Italis, & Hispanis, dicitur. Chronicon Augustense in epistola Friderici I: *Convenire fecimus apud Pisas victoriosum stolium galearum.* Imò & ad Græcos γαλέας vox pervenit: ut ex Cedreno cognoscere est, ac scriptore Etymologici magni, qui γαλέαν interpretatur εἶδος πλοίου λῃστικοῦ*. Sed etsi Græcis γαλέα proximam ab ultima corripiat: Latinis tamen erat porrecta. Ut apud Gotfridum Viterbiensem Chronici Parte VIII:

* Genus navigii ad prædandum.

Dum petit Italiam celeri vectante galéa.

Et quispiam apud Matthæum Parisiensem, ad an. CIↃ CCXLIII, sic Regi ait jocabundus:

In terru galeas, in aquis formido galéas.
Inter eas, & eas, consulo tutus eas.

Imò *galeida* etiam in usu erat: quod apud Godfridum Monachum in Annalibus. Sed valde errant viri doctissimi, qui pro *galea*, seu *galeida*, *triremim* dicere jubent. Favet quidem Phranzes lib. I. cap. XXXVI: *Navibus piraticis, quas nunc galeas nominare consueverunt, sive triremibus pro triginta instructi.* Verùm longè meliùs Asser Menevensis in vita Aelfredi Regis ad an. DCCCLXXXVII: *Tunc rex jussit cymbas, & galeas, id est, longas naves fabricari, ut navali prælio hostibus adventantibus obviaret.* Multum sanè differunt *navis longa*, & *triremis*. Prior illa ad triremim se habet, uti genus ad speciem. nam & biremem, & triremem, & id genus naves longas; comprehendit. Sed hodie istarum nulla obtinet, nec a multis retro seculis: sola verò navium longarum in usu est μονήρης, sive illa unius remigum ordinis; quæ vulgò dicitur *galeia*. Hæc triremi est longè antiquior: quippe inventa ab Jasone Argonauta; sicut ait Plinius lib. VII. cap. LVI. At, ut ibidem legas, Thucydides prodidit, triremem primò factam ab Aminocle Corinthio; idque trecentis antequam ea scriberet annis. Id fuerit annis post Jasonem ampliùs quadringentis. Discrimen verò inter eas tale, quòd in longa navi ordines remigum considerent in porrectum: in biremibus, triremibus, quadriremibus, ac porrò cæteris, in sublime. Quod Græcis εἰς τὸ ὕψος, non solùm εἰς τὸ μῆκος. Nempe hic tabulata plura consurgebant, ut gradibus etiam differrent remiges: de quo & in primo de re poëtica diximus.

Non desunt, qui vocem *galéa*, vel *galeida*, esse putent ex Latino *galea*, quasi *navim* dicas *galeatam*: quomodo B. Hieronymus dixit *prologum galeatum*; qui vulgari Bibliorum versioni præmitti solet. Et fortasse crebrò navis in prora παράσημον † habuit galeam: uti illa, quæ Corintho Ovidium vexit. Sic enim scribit lib. I. Trist. eleg. X:

† Insigne, sive tutelam.

Est mihi, sitque precor, flavæ tutela Minervæ,
Navis: & a picta casside nomen habet.

In puppi erat Minerva; in prora autem cassis: unde ei galeæ, vel cassidis nomen. Ac fortasse hoc παράσημον* frequens: ut inde extensa sit significatio, etsi παράσημον id non esset. Vel qui primæ navis longæ, quam vidissent, hoc παράσημον, & nomen scirent, inde omnes naves longas sic nuncuparunt.

* Insigne.

Sanè peregrina sunt quædam, quæ ἀμέσως† sint à gentibus iis, quas Romani dixere barbaras: ἐμμέσως* interim originem habeant à Romanis, vel Græcis. Ita à Gallico *bourse* est *bursa*, pro *marsupio*: ut apud Augustinum T. X. ad fratres in eremo, serm. XXXIII, qui est de detestatione ebrietatis. Item Hincmarum epist. VIII. c. III, & Petrum Blesensem epist. LXXIV. Non dubium tamen, quin Gallicum vocabulum sit à Græco βύρσα, *corium*, unde marsupia fiebant. Sanè & Græca hæc vox occasionem præbuit fabulæ, qua commenti, Didonem ab Afris emisse solum, quantum circumdare taurino possent tergo: &, ut Appiani utar verbis, ὅσον βύρσα ταύρου περιλάβῃ. Nimirum arcis Carthaginensis à Didone exstructæ nomen erat בצרה botsra: unde Græci, qui x non habent, fecere βύρσαν: cum *botsra* non *corium*, ut βύρσα Græcis; verùm *arcem*, sive *munimentum*, atque, ut posteriores dixere, *burgum* notet. Sed de isto pluribus diximus alibi†.

† Immediate, sive proximâ origine.
* Mediate, sive remotè.
† Lib. I. de Theologia gentili, & Physiologia Christ. cap. 38.

Addam paucula alia, quorum propinqua origo itidem à barbaris; remotior non item. Hujusmodi in Constitut. Karoli M. est *cupla canum*. Quod ex Germanico *coppel*

honden.

bonden. Sed *coppel* omnino est ex *copula*: In lege Salica est *raubare* à Germanico *rauben*. Sed *rauben* est corruptum ex Latino *rapere*. Hujusmodi cum dicimus à barbaris manare, proximam originem attendimus. Quare possis huc etiam referre, cum, vulgarem linguam sequentes, *squinantiam* multi dicunt pro *synancha*: vel (de quo inferiùs loquar) *sciaticam*, pro *ischiade*, sive *ischiaco dolore*. Ex bonis enim Latinis, aut Græcis, facta sunt mala linguæ vulgaris, indeque malè Latina.

Sed hoc non temere persuasero nonnullis eruditis Germanis, vel Belgis: qui injuriam sibi putant fieri, nisi fatearis, quibus ipsi vocabulis utuntur, ea à sese obtinere: ut qui αὐτόχθονες* sint, vel saltem, ex quo terras suas tenuere, prœliis quidem non rarò, at bello non magis, quàm Parthi, à Romanis unquam, aut Græcis, sint devicti: unde colligunt, nihil caussæ esse, cur non credamus, vocabula ea, quæ habent communia, è veteri Lingua Celtica, qualis etiam est Germanorum, potiùs esse derivata ad Græcos, & Latinos; quàm ut ab his illa devenerint ad Germanos. Itaque malunt, à *coppel* esse *copula*; à *rauben*, vel *rooven*, esse *rapio*; imò & ipsum Græcum ἁρπῶ sive ἁρπάζω: ac par ratio in id genus sexcentis. Credo, hæc non dicerent, si scirent, longè aliam fuisse linguam Teutonum priscam, cujus bona pars deperiit: aliam postea receptam, quæ multa admisit exotica, & ita admisit, ut vetera paullatim venerint in oblivionem. E. G. *Vatter*, aut *Vader*, in usu est Germanis, ac Belgis; idque è Latino *pater*, Græcoque πατὴρ: sed prisci Germani pro eo dixere *atta*: ut est in oratione Dominicâ Gothicâ; quæ incipit, *Atta unsar thu in himina*: pro quo *Atto* apud Walafridum Strabonem: hodieque in Frisia, veteris linguæ observantiores pro eo *baita* usurpant. Sic enim Dominicam hanc orationem ordiuntur: *Ws baita du derstu bifte yne hymil*. Cantabri item ex veteri Lingua Celtica retinent *aita*. Unde sic easdem preces auspicantur: *Gure aita ceruè tan aicena*. Longum esset alia in hanc rem adferre: etiam de lingua Persica, veteris Celticæ, vel Scythicæ propagine. Quæret aliquis, unde igitur sit, quòd Teutones, seu Theotisci, sive Germani, obliti linguæ propriæ, tandem ita receperint exotica. Hoc bellè nos docet Walafridus, ab oculorum vitio dictus Strabo, Abbas Augiensis; quo nemo hæc meliùs scire potuit, ob variam doctrinam, & non aspernandam antiquitatem: ut qui ante annos vixerit octingentos, temporibus Ludovici Pii. Hic lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. VII. primùm docet, Theotiscos, hoc est, Teutones sive Germanos, multa accepisse ab Romanis, Græcisque; ut *kylch* à κύλιξ, seu *calix*: *vatter* à pater, vel πατὴρ: *mutter* ex *mater*, vel μήτηρ: *genez* à γυναικεῖον, sive *gynecæum*: *kyrch* à κυριακόν: *bapst* à *Papa*: *herr* ab *heros*: *moon*, & *monath* à μήνη. Quibus similia addere potuit innumera. Postea verò subjungit: *Si autem quæritur, quâ occasione hæc advenerint, dicendum & barbaros in Rep. Romana militâsse, & multos Prædicatorum Græcæ & Latinæ locutionis peritos, inter has bestias cum erroribus pugnaturos venisse: & eis pro caussis, multa nostros, quæ priùs non noverant, utilia didicisse; præcipueque à Gothis; qui & Getæ, cum eo tempore, quo ad fidem Christi, licet non recto itinere, perducti sunt, in Græcorum provinciis commorantes, nostrum, id est, Theotiscum sermonem habuerint. Et, ut historia testatur, postmodum studiosi illius gentis divinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerint, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quasdam Scytharum gentes, maxime Tomitanos, eâdem locutione divina hactenus celebrari officia.* Ut licet ipse non inter Teutonas modò, sed & φιλογερμάνους*, cupiam haberi: non possim tamen me illis aggregare, qui sic in animum inducunt, omnia nostra nos habere à nobis. Nec enim omnis sermo Teutonicus amplius indigena est; etsi longè pauciora debeamus Romanis, & Græcis, quàm inclytæ nationes, linguam quæ notholatinam usurpant. Atque hæc dicta sint de peregrinis, quæ barbariem sermoni affundunt Latiali.

* *Indigenæ, vel potiùs Aborigines.*

* *Germanorum amantes.*

Cap. II.

Barbarorum numero eximi debere peregrina, quæ, florente Româ, facta sunt Romana. Cujus generis pluscula adferuntur. Ac primò quæ Gallis debeantur. Ut alauda, *nomen Romanis militibus impositum è lingua Gallica. Item* ambactus. *Sed hoc pro diversa significatione, vel est Gallicum, quomodo usus Cæsar: vel Romanum, quâ significatione etiam pro eo dicitur* ambaxus. *Ab iisdem Gallis esse* benna; *à quo* combenno, *&* bennarius. *Item* bracca; *unde Narbonensi Galliæ nomen* braccatæ. *Interea hoc tegumento etiam usos esse Germanos, Sarmatas, Bessos, Sacas, Persas. Adhæc* essedi, *vel* essedæ *nomen: &* gæsi, *vel* gessi, *unde* Κελτοὶ Γαισάται, Γαισᾶται, *&* Γεσσᾶται. *Pollux emendatus. Item* materis, *& conjectura de ejus vocabuli origine. At de* peculio *falli viros doctos: non item de* petorrito: *quod tamen remotiori origine est à Græcis. Esse & à Gallis* rheda; *unde* epirrhedium, *quâ formâ à* carro *acerra.* Rheno *etiam ab iisdem.*

Nec tamen omnia damnantur peregrina, tanquam barbara: sed illa duntaxat, quæ neque donata olim fuerunt civitate Romanâ, neque donari postea meruerunt. Illa igitur excipimus, tum quæ, à barbaro licet fonte derivata, florente nihilominus Româ sunt recepta ab incul patis linguæ Latinæ auctoribus: tum etiam, quæ junioribus postea similis expressit necessitas. Ordiar à priori genere: ubi pluscula à Gallis venientia, quando hi proximi fuere Romanis, primo referam loco.

Alauda nomen legionis erat; in qua soli cives Romani; ut in auxiliis socii. Et tamen Cæsar hoc Gallicum imposuit nomen. Legionis ejusce meminit Cicero ad Atticum, & in Philippicis non semel. Sic hi milites dicebantur, quòd galeis cristatis referrent avem, quam Galli *alaudam*; Latini à *galero*, sive *casside*, *galeritam*, & *cassitam*, nuncupabant. Plinius l. XI. cap. XXXVII: *Galerita appellata quondam: postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alauda*. Marcellus Empiricus initio c. XXIX: *Avis galerita, quæ Gallicè alauda dicitur*. Sanè hodieque Gallis vocatur *aloette*: & Belgis *leeurik*, ex *alaurik*. Scio, aliter longè Goropius Becanus lib. I. Gallicorum. Sed eum abunde refellunt, quæ diximus.

Ambactus Gallicum esse, auctor est Festus, sive Paullus. Pro servo usum esse Ennium, ait idem: & in glossis Philoxeni legitur, *Ambactus*, δοῦλος μισθωτός †. Et in Glossis Placidi: *Ambactus*, *servus*. Sed hac significatione non arbitror esse Gallicum; verùm origine Romanum. At Gallicum vicinâ admodum significatione pro ministris, sive, ut nunc loquimur, officialibus. Quomodo usurpat Cæsar, lib. VI. belli Gallici: *Equitum, ut quisque est genere, copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos, clientesque habet*. Sanè hodieque plerisque Belgarum terris *ambacht* opificium; *ambachter*, vel *ambachtsman*, opifex. Sic apud Otfridum Monachum, qui circa annum claruit nongentesimum, habes in Euangelio lib. I. cap. XXV, *ambahten* pro operari: & Willeramus abbas (ante annos DCXX) *Sie ambachten themo luibe*. *Operabantur cibum vitæ*. Cæterùm non de vilibus solùm opificiis, sed honestioribus etiam ministeriis, fuisse usurpatum: cognoscere est, non ex Cæsare solùm; sed etiam Kerone, monacho divi Galli: qui ministerium, & officium interpretatur. Sic enim in Glossario: *Minister*, *ambaht*. *Ministraverit*, *ambahtit*: Officina, *ambahti*. *Officio*, *ambahte*. *Officia*, *ambaht*. Hodieque in Flandria sic præfecturas nuncupant; ut *Cassel-ambacht*, *Bergen-ambacht*, *Belle-ambacht*, atque, (primæ penè meæ patriæ sedem) *Vueren-ambacht*. Imò *ampt*, sive potiùs *ambt*, (quod adeò est generale, ut de principum munere sive officio utamur) est ex *ambet* contractum; uti hoc ex *ambaht* factum. Hæc pluribus sum persecutus; quia Antonius Augustinus in Notis suis ad Festum negat, scire se, cur Festus

† *Servus mercenarius.*

Gallis hanc tribuat vocem. Imò & Josephus Scaliger, atque alii, arbitrantur, hæc Festo esse à Paullo adsuta. Hoc si est, saltem non fuerit absque judicio factum. Nam Longobardus ille non videtur vicinorum ignorasse Gallorum linguam: & ex Cæsare potuit addiscere, qui *ambacti* dicerentur. Interim censeo, *ambactum* aliud fuisse Ennio, nempe servum. Qui *ambactus* vocabatur, (ut Salmasii etiam opinio est, in notis ad Flavii Vopisci Carum, Carinum, & Numerianum) quasi ὁ περίφερητος, vel ὁ περιφερόμενος: hoc est, ut Festus exponit, *circumactus*: quia, mercedis gratiâ, hac illac circumageretur, ac circumduceretur. Pro *ambactus* etiam *ambaxus* dixere, teste eodem Festo: nempe ab *axo* pro egero, ut *faxo* dicebant pro *fecero*. Ab *axo axites* dii, & *axiosæ*, vel *axitiosæ* mulieres Varroni apud Plautum. Vide, quæ fusè de eo dixi lib. III. de Analogia † cap. XLI.

† Sive lib. 5 de arte Grammatica.

BENNA acceptum à Gallis. Festus: *Benna linguâ Gallicâ genus vehiculi appellatur: unde vocantur combennones, in eadem benna sedentes.* Sanè *benne* hodieque Belgis corbis, cista, vehiculum vimineum quadratum duabus rotis volubile. Hinc *bennarius*, pro quo in Glossis Philoxeni, *benarius*, atque exponitur σιλωάρχης. *Bennæ* vocabulo usus Cato de R. R. cap. XXIII. Ubi tamen ab Ausonio Popma editum est *mena*. Sed *benna* est in editionibus prioribus, etiam illâ Roberti Stephani: ac defendit clarissimus, & collega quondam amicissimus, Joannes Meursius.

BRACCARUM vocabulum meritò Gallis adscribitur à Diodoro Siculo lib. V. χρῶνται καὶ ἀναξυρίσιν, ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσιν· *Utuntur etiam vestimentis, quæ ipsi bracas appellant.* Quas & Viridomaro, Gæsatarum Gallorum duci, tribui videas à Propertio lib. IV. el. XI. Imò Galliæ pars hinc dicebatur, *braccata*: nempe Narbonensis; unde apud Tranquillum in Julii Cæsaris vita:

—— Iidem in curia

Galli braccas deposuerunt: latum clavum sumserunt.

Nempe ut *togata* Gallia Cisalpina: ita *braccata*, quæ *Provincia* nominatur, quia prima è transalpinâ est facta provincia: reliqua omnis *Comata*, quam Cæsar perdomuit. Ideo Hesychius voce Ἀναξυρίδες, habet βράκια βαρβαρικά. In Gallis etiam usi his nostri Batavi; ut est apud Lucanum in primo. Nec soli tamen Galli; sed & in Germania nonnulli: ut Vangiones, in quorum solo Wormacia, Oppenheimium, Moguntia. Imò præter Gallos, & Germanos, usurparunt Sarmatæ. Conjunxit quippe hos Lucanus, loco memorato:

Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis,
Vangiones, Batavique truces.

De Sarmatis, & Getis, imò & Bessis, ac Persis, idem Ovidius docet Tristium lib. III. eleg. X. lib. IV. eleg. VI. lib. V. eleg. VII. & X. Ac eadem mente ἀναξυρίδας, Sacis, ac Scythis, tribuit Herodotus in VII. Paullò aliâ mente Pomponius Mela lib. II. cap. I: *Sarmatæ totum braccati corpus.* Nam hic videtur indumentum signari, quòd thoracem, ventrem, tibias, partesque adversas, pariter tegeret. Cùm verò non in Occidente modò, & Septentrione; sed Oriente etiam, *braccas* dixerint: planè mihi persuadeo, esse ex iis vocabulis, quæ ex Oriente, ac fortasse jam a linguis Babylone confusis, in terras alias permearint. Sed hoc non impedit, quo minùs Romani habeant à vicinis Gallis. Sanè hodieque hi vocant *brayes*: uti Belgæ, *broek*. Nempe A, & O, facilè commutantur. Itaque pro *mater* pronunciabant barbari *moter*; unde nostrum *moeder*. Nec tamen contendero cum quoquam, qui malit, Gallos hanc vocem à Græcis accepisse. Nempe ut, sicuti ex ῥόδον est βρόδον, ita ex ῥάκος fit βράκος: quomodo βράκη apud Theocritum legas Idyllio K *.

* Vers 28. Scrupulum tamen injicere possit, quod Apollonius Alexandrinus, in Grammaticis hactenus ineditis, neget, B ante P ab Æolibus præmitti, nisi sequens syllaba ordiatur à Δ. Z. vel T. At qui in ἰάκχος est K.

SAPO Gallis, quod Plinio, Græco vocabulo, *smegma*. Sed & apud eundem est *sapo*. Belgis hodieque *seep*. Fortunati est in vita S. Radegundis lib. I: *Cum sapone, a capite usque ad plantam, membra sua diluebat.*

BULGA origine Gallicum esse, ab eodem Festo accepimus: qui & *sacculum scorteum* exponit: uti Nonius, *folliculum omnem, & sacculum ad brachium dependentem.* Hodieque Galli, eliso L, ut sæpe, dicunt *bouge*, & diminutivo usitatiori *bougette*. Usi *bulga* voce Lucilius, & Varro; teste Nonio.

ESSEDUM etiam est vehiculi vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli: ut scribit Junius Philargyrius in III. Georg. A Belgis præcipuè videtur; quando *Belgica esseda* ait Maro ibidem. Verùm à Belgis accepisse etiam videntur Britanni. Nam *Britanna esseda* dixit Propertius lib. II. eleg. I. Seneca in muliebri genere utitur epist. LVI. *In iis essedas transcurrentes pono.* Ejusque exemplo Jornandes initio historiæ Gothicæ: *Curribusque falcatis, quos more vulgari essedas vocant.* Ab *essedo* est *essedarius*, essedi moderator. Partim *essedi*, partim *essedarii* vocabulo, usi quoque Cicero ad Trebatium lib. VII. epist. VII, & X, Cæsar lib. V. belli Gallici, Seneca epist. XXIX, Suetonius in Caligula cap. XXXV, & in Claudio cap. XXI.

A Gallis etiam GESA, seu *Gæsa*. Utroque enim modo dixere; ut Græci γῆ, & γαῖα *. *Gesa* vel potiùs *Gessa*, defendi potest e Plutarchi Marcello: cujus postea verba apponam. Et apud Sosipatrum est, *Gesa*, εἶδος ἀκοντίου †. Sed alii Græcorum γαισοί, etiam in historia Judithæ cap. IX. Ac similiter *gæsa* legas in antiquis Latinorum codd. MSS. Cæterum gæsa Gallorum fuisse; auctor nobis Marcellus. Præter Varronem, & Maronem, quorum loca idem Nonius adfert; usus quoque Cæsar in tertio de bello Gallico: *Hostes ex omnibus partibus, signo dato, decurrere; lapides, gæsaque in vallum conjicere.* Hesychius: Γαισός· ἡ μὲν ὅλον σιδηροῦν· οἱ δὲ μισθὸν· ἢ ὅπλον ἀμυντήριον· *Gæsus, jaculum totum e ferro: at secundum alios, merces sive stipendium, vel etiam telum propulsatorium.* Ubi videmus, ut nonnulli putarint, γαισὸν notare *mercedem*. Quam opinionem secuti Polybius lib. II, & Plutarchus in Marcello. Nam ille γαισάτας, ait dici διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν, *quia ære militando mererent*: hic verò sic scribit, μεταπεμπόμενοι τοὺς ἐπὶ μισθῷ στρατευομένους, οἱ Γεσσάται καλοῦνται. *Arcessebant è Gallis milites stipendiarios, qui Gessatæ vocantur.* Propterea existimabat vir eruditus, esse a voce Germanica *gesindium*, vel *gasindium*: ut vocatur familia mercede conducta. Habes in Legibus Longobardicis Tit. XLII. §. 4. & alibi in iisdem, non semel. Et in veteribus Glossariis: *Gasindium, servitium. Gasindio regis; serviente, vel camerario.* Imò & in iisdem legas *Gasindiis, judicibus.* Quomodo & Papias: *Gasindiisque honor sub judice.* Sane hodieque Germanis *gesinde* familiam notat. Sed cùm *Gæsum* fuisse telum Gallicum, satis ex Varrone, Marone, & Polybio constet: non dubium, quin veriùs inde *gæsati* dicantur, vel, ut apud Plutarchum scribitur, *gessati*, à *gesso*. Meminit & Strabo in V; ubi eos, qui cum Senonibus Romam cepere, vocat Γαισάτας Κελτοὺς *. In Oriente etiam notitia est, *Galli gæsati*. Apud Servium in VII. Æn. legas, *Gallis etiam viros fortes gæsos vocari.* Ubi fortasse *gæsati* scribendum. Existimare aliquis possit, gæsis etiam usos esse Afros, propter illud Pollucis lib. VII. cap. XXXIII. Δόρυ ὁλοσίδηρον, καλεῖται δὲ γαισός, ἢ σαυνίον Λιβυκόν. *Hasta e ferro tota; vocatur autem gæsus; estque hasta Libyca.* Sed nemo veterum prodidit: & tam multa, quæ hactenus attuli, satis docent, pro Λιβυκὸν, debere Κελτικὸν rescribi.

* terra.

† Jaculi genus.

* Gæsatas Gallos.

MATER quoque, seu *materis*, teli genus, est à Gallis. Sisenna lib. III †: *Gallia materibus, Suevi lanceis configunt.* Et lib. IV. *Alii materibus, aut lanceis, tamen medium perturbant agmen.* Cornificius, sive quisquis Herennianus ille magister *: *Ut siquis. Macedones appellaret hoc modo; Non tam cito sarissæ Græciâ potita sunt: aut idem Gallos significans dicat; Nec tam facile ex Italia materis Transalpina depulsa est.* Usus & Livius lib. VII: *lævo humero materi prope trajecto.* Straboni lib. IV. eam vocem restituit Josephus Scaliger notis in Eclogam Lucani ad Pisonem. Imò & ante eum sic legerat Turnebus lib. IX. Adverf. cap. VII. Ubi & apud Cæsarem in primo belli Gallici scribendum monet: *Nonnulli inter carros, rotasque, materes, ac tragulas subjiciebant, nostrosque*

† Apud Nonium in Materæ.

* Lib. 4. ubi agit de Denominatione.

que vulnerabant. Cæterùm hodieque esse Gallis in usu, docet H. Stephanus lib. IV. schediasm. III. Cum verò fuerit longioris lanceæ genus, ut ex Strabonis lib. IV. videmus; ac hastis lanceisque mensuram alicujus velut decempeda capere, mos sit militaris: conjectabam, *mater* dici quasi *meter*, hoc est, *mensurantem*; *vel dimetientem.*

PECULIUM esse vocem Gallicam, multi è Jurisconsultis tradiderunt; propter illa Ulpiani in Digestis lib. XXIII. Tit. III. qui est de jure dotium L. IX. *Cæterum si res dentur in ea, quæ Græci παράφερνα dicunt, quæque Galli peculium appellant, videamus an statim efficiantur mariti.* Quem ad locum sic, alios secutus, vir bene de studiis meritus, Dionysius Gothofredus annotavit: *Gallorum vox antiqua: ut combenna, petorita, alauda.* Verùm haut aliud voluit Ulpianus, quàm Gallos *peculii* vocabulo uti pro παράφερνα, sive iis, quæ extra dotem essent data: ut dos quidem marito cederet; sed extra eam data, mulieris viderentur; utcunque mariti in domo ageret. Galli igitur vocem Romanam restrinxere ad usum peculiarem. Revera autem Romanum est vocabulum, à *pecude* derivatum: unde & *peculatus*. De hac voce *peculii*, & *peculiaris*, in Originum libris plura diximus; aliquid etiam, lib. IV. Orat. Instit. cap. VIII. §. XII.

PETORITUM ab iisdem Gallis esse, à Varrone traditum fuit in quartodecimo rerum divinarum: atque inde Agellio lib. XV. cap. XXX. Varroni etiam Fabius subscribit lib. I. cap. V. Festus quoque Gallicum esse vehiculum agnoscit: sed de origine vocabuli videtur aliud statuisse. Nam esse ait, qui ab Æolibus putent acceptum: alios quoque ab Oscis deducere, quia sit ὄχημα πετάκυκλον †: Osci verò pro τέσσαρα dicant πίτυρα· πίσυρες autem fortasse factum ex τέσσαρες, vel πίσυρες. Nam πίσυρες non puto apud quemquam eorum reperiri, quos Græcæ linguæ scriptores hodie habemus. *Petoritus*, sive *petorritus* vocem etiam usurpat Ausonius epist. VIII:

Cornipedes rapiant imposta petorrita muli.

Et epist. XIV:

Cantera moneo male nota petorrita vites.

RHEDA itidem Gallicum est. Quinctilianus lib. I. cap. V: *Plurima Gallica valuerunt: ut rheda, & petorritum quoque: quorum altero Cicero tamen; altero Horatius utitur.* Est vehiculi genus: unde *rhedarium vehicularum fabricatorem* legas apud Capitolinum in Maximo, & Balbino. Sic *carpentarius vehicularius fabricator*, de eo qui fabricat carpenta. Nempe generale est nomen *vehicularis*: sed *rhedarii*, & *carpentarii*, sunt specialia. A *rheda*, & Græco præverbio, factum est *epirrhedium* *, genus carri quadrati, quod Jos. Scaliger rectè scripsit transferri posse *arcerram*; cùm hoc nomen sit ab *ad*, & *carrus*; non ab *arca*, ut putabat Varro lib. IV. de L. L. Quid verò *arcerra* sit, docebit Agellius lib. XX. cap. I.

RHENO ab iisdem Gallis esse, vult Varro in IV. de L. L. Alii autumant, esse à Germanis, Gallorum fratribus: atque ita dici, quia uterentur eo Rheni accolæ. Movet eos, quòd Cæsar in sexto de bello Gallico non de Gallis, sed de Germanis scribat, uti eos parvis rhenonum tegumentis. Habes & apud Sallustium in Historiarum fragmentis. Erat autem vestis pellicea ab humeris usque ad umbilicum dependens; ut legitur in vett. glossis MSS: idemque firmat Servius in illud III Georg.

Et pecudum fulvis velantur corpora setis.

Nec non Isidorus Orig. lib. XIX. cap. XXIII. Sed hic esse ait Germanicum. Nempe & hoc ex communi erat lingua Celtica. Nisi Galli illud accepere à Massiliensibus, Græcorum colonis. Nam Græcis ῥῆνες sunt ἄρνες, hoc est, agni; teste Eustathio †. Nempe *rhenones* pelliceæ erant vestes, ac primitus è pellibus agninis, postea etiam aliorum animantium. At ridiculè in veteri Vocabulario legas, sic dici *renones*; quia us præcingerentur renes.

† *Vehiculum quadrirote.*

* *Fabius lib. I. cap. 5. Juvenalis usus sat. 8. vers. 66.*

† *In Iliad. X. pag. 798. edit. Roman.*

CAP. III.

A Germanis accepere Romani vocem frameæ: *quæ si idem notat, ac* ῥομφαία, *sive* rumpia; *etiam eo hastæ genere usi fuerint Thraces. Itidem à Germanis est* cateja: *quæ tamen in usu etiam Belgis, Macis, Hyrcanis; fortasse & Persis. A Britannis, si non Belgis, est* covinus: *eoque etymon illi non esse quærendum extra linguam Celticam.* Covum, *&* cohum, *pro* Cœlo, *priscis Latinis, & vocabuli ejus origo. Ab Hispanis est* lancea: *cujus tamen usus etiam Germanis fuit. A Sardis est* mastruca.

A Gallis venio ad propinquam gentem, magnam matrem nostram Germaniam; inde petiturus Britanniam, hinc Hispaniam. Contentus autem ero, è quaque harum nationum uno, vel summùm & altero vocabulo. Quippe ad Afros propero, & Asiam imprimis; unde linguæ omnes, & ipsum genus humanum.

A Germanis est FRAMEÆ vox. Quâ usus est Juvenalis sat. XIII.

Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis.

Germanis deberi, docet iste Taciti locus lib. de Moribus Germanorum: *Rari gladiis, aut majoribus lanceis, utuntur. Hastas, vel, ipsorum vocabulo, frameas gerunt, angusto, & brevi ferro; sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus, pugnent. Et eques quidem scuto, frameàque, contentus est: pedites & missilia spargunt &c.* Hodieque, ut ibi monet Rhenanus, stylus cultellis adhærens, à *framea* similitudine, Germanis *friem*, seu *pfriem* uti Belgis *priem* nominatur. Fortasse & Thracibus in usu fuit. In glossis enim Cyrilli, ut vocant, legitur †: ῥομφαία, framia, gladium. At Livius de Thracibus ait lib. XXXI: *Romphæa, ingentis & ipsa longitudinis inter adjectos undique ramos impediebant.* Etiam Agellii est lib. X. cap. XXV: *Rumpia genus teli est Thracæ nationis: positumque hoc vocabulum in Q. Ennii annalium quintodecimo.* Sed idem Agellius paullò antè telorum, jaculorum, & gladiorum genera recensens, *rumpias*, & *frameas*, ut diversas recenset.

† *Col. 603.*

CATEJA itidem à Germanis videtur. Gallicum esse telum, ait Servius in illud VII. Æn.

Teutonico ritu soliti torquere catejas.

Ac similiter Isidorus lib. XVIII. Orig. cap. VII. Ubi ne turbet, quod Horatio ait *Cajam* nuncupari. Nam rectè Lipsio in Poliorceticis lib. IV. dial. IV. observatum, pro *Horatius* legi debere *Dorcatius*: cujus & alibi meminit Isidorus. Cæterum Catejam Germanis meliùs tribuit Alexander Neapolitanus lib. VI. Genialium Dierum cap. XXII. Favet enim Maro, cùm torqueri ait Teutonico ritu. Imò Donatus ad eumpse locum sic scribit: *Hi omnes imitati Teutonas mittebant telorum species, quæ Cateja dicebantur.* Nec soli tamen Teutones, vel Galli, utebantur; sed etiam Afri: unde de Macis, Hannibalem ex Africa sequentibus, ita Silius lib. III:

—— Pandâ manus est armata catejâ.

Inque Asia Hyrcani: qua de gente Valerius Flaccus lib. I. Argonaut.

Et puer è primo torquens temone catejas.

Imò veteris vocabularii scriptor ambigit, Gallicum sit, an Persicum: sed ad Persas inclinat. Subdit enim: *Cateja, lingua Persarum, est sagitta barbulata, quâ utebatur Hercules.*

A Britannis creditur esse COVINI vox; propter hoc Pomponii Melæ lib. III. cap. VI: *Dimicant* (Britanni) *& bigis, & curribus, Gallicè armati. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Etiam Tacitus in vita Agricolæ pugnam cum Britannis describens, *covinarios* eorum nominat semel, & iterum. Sic autem vocat, quia è covino pugnarent. Sed & Galliæ Belgicæ in usu fuisse, liquet ex hoc Lucani in primo:

Et docilis rector rostrati Belga covini.

Ut verò falcatos axes eis tribuit Mela: ita *falciferos* nuncupat Silius in septimodecimo. Nec semper tamen fuisse falcatos; sed in bello duntaxat: innuit Martialis lib. XII. epigr. XXIV: ubi poëta is ait, jucundiùs se vectum covino, quam carrucâ ullâ, vel essedo. Locum adi. Eo minùs censeo, nomen esse ἀπὸ τῆς κοπῆς, h. e. *sectione*, quæ fieret falcibus. Ac nihilo rectiùs à *cavea* derivant alii, in his Franciscus à Quercu, quia in eo, velut caveâ, considere-tur; ut quæ & ad consessum cathedras haberet; unde in glossis Philoxeni legas, *Covinus*, κάῤῥον καθεδρωτόν. Nempe neque hoc de loco camerato, & καθεδρωτῷ, neque alterum de falcium sectione, vel Græcum juvant ἔτυμον, vel Latinum: cùm vocis Celticæ origo peti debeat è Celtarum lingua; qualis Germanica. Si igitur à sectione est nomen, sic potiùs dicatur à Germanico *hawen*, quod Belgis *houwen*. Utrumque significat *secare*. Sed quia, ut dixi, id non erat perpetuum covinis, ut essent falciferi: at semper forent camerati, tectique, vide an non potiùs vox sit à Germanico *haven*, id est, *ather*, *calum*: pro quo Angli *heaven*: quomodo *covinus* sonabit id quod Belgis esset, *gehemelde wagen*. At *haven* pro æthere vel vox est primigenia; quales sunt quæ obtinuere à Babylonica linguarum confusione: vel sit ab Hebræo חפן *choven*, h. e. tegens. Siquidem, ut poëta* ait, *tegit omnia calum*. Itaque & priscis Romanis cælum ab Hebræo istoc, non à *chao*, ut Festus putabat, *cohum* dicebatur, vel *covum*: unde apud Varronem *Juno covella*, h. e. οὐρανία, sive *calestis*: nisi potius apud eum *novella* legendum: quod visum Scaligero in secundo de Emendatione Temporum.

* I. Met.

Ab Hispanis est LANCEA: ut testatur Varro apud Agellium lib. XV. cap. XXX. Nisi & hoc à Gallis; quod apud Diodorum Siculum legas lib. V. ubi ait: προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι· *Præferunt hastas, quas lanceas illi dicunt*. Pro Hispanis est, quòd non uni Hispaniæ oppido hinc nomen. Sanè *Lancia* Floro lib. IV. memoratur in Hispania. Maxima Asturiæ urbs Dioni prædicatur lib. LIII. Orosius quoque meminit lib. VI. c. XXI. Itidem λαγκιάτες in Asturia statuit Ptolemæus. Idem Λαγκίαν Ὀππιδάναν, *Lanciam Oppidanam*, in Lusitania agnoscit. Inque veteri inscriptione, quæ est Alcantaræ in ponte, nominantur *Lancienses Oppidani*, & *Lancienses Transcudani*. Sed possis hæc nullo negotio conciliare, quia origo ab Hispanis: inde traductum ad Gallos: de quibus scivit homo Græcus, ut propioribus, & magis cognitis: sed Romanis per bella notiores Hispani, quàm Græcis. Imò non modò inde accepere Galli, & Germani: quos lanceis usos, constat itidem ex Diodori quincto; uti & istis Sisennæ verbis lib. III†: *Gallia materibus, Suevi lanceis configunt*. Hodieque Germani peditem vocant *lands-knecht*, q. d. lancearum militem. Uti vero res inde, ita & nomen: non ἀπὸ τῆς λόγχης, ut Festus, sive Verrius nugatur. Tandem & usi sunt Romani, ac Græci. Lucanus lib. VII:

† Apud Nonium.

Cujus torta manu commisit lancea bellum.

Curtius lib. IX. de Horata Macedone: *Igitur Macedo, haut dubius, eminus interfici posse, lanceam emisit.* Sed Græci posteriores non λόγχας, vel λαγκίας, verùm μέναυλα dixere. Quomodo usi Julius Africanus de apparatu bell. & Constantinus in Tacticis. Explicat Leo Imp. in Tact. cap. VI. §. 32. Οἱ μὲν εἶχον κοντάρια, οἱ δὲ τὰ λεγόμενα μέναυλα, ἅπερ οἱ ἀρχαῖοι λόγχας ἐκάλουν. *Habebant contaria, id est, hastas, quas nunc menaula vocant: qua olim antiqui lonchas nominabant.*

GESA, de quibus antè dictum, Hispanis etiam tribuit, imò eorum inventum facit Athenæus in VI†: Παρὰ Σαυνιτῶν θυρεοῦ χρῆσιν, παρὰ δὲ Ἰβήρων γαίσων. *A Samnitibus scuti usum, ab Hispanis gasorum.* Quid Romani aliunde habeant, exponit. Et possint ab Hispanis accepisse tam Galli, quàm Romani. Paullatim enim nova reperta ad gentes alias, atque alias, eunt. Itaque fortasse & Macedones usi. Saltem in quibusdam Statii libris II. Achilleidos legas:

† Pag. 273. edit. Commel.

—— *Didici quo Paones arma rotatu,*
Quo Maceta sua gesa citent.*

* Al. tela.

Ex Hispania Pœnos petituri, obiter visemus Sardos; quia inter Italos, Pœnosque, interjecti. Uti Pœnos, ita & hos Phœnicum esse colonos, cognoscere est ex quincto Diodori. A Sardis est MASTRUCA, sive *mastruga*, vestis ex pelliculis ferarum: ut scribit Isidorus†, qui Germanicam vestem facit. Sed sequi malo Ciceronem: cujus illud pro Scauro: *Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastruca mutavit.* Et orat. de provinciis Consularibus meminit *mastrucatorum Sardinia latrunculorum*. Usus quoque Plautus Pœn. act. V. sc. V. Et Prudentius lib. II. contra Symm.

† Lib. 19. Orig. cap. 23.

—— *Mastrucis proceres vestire togatos.*

CAP. IV.

Itum in Africam: unde, à Pœnis videlicet, magalia, mapalia, *&* mappa: *nec obstare huic sententia, quòd mappa usus in Circo demum Neronianis esse temporibus cœperit. Zythi etiam nomen videri Ægyptiacum. Atque occasione zythi actum de aliis potus generibus, peregrino nomine appellatis. Uti in Dalmatia, & Pannonia, fuit* sabaia: *à qua Valens imperator convitio dictus* sabajarius: *& unde nomen* sabajæ. *Hispanis similiter fuisse* celiam, *&* ceriam: *& qua caussa earum vocum. Etiam in potibus barbarorum esse* κοῦρμι, *sive* κόρμα: *&* camum, *cujus ἔτυμον allatum. Unde Germani potum suum hordeacium vocent* biriam. *Τὸ ζῦθον Gracis pro zytho, seu cervisia.*

E Sardinia jam ad Pœnos navigemus. A quibus MAPALIA, & MAGALIA; ut testes Sallustius in Jugurth. Plinius lib. IV. Hist. Nat. cap. III, Festus in *Mapalia*, Servius in I Æn. Hieronymus præfat. in Amos, Isidorus lib. XV. Orig. cap. XII. Hodieque sic habitationem suam nuncupant. Qua de re ita Goropius Becanus Hermathenæ lib. IV*: *Certò scio, hactenus* MAGAL *pro habitatione, & domo, apud Arabes Africam habitantes esse in usu: cujus rei testis mihi est annulus amatorius, Arabicam habens inscriptionem, qua Latinis sonat,* HABITATIO, SIVE DOMICILIUM VITÆ MEÆ: *ubi pro* DOMICILIO *scriptum est* MAGAL, *characteribus, conjunctis illis quidem de more, sed clarè tamen* MAGAL *exprimentibus. Est autem annulus ex Africa allatus; cujus inspiciendi copiam mihi fecit illustrissima domina Comes Cantecroia.* Claud. Dausquejus in II. Orthographicôn ait, & Hebræis מגל *tentorium* notare. Quod non puto: verùm legas pro *orbita*, *via*, *semita*. Sed illis מגור, magur, est *habitatio*, *commoratio*. A quo *magalia* non tantopere abit. Græcis καλύβαι dicuntur; teste Charisio Sosipatro, & glossis Philoxeni. Juvenali *attegia* vocantur sat. XIV.

* Pag. 63.

Ab iisdem est MAPPA; si Fabio credimus lib. I. cap. V. Assentio enim Domitio Calderino, qui lib. III. Observationum ita apud eum putat legendum: *Et mappam, circo quoque usitatum nomen, Pœni sibi vindicant.* Ubi pro *circo* malè antea scribi solet Cicero; uti pro *vindicant*, *vindicavit*. Respicit verò Fabius morem veterum; quo, post pompam per Circum ductam, à prætore, vel editore, mappa ex alto, quò ab omnibus conspici posset, mittebatur; ut sic populo signum foret, laxatum in carcerum repagula, aperiendamque transennam, sive fores δικτυονδεῖς, ἢ καγκελλωτάς†, unde equi dimitterentur ad cursum. Cæterùm cùm antè aliud signum dimissionis foret; ea mappæ missio primùm temporibus Neronis signum esse cœpit: ut docet Cassiodorus lib. III. Var. Ex isto videas, id verè fuisse, quod hodieque *mappam* dicimus. Quomodo igitur *mappa* Punicum est vocabulum? Suspicor, Romanos veteres mensam quidem stravisse mantili, cujus bona pars de mensa dependeret, ad manus tergendas: sed morem eum, ut quisque mappam propriam haberet, imò ad convivium deferret, esse à Pœnis, & cum more eo vocabulum. Solùm igitur à Romanis fuerit consuetudo, missione mappæ significandi in circo equorum dimissionem.

† Retiformes, & cancellatas.

Vocem

Vocem מפה *mappa* legas eapse significatione in Thalmude Tract. Pesachim. fol. 100. Sed non dubium, quin eam a Romanis acceperint Rabbini.

ZYTHUM etiam acceptum ferimus Ægyptiis: ut *Celiam* Hispanis, alia potus genera aliis, qui de re sic Hadrianus Junius lib. II. Animadvers. cap. XII: *Hoc in genere varia lego usitata fuisse nomina: nam Zythum dixisse Ægyptum invenio, Celiam, & Ceriam Hispanos, Cervisiam Gallos, Sabaiam Illyrios, Parabiam Pæonas, Gurmi barbaros nescio quos, & Alam Anglos, detortâ nonnihil voce, ut equidem existimo, Danicâ, quæ Oela appellatur: ea namque gens olim Angliam immigravit. Nam ab alica appellationem derivare cum Ruellio, inscitia est.* De Ruellio quod ait, id apud eum legas lib. II. de Natura stirpium, cap. XVIII. *Zythum* verò Ægyptiis dici, clarè ait Theophrastus lib. VI. de caussis Plantarum cap. XV: ὥς οἱ σὺν οἴνες ποιοῦντες ἐκ τῶν κριθῶν, καὶ τῶν πυρῶν καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον ζῦθον. *Ut qui vinum ex hordeo, tritico ve, conficiunt: aut quod zythum Ægyptus appellat.* Idemque voluit Columella lib. X:

Ut Pelusiaci proritet pocula zythi.

Ad hæc Plinius lib. XXII. cap. ultimo: *Et frugum quidem hæc sunt in usu medico. Ex iisdem fiunt & potus: zythum in Ægypto; calia, & ceria, in Hispania; cervisia, & plura genera in Gallia, aliisque provinciis.* Vide eundem lib. XIV. cap. XXII. Ac similiter B. Hieronymus lib. VII. cap. XIX. in Jesaiam: *Ζῦθον genus est potionis, ex frugibus, aquâque confectum: & vulgo in Dalmatia, Pannoniaque provinciis, gentili barbaroque sermone appellatur Sabajum †: hoc maxime utuntur Ægyptii.* Non dubium igitur, quin zythum intelligat Hecatæus apud Athenæum, lib. X*, cùm Ægyptios ait, κριθὰς εἰς τὸ πῶμα καταλέοντες. *ad potum hordeum macerare, & eliquare.* Suspicor autem, si non sit ex Europæ descriptione veterum compluribus memoratâ; fore ex opere ejus de philosophia Ægyptia; cujus ab Hecatæo editi Laërtius meminit in proœmio. Saltem non inconveniens sit sermo iste Hecatæo, agenti, ut ex Athenæo videmus, de Ægyptiorum paupertate, philosophiæ, ac bonæ mentis sorore. Puto præterea, signari Hecatæum Abderitam; quem Alexandri Magni temporibus claruisse, constat: non Milesium, tertium eorum, qui, Strabone teste, prorsâ scripserunt oratione, quique Herodoto suppar fuit. Interea & Herodotus idem tradidit: ut qui lib. II. similiter narret, Ægyptios οἴνῳ ἐκ κριθῶν πεποιημένῳ διαχρέωνται, *vino uti facto ex hordeo.* Idem facit Æschylus in Supplicibus; ubi itidem appellat ἐκ κριθῶν μέθυ, *vinum ex hordeo.* Simile potus genus Illyriis est *sabaia*: quemadmodum ex B. Hieronymo superiùs vidimus. Et nôsse hic id optimè potuit, qui natus esset in Illyride; puta Stridone, Dalmatiæ oppido. Firmat quoque Ammianus Marcellinus lib. XXVI: *Valens oppugnationi Chalcedonis magnis viribus insistebat: cuius e muris probra in eum jaciebantur, & injuriosè compellabatur, ut Sabaiarius: est autem Sabaia ex ordeo, vel frumento, in liquorem conversus pauperinus in Illyrico potus.* Cùm Illyres etiam inter Celtas fuerint; æquè ac Hispani, Galli, Germani: facilè mihi persuaserim, esse è veteri harum gentium communi linguâ: nempe à *sauffen*, quod est *potare*: uti Celticum illud ex Hebræo סבא saba, *potare*. Plinius Hispanis ait *Celiam*, & *Ceriam*, vocari; ut vidimus. Ac favet non modò Isidorus Hispalensis; sed etiam Annæus Florus, itidem Hispanus: ut ex tantis Hispaniæ laudibus, & inde, quòd ex Annæis Senecis fuerit, facile est conjectare. Is lib. II. cap. XVIII de Numantinis ita scribit: *Cùm sese prius epulis, quasi inferiis, impleviissent carnis semicrudæ, & celiæ: sic vocant indigenæ, ex frumento potionem. Celiam*, quasi *caliam*, à calefaciendo dici, quomodo à *facio* est *feci*: Isidori opinio est lib. XX. Orig. c. III. Alii volunt esse à *Cerere*, h. e. fruge: quomodo *Cerevisiam* inde nuncupari, ibidem tradit Isidorus. A colore cereo sic vocari, Ruellio, & Hadr. Junio, placitum; utrique locis antè memoratis. Mihi magis placet, Hispanos à vocabulo indigenâ, quàm Romano, vel Græco, nomen indidisse. Quare originem arcessere malim è lingua Celtica: nempe à *zehren*, quod Germanis notat *concoquere*, *alere*. Nempe quia vim habeat alimoniæ. R verò in L converso, ex *ceria* *celiam* fecere. De Pæonum βρῦτον, καὶ παραβίην, testis Hecatæus ἐν Εὐρώπης περιόδῳ, & exinde Athenæus. in X*. Ac ibidem, βρῦτον de radicibus etiam parari, legas ex opere Hellanici, quod Κτίσεις inscripserat, sive de quarumque civitatum conditoribus. De *Gurmi* quod ait Junius, paullò aliter est in glossis Philoxeni; ubi legas: *Curmen*, Ζῦθος σιτώδης. Apud Athenæum verò lib. IV. est κόρμα. Quomodo istic legi debere, jam diu est, quòd Ruellio † visum. Imò sic, ut Casaubono * monitum, invenitur in membranis; uti & Athenæi epitoma. Sed secutus est Junius Dioscoridem: qui κοῦρμι vocari ait lib. II. c. CX. Quid quòd, inter alios, Haloander usum eo censet Ulpianum, L. Siquis. D. De Tritico & vino leg. Ubi ait, si pater familias vinum legaverit; nec zythum, nec curmi, nec cervisiam, contineri. Sed rectè antea legebatur *camum*: quod & ipsum est potionis genus, Cælio etiam Apicio memoratum lib. III: ubi cum defruto conjungit. Habes & apud Priscum Sophistam in Excerptis Historiæ Gothicæ †: Ἐκομίζοντο δὲ καὶ οἱ ἑπόμενοι ἡμῖν ὑπηρέται κέγχρον, καὶ τὸ ἐκ κριθῶν χορηγούμενον πόμα· κάμον οἱ βάρβαροι καλοῦσιν αὐτό. *Ministri, qui nos sequebantur, advehebant nobis cenchrum, potionem ex hordeo præbentes, quam barbari vocant camum.* Fortassè ab Hebræo חם cham, quod est, *calidum esse*. Nempe eam ob caussam, ob quam *celiam* Isidorus à *calore* deducebat. Videmus ex istis, quàm variè barbari zythum appellarint, sive quod vulgo *bieram* nominamus: nempe voce à Romanis militibus acceptâ, quibus illud in ore, *Da bibere*. Sic enim Romani loquebantur: ut Terent. Andr. act. III. sc. II. Sed pro *bibere* etiam κατ' ἀποκοπὴν dixere *biber*. Quod iccirco quidam veterum, nomen, ac neutri generis, putarunt. De hoc abunde ex Charisio, & Capro, diximus in primo de Analogia cap. XXVI. Ex *biber* verò contractum *bier*: ut nomen *biria* sit generale: quale Græcis τὸ πῖνον: ut apud Aristotelem libello de ebrietate: ubi scribit, vino ebrios in faciem cadere pronos: at resupinari τῷ πίνῳ μεθυσθέντας, h. e. inebriatos potu hordeacio, sive cervisia: cujus caussâ est, quòd potus hic habeat quid καρωτικὸν *. Quanto hoc biriæ nostræ etymon verisimilius est, quàm quod alii, quasi *piriam* dici volunt, quia è piris exprimeretur, similive pomorum genere; unde *pomatium*, & *piratium*, legimus apud Hieronymum. Vel etiam ut *biria*, sive *beria*, unius literæ mutatione factum sit ex *ceria*: quod etymon placuit Ruellio †.

† Vel Sabaia.

* Pag. 418. edit. Commel.

* Pag. 447. edit. Commel.

† Lib. 2. de natura stirp. cap. 18.

* Lib. 4. animadv. cap. 13.

† Pag. 42. edit. August. an. 1603.

* Soporiferum.

† Lib. 2. de Nat. Stirp. cap. 18.

CAP. V.

A Syris esse camelus. *Quæ* Cameliæ virgines. *Unde* Gangamela *dicta in Perside. Ab iisdem Syris esse* ambubaia: *etsi de eo aliter Turnebus. A Persis* satrapa, & gaza. *Quàm variè, sed mente non multùm dispari, vocabulum hoc à veteribus explicetur. Unde* aura, aurum, aurora, αὔειον, & θησαυρός, *dicantur. Melam, & Servium, decipi de etymo Gazæ, urbis in Palæstina. Etiam à Persis est* acinaces. *Item* parasanga: *ac unde ea vox: item* ἀγγαρεύειν. *Cur non, uti de hisce, ita agi hic etiam debuerit de vocabulis, quæ Romani habent à Græcis: ne istis quidem, quæ solis Macedonibus debentur;* quales phalanx, & sarissa.

JAmdudum metuo, ne sicut illi, qui circa Syrtes, & Nasamonas, loton arborem gustassent, sic sapore ejus afficiebantur, ut terras eas desererent inviti: ita nos quoque tantopere capti videamur dulcedine zythi, & inde, tot hordeacei, vel similis potus generibus gustatis, propemodum ebrii, pedem de tellure hac tollere nesciamus. Quod ne usu veniat nobis, citato gradu hinc jam in Asiam magnam contendo.

A Syris est CAMELUS; ut scribit Varro in IV de L. L. Nempe prius *gamelus* fuit; ut est apud Terentium Scaurum.

rum. De pronunciatione non abnuo: sed de scriptione non puto. Nec enim veteres Romani habebant G: unde scribebant MACESTRATOS, pro *magistratus*, & similia. Atque hinc, Festo teste, *Camelia virgines*, γαμήλιοι θεαί. Dispar ratio Græcis; qui pagum Persiæ, ut apud Strabonem est in VI, *gangamela* dixere, quia pasceretur istic camelus Darii sarcinarius: nempe à גן, gan, h. e. *hortus*, & גמל, gamal, i. *camelus*.

Syrorum quoque est AMBUBAIA. Aliter quidem visum magno Turnebo*; qui ut ab ἔνδον *indu* fecere (unde *induperator*, *industrius*, *induciæ*, quasi *in ocio*) sic ait *ambu* ab ἄμφω dixisse; unde *ambages*, *ambedo*, *ambustus*, & alia. Indeque colligit, *ambubajas* sic dictas mulieres, quæ *ambu*, h. e. am, sive, circum bajas versarentur: nempe quia loca ista peterentur ab hominibus mollitie, & luxuriâ diffluentibus. Sed verum etymon primi aperuere Angelus Caninius, & Josephus Scaliger: quibus *ambubaja* dicitur ἡ αὐλητρίς, sive tibicina, ab Chaldæo, & Syriaco אבוב, abbub: vel אבובא: Pro quo Arabes انبوب anbub: h. e. *fistula*, sive *tibia*. Inde igitur אמבובאיא ambubaja. h. e. *tibicina*. Ac firmant hanc sententiam quoque, quæ de Copa Syrisca lusit Virgilius. Probat etiam Schindlerus, ut mittam cæteros.

* Lib. II. Adv. cap 23.

A Persis verò est SATRAPA, sive σατράπης, quo è Latinis usi Terentius Heautont. act. III. sc. I, Cornelius Nepos in Conone, Plinius lib. V. cap. V, Curtius lib. IV, VI, & alibi. E Græcis Herodotus lib. I. & III, Xenophon lib. VIII. Κύρε παιδ. Isocrates in Panegyrico; item Josephus, Plutarchus, Arrianus, Herodianus, Philostratus, & magno numero alii; etiam libro Estheræ Artaxerxes in epistolæ inscriptione. In Scripturis dicuntur שטרים *schoterim*. Theodotioni id τακτικοί, Aquilæ συνεκτικοί: iidem Proverb. VI. 7. שטר, *schotér* interpretantur ἐκβιαστὴν, quod *coactorem* notat, hoc est, alios compellentem ad mandata exequenda. *Provinciæ præfectum* exponit Joannes Calpurnius Brixianus, Angeli Politiani æqualis, notis in Terentii Heaut. Eam interpretationem Donato tribuit doctissimus Etymologus: nempe recentem scriptorem confudit cum Donato: cujus nihil in Heautontimorumenon habemus. Cæterùm de satrapis, & satrapiis, multa etiam Brissonius in primo de Regno Persico: deque voce ipsa Nicolaus Fullerus lib. III. Miscell. Sacr. cap. XIX.

Adhæc à Persis est GAZA; ut tradunt Mela lib. I, Curtius lib. III, Servius in I Æn. Isidorus lib. XX. cap. IX. Sed Mela interpretatur *ærarium*, Curtius *pecuniam regiam*, Servius *census*, & *divitias*, Isidorus *thesaurum*. Quibus addamus Hesychium. Is exponit *regis opes*, *ac vectigalia*; sive, si Græca malis, βασίλεια, ἡ ἐκ τῶν πόλεων φερομένους φόρους. Ubi in LXX est γάζα, ibi in Hebræis גנז, ginze, pro quo Syri גנזא, ginza, Persæ גזא, gaza, Originem indicat vocabulum Chaldæum גנז, genaz, quod notat *reponere*, *abscondere*; unde גזא, ablato נ, quod propriè notat ἀποθήκην συνειλεγμένων. Sanè & à simili origine est Græcum θησαυρὸς, sive sit, ut volunt ἀπὸ τοῦ τίθεσθαι εἰς αὔριον †: sive potiùs à θέω, vel τίθημι, & prisco αὐρὸς, quod *opes* videtur notasse, vel *aurum*: imò inde Latinum *aurum*: uti αὐρὸς ab אור, or, *lux*, *splendor*, atque etiam *Sol*; unde Apollo, *Orus*. Quemadmodum & ab אור, ur, est *aura* pro splendore, & *aurora*, & αὔριον, q. d. *cùm Sol iterum illuxerit*: quemadmodum diximus quoque lib. II. Physiologiæ Christianæ cap. LXIV. Interim falsi Mela, & Servius: quando uterque aiunt, *Gaza*, urbi Palæstinæ, inde esse nomen datum; quia Cambyses, rex Persarum secundus, cùm Ægyptum bello peteret, reposuerit istic opes suas. Nam *gaza*, pro ærario sive thesauro, Hebraicè scribitur גזא: at urbs עזה.

† Quia in crastinum reponatur.

Ab iisdem est ACINACES, ὁ ἀκινάκης, ut prodidit Acron in Horat. lib. I. od. XXVII, & P. Consentius, Grammaticus Constantinopolitanus: item è Græcis Hesychius, & Suidas: & omnium fide dignissimus Herodotus in Polyhymnia, τὸ Περσικὸν, inquit, ξίφος τὸν ἀκινάκην καλέουσι. Sed is pro ἀκινάκην dicit ἀκινάκην, si etymologo credimus: hodie enim semper, non nisi ἀκινάκης, apud eum legitur: & ἀκινάκης poterat videri factum ex ὁ ἀκινάκης: non propter ἀκὴν, h. e. ὀξεῖαν ἀκμὴν, *acutam aciem*. Nempe solemnia insaniunt Græculi, cùm peregrina deducere à sua jubent linguâ. Medis acinacem tribuit Horatius lib. I. od. XXVII: & Parthis Porphyrius ad eum ipsum locum. Sed vicinæ sunt gentes, & diu eidem domino adsuetæ: unde & veteres eas sæpe confundunt, & possint iisdem esse usi armis. Quod si *acinaces* aliunde, quàm è Persica lingua, originem trahit: quò potius eamus, quàm ad Hebræam, vel Chaldæam? Ut si κατὰ μετάθεσιν factum dicamus ex Chaldaïco סכינא sakina: h. e. *culter*.

Est & à Persis PARASANGA; ut Athenæus ait lib. II*, ubi & ab iis esse ait ἄσταθμον, & σχοῖνον, itidem vocabula in viis mensurandis obtinentia. *Parasanga* verò Arabibus פרסה parsah: ut est in Lexico Raphelengii Arabico. Schindlerus *milliare* exponit: ac parsaot ait facere iter diurnum hominis mediocris. Clarissimus socer meus Franciscus Junius † conjectabat, *parasanga* esse ex *parasangara*: nempe quia hoc vocabulo (ut Herodotus, Xenophon, & Agathias, testantur) significetur spatium XXX stadiorum: quantum parasangarus, h. e. equestris tabellio, (qui & ἄγγαρος Persis vocatur, ut scribit Suidas) ab angariâ, h. e. tabellionum stathmo, sive mansione unâ ad alteram, decurrebat. Indeque ἀγγαρεύειν Matth. V. ubi & vetus interpres retinet *angariare*. Latini dicerent *adigere ad currendum*, vel *ferendum aliquid*. Leg. Bojar. Tit. XIII. §. 9. *Angarias cum carra faciet usque L. Leugas*. De angariis non modò pro plaustrorum, jumentorumque præstatione; sed etiam clavulariis carris; vide, quæ ex codice Theodosiano eruditè observavit Salmasius ad Capitolini Antoninum Pium.

* Pag. 122. edit. Commel.

† In Eclogis linguæ Hebrææ.

Sistam in Persis, Asiæ quondam dominis. Nam inde si in Latium, unde nostra profecta est oratio, demutitionem parem per gentes Persiæ victores, inque iis Macedonas: multa quidem se offerent, quæ ab illis acceperint Romani; sed ut origine ea peregrina sint, non tamen ortus fuerit barbarus. Hujusmodi est vox PHALANX; item SARISSA. Quorum prius pro quadrata acie, cuneoque militari, à Macedonibus esse, testantur Livius, & Curtius. Descriptionem ejus præter duos, quos dixi, Polybius, Ælianus, ac Vegetius, dabunt. Alterum notat oblongas Macedonum hastas, ferro exiguo præfixas. Valturius lib. X. de Re milit. cap. III. credidit esse æreum clypeum: sed deceptus malè alio adducto Curtii loco lib. IX: qui sic habet in omnibus codd. *Macedo justa arma sumserat, æreum clypeum, hastam, quam sarissam vocant, lævâ tenens.* Ac Livii est lib. XXXVIII: *Usus prælongarum hastarum: sarissas Macedones vocant.* Similiter idem lib. seq. Atque hinc etiam vocem eam esse à Macedonibus videmus. Similiter Ovidius XII. Met. *Qui clypeo, gladioque, Macedoniâque sarissâ.* Et *Macetum sarissas* ait Statius lib. VII. Theb. *Pellaas sarissas* Lucanus lib. VIII. Servius in VII. Æn. *Pilum propriè est hasta Romana; ut gessa Gallorum, sarissa Macedonum.* Idem tradunt Festus, & Suidas in Σάρισσα. Easdem signat Gratius in Cynegetico:

Quid Macetûm immensos libeat si dicere contos?

Interpretatus similiter Vegetius lib. III. cap. XXIV: *Sarissas, hoc est, longissimos contos, in elephantos dirigebant.* Videri queant & Thracum fuisse, propter illud Nasonis lib. I. de Ponto eleg. IV:

Altera Bistonias pars est sensura sarissas.

Sed magis placet *sagittas*; quod est in vulgatis. Suos verò Spartanos iisdem pro lancea uti, docuit Cleomenes: ut in vita ejus prodidit Plutarchus.

At quid his ultrà immoremur? cùm hujusmodi quidem peregrinæ sint originis, ut dicebam: non tamen barbaræ: cùm Macedones sint Græci; hi autem veteres quidem Romanos habuerint pro barbaris; ut Græcanico more eos quoque appellat Sarsinas Comicus*: sed non vicissim barbari sint crediti Romanis: quippe satis gnaris, se Græcis debere liberalium artium studia, & omnem prope ingeniorum cultum.

* Prologo Asin. Trinum. item Pæn. act. 3. sc. 2.

CAP.

CAP. VI.

Etiam postquam Roma magnis passibus ad barbariem iret, licuisse peregrina civitate donare Romanâ; dummodo idoneo vocabulo sermo deficeret Latinus. Ac posse in his etiam reponi Ægyptiaca nonni, *& nonnæ vocabula: & quid propriè iis vocibus denotetur. Syriacum esse* abbas: *& cur Christiani maluerint inde* abbatissæ *nomen formare, quàm vocare* virginem maximam, *vel* antistitam. *Nostris verò temporibus disparem videri rationem; ut Latina hac nunc tutò præferantur.* Pythonissa. *Unde barbara* monialium *vox.* Abanec *perperàm pro* abaneth *scribi: eo signari baltheum sacerdotalem: imò balthei nomen inde originem ducere. Aliquot glossarum scriptores.* Pascha *unde dictum. Duplex id esse; Judaicum φασὴ, & Christianum πάσχα, sive πάσκα. Interim & Judaicum dici πάσχα. Cur Christiani diem Resurrectionis vocitarunt* Pascha.

ACcedimus nunc ad peregrinorum ea, quæ desito jam puri sermonis usu in Latinorum nihilominus deduci coloniam, imò civitate Romanâ donari potuerunt. Istiusmodi multa manarunt ab Ecclesia. Ut NONNA; quo uti non reformidat B. Hieronymus ad Eustoch. de custod. virgin. Est autem vox Ægyptia. Hi enim monachos *Nonnos*; monachas, *Nonnas* vocant: ut traditum quoque Cælio Rhodigino lib. v. Antiquæ Lect. cap. XII. Planè fallitur Amerbachius, qui è lingua Germanicâ originem arcessit. Censet enim, vocabulum hoc propriè competere iis, qui se castrarint propter regnum Dei: idque quia Germanis sic vocetur sus femina castrata. Quanto verisimiliùs dixeris, Ægyptiaca *nonnus*, & *nonna*, esse ab Hebræo נין nin, id est, *filius*! Erant enim nonni filiorum, nonnæ filiarum loco.

Parque ratio videri possit, cùm ABBATISSÆ nomine insigniunt virginem maximam, hoc est, eam, quæ præest virginibus Vestalibus, vel, ut meliùs dicam, sacris: quas Græci vocant τὰς ἀφ' ἱερῶν, & unâ voce ἱεροδούλας: vulgò autem barbarè dicunt *moniales*: quod corruptum videtur ex *sanctimoniales*, vel *castimoniales*. Est autem *Abbatissa* ab *abbas*; quo utitur Sidonius extremâ ep. XVII. lib. VII. Hoc à Græcis acceptum. Ut τὸ ἀββᾶν, Justiniani Novellâ. CXXIII. Hoc à Syriaco אבא, *abba*, id est, *pater*: quia sit pater monachorum. *Major monasterii* nuncupatur Concilio Carthaginensi v. can. XV. & Gratiano Dist. LVIII. cap. fine. Cur verò *Abbatissa* nomen prætulerint olim; quamvis suppeteret *virginis maximæ* appellatio; in promtu ratio est. Nam quò sacra profanis distinguerent, eopse modo *exorcistam*, quàm *adjuratorem*, dicere maluerunt: etsi Latino hoc vocabulo vocari posse, legere sit apud Isidorum: imò Plautus pro eo, quod Græcis est ἐξορκίζειν, *adjurare* dicat in Cistellaria act. II. sc. III. Similiter item (ut propiora adferam) non tantùm *Virginum Vestalium* nomen displicuit, quia non Vestæ dicarentur, sed Christo: verùm & *virginis sacræ*; quod accommodatius quidem erat; attamen olim, cùm & gentiles, suas; suas item Christiani virgines sacras haberent; vocabulum fuisset ambiguum. Eodem igitur modo *virginis maximæ* nomen haut satisfaciebat, quòd ὁμώνυμον * esset: magis autem *Abbatissa* arrisit, quò religio Christiana à profanis gentibus discerneretur. Sanè B. Hieronymus non semel utitur *Abbatissa* nomine. Estque planè ἀναλόγως † ab *Abbas* factum; cùm eodem prope modo apud Maronem legamus *Phœnissa*, & *Æthiopissa* apud Donatum in Terent. & *Pythonissa* apud Hieronymum in catalogo scriptorum Ecclesiast. Jubent aliqui pro eo *Pythoissa* dicere, quia spiritus ipse τῆς ἐγγαστριμύθης sive *ventriloquæ* dicatur *Pytho*, unde *Pythoissa*. Sed Act. XVI. 16. vocatur ἔχουσα πνεῦμα Πύθωνος: & Πυθωνίσσα quoque est apud Sophronium, Hieronymi interpretem. At, Joannes Ninivita, sive malis Despauterius (nec enim vir, bene adeò de literatura pro illo quidem tempore meritus, indignus est vulgatiori nomine chartis nostris signari, etsi aliter τοῖς μέγα πᾶσι * videatur) nobilis igitur ille Grammaticus, si, inquit, *abbas* est pater, quomodo mulier nobis dicetur *abbatissa*? Dixerim ego, sic *abbatissam* appellari posse; quomodo Latini à *viro* formarunt non *virago* modò, quod aliud longè est: sed etiam *vira*; unde *viræ Querquetulanæ* apud Festum. Jubet idem Grammaticus pro *abbatissa* dicere *matrem maximam*, vel *antistitam*. quæ minimè improbo. Nec enim nostris æque temporibus, ac olim, ab ambiguitate vocabuli, periculum est, religione gentili penitus deletâ. Quare & possis dicere, *Sacrarum Deo virginum maximam*, vel *Præfectam asceteriis virginum Deo dicatarum*; vel quapiam ratione non absimili. Quod verò idem Ninivita *sacerdotes* nuncupare præcipit; id animo meo non æquè adlubescit. Utcunque enim offerant Deo vitulos labiorum, quod omnium commune est Christianorum, quatenus omnes sumus sacerdotes: non tamen sacrificium faciunt vel propriè dictum, vel hujus repræsentativum.

* Æquivocum.

† Convenienter aliis derivatis.

* Grande quid spirantibus.

In ejusmodi peregrinis vocabulis vix dici potest, quàm proclivis sit lapsus ignaris ejus linguæ, à qua vocem peregrinam accepimus. Sicuti cùm apud Calepinum ABANEC lectum pro ABANET; uti apud Isidorum rectè exaratum lib. XIX. Originum cap. XXI. Sanè ἀβανὴθ quoque est apud Flavium Josephum lib. III. Antiqu. Jud. cap. VIII. Et Hebræis scribitur אבנט, *Abnét*, Exodi XXII. 21. Quo ex loco liquet, fuisse baltheum sacerdotalem: qui sacerdotum vulgo lineus fuit, byssinus verò summo sacerdoti. Josephus loco antea memorato ait †, Hierosolymitanos suos, more Chaldæo pro eo dicere ἐμιάν, ut vulgò quidem scribitur: ubi malim ἑμιάν. Chald. המין hemin. Sane Esaiæ XXII. 21. Hebraicè ואבנטך *Ve-abnetchá*: Targum vero habet והמינך: Ve-hemianách: *& baltheo tuo*. Ubi κατὰ μετωνυμίαν sumitur pro *fortitudine*. Imò cùm N sæpe abeat in L, quomodo à νύμφη est *lympha*; satis est verisimilis eorum opinio, qui ab *abaneth* vocabulum *balthei* arcessunt.

† Pag. 95. edit. Basil.

Nec in ὀρθογραφίᾳ modò peccari solet, sed etiam significatione. Eoque operam non lusere olim, qui scripsere περὶ γλωσσῶν, sive περὶ τῶν ξένως εἰρημένων *: uti Philoxenus, Democritus, Callimachus, Hermo, Clitarchus, aliique; quos passim laudant Athenæus, & Suidas.

* De iis, quæ peregrinorum more dicuntur.

In iis, ubi significatione aberratum, etiam reponunt eruditi, quòd, turpi, si iis credimus, errore, Resurrectionis Dominicæ diem PASCHA nominamus. Nam, inquiunt, *Pascha* significat passionis Dominicæ diem: unde & veterum aliqui ἀπὸ τοῦ πάσχειν † deduxerunt: nempe quia ignorarent, esse ab Hierosolymitano פסחא, *Paschá*, quòd Hebræis פסח, *Pésach*, hoc est, *transitio*, sive *transitus*: unde nomen, non tam quia ex Ægypto transierint filii Israël; quàm quia exterminator Angelus domos, ubi sanguinem in Israëlitarum foribus conspexisset, transierit. Quæ ratio nominis adfertur Exodi XII. Scimus ista, & pro verissimis habemus. Sed neque nescimus, veteres Christianos duplex statuisse pascha; unum σταυρώσιμον, sub quod Christus esset actus in crucem: alterum ἀναστάσιμον, quo resurrexisset. Græci veteres prius efferebant φασὴ; nempe quod incideret in decimumquartum mensis Nisan: posterius verò, quod est Resurrectionis, dixere πάσχα. Interim etiam Judaicum illud vocatum πάσχα, liquet ex LXX, Philone, & Josepho: nisi quòd apud eum in MSS nonnullis pro πάσχα legas πάσκα. Cur verò Christiani Resurrectionis diem nomine Paschatis donarint; dicam potiùs verbis Ceolfridi Abbatis ad Regem Naitanum, quæ Beda adducit lib. v. Hist. Eccles. Anglic. cap. XXII: *Votiva Pascha nostra festa celebramus, ut indicemus, nos non cum antiquis excussum Ægyptiæ servitutis jugum venerari: sed redemtionem totius mundi (quæ in antiqui Dei populi liberatione præfigurata, in Christi autem resurrectione completa est) devotâ fide ac dilectione colere; ut de resurrectionis etiam nostræ, quam eâdem die Dominicâ futuram credimus, spe nos certissimâ gaudere signemus.*

† Pati.

CAP. VII.

Regulæ præfiniuntur, juxta quas judicium fiat de peregrinis, vel recipiendis, vel fugiendis: & qua via sit ineunda in exprimenda re incognitâ. Anxur *postea* Tarracina; *uti* Nequinum, Narnia. *Antiquitates Hetruscæ falsò inscriptæ Prospero. Non uti* Thuscus, *ita etiam* Thuscia *veteres dixisse. Perperam* Padua *pro* Patavio. Παδόα *ex* Παδόεσσα, *unde &* Padusa. Parlamenti *vox unde: uti, & Gallica* parole, *&* parler. Gladius falcatus *pro* scimitarra. *Hispanus gladius Romanis tributus etiam ante tempora Annibalica.* Cliens fiduciarius *pro* vasallo. *Appuleii consilium in rebus Latino carentibus vocabulo. Tutò usurpari nomina* sclopeti, bombardæ, feudi, stubæ. *Quàm antiqua* astraba, *quæ Græcis* ἀναβολεὺς*: posterioribus Latinis* scala; *imò &* stapia, *unde* bistapia. *Nec inscitè* pedaneum subicem *vocari. Proba ac vetera esse* pappa, *&* bua. Papaveris, *&* papillæ ἔτυμον. Pappare *aliud, quàm* παππάζειν. Abare. Πάππας, *&* πάππαι*: uti Latinis* pappas, *&* papa. Salsicium *unde conflatum. Isicii* ἔτυμον. Esicium, *&* esiciatum.

EX his satis liquet, non esse nos eos, qui in totum interdicamus peregrinorum usu, illorum instar, quos vocamus Ciceronianos: quales cùm nihil, nisi in Tullio sibi lectum, ausint usurpare, sæpe coguntur reticere, quæ optime animo conceperunt: vel saltem ridiculè admodum circumscribunt, quæ unico, veteribus quidem ignoto, attamen necessario vocabulo, poterant efari. Sed ut isti nimiâ se religione adstringunt; ita alii in iis nimium sibi permittunt: imprimis qui dicis gratiâ, ac tralatitiè tantùm, studia hæc tractant. Itaque non abs re fuerit, si hîc, uti ab Uberto etiam Folieta in secundo de usu sermonis Latini factum video, canones aliquot præstituam, ad quos expendantur voces peregrinæ.

Ac primò quidem tutò usurpare nova licet nomina montium, fluviorum, urbium, regionumque; idque non modò, si loca fuerint Romanis ignota; verùm etiam, si ea a Romanis ipsis aliter fuerint appellata. Id, ut ita sentiam, facit, quòd Romani ipsi urbem, aut regionem, cùm nomen mutâsset, alio quoque appellarent nomine. Ita Livius, atque alii, quas urbes *Anxur*, & *Nequinum*, nominarant, cùm res illorum temporum scriberent; easdem *Tarracinam*, & *Narniam*, nuncuparunt, cùm ad ea venissent tempora, quibus urbes illæ jam nomina mutavissent. Quare cùm Franci devictæ à se Galliæ Transalpinæ, *Franciæ* nomen indiderint; & Longobardi, cùm Galliam occupassent Cisalpinam, *Longobardiæ* ei nomen fecerint: neutiquam contra Latini sermonis mundiciem peccem, si *Franciæ*, aut *Longobardiæ*, vocabula usurpem: præsertim cùm Francia, & Gallia, non iisdem finibus circumscribantur.

Si tamen vox vulgaris ex veteri sit corrupta; veteri utendum censeo. Non igitur *Vulterra* dixerim cum juris Canonici* conditoribus, vel Pseudo-Prospero, commentitiarum Etruriæ antiquitatum auctore: sed, ut veteres semper, *Volaterra*. Imò neque *Thusciam* libens pro *Etruria* usurpem: etsi *Thuscum vicum* Romæ fuisse sciam, & *Thuscos meos* Plinius dicat lib. v. epist. vi, quæ est ad Apollinarem; ubi & in notis ad eam epistolam *Thusciam* quoque dixit doctissimus Joannes Maria Catanæus. Scio, habere & illum, & alios, quo se tueantur. Nam Hygenus de limitibus constituendis ait†, *in terminis provinciæ Thusciæ.* Etiam est in scriptoribus de limitibus ex Cajo, & Theodosio, *Thusciam urbicariam*, *& annonariam.* Ex libris quoque Magonis, & Vegojæ auctorum habes*: *Itidem in parte Thusciæ, Florentiæ quàm maximè, palos iliceos picatos pro terminis sub terra defiximus.* Est & Ammiani Marcellini lib. xxvii: *Portenti species per annonariam apparuit Thusciam.* Et initio lib. xxviii: *Rexit deinde Thusciam.* Reperias quoque L. xii C. Theodos. de indulg. debit. item inscript. Novel. Constit. Leonis, & Majoriani, Tit. ix.; adhæc Cassiodori lib. iv. epist. xiv: *Per Picenum, sive Thuscias utrasque.* Sed veteres aliter. Nam apud nullum Augusti æqualem legas: uti neque apud Plinium, & aliquanto juniores. Quos adduximus scriptores, multo post Plinium vixere. Priores non si *Thuscos*, eò & *Thusciam* dixissent.

* Decretal. 2 causs. 12. quæst. 2. verbis Nicolai Papæ ad Majorianum, Severum, & Joannem, episcopos.

† Pag. 152. edit. Turnebianæ.

* Pag. 167. editionis Turneb.

Neque item pro *Patavio* placet *Padua*: etsi sic urbem eam cum Italiæ vulgo appellet quoque doctissimus Hermolaus Barbarus cap. i. Corollarii. Ac Rob. Titius item lib. x. Controvers. cap. iii. apud Catullum putet legendum:

At Volusi annales Padoam porgentur ad ipsam.

Potiùs *Padoa* sit, quæ *Padusa* Maroni, Plinio, Claudiano, Vibio Sequestro, ac apud Servium etiam Valgio in elegiis. Nisi, ob tam multorum auctoritatem, apud Polybium quoque in ii, Παδόαν legendum; ubi nunc editum, Παδόα. Sanè id multò verisimilius est. *Padusa* mediam producit, quia ex παδόεσσα, παδοῦσα. Palus est sive fossa prope Ravennam; inque Padum se exonerat: unde nomen. Et de locorum quidem nominibus ita censeo.

At rerum cæterarum non una est ratio. Quippe alia quidem veteres nôrant, si rem ipsam spectemus, non item formam, quæ immutata est: alia verò istiusmodi sunt, ut nec ipsam rem veteres habuerint. In priori genere usurpamus appellationes veteres: sed adjicimus quiddam, quod formæ immutationem ostendat. Exemplo rem faciam planiorem. Cùm Romani non minùs curiam habuerint, quàm Franci; cur non potiùs supremam *curiam Parisiensem*, quàm *parlamentum* dicam? Quæ vox est à Gallico *parler*: quemadmodum hoc ipsum fortasse venit à Græco παραλαλεῖν: etsi id potiùs sit *obloqui*, quàm *loqui*. Ac propterea doctissimus Angelus Caninius Anglariensis in Hellenismo suo, ubi literarum immutationes explicat†, censuit Hispanos (qui multa incorruptiùs servarunt Gallis) ex παραβολῆ fecisse *parabla*, & κατὰ μετάθεσιν, *palabra*, atque inde potiùs esse *parlare*, & *parler*. De quo non tanti est, ut feram reciprocem.

† Pag. 16. & 17.

Itidem non *scimitarram*, quomodo Turcæ appellant; sed *gladium* dixerim *falcatum*: secutus illud Ovidii iv. Met.

—— *Falcato vulnerat ense.*

Et hoc Silii Italici lib. iii:

Versicolor contrà cetra, & falcatus ab arte
Ensis Adyrmachidæ.

Sed præcipuè movet, quòd potius *gladium Hispanum*, *Hispanicum*, vel *Hispaniensem*, uti Polybius μάχαιραν Ἰβηρικήν, dixere; quam ut Hispanicâ uterentur appellatione. Nempe hoc inde est, quòd sola variaret forma; res utrique genti foret eadem. Mirum tamen, *Hispanum* etiam dici à Livio in vii, & Claudio Quadrigario apud Agellium lib. ix. cap. xiii: ubi, ut Lipsio* etiam observatum, tempora describunt longè antiquiora bellis Punicis: cùm demum Hispanicus Romanis gladius temporibus innotuerit Annibalis; qui ex Hispania eum Italiæ intulit.

* Libro 3. de Militia Romana dialogo 3.

Eandem ob caussam malim *clientis fiduciarii* nomen, quàm *vasalli*; quod est ab Italis, Hispanis, Gallis. Omnino enim, quando fieri potest, id agendum, ut voces Latinæ, aut saltem origine sint Latinæ, vel Græcæ: sed si Latinæ nimis duræ sint futuræ, potiùs Græcæ: sin non absurdæ Romanis auribus, potiùs ortu Latinæ. Id in suis de animalibus libris observâsse se ait Appulejus, cùm in Apologia sic scribit: *Pauca etiam de Latinis meis, ad eandem peritiam pertinentibus, legi jubebo; in quibus animadvertes, cum in eis cognitu rara, tum etiam nomina Romanis inusitata, & in hodiernum, quod sciam, infecta. Ea tamen nomina labore meo, & studio, ita de Græco provenire, ut Latinâ monetâ percussa sint.*

Atque hæc de genere priori, ubi res nota Romanis; sed formâ aliâ. Venio ad alterum genus, ubi res iisdem planè incognita. Atque hic dispar prorsus ratio est. In priori illo non confingenda sunt verba; quia id neque facerent veteres Romani, si nunc viverent. At in genere hoc posteriori securè nova comminiscimur. Tale est SCLOPETUS à *scloppo*, vel *sclopo*, quod apud Persium: nisi hic *stloppus*

pus malis, ut est in libris nonnullis. Item BOMBARDA, ab ardore cum bombo: de quo vidimus lib. IV. Oratoriarum Institut. cap. XIII. §. VII. Nec minùs tamen licuisset aliâ ex lingua, uti Germanicâ, unde res accepta, alia planè inducere: ut si ex *roer*, *musket*, *cartouw*, *geschut*, fecissent *ruram*, *muscettam*, *cartouam*, *geschuttam*. Dura nunc videntur: sed usus emollivisset. Nec barbara eò deberent censeri, quòd ex lingua peterentur, quæ olim barbara est habita. Nam si necessitas adegit veteres Romanos, ut voces acciperent ab Hispanis, Gallis, Germanis, Britannis, Afris, Ægyptiis, Syris, Persis, aliis; quod pluribus antea exemplis planum fecimus: cur non itidem nobis liceat quoties rem nescivere Romani, vocabula Germanica, Gallica, alia, donare flexu Romano, atque ita, quia monetâ jam percussa sint Romanâ, ea usurpare pro Romanis? Nam qui olim non abstinuere illis, quia propria lingua vocibus careret: cur hæc, si adhuc forent, reformidarent, quando illa æquè exprimat necessitas?

Eandem ob caussam, nec Gothicam FEUDI vocem abhorream. Eâ significatur genus clientelæ, quo vel prædium, vel dignitas, vel vectigal, cuiquam datur, ut & ipsi, & posteri, beneficii auctorem agnoscant pro patrono, ejusque caput, honorem, ac fortunas, defendant.

Neque multum averser STUBA; quo Dithmarus, aliique ejus ævi scriptores utuntur. Est verò à Germanico *stube*; pro quo Belgæ *stove*. Videtur autem ejus usus sic satis antiquus: quâ de re Lipsium vide ad Taciti Germaniam.

Etiam inter illa, ubi non solùm forma exterior, sed res ipsa veteribus fuit incognita, reponi debet instrumentum illud ferreum ab equi lateribus utrimque dependens, cui innituntur, atque insistunt equitantium pedes. Ea enim veteribus fuisse ignota, rectè jam ante duo secula monitum Joanni Tortellio Aretino: etsi hoc nomine reprehensus sit a Galeotto Martio Narniensi lib. de promiscua doctrina cap. XXVIII. Tortellii enim sententiam firmant, partim numismata vetera; partim statuæ equestres, tum lapideæ, tum ex ære fusæ; in quibus nihil hujusmodi conspicere est: ut in iis observatum quoque Brodæo in quarto Miscellaneorum cap. XXVI. Etiam idem Trajani columna & Antonini Romæ ostendit: & inde Salmasius epistolâ 11. de Cruce ad Thomam Bartholinum*. Neque istius vel Xenophon lib. de re equestri, vel in Onomastico Jul. Pollux†, ubi de instrumentis agit equestribus, vel verbo meminerunt. Præterea Hippocrates, lib. de aëre & aquis, docet, pependisse equitantium crura, atque inde contrahi. Suetonius in Caligula cap. III indicat, humores a cibo sumto in tibias equitantium descendere: & ideo Cæsarem Germanicum, postquam prandisset, assiduò solere equo vectari ad gracilitatem crurum replendam. Quæ sanè locum magis habent, si crura sine fulcro dependerunt. Novo igitur huic invento novum quærendum nomen fuit. Id multimodis factum, ex Hispanica, Græca, Latina. Ex Hispanica dubium, an Græcâ, sit *astraba*. Hispanis quidem (fortè à *strepa*, de quo libro proximo cap. XVII.) dicitur *estribo*, unde *astraba*; nisi ex hoc fuerit Hispanicum. Isidorus Hispalensis in Glossis: *Astraba, tabella, in qua pedes requiescunt.* Sed potiùs hoc Græcum. Nam & Hesychio *ἀστράβη* ligneum est ephippium, quod tenent sedentes. Nempe ab *α στερητικοῦ**, & *στρέφεσθαι*†, quia non vertatur, sed stabile sit; uti conveniebat; cum, ut non uno loco* docet philosophus, omnis motus fiat super immobili. Imò ex Varrone, Probo, Gellio, atque aliis constat Varroni etiam scriptam *Astrabam*, quam Latino nomine dixit *Clitellariam*: quamquam fatendum aliud esse clitellas, aliud verò instrumentum de quo nunc loquimur. Sed nihil impedit quo minus postea sit extensa significatio. Sanè posteriorem hanc agnoscit glossographus vetus, qui Philoxenus creditur. Apud eum legas; *Astrama* (Salmasius epistolâ 11 de Cruce ad Bartholinum† rectè emendat *Astraba*) *σκνίς, ἐφιππίδιον*. Præterea instrumentum hoc Græcis dictum *ἀναβολεὺς*, Latinis *scala*: quia eo solerent adscendere, velut scalis. Sanè Suidas, cùm dixisset, eos, qui Latinis *stratores* vocantur, quia equum sternerent; Græcis, quia ab iisdem, cum equum adscenderent, sublevarentur in eum, *ἀναβολεῖς* nuncupari: subjungit, *ἀναβολεὺς δὲ καὶ ἡ παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένη σκάλα*: *Anaboleus etiam illa, quæ Romanis dicitur Scala.* Dixeris, signari hic potiùs scalas equo appositas, per quas facilis est adscensus; quam astrabas, quæ pensiles, non portatiles. Sed hanc sententiam refellit Eustathius in Odyss. Λ†; ubi sic scribit: *Ἀναβολεὺς οὐ μόνον τὸ σιδήρεον, ᾧ τοὺς πόδας ἐντιθέντες ἔφιπποι γίνονταί τινες, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος, ὃς εἰς τοῦτο καθυπουργεῖ.* *Anaboleus non modò dicitur ferrum illud exiguum, cui aliqui imponunt pedes equum adscensuri; sed etiam vir is, qui ad conscendendum equum adjuvat.* Quod probat ex veteri scriptore (credo Polybio) qui Masanissam ait equum adscendisse *χωρὶς ἀναβολέως*, *sine stratore*, sive servo qui adscendentem sublevaret in equum. ut *ἀναβάλλειν* sit Sustollere in equum. *ἀναβολική*, Officium hoc, sive Stratura. Et sicuti Suidas ait, non *Stratorem* modò dici *ἀναβολέα*, sed etiam *Scalam*; ita Eustathius in Odyss. Λ ait *ἀναβολέα* non solùm vocari Ferreum instrumentum cui equum ascendens pedem imponit, sed etiam Stratorem: ut, quin *Scala* sit instrumentum illud ferreum, non possit dubitari. Atque idem Justo Lipsio visum de Militiâ Romanâ lib. III, dial. 7. Itaque & Mauricius *στρατηγικῶν* libro Primo ait: *ἔχειν καὶ εἰς τὰς σέλλας σκάλας σιδηρᾶς δύο*, *Habere ad sellam conscendendam binas scalas ferreas.* Observatum hoc maximo Salmasio ad Spartiani Caracallam, & libro de Cruce*. Est & alia appellatio à Latinis: puta *stapes*, à statione pedum: quod si est, non sit ab Hispanico *estafa*: sed hoc à *stapes*, vel *stapia*; quomodo alii dicere maluerunt; nempe pro *stapeda*: quod prætulit Philelphus: unde *stapia κατὰ συγκοπήν*. Apud Franciscum Marium Grapaldum, si standum editioni Parmensi†, ista legas*: *Ephippio dextrâ, ac sinistrâ, loris quibusdam ferrea machinula additur: quas strapedes eleganter, & Latialiter, appellabimus: quia in his sessores, dum terga premunt equorum, pedes habere consueverunt. Apud majores, ut in statuis equestribus apparet, non fuerunt.* Ac ad oram etiam, itemque indice, *stratores* legas: ut planè videatur editor sic in chirographo Grapaldi reperisse. Fortasse *strapedes*, quasi *stratum pedum*, dici credidit. Sed malo putare, per errorem sic scriptum. Nam longè verisimilius etymon à statione pedum. Unde *stapes*, vel *stapia*. Quod vocabulum licet non sit vetus (quid mirum in re non veteri?) tamen ante mille, & ducentos annos, obtinuisse, argumento est, quòd apud B. Hieronymum in epistolis *bistapia* pro binis stapiis, seu stapedibus, legamus. Et fortasse paullò etiam antiquior B. Hieronymo fuerit vetus inscriptio à Wolphango Lazio, ac Hieronymo Magio, adducta: in qua, DUM VIRGUNCULÆ PLACERE CUPEREM, CASU DESILIENS, PES HÆSIT STAPIÆ, ET TRACTUS INTERII. Integram apud Magium inscriptionem vide lib. II Miscellan. c. XIV. *Suppedaneum* vocatur in inscriptione quæ est in viâ Tiburtina, atque in Gruterianâ Collectione inter supposititia legitur. Sed de eâ judicium Salmasii vide epist. 11. de Cruce ad Bartholinum†. Post tot priorum appellationes novam cudit Guiljelmus Budæus; nec inelegantem. Nam *κατὰ περίφρασιν** ei *subex pedaneus* nominatur. Hæc pluribus sum prosecutus, ut videant omnes, quàm varia sit ratio barbara inventa efferendi non barbarè.

Cæterùm sunt nonnulla, quæ ut peregrina, ac recens ex vulgaribus linguis admissa, respui solent à multis, cùm reverà cognita sint veteribus Latinis. Sanè Germani, & Belgæ, puerorum cibum *pappe* vocant. Culpant igitur, quòd proavorum ætate Joannes Murmellius Ruræmondanus, vir pro illis temporibus bene doctus, libello puerili id nomen fecerit. Atqui, florente Româ, cibus ille *papa* vocabatur. Nec *papaver* aliunde, quàm quia papæ puerorum inderent ad conciliandum somnum. *Papilla* etiam nomen *ὑποκοριστικῶς* ex eo, quia ubera papam sive cibum præberent. Imò à Latino papæ sive pappæ vocabulo Belgas, atque alios, *pappe* accepisse, per est verisimile.

Marginal notes (left column): * Pag. 361. † Lib. 10. cap. 10. & 12. * Privativo. † Verti. * Lib. de motione animalium cap. 2 & de incessu anim. cap. 3. Item Averroes in 8. Nat. Ausc. com. 84. † Pag. 521.

Marginal notes (right column): † Vers. 155. pag. 1406. edit. Rom. * Pag. 228. † An. 1516. * Fol. 98. b. † Pag. 360. & 361. * Per circumlocutionem.

Varro Cato, sive de liberis educandis: *Cùm cibum, ac potionem buas, ac pappas, vocent; & matrem mammam, patrem tatam.* Ubi male est in libris plurimis, etiam MSo Nonio nostro, *docent*, pro *vocent*. Jubent & viri eruditi trajicere verba hoc pacto, *pappas*, & *buas*: ut *papa* cibo, *bua* potui respondeat; quo ordine ista antecessere. Sed nihil hic mutare opus. Hujusmodi enim χιασμῶ † non pauca apud veteres exempla observavimus. Satis igitur liquet, *pappa* etiam Latinum esse. Ac quemadmodum à *bua*, quæ potio puerilis, venit *imbuere*: ita à *pappa pappare*, pro *edere*, dixit Plautus Epidico*: *Novo liberto opus est, quod pappet.* Et Persius sat. III. *Pappare minutum.* At Homero Iliad. E. παππάζειν aliud est: nempe πάππαν sive *patrem* appellare. Quomodo, & *abare* sic *vocare abam*, sive *abbam*: si vera est lectio hæc apud Ausonium, epist. ad parentem:

—— *Nam supparis ævi*
Sum tibi ego, & possum fratris abare vicem.

Sed non satis ea significatio convenit huic loco: neque *abare*, sed *abbare*, diceretur ab ἀββᾶς: quod & Syris habet ב dagessatum. Atque itidem gemina est consona in ἄττα apud Callimachum. Scaliger maluit exponere ἀδελφίζειν: atque esse ab ἄπφα, quod fratrum sororumque esse ὑποκόρισμα †, tradidit Suida. Sed sic quoque porrecta esset prima. Vel cum Scaligero dicendum, Latinos ex ἄπφα consonarum alteram extrivisse. Nempe quomodo Syracusis pater, eodem Suida teste, & πάπας, & πάππας, vocabatur. Posteriori, a quo παππάζειν Homero esse dicebamus, utitur Philemon apud Athenæum, & Juvenalis sat. IV:

—— *Prægustet pocula pappas.*

Sed priori modo est apud Photium in Nomocanone: atque ita Cyprianus, Sidonius, & alii semper, *Papa*. Nec aliunde, quam a πάπας, est Παπίας sive *Papias*. Quin igitur *pappare*, & παππάζειν, diversissima sint, minimè dubium est.

Salsicium etiam à Guilhelmo Cantero † damnatur ut peregrinum, ac barbarum, & ex Gallico *saulcisses* factum. Nos contrà contendimus, Gallicum esse ex Latino illo. Legas enim apud Acronem in Horatii Eclog. IV. lib. II. Satyr. Vetus Cruquii commentator sic habet: *Hilla*, inquit, *est deminutivum à positivo hira: & significat intestinum salsum: vel, ut alii dicunt, fartum salsicium.* Ac ne quis dicat, fortasse Acronis ævo irrepsisse e Gallico illo: sanè obstat, ἐτυμολογία. Nec enim dubitandum, quin *salsicium* sit κατὰ συγκοπὴν ex *salsum*, & *isicium*: quod ita dicitur, quasi *insicium* ab *insecando*. Ac propterea *insicium* dicere jubet Flavius Caper. Sed adsentio Macrobio, qui de etymo fatetur: sed N ait deperiisse. Vide eum lib. VII Sat. cap. VIII. Ac similiter posteriori ævo *Esicium* dixere, & hinc *Esiciatum*: quod Salmasio ostensum. Fusè etiam de hisce diximus in Originum libris.

† Trajectionis, qualem cernas in litera χ.
* Act 5. sc. 2.
† Blandimentum.
† Lib. 2 Novarum Lect. cap. 16.

Cap. VIII.

De vocabulis non quidem peregrinis, sed toto eo genere deterioribus. Hujusmodi esse, quæ eò Latina sunt habita, quia invenirentur in codicibus Latinorum depravatis. Ut calamentha, & ferabitis. *Candoris amplius in Guil. Cantero requisitum. Ejusdem monetæ esse* mansisterna, *pro* nasiterna; *cujus etymon adductum. Item* melamirum, *pro* melanurus. *Adhuc* proceritus, & redivi *pro* ricini, sotular *pro* socco, & valgustus: *nihiloque melius esse* busire, brusire, *vel* brisare.

ET hæc de vocibus, quas accepimus à barbaris: ut Romani quidem eas vocitare nationes solent. Quis verò existimet, vocabula esse deteriora peregrinis non donatis civitate? Atqui esse talia, liquidò evincam. Nam peregrina intelliguntur ab iis, qui linguas sciunt exoticas. Sed invenias in optimæ notæ scriptoribus Romanis aliqua deterioris notæ, ac quandoque nonnullis etiam non malæ notæ codicibus manu exaratis, uti & editionibus primis, vocabula ejusmodi, quæ nemo capiat, utcunque vel omnes orbis linguas sciret. Talia vitiosis Latinorum codd. originem debent vitiosam.

Ita CALAMENTHA vocibus duabus in Calepino legas. Imposuit locus Columellæ lib. IV. cap. XXVII; ubi nunc constanter *calametis*; quo notantur calamorum veterum fragmenta.

FERABITIS, monstrum vocis, à Calepino toties recocto adfertur, exponiturque *agrestis*. In errorem eum induxit corrupta lectio Sisennæ; e cujus quarto Historiarum libro hæc verba adducit Nonius; prout quidem vulgati habent codices, imò & optimus MSus noster: *Partim ferabite, partim lauro, ac pinu abundant.* Nam pro *ferabite* legendum *ferâ vite*: ut rectè scripsit Radulphus Fornerius lib. IV rerum quotidianarum cap. XX; multoque ante eum Guil. Canterus lib. III. Var. Lect. ubi id se ab amico ait edoctum. Quem verò amicum is non nominat, eum fuisse Jos. Scaligerum cùm aliunde scimus, tum ex ejus viri Conjectaneis in Varronem, & Comment. in Culicem. Quemadmodum & idem intelligendus apud Canterum lib. V. cap. XXIX, cùm se quondam ab amico admonitum ait de emendatione Euripidei loci in Hecuba. Suntque alia in eisdem ab eodem fonte: in quibus nihilo pejùs nomini consuluisset suo, si tanti amici nomen expressisset. Est autem *ferus* hic idem, quod *agrestis*: diciturque *fera vitis*, ut Statio *fera oliva*, ὁ κότινος:

Pulvereumque ferâ crinem detersit olivâ.

MANSISTERNA legas in Onomastico veteri; ubi exponitur ὑδρία. Imò in Calepino, qui Passeratii dicitur, idem legas: ac locus iste affertur è Plauti Bacchidibus: *Effer mansisternam cum aqua foras.* Sed *nasiterna* rescribe, cum sit a *nasis ternis*, h. e. ansis. Eos quaternos habuere Vatiniani calices, à Vatinio, sutore Beneventano, sic dicti. Juvenalis sat. V:

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor. ——

Vide & Martial. lib. XIV. epig. XCVI. *Nasiterna* vocabulum legas quoque Sticho act. II. sc. II.

MELAMIRUM item in nonnullis Calepini editionibus reperias. Rectiùs aliæ *melanurum*: quamquam neque hoc examussim placet, cùm *melanurus* sit dicendum.

PROCERITUS Calepinus ponit, & interpretatur *malo spiritu adflatum*: ac citat illud e Plauti Pœnulo: *Neque nos populus proceritus insectabit lapidibus.* Sed satis liquet, duas esse voces *pro ceritis*: hoc est, furiosis; quæ vox à Cerere, quasi *Cereriti*, δημητριακοί. Sic Amphitry. II. II.

—— *Quæso, quin tu istanc jubes*
Pro cerritâ circumferri?

REDIVI appellantur à multis hominibus doctissimis, qui Græcis sunt κρότωνες, & κυνοραισταί. Est autem pediculorum genus, canes infestans. Occasionem *redivos* vocandi præbuere corrupti codices Columellæ lib. VI. cap. II: *Ut redivi, qui plerumque feminibus inhærent, eximantur.* Hac lectione deceptus doctissimus Theodorus Gaza, in tralatione Aristotelicæ de Animalibus Historiæ, *redivos* vocat: auctoritatem ejus deinceps secuti alii, atque alii. Sed in utraque Parisinâ, unâ Joannis Petiti, alterâ Rob. Stephani, *ricini*, legitur: ut & libri VII cap. ult. quod de morbis, & medicinis canum inscribitur. Hunc Gazæ lapsum jam olim deprehendit Hermolaus Barbarus.

SOTULAR pro calceamenti genere usurpare non metuit Julius Palamedes Adriensis in tralatione Avicennæ I. Can. Fen. III. doct. I cap. V. Et sanè legas apud Grammaticos multos; qui *sotular*, & *sotularis*, inter masculina nomina reponunt. Quod etiam factum à Casparo Finkio, & Christophoro Helvico. A *solea* esse id nomen, censet Marcellus Donatus in Suetonii Caligulam cap. III. Sed & *sotular*, & *sotularis*, sunt voces nihili. Decepit Grammaticos corruptus B. Hieronymi locus extremo libro primo contra Jovinianum; ubi sic legendum: *Et hic soccus, inquit, quem cernitis, videtur vobis novus, & elegans: sed nemo scit, præter me, ubi me premat.* Vide, quæ dicam lib. III cap. LI, in *Subtalaris*.

VAL-

VALGUSTUS Calepino, fustis uncus. Sed deceptus est corruptis Isidori codd. lib. XIV. cap. IX. ubi nunc legitur, *Valli fustes sunt, quibus vallum munitur.* Et sanè sic etiam MSsi nostri bonæ notæ.

Est etiam, ubi in verbis peccetur. Ita BUSIRE, & BRUSIRE, vel BRISARE, in quibusdam Calepini editt. exponitur *consumere.* Adfertur e Nonio in *Vafer* Afranii locus iste in Divortio: *Qui coner noctu clanculum brisare.* In MSo nostro totus locus sic habet: *Qui conere noctu clanculum brusire dotem ne remittas vafer, honestè ut latites, & nos laudas diutius.* Ac *brusire* etiam est in editt. Mediol. Aldin. aliis. Vera lectio est *rus ire.* Totus verò locus sic restituendus:

—— *Qui conere noctu clanculum*
Rus ire, dotem ne repromittas vafer,
Honestè ut latites, & nos ludas diutius.

Nisi *brusire* corruptum ex *ab me rus ire:* & pro *laudas* malis *lactes:* nempe hoc pacto:

—— *Qui conere noctu clanculum*
Ab me rus ire, dotem ne amittas vafer,
Honestè ut latites, & nos lactes diutius.

Sed prius magis placet.

CAP. IX.

In vocibus nec peregrinis, nec Romanis, ab iis cæptum, quæ propria sunt. Quale est, cùm Dionysius *dicunt, pro* Dionysus; Arthemisia, *pro* Artemisia; Jovinianus, *pro* Jovianus; Cælestinus, *pro* Cælestius. *Quandoque & in modulo peccari, ut cum tertia in* Oporinus *producitur; media in* Aratus *corripitur. Etiam in locorum propriis aberrari: ut cùm Maro* Inarimen *pro* Arimis *extulit: aut cum vulgò* Venetiam, & Venetias, *confundunt: aut cùm* Calarin *ponunt pro* Carali, *aut* Lamsacus, *pro* Lampsacus. *In iis, quæ ab R inchoant, non tam considerandam esse gentem, unde vox accepta; quàm quid ferat mos Romanus: eoque* Roma *sine spiritu,* Rhenus *cum eo,* Rhetia *vel* Rhætia, *utroque modo exarari.*

A Peregrinis accedo ad ea, quæ ortum trahunt à Latinis, nec tamen in illis habent locum: quod bifariam fit. Quædam enim ratione materiæ sunt vitiosa; ut si vocabulum nullà in significatione sit Latinum: ac similiter Græcà in lingua de Græcis judicandum. Quædam peccant ratione formæ; quando vox aliqua est Latina; sed non in ea significatione, quà à multis perperàm sumitur. Utriusque generis exempla afferam: primùm in nominibus, sive illis, quæ per casus inflectuntur: deinde in verbis, sive iis, quæ declinantur per tempora, & personas: postremò in particulis, sive istis, quæ neutro variantur modo.

In nominibus etiam omnia erunt concinniora, si priùs loquar de propriis; inde de substantivorum aliis, quæ communia, sive appellativa dicuntur; postremò addam de adjectivis.

Propria fere sunt Deorum, hominum, aut locorum. In divinis exemplum esto, quòd *Dionysium* dicant pro *Dionyso.* Quomodo constanter editum in Stephani Pighii de Horis Μυθολογίας*. etiam Justus Lipsius lib. IV. de Militia Romana Dial. X. ex primo Strategematum Polyæni narrat, Pana primum fuisse auctorem tollendi clamoris ante pugnam, atque hoc ipsum suasisse in Dionysii exercitu. Imò & Bonaventuram Vulcanium videas in Arriano suo, lib. V* de Expeditione Alexandri, sic semper exprimere Græcum Διόνυσος. Idem tamen alibi, ut lib. VII †, & initio Indicorum*, *Dionysius* sæpius reddit: ut prius illud, vel calami properantis, vel oscitantis typothetæ vitium queat videri. Utcunque hoc fuerit, passivus est error *Dionysium* pro *Libero:* qui & in nonnullos Ciceronis codd. irrepsit. Ut pro Flacco de Mithridate: *Deum illum, patrem, illum conservatorem Asiæ, illum Dionysium, Bacchum, Liberum, nominabant.* Prout editum quoque à Roberto Stephano in illâ anni CIƆ IƆ XLIII. Sed omnino *Dionysum* legendum; ut etiam liquet ex primo Plutarchi Symposiacôn: ubi idem de Mithridate narrat.

* Pag. 157. 158. 172 173. 181.

* Pag. 101. & 102. edit. H. Ste.

† Pag. 161.

* Pag. 169.

Similiter peccatum in nominibus hominum, tum Græcis, tum Latinis. Prioris generis est, quòd *Arthemisia* semper edidit Henr. Stephanus apud Agellium lib. X. cap. XVIII. At *Artemisia* scribendum: cùm ab Ἄρτεμις, quæ Diana est, Ἀρτεμισία vocetur, quasi *Dianinam* noveris dicas.

Posterius ad genus refero, cùm vulgo *Jovinianus* vocatur, qui est *Jovianus:* prout Cæsaris ejus nomen semper exprimitur in numismatis antiquis. Prius illud ejus est vocabulum, contra quem scripsit B. Hieronymus. Sic vulgò etiam Pelagii hæretici assecla vocatur *Cælestinus;* cùm hoc nomen sit Papæ eorundem temporum; at hæreticus ille dictus sit *Cælestius.*

Est etiam, ubi in propriis hominum vitiosè pronunciemus non ob literarum vitium, sed ob moduli neglectum. Multa alibi exempla dedimus ex antiquis. Ecce nunc de seculo nostro. Celebris patentum ævo Basileæ typographus fuit, cui nomen Joanni Oporino. In quo nomine video omnes producere penultimam; cùm ea sit brevis; ut indicat hoc Martialis:

Si daret auctumnus mihi nomen, Oporinus essem.
Horrida si brumæ sidera, Cheimerinus.

Sanè Joanni isti auctumnus nomen dedit. Nam gentile vocabulum *Herfst;* unde *Herfdius* priùs dicebatur. At quod Germanis *Herfst, auctumnus* Latinis, id Græcis ὀπώρα, unde ὀπωρινός. Est verò hoc error turpior, quod nec excusari possit accentus obtentu: cujus ratione mediam in *Aratus* corripiunt Claudianus Mamertus, & Venantius Fortunatus.

Erroris in locorum propriis exemplum habemus in magno Marone: qui, cùm apud Homerum in Catalogo esset Εἰν Ἀρίμοις, quasi una vox foret, cudit † inde *Inarimen:* lapsùmque in eo (vide quantum tanti viri valuerit auctoritas) secuti hac parte poetarum alii: in his Lucanus, Silius, Papinius, Claudianus.

† Æn. 9. vers. 716.

Vulgo *Venetiam* multi dicunt, pro *Venetiis:* eosque inter Erasmus præfat. in Chiliadas: ubi de variis ejus operis editionibus tractat. Atqui *Venetia* tum una est ex Armoricis Galliæ civitatibus; quæ hodie *Vannes:* tum ea Italiæ regio, in qua præter Venetias sunt Patavium, Verona, aliaque oppida. Priori modo usus Cæsar lib. III. de bello Gall. Posteriori Livius lib. XXIX, & XLI, Paterculus lib. II, Plinius lib. II, & XLI, Florus lib. III, aliique. Verba unius Livii adducere suffecerit. Ejus est libro proximè dicto: *Ex iis M. Æmilio senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret.*

Calarin vulgò vocant Sardiniæ oppidum: ejusque episcopum Luciferum *Calaritanum.* Sed urbs *Caralis* dicenda, indeque *Caralitanus.* Sic vocant Hirtius, Livius, Ptolomæus: etiam Claudianus de bello Gildonico. *Calari* erat apud Plinium. Sed *Carali* restituit Pincianus.

Lampsacus cum P: etsi absque eo ediderit Lud. Carrio in suo Valerio Flacco, veterem, ut lib. II. ait, codicem secutus. Sed scimus aliter esse in codd. aliis: quomodo & in Eusebii MSsis repetit Pontacus. Et Græcis est Λάμψακος, παρὰ τὸ λάμψαι: cujus rationem adfert Etymologici magni consarcinator.

Est verò ubi penè de nihilo in partes abeatur. Ut dum disputant, utrùm rectius sit, cum spiritu seu *Rheti* & *Rhetia,* seu *Rhæti,* & *Rhætia:* an sine eo seu *Reti,* & *Retia,* seu *Ræti,* & *Rætia.* Sanè nihil non horum nititur veteribus libris, ac lapidibus: ut à Marco Velsero ostensum in suo de Vindelicia, & Rhætia opere. Quid mirum? Quando in talibus non idem mos Romanis ipsis semper fuit: imò sæpius etiam abiere à consuetudine gentis, unde vocem haberent.

Itaque *Roma* etsi à Græco ῥώμη sit, proprieque *Valentiam* notet; tamen sine spiritu scribimus: quia Latini veteres non adspirabant initiale R, more Græco. Uti nec Germani faciunt, vel Belgæ: eoque si rationem sequi volumus, etiam *Renus* scribi oporteat. Scio, Græci aliter

Ῥῆνος. Sed Romani non accepere id vocabulum à Græcis, verùm Germanis; quibus *Rijn* dicitur, à *rein*, h.e. *purus*: sive generali appellatione, quia omnis aqua mundat: sive particulatim, quia eo prisci Germani explorarent, tortine esset purus & immaculatus, unde ἐλεγχίγαμος in primo Ἀνθολογίας appellatur*. *Rhenus* tamen malim, quia in talibus consuetudo Romana præferri debet rationi.

* Vide & Nonnum XXIII. Dionys. & quæ ad eum Gevartius Falkenburgius ex Nazianzeno, & Juliano, annotavit.

Cap. X.

De propriis hominum, quæ Hebræi ad nos transfuderunt. Non esse caussam satis gravem, cur pro Eva *dicamus* Heva, *vel* Hava; *etsi ejusdem originis sit ac* have, *pro* salve. *Nihil etiam urgere, ut pro* Noë *dicamus* Noach: *ac multò minus, cur* Noachus *pro eo usurpemus. Nec* Esdras, *pro* Ezra, *vitiosum videri.* Gersom, *&* Gerson, *malè confundi. Malè item Tiberiani ævi πλειστονίκην dici* Appionem, *cui* Apio *sit nomen. Ac quia id derivetur ab* Api *Deo, occasione eâ de aliis etiam actum vocabulis à numine impositis. Qualia Hebræis* Elisæus, *&* Elisabeth; *Chaldæis* Baltasar, *&* Balsasar; *Assyriis* Nebucadnezar, *quod à* Nebo, *sive* Chamo; *Persis* Mithridates; *Græcis, ac Latinis*, Herodotus, Apollonius, Apollinaris, Martialis, *aliaque. Peccari etiam in propriis locorum: ut cum* Madiam *dicunt pro* Madian. *Nec minus quædam vitiosa esse ex iis, quæ à Celtica sunt lingua: quale in hominum propriis* Theodoricus *pro* Theodericus: *in propriis locorum* Leodium *pro* Leodicum; Delphi, *pro* Delfi.

Etiam peccari videas in propriis origine barbaris: ut quæ non in Latio, vel Græcia, nata sint; sed Orientis lingua, aut Septentrionali, vel aliâ. De quibus dicturus, metuo ne ἀμεθόδως † id agere videar, quia vixdum à peregrinis ad ea pedem tulerim, quæ à Latinis profecta sunt, vel Græcis. Sed non leve discrimen peregrinorum est in propriis, ac communibus. Communia enim (de quibus solis antea egimus) variant pro linguis. Propria verò eadem sunt in linguis omnibus: nisi quòd sæpe, pro linguæ cujusque natura, variet litera una, vel altera. Sic linguæ universæ eodem fere modo dicunt; *Adam*, *Abraham*, *Moses*, *David*, *Jesus*, *Socrates*, *Plato*, *Cicero*, *Cæsar*, *Carolus*, & ita in id genus aliis. Quare non abs re, nec planè extra oleam, futurum; si mantissæ loco adtexam quædam de propriis, quæ ex peregrina accepimus linguâ. Ac primùm iis, quæ debemus Hebræis. Ubi crebrò peccari, negare non possumus: nec tamen tam frequens illud, quam cupiunt nobis persuasum, qui omnia metiuntur Masoritarum punctis. Ac præterea non satis attendunt, quantopere immutentur vocabula, quoties coloniam mutant. Tale est, quòd *Heva* scribere jubent pro *Eva*, quia nomen id sit ab חוה hava, *vivo*: unde *have*, sive *ave*, id est, *vive*, *salve*. Atque hoc etiam è Plauti Pœnulo* liquet. Nec diffiteor, inde nomen esse, *quòd mater esset cunctorum viventium*, ut ait Moses†: hoc est, *parens omnium hominum*, ut interpretatur Onkelos in paraphrasi sua Chaldæa. Nam fatuè nimis R. Levi non κατ' ἐξοχὴν, sed generatim accepit illud *viventium*; quasi & mutorum fuerit animantium parens. Sed utcunque hoc ἔτυμον faciat pro Hebræa ὀρθογραφίᾳ: non tamen inde consequitur, spiritum asperum à Latinis præponi oportere. Nam hi Græcos sequuntur, quibus est Εὔα. Et, cur ita mallent, ratio erat. Quippe Syris Eva cum adspiratione notat serpentem feminam: ut est apud Eusebium in præparat. Euangel. & Epiphanium contra hæreses.

† Ordine neglecto.

* Act. 5. sc. 1.

† 8. Genes. 3. 20.

Nihilo meliùs, quòd Augustinus Steuchus Eugubinus, atque alii, *Noe* improbant, proque eo jubent dicere *Noach*: quo modo pronunciandum sit, si sequamur puncta Masoritica. Quasi nullâ ratione fuerint suffulti LXX interpretes, qui Νῶε vocant: aut flocci sit, quòd constanter Noë dicatur à Græcis, Latinisque Patribus. Qui & (ne id excidisse iis credamus) similiter, quando ח, vel ע, est in fine, id in aliis etiam agunt: ut *Thare* cùm dicunt, non *Tharah*; *Sue*, pro *Suah*: & similis ratio in aliis multis. Steuchus laudat Berosum, qui *Noach* nominat pro *Noe*: quasi corculis ille Annii fœtus placere multùm possit. Quid enim de istoc Beroso sit sentiendum, abunde diximus lib. I. de historicis Græcis cap. XIII, & lib. III de Historicis Latinis cap. VIII. Siquid culpari in hujus nomine meretur, id potiùs fuerit, quòd vulgò dicimus *Noachus*. Nam A illud ante CH est furtivum; eoque, siquid apponatur, perit: ut à רוח, ruach, *spiritus*, est plurale רוחות *ruchot*: ut Jer. XLIX, 36. & Ezech. XLII, 20. Quare ex *Noach* potiùs formandum erat *Nochus*.

Nec rectiùs damnant *Esdras*. *Ezra*, inquiunt, scribendum; ut Hebræus fons indicat. Nempe gravi supercilio pro nihilo putant, quòd aliter efferant Græci, & Latini. Tanti iis est vel gustum Hebrææ habere linguæ. Non obstrepimus viris summis, qui sic malunt; sed solùm non possumus probare sciolos istos, qui propterea *Esdras* imperitè dici arbitrantur. Nec enim hæc pronunciatio caret ratione. *Ezras* pro *Ezra* fit, ut pro *Juda* est *Judas*: quod, puto, non damnabunt in Euangelistis. Jam autem pro *Ezra* rectum est *Esdras*, quia Z olim sonuit, ut DS: unde Dores, trajectis literis, pro Ἐζεν dixissent Ἐσδεν: ut συρίσδω pro συρίζω; quod ex Theocrito satis liquet.

Utcunque verò & hæc, & alia id genus multa, à multis temere repudientur, (ingens seges talium se animo offert; sed nolim nunc iis insistere) sunt tamen non pauca: ubi facile subscribam: ut quando distinguunt inter *Gersom*, & *Gerson*: qui planè diversi. *Gerson* Jacobi Patriarchæ ex Levi nepos fuit. At *Gersom* scribendum, ubi sermo est de Mosis filio; sic nuncupato, quia cum genuisset Moses expulsus ex Ægypto. Sanè & Hebræis est גרשם, Gersom: uti & Γηρσώμ Græcis, diversâ vocali; uti sæpe in vocalibus abeunt à Masoritis; vel hi potiùs ab antiquâ pronunciandi ratione; siquid de istoc judicare valeo. Interim fatendum, sæpe M, & N, confundi. Uti & *Absolon* non optimè dicitur pro *Absolom*, אבשלם; quod significat *patrem pacis*, vel *pacem patris*.

Sed satis de Hebræis. Aliquid etiam addamus de Ægyptiacis. Tale est, cùm vulgò πλειστονίκην illum; contra quem Flavius Josephus scripsit, quemque *cymbalum mundi* Tiberius Cæsar nuncupabat; *Appionem* vocant, cùm *Apio* dicatur. Scio etiam Appionem scribere Josephum Scaligerum Notis in Berosi fragmentum, quod habes in Appendice* operis de Emendatione temporis. Sed omnino perperam. Nec enim homo Ægyptius ab Appia gente Romanâ nomen accepit; sed ab Api, Deo Ægyptio: quomodo & Ἀπολλώνιος, quasi genitus numine Ægyptio, cui nomen Ὦρος. Ac similiter aliæ pleræque gentes à numine suo nomina solent imponere. Sic Judæorum est אלישבע *Elischab*: Græcis Ἐλισσαῖ, ut in libris Regum semper exaratum; sive Ἐλισσαῖος, ut est apud Lucam IV. 27; & *Dei salutem*, vel *Deum salvantem* designat: ac אלישבע, Ἐλισάβετ, *Deus juramenti*, vel *saturitatis*, vel *Dei septenarius*. Chaldaica sunt Βαλτάσαρ, & Βαλτάσαρ: illud nomen regis apud Danielem; hoc verò nomen ipsi Danieli datum à rege in honorem idoli *Bel*, sive *Bal*. Regis verò nomen, quod vulgo *Balthasar* scribitur, potiùs *Balsasar* fuisse; ex B. Hieronymo, & aliunde constat. Imo ipsum *Danielis* nomen à Deo est. Assyrium quoque *Nebucadnezari*, sive *Nabuchodonosori* nomen est à *Nebo*; qui idem ac *Chamus*, & *Beelphegor*. Non tam Solis, quàm Lunæ numen, ita dictum Assyriis, ostendi in secundo de idololatriæ origine* cap. VIII. Atque ibidem cap. IX monui, Persicum esse Μιθραδάτης, à *Mithra*; qui Persis est Deus Sol. Jam quàm multa à numine Græco, Latinoque; ut *Diogenes*, *Diodorus*, *Zenodotus*, *Jovianus*, *Apollonius*, *Apollinaris*, *Herodotus*, *Heraclitus*, *Hermippus*, *Dionysius*, *Bacchylides*, *Hermogenes*, *Martialis*, *Martinus*, ac tot alia.

* Pag. 9. & 10. edit. Raphelenq.

* Sive de Theologia gentili, & physiologia Christiana.

Erroris in locorum propriis exemplum fuerit, quod Μαδιάμ sit in codd. Græcis. Nam, ut verè Ausonius ait,

Vocibus in Graiis non ultima conspicitur M.

Dixe-

Dixeris, Hebræum esse, ut Ἀδάμ. Sed dispar in priori ratio est; quia & Hebræis *Madian* per N effertur.

Verùm mitto Hebræa. Potiùs aliquid adjungam de propriis hominum, vel locorum, quibus origo ex lingua Europæa. Ut in Gothico nomine *Theodoricus* per O in tertia: cùm scribi debeat *Theodericus*, quia sit a Celtico *Leode*, id est, *populus*: non autem à Θεόδωρος. Nempe vulgò hac parte sæpe peccant homines eruditi, quòd Germanicorum originem petunt è Græcia. Sic doctissimus Dausquejus in secundo Orthographicorum *Gerartus* jubet scribere, quia Græcè sit Γέρας ἔργον à γεραίρω. Omnino enim id a fonte est Germanico; sive placet esse à *gier*, id est, *vultur*; unde aliqui pro eo *Girardum* scribunt: sive à *geren*, id est, *desiderare*; unde Erasmo *Desiderius* redditur: qua de re diximus Physiologiæ Christianæ * lib. III cap. LXXXV.

* Sive operis de Idololatriæ origine & progressu.

In loci nomine delinquitur, cùm inclytam Eburonum urbem *Leodium* dicimus, pro *Leodicum*: quod à prisco *Leode*, id est, *populus*, & *dijk*, i. *agger*. Fusè de eo Lipsius lib. I. Poliorcet. cap. II: ubi & de Theoderici nomine, proximè memorato. Delfis Batavis Ill. Grotium natum dixerim: at Delphis Phocidos cultum Apollinem. Nam Batavorum urbs *Delft*, non *Delphi*. Origo item à fodiendo: atqui non *delphen* dicimus, sed *delven* per v consonum: quòd mollius sonat, quàm ipsum F; nedum ut PH hic habeat locum.

Quandoque in modulo etiam syllabæ vitiosè talia efferuntur. Ut si priorem in *Scotus* olim corripuisses; quasi à σκότος † foret. Planè enim pronunciabant per ω, vel consonam geminabant: unde prior semper est porrecta: ut valde fugerit ratio Thomam Demsterum, eruditum Scotum, beneque de literis meritum; quando, in honorem, credo, patriæ, legere jubet apud Martialem lib. VI epist. LVIII:

† Tenebra.

Comminus & Scotici sidera ferre poli.

Ubi omnino retinendum est *Scythici*; prout in omnibus est libris. Atque hoc etiam observatum Reverendissimo Jacobo Usserio, Armacano Archiepiscopo, & universæ Hiberniæ primati, in laudatissimo opere Antiquitatum Britannicarum. Cujus ego in re majori meminisse malim, quàm iis, quæ ad pulverem pertinent Grammaticum: sed enim & istoc occasione meliori non eo minùs fiet. Summa enim summi viri, & undecunque doctissimi menta de Ecclesia, & tota Rep. literaria, nunquam sinent, ut non æternùm ab omnibus literarum amantibus memoria grata celebretur.

CAP. XI.

A propriis itum ad appellativa: ac in his primùm ad orta a Græcis: ubi aliqua initio, aut medio vocabuli, adduntur, aut demuntur. Ut in parochia, *pro* parœcia; boræum, *pro* boréum; *& fortasse in* amphibologia, *pro* amphibolia; myagrus, *&* cynomyagrus, *pro* myiagrus, *&* cynomyia; sciaticus *morbus pro* ischiadicus; catarrus, *pro* catarrhus; penteris, *pro* pentaëteris; pædagium *pro* pædagogium. *Hinc adlata, ubi fit trajectio literarum: ut versus* spondaicus, *pro* spondiacus; *vel initio, mediove, litera una, pluresve, immutentur: ut* acalyphe, *pro* acalephe; amolum, *pro* amylum, *vel* amulum: iliaca *passio pro* ileo *morbo, qui &* chordapsus; antabatæ, *pro* andabatæ, *ubi & de etymo* caliendri, *ac vocis* pando. *Adhæc* mosaicum, *pro* musaicum, *quod &* musivum, *unde* musivarii; paraclitus, *pro* paracletus; nigromantia, *pro* necromantia. *Etiam in quantitate peccari: quale cum* anathema *dicunt pro* anathéma; Basilius *pro* Basilius. *At* Academia *rectè proximam ab ultima nunc corripere, nunc producere.*

A Nominibus propriis nunc me confero ad communia, quæ vulgò appellativa dicuntur. Horum alia sunt Græca, alia Latina. Loquor verò de Græcis ortu, sed vitiosè prolatis. Qualium quædam initio, aut medio vocis, corrupta sunt; quædam terminatione peccant. Prioris generis sunt duplicia: vel enim in literis ipsis error committitur, vel modulo duntaxat. Literæ vel adduntur, vel demuntur, vel transponuntur, vel mutantur. Primum, secundumque vitium concurrunt in *parochia*: ubi H perperam additur post C: E malè præteritur post O. Nam rectum est *parœcia*. Quod apud Augustinum lib. XIV de Civ. Dei cap. XXIII: *Presbyter quidam fuit nomine Restitutus in parœcia Calamensis Ecclesiæ*. Græce est παροικία. Quod habes & canone XIV, & XXXIV † eorum, qui Apostolici dicuntur. Sæpiusque in Eusebii Historia Ecclesiastica occurrit, atque alios: ut audiendi non sint, qui eo comminiscuntur *parochos* dici, quia panem Domini præbeant Ecclesiæ. Nempe similiter ac ἀπὸ τοῦ παρέχειν, hoc est, præbendo, *parochi* dicebantur, *qui præbent ligna salemque*: ut ad Horatium * Acron annotavit. Est verò παροικία quasi sacra vicinia, sive conventus eorum, qui sunt unius tam consortes. Ut πάροικοι ipsi vicini, sive accolæ, qui & πάροικοι. Qua de re plura Alciatus lib. I Prætermissorum; Budæus ad L. 239. ex Pompon. lib. singul. enchiridii; libroque de origine parœciarum Joannes Filesacus, Theologus Parisiensis.

† Al. 33.

* Lib. 1. sat. 5.

Prima vocalis malè additur, quando per diphthongum scribunt *boræum*, pro *boréum*, cùm Græcè sit βόρειον. Ovid. lib. IV. Trist. eleg. VII:

Vita procul patria peragenda sub axe boreo.

Sic *antiboreum*, apud Vitruvium lib. IX cap. IX.

Est cùm etiam tota videtur syllaba perperam adjungi. Ut cùm *amphibologia* ajunt vulgò, pro *amphibolia*. Sed enim scrupulum injecerit, quòd priùs non modò legatur apud Servium; sed etiam Laërtium in Zenone. Dixeris fortasse, codices esse corruptos: quia apud Græcorum alios semper sit ἀμφιβολία. Verùm nonnihil est, quòd ratione etiam prior defendi potest scriptura. Nam si ἀμφίβολον dixere pro ambiguo sermone; cur non inde formarint ἀμφιβολογία? Verùm, inquias, ab ἀμφίβολον esset ἀμφιβολολογία: quæ vox sit dura, auribusque molesta. Hanc enim rationem & ipsi adducebamus in Oratoriis Institut. lib. IV: ubi pluribus de eo agebamus. Sed non inscitè oggerit Claudius Dausquejus †, si à γωνιά dixere *polygonia*, & *oligogonia*; cur non & hic potuerit syllaba geminari? Vel quid si per syncopen syllabam eliserint? quomodò Latini * ex *sambuca*, & *cano*, fecere *sambucina*, pro *sambucicina*. In hoc incerto nolim de isto serram reciprocare diutius. Quin tutiùs tamen ἀμφιβολία dicatur, minimè dubitandum.

† Lib 2. Orthographicin.

* Plaut. Stich. 2.2.

Adimitur litera in *myagrus* apud Solinum, pro *myiagrus*, μυίαγρος: ut *cynomyia*, κυνόμυια, *musca canina*, non *cynomya*. Item quando coxendicum, vel lumborum dolorem, qui morbus est *ischiadicus*, *schiaticum* appellant. Sanè ἰσχιάδα vocant Græci ab ἰσχίον, id est, *coxendix*: unde & ἰσχιαδικός, ut ab ἰσχιάς, ἰσχιαδικός. Interim non heri, vel nuper, errorem hunc natum, putari debet. Nam apud Capellam est *schias*, pro *iscias*. Imò σχίον pro ἰσχίον est in vett. glossis. Atque in *sciatica* quidem cùm litera, tum spiritus aufertur. At posterius solùm fit in *catarrus* pro *catarrhus*: cùm Græcè sit κατάῤῥους, ex κατάῤῥοος. Tota verò syllaba aufertur in *penteris*: quomodo à magnis etiam viris dici, queritur Josephus Scaliger lib. V de Emendatione Temporum cap. de Encæniis Templi †. Rectum verò est *pentaëteris*, πενταετηρίς: pro quo *penteris* nihilo melius, quàm *pædagium*; quod adstruere conati è Plinii lib. VII, cap. XXVII. Atqui nihil certius, quàm pro *pædagio*, *pædagogio* legi oportere. Græcè enim est παιδαγωγεῖον. Cumque apud Senecam epist. CXXIV. *pædagia* legeretur rectè *pædagogia* emendat Hieronymus Mercurialis lib. III Var. Lect. cap. XXI.

† Pag. 359. edit. Leid.

Etiam, ut dixi, trajectione literarum delinquimus: ut cùm pro *spondiacum* dicunt *spondaicum*: etsi fit cum vulgo scribat etiam Alciatus lib. II Dispunctionum cap. XXI. Sanè versus meris constantes spondeis, vel σπονδειακοὶ Græcis dicuntur, unde, ni in I converso, non aliud quàm *spondiacum* esse potest: vel σπονδειάζοντες, prout non vetus modò

modò Persii scholiastes * appellari ait: (nam quod apud eum ἀπονδοαίζοντες o inserto legitur, plane librarii culpa est) sed etiam in fragmento, quod Censorino annecti solet, si veteres sequimur membranas, quas repræsentavit Carrio. Nam in illa, quam nobis Elias Vinetus exhibuit, corruptè quoque *spondaicum* editum est.

* In sat. 1.

Mutatio vel unius est literæ, vel plurium. Unius, ut cùm *acalyphe* dicitur pro *acalephe*. Græcè ἀκαλήφη, *urtica*. Vide Casaubonum animadvers. in III Athen. & Radulphum Fornerium lib. III Rerum Quotidian. cap. XXX.

Simile est *amolum*: quomodo cum Scauro * scribere non ausim: etsi apud Vindicianum in Apicii Excerptis sit, *Amulum ex oryza*. Nam Græcè est ἄμυλον, ἀπὸ τῆς μύλης, quòd non molatur. Dixeris, υ in o abire: quomodo ab ipso μύλη est *mola*. Sed quod in simplici *mola* factum, id quo minùs in *amylo* habeat locum, Græca impedit compositio. *Amulum* tamen non vehementer impugnem: quando scripsere *Sylla*, & *Sulla*; *inclytus*, *inclutus*; *lachryma*, *lacruma*, & similia.

* Lib. de Orthographia ad Theseum.

Etiam ἀναλογίαν negligunt, qui morbum, Græcis vocatum εἰλεὸν, ILIACAM PASSIONEM nuncupant. Nam morbus is *ileos* dicitur, non *ilios*. A posteriori *iliacus* veniret, uti ab Ilio urbe *Iliacos muros* dicimus. Scio, *ilia* ex eo vocari, quòd unum ex tribus tenuibus intestinis, in quo tormina ex convolutione oriuntur, εἰλεὸς nuncupetur. Sed ab εἰλεὸς, sive *ileos*, potiùs *ileacus* foret: verùm ne istoc quidem obtinet. Quare morbum hunc vel *ileon* dicemus, vel *chordapson* cum Celso, Cælioque Aureliano, & Græcis, quibus itidem χόρδαψος nominatur: nempe quia manu admotâ quis τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι, hoc est, chordam, sive fidem tensam tangere, sibi videatur.

Amtabata per τ scribere jubent: quia sit ex ἄντα, & βαίνω. Verùm aliter libri vett. Nempe T post N fere sonat ut D: unde à *mentior*, *mendax*, & ut in Græcis consistam, *caliendrum* Horatio †, ac Arnobio *, ex κάλλυντρον, *pondo* ex πεντάω.

† Lib. 1. sat. 8.
* Lib. 6. adversus gentes.

MOSAICUM quoque opus malè dicunt pro *musaico*: quamquam *musaicum* etiam damnant quidam, qui *musivum* dicere jubent! unde *musivarii* Firmico, & Cod. Theod. lib. III de excus. artif. Verùm Josephus Scaliger in notis Manilianis, & ex iis, uti arbitror (sanè post eas) Nicolaus Serrarius notis ad S. Bonifacii, aliorumque epistolas, docent; ut ab Ἀχαιὸς, & Ἀχαικὸς, dicimus *Achivus*, & *Achaicus*: ita à μουσεῖος, & μουσικὸς, dici *musivum*, & *musaicum*. Prius tamen illud tutiùs usurpabimus. Spartianus in Pescennino Nigro: *Hunc in Commodianis hortis in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.* Usus quoque Aimoinus lib. III de gestis Francorum cap. XLII. Sed & eandem vocem Brissonius † restituit Gregorio Turonensi, apud quem in Parisiensi Badii editione corruptè legebatur lib. V cap. XLV: *Multa in civitate illa ædificia fecit, domos composuit: ecclesiam fabricavit, quam columnis fulcivit, variavit marmore, musæo depinxit.* Musivum opus qui facerent, dicti *musivarii*. Atque ita L. I Cod. de excusationibus artificum legi debere, rectè probat idem Brissonius è L. II. eodem tit. Cod. Theod. In vett. codd. exaratum *musinarii* per N: quod iccirco probabat Cujacius. Sed cùm *musivum* dicamus; non dubium, quin facili lapsu V in N sit conversum. Corrupta quoque hæc vox apud Julium Firmicum extremo cap. libri III: ubi in Aldina legitur: *Aut in usu varios, aut inauratores.* Ubi *musivarios* legi debere, jam varii monuerunt. Eademque in voce peccatum lib. IV cap. XV: *Facit enim aurifices, inauratores, bractearios, argentarios, musicos, organarios, pictores.* Ubi optime Scaliger * corrigit, *bractearios*, *musivarios*, *pictores*.

† In Lexico.

* Ad Sphæram barbaricam Manilii.

Paracletus scribendum, non *paraclitus*: quomodo jam ab annis locuti sunt octingentis: ut ostendit locus iste Haimonis Episcopi Halberstatensis in Evangel. Dominicalia: *Quidam Græcus veniens in palatium Regis, cùm legeretur illud Evangelium, & diceretur* PARACLITUS, *dixit* PARACLETUS *debere dici: Non est ibi Jota, sed E longum. Tamen nos non audemus illud mutare, propter consuetudinem, ne novum aliquid invenire dicamur.* Hæc ille: quæ ostendunt, quantum possit in animis hominum error inveteratus. Eò autem respicit, quòd in hymno sacro sit dimeter iste:

> *Et spiritum paraclitum.*

Ubi & proxima ab ultima perperam corripitur.

Plures vero literæ corrumpuntur in *nigromantia* pro *negromantia*, νεκρομαντεία: cujus etymi ignara superiora secula, *swarte kunste*, reddiderunt. At vox Græca propriè notat *vaticinationem è mortuis*. Quomodo & νεκυομαντείαν dixere.

Denique vitiosus etiam modulus corrumpit pronunciationem. Itaque non quidem adversus ὀρθογραφίαν, attamen contra ὀρθοέπειαν, peccatur, quando *anathêma* proferunt penultimâ porrectâ, cùm Græcè sit ἀνάθεμα. Pluraque ejus generis adduximus libro II de Arte Grammatica cap. XXXIII. *Darius*, *Basilius*, & similia, perperam efferri penultimâ correptâ, sciunt qui adhibêre oram literaturæ Græcanicæ. Nam in his Græcè semper est ει. Contrà esse volunt in *Academia*; quia Græce sit Ἀκαδημία. Sed inde nihil aliud consequitur, quàm proximam ab ultima rectè etiam corripi. At interea eandem quoque producere licet; quia & Ἀκαδήμεια dicitur; ut liquet ex Stephano, sive Hermolao Byzantio. Hinc Laurea Tullius, Ciceronis libertus:

> *Atque Academia celebratam nomine villam*
> *Nunc reparat cultu sub potiore Vetus.*

Integrum epigramma apud Plinium habes lib. I Nat. Hist. cap. II.

CAP. XII.

De vocabulis è Græcia petitis, vulgo perperam vocali A, vel E, terminatis. Ut cùm dicunt anatomia, *pro* anatome; *vel* zizania, *in recto singulari: vel* prophetissa, *pro* prophetis; *ut* Sybarius, & Acharis. *A poeta num* poetus, *vel* poëtris, *an* poëtria, *sit dicendum.* Chronicam, *vel* bibliam, *improbatum.* Bibliæ petrariæ. *Cur S. Scripturam* βιβλία *potius, quàm* βιβλίον *vocemus. Rejecta item* tomice, *pro* tomix; sinape *pro* sinapi. *Adhæc ex illis in consonam desinentibus* gryphum, *pro* gryphus; zingiber, *pro* zingiberi, *vel* zingiberis; acinacis, *pro* acinaces; gausapis, *pro* gausape, *vel* gausapa; scholaris *pro* scholasticus; cymbius, *pro* cymbium; melampyrus, *pro* melampyrum; chirographus, *pro* chirographum; peponus *pro* pepo.

SEquitur alterum Græcorum genus: nempe ubi non initio, vel medio vocabuli: sed ejus exitu peccatur. Priùs referam de iis, quæ vocali terminantur: inde de exeuntibus in consonam. In priori genere suffecerit agere de duabus primis vocalibus, A, & E.

Vitiosè vulgò dicitur *anatomia*: etsi sic etiam vir doctissimus Cæsar Bullingerus de pictura, & statuaria lib. II cap. XIII: *Sit ergo plastes anatomiæ peritissimus, & humani corporis proportiones ad ungues teneat.* Planè enim *incisionis*, vel *incidendi corporis humani* dicendum, vel *anatomes*: ut Græcè ἀνατομῆς.

Zizaniam dixit B. Ambrosius lib. VII in Lucam: *Aliud est fermentum zizaniæ, aliud tritici.* Sed Matthæi cap. XIII semper τὰ ζιζάνια legas. Ac similiter Nazianzenus, τὰ ζιζάνια σπείρειν. Rectiùs igitur Hieronymus ad Eustochium: *Dum parvus est hostis, interfice. Nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine.* Loco Matthæi memorato etiam Syrus habet זיזני, *zizané*; ut non sit apertum, utrùm Græci eam vocem à Syris, an Syri acceperint a Græcis. Nec scire id ad præsens institutum facit.

Prophetissam nominant Ecclesiastici, quam *prophetidem* meliùs vocarent: quomodo Platoni, & Plutarcho, προφήτιδες appellantur; idque ἀναλόγως. Nam sic dicunt, ὁ Συβαρίτης, ἡ Συβαρῖτις· ὁ Σκύθης, ἡ Σκυθίς·

θεῖ· ὁ Ἀχαιὸς, ἡ Ἀχαιίς. Sanè & Ovidius similiter lib. II Trist.

Nec, qui composuit nuper Sybaritida, fugit.

Et epist. Briseidos:

Inter Achaiadas longè pulcherrima matres.

Ubi, κατ' ἐπένθεσιν τοῦ Α, *Achaiades* pro *Achaides* dixit. Græcè Ἀχαιΐδες, & Ἀχαιιάδες: quod posterius apud Apollonium est in primo. Ac, ne in gentilibus consistam, similia sunt, ὁ ἀδελφίτης, *maritus*, ἡ παρθενίτιδης, *uxor*: ὁ δεσπότης, *dominus*, ἡ δεσπότις, *domina*.

Volunt aliqui à *poëta* similiter dicendum *hæc poëtis*. Itaque & apud Persium legi debere in prologo:

Corvos poetas, & poetidas picas.

Et profectò ita in aliquot libb. MSS. invenitur: longè tamen pluribus *poëtridas*: quomodo etiam est in Aldina an. CIↃ IↃ I. Nempe ut à ποιητὴς sit ποιητρὶς, quomodo ab αὐλητὴς est αὐλητρίς. Nihil æquè huic sententiæ adversatur, quàm quòd nec ποιητὶς, nec ποιητρὶς, usquam apud Græcos invenias. Semper enim, ut à ψάλτης, ψάλτρια, à κιθαρ ιστὶς, κιθαρίστρια, sic à ποιητὴς dicunt ποιήτρια. Priora duo apud Athenæum, & Terentium, legas: tertium, apud Ciceronem pro M. Cælio. Quæ faciunt, ut *poetrias* apud Persium damnare non ausim.

Chronicam efferunt pro *chronicum*; ubi intelligitur *volumen*, vel opus. Scio, per A in recto singulo efferri non ab Isidoro tantùm, Gregorio Turonensi, aliisque inferioris ævi scriptoribus; verùm etiam B. Hieronymo in Danielem cap. IX, ubi legas: *Quem locum in Chronica Eusebii, quam ante annos plurimos in Latinam linguam vertimus, diligens lector plenius edissertum poterit invenire.* Verùm non ista est culpa B. Hieronymi: sed vitium ætatis, & consuetudinis vulgaris; quæ, torrentis instar, sæpe etiam abripit doctissimos. Nunc postquam Latinè gens nulla loquitur, satius est loqui, & scribere cum antiquis.

Par ratio est in *biblia* singulo numero: quo Ecclesiastici scriptores à multis retro seculis uti solent: imò & in militia vulgo *biblias petrarias* dixere, quas aliter vocabant *cattos versatiles*: ut ex Chronico Leodiensi ostensum Lipsio lib. III Poliorceticôn dialogo III. Ajunt pro βιβλίον efferri posse *bibliam*, ut veteres dixere *syrmam*, *dogmam*, *sacomam*, *glaucomam*, *schemam*, *diademam*, & alia: sicuti ostensum nobis lib. V Oratoriarum Institutionum cap. I. §. I. Sed enim hæc in usu erant, nondum desito jam puri sermonis usu. Non eadem posteriorum temporum auctoritas. Quare meritò aliter elegantiores nunc omnes loquuntur. Cur verò plurativo potius *biblia*, quàm singulo dixerint *biblium*; caussa non est alia, quàm quòd sacrum illud volumen multos libros complecteretur, quorum singulis βιβλίου nomen competeret: quomodo legas Lucæ IV. 17. βιβλίον Ἡσαΐου. Nec omnem semper sacram Scripturam sic vocarunt: sed quandoque sola Hagiographa: ut videre est apud Epiphanium hæresi XXIX, quæ est Nazaræorum.

Nunc dabo unum alterum, quod malè in E terminetur. *Tomice* ponunt Lexicographi in recto, quasi sit Græcè τομική. Sed Græcè est Θώμιγξ, unde *thomix*, vel *tomix*. Est funis genus, è cannabe, aut sparto, leviter torti. Hinc ablativi *tomice*, & *tomicibus*: ut ostensum nobis lib. I de Anal. cap. XXXIV.

Nec *sinape*, quod non nemini arridet, facilè dixerim. Metuo enim, ne *sinapi* legi debeat apud Columellam lib. XI cap. III: ubi nunc etiam in illâ Joannis Parvi, alterâque Rob. Stephani: *Sinape, atque coriandrum, nec minus erucam, & ozimum.*

Ex consonâ terminatis solùm considerabimus hoc tempore, M, R, & S. *Gryphum* æquè, ac *gryphus*, in recto dici, placuit doctissimo Eliæ Vineto, initio notarum ad Ausonii Edyllium IV, quod est de ternario numero. Sed prorsus fallitur. Apud Etymologum quidem τὸ γρῦφον reperio. Sed aliter classici, ac antiquiores Grammatici; ut Pollux, & Hesychius.

Nec Græcum, nec Latinum est *zingiber*; ut vulgò vocant. Hermolao Barbaro geminato errore *gingiber* nominatur. Ruellio est *gingiberis*. Veteres initio Z, vel S. non G, amant. Quemadmodum verò *gummi*, & *gummis*; *sinapi*, & *sinapis*: sic antiqui dixere nunc *zingiberi*, vel *zingiberis*; nunc *singiberi*, vel *singiberis*. Galenus lib. VI Simplicium Medicament. Ζιγγιβέρεως ἡ ῥίζα χρήσιμός ἐστι. *Zingiberis radix utilis est.* Recto usus Dioscorides libro II Mat. Med. cap. CXC: Ζιγγίβερις* ἴδιον ἐστὶ φυτὸν γεννώμενον ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ, καὶ Ἀραβίᾳ πλεῖστον. Sic, interjectâ copulâ, rectè legit Sarracenus: quomodo & apud Plinium est lib. XII cap. VII: *Non est hujus arboris radix, ut aliqui existimavere, quod vocant zimpiberi, alii verò Singiberi; quamquam saporè simile. Id enim in Arabia, atque Troglodytica, in villis nascitur.* Et sanè Troglodytica non in Arabia est, sed Africa; ut ex Strabone† Plinio*, Ptolemæo, & aliis, constat. Quod Sarraceni conjecturam satis firmat. Nec prætereundum tamen, legi in antiqua Parmensi†, *quam vocant singiverim, alii verò gingiverim.* Nempe à recto *singiberis*, & *gingiveris*. Sed Dalecampius annotavit, in MSo quoque Chiffletiano, *singiberi*, & *zinpiberi*, reperiri. Et castigatiores codd. habent L. ult. §. species. D. de publicanis, & vectigalibus, & commissis: *Species pertinentes ad vectigal: cinnamomum, piper longum, &c. amomum, zingiberi, malabathrum &c.*

* *Singiberis est sui generis planta, in Troglodytica, & Arabia magna ex parte nascens.*
† *Lib. 16. & 17.*
* *Lib. 6. cap. 29.*
† *An. 1476.*

In finitis literâ S, duabus imprimis terminationibus peccari solet, IS, & US. Prioris generis est *acinacis*. Sic enim in recto dicere jubent: atque apud Horatium etiam ita legunt lib. I od. XXVII. Quasi non Græcè sit ὁ ἀκινάκης: quod ostendimus lib. I de Analogia cap. XXVIII. At, inquiunt, Valerii Flacci est lib. VII:

Insignis manicis, insignis acinace dextro.

Ubi si ab *acinaces* foret, quòd Græcis est primæ declinationis, ultima esset porrecta, τῷ ἀκινάκῃ. Verùm hoc nihili est argumentum. Nam cur ab *acinaces* non sit *hujus acinacis*, ab *hoc acinace*: ut dicimus *hæc nubes*, *hujus nubis*, *hac nube*? Disparem ajunt rationem esse in Græcis, quale ἀκινάκης, quod primæ. Quasi non Græcè sit Ὀρέστης, τοῦ Ὀρέστου: & Latini tamen dicant *Orestes*, *hujus Orestis*, *hoc Oreste*. Imò, inquiunt, & Græcè est ὁ ἀκινάκις, ut ὁ ὄφις. Id verò inficior. Semper enim vox ea in ΗΣ desinit Græcis: nec aliter unquam Latini, quam per ES.

Gausapis in recto dicunt Grammaticorum multi, quia ablativus *gausape* invenitur: pro quo, si à recto *gausape* foret, *gausapi* diceretur. Sed ablativus *gausape* pro *gausapi* fuerit à recto *gausape*, ut *mare* sæpius legitur pro *mari*: quemadmodum in primo, & secundo de Analogia dictum. Sanè rectus *gausapis* nusquam invenitur: sed *gausapa*, *gausape*, & apud unum Cassium, *gausapum*. Ex ὁ γαυσάπης est *hæc gausapa*: ut Græci dicunt ὁ χάρτης, ὁ μαργαρίτης, ὁ καταπέλτης: Latini *hæc charta*, *margarita*, *catapulta*: pluraque ejus generis adducimus opere antè memorato.

Scholaris adstruunt ex B. Hieronymo ad Damasum: *Nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcenda.* Verùm apud antiquos non legas: sed *scholasticus*. Nisi quod *scholicus* etiam sit apud Agellium lib. I cap. IV. Sed hæc potiùs pertinent ad adjectiva, de quorum derivatione est quæstio. De quibus inferiùs loquar.

Per US malè terminatur *cymbius*; cùm rectum sit *cymbium*, ut Græcè κυμβίον à κύμβη, *cymba*. Est verò *cymbium*, tum poculi genus cymbæ formam referens: ut auctores sunt Athenæus, Eustathius, Suidas: tum etiam camera, sive fornix, itidem ob formam concavam cymbæ similem: quo pacto usus Corippus, Grammaticus Africanus, lib. III in laudem Justini Augusti minoris: sed eo peccat, quòd per *us*, *cymbius* dicat, contra Græcorum, Latinorumque, consuetudinem. Audiamus ipsum:

Quas super ex liquido præfulgens cymbius auro
Immodico, similans convexi climata cœli,
Immortale caput, soliumque sedentis obumbrat.

Simile in Calepino est, cùm ei herba, in quam triticum degenerat, *melampyrus*, seu *melampyros* nominatur. Nam

C

Nam Græcè est τὸ μηλοπέπων: ut liquet ex Theophrasto Historiæ Plantarum lib. VIII cap. V, & Galeno de alimentis lib. I cap. ult.

Grammatici dicere jubent *chirographus*, & *chirographum*. Et prius agnoscit quoque Rob. Stephanus in Thesauro suo *: sed nullo suffulcit auctore, nec sanè potuit.

Pepo item, vel *pepon*, non *peponus*, pro cucumeris genere dicendum. Sanè πέπων semper Aristoteli, Dioscoridi, Athenæo, aliis: nec aliter Plinius, quam *pepones* appellat. Peccat in eo Jovianus Pontanus Lepidinæ pompa quinctâ †:

> *Dum redeo simul, & péponos cole, & allia velle.*

Pepones dicere debuit. Credat aliquis errorem typographi. Sed sexto pòst, septimoque versu iterum ait:

> *Nos ferimus dulcem peponum, & melimela beatis.*
> *Hi peponum, & melimela legent thalamoque toroque.*

Nisi alteruter versus sit ex secunda Pontani curâ; eoque alter sit delendus.

* Uti & Cælius Secundus in Foro Romano.

† Pag. 359 edit. Basil. Aud. Crat.

CAP. XIII.

Ab appellativis Græcis ad Latina transitur. Ac primum agitur de veteribus corruptis. Quod adimendo fit, cum opinosissimus *dicunt pro* opinatissimus; *aut cum malunt* simillimus, facilimus, *& similia, unico L, quam gemino. Additione autem peccatum in hisce substantivis:* milvius, *pro* milvus, *aut* miluus, cincindela, *pro* cicindela: culcitra, *pro* culcita: culleus, *pro* culeus: emptio, & sumptus, *pro* emtus, sumtus. *De vocabulo* caussa, *vel* caussa, *tum etymo, tum* ὀρθογραφίᾳ. *Adhæc additione delinqui in hisce adjectivis:* voluptuarius, *pro* voluptarius: montuosus, *pro* montosus: monstruosus, *pro* monstrosus: octuaginta, octuagesimus, octuagenarius, *per* V A *pro* O. *Trajectionis errorem esse in* lapidicina, *pro* lapicidina. *Mutationis, in hisce substantivis:* forpex, *pro* forfex: ceremonia, *pro* cerimonia: *& fortasse etiam* epistula, *pro* epistola. *Item in adjectivis:* feciales, *pro* fetiales: infacetus; *pro* inficetus; *& contra* perfacetus, *pro* perfacetus: grossus, *pro* crasso. *Quandoque & errorem committi mutatione quantitatis: ut cum* infantilis *dicunt, corripientes proximam ab ultima.*

ABunde de Græcis. Deinceps prosequar Latina: ubi prius itidem agam de veteribus corruptis: postea de novis perperam effictis. Illa, quæ corrupta, vel initio, aut medio sui, vitiantur; vel malè finiunt. In iis, quæ prioris sunt generis, vel demendo peccatur, vel addendo, vel transponendo, vel mutando. Demendo, ut *opinosissimus*: quomodo Nizolius esse ait apud Ciceronem in IV Academicarum Quæst. Sed ab *opimo* non aliud; quàm *opimosus*, esse potest.

Sic *facilime*, pro *facillimè*: ut in Glossis Cyrillo tributis: Εὐκολώτατα, *Facilime*. Ac Cornelii quidem Croci opinio fuit, *facillimus*, *humillimus*, *simillimus*, & hujusmodi alia, vitiosè efferri, vel in prosâ scribi. Neque nescit, aliter exarari à poëtis: sed metri gratia id factum arbitratur. Verùm assentiri non ausim; quia video, gemino L L scribi in optimis, & antiquissimis codd. Priscianum obducunt, qui libro III cap. de Superlativo, dicat, talia formari a casu in I, addito LIMUS. Verba ejus sunt: *Excipiuntur hæc, facillimus, difficillimus, gracillimus, humillimus, simillimus, dissimillimus, agillimus: quorum cum in IS desinant positivi, abjectâ IS, & additâ LIMUS, faciunt superlativum.* Sed quid si Priscianus scripserit non LIMUS, sed LLIMUS? Vulgatam tamen lectionem reperio etiam non in Aldina modò, & hac antiquiori Venetâ Marci De Comitibus *: sed etiam optimo Mso nostro. Utracumque lectio magis placeat, de formatione falli censeo. Magis placet, geminari consonam ex eo, quòd in positivo sit L, quod deinceps repetitur: ut à *niger*, est *nigerrimus*; a *doctus*, *doctissimus*. Nempe à *facul*, & *difficul*, facta *facillumus*, & *difficillumus*, sive *facilimus*, & *difficillimus*, V in I abeunte; ut pro *optumus maxumus*, dixere *optimus maximus*. *Facul*, & *difficul*, pro *facilis*, & *difficilis*, nec Varro refugit Bimarco. Ac similiter alii multi; ut Marcello ostensum. Et *consimul*, pro *consimilis*, similiter usurpasse Plautum, conjectura quoque fuit clarissimi, & amicissimi Meursii. Diximus de isto etiam lib. I de Analogia, sive tertio de re Grammatica cap. XXXVI.

* Ann. 1476.

Additione autem peccatur, tum in substantivis, tum adjectivis. Substantivis; ut cùm *milvius* ponitur pro *milvus*. Potuit quidem *milvius* esse à *milvus*: ut à *vultur* est *vulturius*. Sed sequendus est usus. De eo autem statuendum ex optimis codd. in quibus *milvus* reperio. Et Lambinus quoque scribit in Aulularium, act. II sc. IV. se in omnibus, hoc est, in octo libris veteribus, quibus in restituendo Plauto usus fuit, *milvus*, non *milvius*, invenire. Idemque de codd. suis testatur necessarius noster, Janus Gruterus. Nec in Plauti modò, sed Terentii etiam, ac Horatii locis, ubi vulgò *milvius* editur, Obertus Giffanius † constanter *milvus* reperit δισυλλάβως, vel *miluus* τρισυλλάβως ut *silua* trisyllabon Horatio, pro *sylvæ*; Lucretio *acua*, pro *aqua*; de quibus alibi.

† Indice Lucretiano in Reliquus.

Cincindela est apud Cæsarem Scaligerum in Poëmatis. Sed idem alibi *cicindela*: & ita est apud Plinium; item in glossis, & alibi.

Similiter peccatur, cùm *culcitra* dicitur pro *culcita*. Est enim a *calcando*: ut liquet è Varrone, & Festo: nempe quia tomento inculcentur. Sic perperam *culleus* scribunt pro *culeus*; cùm Græcè sit κολεός. Malim etiam *emtio*, *sumtus*, sine P, cum illud non sit in præsenti: ut rectè arguit Terentianus Maurus. Parque ratio in *sumtus*, & *promtus*, adjectivis.

De *caussa* nolim contendere, malene alterum S addatur, an dematur. Geminarunt illud Cicero, & Maro; teste Fabio lib. I cap. X. Sed & hic, ut idem ait, *auctoritatem consuetudo superavit.* De etymo nihil certi. Quasi *cavissa* dici, putabat Terentius Scaurus. Sed ingeniosè Dausquejus in II ὀρθογραφικῶν derivat à καῦσις, id est, *ardor*; ut a παῦσις, est *pausa*, quia ardor agit, & concitat: κινητικὸν τὸ θερμόν *, ut ait Plutarchus lib. de primo Frigido. Cicero lib. II de Nat. Deor. *Calidum illud, atque igneum, ita in omni fusum esse naturâ, ut in eo insit procreandi vis, & caussa gignendi.* Et postea: *Eo mundi ardore motus omnis oritur.* Macrobius lib. VII cap. VII: *Cum calor semper generationis caussa sit.* Propriè sic nomen id caussæ conveniat efficienti.

* Calidum habet vim movendi.

Pariter additione aberratur in adjectivis: ut cùm ajunt, *voluptuarius*. Quippe ut à *voluntas*, est *voluntarius*; sic a *voluptas*, *voluptarius*.

Montuosus, pro *montosus*, qui dicunt, metuo ne decipiantur corrupto Ciceronis loco in Lælio. Aliter sanè analogia: ut a *vinum*, *vinosus*. Quare nec placet, quod *monstruosus* efferunt, pro *monstrosus*.

Octuaginta itidem vulgò dicunt, *octuagesimus*, & *octuagenarius*: ubi in libris vett. *octoginta*, *octogesimus*, & *octogenarius*. Vide Vallam lib. III cap. V. *Octuaginta* tamen a Sigismundo Gelenio editum in Plinio. Et illum, & alios, in errorem induxit, quòd dicimus *septuaginta*, & *septuagesimus*. Quemadmodum & *septuennis* pro *septennis* est apud Plautum Menæchmis †: item Prudentium in Romano:

> *Da septuennem circiter puerum, aut minus.*

† act. 5. sc. 9.

Nec obstat, quòd in optimis illis Pandectis Florentinis sit *octogensimus*. Nam nostram id potiùs sententiam confirmat. Quippe *octogensimus* habent, non *octuagensimus*. Solùm N inseritur: quomodo in iisdem legere est *vicensimus*, *tricensimus*, atque alia.

Trajectionis vitium est, cùm *lapidicina* perperam dicunt, pro *lapicidina* sive *lapicædina*: ut in veteri inscriptione. Scio, Romæ esse in B. Pauli: A LAPIDICINIS CARISTIIS: nec non in Glossis: *Lampidicina*, λαμπίᾳ. Item: Λιθοτομεῖον, *Lapidicina*. Λιθοξόος, *Lapidicina-*

dicina, λατομία. Item: Λιθοτομεῖον, *Lapidicina*. Λιθοξόος, *Lapidicinarius*. Sed rectiùs Mſſi *lapicidina*: quia eſt à lapidibus cædendis: ut docet Varro in VII de L. L. Nempe ut ab *lapide*, & *cædo*, eſt *lapicida*, teſte Varrone*; ita ab eodem eſt *lapicidina*, quaſi à *lapis*, & *cædina*; quod quidem extra compoſitionem non obtinet: ſed ſimile eſt ac a *fodio*, *fodina*. Nec turbare debet ſyllabæ ejectio. Nam ut *homicida* κατὰ συγκοπὴν proferimus, pro *hominicida*: ita & *lapicida*, pro *lapidicida*; *lapicidina*, pro *lapidicadina*. Pro *lapicidina* etiam *lautumia* obtinuit, à Græco λατομία: ſicut veteres extulere *Laumedon*, pro *Laomedon*.

* Lib. 7 de L. L.

Mutatio in medio fit, cùm *forpex* ajunt. Etſi Hadrianus quoque Junius in præclaro Nomenclatore ſuo ita appellet inſtrumentum, quo pili præciduntur. Scio, præter Priſcianum, & Bedam in Orthographia; quibus *forfices* ſunt *ſartorum*, *forpices tonſorum*: imò & ſuperiorum eſſe ſeculorum verſiculum:

Forfice fila, pilos cape forpice, forcipe ferrum.

Sed ſi veterum etiam Grammaticorum ſubtilitas inter *forficem*, & *forpicem*, diſtinxiſſet; ejus, puto, rei veſtigia apud illos ſupereſſent. Quare *forficem* quoque pro *forpice* dixero. Non peſſimè Auſonius Popma lib. II de vocum differentiis: *Forpicis vox apud idoneos auctores nullibi extat.* Tantùm pro *nullibi* malim *nuſquam* dixiſſet. Nam *nullibi* apud idoneos auctores nuſquam exſtat.

Ceremonia non ſcribam; ſed vel *cærimonia*, vel *cerimonia*, per i in tertia, ob ἀναλογίαν; ut *alimonia*, *ſanctimonia*, *matrimonium*, *mercimonium*. Per E in primâ, ut ſit à *cerus*, h. e. *ſanctus*: per Æ, ut ſit à *Cæritibus*: quod ἔτυμον Livius, Strabo, Valerius Max. & Feſtus, comprobant. In Lapidum aliis per Æ; per E in aliis exaratur.

Epiſtola malim per quartam vocalem: etſi *epiſtula* ſit in Pandectis Florentinis: ac Politiano id placuerit magis. Nam aliter libri veteres, & ſaxa. Ac analogia favet, cùm dicamus *ſtola*, *apoſtolus*, *epiſtolium*. Sane Umbri gaudebant O in U convertere: non item Romani: niſi rarò, ut cùm *adultum* dixere ab *adoleo*: quod movere non debet, quia & contrà iidem derivant *fontem* à *fundendo*.

Sunt hæc ſubſtantiva: quorum naturam etiam induit *fetialis*; etſi naturâ ſit adjectivum: unde *jus fetiale* populi Romani apud Ciceronem legas lib. I Offic. Vocem hanc per C ſcribere jubent: quia ſit à *facio*, vel *feci*. Atque hoc adſtruunt e Plutarcho in Numa: qui ait, τοὔνομα λαβεῖν ἀπὸ τῆς πράξεως, *nomen accepiſſe à faciendo*. Sed malim per T, quia ſic Mſſi, & Lapides. Atque apud Dionyſium quoque eſt exaratum, τῶν καλουμένων φετιαλίων.

Prorſus verò adjectivum eſt *inficetus*: pro quo multi dicunt *infacetus*: ſed inficetè. Contrà tamen rectum *perfacetus*, non *perficetus*. Quorum ratio nequit adferri: niſi quòd conſtet uſu veterum.

Si velim ire ad illa, quæ ab hinc ſeſquiſeculo, & ultrà, obtinuere, viatico ſit opus. Tanta eſt ſeges. Sed hodie in uſu eſſe deſierunt. Sane *craſſi* ſit *ingenii*, qui hodie *groſſi* pro eo *ingenii* dicat. Tamen ante duo propemodum ſecula *groſſioris* homo *ingenii* non refugit Poggius Florentinus primâ in Vallam invectivâ †: ubi de Cardinale Tudertino eſt ſermo. Ac alibi quoque *groſſi* vocem pro *craſſi* non reformidat. Tam altè, reviviſcentibus jamdiu literis, priorum ſeculorum vitia animis inſederant.

† Fol. 72.

Nec initio, mediove, ſolùm in literis vitium eſt; ſed etiam moduli ſive quantitatis, quæ primò accidit ſyllabæ. Ut cùm *infantilis* dicunt, correptâ, quæ ultimam antecedit. Nam porrectam eſſe, oſtendit ἀναλογία, cùm *ſenilis* dicatur.

Cap. XIV.

De iis, ubi terminatio eſt vitioſa: quale eſt cuculla, *pro* cucullus: ſubtal, *pro* ſubtel: piſtrillum, *pro* piſtrilla: apiaſter, *pro* apiaſtra: coſſis, *pro* coſſus; *unde* Coſſi *Romæ*, *&* Coſſutii: *res ludicris*, *pro* ludicra: mulius, *pro* mulio: adytus, *pro* adytum. *Fuſè etiam oſtenſum*, *pro re nunciata*, *ſemper* nuncius, *non item* nuncium, *dici oportere*.

Sequitur agamus de Latinis nominibus eò vitioſis, quia in terminatione aberretur. Horum alia in vocalem, in conſonam alia exeunt. Prioris generis eſt *cuculla*. *Cucullus* enim eſt apud Martialem, atque alios: *cuculla* apud neminem antiquum.

Alterius exemplum ſit *ſubtal*: quod Nicolaus Perottus, epiſcopus Sipontinus, ſic dici ait, quaſi *ſub talis*. Sed apud Priſcianum *ſubtel* legitur, exponiturque κοῖλον τοῦ ποδός: puto, quia pars iſta ſenſus eſt ſubtilioris, uti vola in manu.

Nec *piſtrillum* dicimus à *piſtrinum*; ſed, contra analogiam, *piſtrilla*: teſte Chariſio in I.

Apiaſter placuit Hadriano Junio in Nomenclatore: cui ſic dicitur avis, quæ μέροψ Ariſtoteli in Hiſtor. Animal. lib. VI cap. I, & lib. IX cap. XIII, atque alibi. Finxiſſe eam vocem creditur Theodorus Gaza, idque audaciùs. Nam, inquiunt, quid opus fuerit Latino, cum *meropis* nomen Latio donatum videatur? Eſt enim Maronis IV Georg.

Abſint & picti ſqualentia terga lacerti
Pinguibus à ſtabulis, meropeſque, aliæque volucres.

Similiter Plinius lib. X cap. XXXIII, & Grammaticus utcunque vetus, ſub nomine Ovidii, carmine de Philomela. Sed enim hæc facilè concidunt, ſi attendamus ad ea, quæ ſuperiorem in Maronis locum Servius annotavit. *Dicendo*, *Aliæque volucres*, *oſtendit etiam aves eſſe meropes. Sunt autem virides, & vocantur apiaſtra, quia apes comedunt. Apiaſtra*, non *apiaſtri*, eſt in Servio, tum R. Stephani, tum G. Fabricii, tum P. Danielis. Utrumque vocabulum ſatis ſit aptum, quòd avis inter volandum apes captet: unde Græcis hodie μελισσοφάγος nuncupatur, Bellonio teſte, lib. de Avibus cap. XXVII. Sed cum Servius dicat *apiaſtram* vocatam, quis novæ non eam præferat terminationem? Etiam pro hac ſententia facit, quòd ſic apertius ſit diſcrimen inter avem, & plantam dictam *apiaſtrum*. Sic enim Hyginus appellavit herbam, quæ Græcis μελισσόφυλλον, quaſi dicas, *apifolium*, non ab imitatione apii, quaſi ſit apium ſylveſtre. De Hygino quod ajebat, Plinius firmat lib. XX cap. XI. Quod ſi de *apiaſtra* nihilo ſecius non ſatisfaciant, quæ diximus: quid impedit, quin cum Marone, Plinio, aliis, vocem *meropis* retineamus?

Nec pro verme ligna erodente, *coſſis* dixerim cum multis: ſed *coſſus*, quomodo dicere jubet Feſtus: *Coſſi*, inquit, *ab antiquis dicebantur naturâ rugoſi corporis homines, à ſimilitudine vermium, ligno editorum, qui coſſi appellantur.* Sic *Coſſus* cognomen fuit Cornelii Lentuli; qui conſul fuit anno IↃCCLIII, ac poſtea *Getulici* nomen reportavit. Unde in argenteo nummo, CN. LENTULUS COSSUS. In alio tamen nummo, quaſi prænomen foret, effertur, COSSUS CN. F. LENTULUS. Sed Lentulo Getulico fuiſſe Cnæo prænomen, etiam ex quarto Taciti liquet; ut videatur fuiſſe dictus, Cn. Cornelius Lentulus Coſſus. Et ab eadem, ut puto, origine eſt gens Coſſinia; unde L. Coſſinius, Tullio memoratus lib. XIII. ep. XXIII: uti & Coſſinii mentionem facit Plutarchus in Craſſo. Etiam inde Coſſutii. Coſſutiam uxorem Julius Cæſar habuit, teſte Tranquillo †. Coſſutiani Capitonis meminit Tacitus lib. XIII, XIV, XVI. Sed hæc non minus à *coſſis*, quam *coſſus*, eſſe poſſint. Et qui *coſſis* tuentur, ad Plinium provocant lib. XXX, cap. XIII: *Coſſes, qui in ligno naſcuntur, ſanant hulcera omnia.* Ita quoque reperio in veteri Parmenſi anni CIↃCCCCLXXVI. Interim monent alii, in veteri cod. legi *coſſi*. Nec uſquam alibi *coſſes* reperias. Imò Plinius ipſe *coſſi* dixit lib. XI cap. XXXIII. Favent etiam gloſſæ Philoxeni: *Cuſus*, Ξυλοσκώληξ. Nec ſi *coſſes* dixerint, eò & *coſſis*. Nam & *caſſes* uſitatum: in ſingulari verò non invenitur, niſi in auferendi caſu *caſſe*, apud Senecam Agamemnone.

† Lib. I cap. I.

Ludicris à *ludo* dicere jubet Priſcianus. Et ſinè ut à *volo*, *volucris*: ſic à *ludo*, ſit *ludicris*. Ἀναλογία igitur non repu-

repugnat: sed usus veterum, qui *ludicer*, vel *ludicrus* dixere. Nam ut a *fortis* est *fortia*, sic à *ludicris* in plurativo foret *ludicria*. Verùm Priscianus in septimo ait. hoc excipi à canone. Poterat fidem facere doctissimus Grammaticus, nisi alia etiam obstarent. Quid enim? an non in feminino semper est *ludicra*? ut *ludicra res* †, *tibia* *, *subtilitas* †. In neutro item *ludicrum*; ut *ludricum certamen* *; & Plinio †, *in ludicri certamen vertere*. Dubium interim, utrum in virili *ludicrus* sit, an *ludicer*. In onomastico veteri est: *Ludicrus*, παιγνιώδης. Et agnoscit Nizolius. Nec multùm repugno. Sed argumentum, quo tuentur, valde est infirmum. Ut, inquiunt, à *tetricus*, *tetrica*; a *lubricus*, *lubrica*: sic a *ludicrus*, *ludicra*. Atqui ista non in *cra*, sed *ca* desinunt. At in *cra* exeuntia solent esse a virili *er*. Ut *pulcher*, *pulchra*, *macer*, *macra*. Nec tamen inficias ivero, tam ἀναλόγως fore à *ludicrus*, *ludicra*; quam à *doctus*, *docta*. Utrobique enim solùm US abit in A. Malim igitur utroque abstinere, cùm nec *ludicer*, nec *ludicrus*, inveniatur.

† Horat. * Plin. † Gell. * Sen. Agamemn. † Lib 3 cap 11.

Mulius pro *mulione* dici, putavit Calepinus; quem secuti alii. Nempe fuere decepti corrupto Horatii loco lib. II Serm. Sat. VII. Ubi, ut ex veteribus libb. & Acrone, constat, legi omnino debet:

> *Audit cum magno blateras clamore, furisque*
> *Milvius.*

Milvium hunc temporibus Horatii insignem fuisse parasitum, Acro annotavit. At eum, qui mulos agit, *mulionem* dici, fidem fecerit, (ut de Martiale, & aliis taceam) L. Plancus ad Ciceronem, inter Ciceronianas lib. X epist. XVIII: *Ventidiique mulionis castra despicio*. Loquitur de P. Ventidio, qui anno Urbis DCCXI in consulari dignitate suffectus fuit Q. Pedio in consulatu mortuo: uti ille fuerat suffectus A. Hirtio, in magistratu cum Pansa occiso. Is Ventidius victitârat primò curandis mulis: unde vetus in eum epigramma:

> *Concurrite omnes augures, aruspices.*
> *Portentum inusitatum conflatum est recens:*
> *Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.*

Hoc addidi, ne quis *Mulio* apud Plancum cum aliquibus cognomentum putaret familiæ proprium.

Etiam locum hic sibi deposcit *adytus* pro *adytum*. Item cùm in recto dicunt *nuncium*, pro re nunciata. Est quidem *nuncius* naturâ adjectivum; unde Maroni *fama nuncia*: cumque in virili fine substantivo effertur, *vir*, aut *homo*, vel *rumor*, aut *sermo* intelligitur. Sed quid in neutro pro re, quæ nunciatur, sumi solet; id planè est contra usum veterum: ut observarunt Valla, Muretus, Lambinus, Giffanius, alii. Favent interim huic errori etiam veteres Grammatici. Uti Servius in VI Æn. *Sanè, qui nunciat, genere tantum dicitur masculino: quod autem nunciatur, licet neutro dicatur; apud Catullum tamen invenitur etiam masculino.* Idem in XI: *Ut suprà etiam diximus, nuncius est, tam quod nunciatur, quam qui nunciat. Nuncium, quod nunciatur.* Servio, ut alibi fere, ita hic quoque subscribit Isidorus lib. IX Orig. *Nuncius, qui nunciat, & quod nunciatur; id est, ἄγγελος, καὶ ἀγγελία: sed nuncius; ipse homo, genere masculino: id vero quod nunciat, genere neutro; ut hoc nuncium, & hac nuncia.* Hæc sententia si placet, *nuncium* pro re nunciata dicetur per ellipsin, ut intelligatur *verbum*: quod quandoque exprimitur. Verùm ἁπλῶς non puto sic inveniri. Sanè pro re quoque nunciata tantùm reperio *nuncius*. Plautus Captivis act. IV sc. I:

> *Speroque me ob hunc nuncium æternum adepturum cibum.*

Et Epidico act. I sc. I: *Voluptabilem mibi nuncium tuo adventu attulisti.* Et Sticho act. II sc. III:

> —— *Citus*
> *Præcucurri, ut nunciarem nuncium exoptabilem.*

Catull. Epigr. in Attium:

> *Cùm subitò adfertur nuncius horribilis.*

Maro IV Æn.

> *Naviget. hac summa est. hic nostri nuncius esto.*

Quamquam doctissimus Carolus Paschalius in Legato suo cap. II putant, Mercurium hic nuncium vocari, quomodo Livius lib. XXXIV *Rhodios nuncios* dixit: hoc est, legatos. Sed planè in versu Maronis verbum hoc exponi debet ex istis, *hac summa est*. Plinius lib. V epist. V: *Nunciatum mihi est C. Fannium decessisse; qui nuncius gravi me dolore confudit.* Quare nihil caussæ est, cur a *nuncium* potius, quam *nuncius*, dictum putemus L. I. D. de procuratoribus: *Nuncium perferendum suscipere*. Et L. II. quis ordo in possessionibus servetur: *Quasi certiore nuncio adlato.* Et L. III. Ne quid publici læti, in Cod. Theodos. *Nunciorum faustorum gaudia*. Et L. I. C. eodem tit. lib. XII: *Nunciorum gerulus*. Sanè Festus quoque scripsit: *Nuncius & persona dicitur, & res ipsa. In persona dicitur, ut, Nuncius advênit. In re, ut, Nuncius adlatus est.* De neutro tacet. Nonius autem: *Nuncius generis masculini: neutro apud aliquos non receptæ autoritatis lectum est, sed doctos.* Verùm adversus hoc alii contendunt, Catullum, & Tibullum esse receptæ auctoritatis scriptores, qui in neutro utantur. Utriusque igitur locus excutiendus nobis. E Catullo adducunt carm. de Berecynthia & Attye:

> *Geminas Deorum ad aures nova nuncia referens.*

Verùm nihil versus hic eorum juvat caussam, si cum Mureto credamus adulterinum: vel cum Scaligero sic restituendum:

> *Geminas eorum ad auris nova nunciat ferens.*

Æquè falsi in Tibulli loco lib. III El. IV:

> *Divi vera monent venturæ nuncia sortis,*
> *Vera monent Tuscis exta probata viris.*

Nam post *monent* ponenda στιγμή, ut *nuncia* adjectivè capiatur, ac pertineat ad *exta*. Sic sanè distinguunt editiones optimæ, Mureti, Scaligeri, Dusæ. Imò & antiqua illa, quæ Regii Lepidi prodiit, anno DCCCCLXXXI. Aliqui etiam ad partes vocant Lucretium, cujus est lib. IV:

> *Conveniunt simulacra foris e corpore quoque*
> *Nuncia præclari vultus, pulchrique coloris.*

Et lib. VI:

> *Nec de corpore quæ sancto simulacra feruntur*
> *In mentes hominum divinæ nuncia famæ.*

Nempe non vident hic *nuncia* dici adjectivè. Quomodo Ovid. epist. XV ait, *verba nuncia*: atque idem Lucretius in feminino, lib. IV, *plaga nuncia*: Cicero etiam lib. I de Orat. ait, *historiam esse nunciam veritatis*. Scrupulum tamen injicere possit Varronis hoc penè extremo lib. V de L. L.: *Ubi noctu in templum censura auspicatur, atque de cælo nuncium erit.* Sic editum in Romana Antonii Augustini. In Veneta Aldi †, & Mediolanensi Joannis Angeli *, diversimodè legitur: in eo tamen conveniunt, quòd *nuncium* repræsentant. Vertranius verò, quem & Popma sequitur, sic hunc locum expressit: *Ubi noctu in templum censura auspicaverit, atque de cælo nunciatum erit.*

† An. 1515. * An. 1500.

Cap. XV.

De rectis, quæ vitiosè colliguntur ex obliquis. Quale est semen, *pro* femur: *&* Quiris, *pro* Romanus. *Sed neque in recto* frenus, *vel* frenum *reperiri: etsi posterius videatur tutius.* Capister *improbatum: imo & plurativus* capistri. *Incertum etiam videri* clathrus, *an* clathrum, *dici conveniat: & unde id vocabulum descendat.*

POstquam egi de veteribus corruptis, loquar de novis vitiosè confictis. Sunt hæc triplicia: alia enim formata sunt ex obliquis: alia aliunde derivata: alia ex pluribus vocabulis sunt conflata in unum.

Illa primi generis habentur pro θεματικοῖς *, à quibus obliqui casus descendant: sed obliqui sunt in usu iis, qui puro sermone usi sunt: nominativi verò, de quibus collegere ex obliquis, ignorantur classicis scriptoribus: neque unquam fuere in usu; vel si fuere, obsoleverunt. Hujusmodi est, cùm, quia *feminis*, & *femine*, dicitur; eò & *femen*, pro *femur*, effertur. Servius sanè agnoscit, nusquam

* Prima positura vocabulis.

femen

femen legi: etsi ob Capri auctoritatem non planè id repudiare ausit. Priscianus ait, in raro usu esse. Sed cur non laudat auctorem, cùm sciret, quid Caper, Charisius, & Servius, de eo scripsissent? Quare (ut diximus lib. I de Analog. cap. XLVII) rectè Charisius, qui *femine* dicit esse à *femur*, quod & *femoris*, & *feminis* facit. Unde Maro in X:

—— ocius ensem
Eripit à femine.

Ubi Priscianus legit *femore*. Sed *femine*, non *femore*, etiam in optimo, & antiquissimo codice scribi, ait Pierius. Locutusque eodem modo Arnobius lib. IV adversus Nationes: quo loco Bromius dicitur, *ex femine uterum natus patris*. Ita legi debere, non *femore*, ut est in vulgatis, & res clamat, & Stewechius jamdiu observavit. Sunt qui distinguant cum Valla †, ac *femen* dicant esse posteriorem, carnosioremque pulpam; *femur* verò anteriorem partem: vel *femora* esse exteriora, *femina* interiora, seque contingentia; unde *interfeminium* Appuleio. Sed hi cum Sabinus, quod volunt, somniant.

† Lib. 4. Eleg. cap. 57.

Similiter in recto aliqui usurpant *Quiris*. Nam, inquiunt, ut patrius casu *litis*, ac *Samnitis*; item accusativus, *litem*, ac *Samnitem*, descendunt à *lis*, & *Samnis*: itidem ex eo, quòd *Quiritis*, & *Quiritem* legamus, colligimus de recto *Quiris*. Ac *Quiritis* quidem apud Horatium extat lib. I epist. VI: in accusativo *Quiritem*, cum apud alios, tum Ovidium primo Amorum eleg. VI:

Aut si pulsassem minimum de plebe Quiritem,
Plecterer.

Sed rectum invenio nusquam, nisi apud Sergium: idque, inconstanti lectione; cum aliquibus in libris sit *Quiris*, in aliis *Quiritis*. Nec si Sergius dicat, unde ἀναλόγως *Quiritis*, & *Quiritem* formentur, eò rectus fuerit in usu. Quemadmodum nec, quia *Patres* de Senatoribus dicimus, eò *patrem*, vel *patrem conscriptum* dicimus: ut monitum antiquo Persii Scholiastæ. Egi de hoc quoque lib. I de Analogia cap. XLI.

Freni, & *frena*, in plurativo legas apud classicos non uno in loco. Quæritur, an similiter *frenus*, & *frenum*, proba sint. *Frenum* accusandi casu; *freno* item, auferendi, reperias sæpius. Sed hinc de recto nihil statuere possis. Eoque neutro utar. Tutiùs interim *frenum* usurpes, quia Charisius, & Diomedes, dicant, *freni*, quod à *frenus* foret, carere singulari: ut vel neutrum videantur agnovisse, vel duntaxat *frenum*, unde *frena*.

Capistro maritali, & *capistris frenare*, ac similia istis, legas apud idoneos scriptores. Sed hinc colligere nequeas, utrùm in plurali *capistri*, an *capistra*, singulari *capister*, an *capistrum*, debeat dici. Rectum potiùs est *capistrum*. Isidorus lib. XX Orig. XX. cap. ult. *Capistrum à capite jumentorum dictum*. Glossæ Philoxeni: *Capistrum*, φορβειά. Onomasticon Græco-Latinum: *Capistrum*, κημός. *Capistri* tamen in plurativo dicere jubent Grammatici. At vellem id idoneo fulcirent auctore.

Clathros est apud Horatium in Arte, & *clathri* itidem in plurativo apud Columellam lib. VIII cap. XVII. Ac ejusdem libri cap. III legas: *Fenestræ clathris muniantur, ne possint noxia irrepere animalia*. Itidem glossæ Philoxeno tributæ: *clathri*, Κανόνες, οἱ ἐν θυρίσιν ὀβελίσκοι. Indeque & *clatbro* apud Columellam; quod onomasticon Latino-græcum κλειδόω exponit, & *clathrata fenestra*, apud Plautum Milite. Sed quæritur, num in recto nominis *clathrus*, an *clathrum*, dici debeat. Prius suadet, quòd *clathri*, non *clathra*, legamus: posterius verò Grammaticis placet: & pro iis est, quòd *claustrum*, Græcè sit κλῇθρον, κλεῖθρον, &, Hesychio teste, κλαῖστον: nempe ἀπὸ τῦ κλῄξαι, sive κλεῖσαι, *claudere*. Sed quia nuspiam, vel *clathrus*, vel *clathrum*, legitur; tutiùs utroque abstinebimus.

CAP. XVI.

Acceditur ad ea, quæ derivatione peccant. Patronymica in DES non formari à nominibus Latinis: vel saltem non habere locum in oratione soluta. Pro Æthiopissa *dicendum* Æthiopis, *vel* quædam ex Æthiopia. Virunculus *cur non dicatur, sed* homullus. Domina Dux, *vel* Comes, *præfertur vulgaribus* Ducissæ, *&* Comitissæ *nominibus*. Archidux, *ut* archigubernus, *vel* archipherecites. *Barbara esse sex ista vocabula penè eruditis omnibus usurpatissima*, albedo, nigredo; gratitudo, ingratitudo; certitudo, incertitudo: *& quomodo pro iis dici oporteat. Valerium Maximum dictionis puritate vinci ab aliis Tiberiani ævi scriptoribus. Pro* pinnaculo *dicendum* pinnas; *pro* lacticinio, opus lactarium. *Qui* lactarii, *&* dulciarii.

AB iis rectis, quæ ex obliquis vitiosè sunt efficta, venio ad vitiosè derivata. Ubi primò considerabimus novè, & præter usum à nomine deducta. Inque his principem locum dabimus patronymicis, gentilibus, possessivis ac diminutivis.

Corneliades, *Laurentiades*, *Martinides*, *Carolides*, & similia patronymica in DES, multis sunt in usu, etiam in prosa: sed contra veterum Romanorum morem; qui eo, quòd formatio istiusmodi sit Græcanica, in Græcis solùm uti solent: quomodo ab Atlante avo Mercurius dicitur *Atlantiades*; Græci à rege Cecrope, *Cecropidæ* vocantur: vel in Latinis quidem; sed raro, nec nisi in carmine: ut Romani a Romulo *Romulidæ*; Scipionis posteri, *Scipiadæ*; ab Honorio *Honoriades*, Claudiano in Epithalamio:

—— Sic natus in ostro
Parvus Honoriades genibus considat avitis.

Collapso tamen sermone Romano, hujusmodi ficta esse à Grammaticis, non ivero inficias. Quale fortassis Fulgentii Grammatici cognomen *Planciades*; quod ex *Plancius*, factum puto.

Nec temere omnibus utar gentilibus, quæ in ISSA terminantur; ut *Æthiopissa*. Scio, Numer. XII. I, legi, ἕνεκεν τῆς γυναικὸς τῆς Αἰθιοπίσσης: ubi similiter vetus interpres, *propter uxorem ejus Æthiopissam*. Sed apud neminem desito jam puri sermonis usu reperias. Itaque Eustathius in Odyss. Δ † ait, ita vocari ἰδιωτικῶς, h. e. *more idiotarum, ac vulgi*. Jubet autem περιφραστικῶς * sic efferre, ἡ ἐξ Αἰθιοπίας †, puta γυνὴ *. Sed possis & dicere Αἰθιοπία γυνή, quod apud Euripidem, vel simpliciter ἡ Αἰθιοπίς, quod & herbæ nomen non Dioscoridi modò lib. IV cap. CV: sed & Plinio lib. XXVII cap. IV: *Æthiopis folia habet phlomo similia*. Meliùs igitur *Æthiopis quædam*, vel *quædam ex Æthiopia*, quam *Æthiopissa* dicatur.

† Pag. 1486. edit. Roman.
* Per circumlocutionem.
† Ex Æthiopia.
* Mulier.

Diminutiva quædam in *unculus* exire, notum: ut *latro latrunculus*; *homo*, *homunculus*. Ad quorum exemplum à *viro* formant *virunculus*. Sed tum sexus dignitati, tum etiam, quòd à viribus esset *viri* nomen, datum hoc à Romanis fuit, ut ne inde formaretur diminutivum; quod viris parvæ staturæ, qui sæpe animi & corporis viribus præstant, à longurionibus (ut Varro † eos vocat) contemtim objectaretur. Maluere igitur à voce utrique sexui communi *homunculos*, *homullos*, & *homunciones* nuncupare.

† Triphallo, apud Nonium.

Præcipuè verò peccari solet in illis à nomine derivatis, quæ cum proprium non haberent nomen, communi denominativorum vocabulo signarentur. Ordiar à substantivis: ac priùs loquar de illis in vocalem A, vel O, exeuntibus: hinc de terminatis consonâ.

Ducissam, vel *Comitissam* haut lubens dicam: sed potiùs *Dominam Ducem*, vel *Celsissimam Ducem*: item *Dominam Comitem*, vel *Comitem illustrissimam*. Si enim *Dux* in viro sit nomen dignitatis; erit & in femina, cùm vocabulum sit generis communis: ut ostendit hoc Cicero nis in Lælio: *Natura rex vivendi dux optima*. Et in Arateis:

Qua fidunt duce nocturnâ Phœnices in alto.

Ac par ratio in *comes*: ut in primo de Analogia ex Ovidio, & Valerio Flacco, ostendi. Dixeris, etiam *antistes*, *cliens*, *hospes*, esse generis communis; & tamen ex se formare hos traduces, *antistita*, *clienta*, *hospita*. Non diffiteor:

teor: sed his utor, quia praivere veteres: illis non item, quia auctoritas deficit. Quæras, an ut *illustrissimam Ducem*, ita & *Archiducem* sim dicturus. Sane non valde placet ea vox in masculino ipso, quia hybrida est, & ex Græco Latinoque conflata. Sed variare illustrium heroum titulos non cuivis permittitur. Et non est deterius, quam *archigubernus*, pro summo gubernatore apud Jabolenum ad Senatuscons. Trebell. L. XLVI. *Seius Saturninus archigubernus testamento reliquit hæredem Valerium Maximum trierarchum.* Excusatius interim *archigubernus*; quia dici possit non esse ex ἀρχὸς vel ἀρχὴ, & *guberno*: sed ἀρχὸς, & κυβερνήτης. Sed si propterea *archigubernus* dissimile sit: fortasse similius sit *archipherecita*, sive ἀρχιφερεκίτης: quomodo vocarunt eum, qui exacte scit capita ac titulos Talmudis, eosque aliis interpretatur: nempe ex Græco ἀρχὴ, & Hebræo פרק pherec, hoc est, *caput*.

Terminatorum vocali O quædam exeunt in EDO: ut *albedo*, & *nigredo*: vel TUDO, ut *certitudo*, *incertitudo*; *gratitudo*, *ingratitudo*. Hæc sex vocabula ordine expendam.

Albedo, & *nigredo*, usurpat Theodorus Gaza, cùm alibi, tum in Historia Animal. cap. ult. Etiam *albedinis* vox excidit Angelo Politiano lib. VII, epistolâ ad Pandulfum Collenutium, ubi ait: *Et in gnaphalio signa congruunt, albedo, mollitiaque foliorum.* Et elegantissimo scriptori Paulo Manutio, cujus illud lib. I epist. IV: *Cum Anaxagora, nivem atram judicante, frustra de albedine disputares.* Item Cæsari Scaligero Animadversionibus in Theophrasti Histor. Plantarum lib. III cap. XI: *Cui albedo attributa est a natura.* Video nec refugisse P. Merulam Cosmographiæ Parte II, lib. III. cap. XI. Nec tamen existimandum, vocem eam demum à sex septem seculis irrepsisse. Nam apud Cassiodorum, qui anno vixit quingentesimo, legas lib. XII Var. epist. IV. Quin ita locutus toto seculo prior, interque Ecclesiasticos nulli puritate secundus, Sulpicius Severus lib. I Historiæ: *Species in modum coriandri seminis glaciali albedine erat.* Imò si Colvium, & Casaubonum, audimus, duobus ante Sulpicium seculis eo usus sit Appulejus in Apologia; ubi sic emendant: *Enimvero si perniciosa illa albedo intus cohibita, & bili atrâ sociata, venis omnibus furens pervasit.* Ut nempe sic exprimatur Platonis† illud: Τὸ λευκὸν φλέγμα ἀποληφθὲν, μετὰ χολῆς μελαίνης κερασθὲν*. Sed vox *dulcedo*, prout in Aldina, aliisque omnibus editionibus legitur, isti loco accommodatior est, quam *albedo*: quemadmodum ad eum locum comprobat Scipio Gentilis. Quod nisi esset, dicerem non ita magnam eorum rationem habendam, quæ demum tempore Appuleii in usu esse cœperunt. Nihilo magis movet, quod apud veterem Juvenalis scholiastem, quem Probum esse, quidam habent persuasum, legere sit in sat. IX vers. CIII: *Aut albedine cadurco cucullo.* Nam pro *albedine*, ibi *albelione* legendum; ut visum quoque Jano Rutgersio Var. Lect. lib. VI cap. XVIII. Est verò *albelio* capitis tegmen; quod istoc versu signari, idem commentator ait:

> *Atque ibi contentus Veneto, duroque cucullo.*

Et ab eo *albeliunculus* scripserat idem commentator in sat. VIII vers. CXLIV: ubi nunc legitur vulgo *ardeliunculus*. Hæc satis ostendunt pro *albedo* esse, vel *albor* dicendum, cùm Varrone; vel *albitudo*, cum Plauto. Non audiendus igitur Ludovicus Carbo, qui lib. I de Elocut. Orat. ut *species* dixit Cicero; *specierum* autem, & *speciebus*, reformidat: ita *albedinibus* quidem refugere jubet: sed *albedo* in recto rectum putat.

Quod vero de *albedinis* vocabulo dixi, idem dictum velim de voce *nigredo*: quamquam eo nec uti dubitarit, non dico Jornandes†, & ejus farinæ alii: sed etiam Theodosiani ævi scriptor Marcellus Empiricus cap. XIX*: *Ad nigredinem, & maculas colli, & vultus purgandas.* Item Martianus Capella, (qui paullo ante annum sexcentesimum vixisse putatur) lib. I† de nuptiis Philologiæ: *Hujus vero* (Junonis) *calcei admodum furvi quorum solea atra noctis nigredine coloratur.* Nec abhorret id vocabulum Jul. Scaliger lib. I de caussis L. L. cap. IV. Pacuvius pro eo *nigror*, Plinius *nigritudinem*, vel *nigritiam*, Cornelius Celsus *nigritiem* dixit: quem vide lib. VII: cap. II, III, & IV.

Certitudinis, & *incertitudinis* vocabula itidem ignorant scriptores Romani. Etsi ea etiam apud illos reperias, qui prorsus Ciceroniani videntur. Uti Joachimum Perionium in translatione Clementis Romani epitomes de gestis Petri & vita sua†: *Volo te mulier nostræ fidei certitudinem cognoscere.* Sed veteres aliter. Ac apud eos passim pro *incertitudo* reperias *incertum*, genere neutro. Ita Tacitus lib. III Annal. dixit *incertum maris*: & lib. IV, *belli incertum*: uti & Justinus lib. XXXVIII. Ac similiter *incertum salutis*, apud Appulejum IV Metam. & Minucium Felicem in Octavio. Hilarius quoque epistolâ ad Augustinum: *Quid opus fuit hujuscemodi disputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari?* Imprimis verò hoc loquendi genere gaudent Jurisconsulti veteres. Ut *conditionis incertum*, apud Papinianum, L. XI. D. de bonorum possessionibus secund. tabul. Atque idem legas L. I. C. de pactis: quo loco Bartolus, hujus locutionis ignarus, malè intelligit fidei commissum sub conditione factum. Eoque nomine culpari meruit ab Alciato lib. IX Παρέργων Juris cap. XX. Sic *incertum rei* L. XI. D. de hæred. vend. & L. XII. D. de act. empt. Item alibi in iisdem Digestis, *incertum cautionis*, *incertum successionis*, *incertum ætatis*, ac *restitutionis*. Et in Codice Justinian. *incertum litis*. Item in Cod. Theodos. *incertum antiquitatis*, & *incertum contentionis*.

Gratitudinis etiam, & *ingratitudinis*, vocabulis nihil nunc usitatius. Priori usus & Justus Lipsius argumento in Senecæ lib. II de Beneficiis, posteriori jam olim Cassiodorus Variarum lib. I epist. XXX. Sed vel istoc, vel alterum vocabulum qui amet, nvalem me habiturus non est: quippe qui sciam nescire hæc ab iis, qui castè locuti sunt; etsi à *gratus*, & *ingratus* similiter deduci possent, ac à *magnus*, & *amplus*, descendunt *magnitudo*, & *amplitudo*. Sed attendere oportet, quid usus ferat. Cicero quidem quàm *gratitudinis* vocem refugerit, vel ille locus fidem fecerit, qui est primo de Legibus: *Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit?* Quotusquisque vulgò non diceret, *comitatem*, *benignitatem*, *gratitudinem diligit*. Similiter *ingratitudinem* quam vocant, ἐυφημῶς lib. IX epist. II ad Att. cùm ait: *Sed quia ingrati animi crimen horreo.* Alibi prætulit vocem Græcam, ut cùm lib. IX epist. VI ad Att. inquit: *Sed ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam.* Itidem L. pen. C. de libertis, & eorum liberis, *actionem ingrati adversus liberos competere* ait: pro, *ingratitudinis*. Etiam apud Livium lib. XXXV, legas de T. Quinctio Flaminio, indignante ob Eurylochi Magnetarchæ vocem ingratam: *Ita exarsit irâ, ut manus ad cælos tendens, Deos testes ingrati ac perfidi animi Magnetum invocaret**. Atque hinc liquet, lemmata illa in Valerio Maximo non esse ab ipso Valerio; ut in quibus sint ignota antiquissimis illis Romuli nepotibus *gratitudinis*, & *ingratitudinis* nomina: nisi dicamus, haut usquequaque autorem hunc puritatis fuisse studiosum: ut apud quem in ipso operis ingressu legamus: *Mea parvitas eo justius ad favorem tuum decurrerit*: qui sermo Justo Lipsio jure videtur servilis, & cellarius; neque sibi persuadere potest, esse ab eo ævo, & hac propter duabus primis vocibus, sed contra codicum omnium fidem, expunctis, legendum putat: *Ego justiùs ad favorem tuum decurrero.*

Venio ad exeuntia in consonam. Tale est, quòd ut à *cœna* est *cœnaculum*, à *taberna*, *tabernaculum*: sic à *pinna* formant *pinnaculum*. Id Sipontinus notare ait summitatem ædificii. Et, credo, sic posteriori ævo loquebantur. Nam usurpat ita vulgatus interpres Matth. cap. III. Quem & sequitur Erasmus. Sed antiquiores, quod Græcis πτερύγιον, *pinnas* malunt appellare.

Lacticinium à *lacte* formarunt, quo pacto à *patronus*, *patrocinium*; à *tyro*, *tyrocinium*; à *leno*, *lenocinium*.

Sed

† In Timæo, pag. 85. edit. Henr. Steph.

* Alba pituita intus inclusa cum bile atra permixta.

† De rebus Geticis cap. 3

* Pag. 131. edit Froben.

† Pag. 18.

† Pag. 595. edit. Parisi. Sonn. an. 1568.

* Pag. 105.

Sed *lacticinium*, vel *lacticinum*, haut legas, nisi apud infimam ætatem. Itaque usitatè, at barbarè dici, meritò scribit Hermolaus Barbarus in glossis Plin. Nec diffitetur, in opusculo, Hieronymo attributo, vocem hanc legi: verùm autumat, non fuisse à doctis receptam; ac fortasse nec libellum hunc esse B. Hieronymi. Dicendum autem pro eo, *opus lactarium*: quomodo non modò Lampridius appellat in Heliogabalo, sed etiam purissimus scriptor Cornelius Celsus. Qui verò hujusmodi opus facerent, *lactaris* vocati: ut qui efficerent id e melle, & aliis dulcibus, *dulciarios* vocitabant: quos ibidem Lampridius conjunxit.

Cap. XVII.

De denominativis adjectivis: quorum plusculæ rejecta, tanquam improbioris moneta. Ut ex finitis in IS, partialis *pro* cupido, *partiumque adversarum studioso. Item* casualis *pro* fortuitus: meridionalis, *pro* meridianus, *vel* meridialis, *quale est* æquidialis. *Ex terminatis syllaba US*, plebanus, capitaneus, bibliothecarius, thesaurarius, distillarius, dictionarius *vel* dictionarium, uxoratus, privilegiatus, bovinus, *&* bovillus. Duracinus *nunc compositum esse, nunc simplex derivatum: priori modo competere uvis, ob duritiem acinorum: posteriori convenire cerasis, & persicis, ob carnem duriorem; sicut* mollusca nux *à molli putamine. Improbatum* quercinus *pro* quernus, *vel* querciscus: somnolentus, *pro* somniculosus: ridiculosus *pro* ridiculus: facetosus, *pro* facetus: jactuosus, *pro* jactabundus.

Videamus nunc de adjectivis: ex quibus tantummodo dicam de terminatis litera S. Nam omnia si consecter, quando finis erit? Solùm igitur excerpam aliqua de finientibus in *alis*, *anus*, vel *aneus*, *arius*, *atus*, *lentus*, *inus*, *linus*, *osus*.

Ut à *Mars*, sive dativo *Marti*, fit *Martialis*: sic à *pars*, *parti*, fit *partialis*. Analogia igitur non repugnat; sed usus. Vulgus tamen barbarum *partiales* dicit eos, qui partium studio abripiuntur, affectusque ita unis mancipant partibus, ut nihil pensi habeant, quid rectum sit, dum eos hoc juvet, quibus student. Quales ab hoc affectu etiam *cupidi* dicuntur: ac contrariis iis homines *moderati*, qui & æqui esse solent. Cicero pro Fonteio: *Igitur testibus, Judices, non credere cupidis, & iratis, & conjuratis, non solùm potestis; sed & debetis.* Item: *Quorum virtuti, generi, rebus gestis, fidem, & autoritatem in testimonio cupiditatis, atque inimicitiarum suspicio derogavit.* Ac postea sæpius: item pro Muræna.

Nihilo magis analogia restagatur, quando à *casu* dicunt *casualis*. Sed qui purè locuti, malunt pro eo *fortuitum*.

At dissimile est, cum vulgò à *meridie* formant *meridionalis*. Nam quæ hic ἀναλογία? Imò maxima, inquiunt: quia similiter a *septentrio* est *septentrionalis*. Minimè verò: quia N in *septentrionalis* est ab obliquis. Quippe *septentrionis* dicimus. At *meridionis* inauditum. Rectum igitur est *meridianus*: quod Plinio, Suetonio, aliis, usurpatum. Verùm obtendunt, apud Agellium lib. II cap. XXII alterum legi. Scio: sed ὁ πάνυ Salmasius† ait, in antiquo se codice *meridialis* reperisse. Quod ἀναλογία planè requirit. Sic *æquidiale*, ut Festus refert, apud antiquos dictum est; quod nunc *æquinoctiale*.

† In Solin. ubi de austro, p. 1248.

Plebanus fingere nihil opus, cùm possimus dicere *pastorem parœcia*, vel simile.

Capitaneus vulgo ajunt pro *centurione*, vel universarum copiarum præfecto. Imò & hinc κατ' συγκοπὴν *cataneus* fecere. De utroque dicam lib. III cap. III.

Non dubium est, quin ut à *pomum* est *pomarium*, à *capsa capsarius*, (quomodo Suetonio, & Ulpiano vocatur, qui pueri scholas adeuntis capsam custodit librariam:) sic à *bibliotheca bibliothecarius*, à *thesauro thesaurarius*, ἀναλόγως formentur. Sed veteres nesciunt eas voces. Quare ut Græci dicunt βιβλιοθηκοφύλακα, sic Latinè *bibliotheca custodem*, vel *præfectum*, vocabo, vel *præpositum*. Sanè potuit Suetonius in illustribus Grammaticis appellare Hygenum *bibliothecarium Palatinum*. Sed maluit pro eo, *Palatina præfuit bibliotheca*. Pro quo etiam dicitur; *fuit à bibliotheca Palatina*. Vetus marmor: ANTIOCHUS TI. CLAUDI CÆSARIS A BIBLIOTHECA APOLLINIS. Aliud: C. JULIUS FÆLIX A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. PALATINA. Similiter, qui Græcis θησαυροφύλαξ, Latinè vocetur *a thesauris*, vel *thesauri custos*, aut *præfectus*. Sed quem vulgo *thesaurarium* nuncupamus: is Latinis potiùs *quæstor*, vel *ærarii præfectus*.

Eadem terminatio est in *distillarius*: quod legi ajunt apud Senecam epist. LVI. Ac probat Cælius Rhodiginus lib. XVI cap. XLVI. Putat verò, ut à *distillando distillatio* legitur pro *libamine*, sive *crustulo*: sic à *distillatione distillarium* dici pro *crustulario*. Sed ἀναλογία refragatur, sive a supino *distillatu* derives, ut ab *admissu admissarius*: sive ab dativo *distillatione*, sicuti a *parti partiarius*, a *pomo pomarium*. Præterea libri omnes meliores apud Senecam habent *crustularius*: quod jam diu monitum Opsopœo.

Grammatici, qui purè loquendi artem profitentur, ipsi *dictionaria* inscribunt libros de vocum significationibus: pro quo Angelus Decembrius lib. I de politia literaria parte IV, *cunctos*, inquit, *licet dictionarios evolvas*. Et Thomas Morus lib. II Utopiæ: *Theodorum enim* (Gazam) *non advexi mecum: nec dictionarium aliquem, præter Hesychium, ac Dioscoridem.* Uterque credo *libros* respexit. Uti cum *dictionarium* dicitur, intelligitur *volumen*. Naturâ enim adjectivum fit, ut alia in *arius* à substantivis derivata. Interea quàm ignotæ sint hæ voces antiquis, arguit, quòd ipsi, in suis, ut sic dicam, dictionariis, eam vocem prætereunt. Satius igitur sit vel λέξεις γλωττικαὶ cum Græcis dicere (sic enim solent veteres appellare, quæ juniores vocitant λεξικὰ) vel possis περιφράζειν, ut facit Paullus Manutius commentario ad Cic. lib. XI ad Att. ep. I: *Hac*, inquit, *ex eorum libris, qui dictionum sensa collegerunt, cuivis licet petere.*

In *atus* quidem exeuntia sunt substantiva, ut à *senibus senatus*, à *magistris magistratus*: at non item adjectiva, quale ab *uxore* est *uxoratus*, pro eo *qui uxorem habet*. Item à *privilegio privilegiatus*, pro eo qui *privilegium habet*; ut Seneca loquitur in secundo de Ira: *Nam si dicis illum æquo animo laturum, nullum habet privilegium.* Sed voce unicâ *privilegiarius* dixeris: ut ab *ostium ostiarius*, à *frumentum frumentarius*, à *topium topiarius*. Usus Ulpianus L. X. D. de pactis. *Sed an & privilegiariis absentibus hac pactio noceat.* Et L. XXIV. §. ult. D. de rebus auctor. jud. *Eorum ratio potior est creditorum, quorum pecunia ad creditores privilegiarios pervenit.* Ac alibi similiter. Imò & *privilegia* pro *privilegiariis* creditoribus possis efferre. Sic eam vocem legas L. VII. §. quoties. D. depol. & L. XXIV. §. in bonis. D. de rebus auct. jud. & L. XVII. §. penult. de rebus auct. jud.

Bovinus etsi ἀναλόγως à *bove* deducatur, Valla etiam eo utatur: abstinendum tamen censeo, quia veteres omnes *bubulæ carnes*: & Fabius *bovinus* censeat barbarum. Plinii esse ajunt, *bovilla carnis jure facilè curatur*. Sed locum non indicant, ut hactenus sit suspectus. Nec par ratio istorum. Nam *bovillus* dixisse, arguunt *Bovilla* in Latio, ad quas Clodius interfectus. Glossæ: *bovilla*, βοεσκία. Dixeris, ut à *tantus*, *tantulus*, *tantillus*; à *mamma*, *mammula*, *mamilla*: sic à *bovinus* ἀναλόγως fore *bovinulus*, inde *bovillus*. Similiaque etiam esse *unulus*, *ullus*; *vinulum*, *villum*. Sed dispar horum ratio. Nec enim *bovilla* significationem habet diminutivam, ut alia, quæ memoravimus. Ac simile è Festo *avilla*, pro *ovilla*, h. e. recentis partus agna.

Etiam ex adjectivis quædam denominativa exeunt in CINUS. Ut a *durus*, *duracinus*. Quamquam aliquis hoc non tam simplex esse derivatum contendat, quàm compositum. Constat enim uvas *duracinas* sic vocari à *duris acinis*.

nis. Non diffiteor. Sed nobis sermo de duracinis simpliciter a *duritie* sic vocatis: quomodo præcipuum cerasi genus *duracinum* dicitur, quia durioris sit carnis: quomodo etiam persica, (quibus id nomen a patria Perside †, ubi dicuntur * venenata) *duracina* & ipsa nuncupantur, itidem à duritie carnis: contra quam *mollusca* nux Plinio ‡ à mollitie putaminis sic nuncupatur. Ut abunde liqueat, *duracinus* bifariam dici, ac quandoque non esse partem compositi, sed productionem derivati. Sic igitur colligat aliquis, ut à *dura* est *duracinus*; etiam à *quercu esse quercinus*; quod passim obtinet apud Medicorum filios. Imò horum exemplo apud Josephum Scaligerum legas in sexto Conjectaneorum: *Quercina corona Deorum inferorum:* verum veteres illo usi nunquam. Sed pro eo κατὰ συγκοπὴν dixere *quernus*, vel *querneus*, vel etiam *querceus*: ut apud Suetonium in Caligula cap. XIX. *Quercica corona.* Nempe ut ab *hostis hosticus*, à *modus modicus*: sic à *quercus quercicus*.

† Lib. 15. cap. 13.
* Nicander: sed Persicam, cum Persea confundere ait Plinius ibidem.
‡ Plautus Calceolo apud Macrobium lib. 3. Saturn. c. 18. & Plin. lib. 18. cap. 22.

Quædam etiam in LENTUS terminantur: quomodo à *vino* est *vinolentus*, ab *esca esculentus*. Similiter à *somno somnolentus* obtinet etiam inter doctissimos. Sed *somniculosus* cùm Tullio malim: saltem donec de altero occurrat classici alicujus auctoritas. Possis & dicere *somni plenus*, aut *gravibus oculis*, cum eodem Cicerone.

Ridiculosus si in seria dicam oratione, metuo ne risum debeam. Usus tamen Gaspar Ursinus Velius, vir cæteroquin doctissimus, ac poeta egregius: qui illud Græci epigrammatis,

Νῦν δ' ὁ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότατος:

vertit hoc pacto:

Quandoquidem hæc vita est ridiculosa magis:

Ubi Latinè *ridicula* diceretur; vel, si cum Plauto, Agellioque, malis, *ridicularia*. Dixeris, legi apud Plautum Sticho, act. II sc. II.

DIN. *Post autem advexit secum parasitos.* GEL. *Hei perii miser.*

DIN. *Ridiculosissimos.* GEL. *Reverram hercle hoc, quod converri modo.*

Verùm quid si dicamus, *ridiculissimos* legendum, quo eâpse scenâ usus antea Plautus? Imò Valens Acidalius putat, hoc versum exigere. Sed de eo fallitur. Nam stabit versus, si contrahas *ridiclosissimos*. Et *ridiculosissimos*, est in omnibus Mstis, & editionibus ante Pareanam cunctis. Quare sic potiùs censeo, vocem eam de risu à Plauto esse ridiculè confictam, ad vexandum parasitum, & risum scenæ excitandum.

Nec *facetosus* Latinum. Agnoscit quidem Nizolius propter illud in secundo de Finibus: *In quantam hominum facetosam urbanitatem incurratis.* Ut à Badio Ascensio editum. Sed Stephanicæ, Lambiniana, illa Gulielmii, ac Gruteri, habent *facetorum urbanitatem*: quod sine dubio rectum est.

Nihilo rectiùs *jactuosus*, quod à *jactu* esse volunt. Sed *jactabundus*, vel *jactator*, pro eo dicunt Latini. Idemque judicium de adverbio *jactuose*. Nec dissimulare interim possum, apud Nonium Marcellum legi: *Jactuosa positum pro jactantes. Cicero in Oratore: Cum sint luminosa, & quasi jactuosa partes duæ.* Prout est etiam in optimæ notæ Mso nostro Nonio. Sed vitioso codice deceptus Nonius fuit; ut sæpe aliâs. Nec enim esse librarii lapsum, arguit, quòd *jactuosus* reponat inter inchoata ab i. Adde quòd similiter referat in *Luminosus*. Apud Ciceronem verò rectè in castigatioribus codd. legitur, *actuosæ*: quod in omnibus Mstis, & vulgatis, quos quidem viderit, reperisse se testatur Lambinus. Itidem laudant ex Cicerone: *Cùm sint multa jactuosè dicta.* Sed hic quoque *actuosè* legi debet: quomodo idem tertio de Oratore dixit: *Quàm leniter! quam remissè! quam non actuose!*

CAP. XVIII.

De verbalibus, quæ non videantur fori esse Romani. Cujusmodi sunt registrum, *pro* regesto: computus, *pro* computatione: suppositorium, *pro* turundo: cambium *pro* collybo, *sive pecuniæ permutatione:* mediator, *pro* sequestro, *sive* conciliatore, *vel* internuntio, *aut* interprete. *Adverbialia etiam aliqua culpanda: ut* modernus *pro eo, qui nostro vivat tempore:* intrinsecus, *pro* internus; extrinsecus, *pro* externus.

HAbemus de nominibus à nomine derivatis: nunc pergamus ad nomina illa, quæ à verbis, vel adverbiis, originem ducunt. Ingens hic se offert seges verbalium: quæ haberi debeant pro dehonestis, ac deculpatis; ut ea vocaret Agellius †. Tale est *registrum*: quomodo in genuinis Gregorii Magni libris sunt duodecim illi, qui *Epistolarum*, ac *Registri* nomine inscribuntur in editionibus cunctis. Ac, paullo etiam ante proavorum ætatem, voce eâ vix usitatius aliquid Grammaticis fuisse videas. Atqui ne ἀναλόγως * quidem facta est. Nec apponi meruisset, nisi & Calepinus toties à variis recoctus, & Thesaurus Rob. Stephani, sive Forum Rom. Curionis, eam agnoscerent, ac tuerentur illo Flavii Vopisci loco in Probo: *Usus etiam registris scribarum porticus Porphyreticæ.* Ita quoque legit Joannes Kahl, in Lexico juridico. Imò sic in Mstis suis reperit Casaubonus. Sed non Salmasius: in cujus chirographis fuit *regestis*: quomodo & excudit Rob. Stephanus. Estque id vocabulum etiam in codice Theodosiano: & apud Prudentium in Romano:

† Lib. 19. cap. 10.
* Ad morem vocum aliarum.

Hic in regestis est liber cælestibus.

Imò & apud Anastatium in Vitis Pontificum; ubi de Nicolao I: *Sicut in epistolis, regesto ipsius Præsulis continetur insertis.* Gloss. Basil. Κηνσεῖν, καὶ ῥεγέσταν, τὴν ἀπογραφὴν τῶν ἀρχαίων †. Ac ἀναλόγως, ut à digerendo *Digesta*; ita *Regesta* à regerendo: quo usus Fabius lib. II cap. XII *: *Unde fit, ut dissoluta, & ex diversis congesta oratio cohærere non possit, similisque commentariis puerorum sit, in quos ea, quæ aliis declamatoribus laudata sunt, regerunt.* Ubi in aliquibus libris corruptè est *redigunt*: in Aldinâ, *congerunt*. Sed *regerunt* est in Fabii membranis; quas ex paterna avitaque bibliotheca donavit nobis illustris Vir, nec à prudentia summa, solidaque doctrina, unquam satis laudatus, Joachimus Camerarius, Regni Suecici ad Fœderatos Belgas multis annis legatus. Etiam *regerunt* legit jam olim Raphaël Regius, commentario ad illud ejusdem Quinctiliani lib. III, cap. VIII †: *Sunt enim velut regesta in hos commentarios: quos adolescens deduxerat scholâ.* Ubi in editione Roberti Stephani perperam est *res gesta*. Sed *regesta* est in Mso nostro antè memorato: item in editione Aldi, & Vascosani: ac sic quoque legit Budæus Annot *. in Pandectas.

† Censum, ac Regestam, quæ in Actorum tabulis sunt, sive archivis.
* Secundùm editionem Rob. Stephani; sed secundùm illam Vascosani cap. 11.
† Edit. Rob. St. p. 146. Sed secundum edit. Vascosani cap. 6. Pag. 45.
* Pag. 97. edit. Rob. Stephan.

Mathematicis, ac Astrologis, usitata est vox *computus*, qui Græcis ψηφισμός. Eam vocem, ignotam veteribus, primus ex iis, quos habemus, nec uno id loco, usurpavit Julius Firmicus: qui Constantini M. temporibus, ac deinceps, vixit. Priores pro eo *computatio* dixissent. Ut Plinius lib. XII cap. XVIII: *Minimâ computatione milies centena millia.* Et lib. XVII cap. XXII: *Operarum ista computatio est.* Ac similiter pro eo, quod Ciceroni in Lælio est, *ad calculos revocare*; *computare* dixerunt Seneca, Quinctilianus, uterque Plinius, & ante hos Plautus Mil. Act. II sc. II:

Dexterâ digitis rationem computat, feriens femur.

Suppositorium vulgo appellant filii medicorum, remedii genus, quod sedi inseritur ad alvum dejiciendam. Sed Marcello Empirico vocatur *turundus*, quasi *terendus*: nempe quia teritur, ac subigitur. Græcis, quia glandis obtinet figuram, βάλανος nominatur. Differt ab eo κλυστήρ, quod medicamenti genus est liquidum, nec sedi modò, sed aliis etiam partibus inseritur. Imò & ipsum instrumentum, quo inseritur, sic nuncupatur. Quale fuerit hoc instrumenti genus, ex non uno Galeni loco licet cognoscere.

Jurisconsultis, atque aliis, usitata est *cambii* vox. Et sanè ut *visum*, βίσιμα, à *visio*, βισίω: ut item ab *efficio*, *efficium*, ac postea *officium*: ita ἀναλόγως *cambium* dicatur

dicatur à *cambio*, h. e. *permuto*. Appuleius in Apolog. *Tu an habeas ad agrum colendum, an ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias, neque scio, neque laboro.* De eadem voce ita Priscianus lib. x †: *Cambio, ἀμείβομαι* *, *ponit Charisius, & ejus præteritum campsi: quod ἀπὸ τοῦ κάμπτω, ἔκαμψα, esse videtur: unde & campsas, solebant vetustissimi dicere. Ennius in x: Leucaten campsant.* Hoc est, τὴν ἄκραν, Λευκάτην λελεγμένην, κάμπτουσι. Nam Latinis *campsare* id est, quod Græcis κάμψαι, h. e. iter flectere. At pro διαλλάσσειν nunquam Græci dicunt κάμψαι: uti Latini *cambire*. Etsi verò *cambire*, pro *commutare*, rectum videatur: *cambium* tamen non dixero: sed vel *commutationem pecuniæ*, aut *permutationem*; vel *collybum* cum Græcis. Nam κόλλυβος, ἀργυρίου ἀλλαγή, ut Pollux interpretatur lib. VII cap. XXX. Imò *collybum* ipse vocat Tullius lib. I, ac III in Verrem, & ad Att. lib. XII epist. VI. Item Ciceronis æqualis Cassius Parmensis, apud Tranquillum in Augusto cap. IV. *Cambium* verò, etsi ἀμμέσως † à κάμπτω derivent, tamen nec Græcum est, nec Latinum; ut Alciatus agnoscit lib. I Παρεργ. cap. XLV.

† Cap. 2.
* Permuto.
† Immediatè, sive proximè.

Theologi (etiam Prudentius carmine in Natalem Domini, & ἀποθεώσει, item Ambrosius, & Augustinus) Christum dicunt *mediatorem*, ut Græci μεσίτην. Cui voci cum non malè respondeat, & nihil Ecclesiasticis sit usurpatius; equidem nec ipse abhorreo. Etsi μεσίτης sit à nomine μέσος, *medius*: *mediator* potiùs sit verbale. Nam ut ab *amare*, *amator*; sic *mediator*, à *mediare*, pro intermedium esse. Sed *mediare* est barbarum. Eo minùs voce *mediator* extra sacrum utar argumentum. Imò ne in istoc quidem id semper fecero. Nam quid opus? Variè enim Latini expressere: præcipuè *conciliator*, vel *sequester*; quomodo & reddidit Apostoli verba Tertullianus *: ne existimemus veteres se *mediatoris* vocabulo adstrinxisse, quod apud veterem est interpretem. Est cùm *internuntium* reddas commodè: vel etiam *interpres*. Sic Plautus Mil. Glor. Act. III sc. I:

> *Ut simulet se tuam esse uxorem, & deperire hunc militem;*
> *Quasique hunc annulum Favia sua ancilla dederit, ea porrò mihi,*
> *Militi ut darem; quasique ego rei sim interpres.*

Fortasse aliquis dicat, *mediatoris* nomen, apud Appulejum legi lib. IX: *Asseverat, parvi se pendere mediatorum præsentiam.* Sed qui attenderit, agi istic de terræ mensoribus, facilè assentiet Wouverio, rescribenti, *tot metatorum.* Est & cùm commodè pro eo dixeris, *arbiter*, vel *arbiter honorarius*, aut *deprecator*. Atque hæc pauca suffecerit excerpsisse ex verbalium tam multis.

* De Resurrectione carnis, cap. 51, & adversus Praxeam cap. 27. qui tamen & Mediatoris voce usus lib. de carne Christi cap. 15. uti & Novatianus de Trinit. cap. 14. 16. 18.

Adjiciam nunc aliquid de iis, quæ ab adverbiis vitiosè derivant: ut cum à *modò* formant *modernus*: quasi *qui vivat modò*, h. e. *nunc*: quomodo hac voce interdum usi veteres, ut alibi ostendimus. *Modernus* usurpat Da. Heins. præfat. in Hesiodum. Mirum autem, id verbi hodieque viris eruditis adeò esse in usu. Imò ante duo secula Joannes Tortellius, vir pro iis temporibus bene doctus (is est, cui Laurentius Valla Elegantiarum libros dicavit) ne *moderniores* quidem refugit in opere de Orthographia, voce ANUS. Nec tamen *moderni* vox nupera est. Usus enim eâ est Beda de metris, eoque antiquior Priscianus, & qui Prisciani ævo vixit Cassiodorus, præfat. Collectaneorum de Orthographia. Diomedes pro *modernis* dicit *neotericos*, à Græco νεώτερος *. Sed quis non videt, hoc ipsum per quendam fieri νεωτερισμόν †? Quare tutiùs eos vocitabimus *recentiores*, aut potiùs *juniores*.

* Junior.
† Morem loquendi novellum.

Ab adverbiis etiam, *intrinsecus*, & *extrinsecus*, adjectiva derivarunt *intrinsecus*, & *extrinsecus*: unde apud philosophos passim nunc legas, *intrinsecas vires*, *intrinseca animi bona*, *intrinsecum bellum*, *extrinseca omnia.* Ac sic ante quinque secula Petrus Blesensis epist. XIV, *extrinsecos janitores.* Sed castè locuti ea semper sunt adverbia; eoque invariabilia per genera, aut casus. Et quid illis opus, cum suppetant *internus*, & *externus*? Item pro *bello intrinseco* dixeris *intestinum*. Usus tamen Baronius in Annal. Ecclesiast. ad an. CLXIV, de Antonino philosopho, *extrinsecam quandam ipse, Stoicæ disciplinæ professor, clementiam ostentans.*

CAP. XIX.

De nominibus compositis, Latio ignotis: ut baccalaureus, *pro* batualius: extemporaneus, *pro* extemporalis: emollidus, *pro* mollis: investimentum, *pro* vestimentum: *& aliis, ubi veriùs compositione ipsa peccatur; ut in* bigamus, *pro* digamus; *utcunque* biclinium *dixerit Plautus: item in* monoculus, *pro* unoculus: compatriota, *pro* sympatriota, *vel* conterraneus: prolificus, *pro* fœcundus: consodalis, coæqualis, confœderatus, contribulis, concivis, *pro simplicibus nominibus, unde componuntur. Adhac in* præfectum, *&* præcisies, *pro* profectum, *&* proficies: *& quid propriè in vocabulis signetur; uti &* porriciendi, *&* porriciarum *vocibus.*

JAm series rerum exigere videtur, ut à vitiis derivationis accedam ad ea, ubi compositione est aberratum. Sed paullùm sufflaminat impetum, quòd quædam non sint vera composita; quædam composita quidem sint, nec tamen vocabulum tam sit vitiosum compositione, quàm derivatione. Prioris esse generis videtur *baccalaureus*: quod à *baccis lauri* compositum putatur. Sed potiùs corruptum censeo ex *batualius*: ut sit à *batuendo*, ex quo *batailje*. *Batualii* verò fuerint vocati, quia jam quasi batuissent cum adversario, ac manus conseruissent: h. e. publicè disputassent, atque ita peritiæ suæ specimen dedissent.

Alterius generis est, ubi in composito quidem peccatur: sed derivatione. Ac tale est *extemporaneus*, quod pervulgatum. At veteres pro eo *extemporalis*. Martialis lib. V c. LVI:

> *Extemporalis factus est meus Rhetor.*

Quinctilianus lib. X cap. VII: *Facilitatem quoque extemporalem à parvis initiis paulatim perducemus ad summam.* Pro quo initio capitis dixerat, *ex tempore dicendi facultas.* Suetonius in August. cap. LXXXIV; *Quamvis non deficeret ad subita extemporali facultate.* Ubi rectè monitum aliis, *deficeretur* legi debere. Nempe error inde, quòd librarii, dum student literarum compendio, *t* lineolâ mediâ paululùm deflexâ pro *tur* scribere soleant. Utcunque verò *extemporaneus* compositum sit minùs Latinum: non tamen compositionis propriè vitium est. Quippe *temporaneus* non ausim dicere; sed *temporalis*, vel *temporarius*; quorum utrumque crebrum in Digestis: prius quoque apud Quinctilianum, & alios.

Etiam *emollidus*, utcunque ex præpositione, & *mollis*, compositum videatur; non tamen ad ea referendum, ubi compositione peccetur; sed potiùs, ubi derivatione. Cum enim non sicut à *caleo*, *calidus*; ab *algeo*, *algidus*; sic à *mollio* dicatur *mollidus*: potiùs *emollidus*, si Latinum foret, verbale esset ab *emollio*. Quomodo se *emollire Catulli versum* ait Plinius præfatione Historiæ Natur. *Emollescere* item ἀπαλύνεσθαι interpretatur glossarium *. Sed apud Livium quem usum volunt lib. XXXIV, ubi sermo est de corporibus Gallorum fluidis, & sitis impatientibus. in vett. libris loco memorato est *mollia*. Nec alibi *emollidus* reperias.

* Philoxeni glossa, Stephanica & Patiana editionis pag. 86.

Etiam derivationis potiùs, quàm compositionis vitium sit, *investimentum*: quia si rectum sit, fuerit ab *investire*: quod est apud Plinium lib. XXXV. cap. VII. Giffanius in Observationibus L. L. ait, esse amiculi genus, quod inducitur vestibus aliis: voceque eâ usum esse Livium lib. IV: *Ne cui album investimentum addere petitionis caussâ liceret.* Sed duabus legendum vocibus, *in vestimentum*. Sententia est, ne liceret prensantibus cretâ candefacere togam: à qua consuetudine est nomen candidatis. Pers. sat. V:

> *—— Quem ducit hiantem*
> *Cretata ambitio.*

Sed ut ista propriè non pertineant ad compositionis vitium:

sunt alia non pauca, quæ propriè compositione peccent. Ac primùm ea, quando aberratur, componendo, contrà veterum morem, vocem Latinam cum Græca. Ut *bigamus*, pro *digamus*. Nam cùm in promptu sit διγαμ☉, quid opus est compositione hybridâ, eâque in voce veteribus ignotâ, ubi suppetit Græcum? Dixeris similiter *biclinium* esse apud Plautum Bacchid. IV. IV. Non hoc opponam, Lambinum ambigere, an non ibi *diclinium* debeat rescribi. Solùm dicam, Græcis in usu fuisse τρίκλινον, unde *triclinium*, quia terni circum mensam lectuli ponerentur: at non obtinuisse apud eos δίκλινον: eoque magis licuisse Plauto, cùm *triclinium* usu suum fecissent Romani, Romanâ compositione etiam dicere *biclinium*.

Monoculus vulgo ajunt, cùm vel Græcè dicendum sit μονόφθαλμ☉, vel Latinè cum Plauto, & Agellio, *unoculus*; qui Martiali *desiotulus*: passim verò antiquis *luscus*, Plauto *cocles*.

Compatriota barbarè, pro *sympatriota*: ut Luciano, item Archippo apud Pollucem, συμπατριώτης: qui & absque præpositione, idque usitatiùs πατριώτης, Latinis *popularis*; *conterraneus* Plinio, qui id castrense ait † vocabulum.

† Præfat. Histor. Natur.

Præterea desito jam puri sermonis usui adversantur vocabula quædam conflata ex duabus Latinis: quale etiam dixeris *prolificus*: quomodo exprimunt, quod Græci dicunt παιδογόν☉, hoc est, prolem procreans, aut pertinens ad procreationem prolis. Voce etiam unicâ *fœcundum* dixeris: quamquam hoc quoque ad plantas se extendat.

Nusquam verò æquè peccatum, quàm in nominibus compositis cum præpositione: atque in his potissimùm præverbio *cum*, sive loquelari præpositione *con*. Id factum in *consodalis*, pro *sodalis*. Itidem *confœderatas* dicimus civitates, vel provincias. Quod nec refugit Justus Lipsius lib. I de Militia Romana dialogo VII: *Socii appellabantur quasi confœderati, & consortes armorum.* Ubi rectum foret *fœderati*.

Simileque *contribulis meus*, pro *tribulis*. Cicero pro Roscio Amerino: *Quasi vero mihi difficile sit, quamvis multos nominatim proferre (ne longiùs abeam) vel tribules, vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt.*

Concivis quoque passim obtinet: nempe ut συμπολίτης ait Paulus ad Ephesios II. 19. Ac Latinum illud probat Valla lib. IV Elegantiarum cap. LXXXIV. Nec in carmine reformidavit Nicolaus Sudorius; qui elegantissimis versibus Pindarum expressit. Ut Pythiorum od. XI:

Nereidum concivis una.

Et Nem. od. X:

Concivem Olympi sedibus intulit.

Sed meritò eam vocem damnat Jul. Scaliger orat. in Erasmum. B. Hieronymum, ac juniorum alios uti, negare non possumus. Sed pro nostra, atque adeo Scaligeri sententiâ, stat omnis antiquitas. Cui ut *amicus* ad *amicum*, ita *civis* est correlatum ad *civem*. Mitto Lucani lib. I, in oratione Lælii ad Cæsarem:

Nec civis meus est, in quem tua classica, Cæsar,
Audiero.

Contentus ero uno Tullio. Ejus est ad Lentulum lib. I epist. IX: *Quod meos cives, & à me conservatos, & me conservare cupientes, spoliatos ducibus, servis armatis objici noluerim.* Simileque hoc pro Milone: *Facinorosorum armis, meos cives, meis consiliis, periculisque servatos, pro me objici nolui.* In eâdem ita loquentem inducit Milonem: *Valeant, valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati.* Idem primâ in Catil. *Servi mehercle mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui: domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? & si me meis civibus injuriâ suspectum tam graviter atque offensum, viderem; carere me adspectu civium, quàm infestis oculis omnium conspici, mallem.* Idem primo de Finibus: *Male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem.* Et paullo pòst: *Debeo profectò, quantumcumque possim, in eo quoque laborare, ut sint operâ, studio, labore meo doctiores cives mei.* Item lib. II de Divinat. proximè initium: *Si optimarum artium vias traderem meis civibus.* Et non multò pòst: *Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potiùs habebunt.* Videmus, ut his locis, liberâ etiamnum Rep. Romanos appellet cives suos, Milonis, Catilinæ. Quin alibi Demosthenem, quem Lucianus, & Suidas, Atheniensem fuisse testantur, civem vocat Pomponii Attici; cujus natalis ab obitu Demosthenis distabat annis circiter ducentis. Locus est ep. I lib. II ad Att. *Quod in eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituit civis ille tuus Demosthenes.* Ex his satis liquet, quantum aberret Valla; dum contendit, haut alium, quàm civitatis dominum, dicere *cives suos*: eoque haut rectè locutum quendam, qui hoc pacto librum orsus erat; *Favonius, civis meus, optime princeps.* Vide autem, quam cautè utatur Petrus Damiani lib. II ep. III: *Ut tyrannidem arripiant super cives; ut ita dixerim, dedignantur esse concives.*

Possis huc etiam referre, quando in compositione cum nomine præpositiones vicinæ confunduntur. Sic *præsectum*, *præsicia*, *præsicies*, & *præsicium*, vulgò legas, & audias: ut Turnebo etiam monitum Adversar. lib. XXII cap. VI: cùm per præverbium *pro*, non *præ*, debeant efferri: quod ex chirographis optimis constat. Nempe ut ab *insecando insecta*, & *insicia*; sic à *prosecando*, *prosectu*, *prosicies*, & similia. Sunt verò *prosicia*, ἀκροθίνια, sive αἱ τ̃ θυμάτων ἀπαρχαί: puta exta, sive victimæ carnes è foco, ubi coquebantur, arreptæ, ac deinde prosectæ: quod ubi fecerant, carnes ita coctas, prosectasque, porrò jaciebant, sive, ut compositâ voce in sacris locuti, porriciebant in aram, quò ibi Diis adolerentur. Id *porricias inferre* dixit Solinus cap. XI.

Cap. XX.

De nominibus, ubi vitiosa est declinationum mistura. Quale est, cùm Helenam, in prima declinandi forma, Tyndariden *vocant, ubi in tertia* Tyndaridem, *efferendum. Deque Horatii loco, quo Clytæmnestra nuncupatur* Tyndaridarum fortissima. *Videri & patrio casu potiùs* Agnes, *ab* Agne; *quàm* Agnetis, *ab* Agnes, *dicendum. Rejectum etiam* epitomata, *pro* epitome; synodum, *pro* synodontem; diacones, *pro* diaconi; Selini, *pro* Selinuntis; Adonim, *pro* Adonidem; Busirim, *pro* Busiridem; gibberem, *pro* gibbum; glomi, *&* glomos, *pro* glomeres; vesperem, *pro* vesperum, *vel* vesperam; insigniis, *pro* insignibus; cubituum, *pro* cubitorum; peni, *pro* penoris, *vel* penûs.

De iis, ubi in ipso casu recto peccatur, quod satis est, admonui. Incipiam hinc de illis agere, ubi vocabulum in recto bene se habet: sed malè per casus suos inflectitur. Neque acervatim de his loquar; sed declinationum ordini insistam. Ac priùs, ubi declinationis forma permiscetur.

Primam, tertiamque, confundunt, qui *Tyndaridam*, vel *Tyndariden*, dicunt pro Helena, vel Clytæmnestra. Planè enim *Tyndaridem* dicendum. Nam vir *Tyndarides*; unde *Tyndaridam*, vel *Tyndariden*, in casu accusandi: femina *Tyndaris*; unde *Tyndaridem*, casu eodem. *Tyndaridæ* igitur Castor, & Pollux: *Tyndarides* verò, Timandra, Echemi conjux; Clytæmnestra, uxor Agamemnonis; Helena, Menelai, ac postea Paridis conjux; & Philonoë, quam Diana reddidit immortalem: ut ex Apollodoro videre est in tertio Bibliothecæ. Objectant, quòd Clytemnestra, quia Agamemnona interemerat, Horatio lib. I sat. I dicatur *fortissima* non *Tyndaridum*, sed *Tyndaridarum*. Respondent aliqui, esse epenthesin, ut *alituum*, pro *alitum*. Magis placet, Horatio *Tyndaridarum* vocabulum esse à *Tyndarides*; sed plurativo ejus comprehendi universam Tyndarei prolem; eoque Clytæmnestram inter Tyndaridas reponi, quia sequior sexus comprehen-

prehendatur vocabulo virili: ut simile sit, ac si dixero, *mei*, de filiis ac filiabus è me genitis: *animæ defunctorum*, de viris, ac feminis.

Agnetem, an *Agnen* virginem, dici conveniat, quæri potest. Equidem, cùm non Latina (ut est apud Augustinum sermone CI de diversis) sed Græca sit appellatio, à vili ἁγνὸς †, vel ἄγνῳ *: potius virgo *Agne* dixerim. Atque ita apud B. Hieronymum est epist. VIII ad Demetriadem, partim initio, partim fine earum literarum: *Omnium gentium literis, atque linguis, præcipue in Ecclesiis, Agnes vita laudata est: quæ & ætatem vicit, & tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecravit.* Prout is locus etiam adducitur in Martyrologio Romano ad XII Kal. Febr. Ac puto, veram esse lectionem, quæ est Prudentii περὶ στεφάνων hymno XIV:

† Castus, purus.

* Vitex, quem fruticem matronæ in Thesmophoriis castitatem custodientes sibi cubantibus, substernebant: unde & nomen. Vide Dioscoridem 1. 135. Plin. 24. 9. Ælian. Hist. Anim. 9. 26.

Agnes sepulcrum est Romuleâ in domo,
Fortis puella, martyris inclyta.

Sic editum à Georgio Fabricio: ubi Pulmannus, *Agnis*. Etiam à Constantina, Constantini filia, in apside ejus Virginis inscriptum:

SACRAVIT TEMPLUM VICTRICIS VIRGINIS AGNES.

Nec tamen de hoc magnopere contendero: quando *Agnetis*, & *Agnetem*, est etiam in Martyrologio Romano, non modò ad diem memoratam: sed etiam VII Kal. Febr. & XII Kal. Maii. Similiterque ad duos priores dies Martyrologium Adonis; ut mittam alios scriptores Ecclesiasticos.

Esto, ut *epitoma*, pro *epitome*, dicatur; quomodo non minus rectum *Alcmena*, quàm *Alcmene*; *Circa*, quam *Circe*; *Lycamba*, quàm *Lycambe*. Declinatio tamen vitiosa, quando inde efformant obliquum *epitomatis*, pro *epitomæ*, vel potiùs *epitomes*. Sic *Livii epitomata* dicunt perperam.

Secundam, tertiamque, confundit Paullus Jovius, in libro de Piscibus, cum *synodum*, pro *synodontem*, ait. Nam rectus Græcis est non συνόδος, sed συνόδων, vel συνόδους: quod dicitur ἀπὸ τῶν ὀδόντων: unde *dentex* vocatur Columellæ, & Apicio: ac sic quoque reddidit Theodorus Gaza †. Rectiùs igitur Actius Syncerus:

† Tralatione. Arist. Hist. de An. lib. 8 cap. 13.

Herculea mullum rupes, synodontas Amelphis.

Diacones, & *diaconibus*, crebrum est scriptoribus Ecclesiasticis: etiam antiquis. Sed hos pietatis potiùs habemus magistros, quàm Latinitatis. Elegantiores igitur semper *diaconus* dicunt: ut Græcè est διάκονος.

Selini patrio casu à *Selinus* perperam dicitur, pro *Selinuntis*. Est enim Græcè Σελινοῦς, ex Σελινόεις; ut *Cerasus*, Κερασοῦς, ex Κερασόεις, *Opus*, Ὀποῦς, ex Ὀπόεις; *Trapezus*, Τραπεζοῦς, ex Τραπεζόεις. Quæ iccirco in patrio casu faciunt *Selinuntis*, *Cerasuntis*, *Trapezuntis*. Hinc in vocandi casu habent, non *Seline*, *Cerase*, *Ope*, *Trapeze*; sed *Selinus*, *Cerasus*, *Opus*, *Trapezus*. Unde Maro Æn. III:

Teque datam ventis linquo palmosa Selinus.

Sic enim, non *Selinis*, ut vulgò exaratum, legi istic oportere, rectè traditum viro egregiæ doctrinæ, & industriæ, ac de re literaria optimè merito, Claudio Dausquejo, in secundo Ὀρθογραφικῶν *.

* Pag. 285.

Adonis, & *Busiris*, in patrio casu Grammatici dicere jubent, etiam qui proxime scripsere: nempe, quia Lucanus *Adonim*, pro *Adonidem*, & Ovidius *Busirim*, pro *Busiridem*, dixerit. Sed hoc argumentum infirmum; ut liquet ex iis, quæ de dativo *Adoni*, pro *Adonidi*, genitivo *Janthis* pro *Janthidis*, dicebamus lib. II de Analogia cap. IX.

Gibberem, pro *gibbum*, qui ajunt, itidem decipiuntur loco ex Juvenale falsò producto. Sed de hoc jam actum nobis ejusdem libri cap. XX.

Barbarum item est, *Me perlubentis facies: pugnanti Cæsare contigit.* Nam etsi in istis auferendi casus in E, & I, exeat; semper tamen in E terminatur, quando is ponitur absolutè.

Acipensera in accusativo dici, putant aliqui, ob hoc Martialis lib. XIII epigr. XCI †:

† Al. 88.

Ad Palatinas acipensera mittite mensas.

Prout est in Aldinâ. Sed à recto *acipenser* non aliud, quàm *acipenserem*, dicere possumus. Rectus autem iste est apud Ciceronem de Fato, & exinde Macrobium lib. II Saturn. cap. XII. Imò & Ovidius usurpat in Halieutico. Est & in gloss. vet. *Acipenser*, εἶδος ἰχθύος. Et glossis aliis: *Acipenser*, *aquipenser*. Neque non occurrit, *aera*, *athera*, & sexcenta hujusmodi, in usu esse. Sed ea Græca sunt: quale non est *acipenser*. Græci enim γαλεὸν dixere: ut Archestratus ait in septimo Athenæi: vel ἔλλοπα Ῥόδιον; ut Apion Grammaticus censuit: quod ibidem legas. Dixeris, versum Martialis non admittere *acipenserem*. Scio: sed eò accedendum libris melioribus, in quibus est *acipensem*: nempe à recto *acipensis*: quomodo etiam dixisse, videor posse colligere ex adlato Martialis loco. Nam quòd κατὰ συγκοπὴν *acipensem*, ex *acipenserem*, contractum existimant, planè non persuadent. Et pro *acipensis* facit, quod apud Athenæum legas, ἀκκιπήσιον vocari Romanis. Nempe ex ἀκκιπήσιος, additâ terminatione Romanâ, ἀκκιπήσιος fecit. N extritum, ut iidem Græci ex *Hortensius* Ὁρτήσιος: quod si Lambinus observâsset, non propterea Latinè etiam *Hortesius* scribere jussisset.

Glomi & *glomos* vulgo dicunt a recto *glomus*; qui est apud Festum. Sed *glomeris* in patrio casu facere scio, ut *acus aceris*, *vulnus vulneris*, *pignus pignoris*. *Glomi* reperio nusquam: nisi quod in libris multis Horatii sit libro I, epistolâ XIII,

Ut vinosa glomos furtivæ Pyrrhia lanæ.

Sic ferè omnes libros habere ait Lambinus. In duobus se *globos* reperisse, in plurimis *glomos* ait Torrentius. Cruquius ait in uno se reperisse *globos*, in aliquibus glomûs, ut quartæ sit declinationis. Sed *globos* quoque est in editione Plantina, quæ prodiit cum indice Treteri. Imò sic quoque est in ea, quam recensuit clariss. Heinsius. In hoc incerto non ausim *glomi* dicere. Præivit ad vulgatam opinionem magnus Erasmus in adagiis; ubi ἀγαθῶν ἀγαθίδες vertit *Bonorum glomi*: cujus exemplo sic alii extulere. Genitivum contra, quem dixi, usurpat Plinius lib. XXXVI, cap. XIII: *Quo si quis improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat.* Imò & Lucretii est lib. I, CLXI;

Nam si tantundem est in lanæ glomere, quantum
Corporis in plumbo est ———

Atque hinc verbum *glomerandi*. Glomer est apud Perottum, Calepinum, & Rob. Stephanum. Quin & Lambinus sic dici colligit ex Lucretii illo quod adduximus. Verùm *glomere* non est à *glomer*, sed *glomus*: quomodo tutius dixeris: quia & in Philoxeni glossis est *glomeris* & *glomus*, ἀγαθίδες. Nempe *glomus*, ἀγαθίς. *glomera*, ἀγαθίδες. vel sit, ut *penus*, *hujus penoris* & *hujus penûs*. Nisi in singulari sit Tertiæ, in plurali Quartæ: nam & in Horatii codice quodam Cruquius ait esse *glomus*, pluralive, ut dictum. *Glomum* non *globum* legit ibi & vetus commentator, cùm dicit, *Glomus est rotundus globus filorum.* Sic etiam Quartæ esse possit. Sed tutius dixeris *glomus*, ob Festi auctoritatem.

Vesper ajunt in gignendi casu facere *vesperis*: nempe quia *primo vespere* dicant boni scriptores. Sed *vesperis* non ausim dicere: quemadmodum nec placeat, *usque ad vesperem*: sed *vesperum*; ut loquitur Cicero V Tuscul. vel *vesperam*, ut idem II in Catilinam Invectivâ ait, *Si accelerare volunt, ad vesperam consequentur.* At in auferendi casu, & *vespere*, vel *vesperi*; & *vesperâ* dixeris.

Insigniis doctoris legas apud nonnullos: sed *insignibus* dicendum.

Quartam cum secundâ confundunt, qui ajunt, *trium cubituum guttur*, item *trium cubituum polypus*. Ea legas apud Lilium Gyraldum Hist. Poët. dial. IX, ubi de Philoxeno agit †.

† Pag. 346.

Quartam, vel tertiam, commutant secundâ, qui *peni hujus* dicere jubent; pro *hujus penoris*, vel *hujus penûs*. Sic nec *hoc peno* cum iis usurpem; sed *hoc penore*, vel *hac penu*:

penu: ut Plautus Captivis*. *Verba sine penu, & pecuniâ.* Et Persius sat. III: *In locuplete penu.* Et (quod genus etiam commonstrat) titulus est in Digestis: *De penu legatâ.* Atque hæc firmantur etiam verbis Servii in illud I Æn.

—— Quibus ordine longo
Cura penum struere.

Dicimus, inquit, *& hic, & hæc, & hoc penus. Sed à masculino, & à feminino genere, quarta est declinatio; à neutro tertia: quomodo est pecus pecoris. Unde Horatius: —— Portet frumenta penu que. Masculino vero genere Plautus: Nisi mihi annuus penus datur. Feminino Lucilius posuit, Uxori legata penus. Quartæ autem declinationis Persius docet: In locuplete penu defensis pinguibus umbris.* Videamus, quid dicat Servius, & quid non dicat. Ait, *penus* esse omnis generis; quod etiam apud Cledonium est: & non eum modò; sed etiam Servio antiquiores, ut mox parebit. Addit *penus* neutrum esse tertiæ; quod in dubium vocat nemo. At cùm quartæ est, virile est, vel muliebre: virile, ut apud Plautum Pseudolo: muliebre, ut Lucilio: quod & Nonius annotavit: ac firmat simili loco Novii, qui dixerit, *Meam in penum.* At silet Servius de eo, quòd *penus* etiam sit secundæ. Nec modò non agnoscit *penus*, *peni*, sed neque *penum*, *peni*. Varia hic objectant. Ac primum, quod apud Terentium Eunucho act. II sc. III in plurimis sit libris:

Cum in cellulam ad te patris penum omne congerebam clanculum.

Item quod cum ad locum Donatus annotavit, & *omne*, & *omnem*, legi. Addit deinde idem Grammaticus, *Et hoc penus, & hic penus, & hæc penus, veteres dixerunt.* Sic expressum est in veteri Tarvisinâ anni CIↃ CCCC LXXVII. Ubi pro *hoc penus*, in illa Rob. Stephani, & quam Lindebrogius recensuit, *hoc penu* editum est. Et sanè *hoc penu* in recto videtur etiam Charisius agnovisse. Sed rectiùs, ut puto, Tarvisina. Quippe nihil erat opus Donato ad rectum *penu* recurrere, cùm nusquam reperiatur. Præterea à Donato, ut & Capro, traditum esse, *penus* esse omnis generis, testis etiam Priscianus lib. V, & VII. Nec potuit Donatus de neutro *penus* omittere: cùm satis sit apertum, quod ait Servius, ut *hoc pecus pecoris*, sic etiam dici *hoc penus penoris.* Et hæc de Donati verbis. Quod verò ad Terentii locum: *penum omnem* legit etiam Priscianus in V: atque ita in Bembino, & Vaticano, reperit Faërnus. Dixeris, *hoc penum* etiam rectum videri, cùm Charisius, ac Priscianus id adstruant illo Afranii: *In penum herile.* Non inficior; sed obsoletum arbitror, nec Terentio usurpatum. Nec si *penum* in recto dixerint, eò & obliquos ejus in usu fuisse consequitur. Hujus *peni* agnoscit Charisius: sed nullâ auctoritate sustulcit: aut fortassè id apud Nævium, vel Pacuvium, legerat: ubi multa vieta fuisse, & rancida, etiam pueris notissimum.

* Act. 3 Sc. 1.

CAP. XVI.

Esse, ubi non confundantur declinandi formæ, flexu tamen peccetur. Qualia sunt, ó Pompeje, *pro* Pompei; *hujus* pulvis, *pro* pulveris: Paris, *pro* Paridis; *vel* Parida, *pro* Paridem; batin, *pro* batidem; jurejurandis, *pro* jusjurandis; tripum, *pro* tripodem; decadarum, *pro* decadum; pecuum, *pro* pecuum; singulos meridies, *pro* quemlibet meridiem. *Cæli an in prosa dicendum. Servius, & Cicero, emendati. Sigonius, aliique Ciceronis editores castigati de fragmento perperam ei tributo.* Sibili *in plurativo non inveniri.* Cicetes, *an* cicera, *dicendum.* Gargana *non reperiri pro montis nomine. Etiam* supellectilia *rejectum: item* vici *in dandi casu: adhac* instinctus, instinctui, instinctum; astum, & astibus; *obliqui ab* exspes: nostrate *in neutro, pro* nostras. *Peccari etiam in adjectivorum comparatione: ut in* agillimus, gracillimus, docillimus.

INterdum non declinandi formæ permiscentur; sed persistitur in forma sua; sed sic, ut interim, contra veterum consuetudinem, fiat inflexio. Quod bifariam usu venit: vel enim, ubi obtinet casus more Romano, supponimus barbarum: vel ubi non obtinet, aliquem, secundùm ἀναλογίαν aliorum, comminiscimur. Exemplis hæc fient planiora.

Magne Pompeie, est apud Cruserium tralatione Plutarchi in vita Pompeii †. Nempe quia Græcè est Πομπήιε. Sed non, si Græcè sit Ἀντώνιε, eò & Latini *Antonie* dicam, nisi fortè in carmine, imitatione Græcorum. Quare Latino more *Pompei* dicendum: quomodo Horatius, sed τῷ συναιρέσει, ait lib. II od. VII:

Pompei meorum prime sodalium.

† P. 500. ed. H. St.

Hoc secundæ est formæ exemplum. Tertiæ nunc dabo. *Pulvis* pro *pulveris* tuentur illo Catulli, Carmine in Juliam, & Manlium:

Ille pulvis Erythrei,
Siderumque micantium,
Subducat numerum prius.

Quomodo & Muretus legit; qui *pulvis* censet antiquum esse genitivum. *Erythrei* autem, elisâ è diphthongo vocali, dixisse ait: quemadmodum nec alibi* idem *Dioneum*, pro *Dionæo*, refulgit. Atque hanc sententiam recentiores aliquot Grammatici sequuntur: etiam habes in Thesauro L. L. sive Foro Romano Cælii Curionis, & Calepino toties recocto, qui Passerati dicitur. Ante hos etiam *pulvis* in gignendi casu retinuere Guarinus, & Hieronymus Avantius: at improbante Achille Statio: ac meritò. Nemo enim veterum *pulvis*, pro *pulveris*, usurpavit; nec id monuit veterum Grammaticorum quisquam. Præterea vetus editio, quæ Regii Lepidi prodiit anno CIↃ CCCC LXXXI, habet *pulveris*, non *pulvis*. Illa vulgata, quam Muretus, & Duza, repræsentant, planè commentitia videtur. Sed malit Muretus, *pulveris enthei*: nec abhorret Scaliger: ut alludatur ad entheos Bellonæ, sive Bellonarios; qui corporis jactu multam pulveris vim concitabant. Utcunque est, in uno isto loco, tam incertæ lectionis, præsidii satis nemo cordatior posuerit.

* Carm. 30. quod in Casonum. Sed Scaliger pro Dioneus, legit, aut Adoneus. Imo sic ante eum Achilles Statius.

Nec iis subscribendum, qui à recto *Paris* obliquos formant *hujus Paris, huic Pari, hoc Pari.* Quomodo dici posse, traditum est ab Grammaticis plurimis, etiam in his Despauterio. Præterea in accusandi casu *Parida* probant; pro quo *Paridem* veteres cuncti. Juvenalis sat. VI †:

Utque magis stupeas; ludos, Paridemque, reliquit.

Ac Persius similiter sat. I*:

Iratum Eupolidem vegrandi cum sene palles.

† Vers. 87.

* Vers. 124.

Itidem errant, quibus *batin* placet in accusandi casu à recto *batis*; quod piscis genus, ut Græcis, sic Plinio † quoque memorati. Cùm enim sit ὀξύτονον*, *batidem* dicendum, ut Græci βατίδα ajunt.

† Lib. 32. cap. 11.

* Acuti accentus in ultima.

Reperio apud recentiores *jurejurandis*: quod probare non possim, cùm vel rectum sit *jusjurandis* vel *juribusjurandis*. Nec posterius improbarem, si, ut *jura*, sic *juribus* diceretur. Quare *jusjurandis* malim; quomodo Cicero pro Q. Roscio, & pro Fontejo, *jusjurandi* habet pro *jurisjurandi*: nisi locus uterque corruptus: quæ Rodolphi Goclenii opinio est in secundo Analectorum sect. LXXI. Et sanè, apud Nizolium quidem pro Roscio est *jusjurandi*. Sed in illa Gothofredi, & quam necessarius noster Janus Gruterus dedit, est *jurisjurandi*. Etiam Cæsaris locum advocant ex lib. primo belli Civilis, & alterum è Tranquilli Tiberio cap. XXXV; ubi *jusjurandi* ajunt legi. Sed optimæ editiones, à me consultæ, utrobique habent *jurisjurandi*. Quocirca tutiùs abstinebitur ablativo plurali.

Tripum, pro *tripodem*, est apud Fulgentium, lib. I Mythologicon: *His tripum quoque Apollini adjiciunt.* Si librarii nulla hic culpa, error Fulgentii ex eo fuerit, quia pleraque à πούς composita, nunc secundæ sint, nunc tertiæ: ut *Oedipus*, & *polypus*: quorum exemplo dici quoque ajunt *Melampi*, & *Melampodis*. Statio in III Theb. tertiæ est. Nam vocandi casu dixit non *Melampe*; sed *Melampu*: nempe ut à *Capys* est, ô *Capy*. Nec omnia à πούς in secundâ reperias. Quomodo non *Antipi*, sed *Antipodes* dicimus.

Deca-

Decadarum, Livii, pro *decadum*, hoc seculo vix quisquam dixerit. Imò nec illos CXLII Historiarum libros in decadas Livius distinxit: sed est id à Grammaticis; ut Petrarcha jam olim vidit, & Sigonius ostendit.

In vocabulo quartæ peccant, qui *pecujum*, pro *pecuum*, probant: atque ita à recto *pecu* dixisse Catonem volunt. Scribunt hoc recentiores: atque idem ante sesquiseculum, & ultrà, traditum ajunt à Perotto. Sed in Perotto Aldi *pecuum* est: quod analogia quoque exposcit. Nam ut à *cornu*, *cornua*, *cornuum*: sic à *pecu*, *pecua*, *pecuum*. Et versus hoc exposcit Hostilii ex primo Annalium à Prisciano adductus lib. VI:

Sæpe greges pecuum ex hibernis pastibu' pulsi.

Interdum verò nec declinationes formæ diversæ confunduntur; nec aliter exit casus, quam efferunt Romani: sed verbum defectivum fallo vel numero, vel casu, donatur. Numero quidem, ut cum Astrologi dicunt, *ad singulos meridies*. Nec enim sic existimo locutos esse veteres; nec loqui ita ausim; licet non ignorem, Ovidii esse in primo Amorum Eleg. V:

Proveniant medii sic mihi sæpe dies.

Sed non, utcunque vel id metrum, (ut in jambico) tulisset, eò dixisset, *proveniant sic meridies*: etsi *meridies*, pro *medidies*, *à media die* dicatur; ut ait Priscianus in IV; & Varro in IV de L. L. firmat, qui veteres ait *medidies* extulisse, ac sic se *Præneste incisum in solario vidisse*, *quod Cornelius in basilica Æmilia, & Fulvia, inumbravit.* Nempe non eadem semper ratio est in vocibus simplicibus, & compositis.

Cæli in plurativo non quidem damnem, cùm sciam legi apud Lucretium in secundo: sed imitari vix ausim, cùm neque nesciam, multa esse obsoleta: vel potuerit poëta sic novè finxisse, nec invenisse, qui sequerentur. In prosa saltem non usurpem; etsi Ecclesiasticis nihil sit frequentius, qui sic exprimunt Hebræum שמים, *schamaim*, quod est duale. Sed adversantur nobis hac parte plurimi; qui Ciceronem eo usum contendunt in Hortensio. Verba Tullii esse, *Epicurei plures esse volunt cælos.* Ea inde, unde dixi, à Servio adduci in illud I Æn.

Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas.

Nec diffiteri possum, istic ea legi, & Muretum idem dicere lib. XV Var. Lect. cap. I: ac Carolum etiam Sigonium, verba hæc allata inseruisse inter Tullii fragmenta; quod & alii editores postea fecere. Sed omnino hæc sententia eximenda est hominum animis: cùm Servii locus sit corruptus. Vulgò quidem sic legitur: QUO SUB CÆLO] *Aut sub qua parte cæli, aut secundùm Epicureos, qui plures esse volunt cælos: ut Cicero in Hortensio.* TANDEM] *Hoc loco vacat: ad ornatum autem pertinet; Aut tandem doceas, quod vix qq. contigit: aut tandem pro expletiva particula est.* Primùm quæro, an Cicero rectè inter Epicureos referatur, qui Stoicos potiùs, & Academicos sequi solet. Si igitur dixisset Servius, id de Epicureis proditum esse à Tullio in Hortensio: addidisset voculam *ait*, aut simile. Quæro item, an cùm Servius docere vellet, aliquando *tandem* ad ornatum pertinere: & hoc probare cuperet istoc loco: *Aut tandem doceas, quod vix quoiquam contigit* (ita enim is locus supplendus) verisimile sit, non simul fuisse additurum, cujus hæc forent: nempe Ciceronis in Hortensio. Sic igitur, verbis illis, *ut Cicero in Hortensio*, trajectis inde in locum suum, qui est post octo verba, legi debet: QUO SUB CÆLO] *Aut sub qua parte cæli, aut secundùm Epicureos, qui plures esse volunt cælos.* TANDEM] *hoc loco vacat: ad ornatum autem pertinet: ut Cicero in Hortensio: Aut tandem doceas, quod vix quoiquam contigit* †. Hactenus igitur, quod Tullii non erat, inter fragmenta ejus posuêre: neglexere autem, quod verè erat Ciceronis.

† *Est Iambicus senarius: at fortasse ex Græco poëta à Cicerone expressus Latinè: ut sæpe facit.*

Sibilus substantivè dici, scimus ex Maronis Ecl. V; ubi *sibilus austri* legas. In plurativo *sibila* est apud Ovid. III Met.

—— Longo caput extulit antro
Cæruleus serpens, horrendaque sibila misit.

Cujus generis multa alibi invenias. Sed *sibili* non memini legere, præterquam apud Grammaticos: ut si non parùm Latinum, mentò saltem sit suspectum. Est verò naturâ adjectivum: unde *ora sibila*, & *colla sibila*, est apud Maronem. Itaque in *sibilus* intelligitur *sonus*, vel *stridor*, aut simile. *Sibili* tamen, quia nullus ejus auctor occurrat, minimè dixero; etsi & hic *soni* possit intelligi.

Huc etiam referre possis *cicer*: quod licet sit neutrum, non tamen in plurativo *cicera* efferam; sed, si necessitas adigat, *septem ciceres*: quomodo nec dicam *sex septem sisera*, sed *siseres*. Carere ambo plurativo, ait Varro lib. VII de L. L. *Sed & singularia solùm sunt multa; ut cicer, siser: nemo enim dicit cicera, sisera.* Sed *siseres* non refugerim, quia Plinius eo usus lib. XX cap. V. *Ciceres* timidiùs usurpem, quia auctoritatem nullius classici obtendere valeam. Interim ἀναλογία inter *cicer*, & *siser*, me tuear: tum eo quòd *ciceres* ἀνάλογως sit à *cicer* feminino. Videtur enim priscis nunc fuisse neutrum, nunc muliebre; unde *cicercula* apud Columellam, & Plinium. Scio, quàm infirmum hoc sit argumentum: sed infirmiora interim sunt, aut nulla, quibus alii contrarium tuentur.

Garganus lego apud Lucanum lib. V, & IX; item Silium lib. VIII. Nempe mons intelligitur. Sed ajunt, plurativo dici *Gargana*. *Massicus* est apud Silium lib. V.

Massicus uviferis addebat nomina glebis.

Verùm ajunt, non vinum dico, quomodo Plinius locutus lib. XIV c. VI: sed montem etiam dici *Massica*. *Trans Gargara* est apud Maronem III Georg. sed & *Gargarus* dicere jubent. Nempe ut *mons Dindymus* est apud Plinium lib. VI, cap. XXXII: pro quo *Dindyma* Æn. IX. *Mænalus mons* ecl. VIII, & X. *Mænala* I Georg. *Pangæus mons* Plinio lib. XXI cap. IV. *Pangæa* apud Maronem, Lucanum, Statium. De his non contendo. Sed ab istis *Gargarus*, *Massica*, *Gargana*, puto abstinendum iis, qui auctorem idoneum laudare non possunt. Suspicabatur Camerarius, pluralia montium nomina in A esse à rectis in UM: ut dixi lib. I de Analogia cap. XXXVII. Sanè & nunc sic existimo. Sed non puto, masculinis fluvium indicari. Potiùs in *Dindymus* intelligitur mons, in *Dindyma*, ὄρη; uti in *Dindymon*, ὄρος, & par ratio in cæteris.

Supellectilia quoque dici, à plurimis traditur; etiam Cælio Curione in Thesauro, & Passeratii, ut dicitur, Calepino. Sed apud veterum reperio neminem. Ajunt, esse à recto *supellectile*: eo in accusandi casu usum Ciceronem in Topicis; ubi agit de loco Definitionis. Sed ibi *supellectilem*, non *supellectile*, reperio, in illa cùm Caroli Stephani, tum Roberti: item Lambini, & postrema Guiljelmii, ac Gruteri. Hæc de Numero.

At Casum perperam tribuas, si *vici vestra*, secundùm Charisium dixeris, & Cæli Forum Romanum. Nam solùm reperias, *vicis*, *vicem*, *vice*. Ut *vicis regia*, *vicem vestram*, *hac vice*.

Instinctus naturæ, *instinctui divino*, *instinctum cælestem*, vulgò dicunt. At veteres non usi, nisi casu auferendi: ut *injussu*, *permissu*, *natu*, aliaque.

Astus in recto singulari, *astu* in auferendi casu, *astûs* in Nom. Acc. Voc. reperias non uno loco. Sed non ausim eos imitari, qui aliis usurpant casibus: ut qui dicunt *summum astum*, vel *variis astibus*, & similia.

Exspes etiam *exspei*, *exspem*, & *exspe* facit; si audimus Nicod. Frischlinum Tract. I. cap. I Strigilis †. *Jurare*, inquit, *ausim*, *non minus exspes variari posse*, *atque spes.* Debuerat aliquos obliquorum laudare auctores, si haberi juramento suo tam minuta in re fidem vellet.

† Pag 20.

Cæterùm nomina adjectiva non solùm declinantur per casus, & numeros; sed etiam genera, & gradus. Utrobique etiam peccatur. Prioris generis est, quòd *Nostrate vocabulum*, pro *nostras*, dixit Cæsar Scaliger Exercitat. CCVI. Nam hic loquendi modus, si barbarus non est, saltem est planè obsoletus. Est enim *nostras* omnis generis; ut *Arpinas*, *Capenas*, & similia: uti diximus in II de Analog. cap. XXI.

Posterioris sunt generis *agillimus*, & *gracillimus*: utcunque

cunque ea agnoscat Priscianus lib. III cap. de Superlativo. Item *docillimus*; quod probat Valla lib. VI Eleg. cap. XXVI. Malim cum Charisio, *agilissimus*, & *gracilissimus*. Vel *valde agilis*, *gracilis*; uti & *admodum docilis*. Nec placet, *Celsitudini tuæ subditissimus*: ubi malim *subjectissimus*, vel simile. Neque *colendissimus* ausim cum vulgo dicere: sed *maxime*, vel *cumprimis colendus*. Neque dubium, quin, si consuetudo, quam tyrannum scimus, sinat, meliùs *imprimis reverendum* dixeris, quam *reverendissimum*. *Potentissimum* Latinè dicitur: præter morem veterum *omnipotentissimus*: etsi aliquid sit, quòd Macrobius non refugit: de quo alibi actum nobis. Etiam *claudissimus* averser, quia veteres refugiant; neque ulla id exprimat nobis necessitas.

Cap. XXII.

Acceditur ad deculpata verba. Ac primùm ad ea, ubi in ὀρθογραφίᾳ peccatur. Qualia cæcidi, *pro* cecidi; operior, *pro* opperior; blactero, *pro* blatero, *atque id genus alia. Deinde ad illa, ubi error in προσῳδίᾳ, ut* præstólor, *cum mediam corripiat: &* scáturit, *cum secundam habeat porrectam. Hinc ad ea, ubi non scripturâ, vel accentu, peccatur; sed ipsius vocabuli naturâ; sive in themate, sive inde declinatis. In themate quidem, ut* mingo, *pro* mejo; pollinceo, *pro* pollingo; crissor, *pro* crisso; ringo *pro* ringor; infelico, *pro* infelicito; ebullo, *pro* ebullio. *Præsens subjunctivi antiquitus etiam exiisse in IM: ut* axim, *unde* axites; *item* edim, dedim, *& similia.*

PErsolvi, quæ de nominibus me dicturum promiseram: nunc ad verba transeamus: ubi variè itidem peccatur. Est cùm non observetur ὀρθογραφία, sive vera ratio aliquid convenientibus literis exprimendi: ut cum *accerso* scribunt pro *arcesso*; *cæcidi*, pro *cecidi*; *cepi*, pro *cœpi*; *expecto*, & *expolio*, pro *exspecto*, & *exspolio*; quæ sine S forent a *pecto*, & *polio*; non *specto*, & *spolio*; *incoho*, pro *inchoo*; *operior*, pro *opperior*, in exspectandi significatione; *scribsi*, pro *scripsi*, cùm non tam ἀναλογίαν sequi conveniat, quàm εὐφωνίαν, & veterum consuetudinem; *sepire*, pro *sæpire*: de quibus omnibus egi pluribus lib. I de Arte Grammatica cap. XLIII. Et sunt alia id genus multa: quale est ab *omen*, *ominor*, *abominor*, sine spiritu: etsi in glossis Græcolatinis Cyrillo† tributis sit *Abhominatio*, & *Abhominor*. *Blatero* unico T, cùm primam corripiant Lucilius, Horatius, Terentianus Maurus: quamquam in veteribus etiam libris sit *blattero*, & *blactero*, & Festus ex eo esse velit, quod Græci stultos vocent βλάκας. *Mœchor* per OE, non per diphthongum principem *machor*. Est enim a μοιχός. Sed ingentem talium numerum adducimus in Originum libris. Quare hic non insistam.

† Pag. 835.

Est præterea, cùm peccetur in προσῳδίᾳ: ut in quantitate sive modulo syllabæ. Ita *præstôlor* mediâ porrectâ extulit Valla, cum eam corripiat: & contrà *depeculor* dicunt, cùm media in *peculi* Maroni* sit longa: item cum, quia *ésurit*, & *canturit* dicimus, eò & in *ligurit*, ac *scaturit*, mediam faciunt brevem. Suntque alia his similia: de quibus egi in secundo rei Grammaticæ.

* Ecl. I.

Hic solùm loquar de errore, qui non ad scriptionem, vel modulationem verbi, sed οὐσίαν ipsam pertineat.

Ac interdum quidem vitiosum est τὸ θεματικόν, ut Græci vocant, quod Hebræi nuncupant שרש schores, h. e. *radicem*. Interdum verò bene se habet thema; sed peccatur conjugando; ut in præterito, vel alio verbo à themate derivato.

Illa prioris generis, vel vetera sunt, vel nova. Vetera intellige, vel integra, vel corrupta. Ex integris huc sola pertinent obsoleta prorsus; eoque perperam à junioribus in usum revocata, cum talia non multò sint meliora barbaris. Tale est *mingo*: quod tolerabile ait Cornelius Crocus, ac nisi fallant codices, usum eo Martialem lib. XI epigr. XLVII. Sed in optimis codd. est *meiit*: atque ita dicendum. Fortasse tamen Phocas, ac Diomedes, reperere alterum in iis, quæ interciderunt. Verùm id planè est incertum. Interea scio, usum eo Flavium Vopiscum. Sed ille Diocletiani demum ætate vixit. Verba ejus in Bonoso sunt ista: *Habuit præterea rem mirabilem, ut, quantum bibisset, tantum mingeret.* Non possum verò mihi persuadere, hac voce jam Tullii, ac Cæsaris ævo, usum esse Nigidium Figulum, Romanorum, post Varronem, doctissimum: etsi vetus in Aratea Germanici Cæsaris interpres sic scribat†: *Nigidius refert, quodam tempore Jovem cum cæteris Diis apud Musæum*, Bistoniorum regem, hospitio dapsili copiosoque affectu præditо, in hilaritate constituisse, ut in corio tauri, qui tunc immolatus fuerat, mingerent; eoque loco in corio, terrâ obrutâ, natus sit Orion.* Planè hic interpres, sive is Cæsius, vel Calpurnius Bassus, sive alius sit, suis, non Nigidii verbis, rem expressit. Imò fortasse ne commentator quidem sic scripserat; sed librarii culpâ irrepsit. Nec movet illud in Catalectis:

† In Orion.

* Al. Byseum: ut apud Hyginum Fab. 195.

> *Canisne sævus usque imminget, aut tibi*
> *Fricabit oblitum latus aper lutosus.*

Unde Scaliger eruebat:

> *Canisve sævus usque minget, aut tibi*
> *Aper fricabit oblitum latus luto.*

Quippe veram lectionem alteram putamus, quam idem Scaliger eruit è scheda, ut ipse ait, longè meliori:

> *Canisque sæva, susque ligneo tibi*
> *Lutosus affricabit oblitum latus.*

At lego apud Vegetium Renatum Mulomedicinæ, sive artis Veterinariæ lib. III cap. XII: *Animalibus otiosis, & pigris, convenit expletura sanguinem mingere.* Et cap. XV: *Mingere non poterit.* Ac postea: *Carbonibus cooperti deambulant, & mingunt.* Sed scriptor iste jam pessum euntе Romanâ linguâ vixit: ut puri scriptoris exemplum esse non possit. Quare non probo, quòd sic passim nunc loquantur homines doctissimi. In his Actius Syncerus: qui cùm apud Catullum legisset;

> *Qui ipse sui nati minxerit in gremium:*

bellè se eum imitari putavit, si scriberet:

> *Ut scilicet liceret (heu scelus) patri*
> *Natæ sinum permingere.*

Et hæc is poëta, quem, hæc ipsa adducens Janus Duza*, non minoris se, quàm Catullum, & veteres illos, facere ait. Lilius quoque Gyraldus in Pythagoricis symbolis ad Joannem Thomam Mirandulam, sic Pythagoræ symbolum reddidit: *Adversus Solem ne mingas.* Crebrò etiam usus Cæsar Scaliger. VI comment. in Aristot. Hist. Animal. lib. I cap. V. sect. XLIV: *Si oscitantem, aut mingentem videas, quare idem faciendi impetus te corripit?* Idem Aristotelis Histor. Anim. lib. II cap. XVIII sect. CXXIII, ubi agit de lætis ab aspide: *Ipsum agrum alius subinde color occupat; jecur incenditur; ægre mingit.* Idem Arist. Hist. Animal. lib. V cap. XXV sect. philosophi illa, ὃ λέγουσιν οἱ γεωργοὶ τὰς κατουρόντων: sic reddidit: *Eo agricolæ putant ipsas mingere.* Ac similiter ante eum ibidem verterat Theod. Gaza. Est etiam Josephi Scaligeri, præfat. Elench. trihæresii Serrariani: *Canes loca mundiora vestigant, ubi immingant.* Usus & Franciscus Vallesius de Sacra philosophia c. I†. Item Scipio Gentilis notis in Appuleii Apolog. commate CCCCVIII. Etiam Septimius Florens Christianus notis in εἰρήνην Aristophanis, *Hic*, inquit, *mingunt pueruli.* Quemadmodum & maximus Casaubonus, qui notis in Vopiscum משתין בקיר*, interpretatur, *mingentem ad parietem.* Verùm *minxit* Latinum esse agnoscimus; quemadmodum & *perminxit*, quod apud Horatium. At *mingo* aut barbarum putamus, aut saltem obsoletum. Atque idem judicium esto de *permingo*: etsi *permingit* sit apud Lipsium epistolâ de canibus ad contubernales: quæ est quarta ac quadragesima Centuriæ primæ ad Belgas. Atque hæc eò attuli, non quasi ullius honori derogatum aliquid velim: sed ut liqueat omnibus, quantopere inoleverit hoc loquendi genus. Dixeris, si *mingo* non probemus, etsi *minxi* dicatur; nec probari posse *pollingo*, etsi *pollinxi* dicat Plautus in prologo Pœnuli:

* Plaut. quæst. lib. 3. cap. 1.

† Prope finem, sive pag. 61.

* 1 Sam. cap. 25. vers. 22, & 34.

> *Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.*

Quip-

Quippe nec *pollingo* uspiam apud veteres inveniri. Verùm dispar in istis ratio est: quia *minxi* usitatum est, utcumque obsoleverit *mingo*, pro quo *meio* dixere. At verbi *pollinxi* thema nullum invenitur: ut ex ἀναλογίας cognoscere sit, illud videri *pollingo*. At, inquies, possit thema esse *pollinceo*: quod censet Cælius in Foro Romano. Nobis verò potior est Charisii auctoritas: qui lib. III c. III, quod est de tertio ordine, *pollingo* exponit νεκροστολέω, ubi νεκροστολῶ legi debere, satis est evidens. Imò & in optimis Philoxeni glossis est, *Pollingo*. περιστέλλω νεκρὸν, νεκροστολῶ (legendum & hic νεκροστολῶ) ἐνταφιάζω, ταριχεύω. Cui ista non sufficient, is *pollingendi* ut verbo abstineat, per me licet. Omnino enim ex præterito de præsenti statui certò nequit; quia interdum à thematibus diversis præterita sunt similiter exeuntia: quod exemplis permultis in libris de Analogia ostensum.

Ac *mingo* quidem videntur casci illi dixisse; etsi postea obsoleverit. At sunt alia ex veteribus corrupta; sive usu loquentium, sive imperitiâ librariorum. Prius factum in quibusdam, ubi genus, seu terminationem mutarunt. Ut cùm vel in O terminata extulerunt per OR, vel in OR exeuntia protulere per O. In O desinit *crisso*: ut in carmine Ithyphallico:

Crissabit tibi fluctuante lumbo.

At *crissor* extulit, ac deponens facit Cælius in Foro Romano: simili errore, ac olim Datis Persa, Græcè loqui conatus, χαίρομαι pro χαίρω dicebat: quo nomine quantopere sit derisus à Græcis, constat ex Aristophane in Εἰρήνῃ, & Suida in Δάτις.

Contrà *ringo* dicunt Grammatici pro *ringor*. Sed de hoc abunde dictum lib. III de Analogia cap. XXVII. Etiam Rufus quidam, cùm *reminisco*, pro *reminiscor*, dixisset: ab Ausonio rideri meruit hoc epigrammate:

Reminisco Rufus dixit in versu suo.
Cor ergo versus, imò Rufus non habet.

Hujusmodi debentur inscitiæ loquentium. Librariorum verò oscitantiæ adscribendum *infelicare* pro *infelicitare*. Glossæ nostræ in membranis: *Infelicare, affligere, affligari, excruciare, tormentare*. Nec obstat, quòd in omnibus Plauti codd. Rudente act. IV, sc. VI, legere sit,

Hercules istum infelicet cum sua licentiâ.

Nam, ut Valens etiam Acidalius vidit, multoque ante eum Rob. Stephanus, *infelicitet* à Plauto scriptum fuit. Quod corrupere, qui non viderent, multa debere integra scribi, etsi in dimensione versus paterentur elisionem, vel contractionem. Verbo *infelicito* usus idem in Casina, & Mercatore. Sed postea obsolevit.

Hujus etiam generis videtur *ebullare*: quomodo dici probant lexicographi isthoc Persii sat. II.

—— *O si*
Ebullet patrui præclarum funus! & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule!

Et sanè apud Tertullianum quoque, libro de Pallio cap. II, invenio: *Et fontium vena ebullando, & fluminum via obumbrando*. Verùm non *ebullare* dicitur, sed *ebullire*. Tertulliani minor hac parte auctoritas. Quanquam nec ille *ebullando* scripsisse videtur, sed *cavillando*; prout habent primæ editiones B. Rhenani. Atque id magis quoque probat Salmasius. Quodque ad Persii locum, vel *ebulliat* apud eum legendum, vel *ebullit*: quorum utrumque in veteribus codd. invenitur. Illud se reperisse ait Obertus Giffanius*; hoc in vett. Puteani, aliisque membranis, reperit Casaubonus†. Prius si placet, erit secundâ sede συνίζησις, sive συνεκφώνησις, quales multæ apud poëtas antiquos: sin alterum magis arridet, *ebullit* ἀρχαϊκῶς* ponetur pro *ebulliat*. Antiquè enim id tempus in IM desinebat; unde *axim, adaxim, faxim, edim, comedim, dedim*, & quæ etiamnum in usu, *sim, possim, velim*. Sanè ab *axit*, Festo teste, *axites*, & *axitiosi*, vocabantur, qui unà agerent. *Adaxint* usurpat Plautus Aulul. act. I. sc. I. *Utinàm me Divi adaxint ad suspendium*. *Edim* utitur Cato lib. de R. R. non uno loco, Novius apud Nonium, Plautus Menæchmis, & Trinummo, imò & Horat. lib. epod. Od. III. & sat. ult. lib. II. *Comedis*, pro *comedas*, dixit idem Plautus Trinummo:

Hostesne, an cives, comedis, parvipendere.

Imò Ciceronem quoque ita in epistola ad Pætum loqui, docet Victorius lib. VI Var. Lect. cap. XIX. *Dedim*, pro *dederim*, est apud Tertullianum lib. de resurrectione carnis cap. XVII. *Dedim adversario dicere*. Ita rectè in Pameliana, & Juniana editione expressum: pro quo, in Parisiensi B. Rhenani, *dedi* corruptè legitur.

* In Indice Lucretiano, cap. de Synecphonesi.
† Comment. ad Persium.
* Vetustè.

CAP. XXIII.

De verbis novis: quorum alia veniunt à verbo, alia à nomine, alia ab utroque. A verbo quidem vel Græco, ut lampare: *vel Latino; idque vel derivatione, ut* empsitare, *vel compositione, ut* coincidere, recommendare, exardere, elucescere. *Denominativa autem, vel derivantur à substantivo; ut* cespitare, fornicari, hæreditare, sagittare, annihilare, intitulare, privilegiare, canonizare, evaginare, defalcare: *vel ab adjectivo; ut* humiliare, cassare, appropriare, absentare, præsentare, irritare, impraegnare, deviare, contentare, contrariari. *Denique e nomine, & verbo, conflantur,* verificare, & vocificare: *ac extra sacrum argumentum non meliora videri,* sanctificare, & glorificare.

A Veteribus, vel obsoletis, vel imperitiâ seu loquentium, seu scribentium, corruptis, transeo ad nova; sive veteribus ignota, sed desito jam puri sermonis usu, efficta. Posteriora hæc sunt pessimæ omnino notæ. At quæ, medio ævo, recepta fuere, ut quæ inter Severi tempora, & barbararum gentium in Italia dominium, admissi sunt, medii videntur generis; deteriora quidem iis, quæ ante Severi ætatem obtinuerunt; meliora verò, ac tutiora illis, quæ, dominantibus in Italia barbaris, præcipueque iis, quæ post seculum nonum fuere inventa, receptaque. Utraque hæc vel sunt verbalia, vel denominativa, vel ex nomine, & verbo facta. Verbalia vel à Græco derivantur verbo, vel à Latino. A Græco, ut à λάμπειν *lampare*, pro *lucere*, apud Cassiodorum de divinis lect. cap. XXI; quod est de B. Hieronymo: item apud Bedam in Hymnis.

Quæ veniunt à fonte Latino, vel derivatione fiunt, vel compositione. Derivatione, ut *empsito*, pro *emtito*. Quibus aliud videtur, obtendunt Pauli Diaconi* auctoritatem, adducentis è Plauti Casinâ act. II sc. V:

Non ego istuc verbum empsitem titivillitio.

Quasi à supino *emtum*, ἀναλόγως aliud esse possit, quàm *emtito*. Quomodo idcirco Rod. Goclenius legendum censet Problematum Grammaticorum lib. IV quæst. VII. Sed neque scripsisse ita Plautum arbitror, verum *emsim*. Pro *emerim*, & *emero*, dixisse puto *emsim*, & *emso*: ut ab *adimo*, *ademsim*, & *ademso*; pro *ademerim*, & *ademero*. Plautus Epidico act. III sc. II: *Si illam ademsit Orcus*. Nec abludit à *facio*, *faxim*, & *faxo*, pro *fecerim*, & *fecero*: item pro *licuerit*, *licerit*, hinc *licessit*: ex *occepero*, *occepro*, hinc *occepso*, R in S converso. Vide quæ diximus lib. IV de Analogia cap. XV.

* In Festi epitome.

In compositione etiam est, ubi cauto sit opus. Grammaticis enim relinquenda vox *coincido*. Sanè in oratione, vel epistolâ, malim, *simul incidere*, vel *tantumdem valere*, vel *in unam formam cadere, concurrere*, aut simile, pro argumento. Feram tamen verbum hoc, partim quia respondet Græco συνεμπίπτω, partim quia ἀναλόγως, ut ab *inquino* est *coinquino*, sic ab *incido* fuerit *coincido*.

Recommendo, pro *commendo*, barbarum est; etsi perusitatum non planè barbaris.

Exardeo sæpius apud Ciceronem legi, ait Rob. Stephanus, sive Cælius Curio in Thes. L. L. Nempe quia legitur *exarsit*. Sed illa in *Sco* accipiunt præteritum à primitivis sæpe inusitatis. Quale *exardeo*. *Exardesco* igitur malim, quàm *exardeo*.

Elu-

Elucescere quoque est pervulgatum: nec refugit Jos. Scaliger præfat. in Festum. Ac Boëthii est initio lib. I de Syllogismo hypothetico: *Nullum bonum est, quod non pulchrius elucescat, si plurimorum notitiâ comprobetur.* Imò ex B. Hieronymo adfertur: *Quod ut clariùs elucescat, sumamus exemplum ab his corporalibus sensibus.* Sed classici pro eo *elucet*, *páret*, *planum fit* &c.

Denominativorum alia derivantur à substantivis, alia ab adjectivis. Ad prius genus pertinet *Cespito*, quod apud unum legas Servium in illud X: Æn.

Suffuso revolutus equo ——

Ubi *suffuso* interpretatur *caspito*: atque addit: *nam suffusi equi dicuntur, quos vulgo incespitatores vocant.* Aliis in libb. omisso præverbio est *cespitatores*. Ac solo ex hoc loco est, quòd Perottus in Cornucopiæ opere, inque Nomenclatore suo Hadr. Junius, *cespitatorem equum* vocitant eum, qui crebrò offendit. Nempe *cespitare* dixerunt, pro eo, quod est, ad cespitem impingere sic, ut inde cogantur talipedare: uti Belgæ pro eo ajunt *struykelen*; quod est, ad fruticem offendere, sic ut gressus vacillet. Onomasticon vetus: *Cespito*, βαδίζω. Glossarium Arabicolat. *Cespito*, *effodio*. Sed si hoc pacto locuti essent veteres: puto, aliquis veterum Grammaticorum istoc monuisset. Metuo igitur, ne id verbi demum sit introductum labante, ac prope collapsâ Latini sermonis puritate. Sanè Servius is Macrobio æqualis; quorum uterque Theodosiano ævo vixit.

Fornicari quoque usitatum est hodie, pro *scortari*: sæpeque eo est locutus modo vetus Bibliorum interpres. Ut Ezechielis cap. VI, XVI, XX, XXIII, Hoseæ cap. I, II, III, IV, & I Cor. cap. V. Verùm à *fornix* quidem, quatenus *cameram*, sive *testudinem* notat, *fornicare* pro *fornicem* sive *arcem facere*, dixere Vitruvius, Plinius, Ammianus Marcellinus, Sidonius, aliique: at non icirco à *fornix*, quà significat *lupanar* (ita usi præter cæteros Horatius, Seneca, Juvenalis) *fornicari* pro *scortari* dixerim citra auctoritatem probati cujusquam scriptoris. Nec icirco vulgatum damnem interpretem. Loquebatur ille consuetudine sui seculi. Nobis, postquam desiit in vulgo Latinè loquendi consuetudo, boni ævi scriptores, non illi magnis passibus ad barbariem grassantes, formare stylum debent.

Hæreditare etiam, pro *hæreditatem adire*, apud vulgatum Bibliorum interpretem frequens est: imò, si quosdam audimus, etiam apud Ciceronem ipsum invenitur. Citant enim ex epist. I lib. II ad Att. *Cùm in Sicilia hæreditatem sæpe hæreditâsset.* Et sanè Simo Bosius in codice Tornæsiano MS° se reperisse testatur: *hæradilitatem sæpe hæreditâsset.* Eoque perplacet emendatio Bosii corrigentis: *Heræ ædilitatem se petere dictitâsset.* Quod se in codice quodam lacero, ac mutilo, unde eum *scidas*, vel *decurtatum* appellare solet, invenisse ait. *Hera* Siciliæ oppidum, quod alio nomine vocatum *Hybla*; ut scribit Stephanus in Ethnicis. Utut est, *hæreditâsset* non Bosius solùm improbat; sed etiam Alciatus, Manutius, & Lambinus. Sed quomodo legi debeat, parum inter hos, & alios, convenit. Alciatus emendat, *Hæreditate sese ditâsset.* Lambinus præfert, *Ædilitatem se petere dictitâsset.* Manutius ex utroque Bessarionis, & Cavalcantis libro legit, *ædilitatem sæpe dictitassent*: atque intelligit, *se esse petiturum. Sæpe* verò cum verbo frequentativo jungi posse, probat illo, quòd Matius ad Ciceronem similiter scripserit, *frequentes ventitâsse.* Atque edidit eopse modo Robertus Stephanus an. CIƆ IƆ XLIII. Pro *hæreditare* autem dicendum, *hæredem esse*, *hæreditatem adire*, *in hæreditatem venire*; quod Græcis κληρονομεῖν.

Nec bonæ notæ videtur *sagittare* pro *sagitta petere*, vel *sagittam torquere*. Cornelius tamen Crocus Amstelodamensis, qui ante seculum vixit, observavit magnum Erasmum non semper hac voce abstinere: sed esse, ubi eo utatur; verùm, inquit, in opere non serio. Usurpat quoque Justus Lipsius Poliorceticôn lib. IV dial. VI: *Nostrate linguâ Sagittare etiam nunc est* schieten. Alibi pro eo Erasmus dicit *jaculari*. Ut Græcum proverbium, εἰς τ̃ οὐρανὸν τοξεύειν, tum *in cælum jaculari* vertit; tum *in cælum sagittas torquere.* Sed diversissima summum virum confundere, inferiùs ostendam. Accuratiùs de hoc verbo dicam lib. IV cap. XXIII.

Nec placet, *annihilare*, pro *in nihilum redigere*; vel etiam *infirmare*, *convellere*, *delere*, *inducere*; quæ omnia apud Tullium. Uti pro *annihilari* apud eundem est, *in nihilum interire*, *occidere*, *recidere*, vel *perire in nihilum.* Itaque Cæsar Scaliger commentario in priorem de Plautis Aristoteli tributorum, usurpaturus *annihilationis* vocem, præmittit*, *auribus honor sit.* Nihilo meliora, *intitulari* pro *inscribi*; *privilegiare*, pro *privilegio donare*; *canonizare* pro *in canonem referre*; *evaginare*, pro *gladium vaginâ educere*; *defalcare* lucro, pro aliquid de eo quasi falce decidere, ac deducere. Quamquam postremum hoc, ut probum, etiam Calepinus toties recoctus agnoscat.

* Pag. 31. edit. Crispin. an. 1566.

Habemus de iis, quæ veniunt à substantivis: nunc dicam de illis, quibus origo ab adjectivis; tum simplicibus; tum compositis cum præpositione. A simplici adjectivo *humilis*, est *humilliare*. Pro eo, quod Græcè ταπεινοῦν, apud vulgatum legas interpretem Matth. XVIII. 4. Latini pro eo dicunt *dimittere se*. Ciceronis quoque est Tuscul. V: *Non est ausus claré & ample loqui, cum humiliter demissèque sentiret.* Item *summittere*. Cicero in Lælio: *Qui superiores sunt, summittere se debent.* Item Offic. lib. I: *Quanto superiores sumus, tanto nos submissiùs geramus.* *Humilificare* pro *humiliare* Tertulliani est lib. de Pœnit. cap. IX: *Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis sententia est.* Th. Beza ad superiorem Matthæi locum annotavit *humiliare* legi unico Ciceronis loco in II de Nat. Deorum. Metuo, ne vel memoria eum, vel vitiosi codd. fefellerint.

Quod si tam prope ab optimo ævo abesset *cassare*, pro cassum irritumque reddere: simile foret priori. Sed hoc longè recentius: legas interea apud Karolum Magnum Capitularis de non adorandis imaginibus lib. I cap. III: *Omnia falsa, veritate veniente, cassata sunt.* Junioribus satis frequens: in his Driedoni, magni nominis Theologo Lovaniensi lib. III † partis secundæ de concordia liberi arbitrii, & prædestinat. divinæ.

† Pag. 44. b.

Adjectiva composita cum variis præpositionibus conflantur. Cum AD; ut à *proprius*, barbarum *appropriare*; pro *reddere proprium*. Cum AB; ut ab *absens*, *absentare*; pro *absentem esse*. Crebrum est id verbum scriptoribus Ecclesiasticis: etiam iis, qui ante quingentesimum à Christo annum vixere. Ex quibus utuntur Faustus Regiensis, & Sidonius Apollinaris lib. IX epist. XIII. Sed de Cypriano non arbitror. Video quidem, libello de singularitate clericorum legi. Sed ibidem invenio, *inordinabiliter*, *contubernaliter*, *conjugalitas*: cujusmodi satis arguunt, alium, quàm Cyprianum, ejus esse fœtus parentem. Nec mihi persuadere possum, eo, etsi aliâ significatione, Claudianum esse usum lib. III de raptu Proserpinæ:

—— *Qua tale recessu*
Maluerit damnare decus, vetitamque dearum
Colloquio, patriis procul absentaverit astris.

Ubi, ex sententia Jani Parrhasii, *absentare* ponitur pro *absentem facere*, sive *ablegare*: quomodo *præsentare*, pro offerre legas apud Plinium, vel potius Sextum Aurelium Victorem de viris illustribus cap. de Pompejo: imò Fabium fortasse lib. XI*, ubi in Ascensiana quidem, & illâ Vascosani, editum, *Eadem vis repræsentat*: in Aldina autem, *præsentat.* Ac sic optimæ membranæ nostræ, quos munificentiæ illustrissimi Ludovici Joachimi F. Camerarii debemus. Quæ plus ad rem facerent, nisi in aliis Claudiani codicibus pro *absentaverat* esset *amandaverat*. Atque ita sine dubio legendum. Ex parte favet Msus noster, ubi est:

* Initio cap. 2.

—— *Vetitamque Dearum*
Eloquio, patriisque procul mandaverit astris.

Sed examussim bene Msus Stephani Claverii: ubi est,

—— *Patriis procul amandaverit astris.*

Amando

Amando per E, ut *commendo*. Idem tamen agnoscit, in altero se MSo repperisse *absentaverit*. Atque addit, se non videre, cur id debeat mutari; quia simile sit ac Plinii, & Fabii *præsentare*. De quorum utroque paullo antè dixi, quid existimem.

A *devius* formant *deviare*: quod apud juniores subinde; apud veteres nunquam me legere commemini: agnoscit interim Calepinus, sed auctorem non laudat.

A *contentus* venit barbarum *contentor*, pro *acquiesco*, *non recuso*.

Ab *irritus* est *irritare*, secundâ correptâ: ut idem verbum, eâdem porrectâ, est ab *ira*, vel potiùs ab *irrio*, sive *hirrio*, quod canum proprium; ut propriè sit canes ad hirriendum provocare. Superiorum est seculorum versiculus:

Irritet hunc Dominus, qui nos irritat ad iram.

Sed *irrito* mediâ brevi (quamquam & Perottus agnoscat) ignotum est iis temporibus, quibus purè loquebantur. Nec tamen proximis fuit seculis confictum: quando habemus L. 11. C. De Feriis. *Quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.* Ut faciliùs veniam mereantur juniores: in his Balæus in vita Sergii III: *Neque hanc ignominiam homini mortuo* (Formoso Papæ) *intulisse contentus, omnia ejus acta irritavit.* Pro *irrita reddidit*, sive *abrogavit*.

A *prægnans* (quod ex *præ*, & antiquo *geno*, uti hoc à γείνω) *impregnare* fecerunt. Sed verbum est deculpatum.

Longum esset, si cætera id genus persequar: cujusmodi etiam est *contrarior*, pro *adversor*; qualibus tædio est diutius insistere.

Paucis etiam iis immorabor, quæ non à solo nomine veniunt, aut verbo; de quibus hactenus egi; sed ex utroque constantur: ut *verificare*: quod vulgo in usu; & defendi eo solet, quòd similiter dicatur *terrificare*. Quasi ἀναλογίᾳ solâ solidè aliquid adstruatur.

Simile est, quando, quia *rumificare* dicitur, eò & rectum putant *vocificare*: & præcipuè, quia apud Agellium sit lib. IX cap. III: *Et cujus vim, atque arma toti Græciæ cavenda, inclyta illa Demosthenis orationes, concionesque vocificant.* Ita Justus Lipsius legit epistolicarum quæstionum lib. III epist. VI. Sed rectiùs vulgati codd. *notificant*: quomodo non Ovidius modò est locutus; sed etiam Varro.

Sanctificandi etiam vocabulum puto veteribus fuisse ignotum. Atque idem censeo de *glorificandi* verbo. In Ecclesiastico tamen argumento feram: quia jam usus diu recepit.

Cap. XXIV.

De verbis malè per tempora, ac modos, declinatis: ac primùm de præterito imperfecto; uti in Hilarii Cicestrensis ridiculo barbarismo ad Papam. Inde de præterito perfecto actum: ubi monitum, haut proba monetæ videri, juvasti, *vel* juvarunt; lavasti, *vel* lavarunt; clanguerunt, *ac fortasse etiam* clanxerunt; perculsi, *quod e Terentio probatum eunt, pro* perculi; pexivi, *quod veteri Grammatico placuit, pro* pexi, *vel* pexui; ferii, *pro* percussi; tutudi, *vel* tunsi, *pro* contudi; *etsi* tutudi *olim probum fuerit; unde* tudes, *&* Tuditana *familia: ac obiter additum de supino* tunsum. *Hinc ad alia itum supina, vel venientia inde participia. Ut cum* obtensum, *vel* prætensum, *ajunt, pro* obtentum, *&* prætentum. *Pro* ob *etiam* obs *dixisse; unde* obstendo, *à quo* ostendo, *& alia quædam. In supinis etiam, ac participiis, rejecta*, adorsum *pro* adortum; reversus sum, *pro* reverti; compertus sum, *pro* comperi; dimetitus, *pro* dimensus; orditus, *pro* orsus: *utcunque ea suffulta videantur auctoritate veterum, vel recentiorum non exigui nominis.*

HActenus egimus de verbis, ubi aliquid desideres in themate sive radice, hoc est, indicativi prima persona temporis præsentis. Est præterea, ubi peccetur declinando per tempora, & modos. Quod rarò fit in imperfecto, nisi à mirè indoctis. Ut siquis de eo colligat ex præterito perfecto. Hujus generis est, quod Hilarius, Cicestrensis episcopus, cùm apud Alexandrum III regis sui Angli caussam Romæ ageret adversus Archiepiscopum Cantuariensem, usurpavit verbum *oportuebat*, pro *oportebat* †: unde ab omnibus risu exceptus, quodam etiam è cœtu in hæc verba erumpente, *Malè tandem venisti ad* PORTUM.

† *Baronius ad annum Christi* 1164.

At crebrò ab eruditis etiam peccatur in præteritis, & supinis. Ut cùm, uti *clamarunt*, & *acclamarunt*, dicimus; ita nec refugiunt *juvarunt*, & *adjuvarunt*. Atqui horum dissimilis est ratio, cum non dicamus *juvavi*, *juvavisti*; sed κατὰ συγκοπὴν *juvi*, *juvisti*; unde *juverunt*, & *adjuverunt*. Scio, summos viros passim aliter loqui. Sed quærantur, quomodo se valeant tueri veterum auctoritate. In tumulo tamen quem Ludovicus de Torres Archiepiscopus Messanensis statuit Guilhelmo Bono Siciliæ Regi, defuncto anno CIↃ C XXCIX, habes: Montem Regalem à Lucio III Pont. Max. Metropolim constituendam juvavit Siciliam. Sed tumulus is demum constitutus anno CIↃ IↃ LXXV.

Itidem nec *lavasti*, vel *lavarunt*, dixero: etsi Probus *lavavi* agnoscit in Catholicis. Quippe exstat nuspiam, Priscis tamen fuisse in usu, colligere est exinde, quòd *lavatum* sit apud Terentium, Horatium, Ovidium. Sed obsoleta planè non sunt revocanda. Semper igitur *lavi* dicendum. Verùm est istoc a *lavo* tertiæ: cujus multa Nonius testimonia congessit.

Clangui etiam Passeratii, ut vocari solet, Calepinus agnoscit. Et sanè *clanguerunt* dixit vetus interpres Num. X. 4. Sed pro eo *clanxerunt* reposuit Sanctes Pagninus: ut & Leo Judas, item Franc. Junius, atque alii. Atque ut *clangui* barbarum putem, facit hoc, quòd videam, nullum verbum in GO in præterito facere GUI. At ἀναλόγως à *clango* sit *clanxi*, ut ab *ango anxi*: quomodo Agellius lib. I cap. II dixit: *Ea res in fine quoque vitæ ipso animum ejus anxit.* Interim metuo, ne *clanxerint*, nihilò magis, quam *clanguerint*, reperire sit apud quemquam veterum. Et fortasse hoc caussæ fuit, cur Sebastianus Castalio, ut talium etiam erat curiosus, utroque, in tralatione loci memorati, abstinendum sibi putârit.

Perculsit qui dicunt, pro *perculit*, tuentur se Terentiano istoc Andr. act. I sc. I. *Perculsit illico animum.* Sed Rivius, & alii, docuere jamdiu, melioribus in libris esse *perculit*. Dixeris, supinum esse *perculsum*; hoc ἀναλόγως esse à *perculsi*; ut à *vulsi* est *vulsum*. Sed dispar horum ratio est. Nam *vulsi* legimus apud Lucanum, ut *revulsi* apud Ovidium. Imò ex Laberio adducit Diomedes: *Aliquâ parte prævulserat.* At à *cello* quidem est *celsum*; non tamen *celsi*, sed *cellui*: uti à *fallo* quidem est *falsum*; non tamen *falsi*, sed *fefelli*. Quod verò à *cello*, *celsum*, à *percello* tamen *perculsum* dicimus; id fit mutatione E in U: quomodo a *pello* est *pulsum* pro *pelsum*; imò & in præterito *pepuli*, pro *pepeli*. A quo nec multùm abit à τλῶ *tolo*, à quo *tolero*, & in præterito *tetuli*, pro *tetoli*. Vide & quæ de præterito à *percello* diximus lib. III de Analogia cap. XXVIII.

Pexivi pro *pexi*, vel *pexui*, agnoscit Asper, teste Prisciano. Credo, eo fuit deceptus, quòd pro *pexum* etiam dicatur *pectitum*: unde *pectita lana*, h. e. carminatæ. Sed imbecille hoc telum: quia *pectitum* non est, ut *petitum* à *petivi*; sed quasi à *pectui*, pro quo *pexui* dicimus. Si simile foret, ac *petitum*, produceret penultimam, quam corripit. Columella lib. X:

Verùm ubi jam puro discrimine pectita tellus.

Ferii à *ferio* dicere jubet Charisius. Et ita loquitur Baptista Mantuanus: atque etiam Græcum ἴσαλεν, *ferit*, interpretatur magnus Turnebus lib. XXI Advers. cap. XX. Sed præterito destituitur: ac magis etiam supino: quo tamen usus Petrarcha: imò & Servius in VII Æn. *feriturum* dixit. Egimus de istoc etiam in tertio de Analogia cap. XXXIII.

Tutudi

Tutudi vix ausim usurpare; minùs etiam *tunsi*. Prius probant Charisius lib. III cap. de tertio ordine, & Priscianus libro X. Utrumque verò approbat Diomedes. Sed neutrum reperio apud classicos, eoque non sic loquar: *Mercurius tutudit* vel *tunsit Sosiam*; verùm *contudit*: quod tamen ab obsoleto *tutudi* esse, non dubito. Similiter *contusum* dixero, non *contunsum*: etsi Maronis in plerisque codd. sit III Georg.

——*Tunsis gemit area frugibus.*

Et IV Georg.

Profuit & tunsum gallæ admiscere saporem.

Atque adeò etiam Columellæ sit lib. VI cap. VI: *Quibus in unum tunsis*. Nempe quædam in compositis magis obtinent, quædam in simplicibus. In compositis legas, *applicuit*, *evasit*, *detrusit*, *emunxit*, *delicuit*: at non item in usu, *plicuit*, *vasit*, *trusit*, *munxit*, *licuit* à *liqueo*. In compositione etiam obtinent, *retentum*, *contentum*; *enectus*, *internectus*: at non legas supinum *tentum*, nec simplex *nectus*: imo *necui* quoque, quo usus Ennius, obsolevit, etsi *enecuit* sit in usu: interque alios id usurpet Tranquillus de Claris Grammat. Contra in simplici legas *fidi* à *fido*; *tacitum*, & *taciturus* à *taceo*: at, puto, non invenias *confidi*, à *confidere*; nec à *reticeo*, *reticitum*, vel *reticiturus*. Ubique autem usus spectari debet. Ut verò a *pago* est *pepigi*; ita à *tudo* fuit *tutudi*: & ut à *pango*, *panxi*; sic a *tundo*, *tunsum*. *Tudo* veteres dixisse, arguit frequentativum *tudito*: quod apud Ennium, & Lucretium: item verbale *tudes*, mallei genus; à quo Romæ *Tuditani*. Nempe, qui primus sic in familia dictus, caput tuditi simile habebat.

Hactenus de præteritis sermo fuit: sed, ut video, jam aliqua cœpi immiscere de supinis: de quibus deinceps seorsum loquar: ac simul de inde derivatis passivorum, ac deponentium participiis.

Obtensam, vel *prætensam* caussam vocant, quæ non est vera αἰτία *, sed solùm πρόφασις †. Verùm satiùs multò sit *obtentam*, vel *prætentam*, dicere. Nec enim omnia composita à *tendo*, a quo *tentum* & *tensum*, utramque supini formam sequuntur. Sanè duo, quæ adduximus, T amant. Ovid. III Met.

* *Caussa.* † *Prætextus.*

——*Instantiaque ora retardat*

Cuspide prætenta.

Val. Flaccus III Argon.

Ibat, & obtentâ mulcebat lumina pallâ.

Objectant illud Tranquilli in Nerone cap. XLVIII: *Obtenso ante faciem sudario*. Scio, sic in plerisque libris esse. Sed in melioribus est *obtento*: quod in tribus codd. se reperisse ait Torrentius. Dixeris, *ostensa* esse perusitatum: eoque *obtensa* non posse improbari, cùm ambo ab eodem sint præverbio. Verùm aliter est. Nam, ut dixere *ab*, & *abs*; unde *abstineo*, *abscondo*; & omisso B, *asporto*: sic ab ὄπως dixisse puto *ob*, & *obs*: unde *obscœnus* à *cœno*; *obscurus* à *cura*: & verbum *obstrudo*, item *obsoleo*, nisi hoc à *soleo*: adhæc *obstendo*, ac B (haut aliter ac in *asporto* fit) præterito, *ostendo*. Ut omnino *obtendo*, & *obstendo*, origine paullùm varient; eoque, si supino differant, nihil sit mirandum: præsertim cùm & significatio sit diversa, quando aliud est *obtentui*, aliud *ostensui esse*: quorum utrumque apud Sallustium. Quemadmodum & aliud est *obtrudo*, aliud *obstrudo*: ut ex Plauto, & Festo, videre est.

Adorsus, pro *adortus*, tuentur hoc Ovidii in primo de Ponto: *Et nullum majus adorsa nefas*. Et illo Agellii lib. IX cap. II: *Adorsi erant tyrannum interficere*. Sed vitiosis decepti sunt libris, cùm *orsus* sit ab *ordior*, non *orior*. Ab *orior* verò est *ortus solis*, *lachryma suborta*, *coorto tumultu* &c. Glossæ Philoxeni: *Adortus*, ἐπιχειρήσας, ἐπιφυείς.

Reversus sum, nusquam legas apud Ciceronem; sed semper *reverti*, ab antiquo *reverto*. Ac similiter Livius, & veterum alii, loqui amant. Nunc priori illo nihil æquè in ore est omnibus.

Comperior quidem activâ dicitur significatione Sallustio, & aliis: at *compertus sum* non dicitur: sed *comperi*, vel *compertum est mihi*. Scio, Livii esse in secundo belli Annibalici, *Compertus stupri*: ut Taciti est lib. I Ann. *Compertus flagitii*. Sed simile hoc, ut *pransus*, *cœnatus*, *repertus*; per quæ præteritum activum non circumloquimur.

Metitus, pro *mensus*, dicunt eruditi. Nempe quia ut à *mentior* est *mentitus*, sic à *metior* fuerit *metitus*. Ita Cæsar Scaliger non uno loquitur loco: ut dixi lib. III de Analogia cap. XXXIII. Xylander quoque illud Plutarchi lib. de Iside & Osiride *, τὸ δ' Ὀσίριδος ἐκμετρησάμενον λαθεῖν τὸ σῶμα, sic vertit, *Metitum furtim corpus Osiridis*. Defendunt se illo Ciceronis in II de Nat. Deor. *Atque ita dimetita signa sunt*. Sed sententia exigit *demetata*: quomodo est in optimis editt. Addunt è Curtii tertio: *Stipendium metitum est*. Quo Scaligerum tuentur Finkius, & Helvicus. Sed hoc non reperias. At eo libro † ait, *Ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes victoriâ emensus*: non *emetitus*. Et alterum firmat, quòd *mensores frumentarios* dicimus: ut L. Mensores XXVI, ff. de excus. tutor. Nec tamen negare possum, sic locutos esse, ducentis à Christo annis. Nam ipsius est Ulpiani, lib. XXXII. Digest. tit. I. de legatis & fideicommissis, Leg. LII. §. I. *Sicut centum libri sunt legati, centum volumina ei dabimus; non centum, quæ quis ingenio suo metitus sit*. Prout hunc locum quoque adducit Laurentius Valla lib. VI Elegantiarum cap. XLIII, quod est de discrimine inter *librum*, & *volumen*. Imò similiter est in Pandectis Florentinis, atque aliis.

* *Pag. 356 edit. Paris.*

† *Cap. 12.*

Orditus, ab *ordior*, est apud Diomedem in præfat. operis: *Ut secundùm tria ætatis gradatim legentium spatia, lectio probabiliter ordita, crimen prolixitatis evadat*. Videas interim, verbo *ordior* tantum unum postea participium, *orsus*, assignare. Sed ecce veteris est Scripturæ interpretis, Esaiæ XXV. 7: *Et telam, quam orditus est super omnes nationes*. Cujus imitatione etiam Baptista Mantuanus Parthenices primæ lib. III de veste Christi inconsutili:

Mater ei tunicas habiles ordita, novumque

Vestis opus.

Imò & reperio apud Jul. Scaligerum lib. VI de re Poëtica cap. VII, ubi de Horatio sermo *: *Non semper, quod semel orditus est, detexit*. Metuo, ne excidere. Nam vel barbarum est, vel obsoletum.

* *Pag. 873.*

CAP. XXV.

De particulis, ac primùm illis terminatione vitiatis: ut privatè *pro* privatim; seorsim, *pro* seorsum: *deinde de malè derivatis; ut* aliqualiter, *& alia quædam similiter exeuntia: item* plurie s, nonies, vigesies, *& id genus numeralia: adhæc* exactè, cælitus, recenter, dietim: *denique de malè compositis, ut sunt* amodo, econtra, fortasse *&* impræsentiarum. *Rejecta etiam* nullibi, aliquatenus, nullatenus, multoties.

SEquitur de Particulis. Ubi vel peccatur ratione formæ, sive significationis; vel ratione materiæ, sive ejus, quod auditur, aut scribitur. De priori genere inferiùs dicendum. Hujus verò loci est, quando error committitur ratione materiæ. Fit hoc bifariam. Nam vel vox est vetus, ac proba, eo excepto, quòd in litera una, vel pluribus, sit corrupta: vel vitiosa derivatione, aut compositione, effingitur vox nova.

Prioris generis est *privatè*, pro *privatim*; quamquam Ciceronem sic locutum dicat Passeratii, ut vocant, Calepinus. Citat verò ex lib. VII ad Att. *Illud privatè non adscribis, & tibi gratias agit*. Imò & in Thesauro L. L. id reperias. Sed additur, ex vetusto codice legendum esse, *Id, puto, non adscribis*. Nec dubitandum, quin locus sit corruptus.

Vulgò etiam *seorsim*, pro *seorsum*, dicunt viri doctissimi. Ac quorundam est suspicio, hunc morem loquendi origi-

originem traxisse ab errore Melanchthonis in Grammaticis sic scribentis, ac ejus interpretum: qui & tuentur hunc exarandi morem, quia sic in Cicerone reperiatur. Atqui omnes bonæ editiones consultæ aliud indicant. Aliter etiam Missi: aliter Charisius, Priscianus, alii Grammatici veteres: aliud denique ἐτυμολογία docet. Nec enim, ut à supino *raptum raptim*, à *separo separatim*, à *casum casim*; sic à supino aliquo venit *seorsim*: sed ut à supino *versum* est *versus*, & *versum*; inde *adversus*, & *adversum*; ex *proversus*, & *proversum*, *prorsus*, *prorsum*: ita ex *se*, & *versus*, aut *versum*, sive ἀρχαϊκῶς *vorsus*, *vorsum*, foret *sevorsus sevorsum*: pro quibus, extrito digamma, dixere *seorsus* (quo Afranius est usus in Emancipato †, & Plautus Rudente *) &, quod usitatius est, *seorsum*: quemadmodum idem digamma perit in *deorsum*, à *de*, & *vorsum*: item in *sursum* ex *sus*, vel *susum*, & *vorsum*: ut est apud Priscianum in quartodecimo.

† Apud Charisium.
* Act. 5 sc. 2.

Venio ad alterum particularum vitiosarum genus. Primùm loquar de illis, ubi est derivatione peccatum. Qualia sunt nonnulla in *aliter* desinentia. Ut *casualiter* pro *casu*, *fortuitò*. Item *incidentaliter*, pro *obiter*: *totaliter*, pro *prorsus*, *omnino*: *aliqualiter*, pro *aliquo modo*, vel *quadamtenus*; quomodo *quadamtenus rubens* est apud Plinium lib. XXIX, cap. X. *Principaliter* etiam huc referunt. Sed reperias apud Senecam, Plinium, alios: ac potissimùm in vett. Jurisconsultorum libris: neque id modò pro ἐξαιρέτως, vel *principii modo*: sed etiam pro *præcipue*: quomodo Cajus D. de Procurat. L. XLVI: *Itaque, quod ex lite consecutus erit, sive principaliter, ipsius rei nomine; sive extrinsecus ob eam rem; debet mandati judicio restituere.* Augustæo tamen ævo, ut puto, non sic loquebantur. Quare non facilè dicam, *principaliter studuit juri*; sed *præcipue*: vel, ut Agellius lib. XIII cap. X, ubi de Antistio Labeone sermo, *juris disciplinam principali studio exercuit.*

Pluries nec refugit Petrus Bembus lib. VI epist. ad Georgium Sabinum. Non probo. Inclinantis tamen Latinitatis scriptores eo usos, scio. Ut Trebellium Pollionem in duobus Gallienis: *Cùm pluries ejus caussa convenissent.* *Nonies* à *nonus* non dicitur, sed à *novem novies*. Est enim prima semper correpta. *Vigesies* usitatum hodie: uti & *trigesies*, pro *tricies*; *quadragesies*, pro *quadragies*: quæ nihilo meliora, quàm *centesies*, pro *centies*.

Neque *exactè* ab *exactus*, memini me legere: etsi vulgò obtineat, & Erasmus quoque, Annotat. in Matth. cap. II, sic ἀκριβῶς interpretetur. *Exactus* tamen pro *perfecto* legas apud Martialem *:

* Lib. 4 epig 87.

Nil exactius, eruditiusque.

Nempe ab ea significatione, qua *exigo*, pro *perficio*, dicitur; ut Horatio †, *Exegi monumentum*: Ovidio *, *Jamque opus exegi.*

† Lib. 3 od. ult.
* 15 Met.

Vocem *cœlitus* à *cœlo*, ut à *divino divinitus*, formarunt juniores. Usus eo Cyprianus lib. I. epist. II, quæ ad Donatum, *Cœlitus spiritu hausto.* Posteaque Lactantius, Hieronymus, aliique. Sed veteres ignorasse videntur.

Recenter pro *recens* est pervulgatum. Sed apud veterum neminem se repensse, ait Rob. Stephanus: uti & Cælius Curio.

Nec placet *diêtim* pro *quotidie*.

Alia sunt, ubi novâ compositione peccetur. Ut in *amodo*, pro *posthac*, apud vulgatum interpretem. Item in *econtra*, præeunte licet vulgato Bibliorum interprete, secundi sive IV Regum libri cap. III. 22. *Viderunt Moabitæ econtra aquas rubras, quasi sanguineas.* Nec propterea culpâro inscitiam interpretis. Sic enim tum loquebantur. Unde est, quòd nec refugerint Grammatici antiqui. In his Servius ad Ecl. VIII, sæpius in Ecl. v. item ad illud VII. Æn.

—— Picti scuta Numici.

Et hoc Æn. XII:

—— Bellantur Amazones armis.

Adhæc Possidius in vita S. Augustini, cap. IX: *Quæ cùm audissent, & econtra forte aliquid dicerent, à suis refellebatur.* Item Priscianus lib. I, cap. de literarum pronunciatione. E junioribus verò potiùs dispiciendum, quis ita non loquatur, quàm quis loquatur. Pauxillos referam ex iis, quibus alioqui dictionis cura esse solet. Sunt isti, Sebastianus Corradus lib. III Ethicorum cap. XXV †, Fracastorius pene extremo libro de Anima *, Hertelius in tralatione sententiarum è Comicis excerptarum, ubi ex Antiphane de Tragœdia agit, Scipio Gentilis lib. I Παρέργων cap. III, Lipsius Saturnal. lib. II cap. XIX. Merula Cosmographiæ parte I lib. II cap. XXVI, quod est de Venere, & Mercurio; in carmine etiam Lucas Fruterius, epigrammate in Chœrillum:

† Pag. 257.
* Pag. 571. edit. Leidens. an. 1591.

—— Et tamen Dionæam
Matrem vocamus: at Catullus econtra
Dioneum dixit columbulum rectè.

Censeo autem *econtra* natum ex eo, quod vulgò, compendio studentes, sic, lineolâ superinductâ, scriberent pro, *è contrario*: vel vitiosâ loquendi consuetudine fuerit corruptum ex, *& contra*, vel συνθετικῶς *eccontra*.

Si, quod primò conjectabam, placet, simile videatur, ac *impræsentiarum*: quod doctissimis quibusque est perfrequens. Nec diffiteri possumus, inveniri apud Catonem, Nepotem, Tacitum, Ulpianum, & alios. Ac, propter tot codicum consensum, non ausim super isto præfractè pedem cum aliquo struere. Interea tamen non facilè in animum induxerim, præverbium *in* jungi gignendi casui. Potiùs credidero, esse corruptum ex *in præsentia rerum*. Nam *rum*, lineolâ superadditâ, exarabant superioribus seculis, qui scribendi compendio studerent. Livius pro eo *in præsentia*. Ut lib. XLIV: *Occultiora quædam agebantur, quæ in præsentia invisum quidem, & suspectum Romanis Eumenem falsis gravioribus criminibus onerarunt.*

Nullibi, pro *nusquam*, invenias quoque in Calepino toties recocto. Agnoscit & Augustinus Saturnius lib. II Mercurii Majoris cap. IV, & alibi. Multique eo utuntur ex viris doctissimis: etiam Angelus Politianus lib. X epist. ad Joannem Texiram: *Nullibi sæpius, aut libentius, quàm aut in oculis præceptorum, aut in cœtu condiscipulorum, versantur.* Similiter Paulus Jovius in elogio Marulli Tarchaniotæ, item lib. I de vita Leonis X †, uti & II, semel *, iterumque † & Scævola Sanmarthanus in Elogiis, ubi de Jacobo Peletario. Est & Nicodemi Frischlini lib. II Eleg. IV:

† Pag. 18. edit. Flor.
* Pag. 35.
† Pag. 39.

Nullibi personam Christi discerpere quemquam
Passus ——

Thuanus Histor. lib. LXXII: *De cætero nullibi major serenitas, & ubertas frugum, quàm eo auctumno fuit.* Non desunt tamen, qui *nullibi* quidem barbarum dicant: at *nullubi* non minùs rectum credant, quàm *sicubi*, & *alicubi*. Sed si *nullubi* idoneo firment auctore, de *nullibi* non adversabimur: cùm V facile in I convertatur; unde ab eopse *ubi* est *alibi*: nisi hoc κατ' συγκοπὴν factum malis ex *aliubi*.

Aliquatenus, pro *quodammodo*, rejectum etiam Oberto Giffanio in Observationibus L. L. si modò is liber non mentitur auctorem.

Nullatenus non est quidem vox heri, vel nudiustertius, reperta, (legas enim cùm alibi, tum in Clementinis Tit. VI, qui est de sequestratione possessionum, & fructuum: imò Fulgentius lib. de fide ad Petrum, quadragies caput incipit ab his verbis, *Firmissimè tene, & nullatenus dubites*:) sed idonei Latinitatis auctores semper pro eo dicunt *neutiquam*, *nequaquam*, *minimè* &c. Valla igitur damnat. Ἀναλογία tuetur Despauterius. Sed usu potiùs metiri sermonem oportet.

Multoties Latinum si foret, dicerem, multoties me audire in sermone eruditorum, eorumque scriptis legere. Poggium Florentinum, qui usurpat initio Historiæ Convivalis de Avaritia, & alios ejusce, vel superiorum seculorum, omitto. Imò & Angelum Politianum, politum auctorem: apud quem me legere commemini. Solùm nostri seculi scriptores dicam: e quibus est usus Joannes Langius, Irenæi ad Græcos adhortationem transferens. Uti & Dalecampius in versione sua Athenæi lib. VIII, & Brodæus,

dæus, summus vir, lib. III Miscell. cap. XI. Sed omnino cum classicis malim *sæpius*, *crebro*. Nec tamen vox est proavorum ætate inventa. Nam usus eâ Julianus, patricius ac antecessor Urbis Constantinopolitanæ, tralatione Justiniani Constitutionis Novellæ CXXV †: *Mulier licet pro marito multotiens in privato aut in publico debito intercedat, tamen non teneri sancimus.* Vixit autem Julianus hic Antecessor tempore ipsius Justiniani Cæsaris, teste Vincentio Bellovacensi in Spec. Histor. Estque idem ille, qui in Justiniani Novellis dicitur præfectus prætorio: ac cujus sunt tria epigrammata, sub Juliani Antecessoris nomine lecta in Ἀνθολογίᾳ: cui item opus suum Grammaticum dicavit Priscianus: uti Huberto Goltzio observatum *. Habes quoque vocem hanc *multoties* in Liviana epitome. Quod mirarer magis, nisi viderem, in ea se alia etiam offerre notæ non bonæ. Nempe non adeò est antiquus ille epitomes scriptor, quàm putant: utcunque tum vixerit, cum totus etiamnum Livius exstaret.

† Pag. 238. edit. Goltzianæ.

* Præfat. ad Lect. quæ Novellarum huic editioni præmittitur.

Cap. XXVI.

De vocibus in aliena positis significatione: ac primùm de substantivis ad lusum puerilem pertinentibus: ut cum dicunt trochum *pro turbine, qui Græcè* βέμβηξ, στρόβιλος, ῥόμβος: *vel pertinentibus ad ludum literarium: ut cum pro eo dicunt* scholam trivialem; *vel* textum *pro verbis scriptoris, qui exponitur; vel* tres lineas, *aut* regulas, *pro versibus, aut* versiculis; *vel* libri caput, *pro lectione majori.*

POstquam vidimus de vocibus, quas Latini ignorant: agendum nunc de Latinis quidem, sed quibus indoctè abutimur in significatione aliena. Ubi vix dici potest, quoties fallantur etiam homines doctissimi. Tanto curatiùs de his cogitandum est nobis: utcunque non ignorem, talium minutiarum curiosos vix aliud videri, quam ἀκανθολόγους, καὶ ὀνοματοθήρας †. Ac primùm de nominibus videamus; inde de verbis, postremò de particulis acturi.

† Ingredientes per spinas, & vocum captatores.

Quia verò à pueris, docentium culpâ, barbariem haurimus, ordiar à lusibus puerilibus. Nempe à turbine, quem vulgo *trochum* vocant. Ac præivit ad hunc errorem Acro in artem poëticam Horatii: *Trochus dicitur turben: qui flagello percutitur, & in vertiginem rotatur; unde a volubilitate nomen habet.* Eamque sententiam innumeri sequuntur. In his Georgius Merula ad Ovidium, & Henricus Stephanus in Thesauro suo Græco *; ubi idem esse ait βέμβηκα, καὶ τροχὸν, item *turbinem*, & *trochum*. Imò eadem mens etiam τῷ μακαρίτῃ Joanni Meursio, summo in his studiis viro, libro de ludis Græcis; & Æmilio Porto, Suidam interpretanti vocem βέμβηξ: cui imposuisse videtur Suidas ipse. Quæque apud Suidam habes, iisdem verbis legas apud Aristophanis scholiastem ad Vespas, & Aves. Atqui *trochus* nunquam est turbo; sed circulus magnus, qui radio in transversum latus impellitur. Ideo *rota* vocatur Martiali lib. XIV †, ac canthi dicitur usum posse præstare. Sic enim scribit:

* Voce βέμβηξ.

† Epigr. 166, sive alias 168.

Inducenda rota est: das nobis utile munus:
Iste trochus pueris: at mihi canthus erit.

Scio, quanto aliter hoc de versu senserit non vulgus modò: sed etiam illustris Velserus, observationibus ad antiqua Augustæ Vindelicorum monumenta. Sed omnino rectum est *canthus*: atque ita dicitur ferreus circulus, qui rotarum præmunit curvaturam: quomodo prius usurpavit Persius; post eum alii complures; in his B. Hieronymus tertio in Ezechielem, ac Diomedes lib. III. In hoc trocho plures, vel unus minimùm circulus inserebatur, tum ut sono oblectaret aures, tum etiam aliâ de caussâ, quam indicat Martialis epigrammate sequenti:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis?

Quærit poëta, cur in laxo illo orbe, quem *rotam* antea dixerat, appendatur annulus, qui currente rotâ ederet sonum. Caussam subdit, ut turba obvia, sono istoc monita, ab via decedat, atque ita caveat sibi ab improviso trochi incursu. Nec semper unicus erat annulus, sed plures subinde: ut dixi, atque ex Antyllo jam aliis monitum. Et Batavorum pueri appendere plures solent. Atque hoc est *trochus*. Nec aliter eâ voce usus Horatius lib. III od. XXIV, & epist. ad Pison. Ovid. II Trist. Artemidorus lib. II Oneirocrit. cap. LVII, vel alius veterum quisquam. Trochum & turbinem differre ostendit Lambinus in Artem Poëticam * uti & Jos. Scaliger in Dionys. Catonem.

* Pag. 378.

At longè aliud est *turbo*; qui plagis loro factis agitur in orbem; ut indicio est hoc Tibulli lib. I eleg. V:

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo.

Prout est in codd. vulgatis. Nam *turben* legit Charisius. Sed *turbo* rectum esse, ostendit è Catullo Servius ad VII Æn. Nempe ut ab *homo*, *hominis*; sic à *turbo*, *turbinis*. Atque ita dicitur Maroni VII Æn. ubi scitè sic puerilem hunc lusum describit:

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille, actus habenâ,
Curvatus fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubisque manus, mirata volubile buxum.
Dant animos plagæ.

Quo loco turbinem vocat *buxum*, quia fieret è buxo. Unde & Persius sat. III:

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Βέμβηξ appellatur Callimacho Epigr. I quod ex tertio Ἀνθολογίας. Στρόβιλος vocatur Platoni in IV de Legibus, & Plutarcho in Lysandro. Sed & ῥόμβος dicitur; unde Suidas, Βέμβηξ, ὁ ξύλινος ῥόμβος. Ac similiter Hesychius, Βέμβικος· δίνην, ῥόμβου τρόπον. Etiam apud Pindari Scholiastem est ad Olympion. Od. XIII: Ἡ κοινῶς στρῶμβα, ἥ τις καὶ βέμβιξ λέγεται, καὶ ῥόμβος. Leve discrimen, quod pro στρῶμβα legas στρῶμπα apud Laccapenum in Schedis Grammaticis.

A lusibus eo ad scholam, & libellos; ut παιδιὰν * in pueris excipit ἡ παιδεία †. *Trivialis schola* perperam dici solet, pro *pædagogio*, aut *schola minori*; quam & *classicam* dixeris, quia in classes sex, vel plures, paucioresve, dividitur: quale nihil in Lyceis, atque Academiis. Nuncupantur autem *triviales* scholæ quasi vulgares, & in triviis constitutæ: quomodo nomen id nulli scholæ, ad Latinas Græcasque literas discendas publicitus constitutæ conveniat: quæ rarò in triviis erectæ: quin ferè una duntaxat etiam in magnis est urbibus: binis gaudet populosa hæc ac florentissima Amstelodamensium civitas, Lycei seu illustris Gymnasii, eapse in Urbe ab inclytis Proceribus constituti, seminariis certissimis, pulcherrimisque. Vel potiùs inde Trivialibus Scholis nomen fecerint majores, quòd in his tres artes, Grammaticen, Rhetoricen, Logicen, docerent. Nam eas *trivium* dixere: ut *quadrivium*, quatuor artes Mathematicas; Arithmeticen, Geometriam, Astrologiam, & Musicen: quod ex Cassiodoro cognoscimus. Atque iste est chorus septem artium liberalium: prout fusiùs diducimus in opere nostro de Disciplinis veterum, omniumque scientiarum Naturâ, & nexu.

* Lusum.

† Institutio.

Ab iis, qui pueritiæ dictant suas ad antiquum scriptorem notas, solent ea, ad quæ illa referunt, *textus* nomine appellari. Ac similiter commentatores prope omnes loqui amant. Malim dicere *verba scriptoris*. Κείμενα vocare sueverunt scholiastæ Græci.

Vix etiam libellos in manus sumimus, quin doctores ediscere præcipiant sex septem *lineas*, vel *regulas*. In quo poterat conniveri, nisi per omnem postea ætatem adhæresceret is sermo, ita ut sic loquantur, qui alioquin ingenium habent probè in antiquis auctoribus subactum. Superstitibus parcam. Ex aliis solùm nominabo Joannem Sambucum: & eo quidem ex scripto, quo tractat de imitatione è Cicerone petendâ. *Audivi ego*, inquit *, *de maximo & eloquentissimo viro, cùm de Rep. Ciceronis libros penes se habere quidam affirmarent, duabus, aut tribus ad summum lineis auditis, vel visis, an Ciceronis essent, dijudicaturum se.* Latini pro eo *versum*, aut *versiculum*,

* Pag. 34.

culum, dicerent. Nam quòd quidam autumant, *versum* in carmine duntaxat locum habere, is sanè puerilis est error. Aliud eos Tullius docere possit. Cujus est pro Rabirio Post. *Glaucia solebat, homo impurus, sed tamen acutus, populum monere, ut, cùm lex aliqua recitaretur primum versum attenderet.* Et epist. XVI lib. II ad Att. *Quod de Q. Fratris epistola scribis, ad me quoque fuit, Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ. Quid dicam, nescio. Nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis movere possit.* Similiter Cornelius Nepos in Epaminonda: *Uno hoc volumine vitas excellentium virorum complurium concludere constituimus; quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt.* Et quid apertius illo Justiniani, procemio de confirmatione Digestorum? *Hanc iis* (Digestis, sive Pandectis) *appellationem imponentes, nec ultra quindecim myriadum versuum numerum eis dantes.* Verùm aliqui de *versu* negant se velle controversari. Verùm, quod *versiculum* dicebamus similiter sumi, id verò iis est insolens imprimis. Quem igitur meliùs iterum obducam, quàm Tullium? qui oratione pro Domo *versiculum* appellat: VELITIS, JUBEATIS, UT M. TULLIO AQUA, ET IGNI, INTERDICATUR. Eò enim respicit, cùm ait: *Hoc vos pati potestis, hoc ferre civitas, ut singuli cives singulis versiculis e civitate tollantur?* Idem in Milonianâ, cùm dixisset, UT VIDERET (Pompejus) NEQUID RESP. DETRIMENTI CAPERET: subjicit mox: *Quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis.* Item epist. I lib. V ad Att. *Nunc venio ad transversum illum extremæ epistolæ tuæ versiculum.* Ac plusculis aliis in locis, quæ brevitatis caussâ omitto.

Vulgò & in Scripturis SS. vocant versiculos, quæ rectiùs commata, sive *incisa*, dicerentur: quomodo & vocitare videtur Manuel Comnenus legatione ad Armenios, sive potiùs Theorianus disputatione cum Armeniorum Catholico, sive generali. Video esse, qui nuncupet *catucopas*. Alius, ut capita *tmemata*, sic versiculos ὑποτμηματικῶς appellat *tmematia*: nec incommodè, ut arbitror. *Versiculorum* verò nomen eo minùs placet, quia rariùs fit, ut contineantur uno versu, sive, ut dicunt vulgò, unâ lineâ, vel regulâ: nisi fortè ob papyri amplitudinem versus is valde sit porrectus. Qui tamen tueri hanc novam acceptionem volet, per me licet dicat, eò *versus*, & *versiculos* vocari, quia in codd. minùs chartæ parcentibus, commate absoluto, vertere se manus in scribendo, oculi in legendo, ad novum initium soleant.

Post versiculos venio ad capita librorum; quomodo nunc majores appellant sectiones. At veteres *caput* dicebant, quod aliter *summarium* vocatur. Nempe quâ formâ Græci συγκεφαλαίωσιν † nuncupant. Vulgò *Summam Thomæ* dicimus. Sed in re quidem pecuniariâ, cùm multa æra subduximus, quod inde colligitur, *summa* nominatur: unde τὸ μετωφορικόν apud poëtam, *Votorum hæc summa meorum*: & Senecæ epist. XL: *Summa summarum hæc erit, tardiloquum te esse jubeo.* Quando autem, quæ à scriptore fusiùs sunt relata, paucis constringuntur, potiùs *summarium* nominabant. Scio, aliquos *breviarium* malle: quo usus Plinius lib. VII cap. XXVI, & Suetonius in Augusto cap. CI. Sed prius illud probius est, quàm *breviarium*: ut indicat locus ille Senecæ epist. XXXIX: *Commentarios, quos desideras, diligenter ornatos, & in angustum coactos, ego vero componam. Sed vide, ne plus profectura sit oratio ordinaria, quàm hæc, quæ nunc vulgo* BREVIARIUM *dicitur. Olim, cùm Latinè loqueremur,* SUMMARIUM *vocabatur. Illa res discenti magis necessaria est, hæc scienti.* Cur *summarium* diceretur, indicat hoc Maronis I Æn.

> —— *Sed summa sequar fastigia rerum.*

† *id. est concapitulationem, sive recensionem capitulatim factam.*

Indeque *summatim*, κεφαλαιωδῶς. Dixeris, & veteres divisisse libros in κεφάλαια, h. e. capita, sive capitula. Sanè B. Hieronymi esse ad Jesaiæ caput XXXIII: *Hebræi capitulum superius, in quo legitur; Væ qui prædaris: nonne & ipse prædaberis? & reliqua, usque ad finem; contra Sennacherib, Regem Assyriorum, dictum putant.* Scio. Verùm nos loquebamur de vocis ejus usu apud veteres Romanos. Sed neque id planè *caput* veteribus Christianis fuit, quod nobis. Liquet hoc vel ex ea divisione Euangelistarum, quæ est apud Suidam. Nam illis Matthæi Euangelium continebat κεφάλαια CCCLV: nobis solùm XXVIII. Etiam à Cæsario, Gregorii Theologi fratre, traditum est, quatuor Euangelia esse κεφαλαίων χιλίων ἑκατὸν ἑξήκοντα δύο, *capitum* CIↃCLXII. Ut veteribus fere id *caput* sit dictum, quod nobis *versiculus*. Sed de his, si Deus sinet, pluribus alibi loquemur.

CAP. XXVII.

De falsa nomenclatura eorum, quæ ad hominem pertinent: sive ut pars, quale sinus, *pro* gremio: dura, & pia mater, *pro* membranis cerebri custodibus, *quæ meninges dicuntur: sive ut sexus affectio, uti est* virago, *pro* vira: *sive ut nomen cognationis, qualia* nepos, & neptis, *pro* fratris, sororisve filio, *aut* filia: *sive ut vocabulum dignitatis, seu sacra, ut* concionator, *pro* Verbi præcone: *seu civilis, aut militaris, ut* major civitatis, *pro* prætore: castellanus, *pro* arcis præfecto: receptor, *pro* tribuno ærario: *sive ut privatæ vitæ nomen, quale* hospes, *pro* caupone: *sive etiam id vocabulum infame, ut* scurra, *pro* vili nebulone.

A Scholis, & libris, quò potiùs me conferam, quàm ad hominem; cùm non alii ea fini inserviant, quàm ad animum hominis excolendum? Partim autem hîc peccatur in humani corporis membris: partim in affectionibus homini propriis.

Prioris generis est, quando vulgò *sinum* dicunt pro *gremio*: cùm *sinus* sit, quicquid brachiorum complexu continetur. Sanè cùm dicimus, *in sinu gaudere*, pro *occultè lætari*: non ad gremium, sed cor, sive pectus, attenditur.

Item hoc pertinet appellatio *dura*, & *pia matris*. Sic vocitant membranas, quibus cerebrum involvitur, unde ἀλλαμίδας vocat Pollux: ac una et παχυμήνιγξ, altera λεπτόσης dicitur. Erasistratus ἐγκεφαλίδας nuncupat. Usitatiùs autem nominantur μήνιγγες: ut Aristoteli lib. I Histor. Animal. cap. XVI, sive juxta Cæs. Scaligeri distinctionem sect. CLXV, Ἔστι δ' ἡ μῆνιγξ, ὑμὴν δερματικὸς, ὁ περιέχων τὸν ἐγκέφαλον. Quod Scaliger reddidit: *Est autem, quâ amicitur cerebrum, membrana venosa cutis specie. Meningis* vocem refugit interpres, uti & fecerat Gaza. Idem Aristoteles lib. III Historiæ ejusdem cap. III, sive, ex distinctione Scaligeri, sect. LVII: Σχίζονται εἰς πολλὰ καὶ λεπτὰ φλέβια εἰς τὴν καλυμμένην μήνιγγα, τὴν περὶ τὸν ἐγκέφαλον. Gaza vertit: *In multos prætenues ramulos spargitur, itaque membranam custodem cerebri subit.* Scaliger verò sic: *In membrana, quâ cerebrum amictum est,* (meninga *Græci vocant*) *in parvas & minutas venas spargitur.* Caussam verò non video, cur non & Latinè *meninga* dicere possimus. Sed sicui id displicet, cum Gaza vocet *membranam cerebri custodem*: aut cum Scaligero nominetur *membrana cerebrum amiciens*: vel, cum aliis, *cerebrum involvens*. Atque ex hoc judicium esto de similibus appellationibus barbaris: quas, qui volet, ex anatomicis petat.

Appellationes hominum ab affectione sunt variæ. Quædam à sexu: ubi interdum erratur, quia ad verbum exprimere nitimur vocem exoticam; vel alios sequimur, qui id student. Factum hoc à veteri interprete Genes. II. 23: ubi *virago*, pro femina quavis, sumitur. Atqui sic propriè dicitur mulier, ut Luciano vocatur, ἀῤῥενική: quæ & ἀντιάνειρα: nempe & animo, & corporis filo, referens virum. Voluit verò is interpres ἀναλόγως exprimere Hebræorum איש, *isch* & אשה, *ischa*. Quod Symmachus reddidit ἀνδρίδα. Socer Junius optimè *viram*. Quomodo olim *Querquetulanæ viræ*, quæ querqueto præsiderent; ut ex Festo constat. Vidit hæc quodammodo, jam barbaro illo seculo, Nicolaus Lyra: cùm scribit: *Virago non signi-*

significat mulierem de viro sumtam, vel derivatam; sed viriliter agentem: & ideo magis proprie diceretur vira; si sermo Latinus pateretur. Solum in eo deceptus, quòd *vira* putavit Latinis omnibus ignotum.

Quædam verò appellationes sunt à cognatione; ut quando vulgò, vulgari linguâ decepti, etiam doctissimi *nepotem*, vel *neptem*, dicunt, qui quæve sit fratris, aut sororis filius, aut filia. Græcis est ἀνεψιὸς, vel ἀδελφιδοῦς. Quomodo Justinianus Imp. qui natus erat ex Justini Cæs. sorore, ἀδελφιδοῦς dicitur Procopio, ejusque Equalibus Euagrio, & Cyrillo Scythopolitano: Theophano autem, & posteriorum aliis ἀνεψιὸς: nempe laxius eâ voce acceptâ, cum propriè hoc sit fratris filius, ut ἀδελφιδοῦς sororis. Hunc sororis filium Anastasius Bibliothecarius vocat *nepotem* Marcellinus in Chronico *ex sorore nepotem.* Sic videas in monumento, quod Justus Lipsius Antverpiæ ad tumulum posuit Abrahami Ortelii, Colios ex Ortelia Abrahami sorore natos appellari ex sorore nepotes. Scribi debuit, COLII EX SORORE AB. ORTELII NATI B. M. POSS. Portus etiam Suidam transferens in voce Γειδώρου, ἀδελφῆς υἱὸν vertit *ex sorore nepotem.* Horumque exemplo nec sic loqui veritus est elegantissimus & doctissimus philosophus Hispanus, Sebastianus Foxus, Ethices compendio lib. III cap. XXVII: *Plinius Secundus adeo studiosus fuit, ut ab ejus nepote Plinio juniore referatur, ut totum id temporis, quod studiis non impenderet, perire arbitraretur.* Atqui satis constat, Plinium Veronensem, Naturalis Historiæ scriptorem, Novocomensis Plinii, cujus epistolas, & Panegyricum habemus, avunculum fuisse. Nullus autem patrui, vel avunculi nepos dici possit fratris, vel sororis nepos, quia ex horum filio, filiave, sit prognatus. Objectant, quòd dicat Suetonius Tranquillus in Julio cap. LXXXIII: *Sed novissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium, ex quadrante reliquo.* Sed enim non suos, hoc est, Julii; sed sororum nepotes dicit. Sorores igitur aviæ fuerunt. Genus enim sic habet: Julia, soror Julii Cæsaris, nupta fuit Atio Balbo: eo ex connubio nata Atia, nupta Octavio: hinc Cæsar Augustus. En verba Suetonii in Augusto cap. IV: *Octavius morte obiit repentinâ, superstitibus liberis; Octaviâ majore, quam ex Ancharia; & Octaviâ minore, item Augusto, quos ex Atia tulerat. Atia M. Atio Balbo, & Juliâ, sorore C. Cæsaris, genita est.* Et cap. VII: *Caii Cæsaris cognomen adsumsit testamento majoris avunculi.* Ac cap. VIII: *Duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit.* Nihil igitur apertius, quàm Augustum fuisse natum, non ἀμέσως* ex Julia, sorore Julii Cæsaris: sed ex Atia, Juliæ filia: eoque nepotem dici Juliæ; non Julii Cæsaris; qui Augusti avunculus major fuit. Nihilo firmius illud Plautinum Amphitr. act. IV sc. V:

> * *Nulla intercedente.*

> *Ego idem ille sum Amphitruo, Gorgophones nepos,*
> *imperator Thebanorum.*

Quo loco vulgarem sententiam tuetur Guil. Ranchinus J.C. Nam, inquit, Gorgophone non avia, sed amita Amphitruonis fuit, soror Alcei, qui parens Herculis. Hoc de Gorgophone ita esse, liquet ex secundo Apollodori. Verum, unde hæc adducta, non sunt Plauti. Nam scenæ tres, quæ actûs quarti scenam secundam proximè in plerisque libris consequuntur, etsi non recentia, sed vetera sunt; a Plauti tamen dictione abeunt: quippe magis tumentia: ac omnino sunt sequioris ævi. Quid si igitur errorem dicamus scriptoris, sive in re, quod Gorgophonem aviam putàrit: sive in sermone, dum nepotis vocabulo abutitur? Quærat aliquis, quod sit correlatum avunculi, aut patrui; si id *nepos*, vel *neptis*, non sit? Vide Paulum in l. Jurisconsultus 10. §. 14. in fin. D. de gradib. & adfin. Nego, Latinos proprium habere vocabulum: ut qui fratris, vel sororis, filium, filiamve, dicere soleant. Sic Cicero lib. III de Off. *Cùm Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluisset, eumque fecisset heredem.* Est & Plinii lib. XXXV cap. IV: *Proxime celebrata est in foro boario, æde Herculis, Pacuvii poëtæ pictura. Ennii sorore genitus hic fuit.* Vides, ut non dicat, fuisse Ennii *ex sorore nepotem*: quomodo hodie loquuntur. Est & Prosperi in Chronico ad an. Dom. CCCXXV: *Theodosius Valentinianum, amitæ suæ filium, Cæsarem facit.* Non *ex amitâ nepotem* dicit.

Quædam etiam nomina significant munia, vel dignitates. Ut in sacris est *concionator*, efformatum ad instar Græci ἐκκλησιαστής, vel etiam ἀγορητής, quomodo Nestor dicitur Iliad. α, & Aristophani in Nubibus: nempe ἀπὸ τοῦ ἀγορεύειν, quod est *concionari.* Sed aliter utitur eo Aristophanes, ac Homerus. Nam ludit Comicus in ambigua voce ἀγορᾶς, quæ & *forum*, & *concionem* significat. Aristophani igitur sic dictus, tanquam in foro versans: unde cum ante ait † ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν ψέγειν. Haut lubens verò ἀπὸ τοῦ θείου λόγου κήρυκας * *concionatores* vocitàro; eò quòd sciam ab antiquis hoc vocabulum in malam accipi partem solere, pro iis, qui auram popularem captant, & concionibus tribunitiis populum gaudent adversus proceres concitare, atque accendere.

> † *Scena, cujus initium, Ω καθίπορ-γοι σο-φοί.*
> * *Præcones divini verbi.*

Nec minùs peccatur in dignitatibus civilibus. Sanè in oratione, vel historia, non temere dixero, *Major civitatis Londinensis*, vel saltem non sic loquar, nisi προεμπλήκτον †: addendo videlicet, *ut vulgo loquimur*, vel simile quid. In antiquitatibus tamen Hethruscis, ab Ingiramio repertis, *majorem civitatis*, pro principe, vel præfecto urbis, legas. Sed hæc, & alia id genus multa, esse ea supposititia, satis arguunt. Latinè enim locutis *majores* sunt avi ac proavi, & horum longâ etiam serie progenitores. Nec tamen diffitendum, jam sub Antoninis Appulejum in Floridis dicere, *Major meus Socrates*: nempe ratione Socraticæ Philosophiæ, cujus sectatores quasi filii Socratis forent. Ac similiter idem in Apologia: *Jampridem majores meos, Aristotelem dico, & Theophrastum, & Eudemum.* Imò hoc paullo antiquior Agellius lib. XIX cap. I. ait, *Majores nostri, conditores sectæ Stoicæ.* Sed in præfectura urbium, & similibus, non arbitrer, tum, vel uno, altero, aut tertio etiam seculo pòst, hoc sermonis genus obtinuisse.

> † *Præmuniens: vel reprehensionem alienam præveniens.*

Castellanum vulgari idiomate præfectum arcis vocamus: unde & malè nunc sermoni adhæret Latino. Sed apud veteres commune erat militum nomen, quibus a Principe commissa esset castelli custodia: ut L. II de fundis limitotrophis lib. XI. Cod. Tit. LIX.

Receptores, & *receptatores*, Ciceroni, ac Jurisconsultis sunt, qui latrones, furesque, recipiunt, ac eorum bona occultant; pessimum sanè hominum genus, ut vocat Metius Tit. de Receptatoribus. Sed nemo veterum *receptores generales* dixit; quos *tribunos ærarios* vocare jubet Budæus. Distant ab his quæstores ærarii. Nam hi publicas conquirunt pecunias, ut ærario inferantur. Itaque Andreas Schottus in tertio Tullian. Quæst.* pro *receptore* jubet *quæstorem*, vel *coactorem*, dicere.

> * *Pag. 224.*

Itidem peccari videas in iis, quæ privatum vitæ genus designant: ut *hospes* pro *caupone.* Nam hospitem amicitiâ ducti recipimus gratis: imò & amicos paternos, nisi fortè confracta sit hospitalis tessera. At caupo non nisi pretio recipit advenas: unde à Belgis dicitur *weert*, a *weerde*, h. e. pretium: non à *waere*, id est merx, quod doctissimus noster amicus tradidit. At *caupo*, ut puto, ex eo, quia Græcis sit κάπηλος: quod ejusdem originis ac κάπη, unde βουκάπη: nempe a κάπτειν, quod ex καταφαγεῖν, ut alibi diximus.

Quod si ad infames etiam appellationes deveniendum, vulgò *scurras* nuncupant viles, ac nequam homines: cùm id vocabuli solùm iis conveniat, qui norunt dictis ludere ridicularibus: ac plurimùm quidem in malam accipitur partem, pro turpiter faceto, inque jocis inverecundo: (unde est, quòd Rhetores distinguere jubeant urbanè dicta à scurrarum maledictis; ut ostensum nobis Oratoriarum Institutionum lib. III cap. V, sect. XII:) attamen nec rarò usurpatur in bonam partem pro homine urbano, & eleganti. Cujus rei exempla apponerem, nisi adiri mallem

Turne-

Turnebum lib. XIX Adverſ. cap. XIII, & Janum Douzam lib. II Plautin. Explanat. cap. XIII.

Cap. XXVIII.

Mutorum etiam animantium nomina permiſceri: ut in quadrupedibus, cum bubalus, *&* urus; glis, *&* ſciurus, *confunduntur: item cum*, rattum *quem vocamus*, glirem, *aut* ſoricem, *nuncupant: vel* teſtudinis, *&* cochleæ *opercularis vocabula promiſcue ſumunt. In avibus, quando non diſtinguunt* otum, *&* otidem; trochilum, *&* motacillam: *ac cum* aquaticum carbonem, *pro* catarracte; gallinam aquaticam, *pro* fulica, *non verentur dicere. In piſcibus vero, quando diſtinguere neſciunt* elopem, *&* acipenſerem; ſynodontem, *&* ſynagridem; *vel cum* rubum, *pro* raja; turdum marinum, *pro* paſtinaca *appellant; vel* oſtreum, *pro* oſtrea. *In inſectis, quoties pro* ſcarabæo Lucanico *malunt* cervum volantem; *aut* cicindelam *ajunt, pro lucernæ genere; vel cùm hoc animalculum vocitant* nitedulam. *In plantis errari, cum dicunt* palmam, *pro* buxo; acinum *pro* nucleo: *præcipueque hic in herbarum vocabulis peccari, & unde id ſit, oſtenſum. Denique in foſſilibus delinqui, cum* ſtannum *aliud creditur, quam* plumbum candidum: *aut cum* cæmentum *confunditur cum* intrito.

AB homine ad cætera tranſeo animantia: ut quæ hactenus conveniant, quòd nobiſcum luce fruantur communi.

In quadrupedibus jam Plinii ætate ipſi peccabant Romani, cum *bubalum* dicerent pro *uro*: ut oſtendi lib. III Phyſiologiæ Chriſtianæ cap. LVI. Itidem peccant, qui *glirem*, & σκιοῦρον ſive *ſciurum* confundunt: ut factum Georgio Agricolæ libro de animalibus ſubterraneis. Atque idem, quem vulgò *rattum* dicimus, eum male ſtatuit eſſe veterum *murem araneum*: ac *murem* a forma dici; *araneum* verò, quia inſtar aranei ſcandat murum. Vulgò & *rattum* vocant, alii quidem *glirem*; alii autem *ſoricem*: utrique perperam. Nam qui vulgò *rattus*, is Latinis *mus major*: ac ſic dicitur ad diſcrimen muſculorum: ſicut Plinius appellat, de æluro agens. *Sorex* verò Belgis nominatur *ſlaep-ratte*. *Rattorum* etiam nomine vocantur mures aquatici, qui in rivis, & aquis minoribus, piſces captant. *Glis* autem dictus veteribus, qui Belgis *veld-muys*; uti Anglis *fijld-mouſe*. Atque è Latino *gliris* vocabulo Italis eſt *gliero*, Gallis *gleron*, Hiſpanis κατ᾽ ἀφαίρεσιν *liron*.

Quadrupedis etiam, non vivipari quidem, qualia, quæ dixi; ſed ovipari vocabulo abutuntur, qui *teſtudinem* confundunt cum *cochlea terreſtri*; nempe non nudâ, ſed operculari. Ut cùm Petrus Crinitus †, atque adeò Eraſmus * ipſe, teſtudinem ſignari ajunt illo Lucilii apud Ciceronem †,

Terrigenam, herbigradam, domiportam, ſanguine caſſam.

Verùm qui teſtudo ſignetur, cum eam ſanguinem habere, omnibus conſtet? quem & oculorum ſuffuſioni mederi, Plinius * auctor eſt. Ac planè videtur in eodem peccâſſe Eraſmus in Colloquiis, dialogo de amicitia: ubi narrat, quantopere teſtudinem horreat ſimia. Nam de limace id verum eſt. Quippe ſi limaces circum ſimiam poſueris, contrahit ſe, nec contingere audet.

† Lib. II. de Honeſt. diſcipl. cap. 7.
* Chil. 4. cent. 3.
† Lib. 2 de Divin.
* Lib. 32. cap. 2.

Sed error iſte non tam in vocabulo, credo, fuerit, quàm in re ipſa. Ad alia igitur verto.

In avium nomenclatura ab ipſo peccatum Athenæo, cum ei confunduntur *otus*, & *otis*: de quo dixi Theologiæ Gentilis, & Phyſiologiæ Chriſtianæ lib. III cap. LXXXIII. Itidem erratur, cùm *trochilus*, & *motacilla*, quæ Græcis σεισοπυγὶς, confunduntur: licet motu caudæ, & cinericio colore, quodammodo conveniant. Nec placent cum Alberto Magno *carbonem aquaticum* vocantes, qui Ariſtoteli *catarracties*, Belgis *ſcholuer*. Nec, qui cum eodem Alberto *aquæ pullum*, vel cum Italis *gallinam aquaticam*, pro *fulica* dicunt. Eſt ea paluſtris ac marina illa avis, quæ Kiranidæ interpreti *phalaris*, Belgis *mercoet*, Pariſienſibus dicitur *diable*, nempe ob atrum colorem.

In piſcium vocabulis delinquunt; qui confundunt *elopem*, & *acipenſerem*; cum diverſos eſſe piſces, clarè pareat ex Ovidii Halieutico, ac Plinio.

Item, qui cum Theodoro Gaza pro iiſdem habent *ſynodontes*, & *ſynagrides*: ut dixi lib. IV Phyſiologiæ Chriſtianæ cap. VII. Quique Græcorum βάτον, ſeu βατίδα, malunt *rubum* reddere cum B. Ambroſio, quam *rajam* cum Plinio: de quo vidimus ejuſdem operis lib. IV c. XXVIII. Qui itidem pro *paſtinaca turdum marinum* ajunt cum Dictyos interprete, & B. Ambroſio; ut dictum ejuſce libri cap. L.

Oſtrea itidem, & *oſtreas*, promiſcuè uſurpant viri ſummi. Sed vide, an non veriùs Conradus Geſnerus in Aquatilium hiſtoria †: *Oſtrea genere neutro apud Græcos, Latinoſque, dicuntur; cùm de ſpecie, qua de hic præcipue ſcribimus; tum in genere de oſtracodermis, ſeu teſtatis omnibus. Oſtrea vero feminino genere Latinis tantùm de ſpecie unâ.* Objectant illud Lucilii *:

† Pag. 762. edit. an. 1558.
* Apud Agellium lib 20. cap. 8.

Luna alit oſtrea, & implet echinos. ——

Quodque eodem uſi ſimiliter Horatius, Plinius, Juvenalis, Agellius, aliique. Verùm non quæritur, an & *oſtreum*, & *oſtrea*, ſint Latina: ſed an *oſtreum* pro ſpecie iſtâ, quæ *oſtrea* vocatur, dici ſoleat. Rectè ſic uſurpari, negat Chariſius lib I: negat etiam Caper de verbis dubiis: idque eàdem, ac apud Chariſium legitur, ratione compulſus: *Oſtrea*, inquit, & *oſtreas*: *quia nullum animal ſpeciale neutrum eſt.*

In inſectis itidem aberrari, cognoſcimus ex eo, quòd *cervum volantem* vulgò dicunt, pro *ſcarabæo Lucanico*; ut vocabat Nigidius Figulus, Romanorum poſt Varronem doctiſſimus. De vocabulo hoc teſtis Plinius lib. XI cap. XXVIII: niſi, quod Scaligero Conjectaneis in Varronem eſt viſum, pro *Lucanico ſcarabæo*, *ſcarabæum Lucam* malis vocatum: ſicuti pro *elephanto*, *bovem Lucam* dixere: ut diximus Oratoriarum Inſtitutionum lib. IV. cap. VI, ſectione II, & VIII.

Valde etiam erravit Calepinus, cùm *cicindelam* vocari ait lucernam penſilem, tota ardentem nocte. Quippe *cicindela* ſemper eſt inſectum, quod Græcè λαμπυρίς. Atque in hoc animante etiam deceptus magnus naturæ myſtes, Cæſar Scaliger. Nam huic in poëmatis *nitedula* dicitur, quæ Plinio *cicindela*: non abſurdè quidem, nempe à nitore partis poſterioris; unde & Græcis λαμπυρὶς, & λαμπυρὶς vocatur: Imò in gloſſis Philoxeni legas: *Cicindela*, λαμπυρίς. attamen, ut puto, præter veterum morem; quibus *nitedula*, Servio teſte, eſt muris exigui genus: unde Cicero pro Sextio: *Quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula Remp. conaretur arrodere.*

Proximum poſt animalia locum obtinent plantæ. In horum vocabulis, partiumque nominibus, non minùs delinqui ſolet. Ut cùm vulgò dicunt *palmam*, pro *buxo*. Hoc verò non aliunde eſt, quam quia in vernacula ſic lingua obtinet. De vernacula autem in cauſſa eſt, quòd Palmarum feſto buxi eſſe uſus ſoleat, quia palmam terræ noſtræ ignorent.

Acinum plerique vocant nucleum; atque ita quoque accepit Torrentius in Auguſti epiſtola apud Suetonium Auguſto cap. LXXVI: *Panis unciam cum paucis acinis uvæ comedi.* Putavit Torrentius, acinum non poſſe comedi: eoque legere jubet, *cum paucis uvis duracinis.* Verùm *acinus* non notat τὸ πυρῆνα ſive nucleum, aut vinacium; ſed baccam; quæ conſtat folliculo ſive cute, carne, ſucco, ſive liquore vineo, & nucleo. De quibus plura ad allata Auguſti verba Caſaubonus.

Nuſquam verò proclivis magis eſt error, quàm herbarum nominibus. Ut cùm *barbam Jovis* appellant, quæ veteribus *ſedum majus*: aut ſi *angelicam* dicant, quæ *ſphondylium* antiquis: aut cùm *morſum gallinæ* ajunt pro *alſine*, vel potiùs *anagallide*: aut *roſam Hierunticunam*, vel *B. Mariæ*

ria rosam, pro *amomo*, vel, ut Gesnerus mavult, *aspalatho*: aut *barbam Aaronis* pro *aro*: *cochleariam* pro *Britannica*, ut Plinius vocat: aut *ferum oculum* pro *αἰγίλι*: (anagallidis est species, sed colore distans:) aut cum *pence* dicitur, quæ est *larinx*: aut si *cyprum* nominent pro ligustro, quod Dioscoridi φιλυρέα: aut cùm *ungulam caballinam*, aut *filium ante patrem* vocant, quæ veteribus *tussilago*: aut quando *caprifolium* dicunt pro *periclymeno*: vel *sigillum Salomonis* pro *polygonato*.

Ac hujusmodi adferre etiam poteram alia multa: quia nusquam proclivior est error, quàm in plantis. Atque hoc inde provenit, quòd antiqui, quia vulgò notissimum foret, quibus vocabulis plantæ quælibet notarentur, eò sæpe deceptionem adderent nullam, vel saltem non aliam, quam quæ etiam plantæ alteri, & interdum pluribus, conveniret. Hoc solidam botanicæ rei intelligentiam multùm moratur: ut apud me conqueri memini eximios medicos, & herbariæ rei peritissimos, Justum Raphelengium Francisci filium, cujus in Dodonæum utiles exstant commentarii; & Adolphum Vorstium in Leidensi Academia laudatissimum Medicinæ, & rei Botanicæ Professorem, collegam ante hos annos XII conjunctissimum: item in florentissima hac Amstelodamensi Rep. medicum eximium Egbertum Bodæum, ejusque proiem præclaram, τ ἀκκρατ-... Joannem Bodæum Stapelium; cujus eruditæ lucubrationes nunc prodeunt in Theophrasti de plantis Historiam.

Hoc si nobis usu venit in Latinis, & Græcis: quanto magis id locum habere putabimus in Hebræis! Ac propterea etiam multùm debemus LXX interpretibus. Nam absque illis foret, & paucis Aquilæ, Theodotionis, aliorumque fragmentis; non video, quid certi statuere possimus de multis plantarum vocabulis, quæ in veteri instrumento se offerunt.

Uti post animantes plantæ, ita post plantas proximum obtinent locum fossilia: sicuti sunt metalla, ac lapides. In metallis est stannum. Porrò *stannum* vulgò dicunt, quod Belgis *tin*, Germanis *zinn*, Gallis *estain*, vocabulis sine dubio e Latino derivatis. Sed perperam ita loquuntur, cùm *stannum* Plinio sit *plumbum candidum*, Græcis κασσίτερος: uti, quod nobis *loot*, Plinio * sit *plumbum nigrum*, Græcis μόλυβδος. Qua de re sic Philander ad Vitruvium lib. VIII cap. III: *Plumbum candidum voco, quod falsò hodie omnes stannum dicunt. Est enim aliud quiddam stannum, quam quod nunc audit: nempe quando natura duabus argenti portionibus unam plumbi nigri immiscuit.*

* Lib. 34 cap. 16.

In lapidibus terra effossis sunt *cæmenta*: quo vocabulo, jam ante tot secula, pro *intrito* abusus est vetus Scripturæ interpres. Genes. cap. XI. 3. de Babylonis structura: *Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento.* Pro *cæmento* in LXX est πηλὸς, hoc est *lutum*. Hebraicè est חמר, *chomer*: quod terram notat aqua maceratam, vel illitum ex calce, & arenâ. Nimirum jam interpretis hujus ætate vulgus videtur hoc *cæmentum* dixisse. Unde similiter Accursius exponit: & in veteri Onomastico legas: *Cæmentum*, ψύφος, κονία. Latinum interpretem plerique alii in suis tralationibus secuti: ut Pagninus, Vatablus, Munsterus: ubi *arenatum* Castellio, *intritum* Junius. Et sane Latinis *cæmentum* longè aliud est; nempe lapides rudes, ac temere cæsi, sive lapidum majorum frusta farcturis in structura inservientia, à *cædendo*, quasi *cædimenta*. Quod pluribus ostendit Nonius. At istam veteris interpretis appellationem vel illud Livii refellit lib. I de bello Punico: *Nec erat difficile murum subruere, quòd cæmenta non calce durata erant; sed interlita luto, structura antiquo genere.* Similiterque Plinius lib. XXXVI cap. XXIII: *Ruinarum urbis est maxima caussa, quòd furto calcis sine ferrumine suo cæmenta componuntur.* Vide & Vitruvium lib. I cap. V.

Cap. XXIX.

Vocabulorum abusus in re vestiaria: ut cum capitulum, *vel* capitium, *dicitur pro capitis tegumento: item cum* pileum, *&* petasum, *vulgò confundunt: vel cum* trechedipna, *quæ collo gestabantur, putant esse calciamenti genus: adhæc cum pro* braccis *dicunt* subligar, subligaculum, *aut* campestre. *Item cum* caligas *vocant tibialia nostra.*

QUæ de multis animantibus, plantis, fossilibus, diximus, ea naturæ sunt opera: venio ad illa, quæ debentur arti. Ubi imprimis considerationem merentur; quæ vel amictum tangunt, vel habitationem, ac domûs instrumenta.

In amictu à capite initium esto. Baptista Pius † credebat, *capitulum* quandoque accipi * pro *capitio*. Atque ita Plautum uti curcul. act. II sc. III. Sed bis errat. Nam *capitulum* pro parvo capitis tegmine dixit. Et *capitium* non est, quod cum vulgo credidit, capitis tegmen; etsi hoc jam creditum sit ætate Nonii Marcelli; erroremque ejus secutus fuerit Isidorus in nono Originum. imò & vulgò *capitium* dici capitis tegmen, scripserit B. Hieronymus epistolâ ad Fabiolam. Quippe longe aliud nos docet Varro in IV de L. L. *Capitium*, inquit, *ab eo, quod capit pectus, id est, ut antiqui dicebant, induitu comprehendat.* Adducit pro se Nonius hoc e Varrone de vita Pop. Rom †. *Neque id ab orbita * matrumfamilias instituti, quod ex pectore, ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant.* Sed hic locus contra Nonium facit, ac liquidò comprobat, *capitium* esse muliebre pectoris tegumentum. Sanè inter muliebria quoque ab Ulpiano reponitur L. XXIII. D. de auro, argent. leg. *Muliebria*, inquit, *sunt, quæ matrisfamiliæ caussâ sunt comparata, quibus vir non facilè uti potest, sine vituperatione: veluti stolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ (quæ magis capitis tegendi, quam ornandi caussâ, sunt comparatæ) plagulæ, penulæ.* Quamquam & Hadrianus Junius in Nomenclatore suo hinc colligat esse muliebre capitis tegmen. At quærunt aliqui, quomodo nautica, aut dormitoria nostra capitum tegumenta vocari debeant, si minùs cum vulgo *capitia* dicere liceat. Nobis sanè liquet, hæc *pileos*, vel ὑποκοριστικῶς *pileolos* vocari debere. Nam convenit forma cum pileis Romanis, quarum figuram cernere est ex nummis Romanis: in quibus pileus symbolum est libertatis. Et favet nobis B. Hieronymus epistolâ ad Fabiolam †: *Rotundum pileolum, quale pictum in Ulysse conspicimus, quasi sphæra mundi sit divisa, & pars una ponatur in capite.* Pilea verò hæc, non uti hodie apud nos obtinet, fuisse ex lanis, vel villis coactis, cujusmodi coactilia, vulgo *feltra* dicuntur: sed ex pannis fuisse, sive ex filamentis contexta, fidem facere hoc poëtæ possit:

Tritis pilea suta de lacernis.

Quomodo & Persarum tiaræ, quæ & κυρβασίαι, καὶ κιτάρεις ἰσῶσιν, erant e panno. Unde Herodotus in VII: Περὶ τῇσι κεφαλῇσι εἶχον τιάρας καλεομένους πίλους ἀπαγέας. *Circum caput habuere dictas tiaras, pileos non compactos.* At tegumenta ista, quibus in publicum prodimus, *petasi* potiùs dicantur. Petasi enim, ut ex statuis Mercurii cernere est, latos habuere margines ad umbram faciendum, eoque peregrinantibus in usu erant. Nec alia est caussa, cur tribuerint Mercurio, Deorum nuncio. Pileus tamen Thessalicus & ipse latis marginibus: unde Hephæstion Grammaticus, πλατεῖς ἦσαν οἱ Θεσσαλικοὶ πῖλοι *. Eoque Theophrastus in quarto de Historia Plantarum cap. X, ubi de faba Ægyptia sermo, ait folia ejus magnitudine esse similia πίλῳ Θετταλικῷ †. Ac Dioscorides, in secundo Historiæ suæ, ait folium habere μέγα ὡς πέτασον *. Ridiculè verò nonnulli ajunt, *petasum* esse calciamenti genus: quod etiam legas in notis ad oram Colloquiorum Erasmi, sive eæ ab Erasmo ipso, sive alio. Et plerique ei probando adducere solent locum e Tullii epistolis ad famil. ubi mentio nuncii petasati. Sed omnino *petasus* est capitis gestamen; quale, ut dixi, Mercurio tribuitur. Hinc Athenæus lib. XII (ubi ex Ephippo refert, ut Alexander M. aliquando Mercurii habitu usus sit) habuisse ait † τὸν πέτασον ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, καὶ τὸ κηρύκειον ἐν τῇ χειρί. *Petasum in capite, caduceum in manu.*

† Annotat. Poster. Sylloge 3. cap. 61.
* Varronem ita esse usum, est apud Marcellum. Vellem verba apposuisset. Nunc falsum puto tam inconsideratum Grammaticum.
† Lib. 2. vel, ut in veteri Veneta est, lib. 5.
* Sic etiam est in Mso nostro.
† Tom. 3. p. 59. edit. Frobenianæ. an. 1553.
* Grandes erant pilei Thessalici.
† Pileo Thessalico.
* Magnum, ut petasum.
† Pag. 537 edit. Commel. an 1597.

Nec

Nec multùm dissimilis est error, cùm *trechedipna* censent fuisse calciamenti genus, quo currerent ad convivia. Quippe ea ab Hieronicis collo gestabantur, ut hoc symbolo agniti admitterentur ad *σίτησιν δημοσίαν* *, quæ hieronicis in omni agone sacro communis esse solet. Nec obstat, quòd dicerentur *τρεχέδειπνα ἐκ τρέχω* †, & *δεῖπνον* *, ac *τρέχειν* † sit pedum, non colli. Nec enim sic vocata, quia iis, sed quia cum iis currerent. Festinabant enim ad convivium sacrum ob commodiorem locum, &, ut dixi, ex isto colli symbolo agnoscebantur. Propriè verò ipsi hieronicæ *τρεχέδειπνοι*: sed niceteria hieronicarum, hoc est victoriæ præmia, quæ ceromatico, sive oleo & cerâ inuncto gestabant collo, eò *τρεχέδειπνα* sunt vocata, quia iis uterentur *τρεχέδειπνοι*. Sic etiam Jos. Scaliger * locum eum cepit Juvenalis sat. III:

Rusticus ille tuus cepit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.

Sed de capitis tegumentis satis. De ventris etiam, ac crurum tegmine, aliquid dicam.

Subligar, aut *subligaculum*, haut rectè pro *braccis* dicunt, cùm his Romani veteres abstinuerint: illorum usus esse soleat in histrionia ad nates, femoraque contegenda. Affinia his, non eadem, ut putarunt, *campestria*: quibus juventus succingebatur, cùm se exerceret in campo Martio; unde & *campestribus* nomen.

Caligas quoque vulgò pro tibialibus usurpant. Ac videtur sic usurpâsse jam olim Fortunatus, Pictavorum episcopus, de vita S. Germani, cap. XXXVI: *Cum die Dominico, ut loquimur, caligas circinâsset.* Ubi *sarcinâsset* malim. Sane tibialia sua sarcire monachi ipsi solent. Veteribus verò *Caliga* erat *στρατιωτικὸν ὑπόδημα*, *calciamentum militare*, ut ait Dio lib. XLVII. Cujus figuram conspicere est in veterum statuis. Hinc *caligati* milites apud Quinctil. in Declamat. & L. II. D. de his qui not. infam. atque alibi non uno loco; item Justinianum Novell. LXXIV. Nempe sic dicti milites gregarii, nullumque habentes in armata militia officium militare. Itaque Cajus Cæsar, Germanici filius, quòd manipulari habitu inter milites educaretur, *Caligulæ* nomen accipiebat: ut est apud Tranquillum in ejus vita cap. IX. Tacitum in primo Anal. Dionem lib. memorato. Indeque Ausonius in Cæsaribus:

Cajus, cognomen caliga cui castra dederunt.

Atque iterum:

Post hunc castrensis caliga cognomine Cæsar.

Est & apud Suetonium in Caligulæ vita †: *Modò in crepidis, vel cothurnis, modò in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri, conspectus est.* Ubi videre est, conjungi quatuor hæc pedum tegumenta; crepidam, cothurnum, caligam, & soccum.

* Publicum convivium.
† Curro.
* Convivium.
† Currere.
* Lib. 5. de Emendat. temp. cap. de primo agone Actiaco.
† Cap. 52.

CAP. XXX.

Similiter peccari in nomenclatura urbium, ædificiorum, vel horum partium, & variæ suppellectilis. In oppidis, ut cùm Antiochiam *dicunt pro* Chalepio, *seu* Aleppo, *quæ est* Berrhœa: *cumque* Pergamum, *vel* Pergamus, *quæ est Phrygiæ majoris civitas, sumitur pro* Pergamis, *urbe, vel arce Trojana. In ædificatione, ut quando confundunt* templum, *&* ædem sacram; officinam, *ac* tabernam; cubiculum, *vel* triclinium, *&* cameram: *item cùm* secessum *dicunt pro* latrina. *Adhæc in suppellectile, cum per* amphoram *intelligunt* cantharum: *per* mantile *item* mappam, *aut contrà. Præterea in re militari, quoties* scutum *vocant, quod est* clypeus, *vel contrà: aut cùm* jaculum *usurpant pro* sagitta. *Itidem in re nautica, quando in prorsa* ratem *dicunt pro* navi.

AB amictu me confero ad habitationem. Cujus locus vel civium est communis; ut opidum: vel magis proprius cuique familiæ; ut sua singulis domus.

In opidorum propriis etiam sæpe peccatur. Ut cùm multi, Villanovanum, & alios, secuti, (in his & Hadrianus Junius est in opidorum Nomenclatura) *Antiochiam* dicunt pro *Berrhœa*. Nam *Aleppo* esse *Antiochiam*, perperam putant: cùm Aleppo sit inter Antiochiam, & Hierapolim, utrimque distans diei itinere: ut est apud Procopium in secundo Persicorum. Etiam in Jure Orientali est *Berrhœa*, *sive Chalepo*. Cedrenus etiam *Χάλεπ* nuncupat. Ex *Chalepo* autem factum *Aleppo κατ' ἀφαίρεσιν*. Quod ex Zonara quoque Petro Gillio est firmatum.

Atque hic quidem locorum vicinitas imposuit. Est verò, cùm itidem errorem pariat vocabulorum vicinitas. Quòmodo *Pergamum*, & *Pergama*, vulgò confundunt. Nam Diomedes, & tot alii, censent, eàdem significatione prius illud numero singulo, alterum dici plurali. Sed *Pergama* generatim dicuntur *τὰ ὑψηλὰ*, *loca editiora*; ut ait Suidas: nempe eàdem origine, quâ montes Germanis hodieque *bergen* dicuntur. Speciatim verò, ac *κατ' ἐξοχὴν*, sic vocantur arces Trojanæ: ut ex Marone constat II Æn. & iis, quæ Servius ad eum annotavit. *Pergamum* verò civitas Asiæ inclyta, Galeni patria erat. Plinius lib. V cap. XXX: *Longe clarissimum Asiæ Pergamum, quod intermeat Selinus.* Ubi in Dalecampiana editione lemma capitis est: *Æolis, Troas, Pergamus.* Mallem *Pergamum* edidissent; ut in Plinio est. Nec tamen *Pergamus* pro urbe ausim damnare. Nam Stephani est, sive Hermolai Byzantii in Ethnicis: *Πέργαμος, πόλις Ἀσίας. Pergamus, urbs Asiæ.* Intelligit verò Phrygiæ, vel Mysiæ majoris civitatem, ad Caicum sitam: de qua antea nobis Plinius. Verùm de isto non adversor. At *Pergamus* pro Trojana vel urbe, vel arce, nemo veterum, ut arbitror, dixit. Sed ne *Pergamum* quidem: ut certum videatur, perperam singulare illud, & plurativum, a Grammaticis prope omnibus, pro eodem haberi.

Ab communi sede, qualia sunt urbes, veniamus nunc ad partes earum: ut est ædificatio operum tum publicorum, tum privatorum. Ad publica refer ædes sacras, & templa; quæ distinguenda. Nec enim *ædificium* de æde sacrâ dixeris. Imò nec *templum* idem, ac *ædis sacra*. Sanè Curia Hostilia non potuit vocari *ædis sacra*: *templum* tamen erat, quia augurato esset constitutum.

In privatis sunt *officinæ*: quam vocem malè ponunt pro *taberna*, & contrà. Siquidem *officina* dicitur, quasi *efficina*; ut *officium*, quasi *efficium*. Eoque *officina* non fit, nisi ubi artifices opus faciunt. Atque idem voluit Andreas Schottus, cùm lib. III. Tullianarum Quæstionum *, sed perperam, putat, quia in eo opifices agant, sic dici, quasi *Opificinam*. Interea rectè, quid *officina* sit, perspexit. At *taberna* fuerit, ubi merces venduntur, aliave opera. Dixerim igitur *officinam librariam*, ubi libri compinguntur: at *librariam tabernam*, ubi solùm divenduntur. Conjunxit Paullus Sentent. II: *Quod cum discipulis eorum, qui officinis, vel tabernis præsunt, in magistros, vel institores, in solidum actio datur.* Nempe officinæ præest *magister*; *institor*, tabernæ.

* Pag. 264.

Adhæc Belgæ, ac Germani, & gentes aliæ, cubiculum, ac triclinium sive cœnaculum, nuncupant *cameram*: unde non Accursius solùm ita interpretatur: sed hodieque Latinè etiam loquentes, scribentesque, sic utuntur: in his Julius Syrenius Brixianus lib. I de Prædestinat. cap. XXIV. Imò & similiter Clemens V, in Consilio Viennensi, lib. III, Tit. XV de Baptismo, & ejus effect. *Præsenti prohibemus edicto, nequis de cætero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus; sed duntaxat in Ecclesiis, audeat baptizare.* Atqui veteribus *camera* est fornix, sive testudo: hoc est, tectum in curvitatem formatum; ut Nonius interpretatur.

Secessum vulgatus ait interpres pro *latrina*, Matt. XV. 17: sed præter consuetudinem classicorum scriptorum. Verùm Græci similiter dicunt *ἄφοδον*: hoc est, *diverticulum*. Nec hac parte vulgatum interpretem sequi dubitavit Erasmus. Estque tam honesta aptaque ea appellatio, ut reprehendere propterea vix ausim.

Ad domum quoque pertinet omnis generis supellex. In hac etiam parte erratur: ut cùm vulgò *amphoram* dicunt,

pro *canthar*o. Nam *amphora* potiùs est mensuræ vinariæ genus, continens urnas duas, sive sextarios XLVIII. Habebat pedem quaquaversùm quadratum, item à lateribus ansas binas: unde & nomen. Nam *amphora* est ex ἀμφορεὺς: hoc quasi ἀμφιφορεὺς, quia utrimque gestaretur. At *cantharus* est vas potorium, quale quod κατ' ἐξοχὴν inde *kanne* dicitur Germanis, ac Belgis, imò & Ungaris. Unicam hoc ansam habuisse, indicat illud Maronis in Eclogis:

Et gravis attritâ pendebat cantharus ansâ.

Ubi Sileno videmus tribui: idque aptissimè, quia proprium esset poculum Liberi patris: ut est apud Macrobium lib. V Sat. cap. XXI. Fuisse collo oblongo, & angusto, liquet ex marmoribus vetustis; ubi Liber cum ejusmodi effingitur. Atque hinc videmus, cujus figuræ poculis magis conveniat *canthari* appellatio. Interim fatemur, Germanicum *kanne* laxiùs solere usurpari.

Mensis etiam inserviunt *mantile*, & *mappa*: quæ vocabula malè vulgò confundi, suspicio est nostra. Nunc *mappam* vocant, quod mensæ insternitur: *mantile*, quo, qui mensæ adsident, manus tergent. Atque ita etiam hæc verba interpretatur Hadrianus Junius, in Nomenclatore suo. Mihi contrà videtur, *mantile* esse id linteum, quod mensæ insternitur; mappam autem, quod gremio insternitur à singulis. Colloquium Scholasticum unà cum Glossis vett. à Stephano priùs, hinc à Vulcanio editum †: *Mappam*, μάκτρον. *Mantile*, ἐπιτραπέζιον. Confirmat hanc sententiam Martialis lib. II epig. XXIX:

[† Col. 285.]

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur.
Mantile e mensa surripit Hermogenes.

Dum, inquit, metuit quisque, ne si mappam ex more ad convivium ferat, eam furto auferat Hermogenes: malunt venire absque mappis. At Hermogenes, ubi se elusum videt, ne vacuus rediret domum, abstulit ipsum linteum, quo mensam straverat convivator. Quæras, quo igitur manus erant detersum convivæ? Credo, eâ mantilis parte, quæ non tam mensam tegeret, quàm undique dependêret, ut hodieque fit. Nempe convivæ isti rediere ad priscum morem, quo, ante usum mapparum, tersere manus mantili: quod postea factum mappis, ubi eas à Pœnis didicere. Nam & res, & vocabulum ipsum *mappa*, à Pœnis esse, ex Quinctiliano ostendimus cap. quarto. Et quia antea is mantilis foret usus, quem dixi, etiam nomen inde datum. Ex parte id vidit Isidorus, cùm sic scribit lib. XIX Originum cap. XXVI: *Mantelia nunc pro operiendis mensis sunt; quæ olim, ut nomen indicat, tergendis manibus fuere.* Fallitur Isidorus, si existumat, unquam mensas Romanis aliter stratas, quàm mantili: sed verè illud, quòd mantili ait etiam manus detersas: indeque nomen datum. Nam (quod Salmasius optumè docuit suis ad Trebellium notis) vocatur *mantele*, quasi *manutela*: ut *mansuetus*, quasi *manusuetus*, χειροήθης: item (sit venia verbo) *masturbare*, vel potiùs *mansturbare*, *manuturbare*, χειρεργεῖν. *Mappa* verò pro eo, quod mensæ insternitur, apud neminem veterum legas: imò nec antiquis mappæ fuerunt, ut jam diximus. *Mantile* verò, pro eo quod mensam tegit, etiam alibi clarè usurpat idem Martialis lib. XIV epist. CXXXVIII: cujus lemma, *Gausapa villosa, seu mantile.*

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum.
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Sententia est: Insterne mensæ tuæ citreæ gausapam villosam, quæ mantilis usum præstabit. Mihi non est mensa tam preciosa, nec ejus pretii mantile: sed, ne maculetur mensa, sufficit circulus ligneus, cui lagena imponatur. Est & Trebellii Pollionis in Gallieno: *Mantilibus aureis semper stravit.*

Sunt & habitacula tum castrensia, ut tabernacula; tum aquatica, ut naves. Tabernaculis custodimus arma; in quibus clypei, & scuta, ad nos tuendos; sagittæ, & jacula, ad hostem petendum. Ex his *clypeum*, & *scutum*, confundunt vulgo: cùm scutum fuerit oblongum; unde Græcis θυρεὸς vocatur: clypeus, qui Græcis ἀσπὶς, sit rotundus: unde Maro de Polyphemi oculo *:

[* 3 Æn.]

Argolici clypei, aut Phœbea lampadis instar.

Livius lib. VIII: *Clypeis antea Romani usi: deinde, postquam facti sunt stipendiarii, scuta pro clypeis fecere.* Atque idem dixerat lib. I: *Militibus primæ classis arma imperata, galea, clypei, ocreæ, lorica, omnia ex ære: secundæ verò classis arma imperata, scutum pro clypeo.* Servius ad IX Æn. ait, clypeos fuisse peditum, scuta equitum. Sed & pedites usi scutis; verùm longioribus.

Similiter vocibus abutuntur, qui *sagittas*, pro *jaculis*, dicunt. Nam *jacula* jaciebantur manu: *sagittæ* mittebantur arcu: unde sagittarii, Festo teste, *arquites* vocabantur. De sagittis satis apertum. De jaculis argumento est, quòd Jupiter passim dicitur fulmina sua jaculari dextrâ. In jaculis etiam hastæ velitares: quæ & iccirco jactari dicuntur. Festus: *Advelitatio, jactatio quædam verborum figurata, ab hastis velitaribus.* Ideo sagittariis & ipsæ conjunguntur. Sallust. Jugurth. *Itere sagittarii, & cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi caussa.* Livius lib. XXXVIII: *Consules ingentem vim pilorum, & velitarium hastarum, sagittarum, glandisque paraverant.* Idem lib. XXIV *velites* iccirco pro *jaculatoribus* dixit, & *sagittariis* opposuit: *Sagittarii funditores, & velites etiam, quorum inhabile telum ad remittendum imperitis est.* Ac quandoque ad errorem præeunt Grammatici vett. ut cùm *corytus* vocem plerique pro *sagitta* usurpant. Defendunt se Nonio Marcello: qui sic interpretatur illud Maronis †:

[† Æn. 10.]

Corytique leves humeris, & letifer arcus.

Atqui locus ille contrarium evincit. Nec enim tela, sed pharetra de humeris suspenditur. Et sanè Etymologus ait, dici χωρυτὸν, παρὰ τὸ χωρεῖν τὰ ῥυτὰ, τουτέστι τὰ τόξα, ἢ τὰ βέλη. Hesychius similiter exponit τοξοθήκην, θύλακον *: *pharetram* interpretatur Lutatius Placidus in IX Thebaidos †: aperteque sic usurpatur X Theb.

[* Arcus thecam, saccum.]
[† Vers. 703.]

—— Cælestibus implet
Coryton telis.

Ut Nasonem *, & poëtarum alios †, prætercam.

[* Lib. 5. el. 8.]
[† Sil. lib. 15. &c.]

Ad navigia pertinent naves longæ, & triremes: quas vulgò confundi, ostendimus cap. primo.

Ratem pro *navi*, sic propriè pressèque nuncupatâ, dicere, fas est poëtæ: in prosâ non item. Nam ratis è trabibus fit, atque asseribus subitò nexis. Jungit igitur, ut diversa, Cicero VII Verr. *Cum aut navibus, aut ratibus conarentur accedere.* Cæsar in primo de bello Gallico: *Navibus junctis, ratibusque compluribus factis.* Livii quoque est: *Navibus ab Annibale incensis, rates ad trajiciendum exercitum in magna inopia ægrè comparantem.* Ac similiter non uno in loco jungit Ulpianus. Nec præterire possum illud Plinii lib. VII cap. LVII: *Navem primus ex Ægypto in Græciam Danaus advexit: ante ratibus navigabatur, inventis in mari rubro, inter insulas à rege Erythra.* Ubi Erythra rex videtur pater Idumæorum Esavus, sive Edom: quod vocabulum ἐρυθρὸν * notat. Et alibi † ostendimus, ab hoc Erythra nomen esse mari Erythræo, non ab aquæ rubore.

[* Rubrum.]
[† Lib. 4. Orator. Institut. cap. 11 sect. 5. & lib. 1 de Idololatria, sive Theologia gentili cap. 34.]

Cap. XXXI.

Recedere Grammaticos à recto loquendi usu, quando dictionem dicunt pro vocabulo; ac technicè aiunt accipi, ubi vox pro se ipsa sumitur. Recedere ab eodem Logicos, quando opponere hæc duo malunt, esse potentia, *&* actu; *quàm* virtute, *&* re ipsâ. *Item Astrologos, & alios, qui* crepusculum *dicunt, quod* diluculum *est: aut* solstitium *usurpant pro* bruma. *Adhæc Musicos, quando* choraulem *vocant, qui est* symphoniacus. *Peccari etiam in vocabulis virtutum, ac vitiorum: ut cùm* luxuriem, *pro* intemperantia, *dicunt; cumque confundunt* ingluviem, *&* inluviem; *aut quando* humilitatem *appellant, quæ dicenda erat* modestia. *In civili etiam philosophia perperam à multis* comitia *vocari, quæ procerum sunt conventus: malèque nuncupari* provinciarum *unionem, quæ* concordia, *aut* fœdus, *debuit nominari.*

Pote-

POteram hic finem facere substantivis. Sed, ut fœcunda est errorum seges, alia etiam se offerunt non pauca. Quare novum faciam initium: ac ut varietate aliquâ hæc tam tetrica constent; non jam per naturalem rerum seriem ibo, sed disciplinarum.

A Grammaticorum imprimis filiis habemus, quòd vulgò *dictio* obtineat pro *vocabulo*. Nam nunquam ita locuti Cicero, vel æquales: imò nec diu postea: sed iis *dictio* est oratio, vel dicendi genus. Quinctilianum objectant, cui tropus est dictio: at, inquiunt, tropus in una voce consistit. Verùm tropus etiam in multis esse vocibus solet. Potuit igitur Fabius, ut *dictionem*, sic *sermonem* dicere. Atque hoc verba ipsa ostendunt, quæ sunt lib. IX cap. I: *Est igitur Tropus sermo à naturali, & principali significatione translatus ad aliam ornandæ orationis gratiâ: vel, ut plerique Grammatici finiunt, dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est.* Sententia igitur est, Tropum esse improprium sermonis sive dictionis genus. Validius alicui telum illud videatur, quòd idem lib. I cap. IX dicat: *Ex peregrino, & nostro, componuntur dictiones: ut epitogium, & Anticato.* Sed, qui eo pugnant, Fabium non inspexerunt. Nec enim vox *dictiones* istic comparet, sive in optimo nostro MSo, sive editione Aldi, Vascosani, Rob. Steph. Gryphii, vel aliis.

Technicè a Grammaticis poni dicuntur, quæ pro voce usurpantur, non habita ratione significationis. Ut in illo; Prisci *topper* ajebant, pro *citò*. In qualibus Græci addunt articulum neutrius generis. Ut, τὸ Αἰνείας. Potiùs dixero, vocem pro se ipsâ, non pro re significatâ, poni. Vel etiam, aliquid *materialiter* sumi: cùm, quod audimus, sit vocis materies, & quasi corpus: significatio autem sit forma, & velut anima. At τεχνικῶς Isocrati, & aliis, significat *artificiosè*.

Itidem est, cùm parum ad desitum jam puri sermonis usum attendant Logici, ac philosophi. Ut quando Aristotelis interpretes in motûs, vel animæ definitione, dicunt *potentiâ* aliquid *esse*, vel *vitam habere*: vel cùm ajunt, quippiam *potentiâ esse ovum, actu verò avem.* Nam Latinis *potentia* vox notat facultates rerum magnarum, principatus, atque exercitus. Potiùs pro eo *virtute* dicamus cum B. Hieronymo. Ut cùm præfatione in vet. Test. ait †: *Cera mollis, & ad fingendum facilis, etiamsi plastæ manus cesserit; virtute tamen totum est.* Vel si parum ejus in talibus auctoritas movet; sanè pro eo, quod Græci dicunt δυνάμει εἶναι, dicemus *esse posse*. Rodolphus tamen Agricola ad M. Senecæ lib. I Controvers. videtur legisse *potestate*. Quasi exprimere voluerit ad verbum Græcum δυνάμει. Itidem nec *actu esse* dicemus pro eo, quod Græci ajunt ἐνεργείᾳ εἶναι, sed *re*, vel *re ipsâ esse*. E. G. Ovum reaple ovum est; at gallina esse potest. Revera quid est semen; sed potest fieri flos.

† *Sive prologo galeato ad Paulinum, cap. 3.*

A Mathematicorum, & Astrologorum vulgo, habemus *crepusculum*, pro *diluculo*; *solstitium*, pro *bruma*. Ut de priori priùs dicam, duplex statuunt crepusculum; matutinum, & vespertinum: nempe quia non minùs ante Solis ortum, quàm post occasum, lux sit crepera, dubiaque. Sed aliter, qui purè castèque sunt locuti: à quibus *diluculum*, ac *mane*, opponi *crepusculo* solet. Masius in Josue cap. III: *Significat illud* בֹּקֶר *matutinum crepusculum; ut hoc* ערב *vespertinum.* Columella lib. XII cap. I: *Primo mane* (villico) *cum familia prodeundum est; & crepusculo, peractis operibus fatigato, redeundum.* Plinius lib. XVIII cap. XXV: *Matutini, vespertinive cognominati, prout alternis eorum mane, vel crepusculo, contingit.* Censorinus de die natali cap. XXIV: *Incipiam à nocte media, quod tempus principium est, & postremum est diei Romani. Tempus, quod huic proximum est, vocatur De media nocte. Sequitur Gallicinium, cum galli canere incipiunt. Dein Conticinium, cum conticuere. Tunc Ante lucem, & sic Diluculum, cùm, Sole nondum orto, jam lucet. Secundum diluculum vocatur Mane, cùm lux videtur Solis. Post hoc Ad meridiem. Tunc meridies, quod est medii diei nomen. Inde De meridie. Hinc Suprema: quamvis plurimi Supremam post occasum Solis esse existiment.* Et mox: *Post supremam dicitur Vesper: ante ortum scilicet ejus stella, quam Plautus Vesperuginem, Ennius Vesperum, Virgilius Hesperon appellat. Inde porrò Crepusculum, sic fortasse appellatum, quia res incertæ creperæ dicuntur; idque tempus noctisne sit, an diei, incertum est. Post id sequitur tempus, quod dicimus, Luminibus accensis; antiqui Primâ face dicebant. Deinde Concubium, cum itum est cubitum. Exinde Intempesta, id est, multa nox, qua nihil agi tempestivum est. Tum, Ad mediam noctem, dicitur: & sic Media nox.* Gloss. Philoxeni: *Crepusculum*, ἡ ἑσπερινὴ ὥρα. Et favet origo, si *crepusculum*, ut puto, ὡς κνεφαῖον fit à *crepus*, hoc verò sit ab ערב, ἑσπέρα. Adversus ista obtenditur hoc Servii in II Æn. *Sunt solida noctis partes, secundùm Varronem, hæ: vespera, conticinium, intempestum, gallicinium, lucifer. Diei: mane, ortus, meridies, occasus. De crepusculo verò, quod est dubia lux (nam creperum dubium est) quæritur. Et licet utrique tempori possit jungi; usus tamen, ut matutino jungamus, obtinuit: licet Lucanus dixerit, Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.* Etiam in Glossis Cyrilli est: Λυκόφως, *crepusculum, diluculum.* Item, Ὀρθρινὸς, *matutinus, crepusculus.* Ubi *creperus* legit Vulcanius; *crepuscus*, Savaro. Qui & *crepulascentem horam* Sidonio lib. VIII epist. III vocari ait, non *vespertinam*, ut interpretatus Beroaldus in I, & II Met. Appuleii: sed *matutinam*, ut *crepusculi* vocem cepit Servius. Sed summùm ex his evincas, Servii, Sidoniique ætate, ac deinceps, *crepusculum* pro *diluculo* etiam acceptum. Nobis verò potiores sunt Columella, Plinius, Censorinus: quibus *crepusculum* tantummodo est ab Solis occasu.

Nihilo rectiùs *Solstitium æstivum* dicunt. Quâ parte etiam erravit doctissimus Theodorus Gaza in translatione Aristotelis Hist. Animal. lib. IX, cap. XXII, sive ex Cæs. Scaligeri distinct. cap. XXVIII sect. CXCIII. Verba Aristotelis sunt ista: Ὁ χλωρίων περὶ τὰς τροπὰς τὰς θερινὰς φανερὸς μάλιστα γίνεται. Quæ Gaza sic reddidit: *Vireo æstivo solstitio potissimùm venit in conspectum.* Nempe quia Græcè est τροπὴ θερινὴ, gemino etiam vocabulo sibi exprimendum putavit. Frustra sanè, cùm τροπὴ θερινὴ nihil aliud sit, quàm *solstitium*. Nec fugit hoc acrem censorem Cæsarem Scaligerum, in commentario ad locum memoratum; ubi sic scribit: *Solstitium cùm dicit æstivum, non rectè scripsit. Unum tantum solstitium est, idque æstivum. Sed bruma dicitur, & non brumale solstitium.* Firmat hæc Maro I Georg.

Humida solstitia, atque hiemes orate serenas.

Quem ad locum pulchrè Servius: *Optanda hæc, quæ per naturam non sunt, quò possit utriusque temporis asperitas mitigari; & æstatis calor pluviis, & frigus hiemis serenitatis tempore.* Ut satis liqueat, hic *solstitia*, & *hiemes*, opponi. Sed fortassè Servius ista hausit ex antiquiori aliquo interprete Maronis. Nam ibidem multa reperias de gemino solstitio. Nempe jam Servii tempore *æstivum* etiam *solstitium* dixisse videntur. Sanè apud æqualem ejus Macrobium quoque legas in Somn. Scipionis cap. VI, *A solstitio hiemali ad æstivum septimo pervenit signo.* Sed hæc ætati tribuenda, quâ vixit uterque. Nam Theodosiani sunt ævi scriptores. Etiam apud Censorinum, qui seculo, & amplius, antecessit, cap. XXI scriptum: *Ab æstivo solstitio.* Sed *æstivo* est ab imperito librario; qui periculum putabat, ne bruma intelligeretur. Atqui veteres, uti dictum, tantummodo *solstitium* vocarunt, cùm Sol Cancrum ingreditur: at cum Capricornum, non *solstitium*, sed *brumam* appellarunt. Hinc Cicero lib. II de Nat. Deor. *Solis accessus, discessusque, solstitiis, brumisque cognosci.* Seneca Nat. Quæst. lib. III cap. XXIX de Cancro & Capricorno locutus, *Hic*, inquit, *solstitium, hic bruma conficitur.* Columella quoque lib. IX cap. XIV, ubi tempora anni dispertitur, priùs ait, *Ab exortu Vergiliarum ad solstitium; quod fit ultimo mense Junio, circa octavam partem*

tem Cancri. Ac postea: *Ab occasu Virgiliarum ad brumam; qua fere conficitur circa* VIII *Calendas Januarii, in octava parte Capricorni.* Ajunt, apud Columellam quoque lib. IX cap. XVI legi *solstitium brumale.* Sed verba hæc istic loci non comparent. Atque, ut alibi sic loquatur, de quo nunc inquirendi non est otium, non eo etiam dixerint *solstitium æstivum.* Solumque fuerit hoc argumento, jam Claudii Cæsaris ævo sic loqui cœpisse; collabi jam incipiente puritate sermonis Romani.

Satis immorati sumus *crepusculi*, & *solstitii* vocabulis: quibus cùm alios, tum Mathematicos abuti ostendimus.

Ad Mathesin verò etiam pertinet Musice. Hujus doctores cum vulgo pro *symphoniaco* dicere amant *choraulem*; cujus erat tibiam in choro inflare, choroque præire. Quantum verò hæc differant, vel proverbio isto edocemur: *Malus choraules, bonus symphoniacus.*

De Physicis nihil nunc afferam: quia pleraque huc pertinent superiori capite nobis dicta, & quæ inferiùs apponam, quando de Medicis, horum progenie, loquar. Venio igitur ad philosophiæ practicæ doctores: ac primùm agam de Morali.

Hic verò me continebo inter duas virtutes; temperantiam, & modestiam. Ad priorem pertinet, quòd promiscue utantur vulgo *abstinentia*, & *continentia* vocabulis. Item quòd *luxuriem* vulgo appellant intemperantiam, & vinositatem. Qua ratione etiam cadat in eos, qui nihil habent: uti parasitos, quos tamen veterum, ut puto, nemo *luxuriari* dixisset. Sed iis *luxuries* est immoderata profusio circa victum, & vestimentum. Festus: *Luxa membra e suis locis mota, & soluta: a quo luxuriosus, in re familiari solutus.* Item huc pertinet, quòd, vocum similitudine decepti, *ingluviem*, & *inluviem*, confundunt, quarum illa ab inglutiendo est, eoque ad voracitatem pertinet; hæc ab lavando, eoque sordes designet; ut jam olim Agrœcio monitum. Itaque ex voracitate imbecilles ac pallidos, *ingluvie albos*, dicit Sulpicia in Satyra. At à diuturnis sordibus Tacito VI Annal. dicitur aliquis *obsitus illuvie.* Et fætentem anhelitum esse sæpius ex *oris illuvie*, ait Ulpianus L. XII §. ult. de ædilitio edicto. Deque graveolentia corporum similiter usus Jul. Firmicus lib. VI Matth. cap. XXXI: *Quorum corpora hircini odoris tristem illuviem desudatis gravibus humoribus evaporent.*

Ad modestiam venio, quàm Philosophi Christiani, Theologos secuti, *humilitatem* nuncupant. Perperam sane, cùm humilitas vitium sit ejus, qui animo sit vili, abjectoque: eoque nec ambiat, nec custodiat honores virtuti suæ debitos. Nempe aliud est animus *submissus*, sive *demittens* sese; quo nihil Christianæ religioni magis consentaneum: aliud verò animus *humilis*; quod propriè sit *vilis, sordidus, fractus:* unde Cicero in Antonium, ac de Finibus, conjungit, *humilis, & abjectus*: uti pro Fonteio, *demissus, atque humilis.* Idem Tusculan. Quæst. lib. V: *Nam cùm statuisset verbera, tormenta, cruciatus, patriæ eversiones, exilia, orbitates, magnam vim habere ad malè, misereque vivendum; non est ausus elatè, & amplè loqui, cum humiliter, demisseque sentiret.* In Cantico B. Mariæ, cùm dicitur, *Respexit ad humilitatem ancillæ suæ: humilitas* nec virtus est, nec vitium: sed signatur humilis conditio. Græcè enim est ταπείνωσις, non ταπεινοφροσύνη: quomodo Græci *modestiam* vocant. Vide, quæ ibi Erasmus, Maldonatus, Lucas Brugensis, aliique, annotarunt. Objectant, Speusippo in Platonis Definitionibus *humilitatem* esse *facilitatem animæ, omnis expertem iracundiæ.* Quasi non Speusippus scripserit Græcè: Latini verò pro eo *modestiam* fuerint dicturi.

Qui de civili prudentia agunt, quando varias Rerumpublicarum formas describunt, ineptissimè conventum imperii Romani sive Germanici, vel Ordinum Hollandiæ, aut Belgicæ, *comitia* appellant: quæ populi, non optimatium, aut principum imperii, erant. Ita tamen loquitur Paullus Merula in diatriba de statu Reip. Batavæ †. Sed quid virum optimum, & doctissimum nominamus, cùm pauci aliter loquantur, vel scribant?

† Pag. 130 edit. Leidensis in 32.

Etiam iis, qui de Rep. agunt, frequens in ore est, & scriptis, *unio provinciarum*, pro *fœdere*, vel *concordia.* Nempe præter seculorum aliquammultorum auctoritatem, decipit eos vocum aliarum ἀναλογία. Nam cùm viderent, à *regendo* dici *regionem*, à *legendo legionem*, à *conciendo concionem*: existimarunt, similiter ab *uniendo* dici *unionem*; eoque *concordiam* signari. At classicis *unio* semper *margaritam* notat: nisi quòd rustici etiam sic dixerunt cæpam Pompejanam, vel Ascaloniam, aut Marsicam simplicem; teste Columella lib. XII cap. X. Glossæ Philoxeni: *Uniones*, μαργαρῖται μεγάλοι μονόχωνοι. Vulgari consuetudine etiam abripi se passus est Cæsar Scaliger, lib. III de Re Poëtica cap. CIV; ubi de natura singulorum loquens, *Quorum*, inquit, *conditio universa spectat ad unionem.* Quæritur, an non rectum saltem sit *unio*, pro eo, quod Celso est *unitatem facio.* Sanè in Onomastico Græcolatino est, *Unio*, ἑνῶ. Et in Cyrilli glossis, Ἑνώμαι, *unior.* Imò sic usus Appulejus lib. II Met. *Unita ratio numinis, religionisque esset.* Ibid. *Numine uniti. Adunare* pro eo maluit Plinius & Justinus: ut & Irenæi interpres lib. V. cap. XX. Et in Glossis est, *Adunatus*, ἀθροισμένος. Imò & extra compositionem usurpat Tertullianus *unare.* Quin & sic, nisi fallor, scripserat Plinius lib. XIX. cap. II. *Spartum fascibus vulsum, in acervum unatum biduo, tertio resolutum spargitur in sole, siccaturque.* Sic habent vetustissimæ nostræ membranæ, & recte omnino, licet aliter Salmasius ad Solinum *. Quod si ante Appuleii ætatem non dixerint *unire*; quid mirum, si nec inde *unio* formarint?

* Pag. 166.

Cap. XXXIII.

Perperàm à Medicorum filiis complexionem *dici, pro* temperamento: elephantiasin, *pro* lepra, *& contrà:* picam, *pro* malacia gravidarum: potum, *pro* potione: apothecam, *pro* pharmacopolio. *Item à Jurisconsultis malè* reatum *poni pro* crimine: noxam, *pro* noxia, *& è contrario:* oppositionem, *pro* intercessione: *ac similiter in aliis peccari. Denique à Theologis vitiosè* superstitionem *accipi, pro* fallo quovis Dei cultu: symbolum, *pro* symbola, *& contrà:* articulum fidei, *pro* capite ejusdem: personam, *pro* individuo rationali: personarum acceptionem, *pro* vitio non facientis discrimen personarum: divus, *pro* sanctus: Sors, *pro* Fors: angustiam animi *in Christo patiente, pro* angore: acceptilationem *in Deo patre, pro* agnitione plenissimæ satisfactionis: indulgentiam, *pro* venia Papali: tonsuram, *pro* rasura: capellam, *pro* sacello: abusus Ecclesiæ, *pro* corruptelis, *quæ irrepserint.*

A Mathematicis, ac Philosophis, nunc considerationem intendam in Medicos, Jurisconsultos, & Theologos.

A barbaris medicis est *complexio*, pro temperamento qualitatum naturalium. At Latinis est *copulatio.* Rhetoribus etiam sumitur pro conclusione alicujus argumentationis. Quam verò complexionem in corpore humano barbari dicunt, ea Græcis est κρᾶσις, Latinis habitus, & constitutio. Quomodo Levinus Lemnius, medicus Ziriczæus, opus * hujus argumenti inscribere maluit.

* Jma excusum an. 1587.

Vulgò quoque *elephantiasin* dicunt pro *lepra*, & *lepram* pro *elephantiasi*: quæ etiam confundunt lexicographi. Atqui plurimùm differunt: estque *elephantiasis*, quæ Latinis *vitiligo*; quam, ut Festus ait, etiam ἀλφὸν appellant. Morbo hoc cutis albescit maculis subasperis, sic ut elephanti esse cutis videatur. Vide Cornelium Celsum libro tertio cap. vigesimo quincto.

Iidem vulgò, sed sine veterum exemplo, *pica* à medicis vocatur, quod *gravidarum malaciam* Plinius appellat lib. XXV cap. VI. Dixeris, Græcis nominari κίσσαν; idque, ut Plinius ipse agnoscit, ab ave κίσσῃ. Si igitur κίσσα est *pica* avis, & inde κίσσης vocabulum transfertur ad signandam gravidarum malaciam: nihil obstare, quo minùs Latini etiam, Græcorum more, pro eo possint *picam* dicere.

Po-

Potuisse olim, fateor. Sed non idem jus nobis, quod olim Romanis. Et quid opus novum fingere usum vocis, ubi nulla urget necessitas? Nec tamen de isto magnopere contendero. Utinam tam verisimili argumento defendere alia liceret plurima, in quibus recessimus à veterum usu?

Potus, pro *pharmaco*, non dicitur; sed *potio* tantummodo. *Potio* verò generale est nomen, & Ciceroni, Varroni, aliis, sumitur, non de eo duntaxat, quod medici exhibent ægrotis; sed insimul vino, zytho, vel alio, quod bibunt sani.

Etiam medicorum vulgus pro *pharmacopolio* dicit *apothecam*, & *apothecarium* pro *pharmacopola*. Nec negare possis, id nomen quoque competere, si generalem significationem attendamus. Nam ἀποθήκη dicitur, ubicunque aliquid reponitur. Sed si pressè, proprieque, cum vett. loqui volumus, *apothecam* potiùs dicemus pro οἰνοθήκη, sive grandiori cella vinaria. Ita enim locuti Cicero, Horatius, Columella. Cicero Philipp. II: *Apotheca tota nequissimis hominibus condonabantur.* Sic *vinaria apotheca* apud Columellam, & Plinium. Cujus est lib. XIV cap. IV: *Tantum pecuniarum detinent vini apotheca.* Item cap. XIV: *Apothecas fuisse, & diffundi solita vita.* Atque hoc etiam nomine Antonium Raudensem in suis ad eum annotationibus taxat Laurentius Valla. Qui tamen generatim ipse usus in Thucydideâ tralatione suâ lib. VI †: ubi sic reddidit: *Cum nemo obviam prodiret, regressi, castellum apud Labdalum excitant, in summa crepidine Epipolarum, qua parte vergunt ad Megara: ut esset illud apotheca valorum, atque pecuniarum.* Nempe sic vertit, quia Græcè est: τοῖς τε σκεύεσι, καὶ τοῖς χρήμασι, ἀποθήκη.

† Pag. 478. edit. H. Steph. an. 1588.

A Jurisconsultis recentioribus, quos propterea etiam castigat Budæus, habemus, quòd *reatum* vulgo dicant pro *crimine*. Sed ut nexus inter ea sit, idem tamen non sunt. Sanè *reatus* est obligatio ad pœnam: ut inter *crimen*, & *pœnam*, medius sit *reatus*.

Noxa est pœna; *noxia* est culpa; prout Cornelius Fronto distinguit. Et sic dicitur quis *solvi noxiâ*, h.e. *culpâ*: *eximi noxa*, hoc est, *pœna*. Sed rectiùs Festus; qui ait, *noxam*, & pro *delicto* poni, & pro *pœna delicti*: ac Cajus etiam L. Plebis. D. de rerum signif. ait, *Noxa* appellatione omne delictum contineri. Indeque *noxalis actio*, quæ ex noxa, & maleficio servorum, adversus nos constituitur. C. leg. I de noxal. action. Prudentius tamen *noxialem stipitem* dixit. Sed is scriptor vixit multùm desito jam puri sermonis usu. *Noxialis* enim est à *noxia*; quo *maleficium*, non *pœna*, signatur. Si voles, confer cum istis, quæ habet Ausonius Popma in III de Differentiis verborum.

Nec placet *oppositio*, pro *intercessione*: ingredi in *materiem*, pro in *caussam*: *processus criminalis*, ubi Cicero, *disceptatio*, *quæstio*, *judicium*: *una maxima*, pro *regula*, vel *axiomate*, vel *theoremate catholico*: *copia* testamenti, vel epistolæ, pro ἀντιγράφῳ, vel *apographo*, sive *exemplo* aut exemplari, *tenor* epistolæ, pro *argumento*, sive omnibus iis, quæ continentur. Sed in nonnullis horum solùm semibarbari peccant.

At longum sit referre, quoties munditiem sermonis negligant Theologi: ac primùm, quando *superstitio* ab iis appellatur, cùm certæ verborum, aut gestuum observationi, vel alicujus rei usurpationi, effectus adscribitur, neque naturæ rationi, neque verbo Dei, subnixus: ut meritò, qui id facit, vel præstigiator, vel dæmoniacus, existimetur. Castæ verò Latinitatis auctoribus, ut Budæo etiam observatum Annotationibus in Pandectas*, *superstitio* potiùs dicebatur, quod nunc appellant *scrupulositatem conscientiæ* in rebus licitis: atque itidem *superstitiosos* vocabant, quos nunc vocitant *scrupulosos*. Nempe olim *superstitio* erat, quæ Græcis δεισιδαιμονία: hoc est, absurda divinæ potentiæ formido: unde Tullius in primo de Natura Deorum *religionem*, ac *superstitionem*, eo distinguit, quòd illa sit pius Dei cultus; hæc inanis Dei metus.

* Pag. 649.

Iidem Theologi dicunt, ut convivæ singuli ad symbolum conferre solent portionem suam: sic Apostolos singulos ad Symbolum, quod *Apostolicum* vocatur, contulisse aliquem fidei articulum. Ubi bis peccant: priùs, cùm *symbolum* ajunt pro cœna sumtu communi facta: quippe ea *symbola* dicitur. Plauti, Terentiique loca, quæ in contrarium adferunt, corrupta sunt; ut videre est ex melioribus codd. de quo plura attuli libro de tribus Symbolis. Alter est error, cùm vocant *articulos fidei*, quos *capita* ejus nominare oportebat. Sanè nolim sic loqui, ut dicam propterea, eos statuæ caput habere: sed tamen hoc fas sit promere, valde eum videri Latinitatis incuriosum, qui, cùm videat, Plautum dicere Truculento †: *Capita rerum mihi expedite*: ac Ciceronem etiam sciat ad Atticum * scripsisse: *Quoddam caput legis Clodium in curia poste fixisse*: eodemque modo esse locutum Cælium non nesciat: malit tamen nihilominus, *articulos fidei*, dicere, quàm *capita*, more Græcorum, quibus vocantur κεφάλαια τῆς πίστεως. *Articulos* verò potius pro *partibus* posuere. Ut L. I. De divisione rerum: *Summa rerum divisio in duas partes deducitur. Nam alia sunt divini juris, alia humani.* Et L. IX. D. de statu hominum: *In multis juris nostri articulis deterior est conditio feminarum, quam masculorum.* Aliqui arbitrantur, majores illas librorum sectiones non *capita* modò, quod superiùs † negabamus, sed ἀποκεφαλαιώσεις quoque *capitula* dici posse: idque quia Tullii ipsius sit in primo de Legibus: *Nec vero ferent* (Epicurei) *te primum capitulum optimum prodidisse: in quo scripsit, nihil curare Deum, nec sui, nec alieni.* Quomodo & Nizolius legit: sed perperam, cùm in melioribus codd. sit, *caput libri optimi*. Nec caput hic aliud, quàm *propositionem*, vel *sententiam* notat, sive, ut Epicurus ipse vocabat, κυρίας δόξας. Nec, si *capitulum* Tullius dixisset, aliter accipi conveniret. Hæc igitur & ipsa ostendunt, potiùs *capita fidei*, quam *articulos*, appellari convenire.

† Act. 4. sc. Egone tibi.
* Lib. 3. ep. 15.
† Cap. 16.

In hisce Christianæ fidei capitibus ajunt tres in Deo statui personas. Existimo, Græcos commodiùs nuncupare ὑποστάσεις. Sed de voce *persona* in sacrosancto hoc argumento litem nulli movero: quia satis est, si de re conveniamus. Sed extra hoc argumentum vocabulo eo non sic utar. Nec enim de hominibus dixero, *duæ*, vel *tres personæ adveniunt*. Quippe *persona* tum *larvam* notat; tum affectiones, quibus distinguimur: ut quod quis princeps, vel subditus; juvenis, vel senex; dives, vel pauper; maritus, vel cælebs; parens, vel filius; & sic in cæteris. Ita dixero, *Non hoc personam judicis decet*: *non convenit personæ militis* &c. Quibus videtur personam etiam poni a veteribus pro substantiâ individuâ intellectu præditâ, hi pro se adferunt illud Ciceronis...... *Cæsar nunquam, nisi honorificentissimè, Pompejum appellat*; *at in ejus personam multa facit asperius.* Ac sequitur hanc sententiam scriptor libri de Supposito*. Sed & istic persona notat honorem ac dignitatem, similiaque attributa, non ipsam substantiam singularem. Quam significationem veteres nesciunt. Et hoc movit Vallam, ut culparet Boëthium, qui volebat, esse substantiam rationalem individuam. Verum Valla loquitur de usu veterum Romanorum: Theologis verò laxiùs vox sumitur: quale, ut dixi, cùm in Deo tres statuunt personas. Iisdem etiam frequens, *personarum acceptio*: ut Græcis προσωποληψία. Ubi *persona* vocabulo more veterum utuntur. Sed pro eo, quod ajunt, in Deo *non esse acceptionem personarum*, mallem dicerent, *non facere personarum discrimen*: quomodo Valerius Maximus ait: *Neque virtus haustum suum cum aliquo personarum discrimine largum, malignumve præbet*; *sed omnibus æqualiter exposita.*

* Edit. Francofurtensis vel potius Lutetiana an. 1645. pag. 9.

In primo Symboli hujus capite profitemur, nos credere in unum Deum: ubi ab *Dei*, vel *Deorum* nomine distingui solet nomen *Divorum*. Atque eo vocabulo non Theologi solùm abuti solent; sed etiam Jurisconsulti, & Legislatores. Trifariam verò receditur à significatione eâ, quam habuit apud antiquos. Primùm cùm *Divos* vocant defunctorum eos, quos sanctorum, ac beatorum in numero esse convenit. Hanc loquendi formam etiam in Retractationibus suis rejicit Bellarminus. Eandem his verbis refellit

 Joan-

Joannes Filesacus, Theologus Parisiensis, de idololatria politica cap. 1: Divi *agnominationem, ut dicam, quod sentio, uni Deo convenire, germano vocis significatu, planè contendo: communi, & vulgari loquentium usu, vix ante seculum attributam iis video, qui sanctitatis, ac beatitatis suæ certissima, & vivi, & mortui, argumenta dederunt. Longolii, aut alterius persimilis Ciceroniani scriptoris, delicatum fastidium nihil moror; cui* Sancti, *vel* Beati *vox palato non arridebat, ac nescio quid barbari sapiebat.* Continuò addit: *Divos, & Divas, profanis scriptoribus, nihil aliud, quàm Deos, & Deas, significare, certissimum est; ut Divus Apollo, Diva Minerva, & similes locutiones, quoties occurrunt: & nullus, nisi qui à literis humanioribus alienus, id negaverit.* Alter, majorque vocabuli abusus is dicendus, quod *devos* appellant Cæsares defunctos, bonos, malos. Nam gentiles quidem sic loquebantur: sed postquam sacris quibusdam ritibus in Deos essent relati: quæ consuetudo moribus nostris non obtinet. Sed maxime spissus error est ille, quando Cæsares etiam *Divos* vocant, qui supersunt. Quomodo loquitur inter alios Thomas Corræus odâ ad Imperatorem Maximilianum II, quæ est lib. I de Imitatione Poëticâ:

> *Te Dive, Divis progenitum canam,*
> *Donec superstes munere perfruar vita.*

Ac similiter idem lib. V*. *Cum Divus Maximilianus Pannoniæ regnum est adeptus.* Omnino præter veterum morem. Quippe Romanis *Divi* sunt vocati, vel qui ex hominibus morte obitâ cælo erant locati; quemadmodum Servius ait lib. V Æn. vers. 45; & lib. XII vers. 39: vel qui semper in cælis egissent; quæ Varronis, & Attei, sententia fuit: quibus *Divi* sunt perpetui; *Dii*, qui propter sui consecrationem timentur; ut Dii majores. Maro promiscuè *Deorum*, & *Divorum* nomen usurpat. Nec sanè dubito, quin *Divi* sit ex *Dii*, interjecto digammâ Æolico; ut factum in aliis tam multis. Nec iis, quæ diximus, obstare existimandum, quòd Augustus ab Horatio † *divus* audit, dum superstes. Quippe vivus is flamines habuit, non in Urbe quidem, attamen in provincia; ut Dio scripsit, ac in Italia quoque: quâ de re ita Suetonius*: *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere: nullâ tamen in provinciâ recepit, nisi communi suo, Romæque nomine. Nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore.* Hæc sanè nihil ad Cæsares nostros; quibus superstitibus nemo templa, vel aras erexit, aut flamines constituit. Nolim tamen de vocabulo contendere præsertim ubi usurpatur, pro sanctis cœlo receptis: quomodo se explicat Ludovicus Vives lib. III de ratione dicendi †, cap. de Poëticis: *Illi celebrarunt, & cecinerunt divos suos: canamus nos nostros. Divos voco Deum, & angelos: tum illos, qui cælestem in terris vitam expresserunt.*

* Pag. 148.

† Lib. 3. od. 5.

* In August. cap. 52. Plura vide operis nostri de idololatria origine & progressu lib 3. cap. 17.

† Pag. 146. edit. Basil. an. 1555.

In enarratione ejusdem capitis, quando credere nos dicimus, creatorem cæli, & terræ, etiam comprehendi ajunt gubernationem universi: neque enim sortem dominari rebus humanis, sed providentiam divinam. Sed *Fortunam* pro *Sorte* dici oportuit. Scio, apud Horatium* legi, *Seu Sors, seu Ratio.* Sed & istic, & omnibus similibus in locis, *Fors* legi debet: quod satis sciunt, qui meliores manu exaratos codices versarunt.

* Sat. 1. lib. 1.

In capitibus, quæ deinde in Symbolo consequuntur, ubi de Passione Christi agitur, sic scribunt: *Dominus meus Jesus Christus inenarrabilibus animi sui angustiis me ab angustiis, & cruciatibus inferni liberavit.* De re adsentio. Sed ut *loci*, vel *temporis angustiam* rectum scio: ita *angustias animi* pro *angore*, vel *anxietate*, non dixero.

Multi quoque, quòd Christus Passione suâ satisfecerit pro peccatis nostris, id ratione Dei Patris appellant *acceptilationem.* Quomodo pro barbaro *quitancia* dicere non modò Cornelius Crocus jubet: sed etiam Hadrianus Junius in Nomenclatore suo. Sed ex Ulpiano constat, *apocham* appellari, quando eò cessat obligatio, quia pecunia verè est soluta: *acceptilationem*, si non soluta sit, sed perinde habeatur ac soluta. Unde Theophilus reddit, *εἰκονικὴν καταβολὴν ῥήμασι τυπικῶς γενομένην*: glossarium juris, *τὴν εἰκονικὴν λῆψιν, ἣ τὴν φωνὴν μόνον καὶ σκιὰν σώζουσαν τῆς λήψεως, οὐ καὶ ἔργον.* Quare non assentiendum Theologis, qui *acceptilationem* vocant, cùm dicere volunt, Christum Deo Patri pretioso sanguine suo pro peccatis nostris plenissimè satisfecisse. Sanè Socinum sic loqui, mirum non est; sed eos, qui ejus sententiam refellunt, quando de satisfactione Christi scribunt.

Sunt & alia Ecclesiastici usus, quæ temere abeant ab usu veterum. Sanè Papalem potiùs *veniam* dixero, quàm *indulgentiam*: cùm posteriori hoc denotetur propensa nimium voluntas aliquid permittendi.

Etiam, quæ Græcis *ὡρολόγια*, *preces horarias* vocare malim, quàm *horas*: quemadmodum & *librum*, vel *codicem*, *precum horariarum* præferam appellatione *breviarii*: ut quo longè aliud notetur, sicut ex Tranquillo liquet: nempe codex nomina, ac reditus annuos, similiaque, breviter, ac summatim, complectens.

Nec placet, quòd & *tonsuram* vocant in sacerdotibus, quæ *rasura* dicenda. Quamquam Græcis interdum confunduntur *κείρεσθαι*, & *ξυρεῖσθαι*. Quæ optimè distinxit Tiberius apud Dionem †: *Κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι.* *Tonderi pecus, non radi volo.* Latini etiam semper distinguunt: quibus alii *capillati*, alii *tonsi*, alii *rasi*, alii *vulsi*. *Capillati* iidem ac *intonsi*; quales pueri, & sequior sexus. *Tondebantur*, quibus capilli forpice resecti. *Radebantur* novaculâ ad vivam cutim. *Vulsura* fiebat volsellis, pice, resinâ, aut medicamentis. Sed *vulsura* interdum cum *rasura* confunditur; *tonsura* Latinis cum *rasura* non item. Quare nec placeat, *jus tonsuræ*, pro *jure rasi verticis.*

† Lib. 57. pag. 698. edit. H. Steph.

Capella etiam malè dicitur pro *sacello*; ut *capellanus* pro *sacellano*, vel potiùs *à sacello*: ut siquem Regi dicas esse *à sacello.*

Pro *abusibus* Ecclesiæ dixero *corruptelas.* Haut aliter nempe, ac in rebus civilibus loquimur; quando hic par ratio.

Cap. XXXIII.

De adjectivis in falsa significatione sumtis. Quomodo à Theologis dicitur aqua benedicta, *pro* sacra: devotus, *pro* religioso: demeritum, *pro* peccato: infernus, *pro* inferis. *Imo in omni studiorum, ac vitæ genere, talia obtinent quàm plurima: ut* alta vox *pro* clara: amantissimus, *pro* carissimus: archiater, *pro* medicorum præcipuo: bruta animantia, *pro* rationis expertibus: curialis, *pro* aulico: discretus, *pro eo, qui prudenter cuncta discernat*: expertissimus, *pro* experientissimus: extractum, *pro* excerpto: ferox, *pro* sævo: fortis, *pro* munitus: gratiosus, *pro* festivo, *&* eleganti: hospitale, *pro* xenodochio: luscus, *pro* strabone: lingua materna, *pro* vernacula: mechanicæ *artes*, *pro* sellulariis: minerval, *pro* didactro: minutæ, *pro* primis perscriptionibus: modicum, *pro* exiguo: neutralis, *pro* medio: plebejus, *pro eo qui de plebe, & è contrario*: practicus, *pro* gnaro usus forensis: præsidens, *pro* præside: prætextatus sermo, *pro* honesto, castoque: promercale, *pro* venale: purus, *pro* merus: quota, *pro* parte: regius vates, *pro* rege vate: sordidatus, *pro* sordidus: secundo Kal. *pro* postridie: septimana, *pro* hebdomas, *vel* hebdomada: sestertium, *pro* mille nummis sestertiis: socius, *pro* sodali: studiosus, *pro Græco* σπουδαῖος: suspensus *ab officio*, *pro* summotus, *vel* abstinere jussus: unus, *pro* quispiam.

Hæc fere sunt, quæ de substantivis occurrebant. Nunc de adjectivis loquamur. Ubi non minùs à plurimis Theologis recedi solet à puritate dictionis Romanæ. Ut cùm dicunt, *Aqua benedicta*, pro *sacra*: aut *devotus*, pro *religioso*, quæ plurimùm distant: aut *demeritum* pro *peccato*, cum *demereri* sit *merendo* obstringere: aut *prælatus*, pro *antistite*: & fortasse non multò melius est, cum *inferni* voce utuntur pro *inferis.* Sic ubi in Symbolo,

quod

quod *Apostolicum* vocatur, est *Descendit ad inferos:* in Aquilejensi erat, *Descendit ad inferna*; ut testis est Rufinus, expositione Symboli: qui liber inter Cypriani scripta invenitur. Ab Symbolo Romano utrumque abfuisse, ex eodem cognoscimus: de quo egi libro de tribus Symbolis. *Inferos* autem Latinè potiùs appelles, quàm *inferna:* quia hoc veteres semper usi adjectivè: unde *inferni Dii*, *aqua inferna*, *inferna stagna*, aliaque id genus legas. Eoque illud Aquilejensis, seu Aquilegiensis Symboli, haut aliter excusàris, quàm quòd κατ' ἔλλειψιν sic dicatur, pro *ad loca infera*. Sed cùm ἐλλείψεις istiusmodi nesciant, qui purè locuti: satius est loqui cum antiquis.

Quia de Theologis dixi, animus erat proficisci ordine ad Jurisconsultos, Medicos, cæteros: uti in substantivis superiori capite agebamus. Sed quæ sese animo offerunt, magnam partem ejusmodi sunt, ut referre vix queas ad certam disciplinam, aut facultatem. Labore igitur eorum faciliùs defungar, si servemus literarum ordinem.

Altâ voce est pervulgatum. Pro eo *clarâ* dicunt Plautus, & Horatius. Catullus tamen usus priori: nempe more Græco. Sic Basilius exhortatione ad Baptismum * ὑψηλῷ κηρύγματι. At Latine in prosâ non sic ausim loqui.

* Pag. 476. edit. Paris. 1618.

Amantissime pater, vel avuncule, scribi solet. Pro eo dicendum *charissime*. At *amantissimus* est, non qui maximè amatur, vel amari debet; sed qui amat maximè.

Archiatrus, ἀρχιατρὸς, naturâ quoque est adjectivum: ut & simplex ἰατρὸς, ac Latinis *medicus:* hic *vir*, illic ἀνὴρ intelligitur. Sed perperam vulgò vocatur medicorum primus; quasi qui inter eos is habeat ἀρχὴν: quâ formâ dicimus *archiepiscopus*, *archidiaconus*, & similia. Antiquis enim est principis medicus, ἄρχοντος ἰατρὸς: quod & Casaubonus monet in xv Strabonis.

Bruta plerique omnes appellant, quæ Græcis sunt ἄλογα. Atqui *brutum* signat *immobile*; ut innuit Servius in x Æn. vel *grave*, atque *obtusum*; ut explicat Nonius: vel μωρὸν †, ut interpretantur glossæ vett. Itaque & hominum quidam sunt bruti; ut indicat, quòd Junio *Bruti* cognomen sit inditum, quia stultitiam simulârat: & contra bestiæ quædam brutæ non sunt; uti elephantus, canis, alia: at verè animal brutum sus; cui Chrysippus, & Varro, dixere animam pro sale datam, ne putisceret. Certè non quævis animalia, quæ ratione destituuntur, eadem esse bruta, vel illud Plinii indicat lib. xi cap. xxxvii: *Bruta existimantur animalium, quibus cor durum riget; audacia, quibus parvum est; pavida, quibus prægrande.* Manifestè etiam brutum & callidum, in ipsis mutis animantibus, opponit Plinius lib. ix cap. xxix: *Polypus*, inquit, *cum alioqui brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet.* Ac subjicit deinde, in quo vafricies ea reluceat. Lactantii tamen est lib. de Ira Dei cap. vii: *Proprius homini sermo est: tamen & in brutis quadam similitudo sermonis.* Sed hìc *mutis* minùs convenisset, quia deinceps ostendit, inesse bestiis, si non sermonem, saltem aliquid simile sermoni. Præterea negare non possumus, rationis expertia præ homine bruta videri, & in ipsis ἀλόγοις * alia aliis magis esse bruta. Unde Cæsar Scaliger lib. ii de Histor. Animal. sect. cxxxiii: *Elephantus terrestrium omnium maxima bellua; sed non maximè bruta.*

† Stultum.

* Rationis expertibus.

Curialis malè dicunt pro *aulico:* quomodo Joannes Salisberiensis ante annos quingentos inscripsit libros viii de nugis Curialium. At Plauto *curiales*, qui ejusdem curiæ, ut *tribules*, qui ejusdem tribus.

Discretus veteribus semper passivum de iis, qui secernuntur; ut *discreta femina:* nunquam vero activum pro eo, qui rerum momenta discernit; quomodo dicunt virum *discretum*.

Expertus vulgò medicus dicitur: sed potius pharmaco convenit. Ut apud Scribonium Largum, præfat. ad C. Julium Callistum: *Non solùm, quas* (compositiones) *desiderasti; verùm etiam siquas alias expertas in præsenti habui, in hunc locum contuli.* Sic Cicero pro Cornelio Balbo: *Experta, atque perspecta virtus.* Livius initio libri xxi: *Haut ignotas belli artes, sed expertas primo Punico bello.* Item, *Experta prodimus*, apud Plinium lib. xvi cap. xiii. Est & Suetonii in Tiberio cap. xix: *Confidens, ut ajebat, ostento, sibi, ac majoribus suis in omni ducatu expertissimo.* Medicum verò, vel alium multa expertum, non ἁπλῶς *expertum*, vel *expertissimum*; sed *experientem*, & *experientissimum*, dixeris. Sic Tullius iii in Verr. *experientissimus, ac diligentissimus arator.* Et iv in eundem: *C. Cacurii, promtissimi* (Lambin. *promti*) *hominis, & experientis.* Pro Cluent. *C. Aurius, vir fortis, & experiens, & domi nobilis.* Similiter Horat. lib. i. epist. xvii, *Experiens vir.* Et Ovid. xiv Met. fab. v.

Neritius Macareus, comes experientis Ulyssei.

Eodemque modo usurpatur L. ex aula C. de privil. eorum, qui in sac. palat. militant. Vix etiam *expertus* pro eo reperias, qui aliquid comperit. Ut, *Expertus sum ejus nequitiam; vanitatem, iracundiam; fidem bonam, malam.* Nec pro illo Ciceronis, *Id certis auctoribus comperi*, dixerim, *expertus sum.* Quod potiùs valet *tentavi*, *exploravi*, *periculum feci.*

Extractum ait vulgus legulejorum, pro *excerpto.*

Ferocem usurpant pro *sævo*, ac *crudeli:* cùm nomen id conveniat elato, superboque animo. Unde *ferox* aliquis dicitur *formâ*, apud Plautum; *fortunis*, Attio; *robore corporis*, Tacito in primo Annal. *victoriâ*, & *viribus*, Livio lib. i. Cui & *juvenes* dicuntur *feroces*. Uti *Latium ferox*, Horatio; & *ferox Hector*.

Fortissimam vocem *civitatem*, quæ multa animi fortis dedit exempla: qualis Atheniensis, ac Spartana. Sed de ea, quæ naturâ, vel arte sit munita, perperam sic loquuntur. Cæsaris est: *Longè firmissima totius provinciæ civitas.*

Gratiosus vulgò dicitur, qui Gallis *gratieux*, Græcis χαρίεις. Itaque Vibius ille Crispus, quem Fabius † dicit *ingenii jucundi, & elegantis*; *gratiosus* ab iis diceretur. Item *gratiosam* vocarent, quæ formâ, & moribus, esset bellis. Sed Latinis *gratiosus* aliud est: ac, ut Agellius indicat lib. ix cap. xii, nunc activè, quod rarum est, dicitur de eo, qui gratias adhibet, sive qui favet: nunc verò, quod crebrius, passivè, de illo, qui gratias admittit, sive cui favetur. Ut cùm Cicero Plancium ait *tribulibus gratiosum:* hoc est, multum apud eos gratiâ valere, & auctoritate.

† Lib. 5. cap. 13.

Hospitale advenis solum, apud Plinium legas lib. xvii cap. x. Seneca epist. ciii, hunc mundum, quia nos peregrinos excipit, *hospitalem locum* nuncupat. Fortasse his exemplis defendi utcunque possit, quòd *hospitale* vocant domum publicam, peregrinos excipientem. Sed malim, Græcorum exemplo, vocare *Xenodochium:* Ξενοδοχεῖον, τὸ τοὺς ξένους ὑποδεχόμενον, ut ait Suidas. Habes L. xxxi. Cod. De episc. & cler. Si tamen etymon spectes, cauponis etiam conveniat: ut ξενοδόχος *caupo*. Sed sine dubio publica xenodochia, qualia in civitatibus majoribus, id nomen præcipuè merentur.

Luscos passim audias vocari, qui sunt strabones: quod inde est, quia Celticum *lousche*, & Belgicum *losch*, è *luscus* descendunt. Verùm veteribus *luscus* est *unoculus*, sive Græcè malis, μονόφθαλμος; qui Martiali *defioculus*, quoniam alter oculus defiat: Plauto autem *cocles*, quasi κύκλωψ. Cyclopes enim μονόφθαλμοι. Id *luscum* esse, indicat, quòd Juvenalis sat. x Hannibalem vocat *luscum ducem*. Alterum enim frigore oculum amiserat; ut ibi annotat vetus interpres. Sanè unoculum fuisse, etiam Livius de eo prodidit, ac Plutarchus initio vitæ Sertorii. Martialis quoque est lib. iii epig. viii:

Thaida Quinctus amat. quam Thaida? Thaida luscam.

Unum oculum Thais non habet: ille duos.

Ubi, cùm dicitur, *ille duos*, ἀπὸ κοινοῦ repetendum, *non habet.* Nam sententia est, Thaida scortillum naturâ altero carere oculo: sed Quinctum, qui talem amare possit, verè

rè utroque carere: non quasi cæcus sit naturâ, sed quia affectu, stultoque amore sit cæcus. Idem lib. IV, ep. LXV:

Oculo Philænis semper altero plorat.
Quo fiat istud quæritis modo? lusca est.

Eo, inquit, uno duntaxat oculo plorat, quia alterum, quo ploret, non habet. Idem lib. IX ep. LIX, in luscum furem; sed uno plus oculo, quàm alii duobus, videntem:

Aspicis hunc uno contentum lumine. ——

Et postea:

*Hunc tu convivam cautus servare * memento.*
Tunc furit, atque oculo luscus utroque videt.

* Id est, observare.

Est & Hieronymi in scriptoribus Ecclesiasticis: *Acacius, quem, quia luscus erat, μονόφθαλμον nuncupabant.* Ubi Sophronius, ἐπειδὴ ἑτερόφθαλμος περὶ ἦν.

Maternam linguam, pro *vernacula*, audias sæpe. Nec negari potest, eandem esse. Non tamen sic veteres locuti: quos solos æmulari oportet.

Mechanicas artes, patrocinante Calepino, perperam dicunt pro sellulariis illis cerdonum, sive illiberalibus, quas Græci βαναύσους appellant. Sic cum vulgo usurpat Cardanus penè initio libri XVII de Subtilitate: *Est pictura mechanicarum omnium subtilissima, eadem vero & nobilissima.* Movet eos, quod & pictura exerceatur manu, verùm mechanica propriè est *manualis*, ut Plinius vocat. Operâ quidem manuum in mechanicis opus; sed magis ingenio: ut ex Aristotelis Mechanicis, ac Vitruvio liquet. Item Mechanicis Athenæi, Apollodori, Heronis, & aliorum. Sic Lucilius apud Festum:

Sicut Mechanici cùm alto exiluere petauro:

Sueton. Vespas. cap. XVIII: *Mechanico quoque, grandes columnas exiguâ impensâ perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit.* Similiter Seneca epist. LXXXIX, & Paullus L. XXXI. Si putator. D. ad L. Aquiliam. item L. II. C. de Excusat. artic. Plura si voles, vide, quæ de Mechanicis artibus diximus opere de natura, & nexu, atque usu omnium disciplinarum: præcipue parte ea quæ est de scientiis Mathematicis.

Minerval item adjectivum, quod & *Minervale*: ubi *as* intelligitur. Eo significatur non τὸ δίδακτρον, etsi ita in veteri Onomastico vertatur, & vulgò sic accipi soleat: sed munusculum id, quod discipulus, primùm in scholam receptus, dabat doctori suo. Quo de vide ex Varrone, & aliis, notata Nicolao Loënsii Ἐπιφυλλίδων lib. II cap. XIII.

Minutas audias è leguleiis, pro pactorum perscriptionibus primis, sive schedis, vel adversariis, unde quid postea concinniùs exscribitur. Sunt qui *pittacium* vocent. Sed est hoc index, vel libellus pice illitus. A πίττα † est πιττάκιον, πίττακος, unde *pittacium* Lampridio.

† Pix.

Modicum, pro *pusillo*, passim obtinet: cùm ita dicatur antiquis, quod intra modum se continet: cui contrarium, *immodicum*, quod modum excedit. Sanè, non, quicquid non immodicum, id pusillum; quia *modicum* interjectum est inter *exiguum*, & *immodicum*. Nempe quod exiguum, idem veriùs est intra modum. Cicero lib. IV epist. ad Servium Sulpitium: *Modicè hoc faciam, aut etiam intra modum.* Quæ verba etiam Agellius adducit lib. XII cap. XIII. Sic verò explicat: MODICE *dixerat, id est, cum modo æquo, & pari: deinde, quasi hoc displiceret, & corrigere id vellet, addit;* AUT ETIAM INTRA MODUM. *Per quod ostendit, minùs sese id facturum esse, quàm quod fieri modicè videretur: id est, non ad ipsum modum, sed retro paululum, & citra modum.* Similiter *modicè* medium est inter *frequenter*, & *rarò*. Unde Columella: *Magisque conducere agricolæ, frequenter id potiùs, quàm modicè facere.* Quanquam verò *modicum* nunquam pro *exiguo* ponatur: videntur tamen Stoici, miri verborum aucupes, *modicum* accepisse, tanquam intra mediocritatem. Sanè Tullius in Paradoxis Stoicorum sic scribit: *Meam autem quoniam pecuniam contemnis, (& rectè: est enim ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica) de mea silebo, de te loquar.* Videtur autem jam Domitiani, ac Trajani ævo etiam pro *exiguo* usurpatum. Nam Taciti est lib. V Histor. *Claudius, defunctis regibus, aut ad modicum redactis.* Ac apertiùs quoque lib. III epist. III: *Adhuc illum pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit, præceptores domi habuit, ubi est vel erroribus modica, vel etiam nulla materia.* Nec aliter Tertullianus, cùm lib. adversùs Praxeam huncadducit Scripturæ * locum: *Propter hoc minoratus à Patre, modicum citra angelos.* Quippe hic Græce est βραχύ τι, quod potiùs est *paullisper*. Item adducit illud eodem loco: *Modicum adhuc temporis vobiscum sum.* Qui locus est ex Joan. VII. 33. Ubi Græcè est μικρὸν χρόνον, *paullisper*, sive *exiguo tempore*. Idem lib. II adversùs Marcionem: *Nec magnus vobis placet, nec modicus.* Ubi manifestè *modicum* vocat, quod priùs dixerat *pusillum*. Hæc sanè ostendunt, utcunque necdum optimo Tullii ævo, imò nec ante imperium Flaviæ gentis, fuerit in usu; eoque homini eleganti ita loquendum non sit: neutiquam tamen censendum esse barbarum, ac Sorbonicum; ut notis in Cic. Catonem scripserat Carolus Langius, is quem Belgarum optimum, doctissimumque initio operis de Constantia Justus Lipsius appellat. Sed sic quidem Langius in editione, quam Guiljelmus Sylvius exhibuit. Eâ verò quam Andreas Scottus postea dedit, dicere contentus est, usum *modici*, pro eo, quod *mediocre*, esse Latinum: pro *exiguo* autem, alienum. Et sanè, si sic jam Severi ævo, imò & Trajani, loquebantur homines doctissimi; quid attinet, id vocare Sorbonicum: cùm Sorbona demum ante annos circiter quadringentos, puta anno CIↃ CC LII à Roberto, divi Ludovici Regis fratre, fuerit instituta?

* Ad Hebr. 2. 7.

Neutralia nomina, & *positionem neutralem*, apud Fabium legas lib. I cap. IV, & V. Etiam *verba neutralia* Grammaticis est pervulgatum. De cujusmodi artis vocabulis non contendimus. At probare non possum, quod vulgo etiam *neutrales* dicantur, quos Cicero *medios* appellat.

Patibilis qualitas vulgo nuncupatur, quæ Aristoteli παθητικὴ ποιότης. Sed Latinè *afficientem* dixero, quia animum afficit, vel corpus. Nec tamen hìc valde adverser. Scio objici, illa in *bilis* passivè sumi; ut *visibile*, quod videri potest; *probabile*, quod probatur; *impenetrabile*, quod nequit penetrari. Sed id non est perpetuum. Nam Maroni *penetrabile frigus*, quod penetrat. Sic *delectabile*, quod delectat: *intestabilis*, qui nequit testari: *sonabile*, quod sonat. Quare per me licet, ut color, odor, similiaque sensuum objecta, philosophis dicantur *patibiles qualitates*, quia afficiunt sensus, & passionem adferunt. Nam sentire est pati: sed passio ea est perficiens, non perimens, sive corrumpens.

Plebejum aliquem dicunt, quia sit *de plebe*; *de plebe* esse ajunt, quia sit *plebejus*: cùm hæc plurimùm distent. Nam *de plebe* significat ordinem; *plebejus* autem genus dicit. Sic M. Cicero plebejus quidem erat: nec enim è patricia erat familia, sed equestri duntaxat: idem tamen, cùm ædilis curulis, prætor, consul foret; de plebe esse minimè dicendus fuit. Potuere nimirum & *plebeii* esse, qui curulem gererent magistratum; & *de plebe* esse, qui patricii forent: ut qui sua decoxissent, aut ob mores Senatu essent ejecti. Sic *patricios* cum *nobilibus* confundunt. Cicero orator, novus homo fuit; ac, gesto curuli magistratu, suæ solùm imaginis ponendæ jus habuit. At filius ejus, qui patris imaginem in armario habuit ligneo, nobilis fuit: ut de se tale quid dicere potuerit, quale de quarto rege Livius lib. I: *Ancus Martius, nobilis unâ imagine Numæ.* Patricius tamen non fuit; nec vel nepotes, si quos habuisset, patricii esse potuissent; quia non duxissent originem à Patribus illis, quos Romulus, & reges cæteri, Patres creassent; unde orti dicebantur *majorum gentium patricii*: imò nec iis, qui exactis regibus ad supplendum Senatum essent electi a Bruto; à quibus qui genus ducerent, vocati sunt *patricii minorum gentium*: vel postea etiam Senatuscon-

fulto sunt in patricios relati; quomodo gens Claudia, cùm è Sabinos commigrâsset Romam, allecta est inter patricias: vel lege etiam iis essent adscripti; ut lege Cassiâ a C. Julio Cæsare, lege Sæniâ ab Augusto in patriciorum ordinem adsciti. Unde Tacitus sic de Claudio lib. XI: *Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant; exhaustis etiam, quas dictator lege Cassiâ, & princeps Augustus lege Sæniâ sublegêre.*

Practicus bonus dicitur vulgò: pro eo Budæus in Forensibus dicere jubet, *homo non modo juris scientissimus, sed etiam formularum ac forensis usus callentissimus.*

Præsidens pro *præside* etiam legas apud Pseudoprosperum in Antiquitatibus Hethruscis.

Prætextatus sermo, si audimus Paullum Diaconum in Festi epitome, is dicitur, qui nihil habet obscenitatis. Sed non intellexit Festum. Nam *prætextata verba* sunt, quæ obscena. Tranquillus Vespas. cap. XXI: *Erat enim dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis, ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret.* Agellius lib. IX cap. X: *Tot & tam evidentibus, ac tamen non prætextatis, sed puris honestisque verbis, venerandum illud concubii pudici secretum dixisse.*

Promercale, pro *venale*, usurpat Angelus Politianus, cùm in tralatione Herodiani ait *promercale imperium.* Sed Catoni, Columellæ, Suetonio, Agellio, atque omnibus antiquis, *promercale* vocatur, quod quis venale habet extra ea, quæ usui suo servat. Quare laxè etiam nimis Onomasticon vetus: *Promercalia*, ὤνια.

Purus Grammaticus, pro *merus*, non est ejus, qui sese purè loqui studeat. Nam *purus* idem est ac *immaculatus*, ab Hebræo בר *bar*; quod idem notat, sive per cholem, *bor*, h. e. *puritas*, sive *munditia* potius, quando nec *puritas* puri est sermonis; ut alibi diximus.

Qualis liber vulgò audias, pro eo, ubi dici debuit, *quis liber*, vel *quid libri?*

Quota pro *parte* barbarum est. Ut *de quota litis paciscitur*: pro *depacisci partem rei controversæ.*

Regens Collegii vulgare est, pro *moderatore*; sed veteribus ignotum.

Regium est, quod est regis; non rex ipse. Etsi igitur plerique pro Davide dicant *regium Prophetam*, vel *psaltem*: malim tamen, *rex propheta*, vel *psaltes.* Potiùs Nathan dicatur *regius propheta*: etsi non quatenus propheta, quomodo *vir Dei* erat.

Sordidatam de quavis sordida ne dixeris; sed de ea duntaxat, cui vestis omnis obsoleta, & sordibus attaminata: quomodo rei dicuntur *sordidati.* Nempe *sordidati*, & *candidati*, planè sunt pugnantia. At *sordida* etiam est, cui vultus & manus illuvie squalent. Terent. Heautont. act. II sc. III:

> *Scin hanc, quam dicit, sordidatam, & sordidam?*

Secundo Kal. non dicimus, etsi *tertio*, *quarto*, dicatur. Nempe *secundus* est ex *sequundus*, sive *sequendus*, factum. At dies is non sequitur Kalendas, sed antecedit. Commodè dicitur *decimo*, vel *sexto*, vel *tertio ante calendas.* Sed dixeris durè, *qui sequitur ante calendas.* Itaque veteres *Pridie Kal.* q. d. *priori ante Kalendas die* dicere maluerunt. Vidi δοκησίσοφον, qui *secundo Kal. Sextiles* pro *secundo Augusti die* scriberet, & primitus id rectum contenderet. Sed cætera in eo similis erant farinæ; qualia nec tulisset Orbilius in illis, qui necdum ære lavantur.

Septimana etiam accensendum adjectivis. *Septimanus* enim dixere, ut *primanus*, *tertianus*, *decumanus.* Malè verò, labante sermone Romano, substantivè usurparunt pro eo, quod ἀναλόγως *septiduum* vocaretur: quomodo dicimus *biduum*, *triduum*, *quatriduum*, &c. Altero tamen usus Cyprianus, vel quisquis scriptor libri de operibus Christi cardinalibus †: *Necessaria est per omnem hujus vitæ septimanam jugis resecatio putredinum.* Sunt & Theodosii, ac Valentiniani, Cæsarum verba in Codice Theodosiano L. Dominico, De spectaculis, *Dominico, qui septimanæ totius primus est dies.* Lata ea lex Theodosio XI, & Valentiniano Cæs. Cons. Utitur item Rufinus in tralatione Origenis περὶ ἀρχῶν lib. IV*: ubi *septimanas annorum* legas. Idem habes apud eum in tralatione Apologiæ Pamphili apud Origenem. Ac similiter Martianus Capella lib. VII. de Heptade: *Quid? omnium in natura nonne huic probatur numero deservire? In principio septimani partus hominem absolutum, perfectumque, demittunt.* Imò & vulgatus interpres II Maccab. XII. 31: *Die solemni septimanarum instante.* Ubi Græcè: Τῆς τῶν ἑβδομάδων ἑορτῆς οὔσης ὑπογύου. Ac apud Priscianum est (si is auctor libelli de mensuris, ac ponderibus:) *Septimanus, unde septimana dierum septem* †. Hodie verò quotusquisque doctissimorum etiam, non similiter loquitur? In quibus Josephus Scaliger, cùm alibi passim, tum in VII de Emendatione Temporum, Annotationibus in Computum Judaicum*: *Ingressus Israelis in terram est primus annus septimanæ.* Quamquam & hic non de hebdomade dierum; sed de hebdomade annorum, anno nempe sabbatico, sermo est. Sed par utrobique est ratio. Filio verò præivit pater Cæsar Scaliger. Locus est in tralatione Aristotelis lib. VI Hist. Animal. cap. XVI lect. CLXXIX. Ubi sic philosophus: Διαιρουμένοις εἰς τὸν τῶν ἑβδομάδων ἀριθμόν. Cæsar Scaliger vertit: *Quæ certo septimanarum numero dividi possunt. Hebdomadum*, vel *hebdomadarum*, dicere maluissem. Nam *septimana* est adjectivum: quomodo Scaliger ad eumpse Aristotelis locum ait, *commendat numeri septimani perfectionem. Hebdomas* tam Græci, quàm Latini: sed *hebdomada* in recto solùm Latini. Usus eo Tullius dicitur lib. XVI epist. IX ad Tironem: ubi in editione Rob. Stephani legas: *Ne in quartam hebdomadam incideres.* Ac similiter habet editio Lambiniana. In nonnullis tamen codd. est, *quartam hebdomada*, more Græco. Utcunque hoc sit, convenit de codd. Agellii: quos malè corrigere jubet Paullus Manutius, Notis ad locum Ciceronis memoratum. Etiam *hebdomadam* reperio in membranis nostris bene antiquis, quibus nobilia Macrobii fragmenta continentur. Usurpant item vetus Bibliorum interpres, & Isidorus lib. V Originum cap. XXXII. Scio Henrico Stephano, libro de Abusu Linguæ Græcæ, *hebdomada*, pro *hebdomas*, rusticum videri. Sed nihil hic insolens: quando similiter *lampas*, & *lampada*, dixere: ut Manilius lib. I:

> *—— Quis tertia lampada dispar*
> *Conspicitur paribus.*

Etiam pro *Ancon*, quod ex Ἀγκών, ut Græcis à cubiti forma vocatur, *Ancona* in recto est apud Cæsarem, Plinium, Tacitum. Item ex Νάρβων, quomodo Polybius vocat lib. III, & Ptolomæus, sive more Latino *Narbo*, ut Mela, Plinius, Martialis, & Ausonius appellant; est *Narbona* apud *Eutropium*, *Ammianum*, alios; imò & Tranquillum in Tiberio cap. IV; si quidem codd. editos sequimur. Sed in Mstis constanter est *Narbon.*

Sestertius etiam naturâ est adjectivum; cùm dicatur, quasi *semitertius*, quia valet duos asses, & semissem. Intelligitur verò *nummus*; ut auctor est Charisius in primo: ubi & allatum etymon adducit. Porrò volunt etiam in recto singulari *sestertium* dici pro mille numis sestertiis. Sed, ut puto, sine veterum exemplo: quibus semper est plurale. Nempe *sestertius* est utriusque numeri: sed *sestertia* tantùm plurale. Itaque dixero *decem sestertios*, & *decem sestertia*: significatione tamen plurimùm distante, cùm posterius millies contineat prioris summam. Nempe ut *sestertius* dictus, quia valet duos asses, & semissem: ita *sestertia* dicta, quasi *semitertia*, quia valeant duas minas, & semissem. Mina verò comprehendit centum drachmas, sive denarios. Atque hoc vocabulorum discrimen etiam tangebamus lib. I de Analogia cap. XXXVI. Atque alibi item, &, ut puto, accuratiùs dicemus.

Socium dicunt multi, qui *sodalis* vocandus. Nam *sodales* sunt, tum qui ejusdem sunt dignitatis, teste Cajo J. C. tum εὐάντες, sive conviviorum ac jocorum participes.

† *Sermone de ratione circumcisionis.*

* *Pag. 849 edit. Basil. an. 1536.*

† *Septem in Putschiana desunt.*

* *Pag. 611. edit. Raphe-leng.*

Sed *socii*, ut Cicero ait Verr. v, *inter quos res communicata est.* Quomodo *socii populi R.* sunt fœderati, belli pacisque participes. Sic *socii consilii, laboris, periculi.* Vide Vallam lib. IV cap. XXXVIII: cui & subscribit Cornelius Crocus.

Studiosus pro bono, & probo, aliquoties apud Justinianum legimus. At Ciceronis ævo ita locuti non sunt. Nam quod ad illud in Ligarianâ: *Ut tu eum studiosum, & bonum virum, judicares:* assentio Francisco Fabricio, qui è Cratandri codice emendat, *tui studiosum:* quomodo & legit Lambinus. Interea videtur eo veniam mereri Justinianus, quòd imitetur Græcos. Nam ita hi usurpant vocem σπουδαῖος.

Suspensus quis ab officio dici solet. Sed si ea Senatoria sit dignitas, dixero: *Senatu abstinere jussus.* Similiter, ubi ajunt, *suspensus ab officio magistratus ad annum*, rectum sit, *magistratu summotus ad annum.* Nihilo melius: *Suspensus ab officio Ecclesiastico ad tempus:* pro *ad tempus abstinere jussus munere Ecclesiastico:* vel *ab eo ad tempus summotus.*

Unus scriba, pro *quidam*, legas apud interpretem vulgatum Matth. VIII. Ubi Græcè similiter, Εἷς γραμματεύς. Credo, jam ejusce interpretis ætate sic loquebantur: præsertim cùm nunc quoque sic dicant nonnulli, secuti hac in re linguam Gallicam, ac Germanicam. Mirum interea, Erasmum quoque *unus scriba* transferre.

Atque hactenus seorsum, prius substantivis, inde adjectivis, institimus. Est verò cùm falsa significatio in utroque concurrat: ut cum *salvo conductu* dicimus, pro *fide publicâ interpositâ:* vel de *fide publicâ, plenâque securitate.* Quomodo Sallustius in Jugurthina: *Ut in castra ad Jugurtham mitteretur, eumque interpositâ fide publica Romam perduceret.* Sed hujusmodi fortasse meliùs referantur ad vitia vocum conjunctarum: de quibus postremo agemus loco.

CAP. XXXIV.

De verbis in falsa positis significatione. Appulit navis, *pro* appulsa est: assignare aliquem, *pro* delegare creditorem: benedicere, *pro* laudare: condolere, *pro* συμπαθεῖν: confundi, *particulatim pro* pudefieri: deputare, *pro* delegare: desolare, *pro* diruere: despicere, *pro* dispicere: diffundere, *pro* defundere: dispensare, *pro* canone, *aut* legibus solvere: indigitare, *pro* nominare: inquam, *pro* illud volui dicere: mutuare, *pro* mutuò dare: commodare pecuniam, *vel* triticum, *pro eodem: fortasse & accommodare ædes, pro* commodare, *ac* objicere, *pro* occurrere sententiæ alienæ: pœnitet, *pro* pœnitentiam agit: potare, *pro* potum præbere: præsumere sibi, *pro* arrogare: traducere *in linguam aliam*, *pro* vertere.

Habemus de nominibus. Nunc accipe de Verbis: quæ ipsa etiam digeram κατὰ στοιχεῖα †.

† *Secundùm literarum ordinem.*

Abdicare confundunt, & *exhæredare.*

Abjurare item, & *ejurare.*

Abrogare quoque, *derogare*, & *obrogare:* de quorum trium discrimine egi libro de Satisfactione Christi, sive responso ad judicium Ravenspergeri, cap. XXVII.

Appulit navis vulgare est, pro *appulsa est.* Atqui homo, aut ventus, *appellere*, vel *appulisse* dicitur: navis autem *appelli*, vel *appulsa esse.* Nec Cicero, vel scriptorum alii, aliter unquam locuti. Nunc contentus ero illo Livii lib. XXVII *: *Canere inde tuba, simul ab arce, & à portu, & à navibus, quæ aperto mari appulsæ essent.*

* *Cap. 17.*

Assignare aliquem, ex vulgari est mercatorum lingua receptum: pro quo veteres Jurisconsulti, *delegare debitorem.* Puta cùm debitor alium pro se substituit, qui solvat: cui substitutioni si creditor acquiescat, prior debitor liberatur debito. Justinianus Cod. de Novationibus, & delegat. *Delegatio debiti, nisi consentiente, & stipulanti promittente debitore, jure perfici non potest.* Hinc non invenustâ translatione Seneca ait lib. III de beneficiis: *Debitores nobis delegat Deos; precaturque, ut illi pro se gratiam referant.*

Benedicere Deo, pro *laudare*, in Theologis ferendum. Uti & *benedictus*, pro *laudatus.* Quippe est Hebraismus. Sed classicos qui sequi scriptores volet, eos hac parte nequeat imitari.

Condoleo non est, quod vulgò dicunt, *compatior*, Græcè συμπάσχω: sed idem, quod simplex *doleo.* Pro συμπάσχειν dicendum, *alicujus casum dolere*, vel *infortunio ejus affici*, aut *dolore ob aliquem commoveri.*

Confundi est vulgare, pro *pudefieri.* Ut illo, *Confisus Domino nunquam confusus abibis.* Ac in glossis vett. est: *Confundere*, καταισχύνειν. Ac usus sic Cyprianus De Lapsis. Sed verbum est generale pro *perturbare.* Quare ut ampliorem significationem restringam, dixero, *pudore confundi*; sicut loquitur Ovidius epistolâ Cydippes ad Acontium:

—— Confusa pudore
Sensi me totis erubuisse genis.

Sanè non minùs *pavore*, vel *dolore confusus*, legimus. Quomodo Livius lib. VI: *Confusam eam, ex recenti morsu animi, cum pater forte vidisset, percontatus, Satin salva?* Sermo est de M. Fabii Ambusti filia, C. Licinio Stoloni, plebeio homini, nuptâ. Hæc confusa erat non pudore, sed dolore: porrò ipsa fatebatur, *eam esse caussam doloris, quod juncta impari esset*; ut ibidem ait Livius.

Deputare vel valet *amputare, resecare*; vel *reputare, censere*; non autem *delegare:* eoque perperàm *deputatos* appellant, qui dicendi sunt *delegati.*

Desolare urbem, vel *arcem*, pro *diruere*, Italismus est. Atque hoc pacto in suppositìtiis Hethruriæ antiquitatibus legas, *diruere castrum:* cujusmodi, quam novitius ille fœtus sit, ostendunt. At veteribus *desolare* est *ad solitudinem redigere.* Sic *desolare agros* dicimus, necatis, vel abductis colonis.

Despicere, & *dispicere*, malè permiscent. Illud enim est aspernantis, ac propriè deorsum spectantis: hoc est attentiùs considerantis, eoque animum versantis in omnia; ut oculos solent nunc huc, nunc illuc referre, qui studiosè aliquid quærunt.

Diffundere, pro *defundere*, perperam dicunt: malè etiam interdum confunduntur in libris: cùm *defundere* sit ex lagena in cyathum fundere: *diffundere* ex lacu fundere in varias amphoras, ac cados: ut in his asservetur, donec ejus sit usus: quod Proculus clarè docet L. XVI. vinum cum vasis D. De trit. leg. Itaque *diffusores* etiam rectè dixeris, quos Belgæ vocant *wyn-verlaters.*

Dispensare Papa, vel Rex perhibetur, pro eo, quod est, *canone*, vel *legibus solvere.* Ecclesia enim canones condit: Princeps fert leges. Sed ubi Princeps firmârit Ecclesiæ canonas auctoritate suâ: vim illi legis accipiunt: ut canonum talium corpus verè tum sit Νομοκάνων.

Indigitare, viri eruditi usurpant, pro *nominare*, & quasi digito commonstrare. Negabat Joannes Auratus, sic unquam accipi; semperque poni ajebat, pro *indigitem facere.* Contra Germanus Valens Pimponcius contendebat, priori modo sumi à Macrobio lib. I Saturnalium cap. XVII; atque alia etiam argumenta proferebat. Nec dubitat Godscalcus Stewechius, hac significatione eam vocem restituere Arnobio in IV adversus nationes: *Quis Patrocles Timius scriptorum in titulis indigitatur.* Pro quo in vulgatis est *indicatur.* Verùm *indigitare* quidem Latinum est; sed notat *invocare*, atque ita quoque utitur Macrobius. Unde libri rituales, *indigitamenta:* in quibus formulæ precum ad Deos invocandos. Nempe ab antiquo *indu*, pro *in*, & *citare*, hoc est, *vocare:* ut pleniùs in Originum libris dicemus.

Inquam, (quo sermo paullùm interruptus continuari apud antiquos solet) nunc præter morem veterum in usu est etiam eruditissimis quibusque, cùm illud corrigere volunt, quod perperam excidit. At Plautus pro eo hunc loquitur in modum:

modum: *Illud volui dicere:* ut Mil. Glor. act. III sc. II. & Mostell. sc. Melius amo: & alibi.

Mutuare dicunt, pro *mutuo dare:* ac pro se adferunt illud Plauti:

Siquis quid mutuaverit, sit pro proprio perditum.

At nusquam id legere est: verùm Trinumno † invenias:

Siquis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum.

† Sc. Stasime fac te.

Sic editt. & antiquæ, & nuperæ: ut mirum sit, erroris hoc tamdiu relictum in ἐξηγητικῷ Ambrosii toties repastinato. Ac *dare mutuum* similiter legas apud Terent. Heaut. act. III sc. III: & Cic. epist. III lib. XI ad Att. At *mutuare* est antiquum, pro *mutuari*; hoc est, mutuò sumere. Quomodo Cæcilius Asoto loquitur apud Nonium*: *Ad amicum curret mutuatum, mutuet meâ caussâ*, hoc est, mutuetur. Et cum aliis censet Emmanuel Alvarus †, similiter Valerium Max. uti lib. VI cap. II. ubi sermo de Machærâ, Macedonicâ muliere. Sed ea editio, quam ex optimis Mssis Stephanus Pighius expressit, habet: *Potius præsidium a libertate, quàm ab innocentia, mutuata:* non *mutuavit.*

* Cap. de contrariis generibus verborum.

† Cap. de verbis dativum regentibus cum accusativo.

Quia verò de *mutuandi* verbo est sermo; disquiramus eâdem de vocibus *commodandi*, & *accommodandi*. Notum discrimen, quod inter *mutuum*, & *commodatum*, Agrœcius ponit, atque item Paullus L. II de rebus cred. Unde consequitur, Latinum non esse *commodare pecuniam.* Verùm Plautum objectant Asinariâ Act. III sc. III: ut qui dicat, *commodare viginti minas argenti.* Sed sermo est de commodis argenti minis. Sic enim est in melioribus libb.

Quid ego aliud exoptem ampliùs, nisi illud, cujus inopia est,

Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri?

Verùm, inquiunt, ipsius est Ciceronis in IV Verr. *At publice commodâsti tritici modiûm milia.* Quomodo & legit Marius Nizolius. Sed enim, qui locum in castigatioribus codd. inspexerit, reperiet in eo opponi *privatim nocere*, & *publice commodare*. Nam primùm ait: *Quibus tu privatim injurias publicas, contumeliasque imposuisti* &c. Posteaque subdit: *At publicè commodasti. Non sine magno quidem Reip. provinciaque Siciliæ detrimento. Tritici modiûm LX millia emta populo Romano dare debebant, & solebant: abs te solo remissum est. Accommodare*, pro *commodare*, dixit, inter cæteros, Cælius Calcagninus Epistolicarum Quæst. lib. II epist. XII: nempe contra illud Cornelii Frontonis: *Commodat, mutuam pecuniam: accommodat, aptat.* Quomodo nempe Maro Æn. II:

—— Laterique Argivum accommodat ensem.

Verùm hoc qui discrimen aspernantur, objiciunt illud Cornificii ad Herennium lib. IV: *Ait se ædes maximas cuidam amico ad nuptias accommodâsse.* Quo pacto etiam editum à Rob. Stephano, & aliis. Nec rejicere ausim: præsertim cùm ibidem legas: *Apagete, inquit, cuidam ædes accommodavi.* Cornelius tamen Crocus damnat: atque ait, unam hirundinem non facere ver. Imò & Lambinus corruptè sic legi putat, ac *commodandi* verbum reponit. Omnino tutiùs abstinetur. Nec obstat, quod etiam sit apud Cic. orat. pro Cælio: *Quæ* (mulier) *se aurum Cælio commodâsse dicit.* Quomodo, fateor, libri omnes. Sed video in Dionysii Gothofredi edit. annotatum ad marg. *Mutuum dedisse, nisi si aurum factum commodatum fuit.* Sanè aureos nummos mutuo dederit: sed vasa aurea commodàrit. Complura quoque alia ab aliis afferuntur loca, ubi commodare sic accipi putant. Sed si quis ea examinet, nihil omnino ad rem facere inveniet.

Objicere vulgò perlubetur, qui adversus aliquem disputat: sed aliter veteres; qui pro eo dicunt, *occurrere*, vel etiam *contradicere*. Cicero lib. III Tuscul. *Contra dicuntur hæc: Quis tam demens ut sua voluntate mæreat?* Scio, eum, qui exprobrat, objicere probrum: sed non propterea objicere dicendus, qui aliquid obducit sententiæ alienæ. Interim, quia nunc vulgò ita loquuntur in Scholis, etiam cùm Rhetores Προλήψεως explicant naturam: nolim super eo multùm serram reciprocare. Præsertim cùm apud Fabium legam lib. IX cap. II: *Mirè vero in caussis valet præsumtio, quæ πρόληψις dicitur, cum id, quod obiici potest, occupamus.* Nempe jam tum sic Rhetores loquebantur. Non tamen, quantum memini, similiter *objectionem* dicit pro argumento in contrarium adducto. Pro quo Cicero, *quæ contra dicuntur, adversariorum adjumenta, contraria.* Imò ne quidem pro *exprobratione* memini me legere apud idoneum scriptorem.

Pænitet, pro *pænitudine ducitur*, legas apud nonneminem. Ut in illo viri docti, *ille pænitebit cito:* pro *illum cito pænitebit.* Aliquid interim est, quòd pro eo loquendi modo possis ex Justino promere. Vide lib. IV cap. XXX in *Pænitetur.*

Potare etiam Latinis est *bibere*. At pro *potum præbere*, quomodo *cibare* pro *cibum dare* dicitur, apud classicum scriptorem nusquam invenio. Sed loquuntur hoc pacto scriptores Ecclesiastici. Cyprianus sermone de bono patientiæ: *Ut cibaretur* Christus *felle, qui cibum cælestem dedit; aceto potaretur, qui poculum salutare propinavit.* Beda de Orthogr. *Potamus eum, cui potum porrigimus.* Sed *potionare*, pro *potionem dare*, rectum est. Unde Suetonius in Caligula cap. L: *Creditur potionatus à Cæsoniâ uxore, amatorio quidem poculo, sed quod in furorem verterit.*

Præsumere sibi multa imperitè dicitur, pro *plura sibi arrogare*, vel etiam *sumere*, aut *adsumere*. Itaque dixeris, *Mihi non tantum sumo:* vel, *Non adsumo id mihi.*

Pransus sum, pro *prandi*; item *cænatus sum*, pro *cænavi*, passim nunc legas, & à doctissimis viris audias. Sed *pransus*, aut *cænatus sum*, non dicitur: verùm *prandi tecum, cænavi apud patrem; pransus paullùm obambulo, cænatus literas accepi*, vel *cænato literæ traditæ*; quod idem est, ac *à prandio*, & *post cænam.* Hinc Nonius Marcellus: *Cænatus, ut pransus, ut potus, ut lotus; id est, confectâ cænâ.* Ostendit deinde hoc illo Varronis lib. III de vita pop. Rom. †. *Ut ejus convivium, qui triumpharet in Capitolio, videretur esse proprium, ut ipse potius domum reduceretur cænatus à convivio.* Sic Horatius lib. I sat. VI:

† Apud Nonium in Cœnatus.

Pransus non avidè, quantum interpellet inani

Ventre diem durare, domesticus otior. ——

Sententia est: A parco prandio, planeque ejusmodi, ut duntaxat, instar interpellantium, sive eorum, qui sermonem alterius interrumpunt, obstet, quo minùs possim dici totum diem ventre fuisse inani; ab istiusmodi inquam prandiolo domi otiosè duro. Nec sanè Plautus, Cicero, vel ulli veterum, aliter loquuntur. Vide, quæ diximus lib. III de Analog. cap. XXI.

Traducere aliquid ex Græca lingua in Latinam, vel Gallicam, pervulgatum est, præsertim Italis, & Gallis: nempe quia illi sic usurpent suum *tradurre*, hi suum *traduire*. Sed, qui purè locuti, pro eo dicunt, *vertere*.

Tribulare, pro *adfligere*, & *tribulatio*, pro *adflictione*, profecta sunt ab usu Ecclesiastico. Veteribus enim *tribulare* est tribulo, similive instrumento, comminuere. Ita usurpat Cato de R. R. cap. XXIII. Video esse, qui istic *turbato*, pro *tribulato*, reponant: sed omnibus codd. invitis.

Cap. XXXV.

De particulis significatione falsâ usurpatis. Ita *non esse adverbium affirmantis quippiam:* etiam, *nonnisi toto post Ciceronem seculo, sic esse usurpatum.* Non *pro ne jam Quinctiliani ætate in usu esse cœperat: sed ab eo damnatum. Improbatum* demagis *pro* minus, *in quo & Festus peccat: rejecta item* particulatim, *pro* speciatim: particulariter, *pro eodem:* saltem, *pro* solùm: insanè bene, *pro* valde bene: svirciter, *pro* sævè: *locus* fortiter *munitus*, *pro* validè: modicè, *pro* parum: gratiolè, *pro* eleganter, jucundeque: vicissim, *pro* mutuò:

tuò: primò, secundò, tertiò, *pro* primò, deinde, præterea: deinceps, *pro* deinde: ubi, *pro* quò: intrò, *pro* intus, *& contrà:* prorsum, *pro* prorsus: diu, *pro* dudum: abhinc, *de tempore futuro:* ad, *pro* ante diem: apud, *pro* ad: juxta, *pro* secundùm: quoniam, *&* quia, *pro* quòd.

DE verbis hæc suffecerint. Supersunt particulæ: in quibus non minùs aberratum. Ac primùm in Adverbiis: ubi initio se offerunt, quæ transcendunt decem rerum omnium classes. Nam universè ad *ens* pertinent, *ita*, & *non*. Quorum prius vulgo habetur pro adfirmandi adverbio, quasi respondeat τῷ *non*. Sed parùm eruditorum eam esse opinionem, ait Erasmus Annotat. in Matth. v. 37. Pro se adferunt Terentii locum ex Andria act. v sc. II:

—— S. Quid istic tibi negoti est. D. mihin?
S. Ita. D. mihine? S. tibi ergo. ——

Sed *ita* naturâ suâ est similitudinis adverbium; atque integre hic sit, *ita est, uti dicis*. Idem judicii est de loco Horatii sat. v libri II. vers. II: ubi Lambinum vide.

Nec *etiam* respondero, nisi quando & aliud antè est affirmatum: ut cùm significat *quoque*: quemadmodum apud Plinium lib. II epist. VI: *Etiamne libertos? etiam.* Non ante Plinii ætatem aliter hac voce usos, existimem. Sed si hujus satisfacere possit auctoritas, fatendum sit, ejus ætate sic responderi solitum à quibuscunque, affirmare aliquid volentibus. Nam lib. IV epist. XIII legas: *Huic ego, Studes? inquam. Respondit, etiam.* Nullus hic sermo alius, quò *etiam* referatur, antecessit: ut parebit inspicienti locum. Sed multùm jam tum degeneràrat sermo Romanus.

Non, pro *ne*, jam in usu esse cœperat ætate eàdem. Sed barbarum dicitur ipsi Quinctiliano: cujus illud lib. I cap. V: *Cognata sunt,* NE, *ac* NON *adverbia: qui tamen dicat pro illo, Ne feceris,* NON FECERIS, *in idem incidat vitium; quia alterum negandi est, alterum vetandi.* Quare nolim sic loqui, *Non occidas:* vel, *non facias adulterium:* sed, *ne occidas*, item, *ne fac. adult.* Unus objici possit Terentii locus Hecyr. act. III sc. II: *Non visam uxorem Pamphili, cùm in proximo hic sit agra.* PAR. *Non visas: ne mittas quidem visendi caussâ quemquam.* Ad quæ sic respondet Cornelius Crocus: *Potest quibusdam movere scrupulum, quasi vetet, cùm re verà neget, si propius complecteris.* Censeo ego, Ciceronis ævo non esse sic locutos: eoque damnari à Fabio: uti Ciceroni vitiosum *non scio*, quod idem Terentius usurpat; ut vidimus.

Quantitatis adverbiis accensentur, *demagis, particulatim, saltem*. Primo usus Lucilius. Qui pro *minus* usurpant, Festo quidem, sive potiùs Paullo Diacono, se tuentur. Sed *de* hic est ἐπιτατικὸν; unde vetus glossarium exponit σφοδρῶς, ac Nonius *valde magis*.

Particulatim notat *membratim*, aut *separatim*. Sed vulgò usurpant pro eo, quod Ciceroni est *speciatim*: ut de reditu suo ad Senatum: *Legem speciatim initio de salute mea promulgavit.* Alii pro eo dicunt *particulariter*: quod barbarum puto. Nec enim quia *speciatim*, & *specialiter*, dicatur (Columellæ lib. III *generatim*, & *specialiter præcipere*, opponuntur) eò etiam *particulatim*, & *particulariter*, dici existimandum.

Saltem usurpari solet pro *solùm*. Quomodo cum vulgo inter alios loquitur vir eximius lib. de Amphitheatro cap. V: *Theatrum, quod Nero postea magnificum in campo Martio erexit, fuit saltem e ligno.* Ubi mallem dixisset, *solùm è ligno*. Veteribus enim *saltem* significabat, τὸ ἐλάχιστον, sive *minimùm*. Sed scrupulum injicit locus ille Plinii lib. XIII Hist. Nat. cap. XI. *Ne terram quidem ipsam totam fuisse, quæ nunc Ægyptus intelligitur, cùm in Sebennytico saltem ejus nomen omnis charta nascatur: postea addaggeratam Nilo.* Quomodo etiam habet vetus editio Parmensis. Nec vetus cod. Msus multùm abit, ubi pro *saltem* est *altem*. Suspecta tamen lectio Dalecampio; qui pro *saltem* reponit *solùm*. Verùm, inquiunt, attendere oportet, quod & Varro sic loquatur lib. XVI rerum divinarum: unde ista excerpsit B. Augustinus lib. VII de Civ. Dei cap. XXI: *In Italia compitis quadam dicit sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur: non saltem aliquantùm verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitiâ.* Verùm locus ille parùm movet. Nam & ista, & imprimis, quæ deinde ex Varrone subjungit, satis indicant, non institisse Augustinum Varronis verbis; sed sententiam ejus, partim Varronis verbis expressisse, partim suis. Imò nihil prohibet, quò minùs etiam in allatis Augustini verbis *saltem* valeat *minimùm*. Nempe ut sententia sit, si gentiles sacra adeò turpia amarent, minimùm in occulto ista celebrare debuisse, non palàm omnibus.

Insanè etsi naturâ suâ sit Qualitatis; quandoque tamen fit Quantitatis: ut quoties sumitur pro *valde*. Nec significationem eam damno; nisi cùm sermo est de iis, quæ sunt virtutis, ac judicio sapientum promerentur laudem. Justus tamen Lipsius non dubitat in talibus dicere, *insanè bene:* eoque nomine vapulat ab Henrico Stephano, libro de suspecta Lipsii Latinitate. Lipsio autem fundus hujusmodi sermonis est Plautus, & istoc Varronis in VI de L. L. *Plautus, cùm vehementer vellet dicere, dicit insane; quod insani omnia faciunt vehementer.* Quomodo Bacchidibus est act. IV sc. V:

Insanum magnum molior negotium.

Sed enim non multùm hæc juvare Lipsium videntur. Nam molliter satis Plautus ait, *insanum magnum:* ubi sermo est de audaci impostura hominis nequam. Quemadmodum & Tullius pro Milone commodè ait, *insanas moles substructionum:* in qualibus modus sæpe exceditur, more insanorum. Sed *insanè*, & *bene*, sociantur durè. Paullùm tamen ad excusandum Lipsium valet illud Mostell. act. III sc. III. *insanùm bonam porticum.* Interim & hoc similius Tulliano isti, quod adduximus. Nam in porticu struendâ, ornandâque, quis non videt, insanorum more posse peccari? At longè dissimile est, si dicas; *Epictetum insanè bene philosophari*; aut, *B. Augustinum insanè doctè scripsisse*; aut, *B. Cyprianum insanè piè vixisse.*

Qualitatis etiam sunt adverbia *ferociter, fortiter, modicè, gratiosè*; quorum postremum est apud Ulpianum. Sed primo istorum malè vulgò utuntur, pro *sævè, ac crudeliter:* altero abutuntur, cùm urbem ajunt *fortissimè munitam*, pro *validè munitam:* tertio item, cùm usurpant pro *parùm:* quarto denique, cum ponunt pro *jucundè, & eleganter.* Quid verò castè loquentibus denotent, diximus cap. XXXIII, cum ageremus de adjectivis, unde ista derivantur.

Relationis adverbia sunt *vicissim*, ac *mutuò*. Quæ vulgò confundunt. Ut cùm pro eo, quod Græci dicunt φιλεῖν ἀλλήλους, ajunt, *vicissim amare*; cùm rectum sit, *mutuò*, vel *invicem diligere*, vel *amare inter se*. Relationis etiam sunt, quæ ordinem signant. Ut sunt *primò, secundò, tertiò:* qualia licet verè nomina sint in auferendi casu, cum καθ' ἔλλειψιν reticeatur nomen *loco*; tamen vulgò adverbia censentur. Quare nunc inter particulas iis locum relinquamus. Porrò sic planè usus nunc obtinet, ut illis utamur rationes numerantes, quibus aliquid probamus. Olim autem id notabant, quod dici solet, *primâ, secundâ, tertiâ vice*. Plinius lib. I epist. V: *Ecce tibi Regulus. Quæro, inquit, Secunde, quid de Modesto sentias.* Et mox: *Rursus ille, Quæro, quid de Modesto sentias.* Et paullo pòst: *Tertiò ille, Non jam quid de Modesto; sed quid de pietate Modesti sentias.*

Hujus etiam loci est *deinceps:* quod perperam usurpant nonnulli pro *deinde*; cum valeat idem, ac ἐφεξῆς. Cicero lib. IV Tuscul. *Gravissimus auctor Cato in Originibus dixit, morem apud majores hoc exemplar fuisse, ut, deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes, atque virtutes.*

Denique etiam peccatum in locis, temporisque adverbiis. Loci est *ubi*. Hoc pro *quo*, vel *quorsum*, imperitos uti, penè omnes sciunt eruditiori hoc seculo. Sed ajunt, jam Appuleii ætate (vixit autem ille sub Divis fratribus) ita loqui consuevisse vulgus Romanum. Narrat enim lib. IX Mile-

Milesiarum, quendam, quia non satis Latini foret sermonis gnarus, minùs intellexisse rogantem, *quorsum vacuum duceret asinum*: at tum demum percepisse, quid vellet, cùm idem diceret; *ubi ducis asinum*. Scio, id velle Beroaldum; qui cum ad locum hæc annotavit: *Militem, Grammaticæ institutionis ignarum, inducit militariter loquentem, prævaricato Grammaticorum decreto; minimeque observantem placita Donatistarum**. Imò & similiter Andréas Alciatus lib. 1 Prætermissorum †, voce *Sermo Latinus*. Nam κατὰ στοιχεῖα * is liber digestus est. Sed enim, & hos, & alios non paucos, postea secutos, decepit vulgata lectio. Nam uterque usus codd. Appuleii, in quibus foret: *Ergo igitur agrè subjiciens miles: Ubi, inquit, ducis asinum istum?* Sed pro *agrè* meliores editt. habent *Græcè*: quod & membranæ nostræ comprobant. Quare ut miles linguâ priùs locutus Romanâ; (quod ex Luciano etiam liquet, quem sequi, atque exscribere Appuleius solet:) ita postea Græcè est locutus: ut hinc de vulgo Romano nihil possit colligi. Appuleius igitur Africani potius vulgi quam Romani more, sic fuerit locutus.

* *Mirifica Beroaldi locutio, cùm Donatus seculis duobus sit posterior Appuleio.*
† *Pag. 673. edit. Juntinæ an. 1546.*
* *Secundum literarum seriem.*

Intro, & *intus*, malè confundunt. Qui error videtur & in vulgo obtinuisse Romano. Sic enim Charisius lib. 1: *Intro est in locum, Intus in loco, dicimus: ut etiam apud Græcos ἔσω, εἴσω, καὶ ἔνδον. Ideoque Lucilius ait:*

> *Nam velut INTRO aliud longè est, atque INTU videmus:*
> *Sic & APUD TE longè alid† est, neque idem valet AD TE:*
> *INTRO nos vocat ad sese; tenet INTUS apud se.*

† *Antiquè pro aliud.*

Prout eos versus restituit Janus Dousa Pater. Ex libro autem Satyrarum nono esse arguit, quòd illo egerit de recta scribendi ratione: ut non modò ex Terentio Scauro, & Isidoro, constat; sed etiam ex fragmentis ejusce libri, quæ supersunt. Nec aliter, ac Lucilius præscribit, loqui ausim: etsi non ignorem è Cornelio Celso, in Cælii Foro Romano, obduci ista: *Inspirandumque, ut ea medicamenta intus compellantur.* De quo inferiùs, ut puto, erit dicendi locus.

Ut *alibi*, & *alicubi*, sic differunt *aliunde*, & *alicunde*. Nam *alibi*, in alio loco; *alicubi*, in aliquo loco: *aliunde* ex alio loco; *alicunde* ex aliquo loco.

Est etiam loci adverbium *prorsum*: cùm id valeat, *planè, omnino*. Hoc de errore sic Cæsar Scaliger in Arist. Histor. Animal. lib. 11 cap. XIX. sect. CXXXVII: *Prorsus, quod vulgus præcisè: at prorsum, τὸ πρόσω. Sic enim Latinè accipiendum est ab iis, qui integrè casteque in oratione Romana versantur: ut apud Terentium* †; *Cursari rursum prorsum.*

† *Hec. 3. 1.*

Temporis verò adverbia sunt *diu*, & *dudum*; quæ malè permiscent. Sanè, *Quamdiu redit?* pervulgatum est. At Plauti est, *Quamdudum è foro redisti domum?* Similiter audias vulgò, *Jamdiu hora est prima*, vel *sexta*. At Terentii est*:

> *Jamdudum dixi, idemque nunc dico, Lache.*

* *Hec. 4. 4.*

Item †, PH. *Quamdudum venit Chærea?* DO. *Modò.* Nempe *dudum* est de spatio breviori; *diu* de longiori. *Jamdudum verò*, plus est, quàm *dudum*. Uti & *jampridem* amplius est, quam *pridem*. Cic. lib. 11 ad Att. epist. V: *Cupio equidem, & jampridem cupio Alexandriam visere.*

† *Eun. 4. 4.*

Etiam temporis est *abhinc*: sed præteriti. Cic. III Verr. *Quæstor Cn. Papirio Consuli fuisti abhinc annis quatuordecim.* At perperam usurpant de tempore futuro. Ita dici solet, *Desinent induciæ abhinc annis septem.* Sed veteres mallent, *post annos septem.* Vel etiam, *ad annos septem.* Quomodo Tullius ait 1 Tuscul. *Et ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbe nostrâ potituram putem?*

Aberratum item in præverbiis, sive, ut usitatiùs vocantur, præpositionibus.

Ad, & *apud*, jam olim fuisse confusa à vulgo Romano, liquet è versibus Lucilianis; quos paullò antè adduximus.

Aliter etiam præverbio *ad* abutuntur: ut cùm ajunt, *Ad* XII *Kal. Sept.* item *ad* III *Non. Jul.* & similia. Veteres enim pro eo, *A. D.* XII *Kal. Sept.* item *A. D.* III *Non. Jul.* Ubi A. D. valet *Ante diem*. Nempe idem valent, III *Non. Jul.* & *A. D.* III *Non. Jul.* Sic, *ipsis Idibus, & A. D. Iduum.* Inter alios de isto vide Ciacconium ad primum Cæsaris de bello Gallico.

Juxta Varronem, vel *juxta Aristotelem*, dicimus pravâ vulgi consuetudine; quæ & abripuit Josephum Scaligerum. Sic enim ille in fine notarum ad Dionys. Catonem: *Hæc Publiana, quamvis inter nugas theatrales jactata, tamen quid rectum, quid utile sit, juxta Horatium, melius Chrysippo, & Crantore dicunt.* Etiam Lipsius lib. II. Physiol. Stoic. diss. V. κατ' αὐτούς, vertit, *juxta ipsos*. Et scio, similia in nostris etiam reperiri. Sed veteres dicerent pro eo, *secundùm ipsos, secundùm Horatium*, & ita in aliis. Vidimus de eo etiam in Originum libris: quæ non repono.

Pro paucis diebus commodare, vel *mutuo accipere*, perperam, pro *in*, vel *ad paucos dies*. Uti Livius: *Obsidio vix ad paucos dies tolerabilis.* Idem: *Utrùm in unum annum facti sint.* Nec abludit hoc Terentianum*:

> *Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minare.*

* *Eun. 5. 6.*

Belgæ id concinnè, *'t is op borg.* Ut *in diem vivere* † dicitur, qui non est sollicitus de crastino.

† *Cic. 2 Off & 2 Philipp.*

Insuper peccatum in conjunctionibus. Ita *quoniam*, & *quia*, pro *quòd*, vergente Latinitate, vulgò dixere. Eâque consuetudine vulgatus quoque interpres (ut non quidem sequi, ignoscere tamen debeamus) Matthæi cap. II transtulit: *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset.* Ubi Græcè: Τότε Ἡρώδης ἰδὼν, ὅτι ἐνεπαίχθη. Ac similiter idem alibi.

Vel pro *sive*, Latinum non est. Ut cum dicunt; *Diana, vel Phœbe nihil aliud est, quàm Luna.* Simileque, *Nescis homo, utrùm odio, vel amore, dignus sit.* Pro, *an amore*.

FINIS LIB. I.

GERARDI JOANNIS VOSSII DE VITIIS SERMONIS, FALSOQUE SUSPECTIS, LIBER II;

In quo multæ etiam glossæ, sive difficiliores voces Latino-barbaræ, explicantur, & illustrantur.

Cap. I.

Secundo hoc libro duo nobis proposita esse refertur; quorum prius est, ut, sicuti libro fecimus superiori, ita hoc denuo pro vocibus barbaris reponamus Romanas; & Latinarum quidem, sed non ex consuetudine Romanâ, usurpatarum significationem, atque usum verum, aperiamus. Alterum autem est, ut, quo melius intelligantur scriptores, qui, desinente, aut desito jam puriori sermone Romano, claruerunt, explicemus compluria barbara, vel semibarbara, quæ apud eos leguntur. Particulatim vero primo hoc capite, tum de vitiis aliquot Orthographiæ agitur, tum Prosodiæ. In Orthographicis primus datur locus vocabulis, quæ Hebræis debemus. In iis peccari, quando pontifex ille Abimelech *vocatur, qui est* Achimelech; *cumque* Adon *dicitur, pro* Ahod; Bersabe, *pro* Bethsabe; Elchana *pro* Elcana; Helias, *pro* Elias; Hester, *pro* Esther. *Jod rejectum in* Esaias, *&* Ezechiël. *Unde fit, quòd temporibus Karoli M. dixerint* Zasu, *pro* Jesu. Jerusalem *rectius scribi, quàm, cum spiritu,* Hierusalem. *Scribendum* Mæcenas, Anicius, Marcia *gens*, Hirtius. Gaius *pronunciatum, etsi* Cajus *scriberetur; cujus moris ratio adfertur.* Londensis *aliud, ac* Londinensis; *&* Dacia, *ac* Dania; *quæ Radevicus, & alii, confuderunt. Britannia gemino N exarandum, contra ἀναλογίαν.* Mulćum *scribi oportere: item* strategema, *&* cimelion: *inque Latinis* servitium, *&* ædilitius. Temperius, *&* temporius *dici.* Laterna, *sine N, etymo adstrui.* Caritas *sine spiritu scribendum.* Domnus *de iis, qui dignitate funguntur Ecclesiasticâ. De divisione literarum. In modulo syllabæ præcipue peccari in Græcis: maximè in propriis nominibus. Interim id fieri etiam in appellativis, & quidem Latinæ originis.*

Magnum jam iter confecimus in carpendis vocibus vitio creatis. Valde autem se deceptum sentiet, qui, hac quasi nixus industriâ nostrâ, putarit, abunde se cavisse sibi à barbaris, si iis abstinuerit solis. Nam tantummodo luculentum barbarorum specimen dedimus; ut juventus, hisce animadversis, redderetur cautior, omniaque appenderet ad stateram sermonis Romani; nec aliquid usurparet, nisi cujus idoneum ex veteribus sciret auctorem. Interim innumera supersunt nihilo meliora iis, quæ attulimus: cujusmodi qui mediocris fuerit judicii, atque industriæ, haud difficulter per se observârit, modò eam institerit viam, ad quam prævimus. Quia tamen nec juventuti tantum sæpe judicii est; nec ætate provectis tantum ab re sua otii sit, hoc ut laboris subire velint, aut possint: jam finem imponenti superiori libro, ac mecum cogitanti, quantum esset, quod præteriissem, in mentem illud venit, facturum me rem non ingratam puritatis, ut vulgus barbarum loquitur, sive, ut dicere malim, puri sermonis amatoribus, si novam iterum aciem talium ostendam, cumque ea confligere denuo parem; ne illa, quæ in scriptis non vulgarium dico animarum, sed interdum doctissimorum etiam hominum, dictionis, alioqui lectissimæ, honorem non leviter labefactant; deinceps etiam inquinent adolescentiæ sermonem; quæ, priorum auctoritate compulsa, vestigiis eorum insistere non vereretur. Ut verò gemino prosim nomine, stat animus, decultpatis illis quotidiani sermonis vocibus, quas dicebam, admiscere γλώσσαις ξενικαῖς, sive peregrina vocabula à labantis, vel collapsæ Latinitatis scriptoribus usurpata; eaque subinde paullo fusiùs explicare, ut eâdem lucem afferam multis superiorum seculorum monumentis; quæ verbis concepta cepas, & allium olentibus; sed res sæpe non minùs solidè, nervoséque explicant, quàm à magnis nostri seculi ingeniis factum. Miscellum hunc laborem aggressuris initium esto ab iis, ubi ὀρθογραφίας, vel προσῳδίας vitium se offert. Utrobique autem brevitati sic studebo; ut, quæ dicam de duobus iis, uno hoc capite complectar: nempe tum quia alibi de istis pluribus dictum nobis; tum quia ad ea propero, quæ ad integra pertinent vocabula, majorisque mihi esse usus videntur.

In ὀρθογραφίᾳ nuspiam error est proclivior, quàm in propriorum illis, quæ accepimus ab Hebræis. Cujusmodi præter ea, quæ superioris libri capite x attuli, multa sunt alia. Sanè *Abimelech* Pontifex, Abiathari parens, qui à Doeg Idumæo interemtus, secundùm Hebræos codd. Latinosque *Achimelech* vocari debet. *Adon* Sulpitio Severo, aliis *Aioth*, pro אהוד *Ahod*, vel *Ehud*, LXX Ἀὼδ: uti quoque est in editione Romanâ. *Bersabe* nuncupatur Sulpicio Severo, secuto interpretes LXX; quæ in Hebræis codd. & hos sequenti Hieronymo, *Bethsabe*. Quamquam nec τῶν ἑβδομήκοντα † is error videtur: sed codicis vitiati. Nempe LXX scripsere θ: sed pars inferior tempore in altero est latere detrita, sic ut ε existimaretur. *Elcana* rectiùs, quàm *Elchana*; quod apud Sulpitium Severum. Etiam *Elias* malim, quàm *Helias*: *Esther*, quàm *Hester*. At non itidem *Esaias* damnem, pro *Jesaias*, abjecto Jod; quod etiam fit in *Ezechiël*, pro *Jezechiel*.

† *Septuaginta interpretum.*

Zasu, pro *Jesu*, legimus in Annalibus Francorum à Pythæo editis*: *Sic me Deus adjuvet Zasu patrocinia.* Unde & *patrocinia* pro *patrocinium* dixisse colligas: nisi *patrocinio* rescribendum. Cæterùm *Zasu* non est ex peculiari librarii inscitiâ: sed partim ex usitatâ permutatione literarum A, & E; partim ex eo, quòd vulgo vicinus esset sonus literarum Z, & I consoni: unde & ναυτικὴν καθέδραν, quam

* *Pag. 510. edit. Wechel. an. 1594.*

quam Græci ζυγὰ, hanc Latini *juga* appellant: ac à ζύγω quoque est *jugo*, & *jungo*.

Hæc hominum sunt nomina. Sed etiam in locorum vocabulis aberratur. *Jerusalem* scripsero sine H: contra quam facit Apollinaris Psal. cxxxvi, Ἱερουσαλήμ. Et tamen *Hierosolyma* cum H dicam: nempe ut morem geram errori eorum receptissimo; qui cùm de Solymis, apud Homerum, & alios, legissent, & de fama urbis Jerusalem audissent multa, sic dici putarunt; quasi ἱερὰ Σόλυμα: cùm *Jeruschalaim* propriè signet *visionem pacis*: ut explicant Hieronymus epist. ad Marcellam, Ambrosius, sive Hilarius, diaconus Romanus, in epist. ad Rom. cap. xi, Augustinus Tom. iv de cathechizandis rudibus cap. xx: ut Gregorium M. Nicetam, & tot alios, mittam.

Similiter error committitur in propriis Latinis, Græcisque: ac primùm, hominum. Ut *Mecænas*, pro *Macenas*, cùm Græcè sit Μαικήνας. *Anitius* per T, cùm in lapidibus semper exaratum sit per C: fortassè ἀπὸ τῆς νίκης. Sed & *Martius* quidem à *Marte*; à *Marco* autem *Marcius* dicendum: ut *Ancus Marcius*, & inclyta apud Romanos *Marcia* gens. *Hirtius* ab *hirto*, non *hirco*. Nam priùs comprobant libri, nummi, lapides.

Quod verò non injuriâ aliquis miretur; jam olim fuit, ubi ratio scribendi abiret à pronunciatione. Ut cùm *Gaius* pronunciarent, *Cajus* scriberent. Cujus rei caussam non pigebit adferre. Sanè αὐτόχθονες † præ cæteris erant honorati. At γάιος, sive γήιος, idem ac αὐτόχθων. Itaque scholiastæ Æschyli, & Aristophanis, Χαιὸν interpretantur *nobilem*: quod & apud Hesychium legas. Quamquam & *dominum* possis exponere: quod convenit illi in sponsalibus; *Ubi tu Cajus, ego Caja*. G verò pronuncian solere, docet inter alios Ægyptiacæ Syenes præfectus Terentianus Maurus:

† *Suo è solo geniti, sive Aborigenes.*

> *Asperum quia vox sonorem leniore interpolat,*
> *Vel priores G Latini nondum ab apice finxerant;*
> *Caius prænomen inde; C. notatur, G. sonat.*

Omne hoc inde est, quòd prisci illi Romuli nepotes non haberent literam G; sed pro ea C scriberent: unde, LECION. PUCNANDOD, MACESTRATOS, EXFOCIUNT, in columna Duilliana, pro *legion. pugnando, magistratus, effugiunt*. Postea pro sono diverso diversas posuerunt figuras. In *Caius* id non factum, dum quisque more veteri suum mavult nomen exarare. Vetus tamen remansit sonus: quia persisterent *Gajus* pronunciare, sicut antea. De propriis hominum hactenus.

Erroneæ (si sic loqui licet) ὀρθογραφίας in locis exemplo erit, quando commutantur nomina *Londa*, & *Londini*, *Lundensis*, & *Lundiniensis*. Uti factum à Radevico de gestis Frederici Ahenobarbi cap. viii, & seqq. ubi Eskilus *Londinensis* vocatur, qui à Londa, Daniæ metropoli, *Londensis* erat appellandus. Siquidem Eskilus ille secundus fuit Danorum archiepiscopus, vicinæ Sueciæ primas, ac Ecclesiarum ibidem curator: ut ex Saxone Grammatico, & aliis, constat. Itaque non *Londinensis*, sed *Londensis*, rectè de eodem exaratum, apud Petrum, Abbatem Cellensem, lib. i epist. xxiii, & lib. v epist. v, & lib. vi. epist. xv, & lib. vii epist. vi, & lib. viii epist. i, xix, & xx. Atque in notis ad hunc Cellensem observat doctissimus Sirmondus, spissiori etiam errore apud Innocentium iii epist. cccxxi, pro *Londensis* legi *Lugdunensis*.

Hic civitatum nomina confunduntur. Est verò cùm idem in totis contingat regionibus. Uti in *Dania*, & *Dacia*. *Daci* enim, pro *Danis*, crebrò legas apud medii ævi scriptores: sicuti monitum Abrahamo Ortelio in Thesauro suo. Ac liquet hoc ex Ottone Frisingensi, & Radewico; uti jam observatum Nicolao Serrario scholiis in Translationem S. Bernwardi. Sanè prior lib. i gestorum Frederici Barbarossæ, cap. xxiv. refert, ut Daciæ Rex postulârit à Cæsare investituram Daciæ. Alter narrat, ut Merseburgi controversia de regni Daciæ successione fuerit à Cæsare diremta. At ab iis oris longè dissiti erant Daci; qui nunc Transylvani, Rascii, Servii, Bulgari. Similiter Petrus Abbas Cellensis lib. viii epist. xix ad Eskilum antè memoratum: *Ecce vestra Dacia remota est à nostra Francia.* Quæque Matthæus Parisius in Historia ad an. ccl narrat de filiis Aldemari quondam Regis Daciæ; quorum Henricus crudeliter à fratre Abele interemtus, Abel propterea à magnatibus Daciæ in exilium ejectus; ea nonnisi de Daniæ regno possunt intelligi. Interim nihil in scriptoribus mutandum; quia non librariorum is lapsus, sed scriptorum.

Ut verò aliarum rerum, sic etiam in regionum, & urbium ὀρθογραφίᾳ, attendere oportet ad ἀναλογίαν vocabulorum, quæ aliis sunt locis imposita. Nec tamen id ubique locum habet. Alioqui enim dicendum esset *Britania*, unico N: ut *Aquitania*, *Hispania*, *Mauritania*, & id genus alia. Nempe tum solùm sequenda est ἀναλογία, cùm eam consuetudo veterum vel peperit, vel aluit. Nam, ut ait Comminianus *, *Ridiculum est legem adversus consuetudinem ferre; quæ sola in nostro sermone dominatur.*

* *Apud Charisium Sosipatrum.*

Atque hoc Comminiani præceptum non solùm habet locum in locorum propriis: sed etiam in communibus, quæ appellativa dicuntur. Inque his similiter originis plurimum ratio habetur; sive ea à Græco fonte sit, seu Latino. Itaque cum Græci dicant Μουσεῖον, perperam scribitur *Musæum*, pro *Museum*. *Strategema* in secunda vocalem habet secundam, quia Græcè est στρατήγημα. Quod si Dores sequi malis, ut fere solent Romani; saltem A fuerit porrectum. *Ciminilia* legas lib. primo Decretalium Gregorii IX, Tit. xxiii de Officio archidiaconi. Omnino, ut Carolo Molinæo jamdiu monitum, *cimelia* dicendum, ex Græco κειμήλια, quo signantur res pretiosæ sepositæ. Atque idem error commissus Tit. xl de verborum significatione: ubi *in ciminilini* exaratum, pro *in cimelio*.

In Latinis similiter *servitium* per T scribendum, quia est à *servitum*. *Ædilitium* per T, quia dicimus *ædilitas*. *Temporium* malim à *tempori*: nec *tempertius* propterea damnâro; quando veteres, ut *pigneris* dixere, unde *pignero*: sic etiam *temperis*, (quod apud Plautum †) unde *tempero*. At *tempertius* ejusdem ac *tempero* originis est. Nam propriè tempertius accedit, qui magis tempore, seu tempori venit. Itaque Ciceronis est lib. ix epist. xvi: *Memini te mihi Phamea cœnam narrare: temperius fiat: cætera eodem modo*. Quomodo & legit Paullus Manutius: ac *maturius* exponit. Fatetur vero, non alibi se id vocabuli reperisse, quam apud Cornelium Nepotem; unde hæc adducit verba in Vita Terentii, à Tiberio Donato scriptâ: (Suetonium Tranquillum dicere debuerat, quem verè esse auctorem, extrema Vitæ verba clarè docent:) *Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temperius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur.* Sic est in veteri Tarvisina anni cIↃcccclxxiv. Illa tamen Rob. Stephani anni cIↃIↃxli, item Parisina Lindenbrugii, *temporius* habent. Sed puto, veteribus libris standum. Sanè sic MSS etiam codices Ciceronis loco memorato: quos secuta illa Rob. Stephani anni cIↃIↃxliii, & Lambini Santandreana an. cIↃIↃlxxx; imò & Hamburgensis Gulielmii, ac Gruteri. Ut non multum moveat, quod H. Stephanus in suo Pseudocicerone * *temporius* legere malit, quia Cicero *tempori* scribat, non *tempore*.

† *Persâ act. 5. sc. 1.*

* *Pag. 148.*

Lanterna hodie pronunciant variæ gentes. Atque hoc inde est, quòd, labente Romani sermonis puritate, in multis N infercirent, præter consuetudinem priorum. Itaque *lanterna* etiam exaratum est apud Matthæum Parisium in vitis xxii Abbatum †. Sed aliud etiam etymon suadet; cùm ex eo sit nomen, quòd à latere gestetur; vel quia lateat, ac concludatur lumen. Nec dispar obstat quantitas, cùm suppetant & alia multa, quæ à modulo primogenii recedant.

† *Pag. 52. vers. 3.*

Est ubi ex origine nihil subsidii petere sit: ut in *carus*; pro quo vulgò *charus*, quasi à χάρις foret; ut suspicatus jam olim Petrus Schottus epistolâ ad Rodolphum Agricolam *. Sed Hebrææ esse originis vel potiùs Chaldææ, ostendimus in Originum libris: nempe ab יקר *jekar*, quod notat *pretiosum*, *carumque esse*; qualia quæ sunt, amari à nobis solent. Sed quicquid de etymo sit (nonnulli enim à caren-

* *In Centuria epistolarum philologicarum edita à Goldasto.*

carendo esse, eoque Latini ortùs putant) planè si spiritu *carus*, vel *karus*, non *charus*, scribendum: quod tum ex lapidibus, & nummis, tum ex optimis libris, in his Pandectis Florentinis, & Virgilio Carpensi, liquet. Pluribus id docet Aldus in Orthographia: eandemque scripturam probat Achilles Statius ad Catulli Epigr. 11.

Posteriora etiam secula in suorum temporum rebus aliquid sibi juris vindicant. Quamobrem, qui ubicunque *domnus* in MSSis reperiunt, *dominus* reponunt, næ illi scriptoribus sunt injurii: quando sic multis obtinuit seculis, (sicut libri MSSi testantur) ut *domni*, pro *domini*, de Ecclesiastica dignitate fungentibus diceretur.

Nec solùm peccatur diversitate literarum: sed etiam vocum divisione. Ut cum scribunt, *doc-tus*, *nos-ter*, *Eras-mus*: pro *do-ctus*, *no-ster*, *Era-smus*. Verùm obtendunt nobis hoc Cæsaris Scaligeri de Caussis L. L. cap. I: *Neque aliter scribere debemus, quàm loquamur.* At hoc ne florente quidem Romà, perpetuum fuit; quia *Gajus* dicerent, *Caius* scriberent; ut ante vidimus. Fateor tamen sic fere fuisse olim. At dispar ratio nostrorum temporum. Quid enim, an quia dicimus *pe-rire*, pro *per-ire*, eò sic scripserim, neglectà origine, ac veteri pronunciandi ratione? At, inquiunt, siquis sic efferat hodie, ridendum se propinet. Non diffiteor; sed dispar est ratio scribendi: ubi exarandum ut veteres, & loquebantur, & scribebant: utcunque nunc, inviti licet, abripiamur cum vulgo: cui in sermone obsequimur, ne brachia videamur tendere contra torrentem. Ac imitamur hac parte Ciceronem; qui sic ad Brutum scribit: *Quin ego ipse, cùm scirem, ita majores locutos esse, ut nusquam in vocali adspiratione uterentur; loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem, dicerem. Aliquando, idque serò, convicio aurium, cum mihi extorta veritas esset, usum loquendi populo concessi; scientiam mihi reservavi.* Loquar igitur cum junioribus, ne ludibrium debeam indoctis; & eruditioribus etiam laureolam videar in mustacio quærere. At in scribendo, sequar eruditiorum illos, qui antiquos sequuntur duces. Nam quis dubitat, quin veteres dixerint *do-ctus*, cum à *doceo* ἀναλόγως sit *docitus*; ut ab *habeo habitus*, à *moneo*, *monitus*: à *docitus* verò *doctus* κατὰ συγκοπήν. Sic *a-gmen* protulere, quia esset ex *agimen*; ut à *moneo monumen*, unde *monumentum*. Nec tamen *o-stendo* scribendum, sed *os-tendo*, quia est ab *ob*; cujus posterior in S commutatur. Nisi malis, veteres, ut *ab*, & *abs*; sic *ob*, & *obs* dixisse; de quo alibi monuimus.

Nec in ὀρθογραφίᾳ solùm peccari videas, sed etiam προσῳδίᾳ: quod vocabulum Græcis tonum, spiritum, & tempus, comprehendit; Latinis solùm tonum, & tempus: quia his adspiratio vulgò literis accensetur; ut vitium ejus ad ὀρθογραφίαν potiùs referatur.

Toni, qui *accentus* κατ' ἐξοχὴν dicitur, vitium est, si *utique* dicas, vel scribas, cum accentu in mediâ, quando sumitur pro *omnino*, vel *certe*: ut in illo Ciceronis ad Att. lib. XIII epist. XXI: *Eodem die, utique postridie.* Et lib. XIII epist. IV: *Velim antè possis: sin minus, utique simul.* Dispar ratio, si dicas, *frui, utique opibus.* Sic *itaque* pro *ergo* cum accentu in primâ: in secundâ, pro *& ita.* Quomodo veteres esse locutos, ostendit hoc Terentii Andr. III. III. *Imo ita volo, itaque postulo, ut fiat.* Et Eunucho II. III:

—— *Reddunt curaturâ junceas.*
Itaque ergo amantur.

Ubi Donatus: *Itaque, Atque ita fit, ut amentur.* Ratio discriminis est, quòd *itaque*, pro *& ita*, duas res notet; uti & duæ sunt voces. At *itaque* pro *ergo*, vel *igitur*, vox est una, licet composita, remque designat unam. Quamobrem nec enclitica locum habet in istis, *atque, neque, namque, quisque, sive, ubique, ubicunque.* Nisi forte & *ubique* reperiatur, non pro *omni in loco*; sed pro, *& ubi*: ut si dicas, *Ubi tres, ubique vel duo fuerint congregati in Christi nomine.*

At in accentu pariter, ac quantitate, peccant, qui dicunt *regímen*, pro *régimen*; *compétitor*, pro *competítor*. Præcipuè verò in Græcis errari solet. Sic Lactantius, si libris nonnullis fides:

Ecclesia pastos ubere, lacte, sinu.

Item Odo Cluniacensis præfatione alterâ Moralium in Job:

—— *Claro quem climate tensa*
Ecclesia reboans laudet ——

Quasi non Græcè sit ἐκκλησία. Inque his ipsis nusquam toties se turpiter dare multi solent, quàm in propriis: quia arbitrantur ejusmodi esse arbitrarii juris: quod Servio scriptum in illud I Æn. *Huic conjux Sichæus erat.* Id verò ad omnia extendere, ridiculus sit error: ut cùm poëtæ Christiani, quæ Græcè per E, vel O breve, scribuntur, non verentur producere: vel cum corripiunt, quæ exarantur per H, vel Ω. Sic secunda in *Euphemia*, licet Græcè sit Εὐφημία, brevis est Sidonio Apollinari in Panegyrico:

Gaudeat Euphemia, sidus divale parentis.

Ac primam in *Stephanus*, & alteram in *Ambrosius*, producit Ennodius Ticinensis: cum Græcè sit Στέφανος, & Ἀμβρόσιος. Sed idem in Latinis etiam, nec propriis, toties in metrum peccat, ut pigeat meminisse. Andreas Schottus medicinam sæpius studet facere; sed invitis libris: ut dubium non sit, quin perperam ipse scripserit Ennodius, magnam partem culpâ seculi, quo vixit. Mirum verò remanis literis à multis sæpe tam fœdè impingi. Sic Sixtus Senensis †, uti Alciatus de jureconsultis fecerat, ita ipse de Scripturæ interpretibus judicium laturus, hunc in modum carmen concludit:

† *Post per orationem lib. 3.*

At brevis, & facilis, non est spernenda tyroni
Lyrensis expositio.

Ac repetit Serranus in Prolegomenis Bibliacis cap. XXVII, quæst. XVIII. Atqui prior in *tyroni* veteribus est porrecta, & tertia in *expositio* est correpta, cùm sit ab *expositum.* Summus vir, Justus Lipsius, epithalamio ad Victorem Giselinum sponsum postremam in *coluit* producit in Glyconio hoc, *Marspiter coluit agrum:* & paullo antè corripit *vir* in hoc trochaico:

Frange jam nucem marite, si vis esse nucleum.

Ἐγκυκλοπαιδείας editor in Logicis * ait:

In simili qualitas una est, in dissimili haut est.

* *Pag. 467.*

Sed hisce eo faciliùs ignoscendum, quòd aliis studiis valerent; nec inter poetas nomen profiterentur suum. Non contradico. Sed sæpe etiam illi, qui quantivis pretii videntur, modulum syllabæ negligunt. Horum malim nunc nominibus parcere: præsertim quando abundè id de plerisque ostendimus in secundo de arte Grammatica.

CAP. II.

Repetitum, quod libro dictum priori, tria esse genera vocum barbararum: alia enim esse barbara originis, nec recepta in civitatem: alia originis Latinæ, ac nihilominus ignota Latinis: alia Latinis usurpata, sed in alia, quàm fiat, significatione. Amiralius *priori parte sui esse ab Arabibus; posteriori Græcum videri.* Alembix, *pro cadi, vel ollæ genere, esse ex Arabico, & Græco.* Aldii, *&* Aldiones; aldiæ, *&* aldionæ. Allode, *sive* allodium *vocari, quorum penes aliquem dominium sive proprietas sit; ut quæ patrimonii sint: & origine vocem Germanicam videri.* Ambassiatoris, *pro legato, germanum* ἔτυμον. Arimannus, *sive* Erimannus, *pro cliente domini sui.* Assasinorum *vox Turcica, pro hominibus conductitiis ad aliquem interimendum.* Auca, *pro* ansere, *sitne ab Arabibus, dubium, an Græcis.* Augis *nomen esse ab Arabibus: Græcis, Latinisque* apogeum *dici, aut* absidem summum: *at jugum Ciceroni aliud esse; nempe signum Libræ.*

HInc jam ad ea me conferam, ubi non tam in ratione scribendi, vel accentu, aut syllabæ modulo, peccetur; quàm in ipso vocabulo. Quæ trium generum sunt, ut initio operis dicebamus. Primùm quædam sunt ortu barbara, nec civitate donata; qualia, nisi jam longo usu in varias se linguas diffuderunt, maximè interpretationis egent: quia,

quia, quid significent, difficilis est conjectatio omnibus linguæ ejus ignaris, unde sunt profecta. Deinde alia sunt, quæ originem suam debeant Latio, vel Græciæ: nec tamen apud ullum reperiantur idoneum puri sermonis auctorem. Denique sunt non pauca, ubi vox quidem Latinis auribus est nota; sed eo peccetur, quòd in aliena, sive Romanis ignotâ, significatione usurpetur. De singulis igitur horum classibus aliqua adtexam: ac ordiar ab iis, quæ ortu ipso barbariem prodant: ut quæ genus suum ducunt ab illis, quos Romani, Græcique, pro fastu suo, barbaros dixere: præcipue ab incolis magnæ matris nostræ Germaniæ: vix tamen alia adferam, quam quæ reperias apud scriptores alicujus nominis; quorum & verba plurimùm subjiciam. Interea ex innumeris solùm pluscula, & quæ se offerent primò, adducam. Nec enim Lexicon scribimus mixobarbarum: sed tantummodo δεῖγμα ejus, sive *specimen*, damus.

Admiralius qui vulgo vocatur, is Græco vocabulo est *thalassiarcha* dicendus, vel Latino, *maris præfectus*. Quod si barbarum placet, origo potiùs *Amiralius* exigat. Omnino enim est ab Arabico *emir*, seu *amira*; quod *dominum* signat. Itaque *Amiras*, & *Amirem*, est Paullo Diacono. Similiter Ivo Carnotensis in Chronico, quod longè auctius est in bibliotheca Nob. & præclari viri, Guilhelmi Noomsii, Arlanderveniæ Domini: *Arabum Amiras, missus ab Humaro, cepit Cæsaream Palæstinæ.* Sigebertus in Chron. *In regno Saracenorum quatuor prætores statuit, qui Amirai vocabantur; ipse verò Amiras vocabatur, vel Protosymbulus.* Matthæus Parisius ad an. clɔ cc III: *Procurator civitatis, qui linguâ eorum* (Turcicâ) *emir dicebatur.* Item ad an. clɔ cc LXXII; ubi agit de Eduardo, regis Angliæ primogenito, prope Achon periclitante: *Amiralius Joppensis, natione Sarracenus: quæ dignitas apud nos consulatus vocatur.* Similiter scriptores Græci. Nam apud Zonaram legas in Michaële Paphlagone, Hequenem Calipham dictum esse Amiram. Et Elhadech Calipham similiter esse appellatum, narrat Nicetas lib. V de imperio Manuelis Comneni. Ab *amiras* igitur est *amiralius*: pro quo, qui etymon nescirent, quasi ab *admiratione* esset, *admiralius* dixere; vel *admiralus*, ut est in Chronico Cassinensi lib. III cap. XLIV. & alibi. Imò & *admiratus*, vel *admiraldus*: ut apud Rogerum de Hoveden Tom. II Annal. Quin & *Admiraldus* legas apud Turpinum de vita Karoli M. cap. XVII, & XX; Othonem Frisingensem lib. VII cap. III, & V; Cæsarium lib. IV Mirac. cap. XV; & Bekam in Chronico, ubi de Guidone. Longissimè autem abit *admiravisus*: quod apud Matthæum Parisium in Historia reperias; uti & memoratum *admirali* vocabulum. Clarissimus socer meus Franciscus Junius, Notis in Codinum de Offic. censet, *Amiralis* vocem esse hybridam; ac conflari ex Arabico *emir*, sive *amira*, *dominum* aut *principem* signante, & Græco ἅλιος, *marinus*. Id displicet doctissimo Gretzero Comment. in Codin. cap. II: *Credat*, inquit, *qui volet: ego adsensum cohibeo.* Hic, præter morem, satis modeste: qui quavis occasione non sine sannis arietat in Junium; & alios, itidem candidissimi pectoris, & præclaræ doctrinæ: inque his etiam amicissimum collegam meum, Joannem Meursium; quo vix alius literas minori tractabat ambitione. At quis non videt, quantopere Gretzero ipsi Meursianum glossarium usui, & & auxilio fuerit? Utinam fœdus iste scribendi modus, qui sic nostris temporibus in famam hominum grassatur, sublatus esset de terris, scriptoribus salvis. Sed ad *amiralium* redeo. Cujus etymon Junianum cur sic aversetur Gretzerus, vellem ipse addidisset. Nam res clamitat, non esse simplex, quale *Amiras*; sed compositum. Quare, relicto Gretzero, viro sanè πολυμαθεστάτῳ †, in hoc eximio Junio accedere non dubitavit Reverendus, ac clarissimus Guiljelmus Watsius, S. Theologiæ doctor, in Glossario, quod Matthæo Parisiensi, longè feliciùs à se edito, adjunxit. Etiam vide, si plura de voce ista voles, Spelmannum Equitem, & Jo. Meursium, in glossariis suis: illum in *Admiralius*; hunc in Ἀμηράλιος.

† *Variæ ac multijugæ doctrinæ.*

Alambix, vel *alembix*, vasis genus apud Medicos recentiores, voce hybridâ. Nam ut ex *al*, articulo Arabico, & Græco μεγίστη, est *almagestus*; ex eodem articulo, & χυμεία, *alchymia*: ita ex articulo illo Arabum, & ἄμβιξ, est *alambix*, vasis genus. Ἄμβιξ est apud Athenæum lib. XI; imò & Dioscoridem lib. V cap. CX: ubi de confectione hydrargyri agit ex minio. Cujus verba interpretans Plinius lib. XXXIII cap. VIII, pro ἄμβιξ *calicem* dixit. Hesychius exponit χύθραν, κάδον, *ollam*, *cadum*.

Aldius, & *aldia*, *aldio*, vel *aldion*, & *aldiona*, voces sunt à Germanis acceptæ; quas sæpius legas in legibus Longobardicis *: ac *aldius* videtur, qui antea servus, sic libertatem consecutus, ut interim veteri domino foret obnoxius; *aldiones*, talibus prognati: *aldia*, & *aldiona*, de feminis hujusmodi dicuntur. Meminit & horum Henricus I ejus nominis imperator, in donatione facta Ecclesiæ Novariensi, quam legere est apud Baronium in opere annalium Ecclesiasticorum Tom. XI ad an. clɔ XIV †: *Ejus* (præsulis) *precibus annuentes jam dictum comitatulum in ejus Ecclesiæ potestatem omnino transfundimus —— cum capellis, domo cultili, massaritiis, casis, sediminibus —— aliisque universis redhibitionibus, cum servis, & ancillis, aldionibus, & aldianis utriusque sexus, ad jam dictam plebem, vel curtem pertinentibus.*

* *Lib. I. Tit. 6. leg. 4 & Tit. 30. l. 5. & Tit. 25. leg 82. & lib. 2. Tit. 44. l. 1.*

† *Pag. 51. edit. Moret.*

Allodium est apud Ivonem Carnotensem ep. CLXVIII; Goffridum, abbatem Vindocinensem, lib. I epist. II; & apud eundem alibi; Radevicum, Canonicum Frisingensem, de gestis Frederici I lib. IV cap. XXXIV, Anastasium Papam in diplom. ad Heloissam, Cæsarium libro II Miracul. cap. XII. Item in Chronico Cameracensi *, & Cistercienſi †, apud Bekam *, alios. *Alodiarius* pro eo, qui allodium obtinet, usurpat Goffridus abbas lib. I epist. XXIX. *Allode*, Flodoardus Historiæ Rhemensis lib. III cap. XXVIII. *Allodium* Latinè dixeris, *res mancipi*; quomodo & Sigebertus nuncupat. Nempe alia nostra sunt solùm χρῆσει, sive usu; alia etiam κτήσει, sive mancupio: quomodo hæc opponit Lucretius lib. III:

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.

Itaque *allode esse*, & *ex beneficio obtineri*, opponuntur Kapitular. Karoli M. lib. I cap. CXXXII: *Si Deo donante, aut in beneficium, aut in allode, annonam habuerit.* Ubi *allode* est, cujus proprietatem habemus, eoque liberi est juris: illi adversatur, sic ex regio habere beneficio, ut non in proprietatem sit datum, sed in feudum; unde quis propterea alteri fidem, & operam debeat. Itaque etiam *allodium*, & *patrimonium*, sæpius conjunguntur. Ut in Martelli Comitis Præcepto de tutela Monasterii Vindocinensis: *Monasterium ipsum, & res illius universas P. Principi Apostolorum Petro, & Romana ejus Ecclesiæ, alodium obtuli, & patrimonium.* Ex ea Comitis oblatione abbas Vindocinensis factus *alodiarius B. Petri*; ut vocatur in tabula fundationis. Cùm verò *alodium* & *feudum*, sibi mutuò adversentur; ac *allodialia* sunt patrimonialia, & à majoribus transeuntia ad hæredem: placet eorum conjectura, qui putant, *alodium* fieri ex Belgico *al-out*, quasi quòd jam ab antiquis temporibus possessum sit, tanquam proprium; non verò obtineatur ex regio beneficio, propter quod homagium debeas. Quamquam & poterat fundus, qui feudi fuisset, verti in allodem, si princeps cederet proprietate: cujus rei non pauca suppetunt in Historiis exempla. At de etymo planè decipitur Hadrianus Junius, cùm *alodia* dici putat †, quasi *alaudialia*, quia in eorum laudem auctor non veniat.

* *Lib. 3. c. 10.*

† *Pag. 34.*

* *In vita Godebaldi episcopi 24.*

† *In Nomenclatore, voce Prædium optimo jure.*

Ambasciator, vel *ambassiator*, pro legato legas apud varios superiorum seculorum scriptores: in his Petrum de Vineis lib. I epist. VIII, & lib. III epist. LXXXII. Imo nec ante seculum bono ævo refugit Joannes Eckius præfat. in suos locos communes: *In Baden cum Capernaita Oecolampadio, & asseclis, assidentibus duodecim Cantonum Helvetiorum & quatuor episcoporum ambasiatoribus, pluribus diebus conflixi.* Doctissimi homines derivant à voce *ambacti*, Gallis significante hominem mercenarium, teste Festo, & glossis vett. Aliis displicet, vocabulum il-

lustris

lustris legatorum dignitatis à tam vilium hominum ministerio deduci. Sed enim vox *ambacti* generatim notat ministerium, etiam honestius; ut dictum nobis lib. I cap. II. *Ambasciator* igitur κατ' ἐξοχὴν sit vocatus, quasi minister Regis, vel reipublicæ. Nisi magis placet, esse vocem Gothicam, aut Longobardicam, ac propriè significare, qui publico nomine iter facit, ab *ambascia*: quod iter legationis ergo susceptum notat in Legibus Burgundicis; ubi legas: *Quicunque asinum alienum, extra domini voluntatem, præsumseris; aut per unam diem, aut duos, in ambascia sua.*

Arimannus, sive *erimannus*, sæpius in Legibus Longobardicis occurrit. Posteriorem vocabuli partem esse *man*, h. e. *virum*, vel *clientem*, satis est apertum. De priori certant. Sunt qui ab Ἄρης deducant; ut signet *Martialem virum*, sive militarem. Quomodo & *Arimanium*, Persicum numen, à bellandi furore, ab Ἄρης & μανία, dictum tradiderunt: ut apud Cælium etiam Rhodiginum legas lib. VII Antiqu. Lectionum cap. XIV. Sed de numine istoc quid existimemus, satis ostendi lib. I. cap. V operis de Theologia Gentili, & Physiologia Christiana. Eâ verò significatione, qua in Legibus Longobardicis sumitur, omnino videtur vox Saxonica: ac prior vocis pars fuerit *Heer*, h. e. *dominus*; ut signet *dominicum virum*, sive *clientem*. Nempe sic dictus, qui, prædio accepto, redditus domino obnoxius, planè, ut sic dicam, minorum gentium vasallus. Similiter *arimanna*, vel *erimanna*, sit *clienta dominica*. Habes in diplomate Conradi I Imperatoris, dato anno CIↃXXXIX: *Villas, mansos, servos, & ancillas, erimanos, & erimanas.* Vide integrum apud Carolum Sigonium lib. VIII de Regno Italiæ.

Assassinorum vocabulum Turcis debemus; à quibus & res ipsa. Sic autem dicuntur conductitii ad alios interimendos, præcipue viros principes. Adi de iis, è Græcis quidem Nicetam Choniatem initio libri secundi; è Latinis verò Matthæum Parisium in an. CIↃCL, & CIↃCCLVII, Guilhelmum Tyrium lib. XX cap. XXXI, Jacobum à Vitriaco Historiæ Orientalis cap. XIV. & Catepanum in Summula voce *Assassinus*. Vide & Henrici Spelmanni Glossarium, & illud Guilhelmi Watsii ad Matthæum Parisium.

Auca, πίλωὸν †, ut interpretantur glossæ Philoxeni. Et paullo antè ibidem, *Aucellus*, σρουθίον *. Isidorus in Glossis: *Aucella*, *ortygometra*. Glossarium Arabicolatinum: *Auca*, *anser*. Sic accipitur non modo à Rhasis interprete, pluribusque aliis scriptoribus: sed etiam in Legibus Longobardicis. Ut Tit. XCIX. §. 18, & 20. Item in Legg. Alemann. Tit. CI: *Si acceptor, qui aucham mordet, III solid. solvat.* Ubi *acceptor* idem, ac *accipiter*; velut inferiùs dicetur. Italis etiam *oca* vocatur, ex *auca*. A V in O converso; ut à *plaudo*, *explodo*. Porrò inter ea, quæ barbaræ sunt originis, locum sibi poscit, si fuerit ab Arabico אוז; cui & vicinum est Rabbinicum אוז. Et hoc verisimilius reddit, quòd in Lexico Arabico-Latino, legi dicebamus. Adde quòd hodieque Turcæ marem anserem *ecke* nuncupant. Sed fortasse vel Latinæ sit originis; nempe ut *auca* κατὰ συγκοπὴν sit ex *avica*: vel Græcæ; ut *auca* sit ex ὀχλὼ; sive Doricè ὀχάν: quo de etymo dixi in Castigationibus ad veterum Tragicorum fragmenta. At prorsus displicent, qui derivant ab Græco αὐχὴν, h. e. *cervix*: uti opinio est ejus, qui glossas addidit Nicolao Clemangi.

† *Volucris.*
* *Passerculus.*

Aux Astrologis vocatur punctus circumferentiæ eccentrici maximè a centro mundi remotus: prout describitur Purbachio in Theoria Solis. Est ea vox ab Arabum עוג, *aug*, quod ab עוג, *aveg*, h. e. *curvare*, *deflectere*. Nihil verò Arabico istoc opus, cùm suppetat Græcum *apogêum*, ἀπόγειον, uti vocat Ptolomæus: cui, quod vulgò *oppositum augis*, vocatur *perigêum*, περίγειον. Etiam pro *auge*, dixeris *summam apsida*, vel *absidem*; quâ voce Plinius utitur lib. II cap. XV: *Prima circulorum, quos Græci absidas in stellis vocant: etenim Græcis utendum erit vocabulis.* Et mox: *Ergo ab alio cuique centro absides suæ exsurgunt.* Video esse, quibus punctum ἀφελείας summum non ἀψὶς, sed ἄψας, videatur dicendum; quia in curvatura rotæ terram contingat, quod Græcis ἅπτεσθαι. Et Theodorus Gaza videtur eò inclinare in tertio Grammatices. Itaque & *hapsis*, atque accusandi casu *hapsin*, non *absida*, putant dicendum. Sed nunc hæc, nunc illa in rotæ curvatura pars terram tangit: & in fornice figuræ ejus dimidium habemus. Aliqui item arbitrantur pro *auge* à Cicerone dici *Jugum*: quod etiam legas in Indice Nizolii, ac Cellarii, qui Ciceroniano additur Thesauro. Sed per *Jugum* ab eo Libræ signum intelligi, liquebit illi, qui conferre volet Ciceronis verba de tempore Romæ conditæ, in II de Divinat. cum iis, quæ de hoc ipso narrat Solinus cap. I.

CAP. III.

De inceptis à litera B. Uti sunt ista: bacauda, *de agrestibus latronibus; ostensumque, quàm varie vox* bacaudæ *scribatur, & sumatur.* Baillivus, *pro* Prætore, *vel* Judice. Balbuca, *pro* sero lactis: *non item* presso lacte; *quod aliud est.* Bancus, *pro* scamno. Bandum, *pro* vexillo. *Banleuga*, pro spatio jurisdictionis. *Bannus*, pro proscriptione. Barbecanum, *pro* munimento. Barca, *pro* navigii genere. Bargus, *pro* arboris ramo. Baro *de dignitate, sed Regi obnoxia.* Bauca, *pro* armillis. Begina, *pro* virgine sanctimoniali. Bidellus, *pro* viatore. Birrus, *pro* lacerna. Bladus, *vel* bladum, *pro* frumento. Bombax, *pro* serico. Boscus, *pro* sylva. Brasium, *pro* hordeo aquis macerato: *unde* brasiare, *pro* cervisiam coquere. Brunea, *vel* brunia, *pro* lorica, *vel* galea. Brunus, *pro* fuscus. Bunuarium, *quasi pro* jugero. Burdo, *pro* mulo. Burga, *pro* cloaca. Burgus, *pro* turri, *vel* oppido. Burricus, *pro* equo. Buticularius, *pro* œconomo.

DE plusculis à principe literâ inchoatis jam vidimus. Venio ad eam, quæ illam proximè excipit.

Bacauda non aliud est, quàm *bagauda*; quo latrones signari, à Prospero in Chronicis, quæ Pythœus edidit, item Salviano lib. V, diximus lib. I cap. I. Sed & *vacauda*, & *vacanda*, vel *bacanda*, aliterque etiam, pro eo scribi solet; ut ostensum Eliæ Vineto, notis in lib. IX Eutropii, & imprimis Arnoldo Pontaco in iis, quæ ad B. Hieronymi Chronicon magnâ industriâ, nec doctrinâ minore, annotavit. Interim nec quosvis ea vox latrones signat: sed solùm eos, qui rusticum antea opus facientes, armis sumtis, ferro flammâque vastant omnia. Nec solùm latrones isti sic vocantur: verùm etiam sic dicitur ipsa eorum conspiratio. Cœpit hoc vocabulum à tempore Diocletiani: in cujus vita ita scribit Aurelius Victor, editus à Schotto: *Namque ubi comperit Carini discessu Ælianum, Amandumque, per Galliam, excitâ manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris, plerasque urbium tentare.* Hic clarè videmus, quid sint *Bagaudæ*. Eosque optimè describit Mamertinus in Panegyrico Maximiani: *Cùm militares habitus ignari agricolæ appetiverunt, cùm pastor equitem, cùm hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est.* Eorundem & meminit Eumenius, Oratione pro scholis instaurandis: ubi vulgò quidem editum: *latrocinio Batavica obsidionis obsessa.* Sed Justus Lipsius in III Annal. Taciti clarè adversus Rhenanum, ac Pighium, docuit, *Bacaudica* legi oportere. Atque idem Livineio visum in Castigationibus ejusce scriptoris. Habes & apud Eutropium lib. IX: *Ita rerum Romanarum potitus, cùm tumultum rusticani in Gallia concitassent, & factioni suæ Bacaudarum nomen imponerent; duces autem haberent Amandum, & Ælianum: ad subigendos eos Maximianum Herculeum Cæsarem misit.* Eutropium secutus B. Hieronymus in Chronico: *Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum assumsit: qui rusticorum multitudine oppressâ, quæ factioni suæ Baccaudarum nomen induerat, pacem Galliis reddit.* Ex utroque horum discimus, *Bacaudarum* nomen

ipsos sibi adscivisse. Ut verisimilis non sit opinio doctissimi Arnoldi Pontaci; qui putabat, sic vocari ab Hebræo בגד *bagad*; quod significat *prævaricari*, *perfidè agere*, sive, ut ipse exponit, *extra vagari*, *incurrere in aliquem*; ut sit ex *bogedim*, significante *incursores*, *excursores*. Non dubitandum enim, quin rustici illi nomen sibi imposuerint non ex Hebræa lingua, quam ignorabant; sed ex sua, hoc est, Gallicâ. Eoque verisimilius est; seu ab ipsis, seu à Gallorum aliis, id nomen fuerit; venire à *Bagan*; quomodo Vascones hodieque rusticos vocant, qui caulas populantur; ut est apud Pontacum, ipsum Vasconem. Nisi à moribus Bagaudarum, seu Bagandarum, hæc appellatio potiùs remanserit. Habes & Bagaudarum nomen (ut Prosperum, & Salvianum, de quibus dixi, prætercam) apud Orosium lib. VII cap. XXV; nisi quod editum *Vacaudas*: item Freculphum Tom. II lib. III cap. XIV, & Sigebertum ad an. Christi CCCCXXVII, & CCCCXLII: ex Græcis etiam Zosimum: cujus illud, Οἱ περὶ τὰς Ἄλπεις Βακαύδαι. Ab iis Fossatense castrum, quod leucâ distat Lutetiâ Parisiorum, olim *castrum Bagaudarum* fuisse appellatum, refert Nicolaus Faber, extremis verbis eruditæ præfationis, quam fragmentis Hilarii à se editis præmisit. Josephus Scaliger notis ad Hieronymi Chronicon arbitratur, eosdem signari, cùm in veteri inscriptione legimus, PRINCIPIS GENTIUM BAQUATIUM. Non repugno; sed ampliandum censeo.

Baillivus, pro eo, quem *officialem* vocant, hoc est, pro *prætore*, vel *judice*, sæpe legitur in superiorum seculorum scriptoribus; uti & *bailliva* pro ejus *officio*: quod vocabulum quàm latè patuerit, argumento est, quòd etiam officium in cœnobiis notârit. Ut in Legg. Forestæ: *Monachus baillivam suam, siquam habet, amittat.* Spelmanni glossarium adi, & illud Guiljelmi Watsii, Matthæo Parisio additum.

Balbuca, pro sero lactis, sive, si Petrum Nannium audimus, pro lacte presso. Sed Maroni *lac pressum* ipse caseus vocatur; quia manu, ac postea etiam pondere imposito, prematur. Unde Maro eàpse eclogâ dixerat antea, *Pinguis & ingratæ premeretur caseus urbi.* Nec sanè credibile est, Melibœum à Tityro invitari ad serum lactis potiùs, quàm caseum; quia alterum illud, caseum habenti, sordidius fuisset.

Bancus, pro *scamno*, ex Germanico *banck*, vel Italico *banco*. Siffridus Presbyter Epitom. lib. I: *Dum iter pergens in quadam Ecclesia hospitatus fuisset, & fessus super bancum quiesceret.* Similiter Leonardus Presbyter in Chronico Bavariæ: *Super bancum juxta caminum considens.* Habes & sæpius in Ritualibus Ecclesiæ Romanæ. Imò in Synodo Florentinâ similiter πάγκος vocatur. Possint tamen & posteriora secula *banci* vocem ex *abaci* corrupisse, κατ' ἀφαίρεσιν, & N inserto; ut in *totiens*, *thensaurus*, & similibus. Pro qua sententia est, quòd sæpius in semibarbaris scriptoribus legas, *in abaco sedere*; pro eo, quod alii, *in banco*, dixerunt.

Bandum, pro vexillo, sive signo militari; ut explicat Simocatta Histor. Mauric. lib. III cap. VI. Paul. Diaconus in Heraclio: *Tulerunt interea Romani banda Persarum* XXVIII. Idem de gestis Longobardorum lib. I cap. XX: *Taso verò Rodulphi vexillum, quod bandum appellant, abstulit.* Radevicus de gestis Friderici I, lib. IV cap. LXXI: *Cum bandis, & aliis papalibus insignibus.* Suidas: Βάνδον καλοῦσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ*. Etiam Procopius, de bello Vandalico lib. II. sect. II, Romanam ait vocem, & Theophylactus Simocatta lib. III cap. VI. Sed omnino acceptum à Germanis; quibus *band vinculum*, *nexus*, quia, qui sub eodem bando militarent, arto nexu inter se ligarentur. Nisi malis, quia fascia quædam de bandi, sive vexilli perticâ dependêret. Nam fascia *bandum* dicitur. De tota hac re vide Goropium Becanum Gigantomachiæ lib. II†. Sanè similiter manipulum fœni in militia casci illi nepotes Romuli alligare solent perticæ: unde & *manipulus* in militiâ, ac *manipularis miles*, in usu remansit. Non dubium verò, quin sit *baner-heer* ex *bander-heer*, quia *bando* præesset.

* Bandum vocant Romani signum militare.

† Pag. 141.

Banlenga apud Goffridum Vindocinensem legas, cùm alibi, tum lib. II epist. XVI. Vox est conflata ex *bannum*, & *leuga*. *Bannum* varia signat à summa jurisdictione pendentia: qualia edictum publicum, mulcta, bonorum proscriptio, exilium. *Leuga* olim generatim notabat quodvis terræ spatium; pro quo & *leuca*, & *leuva*, dixere. *Banleuga* igitur spatium id, quod jurisdictione terminatur. Vide sis Simondum ad memoratam Goffridi epistolam, & quæ mox dicam in *Bannum*.

Bannum à Germanico *ban*, pro *proscriptione*: unde *banniti*, *bannerati*, *banditi*; pro *profugis*, vel *proscriptis*. Item *bannire*, pro *proscribere*, *aquâ & igni interdicere*; *banniati* quoque pro *proscripti*. Usi his vocibus Ivo Carnotensis, Petrus de Vineis, Matthæus Parisius, Beka, & alii magno numero. Quandoque tamen *banniendi* vox latiùs patet; & ad quamvis jurisdictionis supremæ obligationem se extendit. Unde Fulbertus Carnotensis epist. XIV, quæ est ad Normanniæ principem: *Quod nostris hominibus novam engariam induxerit, banniendo scilicet, ut irent ad molendinum sancti Audoëni, quinque leucis, ut fertur, ab eorum auspiciis remotum.*

Barbecanum, vel *barbacana*, quod barbaris *fortalitium*. Nempe castellum, vel propugnaculum notat, ex cadis terrâ repletis. Quâ in voce scitè lusit rex Hispanus, qui de præfecto propugnaculi ajebat: Huic à missâ barbâ canâ reservata barba cana. Hoc est, amisso propugnaculo, vivere etiamnum; licet promeritum, ut ei caput cum canâ illa barbâ præcideretur. Vox est ab Arabibus profecta: unde primò accepere Hispani. Usus Matthæus Parisius ad an. CIƆCLXXXVIII; item Petrus Histor. Albigensi, cap. LXXIX, & alibi.

Barca, pro minuto navigio, omnis generis merces *ad litus* portante; ut est apud Isidorum lib. XIX cap. I. Gloss. *Barca*, σκάφος. Usus Abbo de Obsid. Lutet. lib. I, ac II, & Matthæus Parisius in Henrico III ad an. CIƆCCXXII; atque alii multi. Contentus ero verba adferre Arnoldi Presbyteri in Chronico Slavorum cap. VIII: *Cum abbate Bartholdo barcam ingrediens navigio eum insequitur.* Mirum, nec refugere Angelum Decembrium; qui primùm de politia literaria librum claudit his verbis: *Ita præparatis ornatissimè barcis adivimus.* Si tamen Latinis id genus navigii ignotum, immeritò culpavetis. Usi & Græci posteriores: ut liquet ex veteri nostro Glossario Mso; quod commodatò habuit Clarissimus & amicissimus Jo. Meursius; ac in eruditissimo suo Glossario sub nomine Glossarum Græcobarbararum, sæpe advocat ad partes. In iis est: Ἀκάτια, οἱ βάρκες. Item, Ἀκάτιον, ἡ βάρκα, τὸ λέμβος.

Bargus, vel *bargum*, pro *ramo*: unde Lege Salicâ LXIX; *Siquis hominem de bargo, vel de furca, sine voluntate judicis demiserit.* Hoc est, de arbore suspenderit. Gloss. *De barga, de ramo.* Et convenit Tacitus lib. de moribus German. *Proditores, & transfugas, arboribus suspendunt.*

Baro Romanis quidem bardum, ac fatuum, notat; voce ductâ à varis, seu varris, h. e. stipitibus; ut iidem sint *barones*, ac Lucilio *varones*, seu *varrones*: at Germanis *baro*, vir; ut in Glossis Philoxeni, *Baro*, ἀνήρ. Ac particulatim sic dicuntur *viri regis*, h. e. qui Regi bello inservirent mercede: unde Isidorus Originum lib. IX, c. IV: *Mercenarii, qui serviunt acceptâ mercede: iidem & barones.* Et κατ' ἐξοχὴν, qui verè viri, hoc est, virilis animi, ac fortis; quosque rex ob res fortiter gestas, terris, ac jurisdictione auxisset, quique ob dignitatem acceptam essent regi obstricti, atque homagium deberent. Ut duo in baronibus concurrant, & honos, quo præcellunt alios, & homagium, sive clientela, quam, ob beneficium, deberent regi suo. Usi sic eâ *baronum* voce auctor Aimoino adscripti libri V cap. XLIX ad an. CIƆXCV, & Otto Frisingensis de gestis Friderici I, lib. II cap. XIII, ad an. CIƆCLIV. Plura non apponam, quia accuratè, diatribâ suâ de baronibus, potissima de iis quæque complexus est eques Spelmannus. Minimè verò verisimile sit Germanos hanc *baronis* vocem habere ab Ægyptiis, qui reges suos Pharaones dixe-

dixere. Etsi id videatur placuisse Keckermanno initio suæ Geographiæ.

Bauca, vel *bauga*, dubitant viri eruditi, num signet structuram, sive ædificium, quod hodieque *bau*, ut *bauwen* ædificare. Sanè sic *baugam* accepit Amerbachius. An potiùs arcum; qui & nunc *boog*. Quomodo sumi, suspicio est doctissimorum hominum. An verò armillam: quando illa veteribus Saxonibus *beach*: ut constat ex veteri glossario Latino-Anglo-Saxonico. Postrema imprimis sententia placet. Sanè & Papias: *Bauca, armilla.* Et Glossarium Latino-Theotiscum Lindenbrogii: *Dextralia, lata armilla, bougin.* Præterea in Capitularibus, & Constitut. Karoli M. prohibetur, ne baugæ, & bruniæ, quæ militaria esse præmia debent, dentur negotiatoribus: pro quo alibi in Capitul. *Ut armillæ, & brunia, non dentur negotiatoribus.* Ubi, quin *bauga* sint armillæ, non possumus dubitare, cùm de *bruniis* addatur; quà voce loricas signari, inferiùs ostendam. Sanè & armilla, & galea, militi conveniens, non negotiatori. Et militem, re fortiter gestâ, armillis donandi mos est perantiquus. Livius lib. x: *Equites omnes, ob insignem pluribus locis operam, corniculis, armillisque argenteis donat.* Ac similia de armillis pediti datis crebrò apud eundem. Festus quoque: *Armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quòd antiqui humeros cum brachiis Armos vocabant.* Probandæ rei philologis notissimæ non ulteriùs insistam.

Begina, pro ea, quæ, virginitate in perpetuum votâ, se dicavit Christo: quam *sanctimonialem* priores dixere, &, καλ' αἱφαίρετιν, postea *monialem*. Usus eà voce Cæsarius lib. II Mirac. cap. XXI. Est & in vita Gertrudis ab Oesten: *Inter beginas degens.* Quâ in vita etiam *beginagium* legas de loco, in quo agunt. De beginarum origine vide, quæ scripsit vir summus, idemque condiscipulus, & amicus vetus, Erycius Puteanus.

Bidellus, vel potiùs *bedellus*, aut *pedellus*, si est à pedo, sive baculo, quem gestat. *Viatorem* Latinè dicimus. Quamquam alii aliunde originem arcessunt: qui *officialem*, vel *exactorem*, aut *coactorem*, malunt interpretari. Sed neque ista sunt aliena à munere viatoris. Habes sæpius in Edictis: uti illo Galliarum Regis Ludovici IX de Off. &c. *Ubi bedelli, & servientes ad remota loca mittuntur, eis absque superioris literis non credatur.* Usus & Leo X Papa* in Bulla de munere, auctoritate, & privilegiis, Rectoris, & reformatorum, lectorumque &c. *Bidelli verò, seu nuncii præfati, aut eorum alter, rotuli collationatam copiam habeant penes se, in quo scripta sunt nomina omnium lectorum, & quâ quisque horâ sit lecturus, & juxta illius ordinem, & tenorem, scholas circumeant.* Sed de hoc iterum lib. seq. cap. II.

* Bullarii Tom. I. p. 405.

Birrus, sive potiùs *byrrhus*, vilioris est vestis genus, ac, si Isidorum audimus lib. XIX Orig. cap. XIV, est ex πυῤῥὸν, h. e. *rubrum*. Ita enim locus is restituendus. De origine eà, etsi veram non putem, nolim contendere. Interim, quia valde incerta, in iis hanc vocem, quæ origine sint barbara, reposuimus. Doctissimus amicus noster in Critico Arnobiano legi ait apud Possidonium in vita B. Cypriani. Sed est apud Paulum Diaconum in passione B. Cypriani; non eum, qui vitam scripsit; cui *Pontio* nomen fuit. Imò *lacernam* hic vocat, quod Paulus *birrum*. Græcis videtur ea vox antiquior: ut quæ sit apud Artemidorum lib. II Ὀνειροκριτ. cap. III. Latinis jam in usu tempore Vopisci erat: qui vixit sub Constantino M. Sed magis frequentata vox tempore Theodosii: in cujus Codice legas, L. Sine exceptione, Tit. De habitu, quo uti oportet intra urbem. Usus quoque Theodosiani ævi scriptor Servius in Virgil. XII. 628, ad illud, *Pacem Trojano ab rege petendum*: ubi simile esse ait, ac si dicas: *Petendum est mihi equum, codicem, birrum.* Item, qui sub Theodosii liberis vixit, Sulpicius Severus, dialogo I cap. XIV: *Illa, ut byrrhum rigentem; hac, ut fluentem texas lacernam.* Invenio & apud Martianum Capellam lib. IV de Dialectica. Sed de hujus ætate nihil certi dicere habeo. Uti neque de veteri Juvenalis scholiaste; qui ad Sat. VIII *Santonicum cucullum* interpretatur *birrum Gallicum.* Hinc ἀσπροβερρικῶς, *birretum*, Ceremon. lib. I cap. VI. Adi & Pithœum lib. I Adverſ. cap. XVI, Meursium in Glossario, voce Βίῤῥος, & Spelmannum in *Birrus.*

Bladus, vel *bladum*, à Saxonibus acceptum, ac *semen* designat; sæpe & *fructum*, etiam arborum, ac vitium; præcipuè tamen *frumentum*, ac quicquid in area teritur. Unde *imbladare*, pro *seminare*: *imbladata* autem *loca*, *frugibus consita*: & *imbladatio*, *frugum satio.* Usi hisce Ingulphus, Abbas Croilandensis; Matthæus Parisius non in Historia modò, sed etiam in Additamentis, ut vocant*; Petrus de Vineis, lib. V epist. LXXXVII, & XCI. Theodoricus à Niem lib. I de Schismate cap. VI; rex Richardus I apud Hovedenum ad an. CIƆXCVIII; Jacobus de Paradiso libro de Statu, & officio Ecclesiastico personarum cap. IV &c.

* Pag. 154. vers. 19.

Bombax, pro *serico*, vel gossipio, habes, inter alios, apud Jacobum à Vitriaco lib. I Histor. Orient. cap. LXXXVI. Verùm hoc alius sit loci, si factum ex *bombyx*: nempe quia lanugo ejus sit bombycino filo similis. Posteriores Græci βάμβαξ, & βαμβάκιον, vel βομβάκιον: quod apud Nicolaum Myrepsum. Imò & Galli, ac Hispani, sic ferè vocant: & Belgæ *bombasijn*; quod non multum abit à *boom-sij*, *sericum arboreum*; secundùm illud Maronis II Georg. *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.* De hoc pleniùs in Originum opere, ubi bombycinam vestem, & Sericam, distinguimus.

Boscus pro sylva, ut Belgis *bosch*; nec multum recedunt Itali, Galli, Hispani. Usus Matthæus Parisius in Hist. literis Regis Joannis ad an. CIƆCCXV. Adhæc Rogerus de Hoveden Annal. Tom. I. Item in Chronico Cisterciensi† est: *Ne in bosco arca, aut balistâ, jaculari audeat.*

† Pag. 67.

Brasium apud Matthæum Parisium, cùm in Historia, tum in Abbatum S. Albani Vitis, sumitur pro hordeo aquis macerato, in fornace arefacto, & molâ redacto in farinam: unde cervisiarii coctores conficiunt potum illum, quem vulgò ex verbo *bibere*, sive nomine *biber* (id apud Charisium, & in Glossis legas) *bier* nuncupamus. Utitur quoque hoc *brasii* vocabulo Thomas Walsingam in Hypodigmate Neustriæ: ac similiter Thomas De-la-Moor in Eduardo II†: *Ad hanc insulam victualibus abundantem, vino, oleo, melle, frumento, brasio, piscibus, salsis carnibus, & terrestri carbone instuffatam, Regem volentem adnavigare ventus contrarius prohibuit.* Belgis *brasium* dicitur *mout* ex Germanico *malt*; quod ex Latino *molitum.* Hinc *brasiare*, pro *coquere cervisiam*, iisdem scriptoribus, & in Legg. Burgorum Scoticorum cap. LXIX. Sed pro *brasium* etiam *brassinum* dixere; ut edicto Philippi, Galliarum Reg. *Duas cupas cerevisiæ de unoquoque brassino.* Pro *brasire* item in usu erat *braxare*: quod legas apud Cæsarium lib. VIII. Miracul. cap. LXII, & Joannem à Leidis lib. I cap. II. Unde *braxatrix*, pro ea, quæ cerevisiam coquit, apud eundem Cæsarium, itidem lib. VIII Miraculorum cap. LXII.

† Pag. 599.

Brunea, vel *brunia*, habes Lege Salic. cap. III. §. IV, Leg. Ripuar. Tit. XXXVI. §. XI, Leg. Longob. Tit. VI. §. I, Capit. Karol. lib. III. cap. XIV, & LXV, & lib. VI, cap. CCXII. item Constitut. Caroli tit. XXXI, sive edicto Pistensi, cap. XXV: *Bruniam, vel quæcunque arma donaverit.* Dubium verò, num *loricam*, an potiùs *galeam* signet: de quo inferiùs dicam in *Halsperga.*

Brunus, pro *fusco*, ut Germanis *braun*, Belgis *bruyn*, Italis *bruno.* Turpinus in vita Karoli M. *Erat Karolus capillis brunis, facie rubeus.* Usus & Turocius in Historia Hungarica.

Bunnarium vox est à Saxonibus accepta: qui sic vocarunt, non *jugerum* dico, ut plerique interpretantur; sed tamen quasi jugerum, saltem certam arabilis terræ mensuram; ut ex Legg. Longobardicis, Marculfo, & Papia, liquet. Hodieque Germani, ac Belgæ, *bonder*, & *bunder*, dicunt. Utitur *bunnarii* vocabulo Hincmarus Remensis epist. I ad Hincmarum Laudunensem. *Bunaria* pro eo est

vel

vel *bunuaria*, in vett. formulis, inter eas, quas Marculfo Bignonius extremo loco subdidit. Earum hæc numero est tertia: *Bunnuaria tanta de re arabili ——tam de alode, quàm & de comparato, ad me legibus obvênit.* Item in Chronico Cameracensi lib. I cap. LII. A *bunduario* est *bunduarius*, qui bunuarium possidet. Sed pro eo & *bunaarius* legas in Diplomate Karoli Magni, Wormatiæ dato an. IↃCCXC: *Mansionarius* V *solidos*; *absarius*, XXX *denarios*; *bunajarius*, XV; *quorumlibet larium possessores*, VI *suppleant*. Integrum diploma à Velsero habuit, & Gunthero suo subjunxit Rittershusius. Alii adducunt è Constitutione Caroli Crassi de Feudis. Amplissimi Velseri hac in re fidem sequimur. *Bunuarius* autem κατὰ συγκοπὴν dicitur pro *bunuariarius*: quam vocem jure, ut absonam, repudiarunt aures: uti & in aliis quibusdam factum, dum εὐφωνία magis, quàm ἀναλογία, attenditur.

Burdo, pro *mulus*, apud Victorem lib. I de Persecutione Vandalicâ cap. I. & Joannem Moscum Limonarii cap. XXV. Etiam *burdones*, baculi, quos gestarent ad sui tutelam. Petrus in Historia Albigensium cap. LXII: *Baculos, quos linguâ communi burdones vocamus.* Sic utitur Galfridus Monæmuthensis lib. XII cap. VII. Indeque *burdonarii*, qui ejusmodi baculos gestarent, in eadem Albigensium historia, cap. eodem.

Burga Isidoro in Glossis, pro *cloaca*. Nempe à *bergen*; ut *latrina* à *lateo*.

Burgensis plurimùm pro *cive* accipitur; quomodo hodieque Germani, ac Belgæ, appellant *burgers*. Sic *burgensis* vocabulum usurpabant Ivo epist. CI, CXXXVI, & CCLXIII, Goffridus abbas lib. I epist. XVII, Cæsarius lib. V Mirac. cap. XXII, Petrus Historiâ Albigens. cap. XXII, & LXIII, & Innocentius III epistolâ, quæ in eadem Historia est cap. VIII, Karolus VI Gall. R. Edict. III de Off. baill. Constitut. Neapol. lib. I Tit. IX leg. XXXI, item lib. II Tit. III, leg. XXXII. Adhæc Beka in Conrado, item Hermanno &c. Interdum tamen civi opponitur: nempe cùm burgenses in burgo habitant; cives in oppido; ac diversos habent magistratus. Ita Remensium alii burgenses, qui habitarent in burgo, sive castro S. Remigii; alii cives, qui intra urbis mœnia: ut apud Alexandrum III epist. IX, quæ ad abbatem S. Remigii, & Falconem, decanum Remensem. Sed rarum est id discrimen; quia fere ita factum, ut prope munimentum, quod *burgum* dixere, exstruerent domicilia, quò tutiores forent: unde & ædificia, quæ burgi præfecto parebant, *burgi* nomine continebantur. Luitprandus lib. III de rebus per Europam gestis cap. XII: *Et quoniam ipsi domorum congregationem, quam muro non clauditur, burgum vocant.* Postea sæpe & mœnia accessêre; factumque oppidum, remanente veteri vocabulo *burgi*, uti & *burgensium*; qui etiam *burgani* vocabantur; nempe quasi burgi incolæ. Nomen quoque inde datum *burggravio*; quæ vox apud Cæsarium lib. II Mirac. cap. VII: ut hinc *Burggraviatus*, apud Hedam, & alios. Imò & *Burgundiones*, (quos Plinius †, quinque enumerans Germaniæ populos, Vindelicorum partem facit) nomen habent à burgis; hoc est, crebris habitaculis, locisque munitis, quæ in limitibus exstruerent: ut Orosius indicat lib. VII cap. XXXII, Isidorus lib. IX Originum cap. II, Luitprandus Histor. lib. III cap. XII. Quos verò Latini vocant *Burgundiones*, iis Agathias lib. I nomen tribuit Βουργουζιώνων; ubi & γένος Γοτθικὸν nuncupat. Nec *Burgundiones*, & *Burguziones*, multùm abeunt, quia in Z inest D, cùm valeat DS. At N omissum, quia lingua Græca non admittit N ante S, vel Z: unde & Ὁρτήσιος dixere Græci, pro Latino *Hortensius*: & alibi ejus generis plura adducimus. Cæterùm ex eo, quòd de *Burgundionum* appellatione ex veteribus dicebamus; colligimus non ita dictos ab ea significatione *burgi*, quâ oppidum designat (nec enim oppida condiderant, cùm hoc nomen acceperunt) sed eâ, quâ significat locum munitum, sive castellum. Sanè in Glossis Isidori est, *Burgos, castra.* Apud Vegetium verò, Rei militaris lib. IV, cap. X, legas, *castellum parvulum vocari burgum.* Ac firmat quòd in Etymologico Magno κάστρον exponitur ὀχύρωμα: quod & ipsum sonat *munimentum*. Et sanè *burgum* esse ὀχύρωμα, arguit, quòd etiam *burgum* vocarent, si se plaustris adversus hostem cingerent, ac munirent. Hoc ex Ammiano, Procopio, & aliis, videre est. Ac propterea non putem, *burgum* esse ex πύργος, quod *turrim* signat. Nam *burgus* quoque erat citra arcem, vel turrim; ut si vallo, & fossa, se cingerent, utcunque interiùs solùm casæ forent. Quibus aliud videtur, ajunt, *burgus* propriè *turrim* notare: unde glossæ illæ, quæ Cyrilli dicuntur, quia repertæ in codice, qui B. Cyrilli quædam contineret: Πύργος, *turris*, *bugus*: ubi *burgus* esse legendum, satis liquet; & compluribus id jam observatum. Facilis autem mutatio literæ Π in B; quomodo Latini ex πύξος, fecere *buxus*; à πυῤῥὸς, *burrus*, unde Comicum *Burria*. Ac Delphenses, ut in Hellenicis monet Plutarchus, βατεῖν, & βικρὸν, proferebant, pro πατεῖν, & πικρὸν. Et Macedones non dissimili mutatione dixerunt, Βερονίκη, pro Φερονίκη. Ut, si *burgus*, & πύργος, idem sint; non dubitandum videatur, quin Germanicum hoc fuerit ex Græco. Sed enim mihi latiùs videtur patere *burgus*: &, ut idem signarent, possint propterea convenire, quia ab eâdem sint origine. Ut si dicamus, esse ab Chaldaico פרח *pherach*; quod est *crescere*. Nempe quia turres, præter aliarum structurarum morem, tantopere in altum excrescant. Denique *burgum* non esse vocabulum, quod, postquam imperium Romanum Constantinopolim translatum fuit, Germani à Græcis acceperint, arguere videtur; quòd multò antè id habuerint Germani. Atque hujus rei vel fidem fecent oppidum *Asciburgi*: cujus tanta est antiquitas, ut olim sint fabulati, ab Ulysse esse conditum: sicuti locuples nobis auctor est Cornelius Tacitus *.

Buricus, pro *equo*. Paullinus epist. X, quæ ad Sulpicium Severum: *Longè dispari cultu, macro illum, & viliori asellis burico sedentem.* Ejusdem verò is temporis scriptor, ac B. Hieronymus; qui similiter epist. ad Pammachium: *Ubi ferventes buricos mannos, comatulos pueros* &c. Omnino deceptus est Erasmus, cùm *buricos* dici putat mannos è Buri, Achaiæ civitate. Planè enim vel *buricus*, vel *mannus*, è glossemate in contextum irrepsit. Sed potiùs *mannos*; cùm hoc vocabulum sit notius. Gloss. Isidori: *Mannulus*; *caballus*, *burichus*. Est & in Philoxeni glossis: *Mannus*, βυρίχοις.

Buticularius, qui Germanis *butelier*, Gallis *boutilier*; œconomus, sive promus condus. Carolus M. Appendice III cap. VI: *Odo buticularius de foreste suâ interrogandus est.* Utitur & Hincmarus epist. III cap. XVI, & XXIII: Est verò *buticularius*, à *buticula*, vasis genere. Papias: *Obba*, *genus vasis*, *butica*. Uti à *butica* etiam *buticula*; inde *buticella*: quod in veteri instrumento est apud Cujacium. Quemadmodum verò *buticella* est à *buticula*; unde *buticularius*: ita *buticula* originem ducit, sive à *butis*, vel *buttis*, quod apud Marculphum in Formulis; sive à *buto*, vel *butto*, quod apud Anastasium bibliothecarium in Leone III: *In venerabili monasterio sancti Sabæ fecit buttonem argenteum cum canistro suo.* Ac similiter in Leone IV legas, *buttonem de argento purissimo.* Romani autem, imperio Constantinopolim translato, accepere eam vocem à Græcis. Siquidem βούτις his fuit vasis genus. Glossæ olim Cyrillo adnexæ: Βούτις, *cupa*. Βουτίον, *cupella*. Sanè à *cupa*, Gallis *coupe*; at à *butto*, vel βούτις, *bouteille*. *Cupa* vocabulo pro vase, Nonio teste, usus Varro: qui Sat. περὶ μέθης, *cupas vinarias*; & Sesquiulysse, *cupas acris aceti* dixit: & alibi ait, *operculum ad cupas*, cumque amphoris conjungit. Βοῦτις verò legas Basilii Eclog. XLIV: uti βουτίον. apud Theomnestum lib. I cap. XXXIV.

† *Lib.* 4 *cap.* 14.

* *Lib. de moribus, ac populis Germaniæ.*

CAP. IV.

Acceditur ad ea, quæ ab litera C inchoant. Cujusmodi sunt ista: Camba, *pro loco, ubi cerevisia coquitur.* Camborta, *pro virgis superioribus, quibus colligatur sepimentum.* Cambuca, *pro pedo.* Camisia, *pro eo, quod*

quod indusium *dicimus*, *ac veterum* interulæ, *sive* subuculæ, *respondet*. Carpa, *vel* carpio, *pro pisce*, *qui veteribus* cyprinus. Caniclinus, *pro camerario*, *vel cancellario*, *aut non absimili dignitate*. Catus, cattus, catta, *pro fele*: *item* cattus, *vel* gatta, *pro machina militari*. Cauculator, caucolator, cocleatius, *pro præstigiatore*. Caucus, cauca, caucum, *pro calice*: *Græcis pro eo similiter* καῦκα, καυκίον, καυκάλιον. Clenodium, *pro monili*, *gemmis*, *& aliis*, *propter pretium*, *solitis reponi*. Cofia, coifa, cufia, σκυφία, *pro capillorum reticulo*, *sive lineo capitis tegumento*. Contrada, *vel* contrata, *pro regione*. Conucula, *pro colu*. Corrodium, *sive* corredium, *pro obsonio*, *quod principis viri mensa penderetur*. Cota, *vel* cotta, *pro vili gurgustio*, *aut lectulo*: *unde* cotarii, cotmanni, cotarelli, *quibus cota sive cotta pro domicilio forent*. Cotagiarium, *pro alimento in caritate annonæ dato egentibus*. Coustuma, *pro consuetudine*, *&* custumarium, *pro eo*, *quod obtinet vulgo*. Cruselinum, *pro parvo vase fictili*; *& unde Belgæ* croes, *Galli* cruche *acceperint*. Cucurba, curcuba, *vel* corcuba, *pro fune nautico*: *item pro fune* crupes, *vel* cruppa. Custus, *pro sumtu*.

Hinc jam ad tertiam literarum intendemus considerationem nostram.

Camba vetus est vox Germanica: ac signat locum, ubi cerevisia coquitur: ut Kiliano etiam notatum in suo linguæ Belgicæ Etymologico. Nunc pro eo dicitur, *brouwerie*. Sic, qui olim *cammer*, & *camber*, (unde barbaris *cambarius*) is nunc *brouwer*. Antiquissimus, à quo *camba* vocem usurpatam meminerim, est Macharius quidam in sua, & conjugis Gondradæ, donatione; quæ anno contigit ɔccclxxxv. Habes verò in Chronico Cameracensi lib. i cap. lii. Istic legas: *Mansi serviles sex. Est ibi camba una*. Item cap. lxvi, in Præcepto Regis Karoli vii, quo Ecclesiæ Cameracensis immunitates instauravit: *Carisiolum*, *cum terris cultis & incultis*, *molendinis*, *cambis*, *silvis*. Etiam reperio sæpius in Donationibus Ecclesiæ Belgicæ apud Miræum. Ubi Zuencheboldus usurpat, Lotharingiæ rex, in Donatione factâ Monasterio Nivellensi anno ɔcccxcvii*: *Ipsæ res* (quas delegavi) *hæ sunt infrà scripta*: *ipsius monasterii mansi duo*, *molendinum unum*, *camba dua*. Item Balduinus, Comes Montensis, in Donatione monachis Benedictinis Hasnoniensibus factâ an. cIɔlxxxvi†; *Cum terra usque Gaugeolis*, *pratum liberum ei dedimus*, *& omnium cambarum*, *in novo burgo factarum*, *vel faciendarum*, *tertiam partem redituum*, *ad Comitem pertinentem*, *attribuimus*, *præter cambam Aquicinensium*. Ac eadem penè verba habes in Donatione Balduini, quæ proximè eam apud Miræum* antecedit. Plures alios, qui eâ voce utantur, adducerem, nisi id abundè in notis suis ad Chronicon Cameracense fecisset Georgius Colvenerius Theologus, inque Duacensi Academia Regius professor.

* Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 46. p. 80.
† Apud eundem cap. 108. pag. 221.
* Pag. 210.

Camborta, virgæ, quarum colligatione sepimentum continetur. Glossar. *Camborta*, *quæ sepem desuper firmant*. Habes in Lege Salicâ Tit. xxxvi. §. 1, & Lege Ripuariâ Tit. xliii.

Cambuca, vel *camboca*, est apud scriptorem vitæ S. Winoci abbatis cap. xiii: *Cum precibus*, *reliquiis*, *& cambuca Sancti*, *longius processerat*. Et ante eum sic Walafridus Strabo, in vita S. Galli lib. i cap. xxvi: *Baculum ipsius* (Columbani Abbatis) *quem vulgò cambocam vocant*, *per manum diaconi transmiserunt*. Unde etiam, quid voce eâ signetur, cognoscimus. Idem docet versus vulgaris:

Pastor cambucam, *sambucam fert phaleratus*.

Atque hinc doctissimus Spelmannus rectè animadvertit, apud Durandum sic legi oportere Rationalis lib. iii c. xv: *Baculus ergo* (pastoralis) *à lege*, *& Euangelio*, *sumitur*, *quia & virga pastoralis*, *& cambuca*, *& pedum*, *& ferula*, *nuncupatur*. Ubi pro *cambuca* perperam vulgò *sambuca*, etiam in Venetâ anni cIɔIɔlxxxi.

Camisia posterioribus seculis dicebatur, quæ Græcis ἰσωφόριον, Tertulliano ad verbum *interula*, lib. de Pallio; quando ait, *Siquid interula superest*, *vacat zona tormentum*: Horatio autem *subucula*, lib. i epist. i:

—— *Subucula pexa*
Trita subest tunicæ.

Sed & Græcis non χιτὼν quidem, quo vocabulo *tunica* signatur; sed χιτωνίσκος, & ἰσωφόρια, vocabatur. Vel si hæc aliud erant Latinis, & Græcis; quò magis inclinem: saltem illud, quod huic indumento (*indusium* dicimus) nostris temporibus respondet. Venit ea vox à Gallico *chemise*: unde καμισάκιον, quo ex Latinis usus quoque Anastasius in vita Joannis Eleemosynarii. Ac paullo ante appellavit *esophorium*, ex Græco ἰσωφόριον: ut Salmasio dictum ad Tertullianum de Pallio. *Camisia* vocabulum habes in Leg. Salica Tit. lxi; item apud Theganum, Chorepiscopum Trevirensem, opere de gestis Ludovici Pii*, cujus temporibus vixit: *Nihil illis diebus induit præter camisiam*, *& femoralia*. Est & Fortunati, in vita S. Radegundis lib. i: *Stibionem*, *camisias*, *manicas*, *cofias*, *fibulas*. Sed quid attinet in re adeò vulgata adscribere multorum verba? Satis igitur sit dicere, eo uti etiam Cæsarium lib. ii Miraculorum cap. xi, & lib. viii cap. xxxii: item Chronicon Cameracense lib. iii cap. xii, & Chronicon Cisterciense†: adhæc Rogerum de Hoveden Annal. Tom. ii, atque alios magno numero.

* Pag. 304. edit. Wechelianæ anni 1594.
† Pag 77. & 78.

Carpa, vel *carpio*, piscis, non quidem ab auro carpendo, sed barbarâ origine, sic vocatur, qui veteribus est *cyprinus*: ut ostensum nobis lib. iv Theologiæ Gentilis, & Physices Christianæ, cap. xiii. Pluraque de eo attuli ejusce lib. cap. xxxi, & aliis in locis. *Carpa* vocabulo usus Cassiodorus lib. xii Var. epist. iv. *Carpio* autem dicitur Cæsario Miraculorum lib. ii cap. xxxi.

Caniclinus Latinis, ac Græcis similiter κανικλείου, vel ὁ ἐπὶ κανικλείου, idem, vel prope idem, ac *camerarius*, vel *cancellarius*. Prius est apud Guntherum Ligurini sui lib. viii:

—— *Tempore servus eodem*
Argolici Regis (*Græci cognominis usu*
Hic Caniclinus erat, *nobis Camerarius idem*
Esse potest) *domino secretâ fraude parabat*
Sanguinis insidias.

Alterum est apud Radevicum de rebus Frederici ejusdem lib. i cap. xlvii: *Unus de servis palatii*, *caniclinus videlicet*, *quem nos Cancellarium dicere possimus*, *principi suo fraudem molitus est*. Meursii Glossarium adi in κανικλείου. Usurpat & Guilhelmus Tyrius lib. xxii cap. vi.

Catus, vel *cattus*, pro *fele* sive *aluro*, vox usitata Germanis; indeque & Italis, Gallis, Anglis, Hispanis. Usurpat Cæsarius lib. iv Miracul. cap. xxxiii, & lib. v cap. vi. Gloss. *Catta*, αἴλυρος. Et aliæ: Κάττα, *catta*. Et sanè Græcis quoque posterioribus pro *aluro* dictum κάττα, Euagrius significat lib. vi cap. xxiv. Etiam *cattus* pro instrumento bellico, ab hoc animali est: ut & alia quædam: sicuti indicat hoc in Appendice ad Othonem Frisingensem de rebus gestis Frederici i, cap. xxiii: *Cæsar omnem reliquum apparatum*, *quem ad oppugnationem civitatis fecerat*, *Talpas*, *Vulpeculas*, *Ericios*, *Cattos* (*talibus enim censentur nominibus*) *jussit exuri*. *Gatta* pro eo est apud Radevicum in ejusdem Friderici vita lib. ii cap. lix. Imò quid si & dicamus, à Martiale retineri vocem Germanicam, ac Sarmaticam, quia de exoticis felibus, inde advectis, ubi cattæ vocarentur, sermo fieret? Locus est lib. xiii epigr. lxiv:

Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas.

Nam aves signari, non credo Domitio, vel Radero. *Cattus* verò etiam est apud Abbatem Urspergensem†, item in Chronico Colmariensi*, in Historia Albigensi†, apud Bekam in Chronicis*. Nec tamen omnes isti eodem modi usi, ac nunc *cattos* dicimus: qua de re aliquid Justus Lipsius Poliorceticôn lib. i, dialogo vii.

† Pag. 289.
* Ad an. 1290.
† Cap. 63. pag 194.
* In vita Gwidonis.

Cauculator idem, qui *præstigiator*, ex Germanico *gaukler*, pro quo Belgæ, *guchelaer*. Karolus M. Kapitul. lib. i

lib. I capit. LXIV: *Ideo præcipimus, ut nec cauculatores, & incantatores, nec tempestarii, vel obligatores fiant; & ubicunque sunt, emendentur, vel damnentur.* Quæ etiam habemus apud eundem in Constitutionum opere †: ubi Vitus Amerbachius annotavit, in archetypo malè exaratum esse *caucolatores*. Sed facilè, pro dialecto gentis, O, & V commutantur: ut sat minuta sit hæc observatio. Interea verum, per V potiùs sonuisse: quando & apud Otfridum Evangelii lib. IV c. XVI pro eo habes *gougulares*. Quia verò Germani & *cokler* dixere, eò & *coclearii* vocabantur. Unde Kapitulorum Kar. M. lib. I cap. XXI: *Item in eodem concilio* (Chalcedonensi,) *ut coclearii, malefici, incantatores, & incantatrices, fieri non sinantur.*

† Pag. 249. edit. Moguntina an. 1601.

Caucus, cauca, caucum, pro *calice*, vel *patera*. Postremum est in Glossis Arabicolatinis: item in Vitis Patrum *. Alterum in Græcolatinis, ubi sic: *καῦκα, patera*. Primum est apud Bedam lib. II Histor. Eccles. cap. XVI: *In locis, ubi fontes lucidos juxta publicos viarum transitus conspexit, ibi ob refrigerium viantium, erectis stipitibus, & æreos caucos suspendi juberet.* Similiter posteriores Græci non *καῦκα* modò, de quo jam vidimus; sed etiam *καυκίον*, dixere: de quo sic Suidas: *καυκίον παρ' ἡμῖν, κύλιξ ἡ παρὰ σοφοῖς.* Quasi dicat, vulgò quidem vocari *caucium*: elegantiores verò, & qui ad veterum præscriptum loqui amant, *calicem* pro eo dicere. *Καύκιον* etiam habes apud Theocriti scholiasten: item in farragine epistolarum S. Bonifacii, vel ad eum scriptarum, epist. XL legas, ab Æthilberto Rege ei missum *caucum argenteum, intus deauratum*: alii *καυκάλιον* nuncupant; ut Meursio ostensum ex Lausiaca Palladii historia, & Oneirocriticis Achmetis.

* Pag. 145. & 149.

Clenodium dixere pro re, ob pretium, solitâ recondi. Omnino est ex Germanico *kleinodie*. Legas barbarum hoc apud Ludgerum in vita S. Suiberti cap. IX, Cæsarium lib. III Miracul. cap. V, item in annalibus Egmondanis, & apud Bekam in Godefrido, ac Turocium in Historia Hungaricâ. Utcunque verò Teutonicum esse vocabulum conveniat: de origine tamen minùs est apertum. Lodovicus De-la-Cerda, in Adversariis Sacris cap. XLIV, putabat, esse à *κλέος*, hoc est, gloria: videlicet quia ex torquibus, monilibus, & id genus cæteris, qui talibus capiuntur, ingens sibi decus, ac splendorem, sperent. Sed cur non potiùs credamus, etiam origine esse Germanicum? nempe ut à sapientibus, qui soli sunt idonei vocabulorum architecti, hoc nugis istis nomen impositum sit ex eo, quia tantum stultitiæ inserviant; usus verò sint vel nullius, vel exigui: quod significabitur; si sit ex Germanico *klein*, hoc est, pusillum, & *nood*, necessitas. Quasi dicas, exiguæ necessitatis.

Cofia est apud Fortunatum de vita S. Radegundis lib. I: *Stibionem, camisias, manicas, cofias, fibulas.* Ubi *cofias* censeo esse lineum capitis tegumentum, quo mulieres utuntur, & clerici tuentur capitis rasuram, sive coronam. Nempe ut idem sit ac *coifa* apud Matthæum Parisium in Historia anni CIↃCCLIX: *Et cum non posset objectis respondere* (Wilhelmus de Valentia) *quia multis erat irretitus sceleribus: voluit ligamenta sua coifa solvere, ut palàm monstraret, tonsuram se habere clericalem.* Et mox: *Satelles vero eum arripiens, non per coifæ ligamina; sed per guttur eum apprehendens, traxit ad carcerem.* Item quod aliter *cuphia*. Papias: *Cidaris, mitra, tiara; pileus sacerdotalis, cuphia.* Græcis, σ ad caput opposito, *σκυφία*, ut pro *μικρὸς, σμικρός*. Utitur Codinus de Officiis Constantinop. cap. V. Quod verò Latinis *cuphia*, id Italis *coffia*, Belgis *huve*, Germanis *haube*: unde sine dubio *cofia*, & *cuphia*, originem ducunt. Hæc valde firmantur glossis in Juvenalem, quas in membranis habeo: *Reticulum vocatur receptaculum crinium, quod vulgo cufiam vocamus, & parvum retium, quo crines colligantur.*

Contrada, vel *contrata*, valet regio, *ditio*; factumque ex Germanico, ac Belgico *contrei*, quod idem signat. Constitut. Siculæ Tit. XLVIII: *Si oves, vel alia animalia, de una contrata in aliam ducta fuerint.* Sic & usus Matthæus Parisius Histor. ad an. CIↃCCXXIX: *Contrada tota descendit inde usque ad maritimam castri Joppen.* Item Petrus de Vineis lib. II epist. LIV, & lib. III epist. XI. Odoricus de Foro-Julii Peregrinationis suæ cap. II. §. V: *In hac contrata utuntur homines navigio, quod vocatur Jassefutum*.* Video esse, quibus placeat, esse origine Latinum, ex voce *constrata*, quia una esset via, sive eadem essent *strata viarum*; ut loquitur poëta †. Verùm non vicinas notat plateas, aut vicos, sed vicinos tractus. Quare, si origine sit Latinum; ex *contractus*, q. d. tractus vicinus, factum putem; posteaque latiùs extensam significationem. Interim, quia etymon utrumque incertum, inter voces origine barbaras huic etiam locum dedimus.

* Hac de voce loquar lib. 5.

† I Æn.

Conucula idem, ac *colus*. Habes Leg. Ripuar. Tit. LVIII, §. 18. Glossar. Latino-Theotiscum Lindenbrogii: *Colus, Chunchla.* Ex quo Italicum *Conochia*, & Gallicum *Quenouille*. Nisi verius est, *chunchla* esse contractum ex *conucula*, id ὑποκοριστικῶς † esse factum ex *colucula*, quasi minutam colum dicas: ac *conochia* itidem, quasi *colochia* dicatur. Quippe L sæpe abit in N; quomodo à *γρυλλίζω*, *grunnio*; à *λύμφη*, *nympha*; Belgæ à *σχοῖνος*, *schenen*; & id genus multa. Interea cùm & etymon istoc *conucula* sit incertum, locum vocabulo huic quoque inter origine barbara concessimus. Atque idem facimus in similibus nonnullis.

† Per diminutionem.

Corredium, vel *corrodium*, obsonium, quod superioris mensæ debet inferior. Henricus Huntidonensis lib. VI: *Ubi frater suus corredium regale maximum paraverat.* Sæpius etiam habes Constitutionum Sicularum sive Neapolitanarum lib. III. Tit. XVIII.

Cota, vel *cotta*, ac, cum productione vocis, *cotagium*, notant tum cavum, sive cavernam, latibulum, speluncam; tum etiam casam, tugurium, gurgustium. Vox est à Saxonibus; unde & Anglis *cote*, vel *coate*. Ac Belgis hodieque *cot* easdem habet significationes; nec seorsum modò, sed etiam in compositis: ut *verckens-kot*, hara; *honds-cot*, q. d. canile; *mest-cot*, quod Varroni *saginarium*; *hoere-cot*, ganea, lupanar: quomodo & Latinis *lustra* tum ferarum sunt, tum meretricum. Quia verò & cellæ monachorum gurgustioli similes sunt: eò quoque ab ipsis, modestiæ; à malignis, contemtus caussâ, *cotta* videntur nuncupatæ; ac præcipuè is cellæ locus, ubi requiescerent, & somnum caperent. Imò hæc princeps fuerit significatio; si Saxonibus *cota* vox à *κοίτη*; quod similiter tum hominum cubile, vel lectum; tum ferarum lustra, ut apud Plutarchum, non semel significat. Nec novum sit, Saxonicam vocem esse à Græcis: cujus rei exempla, ac caussam, jam olim Walafridus Strabo attulit, & nos ex eo lib. I hujus operis cap. I. Sed de etymo quisque sentiat, ut volet; saltem de vili cubili, aut lectulo, usus Petrus Damiani lib. II epist. XV*: *Prior quidam fuerat, nomine Joannes; qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper, & gracilis. Hac itaque sui corporis imbecillâ tenuitate confisus, sæpe jacens in lecto completorium decurrebat. Accidit autem, ut dæmoniacus quidam non procul abesset; qui multa hominum secreta, & obscenos actus, impudens propalaret. Cumque præfatus Joannes dæmonem exire præciperet, & quibusdam exorcismi quæstionibus flagellaret: Tune, ait, ille es, qui sub cotto quotidie completorium insusurras: & modo me, quasi Sanctus, ejicere, & juris mei vasculum de meo vis dominio liberare?* A *cota*, pro casa, vel gurgustio, qui in ea habitarent, vocati *cotarii, cotmanni, cotseti, cotarelli*, vel *coterelli*. De quibus Equitem Spelmannum adi. Solùm de postremo adferam locum Rigordi de gestis Philippi Aug. *Quodam die Ricardus, Comes Pictaviensis, multitudinem cotarellorum ad Castellum Radulphi pro succursu miserat.* Usus & alibi. Timidè illud addo, fortassè & à *cota* esse *cotagiarium*; fere ut à *congio*, *congiarium*. Glossæ Mss.: *Cotagiarium, σιτοδεία.* Græca vox penuriam, *ac caritatem frumenti*, signat. Ut suspicari lubeat, *cotagiarium* esse, quod in caritate annonæ cuique cotæ, seu familiæ, de publico daretur.

* Pag. edit. Paris. an. 1610.

Costuma, consuetudo, ex Gallico *costume*, sive *coustume*.

stume. Necrologium Trecense: *Dedit Ecclesiæ tempore, quo vivebat, pro anniversario suo faciendo, consuetumas, quas habebat apud Polliacum*. Imò & in forma fidelitatis, quam Gualterus, Castellanus Cameracensis, Gerardo Episcopo juravit, habes in Chronico Cameracensi lib. III cap. XL: *Po ipositis Karlensibus custumiis, talem honorem tibi observabo, qualem Lotharienses milites dominis, & episcopis*. Multoque ante hos Childericus II Francorum Rex, in Donatione monasterio S. Dionysii in Francia facta †: *Quicquid fiscus noster tam de garantia, quàm de merceria, ibidem tenuit, vel de qualibet coustuma ibidem possiduit*. Sic & Græci posteriores, (ut apud Meursium videre est ex Glossis Græcobarbaris) Κυστέμιοι, ἦθ@. Καλοκυστεμοι, καλοήθεις. Κακοκύστεμοι, κακοήθεις. Hinc *custumarium*, quod ad consuetudines pertinet. In his vectigalia. Item liber de iis, quæ consuetudine obtinent. Quid si autem tam Galli, quàm Græci, hoc vocabuli acceperint à Latinis? Nec enim absurdum videtur, *costume*, ex *consuetudo*, literis aliquot extritis, factum esse.

† Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 12. sive pag. 17.

Cruselinum quid sit, indicant illa Cæsarii lib. XII Miracul. cap. XLI: *Portabat enim vas parvum, & fictile, quod vulgo cruselinum*. Suspicor *cruselinum* esse à *kruselin*, h. e. minutus cyathus. Nam Germanis, ac Belgis, *kroes*, cyathus: credo a κρωσσός, unde similiter Gallicum *cruche*. Sanè quòd Cæsarius *cruselinum* dicit esse parvum vas, id convenit cum eo, quòd *kruselin* linguâ Germanicâ habeat formam diminutivam. Quodque idem ait, esse vas fictile, id consentaneum ei, quòd Eustathius * κρωσσὸν interpretatur κεράμιον χεχτῆρα ὕδατ@, ὑδρίαν. *fictilem craterem aquæ, hydriam*.

* Pag. 976. edit. Romana.

Cucurba, funis nautici genus. Isidorus lib. XIX Orig. cap. IV: *Spira, funes, quibus in tempestatibus utuntur, quas nautici suo more cucurbas vocant*. Ita est in gemino nostro MSo membranaceo. In nonnullis tamen libris legas, *curcuba*. Et magis convenit cum Glossario Arabico-Latino; ubi est *corcuba*. Exponitur autem *lorcum*. Verùm placet emendatio Clarissimi Meursii, extritâ literulâ, *lorum* legentis. Ex *curcuba* contractum videtur *cruba*, vel *cruppa*. Glossæ Philoxeni: *Cruppa*, καλ@ παχύς. Ubi leg. κάλως παχύς, *funis densus*. Ibidem *crupes*, σχοινία, i. funes. Vel fuerit *cruppa*, à Germanico *grub*, id est, crassus: quod convenit interpretationi Philoxeni.

Custus, pro *sumptu*, *impensa*; ut Anglis, & Belgis, *cost*. Matthæus Paris. *custum apponere*: item, *ad proprium custum*.

CAP. V.

De iis, quæ origine sunt barbara, & à D incipiunt. Datus, & detius, *pro* tessera. Dagua, *pro* pugione. Dardus, *pro* jaculo. Debatum, *pro* lite, *vel* controversia. Doana, *vel* dohanna, *pro* telonio. Drappa, *vel* drappus, *pro* panno. Dogus, *pro* canali. Drudes, *vel* drudi, *pro* Fidelibus. Durcones, *navigii genus*. Durpili, *pro* lumine.

NUnc jam ad quartam literam venio.

Dadus, & *detius*, tesseram notant, quæ Italis, & Hispanis, *dado*; unde *dadus*: Gallis *dé*, vel *det*; unde *detius*. Prius semel, iterumque, usurpant Constitutiones Neapolitanæ, seu Siculæ, lib. III Tit. LVII: alterum verò Guilhelmus Neubrigensis Rerum Anglicarum lib. III cap. XXII.

Dagua est pugio; quem &, ex Festo, *clunaculum* dixeris; quia ad clunes soleat religari. *Gladiolum* quoque interpreteris. Est ab Italico *daga*; uti hoc à Germanico *taghen*, sive *dagge*, vel *dege*; quæ posteriora duo Belgis in usu, à Saxonibus accepta: unde & Anglosaxones habent *dagger*. Et, credo, cuncta sint à Græco θήγω, sive Dorico θάγω, hoc est, *acuo*: vel saltem & Græcum, & illud Saxonicum, ab communi fuerint origine. Quæ de *dagua* diximus, firmantur illo in Concilio Pisano II †: *Nec daguas, seu cultellos, ferant ultra longitudinem palmi unius, præter palefranarios, cum dominos suos comitabuntur*.

† Pag. 159.

Dardus, pro jaculo, à Gallico *dard*. Abbo de Obsid. Lutetiæ lib. I:

At turris nocturna gemit, dardis terebrata.

Ac post aliquammulta:

Arce ruit, dardumque ferens, castella petivit.

Habes etiam in nonnullis glossariis.

Debatum, à Gallorum *debatre*. *Dissensionem* semel, iterumque, exponit Declaratio cujusdam Constitutionis Alani, Ducis Britanniæ, an. CIↃLXXXVII. Legas & in Edictis Ludovici XI Galliarum Reg. *; item Stilo Curiæ Parlam. cap. V. Sic *debatare*, pro *disceptare*, *disputare*. Ut apud Nicolaum de Seps, *in contrarium debatante*.

* Pag. 19.

Doana vocabulum est lib. I Siculárum Constitutionum Tit. XXXIX, lege II Friderici Imper. *Magnis feudis, quæ in quaternionibus doana nostra baronum inveniuntur inscripta*. Et Tit. XLI, Lege ejusdem Freder. *Et Baroniis, & magnis feudis, quæ in quaternis doana nostra scripta sunt*. Item Tit. LVIII. & LIX, *Dohanna de secretis*. Adhæc Tit. LIX, L. II: *Doanas tam terræ, quàm maris*. Est ab Gallico *doanne*, & *douane*. Græci, Latinique, *telonium* nuncupant; Belgæ *tol-huys*: uti & Angli *custome-house*, quia consueta ibi vectigalia pendantur.

Dogus, pro *canali*. Gregorius Turonensis de gloria martyrum, sive de miraculis lib. I cap. XXV: *Tertio verò convocata virorum multitudine, fossas in circuitu basilica fieri jussit, ne forte dogis occultis lympha deducerentur in fontem*. Atque hujus quidem loci fuerit *dogus*, vel *doga*, si origine sit Hebræum; quod Casaubonus censet. Verùm opinionem eam accuratiùs expendemus, cùm de *doga* agetur * inter barbara a Latinis, vel Græcis, orta.

* Lib. 3. cap. 10.

Drappa, vel *drappus*, notat *pannum*. Prius habes apud Marculfum lib. I cap. XII, & lib. II cap. XVI. Item, Formularum Sollemnium nona & quadragesimâ; alterum LXVII, & LXXXIII. Sed & *drappalia* pro eo, formulâ LXXII, LXIX, CXXV, CLXXV. Apud alios etiam reperiri, Spelmannus ostendit. Inde peti malo. Est vero *drappa*, vel *drappus*, non a Græco δράπος, quo, Hesychio teste, byssus notatur; sed à Gallico *drap*, quod itidem *pannum* notat. Unde Gallis *drapemer*, Hisp. *trapero*, Anglis *draper*. Item Belgis *draperie*, officina lanaria, sive pannaria: *drapenieren*, vel *drapieren*, *pannum efficere*, *lanificium exercere*.

Drungus, pro *globo hominum*, Vopisco in Probo, & Vegetio Rei Militaris lib. III cap. XVI. Unde *drungarius*, pro *tribuno*; utcunque non pluribus, quàm quinquagenis, præesset; ut ex Vopisco † patet. Græcis *drungarii*, χιλιάρχαι; ut liquet ex Leonis Imp. Tacticis. Quod ad originem, variis è linguis vocem eam arcessunt. Sed imprimis placet, esse Saxonicam à *dringen*, h. e. *stipare*, *cogere*: unde dicimus, *hy drong my*, h. e. *urgebat*, *cogebat*: ut *drungus* propriè notet multitudinem in unum coactam, sive conglobatam. Sanè hoc valdè cum eo convenit, quòd Vegetius * *drungos* interpretetur *hostium globos*. Scio, in plerisque libris ibi esse, *grumos*: sed *drungos* ex MSo restituit Stewechius, ac similiter in Adversariis † legit Turnebus. Propiùs accedit, quod in aliis libris est *drumos*. Etiam allatum *drungi* etymon confirmat illud Leonis, Δρουγγιστί, ὡς μάζα. Quasi diceret, hominum multitudine ita confertâ, uti condensantur ficus in massa, sive globo. Ut non persuadeat Leonclavius, cùm in Historiæ Turcicæ Pandectis cap. CLXXII censet, potiùs dicendum *druncus*; quomodo pronunciabat Theodosius Zygomalas Naupliensis è Peloponneso, Patriarchalis Protonotarius. *Druncum* verò idem Leonclavius sic dici credebat, quasi truncum, hoc est, baculum, sive sceptrum, imperii in milites insigne. Mirum, tam docto viro hæc excidisse. Nam, ut mittam cætera, quantum truncus distat à baculo, pedo, vel sceptro!

† In Probo.

* Lib. 3. cap. 16.

† Lib. 24. cap. 15.

Drudes, vel *drudi*, vassallorum genus. *Drudes* vocantur in vita S. Udalrici, ab anonymo scriptâ *: *Drudes suos donis congruis sibi complacare satagebat*. *Drudi* dicuntur

* Pag. 139.

cuntur in Rhemensibus, & Rotomagensibus capitulis, ad Regem Ludovicum, anno ɪↄ CCCXVIII: *Sine solatio, & comitatu drudorum, atque vassorum, nuda, & desolata exibit anima vestra.* Ubi videmus, *drudes* à *vassallis* aliis distingui. Ad verbum ea vox signat *fideles*, à Germanico *dru*, vel *tru*; quod est *fides*. Nunc pro eo fere dicitur *trouw*, Belgis *trouw*; unde *truwen*, vel *druen*; quod nunc *trouwen*, id est, ducere uxorem, vel nubere. Itaque & sponsa olim *druchte*, vel *druthe*: ut liquet ex lege Salicâ Tit. XIV. §. X. Glossæ apud Lindenbrogium: *Druchte, sponsata.* Vetus pronunciatio etiam remansit in nomine *Gertrudis*: ex *ger*, id est, *omnino*, *plane*; & *tru*, quod valet *fida*, *fidelis*.

Durcones, navigii mediocris genus, quo Abbo ad Lutetiam pugnatum ait in ejus Urbis obsidione lib. I:

Anteque durcones multi repetunt morientes,
Quàm lapides jaciant.

Si à Germanis vox; fortasse ab *hulc*, quæ est navis oneraria, à Græco ὁλκάς. Alioqui Belgis *durc*, & *dorc*, sentina.

Durpilus, vel *durpilum*, limen; quod Belgis hodieque *durpel*, vel *dorpel*. L. Salica Tit. LXI, qui est, De Chrenechruda: *Postea intrare debet in casam suam, & de quatuor angulis de terra illa in pugno suo colligat, & stare in durpilo, hoc est, in limitare.*

CAP. VI.

De captis à secunda vocali. Eathelingus, *pro nobili, ac præcipue pro regni hærede; & quam varie ea vox scribatur.* Eorla, *pro viro honorato, ac particulatim pro consule, hoc est, Comite, vel Duce.* Escarletum, *pro coccino, atque obiter de* robæ *vocabulo.* Esterlingus, *vel* sterlingus, *pro denario; & unde id vocabuli sit.* Estoverium, *pro necessariis victui, & amictui.* Ewa, *pro Lege.*

PErgamus nunc ad incipientia à litera E. Ubi primò se offert *Eathelingus*. Cui tamen alius, atque alius, debeatur locus, pro vario scribendi modo. Nam & *athelingus* reperias, & abjectâ alterutrâ vocali *athelingus*, aut *ethelingus*: præterea *edhilingus*, *edhlingus*, vel *edlingus*. Generatim autem hæc vox *nobilem* significat: at κατ' ἐξοχὴν sic nuncuparunt regni hæredem, quem & *domicellum* vocabant. Sic sumebatur, cùm, ex more, acclamarent, *Vivat athelingus noster*. Sed generali illâ significatione apud Nithardum legas lib. IV*, Saxonicam gentem distributam in *Edhilingos*, *Frilingos*, *Lazzos*: quod ibidem exponitur in *nobiles*, *ingenuiles*, *serviles*. Est & Gothefridi Viterbiensis Chronici parte XVII, an. ɪↄ CCLXXVI: *Omnes Reges illi* (Longobardorum) *Adelingi, id est, de nobiliori prosapia, quæ apud illos dicitur, Adelinga.* Hodieque Germanis, ac Belgis, *edel*, nobilis; *adel*, nobilitas. *Ling* verò non est pars compositi, *progeniem* signans, quod traditum nonnullis: sed solùm vocis est productio. Sanè ut ab *Oriente* est *Orientalis*: sic Germanis, *Easterling*, Belgis *Oosterling*: quod idem ac *Orientalis*. Itidem à *camer* est *camerling*, cubicularius. Similiaque *jongeling*, *vondeling*.

* Pag. 478.

Eorla, & ἐξ συγκοπῆς *Erle*, propriè signat virum honoratum, ab *ear*, vel *ar*, h. e. *honos*: pro quo Belgæ, *eer*. Sed Danis particulatim ea vox pro *consule* sumitur; hoc est, *Comite*. Sic enim *Consulis* vocabulo superioribus usi seculis. Nec pro *Comite* modò, sed etiam *Duce*. Æthelwerdus Saxo lib. IV cap. III: *Undecim consules ruunt, quos illi* (Dani) *Eorlas solent nominare, & rex eorum unus.* Vide &, quæ ex Æthelstano Spelmannus observavit.

Escarletum, è Gallico *escarlate*, uti hoc à Germanico *scharlach*, vel *scharlak*, Belgis *scharlaet*, vel *scharlaek*, Anglis *scarlet*, Italis *scarlato*. Significant verò *coccum*, vel *coccinum*. Matthæus Parisius Hist. ad an. ɪↄ CCXXXVII: *Obviam ei obtulerunt telas escarletas, & vasa pretiosa.* Et in an. ɪↄ CC XLVIII: *Dedit eis vestes pretiosissimas, quas robas vulgariter appellamus, de escarleto præelecto, cum pellibus, & fururiis variis cisimorum.* Ubi *roba* est *vestis*, à Gallico *robbe*. Sed de hoc, & *fururia*, inferiùs. Uti & de *Scarleto*, pro *escarleto*. Nunc in *escarleti* vocabulo consistam: quod etiam habes apud Thomam Walsingam in Henrico V†: *Equus Papæ phaleratus cum rubeo escarleto.*

† Pag. 396.

Esterlingus, & *sterlingus*, apud Matthæum Parisium, atque alios, præcipuè Anglicanos scriptores, legas. Utrunque origine esse barbarum, minimè dubitandum. Nec tamen eò rejiciendum; quando hoc nihilo deterius est, quàm vulgata illa vocabula *daleri*, *ducati*, *floreni*, ac similia. Nam pecuniæ novitas nova exigebat vocabula. Notat ea vox Anglis *denarium*: de cujus pretio est in decreto Eduardi primi. Dubium autem, an priùs dictum sit *sterlingus*; inde more Gallico E sit præmissum: an verò E illud sit ab origine vocis. Posterius verisimile facit, quòd Annales Anglici referant, artem flandi, feriundi auri, & argenti, ab iis, qui ab Anglis *Esterlings*, Belgis *Oosterlingers*, nationibus Daniæ vicinis, cum multi eorum in Angliam venissent, magna cepisse incrementa: atque istoc in caussa esse, cur Angli eorum nomine nummos, quos dixi, nuncuparint. Sed obstare videtur, quòd Odericus, sive Vitalis, Uticensis cœnobita, Historiæ Ecclesiasticæ lib. V, ad annum ɪↄ LXXXII, quo tempore Odericus ille jam erat septennis, *sterilenses* appellet; non *sterilingos*. Sic enim scribit: *In primis advenientibus monachis cum cementario ad jaciendum monasterii fundamentum, ad inchoationem hujusmodi porrigam XV libras Sterilensium.* Propterea nobilissimus Spelmannus negat, se aliquid in alterutram partem statuere ausum. Interim & Linwodi, & Buchanani etyma abunde refellit: cujus sententiam etiam probat clarissimus Watsius in suo ad Matthæum Parisium glossario. Putat verò, non absonum esse, si vocem *sterlingi* credamus esse ex eo, quia stellæ figura in ea compareret. Stellæ enim Anglis *stars*, uti Belgis *sterre*. Gallis E præmisso, *estoile*. Sed adire te malim eruditos ipsius Watsii labores.

Estoverium, vel *estuarium*, significat *materiem*, *alimentum*, *fomentum*: à Gallico *estoffer*, sive veteribus *estover*: quod propriè notat *materiem præbere*; ac particulatim *exhibere alimentum*, *nutrire*, *fovere*. Ut *estoverium* signet *nutrimentum*, atque adeò, quicquid opus homini ad victum, & amictum: ut in charta libertatum à Joanne Angliæ rege concessarum, apud Matthæum Parisium ad an. ɪↄ CCXV: *Statim provideatur ei* (viduæ) *domus competens, in qua possit honestè morari, quousque ei dos sua assignetur, & habeat rationabile estoverium suum interim de communi.* Similiter loquuntur leges Scoticæ. Habes & apud Bractonum lib. III tractatu II cap. XVIII, num. II; ubi sermo de quodam ob feloniam, ut vocant, in carcerem conjecto: *Salvo eidem capto, & familiæ suæ necessaria, quamdiu fuerit in prisona, rationabili estoverio suo.* Puto autem, Gallicum *estoffer*, cum propriè notet, ut dixi, *materiem suppeditare*, venire à Germanico *stofferen*, *e*, more gentis, præposito. Id verò à *stoffe*; quo significatur *materies*, sive, ex quocunque aliquid fit. Propriè autem *stof*, pulvis: ut cùm antiqui Germani hanc vocem ad quamvis materiem accommodarint; videri possint non alieni fuisse à sententia Democriti, & Epicuri; qui putarunt, omnia ex atomis originem ducere: ut ex Aristotele, & antiquis ejus interpretibus; item Lucretio, Laërtio, & aliis, constat.

Ewa, lex: ut est in Glossario Latino-Theotisco, quo apud Magnum Florentiæ Ducem usus fuit clarissimus Lindenbrogius. Sic in Cantico Canticorum†, ᾆσμα ᾀσμάτων veteri linguâ Francicâ reddito, ante annos penè sexcentos, accepit Willeramus Abbas. Verba ejus sic sonant, non quidem in codice curâ optimi, & doctissimi Merulæ edito; sed in vetustissimis nostris membranis: *Wir ne wollen nieth vergezzan, daz diu gnada dines* Euangelii *suozer is, danne din sarphi dero ewo.* Quæ Belgicè sic reddas:

† Cap. I. vers. 4.

das: *Wy en willen niet vergeten, dat de genade uwes Evangelii soeter is, dan de serpe smaak der Wet.* *Euwa* vocem, pro *lege* usurpant leges Alamannicæ, Boicæ, Longobardicæ; item Capitularia Karoli M. unde & olim *landewa*, quod nunc *land-recht*. Doctissimus amicus noster, in Etymologico suo, existimabat, ab eodem fonte tria hæc promanare; *ewa*, pro lege; *euwe*, pro ævo, & *ehe*, quod contractè *ee*, pro fœdere matrimoniali. Nam legem ferri, ut in omne ævum duret, & lege quadam niti matrimonii fœdus. Nihil equidem hic video absurdi. Sed, qui attendat, quantum vocabula ista, & modo scribendi, & significatione, distent; judicabit, ut puto, speciosè ista dici; interea nihil fortasse solidi tinnire.

CAP. VII.

De inchoantibus ab F. Faderphium, *vel* fadelfium, *pro eo, quod parens, vel frater, largitur sponsa.* Faia, *pro ilice, vel quercu.* Faida, *vel* feida, *pro inimicitia; unde* faidosus. Falda, *pro stabulo; unde* faldeo, *pro loco, ubi excernuntur cibi retrimenta.* Fano, *tum pro sudario, vel mappula; tum etiam pro veste sacerdotum, vel diaconorum.* Fara, *pro stirpe, sive progenie.* Farleganus, *pro scortatore, vel adultero.* Fauces, *pro radicibus montis.* Felonia, *pro culpa, quâ vasallus amittit feudum.* Feltrum, *pro lana coactili.* Fiala *pro eo, quod Græcis, ac Latinis, chelys.* Flasco, *pro lagena.* Flocus, *vel* frocus, *pro cucullo monachorum.* Focis, *pro canali.* Foderum, *vel* fodrum, *pro pabulo, sive alimento.* Forbannitus, *pro relegato.* Forbatutus, *pro eo, qui alterum prior percusserit: qui &* fordanno. Foresta, *pro silva: unde* forestagium, forestarius, afforestare, *&* deafforestare. Forrum, *pro capsa scyphorum.* Fredum, *pro mulcta, quæ principi debetur.* Friscinga, *pro porco adulto.* Frocca, *vel* froccus, *pro monachali veste.* Fulfrea, *vel* fulfreal, *de homine ingenuo, ac libero: ubi & de* frea, *& inde derivatis.* Fustanium, *pro panno gossypino.*

NUnc, ut instituimus, de illis videamus, quæ à sexta litera incipiant.

Faderfium (pro quo & *fadelfium*, & *phaderfium* dixere) Longobardica vox est, conflata ex *fader*, sive *phader*, pater; & *erfe*, sive *erve*; hoc est, hæreditas; ac significat, quod à patre, fratreve, donatur virgini, quando nubit. Gloss. *Faderfium, dotem.* Habes in Longobardicis legibus. Ut lib. I Tit. IX, Leg. XII: *Habeant filii morginga, & faderphium sua matris.* Similiter lib. II Tit. I Leg. IV. *Habeat ipsa mulier morgengab, & quod de parentibus ejus adduxerit, id est, phaderfium.* Ac ejusdem libri Tit. XIV leg. XV. *Vidua habeat sibi morgengab, & methium: de faderfio autem, id est, de alio dono, quantum pater, aut frater, dederit ei, quando ad maritum ambulaverit, mittat in confusum cum aliis sororibus* &c.

Faia in legibus Longobardicis exponitur *glans*, lib. I Tit. XIX Leg. VIII. Sed, qui locum inspexerit, satis videt, non fructum notâsse; verùm arborem glandiferam. Nempe legislator secutus est errorem eorum, qui putarunt, ut φηγὸς Græcis, sic Latinis *glans*, & *fructum* signare, & *arborem*: quæ veteres semper distinguunt; quomodo Maro IV Georg.

Nec de concussâ tantum pluit ilice glandis.

Faida, & *feida*, inimicitia. Est a Germanis, quibus *inimicus*, *feind*; vel *fiant*, ut Belgis *viand*, Danis *fiende*. Nec tamen qualvis signat inimicitias, sed capitales; unde *faida* in glossis, *vindicta mortis* exponitur. Præterea istæ signantur, quas propinqui utrimque suscepissent; juxta illud Taciti de moribus Germanorum: *Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quàm amicitias, necesse est.* Qua de consuetudine multis Spelmannus. Vocem *faida* habes in capitibus Karolinis lib. IV; ubi titulus XXVII est, *De faidis coercendis.* In lege etiam LV est, *de faidis pacandis.* Sæpius quoque legas in legibus Saxonicis; imprimis autem Longobardicis. Hinc *faidosus*, cui cum altero istiusmodi inimicitia intercedit. Utuntur hoc Leges Salicæ, Bajuvariæ, Saxonicæ, Frisicæ, Longobardicæ. Item Kapit. Kar. M. lib. III Tit. IV, & lib. V Tit. CCXV.

Falda veteri Saxonum linguâ signat *stabulum*, *septum*, *ovile*, sive *locum conclusum*: Thomas Walsingam in Richardo II*: *Imprimis ad diffiduciandum Abbatem, faldas, qua † fecerat in Fauconwod, & silvis aliis, esse frangendas ipsâ nocte.* atque inde *faldagium*, *faldsoca*, *faldwrthi*, *faldistorium*: quæ, quibus, & quomodo sumantur, malo, ab industriâ doctissimi Spelmanni petas. Solùm nunc dicam, videri mihi, & à *falda* esse *faldeo*. Nempe ut à *falda*, sedem episcopalem cancellis circumseptum *faldistorium* nuncuparunt: sic & loca septa, in quibus ad exonerandum alvum laterent, vel sellam familiaricam, quia solii speciem haberet, *faldeonem*, ut arbitror, dixerunt. Supplementum Historiæ Francicæ Gregorii Turonensis cap. XXXIV: *Ad ventrem purgandum in faldeone sedebat.*

* Pag. 255.

† Pro quas.

Fano quid sit, indicat Glossarium Latino-Theotiscum, in quo est: *Linteolus, fanon.* Est & Papiæ: *Fano, operimentum quoddam.* Sunt verò hæ significationes diversæ. Illa glossarii eò pertinet, quòd sumitur pro sudario, vel muccinio. Unde Alcuinus de divinis officiis, cap. de singulis vestibus: *Sudarium, quod ad tergendum sudorem in manu gestari mos est, quod usitato nomine fanonem vocamus.* Inde etiam hoc in legibus Alamannicis Tit. LXXXIV: *Ille involvat in fanone.* Item quod in glossario Latino-Theotisco *Mappa* exponatur *hancfano*; *Mappula, tischfano.* Ac similiter Guiljelmus Durantus *fenonem candidum* interpretatur *mappulam albam, & nitidam.* At Papias in animo habuit significationem, quâ pro sacræ vestis genere caperetur. Ea sacerdotum fuit. Rabanus Maurus De institutione Clericorum lib. I cap. XIII: *Quartum verò mappula, sive mantile, sacerdotis indumentum est, quod vulgo phanonem vocant; quod ob hoc eorum tunc manibus tenetur, quando Missæ officium agitur.* Fuit & diaconorum. Chronicon enim Richerspergense refert, Zosimum Papam anno CCCCII constituisse, ut *diaconi in ministerio altaris lævam semper tegerent palliis, id est, fanonibus.* Ubi videmus, pallii genus fuisse. Denique etiam subdiaconi utebantur. Leo Marsicanus Historiæ Casinensis lib. III cap. LXXIII: *Fanones aurei pro diaconibus tres, & alii quatuordecim.* Ac postea: *Imperialis fano aureus totus.* Similiter usurpat Matthæus Parisius in vita Gaufridi XVI Abbatis S. Albani: *Orarium, cum fanone, auro & gemmis adornatum.* Atque hinc Veronæ linteamina serica, & picta, deque hastis dependentia, appellant *confanones*; Onuphrio Panuino teste. Hispanis vocantur *pendones*. Hasce si attendas significationes, sine dubio fuerit à Saxonico *fan*, sive *phan*, vel *ban*, aut *pan*; quæ omnia notant *pansum*, sive *expansum*, aut extensum. Unde est, quòd vexilla Germanis *fane*, Belgis *vane* nuncupentur. Imò neque *baniere*, & *vendel*, quæ idem signant, alius videntur originis. Atque eâ significatione vocabulum hoc genuit vocem *van-leben*: quæ in bulla Karoli IV Imp. legitur, ac signat *feuda vexillaria*, voce conflatâ ex *van*, id est, vexillum, & *leben*, sive *leen*, hoc est, feudum. Etiam Marquardus Freherus, in Chronico Laurishamensi, ubi de temporibus agitur Bennonis, abbatis XXXII, ac legitur *de septem principalibus beneficiis, quæ vulgò appellantur Volleben*; censet, pro *Volleben* debere *Falleben* reponi. Sic verò ejusmodi feuda dicebantur, quia conferrentur traditione vexilli; quod à solo fieri poterat Imperatore. Sed vix video, quomodo item hac ab origine petatur, cùm pro instrumento sumitur chirurgico: ut legum Alamannicarum Titulo LIX. §. VI: *Si autem testa trancapulata fuerit, ita ut cervella appareant; ut medicus cum pinna, aut cum fanone, cervella tetigit, cum XII solidis componat.* Ubi per *cervellum* intellige cerebellum.

Fara est legum Longobardicarum lib. III Tit. XIV: *Siquis liber homo migrare voluerit aliquò, potestatem habeat*

intra dominium regni nostri cum fara sua migrare. Ubi *fara* notat progeniem, sive familiam, vel totam prosapiam. Nec enim in lege Longobardica certiorem habere interpretem possumus, quàm hominem Longobardum, Paulum Diaconum lib. II Hist. cap. IX, ubi legas: *faras, id est, generationes vel lineas.* Atque ostensum Lindenbrogio, sic etiam usurpare Otfridum Evangelii cap. XVI, & XVIII.

Farlegani, & *forlegani*, scortator, adulter. Glossarium Latino-Anglico-Saxonicum: *Adulter, forligen.* Prior pars vocis videtur, *fore*, sive *voor*, quod nunc *pro* potiùs valet; sed olim *supra* Saxonibus significabat. Altera pars est *legen*, sive *liggen*, jacere, cubare. Unde & cubile ferarum Belgis *leger*, & *ligger*. Quare *forlingen* ad verbum sonet *incubum*, sive feminis incubantem. Habes *Farlegani* vocabulum in LL. Alfredi regis Anglo-Saxonis cap. X †. Item in LL. Frisonum titulus nonus est *de farleganis*: sequuntur verò leges de mœchis, & stuprum inferentibus.

† Pag. 31.

Fauces Alpium quando apud posterioris ævi scriptores legimus, non putandum semper intelligi angusta ac pervia inter montes itinera; quæ πύλας Græci, imò & αὐχένας vocant; Itali verò *clusas*, uti Hispani *esclusas*, solent nuncupare: atque adeò etiam *clausas*, vel *clusas*, videas dici ab Abbate Urspergensi, Anastasio Bibliothecario, atque aliis. Non, inquam, hæc significatio perpetua est. Quandoque enim *faucium* vox est ortu barbara à prisco Germanorum vocabulo *fuazin*, h. e. pedes. Sic usus Walramus Abbas in Paraphrasi Cantici Canticorum. Pro eo nunc dicitur *voessen*, & *voeten*. Ab antiquo illo pronunciandi more monasterium ad pedem sive radicem Alpium Juliarum situm *Fauces* dixere: ut observatum Goldasto in Glossario ad Ekkehardum Jun. de Casibus S. Galli cap. I.

Felonia est à *felo*: qua voce usus Matthæus Parisius in Historia: *Sub nomine felonis.* Origo à Germanico *faelen*, vel *feelen*, h. e. *errare, delinquere, cadere.* Est verò, ut Hostiensis ait, *Felonia* (sive ut alii scribunt, *Fallonia*) *culpa, seu injuria, propter quam vassallus amittit feudum.* Quàm varia sint feloniarum genera, Henricus Spelmannus, Eques Anglus, in eruditissimo suo Glossario ostendit.

Feltrum, sive *filtrum*, tegumentum è pilis coactis; ab Germanico *vilte*, vel Italico *feltro*. Habes Leg. Bajuvar. cap. VI, & alibi; item apud Helmoldum Presbyterum in Slavorum Chronico: uti quoque Florentium Wigorniensem in Chronico: adhæc Hethonum Armen. Histor. Orient. cap. XVI: *Et extendentes quoddam filtrum nigerrimum super terram, desuper sedere fecerunt Chanyium.* Ac mox: *Et de filtro nemo debeat admirari; quoniam fortè pulchriorem pannum non habebant, aut facere ignorabant.* Similiter S. Odericus, peregrinationis suæ cap. V: *Gens hujus terræ moratur in tentoriis ex filtris magnis factis.* Vita S. Meinradi, sive Meginradi, cap. IV, §. XIV *: *Nudo suppofuerunt filtrum, supponentes etiam & quadam fragmenta.* Diodorus Euchion Polychemiæ lib. III cap. IV: *Refrigeretur, & per diem quiescat, postea per feltrum distilletur.* Hinringus Lector: *Caballos quinque cum saumis, & rusias, & filtros, cum straduria sua, ad nostrum iter ad Romam ambulandum.* Gregorius de Heimburg, (qui temporibus claruit Pii II Pontificis) in Apologia pro Sigismundo, Archiduce Austriæ, adversus Lælium, episcopum Feltrensem, scitâ adlusione: *O feltrum grossum, Feltrensi populo dignum!* Quamquam ibi corruptè editum est *philtrum*, pro *filtrum*, aut *feltrum*. De origine falsus Balbus in Catholico: *Filtrum dicitur, quia ex filis, id est, pilis animalium fiat: unde filtratus. Manet vox & in Teutonico, & Gallico idiotismo.*

* In Vitis SS. ad 21 Jan.

Fiala sumitur non pro *phiala*, poculi plani ac repandi genere, ἀπὸ τοῦ πιεῖν † sic dicto; sed pro organo musico; eo, ut videtur, quod *chelyn* dixere, ac Galli etiam *phiole*, Itali *phiola*, Germani ac Belgæ *fioole*, vel *vioole* vocitant. Cæsarius lib. VI Mirabilium cap. VII: *Cum vice quadam joculare m introduxisset, & ille dulcedine fiala, dormientem excitâsset; surgenti servum occurrit, dicens, Quo vultis ire, Domine? Respondente illo, Melodiam audio dulcissimam, sed nescio ubi sit; servus subjunxit: Redite ad lectum vestrum; Monachi Tuitienses in organis cantant.* Nisi pro *fiala* scribendum *fiola*, per quartam vocalem; ut gentibus sonat, quas dixi. Et hoc veriùs puto: Nam etiam apud Suenonem est, Saxonis Grammatici æqualem, in Compendio Historiæ Danicæ cap. III: *Quot ingenti tripudio cœtus comitatur * histrionum, in fiolis, cytharis, choris, & tympanis, modulantes.*

† A bibendo.

* Meliùs dixisset, comitantur, vel comitati. vel mox pro modulantes, modulantium.

Flasco non significat *coronam pretiosam*, quod doctissimus noster amicus scripsit: sed lagenam; vas figulinum, aut vitreum, vino conservando idoneum. Quomodo & Græci recentiores φλάσκη, & φλασκίον, dixere. Imò & apud Papiam legas; *Flasca, Græci: pro recondendis phialis primùm facta sunt; unde & dictæ sunt.* Videtur putâsse, *flascas* esse sic appellatas, quasi *phialascas*. Omnino autem est ex Germanico *flasch*, aut *flesche*: unde & Italicum *flasco*, Hispanicum *flascon*, Gallicum *flacon*. *Flasco* sic usurpant Albinus Flaccus de vita S. Willibrordi cap. XVI, Walafridus Abbas Augiensis de vita S. Othmari Abbatis lib. I cap. IX, Hincmarus de vita S. Remigii, Andreas Presbyter in Chronico Bavarico; cujus verba: *Ignorans, quod calliditate quadam geminus potus in eodem flascone sibi offerretur.* Joannes Tyrocius in Chronico Hungarico lib. II cap. LXXXVIII: *Propter timorem hostium fecit illam* (coronam sanctam) *includi in flasconem.* Similiter Joannes à Leidis lib. II cap. XXVII, & XXIX. Etiam pro eo *flaxonem* dixere; si sana est lectio Florentii Wigorniensis in Chronico: *Flaxonemque vino à se benedicto plenum dedit.*

Flocus, vel *frocus*, (utroque enim modo vox ea scribitur) pars erat cultus monachalis ad caput operiendum. Goffridus, abbas Vindocinensis, S. Priscæ Cardinalis: *Domnus Ernaldus, quem decanum vestrum dicitis, si sibi secundum justitiam placuisset, teste flocello de capite suo, potiùs in nostra, quàm in vestra sorte, manere debuisset.* Ubi *flocellus* (quod ex *flocculus*, uti hoc ex *flocus* factum) cucullum, seu cucullam, signat: ac, quia caput tegeret, aliter *coopertorium* dicebatur: ut in Matthæi Parisii Additionibus. Hanc *coopertorii*, & *froci*, interpretationem etiam legas apud Turrecrematam in Regulam S. Benedicti, Tractatu CXXI, cap. LV. Goffridi autem verba inde lucem capiunt, quòd, (ut Sirmondus ad eum locum annotavit) qui è canonicis facti essent monachi, eoque flocello usi essent; si postea mallent ad canonicatum redire, tum quoque, ex Urbani II decreto, aliorum præter canonicorum morem, gestarent frocum: quòd ideo à Godefrido, Vindocinentium Canonicorum decano, fieri ait. Sanè de priori mutatione etiam est apud Ivonem epist. CCLXII, quæ scripta ad Pontium Abbatem. De altera autem Pontius hic testatur.

Foderum, sive *fodrum*, notat *alimentum, pabulum*: estque non à *fovendo*; sed à *foden*, vel *voeden*, hoc est, *pascere*: unde & Belgæ pro eo *voeder*. Habes apud Aimoinum lib. V cap. III. Item in vita Ludovici Pii *: *Inhibuit à plebeis ulteriùs annonas militares, quas vulgo foderum vocant, dari.* Guntherus Ligurini lib. VIII †:

* Pag. 344. edit. Commelin.
† Vers. 570.

> *Ac primùm Ligures super hoc à Rege rogati,*
> *Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,*
> *Cumque molendinis, telonea, flumina, pontes,*
> *Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,*
> *Et Capitolicium certo sub tempore censum,*
> *Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.*

Conradus I Imp. diplomate, quod habes Legum Longobardicarum lib. III Tit. VIII Leg. IV, & inde apud Car. Sigonium lib. VIII de Regno Italiæ: *Fodrum autem de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus: illud verò, quod non habuerunt, nullo modo exigemus.* Idem Sigonius lib. VII ejusdem operis an. ƆCCCCLXXIII: *Foderum summa quadam frumenti fuit, quam advenienti in Italiam Regi, populi solvere tenebantur: pro quo sæpe etiam æstimata pecunia pendebatur.* Vide & de eo Ottonem Frisingensem libro I de gestis Frederici II cap. XIII. Sed & legas apud Radevicum de gestis

stis ejusdem libro I cap. XLI, & lib. IV cap. X, & alibi apud eundem. Item Petrum de Vineis lib. II epist. XXIX.

Focis est canalis, ab Italico *foce*; uti hoc à Latinis. Nam à *faucis*, *focis*; *au* in O abeunte: quomodo dixere *caurus*, *corus*; *plaustrum*, *plostrum*; à *claustrum*, *clooster*. Leo Marsicanus libro I Chronici Casinensis cap. XVI: *Grimoaldus concessit S. Benedicto —— Piscariam de civitate Lesina, unà cum ipsa foce sua.* Similiter libro III cap. LXIII.

Fodratura malim, quàm, ut in nonnullis est libris, *fordatura*; nisi hoc ex altero factum κατὰ μετάθεσιν. Saltem prius est origini propius; cùm & Belgæ dicant *voedering*, & Angli *furring*, pro pelle, vel panno, quo vestis suffulcitur, ac duplicatur, à verbo *foeren*, vel *voeren*; quod est suffulcire vestem, Barbaris *foderare*. Concilium Generale Constantiense, Sessione quadragesimatertiâ, Canone de vita & honestate Clericorum †: *Decernimus penitus abolendum, quòd clerici & personæ Ecclesiasticæ —— longas cum magna superfluitate vestes, etiam fissas retro, & in lateribus cum fodraturis ultra oram excedentibus, etiam in fissuris, deferunt.* A *foderare* est *foderatus*, quod vulgo *gevoert*. Utitur Cæsarius lib. VIII Miraculorum cap. LIX.

† Editionis Coloniensis Quentelianæ an. 1538. fol. 562. at Coloniensis Binianæ anno 1606. pag. 1650.

Forbannitus vox est Longobardica; quæ *relegatum*, *proscriptum*, *exulem*, significat: ut vox naturâ sit adjectiva; sed substantivè usurpata. Est verò à verbo *forbannire*: quod apud Petrum de Vineis lib. V epist. CVII: *Propter contumaciam forbannimus eum in persona, & rebus.* Conflatum verbum ex aliis duobus: prior pars est Italicum *fuori*: vel Latinum *foris*; unde Italum illud, quod itidem *extra* significat. Altera pars est *bannire*; de qua in *Bannum* vidimus cap. III. Itaque & integrius *foris bannitus* dicitur. Prius illud habes in Legg. Longobardicis lib. I Tit. XXV leg. LXII. *De latrone forbannito, si liber homo susceperit eum, XV solidis componat, & servus CXX percussionibus vapulet.* Similiter in Legg. Salicis, Ripuariis, Siculis. Item in Kapitularibus Karoli M. ut lib. V cap. CXXXI; cujus titulus, *de toloneis forbannitis*. Etiam *forbannum* pro *proscriptione* legas in iisdem Kapitularibus lib. V cap. L: *Ut Comes, qui latronem in forbannum miserit.* Quæ verba, atque adeò totius legis, hausta sunt ex legibus Longobardicis lib. I Tit. XXV, leg. LXIII.

Forbatutus, qui prior percussit, ex Germanico *for*, sive *voor*, id est, *ante*, & Gallico *batre*, sive Latinè *batuere*, h.e. *ferire*, *percutere*. Universè verò per eum, qui prior verberavit, intelligendus omnis ille, qui prior intulit injuriam. Habes in legibus Ripuariis Tit. LXXVII, qui est *de homine forbatudo*: item in decreto Childeberti Regis cap. IV: *Judex loci illius solatio collecto ipsum raptorem occidat, & jaceat forbatudus.* hoc est, pro jure cæso habeatur. Adhæc in Formulis veteribus incerti scriptoris sect. XXIX*: *Ego hodie ipsum facio infra damnum, & forbatudum infra noctes XLII.* Item in veterum Formularum libris: uti Formul. Sollemn. CLX†: *Ego hodie ipsum facio fordanno, & forbatudo.* Ubi *fordanno* idem videtur, ac vox ea, quæ sequitur. Quippe quæ fit ex *for*, id est *ante*, & *dannen*, h.e. *salire*, *insilire*; voce non abludente à *dansen*, i.e. *saltare*, *tripudiare*, forte à Chaldæo דוץ *dutz*, quod Jobi XLI accipitur pro *gaudio exilire*. *Fordanno* igitur ad verbum sonet, *qui prior fecerit insultum*.

* In Codice Legum antiquarum Lindenbrogii curâ Francofurti editarum an. 1613. pag. 1288.
† Parisinæ editionis à Bignonio procuratæ pag. 245.

Foresta, *forestis*, & *forestum*, idem notant. Primum sæpius est in Constitutionibus Canuti Regis, quæ inscribuntur *De foresta.* Item apud Sigebertum Gembl. de vita Sigeberti, regis Francorum: *Tradidit ei ex ipsa foresta XII leucas in latitudine.* Item Lupoldum Bebenburgium lib. de zelo veterum Germaniæ principum. Alterum est in vita S. Meinwerci: *De foreste, quod incipit de Delphana flumine.* Similiter in vita S. Henrici Imperat. cap. XI, & XV. *Forestum* verò habes sæpius in Legibus Longobardicis: item apud Dithmarum Episcopum lib. III*. *De moneta, & foresto, inter Salam, & Mildam, fluvios.* Ut mittam Hedam, & alios. Imò & *forastum* pro eo est apud Baldericum Noviomensem in Chronico Cameracensi lib. I cap. CVIII, in diplomate Cæs. Ottonis III. Sunt verò ista à Gallis, qui dicunt *forest*: uti & Belgæ subinde *forest* pro *sylva*. Dubium interim, an *forestum* originis sit Latinæ, ex eo dictum, quia foris esset, sive extra urbem, & agros; an potiùs Galli, & alii, id acceperint à Normannis. Hinc *forestense*, apud Hedam†; *forestagium*, pro jure foresti, in Constitutionibus Neapolitanis, ac Siculis lib. I Tit. LIX; *forestarii*, præsides foresti, in iisdem Constitut. lib. I Tit. LXXVI. & lib. III Tit. XXXVIII; item apud Aimoinum lib. V. cap. XLVII, Petrum Blesensem epist. XXI, ac in vita S. Philiberti, & Matthæum Parisium in Histor. ad an. CIↃCCXIII*, nec non in Additamentis Vitarum†; adhæc in vita S. Henrici Imp. cap. XI, & XV: item in vita Hugonis episcopi Lincolniensis, &c. Atque ab eodem fonte non semel apud Matth. Parisium legas *afforestare*, pro *in forestum convertere*; sive foresti partem facere. Cui contrarium *deafforestare*, h.e. id, quod foresti, sive saltus pars erat, alium in usum convertere.

* Pag. 27.

† Pag. 276.

* Pag. 239. edit. Londinens. an. 1640.
† Pag. 154.

Fotrum, est capsa, qua deferrentur scyphi: ut ostendit Cæsarius lib. IX Miracul. cap. XXIX: *Fotrum, in quali scyphi à convivantibus portari solent argentei, ostendit.* Paullo post subdit: *Quomodo pertinet ad statum tuum visio fotri hujus?*

Fredum frequens est in Legg. Salicis, Ripuariis, Longobardicis, aliis: item in Capitularibus Karoli M. & Ludovici Pii. Loca non indicabo, quia abunde id factum doctissimi Lindenbrogii industriâ. Habes quoque apud Marculfum Formularum lib. I. cap. III. Aimoinum lib. V de gestis Francorum cap. XVII, in privilegio Pipini, Aquitaniæ regis, filii Ludovici Pii; & in diplomate Stephani Papæ, anno IↃCCCCXIII dato, apud Aubertum Miræum in Orig. Cœnobitarum Benedictinorum cap. XXVIII: præterea in Chronico Cameracensi lib. I cap. XXXVII, puta in literis Ludovici Pii, & ejusce libri cap. LXII, in literis Regis Arnulphi: item ejusdem operis cap. LXXVI, in literis Othonis imperatoris, hujus nominis primi: adhæc cap. CVII in literis Othonis III; quas, ex archivis Novariensis Ecclesiæ acceptas, etiam refert Baronius Annalium Ecclesiasticorum Tom. XI ad annum CIↃI*. Variant literæ: utrobique tamen *fredorum* vocem legas. Quid *fredi* nomine intelligatur, docet his verbis Gregorius Turonensis de Miraculis S. Martini lib. IV cap. XXVI: *Affirmavit Rex, quosdam ex his, qui absoluti fuerant, ad se venisse, compositionemque fisco debitam, quam illi fredum vocant, à se indultam.* Quæ ex Turonensi etiam adducit, trecentis eo annis junior, Flodoardus, lib. IV Historiæ Ecclesiæ Remensis cap. L. Sic igitur statuendum, *freda* nomine intelligi compositionem, sive mulctam, Regi, sive principi, debitam, ad pacem cum eo faciendam. Quod ad nominis caussam; *freda*, vel *fredum*, propriè est *pax*; quæ Germanis *frid*, Belgis *vrede*. Μεταληπτικῶς verò accipitur pro transactione ad pacem impetrandam; h.e. pro multa, quæ penderetur Regi, sive fisco, ut quis sic consequeretur pacem apud Regem. *Freta* per T dicitur in Constitut. Karoli Magni*: *Ut omnia debita, quæ ad partem regi solvi debent, solidis XII denariorum solvant, excepto freta, quæ in Lege Salica conscripta est: illa iisdem solidis, quibus cætera compositiones solvi debent, componatur.* Ubi observatione dignum, quod de duplici solidorum genere ait; uno XII denariorum, altero XL: de quo paucis ad locum adlatum Vitus Amerpachius; pluribus Lindenbrogius in Glossario, voce *Solidus*. *Fredi* vocabulum, & functionem, etiamnum obtinuisse temporibus Frederici II Imp. ex ejus edicto cognoscere est.

* Pag. 4. editionis Moreti an. 1608.

* Pag. 289. edit. Mogunt. an. 1602.

Friscinga, vel *frisgunga*, porcus qui necdum ad justum pervenerit incrementum. Interim differre à nefrende, sive porculo subrumo, aut lactente, arguit, quòd *friscinga*, & *porcellus*, distinguantur Kapitular. Kar. M. lib. IV cap. LXXIII: ubi legas, Episcopo dari debere *friscingas tres, porcellum unum*: Abbati, Comiti, & ministeriali Regio, *friscingas duas, porcellum unum*: vasallo Regio, *friscingam unam, porcellum unum.* Verrem potius, quam scrofam, exponere videtur Hincmarus Clero, & plebi

Tor-

Tornacensi: *Exigendo denarios, aut verres, seu friscingas.* Nisi mens illa, sufficere, si alterutrum detur. Alios etiam, qui usurpent, si voles, Lindenbrogii glossarium adi, & Sirmundum ad Caroli Calvi cap. v. Esse vocem eam à Germanis, ostendit illud, in veteri glossario Latino-Theotisco, quod in bibliotheca est Ducis Florentini: *Friskinga, frussing.* Nempe, ut puto, est à Germanico *frisch*, h. e. *novus, recens*; pro quo Belgæ *vrisch*, Angli *frish*, Itali *fresco*, Hispani *frisco*. Ut licet de subrumo non dicatur, nec vetulo: tamen conveniat anniculo. Sanè Helvetii hodieque, Vadiano teste, porcum silvestrem anniculum, aut paullò adultiorem, *frischling* vocant. Imò & Tolosatibus porci istiusmodi appellantur *fresingues*; ut monitum Pithœo.

Frocca, vel *froccus*, vestis monachalis: puto eadem, ac *roccus*, laxè eâ sumta significatione: hoc est, non quatenus *rock* tunicam notat: sed quatenus comprehendit id vestimentum, quod tunicæ injiceretur vulgo: uti lacerna, sive chlamys, quam & *byrrum*, & *manduam*, vocarunt. Sanè Spelmannus auctor est nobis, Londinenses bajulos *froc* appellare lineam illam vestem, quam cæteris inducunt. Et apertè à tunica distinguit Ingulphus Saxo in Histor. Croilandiæ: *Induit omni anno totum conventum cum secta suâ de tunicis; omni altero anno de cucullis; & omni tertio anno de froccis.* Volunt, pro eodem, caninâ literâ, ut sæpe, in L abeunte, etiam *flocum* legi. Ut apud Aimoin, de gestis Episcoporum, & Abbatum Turonensium, in Abbate XIX: *Et insuper ordinavit, quòd flocum cum cuculla portaremus, sicut modò deferimus.* Etiam Galli promiscuè dicunt, *Floc de Moine*, & *Froc de Moine*. Nempe *floci* vox ambigua est. Quandoque sumitur pro cuculla: ut ex iis liquet, quæ de flocello superiùs dicebamus. At Ingulphus, & Aimoinus, clarè à cuculla frocum, sive flocum distinguunt: ut proximè vidimus. Ac similiter Matthæus Parisius in Vitis abbatum S. Albani: *Tam formam cuculli, & frocci, quàm colorem transmutavit primitivum.* Hæc pluribus sum prosecutus; quia *froccum* esse idem, ac *cucullam*, cujus formam habet scapulare, Breulii sententia sit, in Notis ad Regulam Benedicti †.

† Pag. 132.

Fulfrea, vel *fulfreal*, in glossis exponitur, *sive ingenua, sive libera.* Nempe sic dicitur, qui, quæve, plenâ fruitur libertate: ex eo, quòd *plenus* Saxonibus *foll*, uti Anglis *full*, Belgis *vol*: ut liber Germanis *frey*, Anglis *free*, Belgis *vry*. Unde & *Frea*, libertatis præses, uxor Wodani *; ejus, à quo feria quarta nomen accepit, ut sexta à Frea. Hæc enim *vrijdag*; illa *wodensdag*, sive *woensdag*. Sed & *frea* in Legibus Longobardicis dicitur puella ingenua, vel libera in mundio, sive sub tutela. Ac mulier quoque Saxonibus *freo*: nempe non quælibet nupta, sed libera. A *freo* autem Germanis *frauw*, Belgis *vrou*. Itaque propriè *dominam* notat. *Fulfreal* habes in Legg. Longobardicis lib. I Tit. XXV. Leg. VI: quæ Rhotaris est: *Si mulier libera fulfreal super furtum comprehensa fuerit.* Sententia est, si furata sit mulier plenæ libertatis, qualem dicimus fulfrealem. Illustris etiam locus ille ejusdem libri Tit. XXII. Leg. V: *Siquis liber homo habuerit servum, vel ancillam; aldium, & aldiam, conjugatos; & instigante inimico humani generis, cum ipsa ancilla, quæ servum ejus in maritum habuit; aut cum aldia, quæ cum aldione ejus copulata est, adulterium perpetraverit: ita statuimus, ut perdat ipsum servum, aut aldionem, cujus uxorem adulteraverit; & simul vadant liberi, & absoluti fulfreales, tanquam si thingati*, (hoc est, manumissi) *fuissent, ubi voluerint: quia non est placitum Deo, ut aliquis homo cum uxore aliena debeat fornicari.* Item lib. II Tit. XII Leg. I: *Liberam uxorem, id est, fulfreal.* Et Tit. XIV Leg. XVII: *Libertus homo, qui fulfreal factus est.* Etiam habes Tit. XXXV Leg. I. III, VIII.

* Paulus Warnefridus de Longobardis lib. I. cap. 8.

Fustanum, vel potiùs *fustanum*, est id, quod Belgis *fustein*; Gallis *fustaine*: nec multùm abit vox Anglica, Italica, Hispanica. Sic verò dicitur pannus xylinus, sive gossypinus. Utitur liber Ramesiensis sect. CCLXV: *Dedit prædictus Abbas prædicto Hugoni unum fustanum, & Basilia conjugi suæ* (ejus, puta Hugonis) *alterum, & prædicto infantulo XII denarios.* Andreas Abbas in vita Othonis, Episcopi Bambergensis, lib. I cap. XLV: *Quicquid ex privata pecuniâ fustani, & purpuræ, coemere poteris, his jumentis in Pomeraniam dirigas.* Nec hac significatione, vel *fustani* vocem refugit Erasmus in Colloquiis; vel *fustanici*, Ludovicus Vives.

CAP. VIII.

De inchoatis à litera G: ut sunt ista: Gabarus, *pro insipido locutuleio.* Gabella, gabellum, *vel* glabrum, *pro vectigali, vel censu.* Gandeia, *pro navigii genere.* Garterium, *pro fascia crurali.* Gasachius, *pro adversario.* Gasrum *pro crustulo.* Galliardus, *pro eo qui agilis, ac hilaris.* Gasindus, *pro famulo domestico:* gasindium, *pro familia.* Gastaldus, *pro regio œconomo, hospitum curam gerente: proque eo & castaldus dici: & unde fit, quod hac vox etiam exponatur* Comes. Geldus, *pro pecunia.* Gesta, *pro fece.* Gilda, *vel* gildonia, *pro tribu, sive tribulium collegio.* Girgillus, *pro rhombo.* Grafio, *vel* gravius, *pro præfecto, vel Comite.* Græcolonus, *vox nihili apud Luitprandum, pro Græcósonus; quomodo dicitur Græcus interpres.* Grandebalæ, *pro pilis subalaribus: ubi & de* granone, *pro mustace.* Grangia, *pro horreo.* Grani, *pro capillis sparsis.* Griseus color, *pro cinereo.* Gualdum, *pro sylva.* Guardia, *pro custodia:* guardianus, *vel* gardianus, *pro custode; uti &* gardingus. Guerra, *pro bello.* Gufum, gosum, *vel* guia, *pro veste vili, eâque villosa.* Guntfanones, *vox ex corrupta Alcuini lectione nata.* Gurdus, *pro insipiente, ac insulso. Laberii versus numeris redditi.*

NOn diutius huic literæ insistam; quando ad sequentem G, ut arbitror, jam dudum tacita me vocat exspectatio.

Gabarus pro insulso, barbaro, est apud Isidorum in Glossis, & inde apud Papiam. Similiterque Excerpta Pythœana è Glossis. Censeo esse ab Italico *gabare*: uti hoc à Germanico, & Belgis usitato *gabberen*, hoc est, nugari, inepto uti sermone.

Gabella, vel *gabellum*, est vectigal, vel tributum, aut census. Anastasius in vita Stephani III: *Rex reddere promiserat Faventiam cum castro Tiberiaco, seu gabellum, & universum ducatum Ferrariæ integrum.* In Constitutionibus Neapolitanis *gabella* dicitur Tit. LIX. §. I. Leo Decimus, in redintegratione populi Romani ad sua privilegia *: *Propterea quòd ex redditibus gabellæ vini forensis hujusmodi, postquam lectorum studiis salaria soluta sint, liceat præfatis conservatoribus*, &c. Et paullo pòst: *Donamus quoque eisdem conservatoribus, & populo, in perpetuum, gabellam omnem vini forensis*, &c. Etiam alibi usurpat. Verba adduximus in *Dohana*. Est ab Italis, qui *gabella* vocant. Unde & *Gablum* Anglis: ut Inæ L. L. MS. cap. LXVI: sicuti videre est apud Spelmannum. Qui gabellam exigerent, ac colligerent, hinc *gabellati* dicebantur: ut in Constitut. Neapol. lib. I Tit. LIX, & LXXVI.

* Bullarii Tom. I. pag. 395.

Gandeia quid sit, docet vetus Juvenalis Scholiastes ad illud Sat. V:

> —— *Illud enim vestris datur alveolis, quod*
> *Canna Micipsarum prorâ subvexit acutâ.*

Genus, inquit, *navis, quæ Gandeia dicitur: ut sit gandeia Micipsarum, id est, Afrorum. Gandeiam enim soli Afri, id est Zamæi; vel, ut alii, Byzaceni; ut alii, Barcæ invenerunt. Significat oleum Tripolitanum.* Perperam, pro *gandeia*, rescribi hic *chelandrium* oportere, doctissimus Meursius arbitrabatur. Siquidem chelandria Afrorum erant: ut dicemus libro proximo, cap. IV. Possit aliquis suspicari, pro *gandeia*, rectiùs reponi *galeia*. Sed obstat, quòd *galeia* sit navis longa; cujus figuram Latinum nomen indicat: at *gandeia*, navis oneraria; qualis rotunda.

itaque onerarias naves, & longas, passim opponi videas, apud Livium, & alios.

Gardianus, & *gardingus*, qui sit, in *Guardia* dicemus.

Garterium, pro periscelide, sive fascia crurali: vox illustrata ordine equestri ab Eduardo III, Angliæ rege, instituto. Est à Gallo-anglico *gartier*; quo & ipso id notatur, quod *periscelidem* novè vocat Budæus.

Gasachius, pro adversario, Leg. Sal. Tit. LII, §. II. & Tit. LIII. §. I. Ex Germanico *ge*, id est, *cum:* & *sache*, *caussa*, *lis*. Ut nomen sit ex eo, quia de eodem cum aliquo lis sit. Vel ex *gegen*, pro quo Belgæ *tegen*, id est, *contra*, & nomine jam dicto. Quomodo contractum fuerit ex *gegensacher*, quod Græcè ἀντίδικος.

Gafrum legas apud barbaros ex Germanico *wafel*, quod etiam apud Belgas obtinet: similiterque Angli *wafre*. W solet converti in G: unde & Galli pro eo *gauffre*, vel *goffre*. Sic *gafrarium* legas pro eo, quod Belgis, *wafel-yser*. Hadriani Junii in Nomenclatore opinio est, quam Belgæ *wafel*, Galli *gauffre* vocant, eam *crustulum* Horatio † dici. Ac idem utensile, quo coquuntur, *artoptam* esse arbitratur. De quo dissentio.

† Lib. 1 sat. 1. & lib. 2 sat. 4.

Guillardus, vel *Galliardus*, reperio apud nonnullos, ex Gallico *gaillard*; hoc est, agilis, hilaris: unde & tripudii genus agile, ac lætum, *galliardum* vocant. Videtur Gallica vox esse à Gallico ardore, qui agilitatem ac lætitiam parit. Nisi posterior vocis pars sit ab *ard* sive *aert*, significante ingenium atque indolem: quomodo dicimus *goedaerdich*, hoc est, bonæ indolis.

Gasindus, vel *gasindius*, pro servo domestico, habes apud Marculphum lib. I form. XXIII: *Omnes caussa sua, suorumque amicorum, aut gasindorum.* Item lib. II form. XXXVI, cujus lemma: *Si aliquis servo suo, gasindo suo, aliquid concedere, voluerit.* Ubi *gasindum* id esse, quod dixi, cognoscimus ex primis hisce capitis verbis: *Justissime nostris sublevantur muneribus, qui nobis fideliter, & instanti famulantur officio.* Sic *gasindium*, pro familia: quomodo hac voce in legibus Longobardicis utitur Rachis Rex Tit. VI Leg. IV, & Rotharis Rex Tit. XCI Leg. XIII: ac similiter Pipinus Italiæ Rex, Tit. XIV. Est id vocabuli à Germanico *gesinde:* quod item familiam notat. Observatum summo viro, Hieronymo Bignonio *, in veteribus nonnullis formulis, ac capitulis etiam, pro *gasindo* dici *ministralem de intus casa:* nempe ad discrimen famulantis extra casam sive domum; in agris puta. Quamobrem non absurdè, ut puto, conjectabam, vocem *gasindus* conflari ex *casa*, pro *domo*, & *intus*. Nisi magis placet nobil. Spelmanni opinio, esse ex Francico *case* pro *domo*, & Saxonico *hynde*, pro famulo: ut sic dicatur quasi *cashyndus*. Videtur tamen non de famulitio solùm, sed & consanguineis, dictum. Nam in iis, quæ ex veteribus Glossis Pithœus excerpsit, legas: *Gasandus*, *hæres. Gaisanda*, *cohæres*.

* Notis in lib. 1 Marculfi cap. 36.

Gastaldus, vel *gastaldius*, propriè est aulæ præfectus, sive procurator rerum exterarum, sive peregrinarum; ut hospitum; unde & nomen. Nec enim dubitandum, quin vox sit composita, ac prior pars sit *gast:* quæ Germanis, & Belgis, notat *hospitem*. Solùm ambigi possit, num posterior pars sit *halten*, id est, tenere: an *ald*, vel *alt*; id est, famulus. Si prius placet, *gastaldus* dicetur, quasi *gasthalter*, vel *gasthalder*, h. e. qui convivio alios excipit. Atque hoc Vito Amerpachio placuit, ad editas à se Constitutiones Carolinas †. Sin posterius malis, fuerit ex *gastalt*, nempe quatenus *alt*, vel *ald*, notat famulum, ministrum. Ut ad verbum signet, hospitibus famulantem. Dixeris, *alt* idem esse ac vetus: servos verò ab ætate pueros dici solere, ac Græcis similiter παῖδας. Scio; sed & adulti sic vocabantur; ut ostendimus lib. IV Orat. Instit. cap. XII sect. IV. Præterea *alt*, vel *ald*, Germanis non quemvis signabat famulum; sed ingenuum. Nam inter *servos*, & *aldios*; *ancillas*, & *aldias*, distinguebant. Sic *aldia*, de illa, quæ nata sit liberâ matre: ut exponitur in Legibus Longobard. lib. I Tit. XXX leg. V. Sive autem prius, sive posterius etymon malis; *gastaldius* fuerit, qui regi, vel principi, inservit in curandis hospitibus. Ac hujusmodi propria est significatio: ut idem fuerit, ac *architriclinus*, vel *œconomus*, & in palatio Occidentalis Imperatoris, jam ab Othonis Magni temporibus, *dapifer*. Idemque Græcis ὁ μέγας δομέστικος; ut ostendunt, quæ de ejus munere scribit Codinus Curopalates libro de Offic. Constantinop. Postea *Gastaldi* latiùs extensa fuit significatio; nempe ad civitatum, & provinciarum præfectos: quomodo non in legibus modò Longobardicis sumi videas; sed etiam à Paulo Warnefrido lib. V Hist. Longobardicæ cap. XXIX. Similiterque usus in diplomate suo Conradus I, quod anno dedit CIↃ XXXIX: *Neque aliquis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdacio, procuratorve ullus, hanc sanctam Dei Ecclesiam inquietet.* Integrum si voles diploma, reperies apud Carolum Sigonium lib. VIII de regno Italiæ. Pro *gastaldus* etiam dixere *castaldus*; quia facilè G in C mutatur, & contrà. Habes apud Abbonem Floriacensem de vitis Pontificum *. In veteri glossario *Castaldus* exponitur *Comes:* nempe eâ Comitis significatione, quâ idem, ac ἐπίτροπος, sive *procurator:* de qua in *Gravus* voce inferiùs dicam. Alioqui *Castaldus* Comite est minor. Carolus M. in donatione S. Paulino, patriarchæ Aquileiensi, factâ ante hunc episcopatum †: *Omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Castaldis, vel omnibus fidelibus nostris, præsentibus, & futuris.* In veteri dictionario est: *Gallus major Dominus.* Sed emendandum, *Major domûs:* quomodo legimus Pipinum ex Majore domus in regno suffectum esse Childerico.

† Pag. 713, & 714. edit. Mogunt. a. 1602.

* Pag. 106.

† Apud Baronium tom. 9. Annal. an. 802.

Geldus, vel *geltus*, sive *geldum*, vel *geltum*, significant pretium, sive æstimationem, &, ut vulgo dicunt, valorem: à Saxonico *geldan*, pro quo Belgæ *gelden*, hoc est, valere. Ac inde *geldus*, pro pecunia, quâ cuncta æstimantur. Videntur autem & Græcobarbari eo usi, quando in lexico Philoxeni *lucar* exponitur θεατρικὸν γέλαν. Sic enim, pro γελίαν, rectè legi jubet Meursius in Glossario. Nec tamen per *geldum* semper pecunia signatur: verùm & ea, quæ pecunia exsolvuntur. Ut annui reditus, tributum, exactiones, mulctæ. Henricus Huntington lib. VII Histor. ad an. CIↃ C: *Vicinos werrâ, suos exercitibus frequentissimis, & geldis continuis, vexabat.* Ubi satis videmus, pro tributis, & exactionibus sumi. Etiam pro reditibus regiis, & cunctis ei quotannis persolvi debitis, usurpat liber Ramesi. Sect. CCXCIII: *Gelda autem Regis communia, quæ per omnem comitatum currunt, solvet Ebronius* &c. Ingulphus in Hist. *Quieti, & soluti ab omni scotto, geldo, vicecomitum auxiliis.* Matthæus Parisius: *Terras quietas ab omnibus geldis.* Habes & in Legibus Alemannorum Tit. II, Leg. LXX, LXXI, LXXIII. Multa ex hac voce componuntur: ut in præfat. legum Alfredi, *godgildus*, quod offertur diis: *deofulgyld*, quod offertur diabolo. Sæpius verò in compositis pro mulcta capitur, sive pretio, quod pro delicto exsolvitur. Unde *wergeldum*, pretium, quo vir occisus æstimatur: de quo dicam cap. XIX. Et huc etiam pertinent, quæ cap. XIV subdam in *Octogilt*, aliaque, de quibus adeas malim Spelmanni glossarium.

Gestam legas ex eo, quod Belgis *gest*, vel *gist*; pro purgamento, quo recens cervisia se defæcat, ac pistores utuntur, ut panis sit levior. Sic usus Matthæus Parisius ad an. CIↃCCIII: *In sale obolum, & in gesta obolum, & in candela quadrantem.*

Gilda hodieque Belgis *gilde*, Anglis *gylde*. Sic dicitur societas, vel collegium arctioris conjunctionis gratiâ constitutum, sive a mercatoribus, sive opificibus, sive aliis: in quo qui sunt, bona quædam habent communia, tanquam fratres, unde & *confratria* Hincmaro nuncupatur. In Carolomanni Capitulis tit. II. apud Veneris Palatium: *Volumus, ut presbyteri, & ministri Comitis, villanis præcipiant, ne collectam faciant, quam vulgò geldam vocant, contra illos, qui aliquid rapuerunt.* Caussa nominis ex eo, quòd pecunia quædam, (hæc Germanis, ac Belgis, *geldus*, vel *geldum*, ut suprà dictum) communis foret partum ad convivia publica, quæ certis temporis intervallis

vallis celebrarent, partim ad alios sumtus collegii totius nomine utiles. Ea pecunia colligebatur tum ex eo, quod darent, qui pars fieri collegii vellent; tum etiam ex mulctis, & aliis. Hinc *gildones*, & *congildones*, socii ejusdem gildæ, &, ut vocant, confratres. Ut in L. L. Inæ Missis cap. XIX: *Si quis ita occisi weram exigat, licet in veritate, quod pro fure sit occisus, & non respondeat ipsius occisi congildonibus* &c. A *gilda* item *gildonia* factum, pro eo, quod *gildschap* dicitur. Habes *gildonia* vocabulum (pro quo perperam in libris nonnullis *gildonia*) in Kapitularibus Karoli Magni lib. V cap. CXXIX. *De sacramentis pro gildonia invicem conjurantibus, ut nemo præsumat facere.* Similiter Hincmarus in Capitulis anno datis IↃCCCLII: *Ut de Collectis, quas geldonias, vel confratrias vulgo vocant, tantum fiat, quantum ad auctoritatem, & utilitatem, atque rationem, pertinet.*

Girgillus, ἀγκεδόνη, vel ῥόμβος, Isidoro Orig. lib. XX cap. XV, & in Glossis: item Excerptis Pythœanis e veteribus glossis, ubi exponitur *rota hauritoria*. Et Onomastico Latinogr. Fortasse fuerit à גלגל, *galgal*; quo *rota* significatur Psalm. LXXVII. 19, & Jesai. XVII. 13. Saltem id verisimilius puto, quam ut sit à gyro: unde foret *gyrulus*, *gyrillus*.

Græcolonus, monstrum vocabuli, legas apud Luitprandum in Legatione ad Nicephorum, Imperatorem Græcum †. Locum integrum apponam: *Tunc appositi sunt custodes, qui mihi, & meis, à domo mea exitum prohiberent. Latina lingua pauperes, qui me eleemosynarum gratiâ adierunt, comprehendentes ceciderunt, custodiæ tradiderunt. Græcolonum meum, id est, Græca lingua gnarum, non permittebant egredi, saltem ut sumtus emeret: sed cocum solum, Græca lingua ignarum: qui non signorum signis, sed digitorum, seu capitis nutibus, cum venditore emtor loquebatur; tantique nummis emebat quatuor, quanti Græcolonus obsonium uno.* Puto, utrobique *Græcosonus* rescribi oportere: ac sic vocari, qui Græcè sonaret. Facilis literæ *l*, & *s*, commutatio.

† Pag. 109. edit. Ingolstad an. 1600.

Grafio, *graphio*, *gravio*, vel *gravius*, ejusdem est dignitatis vocabulum. Cujus antiquitatem ostendunt cùm alia, quæ mox adferam; tum quòd utantur leges Salicæ Tit. XXXIV. §. V. Tit. XLVII. §. II. Tit. LII. §. II. Tit. LIII. §. II, atque alibi. Adhæc Carlomannus Rex in actis Synodi Franciæ habitæ anno IↃCCXLII: *Adjuvante graphione, qui defensor ejus Ecclesiæ.* Item Fredegarius Scholasticus in Supplemento Chronicorum Francicorum Gregorii Turonensis cap. XIV: *Cum Ducibus, & Graphionibus, secum habens Saxones:* Paullus Diaconus de gestis Longobardorum lib. V cap. XXXVI: Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib. I cap. XIV: *Episcopos omnes, & Abbates, Ducesque, & Graphiones, ac plures, qui secum venerant, honoratos, subscribere mandans.* Putant nonnulli, in quibus & Adolphus Mekerchus *, esse ἀπὸ τοῦ γράφειν †. Quomodo idem foret, ac γραμματεὺς, sive *scriba*. Sed fortasse adsentirem, si graphio archivis præfuisset, vel eo esset functus munere, quo illi, quos nunc *à secretis* vocamus. At verò longè aliud notat; nempe *judicem*, vel *præfectum*. Glossæ Latino-Theotiscæ: *Præses*, *gravo*. Ut omnino origine Teutonicum esse, existimem: ac fortasse à *grauw*, quod est, *canus*, & μεταληπτικῶς, *senex*. Sic ab ætate fuerit appellatio, ut Græcis πρεσβεῖς *, & πρεσβύτεροι †, ac Latinis *senatores*, & ætatis mediæ scriptoribus *seniores*; ex quo vulgò remansit *siegneurs*. Hanc sententiam firmat, quòd in antiquo diplomate regio legas: *Judicem fiscalem, quem grafionem appellant.* Nec obstat illud Suggerii de Possess. B. Dionysii: *Ab oppressione exactorum regiorum, quos dicunt grafiones.* Nam iidem & *judices*, & *exactores* mulctarum, pœnarumque. Hujusmodi munus committi fere iis solet, qui in palatio apud Cæsarem, vel Regem, egissent. Ac quamquam, in provincias missi cum gravii sive præsidis ac judicis potestate, non amplius Principem comitarentur; vetus tamen dignitatis nomen retinuerunt: sic ut qui Teutonico vocabulo forent Gravii, hi ab elegantioribus hominibus Latino Comitum nomine adpellarentur. Hinc Aventinus lib. VII: *Quos nos Graphios, literatores Comites vocant.* Rigordus in Vita Philippi Augusti Regis ad an. CIↃCCVIII: *Eodem anno quidam Comes Palatinus, qui eorum linguâ* Land-graef *vocabatur, id est, Comes Palatii.* Quamquam non satis commodè Landgravium interpretetur Comitem Palatinum, qui potiùs *Phaltzgravius*. At *Landgravius* est *Gravius* sive Comes *Landæ*, hoc est, terræ, vel provinciæ: ut *Marcgravius*, *marcæ* sive limitis: *Gogravius*, præfectus pagi, sive tractus alicujus terrestris, cujusmodi tractus Germanis *gow*: *Mergravius*, major præpositus, ex *mergrave*, vel *mergreve*: quomodo Teutones, Frisios, & Flandros, suos vocâsse Consules, legas in Legg. Eduardi Confess. cap. XXXV. Comitibus verò tributam fuisse potestatem judiciariam, indicat Gregorius Turonensis: qui paullo ante annum vixit sexcentesimum. Sic enim ille de S. Nicetio: *Nam vidi ego quodam tempore Basilium presbyterum missum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunensem urbem his diebus potestate judiciariâ gubernabat.* Et de B. Gregorio episcopo: *In Comitatu positus regionem illam per XL annos justitiâ comitante correxit.* Idem cognoscimus ex Capitularibus Caroli M. lib. III cap. LXXVII: *Neque ullus Comes Palatii nostri potentiores caussas sine nostra jussione finire præsumat: sed tantùm ad pauperum, & minus potentium justitias faciendas, sibi sciat esse vacandum.* Eginhartus in vita Karoli M. *Si Comes Palatii litem aliquam esse diceret, quæ sine ejus jussu definiri non posset; statim litigantes introducere jussit, & veluti pro tribunali sedens, lite cognitâ, sententiam dixit.* Item Walafridus Strabo de Divinis offic. *Quemadmodum sunt in palatiis Prætores, vel Comites Palatii, qui secularium caussas ventilant: ita & illi, quos summos Capellanos Franci vocant.* Etsi verò cum in provincias mitterentur, ut judiciis præessent, non amplius forent in regio comitatu: tamen Comitum nomen adhæsit ex veteri consuetudine. Imò & tandem illa appellatio sæpe honoraria solùm fuit, cùm iis Comitum nomen à Principe daretur, qui nec in comitatu fuissent regio, nec Gravii sive Judices Provinciarum forent.

* Lib. de Pronunciatione Linguæ Græcæ.
† A scribendo.
* Legati.
† Seniores.

Grandebalæ sunt pili sub axillis, quos volsellis molliores jubent evelli. Ita Calepinus in editionibus antiquioribus. Nam in illâ, quæ Passeratii dici solet, frustra quæras. Ac sic me loqui docebant pueritiæ meæ præceptores: quamquam hi non tam movebantur Calepini auctoritate, quàm doctissimi Hadriani Junii: qui idem tradit in aureo Nomenclatore suo; quod sanè miror. Omnino enim vox est barbara. Imò difficile est dictu, unde eam hauserit Calepinus. Antiquiores eo lexicographos adii: sed silent. Prior vocabuli pars videtur est *graen* pro pilo. Sanè Belgis *graenen*, Kiliano etiam teste, idem ac *knevelbaert*, h. e. *mystax*. Et in antiquis Frisonum legibus *grano* sumitur pro *mystace*. Ut Tit. XXII, qui *De Dolg* inscribitur, h. e. de vulneribus: ubi præcipitur, ut, siquis nasum præciderit, solvat XXIV solidos; si solùm transfoderit, XV; si aurem absciderit, XII; si maxillam inciderit, VI; unicum si dentem interiorem excusserit, vel inciderit summam frontis rugam, aut palpebram, aut supercilium, aut granonem præciderit, is duos tantummodo solidos annumeret. Quæ satis verisimile reddunt, non aliud esse *granonem*, quàm *mystacem*. Atque eadem penè, sed, pœnæ pretio variante, legas in Additione Sapientum Tit. III. Etiam Gesnerus annotavit ex Alberto M. feles amittere ferociam, siquis eis granonem absciderit: hoc est, pilos circa os. Posteriorem verò in grandebalis partem censeo esse *ala*: quod contractum ex *axilla*. Ut *grandebalæ* sic dicantur, quasi *granones alarum*, non particulari illâ *granonum* significatione, quâ *mystacem* notant; sed laxiori, pro *pilis* etiam aliis: de quo in *Grani* mox dicam. Vel *grandebalæ* fuerit conflatum ex tribus, quasi *granones de alis*. Nam genitivus à Germanis, ac Belgis, per præverbium exprimi solet: ut cum dicimus, *de goedheyt van God*, pro, *Godes goedheyt*. Aliter & deducere possis. Sed piget tam minutis meditatiunculis, præsertim in voce barbara, insistere.

Gran-

Grangia, prædium, villa, aut horreum: quomodo & Galli, & Angli, *grange*, à granis. Quamquam & latiùs vox patet, cum pro stabulis etiam equorum, boum, ac similibus locis, sumatur in Legibus Anglicanis: ut ad eas observatum Lindewodo. Usus quoque Cæsarius lib. I Mirac. cap. II, semel iterumque, & lib. III cap. XXV, lib. IV cap. LXII, lib. V cap. V, lib. VII cap. XV, lib. IX cap. LIV. Hinc *grangiarius*, pro villico. Idem Cæsarius lib. V cap. XXXIII: *Hæc apud nos ejusdem, puto, loci grangiarius recitavit*. Similiter lib. VII cap. XXXVIII. Item Chronicon Bohemicum de rege Joanne cap. XVIII: *Eodem tempore frater Laurentius, hodie grangiarius, infirmatus ad mortem*. Arbitror, idem ac *grangia*, esse *granchia*, apud Eugenium Papam in diplomate ad Heloissam: *Terram, in qua granchia vestra est, & oscham in eodem loco.*

Grani dicebantur Gothis mystacis pili, ut ex iis puto colligi posse, quæ in *Grandebalæ* paullo antè dicebamus. Nisi potiùs sic vocantur capilli sparsi. Isidorus lib. XIX Etymolog. cap. XXIII: *Nonnullæ etiam gentes, non solùm in vestibus, sed & in corpore, aliqua sibi propria quasi insignia vindicant: ut videmus cirros Germanorum; granos, & cinnabar, Gothorum.* Quo ex loco videmus, non debere in vestibus reponi: ut fallatur Joannes Garsias, quando ait, fuisse genus vestis laicæ oblongæ. Rectè interim in Concilio Bracarensi primo, quod temporibus Justiniani Imperatoris celebratum fuit, *granos* ex MSo, cùm priùs *gradus* legeretur, reposuit. Locus est Can. XI †: *Item placuit, ut Lectores in Ecclesia, in habitu seculari ornati, non psallant; neque granos gentili ritu demittant.* Pluscula etiam de hoc *granonum* vocabulo apud nobilissimum Salmasium legas in Plinianis ad Solinum Exercitationibus *.

† Tom. 2. Concil. pag. 645. edit. Binnianæ an. 1606.
* Pag. 763.

Griseus color, qui Latinis *cinereus*, vel *cineraceus*, ac Græcâ voce etiam *leucophæus*, à Germanico *grijs*: unde & Italis *griso*, Gallis *grise*. Usurpat Cæsarius Miraculorum lib. VI cap. V; & lib. VII cap. XXXIX; item Turocius Chronicorum Hungaricorum Part. II cap. LXXII: *Cujus corpus in monasterio griseorum monachorum de Pelu tumulatur.* Similiter *cucullam griseam* dixit Beka in Othone II, episcopo XXXIV.

Gualdum pro nemore, ex Germanico *wald*. Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. I cap. LIX, *Cellam de Gentiana cum gualdo, terris, & sylvis.*

Guardia, & *guardium*, vel *wardia*, & *wardium*, notant custodiam, tutelam: à Germanico *waraen*, unde Gallicum *garder*. i. custodire. Nempe W in GU, vel G, solet converti. Belgæ, extrito D, pro *warden* dicunt *waeren*, & *bewaeren*. Sed & W in simplex G convertitur. Itaque & *gardia* legas pro *guardia*. Ut in edicto Philippi IV Gall. Regis †, item in Stylo Cur. Parlam. cap. II: *Illorum, quos habent in gardia speciali. Feudum guardiæ*, quod custodi prædiorum, vel alius rei, datur mercedis nomine. Vide Feud. lib. I Tit. I, & VI. Ac similiter Feudistis *guardio*, pro custode: qui & *guardianus*, vel *gardianus*: quomodo *Ecclesiæ guardianum* dixere, qui ad hoc delectus ab Imperatore, vel Rege, ut Ecclesiam contra potentum injuriam defensitaret. Atque hinc etiam liquet, cur, qui Dominicanis *Prior*, is Franciscanis *Gardianus* vocetur. Ab eadem origine est *Gardingus*, quod de Regis, & palatii custodibus usurpatum. Victor, episcopus Tunnunensis in Chronico *: *Idem Belisarius, prælio superans, Gunthimer, & Gebamundum, Gardingos regis, fratres superat.* Habes etiam in legibus Wisigothicis, & Concilio Toletano XIII cap. II.

† Pag. 159.
* Pag. 38. edit. Ingolstadiensis an. 1600.

Guerra, bellum, non solùm illud publicè susceptum; sed etiam, quod privatim geritur a familiis inter se dissidentibus: cujusmodi inimicitia dicitur *faida*, ut superiori capite monebamus. Est a Germanico *werre*, hoc est, dissidium, inimicitia, bellum: ac similiter Galli *guerre*; Itali, & Hispani, *guerra*, Angli *warre*. Apud Belgas etiam hodieque *werren*, & *warren*, nunc turbare notat, & intricare; nunc dissidere, contendere. *Guerra* vocabulum ne in Carmine quidem refugit Guilhelmus Brito Philippidos lib. IX:

Immortale odium, & guerram Reginaldus habebat.

Uti nec Baptista Mantuanus:

Cur tam ridiculis igitur popularia corda
Observare opus est guerris?

In prosa verò innumeri penè usurparunt. In his Ivo Carnotensis epist. XXII, Baldericus in Chronico Cameracensi lib. III cap. XLII, Gaufridus abbas Altæ Tumbæ, in vita S. Petri, Archiepiscopi Tarentasii, cap. XXII, Cæsarius lib. IV Miracul. cap. XCIV, Guilhelmus Tyrius lib. III cap. XI, Matthæus Parisius an. CIↃCCXIII, Constitutiones Siculæ lib. I Tit. VIII Leg. I, Concilium Pisanum II, Beka in Ottone, Episcop. XXXVI, & Guidone, Episcop. XLII.

Gusum, & *gosum*, pro spisso, & soloci filo contexto, villosoque. Isidorus in Glossis: *Bigerum, vestis gusa, seu villata.* Pro eo & *cusa* dixere, proclivi literarum C, & G, commutatione. Glossæ Philoxeni: *Cusa, καμάεσα.* Ubi *καμάσια* optime restituit maximus Salmasius, Notis in Vopiscum. Nam *κάμασος*, & *καμάσιον*, villosæ vestis genus: quomodo Nazianzenus utitur in Testamento. Ac reperias etiam in Glossis Græcobarbaris. Imò & Isidorus in Glossis: *Camasus, amphimallus.*

Guntfano nihili verbum est. Habes in scriptoris incerti fragmento de ritibus veteris Ecclesiæ, edito à Wolfango Lazio †: *Insuper etiam laicorum schola cum vexillis, atque guntfanonibus, à longè præeunte.* Sed fragmentum hoc est ex Alcuini libro de Divinis Officiis: quem habes in bibliotheca Patrum auctarii Tom. I: ubi * excusum; *cum vexillis, atque fanonibus.* Abunde verò de fanonibus superiori cap. diximus. Sed, ut video nunc, opinioni isti valde adversatur, quòd Itali vexillum non *fanonem* modò, sed etiam *gonfalonem* appellant: quòd etiam Romæ is, qui præest militiæ Ecclesiasticæ vexillo, *gonfalonarius*, pro *gontfanonarius* appellatur: quòd item Florentinis, temporibus prioribus, magistratus fuit, qui *Gonfalonarius justitiæ* vocaretur: denique quòd in Constitutionibus Caroli Calvi tit. XXXII, sive apud Tusiacum cap. XIII: *Providentiam habeant, qualiter —— cum omni plenitudine, & necessario hostili apparatu, & ad tempus suos homines illuc transmiserit cum guntfanonario.*

† Pag. 168. edit. Antverpiensis Belleri an. 1560.
* Parisinæ edit. an. 1610. col. 246.

Gurdus in Glossis Isidori exponitur *lentus, inutilis*: in MSo membranaceo nostro glossario, *ineptus, inutilis*. Glossæ aliæ: *Gurdus, ὀμελός*: ubi sine dubio rectum, *ἀμβλύς*; quod valet, *obtusus, hebes*. Sanè Hispanis *gordo* significat *pinguem*. Pinguis autem pro *obtuso*; ut Aristophani *μέγας*, & *παχύς*, Catullo *longus homo*, Italis *grosso*; quod ex *crassus* esse factum, superiùs diximus. Usus *gurdi* vocabulo Abbo de Obsidione Lutetiæ lib. I †:

Æstibus accingunt carpentum arentibus arcis,
Ante fores gurdis miseranda gramine plenum.

Ubi sic, ut vocant, glossator: *Gurdi, id est, stulti: & hic Nortmanni intelliguntur.* Abbo is claruit paullò ante annum nongentesimum. At non putandum, vocem circa ea demum tempora cœpisse. Nam & bono ævo vox ea fuit nota. Ab Hispanis esse, censuit Quinctilianus, homo ipse Hispanus. Sic enim ille lib. I cap. IX: *Gurdus, quos pro stolidis accipit vulgus *, ex Hispania duxisse originem audivi.* Præterea etiam usos esse Afros, indicat Laberius in Cacomemnone; ut nunc apud Agellium legitur lib. XVII cap. VII; sive potiùs, ut restituendum censeo, cacodæmone. Versus sic vulgo concipiuntur, etiam in editione H. Stephani:

Hic est ille gurdus, quem ego
Me abhinc duos menses ex Africa
Venientem excepisse tibi narravi.

Quomodo planè ἄμετροι. Sic autem metro suo restitueris:

Hic ille gurdus, quem ego me abhinc menses duos
Ex Africa excepisse venientem, tibi
Narravi. ——

† Pag. 416. edit. Paris. an. 1601. qua additur Aimoino, & Leoni Marsicano.
* Quid si, quod Belgæ Jorde dicant pro simplici, ac fatuo, id non ab aliquo simplici homine, nomine Jordano, originem ducere credamus, sed ex gurdus? Nam G in I consonum sæpenumero commutatur à Gallis, & Belgis.

Fortasse igitur à Pœnis acceperint Hispani. Dixerit aliquis, si Laberius eâ usus sit voce, Latinitate donatam videri. Non improbarem, nisi contemtim ille de homine Afro sordidâ voce uti voluisset, ut eum rideret: ac præterea vocem sordidam postea elegantiores omnes refugissent: & Laberium, eâ utentem, notassent; ut ab Agellio factum videmus.

Cap. IX.

De barbaris nominibus ab H incipientibus. Haga, *vel* haia, *pro septo.* Halsberga, *pro colli, & pectoris, armatura: cui simile* bainberga, *pro ocrea: ac obiter etiam dictum de* brunia, *pro galea.* Hambergellus, *vel* habergellus, *vel* haubergellus, *pro lorica hamis conserta.* Harnascha, *pro thorace ferreo.* Harpa, *pro instrumento musico è lyra veterum enato.* Helmus, *pro galea.* Heraldus, *pro feciali.* Herebannum, *vel* haribannum, *pro mulcta militari eorum, qui detrectarent principem sequi ad militiam euntem.* Herestrata, *pro via publica.* Heribergium, *pro tabernaculo, vel etiam diversorio publico.* Heristallus, *pro loco, ubi castra metarentur.* Herminium, *pro veste è pelle mustela Alpina.* Herotochius, *pro duce exercitus.* Hida, *vel* Hyda, *pro casa cum agello alenda uni familiæ sufficiente.* Hoba, *pro villa, aut prædio.* Hosa, *vel* hossa, *pro caliga.* Hranne, *pro colostro.* Hundredum, *pro portione terræ, in qua viverent centum fidejussores; aliterque vocari* cantredam, *&* wapentachiam. Hurditius, *vel* burditium, *pro cratibus, quas obducunt urbium muris.* Hustingus, *vel* hustingia, *pro suprema alicujus diœceseos curia.*

HInc jam ad octavam me literam confero; si modò adspiratio in literis mereatur locum.

Haga in antiquis principum Donationibus legas. Est verò à Germanico *hag*, quod Belgis *haghe*, hoc est, sepimentum, septum. Amicus noster πολύγλωττος * in doctissimo suo Etymologico conjectat, esse ab ἅγιος, id est, sanctus: quo nec in versu Latino uti dubitavit Ekehardus Junior de casibus S. Galli cap. I:

* Multarum gnarus linguarum.

Tertius hac hagie Salomon dat dona Maria.

Putat nempe *hagam* propriè esse lucum; dicique *hagam* quasi *hagiam*, quia lucus omnis soleat à gentilibus numini cuipiam consecrari: unde & sylvæ ejusmodi erant incidua. Sed non censeo, *hagam* pro luco inveniri; verùm pro loco circumsepto; unde & *circulum* dixere. Itaque Germani novem Circulis, quibus Hunni, atque Avares, se in Pannonia sepiebant, *haga* nomen dederunt: quemadmodum docet B. Rhenanus lib. I rerum German. & Sebast. Munsterus lib. IV Cosmographiæ. Sanè militares isti circuli, quos & *burgos* dixeris, nihil minus erant quàm luci. Quia verò Galli G solent convertere in I consonum: eò & pro *haga*, *haia* reperias. Ut apud Spelmannum in Chartis vett. Anglicanis: *Dominus Rex habet unam Capellam in haia sua de Kingesle.* Item apud Carolum Calvum tit. XXXII, post cap. XXXVII: *Quicunque istis temporibus castella, & firmitates, & haias, sine nostro verbo fecerint.* Ubi videmus, sumi pro clausura, vallo, seu sepimento militari.

Halsberga, vel *halsperga*, vox est Saxonica, proprieque signat thoracem ferreum, sive armaturam colli, & pectoris, ab *hals*, collum, & *bergen*, tegere, protegere, munire. Itaque in Glossario Theotisco est: *Colliciuum, halsberga.* Quomodo & in Legg. Ripuariis cap. XXXVI §. XI. *bainberga*, pro ocrea, sive crurum armatura, à *bain*, sive *been*, tibia, & eodem *bergen*. hoc est, servare, conservare. Ut audiendus non sit Wolfangus Lazius, qui *halsperg* interpretabatur *arcum*. Ex scriptoribus vetustis, qui Germanice scripserint, voce *halsperg* usus est scriptor rhythmicus de gestis Theoderici Bernensis †: item poeta alius de S. Annone, Coloniensi Archiepiscopo. In Latinis h. *Halsperga* legas apud Karolum Magnum, in diplomate Wormatiæ dato anno IↃCCXC, decennio antequam salutaretur Augustus: *Principes cum militibus de Romana expeditione acerbè contendere, eos multò plures halspergas de beneficiis suis sibi ducere, quàm illi fatentur se posse, vel jure debere.* Ac postea: *Hoc in arbitrio dominorum pendeat, à quibus stipendia accipiant, quibus halspergas concedant.* Primus hoc diploma à Marco Velsero sibi transmissum edidit Rittershusius, suoque Guntheri Ligurino subjunxit. Ex quo plenius de halspergis cognoscere est; ut & de *brunis*; quæ itidem milites suis debebant dominis, quando ad bellum irent. Verba Karoli Regis sunt: *Quicunque secundùm hanc legem eadem expeditio imperetur; si ad curiam Gallorum, hoc est, in campum, qui vulgo Rungalle dicitur, dominum suum non comitetur, & ibi cum militari apparatu non repræsentetur, feodo, præter hos, qui cum gratia dominorum suorum remanserunt, in conspectu nostro absque spe recuperationis privetur. Qui autem hominum, sive liberi, sive famuli, dominis suis adhæserint, quot decem mansos in beneficio possideant, tot brunias cum duobus scutariis † singulas marcas accipiant: & sic eundo, & redeundo, cum hoc stipendio, sine omni dominorum damno, vel expensa, nisi quantum ipsis dominis placuerit, fideliter serviant.* Ac aliquanto pòst: *Domino suo, ad quem pertinent, bruniam cum uno scutario.* Ubi *scutario* legendum, quia sermo de *scutagio*, ut vocant, hoc est, scuti servitio. Habes & de bruniis Kapitularium Karoli M. lib. III cap. LXXV: *Neque bruniam, vel gladium, sine nostro permissu dare, aut vendere, præsumat, nisi tantùm vassallis suis.* Item Additionis IV cap. XCII: *De bruniis, ut nullus foras nostro regno vendere præsumat. Loricam* interpretantur: malim iis adsentire, qui capitis armaturæ accensent. Quippe veteri Saxonum linguâ *brynn* galeam signat; fortasse quia muniat, & servet, cerebrum; quod Hollandis *bryne*, & *brein*. Scrupulum interim injicit Glossarium Latino-Theotiscum: *Thorax militare munimentum, lorica, brunia.* Item, quòd, ut diversa, conjungantur, *byrne*, *und helm*, in L L. Anglosax. Æthelstani Reg. cap. XXV. Quomodo & *halspergin*, *brunieun*, & *helmi*, ut distincta, sociantur in rhytmo de Annone Coloniensi Archiepiscopo †. Vitus Amerbachius * per *brunias* intelligit domunculas; sed planè errat.

Hamallus quid sit, in *Mallus* inferiùs dicetur.

Hambergellus, *habergellus*, vel *haubergellus*, formâ diminutivâ fiunt ex *hambergus*, vel *hambergium*: uti hoc, (velut scitè conjectat Spelmannus) conflatum ex Gallico *haim*, sive Italico *hamo*, quæ idem ac *hamus*, & Saxonico *bergen*, hoc est, servare, custodire, munire, defendere: ut in *halsberga* diximus. Propriè igitur signet loricam hamatam, sive pectorale ex hamis, hoc est, catenis, & squamulis, confectum. De quo sic Maro III Æn.

Loricam consertam hamis, auroque trilicem.

Ac similiter hamos in lorica agnoscit Silius lib. V, & Sidonius Panegyrico ad Anthemium:

—— *Nec sutilis illi*

Circulus impactis loricam texuit hamis.

Cùm alibi habes, tum in decreto Alexandri Papæ: *Nullus Judæus habergellum penes se retineat.* Nempe non permittendum, ut si cum Christianis à lite ad pugnam deveniatur, illis, beneficio habergelli, pectus non æquè ad ictum pateat, quàm homini Christiano.

Harnascha, armatura, ex Germanico *harnasch*, vel *harnisch*; unde & Gallicum *harnois*, Anglicum *harneis*. Doctissimus amicus noster putabat, *harnisch* esse ex *arineus* ab ære, quia præcipuè diceretur de thorace æreo. Sed priscis quidem Græcis armatura ex ære, ut ex Homero, & poetarum aliis, liquet: Germanis verò potius è ferro. *Harnascha* vocabulo usus Radevicus Frisingensis de gestis Friderici I lib. III cap. XXVI: *Auferetur ei* (militi) *omne suum harnascha.* Ac deinde: *Redimat eum cum omni sua harnascha.*

Harniscara, & *harmiscara*, legas in Capitulis, &

† Sive Veronensis.

† Videtur al quid deesse.

† Pag 15. & 16. edit. Danisc. an. 1639.

* Notis in Constitutiones Karoli M.

Constitutionibus Caroli Magni: ut difficile sit dicere, utra verior sit appellatio: &, incerto nomine, incertum etymon. Imò & Legg. Longobard. lib. III Tit. I leg. XLIII codices dissentiunt, quorum alii *harmiscaram*, alii *ariscadam*. In Capitulis tamen Caroli Calvi nunquam est *harmiscara*: sed, ut Sirmondo est observatum, vel *harmiscara*, vel *harmscara*, ac quandoque *harscara*. Habes tit. IX cap. IX*, & tit. XX cap. IX, item tit. XXXIV cap. IX, & tit. XLIII cap. VIII. Pœnæ esse genus, satis liquet; & *ariscada* si rectum, id notet, quando quis infamis pronunciatur, nec ulteriùs capax publicæ dignitatis: ab Germanico *ar*, sive *eer*, hoc est, *honor*, & *scade*, sive *schade*, id est, *damnum*; ut propriè signet *honoris jacturam*. Saltem malim id, quàm quod Vito Amerpachio* placitum, ut *armischara* dicatur, quasi *armscheer*, h. e. brachii forceps, aut vinculum.

* Pag. 91.

* Notis ad Constitutiones Karoli M. p. 123. edit. Mogunt. an. 1602.

Harpa, pro instrumento musico è lyra nato, ab ea tamen diverso: ut ostendit hoc Fortunati lib. VII Carm. VIII:

Romanusque lyrâ, plaudet tibi barbarus harpâ.

Quomodo differant chelys sive cithara, & Mercurii lyra sive testudo, item ea, quicum Apollo, Hercules μουσαγέτης, & Arion, visuntur, de lautæ etiam discrimine, & harpæ, vide quæ ad Manilii sphæram barbaricam Josephus Scaliger annotavit †. Ut ab Germanico *herp* est *harpa*; ita inde *harpare*, & *harpator*, in vett. Anglorum Legg.

† Pag. 49 & seq. edit. Raphelng.

Helmus, pro galea, vel casside, ex Germanico *helm*: quam vocem etiam retinent Itali, Hispani, Angli. Ut Latinum usurpant L. Ripuar. Tit. XXXVI, §. XI: *Helmum cum directo pro sex solidis tribuat.*

Heraldus est principis internuncius in bello indicendo, vel agendo de pace, aut induciis: qui olim *fecialis*, & *pater patratus*. Sanè prior pars vocis in *her-alt*, vel *her-out*, exercitum notat: posterior non tam ætatem signat, quàm dignitatem, senibus solitam conferri: quomodo & inde dicti *senatores*, & Græcis πρέσβεις, *legati*, à πρέσβυς, *senex*. Vel potiùs nomen id legato datum, quia legatur ad hoc munus principi suo fidelis: ac facta vox ex *her*, quatenus *dominum* signat: & *holt*, vel *hout*, id est, fidus, sive fidelis. Itaque, quem antea dixi, Wilramus in eo ipse Cantico habet, *Her is mir so hold*: quod nunc dicimus, *hy is mi so trou*. Et vulgare est illud, *hou, en trou zijn*: hoc est, *obstrictum, fidumque esse*. Nam idem *holt*, *hout*, *hou*. *Heraldus* igitur minister principis, fidei nomine domino suo commendatus. Credo autem, *holt* vel *hout*, ex *helden*, vel *houwen*: h. e. detinere, servare; quomodo dicimus *beloften houwen*, servare promissa. Ut *holt* hic sit tenax fidei.

Herebannum, vel *haribannum*, aut *aribannum*, ab illustri Comite Hermanno Nuenario, in Dissertatione de veterum Francorum sedibus exponitur, *mulcta, quæ Domino, hoc est, Principi, debetur*. Verùm non est bannum dominicum, sed militare. Nec enim prior vocabuli pars est ab *her*, sive *heer*, quod herum, vel dominum, notat: sed ab *her*, vel *heir*, vel *harr*, significante exercitum. Unde proprium viri *Herman*, vir militaris: proprium loci, portus *Herwijus*, sinus exercituum, ut interpretatur Saxo Grammaticus lib. VII; quia *wick*, Danis sinus: *hereschilt*, clypeus militaris; ut exponitur in Chronico Lautishaimensi: item *heribergium*, *heristallus*, & *herotochius*; de quibus mox dicam. *Banni* nomen variè admodum accipi solet: sed hic pro mulcta sumitur*. *Heribannum* igitur sive *herebannum*, vel *haribannum*, notat mulctam militarem: præcipue eam, quæ Græcis λειποτάξιον, vel λειποστράτιον, hoc est, quæ solvenda erat, siquis à principe evocatus ad militiam, non advenisset. De quo pœnæ genere sic Gregorius Turonensis Histor. lib. V sect. XXVI: *Rex de pauperioribus, & junioribus Ecclesiæ bannos jussit exigi pro eo, quod in exercitum non ambulassent.* Ubi, *non ambulare in exercitum*, significat, non sequi principem ad militiam euntem, licet sis evocatus. Ea mulcta quanta fuerit, habemus in Capitul. Caroli M. lib. III capit. LXVII: *Quicunque liber homo in hostem bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum heribannum; id est, LX solidos persolvat. Aut si non habuerit, unde illam summam persolvat, semet ipsum pro wadio in servitio Principis tradat, donec per tempora ipse bannus ab eo fiat persolutus: & tunc iterum ad statum suæ libertatis revertatur.* Legas & cap. XIV: *De heribanno volumus, ut missi nostri fideliter exactare debeant.* Item cap. LXVII, & seq. ejusdem libri. Nec non apud incertum in vett. formulis cap. XXXI; & Carolum Calvum tit. XXXI, sive Edicto Pistensi cap. XXVII. Sic quoque Einhardus epist. XXII: *Et ideo non videtur mihi justum esse, ut heribannum solvere debeant, qui non alubi fuerunt, nisi ubi ipse imperator præcepit.* Insuper legas in Gestis Romanorum ante Rollonem Ducem, puta *in* anno DCCCLXIII †: *Sed & à presbyteris, secundum quod unusquisque habuit, vectigal exigitur, & herbanni de omnibus Francis accipiuntur &c.* Hinc in Capitulis Caroli, & Ludovici, *heribannator*, mulctæ istiusmodi exactor. Aliter etiam *heribannum* accipitur. Sed de isto, & aliis, malo adiri eruditum Spelmanni glossarium: quod, hactenus dimidiatum, utinam aliquando, modò superstit, integrum publici faciat juris.

* De priori parte vocis similiter Amerpachius: de posteriori aliter. Eum vide ad Constitutiones Karolinas pag. 310. edit. Mogunt. anno 1602. Item sit p. 287.

† Pag. 3.

Herestrata in Legg. Anglicanis Henrici I cap. XI: *Omnes herestratæ omnino Regis sunt.* Ex Germanico *her*, sive *heer*, dominus, & *straet*, via, sed propriè lapidibus strata; ut *herestrata* idem videatur ac *via regia*.

Heribergium est in Adnuntiatione Domini Karoli in edicto Pistensi cap. XXXVII: *Heribergum nostrum, quod præterito anno hic fieri jussimus.* Et post pauca: *Volumus, & expresse mandamus, ut sicut nec in nostro palatio, ita nec in isto heribergo, aliquis alius sine nostra jussione manere præsumat, nec illud aliquis destruat.* Videtur sermo de loco castrensi. Sanè *heriberga*, & *heribergium*, propriè, primoque *tabernaculum* notat: ac sic dicitur ab *her*, sive *heir*, h. e. exercitus, & *bergen*, quod est, custodire, servare, continere. In hac sententia valde me firmat Willeramus Abbas in Paraphrasi Cantici Salomonici: ubi illud, *Sicut tabernacula Cedar*, vertit linguâ veteri Francicâ: *thiu hereberga Cedar*. Nunc pro eo *hutten* dicimus. Sed latiùs postea est extensa significatio. Utimur enim pro quovis diversorio publico. Sic *heribergare*, pro hospitio excipere. In Capitulis Karoli M. lib. III cap. LXVIII, quod est de heribanno exactando: *Nec pro heribergare, nec pro alio banno, heribannum Comes exactare præsumat.* Goropius Becanus putabat, *her* etiam notare *publicum*, vel *commune*: & inde *herberg* dici, quasi publicum locum, ubi divertas. Hoc adstruebat ex *her-man*, *her-tog*, *heraut*. Sed in his etiam *her* notat exercitum: ac eorum primum sonat virum castrensem, & armis egregium; alterum, exercitus ducem; tertium verò, fecialem, sive pacis bellique internuncium; quamquam de hoc & alterum paullo antè etymon adduximus.

Heristallus, locus ubi castra metarentur, ex *her*, sive *heir*, h. e. exercitus, & *stal*, id est, stabulum, atque omnis locus, ubi consistitur. Monachus Paderbornensis lib. I de vita Karoli M.

Nomen heristalli dederat cui barbara lingua.

Locus iste, quia fossâ cingeretur, etiam *fossatum* vocabatur: de quo inferiùs dicemus.

Herminium, vestis pretiosa è pellibus mustelæ Alpinæ, sive albæ, quæ Belgis *armelijn*, Anglis *hermine*, Gallis *armelin*, vel *hermine*, Italis *armelino*, Hispanis *armino*. Galfridus Monæmuthensis lib. IX, cap. XIII: *Cujus dapifer herminio ornatus; mille vero nobilissimis juvenibus comitatus est, qui omnes herminio induti fercula cum ipso ministrabant.* Vidi, qui *herminium* putaret esse serici genus, quod Belgæ dicunt *armesy*: sed literæ abeunt; nec *armesy* integrum est, sed *carmesijn*: uti & Hispanis *carmesi*, à vermiculo Arabicè dicto כרמז *carmez*; sive articulo addito, *alcarmez*. Is vermiculus gignitur in granis sive baccis cocci, ac liquore hujusmodi vermiculorum pannus coccino sive purpureo tingitur colore. Unum tamen obstare huic sententiæ videtur, quòd *carmesinum* significet purpureum colorem: *armesinum* sit telæ genus, non illum modò, sed alios etiam recipiens colores. Vide igitur, an non

non *carmesinum* quidem inde fit, unde dicebamus: sed *armesinum* fit ab Armusio urbe, sive Ormo, nobili Persiæ emporio, unde advehi primitus solet. Ac sic potiùs cl. v. Bartholdo Niuhusio videbatur.

Herotochius, sive *herotoch*, idem qui Germanis *hertog*, h. e. exercitus ductor, ab sæpius jam memorato *her*, sive *heir*, exercitus, & *togen*, trahere, ducere, à quo *tocht des heirs*, iter militare, vel excursio exercitus. In legibus Anglicanis Eduardi Confessoris, sive ejus potiùs Auctario, Titulus est cap. XXXV, *De heretogiis*. Inque Lege ipsa: *In quolibet Comitatu semper fuit unus Herotoch, per electionem electus ad conducendum exercitum Comitatus sui, juxta præceptum Domini Regis*. Nec tamen Britannis *heretochii* majores Comitibus, sed potiùs Vicecomitibus æquales: quod doctissimo Spelmanno ostensum istoc è Legibus Henrici I; ubi recenset, qui debeant convenire ad Generalia Comitatuum placita: *Intersint Comites, & Vicecomites, Heretochii, Trithingrevii, Ledgrevii* &c. At planè deceptus Goropius Becanus, cùm *her* in *hertog*, *publicus* interpretatur: de quo in *herbergii* vocabulo dictum.

Hida, vel *hyda*, idem ac quod *mansum*, vel *manerium* dixere: puta domus, ac tantum agri ad eam pertinens, quantum sufficiat uni alendo familiæ: sive casa, fundusque magnitudinis ejus, ut unum ei aratrum in annum sufficiat. Ita *hidam* interpretatur Henricus Huntington lib. VI, an. CIↃ VIII, sive Regis Edelredi XXX: item scriptor Annalium Waverliensium, & Matthæus Parisius, uterque in an. CIↃ LXXXIII. Ut planè deceptus sit Polydorus Virgilius, cùm ait, hidam XX jugera complecti. Utitur & eâ voce Wilhelmus Malmesburiensis lib. I de Gestis Regum: *Semperque ad finem seculi in omnis sua hereditatis decima hida, pauperem vestiri, & cibari præcepit*. Item usurpat Rogerus de Hoveden Annalium Anglicanorum Tom. II; nec non in vita Guilhelmi Senioris. Erat verò Anglia universa in hidas divisa: at quantum rex ex quaque hida perciperet, pro temporibus variabat. Solùm igitur apponam hoc dicti antea Rogeri Huntidon. lib. VI: *Eo tempore cepit Rex ab unaquaque hida Angliæ sex solidos*. Quod ad magnitudinem hidæ, Gervasius Tilberiensis tradit part. I cap. penult. hidam constitisse ex centum acris: hundredum verò ex hidarum aliqquot centenariis.

Hoba est ex Germanico *hoube*, sive, ut Belgæ dicunt, *hoeve*: quo nunc villa, aut prædium, significatur: nunc verò certa signabatur agri portio, quæ Saxonibus, Sicambris, Frisiis, *hoeve-lants*. Habes in veteribus scriptoribus Germanicis, variisque diplomatis. Ac quia integrum est *houba*, eò ex diphthongo, non tantùm, postpositivâ omissâ, dicitur *hoba*: sed præteritâ etiam præpositivâ, *huba*: ac in priori, neglecto spiritu, *oba*. Imò & *hioba*, & *hobunna*, pro eo est in Traditionibus Fuldensibus; illud lib. I cap. LXIX, hoc lib. II cap. XXV. De *hoba* contentus ero adferre hoc Ansfridi, Comitis Palatii, in Donatione anni IↃCCCLXII*: *Mansum indominicatum, cum ædificiis, & omnibus utensilibus, habentem hobas tres, hobas serviles XIX, & silvam, in quam mittere possumus mille porcos perfectè saginari*. Item istoc ex diplomate Othonis primi: *Dotem quoque Ecclesiæ, id est duas hobas possessas, & beneficium presbyteri in eodem loco deservientis, id est, unam hobam*. Ubi videmus, *hobam* dici *dotem Ecclesiæ*, ac *beneficium presbyteri*. Proque eodem *colonica vestita* legas cap. IX Concilii Valentini, celebrati anno IↃCCCLV. Ab *hoba*, sive *hova*, & *waeren*, hoc est, servare, est *hovesvart*, *die de hoeve bewaart*: quasi dicas, custos villæ. Lex Baiovariorum Tit. XIX. §. IX: *Si autem canem, qui curtem domini sui defendit, quem hovawarth dicunt, occiderit; post occasum Solis in nocte, cum III solid. componat*. Habes & in Latinogermanico Speculo Saxonico lib. III artic. LI: ubi Latinè quidem, *canis custodiens curiam, seu canis fundi*: Germanicè autem, *Den hoffwartenden hundt*.

* *Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 32. p. 52.*

Hosa, à Germanico *hose*, unde & Græci ὄσιον formarunt: ut sæpius apud Achmetem videre est cap. CCXX. Est genus calceamenti, quod alii, *ocream*, alii *caligam*, *calceamentum* itidem *militare*, interpretantur. Paullus Diaconus lib. IV de gestis Longobard. cap. XXIII: *Calcei eis erant ad summum pollicem penè aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Postea verò cœperunt hosis uti; super quas, equitantes, tubragos birreos mittebant*. Notkerus, sive quisquis monachus ille Sangallensis, de Gestis Karoli M. lib. II: *Cumque ad obsequium domini cuncti hossas suas vellent extrahere, ille prohibuit, advocatâque Reginâ, ostendit ocreas disruptas*. Easdem signat Matthæus Parisius in Historiæ suæ anno CIↃCCXLVII: *Pretiosissimis vestibus adornati, calceamentisque militaribus, quæ vulgariter* HEUSES *dicuntur*.

Hranne, vel *rhanne*, colostrum, à Germanico *rhan*, quod idem notat, nempe lac, quod paullò post partum mulgetur. Belgis *biest* vocatur. Lex Salica Tit. II: *Siquis porcellum lactantem furaverit de hranne prima, aut de mediana, & inde fuerit convictus; CXX denariis, qui faciunt solidos III, culpabilis judicetur; excepto capitali, & dilatura. Si verò in tertia hranne furaverit; DC denariis, qui faciunt solidos* XV, *culp. jud. exc. cap. & dil.*

Hundredum sæpe legas in Anglicorum Regum diplomatibus, & ejus gentis scriptoribus in his Mat. Parisio an. CIↃCCXLII: *Omnes Comitatus Angliæ; omnia hundreda, civitates, & burgi*. Significat verò partem Comitatus, in qua habitarent centum Regii fidejussores. Aliterque dicebatur *wapentachium*, & *cantreda*. Postremum hoc est gentis Cambrobritannicæ: puta à *centum*. Duæ aliæ voces sunt à Saxonibus: *hundredum* quidem ab *hundred*, quod Belgis *hondert*, h. e. centum. nempe à fidejussorum numero, quem dixi, centenario. *Wapentachia* verò à *wapen*, h. e. armis: quæ, quoties novus esset hundredi dominus, ei in subjectionis signum reddebant: ut traditum Ranulfo Cestriensi lib. I cap. L. Sed de etymo *Wapentachii* dicam pleniùs hujus libri cap. XX. Iste verò *hundredarius*, sive hundredi dominus, idem videtur ac Germanorum *centgravius*: quasi centradæ, sive cantradæ Comes. Quanquam de isto paullo aliter Marquardus Freherus in Originibus Palatinis cap. V. Sed explicatiùs planè de eo Spelmannus. Nec tamen contendero, planè eandem in Germania rationem fuisse centgraviorum, & præfectorum huntredi, vel cantradæ, in Anglia.

Hurditius, vel *hurditium*, significat crates vimineas, quibus muri obteguntur, ut cedendo magis, quàm resistendo, vim missilium morentur, atque infringant. Planè vox est à Saxonibus; à quibus, & Anglis hodieque crates *hurd*, & Belgis *horde*. Brito Armoricus lib. I Philippidos:

> *Mangonellorum tormentis saxa rotantur*
> *Ictibus assiduis: hurdicia fracta recedunt.*

Et lib. VII:

> *Haut secus absumit bristegas, valla, domosque,*
> *Et quæ reddebant tutos hurditia muros.*

Imò nec idem refugit *hurdare*, pro *hurditiis* vestire ac contegere. Locus est lib. I:

> *Hurdari turres, & propugnacula, muros*
> *Subter fulciri facit.*

Hustingus, *hustingia*, vel *hustingum*, Anglicis scriptoribus dicitur suprema alicujus burgi, vel civitatis curia. Quomodo hustingum suum habuit Londinum, suum item Eboracum, suum & Wincestria, & Lincolnia, & loca quædam alia. Conflata vox ex Saxonico *huys*, domus; & *ding*, quod est judicium, unde *dingen*, hoc est, litigare, judicio contendere, caussas cognoscere. Sic sumitur in Libro Ramesiensi sect. CCLXVIII, ubi agitur de venditione, emtioneque factâ *in præsentia totius Hustingi*. Item in Legibus S. Eduardi cap. XXXV: *Debet in London, quæ caput est regni, ac legum semper curia Domini Regis, singulis septimanis die Lunæ Hustingis sedere, & teneri*. Dignum verò observatione, quòd me docuit eques Spelmannus, hodie, non, ut lex habet Eduardi, die Lunæ, Londini in

Hustingo conveniri; sed die Martis: & tamen, ne videatur a Lege veteri recedi, sic veteri formulâ scribi: *Tentus die Lunæ.*

Cap. X.

De nominibus cœptis ab I litera. Qualia sunt jamundlingus, *pro eo, qui in aliena est potestate:* janizarus, *cujus vocabuli origo non e Latina peti lingua debet, sed Turcica: atque obiter de* bardariotis: illaldio, *pro ministro regio:* impotus, *pro alteri insertum arbori:* imprisius, *pro alicujus partibus auctoratus:* imprisonatus, *pro conjectus in carcerem:* interprisa, *pro cœpto, vel conatu militari, ad locum aliquem hosti eripiendum:* jobagio, *vel* jubagio, *pro agricola. De cœptis à K rejectum, quia hujusmodi per C, vel etiam G, soleant exarari. Ut cùm salicetum non solum* kaneo, *vel* kaneio, *sed & ganio, vel* gaio, *nuncupatur. Item cum pro* klocka, *h. e. campana, scriberent* clocka, *vel etiam* glocka. *Similiaque, ubi Græcis fit, K, Latinis G.*

DEvenimus ad vocalium tertiam: unde inchoantia adducere pauca contentus ero.

Jamundlingus, in alterius positus potestate, à Saxonico *gemundian*; quemadmodum pleniùs dicam in *Mundium*.

Janizari, vel *jenizari*, qui & Laonico Chalcondylæ lib. IX † Ιανιτζάραι vocantur, præcipuum sunt Imperatoris Turcici robur: atque ex iis etiam eliguntur Imperatoris ejusce custodes: ac quia aula Soltani *porta Osmanica* nuncupatur, eò à januæ vocabulo *janizari* putantur vocitari. Huic etymo videtur favere Chalcondylas, cùm lib. I ait, τάξιν τι τ̃ ἀρίςων ἀποδείξας ἀμφ' αὐτὸν, ἃς θύρας βασιλέως καλοῦσι. *Præstantissimos circa se satellites adlegit, quos regis januas appellant.* Ubi interpres ad oram adnotavit, *Janizares.* Quare, si hos audimus, idem sit *janizarus*, ac *janitor:* iique sint *janizari* in aula Turcica, qui in aula Constantinopolitana, dum res Græcæ manerent, erant *bardariotæ*; de quibus Codinus lib. de off. Constant. cap. V. §. LI, LII, LIII, LIV. Ubi & sic dictos ait à Bardario, Macedoniæ flumine, cujus & mentio apud Guilhelmum Tyrium lib. II belli Sacri cap. XIII, & XIV. Sed non si ex Janizaris eligerentur, qui januam custodirent palatii, ac satellites essent imperatoris: eò universis à *janua* nomen fecissent. Præterea nunquam Musulmanni nomen illis e Latio potiùs dedissent, quàm lingua sua. Quare planè subscribendum illis, qui inde vocabulum arcessunt, quòd *Genizeri* linguâ eorum signet *novos homines* sive *milites*, qui Latinis tyrones. Quomodo & interpretatur Leonclavius † in erudito opere, quod Pandecten Historiæ Turcicæ inscripsit.

† Pag. 329. edit. Roveriane an. 1615.

† Pag. 246. 247 edit. Francof. an. 1588.

Illaldiones, pro regiis ministris sumitur in Constitutionibus Karoli M. capitulari de quibusdam caussis §. XV*: *Non est nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum præceptum de curte palatii nostri illaldiones recipiant.* Quem ad locum annotavit Vitus Amerbachius, qui primus eas Constitutiones divulgavit: *Per illaldiones puto hic significari ministros, & esse vocem nostratem* Ehalten. *Alibi aldiones.* Censeo, esse ex provocabulo Gallico *il*, pro *ille*, & *aldio*, quod servum notat; ut abunde dictum nobis cap. II. Vocantur verò *illi aldiones*, quasi non vulgares aldiones, sed regii.

* Pag. 271. edit. Moguntinæ an. 1602.

Impotus, pro alteri arbori insitus, q. d. *ingepoot*, à *poot*, quod *surculum* notat. Lex Salica Tit. XXIX. §. VIII: ubi de furtis in horto agitur: *Si quis impotos de melario, aut de pirario, tulerit*; CXX *denarios, qui faciunt solidos tres, culpabilis judicetur.*

Imprisii, ut puto, qui alteri precio sunt auctorati, à Gallico *pris*, hoc est, *precium*. Matthæus Parisius in Henrico III ad ann. CIↃCCLVIII †: *Videntes igitur Magnates moram trahere periculum, jusserunt districtè toti familiæ suæ, & omnibus suis imprisiis, ad arma, & equos, celeriter avolare.* Sed & in eodem Rege ad an. CIↃCCXVII legas*: *Ad hoc sese obligarent, quòd liberum sibi, ac suis omnibus imprisiis, ab Anglia facerent habere recessum, ac conductum.* Et mox: *Rex Henricus cum legato, & magno Mareschallo, & aliis multis, ex una parte; Ludovicus cum baronibus, & aliis imprisiis suis, ex altera.* Ac alibi apud eundem locis compluribus. Quorum tamen aliqua immutavit editio Tigurina. Etiam in Additamentis Parisii, quæ primus divulgavit Watsius, literis Henrici III, Angliæ Regis †, de pace inter eum, & Castiliæ regem, promittit Henricus, se fore imprisium regis Castiliæ; & exigit, ut Castiliæ rex suus sit imprisius, ac bonâ fide communes habeant hostes, alterque alterum in bello adjutet. Philippus Franciæ Rex in Charta de treugis cum Joanne Rege Angliæ factis*: *Et Joannes Rex Angliæ, & homines, & imprisii sui, similiter erunt in eâdem tenturâ, in qua erant prædictâ die Jovis.*

† Edit. Londen. ultimæ pag. 971.

* Pag. 299.

† Pag. 96 edit. Londin. an. 1640.

* In scriptoribus Normannicis pag. 1065.

Imprisonatus, captivus, conjectus in prisonam, hoc est, carcerem. De hoc inferiùs in *Prisona*.

Installationis vocabulum usurpatur Constitutione Basileensis Concilii sessione XXI †: *Quod tam in Curia Romana, quàm alibi, pro confirmatione electionum, admissione postulationum, provisione, installatione, & investitura de Ecclesiis cathedralibus, de cætero nihil penitus exigatur ratione literarum.* Puto, esse ex Germanico *installen*, vel *instellen*; quomodo dicitur Belgis, *instellen de wetten*, leges condere: *instellen in een anders plaetse*, substituere, sufficere alteri. *Installatio* igitur signat actum, quo quis in munere aliquo constituitur, sive quo alteri sufficitur. Alii *immatriculationem* nuncupant: quod vocabulum ejusdem est originis, ac *matricularii*; de quo in secundo barbarorum ordine, nempe origine Latinis, dicetur.

† Habes & in Clemangis operibus Leidæ editis pag. 100.

Interprisa ex Gallico, *entreprinse*, pro insultu militari in castra, vel oppidum. Matthæus Paris. in Henrico III ad an. CIↃCCXLII*. *Si fortè rex Francorum, contra formam treugarum, aliquas fecisset interprisas.* Item post aliquammulta †: *Si rex Franciæ rumperet treugas, & nollet interprisas emendare, tunc apponent consilium.*

* Pag. 581. edit. ult.

† Pag. seq.

Jobagionum vox est ab Ungaris. Usus Joannes de Thwrocz Chronicorum Hungaricorum Partis II cap. LXI*: *Dimisitque Ducem in pace, ut in Bokon venaretur, misitque cum eo duos jobagiones sub prætextu honorandi eum.* Ac mox: *Cumque venisset Dux in Chour, simplici animo dixit jobagionibus.* Bonfinius, eamque rem narrans, pro eo *comites* posuit. In annali Coronensi an. CIↃ IↃ XXX pro eodem *jubagiones* legas. *Colonos*, vel *mancipia*, signare, sententia est Melchioris Goldasti. Nec improbatur. Certiora interim Ungari pronunciabunt.

* Anno 1106. cap. 69.

I literam K excipit: unde inchoata non est animus congerere, quia omnia ejusmodi sæpius per C scribi solent, ac interdum etiam G. Quomodo exarabant *kaneo*, & *ganeo*, & contractè *gaio*. *Kaneo* est in Legg. Boiorum Tit. XXI. §. VI. *De minutis sylvis, vel quocunque kaneio.* Et convenit, quod salicetum Germanis *kneye*. Doctissimus tamen Lindenbrogius rescribere malit *gaio*, quia in veteri glossario sit: *Gaio, vel gagio, sylva densissima.* Ac similiter in Legg. Longobard. lib. I Tit. XXV. Leg. XXXVII, & XXXVIII: *De sylva alterius, excepto de gaio Regis.* Item in Legg. Boiorum Tit. XXI. §. VI: *De luco, vel quocunque gaio, victum reddiderit.* Puto, literas C, G, K, sæpe, ut dixi, confundi. Ita in veteribus libris nunc *clockum*, vel *kloccum*, nunc *gloccum* reperias. Eo *campanam* signari, dictum nobis lib. I cap. I. Omnino id est à Saxonibus. Onomasticum Latino-Saxonicum: *Cloca, belle*, id est, *campana. Clocarium, vel lucar, belhus*, id est, *campanile:* turris nempe, in qua campanile suspenditur, ut alibi exponimus. Quàm antiquus sit ejus vocabuli usus, argumento erit, quòd utatur Bonifacius epist. LXXXIX: *Duo verò pallia subtilissimi operis, unum albi, alterum tincti coloris, cum libellis, & cloccam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curavimus.* Similiter S. Adamannus lib. I de Sancto Columba: *Clockam pulsa.* Et lib. III. *Personante clockâ.* Etiam in Constitutionibus Karoli M. legas †: *Ut clocas non baptizent, nec car-*

† Pag. 266. edit. Moguntinæ an. 1602, qua Constitutiones cum Hincmaro, & aliis, edi curavit Busæus.

cartas per perticas pendant, propter grandinem. Legas verò etiam apud Rodolphum in vita S. Liobæ: *Per somnium vidit se signum Ecclesiæ, quod vulgò clokum vocant, in sinu habere.* In *glocco* verò, & *clocke*, vel *clocca*, similiter se habet res, ac in verbo itidem formato à sono. Nam gallinas Græci dicunt κλώζειν, ut è Plutarcho scimus: ac Latini *glocire*, teste Festo. Imò aliàs quoque sæpe commutantur: sive in medio, ut κύκνος, *cygnus*, Ἀκράγας, *Agrigentum*, ἀγκύλος*, *angulus*: sive etiam initio, ut κωβιός, *gobius*, κράβατος, sive κράββατος, *grabatus*, &, si Giffanium audimus, à κράζω *graxo*, atque inde *prograxe*, apud Lucretium lib. v.

* Incurvus.

Cap. XI.

Acceditur ad incipientia ab L. Lada, *pro purgatione criminis.* Laga, *pro lege.* Lagamannus, *pro eo, qui lege non sit intestabilis.* Laiscus, *pro quercu; uti faia, pro glande.* Laisus, *pro sinu.* Lamurio, *pro claudo.* Lanceum, *pro longissimo teli genere.* Landa, *pro terra, sive regione: unde* landboc, *pro tabulis publicis.* Landea, *pro fossæ genere in regione palustri.* Landica, *pro interfeminio.* Lascia, *pro quopiam in opere lanario.* Lassatinus, *pro conductitio ad aliquem interficiendum.* Lassi, *qui & lazzi, pro iis, quibus conditio servilis.* Lautis, *vel* laudis, *vel* luta, *pro instrumento Musico.* Launechilt, *pro certo genere comprobandi factam donationem.* Lecator, *pro guloso.* Ledo, lido, ledona, *vel* liduna, *pro menstruo marini æstus decremento: uti* malina, *pro menstruo ejusdem incremento.* Legergeldum, *vel* legerwita, *pro mulcta pecuniaria ob concubitum illegitimum persolvenda.* Leodes, leudes, ludes, *pro populo, sive subditis; ac particulatim pro cliente fiduciario: item* leudis, *vel* leudum, *pro mulcta propter commissum homicidium exsolvenda.* Leuca, *vel* leuga, *pro quadam viæ mensura: etiam* leuva *pro eo dicі, deque nominis etymo.* Leudesamium, *pro servitio, ad quod vasallus obligatur.* Leudum, *pro feudo.* Lida, *vel* lita, *de ea, quæ sponte se addixerit servituti. Item* liddus, lidus, litus, *vel* lito, *de eo qui, pretio adductus, se alteri sponte mancipârit.* Litimonium, *pro conditione liti, sive liddi.* Lidiscarti, *de membri alicujus dehonestamento.* Lidwagi, *de humore, quo nervis effluente, motus membri cessat.* Liripipium, *pro epomide.* Lista, *vel* lisura, *pro vestis limbo, vel fimbria.* Lobium, *pro cœnaculo.* Luca, *pro prato.*

TRes ordine liquidæ consequuntur: in quibus L. familiam ducit.

Lada, purgatio, à verbo Saxonico *ladian*, hoc est, purgare: quod κατὰ μεταφορὰν accipi solet pro crimine se expurgare, sive culpam diluere, atque eluere, judicio publico. Crebrò occurrit in Legg. Henrici I Angl. Reg.

Laga, à *lag*, vel *lage*, quo Saxonibus lex signatur: ut ait Gualterus Monæmuthensis histor. Reg. Britann. lib. III cap. XIII. Fortasse tamen Saxones suum *lag* accepere à Romanis; quando inter *lage*, & *lege*, omnimoda est literarum convenientia. *Laga* vox usurpatur in magna charta libertatum Angliæ ab Henrico I concessarum: *Lagam Regis Eduardi vobis reddo, cum illis emendationibus, quibus pater meus eam emendavit.* Atque hinc veteribus Anglis triplex illa legum distinctio; *Seaxenlaga*, lex Saxonum; *Mercenlaga*, Merciorum lex; *Denelaga*, Danorum lex: differentes illæ quidem; sed sic ut in pluribus consentiant. Ex hac ipsâ voce *lag*, vel *lage*, & *man*, hoc est, vir, conflatum est *lagamannus*, & *lahmen* inde contractum, pro homine probo, &, ut dicunt, legali: hoc est, qui cùm honesti sit nominis, non possit rejici in dando testimonio, vel rebus similibus. Ut in Legg. Eduardi Confessoris cap. XXXVIII: *Postea inquisisset justitia per lagamanos, & per meliores homines de burgo.* Ac similiter Guilhelmus, Angliæ Rex, Lege de Usurariis.

Laiscum quid vocarunt, vel etiam *faiam*, discimus ex lege hac Longobardicâ, numero octavâ, lib. I Tit. XIX: *Siquis roborem, aut quercum, seu cerrum, quod est modò laiscum, aut glandem, quod est faia, inciderit; componat pro arbore tremissos duos.*

Laisus, sinus. Gloss. *In laisum, in sinum.* Lex Salica Tit. XLVII: *Festucam in laisum jactet, & ipsi, in cujus laisum festucam jactaverit, dicat verbum de fortuna sua, quantum ei voluerit dare.* Hinc *laisowerpire*, quod notat *in sinum jactare.* Nam *werpire* est *jactare*; uti hodie Germanis ac Belgis, *werpen*; à quo *gurpire*; quo Engolismensis monachus μεταληπτικῶς utitur pro *mancipio dare.* Sed de his in verbo *gurpire*, & *laisawerpire*, iterum dicemus.

Lama quid Longobardis significet, potiùs dicam in Latinis falsâ significatione usurpatis.

Lamurio, pro *claudo*, in glossis Isidori: à Germanico, ac Belgico *lam*; quod idem significat.

Lanceum in genere neutro, apud Abbonem de obsidione Lutetiæ. Dixeris, è Latino *lancea* esse corruptum. Fortasse ita est: sed & *lancea* est à Celtis: sicuti ostensum lib. I cap. III. Hoc solùm est discriminis, quòd *lancea* muliebri genere donatum sit civitate, neutro non item: unde in barbaris, quæ ipsâ origine talia forent, reponi meruit.

Landa, terra, ditio, ex Germanico ac Belgico *land.* Matthæus Parisius in Additamento II: *In alienis boscis, & landis.* Atque inde variis regionibus nomen. Aimoinus de gestis Francorum lib. II cap. XIII: *Longobardi de Golanda pervenerunt in Rugiland; quæ Latinè Rugorum patria dicitur. Nam land lingua Germanorum patria dicitur verbo Latino.* Hinc etiam *landgravius*, Comes provincialis. Usus Beka in vita Ottonis II, Episcopi XXXVI, & alii magno numero. Item *landboc*, quasi *land-boek*, chartæ, & instrumenta, quibus quis prædio cedit, in Synodo apud Clovesho. an. ꟾↄCCCXXII. Adhæc *landea*; de quo proxime.

Landea, vel *landia*, fossa loco palustri circumducta excipiendis aquis, & in mare, aut fluvium, deducendis. Conflata vox ex *land* terra, & *eia*, aqua. Semel, iterumque, in Ordinatione † marisci Rumneiensis*, jungitur cum *watergangiis*: quâ voce notantur aquæductus, à *water* aqua, & *gang*, itio, exitus. Sanè Belgis aquæductus *water-gang*, & *water-loop.*

Landica †, natura muliebris, sive τὸ γυναικεῖον μόριον. Nisi *landira* rescribendum; ut inde sit, quòd meretrix Italis dicatur *landriera*: nempe ut eadem *putaina*, à *puta*, quod est πόσθη, unde *præputium*, quasi προπόσθιον. Vide, quæ de *landica* in suo Etymologico doctissimus noster amicus Martinius annotavit.

† Apud Spelmannum in Gloss.
* Pag. 69.
† Glossarium ab H. Steph. editum col. 244.

Lascia, lanæ tractus, vel hujusmodi quid in lanario opere.* Gregorius Turonensis Histor. lib. IV cap. XXVI: *Adspicit hunc* (lanarium) *lascias regias componentem.* Vide sis Scaligerum ad Tibulli lib. I*.

* Pag. 143 edit. Commelin iana.

Lassatinus Walsingamo in Hypodigm. Neustriæ ad an. ꟾↄCCLXXI is videtur, qui aliter *assatinus*, vel *assasinus*: de quo dictum cap. II. Nempe L, more Gallico, præmisso, quasi *l'assatin.* S, & T, variis gentibus commutari, satis notum arbitror.

Lassi, viri principis servitio addicti. Hucbaldus Elnonensis in vita Lebuini: *Erat gens Saxonum, sicut nunc usque consistit, ordine tripartito divisa. Sunt enim ibi, qui, illorum linguâ, Edlingi; sunt qui Fridlingi; sunt qui Lassi vocantur. Quod Latinâ sonat linguâ; nobiles, ingenui, atque serviles.* Ac similiter de tribus istis Nithardus, Karoli M. ex filia nepos, de dissensionibus filiorum Ludovici Pii lib. IV. Sed apud eum, *Lazzi*, & *Lazzibus*, perscriptum †.

† Pag. 478. & 479. edit. Wechel. an. 1594.

Laudis, pro cithara, vel testudine, ex Germanico *laute*: uti hoc à *lauten*, hoc est, sonare, resonare, tinnire. Belgæ, uti pro *lauten* dicunt *luyden*: ita & pro *laute* dicunt *luyte*, vel *luydte.* Ac similiter Itali *liuto*, Angli *lute.* Germanis igitur superioribus pro *luta* potiùs *laudis*, vel *lautus.* Prius est apud Godfridum Viterbiensem Chronici Parte IX:

Mira

Mira videre meat, celebri plaudente chorea.
Laude, tubà, citharà, festa canuntur ea.

Alterùm verò habes in Testamento apud Franc. Petrarcham: *Thoma Bombasia de Ferraria lego leutum meum bonum; non, ut eum sonet pro vanitate seculi, sed ad laudem Dei aeterni.* Sane si cum Viterbiensi *lautum* dixisset, allusio videri poterat, quòd organum sit ad *laudandum Deum.* Ex *lautis* juniores Græci formarunt suum λαῦτον, ut liquet ex Crusii Turcogræcia lib. II.

Launechilt est in Legibus Longobardicis lib. II Tit. I leg. VI, & tit. XV leg. IV, & tit. XVIII leg. III, & tit. XX leg. I, atque alibi eodem opere. Glossæ: *Launechild, sine sollemnitate testium.* Originem vocis adhuc quæro: nec satisfacit glossarii interpretatio. Interim video, esse certum genus comprobandi donationem factam. Fortasse igitur, ut ne penitus rejiciatur glossarii auctoritas, istiusmodi est donationis probatio, quæ careat sollemni testimonio.

Lazzi iidem, ac *lassi*; de quibus dictum antea.

Lecator, pro guloso, Isidoro in Glossis. Gemma, voce *zalates*: *Inutiles leccatores mensarum.* A Germanico *lecker*, quod à *lecken*, lingere. Et fortasse *lecken* à voce Græca idem denotante, quæ est λείχειν; unde & Latinum, N inserto; ut à πήγω, sive Dorico & Æolico πάγω, est Latinum *pango.* Voce *lecator* utitur Cæsarius Heisterbachensis lib. IV Miracul. cap. VI: *Ante conversionem leccator, opere, vino, & teseribus* deditus totus, & propter suam scurrilitatem in tota civitate Coloniensi notissimus.* Et lib. XII cap. V: *Recede leccator: certe animam meam non tolles: Christo me commendo.* De *lacator*, pro *lenone*, dicam libro proximo cap. XVIII.

* Pro tesseris.

Ledo, vel *lido*, *ledona* item, vel *lidona*, promiscuè dicuntur, quando mare minùs vehementer ac copiosè in litus proruit. Ut contrà *Malina*, quando majori vi, ac copia, se recipit in litus. Sic vetus Martyrologus à Furnerio, & Siccama*, adductus: *Frisones in loco, ubi martyrum erat sanguis effusus, aggestâ terrâ collem excitarunt propter lidonis, & malinæ quotidianas eruptiones, ex maris æstu quotidiano erumpentes, ubi Ecclesiam extruxerunt.* Sed *quotidiani* vocem hic laxiùs sumere oportet: ne putemus, idem esse, ac quam Romani *Veniliam*, & *Salaciam*, dixere. Usi quoque Marcellus Empiricus, & scriptor libri B. Augustino perperam tributi †, qui de Mirabilibus Scripturæ inscribitur, cap. VII. Adhæc Beda lib. I de Nat. Rerum cap. XXVIII, & XXIX, & Glaber Radulphus Histor. lib. III cap. III. Miror, Gulielmum Malmesburiensem, sive bibliothecarium, *ledonem* dicere, quod alii *malinam.* Sic enim scribit lib. II de gestis Angliæ Regum: *Eodem anno* (IↃCCCCLXXIX) *fluctus marinus, quem Græci Euripum, nos Ledonem vocemus, mirum in modum excrevit, quantum nulla hominum memoria potest attingere: ita ut villas ultra multa miliaria submergeret, & habitatores necaret.* Sed hæc appellatio ipsâ etiam vocabuli utriusque origine refellitur. Vide sis, quæ diximus Theologiæ Gentilis, & Physiologiæ Christianæ lib. II cap. LXIX. Adi & Cæsarem Scaligerum de Emendat. Temp. Titulo de Cyclo Lunari veterum Saxonum.

* Notis ad leges Frisonum.
† Tom. 3. pag. 714.

Legergeldum, mulcta pro illegitimo concubitu persolvenda, à *leger*, quod est *concubitus*; venitque a *liggen*, cubare, jacere: & *gildum*, vel *geldum*, significante pecuniam, vel mulctam. L.L. Henrici I Anglorum Reg. cap. XII: *Regi emendet, secundùm legergildum.* Proque eodem in ejusdem Regis Legg. cap. XXIV, etiam *legerwitam* legas: & cap. LXXXII contractè *leirwytam*: ubi posterior compositi pars est Saxonicum *wite*, quod mulctam notat.

Leodes, seu *leode*, veteri Germanicâ linguâ *populum* significabat: ex eodem autem *leudis* factum, ut Græci pro Θεόγνιδος dicunt Θεύγνιδος, pro Θεοδόσιος, Θευδόσιος; item vulgare *luden*, vel *luyden*, fere ut Græci dicunt Jonicè πόλεος, Doricè πόλιος, Atticè, ac κοινῶς, πόλεως. Sic pro *Leodevicus*, (quod est ex *leode-wyk*, hoc est, populi refugium) dicitur *Ludovicus*, quasi *luyde-wyk.* A *leode* etiam est *Leodicum*, quasi *Leode-dyk*, populi agger, ac simili contractione *Ludijk*, & hinc *Luyk.* *Leodicum* vocatur à monacho Egolismensi S. Eparchii in vita Karoli M. an. IↃCCLXX: *Celebravit Pascha in Leodico, vico publico.* Ac uti à *leode* est *Leodicum*; sic à *leudis* est *Leudica*; quomodo in Constitutionibus Caroli Calvi titulus quartusdecimus est *apud Leudicam*, hoc est, Leodicum. Porrò hæc vocabula *leodis*, & *leudis*, nunc laxè accipiuntur, nunc pressè. Laxè sumi videas in Appendice* Historiæ Francorum ab Gregorio Turonensi exaratæ cap. LVI: *Dagobertus universos leudes, quos regebat in Austria, jubet in exercitum promovere.* Et cap. LVIII. *Tanto timore Pontifices, proceres in Burgundia consistentes, seu & cæteros leudes, adventus Dagoberti concusserat.* Ac postea: *Cùm Lingonas civitatem venissent, tantâ in universis leudibus suis, tam sublimibus, quàm pauperibus, judicabat justitiâ, ut crederetur, omnino fuisse Deo placabile* &c. Et sanè etiam *leudum* nomine comprehendi nullo beneficio obstrictos Regi, præterquam quòd subditi forent: arguit hoc in legibus Wisigothicis lib. IV Tit. V. Leg. V: *Quod si inter leudes, quicunque nec regiis beneficiis aliquid fuerit consecutus.* Ab hac generali acceptione (ad quam etiam *Leodici*, & *Ludovici* nomina pertinent) venio ad particularem. Fere enim strictiùs sumi solet pro vasallo; sive prædiali, ac servili, sive feodali, ac nobili; & singulatim eo, quem aliter dicimus *baronem.* Sic accipit Gregorius Turonensis Histor. lib. III cap. IX: *Sed ille* (Theodbertus Rex) *a leodibus suis defensatus est, & in regnum restitutus.* Idem Hist. lib. VIII cap. IX: *Credo, inquit Rex, alicujus ex leudibus nostris sit filius. Nam si de stirpe nostrâ sit filius, ad me utique fuisset deportatus.* Et possis sic accipere apud eundem lib. IX cap. XX: item in Appendice Gregor. Turon. cap. I: *Gunthramnus, rex Francorum, —— cum sacerdotibus utique sacerdotis instar se ostendebat; & cum leudis erat aptissimus.* Insuper cap. LIV, & alibi. Adhæc istoc Aimoini de gestis Franc. lib. III cap. LXXX: *Fuit autem Guntramnus in bonitate præcipuus, —— Christi sacerdotibus se humilem præbens, leudis suis benevolum, gentibus externis pacatum.*

* Est ea Appendix Fredegarii Scholastici.

Præterea *leudis*, vel *leudum*, sumitur pro eo, quod aliter *wera*, vel *wergildum* vocatur: sic verò dicitur pretium compositionis pro homicidio persolvendum. Carolus Calvus tit. XII apud Silvacum cap. V: *Si latro ibi occisus fuerit; qui eum occiderit, leudem inde non solvat, & nullus illi inde faidam portare præsumat.* Et tit. XXXIX cap. II: *Et si talis malefactor in illa persecutione occisus fuerit; qui eum occiderit, leudem inde non solvat.* Legg. Longobard. lib. I Tit. IX L. XXVIII: *Compositio ipsa fiat de ipso homicidio, cui legibus leudum ipsum pertinuit.* Similiter lex Salica Tit. XLIII, & Lex Frisonum Tit. II. Item Angliorum Tit. VI. §. V. *Et ultio proximi, & solutio leudis, debet pertinere.* Formulæ incerti scriptoris, unà cum Marculpho à clarissimo Bignonio editæ, cap. XXIII: *Sic ab ipsis viris fuit judicatum, ut illam leudem solvere deberet.* Ac ibidem: *Nec de ipsa leude —— repetitiones agere.*

Leuca, vel *leuga*, pro certa viæ mensura. Isidorus lib. XV Orig. cap. XVI: *Mensuras viarum nos milliaria dicimus, Græci stadia, Galli leucas.* Similiter Jornandes de rebus Geticis: *Centum leugas, ut Galli vocant.* Itaque clarissimus, & amicissimus Meursius rectè apud Hesychium corrigebat: Λεύγη, μέτρον τι Γαλατικόν. Ubi vulgo γάλακτος. Antiquissimus eorum, apud quos *leuca* vocem reperiam, est Ammianus Marcellinus libro XVI; ubi agit de Juliano Cæsare in Galliis militante. Habes & apud B. Hieronymum, Jornandem, Ivonem Carnotensem*, Ingulphum Saxonem, atque alios. At Nithardus pro eo *leuva* perpetuò † dicit. Genuinum id censet Barthius Adversariorum lib. XLVI cap. IX. Quod si est, propriè cursum notet, sive spacium quò currendum cursori, priusquam quiescat: à Germanico *lauffen*, vel *leuffen*: pro quo Belgæ *loopen.* Verùm Spelmannus* censet, originem esse à Gallis; qui itinera sua, more Romano, lapidibus soleant distinguere. Nempe ut sit à *leach*, quod *lapidem*

* Ep. 101.
† Lib. II. pag. 450. & 460. item lib. 3 pag. 464. & 469. item lib. 4 pag. 470. edit. Wechelianæ an. 1594.
* In Glossario.

dem notat Britannis; quorum lingua in multis conveniat cum Gallica. Quod verò Ingulphus Abbas putabat, ex quo Philippus Imperator amplexus fuit religionem Christianam, & per baptisma factus est λευκὸς, hoc est, albus: vias in hujus rei memoriam distinctas lapidibus λευκοῖς, hoc est, albis; atque inde factum esse nomen *leuca*; id planè indignum Ingulpho: sed ætati, quâ vixit, condonandum. Nam de albore lapidum ad distinctionem viarum adhibitorum, ne γρῦ quidem veterum quisquam. Erat verò leuca, seu leuva, Papia etiam teste, passuum mille, & quingentorum: de quo Pithœus Adversar. lib. I cap. XIII.

Leudesamium dicitur à *leudis*, non generali illâ significatione, quatenus *leudis* signat aliquem subjectorum; sed particulari, prout notat hominem alteri servientem: de quibus significationibus in *Leodes* superiùs abunde diximus. Legas *leudesamium* in Formularum sollemnium undequadragesima *, cujus lemma: *Ut leudesamia promittantur Regi.* Nempe ut *litimonium*, quod *litus*, sive *liddus* domino debet; ita *leudesamium*, etiam Lindenbrogio, videtur munus ac servitium, ad quod *leudes* obligatur. Plura de *litimonio*, sive *liddimonio*, inferiùs in *liddus* afferemus.

* Pagin. 1235. edit. Lindenbrogianæ.

Leudum idem ac *feudum*. *Leudum* verò ejusdem originis, ac *leudis* pro vasallo: de quo superiùs actum. Germani dicunt *leben*, unde contractum *leen*. Monitum id jamdudum Cujacio, initio Feudorum.

Lida, vel *lita*, quæ cùm libera foret, sponte se addixerit servituti. Lex Salica Tit. XIV. §. XV: *Siquis lidam alienam in conjugium sociaverit, ICC den. qui faciunt sol. XXX, culpabilis judicetur.* Lex Alamann. Tit. XCV, §. I: *Si lida fuerit, solvat sol. I, & tremissem.* Otto Rex in charta libertatis Ripersholt. *Quadam nostri juris mancipia, litam videlicet Thietsaiden dictam, cum filiis ejus, & filiabus, tradidimus.* Et Tradit. Fuldenses lib. II num. CCIII: *Litam unam, servos duos.* Sed hæc pleniùs ex proximo vocabulo intelligentur.

Liddus hominem dedititium signat, sive ut Græci vocant, μισθωτὸν, hoc est, qui non sit in bello captus, vel ab alio, cujus mancipium foret, pecuniâ emtus: sed qui ingenuitatem suam pretio mancipârit. Constitutio Ludovici Pii, quum tum in Karolinis Constitutionibus †, tum in Capitularibus Karoli M. & Ludovici Pii, ex Collectione Ansegisi *, legere est: *Aldiones, vel aldianæ, eâ lege vivant in Italia in servitute dominorum suorum, quâ fiscalini, vel liddi, vivunt in Francia.* Vox est à Germanis, quibus hodieque, ut allatum ad locum Vitus Amerpachius adnotavit, *liddoon*, famulorum, vel famularum, mercedem notat. Sed pro *liddus* etiam *lidus* dicitur; quomodo & in capitulo Ludovici adducto quidam habent codices. Imò & *litus*, vel *lita*, ab aliis scribitur. Ea crebra in legg. Salic. Ripuar. Frison. Saxon. Longobardorum: item in variis Cæsarum, ac Regum privilegiis; inque vett. formulis; & apud Albertum, abbatem Stadensem, in ann. CIↃCCCXVII: *Plures autem se eis dediderunt proprios: & qui ab eis vivere sunt permissi, litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde litones in provincia Saxonum sunt exorti.* Synodus quoque Bavarica sic habet: *Homo Regis, id est fiscalinus, vel Ecclesiasticus, vel lidus interfectus.* Est & in Traditionibus Fuldensibus lib. I num. CIII: & lib. II num. CCLV. Item apud Joannem à Leidis lib. II cap. XIX. A *lidus*, vel *litus*, est *lidomonium*, vel *litimonium*, form. LXXII. Eo liti conditio significatur. Vide sis, quæ & Sibr. Siccama de his vocibus ad Leges Frisonum annotavit.

† Pag. 317 edit. Moguntinæ. an. 1601.
* Lib. 4 cap. 103.

Lidiscarti, membri fissura, ab *lid*, hoc est, membrum, & *schart*, vel *schaerde*, aliis *schoeure*, fissura, scissura; quomodo *schaeren*, vel *scheren*, *recidere* crines, *schare*, instrumentum, quo id fit, vel alia findantur, puta forfex. Boioariorum legg. Tit. III cap. 15. XXXI: *Aurem maculaverit, ut inde turpis appareat, quod lidiscarti vocant.* Ubi videmus, fissuræ, vel recisionis aurium, particulatim fieri mentionem. Unde dicta *aranscarti*, vel *orscardi*, hoc est, auris abscissio; ab *aran*, sive *ooren*, & *scart*. Alamann. Legg. Tit. LX: *Si autem medietatem auris abscideris, quod Alamanni orscardi dicunt, cum VI sol. componat.* *Aranscarti* est in legibus Baiuvariorum Tit. XII. §. VIII.

Liduwagi, sive *Lidiwagi*, est id, quod Belgis *lidwater*: nempe humor serosus effluens è læsis articulorum nervis: à Germanico *lid*, hoc est, articulus; & *wegen*, hoc est, movere, unde *bewegen*: nempe quia humor iste unà cùm nervis sit motus instrumentum. Habes in Legibus Frisonum, Tit. XXII. §. XXXV: *Si quislibet digitus ex quatuor longioribus ita percussus fuerit, ut humor ex vulnere decurrat, quod liduwagi dicunt, I solid. componat.* Et Additione Sapientum Tit. III: *Siquis in junctura membrum cujuslibet ita percusserit, ut humor ex vulnere decurrat, quem liduwagi dicunt, ter IV solid. componat.* Siccama tamen legendum putat *lid-water*. Mihi, uti & Martinio †, nihil vitium mutare.

† In Etymologico.

Liripipium, quod ex Belg. *liere-pijpe*. Gemma vocabulorum: *Lerepipium, vel liripipium, een timpe van der kovel.* Græco vocabulo *epomis* dicitur. Ad verbum ἐπωμὶς *superhumerale* sonat. Possis & dicere *omophorium*, ὠμοφόριον, quia humeris gestetur. Quamquam aliud ὠμοφόριον, quatenus inde factum *maforia*, & *mavortium*; ut dicemus in barbaris iis, quæ sunt originis Latinæ, aut Græcæ.

Lista, pro panni limbo, seu fimbria, seu ora, aut labro: ex Germanico, Italico, Anglico, *lijste*, vel *liste*, vel *lista*. Quæ vox sumitur etiam pro linea, aut meta. Scaliger ad Copam censet, *lista* eâ significatione esse ex *lissa*. Gloss. *Lissa*, χαμμή. Unde *sublesta pictura*, quæ Græcis ἀτελέσματα, h. e. μονόγραμμοι. Sæpe *lista* vocabulum in re vestiaria usurpat Anastasius bibliothecarius: nec abhorret Leo Marsicanus in Chronico Casinensi. Ejus est istoc lib. I cap. XXI: *Vir nobilis Arnipertus obtulit B. Benedicto —— tunicam cum lista aurea, & circulis aureis, & listam auream margaritis insignitam.* Utitur quoque cap. LVIII, & lib. II cap. XLIV, & lib. III cap. XIX. Ac similiter Matthæus Parisius in Hist. Henric. III: *Latitudo pannorum dua ulna infra listas.* Pro quo idem alibi *lisura* ait: *Panni duas ulnas habeant latitudinis infra lisuras.* Ac similiter apud Hovedenum in Ricardi I de mensuris assisa: *Lanei panni ubicunque fiant, fiant de eâdem latitudine: scilicet, de duabus ulnis infra lisuras.* Nec solùm *lista* in re vestiaria locum habet; sed etiam aliis. Nam & ita dixere metam, ac limites regionis. Walsingamus in Richardo II †: *Qui mox, ut ad listas devenit, descendit de equo; ne, juxta consuetudinem prælii, Constabularius vindicaret eum, si limites jus 'et ingressus. Sed nihil sibi valet astutiâ suâ: nam equus juxta listas discurrens, aliquoties totum caput & pectus injecit ultra limites. Ob quam caussam Constabularius equum vindicavit, jurans se velle caput ejus habere; videlicet quantum inter listas de equo visum fuit; unde adjudicatus est ei equus.*

† Pag. 237 & 238.

Lobium exponunt solarium, vel pergulam: meliùs, ut puto, quàm alii, cœnaculum, &c, sicuti in monasteriis vocant, refectorium. Est ex Germanico *laube*, sive *lauben*. Usus Godefridus, monachus S. Pantaleonis, ann. CIↃCCVIII *: *Salus quodam lobio cum Episcopo Spirensi, & aliis duobus, scilicet, Camerario, & Dapifero suo, remansisset.* Item Albertus Argentinensis ann. CIↃCCCLXV: *De nocte combusserant quam plurimas domos in Kuningeshofen, apud lobium ibidem situm.*

* In Scriptor. rerum Germanicar. ab Freher. ed. tit. pag. 277.
† Pag 7. vers 34. edit. Hanov. ann. 1602.

Luca Bohemis pratum: unde *Luczani*, qui postea ab urbe Satz, *Satzenses*: ut est apud Cosmam Pragensem in Chronico Bohemorum †.

CAP. XII.

De inchoatis à littera M. Magulus, *pro homine spurco, qui capiti illuderet.* Maldrum, *vel maltera, pro mensura quadam frumentaria.* Mallus, *pro tribunali, seu loco, ubi graviores caussa decidunter: unde* mallobergium, *pro*

pro populo ad idem concilium, ac eosdem judices, solito convenire: item hamallus, *pro vocato in jus:* hamallare, *vel* admallare, *pro vocare in jus.* Mandalia, *pro minutis portionibus.* Manga, mango, mangana, mangonella, *&* mangotella, *pro machina, muros diruente.* Marca, *vel* marcha, *in re nummaria quid; quid item in terrarum appellatione, à qua significatione* marchionum *nomen, &* marchisorum, *profluxit.* Mareschalcus, *pro equilis præfecto, vel magistro equitum: ac obiter de verbo* merworphin, *pro dejicere quempiam de equo: deque* mar, marc, marach, *quibus equus denotatur.* Mareschallia, *de dignitate mareschalli.* Marestalla, *pro equili.* Marmotinus, *pro aureo denario.* Marpahis, *pro eo, qui equum insterneret, dominoque eum adscensuro ministraret.* Masca, *pro strige, seu malefica.* Mascauta, *pro vase vinario.* Medus, *vel* medo, *pro aqua mulsa.* Melseta, *de rixis atrocibus.* Methium, *pro sponsalitia donatione.* Minera, *pro vena terræ metallica.* Mordrum, *vel* murdrum, *pro morte violenta: uti* mordare, murdare, *vel* murdridare, *pro occidere.* Morgengeba, *vel* morgangiba, *pro donatione propter nuptias, diversa à dote.* Mos, *pro palude.* Muffula, *pro chirotheca hiberna.* Mumia, *pro hominis cadavere condito aromatis.* Mundium, *pro potestate, ac præcipuè tutelari: unde tum* mundius, *pro pubere extra tutelam constituto, qui &* amund: *tum* mundialis, *pro eo, qui sub tutela est: tum* mundeburdis, *à quo* mundeburdium, *pro defensione ac tutela viri principis, vel episcopi, aut abbatis: tum* mundualdus, *pro tutore: tum* jamundlingus, *de eo, qui se suaque commiserit alterius potestati: tum* mandeburdis, *&* mamburnus, *vel* mamburnus, *pro eo quem* mundeburdem *vocari antea dicebamus.* Murtiplo, *pro flore cordis.* Musio, *&* musius, *pro fele.* Mussium, *pro sarmento.* Muta, *pro latibulo avium.* Mutoninus, *pro ovillus.*

NUnc alteram ad liquidam pergamus.

Magulus, ut arbitror, is qui veteribus, verbo ab honesta significatione ad nefandam libidinem deflexo, *fellator*, aliter *irrumator*, nuncupatus, ac à spurco gentium more λεσβιᾶν, vel φοινικίζειν, dicebatur. Nempe à voce Græcobarbarâ μάγουλον: quâ *gena*, sive *maxilla*, Nicetæ, Moschopulo, atque aliis, significatur. Unde & μαγουλίκιον, *pulvinar*, quia cubantes ei genâ incumbimus. Vetus Juvenalis interpres sat. II: *Peribomim, nomen archigalli cinædi, quem magulum conspurcatum dicimus, qui publicè impudicitiam perpessus est.*

Maldrum à Germanico *malder*, quod mensuræ est frumentariæ genus. Usus Cæsarius lib. IV Miracul. cap. LXVI: *Portarium centum libras suas recipiens, non ex eo vineas, vel agros; sed totidem maldra siliginis, apud Confluentiam comparavit.* Et lib. X cap. XVII: *Ut in episcopatu Coloniensi maldrum quinque, vel sex denariis, multo tempore venderetur.* Pro eodem & *maltera*, à *malter*, legas apud scriptores rerum Germanicarum ab Urstisio editos. Item *maltra*, vel *maldra*: ut in Alemannicis Goldasti, Chartâ veteri XII: *Duas maltras de frumento.* Et Num. LXIX, & LXXXIII: *Maldram de chernone.* Quæ illa sit mensura, adhuc se perquirere, ait Ludovicus De-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. XLIV. Est verò duorum quasi saccorum Hollandicorum.

Malina significat menstruum marini æstus incrementum: de quo in *Ledone* dixi capite superiori.

Mallus est à Saxonibus antiquis: quibus *mael* tum generatim signat *congregationem, conventum*: (unde *avondmael*, conventus vespertinus, qui fit, unà ut cibus capiatur in cœna:) tum particulatim notat congregationem sive cœtum publicum, ad majores caussas decidendas. Usurpant sic leges Salicæ Tit. I. XLVI. XLVIII. LVI. LIX. LX. Item Capitul. Kar. M. & Ludovici Pii lib. III cap. XXII, XXVIII, XLV, LI, LVII, & lib. IV cap. XVIII. Habes etiam in adnunciatione Caroli Calvi apud Pistas, Synodi Meldensis cap. LXXVI, Hincmarum epist. IV cap. XIV, & in Formulis Marculfi Monachi, qui circa annum vixit IↃCLX. Item apud alios magno numero: è quibus & aliquorum verba adferemus. Supplementum Gregorii Turonensis cap. LXXXIII: *In Abiodore vico in mallo interfecit.* Aimoinus similiter lib. IV de gestis Francorum cap. XXXVIII: *Arnulphum Comitem apud Abiodorum vicum in mallo interfecit.* Otto Imp. in privilegio, quod legitur apud Baldericum in Chronico Cameracensi lib. I cap. LXXII: *Potestatem habeat mallum tenendi, vel bannum exigendi.* Flodoardus Hist. Rem. lib. II cap. XVIII: *Residens Wulfarius ad sibi definienda judicia, cum quibusdam Comitibus in mallis publicis.* Sigebertus in Chronicis, ubi de lege Salica: *Quatuor proceres per tres mallos caussarum origines convenientes.* Hinc *Mallobergium*, pro plebe ad unum solitâ mallum convenire, lege Salicâ Tit. LVI, §. I. Item *mallare*: de quibus in Verbis ortu barbaris dicam. Sed & hujus originis est *hamallus*, quasi admallus, hoc est, ad mallum, sive judicium vocatus. Habes Lege Salicâ Tit. XLIX. Atque inde *hamallare*. i. vocare ad mallum, sive in jus. Nisi *homallare* potiùs dixere. Sic enim exaratum apud Marculfum monachum libri primi Formulâ XXXVI. *Admallare* pro eo legas Leg. Salic. Tit. LII, & LIII.

Mandalia, pro minutis portionibus, Plinio Valeriano lib. III cap. XIV.

Manga, & *mangones*, & *mangonella*, & *mangatella*, sunt machinæ bellicæ, quæ aliter *petraria*, uti Græcis πετροβόλοι, quia lapides iis projiciantur. *Mangarum* vocabulum est apud Othonem Frisingensem de gestis Friderici I lib. II cap. XVI: *Ferunt quadam die lapidem vi tormenti, ex balista, quam modò mangam vulgo dicere solent, propulsum, ad superiora murium loca conscendisse.* Ac similiter Radevicus de ejusdem gestis. *Mangones* appellat Paullus Diaconus; uti & Nauclerus. *Mangonella* Matthæus Parisius: item Brito Aremoricus in Philipp. I.

Mangonellorum tormentis saxa rotantur.

Mangatella est apud Turpinum in vita Karoli M. *Mangana* pro eo dixit Abbo in obsid. urbis Parisinæ: sicut & Græci posteriores μάγγανα: de quibus vide Joannem Meursium, & Nicolaum Rigaltium, in suis Lexicis Mixobarbaris.

Marca, vel *marcha*, aliter sumitur in re nummaria, aliter in terrarum appellationibus. De utraque significatione loquar. In re nummaria non uno modo enarratur à veteribus, ac junioribus. Nam in veteri vocabulario exponitur selibra. At Urspergensi est libra. Cujacius in quinctum Feud. ait, duas libras continere. Nempe vix aliud æquè variare, quàm mensuræ rerum solent. Interim sic pro pretio semper sumitur. Legas apud Radevicum Frisingensem de gestis Frederici I lib. III cap. II, & V, & alibi, Suenonem in compendiosa Daniæ Historia cap. VI. Cæsarium Halberstatensem lib. II cap. VII, & lib. IV cap. LVIII, Petrum de Vineis lib. III epist. V, Bekam in Balduino II, & Theodorico II. Et, ut aliquorum etiam verba adferam, sic scriptor vitæ S. Hidwigæ: *Impensarum summa, ut à procuratoribus compertum est,* XXX *marcarum millia plus minus collegit.* Cæsarius, monachus Vallis S. Petri, de Vita Engelberti episcopi Coloniensis lib. I cap. III: *Utrique trecentæ marcæ ex redditibus episcopalibus sunt adsignatæ.* Comes S. Pauli epist. ad Brabantiæ Ducem, quæ est apud Godefridum Monachum S. Pantaleonis * ad an. CIↃCCCLIII: *Duci Veneti † C millia marcarum argenti, & totidem exercitus nostro, erogaret.* Joannes Turocius Chron. Hung. lib. II cap. III: *Habebat oram contextam* LXXIV *marcis auri purissimi.* Apud Anglos quantum valuerit, ostendit hoc Matthæi Parisii in Historiæ suæ anno CIↃCCXXXV: *Tredecim solidis, & quatuor sterlingis, pro marca qualibet computatis.*

Marca item, vel *marcha*, dicitur de finibus imperii. Galli vocant *frontiere*. Estque eâ significatione à Germanico *mark*, id est, limen, termini signum, vel nota. *March* puto esse à *merken*, id est, signare; quia lapides, qui pro termino forent, signarentur. Cæterùm cùm *marca*,

* *In scriptoribus rerum Germanicarum editis à Frehero pag. 270.*

† *Sic loquitur semper pro* Veneto.

ca, sive *marcha*, propriè limitem denotaret, latiùs extensum fuit ad significandum totam aliquam ditionem, vel provinciam, qua imperium terminaretur: quomodo dicimus marcham Brandeburgicam, Badensem, Stiriæ, vel Moraviæ. Constitutio Karoli Magni*: *Quomodo Marca nostra sit ordinata, & qua per se fecerunt confiniales nostri specialiter præteritis annis.* Ubi satis liquet ex *marca*, & *confinialium* vocabulis, actum esse de finibus regendis. Sequens etiam Karoli Constitutio† sic habet: *De placito conducto ad marcam necesse est omnimodis ex omni parte, sicut ordinatum fuerat, unusquisque conveniat.* Item in Testamento Karoli Magni, quod exstat apud Joannem Nauclerum Chron. Generat. XXVII, & in Henrici Mutii Chron. lib. VIII: *Placuit etiam inter prædictos statuere —— ut nullus eorum fratris sui terminos, vel regni limites, invadere præsumat: neque fraudulenter ingredi ad conturbandum regnum eius, vel marchas muniendas.* Habes etiam in capitulis Karoli M. & Ludovici Pii, lib. II cap. XIV, lib. III cap. LXIV, & lib. IV cap. IV. & capitulis Caroli Calvi tit. XL cap. I. Similiter in Annalibus Francorum, à Pithœo primùm editis; sed Marquardi Freheri curâ, (qui *annales Fuldenses* inscripsit) auctiùs, & emendatiùs recusis. Ubi legas in ann. IↃCCLXXXVIII: *Similiter & Avares in Marcha Baioariæ, atque Italia, à Regis exercitibus victi, & fugati sunt.* Et ad an. IↃCCCXXVII: *Nisi desidiâ ducum, quos copiis præfecerat, tardius, quam rerum necessitas postulabat, is, quem ducebant, ad marcam venisset exercitus.* Adhæc in an. IↃCCCLXI: *Expulit duces, quibus custodia commissa erat Pannonici limitis, & Carantani: atque per suos marcam ordinavit.* Ita rectè editio Freheri: ubi Pythœana pro *Carantani* perperam *Carani*. Utitur & monachus Engolismensis S. Eparchii in vita Karoli Magni*. Item Aimoinus de gestis Francorum lib. V cap. XI: *Res in marcha Hispanica nuper ignominiosè peracta.* Item lib. IV cap. LXXX, CIX, CX, CXIII, CXV, CXVI, & Rhegino Chronicorum lib. I, & II, Historia Albigensis cap. IV†. Est & Petri de Vineis lib. III epist. XXXV: *Marchia Anconitana.* Joannes Turocius Chron. Hungar. lib. II cap. XXXIV: *Marchiam Longobardiæ intraverunt.* Hinc igitur *marchio*, qui Græcis *ἀκριτάρχης*, ac memorato Aimoini lib. V *limitum Comes* vocatur. Glossarium Latino-Theotiscum: *Marchio*, marcgrave. *Marchionem* appellant Constitutiones Karoli Magni*. Item Vita Ludovici Pii ab æquali scriptore exarata†: *Relictis tantum marchionibus: qui, fines regni tuentes, omnes, si fortè ingruerent, hostium arcerent incursus.* Quæ, ut alia multa, ex eo ad verbum exscripsit Aimoinus lib. V cap. II. Videmus autem, ut hic etiam clarè finium regimen Marchionibus tribuatur. Legas quoque semel, & iterum, apud Ivonem epist. CCIX, Petrum de Vineis lib. III epist. LXXIX, Patres Concilii Pisani II*, Turocium Chronici Hungaric. lib. II cap. XXXVI. Indeque in eodem Concilio Pisano† *marchionalis*. Qui verò *marchiones*, ab eadem origine etiam *marchisi* vel *marchisii*. Ac vers. 8 post *fuissent*, adde: Matthæus Parisius in Historiæ anno CIↃCCXLIV: *Wallenses contra Regem* (Henricum III) *& ejus Marchisios, bellum moverunt cruentissimum.* Item an. CIↃCCLVIII: *Angli contermini, quos Marchisios appellamus, irruerunt subitò in Wallenses.* Ac alibi apud eundem sæpius vocabantur: nempe ut Italis *marchese*, Belgis *markijs*. Hincmarus epistol. III, ad episcopos quosdam Franciæ, cap. XXX*: *Si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextra data fuissent.* Reperias quoque apud suppositium Turpinum de vita Karoli Magni cap. VII. Nicephorus Gregoras†: *Παρὰ λατίνοις μαρχήσιος*. Ejusdem originis est *Marcgravius*, quasi *Comes limitaneus*. Sed de istoc, & cognatis, cap. VIII dictum.

Marchandisa, merx, mercimonium: à Gallico *marchandise*, quod ipsum tamen Latinæ originis: uti & *marchant*, *marchander*, *marche*. Matthæus Parisius in charta libertatum à Rege Joanne concessarum*: *Et mercator eodem modo, salvâ marchandisâ suâ.*

Marchio quid signet, jam in *Marca* exposuimus.

Mareschalcus est in L. L. Alamannicis Tit. LXXX: *Marschalcum, qui super XII caballos est, XL solidis componat.* Item in Constitutionibus Neapolitanis, sive Siculis, lib. I Tit. XX. Utitur & Radericus Frisingensis lib. de gestis Friderici I. lib. III cap. XXVI, Petrus Blesensis epist. XIV, Cæsarius lib. VI Miracul. cap. XXVI, Petrus de Vineis lib. V epist. CXXX, Historia Albigensis cap. XLIII†, Promot. Concil. Pisani*. Porrò *mareschallus* dicitur molliùs, sed integriùs *mareschalkus*: ut quod sit ex *mare*, id est, equus, & *schalk*, hoc est, servus: uti *Godscalcus* idem ac *Theodulus*, Dei servus. Nempe notat stabuli Comitem, sive præfectum equitum. Glossarium Latino-Theotiscum: *Cavallarius*, *Marischalc*. Ubi *cavallarius*, more seculi, pro *caballarius*, h. e. *caballorum præfectus*. Priorem compositi partem habemus etiam in vocabulo *merworphin*: quod est in Legg. Longobard. lib. I Tit. XXXVI, L. IV. Gloss. *Merworphin, aliquem de caballo projecerit.* Nempe ex *mer*, equus, & *worffen*, jacere, pro quo Belgæ *werpen*. Ac hodieque Belgis equa, *merri*. Præterea Germani equum dixere *marc*, vel *march*. Celtis enim equum esse *μάρκαν* vocatum, Pausanias in Phocicis auctor est. Atque addit, hinc *τριμαρκισίαν* dixisse. Scio, Camerarium malle *μάρκαν*, & *τριμαρκισίαν*. Sed aliter libri. Nec impedit quicquam, cur non utroque sint usi. Et fortasse *march* contractum ex *marach*. In Alemannicis quidem Legibus est Tit. LXIX §. II: *Si ille talem equum involaverit, quem Alamanni marach dicunt.* Ac similiter titulo proximo §. II: *Siquis equo, quem Alamanni marach dicunt, oculum excusserit.* Item in Legibus Boior. tit. XIII cap. X. Simile vocabulum *seneschallus*; sed alia significatio, ut inferiùs exponetur. A *mareschallus* est *mareschallia*, munus mareschalli. Petrus de Vineis lib. V epist. LIX: *In manibus mareschallia nostra caute, & fideliter, adsignavit.*

Marestalla, à Saxonico *mar*, vel *mer*, hoc est, equus, & *stal*, h. e. *stabulum*. Notat igitur *equile*. Petrus de Vineis lib. V epist. LXX: *In nostra marestalla non sunt ad præsens.* Joannes de Thwrocz Chronici Hungarici cap. XII: *Sua etiam maristalla, quam suis exercitualibus in expeditionibus deferebat, pro majori parte de purpura, cæterisque sericeis pannis, erat præparata. Hæc licet diversarum regionum equorum genere sæpe fuerit repleta: non tamen largus princeps illorum gaudebat de pluralitate: sed illos tum principibus exercitus sui, tum verò suis militibus, abundanter distribuebat, in tantum, quòd aliquando duos, vel tres, proprio equitandi pro usu vix habebat.* Qui locus clarissimè ostendit, id esse *marestallam*, vel *maristallam*, quod dicebamus. Atque hinc *maristallus*, equilis præfectus. Ut in vita S. Laurentii, episcopi Dubliensis: *B. Viri marestallus toto corruptus corpore miserabiliter inflatus erat.*

Marmotinus, aureus denarius, ut Albertus Argentinensis docet in Chronico: *Annuatim debent præsentare ad cameram Papæ unum marmotinum; qui bene noscitur à curia; & est muneris valoris, quam parvulus florenus de Florentia.*

Marpahis Longobardicâ linguâ strator; ut indicat Paulus diaconus de gestis Longobard. lib. II cap. IX, & lib. VI cap. VI. *Strator* verò quis vocetur, dicent Stewechius ad Veget. & Salmasius ad Hist. August. Script. Non dubium verò, quin *marpahis*, modò hæc genuina lectio sit, conflatum fuerit è duabus vocibus; quarum prior sit *mar*, hoc est, equus: posteriorem suspicabar esse *passen*, hoc est, curare; quomodo dicimus, *op sijn gesondheyt passen*, valetudinem curare diligenter; *nergens op passen*, nihil quicquam curare. Sed sic *marpasis* potiùs scribi debeat. Et in codice Orteliano, ut ait Lindenbrogius, est *marhais*: in nostro verò Mso, *marahis*, solùm trajectis duabus literis; utrobique verò P extrito. Nec dubito, quin hæc vera sit lectio; ut *marhais*, sicut idem Lindenbrogius conjectabat, sit ab Germanico *haissen*, hoc est, jubere: vel, si nostro codice stare malis, ab *heissen*, quod idem notat. Belgæ

L

* Pag. 307. edit. Megunt. an. 1602.
† Pag. 308.
* Editionis Wechel. an. 1594. pag. 254. vers. 22.
† Pag. 15.
* Pag. 308. edit. Megunt.
† Pag. 341. edit. Wechel. an. 1594.
* Pag. 117.
† Pag. 173.
* Pag. 35. edit. Moguntinæ. an. 1602.
† Pag. 108.
* Pag. 274. vers. 53. edit. Tiguri sive pag. 257. 48. edit. Londin. an. 1640.
† Pag. 104.
* Pag. 121.

Belgæ pro eo, *heeten*. Erit igitur *marhais*, vel *marahis*, equorum jussor, hoc est, qui imperium in equos obtinet. Similis fortasse compositio in *schulthais*, pro prætore; à *schult*, debitum, mulcta; & eodem *heissen*, quia imperium in eos habet, qui ob delictum aliquod mulctam debent. Hoc doctissimo Lindenbrogio placuit. Malim tamen deducere à verbo *heisschen*, vel *eisschen*, hoc est, exigere; quia is mulctam exigit ab delinquentibus.

Masca nominatur in Legg. Longobard. lib. I tit. XI leg. IX, quæ est Rotharis Regis: *Nullus præsumat aldiam alienam, aut ancillam, quasi strigam, qua dicitur masca, occidere; quod Christianis mentibus nullatenus est credendum; nec possibile est, ut hominem mulier vivum intrinsecus possit comedere.* Est & ejusdem Regis lib. II tit. IX leg. III: *Siquis mundium de puella libera, aut lib. muliere habens, eam strigam, quod est masca, clamaverit, excepto patre aut fratre, amittat mundium ipsius.* Ex quibus liquet, *masca* esse idem ac venefica, vel malefica; quod genus antiqui dixere *striges*, barbari *strigas*: ut suo loco, nempe in barbaris Latinæ originis, explicabitur.

Mascauta, vel *mascauda*, œnophorus, vas vinarium. Legas eam vocem apud veterem Juvenalis interpretem in libro vetusto, ut observatum aliis. Glossæ antiquæ: *Macusta*, βαύκη. Ubi Salmasius † emendat, *Muscauta*. Ac firmat, quòd βαύκη in Glossis exponatur viniterum, sive œnophorum. *Bancam*, pro cyatho, etiam apud Anastasium biblioth. invenias: imò pro eodem & *caucam* dixere; ut cap. I v ostensum.

† Ad Trebellium Poll pag. 333.

Medus, & *medo*, idem notant. Fortunatus de vita S. Radegundis lib. I: *Potum vero, præter aquam mulsam, atque pyratium, non bibit: non vini puritatem, non medi decoctionem, cervisiæque turbedinem.* Beda Presbyter de Remediis peccatorum cap. VII: *In unaquaque septimana tres dies sine vino, & medone, & carne; & jejunet usque ad vesperam.* Ubi alternos dies signat; nempe secundum, quartum, sextum. Item habes in Pœnitentiali Romano Tit. I, qui est de Homicidio, cap. XI, ex decreto Pii Papæ: *Vinum, & medonem, & mellitam, & cervisam, nunquam bibas: nisi in illis prædictis diebus.* Etiam sic vocat Tageno, decanus Patavinus, de expeditione Cæsaris Barbarossæ in Palæstinam, Matthæus Parisius in vita Gaufridi, sextidecimi abbatis S. Albani, Andreas, presbyter Ratisponensis, in Chronico ducum Bavariæ, Æneas Sylvius Historiæ Bohemicæ cap. VIII. Imò & μέδ☉ similiter vocatur Prisco in Eclogis de Legat. Quid verò sit, partim Æn. Silvius loco memorato indicat, partim, ad superiorem Pœnitentialis Romani locum annotavit Tarraconensis archiepiscopus, Antonius Augustinus, vir non minori doctrinâ, quam dignitate: *Melitam conjicio esse eam melle confectam potionem: cervisa, vel cervisia, potio nota est Germanis, & Britannis. Medonem ignoro; sed potionis genus esse apparet.* Mihi sic videtur, *mellitam* esse cervisiam mellitam. Sanè *& vino, & medone, ac mellita cervisa abstinere*, jubet concilium Tiburiense cap. LVI, & LVIII. *Cervisa*, an *cervisia*, dicas, nihil refert; quando utrumque apud veteres reperias, non librariorum culpâ, sed diversâ auctorum consuetudine: quod MSS clarè docent. *Medo*, autem, vel *medus*, dicitur *hydromeli*, sive aqua mulsa, ex Germanico *meeth*, sive Belgico, uti & Anglico, *mede*. De quo dispiciendum, utrùm origine sit Saxonicum; an Græcum, à μέθυ, id est, vinum, cujus loco bibitur: vel Latinum à *melle*, ut *medo* dicatur quasi *melo*; simili literarum mutatione, ac à μελετᾶν est *meditari*. Sed magis placet, ut & Græcum μέλι, unde *mel*; & Saxonicum *meeth*; a communi sint origine; qualis erit, si veniant ab Hebræo מלץ, hoc est, *dulcescere*. Ac firmat hanc opinionem, quòd etiam Bohemi pro melle dicant *mea*: ut linguas alias prætercam.

Melseta legas in Constitutionibus Siculis, sive Neapolitanis, lib. I tit. XVI: *Si quando in locis ipsis, aut circa rixas, quæ vulgariter melsetæ dicuntur, injurias, violentias, aut hujusmodi flagitia, forte prænoverint committenda.* Unde colligas, rixis vehementibus convenire, ac è quibus majora pullulent mala.

Methium in glossario exponitur sponsalitia, vel nuptialis donatio. Longobard. Legg. lib. I tit. IV L. III: *Nulli sit licentia conjugi sua de rebus suis dare amplius per qualecumque ingenium, nisi quod ei in die votorum in methio, & morgengab, dederit.* Sed & alibi in iisdem occurrit. Amicissimo, dum viveret, Matthiæ Martinio accessero non invitus, qui venire censet * a Saxonico *meden*, pro quo Germanorum alii *miten*, vel *mieden*. Hoc est, mercede conducere, quod Græci μισθοῦν.

* In Etymologico, voce meta.

Minera a Germanico *mijne*, unde suum vocabulum accepere cum Itali, Galli, Hispani, tum Angli item. Notat matricem, sive venam terræ metallicam. Sic utitur aurea bulla Karoli IV. Indeque philosophis *mineralia*. Fortasse autem *minera* à *minando*, posteriorum seculorum verbo, pro *ducere*: ac particulatim pro facere ductus subterraneos, sive cuniculos. Sanè ut *mijne* cuniculus, ita *mijneren* barbaris *minare*, Latinis *agere cuniculos*. Atque hinc *minitores*, fossores, qui cuniculos agunt. Comes S. Pauli epistolâ de Constantinopoli captâ, ad Ducem de Lovanio, sive Brabantiæ, exarata †: *Super turri autem illa locuti fuimus cum duce Veneti, viro prudentissimo, & discreto, dicentes ei, quod nullo modo posset capi, nisi per minitores, & petrarias caperetur.* Et post aliquammulta: *Minitores vero muros inferius subcavantes unam turrim straverunt.* De *minandi* verbo, pro *pecus agere*, dicemus in verbis alienâ significatione usurpatis.

† Apud Godefridum monachum S. Pantaleonis, ad an. 1203. Habes in scriptoribus Rerum Germanicarum à Frehero editis, pag. 269. & 270.

Mordrum, vel *murdrum*, pro morte violenta, quæ Saxonibus, ac Longobardis, *mort*: uti hodieque Belgis *moord*. Legg. Saxon. tit. II. §. VI: *Si mordrum totum quis fecerit, componatur primo in simplo, juxta conditionem suam.* Crebrum in Legibus Anglicanis. Ita lex Guiljelmi Nothi, sive Conquæstoris: *De perjurio, aut murdro, aut furto, aut homicidio.* Et L. L. Henrici I Angl. R. cap. XI, De jure Regis: *Hac sunt jura, quæ Rex Angliæ solus, & super omnes habet in terra sua —— murdrum, falsaria moneta sua, incendium, hamsockna* &c. Item in Assisis Henrici II Clarendonæ editis: *Hæc assisa attinebit —— in murdro, & proditione, & iniqua combustione, & in omnibus prædictis; nisi in minutis furtis, & roberiis, quæ facta fuerunt tempore guerræ; sicut de equis, & bobus, & minoribus rebus.* Matthæus Parisius in anno cIↃ cc XVI: *Quod* (Joannes, Angliæ Rex) *Arthurum, nepotem suum, propriis manibus per proditionem interfecit pessimo mortis genere, quod Angli murdrum appellant.* Etiam *mortridum* dixere, vel *mordridum*. Concilium Aurelianense apud Ivonem part. I X cap. LXX: *Qui sponte per fraudem, & avaritiam, hominem innoxium occiderit; quod mortridum vocant.* Item Concilium Moguntinense, in Pœnitentiali Romano lib. III cap. VIII: *Per fraudem, & avaritiam, hominem occidunt, quod morthridum vocant.* Ita rectè corrigit Lindenbrogius; ubi *morchidum* ab Antonio Augustino editum. Est & in legg. Frisiorum Tit. XX. §. II: *Siquis hominem occiderit, & absconderit, quod mordritum.* Item Legibus Boiorum Tit. XVIII cap. II, & Ripuar. Tit. XV. Sed & pro eo *mortaudum* legas in Legg. Alamannicis, & Longobardicis: ut satis liqueat, Germaniæ gentes in hoc vocabulo solâ dialecto variasse. A *murdrum* est *murdrare*, *murdrator*, *murdratus*: *moorden*: unde *murdrator*, homicida; *murdratus*, interfectus. *Murdrator* est apud Hovedenum pag. CCCXLV. Alterum est in L.L. Edwardi Confessoris cap. XV: *Sin infra tempus annuum, non posset teneri* (murdrator) *parentes murdrati sex marcas haberent.* Videntur & dixisse pro eo *murdidrare*. Nam in Synodo, celebrata apud Theodonis villam, legas de episcopo Joanne inhonestè & inauditè *mordridato*. Ac Vitus Amerpachius corrigendum putat in Constitutione Karoli M. * *servum, quem mordricavit*: ubi vulgò *mordricum*.

* Pag. 296. edit. Mogunt. an. 1602.

Mor-

Morgengeba, crebrum in Legibus antiquis; uti Ripuariis, Alaman. Burgund. Longobardicis. Pro eo *morganagiba* est apud Gregorium Turonensem lib. IX cap. XX: *Tam in dote, quam in morganagiba, h.e. matutinali dote.* *Morgengab* vocatur Speculi Saxonici lib. I Art. XX. ex *morgen*, hoc est, *mane* & *gab*, donum. Belgis *morgengave*, vel *morgengifte*. Feudistæ pro eo ajunt *morganatica*. Nempe sic dicitur donatio propter nuptias, quæ fieret matutino tempore ante nuptiale convivium. Diversam fuisse à dote, etsi utraque fieret à sponso, vel sponsi parente; satis indicant Gregorii Turonensis verba, quæ adduximus. Vide & Marculphi Monachi librum II form. XV.

Mos Germanis pro palude dictum videtur: nempe pro *mors*, ex *morasch*: quod vel à Belgico *more*, (Flandri utuntur) pro *moer*, *moor*, *modder*, hoc est, cœnum, lutum, limus: vel à *meer*, sive *maer*, id est, mare, unde & *maer*, sive *moer*, deflexum. Rhegino abbas Chronicorum libro II ad annum ꟾↃCCCLXXX: *Castrum munitissimum, quod Mosburgk*† *nuncupatur, eo quod palude impenetrabili locus vallatus.*

† *Ita utraque Francofurtensis editio, & prior anni* 1566, *&* *Wecheliana Pistorii an.* 1583.

Muffula, chirotheca hiberna, ex German. ac Belgico *moffel*, pro quo Galli *moufle*. At chirotheca, quam non æstate minus, quàm hieme, gestamus, *wantus* ex Germ. & Belg. *wante*, pro quo Galli *gante*, Itali *ganto*, Hispani *guante*. Utrumque habes in Additione primâ Capitulorum Caroli M. & Ludovici Pii, cap. XII: *Abbas omnino provideat, ut unusquisque monachorum habeat —— wantos in æstate, muffulas in hieme vervecinas.* Ac posterius etiam legas cap. LXXIX.

Mumia caro hominis balsamo, vel myrrhâ, & aloë, aut asphalto, adversus corruptionem condita. Habet & conservandi vim mel, ac cera: ut propriè inde origo possit accessi. Sanè Arabibus מום, mum, *cera*.

Mundium nunc generatim potestatem, nunc particulatim tutelam, notat. Constitutio Karoli Magni†: *De mancipiis palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere; sed nostra ipsa mancipia habere.* Longobard. Legg. lib. II Tit. X. leg. I: *In sua potestatis arbitrio, id est, sine mundio vivere.* Et Tit. XXXIV L. IV: *In alterius mundio esse.* Tit. XIV. leg. XV: *Pro mundio puellæ tollant naturales filii tertiam partem.* Et eodem Tit. L. VIII, & IX: *Mundium puellæ parentibus mortuis ad curtem redit.* Est autem *mundium* à *mund*, h.e. os: quia qui alterius est tutor, ei fit vice oris. Vel ab antiquo *munden*, h.e. loqui, quod ab eodem *mund*, ut *orare* ab *os*: quia nempe tutor loquitur pro pupillo. Hinc & idem tutor *formunde*, vel *voormunde*, quasi *pro ore*, vel pro altero loquens. Nisi potius à verbo *ver-monden*, quod Latinis *eloqui*, *effari*. Ab eadem origine sunt *mundium*, & *mundialis*. *Mundim* dicitur, qui sibi pro ore est, ut Belgis *mondich*, i. puber, extra tutelam constitutus. Qui & *amund*, vel *amond*, in Legg. Longobardicis lib. II Tit. XII L. VI: *Si Dominus ancillam eam liberaverit, & amond fecerit à se.* Ubi *amond* notat liberam à tutela. Vox conflata ex privativo *a**, & Saxonico *munde*, hoc est, tutela, defensio. Similiter Tit. XXXII Leg. IV: *Nulli liceat aldio cujuscunque, qui amunt factus non est, sine voluntate patroni sui, terram, aut mancipium vendere, neque liberum dimittere.* Habes & ejusdem lib. II Tit. II Tit. XXXIV de manumissionibus Leg. I. *Mundialis* verò, qui sub tutela est. Flodoardus Histor. Rhemensis lib. II, c. XIX: *Non dubito, tua id notum esse caritati, quanta nobis Ecclesiastica disciplina, quantusque nostrorum necessitatibus subditorum, & insuper mundialium oppressionibus, quibus quotidie agitamur, cura constringat.* Pro tutela etiam dixere *mundeburde*, vel *mundeburdium*: ut Anglosaxones *mundbyrd*, & *mundboran*. Burchardus lib. XIX Decret.† ex Pœnitentiali Romano: *Rapuisti uxorem tuam, & vi sine voluntate mulieris, vel parentum, in quorum mundiburdio tenebatur, illam abduxisti.* Atque hinc lucem capit, quod sæpius legimus, Episcopos fuisse in mundiburdio, hoc est, tuitione, sive defensione Majoris domus, vel ipsius Regis. Exemplo fuerit diploma a Carolo Martello, Majore domûs, datum S. Bonifacio; quod habes apud Pithœum in Glossario, verbo *Missus S. Petri*. Inter alia legas: *Cognoscatis, qualiter Apostolicus vir in Christo pater Bonifacius Episcopus, Missus S. Petri, ad nos venit, & nobis suggessit, quod sub nostro mundeburde, vel defensione, eum recipere deberemus: quod ita nos gratanti animo fecisse cognoscite. Proinde nos taliter visi fecimus et manu nostrâ roboratam dare, ut, ubicunque ambulare videtur, cum nostro amore, vel sub nostro mundeburde, & defensione, quietus, & conservatus esse debeat.* Integrarum par ratio Ecclesiarum, & monasteriorum: unde Synodus Confluentina an. ꟾↃCCCLX; ubi exponit fœdus Caroli, & Ludovici regum: *Volumus, ut Ecclesia, & Casa Dei, & Episcopi, & Dei homines clerici, monachi, & nonnæ, talem mandubernem, & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.* Chronicon Laurishaimense*: *Monasterium, cum omnibus illuc pertinentibus, in manus, & mundeburdem gloriosi Regis Karoli tradidit.* Habes & in Legg. Baioar. & Ripuar. ac veteribus Formulis. *Munduald* in Legg. Longob. & Siculis, tutor; ubi posterior pars vocis est *wald*, potestas: pro quo Belgæ *ge-welt*. Saxonibus *gemundian*, tutari, protegere. G crebrò in I consonum abire solet: unde *jamundlingi*, pro *gemundling*; qui se bonaque sua commiserint potestati Episcopi, vel Abbatis; quod facere plerique solent, quò effugerent militiam, aliaque reip. onera. Privilegium Othonis Imp. monasteriis concessum, supplicatione Adaldagi Episcopi: *Si vero aliquis ex libertate voluerit, vel litus fieri, aut etiam colonus, ad monasteria supradicta, cum consensu cohæredum suorum, non prohibetur.* Pro *mundeburde*, & *mundeburdium*, etiam legas *mandeburde*, & *mandeburgium*: nempe ut Galli pro tutela *mamburnie*: quod apud Frossardum Vol. I cap. CLV. Ac Belgis quoque tutor non solùm *momboer*, vel *momber*: sed etiam *mamboer*: unde & vulgo *mambargus*, *mamburnus*, & *mamburnus*, pro tutore: item à *mamburnus*, *mamburnire*, pro tueri: ut apud Hugonem Florestiensem Canonicum, in vita B. Iuettæ, sive Juttæ, viduæ Reclusæ, cap. IX†: *Timens* (pater Juttæ) *ne pueros contingeret exhæredari, per distractionem bonorum, quæ fiebat a matre; abstulit quidem ei filios aliquamdiu, ut rerum minus esset compos ipsa, nec vendere posset jus hæreditatis ipsorum absque conscientia* (sui patris): *qui quasi pueros manburnire videbatur.*

† *Constitutionum Carolinarum pag.* 270. *edit. Mogunt. an.* 1602.

* *Quale in* amacht, *pro* onmacht, *impotentia animi*; awijs, *pro* onwijs, *amens*.

† *Pag.* 268.

* *Scriptoribus rerum Germanicarum editis à Marquardo Frehero pag.* 59.

† *E Msso Aub. Miræi cod. edidit Bollandus in vitis Sanctorum ad* 13 *Jan.*

Murtiplo, flos cordis, exponitur Gunthero Monacho in Histor. Constantinopolitana. De quo plura Meursius in Glossario, voce Μιρτζυφλος.

Musius, & *musio*, pro fele, quia mures captat. Nam animalculum hoc, ut *mus* Latinis, μῦς Græcis, ita Germanis etiam *mausz*, Belgis *muys*, Anglis *a mouse*: cuncta fortasse ab origine Hebræa, quia מוש recedere. Nam recedit de die, seque abdit latebris, inde proditurus de nocte. Isidorus Originum lib. XII cap. II: *Musio appellatus, quòd muribus infestus sit.* Glossæ Arabicolatinæ: *Musium, cattum, ab eo, quod catat, id est, videt.* Sed de *catandi*, seu *cattandi* verbo inferiùs dicetur.

Mussum, pro sarmentis, ac virgultis, ex Germanico, ac Belgico *mutsaert*. Cæsarius lib. VI Miracul. cap. V: *Cùm pauperes musso, quem de nemore collegerant, oneratos prætereire cerneret, emeret ipse.*

Muta substantivè acceptum Latinobarbaris idem ac cavea, aviarium, locus quò se aves recipiunt, quando pennas mutant. Fridericus II Imper. in prologo lib. II de Venatione: *Quædam in conservando sanas, etiam quandò jam mutant pennas, ut domuncula, quæ dicitur muta.* Imò & μοῦτα similiter Græci: ut Demetrius Constantinopolitanus Hieracosophii lib. II cap. XLIX, & LIII; qui & μουτόειν ibidem dicit, pro includere in mutam. Est verò *muta*, non à *mutando*, ut arbitror; sed à Germanico, & Belgico *muyte*, quod idem notat: indeque Italicum *muda*, vel *muta*, Gallicum *mue*. Etiam *muta* sumitur pro squilla, hoc est, skella, sive tintinnabulo. Matthæus Parisius in vita Joannis XXIII Abbatis S. Albani: *Tactâ*

notâ,

mold, cui Muta, vel Scilla, est nomen, terminetur sonus ille.

Mutoninus, pro ovillus, vel vervecinus, à Gallico *mouton*, vervex. Chronicon Aulæ Regiæ de Joanne Bohemiæ rege, cap. x *: *Inventa fuit quædam pellis mutonina, intus, & foris, Hebraicè conscripta.*

* In scriptoribus rerum Bohemicarum pag. 35. edit. Wechel. an. 1602.

CAP. XIII.

De captis ab N. Nastaid, *pro juramento per cor, sive vitam.* Naufus, *vel* noffus, *pro capulo, sive sandapila.* Nedfratres, *sive* nedfri, *vel potius* nedfyrs, *aut* nodfyrs, *pro igne, quem rustici festo S. Joannis accenderent ad erucas fugandas.* Neufrasis, *pro capitis dolore.* Nonna, *pro sanctimoniali, seu virgine, seu vidua, seu etiam quondam meretrice: item* nonnus, *pro sancto:* nonnana, *vel* nonnanis, *pro nonna: &* nonnanus, *pro nonnus.* Notnumsti, *pro violentia.* Nusca, *pro fibula.*

PErgam ad ea, quæ incipiunt ab udarum sive liquidarum tertiâ.

Nastaid est juramentum per pectus, sive cor, vitæ fontem, ac proinde per vitam ipsam. Conflata vox est ex *nast*, sive *naost*, hoc est, proximum, & *aid*, sive *eed*, id est, juramentum. Nempe quia nihil corde, sive vitâ, propiùs hominem tangit. Legg. Alamannic. Tit. LVI, §. II: *Liceat illi mulieri jurare per pectus suum, & dicat: Quod maritus meus mihi dedit in potestate, & ego possidere debeo. Hoc dicunt Alamanni nastaid.* Interim id vocabulum vix locum meretur in glossematis, quando nusquam reperias usurpari, ut Latinum.

Naufus capulum notat ligneum, sive, ut Martialis vocat, spondam Orcinianam. Gloss. *Naufo, sarcofago ligneo.* Et ita (ut Lindebrogio monitum) Codd. veteres. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum: *Sancta corpora palliis, ac naufis, exornata.* Quia verò AV in O abire solet, eò & *noffus*, dixere. Lex Salica Tit. XVII. §. III: *Siquis mortuum hominem, aut in noffo, aut in petra, quæ vasa ex usu sarcophagi dicuntur, super alium miserit, II D den. qui faciunt sol. LXII S culpabilis judicetur.* Et Tit. LVII §. IV: *Siquis hominem mortuum, aut in noffo, aut in petra, miserit, ICCCC den. qui faciunt solid. XXXV, culp. jud.*

Nedfratres legas in Synodo à S. Bonifacio, & Francorum episcopis, habitâ tempore Carolomanni, anno IↃCCXLII †: *Sive illos sacrilegos ignes, quos nedfratres vocant.* Sic editum à Pythœo: sed in glossario habet *nefratres*: ac monet, pro eo in Tomis Conciliorum, item in vita S. Bonifacii, ac in Burchardo, legi: *Sive illos sacrilegos ignes, quos nedfri vocant.* Etiam in Conciliorum Galliæ voluminibus à Sirmondo bono publico divulgatis, *nedfratres* reperio. Verùm planè adsentio doctissimis viris, qui *nedfyrs*, vel *nodfyrs*, legunt: id notat *necessarium ignem*, à *nood*, sive ut Anglicana profert dialectus, *need*, id est, necessitas, & *fier*, hoc est, ignis. Lindenbrogius ad leges antiquas annotavit, homines rusticos, festo S. Joannis, palo, quem è sepimento extraxissent, circumligâsse funem, ac traxisse huc illuc, donec ignem conciperent; eum stipulâ, ac sarmentis, fovisse, cineres super olera sparsisse, eò quòd putarent, hoc pacto abigi erucas: ac propterea hunc ignem *nodfir*, hoc est, ignem necessarium, nuncupâsse.

† In Capitularibus Karolomanni lib. 5 cap. 2.

Neufrasis sit κεφαλαλγία, sive capitis dolor, si credere fas Gemmæ vocabulorum, ubi legas: *Neufrasis, hooftsweer. Inde neufraticus, hooft-sweerich.* Commentum id unde sit haustum, necdum conjicere possum.

Nonna quæ dicatur, & unde sit ea vox accepta, exposui lib. I cap. VI. Porrò convenit hoc nomen, tum virginibus, tum viduis, tum etiam meretricibus quondam, sed pœnitentibus. Hoc abunde ostendunt loca veterum, quæ adducam. B. Hieronymus epist. XXII ad Eustochium de virginitate servandâ: *Quia*, inquit, *maritorum experta dominatum, viduitatis præferunt libertatem, Castæ vocantur, & Nonnæ.* Idem prologum vitæ S. Hilarionis sic orditur: *In sanctis orationibus tuis memento mei, decus ac dignitas virginum, nonna Asella.* Pelagius, Romanæ Ecclesiæ diaconus, de doctrinâ, & perfectione Sanctorum Patrum libro VII, qui est de patientia, & fortitudine, §. X: *Nonna illa, veni nobiscum ad balneum.* Ubi in Parisiana est *nonne*: sed Rosweidus rectè vidit, *nonna* reponi oportere. Ait verò, *nonna illa*, quasi diceret, ô nonna, cujus nomen nescio, aut non occurrit, aut quod dicere nolim. Ut hic *illa* sumatur, sicuti Græci usurpant suum δεῖνα, Hebræi פלמוני *palmoni*, ut est Danielis VIII. 13: pro quo LXX φελμουνί *. Bonifacius epist. XIX: *Si vero inventus fuerit, ut cum velata, & consecrata Domino nonna concubuisset.* Et ibidem, *Fornicantem per monasteria nonnarum.* Apud Benedictum Levitam Capitularium lib. V cap. II: *Similiter & nonna velata eâdem pœnitentiâ contineantur, & radantur omnes capilli capitis earum.* Quæ verba ex synodo à S. Bonifacio sub Carolomanno habitâ anno IↃCCXLII. Item apud eundem cap. seq. III: *Similiter, & monachi, & nonnæ.* Quæ ex synodo Leptinensi. Paullus Diaconus in vita Mariæ Ægyptiacæ cap. XVII: *Accipe hæc nonna:* ubi sic Maria vocatur, quæ inter pœnitentes erat. Walafridus de vita S. Galli cap. XVI: *Cur filiam tuam, quam nonna illa de te concepit, & genuit, non fecisti tecum venire?* Anastasius bibliothecarius in vita S. Joannis Eleemosynarii cap. X: *Obsecro te nonna, Hæc tantum voluisti dare Christo, an aliud aliquid?* Et cap. XLVI: *Occasione nonnæ Pelagiæ, quondam meretricis.* Caroli Calvi Constitut. lib. V tit. XXVI in Adnunciatione Hludovici Regis cap. IV: *Clerici, & monachi, & nonnæ.* Quæ & ipsa verba habes tit. seq. Flodoardus lib. III cap. XXVII, de Hincmari Epistolis: *Teutberga Abbatissa pro ordinatione Avennaci monasterii, de numero clericorum, & nonnarum, significans se disposuisse XX clericos, & XL nonnas ibidem consistere posse.* Baudonivia de vita S. Radegundis lib. II †: *Nonnam suam Tridovigiam.* Flotilda in Visionibus: *De quo cùm requisisset, audivit, quòd nonna fieri deberet.* Habes verò & νόννης vocabulum apud Xiphilinum in Domitiano. Moschopulus περὶ σχεδῶν *: *Νόννα, κῦρος.* Nec *nonna* solùm; sed etiam, de maribus, *nonnus* dixere. B. Hieronymus epist. XLVII: *Qui, in adulationem tui, sanctum nonnunquam coram te vocat.* Arnobius junior, (qui annis propè ducentis post ὁμώνυμον adversus nationes scriptorem claruit,) in Psalm. CV: *Si ille, qui sanctus vocatur, & nonnus, sic agit; ego quis, & quotus sum, ut non agam?* Et in Psalm. CXL: *Adulantes nobis invicem in præsenti positi, sanctos nos vocamus, & nonnos.* Regula S. Benedicti, qui anno obiit IↃXLII †: *Priores, juniores suos, Fratres nominent: juniores autem Priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia.* Et inde Synodus Aquisgranensis, anno habita IↃCCCXVI: *Ut qui præponuntur, Nonni vocentur, hoc est, paterna reverentia.* Quæ ipsa verba, præter additam interpretationem, ex hac synodo habes Additione Kapitularium I, cap. LIV. Cæsarius lib. I Miracul. cap. VII: *Hæc mihi dicta sunt à nonno Frederico monacho, qui tunc præsens fuit, cùm vir sanctus ista peroravit.* Item cap. XXVII: *Et sicut mihi dicere solitus erat nonnus Conradus, senex monachus noster.* Et cap. XXXV: *Nonnus Theodericus de Lureke, tunc novitius, quondam Canonicus Bononiensis.* Adhæc lib. III cap. XXXIII: *Cùm videritis nonnum Conradum, novitium Vilariensem, dicite ei, ut caveat sibi.* Item lib. V cap. V: *Novitius iste nonnus Alexander fuit, nunc Prior in Claustro.*

* Sive פלני אלמני *Peloni Almoni*, Ruth cap. 4 vers. 1. פלן *pelan*, Hispanis *mas fulano*.

† Apud Surium in Vitis Sanctorum ad 13 Aug.

* Pag. 93.

† Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. 1. cap. 1.

Nonnana etiam, vel *nonnanis*, pro *nonna*, dixere; & *nonnanus*, pro *nonnus*. Ita apud Ansegisum in Kapitul. Karoli M. lib. I cap. XVII lemma est: *De Clericis, & nonnanis.* Ac subditur Canon: *Quod non oporteat mulieres ad altare ingredi.* Item apud Benedictum Levitam lib. V cap. LXXVIII: *Ut condignam professioni eorum custodiam habeant canonici, vel monachi, atque nonnanes, ne detur eis occasio malefaciendi, quod absit.* Similiter lib.

lib. VII cap. CCCXVI: penè iisdem verbis, quibus retulimus paullò ante ex lib. V cap. II. Sed illic *nonna*, hic *nonnanes*. Traditiones Fuldenses lib. II, n. XXXVIII*: *Reliquia, quas Einbildis abbatissa donavit, & tradidit illis nonnanis.* Atque hinc Gallis *nonnains*.

* Pag. 509.

Notnumfti in Glossario Latino-Theotisco exponitur *violentia*. Ac in L L. Frisiorum Titulus est *de Notnumfti*. Lex verò incipit: *Siquis rem quamlibet vi rapuerit*. Lindenbrogius addit in Glossario, legi eampse vocem in Speculo Saxonico lib. I Artic. XLIII. Nam ubi Latinè est, *Violentiarum actione*, Germanicè esse, *Notnumfftige klage*. Et lib. III artic. I, Germanicè legi. *Alle levende ding, dat in der notnunft was, dat schal men houeden.* Ubi Latinè, *Omnia huic reatui* (violentiæ) *præsentia animalia ut decollentur.* Sermo autem est de pœna, quæ domum, & jumenta maneat, uxore alicujus, aut filiâ violatâ. Cæterùm in Lipsiensi editione anni CIↃ IↃ LXI, neutro in loco reperio *nodnumfftige*: sed priori quidem, *in nothaftige klagen*: posteriori autem, *bei der nothogung*.

Novigildus quid, & unde sit, liquet ex iis, quæ in *Geldus* diximus, & in *Octogild* cap. proximo adferemus.

Nusca, orbiculus ille, cui hamus sive uncus immittitur. Glossar. Latinotheotiscum: *Fibula, nusca. Fibula* est aduncum illud, quod orbiculo immittitur: Græci πόρπην vocant, quia transfigat; unde & *fibula morsum* dicit poëta. Belgis *gespe*. *Nusca* verò est ab Germanico, & Belgico, *noesch*, vel *nuesch*, h. e. obliquus. Habes in legibus Angliorum, & Werinorum, Tit. VI. §. VI: *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat: filia verò spolia colli, id est, muranas, nuscas, monilia, inaures, vestes, armillas, vel quicquid ornamenti proprii videbatur habuisse.*

CAP. XIV.

De cœptis ab O: qualia oberos, *pro villa ruptura: ac pro carceris custode*, obscario; *qui & scurio, vel scurro, dictus videtur*. Octogilt, *pro octuplici mulcta: ubi & de* niungeldo, *quasi novem geldis, seu gildis; item* angilde *pro simplici pretio*; twigild, *&* trigild, *pro duplici, & triplici geldo.* Offa, *pro loculo non dici; sed* noffo, *vel* naufo. Olca, *pro agro fæcundo.* Ordaleum, *pro purgatione per ferrum candens, vel aquam.* Ostarsali, *pro orientalis maris sinu.*

DE incipientibus à quarta vocali nunc videamus.

Oberos habes in Legg. Longobard. lib. I tit. XXXVI. §. IV: *Si servus Regis oberos fecerit.* Quid verò sit, inde non colligas: at ex ejusdem libri Tit. XXIV Leg. V. & VI: ubi idem dicuntur *oberos*, & *curtis ruptura*. Per *curtem* intellige villam, vel hortum, more Gallico: Germani pro eo *obe*, vel cum spiritu *hobe*, quod nobis *hoeve*: posterior vocis pars est *ros*, vel *ris*, sive *risse*, quod aliis *rete*, h. e. ruptura; uti quod nobis *rijten*, id Germanis *reissen*, sicut Græcis ῥήσσειν, *rumpere*.

Obscariones, carcerum custodes, ut glossarium exponit. Legg. Longobard. tit. LV. leg. XIX: *Caussa per sacramentum obscariorum cum actoribus finiatur.* Chronicon Sangallense lib. II de Carolo Magno †: *Dixit nominatus, non revera Episcopus, ad ostiarium, vel scarionem suum; cujus dignitatis, aut ministerii viri, apud antiquos Romanos ædilitiorum nomine censebantur.* Ac suspicatur doctissimus Lindenbrogius, eundem *scurionem*, vel *scurronem*, vocari in martyrologio veteri: ubi in vita S. Victoris legas: *Amputatum est caput ejus ab scurione.* Et post pauca: *Fecit eas incendi ante se ab scurrone.*

† Pag. 378.

Octogild, vel *octogilt*, pro octuplici valore, æstimatione, mulcta: à *geldum*, seu *gildum*; de quo vidimus cap. VIII. Papias: *Octogilt, mulcta octo denariorum.* Usæ Leges Longobardicæ lib. I tit. VIII, leg. I; tit. XIX, leg. VI, & XIII; ac aliàs sæpe. Simileque *novigildus*, pro novemplici valore, vel mulcta. Lex Burgundionum tit. VIII §. I: *Et post sacramentum potuerit forte convinci, in novigildo se noverit redditurum.* Et tit. IX: *In novigildo secundum pretia à nobis constituta.* Similiter tit. XIX. §. XI, & alibi. Item in legg. Alamannicis, & Boicis. Pro eo & *niungeltum* legas. Nempe, pro varia dialecto gentium Germaniæ, variabat hoc vocabulum. Nec composita semper voce usi, sed etiam partibus ejus dissolutis. Lex Alamann. à Goldasto edita tit. XLIX: *Siquis liberum de terra effoderit, quicquid ibi tulerit, novem geldis restituat.* Atque hæc de *gildi* voce cum numero octono, vel noveno. At verò etiam conflatur cum unitate, duplo, triplo. Nam *angilde*, *angildus*, vel *angildum*, dixere de simplici valore, ex Saxonico *an*, pro *een*, & *gildi* vocabulo. L L. Inæ can. XX: *Si tuus geneath, id est, villanus, furetur, & aufugerit, admone eum de angelde: & si non habeat, redde tu angelde, & non sit ei in aliquo remissius.* Ac pluribus id probarem, nisi jam fecisset in glossario suo Spelmannus. Pro *angelde* etiam κατὰ διάλυσιν dicitur *uno gildo*. L L. Inæ Missæ prope finem: *Siquis rectum declinet, vel aufugiat, persolvat uno gildo.* De duplo, & triplo, quod dixi, liquet ex *twigild*, pro duplici valore, à *twi*, vel *twee*, hoc est, duobus; & *trigild*, à *tri*, vel *drie*, hoc est, tribus. *Trigildum* habes in L L. Burgundicis tit. LXII, & L L. Alfredi Reg. Anglo-Saxon. cap. XL: item Alfredi, & Gutrunni Reg. cap. III, Judicat. lib. II cap. XCVII, XCIX, atque aliis. Atque ibidem & *twigield* reperias.

Offa, vel *aufa*, vasis genus esse, ac sic usurpari in L. Salica Tit. XVII §. VIII, traditum ei, qui Clemangi glossas addidit. Sed legendum *noffo*, vel *naufo*, quod ligneum capulum notat: ut superiori cap. observatum.

Olca Gallicum: de quo sic Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum cap. LXXIX: *Haud procul à basilica campus tellure fecundus (tales enim incolæ olcas vocant) & hic datus basilicæ sanctæ fuerit.*

Ordaleum Saxonibus, & Anglis, dicebatur probatio per aquam gelidam, vel fervidam, aut candens ferrum: de qua multa Juretus ad Ivonis epistolam LXXIV. *Ordaleum* idem, ac Germanicum, & Belgicum *oordeel*, h. e. judicium. Quippe probatio hæc *judicium* dicta, quòd vox illa sonat. Itaque eum, qui aquâ frigidâ probandus erat, sic adjurabant: *Adjuro te per evocationem Domini nostri Jesu Christi, & per judicium aquæ frigidæ; adjuro te per Patrem, & Filium, & Spirit. S.* &c. Candentium vomerum judicium subiit Emma, mater Regis Eduardi Confessoris: de quo Ranulphus Cestrensis lib. VI cap. XXIII: ut præteream Polydorum Virgilium, & Nicolaum Harpsfeldium; qui pleniùs de Ordaleo perscripsit.

Ostarsali, ex German. & Dan. *oost*, orientale, & *salt*, id est, sal, salum. Ita Aimoinus lib. IV de gestis Francorum cap. XCVI. Firmat quoque Rhegino abbas, Chronicorum lib. II: *Ab Orientalis maris sinu, quem illi Hostarsalet dicunt.* Ubi *Ostarsalt*, vel *Hostarsalet*, malim.

CAP. XV.

Accessum ad ea, quibus princeps litera est P. Palefredus, *vel* palfredus, *pro equo.* Pallingus, *pro palmus, apud Luitprandum vitiose scriptum videri.* Panceria, *pro loricâ hamis consertâ.* Parcus, *pro septo.* Pattica, *pro corio.* Perruqua, *pro galericulo.* Perulus, *pro unione, vel margarita.* Pinca, *pro subula.* Pitancia, *pro ciborum deliciis.* Ploum, *pro aratro biroti.* Plustaib, *de ictu vulnus faciente, vel livorem corporis.* Prisona, *pro carcere*, prisones, *vel* prisiones, *pro captivis, sive in carcerem compactis*: prisonerius, *pro eo, qui alterum conjecerit in carcerem:* imprisonare, *pro in carcerem mittere.* Procolpus, *pro ictu.* Propina, *pro oblatione gratuita. Alamannica esse* puleprust, *pro vulnere ex ictu:* puleslach, *pro tumore ex eodem.*

PRoximum in literis locum obtinet P: unde quibus, ortu ipso barbaris, initium sit, nunc carptim explicabo.

Palefredus vel *palfredus*, equus; non tamen simpliciter; nec enim mansionarius, sed cursualis exponi solet: ac creditur esse à Gallico *palefroi*, unde *palefrenier*, hippocomus, equorum, ac stabuli curator. *Palefrenarius* is in Concilio Pisano II †. Sed origine est Latinum; non quidem à parandis frenis, quod est in Gallico Roberti Stephani dictionario *; sed à *paraveredus*: quâ de voce, ac eàdem de illâ *palefredi*, & aliis, dicemus in vocibus barbaris originis Latinæ. Nunc contentus ero, loco penè alieno, unicum adferre locum Guilielmi Tyrii, belli Sacri lib. XIII cap. XXVII: *Miserat prædicto nobili viro, per quendam familiarem suum, palefredum albissimum, argento ferratum, freno, & cæteris argenteis phaleris redimitum, exemeto coopertum albissimo, ut in omnibus candor niveus consonaret.*

† Paginâ 156.
* Anni 1549.

Pallingus dispiciendum an medio ævo dixerint. Apud Luitprandum, in Legatione ad Imperat. Nicephorum Phocam, habes †: *Residentibus nobis ad mensam sine latitudine longam, pallingi latitudine tectam, longitudine seminudam.* Equidem assentio iis, qui *pallii*, vel, quod longè malim, quadam ὑπερβολῇ, *palmi* legunt pro *pallingi*.

† Pag. 99. edit. Ingolstadiens. an. 1600.

Pancerea est illud pectoris tegumentum, quod Græci vocant θώρακα λεπιδωτὸν, vel φολιδωτὸν, Latini loricam squamis horrentem, sive ex annulis æneis aut ferreis textilem. Est ea vox ex Germanico *pantzer*, sive Belgico *panser*; pro quo & Itali *panziera*. Constitutiones Neapolitanæ lib. I tit. IX: *Præsenti lege omnibus regni nostri fidelibus prohibemus, ut nullus arma molita, & prohibita, cultellos, & enses, lanceas, pancerea, scuta, vel loricas, clavas ferreas, & etiam alia omnia, quæ nocendi magis caussâ, quàm alterius cujuscunque liciti operis gratiâ, sunt parata, secum deferre præsumat.* Et tit. X: *ut pancereas, & loricas indutas non deferant.* Turocius Chronicorum Hungar. lib. II cap. LXIV: *Habebatque Sanson sub tunica panceriam, & præ gravamine loricæ natare non poterat.*

Parcus, pro septo, à Germanico *pherch*, Belg. *parck*, vel *perk*, Anglis *parke*, imò & Gallis *parc*: unde iisdem *parquet*, Belgis *parket*. Lex Ripuar. Tit. LXXXII §. II: *Si quis peculium alienum in messe apprehensum ad parcum minare non permiserit, XV sol. culp. jud.* Lex Angliorum Tit. VII §. I: *Qui gregem equarum in parco furatus fuerit, in triplum componat.* Lex Boiorum Tit. IX cap. II §. III: *De illo granario, quod parch appellant, tribus solidis componat.* Nec tamen planè idem est, ac *mita*: de quo ejusdem tituli capite prox. *De mita verò, si illam detegerit, vel incenderit, cum III sol. componat.* Interim res sunt vicinæ: de quo libro seq. Usus & *parci* voce Eduardus Rex L L. cap. VII: *De bosco, de prato, & aquæ, & molendinis, parcu, vivariis.* Item Matthæus Parisius non semel.

Partica, βυρσίνη, Corippo. Idem arguit vetus Juvenalis scholiastes, cùm, quod poetæ est *pauper lorum*, explicat *corrigiam particam*. Atque huc ad oram codicis sui adscripserat Josephus Scaliger, inde dici *particarios*. Est verò *partica* ex barbaro vocabulo *partum*, significante *corium*. Auctor Hermeneumatum: *Culeus, tunica ex partu in modum eronis facta.*

Perruquam vocant vulgò, quæ *capillamentum* Suetonio in Caligula cap. XI: *Ganeas, atque adulteria, capillamento celatus, & veste longâ, noctibus ambiret.* Item *galericulum* eidem in Othone cap. XII: *Galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato, & annexo, ut nemo dignosceret.* Tertullianus de cultu feminarum cap. XII: *Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium, & textilium capillamentorum; nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis; nunc in cervice retro suggestum.* Designat idem Valerius Flaccus in VI Argonaut.

> *Tenuia non illum candentis carbasa lini,*
> *Non auro depicta chlamys, non flava galeri*
> *Cæsaries, pictoque juvant subtemine braccæ.*

Et Hieronymus ad Marcellam: *Quæ capillis alienis verticem struunt.* Venustè ejusmodi galericulum, quia ex pelle erat, cui adsuti erant capilli humani, calceo comparatunt homines festivi: unde & jocus iste apud Martialem lib. XII epig. XLV: ubi utentibus eo ait esse *caput calceatum.* Quasi galericulum illum Belgæ dicerent *hooft-schoene*; ut chirothecas nuncupant *hant-schoene*. Epigramma hujusmodi est:

> *Hedinâ tibi pelle contegenti*
> *Nudæ tempora, verticemque, calvæ,*
> *Festivè tibi, Phœbe, dixit ille,*
> *Qui dixit caput esse calceatum.*

Perulus, pro *unione*, vel *margaritâ*, sive (ut Persius vocat sat. II) *conchâ baccâ*, legas apud veterem Persii interpretem. Sed usitatius pro eo *perula*, & *perla*. Mirum verò, nec eo, literato hoc seculo, abstineri a Josia Quercetano lib. I de veterum medicina, atque aliis. Vox est ex eo, quòd Germani dicant *perle*; imò & Galli, gentesque aliæ. Quorum exemplo Matthæus Parisius *perlam* vocat non in Historia solùm ad an. CIↃ CCL IV; sed etiam in vita abbatis Guarini: *Innumerabili margaritarum, sive perlarum ordinatâ positione.* Similiter S. Odericus de Foro-Julii, Peregrinationis suæ cap. primo, §. IV: *Portant, super capita sua, fasciola aurea de perlis preciosis.* Et cap. II §. IX: *Illic* (in regno Mobar) *tot bonæ perlæ reperiuntur, sicut in aliqua parte mundi.* Item cap. III, §. XIII: *Rex istius terræ bene trecentas perlas in collo suo portat.* Et paullò pòst: *Dicitur, quod Rex plures habeat pretiosas gemmas, & perlas, quàm aliquis in hoc mundo.* Item Marchisinus de Baadon, in Appendice, quam Oderico addidit: *Istud autem galerium* (capitis est tegumentum) *prout audivi à fratre Oderico, ex gemmis, & perlis pretiosis, factum est, & plus valet, quàm tota Marchia Tarvisina.*

Pinca Italis subula, vel graphium. Pincis ejusmodi interfectum esse S. Felicem Nolanum, atque inde *Felicem in Pincis* nuncupari, legas apud Jacobum de Voragine, nec non Petrum de Natalibus. Quibus faciliùs fides haberetur, si tale quid vetustiores de tam vetusto martyre prodidissent. Sanè ex antiquis, qui graphiis discipulorum periisse referantur, non alii nunc animo occurrunt, quàm hi duo; Cassianus, cujus memoria celebratur XIII Augusti, & Joannes Erigena, sive Scotus, Caroli Calvi Imp. æqualis: de quo id ex Matthæo Westmonasteriensi, & Guilielmo Malmesburiensi, prodebamus Historiæ Pelagianæ lib. VII Parte IV *.

* Pag. 741. & 742.

Pitaucia, vel potiùs *pitancia*, à Gallico *pitance*, pro obsonio, vel lautiori ferculo. Sic usurpat Cæsarius Haisterb. lib. VIII Mirac. cap. XI: *Omnes pitancias sibi appositas recusabat.* Sermo est de pisce, quem Abbas miserat. Pro eo *pitiantia* est lib. VIII cap. XCIV. At aliud *pitacium*, & *pitaciolum*, ex Græco πιτάκιον; de quo inferiùs.

Ploum est aratrum duas habens rotas, à Longobardico, ut videtur, *plo*; quod integrius Saxonibus *plog*, Germanis *pflug*. Quæ aratrum notant. Dani hodieque *plowen* appellant. Utuntur Leges Longobardicæ lib. I Tit. XIX L. VI: *Siquis ploum, aut aratrum alienum, iniquo animo scapellaverit, componat solidos quatuor; & si furatus fuerit, componat in octogild.* Quem locum mirificè in glossario adducit Clemangis editor. Nam pro *ploum* scribit *pralonum*, ac *capellaverit* pro *scapellaverit*. Quod verò dixi de rotis duabus, id glossis comprobatur: in quibus est: *Ploum, quod habet duas rotas.* Ac Plinius lib. XVIII cap. XVIII, varia vomerum genera ait: *Galliæ verò addiderunt rotulas, quod genus vocant plammorati.* Ita quoque est in antiqua editione Parmensi an. CIↃ CCCCLXXVI. Sed Glareanus, comment. in Cæsarem, legere jubet *plugrati*, ex *phlug*, aratrum, & *rat*, h. e. rota. Martinio in Etymolog. *ploamrati* videtur ex *plo*, aratrum, *am*, ad, *rat*, rota.

Pluslaib Germanicum ex *blosz*, nudum, & *laib*, corpus: de ictu, unde in ipso corpore vulnus vel livor exstat: ut Longobard. Legg. lib. I Tit. VIII Leg. XXIV: item de spoliis corporis, quod armis vestibusque exuitur, ac nudum exin relinquitur: ut in ejusdem libri tit. IX leg. III.

Prisona, carcer; qui *prison* Gallis, & Anglis. Video, esse, qui ex *prebensus* dicant esse *prensus*, à *prensus prins*, ex hoc *pris*, & *prison*. Sed quia hoc etymon longè adeò arcessitum, illi in iis, quæ potiùs originis barbaræ videantur, adsignavimus locum. Nec tamen displicet, quia posteriores *prindere*, pro *prendere*, dixerunt; item *prisum*, pro *prensum* (de quibus in *Proprindere*, & *Misprindere*, agemus*) eò à *prisum* esse *prisona*; ut *in prisona* valeat, in prehensione. Sic Legas in Chartis Ducum Normannicorum†: *Comes Lecestria, & omnes prisones, & hostagii prisonum, prout divisum est hinc inde, liberabantur.* *Prisonam*, pro carcere, dixit apud Matth. Paris. Joannes III Angliæ rex in Charta sua ad an. clↄccxv: *Si non habeat, unde redimi possit, jaceat in prisona nostra, per annum unum, & unum diem.* Inde *prisones*, captivi, in carcerem conjecti. Idem Parisius in literis Comitis Richardi ad an. clↄccxli: *Videlicet quòd redderet prisones captivatos.* Pro eodem *prisionem* ait Beka in Chronicis non semel. Ut in Conrado Episcopo xxii: *Quem cum aliis captivis, à prisione solutus, remisit ad civitatem propriam.* In Hereberto episcop. xxvi: *Audiens præcordialem sororium suum in prisione detentum.* In Theoderico, episc. xxxi: *Quem Theodericus Comes jussit extemplo per Henricum Grus* apprehendi, ac in prisone carceris districtissimè catenari.* In Willebrando epist. xxxv: *Et per breves inducias à prisone demissi.* Est & in Stilo Antiq. Parl. cap. xix: *Item cum aliquis propter injuriam per ipsum commissam est condemnatus in aliqua pecunia summa Regi, & parti: & dicitur, quòd tenebit prisionem, donec parti satisfecerit de parte ipsum contingente.* Hinc *prisonerius*, pro eo, qui ob debita, vel aliud, aliquem in carcerem compingi curat. Carolus viii Gall. R. Edict. de Appell. Relat.† *Si vero materia persona detentionem requirat, prisonerii appellantes una cum chargiis, & informationibus, ad curiam superiorem, ut procedatur ad ulteriora, sicut rationis, adduci mandabuntur.* A *prisona* quoque est *inprisonare*, pro in carcerem mittere. Est apud Matthæum Parisium, in charta libertatum à rege Joanne concessarum, ad ann. clↄccxv: *Nullus liber homo capiatur, vel imprisonetur.* Item in Additamentis Matthæi Parisii: *Justitiarium suum, quem tenebant imprisonatum.*

* Lib. hujus cap. 24 & lib. 4. cap. 17.
† Pag. 1055.
* Mallem dixisset, Gruem. Nam Belgis dicebatur Craen: ut videmus ex Chronicis Belgicâ perscriptis linguâ. Craen vero Latinè grus.
† Pag. 202.

Procolpus, ictus, contusio, vulnus; à *colpus*, quod à Gallico *coup*. Lex Ripuaria tit. lxxvii: *Si procolpus ei excesserit, & eum interfecerit.* Gallicum *coup* fortasse est à κόπτω *inciso, contusio*: quod à κόπτω, *seco, saucio, vulnero.*

Propina, quod ab dignitate auctis Ecclesiastica sponte datur curiæ, Romanæ. Germanis eam vocem tribuit Nicolaus de Clemangis libro de annatis non solvendis*: *Et talis oblatio, & gratuita datio, juxta vulgare Italicum dicta fuit SERVITIUM, & secundum Alemannos, PROPINA dicitur.* Sed de hoc pluribus lib. seq.

* Pag. 84. b. edit. Leidensis. an. 1613.

Pulepruft, & *puleslach*, legas quidem in Legibus Alamannicis, & Bavaricis: sed quò Latina Germanicis reddantur. Ut penè iisdem verbis in Alamann. tit. lxv §. vii, & Boiorum tit. iii cap. i §. iv: *Si brachium fregerit, ita ut pellem non rumpat, quod Alemanni PULEPRUST dicunt.* Item iisdem prope verbis Alemann. tit. lix, §. i. & Boior. tit. iii cap. i. & tit. iv. §. i: *Si quis alium per iram percusserit quod Alemanni PULESCHLAG dicunt.* Est verò in utroque prior compositi pars *puyle*, seu *bule*, tumor ex percussione; unde *pulen*, *uut-puylen*, tuberare, protuberare. Posterior pars in priori *prust*, *ruptura*: in altero *schlag*, ictus, percussio.

CAP. XVI.

Barbara inchoata à Q solùm attinguntur, quia fere omnia originem habeant Latinam. Exceptis ab R hæc memorantur. Rabiola, *de quibusdam ciborum deliciis.* Racimburgi, *pro judicibus, qui Comiti in tribunali adsiderent.* Rasta, *pro certâ itineris mensurâ.* Rauba, *vel* raupa, *pro veste.* Rauseus, *pro sarmentitiis.* Reburfus, *pro crispus, ut* reburfio, *pro* crispatio. Regardator, *pro eo qui studiosè aliquid curat.* Reipus, *pro pretio, quod viduæ datur connubii caussâ.* Rhedo, *pro iis, quæ ad mulieris cultum faciunt.* Ribaldus, *pro nebulone.* Riga, *pro vectigalis genere.* Roalia, *pro genere lintei pretiosi.* Roba, *pro vestimento.* Roberia, *pro raptu.* Rocha, *pro rupe.* Rocus, *vel* roccus, *pro tunica.* Rochetum, *pro eodem. Item* ruchus, *ac fortasse* ragus, & rachana, & froccus. Rodaticum, *vel* rotaticum, *pro foragio, sive jure ex vino minutatim divendito.* Romscot, *pro denario ex Anglia à qualibet familia Romam mitti solitâ.* Rotta, rutta, *vel* ruta, *pro globo, seu multitudine hominum.* Rumbula, *fædum in anus convitium.* Runcinus, *pro canterio: uti* averius, *de equo jugali.* Ruoda, *pro mulcta* cxx *solidorum.* Ruptarius *fortassis pro equite.*

SExtum, & decimum in literis Latinis locum vulgò Q sibi vindicat. Est tamen eadem litera, ac C: unde ea uti noluit Licinius Calvus. Sanè olim sonus idem; & videmus, in compositis promiscuè sumi: quâ de re abunde diximus lib. i de Arte Grammatica, cap. xviii, & alibi eopse opere. Atque ab hac caussa est, quòd hic qualis qualis quidem numerus sit barbarorum, quæ originem ducant à Latinis, vel Græcis: at exiguus prorsus illorum, quæ, barbara ipsa, ortum quoque trahant à barbaris. Quale, ut puto, *quarelli*, vel *quarelli*. Sic dicuntur majores sagittæ, quæ & Anglis *quarells*. Matthæus Parisius Historia Angl. ad an. clↄcclv: *Tuleruntque aliqui regiorum nunciorum, in argumentum fidei, & veritatis, mira spicula magnitudinis (quarellos vocant) ab arcubalistis trajecta.*

Sunt & alia ejus generis: sed, ut dixi, longè paucissima. Quare ad liquidarum quartam, quæ proxima est, accedo.

† Apud Matth. Parisium ad ann. 1243.

Rabiola, quædam ciborum deliciæ: fortasse sic dictæ quasi *ribiola*, ut signentur uvæ crispæ, quæ Italis *ribes*, Belgis *aelbesien*, h. e. nobiles baccæ. Giraldus, archiepiscopus Burdegalensis, epistolâ de crudelitate Tartarorum†: *Paterinorum bibi vina, rabiolas, & ceratia, & alia illecebrosa, comedens.*

Racimburgi, vel *rachimburgi*, vel *racinburgi*, aut *rachinburgi*, erant judices, qui Grafioni sive Comiti ad judicandum adsiderent*. Lex Salica tit. lii. §. iii: *Tunc grafio congreget secum septem rachimburgios.* Similiter paullò pòst: *Statim rachimburgii pretium adpretiatum, quantum debitum, quod debet, valuerit, de fortuna illius tollant.* Item tit. lix. *Si quis ad mallum venire contemserit, &, quod ei à rachimburgis judicatum fuerit, implere distulerit.* Et seq. *Si adhuc tunc rachinburgii despexerint, nec legem dicere voluerint.* Item L. Ripuar. tit. xxxii §. ii: *Cum tribus rachimburgiis in arrhao tollant.* Et tit. lv. Apud Benedictum Levitam lib. v cap. xiv. Capitul. Pipini tit. vi: *Si caussâ suâ ante ipsum Comitem fuit, & ante racimburgos.* Incertus primâ formularum veterum†: *Dum hæc caussa apud ipsum Comitem, vel ipsos racimburgios, diligenter fuit inventa, vel inquisita, & legibus fuit definita.* & cap. iv: *Proinde taliter ab ipsis missis Dominicis, vel illo Comite, seu & ab ipsis Racimburgiis, ipsius advocato —— fuit judicatum.* Item Variarum formularum xxvi, sive postremâ, quæ inscribitur, Cautio de infracturis*: *Exinde ante illum Comitem judicare fecistis: & ego hanc caussam nullatenus potui denegare. Sic ab ipsis racimburgiis fuit judicatum.* Traditiones Fuldenses lib. iii num. xxxviii†: *Totum, & ad integrum tradiderunt coram testibus, & regimburgiis.* Originem nominis optimè vidit illustris & doctissimus Hermannus Comes Nivenarius, in Dissertatione sua de Origine, & sedibus priscorum Francorum, ubi sic scribit: *Rachimburgii dicuntur Commissarii, ad componendas litenis stituti. Rachten enim componere: burgen, fidejussores.*

† Suspicor, quia T ante I vulgo pronunciari solet, ut Ci, quomodo justicia dicunt pro justitia; etiam racimburgos obtinuisse pro raiimburgus: constatâ voce ex rat, vel rath, consilium, & burg, arx, oppidum. Quomodo racimburgus fit consiliarius burgensis, sive Senator, aut judex civitatis.
† Pag. 196 edit. Paris. sive Bignonianæ.
* East. ejusdem pag. 413.
† Pag. 509.

Rasta, quod Græcis σαθμὸς, Latinis mansio, propriè itineris tantum, quantum absolvitur, priusquam quiescas; à Ger-

à Germanico *rasten*, pro quo alii *rusten*, h. e. *quiescere*. Unde & *raste*, pro penso; & Belgis etiam *raste*, pro *ruste*, quies, remissio, otium. Ac id esse *rasta*, monitum etiam Josepho Scaligero in V de Emendatione Temporum. Cui prævit in eo B. Hieronymus in Joëlem cap. III: *Unaquæque gens certa viarum spatia suis appellat nominibus. Nam & Latini mille passus vocant, & Galli leucas, Persæ parasangas, & rastas universa Germania. atque in singulis nominibus diversa mensura sit.* Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis cap. XII: *Hæc civitas* (Tulna) *nostro ævo ducatui Austriæ subjecta est, & tres rastas distat à Vienna.* Valde affine est Græco vocabulo ῥᾳστώνη, quod interdum significat otium, & animi relaxationem.

Raupa, vel *rauba*, generatim signat vestimentum, atque adeò omnem suppellectilem. Est à Gallico *robbe*, quod notat vestem, ac sæpe togam, vel tunicam. Marculfus Formularum veter. lib. I. num. XXIX: *Quasi vos, nullâ manente caussâ, in via adsalissetis, & graviter livorassetis, & raupa sua in solidos tantos eidem tulissetis, vel post vos retineatis indebitè.* Ac prope eadem verba habes ejusdem libri formulâ XXXVII. Item Formularum veterum XXXVI, sive postremâ, quæ est de infracturis: *Exinde annonam, vel aliam raupam, in solidos tantos furavi.* Legas quoque in Legg. Alamannicis Tit. XLIX: *Siquis hominem occiderit, quod Alamanni mortaudo dicunt, IX Weregildis eum solvat, & quicquid super eum rauba, vel arma tulit, omnia sicut furtiva componat.* Quibus locis per *raupa* vestimenta inter alios etiam intelligit Ludovicus de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap. CXXII num. X. Interim *rauba* etiam notat spoliationem, raptum, ereptionem; à Germanico *rauben*, hoc est, rapere. Liquebit hoc ex iis, quæ inferiùs in verbo *raubare* dicemus.

Rauseum, sarmentitium. Nempe veteres Germani *rauss* dixere, quod nunc Belgæ *rijs*, hoc est, virga, surculus, sarmentum. Uti verò *surculus*, quia surgat ex arbore (non, quod Festus credidit, à *surus*, unde *surculus* veniret) ita & *rijs* à *rijsen*, h. e. surgere, oriri. Jonas abbas in vita S. Wulfranni, Archiepiscopi Senon. *Locorum palustrium, quæ plena erant longissimis rauseis virgultis.*

Rebursus, crispus, retrorsum iens: *reburfio*, crispatio, itus in contrarium: à Gallico *rebours*, retrorsum, in contrarium. Chronicon Beccense*: *Antequam Hermanni, duce Wilhelmo, Angliam debellarent, fuit in Neustria (quæ nunc Normannia vocatur) vir egregius, nomine Gislebertus, genere, & nobilitate præclarus; qui ab habitudine capillorum primus Crispini nomine dicitur insignitus. Nam in sua primæva ætate habebat capillos crispos, & rigidos, &, ut ita dicam, reburfos, ad modum ramorum pini, qui semper tendunt sursum: quare cognominatus est Crispinus, quasi crispus pinus. Quam capillorum reburfionem videmus adhuc in iis, qui de ipsius Gisleberti genere descendunt. Unde & ipsi eodem cognomine à cæteris Normannorum filiis dirimuntur.* Sed quod à pinûs similitudine putat esse *Crispinum*, id ridiculum est. Ut enim à *Longus*, *Longinus*; ab *Augustus*, *Augustinus*; à *Justus*, *Justinus*; à *Macer*, *Macrinus*: sic à *Crispus*, *Crispinus*. Apud Persium mentio Crispini. Et quis Crispum Sallustium nescit?

*Apud Ludovicum de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap. 184. num. 27.

Regardator, observator, curator, à Gallico *regardeur*, inspector, ἐπίσκοπος: uti hoc à *regard*, intuitus, observatio, cura: unde & *regarder*, oculis intentis obtueri, introspicere, perspicere. Et *regardi*, & *regardatoris* vocibus, usus Joannes Angliæ Rex in libertatibus Forestæ, apud Matthæum Parisium ad an. CIↃ CC XV: *Regardatores nostri eant per forestas ad faciendum regardum.* Et mox: *Fieri debet regardus de tertio anno in tertium annum.*

Reipus, vel *reippus*, quid sit, docet Lindebrogius his veteris glossarii verbis: *Reipus de sponsalitiis viduarum. Pretium emtionis viduæ matrimonii caussâ.* Lex Salica tit. XLVI §. II: *Si vero ista non fecerit, & sic eam acceperit, ille cui reippus debetur, II D den. qui faciunt sol. LXII S culp. jud.* Et §. seq. *Si autem, quæ superius diximus, omnia secundum legem impleverit, & tres solidos, & denarium ille, cui reippus debetur, acceperit, tunc eam legitime accipiat.*

Rhedo quid sit, indicant hæc verba in legibus Angliorum, & Werinorum, hoc est, Thuringorum Tit. VII §. III: *Qui ornamenta muliebria, quod rhedo dicunt, furto abstulerit, in triplum componat, delaturam XII sol. & in freda similiter.* *Rhedo* igitur est mundus, sive ornatus muliebris: à quo *in mundo esse* Plauto† dicitur, quod semper est in promptu*: quia nempe (ut quidem Petrus Victorius† conjectabat,) sexus ille sequior semper ornatum suum soleat habere ad manus. Estque *rhedo* similiter à *rath*, sive, ut Belgæ scribunt, *raed*: non quatenus ea vox significat consilium: sed prout signabat olim facultates, vel quod in usum aliquem reponimus: unde obtinet, *te rade houden*, conservare in certum usum, & composita, *voor-raet*, provisio, penus; *huys-raet*, supellex; quæ similiter ab usu, *utensilia*.

† *Asin. act. 2. sc. 2. Epid. act. 5. sc. 1.* * *Festus.* † *Lib 8. Var. Lect. cap. 10.*

Ribaldus, pro vili, nequam: ut vulgò Germ. & Belg. *rabaut*. Usi Thomas Cantipratanus, rerum Germanicarum scriptores, ac Matthæus Parisius, cùm alibi, tum ad an. CIↃ CC LI*: *Confluebant ad ipsorum consortium fures, exules, fugitivi, excommunicati; quos omnes RIBALDOS Francia vulgariter consuevit appellare.* Alibi etiam sæpius usurpat; ac nunc ait, *ribaldi, & viles personæ*; nunc *vilissimi ribaldi*. Habes & in Albigensi Historia cap. XV†, & LXXIII*.

* *Pagina 823. edit. Londin. an. 1640.* † *Pag. 44.* * *Pag. 154.*

Riga, vectigalis genus. Marculfus monachus lib. II, formulâ XXXVI: *Exinde solvere nec tu, nec tua posteritas, nobis, nec heredibus nostris, —— debeatis; nisi tantùm, si ita vult riga.* Sic in Vett. etiam Formulis legas: *In ea ratione, ut riga, & alios reditus terræ, persolvam.* Ac alibi item. Censeo, propriè notare ordinem publicum, quò decurrit tributorum solutio: à Germanico *rige*, vel *reige*, quod notat seriem, ordinem, nexum. Belgæ dicunt *rijge*, & *rije*: ut cùm ajunt, *op een rije*, h. e. *ordine, ad amussim*. Ejusdem originis est *rijgen*, fasciâ aliquid, sive tæniâ, ordine nectere. Unde *rijg-swert*, gladius zonæ annexus. Videtur esse *parazonium* Martialis lib. XIV epigr. XXXII, ubi *militiæ decus* appellat.

Roalia puto lintei pretiosioris genus esse, fortè ita dictum ob excellentiam, quando *royal* Gallis regale. B. Odoricus Peregrinationis suæ cap. II: *Tunc ego Fr. Odoricus de Foro Julii, audiens, felices Fratres ex hoc mundo per martyrium migrâsse, & illuc veni, & apertis sepulchris suscepi ossa eorum humiliter, & devotè, & pulchris roaliis involuta corpora in Indiam superiorem ad unum locum Fratrum nostrorum, cum uno fratre socio, & famulo, portavi.*

Roba, vestis, à Gallico *robe*; quod idem notat: sed solet *roba* dici de pretiosiori veste. Matthæus Parisius in Henr. I ad an. CIↃ CXXIV: *Rex novam robam de scarleto sumens.* Idem similiter in Henrico III ad an. CIↃ CC XLVIII. Verba jam cap. VI adduxi in *Escarletum*. Vide &, quæ attulimus, in *raupa*, vel *rauba*. Nam dixere *rauba*, & *roba*; ut Latini *caurus*, *corus*; *caudex*, *codex*; *saurex*, *sorex*; *auricula*, *oricula*, *oricilla*, & similia.

Roberia, raptus, ut Belgis *rooverie*, in Assisis Henrici II Clarentonæ editis. Verba cap. XII in *Murdrum* adferebamus. Matthæus Parisius in Henrico III ad an. CIↃ CC LXVII †: *Ne ampliores roberias, & damnationes facerent.* Et non multò pòst*: *Discurrentes circumquaque faciunt roberias multimodas ex parte Regis.*

† *Pagina 1003. edit. Lond. an 1640.* * *Pag. 1009.*

Rocha, rupes, à Gallico *roche*; quod idem signat, uti Italis *rocca*. Antoninus Florentinus Chron. tit. XIX cap. I. §. I: *Dictus autem Conradus videns, quòd non proficeret, se ad mandatum ejus reddidit, & omnes munitiones, & rochas, domino Papæ resignavit.* Legas & in Chemiæ scriptoribus; ut *alumen rochæ*, apud Diodorum Euchyonem lib. I cap. XVII, & alibi crebrò; item Heliam Monachum de lapide philosoph. Belgæ *rotse*, vel *rootse*, dicunt; ac posteriores Græci similiter ῥόγγα: unde in Glossis Græcobarbaris ῥόγγα exponitur πέτρα, ἢ τὰ σπήλαια.

Rocus,

Rocus, *rochus*, vel *roccus*, pro tunica, ex Germanico *rok*. Ludovici Addit. I. cap. XXII: *Femoralia duo paria, roccum unum, pelliceas usque ad talos duas.* Chronicon Sangallense de vita Karoli M. lib. II: *Karolus habebat pellicium berbicinum, non multum ampliori pretii, quam erat roccus ille S. Martini.* Legas & apud Eckehardum in casibus Monasterii S. Galli cap. X, XIV, XV. Item apud Helgaldum in vita Regis Roberti: *Exuens se vestimento purpureo, quod linguâ rusticâ dicitur rocus.* A *rochus* verò *rochetum*. Ceremoniarum lib. I cap. IV: *Utuntur croceis obscuris, & subtus parvo caputio supra rochetum.* Et cap. VI: *Cingulo rubeo, cum aureis fibulis, birreto rubeo, & demum mundo nitidoque rocheto.* Ac alibi in iisdem libris sæpe. Cæterùm multi sonum literarum A, O, V, confundunt. Sic *mater* iis sonat, ut *moter*; unde Germani *mutter*, Belgæ *moeder*. Itidem pro *roc*, vel *roch*, dixere *rac*, vel *rach*, vel *rag*: aliqui item *rug*, vel *ruch*. A posteriori est, quòd pro *rocus* reperias *rucus*: quod & ad Græcos derivatum. Nam ῥοῦχος dicitur Codino †, & Nicetæ *. Etiam ῥουχίον idem Codino: uti *vestiarium* ei ῥουχαρεῖον. A *rag* verò est *ragus*. Ut L. III Cod. Theod. de habitu, quo uti. *Intra urbem Romanam nemo vel ragis, vel tzancis utatur.* Ubi *ragis* interpretor *roccis*, sive tunicis. Nisi *raga* usurpatum pro *bracha*: quando ῥάκη, & βράκη, ajunt Græci: & uti hic *tzanga*, & *raga*, ita *tzanga*, & *brachæ*, junguntur leg. XI ejusdem Tit. *Usum tzangarum, atque bracharum, intra urbem venerabilem nemini licet portare.* Hæc opinio fuit doctissimi amici nostri ὁ μακαρίτης Joannis Meursii †. Utcunque est, caussam non video, cur, cum altero viro eruditissimo *, in priori Theodosiani codicis loco pro *ragis* legamus *ruchis*. Ut verò pro *rocco*, *racha* quoque dixisse arbitrer, etiam illud facit, quòd *rachana* pro vestis genere legam; nempe, ut puto, ab eadem, ac *ragus*, sive *roccus*, origine. Gregorius Magnus lib. IX epist. ult. quæ ad Barbaram, & Antoniam: *Xenium vestrum duas racanas, quas de labore vestro esse mandâstis, libenter accepi. Sed tamen cognostis, quia non mihi mandatum credidi. Nam vos de labore alieno laudem quæritis, quia fortasse adhuc ad fusum manum nunquam misistis.* Alibi etiam in iisdem epistolis usurpat. Uti & Ennodius Ticinensis lib. IX epist. XVII: *Lanam, & racanas, cujus vos volueritis coloris, rubei, aut fusci, mihi sub celeritate dirigite.* Item habes apud Anastasium Bibliothecarium: inque vita Joannis Eleemosynarii: tum *rachanas* †, tum *rachanallas* * legas. Doctissimus Sirmondus credebat, *rachanas* Ennodio esse calceamenti genus: quod non arbitror. Dispiciendum verò, an non ejusdem, ac *roccus*, originis sit *froccus*: ubi vocalis *o* manet, sed *f* præmittitur: uti *b*, quando, ex multorum opinione, a ῥάκος sit βράκος; inde *braca*, vel *bracca*. Est verò *froccus* apud Ingulphum Sax. in Historia Croiland. Imò & Londinenses bajuli lineam vestem cæteris superinductam *froc*, & *floc*, nuncupant; uti Henrico Spelmanno, Anglo Equiti, monitum in Glossario †.

† De offic. Constant. cap. 3. & 6.
* In Andronico lib. 2.
† In Gloss. voce ῥοῦχος.
* In Gloss. Legg. Antiq.
† Cap. 26.
* Cap. 20.
† voce Frocca.

Rodaticum, vel *rotaticum*, Gallicè nunc *rouage*. Vectigalis est genus ex vino divendito. Sanè idem est ac *foragium*; quod hodieque sumitur pro jure ex vino minutatim vendito. Utrumque habes tum in diplomate Dagoberti Regis; ubi, de mercatu S. Dionysii agens, varia refert genera tributorum: tum item de eodem mercatu in præcepto confirmationis Pipini Regis. Verba, quia varia adeò tributorum genera referunt, adscribi merentur: *Nec de navigiis, nec de portibus, nec de carris, nec de saumis, ullum teloneum, vel foraticum, seu rotaticum, vel pontaticum, vel portaticum, vel salutaticum, seu cespitaticum, sive mutaticum, vel aliquam exactionem, aut consuetudinem exigere.* Nec multum abeunt illa Caroli M. in privilegio apud Aimoinum lib. V cap. I: *Neque teloneus exigatur, nec de navale, nec de carale, neque de saumis, neque de trana evectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec cispitatico, nec ulla redibitione, quod fiscus noster exinde poterat sperare.* Item legas apud Benedictum Levitam Capitularium lib. VI cap. CCXIX: *Ut nullus homo præsumat teloneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulveraticum recipere.* Et in formulis veteribus incerti scriptoris, num. XLV *: Item Ivonis Decret. lib. XVII cap. CCCVI, ac tit. X Leg. Munic. S. Severi.

* Pag. 270 edit. Paris. Bignonianæ.

Romscot vox Anglica est conflata ex *Rom*, sive *Roma*, & vocabulo à Saxonibus accepto *scot*, (Galli pro eo *escot*) hoc est, vectigal, aut symbolum. Usurpat Matthæus Parisius in vita Offæ secundi: *Hoc quoque sciendum est, quòd Offa Rex magnificus, tempore quo B. Petri vicario, Romanæ Urbis pontifici, redditum statutum, id est, Romscot, de regno suo concessit.* Quantum id precium fuerit, liquet ex iis, quæ antea dixerat: *His igitur auditis rex, quid digne tantæ benignitati compenset, secum studiose pertractat. Tandem, divina inspirante gratiâ, consilium invenit salubre, & in die crastina, scholam Anglorum, quæ tunc Romæ floruit, ingressus, dedit ibi ex Regali munificentia, ad sustentationem gentis regni sui illuc venientis, singulos argenteos, de familiis singulis, omnibus in posterum diebus, singulis annis.* Item iis, quæ pòst subjungit de munificentia regis Offæ erga monasterium S. Albani: *Quæ* (Ecclesia) *tantâ libertate privilegiata refulget, ut ab Apostolica consuetudine, & reddito, qui Romscot dicitur Anglice, denarius Sancti Petri Latine: cùm neque Rex, neque Archiepiscopus, vel Episcopus, vel Prior, aut quilibet de regno, vel in regno, ab illius solutione sit immunis, ipsa quidem Ecclesia, quæ basilica S. Petri dicitur, sola quieta est.*

Rotta, *rutta*, vel *ruta*, manus, vel globus hominum, idem ac *schara*. Gulielmus Brito in Philippidos libris:

> *Hac ex parte Comes Robertus mansit, & heres*
> *Hugo novi castri, Simon, & rotta Cadoci.*

Et lib. VII:

> *Waltersis Legio, numerosaque rotta Cadoci.*

Ac similiter antea eople libro:

> ——*Tecum Lupicaria rutta*
> *Faceat.*

Sic enim rectè ibidem emendavit ὁ μακαρίτης amicus noster Joannes Meursius †. Vulgò editum *rupta*. *Lupicaria* verò *rutta* vocatur ei a Lupicaro, quem inter præfectos militares numerat libro seq. Usurpat quoque Gulielmus Neubrigensis lib. II cap. XXVII: *Stipendiarias Bribantinorum * copias, quas rutas vocant.* Cæsarius lib. II Miracul. cap. II: *Prædonibus, quorum multitudo rutta vocatur, se commiscuit.* Et lib. XI cap. LIII: *Multitudini prædonum, quæ rutta vulgò dicitur, se associavit.* Matthæus Parisius in Richardo I; ad an. CIↃCXCVI: *Qui duces fuerunt catervæ, quam ruttam vocamus.* Neque nescivere Græci. Nicetas in Balduino Flandro: Μοῖραν, ἣν ῥοῦτταν ὀνόμαζον. *Turmam, quam rottam vocabant.* Est verò *rotta*, vel *rutta*, à Germanico *rotte*: quomodo dicimus, *een rotte soldaten*; item *rotten*, congregari. Videri autem possit *rotte* esse ex eo, quòd & Germanis *rot* idem ac *rota* Latinis. Nempe à rotunditate fuerit; quomodo dicitur *globus hominum*. Sanè Scaliger ad Varronem censet, *turma* similiter esse à γύρῳ, rotunditas. Nec tamen de istiusmodi conjectura cum quoquam contendero. Eoque, communiorem secutus opinionem, in iis, quæ originis sunt barbaræ, reposui.

† In Glossario, voce ῥοῦπα.
* Alii, Brabantium.

Rumbula, convitium in anus decrepitas, & fortasse delisas, vel infames. Cæsarius lib. VII Miracul. cap. XLV: *Ut quid hic stat vetus hæc rumbula?* Ac paullo pòst: *Quia domina illa, nomine eam designans, vocavit me veterem rumbulam, semper misera erit, quoad vivet.* Germanis, *doe alte rumpeltassche*.

Runcinus idem ac equus spado, sive canterius. Bernardus Claræval. in vita S. Malachiæ cap. XX: *Runcinum durè portans*: Matthæus Parisius in vitis XXIII Sancti Albani Abbatum †: *Juravit idem Abbas Guilhelmus, se centum equos uno anno in diversis partibus Abbatiæ, quorum alii erant manni, alii runcini, alii veredarii, alii vero averii.* Ubi de mannis, & veredariis, res est manifesta: non item de runci-

† Pag. 116. vers. 14.

runcinis, & averiis. *Averii* sunt equi jugales, plaustris, vel aratris juncti, à Gallico *ouvrir*. Sic usus Rogerus Hovedenus in Richardo primo ad an. clↄ cxciv *: *Inquiratur de quot bobus, & averiis, singula caruca valeant instaurari. Erit autem precium bovis iv solid. & vaccæ similiter, & averii similiter.* Quà de voce pluribus Spelmannus in *Avera*. *Runcinus* verò, ut dixi, est cantenus, hoc est, equus castratus; qui Germanis ac Belgis, *ruyn*; uti *ruynen*, castrare, evirare.

* Pag. 424. vers. 10.

Ruoda cxx solidorum pretium signabat: ut indicat Lex Saxonica Tit. ii. §. i: *Qui nobilem occiderit* iccccxl *sol. comp. Ruoda quod dicitur apud Saxones* cxx *sol. Ruod* Saxonibus notasse crucem, observatum Lindenbrogio. Gloss. *Crux, vel staurus*, rod. Itaque in Symbolo Apostolico pro *cruci adfixus*, legas, *on rodo abangen*. Atque idem arbitratur, accusationem capitis hinc *ruogstab* vocari Otfrido Euangel. lib. iv cap. xx, & Willeramo in Cant. Cant.

Ruptarius quoque in ortu barbaris locum habeat, si inde fit, quòd Germanis, ac Belgis, *ruter* sit eques: ut opinio est doctissimi Watsii in glossario, quod addidit Matthæo Parisio, à se longè felicius recuso. Est apud Matthæum hunc in Henrico II ad an. clↄ clxxiv †: *Nunciatum est ei electam Regis filii sui militiam apud Dolensem urbem à Brebanciis, & ruptariis, circumclusam.* Ac mox *: *Sed priusquam veniret, hostium suorum maxima multitudo, à suis ruptariis fuerat interemta.* Ac similiter apud eundem alibi †. Interim *ruyter* pro equite simplicius statuas dici pro *ryder*, à *ryden*, unde & *rheda*. Quare nec placet esse à *ruyten*, prædari, populari. Uti neque à ῥυτὴρ, defensor; neque à ῥυτὴρ, significante ἡνίον, sive habenam. Quorum prius Mekercho * visum, alterum Drusio †.

† Pag. 128. * Pag. 129. † Pag. 137. & 795. * Lib. de Pronunciatione Ling. Græcæ. † Ad lib. Maccab. cap. 6.

Cap. XVII.

De incohatis à litera S. Sabanum, *pro linteo.* Sachus, *pro calculo.* Sagibaro, *de eo, qui Comiti in tribunali adsideret, cumque eo caussas decideret.* Saiga, *pro certo pretio.* Saio, *pro carnifice.* Sala, *pro domo; unde* salizuchen, *pro, in rem furtivam inquirere domi alienæ.* Salvagardia, *pro tutela, ac protectione.* Samitum, *vel* sammittium, *pro genere holoserici.* Saxa, *vel* saxus, *pro gladiolo minuto: ac fortasse ab hac voce, &* scrama, *quod pugionem signat, esse* scramasaxa, *quasi scrama, & saxa, usum pi astaret.* Scabinus, *pro judice.* Scachum, *pro raptu:* scachus, *pro raptore, vel latrone: & unde scachorum ludo sit nomen, gemina opinio adlata.* Scalcus, *pro servo.* Scamera, *vel* scamaris, *pro exploratore; qui & barbarè* spio. Scara, *pro turba, vel militum manu.* Scaramangis, *vel* scaramanga, *vestis arcendæ pluviæ idonea.* Scarletum, *pro cocco.* Scartanea, *pro loro.* Scaftlegi, *vel* scatlegi, *pro armorum depositione.* Scella, *vel* scilla, *pro nola, vel tintinnabulo.* Scematio, *pro corporis dehonestamento.* Scheffila, *aridorum mensura.* Sclavus, *pro servo, vel mancipio.* Scotallum, *pro taberna, in quam convenirent ad una cervisiam bibendum.* Screona, *&* screuna, *pro parte certa imæ domùs.* Scrobulla, *pro talari mulieris veste.* Sculca, *pro vigiliis, sive custodia militari.* Sculdais, *&* sculdasius, *pro prætore, sive eo, qui publico nomine mulctas exigit.* Scuria, *ut &* scebrum, *&* sceurum, *pro horreo: scuriam non septam parietibus dictam* scoph: *minorem scuriam nominatam* scopar. Selda, *pro rerum venalium taberna.* Senescallus *prius vocabatur, quisquis jumenta curaret: postea sic dictus: qui præesset equili regio, & regiæ etiam mensæ curam gereret; tantoque loco foret, ut quandoque exercitum duceret.* Serganteria, *pro clientela.* Sergeantus, *vel* sargantus, *pro militari dignitate.* Sinaida, snaida, *vel* sneida, *pro arborum incisione; vel pro via.* Smelido, *pro gracili.* Soga *pro fune: ac obiter, unde Græcobarbarum* τζόγε. Spanium, *vel* spanna, *pro spithama.* Sparvarius, *pro accipitre fringillario.* Stallum, *pro loco unius in choro.* Staplum, *pro consessu judicum.* Stantardus, *pro vexillo imperatorio, seu prætoriano.* Stangaria sepes, *pro ea, quæ ex sudibus consurgeret.* Stava, *pro scipione.* Steura, *pro tributo.* Stolicaz, *qui loco Regis præest judicio.* Strepa, *pro eo, quod usitatius stapeda.* Strundius, *vel* struntus, *pro stercore rotundiori.* Stuba, stufa, *vel* stupa, *pro vapor ario, sive hypocausto.* Sturio, *pro bycca, sive siluro.* Sultanus, *vel* saladinus, *pro imperatore Turcico.* Sunnis, sonnis, sonnia, *pro impedimento, propter quod aliquis se non stiterit judicio.* Surcarium, *pro vestimento, quod carnem proximè ambit.* Suurum, *pro juramento.*

UDas, sive liquidas quatuor continuò excipit S. A qua incipientium ingens est copia. Ex iis excerpere hæc operæ pretium putavi.

Sabanum pro linteo, ut exponit vetus scholiastes Juvenalis in sat. xiv. Aliterque *facitergium*, vel *manutergium*, à facie vel manu tergendâ vocari, auctor est Isidorus lib. xix Orig. cap. xxv. Glossæ Theotiscæ: *Saban, linteum.* Usi Apitius de re culinaria lib. ii, Marcellus de Medicamentis, Vegetius Mulomedicinæ lib. iv cap. ci, Theodorus Priscianus lib. ii cap. ix, incertus, sed qui se αὐτόπτην † dicat, in Actis S. Juliani * & sociorum, cap. xiii, Victor de Persecutione Vandalica lib. iii, scriptor Latinus Historiæ Apollonii Tyrii, S. Bonifacius epist. x, & Apomasaris interpres cap. clvii. Etiam Aldhelmo de Laud. Virgin. hanc vocem restituit amicissimus quondam collega noster Joann. Meursius: *Qui in sabanis, & sindonibus bajulabantur ægroti, sanctorum meritis sospites, & vel compotes, salubriter abscedunt.* Ubi pro *subanis* esse *sabanis* legendum, etiam monet Joannes Ludovicus de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap. cxlviii. Vellem in minutis hujusmodi Philologicis non gravatus esset memorare eum, qui multis ante eum lustris sic emendâsset. Nam de penu Meursiano hausisse, arguit, quòd sex illi scriptores, ex quibus solis lucem petit *sabani* vocabulo, planè sunt iidem, ac illi, quos eopse ordine adduxerat in Glossario Meursius. Ubi hic etiam docet è Græcis junioribus sic voce σαβάνι usos Hieroclem in Hippiatricis lib. i cap. xxxiv, & Gregorium in Dialogo ad Petrum. Addere quoque potuit Aetium, & Trallianum; imò & Rabbinos, atque Arabes.

† Oculatum testem. * In Vitis Sanctorum à Bollando editis ad novum Jan.

Sachus, à Germanico *sach*, vel *schach*, hoc est, calculus. Apud Cosmam Pragensem Bohem. Chron. lib. ii: *Adornata lapidibus pretiosis, & crystallinis sachis.* Imò & in Isidori glossis est: *Saga, nomen gemmæ. Scachus* etiam calculus: unde *scachorum ludum* dicimus, qui aliter *latronum*. Sed de isto secus alii: ut dicam paullo pòst in voce *Scachus*.

Saisina, vel *seisina*, & inde factum *dissaisina*, quid signent, explicamus in *Saisire* cap. de Verbis.

Sagibaro erat in mallobergiis, ubi plebis caussæ disceptabantur, proxima à Gravione, sive Comite, dignitas. Itaque Lex Salica tit. lvi. §. i, multam statuit ei, *qui Grafionem occiderit.* §. ii, *Siquis sagibaronem, qui puer Regius fuerat.* §. iii, *Si sagibaronem, qui ingenuus est.* Subjungitur deinde §. iv: *Sagibarones in singulis mallobergiis, id est, plebs, quæ ad unum mallum convenire solet, plusquam tres esse non debent: & si caussa aliqua ante illos secundùm legem fuerit definita, ante Grafionem removere eam non licet.* Glossar. *Sagibarones dicuntur, quasi Senatores.* Ex Germanico *sach*, lis, causa; & *baro*, pro viro †; ut ad verbum sonet caussarum vir; hoc est, qui præest caussis dijudicandis.

Saiga, tremissis pars quarta, quæ ternos valet denarios. Frequens est in legibus Alamannicis, & Bajuvaricis. Similiterque Donatio in Alamannicis Goldasti *: *Censumque inde solvam annis singulis unam saigam, in quocunque pretio potuerim.*

Saio idem ac spiculator, sive carnifex. Estque vox Gothica: unde & Hispanis hodieque *saion* idem. Apud Isidorum Hispalensem lib. x inconstanter nunc *sagio* legitur; ut in

† De hac significatione dixi cap 3: at pluribus Pithœus lib. i Subsecivo. cap 8. * Tom. 3. pag. 58.

in Venetâ an. cIↄ cccc LXXXIII: nunc *saio*, ut in plerisque, etiam optimo nostro Mſo membranaceo. Nempe, si Breulio ad Isidorum fides, Germanicum est *sager*; unde *sagio*, &c, (quia G, sequente I, pronunciari ut I consonum solet) *saio* inde contractum. In Glossis Isidori est: *Saio, pœnator, tortor.* Ante Isidorum usus eâ voce Cassiodorus in literarum inscriptionibus: ut lib. II Var. XIII, & XX; lib. III. Var. XX; lib. IV. Var. XIV, XXVII, XXXII, XXXIV, XLVII; lib. V. Var. V, X, XIX, XX, XXVI; lib. VIII. Var. XXVII: item lib. XII. Var. III: ubi inscriptio, *universis saionibus.* Legas & in legibus Wisigothicis: ut lib. II leg. XVII: *Nullus in territorio non sibi commisso, vel ubi judicandi potestatem nullam habet omnino commissam, quemcumque præsumat, per jussionem, aut saionem distringere.* Item leg. XXV: *Quam datum commodi summam ex lege tam judex, quàm saio, de restituta rei compositione conquirant.* Ubi videmus, judicem, & saionem, conjungi; quia hujus est judicis exsequi sententiam: quicum convenit, quòd Isidorus in X dicat, ab exigendo sic vocatum: nempe quia exigat, & exsequatur pœnas. Habes & aliquot aliis earundem Wisigothicarum Legum locis. In Concilio etiam Emeritensi cap. VIII, ubi in vett. editionibus legitur *Salomonem*, rescribi debet *saionem:* quod jam monitum Ludovico de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap. CXVII. Multoque antè sic ediderat Joannes Garsias, vir bene de Conciliis Hispanicis meritus.

Sala à Germanis est, qui dicunt *sall:* unde & *sala* retinent Itali, atque Hispani. Sed nunc quidem Germanis, uti & Belgis, *sale*, notat partem domus; puta atrium, aut cœnaculum: olim autem sumsisse videntur pro domo universa: ut in legg. Alamann. tit. LXXXI: *Domum ejus incendat, seu salam.* Item Longobardicis lib. I tit. XI. leg. IV: *Bubulcus de sala.* Et ejusdem tit. leg. VII: *De sala propria exire.* Ab hoc vocabulo est *salisuchen*, in Decreto Tassilonis, Ducis Baioariorum Tit. II leg. XV: *Qui resisterit domum suam, quod salisuchen dicunt, qualem rem quærenti resistebat, talem componat in publico* XL *solidis.* Ex *sall*, domus, & *zouchen*, quærere. Nimirum notat, domi alienæ rem furtivam inquirere; ut, veteri more Romano, per lancem & licium fieri solere, ex Agellio discimus lib. XI cap. XVIII.

Salvagardia, Gallis *sauvegarde*, priori parte sui Latinæ, posteriori barbaræ est originis. At Latinè dixeris *protectionem, tutelam:* vulgo & vocant *salvum conductum.* Legas in fundatione Monasterii Vezeliacensis; quam Notis suis ad Bibliothecam Cluniacensem inseruit Andreas Quercetanus. Primùm ista: *Quod testamentum confirmatum, & ratum fuit ab invictissimo, & gloriosissimo Imperatore, & rege Francorum, & diplomate suo in tutela, & salvagardia, istud Monasterium, & Monachus ibidem Deo deservientes, cum dependentiis posuit, & accepit.* Ac postea: *Monasterium cum ancillis Dei servientibus in protectionem, & salvagardiam, accepit.*

Samitum, vel *sammitium*, est panni Serici genus, quod Germanis, Saxonibus, Sicambris, etiam Frisius, *sammet*, sive *sammit.* Petrus Blesensis Epist. LXVI: *De zona aurea, & lumbari serico, & samito, & aliis zeniis, quæ per laborem præsentium de vestra largitione suscepi, non quantas volo, sed quantas valeo, refero vobis grates.* Arnoldus Presbyter in Chronico Slavorum cap. V: *Regina autem donavit Duci samitos plurimos, ita ut omnes milites suos vestiret samito.* Conradus Episcopus in Chronico rerum Moguntinarum: *Item duæ casulæ de samito albo, & ejusdem fili dalmaticæ duæ.* *Samitium* vocat Monachus Villariensis anonymus in Caroli Villariensium abbatum octavi vita, cap. III. §. XVIII: *Insuper dedit ei in arrham puræ dilectionis manu propriâ samitium pretiosum.* Etiam hinc Græcobarbari ἑξάμιτος: ut Balsamon, & Nicetas: tandem & ξάμιντος: de quibus Meursius in Glossario.

Saxa, vel *saxus*, brevis gladiolus, à Saxonico *sax*, vel *sachs.* Galfridus Monumethensis de origine & gestis Britann. lib. III cap. III: *Commilitonibus suis præcepit, ut unusquisque longum cultrum intra caligas absconderet, & cum colloquium securius tractarent Brittones, ipse eis hoc signum daret*, nimet oute saxas: *unde quisque paratus adstantem Brittonem audacter occuparet, atque, abstractis cultris, ocius ipsum jugularet.* Witichindus Histor. lib. I: *Fuere autem &, qui hoc facinore nomen illis inditum tradant. Cultelli enim nostra lingua* sachs *dicuntur.* Rectè verò præstantissimo Scaligero observatum, apud Godfridum Viterbiensem legi debere Chron. part. XV:

Ipse brevis gladius apud illos saxa vocatur.

Non *saxo*, ut nunc editur. Atque idem rectè emendat apud Fredegarium Chron. cap. LXIV: *Heraclius equum calcaneo vehementer urgens, extrahens saxum, caput patricii Persarum truncavit.* Ubi vulgò perperam *uxum.* Cum Saxonica voce congruit, quòd & Bohemis gladius *tesak.* A *saxa* est *scramasaxa*, gladiolus, vel culter domesticus, pani scindendo idoneus; sic dictus, quia illum plebeii secum gestarent, ac cultro hoc se tuerentur, & alteri, ut nunc apud nos rusticum genus solet, genas inciderent. *Schram* Germanis, & Belgis, dicitur vulnus inflictum cæsim: item cicatrix ex vulnere, sive signum vulneris: adhæc *novacula*, vel *pugio*, sive, ut Festus vocat, *clunaculum*; quia ad clunes religetur; nisi cum Isidoro *clunabulum* malis. Postremo hoc modo *scrama* vocabulo utuntur LL. Wisigothicæ lib. IX tit. II leg. IX: *Plerosque verò scutis, spathis, scramis, lanceis, sagittisque instructos.* Quo ex loco videmus, *scramam* non esse cultellum domesticum, quo panem incidimus, & carnes: etsi id aliqui putarint. Ex duobus igitur hisce *scrama*, & *saxa* vocabulis, conflatum *scramasaxus*, Gregorius Turonensis lib. II Hist. Franc. cap. L: *Duo pueri cum cultris validis, quos vulgo scramasaxos vocant, infectis veneno, malefactis à Fredegunde Regina, cum aliam ob caussam se gerere simularent, utraque ei latera fodiunt.* Germanis *schersax.* Glossar. Theotiscolatinum: *Schersax, novacula.* Nempe sic dicebatur, quia utrumque usum præstaret, & scramæ, & saxæ. Nisi veriùs, ut puto, *schersax* est, qui Belgis *scheer-mes.* Similiter Cicero vocat *cultrum tonsorium*, Plutarchus μάχαιραν κουρικήν. Sanè id Latinis *novacula*, quia tonsurâ, ac rasurâ, quasi renovamur. Geminum huic *ostersachs*, pugio, quo Paschali festo, & aliis, se accingerent. Addam illud, Saxonum gentem inclytam, non à Latina *saxi* voce nomen sortitam, tanquam durum genus, saxum hac parte referens: quod vanius traditum, præeunte Isidoro lib. IX Orig. cap. II: sed ab hisce cultris, quos Germani *saxas* vocarent. Quomodo & Longobardi non à Latina voce *barbárum* nuncupati; sed à longis *bardis*, sive *bartis*, h. e. bipennibus, quas gestarent. Unde remansit *bellebaert*; puta ex *bel*, clarus, splendens, flameus; & *baerd*, bipennis.

Scabinus, vel *Scabineus*, pro judice. Gloss. Theotisc. *Judex, scepens.* Et in charta Besuensis monasterii apud Pithœum in glossario ad Kapitularia Karoli Magn. *Ante illustrem virum, Hildegarium Comitem, seu judices, quos scabineos vocant.* Unde liquet, cur in Glossis etiam legas, *Scabini, auditores Comitum.* Crebrum est id vocabulum in Kapitularibus Karoli Magni, legibus Longobardicis, & historicis posteriorum temporum; hodieque obtinet passim.

Scachum, sive *schachum*, raptus, ex Germanico, & Belgico, *schaken:* quomodo obtinet, *een dochter schaken*, rapere virginem. Lex Longobardica Lib. II. Tit. LV, Leg. XXXVII: *De furto, aut schacho, si ultra sex solidos fuerit, similiter, ut per pugnam veritas inveniatur, præcipimus.* Quà Othonis Imperatoris lege, nihil fere iniquius, quando non consequitur, quia quis fortior sit, eò caussam habere meliorem. Est qui † in allatâ Othonis lege pro *schacho* legat *scalco*; unde & ministrum, aut servum, interpretatur. Sed omnino falli, ostendunt, quæ diximus. Ut verò *scachum*, raptus; ita *scachus*, vel *scacus*, vel etiam *scacator* *, raptor, latro: *scacatio*, raptus; quod in Edictis Ludovici XI †. Inde *schacorum ludus* vulgò, qui aliter *latronum*, vel *latrunculorum:* quomodo di-

† *Auctor Glossarii additi Nicolao Clamangi.*

* *In Constitut. Caroli Calvi, tit. 12, cap. 13, in Francorum, iterumque in Centenariorum juramento.*

† *Pag. 209.*

cti, quia latronum more insidientur. Martialis lib. XIV epigr. XVII:

Insidiosorum si ludis bella latronum.

Ubi lemma, *Calculi.* Deque eopse ludo lib. VII epigr. LXXI:

Sic vincas Noviumque, Publiumque,
Mandris, & vitreo latrone clausos.

Imò & Ovidii est in secundo de Arte:

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit.

Quæ satis ostendunt, *schacorum* nomen, pro ludo, esse, ut dixi, ex *schaker* pro raptore, vel latrone. Possit alioquin & *scacus* videri contractum ex *calculus*, S præmisso; quomodo Græci dicunt σμικρὸς pro μικρὸς, σμάραγδος pro μάραγδος à μαρμαίρειν, splendere: quomodo item Latini veteres à κάραβος fecere *scarabeus*; ac prisci pro *tria*, *tritavus*, *tritare*, dixere *stria*, *stritavus*, *stritare*: quà denique ratione Latinobarbari *squadrones*, pro *quadrones*; *squadras*, pro *quadras*. Utitur sic *scaci*, vel *scacci*, voce Fulcherius Carnotensis, unus ex scriptoribus Gestorum Dei per Francos†, in an. CIↃXCVIII: *Quid scaccis ludis? En Franci veniunt.* Similiter Historia Albigensis cap. IV*. Item Joannes Turocius lib. II cap. XCVII: *Unà tabulâ pro scacis mirabili.* Ludovicus IX Gall. R. in edict. de vit. & hon. *Praterea inhibemus districtè, ut nullus omnino ad taxillos ludat, sive ad aleas, & schacos.* De ipsa ludi forma vide sis Hieronymum Vidam in poëmatum ejus Rege de Scacorum ludo. Cælium Calcagninum opusculo de talorum, tesserarum, & calculorum ludis; ac imprimis τὸν πάνυ Salmasium ad Vopiscum†.

† Pag. 393. edit. Wechel. an. 1611.
* Pag. 18. edit. Trecensis an. 1615.
† Paginâ 459. & seqq.

Scalcus, pro ministro, sive servo, in compositione sæpius reperias. Ut in *Godscalcus*, pro Dei servo. Item *mareschallus*, de quo diximus cap. XII. Adhæc *adelscalc*, in decreto Tassilonis, Baiovariorum Ducis cap. VII: *Servi principis, qui dicuntur adelscalc.* Pro quo ab aliquibus Imperii Principibus scribi solet, *Unserm Edelknecht.* Extra compositionem *scalcus*, pro *servo*, sæpius apud Odfridum legas in Paraphrasi Euangelii. Verba parcam adscribere, quia tria inde loca jam adduxit in Glossario Lindenbrogius. Similiter initio Cantici Simeonis reperias tum in tralatione Gothica, tum Teutonicâ illâ Harmoniæ Euangelicæ Tatiani. Item apud anonymum in rhytmo de S. Annone, quem Opitio debemus. Kero: *Servus, schalck.*

Scamera, & *scamarus*, idem videntur. Prius est Legg. Longobard. lib. I tit. I leg. IV. *Siquis scameram intra provinciam celaverit.* Quid sit, indicat Eugippus in vita Severini cap. X: *Ipse quantocius Istri fluenta prætermians latrones properanter insequitur: quos vulgus scamares appellabat.* Dubium interim, num universos latrones sic vocarint, an solùm eorum Corycæos, ac speculatores; quos à Germanico *spien*, hoc est, speculari (est autem *spien* à specio) *spioens*, ac *spias*, vel *spiones*, nuncupant. Apud Papiam quidem legas: *Scamares, piones legis.* Ubi eruditi viri *spiones loci*, vel *Regis.* Ut intelligantur latrocinantium, aliorumve, exploratores. Sed nihil impedit, quo minùs tum latrones, tum speculatores eorum, imò alios etiam exploratores, sic dixerint. Sanè in veteri Glossario simpliciter est: *Scamera, explorator.* Sed quòd ὁ μακαρίτης Clemangis editor, in Glossario, à Scamandro flumine *scameris* ejusmodi nomen datum suspicatur; quia nempe nupturæ in hoc se lavarent, ac dicerent*, Λάβε μου Σκάμανδρε τὴν παρθενίαν, *Accipe meam, ô Scamander, virginitatem:* id sanè indictum malim. Nam quid, quæso, habet verisimile? vel quid ritus iste ad viarum subsessores?

* Æschines epist. 10.

Scara pro turba hominum, ac particulatim sæpe pro turba militari. Nempe est à Germanico *schaere.* Ex antiquis, qui Saxonicè, vel Francicè scripsere, usi eâ voce *skara*, vel *scura*, Odfridus Euangel. lib. IV cap. XVI, & Willeramus in Cant. Legas quoque in Kapitul. Karoli M. & Ludovici Pii lib. III cap. LXVIII: item apud S. Eparchii monachum; cui crebrum illud†, *misit scaram*, vel *scaras suas.* Et in fragmento Annal. Francicorum, quod habes Tom. III Antiq. Lect. Canisii: *Et filium suum dominum Carolum dimisisset unà cum scara contra Westfalos.* Est & Hincmari Rhemensis epist. V ad diœcesios suæ episcopos cap. III*: *Bellatorum acies, quas vulgari sermone scaras vocamus.* Usus & Aimoinus lib. IV de gestis Francorum cap. XXVI: *Collegit lectam e Francia bellatoribus scaram; quam nos turmam, vel cuneum, appellare possumus.* Similiter lib. V. cap. XXVII, & XLII. Item Regino lib. II, & Ado Viennensis. Adhæc Benedictinus monachus anonymus in miraculis S. Genulphi cap. III: *Hic ex illa nobilium scara Francorum, quam gloriosus Rex Dominus Pipinus præfati Augusti Ludovici unus, in urbe Biturica ad Guaiferis, Ducis Aquitaniæ, partes expugnandas reliquerat, originem trahens, regali quoque prosapiâ oriundus erat.* Pithœum†, inde derivantem Gallicum *escadron*, falli puto. Vide & quæ dicam lib. III cap. XLVII in *Scara*, quatenus venit ab ἐσχάρα.

† Paginâ 238, 239, 243, 248.
* Pag. 59. edit. Mogunt. an. 1602.
† In glossario ad Capitula Karolina.

Scaramangis, vel *scaramanga*, vestis genus ad pluviam arcendam. Priori modo vocat Paullus Diaconus in Historia, ubi de Heraclii temporibus: *Loricam ipsius auro contextam, & scaramangim ipsius, detulerunt cum capite ipsius.* Posteriori autem Luitprandus Ticinensis lib. VI: *Quorum primus vocatus est, Rector domus; cui non in manibus, sed in humeris, posita sunt numismata cum scaramangis quatuor.* Vox est à posteriori Græcia. Nam & σκαράμαγγιν vocat Achmes cap. CXXXI. Atque idem σκαραμαίκιον appellat cap. CLVIII, & CCLXVIII: uti & Cedrenus. Cùm verò vestis genus fuerit arcendis cæli injuriis, ut ex erudito Leonclavii Pandecte Turcico liquet cap. CLXXII, & CXCIX: non absurda est amici nostri conjectura, deducentis à Germanico *scharmen*, quod aliis *schirmen*, vel *schermen*, Gallic. *escrimer*, Ital. *schermire*: h. e. *dimicare*, *luctari*: eò quòd tueatur corpus, obluctando pluviæ, & tempestatibus. Sanè compositum ejus *beschermen*, tueri, defendere.

Scarletum, & *escarletum*, pro cocco, dixere: prius, ut Angli *scarlet*, Itali *scarlato*: posterius, ut Galli, more suo literæ S præmittendo E, *escarleto*. Utroque usus Matthæus Parisius. Ac de *escarleto* vidimus cap. VI. Alterum reperias ad ann. CIↃCXXXIV: *Rex* (Henricus I) *novam robam de scarleto sumens, adsuetus de eodem panno fratri suo* (Roberto, Duci Normanniæ) *mittere.* Cæsarius lib. XI Mirac. cap. XVIII: *Vestibus novis, atque scarlatis indutus.* Hinc *scarletina tunica* apud M. Joannem de Thwrocz in Chronicis Ungaricis Part. II cap. XCIX.

Scartanea, pro loro. Jo. Thwroczius in Chronicis Ungaricis cap. eodem: *Tandem antedicti trini dextrarii sollemnes cum armis & operimentis omnibus ipsorum gloriosissimis seu attinentiis, cum scartanea, curru seu mobili, aut ostilario regnali —— cum innumerabilibus pecuniis, dicto monasterio dati & concessi fuerunt.* Etiam Græcis recentioribus similiter dicitur χαρζάνιον, vel χαρτζάνιον: ut Achmeti cap. CCXXI, & CCXLIX. Poterat *scartanea* videri esse à *scorto* pro pelle. Sed ortu Arabicum censet Martinius: quem in Etymologico vide.

Scaftlegi Teutonibus antiquis notabat armorum depositionem: ac putabat doctissimus Martinius in Etymologico suo, venire à *schoszlegen*, hoc est, ponere jacula, sive tela, aut missilia: nempe ut prior pars sit à *schiessen*, pro quo Saxones, & Belgæ *schieten*, jaculari. Invenias Capitul. Kar. & Lud. Addit. lib. IV tit. LXXXII: *Postquam Comes, & Pagenses, de qualicunque expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die; supra XL noctes sit bannus recisus; quod linguâ Theotiscâ Schaftlegi, id est, armorum depositio, vocatur.* In Constitutionibus Karoli Magni, à Vito Amerpachio editis, est *scatlegi*: quomodo fuerit à *scat*, sive *scaed*, hoc est, damnum, & *legen*, sive *liggen*, hoc est, ponere. Ut significet depositionem armorum, ac simul animi, ullum deinceps damnum partibus inferendi.

Scella, vel *scilla*, tintinnabulum, à Germanico ac Belgico *schelle*; quod à *schallen*, sonare. Hoc à sono factum, credere malim, quàm, quod doctissimo & amicissimo placuit Matthiæ Martinio, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quia eò convocari homines soleant: etsi non ignorem, quàm crebrò S ante C initio soleat præponi. Utitur *skella*, seu *scella* vocabu-

lo Lex Salica tit. XXIX: *Siquis skellam de caballis furaverit.* *Scillam* nuncupat Edinerus Anglus in Vita S. Anselmi lib. I: *Sumtâ in manibus chordâ, pro excitandis fratribus scillam pulsantem.* Matthæus Parisius in vita Joannis XXIII abbatis S. Albani †: *Et tractâ nolâ, cui Muta, vel Scilla est nomen, terminetur sonus ille, & totus tumultus.* Durandus Rationalis lib. I, & IV, pro eo dicit *squilla*: voce quidem Latinâ, sed aliud Latinis significante; ut vidimus lib. I cap. I.

[† Pag. 141. edit. Lond.]

Scematio corporis est, si alicui nares, vel aures, abscindantur; vel in vultu vulnera ejusmodi fiant, quorum cicatrices etiam postmodo hominem adeò fœdent, ut turpis sit adspectu. Nempe à Germanico *schemen*, quod Belgis *schaemen*, hoc est, pudere: quia sic affectum hominem prodire pudeat in aliorum conspectum. Habes in Legg. Longobardicis lib. II tit. LV, leg. XVI; ubi siquis alienam uxorem inhonestè attrectârit, quantum marito in talem liceat exponitur; atque interim interdicitur, ne icirco occidat, vel scemationem ei corporis faciat. A Latino, vel Græco *schema*, esse, non arbitror. Ut quo non tam corporis figura, quàm habitus, sive vestis decus signetur. Diximus de eo Oratoriarum Institutionum lib. V cap. I sect. I.

Scheffilum, mensuræ in aridis genus, Germ. *scheffel*. Saxon. Geldr. Fris. *schepel*. Legg. Saxon. cap. III: *Westfalajorum, & Angrariorum, & Ostfalajorum solidus est, secalis sceffila* XXX, *ordei* XL, *avena* LX. Et cap. XIIX: *Westfalajorum, & Angrariorum, & Ostfalajorum solidus secalis sceffila* XXX, *hordei* XL.

Sclavus, pro servo, vel mancipio, à Germanico *slaef*, vel *slave*: quod & Anglicum. Galli pro eo *esclave*, Hispani *esclavo*. Ac putabat vir eruditus, si *servus* dicatur, quasi servatus in bello; etiam *slavum* vocari potuisse, quasi salvatum in bello. Censeo potiùs, apud Germanos id primitus nomen habuisse eos, quos e forti Slavorum gente captos in servitutem redegissent: inde latiùs extensam significationem ad cujusvis gentis captivos, vel servos. Cæteroqui Sclavicum nomen per se sat gloriosum, si à gloria est, quæ Slavis *slawa*. *Slavos*, pro servis, legas apud Matthæum Parisium in Henrico III ad ann. CIƆCCXXXVIII: *Soldanus moriturus —— vinctos slavos liberos multos, & alia multa opera charitatis fecerat.* Et alibi crebrò apud eundem, & alios.

Scopar, & *scofph*, quid sint, in *Scuria* exponam.

Scotallum Anglicis scriptoribus est taberna vinaria, vel cervisiaria, quò itantes symbolam singuli ad symposium conferebant. Ac doctissimus Watsius conjectabat, esse ex Saxonico *scot*, hoc est, symbolum, & *ala*, cerevisiæ Anglicæ genere. Matthæus Parisius in Joanne ad an. CIƆCCXIII: *Denunciatum est præterea Vicecomitibus, & Forestariis, aliisque ministris Regis, ne scotalla alicubi in regno faciant, sicut facere consueverunt.* Item ad annum CIƆCCXV in Charta Joannis de libertatibus forestæ: *Nullus forestarius, vel budellus, faciat de cætero scotallum.* Eò id interdictum, quia solerent vulgò tabernas istiusmodi frequentare, ut gratiâ valerent apud forestarios, vel alios Regis ministros, ad quos ex istiusmodi tabernis grande rediret lucrum.

Scrama, & *scramasaxus*, quid signent, diximus in *Saxa*.

Screona, & *screuna*, variè scribitur: ut *leodes*, & *leudes*. Lex Salica tit. XIV §. I: *Si tres homines ingenuam puellam de casa, aut screona, rapuerint.* In iisdem nunc sermo de *screona, quæ sine clave est*; ut tit. XXIX §. XXXV: nunc de *screona, quæ clavem habet*; ut ejusdem tit. §. XXXI. Est & in Legg. Saxon. cap. IV. §. IV: *Qui infra screonam aliquid furaverit, capite puniatur.* Additio Sapientum ad Leges Frisic. tit. I §. I: *Siquis caballum furaverit, aut bovem, aut screonam effregerit, capitali sententiâ puniatur, vel vitam suam pretio redimat.* Lucem hæc fœnerant inde, quòd, (ut Lindenbrogius in suo ad L L. Vett. Glossario annotavit) rustici Campani hodieque *escrenes* vocent cubicula in humum demersa, ac multo etiam onerata fimo, ubi puellæ conveniunt hieme, ac sæpe vigilant usque ad noctem intempestam.

Scrobulla est genus vestis muliebris talaris. S. Odoricus de Foro-Julii Peregrinationis suæ cap. I §. IV: *Istæ mulieres ambulant discalceatæ, portantes scrobullas usque ad terram.*

Sculca idem, ac excubiæ, vel vigiliæ. L L. Longobardicæ lib. I tit. XIV leg. VI: *Siquis in exercitum ambulare contemserit, aut in sculcam.* Sunt tamen, qui hìc legant *sculcara*, & hoc *exercitum* interpretentur: deducunt verò à *scara*; de quo superiùs dictum. Mihi eò id minùs placet, quia de exercitu antecessit, nec bis idem dici sat verisimile est. Tum autem si *scara* prior est vocis pars, quam adsignant alteram? Retineo igitur *sculca*, ac capio de custodia militari: quæ etiam Græcis recentioribus dicta est σκοῦλκα, uti Theophylacto Simocattæ lib. VI *; ubi sic ait vocari [illegible]. Leo item in Tacticis junctim ait, σκούλκας, ἢ βίγλας, *sculcas, sive vigilias.* Usus & Urbicius lib. IV cap. II. In Glossario quoque est, *Sculca, cavalcata.* Sed de hisce omnibus accuratiùs libro sequenti; ubi eâdem ostendam, non tam à barbaris, quàm Latinis, profectum hoc vocabulum videri.

[* Pag. 314.]

Sculdasius, qui aliter *sculteius*, ex Germanico *scholteis*, h. e. debitorum exactor; ut dictum lib. I cap. I. Et etymon id proximè exprimit Papias; apud quem legas, *Schuldais, rector linguâ barbarâ Longobardorum.* Imò apud Paullum Warnefridum est Histor. Longob. lib. VI cap. XXIV: *Rector loci, quem schuldhais nominant.* Et apud Leonem Ostiensem lib. I cap. VI: *Quidam sculdais Beneventanus, Saracenus nomine.* *Schuldheizo* est apud Otfredum in rhytmicâ tralatione Euangelii lib. III c. III †, & lib. IV cap. XXXIV *. *Sculdasius* est in diplomate Othonis Imperat. apud Baronium †: *Nullus Marchio, Comes, aut Vicecomes, Sculdasius, vel quilibet ex judiciaria potestate.* Gloss. vett. *Sculdasius, pedaneus judex.* In legibus Longobardicis utrumque occurrit: *sculdais* lib. I tit. XVII leg. X, & lib. II tit. XXXVIII, qui de ariolis, leg. II: ubi quinquies est in recto *sculdais*: semel gignendi casu, *sine notitia sculdais*: semel dandi casu, *sculdai*: adhæc incusativo casu, *per sculdaem*. At *sculdasius* habes lib. I tit. II leg. II, & tit. XII leg. II. & tit. XXV leg. L, & LXXIII; item lib. II tit. IX leg. II, & tit. XXVII leg. IX, & tit. XLII leg. I: item lib. XII leg. V. Qui glossas addidit Clemangi, citat ex Legibus Longobardicis, *Siquis Sculdasius, aut actorem Regis occiderit*: atque addit, primò se suspicatum, ob facilem mutationem literæ *e* & *c*, *sculdasium* legi oportere: sed postea animadvertisse, *seuldasius* esse retinendum; ac sic dici eum, qui vehit sordes ac quisquilias, à σείω, moveo, & ἄσις, limus, vel cœnum. At unde illud δ? num etiam idem sunt movere limum, & urbe eum efferre? & quis unquam *seuldasii* vocabulum audivit? cur è Græco potiùs fonte, quam Germanico, Longobardi novam vocem derivarint? Ut mittam cætera.

[† Pag. 221. * Pag. 456. † Tom. 9. Annalium.]

Scuria, horreum, ex Germanico *schure*: quod aliter *scheure*, uti hinc Latinobarbarum *sceurum*; imò & *scebrum*, B, quod haut insolens, in V consonum transeunte. Postremum hoc est apud Anastasium Bibliothecarium in Sergio: *Missus in locellum, quod scebrum chartale vocitatur, in hanc Urbem Romanam, ad confirmandum.* Ubi vulgò *scebrum carnale*: sed *chartale*, legi oportere, rectè vidit Cæsar Baronius: cui & Meursius subscribit in Glossario: prætereaque observat, è Græcis quoque σκέβρον pro horreo dicere Maximum Centur. II cap. LXXXIV: ac apud Ingulphum in Historia, ubi vulgò *scauris*, *sceuris* esse rescribendum. Verba Ingulphi sunt: *Cœpit, largiente Domino, bonis omnibus abundare; ut tamen in thesauris, ac sceuris, quàm in terris, ac tenementis, ei pro primis amissis postmodum duplicia redderentur.* Etiam, ut de Anastasio Baronium probat, ita de Ingulpho Meursium sequitur (sed nomen præterit) Joan. Ludovicus de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap. CXXV. *Scuria* verò occurrit in legibus Alamannicis, atque aliis. Nec resilgit Hincmarus Rhemensis adversus Hincmarum Laudunensem: *Insuper & scuriam ipsius interclusit, & annonam de terris dominicatis collectam, sine licentia ipsius presbyteri*

byteri in eam misit. Citat Lindenbrogius ex Glossario Latinotheotisco: *Scura, ubi manipuli, vel fœnum reponitur.* Scuriæ genus *schoph*: de quo Legg. Boiorum tit. IX, c. II: ubi prius agitur de scuria conclusa parietibus: inde de altero subjicitur: *Si autem septa non fuerit; sed talis, quod Bajuvarii scofph dicunt*, Polyptychus B. Remigii: *Faciunt & picturam ad cortem, scurias, & hortum claudendo: absque parietibus, cum VI sol. componat.* Est verò ex *schofph*, vulgare *scot*, vel *scut*: sed laxiùs Belgæ sumunt; ut qui pro septo usurpent. Minor scuria, *scopar.* Ibid. §. V: *De minore verò* (scuria) *quod scopar appellant.* Originem certiùs Bavari dicent. Cogitabam ego, ex eo esse, quia illic reponerentur instrumenta fossoria. Nam pala, sive ligo, Germanis *scauffel*, Belgis *scoppe*: quæ, si originis Germanicæ non sint, placeat esse ex Græco σκαφεῖον, uti hoc à σκάπτειν, fodere.

Selda vix arbitrer alibi legi, quàm apud Matthæum Parisium in Richardo primo ad an. ᴄIↄ XCIII: *Statutum est insuper, nequis mercator prætendat selda suæ rubeos, vel nigros pannos, vel aliquid aliud, unde visus intuentium decipiatur ad pannum bonum eligendum.* Significat verò, non quidem officinam, ubi propriè fit pannus (nam *officina*, quasi *efficina* dicitur, ut *officium* quasi *efficium*) sed tabernam, ubi res venales exponuntur: sive id sit inferiori parte antica, ubi panni bellè compositi etiam conspiciuntur à prætereuntibus: sive in contignatione superiori. Utrobique fenestris sæpe extrinsecus adhibentur è ligno receptacula fusioris luminis, quò merces videantur elegantiores. Ejus rei abunde exemplorum in illustri hoc Amstelodamensium emporio quotidie cernere est. Quid si autem *selda* ex eo sit, quòd Germanis superioribus tentorium sit, *zelt*, vel *gezelt*; ut inferioribus *telt*. Hæc sententia est doctissimi Bartholdi Nieuhusii. *Telt* autem, credo, ex *tentorium* est corruptum.

Seniscalcus, & *mariscalcus*, olim vilis fuere muneris nomina: prius enim armentorum, alterum equorum custodem, sive servum, significabat. Utraque vox composita est: ac posterior pars utrobique est *scalc*, id est, servus; ut in *Godscalcus*, quod idem ac *Theodulus*. Prior pars in priori est *son*, seu *senneste*, vel *senne*, hoc est, grex, vel armenta. Quomodo in Legg. Angl. tit. VII §. II legas: *Scrofa sex cum verre, quod dicunt SON.* At in *Marscalcus* prior pars est *mare*, hoc est, equus. Sic *seniscalci*, & *mariscalci* vocabula usurpantur in legg. Alamannicis Tit. LXXIX: ubi §. III est: *Si alicujus seniscalcus est, qui servus est, & dominus ejus* * XII *vassos infra domum habet, occisus fuerit; XL sol. componatur.* Ac §. seq. *Si mariscalcus, qui super XII caballos est, occiditur; XL sol. componatur.* Postea verò vox utraque præclaræ dignitatis nomen evasit. Quod enim ad Mareschallum attinet, sic eum vocarunt, qui Latinis aliter *Comes stabuli*; Græcis *protostrator*: unde Nicetas, in Balduino de Godofredo agens †: Μαρέσκαλκος τὸ ἀξίωμα ὁ ἀνὴρ· δηλοῖ δ' ἡ κλῆσις ἡ Ἑλλάδι φωνῇ πρωτοστράτορα: *Mareschalcus, dignitatis genus: vir is, qui Græco vocabulo protostrator.* Joanni Curopolatæ in Theophilo est ἱπποκόμων ὁ πρῶτος, *equisonum primus.* Sed de Mareschallo satis dictum cap. XII. *Seneschallus* verò, vel *sineschalcus*, dici cœptus Regiæ mensæ præfectus, œconomus, architriclinus. Ut in vita Karoli Magni *: *Misit exercitum in Britannia unà cum misso suo Audulpho Sinescalco.* Similiter in Annalibus Fuldensibus ad an. IↄCCLXXXVI: *Carlus per Autulfum Seneschalcum misso exercitu Britones domuit.* At (ut optimè Clarissimus Bignonius ad Marculfum observat) idem Autulphus pro Seneschallo *regiæ mensæ præpositus* dicitur Aimoino lib. IV cap. LXXVIII: Reginoni verò Prumiensi *princeps coquorum* appellatur. *Dapifer* aliter vocatus fuit. Nec mirandum, mensæ regiæ præfecto curam exercitus commissam. Nam & postea legimus exempla dapiferorum, quibus vexillum committeretur: de quo Falcetus Orig. lib. I cap. X. Et firmat hoc Robertus, S. Remigii monachus, Rhemensis Hist. lib. IV: *Ipso die Podiensis episcopus perdidit dapiferum suum, qui sua aciei deferre solebat vexillum.* Quem dignitatis locum in aula tenuerit, docet Hincmarus Rhem. epist. III. Ac quidem cap. XVI ait: *Aprocrisiarius, quem nostrates Capellanum, vel Palatii Custodem, appellant, omnem clerum Palatii sub cura, & dispositione sua, regebat. Cui sociabatur summus Cancellarius, qui a secretis olim appellabatur. —— Post eos verò sacrum palatium per hos ministros disponebatur: per Camerarium videlicet, & Comitem palatii, Seneschalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium unum.* Ac Buticulario quidem, & Stabuli Comiti, præmitti Senescallum, etiam videas in Diplomate Ludovici VI Donationis ad S. Dionysium. Verba sunt: *Præsentibus ex Palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt, & signa; S. Ancelli, tunc temporis dapiferi nostri, S. Giliberti buticularii, S. Hugonis Constabularii, S. Guidonis Camerarii; Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit anno* ᴄIↄ CXII. Ubi non dubium, quin pro *seneschallo dapiferum* dixerit, quia hæc muneris pars dignior foret. Atque hoc etiam ex memorato antea Hincmaro liquet; qui cùm, ut vidimus, varias aulæ dignitates enarrâsset, sequentibus capitibus omnium officia exponit, cæteraque inter sic cap. XXIII scribit: *Ad tres autem ministeriales, Senescalcum, Buticularium, & Comitem Stabuli, secundùm uniuscujusque ministerii qualitatem, vel quantitatem, pertinebat, ut cum communi consensu de suo quisque ministerio admonendi non essent segnes; ut, quanto ejus esse potuisset, omnes actores regis præscirent, ubi, vel ubi, Rex illo, vel illo tempore, tanto, vel tanto spatio, manere debuisset, propter adductionem, vel præparationem: ne fortè tardè scientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia festinatione, exigeretur, familia regalis per negligentiam sine necessitate opprimeretur. Quæ videlicet cura, quamquam ad Buticularium, vel ad Comitem stabuli, pertineret; maxima tamen cura ad Senescallum respiciebat; eo quod omnia cætera, præter potus, vel victus caballorum, ad eundem Seneschallum respiceret.* Videmus, ut Seneschallo curam stabuli fuisse dicat: sed præter curam illam potus & victus caballorum, quæ sola primitus ei fuerat commissa, alia quoque postmodo oportuerit curare. Clarum itaque, jam Karoli M. ætate (de hac enim loquitur Hincmarus) Seneschalli munus fuisse illustrius, quàm antiquioribus fuerat temporibus. Imò sic dignitas ea gliscebat, ut seneschallia (utitur ea voce Henricus III Angliæ Rex in literis de pace inter reges Castiliæ & Angliæ †) idem censeretur, ac *majoratus*: quod ex Hugone de Cleriis constat; uti quoque ex Guilielmo Tyrio Histor. belli Sacri lib. II cap. V: *Alexius megadomestici dignitate (quem nos majorem senescallum appellare consuevimus) fungeretur officio, ab Imperatore secundus.* Sanè varia erant genera Domesticorum; quomodo οἱ δομέστικοι, sive ἐξάρχοντες, hoc est, præsides sive præfecti dicebantur. In his verò præfectis princeps erat ὁ μεγαδομέστικος: quem ab Imperatore aliqui tertium faciunt; alii, ut Guilhelmus Tyrius, secundum. Cæterùm non desunt, qui, dignitate extenta, aliunde putant nomen datum, quàm prima ea, quà propriè notaret armentorum, vel jumentorum custodem. Nempe ut tum fuerit nomen ex *sin*, sive *sind*, sive *ge-sind*, hoc est, familia. Quomodo propriè, primoque, sic dictus sit familiæ præpositus, sive œconomus Regius. Satis quidem appositum videtur hoc etymon: falsum tamen, quia primò, cùm id nomen imponeretur, armentis erant præfecti: postea demum, munere, ac nomine veteri retento, regiæ curæ mensæ accessit. Aliqui ajunt, conflari vocem ex *sen*, veteri verbo, significante *justitiam*, & *scalcus*, denotante *præfectum*: eoque significare justitiæ præfectum. Hoc verè est divinare: ut de ea ipse re censet Vincentius Lupanus lib. II de Magistratibus Francorum. Nam debuerant ostendere, voces eas id signâsse antiquis. Nihilo rectiùs alii persuadere nobis volunt, vocem esse mistam ex Latina, & Græca; quasi dixeris senum ἀρχὴν, id est, principatum: aut quasi cœnarchen, ex κοινὸν, hoc est, commune, sive Respublica, & ἀρχὴ, vel ἀρχός: aut ex Germanico *seken*, pro

* Ejus pro cujus.

† Pag. 295 edit. Opor. an. 1557.

* Pag. 248. edit. Wechel. an. 1594.

† In Additamentis Matthæi Parisii pag. 169.

pro *soeken*, quaerere, & *scalc*, hoc est, veterator, improbus: quia senescalli sit in veteratorum, & hominum nequam scelera inquirere. Quae ἔτυμα memorat Gregorius Tolosanus in Syntagmate Juris lib. XXXVII cap. XXXIII.

Serganteria, clientela, quae in Legg. Anglicis *sergeantie*. Matthaeus Parisius in Henrico III ad ann. CIↃCCLVI: *Sicut nuper de clientela, quod vulgariter serganteria dicitur, materia pullulaverat pecuniam extorquendi.* Erat serganteria haec vel major, vel minor. Minoris meminit apud eundem Joannes Rex, in charta quadam libertatum concessarum an. CIↃCCXV: *Nos non tenebimus custodiam haeredis, vel terrae alicujus, quam tenet de alia per servitium militare, occasione alicujus parvae serganteriae, quam tenet de nobis per servitium reddendi cultellos, vel sagittas, vel hujusmodi.* Atque hinc ex parte liquet, cujusmodi fuerit minor serganteria. Pleniùs verò utriusque discrimen in Glossario suo doctissimus Watsius annotavit.

Sergeantus, *sarjantus*, vel *sarzantus*, à Gallico *sergeant*: quod etiam Belgis in usu. Comes S. Paulli epist. ad Ducem Lovaniensem, sive Brabantum, apud Godefridum, monachum S. Pantaleonis*: *In turri siquidem saepe dictâ erant sarjanti Anglici, Pisani, Leveniani, Dachi, ad eam protegendam constituti.* Et post aliqua†: *Sarjanti in turri latitantes.* Item: *Cum quibusdam militibus, & sariantis.* Et postea*: *Non fuimus in toto exercitu plures, quam quingenti milites, & totidem equites; sariantes non habuimus plures, quàm duo millia peditum.* Unde verò Gallicum *sergeant* veniat, non ita apertum est. Ab Oriente usque nolim originem arcessere: etsi Chaldaeis סרכא *sarca* satellitem signet. Verisimilius sit, corruptum esse è Latino *serviens*; vel Latinobarbaro *securians*, hoc est, securum reddens.

* In rerum Germanicarum scriptoribus à Frehero editis, pag. 269.
† Pag. 269.
* Pag. 271.

Seriphae Arabibus sunt, qui Turcis, & Tataris Seithi. Est verò seriphis is apud Musulmannos, sive Muhammedanos, dignitatis locus ratione Caliphae, qui apud Graecos est Syncellis ratione Patriarchae. Apud quos, patriarchâ mortuo, Syncellus succedit. Adhaec quanta Seriphatum sit veneratio, arguit satis, quòd eâ appellatione ipsi etiam Sultani se nuncupant, quò augustiores videantur.

Sinaida, & *snaida*, vel *sneida*, notant arborum incisionem, quae fieret ad viam indicandam viatori, nam solere hoc fine arbores notari, liquet ex Legis Salicae tit. XXIX, leg. XXIX, Diplomate Ludovici II apud Wolphang. Lazium, & Donatione Canceronis in Chronico Laurishamensi†, atque aliis. Est verò vocabulum id à Germanis, quibus *sinaiden*, *snaiden*, *sneiden*, uti Belgis *snyden*, notat secare, incidere. Habes in Legg. Longobard. lib. I. tit. XXVI. leg. VI: *Si servus extra jussionem domini sui theclaturam, aut sinaidam, in sylva alterius fecerit, manus ejus incidatur: & si cum jussione domini sui theclaturam, aut sinaidam, in alterius sylva fecerit, reputetur culpa domino, ut suprà.* Caeterùm ut *sinaida*, sic contractiùs etiam *snaida*, vel *sneida*, dici, docemur Traditionibus Fuldensibus lib. II num. VIII: *Haec est terminatio Ecclesiae in Creynfeld à Muoresbrunc, sursùm versus ad Berholdes sneida, &c.* Ac similiter postea: item num. XXXIX. Verùm his locis videtur *sneida* non tam arborum incisionem signare, quàm viam. Et in veteri Glossario est: *Sinaida, via.* Nempe *sinaida*, ut origo ostendit, propriè est incisio arboris: sed quia illa erat viae signum, pro via ipsa sumi coepit, usitato μετωνυμίας genere. Nisi malis *sinaida*, vel *sneida*, primò viam signare, à verbo *sneiden*, hoc est, secare. Quippe via est spatium sectum inter aedes oppositas, vel agros disjunctos, aut aquas hinc inde, vel aliter. Unde & Maro I Georg. de zonis caelestibus agens:

† Pag. 57.

Has inter, mediamque, duae mortalibus agris
Munere concessae Divûm: & via secta per ambas,
Obliquus quà se signorum verteret ordo.

Deque arboribus II: Georg.

—— Omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.

Smelido idem ac gracile: quod hodieque *small*. Habes, non tanquam Latinum, sed ut Latini explicationem, in L.L. Fres. Addit. Tit. III §. XXXV: *Ex ipsa percussione decreverit à sua grossitudine: quod smelido dicunt.* Belgicè *gesmalt*. Ejusdem originis est *smelo*: ut in Addit. S. Frisionum tit. eodem §. LVI: *Si & superior adiciatur, quod vocant smelo, hoc est, unius spannae latitudinem habuerit, ter VIII sol. componatur.*

Soga, *funis*, ut explicat Glossar. Usae Legg. Longobard. lib. I tit. XXV. leg. XXXIII: *Siquis sogas furatus fuerit de bove junctorio.* Nec enim iis adsentio, qui hic generatim *res* exponunt: ac putant esse ex Germanico *soche*, vel *sache*: quod Belgis, res, caussa. Sed agnosco, inde videri Graecobarbarum τζόγες, quod *rem* signat. Glossae Graecolatini. Τὰ πεάϊματα, ἤγουν τζόγες. Gallicum *chose* alius est originis. Nempe à *caussa*. At *soga* pro Fune, est à *soge* pro Ductu, quod is fune fiat. Belgis *toog* est Ductus, haustus.

Spanga, à Germanico *spanne*, quomodo hodieque *tignum* vocatur. In Legg. Bajuvariorum tit. IX. Leg. VIII: *Exteriores verò* (trabes) *quas spangas vocamus, eo quòd ordinem continent parietum.*

Spannum, & *spanna*, habemus in Legibus Frisonum Tit. XXII de Dolg. §. LXV: *Vulnus, quod longitudinem habeat quantum inter pollicem, & complicati indicis articulum, spannum non impleat, IV solid. componatur. Quod integra spanna longitudinem habuerit, hoc est, quantum index, & pollex, extendi possunt, VI solidis componatur.* Et cap. LXVI: *Quod inter pollicem, & medii digiti spannum, longum fuerit, XIII solidis componatur.* Item Fris. addit. tit. III. §. LVI: *Si unius spannae longitudinem habuerit.* Est verò *spannus*, & *spanna*, id quod *spithama* antiquis: estque à Germanico *spanne*, quod à *spannen*, tendere: nisi malis esse ab Italico *spandere*, pro Latino *expandere*. Nam pro *ex* saepe initio ponunt S: & possit simile videri *sculcator* pro *exculcator*; de quo alibi diximus.

Sparvarius, vel *spervarius*, accipiter frigillarius, ex Germanico *sparwer*; qui sic vocatus, quasi *spar-var*, hoc est, procul, sive *longe spargens* pennas suas. Usurpant *sparvarii* vocabulum Leges Salicae Tit. VII §. IV, & Bajuvar. tit. XX cap. I §. IV. Item Fredericus Imper. lib. II de arte venandi cap. XXIX, & Joannes Angliae Rex in charta libertatum de foresta, & liberis consuetudinibus, apud Matthaeum Parisium ad an. CIↃ CCXV*.

* Pag. 260. edit. Wats.

Stallum à Germanico, & Anglico *stall*; non prout *stabulum*, sed quatenus signat *sedile*. Gloss. *Stallus est locus unius è choro.* Philippus Comes Loënsis in diplomate anni CIↃ XCIII†: *Placuit mihi, ut in domo Dei offerrem, quae possem, Comitatum, & advocationem, stallum, & teloneum.* Caesarius Heisterbach. Hist. Memorab. lib. I cap. VI: *Intravit chorum uterque, stante Priore in stallo suo.* Et cap. XXXV: *Sicque inter Abbatis, & Prioris, stallum exiens.* Item lib. IV cap. XXXV: *Sedem stalli sui sic paravit.* Lib. V cap. V: *In nocte verò S. Cuniberti, cùm staret in choro Abbatis, tunc simplex monachus vidit intra presbyterium duos daemones intrare, & paullatim adscendere ad stallum Abbatis, inter chorum monachorum, atque novitiorum.* Ac paullo pòst: *Dominus Eustachius, & Prior Hermannus, qui haec vidit, à stallis suis semoti.* Ac alibi apud eundem. Quae possunt esse à recto *stallum*. Nam idem lib. VIII cap. XIII ait: *Adscendens ergo piè stalla.* Item Matthaeus Parisius in Henrico III ad an. CIↃ LVI: *Clanculo intrantes, inquisiverunt à quodam ibidem orante, quodnam esset stallum Decani.* Et in vita Joannis, vigesimi-tertii abbatis S. Albani: *Consueverat namque —— in duplicibus festis, Chorum mitratus tenere; &, reliquis diebus in stallo suo stans chorum regere, & omnia alacriter cantare.* Innocentius III lib. IV Regestorum epist. I, quae ad episcopum Basileensem: *Ipse ante confirmationem obtentam stallum Praepositi sibi usurpavit.* Quem ad locum rectè Paullus du Maii monet, non pro stabulo sumi; sed loco in choro, & capitulo. Ac *stallum* etiam legere jubet apud Petrum Vall. Sarn. cap. XVI Hist. Albig. ubi Camuzatius *peristylia* reponebat, Sorbinus

† Apud Miraeum in Notitia Eccles. Belg. cap. 114. sive pag. 237.

nus in Gallicanâ paraphrasi *stabulum* intelligebat perperam. A *stallum* est *installare*: de quo in Verbis.

Stantardus, vexillum Regium sive Reipublicæ; ex Belgico, & Anglico *standard* †: pro quo Galli *estandard*. Matthæus Parisius in Gulhelmo II ad an. cIↃ xcix: *Admiravisi standardum eminus considerans.* Idem in Henrico III ad an. cIↃ ccxxxvi: *Exeuntes igitur cives in multitudine gravi, circiter ad quinquaginta millia armatorum obviam Imperatori cum stantardo suo, quod Carrucam, vel Carrochium, appellant, indubitanter perrexerunt, nunciantes, se contra eum bellaturos.* Radulphus de Rivo, decanus Tongrensis, (qui claruit anno cIↃ ccclxx) de gestis Episcoporum Leodiensium cap. i: *Ibi Hustinus de Horston miles sacrum Divi Lamberti vexillum* (*standardum vocant*) *quod contra ipsum S. Martyrem, ejusque Ecclesiam, usurpare, exercituique rebelli præferre præsumserat, turpiter abjecit.* Eoque junior Thomas Wallingam Histor. Angl. in Eduardo II*: *Obviam accurrunt eidem ad largam terram; ubi descendens equo suo, & figens standardum suum, jussit, ut omnis populus, velut fit in bello, adhæreret standardo.* Et paullò post: *Præcepit communi plebi cum standardo stare.*

† Non à standi verbo, sed Germanico, & veterum Belgarum standen, h. e. stare. Unde hodieque, quia Belgis staen, Anglis est stande. Standaerd igitur, atque etiam stander, dixere, quia esset vexillum statarium.

* Pag. 256.

Stangaria sepes, hoc est, sudibus, seu perticis, surrecta. Nam Germanis, & Belgis, *stange*, stipes, sudis, vallus. Ut & Itali pro eo *stanga*. Leges Longobard. lib. i tit. xxv, leg. xxx: *Siquis de sepe stangariâ vimen legerit, componat sol. i. Si autem perticas transversarias tulerit, componat sol. iii.* Est tamen in Lindenbrogiana editione *stantaria*: sed alterum, prout etiam Clemangis editor, non incuriosus talium, adducit, eò prætulerim, quia ab origine minùs abit.

Staplus, pro loco, ubi publicum judicium exercetur. Est à Germanis; qui, ut monitum præstantissimo Lindenbrogio, ajunt, *Im stapel sitzen, und offentlich Gericht halten.* hoc est, In staplo sedere, ac publicè judicium exercere. Legg. Ripuar. tit. xxxiii †. leg. i: *Si ad Regis staplum, vel ad eum locum, ubi mallus est, auctorem suum in præsente habeat.* Similiter tit. lxvii leg. v; item tit. lxxv. Scriptor Glossarii Clemangi appositi exponit tegumentum, vel tapetum: sed perperam omnino.

† In edit. Lindenbrogiana: sed in antiquiori, tit. 35.

Stava, vel *stafa*, à Germanico *staf*, baculus, palus, fustis, pedum, scipio. Lex Salica Tit. xxix*, §. xxxii: *Siquis stavam* (sic pro *statuam* leg.) *vel tremaclum, vel vertnolum* † *de flumine furaverit.*

* Al. edit. tit. 28.

† Al. vertiolum.

Steura, tributum interpretatur Æneas Sylvius Histor. Boem. cap. lxi. Nempe est a Germanico *steur*: quod tributum notat. Usurpat Chronicon Aulæ Regiæ de Joanne Bohemiæ Rege cap. xxvii. Item Henricus monachus Rebdorfius, in Annal. ad annum cIↃ ccxcvi: *Dissensionem inter Episcopum, & Ratisponenses, propter steuram impositam, sedavit.* Et ad an. cIↃ cccxliv: *Eodem tempore Ludovicus gravem steuram imposuit terræ suæ, inferiori, & superiori Bavariæ.* Leonartus Presbyter in Chronico Bavariæ: *Hæc gravamina cum prioribus taxata fuerunt ultra quadraginta millia florenorum Rhenensium. Per quæ compulsi imponere steuram decimi denarii de omnibus bonis eorum.* Pro *steura* aliter *bernam* dixisse, legas in Chronicis Aulæ Regiæ cap. xxvii.

Stolizaz est vicarius Regis, sive qui ejus loco præsidet tribunali. Ut Legg. Longobard. lib. i. tit. xix. leg. v: *Si judicem interpellaverit, & judex dilataverit ipsam caussam deliberare, aut licentiam dederit adversæ parti ipsum molinum evertendi, componat sol. xx, in palatio Regis districtus ab stolizaz.* Gloss. *Stolizaz, id est, missus Regis.* Placet etymon Lindenbrogii, ut sit ex German. *stol*, sella, & *satz*, sessio; quia, quasi Regis vicarius, absentis sellæ in judicio insideret.

Strepa, dicitur ferreum illud instrumentum, cui insistunt pedes equitantium. Matthæus Parisius in Henrico III ad an. cIↃ ccxliv de casu misero Engelrami de Cuscy: *Equino pede ad aliquod offendiculum titubante, corruit supinus in profundum* (vadum transire volebat) *ad quod tamen propriâ strepâ pertractus est violenter, & tunc infeliciter.* Item ad an. cIↃ ccxli de miserabili morte Comitis Gileberti Marescalli: *Nec potuit equus ab ipso, vel alio, retineri. Unde in ecstasim raptus cœpit vacillare, & post paullum corruit ab equo semivivus; ipsum unâ strepârum retinente, & per agrum spatio aliquo sic trahente**. Joannes de Turrecremata in Chronicis Hungaricis, anno cIↃ cccxlii †: *Universa namque ferramenta streparum, & habenarum, sive rudibularum —— de argento inaurato, juxta decentiam regiæ excellentiæ, fabricata existebant.* A *strepa* est Hispanicum *estribo*, E more ejus gentis, & Gallicæ, præmisso. Ac inde etiam *astraba*: nisi à Græcis malis. Sed ἀστράβη his aliud. Plura de hoc instrumento diximus lib. i cap. vii, ubi de *stapia* agimus, ac, pro instituto quidem nostro, satis fusè.

* Similiter strepa pro stapeda, est apud Helmoldum lib. 4 de Rom. Imp. cap. 21: ut lego apud Hermannum Hugonem lib. 1 de Milit. Equestr. cap. 4.

† Pag. 90. edit. Wechel.

Strundius, vel *struntius*, stercus, ex Belgico *stront*. Glossæ Philoxeni: *Strundius, sive struntius*, ἀπίλαθος. Ubi Bonaventura Vulcanius annotavit, legi oportere, *Truncus*, στέλεχος. Faciliùs persuaderet, nisi reponeretur in literis ab S incipientibus. Quare & Scaliger Castigationibus in Priapeia vulgatam retinet lectionem. Ait ille, sic rotundiora dici stercora. Credo *stront* voluit esse ex *ront*, h. e. rotundus. Ut *st* præfigatur. Sanè S præmitti videas in multis: ut *stlites* pro lites, *stritavus* pro *tritavus*; quemadmodum hoc ipso capite diximus.

Stuba, vel *stufa*, non modò apud Dithmarum Mersburg. idque sæpiuscule*, legas; (quam rem etiam tangebamus lib. i cap. vii:) sed in legibus quoque Alamannicis tit. lxxxi, §. iii: *Siquis stubam alicujus concremaverit.* Habes & in Concilio Viennensi, quod celebratum temporibus Clementis Papæ IV, an. cIↃ cclxvii: *Prohibemus insuper, ne* (Judæi) *stubas, & balnea seu tabernas Christianorum frequentent, seu intrare præsumant.* Item apud Ekkardum de casibus monasterii S. Galli cap. i, & in Chronico Australi Matthæi Mareschalli de Pappenheim ad an. cIↃ ccxcv: ubi *stupas* vocat; sicuti sæpe solent *b*, *f*, & *p*, commutari. Scriptor item de S. Ottone, Pomeranorum Apostolo, *Stuba, sive pyrale*, ait lib. ii cap. vii, & xiv. Ajunt & apud Palladium de Architectura esse titulum, *de balneis, & stufis.* Si attendunt Palladii libros de R. Rust. in iis lib. i titulus quadragesimus simpliciter est, *de balneis.* Quod siquibus in libris addatur, *de stufis*, id, arbitror, ex glossemate irrepserit. Est verò *stuba*, vel *stufa*, à Germanico *stube*: pro quo Belgæ *stove*, Galli *estuvé*. Sed quæritur, utrùm vox ea *stube* ortu Germanica sit, à *stoven*, fovere: an potiùs Latina; puta ab *æstuo*; vel Græca; videlicet à τῦφος, *accensio*, quod ἀπὸ τοῦ τύφειν, *accendere, urere.* Ut nempe S præmittatur: quomodo recentiores *sphalangium* dixere pro *phalangium*: pluraque id genus adduximus in *scachum*. Atque eadem περιστάσεις habeat locum, si a Latino *tubus* deducas, quia Romani per ambientes tubos calefacerent cœnacula; teste Senecâ epist. xc: unde idem de Providentia cap. iv: *Subditus, & parietibus circumfusus calor.* Non invitus autem accessero Barthio, qui Adversariorum lib. xxxvii cap. vii pro *stuba* Latinè *vaporarium* posse dici arbitratur. Alii *hypocaustum* malunt, ex B. Ambrosio Hexaëmeron lib. vi cap. viii: *Quereris, quia nulla tibi hypocausta anhelantibus ignibus vaporentur.*

* Pag 22, 93, & alibi.

Sturio ex Germanico, ac Belgico *steur*. Esse veterum *acipenserem*, contendit Rondeletius lib. xiv de Piscibus cap. ix. Cui & in Nomenclatore suo Hadr. Junius subscribit. Sed utrumque decipi, ac sturionem esse veterum hyccam, vel silurum, quemque Isidorus lib. xii porcum marinum, & suillum vocat, abunde diximus lib. iv de Physiologia Christiana cap. xxix. *Sturio* verò quin vox sit originis Germanicæ, minimè dubitandum: nempe à *stooren*, quod notat *turbare, perturbare*: sive quia, escam quærens, Isidoro teste, lutum ac vadum rostro fodiat, atque ita aquas commoveat, turbidasque reddat; sive quoniam concoctionem stomachi turbet; quippe carnis duræ, pinguis, ac viscidæ. Priorem sententiam amplectitur Gesnerus. Pro posteriori facit vulgare Belgarum dictum, *steur die stoort*: quo utuntur, ut moneant, parcè de eo comedendum.

Sulta-

Sultanus dicitur totius imperii Turcici princeps, ab Arabico סולטן *sultan*, quod à verbo שלט *salath*, h. e. dominari, præesse. Hebræis pro ס est ש. Superioris seculi scriptoribus is interdum *Saladinus*. Cæsarius lib. IV Miracul. cap. XV: *Eodem tempore Saladinus humanitatem exhibuit Christianis satis magnam.* Nomen *Sultani*, ut ex Cedreno scimus, adsumsere Turcæ, cùm Persas, & Saracenos, subegissent. Antea verò sic dictus Persiæ princeps: cujus sedes, ac domicilium, *Sultania* ex eo vocabatur. Eam urbem ex Tigranocertæ ruinis fuisse extructam, à Paullo Jovio traditum est. Destruxit verò Temirlancus, qui vulgo Tamerlanes.

Sunnis, impedimentum, German. *saumnis*, Belg. *versuymnis*. Ut hæc à Germanico *seumen*, vel *saumen*; quod Belgis *ver-suymen*, hoc est, negligere, omittere. Leg. Salicâ tit. XIX §. VI †: *Si in mallum vocatus fuerit, & is, qui vocatus est, non venit; si eum aut infirmitas, aut ambascia dominica, detinuerit, vel forte aliquem de proximis mortuum inter domum suam habuerit, per ista sunnis se potest homo excusare: alias de vita componet.* Similiter Legg. Ripuar. Tit. XXXII §. 1; & Longobardicæ sæpius. Item in Constitut. Karol.* *Siquis ad mannum legibus mannitus fuerit, & non venerit; si eum sunnis non detinuerit, XV solidis culpabilis judicetur.* Eum ad locum annotavit Vitus Amerpachius, putare se, *sunnis* esse reconciliationem cum adversario, à Germanico *sunen*, *versunen*: aut certè generale esse vocabulum, quodvis notans necessarium impedimentum. Posterius malo: nempe ut sit à *sumen*, *versumen*; sicut diximus. Gloss. *Sunnis, impeditio. Sonnis, impedimentum.* Apud Papiam pro eo est *sumnis*; quod propiùs accedit ad Germanicum *saumnis*, vel Belgicum *ver-suymenis*. Nec solùm *sumnis*, *sunnis*, vel *sonnis*; sed etiam *sunnia* dixere, vel *sonnia*. Marculfus monachus lib. I formulâ XXXVII: *Ipse nec venisset ad placitum, nec nulla sunnia nuntiâsset.* Hoc est, nec impedimenti nos fecisset certiores; quo foret excusatior. Vir summus à sontico morbo, vel causa sontica, *sonnia* nomen deflexum suspicabatur. Sed omnino vox est à Germanis, ut diximus. Ac ab eodem *somnis*, vel *sumnis*, est Gallicum *essoine*, vel *exoine*; E ante S, more gentis, præmisso. Indeque barbarum *essonia*, itidem pro impedimento: non ex Latinobarbaro *exidoneare*; quod traditum nonnullis. Plurimùm enim significatio horum distat. Usurpatur in Formulis veteribus secundùm legem Romanam, Marculpho monacho adjunctis, formulâ XXXIII †: *Qui nec exonia nunciavit, nec suum placitum adimplevit.* Repeno quoque apud Hincmarum ad Karolum Calvum Regem: *Quo mittens, ad dominationem vestram, excusationem impossibilitatis suæ illuc veniendi; requisita est, quam patriotica linguâ nominamus Exonia, quia venire nequiverit; quod hactenus est inauditum.*

† Edit. German.

* Pag. 295. edit. Mogunt. an. 1602. & in Collectione Ansegisi Capitularis lib 3 cap. 45.

† Pag. 352. edit. Bignoniana.

Surcarium, vestimenti genus; nempe, ut videtur, tunica interior, sive ea, quæ proximè corpus ambit, ac Græcis χιτὼν ἰχίονηρος. Planè enim subscribo doctissimo, &, dum viveret, amicissimo Martinio, qui in Etymologico suo putat, esse à Gallico *sur chair*, hoc est, *super carnem*. Usus Rhegino in Chron. *Totâ mente illos* (Petrum, & Paulum) *recognovi de illorum surcariis.*

Surgotum vox, è Germanica *cursat*, panni genus, ac talaris vestis muliebris. Habes in scriptoribus Germanicis ab Christiano Urstisio editis.

Suurum, juramentum, à German. *sweeren*, jurare: unde *hy swoer*, jurabat. Sic legas, *suuro firmare*, Leg. Bauvar. Tit. XV. cap. XI, §. II.

CAP. XVIII.

Acceditur ad vocabula, quorum initium est T. Taburcinum, *tympanum.* Talia, *tessera.* Tallia, *exactionis genus; pro quo &* tallagium. Tarenus, *genus nummi.* Targia, *vel* targeta, *clypei genus.* Talcha, *marsupium.* Tallale, *pro præfectu proventuum ex agris, pascuis, & sylvis publicis.* Tallalli, *pro nodis, glandium formâ, amictui additis ad ornatum.* Tassus, *acervus frugum, ligni, fœni.* Taudragil, *humor rori similis, profluens è nervis læsis.* Tecura, *vel* tecuaria, *tegmen.* Teknasca, *pro larvatorum in Lupercalibus discursu.* Tein, *vimina: deque ratione sortis per tenos, & unde is ritus manârit ad Christianos.* Tenseria, *pro contentione.* Tertullis, *porcellus haræ propriæ.* Tesseia, *sive* teiceia, *raptus, aut latrocinium.* Tethinga, *familia sic inter se devincta, ut unius erga Regem delictum omnibus sit præstandum.* Texaga, *pro tecto.* Theada, *vel* theode, *populus.* Theclatura, *pro signo arbori inciso, ad noscendam viam.* Thinx, *manumissio; ut* thingare, *manumittere.* Thiubda, *furtum.* Tochus, *vel* tocha, *calculus.* Tonna, *vel* tunna, *vas; ut* tonnella, *vel* tunnella, *imo &* tonellus, *vasculum.* Torneamenta, *vel* tornamenta, *ludicræ pugnæ equestres.* Fornetæ, *pro nundinis.* Tragulus, *vestis monachalis.* Trana, *evectio quæ fit trabâ.* Tranix, *palmes.* Trappa, *septum cancellatum, cui aves includuntur.* Trebuchetta, *machina bellica, saxa ingentia ejaculans, ad turres ac muros diruendos: quæ aliter etiam vocatur* trabucchus, *&* tribucetum: *at diversam esse* biblam petrariam. Tremaclum, *genus retis piscatorii.* Trespellius, *vel* tresbellio, *taurus trium tabulorum trium.* Treuga, *pax, vel induciæ, pro quibus &* trevia *dicitur.* Tribunculus, trebuculus, *&* trubuculus, *pro machina bellica, quæ aliter* trebuchetta, *ut antea dictum.* Trigildum, *triplex compositio.* Trista, *pro immunitate incolentium sylvas.* Truta, *vel* trenda, *binnulus.* Trogulus, *rudis vestis monachalis.* Troppus, *grex.* Trotingus, *paranymphus.* Truca, *pro cadaveris capsa.* Trumetum, *tympanum.* Trumpa, *tuba.* Trupha, *vel* trufa, *jucundæ deceptiones, nec non joci, risusque eorum, qui luxui ac nugis indulgent.* Truste, *Regis, post fidem ei datam, tutela: quâ qui suffultus esset,* antrustio *nominatus.* Truttanus *pro plano, ac impostore.* Tubruci, *tibiarum, & braccarum tegumentum.* Tucus, *cuculus.* Tufa, *regium vexillum.* Tulipa, *flos è Turcia in Belgicam allatus. Ubi* Tulipantum, *Turcicum capitis velamentum; & quo id differat à Persico.* Tunginus, *vel* tonginus, *judex, proxima post Comitem dignitatis.* Tunnum, *horreum.* Tuphæ, λόφοι. Turbaria, *locus, unde effodiuntur cespites ustiles.* Tutia, *non tam est Lapis Lydius, quam cadmia fornacaria.* Tyuphadi, *judices sub Comitibus constituti:* tyuphadia, *eorum potestas, ac dignitas.* Tzangæ, *vel* zanchæ, *calceamentum barbaricum.*

TEmpus est, ut transeamus ad inchoata à T literâ.

Taburcinum, tympanum, ex Gallico *taborin*, vel *tambour*, sive Italico *tamborino*, pro quo Hispani *tamburo**, & similia quædam aliæ gentes. Matthæus Parisius in Wilhelmo II ad an. CIↃ XCI: *Equi eorum, insolitum non ferentes clamorem Turcorum, buccinarum clangorem, ictusque taburcinorum, calcaribus non parebant.* Imò & *thabur* pro eo legas in Richardo I ad an. CIↃ CXCXII: *Juvenis quidam, de domo episcopi Londoniarum, nisum, quem habuit, docuit cercellas propensius affectare. Itaque ad sonitum illius instrumenti, quod à ripatoribus* (mellonibus) *Thabur nominatur, subitò cercella quædam alarum remigio evolavit.*

* Videntur Galli, & Itali, accepisse ab Hispanis; illi ab Arabibus, quibuscum convenitur in hoc Persæ.

Talia est inter genera, quibus rei gestæ modus edocetur: ut arguunt hæc Matthæi Parisii verba in Henrico III ad an. CIↃCCXLVII: *Rex Francorum Ludovicus fecit per ballivos perscrutari, quòd si aliquis institor, vel injuriam passus aliquam, quicunque alius, in aliqua accommodatione coactâ, vel extorsione pecuniæ, vel victualium, ut solet per regios exactores, proferret scriptum, vel taliam, vel testimonium; vel juraret; vel quomodolibet aliter legitime probaret; quia paratus erat omnia restituere. Quod & ita factum est.* Sunt verò taliæ duo sigilla, quorum unum ab altero sic recisum, ut juncta veterem totius referant figuram: utrique verò unâ cæsurâ numerus inciditur,

 ut,

ut, sulci si jungantur, probè respondeant, nec vel creditor, qui sigillorum unum retinet, plus valeat incidere, nec debitor incisa radere: quia si non in utroque sit vel incisum, vel rasum, continuò fraus compareat. Belgæ vocant *een kerf-stock*. Est *talia* a Gallico *Taille*, quod tesseram notat. Velà *tailler*, scindere, cædere, incidere, pro quo Itali *tagliare*. Quid si autem hæc omnia derivemus a proba, Latinaque *talea* voce; quâ Cato, Varro, Plinius usi, pro surculo reciso: Gloss. Philoxeni: *Talia*, κλημὸς, ράζα, ... Id ipsum vocabulum a θαλλὸς, ut ab ἄλλος, *alius*; à φύλλον, *folium*; ab ἅλλομαι, *salio*; a βάλλω, *Baleares* insulæ, quòd incolæ jactu fundæ præcellerent. Sed uti *taleam* inde venire non dubito; ità, num Gallicum *taille*, unde *talia*, inde sit, non æquè liquet.

Tallia inter genera exactionum fuit. Petrus Blesensis epist. CII: *Quid de talliis, & exactionibus, quid de obventionibus placitorum, & cæteris improbis extorsionibus, loquar?* Concilium Lateranense sub Innocentio III cap. XLVI: *Talliis, seu collectis, & exactionibus, aggravere.* Matthæus etiam Parisius sæpius usurpat: ac nunc *tallias, & collectas*; nunc *tallias, & exactiones*, conjungit Walsingamus similiter in Descriptione Neustriæ *: *Clerus ob constitutionem Bonifacii Papa hoc anno editam, qua prohibet sub pœna excommunicationis, ne tallia, vel exactiones, à clero per seculares principes quocunque modo exigantur, vel eis solvantur.* Item Balduinus, Flandriæ Comes, posteà Imperator Constantinopolitanus, in tabulis anni CIↃCC †: *Quicquid exactionis, & talliæ, in terris B. Joannis Baptistæ de Valencenis, quæ sunt apud villam de Estruem, singulis annis accipiebam, eidem Ecclesiæ in eleemosynam in perpetuum contuli.* Joannes Major de Scotorum gestis lib. IV cap. V: *Ne plebem talliis, & vectigalibus, oneraret, Regem non solùm conducit; sed necessarium est, opes sufficienter habere.* Ægidius Roia in Annalibus Belgicis *: *Anno CIↃCCCII bellum Cortracense factum est, quod hujusmodi habuisse dicitur initium, primo propter tallias, & exactiones.* Pro eodem etiam *tallagium* dicit: ut ad an. CIↃCCXLVI, in literis Reg. Henrici: *Alias vobis scripsimus, semel, secundò, & tertiò, tam per literas nostras clausas, quàm patentes, ne ad opus domini Papæ, vel alterius, tallagium aliquod, vel auxilium, exigeretis à viris religiosis, clericis, vel laicis, cùm nullum hujusmodi taliagium, vel exigi possit, vel consueverit, sine magno præjudicio Regiæ dignitatis.* Et mox: *Mandamus, ne ad exactionem prædicti tallagii, vel auxilii, faciendam, aliquatenus procedatis.* Idem ad an. CIↃCCLI: *Vasa pretiosissima à quodam Judæo valde divite clam susceperat, ut eidem parceret in Regis tallagio.* Hoc est, in annuo censu Regi a Judæis pendi consueto. Ac similiter alibi non semel. Item Walsinghamus in Richardo II †: *Si Rex haberet in manu sua temporalia Ecclesiasticorum, non oporteret eum tunc accipere tallagia, nec communitatem Regni spoliare.* Idem eopse opere *: *Archiepiscopus, non consideratâ depressione Ecclesiasticâ, quæ jugiter premebatur per tallagia pendenda Regi annis singulis, —— impetravit bullam ab Apostolica gratiosam.* Idem in Hypodigmate Neustriæ †: *Quamvis ita esset, quòd deberent ibi servitium facere, vel alibi; tamen non habent facultatem faciendi, quia nimis afflicti sunt per diversa tallagia, auxilia, prizas; videlicet de frumento, avenis, brasco, lanis, coriis, bobus, &c.* Ac similiter paullò pòst: *Auxilium non possunt facere propter paupertatem; in qua sunt, propter tallagia, & prizas antedictas.* Etiam a *talia* factum *talliare*, hoc est, exactione gravare, mulctare. Idem ad an. CIↃCCLVI: *Cives Londinenses iterato ad quingentas marcas talliantur.* Ac similiter usurpatur in scriptoribus rerum Germanicarum ab Urstisio editis. Est verò *tallia* a Gallico *taille*; quod significat vectigal, pecuniam populo indictam. Quid si autem & hoc à Latino *talea* derivemus; quando ut surculus ille, quem *taleam* dicimus, reciditur a planta; sic tributum reciditur de bonis civium? Saltem, quòd Galli *tailler* dicunt pro *incidere*, id esse a relectione illâ surculi videtur. De talliis, si voles, adi Gregorium Tolosanum lib. III Syntagm. cap. VII, & Sylvestrum Prieratem in Summa, voce *Gabella*.

* Pag. 485.

† Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. pag. 488

* Pag. 47.

† Pag. 284.

* Pag. 351.

† Pag. 487.

Tanganum quid sit, in verbo *Tangano* exponam hoc ipso libro.

Tarenus, nummi genus. Utitur Leo Ostiensis, seu Marsicanus, Chronici Casinensis lib. I cap. LVIII: ubi Ungaris, Capuam vastantibus, in redemtionem captivorum expensa esse ait vasa argentea multa, & ornamenta; etiam *taranos* XX. Et lib. III cap. XLIV, de Panormi obsidione agens, inquit, *Venebat canis jecur tarenis decem.* Et ejusdem libri cap. LVII de iis loquens, quæ dux Robertus Guiscardus monasterio esset Casinensi largitus, inter alia ait, *Donasse Byzantios sexcentos, & duo millia tarenos Africanos.* Etiam in legibus occurrit Siculis, sive Neapolitanis, lib. I tit. LXXIII: *Præscriptionibus, & subscriptionibus suis, tarenum unum, si libram auri contractus excesserit; aliaquin dimidium recepturi.* Tit. XC leg. II: *Pretio unius tareni auri per diem, cum homine; vel sine homine, pro dimidio tareno locare.* Sæpius etiam legas lib. III tit. XXXIII leg. III.

Targia quid sit, indicat hoc Matthæi Parisii in Henrico III ad an. CIↃCCXLIII: *Amici ejusdem Joannis, qui eundem præcordialiter dilexerunt, oppositis corporibus suis propriis, & amplis clypeis, qui targiæ appellantur, vix eundem protegentes, a mortis discrimine liberarunt.* Item usus ad an. CIↃCCXIX: *Cum targiis eleganter ordinatam.* Ac paullo pòst: *Targeias multas, & galeias, cum barbotis, & navibus, —— Christicolæ rapuerunt.* Est à Gallico *targue*, vel *targe*, quod itidem peltam, vel clypeum, signat.

Tascha Italis est marsupium, sive crumena, à Germanico *tassche*. Aliter Germanis *seckel*, à Latino *sacculus*. Ab *tascha* est *malatasca*: quomodo diabolum, quasi malum marsupium, nec nisi nummos continentem adulterinos, vocitare solet B. Veronica de Binasco, Longobardiæ inter Ticinum, & Mediolanum oppido. Vide ejus vitam lib. II cap. X †.

Tassale legas in Episcoporum quatuor literis ad Papam, apud Matthæum Parisium ad annum CIↃCCXXXIX: *Tassale vero S. Severi, (quod non erat in totum Abbatis terra majoris Aconensis) ibi quædam jura habebat, quæ tenebat in feudum ab ipso Imperatore, per judicium fuit justè destructum; quia homines illius loci, tempore perturbationis occiderunt Paullum de Longotham, bajulum Imperatoris, & armenta imperialia diripuerunt.* Videamus, an possimus hinc eruere, quid sit *tassale*. *Tassus*, vel *tassum*, est congeries frugum, fœni, lignorum: ut paullò pòst, in *tassus*, plenius exponam. Hinc, puto, *tassale*, tum agri, pascua, sylvæ publicæ; tum fruges, fœnum, ligna, quæ inde proveniunt; tum loca, ubi ea coacervantur, & adservantur. Hæc propria est significatio. Impropriè verò *tassalis* vox iis est adtributa, penes quos ejus dominium foret. Sententia igitur Parisii est, abbatem, vel monachos S. Severi, dono Imperatoris possedisse istic aliqua: sed incolas quosdam fœdè se gessisse adversus Imperatorem; de quibus propterea cepent vindictam.

† In Vitis Sanctorum à Bollando editis ad 13 Jan.

Tassellis à Gallico *tasse* [illegible] dicuntur: suntque glandes, sive nodi, ex auro, & serico multiplici, confecti, dependentes de vestium angulis: ut doctissimus Watsius interpretatur. Belgæ dicunt *knoopen*, quod à *connodo*, uti hoc a *nodis*. Utitur Matthæus Parisius in vita Richardi, S. Albani abbatum quintidecimi: *Dedit etiam casulam unam, auro, tassellis, ac gemmis pretiosis adornatam.* Ac continuò pòst: *Stolas binas pretiosas cum manipulo, capam unam purpuream, morsu & tassellis carissimis redimitam.*

Tassus, vel *tassum*, acervum notat, vel struem: uti acervum frugum, vel struem fœni, aut ligni: a Gallico & Belgico *tas*, quod idem significat. Adolphus Mekerchus, lib. de Pronunc. L. Gr. cap. XXX, censet esse à τάσσω, ordino. Sanè Belgis *tassen*, struere acervum, in cumulum superaddere, ἐπιτάσσειν. Sed utcunque de isto sit, *tassum* saltem

saltem *tassus* est à barbaris; ut sic vocemus more Romano. Usurpat Matthæus Parisius in Henric. III an. cIↃ CCXLVIII: *Dum quendam frumenti consertum aggerem, quem vulgariter tassum appellamus, venalem æstimans considераret, agger ille nutans, & inordinate compositus, subitò corruit super eum.* Nempe à Germanis ad Gallos, inde ad Anglos (nisi à Saxonibus malis) ea vox est derivata.

Taudragil est humor serosus corpus irrigans, ut ros plantas: unde & *ros* dicebatur, quantum conjicio. In quo, si rectè video idem sit Alamannis *taudragil*, ac quod Frisiis *litwagi*. Ac de hoc quidem diximus cap. XI. Alamannicum istoc habes in Legg. Alaman. Tit. LXV. §. XXXI: *Siquis in genuculo transpunctus fuerit, aut plagatur, ita ut claudus permaneat, ut pes ejus ros tangat, quod Alamanni taudragil dicunt, cum* XII *sol. componat.* In Legg. Bajuvariorum eadem lex exstat penè iisdem verbis: ubi secundâ vocali *taudregil* exaratum. Suspicor, vocem conflatam ex Germanico *taw*, pro quo Belgæ *douwe*, h. e. ros: & verbo *dragen* vel *dregen*, hoc est, ferre, emittere: quomodo Belgis *dragen* ἁπλῶς ponitur pro pus emittere: imò *dragt*, pus, sanies: & gramiæ, sive lemæ, iisdem *dragt der oogen*. Hæc satis conveniunt ei, quod dicebamus, *ros*, sive *rorem*, & *taudragil*, de humore dici è nervis læsis promanante.

Tecuria, tegumentum, tegmen, ex Germanico *teke*, hoc est, tegmen: sicut Vitus Amerpachius observat ad hanc Caroli Constitutionem: *Ut super altaria tecuria fiant, vel laquearia.* Ut verò *tecuria*, sive, ut aliqui legunt, *tecuaria*, a *teke*; ita *teke*, pro *tegmine*, & *decken*, quod est *tegere*, & *deckel*, *tegumentum*, veniunt a Latino *tego*: at hoc à στέγω*.

* Tego.

Telemasca, vel *talamasca*, larvatorum in Lupercalibus discursus. Vetustum Rhemense Concilium: *Larvas dæmonum, quas vulgus Talamascas vocat, sub anathemate prohibemus.* Vox est composita, cujus posterior pars Gallicum *masque*, hoc est, larva.

Teni sunt, qui & Belgis *teenen*, vel *tijnen*: hoc est, mollia, ac flexilia virgulta, quæ Latinis *vimina* à *viendo*, quod apud veterum poëtam †, *Viere Veneream corollam.* Sed propriè quidem *teni* virgulta: μετωνυμικῶς verò sortes, quæ per vimina fierent. Et propriæ, & figuratæ significationis exemplum habemus in Legg. Fris. tit. XIV, qui est de homine in turba occiso, §. I: *Tunc ducendi sunt ad basilicam, & sortes super altare mittendæ, vel, si juxta Ecclesiam fieri non potuerit, super reliquias Sanctorum: quæ sortes tales esse debent. Duo tali de virga præcisi, quos tenos vocant; quorum unus signo Crucis dignoscatur, alius purus dimittitur; & lanâ mundâ obvoluti super altare, seu reliquias, mittuntur; & presbyter si adfuerit, vel, si presbyter deest, puer quilibet innocens unum de ipsis sortibus de altari tollere debet: & interim Deus exorandus, si illi septem, qui de homicidio commisso juraverunt, verum jurassent, evidenti signo ostendat. Si illum, qui cruce signatus est sustulerit, innocentes erunt, qui juraverunt: sin vero alterum sustulit, tunc unusquisque illorum septem faciat suam sortem, id est, tenum de virga, & signet signo suo, ut eum, tam ille, quam cæteri, qui circumstant, cognoscere possint: & obvolvantur lanâ mundâ, & altari seu reliquiis imponantur. Et presbyter si adfuerit: si vero non, ut superius, puer innocens unumquemque illorum sigillatim de altari tollat, & ei, qui suam sortem esse cognoverit, rogat. Cujus sortem extremam esse contigerit, ille homicidii compositionem persolvere cogatur, cæteris quorum sortes prius levatæ sunt, absolutis.* Legem integram adscripsi, non solùm ut pateat, *tenum*, nunc pro vimine accipi, nunc pro sorte viminali: sed etiam ut tota sortis ratio pleniùs sciretur. Ea verò etsi apud Christianos obtineret, juvante etiam presbytero fieret; à gentilibus tamen est accepta. Nationum quippe ea consuetudo: in his Saxonum, quorum superstitionem multiplicem enarrat M. Adamus, Canonicus Bremensis, Historiæ Ecclesiasticæ lib. I cap. VI: ubi inter alia sic scribit: *Auspicia, & sortes, quam maxime observabant. Sortium consuetudo simplex erat: virgam, fructiferæ arbori decisam, in surculos amputabant; eosque notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuitò spargebant. Mox, si publica fuit consultatio, sacerdos populi; si privata, ipse paterfamilias precatus Deos, cælumque suspiciens, ter singulos tulit. Sublatos secundùm impressam ante notam interpretatus est. Si prohibuerunt, nulla de eadem re, ipsa die, consultatio. Si permissum est, eventuum adhuc fides exigebatur.* Quomodo Scythæ è virgis soleant divinare, docet Herodotus lib. IV; deque Alanis particulatim id tradit Ammianus lib. XXXI. Imò non Magos solùm & Scythas; sed alias quoque gentes, pluribus in locis, è virgis vaticinari; legas apud Nicandri Scholiastem. Atque hic ritus etiam observatus Lindenbrogio in Glossario, & Notis ad Ammianum.

† Ennius Asoto, apud Varronem lib. 4 de L. L.

Tenseria, concertatio, lis, contentio, à Gallico *tanser*, vel *tenser*, hoc est, contendere, altercari, concertare. Matthæus Parisius in vita Guilielmi, S. Albani Abbatis XXII: *Hæc est summa pecuniæ perditæ, & tenseriæ datæ tempore guerræ de maneriis abbatis Guilielmi, suorumque hominum.*

Tertussus est porcellus, non ab alio nutritus, sed domi nostræ. Glossar. *Tertussus, qui domi nutritur.* Origo, ut ingeniosè Lindebrogio adnotatum, est è vocibus tribus Germanicis, *Der zu ham*: hoc est, *qui domi*; puta, est, vel nutritur. Lex Salica tit. II, qui est de furtis porcorum, §. X: *Siquis tertussum porcellum furaverit usque ad anniculatum*, CXX *denarios, qui faciunt solidos* III, *culpabilis judicetur; excepto capitali, & dilaturà.*

Testeia, idem ac raptus, vel latrocinia; vel saltim minutum est, quo differant. Constitut. Caroli Calvi, tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. III: *De illis liberis hominibus, qui infames, vel clamodici sunt de testeiis, vel latrociniis, & rapacitatibus, & assalturis.* Et mox: *Quorum testimonium leges publicæ non rejiciunt, quòd testeiam, vel latrocinium, aut rapinam non fecerit.* Ac postea ibidem: *Juret, quòd testeiam, vel latrocinium non faciet, neque facienti consentiet.* Sed tit. XII apud Silvacum cap. XIII constanter est *tesceia*, tum in juramento Franci hominis, tum etiam Centenario. Utrobique verba sunt: *Ego illi adsalituram, illud malum, quod schach vocant, vel tesceiam, non faciam; nec, ut alius faciat, consentiam.* Quid si igitur *tesceia* sit à *tesquis*, sive *tescuis*, (utroque modo in Philoxeni Glossis scribitur) id est, locis nemorosis, umbrosis: unde & iis nomen, quasi δασυλοις. Sanè latrones in sylvestribus, & præruptis locis, præcipuè insidiantur viatoribus.

Tethinga, vel *tethringa*, significabat denas familias, denis junctas, pariter inter se colligatas, ac Regi sic obstrictas, ut, quod una erga eum peccâsset, id necesse haberent præstare universæ. Quique caput horum foret, *tethingus*, vel *tethringus*, dicebatur. Joannes Rex apud Matthæum Paris. ad an. cIↃ CCXV: *Tethinga integra, sicut esse consuevit.* Usurpant & alii.

Texaga, *texaca*, vel *tecsaga*, aliqui nundinationem interpretantur. At aliter Glossarum: *In texaga, intra tecta.* Lex Salica tit. XI. §. IV: *Siquis homo ingenuus alienum servum in texaga secum duxerit.* Alamann. Tit. ult. leg. XXV: *Siquis servum mulinarium involaverit, alicum cum ipso reddat, & solvat solidos* VI *in texaga ejus, cujus fuerit.* Similiter Ripuar. tit. LXIII, & Formularum sollemnium CXXXVII.

Theada idem, ac populus. Lex Salica tit. XLVIII: *In mallo publico, hoc est, ante theada, vel tunginum.* Idem ac *theode*; ex quo, & *ryk*, dives, *Theodericus*, populis dives; quod aliter *volc-rijk*. Imò pro *theode*, etiam dictum *leode*: de quo in *Leodis* vidimus cap. XI.

Theclatura in legibus Longobardicis legas lib. I tit. XXVI leg. III, & IV. Cum *sinaida* jungi videas ibidem, tum lege V, tum VI; ubi hæc verba: *Extra jussionem Domini, aut cum jussione, theclaturam, aut sinaidam, in sylva alterius facere.* Censeo, utroque notari signum arbori incisum ad viam monstrandam. Ac *sinaida* quidem unde sit, supe-

superiùs planum fecimus. *Theclatura*, ut suspicor, dictum pro *thecnatura*: h. e. signatura, à *theckenen*, sive *teeknen*, quasi facta inde voce *teknare*. L, & N, in omnibus pene linguis, solere commutari, alibi ostendimus. Nec verum hoc etymon spondeo. Dixi, quod in mentem nunc veniret. Fortasse & non meditanti alias melius occurret, vel alteri ista legenti.

Thinx, donatio, manumissio. Ut in Legg. Longobard. lib. I tit. XXXII leg. V: *Non possunt sine vera absolutione liberi esse, nisi per thinx, aut circa altare; sicut nos instituimus.* Item lib. II Tit. VIII leg. VI, & Tit. XIV leg. XIII, & Tit. XV leg. II, ac III, & Tit. XX leg. I: *Ipsum edictum loquitur de thinx, quod est donatio.* Atque hinc *thingare*, quod in gloss. exponitur, *manumittere absolutè, vel donare.* Quod & Papias comprobat. Habes in iisdem Legg. Longobard. lib. II Tit. XIV leg. IV, V, XII, XIII, XV, & alibi saepe: uti & *thingatus* lib. II Tit. XXXII leg. V, & *thingatio* lib. II Tit. XV. leg. V. Origo omnibus à Germanico *ding*, & *dingen*: priori *res* signatur; altero, *mutuò pacisci.*

Thiubda, furtum. Ut tit. III leg. Frisic. At *thiob*, fur, Otfrido Euang. lib. IV cap. VII, & Willeramo in Cant. German. *dieb*, Belg. *dief*. In L L. Æthelstani Reg. cap. XI §. XVII fur dicitur *theofe*: in Inae regis Anglos. cap. XLVII, furtum vocatur *theofte*. Ut Anglis *thefte*.

Tocua, calculus, quo in computando utimur; quantum ex corruptis Isidori verbis in Glossis videre est. *Tocha* etiam pro calculo est apud auctores de limitibus agrorum: *Trifinium quam maxime quando constituimus cum signis, id est, cineribus, aut carbonibus, & calce ibidem construximus, & superduximus, & super tocham monticellum constituimus.* Videtur & ad Graecos manasse: quando Tzetzi Chil. XII pro calculo dicitur τζόγη. Nisi τζόγη ex *schachus*, hoc est, calculus; de quo superiùs dictum. At *tacha*, quando agri limes est, & signum finium, fortasse sit a Germanico *teeken*, quod est signum.

Tonna, vel *tunna*, vas, ex Germanico, & Belgico *tonne*; quo notatur vas vinarium, seive simile. Auctor vitae Philiberti †: *Rogans eum cellarium ingredi, & vas vinarium, quod tonna dicitur, benedicere.* Hinc diminutivum *tonnella*, vel *tunnella*, vasculum. M. Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis Secundae partis cap. XCVII: *De vino expensa sunt centum & octoginta tunnella.* Imò & virili genere *tonellus* dixere: forte ob diminutionem extrità consonâ, ut à *signum*, *sigillum*, à *mamma*, *mamilla*. Petrus Cellensis lib. IX epist. V: *Habes vinum de vite verâ expressum de torculari crucis, & attractum aperto ostio lateris. Sicut enim tonellus foratur, ut vinum habeatur: sic latus Christi lanceâ militis apertum est, ut exiret aqua baptismatis, & sanguis nostra redemtionis. Tonna*, vel *tunna* vocabulo vicinum est *tina*: quod legas in Actis Thyrsi, & sociorum, ad XXVIII Jan. *Tum Sylvanus jussit impleri tinam aquâ, & merso capite ligari pedes ejus sursum, & mediam partem corporis, quae super aquâ esset, flagellis cadi.* Imò & Varro usurpat in IV de L. L. & in I de Vita populi Romani, ut quidem utrobique in Conjectaneis corrigit Scaliger; qui & apud Festum legit *Tina*; ubi vulgò, *Tinia, vasa vinaria.* Utcunque hoc, planè videntur, *tonna*, vel *tunna*, & *tina*, vel *tinia*, vocabula esse cognata, & ab eadem origine profecta.

† *Aliter, Scio, Surius in Vitis Sanctorum ad 20 Aug. Sed is stylum mutavit; ut initio profitetur.*

Torneamenta, vel *Tornamenta*, sunt hastiludia, sive ludicrae pugnae equestres; pulchra nobilitatis exercitatio, ac ad bellum praeparatio; dummodo satis caveantur pericula caedium. Usurpat Caesarius lib. II Miracul. cap. XII: *Caussâ laudis humanae, torneamentis totus deditus erat.* Et lib. VII cap. XXXIX: *Cùm properaret ad quoddam torneamentum.* Comes S. Pauli, epistolâ ad Ducem Lovaniensem, sive Brabantum, apud Godefridum monachum S. Pantaleonis *: *Noveritis &, quod accepimus tornamentum contra Soldanum Babylonia ante Alexandriam. Siquis ergo Deo vult servire, cui servire est regnare, & nomen habere militia conspicuum, veniat ad tornamentum Domini.* Joannes Gilmannus, sive is potiùs Antonius Genzius, in vita B. Walteri de Birbeke, cap. I. §. II: *Tempore quodam, cum praepararet se ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, venissetque ad ecclesiam quandam, illos, ut Missam audire vellent, hortabatur.* Et mox: *Cùm aliqui de torneamento occurrerent.* Anonymus monachus Villariensis in vita Caroli, VIII Villariensium Abbatis, cap. I. §. II: *Dum cum Domino Gerardo Wascardo Milite, de quodam torneamento à Wormacia Maguntium adscenderet.* Doctissimus Camdenus in Britannia sua † pro iisdem habet *Torneamentum*, & *Mensam rotundam*. Sed apertè separat Matthaeus Parisius in Henrico III ad an. CIƆ CCL II: *Milites, ut exercitio militari peritiam suam, & strenuitatem, experirentur, constituerunt unanimiter, non ut in hastiludio illo, quod communiter, & vulgariter, Torneamentum dicitur; sed potiùs in illo ludo militari, qui Mensa rotunda dicitur, vires suas attentarent.* Quomodo verò differant, vide sis in eruditissimo Watsii Glossario.

* *In Scriptoribus Rerum Germanicarum editis à Frehero, pag. 271.*

† *Pag. 191.*

Torneta, nundinae, in quibus armati decertant. Abbas S. Theoderici in vita S. Bernardi: *Prope erat sacrum Quadragesima tempus. Illi omnes fere juvenes, dediti militiae seculari, circumibant, quaerentes exsecrabiles nundinas, quas vulgo tornetas vocant. Caepit ergo ab eis petere divus Bernardus, ne intra paucos dies, qui ante Quadragesimam supererant, armis uterentur.* Non dubium, quin sit à Gallico *tournoyer*, circuire, decurrere: unde & *torneamenta*, de quo diximus.

Traguli, vestis monachorum; Minoritarum, ut videtur. In querimonia Episcopi Lincolniensis moribundi, apud Matthaeum Parisium ad an. CIƆ CCLIII: *Et sic de secularibus fiunt seculariores; & mentitur in iis tragulorum vilitas, dum sub habitu paupertatis spiritus habitat elationis.*

Trana est in privilegio, monasterio SS. Vincentii, & Germani, concesso à Karolo M. apud Aimoinum lib. V cap. I: *Teloneus exigatur nec de novale, nec de carale, neque de saumis, neque de trana evectione, nec rotatico, nec pontatico.* Sed apud Baronium tom. IX Annal. ad annum IƆ CCLXXIX, ubi idem privilegium habes, sic editum est: *Nec de navali, nec de carrali, neque de saumi, sive de trana, evectione vel rotaticum, vel pontaticum.* Nempe multiplex est evectio: ut praecipua dicam genera, quaedam navi fit, alia curru, alia item trahâ, vehiculi genere, sic dicto, quòd non volvatur rotis, sed trahatur. Ac postremum hoc evectionis genus dicitur *trana*: quae iccirco evectioni navali, & carrali, opponitur.

Tranicem de vite incidere, legas in legibus Longobard. lib. I tit. XIX, leg. VII. Latini pro eo ajunt *palmitem*, aut *flagellum*. Videtur *tranix*, apposito T, factum ex *rancke*. Sic enim *palmes* dicitur Germanis.

Trappa, decipulum avium, sive septum earum cancellatum, quod aliqui *transenham* nuncupant. Olim Belgis *trappe*; uti hodieque Anglis. Lex Salica tit. VII leg. VII: *Siquis turturem de trappa furaverit.* Sed editio, quae sine typographi, vel editoris nomine, formâ prodiit minutâ, habet hoc pacto: *Siquis turturem de reti alterius furatus fuerit.* Ac similiter Lindenbrogius expressit.

Trebuchetta, machinae, quae ingentia etiam saxa ejacularentur ad diruendos muros. Wilhelmus Ochra, epistolâ ad Henricum III regem Angliae, apud Matthaeum Paris. ad ann. CIƆ CCXLVI: *Per septem trebuchetta ordinata, quae tam de die, quàm de nocte, in castrum Capuacis projicere non cessabant.* Nomen est à Gallico *trebucher*; quod est ex alto aliquid deturbare. Alii, principe vocali leviter mutatâ, pro eodem dixere *tribuceta*. Chronicon Leodicense ad annum CIƆ CCCXIII: *Episcopus misit Leodium mangonalia, seu fustibula, sive tribuceta, vel arietes, aut sues, vineas, biblias petrarias, sive cattos versatiles.* Idem quoque *trabucchi*: uti nominat Ægidius de Columna Romanus, Thomae Aquinatis discipulus, lib. III de Regimine Principum, part. III cap. XVIII. Ac aliquid de iis Hieronymus Magius Miscell. lib. I cap. I. Est ab Italico *trabuccare*; quod idem, ac Gallicum *trebucher*, antè memoratum.

tum. Nec aliud instrumentum existimandum, de quo in fragmento quopiam Historiæ Germanicæ: *Anno Domini* cIↄccxII *Otto Imperator, ab Apulia, & Italia, reversus, obsedit oppidum Wizense; quod similiter expugnavit usque ad arcem. Ibi tunc primum cœpit haberi usus instrumenti bellici, quod vulgo* trybock *appellari solet.* Et Nauclerus Generat. xLI*: *Otto Imperator oppidum Wizense obsidione vallavit. Asserunt, tum primum cœpisse usum instrumenti bellici prius incogniti, quod vulgariter* Trybock *nominatur: quoniam bombardarum usus necdum erat inventus.* Creditur idem ac, quod Belgis *sprinc-hael*, *sprinc-gael*, & *springel*. Gallis etiam Leodicensibus *espringalle*. Imò & *tribuculus*, *trebuculus*, & *trubuculus*, idem videntur: de quibus, ne longior nunc sim, seorsum paullò pòst dicam †. At falli puto Kilianum*, atque alios, qui censent, idem esse *tribucetum*, & *bibliam petrariam*. Nam clarè distinguit Chronicon Leodicense: cujus verba initio adduximus. Crediderim, *biblia* ab imperitis factum ex *blia*: uti hoc à *blije*: id contractum ex duabus primis syllabis in *balista*. Ex *blije*, balista, & *burg*, est *Blijenburg*: burgus balistâ, vel balistis, munitus. Hinc cognomen familiæ patriciæ apud Dordrechtanos nostros datum.

* Pag. 911.

† In tribunculus.

* In voce blye.

Tremaclum memoratur in Lege Salicâ Tit. xxIx. §. xxxII: *Siquis statuam, aut tremaclum, vel vertuolum, de flumine furaverit, DC den. qui faciunt sol.* xv, *culp. jud.* Sunt qui intelligant, quod Germanis *trimellen*, Belgis *tremellen*, Gallis *la tremue d'un molin*. Latini vocant *infundibulum*. Sed etsi magna sit vocum istarum convenientia; longè tamen magis placet, signari genus piscatorii retis, quod Normannis *tremail*.

Trespellius, vel *tresbellio*, qui trium est, ut sic dicam, bellarum. Non alibi reperi, quàm in lege Salica tit. III §. vII: *Siquis taurum gregem regentem furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit, h. e. trespellius.* Aliqui edidere *trebellio*. Sed eodem res redit. Nempe *villa* hic *billa*, seu *bella*: Belgis *belle*, Anglis *bell*, Latinis nola, tintinabulum.

Trenga, pro pace, vel induciis; ut dicebamus lib. I cap. I. Nempe a Germ. *treuwe*, id est, fides. Nempe & *trenga* est fides temporaria hosti data. Ita usus suppositititius Turpinus, in vita Karoli M. cap. xII: *Itaque, datis treugis inter se, egressus est Aigiolandus cum suis exercitibus.* Et cap. seq. *Treuga data eundi, & redeundi.* Item Frodoardus in Chronico: *Treuga, vel inducia belli inter Regem Ludovicum, & Hugonem principem, usque ad Synodi tempus, Ottone Rege mediante, disponuntur.* Nicolaus Papa primus epist. ad omnes episcopos: *Tempore pacis, seu treuga, nulla nocumenta oratoribus, vel peregrinis, inferantur.* Fulbertus Carnot. epist. xcIII: *Velim autem suadere tibi, si possim, ne dimittas, propter iram, qua Dei justitiam non operatur, quin Episcopo tuo treugam des.* In fœdere S. Ludovici cum Raimundo, Tolosano Comite: *Nec pacem cum ipsis faciet, vel treugas, sine assensu Ecclesiæ, & nostro.* Petrus in Historia Albigensium cap. LxvI*. *Treugas daret, usque ad futurum proximum Pentecosten.* Habes & apud Wilhelmum Tyrium lib. I belli Sacri cap. xv, Glabrum Rodulphum Histor. lib. v cap. I, & in Concilio Lateranensi sub Alexandro III cap. xxI: *Treugas à quarta feria post occasum Solis usque ad secundam feriam —— observari præcipimus. Siquis autem treugam frangere tentaverit, —— Episcopus suus sententiam excommunicationis dicet.* Walsinghamus in Richardo II*: *Misit ad Comitem de Dumbare, inquirens, si ejus conscientia, vel consilio, fuissent treugæ taliter violatæ.* Græci posteriores similiter fere vel τρέβα dixere, quod apud Anonymum de bello Sacro: vel τρέβα, ut Codinus de Officiis Constantinopolit. cap. xIv. §. xII. Atque ex his etiam cognoscere est, unde sit Gallicum *trevis*, pro induciis. Imò & *treviam* pro eo apud Joannem Carnotensem legas epist. xc: *Quia trevia Dei non est communis lege sancita.*

* Pag. 212.

* Pag. 219.

Tribunculus, vel *trebuculus*, ut arbitror, idem ac *tribocca*, vel *trebuchetta*; de qua paullo antea diximus. Matthæus Parisius in Wilhelmo II ad an. cIↄ xcIx: *Petrarias, tribunculos, & arietes, cum scrophis, ad murum suffodiendum construxerunt.* Et in Henrico III ad annum cIↄccxvIII: *Insultu petrariarum, aut trebuculorum ictibus, parum, vel nihil, profecerunt.* Et ad an. cIↄccxx: *Præter unam* (turrim) *qua crebris ictibus trebuculi Templariorum aliquantulum concussa fuit.* Puto, & idem esse *trubuculus*. Idem Parisius ad an. cIↄxcvII: *Civitate in hunc modum obsessâ, collocarunt machinas in locis opportunis; petrarias scilicet, trubuculos, & mangonellos; ex quibus crebros lapides emittebant.*

Trigildum, à triplici gildo, seu compositione. Pro quo alii *triungeldum*; ut *niungeldum*, pro nona compositione. Vide quæ cap. vIII de *gelao*, quæ item cap. xIv de *octogilt* diximus; quæque de *sweregilt* afferemus cap. xIx.

*Trista**, secundùm Cowellum, & Watsium, Anglos doctissimos, est immunitas illa a servitute, qua quisque ex forestæ incolis Domino Regi obligatur ad alendum ei canem venaticum, eique offerendum, quoties placuerit in forestam illam venire. Matthæus Parisius Additamento II: *Inquiratur etiam, si aliqua antiqua trista Domini Regis, villâ vel domo levatis, vel clauso, impediatur, per qua deductus Domini Regis impediatur.*

* Al. Tristra.

Trisuta, vel *trenda*, hinnulus. Ripuaria lex tit. xLIv. §. II: *Siquis cervum domitum, vel cum trisutu, occiderit, vel furatus fuerit.* Lex Alaman. tit. xcIx. §. II: *Si cervus ille trendas non habet.* Item §. III: *Si trendis habet.* Similiter §. vIII. Non acquiescit animus in etymo, quod Clemangis editor deducit ab Alamannico *trist*, h. e. gressus. Ulteriùs dispiciendum.

Trogulus, vestis rudis. S. Faustus in Vita S. Mauri† cap. I: *Nam reliquo totius anni tempore, sub monachali tunica, semper asperrimo, à scapulis usque ad renes, induebatur trogulo; ejusdem subtegminis in stratu super aggestum calcis, & sabuli, tantummodo excepto quadragesimali tempore, semper usus est cilicio.* Item in vita S. Egwini, sive Edwini*, Episcopi Wicii, sive Wigorniensis in Anglia, cap. III: *S. Eguinus, cum à primævo juventutis flore semper usus fuit cilicio, nunc in cinere jacens asperrimo, ad carnem nudam indutus erat trogulo; ipsam debilitatem & infirmitatem carnis suæ corporali maceratione, & jejunio, devincens.* In priore vita S. Gunulphi†, seu Gundolphi, vel Gundulphi, lib. I cap. II: *Asperrimo ex pilis reinduebatur trogulo.* Et lib. II cap. I: *Sed asperrimo cilicii trogulo nuditatem corporeæ fragilitatis velarem.* Apud Papiam est: *Trogulus, cuculla, monachalis vestis.* Non solùm fuisse cucullam, satis arguunt, quæ adduximus. Rectè interim subdit de veste monachali. Vellem, qualis foret, expliciatiùs addidisset.

† In Vitis Sanct. ad 15 Jan.

* Ad 11 Jan.

† Apud Bollandum ad 17 Jan.

Troppum, ex Gallico *troupeau de bestes*, grex: *troupeau* est à *troupe*, multitudo: *troupe* κατὰ μετάθεσιν ex *turba*. Lex Alamann. tit. LxxII §. I: *Si in troppo de jumentis illam ductricem aliquis involaverit.* Veteres dixissent, *armentorum gregem*. Charta in Alamannicis Goldasti*: *De caballis domalibus cum cætero troppo.*

* Tom. 2. num. 15.

Trotingus est in Legg. Longobard. lib. I. tit. xvI leg. vIII: *Pervenit ad nos, quod dum quidam ad suscipiendam sponsam cujusdam sponsi cum paranymphis, aut trotingis, ambularent, perversi homines aquam sordidam, & stercoratam, super ipsam jactassent.* Gloss. vetus: *Trotingis, id est, joculatoribus.* Nempe *trotingi* sunt, cùm paranymphi, qui duo esse solent; tum alii sponsi sodales; quorum opera in eo, ut facetiis, ac jocis, festum nuptiale recreent.

Truca, capulus, urna feralis, è Germanico *truhen*. Annales Henrici Steronis, monachi Altahensis, ad an. cIↄccxcvI, de Henrico, Ratisponensi Episcopo: *Sepulchrum similiter sibi longè antè ad xII fabricavit, & prævidit, juxta altare B. Virginis in majori veteri Ecclesia Ratisponensi: similiter trucam etiam, in qua sepeliri debuit, cum vestibus sepulcralibus ibidem impositis, in memoriam continuam mortis suæ, per eosdem annos habuit locatam à latere lecti sui.*

Trummetum, tympanum, ex Germanico *trumme*, vel trum-

trummen, Belgis *trommel*. M. Joannes Thwrocz Chronic. Hungaric. Partis III cap. XXII: *Sollemniter in trummetis, & diversi generis musicorum apparatibus, circa centum personas de una vestitura bene inducti obviam venientes, & eundem honorificè suscipientes, ad urbem Romanam introduxerunt.*

Trumpa, tuba, à veteri voce Germanica *trompe*; unde & Gallicum *trumpe*, & Italicum *tromba*, & Hispanicum *trompa*. Belgæ usitatiùs *trompet*. Angli & *trump*, & *trompet*. Matthæus Parisius in vita Offæ II: *Clangor enim tuba, quam vulgus trompam vocat, timorem intulit audientibus.*

Trupha, *trufa*, vel *truffa*, joci, & doli planorum; sive lusus, ac nequitiæ eorum, qui vulgaribus magis placere animis student, quàm viris piis ac gravibus. A Græco τρυφὴ, quod delicias, ac luxum notat, Germani formarunt *truffen*, pro deliciari, jocari. Sanè Ungaris etiam jocus dicitur *trefa*: unde jocosus iis *trefaas*; jocari, *trefalni*. Mirum, inveniri eam vocem in inscriptione, quæ Polæ est in Dalmatia: VALETE, ABITE IN REM VESTRAM, VIATORES OPTIMI, HIS NUGIS, TRUFFIS, AMBAGIBUSQUE MEIS, CONDONATI POSTUMIS. Habes in Orthographia Aldi, voce *Cloaca*: sed in ea vox *truffis* omissâ: quæ in lapide comparet. Sic igitur colligo, aut lapidem hunc recentiorem esse, quàm putarunt; aut vocabulum *truffa* vetustius esse, quam existimetur. Hoc quia in incerto, scriptorem promam, cujus ætas sit in aperto. Is est Cæsarius lib. II Memorabil. cap. XXV: *Ille diligentissime cogitans, qualiter liberaret puellam, hujusmodi trupham invenit.* Unde *trufare*, vel *truphare*, apud eundem lib. V cap. XXIX: *Ego etiam in Suerbacho fui, & satis ibi trufavi.* Quem locum & lib. I cap. I adduximus. Sunt verò diaboli verba, gloriantis, quòd artibus solitis in Suerbacho Conversos concitâsset adversus ordinem Cistercienſem. Hinc *trufator* lib. VI cap. XXI: *De hujusmodi trufatoribus plurima deceptionum genera, temporibus nostris gesta, tibi dicere possum; sed non sunt ædificatoria.* Etiam *trufa*, & *trufandi* voces usurpantur ab Arnoldo, Ordinis S. Francisci religioso, in vita B. viduæ † Angelæ de Fulgino, quæ Arnoldo huic peccata solet confiteri; ut anno is claruerit CIƆCCCIX, quando hæc ea anno excessit. Eâ in vitâ cap. VI narratur, Christum his verbis usum esse ad Angelam: *Ego non te amavi per truffam.* Ac postea sic Angela loquitur: *Videbam, quæ sustinuit, in vita, & in morte, iste Deus homo passionatus pro isto indicibili, & evisceratо amore: & intelligebam, prædictum verbum esse verissimum; quòd scilicet me non amavit per truffam, sed verissimo, & perfectissimo, & evisceratо amore me dilexit.* At *truffandi* verbum habes cap. XXIII: *Dico vobis, quod plus recepit anima mea de Deo, quando ploravi, & doloravi peccata proximi, quam mea. Et mundus trufat de hoc, quòd dico, quod homo possit plorare peccata proximi, sicut sua, vel plus quàm sua; quia videtur esse contra naturam. Sed caritas, quæ hoc facit, non est de hoc mundo.*

† In Vitis Bollandi ad 4 Jan.

Truste Francis, ac Longobardis, significabat Regis, post fidem datam ei, tutelam: qualem qui læsisset, vel necâsset, triplo plus persolvere cogebatur, quàm si alium peremisset, vel læsisset. Atque hoc ex lege Salica* satis apertum puto. Est *truste* vox ortu ipso Germanica, à *tru*, vel *dru*; pro quo etiam *drow*, sive *trow*. Quod etymon validè etiam firmari arbitror illis Marculfi verbis lib. I Form. cap. XVIII: *Rectum est, ut qui nobis fidem pollicentur illæsam, nostro tueantur auxilio: & quia iste fidelis, Deo propitio, noster, veniens ibi in palatio nostro una cum arimania sua in manu nostra trustem, & fidelitatem nobis visus est conjurâsse.* Ubi ait, *in manu juraverit trustem*, quia fides, sive homagium, manu datâ jurabatur. Quod qui fecisset, inde vocabatur *antrustio*, vel, ut in aliis est codicibus, *antrustio*: nempe ex *an*, significante *ad*, & *tru*, hoc est, *fides*: ut significet *ad fidem*, puta obligatum; quod idem sit, ac fidei sacramento obstrictum; qui simpliciter vulgo *Fidelis*. Itaque post verba Marculfi proximè adlata, continuò ibidem sequitur: *Propterea per præsens præceptum decernimus, ac jubemus, ut deinceps memoratus ille in numero antrustionum computetur.* Et sanè *truste*, pro fide, seu homagio, etiam sumi videmus in Lege Salicâ tit. XLIII. §. IV: *Siquis eum occiderit, qui in truste Dominicâ est; XXIV den. qui faciunt sol. DC, culpabilis judicetur.* Ac similiter Tit. seq. §. II. Item Tit. LXVI. §. I: *Excepto, si ex truste regali non fuerit ille homo.* Et in Recapitulatione Legis Salicæ §. ult. ac in Decreto Chlotarii Regis §. IV: *Quod si in truste invenitur* (latro,) *medietatem compositionis trustis adquirat, & capitale exigat à latrone.* Item §. XII: *Latronem perquirat, quem si in truste perinvenerit, medietatem sibi vindicet, vel delaturam.* Et Leg. Ripuariâ Tit. XI: *Siquis eum interfecerit, qui in truste Regis est.* Adhæc legum Longob. lib. III tit. IV, §. II. *De truste faciendâ, ut nemo præsumat ad nos venienti mansionem vetare: & quæ necessaria sunt, sicut vicino suo, ei vendat.* Quam legem etiam, sed mutilam, reperias in Constitutionibus Karoli cap. XIV†. Ac monet mihi Vitus Amerpachius; *truste* videri significare iter, aut profectionem, quam nunc *postam* vocant. *Nisi*, inquit, *malit quis esse trost, id est, consolationem, quæ præstatur peregrinis per hospitalitatem.* Cur verò neutra nobis placeat sententia, ex iis liquere censeo, quæ antea adduximus.

* Tit. 43 cap. 1 & 4. item tit. 44 cap. 1. & 2.

† Pag. 229. edit. Mogunt. an. 1602, qua Busæus Constitutiones Karoli subjunxit Hincmaro.

Trutanus Cæsario Heisterbachensi pro eo, qui (ut in glossis ejus exponitur) *verbis alios in fraudem impellit, & decipit.* Forsasse *truntanus* scripsit. Saltem Belgis hoc, *iemant trunten wijsmacken*. Sed nihil impedit, quo minùs eâ significatione aliqui dixerint *truten*. Sanè N litera nunc additur, nunc præteritur: cujus varia alibi variis ex linguis adducimus exempla. A *truten* igitur *trutanus*, vel *trutannus*, qualis histrio. Unde anonymus Villariensis monachus in vita * Caroli, VIII Villariensis abbatis, cap. III, §. XVIII: *Tenacissimus tamen conservator rerum domûs fuit, semper de acquirendo sollicitus, nunquam de erogandis militibus, histrionibus, sive trutannis, ad quos manus semper contractas habebat.* Joan. Ludovicus de la Cerda Adversar. sacrorum cap. XLIV §. III, censet, *trutanus* esse à *trupha*; ut idem sit ac *trufator*: quibus de vocibus antea diximus. Sed faciliùs persuaderet, si *truphanus*, vel *trufanus*, scriberetur.

* In Vitis Sanct. ad 29 Jan.

† Adversariorum sacrorum lib. 141. §. 191.

Tubruci, vestimentum, ita dictum, quasi tucorum tuci, sive roci. *Tuci*, tegumentum tibiarum: quod *tubulos* vocat Querolus, τυβίον Achmes. *Roci* verò, sive *ruci*, quodlibet operimentum corporis; nempe, ut puto, ex Germanico *rock*; quod imprimis pro tunica sumi solet. Sanè non incommoda appellatio, quia tubruci supra tubulos assumebantur. Isidorus lib. XIX Originum cap. XXII: *Tubrucos vocatos dicunt, quòd tibias, brachasque, tegant. Tubraci, quòd à bracis ad tibias usque perveniant.* Ita & Mssi nostri: nisi quòd utrobique *tubruci*. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. IV cap. XXIII: *Postea verò cœperunt* (Longobardi) *hosis uti: super quas equitantes tubragos birreos mittebant, sed hoc de Romanorum consuetudine traxerunt.* Ubi *hosæ* tibialia, ex Germanico *hose*. Verba proxima è Paulli de gestis Longobardorum historia cùm adduxisset doctissimus Joan. Ludovicus de la Cerda†; subjungit continuo: *Alii verba hæc attribuunt Warnefrido.* Quasi librorum de gestis Longobardorum auctor alius sit, quàm Paulus, Warnefridi & Theodelindæ filius, patriâ Longobardus. Nempe uti, Virgilium, an Maronem dicas, nihil refert: ita nec utrum Paulum Longobard. an Paulum Warnefridi nuncupes.

Tucus, cuculus. Isidorus lib. XII cap. VII: *Tucos, quos Hispani cuculos vocant*, à propria voce constat nominatos. Veniendi tempus habent, milvorum scapulis suscepti, propter breves & parvos volatus, ne per longa aëris spatia fatigati deficiant. Horum saliva cicadas gignunt. Ova passeris nido reperta comedit, & sua objicit; quæ ille suscepta fovet, & nutrit.* Eorum singula hic expendere non est animus, ubi de voce tantùm loquimur. Similiter Gloss. Arabicolatin. *Tucus quem Spani vocant, à voce propria nomi-*

* Ita Mss nostri, ac vetus Veneta anni 1483 Sed, puto, trajectione vocum exigua, rescribendum, Tucos quos Hispani vocant, cuculos à propria voce constat nominatos. Nec enim dubium, quin cuculus, uti & Græcum κόκκυξ, sint à sono. Chacconem, & Breulium, falli puto, cum pro tucus, malunt cucus. Uti & Martinius decipitur, cum cuculus diminutivum à cucus censet. Nam penultima est porrecta, etsi vulgo cuculus tribrachys creditur.

nominatur. Credo, Hispanis eà vox à Pœnis, vel Arabibus. Sanè Hebræis תוך toc, *dolus.* Quàm autem vafra sit avis, satis ostendit, quòd cùm se frigidiorem sciat, quam ut ova sua possit excludere, ea ponat in nido palumbis, alaudæ, ac præcipuè curucæ. Quâ de re diximus lib. III Physiologiæ Christianæ cap. LXXXII.

Tufa, vexillum imperatorum, vel regium. Beda lib. II Histor. cap. XVI: *Nec non & , incedente illo ubilibet per plateas, illud genus vexilli, quod Romani tufam, Angli appellant tuuf, ante eum ferri solebat.* Aliter scripsêre *tuva*, vel *tupha*: de quo mox dicam.

Tulipa vix hujus loci est, nisi admitti etiam placet, quæ nostro demum sæculo cœpere usurpari à scriptoribus Latinis. Est verò flos è Turcia adlatus, ac gentis nomen retinens; quod illi & pileum notat Turcicum, & hunc florem, qui pileum Turcicum refert. Uti verò flos à similitudine ejus pilei; ita pileus Turcicus sic vocatus videtur à figura globosa, quæ refert *πανίκλην*, hoc est, lanam purgatam, inque globos compositam, ut colo adaptetur. Eaque & doctissimi Martinii in Etymologico suo sententia est.

Tulipantum ejusdem esse originis arbitror, ac *tulipa*, de quo diximus. Est verò *tulipantum* tegmen lineum subtilissimi operis, quo Turcæ candidis involvere ipsis caput solent. Atque inter alia eo differunt Persæ, à Turcis: quòd cùm Turcicus ille habitus superbiæ sit plenus; Persæ modestiæ ergò, jubeant caput velare tegumento de lana confecto. Atque inde nomen *Sophi*, seu *Sophini*, datum Ismaëli, Erdebilis filio; qui à Turcica Alcorani religione recessit, sibique, ac posteris, Persiæ regnum peperit. Vulgò tamen Ismaëlem hunc à Sophis sive Sapientibus Persiæ, qui antiquitus *Magi* dicebantur, nomen *Sophi* accepisse arbitrantur. Sed aliter est. Nam Arabicè *Sophi* est lana: ac contemtim hoc nomen ab Osmanidis datum est Ismaëli, quòd nova religione caput non magni pretii lino, sed vili velaret panno: qui quia rubri erat coloris, eò non *Sophini* modò, sed etiam *Kiselbassilaris*, quasi capita rubra, nuncupantur. Hæc cui satis non sunt, adeat Leonclavium in Pandectis Turcicis, præsertim cap. CLXXXVIII.

Tunginus vel *tonginus*, in veteri Glossario exponitur, *Judex, qui post Comitem est.* Lex Salica tit. XLVI, §. 1. & XLVIII. §. 1. *Tunginus, aut Centenarius, mallum indicent.* Ex tit. LXIII, §. 1: *Siquis de parentela tollere se voluerit, in mallo ante Tunginum, aut Centenarium, ambulet.* Videntur *tongini*, vel iidem, vel non longè differre à tyuphadis; de quibus mox loquar. Nomen tungino ex eo, quia litibus ac caussis præest. Nam *ding*, & *beding*, res, caussa. I in O, vel V, abit; ut crebrò. Sic à *bedingen*, *bedongen*; à *singen*, *gesongen*, à *bedriegen*, *bedrogen*; à *liegen*, *logen*, & similia.

Tuninum quid sit, non satis convenit. Doctissimus Lindenbrogius censet, locum esse, ubi reponerent vasa: ut sit à Germanico *tonne*: unde *Tonna*, de quo hoc ipso capite dictum. Magis placet, quod lib. I cap. I dicebamus, *tuninum* esse ex Germanico *tuyn*: quod universè locum septum notat, ac particulatim hortum: ut ejus nomine contineantur, quæ Belgis *tuynhof*, *bloemhof*, & similia. Habes in legg. Bojorum tit. I cap. XIV. §. V. *Fœnile, granicam, tuninum.* Ubi *granica* est horreum; à granis, ut suprà diximus.

Tupha, quæ Græcis *λόφοι*: nempe galearum cristæ, vel illæ in equorum vertice, ut plerique interpretantur: quomodo fuerit à Germanico *zopf*: quod signat apicem, verticem, fastigium, culmen. Vel potius notet vexillum: ut ostendunt verba Bedæ, quæ in *Tufa* adduximus. Nempe conveniunt significatione, *Tuva*, *Tufa*, *Tupha*. In mutis fuisse signis militaribus, ostendit Vegetius lib. III cap. V: *Muta signa sunt aquilæ, dracones, vexilla, flammulæ, tufæ, pinnæ.* Vulgò legebatur, *flammulæ rufæ.* Ubi posterius ex glossemate esse putabat Stewechius. Vel legendum suspicabatur, *flammeola trifida.* Nempe sic hoc in loco sudat, quia apud Latinorum neminem *tupha*, vel *tufa*, legisset. Sed ut vix sciant Latini, sciunt posteriores Græci. Nam (ut in Tactico suo glossario docet Rigaltius) *τοῦφα*, simili significatione, legas apud Nicetam Choniatem, & Zonaram in Basilio Porphyrog. *τοῦφα* item sæpius est apud Mauricium lib. II Strateg. cap. II. Sed & Curopalati de Officiis Constit. cap. III, cum priùs *φῶτα* legeretur, vocem hanc *τοῦφα* restituêre viri docti. Capite tamen XVII, num. XLVIII, rectum est *τζάγγια*, hoc est, tibialia: quanquam & hic *τοῦφια* aliqui reponant.

Turbaria, locus ubi effodiuntur tessellæ ustiles, quos vulgus vocat cespites. Belgis eæ tessellæ *turve*, uti Anglis Cantabrigiensibus *turves*. Atque hinc *turbaria*, V consono, ut fieri amat, in B transeunte. Matthæus Parisius ad ann. CIↃCCXIII: *Deinde tempestas illa debacchando invalescens, turbariam quandam in eadem villa, aquis profundis, & palude circumdatam, quasi in ictu oculi reddidit siccam; quod nec herbam, nec lutum in ea relinquens, sicci lapides tantummodo remanserunt.* Item in Additamento secundo: *Inquiratur etiam de marleris, mineriis, turbariis, fabricis, & carbonariis.*

Tutia, ex Meursii sententia, est lapis Lydius, sive Heraclius. Favet quoque Martinius; qui censet, esse à Germanico *toetsen*, hoc est, explorare, ac particulatim auri vel argenti bonitatem ad Lydium lapidem explorare: undè & hic lapis Lydius *toet-steen* nuncupatur. Sic *tutia* vocabulo utitur Diodorum Euchyonem Polychemiæ lib. I cap. III: *Plumbi, stanni, acathynnæ argenti & auri, tutiæ, floracu non liquidæ.* Sunt qui *tutia* nomen esse malint à Gallico *toucher*; vel Italico *toccare*, vel Hispanico *tocar*. Mihi, si id *tutia* est, quod volunt, longè verisimilius sit, hasce gentes accepisse id verbi à Longobardis, Gothis, Normannis; quam ut hi verbum *toetsen* habuerint à Gallis, Italis, Hispanis. Et sanè *tutia* propius accedit ad voces Germanicas. Nihilominus doctissimos viros, & de significatione, & de etymo *tutiæ*, falli existimo. Sanè *tutia* vox usitata est officinis: sed idem valet ac *καδμία* sive *καδμεία γῆ*: quod Clariss. Salmasio ad Solinum jam ostensum. Neophytus: *Καδμία, ἡ Κυπρία, ἡ καὶ βοτρυΐτις, καὶ Τουτία λέγεται. Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα λιθώδης, μαύρη, καὶ συριγγώδης: Cadmia est terra Cypria; quæ & Racemosa, & Tutia dicitur. Est & altera lapidosa, nigra, fistulosa.* Nicomedes, *Καδμία, Τουτία: Cadmia, Tutia.* *Cadmia* verò quid sit, docet Plinius lib. XXXIV cap. X: *Ipse lapis, ex quo fit æs, Cadmia vocatur, fusuris necessarius, medicinæ utilis.* Festus: *Cadmia terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Interim, quòd Neophytus eandem facit *καδμίαν*, & *βοτρυΐτιν*, id cautè puto capiendum. Quippe, est Cadmiæ genus altioribus fornacum locis adsidens, ad racemi formam concrescens: unde *βοτρυΐτις*, quasi *racemosa*, etiam Dioscoridi † nuncupatur. Non omnis igitur botryitis est cadmia; sed cadmia istæc fornacaria, quæ & *tutia*. Porrò *tutia* vocem etiam apud posteriores Græcos obtinere, non modò ex iis, quæ diximus, liquet; sed etiam Rhazis libro de Peste cap. XI: *Ἐβένου τμῆμα, μαμηρὴ*, τουτία, αἱματίτης. Ebeni segmentum, mamera, tutia, hæmatites.*

† Lib. 5. cap. 84.

* Al. μαμιρὴ, vel μαμιρᾶ. Putant esse doronicum Romanum.

Tyuphadi, iidem videntur ac *tungini*: de quibus dictum. Saltem non admodum distant. Sanè tyuphadi, judicum genus; Comitum, ut puto, vicarii. Legg. Wisigothic. lib. II tit. I leg. XV: *Cum cæteris rebus criminalium etiam caussarum tyuphadis judicandi concessa licentia sit.* Et mox: *Qui tyuphadi tales eligant, quibus vicissitudines suas imponant.* Et leg. XXIII: *Siquis judicem, vel Comitem, aut vicarium Comitis, seu tyuphadum, suspectum habere se dixerit, & ad suum Ducem aditum accedendi poposcerit.* Similiter leg. XXVI inter varia judicum genera reponitur. Operæ verò est in hujusmodi locis attendere, non solùm ut tyuphadus judicandi habuerit potestatem; sed etiam, ut idem, veluti inferior, ac minoris dignitatis, opponatur Duci, & Comiti. Sic lib. IX tit. II leg. VIII: *Seu sit Dux, aut Comes, thyuphadus, aut vicarius, gardingus, vel qualibet persona.* Item lib. IV, tit. V leg. VI: *Tunc Ducibus, vel Comitibus, tyuphadis, atque vicariis, & adeam accusandi, & licentia tribuitur exsequendi.* Vides, ut

ut Duces, & Comites, jungantur velut majoris potestatis; tyuphadi deinde, ac vicarii, subdantur. Quare lætis verisimilis sit conjectura Martinii, *tyuphadus* deducentis ex Germanico *tuyphan*, vel *tuyphen*, quod Belgis *toeven*: hoc est, exspectare: nempe quia, ob limitatam potestatem, necesse haberet exspectare sententiam superioris. Hinc dicta *tyuphadia*. Ut lib. IX tit. II leg. I: *Si thyuphadus ab aliquo de thyuphadia sua fuerit beneficio corruptus.* Ac copiè titulo tum *thyuphadi*, tum *thyuphadia* vocabulum, sæpius occurrit.

Tzanga, *zanga*, *zanca*, vel *zanchæ* barbarici calceamenti genus. Trebellius Pollio: *Zanchas de nostris Parthicas paria tria.* Codex Theodos. lib. XIV tit. X: *Usum tzangarum, atque braccarum, intra urbem venerabilem nemini liceat usurpare.* Ac postea: *Intra urbem Romam nemo vel ragis, vel tzancis utatur.* Synodus Aurelianensis can. XXII: *Monacho orarium in monasterio, vel zancas, habere non licet.* Isidorus in Glossis: *Zanca, pellis.* Est & apud veterem Horatii interpretem lib. I sat. VI, ad illud:

> *Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus.*

Ubi interpres is, etiam prout à Cruquio editus, *nigris pellibus* interpretatur *zangis*. Hodieque Hispanis calceamentum rusticum *zanca* vocatur; ut ait Joannes de la Cerda Adversar. Sacr. cap. CXII. §. XVIII. Quid quod etiam apud Græcos recentiores legas? Sed his diverse admodum scribitur: τζάγκαι, & τζαγκία, est in Pandecte Turcico Simeonis, Magistri Offic. cap. CXCIX. Τζαγγία est apud Codinum de Off. cap. V. item in Fastis Siculis, sive Chronico Alexandrino. Gloss. Basil. Τζάγγα, τὸ ὑπόδημα. Hinc τζαγγᾶς, vel τζαγγάριος. tzangarum artifex, sutor: sed τζαγγᾶς proprie, qui imperatoris tzangas fueret: τζαγγάριος, (qui Hesychio σκυτεύς) quivis calceartius: quod discrimen apud Codinum legas. Moschopulus: Σκυτοτόμος παρ' Ἀττικοῖς ὁ σκυτεύς, ἤγουν ὁ κοινῶς τζαγγάριος.

Cap. XIX.

De inchoatis ab V simplici; ac primùm vocali. Quorum aliqua retinent terminationem barbaram: ut ungenbodending, *pro eo, qui privilegio hoc gauderet, ut non posset in mallum sive judicium vocari. Alia exeunt more Romano: cujusmodi sunt ista.* Urtella, *pro principali judicio, quo controversia omnis deciditur.* Urpheda, *cautio de non vindicando.* Usarix, *vel* usseriæ *naves, quas belli caussâ in oras mitterent peregrinas.* Utlagus, *proscriptus. Quæ vero ab V consono incipiunt, ea vel scribi solent V simplici, vel per W. Prioris hæc generis sunt.* Valvator, *pro eo, cui coercendi jus summum.* Vandum, *vel* bandum, *pro vexillo.* Vanga, *pro ligone.* Vanna, *vel* vinna, *pro piscationis loco.* Vasallus, *pro cliente fiduciario.* Vastellum, *pro umbraculo, vel solio non portatili.* Vastrapes, *pro feminalibus.* Vernices, *pro gummi juniperi, quo illuminantur colores.*

NUnc me conferam ad incipientia ab V litera. Quorum alia initium capiunt ab V vocali, alia à consono. Posteriora hæc vel Romano V scribuntur, & vulgò efferuntur, ut F fractum: vel Germanico W, cujus sonus, ut in Germanico *wijn*, & similibus.

Primi quæ generis sunt, ea vel retinent barbaram terminationem, vel Romanâ commutarunt. Quæ terminationem retinent barbaricam, vix hujus sunt loci: eoque uno ero contentus exemplo. Hoc esto *Ungenbodending*. Germanica est vox, quæ signat privilegium, quo quis exemtus alienæ potestati vocandi in jus. Chronicon Laurishamensis cœnobii ad annum CIↃLXXI, in Donatione Udalrici Abbatis: *Ut familiam ejusdem curiæ ab omni gravedine, & molestiâ, immunem redderemus, à tribus principalibus mallis, qui vulgò Ungebodending vocantur, quibus ad curtim Lutershusen annuatim manniebantur; utrorumque consensu eam omnimodis absolvimus, soli prapo-* *sito in Aldenmunster, suisque fratribus, omni possessione, omni subjectione, omni functione perpetuò servituram.* Est origo à *bieden*, jubere; unde *ge-boden*, jussus; *on-geboden*, non jussus; à quo *un-ge-bodending*, conditio non obnoxii alienis jussis; ac propriè jussis alicujus malli, sive consessûs judicum civilis, hominem citantis.

Alia, uti dictum, Latinam terminationem habent. Quorum pauca subdam.

Urtella quid sit, docet Tassilo, Dux Bajoariorum, Karoli Mag. æqualis, Decreti sui, in quo Leges populares, §. IX: *Ut hi, qui Ducali manu liberi dimissi sunt, ad eadem cogantur judicia, quæ Bajoarii Urtella dicunt.* Est ea vox ex Germanico *urdeli*, pro quo alii *oordeel*. Id judicium notat, ac propriè principalem judicis sententiam; eam nempe, quâ tota quæstio deciditur, quæ fuit inter reum, & actorem. Est à veteri voce *deel*, hoc est, judicium, & *oor*, hoc est, magnus, excellens, præcipuus. Quæ significatio ejus vocis in multis compositis obtinet: ut in *oor-sack*, principalis res, hoc est, caussa, propter quam reo est. *oor-haen*, gallus sylvaticus major, *oor-konde*, notitia ex prima origine, & quasi rei totius fundamento: ac similiter in *oor-spronk*, *oor-log*, *oor-mondig*, atque aliis. Absque his esset, contenderem, *oor-deel* esse ex *oor*, auris, & *deel*, pars, portio: uti *deelen*, partiri, dividere: quia nihil æque judici congruit, quam, ut aurium alteram reservet reo. Quippe, ut a Syro Mimo dictum:

> *Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,*
> *Æquum licet statuerit, haut æquus fuit.*

Urpheda ex *ur*, pro *over*, hoc est, super, supra; & *veede*, vel *veet*, odium, inimicitiæ: pro quo & *vede*, & *vied*, dicitur. A *veide*, vel *feide*, Latinobarbari fecere *faida*, & *feida*: de quibus diximus cap. VII. A *vied*, est vulgatum *viand*, inimicus: pro quo & Germani à *feide* dicunt *feint*; non à φόνω, occido; nec à *fendo*, unde *infensus*, *offendo*, *defendo*. *Urpheda* est cautio de inimicitiis ponendis: cum nempe eâ aliquis conditione è carcere dimittitur, ut coram magistratu priùs juret, se velle sepelire omnes injurias, quas acceperat, vel sibi accepisse videbatur. Kilianus scribit, *oor-frede*, quasi *over-frede*; ac interpretatur, transactionem pacis, & securitatis juramento firmatam. Sic fuerit à *frede*, seu *vrede*, pax. Nec repugnarem, nisi *urfehr*, sine R, diceretur. Auctor Glossarii additi Clemangi tenet, priorem, vocabuli partem esse *ure*, quod, uti & Gallicum *heur*, ab *hora*. Nempe quia ipsâ horâ dimissionis id juramentum conciperetur. Sic sonaret vox *horam inimicitiarum*. Atqui non hora hostilitatis fuit, sed pacis. Dixeris, intelligi horam inimicitiæ ponendæ. Verùm non solet nomen imponi ab deteriori, quod fuit; sed meliori, quod succedit.

Usaria, *useria*, vel *usseria* naves, quæ sint, aut cur ita dicantur, non est apertum. Annales Monachi S. Pantaleonis apud Coloniam Agrippinam, ad annum CIↃCCIII, in epistola Comitis S. Pauli, de capta à Balduino Flandro Constantinopoli: *Deinde nos omnes armati intravimus naves usarias, & galeidas: quæ vasa navigio apta ducenta numero fuerunt, præter naviculas, & bargas.* Idem monachus ad annum CIↃCCXXIV: *Intimantes, quod Dominus Imperator* (Henricus Junior) *ad succursum terræ Sanctæ quinquaginta naves fecerit præparari, quæ Usseriæ nuncupantur, quarum magnitudo tantæ capacitatis erit, ut duo millia militum cum dextrariis suis, & omnium armorum suorum pertinentiis, & ad bella cum armis suis, in eisdem usseriis valeant transferri. Ad unumquodque usserium fiet pons, ut milites, si necesse fuerit, & adscensis dextrariis suis in navibus commodè, absque læsionis discrimine, per ipsos pontes valeant exire, quasi jam ordinatis aciebus in prælium processuri, & si opus fuerit, erectis velis intrare possint flumen Damiata, vel aliud aliquod flumen.* Doctissimus Marquardus Freherus opinabatur, vocem *usserius* corruptam esse è *lusorius*. Equidem scio, gladiatores nunc lusoriis pugnâsse armis, atque gladiis hebetibus; nunc decretoriis armis, gladiisque acutis. Sed profectò non militibus Damiatam, & ad Terram Sanctam,

ctam, ab Imperatore mittendis, lusorium aliquid in animo erat. Quare cùm naves istæ in terras adeò longinquas, dissitasque, mittendæ fuerint: quid si credamus, vocem esse ab Germanico *aus*, vel *ws*; pro quo Saxones *uth*, Belgæ *wt*, *uyt*; hoc est, *ex*, *extra*: ut *usseria* valeat exteræ, sive in exteras ituræ terras?

Utlagus, proscriptus, ab *ut*, sive *uyt*, ex; & Saxonico *laga*, lex; ut ad verbum signet *exlegem*. Matthæus Parisiensis ad an. cIↄ cc xl, in Charta David, filii Leolini, Principis Norwalliæ: *De cætero non receptabo utlagos, vel forisbannitos ipsius domini regis, vel baronum suorum, de Marchia in terra mea, nec permittam receptari.* Idem in Additamento Historiæ primo: *Conventionem inter eos factam, quod pro utlago teneretur.* Reg. Majest. sive Legg. Scoticarum lib. i cap. xviii §. iii: *Ille, qui sic permisit plegium suum damnum incurrere, & noluit venire ad plegium deliberandum à domino, ab illo die erit, utlagus, per totum regnum Scotiæ, ubicunque fuerit inventus.* Hinc *utlagari*, pro proscribi. Idem Parisius ad ann. cIↄ cc xv refert chartam libertatum à Rege Joanne concessarum: ubi sic loquitur Rex: *Nullus aut utlagetur, aut exulet, aut aliquo alio modo destituatur.* Ab eo *utlagatus*. Matthæi ejusdem Additamento primo: *Cum per conventionem illam utlagatus esset.* Item interdictum, quo quis proscriptus, *utlagatio* vocata, vel *breve utlagariæ*. Rex Joannes apud eundem ad an. cIↄ cc xiii, in charta, qua Archiepiscopo Cantuariensi, & aliis Ecclesiasticis, se satisfacturum promittit: *Interdictum, utlagatio vulgariter nuncupatum, quod proponi fecimus contra Ecclesiasticas personas, publicè revocabimus.* Et mihi Historiæ Additamento primo: *Ipse de utlagaria illa ei remissa, nullum breve Domini Regis recipere voluit.*

Hæc incipiunt ab V vocali. Venio ad orta ab V consono. Ubi prius pluscula afferam, quæ efferimus, ut V fractum, sicuti fit in *vinum*, *vidua*, *vallus*, & cæteris. Ac primò, tale est *valvasor*; quod legas in scriptoribus Germanicis, à Christiano Urstisio editis. Hotomanno is dicitur, qui summæ coërcitionis, non item nundinarum, & mercatus, jus habet.

Vandum, pro *vexillo*, quàm *bandum*, mavult Joan. de la Cerda in Adversariis sacris cap. xxxvi. §. xi. Movet eum, quòd sit à vinciendo. Sed mihi potiùs videtur esse à Germanico *binden*, vincire; unde iisdem *band*, vinculum: sicuti dictum cap. iii hujus libri. Præterea, ut ipse de la Cerda agnoscit, *bandum*, non *vandum*, est in omnibus libris. Quamquam non diffitear, V consonum, & B, facilè commutari; non apud Latinos modò, & Græcos; unde *Virgilius* Βιργίλιος, *Valerius* Βαλέριος, sed etiam cùm Hispanos, tum Germanos, ac Belgas. Sanè ejusdem originis sunt *bandum*, & Belgica hæc, *vaene*, *vaendel*, *vendel*; quæ & ipsa *vexillum* significant: unde *vaendrager*, qui Leoni in Tacticis κατ' λέξιν dicitur βανδοφόρος.

Vanga, ligo, vel aliud instrumentum rusticum. Gregorius lib. iii Dialog. cap. xiv: *Nam die quadam ad vesperum in horto monasterii fecit* (Isaac) *jactari ferramenta, quæ usitato nos nomine vangas vocamus. Dixit itaque discipulis suis: Tot vangas in horto projicite, & citius redite. Nocte verò eâdem, dum ex more cum fratribus, ad exhibendas laudes Domino, surrexisset; præcepit, dicens: Ite, & operariis nostris pulmentum coquite, ut mane primo paratum sit. Facto autem mane, fecit deferri pulmentum, quod parari jusserat, atque hortum cum fratribus ingressus, quot vangas jactari præceperat, tot in eo laborantes operarios invenit. Ingressi quippe fures fuerant; sed, mutatâ mente, per spiritum apprehenderunt vangas, quas invenerunt: & ab ea hora, qua ingressi sunt, quousque vir Domini ad eos veniret, cuncta horti illius spatia, quæ inculta fuerant, coluerunt.* Legas quoque in Actis S. Felicis † ad xiv Jan. *Cùm ibi maneret S. Felix, & hortum sibi excoleret, venerunt nocte, qui ejus olera raperent; & invenientes ibi vangas, totâ nocte, Lunâ lucente, laboraverunt.* Latinis, pro numero dentium, nunc *bidens*, vel *bipalium*; nunc *tridens*, vocatur: Germanis, *gaffel*, Belgis *vorke*: & ex Belgico isto conjectet aliquis, non tam *vanga* dixisse, quam *varga*. Sed libri omnes, ut arbitror, constanter habent *vanga*: quod conjecturam eam infringit. Sanè & glossæ nostræ in membranis exaratæ clarè præferunt: *Vanga, fossorium.*

† In Collect. Bollandi.

Vanna, vel *vinna*, locus, ubi piscamur verriculo, sive reti, quod verritur, trahiturque. Childebertus, Francorum Rex, in Pragmatico suo apud Aimoinum lib. ii de Gestis Francorum cap. xx: *Propterea, in honorem dominorum Sanctorum, cedimus nos fiscum largitatis nostræ, qui vocatur Isciacus, qui est in pagis Parisiorum, prope alveum Sequanæ, unà cum —— piscatoria, quæ appellatur Vanna, cum piscatoriis omnibus, quæ sunt in alveo Sequanæ.* Chronicon Laurishamense ad annum Iↄ cc lxxvii: *Tantis munificentiæ suæ beneficiis clementissimus Rex* (Karolus post-imperator) *piscationis concessionem in Rheno flumine, in loco cognominato Godenouva, infra finem, ut abbas, & fratres, licentiam haberent ad vinnam faciendum, & ad piscandum pro oportunitate Ecclesiæ, & stipendio ipsorum fratrum: & ut de silva, quæ ad illam villam adspicit,* (*cùm fructuosa nullatenus esse videretur*) *vinnam faciendi, vel emendandi haberent potestatem.* Origo incerta; etsi *vanna* accedat ad German. & Belg. *wammen*; quomodo dicuntur branchiæ piscium: & *vinna* sit vicinum Germanico, & Belg. *vinnen*, vel *vinnen*; quomodo dicunt piscium pinnas. Quid si igitur, quando vocabulum est Francorum, qui Germanicè locuti, dicamus piscationis loco nomen datum ex eo, quia, contineret pisces, qui pinnis aquas, ut aves pennis aera, tranarent? An potiùs, quia de piscatione cœnobiorum agitur, ex eo sit appellatio, quia monachi hic invenirent semper, quod ederent? ut sit à *vinnen*, sive *vinden*, h. e. invenire: quomodo ad verbum sit inventorium, seu repertorium. An, quod imprimis placet, fuerit ab ea significatione vocabuli *vinne*, qua notat cæsuram, incisionem? à quo & ulcus, quod est incisura, divisioque continui, *vinne*, & distinctiùs *bloedvinne* nominatur. Ita jus faciendæ vinnæ fuerit jus terræ incidendæ, & effodiendæ, ad faciendam lacunam capiendis piscibus idoneam. Ut optimè jus vinnæ faciendæ, & piscationis, conjungantur.

Vargus aliis scribitur *wargus*; de quo capite proximo.

Vasallus, vel *vassallus*, cliens fiduciarius, si Germanicæ sit originis, fuerit à *vasel*, hoc est, proles, quia sic *vasallus* domino suo obligetur, uti parentibus liberi. Sanè *faselen*, veteri Belgarum linguâ est patrare, sive liberis gignendis operam dare: *fasel*, Sicambris, ac Germanorum aliis, ἔμβρυον, fœtus dum utero gestatur, proles: *faselborse*: ἄμνιον, secundinæ, fœtûs involucrum. Magis interim placet, cùm antiquius sit *vassus*, quàm *vasallus*; hoc à priori venire, illud à Latino *vas*. Vide igitur, quæ libro proximo de barbaris origine Latinis dicemus.

Vastellum reperio apud Matthæum Parisium in vita Joan. xxiii Abbatis: *Electus etsi fuerit unus de ultimis novitius, in loco supremo illico statuetur. —— Solus in Refectorio prandebit supremus, habens vastellum, Priore prandente ad magnam mensam, quam Dais † vulgariter appellamus.* Ubi, quid *vastellum* sit, quæritur: umbraculum putabat vir egregius: sed de caussa nominis fatetur, non liquere. Quid si *vastellum* sit sedes solida, ac fixa, elegantiùs elaborata? ut sic opponatur sedibus vulgaribus nullius artificii, & quæ de loco in locum sunt portatiles. Quomodo *vastellum* ὑποκοριστικῶς dicetur à Germanico *vest*, sive *vast*, quod Anglis *fest*: ac notat firmus, constans, immobilis. Sed de istoc malim audire monachalem vitam professos.

† Ex Germanico dis. h. de quo alibi dicimus.

Vastrapes legas in Philoxeni glossis: ubi exponitur φιμινάλια. Atqui, ut Suidas ait, φιμινάλια, ἀναξυρίδες, βρακία. Feminalia igitur signari est apertum; præsertim quando & Rufinus in tralatione Josephi lib. iii Antiquit. cap. xi ait: *Primùm quidem induebatur manachasim,* (μαναχασείμ,) *quod constrictorium poterat dici. Est autem cinctorium circa femora subtile, ex bysso contorta contextum,*

textum, ingredientibus per eum podibus, velut de vastrapis. In editione Coloniensi Cervicorni est voce unâ *devastrapis*. Sed divisum rectè est in Ms. nostro Rufino. Græcè est, ἰμβαινόντων εἰς αὐτὸ τῶν ποδῶν, ὥσπερ ἀναξυρίδας. Non displicet, quod corruptum censent ex *vestipes*; eò quòd ut femorum, sic pedum esset tegumentum. Saltem malim sic dici, quam quasi festras, sive fenestras pedum: quod summo cuidam viro placuit.

Vernicis vocabulum veteribus est ignotum. Nunc plurimæ gentes sic appellant gummi juniperi, quod pictoribus in usu est ad illuminandos colores. Ac viri eruditi putant, sic vocari, quasi vernum rorem: nempe quia tempore verno, fluere è junipero solet; teste etiam Jul. Scaligero in secundum de Plantis. Sed veram originem attulit maximus Salmasius in exercitationibus Plinianis ad Solinum*. Nempe est ex βερνίκης, βερνίκη, sive βερονίκη: quìs Græcobarbari pro succino usi sunt. Quomodo Myrepsus de Antidotis cap. CCCXXVII: Βερονίκης, κοραλλίου: hoc est, *Succini, corallii.* Nicomedes: Ἤλεκτρον πτερυγοφόρον, βερνίκιν. Idem: Βερονίκη, ἠλέκτρου εἶδος μα.

* Paginâ 1100.

Cap. XX.

A Germanico W initium est istis. Wacta, *pro vigiliis.* Walapautz, *pro immutatione vultus, aut habitus, in fure, vel latrone, ne agnoscatur.* Walaworf, *indumenti, vel ornamenti dejectus de capite virginis.* Wancluga, *pro fraude, ac mendacio, non stantis connubio promisso.* Wannagium, *vel* wainagium, *pro habitaculo.* Wantus, *pro chirotheca.* Wapintakium, *vel* wapentagium, *pro parte Comitatus, centum habente fidejussores Regios.* Waranio, *pro equo militari, vel eo qui septo inclusus pascitur, ac servatur.* Warda, *vel* garda, *custodia nobilium orphanorum; ut* garda-roba, *vestium.* Wardea, *vel* wardia, *custodia, vel præsidium militum.* Warengangi *pro iis, qui è terris longinquis venerint in ditionem aliam.* Warenna, *παράδεισος, seu vivarium.* Warentem *vocari, obligatum ad alterum auctoritate suâ defensitandum. Uti* waranda, *vel* warenda, *ipsa ad tuendum obligatio. Unde* warandare, *&* warandatio. Wargus, *pro extorri, vel etiam latrone.* Warnitus, *pro abunde instructus.* Wehading, *pro conventione de singulari certamine.* Werdunia, *pro æstimatione; à quo* cinewerdunia. Were, *weregildus.* Werra, *pro bello.* Wicus, *pro refugio: unde* wicgrevius, *luci præfectus, &* Wiccii, *Angliæ populus.* Wilz, *pro equo, qualem sibi velint mediocris fortunæ homines.* Wirgildum, *vel* wergeldus, *pretium quod compositione juridiciali persolvitur. Cujusmodi compositio apud Germanos in quovis habuit crimine locum, præterquam illo læsæ majestatis.* Widerboran, *pro donato libertate.* Widimo, *pro dote.* Wifa, *pro signo rei apposito: unde* wifare, guifare, *vel* hiufare, *pro signum addere.* Winchilsul, *columna angularis: cui opponitur* firstsul, *culminis columna.* Wittiscalcus, *minister publicus, à quo mulcta exiguntur.*

HActenus attuli barbara, ab illo V consono incipientia, quod effertur, ut V fractum. Deinceps producam, ubi sonet, ut Germanorum W, ac fere sic scribatur.

Wacta, vigiliæ, à Germanico *wacht*, pro quo olim *wachta*: quod apud Otfridum Euangel. lib. IV cap. XXXVII. Utrumque à Germanico *wachen*; pro quo Saxones, & Belgæ, *waken*. *Wacta* habes in Capitul. Karoli M. & Ludovici Pii lib. III cap. LXVIII: *Nec pro wacta, nec de scara —— heribannum Comes exactare præsumat.* Id verò esse, quod dicebam, satis docet Ludovicus Imperator in præcepto concessionis factæ Hispanis, qui ad se confugerant: *Explorationes, & excubias, quod usitato vocabulo wactas dicunt, facere non negligant.* Clarum etiam sic fuit in Admonitione Karoli ad Pistas*: *Et in civitate, atque marcha, wactas faciant, ad defensionem patriæ.*

* Tit 31. cap 27.

Wadium, vel *guadium*, unde *wadiare*, in barbaris Latinæ originis interpretabimur. Nec enim adsentio Vito Amerpachio †, qui ejusdem hæc originis esse arbitratur, ac Germanicum *wat*, pro corporis indumentis: ut in compositis *leinwat*, *niderwat*, *bergewet*. Nihil sanè ad ista *wadium*, quod *pignus* significat; ut tum planius faciemus.

† Notis in Constitut. Karolinas pag. 290. edit. Moguntinæ an. 1602.

Walapauz, vocabulum esse minimè Romanum, etiam ex terminatione liquet. Est verò vox Longobardica; quam usurpat, & exponit, Rotharis rex lib. I Legum Longobard. tit. XV. leg. V: *Siquis homini libero violentiam injustè fecerit, id est, walapauz, LXXX solid. ei componat. Walapauz est*, dum quis alienum furtivum vestimentum induit, aut si caput latrocinandi animo, aut faciem, transfiguraverit.* Si propriè sit, cùm latro, ne agnoscatur, caput, aut faciem, immutat; cum Lindenbrogio dixeris, esse à *wala*, caput, & *pautzen*, polire, ornare. Sed si potiùs notat totius habitus immutationem, eoque fine institutam; fuerit fortasse prior pars *wale*, hoc est, externus, exoticus; ut propriè signet vestitum externum, seu peregrinum. Nempe ex eo, quòd pro *peregrinari* Germ. ac Saxones, dicant *walen*, *waelen*, *wallen*. Nisi potiùs, à Gallis, qui Germanis *walen*, peregrina omnia dixere *wals*, aut *wels*, quasi *walonica*: quomodo & *Wallia* in Britannia nomen datum ab Anglosaxonibus, & *Walachia* ad Danubium à Germanis.

* Arbitror, istam vocabuli interpretationem non tam esse à Rothare Rege; quia nihil opus erat eum Longobardicam vocem Longobardis suis exponere; quàm à Carolo Magno esse appositam, ut etiam à Francis suis intelligeretur. Nisi malis, e libri margine irrepsisse in sermonis contextum.

Walaworf etiam terminatione suâ barbariem prodit. Quid sit, docemur legibus Bajuvanorum; quarum tit. VII leg. V, inter injurias liberæ illatas, & earum pœnas, habes: *Si discriminalia ejecerit de capite (walaworf dicunt) vel virgini libidinosè crines de capite extraxerit; cum XII sol. componat.* Sed aliquibus in libris est *wultworf*; aliis *waturft*, ut editum Sichardo. Utcunque legas; posterior pars vocis est *worf*, jactus, dejectio; à *worfen*, sive *werpen*, jacere, dejicere. Sed si *walaworf* placet; prior vocis pars erit *wala*, hoc est, caput: quod ipsum sic ob figuram globosam dicitur à Germanico *wallen*, vel *wellen*, id est, volvere, volutare. Quomodo etiam Polonis caput *glouwe*, hoc est, globus: & Belgis *bolle*, quod idem notat; unde *stoot-bollen* idem ac *stoot-hoofden*, infestis capitibus concurrere, arietum instar. Sin rectum *wultfort*; princeps pars sit *wult*, hoc est, capitis tegumentum. Nam *wult* a *wala*; de quo dictum. Nisi malis, ob arcuatam figuram, sic dici à Germanico *welven*, fornicare, arcuare; unde *welffel*, fornix, arcus, testudo, camera. Sin *watworf* præfers; sit à *waet*, hoc est, *ge-waet*, vestis, indumentum; unde compositum *lijn-waed*, linteum, & *waed-sack*, saccus vestium. Utcunque legas, obscurum non est, de iis agere legem, qui vi de capite virginis dejecerint indumentum, vel ornamentum.

VVancluga quid sit, docemur Bajuvariorum L L. tit. VII cap. XVII: *Siquis liberam feminam suaserit, quasi ad conjugem, & in via eam demiserit, quod Baijuvarii VVancluga vocant.* Videtur esse à *wancken*, (quod idem ac *wackelen*, hoc à *vacillare*) & *lugen*, vel *logen*, hoc est, mendacium. Ut *wancluga* sit mendacium vacillantis in negotio matrimonii. Nisi malis, priorem partem esse veterem vocem Germanicam *wanck*, hoc est, momentum; unde fortassis *wanken*, de eo, qui penè momentis singulis immutatur. Sed de posteriori parte etiam scrupulum injicit editor Clemangis. Nam pro *wancluga*, (uti habet non Lindenbrogiana modò editio; sed etiam antiquior illa editoris anonymi) *wanclugt* mavult, atque esse id a *waen*, hoc est, opinio, & *clucht*, quod facetias notat, & alia ridicula, ac jocularia. Sic significet deceptionem facetam, & ridiculam. Mihi istiusmodi fraus in sancto conjugii negotio non jocularis ac faceta; sed improba ac scelesta, videtur. Quare convenientior fuerit appellatio; si, ut dicebamus, posterior pars sit *logen*, h. e. mendacium: quod est à *liegen*. Id tum notat distare, dissidere; quomodo, *het liecht veel*, idem valet ac, *het verschilt veel*: tum significat deesse, deficere; ut in illo, *het liegt aen u*, pro, *het schort aen u*. Cæterùm mollius visum, si mentientem dicerent

cerent dissidere à vero, vel deficere in sermone: eoque primitus nec elegantiores refugerunt, *gy liegt*: quasi dicerent, aberras à vero. Nunc autem, quia cogitatur, non quid vox sonet, sed quale crimen impingatur; nihil ea voce odiosius factum. Ut verò à *vliegen*, *volare*, dicimus *gevlogen*, de eo, quod volavit: sic à *liegen*, mentiri, dicimus *gelogen*, de eo quod quis mentitus. His non institissem, nisi viderem, viris eruditis placere, *logen* esse a *logi*, vel λόγοι, vel à *Ligurum* vanitate; quia omnes esse fallaces, ac mendaces, a Catone in Originum secundo, Nigidio item Figulo, proditum est; Servio teste in illud XI Æn. *Vane Ligur*.

Wannagium, habitaculum, ædificium, domicilium, à Germanico *wonning*, vel *waoning*, quod a *woonen*, habitare. Charta libertatum a Joanne Rege concessarum, apud Matthæum Parisium ad an. clↄccxv: *Liber homo non amercietur pro parvo delicto, nisi secundum modum ipsius delicti; & pro magno delicto, secundum magnitudinem delicti; salvo contenemento suo. Et mercator eodem modo, salvâ marchandisa suâ. Et villanus* alterius, quam noster, eodem modo amercietur; salvo wannagio suo, si inciderit in misericordiam nostram.* Legas & *wannagium*; ut in literis Henrici III de Collectione quadragesimæ mobilium Regi concessarum, in an. clↄccxxxII: *Videlicet de bladis, carrucis, ovibus, vaccis, porcis, barracis, equis carrettariis, & deputatis ad wannagium in maneriis.* Clarissimus Guilielmus Watsius putabat, hic potius sumi pro colonorum plaustris, atque aratris; esseque originem a *waine*; prout Anglis dicitur plaustrum longius, & quadrirote.

* Forte, Et tam villanus.

Wantus, chirotheca, qualis etiam æstate in usu. Vide quæ in *Muffula*, cap. XII dicebamus. Robertus Comes, & Abbas S. Martini, anno VII Odonis Reg. *Reddimus Dociacum, admoniti, ad ejus sepulcrum veniens†, per guantum nostrum.* Significat, redditionis symbolum fuisse wantum, sive guantum; cujusmodi traditionis symbola etiam erant festuca, fustis, anulus, culter cum cespite & festuca. De quibus Clarissimus Bignonius, ad Marculfi Formul. lib. I cap. XIII.

† Pro venientes, vel cùm veniremus.

Wapintakium, vel *wapentagium*, quid sit, ex parte dictum cap. IX in *Hundredum*. Nempe Angli Boreales ultra Trentam fluvium, sic vocarunt, quod alii *hundredum*, vel *cantredum*. Originem nominis nemo accuratius exposuit Rogero de Houeden Annalium parte posteriori in Henrico II*: *Angli vocant wapentagium, & non sine caussa. Cum* (novus wapentagii præfectus) *accipiebat præposituram; wapentagii die statuto, in loco, ubi solent congregare omnes majores natu, contra eum conveniebant, &, descendente eodem de equo suo, omnes adsurgebant ei. Ipse vero, erectâ lancea ab omnibus, secundum morem accipiebatur. Omnes verò, quotquot venissent, cum lanceis suis ipsius hastam tangebant: ut se confirmabant per tactum armorum, pace palam concessa. Anglicè autem arma vocantur* wapne: *& taccare, confirmare, quasi armorum confirmatio: vel magis, ut expressè secundum Anglicam linguam dicamus,* wapentac, *armorum tactus, quod per tactus armorum suorum confœderati sunt ad invicem.*

* Pag. 607. edit. Francofurt. an. 1601.

Waranio est in Lege Salica tit. XL, leg. II, & IV. Titulus est, *de caballis furatis*. Lex prima, de caballo, qui carrucam trahit. Altera, de waranione, quem quis homini Franco sit furatus. Tertia, de caballo spadato, sive castrato. Quarta, de waranione Regis. Ex titulo, & istac legum serie, satis apertum arbitror, veranionem esse equum. At cujusmodi sit equus, ex etymo indagandum. Dubium verò, utrùm sit a Germanico *warre*, seu *werre*, h. e. guerra, sive bellum; ut propriè sic dicatur equus bellicus: an potiùs sit a Germanico *waeren*, h. e. custodire; a quo *warand*, custodia, & particulatim vivarium, septum intra quod nutriuntur, & custodiuntur equi, aliaque animalia. Posterius firmat Gemmæ Vocabularium; ubi est; *Varandia, een bescherme, een beschuddenisse, ofte een warande. Varandizare, waranden, beschermen.* Quomodo significabit equum, qui alitur in *waranda*, sive roborario, aut vivario. Sanè malim alterutro interpretari modo, quàm equum integrum; uti à Goldasto factum, &, qui ejus insistere vestigiis amat, Clemangiis editore.

Warda generatim significat custodiam à Germanico *waerden*, pro *waeren*, vel *bewaeren*, custodire. Particulatim verò designat custodiam, ac curam, nobilium orphanorum. Matthæus Parisius in an. clↄxxxIV: *Quia puellam de Britannia, & sororem vestram, habent sub potestate sua, & alias plures puellas nobiles, & alias mulieres nobiles, cum wardis, & waritagiis, quas dant suis, & disparagant.* Pro quo *garda* est in Additamento Historiæ II: *Si attraxerit sibi terras, maritagia, vel gardas, sine adsensu regis.* Nempe quia Galli non habent W, eo pro illo vel GV, vel simpliciter G, reponunt. Habet & *garda* custodiæ significationem, cùm pro vestiario sumitur. Est enim locus, ubi adservantur vestes: atque id *garda-roba* Gallis, ad verbum custodia vestium, quia *robbe*, vestis. Utitur Matthæus Parisius ad an. clↄccxLV: *Papa camera, quæ conclave, id est, guarda-roba dicitur, cum omnibus, quæ in iis continebantur, combusta est.*

Wardea, vel *wardea*, præsidium militare, ejusdem est originis ac *warda*, sive *garda*, de quo proximè dictum. Nempe à *waerden*, custodire. Pro *wardea* Angli *werde*; Galli, *garde*; Belgæ, eorum exemplo, *gaerde*. Legg. Wisigothicæ lib. IX tit. II leg. IX, quæ est Ervigii Regis: *Nec in wardia cum reliquis laborem sustineat; nec aliquem utilitati publicæ præfectum exhibeat.* Kapitular. Caroli & Lud. lib. III. cap. LXVIII: *Ut non per aliquam occasionem, nec pro wacta, nec de scara, nec de wardea, nec pro heribergare, nec pro alio banno heribannum Comes exspectare præsumat.* Vide & quæ de guardia cap. VIII dicebamus.

Warengangi, est in Legg. Longobard. lib. III. Tit. XV; qui est de Advenis: *Omnes warengangi, qui de exteris finibus in regni nostri finibus advenerint, seque sub scuto potestatis nostræ subdiderint, legibus nostris Longobardorum vivere debeant.* Posterioris pars vocis est à Germanico *gangen*, pro *gaen*; unde *ganger*, viator. Prior pars est *varne*, pro *verre*, longe, procul: ut signet eos, qui è regionibus externis accesserunt. In Glossario exponitur, qui non morantur in loco: ut qui huc illuc excurrunt. Sed simpliciter advenas intelligendos, fidem fecerit titulus memoratus. Quare nec a *weer*, hoc est, *rursum*, esse arbitror; quasi significaret, euntes, ac redeuntes, sive ultro citroque commeantes.

Warenna, vel *garenna*, ex Germanico *warande*; quod primò, proprieque, notat custodiam, à *waeren*, sive *bewaeren*, custodire: particulares verò significationes habet complures: in his illam, quâ sumitur pro loco septo, ubi feræ, animantiaque custodiuntur, & adservantur; qualis Græcis παράδεισος, Latinis dicitur *roborarium*, *leporarium*, *vivarium*; ut apud Agellium est lib. II cap. XX. Matthæus Parisius in Henrico III ann. clↄccxL: *Abbates S. Albani licentiam venandi ad tempus concesserant in liberâ warenni S. Albani.* Usurpat quoque Rex Henricus in brevi, sive processu; qui subjicitur. Ac similiter idem Parisius ad an. clↄccxLVIII.

Warentem dixere eum, qui alteri obstringeretur ad evictionem præstandam. Leges Longobardicæ lib. II Tit. XXVIII. §. V. *Si quis equum suum, vel cætera animalia, sive rem suam, super aliquem repererit, & ipse warentem dare dixerit; statim juret, ut ad certum warentem eum conducat: & super tertium warentem, & tertium comitatum, non procedat.* Dubium, sitne origo à *waren*, custodire; an *weren*, defendere. Ab illo participium *warend*, custodiens: ab hoc *werend*, tuens, defendens. Accusativus casus, *warentem*, vel *werentem*, vel etiam *warantum*: ut Reg. Majestat. sive legg. Scoticis lib. I cap. XXI, XXII, XXIII; ubi docetur, si emtor in judicium vocetur; warantum, sive venditorem ejus, tempestivè ab eo advocandum, quò in caussa adsit emtori: nec opus esse, ut hoc significet venditoris fidejussori. Quòd si emtor neglexerit

xerit

xerit warantum suum advocare; nihil debere warantum, qui se possit excusare eo, quòd denunciatio sit omissa. Si verò warantus ad eum provocârit, à quo ipse acceperit, & ille item ad alium, ac iste item porro: ad quartum posse warantum, nec ulteriùs, recurri. Hæc satis, quid *warantus* sit, docent. Similiter *warenta*, *warenda*, *waranda*, vel *warandia*, obligatio ad accommodandam alteri suam in tuendo illo auctoritatem. Speculum Saxonicum lib. I artic. XV: *Si warandam emtionis suæ producere potuerit, ipse eas cum juramento duorum obtinebit: nisi per defectum in testibus, sive in waranda, succubuerit.* Atque hinc *warandare*, pro alteri accommodare suam auctoritatem; item, tueri, patrocinari. Ex eo quoque verbale *warandatio*. In eodem Jure Saxon. lib. I artic. IX: *Quisquis alteri ante resignationem, & infeudationem, bonorum possessionem tradiderit, ipse ejusdem debebit esse warandator, quotiescunque warandatione indigere contigerit.* Formula warandationis talis esse solet; ut ex chartis liquet antiquis: *Et ego, & hæredes mei, prædictas terras prædicto N. contra omnes gentes* (vel, *contra omnes homines**, *& feminas*) *warantizabimus, & in perpetuum defendemus per præsentes.* Sed Galli, pro W Saxonico, solent usurpare G. Itaque pro *warantizare* dicunt *garantizare*. Sicut & pro *warandium*, *garandia*. Vide de his plura in Verbis *garantizare*, & *warantizare*.

Wargus, seu *vargus*, vocabulum à Germanis acceptum, notat profugum, & extorrem. Lex Salica tit. LVII, §. V: *Siquis corpus jam sepultum, effoderit, aut exspoliaverit, wargus sit, hoc est, expulsus de eodem pago.* Legis Ripuariæ tit. LXXXVII, §. II: *Wargus sit, hoc est, expulsus.* Quia verò extorres isti, eo quòd, unde viverent, non haberent, raptu & latrociniis, se sustentabant; ut in Italia solent, qui *banniti* dicuntur: hinc factum, ut per wargos, sive vargos, etiam intelligerentur latrones. Sidonius lib. I epist. IV: *Feminam, quam fortè vargorum (hoc enim nomine indigenas† latrunculos nuncupant) superventus abstraxerit.* De etymo variè Martinius*; sed incerta: nempe, ut quibus otium est, cogitent certiora.

Warnitus, rebus necessariis instructus, à Germanico *waeren*, seu *bewaeren*, servare, conservare: ut *warnstur sit wel bewaert:* hoc est, paratus, ornatusque ab omnibus necessariis. In Constitut. Caroli tit. XXVI, Annunciatione Domni Ludovici Regis apud Confluentes cap. VI: *In hostem, vel ad placitum, sive ad curtem veniens, de suo sit warnitus, & de domo suâ moveat, ut cum pace venire, & nobiscum stare, & ad domum suam redire possit.* Sic tit. XLIII cap. XXV: *Nobis in adjutorium, prout citiùs potuerint, veniant; & ad hoc omnes semper warniti sint.*

VVebading, sacra sponsio est singularis cum aliquo certaminis. Posterior vocis pars *ding*, h.e. sponsio, contractus. Nempe ab ea significatione vocabuli *ding*, qua veniunt inde *dingen*, licitari; *bedingen*, condicere, pacisci. Prior pars est *weha*, pro quo alii *weihe*, Belgæ *wie*, id est, sacer; unde thus, *wie-rook*, q.d. sacrum fumum; *wie-water*, aqua lustralis, & alia. Lex Bojoar. tit. XI leg. V: *Spondeant invicem webeding.* Et in decreto Tassilonis, ducis Bojoariot. §. X: *Potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare, si voluerit, antequam pugnam, quæ webading dicitur, permittat.*

VVerdunia fuerit pretii æstimatio, à Germanico *werdung:* pro quo Belg. *werderinge*. Sunt ea à *weerderen*, ære æstimare, censere. Unde *weerdein*, præfectus rei monetariæ: nempe quasi *æstimatorem* dicas. A *werdunia* verò est *cinewerdunia*, in Legg. Ripuar. tit. XXXIII, qui est de re intertiata, leg. II: *Ut cinewerduniam suam in præsentia testium recipiat, & ei, qui rem suam intertiavit, probabiliter ostendat.* Sed difficile dictu, quid hic valeat prior pars vocis, quæ est *cine*. Vir optimè de L.L. antiquis meritus suspicatur, hic loci legendum, *Ut sine werdunia suum recipiat.* Sed quid fiet locis aliis, ubi, ut sic legamus, structura, aut sententia non sinit? Ut in iisdem L.L. tit. LXXII, qui est de homine intertiato, leg. III, *Cum furto, seu cinewerdunia.* Et ibidem leg. VI, ac VII, *De cinewerdunia restituat.* Et agnoscit vocem Glossarium Latino-Anglico-Saxonicum: ubi est, *Quaternio, Cinewerdunia.* Sed hic item obscurum, cujus intelligatur quaternio; num weregildi, an alterius rei.

VVere κατ' ἀποκοπὴν pro *weregelt* dixisse videntur. Guilhelmus Normannus Angliæ rex in Legg.* *were suum*, id est, *pretium redemtionis suæ solvat.* Vide inferiùs *VVirgild*.

VVerigeldus quid sit, itidem in *wirigildus* mox exponam.

VVerra, dissidium, bellum. Constitut. Karoli Calvi tit. XXIII, epistolâ episcoporum ad Ludovicum Regem cap. XV: *Rixas, & dissensiones, seu seditiones, quas vulgus werras nominat.* Et tit. XLIII, apud Carisiacum cap. XIX: *Si werra in regno surrexerit, quam Comes per se comprimere non possit, filius noster cum fidelibus nostris eam quantocius comprimere studeat.* Similiter Matthæus Parisius: *VVerra, quæ XVII annis sævierat.* Qui & *werrinam terram* vocat hostilem, sive quicum bellum gerimus: ut in Charta libertatum R. Joannis ad an. CIↃCCXV: *Omnes mercatores, nisi publicè prohibiti fuerint, habeant salvum & securum exire de Anglia, & venire in Angliam —— præterquam in tempore werræ, & si sint de terra contra nos werrina: & si tales inveniantur in terra nostra in principio warræ, attachientur sine damno corporum, vel rerum; donec sciatur à nobis, vel à capitali justitiario nostro, quomodo mercatores terræ nostræ tractentur in terra contra nos werrina.* *VVerra* planè est à veteribus Germanis, qui dicebant *werre:* ut apud Otfridum lib. V Euangelii cap. XX: *Spuanni ci gewerre.* Hoc est, incitare ad prœlium. Nam *spania*, suadere, adhortari. Kæro: *Suademus, spanames.* Pluraque inibi, quæ hoc firment. Hinc *werrire*; de quo in Verbis origine barbaris. Galli, & alii qui W nesciunt, maluere *guerra*. Itaque apud Ivonem epist. XX in nonnullis quidem Mss est, *werram se facturos*; in aliis autem *guerram*. Uti & apud Abbatem Urspergensem in Lege Frederici Imper. libri alii habent, *pro guerra propria*, alii *werra*. De *guerra* abunde dictum cap. VIII.

VVijk putant esse à Latino *vicus*; ut *wijn* à vinum, *willen* à velle, & similia. Sed *wijk* potiùs est à *wijken*, cedere, refugere. Nam *wicus* Germanis extenditur ad multa, quò perfugium esse solet. Ut ad propugnaculum, quod dicitur *wijc-huys*. Item ad lucum, qui locus ab hominibus remotus. Bajuvariæ L.L. Tit. XXI. §. VI: *Si verò de minutis sylvis, de wic, vel quocunque cancio, vegetum reciderit.* Video in editione eâ, quæ formâ minutâ absque præfatione editoris, aut typographi nomine, prodiit, pro *wic* reponi *luco*, ut pro *cancio*, *kabeir*. Sed de *luco* est ex glossemate. Nam *wige lucum* signare, etiam liquet ex Otfrido Euangelii lib. IV cap. XVI, & XVIII. Nempe quia in lucos refugium esse solet. Notum de asylo Romuli. Atque hinc, qui Græcis ἀλσοφύλαξ, Germanis *wicgreve*, quasi wici Gravius, hoc est, luci Comes, seu præfectus. Nam *grevius*, seu *gravius*, qui præsidis ac judicis dignitate esset præditus; ut diximus cap. VIII. Denique quia in tempestate perfugium esse solet in sinum maris, vel ostium fluminis; hinc pro istis etiam *wijk* Danis sumi videas. Quod non potuit ignorare Saxo Grammaticus, cùm lib. VII sic scribit: *Hako in portum, qui Danicè Herwig (Latinè exercituum sinus dicitur) classe collatâ militem exponit.* Sic *Slesvicum*, Slesvicensis ducatûs in Jutia caput, à *Slia* amne, & *wick*; quia mare istic incurvis decurrit litoribus*. *Kentvic*, sive *Kentwicum*, Belgicæ† emporium, ex *Kent*, *Quantia*, vel *Kentia*, & *wick*; quia situm ad sinum, vel potiùs ostium *Kantiæ* fluminis in Artesia. Nec in compositione solùm hæc superest significatio; sed etiam derivans. Sic in Anglia incolæ Comitatus Wigorniensis, tempore Bedæ dicebantur *VViccii*, à sinuoso amne Sabrinâ, quem accolunt. Nisi nomen id à salinis, quæ veteribus Anglis *wiches*. Utrumque etymon adducit in Britannia sua Cambdenus*.

* *Sic puto formulam fuisse primitus conceptam; sed postea ab iis immutatam, qui nescirent, hominem hic pro viro sumi; ut posterioribus seculis solet, ac in Gallica etiamnum obtinet lingua. Diximus de hoc Theologiæ Gentilis, & Physiologiæ Christianæ lib. 3 cap. 48.*

† *F. indigenæ. Nec alterum tamen damnem.*

* *In Etymologico.*

* *Apud Rogerium Hovedenum Annal. par. post. in Henrico 2.*

* *Joannes Adolphus Cypræus Histor. Slesvic. cap. 2.*

† *Joannes Bollandus in Actis Sanctorum, ad 7 Ian. in vita S. Canuti Lawardi §. 7. Meminit & Quantiæ fluminis is qui vitam scripsit Austrebertæ virginis, apud Surium ad 12 Febr. Vulgò dicitur* Canche.

* *Pag. 455 edit. Londinensis an. 1590.*

VVilz quid veteribus Bajuvariis notârit, indicant eorum Leges Tit. XIII cap. X: *Si mediocris fuerit* (equus) *quem VVilz vocant.* Videtur esse à *willen*, hoc est, velle; quia sic diceretur equus, qui ut non esset optimæ notæ, non tamen malæ foret; eoque à multis, sed minoris fortunæ, expeteretur.

Wirgild, vel *widrigilt*, sive *wiregildus*, vel *wirgildus*, vel *werigeldus*, aut *werigeldum*, ad verbum notat reciprocam compositionem, à Germanico *wir*, hoc est, iterum, denuo, rursus; & *gild*, vel *geld*, significante pretium. Unde Papias: *Wirgild, secundùm quod appretiatum fuerit.* Nec absurdè tamen illustris Comes Hermannus Niuvenarius, in dissertatione de veterum Francorum sedibus; ubi putat, priorem vocabuli partem esse *weren*, hoc est, defendere: quia hoc pretio aliquis se redimit. Saltem istoc verisimilius videtur, quàm ut sit à *ver*, hoc est, vir, & *gelt*, pecunia: q. d. hominis pecunia: ut Skenæus adnotavit ad illa Legum Scoticarum verba lib. IV cap. XIX: *De unoquoque fure per totam Scotiam est Wergelt* XXX *vacca, & una juvenca.* Sumitur verò pro ejusmodi pretio, quod compositione juridiciali persolvatur, sive ob hominem occisum, sive ob aliud grave delictum. Nec enim homicida, vel alius enormis sceleris reus, dummodo non foret crimen læsæ majestatis, morte id expiabat, sed pecuniâ multabatur: cujus pars Principi; pars iis cedebat, quibuscum compositionem inire cogebatur. Unde Tacitus libro de moribus Germanorum: *Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quàm amicitias, necesse est. Nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum, ac pecudum numero; recipitque satisfactionem universa domus.* Atque hoc ipsum etiam leges Bajuvaricæ confirmant. In quibus est titulo II cap. I. §. III: *Ut nullus Bajuvarius alodem, aut vitam, sine capitali crimine perdat: id est, si aut in necem consiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit, aut civitatem capere ab extraneis machinaverit; & exinde probatus fuerit: tunc in Ducis sit potestate vita ipsius, & omnes res ejus, & patrimonium.* Unde restringi debet, quod alibi in iisdem legas: *Nulla sit culpa tam gravis, ut vita non concedatur.* Excepto igitur crimine majestatis, omne delictum æstimabatur weregildo, sive mulctâ pecuniariâ. In cod. legum Longobardicarum Lugduni edito an. CIↃ IↃXII *guidrigilt* scribitur †, vel *guldigrilt**. Quod jam monitum ab amico, cui eum codicem donâram ante hos annos XXX. Qui plura hac de voce volet, eum adeat in glossis ad Clemangem. Item Antonium Augustinum in notis ad Pœnitentiale Romanum, Tit. IV de Prædatoribus ac Furibus cap. XVII. ubi legas: *Pretium tuum, id est, wireldum tuum.* Sed vitiose; cùm *wirgildum* sit scribendum: uti est non semel in capitulis Karoli M. & Ludovici Pii. Ac similiter Burchardus lib. VI cap. XI, & Ivo Carn. parte X cap. CXL decr. ex Concil. Tribur. cap. IV. Etiam usurpat Speculum Saxonicum lib. I articul. VIII: *Testimonium praconis vice stat duorum. Ejus etiam emenda, & werigeldus, duplex est, secundùm ipsius nationem, habito respectu ad id tempus, quo in praconem fuit electus.* Ubi pro *werigeldus* Germanicè est † *wehrgelt.* Similiter ejusdem libri artic. LXV*: *Qui etiam aliquem, actionem injuriarum passum, judicio exhibere promiserit, si id facere nequiverit, cum suo absolvetur verigeldo; & per hoc juri non derogat suo. Verigeldus post tres menses à tempore ejus acquisitionis persolvetur.* Ubi itidem German. † *werhgelt.*

† Pag. 9. a. pag. 11. a. & 12. b.
* Pag 87. a.
† Fol. 35. b.
* Fol. 160.
† Pag. 161. b.

Widerboran, propriè est renatus; ex *wider*, iterum, & *boran*, natus; Belgis *weder-geboren.* Sed sic dixere donatum libertate, quia quodammodo renascitur, qui è servo fit liber. Legg. Longobard. lib. II tit. I leg. VIII: *Liberam thingare, & sic facere liberam, quod est widerboran.*

VVidimo, vel *vittomon*, vel *weotomon*, dotem significat. Glossar. Latino-Theotiscum: *Dos, widimo.* Ita Willeramus, monachus Fuldensis, paraphrasis Cantici Cant. extremo cap. III*, ait, Christum sibi Ecclesiam despondisse *mit themo withemo sines hilligan bluodes*, hoc est, dote sui sancti sanguinis. Posui, ut est in editione Merulæ. A qua paullùm in ὀρθογραφίᾳ abit vetustus noster Mstus, qui habet: *mit demo widemen sines heiligen bloutes.*

* Pag 55. edit. Raphelengianæ.

VVifa, à Germanico *wip*, quo notatur signum rei appositum, sive ut eam esse venalem significetur; quomodo titulus prædio additus indicio est illud venditioni exponi; hedera item vini venalis esse signum solet: sive etiam aliâ de caussâ adjungatur, veluti, quòd quis rem sibi vindicet, ut justo possessori. Legg. Bojor. Tit. IX cap. XII, & Longob. lib. III Tit. III. Leg. VI. Hinc *wifare*, vel *guifare*, pro *signum apponere*, Longob. Legg. lib. I. Tit. XXVII Leg. VIII. & lib. III Tit. III leg. VI. Glossæ veteres ad illa verba Rubricæ Cod. ut nemo privat. &c. VEL A REGIA SUSPENDAT. —— *Quod vulgo, Longobardico more, guiphare dicitur, apud nos saisire, quod linguâ vulgari eyden.* Pro *guifare* etiam dicebant *huifare.* Karolus Magnus Constit. cap. VII: *Per publicam autoritatem domus, vel casa eorum, hiusentur.* Vitus Amerpachius, notis ad eum locum, *hiusentur* exponit *arrestentur*, ac censet esse ab Germanico *husa*, hoc est, prædio; quomodo & Belgæ pro eo *hoeve* dicunt. Sed falli liquet ex iis, quæ diximus.

VVinchilsul, & *firstsul*, quid sint, indicant L L. Bajuvar. tit. IX cap. VI de culmine. §. II: *Si eam columnam, à qua culmen sustentatur, quam firstsul vocant; aut si interioris ædificii illam columnam ejecerit, quam winchilsul vocant.* Ubi opponi videmus *firstsul*, & *winchilsul.* De utroque dicam. *Firstsul* significat culminis columnam: à *sul*, vel *seule*, columna, & *first*, culmen. Gloss. Latino-Theotiscum: *Culmen, first.* Glossar. Latino-Anglo-Saxonicum: *Laquear, fyrst.* Unde & *firstfalli*, culminis ruina ex incendio. Vox conflata, ex *first*, culmen, & *fall*, ruina. L L. Baijuvar. tit. IX. §. II: *Siquis desertaverit, aut culmen ejecerit, aut incendio tradiderit, quod firstfalli dicunt.* At *winchilsul* significat columnam angularem; à *winchel*, quod Germanis, & Saxonibus, ac Sicambris, notat angulum; unde apud Belgas etiamnum obtinet *winkel-haeck*, regula angularis, sive norma, quâ anguli explorantur. Posterior pars vocis est eadem, ac in *firstsul*: quam & habemus in *irmensul*, columna in Arminii honorem erecta, ex *Irmen*, qui & *Herman*, & *suyl*, columna. Gloss. *Hirmensul, Colossus, altissima Herminii columna.* Nisi *Irmen* sit Ἑρμῆς, Mercurius: quod si placet, non ille Græcus, vel Romanus Mercurius, intelligi debet; sed Germanorum deus summus; qui erat Sol, prœliorum idem præses. Atque firmat hoc forma statuæ; quæ virum referebat armatum, in dextra habentem vexillum, in clypeo leonem: ut pluribus explicat Sebastianus Munsterus lib. III Cosmogr. cap. CCCCXXXIII. Vide, quæ de hoc Mercurio, ac statua Irmensul, dicebamus lib. II de Gentili Theologia, sive origine & progressu Idololatriæ, cap. XXXII.

VVittiscalcus, minister Principis, per quem mulctæ exiguntur. Nam prior vocis pars *withe*, vel *wetthe*, mulcta lege imposita, à *wet*, lex. Altera pars est *schalc*, minister; de quo diximus cap. XVII, in *Scalcus.* Legum Burgundicarum tit. LXXVI. §. III: *Mulieres quoque, si wittischalcos nostros contempserint, ad solutionem mulcta similiter tenebuntur.* In Gallicana editione, quæ nullum editoris nomen profitetur, est *witischalcus*, simplici T. Sed eadem in titulo geminat. Nec de istoc laborandum; cùm *withe*, & *wetthe*, dixerint.

CAP. XXI.

Ysicius, *pro salmone, vel, secundùm alios, lucio.* Zaba, *pro lorica. Non zabyra, sed* zabaria, *vel potiùs* zaberna, *dixisse pro pluteo librarius.* Zech, *Boemus fraterna clericorum, laicorumque, sodalitas.*

DE V, & W, vidimus. Barbara ab X inchoata fere Græcæ sunt originis: de quibus libro proximo. Ac par ratio cœptorum ab Y. Quamquam huc referre possis

Ysicius,

Ysicius, pro salmone. Quem ejus vocis usum ostendit Joannes Capgravius ex anonymo in vita S. Kentigerni, episcopi Glascuensis in Scotia, cap. VI: *Cum hamo ad ripam fluminis Clyd festinare praecepit, & piscem primo extractum, scilicet ysicium, qui & salmo dicitur, ad se reportare.* Sed vox ea initio per tertiam scribi vocalem debuit; non per Græcum Y. *Issicium* vocat Beda lib. I Hist. Angl. cap. I: *Et quidem praecipue issicio (Britannia) abundat, & anguillâ.* Alius est *esocium*. S. Ealredus in vita S. Eduardi Confessoris, Angliæ Regis, cap. V: *Omnes erant ejusdem generis pisces, praeter unum mira enormitate esocium.* Plerisque tamen *issicius*, vel *esocius*, non *salmo* videtur, sed *lucius*: ac idem esse, qui *esox* vocatur Plinio lib. IX cap. XV. *Esox* verò a Plinio formatum putant ex Germanica, & Belgica lucii appellatione. Iis enim *snoeck* dicitur.

Superest Z: unde nulla inchoant Latina; Græca verò non pauca: plura etiam barbara; e quibus hæc excerpsimus.

Zaba, lorica. Ita Glossæ Isidori. Etiam in Glossis Arabicolatinis legas: *Lodix, cucullata, lorica, zaba.* Sed rectè ὁ μακαρίτης Meursius noster emendabat: *Lodix, ... Lorica cucullata, zaba.* Post *Lorica* excidit interpretatio. Sequitur deinde, *Lorica cucullata*; ac exponitur vulgari *zaba* vocabulo. Aliquos eam vocâsse *loricam cucullatam*, ostendit hoc Joan. Thwroczii in Chron. Hungar. Part. II cap. LII: *De agmine Salomonis ad praedictum militem solus Opus super gilvo equo in lorica cucullata evulsus, in modum fulminis, ictu lanceæ, ruptâ loricâ, Petrum per medium cor transfixit.* Firmat quoque hoc Justiniani Novell. LXXXV: Καὶ τὰς καλουμένας ζάβας, ἤτοι λωρίκια. Unde videmus, etiam Græcos juniores nôsse hanc vocem. Et sanè hinc ζαβαρεῖον. Suidas: Ζαβαρεῖον, ἐν ᾧ αἱ ζάβαι, αἵ εἰσιν ὅπλα πολεμικά, ἀπόκεινται· ζάβα γὰρ τὸ λωρίκιον †. Etiam Latini videntur *zabaria* dixisse: de quo in *Zabyra* dicemus. Sed & *zaberna* legas in Glossario Arabicolatino. *Zaberna*, inquit, *ubi vestes portantur, vel quodlibet aliud.* Ubi apud Papiam est, *ponuntur*: quod verius. Ac similiter Gemma. Idem Papias: *Zaberna, arca, vel armariolum.* Eâ autem formâ a *zaba* fecere *zaberna*; quâ a *cavum* est *caverna*, & fortasse a *taba*, (unde *tabula*) *taberna*: nisi hoc e *tabulerna*, κατὰ συγκοπήν. Sed de *zabaria*, & *zaberna*, proximè etiam in *zabyra* dicendum.

† Zabareum, locus, in quo zabæ reponuntur; quæ sunt arma bellica. Zaba enim est lorica.

Zabyra, si vulgatis codd. fides, pro pluteis librariis dixerit Abdias Babylonius lib. IV Historiæ Apostolicæ: *Et haud mora, collectis libris magicis, zabyras plenas ad Apostolum attulit, cervicibus, & suis, & discipulorum, impositas: & coepit eos ignibus coram eo comburere. Sed Jacobus prohibuit: Ne forte odor incendii, inquit, vexet incautos, appende zabyris lapides, & plumbum, & mitte in mare.* Ad marginem verò adnotatum: Ζάβυροι *Græcis armamentorum repositorium est.* Quod si verum; *zabiras*, & *zabiris*, rescribendum. Nam junioribus quidem Græcis, ut paullò antè dictum, ζάβα, τὸ λωρίκιον, h.e. lorica: sed inde nusquam ζάβυρον legitur; verùm ζαβαρεῖον, ἐν ᾧ αἱ ζάβαι ἀπόκεινται: *zabarium, ubi zaba reponuntur*: quod idem Suidas tradit; uti in *zaba* dictum. Laxius verò pro quovis armario sumitur; etiam librario; ut Tzetzi Chil. IV. Quare clarissimus Meursius apud Abdiam *zabariis* emendat. At displicet Joan. Ludov. de la Cerda Advers. Sacr. cap. XXXIII §. VI. *Non moror*, inquit, *Meursium corrigentem zabarias in Abdia.* Jubet verò *zabernas*, & *zabernis*, reponere. Verùm cum a *zaba*, tum *zabaria*, tum *zaberna* dixerint, ut in *zaba* vidimus; utro modo scriptum fuerit, non aliunde est statuere, quàm ex MSS. Quod facit maximus Salmasius ad Lampridium †. Is & ipse *zabernis* reponit: ac sic se ait reperisse in veteri codice Jureti. Absque ejus codicis fide esset, non video, cur de la Cerda magis, quàm Meursio, accederem; præsertim cùm *zabernis* longiùs a *zabiris* abeat, quàm *zabariis*. Nec tanti tamen unius est codicis fides, ut eò Meursii opinionem planè rejicere ausim.

† Pag. 189.

Zancha quid sint, cap. XVIII in *Tzanga* vidimus.

Zech Bohemicum est vocabulum, ac fraternum clericorum, & laicorum sodalitium significat: ut ostendit Reinerius, sive alius, libello, de doctrina, & moribus Waldensium, scripto ante annos CCCXL.*: *Confraternitatem clericorum, & laicorum, quæ dicitur zech, dissuadent: & hæc omnia dicunt agi propter quæstum.* Quamquam istoc vix locum hic mereatur, cùm solum afferatur, ut vernaculum; non verò ut Latinobarbarum. De nominibus hactenus.

* In Scriptoribus rerum Bohemicarum à Fr. Frehero editis, pag. 225.

CAP. XXII.

De verbis ortu ipso barbaris: ac primùm de coeptis à prima vocali. Qualia sunt ista. Adhramire, *pro polliceri juramentum, ac ei diem, locumque præfinire.* Adjurnare, *pro in jus vocare.* Admallare, *pro vocare ad mallum, sive in judicium.* Advisare, *pro sententiam dicere.* Afforestare, *pro in forestam sive sylvam convertere: uti deafforestare, demere partem de sylva.* Agistare, *pro pascua sua alteri locare: interdum etiam, pro onerare tributo.* Andigavere, *ubi hæres ab intestato defuerit, designare, quantum possideas, & quem, aut quos, statuas hæredes. Vocis ejus origo. Refelluntur, qui ajunt, leges Longobardicas esse ancalabcones nuncupatas; vel aliter, voce tamen non absimili.* Arrachiare, *pro apprehendere, ac detinere aliquem per publicos justitiæ administros. Hinc unum ad ea, quibus initialis litera est una e tribus consonis, vocalem primam proximè sequentibus. Hujusmodi sunt,* Bannire, *pro edicto convocare; vel convocare ad militiam: item pro pecuniâ, vel etiam exilio, mulctare.* Baraniare, *cunctari, ac tergiversari.* Blutare, *pro evacuare.* Brasbrat, *ridiculo errore creditur idem valere, ac* lucubro. Braxare, *pro cerevisiam coquere.* Burdare, *fustibus rustico more certare.* Cratare, *pro unguibus lacerare.* Desfortiare, *vel* diffortiare, *vi impedire.* Dipure, *tinctu aureo, croceo, vel alio, inficere.* Disinanare, *in jus vocare.*

Age nunc de Verbis origine barbaris expediamus. Ac primùm ordine complectemur inchoata à vocali principe, vel aliquâ trium consonarum, quæ eam proximè excipiunt.

Adhramire, promittere se certâ die, ac loco, juraturum; à veteri Gallorum verbo, quod est *arrimier*. Capitul. Karoli M. lib. III cap. LVIII: *Ut Sacramenta ad palatium fuerint adhramita, in palatio perficiantur.* Item lib. IV cap. XXVIII: *Ubi antiquitus consuetudo fuit de libertate Sacramenti adhramire, vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi Sacramenta jurentur.* Habes & in lege Salicâ tit. XXXIX, & XLIX. Item Legg. Longobard. lib. I tit. XXV leg. LXXV, & lib. II tit. LV. leg. XXVI. Apud Ansegisum Capitularis lib. III cap. LVIII, ac lib. IV tit. XXVIII, & XXIX. Item incerti scriptoris Formulis veteribus cap. I*.

* Pag. 196 edit. Paris.

Adjurnare, ex Gallico *adjourner*, pro *diem alicui dicere*. Capitulorum Karoli M. & Ludovici Pii, lib. V cap. CLI: *Pro nimia reclamatione, quæ ad nos venit, de hominibus Ecclesiasticis, seu fiscalinis, qui non erant adjurnati, quando in Cœnomanico pago fuimus.* hoc est, qui non erant in jus vocati.

Admallare, apud Marculfum lib. I Form. cap. XXI, & alios, notat ad judicem vocare litigandi caussâ: sicut diximus in *Mallus* cap. XII. Simile *obmallare*, de quo inferiùs.

Advisare est deliberare, vel sententiam dicere: ut dictum lib. I cap. I. Habes cum alibi, tum apud Philippum VI in Edictis †, & Nicolaum Clemangium initio libri de Annatis non solvendis. Est ex Gallico *adviser*, ac Belgæ similiter *adviseren*. Hinc in Glossis: *Advisamentum, sententia.* Legas id in Concilio Pisano*. Barthius Adversariorum lib. XLIII cap. XX †, censet, *advisare* esse corruptum ex Latino *animadvertere*: quod non puto. Addit porrò, ex *advisator* corruptum esse *ambasciator*: de quo

† Pag. 41.
* Pag. 41.
† Col. 1966.

cur

cur itidem aliud censeam, liquet ex iis, quæ adduxi libri hujus cap. II.

Afforestare, in sylvam convertere: ut cùm princeps terras, forestæ sive sylvæ contiguas, disjectâ sepe, qua ante distinguebantur, partem sylvæ facit. Sæpius usurpat Matthæus Parisius in Historia. Cujus & illud in Additamento secundo: *Inquiratur etiam, qui de novo fecerint infra metas foresta, vel extra ad nocumentum foresta, parcum, vel boscum suum claudere, vel warennam, vel aliquem boscum afforestaverit sine waranto domini Regis.* Contrarium *deafforestare*, aliquid de foresta demere, inque privatum usum convertere. Unde continuò ibidem subjungitur: *Et si aliquis de foresta domini Regis aliquid deafforestaverit, vel subtraxerit domino Regi.* Tangebamus hanc rem etiam cap. VII in *Foresta*.

Agistare dicuntur, qui aliena animalia pretio, de quo convenerit, in sua recipiunt pascua. Gallis *adjouster*, à *gist*, cubile, quod à *gesir*, cubare, jacère. Joannes Angliæ R. apud Matthæum Parisium in an. ↀCCXV: *Ante festum S. Michaelis, quando agistatores veniunt ad agistandos dominicos boscos: & circa festum S. Martini, quando agistatores nostri debent accipere panagium suum. Et ad ista duo summota conveniunt forestarii, viridarii, & agistatores, & nullus alius per districtionem.* Item Additamento secundo: *Inquiratur etiam, qui forestarii ceperint finem pro diversis animalibus angistandis.* Nec de solis animantibus dici, sed etiam terris; indicat hoc Eduardi I, Anglorum Regis: *Terrarum ad custodiam maris agistatarum.* Hoc est, quibus, ad maris custodiam, imperatum esset annuum tributum.

Andegavere, vel *andigavere*, quantum videre possum, is dicitur, qui cùm non habeat suum, vel proximum hæredem, consignat, quantum in bonis habeat, ac quid de iis, mortuo se, fieri velit. Longob. lib. II tit. XIV leg. XVII: *Et si, casu faciente, sine hæredibus mortuus fuerit, & antea judicaverit res suas proprias, se vivente; id est, andegaverit, & arigaverit; secundum legem Longobardorum, habeat, cui donaverit.* Sic est in editione Lindenbrogii. Vetus autem Basileensis editio tit. XCI de Manumiss. §. XI, pro, *id est, andegaverit, & arigaverit*, habet, *id est, andigavero, & andegaverit.* Sententia fuerit istiusmodi: si, dum in vivis est, ac sanus, de rebus suis judicaverit, quale judicium vocatur *andigaverum*: is cui bona sua adjudicaverit, ea possideto; prout leges Longobardorum exigunt. Quo pacto radix, sive thema sit *andigavero*; inde præteritum *andigaveri*, sine syllabæ incremento; ut à *lego*, *legi*. Integrum quoque nomen sit *andigaverum*. Pro quo, si rectè veteres Glossæ à Lindenbrogio adductæ; ἐξ συγκοπῆς, etiam *andigavum* dixerint. Sic enim illæ, *Andigavum, id est, in sanitate. Artigavum, in infirmitate.* Quamquam &, citra syncopen, potuerint *antigavum* dixisse; ut mox liquebit. Videmus isto firmari, quod dicebamus, *andigaverum*, vel *antigavum*, esse ejus, qui viveret, & valeret. De origine vocabuli, quid in mentem venerit, exponam. Germanis, & Belgis hodieque, *gaef*, *gaf*, *geef*, *gave*, idem est, ac sanus, integer. Unde & in compositione *ongaef*, vel *ongeef verken*; quod aliter *ongants*, non integer, morbidus. Ab isto *gaef*, pro integro, & sano, est *andigavum*; sive à *gave*, *gaverum*. Hæc eò pluribus sum persecutus, quia in voce ea multi adeò doctissimi viri sint decepti: idque occasione veterum Isidori glossarum, in quibus legitur: *Anclabeo, vel auricabeo, lex Longobardorum.* Colligit inde vir bene de studiis meritus, Bonaventura Vulcanius, quemadmodum leges Gothorum propriâ appellatione *bellagines* dicebantur; Jornande in Geticis teste: sic leges Longobardicas esse nuncupatas *auriclabeones*, vel *auricabeones*, vel *anclabeones*, vel *andecabeones*. Variè enim ea vox exprimitur in Mssis. Eadem est mens doctissimi Lindenbrogii in notis ad Paullum Warnefridum de gestis Longobardorum lib. IV cap. XLIV*. Adhæc amicus noster πολυμαθέστατος, ὁ μακαρίτης Matthias Martinius, in Etymologico, voce *Anclabeo*, censet, vocabulum istoc esse ab Germanico *ancleben*, pro quo Belgæ *aencleven*, affigere: nempe quia leges affigantur, ut legantur à populo. Nostra verò longè alia est sententia; imò & viri, dum viveret, amicissimi, Laurentii Pignorii, magni Italiæ ornamenti: qui in symbolis Epistolicis, epist. XLIX, optimè perspexit, non si post vocem *auricabeo*, vel *antecabeo*, subjiciatur *Lex Longobardica*; eò esse putandum, hæc verba duo esse prioris interpretamentum: cùm interdum subjiciatur nomen scriptoris, ad docendum, ubi vocem eam sit invenire. Id verò hic factum: ut sententia glossographi sit, vocem eam exstare in legibus Longobardicis. Sed cùm variè vox ea legatur in Mssis, proximè ad veram lectionem accedunt *andecabeo*, & *auricabeo*: quomodo & in Mso antiquo reperit Pignorius. Interim censeo, in libris omnibus R ante O desiderari. Ut sit *andecabero*, vel *auricabero*, vel potiùs *anticabero*. B, & V consonum, promiscuè usurpabant; & C, ac G, facilè commutantur. Quare arbitror, glossographum attendisse ad *andigavero*: prout in Basileensi Legum editione exarati id verbum, antea monebamus.

* In editione Leidensi pag. 281. Sed poteram Lindebrogium hic præterire, quia istoc omisit in editione Hamburgensi pag. 356: ut postea animadverti.

Attachiare, pro per lictores, ipsosve prætores, apprehendere, vel detinere, à Gallico *attacher*. Utitur Matthæus Parisius in charta libertatum Joannis Regis†: *Si tales inveniantur in terra nostra in principio werra, attachientur sine damno corporis, vel rerum, donec sciatur à nobis, vel à capitali justitiario nostro, quomodo mercatores terra nostra tractentur in terra contra nos werrina.* Usurpat & alibi. Atque hinc *attachiationes*, pro apprehensione, vel detentione, apud eundem, in Vitis Abbatum; quæ ante biennium hoc*, cum Additamentis, egregio clarissimi Watsii beneficio, in lucem primùm prodierunt. Utrumque, uti & *attachiatores*, & *attachiamenta*, habes sæpius in legibus Burgundionum. Ita est cap. IX. §. I: *Attachiari nemo debet in nundinis, nisi in criminibus gravioribus.* Item cap. CXVI: *Siquis manens in burgo attachiatus fuerit infra burgum, ibidem debet judicium in se suscipere.* Vide ad leges Scoticas Indicem Skenæi: cui *attachiamentum* definitur, *quoddam vinculum juris, per quod reus invitus cogitur respondere juridicè parti de se conquerenti.*

† Pag. 298. edit. Tigur.

* Londini an. 1640.

Bannire, sicut & *bannus*, de quo aliquid diximus cap. III, variè admodum sumitur. Nam uti *bannus* quandoque notat edictum, sive promulgationem publicam; ita & *bannire* accipitur pro edicere, edicto convocare, denunciatione publicâ obligare, & obstringere. Gregorii Turonensis Appendix cap. LXXXVII: *Jussu Sigeberti omnes leudes Austrasiorum in exercitum gradiendum * banniti sunt.* Legg. Ripuariæ tit. LXV, §. I †: *Siquis legibus in utilitatem Regis, sive in hoste*, sive in reliquam utilitatem, bannitus fuerit, & minimè adimpleverit, si ægritudo eum non detinuerit, solidis LX multetur.* Marculfus monachus lib. I form. cap. ult. *In regno nostro illo, gloriosum filium nostrum illum regnare præcepimus. Ideo jubemus, ut omnes pagenses vestros —— bannire, & locis congruis per civitates, vicos, & castella, congregare faciatis.* In Capitulis, quæ Missis Dominicis data à Carolo Magno cap. XX: *De banno Domni Imperatoris, quod per semet ipsum solitum est bannire, id est, de mundeburdio Ecclesiarum, & viduarum, orphanorum, & minus potentum.* Apud Ansegisum lib. III Capitularis cap. LXIX: *Quicunque homo nostros habens honores in hostem bannitus fuerit, & ad condictum placitum non venerit.* Alterum etiam ex eo Capitulari locum adducimus in *Mannire*. Ac similiter capio hoc in Constitutione Caroli Magni †: *Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærere debet.* Est tamen, qui ingeniosè satis putet, *bannire* hîc poni pro *obligare*: venireque à Germanico *binden*, vincire, obstringere; unde *band*, vinculum, obligatio. Itaque hanc ejus Constitutionis mentem esse arbitratur: Neminem teneri se tribunali, seu judicio sistere, nisi cujus intersit, quid statuatur. Imò & quando *bannire* accipitur pro convocare ad militiam, ab hac origine vocem arcessit, quia *band* Germanis sit vexillum: unde colligit, *bannire* idem esse,

* Lego. adgradiendum. In Bibliotheca Patrum edit. 2. est gradientes.

† Sive tit. 67. in editione 1.

* Sic ed. 1. & Lindenbrog. Malim in hostem, ut in utraque edit. tit. 67. (al. 68) §. 2. In hostem bannitus fuerit.

† Pag. 291. edit. Mogunt. an. 1602.

esse, ac ad vexillum, sive ad signa militaria, convocare. Puto ego, hæc omnia esse ab uno fonte, quia *bannum* sit edictum; unde *bannire*, edicere, vel edicto convocare. Quare *ad placitum bannire*, sit in jus vocare. Sic *bannum*, & *bannire*, etiam interpretamur in Synodo Confluentina * anni ↄccclx: *Ab hoc die, & deinceps, de Dei banno, & nostro, bannimus, ut nemo hac amplius præsumat.* Hoc est, Spiritu S. & nobis ita jubentibus, edicimus. Vel, Dei, & nostro jussu. Nec tamen putandum, *banni*, & *banniendi* vocabula, sic semper accipi. Nam quia, qui non pâret banno, hoc est, edicto publico, is obnoxius est mulctæ: eò & *bannus*, pro mulcta, sumitur, & *bannire*, pro mulctare. Hoc vel liquet ex Hincmaro; cujus verba in *Mannire* adducimus. Atque inde *arribannum*, sive *heribannum*, vel *herebannum*, mulcta pecuniaria, quam debet, qui ad expeditionem profectus non est, post principis sui bannum, sive edictum. Pluribus de eo vidimus cap. ix. Nec edicti neglecti pœna solùm esse solet mulcta pecuniaria; sed etiam exilium: unde *bannum* pro exilio; *bannire* pro proscribere, relegare, in exilium mittere. Quo de vocis ejusce usu aliqua diximus cap. iii. Ac sic etiam sumitur in Decreto Childeberti Regis cap. viii: *Similiter Colonia convenit; & ita bannivimus, ut unusquisque judex latronem, ut audierit, ligare faciat.* Item apud Albertum Argentinensem ad an. cIↄcccxlviii: *Multos populares bannivit, occupans res eorum.* Crebrum quoque est in Legg. Neapolitanis. Ac similiter Germanis *bannen*, mittere in exilium; ac *banniti*, & *banditi*, Italis scriptoribus, exules, & relegati. Estque ab ea *banniendi* significatione *forbannitus*, hoc est, proscriptus, exul; ut diximus cap. vi. Uti verò *bannire* nunc de mulcta, nunc de exilio, dicitur: ita & verbale ejus *bannimentum*. Pro mulcta pecuniaria habes in Bulla Pii Quarti, de jurisdictione Gubernatoris Almæ Urbis †: *Totamque summam principalem, per eosdem mercatores exactam, & recuperatam, juxta formam dictorum bannimentorum, ex nunc ipso facto eidem Cameræ Apostolicæ; parti verò læsæ, id quod ultra prædictam summam principalem in cambiis & recambiis a dictis mercatoribus irremissibiliter exigendum.*

* In Constitutionibus Karoli Calvi, & successorum, tit. 26. in Annunciatione Regis Ludovici cap. 6. sive edit. Paris. pag. 240.

† Tom. 2. Bullarii pag. 1.

Barcaniare, tricari, tergiversari, ac, ut veteres dixere, bovinari. Constitut. Karoli Calvi tit. xxviii, sive edicto in Carisiaco: *Si illum denarium bonum invenerit, consideret ætatem, & infirmitatem, & sexum hominis: quia & feminæ barcaniare solent.* Ubi, ut clarissimus Sirmondus annotavit, *barcaniare* est id, quod Galli dicunt *barguigner*, hoc est, licitando cunctari.

Blutare, ex Germanico & Belgico, *bloten*, *blooten*, *ontblooten*. Gloss. *Blutaverit*, *evacuaverit*. Longobard. I. Tit. viii. L. i, *Blutare casam*.

Brabrat, *lucubro*: reperias in Isidori glossis, eoque Glossario, quod è variis excerpsit Pythœus. Sed nihil isto ineptius. Nempe scriptum fuerat, *lucubro*, *bras*, *brat*: ut verbum primæ declinationis esse cognosceretur.

Braxare, à Gallico *brasser*, pro *cerevisiam coquere*, in Historia Cæsarii Heisterbachensis: ubi & *braxatrix*, de ea, quæ cerevisiam coquit.

Burdare Matthæo Parisio, rusticorum more decertare fustibus, qui Anglis *burdons*: unde *burdandi* verbum.

Cratare, unguibus lacerare, ex Germanico *kratzen*. Lex Burgund. Tit. iii §. xliv. *Siquis alium unguibus crataverit, ut non sanguis, sed humor aquosus decurrat.*

Deafforestare, vide superiùs *Afforestare*.

Deforciare, & *disforciare*, per vim, (quæ Gallis *force*) aliquid impedire. Matthæus Parisius in Henrico II: *Si forte aliquis disforciaret domino Regi rectitudinem suam: archiepiscopi, episcopi, & archidiaconi, debent eum justitiare, ut Regi satisfaciat.* Et in Henrico III ad annum cIↄ cc xxxvi: *Quicunque deforciaverit eis dotem suam.* Ibidem paullò pòst *deforciatores* legas. Et ad annum cIↄ cc xliv: *Quam* (portionem de hæreditate) *prædictus David deforciat ipsi Griffino.* De *fortia*, pro violentia, libro seq. dicam in *Fortalitium*.

Diptire, à Saxonico *dippan*, quod itidem signat *tingere*, *inficere*. Sanè hodieque Anglis *dipte* valet tinctum. Nec dubito, quin vera sit doctissimi Spelmanni opinio deducentis à δύπτειν, quod itidem tingere, mergere. Barbarum illud habes apud Ekkehardum Jun. Casibus S. Galli cap. i: *Altare verò S. Mariæ, & analogium Evangelicum, ejusdem fratris nostri artificio deaurata, Hattonis sui de scriniis vestivit argento, & diptivit, ut videre est, ex auro electo.*

Dismanare, in jus vocare. Incertus in formulis veteribus, Marculfo proximè subditis, cap. xxxi: *Neque vos, neque juniores atque successores vestri, ipsum pro hoc inquietare, nec dismanare non præsumatis.* Vide *Dismannire* cap. prox. in *Mannire*.

CAP. XXIII.

De Verbis cœptis ab E, F, G, H. Qualia sunt eschipare, *pro adornare, armareque navim.* Feoffare, *pro feudum alicui conferre.* Forbannire, *pro in exilium pellere.* Forrari, *pro pabulatum abire.* Furrare, *pro vestem pelle, vel alio, suffulcire: uti* furraria, *pro istiusmodi duplicatione vestis.* Garantizare, *auctoritate, & patrocinio suo alterum protegere.* Gurpire, *pro abdicare, atque rejicere jus dominii. Idem esse* guerpire, *vel* werpire; *unde* laiso werpire. Harpare, *canere harpâ.* Hutare, *pro signo apposito indicare aliquid esse venale.*

NUnc incipiam de Verbis illis ortu ipso barbaris, quæ inchoant a vocali secundâ, ac tribus sequentibus consonis; modò & H in consonantibus reponi mereatur.

Eschipare affine videtur Gallico *eschaper*; quod significat *effugere*, *evadere*: sed est à Germanico *schiff*, vel *schip*, navis; uti hoc à σκάφη. Propriè notat navim instruere rebus convenientibus. Ac sic usus Joannes Angliæ rex in Edicto suo apud Matthæum Parisium, in rebus an. cIↄccxiii *: *Sicut se, & naves suas, & omnia sua diligunt, habeant illas in Portesmue in media Quadragesima, bene eschipatas bonis & probis marinellis, & bene armatis.* Ubi in cunctis editionibus pro *eschipatis* quidem est *adornatis*: sed *eschipatis* legi in Mss, alterumque à primo esse editore substitutum, teste nobis doctissimus Watsius. Legas quoque in Charta Rhotomagensi Philippi Galliarum Regis *: *Nulla navis de tota Normannia, præterquam de Rothomago, poterit eskipare ad Hiberniam, exceptâ unâ solâ, cui semel in anno de Cæsarisburgo licitum erit eskipare.*

* Pag. 233.

* In Normannicarum rerum scriptoribus an. 1063.

Feoffare, pro *infeodare*, in feodum, sive feudum inducere, sive investire. Matthæus Parisius in Additamento Historiæ suæ secundo: *Inquiratur, si aliquis forestarius capitalis de feodo attraxerit sibi terras, maritagia, vel gardas, —— si inde aliquem feoffaverint, sine adsensu Domini Regis.*

Forbannire, in exilium mittere; ut *forbannitus*, exul. Utroque usus est Carolus Calvus tit. xi. apud Silvacum, cap. vi: *Qui abhinc inante latronem receperit; maximè autem illum, qui forbannitus fuerit; vel qui illos, quos Missi nostri forbannierunt, recepit, postquam forbanniti ab eisdem Missis nostris fuerunt.* Similiter tit. xxxix cap. i, & iii. Utrumque etiam usurpat Matthæus Parisius. Cujus est in Historia anni cIↄccxlv, *Forisbannitus ab Anglia.* Item in Abbatum Vitis, *Forbanniantur à regno.* Qui & alibi ait *forbanniant*, & *forbanniantes*. Vide, quæ diximus cap. vii in *Forbannitus*.

Forrari, pabulatum ire, à Gallico *fourage*, Belg. *voeragie halen*. Matthæus Parisius ad ann. cIↄccxlii: *Quidam de Francis discurrebant emolumentis victualium intendentes, quod vulgariter forrari dicitur.*

Furrare barbaris seculis dixere, pro vestem aliquam pellibus, serico, vel alio, suffulcire, ac duplicare: quomodo Germani, ac Belgæ, *voeren*, Galli *fourrire*, Angli *furre*. Sic apud Matthæum Parisium in Histor. Henrici III ad an. cIↄccxxxvii: *Coram majori Ecclesiâ Pontificalibus se induit: scilicet superpellicio, & desuper capa chorali*

rali pellibus variis furrata, & mitrâ. Ac similiter Cantipratanus, & Jacobus de Vitriaco lib. I Vitæ B. Virginis. Inde *furruria* pro ejusmodi duplicatione vestis, eidem Matthæo Parisio in anno CIↃCCXLII: *Cum penulis, & furruriis, de pellibus variis cisimorum**. Pro quo & *fussuratura* in Concilio primo Salisburgensi: ut observatum Guilielmo Watsio in Glossario. Est verò *furrare* ex *foderare*: unde *fodratura*, de quo diximus cap. VII.

* Certorum silvestrium animantium.

Garantizare, auctoritatem suam alteri accommodare, patrocinio suo alterum tueri. A *garandia*, vel *garantus*; quorum utrumque à Gallico *garant*; quod Budæus *auctorem*, vel *vindicem litis*, interpretatur. *Garandia*, ipsa *auctoritas*, sive *vindiciæ*. *Garantus*, qui auctoritatem præstat, sive qui caussæ patrocinium suscipit. *Garandiare*, auctoritatem præstare, ut dicebam: uti *warandiare*, de quo superiùs actum in *Warentis* vocabulo. Pro quo similiter, *garantus* usurpatur in jure Normanniæ cap. L: *Et notandum, quòd garantus alium potest vocare garantum; & sic potest hæc vocatio fieri usque ad tertium. Tertius autem garantus quartum non potest advocare.* Vide, quæ dicam inferiùs in *Warantizare*.

Gargarare retulimus ad barbara originis Latinæ: de quibus lib. proximo.

Gurfare, & *guifa*, quid sint, diximus in *Wifa*.

Gurpire, *werpire*, vel *wirpire*, sunt è Germanico *werpen*; quod est jacere. Quia verò jactu festucæ sese dominio exuerent; hinc sumi solet, pro quippiam dimittere, sive sese re quapiam exuere, & alium eâ investire. Itaque & in re connubii legas, *uxorem gurpire*, pro dimittere. Fulbertus Carnotensis epist. LI: *Galerenum sæpe mittis ad me licentiam ineundi connubii novi, petens, illam se gurpisse, suamque pecuniam recepisse, licet verè protestans.* De gurpitione facultatum sic vita Caroli M. apud Adhemarum †: *Ibique multitudo Saxonum baptizata est, & secundùm morem, omnem ingenuitatem illorum, & alodem, manibus gurpierunt, ꝑ ampliùs immutassent.* Ubi, ut Pithœo monitum, in aliis libris, *dulgtum* (malim *dultum*: de quo dicam lib. V.) *fecerunt*: sed, ut videtur, ex glossemate. Utroque saltem idem significatur. Aimoinus lib. V cap. XLVIII: *Vestinense*, sicut promiseras, Regi werpivit.* Mathilda in donatione revocata, quæ legitur apud Baronium Annal. Tom. XII ad an. CIↃCII †: *Insuper per cultellum festucam nodatam, guantonem, & gurraschionem terræ, atque ramum arboris, & me exinde foras expuli garpivi, & absentem me feci* &c. Ubi sic distinguo, legoque, *foras expuli, garpivi*; vel si malis, *gurpivi*, aut *gerpivi*. Usurpat etiam, atque id sæpius, Balduinus apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgicarum cap. CLXXXV †. Item hisce omnibus vetustior Marculphus monachus, Formularum lib. I cap. XIII: *Villas, sitas in pago illo, suâ spontaneâ voluntate nobis per fistucam visus est werpisse.* Quæ ad verba hunc etiam locum Bignonius in Notis adducit, è Chronico S. Benigni Divionensis: *In præsentia principum eosdem servos wirpivit, & S. Benigno reddidit.* Ac præterea monet, venire hæc à Gallico *desguerpier*, hoc est, dimittere; unde & *la guerpie*, vidua, quasi relicta, dicitur veteribus Gallis: in his Frossardo etiam, priori Historiarum volumine cap. CCXLI. Adi & Casparem Barthium lib. XLVI Adversar. cap. XXIII. Ex hoc verbo, & vocabulo *laisus*, sinum notante, est *laisowerpire*, quod est, festucâ in sinum jactâ, sese jure suo exuere, & sic alterum eo donare. Idem Marculphus formulâ antè memoratâ: *Villas in suprà scriptis locis nobis voluntario ordine visus est læsowerpisse, vel condonâsse.* Qui locus, ut jam doctissimis viris monitum, lucem capit ex illo Legis Salicæ Tit. XLVIII: *Et sic festucam in laisum ejus jactet, & ipsi, in cujus laisum festucam jactaverit, in casa ipsius manere, & hospites tres suscipere.* De hoc etiam in *Laisus* diximus.

† Sive, juxta alios, Adelmum Benedictinum.

* Vel Wastinense.

† Pag. 26. edit. Mor. an. 1609.

† Pag. 510.

Harpare, harpâ canere. Legg. Anglorum Tit. VII §. XXIII: *Qui harpatorem, qui cum circulo harpare potest, in manum percusserit, componat illud quartâ parte.* Uti verò *harpator* ab *harpare*, ita hoc ab *harpa*; illud à Germanico, & Belgico *harpe*. *Harpa* vocabulo Venantius Fortunatus utitur: de quo vidimus cap. IX.

Hiusare significat, signum rei venalis apponere. Constitution. Caroli M. an. Regni XI: *Casæ eorum* (decimas detrahentium) *hiusentur, quousque pro ipsa decima, sicut suprà dictum est, satisfaciant.* Vim verbi, in notis ad eum locum, non satis cepit Amerbachius: uti retuli cap. XX, in *Guisa*, sive potiùs *Wisa*. Eum tamen, ut solet, sequi non dubitavit Clemangis editor in suo Glossariolo.

Cap. XXIV.

De Verbis barbaris, quibus initium à tertia vocali, vel aliquâ è prioribus tribus liquidis. Imbladare, *pro seminare.* Imbrigare, *briga sive liti implicare.* Inconcare, *ingurgitare.* Incrocare, *incurvare, rugare.* Installare, *in alterius locum inaugurare.* Mallare *in mallum, sive jus vocare: unde* admallare, & hamallare. Mannire *itidem, in jus vocare: unde* mannitus, mannita, & mannina; *item* dismannire. Misfacere, *pro malefacere.* Misprisere, *pro improbare.* Noare, *pro nugari: nisi Petri Damiani locus de eo sit corruptus.*

NUnc accedo ad ea, quibus princeps litera est tertia vocalium, vel una è tribus liquidis, quæ consequuntur.

Imbladare, à Gallico *emblauer*. Habes in Assisa Reg. Ricardi I de foresta apud Hoveden. in ann. CIↃCXCVIII. *Et videnda sunt in Regnardo nova essarta, & vetera imbladata; post ultimum reguardum, & quo blado, vel legumine, imbladata sunt. Nova autem sarta erunt in manu Regis: si vetera sarta imbladata sunt de frumento, vel siligine; unaquaque acra dabit XII denarios de illa vestitura.* *Imbladare* valet seminare, à *bladum*; de quo dictum nobis cap. III. Ex iis, quæ tum adducebamus, liquere arbitror, *bladum*, unde *imbladatio*, notare *germen*; hoc est, quicquid a planta germinat, sive gignitur. Nam *germen* a genendo, hoc est, gignendo, quasi *genimen*. Et videri possit *bladum* venire a Græco βλάσειν, quod idem ac βλαςες, βλάςη, vel βλάςημα, puta germen, uti βλαςίον, & βλαςίνω, *germino*. Germanis *blatt*; sicuti Belgis *blad* folium signat. Ac convenit cum Græco illo. Nam βλαςολογεῖν, pampinare, folia vitium destringere. Sed medii ævi scriptoribus *bladum* potiùs notat frumentum: sicuti Gallis *bled*, & *ble*, seges. Quamquam non solùm fruges sic dicantur, sed etiam arborum, ac vitium fructus. Itaque in isto Joannis Euang. cap. XV. 2. *Aufert omnem palmitem, qui in me fructum non feret:* pro *fructum*, in veteri tralatione Saxonica, est *blada*: ac similiter alibi. Imò & Belgis *blad*, *blade*, *bladinge*, dicitur *agrorum proventus*, & πανταδοχικῶς bonorum omnium ususfructus. Complures alios, qui præter Richardum Regem, usi sint *imbladationis* vocabulo, superiùs * adduximus.

* Libri hujus cap. 3.

Imbrigare, pro liti involvere, est apud Albertum Argentinensem in Anno CIↃCCXCIII: *Franciscus, se nolens imbrigare cum illo, à gravaminibus cessavit.* Nempe à *briga*, quod & Gallis *brigue*, h. e. lis, jurgium: quo idem Albertus utitur anno CIↃCCLXIV, *Ortâ brigâ inter Henricum Comitem de Badenweiller, & Neuenburgenses.* Item an. CIↃCCLXXVIII: *Rex Boëmiæ absque briga vivens quietè.* Sic *brigosus*, pro litigiosus.

Immantare libro proximo reducimus ad illa, quæ à Latinis derivantur. Vide eo libro *Mantus*.

Inbladare, vide superiùs *imbladare*.

Inbrigare, vide *imbrigare*.

Inconcare planè idem esse censeo, ac *ingurgitare*. Nam uti hoc à Latino *gurges*: ita illud à Germanis, vel Belgis: quibus *colk*, & *congel*, (posterius istoc Flandris est usitatius) planè idem, ac *gurges*, hoc est, profundior fluminis, vel maris, locus; cujus aqua in orbem acta gulæ instar, attrahit, & absorbet ea, quæ innatant. Hujus rei caussam alibi aperimus, ex Mechanicis Aristotelis. Baldericus Noviomensis, & Tornacensis Episcopus, Chronici

Cameracensis lib. III cap. XXII: *Ille verò blasphemus ad quandam tabernam de more profectus, cervisiam nimiam inconcavit.*

Incrocare exponunt suspendere: sed, puto, idem esse ac inflectere, incurvare, similem reddere unci: nempe à Germanico, ac Belgico *croken*, curvare, flectere, rugare: quod a nomine *croke*, curvatura, flexus, ruga. Sive à Gallico *croc*; quod notat *uncum*, *hamum*, & *hamam*, instrumentum aduncum igni compescendo idoneum, quod Belgis *vierhaec*. Lex Salica Tit. LXIX. §. II: *Siquis hominem, sine consensu judicis, de ramo, ubi incrocatur, deponere præsumserit; ICC denar. qui faciunt solid.* XXX, *culpab. judicetur.*

Inlagare à *lege* est; pro quo Saxones *lage*. Dicam igitur de eo libro proximo.

Installare significat Canonicum facere, sive in Canonicatus dignitate inaugurare. Matthæus Parisius in Henrico III ad an. CIↃCCLVI: *Inquisiverunt à quodam ibidem orante, quodnam esset stallum Decani? Et responsum est hoc, demonstrando stallo Decanali. Duo igitur tertio, quem installarunt, dixerunt: Frater, nos te auctoritate Papali installamus.* Liquidiora hæc fiunt ex iis, quæ diximus in *Stallum* cap. XVII.

Laisowerpire quid sit, ex iis cognoscitur, quæ in *laisus*, & *gurpire*, adducebamus.

Mallare, in jus vocare, à *mael*, *judicium*. *Malli* vox, pro judicio, frequens est; ut in nominibus barbaris ostensum*. *Mallare* legas in leg. Bojoar. Tit. X: *Si Episcopus contra aliquem culpabilis appàret, non præsumat eum occidere, quia summus Pontifex est: sed mallet eum ante Regem, vel Ducem, aut ante plebem suam.* Inde & *admallare*. Lex Salica tit. LXIII: *Siquis de parentilla* † *tollere se voluerit, in mannum, aut in tunchinium, admallare debet, & ibidem IV fustes alninos super caput suum frangere.* Vide Pythœum in Glossis ad Kapitula Karoli M.* Dicitur & *admallare*, & *hamallare*, vel *homallare*. Sed de istis jam vidimus in *Mallus*; cùm de nominibus ortu barbaris ageremus.

* Cap. 12.

† Sic Lindenbrogii edition. Prima editio parentela.

* In Mallus.

Mannire est à Germanico *mahnen*, pro quo & Belgæ *manen*: hoc fortasse à Latino *monere*. Et sanè *mannire* idem, ac *monere*, *commonere*; *mannitus*, pro *commonitus*, *in jus vocatus*. Habes in Constitutionibus Karolinis †, & in Kapitul. Karoli M. lib. I cap. CXXI, & lib. III cap. XLV. Crebra quoque in Leg. Salic. Ripuar. Longob. Occurrit & Form. CLIX. Item in Constitutionibus Caroli Calvi tit. XXXI, sive Edicto Pistensi cap. VI: *Secundum regium mandatum nostrum, ad justitiam reddendam, vel faciendam, legibus mannitus, & bannitus fuit.* Ubi *mannire*, & *bannire*, videntur pro eodem sumi. Nempe pro vocare in jus. Sed propriè distingui, indicat Ansegisi Collectio lib. IV cap. XXV: *Siquis de statu suo, id est, de libertate, vel de hæreditate, compellandus est; juxta legis constitutionem manniatur. De cæteris vero caussis, unde quis rationem est redditurus, non manniatur, sed per Comitem banniatur.* Nempe banniebat Comes, vel ejus vicarius, aliusve judex, & si bannitus non se sisteret placito, bannum, sive mulctam Comiti componebat. At manniebat adversarius, sive actor: ac, reo se non sistente judicio, cogebatur is adversario mulctam solvere. Mannitio autem coram testibus fiebat. Unde Gloss. vett. *Mannitus, vocatus tribus testibus præsentibus. Mannita* substantivum, pro commonitione, sive vocatione in jus. Lex Sal. Tit. LII. §. II: *Per tres mannitas.* Id est, trinundino. Sed & *mannina* pro eo dixerunt: ut Hincmarus epist. IV, quæ ad Episcopos Franciæ, cap. XV: *Quia prius per manninas veniebant; excogitaverunt quidam, ut per bannos venirent ad placita. Quasi propterea melius esset, ne ipsas manninas alterutrum* † *solverent; hæc ideo facientes, ut ipsi bannum acciperent.* Ejusdem originis *dismannire*, vel *dimannire*, pro *foris citare*. Formulæ Sollemn. cap. X: *Ut de omni hoste, vel omnibus bannis, seu & arribannis, sit conservatus, ut neque vos, neque juniores, atque successores vestri, ipsum pro hoc inquietare, vel dismannire, ne præsumatis.* Item form. CLXXVII: *Nec de rebus suis in ullo abstrahere, nec dismannire præsumatis, nec facere præcipiatis.* Nec aliud *dismanare* in veteribus formulis; ut vidimus cap. præcedenti: nisi & istic *dismannire* legendum; quod arbitror.

† Pag. 293. edit. Moguntinæ an. 1602.

† Sic & Lindenbrogius, Sirmondus, & alii, citant. Solvere cum accusandi casu; alterutrum, pro alterutri.

Misfacere, vide mox *in Misprisere*.

Misprisere est à Germanico *mispryssen*: hoc est, vituperare. Ad verbum autem notat *illaudare*: ut *illaudatus*, pro non laudato, apud Maronem*. Nam *prysen* laudare: *mis* verò in compositione significat Germanis, ac Belgis, *malè*, *perperam*: ut *misbeuren*, delicto in mulctam incidere: *misbaegen*, displicere. Ad hoc exemplum *misfacere*, quod iidem *misdoen*, malè facere, delinquere. Utroque hoc & *misfaciendi*, & *misprisendi* verbo, utitur Carolus Calvus Constitut. tit. XXVII, post reditum à Confluentibus, cap. V †: *Et ut illi homines, qui in isto regno contra seniorem nostrum dominum Karolum mispriserunt; si se recognoverint, propter Deum, & propter fratris sui deprecationem, quicquid contra eum misfecerant, eis vult indulgere.*

* 3 Georg. vers. 5.

† Pag. 247. edit. Parif. an. 1623.

Noare, pro nugari, vel nugando effutire, dixerint Latinobarbari; si sana est lectio apud Petrum Damiani lib. IV epist. XVII *: *Dum hinc inde discurreret, cum ludentibus, & cachinnantibus pueris choros duceret, & frivola quædam, ac scurrilia verba noaret.* Sic quidem MSS. Sed editor Constantinus Cajetanus Syracusanus conjectabat, pro *noaret* legendum esse *boaret*. Planeque subscribo. Nam posterioribus temporibus *boandi* vocem etiam ad clamorem humanum transtulere: ut parebit, cùm loquar de verbis in alienâ significatione novè usurpatis.

* Pag. 384. edit. Parif. an. 1610.

CAP. XXV.

De cœptis ab O, P, Q, R, S, T. Obmallare, Prisere, Quitare, *rejiciuntur alia ad loca.* Raubare, *vel* robare, *pro prædari.* Reffare, *pro evellere.* Replegiare, *repetere bona mobilia, dato vade, qui plegius dictus; uti vadimonium* plegium, *vel etiam* plegagium, *aut* plegiagium. Saicire, *invadere, quæ alter possidet; vel tradere alteri, ut possideat: unde* sasina, *vel* seisina; *item* relaicire, dissaicire, *vel* dissaisare, *à quo* dissaicina. Scarire, *pro constituere, populo præcipere: item pro adscribere in numerum militum, vel etiam militari copiâ instruere. In Ludovici Pii Constitutione conjectura. Idem* scariendi *verbum generatim pro collegio, vel societati cupiam, jungere.* Exscaritus. Sio, *de pueris mejentibus.* Tangano, *cùm verbum est, significare idem ac* adjuro: *cum nomen, idem esse ac* adjuratione, *sive* juramento.

QUarta sequitur vocalis: quam consonæ excipiunt quinque. Nunc igitur videamus de verbis inde incipientibus.

Obmallare, in mallo, sive judicio respondere. Ut *admallare*, in mallum sive judicium vocare. Vide superiùs *Mallum*, & *Admallare*.

Prisere, pro vi occupare, vel invadere, etsi barbaræ originis videatur, Latini tamen ortus est: ut planius fiet ex iis, quæ proximo promam libro. Consule istic, quæ dicam in Verbis, *Prisere*, & *Propriindere*.

Quitare etiam barbaræ originis creditur, cùm Latinæ sit. De quo itidem libro sequenti.

Raubare, vel *robare*, notat spoliare, deprædari; ex Germanico *rauben*, vel *rooven*: quod ipsum ex Latino *rapere*. Lex Salica tit. XX. §. X: *Siquis alterum in via adsallierit, & eundem raubaverit.* Similiter *derobare*; Gallis *desrobber*, vel *disrobber*. Clemens Papa Epistolâ ad Eduardum III Regem Angl. *Orphanorum, viduarum, & aliarum miserabilium personarum, quæ deprædata, & derobata, famisque subjecta angustia, clamant ad Dominum.* Usus & Carolus VI Gall. Rex, in edict. de Offic. Baill. † & Petrus de Vineis epist. lib. V, cap. LXII.

† Pag. 176.

Reffare, pro evellere, à Germanico *reuffen*, quod etiam obser-

observatum illustri Comiti Hermanno Nieunario, de veterum Francorum sedibus disserenti. Fortasse autem Teutonicum *reussen*, & *rauben*, uti & Belgicum *rooven*, fuerit à Latino *rapere*. *Reubare* usurpat lex Salica tit. XXIX. §. VI: *Siquis messem alienam per furtum metere, aut reffare præsumserit; DC den. qui faciunt solid. XV, culp. jud.*

Replegiare est reposcere bona mobilia, dato apud præfectum vade, sive fidejussore. Sic *canes replegiatos*, dixit Matthæus Parisius in an. CIↃCCXL *. Sane & Anglis breve, per quod bona ea reposcerent, *to replevy*, quasi *replegium*, dicitur. Sunt verò *replegium*, & *replegiare*, à *plegius*, vel *plegsum*. *Plegius*, vas, sive fidejussor. Joannes Angliæ Rex in charta libertatum concessarum, apud Matthæum Parisium in ann. CIↃCCXV: *Nec plegii ipsius debitoris destringantur, quamdiu ipse capitalis debitor sufficiat ad solutionem.* *Plegium* verò est vadimonium. Idem Parisius an. CIↃCCLXIV: *Excommunicati non debent dare vadium ad remanentiam; nec præstare juramentum; sed tantùm vadium, & plegium standi judicio Ecclesiæ, ubi absolvuntur.* Proque eodem & *plegagium*, vel *plegiagium*, dixere. Utrumque in ejusdem Parisii historia repertas. Vide plura sis apud Watsium in *Plegius*, & *Replegiatus*.

* Pag. 539 edit. Londin. an 1640.

Saisire est ex Gallico *saicir*: significat verò vel occupare, manum injicere, invadere; vel alteri possidendum tradere, dignitatem alteri firmare, ac stabilire. Ivo Carnotensis Epist. CI: *Cujus reculas saisivit, quas apud quendam burgensem Blesensem invenit.* Ac Epist. CXXI: *Et vinum domini Hildunis cantoris in vico coriario saisiverunt.* Legas & apud Wilhelmum Malmesburiensem de gestis Pontificum Anglor. lib. I: *Rex ergo episcopatum saicivit.* Item Innocentium lib. III epist. VIII, quæ est ad Archiepiscopum Senonensem, ejusque suffraganeos: *Rem*, inquit, *ago præcepit, non sui moris, sed nec etiam sui juris, etiam saiciri faciens regalia.* Ac postea: *Quod alia, quam regalia, saiciri non fecerat.* Est & Matthæi Parisii ad an. CIↃCLXI: *Omnes reditus clericorum saicias in manum meam.* Ac, ante pluscula, apud eundem legas: *Propter factam recognitionem, saicinam non amittat, qui prius fuerat saicitus de civitate, vel castello, vel burgo, vel dominico manerio Regis.* Ubi & a verbo *saiciendi* derivatum *saicina* nomen videmus. Pro quo & *seisina* legas in Vita Roberti, duodevigesimi abbatis S. Albani: *Hanc donationem, & seisinam, multi viderunt, & audierunt.* Nempe ut Galli *seisne*. Ab eadem origine sunt quædam composita. Ut *resaicire* apud Anselmum Cantuariensem archiepiscopum, epist. ad Henricum Anglorum Regem †. *Dissaisare*, & *dissaisire*, pro bonis deturbare, vel possessione suâ exuere: quod in jure feudali *devestire*. Rogerus Hoveden in Ricard. I, an. CIↃCXCIV: *Dissaisiaverunt eum* (Archiepiscopum) *de omnibus maneriis suis, excepto* &c. Ac ibidem: *Deinde fecerunt Canonicos introduci in stallos suos, de quibus Archiepiscopus eos dissaisierat.* Habes & Constitutionum Neapolitan. lib. III tit. XIV leg. II: *Si non præstiterit, ter submonita, per dominum poterit dissaiciri.* Et Tit. XVII: *Dominus potest de eo, quod tenet ab ipso, ipsum per exguardium dissaicire.* Ab hoc verbo est *dissaisina*, pro privatione possessionis, vel dignitatis. Legas in iisdem Neapolitanis, sive Siculis Constit. lib. III Tit. XXXII. Vide & *saicire* lib. IV cap. XXIII, & quæ de *saiciare* sequentibus inde libris dicemus.

† Lib. 3. epist 109. Coloniensis edit. an 1612 pag. 142; ubi editum; De Archiepiscopatu meo me resarcivistis. Sed legendum, resaicivistis.

Scarire est constituere, designare. Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. IV: *Ut fidelitatem nobis promittant; sicut tunc scarivimus, & scriptam Comitibus nostris dedimus.* Suspicor esse à *scara*, significante turbam sive populum: qua de significatione dictum cap. XVII. Ita *scarire* propriè sit promulgare, publicè edicere. Fortasse etiam *scarrire* dixerint pro jungere scaræ, hoc est, turbæ militari, vel instruere scarâ ejusmodi. Saltem *scaritus* idem valet ac scaræ alicui militari adscriptus, vel etiam militari scarâ instructus. Fredegarius, vel quisquis ille, qui Pipini Regis gesta conscripsit: *Rex Pipinus in quatuor partes Comites scaritos, & leudes suos, ad perquirendum Waifarium, misit.* Ludovicus Pius Constitut. in Synodo Ticinensi, anno IↃCCCLV: *Cum ad nostrum quislibet nostrorum fidelium properat obsequium, tam eundo, quàm redeundo, gradiatur pacificè, &, ni generalis utilitas, cum scaritis veniat in statutis.* Ubi post *generalis*, videtur deesse *obstet*, vel simile. Sequitur deinde, providendum, ne scariti ea inferant damna, quæ milites solent. Latiùs verò extensa est *scariti* significatio ad omnes, qui alicui jungerentur corpori, etsi id non foret militare. Carolus Calvus tit. XLIII, apud Carisiacum, cap. XVII: *Unus eorum, qui cum eo scariti sunt, caussas teneat.* Etiam *exscaritus* legas in capitulis Karoli M. ineditis: unde à Sirmondo * citatur: *Ut medio mense Augusti cum exscaritis hominibus ad nos esse debeant.* *Exscariti* verò tum universè dicuntur, de quocunque collegio, vel societate, exemti; tum particulatim, exauctorati, è militum numero expuncti.

* Ad Caroli Calvi tit. 43.

Sio, pro *mejo*, sed de pueris, credo à sono factum: quod si fuerit, barbarum quidem erit, nec tamen à voce barbara: de quali origine nunc agimus. Gloss. Philox. *Siat*, οὐρεῖ, ἐπὶ βρέφους. Similiter à sono Belgicum *seiken*, quod itidem notat meiere.

Talliare, vide *Tallia*, cap. XVIII.

Tangano in Glossario exponitur, *adjuro*, *interpello*. Lex Salica tit. LX. §. I: *Tunc dicit ille, qui caussam requirit: EGO VOS tangano, usque dum inter me, & contra caussatorem meum, legem judicetis.* Item LL. Ripuariæ tit. LV: *Tunc ille, in quem sententiam contrariam dixerint, dicat: EGO VOS tangano, ut mihi legem dicatis.* Item tit. LVIII §. XIX: *Hoc constituimus, ut hominem Regium Romanum, vel tabularium, interpellatum in judicio non tanganet, & nec alsacia requirat.* Etiam *tangano* in auferendi casu legas, quasi à recto *tanganus*, vel *tanganum*. LL. Ripuariæ tit. XXX §. I: *Dominus in judicio pro eo* (servo) *interrogatus respondeat, & sine tangano loquatur, & dicat: EGO ignoro, utrùm servus meus culpabilis, an innocens, de hoc exstiterit. Propter eum* †, *secundùm Legem Ripuariam, super* XIV *noctes ad ignem repræsento.* Similiter tit. LIX §. VIII: *Dum interpellatur, respondeat ad interrogationes, & sine tangano loquatur; & dicat, Non malo ordine, sed per testamentum hoc teneo.*

† Clarius, & Latinè magis, dixerit; Propter id; vel Propterea cum.

Thingare quid significet, in *Thinx* diximus cap. XVIII.

Trufare, vel *truffare*, quid sit, exposui cap. XVIII in *Trupha*.

CAP. XXVI.

De cœptis à vocali V, vel consonâ W. Warantizare, *obstringere se ad alterum auctoritate suâ tuendum. Ubi & de* warando, *seu* waranto. Werrire, *ciere seditionem, vel bellum movere.*

Supersunt è verbis origine barbaris, quibus initium est à quinctâ vocali, & consonis sequentibus.

Utlagare, proscribere, in exilium mittere. Vide, quæ adduximus cap. XIX.

Warantizare dicitur major minorem defendens, ac securum reddens, ne ab adversariis opprimatur. Matthæus Parisius in Henrico III ad an. CIↃCCLVII: *Erat namque natione Wallensis, & generosus, ac strenuus: & quia, retroactis aliquot diebus, Regi adhæserat, Wallenses omnes terras, & possessiones suas, quas habuerat amplas, in cineres, quas rex warantizare nec voluit, nec potuit, redegerunt.* Legum Scoticarum opus (quod, à primis verbis, *Quoniam attachiamenta* inscribitur) cap. LV, hujusmodi habet breve de waranto: *Rex tali Vicecomiti salutem. Mandamus, & præcipimus vobis, quoniam justè compellatis talem ad warantizandum, justè & secundùm leges B. filio, & hæredi quondam C, terram de F, cum pertinentiis in tenemento de N, quam de eo se tenere clamat, hereditariè per chartam, secundùm tenorem dictæ chartæ, ne pro defectu vestro amplius inde justam querimoniam*

niam audiamus. Eodem opere cap. LXXVIII, §. III legas: *Rex debet ei excambium rationabile facere, vel ei dictam terram warantizare.* Gemma: *Varandizare, waranden, beschermen.* Ac ibidem; *Varandia, een beschermenisse, ofte een warande.* Vocabularium, ut nominant, quod Gemma inscribitur: *Varandizare, beschermen.* Ac ibidem: *Varandia, een beschermenisse, beschuddenisse.* Est à Germanico *waran*, hoc est, *bewaren*, servare; vel à *weren*, sive *beweren*, tueri, defensitare. Nempe quia rex, vel alius potentiâ pollens, eum tuetur, ac conservat, cui suam dignatur auctoritatem accommodare. Sic *Warantum* dicitur breve regium, quo quis semper potest probare, id quod facit, facere regio jussu. Sanè viri principes quandoque fœda quædam mandant ministris, ac postea defugiunt auctoritatem; eoque, qui eorum jussa executi, supplicio miserè pereunt. Sapiunt, qui priùs obtinuere manum principis: quia id breve verè est *warandum*, hoc est, *'t geen bewaert*, quod conservat: sive *'t geen beweert*, quod tuetur: à quorum alterutro etiam *warandum* dicitur. Nec solùm *warandum* est in regio jussu; sed etiam concessu. Ut in potestate venandi attributâ, ac similibus. Matthæus Parisius in Henrico III ad an. CIↃCCXXXII, de rationibus agens, quas exegit rex ab Huberto justitiario, inter cætera ait: *Item de libertatibus, quibus idem Hubertus usus est in terris sibi datis, & episcopatibus, & custodiis, sine warranto, quæ pertinent ad dominum Regem. VVarantum* etiam est securitas à venditore præstita emtori, quò tranquillè aliquid possideat. Qua de significatione satis actum cap. XX, in *VVarentem.* Eaque à significatione *warantizare* dicitur warantus, sive venditor, quando se emtori obligat per acta Curiæ, aut chartam, aut contractûs instrumentum. Per hæc enim emtor probat, venditorem in se suscepisse warantiam, sive evictionem rei in judicio petitæ. In iis tamen, quæ gratis sunt donata, donatus non obstringitur ad evictionem præstandam, nisi speciatim promiserit.

VVarnire quid sit, liquet ex iis, quæ in *VVarnitus* vidimus cap. XX.

VVerpire quid significet, dictum nobis superiùs in *Gurpire.* Etiam adi iis Barthium lib. XLVI Adversar. cap. XXIII.

VVerrire, turbas dare, arma inferre. Carolus Calvus Edicto synodi post reditum à Confluentibus*: *De ista die inante Karoli, H Ludovici Imperatoris filii, regnum illi non forconsiliabo, neque werribo†, si me Deus adjuvet, & ista sancta reliquia.* Est à *werra*, pro bello; de quo dictum cap. XX.

* Edict 27. §. 8.

† *Lego:* neque werribo. Sic me Deus adjuvet.

VVisare, aut *guisare*, quid sit, ostendimus in *VVisa*, cap. eodem. De verbis vidimus.

Cap. XXVII.

De particulis origine ipsâ barbaris. Uti est huz, *vel* huts, *pro foras.* Josum, *pro deorsum. Epilogus hujusce libri.*

Interdum verò & particulis peccatur, ortu ipso barbaris. Quale est *huz*, vel *huts*: quod planè Hebræum. Nam חוץ, *huts*, foris, foras, extra. Legas in Vita Ludovici Pii ab eo, qui tum vixit, conscriptâ: *Quibus id agentibus, sicut plures mihi retulerunt, conversâ acie in sinistram partem, indignando quodammodo, virtute quantâ potuit, dixit bis: Huz, huz: quod significat foras, foras. Unde patet, quia* malignum spiritum vidit: cujus societatem nec vivus, nec moriens, habere voluit.* Eadem legas apud Aimoinum lib. V de Gestis Francorum cap. XIX: nisi quòd apud eum *hutz, hutz*, scribatur.

* Quia, pro quòd. *Sed possis etiam dicere, non tam spectrum conspexisse demoniacum quàm rejecisse ab animo cogitationes de peccatorum multitudine, quas moribundis diabolus aggravare non cessat, ut desperent de misericordia divina.*

Josum, vel *jusum*, valet *deorsum*: ut clarè ostendit ἀντίθεσις† illa apud Eckehardum Juniorem de casibus monasterii S. Galli cap. IV: *In ipso quoque* (antiphonario) *primus ille literas alphabeti significativas, notulis, quibus visum est, aut sursum, aut jusum, aut ante, aut retro, assignari excogitavit.* Quæ etiam legas apud Ekkehardum in vita Notgeri cap. IX. Ac Hispani similiter, *metter de yuso.* Habes & in Legib. Alaman. Tit. XLV: *Pausare arma sua josum.* Etiam in naufragio trifariam discriminabant merces, & alia. Quædam dicebantur *flotson*; ut quæ in mari fluitarent, à Germanico *flotten*, pro quo Gallis *flotter*, Belgis *vloten*, Anglis *flitte.* Quædam verò *jotson*; quæ sidissent, fundumque petiissent: à quo *jotsom* κατὰ συγκοπὴν *josum* esse factum videtur. Quædam *lagon*; quæ rejecta essent in litus, inque arena jacerent; à Saxonico *lagan*; quod Belgis *liggen*; quibus & *laeg*, vel *leeg*, quod in imo jacet, sive humile, ac depressum.

† Oppositio.

Habemus de nominibus, verbis, particulis, ortu ipso barbaris: quorum non minùs, quàm eorum, quæ barbara quidem sunt, sed à non barbaris promanarunt, magnam vim reperias in vitis Sanctorum, præsertim prout primitus scriptæ. Non sat bene de antiquitatis amantibus promeritus est Laurentius Surius Carthusianus, cùm earum stylum immutavit. Quamquam enim non ignoro, eò id fecisse, quò ab iis, qui palati essent delicatioris, avidiùs legerentur: impensiùs tamen probo doctissimi Bollandi institutum: qui, præterquam quòd multorum Vitas exhibet ineditas hactenus; id, in quo aliquantum peccârat Surius, in Sanctis primi mensis jam corrigere est aggressus, & de cæteris idem pollicetur. Sanè suo si stylo dentur, certiùs constabit de multis; ubi alioqui periculum sit, ne interpolator fallsus fallat, quia malè sit assecutus mentem scriptoris. Et in id genus barbaris, mutuò sibi allucent facem, vitæ Sanctorum non interpolatæ, & alia aliorum scripta, qui pares sint, aut suppares. Nec periculum est, ne ob styli barbariem legantur minùs. Quin, ob fidem majorem, ea, sed cum judicio, versabunt magis, qui omnigenam historiam tam Ecclesiasticam, quàm civilem, amant; nec tam quærunt verborum folia, quàm rerum fructus.

FINIS LIB. II.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

VITIIS SERMONIS,

AC VARIIS GLOSSEMATIS,

LIBER III.

CAP. I.

TRansitur ad secundi generis Latinobarbara; quæ, barbara licet ipsa, non tamen barbaræ sunt originis; sed Latinæ, vel Græcæ. In horum aliis quidem, quid significent, liquet; in aliis non item: in priori genere solùm exponendum, quomodo veteres pro eo dixerint: in altero gemina significatio adstruenda ex origine vocabuli, & scriptoribus, qui usurparint. De utroque junctim videndum: ac primò de Nominibus, & in his ante cætera de inchoatis à principe vocali: ex quibus ista adducimus. Abocellus, *qui vix videt.* Abominabilis, *pro detestabilis.* Accidia, *pro acedia.* Acetosa, *pro rumex.* Accubita, *pro stibadii lectulo.* Acquisitio, *pro comparatione.* Acra, *pro agro.* Actionarii, *quibus res nostras agendas committimus.* Actinosus, *pro radians, sive splendens.* Addititius, *pro appositus.* Adjacentiæ, *loca vicina sub eodem domino.* Adoptatio, *pro adoptio: maleque alterum auctoritate Agellii defendi: & à quo Noctium Atticarum sint argumenta; à quo item Græcorum interpretatio.* Adsalitura, *invasio, atque insultus latrocinantium, ac similium.* Adversitas, *pro res adversæ.* Æra, *supputationis initium.* Affectuosus, *de eo, qui singulari est erga alium affectu.* Afflictio, *assimulatio.* Affirmativa, *rectiùs ajentia; ut* negativa, *negantia.* Afflatio, *afflatus.* Agagora, *circumforaneus.* Agibilis, *res gerenda.* Agonia, *carnis, ac spiritus, in moribundo conflictus.* Alabrum, *vel* alibrum, *pro muliebri rhombo: unde* alabrare, *pro fila rhombo glomerare.* Allevamentum, *lenimentum.* Allox, *vel* hallux, *pro allex.* Almitas, *pro sanctitas.* Altaragium, *oblatio in altari.* Alternitas, *pro alterna vice.* Ambigena, *pro hermaphrodito.* Amnenses, *qui fluvium accolunt.* Amphibalum, *vel potiùs* amphibolum, *amictûs genus.* Animalculum, *pro bestiola, vel homullo.* Anitergium, *quo anus tergetur.* Antemurale, *propugnaculum ante muros.* Anterior, *pro prior.* Antiphonarium, *antiphonarum codex.* Aplaria, *cochlearia; unde* aplarius. Apocrisiarius, *legatus Ecclesiæ.* Apostillus, *epistola dimissoria.* Apparentia, *pro specie, quâ tale quid videtur, quale non est.* Appendicia, *pro eo quod aliunde dependet.* Appodiatus, *innixus.* Appunctamenta, *pro actis conventis.* Aptitudo, *habilitas.* Aquagium, *locus unde aqua ducitur.* Arbusculosus, *arbusculis consitus.* Archipontifex, & archipræsul, *pro pontifex maximus, & summus præsul.* Archisterium, arcysterium, ascysterium, architerium, *pro asceterium, sive monasterium.* Arga, *pro inerti.* Argumentosus, *contentiosus.* Aripennis, *vel* aripennus, *certa agri mensura.* Armilausia, *vel* armelausa, *vestis armos, sive scapulas, contegens.* Arrestum, *sententia Curiæ: unde* arrestare, *decernere.* Arsus, *pro usto, vel tosto.* Articula, *pro articulus.* Artigraphus, *pro artis scriptore, vox hybrida; quales etiam* dextrocherium, chrysoclavus, holoverum. Artilleria, *machina bellica.* Artista, *artium liberalium doctor.* Ascella, *pro axilla.* Assisa, *consessus.* Assuefactio, *consuetudo.* Astulæ, *pro assula.* Asylus, *pro asylum.* Auca, *anser.* Audibilis, *cadens sub auditum.* Audientialis, *per quem ad Principis audientiam devenitur.* Augmentabilis, *augmenti capax.* Augmentator, *amplificator.* Aurifrigia, *opus Phrygium aureis filis.*

NUnc ab iis, quæ originem barbaris debent gentibus, venio ad illa, ubi majores agnoscas Romanos, vel Græcos: ipsa tamen ignota sint illis, quos hodieque pro norma, & amussi dictionis, esse habendos, elegantiorum nemo in dubium vocant. Hæc duûm generum erunt. Quædam vulgò sunt in usu, atque ab omnibus intelliguntur: in quibus propterea non tam opus est apponere, quid significent, vel quis usurpet; quàm quomodo pro iis loquantur puri sermonis amatores; præ cæteris Tullius. Alia verò interpretationis egent; ut sine qua intelligi nequeant scriptores Latinobarbari, qui abavorum, & ante eos, claruere temporibus; aliqui etiam sex septem, imò denis, & amplius, retro seculis. Utraque hæc ita sociabo, ut, quemadmodum superiori libro in origine ipsâ barbaris faciebam, hic etiam in ternas ea digeram classes; nominum, verborum, particularum. Ac ne in minutiis istiusmodi laborem mihi faciam molestiorem, nunc itidem literarum ordini insistam.

Abocellus senex, pro eo, qui penè oculis captus, semicæcus: apud Petrum Blesensem Serm. XVIII, & XLIII. Ut *amens*, quasi sine mente; sic *abocellus*, quasi sine oculis.

Abominabilis, pro *detestabilis*, vel *detestandus*. Hieronymus tamen ad Jeremiæ XXII. 31. vocabulum שערורי *gnhariri* à Symmacho Græcè ait exponi eâ voce, quæ Latinis *abominabilem* signat.

Accidia Scholasticis frequens, pro *acedia*; ut Cassianus vocat lib. quincto de institutis cœnobiorum cap. 1; ubi exponitur, *anxietas, sive tædium cordis.* Ubi LXII interpretes Psalm. CXVIII, 28: Ἐνύσταξεν ἡ ψυχή μου ἀπ' ἀκηδίας: quod vetus interpres reddit, *Dormitavit anima mea præ tædio.* Quod *accidia* dicant, ex eo est, quòd vocalis H, ut I, pronunciari soleat: quomodo & *eleison* dicunt pro *eleëson*, cùm Græcè sit ἐλέησον. Multa de acedia disserit Thomas in secundâ secundæ, quæst. XXXV; ut scholasticorum alios mittam. Hinc *Accidiari*, de quo in Verbis libro proximo.

Acetosa à grato acore vulgò nuncupatur, quæ Græcis ὀξαλὶς, *rumex* Latinis. Sed in plantarum nominibus crebrò βαρβαρίζουσι: ut dictum lib. 1 cap. XXVIII.

Accubita, vox ignota antiquis: sed res etiam nova. Nam cùm veteres, accumbentes mensæ, tribus lectis uterentur, quæ quadratam efficerent figuram: postquam sigma sive stibadium est repertum, etiam lectulum, in quo accumberent, σιγμοειδῆ sive semicircularem esse, necesse fuit.

Usi eâ voce Lampridius in Heliogabalo, & vetus interpres Juvenalis sat. v, vers. xvii. Verba hujus: *Antiqui stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur; unde triclinium sterni dicitur.* Plura de eo Salmasius ad Lampridium.

Acquisitio an veteres dixerint, ambigo. Sanè pro eo *comparatio* lego apud optimos scriptores. In glossis tamen est: *Acquisitio*, περιποίησις. Etiam de plurium rivorum collectione usurpatur apud Frontinum de Aquæduct.

Acra est ab Saxonico *acker*; uti hoc à Latino *ager*, id ab ἀγρός. Nec tamen simpliciter agrum notat: sed certam agri mensuram, quomodo Latini *jugerum* dicunt. Crebra est vox in Regum, & aliorum Donationibus: ut ex Ingulpho, & aliis, videmus. Sigebertus in Chronico ad an. ciↃccI: *Rogerius Torel, miles illustris Vulcacinensis territorii, dedit Ecclesiæ Gemeticensi in perpetuam eleemosynam apud Gisenneas* xvi, *& dimidiam, acras terræ arabilis, &* vii *acras nemoris, in manu Walteri archiepiscopi reddidit.* Usus & Matthæus Parisius: sed frustra in prima editione quæras. Nam editor ubique expunxit; proque ea *jugerum* reposuit. At in editione clarissimi Watsii, viri cum aliis, tum editione hujus scriptoris, optimè de Historia meriti, *acra* suis restitutum locis. Walsingamus in Richardo II*: *Nulla acra terræ in Comitatibus prædictis, quæ in bondagio, vel servitio, tenens altius, quam ad quatuor denarios, haberetur.*

* Pag. 270.

Actionarii, actionibus præpositi. Leges Longobard. lib. I Tit. IX Leg. XXVIII. Usus & Petrus Diaconus, monachus Casinensis. Gloss. vett. *Actionarii, qui res nostras agunt.* Et particulatim magis Glossæ aliæ: *Actionarii, Comites, actiones, & jura perquirentes.*

Actinosa Ecclesia, pro radiis pietatis resplendens, ab ἀκτὶν, *radius.* Sic locutus B. Ambrosius de interpellatione David.

Additiius, pro *additus, appositus*, pervulgatum quidem: sed auctorem idoneum requiro.

Adjacentias dixere loca vicina, eidem domino parentia. Ludovicus Rex, Pii filius, Caroli M. nepos: *Curtem nostram Turegum in Ducatu Alemannico, in pago Durgangensi, cum omnibus adjacentiis.* Habes apud Simlerum in Helvetia lib. I †. Nempe *adjacentia*, singulari, pro plurali: quomodo & *pertinentiam* dixere. Ita Sigebertus ad an. ciↃccI: *In hominibus, & oblationibus, & redditibus, sive pertinentiis.* Vide infra, *Pertinentia.*

† Pag. 4.

Adjactivus quis sit, inferius in *Jactivus* exponam.

Adoptatio, pro *adoptio*, usurpant nonnulli: ac se tuentur illo Agellii lib. v cap. XIX: *Quod per prætorem fit, adoptatio dicitur: quod per populum, arrogatio.* Sed planè puto legendum, *adoptio.* Sic enim ab *adoptando* veteres καὶ συνήθως maluere; quomodo iidem ab *auctionando*, hoc est, publicè sua bona vendendo, non *auctionatio* dixere, sed *auctio.* De Agellii loco firmat, quòd argumentum ab ipso sic concipiatur: *Quid sit adoptio, quid item sit arrogatio.* Noli enim putare, argumenta aliunde esse, quàm ab ipso Agellio: qui operi suo præmiserat præfationem, & capitum argumenta. Nunc præfatio, sed ἀκέφαλος*, pars facta ultimi capitis; argumenta autem suo cuique capiti præmissa. Atque hoc observatum etiam Ptolomæo Flavio, Observat. cap. XCV. Nempe penè simile est, ac Plinio placitum: cui præfatio, & index scriptorum, unde sua hausit, primum constituunt librum. Græcorum verò apud Agellium interpretatio, non ab Agellio est; sed Theodoro Gaza: uti inter alios monitum Andreæ Alciato Annotationibus in Posteriores Codicis libros †.

* Capite sive initio carens.

† Pag. 575. edit. Lugdun.

Adsalitura barbarum, pro quo veteres *adsultus.* Sed *adsalitura* est magis speciale. Juramentum Franci hominis in Constit. Caroli Calvi tit. XII apud Sylvacum cap. XIII: *Ego isti adsalituram, illud malum, quod scach vocant, vel tesceiam, non faciam; nec, ut alius faciat, consentiam.* Similiter in frumento Centenarii, quod proximè subditur. Nempe *adsalitura* dicitur de adsultu raptorum, latronumque, ex insidiis homines invadentium.

Adversitas displicet: Tullius pro eo *res adversæ*, vel *turbida*, aut *gravis fortuna.*

Æra, pro quo & *era*, dicitur pro epocha, sive supputationis initio. In Gothicarum, ac Hispanicarum rerum scriptoribus, plurimisque Conciliis, est crebrum: atque ab eo tempore inchoat, quo Hispani, jussu Augusti, recepere formam anni Juliani: quod factum XXXVIII annis ante natum Jesum Christum, ex vulgari æra Christi: ita ut, duodequadraginta annis demtis de æra Hispanica, habeamus annos Christi: additis totidem ad æram Christi, habeamus æram Hispanicam. De vocabuli origine disserimus in Originum libris.

Affectuosus, is, qui magno erga aliquem affectu. Glossæ Mss: *Affectuosus*, συμπαθής. Unde *affectuosius*, apud Petrum de Vineis lib. III epist. III, & Arnoldum Lexoviensem epist. ad Alexandrum Papam. *Affectuosissimè*, hoc est, maximo cum affectu, apud Abbatem Bonæ Vallis in vita S. Bernardi.

Affictio, pro assimulatione, apud Nithardum invenio.

Affirmativa, & *negativa*, vulgaria sunt Dialecticis. Sed cur non potius cum veteribus *ajentia*, & *negantia*, dicamus? Nec tamen magnopere de his contendero; quando hæc Caii sunt L. CCXXXVII Tit. de verborum significationibus: *Duobus negativis verbis, quasi permittit lex magis, quam prohibuit.*

Afflatio ajunt, pro eo, quod Tullio *afflatus divinus, vaticinatio*; generatim etiam *motus.*

Agagora, pro circitore, seu circumforaneo, Henrico Monacho de vita Germani lib. VI. Nempe ab ἀγορὰ, *forum.*

Agibilis displicet, pro res gerunda. Quomodo Tullius *, *Senectus avocat a rebus gerendis.*

* Lib. de Senect.

Agonia, pro certamine, quod moribundi certant, à Græco ἀγών, quod est certamen. Cæsarius lib. VI Mirac. cap. XVII: *Posito eo in agonia, diabolus adfuit.* Similiter lib. VII cap. LIII: *In ipsa agonia ridere cœpit.* Similiter *agonizare*, de jamjam animam acturis. Idem lib. I Mirac. cap. XXXV, & lib. V cap. VIII, & lib. VI cap. XXXVI. Item Rogerus de Houeden Tom. II Vitæ Henrici II.

Alabrum vulgò vocatur, quod aliter *rhombum* dicere solemus: muliebre videlicet instrumentum, quo fila rotando glomerantur. Belgis *een haspel*: unde *alabrare, haspelen.* Habet quasi alas quasdam; ut, si origine Latinum est, sic ab *ala* dici videatur; veluti a *candela* est *candelabrum.* Saltem verisimilius hoc, quam quod apud Isidorum legas, qui *alibrum* nuncupat. Locus est lib. XIX Orig. c. XXIX: *Alibrum, quod in eo librentur fila, id est, solvantur.* Rem non obscurè describit: sed etymon eo minùs placet; quia non, uti *amitto*, ita *alibero*, dicatur.

Allevamenta quæ vocant, cum veteribus dixeris *lenimenta.*

Allox, pro *allex*, legas apud Althelmum episcopum lib. I cap. XLII; ubi de S. Juliani, & sociorum martyrio: *Dum, licus olei liquore delibutis, digitorum articulos, & palmarum pollices, obvolverent, simulque pedum alloces truciter adnecterent* &c. Collega vetus, clarissimus Meursius, mavult *allices.* Movit eum hoc Festi: *Allex* †, *pollex scandens proximum digitum: quòd velut insiluisse in alium* * *videatur, quod Græcis ἅλλεσθαι.* Ac similiter glossæ Isidori: *Allex, pollex in pede.* Sed veteres quidem *allex*; at posteriora secula *allox*, vel *allux*, vel *hallux.* Onomasticon: *Hallux*, ἀντίχειρ. Nihil igitur mutandum. Solùm illud in considerationem venit, quòd Festus strictiùs vocem *allicis* interpretetur, quàm Isidorus facit, vel Althelmus usurpat; ut qui generatim eo pedis pollicem intelligant; non eum duntaxat, qui digitum vicinum conscendat.

† Alii codd. Allux.

* Mss alterum.

Almitas non memini me legere apud idoneos scriptores: *almities* priscos pro eo dixisse, colligo ex Festo, Charisio, & Glossis. Alterum usurpat Paschasius Ratbertus in vita S. Adelardi † cap. IV sect. XV: *Pulcra facie; sed fide, ac sanctitate, pulchrior: dives progenie; sed ditior almitate; quia propago erat natus de propagine cœli.* Incertus in vita Tillonis monachi, sive S. Hillonii, cognomento

† In Vitis SS. ad 2 Jan. apud Bolland.

mento Paulli*, cap. III sect. XXX: *Non contingat tibi hoc, Sacerdos sancte; neque nobis videre* (te morientem;) *sed almitatem tuam Christus mundo adhuc conservet.* Hoc est, sanctitatem: nempe ab ea *almus* significatione, non quâ Ceres, Plauto etiam nutrix, alma dicitur; sed quâ Lucretio, & aliis, sic Venus nuncupatur. Nempe propriè *almus* est, qui alit: sed altori sanctus honos debetur; unde τὸ μεταληψιν pro *sancto* sumitur.

* In SS. vitis ad 7 Jan. apud Boll.

Alteragium, vel potiùs *altaragium*, nummorum, panum, vel alius rei, oblatio facta in altari; unde & nomen. Matthæus Parisius in Vita Gulielmi, abbatis vigesimisecundi S. Albani: *Assignabatur sexta pars illius æstimationis in obventionibus alteragiorum.*

Alternitas eorum est, quæ alternâ gaudent vice. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adalberti cap. VI sect. XXIX†: *Unicâ fervens in eum amoris caritate, gaudebat; & dolebat, mutuâ animi alternitate.*

† In vitis Sanctorum ad 2 Jan.

Ambigenum, pro *androgyno*, sive *hermaphrodito*; quia *genitus* sic, ut *ambo* ei sexus insint. Petrus Blesensis epist. XC: *Ambigena non generant, teste Hippocrate*. Quod igitur genitalia in mulo faciunt, hoc sandalia in Abbate.* Abbati Gulielmo conatur persuadere, ut si Abbas permanere velit, Pontifici remittat episcopalia ornamenta, mitram, annulum, sandalia.

* Lib. I de ratione victus.

Amnenses, amnis accolæ. Gloss. MSS: *Amnenses*, παραποτάμιοι.

Amphibalum, vel *amphibolum* potiùs, vestis laxæ genus, corpus undique ambientis, ἀπὸ τοῦ ἀμφιβάλλεσθαι, quod notat *circumjici*, *indui*. Usurpat Anonymus in vita S. Boniti, cujus temporibus vixit, cap. II. sect. IX†: *Lachrymarum ei gratia in sacro non deerat officio, ita ut amphibali summitas, quâ caput tegebatur, ex profusione earum madida videretur.* Et cap. VII sect. XXXV: *Dic Abbatissæ Didæ, ut partem amphibali mei, quo caput tegitur, secum retineat.* Usus similiter Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap. LIX.

† In vitis Sanctorum ad 15 Jan. apud Bollandum.

Animalculum vide an dixerint classici scriptores. Malim cum his *bestiola*; vel, in ratione præditis, *homullus*.

Antergium, vox non inscitè composita, veteribus tamen, ut arbitror, ignota. Utitur Petrus Damiani lib. I epist. IX, quæ ad Nicolaum Papam II*: *Materias congerebat, quibus ad requisita naturæ necessaria fratribus antergia ministrabat.* Simuleque *facitergium*; de quo cap. XII.

* Pag 33. edit. Paris. an. 1610.

Antemurale propriè propugnaculum ante muros; impropriè, quod illud referat. Non puto, legi apud idoneos scriptores: nec tamen minùs sic dici potuit, quàm *antelucanum*, *antemeridianum*, *antepilanum*. Usurpat Frodoardus in Chronico†: *Quod circumdantes Franci, vallum, quo pro antemurali cingebantur, irrumpunt.* Sæpius quoque utitur Matthæus Parisius: qui & Damiatam dicit* *clavem*, & *antemurale totius terræ Ægypti.*

† Paginâ 225.
* Ad ann. 1220.

Anterior, pro *prior*, apud Priscianum† lego: sed non occurrit nunc mihi scriptor classicus, qui usurpet: nec affert Priscianus; solùm dicit: *Abeo, quod est, Ante, anterior, superlativum in usu non invenis.* Hactenus igitur suspectum. Apud Cæsarem quidem lib. III. bell. civ. vulgo legitur, *milites in anteriorem vallum tela jaciebant*; sed perperam, cum libri MSS. habeant *exteriorem*.

† Lib. 3. cap. 2. quod est de superlativo.

Antiphonarium nesciunt vetustiores. Sed puto dici potuisse, ex quo ritus antiphonarum inductus est. Utitur Chronicon Casinense lib. II, cap. ult. Non dubium verò, quin ex Occidentis Ecclesiis prima antiphonas usurpârit Mediolanensis; idque auctore B. Ambrosio; de quo id in vita ejus proditum a Paullino. Idemque postea proditum à Sigeberto in Chronicis, & Radulpho Proposit. XII. In Orientis Ecclesiis, quas secutus Ambrosius, prima præivit Antiochena; ubi is mos inductus a Diodoro, & Flaviano; ut à Theodoreto traditum: veriùs, ut arbitror, quàm qui à B. Ignatio hanc consuetudinem arcessiunt. in his Walafridus Strabo de rebus Eccles. cap. XXV, & Sigebertus in Chronicis.

Apalare, & *applare*, censeo esse origine Latina; utcunque, nonnisi inclinante jam Latino sermone, invenias. Primus, quem usum reperiam, est Ausonius epist. XX:

Jam patinas implebo meas, ut parcior ille
Majorum mensis apalaria succus inundet.

Negat Vinetus, se intelligere, quid vocis sit *apalare*. Hermolaus Barbarus, lib. II Corollariorum in Dioscoridem, pro *apalaria* reponebat *apuarum*. Turnebus in Adversariis prius *epularia* corrigebat: postea maluit *hapalaria*, quasi pertinuerit ad ova ἁπαλά, sive mollia. Primus Josephus Scaliger in Ausonianis Lectionibus vidit, rectum esse *apalaria*, vel *applaria*; ac *cochlearia* signari. Isidorus in Glossis: *Applar*, *cochlear*. Glossæ S. Germani: *Appia* (*appla* legendum) ἀλιεὺς σκεῦος, ὡς Παχνῖος. Unde *appla* videri possit obsoletum, ac olim poëtæ Pacuvio usurpatum. Ut ab *olla*, *ollar*, à κάλπη, *calpar*; sic ab *appla* vase, *applar*. Vel in glossario memorato *applar*, aut *aplar*, legendum. Hinc *apallaris*, h. e. *cochlearius*. Anastasius bibliothecarius in Sergii vitâ: *Posuit in absidâ basilicæ suprascriptæ super sedem apallariam argenteam.*

Apocrisiarius, vel *apocrisarius*, pro legato; ac propriè Ecclesiæ†: sed postea etiam ad principum legatos extensa est significatio. Constantini demum temporibus hæc legandi consuetudo in Ecclesia cœperit; si audimus Hincmarum epist. III cap. XIII. Ut in re novâ non magnopere novo offendi vocabulo debeamus. Usi præterea Paullus Diaconus de gestis Longob. lib. III cap. XIII, & lib. IV cap. XXX, Anastasius, & Abbo Floriacensis, in Pontificum Vitis, Otho Frisingensis, Ivo Carnotensis, aliique magno numero: è Græcis item Justinianus Novell. VI, Zonaras, Nicetas, &c. Apud Papiam est: *Apochrysarius*, *thesaurarius*, *vel legatus.* Nempe putavit, esse à χρυσός, aurum. Sed omnino ex eo accepit nomen, quòd illius esset ἀποκρίσεις, sive ἀπόκρισιν ποιεῖσθαι, *responsum dare*. Itaque *responsales* vocat Hincmarus epistolâ antè memoratâ. Unde etiam discimus, palatium rexisse; dictumque Palatii custodem, vel capellanum; eundem, & Comitem Palatii, omnes caussas tractâsse; etiam Ecclesiastica, Canonica, ac Monastica confecisse negotia.

† Isidori Glossæ in Apocrisiarius.

Apostillus, epistola ἀπολυτική, sive dimissoria; à voce *apostolus*; quomodo dimissoria epistola vocatur sæpius in Digestis. Matthæus Parisius in Henrico III*: *Siquis ad nos*, (h. e. Papam) *duxerit appellandum; caussam appellationis in scriptis assignare deproperet; petat apostillos, quos ei præcipimus exhiberi.* Non dubium, quin ab ἀποστέλλειν, quod est dimittere, veniat *apostolus*, & diminutivè *apostillus*. *Apostoli* vocem eâ significatione sæpius habemus in Digestis. Ac lib. XLIX titulus VI est, De libellis dimissoriis, qui *Apostoli* dicuntur: quomodo & in lege, quæ subjungitur, interpretatur Marcianus.

* Paginâ 678 edit. Lond.

Apparentia, numero singulo, pro specie, visione, visu, vulgare est; sed barbarum.

Appenditia, vel potiùs *appendicia*, habes in diplomate Childeberti, Francorum Regis, apud Aimoinum lib. II cap. XX; item privilegio Caroli Simplicis apud eundem lib. V cap. XLII; ac aliquoties in privilegio à Joanne Papa confirmato, apud Baldericum Cameracensis Chronici lib. I cap. XXV: adhæc in diplomate Eugenii Papæ ad Heloissam: *Quemadmodum vobis ratiocinabiliter concessa sunt cum universis appendiciis.* Nihilo melius est, *appendentia*: quod usurpat Guilhelmus Heda: *Civitatem*, inquit, *unà cum omnibus appendentiis, regali donatione concessit.* Veteres dixere *appendices*; vel, re majori nominatâ, subjiciebant, quæ sub ea comprehenderentur, sive quæ de ea dependerent.

Appodiatus propriè sit podio innixus: sed generatim sumitur pro appositus, applicatus, innixus. Legas in epistola Joannis Papæ in Chronico Bohemico Aulæ Regiæ cap. X: *Per summitatem cujusdam scalæ, brachio crucis appodiata.* Item cap. XXII: *Sedebam quietus Pragæ —— appodiatus lapideo parieti.*

Appunctamenta quæ vulgò dicuntur, ea Budæo in Forensibus dici placet *acta* & *conventa controversiæ*. Sic, pro illo, *sine appunctamento*, dicere jubet, *citra compe-*

vendinationem: nempe ut primo certamine controversia decidatur.

Aptitudo vulgo, quæ *habilitas* Tullio. Prius istoc non arbitror apud idoneos scriptores reperiri.

Aquagium, locus unde aqua agitur. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbejensis, cap. IV: *Semper quippe, quasi aliquod aquagium, manabant ex eis* (oculis) *lachryma.* Diploma Hiliundis Comitissæ †: *Silvam ad porcos alendos cum omni jure, wanicapto, teloneo, molendino, censu, pedagio, & aquagio in pratis, &c.*

† Apud Miræum in Notit. Belg. Eccl. pag. 133.

Arbusculosus, εὐώδενδρ☉, Gloss. Mss. Homero est δενδρήεις, δενδρώεις, πολύδενδρ☉. Latinè, *arboribus*, vel *arbusculis abundans*, *arboretum*, vel *arbustum*.

Archipontifex legas in vita S. Ludgeri, prout ex Othelgrimo, Altfrido, Uffingo, & discipulo quodam Bernardi abbatis, est concinnata*, cap. XXI: *Quod cùm Hildebaldus, Coloniensis archipontifex, qui viro sanctissimo amicissimus erat, percepisset.* Præterea est apud Galfridum Monemuthensem Histor. regum Britann. lib. IX cap. XIII: item *archipræsul*, apud eundem lib. IX cap. XII, & XIII, & lib. XI cap. XII, ac Rogerum Hovedenum Annal. Tom. I. Sed cur non potiùs dicamus *pontifex maximus*, vel *summus pontifex*, aut *præsul*, vel hujusmodi quid. Nec similia, *archiepiscopus*, *archipresbyter*, *archimandrita*: quia in his non est hybrida illa compositio, cùm ex duobus Græcis conflentur. In *Archiducis* vocabulo usus rationem vicit; ut diximus lib. I cap. XVI. Ubi & de *archigubernis*, & *archipherecita* vocabulis, vidimus.

* Edita Coloniæ à Quentelio an. 1515.

Archisterium, ut Papias exponit, est monasterium. Græcum esse ait. Sed Græcè est ἀσκητήριον, quod propriè palæstra, sive locus, ubi se exercent. Inde corruptè *archisterium*. Ut apud anonymum in vita S. Deicolæ abbatis †, discipuli S. Columbani, cap. I §. I: *Gloriantur se fortiris Dominici gregis ductores in civitatibus muratis, & archisteriis episcopalibus, nec non castellis turribus præmunitis.* Imò & similiter legitur apud Euagrium in vita Antonii Magni, quam ex S. Athanasio transtulit. Locus est cap. XIX: *Judices, qui ad interius archisterium, propter asperitatem itineris, —— ire non poterant.* Quem ad locum * Bollandus similia quædam loca observat. Ut in vita S. Walpurgis: *Atrium S. arcisterii, & cæmeterium adjacens arcisterio.* Vita S. Willibaldi: *Arcisteriale jugiter.* Ac similiter Edgarus rex Angliæ, in Sanctione de instaurato monasterio Wintoniæ †: *Wintoniensis Ecclesia Novi Monasterii arcisterium, nostro Salvatori, ejusque genitrici semper virgini Mariæ, & omnibus Apostolis, cum ceteris Sanctis dicatum, restauravi.* Paulus Langius in Chronico Citizensi ann. CIϽCCCCXIX, *Burchfeldense archisterium.* Imò & *arcysterium*, pro *asceterium*, legas apud S. Eulogium in epistola ad Willesindum, Pampelonensem episcopum: *ascysterium* pro eodem lib. I Memorialis SS. item *architerium* in historia translationis S. Faustæ §. III: *Tantam erga ipsum architerium habebat* (Atraldus) *devotionem, ut spondens voveret, se in eodem pro Christi amore comam capitis sui depositurum.* Quibus *archisterium* non improbatur, adferunt pro se istoc ex Glossario Cambredonensi Mso: *Archisterium, monasterium. Archisterium, principalis statio: sterion enim statio dicitur; archos, princeps.* Sed ineptum est ἴσημεν. Ἀρχὸς quidem *princeps*: sed σήριον non est Græcum: in μοναστήριον, & similibus, solùm vocis est productio.

† Apud Bollandum in vitis SS. ad 18 Jan.

* In Vitis SS ad 17 Jan.

† Apud Seldenum, Notis ad Eadmerum pag. 155.

Arga, iners & inutilis, est quidem ex Germanico *arg*: sed hoc ex Græco ἀργὸς, quod ex ἄεργ☉, piger, iners. Possis igitur referre, tum ad barbara originis barbaræ, tum ad illa non barbari ortus; prout vel ἴσμεσον †, vel ἄμεσον * ortum attendas. Usus Paullus Diaconus lib. I. de gestis Longobardorum cap. XXIV: *Quem dum interrogaret, quid de illis latrunculis factum esset, Argaid ei* (*sic enim nomen habebat*) *eosdem fugisse respondit. Tunc ei Ferdulfus indignans, ita locutus est: Quandò tu aliquid fortiter facere poteris, qui Argaid ab Arga nomen deductum habes?* Ac post aliqua: *Tum Argaid ita Ferdulfo dixit: Memento, Dux Ferdulfe, quòd me esse inertem, & inutilem, dixeris; & vulgari verbo Arga vocaveris.* L L. Longobardicæ lib. I tit. V, qui est de convitiis, leg. I: *Siquis alium argam per furorem clamaverit, & negare non potuerit, & dixerit, quòd per furorem dixisset: tunc juratus dicat, quod eum argam non cognovisset.*

† Remotiorem. * Proximum.

Argumentosus, pro eo, quod multiplex argumentum continet, jam Fabii ætate dicebatur: sed à vulgo solùm; ut ipse indicat lib. V cap. X. At posterioribus seculis etiam *argumentosus* vocabatur, qui in aliis arguendis semper foret, sive homo contentiosus, &, ut Græci dicunt, φιλονεικής. Luitprandus in Legatione sua ad Nicephorum, Imperatorem Constantinopolitanum †: *Nicephorum basileus, homo πανοῦργος, id est, militiæ deditus, palatium, cenpestem, abhorret; & vocatur à nobis propè simultatis amator, atque argumentosus, qui non pretio sibi gentes amicas, sed terrore, & gladio, sibi subditas facit.*

† Pag. 116 edit. Ingolstad. an. 1600.

Aripennis, vel *aripennus*, est certa agri mensura; quæ Gallis hodie *arpent*. Gregorius Turonensis lib. V cap. XXVIII: *Statutum fuerat, ut possessor de propria terra unam amphoram vini per aripennum redderet.* Incertus veterum formularum scriptor, qui in Bignonianâ editione Marculfo proximè subjicitur, formulâ sive cap. L: *Oppignero tibi vineam, —— quæ continet aripennos tantos.* Hunc vocabulo inter barbara, origine Latina, locum dedimus, propter illud in scriptoribus agrorum*: *Hunc Batici arapennem dicunt, ab arando scilicet.* Bæticum ait, & tamen ab origine Latinâ. In glossis vett. *arpennium* exponitur ἀλῶ☉ω. Hoc (ut quidem Scaliger censet, notis in Diras Valerii Catonis) sic dicitur, quasi *arvipennium*, ab *arvum*, & *pannere*, pro *pandere*: quomodo apud Plautum *dispennere* est à *dis*, & *pando*. Multùm tamen metuo, ne fallatur Scaliger. Nec enim Bætici id verbi finxissent à vocibus obsoletis. Uti neque Galli; quibus vocem *arapennis* tribuit Columella lib. V cap. I. Fusiùs de hoc agimus in Originum libris.

* Pag. 129 edit. Turnebianæ.

Armilausia, vel *armilausa*, pro thoracis genere, apud veterem Juvenalis interpretem sat. V. vers. CXLIII; ubi *viridem thoraca*, exponit *armilausiam prasinam*. Usus & Paulinus epist. III: *Cum præterea facie non minus, quàm armilausâ, ruberet.* Et epist. VII: *Sibi ergo ille habeat armilausam suam, & suas caligas.* Vox est composita, cujus prior pars *armus*. Nempe ex eo nomen, quòd armos, hoc est, scapulas, tegeret. Posterior pars obscurior est: quam tamen se reperisse censet Isidorus lib. XIX Originum cap. XX; ubi sic scribit: *Armelausa vulgò, quod ante, & retro, divisa, atque aperta est, in armos tantùm clausa, quasi armiclausa, C literâ ablatâ.* In Glossis Isidori est: *Arnelaus, scapulare monachorum.* Ubi Salmasius † rectè correxit, *armilausa*. Quod verò *scapulare* interpretatur, satis firmat etymon ab armis, hoc est, scapulis; ut ἐπωμίδα liceat reddere. Extendebatur μέχρι τῶν γονάτων, *ad genua usque*: sicut est apud Mauritium in Strategicis, qui ζαμελαύκιον vocat; ut & Suidas in Ἀρμελαύσιον.

† Ad Trebellium Poll. pag. 335.

Arrestum, pro ἀρέσειν, h. e. placitum, sive sententia Curiæ, ab ἀρέσκειν, *placere*. Ergo pro, *Aresto Curiæ decretum*, rectius fit, *ita placuit Curiæ*. Frequens vox in Foro: uti & verbum inde formatum, *arrestare*: quod & usurpat Concilium Pisanum in Promot. Philippus IV Galliarum R. III edict. de non carc. deb.* Beka in vita Ottonis II, episcopi XXXIV. Malim pro eo decernere, sciscere: quandoque vadari; item, sub placito principis, vel curiæ detinere.

* Pag. 106.

Arsus, pro flagratus, vel etiam tostus: quo pacto utitur Plinius Valerianus lib. II cap. IX.

Articula, pro *articulus*, est in Actis de S. Arcadio Martyre †: *Post tot martyria, quot divulsa compagum articula! quot resecta sunt membrorum fragmenta!*

† Apud Bollandum in Vitis Sanct. ad 12 Jan. sect. 7.

Artigraphus, ex Latino, & Græco, dicitur Servio, & Cassiodoro; qui vel voce planè Latinâ vocandus erat artis scriptor; vel planâ Græcâ, τεχνικὸς, aut τεχνογράφ☉. Egimus de hoc pluribus lib. I artis Grammat. cap. IV. Interea excusari hybrida hæc vox potest; quòd & bono ævo

epitogium, & *epirhedium*, dixerint. Sed, inclinante Latinitate, multa ejusmodi irrepserunt: ut *dextrocherium*, apud Capitolinum in Maximinis duobus, & Trebellium Pollionem in XXX Tyrannis: pro quo planè Latinè poterant *dextrale*, vel planè Græcè δεξιοχέλιον. Sic *chrysoclavum* Anastasio biblioth. cujus est, *vestis de chrysoclavo*, *vestes chrysoclava*, *tabula chrysoclava*. Poterat cum aliis planè dicere Latinè, *auriclava*, vel *auroclavata*. At omnino Græcum τὸ χρυσόσημον. Eidem Anastasio crebrum *oloverum*, seu *holoverum*, ex ὅλος, totus, & *verus*, hoc est, purpureus: quomodo & Græcis κατ᾽ ἐξοχὴν, ἀληθινὸν χρῶμα, quod aliter κόκκινον, ut ex Hesychio constat. Qui *holoverum*, & *holosericum*, confundunt, abunde à Salmasio refelluntur, notis in Trebellium Poll. ubi primus docuit, *holoveras vestes* dictas esse sericas istas, quarum & trama, & subtemen, esset purpurei coloris: ut *olovera* vocatæ sint ad discrimen earum, quæ non ex omni parte texturæ forent veri, sive purpurei coloris.

Artilleriam vulgò voce Gallicâ nuncupant machinas bellicas. Propriè verò signat *arcualia*. Olim arcubus usi, nunc bombardis: ac postquam etiam hæ in arcuum venêre locum, vetus tamen nomen retentum, quod Italis *artigliaria*, Gallis *artillerie*. T, & C, commutari, satis ostendit, quòd, T vocali sequente, vulgò in multis pronuncietur velut C: ut in tertia syllaba vocis *justitia*, & aliis sexcentis.

Artista, pro doctore artium liberalium. Mirum, id nec refugisse eruditissimum Jurisconsultum, Udalricum Zasium; idque eo in opere, quo juventutem imbuit eloquentiæ studio. Nam comment. in Ciceronis, vel potiùs Cornificii Rhetorica ad Herennium, sic scribit*: *Et hoc etiam est in scholis Artistarum consultum.*

* Paginâ 104 edit. Basil.

Ascella, pro *axilla*, apud Baldericum Noviomensem in Chronico Cameracensi lib. I cap. XI: *Fune ascellis suppoſito.* Item apud Cæsarium Heisterb. lib. V cap. XXXIV: *Saccellum nummis refertum sub ascella portans.* Imò & reperias apud antiquiorem his Gregorium Turonensem, tum in Historia Franc. tum lib. de miraculis Martini, atque alios.

Assisa, vel *assisia*, cùm in aliis multis legere est; tum apud Matthæum Parisium, Rogerum Hoveden, Philippum IV Gall. R. edict. III de Off. in Constitut. Neapolit. Propriè notat, quod Ciceroni est *consessus*, a Gallico *assis*; ut *estre assis*, sedere: *estre assis aupres du iuge*, assidere in judicum collegio. Imò & *assis*, ab *assidere* factum videtur. Sumitur verò non modò pro Curia, vel Judicum consessu; sed etiam pro eorum decreto. Quin & alias habet significationes: quâ de re vide Spelmannum, Watsium, alios.

Assuefactio crebrum, etiam non ineruditis. Tullius pro eo *consuetudo*, *usus*, *exercitatio*.

Astula, pro *assula*; quomodo, ut Festus in *Fomites* ait, vocantur minutiæ, quæ excutiuntur, dum arbores cæduntur securibus. Belgis *spaenderen*. Hispanis, *astillas de madera*. Nempe *astillas* ὑποκοριστικῶς ex *astulas*, quod corruptum ex *assulas*: unde *assulatim*, minutatim, quasi comminuendo in assulas. Eo Nævium, Plautumque, usos, Nonius ostendit. Hispanos verò *astillas* dicere, eo minùs mirandum, quòd jam temporibus Isidori, qui Hispanus erat, *astulam* pronunciarunt. Nam lib. XVII Origin. cap. VI *astulam* dici ait à tollendo, quasi *abstulam*. In plerisque editis, etiam Breulianâ, cum spiritu est *hastulam*. Sed *astula* est in MSSis nostris, & Venetâ editione an. CIↄ CCCC LXXXIII. Legas apud multò antiquiorem S. Paulinum: cujus illud:

—— *Vicit brevis astula flammam.*

Et alibi idem non semel. Frequenter etiam hisce usi juniores. Ut Beda in vita S. Felicis, presbyteri Nolani Confessoris. §. XVI: *Sumtam de ligno Dominicæ crucis non grandem astulam misit in medium incendii furentis: statimque immensa illa volumina flammarum, quæ tanta virorum manus, aquas spargendo, exstinguere nequiverat, ipse lignum addendo restinxit.*

Asylus apud aliquos, sed perperam, legas, pro *asylum*, ara, perfugium.

Auca anserem notat, non quidem ab αὐχὴν, hoc est *cervix*; ut glossographus Clemangis putavit; sed ex Græco ὁ χὴν. Quandoque enim articulus fit pars vocis: ut ex τὸ μέθυ est *temetum*, non quia *tenet mentem*, ut nugantur Grammatici. Diminutivo ejus usus Appulejus lib. IX Milesf. *O bona aucella, & satis fœcunda.* Ac pro eo & *aucellum* in glossis invenio. Nempe jam sub Antoninis, quando Appulejus vixit, videntur dixisse *auca*; unde hodieque Italis *oca*. *Auca* vocabulum habes in vitis XXIII Abbatum S. Albani, à Matthæo Parisiensi scriptis, & priori editioni ex MSS^tis à Guilhelmo Watsio Theologo additis: *Amisit* † *VII equos: in vaccis, ovibus, aucis, & gallinis, ad pretium X marcas.* Item usus Ægidius le-Brun, in Donatione Bellopratensi monasterio factâ anno CIↄ CC LVI*: *Contuli etiam singulis annis decem aucas accipiendas in villa meâ prænominatâ.* Sic rescribendum; ubi à Miræo editum *ancas*.

† Pag. 129.

* Apud Miræum in Notit. Ecclef. Belg. pag. 607.

Audibilis barbaris relinquamus. Latinum, *cadens sub auditum*.

Audientialis charta, apud Marculfum monachum titulus formularum est duodetrigesimus. Sic dicebatur, per quam aliquis ad Principis audientiam vocaretur.

Augmentabilis, pro quo Cicero de Finibus, *crescendi accessionem habens*.

Augmentator, pro amplificator, qui dicunt, videant, quem laudare ejus vocabuli possint auctorem.

Aurifrigia crebrum est apud Anastasium bibliothecarium de vitis Pontificum, & Conradum Episcopum in Chronico Moguntino. Item legas in Chronico Laurishamensi de donis Henrici, abbatis XLV: *Cappa tres cum aurifrigiis, palla altaris cum aurifrigio* &c. Sic dicitur, quia fiat ex aureis filis, & opere Phrygio. Habes & apud Matthæum Parisiensem, in Henrico III ad an. CIↄ CC XLVI*, semel iterumque. Sed ibi *aurifrisia* scriptum corruptè: ut jam monitum doctissimo Guilhelmo Watsio in Glossario†.

* Pag. 705.

† Pag. 271.

CAP. II.

Acceditur ad cœpta à B litera. Uti sunt, balbuties *pro hasitantia lingua.* Baptismum, *pro baptismus.* Barbator, *vel* barbitonsor, *pro tonsor.* Barbota, *teli, vel potiùs navigii genus.* Bardiaci, *pro bardaici.* Bestialis, *pro bestiarum proprius.* Benefactor, *pro bene merito.* Bibitio, *pro potatio.* Biberis, *pro vini scyphis.* Bibones, *muscæ.* Bidellus, *seu* budellus, *vel* bedellus, *aut* pedellus, *pro apparitore.* Bis-acutus, *pro bipenni, vel securi.* Boatus, *substantivè, pro mugitu; vel adjectivè, pro laudato.* Bodinus, *pro botellus.* Bostar, *pro bubili.* Brocardica, *pro primis elementis.* Brolium, *vel* briolium, περίβολαιον, *sive vivarium.* Bubillus, *pro bubulus.* Buccellarius, *pro parasito, vel quem postea vasallum nominarunt.* Bursa, *pro crumena.* Buxtula, *pyxis e buxo.* Byrsium, *pro corio.*

Habemus de literarum principe: nunc transeo ad secundam.

Balbuties, etsi pervulgatum, haut dixero. Nec enim puto eo usos esse idoneos scriptores. Malim igitur cum Tullio, *hasitantia lingua*.

Baptismum in recto non usurpem; sed *baptismus*, vel *baptisma*. Rufinus tamen in tralatione Pamphili Apologiæ pro Origene (nisi librarii hæc culpa) ait†: *Ut salutare baptismum non aliter, nisi Trinitatis cognominatione compleatur.*

† Paginâ 879 edit. Basil. ann. 1536.

Barbator barbarè, pro *tonsore*, est apud Petrum Blesensem epist. XIV. Sed nec Latinum, quod multis in usu, *barbitonsor*. Adeò ut nec refugerit perdoctus vir, Petrus Servius lib. de unguento armario†.

† Pag. 39.

Barbota quid sit, & unde sit, quæritur. Planè censeo, esse navigii genus. Quod clarè ostendit hoc Matthæi Parisii ad an. CIↄ CC XIX: *Targias* multas, & galeias, cum barbotis, & navibus aliis, Christicolæ rapuerunt.* Idem firmat,

* Clypeos, ut dictum lib. 2. cap. 18.

mat, quòd unâ alterâque pòst paginâ legas: *Cum galeis, & barbotis armatus.* Nec multò ante locum utrumque est: *Cum barbotis, & uncis ferreis, navem diutius impugnarunt.* Quem locum operæ est conferre cum illo Godefridi, monachi S. Pantaleonis, in Annalibus*: *Cum barbolis, & uncis ferreis, impugnaverunt eam diutius, ignem Græcum, cum lapidibus, desuper dejicientes de turribus.* Ubi planè rescribendum *barbotis*; ut ex Parisii verbis liquet postremò allatis. Summus vir Meursius credebat, rectum esse, prout in vulgatis Godefridi legitur Codd. *barbolus:* id esse teli genus, à barbæ similitudine sic vocatum. Atque inde venire *martiobardulus*; de qua voce postea loquemur. Sed enim satius omnino est, unum Gregorii monachi locum ex pluribus Matthæi Parisii locis corrigi; quàm complures Parisii ex uno Gregorii immutari. Interea non repugnamus, quo minùs *barbotæ* dicantur, quia navium earum rostra ferrata barbam referrent. Sanè & *mentum* à barba Italis *barbotto:* quod ad *barbotam* proximè accedit. Et Anglis, teste Watsio, *barbed* telum, vel sagitta ferro armata. Ut sic naves dixerint, quibus itidem rostra ferro armata.

* In Scriptoribus rerum Germanicarum à Marquardo Frehero editis pag. 288.

Bardiaci cuculli perperam vocantur, qui dicendi sunt *bardaici*. Nam Græcè est βαρδαῖοι, vel Ptolemæo Οὐαρδαῖοι. Bardæi, Illyridos populus fuere; quorum cuculli isti gestamen. Sic ab *Achaus*, *Achaicus*; ab ἀρχαῖος, ἀρχαικός, ut τράπεζα ἀρχαική Dionysio Halic. lib. II, *archaici lecti* Horatio lib. I ep. V. Addunt aliqui, à spondæus *spondaicus:* sed de isto aliter est. Nam Græcè est σπονδεῖος: † unde non *spondaicus* est, ut vulgò loquuntur; sed *spondiacus*. Quemadmodum dictum in libris de Arte Grammaticâ.

† Spondeus pes.

Bestialis, pro bestiis conveniens. Ut *bestialis sensus*, apud Petrum Blesensem epist. XVIII.

Benefactor alicujus Collegii, obtinet vulgò. Cum veteribus malo, *bene merens*, vel *bene meritus*.

Bibitio non dixeris, sed *potatio*.

Biberem, pro vini scypho, non refugit Everhelmus Abbas, in vita S. Popponis, Abbatis in cœnobio Arduennæ, *Stabulaus* dicto, cap. XIII. §. LI: *Discedens inde, caritatis vestigia suis reliquit; singulisque per tricenos dies singulos dari biberes præcepit.* Romanis etiam veteribus *biber* nomen fuit, ex *bibere* factum, teste Charisio: quemadmodum pluribus dictum lib. I de Analogia, sive III de arte Grammatica, cap. XXVI. Nec sanè, quòd cerevisiam Belgæ vocant *bier*, aliunde esse, existimandum. Solùm secundum B extritum; ut alibi referimus.

Bibones, muscæ, Petro Blesensi, serm. XXIII. Nempe à bibendo, quia humorem amant.

Bidellus dicunt Itali; alii *bedellus*, vel *budellus*; ut Matthæus Parisius in Charta Joannis regis ad an. CIↃ CC XV: *Nullus forestarius, vel budellus, faciat de cætero scotallum, vel colligat garbas, vel avenam, vel bladum.* Latè vox patet: præcipuè tribui solet ministris, sive officialibus alios citantibus, ut in jus veniant. Barbaræ esse originis, colligunt ex tam diversâ scriptura: unde & de eo vidimus lib. II cap. III. Sed hujus sit loci, si corruptæ sint voces memoratæ è *pedellus:* hoc verò fuerit à *pedo* viatorum, cujus loco etiam Academiarum bidelli Rectori sceptrum præferunt Lycei. Vel si sic dicatur, quòd alteri à *pedibus* sit, quasi *pedarius*. Eam opinionem secutus Joannes Nisæus in vita Xysti Betuleii*, de quo sic scribit: *Academiæ serviit munere, quod à pedibus solet appellari.*

* Præmittitur ea vitæ Lactantii editioni cum Betuleii commentariis.

Bis-acutus, pro bipenni, sive securi, vel ferramento, quod utrimque incidat. Ut apud Evagrium in vita S. Antonii. † *Ut sarculum sibi bis-acutum, cum frumento deferret.* Item in Frontonii vita*; ubi monachos legas *deferre ad eremum parva olerum semina, & bis-acutos, parvosque sarculos.*

† Cap 25. * Cap 1.

Boatus, pro *mugitu*, non dixere idonei Latinitatis auctores. Multò minus usurpant pro inclyto: prout utitur Abbo de Obsid. Lutet. Qui nec *boare* refugit, pro laudibus extollere.

Bodinus vulgò, ex Gallico *boudin*, farcimine, quod *botulum* vocant Martialis, Festus, Tertullianus in Apologetico. Hujus est: *Inter tentamenta Christianorum botulos etiam sanguine distentos admovetis.* Imò nec dubium, quin Gallicum illud sit ex *botulus*, L in N converso: ut ex λύμφαι, νυμφαι; ex *luscitiosus*, *nuscitiosus*, apud Festum; à σχοῖνος, Belgicum *schenen*. Pluribus de eo dicemus, cum de *botellus* videbimus, in falsò damnatis.

Bostar, pro bubili; ut Columella etiam vocat. Bostar, quasi boum stabulum, sive ubi boves stant; ut Græcis βούστασις, vel βουστάσιον. Habes apud Isidorum in Glossis, Abbonem lib. I de Obsidione Lutetiæ, Matthæum Parisium, in Hist. Henrici III, & Papiam.

Brocardica, quasi protarchica, hoc est, πρῶται ἀρχαί, prima principia: ut *Brocardica* Juris Azonis.

Brolium, vel *briolium*, pro vivario: vocabulum corruptum ex *perivolium*, hoc est, περιβόλαιον. Luitprandus in Legatione sua ad Nicephorum, Imperatorem Græcum †: *Sed & idem Nicephorus in eâdem cœna me interrogavit; si* vos perivolia, id est, briolia, vel si in perivoliis onagros, vel cætera animalia, haberetis. Cui cùm vos brolia, & in broliis animalia, onagris exceptis, habere affirmarem: Ducam te, inquit, in nostrum persvolium; cujus magnitudinem, & onagros, id est, sylvestres asinos, te vidisse miraberis.*

† Pag. 102. edit. Ingolstad. an. 1600. * Si pro an, more ejus seculi. At similiter proximè hæc particula capienda.

Bubillus, pro bubulus: nempe quâ formâ *ovillus* dicimus. *Bubilius* est apud Plinium Valerianum lib. III cap. XIV †.

† Fol. 70. b. editionis Cratandriana.

Buccellarius, à buccella; hoc à bucca: ut *buccellarius* sit, cui ab aliquo buccæ implentur buccellis; hoc est, cui ab alio præbetur cibus. Isidorus in Glossis: *Scurra, parasitus, bucellarius.* Sed accommodata vox ea vasallis, qui de aliena viverent mensa. Utuntur sic Leo, & Anthemius, Imperatores L. X. C. ad Legem Jul. de vi publica, Gregorius Turonensis lib. II Histor. cap. VIII: item Leges Wisigothicæ lib. V, tit. III, leg. I. Quædam & de iis Turnebus Adversariorum lib. XXIV cap. XVI, & lib. XXVI cap. XV. item Cujacius lib. II Feudorum tit. VII; Rigaltius, & Meursius in Lexicis Ε'λληνοβαρβάροις; Carolus Labbæus notis in veteres glossas verborum Juris. Unde adscribam hæc verba ex lib. IX Basilic. tit. XVIII: Βουκελλάριοι λέγονται οἱ ἀνδραπτοῦντες στρατιῶται· ἐκ δὲ τοῦ Βουκέλλα ὀνόματος, ὅ ἐστιν ὁ ἄρτος, ἐκλήθησαν Βουκελλάριοι, οἱ τὸν ἄρτον πρὸς ἐσθίοντες ἐπ' αὐτὸ τοῦτο τῷ ἀνδραπτοῦντι αὐτοῖς. *Bucellarii dicuntur stationarii milites. Ex nomine autem bucca, quod est panis, vocantur buccellarii, panem alicujus edentes in hoc, ut morentur apud eum.* Inde Glossæ vett. *Adsecla, buccellarius.*

Bursa, pro crumena; ut Gallis, *bourse*, Belgis *beurse*, vel *borse*, à Græco βύρσα: quod iis corium; unde origo fabulæ Græcanicæ de caussâ, cur arx Karthadæ, sive Carthaginis magnæ, *Bursa* dicta sit: veram autem caussam adduximus lib. I de Origine, & progressu Idololatriæ cap. XXXII. Pro *crumena* verò *bursa* vocabulo usi Petrus Blesensis, epist. XVII, & LXXIV, Godefridus Calvus, Bituricensis Archiepiscopus, in vita S. Guilielmi Briocensis, Petrus de Vineis lib. V epist. XXIII, etiam Philippus IV Gall. Rex edicto de Off. *Bursa eburnea* apud Hincmarum legas ep. VIII cap. III. *Bursarius*, qui Episcopi bursam gestaret, apud Godefridum Calvum, loco antè memorato.

Buxula, pyxis, capsa è buxo. Odo, abbas Glannafoliensis in Ecclesia Cenomanica, in Historia translationis S. Mauri, cap. IV: *Reliquiæ protomartyris Stephani, quæ à Bertulfo abbate, tempore Chlotarii Regis, juxta prædicti patris Mauri tumulum, ob ejus venerationem, in buxtula lignea recondita fuerant.* Ita Bollandus ex MSS is expressit. Alii, *buxcula*, vel *buxula:* Brulius *pyxide*. Et sanè *buxtula* idem notat. Nam *pyxis* propriè capsa è buxo; à Græco πυξίς, quasi *buxis:* ut κατάχρησις sit, cùm auream, argenteam, ferream, pyxidem legimus*. Abunde de eo in Oratoriis Institutionibus † dixi. Similiter verò à *buxus*, *buxitula*, *buxtula*. Nisi malis cum nonnullis scribere *buxula*. Nempe ut à *buxus* sit *buxeus*, inde *buxeolus:* pro *buxeola* verò dixerint *buxula*.

* Plin. lib. 18. cap 11. Sueton. in Ner. cap 12. † Lib. 4. cap. 8. sect. 11.

Byrsum,

Byrsum, pro corio, ex Græco βύρσα, pellis, corium: de quo paullo antè in *Bursa* vidimus. Anonymus* de Miraculis S. Adelardi cap. v sect. XXVII: *In mundo pallio, postea in byrso cervino*, (reliquias S. Adelardi) *involverunt.*

* In vitis SS. ad 2 Jan. apud Bollandum.

CAP. III.

De incipientibus à C literâ, sequente vocali principe. Cacabata *olla, quâ cibum coquimus.* Calamaucum, *capitis tegmen, ad arcendum Solis æstum.* Calefactorium, *pro hypocausto: pro quo &* caldarium. Caliditas, *pro calore.* Caloratum, *pro calefactum.* Calvariola, *pro vasis genere.* Cambium, *pro collybo; à cambio, unde* concambire, *&* concambiare; *item* concambium. Caminatum, *quod habet caminum.* Campanile, *&* campananum, *ubi suspenditur campana.* Cancellarius *primitus, qui à secretis; & ut paullatim ea dignitas creverit.* Cancerosus, *pro eo, qui cancro morbo, vel leprâ, laborat.* Candidatrices, *quæ candidiora reddunt lintea, Soli ea exponendo.* Canutus, *pro canus.* Cappa, capellus, capero, *capitis tegmina.* Capillatura, *pro capillitio.* Capitale, *pro cervicali.* Capitaneus, *pro centurione, vel ordinum ductore.* Capitiarius, *exactor tributi in capita impositi.* Capitulare, *pro collectione capitum, sive canonum, præcipuè de rebus Ecclesiasticis.* Cappa, *monachale capitis tegumentum.* Capsus, *pro parte basilicæ, vel corporis humani.* Caragii, *characteres magici.* Cataxatura, *pro picturâ, scripturâ, liturâ.* Carena, *quadraginta dierum pœnitentia.* Careta, *vel* carecta, *pro vehiculo.* Caritia, *pro annonæ caritate.* Carrada, *vel* carrata, *carri onus.* Carrago, *vallum militare ex carris extructum.* Carriagium, *pro sarcinis carro impositis.* Carricatura, *servitium præbendi carrum ad vecturam.* Carrochium, *currus castrensis, in quo erigebatur vexillum prætorium: item grandis navis oneraria; quæ &* carrucha, caruca, *vel* curuca. Carropera, *quasi carri opera: ut* manopera, *pro manuum opera; atque ab hoc* manoperarii. Cartularius, *qui Imperatori est à codicillis.* Caruca, *pro aratro: unde* carrucata, *quantum terræ uni aratro sufficit; &* carucagium, *tributum cuique aratro, sive terræ eo subigendæ, impositum.* Casale, *pro villa.* Casatus, *sive* cassatus, *is, qui Ecclesiæ beneficio villam obtinet.* Castellæ, *naves frumentum deferentes.* Castitia, *pro villa, quam Ecclesia possidet.* Castrensiani, *pro palatii ministris.* Castroniæ carnes, *pro vervecina.* Castularius, *præfectus arcæ publicæ.* Casubula, *pro sacro pallio.* Catabulum, *pro stabulo: ut* catabularii, *stabulo præfecti.* Cataneus, *ex* capitaneus, *factum; & quam latè* capitanei *vocabulum se extendat.* Catomus, *de supplicii genere, quo alienos in humeros sublati cæderentur virgis.* Cavena, *monasterii locus ubi codices, vel vestes, adservarentur. Unde* cavenaria, *quæ posticiarus præesset; & qui* posticiarii *fuerint.* Cavernum, *pro caverna; quomodo in genere itidem abeunt* sagus, lacernus, pandurus, graphius, metallus. Caussativus, *pro efficiente.*

NUnc dicam de iis nominibus, quæ initium capiunt à secundâ consonante.

Cacabata olla, à *cacabus*. Pelagius, Romanæ Ecclesiæ diaconus, in Vitis Patrum lib. v libello xv num. xv: *Appenderunt in collum meum cacabatas ollas, & ansas vasorum, & miserunt me circuiram in vico illo per viam cadentes.* Verba sunt B. Macarii †. Vita autem ejus ex Græco Mso expressa sic habet: *Suspenderunt ad collum meum fictiles ollas, & ansas vasorum, & circumduxerunt in pago per vias, cadentes.* Ut *cacabata* ollæ videantur fictiles illæ, in quibus cibus coquitur. Sanè *cacabus* propriè, ubi cibum coquerent; teste Varrone in quarto de L.L. videlicet ἀπὸ τοῦ κάκκης, à quo & κάπηλος, caupo, atque alia.

† Apud Bolland. in vit. SS. ad 15 Ian.

Calamaucum capitis erat tegumentum, cassidem referens, sive galeam; à qua & ei nomen *galeri* datum. Isidorus in Glossis: *Galeros, calamaucos.* Beda de Tabernaculis lib. II cap. VIII: *Super caput autem gestat pileum in modum parvuli calamauci, sive cassidis.* Corruptum ex Græco καμελαύχιον: quomodo Græcis vocari, ex Malaxo, Achmete, & Grammaticis, Meursius in Glossario ostendit. Propterea & Musurus, sive quisquis Etymologici Magni auctor, putabat, nomen hoc esse, παρὰ τὸ ἐλαύνειν τὸ καῦμα, *quia ardorem pellat.* Nempe ut sic dicatur, quasi καυμελαύχιον. Verisimilius saltem hoc, quàm ut Græci à Latinis acceperint, quod voluit Suidas. Sic enim scribit: Καμελαύχιον, Ῥωμαίων ἡ λέξις.

Calefactivum, pro quo *calorificum* Agellius lib. XVII cap. VIII.

Calefactorium, pro hypocausto. Cæsarius lib. IV c. VIII: *Jussit in calefactorio ignem fieri.* Videtur idem esse *caldarium*, quod apud eundem Cæsarium lib. IV Miracul. cap. LXV; item antiquiorem hoc Gregorium Turonensem de Gloria Confessorum cap. XCVIII. En hujus verba: *Accensoque foco ponit caldarium ligneum super ignem, impletum aquâ cum oleribus; urgensque ignem, ita vehementer fervere coegit, ut putaretur æneum esse.* Sed & usæ Legg. Longobard. lib. I, tit. XXX leg. I, Matthæus Parisius, & alii. Gloss. *Caldarius*, θερμοδότης.

Caliditas multis in usu pro calore. In quib. Cornel. Jansenius, Gandavensis Episcopus, Harmoniæ ac Historiæ Euangelicæ cap. XLVIII, quod est de muliere peccatrice, cui remissa peccata. Ubi ait*: *Charitas sit justificationis caussa formalis, sic in ea se habens, quomodo caliditas in calefactione.* *Caloratum* Plinio Valeriano, pro *calore præditum.*

* Pag. 369.

Calvariola, vascula, in glossario Puteani. Utitur & vetus Juvenalis interpres ad sat. V. 48. Vide autem, an non potiùs legendum sit *caldariolum*; ut sit à *caldarium*, hoc à *caldus*, pro *calidus*.

Cambium etsi sit à Latino *cambire*, hoc à Græco κάμπτειν: ipsum tamen nec Latinum est, nec Græcum; ut dictum pluribus lib. I cap. XVIII. Habes apud Cæsarium lib. IV Miracul. cap. LXVII, & Petrum de Vineis lib. III epist. LXVI. Item in Legg. Longobard. lib. III. tit. VIII, leg. IV. Adhæc in Philippi III Gall. Reg. edicto III de Judæis, & usuris†, & Philippi IV Gall. R. edicto de iisdem*. De quatuor cambiorum generibus est apud Cajetanum in Summulâ. *Cambio*, unde venire diximus, etiam in Glossis Mssis exponitur ἀμείβεσθαι, in aliis διαλλάσσειν. Sed pro *cambire*, etiam *cambiare* legitur in Chronico Cistercienſi †. Ac similiter *cambiasse*, semel, iterumque, est in lege Salicâ Tit. XXXIX: ubi & Tit. XLIX, qui de filtortis, habes *cambiaverint.* Dixere etiam *concambire*. Quod reperias Formularum Sollemnium tit. vigesimo: *Nec donare, nec alienare, nec concambire.* Inde *concambium* apud Marculfum lib. II Form. cap. XXIII: adhæc Legum Alamann. Tit. XX, & Cæsarium lib. IV Miracul. cap. LXVII: item Hedam ad Bekam Appendice. Etiam *concambiatus*, apud Baldericum in Chronico Cameracensi lib. III cap. XLIX: *Ecclesiam à fratribus concambiatam.*

† Pag. 216.
* Ibid.
† Pag. 66.

Caminata dormitoria, numero singulo, apud monachum Sangallensem. *Caminatus* verò de cubili, habente caminum.

Campagi de voce inferiùs in *Gamba* dicam.

Campanile est turris, in qua suspenditur campana, Anastasio bibliothecario in Leone IV, & Cæsario lib. IV Miracul. LXXXVI, & lib. IX cap. VIII, item Turocio in Histor. Hungarica. Atque hoc vocabulum est in se barbarum. *Campana* verò, unde venit, non in se est barbarum, cum *Campanus* vox sit planè Latina. *Campana* igitur solùm significationem habet novam; idque jam à temporibus Paullini, Nolani episcopi. Latinos Græci sequuntur: unde & Balsamo καμπάνος vocem usurpat, agens de convocatione ad ædes sacras. Proque eâ & *campanum*, puta æs, dixit Walafridus Strabo de Miraculis S. Galli cap. X, & alibi.

bi. Pro *campanili*, etiam *campanarium* legas: quomodo appellat Leo Marsicanus lib. II cap. I. *Campanarium hujus monasterii scanderet.* Ac similiter καμπανάριον vocat Malaxus in Historia Patriarch. Itidem *Campanarius* vocabatur, cui campanæ cura, Cæsario lib. II Miracul. cap. XII, & lib. V cap. LVI, & lib. VII, cap. XXI, item lib. IX cap. LXV.

Cancellarii nomen non arbitror apud quemquam inveniri antiquiorem Vopisco: qui in Carino usurpat. Vocabatur sic is, qui prius, à *secretis*, dictus: ut ait Hincmarus epist. III cap. XVI. Nempe qui scriberet judicum literas, responsa, edicta. Primùm omnibus, ut nunc loquimur, notariis id nomen attributum. Postea præcipui id nomen factum peculiare. Itaque in veteribus ἀρχιγραμματεὺς exponitur. Vox non est à cancellando; quod putavere viri summi, Budæus, & Turnebus: sed quia intra cancellos consisteret; ut hodieque videmus, sæpius loca reticulis, vel cancellis, claudi, ubi scribæ agunt, & per quos ad judices fit admissio. Hinc Gloss. Basilic. Καγκελλάριοι, οἱ ἐν καγκέλλοις ἑστῶτες· hoc est, *qui intra cancellos consistunt.* Et Cassiodoro de iisdem, *à cancellis esse*, vel *cancellos agere*, lib. I, & II Var. ac lib. II instit. divin. & human. Et ait Erricus monachus lib. VI de vita S. Germani:

—— *A cancellis prisco de more minister.*

Cancellarii vocem habemus in Codice Theodosiano, lib. I Tit. XII, in Edicto Arcadii, & Theodosii Imper. *Pericula enim primatum officii Cancellarios, sub fide gestorum electos, judicibus applicari jubemus.* Habes & in Capit. Karoli M. lib. III cap. XLIII. Item Legg. Ripuar. Tit. LIX §. XI. Longobard. lib. II Tit. XXXV, in Constit. Karoli Calvi, in Carisiaca, facta an. CIↃCCCLXI. Præterea in vita Ausberti, & apud Ivonem Carnotensem epist. CLXXVI, nec non Eugenium Papam diplomate ad Heloissam, Sigebertum Gemblac. in Chron. an. CIↃCXVIII, ubi de Joanne, qui in Papatu successit Paschali, cum antea fuisset Romanæ Ecclesiæ cancellarius. Item Arnoldum Hildeshemensem in Chronico Slavorum lib. IV cap. XIX. *Cancellaria* verò, pro cancellarii officio ac dignitate, reperias in Constit. Neapolitanis lib. I Tit. LI, Rolandi Dolensis epist. ad Lucium Papam, Concilio Pisano II*, & compluribus aliis in locis.

* Pag. 90.

Cancerosus, cancro morbo laborans: quo vocabulo etiam lepram complexi, quia & is morbus lepræ instar serpit. Vita S. Othonis lib. I cap. XLIII†: *Habebat cognitos, & ex nominibus propriis notatos, omnes paralyticos, languidos, cancerosos, seu leprosos, de civitate sua.*

† Edita Ingolstadii an. 1611.

Candidatrices exponunt lotrices. Quid si illæ potiùs, quæ lintea Soli exponunt, ut sic candidiora fiant? Belgis *bleicsters*, quæ à lotricibus diversæ. Sed possit nomen utrique convenire: imò potuerint olim eædem utrumque exsequi. Usus Petrus Blesensis epist. XIV. Apud quem & *candidatio* legas serm. XXVIII. Et si ἀναλογίαν spectes, penè dixerim, non deterius esse, quàm *candidatus*.

Canutus, pro *canus*. Ekkehardus Jun. (qui quadriennio ante annum obiit millesimum) in Casibus S. Galli cap. XVI: *O maturitatem vestram, & pene omnibus vobis sparsam canitiem! Abbatem vestrum inter tot canutos, qui sibi possit subrogari, invenire non potuisse?* Auctor miraculorum S. Godehardi: *Apparuit os quidam canutâ facie.*

Capa, vel *cappa*, propriè capitis tegumentum; unde & nomen. Sed latiùs extensa significatio: fuitque non monachalis modò; sed etiam militum, aliorumque laicorum. Fusè de ea Watsius in Glossario ad Matthæum Parisium.

Capellus, galerus, à capite sic dictus. Matthæus Paris. ad ann. CIↃCCXXXV: *Capellum suum ex capite cum peplo demisit generosa Imperatrix.*

Caparo, capitis tegmen, quod vulgo *caputium*. Matthæus Parisius ad an. CIↃCCXXVII, in Regula fratrum minorum: *Postea concedant eis annos probationis: videlicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem usque ad cingulum.* Hinc Gallicum *chaperon*, Belgicum *capproen*.

Capillatura, pro capillis, sive, ut Appulejus vocat, capillitio. Ivo de adulter. hab. vit. aut mul. *Impudicus autem habitus in viris est inordinata, ac superflua capillatura.*

Capitale, pro cervicali, sive pulvino, qui capiti, ac cervici, subjicitur. Belgis *hooft-kussen*, *hooft-poluwe*; imò & *hooft-bolsuck*, quasi dicas *farcimen capitis*; quia ut farcimen esculentis, ita cervical plumis farcitur. Usus sic *capitalis* voce Cæsarius lib. IV Miracul. cap. XXVI: *Capitale ejus vertit, & mollificavit, vestes excussit, calceamenta circa lectum composuit.*

Capitaneus, is qui pro capite est: estque vel minor, ut centurio; vel major, ut ordinum ductor, quales sunt capitanei generales, barones regni, atque alii. Utuntur ea voce Hincmarus epist. III cap. XXVII, Baldericus in Chronico Camerac. lib. III, cap. XXXVIII, Petrus de Vineis lib. III epist. XII, Constitutiones Neapolitanæ lib. I Tit. XL, Beka in vita Friderici II episcopi XLIII, Ludovicus IX Gall. R. de Sentent. Arest.* Concilium Pisanum, II in Promotionibus†, Joannes à Leidis lib. I cap. VII, &c. Videtur autem & pro judice, sive caussarum arbitro, sumi. Imperator Fredericus II apud Matthæum Parisium in an. CIↃCCXLIV: *Statuet Dominus imperator capitaneum aliquem de Prælatis Italiæ; sub cujus solius examine litigabitur, usque ad beneplacitum Domini Papæ.*

* Pagina 198.
† Pag. 174. edit. Paris. an. 1612.

Capitiarius dicitur, non qui monachorum capitia, sive cappas, vel cucullas, curat: sed qui exigit capitulare tributum; quod Jurisconsultis etiam *capitatio* vocatur, quia in capita penditur: sicuti & Aristoteli in Oeconomicis ἐπικεφάλαιον dicitur; Ciceroni verò per I, ἐπικεφάλιον, ad Atticum lib. V epist. XVI. Belgis similiter vocatur *hooftgelt*. Voce, quam dixi, sic usus est Fulbertus Carnotensis epist. CIII ad Aquitanorum Ducem: *Constituas tibi alium thesaurarium, & capitiarium, de bonis clericis, qui sunt in tua vicinia.* Sicuti verò is Latinis *capitiarius*; ita & Græcis recentioribus κεφαλητιών: ut Justiniano Novell. VIII, Cedreno item, ac Zonaræ.

Capitulare est collectio *capitulorum*; qualis illa est Ansegisi, ac Benedicti Levitæ. *Capitulum* verò hic ἀνακεφαλαίωσις idem, ac *caput*; quomodo dicimus *capita fidei*, quæ vulgò *articulos** appellant. Aliter *canones*, præcipuè in rebus Ecclesiasticis, vocantur: sed à Rege si sanciantur, vim Legis† accipiunt. Lupus Ferrariensis epist. XLIII: *Canones eosdem, sive, ut vos vocatis, capitula.* In Legg. Longobard. *Jam non ulterius capitula, sed tantum leges dicantur.* *Capitulare* verò aliud esse, ac *capitulum*; quippe quod capitula multa comprehendat; indicat Hadrianus Papa, cùm ad Karolum M. sic scribit epist. III*: *Inter quæ edidit nobis capitulare adversum Synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est. Unde, pro vestra mellifluâ regali dilectione, per unumquodque capitulum responsum reddimus.*

* Vide operis hujus lib. I cap. 32.
† Justinian. Novell. 131: ἐπὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν κανόνων.
* Concilior. Tom. 3 pag. 161 edit. Coloniensis an. 1606.

Cappa, capitis tegumentum monachale; ex Germanico *cappe*, quod à *caput*; unde & *capitium* similiter dixere posteriores. Usi Honorius, Odo, Galo; de quibus in Glossario Meursius. Item Ludovicus Pius additamento ad Capitul. cap. XIII, XXII, & LXI, Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. I cap. XXII, Rogerus de Houeden Annal. Tit. II, Cæsarius lib. I Mirac. cap. XXXVIII, & XLI, & lib. IV cap. X. Imò & Petrus Damiani†, Gaufridus abbas Altæ Tubæ*, Chronicon Cisterciense, &c.

† Lib. I epist. 20.
* De vita S. Petri, episcopi Tarentasii cap 17.

Capsus, pars interior templi, vel basilicæ, Gregorio Turonensi lib. II cap. XIV, & XV. Item pars in corpore humano, Legg. Longobardicar. lib. I Tit. VII Leg. IX, & Tit. VIII, leg. XIV, ac XX.

Caragius corruptum è *character*, ac particulatim dicitur de characteribus magicis. Sic usurpat S. Augustinus Sermone CCXLI de tempore; & in nono operum S. Augustini tomo S. Eligius, Noviomensis Episcopus, sermone ad plebem. Ejus enim esse sermonem illum, alibi diximus. Verba S. Eligii sunt: *Non caragios†, promittentes, quæ explere non valent; non divinos, non sortilegos ——* con-

† Nisibilis sunt formore malis qui ipsis Magis, qui characteribus multa pollicentur.

consulere præsumatis. Etiam in Consilio Autisiodorensi (quod anno habitum ƆLXXXVIII) ita sonat canon quartus: *Non licet ad sortilegos, vel ad auguria, respicere; non ad caragios, nec ad sortes, quas Sanctorum vocant.*

Caraxatura, vel *charaxatura*, dicitur, quando lineamenta ducimus, sive primitus, sive aliis in priorum locum inductis. Vide in Verbis; *Caraxare.*

Carena, vel *carina*, mentionem habes in Concilio Salegunst. cap. XVII, & XIX; apud Burchard. lib. XIX cap. V; & Ivonem par. XV. cap. CLXXXIII, & CLXXXV decr. In Pœnitentiali item Romano tit. I. de Homicid. cap. XXXIV sive ultimo legas: *Ita faciendum est tibi, ut, pro psalmista, quadraginta dies in pane, & aqua, quod Theotonice* (al. Teutonicè) *carina vocatur, cum septem sequentibus annis pœniteas.* Item usurpat Cæsarius lib. IV Miracul. cap. XXXVII, & lib. V cap. XLII. Apud Petrum Damiani, lib. II, initio epistolæ VII, pro eo *carinas*, ut aliis in libris *carrinas*, scriptum. *Carenam*, quasi *carentenam*, à carentia hominum, vel ciborum dici, apud Tancredum legas cap. IX de accus. in I Collect. Sed omnino est ex Gallico *quarante*, quasi *quarantena*, hoc est, quadragena; puta quadraginta dierum numero. Quod liquet ex adducto Pœnitentialis Romani loco, & plurimis aliis, in his ex Constit. Innocentii in Concilio Gener. Lateran. cap. LXII: ubi claré legas de consuetudine injungendi XL dierum pœnitentiam. At Matthæo Parisio in Vitis, *quarentena* longè aliud est: nempe jus viduarum post mariti excessum XL diebus remanendi in ædibus. Nec enim illæ domo exigi antea ab hæredibus poterant, quæ juris hoc haberent; ut plurimùm erat. Vide, quæ de utraque hac significatione dicam cap. XI.

Carentia, pro vacuitate, inopiâ, egestate, barbarum est. Sed de hoc, quia, si adjectivè sumatur, Latinum est, iterum dicam in falsâ significatione acceptis.

Careta, vel *carecta*, pro vehiculo, vel plaustro. Corruptum est e *carrus*. *Careta* usurpat Matthæus Parisius in Charta libertatum Regis Joannis ad an. ƆCCXV: *Nullus baillivus noster, vel vicecomes, vel alius, capiat equos, vel caretas alicujus, pro cariario faciendo.* Alterum habes in Additamentis: *Capiuntur carecta clericorum, & religiosorum.*

Caristia, pro caritate annonæ. Usus Jacobus Vitriacus Histor. Orient. cap. VIII; nec uno loco Petrus de Vineis. Est & Thomæ Walsingami in Hypodigmate Neustriæ*: *Exstitit bladorum caristia, & præcipuè frumentorum.* Etiam Serarius, lib. IV rerum Moguntiacarum cap. II; adducit e cod. MSo hæc de Hattone, Moguntino Archiepiscopo XV, eo qui a muribus dicitur comestus: *Anno ƆCCCCLXX fertur Hattonem, archiepiscopum tenacissimum, tempore quodam magnæ caristiæ, pauperes non paucos —— igne supposito crudeliter combussisse.*

Carrada, vel *carrata*, carri onus. Sic accipitur monacho Sangallensi (sive is Notkerus, sive Warnerus) lib. I de vita Karoli M. cap. XV: item in diplomate Hludovici, & Hlotarii Augustorum, apud Aimoinum lib. V Histor. Franc. cap. X: *De melle, carrada una ex modiis octo.* Itidem Chronico Laurishamensi in Henrico Abbat. IV, & scriptori vitæ Guilhelmi Hirsaugiensis cap. XVI. Pro eodem & *carriagium* dicitur: de quo mox agam.

Carrago, carrorum, & sarracorum constructio, ut sint militibus pro vallo. Sic usus Ammianus Marcellinus lib. XXXI. Item eo antiquiores, Trebellius Pollio in Gallienis, ac Claudio, & Vopiscus in Aureliano. Est & in Vita S. Othonis† lib. II cap. XL: *Carratam pro denario recentis accipere alecis; de cujus sapore, vel crassitudine, gulositatis arguerer, si dicerem, quod sentio.* Leoni in Tacticis similiter χαῤῥαγὸς vocatur.

Carriagium, vel *cariagium*, onus carri, sive quod vehitur carro. Ita Matthæus Parisius utitur; cujus verba in *careta* adduximus. Pro impedimentis etiam sumitur, quia carro vehantur. Walsingamus in Richardo II*: *Cumque certam nostri elegissent stationem, ordinatè, & pulchrè dispositi per turmas suas: carriagium quoque, quod Garcinas† appellamus, à tergo locâssent.* Idem copse opere*: *A tergo autem conspicit eorum cariagium, & carectas locatas, tanquam de fuga minime cogitarent.* Et paullo pòst: *Fugiunt idcirco meticulosi plebani; & quia nulla alia restabat via ultra carectas suas, & cariagia; per saltum iter facere elaborant. Carradam* pro eodem dixisse, antea vidimus.

Carricatura, servitium carri, & vecturæ. Constitut. Kar. Cal. tit. XXIII, cap. XIV: *In carricaturis, & paravedis, contra debitum exigendis gravare.* Vide inferiùs *carropera.*

Caricare, onerare. Hieronymus de XII scriptoribus Ecclesiasticis: de Origene; *Oneribus majoribus caricabat se.* Itali, *caricare*. Hispani, *cargar*. Galli, *charger.*

Carrochium, è Latina *carri* voce, currus castrensis, in quo super perticâ, ut longè posset prospici, figebatur vexillum prætorianum. Usi Matthæus Parisius, Petrus de Vineis, Nauclerus, atque alii. Spelmannum adi, & Watsium ad Matth. Paris. Est & altera *carrochii* significatio: at non Latinæ originis, verùm barbaræ: ut cum sumitur grandi pro nave onerariâ: quomodo & Hispani *carraca*, & Belgæ *caraek*; τῷ συϛολῶν verò *craeke*. Atque hac significatione *carrucha* est usitatius. Nisi & hoc ejusdem originis putes: nempe ut sic dicatur, quasi carrus marinus: quomodo navis etiam Apollonio†, ἅρμα Ποσειδάωνος, & Catullus* ait,

Diva levi fecit volitantem flamine currum.

De quo jam olim egi Oratoriarum Institutionum lib. IV, cap. VI, §. II. Pro *carrucha*, vel *caruca*, etiam *curuca* dixere. Hinc librorum aliqui *carrucha*, alii *curuca*, habuere in illo Gildæ Sapientis epist. de Excidio Britanniæ: *Itaque illis ad sua remeantibus, certatim de curucis, quibus sunt trans Stiticam vallem evecti, &c.* Ubi editio Polydori Virgilii, *de carruchis.*

Carropera, & *manopera*, sunt vocabula conflata ex voce *opera*. Sed prior pars in priori est *carrus*; in posteriori, *manus*. Nempe utrumque erat servitutis: priori quis præstabat operam, sive servitium carri, & vecturæ; posteriori operam debuit manibus. Carolus Calvus tit. XXXI, sive Edicto Pistensi, cap. XXIX: *Carropera, & manopera, ex antiqua consuetudine debent.* In Polyptycho S. Remigii: *Faciunt carropera de annona, aut vino, in leugis XIII sin autem, dabunt denarios XII.* Atque alibi: *Carroperas, & manoperas, inter totos circulos L. Carropera* aliter *carricatura*, à carri servitio: ut dictum paullo antè. Posteriori ætate *curbada*, uti Gallis *Corvees*. *Manopera* aliter *servitium manuale*: indeque, qui ad hoc obstringuntur, *manoperarii*, in Caroli Calvi diplomate pro S. Dionysio.

Cartularius, sive *chartularius*, qui imperatori erat à codicillis. Usi Abbo de vitis Pontificum, Arnulphus Lexoviensis epist. ad Alexandrum Papam, Godfridus Viterbiensis Chron. part. XX. Græcis similiter χαρτουλάριος, ut Zonaræ, Nicetæ, & Codino, ab officio dicto Curopalatæ. Sed de hoc cap. proximo.

Caruca notat aratrum: uti & Gallicum *charrue*: quod inde venit. Usurpat Ivo epist. CCLXXXVI: *Donum Ecclesiæ Hardeluth, cum omnibus hospitibus, & cum terra ad duas carrucas.* Hoc est, quibus terris arandis gemino sit aratro opus. Similiter Matthæus Parisius ad an. ƆCCLIV, in mandato inaudito Henrici III: *Inquiratur in maneriis religiosorum, quot sint carucæ propriæ ad colendum dominicum, & quot sint consuetudinariæ.* Ubi videmus, distingui proprias ab iis, quas consuetudo esset conducere. *Caruca* esse à *carri* vocabulo, liquet ex iis, quæ de *carrochio* proximè dicebamus. Similiter apud Miræum† Balduinus Comes Gisnensis in Donatione Carosensi monasterio factâ: *Et terram triginta dierum apud Altenges, & apud Marlengehem, & carrucatam, & dimidiam terræ apud Suanecam.* Et paullò pòst: *Everardus totum prædium suum de Herberges. Rainewidis decimam septem carrucarum.* Item Thomas Walsingamus in Hypodigmate, seu descriptione Neustriæ*: *De singulis autem carucis Angliæ dati sunt Regi duo solidi pro relevatione status sui.* A *carucis* est

* Pag. 477.

† Habes in Divis Bambergensibus, à Gretzero editis an. 1611.

* Pag. 251.

† Sarcinas.

* Pag. 264.

† Lib. 4. Argonaut. vers. 1355.

* Carmine de nuptiis Pelei, & Thetidis.

† In Donationibus Belgic. pag. 50. 51.

* Pag. 463.

est *carucata*; ut cum legimus *carucata*, vel *carrucata terra*: hoc est, tantum agri, quantum uni sufficit aratro. Matthæus Parisius in rebus anni clↄcc: *Rex Angliæ cepit de unaquaque carucata totius Angliæ tres solidos*. Ab eodem est *carucagium*, tributum, quod singulis aratris, de communi Regni concilio, imponitur. Ac pro eo & *caruagium* dicitur. Vide quæ de caruca, carucata terra, & carucagio, Watsius in Glossario ad Matthæum Parisium annotavit.

Casale, villa, à casis sic dicitur. Vita Angelæ de Fulginio cap. I. sect. XXXIV: *Hoc accidit mihi prima vice, quando vendiderat casale meum, ut darem pauperibus. Erat enim melior terra, quàm haberem.* Ubi tamen in Mso *Casalenum*; ut doctissimus Bollandus annotavit. Sed *casalenum* nusquam invenio; sæpius verò *casale*. Sic sanè usus non semel Matthæus Parisius; etiam pro villa cum propugnaculis. Loca suggeret Watsii Glossarium.

Casatus, & corruptius *cassatus*, vasallus, sive qui beneficio Ecclesiæ habeat casam, seu domum, ac terram, in qua vivat. Privilegium Kenredi, & Offæ Regum, ex veteri Mso editum à Clemente Reinero, & vitæ S. Eguini, episcopi Wigorniensis, à Bollando additum †: *Volumus insuper ac decernimus in nomine Domini, terram quinque cassatorum, quæ Morton nuncupatur, eâdem libertate in perpetuum gaudere.* Vide, quæ inferiùs in *Casa* dicam: quando agetur de falsâ significatione usurpatis: ubi & de *Casali*, & *Casamento*.

† In vitis SS. ad 11 Jan.

Castella in navibus, quæ frumentum deferrent, memorantur in Vita S. Genovefæ *, cap. VII. §. XXXIX: *Navali evectione remeantibus, contigit, ut naves eorum, vento flante, ita inter scopulos, vel arbores periclitarentur, ut castella, in quibus fruges exhibebant, in latere versa, etiam naves aquâ implererentur.*

* In vitis SS. ad 3 Jan. apud Bollandum.

Castitia, quæ perperam in nonnullis libris *casdicia*, sic à *casis* vocari arbitror; sive à *casare*, vel *casato*, hoc est, casis instructo, vel ornato, quasi *casatitia*; quâ formâ dicimus *adscriptitius*, *suppositius*. Movet me, quòd idem sint *casale*, & *castitium*. Nam ut in veteri charta S. Benigni est; *Mansum indominicatum cum casalibus superextructis*: ita in charta veteri S. Germani Parisiensis est; *Mansum dominicatum cum casa, & aliis castitiis*. Sunt verò *castitia*, structuræ sive ædificia Ecclesiæ adhærentia. Constitutionum Karoli M. & Ludovici Pii libro V (à quo Ansegisi Collectionem Collectio Benedicti Levitæ excipit) cap. CXLVIII: *Omnes intelligant non solum claustra monasterii, vel Ecclesiæ, atque castitia Ecclesiarum, sub immunitatis defensione consistere; verum etiam domus, & villas, & septa villarum.* Item in Capitulis Karoli Calvi, & successorum, tit. IX, qui est Synodi Suessionensis, cap. V †: *Volumus etiam, ut investigent Missi nostri, qualiter illi, qui easdem res Ecclesiasticas, unde decimæ dantur, sive non dantur, illas salvas habeant, & in castitiis, & in sylvis custodiis.* Eodem volumine, tit. XXIII, sive epistolâ episcoporum ad Ludovicum Regem, cap. XIV: *Ædificent villas vestras moderatis castitiis, ut & honestas necessaria sit, & familia non gravetur.* Item in Collectione Bignonianâ, postremo veterum Formularum Codice, cap. V, cujus lemma, Donatio ad Sponsam: *Mansis ad commanendum cum castitiis suprapositis, terris arabilibus, & mancipiis.* Walgarius sacerdos, S. Everardi Comitis capellanus, in Donatione, quâ Cisoniense cœnobium dotavit *: *Inter terram arabilem, & pratum bunaria triginta, & mansum unum cum casa superpositâ, seu & cætera casticia.*

† Pag. 89.

* Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 30, sive pag. 50.

Castrensiani in Cod. Theodosiano, Rubr. de Castrensian. & minister. Sic dicebantur, qui Græcis *curopalatæ*, hoc est, ministri palatii, sive aulici. Est ab ea *castrorum* significatione, quâ etiam *castra* pro *aula* posuere: ut in vita S. Macedonii, in Collectione Bollandi *.

* Tom. 2. in Vitis SS. 24 Jan. pag. 597 sect. 5.

Castroniæ carnes, pro vervecinæ, quia vervex, aries castratus; unde Italis simpliciter *castrone*, vel *castrato*, vocatur. Ab Italico igitur *castrone*, *castronius* factum: vel potiùs à *castrando* gentes exteræ, Latinæ linguæ corruptrices, fecere *castronius*; unde Italicum illud. Leonclavio, in Pandecte Turcico cap. CCXII, observatum, perperam hanc vocem scribi apud Aithonum cap. LIV. Nam nunc legitur: *Haberi carnes crastinas, badinas, gallinaceas.* Ubi omnino *castronias* restituendum.

Castularius, ex *cistularius*, ut idem sit, ac *arcarius*, sive arcæ, aut cistæ publicæ præfectus, à Germanico *kast*; quod ipsum ex Latino *cista*. Karolus M. Constitut. cap. XV: *De cerariis, & tabulariis, atque castulariis, sicut de longo tempore fuit, observentur.* Similiter ad eum locum cepit in Notis Vitus Amerpachius.

Casubula, aliter *casula*, vel *planeta*. Sic *poderis* dici solet, sive *sacrum pallium*. Vide Guilhelmum Durandum lib. III cap. VII; quod inscribitur de casulâ sive planetâ. Græcum est ὁ κασῆς, unde Latin. *casa*, ut ab ὁ χάρτης, hæc *charta*, ab ὁ μαργαρίτης, hæc *margarita*. *Casa* verò hic non domum, sed vestem, signat: uti *tectum*, tum ad ædificia, tum ad rem vestiariam pertinet. A *casa* est *casula*. Isidorus lib. XIX Originum XXIV: *Casula est vestis cucullata, dicta per diminutionem à casa; quòd totum hominem tegat, quasi minor casa.* Revelationes S. Brigittæ lib. VI cap. IX: *Cum induit se casulâ, tum perfidiâ eum induit diabolus.* Alcuinus lib. de divinis Officiis cap. quid significent vestimenta: *Casula, quæ super omnia indumenta ponitur, significat charitatem.* Rabanus Maurus *: *Septimum sacerdotale indumentum est casula, sic dicta, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa.* Flodoardus lib. III cap. XXI: *Mittens ei quædam preciosa ornamenta, casulam scilicet diaprasinam, & alia munuscula, cum solidis centum.* Vide & Hugonem Victorium lib. I de Sacram. cap. 50. A *casa* est Gallis *casacke*, & Belgis itidem. At Italis *casaco*, Hispan. *casaca*. Pro *casacke* etiam Belgæ *cajacke*, & κατ' ἀφαίρεσιν *jacke*. Est & à *casula*, *casubula*, atque inde Belgicum *casuyfel*. Euerhelmus abbas in vita S. Papponis abbatis † cap. XIV, §. LVIII: *In celebratione Missarum, casubulam, quâ induebatur, lachrymis humectabat.* Sed paullò pòst, nempe §. LXI, etiam in Mso, *casucula* pro eo legas: *Albâ etiam casuculâ sanctum illud corpus Fratres curabant vestire.* De Græco κασῆς, vel κασῆς, unde & κολοκάσια, vide Salmasium in Exercitationibus ad Solinum *.

* De clericorum institutione lib. 1 cap. 21.

† In vitis SS. ad 25 Jan. apud Bolland.

* Pag. 956.

Catabulum sine dubio est à Græco κατάβολος: quod posterioribus Græcis *navale*, vel *emporium*, notabat: ut ex Suida discere est in Ἐπίνειον. At infimæ Latinitatis scriptoribus *stabulum* significat. Papias: *Catabulum, clausura animalium, ubi desuper aliquid jacitur.* Glossæ vett. *Catabulum, stabulum.* Sic legi debere, ubi vulgò *cantabulum*, jam Meursio in Glossario observatum. Anastasius in Marcello Papa: *Semper contemnens, & deridens præcepta Maxentii, damnatus est in catabulo: qui dum multis diebus serviret in catabulo, orationibus, & jejuniis, Domino servire non cessabat. Mense autem nono noctu venerunt clerici ejus omnes, & emerunt eum de catabulo.* A *catabulo* dicebantur *catabulenses*, qui stabuli curam gererent, & jumenta ductarent. Ad hoc servitium publico præstandum, sæpe damnati sunt Christiani. Vide, quæ ex Cassiodoro †, & aliis, Baronius ad Martyrologium * annotavit.

† Lib. 3 Var. epist. 10.

* 16 Jan.

Cataneus factum videtur ex *capitaneus*, uti hoc ex *capitaneus*; de quâ voce in Feudorum libris. Usus Ivo Carnotensis epist. CXXIX. Ubi Juretum vide: qui in Appendice docet, sic loqui Romoaldum, secundum archiepiscopum Salernitanum, opere inedito, sed in bibliotheca Christianissimi Regis adservato, quo vitam, ac mores Principum continuat. Verba sunt: *Et Comitissa de Berthenora cum Guillelmo de Markysella, nobili Ferrariensi cataneo, cum magna multitudine militum, & peditum, ad succursum ejusdem civitatis veniebat.* Cæterùm *capitanei* vox vulgò quidem pro centurione sumitur; vel etiam *chiliarcha*, seu tribuno, quem *colonellum* dicimus; imò & eo, qui tertiam ducit agminis partem; atque adeò &, qui totum ducat exercitum, cui *capitanei generalis* nomen: sed quandoque etiam accipi superioribus seculis solet de præfectu-

secturis extra militiam. De quo quædam Guilhelmus Watsius in Glossario.

Catomus, ex κατὰ, & ὦμος, quod *humerum* notat. *In catomo tolli*, vel *levari*, dicebantur, qui attollerentur in humeros, ut de tergo alieno dependentes faciliùs flagris cæderentur. Acta S. Babylæ cap. II §. VI: *Iratus vero Numerianus Rex jussit tres infantes levari in catomo; & priori dari duodecim plagas, secundo autem novem, tertio verò septem.* Vide Baronium in Martyrolog. ad XV Jun.

Cavena a cavitate vocabatur locus monasterii, ubi res certæ asservarentur. Regula S. Cæsariæ scripta à fratre S. Cæsario, Arelatensi episcopo, cap. V sect. XXXII: *Quæ cellario, sive cavena, sive vestibus, vel codicibus, aut posticio, vel lanipendio, præponuntur, desuper Euangeliorum claves accipiant, & sine murmure serviant reliquis.* Cavenæ præfecta dicebatur *cavenaria*: ac præerat posticiariis, à posticio, quod curabant, sic dictis. Unde eopse cap. sect. XXX: *Quod transmissum fuerit, præsente Abbatissâ, vel Præpositâ, posticiariæ accipiant, & cavenariæ tradant.*

Cavernum, pro *caverna*, posteriorum est seculorum. Gloss.† *Cavernum*, τρύπημα. Nempe ut *sagus* dixere pro *sagum*; *lacernus* pro *lacerna*; *pandurius* Isidoro, quod Græcis τὸ πανδούριον; *grafius* pro *graphium* apud Symposium *; *metallus* pro *metallum*, epigrammate apud Spartiánum in Pescennio Nigro; ut quidem in Palatino codice reperit maximus Salmasius:

† Col. 309. edit. H. Steph. & B. Vulcan.

* In ænigmatis: editi tamen graphium.

Nigrum nomen habet, Nigrum formavimus ipsi,
Ut consentiret forma, metalle, tibi.

Caussativus philosophis frequens: temere sanè, quando de *efficiente* causâ sic loquuntur. Sed si ad quodvis caussæ genus extendant; fatendum est, Latinis non esse vocabulum, quo id examussim exprimant. Verùm de hujusmodi vocibus alibi fusiùs agemus.

CAP. IV.

De iis, ubi literam C excipit secunda vocalis, vel adspiratio. Cellarius, *vel* cellararius, *aut* cellerarius, *præfectus cellæ, quæ &* cellarium, *dicebatur, &* cellariolum. Cellulanus *verò, pro monacho, sive is in cœnobio, sive eremo degeret: ac similiter is Græcis* κελλιώτης. Centonium, *pro cento.* Ceragium, *pretium emendis Ecclesiæ cereis.* Ceroferarius, *pro acolutho:* ceroferarium, *&* ceroferale, *pro candelabro cereum gestante.* Cericola, *&* vericola, *malè huc referri; cùm pro priori* cervolus, *hoc est, hinnulus; pro altero* vetula, *hoc est, vitula, sit scribendum.* Cervicosus, *qui animi est obstinati, ac pervicacis.* Cespitaticum, *quod publico tributur ad viarum conservationem.* Chalami, *pro fistulis areæ.* Chamus, *pro capistro.* Chartularius *quàm variè sumatur.* Chelandium, (*pro quo &* chelandrium, *ac fortasse etiam* chalendram, *legas*) *navigii genus esse.* Chrysoclavus, *pro clavo aureo.*

CEllerarius, pro *cellarius*, sive cellæ præfectus. Usurpatur in Regula S. Benedicti cap. XXXI, quod est de Cellerario: item a Flodoardo lib. I Histor. Rhem. cap. XII, ubi *cellerarius* legitur: adhæc Leoni Marsicano Chronici Casinensis lib. III cap. XXXIX, Cæsario lib. II Mirac. cap. XXXV, & lib. IV cap. V, XIX, & LXIX: ac lib. XI cap. XXXII: item Matthæo Parisio in vita Roberti, XVIII Abbatis S. Albani, & Garini, abbatis XX. Nec putandum, ubique istis in locis *cellarius* rescribi oportere. Nam ut à *cella* est *cellarius*: ita à *cellarium* fecere *cellararius*; pro quo & scripsere *cellerarius*. *Cellarium*, pro cella, est in Regula † S. Cæsariæ virginis, à fratre ejus Cæsario, Arelatensi Episcopo, conscriptâ, cap. V, sect. XXX, & XXXII. Item in Legg. Alamann. tit. LXXXI, §. II, apud Burchardum in Decretis lib. XIX *, Lambertum Schafnaburgensem Hist. Germ. † Cæsarium Hasterbachensem lib. IV Miracul. cap. LXXXV: *Assaturam sibi præparatam cellario intulit, & comêdit.* Gloss. vett. *Cellarium*, ταμιεῖον. Unde Germanicum *keller*; & Latinobarbarum *cellariolum*. Regula Cæsariæ loco antè memorato: *Etiam cellariolum, & coquinariam suam, infirmæ ut commune habeant.* Aliud vero à cellario, sive cellarario, est *cellulanus*: quomodo cœnobita, vel eremita, dicebatur à cellula, qua concluderetur. Sidonius Apollinaris lib. IX epist. III, ad Faustum, Regiensem episcopum, qui abbas fuerat Lirinensis: *Quos de palæstra congregationis eremitidis, & de senatu Lirinensium cellulanorum, in urbem quoque (cujus Ecclesiæ sacra superinspicis) transtulisti, nil ab abbate mutatus per sacerdotem.* Item apud Ennodium Ticinensem lib. I epist. V, lemma est: *Præceptum, quando jussi sunt omnes Episcopi cellulanos habere.* Etiam Græcis posterioribus monachi similiter κελλιῶται: ut Dorotheo Doctrin. XVI. Sed hi eopse nomine signabant eos, qui ministrarent interiori Imperatoris conclavi, ac Despotarum. Quod τοῦ μακαρίτη Meursio observatum ex Phranzis Chronici lib. II cap. I.

† In vitis Sanctorum apud Boll. ad 12 Jan.

* Pag. 147.

† Pag. 273.

Centonium, pro *cento.* Suidas: Κεντών, κεντῶνος, ῥωμαϊστὶ καὶ κεντώνιον. Atque hoc utcunque tueri se potest Gentianus Hervetus, quando *centonium* retinet in tralatione vitæ Euthymii Magni, abbatis †, cap. XV §. XC: *Stratum quid erat aliud, quàm florea, & quæ solent appellare centonium, & embrimium, & vas fictile ad aquam?*

† In Vitis SS. ad 20 Jan.

Ceragium, pecunia ad emendos cereos in usum Ecclesiæ. Matthæus Parisius in Additamentis *: *Si Ecclesia petat ceragium.* Belgæ iidem unico exprimunt vocabulo, *was-gelt.*

* Pag. 201.

Ceroferarius, Papiâ teste, idem ac acoluthus: & veluti *acoluthus* vocabatur, quia sacerdotes, diaconos, & subdiaconos, ad altaris obsequium sequeretur: (id enim Græcis ἀκολουθεῖν:) ita *ceroferarius*, nuncupatus, quia lumina accenderet, & candelabrum cum *cereo ferret.* Quod candelabrum cum cereo similiter *ceroferarium* vocabatur: ut ex Durando liquet lib. II Divin. Off. cap. VII. Vocem *ceroferarii* habes apud Leonem Marsicanum Chronici Casinensis lib. II cap. XXV: *Fecit & ceroferaria duo librarum XV.* Pro eodem *ceroferale* dicit Gregorius Turonensis de gloria Confess. cap. LXXIX. Similiter Vesontionensis monachus in translatione S. Sebastiani martyris † cap. IX §. XLIII: *His thymiateria, ac thurifera; illis ceroferalia deportantibus, atque corusco lumine diem augentibus.*

† In Vitis SS. ad 20 Jan. apud Bollandum.

Cericola, & *vericola*, etiam in barbaris, quæ à Latinis veniant, reposuit Martinius in doctissimo Etymologico suo. Nempe deceptus est à Marcello Donato, qui Elucidationibus in Suetonium cap. XXXVI, putavit, strenas Januarias solere, more gentilium, mitti cum voto ad aliquod numen particulare: uti ad Venerem, quò multam feliciter prolem largiretur; ad Cererem, ut copiosas faceret fruges; indeque eas strenas a Cereris, & Veneris cultu, dictas *Cericolas*, quasi Cerericolas; *Vercolas*; quasi Venericolas. Prora, ac fundus hujus rei Donato est Concilium Altisiodorense, sive Antisiodorense, vel potiùs Autisiodorense, quod vulgò referri solet ad annum ⅠↃCXIII, vel seq. perperam sane, cùm Aunacharius Episcopus, qui ei præfuit, jam antè fuerit defunctus. Verisimiliùs Baronius, quem Binius sequitur, ad ann. ⅠↃXCV. Sed tutissimum sit, referre, cum Sirmondo, ad an. ⅠↃLXXVIII; quo Episcopatum Aunacharius cœpit. Ejus concilii canon primus est istiusmodi, si Donatum audimus: *Non licet Kalendis Januarii vercola, aut cericola, vel strenas diabolicas, observare: sed in ipsa die sic omnia beneficia distribuantur, sicut & reliquis diebus.* Sed scrupulum meritò injiciunt editiones aliæ. In Binianâ est, *vecola, aut cervolo.* In Caranzæ epitome, *vecolo, aut cervolo*; ac similiter est apud Laurentium Bochellum in Decretis Ecclesiæ Gallicanæ *: sed longè optima Sirmondi editio habet, *vetula*, aut *cervola.* Nempe *vetula* tum dixere pro *vitula*: *cervolus* verò, seu *cervulus*, est à *cervus* diminutivum. Atque hanc lectionem solidè comprobat Sirmondus, è sermone quodam, qui apud Augustinum tomo IX, tractatu XX, absque nomine legitur auctoris, cùm, ex MSS. S. Eligii, Episcopi Noviomensis, esse noscatur. Verba ejus sunt: *Nemo in Calendis Januarii ne-*

* Pag. 576.

nefanda, & ridiculosa, vetulas, aut cervolos, vel jotticos faciat. Addicit etiam Sirmondus ex Pœnitentiali vetere in Codice Andegavensi: *Siquis in Kalendis Januariis in cervulo, & in vetula, vadet; tribus annis pœniteat, quia hoc dæmonum est.*

Cervicosus vulgò dicitur, pro obstinatus; sive homine, qui *nimium sui juris, sententiaque* est; ut loquitur Tullius primâ in Verrem.

Cespitaticum significat, quod datur ad vias cespite complanandas, atque, ubi opus, etiam saxis, vel silicibus sternendas: quemadmodum Germanus du Breul, monachus S. Germani à Pratis, annotavit ad Aimoini lib. v de Gestis Francorum: nempe ad Privilegium Karoli M. prius: ubi pro *cespitatico* perperam scribitur *cispitatico*: minùs tamen male, quam, in sequenti Caroli Magni privilegio, pro eo *cepsaticum* legas. Ut à *balnea*, *balneaticum*; à *cathedra*, *cathedraticum*; ita à *cespes cespitaticum*. Ac de etymo quidem nemo ambigat. Sed de significatione metuo, ne verius eam eruere sit ex illis Cassiodori verbis Variarum lib. v epist. xiv: *Antiqui barbari, qui Romanis mulieribus elegerint nuptiali fœdere sociari, quolibet titulo prædia quæsiverint, fiscum possessi cespitis persolvere, ac super indictiicis oneribus parere cogantur.*

Chalami, tubi sive fistulæ ex ære: puto, corruptum ex *calamus*; cujus habent figuram. Matthæus Parisius in Abbatum Vitis: *Pulsato classico, sonantibus chalamis, quos burdones appellamus. Burdones* est ex Gallico *bourdons*.

Chamus, pro *camus*, Græcè κημὸς, quo *capistrum* significatur. Honorius Serm. de Inventione Crucis: *Constantinus itaque, Ecclesiæ impugnator acerrimus, illo tempore monarchiam tenuit; quem divina pietas in chamo, & freno, constringens, sibi appropinquare compulit.*

Charaxatura quid sit, dicam in Verbis, voce *Caraxare*.

Chartularius, qui caussas Ecclesiasticas cognosceret, ac dirimeret, nomine Papæ Romani. Sic Hilarium, *suum* in Africa *chartularium* vocat Gregorius M. Sed longè inferiori loco *chartularii* erant Constantinopoli: ubi sic dicebatur, qui chartophylaci, vel sceuophylaci, vel magno sacellario, inserviret συμμεϱείαις ἢ κόπῳ, ut ait Balsamo. Vide de chartulariis Cujacium lib. iv Observat. cap. v, & ad Cod. Justinian. lib. x tit. xxiii, Meursii Glossarium in Χαρτηλάρεος, & quæ ad Codinum non uno in loco Gretzerus annotavit. Pithœo autem, & aliis, observatum, etiam *chartularios* esse dictos, qui per chartulam, sive tabulas, donati forent libertate. Sic usurpatur in legibus Longobardicis. Adi Lindebrogii Glossarium ad leges antiquas.

Chelandium, navigii genus apud Græcos recentiores. Usi è Latinis, Paullus Diaconus in Justiniani temporibus, Luitprandus in Legatione ad Nicephorum Phocam †, atque idem Histor. lib. v cap. vi: ubi semel, iterumque, *chelandria* legas, pro *chelandia*; ut est in Legatione. Sicut & χελάνδια est apud Cedrenum, & Constantinum de Administ. Imper. Sed fortassè, & *chelandium*, & *chelandrium*, vel etiam *cherandria*, dixerint. Suspicatur clarissimus ὁ μακαρίτης Meursius, eam vocem restitui oportere Veteri Juvenalis interpreti ad sat. vi, ubi nunc vulgò: *Canna, genus navis, quæ gandeia dicitur: ut sit chelandia Micipsarum.* Sed quo minùs, pro *gandeia*, putem, *chelandria* esse rescribendum; facit, quòd chelandriarum usus frequens fuerit Græcis: gandeia Afrorum propria. Nam continuò id subdit idem interpres. Verba ejus in *Gandeia* adduximus lib. ii cap. viii. Vide autem, an non idem navigii sit genus, quod *chalendram* vocat Gregorius IX Papa apud Matthæum Parisium in Henrico III: *Obligavit insuper se Imperator ad centum chalendras, & quinquaginta galeias ducendas, & tenendas ultra mare.* Qui locus confirmat, quod dicebamus, videri non tantùm *chelandium*, sed etiam *chelandrum*, dixisse. Quantillum enim abeunt *chelandrum*, & *chalendra*!

† Pag. 99. edit. Ingolstad. an. 1600.

Chrysoclavus apud Papiam etiam habes. Est verò idem ac aureus clavus: nempe ornatus vestis aureum referens clavum. Usus Anastasius bibliothecarius in vita Leonis III, & Benedicti III. Vox est hybrida; pro qua vel planè Græcâ dixeris χρυσόσημον; vel planè Latinâ, *auriclavus*. Quo usus est vetus Juvenalis scholiastes, ad illud sat. vi.

Aut latum picta vestis considerat aurum.

Sed vulgo editum, *Auroclavus vestes miratur*, pro *auriclavus*. Nisi *auroclavatas* malis; ut Vopiscus appellat in Tacito, & Bonoso. Græci similiter χρυσοκλάβαρις, quod in Lexico Cyrilli, voce ἰσοῤῥικόν: item χρυσοκλαβαρικόν, ut apud Codinum Curopalatem de Officiis. Sed perperam vulgò legitur χρυσοκλαβάρεον: quod primus observavit Meursius: cum verò secutus Gretzerus.

CAP. V.

De auspicantibus à C litera, sequente vocali tertiâ, vel primâ è liquidis. Cicuritas, *pro mansuetudo.* Cincendela, *vel* cicindela, *vel* cicindelum, *pro pensili lucerna. Pro quo & legas* cincintillus, *vel* cicintellus. Cingula, *pro cingulum, vel cingulus.* Circada, *pecunia quæ debetur Ecclesiam visitanti.* Circulatum, *pro rotundo.* Cistelium, *pro arcu, quibus custodirentur feræ.* Clamcum, *pro actione clamosa in jus alium vocantis.* Clamodici, *de quibus etiam cum clamore dicantur fœda, ac facinorosa.* Clausura, *inclusio monastica; aliàs verò angustia aditum in regionem quampiam, hosti excludendo idonea: quales & nuncupantur clusæ, vocabulo ambiguo; cum sic etiam nominentur obices aquarii.* Cliothetrum, *sellæ genus.*

CIcuritas non dixero cum nonnullis: sed cum Tullio, *animi mansuetudo.*

Cincendela, vel *cicendela*, vel *cicindela*, pro lucerna pensili, quæ totâ ardeat nocte, apud varios lego scriptores; sed eos mediæ, vel ultimæ ætatis. In his, præter Gregorium Turonensem, est Fulbertus Carnotensis ep. lxxviii: *Inter organa vatum, & ardentes cincendelas † virginum.* Unde Glossæ Cyrilli creditæ: κανδήλη, *cicindela*. Isidorus in Glossis: *Licini, lucerna, vel cicindilia.* Glossarium Arabicolatinum: *Licinius, quasi lucius. Est enim & cicindela lucerna.* Item Catholicon Januense: *Cicendela, à candeo, candes, dicitur genus scrabronum* (*crabronum* voluit dicere) *quòd volans candeat. Cicendulum ponitur pro candela: nam dicitur à candeo.* Sed hæc iis condonanda temporibus. Nam *cincendulum* barbarum est: *cicendela* verò, quamvis Latinum, longè tamen aliud signat. Vide, quæ dixi, lib. i, cap. xxviii. Porrò ex verbis Catholici colligere est, non solùm *cicendulam* muliebri genere dixisse; sed & *cicendulum*, vel *cicindelum*, in neutro. Atque usus eo scriptor is, qui breviùs exaravit vitam Sulpicii *, Bituricensis episcopi, cap. ii, sect. xii: *Quid de illo cicindelo dicam, qui est ante sepulcrum ejus? quem ferunt semel fuisse impletum; &, exundante multitudine olei, quod desuper labebatur in terram, multi perunкti, de infirmitate suâ exuti sunt.* Nisi malis *cicindelo* esse à virili *cicindelus*. Pro quâ opinione est diminutivum *cincendillus*, vel *cicentillus*; ut à *mamma, mammula, mamilla*; à *tantus, tantulus, tantillus*; aliaque. Usurpat scriptor vitæ S. Tillonis †, cognomento Pauli, aliter dicti Hillonii, imò & Tilmanni, ex quo *Tilonis* nomen κατ' ἀποκοπὴν factum. Verba ejus sunt cap. ult. §. ult. *Multa ibi, jubente Domino, & S. Tillonis meritis, operantur virtutes. Inter quos * etiam & cincentillus, exabundante ubertim oleo, perfunditur: Ex quo sancto olei liquore multi, perunкti illic, à diversis sanantur infirmitatibus.* Vir doctissimus malit, *cicindelis*. Sed nihil, arbitror, mutandum. Dicas, & *cicindele* dixisse: unde Papias: *Cicindelia vitreas lampades vocamus.* Sed & alterum, ut videmus, ἀναλογίᾳ comprobatur: & *cicindelia* possit esse à recto *cicindelium*, ut simile sit ac *præmium*. Et fortassè *cicindela* scripserit Papias.

† Al. cicendelas.

* In Vitis Sanctorum, ad 17 Ian. apud Bollandum, pag. 176.

† In Vitis SS. ad 7 Ian. apud Bolland.

* Quas malim; ut referatur ad virtutes, h. e. miracula virtutum, & efficaciæ.

Cingula, pro *cingulum*, non Perotto modò, sed Bedæ etiam

etiam probatur in Orthographia: pro quo & *cingulus* dictum Ciceroni in Somnio Scipionis, ac Macrobio ad eum librum commentanti lib. I I cap. v.

Circada, pecunia, quæ penderetur pro visitatione loci. Nomen à *circare:* unde & *circitores*, qui circumirent loca. Hincmarus Rhemensis epistolâ ad Regem Ludovicum Balbum, Karoli Calvi filium, cap. VIII*: *Ut Ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, non affligantur.* Usus & Ivo Carnotensis, epistolâ, absente Fulberto, suo episcopo, scriptâ; quæ inter illas Fulberti legitur numero CX: *Jubes, inclyte Præsul, nos dare tibi circadas de Ecclesiis nostris, quæ sunt in Episcopio tuo.* Item epistolâ CCLXXXVI: *Ecclesiam de Mundonis villa, liberam à synodo, & circada, & omni exactione.*

* Pag. 6. edit. Moguntinæ an. 1602.

Circulata gemma, pro rotunda, apud Petrum Blesensem epist. XXX.

Cistelium, vel *crustelium*, (variant enim codices) legas apud S. Althelmum episcopum, in actis S. Juliani, & sociorum Martyrum †: *In Amphitheatrum cruentus carnifex imperat duci, quatenus patefactis cavearum cistelijs, & apertis clathrorum obstaculis, ursorum genuinis carperentur, & leonum rictibus roderentur.* Ubi, puto, legi debere, *Ursorum genuinis*, puta dentibus; quod commodè respondet illi de *leonum rictibus*. Censeo autem, rectiùs *cistelia* legi, ut sit à *cista*; ac fuisse cistam cancellatam, sive clathris obductam.

† In Vitis SS. ad 9 Ian.

Clameum, vel *clamium*, vindicatio sive postulatio juris, à Gallico *clame:* ut *clamer* à clamare, quia ferè id fieri soleat cum pipulo, & clamore. Henricus rex apud Matthæum Parisium in an. CIƆCCXL: *Feceris te securum de clamio suo prosequendo.* Idem in Additamentis: *Quietantiam juris, & clamei.* Thomas Walsingam, in Historiæ Anglicanæ Eduardo III*. *Quod Rex Angliæ haberet omnes terras suas ducatus Aquitaniæ, quas sibi Rex Franciæ injustè usurpaverat; si Rex Angliæ totum jus, & clameum, quibus regnum Franciæ vindicabat, Regi Francorum remitteret.* Skenæo notis ad Reg. Majest. sive legum Scoticarum lib. I cap. VIII, *Clameum, libellus, petitio*, definiuntur, *brevis scriptura narrationem actoris in se continens.* L. ult. C. de appellat. vel, *formula scripti, complectens actionem, & futuræ litis expositionem in judicio.* lib. I C. de edendo.

* Pag. 170.

Clamodici non tam, puto, sunt homines clamosi, ac qui blasphemias dicere gaudeant; quam qui clamore, ac pipulo aliorum, differantur, ut infamibus usu venit. Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. III: *De illis liberis hominibus, qui infames, vel clamodici sunt de testeiis, vel latrociniis, & rapacitatibus, & assalturis.*

Clausura, pro inclusione in monasterium, usurpatur à Radevico Frisingensi de gestis Friderici I lib. III cap. III, & Petro Blesensi epist. XII. Item Eugenio Pontifici ad Hildegardim: *Regulariter cum sororibus tuis vivas secundùm regulam S. Benedicti, sub clausura ejusdem loci.* At in Codice Theodosiano, & aliis antiquiorum locis, *clausura*, vel *clusura* sunt, quæ Theophylactus Simocatta lib. VII vocat ὀχυρώματα τ̃ διεξόδων; Curtius autem, *angustias adituum, quæ regionem aperiunt.* Origo nominis inde, quòd iis hostis excluderetur. Sic legas in epistola Pauli Perfidi ad Wambanum, Principem magnum Toletanum*: *Descende usque ad clausuras. Nam ibi invenies Oppopumbeum.* Id castellum erat in montibus Pyrenæis. Posteriores etiam *clusas* dixere. Ut Capitularia Karoli M. item Annales incerti scriptoris, de rebus gestis Francorum † ad annum IƆCCLXXIII: *Cui Desiderius obsistere nitens, clusis Alpium obseratis, occurrit. Franci, clusis potiti, Desiderium fugientem, & Papiæ inclusum, obtinent.* Itaque postea anno IƆCCCLXXIV legas: *Karolus verò, audito Karolmanni adventu in Italiam, primò clausis Alpium se defendere nititur; sed nihil proficit.* Monachus quoque cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita Karoli M.* *Et tunc ambo exercitus ad clusas se conjunxerunt.* Usurpat quoque Hincmarus Remensis ad Hincmarum Laudanensem cap. V; Regino Abbas Chronicorum lib. I, ubi loquitur de temporibus belli inter Desiderium, & Karolum; Luitprandus lib. I cap. II, & lib. V cap. VIII; Sigebertus Gemblacensis de vita S. Guiberti cap. XIII; Conradus Urspergensis in Chronicis, &c.

* Tom. I. scriptorum de rebus Franciæ edit. Andreæ du Chesnes pag. 820.
† Ex editione Wecheliana an. 1594. pag. 9.
* Pag. 238. ejusdem edit.

Cliothetrum, sellæ genus. Suessionensis monachus anonymus, lib. de translatione S. Sebastiani † cap. VI. §. XXVI: *Inter hæc Joannes præteriti maceratione jejunii, & vigiliarum continuatione fessus, ut cliothetro sedebat, violentiâ somni subitò deprimitur, & imperfectè resolvitur.*

† In vitis SS. apud Bolland. ad 20 Ian.

Clusa substantivè idem, ac *clausura:* de quo in *Clausura* superiùs dictum. Sic *clusor*, in vita S. Othonis lib. I cap. XLVI. Nempe à *cludo*, unde & Janus *Clusius Patulcius*, & Plinio *clusilis*. Similiter *clusoria* ars quasi *clausoria*, quæ in claustris parandis occupatur. Usus Tangmarus in vita Bernwardi episcopi. Malim verò *claustrariam* dicere, quomodo *claustrarium artificem* Lampridius ait in Heliogabulo. Est in Glossis Cyrillo tributis: Κλειδοποιὸς, *clostrarius*. Ubi *au* in O abit; quomodo ab *aula olla*, à *caudex codex*, ab *aurata orata*, Belgis à *claustrum*, *clooster*. Imò & *Clostra Romana*, Latii oppidum, Plinio lib. III cap. I: quæ & Κλαῦστρα similiter Ptolemæo. *Clusam* etiam dixere pro catarracta, quia aqua eâ, velut obice, cluditur, sive clauditur: unde & Hebræis putatur vocari מתג האמה Metheg Haamah, hoc est, *frenum rivi, vel aquæductus.* Legas istoc II Sam. VIII. I. Gallis à *clusa* similiter *escluse*; uti Belgo-Germanis *sluyse*.

CAP. VI.

De nominibus barbaris, sed Latinæ originis, aut Græcæ, quæ incipiunt à C literâ, sequente quartâ vocali. Coætaneus, *pro æqualis, vel ejusdem temporis.* Coævus, *pro eodem.* Cocula, *pro vestis genere.* Cœnadicum, *vel potius* cœnaticum, *Quadragesimalis piscium census.* Cœnobita, *consors vitæ ejusmodi, qualem κοινόβιον dixere veteres.* Cognitior, *pro notior.* Cognoscibile, *cognitionem habens.* Colimpha, *vel potiùs* colymba, *naviculæ urinatoriæ genus.* Collaterale, *quod à latere constitutum.* Collegiatum, *in corpus aliquod, sive collegium, redactum.* Collistrigialis pœna, *quâ alicui laqueo collum stringitur.* Colludiosum, *ubi actor cum reo colludit.* Colobia, *tunicæ sine manicis.* Colonitium, *quod à colono persolvendum domino.* Colorus, *pro coloratus.* Commater, *susceptrix.* Commerciator, *negotiator.* Comicia, *pro Comitatu.* Comitatio, *pro comitatus.* Comitissa, *pro domina Comite.* Comitiva, *pro comitatu via: item pro dignitatis genere.* Commendatorius, *pro commendatitius.* Commensalis, *convictor.* Commercius, *quicum alicui est commercium.* Commissarii, *judices, vel rei inquisitores.* Commodioritas *è barbarorum numero expunctum? nec propterea Latinitate donandum.* Commonitorium, *pro commonitione.* Communia, *fœdus communi in caussa initum: ac fortasse etiam bona communia, & indivisa.* Comodia, *vel* commodia, *loca viatoribus ad divertendum commoda.* Comparilia, *bona, quæ comparuerint, vel comparerant.* Compassio, *pro misericordia.* Compater, *pro sponsore fidei, offerente, vel susceptore.* Compatriota, *pro συμπατριώτῃ, popularis, vel conterraneo.* Compauperatus, *pauper redditus.* Complacentia, *quâ quid complacitum est.* Complanus, *pro planus.* Completorium, *pro complemento.* Complices, *pro facinoris sociis.* Compotista, *vel potiùs* computista, *logistices, sive bene numerandi gnarus.* Concagatus, *vel* conchagatus, *pro* concacatus. Concanonicus, *pro syncanonicus.* Concordantia, *pro verborum indice, vel rerum consensu.* Condium, *pro mensuræ genere; nisi id* congium *potiùs.* Confabulatio, *pro colloquio.* Confiniales, *pro conterminis, vel finitimis.* Confrater, *pro collega; simileque* consoror. Confugium *facere, pro fugam capere.* Congellus, *pro syncellus.* Conludio, *pro collusio.* Conradium, conredium,

dium, *vel* conrodium, *modus cibi in monasterio alicui concessus.* Contegionalis, *qui ejusdem est regionis.* Conscholaris, *condiscipulus.* Conscientiosus, *contra conscientiam nihil unquam acturus.* Constabularius, *Comes stabuli.* Consuetudinarium, *liber monasterii consuetudines continens.* Consularius, *consularis.* Contectalis, *uxor.* Contemporalis, *vel* contemporaneus, *pro aequalis, vel eorundem temporum.* Contenementum, *habitus, gestusque: cui simile* manutenementum, *pro tutela, vel assertione liberali manu facta.* Contina, *pro templo.* Continentia, *pro conspectu operis.* Contoralis, *pro conjuge.* Contribulis, *pro tribuli.* Conviator, *pro comes.* Convicinium, *pro vicinia.* Coopertorium, *pro tegumento.* Copiates, *vespillo.*

COaetaneus pervulgatum etiam usu doctorum, pro eo, quod Graecis Ἥλιξ, ὁμῆλιξ, ἡλικιώτης: Ciceroni, & aliis, aequalis, ejusdem aetatis, vel temporis. Ajunt, *coaetaneus* apud Porcium Latronem legi oratione in Catilinam: *Marco siquidem Catoni, aut Scipioni, coaetaneo suo.* Sed enim is scriptor supposititius est. Multa adeò sunt declinantis Latinitatis argumenta; ut cuilibet non obesae naris constare possit, alium esse ab illo Porcio Latrone, quem non uno in loco sic laudat Marcus Seneca †, philosophi parens. Ludovicus Carrio ineptissimum appellat sophistam. Mihi adeò insubidus non videtur. Potiùs accessero iis, qui Vibium Crispum arbitrantur. In his est Hadrianus Junius, lib. de Coma, cap. VIII.

† *Praefat. lib. I Controvers. & lib. 3 Controvers. 25.*

Coaevus ajunt ipsum apud Ciceronem legi orat. in Vatinium: ubi sit, *Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum videras? nunquam puer, aut adolescens inter coaevos fueras?* Et sanè sic libri nonnulli veteres. Sed meliores penè omnes pro *coaevos* habent *coquos*. Quod meritò praefert Hadrianus Turnebus lib. XXI Adversariorum cap. XI extremo. Cicero pro eo dicit *aequalis alicujus*; ut in primo de Divinat. *Apud Philistum, aequalem temporum illorum.* Et in Bruto: *Memoria proditum est, poetas nobiles poëtarum aequalium morte doluisse.* Graecis συγχρονοι vocantur.

Coculam esse vestis genus, liquet ex eo, quòd jungatur cum orario, & guna, veste pelliceâ. Sic enim Cinehardus epist. ad Lullum episcopum: *Orarium, & coculam, & gunam brevem, nostro more consutam.* Si conjecturae est locus, dixero, nomen inde ducere, quòd similis esset vesti coquinariae. Nam unde *cocula* potiùs sit, quàm à *coqua*, vel *coquus*: unde *coquulus*, vel *coculus*, ὁ μαγειρίσκος, ut est in Glossis? Imò & *coculum*, vas culinarium ex aere. Gloss. *Coculum*, χάλκιον. Festus, sive Paulus Diaconus: *Cocula, vasa aenea coctionibus apta. Alii cocula dicunt ligna minuta, quibus facile decoquuntur obsonia.* Ubi vide, quae ex Varrone, & Isidoro, Scaliger annotavit.

Coenadicum quid sit, indicat Odo, Abbas Glannafoliensis in Translatione S. Mauri † cap. VI. §. XXXII: *Wilfuinus quidam, vir clarus secundùm seculi dignitatem, atque in equestri ordine nonnullos praecellens, cum toto quadragesimali tempore censum piscium (quem more provinciae coenadicum vocant) per vim fratribus abstulisset.* Malim à *coena*, *coenaticum*; quâ formâ dicimus *balneaticum*, & similia. Gloss. *Coenaticus*, συμποσιακός. Quia in Quadragesimali jejunio pro carnibus essent pisces, pro prandio coena; Quadragesimalem piscium censum *coenaticum* nuncupabant.

† *In Vitis SS. apud Boll. ad 15 Ian.*

Coenobita Ivoni Carnotensi epist. CXCII. A Graeco κοινοβίτης: uti hoc à κοινόβιον, quod apud Palladium in Hist. Lausiaca, ubi de Paulo Simplice, & apud tot alios. Imò & Agellii est lib. I cap. IX, de Pythagoraeis: *Coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod re, atque verbo, appellabatur* κοινόβιον. Qui vero κοινοβίτης, is & κοινοβιακὸς μοναχὸς Theophylacto in Matth. cap. XIII. *Coenobiticus* est apud Ivonem Carnot. epist. CCLXIX. De hujusmodi, ut in re nova, nolim contentionis funem ducere. Notum quippe, ut monachis Christianis (de Judaeis enim, qui Esseni dicebantur, nunc non loquimur) origo fuerit à Paullo Thebaeo; sicuti in vita ejus proditum est à B. Hieronymo. Monachorum verò alii seorsum singuli vixere, ut eremitae; alii gregatim, ut coenobitae.

Cognoscibilis non facilè dixero; sed cum classicis, Tullio praecipuè, *cognitionem habens.*

Colimpha, quasi *colymba*, ἀπὸ τοῦ κολυμβᾶν, natare. Navicula erat urinatoria, in quâ qui foret, etiam eâ aquis obrutâ, non indigeret lumine, quia speculi electrini, vel vitrei beneficio pelluceret. De ea sic B. Hieronymus: *Asserit* (Ister,) *Alexandrum magnum illuc per obsidum foedera peraccessisse, ob hoc tantum, ut hac caussa navalium industriam consideraret, & astutiam. Et ultrà, quam credi potest, de eo famosissimas fabulas inquiunt. Ajunt enim, in ipsas colimphas ipsum Alexandrum introisse, & profundum conscendisse, usque ad imum, ut sciret Oceani profundum, & differentiam maris, & abyssi. Nobis vero incredibile videtur.* Memini, me eam pie historiam legere in Jacobi Magni Toletani Sophologio. De Istro verò, unde ea produntur, egimus in Graecorum Historicorum Historia. Praeterea de eo vide-sis verba etiam memorata referentem Martinum Opitium, Notis eruditis ad Rhythmum Teutonicum de S. Annone, Archiepiscopo Coloniensi*.

* *Pag. 28, & 29. edit. Dantiscanae an. 1539.*

Collaterales dicunt, quorum alter alterius latus claudit. Ac ad alia etiam extenditur significatio. Utitur eo vocabulo Petrus Blesensis epist. XV. Habes & in Constitutionibus Neapolit. lib. I tit. LIII Leg. II, & lib. II Tit. X. item Speculo Saxonico lib. I Artic. XVII. §. III. Interim *lateralis dolor* ipsius Plinii est, atque adeò Lucilii: cujus hoc in satyris:

Nam laterali' dolor certissimu' nuncius mortis.

Collegiata Ecclesia legas apud Carolum VI in edict. de immunitat. & Rep. Eccles. † & in Concil. Pisan. Promotionib.* Etsi verò ea vox ignota sit classicis scriptoribus: non tamen planè barbara, cum in Codice Theodosiano legere sit, *Municipes collegiati, & corporati urbium*, lib. V de locat. fundor. jur. emphyteut. Nempe ex civitatibus publici ministerii caussâ conscripti, ac certum corpus, & collegium constituentes. Nullo modo audiendus est Isidorus, quando sic scribit lib. IX Orig. cap. IV: *Collegiati dicuntur, quòd ex eorum collegio, custodiisque, deputentur, qui facinus aliquod commiserunt. Est enim sordidissimum genus hominum, patre incerto progenitum.* Quae profectò nec unius sunt assis.

† *Pag. 210.*
* *Pag. 200.*

Collistrigialis poena, ut suspicor, ea dicebatur, quâ collum stringeretur; hoc est, qua alicui laqueo pereundum. Matthaeus Parisius in rege Joanne an. CIↃCCIII †: *Eodem anno rex fecit generaliter acclamari, ut legalis assisa panis generaliter sub poena collistrigiali observaretur.*

† *Pag. 200. edit. Tigurinae; at pag. 208. edit. Lond.*

Colludiosum, de eo, quod est colludentium inter se; quando nempe lis simulatur, atque ita caussâ proditur. Petrus de Vineis lib. V cap. XCIV: *Per colludiosas probationes.* At *colludium* est apud Solinum, cap. XVIII †, & Sidonium lib. I epist. II: ut praeteream juniores multò; quales Flodoardus lib. II cap. II, & Aldheldus, de laude Virginit. cap. X. Simileque *inludium* apud Tertullianum de Resurrectione Carnis.

† *Sive ex distinctione Salmasiani codicis cap. 12.*

Colobium accepere Latini juniores à sui temporis Graecis; qui itidem κολόβιον dicunt, quasi κολοβὸν, hoc est, mutilum, eò quod careat manicis. In Glossis Arabicolatinis, voce *Levitonarium*, *sine tunicis*, corruptè legitur pro *sine manicis*. Usi è Graecis Codinus in Originibus Constantinopolitanis, & Dorotheus Doctrin. I. E Latinis habes in Codice Theodosiano lib. XIX tit. X; apud Cassianum Instit. lib. I, sive de habitu monachorum cap. V; Isidorum lib. XIX Originum cap. XXII*; item in libro de veteribus Ecclesiae ritibus, qui Carolo M. tribuitur, cum sit totus ex opere Albini Flacci Alcuini de officiis divinis: adhaec apud Anastasium de vitis Pontificum cap. XXVIII, sive in Eutychiano. Audiamus quoque Servium in hoc Maronis I Æn.

* *In Colobium, & Lebitonarium.*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Bene

Bene gentem, quia & sexus omnis, & conditio, togâ utebatur: sed servi nec colobia, nec calceos, habebant. Atque idem in illud IX Æn.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Tunica, inquit, *vestræ habent manicas: quod etiam Cicero vituperat, dicens: Manicatis, & talaribus tunicis. Nam colobiis utebantur antiqui.* Usi sanè; ut rectè hic ait Servius. Erant verò duo tunicarum genera. Quædam enim habuere χειρῖδας, sive manicas: ut Pœnis, ac Romæ etiam feminis. His brachia tegebantur usque ad καρπὸν manus; unde & *manicatæ*; & *manuleatæ*; item χειριδωτοὶ, ac καρπωτοὶ, dicebantur. Aliæ autem ex parte quidem tegebant lacertos, at non brachia; imò nec lacertos usque ad cubitum, sed partem lacertorum humeris propiorem: ut ex veterum statuis cognoscere est. Posterius hoc tunicarum genus colobiorum habuit nomen; quia, ut dixi, κολοβαὶ forent, sive mutilæ. Voce tamen *colobiorum* non usi. Cur colobia amarint Ægyptii monachi, exponit Cassianus loco superiùs designato: uti & ante memoratus nobis Dorotheus Doctr. I. Usi quoque sacerdotes: sed postea iis dalmaticæ successerunt; quia vestis ea, ut splendidior, commendare sacrum ordinem videretur. Adducam de eo verba Anselmi, antiqui Decretorum Collectoris, quæ ille ex Eusebio adducit nescio quo: ex Anselmo autem refert Petrus Ciacconius, annotationibus in Cassianum †: *A S. Sylvestro, & presbyteris ejus, colobiorum usus sumsit initium: & Marcus, & Julius, & Liberius, eo ordine sunt usi. Post hos autem colobia in dalmaticas commutata sunt: visum est enim melius huic proposito convenire, quod accuratius magis adspectibus placere valeat.* Sed de collobii in dalmaticam commutatione, plenius ex iis liquebit, quæ libro sequenti de Dalmatica dicentur.

† Pag. 674. edit. Rom.

Colonitium, quod colonus domino debet. Vide incerti scriptoris formulam XXXII, quæ inscribitur, *Notitia de colonitio.* Alibi etiam in formulis ipsis legas.

Colorus, pro coloratus. S. Gerardus abbas* Sylvæ-majoris in vita S. Adelardi, cap. VIII §. XXXVII: *Erat tamen decoris gratiâ venustus, discretâ macie, satis admodum colorus.* Cæteroquin non multùm abit à *florus*, pro floridus. Sic locuti Nævius, Pacuvius, Attius, &c., judicio P. Colvii †, Maro ipse XII Æn.

* In Vitis SS. ad 2 Jan.

† Notis in Appul. 8 Met.

Comerciarius, vel potiùs *commerciarius*, in vita S. Anastasii Persæ martyris*, cap. IV §. XXVII, à commerciis videtur sic dictus; quomodo idem fuerit ac negotiator, vel mercator. Κομμερκιάριος similiter dixere Græci posteriores: in iis Constantinus de Administratione Imperii. Quid mirum? quando iidem nec refugerunt κομμέρκιον, vel κουμέρκιον, pro *commercium*: atque inde etiam formarint κομμερκεύειν, *commercia exercere.* Nihil, puto, opus adscribere auctores sic locutos: quando apud Meursium in Glossario legi possiunt. Vicinum est *commercius*; de quo mox dicam.

* In Vitis SS. ad 22 Jan. apud Belland.

Comicia, pro dignitate *Comitatus.* Cæsarius lib. VIII Mirac. cap. XXVI: *In comicia de Monte*, hoc est, Comitatu Bergensi. Item lib. IX cap. XLVIII: *Lodovicus, Comes Lossensis, etiam Comiciam tenebat de Reinecke.*

Comitatensis fabrica, apud Ammianum Marcellinum lib. XVIII. Sic, ubi priùs *Comitenses* legeretur, è MSSis rectè reposuit Lindenbrogius. De illo tamen Henrico Valesio adsensero, quòd hic non agatur de Fabricensibus, de quibus in Notitia imperii; sed per tralationem sic vocentur, qui in comitatu Constantii Cæsaris primas obtinerent.

Comitatio, pro comitandi actu, vulgare est. Pro quo *comitatus* veteres maluere.

Comitissa, pro domina Comite, legas apud Leonem Ostiensem Chronici Casinensis lib. I cap. XLVII: *Omnia quæ Isesgarda Comitissa obtulit S. Benedicto.* Similiter Petrus in Historia Albigensium cap. XXXIV. Sed de isto abunde dictum lib. I cap. XLVII.

Comitiva, pro societate, sive comitatu viæ. Petrus Blesensis epist. XIV: *Quamdiu vestrâ usus sum comitivâ, quælibet dies, in qua Domini Regis alloquio non fruebar, mihi tristis, & nubila videbatur dies.* Idem Blesensis epist. XXI: *Revertor ad Dominum vestrum, cujus familiaritatem, & suavissimam comitivam, perdidisse me doleo.* Petrus de Vineis lib. III epist. XXIII: *Tantorum principum societate, tam gratificâ comitivâ suffulti.* Similiter Beka in vita Willebrordi episcopi I, & Turocius in Histor. Hungar. Apud Cassiodorum etiam hæc vox; sed pro dignitate, invenitur. Locus est lib. III Var. epist. XII: *Accedit etiam provecti* (illustris Argolici ad Præfecturæ Urbanæ dignitatem) *nobilissimus pater, qui Comitivæ Privatarum infulas nullius acerbitate calumniæ profanavit.*

Commater est in Legg. Longobardicis lib. II tit. VIII leg. V, & in Capitulari Benedicti Levitæ lib. VI cap. CCCXCVII. Malum ego dicere offerentem, vel susceptricem, vel sacræ initiationis arbitram. Vide paullo inferiùs *Compater.*

Commercius, pro negotiationis socio, finxere ad modum, quo *commercium* dicitur. Incertus scriptor formularum veterum in Collectione Bignognianâ, formulâ XLIV, quæ est indiculus Regalis †: *In quoscunque portus civitatis, seu mercada, nullo contradicente, suus venditor, vel commercius, quodlibet negotium potestatem habeat vendendi.* Vide superius *comerciarius.*

† Pag. 272.

Commendatorius, pro *commendatitius*, eò usque refugiam, donec incidero in idoneos scriptores, qui probaverint.

Commensalis, qui eâdem utitur mensâ, Petro Blesensi epist. XVIII. Pure loquentibus est *convictor.*

Commissarius est pervulgatum. Sed rectiùs *judices* dixeris, vel rei *inquisitores.*

Commodioritas, non dico in Latinis, sed ne in barbaris quidem meretur locum. Ut quod nemo vel Latinus, vel barbarus, usurpârit. At inquit doctissimus amicus noster in auctario Philologico, saltem posterioris esse ævi vocabulum; quale *prioritas*, & *superitas*; ostendit glossarium vetus; ubi est *Commodior ætate*, τῇ χρήσει: nec enim dubitandum, quin scriptum fuerit, *commodioritate.* Hæc non operosum fuerit refellere. Nam scripserat glossographus, *Commodo tibi, commodor à te.* Hinc subjecerat Græcam interpretationem; quæ temporum injuriâ deperiit. Inde sequebatur, *Commodato*, quod itidem excidit. Hujus interpretatio fuit, τῇ χρήσει.

Commonitorium videtur, quale *commonitio* est apud Quinctilianum. Sed non arbitror, quemquam Quinctiliani ætate, nedum Tullii, priori usum esse. At legas in Codice Justinianeo, *commonitoria sententia, commonitorium suffragium, commonitoria instrumenta.* Imò & apud Ammianum Marcellinum est lib. XXVIII: *Commonitorium repertum est manu scriptum Hymelii.* Item postea: *Commonitorium cum Augusti literis tradidit.* Adhæc in Codice Theodosiano, lib. III tit. XXIX, ubi imperatores, Theodosius, Arcadius, & Honorius: *Quod si quis, dum solo commonitorio de suffragio nititur, bona duxerit occupanda.* Vincentius Lirinensis præfat. libri adversus hæreses: *Sublevandæ recordationis, vel potius oblivionis meæ gratiâ, commonitorium mihi parâsse suffecerit.* Unde & vetus libri inscriptio promanavit, *Commonitorium Peregrini adversum hæreticos.* Primitus enim Vincentius, ut est apud Gennadium in Catalogo, dissimulato nomine inscripserat, *Peregrini adversum hæreticos.* Mitto his juniores: ut Anastasium bibliothec. in Gregorio II, atque alios. Græci quoque κομμονιτώριον dixere: ut Evagrius lib. II cap. XVII, Justinianus Novellâ XXVIII, Suidas item, apud quem κομενιτώριον scriptum. Meursio etiam adsentio apud Gregorium Dialogo de Vitis Sanctorum lib. III pro κομεντώριον emendanti Κομμονιτώριον.

Communiam dixere fœdus, vel conspirationem eorum, quorum communis caussâ videtur laborare. Aimoinus lib. V de Gestis Francorum cap. LIII: *Senonensis civitatis burgenses*, adversus abbatem S. Petri Vivi Herbertum in iram concitati, quia communiam eorum dissolvi fecerat, eum truculenter necaverunt.* Idem cap. LVI: *Contigit, quòd Vizeliacenses burgenses, communiam inter se facientes, adversus dominum suum Abbatem, & monachos,*

* Cives, sive burgi incolæ.

niachos, superbiâ inflati insurrexerunt, eosque diutissimè infestatione maximâ afflixerunt. Communiter siquidem conjuraverant, quòd Ecclesiæ dominio ulterius non subjacerent. Ac postea eodem capite: *Super injustâ inquietatione Vizeliacensis communiæ.* Item: *Qui prædictam communiam manutenebat.* Item: *Communiam dissipari faceret.* Adhæc: *Quid de prædictâ communiâ faceret.* Item: *Quod communiæ deinceps non consentiret, sed eam penitus dissiparet.* Item: *Communiam relinquerent, & deinceps non iterarent.* Ex quibus satis liquet, *communiam* dixisse, quod Cicero vocat *animum, ac voluntatem communem aliquid defendendi.* Usurpat quoque Ivo Carnotensis epist. CLXXX: *Ut per Radulphum Balgejacensem aliquanto prolixas inducias detis prætaxato Arnulfo, non de minoranda justitia ecclesiastica; sed tantummodo de non ducenda super eum communiâ.* Hoc est, ne, qui se ab archiepiscopo læsos arbitrantur, in communi causa porrò conjurent, eique Romæ multum negotii facessant. Similiter *jurare communiam* est apud Rogerum de Houeden Annal. Tom. II. Videntur & *communiam* dixisse bona, quæ non unius forent domini: ut bona indivisa, unde pro rata portione fructus ad quemque redit. Formul. LVII †: *Una cum terris, sylvis, campis, pratis, communiis, nec non & mancipiis ibidem commanentibus.*

† Paginâ 1244. edit. Lindenbrog.

Comodia, vel *commodia*, diversoria, quia iter facientibus commoda. Isidorus in Glossis: *Comoda, ostiaria.* Ubi *ostiaria* planè Italicum *hostaria*. Utitur Historia Austriaca. Vide, quæ de isto Meursius in Glossario, voce *Κόμοδα*.

Comparilia censeo vocari bona, quæ in loco certo fuisse, idoneis possit testibus comprobari. Legg. Bajovar. tit. IX cap. II. §. V: *De minore vero, quod scopar appellant, cum......sol. componat, & universa comparilia restituat.* Sententia est, eum, qui incenderit minorem scuriam, sive horreum, (quod *scopar* vocari, dictum libro præcedenti cap. XVII *) duplici pœnâ teneri: ac priorem esse, ut persolvat certum solidorum numerum: qui quantus fuerit, librariorum incuriâ ignoratur. Sanè nec in Tilii, nec Lindenbrogii editione, exprimitur. Alteram pœnam esse, ut idem incendiarius refundat pretium omnium, quo constitissent ea, quæ in horreo istoc minori, ante incendium, comparuissent. Indeque *comparilium* nomen; quia, latâ hac lege, ubi de incendiario constiterit, haut aliud superest, quam ut actor probet, quæ comparuerint prius.

* In Scuria.

Compassio, vel *condolentia*, pro *συμπάθεια*, sive *misericordia*. Arnulfus, Lexoviensis episcopus, epist. XII: *Auditâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ turbatione, condolui; quia dolorem matris audire sine compassione non poteram filius specialis.* Cæsarius lib. VI cap. V: *Quidam dixerunt, nunquam se legisse de aliquo homine, qui tantæ fuerit circa pauperes compassionis.* Anonymus de Genealogia regum Daniæ, à V. Cl. Stephano Stephanio editus in Missis: *Adsunt ministri diaboli, absque ulla compassione victimam Domini sævis manibus rapientes.* Sed de isto etiam in verbo *Compatior* dicemus.

Compater, qui de sacri baptismatis fonte elevat, sive susceptor, vel sacræ initiationis arbiter: Tertulliano is, libro de baptismate, cap. XVIII, dicitur *sponsor fidei*; Augustino, lib. I de peccatorum meritis cap. XXXIV, & epist. XXV, *offerens*. *Compatris* vox obtinuit jam ætate Caroli M. quippe cujus tempore celebratum fuerit Concilium Moguntinum; ubi legas cap. XLVII: *Ut compater, vel proximus, filiolos suos spiritales catholice instruant, præcipimus.* Habes etiam in Capitulari Ansegisi lib. II cap. XXXIX. Junioribus quoque frequens ea appellatio. Contentus ero indicare Cæsarium lib. V cap. XXXIX, & lib. II cap. XXIV. Item vitam Joannis Eleemosynarii cap. IV, §. XXI †. Indeque *compaternitas* apud Turocium. Vide superiùs *Commater*, & inferiùs *Matrina*, & *Patrinus*.

† In Vitis SS. ad 23 Jan.

Compatriota est apud Guilhelmum Malmesburiensem lib. I de gestis Anglorum, & Petrum de Vineis lib. III cap. XLI. Guarinus Veronensis epigrammate, quod primæ Catulli editioni præmisit *:

* Regii Lepidi, an. 1481.

Ad patriam venio longis de finibus exul.
Causa mei reditus compatriota fuit.

Pro eo *sympatriota*, vel *conterraneus*, dici oportere, commonui lib. I cap. XIX. Ivo epist. CIX. etiam usurpat pro eo *conregionalis*. Sed nihil opus fingere ejusmodi, ubi vetera suppetunt bona.

Compauperatus non refugit B. Bernardus serm. ad Fratres de monte Dei, & Petrus Blesensis epist. CXXXVII. Malim, pauper factus, ad paupertinam sortem redactus.

Complacentia habes in Concilio Senonensi.

Complanus, pro planus. Petrus Blesensis epist. CIV: *Descendamus in complana, ubi valles abundabunt frumento.* Verùm uti *planus* dicimus; non *planare*, sed *planum facere*: ita rectum est *complanare*; non item *complanus*.

Completorium, pro complemento. Ludovicus I Kapitularium Addit. I cap. XII: *Priusquam lectio completorii legatur, bibant.* Item cap. XLVIII: *Ut benedictio post completorium à sacerdote dicatur.* Auctor vitæ S. Huberti Leodicensis: *Officium completorium cecinimus, cubitumque recessimus.* Item Cæsarius lib. I Mirac. cap. XXV, scriptor Chronici Cisterciensis *, & ante hosce omnes S. Marcellinus in vita S. Suiberti. Imò in Regula S. Benedicti cap. XLII legas: *Omnes in unum positi compleant, & exeuntes † à completorio nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid.* De hora completorii vide sis Durandum Rationalis lib. V. cap. X, & Durantum de Ritibus Ecclesiæ lib. III cap. XIV.

* Pag. 55.

† Pro, exeuntibus: vel potiùs, ubi exierint.

Complices, pro facinoris sociis, est apud Prudentium *περὶ στεφάνων*:

—— Perdere
Puerum, ac magistrum, complices sectâ impiâ.

Usus & Salvianus lib. II de Avaritia, Cassiodorus non semel, scriptor vitæ Ludovici Pii *, Rhegino Abbas Chronic. lib. II, Flodoardus lib. II cap. XX, Alexander Papa in Edicto suo apud Arnulphum Lexoviensem episcopum: cujus est †, *Cum tribus malitiæ suæ complicibus.* Fulbertus Carnot. epist. XLV, Ivo Carnotensis epist. L. ad Rickerum, Senonensem Archiepiscopum; imò is nec in singulo numero refugit epist. LXIII: adhæc Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. II cap. LX, Baldericus in Chronico Cameracensi lib. I cap. XVII, Petrus de Vineis lib. III epist. V, Beka in vita Andreæ Episcopi XXV, & Heteberti Episcopi XXVI. Etiam in Conciliis reperias: uti Toletano III can. II, & Meldensi cap. X. Omnino autem semibarbarum est. Ajunt Ciceronem uti prima in Catilinam invectiva: *Sin tu exieris, exhaurietur ex urbe tuorum complicium magna, & perniciosa sententia Reipublicæ.* Sed pro *complicium*, ut jam olim Valla vidit, *comitum* legi debet: pro *sententia* autem *sentina*. Atque ita meliores omnes codd. Monitumque idem H. Stephano in Pseudocicerone †.

* Pag. 370. vers. 28.

† Pag. 26.

† Pag. 41. 42.

Compotista est apud M. Joannem de Thwrocz in Chronicis Hungaricis partis II cap. XCVII: *Quorum Walachrorum numerum, ibi per Ungaros occisorum, subtilis solummodo infernalis compotista collegit.* *Compotista*, rationum conficiendarum intelligens: nempe pro *computista*, à *computando*, unde *computus*; quam vocem non semel habes in Appendice Kapitularium Karoli M. Sed longè est Karolinis temporibus vetustior. Vide, quæ dixi lib. I cap. XVIII.

Concagatus est in Lege Salica tit. XXXIV. §. II: *Siquis alterum concagatum clamaverit.* Glossar. *Conchagatum, sordidatum.* Priores dixissent *concacatum*. *Concacare* ipsius Senecæ est.

Concanonicus lego apud Ivonem Carnotensem epist. CXXXVII, & Petrum Blesensem epist. XLIX. Et tamen, postquam Serenissimus magnæ Britanniæ Rex Karolus, pro divina erga eos benignitate suâ, qui de Ecclesia, ac literis, bene mereri student, in Canonicorum Metropolitanæ Cantuariensis Ecclesiæ Canonicos sive præbendarios me ex Belgica hac unicum adlegit, verear collegarum alios, viros pietate ac doctrinâ eximios, *concanonicos* appellare. Potiùs *syncanonicos* dicerem, ne vox hybrida sit. Quare non

non simile est, ac *collega*, *condiscipulus*, ac similia; quæ ex Latinis duobus sunt conflata. Quid quòd ne in istis quidem hujusmodi compositio semper conceditur? Uti liquet ex *concivis*, *confœderatus*, atque aliis; de quibus dictum lib. I cap. XIX.

Concludio an rectum sit, in *Conludio* dicam.

Concordantia etiam vocabulum fecere librorum titulum. Sed Latinè in vocabulis dixeris *Indicem omnium vocum*: in rebus, *consensum*, aut *concentum* nuncupes; vel cum Græcis *harmoniam*, aut *loca parallela*.

Condium, mensuræ genus; quia conditur eò, quantum capit. Gregorius Turonensis in vita S. Caluppani Reclusi: *At ille, munere cælesti congaudens, concavum in lapide parvulum, in modum cisternæ, faciens, quod tenebat quasi condia duo, lymphas divinitus sibi indultas suscipiebat.* Nec alibi tamen *condia* me legisse, nunc recordor. Fortassè igitur *congia* scripserit. Nempe ut, illo seculo, recto singuli numeri non *congius* modò, sed etiam *congium*, usurparint.

Confabulatio vulgare est. Sed *colloquium* malim. Græcis est λέσχη.

Confiniales est apud Monachum Engolismensem de vita Karoli M. *Conterminos*, vel *finitimos*, dixero: vel si ab antiquis abire visum, *collimitaneos*: uti Solinus *collimitor*, *collimitium*, *collimitatus*.

Confrater, pro collega, sive qui eodem munere fungitur. Usi Ivo Carnotensis epist. CXXXIII, & Galfridus Monemuthensis lib. XI cap. III. Etiam Nicolaus Cusanus librum *de filiatione Dei* inscribit *confratri Conrado Wartobergensi.* Hinc *confratria*, pro collegio, in Historia Albigensi cap. LVI*. Simile est *consoror*. Utitur Cæsarius lib. XII Memorabilium cap. XXXVI.

* Pag. 100.

Congellus, pro *syncellus*, σύγκελλος, quasi ejusdem cellæ contubernalis: cujus dignitas ab illa Patriarchæ erat proxima. Notkerus Balbulus in Martyrologio: *Cum plurimos discipulos, vel socios, sanctitatis suæ dispares habuisset; unum tamen, congellum scilicet, Latinè Fausti nomine illustrem, præceptorem beatissimi Columbani, magistri, domini, & patris nostri Galli, virtutum, ac meritorum suorum quasi unicum, exemplo Isaac, reliquit hæredem.*

Conludio, conlusio, vel collusio. Leges Bajuvar. tit. VIII, qui est de Furto, cap. VI: *Ille, cujus conludione crimen admissum est, tanquam fur, damnetur.* Ita rectè editio Tiliana: ubi, errore typographi, *concludione* est in Hamburgensi. Sed nec Solinus pro eo *conludium* refugit. Ut mirari non oporteat, si idem reperias in Decreto Childeberti cap. VII.

Conradium, *conredium*, & *conrodium*, significant certam cibi mensuram, in cœnobio alicui adsignatam; vel universè, præbendam, aut pensionem. Qua de re pleniùs in Glossario suo Spelmannus. Usurpat Matthæus Parisius in vita Guilhelmi, abbatis XXII S. Albani: *Duo conradia monachalia exigentem jure perpetuo ex dono cujusdam Abbatis.* Item in vita Joannis, abbatis XXIII: *Exigens conradium cotidianum abbatis sibi perpetuò ad opus leprosarum ibi manentium concedi.* Ac mox ter repetit. Idem in Additamentis†: *Terras consuetudinarias in libertatem, novas infeudationes, vel hæreditaria conradia, vel liberationes, alicui non concedant, sine conventus sui consilio, & assensu.* Usus etiam Rex Guilhelmus Edicto suo, quod legitur in Constitutionibus Neapolitanis sive Siculis, lib. III, tit. XVIII: *Cùm in eorum terris nos hospitari, vel corredium ab eis recipere contigerit.* Semel, iterumque, ibidem pro eo *corredum* scribitur. Possit *corradium* dictum videri, quia ad alimoniam sit corrasum, collectumque. Sed puto *conredum*, vel *corredum*, esse ab edendo. Aut, si *corrodium* malis, à corrodendo. Nec tamen in ejusce modi conjecturis ipsi mihi satisfacio.

† Pag. 196.

Conregionalis, qui ejusdem regionis; ut *conterraneus*, qui ejusdem terræ. Ivo Carnotensis epist. CIX, quæ ad Papam Paschalem: *Unde ego, & quidam conregionales nostri, hoc murmur non æquanimiter accipientes, utpote Romanæ Ecclesiæ filii unanimes, scribere decrevimus sanctitati vestræ.*

Conscholaris, pro condiscipulus. Petrus Blesensis epist. LXXXVI: *Quandoque te habui conscholarem.* Joannes Saresberiensis epist. CLXXII, ad Comitem Henricum*: *Idem quoque tres Prophetæ, & conscholares eorum, scripserunt librum Esther, quem vulgata opinio ab Esdra compositum asserit.*

* Pag. 284.

Conscientiosi voce barbarâ carere possumus, cùm pro eo dicere liceat, justum, numinis metuentem; nihil acturum, quod iniquum putet; etiam in minutiis sollicitum, ne fortè quid agat præter fas, & æquum; qui omnia, quæ agere paret, ad divinam exigat voluntatem; qui minutius, & scrupulosiùs, omnia acta agendaque expendat ad lancem legis divinæ; cui religio sit quicquam aggredi, quod existimet posse displicere Deo, & bonis. Inter eos, qui usurpent, etiam est Thomas à Kempis lib. I de Imitatione Christi cap. IV: *Cum sapienti, & conscientioso viro, consilium habe.*

Constabularius, *constabulus*, & *conestablus*, quasi Comes stabuli; ex Italico *conte*, quod est *comes*; & *stabula*, vel *stalla*, quod idem ac *stabulum* signat. Regino Prumiensis Chron. lib. II ad an. CIↃX: *Burchardum Comitem stabuli sui, quem corruptè constabulum appellamus, cum classe misit in Africam.* Verius id puto, quàm ita dici à *constabulare*; quod Junio Columellæ est diversa animalia eodem fovere stabulo. Sæpe *Constabularii* voce usus Guilielmus Tyrius de bello Sacro; item Matthæus Parisius. Etiam habes in Sigeberti append. in ann. CIↃCLXV; & apud Rogerum de Houeden Annal. Tom. II. crebrò item apud Thomam Walsingamum. Veteribus Francis dictus *Comes stabuli*; ut videre est ex Hincmari Rhem. epist. III cap. XVI. Anonymo de bello sacro simpliciter *stabularius* vocatur lib. VIII cap. VI: *Conradus, Henrici III stabularius.* Vulgo *stal-meester.* Vide iis Watsium in Glossar. & imprimis Spelmannum.

Consuetudinarium, liber in monasteriis, quo continentur conventûs consuetudines. Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV abbatis S. Albani: *Hic quoque consuetudines —— approbavit, & conservari persuasit; quas qui videre desiderat, in consuetudinario scriptas poterit invenire.* Meminit & alibi in eapse vita.

Consularius, pro *consularis*. Freculphus Chron. Tom. I, lib. II cap. XVI: *Quicquid Dicenens, eorum Consularius, præcepisset, hoc modis omnibus expetendum, hoc utile dijudicantes† fore.* Nempe Freculphus secutus est Græcos, qui dicunt κονσιλιάριος, vel κονσιλιάριος. Priori modo ea vox exarata est apud Constantinum Them. Orient. I, & XV: posteriori autem apud Justinianum Novell. VIII, ac similiter Hesychius: Κονσιλιάριος, σύμβουλος. Rectè Græci; qui Latino vocabulo dant terminationem Græcam: sed malè Latini, qui Latinum vocabulum in sermone Latino malunt corrumpere, Græcorum exemplo. Idem de similibus dixero. Ut in Hesychio, qui aliquorum vitas breviter complexus est; & cognomentum habuit *Illustris.* Græcis ille non Ἰλλούστρις, sed Ἰλλούστριος: at si Latinè nominandus, non *Hesychium Illustrium*, sed *Illustrem* dixero; etsi plerique aliter.

† Pro dijudicantes puto legendum dijudicarent.

Contectalis, qui, quæve, sub eodem habitat tecto; & particulatim uxor. Vita S. Kunegundis Imperatricis cap. I: *Sanctus Henricus, cognomento Pius, gloriosissimum Romani imperii decus, ejusque dignissima contectalis, piæ memoriæ Chunegundis, Augusta & Imperatrix.* Aliqui suspicantur, scribendum *conlectalis*, à lecto; quod apud Dithmarum. Sed nihil mutandum. Nam sic imperator ipse S. Henricus in diplomate super Helingersberge: *Interventu dilectæ contectalis nostræ Chunigundæ.*

Contemporalis, & *contemporaneus*, dici solet, qui Græcis σύγχρονος. Malim *æqualis*, *ejusdem ætatis scriptor*, vel simile. Usus priori Lupus Servatus, Hincmari æqualis, præfatione in vitam S. Wigberchti: *Hieronymus Pauli sui vitam, quæ certe remotissima fuerat, literis illustravit; & antistes Ambrosius virginis Agnes passionem, cui profectò* con-

contemporalis non fuerat, editam reliquit. Et quid Lupum allego? quando legas apud Tertullianum adversus Valentin. cap. III. Et sane facta vox ἀναλόγως, cum similiter *extemporalis* dicamus; de quo dictum libri primi cap. undevigesimo. Malim nihilominus loqui cum antiquis. At Sigebertus Gemblacensis ne quidem refugit *contemporalitas*, pro συγχρονισμὸς.

Contenementum, pro habitu, gestuque; à *con*, & *teneo*: atque hinc Gallicum *la contenance*. Ac simile *manutenementum*, pro patrocinio, sive tutela: & inde Gallicum *maintenir*, quasi manu tenere: ut Latini dicunt, *liberali manu asserere*. Simpliciter *tenementum* sæpius habes apud Matthæum Parisium in anno ClↃCCLXIV, ubi de sexdecim capitulis consuetudinum, sive libertatum †. Item in charta libertatum a rege Joanne concessarum *. Atque ibidem etiam legas, *salvo contenemento suo*.

† Pag. 96. & 97. edit. Tigurina ann. 1598.
* Pag. 248. edit. ejusd.

Contina, pro templis, à Slavis dicebatur, origine Latinâ; quia continerentur iis Deorum simulachra. Andreas Abbas lib. II de vita S. Othonis cap. XXX †: *Omnes illa contina, numero quatuor, mira celeritate confracta sunt, ac direptæ.* TIEMO. *Quare illa templa vocabant continas?* SEFRIDUS. *Slavica lingua in plerisque vocibus Latinitatem attingit: & ideo puto, ab eo, quod est continere, continas ea vocatas.* Et cap. seq. *Erant autem in civitate Stetinensi contina quatuor: sed una ex his, quæ principalis erat, mirabili cultu, & artificio, constructa fuit.*

† Habes in Divis Bambergensibus, editis à Gretsero Ingolstadii an. 1611.

Continentia, pro σκοπὸς, sive *conspectu*, vel *argumento*; quomodo Fulgentius Grammaticus *De Continentia Virgiliana* scripsit. Usus & Cæsarius Miracul. lib. II cap. X. Item Falco Beneventanus in Chronicis †: *Legatus literas hæc omnia continentes præfato dedit Crescentio: qui magis, magisque confisus, literarum continentias adimplevit.*

† Pag. 258.

Contoralis, pro tori consorte, apud Bekam in vita Rixfridi Episcopi VII: *Ac Erimgardim, suam contoralem.* Similiter Turocius in Hist. Hung.

Contribulis est apud Gregorium Turonensem de gloria Confess. cap. XCVI. Pro eo *tribulis* esse dicendum, ostendi libri primi cap. XIX.

Conviator, pro *comes*: ut apud Petrum Damiani lib. II epist. XV *: *Adraldus, dum in Burgundiæ regno mihi conviator incederet.*

* Pag. 212. Parisi. an. 1610.

Convicinium, γειτονία, ut est in Gloss. Mssis.

Coopertorium, vestis genus, quia cooperit hominem, ac velat; Gregorio Turonensi de vita S. Nicetii †: item Sigeberto in Chronico: *Rejicientes a se quicquid regulare refragabatur; froccos videlicet, & pelliceas, estamina, caputia quoque, & femoralia, pectinia quoque, & coopertoria.* Itidem in Chronico legas Cistercienci *.

† Paginâ 1874.
* Pag. 59. & alibi.

Copiates idem, ac vespillo: quem ejus vocis usum neutiquam esse antiquum, arguunt verba hæc Constantii Augusti, & Juliani Cæsaris, Codicis Theodosiani lib. XVI Tit. XV: *Clerici vero, vel hi, quos copiatas recens usus instituit nuncupari, ita a sordidis muneribus debent immunes, atque a conlatione præstari, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum, vestitumque, conquirent.* Etiam in Glossis Philoxeni legas: *Bispelliones*, νεκροθάπται, κοπιάται. *Bispello*, νεκροφόρος. Observat verò eum ad locum Bonaventura Vulcanius, meus quondam in Græcis post Franciscum Nansium præceptor, κοπιάται hic sumi activè, cum contra passivè κοπιῶντες dicantur, compositi in sepulchro, qui Latinis propriè *siti*. Nempe κοπιάται vox est ab activa significatione τοῦ κοπιᾶν, ut significet eos, qui laborant, seque defatigant in mortuis efferendis, ac sepeliendis.

CAP. VII.

De cœptis à C, sequente R, V, vel Y. Hujusmodi sunt, Creatura, *pro re creatâ.* Credentia, *pro adsertione.* Crementum, *pro incrementum.* Crepa, *pro urna ferali.* Crinosus, *pro crinitus.* Cuba, *pro extima navis parte:* cubella, *pro lintre, in quo pasta fiunt: & quid præterea* cuba, *significet.* Cubiculus, *pro cubiculum.* Cuculla, *pro cucullus.* Cucumellum, *sacri vasis genus.* Cumba, *pro lectica, vel cuneo; quis & gumba.* Cupientia, *pro cupidine.* Cupla, *pro copula.* Coprum, *pro ære.* Curabile, *pro medicabile.* Curapalates, *pro curopalates.* Curcilla, *pro insatiabili edendi aviditate.* Curtilanus, *pro aulico.* Cuva, *pro cuppa.* Cyclopædia, *pro ἐγκυκλοπαιδεία.* Cysurgia *videri à librario imperito, pro chirurgia.*

CReatura Theologis quidem perusitatum: sed rectiùs cum veteribus *rem creatam* vel *Dei opus*, dixeris. Veteribus enim ea vox inusitata.

Credentia, pro eo, quod demonstrat, ac fidem facit. Cicero pro hoc dicit *assertio*. Ut I Academic. quæst. *Quibus de caussis nihil oportere, neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assertione approbare.* Itaque *literas assertorias* malim, quàm *literas credentiæ*; prout vocant eas, quibus magistratus pro subdito facit fidem; ut quas legato præbet, quò ostendat ei deberi audientiam. Matthæus Paris. ad an. ClↃCCLII: *Literas, quas nobiscum attulimus de credentia, ex omnibus nobilibus Gasconiæ regis fidelibus.* Et in an. ClↃCCLIX: *Ostendens literas credentiæ, & favoris.* Aliqui & libellum ejusmodi vocant *certificationem*. Paulus J. C. simpliciter dixit *libellum*.

Crementum, pro composito suo *incrementum*. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris in vita S. Adelardi *, prologi §. I: *Tanto voluptas sit subesse domino; qui non modo fautor est cremento proficientium, sed & remediabiliter providet casibus ruentium.* Nec tamen penitùs damnem; quandò in Glossis Philoxeni reperio: *Crementa*, αὐξήσεις.

* In vitis SS. ad 2 Jan.

Crepa, utrùm barbaræ, an Latinæ sit originis, parum liquet. Videtur verò esse capulus, sive urna feralis, quæ Græcis θήκη. Vita Bathildis reginæ, quæ Lotharii Imperatoris mater fuit, cap. IV §. XXVI †: *Jussit præterea & crepam ex auro, atque argento, mirifice fabricari: quam super Confessoris membra deponere deberet.* *Crepus* aliud est: sic enim Lupercus, Festo teste, vocabatur. In Mso est *creppus*: sed perperam, ut puto, cum addat Festus, sive Paulus, vocabulum esse à crepitu pellicularum: quia Luperci, nudi, per vicos, & compita, discurrentes, pellibus ferirent feminas, persuasas sic se fore fecundiores.

† Apud Bolland. in Vitis SS. ad 26 Ian. pag. 736.

Crinosus pro *crinitus*, Lege Salicâ Tit. XXVI, §. I. & II. Item in Decreto Childerici, Francorum Regis, cap. II: *In sequenti hoc convenit leudis nostris, ut nullus de crinosis incestum usum sibi societ conjugio.* Ubi per *crinosos* intellige regiâ stirpe ortos. Nec enim Rex Francorum, vel regio genere nati, tonderi solebant; sed cæsariem per humeros diffundebant. Quo de more vide, quæ in Glossario suo Lindenbrogius, vel quæ inde Spelmannus, annotavit.

Cuba, ut est in Glossario Mso Camberonensi, *extrema pars navis, dicta eò quòd incubet aquis.* Ac apud ultimos barbaræ ætatis scriptores etiam reperias *cubella*, pro lintre, in quo pasta formari solet: ut Rosweido ex Nideri Formicario relatum. At aliud Sabinis *cuba*. Festus: *Cubam Sabini vocant eam, quam militares lecticam. unde videtur derivatum esse cubiculum.* Proque eo & *cumba* videntur dixisse, ut mox referam. Aliud etiam *cuba* Syriæ incolis. Hieronymus in vita Paulli Thebæi: *In cisterna veteri, quam gentili sermone Syri cubam vocant.* Nempe Syris גבא *gebe* notat λάκκον, sive lacum, stagnum. Unde & Macedonius, quòd staret in fossâ profunda, dictus *Gubba*; ut est apud Theodoretum, Philothei lib. IX cap. XIII. Vide *Cumba*.

Cubiculus, (ut & *balneus*) habes in Burdigalensi Itinerario.

Cuculla, vestis monastica, pro cucullus. Forsan placuit, vestem monachalem terminatione distinguere à cæteris cuculis. Usus Hieronymus in vita Hilarionis, Cassianus lib. I Institut. cap. IV, B. Benedictus in Regula sua cap. LV: *Sufficere credimus cucullam, & tunicam: cucullam in hieme villosam, in æstate puram*, &c. Item Cæsarius

sarius lib. I Miracul. cap. III, Vita Deicoli cap. II, §. IX*, Beka in vita Ottonis II, episcopi XXXIV, &c.

* In Vitis SS. ad 18 Jan. apud Bolland.

Cucumellum erat inter sacra Christianorum vasa. Acta Proconsularia sub Munatio Felice: *Calices duo argentei, item calices sex argentei, cucumellum argenteum, lucerna argentea septem.* Adducit Baronius ad annum CCCIII†. Diminutivum est à *cucuma*, vasis genere ex eo nomen sortito, quòd ventrem haberet magnum, uti cucumis.

† Tom. 2. pag. 250. edit. Moreti.

Cultellatus, vide in Verbis, voce *cultellare.*

Cumba dicitur lectica à cubando; ut est in Glossario Mso Camberonensi. Sanè Festus auctor, Sabinos *cubam* dixisse pro lectica: nempe ut *cuba* à cubando; sic *cumba*, quia ei incumberent. Sed Isidoro in Glossis *cumba* exponitur *cunem, ripa.* Pro eo & *gumba* legas, facili literarum commutatione. Glossarium Camberonense memoratum: *Gumba, cunem.*

Cupientia, pro cupido, vel cupiditas. Glossæ Msæ: *Cupientia*, ἐπιθυμία.

Cupla, ex Germanico *coppel*; uti hoc è Latino *copula.* Constitutio Karoli M.* *Ut Episcopi, & Abbates, & Abbatissa, cuplas canum non habeant; nec falcones, nec accipitres, nec joculatores.* Divisim enim scribendum, non voce composità, *cuplascanum*; prout edidit Vitus Amerpachius: qui *cuplascanum* interpretatur gregem, vel cœtum canum, à *cuplen*, id est, copulando. De cuplis sive coplis canum venaticorum est hoc Sidonii lib. VIII epist. VI: *Quos neque est tanti, raro te insectante superandos, copulis palam dictis inquietari.* Ita enim est in optimis quibusque Mssis; non *superando scopulis.*

* Pag. 260. edit. Mogunt. an. 1501: qua Constitutiones Karolina subjuncta Hincmaro.

Cuprum pro eo, quòd Plinio *Cyprium as*, & ἁπλῶς *Cyprium.* Horatius etiam initio odarum *trabem Cypriam* dixit pro ærata. Hinc æs Belgis *coper.* Chronicon Ivonis Carnotensis Msum: *Apostolorum corpora recondidit ære, & cupro ea circumdans quinque pedes grosso. Cupreum* non damnâro; quia Y, & V, commutari solent. Chronicon Cisterciense†: *Neque thuribula, nisi cuprea, vel ferrea.* Vide *Cypreus*, in iis, quæ falsâ sumuntur significatione.

† Pag. 29.

Curabile, pro medicabile, sive eo, quod curationem recipere potest, vulgaris est notæ; sed improbæ, ut puto.

Curcilla in Glossis Isidori dicitur esse *oppilago*: uti & *oppilago* in iisdem exponitur *curcilla. Oppilago* autem, quasi oppilatio, quia corpus oppilet, sive impleat cibis. *Curcilla* verò à *curculio*; si quidem Martinium audimus; nempe quòd edacitas, sive fames ingens, guttur exerceat edendo: uti *curculio* Varroni, quasi *gurgulio*; quia nihil is penè aliud, quàm guttur, videatur. Sanè *curcilla* βελιμός, ut ex glossis Cyrillo tributis constat. Quamquam ibi perperam *furcilla* legatur. Βελιμία verò, vel βελιμός, ὁ μέγας λιμός, qui & βούπεινα, fames non tolerabilis: ut etiam apud Agellium est lib. XVI cap. III.

Curopalatus Luitprando in Legatione, pro *Curopalates*; quod ex Græco Κυροπαλάτης, uti hoc ex *cura palatii*, ut Corippo dicitur lib. I. Rectè Euagrius lib. V cap. I: Τὴν φυλακὴν τῆς αὐλῆς ἐμπεπιστευμένος, ὃν κουροπαλάτην ἡ Ῥωμαίων λέγει φωνή. *Eum, cui commisere custodiam aula, Romana lingua Curopalaten vocat.* Leoni Marsicano corruptiùs, quàm Luitprando, *coroplasti* dicitur.

Curtisanus, aulicus, curialis; hoc est, qui curiam sequitur. Usus Joannes Gerson, sermone de S. Antonio, habito in Concilio Constantiensi. Est verò à Gallico *court*; quod à Latino *cors*; uti hoc à χόρτος, unde & *hortus.* Itaque ut Galli à corte *cortisanos*; ita Belgæ ab *hof*, *hoveling.* Nempe *cors*, & *aula*, propriè locus ille conclusus sub dio ante ædes; ac peculiariter ante ædes virorum principum.

Cuva, vas grandius; è Latino *cupa*, vel *cuppa*; spiritu priùs addito, ut sit *cupha*; hinc PH, quod crebrum, in V consonum commutato; unde & *cupa* Gallis *cuve.* Matthæus Parisius in vita Garini, Abbatis S. Albani XX: *Concedimus eis —— unum cribrum furfuris, & majorem cuvam de drasco.* Et in vita Guilielmi, abbatis XVII: *Cuva plena aqua, qua apposita ibi fuit ad aquam, per quandam rimam instillantem, recipiendam.*

Cyclopadia leges apud nonnullos: sed optimi scriptores pro orbe disciplinarum dicunt *encyclopadiam.*

Cysurgia lego apud Petrum Damiani lib. III epist. II: *Occulta diu vulnera in lucem producere, & disciplina cysurgio secare non cessat.* Puto, nihili esse vocem, legendumque *chirurgia.* Nam medici, qui & chirurgus, est urere, ac secare. Quare, *disciplinâ chirurgia secare*, fuerit idem, ac manu medicâ secare.

CAP. VIII.

Proferuntur, quibus initium est D litera, sequente alterutrâ priorum vocalium. Daciæ, *vel potius* datiæ, *pro tributo.* Dalmaticatus, *Dalmaticâ indutus.* Dapifer, *dapes deferens.* Dapsilitas, *de mensis, cibisque sumtuosis.* Decalicator, *potator.* Decani *alii in opificum familiis, alii in militia, alii in præfectura paganica, alii in monasteriis. Unde* decania, *collegium decem monachorum, vel canonicorum; &* decanica, *pro carcere decania.* Deceptio, *quo quis circumvenitur, vel decipitur: item* deceptorius, *pro fallaci.* Decimancula, *pro decima minuta.* Decolorosus, *pro decolor, vel decoloratus.* Decretista, *canonum intelligens.* Defensa, *pro defensione.* Deifica, *à Deo facta.* Deividus, *Deum videns: atque obiter de atate Joannis Erigena.* Delatura, *pretium delatori statutum.* Demanium, *sive* domanium, *qua domini jure possidentur.* Denarata, *pro denariorum pretio.* Denariales, denariati, *vel* denariarii, *denarii jactu, ex lege Salica, manumissi: uti* chartularii, *sive* tabularii, *manumissi per chartam, sive tabulam.* Derisio, *pro ludibrio.* Despotus, *pro* δεσπότης, *sive despota; qui &* cralis; *uti* δέσποινα, cralæna. Destructio, *pro excidium:* destructor, *pro perditor.* Detractorium, *quo detrahitur de fama alicujus.* Dextrarius, *equus bellicus: cui opponitur* parafredus. Dextrocherium, *pro dextri brachii armilla: uti* brachiale *de armilla utriusque brachii.*

EX barbaris iis Latini, vel Græci ortis, quæ proximè adduximus, lux affulsit incipientibus à C litera. Nunc ordo nos ducit ad consonam sequentem.

Dacia, pro tributis, & vectigalibus: nisi potiùs, quod arbitror, *datia* scribendum; ut idem sit ac *datus*, vel *datio*: quomodo à *tribuo*, *tributum*: imo & *tribus* ipsa, ut ab *acuo*, *acus*: etsi aliter de hoc veteres. Apud Petrum de Vineis libro quincto hujusmodi est lemma capitis undequadragesimi: *Quod dacia, vel collecta, non auferantur ab his, qui in servitio Curia non commorantur.*

Damnietas, pro damnum. Longobard. LL. lib. II tit. XXIX leg. I: *Habeat potestatem tantum de rebus suis dandi, quantum debitum ipsum fuerit; ut ei major damnietas, propter onera solidorum, non accrescat.* Et mox: *Sapienter attendas, ut ad ipsum infamulum aliqua damnietas contra rationem, aut per negligentiam, minimè veniat.* Item leg. VI: *Qui pro causa ista cartam scripserit, nullam exinde habeat damnietatem.* Similiter Tit. LV, leg. XVII. Item Form. CV, CXXI, & CXXVI.

Dalmaticatus, pro dalmaticâ indutus. Lampridius in Commodo: *Dalmaticatus in publicum processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit.* De veste Dalmatica dicam in verbis Latinis novâ donatis significatione.

Dapifer satis ἀναλόγως formatum. Est apud Henricum Huntodunensem Histor. lib. VI: item Hedam†. Nec quicquam vulgatius, quàm ut Elector Palatinus Cæsaris dapifer vocetur. Hinc *dapiferatus**.

† Pag. 282.

* Vide Notas in Goffridum Vindocinensem pag. 99.

Dapsilitas, à *dapsilis*, est apud Henricum Huntidonensem Hist. lib. VIII. Item Thomam Walsingam in Descriptione Neustriæ†. Nec *dapsiliter* refugêre Aimoinus, & alii. Antiqui pro eo *dapice*, teste Festo: nempe à *dapticum*, pro dapsili.

† Pag. 497.

Decalicator, qui calices exhaurit. Gloss. *Decalicator*, καταπίνης. Sed Festo *decalicatum*, *calce litum.* quia calx priùs *calix*, à χάλιξ.

De-

Decani vox bonis seculis est ignota. Multi tamen *Decanum* vocant, qui in opificum familiis principem tuetur locum. Sed rectiùs *decurionem* appelles: ut si dicas *decurionem familiæ sutoriæ*, *sartoriæ*, &c. Posteriores verò hac voce usi multò laxiùs; ut liquet ex legibus Wisigothicis, Longobardicis, & Hincmaro epist. IV cap. XV. In militia quidem *decanum* vocitarunt, qui decem militibus sub uno papilione degentibus præesset, ipse undecimus, caput contubernii: ut est apud Vegetium lib. II cap. XIV, & Isidorum lib. IX Orig. cap. III. Item extra militiam decani fuere judices minores; qui Comiti suberant. Comes enim pagi erat universi judex. Suberant ei centenarii, qui per centenas jus dicebant. His centenariis minores decani; qui tantummodo per decanias dicebant jus: unde minoribus presbyteris conferuntur à Walafrido Strabone. De iis sic Incertus scriptor veterum Formularum cap. X: *Centenariis*, *& decanis*, *vel omnibus in Christo credentibus.* Item Hincmarus epist. IV cap. XV: *Comites*, *& Vicarii*, *vel etiam Decani*, *plurima placita constituant.* Sed & extensa est significatio ad eos, qui monasterio, vel canonicis, sive præbendariis, præessent. Sic Ivo epist. L: *De cætero sciatis Canonicos Parisienses*, *decanum videlicet*, *cantorem*, *Rainoldum archidiaconum*, *in præsentia nostra*, *secundùm præceptum Domni Papæ juràsse.* Potius *principem collegii* dixero: ut veteres *principem Senatus*. Sicuti verò centurio præerat centuriæ; sic decanus dicebatur præesse decaniæ. Ut apud Bekam in vita Bernulphi episc. XX: *Ut decania similiter*, *& abbatia*, *diebus illis vacaret.* Etiam à decano, vel decania, *decanicam* dixere, pro carcere Ecclesiastico. Julianus Antecessor Constitut. LXXIII: *Executor autem litium constitutus intus in decanicis Ecclesiarum recludatur*, *competentes pœnas luiturus.* Habes & in capitulis Caroli M. & Ludovici, lib. V cap. CCXXV.

Deceptio vulgare, sed illaudatum. Ἀναλόγως quidem, ut ab *incipio*, *inceptio*; sic à *decipio*, *deceptio*. Sed enim non memini legere hoc apud idoneos scriptores: qui pro eo *circumscriptio*, *aucupium*, *tendicula*. Improbum itidem *deceptorius*, pro *veteratorius*, *insidiosus*.

Decimancula, pro parva decima. Baldericus Noviomensis Chronici Cameracensis lib. I cap. XXV: *Ecclesia cum dote*, *decimancula in Rodulfi curte*, *ex hodierno die*, *& in reliquum tempus sit in potestate canonicorum.* Nisi *decimuncula* scripsit. Siquid innovandum, *decimulam* dixero.

Decolorosus, pro eo, quod colorem amisit: quomodo *decolorosos colores florum* legas apud Adamannum de rebus Sancti Columbæ libro tertio. Classici pro eo semper *decolor*, vel etiam *decoloratus*.

Decretista, decretorum juris Canonici peritus. Cæsarius lib. XI Miracul. cap. XLVI: *Nuper in terra nostra quidam*, *decretista nominatus*, *mortuus est.*

Defensam sæpius legas in Constitut. Neapolit. lib. I Tit. XV. Habes & Tit. XVI, XVII, XLI, LXXXI. Videntur autem *defensa* dixisse, pro defensione, ad exemplum vocabuli *offensa*, pro offensione. Simileque *missa* pro missione, vel dimissione catechumenorum, ac pœnitentium. Et apud Cyprianum *remissa peccatorum*, pro remissione.

Deifica instrumenta, quæ Deus fecit: hoc est, Vetus, & Novum Testamentum. Optatus Milevitanus lib. I †: *A Proconsule hæc pars sententiæ ita dicta est: Felicem autem religiosum episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum deificorum*, *manifestum est*; *cùm nemo in eum aliquid probare potuerit*, *quod religiosissimas Scripturas prodiderit. Omnium enim interrogantium suprascriptorum manifesta est*, *nullas Scripturas deificas*, *vel inventas*, *vel corruptas*, *vel incensas fuisse.*

† Pag. 32.

Deividus, pro Deum videns. Joannes Scotus: *Sic solet Scriptura loqui Deivido generi humano*, *non pedisequo.* Locus est in tralatione Dionysii, cognomento Areopagitæ: unde ea verba adducit Petrus Blesensis epist. XVIII. Annotat ad eum locum Joannes Busæus Noviomagus, (qui editione egregii scriptoris optimè de studiis meritus est) vixisse Joannem Scotum temporibus Caroli Magni. Nempe ad hæc tempora eum refert Tritthemius in scriptoribus Ecclesiasticis; ac Bedæ discipulum, Alcuini, sive Albini, condiscipulum fuisse, arbitratur. Atque hunc ejus errorem sequitur doctissimus Busæus. Sed confunditur sic Carolus Calvus cum Carolo Magno. Nam Calvo à deliciis fuit: nec alius est à Joanne Erigena, hoc est, Hiberno: quem vixisse temporibus nepotum Karoli Magni, nempe liberorum Ludovici Pii, Tritthemius ipse agnoscit. Et hoc satis docent, quæ de hoc Joanne Scoto, sive Erigena, referimus lib. VII Historiæ de Pelagio, & ejus reliquiis. Interim de vocabulo *Deividi* litem non movero. Nec enim tam barbarum, quam novè, ac duriùs formatum, dixero.

Delatura, pretium delatori constitutum, in decreto Chlotarii cap. XII: *Medietatem sibi vindicet*, *vel delaturam.* Et in lege Ripuaria Tit. XXXIII. §. II: *Furtum*, *& delaturam ab eo requirat.* Lege Salicâ Tit. II: *Culpabilis judicetur*, *excepto capitali*, *& delaturâ.*

Demanium, sive *domanium*, ex Gallico *domaine*, quod à *dominicum*. Res signat dominicas, sive quas proprio aliquis jure possidet: ac κατ' ἐξοχὴν, quæ ad coronam regiam pertinent. Habes Constitutionum Sicul. lib. I, Tit. LVIII, leg. XI, & Tit. LIX, leg. I, & Tit. LXVII: *Et ipsos etiam de demanio*, *& homines demanii*, *esse præcipimus.* Item Tit. LXXVI lib. XI, & Tit. LXXVII. Adhæc in privilegio Frederici II apud Petrum de Vineis lib. VI cap. XXV. *Domanium* verò est apud Philippum, Francorum Regem, in Charta Rothomagensi †: item Carolum VII, Gall. Reg. edicto de offic. Ba. *

† In scriptorum Normannicorum volumine, pag. 1063.
* Pag. 178.

Denarata, ex *denariata* factum, ac significat pretium denariorum. Carolus Calvus Edicto Pistensi, sive tit. XXXI, cap. XX: *Qui panem coctum*, *aut carnem*, *per denaratus*; *aut vinum*, *per sextaria*, *vendunt.* Quem ad locum Sirmondus similia adducit. Uti ex charta Besuensi, *denarata ceræ.* Et è charta ingenuitatis, quâ Asaira famula est facta ingenua, in tabularia S. Vitoni: *Ut annis singulis unam denaratam de cera persolvat.* Ac ibidem è testamento Bertarii: *Persolvant duas denaratas de cera ad altare S. Vitoni.* Hoc est, persolvant in cera duos denarios.

Denariales, *denariati*, vel *denariarii*, qui, jactu denarii, secundùm legem Salicam; ac proinde, ex veterum Francorum more, manumittebantur. Mentio horum Leg. Ripuar. LXII, §. II. Leg. Longobard. lib. II Tit. XXXV leg. XI. Verba etiam sunt Pipini, Italiæ Regis, apud Benedictum Levitam Capitular. lib. VI cap. CCVIII: *Homo denarialis non antea hereditare in suâ agnatione poterit*, *quam usque ad tertiam generationem perveniat. Homo chartularius similiter faciat.* Ubi videmus, etiam mentionem liberti *chartularii*, qui aliter *tabularius* vocabatur: nempe quia manumissio ejus per tabulam, sive chartam, fiebat lege Romanâ; quâ & sic manumissi utebantur. At *denarialis*, rege præsente, ejus auctoritate fiebat, jactato à domino, vel alterius manu, denario. Formula, qua hæc fieret manumissio, est apud Marculfum lib. I form. cap. XXII. Ubi vide, quæ de variis manumissionibus, præcipueque illa per denarium, Bignonius † annotavit.

† Pagin. 498, 499, 500, 501.

Derisio ajunt pro *ludibrio*, sine ullius classici exemplo.

Desolatio non dixero; sed excidium, excisio, vastitas.

Despotus in annalibus Latinis barbarè legas sæpius pro *despota*. Nam Græcè est δεσπότης. Sic *despota Serviæ*, pro ejus principe: qui & *kiral*, vel *cralis*; ut uxor *cralaina*, pro δέσποινα. Ea vocabula Ungaris, Bulgaris, Serviis, regem & reginam signant. Vide Pandectem Turcicum Joan. Leonclavii cap. LIV.

Destructio Trojæ, & similia, legas: sed nullo, ut arbitror, bono auctore. Nec melius censeo *destructor*. Pro *destructio* igitur dixero excidium, excisio, vastitas, exitium, ruina, disturbatio. Proque *destructor*, interfector, perditor.

Detractorium de eo, quo alicujus honos, ac nomen, violatur. Concilium Pisanum I *: *Supposita Concilii à verbis detractoriis*, *contentiosis*, *scurrilibus*, *& malè ædificantibus*, *caveant.*

* Pag. 155 edit. Paris. an. 1612.

Dextra-

Dextrarius equus, strenuus, belloque idoneus; puto, à dexteritate. Usi Hincmarus, Petrus de Vineis, Matthæus Parisius, & Wallingus; cujus verba dabo ex Histor. Richardi II *: *Rege cum proceribus, & Regni communitate, locum ingressis, miles intrat armatus, insidens dextrarium decentissimè phaleratum.* Usurpat & Beka; cujus hoc in Andrea: *Corruit unà cum dextrario; quem insequentes hostes consequenter occiderunt.* Et in Wilhelmo: *Levitate sui dextrarii semel, & iterum, Hollandiensem transvolavit exercitum.* Usurpat & Turocius lib. II Hist. Hungar. cap. XI, XX, & LIV. Differre à parafredo, indicant hæc verba Radevici, Frisingensis Canonici, de gestis Friderici Ænobarbi lib. I cap. XXVI: *Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in palefrido sine scuto, & armis; siquis eum læserit, pacis violator judicabitur. Si autem sedens in dextrario, & habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit; siquis eum læserit, pacem non violavit.*

* Pag. 237.

Dextrocheria, pro δεξιοχέλια, vox ex Latino *dexter*, & Græco χείρ, apud Capitolinum in Maximino majore, iterumque in minore; Trebellium in XXX Tyrannis; ac, ut distinctiùs dicam, in Quieto. Est & Luciferi Caralitani de non parcendo delinquentibus, ad Constantium: *Debemus vereri regni tui diadema, inaurem etiam, & dextrocheria.* B. Ambrosius in vita S. Agnetis, ad Virgines sacras: *Ornavit inæstimabili dextrocherio dextram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretiosis.* Latini posteriores dixere etiam *brachialia*: quod est apud Isidorum in Glossis. Est tamen aliquid discriminis: quia *brachiale* latiùs patet. Nam *brachiale* etiam fuerit, si sinistrâ gestetur manu. Ut illud, de quo Livius lib. I: *Vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo, gemmatosque magnâ specie annulos, habuerunt.* De *brachialibus* tamen vide quæ infra dicentur.

CAP. IX.

De cæptis à D, sequente tertiâ vocali. Uti sunt, Diaconalis, *pro diaconicus.* Diagrapha, *pro publicanorum actis.* Diasostes, *socius, ac dux itineris.* Diatus, *diurnâ luce illustratus.* Digeries, *digestio.* Digladiabile, *cujus ergo gladiis rem geri operæ sit.* Dilatatus, *pro multum distanti.* Diœcesanus, *pro eo, quod totius est diæceseos: deque triplici episcoporum genere.* Directaneus, *pro eo, qui vitâ dirigitur monasticâ.* Discapia, *aqua spatium terras dividens.* Disciplinatus, *disciplina bona conveniens. Unde* disciplinatè, indisciplinatus, indisciplinatio. Disconfitura, *diffidentia.* Discordantia, *discrepantia.* Disparilitas, *varietas.* Displacentia, *pro displicentia.* Divellio, *pro divulsio.* Divinator, *pro divinante.* Divisibile, *dividuum.* Diurnale, *pro diurnum*; *ut* nocturnale, *pro nocturnum.*

D*iaconalis*, διακονικός. Græcumque hoc legas Concilii Laodicensis can. XXI. Et, in re alia, usi Plato atque Aristophanes. Latinum istoc apud Heloissam est epist. IV ad Abelardum, & Concilii Pisani I sess. XXII.

Diagrapha, pro διαγραφαῖς, hoc est, scripturâ, sive publicanorum actis & perscriptionibus. Abbo Floriacensis in Vitiliano Papa: *Afflictiones populo Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, vel per diagrapha, seu capita, atque nauticationes, imposuit.* Hinc publicanus ipse διαγραφιάειος, teste Hesychio.

Diasostes, qui peregrinos ducit, ac *custos* solet vocari; ex barbaro-Græco διασώςης, quod à Græco διασώζειν: id notat, quempiam ad aliquem, sive in locum reducere salvum, atque incolumem. In Legatione Luitprandi ad Imperatorem Constantinopolitanum †: *Sic turbatus, diasostæ, id est, ductori meo, quinquaginta aureorum res pretio dedi.* Et postea *: *Cum diasoste meo lintre egressus.* Et mox: *Diasostes meus me deserens, duabus parvis impositum navibus, duobus me mandatoribus, qui Hydruntem me per mare conducerent, commendavit.* Post multa †: *Michaël vocatus est diasostes meus.* Nempe sic locutus Luitprandus, uti in itinere loqui audierat Græcum vulgus.

† Pag. 118. edit. Ingolstadiensis anni 1600.
* Pag. 118.
† Pag. 125.

Diatus, pro diurnâ illustratus luce. Ivo Carnotensis in Chronico Mso nobilissimi Guilh. Noomsii: *Si casu turbentur, sole renascente diati divinitus reparantur.*

Digeries, pro digestio, à *digero*; ut à *congero*, *congeries*. Gloss. Msæ: *Digeries*, Διάταξις.

Digladiabile, cujus gratiâ gladiis pugnare, vitamque periculo exponere, sint parati. Wilhelmus Malmesburiensis in Vita S. Wulstani, episcopi Wigorniensis *: *Plura de pace dixerat; quo commoti nonnulli, qui digladiabili dissidebant odio, offensas utrimque donavere.*

* Habet etiam in Vitis SS. ad 19 Ian. apud Bollandum pag. 243.

Dilatatus, pro longè latéque dissitus, apud scriptorem veterem Latinum vitæ Apollonii Tyanei.

Diœcesanus, ad diœcesin pertinens. Ivo Carnotensis epist. CCXIII: *Quod verò communis vita in omnibus Ecclesiis penè defecit, tam civilibus, quàm diæcesanis; non auctoritati, sed desuetudini, & defectui, adscribendum est.* Sic *diæcesanum episcopum* dixere. Nempe alii erant τῆς πόλεως sive civitatis episcopi; qui ἴδιοι sive *proprii*, dicti: alii τῆς ἐπαρχίας, sive *provinciæ*, qui μητροπολῖται vocabantur: alii τῆς διοικήσεως, sive *provinciarum*; qui ἔξαρχοι, vel etiam *patriarchæ*, vel *primates*. Sic videas distingui in Concilio Chalcedonensi, canone eo, qui in Codice Canonum Universæ Ecclesiæ, à Justiniani Novellis legum vim sortitis, numero est CXXXI, atque inscribitur, περὶ τ̃ ἐκκλησιαςικῶν κανόνων, h. e. de confirmatione canonum totius Ecclesiæ.

Directaneus, quo dirigitur vita monastica. Regula S. Cæsariæ cap. XI, sect. LXIX: *Imprimis dicite directaneum parvulum, Confitemini, cum Antiphona, Cantemus Domino.* Et mox: *In exteriore oratorio procedendum est; & dicendus est directaneus parvulus. Post hoc canticum, Cantemus Domino &c.*

Discapia, locus, ubi intercapedo inter terras, sive ubi aquis terræ separantur. Legas in Chronico Cameracensi lib. I. cap. LII, literis de donatione Condrensis pagi. Vide autem, quæ istic Colvenerius annotavit. Existimat verò, pro *uva*, *discapia*, esse junctim, *uvadiscapia*, ex Atrebatensi, & S. Gisleni codice, legendum: atque id poni pro *uvida*, h. e. humida, *discapia*, sive intercapedo, vel intervallum: ut palus significetur, sive, quod Gallis, ac Teutonibus, dicitur *macrasch*.

Disciplinatus, moribus bonis, disciplinæ beneficio, præditus. Sic Fulbertus sermone contra Judæos: *Bene disciplinata regimina Pontificum.* Cæsarius lib. I Miracul. cap. III: *Corpore virgo, juvenis disciplinatus.* Hinc *disciplinatè*. Baldericus in Chronico Cameracensi lib. II cap. XXXVII: *Ut disciplinatiùs errata corrigeret, & emendatius viveret.* Legas & *indisciplinatus*. Euagrius presbyter, B. Hieronymi æqualis, in tralatione vitæ S. Antonii ab Athanasio scriptæ †: *Pessimorum* (spirituum) *vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus motusque indisciplinatorum adolescentium, vel latronum.* Idem *indisciplinatio* postea usurpat *: *Nihil defuit visionis veritati, ut monstravit effectus, quòd calcitrantium mulorum indisciplinatio Arrianorum esset impietas.* De verbo *Disciplinare* inferiùs dicemus.

† Pag 45. a. edit. Rosweidianæ.
* Pag 57. a.

Disconfitura, pro diffidentia; ut Angli *discomfite*. Matthæus Paris. in an. CIƆ CCXXX: *In disconfitura, quæ erat in mari, prisones multos nobiles ab nautis regis, qui eos justè ceperant, sibi cepit, & retinuit spoliandos.* A *confisus* esset *confisura*; ut à *mercatus*, *mercatura*; ab *usus*, *usura*. Inde *disconfisura*. Sed S in T abit; ut variis in gentibus crebrum.

Discordantia non dixero; sed *discrepantia*. Apud Tertullianum de Testimonio Animæ etiam est *disconvenientia*.

Disparilitas, pro varietas, non videtur bonæ notæ. Rectum tamen *disparilis*; pro quo & *disperilis*, in Glossis; ubi ἄζυγος exponitur.

Displacentia est apud Joannem Thwrocz in Histor. Hungar. Malim *displicentia*, cum Seneca de Tranquillitate Vitæ.

Divellio est in Gloss. exponitúrque πόλεμος, ἀκταγή. Fortasse *duellio* sit rebellio. Sed non memini legere, nisi apud juniores; ut Guiberti Histor. Sacræ lib. v; *indesinente duellione.* A *divello* autem non *divellio* fit; sed *divulsio.* Sed ne hoc quidem apud alios reperio, quàm posteriorum seculorum scriptores. Uti Eulogium Cordubens. lib. III cap. IV: *Divulsionum insurgentia bella.*

Divinator, pro *divinus:* ut illo Martialis lib. III epig. LXXI:

> *Non sum divinus; sed scio, quid facias.*

Dixeris & *divinans*, *vates*, *ariolus*, *conjector*, *aruspex*, *augur.*

Divisibile, quod dividi potest; vel dividuum. Scio, *dividuum* poni a veteribus pro eo, quod divisum. Sed enim nihil impedit, quo minùs de eo usurpes, quod potest dividi. Nam Ciceroni, & aliis, *individuum*, quod nequit dividi; ut atomi.

Diurnale, quod antiquis diurnum; *nocturnale*, quod iis nocturnum. Kapitularium Karoli M. & Ludovici Pii lib. VI cap. CLXVIII: *Ut sacerdotes signa tangant horis canonicis, & illorum officium agant, sive diurnale, sive nocturnale.*

CAP. X.

De barbaris Latinæ, Græcave originis; ubi litera princeps D; quam O, R, vel V, consequuntur. Cujusmodi Doarium, dovarium, dodarium, dotarium, dotalitium, *pro antipherna.* Doctrinatus, *pro edoctus.* Doga, *pro* δοχῆ, *sive dolio: ac videri* dogam *aliud, quam* buttim. Dogus *vero est asser vasis.* Dolentia, *pro dolor: ubi & de* variantia, retinentia, repetentia, *vocibus Lucretianis.* Dolorificus, *qui affert dolorem.* Dolorosus, *mæstus.* Doma, *domus.* Domesticatus, *de nobili officio Palatino.* Domicellus, *pro juniori domino*; domicella, *pro domina filia.* Dominædius, *dominus ædium.* Dominicalis, *quo sumitur corpus dominicum.* Dominicalis, dominicata, *vel* indominicata *terra, quæ alteri elocatur a domino loci; potissimùm si ab Imperatore. Item* dominicatus, *vel* dominicatum, *pro dominio loci alteri elocati.* Domnus, *pro dominus.* Dormitorium, *ubi monachi dormiunt.* Dorsale, *vel* dossale, *pro pallio, vel aulæo.* Draconarii, *signum draconis in militia gestantes.* Drilopotæ, *vitreo bibentes Priapo.* Dromundus, *ingentis navigii genus.* Dubietas, *pro ambiguitas.* Ducatus, & ducatio, *ductus: ut* ducator, *dux, sive ductor.* Duciculus, *circulus, quem victores vasorum asseribus circumducunt.* Ducissa, *heroina Ducis titulo gaudens.*

DOarium, vel *dovarium*; item *dodarium*, *dotarium*, vel *dotalitium*; etsi à dote dicantur, multum tamen ab ea differunt; cum hæc signet φερνὴν, quam accipit sponsus; priora illa ἀντιφέρνην, quæ sponsæ à sponso datur. *Dodarium* habes apud Rogerium de Houeden Annalium Tom. II. *Dotalitium* est apud Sigebertum in Chronicis ad annum CIƆ C LXXXVIII, ubi de Guilhelmo, rege Siciliæ. Et de duobus istis, & de cæteris, pluribus firmarem auctoribus; nisi abunde id factum scirem à nobilissimo Spelmanno.

Doctrinatus, pro edoctus, doctrinâ imbutus. Baldericus in Chronico Cameracensi lib. II cap. XXXVI: *Hæc virgo, à Beato Autberto doctrinata, velamen piæ religionis accepit.*

Doga est apud Trebellium Pollionem in Divo Aureliano: *Facta erat ratio dogæ, cuparum, navium, & operum.* Quam lectionem Adrianus Turnebus, antea à se improbatam, (quando pro *doga* legeret *doliorum*) postea comprobavit lib. XVIII Adversar. cap. XIX. Favent Glossæ, in quibus est; *Doga*, βῦτλις: (βύτις scribendum:) *Dogarius* βυτλιστής. Sed non examussim vocabula hæc assecutus glossographus. Est quidem tam *doga*, quàm *buttis*, majoris vasis genus: sed si βύτις, *cupa*, βυτίον *cupella*; ut itidem in Glossis legas: sanè aliud fuerit *doga*, quàm *buttis*. Siquidem aliter *cupa*, quàm *buttis*, describitur ab Herone: de quo discrimine, vide, quæ ad Capitolinum Casaubonus annotavit. Atque idem Casaubonus, notis ad Vopiscum, suspicatur, *doga* esse ab Hebræo דוּגָה, quod navis genus. Scio, sæpe eandem vocem & poculi, & navigii, habuisse significationem, propter similitudinem. Sed non video, cur in hac voce idem factum credamus. Quare alterum potiùs etymon amplector; ut sit à δοχῆ, χ in G converso; quomodo à χάριτες *gratiæ*, à χαλβάνη *galbana*, à λείχω *lingo*, à χύω *gutta*, & similia. Δοχὴ verò *receptaculum.* Hesychius: Εὐρείπου δοχὰς ὑδάτων*. Nempe ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι. Unde similiter δοχεῖον, imò & δοχός. Idem Hesychius: Δοχαὶ, δοχεῖα, λητῆρες. Quod si *dogus* etiam, ut *doga*, dixere; sicut *doga* à δοχῆ, sic *dogus* fuerit à δοχός. Cæterùm in allato Pollionis loco Cujacius malebat, deletâ distinctione, legere: *Facta erat ratio dogæ navium, & cuparum.* Ut *doga* sit δοχῆς, *capacitatis*, *sive mensuræ.* Sed nunquam Latini sic *doga* voce usi videntur.

> * Euripus, receptacula aquarum.

Dogus aliud ac *doga*. Siquidem *doga*, vas ipsum; ut proximè vidimus: *dogus* verò asser vasis. Nam vas compingitur ex multis dogis sive asseribus. Ac videtur *dogus* dici quasi δοχός, *receptaculum*, ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι, *recipere*, continere; quia vasorum asseres liquorem recipiant, ac contineant. Nisi *dogus* à Germanico & Belgico *duygen:* ut in illo, *de ton is in duygen.* i, *Vas in dogos est dissolutum.* Acta de miraculis S. Mariæ de Ripuario †, cap. v, §. XXV: *Posuerunt caput ejus in tinam: cum vellent aquam immittere, dissoluta est à circulis, & dogis, quasi concisa esset securibus: ita sigillatim diminuta est, ut nec esset, quod foco posset aptari.* Ubi *tinam* vocat, quod aliter dicunt *tunnam* vel *tonnam:* qua de voce actum superioris libri cap. XVIII. Hujus tinæ circulos dicit dissolutos, qui aliter *duciculi*, Belgis *hoepen*, *reepen:* dissolutos item dogos; hoc est, asseres; ut sententia sit, vas assulatim confractum.

> † In Vitis apud Bollandum, ad 28 Ian. pag. 821.

Dolentia, pro dolor: etsi aliquid sit, quòd nec Cicero *indolentia* refugerit in secundo de Finibus. Et cur deterius sit, quam *variantia*, pro varietate, apud Lucretium lib. I? vel apud eundem lib. III, *retinentia*, pro memoria, vel recordatio? quæ poëta eò justiùs refugit, quòd ea metrum non admitteret: vel *repetentia*, eidem libro eodem, pro *recordatione*? quòd nec ipsum recipit metrum. Interim semel, iterumque, Arnobio usurpatum.

Dolorificus agnoscit Calepinus: sed Cicero, & veterum alii, pro eo dicunt *faciens*, vel *efficiens dolorem*, vel *dolorem inducens.*

Dolorosus pro *mæstus*, *lugubris*, in notissimo Romanæ Ecclesiæ cantico. Item Henrico de Hassia in Speculo Amor. * & Petro de Vineis lib. IV epist. XVI.

> * Pag. 7.

Doma Græcum quidem est, δῶμα, ut barbarum dici nequeat; sed non donatum civitate; ut *domatis*, *domate*, *domatum*, *domatibus*, vix meliora sint barbaris. Hanc vocem nec in Carmine refugit Abbo de obsidione Lutetiæ lib. I: imò semel, iterumque, usus. Quin habes etiam apud vulgatum interpretem Proverb. XXV, 24: *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi.* Aliter editio Papæ Sixti V. Sed sic restituit illa Clementis VIII: idque consentientibus codicibus Hebræo, Chaldæo, Græco. Addo Ordericum Vitalem Historiæ Ecclesiasticæ lib. X †: *Ipsa hostilis manus omnia incendebat, omnemque regionem suam ultro denudabat; ne malevoli homines, ad diripiendum, aliquid invenirent, nec domata, ubi, ad capessendam quietem, strata sibi coaptarent.* Item apud scriptorem vitæ S. Gudulæ, & S. Bathildis, Reginæ Franciæ cap. I, nec non S. Mewerci; item in vita S. Henrici Imp. cap. VI, & S. Othonis lib. I cap. XXII. Sed nunc pro *domo*; nunc pro *terrâ*, vel *ditione*, videas usurpari. Quomodo Maro Latinam *domûs* vocem VIII Æn. *Qui genus? unde domo?* ubi Servius, *de quâ civitate?*

> † Pag. 775.

Domanium quid, scire si aves, vide superiùs *demanium.*

Domesticatus, pro dignitate ejus, qui *domesticus* dicebatur. De quo agam in nominibus significatione falsâ usurpatis.

Domicellus ὑποκοριστικὸν ex *dominus*; *domicella* ex *domina*. Utrumque est apud S. Ludgerum de S. Suiberto; item apud Bekam, prius in vita Johannis, episc. XXXIX; alterum in vita Godeboldi, episc. XXIV. Sed & *domicellus* usurpat Rogerus de Houeden Annal. Tom. II; *Domicella* est apud Cæsarium lib. VI. Miracul. cap. V. Nempe à *dominus*, *dominicus*, inde *dominiculus*, hinc *domincellus*: & à *domina*, *dominica*, hinc *dominicula*, unde *domicella*: ferè ut à *cista*, *cistula*, inde *cistella*: à quo & *cistellula*. Item ut ab *unus*, *unulus*, *ullus*; à *benus*, (unde *bene*) *benulus*, bellus; à *vinum*, *vinulum*, *villum*; & similia. Ad formam *domicelli*, & *domicella*, Belgis itidem *jonker* ex *jonc-heer*; *juffer* ex *jonc-vrou*.

Dominadius, pro dominus ædium. Sic Paulinus S. Felicem vocat epist. IX ad Severum: *De mea sollemni ad dominadium meum cantilena.* Similiter epist. XII ad eundem, & epist. XXVIII ad Victricium. atque alibi etiam in Carmine, Natali XI:

> —— *Quàm quod mihi tectis*
> *Ipse meis quibus est, idem dominadius egit.*

Iisque ex locis colligit doctissimus Bollandus *, decipi Ambrosium Leonem lib. II de Nola cap. XI; ubi censet, templum Paullini dicatum Dominædio; perque eum, Deum ipsum intelligi.

* Notis in vitam S. Felicis, quæ est in vitis SS. ad 14 Ian.

Dominicalis, linteum, quo, in Eucharistiæ sacramento, corpus Domini acciperetur. Concilium Antisiodorense can. XLII: *Unaquaque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat. Quod siqua non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Sic, uti interpretabamur, intellexere etiam Baronius ad an. IƆXC, Severinus Binius Notis in hoc Concilium, Cornelius à Lapide in I Timoth. II. VIII. Ac planè hanc sententiam firmant verba illa Augustini, sive alicujus junioris, serm. CLII de Tempore: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus: & omnes mulieres exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant.*

Dominicalis, & *dominicata*, vel *indominicata* terra dicitur, quæ aliter *dominica* vocatur; h. e. cujus proprietas est penes alium, à quo, ut domino loci, alteri ad certum temporis spatium elocatur. Quemadmodum verò *dominus*, sive *domnus*, κατ' ἐξοχὴν dicitur de Imperatore, vel Rege; ita & singulari ratione vox ea agris aptatur imperatoriis, vel regiis. Dominicatæ terræ, præter alios, meminere Leges Longobardicæ lib. II Tit. LI leg. XV; Capitularia Karoli M. lib. V cap. CXLVII; Hincmarus epist. I, ubi est: *Annonam de dominicatis terris collectam.* Sed & substantivè pro eo *dominicatus* dicitur, & *indominicatus*. Carolus Calvus tit. XXXII, qui est, Apud Tusiacum, cap. III: *Proprietas illorum in nostrum in dominicatum recipiatur, donec ipsi per fidejussores in nostram præsentiam veniant.* Pro quo postea capitulo V ait: *In nostrum dominicatum recipiantur.* Ac utroque alios etiam uti, ostendit ad hunc titulum Sirmondus. Uti & illud, pro *dominicatus*, etiam *dominicatura* dici. Quomodo in præcepto Ludovici junioris de Abbatia in Calvo monte, *Quam & ipse, & antecessores, longo tempore in dominicatura habuerant.*

Domnus, pro *dominus*, crebrum ævo sequiori; de quo, inter alios, Onuphrius in explicatione † vocum Ecclesiast. & Barthius lib. XXIX Advers. cap. XIX.

† Platina subjungitur edit. Colon. an. 1610.

Dormitorium, cœnobii locus, ubi monachi dormiunt. Concilium Aquisgranense an. IƆCCCXVI: *Nisi in dormitorio cum cæteris, absque caussa inevitabili, dormire præsumseris.* Similiter Leo Marsicanus in Casinensi Chronico, idque sæpius; Cæsarius lib. I. Miracul. cap. XLIII, & lib. III cap. XIII; ac Matthæus Parisius in vita Joannis, abbatis XXI S. Albani. *Dormitorium*, locus ubi dormitur. Edmerus Anglus in vitâ S. Anselmi Cantuariensis lib. I *.

* Pag. 414.

Dorsale, vel *dossale*, quid sit, ostendit Leo Marsicanus lib. III Chronici Casinensis cap. XXX: ubi enumerans, quæ Imperatrix Agnes monasterio Casinensi donâsset, inter alia memorat, *Pallium magnum cum elephantis, quod dossale cognominant.* Habes & in vita S. Meverci. Pro aulæo, suspenso à tergo, usurpat Matthæus Parisius in vita Richardi, XV abbatis S. Albani: *Dossale unum, sive tapetium, in quo passio S. Albani figuratur.* Et in vita Gaufridi, abbatis XVI: *Dedit quoque dossale magnum, in quo intexitur inventio S. Albani, cujus campus est aëreus.* Pallio ex eo istoc nomen, quia dorsum contegat; aulæo autem, quoniam mensæ assidentibus sit à dorso.

Draconarii vocabantur à militari signo, effigie draconis. Vegetius lib. II cap. VII: *Signiferi, qui signa portant; quos nunc draconarios vocant.* Atque idem dracones in signis militaribus reponit lib. I cap. XIII: *Dracones etiam per singulas cohortes a draconariis feruntur ad prælium.* Figuram describit Ammianus lib. XVI. Non fuisse in velo pictos, vel acu textos, sed solida corpora; Justus Lipsius ostendit lib IV de militia Romana dial. V. Meminit draconariorum etiam Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. IV cap. XXX: *Leoniferos, lupiferos, draconarios.*

Drilopota, bibentes è vase, quod penem referat. Vetus scholiastes ad illud Juvenalis sat. II. vers. XCV:

> —— *Vitreo bibit ille Priapo.*

In vitreum penem, quos appellant drillopota. Sed *drilopota*, vel accusandi casu *drilopotas*, rescribendum; à πότης, *potor*, & δρῖλος, quod propriè notat *lumbricum*; sed κατὰ μεταφορὰν pro pene sumitur. Ac Belgæ vocem habent, quæ non abludat, ut hinc facta videatur. Adscribere eam hic loci, ut puto, nihil attinet: nempe, ut Tullius de se in erudita illa epistola Pœto scribit, † *Amo verecundiam.*

† Lib 9 epist. 22.

Dromundus, navis ingens. Matthæus Paris. in Henrico I an. CIƆCXCI: *Apparuit ei navis quadam permaxima, quam dromundum appellant.* Antea etiam in Richardo II dixerat, anno CIƆCLXXXV: *Venerunt postea galeiæ infinitæ Saracenorum apud Ulyxebonam, ducentes dromundum; in quo talis erat machina, quod per ipsam Saraceni poterant ire, & redire, ultra muros civitatis armati. Sed, Deo disponente, quidam in aqua se dromundo supposuit, &, eo perforato, submersit.* Est *dromundus* è Gallico *dromant*: hoc à δρόμος, *cursus*. Vide *Dromo* in alienâ significatione usurpatis.

Dubietas, pro ambiguitas, vel rei incertum, legas in Concilio Pisano *. Item apud Incertum de Genealogia regum Daniæ †: *Exclusit extrema necessitatis dubietatem, & ultima confessionis, & pænitentia.*

* Pag. 164

† Pag. 215. edit. Sorana.

Ducatus, pro ductus, sive deductio. Petrus Chrysologus Homiliâ de Magis: *Gaudent in terra, se ad Deum, ducatu unici sideris, pervenisse.* Sueno in Historiæ Danicæ Compendio, quem, historicorum Daniæ antiquissimum, primus doctissimus amicus noster Stephanus Stephanius divulgavit: *Ad tumulum itaque ducatum postulavit, in quo prius mucronem experientissimum occultaverat.* Hoc est, deduci se ad tumulum petiit. Legas & pro imperio, sive publica administratione. Quomodo loquitur non Spartianus modò in Pescennio Nigro; vel Commodus Cæsar, cujus in ea vita referuntur verba: sed etiam Curtius, & Suetonius: at prior his, ut arbitror nemo. Apud Tertullianum etiam *ducator*, pro *ductor*: item *ducatio*, lib. de Corona militis. Utramque significationem agnoscunt Philoxeni Glossæ: *Ducatores*, ἀγοί, ἡγεμόνες. *Ducatus*, ἡγεμονία. *Ducator*, ἀγὸς, προηγούμενος. *Ducatus latronum*, ἀρχὴ λῃστείας.

Duciculus videtur esse orbis, sive circulus ligneus, qui circumducitur dolio: unde & nomen. Monachus Benignianus * in vita S. Urbani, episcopi Lingonensis, cap. I. §. IV: *Illico boves disjunxerunt, ligamina vasorum gladiis præsciderunt, duciculos abstraxerunt.* Vide *Dogus*.

* In Vitis SS. 23 Ian. apud Bolland.

Ducissa, pro domina Duce, est apud Rogerum de Houeden Annal. Tom. II †: *Mathildis, ducissa Saxoniæ.* Sed de istoc abunde dictum lib. I cap. XVI.

† Pag. 654.

Cap. XI.

De cæptis ab secunda vocali. Qualia sunt ista. Eboratus, *pro eburneus.* Echoicus *versus, in quo soni fit repercussio.* Eclipsatus, *pro deficiens.* Edulitas, *tum pro fame ex edulium caritate, tum pro copia eorundem.* Effectivus, *pro idoneo ad efficiendum.* Electreus, *pro electrinus.* Electuarium, *pro* ἐκλειγμα, *sive illinctus.* Elephantiosus, ἐλεφαντιῶν, *sive elephantia obnoxius.* Elogicus, *elogium continens.* Embrimium, *lectulus somni capiendi caussâ.* Emenda, *mulcta, quâ satisfit actori.* Ementum, *excogitatio.* Emigranea, *pro hemicrania.* Emunitas, *pro immunitas.* Engaria, *necessitas, quâ quis ad parendum compellitur.* Epistolarium, *codex epistolarum, quæ in Ecclesia leguntur.* Equantia, *grex equarum.* Equitatura, *nunc pro equitibus, nunc pro equitatione, acceptum.* Erratus, *pro error.* Eremita, *pro seorsum degente in locis desertis.* Escambium, *pro permutatione.* Esophorium, *vestis interior.* Evacuatorium, *quo quis fatetur sibi satisfactum.* Evidentale, *quo quid evidens fit.* Exagellum, *pro trutina: deque exagio, & agina.* Exenium, *pro dono hospitali.* Exoccupatus, *qui se occupationibus exoneravit.* Exordinatum, *ubi ab ordine recessum.* Expalmatus, *cui colaphus impactus.* Experimentatum, *experientiâ compertum.* Expositor, *pecunias pro altero expendens.* Expudoratus, *impudens.* Extales, *exta.* Exterminium, *extra terræ limites ejectio.* Exulaticius, *pro ejecto in exilium.*

NUnc videndum de iis, quibus initium est à vocalium secundâ.

Eboratus pro *eburneus*, *eburnus*, vel *eboreus*. Sidonius Apoll. lib. VIII epist. VIII: *Licet tu deductum nomen à trabeis, atque eboratas curules, & gestatorias bracteatas, & fastos recolas purpurissatos.* Et ejusdem libri epist. XII: *Hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus.*

Echoicus versus ab *Echo* dicitur, propter soni repetitionem: ut ex Servii Centimetro cognoscitur. Ac sic etiam legit Sirmondus apud Sidonium lib. VIII epist. XI: *Faciebat siquidem versus oppidò exactos, tam pedum mirâ, quàm figurarum varietate; hendecasyllabos lubricos, & cothurnatos; elegos vero nunc echoicos, nunc recurrentes, nunc per anadiplosin fine principiisque connexos.* In nonnullis codd. est *schoicos*. Sed propiùs abit *eschoicos*: quod in MSsis suis reperit Savaro.

Eclipsatus barbarum, pro cessante, & quasi deliquium patiente: ut *Eclipsati juris qualitas*, apud Petrum de Vineis lib. III epist. XLV.

Edulitas, fames ex annonæ caritate. Petrus Blesensis epist. XCI: *Unum noveris, quòd mortes omnium requiret à te districtissimus judex; quia omnium factus es reus, quorum vitam annonæ beneficio redimere potuisti. Certè jam albescunt regiones ad messem; nec adhuc in hac edulitatis clade unum pauperem refecisti.* Item epist. CXLI: *In argumentum adventus illius filii perditionis generaliter mundus in maligno positus est, desævit morbus pestilens, & edulitas invalescit.* Utitur & hac voce Lampridius in Alexandro Severo: sed ei de edulium copia, & carnis annona, sermo est.

Effectivum dicit vulgus philosophorum, pro efficiendi vim habens.

Electreus, pro *electrinus*, nesciunt boni scriptores. Apud Lampridium reperias in Alexandro Severo. Nisi is *electros* scripserit: quod censet Salmasius. Nempe qua formâ vasa *aurochalca* dixere, pro *aurochalcina*.

Electuarium qui dixerit, ex iis, quos habemus, primus videtur Cœlius Aurelianus. Posterioribus est crebrum. Ita legas Constitutionum Sicularum lib. III Tit. XXXIV Leg. IV: *Electuaria, & sirupi, & alia medicina, legaliter fiant; ut sic facta vendantur.* Similiter Godefridus Abbas lib. IV epist. XXIX. Item Cæsarius lib. VII Mirac. cap. I: *Apud ipsum electuaria sunt confortativa, unguenta sanativa.* Item ejusce libri cap. XLVIII: *Tu de meo electuario non indiges, quia medicus es.* Græci vocant ἐκλειγμα, ἀπὸ τοῦ ἐκλείχειν, quod est *delingendo evacuare.* Ut ad verbum *illinctum* possis dicere. Sic usus ἐκλείγματος voce Paulus Ægineta lib. IV cap. LVII. Imò & Plinius similiter *ecligma* vocat lib. XX cap. XXII. Dicunt & Græci ἐκλεικτὸν, ut Dioscorides lib. II cap. CXXV. Atque inde primò *electarium* formarunt: pro quo postea barbarè *electuarium* dixere. Ut fallatur Joannes Ludovicus de La Cerda in Adversariis Sacris cap. LVIII: cum censet, sic dici quasi *medicamentum electum*. Nec enim est Græcè ἐκλεκτὸν, sed ἐκλεικτὸν, ab ἐκλείχω, ut diximus.

Elephantiosus, pro elephantiasi laborans. Sic ille, qui transtulit paradisum Heraclidis cap. VI de Macario: *Ergo illic exulceratus est totus, est totus quibusdam tuberibus per omnia ejus membra turgentibus: ut unus crederetur ex illis esse, qui elephantiosi vocantur.* Græci dicunt ἐλεφαντιῶντας. Morbus ipse *elephantiasis*, vel etiam *elephas*; imò & Celso, *elephantia*.

Elogicus, ab elogium. Aldhelmus lib. de Virginitate cap. XIII: *Ex ipsius elogica scriptione conjecturam capesso.*

Embrimium, vel *embrymium*, quid sit, clarè nos docet Cassianus Collat. I cap. XXIII, sive ultimo: *His itaque beatus Moses, collationi nostræ dans finem, adhuc nos avidos, ac de suo ore pendentes, degustare somnum paullisper hortatus est; iisdem ipsis, quibus insidebamus, psiathiis admonens incubare; embrimiis pariter capiti nostro, cervicalium vice, suppositis; quæ crassioribus papyris in longos gracilesque fasciculos coaptatis, sesquipedali intervallo molliter nexa, nunc quidem humillimum sedile, ad scabelli vicem, fratribus in synaxi considentibus præstant; nunc verò, subjecta cervicibus dormientium, præbent capiti non nimie durum, sed tractabile, aptumque fulmentum. Ad quos monachorum usus hæc iccirco vel maxime opportuna habentur, & congrua; quòd non solùm sint aliquatenus mollia, parvoque & opere præparentur, & pretio; (utpote passim papyro per ripas Nili fluminis emergente, quam cuique, volenti in usum adsumere, nemo prohibeat desecare:) sed etiam quòd ad removendum, seu, cùm necesse fuerit, admovendum, habilis materia, levisque naturæ sint.* Ac agnoscit Petrus Ciacconius, in glossariolo ad Cassianum editionis Romanæ, non alibi se hanc vocem legisse, præterquam allato Cassiani loco, & apud Simeonem Metaphrastem in vita S. Euthymii Magni, abbatis: cujus verba libro hujusce cap. IV, in *Centonium*, adduximus. Josephus Scaliger Elenchi cap. XXV fatetur, se originem vocis nescire. Martinius in Etymologico suspicatur, si origine Scythicum, vel Celticum, sit; esse à *brem*, quod Teutonicâ linguâ notat genistam: ut sic dicatur, quia genistâ, sparto, ac similibus, plumarum, vel tomenti loco, farciretur. Sed magis placet Casauboni sententia Exercit. I ad Apparatum Annalium Baronianorum; ubi, quia embrimiis indormirent, censet, ἐμβρίμια dici παρὰ τὸ βρίζειν, quod dormire, ac levem capere somnum, notat; nempe quasi μετὰ τὴν βορὰν ἵζειν, *post sumtum cibum residere.* Unde & *Brizo*, somni, vel insomniorum Dea, teste Athenæo, lib. VIII. Unde Βριζομάντις apud Hesychium. Vel hoc verum est, vel vocabulum fuerit origine Ægyptium; quando Ægyptii eo monachi utebantur.

Emendam dixere ex Gallico *amande*, & *emende*; uti hoc à Latino *emendatio*. Eo solo differt à mulcta, quòd hæc judici, illa actori detur. Speculum Saxonicum lib. I artic. LIII: *Et in aliis omnibus, quandocunque pars adversa emendam, id est, satisfactionem, acquisiverit; super emendante judex etiam mulctam obtinebit.* Item lib. III Artic. LIII. *Judex in suo judicio mulctam habet, & non emendam; eò quòd judex agere non potest, & judicare: nemini verò emendatur, nisi actori. Ideoque illustribus emendam non competere, injustè ab aliquibus vulgatum est.* Matthæus Paris. in Histor. *Nos ab eâ capiemus emendam.*

dam. Ac in Vitis: *Regi quales emendas faceret.* Imò & Innocentii III est epist. VIII, quæ ad Archiepiscopum Senonensem: *Ob reverentiam nostram condonare paratus erat emendam.* Sed & legas in stilo Antiq. Parlam. cap. XVIII, & Caroli VII Gall. Reg. III edicto*. *Emendatio* etiam, & *emendare*, hac significatione in Saxonicis, & Longobardicis Legibus, reperias.

* Pag. 161.

Ementum in Isidori glossis exponitur excogitatio. Nempe ut à *comminiscor*, *commentum*; sic ab *eminiscor* fuerit *ementum*. Sed neutrum legere alibi commemini. Fortassè *rementum* à *reminiscor* scripserat auctor: cujus vitiosâ lectione deceptus fuerit Isidorus.

Emigranea corruptè pro hemicrania, ἡμικρανία. Michael Scotus Physiognom. cap. II: *Contingit dolor capitis, qui dicitur soda, sive emigranea.* Similiter complures alii iis temporibus, Græcæ linguæ inscitiâ. Ἑτεροκρανίαν vocat Aretæus cap. II, scriptor admodum vetustus: ut indicat, Jonsinus; qui multò ante Cæsarum tempora in scribendo desierat; uti & Donsinus.

Emunitas regia, pro *immunitas*, apud Marculfum monachum lib. I formularum cap. III. In Concilio etiam Ticinensi videas Episcopos poscere à Ludovico, Italiæ rege, ut *emunitates progenitorum* conservet. Illum verò respondere: *Statuimus, ut Ecclesiæ Dei, per totius regni nostri fundatæ terminos, sub nostræ emunitatis tuitione securæ, cum rebus, & familiis, permaneant.*

Engaria significat coactionem; puta quando quis alteri necessitatem imponit rei exequendæ. Fulbertus Carnotensis epist. XIV: *Nostris hominibus novam engariam induxerit.* Et epist. CX: *Ut honesta sanctorum Patrum sequens vestigia nos hujus pensionis engaria nullatenus obliget.* Nempe corruptum *engaria* ex Græco ἀγγαρεία. Imò *angaria* idem pro eo dixit epist. CL: *Nulli volens imponere citra liberam voluntatem alienæ servitutis angariam.* Ac in Canone Episcopali: *Inter serviles angarias.* Ut fortassè non seculi, sed librarii, sit culpa, *engaria* pro *angaria*, scribentis. Sanè *angaria* voce usus Ivo Carnotensis epist. XCV, CXXIV, CLXXVI; qui & *angariandi* verbum usurpat epist. LVI, & CXXVI: uti & ante eum, inter cæteros, Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib. III cap. XVI. Glossæ Philoxeni: *Angaria*, ἀγγαρεία, ἀνάγκη. In Glossis etiam Isidori legas: *Angarianus, qui agrum locat, ut angariam accipiat. Angariarius* habes in Constitutione Neapolit. lib. II, tit. XXXII, & lib. III tit. X. Vide & quæ de *angariis* dicta lib. I cap. V; ubi de *paransaga*.

Epistolarium, liber epistolarum, quæ quoque anno in Ecclesia legerentur. Usus Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV abbatis S. Albani.

Equaritia quid sit, ostendit Cæsarius lib. VII Mirac. cap. XXXIX: *Venientibus eis in quendam saltum, poledrus equaritiam, id est, gregem equarum, de longè pascere conspexit; qui statim hinniens, atque lasciviens, ex ducentium manibus se excussit, & cursu velocissimo ad equaritiam properavit; quem cùm conversi insequerentur, equaritiâ fugiente magis poledrus ab eis elongabatur.* Est verò *poledrus*, pullus equinus.

Equitatura, pro equis, quibus utimur in itinere, ac transvectione rerum nostrarum. Goffridus Abbas Vindoc. lib. I epist. XVI †, Constitut. Neapol. lib. III Tit. XXXVIII leg. IV, Petrus de Vineis lib. V cap. XXXVII: *Magistrum G. cum equitaturis, scuteriis, & rebus suis, sine alicujus pedagii exactione, ire, stare, & ad curiam nostram redire, securè & liberè permittatis.* Usus & voce eâ Matthæus Parisius, an. CIↃCCXII*: *Fecerunt unam equitaturam erga terram Babylonis: —— & in illa equitatura tres septimanas, vel plus, morati fuerunt.* Sed *equitatura* hic idem ac *equitatio*.

† Pag. 30.

* Pag. 313. edit. Londin. Wats.

Erratus, pro *error*, vel *erratum*, apud Anonymum de ritibus vet. Eccles. sive potiùs Alcuinum: *Jejunandum est priùs cum eis pro eorum erratibus. Erratus* in recto singulo; unde *erratibus*, ut *fructibus*. Similiter Ivo Epist. CCLXXXIX, sive, editionis Jureti, postremâ: *Qui etiam, quod nondum erratibus meis adhibui, cogor debere correctionem alienis erroribus.*

Eremita, pro solitario, atque seorsùm desertis locis vitam degente. Quales è Christianis primò genuit necessitas fugæ, propter persecutiones gentilium. At si gregatim viverent, vocati *cœnobitæ*: qui primò monasteria sua locis ab urbe remotis, postea etiam in urbibus, habuere. Sed de vocabulis istiusmodi nulli Ecclesiæ scriptori litem movero.

Escambium, pro excambium, hoc est, permutatio, à *cambire*, pro ἀμείβεσθαι. Matthæus Parisius in vita Richardi, abbatis quinti-decimi: *Dedit quoque idem abbas Richardus terram de Meridene in escambio pro terra de Bradwera.*

Esophorium, vestis interior, εἰσοφόριον, vel ἐσωφόριον, ab ἔσω, *intus*, & φέρω, *fero*, *gero*; quia interiùs gestatur. Anastasius Bibliothecarius in vita Joannis Eleemosynarii de Græcâ Leontii Latinè redditâ, cap. VII §. XXXVIII: *Ille putans, quòd egenus esset, expoliavit † se esophorium suum, quòd illius melius erat; rogavitque eum, ut hoc ipse vestiretur.* Ac paullo pòst etiam semel, iterumque, usurpat. Ad eum verò locum Bollandus hæc adducit ex Glossario Camberonensi Mso: *Esophorium, vestis interior, quæ à Martiano* (Capella) *interula appellatur.* Et ante eum similiter Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CXXV. Verùm ante Capellam etiam *interulam* vocavit Tertullianus libro de Pallio. Plura de hoc vestis genere diximus lib. superiori cap. IV, voce *Camisia*.

† *Alii*, expoliavit: *ut de la Cerda, in Adversariis Sacris. Sed omnino placet*, exspoliavit. *Porrò* esophorium suum, *pro* esophorio suo.

Evacuatoria epistola dicitur Marculfo lib. II Form. cap. XXXV, qua quis fatetur sibi satisfactum, sic ut, si postea cautio reperiatur, (quemadmodum ibidem legas) *quoquo tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum; sed VACUA, & inanis, permaneat.* Ex quibus verbis origo vocabuli elucet: uti & illo Augustini de cura pro mortuis: *Ubi esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit.*

Evinditale judicium est apud Marculfum Monachum lib. I form. cap. XXXVII. Id Bignonius interpretatur *declaratorium*, quo rex notum & evidens facit, quendam in palatio se die dictâ judicio stitisse; adversarium verò vadimonium deseruisse. Num igitur *evinditale* corruptum putabimus ex *evidentale*? An potius à *venditando*, aut *vindicando*, origo arcessenda?

Exagellium, trutina sive libra, diminutivum videtur ab *exagium*, ἐξάγιον; quod in glossis vett. exponitur *pensatio*: uti ἐξαγιάζω, *examino*, *perpendo*. Ἐξάγιον legas apud Actuarium in aurea antidoto Alexandri, ac medicorum mediæ ætatis alios: item L. fin. C. de suar. & suscept. vin. Cujacium adi, & Martinium in Etymologico. Nec dubium, quin ejusdem originis sit *agina*: de quo è Festo ita Paullus: *Agina est, quo inseritur scapus trutinæ. id est, in quo foramine trutina se vertit. Unde aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur. Exagium* usurpat Zeno, sermone VI ad Neophytos: *Habetis aginam; exagium facite; quemadmodum vultis, ponderate.* At *exagellium* est apud Ennodium Ticinensem episcopum, in vita S. Epiphanii, itidem Ticinensis episcopi, præceptoris sui, cap. XIII. §. LXII: *Omnibus sacerdotibus, in itinere positis, munificus, communis, affabilis, & quasi exagellium relinquens, se ipso præstantior.* Ubi *exagellium* per tralationem sumitur pro exemplo; quod grati animi ergo, doni loco, relinqueret omnibus, à quibus exceptus foret.

Exenium, servitium: ut Glossæ veteres, & Papias, interpretantur. Baldericus Historiæ Hierosolymitanæ lib. III: *Condito corpore, quibus potuerunt aromatibus, imperialibus exeniis illud prosecuti sunt.* Testamentum S. Remigii: *Et incolæ loci illius, multiplicibus exeniis gravati, obnixè deprecantes, quod Regi debebant, Ecclesiæ meæ solvendum me petere compulerunt.* Vulgares libri *xeniis*: sed in Mssis esse *exeniis*, testis Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris cap. CXXVII. Num ut ab *occupatus* fecere *exoccupatus*; ita à *xenium*, quod est hospitale donum, *exenium* procuderunt? Non arbitror. Potiùs dixero, E præmissum,

more Gallico; ut in *escole*, à *schola*, & aliis multis: quo de more alibi dictum.

Exoccupatus, ab occupationibus liber. S. Gerardus abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi cap. IV*: *Quandocunque res eum occupabat mundialis, (utpote exigebat, & exigit in talibus œconomia temporalis,) paullo pòst exoccupatus aderat totus in divinis.* Et cap. V: *Quanto curis secularibus erat exoccupatior; tanto divinis, & cælestibus, suspirabat attentior.* Item Petrus Venerabilis lib. I. epist. XXIV: *Felix, & jam beatitudini æternæ participans, exoccupatorum otium, quibus libera, & absque impedimento, in cælum via paratur.* Vide *Exoccupor* l. sequenti cap. VII.

* In Vitis SS. ad 2 Jan.

Exordinatum, ubi ordo conturbatus. S. Gerardus abbas Sylvæ-majoris cap. IX. §. XLVI: *Cumque remeasset, ordinabat, siquid ex suis exordinatum fuisset.*

Expalmatus, palmâ manûs percussus, colaphis cæsus. Petrus Blesensis sermone XVIII de Christo: *Vidi eum in horto ligatum, in atrio Pontificis expalmatum, sputis illitum, in prætorio judicis irrisum*, &c. Ac similiter serm. III: *Colaphis expalmatum.* Pro quo & serm. XXIV ait: *Palmatum colaphis.*

Experimentatum, pro eo, quod Latini dicerent experimento cognitum, apud Plinium Valerianum legas.

Expositor, reperio pro eo, *qui expendit pecuniam.* Sed piget talibus insistere.

Expudoratus, homo nullius pudoris, impudens. Isidorus in Gloss. *Expudoratus, impudicus.* Falli puto, qui *expuderatus* scribunt per E; cùm non, uti *pudens*, & *impudens*, à *pudere* fit; sed à *pudore*; unde finxere *pudoratus*, inde *expudoratus*.

Extales, pro extis, apud vulgatum interpretem I, sive III Regum vers. IX. Ac similiter Petrus Blesensis epist. CII: *Hæ sunt muscæ, quæ exterminant suavitatem unguenti; aves, quas abigebat Abraham; mures, qui de terra, id est, affectione terrena, ebulliunt; qui extales, id est, interiora, corrodunt.*

Exterminium, propriè extra terminos ejectio. Gloss. vett. *Exterminium*, ἀφανισμός. Utitur Tertullianus adversùs Judæos. Decies-ter habes apud veterem veteris instrumenti interpretem. Cujus exemplo, inter alios, quoque Petrus Blesensis ait epist. LXXXVI: *Ne des animam tuam in exterminium, & in opprobrium famam tuam.*

Exulaticius, ab supino verbi *exulo*; ut à supinis verborum pignero, transfero, commentor, insero, adscribo; pigneraticius, translaticius, commentaticius, insiticius, adscripticius. Glossæ Cyrillo tributæ: Φυγάς, *fugitivus, exulaticius, fugitivosus.*

Cap. XII.

Acceditur ad inchoata ab F. Quale fabarius, *pro cantore fabis vesci solito.* Fabiana, *vel* fabana, *cibus e fabis.* Fabulo, *fabulator.* Facella, *fax exigua.* Facialis, *linteum tergendæ faciei: quod Græcis posterioribus similiter* φακεόλιον, *vel* φακιώλιον: *nisi id potius capitis est tegumentum, quali utuntur Turcæ.* Facitergium, & facitergulum, *sudarium.* Factivus, *efficiendi vi præditus.* Faculari, *faculâ prælucentes.* Faidici, *corruptum ex* fatidici. Falcastæ, *vel potiùs* falcastrum, *ferramentum, referens falcem.* Falconista, *vel* falconarius, *pro accipitrarius, sive potiùs, qui haliaeto aucupium exercet.* Falsitor, *pro falsarius.* Famen, *pro dicto.* Farile, *ubi far reconditur.* Farsura, *pro fartura.* Fasciolum, *pro fasciola.* Fellicitus, *pro felle suffusus.* Femellarius, *pro mulieroso.* Ferita, *pro ictu.* Fervura, *pro fervor.* Festinantia, *pro festinatio.* Fibramen, *pro radiis, & quasi fibris Solaribus.* Fibulatorium, *amiculum.* Fictitius, *pro commentitius.* Filiaster, *pro privignus, &* filiastra, *pro privigna.* Fiola, *ampulla vitrea liquori conservando.* Firmaculum, *firmamentum, vel etiam fibula.* Firmatorium, *quod est rei firmandæ.* Fiscalinus, *cui cura fiscus, vel de quo cura est fisco.* Firmibus, *pro finibus, rejectum.* Flabellus, *pro flabellum.* Flabarius, *pro subulco.* Flaber, *homo inanes flans glorias.* Flamonium, *pro flaminium.* Florenus, Francus, Nobilis, *nummorum genera, unde nomen acceperint.* Foculare, *foci locus.* Folleralis, *nummi genus, quod duodecimam siliquæ partem faceret.* Follex, *saccus scorteus, vel uter camini.* Folonitia, *vanitas.* Foralis, *forensis.* Foraminatus, *perforatus.* Forasticus, *foris contingens, vel foris degens: hoc est, extra Ecclesiam.* Foraticus, *tributum persolvendum foris, sive, extra patrium solum.* Forfactum, *sive* forefactum, *vel* forefactura, *de gravis delicti genere.* Formaria, *virgo formandis cœnobii moribus præfecta.* Formaticum, *caseus.* Formella, *vas, quo caseus figuratur.* Fornata, *coctura panis in furno.* Fortalitium, *vel* forteletum, *propugnaculum: fortiam nunc pro eodem, nunc pro violentia, nunc pro fortitudine accipi.* Fortunium, *pro certamine, ubi fortuna magis dominari videtur, quam virtus.* Fossorium, *ligo.* Fragus, *pro poplite.* Frigefactivum, *pro refrigerans.* Frigoreticus, *vel* frigoriticus, *febricitans.* Fritium dentium, *pro dentifricium.* Frixorium, *sartago.* Frontaria, *regionis limites.* Fuco, *impostor.* Fugela, *fuga.* Fugitivarius, *fugitivos insequens.* Fugitivosus, *profugus.* Fulciatorium, *scipio.* Fulgetrido, *fulgor.* Fulgitrua, *fulgetra.* Fulina, *culina; ut* fulinarius, *coquus.* Fundibula, *funda: unde* fundibularius, *qui fundâ utitur: similiter* fustibalus, *unde* fustibalarius. Fundulus, *gobius fluviatilis.* Furabulum, *nox furibus idonea.* Furfuraculum, *terebra.* Furfurio, *avis genus, quod furfure alitur.* Fusionaticum, *percolatum.*

Hinc jam me conferam ad consonas inter secundam, tertiamque vocalem interjectas: ubi F primò occurrit.

Fabarius probum est*: cùm Catonis sit de R. R. libris, *fabarium pilum*; Plinius item nominet *fabarias insulas.* Sed apud idoneum quemquam nullus invenio, cui psaltes eò *fabarius* dicatur, quia utatur fabis, quò vocem reddat firmiorem, ac suaviorem. Solus mihi ejus significationis auctor est Isidorus lib. II de divinis officiis: *Psallentes legumine in caussa vocis assiduè utebantur. Unde & cantores, apud gentiles, fabarii dicti sunt.* Etiam junioribus *fabaria* est locus, ubi fabæ succrescunt. Lex Salica Tit. XIX. §. XIII: *Siquis in napiam, in fabariam, in pisariam, in lentulariam, vel his similia, ad furtum faciendum ingressus fuerit.*

* Ut melius et locus sit in falsâ significatione usurpatis de quibus libro sequenti.

Fabiana, pro cibo è fabis cocto. Anonymus in vita S. Carulelphi: *Tantam fabianam coxit, ut per totam hebdomadem satis haberet.* Sic MStus. Ut à *faba Fabius*, inde Fabianus; sic *fabiana.* Nisi *fabana*, extrito I, legendum; quod visum Meursio in Glossario, vocibus φαβα, & φάβατον. Ac similiter Martinius in Etymologico. Interim & hoc barbarum.

Fabulo, fabulator, fabulæ scriptor, ut liquet ex Isidoro in Glossis. Macrobius lib. II Saturn. cap. I: *Hæc nobis sit liberata lætitia, & docta cavillatio, vicem planipedis, & fabulonis, impudica, & prætexta verba jacientis.* Falluntur, qui legunt *fabulonis*, vel etiam *fubulonis*; ut Theod. Marcilius ad Suetonium.

Facellæ diminutivum à *facula*; uti hoc à *face.* Acta Tharaci Martyris: *Et mox tres facellæ, veluti stellæ, apparuerunt supra ipsorum corpora, quæ furtim subtraximus, & abivimus, præcedentibus nos cælestibus illis lucernis.*

Facialis, linteum tenue, quo faciem extergemus. Gloss. *Faciale*, προσόψιον. Item: Δὸς προσωπίδιον, *da facialem.* In Colloquio Scholastico: Ξύστραν, προσόψιον, ποδεκμάγειον, λήκυθον. *Strigilem, facialem, pedilem, ampullam.* Nicodemus in gestis Christi; ut vulgo quidem inscribitur: *Cursor videns eum, & facialem, quem tenebat in manu sua, expandit ante eum in terra.* Martyrologium vetus in vita Timothei: *Ut cognosci nequirent, facialibus velantes facies.* Habes quoque apud Henricum de Hassia in Speculo Anim. † Imò ad Græcos etiam ea vox pervenit, qui

† Pag. 6.

qui inde suum φακιόλιον formarunt; quod apud Suidam: vel potiùs φακεώλιον; quo usi Germanus in Histor. Eccles. Codinus de Offic. Constant. cap. IV, Achmes cap. CCXXVI. Nisi φακιόλιον ex Italico *Facciolo*; uti hoc ex Latino *fasciola*: ut signet capitis tegmen, è linteo quasi in fascem complicato; quale obtinet apud Turcas, & *turbant* vocatur. Sic ad Codinum censet Clarissimus socer meus Franciscus Junius; sic etiam in Onomastico suo Leunclavius; atque adeò, qui jure subinde, nec raro injuria, abire à Junio solet, Jacobus Gretzerus, magnæ vir doctrinæ, sed sæpe nimis affectui indulgens; ut illam, penè dixerim virulentiam, quam mollissimis possim verbis designem. Placet verò sententia præstantissimi Frontonis Ducæi de loco Palladii in Lausiaca Historia cap. I. Verba ejus: Οὗτος ὁ ἅγιος μέχρι αὐτῆς τῆς τελευτῆς οὐκ ἐνέδυσεν ὀθόνην ἐφόρησεν, ἐκτὸς φακιαλίου. Quod rectè idem Ducæus vertit. *Hic sanctus* (Isidorus) *usque ad horam obitus nihil lineum gestavit, extra facialem.* Pro extremis verbis apud veterem interpretem perperam erat, *extra vittam.*

Facitergium, sudarium, a facie tergenda. Regula S. Cæsariæ †, cujus editionem debemus doctissimi Bollandi industriæ, cap. VIII §. XLVI: *Acupictura nunquam, nisi in mappulis, aut facitergiis, in quibus Abbatissa jusserit, fiat.* Benedictus Episcopus ad S. Bonifacium *: *Benedictionem à vestra beatitudine missam, sicut à patre meo suscepi, &c. Etenim parvum munusculum sanctitati vestræ direxi, sabanum unum, & facitergium unum, & modicum thymiama.* Atque ad eandem formam effinxere *anitergium*; de quo superiùs. Cæterùm pro *facitergium* etiam *facitergulum* ὑποκοριστικῶς dixere. Translatio S. Liboni, Episcopi Cenomanensis †: *Raptis feminarum facitergulis eam contexere.*

† *In vitis SS. ad 11 Jan.*

* *Epist. 145. in farragine epistolarum Bonifacii, & ad eum scriptarum.*

† *Apud Surium ad 23 Julii pag. 349. edit. an. 1579.*

Factivus feram in philosophis, pro ποιητικός. Veteres pro eo *efficiens*, vel is, cujus opus est in faciendo, & agendo. Par ratio in *effectivus*; ut cap. præcedenti tangebamus.

Facularii, qui faculam sive facem præferunt. Glossæ, δαδοῦχοι. Ubi rectum, δαδοῦχοι.

Faidici est apud Petrum, Historiæ Albigensis scriptorem, cap. LXXXV: *Ruptarii, & faidici, & multi alii.* Puto rescribendum, *fatidici.* Ut inter infames referantur vani isti homines, qui fata aliis prædicturos se promittunt. Notum hoc ipsius Horatii:

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi,
Finem Di dederint, &c.

Ubi *nefas* idem ac ἀδύνατον. Equidem isti hominum generi (ut de auguribus dicebat Pacuvius Chryse:)

Magis audiendum, quàm auscultandum censeo.

Imò hoc quoque nimium: quando ne audiendi quidem, sed expellendi, juxta leges adversus Mathematicos latas.

Falcasta, a falcis similitudine. Fulbertus Carnotensis epist. XLV: *Lanceis, falcastis, & gladiis, in ipso atrio principalis Ecclesiæ trucidaverunt.* Sic in duobus se Missis reperisse ait Ludovicus de la Cerda Adversariorum sacrorum cap. LXXIII. Puto tamen, vocabulum nihili, legendumque *falcastris*: qua de voce nunc dicam.

Falcastrum quid sit, & unde dicatur, ostendit Gregorius dialogorum libro II cap. VI: *Quadam verò die ei* (Gotho) *dare ferramentum jussit: quod ad falcis similitudinem falcastrum vocatur; ut de loco quodam vepres abscinderet, quatenus illic hortus fieri deberet.* Ubi sic Græcus interpres: Σιδηροῦν ἐργαλεῖον, ὅπερ ἐπιχωρίως ὀνομάζεται ξυλοκόπης. Usurpat quoque S. Faustus in vita S. Mauri Abbatis cap. II. §. XIII: *Ferramentum, quod falcastrum vocatur, materiem veprium excidenti de manubrio in lacum ceciderat.* Deque eadem re sic Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. II cap. LXIII: *Miraculum, quod in Gothi falcastro Benedictus pater exhibuit.* Habes & in vita S. Egwini, Episcopi Wigorniensis, cap. IV †: *Sotulares* (rusticus) *implevit, ut tute jurare posset, quòd super terram suam staret. Cumque, super reliquias S. Egwini juraturus, manum porrigeret; ferro falcastro, quod in manu gerebat, nescio quo casu in cerebro percussus, subitò ad terram mortuus ruit.* Legas & apud Papiam; qui aliter *runconem* à *runcando* dici ait. Vide eum in *Falcastrum*, & *Runcones.*

† *In Vitis SS. ad 11 Jan.*

Falcator quis sit, dicam in Verbis, voce *Falcare.*

Falconista, pro eo, qui Belgis *Valkenier*, usurpat Beka in vita Joannis II epist. XL: *Quem soporantem Giselbertus de Aemstel à somno suscitans indesinenter monuit, ut cum falconistis urbem exiret, quoniam inaudita copia volatilium in campestribus resideret.* Malim *falconarius*: quod apud Hincmarum epist. III cap. XVI, & XXIV. Nempe ut ab argento *argentarius.* At terminatio *ista* potiùs Græcanica est. Interim nec hoc vocabulum vetus. Quid mirum? quando & *falco* demum Constantini M. ac liberorum ejus temporibus, in usu esse cœpit. Sanè primus, apud quem inveniatur, est Julius Firmicus: ut alibi hoc opere dicetur. *Accipitrarium* cum aliquibus mallem, nisi falco non tam foret ex accipitrum genere; quàm illud aquilæ genus, quod haliæetum, & Nisum, appellat Maro in Ciri.

Falsator, quod in lege Salica est Tit. XXXII. §. VIII, non ausim penitùs damnare, quia *falsare pondera, aut monetas*, dicat Modestinus, l. XXXII. D. de lege Cornelia de falsis. Longè tamen malim *falsarius*, quod sæpius est apud Tranquillum: item L. I. §. I. D. de L. Cornel. de fals. item L. XXIV. C. de Probationibus: uti & Tertull. de Idololatr.

Famen à *fando*, ut à *flando* est *flamen*, dixit Martianus Capella; uti & Abbo de Lutetiæ obsidione.

Farile à far, ut ab *ovis ovile.* R simplex est, ut in *farina*; quod ejusdem originis. Gloss. Misc: *Farile*, χοιροβολεῖον.

Farsura est apud Petrum Blesensem Epist. LXXXVI: *Quid quæso dulcedinis, aut devotionis, invenies apud eos, quibus versa est in nauseam numerosa atque confusa iteratio, & farsura psalmorum?* Dicendum *fartura*; quod apud Columellam. Hujusmodi enim non à præterito veniunt, sed supino: ut à *jactum*, *jactura*; à *pictum*, *pictura.* Conqueritur verò Blesensis, quòd fartim, sive confertim adeò psalmos ingerant, ac decantent, ut fartura istæc nauseam creet.

Fasciolum, pro fasciola, sive fascia exigua. B. Odericus Peregrinationis suæ in Orientem cap. I §. IV: *Portant* (mulieres) *super capita sua fasciola aurea de perlis pretiosis.*

Fellicitus, pro *felle suffusus*, est apud Plinium Valerianum. Sed ignorant idonei scriptores.

Femellarius Isidoro in Glossis exponitur *feminis deditus, quem antiqui mulierarium vocant.* Cicero pro eo *mulierosum.* Imò & *mulieraria manus* apud eundem, pro multitudine hominum effeminatorum. Ac Hispanis etiam mulierarius similiter *mugeriego.*

Ferita idem ac ictus, vel plaga, aut vulnus, à feriendo. Paullus Diaconus de gestis Longobard. lib. III cap. XXX: *Talem* (Rex) *Authari feritam facere solet.* Legg. Longobard. lib. I. Tit. II leg. I: *Exceptis plagis, & feritis.* Similiter Tit. VI. Leg. III, & IV, & alibi sæpe. Hodieque Itali dicunt, *una ferita.*

Fervura, pro fervore, vel inflammatione, à *ferveo*, ut ab *utor usura.* Gloss. Misc: *Fervura*, φλεγμονή.

Festinantia magna, pro magna festinatione, apud Bernardum Claravallensem de vita Malachiæ, episcopi Hiberniæ*.

* *Column. 1947 edit. Antverp. an. 1609.*

Fibramen, pro fibra, & τῇ μεταφορᾷ pro Solis radiis, & velut jaculis. Althelmus de Virginitate:

Plus licet ex centro Titan fibramina† fundat,
Cum nimbi fugiunt, & fervet torridus æther.

† *Nisi vibramina malis, quia radii, velut tela, vibrantur.*

Fibulatorium, amiculum, vel aliud, quod fibulâ stringitur. Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Fibulatoria majora, & minora quinque.* Item in Gregorio III: *Amullas superauratas (paria duo) pendentes; fibulatoria numero quinque.* Imò & posterioribus Græcis inde φιβλατώριον, quod Suidas exponit φιβλατώριον Περσικὸν ἀμίκυλον Persicum.

Fictitius, etsi vulgare, haut facilè dixero; sed *fictus*, vel *commentitius.*

Filia-

Filiaster, pro privigno, in glossis Isidori, & Onomastico, ac, glossis vett. ubi exponitur, πρόγονος. Nempe ut *philosophaster*, & *parasitaster*; qui imitatur philosophum, vel parasitum: sic *filiaster*, qui naturâ non est filius, sed quadam ratione eum imitatur; quia vitricus in patris, ac noverca in matris venit locum. Fulbertus epist. XXXIII: *Siquis filiastrum, aut filiastram suam, ad confirmationem tenuerit; separetur ab uxore, & alteram non accipiat.* Imò & in Concilio Moguntino I can. LVIII legas: *Siquis uxorem viduam duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit; —— disjungi præcipimus.* Cujusmodi connubium etiam interdicitur Concilii Illiberitani can. LXVI. Imò & Romanis fuisse Legg. prohibitum, docet Pomponius J. C.

Fiola, ampulla vitrea ad liquorem aliquem continendum; à Latino *phiala*, quod ἀπὸ τοῦ πιεῖν, quia vinum, potumve alium, eo conservarent. Matth. Parisius in rebus an. CIƆCCIV: *Quod miles quidam extraheret de armario suo fiolam unam, in qua posuerat de oleo illo, quod de iconia† Dei genetricis apud Sardenai distillat. Sed cum diligenter fiolam illam inspexit, in qua oleum reposuerat lucidissimum, & velut aqua fontis perspicuum; apparuit in ea oleum incarnatum.*

† Icone, seu imagine.

Firmaculum, pro *firmamentum*. Joachim Abbas prologo in Apocalypsin: *Domum illam spiritualem, in qua, multis obsecrata firmaculis, Scripturarum intelligentia clausa est, intrare satagimus.* Sic sanè editio Veneta anni CIƆ IƆ XXVII. Sed quid si pro *obsecrata firmaculis* Joachim scripserit *obserata signaculis*? Sic arbitror. Interim & id verum, iis temporibus à firmando similiter *firmaculum* dixisse fibulam, quâ latera vestimenti connecterentur. Matthæus Parisius ad an. CIƆCCL: *Ipse Archiepiscopus capam illam pretiosam, qua Subprior indutus erat, dilaceravit, & firmaculum, quod vulgariter morsus dicitur, avulsit.* Utitur & alibi non semel.

Firmatorium, quo quid firmatur. Petrus Blesensis serm. VI: *Adde ergo libro, quasi firmatorium, gratiam Dei; quæ præsto est omnibus, si consentiant.*

Firmatura, pro firmamento, est in Chronico Cisterciensi †.

† Pag. 64.

Fiscalinus à fiscalis, uti hoc à fiscus. Dictus verò *fiscalinus*, tum fisci patronus, sive ille, cui fisci cura; tum is, de quo cura est fisco, sive fisci patronus: ut in Digestis, *fiscalis debitor*, vel *ancilla*. Sic in Constitutionibus Caroli M. habes *, *fiscalinos regios*, & *fiscalinas regias*. Atque id ipsum caput habes in Capitularibus Karoli M. & Ludovici Pii lib. III cap. XVI. Aimoinus de Gestis Francorum lib. III cap. XLII: *De fiscalinis ortus servis.* Hincmarus de translatione S. Remigii: *Fiscalini, nimio terrore perculsi, non putarunt, se vel unâ horâ vivere posse.* Similiter Flodoardus Historiæ Remensis lib. I cap. XX. At *fiscalis* rectiùs in Concilio Pisano II: *Procuratorem nostrum fiscalem in Ducatu nostro Mediolanensi.*

* Pag. 305. edit. Mogunt. an. 1602.

Firnibus inter Latinobarbara non reponam: licet apud Leonem Marsicanum sive Ostiensem sit lib. III cap. XLVI: *De omnibus firnibus, ac pertinentiis.* Planè enim censeo, *finibus* legi oportere.

Flabellus, pro *flabellum*. Anonymus in vita præceptoris sui S. Fulgentii, Ruspensis episcopi, cap. XIV: *Nam & scriptoris arte laudabiliter utebatur, & palmarum foliis flabellos sæpissime contexebat.*

Flabarius, custos porcorum: ut exponitur in Isidori glossis. A *flabris* vox esse videtur. Sed cur inde subulcis sit nomen, non video. Variè conjectat Martinius: sed, quod pace ejus dixerim, nihil adfert, in quo acquiescam.

Flabri, fabulosi, ventosi: ut est in glossis Isidori. Nempe quia venti, atque ostentationis ergo, inanes flant glorias. Ut à facere, *faber*; sic a flare *flaber*. Sed non arbitror, eam vocem alibi reperiri.

Flamonium, pro *flaminium*, sive flaminis honos, vel dignitas, vel sacerdotium. Sidonius Apollinaris lib. V epist. VII: *Hi sunt, qui invident tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuscula legatis, portoria quadruplatoribus, prædia provincialibus, flamonia municipibus, archariis pondera*, &c. Ubi *flamonia* se in cunctis & MSS, & editis, invenisse, Savaro ait. In veteri etiam lapide Albæ-Juliæ est †: L. FLA. VALENS OB HONOREM FLAMONII B. D. P. Apud Wolfangum Lazium & alterum lapidem habes ex ruinis Ulpiæ Trajanæ, & inde apud Gruterum in Inscriptionum opere *. Firmat quoque Isidorus in Glossis MSS. *Flamonium, honor, qui datur Flaminibus.* Huguitio: *Flamonius, honor Pontificalis.*

† In Gruterianis Inscriptionibus pag. 195. num. 5.

* Pag. 254. num. 5.

Florenus, nummus aureus, primitus à Florentinis cusus, ac floris signo insignitus; unde & nomen. Albertus Argentinensis in Chronico: *Annuatim debent præsentare ad cameram Papæ unum marmotinum, hoc est, denarium aureum; qui bene noscitur à curia, & est minoris, quàm parvulus florenus de Florentia.* Græci postremis seculis inde φλωρίον vocarunt: quod ex Phranze, Malaxo, & aliis, Meursius in Glossario ostendit. Italis est *fiorino*. Gallis etiam olim florenus suus, inde *Franc* dictus. Item Anglis ex auro nobilissimo: unde *Nobilis* vocatus, ab Eduardo III anno cusus CIƆCCCXLIV; circa quod tempus institutus ordo Georgianus, sive periscelidis: ut & inde *Georgiani Nobiles* Spelmanno dicti videantur.

Foculare, ἐσχάριον, locus, ubi extruitur focus. Legg. Longobard. lib. I, tit. XIX, leg. II: *Siquis focum super novem pedes à foculare portaverit, & damno ex ipso foco sibi, aut alteri, factum fuerit.* Legas etiam in Constitutionibus Siculis, sive Neapolitanis, lib. I. tit. C.

Folleralis, minutum nummi genus, apud Marcellinum Comitem legas in Chronico: *Nummis, quos Romani Teruntianos*, (perperam vulgo *Terentianos*) *Græci follerales vocant, Anastasius suo nomine figuratis, placabilem plebi commutationem distraxit.* Nempe quia duodecim follerales siliquam conficerent, plebi, ob exiguitatem pretii, valde in commutando utiles erant.

Follex in vett. glossis exponitur, tum θύλακος, saccus scorteus, sive pelliceus; tum καμίνου ἀσκός, camini uter. Et sanè possit *follex* videri contractum ex θύλακος, θ in φ transeunte: quomodo à θύω est Latinum *fio*, unde *suffio*, & *suffitus*; à θῦμα, item *fumus*: à θήρ, φήρ, unde *fera*. *Follex* non memini me legere extra glossas. Sed *follicum*, juxta emendationem Salmasianam †, est apud Cornificium lib. I: *Et damnato statim follicum lupi in os, & solea ligneæ in pedibus inducta sunt. In carcerem ductus est.* Ita libri vett. De Verbis *follico*, & *folleo*, dicam in verbis.

† Ad Tertullianum de Pallio.

Folonitia, *vanitas*, ut exponitur in Glossis Isidori. Ac in veteri etiam Dictionario legas: *Follicia, vel folleritia, vanitas, superbia, stultitia.* Bon. Vulcanius conjectabat, *folonitia* esse corruptum ex φιλονεικία. Sed omnino est à follibus vani aeris plenis. Unde & Italis *follia*, Gallis *folie*, vanitas. Vide *Follico* in Verbis.

Foralis, pro *forensis*. Gregorius M. epist. LXXII: *Caussas enim prædicta femina, sive sint, sive fuerint, nostro volumus judicio terminari, ut foralis illi inquietudo submoveri debeat, & tamen à judicii justitia nullatenus excusetur.* Item epist. LXVII: *Studii nostri esse condecet, à litigiis moralibus submovere; ut divinis ministeriis pie, ac sollerter, invigilent.*

Foraminatus, pro perforatus. Sidonius lib. I epist. V: *Nauticis cuspidibus foraminato fundi glutino sordidaretur.* Idem lib. III epist. III: *Alii casim, atque punctim, foraminatos circulos loricarum trivescentibus digitis metiuntur.*

Forasticum, à *foras*, pro eo, quod foris fit, sive ab illis, quos τοὺς ἔξωθεν Græci nuncupant: uti sunt gentes, sive nationes, quos & *paganos* dixere. S. Bonifacius epist. III: *Nam cum talibus, & cum paganis, & cum permista, & cum plebeia multitudine, nostri labores, & pugna forastica videntur esse.* His mox opponit fideles, sive Ecclesiæ filios. Sic enim scribit: *Intima verò, quando quis de gremio matris Ecclesiæ presbyter, vel diaconus; ecclesiasticus, vel monachus; discedit à fide, & veritate.*

te. Unde satis clarè elucet, *forasticos* opponi fidelibus à fide deficientibus.

Foraticus, à *foras*: unde & *forasticus*, de quo vidimus. Legas in præcepto Dagoberti de mercato S. Dionysii: ubi de iis agens, unde tributum ad fiscum redit, inter alios jungit, *pulveraticos*, *foraticos*, *missaticos*, *laudaticos*, *saumaticos*, *salvaticos*. Lindembrogio videtur signare tributum, quod in L L. Longobardicis *transitorium*, vel *tractorium* vocatur: uti hodieque Gallis *traicté foreine*.

Forfactum est quidem è Gallico *forfaict*: sed hoc ipsum est è *forefactum*: quod sic dicitur, quasi *foris-factum*. quomodo vocat Eadmerus, monachus Cantuariensis. Ponitur universè pro gravi delicto, ac propriè quidem pro eo, cujus ergò aliquis fit foris; hoc est, amittat privilegium, vel etiam jus aliquid exigendi, sic ut non necesse habeat alter solvere, quod debeat. Ut apud Matthæum Parisium in an. CIↃ CCXIV: *Catalla eorum, qui sunt in foris-facto Regis.* Literæ * Officialis Cameracensis, & aliorum, de miraculo S. Pharaildis, datæ anno CIↃ CCC XLII: *Illa verò videns, hos panes conversos in lapides; geniculando veniam à Deo, sanctâque Pharailde, de forefactis suis petiit.* Ubi generatim sumitur pro peccato. Est alioqui, cùm ponatur pro mulctâ pecuniariâ, ob delictum irrogatâ. Ut in legibus Burgorum, quas tulit David primus ejus nominis Scotiæ Rex cap. XLII: *Foris-factum in burgo non excedit octo solidos.* Item cap. LXXI: *Qui aliter faciendo convictus fuerit, dabit plenarium forusfactum.* Et cap. LXXIV: *Castigetur per baillivos burgi pro forusfacto suo primo, secundo, tertio.* Et cap. LXXXVIII: *Dabit octo solidos ad forisfactum.* Et alibi iisdem legibus sæpe. Nec *forfactum* modò dicitur, sed & *forefactura*: quod est apud Rogerum de Houeden Annalium T. II †, item Ludovicum XI Gall. Reg. in Edicto, *Ne aliena*, &c. Vide plura inferiùs in Verbis, voce *Forefacere*.

* Apud Bollandum in Vitis S S. ad 4 Jan.

† Pag. 609.

Forjudicatio quid sit, liquebit ex iis, quæ in Verbis dicam de *forjudicandi* voce.

Formaria, una è sanctimonialibus senioribus, sic dicta, ut puto, à formandis moribus, sive quia curæ illi, nequid adversùs formam, ac leges cœnobii, peccaretur. Regula S. Cæsariæ * à fratre ejus S. Cæsario, Arelatensi episcopo, exarata, cap. VII. §. LXXIX: *Siquis verò germanam suam, vel filiam, aut quamlibet parentem, aut sibi cognatam, videre voluerit, præsente formariâ, vel qualibet seniore, ei colloquium non negetur.*

* Apud Bollandum ad 12 Jan.

Formaticum, unde Gallicum *fourmage*, legas in Ordine Romano de divinis Officiis, cap. de die Sabbathi sanct. Paschæ †: *Eodem die dominus Papa, & cæteri Romani, ova manducant, & formaticum, id est, caseum.* *Formaticum*, & Gallicum *formage*, quod nec Gaza refugit in tertio de Histor. Animal. cap. XX: Verba ejus sunt: *Cùm enim ex amphorâ lactis caprini formaginos obolâ undeviginti conficiantur.* Sic habet prima editio Veneta CIↃ CCCC LXXVI. Græcè est τυροφαλίδας ὀβολιαίας. Cæsar Scaliger vertit *caseolos obolares*. *Formagines* verò ex eo dicuntur, quòd lacte siccato formam suam accipiant à vasis genere, quod *formellam* vocant. De hoc nunc dicam.

† In Auctario bibliothecæ S S. P P. col. 84.

Formellas casei legas apud vulgatum Scripturæ interpretem I Reg. sive Sam. cap. XVII. 18. Est verò vasis genus, quo formatur, ac figuratur caseus. Superiorum seculorum versiculus est:

Caseum exiguum dat, quod formella figurat.

A forma, formula, formella; ut à *cista*, cistula, cistella.

Fornata, pro furnata, hoc est, panis in furno coctura. Matthæus Parisius in vita Garini, sive Warini, XX abbatis S. Albani: *Concessimus eis primum panem, & ultimum, de qualibet fornata Curia nostra.* Belgis *van elken back*.

Fortalitium, quod veteribus *propugnaculum*. Elmhamus, Prior de Lenton, in gestis Henrici V. Angliæ Regis:

Ad fortalitii facti, murique cacumen,
Hostes portabant dolia, ligna, petras.

Usurpat & Nicolaus Lyra in Daniel. IV. 27. Etiam *fortele-tum* pro eodem in Latinobarbaris invenias. Item *fortia*. Ut apud Bekam in vita Godevini, Episcopi XXVIII: *Hic insuper episcopus, pro sempiterna suæ laudis memoria, superædificavit B. Martino quatuor fortia.* Sic Gallis *forteresse*, Belgis *fortresse*: nec multùm abeunt vox Italica, Anglica, Hispanica. Aliàs *fortia*, sed genere muliebri, vis, ac præcipuè injusta; ut in legg. Bojoar. Tit. II cap. X §. I: *Per consilium malignorum, vel per fortiam.* Et L. Ripuar. Tit. XI §. IV: *Siquis regio homini, aut Ecclesiastico, de quacunque libetre, fortiam fecerit, & per vim tulerit, in triplum componat.* Marculfus lib. I form. XXVIII: *Eo quod terram per fortiam tulisset, & post se retineat injuste.* Hinc *defortiare*, & *disfortiare*, & *defortiatores*: ut dicam in verbis. Imò est cum & *fortiam* pro fortitudine posuerint. Ut legg. Bajoariorum Tit. XI cap. V: *Cui Deus dederit fortiam, & victoriam.* Ubi in bonam partem accipi videmus: uti quandoque *virtus* in malam: de quo dicemus lib. IV in vocibus alienâ positis significatione.

Fortia, vide, de quo proximè dixi, Fortalitium.

Fortunium quid sit, indicat hoc Matthæi Parisii in an. CIↃ CC XLI: *Hastiludium, quod vulgariter fortunium, imo potiùs infortunium, appellatur.* Et anno eodem: *Ipsi torneamento interfuisti, & sophisticè fortunium appellasti.* Quasi nempe magis illic fortuna dominetur, quàm virtus.

Fossorium, pro ligone: ut in vita S. Godhardi cap. X: *Secures, & fossoria accipiunt.* Item apud S. Audoënum in vita S. Eligii, parte eâ, ubi de inventione ejus corporis *: *Mox ut terram sarculo sculpere (al. cavare) cœpit, manubrium fossorii manibus ejus subasit.*

* Apud Bollandum ad 3 Jan.

Fragus in Isidori Glossis exponitur *recurvatio poplitis, quæ & suffraginatio.* Ἔτυμον adducit vetus dictionarium: *Fragus, curvatio genuum, vel ipsum genu: & dicitur à frango, quia videtur ibi os fractum.*

Frigefactivum, pro *refrigerans*, quod vim habet frigoris. Agellius *frigorificum* pro eo, lib. XVII cap. VIII.

Frigoreticus, vel *frigoriticus*, barbaris est frequens, pro *febricitans*: videlicet quia febris adfert rigorem, ac frigus. Usus eâ voce Gregorius Turonensis lib. V Histor. Franc. cap. X, & lib. I de Gloria Mart. cap. VI, deque Gloria Confessorum cap. XV, & XVI: item lib. I Miraculorum S. Martini cap. XXXVIII, & lib. IV cap. XXXVII. Item Frodoardus Histor. Rhemens. lib. II cap. XIV: *Frigoritici quidam, cum fide venientes, candelam in votis afferunt, & abrasum sepulcri pulverem sumunt; quem aqua mixtum bibunt; & sanitatem hujus sancti Rigoberti meritis adipiscuntur.* Item usus lib. IV cap. XLIV. Adhæc Baldericus Noviomensis Chronici Cameracensis lib. I cap. LV: *Frigoritici, atque diversis ægritudinibus occupati venientes, optatâ merentur sanitate donari.* Hepidamnus, sive Hepidannus, in vita S. Wiboradæ virginis: *Frigoretico morbo non modicè vexabatur.* Translatio † S. Rigoberti, Rhemensis archiepiscopi, cap. I §. V: *Siquis aliquando ex frigoreticis, aut acerrimo dentium dolore vexatus, cum fide accessit, mox remedium sensit.* Sic & *frigoritio*, pro frigore febricitantium. Gregorius Turonensis lib. III de Miraculis S. Martini cap. ult. *Dato igitur mane rediit ad propria; nec ultrà, ab hoc morbo frigoritionis, vel confractionis ullius, pertulit gravitatem.*

† Apud Bollandum in Vitis S S. ad 4 Jan.

Fritium dentibus est apud Plinium Valerianum lib. I cap. XXXVI, pro *dentifricio*; sive, ut Appulejus describit, *mundicinis dentium, tenui, candifico pulvisculo.*

Frixorium, pro patella, in qua frigiuntur carnes, ut probum agnoscitur ab Hadr. Junio in Nomencl. Ac lego apud scriptorem vitæ S. Laurentii episcopi Dubliensis cap. XII: *Caro velut in frixorio coqueretur.* Cum Plinio malim pro eo *sartago*.

Frontaria (unde Gallis *frontiere*, quod & Belgis in usu) sunt limites regionum, ex eo, quòd, frontis instar, primò in conspectum veniant.

Fuco, qui fucum alteri facit, illusor, adulator. Gloss. vett. *Fuco*, ἐρζίμων.

Fugela à *fugio*; ut à *suadeo*, *suadela*; à *tutor*, *tutela*, Abbo dixit Cann. de Obs. Luter. Sed vel est novum, vel obsoletum: uti quoque *acutela*, & *custodela*; quæ Priscianus agnoscit lib. v *. Classici semper *fuga*, non *fugela*.

* Non longe ab initio.

Fugitivarius, qui fugitivos persequitur: unde δραπετικός exponitur in vett. Glossis. Est à *fugitivus*; quâ formâ à primus *primarius*, à plenus *plenarius*.

Fugitiosus, exul, fugitivus. Gloss. Cyrillo tributæ: φυγάς, *fugitivus*, *exculaticius*, *fugitivosus*. Ut ab ebrius, *ebriosus*; sic à fugitivus, *fugitivosus*.

Fulciatorium, pedum, seu virga, vel baculus, quo viatores se fulciunt. Vita S. Deicoli cap. III §. XIV: *Fulciatorio, quo utebatur, terram paullatim egerens, subitò fideli famulo suo largam fonticuli undam donavit.* Pro eo apud Vincentium Bellov. est *fulcitorio*: & magis ἀναλόγως: nempe à *fulcitum*, pro quo τῇ συνηθείᾳ *fultum*, unde *fulcrum*.

Fulgetrudo, pro fulgore. Vita † S. Boniti, episcopi Claromontani in Gallia, cap. IV. §. XVII: *Apostolorum aula non minùs interea fulget, quasi nota trigona: Sanctorum altaria nitent: contra hinc indeque geminata connectlant columnæ priscorum sculpta fulgetridine emergunt.* Ubi, Bollando teste, in Sirmondi Mso est, *fulgretine*. Puto, pro *fulgredine*. Ut vulgò pro *nigror* dicitur *nigredo*: sic, quasi *fulgror*, pro *fulgor*, diceretur; fecere *fulgredo*. *Fulgetrido* autem fuerit pro *fulgetrudo*. R in hisce insertum; quâ formâ à *fulgore* est *fulgetrum*.

† In vitis Sanctorum ad 15 Jan.

Fulgitrua, pro *fulgetra*, est apud Hyginum fab. CLXXIII. Quamquam is liber non tam sit Hygini; quàm epitome ejus ab Anniano, sive Avieno: ut ex Mso observatum Barthio lib. VI Adversar. cap. XII.

Fulina, in Glossis Isidori, exponitur culina: ut *fulinarius*, coquus. Nempe est à fuligine, quæ culinam obsidet. Vel ut *fuligo*, quasi fumiligo, quia est fumus condensatus; sic *fulina*, quasi fumilina: à *fulina* autem *fulinarius*.

Fundibula, σφενδόνη, funda. Unde *fundibularii*, σφενδονῆται, sive σφενδονιῆται. *Fundibula* habes apud veterem interpretem I Maccab. VI. 51: alterum autem II sive IV Reg. 15, Judith. VI. 8, & I Maccab. IX. 11. Pro *fundibularius*, *fundibulator* est apud Vegetium lib. III cap. XIV: sed non possis istic accipere pro funditore, quia sociantur *fundibulatores*, & *funditores*. Quare assentio Stewechio, qui è Mso legendum censet *fustibalatores*: nempe ut sic dicantur à fustibala: & firmat hanc sententiam, quòd ibidem fustibalam describat Vegetius. Favet & Modestus. Fuerit ea vox à *fustis*, & βάλλω. At Glossæ: *Fundibalus*, λιθοβόλος. Imò & apud Isidorum legas lib. XVIII cap. X: *Balista, genus tormenti, ab emittendo jacula dicta. βάλλειν enim Græcè mittere dicitur. Torquetur enim verbere nervorum, & magnâ vi jacit, aut hastas, aut saxa. Inde & fundibalus, quasi fundens, & emittens.* Ita & editi, & Mssi nostri. Metuo autem, ne corruptâ lectione deceptus sit Isidorus; incideritque in codices Manuscriptos, ubi pro *fundibulo*, vitiosè *fundibalo* esset exaratum.

Fundulus barbaris vocatur piscis, qui Germanis *grundling*, Belgis *grondel*. Nempe quia adhæret fundo, qui nobis dicitur *gronds*. Ac similiter inde efficta vox *funduli*. Omnino autem rectiùs hunc piscem *gobium fluviatilem* dixeris cum Ausonio. Quod & Hadriani Junii judicium est.

Furabula, noctes illunes, furibus, ut lateant, peropportunæ. Glossæ Isidori: *Furabula*, *tenebra*.

Fursuraculum, Græcè τρύπανον, hoc est, terebra; instrumentum nempe, quo ligna perforantur. Imò à perforando priùs fuit *perforaculum*, unde, corruptâ voce, *fursuraculum*: de quo Salmasium adi ad Solinum.

Fursurco, avis genus furfure pasci solitum: ut ex Isidoro cognoscimus lib. XII Orig. cap. VII. Similiterque dictionarium vetus.

Fusionaticum in Philoxeni glossis exponitur ὑλισμός. Videlicet ut à *fœdere*, *fœderaticus*; à *pulvere pulveraticus*: sic *fusionaticum* à *fusione*. Glossæ eædem, *Fusio*, ὑλισμός. In Glossis Cyrillo tributis ὑλίζω exponitur *liquo*. Nimirum ὑλίζειν est colare, sive defæcare, transfundendo per colum, quod Græcis ὑλιστήρ. Pro *fusionaticum* etiam legas *fusionaliticum*; nempe quâ formâ dixerunt *fortalitium*.

Fustibala, & *fustibalator*, vide in *Fundibula*.

Cap. XIII.

Proximè proferuntur à litera G. capta. Galerium, *galerus*. Gamba, *tibia commissura cum pede*; *unde* campagus, *calceamenti genus*: *ac utrumque esse Græcæ originis.* Gammadium, *vel* gammadia, *vestis insignis figuris literam gamma referentibus.* Gannatura, *nisi potius* gannitura; *quando quis alteri obgannit, eumque ludos facit.* Gastrum, *vas ventricosum.* Gaudebundus, *gaudio affectus.* Gaudialis, *pro lætus.* Gaudimonium, *gaudium.* Gavisorius, *lætus.* Gazetum, *vini optimi genus, è Gaza Palæstina.* Gemelliones, *urceoli formâ gemelli, ac similes.* Generalitas, *universitas.* Generamen, *germen.* Generatorium, *generandi facultas.* Graduale, *quod, post lectam epistolam, canitur, dum diaconus se præparat ad legendum, seu canendum Evangelium.* Graduatus, *honoris gradum consecutus.* Græcosonus, *Græcè sciens.* Granatarius, *frumenti præfectus.* Gressibile, *gradiens.* Grossitudo, *crassities, magnitudo: ut* grossus, *crassus, magnus; item nummus in pecuniariis minutiis majusculus.* Guasta, *vastatio, depopulatio.* Gulositas, *gula intemperantia.* Gutteria, *pro gutturis vitio.* Gutturnosus, *qui hoc vitio laborat; unde vitium ipsum* gutturnositas. *Atque obiter dictum*, ponderositatem *esse genitalium vitium.* Guva, *cucurbita: deque isto Isidori locus emendatus. Ubi & de* spathomele, smilaria, ancistro.

VOcat nunc me sequens consonans.

Galerium, capitis tegumentum, corruptum ex Latino *galeri* vocabulo. Marchisinus de Bajadon, qui ante tria secula fuit, in Appendice S. Oderici de Peregrinatione sua: *Depositoque galerio capitis sui* (Rex) *humiliter deosculabatur crucem.* Ac postea: *Istud galerium, quod ob reverentiam deposuit, prout audivi à fratre Oderico, ex gemmis, & perlis pretiosis, factum est.*

Gamba Vegetio, in rei Veterinariæ opere, non quidem *crus* notat, uti Gallis; etsi id Casaubonus putârit: sed commissuram tibiæ cum pede, ἀπὸ τῆς καμπῆς, quia illic flexus est. Atque inde *campagus*, calceus patricius, ac Senatorius. Nempe à καμπὴ est ὁ κάμπαξ καμπακος; unde καμπάγιον. Usus *campagi* voce Julius Capitolinus in Maximinis, & Trebellius Pollio in Gallienis. Vide Meursium in Glossario, voce Καμπάγια; quæque summi viri, Casaubonus, & Salmasius, annotarunt ad Historiæ Augustæ scriptores.

Gammadium, vel *gammadia*, è stichariorum genere; vestis nempe patriarchalis, & episcopalis. Nec solùm vestis sic dicta; sed etiam in eâ formæ triangulares, quibus insignirentur. Anastasius in Leone III: *Fecit vela serica de prasino quatuor, habentia tabulas de chrysoclavo, cum effigie Christi, & in medio cruces, & gammadias de chrysoclavo cum orbiculis, in quibus sunt imagines Apostolorum.* Item: *Ante vestibulum altaris posuit arcum, & gammadias duas, pensantes simul libras centum, & semis.* Item: *Gammadia duo, & columnas argenteas octo.* Adhæc: *Tabulas chrysoclavas quatuor cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclavas quatuor.* *Gammadium* verò dicebatur à formis triangularibus auro in veste expressis, figuram literæ γάμμα referentibus. Sanè *gamma*, pro figura hac triquetra, sed in re agrariâ, etiam dixit Siculus Flaccus de Condit. Agror. *Aliquando etiam petras occurrentes in finibus notatas invenimus; quasdam, si perseveraret rigor, notas habentes; in versuris verò gammas, sed spectantes suos rigores.*

Gan-

Gannatura legas apud Aldhelmum de laudibus Virginitatis: *Sed quid mirum, si Apostolorum oracula, & magistrorum scita, præfatas frivolorum nænias abominantur; cum etiam gentiles gentilibus, & pagani paganis, quasi ridiculosum subsannantis gannaturæ opprobrium, leguntur improperâsse hoc modo, cum infami proverbiorum elogio cachinnantes, ac cavillantes?* Ac ante eum sic Rabanus Maurus lib. I de institutione Clericorum cap. III: ubi caussas memorans, cur tonderentur clerici, postremo hanc loco adfert: *Ut idem Apostolus, suique successores, & sesquipedes, ridiculosum gannaturæ ludibrium in populo Romano portarent.* Ludovicus de la Cerda, in Adversariis Sacris cap. CXXXIV, *gannatura* exponit *turpe lucrum*: sed perperam, ut puto. Omnino enim legendum *gannitura*; quod sequioribus seculis à *gannitu* formarunt, ad modum, quo à *positu*, *positura*; à *mensu*, *mensura*. De sannis enim, & improperiis, ac cachinnis, loqui liquet. Ut voce eâ sic utatur, quomodo Phormio apud Terentium de Nausistrata ait, ac Chremete:

Habebit hac ea, quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.

Gastrum, vas vitreum cum fundo angusto: ut est in glossis Arabicolatinis. Est à Græco γαστὴρ, venter, quia vas ventricosum. Sanè γάστρα tum fundus vasis, tum cavitas ejus; teste Eustathio.

Gaudebundus, pro gaudens; quâ formâ dicimus *ludibundus*, *populabundus*, & similia. Acta S. Martinæ † cap. IV. §. XXXI: *Alexander vero subitò gaudebundus effectus.* Hoc est, eo perfusus gaudio, quòd B. Martina Diis sacrificaturam se diceret. Multò etiam antè usus Appuleius lib. VIII Metam. *Futuræ soboli novorum maritorum gaudebundus.*

† In Vitis S S. ad 1 Jan.

Gaudialis sæpius apud eundem Appuleium legas, pro re læta, vel potius, gaudium afferente. Quando etiam Cicero in Tusculanis, sed, Stoicorum more, subtilius inter gaudium ac lætitiam distinguit. Nempe lætitia etiam vultu, & gestibus, interius gaudium testantur foris.

Gaudimonium, pro *gaudio*, apud veterem Bibliorum interpretem Baruch IV. 34: *Et amputabitur exultatio multitudinis ejus, & gaudimonium ejus in luctum.* Græcè est χαρμοσύνη, quo significatur vana exsultatio, ac jactantia.

Gavisorius, pro lætus. Liber de Miraculis S. Adelardi, Corbejensis abbatis *, cap. VIII §. XIX: *Resonat tota Ecclesia vocibus gavisoriis: nemo in ea cessat à laudibus, & hymnis.*

* In Vitis S S. apud Boll ad 2 Jan.

Gazetum, & *Gazeticum*, nobile vini genus, à Gaza, Palæstinæ civitate, optimi vini ferace. Corippus in III:

—— *Et dulcia Bacchi*
Munera, quæ Sarepta ferox, quæ Gaza creârat.

Isidorus lib. XX Originum cap. III: *Gazetum à regione, unde deferunt. Gaza enim oppidum est Palæstinæ.* Sanè parum Latina formatio. Nam à *Gaza*, vel esset Gazæum, Γαζαῖον, ut à Ῥώμη, Ῥωμαῖος; vel Gazanum, ut à Roma Romanus, à Sparta Spartanus. Nullum verò gentile in *etus*, vel *etum*, desinit. Atque ideo *Gazetum*, unde *Gazeticum*, formatione barbarâ factum puto. Sidonius Apollinaris carm. XVII:

Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sareptano palmite missa bibas.

Cassiodorus lib. XII Var. Epist. XII: *Nam licet* (Palmatianum) *inter vina Brutia videatur extremum: factum tamen est penè generali opinione præcipuum. Ibi enim reperitur & Gazeto par, & Sabino simile, & magnis odoribus singulare.* Gregorius Turonensis de Gloria Confess. cap. LXV: *Mulier per annum integrum ad hoc templum degens, assiduè orationi vacabat, celebrans quotidie missarum sollemnia, & offerens oblationem pro memoria viri, non diffisa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem, in die, qua Domino oblationem pro ejus anima delibâsset, semper sextarium gazeti vini præbuit in sacrificium basilicæ sanctæ. Sed subdiaconus nequam, reservans gulæ gazetum, acetum vehementissimum offerebat in calice, muliere non semper ad communicandam gratiam accedente.*

Gemelliones vasa, &, ut puto, urceoli ejusdem generis, ac formâ similes, ut fere solent gemini fratres. Anastasius in Leone tertio: *Obtulit gemelliones octo, pensantes singulos libras duas.*

Generalitas subjectorum vobis servorum Dei, est apud Cuthbertum epistolâ ad Lullum; quæ septuagesima est in farragine epistolarum S. Bonifacii. *Generalitas servorum*, pro servi universi, vel servorum universitas. Sanè *universitas* est ipsius Tullii. Nec tamen *generalitas* absurdè formatum; cùm ejusdem Ciceronis sint *generalis*, & *generaliter*.

Generamen, à generando; pro *germen*, quod à generando, quasi *genimen*; ut à canendo *canimen*, unde *carmen*. *Stirpis generamina* legas apud Aldhelmum de Virginitate.

Generatorium, τὸ γεννητικὸν, sive generandi facultas. Usus Ambrosius libro de Noë, & arca: *Non est dubium, quin rationabile animæ nostræ in quinque sensus dividatur, & vocem, & generatorium.*

Graduale à gradibus formatum. Nec in re nova novum aspernor vocabulum. Sic dixere, non quòd canatur in gradibus altaris; ut Durandus tradit lib. IV cap. XIX: sed quòd cantetur, dum diaconus gradus ambonis, sive pulpiti, adscendit, ut legat Evangelium: sicut est apud B. Rhenanum ad Tertullianum de Corona Milit. & Bellarminum lib. II de Missa cap. XVI. Ac veteres si malis, sic Rabanus lib. I de Institut. Clericorum cap. XXXIII. Quis graduale instituerit, ac de eo alia, vide apud Joan. Steph. Durantum de ritibus Eccl. lib. II cap. XX.

Graduatus vulgare est, & quin barbarum sit, nemo dubitat. Pro eo autem dicendum, in gradu aliquo dignitatis constitutus: vel supremâ in juris, aliâve scientiâ, laureâ ornatus.

Græcosonus pro Græcisonus, vel Græcè sonans, sive loquens (si recta est emendatio nostra) dixerit Luitprandus in Legatione sua ad Nicephorum. Verba ejus adduximus lib. II cap. VIII. Vulgo legitur *Græcolonus*: quod Græcæ linguæ peritum exponit Ludovicus de la Cerda in Adversar. Sacr. cap. CXXI. Videtur putâsse, sic dici, quasi colonus è Græcia. Sed sic *Græcolonus* diceretur. Mihi quin corruptè sic legatur, dubium non est. Error ex eo, quòd in MSo inferiori parte *s* exoleverit, ita ut *l* videretur.

Granatarius, pro *frumenti præfecto*, apud Petrum Mauritium Statutorum Cluniacensium can. LXIV. Videlicet ex eo, quòd *grana* κατ' ἐξοχὴν pro frugum granis usurparent.

Granica, horreum, à *granis*; unde & Gallis vocatur *grange*. Legg. Bojor. Tit. I. cap. XIV, §. V: *Fœnile, granicam, vel tunicum.* Formularum veterum codex, qui in Bignoniana editione postremus, cap. XIII: *Eo quod cellaria, vel camara, & granica, quicquid in eis habuit repositum, commendâsset.* Sanè & *Granata*, regia Bæticæ civitas, ex eo sic dicta, quasi *horrei domus*. De quo Ferdinandus Mendoza, Præfat. Comment. in Concilium Illiberritanum †. Nempe inde nomen, & *granicæ*, & in Hispania *Granata*, quòd *grana*, pro granis frumenti, dicerent: ut in *granatarius* proximè vidimus.

† Pag. 3.

Gressibilis, pro gradiens, Latinum non est, etsi pervulgatum.

Grossitudo corruptum ex *crassitudo*, pro crassitie: ut *grossus* dixere, pro *crassus*: qua de re monitum lib. I cap. XIII. Præterea verò, quia quæ crassescunt, & intumescunt, ea fiunt majora: (unde & Germanis *grosz*, Belgis *groot*, pro magno) *grossitudo* quoque pro *magnitudo* usurparunt. Lex Salica Tit. XLII, §. VIII: *Minimi digiti grossitudinem.* Cæsarius lib. I Miracul. lib. I cap. I: *De robore, aut grossitudine, non caussantur monachi.* Usus & Turocius Chronici Hungarici lib. I. At *grossus* sic, uti dixi, usurpat Turpinus de vita Karoli M. cap. XX: *Brachiis, & cruribus grossis.* Ivo in Chronicis: *Fere & cupro ea circumdans quinque pedes grosso.* Præterea Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. III cap. XXXII, Petrus Blesensis serm. VIII, B. Bernardus epist. CCIX, item S. Hildegardis in vita S. Roberti, seu Ruperti Confessoris. Et Arnaldus, Ordinis S. Francisci, in vita B. Angeli de Fulgi-

nio in prologo secundo; ubi nunc *grossi oculi*, nunc *grossi radii*, legas. Comes S. Pauli, epistola quadam apud Godefridum monachum S. Pantaleonis: *Exercitum nostrum conclusimus grossis palis.* Nec dubito, quin, uti monebamus, à *crassus* esse Germanicum *groos*, sive *grosz*; ita ex *gros* fit *grof*. Nam *cruribus grossis*, valet *groot en grof van beenen.* Cave autem putes, sic jam circa annum quadringentesimum locutos esse homines elegantiores. Scio, vulgò apud B. Augustinum legi in libris adversus Julianum Pelagianum demum ante annos xxv editis, curâ Claudii Menardi. Nam priori libro reperias*: *Sed malui grossiùs, quàm scrupulosiùs, definire.* Posteriori libro cap. LVIII†: *O grosse Dialectice.* Verùm non dubito, quin Augustinus priori loco *crassius*; altero, *crasse*, scripserit. Nec enim aliter uspiam loquitur, vel alius ejus seculi, vel proximi etiam, quisquam. Sanè posteriorem etiam censeo Plinium Valerianum; qui nec refugit *grossior*, pro *densior*. Quemadmodum & *grossum linteum*, ac *cribellum*, idem dixit lib. I cap. LV, & XXXVIII. Cæterùm à magnitudine etiam dimidiæ partis stuferi, comparando eam cum minutiis pecuniarum, dixere Germani *gros*; uti Itali *grossone*, Hispani *gruesso*, Belgæ *groote*, Anglis *grote*. Ac similiter Turocius Chronic. Hungar. lib. II cap. XCVII: *Marsupia grossorum, & florenorum.* Sic *grossus Venetus* apud B. Odericum Peregrinationis suæ cap. I §. IV, & cap. II, §. V.

* Pag. 37.
† Pag. 368.

Guasta, ex *woesting*, sive *verwoesting*: atque hoc ex Latino *vasta*, vel *vastatio*. Nam Germani pro V consono solent dicere G V. Petrus de Vineis lib. V epist. CXII: *Accusando de incendiis, guastis, & damnis illatis & factis per eosdem eidem.*

Gulositas compluribus in usu. Malim ego cum veteribus ἀδηφαγεῖν: qui dicunt *vitium ventris, ac gulæ*: vel *intemperantiam cibi, ac potus.*

Gutteria est arthritis, sive dirus articulorum dolor; si quidem fides Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XXV. §. XXII. Censet verò, esse ab Italico *gota*: quod hunc morbum notat; nempe à Latino *gutta*, hoc est, catarrho. Sed omnino falli puto. Nec enim dubito, quin *gutteria*, vel potius *gutturia*, sit à *guttur*, ejusque vitium denotet. Hoc clarè indicat Rathasius Veronensis episcopus in vita S. Ursmari: *Orta est quadam in ejus collo sæva nimis infirmitas, quæ gutturia dicitur sermone Gallico.* Usurpat quoque Baldericus in Chronico Cameracensi lib. I cap. XVI; ubi istiusmodi imprecationem Alleberti Episcopi refert adversus latronem, qui Guodilæ, jam triduo sepultæ, tumulum violârat: *Ut si vir esset, claudus, vel quolibet modo debilis fieret: si femina, vitio, quod vulgò dicimus gutteriam, semper non careret.* Hoc est, semper laboraret. Hubertus in vita S. Gudilæ cap. VI. §. XXIII: *Fœmineum* (genus) *gutteria obscœnet.* Ratherius, Veronensis episcopus, in vita S. Ursmari*: *Orta est quadam in ejus collo sæva nimis infirmitas, quæ gutteria dicitur sermone Gallico.* De alumna S. Aldegundis, non de ipsa, sermo est. Pro eodem & *gutturnositas* dixere. Vide mox *Gutturosus.*

* Apud Surium in vitis SS. 18 Apr.

Gutturosus apud Surium habes in scriptore vitæ S. Gudilæ. Id nomen esse à vitio gutturis, satis est apertum. Non æquè, quòd pro eodem etiam *gutturnosus* dicitur. Ut apud Hincmarum in vita S. Remigii; ubi legitur hujusmodi imprecatio S. Remigii adversus eos, qui metas frumenti incenderant: *Omnes, qui hoc egerunt, & qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiant, & feminæ gutturnosæ fint.* Atque addit; *quod ita completum est.* Ubi *ponderositas* vitium est genitalium: de quo Gregorius parte I curæ Pastoralis cap. ult. Nam cùm dixisset, qui mysticè *ponderosi* vocentur, subjungit: *Vitium quippe est ponderis, cùm humor viscerum ad virilia labitur; quæ profectò cum molestia dedecoris intumescunt.* *Gutturnosus* verò esse à *gutture*, indicat Hincmarus ibidem; quando ait, esse ab Adamo, qui in peccato omnes nos genuit, quòd in genitalibus viri fiant ponderosi: à prima verò matre, cujus per guttur illicitus gustus transivit, esse istoc, quòd feminæ fiant gutturnosæ. A *gutturnosus* est *gutturnositas*, idem ac *gutturia*; de qua proximè vidimus.

Guva aliud longè ac *guna*; de quo paullò antè dictum. Ex iis liquet, *gunam* esse vestem pelliceam. Nempe ejusdem est originis, ac *gufum* vel *gofum*, quod est villosum: ut monitum lib. II cap. VIII. Ac credo, esse ab Hebræo נוף *hufa*, seu *chufa*; hoc est, velamen. Nimirum quia villosâ veste, qualis pellicea, primitus velarentur, ac vestirentur. At *guva* in Glossis Isidori exponitur *ventuosa.* Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLI pro *ventuosa* conjectat legendum *ventricosa.* A quo dissentio: planeque legendum puto *ventosa.* Est enim *guva* idem ac cucurbita, sive ventosa: ut est apud Papiam, & exinde in Catholico. Quibus præivit Isidorus lib. IV Originum c. XI, quod est de instrumentis medicis. Sed corruptè in illa Breulii editione legas: *Similaria, angistrum, spatomelegunna, quæ à Latinis, à similitudine cucurbita, à suspirio ventosa vocatur.* Legendum verò, *Smilia, ancistrum, spathomele, guva, quæ Latinis à similitudine, cucurbita; à suspirio, ventosa vocatur.* *Smilia* lego; quia Græcis σμίλη, & σμιλίον, scalprum, scalpellum. Nisi malis *smilaria*: quando & diminutiva sic exeunt, ut παιδάριον, ἀνθρωπάριον. *Ancistrum*, ut Græcis ἄγκιστρον. *Spathomele*, uti Græcis σπαθομήλη, quod est latum specillum. *Guva* itidem à Græcis, quibus cucurbita solum educens spiritum sive ventum (unde & *ventosa* dicitur) vocatur σικύα κούφη, ut ex Cœlio Aureliano lib. IV cap. VII, & VIII videre est. Nempe junioribus, præterito σικύας vocabulo, solum κούφη retentum; imò id in *guva* commutatum; quia κ facile in G abit, & φ in F, vel V consonum. In uno etiam MSorum nostrorum est *spatomeleтuva.* Verùm alter melioris notæ *spatomele, guva*; ut nihil nisi spiritus in priori voce desideretur. Distinguit etiam vetus editio Veneta anni CIↃCCCCLXXXIII. Sed pro *guva*, habet *guvia*: pro quo & *gufia* reperias. Ex *gufa*, vel *guva*, est Germ. *kupf*; pro quo alii *cop.* Ea cucurbitulam notat; unde *coppen*, sanguinem cucurbitulâ educere. Nisi potiùs *guva* a Gothis putes esse; qui cucurbitulam *kupf* vocarunt. Sed prius fit verisimilius, quia medicina est à Græcis: ac fortasse, quæ quorundam suspicio est, deceptus Isidorus; cùm, verbis Cœlii Aureliani malè intellectis, cucurbitas omnes putavit dici *cuphas*; unde *gufæ*, vel *guvæ* vox dimanavit. Aliud verò *gufa*, pro veste villosa: de quo actum libro II cap. VIII.

CAP. XIV.

Pergitur ad ea, quibus initium est ab H. Habentia, *pro us, quæ quis habet, ac possidet.* Habilitatio, *quo quis ad aliquid habilis fit.* Hebdomadarius, *ad quem vices devenere totâ coquendi hebdomade in monasterio.* Heremia, *pro locis desertis*: heremitorium, *pro cella eremita.* Heptaticus, *pro libris V Mose, Judicum item, & Josue.* Herpeta, *pro herpes.* Hiatio, *pro hiatus.* Historiographus, *pro historicus.* Holovitreum, *vas ex mero vitro.* Homagium, hominium, & hominatus, *pro clientela genere, quo quis alterius fit homo, sive vasallus.* Homophagia, *esus crudorum olerum; ut xerophagia, comestio aridorum.* Hortamentum, *adhortatio.* Hortulanus, *olitor.* Hostagium, & ostagium, *quasi obsidagium, pro obsidis conditione: unde & obsidatum dixere.* Humerale, *vestis caput, humerosque tegens.* Hymnistes, *mulier canens hymnum.* Hyopa, *vel hyops, pro hirto, vel capillos habente setis suillis similes.* Hypocisma, *pro hypopyosis.*

NUnc ordo nos ducit ad cœpta à spiritu.

Habentiam pro opibus, ac divitiis, apud B. Augustinum legas lib. XX contra Faustum Manichæum.

Habilitatio habes in Concilio Senonensi. Ex eo est, quod hac aliquis habilis & idoneus reddatur.

Hebdomadarius, ad quem in monasterio ordo coquendi pervenit: qui ordo hebdomade quaque variabat: unde in

in Regulis S. Benedicti, *egredi de septimana*, idem est, ac desinere officium coqui, & quasi hanc lampada tradere successori. Atque idem comprobat hoc Hildegardis in Explicatione Regulæ: *Egressus de septimana, sabbato munditias fecit.* Sed *septimanæ* vox ea significatione parum est Latina; ut lib. I dictum cap. XXXIII. Rectius *hebdomas*, & flexu Latino *hebdomada*. Ab his *hebdomadarius* apud Reginonem lib. II Chronicorum: *Accidit autem, ut, juxta quod mos est, ad coquinæ officium hebdomadarius deputaretur.* Nempe ut sacerdotibus Judaicis sua erat ἐφημερία in sacrificando, quod etiam ex primo capite B. Lucæ cognoscimus: ita & in coquendo ἐφημερίαν monachi observabant.

Heremia, pro ἐρημία, sive solitudine, ac locis desertis, apud Luciferum Calaritanum: *Lassati sumus iniquitatis in via, & perditionis; & ambulavimus heremias difficiles: viam autem Domini ignoravimus.* Similiter posteriores *heremitorium*, pro cella monachi eremitæ. Gulhelmus, eques auratus, in Hodœporico: *A dextris* (Acconis, & Gazæ) *est mons Carmeli non multum altus, oblongus, desuper planus, multùm speciosus, & fertilis, habitatio sancti Heliæ prophetæ; ubi & ordo Carmelitarum sumsit exordium, plures devotas Ecclesias continens, & heremitoria generosa.*

Heptaticus, pro *heptateucho*. Nam ut *pentateuchum* dixere pro V libris Mosis: sic quando cum pentateucho uno volumine compingerentur Josuæ, & Judicum libri, *heptateuchum* vocarunt, vel etiam *heptaticum*: ut Arator lib. I cap. XVII:

Comprobat heptaticus tædarum fœdere Mosen
Æthiopam sociâsse sibi.

In recentioribus libris est: *Comprobat omnipotens.* Sed *heptaticus* edidit Aldus: atque is secutus MSS; ut monuit Juretus ad illud Ivonis epist. LXXXIII: *Habetis in heptatico, quia in contentione duorum, qui ad alterius pudenda manum miserit, lapidibus obruatur.* Signat verò locum Deuter. cap. XXV: ubi tamen de uxore solùm est sermo. Similiter verò *heptatici* voce semel, iterumque, usum esse Hincmarum Rhemensem, ibidem monuit Juretus.

Herpeta legas apud ψευδεπίγραφον Macrum libro de viribus Herbarum:

Hac fugit appositâ sacer ignis, & herpeta mordax.

Atqui is morbus non ἑρπετά, sed ἕρπης, vel ἑρπηδών.

Hiatio pro *hiatus*, non ausim dicere.

Historiographus apud idoneos scriptores non reperio: sed semper *historicus*.

Holovitreum, quod totum vitreum, ex Græco ὅλος, *totus*, & Latino *vitrum*. Petrus Damiani in vita S. Odonis, abbatis Cluniacensis, cap. IX. §. XXI: *Aliquando Imperator Henricus dum appositâ mensâ discumberet, vas illi holovitreum valde pretiosum, & Alexandrini operis arte compositum, cum tritu est pigmentis allatum.* Ita quoque Holovera purpura. Perperam itaque putat Octav. Ferrarius libro de Re vestiariâ vocabulum istud corruptum esse ex *Holoporphyro*.

Homagii pro voce *clientelam* dicere jubet Andreas Schottus lib. III Tullianarum quæst.† Et sanè hoc malim: etsi nec multùm abnuam, in novo clientelæ genere, vocem posse novam utcunque tolerari. Idem judicium esto de vocabulo *hominii*, eàque paullò concinniori; quippe magis ἀναλόγως formato: quod etiam judicium est Cujacii in principio libri de Feudis. Ambo ab ea *hominis* significatione veniunt, quâ quis dicitur alicujus *homo*, hoc est, vasallus. Qua de vocis ejusce usu dicam in vocabulis falsâ significatione acceptis. Quod ad *homagii*, & *hominii* nomina, priori utitur Petrus Blesensis epistolâ CCII, Helmoldus Presbyter in Chronico Slavorum lib. II cap. IX, Cæsarius lib. I Miraculorum cap. XXXII, & lib. II cap. XII, item lib. V cap. LVI. adhæc Guilhelmus de Nangiaco in Chronicis, Constitutiones Neapolit. lib. I Tit. XXXII Leg. XXXVI, Leonardus Presbyter in Chronico Bavariæ, Carolus Quartus Bullæ Aureæ cap. XXIII, &c. At *hominium* pro eo dicunt Otto Frisingensis de Frederici I Gestis lib. II cap. III, & XXVIII, & Radevicus lib. IV cap. XXXIV, Ivo epist. CCVIII, Paschalis ad Anselmum epist. XLV, ubi ait, *hominium facere abbati*, Paschalis ad Anselmum epist. XLV, Ingulfus Saxo Histor. Croiland. & Florent. Wigorn. Contin. an. CIↃ CXXXIX. Interim *hominium* viris quibusdam doctis Latinum; sed significatione aliâ, videtur. Nam, MSS veteri compulsi, censent Sallustium antiquarium *hominium* in plurativo pro *hominum* dixisse. Mihi eo id suspectius, quia de tam usitati vocabuli insolenti flexu in nobili adeò historico nihil prodiderit nobis veterum Grammaticorum industria. Cæterùm pro *homagium*, vel *hominium*, (de quibus vocabulis operæ sit adire Felicem Osium in Historiam Mussati*) etiam *hominatus* legas apud Ivonem Carnot. epist. LXXXVII: *Dicitur etiam, quòd milites illos, qui beneficia monasterii habent, tanquam eos sibi reservans, hominatum facere abbati non permittit.* Ac similiter loquitur Gregorius Papa. Imò & *hominiscum* pro eo reperias. De quo Juretus ad Ivonis epist. CC. Vide & de hujusmodi Spelmannum.

Homophagia passim invenias pro *omophagia*, ὠμοφαγία, qua cruda, non igni elixata, comeduntur. ὠμὸς enim *crudus*, non ὁμός. Cassianus lib. IV de Institutis renunciantium cap. XXII: *Non magno labore corporis fatigatur; quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum, vel coctionis impenditur: quippe qui maxime xerophagiis, vel omophagiis, utuntur.* Ξηροφαγία, aridus victus, sive sine uncto: nempe cibus siccus a carne, & jurulentis, & uvidioribus pomis, nequid vinosi, vel edatur, vel bibatur: ut exponit Tertullianus initio libri de Jejunio. Atque hanc xerophagiam Quadragesimali tempore etiam Concilium Laodicenum commendat can. L. Sic Antonio Magno cibus panis, & sal; potus aqua: ut est apud Athanasium, & Sozomenum. Ὠμοφαγία verò est, qua cruda & incocta olera comeduntur. Quo pertinet *lapsanum*, sic dictum ἀπὸ τῆς λαψάνης, quæ est olus agreste. Idem Cassianus, lib. IV Instit. cap. XI: *Si herba sale condita, quam lapsanum vocant, aquâ diluta ad refectionem fratribus apponatur.*

Hortamentum pro *hortamen*, est apud Lupum abbatem epist. XXVIII: item in vita S. Leborii, Episcopi Cenomanensis, atque alibi. Sed de hoc non admodum contendero; cùm multa verbalia pariter in *men*, & *mentum* desinant: ut *fundamen*, & *fundamentum*; *tormen*, & *tormentum*; aliaque, de quibus dixi in secundo de Analogia cap. XXXII.

Hortulanus, ut Græcis κηπουρὸς, cui κήπου ὤρα†. Sed Tullio, & aliis, is est *olitor*. *Hortulanus* sequioris est seculi.

Hostagium, & *ostagium*, idem ac *obsidatus*, sive conditio ejus, qui est in vadimonio. Matthæus Parisius, ad an. CIↃ CCXXI: *Dux Bavariæ, & alii divites, in hostagio remanserunt. Soldanus verò, pro jam dicta pactione, ex parte sua, viginti in hostagio reddidit.* Sanè Galli, & Angli, similiter *hostage*. *Hostagium* verò ab *obstagium*: hoc, non ab *obstando*, quia obstet hostilitatis opinioni; sed à Gallico *hostage*, vel *ostage*: *hostage* autem non ab *hostis*, qua hospitem notat, & obses hospitis instar apud nos agit; sed κατὰ συγκοπὴν ex *obsidage*. Sanè opinionem hanc firmat, quòd postremorum seculorum scriptores *obsidis conditionem* vocent *obsidatum*. Uti Eutropius lib. II: *Sexcentis civibus Romanis in obsidatu receptis.* Ammianus lib. XVI: *Pater ejus obsidatûs pignore tentus.* Ac postea: *Obsidatûs specie viri celebres altrinsecus dantur.*

Humerale, vestis, quæ caput velat, humeroque injicitur à sacerdote. Usurpat Gemma animæ cap. CCI; uti & Rabanus Maurus. Græce est ἐπωμίς, quamquam hoc potius *superhumerale*. Origo eadem, quia ὦμος, humerus: imò *humerus* ab ὦμος, quod Dorum quorundam pro ὦμος. Sanè in Doribus Spartiatæ, qui Σ in Ρ convertebant; uti dixi lib. IV Orator. Instit. cap. II sect. III.

Hymnista, de femina hymnum canente, dixit Prudentius περὶ στεφάνων:

State nunc hymnistæ matres pro receptis parvulis.*

Margin notes: * Pag. 118. — † Horti cura. — † Pag. 224. — * Nihil mutandum. Sede quidem tertia requirebatur trochæus: sed ævo Prudentii jam Æ vulgò fiebat, ut E breve.

Atqui *hymnista* tantùm generis est virilis. Imò nec de viro hymnos canente *hymnistes*, sed *hymnetes* dixero: cùm ab ὑμνέω fit ὑμνητὴς, unde femininum foret ὑμνητρὶς, & ὑμνήτρια, ut a ποιητὴς, ποιητρὶς, & ποιήτρια: de quo alibi vidimus. Fortasse rectiùs pro ὑμνητὴς, & ὑμνήτρια, novè quidem, ἀναλόγως tamen, *hymnicen*, & *hymnicina*, proferretur: nempe ut *fidicen*, & *fidicina*, dicimus.

Hyopa, pro hirto. Luitprandus in Legatione, ubi Nicephorum Imperatorem hunc in modum describit †: *Barba curtâ, latâ, spissâ, & semicanâ fœdatum, cervice digitali turpatum, prolixitate, & densitate comarum satis hyopam, colore Æthiopem, cui per mediam nolis occurrere noctem.* Anglosaxonibus *breosa* vel *briosa* est Hirtus, hirsutus. Librarii verò Anglosaxonicorum characterum ignari, commutaverunt Anglosaxonicum *r* in *y*, & *s* in *p*, literas figurâ non ita multum dissidentes. Nisi fortasse *hyopam* corruptè pro *hirtum* legitur. Sed puto, magis contumeliosâ voce usum, quam ut hirtum diceret: quod totus locus arguit. Nempe ut aliquem μύωπα vocamus; sic dicere voluit ὕωπα. Et fortasse posteriores Græci sic appellabant eum, cujus capilli potius referrent suis setas.

† Pag 81. edit. Ingolst. ann. 1600.

Hypocisma legas in L.L. Wisigothicis libro undecimo tit. III leg. V: *Siquis medicus hypocisma de oculis abstulerit, & ad pristinam sanitatem perduxerit infirmum, V solidos pro sua beneficio consequatur.* Sed in Mso est *ypocisin.* Omnino autem id corruptum ex *hypopyosin*. Ὑπόπυον Aetio est πυώσεως species, quando sub cornea oculi tunica pus copiose colligitur. Cujus morbi symptomata sunt, vehemens cum dolore pulsatio, oculi integri rubor, & dolor temporum.

Cap. XV.

Accessum ad ea, quæ ab I auspicantur. Ut sunt ista: Jacentiva, *humi strata.* Jactivus, *vel* jectivus, *foro dejectus: unde* adjactivus, *&* jectiscere. Icona, *vel* iconia, *pro imagine.* Identitas, *vitæ genus sui semper simile.* Idoneitas, *vel* aptitudo, *est in aliquo; pro, aliquis est idoneus, vel aptus.* Ignorus, *ignotus.* Illegitimum, *quod non est secundùm legem.* Illiberis, *sine prole.* Illicentiatus, *cui quid illicitum, non datâ prius licentiâ.* Illuster, *illustris.* Imbonitas, *improbitas.* Imbulus, *porticus ad inambulandum: nisi potius provolans tabulatum.* Imitas, *ima pars.* Immaculatus, *incorruptus.* Immediatus, *proximus.* Immorigeri, *non obedientes.* Imperdibile, *quod amitti nequit.* Impetuositas, *impetus.* Imprecatio, *execratio.* Importantia, *momentum rei.* Impretiabile, *omne pretium excedens.* Improperium, *convitium, seu maledictum.* Impuber, *impubes, vel impubis.* Impudoratus, *impudens.* Imputribilis, *non obnoxius putredini.*

His consequens est, ut jungam de inchoatis à vocali tertia. Ac capite hoc complectar, ubi eam aliqua excipiat litera, quæ, in vulgato alphabeti ordine, literam N antecedat.

Jacentiva de iis, quæ jacent humi. Lex Burgundica Tit. XXVIII. §. 1. *Si quis Burgundio, aut Romanus, sylvam non habeat incidendi ligna ad usus suos de jacentivis.*

Jactivus, vel *jectivus*, a jaciendi verbo, quasi dejectus foro, ut qui vadimonium deseruerit. Ut in Formulis solemn. incerti scriptoris cap. IV: *De parte genetricis suare deberet, & negligens, & jectivus exinde adesset.* Et cap. XXII: *Placitum suum exinde neglexit, & jactivus inde remansit.* Item formularum veterum secundùm legem Romanam cap. XXVI; cujus lemma, Cautio de infracturis: *Si inde negligens, vel jactivus apparuero.* Habes & in Caroli Calvi Edicto Pistensi cap. XXXII. Idem *abjectus* vocatur Marculfo monacho lib. I Form. cap. XXXVII. Ut & *adjactivus* pro eo est in formula veteri legis Salicæ, quæ exstat † hujusmodi: *Tu grafio, rogo te, quia ille homo denominatus, qui mihi fidem fecit, quem legitimè habeo adjactivum, vel admallatum, secundùm legem Salicam; & ego super me, & super fortunam meam, pono; quod securus mitto in fortunam illius manum.* Hinc *jectiscere*, pro *jectivum facere*, semel iterumque est in Edicto Caroli Calvi antè memorato cap. XXXIII. Porrò ἀναλόγως magis diceretur *jactiscere*, a *jactivus*; *jactivus* in simplici melius, quam *jectivus*: contra in composito rectiùs *adjectivus*, quam *adjactivus*.

† Tit. 52. §. 3.

Icona, pro icon, sive imago, Græc. εἰκὼν. Metellus in Quirinalibus:

> *His confinia juncta*
> *Discernuntur iconâ,*
> *Quæ fert saxea sui cum*
> *Distentum satis, æque*
> *Saxi pondere dudum.*

Cæsarius lib. VIII Miracul. cap. LXXVIII: *Dicitur eadem fuisse icona, quam barbarus tulit.* Item in vita S. Kunegundis cap. IV. Ac *icona* quidem eo defendi possit, quòd simile sit, ac *hebdomada*, pro *hebdomas*: nec non *lampada*, *Ancona*, *Narbona*: de quibus alibi. At Matthæus Parisius in anno CIↃCCIV etiam *iconia* dixit: *De iconia Dei genetricis.*

Identitas non tam huc refero ratione significationis, quâ accipiunt Scholastici (nec enim video, quomodo in Metaphysicis carere hoc vocabulo possimus) sed eâ, quâ accepit Matthæus Parisius in vita Garini, XX abbatis S. Albini: *Ad Redburnam aliquos fratrum transmisit recreandos, ne identitas in claustro iis eis, qui pusillanimes erant, acediam parturiret.* Sententia est, ne, si intra monasterium permaneret semper, subiret segnities animi; quia, ubi varietas est nulla, ibi animus, & corpus, torpescunt.

Idoneitas non dixero, ne *aptitudo* quidem. Priori usus Petrus de Vineis lib. I cap. I: *Homo prælatus est homini, ut gratiorem prælaturam efficeret identitas speciei.* Nempe & qui præest, & qui subest, specie sunt idem, etsi non numero, sive individuo. Eodem usa Benedictina*, à Benedicto Papa XII nomen sortita, cap. XXII, quod est de creatione monachorum: *Deinceps non recipiantur, aut induantur in monachos, nisi persona idonea; vel de quarum idoneitate verisimiliter spes existat.* Latinè dixeris, quos idoneos evasuros non temere speres.

* Annimo. & Chronico Casinensi Jacobus Breulius subjunxit in edit. Paris.

Ignorus pro *ignotus*. Ivo epist. XLV: *Horum consanguinitas nec ignora est, nec remota.* Aliqui tamen libri pro eo, *ignorata*.

Illegitimus non dixero, sed nullum habens jus. Had. Junius in Nomenclatore agnoscit *filius illegitimus*: vellem addidisset idoneum auctorem. Sanè veteres, si pater certus, *nothum*; si incertus, *spurium*, item *vulgo quæsitum*, aut *conceptum*, dixere.

Illiberis commodè exprimit Græcum ἄπαις: uti & *improlis*. Usus priori Tertullianus lib. IV adversus Marcionem. Malim cum vetustioribus, *sine liberis*, vel, *absque prole*.

Illicentiatus, qui quid agit, vel acturus, sine licentia, sive non impetratâ prius veniâ. Concil. Pisan. I sess. IV: *Ambassiatores imperatoris secundâ die recesserant illicentiati, & hospite non salutato.*

Illuster, pro *illustris*. Fortunatus, Pictavorum episcopus, de vita S. Germani cap. XX: *Guaddo vir illuster, ac consiliis Regis particeps.* Sic de se ipso Childebertus*, *Francorum Rex, vir inluster.* Habes & apud Walpurgim in Hodœporico, & sæpiùs apud Bekam in Chronicis.

* Epist. ad Monasterium Dionysii circa annum 705. Habes apud Miræum in fund. Eccles. Belg. pag. 17. & 19.

Imbonitas, pro improbitas. Tertullianus Exhortatione ad Castit. *Alioquin res & viris, & feminis, eâdem imbonitate.* Idem ad Martyres cap. III: *Ubi omnis duritia, & imbonitas, & insuavitas constitit.*

Imbulus quid sit, docet Isidorus lib. XV Orig. cap. II: *Imbuli, vel quia sub volumine sunt, vel quia sub his ambulant. Sunt enim portici hinc inde platearum.* Ita est in membranaceis codd. nostris: nisi quòd in uno sit *volumina*. *Portici*, pro *porticus* dixit, corrupto more seculi: nisi librarii sic depravarint. Idem in Glossis: *Imbulus, ab ambulando, ambulatorium.* Veteres glossæ nostræ membranaceæ:

naceæ: *Imbolus, porticus ad ambulandum; qui & ambulatorium dicitur.* Videri igitur possit *imbolus* dici, quasi *inambulus.* Sed vide, an non verisimilior sit emendatio Jacobi du Breul, sic reponentis priori loco Isidori: *Imbolis, vel quia subvolamina sunt, vel quia sub his ambulant.* Nempe ut signet, quæ Asconius in Divinat. dixit *provolantia tabulata.* Ita sit ab ἐμβολὴ, quod injectionem notat. Unde *embolus*, omne id, quod alicui inseritur, & immittitur. Ut in Ctesibica machina apud Vitruvium lib. x cap. xii.

Imitas, pro ima parte; ut *summitas*, pro summa. Remigius in Testamento apud Flodoardum: *Partem meam de prato, quod Laudum juxta vos habeo, ad imitatem montium posito; & qua Jovia sunt pratella, qua tenus, ad te revocabis.* Ubi & ὑποκοριστικῶς *pratellum a prato.*

Immaculatus non dicam; sed inviolatus, incorruptus, integer. Catulli * etiam est, *Sic virgo dum intacta manet.*

* *Carm. nuptiali.*

Immediatus philosophis frequens. In alio argumento malim *proximus*, vel Græcum ἄμεσος.

Immoriger non reperio: sed nec *immorigerus* nunc occurrit. Dixero, male morigerum; vel, non obedientem.

Imperdibile, quod nequit amitti. Henricus de Hassia Speculo A. † *Pax imperturbabilis, lex imperdibilis.*

† *Pag.* 15.

Impetuositas, pro impetu, barbarum.

Importantia, pro pondere, aut momento. Ut *nullius importantia*, apud Turocium in Chronico Hungarico.

Imprecatio agnoscit Calepinus. Veteres pro eo *execratio.*

Impretiabile mundi pretium, de pretioso Christi sanguine pro nobis effuso, apud Petrum Blesensem epist. lxxxvi. Sæpius etiam hac voce utitur Matthæus Parisius: pro quo dixeris, nullo satis pretio possit æstimari; item quamcunque pretii magnitudinem excedens. Quandoque &, omni auro magis aureum, omnibus orbis gemmis magis gemmeum.

Improperium in veteri dictionario exponitur *dedecus, convitium, injuria, derisio.* Imò & Gloss. *Improperium*, ὄνειδος, ὀνειδισμὸς, ὀνείδισις. Sæpius usurpat vetus Bibliorum interpres: & ejus exemplo, cùm alii, tum Sueno Aggonis fil. in Historia Danica, quam primus edidit V. Clarissimus Stephanus Stephanius: *Nam & tunc temporis ignominiosum extitit improperium, si solùm duo jugularent.* Ut à *vitupero, vituperium*; sic ab *impropero, improperium.* Vide in verbis, *Impropero.*

Impuber dicere præcipitur, propter illud Ciceronis in Catone: *Filiumque ejus impuberem, legatum à Prætore missum, in carcere necandum esse duxit.* Quo *impuber* etiam Nizolius adstruit. Sed potius à *pubes* est *puberis*; & ab *impubes*, vel *impubis*, est *impuberis.* Neque ut à *Ceres, Cereris*; ab *æs, æris*; vel ut à *pulvis, pulveris*; à *ciris cineris*; à *vomis, vomeris.* Sanè *impuber* non puto dici; uti neque *puber*, sed *pubes. Impubis* est Plinii lib. xxiii cap. vii: *impubes* Ovidii ii Fast. Aliquid de isto etiam diximus lib. i de Analogia, qui tertius est Grammaticæ Artis.

Impudoratus, impudens. Lucifer Calaritanus adversus Constantium Imper. *De impudorato patre vestro diabolo.* Vulgo *impuderato*, quasi sit à *pudere*, uti *impudens.* Potiùs censeo esse à *pudore*: etsi & priori modo scribat Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris cap. xxxvii. §. vii. Sic *impuderati*: de quo in Particulis.

Imputribilis virtus, quia numquam putrescit, Paullinus, episcopus Nolanus, dixit epist. ii.

Cap. XVI.

De captis ab IN; cujusmodi sunt: Inadibilis, *inaccessus.* Inadvertentia, *error ex eo, quòd quis parum attenderet, quid diceret, aut faceret.* Inanimata, *pro inanima, rectius dicatur, in dubium vocatum.* Inaudientia, *inobedientia.* Incautela, *negligentia in cavendo sibi.* Incendiosum, *καυστικόν.* Inclamatus, *edicto publico vocatus ad se judicio sistendum.* Inclaustrum, *monasterii ambitus.* Incorrigibilis, *cujus corrigendi spes nulla superest.* Incolatus, *habitatio in quapiam civitate.* Incomma, *militaris staturæ mensura.* Inconsideratio, *pro inconsiderantia.* Incorporatus, *qui adsumsit corpus humanum.* Indetribile, *quod non deteritur.* Indevotio, *neglectus divini cultûs.* Indigestio, *cruditas.* Indisciplinatus, *non componens mores secundum vivendi legem.* Indisciplinosus, *pro eodem.* Inditor, *à quo nomen inditur.* Indocibilis, *indocilis.* Indominicatum, *à domino prædii sibi reservatum.* Indubitum, *non dubitandum.* Inductorium, *quod inducitur, vel illinitur.* Indusiatus, *indusii amictu muneri ecclesiastico initiatus.* Ineloquens, *minimè facundus.* Inferendale, *tributum, quod infertur.* Infertor, *qui epulas infert.* Infirmarius, *medicus.* Infirmarium, *vel infirmaria, in monasterii locus, ubi ægris medecina fit. Proque eo & infirmatorium, & infirmitorium, dixisse.* Inflativus, *inflationem habens.* Influxus, *vis de cælo influens.* Infœderabile, *quod sine bona pace semper erit.* Infrangibile, *firmum, solidumque.* Infusidarium, *pro cibo liquido.* Ingenuile, *villa, quam dominus, sibi conferre tenso, colono, ut ingenuo, eoque honestiori ratione; non, tanquam servo, concessit.* Ingrusia, *ficus veneno infecta.* Ingurgitatio, *pro haustu, non sensim, sed universè.* Injustitium, *quando jurisdictio viget.* Innobilitatus, *non nobilitatus.* Innodatus, *vinctus.* Innox, *innocens.* Inobedientia, *non obediendi culpa.* Inordinatio, *ordinis permutatio, ac permixtio.* Inoppidatus, *nullum habens oppidum.* Insalutatus, *non salutatus.* Insensatus, *sensu destitutus.* Insensitivus, *sensu carens, vel destitutus: simileque* insensibilitas, *pro stupore.* Insignium, *pro insigni.* Intelligibile, *quod cadit sub intelligentiam.* Intercapedinitis, *vox nihili.* Interdius, *fur diurnus.* Interlocutorium, *pro interlocutione.* Interludium, *ludus, jocusque intermistus.* Internicies, *pro internecio.* Internus *non dici, licet rectum sit externum.* Intersignium, *signum, quo quid internoscas.* Intertiata, *apud sequestrum interposita.* Intertula, *pro subucula.* Intimior, *amicior, vel familiarior.* Intramuraneus, *positus intra muros.* Intransgressibile, *quod transgredi sit nefas.* Inventarius, *bonorum index.* Inverecundia, *pro impudentia.* Investitura, *confirmatio in feudis, vel episcopatibus.* Invinius, *abstemius.* Inviolandus, *sacrosanctus.* Invisibilis, *non adspectabilis.* Invitatorium, *certus monasterii locus.*

Adnectam nunc, quæ initium capiunt ab IN syllaba.

Inadibilis, inaccessus. Sidonius Apoll. lib. ii epist. ii: *Is quidem sanè circa principia sui solo palustri voraginosus, & vestigio inspectoris inadibilis est.*

Inadvertentia cùm alibi legas crebrò, tum apud Carolum VII Gall. Reg. edict. de rescriptis*. Eo signatur, quod Græcis ἀπαρόραμα: puta allucinatio ex eo, quod quis judicium ferat, re incuriosè ac negligenter adspectâ, vel consideratâ.

* *Pag.* 162.

Inanimatus sitne Latinum, atque adeò etiam Ciceronianum, non convenit inter Paullum Manutium, qui eo uti non dubitat; & Dionysium Lambinum: qui ait, usum Latinæ linguæ pervincere, dicendum esse *inanima*, non *inanimata.* Itaque lib. ii de Officiis, ubi sic legitur, *Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanimata, ut aurum, argentum: partim animata:* pro *inanimata*, legere jubet *inanima*: ac similiter in Topicis, ubi est, *Animata inanimatis anteponantur*, reposuit *inanimis.* Et sanè ab *animare* est participium *animata*: at non dicimus *inanimo*, unde foret *inanimata.* Utcumque est, tutius *inanima* dicimus; de quo constat.

Inaudientia, inobedientia. Cyprianus epist. xxviii: *Perniciem sibi, & mortem, per inaudientiam, & intemperantiam provocent.*

In-

Incautela lego apud Salvianum lib. VI de Gubernatione Dei: *Unus incautior perit, ne multi per incautelam postea deperirent.* Qui purioribus vixere seculis, dixissent, *incaute*, vel *parum cavendo.*

Incendiosum, pro *caustico*, & *corrodente*, apud Cælium Aurelianum, & Appulejum Medicum.

Inclamatus, jussu judicis publico edicto citatus, sive in jus vocatus. Edicto Theoderici cap. CLV: *Edictis solenniter inclamatus, ad Judicem, cujus præceptione conventus est, venire neglexit.*

Inclaustrum est ambitus monasterii, sic dictus, quia intra eum continetur *claustrum*; quomodo monasterium vocari solet; uti *inclusi*, monachi ipsi. Ita *inclaustri* vocem usurpant Baldericus Noviomensis Chron. Camerac. lib. III cap. LXXII, & scriptor vitæ S. Lietberti cap. XLIX.

Incolatus, pro habitatione in aliqua regione, aut civitate: uti *incola*, pro habitatore. Usurpat Lupus abbas epist. II. item Fulbertus serm. de ortu Mariæ: *Primos à suo incolatu exturbâsse colonos.* Beka in vita Bonifacii episc. II: *S. Clementem ab hujus incolatu seculi emigrâsse.* Nec tamen prorsus damnare ausim; quando legas in Digestis, ac Codice Theodosiano.

Incoma, vel potiùs *incomma*, mensura staturæ militaris. Isidorus in Glossis: *Incoma, mensura militum.* Vegetius lib. I cap. V: *Proceritatem tyronum ad incommam scio semper exactam.* Sic quidem bonæ notæ Msi. Sanè quam varient libri, Stewechius ostendit. Videtur fuisse palus, qui notas haberet incisas, ut meliùs ad eum exigeretur statura eorum, qui nomen militiæ dare vellent. Ita *incoma*, vel *incomma*, sit ab ἔγχομμα, hoc ἀπὸ τοῦ ἐγκόπτειν. Vide, quæ de istoc eruditè, ut omnia, annotavit Salmasius ad Lampridii Alexandrum Severum; eumque secutus Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CXXXIV. §. XII. *Incommam* dixit Vegetius muliebri genere, ut alii *sacomam*, *schemam*: de quibus egi fusè in Oratoriis Institut. lib. V cap. I, & in Grammatica Arte lib. II de Analog. cap. XX.

Inconsideratio dicunt, quia Ciceronis ipsius sint *inconsideratus*, & *inconsiderate.* Equidem *inconsideratè* malim, quàm *inconsideranter*: quod est L. III §. penult. D. De suspectis tutor. & curat. Sed pro *inconsideratio* præferam *inconsiderantia*; quo Cicero, Suetonius, aliique utuntur.

Incorporatus, ut Græcè ἐνσωματωθείς. Consilium Pisan. lib. II †. Imò & antiquiores Theologi nonnulli.

† Pag. 164.

Incorrigibilis vulgatum est: pro quo dixeris, *insanabilis*, vel de cujus emendatione desperetur.

Incurabilis quis prope non dicit? At idonei Latinitatis scriptores maluere, *insanabilis*, *desperatus*, *non recipiens curationem.*

Indetribilis soliditas Paullino, episcopo Nolano, epistolâ XVI. A *tero* sive *tritum*, *tribile*; à *detritum*, *detribile*: hinc *indetribile*, quod deteri nequit, sed semper persistit.

Indevotio non ausim dicere: etsi apud Imperatores *indevotionis notam* legere sit L. X. C. Th. de re mil. & L. CXIX C. Th. de decurionibus. Interea liquet, vocem esse antiquiorem Salviano: qui in III de Gubernat. Dei ait: *Tantum apud nos honor, & reverentia Dei, proficit; ut quæ indevotione non facimus, etiam odio digna esse ducamus.* adde: *Indevotus*, inter alios, est Petri Blesensis serm. XXI: *Ad hunc collem per viam devotionis adscendendum est. Indevotus enim si postulat, judicium sibi postulat.*

Indicina, vide infrà in *Juridicina.*

Indigestio, pro *cruditas*, vulgare: sed aliter idonei Latinitatis scriptores.

Indisciplinatus, ἀπαίδευτος, vel etiam disciplinæ non morigerans. Post veterem Scripturæ interpretem, qui sæpius usurpat, etiam habes apud Gregorium Mag. lib. VII epist. Indict. II epist. V ad Januarium epis. Caralyt. *Adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis.* Apud Ivonem Carnot. epist. XXVII, quæ ad Gualterium abbatem: *Propter indisciplinatam monasterii tibi commissi conversationem quodam tædio labefactus.* Et epist. CCXIX, ad Pontificem Paschalem: *Indisciplinatis juvenibus vexandum me exposueritis.* Sic in vita S. Leodegarii priore *: *Qui justitiam cupiebant evertere, & indisciplinati juvenilia opera Regis faciebant exercere.* Hinc indisciplinatio Theophanis interpres: *Porro cùm invenisset indisciplinationis hujus consentaneum quendam Beser nomine*, &c. Sermo est de Theophilo Metropolitâ a Leone Isauro Imp. in aulam accito *indisciplinatè*, Speculi Saxonici parte I Artic. LIII: *Judex sæpius mulctam in judiciis ab indisciplinate agentibus consequitur.*

* Tom. I script. Histor. Ecclef. edit. Francof. an. 1603.

Indisciplinosus apud vet. interpretem Siracidæ XXIII. 15: *Indisciplinosæ loquelæ non adsuescat os tuum.* Ubi in aliis *indisciplinata.* Græcè est, Ἀπαιδευσίᾳ ὄχλου μὴ ἐθίσῃς τὸ στόμα σου.

Inditor ὀνοματοθέτης, qui nomen loco indit. Usurpat Flodoardus lib. I Histor. Rem. cap. I: ubi ait, Remum, Romuli fratrem, credi Remensis urbis, ut conditorem, sic nominis inditorem: sed ipse censet, verisimiliùs putari, conditores urbis militum eos, qui Remo fuissent addictiores; Remoque interfecto, fugissent in Gallias; ac ut Romus à se Romæ nomen fecisset, ita ipsi urbi à se conditæ Remorum dedissent nomen. Sed istæc etiam opinio, etsi minùs absurda, quàm prior, nihil tamen nisi inane somnium est. Imò ne istoc quidem controversiâ caret, an Roma à Romulo condita sit: de quo quantopere olim fuerit variatum, vel unicus Festus fidem fecerit.

Indocibilis, in glossis vett. indocilis exponitur. Priori verò uti non ausim.

Indominicatum id solum, vel prædium, dicitur, quod dominus sibi retinuit; non verò colonis, vel emphyteuticarius, concessit. Sic *terram indominicatam* legas in libro Censuali S. Remigii. Item *vinea indominicata*, in Caroli Calvi privilegio, regni sui anno XXXII, S. Germano concesso. Et *mansum* † *indominicatum*; item *horreum indominicatum*, in appendice Flodoardi ad an. ICCL. Est & apud Godefridum Magnum in donatione S. Dagoberti monasterio factâ *: *Adjungimus decimas omnium nostrarum ipsius potestatis indominicaturarum, h. e. in censibus terrarum*, &c. Est & paullo pòst: *Juxta pratum nostrum indominicatum.* In donatione Comitis Ansfridi pro Ecclesia pagi Rhenensis †: *Ego Ansfrid Comes dono —— mansum indominicatum cum ædificiis.*

† De manso dicam in significatione alienâ usurpatis.
* Apud Miræum in Donat. Belg. p. 47.
† Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum, pag. 52.

Indubium, pro certum, non puto veteres usurpâsse.

Inductorium, pro eo quod inducitur, vel illinitur, apud Nithardum legas. Rectum tamen, *inducere picturæ colorem*: quod apud Plinium est lib. XXXV cap. X.

Indusiatus, sollemni indusii amictu in honorem abbatis evectus. S. Gerardus abbas Sylvæ Majoris in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis cap. III §. XIV *: *Pater quippe monasterii, corporis viribus se sentiens destitui, electum annuente cunctorum subrogavit Adelardum; cujus dignitatis honore indusiatus, & a principe regni legaliter inthronizatus.*

* Apud Bolland. ad 2 Jan.

Ineloquens non dixero; sed *in dicendo infans*, aut *parum disertus*, vel simile.

Inferendale, quod infertur tributi nomine, vel simili. Aimoinus de gestis Francorum lib. IV cap. XXVI: *Quingentas namque vaccas inferendales à Clothario seniore regiæ mensæ inferre jussi fuerant. Quæ ideo inferendales dicebantur, eo quod singulis inferrentur annis.*

Infertor, qui epulas infert, atque apponit. Gloss. Philoxeni: *Infertor*, ἐπιθέτης. Utitur vetus Juvenalis interpres sat. V. 110. Vulgo & *dapiferum* vocant: de quo alibi dicimus. Si *infertor* universè est mensæ minister, etiam *carptoris* nomine vocetur: de quo in Saturnalibus Lipsius.

Infirmarius, infirmorum curator. Adjectivum est substantivè positum: sicuti & *medicus.* Utrobique *vir*, vel *homo*, intelligitur. *Infirmarii* vocabulo sic usus Leo Ostiensis lib. III cap. LVII: *Duas* (cortinas) *dedit infirmario; unam pro expensis; alteram pro exstruendo balneo.* Cæsarius lib. VIII cap. XXX: *Henricus Contractus, Claræ-Vallis*

Valis monachus, in eádem domo quandoque infirmarius fuit: hic cùm tempore quodam haberet magnum infirmum. Similiter lib. IX cap. II. Verba mox adferam. Item lib. XI cap. V: *Futurorum gaudiorum primitias jam corde præsentiens, lætus, & hilaris, redeunti infirmario rem pandit per ordinem.* Habes & apud Matthæum Parisium. At *infirmarium*, vel *infirmaria*, est locus, ubi infirmi, sive ægri curantur. Idem Matthæus Parisius in an. CIↃ CC XXXVIII: *Exceptis debilibus, & infirmis, quibus debet in infirmario provideri.* Antiquitatum Fuldens. lib. III Tradit. XXXV: *Caput optimum sive vestimentum, quod melius haberet, in usus fratrum, in infirmariam cederet.* Etiam *infirmatorium* vocarunt. Item Cæsarius lib. I Miraculorum cap. XXXV: *Tandem, infirmitate depressus, in infirmatorio positus est.* Ac similiter idem lib. IV cap. XLI, lib. V cap. VI; & lib. IX. cap. II: *Quod intelligens Vinandus, infirmarius noster, posito eo in infirmatorio, ait; Bone frater Godescalce, vidisti in Missa Salvatorem?* Utitur & Historia Albigensis cap. XLIV*. Existimet aliquis, pro *infirmatorium* semper *infirmarium* legi oportere; quia *infirmatorium* ἀναλόγως potiùs foret, ubi infirmantur, ac debiles fiunt; ut *adjutorium*, quo adjuvantur. Sed secus est. Nam etiam *infirmare* dictum pro *infirmum esse, ægrotare.* Sic usus idem Cæsarius lib. I cap. XXVI: *Non credo, quempiam posse terminum sibi à Deo constitutum extendere; sed mortem quandoque imminentem evadere. Quod si verum non esset; Ecclesia superfluè pro infirmantibus oraret.* Præterea non necesse est, ut dicamus, esse verbale à supino factum. Nam possit esse denominativum. Nempe ut à *terra, territorium*; sic ab *infirmus* sit *infirmatorium.* Et pro hac sententia sit, quòd & *infirmitorium* per I legas. Uti apud Ingulphum Saxonem: *Fecit ipse de eodem meremio†, plurima pulcherrimaque ædificia; scilicet infirmitorium monachorum, longitudine & latitudine decentissimum.* Similiter Matth. Parisius in an. CIↃ CC XXXVIII: *Porrò debiles & infirmi, qui munitione indigent, vel aliquâ medicinâ, non seorsum in cameris, sed omnes in infirmitorio, quæ necessaria fuerint sibi, tam in carnibus, quàm in aliis, recipiant competenter.*

* Pag. 114.

† F. heremio, vel heremitorio: de quo dixi cap. 14.

Inflativus vulgò cibus dicitur barbarè. At Ciceronis est lib. I de Divinatione: *Ne fabâ vescerentur, quòd habet inflationem magnam is cibus.*

Influxus ignotum classicis: qui malunt, *tactus lunæ*, vel *dimissa è cœlo vis.* Possis & dicere, vim è Sole, vel sideribus, influentem in corpora hæc inferiora.

Infœderabile bellum est apud Petrum Damiani lib. III epist. VIII, quæ ad Archiepiscopum Bisuntinum. Dixeris cum classicis, *irreconciliabile, implacabile*; vel Græcè ἄσπονδον, quo Cicero in IX ad Att. epist. XII uti maluit.

Infrangibile, pro eo, quod frangi, vel rumpi nequeat. Concilium Pisanum II non longè à fine: *Itaque fiat universalis unio, & infrangibilis, & firma Ecclesiarum.* Suffecisset *firma*, vel *fida solidaque.*

Infusidarium ejusdem censeo originis, ac *infundibulum*, & *infusorium*; quod apud veterem Bibliorum interpretem. *Infusidarium* verò est apud Joannem Monachum, in Vita Petri Damiani: *Totidem aliquando diebus nullo refecisse cibo, nisi parco leguminis infusidario.* Puto, signari omne liquidi cibi genus, ac cochlearibus adsumi solitum: quale lac cum pane coctum, vel jus cum leguminum modico.

Ingenuile mansum opponitur indominicato, & servili. Qua de re dicam in *Mansum*; ubi agam de vocabulis alienâ positis significatione. Nunc contentus ero Anonymi verbis è gestis Normannorum ante Rollonem Ducem*: *Anno CIↃ CCCLXIX, Carolus cum Nortmannis paciscitur —— de unoquoque manso ingenuili exiguntur VI denarii, & de servili sex.*

* In antiquis Normannica Historia scriptoribus pag. 3.

Ingrusia, pro ficu veneno infectâ, barbarum quidem, & tamen (quod quis primâ facie arbitretur?) ex Latio originem trahit. Ex parte hoc nos Suidas docet: Ἰγγρουσία παρὰ Ῥωμαίοις, τὸ τοῖς αὐθένταις διδόμενον σιτίον, ὃ ὅτε ζῶσι, οὔτε ἀποθνήσκουσι. *Ingrusia, cibus ita dictus Romanis, qui ubi datus infirmis, nec vivere, nec mori sciunt.* Ac similiter glossæ Basilicorum. Negat sibi de hoc liquere Suidæ interpres, Æmilius Portus. Atqui *grossi, ficus.* Pro *grossus* dixere vulgo *grosus*, vel *grusus*, ut sæpe *o*, & *u*, commutantur. Glossæ Græcolatinæ, ad Cyrilli calcem repertæ: Ὀλωνθος, *Bolunda, hoc grusum.* Ubi *bolunda*, puto, corruptum ex *boleta*, vel *boletus.* Id fungi genus, quo medicato Claudium sustulit Agrippina, ut filio Neroni pararet imperium. Similiter verò ex *grossum, grusum*; ficus genus, quo medicato itidem tolluntur homines. Lampridius in Commodo: *Motilenum, præfectum prætorio, per ficus veneno interemit.* Quomodo & Belgæ hoc dicunt, *een vijge geven*, q. d. *ficum dare*, sive *ingrusiam.*

Ingurgitatio ἀναλόγως quidem dixeris ab *ingurgito*: [illegible], ut arbitror, aliter classici; qui maluere, *crapulam, ebrietatem*: vel quando hæc potiùs sequi solent, ubi quis se ingurgitârit; dixeris, *Threicia amystis*, vel pocula nimia non sensim educta, sed ἀπνευστί, hoc est, citra respirationem hausta, aut simile his aliud.

Injustitium in glossis habes. Sic vocant, cùm jurisdictio non est interdicta.

Innobilitatus, non factus nobilis. Lampridius in Heliogabalo: *Si unquam aliqua matrona consularis, conjugis ornamentis esset donata: quod veteres imperatores affinibus detulerunt, & his maximè, qua nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitata remanerent.* Nec vox absurda: cùm *nobilitare* sit Terentii, & aliorum.

Innodati, δέσμιοι. Sic in vett. glossis rescribendum.

Innox, qui non nocet. Glossæ Philox. *Innox*, ἀβλαβής. Sed puto, *Innoxius* legendum. Sanè proximè antecedit, *Innocentes*, ἀβλαβεῖς.

Inobedientia est pervulgatum, præsertim apud Theologos; qui dicunt, inobedientiâ primorum parentum venisse peccatum in mundum. Sed classici hoc nesciunt vocabuli: imò neque vocem *inobediens.* Cicero in libb. de L L. pro eo *non obediens* maluit. Videntur & *imparientia* dixisse veteres; ubi quandoque *impatientia* exaratum. Nempe ab *imparens.* Festus: *Imparentem, non parentem, hoc est, obedientem.*

Inoppidatus is locus, qui non inhabitatur; ubi puta nullum oppidum, portus nullus. Sane Gloss. Mss: *Inoppidatus*, ἀοίκητος, ἀλίμενον. Est & in Glossis: *Inopidatus, inoppidatus.* Nempe unico P. scripsere, quia & *opidum* ab *ope.*

Inordinatio barbarum; pro quo Cicero *confusio*, vel *ordinis perturbatio.* Græcis ἀταξία: pro quo etiam dicimus ordinis neglectum. Gallis similiter *desordre.*

Insalutatus vulgare est; ut cùm ajunt, *insalutato hospite discedere.* Malim, *non salutato*, vel *ne salute quidem dictâ.* Cicero Græcum prætulit, quod ad verbum vocabulo *insalutatus* expressseris. Sic enim scribit in epistolis de Pompeio fugiente agens†: *Urbem, omnes nos*, ἀπροσφωνήτους, *expertes sui consilii relinquebat.*

† Ad Att. lib. 8. epist. 8.

Insensatus, pro Græco ἀναίσθητος, est apud N. T. interpretem. Ac sæpe sic scriptores Ecclesiastici: in his Ivo Carnotensis serm. de adulterino habitu. Sed de hoc alibi.

Insensitivus barbarum: pro quo Latinum, *sensum non habens*: Græcè ἀναίσθητος. Horat. lib. I, Sat. III: *Communi sensu planè caret.* —— Nec melius *insensibilitas*; etsi probè exprimat Græcum ἀναισθησία. Pro quo dixeris *stupiditas*, vel *stupor.*

Insignium, pro *signum.* Sueno in Compendio Historiæ Danicæ cap. III: *Qua* (Christi crucem) *Matris tumulo, ob memoriale insignium, destinavit erigendam.* Credo, cum legerent *insignia*, uti apud Livium* est, *insignia imperii*, putarunt esse inflexionis secundæ: quomodo rectus singularis sit *insignium.* Sed Ciceronis† est *insigne regni.* Ab *insignium* est *intersignium*: de quo alibi. *Insignitio*, verbale, reperio in membranaceis nostris glossis Mss.

* Lib. 1.

† Philipp. 3.

Intelligibile non dixero, sed quod intellectu assequimur. Vel, siquid novandum, *intellectile.* Veniunt enim hujusmodi à supinis. Nec tamen damnem alterum. Nam *sensile* quidem malim, ob Lucretii auctoritatem, purissimi scripto-

scriptoris: sed *sensibilis auditui vox* est apud Vitruvium lib. v cap. III: & *insensibile* est apud Aulum Gellium lib. XVII cap. x.

Intercapedilitis, τὸ διάλειμμα. Sic glossæ MSæ. Sed legendum, *Intercapedo*, *dinis*, hoc est, intercapedinis. Glossæ Philox. *Intercapedo*, διάλειμμα τοῦ χρόνου. Sic non Tranquillus solùm in Augusto usus; sed etiam Cicero filius epistolâ ad Tironem.

Interdius, Plauto * pro *interdiu*: junioribus particulatim is, qui de die furatur. Glossæ: *Interdius*, Ἡμεροκλέπτης. Nempe qui id de die facit, quod de nocte alii; qui Hesiodo ἡμερόκοιτος, q. d. *noctidormus*.

* Aul. 1. 1.

Interlocutoria vulgare est, ac legas quoque in Constitutionibus Neapolitanis sive Siculis Tit. XXXIV, & Tit. XLIV. Cumque *interloqui*, & *interlocutio*, planè Latina sint, (multi è classicis usi, ac in Digestis etiam habemus) neutiquam sanè *interlocutorium* damnarem, si simplex *locutorium* invenirem.

Interludium non memini me legere apud idoneos Latinitatis auctores. Videtur tamen vox concinna. Quales *interloqui*, *interlocutio*, *interlunium*; item *intercolumnium*, quod in glossis exponitur μεσοστύλιον, & *intervenium*, quod ibidem redditur Græcè μεσοφλέβιον. Sed legendum μεσοφλέβιον. *Intermetium* in iisdem à metis, τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων; *Interludii* voce usus Anastasius de vitis Pontificum cap. XXII. Item Matthæus Parisius in Historia de Offa I: *Cum super hoc negotio sæpius Regem sollicitarent, & alloquerentur; ipse, multoties joculando, & talia verba asserendo, interludia fuisse vanitatis; procerum suorum constantiam, dissimulando, differendoque, delusit.*

Internus quis propè hodie non dicit? ad formam nempe, qua optimi scriptores *externum* ajunt. Sic enim præter Livium Cicero *externos homines*, atque idem *externa bona*, quæ Aristoteli τὰ ἐκτὸς ἀγαθά. Sed enim de priori idoneum desidero auctorem. Pro mari interno dixero mediterraneum; pro internis bonis, animi bona; in aliis aliud.

Internicies, pro *internecio*. Nam etsi à *perneco* sit *pernicies*; ab *interneco* tamen non *internicies* est, sed *internecio*. Legas prius in Gestis Normannicis ante Rollonem Ducem *: *Normanni trans Scaldim venientes —— cuncta devastant: Ecclesias, civitates, vicos, habitatores, usque ad interniciem deleverunt.* Sed fortasse scriptor *internecionem* exararat.

* Pag. 5.

Intersignium, ut Joannes Januensis in Catholico ait, *quod est inter duo signa: vel signum, quod est inter aliquos; sicut aliquid solet mitti de uno loco ad alium caussa signi, & notitiæ.* Sueno in secundo cap. Compendii Historiæ Danicæ, quam primus publici juris fecit v. cl. Stephanus Stephanius: *Et mox intersigniis per petrarum notas edoctus, gladium jussit effodi præstantissimum.* Idem cap. x: *Quod quidem in Regis navi, quæ rostris deauratis coruscabat, non procul ab Urbe, quam supra Haraldum profugum fundâsse memini. Cujus intersignium recolere opera duxi pretium.*

Intertiata dicuntur deposita apud sequestrum; quia nempe hic tertius est inter duos litigantes: unde & in glossis Latino-Græcis *sequester* non solùm μεσίτης, & σωματοφύλαξ, sed etiam ἴντερτος exponitur. Sic *res intertiata*, Leg. Salicâ Tit. XLIX, qui de Filtortis. Similiter Legg. Ripuariis. Item apud Benedictum Levitam, lib. VI cap. CCIX: *Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quem intertiata fuerit, sacramento se excusare de furto.* Sed de hoc pluribus inferiùs in verbo *Intertiare*.

Interula est subucula linea, quæ sub tunica; uti tunica sub toga, vel pallio. Hanc solam sub pallio Cynici habebant; eoque incincti. Tertullianus de Pallio: *Siquid interulæ subter est, vacat zona tormentum.* Hoc est, caret cingulo, quo non sine molestia constringimur. At tunicæ, quia longiores, cinctu suspendebantur. Interulam, quæ brevior, nihil opus erat colligi, ac substringi: ut quæ foret brevior. In glossis *interula* exponitur χιτωνίσκος. At *tunica* χιτών. *Interula* ex eo dicta, quia intima, carnemque ipsam constringeret: uti & Græcis inde ἐσωφόριον, vel ἐσωφόριον, vocatur. Eadem *subucula* est dicta, quia tunicæ subesset Horatius lib. I Epist. I:

—— *Subucula pexa*
Trita subest tunica.

Græcis ὑπενδύτης; ut tunica, quia injiceretur interulæ, ἐπενδύτης, Latinis etiam *superaria*, secundùm illud in Glossis: *Superaria*, ἐπενδύτης. Juniores Græci dixere ὑποκάμισον: uti & Anastasius in vita Joannis Eleemosynarii. Nempe respondebat ei, quod vulgo *camisiam* dicimus: qua de voce actum lib. II cap. IV. Pluraque de toto hoc argumento Salmasius ad Tertullianum de Pallio. Puto, post Tertullianum nihil opus esse, ut eo longè recentiores advocem, qui voce *interula* utantur. Multi adeò sunt: in quibus & Petrus Damiani lib. I epist. XIX.

Intimior, comparativus ab superlativo *intimus*, ut *proximior* à *proximus*, *extremior* ab *extremus*: de quibus dixi in Arte Grammatica lib. II de Analog. cap. XXVI. Usurpat Antoninus Florentinus Chron. Tit. XIX cap. I. *Quem inter omnes familiares imperator Henricus habuerat intimiorem.* Hoc est, cui arcana præ aliis aperiret. Item Henricus de Hassia in Speculo Amoris cap. IX: *Sæpe per intimiorem allocutionem te vocavit.* Hoc est, secretiorem.

Intramuraneus, intra muros constitutus. Gregorius Turonensis lib. II Hist. Franc. cap. XXXIV: *Subitò palatium intramuraneum divino igne succenditur.* Idem in vita S. Gregorii, Episcopi Lingonensis †, cap. III §. IX: *Ibique parumper resumentes vires, & post paullum elevantes, ad intramuraneam eum castri Ecclesiam detulerunt.*

† Apud Bollandum Tom. I. Ianu.

Intransgressibilis, quem transgredi non liceat. Cæsarius lib. I cap. XXVI: *Ecce in hoc* (Jobi *) *loco habes, hominis terminum vivendi a Deo constitutum, & quod idem terminus intransgressibilis sit.*

* Cap. 14.

Inventarium in veteri glossario exponitur, *quidam libellus, in quo omnia bona, qua apud aliquem inveniuntur, conscribuntur.* Sed Tulliano ævo, & toto pòst seculo, non reperias. Malim igitur cum veteribus *recognitio bonorum*, vel *regestum*, *index*, aut simile. Interim non penitùs averser, quando jam in usu erat ætate Ulpiani: ut cujus sit in Digestis tit. de Administr. Tut. *Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgò inventarium appellatur, dolo fecisse videtur.* Cum vulgò sic dicat vocari, liquet, neque tum vocabuli id receptum ab eruditis. Interea si eo jam tempore sic loquebantur: quid mirum si reperias in Benedictinâ cap. XIII de Inventariis per novos antistites? uti & in Legg. Wisigothicis lib. IV, tit. I, L. IV, & tit. III lib. III, & lib. V. tit. I, & II; item apud Petrum de Vineis lib. III epist. LXVI, ac tot alios.

Inverecundia non invenio apud classicos; sed *impudentia*. Probum tamen *inverecundus*: unde eâdem ἀναλογίᾳ alterum foret, qua à *verecundus verecundia* dicitur.

Investitura, confirmatio non in feudis modò, sed etiam episcopatibus. Usus Arnulphus Lexoviensis epist. ad Angl. Episc. † Ivo Carnotens. episcop. LX, XCV, CLXXXII, Petrus Cellensis lib. I epist. I, Paschalis epistolâ quadam, quæ legitur inter illas Anselmi: ut Henricum imperator. in Diplomate, S. Odonem, abbatem Cluniacensem, atque innumeros alios, leges etiam Wisigothicas, & Longobardicas, prætereàm. Hodieque Hispanis dicitur *envestitura*. Ea à Rege fiebat per annulum, & baculum: ut cùm aliunde liquet, tum oratione Gregorii VI moribundi, apud Malmesburiensem de gestis R.R. lib. II: *Laudatus est olim prædicanda memoriæ prædecessor noster Adrianus primus, quòd investituras Ecclesiarum Carolo Magno concesserit; ita ut nullus Electus consecraretur ab Episcopo, nisi prius à Rege insigniretur, & annulo, & baculo.* Atque annulus quidem in feudis, fidei; baculus verò symbolum erat subsidii, quod beneficiarius, sive vasallus, præstiturum se domino suo polliceretur. Nec aliâ is mente usurpatus in dignitatibus Ecclesiasticis. Scriptores verò Ecclesiastici finxere hujus ritus commenti caussas mysticas; sed, ut puto,

† Pag. 30.

puto, ingeniosas magis, quàm veras. Vide *Investire* in Verbis, talià significatione usurpatis.

Invinius, abstemius. Glossæ vett. Msæ: *Invinius*, ἄοινος. Appulejus libro Met. ult. *Neque ullum animal essem, & invinius essem.* Subdit toties recoctus, qui Passeratii dicitur, Calepinus: *Vox nova est, ut pleraque alia, asino Appuleii aptissima, quæ rudere interdum maluit, quam loqui.* Dura oratio, quando vox nova quidem, sed convenientissimè exprimens Græcum illud, quod diximus.

Inviolandus Latinum non est: pro quo veteres *inviolatus, sacer, sacrosanctus*.

Invisibile dicunt, ut Græci ἀόρατον. Sed Cicero, ubi Plato ἀόρατον, vertit, sensum omnem effugiens oculorum, vel oculorum effugiens obtutum. Possis & dicere, aciem fugiens oculorum, vel non adspectabile.

Invitatorium sic appellatum, quia eo in monasteriis invitentur ad Deum laudandum. Anonymus de veteribus Ecclesiæ ritibus: *Ipsi enim intrant de vigilia solito tempore noctis, & canunt invitatorium, & prosequuntur ordinem antiphonarii.*

CAP. XVII.

De cœptis ab I, excipiente O, vel aliquâ consequentium literarum. Jocalia, *monilia, aliaque id genus preciosa, luxui inservientia.* Jochus, *&* juchus, *jugerum; proque eodem, sed diversâ origine,* jornale, jornata, *&* jurnata. Jocista, *&* joculator, *cui studium alios jocis oblectare.* Irreconciliabilis, *inexpiabilis.* Irregularitas, *commissum contra regulam vivendi.* Irremissibilis, *cui nunquam condonabitur.* Irrisorium, *quod ad irridendum fit.* Itinerale, *itineri inserviens.* Judicator, *index.* Junioratus, *dignitas quædam Ecclesiastica,* Juridicina, *jurisdictio; obiterque de* caussidicina, *&* iudicina. Jurista, *jurisperitus.* Jussorium, *jussum.* Justitiarius, *judex; unde* justitiariatus, *&* justitiaria, *pro munere judicis.*

CÆtera nunc ab I inchoata, quæ se mihi offerant, expediam.

Jocalia, collapsâ Latinitate, vocarunt, monilia, gemmas, ac vasa, quæ vel materiæ, vel formæ elegantiâ, vel utroque, commendarentur. Ingulfus, Croilandiensis abbas: *Et aliquod preciosum, nobileque jocale, afferret.* Similiter Matthæus Parisius in Henrico III, & Gesta Episcop. Turonens. in XXVII Abbate; ubi & thuribulum videas in jocalibus reponi. Item Antoninus Florent. Chronic. Tit. XIX cap. I: *Ædificavit præterea à fundamentis illud nobile hospitale sancti Spiritus in strata publica juxta Tiberim: quod quantis donaverit jocalibus, quantis ditaverit possessionibus, quantis decoraverit ædificiis, per se satis apparet.* Pius IV Papa in bulla† contra detinentes jocalia: *Cum itaque, non sine gravi animi nostri molestiâ acceperimus, tam tempore infirmitatis diversorum Romanorum Pontificum, prædecessorum nostrorum, ex qua, sicut Domino placuit, ab humanis decesserunt; quam exinde diversarum sedium vacantium, quamplura etiam pretiosa jocalia, ornamenta, & alias res, & bona, usui præfato, ut præfertur, deputata —— tam ex dicto palatio, quam aliis quibusvis locis, ablata & distracta fuerint*, &c. De jocalibus habet & Philippus à Leidis. Quòd verò istiusmodi *jocalia* vocarint, ex eo est, quòd *jocum*, vel *joculum*, nuncuparent, undecunque caperent voluptatem. Id Græcè sit παίγνιον. Sic *joculum* usurpat Vitruvius lib. IV cap. I: cujus corruptum hac de re locum Salmasius corrigit in Solinianis Exercitationibus*, ac fortasse etiam Ciceronis. A *jocale* est Arabum *johar*, & præmisso ex more articulo, *aljohar*; pro quavis gemma. Etiam *jocale* est Gallicum *joyauls*, & Belgicum *juweel*: unde gemmarii *juweliers*. Nempe gemmæ, & istiusmodi, solùm joco, hoc est, oblectamento, ac inani inserviunt voluptati. Unde fortassis & Belgicum *klein-nood*; quæ vox ad verbum notat, *exiguæ necessitatis*, hoc est, parvi usus.

† Tom. 2 Bull pag. 4.

* Paginâ 1132.

Jochus, & *juchus*, idem ac *jugerum*, in Chartis Alamannicis: quod pluribus locis Spelmanno comprobatum. Nempe ex *jugum*, & Germani *jok*, vel *juk*, & Gall. *jong*, dicunt. A *jugo* autem *jugerum*; nempe quantum terræ uno die boum jugo possit exarari. Unde &, in chartis iisdem, pro eo legas *jornale, jornata*, & *jurnale*; à Gallico *jour*, hoc est, dies. Ac in antiquitatibus etiam Fuldensibus, lib. II Tradit. XCI, similiter, tum *jurnales mille*, tum *jurnales trecentos*, exaratum.

Jocista pro eo, qui jocis ac fabulis alios oblectat: ut est apud Isidorum in Glossis. Similiter veteres nostræ Glossæ membranaceæ: *Jocista, qui sæpe jocis intendit.* Eædem postea: *Jocista ille, qui ludit; qui ludius dicitur, & joculator, & ludicrus.* Iterum, *Jocista, qui libenter ludit.*

Joculator pro eodem legas in Speculo Saxonico†.

Irreconciliabilis non usurpem; sed pro eo *inexpiabilis*.

† Pag. 61. vers 9.

Irregularitas, pro delicto adversus canonas, in Concilio Pisano I sess. I.

Irremissibilis æquè displicet: pro quo itidem *inexpiabilis* dicendum.

Irrisoria vestis S. Gallo dicitur, quâ indutus Christus fuit, risùs ac ludibrii caussâ.

Itineralia, pro ad iter pertinentia, in vita S. Othonis lib. III. cap. XV.

Judicator, ut puto, barbarum, pro *judex, æstimator*.

Junioratus apud Ivonem legas epist. CCLXXXVI: *Super hæc dedimus junioratum Ecclesiæ de Pontegodonis cum omnibus domibus nostris.* Nempe eâdem formatum ἀναλογίᾳ, quâ à *major, majoratus*: de quo cap. XX.

Juridicina, jurisdictio. Tertullianus de Pallio cap. III: *Idem Cato, juridicina sua tempore, humerum exsertus, haud minus palliato habitu Græcis favit.* Quod exponunt, locum, ubi jus dicitur, id hic locum non habet. Similis est compositio in *caussidicina* Ammiano Marcellino lib. XXX; item Symmacho lib. V epist. XV, & LXIII; nec non lib. IX epist. XXIX. Geminum quoque *iudicina* apud Appulejum lib. VII: *Sed planè solutum, concitatum, solitarium, ob iudicina præmium, concitâsse.* In Glossis vett. *Iudicina* exponitur μηνύτρον, quod à μηνύω, indico.

Jurista barbarum, pro *jurisperitus, jurisconsultus*, *legulejus*.

Jussorium, pro *jussum*. Verus epistolâ ad Desiderium*: *Jussorium vestrum accepimus una cum exemplari de literis domni Sulpicii.*

* Apud H. Canisium, in scriptoribus, quos habet in Promtuario Ecclesiastico.

Justitiarius, pro *judice*, est frequens posterioribus. Ingulphus Saxo, qui circa annum CIↃLXX vixit: *Præfectos provinciarum, qui antea Vicedomini, in duo officia* (Alfredus) *divisit: id est, in Judices, quos nunc justitiarios vocamus, & in Vicecomites, qui adhuc idem nomen retinent.* Utitur & Matthæus Parisius; cujus verba mox adferam. Sunt verò *justitiarii*; qui hodieque, veteri Saxonum voce, *Aldermanni*. Justitiariorum autem vox à Normannis. Nam Alfredi temporibus ignotam fuisse Anglis, superior Ingulphi locus ostendit. Habes eandem & Tom. II Roberti de Houeden; qui paullo ante annum CIↃCC claruit. Ac ne Britannis initam, in Constitutionibus legas Neapolitanis sive Siculis lib. I tit. I, & XXXVI. Indeque pro judicis munere ac dignitate *justitiariatus*, in iisdem lib. I tit. XLV, & XLVI, & tit. XCII, leg. I. Item Petro de Vineis lib. III epist. XIV. Proque eo & *justitiaria* est apud Matthæum Parisium, in an. CIↃCLXXXVIII: *Episcopus Dunelmensis habuit justitiariam à magno flumine usque ad Scotorum mare: Wilhelmus verò Eliensis obtinuit justitiariam à flumine prædicto ad plagam Australem. Quod Hugo Dunelmensis episcopus nimis molestè ferebat, tunc primò intelligens, quod rex illum justitiarium fecerat, non zelo justitiæ, sed ut pecuniam ab eo extorqueret.*

CAP. XVIII.

Iis præteritis, quibus princeps litera K, (nisi quod de kaiis, hoc est, cancellis, attingimus) acceditur ad illa, quibus initium est ab L: ac hoc quidem continentur capite,

pte, ubi eam A consequitur. Labarum, vel laborum, *pro sacro vexillo militari.* Labilis *memoria, pro minimè tenaci.* Labina, *pro inferiori labro; quod propriè* labium *putavit Donatus.* Laboragium, & laboratio, *pro labore.* Labratum, *suavium, quod fit labra labris conserendo.* Lactena, & laja, *color albus, lucis sive splendoris expers.* Lacticinium, *opus lactarium: ut* dulcium, *e dulcibus coctum.* Lactineus, *lactei coloris.* Lactoro, *germinis genus lacteo abundans succo.* Lecator, *leno: ac quandoque etiam gulosum.* Lætatio, *pro lætitia.* Laicale, *quod laici est.* Lampium, *pulpitum.* Langus, *scortator, vel cinædus.* Lanio, *pro lanius.* Landerarius, *penori præfectus.* Lascivitas, *lascivia.* Laturarius, *qui literas, vel aliud defert.* Lavandulæ *novum vocabulum unde sit.* Lavatorium, *pro lavatrina.* Laudamentum, *arbitrium, judicium.* Laudana, *ornamentum aureum, vel argenteum, in templo pendens ante altare.* Laudimium, *conventum promissumque; ac particulatim, quod pro renovatione emphyteuticâ persolvitur.* Laudum, *sententia arbitri.* Lavina, *lapsus, vel quo quid in lapsum vergit.* Lauratum, *ceres vultus imperatorum laureati.* Lautor, lotor, lutor, *qui lavat.* Laxativum, *quod corporis meatus aperit.*

VOcalem tertiam consona K excipit: quam Romani nullâ recepere necessitate, cùm non magis his opus sit eâ literâ, quàm Græcis C. Figuræ est discrimen, non potestatis. Usi igitur ob luxum. Exemplum dabo ex Latinobarbaris; quando de his nunc solis agimus. *Kaii*, pro cancellis, est apud Isidorum in Glossis. Quod eò referimus inter ea, quæ originis sunt Latinæ; quia Fulgentio *cajare* est cohibere, coercere, compescere. Indeque putat datum nutrici Æneæ nomen *Cajeta*; quia nempe coërcuisset teneram ejus ætatem: & *cajatio* sit, quando puer ob delictum verberibus excipitur. Belgis litus, *kaeije*; quia impetum undarum coërceat. Alia etiam in linguâ se Belgicâ offerunt, ejusdem, ut videtur, originis. Sed nolo nimium conjecturis indulgere. Transeo igitur ad ea, quæ incipiunt a liquidarum principe.

Labarum, vel *laborum* (nam utroque modo scribitur) vexillum erat militare; idque sacrum, sanè pretiosius eo, quod præferretur Imperatori. Etsi verò non ignorem, quomodo Fullerus, in Miscellaneis sacris lib. II cap. I, à Græco fonte deducat; alii item à Persico: maximè tamen placet, quod Nazianzenus scribit orat. I adversus Julianum, καμάτων λωφήσιον εἶναι, καὶ τῇ Ῥωμαίων ὀνομάζεσθαι: *laborum esse levamen, ac sic vocari à Romanis.* Nempe hoc vult, id vexillum sic à labore nuncupari, quia laborum solatio foret: putà ut excitaret milites ad laborandum, quasi labore finem laboris consequerentur. Interim certius hoc ἔτυμον ducerem, nisi Romani mediam per A breve quandoque proferrent. Prudentius lib. I contra Symmachum:

> *Christus purpureum gemmanti textus in auro*
> *Signabat labarum.*

Sed nihil prohibet, quò minùs credamus, vocem in castris, ubi variarum gentium colluvies, fuisse corruptam. Primus, qui ea usus credatur, Tertullianus est in Apologetico. Ubi tamen pro *labarorum*, libri vett. *cantabrorum*. Sed non dubium saltem, quin usurpet is, quem dixi, Prudentius. Item Aldhelmus de laudibus Virginitatis. Nam corruptè ibi *tabaro*, pro *labaro* legi, jamdiu monitum Joan. Meursio. Neque refugit Jonas, episcopus Aurelianensis, de cultu imaginum lib. II. *Ac labarum, quem dicunt draconem, in speciem crucis Dominicæ exaptat.* Nempe labaro usi pro dracone; quod signum prius ad prœlium à draconariis deferebatur. Etiam in Ivonis Carnotensis Chronico, (quod MSum, longeque auctius, conspexi in bibliotheca Nobil. Noomsii, Arlandervenæ Domini, τοῦ μακαρίτου) legitur: *Transformat signum, quod dicitur labarum, in speciem Dominicæ Crucis.* Figuram si voles nôsse, adi Eusebium in primo de vita Constantini. [illegible]

Labilis pervulgatum: ut cùm dicunt, aliquem esse *labili memoriâ*, pro *debili, infirmâ, madidâ.*

Labina, pro labio inferiore: ut est apud Isidorum in Glossis. Et convenit hoc cum eo, quòd Donatus in Eunuchum *labrum*, & *labium*, sic distinguit, quòd *labrum* sit superius; *labium* inferius. Neque enim dubium, quin *labina* sit à *labium*. Sed discrimen istoc Donati non observatur.

Laboragium, à labore agendo: ut ab aquis agendis, sive ducendis, *aquagium*: nisi malis, prius esse derivatum simplex, & *agium* esse παρέλκον, sive productionem vocis. Karolus VIII Gal. R. in Edicto de Excessu Off. & subd. *Omnia animalia ad laborandum, & cultivandum, seu colendum terram, ordinata, & deputata; nec non instrumenta, & ostilia, necessaria ad laboragium, deinceps obligari non poterunt.*

Laboratio, pro labore. Adamannus de rebus S. Columbæ lib. III: *Qui de propria manuum laboratione suarum præmia emax felix comparavit æterna.* Ubi & *emax* ponitur pro *emtore*.

Labratum à labris, ut *osculum* ab ore. Glossæ interpretantur φίλημα βασιλικόν, ἀσπασμὸν βασιλέως. Nempe osculum, quod datur manui regiæ, adorationis, & venerationis ergo. Vide Cujacium lib. XI Observat. cap. XXVII.

Lacebra, à lacio; ut a composito *illicio*, *illecebra*. Althelmus de laude Virginitatis:

> *Qui modò disrumpunt connubia nexa thororum,*
> *Et demunt propriæ devotâ mente lacebras,*
> *Mundana licita spernentes gaudia pompa.*

Quam lectionem amplectitur Ludovicus de la Cerda Advers. Sacr. cap. CLXV §. I XI. Nec dissentirem, si alibi legissem. Nunc mihi verisimilius fit, *latebras* per T scripsisse Althelmum. Nempe de illecebris sermo, quæ animi latebris occuluntur.

Lactena tinctura, fortasse à lacteo colore. Ex *lactena* verò τῇ συνηθείᾳ *laja* esse factum videtur: licet usus in iis aliquod statuerit discrimen. Sanè *lajam*, & *lactenam* tincturam, colori nigro, & lucido, item purpureo, opponit Cæsarius, Arelatensis episcopus, in Regula† monasterii, quam scripsit sorori suæ Cæsariæ, cœnobio Sanctimonialium præfectæ, §. XLIV: *Omnia verò indumenta simplici tantùm & honesto colore habeant. Nunquam nigra, nunquam lucida; sed tantum laja, vel lactena, in monasterio, per industriam Præpositæ, vel sollicitudinem lanipendiæ, fiant: & Mater monasterii, quomodo cuique rationabiliter necessaria fuerint, dispenset. Tinctura in monasterio nulla fiat, nisi, ut supradictum est, laja, & lactena; quia aliud humilitati virginum non oportet.* Et §. LV: *Moneo specialiùs, sicut jam diximus, vestimenta lucida, vel nigra, vel cum purpura, vel vibrina, nunquam in usu habeantur, nisi tantùm laja, & lactena.* Ubi & videmus, tincturam *vibrinam* rejici. Quæras, si *laja* sit color lacteus, quomodo lucido opponatur. Nempe lac album est; non tamen niveum, ut interdum poëtæ* vocant, hoc est, lucidum sive candidum, quod albori addit splendorem; ut in nive videmus: quæ icciro candida dicitur, ut & lux Solaris. Vide inferiùs *lactineus*.

† *Primus edidit Bollandus in Vitis Sanctorum ad 12 Jan.*

* *Ovid. 13 Met.*

Lacticinia, ἀλφίτα, ut exponitur in veteribus Glossis. De hoc jam vidimus lib. I cap. XVI: ubi & monebamus, veteres pro eo dicere *opus lactarium*. Cornelius Celsus: *Lac, mel, adeoque lactaria, atque omne pistorium opus.* Idem: *Mel crudum, lac, lactaria omnia.* Atque inde *lactarii*, qui opus facerent lactarium. Lampridius in Heliogabalo: *Dulciarios, & lactarios, tales habuit, ut quæcunque coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pomarii, illi modò de dulciis, modò de lactariis, exhiberent.* Ubi & *dulcium* videmus, pro *dulce*. Quamquam & in Regio MSo, pro *dulciis*, est *dulcibus*. Sed postea quoque *dulciis* legas, non in aliis modò, sed etiam Regio codice; ut Casaubono monitum.

Lactineus, pro lactei coloris. Vita S. Fulgentii cap. XVIII: *Intra monasterium interdum soleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam, vel superbi colo-*

coloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactineo pallio, circumdatus incessit. Videmus, ut lactineum colorem opponat non solùm nigello, sed cuivis superbi coloris: qualis etiam candidus, ut in *Lactena* diximus.

Lactorones, germina herbæ cujusdam, quæ, à lactis abundantia, *lactoris* vocatur. Ita Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris cap. CXII. Movet eum hoc Plinii lib. XXIV cap. XVIII: *Herba lanaria, ovibus jejunis data, lactis abundantiam facit. Æque nota lactoris vulgo est, plena lactis, quod degustatum vomitiones concitat.* Atque addit, lactoronum meminisse etiam Rufinum lib. III num. CC: *Et unus quidem deferebat nuces, alius lactorones.*

Lacator idem ac *leno*, *lenunculus*, vel *lenullus*, à Græco λαικᾷν, sive λαικάζειν, quo usus Aristophanes Equitibus, pro *scortari*. Sanè λαικάζοντα ab scholiaste exponitur πορνεύοντα. Atque idem Acharn. λαικαστὴς posuit pro scortatore, sive qui corpore faciat quæstum. Uti Athenæus in XIII λαικαστρίας ait de scortis. Isidorus in Glossis: *Leno, lacator, mediator.* Item: *Lenocinium, lacacitas.* Adhæc: *Lenullus, parvus lacator.* In iisdem legitur, *Lacator, gulosus*: quod proximè accedit ad Belgicum *lecker*: ut videri possit, esse à *lecken*, hoc est, lingere; quomodo ad verbum sonet *liguritorem*. De eo dictum lib. II cap. XI.

Lætatio verbale à lætor, apud Adamannum in libris de rebus S. Columbæ Scoti.

Laja quid, & unde sit, dictum in *Lactena*.

Laicale, quod homini laico competit. Ivo epist. CCLXIII, & CCXC. Item in fragmento ejusdem, quod in calce apponitur ex Petavii schedis. Atque hinc *laicaliter*, in Concilii Pisani Promot.

Lampium, pro pulpito, apud Isidorum in glossis: credo à lampade illic relucente.

Langus, ut Salmasius ad Capitolinum * annotavit, signat scortatorem, vel cinædum. Hoc pacto utitur Aldhelmus penè initio Carminis de octo principalibus vitiis:

* Pag. 103.

Loth quoque, qui langos sceleratos vixerat inter,
*Hospes * hospitibus præbens umbracula tecti.*

* Condemnandum iis temporibus, quod posteriorum in hospes prædicat.

Sic in MSo erat: pro quo *largus* perperam reposuit Canisius. Id verò esse, quod dicebam, ostendunt ea, quæ subjicit Aldhelmus:

Cum scortatores, & molles fortè cinædos,
Qui Sodoma facinus patrabant more nefando,
Cærula fulmineis torrerent fulmina flammis.

A Græcis, sed junioribus, vox ea fuerit, si sit à λαγγὼν. Gloss. *Trico*, ἀχρεῖος, ἐκλυτος, λαγγών. Aliæ: Λαγγὼν, *reses, trico.* Puto, λαγγὼν à λάγνης, *libidinosus, iners.* Suspicatur Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris cap. XXXIX, è *languidus* κατὰ συγκοπὴν factum esse *langus*. Nolim de eo, in re incerta, ducere contentionis funem. Sed de illo non adsenserim, quòd Longobardos arbitratur sic vocari, quasi Langobardos, quia langi essent, & effeminati. Omnino enim vox ea ex duabus est conflata. Prior est Germanicum *lang*; quod notat *longus*, & fortasse ex eo factum: posterior est Germanicum *bart*, vel *bard*: quo tum notatur barba; tum etiam bipennis, sive securis Romana, quæ & Amazonia dicta. Vel ex eo igitur vocabantur, quòd barbas alerent; vel potiùs, quòd pugnarent bipennibus longis.

Lanio apud juniorum aliquos legas; veterum, ut puto, neminem; etsi & Cœlii Forum Romanum, & Calepinus, etiam ille toties recoctus, imò & Hadrianus Junius in Nomenclatore, id vocabuli agnoscant. Quos idoneo fulcire id auctore oportuisset. Fateor, dici *lanionius*: quod volunt esse à *lanio*, ut à *Juno*, *Junonius*. Sed est *Junonius* à *Junoni*, addito *us*, sicuti ab *Jovi*, *Jovia* est, addito *a*. At venit *lanionius* à dativo *lanio*, addito *nius*, veluti à *morbo* finxere *Morbonia*. Quæ disparem esse istorum rationem, non obscurè indicant. Quare *lanius* dicendum cum Comicis, & Cicerone ipso I Off.

Larderarius, penoris præfectus, quia in penu præcipuus est locus lardo, carnique suillæ, vel aprugnæ. Habes apud Florentium Wigorniensem ad an. CIↃCII.

Lascivitas, pro lascivia, apud Julium Firmicum Maternum lib. I Mathes. cap. I: *Nec Asiana lascivitas sobriâ Jovis moderatione corrigitur.*

Laturarius, bajulus, tabellarius. Augustin. serm. I De tempore: *Quid sunt pauperes, quibus damus, nisi laturarii nostri, per quos in cælum de terra migramus? Da; laturario tuo das; ad cælum portas, quod das.* Ut φορεὺς ἀπὸ φορᾶς, sic *laturarius* à *latura*: pro qua *lationem* philosophi amant dicere. Gloss. Philox. *Latura*, φόρετρον.

Lavandula, vel *lavendula*, vocabulum est Plinio, & veterum aliis, ignotum. Nolim tamen culpare, qui utantur; quando dubium, num Virgilii *casia* sit, vel Plinii *saliunca*, aut *hirculus*, aut *nardus Celtica*. Utcunque illud, vocabulum est barbarum; sed origine Latinum. Nam ex eo dicitur, quia in lavacris, ac lotionibus, expetatur. Sunt qui putent, esse λαβανίδα, memoratam Athenæo lib. II. Sed obstat, quòd hanc ait esse nomen λαχάνου sive oleris.

Lavatorium, locus ubi lavatur, vel labrum, in quo fit lotio. Glossæ Cyrillo tributæ: Πλύσιμον, *labatorium*. Ubi legendum puto πλυσμὸν, vel in recto πλυσμός. Hesychius: Πλυσμὸς, πλυντήρ. *Lavatorii domum*, legas apud Matthæum Parisium in vita abbatis Monstreoli. Nempe quomodo Belgæ locum, ubi lavantur lintea, appellant *waschhuys*. Pro *lavatorio* autem malim dicere *lavatrina*: quandò & veteres sic vocarunt, ubi vasa escaria eluuntur. Varro in IV de L. L. *Trua, qua à culina in lavatrinam aquam fundunt.* Imò latiùs ea vox patuit. Nam ut idem in octavo ejusce operis refert, veteres, priusquam Græcam *balnei* vocem recepissent, pro eo *lavatrinam* dixere. Quod & Nonius firmat, cùm *lavatrinam*, & *balneum*, idem esse statuit. Ac, secundùm eundem Nonium, nec *latrina* est à latendo, quomodo Belgæ vocant *heimelick gemack*; sed contractum est ex *lavatrina*.

Laudamentum, pro collaudatione, sive potiùs approbatione, lib. I de Feudis Tit. XVII, *per laudamentum sapientum.* Sententia est, de judicio ac sententia jurisperitorum; ut etiam exponit Cujacius. Similiter Radevicus Frisingensis de gestis Frederici I lib. IV cap. XI: *Accepto de hac petitione fideli laudamento.* Item lib. III cap. X: *Laudamentum accepisse memoratur, ut scriptura, & pictura talis, de medio tolleretur.* Nempe omnis hic loquendi mos inde profluxit; quòd qui judicium alicujus probat, is fere illud collaudat. Qua de re libro proximo aliquid dicam in *Laudare*.

Laudana, ornamentum ex auro, vel argento, quod ante altare suspenderetur; sic dictum, quia id fieret in laudem Domini; ut ait Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XXXI. Utitur Anastasius Bibliothecarius in Adriano Papa: *Fecit laudanas duas de argento, pensantes libras octonas; quas posuit supra rugas de presbyterio, ubi arcus de argento existit.*

Laudimium, pro convento, promissoque, ab ea *laudandi* significatione, quâ inde etiam *laudamentum* dixere, ut vidimus. Particulatim verò in Legibus Longobardicis sumitur lib. IV. pro eo, quod emphyteutæ persolvendum est in emphyteuticâ renovatione, secundùm ea, in quibus utrumque consensum conventumque.

Laudum etiam Jurisconsultis, ab eadem origine, pro arbitri sententia, partiumque transactione. Quo pacto veteres pro eo dicere soleant, indicat Festus his verbis: *Arbitrium dicitur sententia, quæ ab arbitro statuitur. Arbitrarium autem, cùm adhuc res apud arbitrum agitur.* Quomodo nempe Plautus Amphitr. sc. I, *certum*, & *arbitrarium*, opponit. Turnebum sis vide lib. XIV Adversar. cap. XII.

Lavina, quod, ut labamur, facit; & ipse etiam lapsus; quasi *labina*, à *labe*, vel *labendo*. Isidorus Originum lib. XVI cap. I: *Labina, eò quòd ambulantibus lapsum inferat, dicta per derivationem à labe.* Idem in Glossis: *Labina, lapsum inferens.* Usurpat B. Hieronymus epist. CXIII: *Ceterùm amat Deus hominem, ut artifex fabricam; sed odit mala opera, quibus fabrica vergit in lapsum, & cogitur in lavinam.* Et paullo pòst: *Sicuti aliquem, securis*

incessibus gradientem, repentino casu, aut marmoris levitas, aut lavina pavimenti, subversâ pedum tutelâ contorsit. Ubi *lavina* pavimento tribuitur, quia, cùm sit læve ac glabrum, facilè in eo labamur. Paulus Warnefridi lib. III de gestis Longobardorum cap. XXIII, ubi diluvii in finibus Venetiæ mala describit: *Factæ sunt lavinæ possessionum, seu villarum, hominumque pariter, & animantium magnus interitus.* Atque hinc glomeratæ nivis moles, de Alpibus summis decidentes, Rhætis vocantur *lowin*, hoc est, lavinæ; ut ex Stumphio, & Simlero, monitum Lindenbrogio †.

† Notis in Paullum Diaconum.

Lauratum, tabula cerata sacros imperatoris laureati vultus repræsentans. Optatus Milevitanus: *Lauratis, & iconibus, quæ mittuntur ad civitates, vel regiones, obvii adeunt populi cum cereis, & incensis, non cerâ perfusam tabulam, sed imperantem venerantes.* Sic legit quoque Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris, cap. CXXI. Sed quid si Optatus scripserit, *Laureatis iconibus*? Id cum subvererer, Optatum ipsum adire malui. Neutrum se obtulit. Quid mirum? quando verba illa, quæ velut Optati attulit de-La-Cerda, nusquam apud Optatum leguntur, sed editorem ejus Balduinum, idque ex Græci scriptoris interpretatione. Ubi *lauratis* retentum ex Græco λαυρέατις, cùm *labratis* fuerit reddendum. Λαυρέατον enim Græci dixere pro λαβέατον: uti quandoque λαῦρον pro λάβρον, sive *labrum*. Λαβέατον verò posterioribus Latinis *osculum* notabat, quod labris Imperatoris, vel etiam imaginis ejus, manu priùs ori admotâ, imprimebatur. De hoc adorationis ritu agit Justus Lipsius in Electis. Cui adde, quæ de eodem ritu, ac præcipuè de labrato, maximus Salmasius ad Probum Vopisci annotavit.

Lautor, lotor, lutor, πλύτης. Ita Glossæ. Nempe ut *lautum*, sic *lautor*: unde & *lautula*, aquæ calidæ ad Janum Geminum, & extra urbem: quòd ibi lavarentur, teste Varrone, & Festo. Gloss. *Lautula*, θερμαί. *Thermas* signat, quæ & Homero θερμὰ λοετρά. *Lutor*, pro *lautor*, ut *lura* pro *laura*, a *fraudo*, *defrudo*. Etiam in Glossis est Mssis: *Lutor*, πλυντής.

Laxativum, medicamentum laxans, vel laxandi vi præditum. Fulbertus epist. XLVI: *Vulgaginem etiam petitam vobis mittimus; quamvis ætatem vestram tali vomitu fatigari non suademus; sed eo potius, si opus sit, allevari, qui frequenter & sine periculo fieri possit, ex oxymelle, & raphanis Valeriana; quod seniori magis conducibile est, morantem alvum laxativis pilulis incitari.* Opponuntur iis *adstringentia*.

Cap. XIX.

De iis, quæ ab L incipiunt, sequente E. Lectionarium, *liber, qui legitur in Liturgia.* Lectorium, *&* legium, *quod &* analogium, *pluteus, è quo legitur.* Lectualia, *ad cubile pertinentia.* Legalitas, *legum observantia.* Legatia, *legatio, vel solum, ubi ea obitur.* Letania, *vel potius* litania, *preces Ecclesiæ supplices.* Levativum, *quod levamentum præstat.* Leuca, *spatium nunc bis mille stadiorum; olim tantum* CIↃIↃ: *ac super eo Isidori locus emendatus.* Levidensa, *pro* levidense; *cui opponitur* pavidense; *& utriusque vocabuli origo.* Levigabilitas, *morbi levamentum.* Levitonarium, *colobium sine manicis; quali in Ægypto utebantur monachi. Glossa correcta. Suida lapsus.* Leviton *quid, & unde dicatur.*

PErgamus porrò ad ea, ubi liquidarum primam secunda vocalium consequitur.

Lectionarium dicitur liber, quo continentur, quæ in Ecclesia totius anni curriculo ex Prophetis, Apostolis, & Euangelistis, legi solent. Habes in Capitularibus Karoli, & Ludovici, lib. I cap. CIX, & apud Flodoardum Histor. Remensis lib. III cap. V, & IX, ubi verba: *Lectionarium ad Missas librum pari decore venustatum contulit. Missale* vocant.

Lectorium, & *legium*, dicitur pluteus Ecclesiæ, unde Lector populo legit; vel locus, in quo pluteus consistit, è quo S. Scriptura ad populum legitur. *Lectorium* semel, iterumque, vocat Anastasius bibliothecarius in Leone III: *Legium* Leo Marsicanus lib. III Historiæ Casinensis cap. XXXII. Glossæ Isidori: *Lectrum, analogium, super quo legitur.* Ubi *lectorium* malim. *Analogium* appellat Stephanus de Sacramento altaris cap. IV. Suidas: Ἀναλογεῖον, ἐν ᾧ τίθενται τὰ βιβλία*. Vide & Walafridum Strabonem de rebus Ecclesiast. cap. VI.

* Analogium, in quo reponuntur libri.

Lectualia, culcita, lodices, & alia, quorum usus in lecto. Chronicon Cistercienſe †: *Lectualia, vel lectisternia, moderatâ dispensatione magistri, unusquisque habeat.*

† Pag. 77.

Legalitas, a *legalis*, apud Philippum VI Gall. Reg. in Edicto de Offic. malè requ.*

* Pag. 181.

Legatia, terra omnis, ubi legatus munus suum exercet. Matthæus Parisius in ann. CIↃCCXXXVII: *Omnes Prælati suæ legatiæ.* Item pro *legatio*. Rogerus de Houed. Annal. Tom. II: *Præterea dominus Papa concessit Rogero, Eboracensi Archiepiscopo, legatiam in Scotia, & præcepit ei, sententiam excommunicationis unà cum Hugone Dunelmensi Episcopo.*

Letania, ex Gallico *letanies*, pro *litanies*: à *litania*, uti hoc ex Græco λιτανεία: quod Ecclesiastici novè formarunt a Græco λιτανεύειν, *supplicare, supplices preces fundere.* Episcopi Remenses, & Rotomagenses, ad Ludovicum Regem †: *Jejuniis, & orationibus, ac litaniis Dominum summum —— deprecari studebimus.* At *letania* pro eo est apud Bedam I Histor. Eccles. lib. I cap. XXV, Paullum Diaconum de gestis Longobard. lib. III cap. XXV, Abbonem Floriacens. de vitis Pontificum *. Apud Benedictum Levitam capitularis lib. V capit. LXXXV: *Placuit nobis, ut letania major observanda sit à cunctis Christianis diebus tribus.* De majore hac letania, seu litania, vide quæ Pithœus in glossario ad Capitularia Karoli M. & Ludovici P. ac aliorum, annotavit. At universè de Litaniis libellis duobus egit Nicol. Serrarius.

† In capitulis Karoli Calvi cap. 23. pag. 206.
* In vita Sergii Syri Papæ, pag. 156.

Levativum barbarum puto, pro eo, *quod dolorem allevat*, sive *quod levamini est*, vel *levamentum præstat*.

Leuca, viarum spatium, apud Gallos. Usurpant Hieronymus *a*, Isidorus *b*, Flodoardus *c*, Ingulphus Saxo *d*, & Brocardus monachus *e*. *Leuga* pro eo dicit Ammianus Marcellinus *f*, Jornandes *g*, & scriptor martyrii B. Genovefæ *h*. *Leuva* autem Nithardus *i*. *Lega* Lelandus, uti hodie Itali: sicut Hispani *legua*. Vox est ortu barbara. Nec enim à λευκός venit, hoc est, albus; quia albis, ut volunt, lapidibus signarentur milliaria; etsi id Ingulpho fuerit visum: sed a Saxonico, & Anglis usitato vocabulo *leach*, quod lapidem signat; ut Romani ad decimum, vel vigesimum lapidem, dicunt. Quingentos passus sonat, si credimus vulgatis codd. Isidori lib. XV Origin. cap. XVI. Sic sanè optima Breulii editio †; quâ cum alios, tum clarissimum Matthiam Martinium in Etymologico video deceptum. Sed scripsit Isidorus, *mille quingentos*. Ita enim invenio in veteri editione Veneta *. Imò & in Mssis nostris membranaceis duobus bonæ notæ. Ac firmat Ammianus Marcellinus lib. XVI: ubi de Juliano Cæsare in Galliis militante scribit hunc in modum: *A loco, unde Romana promota sunt signa, adusque vallum barbaricum, quarta leuca signabatur, & decima, id est, unum & XX millia passuum.* Et apertiùs Jornandes de rebus Gothicis cap. XVI: *Leuga Gallica mille, & quingentorum passuum metitur.* Hodie verò *leuca* est bis mille passuum: neque ea mensurandi ratio χθὲς καὶ πρώην cœpit, quando Ingulphus Saxo †, & Nicolaus Lyranus *, clarè duorum fuisse milliarium tradiderunt. Ac favet ei sententiæ Hunterus Cosmographiæ lib. [illegible]

—— Sed miliare

Octo dabunt stadia, & duplatum dat tibi leucam.

a In loco cap. 3.
b Lib. 15. cap. 16.
c Histor. Rhem.
d Pag. 910.
e De terra Sancta cap. 1.
f Lib. 16.
g In Historia Getica.
h In vitis Sanctorum.
i Histor. de dissidio liberorum Ludovici Pii lib. 2. 3. 4.
† Parisiis an. 1601.
* Anno 1483.
† Pag. 910.
* In Deut. cap. 4. vers. 27.

Levidensa dicunt nonnulli pro panno vili, raro & tenui textu: ut etiam in Nomenclatore suo interpretatur Hadrianus Junius. Nempe apud Ciceronem legunt lib. IX epist. XII, ad Dolabellam, de oratiuncula pro Dejotaro:

Sed

Sed ego hospiti veteri, & amico, munusculum mittere volui levidensa, crasso filo; cujusmodi ipsum solent esse munera. Quomodo edidit Robertus Stephanus an. cIↃIↃXLIII. Sed in Mss omnibus vel est *levidense*, vel *levi dense*, vel *lenidense*; sine diphthongo. Fulvius Ursinus legebat, *leve, crasso filo.* Commodiùs Octavius Pantagathus, quia in quibusdam libris divisim legitur *levi dense*, eò corrigit, *leni dente*; ut sermo sit de dentibus pectinis textorii. Sed Ciceronem scripsisse *levidense*, apertum est ex Isidori lib. XXVI. cap. XXII: *Levidensis, quòd raro filo sit, leviterque densata: pavidensis; quòd graviter pressa atque calcata sit.* Sic habent Mss nostri, & editt. veteres; in his Veneta anni IↃ CCCC LXXXIII. *Levidensis* igitur vestis, ἀραιόστημος: *pavidensis*, ἢ πυκνόστημος, vel πιλωτάθετος. Quæ *pavidensis* dicta, quia densiùs pavita. Nam *pavire*, est *percutere*, κρούειν, παταθᾶν. A qua *paviendi* voce est *pavimentum* dictum. *Pavire* autem ex παίειν, more Æolum inserto digamma.

Levigabilitas, levamentum morbi. Incertus in Miraculis S. Majoli lib. II cap. III: *Super infirmitatis suæ gravitudinem invenire promeruit aliquantulam levigabilitatem.*

Levitonarium, Ægyptiorum monachorum colobium sine manicis; sic dictum, quia Levitæ eo uti soleant. Habes in glossis Arabico-latinis, atque aliis. *Libitonarium* pro eo est apud Isidorum lib. XIX cap. XXII. Sed scripsit *lebitonarium*, uti Suidæ est λεβιτωνάριον. Quomodo B. Hieronymus præfatione in Regulam S. Pachomii: *Nihil habent in cellulis præter psiathium, & duo lebitonaria: quod Ægyptiis monachis genus vestimenti est sine manicis.* In Glossis Arabicolatinis, quas dixi, exponitur *colobium sine tunicis.* Sed ex Hieronymo, Isidoro, atque aliis, liquet, *sine manicis* legi oportere. Quod Suidas ait esse id vocabulum à Prusiensibus: satis ostendit, nescisse originem, quam adduximus. Λεβιτὼν dicitur Palladio in vita abbatis Pachomii. Quod ipsum quoque à Levitis. Nam posterioribus seculis, ut B pro V consono, sic ἦτα pro I, pronunciabant. Habes *levitonis* vocem in vitis Patrum: ut illa Pachomii cap. XIV: *Leviton autem linea vestis erat, instar colobii.* Et in iisdem, ex interpretatione Dionysii Exigui: *Induantur autem noctibus levitiones lineos præcinctis lumbos.*

CAP. XX.

Acceditur ad illa, ubi post L sequitur I. Libatorium, *locus, ubi libatur; vel vas, quo fit libatio.* Libellaris, *sacculus libellos continens.* Libellarius, *libellus continens actionem in reum.* Libellaticus, *libello dato Christum abnegans, vel, eo accepto, veniam nactus non sacrificandi Diis.* Libellensis, *libellis scribendis præfectus.* Libertaticum, *vel* libertinium, *quicquid libertus patrono tenetur dare, vel ejus gratiâ agere.* Liciatorium, *pro textorum jugo.* Liga, *conspiratio plurium adversus quempiam:* ligii, *domino sic obligati, ut eum obstricti sint tueri adversus quemlibet:* ligia *fidelitas, quam vasallus jurat domino: ac primum nec Regem, vel Cæsarem, fuisse exceptum: id à Barbarossa esse postea mutatum.* Ligantia, *obligatio:* ligiantia *principum cum ligiis colligatio. Item* ligatura, *pro obligatione.* Liguamen, *lignorum strues.* Linguagium, *lingua ab aliorum populorum linguis diversa.* Linguatus, *facundus.* Liquiditas, *liquor.* Lista, *margo.* Livorosum, *quod ex plagis, vel aliunde, livorem contraxit.* Lixio, *qui aquam in exercitu partitur.*

DEdi de iis, ubi L literam prima secundave consequitur vocalis. Nunc proferam illa, ubi eam excipit vocalis tertia.

Libatorium, in superiorum seculorum, ut vocant, vocabulariis dicitur locus esse, ubi offertur; item vas, quo fit oblatio. A *libando* igitur fuerit, hoc est, sacrificando.

Libellaris, sacculus, vel simile, è panno, aut lino, quo libelli reconderentur. Gregorius Turonensis lib. IV Histor. cap. XLI: *Interim, ut erat acris ingenii, filiam ejus desponsare desiderans.*

Libellarius, libellus, quo perscripta in reum actio. Anastasius, in exilio S. Marcelli Papæ: *Similiter & hi, qui consequentes erant ei, stupentes, accepto libellario, seriatim cuncta, dicta à beato viro, conscribentes recesserunt.* Sed non is usus perpetuus: ut videre est è Legibus Longobardicis lib. I tit. IX leg. XXII, & lib. II tit. XLV, leg. XI, nec non tit. XLIV, leg. II, item lib. III tit. V leg. II. Est & in Chronico Casinensi lib. I cap. XLVII: *Sive ipsi tenebant, sive libellario nomine ad censum plerisque concesserant.* Vide omnino Lindenbrogii Glossarium.

Libellatici videntur fuisse duplices: quorum alii Christum negarent; ac, libello dato, se non esse Christianos, affirmarent: alii autem Christum faterentur; pecuniâ verò redimerent, ne cogerentur Diis sacrificare; quales, libello à præsidibus accepto, periculum effugiebant. Minus verò est peccatum polluere conscientiam libello, quàm sacrificio: ut ex Cypriano constat lib. IV epist. II.

Libellenses sacri scrinii memorantur L. ult. C. ubi senat. vel clar. Legas, & vocem eam Constitut. Neapolit. lib. I tit. XXXVIII leg. II. Ubi *libellenses*, qui conscriberent libellos.

Libertaticum, libertinæ conditionis obsequium, sive quicquid donare, vel præstare libertus patrono debet. Form. sollemn. XCIX: *Nec mihi, nec hæredibus meis, ullum impendas servitium, nec litimonium, nec libertaticum, nec alium* obsequium, nec libertatis gratiam.* Calpurnius Flaccus pro eo *libertinium* videtur dixisse: *Ego postulo tenue liberninum, quod vix sufficit ejus funeri.* Sic est in editione Pythœanâ, quam Commelinus dedit. Sed omnino rescribi debet *libertinium*; prout in Glossario legum Antiquarum legit Lindenbrogius.

* *Pro* aliud. *Sic vulgo tum loquebantur.*

Liciatorium dicitur B. Hieronymo, quod *jugum* Ovidio. Gloss. Mss: *Liceatorium*, μεσάντιον. Ubi optimè Guilhelmius Noomsius, Arlanderveniæ Dominus, *liciatorium* corrigit. Videlicet à *licium* est; uti hoc dicitur, quasi *ligium*; quia utrimque eo ligantur stamina.

Liga, vinculum, fœderatio; nempe à *ligando* venit. Albertus Argentinensis, an. cIↃ CCC XXXVII: *Inter principem* (Ludovicum Cæsarem) *& Francum, interpositis juramentis, & confectis literis, liga perpetua est firmata.* Sic ibidem, *ligam contrahere.* Item crebrò, *liga pacis.* Idem an. cIↃ CCC XLVI, hac mente dixit, *ligare fœdus cum antiquo hoste:* item, *principem, & Anglum, colligare quærentes.* Etiam *inligare*, pro *fœdus inire*, apud Gregorium Turonensem lib. IX Histor. Franc. cap. XX: *Inter præfatos reges pura, & simplex, est in Dei nomine concordia inligata.* Statuta Regni Mediol. Rubr. de pœn. §. *Non fiant ligæ.* Vita Carolo IV Imper. ab ipso scripta †: *Super Joannem Regem Bohemiæ, & Carolum Marchionem Moraviæ, ligam construxerunt; qui omnes dictum Joannem, & Carolum, in una septimana, suis literis diffidarunt.* Concilium Pisanum II: *Item quod nulli Regi, Principi, aut Domino, aut communitati non subdita, movebit guerras, aut cum eis ligam faciet sine consensu expresso.* A *liga* etiam *ligii* homines, quasi ligati, hoc est, obstricti ad standum semper à partibus domini adversus cunctos mortales. *Ligia* item ejusmodi obligatio. Chronicon Cameracense lib. III cap. LXVI: *Balduinum, cujus ligius miles erat, dereliquit.* Petrus Blesensis epist. CLIII: *Quòd, in coronæ suæ dispendium, Comitem S. Ægidii in ligium hominem recepistis.* Bernardus epist. CCCXX: *Nam illâ die filii Petri Leonis omnes simul humiliaverunt se ad pedes domini Papæ, & facti sunt homines ejus ligii, juraruntei ligiam fidelitatem.* Antoninus Florentinus Chron. tit. XIX, cap. I §. II: *Ligiam sibi fidelitatem præstaret.* Similiter Historia Albig. cap. LXXX*, & LXXXIV†. Gregorius IX apud Matth. Parisium in an. cIↃ CCXXXIX: *Pro quo juramento fidelitatis Apostolicæ sedi tenetur, & ipsum ligius vasallus existit.* Matthæus Parisius in vita Offæ primi:

† *In scriptoribus rerum Bohemicarum à Marquardo Frehero editis, pag. 105.*

* *Pag. 285.* † *Pag. 314.*

mi: *Offano, filio suo unigenito, ligeam fecerunt fidelitatem, & homagium, in patris præsentia.* Henricus I, Brabantiæ Dux, in pactione quadam*: *Si Dux memoratum —— Comitem ad suum aliquando invitaverit servitium, & Comes ei non obtemperaverit, vel fideliter, sicut homo suus ligius, non servierit,* &c. Philippus Nobilis Marchio Namurcensis, in tabulis anni ɔIɔ CC IX†: *Ego de præfatâ terrâ, & appendiciis omnibus, & justitiis —— feci homagium ligium. Quod ut ratum permaneat, sigilli mei appensione communivi.* Nicetas de iis*: Λιζίους οἱ Λατῖνοι ὀνομάζουσι. Pluraque de eo Meursius in Glossario. Porrò qui ligiam fidelitatem præstabat, is primitus sic dominum defensitare se velle contra quosvis ajebat, ut nec ipsum exciperet regem. Primus enim excepit eum Fredericus Barbarossa an. ɔIɔ CLII; uti monitum Alberto Argentinensi, & aliis. Addam & illud, vassallum, & ligium, eundem credi ab Hottomanno. Sed Vultejus censet, in ligio requiri, ut hic sit obligatus adversus omnes: non item vasallus, quandoquidem & feuda sint non ligia. Id tamen discrimen non videtur attendisse Albertus Krantzius lib. IV rerum Normannicarum: *Guiscardus*, inquit, *sese constituens Romanæ Ecclesiæ vasallum, vel, quod ejus regionis* (Italiæ puta) *verbum est, ligium, Romano pontifici, quæcunque peterentur, præsidia mittere, & quando opus videretur, cum omnibus copiis adferre præsidium, respondit.*

* Apud Miræum in Notit. Eccles. pag. 507.
† Apud Miræum in Notit. Belg. Eccl. pag. 527.
* Fol. 101.

Ligantia, à ligando. Est enim obligationis genus. Petrus Blesensis epist. CII: *Detestabile quippe est in monacho, ut sub quocunque coloris habitu, honore, aut titulo potestatis, habeat feuda, servos, & ancillas, homagia, & fidelitates, atque ligantias, ut hominibus angarias, & parangarias, cæteraque onera publica functionis, imponat.* Matthæus Parisius in Stephano Rege: *Comites, & barones, Angliæ fecerunt ligantiam, & fidelitatem, Eustachio, filio regis Stephani.* Rogerus de Houeden Tom. II in vita Henrici II: *Similiter hæredes Regis Scotiæ, & baronum, & hominum suorum, homagium, & ligantiam facient hæredibus Domini Regis contra omnem hominem.* Aliter *ligiam* dixere; ut in *Liga* vidimus. A *ligia* verò etiam *ligiantiam*, colligationem principis cum ligiis suis. Gulielmus Neubrig. Histor. lib. II cap. XXXVII: *Regi Anglorum* (Henrico II) *tanquam principali domino, hominium cum ligiantia, id est, solenni cautione, standi cum eo, & pro eo, contra omnes homines, Rege proprio præcipiente fecerunt.*

Ligatura, pro obligatione, vel ligamine. Carolus Magnus, vel potiùs Alcuinus de ritibus Ecclesiæ*: *Diaconus, quia dissimilis est episcopo in suo officio, non est necesse, ut habeat dissimilia, & ipse ligaturam habet, quia suum est ire ad comitatum.* Item Chronicon Casinense lib. II cap. VIII: *Pro censu annuo XIV ligaturas sepiarum, XIV bonas sepias quibusque ligaturis habentibus.*

* Pag 77. in prima Lazii edit.

Lignamen, lignum, vel lignorum strues. Priori modo usus Matthæus Parisius in an. ɔIɔ CC XXXIV: *Qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galejarum.* Hoc est, materiem ad fabricandum naves longas. Posteriori usurpant leges Longobardicæ lib. I tit. XXV leg. XXVIII: *Siquis de lignamine adunato in curte, aut in platea, ad casam faciendam, lignum furatus fuerit.*

Linguagium, lingua, sive sermo hujus, vel illius linguæ; ab Italico *linguagio*, à quo non multum abit Gallicum *langage*. In Aurea bulla, prope finem: *Ut relinquatur optioni parentum in filios, siquos habuerint; seu proximos, quos in principatibus sibi credunt verisimiliter successuros; ad loca dirigant, in quibus de hujusmodi possint linguagiis edoceri; vel in propriis domibus pædagogos instructores, & pueros consocios, in his peritos, eis adjungant; quorum conversatione pariter, & doctrinâ, in linguis ipsis valeant erudiri.* Habes & in Chronicis Aulæ Regiæ, cœnobii eo nomine in Bohemia, de Joanne Rege Bohemiæ cap. XXIII: *Variis quoque linguagiis inconsuetis nostri jam loquuntur.* Petitiones Bohemorum in synodo Basileensi propositæ†: *In nostro linguagio Slavica, ex indulto Ecclesiæ, olim ab antiquo in vulgari suo exercetur, etiam in nostro regno.*

† Apud Æneam Sylvium in Historia Bohemica.

Linguatus, non refugit Tertullianus lib. de Anima: *Athenis expertus* (Apostolus Paulus) *linguatam civitatem; cum omnes illic sapientiæ, atque facundiæ, caupones degustâsset.* Puto, non tam signare loquacem, ut video exponi; quàm disertam, eloquentem: ut ei non tam opponatur elinguis, quàm in dicendo infans.

Liquiditas, pro liquor, nullâ nititur bonorum scriptorum auctoritate.

Lista, ora, extremitas, margo; Germanis & Belgis *lijste*, Anglis *liste*; sed & Italis *lista*. Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Fecit super altare majus vestem de fundato cum cruce in medio, & gammadiis, & in gyris listam de fundato unam.* Ubi *fundatum* notat auro intertextum, vel acu pictum. Habes & *lista* in Glossis Philoxeni: ubi exponitur, ἡ ἐπὶ τοῖς αἰρίμοις καμπὴ· γραμμή. Pro αἰρίμοις, lubens legerim δροσίμοις, vel δρόμοις. Si *lista* etiam γραμμή, linea; ut hoc ait glossarium; ac ea jam antiquissimis temporibus obtinuit significatio: *sublesta* dicetur pictura, quæ Græcis ἀπόλιστος, hoc est, μονόγραμμος. Sed de hoc loquar in Originum libris.

Livorosum vestigium, pro livoris plenum, est apud Adamannum lib. III de rebus Sancti Columbæ. Malim lividum, vel si sub oculis is livor sit, *sugillatum*; quod in Philoxeni glossis exponitur, ὑπωπιασθέν.

Lixiones, Isidori in glossis, aquarum *portitores*; vel veriùs *partitores*. Nam *portitores* potiùs lixæ: quæ vox ab obsoleto *lix*, pro aqua, cujus patrius casus *liquis*. Ab obliquo hoc est, *liqueo*, unde *liquesco*, & *liquidus*: à recto autem, *lixa*, *lixivus* cinis, *lixivium*, *elixus*, & *lixabundus*, de eo, qui, lixarum more, liberè vagatur; ut cognoscere est ex Festo, & Isidori glossis.

CAP. XXI.

De initium capientibus ab L, sequente O, vel V. Qualia, Locatitius, *alteri locatus à domino.* Loculatus, *loculo reconditus.* Locutorium, *locus, quò se recipiunt convivæ, ut inter se colloquantur.* Lombarda, *eadem ac* bombarda *& unde* arcubusio, *nomen, ac Belgico* sengroer. Longiturnus, *longo durans tempore.* Lucernatus, *lucernam habens.* Lucernaris, *vel* lucernarii *hora, qua vesperi accenduntur lucernæ.* Ludor *fortasse is, qui in ludo diu multumque egit.* Lugubrium, *res lugubris.* Lumbare, *cingulum.* Lupax, *raptor.* Luricula, *quod lorica instar tutatur.* Luricarius, *qui loricas parat.*

Ex cœptis ab L litera supersunt illa, ubi post eam consequitur quarta quintave vocalis.

Locatitius ager, qui alteri ad colendum datur, pactâ mercede. Gloss. *Locatitius*, μισθώσιμος. Aliæ: *Locatorius*, μισθήριος. Sed agrum ejusmodi potiùs dixero *conductitium*: etsi idem etiam sit *locatitius*, ratione conducentis. Sed prius nititur bonis scriptoribus. Porcius apud Donatum, vel potiùs Suetonium Tranquillum, in vita Terentii:

> *Eorum ille operâ ne domum quidem habuit conductitiam.*

Loculatus, in loculum, sive capulum repositus. Usus S. Zeno Veronensis, sermone de Lazaro. *Loculus*, capsa cadaveris; pro quo & *locellus* dictum à Paulo Diacono; quemadmodum alibi ostendimus.

Locutorium, pro loco, in quem convivæ à prandio ad confabulandum recedunt, apud Matthæum Parisium, & in lapparem Thomam Cantipratanum, Alberti M. discipulum.

Lombarda, pro *bombarda*, in superiorum temporum annalibus legi, observat Justus Lipsius in epistola, quâ Poliorcetica sua Ernesto Principi dedicavit. Græci etiam similiter dicunt λουμβάρδα, vel λομπάρδα: quod Meursio in Glossario ostensum. Nec tamen à Longobardis eam esse appel-

appellationem putandum, cum Germanorum sit inventum. Sed cum affinia essent *lombarda*, & *bombarda*; ac Lombardi forent notissimi, altera vox nova; factum, ut *lombarda*, pro *bombarda*, à multis diceretur. *Bombardam* verò esse à *bombo*, & *ardore*, alibi * dictum. Polydorus Virgilius lib. II de Rerum Invent. cap. XI ait, aliter vocari *arcum busium*; nempe ex Italico *arquebuse*. Id signet arcum perforatum, quia *buco* Italis foramen. Nempe vox ex eo, quòd per fistulam glans transmitteretur. Arcûs verò nomen retentum, quia in arcûs locum successit, atque idem quod arcus antea, ac meliùs, præstaret. Arcus ejusmodi Belgis *vincroer*, vel potiùs *feng-roer*; à *roer*, fistulam signante, & *fengen*, ustulare; quod affine Græco ζεννύειν id notat *fervefacere*, à ζέω. Levinus Lemnius lib. III de occultis Naturæ miraculis cap. IV ait *fincroer* vocari, *quòd manu capulo ejus, tanquam clavo, admotâ, excussisque è silice scintillis, in obvios detorqueatur*. Eò autem respicit, quòd clavus Belgis *roer*. Sed confundit diversas unius vocis significationes. Nam *roer* sæpe quidem clavum notat, ac tum est ex *roeder*, quod à *roeren*, movere; quia clavo movetur, ac dirigitur navis: sed veteri linguâ Saxonicâ *roer* etiam arundo, canna, fistula. Eaque sola significatio hìc locum habet. Fortasse autem & arundini nomen ab eodem verbo, quod est *roeren*; quando penè in perpetuo est motu.

* Lib. 4. Orat. Instit. cap 13. sect. 7.

Longiturnus, & *longiturnitas*, reperias apud vulgatum Scripturæ interpretem, Baruch cap. IV. 35: *In longiturnis diebus*. Et cap. III. XIV: *Ubi sit longiturnitas vitæ*. Ut à *diu diuturnus*, ita à *longè* formarunt *longiturnus*, de eo quod longo durat tempore. Legas quoque in Vita S. Ottonis lib. II cap. XLIII, & lib. IV cap. II.

Lucernatus, lucernis instructus. Sic *januam lucernatam* dixit Tertullianus lib. II ad Uxorem cap. VI: *Procedit de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum*.

Lucernaris, ad lucernam pertinens. *Hora lucernaris*, quâ lucernæ accenduntur. Cassianus lib. III Institut. cap. III: *Ad extremum undecimum, in quo lucernaris hora signatur*. *Horam lucernarii* appellat B. Augustinus Reg. II, de tempore edendi: *Et postquam refecerint, sive in horto, sive ubicunque fuerint, faciant opus, usque ad horam lucernarii*. Similiter Græci recentiores pro eo λυχνικὸν dicunt: ut Palladius in Lausiacis cap. XXXVIII, & Balsamo in Consil. VI Can. XCI. Hujus verba sunt: Καὶ καταλήγειν μέχρι τῆς συμπληρώσεως τοῦ λυχνικοῦ, ἤτοι τοῦ ἑσπερινοῦ τῆς Κυριακῆς· *& desinere, quando completur lucernarium, sive vespertinum officium Dominicæ*.

Ludor videtur vocatus, qui diu in ludo versatus gladiatorio. Saltem hoc nomen propterea inditum Sergiolo gladiatori: ut est apud veterem Juvenalis interpretem sat. VI vers. CV. A *ludus*, *ludor*; ut ab *albus albor*; ab *amarus*, *amaror*.

Lugubrium, pro re lugubri, & mœsta. Petrus de Vineis lib. IV epist. III: *Sed animum redolens viri fortis, adsumas omnem caussam lugubrii, dolorisque reliquias abjicias*. Ut à *ludo*, *ludibrium*; sic à *lugeo lugubrium* formavere.

Lumbar, vel *lumbare*, zona, sive quo lumbos præcingimus. Gloss. Msæ: *Lombare*, περίζωμα. Utitur vetus Scripturæ interpres Jerem. cap. XIII, ejusque exemplo, præter alios, Petrus Damiani lib. II epist. X.

Lupax, lupi instar rapax. Anastasius in exilio S. Martini: *Contemplatus sanctus Papa Martinus, introeuntes testificari, subridens dixit: Isti sunt testes? sic habet ordo? Erant enim primi ingredientes, nomine quidem milites; lupaces autem & bestiales sententiâ*.

Luricula, pro loricula, sive exigua lorica; & τῷ μεταφορικῷ, pro omni eo, quod est quasi pro lorica. Beda in libros Regum quæst. XIII: *Tabulatis, vel muris, vel cancellis, cum ad tutelam via ponuntur, vulgus Luricularum nomen indidit*. Sanè posterioribus seculis pro *lorica luricam* usurpâsse, etiam ex Græcis colligitur, qui λώρικιν, & λωρικᾶριοι dixere: item Glossis vett. ubi *Lucarius* (leg. *Luricarius*) θωρακοποιός exponitur. Vide Gloss. Meursii.

Lutor, vide *lautor*.

CAP. XXII.

De inchoatis ab M, & A vocali, sequente hasce binas, C, D, F, G, I, L. Macaria *perperam putari genus tympani, cum corruptis codicibus, anacaria legere oporteat.* Machærarius, *lanius.* Macor, *macies.* Macrena, *porticus oblonga.* Madius, *Maius.* Maforium, masortium, mavortium, mafortis, mavortis, mafortе, mavorte, *tegumentum muliebre, ac monachale, de capite in humeros dependens.* Magisteria, *magistri apud Constantinopolitanos dignitas.* Magistrianus, *vel* magistrianus, *qui eam sustinet dignitatem.* Magnitas, *magnitudo.* Magnalia, *magna, ac miranda.* Majoratus, *dignitas Majoris, præcipuè in regno Franciæ.* Majorissa, *cœnobii præfecta.* Majuma, *festum Kalendarum Maii.* Malandria, *morbus tussientis jumenti: quod inde dicitur* malandriosum. Malefactor, *pro malè de quopiam merente.* Maliloquus, *maledicus.* Malitas, *pravitas.*

NUnc proferam barbara, à Latinis, vel Græcis, profecta, quæ a liquidarum secundâ initium capiunt.

Macaria putare aliquis possit esse instrumentum tympano non absimile: nempe propter illud Sugerii in vita Ludovici Grossi: *Tympanis, & macariis, & aliis similibus instrumentis, horribiliter resonabant*. Sed rectè ὁ μακαρίτης Meursius noster perspexit, pro *macariis*, legi *anacariis* oportere. Eorum meminit Codinus de Officiis Constantinopolitanis cap. V: Ἑτοιμασθέντος δὲ, καὶ καβαλλικεύσαντος τοῦ βασιλέως, οἱ ἀνακαρασταὶ κρούουσι τὰ ἀνάκαρα. *Parato jam, & equitante imperatore, tympanistæ pulsant anacara*. *Anacara* fuere tympani genus, inferiori parte rotundum; ut puto, ab ἀνάκαρ; quod Hippocrati *in superiorem partem*, ex ἀνὰ, pro ἄνω, *sursum*, & κάρα, *caput*. Sanè tympana ista, ad modum ventris, erant convexa. Unde & Germanis videntur vocari *heerbaucken*: hoc est, Dominici ventres, quia principes ejusmodi tympanis delectantur. Et fortasse hinc Arabes accepere suum נקיר *naquir*, quod tympanistam notat. Nisi potiùs Græci illud hausere ab Arabibus: ut clarissimus socer meus Franc. Junius in Notis suis ad Codinum conjectabat. Hinc de eo doctissimus Gretzerus *, Junium Arabica pulsare tympana, ut speciem sui edat Arabismi. Quorsum hæc tam silla, & alia, subinde etiam insulsa? Num mortuus esset, siquam negligeret occasionem maledicendi mortuo; eique & longè doctissimo, & a maledicentia, omni vitâ, alieno?

* Commentario in Codinum.

Machærarii quin ita à machæris vocentur, dubium non est. Videntur autem non tam milites, quàm lanii, sic dici. Rex Gulhelmus in decreto de usurariis: *Cum autem dictum est, absque plegiis vivum animal emeret: clamaverunt machærarii de civitatibus, quod unaquâque die oportet eos viva animalia emere, vendere, & occidere*.

Macor, pro macies, veteribus nescitur.

Macrena est apud Anastasium bibliothecarium: *Macrenam Lateranensis Palatii, quæ extenditur à campo ultra imagines Apostolorum*. Idem: *Camera ipsius macrena*. Cæsar Bulengerus censet, esse porticum, vel solarium oblongum. Nempe ut sit à μακρὸς, longus.

Maculatura, improbum pro litura, vel charta, sive schediasmate lituris obsito.

Madius, pro Majus, seculi, & gentis suæ more, usurpat Adefonsus, sive Alfonsus, Hispan. R. in epist. *Inter cæteras maximè disposuimus, ut mense Madio nostræ naves, cum pueris Palatii nostri, usque Burdelensem civitatem remigent*. Idem: *Ut sit ibidem in mense definito, mediante Madio*.

Maforium est muliebre tegumentum capitis, colli, ac humerorum. Velum putà de capite in humeros defluens.

Accepta vox à Græcis junioribus; qui itidem dicunt μαφόριον: ut Palladius Lausiacis, Cantacuzenus, Achmes, Suidas, alii. Ac à plurali μαφόρια, vel per enallagen generis, Latini *mafora*, pro *maforia*, dixere: ut Hubertus in vita S. Gudilæ, cap. VI. Est verò μαφόριον corruptum ex ὠμοφόριον, q. d. superhumerale, vel humerorum gestamen, ab ὦμος, *humerus*, & φέρειν, *ferre*. Sed Latini pro *maforium* corruptiùs extulere *mafortium*, vel *mavortium*. Item *mafortis*, vel *mavortis*; & *maforte*, vel *mavorte*. Quæ res occasionem præbuit Isidoro conjectandi esse à *Mavors*, h. e. Mars. Aliquid diceret, si tegumentum hoc foret Martiale, id est, militare. Nunc non militum est; sed mulierum, ac monachorum. De mulieribus clarè docet Nonius Marcellus: *Ricinium, quod nunc mafurtium dicitur, femineum palliolum breve.* Sanè ricinium fuisse feminarum, liquidò comprobant duo Varronis loca, quæ subjungit. Est & Isidori in Glossis: *Mafortes, operimentum capitum mulierum.* Et lib. XIX Originum cap. XXV, cum dixisset, stolam esse matronale operimentum, Latinoque nomine *ricinium* appellari, addit: *vulgo mavortem dicunt.* Atque id è Servio expressit in I Æn. Clarè autem de muliebri maforte in Bedæ Martyrologio XX Sept. *Jussit Faustam nudam* *, *& sine maforte, flagellatam, incarceratam, caput terebrari.* De Monachorum verò mafortibus adstruimus illo in Glossis Arabicolatinis: *Mafortis, fascialis, id est augustum* (leg. angustum) *pallium, quo utuntur monachi, collum pariter, atque humeros tegens.* Ubi Meursius pro *fascialis* legit *facialis*: uti Græci dicunt φακιόλιον. Id Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris probat cap. XXII; improbat verò cap. CXLI; sed immeritò. De eodem maforte ita Cassianus lib. I de Habitu Monachi cap. VII: *Post hæc angusto pallio, tam amictus humilitatem, quàm vilitatem pretii, compendiumque sectantes, colla pariter, atque humeros tegunt: quod mafortes tam ipsorum, quàm nostro nuncupatur eloquio.* Sed Isidorus, ut originem vocabuli inveniret, fingit idem esse *Mavortem*, ac *maritum*; *maforte*, ac *maritale*. Sic enim ille in Originum loco antè memorato: *Vocatum autem* (ricinium) *dicunt mavortem; quasi Martem. Signum enim maritalis dignitatis, & potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est: inde & super caput mulieris est.* Quantopere de etymo fallatur, ostendunt ea, quæ diximus. Usus hac voce etiam Linus, vel alius potiùs de passione Apostoli: *Et interrogarunt eum cum irrisione, cur caput suum non operiret de maforte, quam præstiterat Paulo.* Præcesserat autem: *Plautilla, commoda mihi pannum, quo caput tegis.* Habes & in actis Proconsularibus sub Munatio Felice, apud Baronium ad An. CCCIII †: *Tunicæ muliebres* LXXXII, *mafortea* XXXVIII, *tunicæ viriles* XVI, &c. Fortunatus de vita S. Radegundis reginæ: *Mafortem novum linteum, auro, vel gemmis ornatum.*

* Sic more seculi loquitur, pro Faustæ nudæ, flagellatæ, incarceratæ: nisi placet Græcâ locutione dici, caput terebrari, intellecto κατὰ: de quo egi in Arte Grammaticâ.

† Tom. 2. pag. 303. edit. Moret.

Magisteriam dixere dignitatem magistri, quæ ingens apud Constantinopolit. olim fuit. Cassiodorus lib. I epist. XII: *Sume igitur magisteriæ infulas dignitatis, usurus omnibus privilegiis, quæ tuos habere constiterit decessores.* Etiam Græci similiter μαγιστερίαν vocant: ut Theophylactus Simocatta, & alii: de quo conjunctissimum olim collegam nostrum Meursium adi. Cur enim non ad eum potius remittam, quàm clarissimum Ludovicum de la Cerda, vel alios, qui eum exscribunt, tacito nomine? A *magisteria*, *magistrianum* dixere: de quo proximè.

Magistranum legas apud Victorem Turonensem in Chronico: *Literas satis idoneas Justiniano principi per Olympianum Magistranum mittunt.* Sed rectè monet Meursius, corrigi oportere, *Magistrianum*: quomodo is μαγιστριανὸς Euagrio, Malcho, & veteri scriptori apud Suidam. Gloss. Philoxeni *: *Agens in rebus*, μαγιστριανός. Quamquam & μαγιστεριανος pro eo legas. Vide *Magisteria*.

* Col. 9.

Magnitas, pro magnitudo, est apud Faustum lib. II cap. VIII. Nempe ut *parvitas* dixere Cicero, Valerius Maximus, Agellius.

Magnalia, res magnæ atque illustres. Arnulphus Lexoviensis epist. Ms. *Non tanta postmodum prosperitatis ejus insignia claruerunt, quanta præcedentis adversitatis magnalia celebrantur.* Utitur quoque Henricus de Hassia in Speculo Animæ. Sed quid hos advoco, cum legas apud multò antiquiores; vicies apud veterem Scripturæ interpretem?

Magulus, pro cinædo, require libro proximo.

Majoratus, *& Senescallia Franciæ*, legas in Commentario Hugonis de Cleriis ad Ludovicum Regem. Habes eum in Notis Sirmondi ad librum V Goffridi Abbatis Vindocinensis. Inscribitur is liber, De Majoratu & Senescalcia Franciæ, Andegavorum olim Comitibus hæreditariâ. Ratio nominis dilucet ex illis commentarioli ejus verbis: *De cætero Comes appellatur Major in Francia propter retutelam, quam facit in exercitu Regis.*

Majorissa, cœnobii præfecta. Eugenius Papa in diplomate ad Heloissam: *Septem, & dividuum* (leg. dimidium) *à Tescia Majorissa.* Ut de virili dignitate *Majorem* esse; ita *Majorissam* in femina dixere.

Majuma, festum Kalendis Maiis solitum celebrari in honorem Majæ, Mercurii matris. Etiam sub Christianis imperatoribus aliquamdiu fuit. Sanè etiam concessere primitus Arcadius & Honorius Augusti, imperii sui initio. Habes legem in Codice Theodosiano lib. XV tit. VI, & Justinianeo lib. XI tit. XLV: *Clementiæ nostræ placuit, ut majumæ provincialibus lætitia reddatur, & verecundia castis moribus perseveret.* Sed quadriennio pòst, cùm non servaretur honestas, iidem Augusti abrogarunt. Legis verba habes memorato Codicis Theodosiani titulo: *Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum restrictione tristitia agitetur. Illud verò, quod sibi nomen procax licentia vindicavit, majumam fœdum atque indecorum spectaculum denegamus.*

Malandria, morbus jumenti, quo tussit. Unde *malandriosus*. Utroque usus Marcellus Empiricus. Græcis recentioribus μαλιὴ, quod apud Hesychium, vel μάλις, ut Apsyrto in Hippiatricis lib. I cap. II; item Hierocli, & Theomnesto. Videtur nomen esse ex eo, quòd jumenti vires velut malleo prosternat. Sanè *malleum* nuncupat Vegetius in Mulomedicina lib. I cap. II.

Malefactor ejusdem est monetæ, ac *benefactor*; de quo dicebam cap. II. Malim igitur *maleficus*, vel *male meritus*. Etsi proba sint *benefacta*, & *malefacta*: ut in illo Ennii apud Ciceronem *:

Benefacta malè locata malefacta arbitror.

* Lib. 2. de Offic.

Maliloquus est apud Maximum Taurinensem homilia I de Jejunio Quadragesimæ. Nempe ad exemplum, quo *maledicus* dicitur.

Malitas, pro malitia. Gloss. Ms. *Malitas*, κακία. Videlicet ut *bonitas*. Ac superiùs vidimus, ut *parvitas*, sic & *magnitas* dixisse. Similiaque *dulcitas*, *longitas*. Imò nec *malitas* penitùs rejecero, si, ut apud virum summum lego, usus eo est Labeo, qui vixit sub Augusto.

CAP. XXIII.

De incipientibus ab M, sequente A, & N. Mana, *mater.* Mancipatii, *venalitii.* Manclavium, *fustis, quo, qui deliquissent, cæderentur: & quantopere ab eo differant* aclides. Mancossis, mancossus, mancusus, mancusa, *nummus, qui aliter* marca. Mandalus, *pessulus.* Mandatarius, *qui mandata defert curiæ.* Mandatela, *mandatum.* Mandrogerontes, *senes stabulorum ministerium subeuntes.* Manenia, *vel* mancrium, *habitatio in villa cum addito agri modo.* Manceries, *modus, sive via ac ratio aliquid agendi.* Manga, *machina.* Manganum, *vel* mangana, *machina bellicæ genus simile catapultæ. Pro quo &* manginella, mangonellum, *&* mangorellum. Maniaticus, *insanus, furiosus.* Mansellum, *proprius cujusquam, ubi consideat, in sacello locus.* Mansionarius, *villicus; quique gubernat possessiones alienas: tum autem, cujus est in templo*

plo lampades accendere, & exstinguere. Mansionaticum, *impensa in excipiendo cliente regio.* Mansionile, *habitatio.* Mansuarius, *cui datus ager colendus, addito tugurio ad inhabitandum.* Mantea, *mantelum.* Mantus, *vel* mantum, *vel* mandus, *vestis virginalis: unde* immantare. Manutus, *magnas habens manus.*

Pergam ad alia ab M inchoata: ac proximè complectar, ubi hanc literam A, & N, sive eadem, sive diversis excipiant syllabis.

Mana legas apud Luitprandum in Legatione: *In stuporem mentis mulieres versa, Mana, Mana, clamabant.* Græcobarbaris μάνα, mater, pro μάμα, μ in ν converso. Vide de eo Meursii glossarium. Sed hoc, licet apud Latinum scriptorem legas; tamen potiùs Græcobarbarum est, cùm de Græcis hominibus sermo sit.

Mancipariі sunt venalitii, sive venditores. Ita utitur vetus Juvenalis interpres in sat. XI vers. CXLVII.

Manclavium sive *maniclavium*, quasi *manualis clava.* Erat fustis, quo cædebantur fustuario digni. Hinc Græci posterioribus seculis μανκλάβιον fecere: ut Codinus de off. Const. Nicetas in Manuël. Comn. lib. IV. atque alii; sicuti Meursio ostensum in Gloss. Sed in eo deceptus, quòd idem putaret sonare *aclides.* Siquidem hoc teli genus erat, clavis munitum ferreis, loroque religatum, quod magnâ vi jaceretur in hostem, loroque dein retraheretur. Quà de re Servii locum emendat Salmasius ad Trebell. Pollionem †.

† Pag. 335.

Mancossis, vel *mancossus*, vide in *Mancusa*: de quo proximè.

Mancusa est idem ac *marca*, de quo dictum superioris libri cap. XX. Ut *mansuetus*, quasi *manusuetus*: sic *mancusa*, quasi *manu-cusa.* Kenulphus Rex Merciorum, epist. ad Leonem Papam, apud Wilhelmum Malmesbur. de gestis Angl. lib. I: *Quod est* CXX *mancusas, cum literis; precans te, ut benigne suscipias, & benedictionem tuam donare digneris.* Pro *mancusa* etiam *mancusus* dixere, ut intelligatur *nummus.* Corruptiùs verò *mancossus*, vel etiam *mancossis.* Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Obtulit crucem de auro unam habentem in medio monacossim.* Et Adriano: *Et in auro solidos mancossos numero ducentos.* Ait de la Cerda *, malle se hic legere *manocosim*, & *mancosum*, unico S. Sed solet ætas ea in multis S temerè geminare; ut alibi ostendimus.

* In Adversariis Sacris cap. 95. §. 14.

Mandalus in variis glossariis exponitur κάνωχ©, vel κανωχεὺς, quo *pessulus* signatur. Conjectat Martinius, ex eo esse, quòd is manu tractetur, obdatur, removeatur. Ipsum in Etymologico vide.

Mandatarius, à mandatis judicum deferendis. Pius quartus in bulla de reformatione Tribunalium †: *Mandatarii quarumcumque curiarum non exigant ultra bolendinum unum pro citatione; nisi sit citatio facienda in longinquis locis ab eorum curiis; quo casu exigant duos, & non ultrà.* Veteres, puto, *accensus*, vel *apparitor*, dixissent.

† Bullar. Tom. 2. pag. 63.

Mandatela, *acutela*, *custodela*, ad instar *cautela*, *clientela*, *tutela*, agnoscit Priscianus lib. IV. Vellem idoneos eorum laudâsset auctores.

Mandrogerontes, μανδρογέροντες, senes viles, obeuntes ministerium in stabuli rebus. Luitprandus in Legat. * *Hautquaquam singularis, inquam, hac vestis fieri potest; cùm penes nos obolariæ mulieres, & mandrogerontes, his utantur.* Μάνδρα interdum monasterium; unde ἀρχιμανδρίτης. Sed hic potiùs stabulum, caula, septum, quo boves ac pecudes concluduntur. Sic sumi solere, cognoscimus ex Hesychio, & aliunde.

* Pag. 115.

Maneria, vel *manerium*, habitatio cum certa agri portione. Robertus Cestrensis lib. VI cap. XXIII, ubi de Emma Regina, S. Eduardi Confessoris, Angliæ Regis, matre, narrat, quomodo ordalio, sive purgatione ferri candentis, sese injustè accusatam comprobârit; idque S. Suiberti precibus tribuit, ad cujus sepulchrum præcedenti nocte fuerat advoluta. Subjungit deinde: *Regina verò dedit S. Suithino novem maneria, & Episcopus* (Wintoniensis, nomine Alwinus, sive Alfwinus) *alia novem maneria, præter illos novem vomeres, quos Emma pertransivit.* Usurpat quoque Innocentius lib. III epist. V: *Civitates, villas, castra, & maneria, quæ ad dotalicium præfata regina spectare noscuntur.* Quem ad locum in Lucubrationibus suis Paulus du Maii observat, non accipi hic pro parte domus, quæ habitatur ab ipso patre familias; sed pro universa ædificiorum mole. Similiter Rogerius de Houeden Annal. Tom. I, in vita Guilhelmi Senioris: *Et per easdem divisas, quibus ipse, sive ante eum Tostius, vel Siwardus, ipsum manerium tenuerunt.* Item Matthæus Parisius in anno cIↃ CCLIV, ubi de mandato inaudito Henrici III: *Inquiratur in maneriis religiosorum, quot sint carucæ propriæ ad colendum dominicum.* Item in an. cIↃ CCLXI: *Qui priùs fuerat sancitus de civitate, vel castello, vel burgo, vel dominico manerio Regis.* Est & in charta Regis Joannis an. cIↃ CCXV: *Exceptis dominicis maneriis nostris.* Hisce duobus Anglicanis scriptoribus addam tertium, Thomam Walsingum in Eduardo III: *Admoniti † de tanta commonitione, relicto prandio, fugerunt ad manerium; ubi tunc filius principis casualiter morabatur.* Etiam habes apud Petrum de Vineis lib. III epist. LXIV, & alios complures.

† Pag. 192.

Maneries locutionis est apud B. Bernardum epist. XXXIX, pro *modo loquendi.* Etiam interpres Haly retinuit: atque hic quidem ex Hispanico *manero*: uti Bernardus ex Gallico *maniere*, pro quo Itali *maniero.* Imò & Saxones, ac Belgæ *manier.* Si à Teutonibus Itali, Galli, Hispani, acceperint; pertineat *maneries* ad ortu barbara. Sed originis sit Latinæ, αἰτίαυς quidem, si ut à *luxu* est *luxuries*, sic à *manu* sit *maneries*: ἰμμέσως verò, si *maneries* acceptum à Teutonibus; at Teutonicum illud sit à *manu*: quomodo ad verbum sonet, quod Germanis, Belgisque, aliter dicitur *handeling*: quod itidem ab *hand*, hoc est, manus.

Manga inter ea, quæ originis barbaræ sunt, reposuimus lib. superiori cap. XII; ubi & dictum, pro eo legi quoque *mango*, & *mangonella*, & *mangotella.* Usque adeò gentes, in efferenda hac voce, variarunt. Cæterùm possint hæc omnia, & alia id genus, videri originis Latinæ, vel Græcæ. Sanè constat à Dorico μαχανά, esse Latinum *machina.* Ex hoc corruptè dixerint *mangana*, & mutato genere *manganum.* Quo de etymo mox in *Manganum* pluribus. A *mangana* autem κατ' συγκοπὴν fit *manga.* Signabam superiùs, qui utatur, Radevicum Frisingensem lib. secundo, sive totius de Frederico Cæsare operis, quarto, cap. LI *: *Obsides eorum machinis alligatos, ad eorum tormenta, quæ vulgo mangas vocant, & intra civitatem novem habebantur, decrevit objiciendos.* Ὀ' μακάρίτης Meursius * jubet, apud Radevicum *manganas* rescribere. Sed, ut superiori libro vidimus, etiam *mangas* est apud Othonem Frisingensem. Atque ita utrobique editum à Cuspiniano in editione principe †: item ab Christiano Urstisio in scriptoribus rerum Germanicarum.

* Edit. 1. sed secutis, cap. 47.

* In Glossario voce Μάγγανον.

† Argentorati ann. 1515.

Manganum, machina bellica sive catapulta, qua jaciuntur pila, & saxa grandia. Eum usum ostendit his verbis Abbo lib. I de Obsidione Lutetiæ:

> *Conficiunt longis æquè lignis geminatis*
> *Mangana, quæ proprio vulgi libitu vocitantur,*
> *Saxa quibus jaciunt ingentia, seu jaculando*
> *Alludunt humiles scenas.*

Item eo antiquior Pseudo-Hegesippus lib. IV cap. XX de Nerone: *Manganum sibi quoddam de ligno paravit, quo se necaret.* Ubi & Græcobarbari. Hesychius: Μάγγανα, μηχανήματα. Gloss. Græcolatinum: Μάγγανον, *manganum.* Habes & apud Joannem Curopalatem, Suidam in Φαλάγγιον, & Etymologum Magnum in Ἐλεπόλεις, quod ait μάγγανον πλοιόν. Sed Meursius rectè restituit πλαισιόν. Cæterùm apud Latinos, non solùm *manganum*; sed & *manganam*, legas. Crebrò sic Beka in Chronicis: ut in Conrado Episc. *Hollandini per crebros ictus manganarum propugnacula castri conquassarunt.* Et in Herebetto: *Manganas ad Urbis interitum terribiliter adaptavit.* Et in Joanne II: *Multis manganis cum diversis tormentorum generibus.* At aliter, ut dixi, Radevicus de rebus gestis

stis Friderici I: qui *mangas* vocat. Interim idem significant: sed *mangana* propiùs ad originem accedit. Omnino enim *mangana* ex Dorico μαχανὰ pro μηχανὴ factum, inserto N; ut fit in *thensaurus*, *quotiens*: item à ῥυκάνη, *runcina*; à δασὺς, *densus*; à κίκιννος, *cincinnus*: & in verbis à πτίσσω, *pinso*; à πήγω seu *pago*, *pango*; ab ὀμιχέω, obsoletum *mingo*. Apud Turocium lib. II Chronicorum Hungaricorum cap. XXXVI (dubium, à *manganum*, an *mangana*) legas: *Quosdam lapidibus obruentes, alios autem in manganis ferreis vastantes occiderunt.* A *mangana*, vel *mangina*, esset *manganula*, vel *manginula*; inde *manginella*. Beka in Joanne II: *Applicando manginellas ad quassandum turres.* Sed & pro eo *mangonellum* posuere: quod usurpat Historia Albigensis cap. XXXVI, & XLI. Ac vidimus de eo quoque superiori libro in *Manga*. Item ex eo factum *mangatella*: quod ibidem dicebamus esse apud Turpinum. Locus est cap. IX: *Aptatis juxta murum petrariis mangatellis.*

Maniaticus, furiosus, insanus, pro *maniacus*, ἀπὸ τῆς μανίας. Flodoardus lib. III Histor. Remens. cap. XIII: *Eum viderunt usque ad ostium Synhodi venientem, & inde, ut maniaticum, redeuntem.*

Manopera, & *manoperarii*, quid signent, & unde dicantur; exposui superius in *Carropera*.

Mansellum, sacelli locus, ubi religiosi remanerent. Est enim diminutivum à *mansum*. Hincmarus Rhem. epist. I. ad Hincmarum Laudun. *Exceptâ sellulâ manselli ipsius capella.* Habes & in Formulis solemn.*

Mansionarius, & *mansuarius*, multùm distant. Nam *mansuarius* est villicus, qui colendum suscepit mansum, hoc est, certum agri modum. De hoc dicemus paullo pòst, & lib. seq. in *Mansum*. At *mansionarius* est, qui præstat mansionem, hoc est, qui missum, vel hominem regium, tecto excipit; eique, ex Regio præscripto, pro dignitate, alimentum & viaticum præbet. Usus Hincmarus epist. III: *Inter quos etiam & mansionarius intererat; super cujus ministerium incumbebat (sicut & nomen ejus indicat) ut in hoc maximè sollicitudo ejus intenta esset, ut tam supradicti actores, quamque & susceptores, quo tempore ad eos illo, vel illo in loco, Rex venturus esset, propter mansionum præparationem, opportuno tempore præscire potuissent.* Lucis hæc amplius capient ex iis, quæ mox in *Mansionaticum* adferam. Veteribus Latinis, qui postea *mansionarius*, potiùs fuisset *metator*; Græcis junioribus, teste Suida, (si certissimam Meursii emendationem sequimur) δηεγγάομινος dicebatur, quia ejus esset δηεγγυθεῖν, hoc est, διϊθύνειν τὰς μονὰς, *dirigere, ac procurare mansiones.* Videtur autem sic *mansionarii* voce etiam usus Regino Chronicorum lib. II, an. ƆCCCXCV, ubi sic scribit: *Cum in regnum* (Otto Rex) *reverteretur, Folconem episcopum, & Adalongum, comitem sui mansionarii, ad Arnolphum xeniis à Carolo missis, venientes in media via offenderunt: super quos cum clamore impetum faciunt, Episcopus fugâ dilabitur, Adalongus mortali vulnere sauciatur.* Paullò aliter sumere videtur Dionysius Exiguus, quando Concilii Chalcedonensis canone II, ubi Græcè est παραμονάριος, vertit *mansionarius*. Hic enim accipi videtur pro eo, qui villas, aliasque possessiones, gubernat. Imò & *mansionarius* dicebatur is, cujus erat postremò in templo permanere, oleumque lampadibus infundere, ac lampadas exstinguere. B. Gregorius lib. I Dialogorum cap. V: *In qua* (Ecclesia) *vir vita venerabilis, Constantius nomine, mansionarii functus officio deserviebat. —— Quadam verò die, dum in eâdem Ecclesia oleum deesset; & prædictus Dei famulus, unde lampades accenderet, omnino non haberet; omnes lampades Ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit: quam allato igne succendit: sicque aqua arsit in lampadibus, ac si oleum fuisset.* Etiam lib. III Dialog. cap. XXV, idem Abundius nunc *mansionarius*, nunc *custos*, appellatur. Joannes Diaconus de vita S. Gregorii lib. III cap. LVIII: *Completis matutinalibus hymnis mansionarius candelam exstinxit.* Ubi & Græca tralatio μανσιονάριος vocem retinuit. Chronicon Casinense lib. II cap. XXXIV: *Ad mandatum fratrum à mansionariis eam deferri.*

* Form. 61. in editione Lindenbrogii: item lib. 2 form. 36. in edit. Bignoniana.

Mansionaticus, vel *mansionaticum*, dicebatur à *mansione*: quomodo vocarunt diversoria, in quæ viatores, noctis interventu, se recipiebant. Sic *mansionis* vocabulo utuntur Suetonius in Tito cap. X, Appulejus lib. IV, Lampridius in Alexandro Severo, Antoninus, vel alius, in Itinerario; ut B. Hieronymum, Sidonium Apollinarem, Gregorium Turonensem, & alios, prætaream. Nempe sicuti à *balnea*, *balneaticum*: sic à *mansio*, *mansionaticum*. Quo notatur, quod τ῀ ἀείφερον *expensas ad hospitum susceptiones* dicunt aliqui: in his Aimoinus lib. V cap. X. Nempe in excipiendis Missis, vel hominibus Regiis, duo concurrebant. Prius est tecti præstatio, sub quo manerent; unde *mansio* vocabatur; uti ab ea, sicut dixi, *mansionaticum*. Alterum est alimentum, ac viaticum, quæ præparari erat opus; unde & præmoneri solent, apud quos aliquis deberet divertere. Hæc caussa, cur istoc *parata* vocetur. Ac sic propriè *mansionaticus*, sive *mansionaticum*, & *parata*, distinguuntur: crebrò autem junguntur, quia utrumque præstabatur. Imò & ipse de caussa sæpe uno expresso alterum intelligitur. De *parata* videbimus pluribus lib. III, in vocabulis novâ à junioribus significatione donatis. *Mansionatici* voce usus est Carolus M. ad Pipinum Fil. Italiæ Regem: *Cæteri per singula territoria habitantes, ac discurrentes, mansionaticos, & paravaredos accipiunt.* Similiter apud Ansegisum Capitularis lib. II cap. XVII: *In illis locis, ubi modo via, & mansionatici à genitore nostro, & à nobis, per capitulare ordinati sunt.* Carolus Calvus tit. XLIII apud Carisiacum cap. XX: *Nemo in villis nostris, vel in villis uxoris nostræ, mansionaticum accipiat.* Hincmarus Rhemensis ad Laudunenses: *Ne mansionaticos suis amicis, aut suis hominibus, à presbyteris parari faciat.* Est & Aimoini lib. V cap. XXXI: *Indeque per Attiniacum, & consuetos mansionaticos, Compendium adiit.*

Mansionile, habitatio villici, quasi mansio ejus. Flodoardus lib. III Histor. Rem. cap. XXVI: *Mansionile conabantur auferre.* Vita S. Rigoberti, Rhemensis Archiepiscopi, cap. II: *Morabatur quoque ipse Pipinus in pago Laudunensi, & loco, qui dicitur Gerniaca-curtis, & non illic, ut hodie, villa, sed exiguum mansionilis fuerat.* Etiam *mansus* dicebatur, unde *mansionaticum*; de quo antea vidimus: & *mansuarius*, de quo mox dicam.

Mansuarius est, cui ad incolendum datus est mansus, hoc est, certus agri modus, cui fere tugurium sive structura aliqua addita ad mansionem, sive inhabitationem: unde & *manso* nomen. Constitut. Karoli Calvi tit. XXIII, sive epistolâ Episcoporum ad Ludovicum Regem, tit. XIV: *Quatenus non sit vobis necesse —— pauperes Ecclesiasticos, & fidelium vestrorum mansuarios, in carricaturis, & paravaredis, contra debitum exigendis gravare.* Ac similiter alibi in iisdem: *A mansuariis, vel iis, qui censum debent.* Vide, quæ in *Mansus* dicam lib. IV. Iidem videntur *massarii*, de quo loquar eopse libro in *Massa*.

Mantea quidem ex Gallico *mante*, vel *manteau*, seu Germanico, Belgis etiam, & Anglis usitato, *mantel*: sed hæc ipsa tamen, ob similitudinem, sunt à *mantela*; pro quo & *mantelum*, & *mantile* dixerunt. *Mantela* verò ex *manutela*; ut *mansuetus* ex *manusuetus*; *masturbare*, sive potius *mansturbare*, quasi manum stuprare. *Mantela* igitur, cùm propriè sit manualis tela, primò conveniet linteo, quod Belgis similiter *hand-dweel*: ubi posterior pars vocabuli itidem esse ex *tela* videtur: nisi potiùs *dweel* ex *togilla*. Catholicon: *Togilla, parva toga. Togilla, mantile.* Sed longiùs abeo. *Mantea* voce pro pallio, vel simili veste, utitur Rogerus de Houeden Annal. Tom. II: *Deinde indutus est mantea: deinde ductus est ad altare, & ibi prædictus Archiepiscopus prohibuit ei ex parte omnipotentis Dei*, &c. Item Matthæus Parisius, ubi describit coronationem Richardi I: *Quo facto duo comites calceaverunt ei calcaria; indutusque manteâ, conjuratus est ab Archiepiscopo ex parte Dei.*

Man-

Mantus, vel *mandus*, *mantum*, vel *mandum*, ejusdem originis, ac *mantela* videtur: ut dicam libro seq.† Vel fuerit utrumque à μαντύας, μανδύας, vel μανδύη, quod à Persis acceptum. Ac diversum quidem μανδύας à χλαμύς; interim vicinum, quia chlamys fieret ad modum manti; unde est quod *mantus*, & *chlamys*, confundi soleant. Isidorus lib. XIX Orig. cap. XXIV: *Mantum Hispani vocant, quod manus tegat tantùm. Est enim breve amictum.* Ac similiter in Glossis Arabicolatinis. Videmus Isidorum originem arcessere à Latino *manus* vocabulo; non à Persis, unde μανδύας. Et potuere Hispani formare à Latino vocabulo. Sanè videmus & Isidorum dicere, uti eâ voce Hispanos, de quibus optimè, Hispanus ipse, potuit judicare. Imò quingentis ante seculis usus eo videtur Martialis†, itidem Hispanus:

In Pompeiano tecum. spectabo theatro.*
Mantatus† populo vela negare solet.

Sanè in codice Palatino optimæ notæ *mandatus* (ubi vulgo, *Namque notus*) repperit necessarius, ac propinquus meus, V. Cl. Janus Gruterus. Ac maximus Salmasius planè putat, *mantatus*, vel *mandatus*, legi oportere. Id est, tectus *mando*, vel *manto*. Utroque enim modo dixere, ut vidimus. Et de *mandus* firmant Isidori Glossæ; ubi est, *Mandus, vestis virginalis:* non *circularis*, ut aliqui legunt. A *manto* est *immanto*: de quo in Verbis.

Manutus, in veteri est vocabulario; *manutius*, in Isidori glossis; exponiturque, magnas manus habens.

† Cap. in Immantare.
† Lib. 14 ep. 27 al. 29. vel 31.
* Al. tectus.
† Vulg. codd. Nam ventus.

CAP. XXIV.

De incipientibus ab M, sequente AR, AS, AT, vel AX. Margellus, *vel* margellium, *limbus vestis purpureus.* Marinarii, *qui fune vincti immerguntur mari, sed mox extrahuntur.* Marinelli, *socii nautici.* Maritagium, *matrimonium.* Marritio, *dolor, ac querela de damno accepto.* Martiaticum, *stipendium militare.* Mastica, *quod ore mandimus.* Martiobarbulus, *teli genus, puta plumbata.* Martyriale, *quicquid ad martyrem pertinet.* Matricarii, *&* matricularii, *quorum nomina matriculæ inscripta: actumque de variis matriculæ generibus.* Matrina, *pro noverca, vel ea, quæ in sacro aliquem baptismate suscepit.* Matronæum, *gynæceum.* Matum, *vel* madum, *pro madidum, sive humidum.* Maximitas, *magnitudo.*

EXequar nunc ab M cœpta, sequente vocali principe, ac eam excipiente R, S, T, vel X.

Marga apud Ottonem Frisingensem de vitâ Friderici I Imp. lib. II. cap. XVI. pro balista ponitur, corruptè procuIdubio pro *Manga*. vide suprà*.

Margellus è *margulus*, hoc à *margo*, vel *margus*, dixisse inferiorem Latinitatem; argumento erit, quòd inde Græci juniores pro vestis limbo sive margine dixerint μαργέλιον; ut Balsamo ad Concilium VI Can. XXVII, nec non Moschopulus. Aliter accipit ὁ μαργαρίτης Meursius in Lexico Græcobarbaro. Sed magis placent, quæ de eo Salmasius ad Vopisci Aurelianum†, & Bonosum*. De hujusmodi margellis capiendum est istoc Sidonii lib. IV epist. XX: *Viridantia saga limbis marginata purpureis.*

Marinarius, cui mitior pœna hæc infligitur, ut fune vinctus in mare demittatur; sed, ne vitæ periculum adeat, post moram pusillam eodem fune extrahatur. Usurpat Rogerius de Houeden Annal. Tom. II: *Marinarii verò, si luserint tribus diebus à summo mane, in mare demergentur, more marinariorum, quotidie semel; nisi se voluerint arbitrio prædictorum redimere.*

Marinellus est diminutum ex *marinus*; ac notat classiarium, sive marinum militem, vel socium nauticum. Matthæus Parisius in brevi Joannis Regis ann. CIↃCCXIII: *Habeant naves adornatas bonis & probis marinellis, & bene armatis.* Similiter idem alibi. Ac Watsius adducit ex Rotulo patente IX Joannis R. *Omnibus sturemannis, marinellis, & mercatoribus Angliæ.* Ubi videmus, *sturemannos*, hoc est, navium gubernatores, poni extra numerum marinellorum, id est, sociorum, qui gubernatori subsunt.

* Pag. 163.
† Pag. 406.
* Pag. 478.

Maritagium, pro matrimonium, à *mariti*, vel *maritandi* voce, sæpius apud Matthæum Parisium occurrit: item in chartis Ducum Normanniæ, & regum Franciæ. Ubi inter alia†: *Si nos mori contigerit absque hærede de uxore nostra desponsata, cum feodis dedimus iisdem in maritagium feudum Hugonis.* Item in iisdem*: *Non debet Archiepiscopus tenere, nisi tantum tria placita: scilicet de maritagio, de legato mortui, & de catallo clerici.* Similiterque Petrus de Vineis lib. III epist. V: *In manibus ejus omnem dotem, & jus, de quibus tenebatur eis pro maritagio, ——remisisse.* Habes & in Legg. Scoticis à Skenæo editis lib. II cap. XLVIII: *Præterea potestas hæredum in matrimonio collocandorum est penes Regem, cùm ad nubilem ætatem pervenerint: adeò ut dos ad eum jure pertineat. Vulgò maritagium Regis dicunt.* Et ejusdem libri cap. LIX: *Cùm aliquis terram de maritagio uxoris suæ petit.*

† Paginâ 1056. edit. Paris. an. 1619.
* Pag. 1060.

Marritio, dubium, sitne ἀμέσως corruptum ex *murmuratio*: an veniat à Germanico, ac Belgico, *morren*: quod ipsum ex *murmurare* contractum possit videri. Sed de eo non contenderim, quia tam Germani, quàm Latini, possint ex sono suum quique vocem finxisse. Multa adeò sunt, ubi linguæ diversæ parùm à se invicem abeant in iis, quæ ὀνοματοποιηθέντα vocantur. Utcunque verò de prima est origine; *marritio* propriè est obmurmuratio, tacitaque stomachatio: ac fere sumitur, pro molestia, dolore, vel querela ex damno accepto. Ut in chartis Monasterii S. Galli: quarum in sexagesima prima, Rege Karolomanno scriptâ, legas: *Sin autem, ipsæ res sine ulla marritione ad ipsum monasterium revertantur.* Proximoque anno, secundo regis Karoli, habes: *Et post nostrum, ipsa res, pro animabus nostris, ad ipsum Monasterium sine ulla marritione revertantur.* Constitutiones Karoli Calvi tit. XVI, ad Francos, & Aquitanos, cap. XIII: *Pacifico animo donat illi commeatum. Tantùm ut ipsi, & in suo regno, vel suis fidelibus, aliquod damnum, aut aliquam marritionem, non faciat.* Ludovicus de la Cerda in Adversariis cap. CLXXXV. §. CIX censet, *marritio* idem esse, ac detrimentum, jacturam. Sed videmus, in loco adlato à *damno* distingui; & ἴσως aliud, ut puto, indicat.

Martiaticum, pro militum stipendio, à *Marte* sic dictum; teste Prisciano ad XII Æn. Nempe ut à *cathedra* est *cathedraticum*.

Mastica Plinio Valeriano, pro eo, quod masticatur, hoc est, manducatur. Quæ masticandi vox à μαστίζειν, hoc est, μασᾶσθαι, manducare. Sic interpretatur Hesychius, & Nicandri Theriacorum scholiastes. Atque inde μάσαξ, *mandibula*.

Martiobarbulus teli est genus, quod aliter *plumbata*; ut liquet ex Vegetio lib. I cap. XVII, & Modesto de vocab. rei militaris. Leoni in Tacticis vocatur ματτζοβάρβουλον: nisi, ut puto, potiùs rescribendum μαρτζοβάρβουλον: sicut est apud Mauricium Strateg. lib. II cap. XXII Turnebus lib. XXIV Adversar. cap. XII conjectabat, sic dici, quasi Martias sive Martiales, hoc est, militarium virorum barbulos, sive barbos pisces. Quod etymon mihi longè admodum peti, nec quicquam verisimile habere, videtur. Meursius in Glossario censet, posteriorem vocabuli partem esse *barbolus*; eàque voce teli genus signari comprobat ex Godefrido monacho S. Pantaleonis. Sed jam ostensum nobis, apud hunc pro *barbolis*, legendum esse *barbotis*, quod est, navigii genus. Quid si igitur telum istiusmodi dixerint *barbulum*, à barbæ similitudine; quemadmodum in cometis, sic laxè vocatis, etiam sunt πωγωνίαι? Sanè & in telis fuit Germanis *bard*; credo, quia iisdem barba *bard*; & ferrum ejus teli barbam referebat. A quo etiam *hellebaert* deductum: imò fortasse nec sic dicti *Longobardi* à longis barbis; sed quia bardis, hoc est, telis, vel securibus, uterentur. Ac de isto etiam antea diximus.

Martyriale, quicquid tangit eum, qui vitam profundit pro

pro veritate religionis Christianæ. Vita S. Fulgentii cap. IX: *Ut martyrialis agonis participes effecti, illata discerent supplicia tolerare.*

Massalis quid sit, liquebit ex iis, quæ afferam in Particulis, cum agam de voce *Massaliter*.

Matricarii à *matrice*, ubi nomina inscriberentur; ut à *matricula* iidem *matricularii*. De posteriori proximè agam. Priori usus Julianus Antecessor Constitut. XXIII: *Interesse pratores oportet, vicenos secum habere milites, & tricenos matricarios.* Ac similiter Græcè ματρικάριοι Novell. XIX. At Cedreno ματρικάριοι, qui usitatiùs ξυλουργοὶ *materiarios* dixeris potiùs, quàm *lignarios*: si observare visum discrimen inter *materiem*, quæ ἐργάσιμος †, & *lignum*, quod καύσιμον *. Quod discrimen non uno in Digestorum loco reperias. Si tamen *fabros lignarios* nuncupes, abunde ambiguitati vocabuli occurritur.

† *Apta ad aliquid inde efficiendum.*
* *Ustile.*

Matricularii vocabantur, quorum nomina matriculæ inscripta. *Matricula* verò est nominum indiculus, sive catalogus, vel regestum, pro quo vulgo *registrum* dicunt. Legas in vita S. Leodegarii, Episcopi Augustodunensis *, & alibi crebrò. Estque diminutivum à *matrix*; quo ipso sic κατὰ μεταφορὰν usi videntur. Gloss. Philoxeni: *Matrix*, σημεῖον ὀνομάτων. Porrò *matricula* vox ad varia catalogorum genera extenditur. In Academiis *matriculam* appellant codicem, in quem referuntur nomina omnium Academicâ fruentium libertate. Cui cùm inscribuntur, studiorum gratiâ, in Academiam missi, dicuntur *immatriculari*. Est quoque matricula eorum, qui aliquid penderent Cæsari, aut qui militiæ nomen dedissent. Quod ex vett. Jurisconsultis liquet. Unde in Glossis Basilic. Ματρίκιον, ἡ ἀναγραφὴ τῶν στρατιωτῶν· *Matricula, descriptio, sive index militum.* Vide de militaribus hisce matriculis Vegetium lib. I cap. XXVI, & lib. II cap. VI. Imò & Ecclesiæ matriculæ variabant. Erant matriculæ baptizatorum. Item fidelium, sive qui Dominicâ communione digni haberentur. Unde delebantur, quibus imposita esset pœnitentia publica. Erat quoque matricula egenorum, qui sumtibus alerentur Ecclesiæ. Item quæstorum, annotantium, qui quid Ecclesiæ quotannis penderent. In tam diverso matricularum usu attendere oportet, de quo genere loquantur scriptores. Ac par ratio, cùm à tam variis significationibus *matricularii* dicuntur. Quâ voce utuntur Gregorius Turonensis lib. VII Hist. Franc. cap. XXXIII; Aimoinus lib. IV cap. XXXIII, Hincmarus epist. VII cap. XXXV, Flodoardus lib. I Hist. Rhem. cap. XX, & alibi apud eundem non semel, Baldericus Chronici Cameracensis lib. I cap. XXXIII, Adamus Bremensis Histor. Eccles. cap. V. Incertus in vita S. Rigoberti, Rhemensis Archiepiscopi, cap. I †. Legas & in Formulis sollennibus, à Lindenbrogio editis; uti ea, quæ numero CXXXVIII; & illis, quas Marculfo subtexuit Bignonius, cap. XI formularum secundùm legem Romanam. De iis, qui baptizatorum nomina annotarent, sic scribit Sebastianus Roulliard Partheniæ Carnotensis part. II, ubi Officiarios ejus Ecclesiæ describit: *Sequuntur duodecim ministri dicti MARGUILLIERS, Latine matricularii, à matricula, seu registro, in quo olim scribebant nomina eorum, qui ad baptismum deferebantur in Ecclesiis cathedralibus.* Quod verò dixi, etiam matriculas, & matricularios, eorum fuisse, qui Ecclesiæ eleemosynis viverent; liquidò comprobatur isto Gregorii Turonensis Miraculorum S. Martini lib. II cap. XXII: *Cum matriculam, quæ ibidem congregata est, pasceret.* Ubi *matricula*, pro egenis, matriculæ inscriptis. Flodoardus Historiæ Remensis lib. I cap. IX: *Sanctimonialibus, & viduis in matricula positis, solidos III.* Item ejusce libri cap. XVIII in Testamento Remigii: *Pauperibus XII in matricula positis.* Hinc *matricularii*, egeni; non quivis, sed matriculæ inscripti. Gregorius Turonensis lib. VII cap. XXIX: *Nonnulli etiam matriculariorum, & reliquorum pauperum, pro scelere commisso, tectum cellula conantur evertere.* Hincmarus in Vita Remigii, & ex eo Flodoardus lib. I cap. XX: *Hac omnia vehiculo, quod vulgo benna dicitur, imposuit, & junctis bobus ad basilicam S. Remigii, candelam manu ferens, properavit; quò perveniens, cibariis, qua detulit, pavit matricularios.* Nec alios puto intelligi apud Flodoardum lib. III cap. XXVI: *Dictum est mihi, quod matricularios, à ministro meo constitutos, de illa matricula —— ejecisti.* Item apud Albonem, monachum Floriacensem, de passione Eadmundi, Anglorum Regis: *Interea quidam matriculariorum, qui intra basilicam jacebat, somno excitus.* Hinc Isidorus in Glossis: *Matricularius, pauper, inops.* Nempe *matricularius*, nunc vocatur, qui matriculæ inscriberet, nunc qui inscriptus foret; ut à Flodoardo, & Isidoro, sumi vidimus. Quod verò superiùs dixi de matricula fidelium, cognoscimus ex Collectione Benedicti Levitæ lib. VII cap. CLXVII adversus clericos contumaces: *Si Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere, neglexerint; peregrina eis communio tribuatur; ita ut cùm eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum dignitatemque recipiant.* Sunt verò ea ex cap. XIII Concilii Agathensis. Etiam Ecclesiæ matricularios signat Hincmarus, Remorum Archiepiscopus, diplomate quodam †: *Quapropter Dominus Rex de eadem Abbatia quasdam res, villas, prædia, mancipia, imperiali præcepto suo confirmavit. Has villas cum mancipiis, & omnibus ad se pertinentibus, in usus luminariorum, matriculariorum, deputavit*, &c.

* *Tom. I Script. Francicæ Histor. pag. 601 edit. Andr. Chesnes.*
† *Apud Bollandum in Vitis Sanct. 4 Jan.*
† *Apud Miræum in diplom. Belg. pag. 23.*

Matrina, pro *noverca*, in Legibus est Longob. lib. II. Tit. VIII. L. I, & lib. III. Tit. XIV. L. XII. At pro ea, quæ de sacro suscepit fonte, legas in Capit. Karolinis lib. V Tit. VII, Aimoino Hist. lib. V cap. LVII, Walafr. Strabone cap. XVI, & sæpe apud alios, qui de ritibus Ecclesiæ scripsere. Vide *Patrinus*. Utramque significationem agnoscit & vetus Vocabularium: *Matrina, quæ aliquem de sacro fonte levat, vel in Ecclesiam introducit: item matrina, noverca.* Nempe noverca civiliter est pro matre; susceptrix, spiritualiter.

Matronaum, locus matronis destinatus. Anastasius in Symmacho: *Cameram fecit, & matronaum, super confessionem imaginem argenteam cum Salvatore, & duodecim Apostolos posuit, qui pensant libr.* CXX.

Matum, vel *madum*, videri possint juniores contraxisse ex *madidum*. Isidorus in Glossis: *Matum est humectum, emollitum, infectum.* In MSS. etiam Ciceronis codd. est lib. XVI ad Att. epist. XIII: *Longulum sanè iter, & via mata.* In vulgatis est *inepta*. Sed longiùs hoc abit à MSS. Aliqui igitur corrigunt *madida*, alii *molesta*, alii *mala*, Lambinus *madidata*. In MSS. Palatinis, & quibusdam aliis, est *amata*. Unde aliqui *hamata*: Bolius, ἀμάρα, quo, ut Pollux, & Hesychius, testantur, significatur sulcus, sive incile, quo aqua in hortos derivatur. Quomodo sententia fuerit, sic aquam stagnâsse, ut via sit instar ἀμάρας. Tantùm verò abest, ut Ciceronem scripsisse *mata* credam, ut potiùs Isidorum putem corruptum, atque apud eum *madidatum* legi oportere.

Maximitas; magnitudo maxima. Arnobius lib. VI: *In vastis porrigere se longiùs, atque in maximitate producere.* Simile est ac à *proximus*, *proximitas*.

CAP. XXV.

De iis, ubi liquidarum secundam secunda excipit vocalis.

Medallia, *pro numismatis, vetustatis gratiâ adservatis.* Megadomesticus, *fungens magni domestici dignitate.* Melo, *pro* meles; *& unde sit, quòd* melotæ *non ovilla modò, sed caprina etiam pelles dicantur.* Melodima, *canticum.* Menantes, *qui famosos spargunt libellos.* Mensale, *mensa.* Mensuratum, *quod quis dimensus.* Mensurinus, *menstruus.* Mercada, *vel* mercata, *mercatus.* Merceria, *mercimonium.* Merchatus, *mercatus.* Merciamentum, *vel* amerciamentum, *levior mulcta pecuniaria, quæ &* misericordia. Merciatoria *navis, quæ mercantium defert merces.* Meretricatio, *scortatio.* Mergula, *mergus.* Merlor, *urinator.* Mesopicatum, *media sui parte oblitum pice.* Messivus, *messo-*

messorius. Mesuagium, & messuagium, *domicilium*, *habitatio*. Metacismus, *crebra iteratio literæ M eodem in versu, vel periodo*. Metseptimus, *pro septimus ipse*.

His consequens est, ut loquar de cœptis ab M, sequente alterâ vocali.

Medallia vulgò nomismata vetera, quæ non amplius in usu, sed solùm antiquitatis caussâ asservantur, ex Latino *metalla*, quia ex auro, argento, ære. De qualibus Pomponius J.C.* *Nomismatum aureorum, vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti solent, usus-fructus legari potest*.

* Lib. 28. de Usufructu.

Megadomesticus, vox hybrida, quasi magnum præsidem dicas: ut explicabitur cum de *domestici* dicam vocabulo in us, quæ usurparunt significatione veteribus ignotâ.

Melo Isidoro †, qui Varroni de R. R.* *meles*, vel *melis*; etiam Martiali lib. x epigr. xxxvii:

Venator captâ mele superbus adest.

Sic legi oportere, ex codice Mso observavit Salmasius †. Vulgo legitur *marte*. In vett. libris est *male*, pro *mele*. Flavius Caper de verbis Dubiis: *Meles, bestia quædam, non melones*. Unde videmus, non Isidori demum, sed jam Capri ætate, *melo* dictum, pro *meles*; licet perperam, unde a Capro improbatur. Sunt qui exteriorem monachi tunicam pelliceam a *melone melotam* esse vocatam arbitrentur: sed falluntur, cùm non e melonis pelle fuerit, sed ovillâ: ut quod sit à μηλωτή: quod legas in divina ad Hebræos epistolâ cap. xi. 37. περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν. Quod vetus interpres reddidit: *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis*. Videmus hic opponi μηλωτὰς, & αἴγεια δέρματα. Sed sæpe *melota* etiam de caprinis pellibus legas. Quid mirum? quando & μῆλον, longè quidem crebriùs de ovibus; quandoque interim de capris, usurpatur: ut videmus apud Homerum Odyss. Ξ. Hæc ut manifestiora sint, adferam aliqua loca, ubi nunc generatim sumatur pro pellicea tunica; nunc particulatim vel pro ovilla, vel caprina. B. Hieronymus Eliæ pallium *meloten* appellat epist. xxviii ad Lucinium: in quo secutus LXX interpretes lib. iii Reg. xix. 19, & iv Reg. ii. 8. Ejusdem Hieronymi est epist. LXV: *Tanta erat deformitas in melotis*. Similiter regula Pachomii, in vita ejus: *Habeant singuli meloten, id est, pellem caprinam confectam albam; sine qua neque comedant, neque dormiant*. Est & Cassiani lib. i de Institutis Renunciantium cap. viii: *Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes, vel pera, appellatur*. Ubi *pera* dicitur more seculi, pro *penula*. Usurpat quoque S. Faustus Casinensis monachus; (de cujus ætate diximus in Historicorum Latinorum historia) in vita S. Mauri cap. ii §. xii: *Ego, cum ex aqua traherer, super caput meum Abbatis melotem videbam, atque ipsum me ex aquis reducere † considerabam*. Quæ etiam legas apud Gregorium lib. ii dialog. cap. vii. Usus & Ivo epist. xcvii: *Verum cum quidam, ex hac professione, in melotis suis vicos, castella, civitates, gyrando perlustrent; humilitate vestium, vilitate ciborum, merita sua populis ostentant*.

† Lib. 12. Orig. extremo cap. 2.
* Lib. 3. de R. R. cap. 12. ubi & Plinio lib. 8. cap. 38.
† Ad Solinum pag. 1009.
† Al. educere.

Melodima, pro cantico, vel modulatione. Glaber Radulphus in vita S. Guilielmi, abbatis Divionensis † cap. xiii: *Psalmorum nihilominus concentum dulcissima ultra omnes distinguens decoravit melodimate*. A μελῳδεῖν, unde μελῳδητὸς, & alia, foret μελῴδημα, pro quo, juxta corruptam pronunciationem, dixere *melodima*: ut ex ἐλέησον fecere *eleison*, & corruptiùs πιουτάλεως eleison.

† In Vitis à Bollando editis ad 1 Januar.

Menantes, qui libellis famosis alienam proscindunt ac lacerant famam. Inscriptio Bullæ Papæ * Gregorii XIII: *Contra famigeratores nuncupatos menantes, eorumque scripta recipientes, & famosos libellos scribentes, & mittentes*. Puto, corruptum esse ex Latino *minantes*. Nam famosis libellis minæ solent intentari.

* Bull. tom. 2. pag. 274.

Mensale, pro *mensa*. Beka lib. Chronicorum in vita Willebordi: *Mensale diversis cibariis impletum invenit*.

Mensuratus, pro *mensus*, vel *dimensus*. Turpinus de vita Karoli M. cap. xvii: *Nasus unius palmi mensuratus*.

Mensurinus, pro *menstruus*. Glossæ: *Mensurinus*, μήνιος. Ubi legendum μηνιαῖος. Quid si *mensurnus* potius dixerint, ut *diurnus*, *nocturnus*?

Mercada, pro *mercatus*, à Germanico *merket*, vel *merkt*: quod ipsum κατ' ἀφαίρεσιν, è *mercatus*, hoc est, forum. Incertus veterum Formularum scriptor in editione Bignonianâ, formula XLV †: *In quoscunque portus civitatis, seu mercada, nullo contradicente, suus venditor, vel commercius, potestatem habeat vendendi*. Item in editione Lindenbrogiana cum Legg. antiquis, formula xii *: *In quibuscunque portubus civitatis, seu mercada, —— nullo contradicente, potestatem habeat vendendi*. At form. CLXI † habes pro eo *in mercado*. Pro eo & in recto *mercatum* per T legas in Legg. Long. lib. ii Tit. xxviii. §. iii: *Caballum in mercato comparare*. Et lib. iii Tit. xviii: *Ut mercatum nullo loco habeatur, nisi ubi antiquitus fuerit, & legitimè debet esse*. Guilielmus episc. Paris. in Addit. *Prohibetur sacerdotibus, ne mercata frequentent*. Agobardus De Insol. Jud. *Ne sabbatismus eorum impediretur, mercata, quæ in sabbatis solebant fieri, transmutari præceperint*. Similiter Philippus IV Gall. R. in Edicto de Offic.* Pro *mercatus* etiam *merchatus* dixere: de quo mox loquar.

† Pag. 271. edit. Paris. an. 1613.
* Edit. Francof. an. 1613.
† Paginâ 1289.
* Pag. 170.

Merceria, merx, mercimonium; uti Galli dicunt *mercerie*. Childebertus II Rex Franc. in fundat. Monast. S. Dionysii †: *Villam nostram cum omni mercato, & quidquid fiscus noster tam de garantia, quàm de merceria, ibidem tenuit*.

† Apud Miræum in Donationibus Belg. pag. 17.

Merchatus, pro mercatus sive nundinæ: quomodo *merchatum statuere, concedere, visitare*, ac similia, habes in literis Ottonis Imper. III, apud Baldericum in Chronico Cameracensi lib. i cap. cxii. Quomodo & *mercata* pro *mercatu* dixerint, paullo antè vidimus.

Merciamentum, vel *amerciamentum*, est levior mulcta pecuniaria, quæ per misericordiam imponitur: unde & Latinè *misericordiam* vocant. Gallicè dicitur *mercy*, à quo *merciaments*, & *amerciaments* nomina: sed Gallicum illud sine dubio a *mercedis* vocabulo. Matthæus Parisius in Additamentis*: *Tam isti, quàm illi, compelluntur solvere merciamenta, per possessiones laicales, siquas habent*. Item †: *Amerciamenta, quæ Episcopi, & Religiosi terræ, per chartas regias debent habere*.

* Pag. 201.
† Pag. 203.

Merciatoria navis, pro ea, quæ portandis mercibus, inservit mercatoribus. Rogerus de Houeden Tom. i in vita Guilhelmi Senioris.

Meretricatio, scortatio, meretricia vita. Petrus Chrysologus serm. xix: *Reperit in ea totius meretricationis illuviem*. Nec tamen multùm averser, quando *meretricari* ipsius est Columellæ.

Mergula, mergus. Althelmus libro de Virginitate cap. v: *Non enim furva voracis mergulæ factura confunditur, & atra corporis creatura contemnitur, licet versicolor pavonis gloria teretis circulorum rotunditate præcellat*.

Mersor, pro urinatore. Matthæus Parisius in an. clↃ cxci: *Navis adversatrix, ventorum destituta solatio, immobilis permanebat. Tandem à quibusdam Regis Richardi mersoribus, ipsam subtus aquam invadentibus, locis quam plurimis terebratur*.

Merulentus non dixero, etsi Fulgentius Planciades, libello de verbis antiquis, ex Rabirii Satyra citet:

Abstemium merulenta fugit Metenia nomen.

Nam quis præterea usurpat? Imò fortasse nec usus eo Rabirius. Sæpe enim Fulgentius ille advocavit auctores, qui non exstarent. Et quàm putidus sit Grammaticus, ostendit, quòd in adlato verbo *Abstemium* exponat *observans*: quo quid ineptius?

Mesopicatum, posteriorum seculorum vox, ex Græco μέσος, & Latino *picatum*; ut signet, quod in medio, vel mediâ sui parte, est oblitum pice. Glossæ Isidori: *Meso*-

sopicatum, *mediumpicatum*. Nisi rectius, *in medio picatum*.

Messivus, pro *messorius*: ut messaria corbis, aut falx. Fulbertus epist. XXXIX: *Quos, ubi redierunt, commonui, ut sese ad audientiam præsentarent contra Domnum Tedfridum: ipsi vero responderunt, se, messivo tempore occupatos, lites ad præsens agitare non posse.* Pro quo malim multò, *messis tempore*. Similiter idem epist. XVIII dixerat, *messivas ferias*.

Mesuagium, domus, villæ, horti, stabula, columbaria, ac similia: quæ a domino elocantur alii. Dixere, ut suspicor, *mesuagium*, & *messuagium*, quasi *mansiagium*, hoc est, mansum ubi agerent. *Mansum* quid sit, alibi dicimus. Fuerit igitur idem ac *maneria*; quod itidem à *manendo*, ut antea monitum. Charta libertatum regis Joannis apud Matthæum Parisium: *Et maneat in capitali mesuagio mariti sui per quadraginta dies post obitum mariti, intra quos adsignetur ei dos sua.* Matthæus Parisius in Henrico III*, in anno CIↃ CC LIX: *Prior, & Conventus, in bonis suis, & juribus, angustiantur: quia redditus, quos à messuagiis fratribus collatis receperant, sibi nunc pereunt.* Ubi è *messuagiis* valet, è domibus alteri locatis.

* Pag. 986. edit. Lond.

Metacismus vulgo dicitur, quando litera M nimis condensatur. Sed dicendum *mytacismus*, vel *motacismus*; quia litera Mῦ aliter dicta μῶ, teste Eustathio. *Metacismus* etiam legas apud Gregorium M. in Prologo Moralium. Plura de hoc vitio dixi lib. I Artis Grammaticæ cap. XXXII, & lib. IV Institut. Orat. cap. II.

Metseptimus, pro *septimusmet*; quomodo dicimus *ipsemet*. Usum Speculum Saxonicum lib. I. art. VIII. §. II, ac pag. CXXXVII, & CLVI. Similiter *mettertius*, quasi *tertiusmet*, hoc est, etiam tertius Speculum Saxonicum lib. I. art. XV. §. I, & pag. CXXXV, & CXLVI.

CAP. XXVI.

De cœptis ab M, tertiâ vocali sequente. Michalatus, *nummus, in quo effigies angeli Michaelis.* Militones, *milites.* Milleforme, *quod millenum est generum, seu formarum.* Millerensis, *pars duodecima solidi aurei, vel paullo minus.* Ministerialis, *ministrator, vel ministratrix.* Miraculosus, *portentosus.* Mirificentia, *admiratio.* Missarium, *quod mittitur victori scenico.* Missaticum, *tractus omnis subditus eo a superiori potestate misso: item ipsa missio sive legatio.* Missorium, *quod à principe aliis dono mittitur.* Mititas, *lenitas, vel lenitudo.* Mitratus, *sacerdotali ornatus infulâ.* Mitrella, *mitella.*

PRoximum nunc, ut proferam illa, ubi post M consequitur vocalis tertia.

Michalatus, nummi genus, credo quia cusus in eo angelus Michaël. Chronicon Casinense lib. III cap. LVII: *Centum michalatos pro pictura capituli.* Petrus Diaconus lib. IV cap. XVII: *Octo michalatorum libras.* Vulgo, ab angeli effigie, vocantur *Angelotti*.

Milito, miles. Aldhelmus de Virgin. cap. VII: *Quot tyrannici militonum commanipulares humanæ naturæ nocituri subsequantur.*

Milleformia monstra, apud S. Gallum Confessorem legas.

Milliarensis, nummus argenteus, λεπτὸν ἀργύρεον, millesima pars aureæ libræ: Græcis itidem μιλιαρήσιον. Scaligerum adi libro de re Numaria; quæque Petavius ad Epiphanii librum de Mensuris ac Ponderibus annotavit.

Ministerialis junioribus, qui Ciceroni, & Suetonio, *minister*, vel in muliebri genere *ministratrix*. Veteres pro eo *anculus*, & *ancula*; unde ὑπουργικὸν *ancilla*. *Anculus* autem ab ἄγγελος, quod est nuncius; uti hodieque *ancilla*, *dienst-bode*, quasi dicas *ministeriales nuncia*. Isidorus in Glossis: *Anculus, ministerialis domus regiæ.* *Ministerialis* est frequens in Legg. Burgundicis, & Longobardicis. Usus & Carolus M. in diplomate: *Militares, vel alio nomine ministeriales.* Vasallos signat. Hincmarus in vita S. Remigii, & inde Flodoardus lib. I Histor. Rem. cap. XX: *Nostra ætate colonus quidam villa Remensis Episcopii, quæ Plumbea Fontana dicitur, manebat juxta fiscum Regium, qui Rosetus vocatur; & nec peculium, nec messem, vel pratum, propter fiscalinorum infestationem, quietè habere valebat; unde sæpe justitiam apud Regios ministeriales petiit, quam obtinere non potuit.* Utitur quoque idem Hincmarus epist. III, quæ est ad episcopos Franciæ, cap. XXXII †. Itidem pro *ministrantibus* usurpat Petrus de Vineis lib. III epist. V: *Metu insuper incusso ministerialibus suis, quod nullus evaderet, nisi, quicquid potuerat, compleretur; ut sibi, & aliis suis intimis, persecutor, & tyrannus omnibus, in communi operum judicio, censeretur.* Pro *ministra* usus Joan. Beka in vita Andreæ Episcopi XXV: *Ministeriales vero jam dictæ juvenculæ, Florentis probitatem intuentes, decreverunt omnes eidem homagium exhibere, ac ipsam puellam suo matrimonio copulare.* Alios etiam nobis indictos dabit Lindenbrogii Glossarium: uti Aimoinum, Steronem, Chronicon Laurishamense, Speculum Saxonicum, & alios. Nec de hominibus solùm dicitur; sed etiam rebus. Sic *ministerialis calix* vocatus, quo in sacro Eucharistiæ sacramento utebatur S. Remigius: cui inscripti erant versiculi isti:

> *Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro*
> *Injecto, æternus quem fudit vulnere Christus.*
> *Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.*

† Pag. 37. edit. Mogunt. ann. 1602.

Abbas Joachim prolegom. in Apocalypsim: *Denique & Rebecca, mater Jacob, cui in typo sanctæ hujus Ecclesiæ ministerialia munuscula data sunt, & utique à servo Habræ*.*

* Abræ, seu Abrahæ.

Miraculosus vetustis ignotum: qui maluere mirabilis, admiratione dignus, portentosus.

Mirificentia, pro admiratione, vel maximè admirando. Nempe quâ formâ *magnificentiam* dicimus. Petrus Chrysologus serm. LXIII: *Resurrectionis tantùm contemplemur effectum; quia hoc signum videmus esse signorum, virtutum cernimus esse virtutem, mirabilium esse mirificentiam pervidemus.*

Missarium, quod præmii loco mittitur poëtæ, qui præconis voce victor pronunciatus in scena. Est igitur à mittendo, eâ formâ, quâ *emissarius* dicimus. Juvenalis sat. VIII ℣. CCXXVII:

> *Majorum effigies habeant insignia vocis.*

Ubi interpres vetus, *vocis missaria*. Τὸ χρυσοῦν intelligi, manu suâ adscripserat Josephus Scaliger. Sententia poëtæ est: Alii ante majorum effigies collocent hostium spolia: tu, Nero, ante eas colloca coronam ex apio, ac similia ornamenta, quæ missa tibi, cum vicisses citharæ cantu. Sed quid si is scholiastes non *missaria* scripserit, verùm *missoria*? de quo mox dicam.

Missaticum, regio tractusque, cui præerat missus à principe: eratque is tractus, nunc plurium, nunc paucorum pagorum. Constit. Caroli Calvi tit. XII apud Silvacum cap. XII: *Ut unusquisque missus in suo missatico provisionem habeat; ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens, aut commanens, rapinas fecerit.* Similiter cap. seq. *Ut missi in illorum missaticis curam habeant, ne homines nostri —— vicinos majores, vel minores, deprædentur.* *Missatici* verò, quos misisset Princeps. Ut in lemmate, tit. eodem: *Pagi per missaticos, qualiter fuerunt tunc ordinati.* Vide his Sirmondum ad Caroli Calvi Constit.† Imò & *missaticus*, ipsa legatio, sive mandata missi. Ut apud Bonifacium Martyrem epist. CXV: *Postea verò contigit, ut Dominus Imperator patruelem meum Richolf miserit in missaticum, super Elbam, cum his inferius scriptis.* Item in Constitutionibus Karoli Calvi tit. XVIII, in lemmate, *Istum missaticum transmisit domnus rex gloriosus Karolus per Adalardum Abbatem.* Ubi itidem adi Sirmondum.

† Notarum pag. 28 sive ad pag. 112.

Missorium ex eo vocatum, quia dono mitti soleat à principibus, & summatibus viris: reponebatur verò in thesaurus:

ris: quippe metallo, & arte preciosum. Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. VII cap. IV: *Reliquos verò thesauros, qui apud villam Calem remanserant, in quibus erat missorium illud aureum, quod nuper fecerat, thesaurarii levaverunt.* Fredegarii, Aimoini, & Flodoardi loca similia adducerem, nisi ea jam in Glossario suo apposuisset Clarissimus Meursius: ubi etiam docet, Græcos pro eo corruptè dixisse μινσώριον, vel μινσούριον. Pro istis verò apponam alia ex scriptoribus aliis. Regino abbas Chronicorum lib. I: *Missorium aureum* (ita legendum, pro *aurum*) *regi promittit, pensans auri pondera L.* Et mox: *Missorium Gothis contradicentibus non transmisit.* Ubi ἔτυμον respicit, quod est à *mittendo*. Cùm verò *missorium* naturâ sit adjectivum, intelligitur *vas*: quod expressit Fortunatus, Pictavorum episcopus, de vita S. Germani cap. XIV: *Incidens aurata missoria, ac argentea vasa comminuens.* Porrò & argentea fuisse missoria, clarè indicant hæc verba in fine Testamenti S. Remigii: *Ut basilicæ dominorum martyrum, Timothei, & Apollinaris, missorium argenteum VI librarum ibi deputem; ut ex eo sedes futura meorum ossium componatur.*

Mititas, pro virtute animi, à qua mites dicimur, usurpat Nicolaus Lyra in Glossa ad Genes. XV. ubi ait, à Christo nobis proponi *mititatem columbæ*. Et seculo superiori, quod mirum, nec refugit vir eruditus Godefridus Tilmannus in tralatione Antiochi, homil. CVI. ubi Græcè ἠπιότης. Maluissem pro eo *lenitas*, vel *lenitudo*: quæ ipsius sunt Ciceronis. Nam ἤπιος quidem *mitis*, *lenis*. Sed à *lenis*, *lenitas*, ac *lenitudo*, dicitur; non item à *mitis*, *mititas*. Vide, quæ attuli, Oratoriarum Institut. lib. II cap. III. sect. I.

Mitratus, à mitra; qua voce etiam Christiani sunt usi pro infula sacerdotali. Thom. Walsingamus Histor. Angl. in Richardo II*: *Episcopi quoque, & Abbates mitrati, non obstante; quòd Abbates tenerentur solvere, pro singulis capitibus monachorum suorum, XL. denar.* &c. Intelligo autem, cùm alibi, tum in Italia, ac Polonia, hujuscemodi abbates potiùs dici infulatos: quorum & major sit dignitas, cùm, ut cætera mittam, episcopali habitu missum dicant.

* Pag. 221.

Mitrella, ut Græcis μιτράριον, est ὑποκοριστικὸν à *mitra*. Reperias apud Optatum Milevitanum lib. VI, semel, iterumque. Malim autem *mitella*; ut legitur apud B. Hieronymum epist. XXIII ad Marcellam, ubi de Blasilla. Imò apud ipsum Maronem in Catalectis:

Copa Syrisca caput Grajâ redimita mitellâ.

Sic à *scalprum*, non *scalprellum*; sed *scalpellum*. Scio, Ludovicum de la Cerda in Advers. Sacris cap. CLI putare, aliud esse *mitrellas*, aliud *mitellas*. Mihi non dubium, quin utrâque significatione *mitella* ab eruditionbus dici soleat.

CAP. XXVII.

Afferuntur, quibus initium est à MO. Modela, *modus.* Modernus, *nostri temporis.* Mœnium, *pro mœnia.* Moginellus, *mangana minoris molis.* Molendinum, *domus, ubi molitur. Obiterque de* molettrina, sætrina, furatrina. Molendinarium, *pro molendinum, ac quicquid eò pertinet: uti &* molendinarius, *pro molitore.* Molinus, *mola.* Momentaneus, *momento temporis durans.* Monachilis, *monachicus.* Monetarius, *monetalis.* Monetatio, *cusio monetalis.* Moneti, *vel fortasse* monetati, *nummi signati.* Monocosinum, *vehiculum, sive ab uno tractum jumento, sive unum vehens hominem.* Monoculus, *luscus.* Monogramma, *vocabulum plurium literarum, continuato linea unius ductu exaratum.* Monstruosus, *monstrosus.* Moralitas, *morum conditio.* Morantia, *mora.* Morbificatus, *ægrotus.* Morosus, *bene moratus.* Morsellus, *buccella.* Morticinium, *mortale corpus.* Mosillus, *mos minutus.* Movita, *motus, seu spontaneus, seu ab alterius impulsu.*

PErgamus portò ad ea, ubi post M se offert quarta vocalis.

Modela, pro modus. Fulbertus Carnotensis †:

Est tamen observanda diuturna modela diata.

Ubi aliquis, metri caussâ trajectis vocibus, rescribendum existimet:

Observanda tamen diuturna modela diata est.

Sed longè malim, duobus solùm literulis ejectis:

Est tamen observanda diurna modela diata.

Modum diætæ mox subjunxit:

Libra cibi solidi, simplex hemina Falerni.

Imò quid si pro *modela* reponi debeat *medela*? quod probum, ac vetus.

† Fol 113. edit Paris. 1608.

Modernus, pro eo, quod nostri est temporis. Vox hæc jam quingentesimo Christi anno obtinuit: ut ostendi lib. I cap. XVIII. Quid igitur mirum, si utantur post alteros quingentos annos consecuti? In his Petrus Damiani lib. II epist. III: *Cùm de modernis episcopis mihi perplura displiceant.* Arnulphus Lexoviensis Carm. ad Henricum Wintoniensem episcopum*:

Contulit illa simul, quicquid virtutis habere
Humanum corpus, mensque moderna potest.

* Pag. 101.

Ivo Carnot. in Chronico Franc. *Nulli moderni temporis in regendo comparabilis.* Similiter Petrus de Vineis lib. III epist. XVIII. Vellem non uterentur hoc vocabulo, qui rem tractant Grammaticam; ut in profano suo Grammatico Sandæus commentatione X†.

† Pag. 382.

Mœnium elegantissimum, pro *mœnia elegantissima*, vel antiquo more, *mœne elegantissimum.* Festus: *Mœne singulariter dixit Ennius: Apud emporium in campo hostium per mœne.* Sive, *pro mœne*: ut est in schedis Pomponii Læti. At *mœnium*, pro *mœne*, est Suenonis, qui Saxonis Grammatici æqualis fuit, ac primus Daniæ historicus. Is in Compendio Historiæ Danicæ ait cap. III: *Mœnium itaque Thyra prima construxit elegantissimum; quod postmodum Danis, velut indagine inclusis, à Teutonica rabie tutissimum semper munimen exstitit.*

Moginellus, machina bellica; ut liquet ex hisce Comitis S. Pauli, epistolâ ad Ducem Lovaniensem, apud Guilielmum monachum S. Pantaleonis*: *Super quemlibet pontem poterant ire quatuor milites de fronte. Præterea quilibet usarius mogonellum suum habebat erectum.* Nisi malis *magonellus*, vel *manginella*; de quibus egi antea in *Manganum*. Si utrumque dixere, *moginellus* ex *manginellus* fit: hoc ex *manganus*, vel *manganum*, pro *mangana*; quod ex *machina*.

* In script. rerum Germ. editis ab Freh. pag 270.

Molendinum, domus ea, ubi molitur. Aliud igitur *mola*, aliud *molendinum*: quia *mola* est instrumentum, cujus motu frumenta comminuuntur: *molendinum*, præter instrumentum hoc, continet loca alia, in quibus molitor degat cum familia. Imò nec à quavis mola nomen molendino; sed ea, quæ equis, aut vento; non item quæ aquâ circumagitur. *Molendini voce*, quam veteres nesciunt, utitur Aimoinus lib. III cap. XII, Flodoardus Historiæ Remensis lib. I cap. XIV, atque alibi eodem opere, Petrus Damiani lib. I epist. IX, Ivo Carnotensis epist. LXXVII, & CCLIX. Ubi & *molendum* pro eo legas. Verba sunt: *Ut quod ab omnibus molendinis Beluacensis Levæ committitur, totum in molendum beati Quinctini reflectatur.* Nisi posteriori etiam loco *molendinum* debet reponi. Quomodo & vocat Baldericus in Chronico Cameracensi lib. I cap. XXV, Radevicus Frisingensis lib. IV de gestis Friderici I cap. V, Guntherus lib. VIII Ligurini sui:

Cumque molendinis telonea†, flumina, pontes.

Specul. Saxon. Artic. LIX: *Qui prius annonam molendino præsentaverit, prius molere debet.* Habes & in donatione Henrici I Imperatoris anno CIↃ CCXIV factâ Ecclesiæ Novariensi: eam lege sis apud Baronium Tom. XI Annal. Eccl. ad eumpse annum. Adhæc apud Eugenium Papam III epistolâ ad Godescalcum Atrebatensem: *Molendinum aliud cum duobus furnis, & camba.* Item apud Cæsarium, ac Bekam. Imò & in Inscriptionibus reperias, quas Gruterus collegit. Omnino autem pro hoc, cum Budæo, mole-

† Producit primam, quæ ætate eâ tollonea pronunciabant: vel etiam tholoneu, de quo inferius loquar in Toloneum.

moletrina malim. Nam hoc pro *pistrino*, ubi molebatur, sic, Nonio teste, usurpat Cato: cujus illud in Thermum: *Nervo, carcere, moletrinâ.* Atque addit Nonius, similia esse *feratrina*, & *fœtutina*. Posteriori horum usus Agellius lib. XIII cap. XIX, & Appulejus in Apologia. At pro *feratrina* (quomodo etiam est in membranis nostris) vel *ferratrina* legendum; quod Josiæ Mercero visum; vel, quod malim, *furatrina*; sicuti Colvio placuit ad illud Appuleii lib. VI Met. *Observatis omnibus, furatrinâ facili, flaventis auri mollitie congestum gremium Veneri reportat.* Ac vocem eampse monet Colvius legi in Inscriptionibus, quas continet Aldi Orthographia.

Molendinarium, pro molendinum. Philippus Elsatius, Flandriæ Comes, in epist. *Furnos, & cambas facere, & etiam molendinaria caballaria.* Imò & *molendinarium* vocatur, quicquid ad molendinum pertinet. Onomasticon: *Molendinarius*, μυλικός. Sed & molitor ipse sic dictus. Gloss. Ἀλητής, *Molendinarius, molator.* Ubi pro *molator* lubens reposuerim *molitor*. Sed obstare videtur, quod ibidem est, Ἄλεσμα, *molatio.* Et eo decipi potuit glossographus, quòd *immolare*, & *immolatio*, dicatur.

Molinus, pro mola, Leg. Sal. Tit. XXV. *Aquamolina*, ὑδρομύλη. Gloss. Mir.

Momentaneus legas apud B. Ambrosium, de Syris ab Elisæo in Urbem inductis, &, ut Scripturæ docent; momentanea cæcitate percussis. Hodieque sic loqui solent. Sed malim *momentarius*: quomodo ab *argentum*, *argentarius*; a *frumentum*, *frumentarius*; similiaque *ordinarius*, *primarius*, *ostiarius*, aliaque. Aliquid tamen est, quòd a foro *circumforaneus* dicimus. Augusti ævo nec *momentaneus*, nec *momentarius*, in usu fuisse arbitror. Sed est Appuleii lib. II Metam. *Quid, oro, me post Lethæa pocula, jam Stygiis paludibus innatantem, ad momentaria vitæ reducitis officia?* Et penè initio libri IX: *Momentariam salutem reperisse videbatur.* Item lib. X, *momentarium venenum*, quod momento hominem tolleret. Ac alibi quoque idem usurpat. Imò similiter L. Pecunia, §. VIII. ff. de aliment. & cib. leg.

Monachilis, pro quo usitatiùs *monachalis*; meliùs verò *monachicus*. Legas in Vita S. Adalberti, Episcopi Pragensis, & Martyris †. Item in Vita S. Majoli: *Religiosissimi Patris Hildebranni, Cluniacensis Monasterii Prioris, monachilis districtionis nobile monasterium expetivit.*

† Apud Canisium.

Monetarius, qui monetam cudit. Habes in Cod. Theodos. non semel: item Vopiscum in Aureliano, Julium Firmicum lib. VIII cap. XVII, Eutropium lib. VII, Cassiodorum lib. V Variarum epist. XXXIX. Ut mittam his multò juniores; quales Anastasius Papa in diplomate ad Heloissam, & Eugenius Papa in diplomate ad eandem: item Matthæus Parisius in an. CIↃCXXIV. Suidas: Μονητάριοι, οἱ τὸ νόμισμα τεχνῖται. Puto, veteres potiùs *monetales* vocassent: quomodo dixere *triumviros monetales*.

Monetatio, Matthæo Parisio in an. CIↃCCXLVIII. Malim *monetalis cusio*; quod est L. XVIII de Extraord. sive sord. muner. in Cod. Theod.

Moneti, adjective pro signati, aut percussi, habes, si sana est vulgaris lectio, in Constitutione Karoli Magni*, quæ est de monetis falsis: *Illi tamen denarii, qui modò moneti sunt, si pensantes, & meri sunt, habeantur.* Suspicor, scribendum *monetati*; ut sit a *monetare*, quod Belgis *munten*, hoc est, pecuniam cudere. Sanè ab origine eadem est *monetatio*: de quo proximè dictum.

* Pag. 304 edit Mogunt an. 1602

Monialis, virgo Christo dicata. Usurpat Cæsarius lib. I Miracul. cap. XLI, & XLII, Petrus de Vineis lib. IV epist. CXVI, Heloissa epist. IV ad Abælardum, Statuta monachorum de Sempringham †, Beka in vita Godebaldi episc. XXIV, Speculum Saxonicum *, Gaspar Brusch in Chron. *Monialium vero tres abbatiæ.* Imò & seculo proximo usi non pauci: inque his Thomas Morus lib. I Utopiæ suæ: *Mendicos omnes latâ lege distribui jubeo in Benedictinorum cœnobia, & fieri laicos, ut vocant, monachos: mulieres, moniales esse impero.* Item Casaubonus ad Apparatum Annal. Baron. Num. XLIX, sive sect. XXII. ubi ait: *Parum est Baronio, moniales Judaicas auctoritatibus stabilisse.* Idemque in argumento sect. XXI, *Rejicitur fabula de Virginibus monialibus in templo degentibus.* Est verò κατ' ἀφαίρεσιν factum ex *castimonialis*, vel potiùs *sanctimonialis*: quâ de voce inferiùs agemus. Utraque usus B. Augustinus. Nec absurdè tamen deducas *monialis* à Græco μονιάς: quomodo ὁ ἰσημαζων Eustathio vocatur in Odyss. T †.

† Apud Wilhelmum Wats, S. T. D. in Adversariis ad Matth. Paris pag. 9.
* Pag. 131.
† Edit. Romana pag. 1872. vers. 16.

Monocosmum ab Isidoro in Glossis exponitur, *quod ab uno jumento ducitur, vehiculi genus.* Nec dubium, quin in Glossis Arabico-Latinis cum Meursio legere oporteat: *Monocosmum, vehiculi genus, quod ab uno jumento ducitur.* Ubi vulgò *monacus*. Idem Meursius censet, esse ex μόνος, *solus*, & κόσμον, *jumentum*: quod satis convenit cum interpretatione utraque antea allatâ, si κόσμον *jumentum* signet junioribus Græcorum. Sed iis *jumentum* non κόσμος, verùm ζῶον. At, inquit idem clarissimus, & optimus vir, ab eâ significatione, in diplomate Andronici Palæologi junioris apud Phranzem lib. III cap. XXIV, κοσμιακὸν legas pro pretio, quod solveretur vel veredario pro jumenti tractura, vel cursus publici præfecto. Verùm metuo, ne & κοσμιακὸν Phranzi aliud longè sit; & *monocosmum* potiùs fuerit vehiculum hominum delicatorum ornate comteque procedentium, ac tale, ut unum tantùm hominem, vel summùm & alterum caperet: eoque appellatio sit à κόσμος, significante ornatum. Ei verò, quod dicebamus, non ab uno modò jumento trahi solere, sed ferè unum solùm eo hominem tractum; favet vetus Vocabularium: ubi legas: *Monocosmus, id est genus vehiculi, quod ab uno jumento trahitur. Et hoc monocosmum, id est, currus, unum tantum portans, & dicitur a monos, & cosmus.*

Monoculus damnabam lib. I cap. XIX: dicendum ajebam *unoculus*, *luscus*, *cocles*. Barbarum verò illud usurpat S. Ealredus in vita S. Eduardi Confessoris, Regis Angliæ cap. VII: *Aliâ autem vice duo cæci cum uno monoculo, aquâ lotionis manuum Sancti* (Eduardi) *perfusi, visum percipere meruerunt.* Similiter Cæsarius lib. IV Memorab. cap. LXII. Imò è doctissimis superioris seculi philologis Cælius Rhodiginus lib. XII Antiq. Lect. cap. V.

Monogramma ne quidem Græcum puto; etsi μονόγραμμος non Græcum sit modò, sed ipsum apud Ciceronem legas; qui ait, Epicuro Deos esse monogrammos. Beatus verò Ambrosius, vel quisquis ille auctor, in translatione S. Sebastiani cap. XIX, *monogramma* posuit pro signo nominis, continuato literarum ductu. Verba sunt: *Qui cum ad Evangelium est, calicem aureum cum patinâ, patris sui Magni Caroli monogrammate insignitâ, manibus propriis, inter legendum ponderis ingentis tenuit, & cum oblatione sacrandâ eidem dicavit.* Ulus & Odo in vita Burchardi.

Monstruosus, pro monstrosus, Prudentii est. Sed de hujus generis vocabulis dictum lib. I. cap. XIII. Scrupulum interea injicit, quòd *monstruosas raritates* editum video apud Agellium lib. III cap. XV.

Moralitas, morum conditio, mores bene maleve compositi. Fulbertus Carnot. Epist. XII. *Cui enim, etiam gravioribus delictis obnoxio, apud tam bona moralitatis virum non desperanda sit venia?*

Morantia pro mora, à morando. Legas in vita Hugonis Lincolniensis cap. IV.

Morbificatus, pro *ægrotus*. Petrus de Vineis lib. III epist. VIII: *Casualiter, & forsitan morbificatus itinerans.*

Morosus barbaris, pro *moribus bonis præditus*, juxta superiorum seculorum versiculum:

Mos me morosum, mora me facit esse morosum.

Morsellus pro eo, quod morsu unico comedimus. Latini *buccam*, vel *buccellam* vocant. Usi sic *morselli* voce suppares scriptores, Matthæus Parisius, & Thomas Cantipratanus: item paullò his antiquior Cæsarius lib. IV Miracul. cap. LXXXIX, & lib. X cap. VIII. Pro exiguo morsu Plautus dicit *morsiunculam*.

Mor-

Morticinium, pro corpore mortali, Fulbertus Carnotensis episc. epist. I: *Inde est, quòd damnationis nostræ proscriptionem, quàm primi parentis transgressio miserabiliter in posteros transfuderat, evacuare disponens, carnis nostræ morticinium suscepit: per quam immortalis moriendo captivitatis nostræ caussam solvisset. Morticinium* verò formatum à *morticinus*; quomodo *morticina* ovis Varroni, non occisa, sed per se mortua: ac similiter animalis ejusmodi caro Plinio *morticina* vocatur. At τὸ μεταφορικῶς pro cadaveroso sumitur apud Plautum Persa, vel etiam non majoris faciendo, quàm cadaver: prout ex *Charonia* Galli, *charongne*, de homine fœdissimo, nec ultrà nomine hominis dignando.

Mosillus, parvus mos; ut est in glossis Isidori. *Mosculus* aliqui corrigunt: & sanè sic dicatur magis ἀναλόγως; quomodo à *flos* est *flosculus*.

Movita, motus: *movita sua*, factum spontaneum: *movita aliena*, alterius impulsus. Ita in formulis solemnibus legas num. CXIX †: *Eo quòd insidiatus fuisset, & in sua movita, vel in sua culpa, ibidem interfectus fuisset.* Ac similiter formulâ seq. Putant inde esse Gallicum *mauvastie*. Sed hoc malignitatem sive malitiam notat: & est à *mauvais*, malus, nocens.

† Edit. Lindenbr. pag. 1274.

CAP. XXVIII.

Proferuntur ea, quibus initium ab M, sequente U. Muccatus, *nares.* Muccinium, *linteolum, quo muccum narium rapimus: aliud verò esse & strophiolum, & sudarium.* Mulcebris, *mulcens, sive abblandiens.* Mulossus, *canis pecuarius, aut villaticus.* Multicolorius, *multicolor.* Multiforatilis, *multiforis.* Multissimus, *plurimus.* Mundialis, *mundanus.* Munibilis, *vel monobelis, machina bellica.* Murænula, *torquis aurea.* Muragium, *pecunia ad muros urbis instaurandos.* Murator, *murorum structor; indeque* ars muratoria. Muriones *apud Turonensem corruptè scriptum videri, pro* monones, *vel potiùs* miriones. Murilegus, *pro fele.* Murmurosus, *murmillare solitus.* Muscidus, *mucidus.* Musculæ, *concha margaritifera.* Musilæum, *mausolaum.* Mussula, *muscus.* Myxum, *ellychnium, sive quod emungitur de lucerna.*

IN cœptis ab M quid nunc superest, nisi ut adnectam, ubi postrema sequitur vocalis?

Muccatus, nares, quia iis muccus educitur. Lex Ripuaria tit. LXVIII §. VI: *Siquis absque effusione sanguinis alium brachio, pede, oculo, auditu, muccatu, digito, vel quocunque libet membro, mancaverit.*

Muccinium, linteolum quo muccus excipitur. Primus, apud quem meminerim legisse, est Arnobius lib. II: *Indicet, in quos habitus vestis stragula facta sit, mitra, strophium, fascia, pulvinus, muccinium, leno, calantica, manstruca, soccus, solea, calceus?* Nec video, quomodo aptiùs vocare possis. Nam *strophiolum*, prout Erasmus appellat, aliud sonat: ut, præter Arnobii verba, ostendit illud Helvii Cinnæ *: —— *Strophio lactantes cincta capillos.* Nempe fascia erat †, qua feminæ coërcerent papillarum tumorem. Nec *sudarii* vocabulum satis idoneum; licèt muccinio, dum mundum adhuc, sudorem etiam abstergeamus.

* Apud Isidorum lib. 19 Orig. cap. 33. Sed apud Catullum legas Carm. de Nuptiis Pelei, & Thetidos: nisi quòd illic vincta pro cincta.

† Non. Marcel.

Mulcebris, blandiens, delectans, cui, ut Agellianâ utar voce, mulcedo quædam inest. Joannes Saresberiensis in Policratico lib. I cap. ult. *Duæ sunt, ut opinor, virtutes ignis: altera edax, & peremtoria; altera mulcebris, & innoxio lumine.* At Vulcano non à mulcendo *Mulciberis* nomen; sed à mulcando, hoc est, molliendo, ferro. De quo pluribus dixi in Originum libris.

Mulossus in Glossis veteribus exponitur *caniculus rusticus.* An legendum *Molossus*? Solùm obstat, quòd Molossi Lucretio, Maroni, Horatio, sint canes ingentes, quales Epirotici. Sed potuere eo abuti posteriores. Vel fortasse pro *caniculus* rescribendum *canis.* Ut signet canem pecuarium, sive pastoralem, sicut Columella appellat. Tales enim proceri ac validi; quia pro pecore iis depugnandum adversus lupos. Vel etiam canem villaticum; qui & ipse sæpius ingens, ut viribus arceat fures.

Multicolorius pro eo, quod Plinio *multicolor.* Petrus Cellensis epist. XI: *Quasi pannum pretiosum, & multicolorium, de divinis theatris adsumens.*

Multiforatilis, pro eo, quod Ovidio *multiforus*; Plinio, *multiforis.* At *multiforatilis* est Appulei lib. X Milef. item in Floridis; & Sidonii lib. VIII epist. IX: *Qui tibi solent per musicum palati concavum, voce variatâ tinnientes, quasi tibiis multiforatilibus effundi.*

Multissimus, pro *plurimus*, usurpat Bembus. Nempe eum decepit corruptus Ciceronis locus in editione Ascensii. Dixi de hoc lib. II de Analog. cap. XXIV.

Mundialis, κοσμικὸς, à *mundus*; ut à *Mercurius* est *Mercurialis.* Gildas epist. de Excidio Britann. cap. VIII: *Ita ut agmine denso certatim, relictis post tergum mundialibus tenebris, ad amœna calorum regna, quasi ad propriam sedem, tota festinaret Ecclesia.* Paschasius Radbertus in vita S. Adelhardi Abbatis: *Timor mundialis eum nusquam potuit subrigendo transverberare.* Galfridus Monemuthensis lib. XII cap. XVIII: *Cadualladrus, abjectis mundialibus, propter Deum, regnumque perpetuum, venit Romam.* Vita S. Lutgeri, prout ex quatuor veteribus à Joan. Cincinnio concinnata †, cap. XXI: *Quantos insuper superbiæ hydrope inflatos, item mundialium rerum ambitione gibbosos, —— virtutum antidoto sanavit!* Utitur & Rogerus de Houeden Annalium Tom. I in vita Guilielmi Senioris. Cicero pro eo in V Tuscul. Qu. *mundanus* dixit: sed usurpat non ut possessivum, verùm gentile. *Unde*, inquit, *interrogatus philosophus Socrates, cujas esset, mundanum se esse respondit.*

† Edita Coloniæ à Quentelius.

Munibile, non tam, quod potest muniri, ut natura vocis exigere videatur; quàm illud, quo quid munitur. Sidonius lib. II epist. II: *Porticus columnis invidiosa munibilibus.* In glossis vett. est, *Munilibus, machinis bellicis.* Puto leg. *Munibilibus.* Nempe *munibilis* videtur tum machina bellica, tum locus machinâ ejusmodi munitus. Ludovicus de la Cerda * refert huc etiam illud in Itinerario à Burdegala ad Hierusalem usque, quod primus juris publici fecit Pithœus †: *Inde non longè, quasi ad lapidis missum, sunt monumenta duo, monubiles miræ pulchritudinis facta.* Suspicio nostra est, scripsisse auctorem, *munibiles duæ*; adscripsisse aliquem hoc glossema, *munimenta*; id postea irrepsisse in contextum, corruptumque in *monumenta*; ac *duæ* in *duo* commutatum. Nisi pro *monubiles* legendum *monobeles*, à lapidis unius jactu: ut sit à μόνος, & βέλος. Continuò enim de hisce duabus machinis bellicis sequitur: *In unum* (munibilem, sive monobelem) *positus est Jesaias Propheta; qui est verè monolitus:* (malim *monolithus*, μονόλιθος) *& in alium Ezechias, rex Judaorum.*

* In Adversariis sacris cap. 142. § 501.

† Subjicitur Antonini Itinerario cum Suritæ commentariis excuso Coloniæ Agrippinæ ann. 1600.

Muranula, torquis aurea, quia murænam refert. De hoc ita Cœlius Rhodiginus lib. IV Antiq. Lect. cap. II: *Muranulam colli aurum nuncupat vulgus, Hieronymo tradente: quòd scilicet, metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, ex piscis utique imagine vocabulo conformato.* Sic usurpat Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap. XXXIII: *Annulos, muranulasque aureas.* Lex Angliorum Tit. VI, §. VI: Id est, *muranas, nuscas, monilia, inaures.* Est & apud Petr. Damiani lib. IV epist. III. Sed his fortasse potiùs locus sit in vocabulis falsâ significatione usurpatis.

Muragium, pecunia a rege imperata ad reficiendos urbis muros. Usus Matthæus Parisius in Additamentis: *Si rex concesserit alicui civitati, vel burgo, quòd possit accipere muragium.*

Murator, τειχοδόμος, τειχοποιὸς, murorum structor, Belgis *metselaer*: indeque ars *muratoria*, τειχοποιητική. Utroque utitur Pius IV. in Bulla † confirmationis & extentionis Jurisdictionis S. R. E. Camerarii, &c. *Et causæ, super arte muratoria pro tempore nascentes, sagaciùs, & maturiùs, veluti per expertos, & pro minori partium dissen-*

† Bull. T. 2. pag. 112.

dispendio, decidantur omnes; & quacumque caussa, lites, quaestiones, controversia, & differentia, tam inter quoscumque muratores, & fornaciarios, quam eos, & quosvis alios artifices, aut alias, tam Ecclesiasticas, quam seculares personas, super dicta arte muratoria, & rebus ad illam quomodolibet pertinentibus.

Muriones qui sint, quaeritur. Meminit Gregorius Turonensis lib. IX, cap. XLI: *Sed cum illa obstinatiùs reluctarentur; & hic cum reliquis, juxta epistolam superiùs nominatam, eis communicationem indiceret: exsurgens turba murionum praefatorum tantâ eos, in ipsa sancti Hilarii basilica, cade mactavit, ut, corruentibus in pavimento Episcopis, vix consurgere possent.* Num pro *murionibus* legendum *morionibus*? Sed non videtur agere de μωροῖς, sive stultis: verùm hominibus improbis, & Christianae religionis inimicis, sanguinem etiam Christianum sitientibus: quales histriones, ac scenici, adversus quos invehi solent doctores Christiani. Quid si igitur legamus *miriones*? Est ea vox apud Tertullianum de Praescr. adversus Hermogenem. Nec nove, ut multa. Nam vetus esse vocabulum, ostendit illud Attii apud Varronem in VI de L. L: *Personas distortas, oribus deformes, miriones.* Nisi, ut puto, *miriones* solùm Attii est: priora ex glossemate, sed bono. Docet ibidem Varro, antiquos pro eo *miraculas* dixisse à *mireis*, id est, monstris. Vide, quae ibi Scaliger annotavit. Isidorus in Glossis: *Miriones, miratores.* Item: *Miriones, fantasiarum inanium numeratores.* Ubi pro *numeratores*, legi *miratores* debet: ut prior indicat locus, & Bonav. Vulcanio, aliisque, observatum. Nempe *miriones* sunt personae deformitate suâ facientes, ut non sine admiratione in eas oculos conjiciamus. Fortasse igitur *miriones*, κατὰ συνεκδοχὴν, posuerit Turonensis, pro turba mimorum, ac similium.

Murilegus, feles, à legendis, sive capiendis muribus. B. Odoricus Peregrinat. suae cap. II: *Imo canes illic capiunt mures, quia murilegi, seu cati, nihil ad hoc valent.* Idem cap. IV: *Viri sunt corpore satis pulcri, sed pallidi; habentes barbam ita raram & longam, sicut murilegi, id est, cati.*

Murmurosus, murmur edere solitus. Petrus Blesensis epist. XIV: *Quid est inanis gloria, quam venantur, nisi musca vilissima, murmurosa, sordida, pungitiva?* Quia de insecto sermo, dixero *murmurillans*: quod Plautinum, si Nonium audimus. Nempe ut *murmuro* à *murmur*; sic *murmurillo* à *murmurillum*: quod Nonius eidem Plauto tribuit Rudente sc. ult. Et sanè ita editt. priores, & quidam Mssi: etiam Palatini, sed hi divisim, *murmur illum*.

Muscidus, pro *mucidus*. Thom. Walsing. in Richardo II*: *Vendat cervisiam, quam pandoxavit —— & panes, ne indurescant, ac muscidi fiant*, &c.

* Pag. 273.

Muscula, conchae margaritiferae. Henricus Huntingdon Histor. lib. I: *Inter quae sunt & muscula; quibus saepe inclusam margaritam, omnis quidem coloris optimam inveniunt; rubicundam scilicet, & hyacinthinam, purpuream, & prasinam; sed maximè candidam.*

Musilaum corruptum ex *Mausolaum*; AV in V abeunte; ut à *claudo*, *excludo*; à *caupa* non *copa* modò, sed etiam *cupa*. Anastasius in Leone III: *Pharos Cantharos in Musilao beata Petronilla.* Nimirum *Mausolaa* κατὰ συνεκδοχὴν speciei dixere quaevis sepulcra pretiosa.

Mussula legas apud Gregorium Turonensem lib. de Gloria Confess. cap. XLIV: *In hoc loco & Tranquillus, beatus Confessor, requiescit, super terram sepulcrum habens; de quo magnum beneficium praestatur petentibus. Nam de mussulis supernatis medicamina populi promerentur: unde ego valde experimentum tuli. Namque cum manus mea minutis efferbuissent pusulis, & dolores pessimos ob hoc graviter sustinerem; de hac mussula tactas, quiescente humore, protinus retuli sanas.* Ubi *mussula* quid sit, quaeritur. Cùm Gregorius dicat, natam esse super sepulchro; satis indicat, plantam fuisse, quae ibi excreverit. Facilè igitur assentio Ludovico de la Cerda †; qui censet, signari lanuginem illam locis humidis succrescentem, quam Latini *muscum* dicunt. Ac duo movent: unum est, quòd herba ea vim habeat humorem exsiccandi: ut natura etiam suâ profuerit exsiccandae pustularum pituitae, de qua loquitur Turonensis. Alterum est, quòd pro *muscus* Galli dicant *mousse*: unde efformârint *mussula*. Proximè igitur sit à Gallis: sed hi acceperint vocem à Romanis.

† Adversariis Sacris cap. 165.

Myxum est ellychnium lucernae: ut ait Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XCV. §. IV. Atque addit, sic uti Anastasium in vita S. Sylvestri: ubi tamen *nixum* editum. Verba addam: *Nixum verò* (Constantinus Augustus fecit) *ex stippa* (stuppa) *amianti.* Ac multò pòst: *Lucernam ex auro purissimo nixorum duodecim super fontem.* Ac post pauca: *Lucernam ex auro purissimo nixorum* X, *pensantem libras* XXX. Quibus locis, quin *myxorum* legi debeat, non est dubitandum. Sed an rectus *myxon*, ut ait de la Cerda? Quid si *myxos*? Quod eo faciliùs seculo credi potuit, quia diceretur *lucerna bimyxos*. Unde ibidem Anastasius: *Lucernam bimyxon obtulit.* Utcunque hoc, Graecè non μύξος, vel μύξον, sed μύξα: quod propriè quidem *mucus*; sed κατὰ μεταφορὰν ellychnium, quodque emungitur de lucernâ. Unde λύχνος δίμυξος, vel πολύμυξος.

Cap. XXIX.

De incipientibus ab N litera. Nachus, *pannus, cui in equitando insidet Pontifex Max.* Nadera, *natrix.* Nario, *subsannator, item fatuus.* Naufragosus, *naufragus.* Naviarchus, *gubernator.* Nebulator, *nebulo.* Necestuosus, *egenus.* Nemus, *nemo.* Nepta, *neptis.* Netorium, *fusus.* Neutralitas, *quâ animus à partium est studio alienus.* Nibita, *sive nivita, pro nivica, sive aquâ ex nive liquefactâ.* Nihileitas, *qua quid nihili res habetur.* Nimietas, *excessus.* Nivarus, *nivis instar candens.* Nixa, *prunus Damascena. Non* nocticula, *sed* noctiluca, *signare Hecaten, qua eadem ac Luna; nec repugnare, quòd ab aliis Venus dicatur.* Noluntas, *actus voluntatis, quâ quid nolumus, & aversamur.* Norax, *vel potius* noxax, *obnoxius crimini.* Notoreitas, *notitia evidens; ab eo quòd* notorium *dixerint pro manifesto.* Novecuplum *non dici ἀναλόγως, sed* novuplum.

Subjungam nunc, quibus initium est à liquidarum tertiâ.

Nachus, pannus ruber, quo insternitur sella equitantis Pontificis: quod monitum Onuphrio Panuino, & Ludovico de la Cerda*. Nempe à νάκος, significante vellus vel lanam.

* Advers. Sacr. cap. 94. §. 30.

Nadera Vincentio Bellovacensi, & aliis quibusdam, qui de rerum natura scripserunt, est hydrus, sive chersydrus, qui & natrix; unde Germanicum *nater*, Anglicum *nader*; uti hinc barbarum *nadera*. De aquatici hujus serpentis nominibus, ac pariter naturâ, diximus Theologiae Gentilis, & Physiologiae Christianae, lib. IV cap. LIV, & LVII.

Nario, à naribus, homo nasutus, vel totus denique nasus, ut est apud Martialem: sive qui alium naso suspendit adunco. Isidori Glossae: *Nario, subsannans.* Aliae: *Nario, subsannator.* Etiam *nario*, fatuus; ut Germanis *narr*: sive à *narrando*, quia multa temerè effutiunt; sive potius à μωρὸς, quando M interdum transit in N; ut à μή, *ne*; ab ἀμφὶ, *am*, *an*, *amnus*, *anus*: ac fortasse à μειδιῶ *nideo*, unde *renidere* Horatio.

Naufragosus, pro naufragus. Ivo epist. XVII: *Quid est sublimitas, nisi naufragosa tempestas? Naufragam tempestatem* dixit Valerius Flaccus primo Argonauticôn.

Naviarchus, pro navarchus, vel gubernator, ineptum est.

Navicellâ vectus, est apud Adamannum de rebus S. Columbani. Sed praeter exemplum veterum. Etsi ἀναλογίᾳ non repugnet. Nam ut dicitur, *cista*, *cistula*, *cistella*; sic dicere potuimus, *navis*, *navicula*, *navicella*.

Nebulator à nebula; ut ejusdem sit originis, ac *nebulo*. Nem-

Nempe sic dicuntur, quos nebulæ cyatho non emas. Petrus Blesensis epist. XIV: *Nebulatores, mimi, barbaratores.* Ubi ex Horatio * malim *balathrones.*

* Lib. 1 sat. 2. vers. 2.

Necessuosus, pro paupere, quia desint res necessariæ. Ita accipit Hincmarus epist. VII cap. XXXV, & Flodoardus lib. III Hist. Rhem. cap. XXVI, *Quia Missus Imperatoris erat, & capitula ipsius pro necessuosis habebat.* Puto, à *necessum* sit potiùs *necessuosus*; ut ab *incestus incestuosus.*

Nemus, pro *nemo*. Ivo Carnotensis epist. CCXIII: *Quia nemus rectius custos præponitur vita aliena, quàm qui priùs custos est factus vita sua.*

Nepta corruptè dixerunt pro *neptis*. Ut in Traditione LXX S. Galli. Verba ejus adferam in Verbis falsa significatione positis, voce *Placitare.*

Netorium, fusus, quia ejus usus in nendo: unde, Polluce teste, ἐπίνητρον Græcis vocatur. Isidorus in Gloss. *Netorium, fusum, fusile.* Planè enim adsentio sic corrigentibus; ubi vulgo *netorsum.*

Neutralitas, qua quis neutrius est partis præ alterâ studiosus. Concilium Pisan. I sess. XXI. *Adhærentia utriusque partis, seu via neutralitatis.* Sic neque *neutralis* dixero; sed *neutrius partis studiosus.* Opponitur ei *partium studiosus.*

Nibita, aqua ex nubibus facta. Ita vulgò legitur in Gloss. Isidori. Sed non dubium, quin pro *nubibus* legi debeat *nivibus*. Pro *nibita* item rectè conjectant *nivita* legi debere. Pro quo *nivata* Petronius: *Pueris nivatam infundentibus.* Nisi in Isidoro malis *nivica*: quod à nive eâ formâ, quâ *calicus, astricus, civicus, hosticus*, dicimus.

Nihileitas, qua quid nihili censetur. Henricus de Hassia in Speculo Anim. †

† Pag. 7.

Nimietas, excessus. Gloss. Mss: *Nimietas*, ὑπερβολή. Habet non solùm vetus Scripturæ interpres Sapient. cap. IV: sed & Arnobius lib. IV ac VII, Servius in VIII Æn. Hieronymus epist. XXVII in Epitaphio Paulæ; item Theodosius, Arcad. & Honor. AAA. leg. IX tit. de Judæis, Cœlicolis, & Samarit. lib. XVI Cod. Theodos.

Nivarus, splendidus, secundùm Isidori Glossas. Legamne *nivatus*, ut *albatus*? an *nivarus*, quasi à *niveo*; ut ab *aveo avarus*?

Nixa, Hispanis est prunus Damascena, ita dicta à fecunditate in enitendis fructibus. Isidorus lib. XVII cap. VII: *Coquimella*, (corruptum hoc ex Græco κοκκύμηλα) *quam Latini ob colorem prunum vocant; alii, à multitudine enixi fructus, nixam appellant. Cujus generis Damascena melior, à Damasco oppido, unde priùs asportata est, dicta. Cujus solius pomum stomacho mederi probatur: nam cætera noxia perhibentur. Hæc sola arbor gummi glutinosum, & compacticum, distillat; quo & medici, & scriptores* *, *utuntur.* Etiam fructum sic dixere. Pelagius lib. V de Vitis Patrum, libello IV, num. LXV: *Et attulit quidem frater nixas siccas, & fecit pultes.* Vide, quæ pluribus Rosweidus annotavit in Onomastico suo, quod Vitis Patrum subjunxit.

* Plin. pictores.

Nocticula si veteres dixere, simile fuerit, ac *diecula*. Sed posterioribus *nocticula* est spiritus noctu comparens cœtui hominum sibi devotorum. Aliter etiam vocarunt *Hecaten*, quæ eadem ac Diana: item Herodiadem, quasi ea ipsa sit, quæ saltando caput Joannis Baptistæ meruit. Illustris de hoc locus est apud Joannem Sarisberiensem lib. II cap. XVII: *Quale est, quod nocticulam quandam, vel Herodiadem, vel præsidem noctis dominam, consilia, & conventus, de nocte asserunt convocare; varia celebrari convivia, ministeriorum species diversis occupationibus exerceri, & nunc istos ad pœnam trahi pro meritis, nunc illos ad gloriam sublimari. Præterea infantes exponi lamiis, & nunc frustratim discerptos edaci ingluvie in ventrem trajectos congeri; nunc præsidentis miseratione rejectos in cunas reponi. Quis vel cæcus hoc ludificantium dæmonum non videt esse nequitiam?* In glossis etiam Philoxeni legas: *Nocticula*, Ἑκάτη νυκτιφαίνουσα. Fortasse igitur *Nocticula* corruptum ex *Noctiluca*, quæ eadem ac Hecate. Notum illud Maronis IV Æn.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Nempe in cœlis est Luna, vel Noctiluca; in terris, ac imprimis sylvis, Diana; apud inferos, sive Antipodas, Hecate. Sanè Lunam clarè Noctilucam vocat Horatius lib. IV od. VI. Id verbum verbo sonet νυκτιλαμπής. Nec aliter in Onomastico legendum: ubi vulgo, *Noctiluca*, νυκτιλαμπής. Neque obstat iis, quòd Venerem hoc elogio insignit Levinus, poëta vetus, his verbis: *Venerem igitur almum adorans, sive femina, sive mas est, ita ut alma noctiluca est.* Nam, secundùm antiquissimam Orientis Theologiam, non Hesperus, sive Lucifer; sed Luna per Venerem intelligitur. Qua de re abunde dictum nobis lib. II operis de Gentilium Theologia.

Noluntas à *nolo*, ut *voluntas* à *volo*. Optimus doctissimusque Merula usum censet Ennium: cujus versus adducit ex Calpurnii Pisonis opere de Continentia veterum Poëtarum ad Trajanum Principem. Ac censet idem Merula, bis usum B. Augustinum lib. XIV de Civit. Dei cap. VI. Ac video, eadem postea scripsisse Ludovicum de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CLXXXV, §. XLVII. Sed vellem, nominâsset Merulam, quando ejus est illa de B. Augustino conjectura, ac illud de Ennianis versibus apud Pisonem nititur fide ejusdem Merulæ, qui triduo eo scriptore Parisiis usus in Bibliotheca S. Victoris. Mihi suspecta vox *noluntatis* erit, donec de Pisone illo magis liquebit. Sed neque de Augustino gravem satis caussam video, cur sic eum scripsisse credam.

Norax in Glossis Isidori exponitur peccator, criminosus. Sed lubens Martinio † accessero, qui *noxax* legit, ut sit à *noxa*. Sanè ibidem est, *Noxius, nocens.* Pro quo *noxialis*, Seneca. Etiam apud J. C. *noxalis actio*. Gloss. Basil. Νοξαλία, βλαπτική. Νοξαλία, ἀγωγὴ ἡ ἔκδοσιν ζητοῦσα τοῦ ὑφορωμένου. Adi Institut. lib. IV. tit. VIII, & in Dig. lib. IX tit. IV. Et sanè Lucilius dixit *noxit*. Unde in Gloss. Isidori: *Noxit, noceat.* Puto, *noxit* esse à *noceo*, ut *faxit* à *facio*.

† In Etymologico.

Notorietas, indicia rei notoriæ sive manifestæ. Concil. Pisan. I sess. XII: *Sancta Synodus, attentâ eorum, de quibus agitur, notorietate, denique per evidentiam depositionum testium.* *Notorius*, pro manifesto, non quidem Ciceronis, vel Augusti ævo, obtinuisse puto: sed usurpavit Paulus L. VI Dig. ad S. C. Turpilianum: *Nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis adsistere jubentur.* At junioribus nihil vulgatius. Sic *notoriam veritatem* legas apud Arnulphum, episcopum Lexoviensem, epist. ad Gillebertum, Londoniensem episcopum. Est & Cæsarii lib. X Miracul. cap. XXXV: *Et quia ejus peccatum erat nimis notorium.* Et alia apud alios.

Novecuplum est in Legg. Wisigoth. lib. VII tit. I leg. I, & tit. II leg. X. Nempe ut à *decem* est *decuplum*; sic à *novem* putarunt esse *novemcuplum*, vel *novecuplum*. Verùm si ἀναλογίαν attendas; ut à *decem* est *decuplum*, sic à *novem* foret *novuplum*. Sanè nec à *septem* dicimus *septecuplum*, verùm *septuplum*.

Noxax quid sit, jam vidimus in *Norax*.

CAP. XXX.

De cœptis ab O. Obauditio, *pro obœdientia.* Objectivum, *quod contra adversarii sententiam dicitur.* Obnoxiatio, *scriptum, quo quis se alteri obstringit, præcipuè pater liberis, promittendo se non abalienaturum agros, quibus utitur-fruitur.* Obviatio, *occursus.* Occasionale, *datâ occasione susceptum.* Octenus, *pro octonus.* Octimber, *October.* Odibilis, *odio dignus.* Odoramentarius, *unguentarius.* Offertio, *oblatio.* Offertorium, *quando in Missa fit oblatio Dominici corporis.* Officialis, *de officiis hominis tractans: item minister magistratûs.* Oleatum, *oleo litum.* Olentia, *odor.* Olica, *olivetum.* Onustatus, *oneratus.* Oramen, *oratio.* Orarium, *pro linteolo ad os detergendum, vel pro stolâ Episcopali, atque aliter.* Oratorium, *locus orationis.*

tionis. Orcistra, *vel* hormisda, *corruptè pro* orchestra. Ordinale, *codex, in quo ordo Missæ.* Ossamenta, *ossa.* Otiositas, *otium.*

HInc jam proficiscamur ad barbara Latinæ originis, quibus princeps litera est quarta vocalis.

Obauditio, pro obœdientia, legas apud æqualem S. Augustini, Bachianum; ut in melioribus libris vocatur; qui perperam Bacciarius, vel, ut apud Honorium est, libro de Luminaribus Ecclesiæ, Bachianus.

Obœdientarii qui vocentur in monasteriis, dicam in vocibus alienâ positis significatione, vocabulo, *Obœdientia.*

Objectivum, quod contra alterius sententiam adsertur. Apolog. Concilii Pisan.† *Tertiam objectivam portionem, contra Pisanam indictionem, attingere res admonet.*

Obnoxiatio est apud Marculfum lib. II cap. IX: *Charta obnoxiationis à patre in filiis facta.* Ubi Bignonius optimè docet, libellum intelligi, quo pater, qui usum-fructum bonorum defunctæ uxoris accepit à liberis, remunerandi ergo, iis agros quosdam donat; sed retento sibi usu-fructu, quo se obnoxium reddit liberis, eò quòd agros istos alienare non possit.

Obstagium legas in Speculo Saxonico*. Quid verò sit, diximus hujusce libri cap. XIV, in *Hostagium.*

Obviatio displicet, pro ἀπαντήσει, sive actu, quo obviam itur. *Occursus* dixero cum Ovidio, Senecâ, Plinio.

Occasionale, quod occasione oblatâ facimus, alioqui non acturi. Usus Hincmarus; cujus verba adduximus in *Circada.*

Octenus sæpius apud Althelmum legas de laude Virginum. Sed Horatius, Ovidius, Plinius, ac veteres omnes, *octonus.* A *septem* quidem *septenus*; a *novem*, *novenus*: sed ab *octo*, *octonus.*

Octimber, pro *october*, dixere seculis posterioribus. Sic sanè scriptum fuit in Msis codicibus Flodoardi lib. III Histor. Rhem. cap. IV. Item in metrico Martyrologio Wandelberti Prumiensis: quod monitum & Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris, multijugæ lectionis opere, cap. XCVIII. §. III. Puto autem provenisse errorem ex eo, quòd dicamus, *september, october, november, december:* tum item quòd Grammaticorum vulgus crederet, menses quatuor postremos sic vocari, quasi *septimus, octavus, nonus, decimus imber:* quod valde ineptum. Nec enim sunt voces compositæ; sed simplices, quia *ber* solum est παρέλκον, sive productio: ut in *faber*, quasi *faciber*, à *facio*; *tuber*, quasi *tumiber*, à *tumio*; *Mulciber*, à *mulceo*, hoc est, mollio.

Octodecim an dixerint classici, non ita apertum est. Malim igitur *duodeviginti*; de quo constat.

Odibilis, quem jure oderis. Usus, post Gregorium Turonensem, Petrus Blesensis epist. LXXXIV ad Alexandrum Papam: *Detractores Deo odibiles.* Sed & epist. XVIII, atque alibi, usurpat. Sic & *placibile* ait Anastasius Bibliothecarius: imò *pudibilia membra*, pro verendis, nec Lampridius refugit.

Odoramentarius, pro unguentarius, barbaris relinquendum.

Offertio, oblatio. Diploma Dominæ Comitis Mathildis, quo, sub Papa Gregorio VII, omnia sua donavit Ecclesiæ Romanæ†: *Eidem Ecclesiæ dono, & offero, & per præsentem chartulam offertionis itidem habenda confirmo.* Antiquitus tamen pro *latum* dixere *fertum*; unde *fertilis*, & alia; in his nomen illud, de quo proximè dicam.

Offertorium legas in Epistolâ Caroli Magni ad Albinum, secundùm editionem Wolfangi Lazii*: sed potiùs in parte altera† Albini de divinis officiis. Verba ponam: *Post Euangelium non cantatur offertorium, & cantores tempore sacrificii silent.* Ac eopse opere*: *Verba historici continentur in offertorio.* Est verò *Offertorium* missæ ea pars, quæ tempore dicitur oblationis. Quandoque & sindon, in qua populi oblationes reponuntur. Nempe ut antiqui in supino pro *latum* dixere *fertum*, unde *fertis*, & *fertoribus* nomen: ita juniores ab eadem origine *offertorium* fecere. Adi Isidorum lib. VI Orig. cap. XIX.

Officialis vox, licèt ignota classicis, non tamen adeò recens, quàm videri possit. Nam & pro eo, quod de officio tractat, Lactantius usurpat, qui lib. VI Tullium laudat *in suis Officialibus:* & pro ministro magistratûs longè antè usus Appulejus I Met. *Jubet Officialem suum pisces pedibus obterere.* Etiam *Officiales sacrarum vestium* legas L. VII cap. de Palat. sacr. larg. Junioribus verò nihil eâ voce est usurpatius. Nam ut Capitular. Kar. M. & Constitutiones Siculas, mittam; ita Cæsarius lib. IV Mirac. cap. LIX: *Necessarium prælatis, ut frequenter Officiales suos moneant, ne alicui fraudem inferant.* Et cap. LXIIX: *Pietatis Officialibus amotis, & eis, quos tenaciores noverat, institutis.* Antoninus Florent. Chron. Tit. XIX cap. I: *Unde statim fecit edictum, ut nullus Officialium Curiæ suæ quicquam ab alio exigeret.* Beka in vita Ottonis III Episcop. XXXVI: *Delegavit in Germaniam, monens, ut Officiales iteratò iterarent electionem regiam.* Salsè verò Petrus Blesensis epist. XXV: *Credo hujusmodi Officiales non ab OFFICIO, nomine; sed ab OFFICIO, verbo, mutuâsse vocabulum:*

> *Nam genus hoc hominum, quod dicunt officiperdi,*

tota Officialis intentio est; ut, ad opus Episcopi suæ jurisdictionis, commissas miserrimas oves, quasi vice illius, tondeat, emungat, excoriet.

Oleatum, oleo illitum. Petrus Cellensis lib. VIII epist. VII: *Vestrum est, panis oleati buccellas cum Petro Apostolo, cùm convenitis ad cœnam agni, sumere.*

Olentia, pro odore, est apud Plinium Valerianum.

Olica, ab olea, pro oliveto, est in Collectione Formularum Sollemnium, a Lindenbrogio editarum, form. LXII, & LXIX.

Omnimodus non dixero: etsi *omnimodis* apud Lucretium sit. Pro *omnimodus* verò *cujusque modi* malim.

Onustatus, onustus, onere gravatus. Petrus Venerabilis lib. I epist. XXIV: *Gravi humanorum studiorum onere onustato.*

Oramen, pro oratione, sæpius est apud Althelmum de Laude Virginum.

Orarium legas apud Vopiscum in Aureliano: *Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse; donâsse etiam populo Rom. tunicas albas manicatas ex diversis provinciis, & lineas Afras, atque Ægyptias puras; ipsumque primum donâsse oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Oratio os tergeri solet. Itaque etsi, antequam in usu forent linteola tenuia, quibus id facere solent, orâ vestis fieri consuevit: non tamen tam ab orâ, quàm ore, id nominis esse verisimile est. Et opinionem eam firmat hoc Prudentii περὶ στεφάνων hymno primo:

> *Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium.*

Erat id magis longum, quàm latum; unde fasciæ etiam loco inserviebat. Hoc Casaubono ostensum istoc B. Ambrosii, oratione funebri de obitu, non Symmachi, ut μνημονικῷ ἁμαρτήματι summus ille vir scribit, sed Satyri fratris: *Divinum illud fidelium sacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare.* Ac similiter B. Augustinus lib. XXII de Civit. Dei cap. VIII: *Tunc sicut potuit, oculum lapsum, atque pendentem, loco suo revocavit, ligavit orario.* Nec aliter hac voce usum existimem Paullinum in vita Ambrosii: *Jactabat etiam turba virorum, ac mulierum, oraria, vel semicinctia sua; ut corpus sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur.* At alia forma, nempe non tam fasciæ, quàm pallii, erat, cùm per orarium intelligitur stola Pontificalis, sive linea episcopi vestis, quæ vulgo *rocquetta.* Papias: *Orarium, stola sacerdotalis, operculum capitis.* Et, ne vetustiores adducam, sic Petrus Blesensis serm. XLI: *Orarium, quod & stola dicitur.* Ac postea: *Orarium autem dicitur, quia propter offensas populi tui cum humili genuflexione Domino debes supplicare, tuis precibus indignationem placare.* Idemque ἔτυμον ante eum adduxit Karolus Mag. ut editio Wolfangi Lazii vocat, sive potiùs Alcui-

nus

† Pag. 34. edit. Parisiensis an. 1612.

* Pag. 141.

† Apud Baronium Annalium tom. 12. ad an. 1102, pag 26 edit. Moreti.

* Belleriane editionis, quæ Antverpiæ anno prodiit 1560, pag. 47.

† Sequitur hæc illa, quæ ibidem habes pag 189.

* Pag 80. ejusdem edit.

nus de ritibus vet. Eccles. *Orarium est, vel dicitur, stola, eo quòd oratoribus, id est, prædicatoribus, concedatur.* Episcopi fuisse, indicat & Vita S. Fulgentii, Ruspensis Episcopi, à discipulo conscripta, cap. XVIII: *Orario quidem, sicut omnes episcopi, nullatenus utebatur.* Item Anastasius bibliothecarius in vita Agathonis Papæ, §. X: *Eâ horâ sancta Synodus, unà cum Principe ejus* (Constantino Augusto) *orarium auferri jusserunt à collo ejus*, (Macarii, Antiocheni episcopi, seu Patriarchæ.) *Et exiliens Basilius, Episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium abstulit.* Nec tamen solos gestasse Episcopos, clarè liquet ex Concilio Toletano IV cap. XXV: *Episcopus orarium, annulum, & baculum, coram altari de manu Episcoporum accipiat; presbyter orarium, & planetam, diaconus orarium, & albam; subdiaconus, patinam, & calicem.* Sedulò igitur in scriptoribus attendere oportet, quo pacto *orarii* vocem accipere oporteat. Sanè sacerdotalem vestem intelligere non possumus in istoc Gregorii M. lib. VI epist. CXCI: *Duas autem camisias, & quatuor oraria, vobis transmisit.* Laici enim erant, quibus vellet offerri. Longum sit, si velim laudare auctores, qui orarii meminere, non dico omnes; sed vel solos, qui occurrunt. In quibus Fortunatus Pictaviensis in vita S. Marcelli, episcopi Pictaviensis. Item Concilium Braccarense III can. III. Est & Matthæi Parisiensis in vita Gaufridi XVI abbatis S. Albani: *Orarium cum fanone, auro, & gemmis adornatum.* Imò & à Latinis mutuati hanc vocem Græci. Ut Synodi VIII Act. X: ὠμοφόρια, ἢ ὠράρια, ἢ ἐγκόλπια. Alia etiam adderem de re ipsa. Sed video pleraque ea vel apud Casaubonum, ac Salmasium, legi, Notis ad Vopiscum; vel Lindenbrogium, ac Watsium, in Gloss. vel Martinium in Etymologico; ut alios prætermittam.

Oratorium, locus sacer ad orandum; præsertim ubi adservarentur sancti alicujus reliquiæ. Sic sæpius utitur Gregorius Turonensis lib. II Hist. Franc. cap. VI. Legas quoque id vocabuli in Capitul. Karoli lib. V cap. CCXXX, ac Cæsarium lib. I Mirac. cap. IV, & XXII.

Orcistra corruptum ex *orchestra*. Prius, inter alios, est apud Joannem Turocium Histor. Hungar. lib. II cap. XLVI. Etiam *Orchestræ* vox in *Hormisda* corrumpitur: ut factum in *Orosii Orchestra*. Nam hæc genuina ἐπιγραφή, ut alibi dicimus.

Ordinale, codex continens ordinem, & rubricas Missalis. Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV abbatis S. Albani, ubi abbatis ejus dona enarrat: *Sine ordinalibus, consuetudinariis, missalibus, tropariis, collectariis.*

Ossamenta, ossa, cadaver: Belgis similiter 't gebeente. Matthæus Parisius in anno CIƆCCLVII: *Eodemque anno inventa sunt ossamenta regis Scotorum Malcolmi.*

Ostagium quid sit, vide cap. XIV in *Hostagium*.

Otiositas, pro otium. Sidonium lib. II epist. X: *Quos in hanc paginam admitti, nostra quam maximè verecundia vetat; quam, suas otiositates trepidanter edentem, meliorum carminum comparatio premit.*

CAP. XXXI.

Accessum ad ea, quibus P litera est initialis. Ac hoc quidem capite de iis actum, ubi A excipit, inde vero sequitur G, vel aliqua primarum trium liquidarum. Pagania, *ritus pagani*. Paganicius, *occulta, hoc est, paganica, sive gentili religioni addictus.* Pagenses, *quicunque ejusdem sunt diœceseos, sive territorii.* Palergia, *pro parerga.* Palfredus, palefredus, palefridus, paravredus, & parafredus, *equi genus.* Palicium, *vallum è palis.* Palliditas, *pallor.* Pamæum, *pœmenæum.* Panifex, *vel panificus, pistor.*

HAbemus de exorsis à vocalium quartâ. Proximus est locus à sequenti litera incipientibus.

Pagium quid sit, ex iis erit cognoscere, quæ in *Passagium* dicemus.

Pagania, pro paganorum ritibus, in epistola Zachariæ Papæ ad Francos, & Gallos*: *Ut populus Dei paganias non faciat.* Postea† se interpretatur: *Qui paganas observationes in aliqua re fecerit.*

Paganicius, ut occultus. Ita est in glossis veteribus. Emendant, *vir occultus.* Neque displicet. Suspicor enim, signari paganicæ religioni addictum; quales occulti. Nec enim Isidori ætate, sub Christianis Imperatoribus, aut Regibus, impiam gentium religionem profiteri quisquam audebat; partim, quoniam legibus hoc interdictum; partim quia, ob cultûs ejusce stultitiam, Christianis contemtui, ac ludibrio, forent.

Pagensis à pago dixere posteriores: at priores *paganus*. Verùm *pagus* non semper est vicus, sed etiam provincia tota, vel ejus pars; uti oppidum cum territorio. Notum, quomodo septem Helvetiorum pagos dicat Julius Cæsar. Itaque nihil mirum, si *pagenses* dicti, qui amplo Comitis, sive Judicis, territorio subessent. Gregorius Turonensis lib. VIII cap. XVIII: *Wintrio dux, à pagensibus suis depulsus, ducatu caruit.* Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionysii: *Saxones, & Ungari, & Rhotomenses, & cæteri pagenses de aliis civitatibus.* Similiter Marculfus monachus lib. I Form. cap. XXVIII. Et apud Ansegisum Capitularis lib. III cap. LXXIII: *Cum Comite, cujus pagenses sunt, ire permittat.* Ac eodem libro cap. XLIII, & lib. IV cap. XIX. Nec *pagenses* solùm, qui ejusdem sunt provinciæ, ac diœceseos: sed etiam, qui ejusdem parochiæ, sive potius parœciæ. Gregorius Turonensis lib. X cap. IX: *Episcopus cum clericis, & pagensibus suis.* Odo, abbas Cluniacensis, lib. I Collationum: *Cùm ante hos annos sancti Andreæ solemnitas in prima Dominica Dominici adventus concurrisset: quidam sacerdos, sicut Turonica Ecclesia præceptor asserit, pagensibus suis utrasque missas audire præcepit.*

Palergia Anastasio bibliothecario corruptum ex πάρεργα: ut observat Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XCV.

Palfredus, palefredus, palefridus, corrupta sunt ex *paraveredus*, pro quo etiam dicitur *paravredus*, & *parafredus*. *Paraveredi* vocem habemus Cod. lib. XII tit. LI leg. II: *Præsidibus, & rationalibus —— usurpandi paraveredi licentia derogetur.* Est verò *paraveredus* vox hybrida, conflata ex Græco παρὰ, & Latino *veredus*; quomodo Latini dixere equum, quòd *veheret rhedam*, teste Festo. *Veredum*, & *paraveredum*, jungit Marculphus lib. I Form. XI. Facileque mihi persuadeo, ex horum altero contractum esse Germanicum *pferd*, pro quo Belgæ *peerd*. Nec dubium, quin à *paraveredi* voce sint Gallicum *palefrenier*, ac Germanicum *palfernier*: hoc est, hippocomus, sive equiso. Qui *parafredi*, *palfredi*, & aliis antè memoratis, utantur, varios laudat auctores Lindenbrogius*: quibus, si voles, hos adde. Radericus Frisingensis de gestis Friderici I lib. III cap. XXVI: *Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in palefrido sine scuto, & armis; siquis eum læserit, pacis violator judicabitur. Si autem sedens in dextrario, & habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit; siquis eum læserit, pacem non violavit.* Usurpat quoque S. Bernardus Claravallensis in vita S. Malachiæ cap. XX. Item Villariensis monachus in vita Caroli, qui anno CIƆCXCVII octavus Villariensis in Brabantia electus abbas fuit, cap. III†: *Domine, inquit, pedes tuis, nec decet honestatem vestram: accipe palefridum, quem hic habemus: gramina abundant, & de levi terrâ teneri poterit.* Cæsarius lib. XII Miraculorum cap. XII: *Hic cum die quadam suum, qui optimus erat, perdidisset palefredum; servum suum ad diversa loca misit ad investigandum illum.* Matthæus Parisius in anno CIƆCXC: *Cepit de singulis civitatibus Angliæ duos palefridos, & totidem summarios.* Idem in anno CIƆCCLI: *Palefridum regis Scotiæ.* Et in vita Leofstani, XII abbatis S. Albani: *Clam quinque* (dedit) *uncias auri, & unum palefridum pulcherrimum.* Adhæc Beka in vita Andreæ Episcopi XXV: *Eodem quidem anno Fulcoldus miser, complex, ut dicitur, in necem Florentii* ...

* Lib. 5. Capitularium Karoli Mag. fol. 90. a.
† Pag. 91. a.
* In Glossario Legum antiquarum.
† In Sanctorum vitis ab Jean. Bollando editis ad 19 Jan.

venis, effugiens unà dierum insidias Theoderici Comitis, transnatavit cum palafredo suo torrentem Mosæ fluminis. Vide &, quæ Jacobus du Bruel, monachus S. Germani de Prato, hac de voce fusè annotavit ad Edictum Ludovici, & Lotharii imperatorum; quod est Aimoini lib. v de gestis Franc. cap. x.

Palicium, vallum è sudibus, ex Gallico *palissade*; quod ipsum à *palis*: vel potiùs à palis *palicium*, ex palicio fit *palissade*. Guilielmus Brito Philippeidos lib. VII:

> *Paliciumque triplex, quod erat gaillardica subtus*
> *Mœnia, quadratis palis, & robore duro,*
> *Usque sub extremas protensum fluminis oras.*

Palliditas, pro *pallor*, quid attinet dicere, cum id vocabuli veteres nesciant?

Palpo, pro palpator, sive eo qui palpum obtrudit. Joannes Saresberiensis Policratici lib. III cap. IV: *Cæterùm palpo, qui tamen assentatoris, vel adulatoris censetur nomine, hominum mentes explorat.*

Pamaum in Glossis Isidori exponitur *vestis pastoralis*. Sed sine dubio rescribendum *pœmeneum*, quasi ποιμένιον, à ποιμὴν, pastor.

Panifex, & *panificus*, agnoscit & Calepinus, qui Passeratii dicitur, & Cælii Curionis Forum Romanum: ac usurpat Joan. Saresberiensis Policratici lib. III cap. XIV: *Sed Augustus, fortunæ favor, & Romani decus imperii, avunculo suo Julio longè patientior extitit. Cùm enim Antonius, maternam ejus originem despiciens, eum Afrum genere, & naturâ panificum diceret, hoc ridens pertulit, & eundem, sorore traditâ, in affinitatis gratiam admisit.* Malim *pistor* dicere: pro quo & *panarius* in Glossis legas: ubi exponitur ἀρτοπώλης.

Pantana quæro quid sit in Chronici Casinensis lib. I cap. LVII. *Curtem de pantana prope Beneventum.* Verùm fortasse non commune est nomen; sed loci proprium.

Cap. XXXII.

De captis à P, sequente A, & R. Paracharactæ, *qui nummos falsos cudunt.* Paracharagmus, *falsa nummi imago.* Paracellarius, *qui reliquias Pontificalis mensæ largitur pauperibus.* Parada, *navis tegumentum ad arcendum æstum, ac frigus.* Paragium, *paritatis observatio in bonorum successione.* Paramentum, *hospitium.* Parastitia, *postica fores.* Parapallii *usus in theatro.* Paratura, *additamenta, quibus vestis fit ornatior.* Parentela, *cognatio.* Parentivum, *quod tangit parentes, eorumve liberos.* Paribile, *cui paretur, sive obtemperatur.* Paricula, *epistola par, sive ejusdem exempli.* Parochia, & parochium, *pro parœcia: atque inde* parochianus. Particularis, *singularis.* Parvaredus, *idem ac* palfredus, *de quo dictum.* Parvisium, *parvulorum gymnasium.*

COmplectar nunc ea, ubi P literam excipit prima vocalis, cum liquidarum postrema.

Paracharacta, qui nummos adulterant, ἀπὸ τοῦ παραχαράττειν. Legas in Codice Theodosiano lib. IX tit. de falsa moneta: *Falsæ monetæ rei, quos vulgò paracharactas vocant.* Vides referri, ut verbum non tam elegantioribus, quam vulgò usurpatum. Sic *paracharagmum* dixere pro παραχάραγμα. Usus Cassianus Collat. I cap. XX, & Collat. II cap. IX. Vulgò utrobique *paracharaximum* editur. Sed sic, uti diximus, rectè legendum vidit Ciacconius. Observavi verò & similem locum Petri Damiani epist. lib. II. epist. I: *Quod si ipsius monetæ obliterata, vel detrita sit regula; postquam metallis imprimitur, non nummus, sed paracaraximus, invenitur.* Vel enim *paracharagmum* legi debet, vel jam Damiani seculo sic loquebantur: eàque res fortasse fecerit, ut librarii & in Cassiano, multò licet antiquiori, id vocabuli corruperint.

Paracellarius idem, qui *subpulmentarius*: puta qui è cella Pontificis pauperibus erogaret, quod mensæ superfuisset. Vox est è Græco παρὰ, & Latino *cella*: ut simile sit, ac *paraveredus*. Vide Onuphrii Panuini interpretationem vocum Ecclesiasticarum †.

Parada interdum producit mediam, interdum corripit. Cùm ea porrecta, idem est ac hospitium sive diversorium, quod principis jussu paretur, sive præpararetur; unde & nomen. In diplomate Stephani Papæ: *Mansiones, aut silvas, vel paradas faciendas.* Hac de re accuratiùs dictum cap. XXIII in *Mansionaticum*, ac pluribus loquar lib. sequenti in *Parata*, unde *Parada* corruptum. At quando media est correpta, notat fornicem sive tectum navigii voluptarii; in quo molliter toris incubabant, tecto tuti ab æstu, frigore, vento, pluviâque. Sic usurpat Ausonius epist. v, quæ ad Theonem:

> *Expositum subter paradas, lectoque jacentem,*
> *Corporis ut tanti non moveatur onus.*

Et Sidonius lib. VIII epist. XII: *Hic superflexâ crate paradarum sereni brumalis infida vitabis.* Scaliger in Ausonianis Lectionibus censebat, *parada* nomine ipsam navem intelligi: sed tectum ejus signare, ex allatis Ausonii, ac Sidonii verbis, cognoscimus. Propiùs interim à vero abest, quàm Turnebus in Adversariis: qui multùm fluctuat. Unde verò eâ significatione sit, non æquè apertum. Martinius putabat, esse ab Arabico פרד *parde*, hoc est, fiscella, qualus. Nempe quia cratem vimineam fuisse indicat Sidonius. Vel (quando navis erat voluptaria, & mollibus lectulis instructa) esse à Celtico sive Belgico *bereeden*, hoc est, parare, instruere, ornare. Pro quo est, quod & Ausonius, & Symmachus, qui eo usi, fuerint Galli. Sed quid si, ab eadem caussâ, sit à *paro*, correptâ mediâ; ut ab *amo*, *amita*?

Paragium est in Constitutionibus Neapolitanis lib. III, tit. XXIII. Docuit Hotomannus, notare adæquationem, quâ jure pari paterna, vel avita, teneatur hæreditas, dum sextus à stirpe gradus non excedatur.

Paramentum, hospitium, parata mansio, quæ & simpliciter *parata*. Hincmarus ad Karolum Regem: *Et antequam de paramento vestro ad mansiones redeant.* Ac post aliqua: *Hanc admonitionem eis quotidie, quando ad paramentum vestrum venerint, relegat.*

Parastitia, postica, à παρὰ, & *statio*: quâ formâ dicimus *interstitium*. Adamannus de rebus S. Albani: *Ecce enim Angelus Domini, ad repetendum aliquod Deo charum missus depositum, nos desuper intra Ecclesiam adspiciens, & benedicens, rursus per parastitiam Ecclesiæ reversus, nulla talis vestigia exitus reliquit.* Clementi Alexandrino * παράθυρον vocatur.

Parapallium in theatro ponit vetus Juvenalis interpres ad Sat. VI vers. DCXLIX.

Paratura, limbi, ac similes ornatus vestium. Crebrum apud Anastasium bibliothecarium. Est & Matthæi Parisii in vita Richardi, decimiquincti abbatis S. Albani: *Dedit etiam albas binas paraturis brudatis* †. Etiam *paraturam*, pro paratu, legas apud Tertullianum de Pallio.

Parentela à *parens*, ut *clientela* à *cliens*, idem est ac cognatio, sive genus, ac familia ab eodem parente. Sic usus Capitolinus in Gordianis: adhæc leges Salicæ, Burgundicæ, Longobardicæ. Item Petrus Blesensis epist. CII, & alibi. Etiam in vita est Philiberti: *Mater prudentissima, nobili parentelâ.* Item S. Majoli: *Gallicanâ generositate conspicuus, patre Pulcherio procreatus, nobilis parentelæ germen eluxit nobilius.*

Parentivum propriè, quod ad parentes pertinet: uti *paricida*, quasi *parenticida*, qui alterum occidit parentem. Sed uti *paricida* vox extenditur ad eos, qui fratrem, vel cognatum, interfecerint; quemadmodum fusè in Oratoriis dixi *: ita & *parentivum* videtur extendi ad fratres, aliosque arcto junctos sanguine. Valerianus, Cimelensis episcopus, homil. XX: *Quisque hominum parentivæ mortis exspectatione animam pascit, paricidali crimine in hæreditate succedit.* Ubi *mors parentiva* non ad parentem modò, sed & fratrem, referenda; cùm, ut Ludovico de la Cerda † observatum, præcedant hæc verba: *Modò de patris*

† *Lovanii excusa est an.* 1572.

* *Lib.* 7. *Strom. pag.* 549. *edit. Bas. an.* 1516.

† *Hoc est, acu pictis: ut dictum lib.* 2 *cap.* 3, *voce Brudatus.*

* *Lib.* 4. *Orat. Instit. cap.* 12. *sect.* 3.

† *In Adversariis Sacris cap.* 184.

patris morte cogitat, modo de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis.

Paribiles leges, quibus simplices parērent, etsi nec rerum naturâ, nec rei veritate, niterentur: ut in judicio per ferrum candens, aut aquam frigidam. Quales rejicit Fredericus imperator lib. II Constitut. tit. XXXI. Vult enim non per hæc incerta judicari, sed per constitutiones à se, vel ab antiquis latas.

Paricula diminutivum à *par*, ut paricula epistola, quæ alteri planè esset par, sive exempli similis. Neutrâ enim litigantium parte convictâ, utrique dabatur libellus ejus judicii testis, quo uterque poterat probare caussam suam non esse damnatam. *Charta paricla* inscribitur Marculfi lib. I Form. cap. XXXVIII. Est & Varar. Form. cap. XIV: *Unde duas epistolas pariculas, uno tenore conscriptas, manu eorum, vel bonorum hominum, firmatas, inter se fieri, & firmare, rogaverunt.*

Parlamentum cur minùs dicturus sim, quàm *curiam supremam*, ostendi lib. I. cap. VII. Ubi & de origine dixi ejus vocabuli, ut sit à παραλαλεῖν, h. e. alloqui. Atque isthoc etiam placuit Budæo; qui prioribus in Digesta Annotationibus censet, hoc nomen esse ab advocatorum altercationibus. Longè sanè id verisimilius, quàm ut sit à παρειὰν ἐλᾷν, *genam agitare*: quod placuit viro erudito. Possis & pro eo dicere Senatum ordinum regni. Quia verò *parlamentum* propriè sonat colloquium, eò & sic dixere colloquia monachorum in suo, ut vocant, locutorio. Matthæus Parisius in Additamentis*: *Cum quidam post prandium proniores sint ad loquendum, quod non prodest: —— statutum est, quòd parliamentum, quod post prandium in quibusdam claustris fieri consuevit, penitus interdicatur; & loco ipsius vacetur uberiùs meditationibus, & lectionibus repetendis.* Imò & Germani *parlamentieren* dicunt de colloquiis ad transigendum, ut fit in urbibus obsessis: ac similiter in rebus etiam privatis loquuntur de contentiosis ac turbulentis sermonibus.

* Pag. 170.

Parochia est pervulgatum, pro *paræcia*: ut ostensum lib. I cap. XI. Ac *paræcia* rectè editum in Cæsario Heisterbachensi lib. I Miraculorum cap. XXIV, & lib. II cap. III, & lib. III cap. VIII. Uti & *paræciani* apud eundem lib. IV cap. XI. At *parochia* est apud alios multos: in his Sidonium lib. VII epist. VI, Adonem Viennensem, Rothaldum epistolâ ad Nicolaum Capitulatium, Hincmarum epist. ad Nicolaum, Odonem Cluniacensem lib. II cap. X de Miraculis B. Martini. Quibus in locis sumitur pro diœcesi tota: ut monitum Joan. Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XXVI. Atque ibidem observat, de universa Ecclesia sic loqui Aldhelmum lib. de Virginitate cap. VII: *Quæ* (vitiorum agmina) *contra Catholicam Ecclesiæ parochiam cum ducibus suis prolatis gregatim ingruere moliuntur.* Dixere & *parochium* pro *parochia*. Karolus Magnus Constitut. cap. IV: *Ut Episcopi de presbyteris, & clericis, infra illorum parrochia potestatem habeant secundum canones.* Ubi *infra parrochia* dictum pro *intra suas parochias*, sive potiùs *in suis parochiis*. Similiter loquitur cap. V. A *parochia* vel *parochium* est *parochianus*. Hincmarus Rhem. ad Hincmarum Laudunensem epist. II: *Parochianum meum Amalbertum pro caussâ tibi inlicitâ excommunicasti.* Ac alibi idem similiter. Item Ivo Carnotensis Epist. I ad Richerium Sefonensem Archiepiscopum: *Quia parabantur mihi insidiæ à quibusdam parochianis vestris.* Ac in fine epistolæ: *De parochianis vestris Stampensibus.* Item epist. CLXVII, *Quidam parochianus vester.* Est & ab eodem *parochialis*. Idem Ivo epist. CLXXII: *A quo cum quærerent, utrùm habuisset ex concessione Carnotensis Episcopi, an ex jure parochialis.* Et post pauca: *Ad quod responderunt Blesenses, se ab illis parochianis omnia parochialia accepisse.* Idem epist. CCLXVI: *Non tantum canonicali jure, sed etiam parochiali.*

Particularis, pro in parte præcipuus, singularis, obtinet vulgò contra morem veterum.

Parvaredus, pro paraveredus, ab *veredus* factum. Hludovicus, & Hlotarius Augusti, in Privilegio cœnobii S. Germani, apud Aimoinum lib. V cap. X: *Neque parvaredos, aut expensas ad hospitum susceptiones, recipiat.* Vide, quæ fusè paullò ante in *Palfredus* dicebamus.

Parvisium, schola parvulorum. Matthæus Paris. in an. CIↃCCL: *Pro illa substantiola persolvenda, cogebatur ille pauperculus, multis diebus scholas exercens, venditis in parvisio libellis, vitam famelicam, & Codrinam, protelare.*

CAP. XXXIII.

De incipientibus à PAS, PAT, PAU, PAX.

Pascuale, *ad pascua pertinens.* Pascuarium, *census pro pascuis.* Pasculum, *pascua.* Passagium, pasuagium, passigium, *pro itinere, transitu; vel quod pro eo persolvitur: item* paagium, *pro transitu: adhac* passagium, *pro tempore verno navigationi idoneo.* Passibilitas, *natura perpessioni subjecta.* Passionalia, & sanctualia, *passiones sanctorum.* Passiones, *affectus.* Passivum, *passim obtinens:* Passivitas, *quâ quid obtinet passim.* Pastellus, *pro pastillus: ac* pastellaticum, *quod datur ad obtinendam sacram dignitatem.* Pastophorium, *locus templi, ubi à sacrificio comederent, vel etiam in quo Levita, aut templi præfectus dormiret.* Pastotium, *præsepe stabuli.* Pasturagium, *pastus sive pabulum.* Patrinus, *pro offerente, sive susceptore.* Patriota, *vel* compatriota, *popularis.* Patronatus, *patroni conditio.* Pausana, *inducia.* Paxamacium, *panis minutus sex unciarum.*

His consequens est, ut me conferam ad cœpta à PA, sequente S, T, V, vel X.

Pascuale, ad domini pascua pertinens. Petrus Chrysologus serm. X: *Quomodo domum suam judicat ovile Dei, ubi non pascuale germen Dei pecus dat balatum?*

Pascuarium, census, qui solvitur pro pascuis, Legg. Wisigoth. lib. VIII Tit. V L. V. & Legg. Bojor. Tit. I cap. XIV, §. I. item Form. LXI, *Pascuarium, aut agrarium.* Ubi *agrarium* similiter census, qui pro agris solvitur.

Pasculum puto dici, quasi *pascuulum*, hoc est, minutum pascuum, vel pratum*. Cæsarius lib. III cap. XI: *Quæ cum verbis non proficeret, inter brachia sua virum tollens* (sermo est de dæmonio, quod muliebre schema adsumserat) *& multum comprimens, in aëra levavit, atque ultra monasterium sancti Patrocli, quod satis altum est, illum transferens, in pasculo deposuit.*

*Pascuulum per u, ut adolescentulus: vel per o, pascuolum, ut filiolus.

Passagium est iter, transitus: Arnoldus Abbas in Supplemento Helmoldi: *Seque juramento obstrinxit, quod exire nobiscum debeat regale vexillum, & in passagio Martii nobiscum ad servitium Domini proficisci.* Item: *Ad partes Ægypti proximo passagio commeare.* Nicolaus de Clemangis, lib. de annatis non solvendis†: *Pro certo passagio ultramarino & quibusdam aliis necessitatibus suis.* Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis, an. CIↃCCCXI: *Ad passagium generale pro terra sancta expugnanda.* Quomodo & Bernardus à Breitenbach itinerarium in terram sanctam *passagium* in eam inscripsit. Proque eo & *pasuagium* legas, vel *passuagium*. Chartæ Ducum Normanniæ*: *Præterea concedimus eis pasuagium, & pasturagium, porcorum & animalium suorum, ad suum proprium usum, in forestis, & domanus nostris.* Imò & *passigium* reperias. Innocentius Papa epist. de subvent. fac. terr. Hierosol. *Verùm Teutonici rumoribus de Marte Imperatoris, non exspectato passigii tempore, naves reduces adscenderunt.* Sed & accipitur pro tributo, quod à viatoribus exigitur. Ut in Legg. Neapolit. lib. I Tit. LIX. Unde *passagerii* eodem libro, Tit. LXXVI: h. e. qui viarum nomine passagium, sive tributi id genus, exigunt. Est vero *passagium*, a barbaro *passare*; unde & Italicum *passagio*, ac Gallicum *passage*, & Germanicum *passiren*, transire, commeare; & *passagier*, viator. Existimet aliquis, hæc omnia esse ab Hebræo פסח, pasach, *transire*: unde nomen festi פסח, ac Chaldaicâ terminatione Πάσχα, *transitus.* Sed non dubitan-

† Pag. 83. edit. Leid.

* Paginâ 1063.

bitandum, quin ea potiùs sint à Latino *passus*: sicut hoc à *pando*: ut quod notet duo passorum pedum vestigia cum medio intervallo. E *passagium* κατὰ συγκοπὴν factum *paagium*. Matthæus Parisius in an. cIɔ cc XLIX: *Violenter fecit restare, donec paagium —— extorsisset.* Mox item: *Paagium jussit temperari.* Et an. cIɔ cc LVI: *Telonium, quod vulgariter dicitur paagium.* Unde clarè, quid *paagium* sit, discimus. Atque hactenus de *passagio*, significante spatium loci: præterea verò designat spatium temporis. Sic tempus transmittendo mari idoneum notatur à Matthæo Parisio ann. cIɔ cc XXXIX: *Ne iter versus terram sanctam arriperent, usque ad vernum tempus, & passagium, quod est in Martio.* Quando nempe, ut veteres locuti, mare non clausum, sed apertum. Tempus hoc alibi expositum nobis.

Passibilitas, patiendi ratio, ac modus. Anonymus de hæresibus, præcipueque contra hæresin Prædestinatorum †: *Omnia enim passibilitatis genera, à Deitate sublata, soli filio hominis poterunt convenire.* Maluissem, *perpetiendi genera.* Significat, naturam divinam non esse obnoxiam perpessioni.

† Pag. 167. edit. Paris. an. 1567.

Passionalia, & *sanctoralia*, nuncupârunt libros, in quibus describerentur passiones, ac martyria Sanctorum.

Passiones vulgò nuncupant, quæ Græci πάθη. Sed classici vocant *affectus*, *affectiones animi*, vel *permotiones*: qua de re abunde dixi Oratoriarum Institutionum lib. II, cap. I, sect. I.

Passivus Grammaticorum est vocabulum. Ac videtur Julius Firmicus etiam *passivam* Venerem dicere pro illa, quæ est pathicorum; nisi vulgivagam malis interpretari. Nam crebrò ita usi eâ voce pro vulgari, ac promiscuo; quomodo non à *patiendo* est, sed à *passim*. Sic Tertullianus *passivos discipulos* dixit; quales vulgò, ac passim, invenias. Hieronymus enarrans hoc Oseæ; *Super capita montium sacrificabant*; opponit passivam religionem austeritati religionis veræ. Est & Aldhelmi de Virginitate cap. I: *Passivus, lascivusque oculorum obtutus.* Hoc est, vagus, ac passim curiosè omnia lustrans; ut solent libidinosi formarum aucupes. Hinc *passivitas*, pro frequentia; ut *passivitas luxuriæ* apud Tertullianum in Apologetico, quia passim obtinet. Qui & de Pallio eâ voce utitur, atque alibi. Sic *passivitas libidinis* apud Salvianum lib. VII de Gubernatione. Ac ibidem legas: *Numero criminum, ac passivitate peccabant.*

Pastellus, pro *pastillus*: hoc, Festo teste, à *panis*, quòd formâ referat panem. A *pastellus* verò *pastellaticum*, quod datur à Simoniacis sacram ad dignitatem consequendam. Utroque usus Joannes Diaconus de vita S. Gregorii Papæ lib. III cap. V: *Cùm verò quosdam cognosceret, ad evitanda Simoniacæ hæresis crimina, pestiferæ negotiationis pastellaticum callide vocitare, ac hujusmodi mutato nomine, sua cupiditatis avaritiam velle contegere; prudentissimus doctor Gregorius sententiam, quam in primordio sui pontificatus coram synodo promulgaverat, iteratò protulit dicens: Antiquorum Patrum regulam sequens, nulli quicquam de ordinationibus accipiendum esse, constituo; neque ex datione pallii; neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invênit appellatione pastelli. Quia enim in ordinando Episcopo Pontifex manum imponit; Evangelicam verò lectionem minister legit; confirmationis autem ejus epistolam notarius scripsit: sicus non decet episcopum manum, quam imponit, vendere; ita minister, vel notarius, non debet in ordinatione ejus, vocem suam, vel calamum, venundare. Pro ordinatione ergo, vel usu pallii, seu chartis, atque pastellis, eundem, qui ordinandus est, vel ordinatur, omnino aliquid dare prohibeo.*

Pastophorium, παστοφόριον, legas, tum apud LXX interpretes, partim in Paralipomenon libris, partim in Prophetis: tum etiam apud vulgatum interpretem in tertio Esdræ cap. VIII. 60. & IX. I, & I Maccab. IV. 38, & 57. Non dubium, quin sit à παστὸς, quod à πάσσω. Sed hoc verbi nunc notat *salem inspergo*; nunc ποικίλλειν †. A priori significatione est, quòd παστὸς quibusdam exponatur cœnaculum, convivii locus: ab alterâ, quòd thalamum interpretentur. Sanè in veteri Vocabulario *pastophorium* tum dicitur de loco separato ad comedendum, nempe ubi sacrificantes coram Domino de sacrificiorum partibus comederent: tum etiam de thalamis, vel cubilibus, ubi Levitæ excubarent in atriis Domini. Hieronymus in Esaiæ cap. XXII. 15, ait, LXX interpretibus sic vocari thalamum, in quo habitat præpositus templi. Isidori Glossæ: *Pastophorium, atrium templi, aut sacrarium.* Ac similiter Excerpta Pithœana: nisi quòd illic corruptè *pastoriorum*, vel *pastorium* legas. Meminit & Radevicus Frisingensis de gestis Friderici lib. IV cap. XIII: *Vulpes, lepores, pastoforia Ecclesia, & officinas Canonicorum, ingressa.* Plura de iis videsis apud Durantum lib. I de ritibus Eccles. cap. XVI, qui sic ait vocari arculam, in qua Eucharistia custoditur. Sed in allato Frisingensis loco situs liquet, denotari locum ampliorem.

† Variare, ac distinguere.

Pastorium videtur id, cui imponitur fœnum, vel aliud jumenti pabulum. Legg. Bojor. Tit. II cap. VI: *Pastorium, capistrum, frenum.* Legg. Longobard. Tit. XXVI L. XXXV: *Pastorium de caballo.*

Pasturagium, pro pastione sive pabulo. Habes in Chartis ducum Normanniæ. Vide verba in *Passagium.*

Patrinus, & *matrina*, de eo, qui quæve de sacro fonte suscepit, apud Amalarium de ritibus Ecclesiast. & in vita S. Othonis lib. II cap. XV. Nomina ex eo, quòd, qui de sacro fonte elevant alterum, eum quodammodo adoptant, non bonorum ratione, sed curæ paternæ, quæ impenditur ad hoc, ut in religione Christiana, ac Catholica, piè educetur. Ac videas, propterea & *patrem* nuncupari in vita S. Epiphanii, Constantiæ Episcopi, à Luciano presbytero suscepti. Habes apud Simeonem Metaphrastem, & inde Aloysium Lipomanum *. Verba Latinè ponam: *Cùm ergo starent, & divinas audirent Scripturas, advertit Episcopus, ita ut in throno sedebat, glorificatum esse vultum Epiphanii, & coronam esse ejus capiti impositam. Post absolutum itaque Evangelium, ingressus est Episcopus in baptisterium, & jussit Epiphanium ingredi, & ejus sororem, & cum ipsis Lucianum; qui etiam fuit pater ejus in sancto baptismate.* Quare & qui levati de fonte, *filii spirituales* appellantur in Concilio Moguntino †, quod celebratum temporibus Karoli Magni. Malim interea pro *patrini*, vel *compatris* vocabulis, uti planè Latinis; idque Tertulliani, & Augustini exemplo, de quo in *Compater* vidimus. Nec displicent *susceptor*, & *susceptrix*: uti vocat magnus Erasmus in vita Origenis, operibus ejus præfixâ: *Catechista dicti sunt, quod baptismum ambientibus vivâ voce traderent dogmata Christianæ religionis. Horum discipuli dicti sunt catechumeni; quos auditores possis appellare. Nomina in hodiernum usque diem manent in Ecclesia; res non item, eo quòd infantes tingimur. Superest tamen nonnullum priscæ consuetudinis vestigium, cùm adhibentur susceptores, ac susceptrices, quos compatres, ac commatres, vocant quidam.* Et quid Erasmum dico, cum etiam sic veteres videam locutos? Quippe est Victoris Uticensis lib. III Persecutionis Vandalicæ *: *Fuit quidam Elpidophorus nomine. Hic fuerat apud nos in Ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta Diaconus de alveo fontis susceperat. Post verò dum apostataret, tanta exstitit feritatis adversus Ecclesiam Dei, ut superior omnibus exsecutor persecutionis fuisset inventus.* Item Gregorius Papa lib. IV Dialog. cap. XXXII: *Quidam curialis illic sacratissimo Paschali Sabbatho juvenculam cujusdam filiam in baptismate suscepit.* Imò Græci similiter; etiam Dionysius cognomento Areopagita: cujus est in secundo Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. secundo: Κατὰ τὴν τοῦ ἀναδόχου παράδοσιν: *Juxta traditionem susceptoris.* Atque idem etiam nuncupat ἡγεμόνα, καὶ καθηγεμόνα.

* Tom. 6. fol. 36.

† Can. 47.

* Pag. 43. edit. Paris. à Balduino unà cum Optato procurata, an. 1569.

Patriota Græcè πατριώτης, & συμπατριώτης. Non igitur damnamus, ut barbarum, sed ut ignotum Latinis; qui pro eo dicunt *popularis*, vel *conterraneus*. *Patriota* est apud Marcellinum in vitæ Switberti Prolegomenis, & apud

Turocium in Chronicis Hungaricis lib. I cap. XXIII. Est & Thomæ Walsingami in Richardo II*: *Et favet* (plebs) *honori, maximè quia patriota erat, & vicinus eis.* Multò minùs pro συμπατριώτης dicam *compatriota*. Quo usus Ivo Carnotensis, ac è junioribus Bartholomæus Chassinæus in Catalogo Gloriæ mundi lib. X Consider. V; ubi de Biante, qui *compatriotis* (sic loquitur) efferentibus aurum, & argentum, se omnia sua secum auferre ajebat. Verùm hoc de vocabulo jam dictum cap. XXVI.

[* Pag. 231.]

Patronatus, patroni conditio. Sic *jus patronatus* vulgò, pro jure prodendi sacerdotis.

Pausana, pro induciis, vox Græcobarbara; Luitprando etiam, sed loquenti cum Imperatore Græco, usurpata. Sic enim ille in Legatione sua*: *Pausanas exigis, quas nec te exigere, neque nos concedere, ratio ipsa compellit.* Est à παύω, unde παῦσις, & *pausa*; quia induciæ faciant paulisper bellandi.

[* Pag. 84. edit. Ingolstad. ann. 1600.]

Paxamacium, vel *paximatium*, ab Isidoro in Glossis exponitur *panis subcinericius*. Sed ex Palladio, in vita Paulli Simplicis, cognoscimus, fuisse panem minutum sex unciarum: cujusmodi duo diurnæ refectionis modus monachis fuere Ægyptiis. Cassianus lib. II Collat. cap. XIX: *Discutientes continentias diversorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantùm, vel pomis, vitam jugiter exigebant: præposuere cunctis illis refectionem sicci† panis: cujus æquissimum modum in duobus paxamaciis statuerunt: quos parvulos panes vix unius libræ pondus habere certissimum est.* Et lib. IV cap. XIV: *Præter duo paxamacia, quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibimet amplius unusquisque præsumit.* Idem ejusce operis lib. XII cap. XV: *Duobus tantùm paxamaciis fuerit quotidianâ refectione contentus.* Suspicor, vocem esse à monachis Ægyptiis; quæ postea ad alios etiam se diffuderit. E Græcis usi eâ Palladius in vita Pauli Simplicis, Leo Constitut. X. §. XIII, & Tzetzes Var. Histor. Chil. II. E Latinis, Rufinus lib. II*: *Vidit de sportella, ubi panis, id est paximatia reposita erant, surrexisse fumum magnum.* Item lib. eodem†: *Tantùm unum paximatium, & quinque olivas, in cibo capiebat.* Luitprandus in Legatione ad Nicephorum Phocam*: *Soli mensulæ adsident nudæ, paximatium sibi apponentes.* Ac à παξαμᾶς quidem est diminutivum παξαμάτιον. Priori usus è Latinis Columbanus de Reg. Monach. cap. V: *Olera, legumina, farina, aquis mixta, cum parvo pane paxmatis, ne venter oneretur, & mens suffocetur.* Imò & legas in Vitis Patrum apud Pelagium libello IV, numero XXV, & libel. X, num. LXV: item Joannem lib. III num. II. & in vita S. Præjecti cap. II. §. VIII†. Dixeris, Suidam gemino in loco referre, παξαμᾶς esse vocem Romanam. Scio: sed puto, cum Lipsio*, intelligere novam Romam: ut Romanam vocem dicat, quia fuerit introducta, imperio Constantinopolim translato. Sanè non veteres modò Latini; sed Græci etiam, & παξαμᾶς, & παξαμάτιον, ignorant. Et potuerit nomen esse impositum à quodam Paxamo; quem Suidas* ait scripsisse ὀψαρτυτικὰ† secundùm seriem literarum, & Βοσωπικὰ, libris duobus, aliaque. Cæteroquin & suspicio oborta, primam originem deberi verbo πάω, unde *pasco*, & *panis*. Non de nihilo autem, quod Cassianus, ut vidimus, siccum panem dicat: ubi tamen in MSo nostro (quem munificentiæ præstantissimi Theologi Andreæ Colvii nostri debeo) *solius* reperio. Sed ut *sicci* rectius putem, facit, quòd & Suidæ παξαμᾶς sit ἄπυρος ἄρτος. Nempe quod Latinis *buccellatum*, vulgo panis *bis coctus*: unde *biscuit* Galli vocant, ac Belgæ. Ulteriùs etiam hac de voce me diffunderem; nisi, pro vocula, abundè ista sufficerent: ac viderem, fusè etiam hac de voce agere, tum Rosweidum in Glossario ad Vitas Sanctorum Patrum; tum Joan. Ludovicum de la Cerda in Adversariis sacris cap. XVIII.

[† Al. solius.]
[* Sive in Vitis Patrum, lib. 3 num. 4.]
[† Num. 31. ubi de abbate Piore.]
[* Pag. 122. edit. Ingolstad.]
[† Apud Bolland. 25 Jan.]
[* De militia Romana lib. 5 dial. 11.]
[* In Παξαμᾶς.]
[† De arte culinaria.]

CAP. XXXIV.

De Latino-barbaris; ubi post P sequitur E, vel H. Peccamen, *peccatum.* Peccantia, *pro eodem.* Pectinium, *linteum, in quod depectimus capitis sordes.* Pecuscula, *pecua.* Pedagium, *quod exigitur pro transitu pedestri.* Pedaticum, *pro eodem.* Pedecura, *pedamentum.* Pedatura, *pro eodem.* Pedibulum, *sonus pedum in itione, vel cursu.* Pedo, *pedes.* Pelliceum, *vestis è pelle.* Pendurus, *suspensus.* Pensam, *pensum.* Pensionarius, *Reip. à pensionibus.* Percussura, *percussio.* Perdonatio, *condonatio.* Personatus, *dignitates quædam Ecclesiasticæ.* Pertinentiæ, *res aliquò pertinentes.* Pestiferus, *pestifer.* Petaminarii, *qui fune se per aëra jaculantur.* Petibile, *quod honestè petas.* Petraria, λιθοβόλος. Phacolis, phagolis, *vel* phaculla, *perna.* Phaleramentum, *ornamentum.* Philosophaster, *minutus philosophus.* Phlegmaticus, *pituitâ abundans.* Phrium, *Phrygium.* Physiognomus, *physiognomon.*

Sequuntur, in quibus literam P excipit secunda vocalis.

Peccamen, apud Gildam, pro *peccatum*, vel etiam *peccatus*; unde Tullius *peccatu*, pro peccato, ait IV Verr. Nempe quomodo & *flamen*, & *flatus*, dicitur.

Peccantia, pro peccandi actu, est apud Tertullianum adversus Judæos.

Pectinia arbitror esse linteum, in quod capite devolvuntur sordes eorum, qui pectuntur. Sigebertus in Chronico: *Rejicientes à se quicquid regula refragabatur, foricos videlicet, & pelliceas, estamina, caputia quoque, & femoralia, pectinia, & coopertoria.* A *pectino* est *pectinium*, ut à *judico judicium*. Nisi malis a *pecto*, *pectinium*; ut Appulejo à *scrutor*, *scrutinium*.

Pecuscula, pro pecora minora. S. Aldamannus de rebus Sancti Columbæ: *Omnia pecuscula secum invasores abegerunt.*

Pedagium eâ formâ dixere, qua *aquagium*. Ac ut origine, ita significatione, convenit cum *pedatico*; de quo mox loquar. Hillondis Comitissa Striensis, in diplomate anni ∞CCCXCII*: *Silvam ad porcos alendos, cum omni jure, wancapio, teloneo, molendino, censu, pedagio, & aquagio.* Petrus de Vineis lib. V epist. XXXVII: *Sine alicujus pedagii exactione, ire, stare, & ad curiam nostram redire securè, & liberè, permittatis.* Urbanus V. Papa in bulla† de jurisdictione Camerarii adversum piratas: *Olim siquidem fel. rec. Bonifacius Papa VIII, prædecessor noster, eos, qui ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, pro eorum rebus propriis, quas non negociandi caussâ deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, pedagia, seu guidagia, suo vel alieno nomine exigere, vel extorquere, si persona existeret singularis, cujuscumque foret dignitatis, conditionis, vel status, excommunicationis*, &c. Et paullo pòst: *Et insuper in omnes illos, qui in terris suis nova pedagia imponunt.* Habes & in Historia Albigensi cap. XXXIII† & XXXIX*: & apud Philippum R. Gall. in Edicto de T. Exact.† Unde & ibidem *Pedagiarii*.

[* Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 73.]
[† Bullarii T. 1. pag. 215.]
[† Sive pag 74.]
[* Sive pag 90.]
[† Pag. 207.]

Pedaticum fortasse, quod domino loci persolveretur, etiam ab iis, qui pedibus iter conficeret. Radericus Frisingensis de gestis Friderici Barbar. lib. III cap. XLI: *Monetam, telonium, pedaticum, portus.* Et lib. IV cap. V: *Vectigalia, portus, pedaticum, molendina.*

Pedecura est in Diplomate Irminæ, filiæ Dagoberti I Francorum Regis, epistolâ ad Willibrordum*: *Similiter dono vobis, vel ad supradictas basilicas vinea pedecuram unam, in monte Viemiensi, cum vinitore.* Puto, corruptum esse ex *pedatura*: quod in usu junioribus, pro *pedamentum*. Vide proximè *Pedatura*.

[* Apud Miræum in Notitia Belg. pag. 16.]

Pedatura, pro pedamento, sive vitium sustentaculo. S. Remigius in Testamento apud Flodoardum lib. I Histor. Rhem. cap. XVIII: *Delegoque benedictæ filiæ meæ Hilariæ Diaconæ ancillam nomine Nocam, & vitium pedaturam, quæ suæ jungitur vineæ, quàm Catusio facit, dono.*

Pedibulum, summis viris, Cæsari Baronio†, & Bollando, videtur esse lictorum virga, quâ ædes percuterent, quas Consul, aliusve, qui lictores haberet, esset ingressurus. Ac rationem censent nominis, quia referret pedum, sive baculum pastoralem. Nituntur vero istoc è vita S. Fru-

[† Annal. Eccles. tom. 2 ad ann. 262. §. 60. & 61.]

* Apud Belland. 21 Jan.

ðmosi, & sociorum, §. 1*: *Qui cum sensisset pedibulum ipsorum, confestim surrexit, & prodiit foras ad eos in soleis.* Mihi hic potiùs sumi videtur pro sono pedum, quem, aliquo incedente, audimus. Neque solùm sic vocatur sonus editus humanis pedibus; sed etiam equi, canis, alterius animantis. Solidè id mihi videor firmaturus verbis hisce Gregorii Turonens. lib. III Hist. Franc. cap. XV: *Quibus pergentibus, audiunt pedibulum equitum currentium.* Sane quis hic lictorum virgas intellexerit?

Pedones, ut arbitror, pro *pedites*. Rogerus de Houeden Tom. I Annal. in vita Guil. Sen. *Unde rex Guilhelmus de tota Gallia solidariis, pedonibus, & sagittariis multis millibus conductis.* Puto, non tam ἀμέσως esse à pedibus, quàm à verbo *pedare*; unde *repedare*, & apud Maronem *quadrupedans*. Gloss. Mss: *Podo, pedas, ἀναποδίζω*. Sanè sæpe est vox similis nominis, ac verbi: ut in *calcitro*, *padico*, *susurro*, &c.

Pelliceus non ausim ἁπλῶς rejicere, quando non modò Lampridius, & Hieronymus, usi; sed etiam Paullus J. C. Papiniani discipulus, qui temporibus vixit Alexandri Mammeæ. *Pelliceum* ἀπλῶς, pro veste e pellibus, Cæsarius usurpat lib. VI Mirac. cap. V, & lib. XII cap. XV.

Pendutus, ex furca suspensus. Lex Ripuar. Tit. LXXIX: *Et legitime superjuratus, & judicio Principis pendutus.*

Pensam, pro *pensum*, dixere juniores. Ut Galfridus Monemuthensis lib. VII cap. ult. in Merlini prophetia: *Locata sede ad pensas studebit; sed palmas in Albaniam extendet.* Etiam pro pensione usurpatum: unde Gloss. Mss: *Pensa*, μισθ☉; ubi planè μισθὸς scribi oportuit.

Pensionarius est vox pervulgata, ac legas apud auctorem vitæ S. Heduvigæ cap. VI: *Pensionariis suis in Sanon, & Jamoz, ad XXX marcas remisit.* Latinè dixeris *scribam publicum*. Quamquam vox hæc non satis vim exprimere videtur. Quid si igitur, ut aliquem Romani dicunt *à manu*, *à pedibus*, *à poculis*: ita eum voces *Reip. à pensionibus*? Sanè nomen ei datum à pensione: quo significatur merces, quæ quotannis pro opera penditur, ac solvitur. Sic Ciceroni id *pensio*, quod, qui agrum conduxit, quotannis domino annumerat. Ac in re non dissimili sæpe juniores: ut in Bullâ Alexandri Papæ VI† anni CIↃ CCCCXCIV: *Alii recepta pecunia summâ, aut pensione, alterius ordinis fratribus, aut sororibus, sua monasteria vendunt.* Hinc & de syndico, quomodo elegantiores pro pensionario maluerunt dicere, sic legas in Glossis, quas in membranis habeo exaratas: *Syndicus, qui petit stipem.* Ob *pensiones* hasce, unde *pensionario* nomen, Belgicè eum non incommodè dixeris *loon-raeds-heer*: vel ἀκριβέστερον magis *loon-treckende raeds-heer*: quod nobilissimo Equiti, ac trium Hollandiæ oppidorum, agrique Goilandici præfecto, Petro Cornel. Hoofdio, placuit in præclaro, nec intermoriturо, Annalium Belgicorum opere: in quo ambigas, magisne ames veri amorem, an eximiam mirere prudentiam, an purissimam lectissimi sermonis patrii castimoniam.

† Subjungitur Chronico Casinensi pag. 901, 902.

Percussura, pro cusio, quod in glossis; vel potiùs, pro percussio, quod Ciceronis, ac Fabii. Fridericus I Imper. diplomate anni CIↃCLII*: *Percussuram quoque monetæ, & teloneum, & publicas nundinas in oppido Stabulensi, sicut a prædecessoribus nostris, ita & à nostra munificentia —— in perpetuum valitura.*

* Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belg. pag. 401.

Perdonatio, & corruptiùs *pardonatio*, apud Walsingham in Richardo II†: *Datum est judicium contra Richardum Comitem allegantem, & exposcentem suffragia chartarum, & pardonationis Regis.*

† Pag. 354.

Personatuum nomine dignitates quædam Ecclesiasticæ notantur. Vide infrà Paulli Papæ II, & IV verba, in *Præpositatus*.

Pertinentia, pro rebus ad aliquid pertinentibus: ut *Adjacentia*, de quo supra diximus. Leo Ostiensis Chronici Casinensis lib. I cap. XLVIII: *Cum Castello S. Angeli, universis pertinentiis suis, & rebus suis intra fines suos.* Ac mox: *Ecclesia S. Mariæ in Bantinnio cum pertinentiis sua.* Et aliquoties postea eopse capite. Item lib. III cap. LVII: *Cum toto portu suo, & omnibus pertinentiis.*

Pervrum legas apud veterem Juvenalis interpretem sat. IV vers. CXXXVIII. Sed fortasse locus est corruptus.

Pestiferus, non dixero cum nonnullis; sed *pestifer*.

Petaminariorum meminit Julius Firmicus lib. VIII cap. XV, & Salvianus lib. VI de Gubernatione Dei. Est à πέταμ☉ formatum, hoc est, *volans*. Nempe quia, quasi volantes, per aëra se fune jaculantur. Belgis etiam *vliegers* dicuntur. Vide, quæ de iis notarunt Scaliger ad Sphæram Barbaricam Manilii, & Rittershusius ad Salvianum.

Petibile, quod honestè petere liceat. Possidius Calamensis in vita præceptoris sui S. Augustini cap. XX: *Non instas, ut quodcunque sollicitus petitor voluerit, extorqueas; sed quod tibi à judice, tot curis obstricto, petibile visum fuerit, admones, & rogas, subserviente verecundiâ.*

Petraria, machina bellica, petras sive lapides ingentes emittens ad muros diruendos. Usurpat Paullus Diaconus de gestis Longobard. lib. V cap. VIII: *Cumque hoc dixisset, caput ejus abscissum est, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in urbem projectum est.* Monachus Cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita Karoli Magni*: *Deoque volente, petrarias, quas paraverunt, plus senserunt, quàm illi de castello.* Joannes Turpinus in Vita Kar. M. cap. IX: *Aptatis juxta murum petrariis, & mangarellis, & Trojis, & arietibus.* Similiter Historia Albigensis cap. XVI†, ac pluribus locis Matthæus Parisius. Est & Thomæ Walsingami in Hypodigmate Neustriæ*: *Lituorum, & tubarum classico obsessi semet cohortantes, ad muros alacriter concurrere telis armati, gladiis, & petrariis.* Puto, & *petrarias* rescribendum, pro *perarias*, in hoc Rogeri Houedeni Annal. T. II†: *Jam ante adventum Regis Angliæ, domum lapideam turritam fecit; sibi & perarias suas, & burdicios suos, & alias machinas suas bellicas, paraverat.* Quid multis? quando penè omnes sic historici: ex quibus tres nobis indictos promit Lindenbrogius ad locum Pauli Diaconi paullo ante adductum.

* Editionis Wechelianæ ann. 1594. pag. 248 vers. 9.

† Pag. 45.

* Pag. 689.

† Pag. 692.

Hinc pauca subnectam, ubi post P est adspiratio.

Phacolis, vel *phagolis*, vel *phaculla*, petaso; fortasse ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quia in deliciis sit. Isidorus in Gloss. *Phaculla, perna, petaso.* A *phagolis*, *phagolidorus*, qui pernas donat; ut hodieque eas dono mitti obtinet. Ethelwerdus in Prologo libri II Chronic. *Hortamur in Domino, ne nostra sperantur à phagolidoris dicta; sed potius propinas Regi cælorum gratias reddant.*

Phaleramentum, pro phaleris, vel phaleratum similibus. Joannes Scotus in vita S. Attalæ: *Dedit operam, ut postpositis mundi phaleramentis, monachorum jungeretur cohorti.*

Philosophaster, ἀναλόγως quidem fictum: malim tamen, cum veteribus, *minutus philosophus*; vel *philosophus plebejus*, aut *minorum gentium*.

Phlegmaticus nemo barbarum dixerit, cùm usitatum sit philosophis, ac medicis Græcis. Malim tamen cum Latinis dicere, *pituitâ abundans*. Possis & cum Horatio*, *cui pituita molesta est*.

* Epist. I lib. I.

Phrisum est apud Leonem Marsicanum in Chronico Casinensi lib. III cap. LVIII: *Planetam purpuream cum Phriso, & cum aquila è margaritis contextâ.* Quid si pro *Phriso* rescribendum sit *Phrygio*? Sanè *Phrygium* idem, quod *tiara*; ut scribit vetus Juvenalis interpres in sat. VI vers. IↃXIV.

Physiognomus ajunt aliqui. Sed *physiognomon* dicendum; ut Græcis φυσιογνώμων: quod Aristotelis est, atque adeò Ciceronis†.

† Lib. de Fato.

Cap. XXXV.

De inchoatis à P, sequente I, vel L. Pitantia, *ferculum in monasteriis, pietatis ergo solitum deferri.* Pilarium, pro

pro columna. Pillula, *pro catapotio.* Pinsinochium, *pistrinum.* Piraticum, *& fortasse etiam* piratium, *potus ex piris expressus.* Pitaciolus, pittacium, *vel* pittaciolum, *libellus, literæ.* Placibile, *quod placitum.* Placor, *tranquillitas mentis.* Platearii, *qui exigunt tributum plateis impositum: uti* plateaticum, *ipsum tributum.* Platoniæ, *lamina alicui operi inserta, instar emblematis.* Plaria, *corrupte, pro* planaria. Plebanus, *qui sacramenta administrat in Ecclesia cathedrali.* Plecta, *pro plexa, sive opere è vimine, vel foliis palmarum, contexto.* Pleuresis, *pleuritis.* Plumacium, *opus ad plumarum modum acu pictum: vel etiam pro pulvinari plumis farto.*

Subjungam nunc, ubi post P sequitur tertia vocalis.

Tale est *pitancia*: quomodo à pietate dixere ferculum in monasteriis. Matthæus Parisius in anno cIↄ ccxxvIII: *Si Abbas, vel Prior, voluerit in refectorio misericordiam facere specialem; cibum aliquem competentem, non ante illum, sed ante se, faciat apportari; de quo ille sibi faciat pitantiam pro natura sustentatione.* Idem in Additamentis*: *Præcipimus observari, ut omnes monachi —— de uno pane, & de uno potu, regulariter reficiantur; salvâ pitantiâ, quæ ad majorem mensam ex certa caussa deferri consuevit.* Caussa, quam signat, est pietas: unde nomen ducebam.

* Pag. 174.

Pilarium, primâ porrectâ, pro pila, sive columna. Beka in Conrado: *Fundum adeò lutosum ibidem reperit, quòd bases pilariorum stabilire non potuit.* Nempe Belgas suos imitatur, qui *pilaer* vocant.

Pillula, pro pilula, sive catapotio. Fulbertus epist. XLVI: *Morantem alvum laxativis pillulis incitari.* Cæsarius lib. I Mirac. cap. XXI: *Quantum ad massam; multùm modica est pillula: sed quantum ad efficaciam, virtus illius est maxima.* Ac similiter paullò pòst. E recentioribus quoque Paulus Jovius lib. IV de vitâ Leonis*, ubi de morte ejus agit.

* Pag. 108. edit. Florentinæ.

Pinsinochium à pinsendo, pro pistrino, locove ad pistrinum pertinente. Matthæus Parisius initio Vitæ Pauli, XIV abbatis S. Albani: *Hanc Ecclesiam, cæteraque ædificia, præter pistorium, & pinsinochium, reædificavit.* Quid si *pinsidochium* scripserit, ut dicimus *xenodochium*?

Piraticum, liquor, sive potus ex piris expressus; ut iis in regionibus fieri solet, ubi vinum non proveniret: quemadmodum Erasmus annotavit ad illud Hieronymi lib. II adversus Jovinianum: *Paulus in navi panem frangit; non caricas. Timotheo, dolenti stomachum, vinum suadet bibere; non piraticum.* Similiter Fortunatus de vita S. Randevigis lib. I: *Potum, præter aquam mulsam, atque piraticum*, non bibit.* Sic puto legi debere: nisi utrumque dixere, *piratium*, & *piraticum*.

* Libri vulg. piratium.

Piratium, vide piraticum.

Piscatio non dixero, sed *piscatus*.

Pitaciolus, pro *pittacium*, vel *pittaciolum*, schedula, vel literæ. Ita Hincmarus Laudunensis, cui patruus erat Hincmarus Remensis, libello, cujus inscriptio *Pitaciolus*, hoc distichon præmiserat:

> *Iste pitaciolus planè depromit, & aptè,*
> *Sedem appellandam liberè Apostolicam.*

Sed eo nomine versiculo hoc culpatus in responsione patrui:

> *Namque pitaciolum neutro dixere priores.*

Ac in neutro genere etiam capere oportet hoc Flodoardi lib. III Histor. Remensis cap. XXII: *Pitaciolum irrationabiliter confectum, & manu tuâ subscriptum, ac præfatæ professioni tuæ usquequaque contrarium, misisti.* Corrupte est apud B. Hieronymum in cap. XXIII Matth. *Pistaciola illa decalogi phylacteria vocabant; quòd, quicunque habuisset ea, quasi ob custodiam & monumentum sui, haberet.* Nam *pittaciola* legendum.

Placibile, quod placet, apud Anastasium Bibliothecarium. Vide superiùs *Odibilia*.

Placor, tranquillitas. Glaber Radulphus in vita S. Guilhelmi, abbatis Divionensis †, cap. IV: *Sanctus quoque noletis placorem animi ejus turbare, consensit, ut voluit.*

† Apud Bolland. 1 Jan.

Platearii, qui vectigal, sive tributum exigerent impositum plateis, viisque publicis. Tributum ipsum, *plateaticum*; ut *pontaticum*, quod in pontis transitu dandum. Et *platearii*, & *plateatici* vocabulum, habes in Siculis sive Neapolitanis Constitutionibus: prius lib. I tit. LXXVI; alterum eodem libro, tit. LIX. Ac apertissimus est locus in Privilegiis Mindensis Ecclesiæ num. XXVIII, quem ante nos adduxit Lindenbrogius: *Novas etiam exactiones, & tallias, imponitis in stratis publicis liberis, & plateis, quas in præjudicium telonei stratengelt, wechgelt*, & *bruggengelt, nominatis.* Ubi *bruggengelt* est, quod *pontaticum* Aimoino lib. V cap. I.

Platoniæ, laminæ, sive crustæ marmoris, locis aliis instar tessellati emblematis inductæ. Cassiodorus lib. III epist. IX: *Supra memoratas platonias, vel columnas, contradat † modis omnibus devehendas.* Anastasius biblioth. in Leone III: *Hic sacer antistes super ipsas columnas lilios poni fecit, & super ipsos lilios ex metallis marmoreis platonias posuit, diversisque picturis miræ magnitudinis opus ornavit.* Item in Sixto III: *Fecit Confessionem beati Laurentii cum columnis porphyreticis, & transennam, & cancellos supra platonias porphyreticas.* Ac paullò post: *Hic fecit platoniam in cimiterio* (κοιμητηρίῳ) *Calixti viâ Appiâ.* Etiam *platoniis* legendum apud eundem in Liberio; non, ut vulgò: *Liberius ornavit de platinis marmoreis sepulcrum sanctæ Agnetis.* Ubi Bertinianus codex *platomis*, leviculâ immutatione, pro *platoniis*: ut legit Baronius in Annal. ad ann. CCCLXXXIV num. XVII. Apud rei Agrimensoriæ scriptores: *Et in modum platuma eos posuimus, ut qui nesciunt, miliarios eos putent.* Verùm (ut observatum Salmasio, Notis in Julium Capitolinum) pro *platuma*, scribendum *platunia*, quod idem ac *platoniæ*. Nam O, & V, facilè commutantur. Est verò *platonia* ex Græco πλάτωσις, & πλατύνειν: quæ à πλατύς. Nec aliunde Belgis lamnæ, seu laminæ, dicuntur *plateten*. Nisi malis à *plat*, *planus*, quod ipsum à πλατύς. Hæc verisimiliora, quàm quod, Papiam secutus, censuit Clemangis editor, venire ἀπὸ τοῦ πλάττειν, *fingere*; nempe ut nomen sit à figura, qua fingerentur.

† Ita & codex noster manu exaratus. Aliqui libri contrahat.

Plaria in Glossis Isidori exponitur *dilucida*. Ubi vel *plana* legendum, vel (quando *plani* vox plana ac dilucida) *planaria*: quod à *plana*, ut *plenariis* à *plenus*. Sic *Planaria* insula, quæ à Corsica LX. M.P. distabat, à planitie dicta; quia freto æqualis, ideoque navigiis fallax; Plinio teste.

Plebanus, qui sacramenta administrat in Ecclesia cathedrali. Nihil hodie vulgatius: ac legas quoque apud Cæsarium lib. I Miracul. cap. XIV, XXXI, & L; lib. IV cap. XCVIII; lib. V cap. VII; lib. IX cap. XIV. Item in Promotion. Concilii Pisani: & apud Turocium in Chronicis Hungaricis secundæ partis cap. XCVII*. Nec solùm tamen esse cathedralium Ecclesiarum, indicat, quòd apud eundem Cæsarium sit lib. V cap. XL: *Plebanus cujusdam villæ.*

* Pag 87.

Plecta, pro quo & interdum *flexa* reperias, funiculus ex junco, sparto, palma, vel re simili; ex Græco πλεκτή, ἀπὸ τοῦ πλέκειν. Sed Latini dicunt *plexa*; unde *complexa*, *perplexa*. Vita S. Macarii Ægyptii †, Presbyteri & Abbatis in Ægyptiaca solitudine, quæ *Scetin*, vel *Scithi*, dicebatur, cap. II §. V: *Colloquentes de salute animarum, plectam faciebant. Ipsa vero plecta per fenestram in speluncam descendit. Et egressus primo mane B. Antonius videt cumulum plectarum Abbatis Macarii, & ait: Multa virtus de istis manibus egreditur.* Pelagius Rom. Eccles. diaconus in vitis Patrum libello V §. V: *Faciebat quoque plectam de ipsis palmis, & cusabat usque ad horam sextam.* Ubi *cusabat* idem ac *texebat*, *consuebat*; ex Gallico *coudre*; quod ipsum è Latino *consuere*. Imò & apud Joannem Cassianum legas lib. XVIII cap. XV: *Codicem suum inter ejus plectas, quas de palmarum foliis solebat intexere, latenter abscondit.* Et paullo pòst: *Ad extremum in Paphnutii cellula absconditum codicem inter plectas palmarum,*

† Ad 19 Januar.

marum, quas illi firas (σειράς) vocant, sicut eum insidiator ei culuerat, repererunt.

Pleuresis pro pleuritis, vel lateris dolor. Hubertus in Vita S. Gudilæ* cap. IX. §. XXXVI: *Quicunque sub tuæ misericordiæ confugerunt alas, aut pleuresi dirâ pulsati, ——, receptâ sospitate cuncti ad sua redierunt læti.* Similiter usurpat Matthæus Gradius in Rhasen.

* Apud Bolland. 8 Jan.

Plumacium, diversicolor vestis, pannus, aut stragulum acu pictum ad plumarium modum. Godfridus Viterbiensis Chron. part. IX:

Ultimus Assyriæ rex, nomine Sardanapalus,
Fecerat ex pluma plumacia clausus in aula.

Anastasius in Sergio: *In quo interius plumacium, ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, invenit.* Utitur & Abbo Floriacensis in Vitis Pontif.† Sic enim rescribendum, ubi libri aliqui *plumazium*. Græcis junioribus similiter πλουμάκιον. Glossæ Græcolatinæ, quæ Cyrilli dicuntur: Πλουμάκιον, πλουμμίον, *plumacium*. Dubium verò, utrùm & *plumacium*, vel per T, *plumatium* dixerint pro pulvinari, vel culcita, eò quod plumis soleat farciri. Sic quidem usurpari videtur in Vita S. Macarii Ægyptii* cap. III, §. XIV: *Erant istic antiquitus ethnicorum sepulta corpora: ex quibus unum arripuit, capitique supposuit tanquam plumatium de scirpo.*

† Pag. 155.

* Apud Bolland. 15 Jan.

CAP. XXXVI.

De cœptis à P, sequente O. Pœnitendum, *cujus pœnitudine duci conveniat.* Poledrus, *pullus equinus.* Polipticum, *pro polyptychum.* Polisis, *structura.* Polycandelus, *in quo multa candela.* Pompolentus, *pompaticus.* Pompositas, *ostentatio pompæ similis.* Ponderositas, *gravitas.* Pontaticum, *quod pro transitu pontis persolvitur.* Populosus, *populo abundans.* Porcaritius, *porcorum custos.* Porcaster, *porcorum imitator, vel etiam porcus.* Portanea, *testa portatilis.* Portanum, *quod per portam eunti persolvendum.* Portarius, *janitor.* Portunarius, *cui portorium persolvitur.* Positale, *positivum.* Possibilitas, *vis.* Postæ, *veredarii.* Postella, *pars posterior sellæ, ut antella, anterior sellæ: deque postenæ, & antenæ, vocabulis.* Postena *item pro tergo.* Posticium, *posterior monasterii pars.* Postilla, *commentarius, vel annotationes.* Potentatus, *potestas.* Potestaria, *vicaria Potestas.*

PRosequar nunc ea, ubi post P vocalis quarta se offerat.

Pœnitendum elogium, & alia hujusce modi, reperio apud viros egregios. Multùm interea metuo, ne vox ea Latinis fuerit auribus ignota.

Poledrus, pullus equinus, à *pullus*, sive Græco πῶλος. Lege Salicâ tit. XL. §. VII. & Alamann. tit. LXXIII. Cæsarius lib. VII cap. XXXIX: *Erat monasterio poledrus pulcherrimus.* Et post pauca: *Species enim optimi dextrarii in eodem erat poledro.* Habes & in Speculo Saxonico†.

† Pag. 148.

Polipticum, vel *polypticum*, sæpius legas pro *polyptychum.* Nam πολύπτυχον, ut δίπτυχον, diptychum. Utrumque à πτύχες, quo in vestibus, chartis, ac aliis, quæ complicantur, singulæ plicaturæ, folia, ac laminæ, significantur. Cassiodorus Var. lib. V. epist. XIV: *Omnibus a te solicitâ atque æquabili indagatione compertis, poliptici jubeantur ad[d]ic[i] ibi.* Et ejusdem libri epist. XXXIX: *Dehinc non polyptycis publicis, ut moris est; sed arbitrio compulsoru[m], suggeruntur provincialium subjacere fortunæ.* Vide & Gregorium lib. VII epist. XL, & lib. XII epist. XXX. Legg. Wisigoth. lib. XII tit. II leg. XIII. Formula soll. XXXI. Imò & in Codice Theodos. legas leg. II de Decussor. Alciatum etiam sis adi lib. II Παρέργ. cap. XXVI.

Polisis, structura urbis, ἀπὸ τοῦ πολίζειν, *urbem condere*, unde & πόλισις, & πόλισμα. Sed laxè *polisis* etiam structura atque opus magnæ illius civitatis, quam *mundum* dicimus. Joannes Saresberiensis epistolâ CCLXVIII, ad Bartholomæum Exomensem episcopum: *Rectius tamen dixerim, & verius, quòd is, qui ventis, & mari imperat, exigentibus hominum meritis, in polisi mundanâ, re scilicet publica degentium in hoc seculo, seditiones esse patitur.*

Polycandelus, candelabrum multas continens candelas, ex Græco πολύς multus, & Latino *candela.* Anastasius in Leone III: *Obtulit polycandelum porphyreticum, pendentem in pergula ante confessionem in catenulis aureis.* Vide Meursii Glossarium in πολυκάνδηλα.

Pompolentus, qui Q. Ciceroni, *pompa*, id est, fastûs, *plenus.* Tertulliano *pompaticus**. S. Gerardus abbas Sylvæ-majoris in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis cap. III §. XIV †: *Cujus dignitatis honore indusiatus, & à principe regni legaliter inthronizatus, non efficitur philopompus; non, ut plures assolent, pompolentus.*

* De cultu fem.

† Apud Bolland. 2 Jan.

Pompositas, de moribus hominis ventosi, ac in vestibus, sermone, & similibus, sese ostentantis. Usurpat Petrus Blesensis epist. XVIII.

Ponderositas, à ponderosus; pro quo Tullius *gravitas, pondus*; Attius etiam *ponderitas.* Sic enim ille in Pragmaticis apud Nonium:

Et cuncta fieri cætera imbecillia,
Non quod ponderitatem, gravitatemque hominis.

Quomodo si Nonius scripsit, primam in *hominis* aliquando produxerint prisci: uti secunda in eodem porrecta est Ennio in Annal.

Volturis in sylvis miserum mandebat homonem.

Vel *hemonem*, ut alii. Verùm fortasse ea Attius non in carmine dixit, sed prosâ; puta Pragmaticorum præfatione; ut de quantitate non abierit ab aliis.

Pontaticum quid sit, discimus ex Capitul. Kar. M. & Lud. Pii lib. III cap. XII: *Placuit nobis, ut antiqua, & justa tholonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quamque de mercatis.* Est igitur tributi genus, quod in pontibus pro transitu daretur. Et hujus, & similium tributorum mentio est in diplomate Dagoberti Regis de mercato, sive potius mercatu S. Dionysii, & in præcepto confirmationis Pipini Regis de eodem mercatu: *Nec de navigiis, nec de portibus, nec de carnis, nec de saumis, nullum toloneum, vel foraticum, seu rotaticum, vel pontaticum, vel salutaticum, seu cespitaticum, sive mutaticum, vel aliquam exactionem, aut consuetudinem exigere.* Similiter in Karoli M. Edicto apud Aimoinum lib. V cap. I. Vide & incertum scriptorem formularum veterum, cap. XLV.

Populosus, pro frequens, displicet: quamquam ipsius Cæsaris Scaligeri sit in Epigrammatis de Urbibus:

Francigenæ princeps populosa Lutetia gentis.

Porcaritius canis, porcos adservans. Lex Alamann. tit. LXXXII. §. III. Item *porcaritia domus*, tit. LXXXI. §. III. Dixerim potiùs *porcaria*: ut *porcariam vulvam* Plinius. Est & *porcarius* in Gloss.

Porcaster, à porcus: ut *philosophaster* à *philosophus*, *poetaster* à *poëta.* Quare *porcastrum* ἀναλόγως vocaris, qui suillis est moribus. Nam illa in ASTER diminutionem notant. Sed Althelmo, de octo principalibus vitiis, significare videtur porcum. Sic enim scribit:

Sed sub cœnosis volutabri sordibus apta,
Dum stratis recubans porcaster pan[d]at obesus,
Juncis, & stipulis, nec non filicumque maniplis.

Magnum notari porcum, ait Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CLXV. §. LXXVI. Potiùs tamen exiguum signet. Nam, quod imitatur solùm, necdum est id, quod imitatur. Quare abusione quadam *Porcastrum* ἁπλῶς pro *porco* usurpasse arbitror.

Portanea videntur dixisse posteriores. Isidorus in Glossis: *Bortanea, testa manualis.* Sed satis verisimilis est eorum conjectura, qui emendant: *Portanea, testa manualis.* Videlicet quia manu portetur.

Portarium, τέλος πύλης, ut est in Glossis Cyrilli. Nempe quia id solvendum per portam ituris.

Portarius, janitor. Odo de combustione S. Martini: *Ita ut feminis ad hauriendam aquam, & ad discurrendum, quo voluerint, portarii non resistant.* Usurpat quoque

que Cæsarius lib. I Miracul. cap. XXXVII; item lib. IV cap. LXVI, & LXVIII, atque alibi. Etiam Sigebertus Gembl. in Chron. *Cum esset regis portarius, angeli sæpe alloquio fruitur.*

Portunarius, qui portorium exigit. Legg. Longobard. lib. I. tit. XXV leg. XIV. *Siquis portunarium pulsaverit, quòd fugacem hominem, aut furem transposuisset, & portunarius negaverit; ita decernimus, ut præbeat sacramentum solus.* Similiter ibidem duabus legibus seqq. Et in Constit. Siculis lib. I tit. XXVI. Videtur esse à Portuno; quomodo gentiles dixere numen, quod tutam præstaret per maria navigationem in portum. Meminere Tullius, Arnobius, Servius, Capella.

Positale est apud Dionysium Carthusianum initio Explanationis rhythmicæ Euangelii B. Joannis, & inde apud Sextum Senensem lib. III Sanctæ bibliothecæ, cap. de Rhythmica Explanatione:

Abs te † te nihil & peccatum
Factum est, non habens ratum
Esse, quantum ad formale,
Quod non est quid positale.

Ἀναλόγως magis Grammatici *positivum* dicunt.

[† Abs te, pro sine te: illud verò, & peccatum ponitur pro sive peccatum: ut & sit ἐξηγημένον. Nempe putavit illo Joan. 1. 3. Absque te factum est nihil, per illud nihil intelligi peccatum; quomodo aliquos cepisse, testis Hieronymus in cap. 2. Mich.]

Possibilitas inter alios apud Matthæum Parisium legas. Item Sigebertum in Chronicis ad an. CIↃXLVII: *Non est una omnibus possibilitas.* Sed veteres pro eo facultas, vires, vis.

Postæ vulgò, qui veredarii Cassiodoro lib. II Var. ad Dromonarios, & lib. IV, epist. ad Godescalcum. Persis vocantur, ut Græci efferunt, ἄγγαροι. Aliquid tamen est discriminis inter ἀγγάρους, & quos cum Gallis nunc à positis equis, quibus celebri vehantur mutatione, vocant *postas*, quasi positas: nempe, quâ formâ Maro ait I Æn. —— *Manet alta mente repostum.* Hodie Principum, vel Reipublicæ stipendiis conducuntur, qui locis destinatis equos habeant ad cursum paratos. Ac sicuti hoc tempore apud Turcas, ita olim apud Persas, regii cursores habuere potestatem cujusvis equis, aut navibus, utendi ut suis, imò & homines adigendi ad cursum. A qua τ̃ ἀγγάρων potestate est verbum ἀγγαρεύειν, pro *cogere*: quomodo & *angariorum*, & *angariandi* voces, (de quibus aliquid etiam attuli lib. I cap. V.) in Digestis sumi videas. Ut non mereatur reprehendi vulgatus Matthæi interpres, quòd *angariandi* vocem reservet. Porrò Persicum illum morem, de quo dixi, primitus à Cyro fuisse institutum, vult Xenophon lib. VIII Κυρ. παιδ. Sed in hoc fide dignior Herodotus, qui in Urania Xerxi adscribit.

Postella quid sit, exponit Isidorus lib. XX Orig. capite ejusce libri, totiusque operis ult. quod est de instrumentis equorum: *Sella a sedendo, quasi sedda. Antella, quasi ante sella; sicut & postellam, quasi post sellam.* Videndum, an non pro *antella*, & *postella*, etiam *antena*, & *postena*, dixerit Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis in ann. CIↃCCCXLII cap. XCIX †: *Corrigiarum cinguli, & frena, ac similia alia, cum thenis, & postenis serica substantiâ, contexta fuerant.* Ubi pro *thenis* planè legendum *antenis*. Sed non videtur Turocius hic loqui de sellis: ut potiùs locum habeat interpretatio ista veteris vocabularii: *Postela, corrigia, quæ sub cauda equi tenditur: sicut antela, quæ ante tenditur.* Hac significatione priùs *antilena*, & *postilena*, dixere. Gloss. Philox. *Postilena*, ἱμὰς ὁ ἐκ τ̃ ἐφιππίου ἢ σάγματ☉ ἐπὶ τὴν οὐρὰν εἰρόμεν☉ *. Onomast. *ostilena*, ὀπισθεις. Sunt verò derivata simplicia ab *ante*, & *pòst*: non composita ab *ante*, & *post stando*, quæ Perotti erat opinio.

[† Pag. 90. edit. Wechel. an. 1600.]

[* Sic pro ἐρριμμένος legendum.]

Postena, posteriora corporis, sive tergum. Matthæus Parisius in vita Gulielmi, XXII abbatis S. Albani: *Qui* (equi) *fortes erunt ad portandum, de consuetudine, pannos unius monachi (si opus sit) ad postenam unius armigeri.* Alteram etiam significationem vide in iis, quæ dicebamus voce *Postella*.

Posticium in monasterio dicebatur posterior ejus pars, à cella, & loco, ubi lanam penderent, diversa. Regula S. Cæsariæ cap. V §. XXX †: *Ad cellarium, ad posticium, vel lanipendium, tales à seniore eligantur, non quæ voluntates aliquarum, sed quæ necessitates omnium, cum timore Dei considerent.* Et §. XXXI: *Quæ cellario, sive canava, sive vestibus, vel codicibus, aut posticio, vel lanipendio præponuntur, desuper Euangelium claves accipiant, & sine murmure serviant reliquis.*

[† Apud Bollandum in Vitis Sanct. ad 12 Jan.]

Postillam, pro *explanatione*, jam ab aliquot seculis dixere. Nam circa annum CIↃCCXX Alexander Wendock scripsit *Postillas in Psalterium*; ut est apud Balæum scriptorum Britannicorum lib. III cap. XCIV: & XXX circiter annis pòst *Postillas morales* edidit Richardus Fishaker: ut idem Balæus auctor est Cent. IV cap. VI. Nomen ex eo, quia, qui sua discipulis dictarent, identidem in ore haberent, *post-illa*: puta, ad hæc, vel ista auctoris verba adscribite.

Potentatus, potestas, dominatio. Gloss. Msc: *Potentatus*, δυναστεία. Usurpant Constitut. Neapol. lib. II tit. XIV, & Consilium Pisan. II *.

[* Pag. 159.]

Potestaria, vicaria potestas. Petrus de Vineis lib. III, epist. LXIII. *Jurisdictionis tuæ vicarias, seu potestarias habentes, & salaria singulorum, qui, quot, & quales sint, & in quibus vicarus videlicet, potestariis, & castellaniis, sub quibus salariis, vel expensis, officiales hactenus extiterint.*

CAP. XXXVII.

De inchoatis à P R, sequente A. Præbaltheatus, *cinctus, ac munitus.* Præbendam, *pro præbenda.* Præbendaria, *domus, ubi degunt, qui præbendis fruuntur.* Præbendarius, *qui percipit præbenda.* Præceptalis, *dans mandata.* Præcipitaria, *machina, quibus in bello muros everterent.* Præcluis, *clarus, sive illustris.* Prædarius, *corruptum ex* præbendarius. Præfectiani, *qui apparituram faciunt Præfecto Urbis.* Prægnum, *prægnans.* Præinstitutus, *qui ab alio prius institutus.* Præmonitorum, *pro præmonitu.* Præparamentum, *præparatio.* Præpositatus, & præpositura, *dignitates Ecclesiæ.* Præsentales, *duces, qui aliter Præsentes: vel milites, qui Præsenti suberant.* Præsidalis, *qui vicem subit Præsidis.* Præsidatus, *præsidis potestas.* Præsidentia, *pro eodem.* Præstaria, *quæ Ecclesiæ res dantur ad usumfructum, idque conditionibus iis, quas præstare alter debeat; unde & nomen.* Præcaria verò, *qui precibus eum usumfructum impetraret.* Præstus, *paratus.* Præsumtuosus, *arrogans.* Prætentura, *propugnaculum.* Pravicordius, *vel* pravicors, *qui corde est malo, pravoque.*

VOcant nunc me, quæ à *præ*, vel *pra* syllaba incipiunt.

Præbaltheatum, anteriùs quasi baltheo cinctum. Dudo †:

Quinctini, testis meritis super æthera noti,
Incenditur delubrum, monasticis rebus præbaltheatum.

[† Pag. 63.]

Præbendam juniores dixere, pro *præbenda*, numero plurativo: quod apud Agellium *. Nec tamen planè deficiunt similia; quando *turundam* quasi *terendam*, & *merendam*, à *merendo*, non à meridie, dixere veteres.

[* Lib 15 cap. 4.]

Præbendaria legas apud Engelhardum abbatem, in vita S. virginis Mechthildis, Berchtholdi Comitis filiæ: *Filia cujusdam carnalis erat, dæmonium habens; cui locum pater impetraverat in monasterio præbendariæ, non sororis, sed à sororibus sequestratum; & hoc prece, non pretio, factum.* Ubi *præbendaria* pro eo poni, quod vulgò est *præbenda*, sententia est Joan. Ludovici de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CLVII. §. III. Sed censeo, sic locum dici, ubi vivant ii, qui præbendarii, vel præbendariæ vocentur. Vocabularium vetus, quod Gemma inscribitur †: *Præbendaria, seu procvenier-huys.*

[† Editum Antverpiæ an. 1494.]

Præbendarius, qui præbendam accipit; ut exponitur in Gemma. Joannes monachus in vita præceptoris sui Petri

Da-

Damiani, Cardinalis, & Episcopi Ostiensis: *Nec quisquam secum, præter cæcum quendam præbendarium, discumbebat.*

Præceptalis, quo quid præcipitur. S. Henricus Imp. ad Eriuinum Episcopum*: *Omnibus fidelibus notum fieri volumus, qualiter nos Cameracensi Ecclesiæ Comitatum Cameracensem, —— hac nostræ auctoritatis præceptali pagina in proprium donavimus.*

* Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. pag. 141.

Præcipitaria, machinæ bellicæ, quibus præcipitarent muros urbium obsessarum. Matthæus Paris. in an. cIↄccxLIII: *Castrum tam infatigabiliter erectis mangonellis flagellarunt, compositis petrariis dissiparunt, compactis præcipitariis impegerunt.*

Præcluis, illustris, inclytus; à *præ*, & *cluo*; quod ejusdem originis est ac *inclutus*: nempe à Græco κλύω, unde κλυτὸς Onomasticum: *Inclutus*, κλυτός. Festus: *Clutum Græci κλυτὸν dicunt; unde acceptâ præpositione fit inclutus.* Sic malo scribere, quàm *inclytus*; quia, Latinâ præpositione additâ, non Græcum Y habet locum, sed Latina vocalis V; quam in *præcluis*, licet barbaro fortasse, cernimus. Usurpat Sueno, primus Daniæ historicus, in Compendio historiæ suæ cap. III: *Præcluis illa heroina, & quæ sola dici Regina meruit, generosi pectoris solertia dolum commenta.* Ac postea: *Ut præcluis illa Regina, cum rege marito, omnes ætatis suæ annos complêsset.*

Prædarius in Gloss. Isidori exponitur *præbens auxilium.* Sed assentio iis, qui scribendum putant *præbendarius*: etsi vulgo aliter sumatur. Nempe *præbendarius*, quia præbet auxilium. Sanè in Gemmâ antea memorata, *præbendarius*, tum qui præbet præbendam, tum cui præbetur. At *prædarium* magis ἀναλόγως diceretur, quod est ex præda. *Prædatitium* pro eo Agellius lib. XIII cap. XXIII, ubi de manubiis sermo.

Præfectiani, ut puto, apparitores ejus, qui est Præfectus Urbi. Honorius Imper. de diversis officiis & appar. *Cujuslibet judicis apparitores, inter quos etiam Præfectianos locamus, ad quamcunque aliam militiam, vel palatinam, vel militarem, transierint, retrahendi hos copiam illis, quos deseruere, tribuimus.* Non videtur eam vocem satis cepisse Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLVI. Nam colligit inde, fuisse quoddam militiæ genus, quod diceretur militia præfectiana: cùm Honorius jus det Præfecto Urbis, suos apparitores à militia revocandi, si, se deserto, militiam sint secuti.

Prægnum animal, pro *prægnans*, Legg. Alamann. T. LXXII, & LXXIII.

Præinstitutus, priùs institutus ab alio: ut qui antea malo usus magistro, hinc meliore. Joannes Sarisberiensis Policratici, sive de Nugis Curialium, lib. VII cap. IX: *Siquis istorum in manum tuam forte erudiendus inciderit; meritò facies, quod Timotheum, qui in arte tibiarum excellebat, fecisse refert Quinctilianus in libro de Institutione Oratoris. Hic quidem duplas mercedes exigebat, & accipiebat ab his, qui fuerant male præinstituti, quam si omnino rudes accederent.*

Præmonitorium, quo quis præmonetur. Fulbertus epist. XXXI: *Gratias ago vigilantiæ tuæ, quæ meæ simplicitati præmonitorium facit.* Nempe à *præmonitu*; quâ formâ *Commonitorium* sæpius legas in Codice.

Præparamentum non dicam cum nonnullis: sed *præparatio*, cum Cicerone, Fabioque. Prius tamen & Gemma, ut probum, agnoscit: at in qua multa sint, non gemmea; sed plumbea, & siquid plumbo vilius.

Præpositatus non magis Latinum est, quam *positatus*, pro positura. Aliud interim esse *præpositatum*, aliud *præposituram*; ostendit Paullus II in bulla†: *Quod monasteria, prioratus, &c. Reliqua verò monasteria, prioratus, præpositura, præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, & beneficia, ut præfertur, unita, pro quibus Cameræ Apostolicæ annatæ, seu alia jura, solvi consueverant.* Et paullò pòst: *Et quod de omnibus monasteriis, prioratibus, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, &c.* Hæc iisdem verbis habes in Bulla Paulli IV*, De confirmatione, & ampliatione Constitutionum Apostolicarum. Vide mox *Præpositura.*

† Bull. Tom. I. pag 300.

* Pag. 600.

Præpositura, pro præfectura, non valde averser. Nam præterquam, quod usurpat Lampridius, *positura* ipsius Lucretii est; ut alios præteream idoneos scriptores. Cæterùm ut Ecclesiastici scriptores *præpositum* simpliciter dixere pro præposito Ecclesiæ, aut monasterio: sic iidem & *præposituram* pro ipso munere, ac dignitate, usurpatunt. Ivo Carnotens. epist. LIV: *Turonensis archiepiscopus, qui in prædicta Ecclesia adhuc sibi usurpabat præposituram, & archidiaconatum.* Et epist. CCXIX: *Me dimidiam partem cujusdam præpositura communitati canonicorum contulisse.* Similiter Rogerus de Houeden Annal. T. I. in vita Guilhelmi Senioris: *Damnaretur emtor, & venditor cujuscunque officii; utputa episcopatûs, abbatia, præpositura, vel decimationis Ecclesiæ.* De *præpositi* vocabulo libro sequenti agemus.

Præsalia, vide inferiùs *Repressalia.*

Præsentales appellabantur, tum duces, qui aliter *Præsentes* vocati; ut libro proximo in *Præsens* dicam: tum milites, qui Præsenti suberant. De ducibus est hoc lib. XII leg. IV C. de Appar. Magist. *Numerarios virorum illustrium magistrorum militum tam Præsentalium, quàm Orientalium.* De militibus verò istoc leg. ult. §. I C. de re militari: *Cùm non dubium sit, ipsos etiam duces, quibus fortissimi Præsentales milites parere præcepti sunt, sub eâdem excelsa potestate esse constitutos.* Legas & de iis in Notitia Imperii. Nomen verò ex eo, quòd in præsentia forent juncti Principis comitatui. Itaque militibus Orientalibus, hoc est, per Orientem dispositis, opponi videas in loco adducto: ac Domesticis etiam accensitos, indicat locus iste Cod. L. VI. §. III de Advoc. divers. *Licentiam iis præterea facimus binos homines singulis annis itidem offerendi, nostram adoraturos purpuram, statim inferendos Præsentalibus Domesticis.* Et L. IV. C. de Domest. & Protect. *Siquis virorum fortium Præsentalium Domesticorum, in schola equitum primicerii locum adeptus, diem interea supremum clauserit.* Græcè dicebantur itidem πραισεντάλιοι: ut in Justiniani Edicto XIII. Imò & πραισεντοι vocabant cohortes eas, quæ honoratam hanc militiam constituerent. Quod ex Euagrio, Justiniano, ac Simocatta, ostensum Meursio in Glossario.

Præsidali vice, pro vice præsidis. Julianus, archiepiscopus Toletanus, in historia Wambæ Regis†: *Quos præsidali semper vice defendunt.*

† Pag. 2.

Præsidatus, gubernatio, præsidis imperium ac potestas. Petrus de Vineis lib. V epist. I: *Adjicimus officium præsidatus, concedentes tibi merum & purum imperium, & gladii potestatem.*

Præsidentia à præsidere, hoc est, præesse. Henricus de Hassia in Speculo Anim. *Tuâ præsidentiâ gubernatum.*

Præstaria, & *precaria*, usus erat, cùm Ecclesiæ res certis conditionibus ad usumfructum sub annuo censu darentur. Ac *præstariam* quidam dabat Episcopus, vel Abbas, qui rem in præstitum concedebat, expositis legibus, quibus daret. *Precariam* dabat petitor, qui precario acciperet rem Ecclesiæ, & censum se daturum, & leges præscriptas impleturum, promitteret. Utriusque chartæ meminit Marculfus lib. II Form. cap. XL. Item mentio *præstariæ* in Capitulari Caroli Calvi tit. IX cap. XI: uti *precariæ* tit. X cap. II, & tit. XXIII cap. VII. Precariam Grinberti S. Madalveo, Episcopo Virdunensi oblatam sub annum IↄCCLXXI, Notis suis in Caroli Calvi, & successorum capitula, subjunxit Jacobus Sirmundus. Etiam præstariæ meminerunt Traditiones Fuldenses: quæ & *præstationis chartam* nuncupant. Legas & in Variis Conciliis: de quo Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XCVIII, §. XIV.

Præstus, paratus. Gloss. *Præstos habeat, id est, præsentes.* Inscriptio vetus Patavii*: *Observavi parentum præcepta, amicos colui, patronos bonos † officio præstus fui.* Habes & in lege Salicâ, ac sæpius in Legg. Wisigothicis.

* Apud Mazochium, item Gruterum Inscript. pag. 669. num. 4.

† Præpatronis bonis.

cis. In quibus lib. II tit. I leg. I I: *Quando cum petitore caussam finire sit prastus.* Et tit. II leg. IX: *Prastum esse ad judicium compellatur.* Marculfus lib. II Form. cap. I: *Caballorum prastus.* Quamquam ibi nudâ vocali *prestus* scriptum: & sic etiam exaret Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CXXVII. Sed non dubium, quin *prastus* ex eo sit corruptum, quòd Latini veteres dixerunt *prasto est*, pro præsens, paratusque. Etsi non ignorem, Martinium* putare, *prastò* indeclinabile à *prastus* deduci. Assentirer, si apud antiquos *prastus* invenirem.

* In Etymologico.

Præsumtuosus, arrogans, quia multa temere præsumat. Quomodo *præsumtio* dixit Ado Viennensis ad Nicolaum Papam: *Utrùm illius sit concessio, an invasoris præsumtio.* At *præsumtuosus* est Bernardi Claræuallensis in vita S. Malachiæ Episcopi †: *Ille nequam (sicut erat præsumtuosus, & insolens) non modò miratus est, sed & indignatus.*

† Col. 1952. edit. Antverp. an. 1609.

Prætentura, propugnaculum in limitibus regionis, vel ante urbem exstructum, ut moretur hostem, ne regionem invadat, vel urbem, nihil sibi metuentem, capiat. Ammianus Marcellinus lib. XIV: *Ibique densis inter obsidentium itinera prætenturis, provincialium, & viatorum opibus, pascebantur.* Iterum: *Quia Mesopotamia tractus omnes crebro inquietari sueti, prætenturis, & stationibus servabantur agrariis.* Item: *Salubriter, & cautè, castra metata, stationesque agrariæ totis rationibus ordinata.* Nomen ex eo, quia defensioni locorum prætendantur, hoc est, ante locum tendantur, sive constituantur. Quomodo Maro ait I Georg. —— *Segetes prætendere sepem.* Et IX Æn. *Marti prætendere muros.*

Pravicors, qui pravo corde, in Vocabulario, quod Gemma inscribitur. Nempe quâ formâ dicitur *excors*, vel *misericors*. Etiam *pravicordius* ibidem legas. Sed utrumque sine idoneo auctore.

CAP. XXXVIII.

De cœptis à PRE, PRI, *vel* PRO. Precatoria, *pro precaria.* Primicerius, *qui in dignitate variis tribus à primum tenet locum.* Primiscriniarius, *primus e scriniorum præfectis.* Primivirgius, *primus virgatorum, sive eorum, quibus commissa est custodia portæ Imperatoris.* Primordialis, *ad primordia pertinens.* Prioralia, *ad Priorem monasterii pertinentia.* Prioratus, *cœnobiarchæ dignitas.* Priorissa, *præfecta sacrarum virginum.* Prioritas, *per quam aliquid prius dicitur.* Privativus, *privans.* Probamentum, *probatio.* Processio, *processus sacri ordinis.* Procuratia, *pecunia, quam pro cura sua exigit Ecclesiæ procurator.* Proficuum, *utile.* Proastium, *pro proastium, sive suburbium.* Promtanimitas, *vel etiam* promtitudo, *alacritas animi promtissimè aliquid exsequentis.* Propos, *præpotens.* Prosarius, *prosâ exaratus.* Protoscriniarius, *primus ex præfectis scriniorum.* Protectio, *defensio, ac tutela.* Protonotarius, *primus eorum, qui posterioribus seculis notarii appellati. Ut* protosecretarius, *primus eorum, qui Principi, aut Reip. à secretis.* Protospatharius, *dignitas in Orientali imperio.*

Videamus nunc de iis, ubi post PR sequitur secunda, tertia, quartave vocalis.

Precatoria, vel *precaturia*, pro *precaria*; quæ vox etiam est ævi Tulliani, ac sequentis. Marculfus lib. II Form. cap. V: *Per hanc precaturiam.* Quem ad locum Bignonius ostendit, similiter loqui Synodum Epaunensem cap. XVIII, & Synodum Rhemensem sub Sonnatio episcopo apud Flodoardum lib. II cap. V. Adi, quæ superiùs in *Præstaria* dicebamus.

Prestus, vide *Prastus.*

Primicerius diaconorum, cantorum, lectorum, domesticorum, tabulariorum, & similia, legas apud varios: in his B. Hieronymum in Chronico Eusebiano ad numerum MMCCCCLXXX: *Jovianus ex primicerio domesticorum Imperator factus est.* Item apud Gregorium Turonensem lib. II Hist. Franc. cap. XXXVII, Marcellinum in vita S. Suiberti, Paulum Warnefridi lib. IV Hist. Longobardicæ cap. XXXIV, in vita Ludovici Pii †, & S. Othonis*, Adelmannum in epist. ad Berengarium, item apud Sigebertum in Chronicis an. CIↃLXXVII, & Matthæum Parisi. non semel, atque alios. Eo verò *primicerius* vocabatur, quia ejus nomen loco *primo* in *ceratis* tabulis poneretur. Nisi potiùs *cerius* solùm sit vocis productio: quæ Cujacii est opinio ad Tit. VII lib. XII Cod. Justinianei. Idem dictum esto de vocabulis *secundicerii*, *terticerii*, *quarticerii*. Præter Cujacium, adi & Onuphrium in Explicatione vocum Eccles. & Petrum Gregorium lib. XV Synt. cap. XXII. Κατὰ μεταφορὰν verò Hincmarus Rhemensis Judam Iscarioth vocat *primicerium proditorum.* Item Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ †: *Primicerius Lollardorum.* Græci pro eo πριμμικήριος: ut ex Suida liquet, item Codino de officiis Aulæ Constantinopol. & Gregora lib. VII. Lego & de femina *primiceria.* Regula S. Cæsariæ cap. VIII §. XLII †: *Primiceriam etiam, vel formariam admoneo, vel contestor, ut vigilantissimè consideretis.*

† Pag. 38. vers. 20. edit. Commel.
* Lib. I. cap. 29.
† Pag. 591.
† Apud Bollandum ad 12. Jan.

Primiscriniarius, qui primas obtineret in scriniorum præfectis. Græci pro eo & *protoscriniarius*; imò etiam Regino, de quo inferiùs. Idem est πριμμισκρίνιος in Basilicorum Glossis. Primiscriniarii etiam in iis, qui, Pontifice maximo defuncto, cum Cardinalibus, episcopis, presbyteris, & diaconis, nec non primoribus Urbis, & scribis regionariis, solent convenire, ut de novo agatur pontifice creando. Liquet hoc ex iis, quæ de Paschalis Papæ II primordiis refert Baronius ad ann. CIↃC*.

*Tom. 12. pag. 3. edit. Moret.

Primivirgius, primus virgatorum, hoc est, aulæ januam custodientium cum baculis, & virgis, quibus, equitante imperatore, populum summovebant: ut liquet ex Codino de officio Aulæ Constantinopol. ubi ὁ βαρβαρλειτῶν πριμμικήριος appellatur. Isidorus in Glossis: *Primivirgius, caballarius, quod primus est militia in virgis.* Quem locum sic ὁ μαχαιρίτης Joan. Meursius corrigebat: *Primivirgius, clabarius,* (sive *clavarius*) *quòd primus est militia in virgis.* hoc est, militum virgatorum. Adi Meursii Gloss. in βαρδαριῶται. Ac favet Glossarium nostrum Msum: *Primivirgius, qui primam virgam gestat ante Regem.*

Primordialis, ad rerum primordia pertinens, apud Bekam in proœmio Clitoni. Unde & *primordialiter*, Henrico de Hassia in Spec. An. †

† Pag. 6.

Prioralia, quæ sunt Prioris, sive cœnobio præfecti. Usurpatur in Benedictina cap. XXII.

Prioratus, pro cœnobiarchæ, seu Prioris, ut vocant, dignitate, sæpius in Benedictinâ * cap. XIII, quod est de inventariis per novos antistites. Item legas cap. XXII, quod est de creatione monachorum. Habes & apud Hincmarum epist. VI. cap. XVII, Ivonem Carnot. epist. XXXVIII, Cæsarium lib. I Mirac. cap. III. Quemadmodum verò varia sunt Priorum genera; ita & Prioratûs: qua de re libro proximo, in *Prior.*

* Aimoino, & Leoni Marsicano subjicitur in edit. Paris. an. 1602.

Priorissa de femina dixere, ut *Prior* de viro. Habes apud Eugenium Papam in diplomate ad Heloissam, Cæsarium lib. I Mirac. cap. XLII, Bekam in vita Ottonis, Episcopi XXXVI. De *Prioris* voce dicam libro sequenti; ut proximè monui.

Prioritas, quâ quid tempore prius est. Usurpat Petrus de Vineis lib. III epist. X: *Progenitorum nostrorum nos memoranda prioritas invitet exemplo.* Scholasticis est frequens.

Privativus, pro *privans*, iisdem Scholasticis relinquamus. Cicero in Topicis: *Sunt enim alia contraria, quæ privantia licet appellemus Latinè, Græcè appellantur* στερητικά.

Probamentum, pro *probatione*, parùm Latinè Rufinus in Tralatione Origenis περὶ ἀρχῶν †: *Omnibus adhibitis probamentis, ex Scripturis sanctis manifestius, & constantius asserit...*

† Pag. 873. edit. Basil. an. 1536.

Processio, pro processu sacri ordinis in publico: inde *processionalis* oratio, quæ in eo adhibetur. Chronicon

Casinense lib. III cap. XIX: *Libello, in quo sunt orationes processionales.*

Procuratia, pecunia, quæ à sacerdote quotannis episcopo, vel archidiacono, ecclesiam visitanti, solveretur tanquam procuratori Ecclesiæ. Matth. Paris. in an. CIƆCCXLV, *Procuratia, & munera exiguntur.* Et antea in anno CIƆCCXXXIX, de legato Papæ: *Ad humilitatem religiosorum conversus, ab eis pecuniam non minimam extorsit nomine procuratiæ.*

Proficuum, pro utili, quia inde proficimus: unde & Belgis *profytig*, Joannes Turpinus, ut vulgò inscribitur, de vita Karoli M. cap. VIII: *Magnum animabus proficuum.* Eindhardus ad Lupum epist. III: *Quam tamen proficuam potiùs mihi, quam noxiam, hactenus experior.* Lupus ad Einhardum epist. IV: *Nunc autem, cùm Deus omnes homines salvos velit fieri, ac in nomine ipsius, qui Salvator dicitur, nemo postulet, nisi quis sua saluti proficua postulârit.* Gregorius VII lib. VI epist. II: *Si studeamus ad tempus, pro communi honestate, & proficuo.* Monachi Laubienses epistolâ apud Baldericum Chronici Camerac. lib. I, cap. CV: *Multisque emolumentis nobis proficuum.* Ivo Carnotensis epist. LXXVI*: *Sustinete interim, donec de isto faciam proficuum meum: postea quærite, ut iste deponatur.* Anselmus Cantuariensis epist. ad Monachos Beccenses: *Regis gratiam, quæ vobis necessaria est, sine omni proficuo, imò cum damno maximo, non perdatis.* Chronicon Cistersiense†: *Quia hoc non proficuum, imò damnum nobis omnibus intelligitur.* Mitto Turocium in Historia Ungarica, atque alios.

* Pag. 64.

† Pag. 64.

Probastium, cum spiritu dixere pro *proastium*, ut *hostium*, *harena*, ac similia. Est verò conflatum è *pro*, & *astu*; ut idem sit, ac *suburbanum.* Usus Justinianus Imp. epist. ad Placidium: *Cum portubus, aquis, aquarumve decursibus, sylvis, proastiis.* Ruffinus, Aquilejensis presbyt. in Vitis Patrum lib. III num. XIX: *Habitabat autem parvâ cellâ foris civitatem prope proastium, quod vocatur in Septimo; ubi solent Imperatores egressi de civitate libenter degere.* Aliter quidem multi Mssi: sed *proastion* nonnulli: & προάστειον est apud Cedrenum idem narrantem anno XX Theodosii junioris: & Pelagius, diaconus Romanus, libello XV, num. LXVI, *suburbanum* vertit. Paullus Warnefridi lib. VI historiæ Longobardicæ cap. LVIII: *In Olonna nihilominus, suo probastio, miro opere, in honorem sancti Anastasii martyris, Christo domicilium statuit: in quo & monasterium fecit.* Quamquam in nonnullis Mssis absint verba illa, *suo probastio.* Nempe quia non videret librarius, quo pacto hic hastis foret locus. Non attendit, *proastium* esse, quod προάστειον Xenophonti, ac quibusdam προάστιον. Latinè dixeris *suburbium*; quod ipsius est Tullii Philipp. XII.

Promtanimitas, animi alacritas, quando quid lubentes, ac promto animo exsequimur. Gregorius Turonensis in Vita S. Gregorii Lingonensis cap. II §. VI: *Adeò laborans in ejus obsequio tota mentis promtanimitate.* Dicerem pro eo *animi promtitudo*, si posterius vocabulum apud idoneos invenirem scriptores. Nunc aliter malim προθυμεῖσθαι.

Propos in Glossis Isidori exponitur, *valde potens.* Sed rectè emendant *prapos:* quod à *potis*; uti & *compos*, *impos*. Quomodo in veteri est vocabulario, *Prapos, valde, vel præ aliis potens.* Nec tamen *prapos* dixero; sed *præpotens* cum Tullio.

Prosarius sermo, pro prorso dicendi genere. Sidonius lib. IX epist. XIII: *Maximè prosario loquendi genere districtus, occupatusque.* Significat, se non amplius poëtari, solumque prosâ oratione scribere.

Protoscriniarius, primus scriniariorum, ex Græco Latinoque conflatum. Regino in Chronico: *Legati Romanorum, Azo videlicet protoscriniarius, & Matrinus, Sutriensis Ecclesiæ Episcopus.* Quid mirum, quando & Græci itidem ex Græco Latinoque fecerunt πρωτοστράτωρ. Latinè *primum stratorum* dixeris. Imò Phranzis interpres Latinus, non modò *protostrator* retinet; sed & format inde *protostratorissa.* Vide superiùs *primiscrinius.*

Protectio non memini me apud classicos legere. Vulgò dicunt, *esse in alicujus protectione*, pro quo Cicero, *esse in alicujus fide, & clientela.* Nec magis *protector* invenio: pro quo Cicero, *defensor, patronus*, & τῷ μεταφορικῷ *parens.*

Protonotarius, voce hybridâ, (quales multas alibi recensemus) vocitabatur, qui πρῶτα curaret, ut Codinus interpretatur. Nec in Latina Ecclesia *protonotarius* modò, sed etiam *primicerius notariorum* dicebatur. Onuphrium sis adi in Explicat. obscurarum vocum Eccles. Similis verò compositio in *protosecretarius:* quomodo nominatur primus actuarius, sive scriba.

Protoparens non dixero, sed vel planè Græcè *protoplastus*; vel omnino Latinè, *primus parens.* Non refugit tamen doctissimus Franciscus Dusseldorpius Lugdunensis, tractatu de non ineundo matrimonio cum iis, qui extra Ecclesiam sunt, cap. I*: *Usus ad hoc protoparentis linguâ propheticâ, cum individuum viri uxorisque vinculum in magnum Christi & Ecclesiæ Sacramentum commendavit.*

* Pag. 3.

Protospatharius, qui Codino, πρῶτος τῶν σπαθαρίων. Nicolaus I epist. ad Michaelem Imper. *Michael, gloriosus Protospatharius, legatus vester.* Usi & Adelmus in Chron. Franc. Regino abbas Chronicorum lib. I & II, Ivo Carnot. in Chron. Leo Marsic. in Chronico Casinensi lib. I cap. LII. Magnificos, & illustres vocatos, ostendet Meursius in Πρωτοσπαθάριος. Pluribus de hoc loquar. cap. L, in *Spatharius.*

CAP. XXXIX.

De iis, ubi P literam sequitur S, U, vel T. Psallentium, *cantus.* Pseudoforis, *vel* Pseudoforum, *pseudothyrum.* Pseudoliquidum, *media inter siccum, ac liquidum, natura.* Pseudomagister, *falsâ imbuens doctrinâ.* Pubeda, *vel* pubeta, *puber.* Pulveraticum, *vel* pulveratica, *pro donativi genere, vel vectigalis.* Pusillanimus, *de eo, qui mentis humilis, & abjectæ.* Pusillanimitas, *pro vitio animi timidi, atque abjecti.* Pyritegium, *tempus ignis cineribus contegendi.*

Expediam nunc ea, quæ supersunt in cœptis ab literâ P.

Psallentium in casu recto, pro cantu psallentium, seu chori. Gregorius Turonensis in Vita S. Gregorii Lingonensis cap. II. §. VII: *Illoque ingrediente, diutissimè silentium erat: postea psallentium, tanquam multarum vocum, per trium horarum, & fere amplius spatium, audiebatur.* Idem Historiæ Francicæ lib. II cap. XXI: *Cum magno psallentio comitantibus clericis.* Miracul. lib. I cap. XXXVII: *Cum psallentio ad locum fontis accedit.* Similiter cap. LI, & alibi idem. Ac Supplementum Annalium ejus cap. LXXIX. Item Bened. Levita Capitul. lib. V cap. CCXX.

Pseudoforis, falsæ fores, sive, numero singulo, *falsa foris:* quomodo Terentius Adelphis ait, *Sed quidnam crepuit foris?* Mirum ab ea voce non abhorruisse Sulpicium Severum libro de vita S. Martini; ubi *pseudoforem* ait, pro eo, quod *pseudothyrum* maluissem dicere cum Cicerone in Verrinis. Sed abreptus est elegantissimus scriptor consuetudine sui seculi, qua multis adeò hybridis vocibus gaudebant, etiam cum aliæ suppeterent bonæ. Ac de isto etiam in *Artigraphus* plura diximus. Cæterùm, (quod monitum etiam veteri amico τῷ μακαρίτῃ Meursio) pro *pseudothyron* corruptè, P præciso, *seudothyrum* est apud Freculphum Chron. Tom. II lib. I cap. XIII, & lib. IV cap. III. Imò & apud Sulpicium *pseudoforum* perperam pro *pseudoforem* editum. Nec enim ea vox est à *foro*, sed *foris.*

Pseu-

Pseudoliquidum similis est farinæ. Usus Marcellus Empiricus cap. XXVI †: *Mellis optimè despumati adjicitur, quantum sufficiat.* Videtur sic vocari id, de quo dubites, utrum magis in liquidis reponas, an siccis, sive crassis; quæ liquidis Naso opponit 1 Met.

Crassaque pugnabant liquidis, & liquida crassis.

Sed sine dubio ἀχυρὸς, cùm crassis potiùs opponatur tenue.

Pseudomagister, ψευδοδιδάσκαλος. Utitur Sigebertus in Chronicis ad an. CIↃLXXIV; ubi de Gregorio VII.

Pubida, & *pubeta*, puberem notat. In glossis Isidori *adolescens* exponitur. Martianus Capella lib. IX: *Virginum chorus Phrygii cujusdam pubidæ cicutis interstinctus.*

Pulveraticum, vel *pulveratica*, nunc donativi genus erat, nunc vectigalis. Priori modo sumit Fronto de Limitibus Agrorum *: *Tres aureos accipiat absque sua pulveratica.* Codice Theodosiano lib. VII tit. XIII, sive de Tironibus leg. XVI, verba sunt Arcadii, Honorii, & Theodosii AAA: *Servos etiam hujus auctoritate edicti exhortamur, ut cum primum se bellicis sudoribus offerant, præmium libertatis, si apti ad militiam arma susceperint, pulveratici etiam nomine binos solidos accepturi*, &c. De pulveratica judicum abolita est Novell. Leon. & Major. lib. IV tit. I. De quo Cujacius Observat. lib. IV. At pro telonei, seu vectigalis genere, sumitur in Capitulari Benedicti Levitæ lib. VI §. CCXIX: *Ut nullus homo præsumat theloneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulveraticum, recipere.* Idem vectigalis genus, ac plura alia, complectitur, apud Aimoinum †, Carolus, postea vocatus Magnus, tum Francorum, & Longobardorum Rex, Romanorum Patricius: *Per omnes civitates similiter, ubicunque in regna, Christo propitio nostra, aut pagis, vel territoriis, teloneum exigatur, nec de novale, nec de carale, neque de saumis, neque de trana evectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec salutatico, nec cispitatico, nec ullâ redibitione, quod fiscus noster exinde poterat sperare, nec vos, nec juniores, successoresque vestri ejusdem non requiratis, nec exactetis.* Idem privilegium, sed in nonnullis varians, apud Baronium habes tom. IX Annal. ad an. IↃCCLXXIX.

Puritas tam usitatum est vocabulum, ut vix sciam, quis non loquatur hoc modo. Omnes enim dicunt, Grammaticos puritatem sermonis præstare; Rhetores ornatum, & copiam. Et video, etiam hoc mihi aliquando vocabulum excidisse, Nonio, * & aliis, decipientibus. Satius verò sit pro eo dicere, *munditia, elegantia, proprietas.*

Pusillanimus, vel *pusillanimis*, apud varios scriptores reperias: interque alios, apud Petrum Blesensem epist. LXVIII: item in vita S. Gudilæ * cap. XIII §. X. Rectiùs pro eo dixeris cum Cicerone *timidus, animo parvo*, vel *parvi animi*. Adhæc *animo angusto, jejuno, minuto*. Item *mentis angustæ, & humilis*. Nihilo melius *pusillanimitas*, sive pro *timiditas*, vel *parvo animo, & angusto*, vel *abjecto*; sive pro *angore, anxietate, anxietudine animi*, aut *pectoris*. Eâ *pusillanimitatis* voce usus & Petrus Blesensis epist. CXLVI, scriptâ nomine Aleonoræ, Angliæ Reginæ.

Pyritegium, tempus quo ignis vel extinguendus, vel cineribus obruendus: à Græco πῦρ, & Latino *tego*. Matthæus Parisius in vita, & institutis Guarini, abbatis XX: *Ibique loquantur, quando Hospitali visum fuerit, aut hora permiserit: non tamen ultra pyritegium hora loquendi protelet ur.*

† Pag. 114 edit. Froben. an. 1536.

* Pag 41.

† Lib 5. Franc. Hist. cap. 1.

* In Plecritia.

* Apud Bolland. 8 Jan.

CAP. XL.

De cœptis à Q. Quæpia, *pro quæpiam.* Quæstionarii, *quæsitores.* Quarentena, *libertas viduæ XL diebus remanendi in ædibus defuncti. Ubi & de* carena, *ac Germanicis vocibus inde deductis.* Quartenarius, *laborans febri quartanâ.* Quarterium, *mensura frumentaria quadrans.* Quaternatum, *quâ formâ dicimus* quaternus, *&* quaternarius. Quaternio, *quatuor militum numerus: item folium in quatuor minora complicatum: adhæc quatuor philyræ, maxima forma foliorum pagina octona. Sic* quinquternio, *pro denis ejusmodi paginis.* Querola, *avis genus.* Querelosus, *&* querulosus, *pro querulus.* Quietantia, *vel* quitancia, *apocha.* Quinquagesimus sextus, *pro sexagesimus.* Quinternum, *forte Cancellariæ locus.* Quodlibetum, *de quo in utramque partem disputetur.*

ABsolvimus, quæ à P incipiunt: excipiunt illa, quæ à Q ordiuntur.

Quadragesimale tempus est apud Houeden Annal. tom. I. an. CIↃLXX. Sed tam nota obviaque quid consector? præsertim in vocibus Ecclesiasticis.

Quæpia non dicitur, sed *quæpiam*; ut *quispiam, quippiam, quempiam.* M. Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis cap. XV, ubi de rege Attalo: *Nec aliquam civitatem, vel castellum, aut oppidum, à manu illius quæpia tutari potuit munitio.* Ita constanter libri vett. Ubi *quæpiam*, editor reposuit.

Quæstionarii, quæsitores. Nempe quo pacto poëta † ait, *Quæsitor Minos urnam movet.* Nomen ex eo, quia quæstionibus reorum præsint. Hinc Walfridus Strabo libro de Exordiis, & incrementis Ecclesiarum: *Sunt in secularibus quæstionarii, id est, qui reos examinant.* Sic liquidò sumitur in vita S. Andreæ. Nec aliter cepere Annales Fuldenses an. IↃCCCLII: *Apud Erpfurt, habito conventu, decrevit inter alia, ut nullus præfectus in sua præfectura, aut quæstionarius infra * quæsturam suam, alicujus caussam advocati nomine susciperet agendam.*

Quarentena est illa viduis concessa libertas ab obitu mariti diebus XL permanendi in ædibus ejus. Matthæus Parisius Historia Anglic. ad Henrici III an. CIↃCCXXXVI: *Quæ viduæ post mortem virorum suorum expelluntur de dote sua, vel habere non possint dotem suam, & quarentenam suam, sine placito.* Est verò *quarentena* à Gallico *quarante*: uti hoc e Latino *quadragena*. Unde etiam contractum *carena*, seu *carrena*. Sic vocarunt, ut Burchardus † interpretatur, *dierum XL continuorum jejunium in pane & aqua.* At falli puto eundem, cùm censet, esse vocabulum Teutonicum. Quamquam similiter Hospinianus lib. de Festis Christianorum *. Movet eum, quòd hebdomada magna Germanis dicatur, *die karwoche*. Ubi prior vocis pars est à *Kar*, hoc est, carena; altera à *woche*: pro quo alii *weke*, hoc est, hebdomas. Similiter dies Dominicæ Passionis, *der Karfreitag*, hoc est, carenæ, sive quadragesimæ dies Veneris: puta postremus, qui omnium sanctissimus. Mihi longè verisimilius est, Germanicum *kar* esse à *carena*. Vide &, quæ de *Carena* afferebamus cap. XL.

Quartenarius dixere, pro *quaternarius*, vel *quartanus*. Ita, quam *quartanam* vocat Cicero, & apposito substantivo, *quartanam febrem*; ea *quartenarius* appellatur Matthæo Parisio ad an. CIↃCCXXXIX: *Autumnus innaturalis diversa morborum pericula generavit, qui siccus, & frigidus, naturaliter fuisse tenebatur. Hinc contigit, quòd ingruente dyscrasiâ, non se meminit aliquis tot vidisse in uno anno quartenarios.* Hæc si interpretatio placet, quæ est doctissimi Guil. Watsii, in *quartenarius* κατ' ἐξοχὴν intelligitur morbus; ut in *quartana* attenditur *febris*. Sed quid si *quartenarius*, pro *quartanarius*, dixerint de eo, qui laborat quartana? Mihi id simplicius, ac verius videtur.

Quarterium, quadrans, frumentariæ mensuræ. Matthæus Parisius in an. CIↃCCIII: *Pistores poterunt sic vendere, & in quolibet quarterio lucrari tres denarios.* Item anno CIↃCCXV in charta libertatum Joannis Regis: *Una mensura vini, & cervisia sit, per totum regnum nostrum, & una mensura bladi; scilicet quarterium Londinense.*

Quaternata feuda est in Constitut. Siculis lib. I tit. XLVIII: *Præterquam de feudis non quaternatis.* Et tit. LXXXV: *Procurator privatim à locatione feudorum militarium, sive sint quaternata, vel non, penitus abstineat.*

Quaternio, apud vulgatum Scripturæ interpretem Actorum Apostol. cap. XII. *Quem* (de Petro Apostolo sermo est) *cum apprehendisset* (Herodes rex,) *misit in carcerem*, tra-

† 6 Æn.

* F. intra: Nam vox opponitur de alienis quæsturis.

† Lib 19 cap 5.

* Pag. 45.

tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum. Ubi Nicolaus Lyra, imò & Cajetanus, atque alii, per *quaternionem* intelligunt quatuor militum præfectum. Verùm Græca vox τετράδιον non personam signat, sed numerum quatuor militum. Ideo Syrus *sedecim milites* exponit. Atqui, si quaternio sit præfectus quatuor militum; & quatuor fuerint quaterniones: isti quaterniones cum quatuor præfectis non sexdecim, sed viginti forent milites. Præterea verò *quaternio*, & *octernio*, dixere juniores pro folio in minora quatuor, vel octo, complicato. Usus priori ante tria, & amplius, secula Odoricus Peregrinationis suæ cap. IV: *Siquis velit hujus civilitatis magna, & mirabilia, quæ in ea sunt, scribere, vix unus quaternio possit omnia continere.* Nisi hic *quaternio* quatuor notat folia majora: quæ vulgò Belgis *viervelle*, voce formatâ à *pellis*, hoc est membrana. Potuerint etiam sumsisse pro istiusmodi folii sive, philyræ parte dimidiâ: ut philyra non quaternis, sed binis constet paginis maximæ formæ. Constitutiones Siculæ lib. III tit. XXI: *Quæ in quaternionibus doanæ nostræ inveniuntur in scriptis.* Et eodem lib. tit. XXV: *Censu in quaternionibus curiæ nihilominus annotato.* Sed & similiter *quinternio* vocabatur, si quinque esset foliis aliquid exaratum. Concilium Pisanum II: *Ego Joannes Burchardus, Decanus Basileensis, dictæ sedis protonotarius, & magister cæremoniarius capellæ Apostolicæ, tenens in manibus meis duos quinterniones, altâ, & intelligibili voce dixi in hanc sententiam.* Et fortasse hinc *quincternum:* de quo mox.

Querola, avis, à querulo sono ita nuncupata. Lex Alamann. tit. XCIX. §. XIX: *Aneton, ganola, ciconia, corvus, cornicula, columba, & cauha, & querola, ut alia similia, requirantur.* Num *querola*, turtur *aut palumbus?* Nempe ob querulum cantum. Notum illud in Eclogis:

Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Item hoc Martialis lib. III ep. LVIII:

Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.

Querelosus, querulus. Flodoardus lib. II Hist. Rhem. cap. III: *Querelosis sanctum Basolum cæpit inclamare vocibus.* Aldhelmus lib. de Virginit. cap. IV, *querelosis questibus ait. Thomas* Kempensis lib. III de Imitatione Christi cap. III: *Erubesce ergo, serve piger, & querelose.* Aliqui scribunt *querulosus:* quasi sit a *querulus.* Sed ut à *lachryma lachrymosus*, ita à *querela querelosus.*

Quietantia, & contractè *quitantia*, Latinis apocha. Utitur Papa Paullus IV. in bulla † Confirmationis, & Ampliationis constitutionum Apostolicarum: *Quæ præfatæ Cameræ eatenus solvere quomodolibet obligati erant, generalem quietantiam fecerit, decernens eos ad illorum solutionem non teneri, nec ad id cogi posse.* Nicolaus Clenardus epistolâ ad Episcopum Jacobum parvum *: *Facietis quitanciam, ut videbitur.* Dicta verò *quietantia*, ex verbo *quietare*; quod est, reddere quietum, ac securum. Quemadmodum autem ex *quietantia* est Belgicum *quitanci:* sic à *quitare*, pro *quietare*, est Belgicum *quyten.* Uti & *quijt-schelden.* De *quietare* inferiùs in verbis dicam.

† Bull. tom. 1. p. 601.

* Pag. 244 epistolarum ex edit. Hanoviens.

Quinquagesimus-decimus, pro sexagesimus, est apud Flodoardum in Chronico, an. Ↄ CCCCLX.

Quinternio quid videatur, superiùs in *quaternio* conjectabamus.

Quinternum legas apud Clementem septimum papam in clausula bullæ * de annatis: *Volumus autem, quod præsens mandatum ad hoc, quod ad plenam, & indubitatam notitiam deveniat, in Cancellaria Apostolica more solito publicetur, & in quinterno Cancellariæ ad perpetuam rei memoriam describi debeat.* Num *quinternum* Cancellariæ locus? an idem, quod *quincternio?* In quaternionibus, & quincternionibus, solent contineri acta publica: ut in *Quaternio* dictum. Dispiciendum verò an non magis ἀναλόγως ut à *senus senio:* sic à *quinus quinio* dicatur. Sic sanè Tertullianus libro de Animâ, cap. XLVI: *Cum omni historia Hermippus Berytensis quinione volumine satiatissimè exhibebit.*

* Bullarium Romanum Tom. 1, bull. 33.

Quodlibetum, de quo in utramque disseritur partem, ex eo dictum, quia, *quod libet*, defenditur. Vox ea à compluribus seculis obtinuit in scholis. Nam (ut de Anglis nunc solis dicam) Richardus Fishaker circa annum CIↃ CCXLVIII, uti *postillas morales*; ita *quodlibeta* quoque scripsit; Balæo teste, Scriptorum Britannicorum Centuriâ IV cap. VI. Ac similiter circa an. CIↃ CCLXX quodlibeta divulgavit Robertus Kilwarby, teste eodem, Centuriæ ejusdem cap. XLVI. Quos eopse seculo in ejusmodi inscriptione secuti quoque Joannes Chelmeston, Thomas Borstalle, Joannes Peckam, & exinde alii, atque alii. Græcis dicitur εἰς ἑκάτερον ἐπιχείρησις.

CAP. XLI.

De iis, ubi princeps litera R, sequente A, vel E, ante B, C, D, F, G. Rabidicimba, *velox cymba.* Rachanæ, & rachanellæ, *vestis è panno crasso, ac vili.* Ratificatio, *antiquioribus* ratihabitio. Rebellium, *rebellio.* Rebrachiatorium, *monachorum* ἀνάλογον. Recellula, *mundus muliebris.* Recidivatus, *quo quid post casum renascitur, atque instauratur.* Reclinarium, *ubi quis se reclinat ad somnum capiendum.* Recolamentum, *quo quid in memoriam revocatur, ubi periculum, ne exciderit.* Recordium, *recordatio.* Recreamen, *recreatio.* Redargutio, *argumentum, quod adfertur ad aliquem convincendum.* Refectorium, *ubi à monachis refectio fit cibo. Sic* refectorarius, *cujus est procurare in monasterio, quæ ad refectionem ciborum pertinent.* Referendarius, *qui libellos supplices offert Principi ad subscribendum.* Refusorius, *qui aliquid refundit.* Regalia *numero singulo, pro regalia in plurativo.* Regalitas, *jus regium.* Regimentum, & regimonium, *regimen.* Regionarii, *diaconi urbis Romanæ, præter basilicanos.* Registrum, *regestum: ut* registrare, *pro referre in codices publicos.* Regnicolæ, *qui sunt sub regis dominatu.*

Nunc pergam ad literam R.

Rabidicimba, vel *rabidikimba*, si vox est una, hujus fuerit loci, & cymbam velocem notet. Abbo de obsidione Lutetiæ lib. I:

Corripiunt ternas rabidicimbas satis altas.

In editione utrâque Parisinâ, puta primâ Pythœi †, (quam etiam Wecheliana expressit) & altera Andreæ du Chesne *, Geographi Regii, divisim legitur:

Corripiunt ternas rabidi cimbas satis altas.

Magis placet, unâ voce scripsisse; ut à vehementi velocitate sit nomen; à rabie videlicet, quia insani tenere modum nesciunt: unde & *insanus* pro magno, ut Tullio in Milonianâ, *insanæ substructiones.* De quo alibi pluribus.

† An. 1588

* Francofurtensis an. 1594.

Rachanæ, & ὑποκοριστικῶς *rachanella*, panniculi, vilis vestis genus, à Græco ῥάχη: quod Hesychius exponit ἀποσπαράγματα, καὶ ἀποσχίσματα, ἱμάτια. *præsegmina, divulsiones, vestes.* Item ἀποῤῥαγίσματα, καὶ ἀποσπάσματα, *rupturæ, & divulsiones.* Sic Nazianzeno in laudibus B. Basilii ῥάκος est vile monachorum pallium. Ennodius, Ticinensis episcopus, lib. IX epist. XVII ad Apodemiam: *Lanam, & racanas, cujus vos volueritis coloris, rubei, aut fusci, mihi sub celeritate dirigite.* Gregorius M. lib. IX Registri epist. ult. *Xenium autem vestrum duas rachanas, quas de labore vestro esse mandastis, libenter accepi.* Anastasius bibliothecarius in vita Joannis Eleemosynarii redditâ Latinè ex Græcis Leontii Neapoleos in Cypro episcopi, cap. IX §. LII: *Ligneis tabulis pavimento strato ad requiescendos eos *, & simul cum storeis, & rachanis, per totam hiemem.* Diminutivo idem usus cap. VI §. XXXIV: *Venundabantur enim quatuor rachanellæ numismate uno.* Aliquibus in libris *racana*, & *racanella*, pro eo scribitur.

* Pro ad requiem eorum; sive, ubi somnum caperent.

Ratificatio, quâ quid ratum fit, sive quâ aliquid, quod actum, approbatur; si non, quòd ad qualitatem rei gestæ, saltem ratione rei ipsius. Simile *ratihabitio*, quâ quid ratum

tum habetur; quomodo in Digestis legas, *ratum habet prætor*; in Codice, *ratos haberi contractus*. *Ratihabitio* est apud varios posterioris ævi. In his est Radevicus Frisingensis de gestis Frederici Ænobarbi lib. III cap. XXIV: *Electionem de ipso factam ratihabitione confirmare dignaretur.* Falluntur interim, qui, eò quòd, Tulliano ævo, ac proximo, non legimus, id barbaris irrepsisse temporibus arbitrantur. Quippe agnoscit Pomponius XL. §. ratihabitionis. ff. de Procurat. At *ratificatio*, quod vulgò obtinet, planè barbarum censeo.

Rebellium, rebellio. Monachus cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita Karoli M. † *Iterum omnes Saxones convenientes subdiderunt se potestati domni Karoli, & reddiderunt omnes malefactores illos, qui ipsum rebellium maximè terminaverunt.*

† Pag. 246. edit. Wechel. an. 1594.

Rebrachiatorium, pro humerali, sive scapulari monachorum. Nec tamen quinctо seculo eam in usu fuisse arbitror, quàm fictum à Cassiano, dum exprimere conatur id, quod Græcis junioribus vocari solet ἀνάλοϐ@-, vel ἀνάλοϐον. Locus Cassiani est de Habitu Monach. cap. VI: *Gestant autem resticulas duplices, laneo plexas subtegmine, quas Græci ἀναλάϐας, nos verò succinctoria, seu redimicula, vel propriè rebrachiatoria possumus appellare. Quæ descendentia per summa cervicis, & à lateribus colli divisa, utrarumque alarum sinus ambiunt, atque hinc inde succingunt, ut constringentia latitudinem vestimenti ad corpus contrahant, atque conjungant.* In editione Romanâ Latinis literis scriptum *analoboys*. Sed Græcè quidem est υ: Latinè verò fuerit *u*. In minuto hoc se quodammodo torquet doctissimus de La-Cerda, & ambigit, an non ἀναϐολίας debeat reponi: quando ἀναϐολέες humeros, & brachia tegerent, teste Sozomeno lib. III cap. XIII. Sed nihil mutare opus, quando & Dorotheo Doctrin. I, semel iterumque ἀνάλοϐ@- vocatur. Ipsum adi, vel Meursium in Gloss. Favet & Ms noster Cassianus, quem debemus liberalitati undique doctissimi Andreæ Colvii nostri: ubi vocis Græcæ extimæ literæ αϐυς, sive *aboys*, clarissimè comparent.

Recellula non memini me legere, nisi in L L. Burgund. Tit. IV. Leg. VI: *Quod ex matris bonis, id est, in recellulis, vel ornamentis, aut ex suo potuerit labore conquirere.* Videtur signari mundus muliebris, sive is sic dicatur, quia cellulis, locis nempe secretioribus, contineretur: sive potiùs sit a diminutivo *recella*, hoc à *recula*, istoc à *res*: quomodo à *cista* est *cistula*, *cistella*, *cistellula*: quod apud Plautum Cistel. Vide inferiùs *Rescella*.

Recidivatùs vocem cùm alibi usurpat Tertullianus, tum lib. de Anima cap. XXVIII: *Samius sophista Platoni auctor est animarum, de recidivatu revolubili semper ex alterna mortuorum atque viventium suffectione.* Recidivatus animarum est iterata earum sociatio cum corporibus postquam priora cecidere: à quo casu & *cadaveris*, & *recidivatus* nomen. Nempe ut Maroni * *recidiva Pergama*, post casum restituta; sicuti interpretatur Servius.

* 4 Æn.

Reclinarium, quasi *reclinatorium*, locus ille, ubi caput reclinatur ad dormiendum. De navis ejusmodi loco usurpat Sueno, in suo Historiæ Danicæ compendio cap. IV: *Is cum ad Danorum pervenisset exercitum, ordinatis per foros remis, dolum commentatus, puppim suam puppi Regis jussit applicari: quibus sic ordinatis, primâ illucescente aurorâ, Regem, in reclinario dormientem, clam excitavit.*

Recolamenta vocarunt, quibus recolitur memoria, ac renovatur. Si argumentorum sint ἀτιχίων *, pro iis, cum Budæo in Forensibus, malim, *revocata testimonia*: quomodo quis *revocare testes* dicitur, si iterum jubeat dicere testimonium.

* Artis expertium.

Recordium, recordatio, memoria. M. Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis, an. CIↃCCCCXL; ubi de nativitate regis Ladislai: *Multi enim magnatum, quorum in pectoribus imperatoris Sigismundi nondum tepuerant beneficiorum recordia, reginam sequebantur.* Hinc etiam *recordium*, vel *recordum*, vocatur, eorum, quæ in Curia inferiore sunt judicata repetitio in superiori. Per quod recordum lis à curia inferiori transfertur ad superiorem. Reg. Majest. sive Legum Scotic. lib. III cap. XXIII. §. IX: *Ipsa Curia suum recordum habebit in Curia Domini Regis.* Quia nempe Regis Curia non habet recordum, nec ei liceat contradicere.

Recreamen, recreatio. Jo. Thwrocz in Chronicis Hungaricis, in temporibus reginæ Mariæ cap. IV †: *Ut artus maris navigatione lassati recreamine potirentur.*

† Pag. 114.

Rectoria a *rector*, pro regimine. Philippus Gall. Rex *: *In qua quidem nostra curia Parlam. omnes, & universa curia Seneschaliarum, bailliviarum, rectoriarum, vicariatuum, judicaturarum*, &c.

* Pag. 158.

Redargutio vulgare. Malim *refutatio*, *reprehensio*. Græcè ἔλεγχ@-. Eo significatur, quod adfertur ad coarguendum eum, qui contrà disputat; ut interpretari possis ex Fabii lib. II cap. XV.

Refectorium, locus, ubi monachi cibum capientes se reficerent. Supplementum Historiarum Gregorii Turonensis cap. XXXVI: *Temerario conatu rex refectorium ingressus fuerat.* Arnulphus Lexoviensis ad Papam Alexandrum †: *Ebrius in refectorio super cœnam duos de fratribus cultello percussit, atque ab eis, in continenti, periculò, quam casus obtulit, interfectus.* Chronicon Casinense lib. II cap. LX: *Die quadam refectorium ingressus.* Et cap. LXXXII: *In refectorio cum fratribus comedens.* Cæsarius lib. I Mirac. cap. XXXV: *Qui cùm in mensa sederet, Gothefridus ostium refectorii aperuit, & benedixit; sicque versus oratorium tetendit.* Item lib. IV cap. XCI, & lib. IV cap. IV. Matthæus Parisius in an. CIↃCCXLIV: *In quo concilio petiit Rex ore proprio, in præsentia magnatum, in refectorio Westmonasteriensi, auxilium sibi fieri pecuniale.* Nunc in Anglia *Aulas* vocant. Chronicon Cisterciense *: *In uno quidem palatio, sed meliùs dicitur refectorio, communiter vos cibum accipere credimus.* Sic

† Pag 82. b.

* Pag. 51.

Refectorarius, cui refectionis cura incumbit. Idem Cæsarius lib. VI Miracul. cap. V: *Quem cùm refectorarius introducere vellet, pauperibus exclusis, commotus ille clamavit.* Sunt verò hæc ab ea significatione *refectionis*, quâ sumitur strictè pro refectione cibi. Quomodo usi Cornelius Celsus lib. IV cap. VI, & Plinius lib. XVIII cap. VII. Et horum exemplo idem Cæsarius lib. IV Miracul. cap. V: *Dominus meus ante horam refectionis coquinam intravit, & præparata, etiam nobis reclamantibus, pauperibus divisit.*

Referendarii medio ævo dicebantur, qui nunc magistri libellorum supplicum: nempe qui Regi libellos supplices, & diplomata offerrent, ut subscriberet. Unde in veteribus monumentis tam referendarii, quàm Regis nomen, sæpius exprimitur. Ut in præcepto Dagoberti de fugitivis S. Dionysii: *Landericus obtulit; Dagobertus Rex subscribit.* In diplomate Chlodovei, filii Dagoberti: *Gerardus obtulit; Chlodoveus subscripsit.* Utitur & eâ voce Marculfus lib. I Form. cap. XXV. Adhæc Gregorius Turonens. de Gloria Confessorum cap. XCV: *Qui nunc Referendarius Hildeberti Regis habetur.* Item Miraculorum S. Martin. lib. I cap. XXV: *Referendarius Regis Chlotarii.* Et lib. III cap. XVII: *Referendarius quondam Sigeberti ad occursum nostrum accedit.* Legas quoque Franciсæ Historiæ lib. V cap. III, & XVII. Ac similiter in Historiæ ejus Supplemento cap. LXXVIII: *Statuens eis caput exercitùs nomine Chadoinum referendarium.* Item paullò pòst. Utitur & Theodericus à Niem in Nemore Unionis tractatu VI cap. XXXIX, ubi de Gregorio XI. Is qui sic vocatus, Regii erat sigilli custos. Aimoinus lib. IV cap. XLI: *Filiusque praecellentissimi viri Antharii, qui referendarius ideo est dictus, quòd ad eum universa publica deferrentur conscriptiones: ipseque eas annulo Regis, sive ab eo sigillo sibi commisso, muniret, seu firmaret.* Quæ totidem penè verbis Sigebertus exscripsit ad an. IↃCXXXVII. Vide & quæ de officio Referendarii habet Cassiodorus lib. VI cap. XVII. Græci primam per AI efferunt. Scribunt enim ῥαιφερενδάρι@-; ut

Justinianus Novella VI, Codinus Curopal. de Off. atque alii. Recte Meursio observatum, corrigi hoc verbi oportere apud Suidam; cui ῥιψοφυδαξος exponitur ὁ ἀναφορὸς, *relator*.

Refuga, refugiens. Flodoardus lib. I Hist. Remensis cap. XI: *Neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris.* Et cap. XXIV: *Humanæ laudis, & mundanæ retributionis refuga.* Similiter lib. III cap. XVIII. Formârunt ad instar vocis *transfuga*.

Refusorim, quo quid refundimus, sive liberaliter effundimus, Sidonius Apollin. lib. IX epist. X: *Quem literis non commendatoriis minus, quam refusoriis, jam placatus insinuo.* Nempe quia iis literis servum liberaliter refunderet. Ita capit & Savaro in Commentario, ac De-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. XXVIII §. IX.

Regaliam dixerunt pro regale, vel regalia, hoc est, regii dominatus propria. Walsingamus in Hypodigm. † Neustriæ: *Quomodo sunt puniendi, qui impediverunt regem, quo minus poterat exercere, quæ ad regaliam suam pertinuerunt &c.*

† Pag. 541.

Regalitas, eminentia in jure regali. Thomas Walsinghamus*: *Bonam, & sufficientem securitatem faciat petitoribus, & custodibus, & communitati regni Scotiæ, restituendi idem regnum cum tota regalitate, dignitate, dominio, libertatibus.*

* Pag. 478.

Regimentum, quod Lucretio, Livio, Plinio, regimen. Ammianus Marcell. lib. XXV: *Tu hoc loco fortuna orbis Romani meritò incusaris; quæ, difflantibus procellis rempublicam, excussa regimenta perito rei gerendæ ductori consummando juveni porrexisti.* Est & Arcadii L. I §. I De off. Præf. Præt. *Regimentis Reipublicæ ad Imperatores perpetuò translatis.*

Regimonium, regimen. Isidorus in Glossis: *Regimonium, gubernationem.* Baldericus in Chronico Cameracensi lib. II cap. XXVIII: *Beata Rainfredis ex sui juris rebus cellam fundavit, & sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam Abbatissa regimonium duxit.* Similiter idem lib. III cap. XVI.

Regionarii sunt Romanæ Urbis diaconi: quos, exemplo instituti Apostolici, septem esse jussit Euaristus primus: eorum verò munia fuere tum in promiscuo. Nam primus Papa Fabianus, urbe in XIV regiones distinctâ, duas cuique diacono regiones adsignavit, ut pauperum in iis habitantium curam gereret: unde & *regionarius* vocabatur. Postea quatuordecim diaconi constituti: tandem, quatuor additis, octodecim: sed quatuordecim *regionariorum* nomen retinuere, à cura, quam dixi: quatuor reliqui vocati *palatini*, vel *basilicani*: quia Pontifici in palatio, & basilica Lateranensi, inservirent. Vide de his Onuphrium Panuinum lib. de interpretatione vocum Ecclesiasticarum †. Utitur eo vocabulo Joannes Diaconus de S. Gregorio Papa lib. IV cap. LXXXIII: *Gordianum regionarium, videlicet patrem Gregorii.* Vita Ludovici Pii à scriptore ejusdem ætatis exarata*: *Georgium Regionarium, Romanæ Urbis simul episcopum.* S. Martinus Papa in donatione † Blandiniensi monasterio factâ: *Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii, & sacri scrinii Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario Indict. &c.* Papias in Gloss. *Defensores à Romanis Pontificibus constituti sunt Episcoporum adjutores; quibus honores inter clericos, sicut & regionariis, concedimus.*

† Excusus Lovanii a. 1572.

* Pag 412. edit. Wechel. an. 1594.

† Aubertus Miræus in Donat. Belg. p. 2.

Registrum, pro *regestum*, à regerendo. Benedictina cap. XIII de inventariis per novos antistites: *Fiant inventaria, seu registra consimilia duplicata.* Habes & apud Petrum Damiani lib. I epist. IX, & in Stylo antiqu. Parlam. Curiæ, *Recurrere ad registra Curiæ.* Hinc *registrare*, in regesta, sive publicos codices, referre; in Concilio Pisano *, & stylo antiquæ Cur. Parlam. † cap. V: *Et quod hoc faciat registrari.* Ac ibidem: *Ita fuit per curiam registratum. Registrati*, apud Turocium in Historia Bohemica.

* Pag. 880.

† Pag. 65.

Regnicola, qui in regno vivunt. Stylus cur. Parlam. cap. IV: *Et in loco omnibus regnicolis.* Non minùs *οὐρανολόγους* dixeris, quàm *cælicola*. Sed usus veterum non admisit. In versu tamen non semper damnâro.

CAP. XLII.

De inchoatis à RE, sequente L, N, P, Q, S, T, vel V.

Relevium, *honorarium patrono datum à novo vasallo.* Religiositas, *pietas erga Deum.* Ren, *renes.* Repertura, *certum in aliquo loco privilegium.* Replum *corruptum ex* peplum. Reposco, *qui aliquid reposcit.* Represalia, *clarigatio, vel pigneratio.* Repressivum, *quod vim alicujus cohibet.* Repropitiatus, *reconciliatus.* Repulsio, *repulsa.* Requæsta, *libellus supplex.* Rescella, *recula.* Rescussio, *rei abreptæ repetitio per arma.* Resonantiæ, *sonitus.* Responsales, *quorum munus est aliis respondere.* Responsoria, *quibus chorus in sacro officio canens respondet.* Ressortum, *jurisdictio.* Retenementum, *retentio.* Retriora, *posteriora.* Revestitus, *sua in Ecclesia dignitati restitutus.* Revisio, *recognitio rei judicatæ.* Revolutio, *conversio.*

Subjungam alia à RE cœpta, ante L, vel literam aliam eâ in literario ordine posteriorem.

Relevium, ut Hotomannus describit, est honorarium, quod novus vasallus patrono largitur introitûs caussâ. Nomen ex eo, quia morte vasalli, ut vasallus cecidit, unde *cadaveri* nomen, sic cum eo cecidit feudum, & propterea denuo oporteat relevari, hoc est, attolli. Itaque non *relevium* modò, sed & *relevatio*, vocatur. Prius habes apud Matthæum Parisium an. CIↃCCXV, in charta libertatum à rege Joanne concessarum: *Si hæres suus plenæ ætatis fuerit, & relevium debeat.* Et eâdem chartâ: *Hæres ejus non det aliud remedium, nec faciat nobis aliud servitium, quàm faceret baroni.* Item in an. CIↃXXXI: *Tandem Rex* (Henricus III) *suscepit homagium ejus, & fidelitatem, & ei omnia jura sua, salvo sibi relevio consueto, concessit.* Atque alibi. Habes & in Constitut. Neapol. lib. III tit. XXII. *Relevationem* autem appellat an. CIↃC, in charta Henrici I de emendatione legum, & consuetudinum Anglicarum: *Homines baronum meorum legitimâ, & justâ relevatione relevabunt terras suas de dominis suis.* Et paullò pòst: *Siquis aliquid pro hæreditate suâ pepigerat, illud condono, & omnes relevationes, quæ pro rectis hæreditatibus pacta erant.* Ac alibi apud eundem crebrò. Vide etiam, quæ annotavit Scenæus ad Malcolmi legem cap. I, & ad leg. Scot. lib. II cap. LXXI.

Religiositas est apud Zenonem episcopum, & martyrem Veronensem, serm. de S. Arcadio Martyre.

Ren, pro *renes*, non legas apud antiquos. Nec tamen improbem, cùm bina sint viscera, si dextrum sinistrumque renem distinguamus, ubi sic postulat argumentum.

Repertura unde dicatur, quam quid sit, manifestius est. Usurpat Alexander, episcopus Leodicensis, diplomate scripto nomine Papæ Innocentii II*: *In his locis, & vicis, possidet ecclesia bannum & justitiam, impetum & burinam, iclum, & sanguinem, reperturam, fora, telonea.* Num potestatem signat inquirendi hominis tanquam in suo territorio? Etiam *inventio* dicitur: de quo seq. lib.

* Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 142.

Replum in glossis Isidori exponitur *species mulieris.* Sed placet eorum emendatio, qui corrigunt: *Peplum, vestis muliebris*, vel potius ut est in Ms nostro, *species vestis muliebris.*

Reposcones, qui reposcunt. Ammianus Marcellinus extremo lib. XXII †: *Ad singulos motus excandescentes, controversi, & reposcones acerrimi.* Vox est non inelegans: sed dicere nunc non possim, num Lucillius, vel alius veterum, usurpet; an demum inventa, Latinitate collabente.

† Pag. 154 edit. Hamburg.

Represalia, represalia, & repressalia, sermonis usu obtinent, & libris multorum. Quo pacto rectiùs dicatur; faciliùs dijudicabitur, si constet, quid eo significetur nomine. Hoc vix meliùs ostendere possim, quam rudibus hisce verbis veteris Vocabularii: *Repressalia est potestas pignerandi*

randi contra quemlibet de terra debitoris datâ creditori pro injuriis, & damnis. Unde breviter represalia dicuntur, quando aliquis oriundus de una terra spoliatur, vel damnificatur, ab alio, oriundo ab alia terrâ, vel etiam, si debitum non solverit ei. tunc enim datur potestas isti spoliato, quòd ei satisfaciat contra quemlibet in terra illa, unde est spoliator, vel debitor. Si igitur *repræsalia* placet; ex eo fuerit, quòd spoliatori ereptum *repræsentet* illud, quod debetur spoliato. Verùm *repressalia* sit à *repressu*; quia iis aliorum injustitia reprimatur. Sed ecce tertium quoque etymon, ut ab Italis sit, quorum est *preso*, pro *prenso*; ut *represo*, pro reprenso. Hæc verò à *prendo*, & *reprendo*, pro *prehendo*, & *reprehendo*. Quo pacto *represalia* fuerit iterata prehensio; quia pro eo, quod aliquis prensârit, prensetur aliud, quò alteri, cui quid ereptum, satisfiat: quod fieri non licet citra superiorum potestatem. Quid quòd quartum etiam etymon legas apud Damhouderum in Praxi Criminali cap. XCVIII, num. 1? nempe ut *repressalia* sit à *reprædando*: & reverâ est, ut sic loquar, reprædatio: quomodo allusio, licet non etymon, videri possit. Ex hisce Damhouderus inibi tertium probat etymon, ut sit ab Italico *preso*, pro *prenso*; quomodo *repressalia*, ut dixi, sit iterata prehensio. Et sanè hoc imprimis placet. Legas id vocabuli Constitutionum Sicularum lib. I, tit. VIII, leg. 1: *Nec pressalias, seu repressalias facere.* Apud Petrum de Vineis lib. V, in argumento epist. XLVIII: *Concedit licentiam quibusdam mercatoribus faciendi presalias contra rebelles, qui eos disrobaverunt.* Ex ea quoque epistola, abunde, quid *represalia* sit, intelligitur. Superest addam, quomodo dicendum sit, si barbaro istoc sit abstinendum. Dixeris Græcè *ἀνδροληψία*. Latinè verò cum Hermolao Barbaro vocare possis *clarigationem*. Imò & in vett. gloss. *ἀνδροληψία clarigatio* exponitur. Vel *pignerationem* nomines cum Budæo. Is Annotat. Post. in Pandectas ait: *Cum ἀνδροληψίαι libro VI Decretalium epistolarum pignerationes vocentur sub titul. de injur. tamen juris interpretes malunt repressalias dicere. Usque adeò barbaries ad stomachum rusticitatis facit.*

Repressiva remedia medicis sunt, quæ vim habent reprimendi morbi. Petrus Blesensis epist. XLIII: *Quia cùm morbus in augmento est, nondum est purgatione utendum; usus sum repressivis, oleumque violaceum super cor & hepar, ac fronti ejus apposui.*

Repropitiatus, reconciliatus, iterum propitius factus. Chronicon* Reicherspergense: *Anno* MCLXXVII. *Post multas tribulationes, multaque gravamina, quæ, peccatis exigentibus, perpessa est Ecclesia in illa nota dualitate, per annos ferè viginti duos, tandem repropitiato Domino, facta est concordia.*

* Chronicon Reicherspergense pag. 251.

Repulsio; pro *repulsa*, minùs probum.

Requesta, barbarum. Veteribus libellus supplex. Sic qui vulgo *requestarum magistri*, Latinis cognitores libellorum supplicum; ut in vita Hadriani VI Papæ ait Gerardus Moringus Theologus †.

† Lovanii editus an. 1538.

Rescella, à *rescula*, hoc à *res*, pro *recula*. Carolus Calvus tit. XXXI, sive Edicto Pistensi cap. XXXIV: *Censum regium de suo capite, sed & de suis rescellis debebant.* Alibi etiam in iisdem Calvi Constitut. legas. A *recula* verò, & *recella* dixere, & *recellula*: de quo superiùs actum.

Rescussio, à Gallico *rescousse*, sive Latino *recussio* (unde Gallicum illud) signat terræ abreptæ per vim, & arma, repetitionem. Matthæus Parisius in primo Historiæ Additamento: *Quando ad recussionem terrarum illarum mittere debuerat thesaurum, & denarios, misit barillos lapidibus, & sabulone repletos.*

Resonantiam, pro sonitu, legas apud M. Joannem Thwrocz Historiæ Hungaricæ part. I cap. XV*. *Tubarumque, ac tympanorum resonantiis, & ensium tinnitibus.* Sed hoc ut non lubens admisero: ita ut tolerem faciliùs, unus facit Vitruvius: cujus est lib. V cap. I: *Si locus electus fuerit, ubi non impediatur resonantia.*

* Pag. 19. edit. Wechel.

Responsalium munus memoratur subinde à scriptoribus Ecclesiasticis. Ac sæpe etiam epistola hac voce intelligitur, ad ea respondens, quæ contra aliquem adferuntur. Nec operosum est eas significationes distinguere. Hincmarus Rhemensis epist. XVII ad Hincmarum Laudun. *In Constantinopoli Responsalis fungens munere.* Ivo Carnotensis epist. CCLXXIV: *Responsales tamen meos, & literas meas, monachorum objectionibus obviantes, eidem legato vestro transmisi.* Et post pauca: *Cum ego per responsales meos obstringere me vellem ad ea infirmanda, quæ mihi objecerant.* Petrus Cellensis lib. IX. epist. XII: *Prælato in omnibus obedire, omnia sua onera humeris ejus imponere, & sufficientem responsalem in Dei judicio contra omnes adversaris allegationes tam veras, quàm falsas, illum constituere; in simplicitate, non in subtilitate Deum quærere.* Legas & in vita S. Othonis lib. II cap. XXIX. Etiam apud Glanvillum liber II inscribitur: *De responsalibus, qui loco Dominorum ponuntur in Curia, ad lucrandum, & perdendum pro eis.* Malim dicere, *Procuratores.* Nam horum est pro altero respondere. Vulgò etiam appellant *Atturnatos*: de quibus alibi.

Responsoria quæ dicantur, indicant Fragmenta Caroli M. ut Lazius inscripsit, sive potiùs Alcuinus Albinus libro de divinis Officiis †: *In Calendis etiam, seu diebus anniversariis, per novem psalmos, & responsoria, seu lectiones, simili modo officia persolvuntur.* Benedictus Levita in Collectione sua lib. V cap. XLIX: *Laicus non debet in Ecclesia Lectionem recitare, nec Alleluja dicere: sed psalmum tantum, aut responsoria, sine Alleluja.* Similiter Cæsarius lib. VIII Miracul. cap. V, & VI. Distinguendum verò inter responsoria, quæ in gradibus, sive juxta pulpiti gradus, canuntur, atque inde *gradualia* dicuntur: atque ea, quæ horis canonicis, ubi clerus voluerit, cani consuevere. Vide Stephanum Durantium, Senatus Tholosani præsidem, (quem cives sui tumultuantes interfecere an. CIƆ IƆ LXXIX) lib. II de ritibus Ecclesiasticis cap. XIX. & lib. III cap. IX.

† In edit. Bell. vi. p. 61. At. p. 296 in Auctario bibliothecæ Sacræ, edit. Paris. an. 1610.

Ressortum, judicatus substantivè, judicandi facultas, ditio; ex Gallico *resort*, quod ex *resortitio*. Stylus Cur. Parl. cap. III: *Nec Seneschalis, nec de ipsorum ressorto.* Ubi *ressortum* idem ac *jurisdictio*. Sanè *resort*, & *jurisdiction*, sæpius junguntur.

Retenementum, quod Latinis *retentio*: quando nempe aliquis sibi quippiam retinet, ac reservat. Ut, *sine retenemento*: quod valet, nihil retinendo. Usus Matthæus Parisius in Additamentis*; ubi hujusmodi formula est Ecclesiæ sua donandi: *Omnia, quæ ad me, vel ad heredes meos, de tali feodo, vel possessione, pertinent, vel poterunt pertinere, tali eidem Ecclesiæ, vel Monasterio, ac eorum prælatis, & ministris, sine aliquo retenemento, do, concedo, & præsenti chartâ confirmo.* Richardus Rex in Chartis ducum Normanniæ, & Regum Franciæ †: *Quando hæc permutatio facta fuit integre cum omni sequela, & moltura sua, sine aliquo retinamento* * *eorum, quæ ad molendina pertinent.*

* Pag. 209.

† Pag. 1052.

* Ita ble libri: nempe qua forma retinaculum dicimus. Alibi retenementum, etsi ἀναλόγως fores retinementum.

Retriora, à *retro*, pro *posteriora*; ut ab *ante*, *anteriora*. Prius nec Lipsius refugit. Nempe ad exemplum ejus, quòd vetus Juvenalis interpres † *retriores partes* dixit τὰ ὀπίσθια μέρη. Sed quid de istius interpretis ætate sentiendum sit, monitum nobis de Analogia lib. II cap. XXVII.

† Sat. II vers. 138.

Revestitus Ecclesiasticis quid sit; liquet ex iis, quæ cap. XVI dixi in *Investitura*; quæque libro sequenti adfero in *Investire*.

Revisio vocatur vulgo legulejorum, quæ dicenda *recognitio rei judicatæ*. Sic pro eo, quod dicunt *revisionem facere*; apud Ciceronem, act. III in Verrem, est *recognoscere res judicatas*.

Revolutio non memini me legere, apud classicos. Cum Tullio igitur dicam, *circulus*, *conversio*, *orbis*, *rotundus ambitus*, *replicatio*.

CAP. XLIII.

Referuntur inchoata ab R, sequente H, I, O, vel V.

Rheuma, *fluentum*. Ridicularis, *ridiculus*. Rigorosus, *rigidus*. Ripaticum, *quod publice persolvitur à trajiciente*

ciente in ripam alteram. Rivera, *rivus.* Robustitas, *robur.* Roga, *stipendium, vel donativum.* Rogatarius, *qui aliquid poscit.* Rosculentus, & rorulentus, *roscidus.* Rotulus, *catalogus.* Rotundellum, *circulus.* Rubedo, *rubor.* Rubeus, *rubens.* Russetus, *russus.*

HIs consequens est, & adhærens, ut agamus de iis, ubi post R sequitur spiritus, vel aliqua trium posteriorum vocalium.

Rheuma, ῥεῦμα, fluentum, ἀπὸ τοῦ ῥέειν, seu Æolico ῥεῦιν. Verùm licet Græcum sit, ac imprimis Medicis in usu fateamur: Latinis tamen ignotum. Usurpat Victor Tunnun*. *Qui Justini præcepto principis, una cum Andrea cubiculario, occiditur, & in rheuma jactatur.* Ac postea†: *In Circensi spectaculo, militari gladio cæsus, capitur, & nocte cum Pompeio occiditur, atque in rheuma jactatur.* Hinc *rheumatizare* apud Fulbertum, ut Græcis ῥευματίζειν. Sed de hoc in Verbis.

* Pag. 35.
† Pag 38.

Ridicularis non dicam: sed *jocularis*, *ridiculus*; vel cum Plauto, & Agellio, *ridicularius*.

Rigorosus. Usurpat Carolus VIII Gall. R. in Edicto de Rescript.*

* Pag. 162.

Ripaticum, tributum ei persolvendum, qui flumen trajicit, ut in ripam veniat adversam. Usurpat Carolus Magnus edicto poster. apud Aimoinum de gestis Francorum lib. v cap. I. Verba alibi adducimus.

Rivera (ut Gallis, & Belgis, *rivier*, Angl. *river*) idem ac *rivus*. Matthæus Parisius an. ciↄcxcviii: *Inter forestam Lanis, & Sequanam, ex una parte; & riveras de Andeli, & de Cathe, ex altera.*

Robustitas reperio apud juniores; pro *robur*, *vis*, *vires*, *virtus*, *facultas*. Etiam scitè Tullius pro eo *gladiatoria corporis firmitas*.

Rogam nunc dixere pro eo, quod priores stipendium vocarunt; nunc verò pro donativo. Priori significatione milites Codino dicti ῥογάτορες, hoc est stipendiarii, ac eidem, & Nicetæ, ῥογεύειν, *stipendia facere*: sicut clarissimo socero meo Francisco Junio observatum, Notis in Codinum†; item Xylandro, Annotat. in Cedrenum*. Sed usitatiùs capitur pro donativo, sive honorario; quod non, uti stipendium, ex debito; sed ex gratia dabatur. Sic interpretatur etiam Michael Glycas Annal. part. IV; ubi de Romani morte sermo. Nomen inde est, quòd milites, populusve Imperatorem, Pontificem, vel Patriarcham, rogare eam soleant: vel quia Imperator, Pontifex, aut Patriarcha, consuêrint hanc erogare militi, vel populo. Glossæ Isidori: *Roga, eleemosyna.* Landulphus Sagax in Tiberio II: *Duxit Anastasiam uxorem suam, & coronavit eam Augustam, & jactavit rogam multam.* Abbo Floriacensis de vitis Pontif. *Sicque reversus est Ravennam; ubi, datâ militibus rogâ, facta est pax magna in Italia.* Usus & Baldericus in Hierosolymitana histor. ubi Alexii milites sic se excusant: *Nos in rogâ Imperatoris locati, nihil aliud, quàm quod ipse imperas, facere possumus.* Nisi hìc laxiùs patet. Mos verò imperatoribus fuit, has rogas præcipuè donare, cùm foret ἑορτὴ βαΐων, sive festum Palmarum. Ac quomodo ea Palatio Constantinopolitano fieri soleat, describit Luitprandus Ticinensis lib. VI. Patriarcha eo die pro roga dividebat cereos, & cruces. De quo Theodorus Balsamo epistolâ de incensis; quæ exstat lib. VII Juris Græco-Romani†. Porrò mos iste, quo Imperator rogam hoc festo daret, durabat etiam temporibus Constantini Monomachi: qui imperare desiit anno ciↄLVI. At desitus avaritiâ Constantini Ducæ, qui quinquennio pòst imperium tenuit. Valdeque super eo queritur Balsamo: qui in Photii Nomocanonem suos commentarios scribebat anno ciↄCCII; biennio antequam Constantinopolis à Balduino, Flandriæ Comite, caperetur. Cæterùm, ut dixi, non Orientis solùm Imperatores, ac Patriarchæ, rogam dabant; sed & Pontifices Romani. Unde Anastasius bibliothecarius in Eugenii vita: *Rogam clero dedit.* *Βαΐων*, & *rogam*, differre, contra quàm vir doctus putavit, ostendit Gretzerus de Benedictionibus lib. II cap. XLI*. Nimirum omnia quidem βαΐα erant dona: sed non hæc ἀντιστρέφουσι†: ut liquet ex Balsamonis epistola quadam de thymiatis, & Luitprando lib. III cap. V.

† Pag. 297.
* Pag. 692.
† Pag. 471.
* Pag. 207.
† Convertuntur.

Rogatarius in Glossis Isidori exponitur *petitor*. Est igitur à *rogator*. Sed inde ἀναλόγως non *rogatarius* diceretur; verùm *rogatorius*, per O; quomodo *interrogatorias* actiones legimus in Digestis. Fortasse igitur per O scripsit Isidorus *Rogatorius*. Nec interpretatio magis, quàm vox placet. Nam *rogatorium*, quod pertinet ad rogatorem. Onomasticon: *Rogatores*, ἐπαίτης. At Gloss. Cyrilli: ἐπαίτης, *mendicus*. Sic Belgis, *bedelaer*, *mendicus*, à *bede*, preces.

Rosculentus legas in Zenone Episcopo, & martyre Veronensi. Nec caussam video satis gravem, cur *rorulentus* substituam: quod est apud Gregorium Turonensem lib. primo Histor. Franc. cap. XV. Nam neque hoc notum antiquis: etsi magis ἀναλόγως formatum. Et potuit alterum à *ros* formari, ut *roscidus*. Imò, si à *jus* est *jussulentus*; potuit similiter à *ros* fingi *rossulentus*: sed sic per S geminum debeat exarari. Nam *jusculentus* foret à *jusculum*; à *jure* autem *jurulentus*. De quibus antea diximus.

Rotulus, album, indiculus, catalogus. Vide *Rotula* libro sequente in falsa significatione usurpatis.

Rotundellum, vestis genus à rotunda figura sic dictum; ac monachis S. Benedicti Abbatis interdictum: quemadmodum videre est in Benedictina, sive Constitutionibus Benedicti Papæ XII, cap. XXIII, quod est de forma, & honestate vestimentorum ordinis S. Benedicti.

Rubedo non minùs, quàm *rubor*, dicitur; si audimus Cælium Curionem in Foro Romano. Mihi non magis Latinum videtur; quàm *albedo*, & *nigredo*; quæ, ut barbara, rejecimus lib. I. cap. XVI.

Rubeus, etsi etiam lexicographis probetur, non tamen probum puto; sed *rubens*, vel *ruber*, vel *rubicundus*. *Rubeus* ex eo provenisse arbitror, quòd cùm *rubens* esset scriptum; ob similitudinem literæ *u*, & *n*, inter eas non distinguerent.

Russetus, ex Gallico *rousset*, uti hoc è Latino *russus*. Charta libertatum, à Joanne, Angliæ Rege, concessarum, apud Matthæum Parisium ad annum ciↄCCXV*: *Una latitudo pannorum tinctorum, & russettorum, & haubergetorum*†.

* Pag. 255.
† Panni id nomen Anglis.

CAP. XLIV.

Accessum ad ea, quæ S principem habent literam: captumque ab iis, ubi sequitur A, hinc B, C, vel G. Sablo, *sabulum.* Sacciperium, *pera, sive sacculus, ubi lapides continentur fundâ jaciendi.* Saccarius, & *corruptiùs* scaccarius, *qui sacra est pecuniæ custos.* Sacellarius, *pro eodem. Uti & sacrista.* Sacristia, *sacrarium.* Sacrivus, *consecratus.* Sacrocola, *sacrorum minister.* Sagellum, *vestis genus.* Sagimen, *sagina, sive arvina.* Sagmarius, *sarcinas gestans.*

DE inchoatis ab R hæc dicta sunto. Nunc series me ducit ad S: ac primùm, ubi prima eam excipit vocalis.

Sablo contractum ex *sabulo*; pro quo & *sabulum* dicitur. Sic terra vocatur, nec planè densa, compactaque; nec tamen arenosa. Gildas epist. de Excid. Britann. cap. XIV: *Itemque mittuntur queruli legati, scissis, ut dicitur, vestibus, opertisque sablone capitibus, impetrantes à Romanis auxilia.* Aldhelmus de Virginitate cap. XIV: *Qui cùm terna patibuli* (crucis) *signacula in glarigeris sulcaret sablonum litoribus.* Est & Althelmi ejusdem:

Squallidus ut sablo spreti sub cespite ruris
Brattea flaventis depromit fila metalli.

Etiam istoc:

Et simul inscriptâ pausant sablone sepulti.

Item hoc:

——*Tellum sablone cadaver.*

Sac-

Sacciperium, in quo funditores recondunt lapides, quos fundâ jaciant. Vox est conflata ex *saccus*, & *pera*. Ursio, abbas Altimontensis in Actis S. Marcelli cap. III †: *Jamque cæteris ad coronam præmissis, præter istum, S. Marcellus hunc sequitur cum lachrymis, ut pater filium. Ubi pugnaturus, non sacciperium cum David refert; sed patientia obarmatus, contra tyrannum talibus dictis confert.* Quod Ursio *sacciperium*, id 1 Sam. XVII. 40. in tralatione Seb. Munsteri est *pera pastoralis*; vulgato interpreti, *instrumentum pastorale, hoc est, pera.* Nec abit in sua tralatione socer meus Junius.

† Ad 16 Jan. apud Boll.

Scaccarium, pro *saccarius*, hoc est, sacco sive ærario Ecclesiæ præfectus; qui & *sacellarius*, ut mox videbimus. Walsingamus in Hypodigm. Neustriæ *: *Rex, Archiepiscopum rigidiorem comperiens, terras ejus omnes seisivit, & de bonis eiusdem debita, in rotulis scaccarii inventa, præcepit cum celeritate levari.*

* Pag. 484.

Sacellarius à *saccus*, unde *sacculus*, *sacellus*, *sacellus*, *sacellarius*. Sanè. Græcis ὁ σακελλάριος, vel ὁ σακέλλα, vel etiam ὁ ἐπὶ τῆς σακέλλης, vel ὁ σακελλίου, quod Suidas *marsupium*, ac *crumenam* interpretatur: Hesychius similiter, σακέλλα, & σακέλλιον, ὅπου τὸ χρυσίον τίθεται, *ubi aurum reponitur.* Non igitur quivis sacellus intelligitur, sed pecuniarius: hoc est ærarium Ecclesiæ: cui præerat sacellarius, sive sacellius, ut vocatur in Turcogræcia: nempe Ecclesiasticæ pecuniæ curator, ac custos. E Latinis *sacellarii* vocem usurpat Joannes Diaconus de vita S. Gregorii lib. II cap. XXXIII: *Accersito sacellario, cur contra jussionem suam tertium decimum invitare præsumserit, inquisivit.* Ivo Carnotensis in Chronico: *Constituit Stephanum Persam sacellarium.* Gerardus epistolâ ad Henric. III Imperatorem Chronici Cameracensis lib. III cap. LX: *Liberalitas vestra sacellarium habet, qui caussis supervenientibus quotidianas expensas facit.* Similiter Hincmarus epist. III cap. XXIII, Anastasius biblioth. locis compluribus, Albo sive Abbo Floriacensis in Vitis Pontificum, cùm alibi, tum cap. XC in Constantino Syro, Baldericus in Chronico Cameracensi, atque alii.

Sacrista, haut Latinum pro sacrorum custode, hoc est, eo qui sacra vasa, vestimenta, luminaria, aliaque adservat. Habes cap. unic. extrem. de offic. sacristæ: item cap. Perlecto §. ad thesaur. XXV distinct. Similiterque Cæsarius lib. I Miracul. cap. XXXV: *Dicto completorio, cùm clausisset oratorium (erat enim sacrista) apparuit ei Salvator linteo præcinctus.* Idem lib. VI cap. XIV, quem priùs dixerat *thesaurorum custodem*, postea appellat *sacristam.* Porrò & missam celebrâsse, indicat lib. VII cap. XIII: *Cum sacrista missam celebraturo ipse adstaret.* Legas item hoc nomen in Benedictinâ cap. XXVIII, de custodia, & reverentia ornamentorum: *Abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, sacristis, & administratoribus aliis.* Item in Actis Concilii Pisani, & alibi.

Sacristia itidem pro *sacrario*, jure improbatur.

Sacrivus, pro consecratus, vel dedicatus Diis, nomen est posteriorum temporum. Exstat ea vox quoque in Concilio Autissiodorensi, habito sub annum DLXXXVIII. Verba sunt can. III: *Non licet ad arbores sacrivos* (sic etiam à Sirmondo editum) *vel ad fontes vota exsolvere.* Item in sermone eo, qui in S. Augustini operibus tom. IX, prætererito veri auctoris nomine, continetur, ac S. Eligii, Noviomensis episcopi, esse cognoscitur, non modò ex quibusdam MSS, sed etiam ex testimonio S. Audoëni in vita S. Eligii. Sic verò Eligius scribit: *Arbores, quas sacrivos vocant, succidite; pedum similitudines, quas per bivios * ponunt, fieri vetate; & ubi inveneritis, igne cremate.* Imò & *sacrivus* porcus, idem ac votivus: hoc est, consecratus sive destinatus ad hoc, ut detur pro tributo. Lege Salicâ Tit. §. XV: *Siquis maialem sacrivum, qui dicitur votivus, furaverit.* Et §. XVI: *Siquis majalem non sacrivum furaverit.* Lindenbrogio *sacrivus*, qui defensor aliorum porcorum; proptereque, quo se expiarent in sacrificio. Olim *porci sacres* dicebantur, qui sacrificiis destinati. Plautus Menæchmis act. II sc. II:

* Barbarum, pro viis. Nam bivius semper adjectivum.

Adolescens, quibus hic preciis porci veneunt
Sacres sinceri?

Varronem vide lib. I de R. R. cap. IV: item Muretum, Turnebum, Rævardum, & quæ exinde, & aliis, ad allatum Plauti locum Taubmannus annotavit. Nam quid exscribere ea hic opus?

Sacrocola, sacrorum minister: pro quo magis ἀναλόγως *sacricola*, ut *agricola*, diceretur. S. Odo, Cluniacensis abbas, sermone de S. Benedicto: *Quod si de labiis tam ingens periculum sacrocolis imminet, quanto magis de renibus!*

Sagellum vestis genus, ex *sagulum*, uti hoc à *sagum*. Vita S. Eugendi abbatis à condiscipulo conscripta, cap. II: *Paleis vero lectuli ineventilatis multo tempore, vilique sagello constrictis †, pelliciòque superposito, conquievit.*

† Al. constratis.

Sagimen, sagina, sive alimonia pinguefaciens, ipsaque arvina, vel pinguedo, quâ cibi solent conditi. Cæsarius lib. VI Miracul. cap. IV: *Apposita sunt eis à fratribus ejusdem cœnobis artocrea, in sagimine decocta.* Ac postea: *Non miror, quod monachi quandoque decipiuntur in sagimine, & carnium pinguedine.* Atque hinc *sagiminatus*, in sagimine decoctus. Ibidem: *Non mirum, si* (artocreæ) *valde erant bona, quia valde bene erant sagiminata.*

Sagmarius equus Lampridio in Heliogabulo, à σάγμα, quod est onus jumenti sarcinarii. Quamquam in libris quibusdam sit *saginarii*. Sic etiam *sagmarias mulas* legas. Imò & sic dicunt homines, qui sarcinis gestandis victum parant. Petrus Damiani in vita S. Odilonis cap. XIII: *Aliquando vir Domini per prærupta Jurensium Alpium iter habebat, & repente sagmarius per montis devexa collabitur.* Petrus Blesensis epist. XIV: *Videas homines, quasi furiosos, excurrere, sagmarios instare sagmariis, & quadrigas occursare quadrigis, omnes tumultuari adinvicem, ut ex ipsa rerum turbatione tibi apertissimè describatur facies inferni.* Etiam Vegetio eam vocem restituit Godscalcus Stewechius. uti & Joannes Meursius * Rigordo in vita Philippi Augusti. Ex *sagmarius* verò corruptum *saumarius*, & *summarius*: de quibus mox dicam in *Sauma*. Est & ab eodem fonte *desagmare*: de quo in Verbis.

* In Glossis, voce Σαγμάριος.

CAP. XLV.

De vocibus Latinobarbaris à SAL incipientibus. Salattarius *corruptè apud Isidorum legi, pro spatharius.* Saliator *perperàm Rhodigino, qui dicendus salissator.* Salitudo, *sermonis sales ac Veneres.* Salmaticus *pro salinaticus, vel potius salmaculus.* Salpix, *pro salpinx.* Salpicta, *an salpista, dubitatum.* Salsarium, *salinum.* Saltarius, *saltuarius.* Salticus, *ad saltum pertinens.* Saltuaticum, *vectigal è saltu.* Salvamentum, *salus.* Salvaticus, *sylvaticus.* Salutaticum, *vectigalis genus.*

NUnc videamus de iis, ubi literam S excipit A, & inde L.

Salattarius in Glossis Isidori exponitur portator armorum. Quid si rescribamus *stlatarius*? Nempe ut sit à *stlatum*, quomodo veteres extulere pro *latum*; ut *stlitem* pro *litem*, & similia. Sed huic sententiæ repugnat, quòd dixere *stlatum* pro *latum*, non quatenus est supinum à *fero*, vel *tollo*; sed quatenus est adjectivum à Græco πλατύς. Sic *stlatam* vocarunt, navigii genus latum magis, quàm altum, teste Festo: cui accedit Philoxenus in glossis. Nam ait sic dici πειρατικοῦ σκάφους εἶδος *. Imò ipsius Ennii est, apud veterem Juvenalis interpretem: *Et melior, navis quam quæ stlataria portat.* Licet aliquis ex *portandi* verbo existimare possit, & navi à *portando*, puta à supino *latum*, esse nomen impositum. Quicquid de isto est, omnino in Isidori glossis lego, *Spatharius, portator armorum.* Videlicet quia spatham ferret. Eædem glossæ: *Anger, spatharius, qui angit, id est, stringit spatham.* Cedrenus: Σπαθάριος, ὁ σωματοφύλαξ.

* Navigii piratici genus.

Saliator

Saliator perperam est Cælio Rhodigino, quem *salissatorem* oportuit dicere. Vide eum lib. VII Lectionum antiquarum cap. XXIX. Est verò *salissator* à *salisso*, quod valet, sæpius salio: ut *petisso*, teste Festo, sæpius peto. *Salissator* igitur foret, qui sæpius subsultet. Sed ita dixere eum, qui ex membri alicujus subsultatione, sive palpitatione, boni aliquid, malive divinaret. Gloss. Philox. *Salisatio*, παλμός. Vide Isidorum lib. VIII Orig. cap. IX, Muretum lib. IX Var. Lect. cap. VI, Scaligerum Auson. Lect. lib. I cap. XVI. E Græcis adi Melampodis Hierogrammatei περὶ παλμῶν μαντικὴ πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα.

Salitudo, gratia sermonis sale conditi. Glaber Rodulphus in vita S. Guilhelmi abbatis Divionensis* cap. XIII: *Ipsius enim sermonis salitudo æqualiter cunctis, prout videbatur, in gratia erat condita.*

* In Sanctorum Vitis à Bollando collectis, ad 1 Jan.

Salmaticus corruptum puto ex *salinaticus*, vel *salmacidus*. Usurpat Beka in Willebrordo: *Continuò salmatica terra dulcis aquæ copiam affluenter eduxit.* Et in Baldevino I: *Modicam aquam, & eandem salmaticam, ad potandum inveniunt.* Ita utrobique habet editio Bernardi Furmerii: at illa Abrahami Bucherii parùm sibi constat. Nam priori loco *salinatica* substituit: posteriori autem *salmatica* retinuit. Equidem vel utrobique *salinatica* malim, ut sit à *salinis* (facilè enim *in* migrat in *m*) vel potiùs utrobique *salmacida* reponam: quandoquidem in Glossis etiam Philoxeni legitur: *Salmacidus*, ἁλμυρός. *Salmacidum*, ἁλμυρόν. Ac similiter Onomasticum: *Salmacidus*, ἁλώδης. Imò & Plinii Empirici est: *Ipsum verò balneum ex dulci aqua fiat, non salmacidâ.* Quin ipsum apud Plinium Veronensem libro XXXI cap. III legas: *Nitrosas atque salmacidas* (aquas) *in desertis rubrum mare petentes.* Ita & vetus Parmensis anni CIↃCCCCLXVI. Dalecampius tamen malit, *Atque salsas*. *Salmacidus* pro salso, vel à sale fuerit, hoc est, mari: vel à Græco ἁλμυρὸς, quod idem notare, jam ex Philoxeno vidimus. At *Salmacidis spoliis* Salmacis nympha nomen dedit, ac ita dicuntur spolia ἀκίνδυνα, mollia, & effeminata: quod ex Festo liquet.

Salpix, tuba, corruptum è σάλπιγξ. Althelmus opere de octo principalibus vitiis:

Dum vexilla ferunt, & clangit classica salpix.

Item de Virginitate:

Cornua rauca sonant, & salpix classica clangit.

Idem lib. III de Virginit. cap. V: *Horrendus salpicum clangor increpuisset.* Ibidem legas: *More militum horrorem belli, & classica salpicta, muliebriter metuentium.* Ubi *salpicta*, si sana est lectio, idem videtur ac *salpix*, sive σάλπιγξ. In veteri tamen glossario *salpicta* exponitur *tubicen*: ut corruptum sit ex σαλπιγκτής. Quare lego, *classici salpictæ*. Nisi *salpistæ* malis: quomodo Vopiscus, ex restitutione Salmasii, ait: *Centum salpistas uno crepitu concinentes.*

Salsarium, pro *salinum*. Matthæus Paris. in an. CIↃCLXXXI, ubi inter ea, quæ reperta sunt in thesauris Archiepiscopi, *cuppa aurea, & argentea septem, cyphi*†, *argentea tres cuppæ murtina.*

† Scyphi.

Saltarius, qui Pomponio J. C. *saltuarius*, hoc est, saltuum præfectus. *Saltarius* est in Legg. Longobard. I tit. XIV leg. VII, & ejusdem libri tit. XXV leg. L, & LXXIII. Imò & in Glossis Philoxeni est: *Saltarius*, ὀρεοφύλαξ. Sed Onomasticon: *Saltuarius*, ὀρεοφύλαξ, δρυμοφύλαξ. Et *saltuarius* malim, ut *saltuosus* in Glossis; & *saltuaticum*, de quo deinceps.

Salticus novè, ut puto, format Tertullianus adversus Gnosticos cap. VIII: *Ipse clausula legis, & prophetarum, nec prophetes, sed angelus dictus, contumeliosâ cæde truncatur in puellæ salticæ lucar.* Sermo est de Joanne Baptista. Ut à *modus*, *modicus*; à *cælum*, *cælicus*; sic à *saltus*, *salticus*. *Salticus* igitur saltare solitus: ut *saltica* puella, *saltatrix*. Sed quid si ad alteram simul *saltûs* significationem respexerit Tertullianus, quatenus densiorem notat sylvam? Hoc ut credam facit, quod dicat *puellæ salticæ lucar*. Nam *lucar* pecunia, quæ redibat e saltibus, sive lucis urbi vicinis, atque ludis scenicis impendebatur. Hoc non è Festo solùm constat: sed etiam Philoxeni glossis, & illis, quæ dicuntur Cyrilli.

Saltuaticum, vectigal, quod è saltibus recipitur. Habes in formulis sollemnibus form. XII*. item in præcepto Dagoberti de Mercato S. Dionysii, & edicto Caroli Regis apud Aimoinum lib. V. cap. I. Verba alibi adducimus.

* Pag. 1221. edit. Lindenbrogiana.

Salvamentum, salus, conservatio, res sanæ, salvæque. Constitut. Caroli Calvi tit. XXX, quando Hlotarius ad osculum receptus est, cap. II: *In sanctâ Dei Ecclesia, & in nostro, ac populi salvamento.* Item apud Hincmarum, Archiepiscopum Rhemensem, epistolà ad Ludovicum Balbum cap. VIII†: *Cum honore, & salvamento.* Hoc est, *salvo honore*, ἐν διασώσει.

† Pag. 6. edit. Mogunt.

Salvaticus, ut Italis *salvatico*, agrestis, rusticus, ferus. Num è *sylvaticus*, an *saltuaticus*? Lex Bajuvar. tit. XX cap. VI: *De his quidem avibus, quæ de salvaticis, per documenta, humanâ domesticantur industriâ.*

Salutaticum inter vectigalia fuit fisco debita; ut ostendit Carolus Magnus in Edicto suo apud Aimoinum lib. V de gestis Francorum cap. I. Verba in *Pulveraticum* adduximus.

CAP. XLVI.

De incipientibus ab S, consequente A, ac deinde M, N, vel aliâ earum, quæ in literarum serie sunt posteriores. Sameria *sicubi legatur, corruptum videri ex* saumeria; *uti hoc è* sagmaria. Sanctimonialis, *quæ perpetuam Deo virginitatem vovit.* Sanctimonium, *sanctimonia.* Sanguinabilis, *sanguinarius.* Sanguinitæ, *sanguine conjuncti.* Sapidum, *boni saporis.* Sarsurium, *quo quid sartum, atque integrum, præstatur.* Sationalia, *agri, qui seminantur.* Sauma, *onus, sarcina: ac pro eodem* summa, & summagium. Saumarius, & summarius, *jumentum sarcinarium.* Saxisca, *lancis, vel patinæ genus.*

ALia deinceps subnectam, ubi post S prima vocalis subsequatur.

Sameria, jumenta portandis sarcinis destinata. Guilielmus, eques auratus, in opere de Terra sancta, quod Hodœporicon inscripsit; primus verò Henricus Canisius edidit: *Species namque Indicæ, petra speciosa, sericum plurimum, aromata infinita, illuc* (Damascum puta) *& cæteris partibus Orientis, Persiâ, & Indiâ, & à majori Armenia, in camelis, & aliis sameriis, adducuntur.* Ita quoque legit Jo. Ludovicus de-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CLVII. §. XXI. Puto ego, Guilielmum *saumariis* scripsisse, vel *summariis*. Vide, quæ inferiùs in *Sauma* dicam.

Sanctimonialis, pro virgine Deo dicatâ, legas apud B. Augustinum, & in Codice Justinianeo. Item apud Aimoinum lib. V Hist. Franc. cap. X. Usurpat quoque Sugerius Abbas, epistolà ad Eugenium III, & Abbo, seu Albo, de vitis Pontificum, Goffridus abbas Vindocinensis lib. IV cap. XXX, Agobardus* item, & Abælardus†, Matthæus Parisius in vita Pauli XV abbatis S. Albani, Cæsarius Miracul. lib. I cap. XXX, & lib. XI cap. LVIII. Imò & in vetustis habes Actis Proconsularibus Sanctorum Martyrum, apud Surium ad XI Febr. & Baronium Tom. II in an. CCCIII*. Gloss. Msæ: *Sanctimonialis*, ἀσκήτρια. E *sanctimonialis* factum *monialis*: de quo superiùs.

* Pag. 413.
† Pag. 348.
* Pag. 757.

Sanctimonium, pro sanctimonia, ad instar vocis *matrimonium*. Anonymus in vita S. Genovefæ, ex vett. Mssis à Bollando editâ†, cap. I: *Quæso, ne verearis mihi profiteri, si vis in sanctimonio consecrata Christo immaculatum & intactum corpus, quemadmodum sponsa ejus, servare.* Ac ibidem cap. VI: *At illa respondit, se in sanctimonio consecratam.*

† In Vitis SS. ad 3. Jan.

Sanguinabilis, sanguisuga, sanguinans, sanguinaria, sanguinis sitiens. Ascanius epist. ad Humbertum: *Quid Hunnorum rabiem commemorem, aut Normannorum fortitudinem? cum hi sanguinabiles canes non tantum*

Hunnos

Hunnos rabie, sed & robore Normannos, longè supercapitent. Belgis tales *bloedhonden*.

Sanguinita, à consanguineis, ob sanguinis conjunctionem, ad Ecclesiæ munera evecti. Cæsarius lib. VI Mirac. cap. V: *Noverat enim, paucos esse clericos, qui canonice intrâssent; ita ut non essent sanguinita, id est, à cognatis introducti.* Puto tamen, hanc interpretationem esse μετωνυμικὴν: ac propriè quidem *sanguinitas* dici consanguineos: è consequenti verò beatulos illos, qui à consanguineis ad honores extolluntur.

Sapidum, pro eo *quod boni saporis*, sive pro condito, barbarum centico.

Sarsurium, ab eâ *sarciendi* significatione, quâ dicimus *sartum tectum.* Gregorius Turonensis lib. II. Hist Franc. cap. XV: *Parietes, ab altarium opere sarsurio, ex multo marmorum genere exornatos habet.* *Opus sartum* interpretatur Ludovicus de-la-Cerda in Adversariis sacris cap. XXXI. Puto, *sarsurium* esse opus artificiosè, & eleganter, ex variis lapidum generibus *sartum*, h. e. compositum, ac confectum.

Sationalia, agri qui obseruntur. Ferè pascuis opponuntur. Joannes Sarisberiensis lib. I. Policratici cap. IV: *Illis ut pascua augeantur, prædia subtrahuntur agricolis sationalia.*

Sauma, ex Græco *sagma* est corruptum; ut ait Isidorus lib. XX. cap. XVI. Σάγμα, onus jumenti sarcinarii, ἀπὸ τοῦ σάττειν, quod est *onerare*. *Sauma* vini est, quantum equus gestat, appensis ad latera vasis. Cenomanis est unius, & nonaginta pintarum, cum semisextariolo: ita ut quatuor saumæ conficiant grande id vas vinarium, quod *pipe* vocitant: ac totidem continet pintas, (ut Varronianum huic rei versiculum accommodem)

Quot luces habet annus absolutus.

Hanc mensuram Jacobus du Breul *, monachus S. Germani à Pratis, observâsse se ait ex pervetustis codd. Sancti Petri de cultura Dei, & B. Vincentii cœnobiorum. Usus verò *sauma* vocabulo Pipinus in capit. tit. IV. Item Aimoinus de gestis Francorum lib. V cap. I, in privilegio Karoli M. *Nec de saumis teloneum solvere debeant.* Falco Beneventanus in Chronico †, ann. CIƆCXXIV: *Hoc anno tanta fuit fertilitas vini, quod nobis, & multis aliis videntibus, centum sauma pro XXX denariis vendebantur.* Anonymus, monachus Casinensis, in Chronico ad an. CIƆCLXXXII *: *A quinque annis, & infrà, fames fuit tam valida, per totam Italiam, quòd diversis in partibus sauma pro auri uncia non poterat inveniri.* Petrus de Vineis lib. III epist. XXIV: *Mille saumas frumenti, & totidem hordei.* A *sauma* est, quòd Galli dicant *une somme*, h. e. onus, sarcina, ac particulatim vini. Nempè AV in O sæpe abit; ut *caupo, copa; aurata, orata; aula, olla; faux, suffoco; claustrum*, Belgis *cloofter*. Imò & Latinobarbari pro *sauma* dixere *summa*. Quod simile ac *defrudo*, pro *defraudo*; *cludo*, & *cuso*, pro *claudo*, & *causso*. Sanè Huntingdonensis Hist. lib. VII † interpretatur *onus equi*: & Matthæus Parisiensis sæpius dicit *summa bladi*, vel *frumenti*, pro mensura VIII modiorum. Cumque *summa* dicerent, pro *sauma*, sive σάγμα: nec *summarius* refugerunt, pro *saumarius*, vel σαγμάριος. *Saumarius* est Formulâ XII. At pro eo *summarius* dicit Matthæus Parisius in anno CIƆCXC: *De singulis civitatibus Angliæ duos palefridos, & totidem summarios; & de abbatiis singulis unum palefridum, & summarium unum.* Item in ann. CIƆCCXLV: *Dedit domino Papa triginta palefridos aptos, & desiderabiles, & convenienter phaleratos, cum totidem equis clitellariis, quos summarios vocamus.* Ubi, qui *summarii* sint, clarè explicat. Usurpat quoque in Vita Guilielmi, XXII abbatis S. Albani: *Centum equos, quorum alii erant manni, alii verò runcini, alii summarii, alii veredarii, alii verò averii.* Imò & *summagium* extulere pro summa sive sauma, hoc est, pro onere, quod portat equus summarius, sive clitellarius. Idem Parisius in anno CIƆCCXV, in charta quadam Joannis Regis de libertatibus: *Pro equo, qui portat summagium, per dimidium annum unum obolum.* Vide *Sagmarius*, & *Sameria*.

* Notis ad Aimoinum p. 264 & 265.

† Pag. 235. edit. Neapolitanæ, an. 1626.

* Pag. 145. edit. Neapol.

† Pag. 219.

Saxiscis, patinarum sive patellarum generi, à saxo nomen: non quasi è saxo forent, sed quia similes essent conchis ac patellis, in rupibus, & antris, adnasci solitis. Saltem sic Cæsari Bulingero visum; eumque secuto Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris *. Usurpat Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Gabatham saxiscam ex argento purissimo pensantem libras tres.* Uti & in Leone III: *Gabatha saxisca in modum leonis.* Nempe pes gabathæ referebat leonem: uti & quandoque gryphem, aliudve animal. Unde idem inibi: *Gabathas argenteas habentes gryphos deauratos.* Item in Gregorio IV: *Gabatas interrasiles cum pedibus suis.* *Gabatha*, vel potiùs *gabata*, notæ, vel ex illo Martialis †:

Transcurrunt gabata, volantque lances.

* Cap. 36. § 4.

† Lib. 7 epigr. 47.

CAP. XLVII.

De cœptis ab S, consequente C. Scabrositas, *orationis spina.* Scalarium, *gradus scalarum formâ.* Scambiator, *trapezita.* Scana, *umbraculum ex densitate arborum.* Scamillum, *sive* scamellum, *scabellum.* Scandalosum, *doctrina, aut vita, sic offendens homines, ut non eo pede insistant viam veritatis, aut pietatis, quo fecissent.* Scandilium *vel* scandile, *gradus, quibus scanditur.* Scapulare, *monachale scapularum tegumentum. Obiterque de* interscapulo, interscapilio, & scapilio. Scara, *pro Græco* ἐσχάρα, *sive crusta, ferro, vel medicamento inducta. Item obiter de* scara *pro turba, & diminutivo* scaritta. Scariola, & endivia, *pro intybo sativo.* Sceptoriæ, *cisterna.* Sceptrigerans, *sceptriger, sive rex.* Sceptrinum, *quod pro sceptro est.* Scholaris *alius in militia, alius in literarum cultura; unde* scholaritas. Scholasteria, *scholæ præfectura.* Scibile, *quod sciri potest.* Scilia *videri vocem nihili, ex scrinia corruptam.* Scindulæ, *scandula.* Sclusa, *catarracta.* Sconna, *corruptum ex* sculna. Scordiscus, *scorteum:* scordiscale, *ephippium:* scordiscarius, *qui ephippia conficit.* Scorticatus, *ad vivam cutim rasus.* Scribones, *scribæ.* Scrinarius, *qui curat scrinium Principis.* Scrutinium, *scrutatio.* Scudicia, *quando terra circa arboris caudicem effoditur.* Sculca, *excubia.* Scupha, *cucurbitula.* Scutagium, *servitium militare debitum Regi.* Scuterium, *pedites scutum gerentes.*

PErgamus porrò ad ea, quæ incipiunt ab SC.

Scabrositas vulgare: veteres pro eo asperitas, vel etiam *disserendi spina.* Sic Cicero in Orat. *Spinosum disserendi genus.* Et primo de Oratore: *Sed hæc erat spinosa quædam, & exilis oratio, longeque à nostris sensibus abhorrebat.*

Scalarium, pro gradibus, quibus, velut scalis, è cœmeterio in majores adscenditur Ecclesias. Matthæus Parisius in Additamentis: *Per laicos custodes cœmeterium, vel scalarium Ecclesia circumdatur, & vallatur, quod vix potest fugitivus in alimentis ab Ecclesia sustentari.* Dixeris, legi apud Vitruvium lib. V cap. VI: *Hi qui sunt in imo, & dirigunt scalaria, erunt numero septem.* Sed hic *scalaria* potiùs est à recto *scalare:* quomodo lib. X cap. XIII ait: *Regula dextrâ, ac sinistrâ, scalari formâ compacta.*

Scambiatores, trapezitæ, à *cambium*, vel potiùs *cambiator*, S præmisso, ut *sculca* à *culca*; de quo in *Sculca*. Matthæus Parisius an. CIƆCCLIII, in lugubri querimoniâ episcopi Lincolniensis jam moribundi: *Nunc domini Papæ mercatores, vel scambiatores, obmurmurantibus Judæis, palam Londini fænerantur.*

Scana in Glossis Isidori exponitur, arborum densitas. Est ex Dorico σκανά, pro σκηνή, quod umbraculum notat.

Scamillum, vel *scamellum*, pro *scabellum*, ὑποπόδιον. *Scabillorum crepitus* memorantur Arnobio lib. VII. Uti & Lutatio ad illud Papinii *, —— *Et ad inspirata rotari*

* Lib. 7. Thebaid. vers. 170.

Buxa —— *Buxa*, inquit, *tibia, vel scamillum* †, *quod in sacris tibicines pede sonare consuêrunt.* Nempe crepitus scamilli sonus ille, quem ederet pede, sive lignea, aut ferrea soleâ percussum. Meminit ejus rei & Cicero pro Cœlio. Vide sis Ludovicum de-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. cxxxvii §. 1.

† Ubi tamen in Parisinâ, scabellum.

Scandalosum in Concil. Pisan. II *, atque alibi sæpe, præcipuè in Theologorum Censuris, passim occurrit, pro eo, quod vel doctrinæ Ecclesiæ, vel piis moribus, adversatur; eoque, quo minùs homines in recta doctrina, aut vita, inoffenso pede pergant, haut minùs impedit, quàm cùm in via ad saxa, vel aliud, offendimus. Quare non difficile fuerit Latinè προσκόπτειν. Tantum verò abest, ut *scandalosum* putem Latinum, ut, extra sacrum argumentum, vix *scandali* sim voce usurus. Nam neque σκάνδαλον, vel σκανδαλίζω, alibi invenias, quàm apud Ecclesiæ scriptores. Quos vocabulum id accepisse arbitror ex lingua, non, ut aliqui vocare solent, Ἑλληνιστικῇ, quæ nulla, propriè si loqui amamus, vel est, vel fuit; sed communi illâ, quæ iis temporibus obtinebat: ac cui ab Ecclesiæ hominibus multi miscebantur Hebraismi. Ut linguam, qua Græcè exstant Veteris, & Novi Testam. libri, vocare conveniat Græcam vulgarem Hebraizantem: nempe à potiori parte, quando & multa à Syris sunt, & Chaldæis, atque aliis: imò in novo fœdere etiam à Romanis: neque id modò, quatenus Romana legimus vocabula, qualia πραιτώριον, φραγέλλιον, & tot alia: sed etiam cum Græcis alia tribuitur significatio, quia Romana vox sic sumatur. Quale est ἐρωτᾶν *, pro *orare*; quia Latini *rogare* etiam pro *orare* accipiunt.

* Pag. 156.

* 2 Thess. 2. 1.

Scandilia, scalarum gradus. Cæsarius lib. VIII Miracul. cap. xc: *Octo etiam inferni scandilia, supremum attribuens Christo; reliqua sex ordinibus sanctorum.* Vicinum est *scalarium*; de quo diximus. Dubites interim, rectùsne sit *scandilium*, quod à *scando*, ut ab αὔξω, vel *auxi*, est *auxilium*: an *scandile*, penultimâ porrectâ, ut à *cubo*, *cubile*; à *sedeo*, *sedile*: an eâdem correptâ, quomodo à *sorbeo*, *sorbile*; *utor*, *utile*; ac à *verto* etiam *vertile*, apud Sidonium, pro *versile*.

Scapulare, monachorum amictus. Utuntur Benedict. de mon. ad benef. mitt. cap. xxiv, Joannes in Vit. P. Damiani, & Cæsarius lib. VIII Mirac. cap. xcvi. Est, quod Græcis ἐπωμὶς, Hebræis *ephod*: nempe tegumentum scapularum: unde & nomen, Belgis etiam *scaplaris*, & Græco-barbaris σκαπτάλιον. *Scapula* verò summus humerus, sive pars alis obversa: unde & locus inter scapulas *interscapulum*, vel *interscapilium*. Hyginus in descriptione Ursæ: *In humero claram unam, in pede de posterioribus novissimo duas, in summo interscapilio unam.* Glossæ Philox. *Scapula*, ὠμοπλάτη. *Interscapulum*, μετάφρενον. In Onomastico etiam est, *Scapilium*, νῶτον. Uti non ausim.

Scara Latinis, ut σκάρα Græcis posterioribus, usurpatur pro crusta, quam ferrum candens, vel medicamentum causticum, induxerit. Sic ἐσχάρας voce utuntur medici juniores. Unde Simon Januensis in clave sanationum: *Scara, vel eschara, ab adustione ignis, vel cujusque alterius rei.* Sic *scarotica medicamenta* nuncupant, quæ veteribus Græcis, ἐσχαρωτικά. Uti ἐσχάρωσις, *incrustatio*, ab ἐσχάρα, quod non *focum* tantummodo notat; sed & *crustam* ferro candenti, vel medicamento ἐσχαρωτικῷ sive καυστικῷ, inductam. *Scara* igitur ex ἐσχάρα: hoc fortasse ab אש *esch*, hoc est, ignis; inde sanè *æstus*, & *æstas*. De *scara* sic Papias: *Scara, combustio ignis.* Habet & *scara* alteram significationem pro turba. Ut in Supplemento Histor. Francicæ Gregorii Turonensis cap. LXXIII: *Scaram de electis viris fortibus.* Et apud Rheginonem lib. I Chron. *Misit occultè unam scaram de electis viris.* Fulcherius Carnotensis in Gestis Peregrin. Francorum an. CIↃXCVIII *: *Igitur ad bellum sic paratis omnibus exierant de civitate summo mane, quod IV Calend. Julii tunc evenit, vexillis præcedentibus scararum, & acierum, separatim per catervas, & phalanges, convenienter divisarum.* Verùm eâ significatione originis est Germanicæ: dictumque de eo libro superiori cap. XVII. Estque ab eo diminutivum *scaritta*: quod legas in Supplemento Historiæ Franc. Gregorii Turonensis cap. XXXVII.

† Pag. 393.

Sariola officinarum, quæ & Germanis *scariol*, Gallis *scariole*, Latinis est *intubus sativus*; qui & *endivia* barbaris. Dubium verò, an *scariola* sit corruptum ex *seriola*; ut sic dicatur, quasi σέρις minor, quia minoribus sit foliis: an ex *serriola*, quia folia ejus, minutæ instar serræ, pungant. Prius sentit Matthiolus ad Dioscoridem: posterius Dodonæus Pempt. V lib. I cap. XXIII. Est & tertia opinio. Nam apud Myrepsum de Drosatis cap. LXXI occurrit σκαρολάχανον: unde corruptum *scariola* videtur. Sanè σκαρολάχανον idem, ac intybus, sive endivia. Atque hoc monitum veteri amico τῷ μακαρίτῃ Meursio in Gloss. Saltem media sententia est erronea. Nam *serriola* est Græcis θρίδαξ ἀγρία, Latinis *lactuca sylvestris*: quæ verè serræ modo armata. Error eorum, qui *serriolam* putant intybum, oritur ex eo, quòd pharmacopœis, quæ est sylvestris lactuca, vocetur *endivia*: perperam sanè, cùm *endivia* notet *intyba*: imò *endivia* est ex *intyba* corruptum: facilè enim *b*, & *v* consonum, commutantur.

Sceptoria, cisternæ; ut est in Glossis Isidori. Nempe *sceptoria*, junioribus dictum pro *exceptoria*, quia aquas de tecto exciperent. Sic *spansus*, pro *expansus*. Belgis etiam *spannen*, non ἀπὸ τοῦ σπᾶν: quod doctissimus noster amicus putavit †.

† In Etymologico.

Sceptrigerans, Rex, sive *sceptriger*, quod apud Ovid. VI Fast. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adalardi, abbatis Corbeiensis, cap. I. §. V: *Cum quo postquam beatus puer liberalium fontem transivit, non illoto pede, inter primos palatii ætate, & sapientiâ cœpit florere, & primus haberi sub ipso sceptrigerante.*

Sceptrinus à *sceptro* format Aldhelmus; qui in prosa * *sceptrinas virgas*, dixit pro ferulis, quæ Martialis vocat *sceptra pædagogorum*. Idem Aldhelmus in Carmine: *Sceptrinum vimen dextrâ gestabat in almâ.* Sic Salmasius ad Vopiscum; cui & subscribit Ludovicus de-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XLI. §. XII.

* Cap. 18.

Scholaris vox non uno modo accipi solet. Est cùm sumitur à scholis literariis. Ut Hieronymo epist. ad Damasum: *Nec aures Quinctiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ.* Ac similiter apud antiquum scriptorem vitæ Sigeberti, Dagoberti I filii, quæ primùm edita studio atque operâ Andreæ du Chesne †: *Æneam quidem ad Italiam venisse, & Romani imperii fundamenta jecisse, etiam à Scholaribus cantatur.* Similiter Joannes Saresberiensis epist. CCLXXVII, quæ ad Magistrum Odonem: *Tam Ecclesiis, quàm Scholaribus, gratissimum.* Item Cæsarius lib. I Miracul. cap. XXXII, & lib. VI cap. V. Adhæc Matthæus Parisius, atque alii. Est item cùm *Scholaris* dicitur à scholis militaribus. Quomodo nec refugit elegans scriptor Sulpicius Severus de vita S. Martini lib. I cap. I: *Ipse armatam militiam in adolescentia secutus inter scholares alas, sub rege Constantio, deinde sub Juliano Cæsare militavit.* Quæ verba hinc petita, etiam legas in Lectionali: sed ibi pro *scholares* perperam legitur *scalares*. *Scholaris militia* mentio est L. XXXVIII. de decurionibus in Cod. Theodos. *Scholares* imperatoris memorantur L. III Cod. de Officio magistri offic. Atque hinc σχολάριοι Agathiæ, Constantino Prophyrogennetæ, aliis: de quibus Meursius in Glossario suo. A *scholaris* factum *scholaritas*: quod usurpat Carolus V Galliæ Rex in Edicto de Alien.

† Tom. I scriptorum de rebus Gallicis, pag. 591.

Scholasteria, cura, ac institutio, vel præfectura scholastica. Cæsarius lib. IV Mirac. cap. LXII: *Cui cum reditus Scholasteria non sufficerent, necesse erat, ut debitis obligaretur.* Vox inde formata, quòd *scholaster* vulgo dici soleat, qui Latinis Scholæ præfectus, vel curator.

Scibile dixerim invitus. Sed malim pro eo, *quod scientiâ continetur*, vel, *quod scientiâ comprehendi potest.*

Scitiorum custos lego apud Luitprandum in Legat. * *Huic magnum vas vini appositum est: homo scitiorum custos, qui quotidianos sumtus præberet; cui similem si requiras, non terra, sed infernus forsan dabit.* Fortasse legendum, *scri-*

* Pag. 80.

scriniorum custos: qui Abboni, & aliis, *scriniarius*; ac similiter σκρινιάριος Suidæ, χαρτυλάριος, Zonaræ, Nicetæ, Balsamoni, aliis; nempe more Latino. Nam & *chartularius* is Gotfrido Viterbiensi in Chron. Part. xx. Vide inferiùs *Scriniarii*.

Scindula corruptum ex *scandula*; quomodo sectiles sive fissiles laminæ, quibus tegularum vice insternuntur tecta, vocantur à Cæsare, Vitruvio, Columella, Plinio. Ac putabat Hermolaus Barbarus, ex eo esse id nominis, quòd scandula scandulæ imposita sit in tecto, & ita una alteram gradatim scandat, squamarum modo. Indeque *tectum scandulare* apud Appuleium lib. III. Sed juniores pro eo *scindula*, & *scindulare*. Prius est apud Eutropium lib. VI, & Isidorum lib. IX cap. XIX: atque addit, sic dici, quia scinduntur, ac dividuntur. Imò & sic in plerisque est Vegetii libris lib. XXII cap. XXIII; ut monitum Stewechio. Nec desunt, qui si *scandula* dicatur, censeant I in A fuisse conversum. Mihi id parum fit verisimile. Potiùs enim A in I immutari solet, quam contrà. Utcunque istoc est, juniores non aliter, quàm *scindula*. Etiam Legg. Longobard. lib. I tit. XXV. leg. XXVII: *Siquis de casa erectâ lignum quodlibet, aut scindulas, furatus fuerit, componat sol. VI.*

Sclusa, ex *clusa*, sive *clausa*, pro catarracta: ut Galli *escluse*, Belgæ *sluise*. Lex Salica Tit. XXIV §. II: *Siquis sclusam de farinario alieno ruperit; DC denar. qui faciunt sol. XV. culp. judicetur.* Vide, quæ in *Clusa* dixi cap. XXV.

Sconna, sponsus: ut est in Glossis Isidori. Sed rectè emendant: *Sculna, sponsor. Sculna*, pro sequestre, dixit Varro: sed inter sordida reposuit P. Lavinius, teste Agellio lib. XVI cap. VII.

Scordiscum in glossis Isidori exponitur corium crudum: nempe à *scortum*, id est, pellis; unde *scortea*, è pellibus facta: de quibus Festus Pompejus. Etiam ephippium, quia è corio fieret, dicebatur *scordiscale*. Glossæ Cyrilli: Ἐφίππιον, *scordiscale*. *Scordiscarius* B. Hieronymo, qui hujusmodi conficeret: quod & Turnebo placitum lib. XXIV Advers. cap. III. Vide, quod sequitur, *Scorticatus*.

Scorticatus, ut puto, idem ac ad vivam cutem rasus, à *scortum*, pro corio, pelle, cute: unde & *scorteus*, pelliceus. Capitul. Kar. M. & Ludov. Pii lib. V cap. II: *Et si ordinatus presbyter sit; duos annos in carcere permaneat, antea flagellatus, & scorticatus.* Eademque verba habes lib. VII cap. CCCXVI. Pithœus † illustravit hisce verbis Burchardi in lege, quam dedit familiæ: *Constituimus, ut ei tollantur corium, & capilli.* Vide, quod proximè retuli, *Scordiscus*.

† *In Glossis, quas Kapitulari subjunxit.*

Scribo, ex *scriba*, pro præfecto satellitum Imperatoris. Sic enim Latinos, puta illos collapsæ Latinitatis, eo vocabulo usos; testes sunt nobis Suidas in Σκρίβωσι, & Theophylactus Simocatta Histor. Mauric. lib. I cap. IV, & lib. VII cap. III. Usurpat ita Anastasius in Vigilio: *Misit scribonem cum jussionibus suis.* Et in Theodoro: *Per manus Maurini scribonis, & Thomati chartularii.*

Scriniarii sæpius in Codice Justinianeo memorantur. Horum fidei ac curæ commissum scrinium sive arca imperatoris. Nominat & Radevicus Frisingensis de gestis Friderici Ahenobarbi lib. IV cap. LXX: *Cardinales, clerus, judices, scriniarii, senatores.* Item Abbo Floriacensis in vitis Pontificum sect. XC*. Gloss. *Scriniarius*, χαρτυλάριος. Adi & Suidam in Σκρινιάριος, ac imprimis Brissonium de Verb. Signif. De vocabulo *primiscriniarius*, vidimus cap. XXXVIII.

* *Pag. 257.*

Scrutinium apud Appulejum lego in IX Met. Sed apud antiquiorem neminem. Multò igitur præferam *scrutatio*, *inquisitio*. At junioribus est crebrum; præsertim quando sermo de iis, quibus præpararentur ad baptisterium; uti apud Ferrandum epist. ad Fulgentium †, in Collectione Benedicti Levitæ lib. V cap. CCXX, apud Walafridum Strabonem de divinis Officiis cap. XXVI. Extra hoc negotium usurpat Ivo Carnotensis epist. LXXIII: *Neque inutilibus scrutiniis suis, & vanis susurris, fraternitatem vestram à sabbatho cordis expellant.*

† *Pag. 226.*

Scudicia est factum ab *excodicia*, hoc est, excodicatio, sive excaudicatio: quomodo & Itali *scodicare* efferunt pro *excodicare*. Isidorus lib. XX Orig. cap. XIV: *Scudicia dicta eo, quòd circa codicem terram aperiat: & quamvis ejus usus in reliquis operiatur, nomen tamen à codice retinet.* Utrobique *codice* est in nostris Mssis; *caudice* verò repositum in Venetâ principe, puta anni CIↃCCCCLXXXIII. Sed satis notum, *codex* esse ex *caudex*; ut *corus* è *caurus*, *orata* ab *aurata*, *colis* è *caulis*, *Clodius* à *Claudius*, & similia. Subjicit post verba allata Isidorus: *Hanc alii generaliter fossorium vocant, quòd foveam faciat, quasi fovessorium.* Ad syncopen istam, ut *fossorium* fit ex *fovessorium*, nihil recursu opus; quando à supino *fossum* etiam sunt *fossa*, *fossio*, *fossura*, *fossilis*, *fossiticius*. A *fossum* igitur *fossorium*, ut à supino *tentum tentorium*: similiaque *diversorium*, *adjutorium*.

Sculca quid sit, dictum paucis libro præcedenti cap. XVII. Sed mox liquebit, non magis deberi barbaris, quàm Latinis. Quocirca iterum de eo, sed accuratiùs, dicam. Latinobarbaris quidem *sculca*, & *culca*; Græcobarbaris verò σκύλκα, & κύλκα, notant *vigiliam*, *excubias*. Origo horum à Gallico *culca*, pro quo nunc, eliso L, pronunciant *couche*: *culca* ex Latino *culcita*. Sic *culcare*, quod Gallis *choucher*, cubare. Κύλκα, ita uti dixi, usurpat Leo Constitut. VI, secundùm cod. reg. ubi in aliis pro κύλκαις est βίγλαις; quod ex glossemate. Βίγλη autem *custodia*: quippe corruptum ex Latino *vigilia*. At σκύλκα apud eundem Leonem Constitut. XVII; uti & Theophylactum Simocattam Hist. Mauric. lib. VI cap. IX. Est & in gloss. Græcobarb. Σκύλκαι, *sculca*. Legg. Longobard. lib. II, tit. XIV, leg. VI: *Siquis in exercitu ambulare contemserit, aut in sculcam; det regi, & duci suo, solid. XX.* Ubi *in sculcam ambulare*, notat excubias obire; ut solent circitores nocturni. Atque ad legem hanc respexit Papias, cùm ait, *Sculca, in Lege, cavalcada.* Ubi *cavalcada* est *caballicatio*, sive equitatio; ut significet, obire excubias equo. Vide de eo, quæ dicam in *Caballare*. *Culcare*, absque sibilo, habes in Lege Salica Tit. XXXIX: *Si adhramire noluit, nec solem secundùm legem culcaverit.* Ubi *adhramire* est *jurare*, ex Gallico *arramir* *: at *solem culcare*, propriè fit ad præstitutam diem excubare, seque istic loci, ubi lex exigit, sistere: simpliciter autem notat præstituere tempus; quod Germanis *bedaegen*, Belgis *dagen*, *dag setten*, Gallis *adjourner*. A *sculcare* quoque factum *sculcator*, σκυλκάτωρ. Constantinus de administr. imper. Γνῶμεν τοῦτο διὰ τῶν σκυλκατόρων ἡμῶν. *Novimus hoc per sculcatores*, sive *excubitores nostros*. Et in Notitia utriusque imperii, inter Palatina officia, habes *exculcatores juniores*, *seniores*, *Britannicianos*. Verùm Turnebus Advers. lib. XXIV cap. XII censet, *exculcatores* vocari, quia glandes exculcarent. Id non puto: sed esse à *culca*, pro *culcita*. Iidem *sculcatores* sunt Vegetio lib. II cap. XV, & XVII; uti Leoni Imper. Constitut. III, Mauritio item Strateg. lib. IX, σκυλτάτωρες. Nempe hæc vox truncata ex *auscultatores*. Sic σκοῦλτα in Gloss. Græcobarbaris exponitur, *auscultationes*, *excubiæ*. Videlicet ab eadem ratione, ob quam vulgo vocamus *sentinellas*: quia subtili sensu aucupentur, ecquid videant, vel audiant, quod argumentum hostis propinqui videatur.

* *Vide inferiùs cap. 22.*

Scupha, cucurbitula: corruptum ex σικύα κουφή. Petrus Blesensis epist. LXXIV: *Frequenter evenit, ut uni membro per aliud medeamur. Dolent aures, & scuphæ humeris apponuntur: delictum cordis fletus oculi purgat: peccavit manus, & pectus contunditur.*

Scutagium, servitium, sive auxilium, quod quisque scuto Regi præstare tenebatur. Matthæus Parisiensis an. CIↃCCXV, in charta libertatum à Joanne Rege concessarum: *Nullum scutagium, vel auxilium, ponam in regno nostro, nisi per commune consilium Regni nostri.* Atque aliàs apud eundem.

Scuterium, ni fallor, scutatorum præsidium. Petrus

de Vineis lib. v, cap. xxxvii: *Magistrum G. cum equitaturu, scutoriis, & rebus suis, sine alicujus pedagii exactione, ire, stare, & ad Curiam nostram redire, securè, & liberè permittatis.*

Cap. XLVIII.

De iis, ubi initio vocis post S ponitur E. Secretarium, *in judiciis, ubi reorum caussa expenderetur, priusquam extra velum de tribunali ferretur sententia. In templis autem, ac monasteriis, ubi thesaurus Ecclesiæ adservaretur.* Secretarius, secretalis, à secretis, asecreta, *unde* & protoasecretis. Seculatus *fortasse, in omne seculum dicatus.* Secundicerius, *qui secundum obtineret locum in aliquo collegio.* Securatio, *cautio.* Sediculum, *sedile.* Seditionarius, *seditiosus.* Segregus, *segregatus, solitarius.* Sellarius, *eques.* Seminiverbius, *nugator verbosus.* Sensatus, *sapiens: ut* insensatus, *insipiens.* Sensualitas, *facultas sentiendi.* Sentinella, *excubia.* Sentinosa *navis, cujus sentina crebrò evacuanda.* Sequacitas, *quâ quis dictantem assequitur in scribendo.* Sequenteriana *vacca, quæ optimam bonitate proximè consequitur.* Sequentiæ, *aliter jubilationes, vel prosa.* Sequipedes, *pedisequi.* Seratus, *serâ occlusus.* Serietas, *seria cogitatio.* Seriosus, *serius.* Sermentatus, *juratus.* Sermusculus, *sermunculus.* Serviculus, *servulus.* Servitor, *minister.* Sextariatici, *qui obstricti ad sextarium persolvendum domino.*

SEquuntur, ubi principem literam S, secunda excipit vocalis.

Secretarium, conclave, vel locus, ubi reorum caussa à judicibus expenderetur, ac tandem statueretur, qualis de tribunali pronuncianda esset sententia. L. ult. C. de off. div. jud. & L. ult. C. ubi senat. vel clariss. Hic locus sæpiùs velo separabatur a tribunali: ad quod tribunal præses se conferebat, pronunciaturus, quid interiùs de judicum sententia foret decretum. Etiam rei huc arcessebantur, ut à judicibus examinarentur. Ado in Martyrologio Prid. Id. Augusti de Euplo: *Cùm esset extra velum secretarii, intromissus est, jubente Calvisiano consulari, in auditorium.* Synodus Africana similiter appellat τὰ σήκρητα τῶν δικαστηρίων: hoc est, *secreta judiciorum*: τὸ ἀπόρρητον δικαστήριον vocatur Philostrato in Vita Apollonii lib. iv. cap. xv. De hac *secretarii* significatione diximus quoque lib. ii Harmoniæ Euangelicæ De Passione ac Morte Domini. At κατὰ μεταφορὰν usurpat Augustinus lib. ii de lib. arbitr. *Jam tibi sapientia de interiore sede fulgebit, & de ipso secretario veritatis.* Ac Fulgentius serm. de verbis Mich. Prophet.† *Intra in secretarium cordis tui, ubi soli te vident oculi Domini Dei tui.* Habebant & templa, ac monasteria suum secretarium; in quo thesaurus reponebatur, ac sacri codices. Auctor de vii Ord. Eccles. apud Hieronymum T. iv*: *Eget in sede presbyter, in altari Levita, in secretario subdiaconus, in lectione lector, & in templo ostiarius, in sepultura fossarius.* Fortunatus de vita S. Radegundis reginæ lib. i: *Intrans in secretarium, monacha veste induitur.* Beda Eccles. Histor. lib. ii cap. i: *Sepultus verò est corpore in Ecclesia B. Petri Apostoli ante secretarium, die iv Iduum Martiarum.*

† Pag. 273.

* Pag. 83.

Secretarius, qui olim actuarius, vel scriba. Usus Gregorius M. epist. xix ad Natalem episcopum Salitanum. E longè recentioribus, apud Petrum de Vineis lib. iii epist. xxv legas, *Secretarius Siciliæ.* Uti & apud Bekam in Willebrordo, Episcopo primo, & in Actis Concilii Pisani, est *Secretarius Papæ**. Etiam *Secretalis* pro eo est apud Andream Abbatem de vita S. Ottonis Babebergensis episcopi lib. i cap. iv: *Ita sibi prudentissimum Imperatorem nobilitate morum, & fidei pietate devinxit; ut eum, quasi unicum amplectens filium, secretalem intimum, & custodem capitis sui, poneret cunctis diebus.* Usitatiùs verò *à secretis* dici solet: quomodo appellat Hincmarus epist. iii cap. xvi. Imò & voce unica *asecreta* legas apud Karolum M. vel Alcuinum, lib. iv de Imaginibus cap. ix. Græcis, Latinorum imitatione, ἀσηκρῆτις, vel ἀσηκρήτης: qui Joanni Citrio in Responsis ὁ ἐπὶ τῶν σηκρήτων. Etiam in Palatinis officiis πρωτασηκρῆτις: *protasecretis* itidem Luitprando in Legatione, qui aliis *protosecretarius*.

* Pag. 52. edit. Parif. a. 1612.

Seculatus quin a *seculo* sit, nemo ambigat. Legas in Revelatione reliquiarum S. Genovefæ†, §. vi: *Revelata est —— mense Januario, decimâ mensis, in Octavis ejusdem sanctissimæ virginis, & à fratribus est dulciter Deo seculata.* Sed quid ea vox signet, non ita apertum est. Nihil occurrit nunc meliùs, quam si dicam, modò sana sit lectio, *seculata* valere, seculo omni sacrata, dicataque.

† Apud Bollandum in Vitis SS. ad 3 Jan.

Secundicerius usurpat Gregorius M. lib. ix Registr. ep. xxxiii, & Abbo Floriacensis de vitis Pontificum sect. xc*. Vide, quæ diximus in *Primicerius*.

* In Vitis SS. ad 2 Jan.

Securatio, pro cautio, Latinum non est: uti nec *securari*, pro cavere rebus suis.

Sediculum à *sedeo*, quâ forma à verbis dicimus *amiculum, redimiculum.* Sed *sedile*, aut *sedes*, dicendum. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adalardi, abbatis Corbeiensis cap. ix §. lv: *Vix enim, ex quo venit, absistebat ejus obsequio, sed, locato ante lectum sediculo, semper adsidebat coram eo.*

Seditionarius, pro seditioso, apud Gregorium Turonensem lib. x Histor. Franc. cap. xv.

Segregem vitam dixit Seneca in iv de Benef. Ac Tertullianus est de Pœnitent. cap. xi: *Nullus comessationibus congreges.* At juniorum aliqui talia in secunda per VS extulere. Auson. in Parental. carm. ix:

Ipse tuo vivens segregus arbitrio.

Martianus Capella lib. ix: *Hæc igitur modò dispares numero, nec disgrega venustati eruditionis.*

Sellarius, eques. Vita Anastasii Persæ martyris, ex Latinis vett. MSS. cap. v†: *Sellarius vero, qui erat super carcerem, dum esset Christianus.* Satis liquet, hìc sermonem esse de præfecto carceris. Sed proprie est eques. Unde in ejusdem vita, sed ex alia interpretatione, cap. iii: *Vix paullum ab illis recesserat, cùm eum viderunt caballarii quidam, sive equites, considentes ante Derbas, quod est sellarii pratorium: dixeruntque invicem propria linguâ, Hic delator est. Quo audito, vir beatus, eos intuitus, dixit, Quid blateratis? Ego delator non sum, sed servus Jesu Christi: & melior vobis sum, cùm & ego aliquando, ut vos, caballarius fuerim. Illi consurgentes eum comprehendunt. Egressus sellarius, & rogatus, unde esset.* Legas quoque cap. v, & vi: imò & Græcè, in ea vita, Σελλάριν itidem vocem habes. Suidas: Κέλης, ὁ σελλάριος. Eustathius ad Il. O, & Etymologici auctor, κέλητα, καὶ μονάμπυκα, exponunt.

† Apud Bolland. ad 22 Jan.

Seminiverbius, expressum ex Græco σπερμολόγος: quod non apud Demosthenem† modò habes; sed etiam Actorum xvii. Sic dicitur ὁ σπείρων λόγους, seminans verba, blatero, inania funditans. Paullò tamen benigniùs capere videtur Odericus Vitalis Ecclesiasticæ Historiæ lib. x*: *Reverendus itaque senex inter Italos, de quorum origine propagatus fuerat, aliasque gentes, fere biennio exulavit, & externis auditoribus dicax seminiverbius spiritualiter profuit.*

† Pro Corona.

* Pag. 774.

Sensatus, sensu pollens; ut *insensatus*, amens, stultus. Gloss. Cyrillo tributæ: Νουνεχής, *cordatus, sensatus, intelligens.* Ad Galat. iii. i. ἀνόητοι, a vulgato interprete vertitur *insensati*: ab aliis, *amentes.*

Sensualitas, τὸ αἰσθητικόν, sensus, vel appetitus. Henricus de Hassia in Speculo Anim.* *Et sensualitas lascivit ad voluptatem.*

* Pag. 9.

Sentinella, pro excubiis, à sentiendo: ut ab *auscultando* posterioribus Græcis σκουλκάτωρες, quasi *auscultatores*, & σκοῦλκαι quasi *ausculta*. Adi Rigaltii Glossarium.

Sentinosa navis, rimosa, ac ubi sæpius exhaurienda sit sentina. Ambrosius in orat. funeb. de obitu fratris†: *Sed & peregrinationem explicuisti, & rem ordinasti, & veteri, & sentinoso, ut audio, navigio, iterum te fluctibus credidisti.*

† Pag. 16.

Sequa-

Sequacitas pigra Sidonio lib. IV epist. XI, quando quis difficulter assequitur, quæ dicuntur. Idem lib. IX cap. IX, *Scribarum sequacitas saltuosa.* Intelligit celerem scribarum manum velociter excipientium.

Sequenteriana vacca videtur esse, quæ in legitimo armentorum grege, hoc est, ubi minimùm sunt duodecim numero, post vaccam optimam, & præstantissimam, proximæ est bonitatis. Nempe, credo, à *sequenter*, unde apud Ulpianum *consequenter*: quia præcipuam proximè sequitur. Lex Alamannica tit. LXXV. *Si quis in vaccaritia legitima, ubi sunt XII vaccæ, vel amplius, taurum ex ea involaverit, vel occiderit, III sol. cum * solvat: —— optimam vaccam IIII tremisses licet adpretiare: illam aliam sequenterianam sol. I.*

* Proci, more seculi.

Sequentiam, pro consequenti ordine, non refugit Frontinus lib. I de Aquæduct. Quid Ecclesiastici eâ voce designent, cognoscimus ex Ordine Romano circa principium, ubi legas: *Sequitur jubilatio, quam sequentiam vocant. Prosa* aliter nominatur. Usurpat prius Matthæus Parisius in vita Guilhelmi, XXII abbatis S. Albani: *Sequentiam quoque de S. Albano componi fecit, & sollemniter pulsatis duabus nolis, decantari.* Et mox: *Sequentiam de Sanctis, quorum reliquiæ in hac continentur Ecclesia, in hac constituit decantari.* Cantari solet sollemnibus diebus; ut festo Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi. Primus composuit, seu Rogerus, ut in nonnullis Sigeberti codd. vocatur; seu potiùs Notgerus, sive Notkerus, abbas S. Galli, & (si vulgaris placet opinio eorum, qui duos Notgeros confundunt) postea episcopus Leodicensis. Primus in Missa cantari præcepit Nicolaus Papa. Primus sequentias varias fecit Hermannus Contractus: alias postea cum Petrus Compostellanus episcopus, tum Robertus Franciæ Rex. De quibus sigillatim vide Guilhelmum Durandum, de ritibus Ecclesiæ Catholicæ cap. XXII. Plura de Sequentiarum auctore dixi lib. de Mathematicis disciplinis, quo loco de Musicâ tracto.

Sequipedes, pedisequi. Vita SS. Juliani, Basilissæ, & sociorum, in Præfatione †: *Ut per angustam viam eorundem Sanctorum valeamus sequipedes esse.* Ubi in Ripuariensi Mso Bollandus reperit, *valeamus sequi vestigia.* Puto, librarium, vocis novitate offensum, sic immutâsse. Sanè & cap. I. §. IV. ejusdem vitæ in uno Mso est *pedisequam*; in altero *sequipedem*; ut eidem observatum. Est & cap. VII. §. XXIX: *Christum confiteor, Beati Juliani vel me sequipedem protestor.* Ubi alii *pedisequem*, alii *sequipedam*.

† Apud Bolland. 9 Januar.

Seratus, serâ occlusus. Petrus Blesensis Serm. XXIV: *Si forte cibos communes, & regulares fastidieris, & præter corporis necessitatem, & loci, ac temporis opportunitatem, seratis januis, fenestris clausis, mollius curabis te, dicens: nemo me videt* &c.

Serietas, seriarum rerum meditatio. Sidonius lib. I epist. IX, & lib. IX epist. XIII. Item longè recentior, sed sedulus veterum lector, Joannes Sarisberiensis, ep. LXXXI, quæ ad Abbatem Cellensem: *Ego autem, quod in promptu, habeo, proferam; si tamen nugas serietas vestra dignatur admittere.*

Seriosus, pro *serius*, non dixerim. Junioribus est crebrum.

Sermentatus, juratus, à Gallico *serment*, juramentum. Chronicon Cameracense lib. III cap. XLIX: *Ambo videlicet sermentati. Sermeus* corruptum ex *sacramentum*.

Sermusculus arcanus, pro sermone exiguo: est apud Adamannum de rebus Sancti Columbæ libro III. Nempe ut à *rumore* apud ipsum Ciceronem est *rumusculus*: sic Adamannus à *sermone* non dubitavit formare *sermusculus*. Sed Cicero, & pares, ac suppares, semper pro eo *sermunculus*; quâ formâ dicimus *homunculus*, *latrunculus*.

Serviculus, ut *fasciculus*. Usus Tertullianus de Idololat. At Terentius, Cicero, alii, semper pro eo *servulus*.

Servitor, minister; ut Gallis *serviteur*. Kapitularis Additione I, cap. XXVIII: *Ut servitores non ad unam mensam; sed in propriis locis, post refectionem fratrum, reficiantur.*

Sextariatici, rustici, qui coguntur dare sextarios. Videlicet, quâ formâ dicitur *aquaticus*, *scenaticus*, *balneaticus*. Est verò sextarius tum in aridis, quàm liquidis, sexta congii pars; unde & nomen. Continet igitur duas heminas, sive libram cum dimidia. Gregorius Mag. lib. I epist. XLII ad Petrum Subdiaconum Siciliæ: *Valde autem iniquum, & injustum esse prospeximus, ut à rusticis Ecclesiæ de sextariaticis aliquid accipiatur, & ad majorem modium dare compellantur, quam in horreis Ecclesiæ infertur. Unde & præsenti admonitione præcipimus, ut, plusquam decem & octo sextariorum modium, nunquam a rusticis Ecclesiæ frumenta debeant accipi.*

CAP. XLIX.

De auspicantibus ab S, sequente I, vel O. Sigele, *secale* Signetum, *annulus signatorius*. Silentiarius, *à secretis*. Singiliones, *ἁπλοΐδες*, *sive vestes singulæ*. Sinodochia, *xenodochia*. Sinstris *corruptum à librario videri e* sinistris. Siriaticus, *pro Syrius*. Sistarcia, *sacculus, vel cistella, quâ panis, cibusve, defertur*. Sisurna, *tegmen e pelle ovillâ*. Sitonicum, *horreum civitatis*. Situatus, *situs*. Smigma, *smegma*. Solatiosus, *consolatorius*. Soldalnus, *miles cujus operâ uterentur in quopiam carcere includendo*. Soldatus, *solidarius*, & soldarius, *miles*. Solsatis, *reus eo nomine, quòd non stiterit se judicio ante occasum Solis*. Somneitas, *somnus mollis, ac quietus*. Soniaca, *obsonia*. Sonoritas, *sonus, præcipue canorus, & harmonicus*. Sopitivum, *soporiferum*. Sordities, *sordes, sive sorditudo*. Sororitas, *vinculum inter eas, quæ communi gaudent sororum nomine*. Sortiariæ, *quæ aliter* sortilegæ, *venefica Satanica*. Sosanium, *lorica*. Sotularis, *genus calceamenti*.

NUnc adjungam de illis, ubi, post principem literam S, tertia, vel quarta sequitur vocalis.

Sigele corruptum ex *secale*: quæ Belgis *rogge*, Gallis *seigle*, & *segle*. Capit. Kar. M. lib. I cap. CXXXII: ubi legas, *modium de avena, hordeo, sigele, frumento parato.* Atque eâdem in voce Matthiolo, & botanicorum aliis, erratum, cùm *secalem* vocant. Nam *secale* Plinio neutrum est.

Signetum, annulus signatorius, aliudve ejus usum præstans; Gallis *signet*; ut & Polonis, ac Belgis. Walsinghamus in Richardo II †: *Fecit præterea, ut Vicecomites per totum Regnum nova juramenta præstarent ultra solita: quòd videlicet obedirent omnibus mandatis regiis, quotiescunque directa fuissent eisdem sub magno, privatoque sigillis, ac etiam literis illis directis sub signeto suo.* Similiter Karolus VIII Gall. Rex in Edicto de Excell. off. & Subd.*

† Pag. 357.

* Pag. 230.

Silentiarius, à silentio rebus debito; qui aliter *à secretis*, apud Salvianum, Anastasium bibliothecarium, Matthæum Parisium, alios. Sed & similiter *σιλεντιάριος*, ac *σιλεντιάριος*, Agathiæ, Procopio, Constantino Porphyrogennetæ, cæteris. Antiquissimus, apud quem legere memini, est Ambrosius lib. de obitu Valentin. †. *Vespertino profectus est silentiarius.*

† Tom. 3. p. 6.

Singiliones Dalmatenses memorat Trebellius Pollio in Claudio. *Singiliones* verò dicuntur, quia vestes essent singulæ, sive simplices; quales Græcis *ἁπλοΐδες*. Hesych. Ἁπλοΐς χλαῖνα, ἡ μὴ διπλουμένη ἁπλοΐδες. Cui contrarium ἡ διπλοΐς. A Latino *singilio* Græci fecere σιγγίλιον, quod apud Nazianzenum in Testamento: Ἐλαφίῳ τῷ νοταρίῳ, ἀγαθῷ ὄντι, βούλομαι δοθῆναι χαμαίσιον, χιτῶνας δύο, παλλία τρία, σιγγίλιον ἕν. *Elaphio notario, bonis prædito moribus, donare volo unum camasium, sive amphimallum, sticas, sive tunicas binas, pallia tria, singilionem unum.*

Sinodochia, vitio seculi, scripsere pro *xenodochia*. Gr.

ξενοδοχεῖα. Synodus Ticinensis sub Hlothario, & Hlodovico, an. DCCCL*, can. XVI: *Suggerendum est beatissimis imperatoribus; quia hi, qui monasteria, & sinodochia, sub defensione sacri Palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quòd à nullo meliùs, quàm à summis potestatibus, protegenda crediderint.* Canisius, quia initio synodi dicitur, habitam in urbe regiâ Ticino, eò *Regiaticinam* censet urbis nomen; ac synodum vocat *Regiaticinam:* quæ ubi sita fuerit, inquirendum ait. Sed quatuor sunt voces, *in Urbe regia Ticino*; ut synodus Ticini habita sit, quæ regia erat urbs regni Longobardici: ut rectè vidit clarissimus Bignonius in eruditis ad Marculfi Formulas Notis†.

** Apud Canisium.*
† Pag. 504 505.

Sinstris quid sit, quæritur. Legas apud Petrum Damiani epist. IX*: *Plerique Pontificatus jura non deserunt, & de sinstris sunt: quotquot autem legimus rectâ intentione dimisisse, certa spes est eos de æterna cum Christo societate gaudere.* Quid si scribi debeat, *sinistris!* Sanè hoc suadet ἀντίθεσις. Nam distinguit inter Pontifices, qui cœlicis fruentur gaudiis: & reprobos, quos Christus in extremo judicio statuet à sinistrâ manu. Sententia igitur est, posse dimitti episcopatum, & quosdam dimittentes esse sistendos Christo à dextris: quosdam, nolentes dimittere, staturos à sinistris.

** Pag. 17. edit. Paris. an. 1610.*

Siriaticus turgor memoratur Balduino in Chronico Cameracensi lib. I cap. XCIV: *Ejus feritatem Siriatico turgore inflatam.* Num à *Sirio*, quia Caniculæ sidus pestilens afflâsset? an, quod verius puto, *Syriaticus* rescribendum? ut eam vocem à *Syria* formârit, quomodo ab *aqua*, *aquaticum*; à *via*, *viaticum*; à pecunia *Martia*, *Martiaticum*, dixere. Ita expressum sit ex isto Martialis lib. IV epig. XLIII:

Juro per Syrios tibi tumores,
Juro per Berecynthios furores.

Ubi alludit ad Syrorum opinionem, qui putabant, Venerem in piscem fuisse immutatam; & propterea, si quis piscibus vesci auderet, ei ventris, vel alterius membri, immittere tumorem. De quo Scaliger Notis in Apotelesmaticum Manilii; & nos de origine, ac progressu idololatriæ lib. IV cap. LI.

Sistartia est apud vulgatum interpretem I Sam. IX. VII: *Panis deficit in sistartiis nostris.* Ac sic non modò editum quoque in opere Bibliorum Regio; sed similiter olim Papias, Catholicon, & Mammotrectus. Atque hic *sacculum*, vel *peram*, exponit: uti & glossa interlinearis. Intellige autem sacculum, in quo cibi portarentur; ut Papias, & Catholicon, restringunt. Belgis *knap-sack*. Fortasse igitur fuerit corruptum ex σιταρχία, quod annonam notat, ut σιταρχία, annonæ præfecturam. Atque hanc sententiam eo firmare posse videor, quòd & *sitarciam*, pro commeatu navali, legam apud veterem Juvenalis scholiasten in sat. XII vers. LXI. Sed addit Mammotrectus*, secundùm alios legi *cistarchiam*; idque à *cista*, & *arcâ*. Mallem dixisset *cistartiam*, à κίστη, & ἄρτος; ut cistella signetur, quâ panis deferretur, ὀψοθήκη. Atque hæc germana etiam lectio Drusio videtur in Comment. ad difficiliora loca Vet. Test. Ac firmatur vitæ S. Genulphi lib. II cap. II†; ubi liquidò *sitartiis* editum.

** Rectiùs Mammothreptum vocari, alibi dicimus. Sed vulgatam operis inscriptionem visum retinere.*
† Apud Boll. 17. Jan.

Sisurna contractum è *sisurina*, quòd à *sisura*. Significat verò tegumentum è pellibus ovillis. Ammianus Marcell. lib. XVI, de Juliano*: *Non è plumis, vel stragulis sericis, ambiguo fulgore nitentibus; sed ex tapete, & sisyra, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat.* Σισύραν vocant Herodotus lib. VII, & Dio Chrysostomus orat. XXV. Sed & Græcos juniores σισύρναν pro σισύρα dixisse, auctor est Aristophanis scholiastes in Vespas: Σισύρα ἐστὶ περιβόλαιον ἐκ δερμάτων συνερραμμένων παχείας ἐχόντων τὰ ἔρια. Ac mox: τὴν αὐτὴν καὶ σισύραν καλοῦσι, καὶ σισύρναν. Ac sic apud Theophylactum Simocatten legas lib. VII: Σισύρναν ἐξ ἐρίων.

** Pag. 67. vers. 27. edit. Lindenbrog.*

Sitonicum classicis quidem ignotum; sed Græcum tamen. Nam σιτωνικόν, quod ad publicæ annonæ procurationem pertinet, à σιτωνία, *frumenti emtio:* hoc à σιτώνης, *præfectus annonæ coëmendæ:* istoc à σῖτος, *frumentum*, & ὠνεῖσθαι, *emere.* Gregorius M. lib. I epist. II: *De frumentis autem quæ scribitis, longè aliter vir magnificus Citonatus asserit; quia solummodo tanta præmissa sunt, quæ pro transactæ indictionis debito ad replendum sitonicum sufficerent.* Ubi *sitonicum*, locus in quo frumentum publico nomine emtum reconditur.

Situatus, pro *situs*, est superioribus seculis frequens. Guilhelmus, Eques auratus, tractatu de terra sancta, quem ὁδοιπορικὸν inscripsit: *Prope civitatem, quæ Naulum dicitur, in riparia Janua situatam, prospere perveni.* Alexander III Papa in diplomate ad Cistercienses: *Servientes vestri in terris vestris situati.* Usus & Philippus VI Gall. R. in Edicto de off.† & Joannes Turocius Chronic. Hungar. part. I cap. XVIII: *Aquilegia civitas in introitu Italiæ situata.*

† Pag. 174.

Smigma, perperam pro *smegma*, subinde legas; uti & *smigmaticus*, pro *smegmaticus.* Nam Græcè dicitur τὸ σμήχειν, σμῆγμα, & σμηγματικός. Vitium ex eo, quòd η vulgo pronunciarent, ut ι. Sed aliter est in MSS Plinii codd. atque aliis.

Solatiosus, consolatorius. Henricus de Hassia in Speculo Anim.*

** Pag. 7.*

Soldalnus, ut puto, idem ac *soldatus*, sive miles, ac particulatim is, per quem sontes in carcerem ducuntur. In Promotionibus Concilii Pisani: *Si præsentare se, aut ad monasteria reverti, contemserint; de mandato prædictorum superiorum suorum per soldalnum carceri mancipentur.* Ita habet utraque editio Sarisina, & illa vetus Joannis Petiti an. CIↃ IↃ XI†, & altera seculo recentior, anni CIↃ IↃ CXII*. Etymon cognoscere erit ex iis, quæ continuò in *Soldatus* dicemus.

† Fol. 1. 2. b.
** Pag. 157.*

Soldatus, miles, ex Italico *Soldato:* quod & Germanis, & Belgis, obtinet. Sæpius utitur Joannes Turocius in Chronico Hungarico. Nomen ex eo, quia *solidus* pro menstruo stipendio olim*. Etiam *solidarios*, & *solitarios*, pro eo dixere. Prius apud Sigebertum Gemblac. legas: item Rogerum de Houeden Annal. tom. I in vita Guilhelmi Senioris†: alterum apud Lambertum Schafnaburg. in Hist. Germ. Etiam Græci recepere. Ac σολδάδους quidem vocat Malaxus in Histor. Patriarch. In Glossis verò Græcobarbaris est σολδάτος, μισθωτός.

** Nisi potius, quia stipendio solidarentur, sive fulcirentur: de quo dicam in Verbis, falsâ significatione usurpatis, voce Solidare.*
† Prope finem.

Solsatus, qui ante occasum Solis non stiterit se judicio. Nam uti Romanis, secundùm leges XII Tabb. *Solis occasus suprema erat tempestas:* ita etiam apud Gallos nemo post Solis occasum se sistebat judicio: sicut liquet ex Lege Salicâ tit. LII, & Gregorio Turonensi lib. VII cap. XXIII. Usus eâ voce Marculfus monachus lib. I, form. XXXVII: *Per triduum, seu amplius, ut lex habuit, placitum suum custodisset; & memoratus ille abjectus sit, vel solsatus sit; ipse nec venisset ad placitum, nec nulla sunnia nuntiasset.* Hinc verbum *solsatire*, convincere alterum, quòd non adfuerit ad judicium ante Solis occasum. Paullò pòst: *Illustris vir ille Comes Palatii nostri testimoniavit, quòd antedictus ille placitum suum legibus custodivit, & eum adjectivit, vel solsativit.*

Somata, corpora, non barbarum quidem, (quippe planè Græcum σώματα) sed classicis Latinis ignotum. Gerardus I Cameracensis episcopus, in Donatione an. CIↃ XXXIII*: *Quando Abbatiam in honorem B. Andreæ Apostoli construxit, sitam in suburbio —— ante castrum, in quo ipse Episcopus Gerardus B. Sarii Confessoris, & S. Maxellendis Virginis, sacra deposuit somata.* Non video, cur *somata*, quàm *corpora*, præferrent. At quare minùs *cadavera* maluerint; ratio esse potuit, quòd vox ipsa *cadaverum* sonet aliquid, à quo natura abhorreat. Nempe *somata* maluere, quàm *corpora*, uti *domata*, quàm *domos:* quemadmodum dictum libri hujus cap. X.

** Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. pag. 152.*

Somneitas, pro somno bono, Latinum non est. Usus interim Plinius Valerianus.

Soniaca corruptum κατ' ἀφαίρεσιν ex *obsoniaca.* Saltem *soniaca* idem ac *obsonium*; si audimus Chappeavillum, exponentem illud Anselmi, canonici Leodicensis, in Ge-

stis

ctis Pontificum Leodicensium, & Trajectensium cap. XL: *Pracepit, ne soniacam, Episcopii debitam, ab eodem loco, ubi ipsius sancti corpus quiescit, accipere prasumeret.*

Sonoritas, à *sonor*, legas apud Lupum Servatum, præfat. in vitam S. Wigberti: *Poeticâ licentiâ nonnunquam nomina mutilantur, atque ad sonoritatem Romani diriguntur eloqui.* Joannes Saresberiensis lib. II Policratici cap. XVI: *Tanta vocis sonoritate, & latitiâ, canentem, ut totum mulceret orbem.* Henricus de Hassia in Speculo Anim.† *Auditus in dulci harmonicâ sonoritate.*

† Pag. 19.

Sopitivum, soporiferum, sive soporandi vim habens. Petrus Cellensis lib. III epist. II: *Accedit hinc beatitudini meæ dulce adinvicem commercium literarum; unde & amaritudinibus meis mitigativum paratur electuarium, & inquietudini sopitivum electuarium, & hebetudini non mediocre aruginamentum.* Quàm multa hìc novè efformata!

Sordities, sordes. Petrus Cellensis lib. VIII epist. VII: *Cooperantur hac duo ad extrahendam peccati rubiginem, ad delendam pruriginem, ad extergendam sorditiem.* Ac crebrò retinet Tilmannus in tralatione homiliarum Antiochi. Plautus Pœnulo pro eo & *sorditudo* ait; quòd à *sordibus*, ut ab *habitus*, *habitudo*.

Sororitas finxere à *soror*, ut à *sonor*, *sonoritas*; de quo diximus. Est verò *sororitas*, quâ quæpiam in monasterio *sororis* nomen accipit. Thomas Walsingus in Hypodigm. Neustriæ * de Regina narrat: *Ante recessum suum, ingressa capitulum, suscepit beneficium sororitatis cum magnâ devotione.*

* Pag. 490.

Sortiaria, quæ vulgo *striga*, & *malefica*; nempe quâ formâ *sortilegos* veteres dixere. Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. VII: *Audivimus, quòd malefici homines, & sortiaria, per plura loca in nostro regno insurgunt.* Hincmarus de divortio Lotharii, ad XV Interrogat. *Alii potu, alii autem cibo à sortiariis dementati, alii verò tantum carminibus à strigis fascinati.* Quo de loco vide etiam, quæ ad Constitutiones Caroli Calvi Sirmondus annotavit. Uti verò hinc liquet, jam Hincmari hujus ætate *sortiariarum* vocabulum obtinuisse; ita obscurum, utrùm ante quoque ita fuerint locuti. Vix putem.

Sosanium, pro lorica, est à posterioribus Græcis, qui similiter dixere σωσάνιον: ut Joannes Diaconus ad Scutum Herculis. Moschopulus tamen Latinum facit: qui cùm dixisset, θώραξ nunc signare partem corporis humani; nunc verò pectorale squameum, sive ex laminis æreis, vel ferreis, concatenatum: subjungit deinde: ὃ κοινῶς ἐστὶ τῇ τῶν Λατίνων γλώττῃ σωσάνιον, καὶ λωρίκιον, λέγεται. *quod vulgo linguâ Latinâ sosanium, & loricula dicitur*, ut à *lora* non solùm λωρίκιον, sed etiam λώρικον: ita ἐστὶ ἐκ σώζειν †, non σωσάνιον modò, sed etiam σωσίνιον, fecere: Σωσάνιον verò à servando; quomodo &, Polybio teste, dixere καρδιοφύλακα, q. d. *corditutum*; ut reddebat Joan. Lascaris. Nempe vocabulum Græcum Latinæ originis Moschopulus putavit, quia veteres Græci id nescirent: ac recentioribus Latinis usurpatius esset, quàm Græcis ipsis. E Latinis usus vetus scriptor vitæ Karoli M. sed vulgò apud eum legitur *boanosos*, pro *sosanios*. Sic enim rescribi oportere, probat Meursius ex Adelmo, & incerti scriptoris annalibus; qui, rem eandem de Carolo M. narrantes, pro *boanosos* habent *loricas*. Ac probat hanc emendationem (nec dissimulat, quem sequatur ducem) Joan. Ludovicus de La Cerda Adversariorum Sacrorum cap. CXXVII.

† à servando.

Sotularis, calceamenti genus; ut pluribus dixi lib. I cap. VIII. Volunt esse à *solea*: sed censeo esse à *subtalaris*: ut istoc, quia sub talis. Adi, quæ inferiùs subdam in *Subtelaris*.

Cap. L.

Accessum ad ea, ubi initiales litera SP, vel ST. Spagirica *ars, qua aliter Alchymia.* Spalagus, *talpa.* Spalterium, *psalterium.* Spaniscus, *Hispanicus.* Spatharius, *satelles, armiger.* Spatio, *vagatio.* Spatulæ, *delicia.* Spicarium, *horreum.* Sponsalitia, *repromissio matrimonii.* Spontaneus, *voluntarius.* Spurcalia, *spurcitia.* Sputaculum, *sputum.* Standifer, *vexillariorum primus.* Statunculus, *statua minuta.* Staupus, *vel potius* stroppus, *corona.* Stautacina, *quibus intexta est figura στεμμάτων, sive tortilium pampinorum. Obterque de octapolis.* Stera, *uterus sive matrix.* Sternutatio, *sternutamentum.* Stica, *vestis Episcopalis, qua Gracis στιχάριον.* Strabus, *strabo.* Stratilectilia, *lecti stragula.* Strepus, *pro stropus, vel stroppus.* Striga, *strix.* Strio, *histrio.* Strophosus, *qui strophis, ac arte Pelasgâ, gaudet.* Strumentum, *instrumentum.* Stulticinia, *qua stulti canunt.*

Adjicienda his nunc, quæ initium capiunt ab S, sequente P, vel T.

Spagirus Theophrasto Paracelso, pro *alchymista*: unde ars *spagiria*, vel *spagirica*. Puto autem, *spagiricos* dici à duobus artis officiis: quæ sunt, composita resolvere, & resoluta componere. Nam σπᾶν, *trahere, extrahere*: ἀγείρειν, *congregare*.

Spalagus, talpa, ex obliquo Græco σπάλακος, ut à κυνὸς *canis*. Rectus est σπάλαξ, quod κατ᾽ ἀφαίρεσιν ex ἀσπάλαξ. Aldhelmus cap. XI: *Simulque truculenta regulorum, & assidum venena, ad qua quadrupedis rubeta, & spalagi pestifera confectio, humana natura nocitura habebatur.*

Spalterium, κατὰ μετάθεσιν, pro *psalterium* est in Vita Sanctorum Othon. lib. I cap. II. Nec putandus librarii error, sed vitium seculi; quando & alibi reperias, aliaque id genus.

Spaniscus, pro Hispanicus; ut *Spania*, pro Hispania. Anastasius in Benedicto III: *Spaniscas, qua pendent super altare.* Item: *Vestem de Spanisco ornatam.* Hoc est, de velo Hispanico; ut rectè interpretatur Ludov. de-la-Cerda. Nempe ut vela Tyria, Alexandrina†, Cypria*; sic & Hispanica, in pretio fuere.

† Plaut. Plin. Anastasius in Gregorio quarto.
* Pollux, Epiphanius.

Spatharius, satelles, armiger, quia spatham gestaret. Cedrenus: Σπαθάριος, ὁ σωματοφύλαξ. Glossæ Placidi: *Armiger, qui vulgo spatharius.* Isidorus in Glossis, *Salattarius* (leg. spatharius) *portator armorum.* Alcuinus epist. IX ad Nicephorum Imperat. *Arsacii, gloriosi spatharii.* Rhegino Chron. lib. II. *Arsacio spathario, legato Nicephori Augusti.* Ivo Carnot. in Chronicis: *Cui alia quoque obsequia, atque spatharios, dedit.* Adelmus in Annal. *Irene imperatrix e Constantinopoli misit legatum, nomine Leonem spatharium.* Sigebertus Gembl. in Chronicis: *Tractavit, ut inter missarum sollemnia, cum sibi ipse Papa communionem porrigeret, illum spatharius suus perimeret: sed spatharius horâ sanctâ communionis Papam nullo modo videre potuit.* Habes & in Legg. Alamannicis tit. LXXVII §. VII. Similiter apud Græcos σπαθαρίου vocem legas in dialogis S. Gregorii, ubi de spathario regis Totilæ; apud Mauricium Strategemat. lib. II cap. IX; & Constantinum Porphyrogennetam Novell. II. Qui inter spatharios principem obtinebat locum, *protospatharius* vocabatur. Usurpat Paullus Diaconus lib. VI Rerum Longobard. cap. XI. Suâ ætate nullum id munus sustinuisse, ait Codinus de Offic. Constantinop. cap. V. §. LV. Olim verò spatham, sive ensem, Imperatoris gerebat; ut est apud eum cap. V. §. V. Eo verò absente, sigilliferum hoc fecisse, legas ejusdem cap. §. XV.

Spatio, si sana est lectio, dixerit Rhegino Abbas Chronicorum lib. II: *Venatu, ac spatione, victum quotidianum quaritant.* Fortasse scripserat *spatiatione*: novè quidem, sed tamen ἀναλόγως. Interim maluissem, *spatiando*; vel cum Livio, *vagatione*.

Spatula, deliciæ, ut exponit Papias. Est à σπατάλη, quod in Glossis Cyrilli exponitur *lascivia, delicia*. Ac in iisdem est, Σπάταλος, *delicatus*. Turpinus de vita Karoli M. cap. XX: *Anserem, aut spatulam porcinam.* Sic *spatulor, delicior*: ut Catholicon interpretatur. Videlicet

à σπατιλᾶ, quod à σπαθᾶ. Hesychius: Σπαθᾷ, τρυπᾷ, ἀναλίσκει, ἀσώτως καὶ ἀφειδῶς ἀλαζονεύεται.

Spicarium, horreum, quia spicæ in eo reserventur. Gloss. *Spicarium, horreum cum tecto.* Glossarium Latino-Theotiscum: *Granarium, spicarium.* Nempe à *spicis*, *spicarium*; ut à *granis* veteres *granarium*; juniores etiam *granicum*, sicut antea vidimus, dixere. Lex Salica tit. XVIII, §. II: *Siquis spicarium, aut macholum cum annona, incenderit; IID den. qui faciunt sol. LXIIS, cul. judicetur.* Lex Alamann. tit. LXXXI. §. VI: *Si enim spicarium servi incenderit, cum III sol. componat.* Formularum veterum scriptor, cui in Editione Bignonii locus est postremus, cap. XXVI: *Contigit, quòd cellarium, vel spicarium vestrum, infregi, & exinde annonam, vel aliam raupam, in solidos tantos furavi.* Ekkehardus in Casibus B. Galli cap. ult. *Pura de spelta dederat grana, & quod amplius erat, spicarium ille novum, quia sic homo erat, solu feris, & belluis, avibusque domesticis, & domesticatis, condi fecerat.*

Sponsalitia legas in Vita S. Maximi, abbatis martyris, cap. II, §. XII †: *Ego, inquit, te sponso, sponsalitia causâ; ut tu sis mihi sponsa in Domino, & ego tibi in Christo.* Maluissem *sponsalium*, vel *sponsaliorum*.

† In Vitis SS. ad 2 Jan.

Spontaneus, quis nunc non dicit? Sed veteres maluere *voluntarius*.

Spurcalla videtur idem ac *spurcitia*. Aldhelmus lib. de Virginitate cap. XII: *Cui* (draconi) *paganorum decepta gentilitas, ad sedandam furoris vesaniam, fanatica lustrationis spurcalla thurificabat.*

Sputaculum à *sputo*, ut *spectaculum* à *specto*. Euagrius in vita S. Antonii, ex Græcâ illâ Athanasii Latinè à se redditâ: *Vidi aliquando diabolum excelsum corpore, qui se Dei virtutem, & providentiam, ausus est dicere: & ait ad me; quid vis, ut à me tibi donetur, Antoni? At ego sputaculum maximum in os ejus ingeminans, totum me in eum, Christi nomine armatus, ingessi.* Maluissem, *conspuens ejus faciem*, vel *sputo vultum ejus conspurcans*.

Standifer, quasi standardum ferens. *Standardus*, vexillum statarium, à stando: unde Belgis *standaert*: & affine vocabulum Italicum, Hispanicum, Anglicum. Magnum Chronicum Belgicum *: *Et in illo die de Leodiensibus, & Hoiensibus, ut rumor erat, usque ad numerum XXIII millium virorum caderent, ante exercitum in cono belli interemptis intruso, & mamburno prædicti cum eorum standifero, & pluribus aliis nobilibus.*

* Pag. 338.

Statunculus ejusdem originis, ac *statua*: notat verò minutam statuam, vel effigiem. Vita S. Concordii presbyteri martyris †, §. VIII: *Et venientes satellites ad eum cum statunculo Jovis, dixerunt.*

† In Vitis SS. ad 1 Jan.

Staupi memorantur Anastasio biblioth. in Nicolao primo: *Staupos argenteos duos in arcu, quem ex argento fecerat, suspendit.* Quam lectionem tuetur Jo. Ludovicus de-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. XCV, §. XXIV. Censet verò, coronas signari. Quod si est, *straupos* legendum sit. Nam *stroppus*, & *struppus*, corona, ἀπὸ τοῦ στρέφειν, unde & *strophium*. Hinc Faliscis *strupeariorum festum*, quo cum strupo, sive struppo, hoc est, coronati ambulabant. Vide Festum in *stroppus*.

Sauracina vestes, quibus intexti pampini, sive corymbi. Sanè στρεφίχια, ἕλικες, ut interpretatur Moschopulus; hoc est, tortiles pampini, ut pro eo dixit Plinius. Anastasius in Adriano: *Cortinas de palliis stauracinis, seu quadrapolis.* Item: *Vela stauracina, seu octapla. Quadrapola* verò vocatæ à forma quadrata: uti & à forma *octapla* dicebantur. Quod judicium est Ludovici de-La-Cerda in Advers. sacr. cap. LI. §. XIII.

Stera barbaris Latinitatis temporibus dixere pro ὑστέρα: unde & corruptum per ἀφαίρεσιν. Itaque in Vocabulariis legas: *Stera, pellicula, in qua puer involvitur, & moratur.* Item, *Obstetrix, femina, quæ steram* * *tractat.* Et similia. Latini *locos*, vel *uterum*, appellant.

* Videtur existimâsse, obstetrix, quæ vox est ab obsidendo, hoc est, adsidendo, conflari ex ob. & stera: quod ridiculum est.

Sternutatio legas in Scribonio Largo. Sed de opere, quod scriptori tribuitur ætatis Tiberianæ, non levia scrupulum injiciunt. Multoque malim, *sternutamentum*; cum Cicerone, Celso, Plinio, Agellio.

Stica tunica est in glossis Isidori: fortasse pro *sticta*, ut sit χιτὼν κατάστικτος, hoc est, tunica notis variegata, ac distincta. Nimis igitur laxa est Isidori interpretatio, quando *tunicam* exponit. Atque hoc magis fatebuntur, qui sciunt, fuisse vestem Episcopalem undulatam, quam Græci στιχάριον appellant. Et fortassè *stica* ex στιχάριον κατ' ἀποκοπήν. Sed de etymo, prius, an posterius, malis, non contendero. de re ipsa pleniùs Simon Thessalonicensis libro de Templo, & è junioribus Gretzerus ad Codinum cap. XVI *.

* Pag. 174.

Strabus, pro *strabo*. Althelmus de laude Virginitatis:

Mutos, & mancos, claudos, surdosque repertos,
Luscos, ac strabos, qui tortâ luce fruuntur.

Græci, & στραβὸς, & στραβών, dicunt: sed Latinis solùm *strabo* est in usu.

Stractilectilia, stragula lecti. Matthæus Parisius an. CIↃCCXXXII: *Illi præcipuè, qui equos, & arma, & pecuniam, & stratilectilia, cum viaticis amiserant.*

Strepus in Glossis Philoxeni exponitur τροποτήρ. Hoc notat funem, quo remi ad scalmum religantur. Nempe à τρέπω, *verto*; quia funes torquentur. Uti & inde *strepus*, ἀπὸ τοῦ στρέφειν. Sed sicuti ab eo verbo στροφή, & alia; ita puto, *stropus* potiùs rescribendum, vel *strupus*, aut *struppus*. Nam facilè *o* in *u* abit. Livius Andronicus apud Isidorum lib. XIX Originum cap. IV: *Tumque remos jussit religare struppis.* Quam bene istoc convenit, cum hoc Vitruvii lib. X cap. VIII: *Remi circa scalmos strophis* * *religati.* Et illo in Glossis vett. *Strupus*, σκαλμὸς, ἔνθα κώπη δεσμεῖται. Etiam Belgis hinc *strop*, laqueus, *funis intortus*.

* Ita & editio Florentina an. 1522.

Striga, pro *striges*: quomodo vocabantur aves nocturnæ, quæ pueris credebantur exitium adferre: indeque nomen translatum ad veneficas Satanicas. Festus: *Strigas, ut ait Verrius, Græci, σύρνια appellant; quod maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant.* Ubi videmus, *strigas* censeri easdem, ac *maleficas*, & *volaticas*. Sed quòd *strigas* putârunt esse à *striga*; planè eos ratio fugit. Est enim simile, ac cum hos *crateras*, vel *rhetoras*, dicimus. Nam Ovidii est VI *Fast. Est illis strigibus nomen.* Ac *strix violenta*, est in primo Tibullii. Perperam igitur Hincmarus de divortio Lotharii, *à strigis fascinati*, pro *strigibus*. Verba pleniùs antea adduximus in *Sortiaria*.

Strio in Isidori Glossis exponitur *mimarius*, *scenicus*. Corruptum ex *histrio*. Quomodo & *Scarioth*; pro *Iscarioth*, legas apud Odonem, abbatem Cluniacensem, serm. de Magdalena.

Strophosus, versutus, fraudulentus: ab ea significatione *stropha*, quâ Seneca epist. XVI ait, *Remotis strophis, ac fucis.* Rabanus Maurus ad Ludovicum Pium Imper. *Nec † fur strophosus foveam detrudat in atram.* Ubi & peccatum adversus legem Pediam; cùm Græcè στροφή sit; puta à στρέφω, *verto*.

† Wolf. Lazius edidit cum fragmentis Karoli Magni, pag. 190. edit. Beller. an. 1560.

Strumentum à *struo*, ut *instrumentum* ab *instruo*. Sed significatione eâdem non reperio apud antiquiores Appulejo; qui usus lib. VIII Met. *Cunctis strumentis me redunatum.* Postea à compluribus usurpatum. Ut Tertulliano ad Uxorem; Ambrosio, sive Hilario Diacono, in epist. ad Rom. cap. IX; etiam Karolo necdum Magni, vel Imperatoris nomen sortito; cùm donationem proavi sui Pipini Herstallii firmaret, an. IↃCCLXXIX *: *Sed asserit venerabilis vir, Erinhardus Abbas, quòd de ipsis rebus nulla munimina, aut strumenta chartarum, penes se habeant.*

* Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 23, sive pag. 34.

Stulticinia, stultorum cantica; ut sunt amatoria. Joannes Saresberiensis lib. I. Policratici cap. VI: *Amatoria bucolicorum apud viros graves esse fuerat criminis: nunc verò laudi ducitur, si videas graviores amatoria, quæ ab ipsis dicuntur elega[illegible]ius stulticinia, personare.*

Superpositio, jejunium; more Græcorum, quibus dicitur ὑπέρθεσις. Concilium Illiberitanum can. XXVI: *Errorem placuit corrigi, ut omnis sabbathi die superpositiones*

cele-

celebremus. Nempe quia jejunium cibationi supeiponitur. Scio, in editione Ferdinandi de Mendoza, item illa Garsiæ Loaisæ, legi, *jejuniorum superpositionem:* sed aliter editio prima, ut etiam Severini Binii editio agnoscit: ac eam pluribus tuetur ὁ πάνυ Salmasius ad Solinum exercitationibus Plinianis. Eò malo remittere, quam pluribus hic insistere.

Cap. LI.

De iis, quæ à SU, vel SY, ordiuntur. Subadjuva, *cujus est adjuvantem adjuvare.* Subalternus *magistratus, vel judex, sub altero constitutus.* Subannulati *capilli, qui in suos recidunt annulos.* Subcollectores, *publici ministri in pecuniis colligendis.* Subjugatus, *jugo subditus.* Submansor, *qui manet sub eadem jurisdictione.* Submergium, *submersio.* Subregulus, *regulus alterius imperio subjectus.* Subsequivus, *subsequens.* Subtalaris, *& corrupte* sotularis, *pedum tegmen.* Subventio, *auxilium.* Succinctoria, *campestria.* Succursus, *suppetiæ.* Sudarii, *quibus Venere lassis sudor undique dimanat.* Sufferentia, *tolerantia.* Sufficientia, *quod satis est.* Suffitorium, *&* thymiamaterium, *pro thymiaterium.* Suffraganeus, *episcopi vicarius.* Suffumigium, *suffumigatio.* Suillinum, *suillum.* Summarietas, *summa perfectio.* Summitas, *fastigium.* Superaltare, *exiguum altare magno superimpositum.* Superforaneum, *supervacuum.* Superioritas, *excellentia.* Sumtorium, *cochlear.* Superciliosus, *fastu tumens.* Superhumerale, *epomis.* Superintendens, *episcopus.* Superpellicium, *habitus sacerdotalis.* Superpositio, *jejunium.* Superscriptio, *inscriptio.* Superstationarius, *stationariorum præfectus.* Suppedaneum, *quod pedibus subjicitur.* Superventio, *superventus.* Suriscula, *hydria.* Suspensorium, *camini pars, ubi perna suspenduntur.* Sustentaculum, *quo quid sustinetur.* Susurro, *qui occulte obtrectatur.* Susurrium, *quod in aures susurratur.* Sutriballus, *sutor.* Syncellita, *eâdem degens cellâ.* Syndicatus, *Syndici dignitas.*

IN cœptis ab S reliquus iis est locus, ubi sequitur quinta vocalis, vel Græcanicum Y.

Subadjuva, pro adjutore adjutoris, liquidò usurpant Imperatores, Gratianus, Valentinianus, & Theodosius †: *Ut periculum se & adjutor, & subadjuva, adituros esse cognoscant.* Similiter in Collatione Carthagin. III: *Navigio, adjutore numerorum, & Peregrino adjutore subadjuvarum.* Frequens verò est in Notitia Imperii. Imò & ad Græcos dimanavit. Nam συβαδιῦβα est apud Synesium epist. CXLV *, & Simeonem Metaphrastem in Actis Porphyrii Martyris. Pro quo &, Δ extrito, & terminatione mutatâ, συβαιῦβος est in Glossis Basilicis: ubi exponitur, ὁ τοῦ βοηθοῦ βοηθός. Suidas similiter interpretatur, ac Romanam esse vocem agnoscit. Sed, vitioso codice deceptus, pro Σ initio habet P. Nam apud eum est ῥυβαιῦβος. Quem ejus errorem observarunt viri præclarè de hisce studiis meriti, Brissonius de Verborum Significationibus, Isaacus Casaubonus Animadvers. in Athen. lib. I cap. VI, & Joannes Meursius in Glossar. voce ῥυβαιῦβος.

† In Cod. Theodos. Tit. de Agent. in Reb.

* Ad Herculianum.

Subalternus formârunt ad instar Græci ὑπάλληλος. Sic *subalternum* magistratum vocant, qui alteri subest: *subalternos* judices, a quibus est provocatio. Rectiùs dixeris *secundarius*, vel *inferior.*

Subannulatus, vel *subannellatus*, est apud Arnulphum de Locis Sacris: ubi Christi capillum sic vocat, quia in annulos suos reciderет; ut de ejusmodi capillis Seneca loquitur de Brevitate vitæ cap. XII. De talibus annulis est hocce Martialis lib. II epigr. LXVI:

Unus de toto peccaverit orbe comarum
Annulus, incertâ non bene fixus acu.

Accuratè verò de hisce annulis Salmasius eruditâ epistolâ, vel libro potiùs, de cæsarie, ac comâ mulierum.

Subcollectores, quorum ministerio utuntur in pecuniis colligendis. Gregorius XIIII, in bullâ *, Quod subcollectores, & commissarii &c. *Quod omnes, & singula caussa nunc mota, & pro tempore movendæ, quorumvis prætensorum excessuum, criminum, & delictorum per quoscumque subcollectores, & commissarios, tam particulares, quam generales, in quibuslibet provinciis, decidi possint, & debeant.*

* T. II. 295.

Subjugatus, qui in alicujus dominatu est, subjectus, qui jugum accipit. Nec tamen de hoc multum contendero, quia apud Claudianum Panegyr. IV legas:

—— *Nulla est victoria major,*
Quàm quæ confessos animo quoque subjugat hostes.

Submansor, qui manet sub jurisdictione alicujus Ecclesiæ. Ut in Donatione quadam apud Miræum in Notitiâ Eccl. Belg. *Hac inter cæteras libertates gratiâ potitur, ut submansores ejusdem Ecclesiæ ab omni publica exactione liberi arceantur.*

Submergium, submersio. In Mso Florario Sanctorum apud Bollandum in Vitis SS. ad XII Jan. † *Tandem submergio adjudicatus.* Sermo est de Theogene martyre.

† Pag. 103.

Subregulus, regulus imperio alterius obnoxius. Thomas Wallingamus *: *Cum Edgarus, rex Angliæ, Regem Scotorum, & alios subregulos, subjugâsset.* Signat Duces, Comites, Barones.

* Pag. 492.

Subsequivus, pro *subsequens*, vel *secuturus.* Julianus, archiepiscopus Toletanus, in Historia Wambæ, regis Toletani †: *Relationem præteritæ rei, nostris temporibus gestæ, inducimus, per quod ad virtutem subsequiva secula provocemus.*

† Tom I Scriptorum de Francia rebus, ex edit. And. du Chesne pag. 821.

Subtalares, pedum tegumentum, inde ita dictum, quia sub talis foret. Vita S. Gudilæ Virginis * cap. II, §. VIII: *Diebus vero, ut humanum vitaret favorem, talibus, & ut ita dicam, dimidiis utebatur subtalaribus; ut superior pars pedum videretur tecta, sicut Dei fervens amore incedebat, inferiore nudâ relictâ.* Ubi, contra Msorum fidem, Laurentius Surius reposuit *calceis.* Garneveltius legendum putat, *subtularibus:* sed perperam. Imò neque *sotularibus*, quæ doctissimi Bollandi est conjectura, reponere omnino opus. Usurpatur etiam in Vita S. Odonis: *Dic mihi, ubi sanctus Benedictus præcepit monachis, suos lavare subtalares?* Ludovicus de la-Cerda in Adversariis cap. XXV. §. X censet, aliter a *sutela* dici, *subtulares*, vel potiùs *sutulares.* Nempe quia in codice Mso vitæ S. Gudilæ, seu Gundulæ, sit: *Diebus talibus, ut humanum vitaret favorem, dimidiis utebatur sutularibus* &c. Verùm à *sutela* non esset *sutularis*; sed *sutelaris.* Interim hæc codicum inconstantia facit, ut nec damnem *sotularis:* quod & ipsum barbari pro eodem calceamenti genere usurpant. Vita B. Rogerii abbatis Ellantii cap. VII, §. XII †: *Sotulares nihilominus tamdiu frequenter portabat foratos, donec stramen per soleas exiret.* Vita S. Eguini c. IV, §. XIX *: *Rusticus quidam partem terræ S. Eguini surripuit, & cum judices sanxissent, ut certo die veniret, & terram illam suam esse juraret, pulverem de domo suâ sumsit, & sotulares implevit, ut tuto jurare posset, quod super terram suam staret.* Imò & B. Hieronymum eo usum putant: sed falli, diximus lib. I cap. VIII. Nec *sotularis* tam à *solea* factum, ut Marcellus Donatus credebat; quàm ex *subtalaris* est corruptum.

* In Vitis SS. ad 8 Jan.

† Ad 4 Jan.

* Ad II Jan.

Subventio, id quo subvenitur, sive succurritur. S. Odo, Abbas Cluniacensis: *Eapropter igitur, Synodo celebratâ, auctoritate Archiepiscopi, & episcoporum, qui convenerant, statutum est; ut singulis annis deinceps, per universam diœcesim, subventionis hujus festum IV Id. Maji sollemniter celebretur; qua nullo alio nomine rectiùs, quàm subventio, censetur.* Nec ἀναλόγως minùs *subventio* dici potuit, quàm *inventio:* verùm non hoc attenditur; sed quid usus ferat, quem penes est loquendi norma.

Succinctoria à vetere B. Irenæi interprete, & B. Ambrosio, vocantur, quæ vulgato etiam interpreti *perisomata* dicuntur Genes. cap. III. 7. *Campestria* nuncupat B. Augustinus lib. XIV de Civitate Dei cap. XVII.

Succursus, unde variis linguis *succours*, pro suppetiis,

à *succurrendo* dicitur: nec ἀναλόγως minùs, quàm *occursus*: sed hoc usu comprobante, qui alteri refragatur. Usurpat Matthæus Parisius in Additamentis: *Alios nobiles omnes remisit in Franciam pro succursu.* Ac paullò post: *Si succursus militia de transmarinis partibus veneris.*

Sudarii, quibus sudor corpore, quasi rivis, fluit ex labore Venereæ palæstræ. Firmicus lib. III cap. VII: *Faciet infames, libidinosos, & puerorum amatores, & ex coitu sudarios.*

Sufferentia, vires ad sufferendum, seu tolerandum. Habes in Actis Theclæ, apud Surium Tom. I, XI Febr. & Baronium Tom. II ad annum CCCIII †. *Deus miserere. Gratias ago. Pro nomine tuo da mihi sufferentiam.* Similiter paullò pòst * Saturninus Presbyter: *Rogo Christe, da sufferentiam.*

† Pag. 333. edit. Moret.
* Pag. 759.

Sufficientia testium non dixero; sed sufficientium testium facultatem. Uti Paullus L. Conficiuntur. ff. de jure codicill. *Quid enim si sufficientium testium facultatem non habuit?* Sic quod Polybius ait, ἱκανότης, καὶ θαυμάζεσθαι τῆς αὐταρκείας τοῦ βίου, non reddam, *laudari, & admirationi esse, propter sufficientiam sui in vita*: sed, *ob frugalitatem, ob animum suâ sorte contentum*, sive *quia sibi sufficeret.*

Suffitorium Anastasio bibliothecario, quod aliis thuribulum, θυμιατήριον Græcis, & quandoque Latinis: ut eidem Anastasio, ubi refert, quæ Constantinus M. fecerit ad ornandum baptismum suum. Perperam *thymiamaterium* legit de-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XCIV. Nec enim est à θυμίαμα: sed à θυμιάω.

Suffraganeus, episcopi vicarius, sive auxiliaris episcopus, qui *suffragari*, & opitulari, si non re, minimùm verbis debet: quam nominis rationem legas in Catholico. Habes Carolinarum Constitutionum initio, quod est de Metropolitanis †: *Ut suffraganei episcopi secundùm canones subjecti sint.* Legas etiam apud Arnulphum Lexoviensem, rescripto ad Papam Alexandrum *. Quia verò sit vicarius episcopi, eò & *coëpiscopus* vocatur Innocentio III lib. XIII. Regest. XIV. Hinc *consuffraganeus* apud Ivonem Carnotensem epist. LIX, ad Hugonem Laudunensem Archiepiscopum. Nec tamen vox ea uno semper modo sumitur: qua de re malo verbis uti Nicolai Serarii lib. I Rerum Moguntiacarum cap. XXII: *Episcopi suffraganei hodie vulgo aliter, quam olim, vocantur: pro iis nimirum, qui titulares ideo nominantur, quòd unius alicujus episcopatus, in quo versari jam non possunt, titulum gerant; aliique episcopo, in cujus diœcesi sunt, opem ferant. Olim verò suffraganei tantùm dicebantur, qui Metropolitano, seu Archiepiscopo, subditi erant Episcopi; partim quia ab hoc ad Synodum vocati, suffragii jus in ea habebant; partim quia nonnisi Metropolitani suffragio consecrari poterant: ut habetur apud Ivonem parte V, Can. Primum vi extra.*

† Pag. 223. edit. Moguntiæ an. 1602
* Fol. 27. b.

Suffumigium non dixero, sed *suffumigatio*; à *suffumigo*; quod Varronis est, ac Celsi. *Suffumigii* tamen vocem è junioribus, inter alios, non refugit David Colvillus Scotus, in tralatione vitæ S. Syncleticæ, cap. x. §. LXXX.

Suillinum, *suillum*. Gregorius Turonensis lib. x Hist. Franc. cap. XXIV: *Pice, tergoribusque suillinis immistis, suppositis ardentibus facibus, succendere* (basilicam) *visi sunt.*

Summarietas, perfectio summa, summus gradus, sive ubi nihil desideratur. Clemens VII in Bulla de Syndicatu Judicum †: *Ac commissarius mittendus, Episcopus, vel vicarius, & procurator Fiscalis, Confalonerius seu Præpositus, & doctor eligendus, præfati rationem administrationis hujusmodi, cum omni summarietate, integritate, & severitate, audiant.*

† Bullarii Tom. 2. pag. 496.

Summarius est apud Ciceronem lib. x ad Att. epist. I: *Nisi forte iste summarius ei potest persuadere, ut dum oratores eant, ac redeant, quiescat.* Sic in cunctis se manu exaratis repperisse, ait Petrus Victorius. Manutius legit, *nummarius*; ac significari censet nummis sive auro corruptum. Simeo Bosius, non improbante Lambino, ac loco meo Junio, legit *summarius*; ut exprobetur prostituta pudicitia; qualis uxoribus *summænianis* *, ex eo sic dictis, quia sub mœnibus habitarent. Cui simile est *summurius*, hoc est, similis illis, quæ degunt sub muris, sive muris. Verùm censeo hic non tam pudicitiam violatam objici, quàm belli civilis amorem: eoque placet Turnebus, qui Adversariorum lib. XVIII cap. IX *submarius* legit, quasi ὑπομάριον, sive pusillum Marium dicas. Ac censet Salmasius, Tertulliano lib. de Pallio Domitianum similiter dici *Subneronem*, quasi exiguum Neronem, quia eum, ut ait Ausonius,

* Martialis lib. 12 epigr. 32.

—— *Dixit calvum sua Roma Neronem.*

Summatores qui dicantur, exponam in Verbis, voce *Summare.*

Summitas, etiam à Cœlio Secundo, ut probum, agnoscitur in Foro Romano. Sed Latinè magis dixeris *fastigium*. Nihilo melius *imitas*; de quo superiùs.

Sumtorium, cochlear, vel simile quid, quo quid è calice sacro adsumeretur. Flodoardus lib. III cap. V: *Calicem majorem cum patina, sumtorioque, fecit ex auro, lapidumque preciosorum illustravit nitore.*

Superaltare, altare minutum, ex lapide consecrato, quod magno altari superadderetur, & haberet crucem cum crucifixo superimpositam: sive altariolum portatile, quod circumferrent presbyteri, quando ægrotos viserent; quodque, in ægri ædibus, mensæ imponerent, corpus Christi daturi ægrotanti. Matthæus Parisius in vita Joannis I, abbatis XXI S. Albani: *Ipsius fratris Gulielmi manu tabula picta ante altare, cum super-altari calato, & cruce superpositâ.*

Superciliosus cum nonnullis non dicam; sed grandis supercilii, vel supercilio Campano: eâ *supercilii* significatione, quâ fastum notat.

Superforaneum, pro supervacuum, & fori legem excedens; qualis illa, ut ne, in caussis capitalibus, accusator ultra sex horas; nec ultra novenas, diceret reus. Usurpant Symmachus lib. III epist. XLVIII, Sidonius lib. I epist. VII, & lib. IV epist. XI, item Ennodius ad Olybrium.

Superhumerale Rabano Mauro, ut Græcis ἐπωμίς. Nempe quia capiti sic injicitur, ut deinde in humerum dependeat. Itaque & *humerale* vocatur in Gemma Animæ cap. CCI. Vide, an non, si vetera ames, *capitale*, & *ricam*, possis dicere. Varronis quidem est lib. IV de L. L. *Capital dicitur à capite, quod sacerdotulæ in capite etiamnum habere solent. Rica a ritu dicitur, quòd Romano ritu sacrificium feminæ cum faciunt, capita velant.*

Superintendentis vox, pro eo qui presbyteris præest, non est proximi seculi inventum; sed jam olim sic Episcopum interpretatus est B. Hieronymus epistolâ ad Evagrium: *Hoc quidem Græcè significantius dicitur ἐπισκοποῦντες, id est, superintendentes. Unde & nomen Episcopi tractum est.* Sed ea veteris mihi Ecclesiæ veneratio est, ut longè *Episcopum* malim dicere. Nec enim ulla fuit Ecclesia olim, quæ presbyterorum προεστῶτα diceret *superintendentem.*

Superioritas pervulgatum: pro quo Latini *præstantia*, *excellentia.*

Superpellicium, habitus sacerdotalis; vestis nempe linea, quæ superinduitur cæteris. Matthæus Parisius in anno CIƆ CCXXXVII: *Ingressus* (legatus) *Ecclesiam, coram majori Ecclesia Pontificalibus se induit; scilicet superpellicio; & desuper capâ chorali, pellibus variis furratâ †, & mitrâ.*

† Hoc est suffulta. Vide lib. 2 cap. 7. voce Fodratura.

Superstationarius Optato Milevitano, præfectus stationariorum: ut *superjumentarius*, jumentariis præpositus apud Suetonium in Claudio. Simile foret *supermedicus*: pro quo est *superpositus medicorum*, in veteri inscriptione Romæ *: ALCIMIANO SUPERPOSITO MEDICORUM. Vide de hujusmodi, quæ ad Spartiani Hadrianum Salmasius † annotavit.

* Apud Gruterum pag. 581. num. 7.
† Pag. 4.

Superscriptio non dixero, sed *inscriptio*, pro eo, quod Græcis ἐπιγραφή. Nec tamen multùm de eo contendero: quando Jurisconsulti veteres promiscuè usurpant. Nam lib. L. Digest. Tit. x, qui est de operibus publicis, Leg. III,

Macer

Macer ait, *inscribere principis nomen operi publico.* At mox leg. IV ex Modestino habes: *Ne præsidis quidem nomen licebit superscribere.*

Superventione non dixero, sed *superventu*; quod Plinii est; ut & Papiniani. Prius est Flodoardi lib. III Hist. Rem. cap. XIII, *De superventione paganorum.* Legas & *superventu* particulatim, pro superventu latronum, raptorumque. Gregorius Turonensis lib. III Hist. Franc. cap. XVI: *Non desistebant à furtis, homicidiis, superventis, diversisque sceleribus.* Item lib. VII cap. XL: *Furta, superventa, pervasiones, cædes.*

Suppedaneum, pro scabello, quod pedibus subjicitur, nova quidem vox, sed non inelegantur composita. Usurpat Helgaldus in vita Roberti Regis: *Vidit quendam* eorum mole carnis gravatum, pedes suos dependere, ab alta pietate ductus, à longè quærens, suppedaneum reperit unum, quod manibus Deo, & hominibus charus apprehendens, illud tanto Pontifici offerre non recusavit, & sub pedibus ejus ponere non est dedignatus.* Eoque exemplo & *foculos suppedaneos* dixeris, quos Batavi hiberno frigore subjiciunt pedibus. *Stovas* vocant.

* Pro, Videns cuidam eorum, mole carnis gravato.

Suriscula, vas aquarium, hydria, fortasse ex ὑδρίσκη, quod ὑδρίαν notat, teste Hesychio. *Suriscula* voce sic usus Pelagius, Rom. Eccles. diaconus, in Verbis seniorum lib. IV, num. LXVII, & lib. VII, num. XXXIII, item libello VIII num. IV, & alibi. Vide, quæ Rosweidus in Glossario ad Vitas Patrum annotavit.

Suspensorium, camini locus, ubi ad esum suspenduntur pernæ, carnesque aliæ fumo indurantur: vel etiam superioris contignationis locus, ubi, postquam sunt fumo induratæ, aëre ventilantur. Cæsarius lib. VI Mirac. cap. V: *Quoties neminem sensit esse in coquina, ipsam latenter intrans, & nonnunquam, nactâ occasione, pueros emittens, scalâ suspensorium adscendit, & ex ea parte pernas, quæ muro conjungebantur, omnes penè usque ad medietatem incidit, anteriorem verò integram reliquit, ut incisiones celarentur.*

Sustentaculum junioribus non inusitatum, & ἀναλόγως formatum; ut à *spectio spectaculum.* Interea, donec apud idoneum scriptorem repereero, non utar.

Susurrium, susurratio, susurrus, confessio auricularis: quod verbi dæmoni usurpatum ait Cæsarius lib. V Miraculorum cap. XXIX: *Ait dæmon; Sunt per meam veritatem; quia sine licentia facta; nec aliquando inde susurrâsti; susurrium confessionem appellans.* Mirum verò, Ludovicum de-la-Cerda †, cùm hæc adduxisset, subdere, *Tale nomen, qualis auctor.* Nempe non occurrebat, antiquiores Cæsario similiter loqui: puta Petrum Blesensem epist. V, ac B. Bernardum epist. XI. Quorum verba ipse adducit cap. LXXIII. §. XVI. Ac cap. CLXXXIII §. VI docet, etiam ea voce usum Petrum Cellensem lib. II epist. X, lib. V epist. XIII, & lib. VI epist. XVII. Istoc tamen discriminis est, quòd non, uti dæmon, sic vocitent hi confessionem auricularem; verùm hominum susurros, ac sermones clandestinos.

† In Adversarius Sacris cap. 44. §. 21.

Susurrones, homines maledici, qui non apertè, & in os; sed clanculum susurrant, & spargunt multa sinistra. Euagrius, B. Hieronymi æqualis, in vita S. Antonii, quam ex Græco Athanasii transtulit: *Quis tantum monachorum agmen adspiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, (in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis; sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat,) non in hanc statim erumperet vocem: Quàm bona domus tua Jacob, tabernacula tua Israël!* Potius dixero *susurratores*, cum Cœlio in primâ ad M. Ciceronem epistolâ. Sic enim est in optimis Mssis: ubi pleræque editiones, etiam Manutiana, *susurrationes.*

Sutriballi nomen, pro *sutore*, usurpat vetus Juvenalis interpres, in sat. III vers. CL.

Syncellita, eâdem degentes cellâ, apud Cassianum Collat. XX cap. II. Nempe ex Græco σύν, & Latino *cella.* Unde & Zonaræ, Cedreno, Curopalatæ, σύγκελλος, qui patriarchæ proximus, & mortuo succedere in Oriente sub prioribus solet Imperatoribus. Cæterùm pro *syncellita*, ut vox tota sit Latina; maluissem *concellaneus*; quod Ennodius usurpat lib. I epist. V, vel *concellanus*, aut *concellulanus*; quomodo *cellulanus* apud Sidonium est, lib. IX epist. III.

Syndicatus, munus Syndici. Clementis Papæ Bulla* inscriptionem habet hujusmodi, *De Syndicatu judicum, & Officialium statu Ecclesiastici.*

* Bul T. I. p. 485.

CAP. LII.

De iis, quæ incipiunt à T, sequente A, E, H, vel I. Tablistæ, *qui aleâ, tesseris, vel latrunculis ludunt.* Tangibile, *sub tactum cadens.* Tardatio, *tarditas.* Taxellus, *taxillus, ac fortasse osseum emblema.* Telonium, *ædes publicani.* Tempestatio, *tempestas rerum adversarum.* Temporalitas, *diversa temporum conditio.* Temporivus, *tempore suo proveniens.* Tenda, *tentorium.* Tenementum, *possessio, vel prædium, aut locus, ubi quis domicilium fixit.* Tenetura, *status rei.* Tenuiarius, *qui in re tenuis, ac levi, adlaborat.* Tenuta, *solum, quod quis tenet.* Tepiditas, *tepor.* Terraticum, *quod eo domino persolvitur, quia terra eius incolatur.* Terminatus, *terminus: uti* signatum, *signum*; matulatum, matellatum, matula, *ac* matella. Terrarius, *terrestris.* Terrula, *exigua ditio, vel ager minutus.* Terrulentus, *terrenus.* Testimonialis, *diaconus episcopi concionantis custos.* Tetrasyncticum, *quod quadruplicem interpretationem admittit.* Tetravela, *quadruplicia vela.* Theatrapus, *nisi is potiùs* theopropus, *bibliothecarius sedis Apostolicæ.* Thelodives, *qui dives esse laborat.* Thelosapiens, *sectator sapientiæ.* Thelohumilis, *affectans humilitatem. Atque obiter de* theopropio, *loco, ubi promulgantur Cæsarum edicta.* Thema, *pro antenna, corruptè.* Thesauratius, *quæstor.* Thicinynus *à librariis esse, pro hiacynthinus.* Thlipsis, *oppressio.* Thoracæ, thoracides, thoracletæ, *pro imagine hominis, pectore tenus.* Tiaratus, *tiarâ velatus.* Tigellum, *tigillum.* Tintinnabulus, *tintinnabulum.* Titulatus, *gemma ingens.*

PRo instituto quidem satis institimus iis, quibus initium est à sibilante elemento. Nunc subtexam eorum non pauca, quibus initium est ab ea litera, quicum in omnibus penè linguis ei lis est; dum vel S literæ T; vel T, literæ S invadit locum.

Tablista, qui in tabula ludit ψήφοις, sive calculis, & κύβοις, sive tesseris: qui ludus ratione tesserarum est fortunæ; ratione calculorum, artis. Est à recentioribus Græcis, qui ταβλίζειν dixere, à ταβλίζω, *in tabula ludo.* Hoc vero à τάβλα: uti istoc à Latino *tabula*: qua significatione & apud Martialem* est lemma: *Tabula lusoria.* Luxurius poëta in epigrammate quodam:

Consulibus sceptrum, mensis decus, arma tablistis.

Lemma epigrammatis ibidem: *De tablista furioso, quasi tesseris imperante.* De omni hujus ludi ratione accuratiùs à nemine scriptum, quàm maximo Salmasio, nunquam satis laudatis ad Historiæ Augustæ scriptores Notis †.

* Lib. 14 epig. 17.

† Pag. 462. & seqq.

Tangibilis vulgari in usu est. Latinè magis dixeris *tractabilis*, vel *res sub sensum*, vel *tactum*, *cadens.*

Tardatio non dixero cum nonnullis. Assentio iis, qui cum Cicerone præferunt *tarditas*, *mora*, *commoratio*, *procrastinatio.*

Taxellus corruptum è *taxillus*, quod ὑποκοριστικῶς à *talus.* Sed laxiùs extensa significatio. Anastasius in tralatione Concilii Niceni II: *Sanctas imagines proponendas tam de coloribus, & taxellis; quàm ex alia materia.* Ludovicus De-la-Cerda, in Advers. S. cap. CLXXXIV. §. XI, *taxellum* hîc exponit *osseum emblema, aut ex alia materia, ad inserendum exsculpendumque.* Puto, propriè ex osse fuisse; & ideò subdi, *aut ex alia materia.* Sanè origo hoc vocis exigit. Sed neque sic satisfacit interpretatio. Omnino res obscurior. Vide interim, quæ de taxillis adfert

fert Scaliger, Notis* ad selecta veterum Græcorum fragmenta, quæ arduo operi de Emendatione temporum subjecit.

Telonium, τελώνιον, propriè vectigalium redemtio, à τέλος†, & ὠνέομαι*: uti τελώνης, redemtor, publicanus. Sed sumitur *telonium* sæpe pro mensa, vel domo publicanorum. Item pro ipso vectigali: sive id εἰσαγωγικὸν, pro rebus importandis; sive ἐξαγωγικὸν, pro exportandis. At tributum dicitur φόρος: cujus collatio à singulis exigitur: estque vel in capite, vel ex censu. *Telonii* autem voce Latine non utar; etsi junioribus sit admodum frequens. Flodoardus lib. II Hist. Rem. cap. XVII: *Postea quoque aliam ejusdem Regis, de omnium teloneorum remissione, impetravit præreptionem.* Ac alibi legas apud eundem: imò penè, apud quem non ex junioribus historicis?

† Vectigal.
* Emere, mercari.

Tempestatio, tempestatis immissio, rerum adversarum tempestas. Gregorius Turonensis libro suo, quem de sanctorum Patrum, seu de quorundam feliciosorum vitâ, inscripsit, cap. V, quod est de S. Friardo recluso†: *Ille beatissimus, inter diversas, vel tempestationes, vel cruces seculi, semper ejus* (Domini) *adjutorii munimen expetiit.*

† In bibliotheca Patrum 2. edit. col. 1836.

Temporalitas, qua quid pro tempore variat. Tertullianus de Pallio: *Et si quid præterea conditio, vel dignitas, vel temporalitas vestit.* Tria memorat, pro quibus vestis variat: *conditionem*, quia aliter servus, aliter ingenuus vestiretur: *dignitatem*, quia aliter plebs, aliter magistratus, & sacerdotes: *temporalitatem*, quia aliter in puerita, quam juventute, aut senectute: aliter hieme, quàm æstate: aliter diebus festis, quàm profestis: aliter pace, quàm bello.

Temporivus fructus serotino opponitur apud Faustum lib. II de Libero arbitr. cap. X. Nempe temporivum inter præcocem, sive præcoquum, interque πρώϊμον, & ὄψιμον, sive ὀψίβλαστον, medium voluere.

Tenda, à *tendo*, ut *scriba* à *scribo*; *fuga*, à *fugio*; ac à *tendo*, *tendicula*, quia capiendis animantibus tenditur. Sed barbaris *tenda*, unde & Belgis *tente*, idem ac *tentorium*; utrumque ex eo, quia fiat e tentis pellibus. Sic usurpat monachus Florentinus de Expugnat. Accon.

Si confratres mei tunc ibidem fuissent,
Et tenere dentibus me tendam vidissent,
Horum quidam, reputo, super me risissent.

Sic, ubi vulgò, *me tandem*, restituit in Glossario Meursius: ubi & docet, sæpe similiter Græcobarbaros τένδα, vel τέντα dicere.

Tenementa, à tenendo, hoc est, possidendo bona, quæ vocant radicalia. Ingulphus in Histor. *Cœpit, largiente Domino, bonis omnibus abundare, ut tam in thesauris, ac sceuris*, quam in terris, ac tenementis, ei pro primis amissis postmodum duplicia redderentur.* Walsingamus in Descriptione Neustriæ†; ubi refert juramentum a Scotis præstitum Angliæ Regi: *Fideliter faciam servitia, quæ pertinent ad tenementum, quod de eo tenere clamito.* Leges Scoticæ lib. II cap. XXII. §. IV: *Nemo ejusdem tenementi potest esse simul dominus, & hæres.* Lib. III cap. XXXVI. §. II: *Cum quis aliquem injustè, & sine judicio, dissaisiverit de libero tenemento suo.* Lib. IV cap. XXII. §. II: *Siquis sine licentiâ sumserit namos*, & de alicujus tenemento sine alicujus licentiâ illos abduxerit.* Quibus locis *tenementum* notat terram, ubi quis habitat, sive hæc propria, sive etiam, ut puto, conducticia.

* Horreis. Vide sceria lib. 2 cap. 17.
† Pag. 405.
* Pignora capta pro rei judicatæ solutione.

Tenetura, teneo, pro *tenitura*, à *tenitum*; unde κατὰ συγκοπὴν *tentum*, à quo *retentus*, *abstentus*. Est verò *tenetura*, conditio hominis, vel rei; quasi statum dixeris, quo quid se tenet, hoc est, habet. Ita usurpatur in Charta de saisina Paganelli, quæ est in Chartis ducum Normanniæ, & Regum Franciæ†: *Et Joannes, Rex Angliæ, & homines, & imprisii sui, similiter erunt in eadem tenetura, in qua erant prædictâ die Jovis, usque ad prædictos quinque annos completos.*

† Pag. 1065.

Tenuiarius, cujus opera in re tenui desudat: ut qui tenuia solùm vestimenta conficit. Inscriptio vetus Romæ: THEOPHILUS VESTIARIUS TENUIARIUS*. Alia item†: MATTIUS PATROBIUS VESTIARIUS TENUIARIUS.

* Inscript. Gruter. p 650. num. 8.
† Pag. 1067. num. 8.

Tenuta, pro *tenta*, idem valet ac terra, sive ditio, quam quis tenet, sive obtinet, ac possidet. M. Joannes Thwrocz Chronicorum Hungaricorum part. III cap. XXV: *Cum rex principatus, tenutas, & dominia regni sui, sacræ coronæ subdita, vellet conservare.* Et cap. XXVII: *Rex nolens ulterius occupata de tenutis Venetorum conservare, castra, & tenutas, quas tenebat, ipsis restituit.* Et cap. XXVIII: *Terris ipsorum, seu tenutis, in magna parte devastatis.*

Tepiditas non dixero: sed *tepor*, cum Tullio, Catullo, aliis.

Terraticum est in præcepto Ludovici Francorum Regis apud Flodoardum: *De sylvis, ubi partem habent, & terris, nullus, nisi per ipsorum voluntatem terraticum accipiat.* Ludovicus De-La-Cerda in Adversf. Sacr. cap. LXXVII §. II, ait, hic poni pro territorio. Sed omnino est exactio publica terræ nomine, in qua quis agit. Sic *pontaticum*, quod pro transitu pontis datur, & similia. Puto *terraticum*, quod Belgarum aliquibus *ter-gelt*: sive à *terra* sit, sive potius à Belgico *terd*, hoc est, *trede*, *gressus**. Aliud sanè, quam *teer-gelt*, hoc est, viaticum.

* Terd veteri linguâ Belgicâ τὸ nunc trede gressus, incessus; ut terden, en treden, calcare.

Terminatus substantivè, pro terminis. Frontinus de aquæductibus: *Curatores aquarum, qui nunc sunt, quique erunt, circa fontes, & fontium, & murorum curam, rivos, & spicas, terminatos, arbores, vites, vepres*, &c. Ac copiæ opere: *Si terminatus steterit.* Inque fragmentis legis Maniliæ: *Limites, decumanique ut fiant, terminatique statuantur.* Sin in libris esse vett. monet Salmasius, Notis in Spartiani Ælium Verum. Ubi & similia adfert. Ut *sigillatum*, pro *sigillo*. Capitolinus in Antonino Pio: *Signatum tribuno æquanimitatis dedit.* Item *matulatum*, pro *matula*; *matellatum* pro *matella*. Glossæ vett. *Matulata*, ἀμίδιον. Item: *Matellata*, σκεῦος.

Terrarius, pro *terrestris*: quomodo *terrarius*, & *cellarius* turdus opponuntur apud veterem Persii interpretem ad sat. VI vers. XXIV.

Terrula nunc pro exigua ditione, nunc pro exiguo prædio, vel simili, sumitur. Habes non modò apud Adamannum Scotum libro de rebus S. Columbani; sed etiam L. tutres. XVIII. C. de operib. publ.

Terrulentus, terreus, vel terrenus. Prudentius in Hamartigen.

Hic terrulentis, ille vivis fungitur.

Hinc *terrulentè*, more terreno. Idem περὶ στεφάνων:

Rem spiritalem terrulentè quærere.

Nempe spiritalia tantum rebus distant terrenis; quantum, cœlum terrâ: ut aliter longè in comparandis opibus, & honoribus; aliter in acquirendis rebus spiritualibus, sit comparatum.

Testimoniales diaconi olim dicebantur, qui Episcopum concionantem custodirent. Usus eorum exolevit. Vide Onuphrium Panuinum in Vocum ecclesiasticarum interpretatione.

Tetrasyrticum, pro eo, quod quadrifariam possit intelligi. Simile *trisyrticum*; de quo cap. sequenti. Etiam versu consequenti pro *proximo*, scribe *septimo*. Vide libro proximo *Diasyrticon*.

Tetravela, quadruplicia vela; ut *tetrasyllabon*, quod quatuor est syllabarum. Sed hoc ex duobus Græcis; illud ex Græco, & Latino. Anastasius bibliothecarius in Papa Leone III: *Tetravela rubea alethina, quatuor habentia cruces cum gammadiis, & in circuitu periclysin de Tyrio.*

Theatrapus usurpat S. Martinus Papa in donatione Blandiniensi Monasterio factâ: *Datum XIV Kal. Februarii, per manum Amandi Episcopi, Theatrapi sanctæ Sedis Apostolicæ.* Qui verò hic *Theatrapus*, idem in altero diplomate ejusdem Martini Papæ, eodem anno Elnonensi Monasterio concesso, bibliothecarius vocatur. Sic enim ibi de eodem Amando: *Datum XIV Februarii, per manum Amandi Episcopi, Bibliothecarii S. Sedis Apostolicæ.* Sed unde *theatrapi* vox, & an non sit corrupta, quod puto, porrò cogitandum. Nunc nihil occurrit ei muneri accom-

accommodatius, quàm *theopropus*. Nam θεοπρόπος non solùm Deum decens: sed etiam oraculi consultor: ut Herodoto lib. I: πέμψαντες θεοπρόπους, *mittentes aliquos ad consulendum oraculum*. Sanè & bibliotheca est oraculi instar. Vide mox de hac voce in *Thelodives*.

Thelodives, qui cupit esse dives, à Græco θέλω, & Latino *dives*. Sic *thelosapiens*, qualis sapiens esse studet, qui propriè *philosophus*. Utroque utebatur Africanum vulgus, tempore B. Augustini. Atque addit, simile fore *thelohumilis*; quia significet eum, qui cupit esse humilis. Verba Augustini sunt epistolâ LIX; quæ de variis quæstionibus scripta ad Paulinum episcopum: *Nemo vos convincat volens in humilitate cordis. Hoc si per verbum Græcum diceretur: & in Latina consuetudine populari sonaret usitatius. Sic enim & vulgò dicitur, qui divitem affectat, thelodives; & qui sapientem, thelosapiens; & cætera hujusmodi. Ergo & hic thelohumilis, quod plenius dicitur thelon-humilis, id est, volens humilis, affectans humilitatem: quod intelligitur, volens videri humilis, affectans humilitatem.* Ludovicus de-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLIV §. XXIX, cùm de tribus hisce locutus esset, addit ut simile sit *theloproprium*. Nempe putavit, itidem esse ex Græco θέλω †, & Latino *proprium*. Equidem nulli velim insultare; qui malim calcare proprios errores. Dolet tamen, hoc excidisse viro erudito, & industrio. Neque enim *theloproprium* dicitur; sed *theopropium*; quod planè Græcum, ex θεὸς*, & πρέπειν †. Estque θεοπρόπος propriè, Deum decens: & μεταληπτικῶς, vates; item qui oraculum consulit: ut apud Herodotum lib. I, πέμψαντες θεοπρόπους· *mittentes, qui oraculum consulerent*. Hinc Homero θεοπροπία, vel θεοπρόπιον, *oraculum, vaticinium*. Sed & sic locum dixere, ubi oraculum ederetur: & κατὰ μεταφορὰν, locum, ubi edicerentur populo edicta principum. Sic, ut Erasmo etiam monitum, usus Augustinus epist. CLVIII, quæ est ad Marcellinum: *Quod autem scripsit eximietas tua, dubitare te, utrùm in theopropiâ debeas eadem gesta jubere proponi: fiat, si potest illuc frequens confluere multitudo. Alioquin alius locus celebrior providendus est: non tamen ullo modo prætermittendum.*

† *Volo.*
* *Deus.*
† *Decere.*

Thenia est apud Turocium in Chronicis Hungaricis in an. CIↃCCCXLV cap. XCIX. Sed corruptum ex *antena*. Vide, quæ diximus in *Postella*.

Thesaurarius, pro Quæstor. Audoënus, Rhotomagensis Præsul. lib. I de vita S. Eligii Noviomensis Episcopi: *Factus est notus cuidam Regis Thesaurario Boabboni*. Ac mox: *Cùm sciret præfatus Regis Thesaurarius Eligii industriam*. Item Isidorus utitur epistolâ ad Laudefredum Episcopum: *Ad Thesaurarium pertinet Basilicarii, & Ostiarii ordinatio*. Vide, quæ hac de voce dixi lib. I cap. XVII.

Thicinynus vox nihili est, quæ legitur apud Isidorum lib. XIX Originum cap. XXI*: *Machil, quod est tunica talaris, tota thicinyna, habens ad pedes LXXII tintinnabula: totique intermixta, ac dependentia Punica mala*. Ubi, pro *ac dependentia*, malim, *ad dependentia*. Pro *thicinyna* autem planè legendum *hiacynthina*. Nam & ita in gemino nostro est Mso; uno vilioris notæ, altero longè optimæ: sic etiam vetus editio Veneta anni CIↃCCCCLXXXIII. Præterea id clarè docet B. Hieronymi locus epistolâ ad Fabiolam†: *Mail*, מעיל *id est, tunica talaris, tota hyacinthina, ex lateribus ejusdem coloris adsutas habens manicas, & in superiori parte, quâ collo inducitur, aperta; quod vulgo capitium vocant*. Ubi &, quod de tintinnabulis Isidorus ait, postea subjungit.

* *In Mss. quibusdam* 20.
† *Tom.* 3. *pag.* 59. *edit. Froben. an.* 1553.

Thlipsis, θλῖψις. Græcum quidem, unde ἐκθλῖψις; sed Latinis ignotum: quo tamen in Sardinia, ubi Græcissarent, usus sit Lucifer Carallitanus lib. I ad Constantium Imperatorem. Ciceroni in Tusculanis est *afflictio*; sive, ut in aliis est codd. *afflictatio*. Idem pro eo dicit *oppressio*. Vetus Novi T. interpres pro hoc, seculi sui more, *tribulatio*: de quo alibi egimus.

Thoraca, *thoracides*, *thoracleta*, idem ac *thoraces*; unde ea facta. Intellige autem θώρακα, sive imaginem clypeatam, thorace tenus effictam; unde & προτομαὶ dicebatur. De *thoracâ* nihil mirum. Nam ut à *lampas*, accusativus *lampada*; inde *lampada lampadæ*: ab *hebdomas*, accusativo *hebdomada*; inde *hebdomada hebdomadæ*: sic à *thorax* incusandi casu *thoraca*; hinc *thoraca thoracæ*. *Thoracida* verò, ut Græci non modò θώρακες, sed etiam θωρακίδες. *Thoracleta* usurpatum Arnulpho, libro de locis sacris: ex quo scriptore inedito hæc adducit Salmasius ad Trebellium Pollionem*: *De sanctæ matris thoracleta*. Item: *Thoracletam beatæ matris*. Præterea: *Cujus thoracletam, in re naturâ impenetrabili, penetrabilem fecit*.

* *Pag.* 326.

Tiaratus, cui, ut Juvenalis ait sat. VI,

—— *Phrygia vestitur bucca tiarâ.*

Usurpat Isidorus lib. II de Ecclesiast. Offic. cap. V. Nec deterius videtur, quàm à *diadema*, *diadematus*; quod apud Plinium, & alios.

Tigellum, pro *sigillum*, est in vita S. Severini, episcopi Septempedani, §. XII.†

† *In Vitis SS.* 8 *Januar.*

Tintinnabulus, pro tintinnabulum, apud Symposium fuit, ænigmate LXXIX: uti in primo, *graphius*, pro *graphium*: ut monitum Salmasio ad Spartiani Nigrum. Nunc aliter in Symposio legitur. Simileque *metallus*, pro *metallum*, poetæ apud Spartianum ibidem.

Titulares episcopi qui dicantur, expositum in *Suffraganeus*.

Titulatus, ingens unio. Juvenalis vetus scholiastes sat. VI vers. CCCCLV:

Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Magnarum, inquit, *gemmarum elenchos; quos & titulatos appellant.*

CAP. LIII.

De inchoatis à T, ante O, R, vel V. Toltum, *item* toloneum, *vel* tholoneum, *vel* teoloneum, *vectigal*. Tollo, *tolleno*. Tortura, *tormentum*. Trachones, *meatus subterranei*. Tractoria, *libellus dari solitus peregrinaturis*. Tragimata, *tragemata*. Transmutatio, *immutatio, vel vicissitudo*. Tredecim, *tres ac decem*. Tremissis, *triens aurei*. Trepalium, *locus eculei*. Trepanum, *quo chirurgi perforant cranium*. Trepedica, *fortasse medicamenti genus*. Trichorum, *trinos habens sinus, sive recessus, domûs fastigium*. Tricinum, *funiculus è pilis*. Trigintaocto, *duodequadraginta*. Trimisium, *corruptum è tremissis; de quo dictum antea*. Trimmæ, *ramenta*. Tripetia, *tripodes*. Triquadra, *tripartitum*. Trisorium, *locus pecuniæ sacræ, vel publicæ*. Trisyrticum, *quod trifariam possit intelligi*. Trogala, *tolleno*. Trogulus, *vel* trochulus, *cuculla, sive cucullus monachorum*. Troparia, *libri, qui Ecclesiasticas Prosas continerent*. Trusio, *detrudendi actus*. Tumba, *sepulcrum*. Turgor, *tumor*. Turriculum, *turris minuta; ac particulatim, quod* ciborium *dicitur*. Turturilla, *lupanar, vel scortillum*. Tutaculum, *tutela*. Tyanæus, *Tyanensis*.

Hisce expositis, cætera nunc à T inchoata persequar: puta ubi eam O, R, vel V excipit.

Toltum est vectigal, ac ἀμέσως à Germanico, Belgico, Anglico, *tol*; uti hoc à τέλος, vel *telonium*, τελώνιον. Matthæus Parisius in rebus an. CIↃCCXV, ac ut particulatim magis locum designem, in charta libertatum regis Joannis: *Omnes mercatores, nisi publicè prohibiti fuerint, habeant salvum & securum exire de Anglia, & venire in Angliam, & morari, & ire, tam per terram, quàm per aquam, ad emendum, vel vendendum, sine omnibus toltis malis**, *per antiquas, & rectas consuetudines.*

* *Tolta mala vocat, quæ sunt indebita: uti boni sunt, quæ exiguntur, ut hic dicitur, secundùm antiquam, & rectam consuetudinem.*

Toloneum quoque, vel *tholonium*, vel *teolonium*, vectigal, ex *telonium*, τελώνιον, E in O converso: ut Belgæ dicunt *tol*. Capitulorum collectio Benedicti Levitæ lib. VI cap. XXXIX: *Ut nullus homo præsumat tholoneum per villas, rodaticum, nec pulveraticum recipere.*

Tolo,

Tolo, vel *tollo*, instrumentum, quo aqua attollitur. Est apud Isidorum lib. ult. Originum cap. XV: *Tolonem hortulani vocant lignum longum, quo hauriunt aquas.* Subjungit deinde: *Et dictus tolo à longitudine.* Ita utrobique optimus Mstus noster. Sed omittit: *Τῆλυ enim Græce dicitur, quicquid longum est. Unde & mustela vocata, quasi mus longus.* Ubi pro τῆλυ scripsit, vel scribere debuit, τῆλε; quod est *longè*. Quia verò in τῆλε est E longum: eò in variis editionibus librarii maluere *telon*, quàm *tolon*, vel *tolo*. Sanè & *telon* est in Venetâ anni MCCCCLXXXIII. *Tollo* etiam in Etymologico suo agnoscit Martinius. Nec tamen Latinum censeo: sed corruptum ex *tolleno*, de quo Festus. Glossæ: *Tolleno*, κηλώνιον. Latino Livius, ac Plinius, utuntur; Græco Herodotus, & Aristoteles: id à κῆλον, *lignum*.

Tortura Juris, pro *tormentum*, vel *quæstio*, nunc est pervulgatum; sed veteribus ignotum fuit. Vulgarem interim secutus sermonem vir longè doctissimus, qui pro Juramento Fidelitatis in Anglia Matthæo Torto respondens, opus suum *Torturam Torti* inscripsit.

Tracones sunt cryptoporticus, ac fornices subterranei, & quævis cavernæ profundiores. Hoc nos docet Matthæus Parisius, ad annum CIϽ CC XLVII; ubi agit de damnoso ac terribili terræmotu, præcipuè Londini, & super ripam Tamesis: *Qui*, inquit, *in his partibus innaturalis; cùm profundis traconibus, ac concavitatibus (in quibus secundùm Philosophos solet terræmotus generari) careat; nec inde ratio poterat indagari.* Usurpat idem in Vita Ealdredi, Abbatis S. Albani VIII: *Tracones, & vias, cum meatibus subterraneis, & solidè per artificium arcuatis (quorum quidam subtus aquam Warlamiæ, quæ quondam maxima civitati fuit circumflua, transierunt) diruit, implevit, aut obturavit. Erant enim latibula latronum, vespillonum, & meretricum.* Censet in Gloss. Watsius, *tracones*, quasi *tracheones*, vocari, à similitudine *tracheæ* sive arteriæ asperæ, quam animæ canalim vocat Plinius. Verùm an non simpliciùs dicamus, corruptum esse è *dracones*, ac sic vocari, quia quodammodo refert sinuosos draconum flexus; vel etiam κατὰ μετωνυμίαν, quia cavernæ sub terris serpentium soleant esse habitacula?

Tractoria dicebatur libellus, qui daretur in terras exteras ituris; unde esset cognoscere, quo pacto excipi aliquem oporteret. Nam exponebatur epistolâ eâ conditio viri, & quantum illi pro eâ præstari oporteret. Dubium, num *tractoria* dicta, quia daretur in tractus exteros proficiscentibus; an quia hinc intelligeretur, quo pacto aliquem tractari, atque excipi, conveniret. Est apud Marculfum lib. I Form. cap. XI, cujus lemma *Tractoria legatorum*. Item in veteribus formulis incerti scriptoris cap. X lemma est, *Tracturia pro itinere peragendo.* Eâ *tracturiâ*, sive *tractoriâ*, episcopus commendabat ob delicta, pœnitentiæ ergò, peregrinantem; ac petebat, præstari mansionem, focum, panem, aquam. Carolus Calvus tit. XXXII, apud Tusiacum, capit. XVI: *Ut ministri Comitum in unoquoque Comitatu dispensam Missorum nostrorum, à quibuscunque dari debet, recipiant; sicut in tractoria nostra continetur. Tractoriam stipendialem* appellat Agobardus, libello de insolentiâ Judæorum. Quantum verò præberi cuique oportuerit; cognoscere est è Caroli M. & Ludovici Pii capitulis, lib. IV cap. LXXII; cujus lemma, *De dispensa Missorum Dominicorum.* Vide & quæ de tractoriis fusè ad Marculfum doctissimus Bignonius annotavit.

Tragimata non facilè legentem morabitur, qui sciat, vulgò Græcos I pro H efferre. Planè enim sic corruptè dicitur, & scribitur, pro τραγήματα. Seculi more ita etiam exaravit ante seculum Isidorus Isolanus in vita B. Veronicæ de Binasco, lib. IV, cap. IX, §. XXI: *Vasa lignea, quibus ex sacchàro delicatiora quædam composita servabantur, quæ tragimata vocamus.*

Transmutatio vix dicere ausim, idoneo destitutus auctore; etsi & *mutatio*, & *transmuto*, proba sint. Est cùm pro eo *mutatio*, vel *immutatio*; est cùm *vicissitudo*, vel aliud, malim.

Tredecim ajunt pro *decem*, & *tres*; vel *tres*, & *decem*. Nec tamen hoc valde improbem, cùm apud Tullium Verrinâ V *tredecies* legatur.

Tremissis finxere Latinobarbari, pro triente, sive tertiâ parte aurei. Nempe cùm *semissis* audirent dici de dimidio asse: putârunt etiam posse *tremissis* dici de tertia parte. At secus est, quia M in *Semis* habemus: unde *semissis*, quasi *semias*, ut ait Varro in IV de L. L. At in *tres*, vel *ter*, aut *tertius*, nullum est M. Quod cùm aliqui viderent; commenti sunt, *tremissis* dici à triplici missu. Sed eam originem refellit Capitolinus in Alexandro Severo: *Semisses aureorum formati sunt. Tunc etiam, cùm ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses; dicente Alexandro, etiam quartarias futuras, quòd minùs non posset.* Videmus hinc, quod de aurei semisse, & tremisse, diximus. Habes & vocem eam apud Julianum in tralatione Novellarum, & Paulum Warnefridum lib. V cap. XXXIX. At longè sæpissimè exstat in Legibus Wisigothicis, Burgundicis, Alemannicis, atque aliis. Vir doctissimus ait †, *tremissis* dixisse pro *tressis*. Atqui *tressis* est trium assium; *tremissis*, sive *triens*, unius assis pars tertia; quæ plurimùm distant. Vide infrà *Trimisium*.

Trepalium, pro loco, ubi rei equuleo, vel aliter, torquentur. Concilium Antisiodorense (quod anno celebratum IϽ XC) can. XXXIII: *Non licet presbytero, nec diacono, ad trepalium, ubi rei torquentur, stare.* Puto, ejusdem esse originis, ac *trepanum*; de quo proximè.

Trepanum, pro terebræ genere, quo chirurgi cautè cranium perforant; ut *trepanare* iisdem, pro ejusmodi instrumento perforare, à Græco τρυπάω, *terebro*, & τρύπανον, *terebra*.

Trepedica est apud Gregorium lib. II Dialog. cap. XXX †: *Quadam die, dum ad B. Joannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret; ei antiquus in mulo, medici specie, obviam factus est, cornu & trepedicam ferens.* Quia antiquus ille, draco puta, sive diabolus, medici speciem habuit; eò signari potionis, & medicamenti genus, existimat Jo. Lodovicus De-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXVI. §. IX.

Trichorum, τρίχωρον, quasi dicas *trilocum*. Usus Paullinus Epist. XII: *Reliquiis Apostolorum, & Martyrum, intra absidem trichora sub altaria sacratis.* Quem ad locum multa ex Papia, Joannis Januensis Catholico, aliisque Glossariis, Rosweidus. Vera autem lectio est: *Intra absidem trichoram.* τρίχωρος ἀψίς, cui trini recessus, sive tribus finibus, aut concavitatibus distincta. Sic *octachorum* templum Ambrosio, cujus absis octo haberet sinuatos recessus. Eruditè de his Salmasius in Exercitationibus Plinianis ad Solinum *. Non existimandum verò, Paullini demum ætate, hanc vocem à Latinis receptam. Nam Spartianus utitur in Pescennio Nigro: *In qua ejus in trichoro simulachrum constituit.* Ubi, eodem Salmasio interprete, intelligitur domûs fastigium, sive ἀέτωμα, quod, ut stillicidia deducat, figuram habuit τρίγωνον sive triangularem; unde & τρίχωρον dicebatur. Nempe ædibus planis pro tecto erat δῶμα, sive solarium: aliæ verò utrimque assurgebant, eoque habebant fastigium: imò quandoque uni domo fastigia plura: unde Statius Papinianus in primo Silvar. †

—— *Partitis distantia tecta trichoris.*

Ubi terna designat fastigia. Atque hinc conspicimus, etiam Domitiani ætate hanc vocem fuisse in usu; sed significatione aliâ, quàm Paullino. Vide & hoc de loco Rhodiginum *.

Tricinum dixere pro *trichinum*, τρίχινον, quod est è pilis, qui Græcè τρίχες. Euagrius presbyter in vita S. Antonii †: *Traxit quidam sportella, quam texebat, tricinam, sive funiculum.* Non putandum, esse à *tricis*; cùm nequeant funiculi contexi e tricis, hoc est, pilis involutis, & implexis: à qua voce *intricare*, & *extricare*; ut ex Nonio constat. Eadem interim origo. Nam & *trica* à τρίχες.

Triginta-octo non præfractè damnâro: sed utar, ubi apud

---

† *Notis ad Paull. diacoini Hist. Longobard.*

† *Al. 29.*

* *Pag. 1212, ac deinceps.*

† *Carm. in Tiburtinum Vopisci.*

* *Lib. 18. Antiq. Lect. cap. 11.*

† *Pag. 49. a. edit. Rosweidiana.*

apud idoneum legero scriptorem. Interea usurpem *duodequadraginta*.

Trimisium, pro tremisse, more Græco, qui τριμίσιον dicunt. Anastasius bibliothecarius in Sylvestro: *Domum in regione Roffea intra urbem, quæ præstat solidos* LVIII, *& trimisium.* Similiter idem in Cælestino, atque alibi: ut in exsilio S. Martini: *Nam nec semel de regione ista, usque ad unum trimisium, frumentum potui comparare: sed nec alterius cujusque generis speciem; nisi, ut prædictum est, ex naviculis; quæ huc raro veniunt, ut sale onustæ recedant. Sic potuimus emere tres, vel quattuor modios nomismata usque ad præsentem Septembrium mensem.* Ubi *trimesium* corruptum ex *tremisse*: quod unde sit, diximus superius. Ut omnino fallantur, tum quibus placet, *trimisium* esse è *trimodio*; tum qui factum volunt è *trimensio*, hoc est, trium mensium frumento; etsi doctissimorum sit hominum opinio, inde τριμήσιον dici, quia soleat H in I abire; quomodo *eleison* dicimus, pro ἐλέησον: & N ante Σ soleat à Græcis negligi; unde Ὁρτήσιος dis, pro *Hortensius*.

Trimmam, pro tramento, ex Græco τρίμματος vocabulo, dixit Anastasius Bibliothecarius. Nempe ut *schemam* efferebant, cùm Græcè sit τὸ σχῆμα; *sacomam*, licet Græcè τὸ σήκωμα. Multa ejus generis in libris de Arte Grammatica*, atque Oratoriis nostris†, adduximus. Vide & quæ de *trimmâ* adferam in Particulis, voce *Trebaciter*.

Tripetias, pro *tripodes*. Severus Sulpitius dialogo II cap. I: *Sedebat Martinus in sella rusticanâ, ut est in usibus rusticorum; quas nos rustici Galli tripetias, vos scholastici, aut certè tu, qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis.* Malim tamen *tripedia*, à tribus pedibus: unde & *tripus* sive τρίπους. *Vasa tripedia*, ut *animalia bipedia*.

Triquadra, tripartitum. Vide *Quadra*, in usurpatis significatione alienâ.

Trisorium, gazophylacium, ærarium, locus ubi thesaurus, sive pecuniæ publicæ, vel sacræ, adservantur. Est ex Belgico *trisorie*, vel potiùs *tresorie*; quod ex barbaro *thesaurarium*; uti hoc à *thesaurus*, sive θησαυρός. Magnum Chronicon Belgicum*: *Post missam verò, prænominati principes intraverunt refectorium sancti Maximini, quod sic erat ornatum: primò trisorium decem scabellorum per modum graduum; & unumquodque scabellum in latitudine decem, & octo palmarum.*

Trisyrticum, quod tripliciter possumus interpretari, sive quod trifariam sumitur. Vide *Diasyrticum*, in falsâ significatione usurpatis.

Trogala, machina haustoria, sive instrumentum, quo aqua è puteis hauritur: quod Latinis *tolleno*, Græcis ἀντλητήριον, κηλώνιον, & τροχαλία, unde *troglala* corruptum. Gloss. *trogala*, τροχαλία. Ubi τροχαλία rescribendum.

Trogulus, vel *trochulus*, *cucula*, *monachalis vestis*; ut est apud Papiam. Sic pro *trochilus* dicebatur, quia trochum rotunditate referret. *Trochi* verò nomine ne *turbinem* intellige, qui Græcis βέμβιξ, sed circulum magnum, à pueris radio propelli solitum; sicuti dicebamus lib. primo cap. XXVI. Quod si *troguli* istoc ἔτυμον placet: rectiùs huc ea vox referatur, ubi agimus de barbaris originis Latinæ, aut Græcæ: quàm libro factum superiori, qui est de vocabulis non barbaris modò, sed ortus etiam barbari. Qui verò hanc *troguli* vocem usurpent, ibidem ostensum: videlicet libr. III cap. XVIII.

Troparia vox Græcobarbara: de quâ multa ὁ μακαρίτης Meursius in longè utilissimo Glossario suo. Verum & usurpare videas Latinos. Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV abbatis S. Albani: *Dedit igitur huic Ecclesiæ —— Evangelia legenda per annum, duos textus, auro & argento, & gemmis ornatos: sine ordinalibus*, consuetudinariis, missalibus, tropariis, collectariis, & aliis libris.* Erant verò *troparia* libri, qui sequentias sive prosas continerent. Nominis caussam adfert Zonaras ad Canonem Anastasii Damasceni.

Trusio in exsilium, pro *ejectio*. Vita Leodegarii† Augustodun. episcopi: *Cumque alter, pro perpetrato scelere, datus fuisset in exsilii trusionem.*

Tumba, ut Italis *tomba*, sepulcrum, bustum, à Græco τύμβος, unde τυμβογέρων *capularis senex*. Si Petotum audimus, etiam Græcis τύμβα dicitur: sed prorsus fallitur. Ne recentiores quidem sic efferunt; sed τύμπας, ut in Glossis est Græcobarbaris, quas habemus Mss. De voce τύμπας apud Simonem Portium* silentium est. *Tumba* voce inter alios usus est Aldhelmus de Virginitate:

> *Ad quorum tumbas gelidâ post funera mortis.*

Et ὑποκοριστικῶς *tumbula*, apud eundem de Gervasio, & Protasio:

> *Saxea quadratis quos condit tumbula fossis.*

Turgor fecere à *turgeo*, ut veteres *tumor* à *tumeo*. Flodoardus lib. I Histor. Rem. cap. XX: *Mirabili turgore distentus intumuit, & suspirans crepuit medius.*

Turriculum, pro *turricula*, videtur dixisse Remigius in Testamento: *Tibi, hæredi meæ Ecclesiæ suprà memoratæ, jubeo turriculum, & imaginatum calicem, fabricari; & epigrammata, quæ Lauduni in argenteo ipse dictavi, in hoc quoque conscribi volo.* Nisi Remigius ipse *turriculam* scripserit; quod censet Barnabas Brissonius. Videtur signare vas ad turris exiguæ figuram efformatum, in quo Sacramentum adservaretur. Id enim turriculæ habuisse figuram, cùm aliis è scriptoribus liquet, tum illo Gregorii Turonensis lib. I de Gloria Martyrum cap. LXXXVI: *Acceptâque turre, Diaconus, in quâ mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium; ingressusque templum, ut eam altari superimponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aëre.* Vulgò *ciborium* nuncupant. Aliter tamen cepisse Remigium, suspicatur Ludovicus De-La-Cerda in Adversariis Sacris*: idque quia secus *turriculæ* nomine utatur Flodoardus lib. II cap. III. Ipsum adi.

Turturilla, lupanar, sive ganeum; à *turtur*; quomodo dixero partem obscœnam viri, aut mulieris; ut membrum id omni penè in lingua est nominum dives. Isidorus in Glossis: *Turturilla, ita dictus locus, in quo corrumpelæ fiebant; quòd ibi turturi opera daretur, id est, pæneni.* Ubi pro *panem* legendum censeo *penem*, vel potiùs *peni*. Nisi *ganeo* malis; ut non vocabuli *turtur*, sed totius orationis, sit interpretatio. At non assentio Ludovico De-La-Cerda; qui in Adversariis sacris† pro *turturilla*, legit *gutturilla*; pro *turture* item, *gutture*. Nec enim in ganeo tam gutturi, quàm peni, opera datur. Et à *turture* ἀναλόγως satis est *turturilla*: nempe ut à *pistrinum*, vel *pistrina*, est *pistrilla*; à *signum*, *sigillum*. Sanè ab illis in R etiam venire diminutiva in LLUS; ostendunt, *cultellus* à *culter*; *satullus* à *satur*, quod è *saturus*. Etsi verò in ganeis ventri, ac peni, opera daretur: non tamen, ut puto, tam penem dixere *turturillam*, quàm scortillum. Videlicet, quia sic mutuò se compellarent Veneri vacantes. Hujusmodi amantium nomina congessit Comicus in Asinaria III. III:

> *Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum,*
> *Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.*

Putillus tamen alterius est generis: nempe à *puta*, unde *præputium*: *puta* verò à πόσθη: de quibus ad Catalecta Scaliger.

Tutaculum Prudentius* fecit à *tutor*; quâ formâ à *propugno*, *propugnaculum* fit. Sed potiùs cum veteribus dicamus, *tutela*, *tutamen*, *tutamentum*.

Tyanæum à Tyana civitate vulgò vocant Apollonium; sed nihilo rectiùs, quàm Demetrium dicunt *Phaleræum*: cùm Græcè sit non Φαληρεῖος, vel Τυανεῖος: verum Φαληρεὺς, & Τυανεὺς, pro quo Latinè *Tyanensis*. Apud Vopiscum tamen in Aureliano est *Thyanæus*. Sed parum idoneus is scriptor: atque, ut Salmasius observat, in Mso Palatino, & editt. veteribus, est, *Apud Thuanos*: quomodo dicitur *Peuci*, pro Peucini; *Megari*, pro Megarenses.

Marginalia:

* Lib. 2. in Analogia cap. 20.
† Institut. Orator. lib. 5. cap. 1.
* Pag. 402. edit. Pistorianæ.
* Hoc est, ut prætereā ordinalia, & tot alia, quæ iidem donavit.
† Tom. 1. script. Franc. edit. Andr. du Chesnes p. 601.
* In dictionario Græcobarbaro, Lutetiæ edito an. 1635.
* Cap. 76. §. 10.
† Cap. 141. §. 542.
* Lib. 2. contra Symmachum, pag. 316. edit. Plantin.

CAP. LIV.

Acceditur ad ea, quæ ab V auspicantur, excipiente illud A, vel E. Vacantia, *vacatio, vel saburra.* Vaccaritia, *grex minimum* XII *vaccarum.* Vacinarius, *qui coria concinnat, sive apparat.* Vadium, *pignus, sive hypotheca.* Vassus, *fidejussor, item cliens: unde* vasallus, *&* vassaticum. Vasui, *iidem ac clientum id genus, quod* vasallos *dicimus.* Vaticinium, *vaticinatio.* Vegetativum, *vegetans.* Vehiculus, *equus.* Venenosus, *venenatus.* Ventositas, *ventus, & ostentatio.* Verantia, varantia, *&* garantia, *color ruber, ac coccineus.* Veratrina, *pretium, quod veratori, sive divinanti, persolvebatur.* Veriloquus, *veridicus.* Versibilitas, *caduca, ac fluxa omnium conditio.* Vestitio, *ab eâ significatione, quâ aliquis investiri dicebatur.* Vestituta, *possessio.* Vestura, *pretium, quod ex plantis redit ad dominum.*

Restat, ut nunc cogitationem, scripturamque transferam ad ea, quæ in cœptis ab V, sequente primâ, alterâve vocali, vel magis se animo offerent, vel scriptione nobis minùs indigna videbuntur.

Vacantiam appellant, quo tempore Senatu abstinent Senatores, vel justitium est, ac turba pragmatica, extra dies festos, obambulat otiosa, ita ut Plautinum istoc possis dicere, *Alcedonia sunt circa forum.* Item quando professores, doctoresque publici, non docent in Gymnasiis. Verùm *vacatio* utrobique dicendum. Videntur juniores etiam *saburram* sic vocâsse. Glossæ Nomicæ: *Βακαντία, σαβούρα.* Caussa fuerit nominis, quòd impleat locum vacantem à mercibus.

Vaccaritia, grex vaccarum: qui legitimus, si minimùm vaccarum fuerit XII. Lex Alamann. tit. LXXV: *Si quis in vaccaritiâ legitimâ, ubi sunt* XII *vaccæ, vel amplius, taurum ex ea involaverit, vel occiderit,* III *sol. eum* solvat: aut qualecunque armentum de ipsâ vaccaritiâ involatum fuerit, secundùm qualitatem eum solvat.*

* Pro ei, ex more istius seculi.

Vacinarius, vel potiùs *vaccinarius*, est à *vaccinus:* quomodo lac vaccinum, hoc est vaccarum, Plinius dixit. *Vaccinarius* igitur, ὁ βυρσοδέψης, qui depsit ac præparat pelles vaccinas, sive bubulas. Papa Pius quartus in confirmatione, & extensione jurisdictionis S. R. E.† *Quemadmodum artes vacinariorum, seu coriariorum, nec non artificum, chordas musicales ex animalium fibris facientium, malum reddentes odorem, ad fluminis ripam separata reperiuntur.*

† Bullarii Tom. I. pag. 119. 121.

Vadium à vadibus dictum: estque pignus, sive hypotheca; idque tum rei mobilis, tum immobilis. De quo leges Scoticæ lib. III cap. II. Hinc *invadiare* ibidem, & *res invadiata:* hoc est, in vadium posita, ut loquuntur eædem Leges cap. seq. §. I.

Vassus est à Latino *vas.* Vadis vocabulo signatur is, quo spondente, vadere alteri licet, præcipuè in re capitali: non quasi ἀμέσως * sit à *vado*, quod priorem producit; sed quia retineat modum primigenii βάδω, unde *vado.* Quia verò vas suâ fide, ac sponsione, alterum præstabat liberum; hinc *vassus*, fidejussor. Gloss. vett. *Bassus, custos populi: vassi, fidejussores.* Sanè *vassi* barbaris seculis vocati sunt beneficiarii: h. e. clientes, sive certâ fide obstricti, seu qui, accepto beneficio, se obligassent benefacienti. Est id vocabuli in Legg. Alamann. tit. XXXVI. §. IV: *Qualiscunque persona sit, aut vassus Ducis, aut Comitis.* Item tit. LXXIX. §. III: *Et dominus ejus* XII *vassos infra domum habet.* Legg. Baijuvar. tit. XV cap. II: *Sive Regis vassus, sive Ducis, omnes ad placitum veniant.* Legas quoque apud Marculfum monachum lib. II cap. XVII*: item in Kapitul. Ansegisi lib. II cap. IX. Et cap. XXIV: *Vassi quoque, & vassalli nostri nobis famulantes.* Præterea lib. III sect. LI, & LXIV, & LXXIII. Ac lib. IV cap. LXX: *Ut vassi nostri, & vassi episcoporum, abbatum, abbatissarum, & Comitum.* Item in præcepto evindicatorio Karoli M. Inque capitulis episcoporum Remensium, & Rhotomagensium in Carisiacensi palatio ad Ludovicum Reg. an. DCCCXVIII. *In Comitatu drudorum, atque vassorum.* Insuper Walafrido Strabone de re Ecclesiast. Nec non lib. I vitæ B. Geraldi cap. XXXII: *Nam, reip. statu jam nimis turbato, regales vassos insolentia Marchionum sibi subjugaverat.* Aimoino itidem lib. V cap. XXXVI: *Abbates etiam, & regni primores, ac vassi regii, se illi commendaverunt, & sacramento secundùm morem fidem promiserunt.* Ex quibus satis liquet, utcunque primitus distinxisse *vassos*, & *vassallos*, videantur: postea tamen non fuisse alios *vassos*, quàm illos, qui aliter dicti sunt *vasalli:* quâ de voce tam multa legas apud feudorum interpretes, ut hic pigeat insistere. Potiùs igitur addam, à *vassis* esse *vassaticum:* quod apud Theodulphum legas.

* Proximus.

* Pag. 140. edit. Paris.

Vasuorum meminit Gerardus in Diplomate † an. CIↃ XXXIII, quo Divionensi monasterio Vulferei curtem donat: *Sed si forte contigerit, ut humilitas, & mansuetudo monachorum, à vasuis, aut ab extraneis, pro aliquo negotio non possit justitiam exigere: si Advocatus fuerit ab iis arcessitus, & legalem de re, pro qua agitur, exegerit emendationem*; ipse emendationis tertiam à monasterii ministris accipiat partem.* Ubi *vasui* iidem, ut puto, ac *vassi*, aut *vasalli:* de quibus proximè, quod satis est, diximus.

† Apud Aubertum Miræum in donationibus Belgicis, p. 42.

* Hoc est, mulctam, quæ decreta, ut homines pœna territi se emendent.

Vaticinium nunc est perusitatum eruditis. Apud veteres pro eo *vaticinatio* semper invenio.

Vegetativum obtinet imprimis in scholis philosophorum. Tullius, & alii veterum, pro eo, quod viget, vel, quod vivit. Animæ vis θρεπτική, altrix, vel quæ vegetandi principium est.

Vehiculus, equus, quia hominem dorso vehit. In Translatione S. Faustæ cap. II, §. VII†: *Nam vehiculus, qui eum ferre debuerat, cum illis, qui primitus vadum transierant, fortuitu* vacuus, neminem in dorso suo ferens transmeaverat.*

† In Vitis SS. apud Boll. ad 4 Jan.

* Pro fortuito.

Venenosus ajunt, ubi veteres *venenatus*, à *venenandi* verbo, quod usurpat Lucretius.

Ventositas non dixero, etsi probum sit *ventosum.* Pro priori veteres inflatio magna, tumor: item ventus, atque ostentatio.

Verantia, corruptiùs *varantia*, corruptissimè *garantia*, sandyx frutex, qui cocco similem colorem facit. *Verantia* à *verando*, quia tinctura ejus verus est color, hoc est, verè ruber, & coccineus. *Verare*, ἀληθεύειν. Agellius in XVIII Noctium cap. II ex Ennii Annal. XIII adducit:

> —— *Satin vates verant ætate in agunda?*

Atque inde vates, & arioli, dicti *veratores*, & Appuleio in sequiori sexu *veratrices:* ut Belgis *waerseggers*, & *waerseghsters.* Imò & pretium, quod pro divinatione dabatur, ex eo *veratrina* appellatur in vett. Burgundionum legibus tit. XVI leg. III, ubi perperam editum *vegintura.* Ut ad *verantia* redeam, sicut à *constans*, constantia, à *substans*, *substantiâ:* ita quoque à *verans*, *verantia*; quia is color sit verans, sive verus, hoc est, ruber. De quo plura Salmasius, partim Notis ad Capitolini Macrinum*; partim etiam in Plinianis ad Solinum Exercitationibus†.

* Pag. 169. & 170.

† Pag. 1152.

Vercola non esse Latinæ notæ vocabulum, ostendimus in *Cericola.*

Veriloquus aliquis putet non esse deterioris notæ, quàm *versutiloquus.* Sed cùm veteres *veriloquus* nesciant; *veridicus* autem sit non apud Lucretium modò, ac Catullum, sed ipsum etiam Ciceronem: cur non prius usurpes potiùs? Dixeris, apud ipsum Tullium esse *veriloquium:* scio: sed non usus, ut voce, quæ obtineret in foro Romano; verùm ut novâ, & à se fictâ, quò verbum ex verbo exprimeret, quod Græcè est ἐτυμολογία.

Versibilitas, fragilis ac fluxa rerum humanarum conditio, qua omnia vertuntur, ac fere in pejus ruunt. Joannes Saresberiensis Policratici lib. II cap. XXII: *Quia nec ex mutabilitate rerum, nec ex temporis fugâ, aut versibilitate, potest aliquid absconditum esse ab oculis ejus.*

Vestitio, inauguratio; in qua solemni veste quis induitur.

tur. Antiquitatum Fuldensium lib. I, in recuperatione capturæ Monasterio ablatæ*: *Item testes vestitionis, signum Freibrachti, & Otocari, qui hanc vestitionem fecerunt.*

* Pag. 474.

Vestitura, pro possessione. Capitul. Caroli M. & Ludovici lib. IV cap. XXXIV: *Siquis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris fuit.* Et Appendice II cap. VII: *Ut non mittantur testimonia super vestituram Domni Pipini Regis.* Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. VIII: *Ut res, & mancipia Ecclesiarum, eo modo contineantur, sicut res ad fiscum Dominicum pertinentes contineri solent: justè & rationabiliter de rebus, & mancipiis, quæ in regia & in ecclesiastica vestitura fuerunt, uniformiter, & uno modo tenendum est.*

Vestura est fructus, ad dominum rediens ex plantis, quibus terra vestitur; unde & nomen. Matthæus Parisius in Additamento II: *Inquirendum est etiam, quantum vestura singulorum boscorum, & refectorum, prædicto modo assartorum valuit.*

Cap. LV.

De incohantibus ab V, sequente I. Vibrina, *vestis è pilis fibri.* Vicedominus, *vicarius domini.* Vicinetum, *jus se defensitandi vicinorum legibus.* Victualia, *victui necessaria.* Vidubium, *vel viduvium, vidua conditio.* Vigilax, *vigilans.* Villanus, *villæ, vel colonariæ conditioni adscriptus.* Villare, *pagus.* Villenagium, *servitus à villico obita.* Vinagium, *& wienagium, vectigal è vini vectura.* Vinculatus, *vinctus.* Virtutigena, *qui, ob probitatem singularem, dici possit genuina Virtutis proles.* Virtuosus, *virtutis cultor.* Visnetum, *vicinia.*

His nunc subdam nomina Latino-barbara, quæ post V habeant tertiam vocalem.

Vibrina vestis memoratur in Regula S. Cæsariæ cap. IX, §. LV†: *Moneo specialius: vestimenta lucida, vel nigra, vel cum purpura, vel vibrina, nunquam in usu habeantur; nisi tantum laia, & lactena.* Existimo, rescribendum *fibrina*: vel ut tum *viber*, pro *fiber*, dixerint; saltem *vibrina*, seu *fibrina*, erit vestis facta è pilis fibri, quibus nihil molliùs: unde hodieque fibrini petasi maximè in pretio sunt. Est verò *fiber* idem ac *canis Ponticus*, vel Græcis *κάστωρ*, unde & *castoreis* nomen. Vidimus de his lib. III Physiologiæ Christianæ cap. LXVIII.

† In Vitis SS. ad 12 Jan.

Vicedominus, pro domini vicarius, quomodo *alienæ dominationis vicarium* ait Brutus ad Cicer. Nempe sic dicitur, qui vicem domini implet, secularia ejus negotia procurando. Cassiodorus Variarum lib. V epist. XIV: *Domestici Comitis Gothorum, nec non & Vicedomini, aliqua dicuntur provincialibus, continuatis terroribus, abstulisse.* Legas quoque apud Gregorium Magnum epist. XI, & Anastasium bibliothecarium in Vigilio Papa: item Hincmarum dialogo de Statu S. Ecclesiæ*. Ejus verba sunt: *Nam sancta Ecclesia, postquam sibi subdidit culmen imperii, ex consilio Regum, vel optimatum, per sanctos sacerdotes elegit sibi in singulis Ecclesiis vicedominos, advocatos, defensores, & cæteros adjutores; quibus tantum de rebus Ecclesiæ delegatum est, ut sine querela fideliter servitio sanctæ Ecclesiæ, & imperio Pontificum, obedirent.* Est & Matthæi Parisii in Additamentis, ubi literarum civitatis Parmensis inscriptio est ejusmodi: *Strenuis, & prudentibus viris, Domino Bonifacio de Sal. Potestati, Militibus, & Populo Mediolanensi, Philippus Vice-dominus, Potestas, Milites, & Populus Parmensis, salutem cum gloria, & honore.*

* Pag. 951. ed. Paris. an. 1615.

Vicinetum, facultas decidendi controversiam, seu civilem, seu criminalem, per assisam, sive constitutionem locorum vicinorum. Leges Baronum Scotiæ (quæ, *Quoniam attachiamenta*, solent à primis vocari operis verbis) cap. LXXIII: *Nullus Galwidiensis debet habere vicinetum, nisi refutaverit legem Galwidiæ, & postulaverit vicinetum.* Sensus est: Quandoquidem Galwidienses habent propriás leges, non licet iis se tueri legibus vicinorum, nisi propriis legibus antea renunciârint.

Victualia non lubens dixero; sed *commeatus*, aut *victui necessaria*. Usurpat inter cæteros Comes S. Pauli, epistolâ ad Ducem Lovaniensem, apud Godefridum monachum S. Pantaleonis†. *Toti exercitui nostro per annum victualia largiretur integrum.* Item S. Odericus de Foro-Julii*, Peregrinationis suæ in Orientem cap. I, §. II: *Abundat pane, & carnibus, & aliis victualibus.* Et §. III: *Multis victualibus hæc abundat.* Similiter §. IV. Nec tamen hac de voce multùm contendero, quia *victualis substantia* est L. Judices. x. Cod. ad episc. aud.

† In Scriptoribus rerum Germanicarum editis à Frehero, p. 296.

* In Vitis Sanctorum à Bollando editis ad 14 Jan.

Vidubium, vel *viduvium*, viduitas, sive viduæ conditio. Sidonius Apollin. lib. VI epist. II: *Cui filii, nec post multò nepotis amissi duæ pariter plagæ recentes, ad diuturni viduvii vulnus adduntur.* Glossæ: *Vidubium, χηρεία χήρας.*

Vigilax, vigilans, industrius. Sidonius Apollinaris lib. V epist. II: *Namque in paginis ejus vigilax lector inveniet veriora nomina Camœnarum.* Similiter lib. VIII epist. XII.

Villanus, pro rustico, vel degente in villa. Odericus Peregrinationis suæ cap. III §. XII†: *Rex habuit quatuordecim millia elephantorum domesticorum, qui nutriuntur à villanis sibi subjectis.* Budæus prioribus Annotationibus in Pandectas* *villanos* dici ait, qui vel ipsi sint adscripti villæ, aut colonariæ conditioni, vel quorum majores fuerint hujuscemodi.

† In Vitis SS. ad 14 Jan.

* Pag. 72. edit. Rob. Steph.

Villare videtur pagus, quia refert villam; quo intelligere hic, more barbari seculi, civitatem oportet. Chronicon Flodoardi in an. CIƆCCCCXXIV†: *Visiones sanctorum cuidam presbytero, nomine Ebrulfo, in villari Mosomo proximo commanenti, ostensæ.*

† Pag. 123. Annalium Francicorum edit. Wechel. a. 1594.

Villenagium, servitus à villico obita. Ita in Reg. Majest. Scoticæ Legg. lib. I cap. XXIX §. VI, *villenagium in Curia objectum, & probatum*, inter caussas affertur, cur aliquis excludatur à petitione hæreditatis sui antecessoris.

Vinagium, & corruptiùs *wienagium*, vectigal, quod penditur ob vecturam vini. Philippus Comes Flandrorum, & Veromanduorum, in tabulis an. CIƆCLXXVI*: *Vinagium, & pidagium de omni vino, quod fratres ducunt ad Ecclesiam, ad opus suum, per transitus nostros liberè transire, & nihil omnino à ductoribus vini exigere. Similiter & de omnibus victualibus fratrum per totam terram meam liberum transitum.* Wilhelmus de Betunia in tabulis anni CIƆCXCIII†: *Omnia ad prænominatam Ecclesiam, vel ad usus fratrum in ea commorantium pertinentia, sive terrâ, sive navigio, per terram nostram transeant, absque teloneo, & vienagio & omni exactione, liberè transire permittuntur.* Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, posteaque Imperator Constantinopolitanus, in tabulis anni CIƆCXCIX*: *Concedo libertatem, ut sive per terram, sive per aquam transeuntes, per omnem terram, & ditionem nostram, à winagiis, vel teloneis, & cæteris exactionibus, liberi in ævum permaneant.* Nicolaus, dominus de Lalaing, in Donatione Marchianensi Abbatiæ prope Duacum factâ anno CIƆCCIX†: *Quitavi in perpetuum Ecclesiæ Marchianensi omne wienagium, quod exigere, vel capere, solebam de blado, & vino, & aliis catallis ad Ecclesiam pertinentibus; indulgens, ut in omni potestate meâ, tam per terram, quàm per aquam, liberè, & absque ullâ tributi exactione, res ecclesiæ transeant.* Videtur verò hic ea vox non de solo vino dici; sed etiam extendere se ad bladum, sive frumentum: etsi aliud exigat ἔτυμον.

* Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belg. cap. 166. p. 440.

† Apud Miræum in Notit. Belg. Eccles. pag. 469.

* Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. cap. 180. pag. 485.

† Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. an. cap. 189. sive pag. 514.

Vinculatus, vinctus, vinculis constrictus. Thom. Walsingus Hist. Angl. in Richardo II*: *Eos, qui dignam summam pecuniæ pro redemptione pendere poterant, vinculatos ad vasa deducunt, domos cum Ecclesiis spoliant.*

* Pag. 210.

Virtutigena, virtutis usque adeò amans, ut ex ea quasi genitus videri possit. Glaber Rodulphus præfat. vitæ S. Guilhelmi†: *Idcirco communem fidelium virtutigenûm obsecramus charitatem.*

† In Vitis SS. ad 1 Jan.

Virtuosus est apud Guilhelmum, equitem auratum, in Hodœporico, sive de terra sancta. Similiter Innocentius III epi-

III epistolâ, quæ est apud Petrum in Historiâ Albigensium cap. VIII. Pro eo *studiosus*, vel simile, dixeris.

Visnetum, vel *vicinetum*, pro vicinia, ab Anglico *visne*, quod & ipsum ejusdem originis. Matthæus Parisius in charta libertatum à rege Joanne concessarum: *Per sacramentum proborum, & legalium hominum, de visneto Comitatus.* Sed aliqui libri *vicineto*.

CAP. LVI.

De iis, ubi post V ponitur L, N, O, R, T, V. Ulvetum, *&* undeolus, *rejecta.* Unicors, *concors.* Uniganus, *qui unicas contraxit nuptias.* Unigenitus, *filius unicus.* Volax, *volucris, velox.* Vomitium, *vomitus.* Voracitas, *edacitas.* Urinale, *vel* urinarium, *matella.* Utensilitas, *usus.* Vulgulosus *fortasse, qui in vulgo eminet. Esse & hujus generis aliqua, quæ per VV scribantur: quale* wadium, *pro pignore, vel mulcta: & ab hac origine quædam vocabula hodieque in Gallicâ, & Belgicâ linguâ, obtinere. De cœptis ab X; ut* xenodocharius, *xenodochii præfectus; &* xirophagus, *arido victu contentus. Vel ab Y, ut* yconomus, *pro æconomus: &* ybernagium, *frumentum hybernum. Vel à Z, ut* zanchæ, *vel* zangæ, *calceamenti barbari genus:* zeta, *pro* zæta, *sive diæta:* zapinea, *pro sapinia, abjegna, pinea:* zima, *pro zyma, sive fermento:* zometum, *pro veste stragulâ.*

RESTAT, ut de iis agam, ubi post V sequatur litera posterior tertiâ vocali: item de cœptis ab W, X, Y, Z. Ac, quia ad alia festinat animus, paucis defungar.

Ulvetum, locus ubi crescunt ulvæ. Ita Gemma. Puto rescribendum, *Ulmetum*, & *ulmi*.

Undeolus in Gemma exponitur *een water-vat*. Nec esse librarii errorem, ostendit ordo literarum. Nimirum ab *unda* deduxit. Sed omnino auctor falsus, qui debuit dicere *urceolus*.

Unicors, pro concors, itidem agnoscit Gemma: uti & *unicordia* pro concordia.

Unigamus, & *unigamia*, ibidem est pro μονογάμος, & μονογαμία.

Unigenitus vulgò, ac Theologis imprimis, est perusitatum. Magis tamen Latinè dixeris *unicum*, vel etiam *unigenam*: quomodo Cicero in Timæo ait: *Ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quòd solus atque unus esset: iccirco singularem Deus hunc mundum, atque unigenam, procreavit.*

Volax, pro volucri, vel volante, aut celeri. Petrus Damiani lib. III epist. VIII ad Archiepisc. Bisuntinum: *Atque ut volaces gressus acceleret, exoratur.*

Vomitium in Mso nostro Glossario exponitur vomica. Ac comprobatur ibidem è Martiano Capella, qui dicat *vomitio, ac nauseâ laborare.* Sed hoc potiùs argumento fuerit *vomitium* pro *vomitu* dixisse, vel *vomitione*.

Voracitas ignotum veteribus, qui maluere *edacitas*: Cicero etiam pro Sextio, *abdomen insaturabile*.

Urinale, pro matella, est in Gemma illa non gemmeâ. Et obtinet vox in vulgo. Cœlio autem Aureliano lib. I χρον. cap. IV *urinale* medicamentum, urinam ciens, vel movens. Græcis οὐρητικὸν, & διουρητικόν. Pro *matella* & *urinarium* est in Glossario nostro Mso: sed itidem absque veterum exemplo.

Utensilitas, ab *utensile*; ut *utilitas* ab *utile*. *Utensile* est Varronis lib. I. de R. R. cap. V. Onomasticum: *Utensilis, utilis*, χρειώδης. Hinc Columellæ, & aliis, *utensilia*. *Utensilitas*, χρεία, usus. Tertullianus de habitu mulierum cap. V: *Magis ferro, & æri, ita disposita est utensilitas.* Et mox: *Consanguineis, quantum ad genus; & potioribus, quantum ad utensilitatem, materiis præferantur.*

Vulgulosus in Gemma exponitur, *in vulgo generalis*. Quare videri possit venire à *vulgus*, vel diminutivo *vulgulus*. Sed illa in *osus* potiùs copiam, vel aliud, quàm honorem, signant: ut *piscosus, ebriosus, asinosus* &c. Et quid si non sit vox à populo inducta, sed à librariis alicunde corrupta? Nisi longiùs abirent literæ, possit videri esse à *virgobretus*. Hoc enim apud Heduos erat nomen honoris. Isidorus in Glossis: *Virgobretus, nomen magistratus.* Sed de voce nihili nimis multa.

Atque hæc scribuntur per V, more Latino. Est verò, ubi Latinæ originis sit barbara vox, quæ, more barbaro, per W scribatur. Talis est *wadius*, vel *wadium*, vel *wadia*. Hoc propriè notat pignus, vel fidejussionem. Est verò à *vadis* vocabulo. Nam Latini pronunciabant V consonum, ut nos W: nempe *vadem*, ut *wadem*; *vinum*, ut *winum*; *vallum*, ut *wallum*; *vidua*, ut *widua*; *vacillare*, ut *wacillare*; unde nobis *wijn, walle, widwe*, vel *weduwe, waggelen*. Quia igitur vas ac sponsor pro pignore est; ideo *wadium* pro pignore. Legas in Lege Salicâ cap. I §. VIII. Item in Kapitul. Karoli M. libro II cap. XXXVIII, & lib. III cap. XXIX: ubi, quod prius est *loco wadii*, mox exponitur, *in pignore*. Hincmarus in Capitulis anni DCCCLIII cap. XI: *Ut nullus presbyter præsumat calicem, vel patinam, aut pallium altaris, tabernario, negotiatori, aut cuilibet laico, in wadium dare.* Atque ex his liquet, quid sit *vadio*, vel *wadio*, supponere: ut loquitur Guntherus lib. VIII:

> *Siquis habens feudum, pretio seu vendere totum,*
> *Seu dare, seu wadio supponere cogitur.*

Videlicet *wadio supponere* idem est, ac *oppignerare*. Quia verò pro mulctâ subinde pignus daretur; inde est, quòd *wadius* etiam diceretur pro mulcta, quam quis deberet. Constitutiones Caroli Calvi tit. XXVII, post reditum à Confluentibus, cap. VI: *Si de ipsa pacificatione wadii ad nostram partem venerint, ex toto —— perdonent.* Synodus Cabillonensis II cap. XVIII: *Dictum est nobis, quòd in quibusdam locis Episcopi, & Comites, ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, wadios accipiant, & à presbyteris, pro quibusdam negligentiis, & inter se, pecuniam dividant.* Similiter Odo lib. I de vita S. Geraldi cap. XXIV, & XXV. Etiam à *wadium*, seu *guadium*, vel *gadium*, est Germanicum *wedden*, pignore deposito certare. Ejusdem originis est, tum Germanicum *wedde*, merces, præmium, salarium; tum Gallicum *gagie*. Nam, W, & G, commutantur; Germanis amantibus W; Gallis pro eo reponentibus GV, vel G: quomodo *Walen*, Galli; *Willem*, Guiljelmus. Itaque & pro *wadium*, aut *vadium*, *guadium* dixere; ac fortasse etiam *gadium*. Sanè apud Petrum Mauritium est lib. I. de Miraculis cap. VIII: *Jussus post hæc à judicibus venire, & ea, quæ dixerat, comprobare, propius accessit, & iterans, quæ dixerat, cœptâ temeritate se vera dicere confirmabat. Cumque instaret, rursum ei judices præceperunt, ut, secundùm morem regionis, illud, quod ipsi vocant gadium, rei videlicet ab eo probandæ argumentum, manu propriâ in ejusdem Gerardi Prioris manu poneret. Qui velut ex bona conscientia audacter gadium in manu ejus ponens, ait: Hujus, ut dixi, rei ego testis sum, aliis quoque testibus, vel duello, id ipsum probaturus.* Ubi uno in codice *guadium*, pro *gadium*, se reperisse refert Ludovicus De-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CLXVIII: Nempe idem *vadium, wadium, guadium, gadium*. Atque à *vadis*, vel *wadii* vocabulo sunt verba *invadiare*, & *revadiare*; de quibus libro proximo dicetur.

Winagium idem ac *vinagium*; de quo superiori cap. diximus.

Aliquid etiam ad examen de cœptis ab X, Y, Z.

Xenodocharius, & *xenodocharia*, in Gemma habes, pro xenodochii præfecto, præfectâve. In veteribus Glossarii nostri membranis Mssis est *Xenodochiarius*: & magis ἀναλόγως.

Xirophagus dixere pro ξηροφάγος, qui H pronunciarent, ut I. Atque ita etiam in Vocabulario, quod Gemmæ inscribitur, est exaratum; item in altero nostro Mso, ubi similiter *xirobalsamum*, pro *xerobalsamum*. Imò *Xirophagia*, & ξηροφαγία, constanter scribit Ludovicus De-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CLX, §. XVIII. Sed per E scribi debere, arguit Græcum ξηροφαγία. Quod à ξηρὸς, ari-

aridus, & φαγεῖν, *edere*. Tertullianus de Jejunio: *Arguunt nos* (Physici) *quòd xerophagias observemus, siccantes cibum ab omnium carne, & omni jurulentia, & vividioribus quibusque pomis; nequid vinositatis, vel edamus, vel potemus: lavacri quoque abstinentiam convenientem arido victui.* Meminit & Cassianus lib. IV cap. XXII.

Yconomus, barbarum, ex *œconomus*, pro defensor, protector, patronus. Matthæus Parisius in vita Offæ II: *Rex Christianissimus Offa, vices agens Yconomi, & custodis specialis, vitam per aliquot annos continuavit.*

Ypocisis, vide *Hypocisma*.

Yvernagium corruptum ex *hybernagium*, pro frumento hiberno: unde & *bladum hybernagium* pro eo legas. Matthæus Parisius in vita Guarini, abbatis XX S. Albani, è Charta abbatis Guarini, & Conventûs: *Quietè molant qualibet septimanâ unam summam de yvernagio ad molendinum, quod vocatur* DICHMULEN, *& alteram summam de brasio ad* MALTMULEN.

Zabulus, diabolus. Cyprianus ad Demetrianum cap. VI: *Quid in ruinam zabuli, per ipsum, & cum ipso, cadis?* Similiter apud eum scriptor de Aleatoribus cap. III. Etiam sic usurpat Hilarius in Matth. cap. XII, can. XII, & ejusdem cap. XXIV canone XXVI; item Ambrosius lib. V de Fide ad Gratianum cap. I, & VIII; nec non Paulinus epist. X, Cassianus Collatione I, cap. XXI, Rabanus carm. IX. Est & in Hymno Ecclesiastico de S. Michaële:

Michaëlem in virtute conterentem zabulum.

Ubi Jodocus Clichtovæus *zabulon* legit; quæ una duodecim tribuum Israël. Ac Lævinus etiam Torrentius, in Suetonii Claudium cap. X, cùm Patres *zabulum* dixere, putat allusisse ad tribum *Zabulon*. Ac videri possit præivisse B. Hieronymus in cap. VI ad Ephesios. Sed veram vocis originem facilè videt, qui sciat, ζα Græcis nunc esse ἐπιτατικὸν; ut in ζάπλουτος, *valde dives*; ζάθεος *prædivinus*; ζαμενὴς, *admodum validus*, & similibus, nunc etiam valere διὰ; ut in ζαβάλλω, pro διαβάλλω, unde *zabulus*, pro *diabolus*. Similéque *Hippozarrytus* pro *Diarrhytus*: de quo dixi Historiæ Pelagianæ lib. I cap. XIII. Aliqui de ζα non dissentiunt: sed arbitrantur, esse à βουλὴ, consilium. Sed sic ζάβουλος diceretur, penultimâ porrectâ, & notaret *abundantem consilio*; quod elogium potiùs ad honorem pertineret.

Zacones, pro *diacones*; *diacones*, pro *diaconi*. Nam Ecclesiastici pro *diaconi*, & *diacones* efferebant; ut cap. proximo patebit. Ζα verò Attici, & Æoles, pro διὰ dixere: ut est apud Etymologum magnum in κόνος, pro διάκονος. Commodianus: *Ministerium Christi zacones exercete castè.* Simile est *zabulus*, de quo proximè dicebamus: item *zeta* pro *diæta*, de quo mox.

Zancha, vel *zanga*, Trebellio Pollioni in Claudio barbarici calceamenti genus: uti dictum lib. II cap. XVIII. Vox barbara; interim à Græcis accepta, sed recentioribus; ut inter Græcobarbaras, & Latinobarbaras, reponi debeat. Inter Græcos, Latinosque, hoc est discriminis, quòd Græci maluere τζάγγα, ex more eo, quo ante Z præponebant T. Veteres Glossæ verborum Juris à Labbæo divulgatæ: τζάγγα, τὸ ὑπόδημα. Salmasius ad Trebellium ostendit, ζαγγη dixisse à constringendo; quod Græcè διάγχειν: pro quo extulere ζάγχειν, ut factum in *zeta*, de quo mox dicam.

Zapinea vulgò Italis tabula abiegna, pro *sapinea*, à *sapino*, abietis genere: ut Servius interpretatur in II Æn. At Glossæ vett. *Sappinus*, πεύκη; *sapinus*, πίτυς. Nempe aliqui sappinum, sive sapinum, interpretabantur *piceam*, alii *pinum*; ut vicinæ arbores confundi solent. Pluribus de hoc egimus in Originum libris.

Zeta in Glossis nostris membranaceis exponitur, *camera, conclave*: & adstruitur eo, quòd in vita B. Thomæ legatur, *zetas hiemales*, & *zetas æstivales*. Usurpat quoque Ordericus Vitalis in Historia Ecclesiastica*: *Quidam ad illum de sublimi zetâ lapidem projecit*. Sed hoc vocabulum jam Plinii† minoris temporibus usurpatum. Juniores in eo solùm recesserunt, quòd merâ exararunt vocali, cùm scribendum sit *zæta*. Est enim factum ex *diæta*; cujus generis alia in *zabulus*, & *zacones*, adduximus; in quibus non Z ἀναλόγως pro D, sed ζα ponitur pro διὰ. Quare valde fallitur Cœlius Rhodiginus lib. XII cap. XVIII; ubi esse eam vocem putat, vel à ζῆν, hoc est, vivere, quia in ea genio indulgerent; vel à ζεῖν, hoc est, fervere, quia in hac poneretur heliocaminus: ut in Originum libris dictum.

* Pag. 775.
† Lib. 7. epist. 17.

Zima in Gemma exponitur fermentum. Græcè ζύμη, unde ἄζυμα. Solùm peccatum eo, quòd Latini eam vocem nesciant; nec per tertiam vocalem, sed per Y, scribi debeat.

Zometum ibidem exponitur, quod sternitur supra lectum. Hoc Ciceroni *vestis stragula*, Græcis στρῶμα. Num inde factum *zometum*, pro *strometum*, ex plurativo στρώματα? An potiùs est à *zoma*? Nam ibidem antecedit, *Zoma, vestimentum, vel cingulum.* Sanè & Græcis ζῶμα, tum ἔνδυμα, tum ζώνη. Sed incertis adeò cur immoremur?

CAP. LVII.

Transitur ad ea, quæ vitiosè declinantur. Hoc trifariam fieri. Primùm, si confundantur declinationum formæ. Velut prima, & tertia: qualia tesseribus, *pro tesseris*; abbam, *pro abbatem*; celeumæ, *pro celeusmatis*; Sirenarum, *pro Sirenum. Item secunda, & tertia: ut* glomi, *pro glomeris*; gibberis, *pro gibbi*; diaconibus, *pro diaconis*; mannibus, *pro mannis. Adhæc secunda, & quarta: ut* viru, *pro viro, à recto* virus: genuorum, *pro genuum. Deinde, ubi nulla est declinationis confusio; & vitiosa tamen est vocis formatio. Ut à* lardum, *larda in plurativo, pro pernis; à muliebri nomine* Michaëlis, *obliquus* Michaëlis, *pro, Michaëlidis*; marmorem, *pro marmor*; site, *pro siti*; sanguines, *pro sanguis. Tertia vitiosa forma est, ubi ἄκλιτον sive indeclinabile habetur, quod non est ejuscemodi: quale est* Parisius, *pro Parisiorum, Parisiis, vel Parisios. Ac plura ejus farina apud varios.*

QUæ hoc libro diximus de nominibus Latino-barbaris, ea in recto etiam id, quòd sunt, hoc est, barbariem suam produnt. At quandoque usu venit, ut à recto Latino formetur casus barbarus. Hujus generis aliqua adduxi primo hujus operis libro cap. vigesimo. Nec caussam video, cur non denuo, in tam ampla segete barbarorum, aliqua ejusce sottis congeram hoc loco. Ac priùs quidem exponam, ubi declinationes confundantur. Ita nomen primæ more tertiæ inflectitur, cùm *tesseribus*, pro *tesseris*, ait Cæsarius lib. IV Miraculorum cap. VI: *Ante conversionem leccator opere, vino, & tesseribus, deditus totus.* Et contrà nomen tertiæ inclinatur, quasi primæ foret; quando *abba*, & *abbam*, dicit Paullus Æmilius in Historia Francica. Nam à recto Ἀββᾶς, sive *abbas*, usus exigit *abbatis*, *abbati*, *abbatem*. Nec ignoro, etiam *abba* legi apud priorum nonnullos. Sed iidem tamen *abbatem*, non *abbam*, dicunt. E. G. apud Aimoinum de Gestis Francorum lib. V cap. I: ubi in Privilegio Karoli Magni scribitur quidem, *Venerabilis vir, Hrobertus, Abba de Basilica S. Vincentii.* Sed ejusdem tamen privilegii initio est, *Omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus*; non *Abbatis*.

In eâdem formâ se offert *celeuma*; quod ex Græco κέλευσμα, ac remigibus, vel assâ voce, vel per symphoniacos, cani remigibus solet; ut ait Asconius in Divinat. Ac Servius in VIII Æn. *Tacitis remis* interpretatur ἄνευ κελεύσματος. Diximus de eo Oratoriarum Institut. lib. V. cap. II §. II. Hoc in patrio *celeumatis*, vel *celeusmatis*, facere, satis ex Græca declinatione conspicitur. Attamen legas in vita S. Genovefæ Virginis c. VII sect. XXXIX*: *Pariterque omnes cum eo, in cælum clamore sublato, canticum Exodi in modum celeumæ concinentes, magnificaverunt Deum.* Quod non culparem, si veterum niteretur exemplo; uti *schemam*, *sacomam*, *diademam*, aliaque id genus multa: de quibus egimus lib. IV artis Grammaticæ, sive de Analogia lib. II cap. XV, & Institutionum Oratoriarum lib. V cap. I sect. I.

* In Vitis SS ad 3 Jan.

Huc etiam pertinet *Sirenes*, *Sirenarum*, pro *Sirenes*, *Sire-*

Sirenum, à Græco Σειρὴν, Σειρῆνος. Otto Frisingensis in Proœmio operis ad Singrinum: *Babylon, juxta Esaiæ vaticinium, sine spe reparationis, Sirenarum facta est delubrum, domus draconum, & struthionum, latibulum serpentium.*

Itidem confundi videas secundam, & tertiam. Nam, ut dixi lib. primo cap. xx, *glomus* est tertiæ; unde tamen *glomi* pro *glomeris* formari solet: & contra *gibbus* est secundæ, unde formant *gibberis*. Indem *diaconus*, ejusque composita *archidiaconus*, & *hypodiaconus*, sunt secundæ. Et tamen in tertia inflexere. Quod tangebamus lib. 1 cap. xx. Nunc aliquot testibus firmabo. Concilium Agathense cap. xxxix: *Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum uxorum evitent convivia.* Ac similiter canone xlix. Item *diaconem* can. lxv. Etiam *diacones* legas in Concilio Illiberitano can. xviii, & Toletano iv cap. xxxviii. Et ne Consiliis insistam, sic Pontius, vel potiùs Paullus Diaconus in Passione B. Cypriani: *Dalmaticam verò tradidit diaconibus, & stetit in lineis exspectans spiculatorem.* Isidorus in Viris illustribus cap. xiii: *Eugippius abbas ad quendam Paschasium diaconem libellum, de vita sancti monachi Severini, transmissum, brevi stylo composuit.* Ac similiter Anastasius bibliothecarius ordinatos à Fabiano *diacones, & subdiacones*, dicit. Non probo, quòd plerique in scriptoribus antiquis hæc immutant. Ut quòd Bonaventura Vulcanius, item Breulius, apud Isidorum lib. vii Originum cap. xii, *diaconi*, & *subdiaconi*, edidere. In nostris sane Mssis est *diacones*, & *subdiacones*. Ac sic ex Isidoro citat Gratianus distinct. xxi, c. 1. §. Cleros. Imò pluribus locis eo pacto etiam Burchardus, & Ivo. Et ab hac loquendi consuetudine est, quòd & Græci recentiores διάκων pro διάκονος ajunt. Malaxus Peloponnensis in Historia Patriarcharum: Ὁ παπᾶς γοῦν ἀρχιερεὺς, ἢ ἱερεὺς, ἢ διάκων. Et quid mirum, cùm similiter ὁ πάτρων ὁ πάτρωνος dixerint, pro *patronus, patroni*? Legas apud Theophilum, Harmenopulum, & alios I. C. item Hesychium: uti & τ πάτρωνα in Græcis inscriptionibus apud Janum Gruterum †.

Mannibus pro *mannis*. B. Hieronymus in Ecclesiasten cap. x: *Dignitate perflati, vias publicas mannibus terunt; quos vulgo buricos appellant. Mannis* dici debuit; ut Horatius lib. Epodon od. iv; *Et Appiam mannis terit.* Ubi Acro, & Porphyrio, docent, *mannos* dictos, quos vulgò *burdos*, & *buricos*, appellarent.

Similiter est, cùm nomen secundæ effertur, ut quartæ; vel id quod quartæ, quasi foret secundæ. Prioris generis est *virus*; unde *viri*, & *viro*, est apud Lucretium. At *viru* in ablativo à *virus* usurpatur in Vita S. Eugendi abbatis ab ejus discipulo exarata, cap. vi §. viii*. *Nisi deposito invidiæ viru ad sanctum Christi famulum quantocius repedarent.*

Contra *genu*, cùm quartæ sit, ideoque *genuum* faciat gignendi casu; tamen *genuorum dissolutio* in Actis Thyrsi, ex Mso Velseri expressis, legas cap. iv §. xxv †.

Atque in his confusa est declinatio. Dicam nunc, ubi nulla est mixtura: sed sic peccatur in declinando, ut maneatur interim intra κλίσιν, sive formam suam.

Tale est *larda*, pro partibus suillis; uti petasonibus. Sic legas apud Turocium in Historia Hungarica: *Lardorum duo millia.*

Michaelis in recto quidem rectè dicitur: sed perperam à recto illo aut *Michaelis* in patrio, aut *Michaeli* in dandi casu, dicunt, atque ita porrò. Nam dicendum hæc *Michaelis*, hujus *Michaelidis*, vel *Michaelidos*: sicut à *Theseis* est *Theseidis, Theseidi, Theseida*, vel *Theseidem*. Ut a *Theseo, Thesesi*; sic à *Michaele, Michaelis*. Nomen id inter alias fuit Karoli vi, Gallorum Regis, filiæ; quæ, nupta Philippo Bono, Burgundiæ Duci, peperit Karolum Audacem, parentem Mariæ; quæ nupta Maximiliano i Austriaco.

Marmorem, pro *marmor*, usurpat Plinius Valerianus, Empiricus Gallus, lib. iii cap. xiv*: *Supra marmorem aquâ lotum fundes medicamen, quod tepefactum colliges.*

Sic *site* in auferendi casu, pro *siti*. Venantius in S. Georgii templum, à Sidonio Episcopo exstructum:

> *Martyris egregii pollens micat aula Georgi,*
> *Cujus in hunc mundum spargitur altus honor:*
> *Carcere, cæde, fame, vinclis, site, frigore, flammis,*
> *Confessus Christum, duxit ad astra caput.*

Sanguinum arbor, à rusticis ita dicta, memoratur Luitprando Regi, Legum Longobard. lib. ii tit. xxxviii leg. i. Fortasse ex eo nomen, quòd de vita apud eam singulari soleret certamine pugnari. Theologis verò imprimis frequens vocabulum hoc toto inflectere plurativo. Sic Agobardus, Lugdunensis Episcopus: *Quod interpres transtulit sanguines, vel sanguinibus, non solum non reprehendimus; sed neque ab impiis audivimus unquam reprehensum.* Hæc ille, à Fredegisio culpatus, quòd ludibrio habuisset vulgatum Scripturæ interpretem. Quare autem hic maluerit sic loqui, dicet B. Augustinus enarratione Psalmi l: *Expressit Latinus interpres verbo minus Latino, proprietatem tamen ex Græco. Nam omnes novimus, Latine non dici sanguines, nec sanguina; sed sanguinem: tamen quia ita Græcus posuit, plurali numero, non sine caussâ, nisi quia hoc invenit in primâ linguâ Hebræâ; maluit pius interpres minus Latine aliquid dicere, quam minus propriè.* Cur verò alterum minus proprium videatur, postea subjungit.

Atque in his eò nomen aliquod culpatur, quia vitiosè à recto formetur obliquus. Est verò cum in eo vitium sit, quòd nihil formetur; sed rectus in quovis casu retineatur, quasi nomen ἄκλιτον † foret. Sic *Parisius* urbs, *Parisius* urbis, esse *Parisius*, & similia, crebra sunt in Martyrologiis. Est & Flodoardi lib. ii cap. ii: *Item quod postquam Chilperico filius natus est, & ipse Parisius pervasit.* Et cap. v: *Capitula canonum Parisius acta.* Ac ibidem: *Parisius factum est.* Petrus Blesensis epist. ix: *Dum Parisius operam studiis dabas, publice dicebatur, quod in hac humanâ conversatione te angelum exhibebas.* Similiter idem epist. xix, & cxxvi. Item Fulbertus Carnotensis epist. lxxxv, B. Bernardus epist. ccv, secundùm Mssos, & vett. editt. Anonymus Anglus in Chronicis. Quorum verba adduxit Jo. Ludovicus De-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. lxxii. Item Philippus Mazzerius*, qui anno claruit clↄccclxx, ac regni Cyprii Cancellarius fuit, in vita æqualis sui, S. Petri Thomasii, cap. i †: *Tunc ordinavit ordo, quod iret Parisius. Ipse autem stans Parisius mirabiliter profecit: & stetit Parisius per tres annos.* Ac postea: *Et reversus est Parisius.* Simile, *Remos est*, vel *Remos degit.* Item, *urbs*, vel *urbem Puteolis, Cumis oppidum.* Apud Frontinum, *Colonia Vejos*, vel *Graviscos. Megaris*, pro Megara, apud veterem Juvenalis interpretem. Vopiscus in Probo: *Copto præterea, & Ptolemaide, urbes ereptas barbarico servitio, Romano addidit juri.* Ita in vett. libris reperit Salmasius. Nempe *Parisios*, vel *Parisius, Veios, Ptolemaida*, & similia, labentis, ac imprimis collapsæ Latinitatis scriptoribus sæpe sunt indeclinabilia.

† Pag. 595 num. 11. & 12

* In SS. Vitis ad 1 Jan.

† In Vitis SS. ad 28 Jan. apud Bollandum pag. 813.

* Fol. 69. edit. Basil. an. 1528.

† Indeclinabile.

* Al. de Manseriis.

† In Vitis Sanctorum à Bollando editis ad 29 Jan.

FINIS LIB. III.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII DE VITIIS SERMONIS, AC VARIIS GLOSSEMATIS, LIBER IV.

Cap. I.

A Nominibus acceditur ad Verba, barbara quidem; Latinæ tamen originis, aut Græcæ. Ac primò agitur de iis, quæ incipiunt à prima vocali. Abbatizare, *abbatis munus sustinere.* Abigare, *abigere.* Absolescere, *abolere.* Acaptare, *acceptare.* Accentuare, *accentu genuino pronunciare.* Accidiare, *negligenter agere.* Accognitare, *notum facere, significare.* Acquietare, *quietum ac tranquillum reddere.* Acutiare, *acuere: & obiter, quid* samiator, *vel* cotiarius. Adhamare, *quasi hamo captare;* hamare, *pro affectare: interim utrumque verbum videri probum, licet incertâ codicum lectione subnixum.* Adolescentiari, *agere more adolescentum.* Adrumare, *rumorem adferre.* Adsallire, *vel* assaillire, *assilire, assultare, aggredi.* Æquilibrare, *æquatione libræ ponderare.* Æquivocari, *cognominem esse.* Æruginare, *ærugine vitiari.* Affidare, *fidem alicuis obstringere: unde* affidatura, affidatio, *&* affidia. Aggaudere, *gaudere.* Agganlizo, *adaulizo, tibiâ accino.* Alapare, *ab alapa, pro colaphum infringere.* Amarizare, *amarum reddere.* Amœnare, *delectatione afficere.* Ampliorare, *amplius sive majus reddere.* Angustiare, *angorem animi adferre.* Annonari, *annonam percipere.* Annulare, *in nihilum redigere.* Anxiari, *angore percelli.* Apologare, *renuere, repellere.* Aporiare, *redigere ad ἀπορίαν, sive ad egestatem, & perplexam rerum conditionem.* Apostatare. *vel* apostatizare, *à fide deficere.* Appersonare, *personam, ac dignitatem alicuis imponere regundæ Ecclesiæ.* Appretiare, *æstimare.* Appodiare, *podio inniti.* Appretiare, *pretio suo æstimare.* Appropiare, *propiorem fieri.* Appropriare, *adsciscere.* Archiepotare *corruptum videri ex archiepiscopare.* Asinare, *asino vectari.* Assecurare, *securum reddere.* Assiduare, *in re quapiam esse assiduum.* Assummare, *summam colligere.* Attediari, *tædio adfici.* Attitulare, *titulum libro dare.* Avallare, *descendere.* Auctorizare, *auctoritatem addere.* Augmentare, *augere.* Auriculare, *insusurrare auribus.*

Decurri spatium nominum barbarorum: sed dum retrospicio, video multa me præteriisse indicta. Nec propterea iter nunc relegam: fortasse meliùs fiet postea: nunc malo à Nominibus progredi ad verba illa barbara, quæ è Latio, vel Græcia, originem ducunt. Eorum alia aliis magis absunt à consuetudine linguæ Romanæ: ut deinceps planius fiet.

Abbatizare, abbatem agere, fungi munere abbatis. Matthæus Parisius in ann. cIↃccLVII: *Abbas Claravallensis, eò quòd, contra statuta ordinis Cisterciensis, privilegium impetravit perpetuò abbatizandi, ignominiosè depositus est.*

Abigare, pro abigere, fugare, expellere. Lucifer Caralitanus, libro de non parcendo in Deum delinquentibus: *Te per Arrianos abigavit coluber ille.*

Absolescere, facere ut quid obsolefiat, sive ex solito fiat insolens. Tertullianus lib. de Exhortatione castitatis cap. VI: *Utique continentiam indicens, & compescens concubitum, seminarium generis, absolescit illud, Crescite, & multiplicamini.* Ubi sic Beatus Rhenanus: *Active, pro absolefacit, sive abolet.*

Acaptare corruptum ex *acceptare*. Significat enim captare, petere, anquirere. Ex quo Italicum *acattere*, Gallicum, *achepter*. Constitut. Car. Calvi tit. XV ad Francos, & Aquitanos, cap. VII: *Propter hoc jam ultrà ad illum non debeas consilium acaptare.* Ibid. cap. XIII: *Quod Deus illi cupierit, & ad alium seniorem acaptare potuerit, pacificè habeat.*

Accentuare, superiorum seculorum Grammatici, pro secundùm accentum germanum proferre. Mammotrectus cap. de accentibus: *Non potest rectè accentuare, qui nescit conjugationes verborum distinguere.*

Accidiare, ex Græco ἀκηδιᾷν, negligenter, ac somniculosè agere. Petrus Damiani lib. II epist. III: *Si ille dormire vult, hic accidiatur: si satur est, hic ructare compellitur. Sicque non suus nil aliud loquitur, nisi quod illi placere suspicatur.* Vide, quæ de *Accidia* vocabulo diximus lib. superiori cap. I.

Accognitare, à *cognitus*. Ciceroni & Tranquillo, est notum, vel nota facere. Ut cum lex promulgatur, quò populo innotescat. Constitut. Karoli Calvi tit. XVI ad Francos, & Aquitanos, cap. XI: *Ut omnibus suam voluntatem, & perdonationem, & nostram, qui fideles illius sumus, devotionem accognitet.* Item tit. XXVIII, in fine Edicti Carisiacensis: *Hanc nostram constitutionem —— in palatio nostro, & in civitatibus, & in mallis, atque in placitis, seu in mercatis, relegi, adcognitari, & observari mandamus.* Hincmarus epist. ad Karolum Calvum scriptâ anno IↃCCCLIX: *Exemplar dominationi vestræ transmitto, ut jubeatis venire fideles vestros, dicentes, quia eis adcognitare vultis.* Inde *adcognitatio*.

Acquietare, quietum reddere. Leges vett. Scotiæ lib. III. §. IV: *Si ad illum terminum debitor non acquietavit vadium suum.* Hoc est, si non redemerit, sive ab omni periculo pro debitore solvendi liberârit fidejussorem suum. Similiter postea loquitur §. VII. Vide *Quitare*.

Acutiare, acuere, ἀκονᾷν, quod idem ac acuere, & propriè, acuere cote, quæ Græcis ἀκόνη. Glossæ: Ἀκονητής, *samiarius, cotiarius, acutiator.* Nempe *cotiarius*, & *samiarius*, à *Samiâ cote*; quæ acuta erat, ut quâ virilia demeterent: unde de ea Catullus in Atti:

Devolvit illa acutâ sibi pondera silice.

Adhamare comprobant è Ciceronis isto Academ. lib. II: *Qui enim serius honores adhamaverunt, vix admittuntur ad eos, nec satis commendati multitudini possunt esse.* Eam verò scripturam firmant è Nonio, qui hunc Ciceronis locum adducit, & *adhamare* ait ab *hamo* tractum, & exposuit obligare. Sic sanè Aldina editio, item illa Hadriani

Junii,

Junii, & Dionysii Gothofredi. Sed verba illa, *obligare ab hamo tractum*, non reperias in optima editione Josiæ Merceri; ubi etiam est *adamare*, sine spiritu. Similiterque tum Mssi, quibus usus Josephus Scaliger; tum membranaceus noster bonæ notæ. In his enim post *adamare*, continuò sequitur Ciceronis locus. Si fuerit sana lectio, *adhamare* sit quasi hamo piscario captare. Mirum verò Scaligerum, qui non reperisset *adhamandi* vocem in Mssis; tamen putasse, apud Petronium esse *hamandi* verbum, atque id ex eo adstruere, quòd Cicero similiter, Nonio teste, dixerit *adhamare*. Nempe censet, & apud Petronium sic legendum hunc senarium:

Artis severæ siquis hamat effectum.

Verùm in Mssis, atque editis, est *amat*. Pro quo Henricus Stephanus legit *ardet*. Quare licèt valde eo inclinet animus, ut Petronius *hamare*, Cicero *adhamare* scripserit: omnino tamen & *hamandi*, & *adhamandi* verbis tutiùs abstinetur, ut non injuriâ suspectis; Præsertim cùm Petronius fortassè, solum trajectus vocibus scripserit. *Amat severe siquis artis effectum*. Nam & sic est in libris quibusdam, quod valdè hanc lectionem suadet. Ac probabat etiam amicus noster Ictus Pontanus Noster in Poëmata sua.

Adjectiare quid sit, dixi superiùs in *Jactivare*.

Adolescentiari, uti Horatius *juvenari*, adolescentium, ac juvenum more agere; Græcis νεανίζειν, νεανιεύεσθαι. Glossæ Mssæ: *Adolescentior*, νεανιεύομαι. Utitur & Varro apud Nonium.

Adrumo. Gloss. Mssæ: θρυλίζω, *Adrumo*. Ut liqueat hoc verbi esse à *rumore*: atque idem notare, quod rumorem affero. Sic Baldericus Noviomensis, Chronici Cameracensis lib. III cap. XIX: *Adrumatur & Ducem recisse*.

Adsallire non dixere veteres; sed *adsilire*, & *adsultare*. Est verò *adsallire*, aggredi, adoriri: ut Gallis *assaillir*: unde & quibusdam in libris legas *adsaillire*. Marculfus monachus lib. I Form. cap. XXI: *Adsallisset*, *& graviter livorasset*. Et cap. XXXVII: *Quasi enim in villa, nullâ manente caussâ, adsallisset, & eum graviter livorâsset*. Chronicon S. Stephani Calomensis †: *Inibi etiam instituit legem sanctam, ne aliquis homo aliquem hominem ussaillret, pro morte alicujus sui parentis &c.* At *assilire* pro eo rectius est apud Thomam Walsingamum in Hypodigmate Neustriæ *: *Rex Franciæ, ob gratiam Comitis S. Ægidii —— dictus est Rex Angliæ ipsam civitatem Tolosam non assiluisse*.

† Pag. 1018.

* Pag. 446.

Æquilibrare, sic ponderare, ut æquilibritas, sive æquilibrium, fiat. Cassianus lib. VIII de Institut. Monach. Est & Petri Blesensis epist. III: *Pondera te ipsum secretiùs; nec te majorem vendas, quàm te libra veritatis appendit. Vide, quod nihil doli admisceas; sed temet ipsum apud Deum, & homines, rationabiliter æquilibres*.

Æquivocari, pro *eodem vocari nomine*, Petro Blesensi epist. LXXVII, & serm. XXIII.

Æruginare, quasi ærugine consumi, veteri Scripturæ interpreti, Jacobi ep. cap. V, vers. III, & Petro Blesensi epist. CXXIX.

Affidare in jure Canonico est fidem suam alicui obstringere. Habes quoque in Constitutionibus Neapolitanis lib. II, Tit. XXXVII, Leg. II. Indeque *affidati*, lib. III Tit. VII, & VIII. *Affidatio*, & *affidatura*, lib. III Tit. XXXVIII, L. I. *Affidia* etiam legas apud Joannem de Thwrocz Chronicorum Hungariæ lib. ult. cap. LXIII, sive ad an. CIↃ CCCC LVIII: *Si concessa affidia illos eosdem non animâsset*. Hoc est, fiducia ex mutuæ fidei vinculo.

Aggaudeo, ex adgaudeo, pro gaudeo, hilaris sum. Petrus Venerabilis epist. XVI: *Hilaris, & aggaudens auscultabam*.

Aggaulizo puto corruptum ex *adaulizo*, ac notare tibiâ accino, ut Græcis προσαυλέω, ab αὐλός, tibia; unde & Latinum illud. Vita S. Pymenii cap. XV: *Interea defuncto corpori inanimata materia aggaulizaret sonus*, hoc est, quasi tibiâ accineret.

Alapare aliquem non dixero; sed colaphum alicui ducere, vel infringere. In glossis tamen Philoxeni est: *Alapatur*, κολαφίζει. Item in Gloss. Mssis: *Alapator*, καυχητής. Nempe quia καυχητιῶ, sive petulantes ac jactabundi, gaudeant aliis colaphos incutere.

Amarizare, pro amariciem inducere, est apud Plinium Valerianum lib. I cap. XVII.

Amœnare, pro recreare ad modum amœni loci, apud Cyprianum, Sidonium, Ennodium, Salvianum, Chrysologum.

Ampliorare, ab *amplius*, pro augere. Baldericus Noviomensis, Chronici, Cameracensis, & Atrebat. lib. I cap. CXIII: *Monasterium sancti Auberti, quod intra muros urbis est, amplioravit*.

Angariare, adigere ad aliquod onus. Vide, quæ dixi lib. I cap. V, & lib. II cap. XI.

Angustiare, pro *angustare*; quod apud Lucretium, Ciceronem, Catullum, Senecam, Plinium. Κατὰ μεταφορὰν sæpius utuntur Ecclesiastici: in his Rufinus in tralatione Pamphili apologiæ pro Origene †. At *angustiare* pro eo est apud B. Hildegardim in vita S. Roberti Confessoris: *Mater præ timore angustiata, & gravata*.

† Pag. 885. edit. Basil. an. 1536.

Annonare, pro annonam percipere, alit Baldericus Novomensis Chronici Camerac. lib. III cap. LVI: *Reditibus ægrotorum annonantur*.

Annullare, pro *in nihilum redigere*, vel *pro nihilo habere*; quandoque etiam abrogare, vel irritum reddere. Optatus Milevitanus lib. II: *Sacerdotium in nobis annullare visus*. Walafridus Strabo de divinis Officiis cap. XXVI: *Rebaptizari non debet, ne invocatio summæ trinitatis annullari videatur*. Ivo epist. CCLXXXVI: *Siquis aliquam huic canonicæ institutioni calumniam inferre, vel aliud quid adnullare tentaverit*. Thomas Walsing. in Richardo II *: *Ut chartæ pardonationum in primis revocarentur, & annullarentur*. Atque alibi apud eum sæpe.

* Pag. 354.

Antarizare, vide *antarizare*.

Anxiari, pro angi, vel anxium esse. Petrus Blesensis epist. XIV: *Anxiabar ad mortem*.

Apologare est apud Senecam epist. XLVII. Nempe ex Græco ἀπολέγειν, quod est rejicio, repello; unde ἀπολογία. Monet ad eum ipse locum Lipsius, simile esse ac *catamidiari*, & *aporiare*; de quo mox dicam. H. Stephanus apud Senecam pro *apologavit*, maluit *ablegavit*: sed invitis omnibus libris.

Aporiare, pro depauperare, ex Græco ἀπορεῖν: quod signat esse in ἀπορίᾳ, sive metu, & anxietate, sive difficultate, ac rebus perplexis. Matthæus Paris. ad an. CIↃ CC XLI: *Legationis deposuit insignia, & transfretans aporiatam Angliam salutavit*. Item in an. CIↃ CC LI: *Ad Judæos aporiandos destinabantur*. Corrigendus fortassè idem in an. CIↃ LXX, ubi legitur †: *Anno Domini CIↃ LXX rex Wilhelmus, pessimo usus consilio, omnia Anglorum monasteria, auro spolians, & argento, insatiabiliter appropriavit*. Ubi malim *aporiavit* *. Nec putandum, vocem esse Matthæi hujus ætate inventam, vel etiam Petri Blesensis, qui utitur serm. XLI. Nam & legas apud veterem Scripturæ interpretem Jesai. LIX. 16. & II Cor. IV. 8.

† Pag. 7. edit. Londin vers. 2.

* Nec tamen planè damnandum appropriavit: quo de verbo mox dicam.

Apostatare, vel *apostatizare*, pro deficere à fide Christiana, vel etiam à principe suo. Posterius habes semel iterumque in Legibus Wisigothicis lib. III Tit. V Leg. III: prius autem in Constitutionibus Siculis lib. I tit. III; item his antiquioribus, Ivone Carnotensi epist. XV ad Philippum Reg. & Cæsarium lib. II Miracul. cap. II.

Appersonare, aliquem personaliter, ut loquuntur, Ecclesiæ alicui præficere. Matthæus Parisius in vita Roberti, XVIII abbatis S. Albani: *Gilebertum de Cymmay præsentaverunt, postulantes, ut prædictam Ecclesiam ei concederet, & eum appersonaret*.

Appodiare propriè est ad podium stare, podioque inniti. *Podium*, pulpiti pars, ad modum pedis exstans; unde & nomen. Nam πόδιον, parvus pes. Extensa postea significatio videtur. Vetus Vocabularium: *Podium, baculus, super quem innitimur, cùm sæpe terram ferimus: unde & podium dicitur, ubicunque innitimur*. *Appodiare* pro inniti,

niti, vel *acclinare*, est apud Cæsarium lib. v cap. v; Radulphum Ardentem Homil. XVI; Matthæum Parisium an. clɔ cc LXII, ubi de Eduardo, Regis filio, bis vulnerato; Walsingamum Hypodigm. Neustriæ an. clɔ cc LXXI. Paullò aliter usus Brito Armor. Philipp. lib. II:

Fossis jam plenis, parmas ad mœnia miles
Appodiat, sub eisque secare minarius instat.

Sententia est, militem clypeos admovisse muris urbis, iisque innixum: præterea cuniculos egisse ad urbem subeundam. Nam *minarius* hic à *minis*; ut cuniculos dixere seculis posterioribus, vocabulo hodieque usitato gentibus variis. *Appodiamentum*, pro reclinatorio, est apud Cantipratanum lib. I de Apibus. De voce *Appodiatus* dixi lib. III cap. I.

Appretiare est apud veterem Scripturæ interpretem Zachariæ XI. 13, & Matth. XVII. 9. Latinè dixeris *æstimare*.

Appropriare, quasi proprium facere, vel reddere, in barbarorum numerum etiam referebamus lib. I cap. XXIII. Incertus sub Ovidii nomine poëtaster in primo de Vetula:

—— *Sicut eis succedunt appropriando*
Quatuor ad medios, quibus est punctatio sena.

Proprietatem verbi indicat, quod præcessit:

—— *Quanto mediis quamvis propiores,*
Tanto præstantes, & sæpius advenientes.
His punctatura tantum venientibus una.

Atque idem lib. III de Vetula:

Nam quamvis homini totum cœlum famulatur;
Appropriata tamen est cuilibet ex elementis.

In Glossis tamen vett. legas: *Appropriare*, νοσφίζειν. Νοσφίζω est ἰδιοποιοῦμαι, σφετερίζομαι, ut interpretatur Eustathius. Cicero pro eo *vindicare*, *adsciscere*.

Archieporare puto esse nihili verbum, ac à librariis fictum; proque eo *archiepiscopare* restitui oportere. Joannes Saresberiensis epist. CCLXXVI, quæ est ad Archiepiscop. Cantuariensem †: *Nonne Episcopus Lond. ille est, qui primus in Anglia scidit Ecclesiæ unitatem? quod omnes noverunt, & archieporandi, quod plurimum suspicantur, ambitione tractus, totius hujus discordiæ fomes imprimis extitit, & incentor?* Nempe hoc vult, Londinensem fastu quodam se gerere quasi jam esset archiepiscopus; fortasse quia ante Augustinum à Gregorio M. in Angliam missum, primus honos fuerit penes Londinensem.

† Pag. 294.

Arrestare, vadari, sive hominem, vel rem, placito curiæ, aut principis, detinere; ut dictum lib. III cap. I. Usurpat Philippus Franciæ Rex in charta Rothomagensi*. *Si debitor infra Rothomagum venerit; ex quo de equo descenderit, castallum, vel hernesium suum, poterit arrestari.* Ad ea, quæ Græcæ sunt originis, pertineat, si *arrestum* sit ab ἀρέσκειν, de quo dixi lib. III cap. I.

* In charta Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ pag. 1062.

Asinare, pro asino vehi; ut *equitare*, equo. Luitprandus in Legatione sua †: *Asinando, ambulando, equitando.*

† Pag. 118.

Assecurare, sive adsecurare, pro securum reddere aliquem. Fulbertus episcopus epist. VI: *Ad usum meorum fidelium, qui illud assecurabant vobis.* Similiter Constitutiones Neapolitanæ. Item Rogerus Hovedenus, & Thomas Walsingamus in Descriptione Neustriæ*: *Igitur, post certas conditiones, assecuraverunt Regem, se propriis suis sumtibus, damna castri, villaque ruinas, reparaturos.* Item Histor. Hungar. ad an. clɔ cccc LVIII †: *Assecurati tandem ad civitatem Pesthiensem descenderunt.* Ex *assecurandi*, & *assecurationis* voce, non verò ab *asseverando*, esse arbitror vulgata *asseureren*, & *asseurantie*. Pro illo malim, *cavere pro periculo*; vel *mercis, aliusve rei, periculum in se recipere*. Pro hoc, *cautio*, aut *periculi receptio*.

* Pag. 591.

† Pag. 171. edit. Wechelianæ.

Assiduare, pro assiduum in aliquo esse, apud vet. interp. Ecclesiast. XXX. I. item Petrum Blesensem epist. XXXI: *Flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas assiduata congessit; & exteriori vulnere sanatur plaga interior.*

Assummare, summam colligere. Matthæus Parisius in vita Abbatis Monstreoli: *Quod ad sexcentas marcas summa inveniretur, sicut regiis familiis fuit assummata.*

Attediari, tædio affici: unde *attediatus tributo*, tributorum pertæsus. Joannes Major de gestis Scotorum lib. II cap. I: *Pictorum invocatione*, qui, Britonum tributis attediati, suas terras, pro magna parte, Pictorum ope receperunt.*

* Pro auxilio.

Attitulare, pro *inscribere*, titulum indere. Rufinus in tralatione apologiæ Pamphili pro Origene †: *Ex his præcipuè libris, quos περὶ ἀρχῶν attitulavit.*

† Pag. 871. edit. Basil. an. 1536.

Avallare, descendere, demittere, à Gallico *avaller*; quod ex Latino, *ad vallem*. In Charta Rhotomagensi Philippi Regis Francorum*: *Nullus mercator cum mercatura sua poterat transire Rhotomagum, per Sequanam ascendendo, vel avallando, nisi per cives Rhotomagi.*

* In Chartis Ducum Normann. pag. 1063.

Auctorizare crebrum Thomæ Walsingamo. Latinis, auctorem fieri, auctoritatem addere.

Augmentare, cùm alibi sæpe legas, tum apud Hericum De vita S. Germani lib. I:

Ex augmentatis verso cognomine muris.

Item apud Papam Innocentium III, epist. VIII, quæ exarata est ad Archiepiscopum Senonensem. Hoc verbi autem non pro Latino solùm habent; sed & Ciceroniano. Sanè in Lexico Ambrosiano, etiam quod limâsse dicitur Passeratius, adstruitur eo, quòd apud Ciceronem sit in Lælio: *Sed vivendi finis est optimus, cùm integra mente, cæterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ augmentavit, dissolvit.* Verùm ista in Lælio non habes; unde citant: sed Catone; nisi quod in illâ Roberti Stephani, & Lambinianâ, aliisque permultis, pro *augmentavit* scribatur *cogmentavit*. Non injuriâ tamen scrupulum injicit, quòd MSS multi *coaugmentare* habeant: ut sex illi, quibus usus Janus Guiljelmius, & codex à Francisco Martinio collatus. Iccirco adnotârat Guiljelmius, COGITANDUM. Sed & sic in duobus tribus Palatinis reperit Gruterus. Mihi ex antithesi, quia dissolutioni opponitur, dubium non est, quin rectum sit *coagmentavit*. Error verò ortus ex eo, quòd *coagmentare* credant dici pro *coaugmentare*: cùm tamen non ab *augeo* sit, sed à *coago*; unde *cogo* contractum.

Auriculare, auribus aliquid insusurrare. Thomas Walsinghamus in Richardo II*: *Capita, modò velut ad auriculandum, jam quasi ad osculandum invicem, super summitates lancearum cum maxima amentia conjunxerunt.*

* Pag. 262.

CAP. II.

De Latino-barbaris à B cœptis. Baculare, *baculo ferire.* Ballare, *saltare, tripudiare.* Balsamare, *cadaver condire.* Batalare, *pugnare, vel pugna gratiâ tractare.* Battere, *percutere: unde* battitura, & battura; *item* tribattere, *sæpius ferire.* Battidere *similiter, pro percutere.* Blasphemo, *exsecror.* Beatificare, *beatorum numero addere.* Beneficiare, *beneficium conferre.* Bombizo, *pro* bombito.

NUnc proferam verba quædam barbara à Latinis, vel Græcis orta, quæ à B incipiant.

Baculare, pro baculo percutere, verberare. Petrus Blesensis serm. I: *Ligavit fortem, & vasa ejus diripuit; baculavit eum, qui habebat mortis imperium.*

Ballare, vel *balare*, pro saltare, est in Synodo Romanâ sub Lothario, & Ludovico, cap. XXXV. Imò in tralatione veteri Concilii Laodiceni canone LIII: *Non oportet Christianos ad nuptias euntes vel balare, vel saltare, sed castè cœnare vel prandere, sicut competit Christianis.* Sic *ballatio*, pro saltatione, & *ballistea*, eâdem significatione. Postremum est apud Vopiscum. *Ballatio* apud Benedictum Levitam lib. VI cap. CXCIII: *Illas verò ballationes, & saltationes, canticaque turpia, & luxuriosa, & illa lusa diabolica non faciat.* Habes & in Hyronis, ac Senecæ Notis (in quibus multa à junioribus addita) *ballat*, *ballator*,

balla-

ballatrix: & Isidoro in Glossis: *Chorem, ballationibus.* A Græco βαλλίζειν, ac βαλλισμὸς, venire, fidem fecerit Glossarium vetus, in quo est: Βαλλίζω, ballo. Ac imprimis Athenæus in VII. Sed ejus ætate jam in usu esse elegantioribus desierat: unde apud illum Ulpianus quærit, quis Græcorum sic loquatur.

Balsamare, propriè foret balsamo condire. Sed simpliciter sumi solet pro ταριχεύειν. *Condire* pro eo est apud Cornificium.

Batalare idem ac ferire, percutere: fortasse à *batalia*, quod pugnam notat. Helmoldus in Chronico Slavorum lib. I cap. XCIII: *Suscitare batalias.* Retinent vocem hodieque gentes quædam. Ut Itali *la batalia*, & Galli *bataille*, pugna; item *batailler*, pugnare. *Batalia* autem contractum ex *batualia*: est hoc à Latino *batuere*; de quo dicam mox in *Battere*. Sed *batalare* à primogenii significatione paullùm recessit. Ut cùm dicitur *arma batalare*, pro tractare eo modo, quo in bataliis fieri solet. Sanè murci, quales ii, quibus pollices præcisi, item his similes, inepti sunt ad batalandum, quia non possunt gladium masculè stringere, & adigere in hostem: neque item hastam vibrare in eundem, ac similis ratio in armis aliis. Ut *batalare arma* idem sit, ac armis uti, sicut militem necesse est. Legg. Boiaoriorum lib. II cap. X: *Dum potest equum viriliter adscendere, arma sua velociter batalare.* Et tit. III cap. I. §. XIV: *Si non fuerit* (pollex) *abscissus, sed est mancus, & stat rectus, ut non possit plicari; hoc impedimentum est ad arma batalare; majorem compositionem, quàm de abscisso, tertiam partem suprà addas.*

Battere linum habes in Constitutione Karoli Magni †: Ubi Vitus Amerbachius putat, esse ex Germanico *besseren*; pro quo Saxones *betteren*, ut Belgæ *beteren*, quasi dicas *meliorare*. Nam *besseren*, & *beteren*, sunt à *besser*, & *beter*. Sed subdit idem Amerbachius, fortasse rectiùs deduci à *brechen*, hoc est, frangere. Mihi neutrum placet. Omnino enim verisimilius est, *battere* esse ex Latino *batuere*, quod apud Plautum Casinâ: estque idem, quod ferire, percutere. Quomodo & usurpat Marcellus Empiricus cap. XXXVI: *Tamdiu batues, donec fit subactissimum.* Glossæ: *Battuit*, καταπονεῖ. Hinc *batutum*. Glossæ: *Battutum*, τυπτηθέν. Item, Κοπανιστήριον, *battuarium.* Malim verò *batuit*, *batutum*, *batualium.* Ex *batualium* est corruptum *batalia*, vel *battalia*: de quo mox in *batalare* dicam. Sic igitur statuimus, *battere fœnum* Carolo Mag. idem esse ac *batuere fœnum*, sive percutere, & tundendo purgare. Valdeque hoc eo firmatur, quòd similiter dixerint *triticum battere*. Ut in Karoli Calvi Edicto Pistensi can. XXIX, *battere in scuria*; ubi *scuria*, horreum, ut Belgis *schuyr*. Adde quòd ἁπλῶς pro percutere crebrum fit in legibus Longobardicis: in quibus & *battura* *, vel *battitura*. Etiam *battudo*, pro *batutus*; ut Latinis *percussus*, pro occisus. Formularum Sollemn. CXIX: *In sua culpa, secundùm legem, ipsum ferro battudo fecit.* Fortasse autem à verbo *battere* est *tribattere*, hoc est, ter sive sæpius battere seu percutere. Lex Salica tit. XL. §. XIV: *Siquis caballos, aut jumenta aliena, tribatterit, vel debilitaverit.* Similiter §. IX. Planè falli censeo, qui (ut Clemangis editor) putant *tribattere* esse ex Germanico *treiben*, quod est, agere, abigere.

† Constitut. Karolinarum pag. 257. edit. Mogunt. an. 1601: ac in Ansegisi Collectaneis lib. 1. cap sive can 81.

* Battura, à battere, vel batuere: sed battitura, à battidere, de quo proxime.

Battidere itidem dixere, pro percutere: dubium, an à Saxonico *batte*, fustis; unde & Gallicum *batton*: an potiùs à Latino *batuere*; quod, ut ostendi, similiter notat ferire. Leges Longobardicæ lib. I tit. VIII, leg. XXX: *Si duo porcarii inter se battiderint.* Ac sequenti §: *Sic aldium* †, *aut aldiam, servum, aut ancillam, battiderit, & per ipsam battituram ponderosi facti sunt.* Ubi *battitura*, ictus.

† De aldii, & aldiæ vocibus, dictum lib. 2. cap. 2.

Blasphemo, pro exsecror, classicis est ignotum. Theologis verò, Jurisconsultis, atque aliis, est crebrum.

Beatificare, pro beatum facere, vel beatorum ordinibus inserere. Cineheardus epistolâ ad Lullum, inter illas S. Bonifacii LXXIV: *Dominus Bonifacius Archiepiscopus, Christique confessor beatificandus.* Est & veteris S. Ignatii interpretis epist. III, quæ ad Ephesios: *Quanto magis vos beatifico.* Ubi Græce: Πόσῳ μᾶλλον ὑμᾶς μακαρίζω *.

* Pag. 20. edit. Amstelodam. an. 1645.

Beneficiare, beneficio sibi obligare. Usus Carolus Calvus in diplomate apud Flodoardum lib. III cap. IV, Balдericus Noviomensis in Chronico Cameracensi, Petrus Blesensis epist. LXX, Matthæus Parisius in an. CIↃCCXLV, & Turocius in Historia Hungarica.

Bombizare, pro quo Varro *bombum facere*, apud Cæsarium de apibus legas lib. IX Miracul. cap. VIII. Et videtur posse defendi, cùm in nonnullis Festi libris sit *bombizatio*. Sed rectum est *bombitatio*, quod a frequentativo *bombito*; uti hoc à *bombio*, istoc à βομβεῖν.

Cap. III.

De Verbis barbaris Latinæ originis, inchoatis à C, sequente A, E, H, I, L. Caballicare, *caballo, & laxius etiam, quovis equo vehi: unde* caballicata, *equitatus; item* cavalcata, *equus militaris.* Camio, *&* procamio, *commuto.* Cancerare, *cancrum incutere.* Canonicari, *canonicum fieri, sive certo spiritualis vitæ canoni adstringi. Unde* excanonicari, *deleri è canonicorum numero.* Canonizari, *sanctorum in cœlis ordinibus adscribi.* Captivare, *capere, captivum detinere.* Capulare, *vulnerare, secare.* Caputiari, *monachali caputio indui.* Cardinare, *&* incardinare, *dignitate aliquâ Ecclesiasticâ augere.* Carire, *cariosum esse, sive cariem sentire.* Carrico, *carrum onero, vel carro apporto.* Cassare, *vanum atque irritum reddere.* Cateno, *catenisväligo.* Cattare, *speculari ad instar catti, sive felis, quando muribus captandis studet.* Caussare, *efficere.* Cauterizo, *cauterio inuro.* Centonizo, *centones sarcio.* Characterizo, χαρακτηρῶ, *sive notam rei imprimo.* Charaxare, *&* caraxare, *pingere, scribere: unde* charaxatura, *scriptura;* charaxarius, *&* charaxator, *scriba;* incharaxare, *scripturam adulterare.* Chirographizo, *chirographo caveo, vel promitto.* Chorizare, *choreas ducere.* Chrismare, *oleo sacro inungere: unde* chrismarium, *olei sacri receptaculum.* Cloaco, *polluo, sive inquino. Ac obiter de* cloacario, *pro vinctorum custode in carcere.* Cluor, *pro cluo, sive clareo.*

Accipe nunc, quæ initium sumunt à litera tertiâ.

Caballare, vel *caballicare*, equitare, à *caballus*; unde Gallicum *cheval*: quamquam Latinis *caballus* non ἁπλῶς equus; sed vilior, cujusmodi ille, cujus usus in pistrino, agriculturâ, ac vecturis mercium; non item generosior, quali honestiores in militia, vel domi etiam ornatus gratiâ utuntur. Lege Salicâ Tit. XXVI: *Siquis caballum extra consilium domini sui adscenderit, & eum caballaverit.* Lege Alemannicâ Tit. LXXII: *Siquis homo in equo suo caballicaverit, & aliquis eum super ipsum plagare voluerit.* Imò & sic Wercbertus in vita Karoli M. *Caballicans contra ventos, & pluvias.* Item Anastasius bibliothecarius in Conone papa LXXXIV: *Papa ad caballicandum uti licentiam ei concessit.* Hinc *caballicata*, pro equitatu. Luitprandus Ticinensis lib. III, cap. ult. *Cumque eodem pervenisset, & caballicatas, uti vulgò ajunt, circumcirca dirigeret, Boiariorum quadam pars —— pugnare cæpit.* A *caballicata* κατὰ συγκοπὴν fecere *cavalcata*, vel *cavalcada*; hoc est, excubiæ, quæ fiunt equo. Vide, quæ dixi lib. III cap. XIVII, in *Sculca*. Sed & *cavalcata* equus non quivis, verùm major, sive parafredus, ut dixere; qualis ad militiam idoneus: vel saltem agminalis, hoc est, agmen sequens ad impedimenta convehenda. Hujusmodi interdum debuere Franci Regi suo. Unde Frater Guilhelmus de Nangys, in gestis S. Ludovici, Francorum Regis, cap. XLII, refert hanc memorati S. Ludovici legem: *Subditos nostros novis exactionibus, vel consuetudinibus, baillivi, & alii officiales, non affligant. Calvacatas, extorquenda pecunia caussâ, non mandent; sed ex caussa omni-*

omnino necessariâ. Et tunc volentes facere personalem cavalcatam, ad eam redimendam pecuniâ, non compellant. *Caballicatam* pro eo dicit Luitprandus lib. III historiæ suæ cap. ult. Quod etymon ante allatum firmat. B, & V consonum, commutari crebrò, satis est notum.

Camio, pro *cambio*; *procamio*, pro *procambio*, dixere: *camium* item legas pro *cambium*; *concamium*, pro *concambium*; ut observat Ludovicus De-La-Cerda Adversariorum sacrorum cap. XLIV. Sic Wilhelmus in fundatione Cœnobii Cluniacensis: *Neque aliquis Principum secularium, non Comes quisquam, nec Episcopus quilibet, non Pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum, & in Deum, omnesque Sanctos ejus, & tremendi judicii diem contestor, & deprecor, ne invadat res ipsorum Dei servorum. Non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet aliquam personam, non aliquem prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat.* De nomine, & verbo *cambio*, dictum lib. I cap. XVIII. Uti & alibi de voce *concambium* agimus.

Cancerare, cancrum adferre, sive cancri morbo afficere; & κατὰ μεταφοράν, venenatum aliquod dogma in populum injicere, quod, cancri instar, longè lateque serpat. Sic *cancerari*, cancro adfici, item in dogmatis alicujus virus incidere, quod instar cancri se diffundat, ac fœtorem & putredinem adferat. Lucifer Caralitanus, ad Constantium Imperatorem, libro de non conveniendo cum hæreticis†: *Sic est de corpore Ecclesiæ excisus Sabellius, ut est & condetestabilis tuus excisus Arrius iste; cujus sermo, ut cancer, in te fortissime adeò serpserit, ut totus jam cancer esse cernaris. Nec poteris dicere, te non Arrii cancerâsse sermonem, cùm fœtor cancerationis tuæ ad omnem perveneris regni tui locum, & cuncti te vitare statuerimus, ne & ipsi peste tui Arrianâ canceraremur.*

† Pag. 205. edit. Paris. apud Jo. Benenatum.

Canonicari, & *canonizari*, verba sunt à *canone* facta. Sed *canonizari* à canone eo, qui sanctorum est indiculus. De hoc verbo mox dicam. *Canonicari* verò à canone sive regula vitæ, quam quis elegerit. Usurpat Ivo Carnotensis epist. CCXXVII. Uti & Petrus Blesensis sermone in Augustin. qui est XXXII: *Super paupertatem spiritus afferenda est voluntas canonicari volentis.* A *canone* igitur est *canonicus*; à *canonicus*, *canonicari*. *Canonici* vox est apud Arnulphum Lexoviensem epistolâ ad Papam Alexandrum, plurimosque alios. Indeque & *canonicalis* Ivoni epist. CCXIX, CCLXVI, & CCLXXXVI; uti & munus ipsum *canonicatus*, in Concilio Pisano II*. Non possum verò, quin apponam insigne monitum apud Wolcuinum Abbatem Homiliâ de zizania: *Rara avis in terris hodie Canonicus à canone vitæ. Unde ergo? audi unde. est namque canon vitæ, ut dictum est; & est canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ. Unde solet dici: Solve mihi canonem meum, id est, pensionem meam. Eia ergo, ô canonice, inveniamus canonem tuum, à quo derivaris: id est, à canone pecuniæ, non à canone vitæ: id est, à canone regionis, non à canone religionis.* Sanè si omnes, qui Christiani dicimur, canonici esse, hoc est, secundùm canona Christi vivere debemus: quanto id strictiùs agendum iis, qui singulari ratione *canonici* vocantur, ut & aliis præluceant vitæ exemplo, & bene de seculo, & quà possunt, bene etiam de secuturis mereantur temporibus. A *canonicari* est *excanonicari*. Petrus Blesensis epist. XXI: *Cùm esses literatoriæ artis omnino ignarus; scis, quia amici tui epistolæ, quas depravasti, te fecerunt canonicum; teque per easdem facilè excanonicari posse.*

* Pag. 90.

Canonizari, Ecclesiæ judicio in canonem sanctorum, sive cœlitum referri. Sæpe legas in vitis Sanctorum. Sed pro eo potiùs dixeris, consecrare memoriam beatorum, in numerum referre sanctorum, inserere numero cœlitum, atque aliter.

Captivare, capere, captivum abducere. Legas apud Bekam in vita Theoderici I, & alios permultos.

Capulare à gladii capulo factum puto. Notum illud Æneid. secundo:

— *Lateri capulo tenus abdidit ensem.*

Sed ἁπλῶς hìc gladius attenditur, vel simile telum. Est enim *capulare*, gladio, vel alio telo, ferire: item secare, vulnerare, truncare. Lex Salica tit. XXXI. §. II: *Siquis pedem alterius capulaverit, & ibi mancatus remanserit.* Hinc *capulatura*, pro vulnere ictu ensis facto. Veterum formularum, secundùm legem Romanam, cap. XXX: *Violenter super ipsum evaginato gladio venit: unde livores, vel capulatura, atque colaphi manifesti apparent.* A *capulare* opinor esse Belgicum *cappen*, minutim concidere; uti & *cap-mes*, culter.

Caputiari, caputio sive cucullo monachali indui. Petrus Blesensis serm. L ad monachos: *Verumtamen hunc ordinis rigorem, quasi jurejurando professionis sancitum, quadam vitia latenter emolliunt; maxime si vitium curiositatis ebulliat; quæ, quod deterius est, sola esse non potest. Erubescibilis est viro manifesta curiositas. Quocirca caputiari se appetit, ne vilescat.*

Caraxare, vide *charaxare*.

Cardinare, & *incardinare*, constituere in aliqua dignitate Ecclesiastica; sive, ut vulgò dicunt, ordinare. Unde *cardinati*, qui parochiæ præfecti. Gregorius Magnus lib. V epist. CXI, quæ ad Fortunatum, episcopum Neapol. *A nobis petiisse recolimus, ut Gratianum, Ecclesiæ Venefranæ diaconum, tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum.* Item *incardinati*, & *cardinales*, non Romæ solùm, sed aliis etiam urbibus. Gregorius Magnus lib. IX epist. LXXXI: *Si* * *à decessore tuo non est factus presbyter cardinalis; abstinendum ab ejus incardinatione.* Idem apud Gratianum in can. Pastoralis can. VII q. I: *Ut si prædicta civitas continuâ captivitatis calamitate premitur, in qua à nobis incardinatus debeas Ecclesiæ permanere.* Vide plura apud Juretum in Ivonis Carnotensis epist. CXXXI, & Spelmannum in Glossario, voce *Cardinalis*.

* *Ita verba ejus adducit Fr. Juretus ad Ivon. epist. 131. Apud Gregorium ipsum in edit Paris. an. 1542. sic legitur:* Si cum posthæc cardinalem facere volueris, nisi pontificis sui cessionem sollemni more meruerit, abstinendum ab omni ejus incardinatione meminеris.

Carire, quod Columellæ *cariem vetustatis recipere*, vel *carie infestari*. Habes apud veterem Juvenalis interpretem, sat. XIV. 203. *Quæ puteat, id est, careat.* Sic legendum esse, in codice suo Jos. Scaliger adnotârat; ubi vulgò *caria*.

Carricare, pro onerare, ac propriè carrum onerare, carro aliquid advehere. Carolus Calvus tit. XXXI, sive Edicto Pistensi, cap. XXIX: *Debent margilam, & alia quæque, carricare. Margila* est pinguior terra, quam debent carro apportare ad agrum stercorandum. Eapse *carricandi* vox frequens in Longobardicis, & aliis legibus antiquis. Usus quoque Interpres Vitæ Macarii cap. IV sect. XIX†: *Carricavit animal cum illo.* Ubi alii: *Juvabat eum in onerando jumento.* Gloss. vett. *Carrico, onero.*

Cassare, cassum reddere; hoc est, inane, atque irritum. Id rejecimus jam libro primo cap. XXIII. Habes non modò in Kapitulari Karoli M. de quo dictum: sed etiam Legg. Longobardicis lib. III tit. I leg. XLVIII, Legg. Burgund. LI §. IV. Constitutionibus Siculis in procemio, & lib. I tit. LI §. IV. Præterea usurpat Hincmarus epist. VII cap. XX, Ivo Carnot. epist. XLVIII, secundùm meliores libros, & LIX, LXII, LXXXVII; ubi legas: *Si & in hoc cassata fuerit experientia nostra.* Item CLV: *Virtutem sacramentorum cassare non possunt merita usurpatorum.* Adhæc CCIX, & CCXXI. Præterea Fulbertus epist. LVI: *Pastoris nomen negligentiâ non cassatis.* Henricus Huntingtonensis Histor. regum Angl. lib. X: *Vitâ cassatus est.* Sueno in Compendio Hist. Danicæ cap. I: *Ut minatur, cassetur ampullositas.* Vita S. Canuti, ex Saxone Grammatico * cap. IV sect. XVII: *Igitur antiquæ dignitatis speciem intuentis, titulum injustâ collatione præreptum, novo Regis electu cassarunt.* Ac alibi etiam idem Saxo. Ut lib. I Hist. Dan. *Imminentium sibi piratarum insidias celeri navigatione cassavit.* Et lib. XIV: *Profectamque à crapulâ indulgentiam solâ animadversione cassavit.* Petrus de Vineis lib. I epist. XV: *Cassare Romanum principem.* Radulphus Ardentius, Guiljelmi IV Aquitaniæ Ducis Ecclesiastes, Homil. XV post Trinit. *Hæc autem gloria inanis sive vana dicitur, quia à vera gloria cassatur.* Ordericus†: *Dum irâ, & dolore torqueretur, quòd omnes ibidem conatus ipsius cassaretur.*

† *In Vitis Sanctorum apud Bollandum 15 Jan. pag. 1009. & 1010.*

* Pag. 775.

† Pag. 775.

Omnium verò antiquissimus, apud quem me legisse hoc vocabuli meminerim, est Cassiodorus Variarum lib. v epist. xiv: *Ut quæ sub aliis facta est, omnium redemtione cassatâ, pro possessionum atque hominum qualitate, assis publicus imponatur.* Mirum verò nec seculo nostro refugisse Bellarminum in Chronologia ad an. ɔxxx: *Bonifacius II successorem sibi elegit Vigilium: sed cassavit paullò post electionem illam, quam sentiebat omnibus displicere.*

Cateno, pro catenis vincio, apud Bekam in vita Henrici I. *Districtissimè catenari.* Scio interim, *catenatus* dixisse ævum Augusti; imò *catenatio* etiam apud Vitruvium legi.

Cattare, pro *videre*. Isidorus lib. xii Orig. cap. ii: *Hinc alii cattum à captura vocant. Alii dicunt, quòd cattat, id est, videt. Nam tam acute cernit, ut fulgore luminis noctis tenebras superet.* Glossæ Arabico-latinæ: *Musium, cattum, quod cattat, id est, videt.* Nec tamen putandum, *cattare* esse origine barbarum. Planè, ut Salmasius ad Solinum observavit*, *cattare* corruptum ex *captare*, pro speculari, & observare.

* Pag. 1009.

Caussare non dicam; sed *efficere*, *caussam dare*, *gignere*.

Cauterizo à Græco καυτηριάζω, cauterio inuro. Ut 1 ad Timoth. cap. iv: Κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν. Ubi vulgatus interpres *cauteriatam* maluit, quàm *cauterizatam*. Posterius usurpat B. Odericus Peregrinationis suæ cap. iii §. x: *In eâdem* (insula) *Lomori est quoddam territorium, nomine Zumptloc, in quo habitat hominum quædam generatio singularis: hi quodam ferro parvo, & calido, cauterizant se in duodecim locis in facie consignandâ.*

Centonizare non tam notat scribere; quàm ex variis describere, ac centones sarcire. Usus Sigebertus Gemblacensis in Chronicis.

Characterizare, pro notam imprimere, apud Petrum Blesensem, serm. xxx: nempe more Græco. Nam χαρακτηρίζειν est apud Plutarchum, Hermogenem, & alios.

Charaxare, pro quo posterioribus seculis sæpius *caraxare* invenias, ex Græco χαράσσειν, *sculpere*, scribere, pingere. Prudentius hymno X, qui de Romano:

> *Charaxat ambas ungulis scribentibus*
> *Genas, cruentis & secat faciem notis.*

Etiam Gregorius Turonensis cum alibi utitur, tum lib. vii Histor. Franc. cap. xxvi: *Tune es pictor ille, qui tempore Chlotarii Regis per oratoria parietes, atque cameras, caraxabas?* Hoc est, conscribillabas, picturarum figuris ornabas. Idem libro nono cap. v: *Vasa, per domos diversorum, signis nescio quibus caraxata sunt; quæ res nullo unquam modo, aut eradi potuit, aut deleri.* Unde liquet, *caraxare* non esse delere, quod vir doctissimus scripsit; sed fingere, pingere. Similiter Cineheardus epistolâ ad Lullum, quæ inter illas S. Bonifacii est lxxiv: *Quæ te melius recoluisse credimus, in caraxatis commendata.* Et quid apertius eo, quòd, qui subscribebant nomina tabulis, velut testes, hi *caraxare* nomen suum dicebantur? Unde tabulæ Eadgari, Angliæ regis, hæc subscriptioni præmittunt†: *Anno Incarnationis Dominicæ* ɔcccclxvi *scripta est hujus Privilegii syngrapha, his testibus consentientibus, quorum inferius nomina ordinatim caraxantur.* Idem liquet è vita S. Deicoli, abbatis Lutrensis*, cap. ii. §. xi: *Venerandi fratres, Gallus, atque Deicolus, quorum & superius vocabula caraxavimus.* Hoc est, quorum nomina scripsimus, sive expressimus superiùs. *Caraxatura* tamen nomine etiam comprehenditur, siquid in priùs scriptis immutetur: Ut in Testamento B. Remigii†: *Huic autem testamento meo dolus abest, aberitque. In quo siqua litura, vel charaxatura fuerit, inventa; facta est me præsente, dum à me relegitur, & emendatur.* Ac similiter in Testamento Bertchranni, Cenomanensis Episcopi, apud Brissonium: item apud Marculfum lib. ii cap. xvii*. Isidorus item in Glossis: *Charaxatis scriptis.* Hinc eidem Isidoro inibi, *Charaxarius* est *notarius*, *scriptor*. Apud Flodoardum quoque est *charaxator* lib. i Histor. Remensis cap. ix. Legas & compositum *incharaxare*, pro *deturpare*, apud Irenæum lib. iii cap. iii: *Ne verbo tenus communicarent alicui eorum incaraxanti veritatem.* Græcè, ut constat ex Eusebio†, μὴ ὅ μέχρι λόγου συγχαράσσοντων τὴν ἀλήθειαν. Loco adducto, *incaraxanti* etiam ex vett. libris retinet Spelmannus. Sed in excusis reperias vulgò, *qui adulteraverant*. Etiam dicitur *intercharaxare*, pro aliquid inserere. Quod Hincmarus usurpat apud Flodoardum lib. ii Histor. Remensis.

† Apud Seldenum Notis in Eadmerum pag. 159

* In Vitis SS. ad 18 Jan apud Boll T. 2. p. 202.

† Apud Flodoardum lib. i Histor. Rem. cap 18.

* Pag. 140.

† Hist. Eccles. lib. 3. cap 22.

Chirographizare, manu suâ subscribere; unde χειρογραφῶ nomen. Razo, Gaueræ Dominus, in donatione anni ɔcccı*: *Ut hac firma in perpetuum maneat, scripto nostro chirographizato, & hominum nostrorum testimonio fecimus confirmari.* At ne Græcè quidem χειρογραφίζω dicam; sed potius χειρογραφῶ.

* Apud Miraeum in Notitia Eccles. Belg. cap. 183. pag. 498.

Chorizare, choreas ducere. Guilhelmus eques auratus in Hodœporico, sive de Terra Sancta, cap. iii: *Est elephas —— animal disciplinabile: ad sonum instrumenti musici chorizat, & saltat.* Utitur & Cæsarius Heisterbachensis, item Cajetanus in Summulâ, voce *Chorea*.

Chrismare, pro sacro oleo inungere, à Græco χρίσμα, *unguentum*. Gregorius Turonensis de miraculis S. Martini lib. i cap. xi: *Rex unitatem patris, & filii, & spiritus S. confessus, cum omni domo suâ chrismatus est.* A *chrismare* est *chrismarium*, vas in quo sacrum est oleum. Idem ejusdem operis lib. iv cap. xxxii: *Elevato chrismario contra ignem, exortus subitò ventus, vento illi contrarius, flammas à tecto Ecclesiæ avertit.*

Cloaco idem ac commaculo, conspurco. Sanè in Glossis Mss exponitur μολύνω. At glossæ Cyrillo tributæ: μολύνω, *attamino, contamino, inquino, polluo, incesto.* Est à *cloaca*, quæ sic dicitur quasi *colluaca*; nempe à colluendo, quia sordium ibi est colluvies ac confluxus. Sed & *cloaca*, carceris locus, ubi vincti detinerentur captivi. Unde in Glossis iisdem: *Cloacarius*, δεσμοφύλαξ.

Cluor, pro *cluo*, vel *clueo*, hoc est, *audio*; ut Græcis κακῶς κλύειν, *malè audire*. Vita S. Genulphi episcopi† cap. iii. §. xviii: *Magni serve Dei, per illam, quâ præ videris bonitate clui, te supplico, uti meo te conferas diversorio.* *Cluére* antiqui dixissent, hoc est, inclytum esse; quæ ipsa *inclyti* vox ejusdem originis. Nam à κλύω, κλυτὸς, unde *inclytus*: quod Festus interpretatur, *nobilis*, *clarus*.

† In Vitis SS. ad 17 Jan. apud Bollandum T. 2. p. 94.

CAP. IV.

De inchoatis à CO, vel CU. Coadjuto, *adjuvo*. Coanxiari, *pariter animi discruciari*. Coësse, *unà esse*. Collimare, *collineare*. Combinare, *connectere*. Comminare, *immittere*. Compaginari, *conjungi*. Compatescere, *unà pati*. Compati, *convenire, vel misericordiâ commoveri*. Compatriare, *idem patrium habere solum*. Comprandere, *unà prandere*. Concathedrare, *sua facere dignitatis consortem*. Concernere, *ad aliquid pertinere*. Condescendo, *alienæ sententiæ adsentio*. Confœderare, *fœdus jungere*. Confortare, *firmare*. Congaudere, *unà gaudere*. Conquestare, *industriâ suâ acquirere*. Conregnare, *esse regni consortem*. Consilior, *consulto*. Contentare, *facere, ut quis præsentibus sit contentus*. Controverti, *controversiam esse*. Contumeliari, *contumeliâ vexare*. Conventare, *convenire*. Conventionare, *venire ad pactionem*. Coordinare, *ordine locare, reponere, disponere*. Cornari, *occanere cornu*. Correspondere, *respondere, convenire*. Coutor, *commercium habeo*. Crapulor, *crapulâ laboro*. Crassare, *crassum reddere, pinguefacere*. Cucurbitare, *stuprare, pudicitiam alicuius attentare*. Cultellare, *de sartorum artificio in vestibus, ornatus gratiâ, cultello incidendis*. Cuso, & cusio, *pro cusuo*.

PRosequar nunc, ubi, post tertiam literam, quarta, aut quinta vocalis consequatur.

Coadjuto, pro simul adjuto. Anonymus de Genealogia regum

* Pag. 214. edit. Borana.

regum Daniæ*: *Fratribus devotè coadjuvantibus.* Hinc vulgare *Coadjutor.*

Coanxiari, alterius malis angi. Simplici *anxiari*, apud Petrum Blesensem epist. CXLVI, utitur Aleonora Regina: *Tota interius, & exterius anxior.*

Coesse, simul esse. Usurpat Bernardus epist. CXVIII, & Petrus Blesensis epist. CXXXIV, & serm. XLVII.

Collimare probant ex Ciceronis lib. II de Divinat. & Agellio lib. IX cap. I. Sed pro eo in optimis MSS. est *collineare*, sive *colineare*. [illegible]

Combinare barbarum, pro jungere, connectere. Legas Constitutionum Sicularum lib. I tit. LIX leg. II: *Plura volumus insimul combinari.* Sic *combinata dilectio*, apud Petrum Blesensem epist. L. [illegible]

Comminare, agere, dirigere. Legum Longobard. lib. I tit. XIX. §. XXVII: *Si qualibet persona in finibus regni nostri ignem in sylvis comminare ausa fuerit.* Hoc est, ferre, sive immittere ignem in sylvam, ad eam accendendam. Quod & prohibitum Legibus Wisigothicis, lib. VIII, tit. II, leg. II. Est verò a verbo *minare*: de quo inferiùs agemus.

Compaginari, pro *conjungi*, apud Prudentium περὶ στεφάνων, Amm. Marcellinum lib. XXV. Fulbertum Carnotens. epist. I, Petrum Blesensem serm. IX. Gloss. vett. *Compagino*, συναρμολογέω. Est a *compages*; quod à *pago*, uti hoc à πήγω, sive Dorico πάγω. Imò à *pago* etiam *pepigi*, & *pagina*.

Compatescere, pro unà pati; pro quo vulgò *compati*, συμπάσχειν. Wicbertus, epistolà, in farragine epistolarum S. Bonifacii, LXXXII: *Vestræ volumus compatescere infirmitati.*

Compatior quandoque sumitur pro convenire. Nam, ut dicit poeta:

Non bene conveniunt, nec in unâ sede morantur
Majestas & amor:

Sic pseudo-Ovidius in primo de Vetula ait:

—— Nec se bene compatiuntur
Livor, & ambitio; quæ nullis in utroque duorum
Esse simul possint.

Sed usitatiùs accipi pro eo videas, quod Græcis similiter est συμπάσχειν: ut idem poëtaster lib. II:

Tale nihil passus passis non compatietur.

† Pag. 50. edit. Antwerp. an. 1615.
* Gal. 6.

Euagrius in vita S. Antonii†: *Æquum* * *esse, nos nobis compati, & invicem onera nostra portare.* Similiter Petrus Blesensis epist. LXXXIV, quæ ad Alexandrum Papam; *Patientibus compati.* Et ibidem; *Compatientior nullus.* Cæsarius lib. VI Mirac. cap. I: *Compassus est ei Everardus.* At verbum hoc nesciunt antiqui. Cicero pro eo, *misericordia moveor*, vel *commoveor*, *misericordiâ alicujus capi*, *moveri*, & *molestè ferre.* In epistolis verò subinde, Græca verba συμπάθεια, συμπάσχω, συμπαθῶς, maluit. Nec abludunt, quæ de *condoleo* cap. XXXIV dicebamus. Sanè Ciceroni *condoleo* idem ac simplex *doleo.* Pro eo autem, quod vulgo *condoleo*, dicit, *affici alienius casu*, aut simile.

Compatriare, pro eodem solo natum esse, legas apud Thomam Walsingamum in hypodigmate Neustriæ.

† Pag. 447. edit. Parif. an. 1611.

Comprandere, una prandere, Joanni Saresberiensi epist. CCLXIV, quæ ad Petrum Scriptorem†.

Concathedrare, cathedræ suæ imponere, consortem facere imperii. Poëtaster Ovidii nomen ementiens prope finem libri III de Vetula:

Te superexaltans, cœlosque locans super omnes,
Et sibi concathedrans.

Sermo est de Jesu, & honore, quem habiturus matri. De quo & postea idem:

Non opus est, ut eam velit exaltare gradatim,
Sed simul assumet, simul & sibi concathedrabit.

* Pertinet ad alienâ significatione usurpata.

Concernum ista me *, barbarum est, pro *ad me pertinent*: vel, *meum est.* At *concerno* pro *cerno*, dixerit Q. Cicero lib. de Petitione Consulatus ad Marcum Fratrem, si vera hæc lectio est: *Quod si satis grati homines essent, hæc omnia parata esse debebant, sicut parata esse concerno.* Ita quidem habet editio Roberti Stephani. Ac legit similiter Nizolius. Sed in codd. aliis, præcipueque postea ad MSSorum fidem emendatis, non *concerno* est, sed *confido.*

Condescendere, pro in alicujus sententiam abire, consentire. Ivo Carnot. epist. V. ad Adelam Comitissam, & epist. XIX ad Guiljelmum abbatem. Atque inde *condescensio*, Bedæ Histor. Angl. lib. II cap. I, Ivoni Carnotensi epist. CCXXXVI, & in vitis Patrum. Usus quoque Agobardus, Lugdunensis episcopus, a Fregedisio accusatus, quòd contemtui haberet vulgatum Scripturæ interpretem, quia parùm scriberet Latinè. *Diximus, quia Interpres divinorum voluminum, vel expositores, non curarunt omnino tenere indeclinabiliter regulam Grammaticæ artis: quod utique neque imperitiâ, neque malitiâ, fecerunt; sed ratione condescensionis: ut sicut usus sanctæ Scripturæ est verbis condescendere humanis, quatenus vim ineffabilis rei, humano more, loquens, ad notitiam hominis deduceret, & mysteria insolita solitis ostenderet rebus: ita & interpretes ejus, eam sequendo, illud studuerunt summopere transferre, unde manifestiorem sensum legentibus præberent.* Ac mox: *Ut nobis condescenderent, & simplicitatem veritatis non desererent.* Chrysostomus similiter id dicit συγκαταβαίνειν; uti συγκατάβασιν, quod Agobardo videmus esse *condescensionem.*

Confœdere, pro *fœdus* jungo. Guntherus Ligurini lib. X. 29:

Ast aliis magna confœderat arma Cremona.

Ubi Pithœus maluit, *confederat*: sed sententia prius exigit. Atque inde malè Latinum *confœderati*, pro *fœderati*: de quo diximus lib. I cap. XIX.

Confortare, corroborare, firmare, utitur B. Ignatii interpres in interpolatâ ad Trallianos epistolâ, ubi Græcè προσασφαλίζομαι. Petrus Damiani lib. VI epist. XXXI: *Antiquorum Patrum nos exempla confortant.* Et mox: *Præcedentium confortemur exemplis.* Suppositicius Ovidius lib. I de Vetula.

Sed quod sic fauces sitibundas impleat, ut non
Confortetur eo sua virtus.

Congaudere, cum aliquo gaudere. Pseudo-Ovidius in secundo de Vetula:

—— Multis venientibus illi
Congavisuris.

Conquestare αὐτόχθων à Gallico *conquester*, hoc est, imperio addere, finibus ditionis adjicere: hoc à *quæro*, vel *conquiro.* Sic *conquests*, quæsita. Itaque Guiljelmus Nothus, Britanniâ devictâ, *Conquestoris* nomen accepit. Usurpat Thomas Walsinghamus*: *Parati sunt recognoscere terras, quas tenent à præfato Domino Rege, & tradere in manu sua, quas possunt, & residuas pro viribus conquestant.* *Conquestrare* legas apud Joannem de Thwrocz in Chronicis Hungaricis Part. II cap. IX: *Constat itaque non tantùm septem capitaneos Pannoniam conquestrasse: sed etiam alios nobiles, qui de Pannonia descenderunt.* Verùm, puto, legendum, *conquestasse*: hoc est, acquisivisse. Ut sit a *conquæstu*; uti inde dictus Guilhelmus *Conquæstor*, postquam Angliam subegisset.

* Pag. 573.

Conregnare, unà regnare, consortem esse imperii. Severus Sulpicius Historiæ Sacræ lib. II: *Helena, mater Principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat.* Etiam Paullinus epist. XI, quæ ad Severum hunc ipsum, de eadem Augusta usurpat. Quid posteriores dicam? in his Pseudo-Ovidium in primo de Vetula:

Sicque vides, quod ubi conregnant ambitiosus
Livor, & ambitio livens; non ambitioni
Succumbit livor, sed inebriat ambitionem.

Consilior, pro consulto, consilium capio. Paul. Diaconus de gestis Longobardorum lib. VI cap. VI: *Domine mi Rex, tu scis, quia, postquam hoc consiliati sumus, ego à tuo conspectu non exivi: & quomodo hoc alicui dicere potui?* Leges Alamannicæ tit. XXIV: *Si aliquis homo in mortem Ducis consiliatus fuit, & inde convictus fuerit: aut vitam*

vitam perdat, aut se redimat; sicus Dux, aut principes populi, judicaverint.

Contentare, facere, ut quis contineat, quod animo satisfaciat. *Contentari*, acquiescere. Thomas Kempensis de imitatione Christi lib. III, cap. LVIII: *Illi bene, & optime contentantur, si homines scirent contentari.* Joannes de Thwrocz in Historia Hungarica. Sic Sigismundum Imperatorem inducit loquentem: *Chari mei filii, summum rerum conditorem mea vita de diebus, ut ipse meo corpore sentio ex debilitate, contentâsse arbitror.*

Controvertitur vulgare; sed, ut censeo, parùm est Latinum. Pro eo autem dixerim *controversantur*; ut apud Ciceronem in Protagora †: *Nunc à vobis, ô Protagora, & Socrate postulo, ut de istoc concedatis alter alteri, & inter vos de hujusmodi non controversemini, non concertetis.* Possis & dicere, in controversia est, in controversiam vocatur, aut venit, controversia movetur, ea res in controversia versatur, controversia est de eo, atque aliis modis.

† Apud Priscianum.

Contumeliari, barbarum, pro contumeliam dicere, imponere, in aliquem jacere, contumeliâ afficere, vel insequi.

Conventare, pro convenire, conventum celebrare, apud Cæsarium, Miraculorum lib. v cap. XXII.

Conventionare est super aliquibus paciscendo convenire, ac ea, de quibus convênit, promittere. Matthæus Parisius in an. CIↃCCXLIV: *Omnia, quæ conventionavit eidem domino meo, nomine præfati viri, pro liberatione suâ.* Hoc est, omnia pacta, conventaque; sive quæcunque domino meo constituit pacto. Usus & Rogerus de Houeden Tom. II Annal.

Coordinare dicunt semibarbari; ut Latini *cooriri*, *cooptare*, & similia. Græci pro eo συντάττειν, quod Latinis, una cum aliis ordinare, ordinem dare, in ordinem adducere: ac de militibus præcipuè obtinet, quando in acie in ordinem diriguntur. Unde σύνταγμα, *acies militum in procinctu stantium.*

Cornari, pro cornu inflare. Joannes Angliæ Rex apud Matthæum Parisium in an. CIↃCCII: *Quicunque Episcopus, Comes, vel Baro, transieris per forestam nostram, licet illi unam, vel duas bestias occidere: sin autem facias cornari, ne videatur furtivè facere.*

Correspondeo improbum est, pro respondeo, consono: quandoque etiam pro consilia misceo. Sic *correspondentia*, consensus; item συμμετρία, pro qua & Vitruvius *partium responsus.*

Coutor est apud veterem Scripturæ interpretem: ubi Græcè est συγχρῶμαι. Nec interpretem damno, quia ad verbum expressit. Nam *uti* (sicut aliqui reddunt) non satis exprimit vocem Græcam. Ideo Erasmus mavult, *commercium habere*: sanè Latinè, & ad sententiam convenienter. Locus est Joannis XII. IX: Οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις. Ubi satis liquet, non ἁπλῶς usum signari; sed usum mutuum, quem *commercium* dicimus. Usurpat & vetus Ignatii interpres epist. ad Magnesios.

Crapulari est apud Vulgatum interpretem Psal. LXXVII: *Tanquam potens crapulatus à vino.* Nempe à Græco κραιπαλᾷν, quod signat, ex nimio potu laborare capitis dolore, vel etiam desipere. Origo ἀπὸ τοῦ κάρα πάλλειν, quia caput dolore quasi vibretur. Lexicographi κραιπαλίζειν exponunt *crapulari*. Verùm metuo, ne non magis Græcum sit κραιπαλίζειν, quàm Latinum est *crapulari*. Nec tamen vulgati, quem dixi, interpretis tempore in usu fuisse, negare præfractè velim. Adhæc agnoscunt Cœlius Secundus in Foro Romano, & Calepinus qui Passerati vocatur: sed sine idoneo auctore. Poggius inde format *crapulator* quinctâ in Vallam invectivâ *: *Scio illum* (Guarinum) *te* (Valla) *reputare, non doctissimum, sed dementissimum crapulatorem.*

* Pag. 94. b. edit. a. 1513.

Crassare, pro saginare, est apud Optatum Milevitanum lib. II.

Cucurbitare mulierem, pro ei vitium afferre; quod qui faceret, *arga*, vel *cucurbita* vocabatur. De *arga* vocabulo superiùs dictum. Eundem verò notari *cucurbita* convicio, cognoscimus ex istoc veteris glossarii: *Argam, cucurbitam.* Origo à Longobardis, quibus *corbita*, stuprum, & infamia; ut in legibus sumitur Longobardicis. Nec longè abit Chaldæum חרופת charifot; quod notat probrum, ignominiam. *Cucurbitare* verò ita, ut dixi, sumitur Feud. lib. I, tit. V §. I, & lib. II tit. XXXVIII §. LVII, & lib. III tit. II §. I. Inprimis autem (ut Zazio, & aliis, observatum) eo verbo utebantur, si vasallus domini uxorem adulterio pollueret, vel ad hoc sollicitaret; vel etiam filiam, neptem, nurum, aut sororem.

Cultellare vestem, est artificiosè eam variis locis incidere quibusdam punctis, ac lineolis, quandoque etiam majoribus scissuris. Nempe quia ad eam rem non forficis, sed cultelli fit usus. Cæsarius lib. IV Mirac. cap. XV: *Superbia verò sic in eis regnavit, ut cogitare non sufficerent, quali modo vestimenta sua inciderent, stringerent, atque cultellarent.* Et lib. V. cap. XV: *Dæmonem in specie, viri tunicâ indutum cultellatâ, contra se stare conspexit.* Et lib. X cap. XI: *Erat enim indutus vestibus purpureis, atque cultellatis.* At Plinio *cultellatum* dicitur, quod cultrum forma refert, & ejus instar scindit. Apud Thwroczium Histor. Hungaricæ lib. II cap. LII † lego: *Solus Opus super gilvo equo in lorica cutullata evulsus, in modum fulminis, ictu lanceæ ruptâ loricâ per medium cor transfixit.* Quid si & hic *cultellata* rescribamus; ut lorica intelligatur ex corio, ad modum panni, vel serici, scissâ, apertaque?

† Pag. 59. edit. Wechel. an. 1600.

Cusio videtur corruptum ex *consuo*. Glossæ Misc: *Cuset, ῥάπτει.* Glossæ Arabico-latinæ: *Cusire, consuere.* Unde liquet, tum *cusio* dixisse, à quo *cusire*; tum *cuso*, unde *cuset*. Atque hoc posterius legas in Vitis Patrum, cùm alibi, tum libro ex tralatione Pelagii, Romanæ Eccl. Diaconi. Verba ejus sunt libelli quincti §. V: *Faciebat quoque plectam de ipsis palmis, & cusabat usque ad horam sextam.* Ejusdem originis est Gallicum *coudre*.

Cap. V.

De incipientibus à D, sequente A, vel E. Damnificare, *damno afficere.* Debitare, *debitis gravare.* Debriare, *inebriare.* Decalvare, *calvum facere, radere.* Decapitare, & decervicare, *caput, vel cervices resecare.* Decriminare, *criminis arguere.* Deferculare, *fercula auferre.* Defortiare, *per vim aliquid adimere.* Defrustare, *frustatim decerpere.* Defurere, *multùm furere.* Defustari, *fuste percuti.* Degeniare, *genio, ac forma gratiâ fraudare.* Degradare, *de gradu dignitatis suæ dejicere.* Degregare, *vel decongregare, segregare.* Deguttare, *guttatim adspergere.* Deificare, *deum facere.* Demunire, *reddere locum minus munitum, quàm prius erat.* Deorno, *ornatum adimo.* Depalare, *nunc à palis, dici, nunc verò à palàm.* Depersonare, *imminuere, vel infringere dignitatem personæ, quam quis sustinet.* Depilare, *scripta aliorum compilare.* Deplicare, *prius complicata separare.* Deprædari, *spoliare.* Desaginare, *exonerare.* Descidere, *abscindere.* Desociare, *a sociis disjungere.* Desolari, *vastare.* Deteriorare, *depravare.* Deviare, *aberrare à via.* Devotare, *devovere.* Dextrare, *statuere, uter à dextrâ, vel sinistrâ, sit iturus.*

CONferam me nunc ad illa, ubi literarum quartam A, vel E, excipit.

Damnificare, pro damnum inferre, est apud Cæsarium Haisterbachensem. Ac similiter Pseudo-Ovidius in primo de Vetula:

Damnificansque hostem numeris quibus egerat illas.

Item *damnificari*, pro damnum accipere. Ut ejusdem operis lib. II:

Si sit ei lucrum, pro parteque damnificetur.

Et Jacobus de Vitriaco Histor. Orient. lib. III *: *Unde de hoc castro novo plurimùm damnificantur Sarraceni, &, terrore divino ipsos fugante, loca inclyta deserere coguntur.*

* Pag. 1131.

Debi-

Debitari, pro *deberi*, verbum à nomine *debiti* formatum. Utitur Nicolaus Clemanges libro de Annatis non solvendis. Sic *indebitare*, ad Capitularia Karoli M. Additione IV cap. XCIII †: *Nullus presbyter, aut diaconus, vel quilibet clericus, aut laicus, decimas vendere, aut dare, vel pignorare, aut indebitare, præsumat.* Hoc est, gravare debitis, quibus non persolutis, decimarum pars, vel totæ, ad alios redeant.

† In editione Pythœana: sed illa Lindenbrogii cap. 94.

Debriare, pro *inebriare*, est apud Gregorium Pastoralis Part. III, Admon. XXVI; ac *debriatus*, pro *inebriatus*, ibidem, & Admonit. XIII. Item apud Hilduinum abbatem, in epist. ad omnes abbates, Hincmarum in vita S. Remigii *, & Baldericum Noviomensem lib. III cap. XXII: *Sicque debriatus, adscenso equo, —— mox divinâ ultione percussus, de caballo corruens, spiritum exhalavit.*

*. Apud Surium tom. 1.

Decalvare, pro *tondere*, vel potiùs *radere*. Aliud enim *tonsura*, aliud *rasura*; ut & aliud longè *rasura* est, ac *vulsura*. *Decalvandi* verbo utitur Notkerus Balbulus, sive quisquis ille monachus est Sangallensis de vita Karoli M. cap. X; ac similiter, qui vitam B. Fulgentii scripsit, cap. IX. Est & in glossis vett. *Decalvo*, ϰωλοσιλλόω. Puto, Græcam vocem sumi pro σιλλόω, vel σιλλαίνω; quæ notant *alicui dicteriis illudere*. Sanè petulantes homines, quos ludibrio habent, in somno, vel quando eos vident aliud agere, detondent, vel radunt. Unde & Belgis *scheren*, pro illudere; cùm propriè sit *tondere*, ex Græco κείρειν, S, ut sæpe fit, præmisso.

Decapitare, pro securi ferire, vel cervices resecare; Tiberii ævo etiam *decollare*; velut Belgis, *ont-halsen*. *Decapitare* est apud Rogerum de Houeden Annal. Tom. I in vita Wilhelmi Senioris an. CIↃLXXV; *Crudeliter securi decapitatur.* Ut iidem Belgæ, *ont-hoofden*.

Decervicare, idem ac decollare, cervices præcidere. Sidonius lib. III epist. III, quæ ad Hædicium: *Quos humari nox succincta prohibuerat, decervicatis liquere cadaveribus.* Eumque ad locum observat Savaro, uti quoque anonymum, sed veterem Philonis Judæi interpretem, quæst. LXXVI: ac *cervicare* itidem esse apud Eusebium Papam, epistolâ ad Episcopos Hetruriæ & Campaniæ.

Decriminare in Legg. Longobardicis usurpatur, pro criminis alicujus arguere.

Deferculare, fercula de mensa auferre. Andreas, Abbas Michaëlis prope Bambergam, de vita S. Othonis, Babebergensis Episcopi, lib. II cap. XL: *Quod mirum dictu, mensa illorum nunquam disarmatur, nunquam deferculatur.* Hoc est, semper sua habet fercula.

Deforciare, pro fortitudine suâ, hoc est, per vim, aliquid auferre, vel impedire, à Gallico *force*, pro *vi*, Matthæo Parisio; qui & inde *deforciatores* dixit. Sed de hoc jam actum in verbis origine Gallicis. Nempe ἀφέσεως quidem est a Gallico; sed quod ipsum Romanæ sit originis.

Defrustare, frustatim, sive frustulatim decerpere. Ammianus Marcellinus initio lib. XXXI: *Sed semel obsoleti coloris tunica, collo inserta, non antè deponitur, aut mutatur, quàm diuturnâ carie in pannulos fluxerit defrustata.* Sidonius Apollinaris lib. IX epist. IX, quæ ad Faustum Regiensem: *Quæsitum volumen invenio, produco, lectito, excerpo, maxima ex magnis capita defrustans.*

Defurere, pro multùm furere. Evagrius in vita S. Antonii, quam ex Athanasii Græcâ reddidit Latinè †: *Cum hujusmodi terroribus visus est princeps dæmonum, inquit Antonius, & ingentia sæpe promittens, impietatis suæ defurit linguâ magniloquâ.* Ac post ea: *Sæpe me à dæmonibus non denego verberatum. Canebam autem sic: Nullus me separabit à charitate Christi. Ad cujus vocis auditum, in se invicem defurentes, non meo, sed Domini fugabantur imperio.*

† Pag 42. b. edit. Resweidianæ.

Defustari eos dicunt, qui, ut Cicero loquitur in Philippicis, fustuarium meruerunt: sive qui fustibus cæduntur, ut pro eo inquit Marcellus J.C. Aliqui pro eo ajunt *fustigare*, voce ἀναλόγως formatâ, quando, ut à *clarus*, & *castus*, *clarigo*, & *castigo*; sic à *fustis* fuerit *fustigo*. Ac reperio in Glossis: *Defustat*, ξυλοκοπεῖ. Item, Ξυλοκοπῶ, τὸ τύπτω ξύλῳ, *fusto*, *fustigo*. Sed apud classicorum quempiam non memini me legere.

Degeniare, pro dedecorare, à *geniandi* verbo; quo usus Julius Capitolinus in Luc. Vero: *Fuit decorus corpore, vultu geniatus.* Sic enim legi oportere, Salmasius ostendit. Alterum verò illud est apud Cassiodorum lib. V: *Præterea commonemus, ut præpositorum commoda non præsumas; nec quicquid eos potestatis habere reverenda sanxit antiquitas, aliquâ usurpatione degenies.* Ita est in MSS; non, uti editis, *deneges*, vel *degeneres*.

Degradare sacerdotem, pro infulâ exuere, exaugurare, reſecrare; ut dicere jubet in Forensibus Budæus. Usurpat *degradandi* verbum Lucifer Caralitanus, libro adversus Reges Apostaticos. Item Synodus à S. Bonifacio, & Francorum Episcopis, sub Carolomanno habita anno IↃCCXLII †: *Falsos presbyteros degradavimus, & ad pœnitentiam coëgimus.* Legas & apud Fulbertum epist. XL, & alios multos; in his Rogerum de Houeden Annal. Tom. I: *Pontifex non legitimè degradabatur.*

† Capitulorum Carolomanni lib 5. cap. 2.

Degregare, vel *decongregare*, pro segregare. Scriptor vitæ S. Genovefæ * cap. IV §. XV. *Dum degregata ob pastum fortè pecora sollicitè vestigarent.* Ubi aliqui libri *degregata*; aliqui verò reponunt *segregata*.

* In Vitis SS ad 15 Jan.

Deguttare, adspersione, vel infusione guttarum, seu butyri, seu alius liquoris, humectare. Matthæus Parisius in Stephano Rege, ubi describit militi visa intra speluncam S. Patricii: *Nec minori tormento vexabantur hi, qui verubus transfixi ad ignem assati deguttabantur à dæmonibus.*

Deifico, pro in Deos refero, consecro. Sic *elementa deificare* Cassiodorus lib. X Hist. Tripart. cap. XXX. Quippe nationes elementa singula in Deos retulerunt: ut fusè persequimur opere de Theologia gentili, sive de Idololatriæ origine, ac progressu. Usus quoque Joannes Sarisberiensis lib. III. Policratici cap. X: *Suos quoque Imperatores, quos de more Romanus populus fideliter jugulabat, deificavit fidelius, inani solatio perfidiam prætexens manifestam.*

Demunire urbem est ex munita facere infirmam. Utitur Petrus Blesensis serm. XXXIII.

Deorno, pro *dedecoro*, apud Claudianum Mamertum; si credimus Caspari Barthio lib. L. Adversar. cap. III.

Depalare nunc legas pro palis impactis constituere; ut *depalare civitatem*, apud Tertull. in Apologetico; ac ab eadem origine *depalationes horologiorum*, Vitruvio lib. IX cap. VIII: nunc pro palam facere, divulgare; ut apud Constantinum presbyterum de vita S. Germani cap. XVI; *Virtutum suarum ostenta depalavit.*

Depersonare, detrahere de honore alicujus personæ. Matthæus Paris. ad an. CIↃCCXLVI: *Hoc verbum consonum fuit dicto Henrici Regis Angliæ junioris. Qui patri suo Henrico II Regi, in Festo coronationis suæ ministranti, ait: Non es depersonatus mihi ministrando, cùm sis filius Domitis; ego Regis, & Reginæ.*

Depilare, pro excerpere ex alienis scriptis, reperias apud Petrum Blesensem. Sed & apud Macrobium in VI Saturnalium legi, monet Joannes Busæus Noviomagus, in glossario ad Blesensem. Nempe putarunt, se posse sic dicere, *depilare*; ut *compilare scrinia* ait Horatius. Rectè interim *depilis*, & *depilatus*, de eo, qui sine pilis.

Deplicare, & *applicare*, contraria sunt. *Applicare* est admovere; *deplicare*, amovere. In miraculis S. Genovefæ † §. XXX: *Cujus pedes tantâ erant contractione natibus complicati, ut nullâ inde possent arte deplicari.* Et §. XXXV: *Mulier, præ contractione manuum, opus artificio non exercens, veniens ad S. Virginem, manus post orationem extendit, & articulorum restitutâ reflexione, in argumentum salutis porrectas manus plicavit sæpius, & deplicavit; opusque textrinum, sine ulla nervorum ariditate, exercuit.* Ubi *plicare manus* est complicare, sociare: at *deplicare* idem ac removere, sejungere.

† In Vitis SS apud Bollandum ad 3 Jan.

Deprador, pro *prædor*, *spolio*, vix putem Latinum. Quamquam agnoscat Thesaurus L. L. & *deprædatio* sit in Codice Theodosiano lib. II de Re milit.

Desa-

Desagmare, exonerare, sagma auferre mulo, vel alteri animanti. Petrus Damiani in vita S. Odilonis, Abbatis Cluniacensis, cap. XII, sive §. XXV*: *Accedit, ut mulus, qui hominis Dei supellectilem, libros scilicet ac lectulum, deferebat, à publico vado procul aberrans, in profundiorem alvei voraginem caderet. —— Qui tandem, è naufragio protractus, educitur; ad perscrutandum, utrum res, & maximè libri, perierint, desagmatur.* Vide *Sagmarius* lib. III cap. XLIV.

* Apud Bolland. 1 Jan.

Descidere, pro *decidere*, barbari est seculi. Imposuit, quòd *discindere* dicatur. Walsingamus in Hypodigm. Neustriæ†: *Si verò aliquod occurrat tam arduum, quod pro arbitrio descidi nequeat.*

† Pag. 481.

Desociare, pro *separare à sociis*, apud Petrum Blesens. serm. XXXIII: *Cùm enim imprudens ille, & impudens Lucifer, se à Deo, & socialibus desociaret Angelis; ipsi in societate suâ perstiterunt, in mansuetudine suâ roborati.*

Desolor, pro vasto, everto, non dixero.

Deterio, pro deterius facio. Cæsarius lib. IV Miracul. cap. LIX: *Dominus verò non immemor vindictæ, anno eodem, totum penè vinum, quod monasterio creverat, ita deterioravit, ut nullius esset saporis, vel coloris.*

Devio mediæ ætatis scriptoribus haut infrequens. Sed cum idoneis Latinitatis auctoribus dixeris *deflecto*, vel *declino de via*.

Devotare, devovere, dicare. Andreas Abbas in vita S. Othonis lib. IV cap. IX: *Divino invocato nomine, beato Ottoni, si per ejus sancta merita sibi incolumis redderetur, offerendum cum oblationibus devotaverunt. Mirum dictu, ad obligationem voti, nulla cælestis medicinæ mora fuit.* Mox pro eo subdit, *Ut devoverant, offerentes.* Gloss. Mss: *Devoto*, ἐνδίδωμι.

Dextrare, pro jungere equos, sic ut unus dexter sit, alter sinister. Ita usus, nescio quo auctore, Laurentius Valla, de Donat. Constat. *Triumphâsse putâsse Cæsarem, quoties prodibat, ut nunc solet Papa, præcedentibus equis albis, quos stratos famuli dextrant.* A *dextrare* fuerit *dextrarius*: quod nec ipsum reperio apud idoneos scriptores. Sed legas apud Hincmarum Rhemensem, Petrum de Vineis, Matthæum Parisium; cujus hoc ad an. CIↃ CCXLI: *Insidebat equum nobilissimum dextrarium Italicum.* Sermo est de morte miserabili Mareschalli Gileberti.

CAP. VI.

De verbis, in quibus post D sequitur tertia vocalis, aliave hac posterior. Diætare, *diætam observare.* Diamare, *valde amare.* Didrachmare, *distribuere per didrachmas.* Diescit, *dies oritur.* Diffacere, *gratiam ac decus adimere.* Difficere, *perimere.* Difficultare, *difficilius reddere.* Diffidare, *fide indignum judicare.* Diffiduciare, *fiduciam ulterius nullam reponere, atque adeò pro hoste habere.* Diffigurare, *formæ decus auferre.* Dijaculo, *jaculor.* Diminoro, *imminuo.* Discargare, *carrum exonerare.* Disciplinare, *castigare.* Discooperio, *tego.* Discopulo, *vincula demo, solvo.* Discoquo, *cocturâ digero.* Dismembrare, *membra dividere.* Disparagare, *dispari sociare.* Disperquiro, *anquiro.* Disraro, *rarefacio.* Disrationare, *ostendere aliquid à ratione esse alienum, vel simpliciter pro abalienare.* Disrobare, *diripere.* Distemperare, *temperaturam dissolvere.* Disvestire, *vestibus exuere.* Divago, *divagor.* Diversifico, *vario.* Dulcoro, *dulce reddo.*

Prosequar nunc ordine verborum alia, quæ itidem à quartâ consonâ auspicantur.

Diætare, sive, ut scribi solet, *dietare*, pro diætam, sive victus modum observare. Petrus Blesensis epist. XXVII: *Cæteri, in eminentia cathedralis apicem sublimati, statim curam carnis propensius agunt; circumspectius se dietant; non minus timent corporis ægritudinem, quam gehennam; & in omnibus spatium vitæ productioris affectant.*

Diamare, ut censet Barthius, Abbo dixit, carmine de Obsidione Lutetiæ. Sed *deamo* scripsisse arbitror: quod apud Plautum, & Terentium.

Didrachmo, pro per didrachmas divido. Baldericus in Chronico Cameracensi lib. III cap. XXXVII: *Aurum plurimum didrachmavit.*

Diescit, Terentio lucescit, Maroni aurora diem reducit, Lucano dies exoritur.

Diffacere, pro deformare, faciem sive formam adimere; quomodo Belgæ dicunt, *mismaken*. Ut *hominem diffacere*, de eo qui oculum exsculpserit, vel nasum præciderit, vel simile egerit. Legas Legum Longobard. lib. I Tit. XXV Leg. LXVIII. In iisdem lib. II Tit. XXXV Leg. X, *charta diffacta*. In Capitul. Karoli M. lib. III cap. XXVI, *Ad justitiam cujuslibet diffaciendam.* Simile est *difficere*; de quo proximè.

Difficere valet interficere. Nempe ut opposita sunt *facilis*, & *difficilis*; *fido*, & *diffido*; *fateor*, & *diffiteor*: sic *facio*, & *difficio*: quasi dicas, facio, ut quis non sit. Carolus Magnus Constitutionum cap. XI*: *Si per odium, aut malum ingenium, hominem diffecerit; honorem suum perdat, & legibus, contra quem injustè fecit, secundùm pœnam, quam intulit, emendet.*

* Pag. 228. edit. Mogunt. an. 1602.

Difficultare, difficilem se præbere in aliquo negotio, sive propter aliqua, quæ scrupulum injiciant, moras nectere, nec facile assentiri. Magnum Chronicum Belgicum†: *Mussienses verò quosdam ex optimatibus direxerunt ad Coloniam, ac ad Civitatis Consules, certificari cupientes ipsorum de assistentia intentum; qui diu hæsitando, propter mercaturas negotiatorum suorum, difficultaverunt negotium.*

† Pistoriana editionis pag. 411.

Diffidare, pro bellum indicere, hostem renunciare; quia ex eo fides, quæ antea fuerat, non durat. Nisi malis esse ortu barbarum à *feida*, pro inimicitia: quo pacto *dis* habebit vim negandi. Legas apud Fredericum lib. II Feudal. tit. LIX §. IV: *Perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus.* Usus & Petrus de Vineis Epist. lib. III cap. LXXXV; *Diffides eos, tanquam inimicos nostros, & imperii.* Est quoque in Legg. Longobard. tit. de diffidationibus, hoc est, de ratione bellum denunciandi hostibus. Item apud Petrum in Hist. Albigens. cap. LXXVII, Bekam in Joanne II, Turocium in Historia Hungar.

Diffiduciare, à *fiducia*; ut à *fide*, *diffidare*; de quo dixi. Significat verò hostilitatem, vel inimicitias inducere. Usus Ivo Carnotensis epist. CLXXIII, & Matthæus Parisius prologo Hist. Anglicanæ. Item Thomas Walsingamus in Richardo II*, *Ad diffiduciandum abbatem.* Atque alibi non semel.

* Pag. 255.

Diffigurare, figuram, sive speciem rei vitiare. Legg. Longobard. lib. I tit. XXV. L. XLIII: *Si quis caballum alienum apprehenderit, ipsumque diffiguraverit, aut circinaverit; furti pœna sit culpabilis in octogilt.* Thomas Walsingam in descriptione Neustriæ†: *Papa Johannes, occultè diffiguratus, fugit cum Duce Austriæ.*

† Pag. 579.

Dijaculare, jaculo ferire. Suppositicius Ovidius de Vetula lib. I:

> *Densisos levitate suâ, promtosque salire*
> *De ramo in ramum, cirogrillos dijaculare.*

Ubi *cirogrilli* χοιρόγρυλλοι, qui & χοιρογρύλλιοι*.

* Scholiast. Aristoph. eis πλοῦτ.

Diminoro, pro *diminuo*. Carolus Simplex in Privilegio apud Aimoinum lib. V cap. XLII: *Sine nulla subtractione, vel diminoratione, liceat securiter, ac perpetualiter possidere.*

Discargare, pro *discarrare*, propriè notat è carro ponere. Ac sic usurpat L. Salica tit. XXIX. §. XXI: *Si inde fœnum ad domum suam in carro duxerit, & discargaverit.* Postea per translationem extensa significatio ad onera, quæ hominibus imponuntur. Unde *discargare*, pro ab aliqua re præstare immunem. Quomodo Gallis, & Anglis, *discharge*.

Disciplinare, disciplinæ severitate in aliquem animadvertere. Scriptor de S. Genovefa. §. XXXVIII*: *Disciplinas misericorditer filios suos pater misericordiarum, dum momen-*

* In vitis SS. apud Bollandum ad 3 Jan. pag. 151.

momentanea percussionis igniculo carnem simul, & gehennam exstinguit.

Discooperio crebrò legas. Veteres pro eo operio, tego, celo.

Discopulare, copulam canibus detrahere; ut Ovidius loquitur. Matthæus Parisius an. cIↃ CC XXXIV: *Legistarum magnam catervam apud se Rex retinuit, quasi venator canes venaticos super electores Prælatorum discopulandos.*

Discoquere, pro *coquendo dissolvere*, Plinio Valeriano usurpatum.

Dismembrare, disjungere, separare. Ut *dismembratus* opponatur *continuo*; idemque valeat, quod *discretus*. Charta ducum Normanniæ de saisina Paganelli, anno scripta cIↃ CC XIII †: *Quod baronia non erunt dismembrata, nisi pro parte, in qua escaetæ erunt.*

† In scriptoribus rerum Normannicarum pag. 1064.

Disparagare, dispares conjugio jungere, genere & opibus inæquales connubio sociare. A *disparagium*, quod est dispar conjugium, uti *paragium*, par sive æquale connubium. Voces à Gallis acceptæ. Matthæus Parisius ad an. cIↃ CC XXXIV: *Puellas nobiles, & alias mulieres nubiles, cum wardis, ac maritagiis, quas dant suis, disparagant.* Hinc *disparagatio*, ad an. cIↃ CC XV: *Hæredes maritentur sine disparagatione.* Verbum ipsum etiam habes in legibus Baronum Scotiæ, opere, quod a primis verbis, *Quoniam attachiamenta*, inscribitur, cap. XCIII: *Si aliqui domini maritaverint hæredes suos, quos, vel quas, habent in custodia, villanis, vel burgensibus, ubi disparagentur; si talis hæres sit infra quatuordecim annos, & talis ætatis, quod consentire non possit; tunc, si parentes ejus conquerantur, dominus ille amittet custodiam, usque ad ætatem hæredis.*

Disperquiro, anquiro, sedulò, vel circumquaque disquiro. Walsingamus in Richardo II *: *Cui Dux, Et ego, ait, non laudo plures insultus fieri, quia* (Anglici) *& ingeniosi, & fortes sunt viri, & quotidie novas contrà adinventiones disperquirent.*

* Pag. 104.

Disraro, rarefacio. Satiè in Glossis MSS exponitur [illegible]

Disrationare, contrarium ratione, & lege μαρτυρίας, comprobare. Matth. Parisius in an. cIↃ CC XLIX: *Quod si renuentes præsumant inficiari; paramur judicialiter duello super eos veritatem, Deo judice, discutere, & disrationare.* Similiter in vita Guilhelmi, abbatis XXII S. Albani: *Definitum fuit judicialiter, ut illa quæstio per duellum disrationaretur.* Legas etiam Reg. Majestatis Scoticæ lib. tertio cap. XVII §. 1: *Cum maritus aliquis —— de dote ipsius uxoris aliquid amiserit, vel disrationaverit de jure ipsius uxoris.* Ubi Joannes Skenæus interpretatur: *In judicio recuperaverit.* Puto, & hic idem esse, ac facere, ut quid, rationis judicio, potius alterius esse videatur, sive ἀπαλλοτριοῦν abalienare.

Disrobare, spoliare à Germanico *rooven*, quod ex Latino *rapere*: ut *disrobare* sit diripere. Nam *a* sæpe in *o* abit; *p* in *ph*, vel *v* consonans. Argumentum Petri de Vineis lib. V epist. XLVIII: *Concedit licentiam quibusdam mercatoribus faciendi præsalias contra rebelles, qui eos disrobaverunt.* Hac verò epistolâ abunde, quid repræsaliâ sit, explicatur.

Distemperare, Plinio Valeriano idem ac dissolvere. Utitur lib. I cap. VI.

Disvestire, vestibus exuere. Thomas Walsingamus in Descriptione Neustriæ †: *Cujus corpus post paululum ad se relatum cùm disvestiant, argenteam clavem in ejus strophio reperiunt dependentem.*

† Pag. 420.

Divago, & *evago*, agnoscit Glossarium nostrum MSum: nec alio defenderim, quàm quòd *vago* sit apud Plautum.

Diversifico, vario. Pseudo-Ovidius in primo de Vetula:

Quinquaginta modis, & sex diversificantur
In punctaturis.

Ac postea:

—— *Diversificantur*
In punctatura propriè.

Ac lib. III:

Et fidei species debent diversificari.

Parlam. Styl. Prolegom. *Et dictus stilus quandoque diversificatur.*

Dulcorare, pro *edulcare*: quomodo Mattius apud Agellium:

Quapropter edulcare convenit vitam,
Durasque acerbas sensibus gubernare.

De-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XLVIII legit, *edulcorare*. Sed sic non erit jambicus scazon. At Ambrosii est de Instit. Virgin. cap. V: *Fons Mara per lignum dulcoratus.* Rectiùs Tertullianus adversus Judæos cap. XIII: *Hoc enim lignum tunc in Sacramento erat, quo Moses aquam amaram indulcavit.* Perperam & hic De-la-Cerda *edulcoravit.*

CAP. VII.

De incohatis ab E. Efflorare, *carpere flores.* Effocare, *strangulare.* Efformo, *effingo.* Effortio, *munio.* Elaterare, *ad latus abire.* Elongo, *longe amoveo.* Elucido, *illustro.* Episcopo, *episcopum facio.* Epulo, *epulor.* Essendo, *pro, si fuero.* Exactionare, *& exactare, exigere.* Exadoniare, *idoneum reddere.* Excerebror, *cerebrum amitto.* Excondicere, *purgare se.* Excopiare, *& exemplare, exscribere.* Exemplificare, *probare exemplis.* Exentricare, *viscera eximere.* Exfestucare, *honorem alteri adimere, vel se eo abdicare.* Exhonoro, *honore privo.* Exmerare, *puro puto auro, vel argento annumerare.* Exoccupor, *labore levor.* Exoniare, *sonticam afferre caussam, cur non stiteris te judicio.* Explantare, *radicitus evellere.* Exsalsescere, *salsuginem deperdere.* Expressare, *expressim dicere.* Exsufflare, *spiritu suo difflare, aspernari.* Exulari, *exulem esse.*

Venio ad Verba à secundâ vocali auspicantia.

Efflorare, pro eo, quod Lucretio *flores decerpere*, cùm alibi legas, tum apud scriptorem Chronici à Nicolao Camusæo editi.

Effocare, pro fauces elidere. Vetus Juvenalis interpres in sat. XV vers. CCXXII: *Quæ in somnis effocabitur propter dotem.*

Efformo sæpius reperio. Sed classici pro eo, exprimo, fingo.

Effortiare, pro *munire*. Rogerus de Hoveden Annal. Tom. II: *Veniens in Pictaviam, terram suam, castella nova firmavit, & vetera effortiavit.* Unde *effortiatus*, uti hinc *effortiatè*: de quo inferiùs.

Elaterare, ad latus alterutrum se inflectere. Anonymus in vita S. Severini, episcopi Septempedani, §. XI *: *Ingrediens quendam locum, credens iter Rectorem Provinciæ noctu ingredi, paullulum se ex aggere elaterat pavens, ut è vicino caussam disceret.*

* In vitis SS ad 8 Jan. apud Bollandum.

Elongare, pro longè amovere. Concilium Cisterciense: *Et quasi inauditam plus corde, & corpore elongare.*

Elucidare, pro lucem afferre. Concilium Pisanum II. †. Unde & proavorum ætate barbara inscriptio *Elucidarii Poëtici.*

† Pag. 124.

Episcopare, episcopum facere. Petrus Blesensis epist. X: *Intendit episcopare fratrem Comitis.* Fulbertus Carnot. epist. XXXI: *Ne quibusdam episcopandis citò manus imponam.* Bernardus Claravallensis in vita Malachiæ, & Hiberniæ episcopi *: *Quod si & posset ire, episcopari reformidabat.* Hoc est, episcopus fieri.

* Column. 1947. edit. Antverp. an. 1609.

Epulo, pro *epulor*. Passio S. Maximi † presbyteri, & martyris, cap. II. §. XII: *Vocavit uxorem suam, & conservos suos, ut stipendia copiosa post eum adferrent, & cum magno gaudio epularent.*

† Apud Bollandum in vitis SS ad 2 Jan.

Essendi, *essendo*, *essendum*, barbara sunt. Etsi non refugerit Floretus, sive florum scriptor, qui creditur B. Bernardus Claravallensis cap. III *:

* Coloniæ excusus an. 1501.

 Quan-

Quantumcunque bonus fueris, essendo superbus,
Totum depravas.
Pro, si esse voles superbus.

Exactionare, pro exactione vectigalium, vel tributorum gravare. Beka in Chronico, vita Ottonis III: *Sæpe graviter exactionati sunt; adeò quòd in bonis temporalibus multum inopes effecti sunt.* Sic *exactionantes*, in vita Frederici, episcopi XLIII.

Exactare, pro *exigere*: ut in Kapitularibus Karoli M. lib. III cap. LXVIII, & lib. IV cap. XXXI. Et in ejusdem diplom. *Cartaticum, & vinum, contra omnem justitiam ab eis exactare non cessant.* Ubi vide, an non *charteaticum*, vel *chartaticum* potiùs, debeat rescribi.

Exadoniare, pro idoneum facere, est in legg. Alamannicis Tit. XVIII, & decreto Tassilonis Ducis §. XII. Non dubito, quin priùs dixerint *exidoneare*.

Excerebrari, cerebrum amittere. Petrus Blesensis serm. XLVII: *Verumtamen homo à secretis, cùm in hac dignitate esses, non intellexit; sed quærens, quæ sua sunt, sedens in insidiis adversus Dominum suum, comparatur jumentis insanientibus, & insanior factus est illis, quæ vel artus suos morsibus discerpunt, vel in quæque obstantia ruendo excerebrantur, vel facto impetu in præceps summerguntur.*

Excondicere, ostendere se non obligari ad aliquid ex condicto, purgare se, excusare, alteri satisfacere. Carolus Calvus tit. XXIX apud Carisiacum cap. III: *Ad mallum veniant, & ibi, aut se legaliter, ut permisimus, excondicant; aut, si se excondicere non potuerint, quod malè fecerint, legaliter emendent.* Et mox: *Si eum nullus accusaverit, excondicat se prædicto modo, & juret, quòd deinceps testeiam vel latrocinium non faciet.* Hincmarus Rhemensis ad Hincmarum Laudunensem: *Quòd Hadulpho missaticum tuum commiseras, de quo missatico se non excondixit.*

Excopiare, pro exscribere; ex eo quòd vulgò *copiam* dicant, pro apographo, sive exemplo.

Exemplare, pro describere ad exemplum alterius. Gregorius Turonensis Miracul. lib. I cap. LXIV: *Nocturno sub tempore, famulante lumine, celeriter exemplavit.*

Exemplificare, pro exemplis comprobare, apud Cæsarium Heisterbachensem.

Exentricare corruptum ex *exenterare*, quod est τὰ ἔντερα sive viscera eximere: uti cor in facinorosis. Hinc *exentricatio*; pro quo malim *exenteratio*. Thomas Walsingamus in Richardo II †: *Adjudicatus est tractioni, suspensioni, exentricationi, combustioni interiorum, decapitationi, & quaternizationi.*

† Pag. 354.

Exfestucare, & *infestucare*, verba sunt feudalia, & ex eo originem trahunt, quòd traditione festucæ, aut virgæ, possessio prædii, aliusve rei, traderetur, vel honos aliquis, aut dignitas conferretur: ut ex Marculfo videre est. Estque *infestucare* idem, ac quod dicunt *investire*; *exfestucare* idem ac *devestire*. Otho Frisingensis Chron. lib. VII cap. XXXIV: *At Eugenius Papa cum Romanis hoc tempore pacem facit, ut patriciatus dignitatem exfestucarent, & præfectum in dignitatem reciperent.* Similiter idem in gestis Friderici lib. I cap. VIII, Sigebertus in Chron. an. CIↃCXXIII. Robertus de Monte in Append. Cæsarius Heisterbachensis lib. II Miracul. cap. XII. Item Roso, Gaveræ dominus, in donatione anni CIↃ CC I *. Hujus verba ponam: *Quicquid juris, vel querimoniæ habebat adversus Ecclesiam de Ninive in loco, qui dicitur Calf, & infra limites possessionum, quas ibidem præfata Ecclesia, de eleemosyna magnæ memoriæ Balduini Comitis, in præsenti tenet, in eleemosynam dedit, & exfestucavit.* Latini pro eo, abdicare se honore, aut possessionem abrenunciare, abjurare, reddere, resignare: ut Horatius lib. III od. XXIX de fortuna:

* Apud Miræum in Notitia Eccl. Belg. pag. 498.

Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas; resigno, quæ dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Et secundâ ad Mæcen. epist. lib. I:

Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno.

Exhonoro, honorem adimo. Ratbertus: *Quid putas, Imperator? Numquid vindicare te putas, hunc virum exhonorando, & quælibet terrarum parte exulare iubendo?*

Exmerare, pro merum, sive purum putum præstare. Constitutio Caroli Calvi tit. XXXI, Edicto Pistensi, capit. XIII: *Contra eos, quorum argentum ad purgandum acceperint, ipsum argentum exmerent, & sine fraude, tam in pensa, quam purgatione, denarios concambient.* Ubi duo videmus exigi in denariis, ut puro puto constent argento, & justi sint ponderis. Synodus Francofordiensis cap. V: *De denariis si mero sunt argento, & pleniter pensantes.*

Exoccupor, occupationibus liberor, ab occupationibus relaxor; cui contrarium, distineri, vel impediri occupationibus. Joannes Saresberiensis de nugis Curialium lib. I cap. IV: *Si majoribus, quod quidem rarum est, eos* (magistratus) *exoccupari contigerit.* Hinc *exoccupatus*, otiosus. Vide de eo lib. præcedentis cap. XI.

Exoniare, impedimentum justum adferre, cur quis non steterit se judicio, vel juratre se ob caussam sonticam non potuisse esse præsto. Hujus sit loci, si sit à *sontica* caussâ, vel potiùs Græco ἐξωμνυσθαι. Atque hæc lucem capiunt ex iis, quæ de *Sisonia* alibi dicimus.

Explanto, pro eradico, ut contrarium sit, ac *planto*. Petrus Blesensis epist. CXXIX: *Moneo enim te, si fortè exaudias, si fortè velis avellere iniquas plantationes, radicesque vipereas, quas non plantavit pater meus cælestis, ideoque tanto fortiùs explantandæ sunt, quanto enormiùs sunt plantatæ.*

Exsalsescere, apud Plinium Valerianum, pro *amittere vim salis*, sive salsuginem, vel salsilaginem, aut salsitudinem.

Expressare, Cornificio *expressè ponere*, Plinio in epist. *expressè dicere*. Thomas Walsingamus in Richardo II †, de Edmundo: *Post expressata negotia sua.* Hoc est, postquam in capitulo exposuit, quorsum illud convocâsset.

† Pag. 231.

Exsufflare, verbum Tertulliano de Idololatria usurpatum, & aliis scriptoribus Ecclesiasticis. Notat, flatu dissipare, & μετωνυμικῶς contemnere. B. Augustinus epist. CLXII contra Donatistas: *Conscinditur unitas Christi, blasphematur hæreditas Christi, exsufflatur baptisma Christi.* Ac similiter postea: *Iterata baptismata, exsufflata sacramenta.* Sed & *sufflare* pro eodem ait epist. LVI ad Dioscorum: *Nomen Anaxagoræ: quod propter literatam vetustatem, ut militariter loquar, literatiores libenter sufflant.* Videtur igitur is castrensis fuisse sermo. Et simplici, & composito istoc, similiter usus Dungalus in prologo Responsorum contra Claudium Taurinensem.

Exulor, pro *exulo*. Anastasius in exilio Martini: *Rogabat enim sanctus ille, ut sineretur in eadem custodia, quousque exularetur, & ad horam auferretur de custodia.* Ac ibidem: *Dictum est ergo, quia in Chersonam exulatur.*

CAP. VIII.

De inchoatis ab F. Fabulo, *pro fabulor.* Fallire, *falli, decipi.* Falsare, *falsò assimulare.* Falsificare, *comprobare aliquid esse falsum; item adulterare.* Famatur, *famâ vulgatur.* Famesco, *famem patior.* Famigero, *famâ celebro.* Familiaresco, *familiaris reddor.* Fascio, *fasciis ligo.* Ferior, *ferias agito.* Festo, *vel festivo, festum celebro.* Filare, *fila rhombo circumvolvere.* Fistulor, *fistulâ cano.* Follico, *follis instar tumeo.* Forconsiliare, *vel* forsconsiliare, *malè malo animo consulere.* Forisfacere, *vel* forefacere, *crimen committere, quod vita, vel bonorum privatione, soleat puniri.* Forjudicare, *vitâ, aut bonis multare.* Fragasco, *odorem fragrantem spiro.* Fructifico, *fructum fero.* Fultrare, *fulcire.* Furniare, *panes*

panes coquere in furno. Fustare, *fuste aliquem excipere.*

VEnio ad literarum sextam.

Fabulo, pro *fabulor.* Regula Monasterii S. Cæsariæ cap. II. §. X: *Similiter dum psallitur, fabulare omnino, vel operari, non liceat.* Primus eam Regulam edidit Bollandus in Vitis Sanctorum ad XII. Jan. Usurpat quoque Joannes Sarisberiensis epist. CXC, quæ est ad Radulphum de Bello-monte*: *Credideram profectò te philosophantis habere verba, non animum: sed nunc recolo te aliquatenus esse magni discipulum Aristippi, qui omni conditione temporis æquanimiter utebatur, & in ipsis philosophabatur nugis, jucundus omnibus, nulli gravis. Qui aliquando interrogatus, quid ei Philosophia contulerit, dicitur respondisse, ut cum omnibus hominibus intrepidè fabularet.*

* Pag. 340.

Fallire, pro errare, decipi, in L. Salica, tit. XXIX, de vulneribus. §. I: *Siquis voluerit alterum occidere, & colpus* (hoc est, colaphus) *ei fallierit; vel cum sagitta toxicata eum percutere voluerit, & ei ictus fallierit*, &c. Germani similiter, ac Belgæ, *faelen*, & *faljeren*, Galli *falloir.* Dubium, Germanicumne à Latino *fallere* sit; an à *vallen*, quod est labi, cadere; quomodo *fael* (Gallis *faulte*) sit à *val*, lapsus.

Falsare, adulterare, παραχαράττειν. Sigebertus in Chronicis CIↃLIV, ubi de hæresibus Græcorum: *Convictus chartam excommunicationis falsasse Michaël.* Nec tamen hoc malæ admodum notæ, cùm eo utatur Modestinus L. XXXII. ff. ad legem Corneliam de falsis: *Decretoque Divi Adriani præceptum est, in insulam eos relegari, qui pondera, aut mensuras, falsassent.* Ante Adriani tamen tempora, ut puto, non fuerit in usu.

Falsificari sermo is dicitur, quem falsum esse ostenditur: falsificantur nummi, cùm adulterantur. Priori modo ait Ivo Carnot. epist. CLXXIII: *Dictum est ex altera parte, quòd possent omnes istas depulsiones veridicis assertionibus locis suis, & temporibus, falsificare.* Posteriori ratione accipit Theodericus de Niem lib. de privilegiis, & juribus Imp. *Otto fuit vindex, & justitiarius magnus; ut patet in multis ipsius exemplis; & præsertim quando Mediolanenses falsificarunt ejus monetam auream, & argenteam, injunxit eis, ut monetâ factâ de corio uterentur.* Idem de Schismate lib. I cap. XXIII: *Quod ipse secretum concilium Joannæ reginæ falsificari facere, dictoque Ottoni scribere vellet.*

Famatur, pro famâ celebratur, fertur, vel jactatur. Chronicon magnum Belgicum à Pistorio editum†: *Propter quod non exigua sacerdotum multitudo exercitum sequebatur, fratrum mendicantium, ac aliorum ordinum; quemadmodum etiam meretricum multitudo, quarum numerus ad duo millia se extendebat, ut famabatur.*

† Pag. 416.

Famesco, pro famelicus sum, vel esurio, deteriorum est temporum.

Famigero non ausim dicere; sed pro eo famam diffundo, famâ celebro, vel simile. In Glossis tamen Latino-Græcis lego: *Famigero*, διαφημίζω. *Famigerabilis*, διαβόητος. *Famigerator*, διαφημιστής. Imò *famiger* est Varronis: *famigerator*, & *famigeratio*, Plauti Trinummo.

Familiarescere, pro familiarem fieri, est Sidonii Apollinaris.

Fasciare, pro fasciis ligare, legas apud Plinium Valerianum, & Gariopontum, non semel.

Ferior, pro cesso, non ausim dicere extra participium, quod C. Trebonius usurpat ad Ciceronem scribens. Sic enim ille epistolâ, inter Tullianas, sextadecimâ libri XII: *Ne putes in Asia feriatum illum ab iis studiis, in qua tuâ cohortatione incitatur.* Pro *feriari*, malim cum Cicerone, *ferias habere*; vel *ferias celebrare*, cum Livio.

Festo, vel *festivo*, ne dixeris: sed festum diem ago, ferias habeo, vel celebro. In Glossis tamen MSS is est: *Festivo*, ἑορτάζω.

Filare, ut vir doctus exponit, idem est, ac *nere.* Sed prius feminæ nent; postea filant, hoc est, fila rhombo circumvolvunt. B. Odericus Peregrinationis suæ cap. I. §. IV: *In ea* (terra Ur) *sunt pulchri senes: ibi viri nent, & filant; mulieres verò non.*

Fissulo, vide *Fistulor.*

Fistulor apud Isidorum in Glossis, pro fistulâ cano. At *fistulo* rectum. Usus Plinius. Et Ciceroni inde *fistulator.* Gloss. Mss: *Fissulo*, συρίζω. Sed scribendum *fistulo*, quod Plinianum est.

Follico, intumesco ad modum follium fabrilium, de quibus Maro VIII Æn.

——Ventosi follibus auras
Accipiunt, redduntque.

De chamæleonte usus Tertullianus lib. de Pallio cap. III: *Oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus.* Glossæ: *Follico*, διασαλακωνίζω. Græca hæc vox est à Salacone, Autolyci patre, luxu ac deliciis diffluente: ut διασαλακωνίζειν propriè dicantur, qui istius Salaconis instar, languidè, & fluctuantes incedunt. At *follico* est à *folleo*, ut à *vello*, *vellico*; à *fodio*, *fodico.* *Folleo* autem est à *follis*: ut *follere* sit turgere instar follis, aëre pleni. Usus B. Hieronymus ad Eustochium: *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxâ pelle non folleat.* Item Petrus Damiani lib. II epist. III: *Nec alutam aëre turgentem follere compellat.* A *folleo* item *follescere*, stultescere, vanum esse instar follis aëre turgentis. Et ab hac tralatione etiam stultus Gallis *fol*; nisi malis à Græco φαῦλος, malus, vitiosus. De nominibus *Follex*, & *Follicum*, suo loco vidimus.

Forconsiliare, pro *malè consulere.* Annales Francici scriptoris incerti à Pithœo editi, in an. IↃCCCLX: *Nec in vita, nec in membris, neque in regno eos forconsiliabo in hoc, ut ipsi erga me similem promissionem faciant, & conservent.* In Constitutionibus Caroli Calvi tit. XXVI, in Sacramento firmitatis Ludovici Regis: *Nec in vita, nec in membris, neque in regno illorum eos forconciliabo.* Item tit. XXVII, & XXXVI. Puto, ut posterior verbi pars est *consiliare*, pro consulere: ita priorem esse *foris*: quomodo, ut lib. II cap. VII dictum, *forbannitus* est foris *bannitus.* *Forconsiliare* igitur sit consilium dare, foris speciosum, intus noxium. Hoc est, sinistra agitare consilia, de vita alicui, aut honore eripiendo. Ac firmat hanc sententiam, quod in libris nonnullis sit *forsconsiliare.*

Forisfacere, *forifacere*, *forefacere*, ex *foris*, & *facere*, videtur simile esse ac quod Belgis, *te buyten gaen*: quod penè ad verbum sonet, *foras ire*, hoc est, egredi officii limites, delinquere: quomodo etiam interpretatur Skenæus, notis ad leges burgorum à Davide, primo ejus nominis Scotiæ rege, latas, cap. LV. Nec multùm abit hoc Isidori in Glossis: *Forisfacio*, *offendo*, *noceo.* Verùm illud *foris* non respicit juris limites, vel officii cancellos: sed bonorum, vel alius, quo quis fruatur, privationem. Est enim *forisfacere*, delicto aliquo res suas sibi facere extraneas; sive aliquid facere contra leges, quod amissione vitæ, bonorum, vel privilegii, soleat puniri. Ivo epist. CLXXIII: *Cùm prædictus Ivo Rodrocum dominum suum diffiduciasset, & prædam ejus prior cepisset, homines suos eâ die, quâ captus esset, in vinculis haberet, & ad forisfaciendum eidem armatâ manu militum eâ die procederet.* Ubi *ad forisfaciendum* valet, ad inferendam injuriam, quæ capite æstimaretur. Crebrum quoque est Thomæ Walsingamo. *Forefacere* pro eo est in Historia Albigensi cap. LXVII*. Hinc *forisfactor*, *forisfactum*, *forisfactura.* Vide, quæ Sirmondus ad memoratum Ivonis locum annotavit: item Spelmannus in Glossario. Etiam Watsius Matthæum Parisium, & Lindenbrogius ad L L. antiquas, rem attingunt. Sed pluribus illi, quos dixi. Habent verò easdem voces Galli, *forfaire*, ex *forisfacere*; *forfaict*, ex *forisfactum*; *forfaicture*, ex *forisfactura.* Vide in Nominibus *forfactum* lib. III cap. XII.

* Pag. 223.

Forjudicare, à *judicandi* verbo esse, satis est apertum. Sed dubium, an prior pars sit *foras*; ut propriè notet, foras publico judicio ejicere; an verò Gothicum *for*, pro *vor*, aut *ver*; ut significet damnare: quomodo Germani ac Bel-

gæ

ge *veroordelen*. Interim nonnihil discriminis esse inter *exilium*, *damnationem*, & *forjudicationem*, usus verbi ostendit. Constitut. Neapolitanæ lib. I tit. LIV: *Nisi forte exulibus, vel forsitan fugitivis, aut forjudicatis, præsentes alimoniam subministrent publicè, vel occultè: quo quidem in casu bona, per excellentiam nostram dimissa, præsentibus publicentur.* Lib. II tit. III: *Bannitus, aut forjudicatus.* Et tit. VI: *Forjudicatorum bona, veluti damnatorum, (liberos, vel parentes, usque ad tertium gradum nisi habeant) fisci nostri commodis volumus applicari.* Ibid. *Ante bannum edictum, & forjudicationem emissam.* Galli similiter *forjuger*.

Fragascere, pro odorem emittere fragrantem. Petrus Cellensis lib. V epist. IV: *Sententia dubia, quæstionibus ventilata, clarescit: species aromatica pistillorum tunsione fragrascit.*

Fructifico ignotum antiquis: qui pro eo ajunt, *fructum edo*, aut *fero*, aut *fruges fundo*.

Fultrare in Gemma Gemmarum exponitur aliquid subdere lecticæ, quod eam sustineat. Deducitur à *fultrum*: ibidem dicitur, notare, quod vulgò vocamus *schragam*. Sed omnino & *fultrare* est barbarum, & *fultrum*, quod corruptum ex *fulcrum*.

Furniare, panem in furno coquere. Matth. Parisius in an. MCCLVIII: *Inveniemus eidem conventui domos convenientes, & necessarias ad brasiandum, & furniandum*, hoc est, cervisiam, ac panem coquendum.

Fustare, pro *fuste percutere*. L. Alemann. Tit. XII §. I. Item Tit. XIII, & XIV.

CAP. IX.

De habentibus principem literam G. Galeare, *galeam imponere.* Galapare, *equum urgere ad cursum exsultantem.* Gargarare, *superbè se jactare.* Garrulare, *garrire.* Gavesco, & gaviso, *pro gaudeo.* Genare, *genere, sive gignere.* Geographare, *terrarum orbem describere.* Germasco, (*nisi potiùs* Germinasco) *germen produco.* Glebare, *glebam efficere.* Glossare, *interpretari.* Governare, *gubernare.* Gratare, *in aliqua re gratificari.* Gratiari, *gratias agere.* Gregorizare, *vigilare.* Grossescere, *crassum reddi.* Grutillare, *sonum instar crotali edere.* Guttare, *stillare.*

TRansgrediar hinc ad verborum illa Latino-barbara; ubi litera G initium facit.

Galeare, & *galere*, nisi posterius sit à librarii culpa, ridiculè distinguit Gemma: nempe ut prius sit galeam imponere alteri: posterius galeam induere.

Gallapare, vel *galopare*, sive *calupare*, à Gallis quidem acceptum; sed hi à Græcis habent, quibus id est καλπᾶν. Hoc verò est à κάλπις, vel κάλπη, de quo Pollux lib. VII cap. XXXIII. Etiam Hesychio κάλπη, βαδιστὴς ἵππος, καὶ εἶδος δρόμου. Vide & Salmasium Notis in Capitolinum *.

Gargarare, pro grandia de se promittere, vel prædicare, Thrasonum more. Matthæus Parisius in Histor. Henrici III, ad an. CIƆCCLII: *Hæc verborum deliramenta Francis innata superbia, & jactantia, reboavit.* Francis tribuit, quod Franci Hispanis; in quibus *rotomontados* nuncupant. Vox *gargarandi* est à γαργαρεών, gurgulio, qui etiam ad vocis modulationem confert: eoque à vocabulo est γαργαρίζειν, aquam, aliumve liquorem, circumvolvere ore, atque ita fauces colluere. *Gargarare* igitur generatim foret gutture resonare: sed particulatim jactabundo sermoni attributum, quia ut absonus, ingratusque ille sonus gargarizantium; ita & oratio eorum, qui vanas de se jactant glorias.

Garrulare, garrire, à *garrulus*. Hoc verbi etiam invenio in scriptis aliquibus, quæ primorum trium dicuntur seculorum. Sed supposititia esse, ex barbarie ejusmodi non obscurè liquet. Infimæ Latinitati vox est frequens. In hac usus Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ †: *Impertinenter garrulare cœpit, donec summus justitiarius jussit, ut responderet finaliter.* Agnoscit & vocabularium, quod Gemma inscribitur.

* Pag. 245.

† Pag. 591.

Gavesco, & *gaviso*, legas in Philoxeni Glossis: ubi utrumque exponitur χαίρω. *Gaviso* fit à supino *gavisu*; ut à supino *visu*, *viso*; à *versu*, *verso*; à *pulsu*, *pulso*. At *gavesco* non possis ἀναλόγως formare, nisi à *gaveo*; ut à *caleo*, *calesco*; ab *ardeo*, *ardesco*. Sanè *gaveo* dixisse veteres, colligo ex præterito *gavisus*. At à *gaveo*, *gaudeo*; ut ab *aveo*, *audeo*; à *caneo*, *candeo*; à τομεῖν, *tondeo*; à *tenno*, (quod ab Æolico τέννω, pro τείνω) *tendo*. Fortassè igitur *gavesco*, & *gaviso*, potiùs in obsoletis, quàm in Latino-barbaris, debeant reponi.

Genare, pro *genere*, invenias in Gemma. *Geno* est à γένω: à *geno* verò *genui*, *genitum*, & similia. *Genere* est apud Lucretium, Varronem, Censorinum, atque alios: uti ostensum nobis lib. I de Analogia cap. XXIX.

Geographare agnoscit Gemma, pro terram describere. Nempe ut Græci dicunt γεωγραφεῖν. Sic γεωγράφοντες, *describentes orbem*, Aristoteli, vel alii potiùs, libro de Mundo.

Germascere est apud Petrum Cellensem lib. II epist. VII: *Repentina quoque non omnimodo approbanda est amicitia; sed quæ germinat cognatione, crescit familiaritate, frondescit consuetudine, germascit cordis amplitudine, fructificat perfectâ identitate. Hic arbor fici plantanda, & circumfodienda est, ut dulcedinis fructum in agro amicorum afferat.* Ubi liquet, *germascere*, (si lectio hæc sincera, quam Ludovicus de La-Cerda retinet in Adversariis Sacris) esse medium inter *frondescere*, & *fructificare*; ut quando cum flore fructus germen, sive primordium, protuberat. Quid si *germinascere* rescribamus? Nempe ut à *germen germino*; sic à *germino* fit *germinasco*. Sanè ut à *labare* est *labasco*; sic à *germinare* fuerit *germinasco*. Omnino hoc ἀναλογία requirit.

Glebare, in glebæ formam redigere: ut est in Vocabulario, quod Gemma inscribitur.

Glosare in Gemma exponitur interpretari: ut *glosator*, interpres; *glosatus*, interpretatus. Geminari sibilum oportuit. Sunt ex eo, quòd Græci γλώσσας, Latini *glossemata*, dicunt de vocabulis ξενικοῖς, & minus notis: unde *linguam secretiorem* Quinctilianus exponit.

Governare, pro *gubernare*, ut Galli *gouverner*: quod est ex affinitate literarum B. & V. Habes in Legg. Longob. tit. I §. VI.

Gratare, pro gratis conferre, vel concedere. Charta Joannis, Ducis Britann. CIƆCCXXXIX *: *Insuper gratamus, & concedimus, quod hæredes nostri* &c.

* In Hist. de Bret.

Gregorizare in Gemma exponitur vigilare. Pleniùs Glossarium nostrum vetus in membranis Msum: *Gregorizare, vigilare, excubare, noctare, noctitare, pernoctare, elucubrare, manubiare* †, *expergisci*. Græcis γρηγορεῖν, vigilare. Unde proprium nomen Γρηγόριος, quod κατὰ λέξιν sonet Vigilantius. Ab hoc Gregorii nomine formarunt *gregoriare*, q. d. γρηγοριάζειν, hoc est, Gregorium imitari.

† Puto, pro manubiare, primò scriptum fuisse manicare: de quo dicam cap. 14.

Grossescere est ex *crassescere*, Columellæ, ac Plinii verbo: nempe uti *grossus* ex *crassus*. Beda presbyter de vita S. Cuthberti cap. II: *Subito dolore genu correptum illius, cœpit & acri tumore grossescere.* Hoc est, intumescere. Simile *ingrossare*; de quo cap. XI.

Grummare, cumulare, ut exponit Gemma; à *grumus*, quod clivulum notat.

Grutillare legas apud Cæsarium lib. X Miracul. cap. LVIII: *Ciconia, ——eum crebriùs grutillando circumvolantes, omnes in admirationem verterunt.* Nempe dicitur de ciconiis rostro crepitantibus. Ex voce *crotalus*, quasi *crotillare*; unde *crotalistria* hæc avis Publio Syro Mimo:

Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,
Avis exul-hiemis. ——

Guttare, stillare. Glossæ Philoxeni: *Guttat*, σταλάζει. Ut Gemma: *Guttare, stillare.* Similiter glossæ nostræ Msæ. In quibus etiam: *Gutire, pluitare.* Rectâ interim *guttans*, & *guttatus*.

CAP.

Cap. X.

De verbis barbaris Latino, Graecove fonte, ortis, quibus initium est ab H. Habenare, *habenis regere.* Hæreditare, & hæredare, *hæreditatem adire.* Hastiludiare, *hastâ velitari.* Herbidare, *herbam producere.* Historiare, *historiam condere.* Hortare, *hortari.* Hostitare, *hostiam cadere.* Humiliare, & humilificare, *submittere.* Hymnizare, *hymnum canere.*

Deinceps pauca adferam, quibus initium sit ab adspiratione.

Habenare, habenis moderari. Unde *habenatus*, habenis pressus. Utrumque in Gemma etiam habes.

Hæreditare, & *hæredare*, ibidem, & in Glossis nostris MSS. Latini pro eo hæreditatem adire, accipere hæreditatem. Imò & ab *hæreditate* barbari I.C. finxere *hæreditamentum*: pro quo & *hæreditagium*, & *haritagium*, usurpant.

Hastiludiare, de ludicrâ hastis velitantium pugnâ; in eâdem nihil minùs, quàm gemineâ Gemmâ.

Herbidare, graminis herbam proferre, in Chronico Cameracensi.

Historiare, pro historiam scribere, vel posteris mandare, apud Henricum Huntingdonensem in præfat. Histor. Anglic.

Honorificare, ab *honorificus*, pro ad honorem evehere. Eâdem in Gemmâ habes.

Hortare, pro *hortari*. Philippus Osullevanus, Bearniæ princeps †, in vita S. Mochuæ Ballensis, sive Cronani, cap. III §. XI: *Atque hujusmodi responso prolato omnino, quod hortaverant, facere distulit.*

† *Apud Bollandum in Vit. SS. ad 1 Jan.*

Hostitare in Gemma exponitur victimare, placare. Fortasse *hostiare* rescribendum: ut ab hostia sit, uti *hostiatus*, apud Plautum Rudente *, pro hostiâ instructus.

* *Act. 1. sc. 5.*

Humidare in eâdem Gemma exponitur humidum reddere.

Humiliare se, demisso, ac supplici esse animo. Thomas à Kempis lib. IV de imitatione Christi cap. XII: *Ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficiis ejus, nisi se humiliando, & regratiando.* Verbis istis utuntur Itali; sed & gentes aliæ; quod de *regratiando* inferiùs parebit. Ut imbecilli nimis argumento scriptorem ejus operis Italum potiùs, quàm Belgam, fuisse, probare inde conetur Joannes Gersen, Abbas Vercellensis, Benedictinus. Ab *humiliando* etiam nomen datum *Humiliatis*, postquam, abjurato errore, à Clemente Papa in Ecclesiam recepti. Sed de hoc alibi.

Humilificare, submittere. Tertullianus de Pœnitent. cap. IX: *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis, disciplina est.*

Hymnizare, ὑμνεῖν, sive ὑμνολογεῖν, apud veterem Irenæi interpretem lib. II. cap. IX. Similiter liber de Miraculis S. Adelardi, abbatis Corbeiensis* cap. VIII §. XIX: *Cùm simul Ecclesiam hymnizantes reperissent.* Formatum quasi ab ὑμνίζω: quomodo Græci non solent loqui. Hinc tamen *hymnista*: qui facit hymnos; ut exponitur in MSS Glossarii nostri membranis. In quibus & *imnio*, pro hymnum cano. Gloss. MSS.: *Imnire, imnos canere, & imnizare.* Vide lib. III cap. XIV in *Hymnista.*

* *Apud Bollandum ad 2 Jan.*

Cap. XI.

De verbis ab I ducentibus initium. Janctari, *pro jantare, seu jentare.* Jantaculare, *pro eodem.* Idolatrare, *idola colere.* Idoneare, *insontem comprobare.* Jectiscere, *foro dejicere, velut vadimonii desertorem.* Jectigo, *forti fit tremulo motu agito.* Ignire, *accendere.* Illecebrare, *illicere.* Illibertare, *libertatem adimere.* Imbrico, *imbricibus tego.* Immanto, *inauguro.* Immurare, *intra muros concludere.* Impalare, *impingere in palum.* Impejorare, *corrumpere.* Implacitare, *in jus vocare.* Implagare, *plagis implicare.* Implano, *decipio.* Imposturo, *impono, fallo.* Improsperare, *infeliciter cedere.* Inanimare, *animare.* Inaustro, *corruptum ex inlustro.* Inauxilior, *auxilii careo.* Inbeneficiare, *pro beneficium conferre.* Inbreviare, *in breve, sive acta publica referre.* Incapito *librarii culpâ corruptum ex* incœpto. Incarcero, *in carcerem compingo.* Incardinare, *majoris alicujus Ecclesiæ antistitem creare. Ac similiter sumi* cardinare, incardinatus, incardinatio. Incastellare, *in castellum se recipere ad defensionem sui.* Inchartare, *chartâ, sive diplomate, ea, quæ promiseris, confirmare.* Incibare, *cibum dare.* Incopriare, *stercore conspurcare; &* τῷ μεταφορεῖν, *conviciis impetere.* Incortinare, *cortinis, ac similibus ornamentis, ornare.* Incrementare, *augere.* Inculpo, *vitio verto.* Indeptari, *adipisci.* Induciare, *inducias inire.* Indulcoro, *edulco.* Indusiare, *induere.* Inervare, *pro enervare; ut* inormis, *pro enormis.* Infiduciare, *pignori dare.* Infiscare, *fisco addicere.* Inflorare, *admiscere, quæ florum instar exornent.* Influctuare, *in aliquo fluctuare.* Inforo, *litigo; pro quo &* incomitiare *dixerunt.* Infortiare, *munire.* Infrascribo, *subscribo.* Infrigido, *refrigero.* Ingrossari, *crassescere.* Ingraminare, *gramen producere.* Inhabilito, *inhabilem, ac ineptum publicâ auctoritate pronuncio.* Injuriare, *injuriam inferre.* Inlagare, *restituere eum legis patrocinio, qui antea eo fuerat orbatus.* Insellare, *ephippium imponere.* Insignare, *signare.* Installare, *stationem assignare.* Instipare, *constipare, atque ingerere.* Insufflare, *flatu indere.* Intartizare, *adversùs supremam potestatem insurgere: nempe ab intarta, pro adversario.* Intercapedinare, *intercedere.* Interprindere, *intermedio tempore prendere, atque invadere.* Intertiari, *apud litigantes eâ conditione reponi, ut postea, id quod repositum, victor auferat.* Intertexo, *intexo.* Intimare, *in intima insinuare: item indicium alicujus rei facere.* Intoxicare, *dare venenum.* Intronizare, *in regali, vel etiam episcopali solio collocare.* Invadiare, *oppignerare.* Invanescere, *in fumum abire.* Jocare, & joculari, *pro jocari.* Irrotulare, *referre aliquem in numerum advocatorum, vel aliquid adscribere in catalogo caussarum.* Itinerare, *vel itinerari, iter conficere: uti* itineratio, *profectio.* Jucundor, *voluptatem capio.* Justitiare, *judicare.* Juventare, *juvenum mores sequi.*

Deinceps me conferam ad barbara Latinæ, Græcæve originis, quibus initium sit à tertia vocali.

Janctor, jento. Sic Gemma, & adstruit inepto versu:

Janctamur mane, cœnamus vespere facto.

Interim verum est, dixisse *janto*, & *jantaculum*, per A: prout non modò in veteribus Glossis, sed etiam optimæ notæ MSS is invenio.

Jantaculare ibidem est pro *jantaculum* sumere.

Idolatrare, pro divinum idolis cultum præstare. Odoricus de Foro-Julii † Peregrinationis suæ cap. II. §. V: *Hic autem populus idolatrat.* Nempe ut *idolatria* pro *idololatria* dixere. Et nomen, & verbum in Gemma habes: sed additur, meliùs LO syllabam adjungi.

† *In Vitis Sanctorum à Bollando editis.*

Idoneare, pro *idoneum* reddere: ubi *idoneum* significat insontem, à crimine liberum: ut sæpius accipi à posteriorum seculorum scriptoribus solet. In his Gregorio Turonensi Histor. Franc. lib. IX cap. XIII: *Sed veniens* Parisios, nullus de parte memoratæ mulieris adfuit, qui idoneum reddere posset.* Hoc est, qui ejus innocentiam comprobaret. Ac similiter sumitur cap. XVI, item Capitul. Kar. M. lib. III cap. LXXXIX. At *idoneare* pro eo est eorundem Capit. lib. III cap. LXIV: *Si negaverit, cum XII suis juratoribus, se idoneare faciat.* Item Legg. Ripuariis tit. LXVII, & LXXI; Longobard. lib. II tit. XXXV leg. IV; Legg. Alamann. tit. XLIV.

* *Pro veniens; vel, ubi ventum.*

Jectiscere, foro dejicere, ut vadimonii desertorem. Adnunciatio Caroli Calvi apud Pistas cap. XXXIII †: *Multi inde contendunt, & se inter se jectiscunt.* Ac paullo pôst: *In*

† *Capitularis Caroli Calvi tit. 31.*

In tantum, —— *ut suum sacramentum se jurare debere contendant, & contra causatores suos, si ad hoc audiendum non venerint, jectiscant. Jectivus* verò is, qui adimonium deseruit. Vide, quæ dixi superiùs in *Jactivus.*

Jectigo arbitrer esse à jactu, dicique à jactatione membrorum, orta ex depravatione facultatis animalis. Usurpat suppositicius Ovidius in primo de Vetula:

Sicut jectigat is, cujus nervi resoluti.

Ut à *fumus fumigo*; à *clarus*, *clarigo*; sic fortasse à *jactus*, *jectigo*. Sed alii meliora conjectent, si tanti videatur.

Ignire, pro accendere. Hincmarus ad Karolum Calvum cap. xv: *Qui* (Deus) *ad orthodoxæ fidei scientiam ignivit.* Habes apud Flodoardum lib. I Hist. Rhem.

Illecebrare, pro illicere, ab illecebris, in Gemma.

Illibertare, pro *libertate exuere*, apud Nicolaum Clemangium libro de annatis non solvendis.

Imbrico, contego imbricibus, sive tegulis figuram habentibus semicanalis, vel fornicis. In Glossis vett. exponitur καλυπτηρίζω: in aliis item ὑποχετεύω. Utitur Sidonius Apollinaris lib. II epist. II, quæ ad Domitium: *Cum ab angulis quadrifariam concurrentia dorsa cristarum, tegulis interjacentibus imbricarentur.* Non adsentio Ludovico de La-Cerda, qui *humidarentur* exponit in Adversariis sacris cap. LXXXV, §. XLIII. Volunt Plinium voce *imbricor* uti: fortè quia ille, uti & Vitruvius, dicant *imbricatus*. Sed hoc denominativum videtur, ut *tunicatus*.

Immanto, valet inauguro; quasi induo mantea, vel manto; sive pallio, aut chlamyde; ut fit, cùm quis in locum alterius inauguratur. Radevicus Frisingensis de gestis Friderici I lib. II cap. LII: *Rolandum Cancellarium immantaverunt.* Et lib. IV cap. LXV: *Accepto manto voluerunt immantare Dominum Rolandum Cancellarium.* Sic *immantatus*. Idem cap. LXXI: *In Romanum Pontificem electus, & immantatus est.* Idem lib. IV cap. LXXV, in epistola Synodi Papiensis: *Victoris immantatio prior, illa posterior.* Vulgò & *investitio* vocatur. Vide, quæ lib. III cap. XXIII dicebamus in *Mantea*, & *Mantus*. Ubi & de origine vocabulorum actum. Nec displicet, ut ambo ejusdem sint originis, sive à *mantela*, sive à μανδύας.

Immurare, muris includere. Th. Walsingus in Hypodigm. Neustriæ, anno MCCXXII †: *Rusticus quidam seipsum crucifigens, & stigmata vulnerum Christi superstitione quadam circumferens, perpetuò immuratur.*

† Pag. 464.

Impalare, in palum incurrere, sive impingere. Est in Legibus Burgundicis, tit. XXIII §. II. Ripuar. tit. LXX. §. III. Longobard. lib. I tit. XIX L. X. Quæ loca satis ostendunt, id significare, quod dixi: non verò *impugnare*; prout exponunt Papias, & glossaria quædam.

Impejorare, aliquid pejus facere. In Addit. Legg. Frisonum Tit. XI §. I: *Rem ejus impejoravit.*

Implacitare, in jus vocare. Usurpat Eadmerus, Cantuariensis monachus, in Historia sui temporis; cujus editionem clarissimo Seldeno debemus. Item Matthæus Parisius in Stephano Rege an. CIↃ CXXXVI: *Vovit, quòd nullius clerici, vel laici, sylvas in manu suâ retineret, sicut rex Henricus fecerat, qui singulis annis eos implacitaverat.* Est ab ea *placiti* significatione, quâ significat conventum indictum ad judicandum. Unde similiter *placitare*. Vide, quæ in *Placitum* dicemus, in nominibus alienâ positis significatione.

Implagare, plagis capere, sive irretire, ut *inhamare*, capere hamo. Sidonius Apoll. lib. IX epist. IX: *Mox te magistro ligati vernaculis implicaturis in retia sua præcipites implagabuntur.*

Implano, decipio, à *plani* appellatione, pro impostore. Gloss. *Plano*, ἐξαπατῶ, ἀπαλανῶμαι.

Imposturo, pro *impono*, *fallo*. Hincmarus Rhemensis ad Hincmarum Laudunensem cap. XV: *Alienis à B. Gregorio verbis imposturasti.* Atque eâdem voce idem utitur alibi.

Improsperare etiam est in Gemma. Dixerim pro eo, *non prosperare*; vel cum Columella, *improsperè cedere.*

Inanimare, pro animare, vel animos addere. Galfridus Monemuthensis lib. VIII Hist. Britann. Reg. cap. IV semel, iterumque usurpat. Atque idem lib. X cap. IX: *Deinde, maximo clamore concivium suorum turmas inanimando, hortabatur hostes irruere.*

Inaustro, φωτίζω, in Glossis exponitur. Sed optimè ὁ μακαρίτης nobilissimus Guil. Noorsius, Arlandervenix dominus, vidit, legendum esse *Inlustro*.

Inauxilior, pro auxilio, atque ope destituor, non dicimus; etsi rectum sit *auxilior*. Est tamen Sapient. XII. 6: *Et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti.* Græcè ἀβοηθήτων.

Inbeneficiare, pro prædium aliquod beneficii loco dare; puta in feudum, vel hæreditatem. Burchardus Monachus de Casibus Monasterii S. Galli cap. III: *Simoniacè Ecclesias vendidit, res Ecclesiæ inbeneficiavit, thesauros dissipavit.*

Inbreviare apud Nithardum Histor. lib. IV *: *Mitterentque per universum imperium, & inbreviaretur.* Hoc est, in scripta referretur. Carolus Calvus Capitul. XI. cap. I †: *Ecclesiæ quoque luminaria, & ornatum debitum ordinent, & thesaurum, ac vestimenta, seu libros, diligenter inbrevient, & breves nobis reportent. Inbrevient, quid quisque Ecclesiarum prælatus, quando prælationem Ecclesiæ suscepit &c.* Nempe est ab eâ significatione, quâ breve significat πινάκιον; quomodo *breve Apostolicum* dicitur, & Germani inde *brief* formant, pro epistola: ut pluribus dico in Nominibus falsâ significatione usurpatis. *Inbreviare* igitur est in breve, sive inventarium, sive acta publica referre. Unde *Inbreviator*, in Examinatione Willeberti, Episcopi Catalaunensis: *Inbreviator, sive descriptor stipendiorum regalium.* At, si viros quosdam doctissimos audimus, longè aliter usurpat Hincmarus Rhemensis. Hoc enim dicere ajunt: infantes, nisi baptizentur, inbreviari; hoc est, maledictione quadam divinâ breviculos permanere, nec adsequi staturæ decus. Ut pareat, quàm eos fugerit ratio, ponam ejus verba ex præfatione opusculi LV capitum ad Hincmarum Laudunensem episcopum: *Quia homines ejusdem villæ excommunicaveris: & habebas inbreviatos, quot infantes sine baptismate, & quot homines sine communione inde obierint: quæ mihi in publicum objicere nolles.* Quid apertius, quàm hic etiam sumi, pro referre in breve, sive scripta publica? Vide &, quæ in *Breve* diximus in verbis alienâ positis significatione.

* Pag. 484 vers. 24 & pag. 485. † Pag. 86.

Incapito, ἐπιχαίρομαι, ut est in Glossis. Sed legendum *incœpto*.

Incarcero in carcerem conjicio. Ita utitur Concilium Pisanum *.

* Pag. 133.

Incardinare, certo Ecclesiæ cardini, sive titulo adstringere. Quomodo, qui Ecclesiæ alicui adnexi forent, dicebantur *in cardine constituti*. Ut in Capitibus Karoli ab Ansegiso collectis lib. I cap. CXXXIX: *Diaconus, in cardine constitutus, nisi XXXVII testibus non damnabitur.* Hinc liquet, unde *Cardinales* Romæ sint vocati. Primitus tamen non solùm Romani presbyteri, vel diaconi; sed etiam primi aliarum civitatium sacerdotes, quibus nempe titulus, sive parochia, foret commissa, *cardinales* dicebantur. Itaque *incardinare* non erat creare cardinalem Romanum; sed ἁπλῶς in cardine Ecclesiæ constituere, hoc est, majoris alicujus Ecclesiæ antistitem creare. Flodoardus Histor. Rhemensis lib. III cap. XXIX: *Petente clero, & plebe provinciæ Turonensis, convenientibus Episcopis, in eâdem Metropoli fuit incardinatus.* Similiter libri secundi cap. XXI, & lib. IV cap. VI. Ac tribus amplius seculis antiquior Gregorius M. lib. II epist. XXV: *In hac, in qua à nobis incardinatus es Ecclesia, debeas permanere.* Qui & simplex *cardinandi* vocabulum usurpat lib. V epist. III ad Fortunatum, Neapolitanum episcopum: *A nobis petiisse recolimus, ut Gratianum, Ecclesiæ Venefranæ diaconum, tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum.* Adrianus Papa in Privilegio concesso Arctardo, Nanneticæ Ecclesiæ Episcopo: *Quo* (pallii decore) *cùm fueris, auctore Deo, nostroque decreto, aliquem vacantem adeptus episcopatum, scias à nobis te eidem stabiliter incardinatum.* Etiam *incardi-*

cardinatio apud Gregorium legas lib. I epist. LXXXI. Plura si voles, adi Sirmondum ad verba illa Ivonis epist. CXXXI: *Qui ei legitime incardinatus est Ecclesiæ.*

Incastellare, castello munire, sive in castelli formam redigere, apud Othonem Frisingensem de gestis Friderici I lib. VII cap. XXXI. Thomas Walsingamus in Henrico V †: *Joannes se Ecclesiæ incastellavit, & inforticavit.* Hoc est, ad sui defensionem, templo, velut castello, se inclusit, ac munivit.

† Pag. 383.

Inchartare, chartæ committere, donationem suam tabulis sancire. Matthæus Parisius: *Rex Gasconiam fratri dedit, & inchartavit.*

Incibare, ἐντίζειν. Vetus Juvenalis interpres sat. X. 230: *Ut pulli hirundinis, quæ pleno ore volat, dum incibat filios suos.*

Incopriare propriè est alium fœdare stercore, quod Græcis κόπρος: unde & *copreæ* nomen apud Suetonium in Claudio: *Interdum ferulâ, flagrove, velut per ludum, excitabatur a copreis.* Ubi Beroaldus *copreis* malebat; sed recta est lectio omnium Msstorum, quam & expressere vett. editiones. Inde & S. Cyprianus, τὴν παρονομασίαν, dicebatur à malevolis *Coprianus*. Cæterùm *copreæ* non est à recto *copreus*; quod putavit Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris lib. CXLI: sed à *coprias*; uti Græcè, ὁ κοπρίας. *Coprias* igitur dicendum in recto: eoque significatur scurra, cujus est alios conviciis, velut stercoribus, impetere. Unde Isidorus in Glossis: *Scurrulæ, qui incopriat.* Hoc est, dicteriis impetit, & scurriliter exagitat.

Incortinare, pro cortinis, aulæis, tapetibus exteriùs suspensis plateas exornare, ad lætitiam festa die testandam. Matthæus Parisius an. CIƆCCLIX: *Præcipit Rex, acclamante Londini prætore, ut civitas mundata stipitibus, truncis, luto, & fimo, incortinaretur; & amotis omnibus, quæ possent oculos intuentium offendere, multipliciter eam facerent novitatibus resplendere.*

Incrementare, incrementum dare. Sic II ad Corint. III, pro illo, ὁ αὐξάνων θεός, apud B. Augustinum est, *Dominum, qui incrementat.*

Inculpare, pro *culpare*, *culpa arguere*; sive, ut in Gemmâ exponitur, increpare, accusare. Sed metuo, ne barbarum sit.

Indeptari, ab *indeptus*, quod ab *indipiscor*; uti hoc ab *apiscor*, unde *aptus*, & *adipiscor*. Itaque *indeptari* idem ac *apisci*, *adipisci*, *indipisci*. Usus, puto, Lucifer Calaritanus ad Constantium Imper. lib. II pro S. Athanasio. Vulgò istic legitur: *Conspicu interea mandâsse Apostolum, ut vos, veritati resistentes, indemtemini Episcopi interventu, ut per sanam doctrinam vestra punita esset blasphemia.* Ubi Ludovicus de La-Cerda legit *integerrimi*: *nam*, inquit, *indemtemini quid sit, me latet.* Vide cum sis in Adversariis Sacris cap. XLVI, §. XIV. Sed ne sic quidem sententia constabit: quæ plena erit, si legamus *indeptemini*, hoc est, consequamini, indipiscamini.

Induciare, pro facere, vel pangere inducias, etiam in Gemmâ est.

Indulcoro, dulce reddo. Onomasticon, *Indulcor*, ἡδύνω. Cn. Mattius apud Agellium pro eo *edulcare*. Tertullianus *indulcare*, lib. advers. Jud. cap. XIII. Vide, quæ cap. VI dicebam, verbo *Dulcorare*.

Indusiare in Glossis nostris Mss. exponitur *induere*. Nempe quia formâ *indusiatus* est apud Plautum.

Inervare quarto, quinctoque, à Christo seculo dixere, pro *enervare*: unde & prima erat porrecta. Ut apud Prudentium hymno post jejunium:

Humor in venis dominetur ægrum
Corpus inervans.

Sic vett. libri, ut clarissimo Salmasio observatum ad Spartiani Ælium Verum. Item lib. II adversus Symmachum:

—— *Ne torpens, & non exercita virtus*
Robur inervatum gereret sine laude palæstræ.

Atque idem Salmasius similiter in veteri libro reperit apud Aldhelmum de Virginitate:

—— *Flammis combussit inormem.*

Ubi *Inormis*, pro *enormis*: uti & Spartianus *inormior*, pro *enormior*. Atque hæc, post Salmasium, etiam monita Ludovico De-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXXXIV, sect. XIII.

Insiduciare, pro oppignerare, obligare, in Legibus Longobardicis, cùm alibi; tum lib. II, tit. XXIX, L. II: *Si infans res suas cuicunque vendiderit, vel insiduciaverit.* Similis compositio in *diffiduciare*: sed significatio diversa; ut vidimus cap. VI.

Infiscari, fisco regio addici, vel adjudicari. Flodoardus lib. I Hist. Rhemensis cap. XXIV: *Quod ubi Rex annuisset, audiens Domnus Hincmarus Præsul, qui sedem tenebat Ecclesiæ Remensis, hanc infiscari villam, regalis præcepti chartam, in archivo hujus Ecclesiæ repertam, dationis hujusce seriem continentem, Carolo misit.* Etiam habes in Legg. Alamann. tit. XXV, & apud Baldericum Noviomensem in Chronico Cameracensi lib. II cap. XVIII.

Inflorare idem sit, ac deflorare, sive flores decerpere; si audimus Ludovicum de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. LXXV §. IX. Sed fallitur. Nam *deflorare* quidem est flores decerpere; unde Anastasio bibliothecario *deflorationes* dicuntur opera ex aliis decerpta, inque unum corpus congesta. Sed *inflorare* est sertis sive corollis ex herbis inmiscere flores: quomodo campi non toti floribus constant, sed in gramine flores resplendent, ut stellæ in cœlo. Etiam κατὰ μεταφορὰν multitudini viri inflorantur clari, ut turba sit honoratior. Odo Cluniacensis Abbas Sermon. de S. Benedicto: *Nam non quique pagenses, verùm etiam plebs urbana, nobilibus viris conserta, clericorum etiam honestis quasi inflorata personis, latabunda confluxit, & commune patrocinium devota requirit.* Nobiles ait consertos, honestos clericos infloratos; ut satis liqueat, alludere ad serta, quibus flores inserti.

Influctuare habes in oratione S. Galli. Nempe ut à *fluo* obtinet *influo*; sic à *fluctuo*, *influctuo* formarunt.

Inforare Isidoro in Glossis exponitur, *in foro placitare*: hoc est, litigare. Nam *placitum* posterioribus seculis idem ac forum, sive locus, ubi caussas agerent. At veteribus *inforare* tum *perforare* notabat, tum in forum vocare: quia ambiguitate verbi lusit servus nequam Curculione. Ac ibidem *incomitiare*, pro in comitium vocare, dicitur. At Latino-barbari *incomitare*, vel *incomitiare*, usurparunt pro litigare in comitio, hoc est, foro. Nam *comitium* pro *foro* dixisse, alibi ostensum nobis.

Infortiare pro fortius, & munitius reddere. Richardus rex Angliæ in Charta de pace Exolduni inter duos Reges anno CIƆCXCV*: *In uno, & eodem pacto erimus nos, & Comes sancti Ægidii, quòd nos tenebimus totam terram, quam tenebamus in vigilia sancti Nicolai, & faciemus, & infortiabimus in terra nostra, quam tunc tenebamus, sicut voluerimus, tanquam de nostra.* Charta regis Angliæ Henrici II, & ejus filiorum, apud Hovedenum in anno CIƆCLXXIV: *Castella, quæ firmata sunt, vel infortiata, postquam guerra incepit.*

* In Charta Ducum Normanniæ pag. 1050.

Inforticare est apud Walsingamum. Verba adduximus superiùs in *Incastellare*. Sed puto, & istic legendum, *infortiare*: de quo proximè dictum.

Infrascribo, pro *suppono*, *subscribo*, non dixero.

Infrigido displicet, pro *refrigero*.

Infurcare, in Glossis Mss nostris exponitur *suspendere*.

Ingraminat, in gramen erumpit. Ita Pythœana ex variis Glossis excerpta.

Ingranare, grana in horreum reponere; ut interpretatur Gemma.

Ingrossare in eâdem est Gemmâ, ac aliis, pro crassescere, vel etiam grandescere. Similis farinæ est *grossescere*: de quo cap. IX.

Inhabilitare, publicâ auctoritate aliquem pronunciare, ac reddere inhabilem, vel ineptum muneri cuipiam, vel dignitati sustinendæ. Sic *inhabilitatio*, in Promot. Concil. Pisan. sess. VI.

Inhonero etiam Tertulliani est libro de Testimonio Animæ.

mæ. At Ovidius pro eo *inhonesto*: alii honorem imminuo, infringo, & aliter.

Inhumanicare, in membranaceis Glossis nostris exponitur vim inferre. Nempe ex eo quod Cicero dicit *inhumane*, vel *inhumaniter facere*.

Injuriare, pro eo, quod Tullius, & alii, injuriam alicui inferre, vel facere. Cæsarius Heisterbach. lib. VI. cap. V†: *Misericordia visceribus ita abundavit, ut sustinere non posset, in quantum vetare potuit, ut aliquis cæderetur, vel injuriaretur.* Agnoscit & Gemma. Inde *injuriator* est in Concilio Pisano II*.

† Pag. 449. edit. Bireman-nicæ.

* Pag. 133.

Inlagare, pro *inlegare*, hoc est, exlegem restituere patrocinio legis: uti *exlegare*, exlegem reddere. Per A *inlagare* dicitur, ut Saxonibus *lage*, pro *lege*. Vide Spelmannum in *inlagare*, *inlagatus*, & *exlagare*.

Insellare, in Gemma, ac variis, legas, pro strato equum ornare, vel equum ephippio sternere.

Insignare, pro σφραγίζω. apud Juvenalis interpretem sat. X. 55.

Installare est stationem adsignare. A *stallum*, pro statione: quod factum e *stabulum*. Sic Germanis, & Belgis, *stal-meester*, stabuli magister, sive præfectus; qui & *Comes stabuli*.

Instipare, pro stipando confertim ingerere, apud Plinium Valerianum.

Insufflare, apud eundem, pro flando ingerere. Simile est *exsufflare*, spiritu difflare: de quo dictum cap. VII.

Intartizare, pro *antartizare*, est ab *antarta*, quo usus incertus in vita S. Martinæ†: *O Alexander, antarta Christianorum.* Est plane Græcum ἀντάρτης, adversarius, ἀπὸ τοῦ ἀνταίρειν, quia se adversus alium attollit tyrannus, qui contra regem insurgit; ut Hesychius exponit. *Antartizare* igitur, pro quo dixerunt *intartizare*, significat insurgere contra aliquem, ejusque imperium invadere. Sic usus Anastasius de vitis Pontificum, ubi de Adeodato Pontif. LXXVIII: *Hujus temporibus Mezzetius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, intartizavit, & arripuit regnum.* Ubi quidam *tyrannizavit* reponunt. Sed sequitur mox: *Et multi ex judicibus ejus truncati, perducti sunt Constantinopolim, simul & caput ejus intarta.* Etiam Abbo Floriacensis in vita ejusdem Pontif. cap. LXXIX sic scribit: *Arrepto regno intartizavit, & exercitus Italiæ per diversa fugit, quousque, Deo auxiliante, idem interemtus est, & caput ejus intartâ Constantinopolim perductum.* Ubi itidem legendum puto, *intarta*, hoc est, tyranni, sive ejus qui imperium invaserat. Nam *Intarta*, pro *antarta*, ὁ ἀντάρτης.

† In Vitis Sanctorum apud Bollandum sect. 10.

Intercapedinare, intercapedinem sive intervallum facere. Ursio, Abbas Altimontensis, in vita S. Marcelli Papæ lib. II cap. III §. X: *Intercapedinante etiam tantummodo noctis spatio, ad idem rediit spatium.* Sic *intercapedinatus* in Glossis nostris membranaceis.

Internectare, occidere; ut *internectus*, occisus. Ita Glossæ eædem. Nimirum ejusdem est originis ab *interneco*; unde & *internecio*, & *internecinus*.

Interprendere, vel *interprindere*, signat, intermedio tempore prindere seu prendere, hoc est, invadere, atque usurpare. Carolus Calvus tit. XXVIII, sive edicto in Carisiaco, cap. extremo: *Nec lex est, ut, sicut audivimus aliquos interprendere, advocatus Francus suam legem; sed coloni, vel servi, de sua advocatione legem componant.* Atque hinc *interprisum*. Hincmarus Ludovico Balbi filio: *Ut sicut in nomine interprisum est; ita fit & in ambasciato.* Vide *misprindere*, lib. II cap. XXIV: & quæ de *proprindere* inferius dicemus.

Intertiari dicitur, quod apud sequestrum deponitur; sive quod, duobus sibi aliquid vindicantibus, tertio datur adservandum, ut postea auferat, cui ab judice, vel arbitris, res fuerit adjudicata. Habes in L. Salica tit. XXXIII, & XLIX; Capitul. Karoli M. lib. III cap. XLVI, & lib. VI cap. CCIX; Legg. Inæ Missis cap. LXXIV, apud Spelmannum; item LL. Eduardi Confess. cap. XXV. Habes & in Chartis Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ. Ut ea, quæ inscribitur, Stabilimentum Communiæ Rothomagi, & Falesiæ, & Pontis Audomari†: *Si contigerit aliquem intertiare aliquid de suo super latronem, vel falsonarium, in Rothomago, vel castello Falesiæ, captum, & convictum; & possit ostendere legali testimonio vicinorum suorum, esse, quod clamat: reddetur ei latro* &c. Vide, quæ superiori libro cap. XVI diximus in *Intertiata*.

† Pag. 1066.

Intertexo licet multis usitatum, longè tamen malim *intexo*.

Inthronare, vide *intronare*.

Intimare, intimum facere: ut cùm quid alteri infunditur, vel infigitur. Solinus cap. XLV: *Inde usque dum mari intimatur, Nili nomen tenet.* Ac similiter Ammianus Marcell. *Oceani gurgitibus intimatur.* Tertulliani verò est de habitu muliebri: *Nullius clavum argentum intimat tabulis.* Κατὰ μεταφορὰν etiam dicitur de animo, ac cogitationibus. Appulejus de Philosophia: *Constantem facit eum, cui fuerit fideliter intimata.* Item: *Immensitati mundi, volucrique curriculo cogitationum nostrarum nos pernicitas intimaret.* Est & altera significatio, quam indicat Glossarium Philoxeni; ubi est: *Intimare*, Γνωρίζω, ἐμφανίζω. Item quæ Cyrilli dicuntur, quia Cyrilli operi in Mso jungerentur: Ἐμφανίζω, *allego, intimo.* Glossæ nostræ Mstæ: *Intimare, demonstrare, patefacere, enucleare, indicere* &c. Gemma: *Intimo, notifico.* Capitolinus in Divo Vero: *Ut priorem Verum intimandum legentibus darent.* Sive, ut Salmasius legit, *intimatum darent*, hoc est, intimarent; sicut *effectum dare*, pro *efficere*. Martianus Capella lib. VI: *Quæ etiam ipsos edocuit, quod nunquam fere accidit, Romuleus, ut potero, vocibus intimabo.* Ac lib. VII. *Cuncta ejus auribus intimavit.* Ambrosius in Symbolum Apost. cap. IX. *Quo hæc magis perspicua sint, breviter intimabo.* Ac deinceps alii passim: in his Aimoinus de gestis Francorum lib. III cap. LXII, Ivo Carnotensis epist. L ad Richerium, Senonensem Archiepiscopum, & epist. XCV, CXXVIII, & CLXXXI. Uti & S. Gerardus*, abbas Sylvæ majoris, in Vita S. Adelardi abbatis Corbeiensis cap. III: *Studebat Imperatoribus scriptis intimare.* Hinc *intimator*, pro delatore, apud Capitolinum in Pertinace: & *intimatio* in Stylo Curiæ Parlam. cap. IV. Eos verò, qui arbitrantur, *intimare* ipsius esse Livii lib. IV ab. V. C. corrupta lectio decepit; cùm in melioribus libris pro *intimâsse filio*, sit *instituisse*.

* In vitis SS. ad 2 Jan.

Intitulo barbarum, pro inscribo. Vide, quæ inferiùs in *Titulo* dicam.

Intoxicare in Gemma, & apud varios legas, pro venenum dare bibendum, toxico dare letho. Ex tam multis suffecerit Henricus, rex Angliæ, apud Petrum Blesensem epist. CXXXVI: *Sic familiarium meorum animos intoxicavit clandestina conjuratio.*

Intronizare, vel potiùs *Inthronizare*, propriè est regem creare, inque regali solio collocare. Quomodo cùm alibi sæpe legas, tum apud Joannem Majorem de Scotorum gestis lib. IV cap. XVII: *Licitum est regem ambiguum in simili casu exauctorare, & ambiguum inthronizare.* Sæpius verò sumitur pro inaugurare episcopum, tralatione à throno regum ad solium Episcopale. Nota potestatum mundanarum, & Ecclesiasticarum dignitatum, collatio; quæ exstat apud Walafridum Strabonem cap. ult. operis de rebus Ecclesiasticis. Usus sic eâ voce Flodoardus Historiæ Ecclesiæ Remensis lib. IV cap. XXXIII: *Sicque Reges cum episcopis, & principibus, ingredientes urbem, domnum Arnoldum præsulem, qui dudum fuerat ejectus, iterum inthronizari fecerunt.* Similiter Luitprandus de vitis Pontificum†, & Ivo epist. CLXXXIX. Item Petrus Damiani epist. IX*: *B. Valerius Episcopus, dum sibi providet successorem, magnum Augustinum Hipponensi Ecclesiæ inthronizat Antistitem.* Hebernus in præfatione Miraculorum S. Martini: *In sede episcopali sublimavit Hebernum senem, sanctum beati Martini monasterii abbatem, & ministrum.* Et eâdem: *Consulem Ingelgerium inthronizaverunt, & defensorem Ecclesiæ fecerunt, & tutorem omnium possessionum ejus, ubicunque essent, delegaverunt.* Item

† Pag. 20.

* Pag. 17. edit Paris. an. 1610.

item Beka in vita Theodardi episc. v. Et Chronicon Reichersbergense*: *Convocans Imperator omnes Episcopos, in hunc eos consensum induxit, ut omnes Victorem Papam susciperent: & statim sequenti die 11 Kal. Februar. ab ipso Imperatore suscipitur, & inthronisatur.* Gemmæ auctor, cùm dixisset, *inthronizare* esse idem, ac novum Episcopum in templum inducere, addit: *Potest etiam pertinere ad mulieres, quæ, post partum,* (Ecclesiæ) *introducuntur.*

* Pag. 199.

Invadiare, sive *inwadiare*, est vadio sive wadio supponere; ut loquitur Guntherus in Ligurino. Latinis id est oppignerare; quia *vadium*, sive *wadium*, nunc pignus notat, nunc mulctam; ut abunde dictum libro superiori cap. LIV. Leges Longobard. lib. I Tit. XIV Leg. X: *Semet ipsum inwadiare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat.* Similiter Burchardus de Casibus S. Galli, cap. XI: *Possessiones pro* CXC *marcis, & libris denariorum, invadiavit, vel etiam infeodavit.* Guiljelmus Neubrigensis lib. III cap. XII: *Si reditus suos ante invadiaverit.* Ab *invadiare* est Gallicum *engager*; ut à *wadium*, vel *vadia*, est *gage*. Sanè *invadiatus*, qui vadibus, obsidibus, vel fidejussoribus datis, dimissus. Sic usus Ingulphus Saxo in Historia Croiland. *Ut suspectus de aliquo latrocinio per suam centuriam, vel decuriam, vel condemnatus, vel invadiatus, pœnam demeritam, vel incurreret, vel vitaret.* Simile est *rewadiare*; de quo inferiùs.

Invanescere, in Gemma, & alibi, pro vanescere, in fumum abire.

Invectare, portare. Sic veteres Glossæ nostræ mss.

Joco, pro *jocor*, non facilè hoc ævo aliquis dixerit. Sed in superioribus seculis sæpius se offert.

Joculari, jocari, à *joculus*, pro jocus. Suppositicius Ovidius in primo de Vetula:

—— *Sicut agant pastores, cùm joculantur.*

Agnoscunt & Glossæ nostræ Mscriptæ.

Irrotulare, inscribere, vel digerere in rotulam, hoc est, catalogum caussarum. Is enim dictus Latino-barbaris *rotula*, ἀπὸ τοῦ κυλίνδειν, à *rota*: ut Belgis *rol*, quod vocabulum est vetus pro *rota*. Bractonus lib. I cap. II num. II: *Et super his acta conficienda, sive irrotulationes.* Cur *rotæ* decisiones, & auditores, dicamus, meliùs referetur in alienâ significatione usurpatis.

Itinerare, vel *itinerari*, pro iter facere, in Capitularibus Caroli M. & Ludovici Pii, lib. V cap. CXXX, & lib. VII cap. CC: item apud Notkerum, seu monachum Sangallensem. Præterea Petrum Cellensem lib. III epist. III: *Itinerantibus per desertum ad viam trium dierum.* Adhæc Theodulphum cap. XXIV, atque alios. Sic vox est forensis *itineratio*, pro circuitu eorum, qui per terras sibi commissas iter capessunt ad munia justitiæ obeunda. Sed *itinerare* non arbitror inveniri apud quemquam antiquiorem Appulejo.

Jucundor, pro *oblector*, vel *jucunditas mihi est*, vel *in voluptate sum*; quæ Tulliana sunt; reperias non modò apud vulgatum Bibliorum interpretem, ac B. Augustinum in XVII de Civitate Dei; sed Lactantium etiam lib. IV cap. VI: *Quotidie autem jucundabar ante faciem ejus.* hoc est, εὐφραινόμην. De filio Dei sermo est. Sed classici scriptores id verbi nesciunt.

Justitiare, pro *judicare*. Philippus Gall. Rex in Edicto de Feudis†: *Nec in præjudicium nostri, vel feudatariorum nostrorum, dominari, vel justitiare, permittantur.* Ut verò ab *amare*, vel *amatum*, *amabilis*, sic à *justitiare*, sive *justitiatum*, *justitiabilis*; de eo qui in jus vocari possit. Idem Rex in Edicto de Offic. &c. *Hoc perpetuo prohibemus edicto, ne subditi, seu justitiabiles prælatorum baronii, aut aliorum subditorum nostrorum, trahantur in caussam coram officiariis nostris.*

† Pag. 206.

Juventare, à juventa, νεανιεύειν, ut exponitur in vett. gloss. *Juvenari* est apud Horatium, pro juvenum more agere.

CAP. XII.

De verbis inchoantibus ab L. Lacessio, *lacesso.* Lanare, *ἐριοφόρον sive lanigerum esse.* Lanceari, *lanceâ, vel aliter vulnerari. At* lancinare *idem, ac* lacerare; *ut* lancinator, *carnifex; deque verbi ejus origine.* Lausare, *laudibus ornare.* Libertare, *libertate donare.* Licentiare, *dare licentiam abeundi.* Licere, *implicare, ut in licio fit.* Lido, *allido.* Litigor, *litigo.* Lituro, *deleo.* Livoro, *lividum, aut lividulum facio.* Lixo, *coquo.* Logicare, *ratiocinari, sive dialecticorum more disserere.* Longo, *longum reddo.* Loquacito, *loquacitate utor.* Lucifico, *luce illustro.*

Hinc me conferam ad ea verba à Latinis, vel Græcis, barbarè deducta, quibus initium facit liquidarum princeps.

Lacessio, pro lacesso. Scriptor de Vetula, ineptè Ovidius dictus, lib. I: *Mittere furonem, qui dente lacessiat ipsum.*

Lampare, pro lucere, sumitur; ut ostendimus lib. I cap. XXIII.

Lanare, lanâ vestiri. Glossæ Mssæ: *Lano, as,* ἐριοφορῶ. Notum istoc Virgilii:

Sic vos non vobis vellera fertis oves.

Id Græcè sit, ἐριοφορεῖτε, sive Latino-barbarè, si rectè sit in Glossis, lanatis.

Lanceari, propriè lanceâ vulnerari, &, extensâ significatione, etiam vulnerari aliâ re. Priori modo accipit Petrus Blesensis serm. XLI: *Vides Deum, & hominem, coram te in cruce pendentem, —— inclinato capite mortuum, in dextero latere lanceatum.* Idem serm. L ad Monachos: *Crucem sibi bajulans, inter sceleratos deputatus, in ligno extensus, clavis confossus, post mortem lanceatus.* Ac similiter in eâdem re serm. XXXIII. Item Cæsarius de Miraculis lib. X cap. XX: *Semel adhuc mortalis crucifixus, atque lanceatus est in terris.* Posteriori modo sumit Matthæus Parisius in an. CIↃ CXCII: *Tot missilium ictibus impeti, tot jaculis lanceari.* *Lanceatus*, pro lanceâ perfossus, etiam apud Julium Firmicum legas. At in Onomastico Latino-Græco *lanceatus* exponitur λογχωτός: quod est lanceâ instructus. Aliud verò *lanceare*, aliud *lancinare*. Illud est lanceâ ferire: hoc secare, concidere. Nec tamen à lance est, quia lance dividimus: sed à Dorico λακῶ, unde & λακίζω, & Latinum *lacero*, quod idem notat. A *laco* est *lacino*, ut à *suffarcio suffarcino*, à *lurcor lurcinor*: cujusmodi plura attulimus lib. III de Analogia cap. XLVI. N verò insertum, quomodo à πήγω, sive *pago*, *pango*. *Lancino* igitur fuerit lacero, dilanio. Arnobius lib. I adversus Gentes†: *Æthiopicis solibus Isis furva mærens perditum filium, & membratim conjugem lancinatum.* Quid hic aliud *lancinatum*, quàm *laniatum*, *ac discerptum*? Hinc *lancinator*, pro carnifice. Flodoardus Hist. Remensis lib. IV cap. LII: *Eodem tempore, quo hæc sacra virgo passa est, lancinator ejus Ricionarius per urbem Remorum transiens, & quosdam Christianos ad culturam dæmonum compellens, ut eos superare nequivit, trucidari præcepit.*

† Pag. 25. edit. Paris. an. 1605.

Lausare, laudare, *lausans*, laudans: ut est in veteri Vocabulario. Sed barbara sunt.

Libertare, liberum facere, in L L. Wisigothicis lib. XII Tit. II, L. XIV.

Licentiare, pro dimittere, vel licentiam, sive veniam abeundi dare. Joannes Throcius Chron. Hungar. lib. II cap. LIX: *A nobilibus Hungariæ licentiatus est.* Et ante eum sic usi Cæsarius Haisterbachius, Matthæus Parisius, & paullò Throcio antiquior Thomas de Kempis, lib. II de imitatione Christi cap. VIII: *Omnibus,* inquit hic, *evacuatis, & licentiatis, solus cum solo uniaris.*

Licere, penultimâ correptâ, *implicare* notat; ac est à *licio*, quo stamina utrimque ligantur, & implicantur. Sic quidem Perottus: *Veteres* LICERE *implicare dicebant, à li-*

à *licio*; *quod est filum, quo in tela textrices implicant stamen*. Eandem verbi *licere* significationem agnoscit vetus Vocabularium. Sed non *licere* à *licio*; verùm *licium* à *licere* deducit. *Licium*, inquit, *filum innodatum tela, per quod stamen trahitur, & licitur*. Atqui verbum *licere* non vetus est, quod Perottus putat: sed commentitium, ac scriptoribus Romanis, etiam vett. Grammaticis, ignotum. Etymon verò *licii* meliùs perspexit Isidorus; qui lib. XIX cap. XXIX, *licium*, quasi *ligium*, ait dici: quia eo stamina ligentur. *Licium* per C in usu remansit, more antiquo, quo C pro G scribebant: ut ex Columna Duiliana, & vett. Grammaticis, alibi ostendimus.

Lido, pro allido, humi affligo, est in Legg. Bojorum Tit. III. L. I. Sed barbarum est; etsi & in Onomastico sit, *Lido*, χρίω: & Perottus putant, *allido*, & *elido*, esse à *lido*, hoc à *limo*. Omnino enim sunt à *lædo*; ut *incido*, & *occido*, à *cado*.

Litigor, pro *litigo*. Utitur lex Salica. Item Ludov. Imper. cap. XI: *Et is, qui cum eo litigatur, si velit, sequatur eum in patria sua, ad recipiendum illud sacramentum*.

Liturare, lituram facere, delere, expungere. Sidonius lib. IX epist. II, quæ ad Faustum, Regiensem episcopum: *Tunc certiùs te probâsse reliqua gaudebo, si liturâsse aliqua cognovero*. Etiam *lituratum agrum*, legas in veteri inscriptione, quæ in Collectaneis Gruterianis est pag. CCVIII. Onomasticon: *Lituro*, ἀπαλείφω.

Livorare, ita ferire, ut caro liveat, sive livescat. Legas apud Marculfum lib. I form. IX, XXIX, & XXXVII. Item Formularium Roman. cap. XXXI: *Me malo ordine adsalivit, vel livoravit*. In formulis sollemnibus à Lindenbrogio editis habes form. CXI.

Lixo, pro coquo, agnoscit Forum Romanum, ac Calepinus. Imò & in veteri Onomastico est: *Lixo*, ἑψῶ. Similiter vetus Vocabularium: *Lixare, in aqua sola coquere*. Ac idem agnoscit composita hæc: *Collixare, simul lixare*; *elixare, valde lixare*; *relixare, iterum lixare*. Ex quibus *elixare* non refugit Laurentius Valla. Sed apud veteres, ac probos Latinæ linguæ auctores, non invenio.

Logicare, quasi λογικεύειν, vel *logicissare*, à *logicus*: quâ formâ à ῥήτωρ dicimus ῥητορεύειν & *rhetorissare*. Nicolaus Monachus ad Petrum Cellensem, qui S. Bernardi, ac Petri Cluniacensis (uti & Hugonis, ac Richardi de S. Victore) σύγχρονος fuit. Locus est in epistolis Petri Cellensis lib. IX epist. IX: *Lapis itaque lapidem offendit in eo, quod dixi; Virginis ipsius animam pertransivit gladius; non solùm olim in filii Passione; sed etiam nuper in Conceptionis sua condemnatione. Et ironico typo, subsannans hic bonum dormitâsse Homerum, Aristotelico more logicat*.

Longo, longum facio. Onomasticon: *Longo*, μακρύνω. *Prolongo* Senecæ, ac Plinii est.

Loquacito, garrio, loquax sum. Onomasticum: *Loquacito*, στωμυλογῶ.

Lucifico, illustro, lucidum reddo: quâ formâ dicimus *clarifico*. Gloss. Mix: *Lucifico*, φωτίζω.

CAP. XIII.

Accessum ad ea, quæ ab M initium ducunt. Magistrare, *obire munus magistri*. Mammo, *nutrio*. Mancare, *mutilare*. Manicare, *mane exire*. Mannire, *corruptum ex monere*. Manubiare, *manubias facere*. Martyrizare, *vitam oppetere pro veritate Christianâ; vel ob Christum professum crudeliter necare*. Masticare, *manducare*. Matrimoniare, *pro in matrimonium ducere*. Mensuro, *metior*. Mercandizare, *mercari*. Minare, *propellere*. Mingere, *meiere*. Minuare, *minuere*. Minutare, *in minutias redigere*. Misculare, *mittere: sed commisculare potius pro commiscere*. Modifico, *modum constituo*. Mœro, *&* mœstifico, *mœrorem adfero*. Molesto, *molestiam adfero*. Mollifico, *mollio*. Momento, *expendo*. Monachare, *monachum facere*. Monoculare, *oculorum altero privare*. Moralizare, *moribus accommodare*. Mortificare, *morti addicere*. Murmare, *murmurare*.

SEquitur nunc de liquidarum secundâ.

Magistrare pro regere, moderari, non ausim dicere: etsi apud Spartianum legam, Hadrianum vitam militarem magistrâsse: ac *magistratio* sit in Cod. de stud. liber. lib. XI. Nam melioris ævi auctores desidero. Scio, Festum dicere, ipsum *magistratus* vocabulum esse à *magistrando*. Verùm mihi videtur, ut à *triumviri*, *triumviratus*; sic à *magistri* esse *magistratus*. Sunt enim magistri populi, ut ovium pastores. Juniorum, qui hac voce usi sint, multos possim dicere: sed in re nota contentus nunc ero adducere ista e S. Gerardo abbate Sylvæ-Majoris in vita S. Adelardi Abbatis Corbeiensis cap. VII: *Præterea jubetur etiam omnibus Ecclesiis magistrare: quibus consilio, & prudentiâ, magister; sed discipulus apparet humilitate*.

Mammo, mammam præbeo; ut in Glossis Græco-barbaris, μαμμεύειν, pro nutrire. Propriè autem fuerit, mammâ, sive uberibus alere.

Mancare, mancum ac mutilum facere. In Testamento Karoli Magni*: *Occidere, aut membris mancare, aut excæcare*. Lex Salica tit. XXXI. §. II. *Si verò manus ipsa ibidem mancata pependerit*. Lex Alamannica tit. XII, §. I: *Siquis Episcopo aliquam injuriam fecerit, vel plagaverit, vel fustaverit, vel mancaverit, omnia tripliciter componantur*. L. Ripuar. tit. LXVIII. §. VI: *Si digito, vel quocunque libet membro mancaverit*. In iisdem *mancatio* est tit. V §. VI. Gregorius quoque Turonensis ait Hist. Franc. lib. VII cap. XV: *Spoliatosque, ac demancatos reliquit*.

* Pag. 187.

Manicare est, quod Græcè ὀρθρίζειν, à *mane*, quasi mane ire, sive accelerare. Usus vetus interpres Luc. XXI. 38: *Et omnis populus manicabat ad eum, in templo audire ad eum*. Ubi in nonnullis codd. est, *mane ibat*. Quod & monitum Jansenio Concordiæ Euangelicæ cap. CXXVII. Sed non dubitandum, quin *manicabat* scripserit interpres. Quomodo & Judic. IX. 33 in quibusdam libris fuit: *Ut oritur Sol, manicabis, & tendes super civitatem*. De quo auctor nobis B. Augustinus ad Jud. quæst. XLVI. Vetus etiam Juvenalis interpres ad illud sat. V,

—— *Et multò stillaret pænula nimbo*,

notat hæc: *Propterea semper manicasti per pluviam*. Usurpat & venustus scriptor Petrus Chrysologus LXXXII, Petrus Damiani lib. VI epist. XXXI, & Ordericus Vitalis lib. VIII. Eccl. Histor.* Video Ludovicum de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLIV, putare, ut à *fodio* est *fodico*, à *fello*, *fellico*: etiam à significatione eâ *manandi*, quâ manare Solem dixere veteres, teste Festo, *manico* fecisse. Mihi verò obstare videtur, tum illud, quòd non Sol, sed homo dicatur *manicare*; tum quòd vetus interpres religiosè soleat attendere vocis proprietatem. At Græcè apud Euangelistam est ὀρθρίζειν, quod venit ab ὄρθρος, h. e. diluculum, tempus matutinum. Quare itidem *manicare* deflexum sit à nomine *mane*, quod idem notat: ut III Georg.

* Apud Bolland. 17 Jan.

—— *Dum mane novum, dum gramina canent*.

Glossæ; *Manico, mane surgo*. Atque hæc faciunt, ut malè putem reprehendi vulgatum Scripturæ interpretem, quòd hoc verbo utatur. Accommodare se voluit mori sui seculi, non ita locuturus, si primo seculo à Christo scripsisset. Serarius tamen Tom. I in Josuam cap. III quæst. I. *Qui Latina*, inquit, *antiquitatis scrinia excussit penitius Justus Lipsius, in quadam ad me epistolâ Latinum esse probavit e vetere Juvenalis interprete*. Sanè eum sic loqui jam agnovimus: sed non hinc sequitur, Latinum esse. Nam interpres ille demum post Constantini M. seculum vixit; ut alibi ostensum nobis. Quare idem dixero, quod Augustinus, quæst. XLVI in Judicum librum, non occurrere mihi Latinum esse verbum. Nec sanè hactenus repertus, qui ostenderet, inveniri apud idoneum Latinitatis auctorem. Atqui ratio non est, cur, postquam desiit vulgus Latinè loqui, non malimus loqui cum iis, qui sermone usi sint verè Latino: nisi antiquitatis caussâ animus sit verba Euangelistæ

gelistæ adducere, prout leguntur apud vulgatum interpretem. Cum ita animatis religio sit super eo ferram reciprocare. At extra hoc negotium, qui politiori longè seculo sic loqui amet, per me quidem licet suo judicio fruatur; me tamen rivalem non habebit. At inquit Sandæus*, *Istud, quod vetus interpres, ex iis quos legerat auctoribus, etiamsi hodie ii fortasse non exstant, aut a nobis certè lecti nondum sunt, conservavit: cur fastu tanto abjiciant?* Quasi non possimus abstinere sine fastu, solùm amore puri sermonis. Nec probare possit Sandæus, Scripturæ, vel Juvenalis interpretem, id legisse apud meliorum temporum scriptores. Credibilius est, voce usos, quæ eorum temporibus, vel paullo antè, irrepsisset. Fortasse, inquit, periere scriptores, qui id verbi usurparunt. Non arbitror: atque ut hoc esset, quis, in re incerta, non malit sermone uti, quem rectum esse omnibus constet, quàm de quo id liqueat nemini?

* Grammatico Prolano Commentat. 9.

Mannire, pro *monere*, sive *commonere*, ut Germanis *mahnen*, in Kapitul. Karoli M. lib. I cap. CXXI, & lib. III cap. XLV, & lib. IV cap. XXV. Indeque *mannitio*, ejusdem operis lib. III cap. XLV. Fortassè autem *mahnen*, sive *maenen*, est à Latino *monere*. Saltem illud verisimilius est, quàm quod Petrus Nannius tradidit Miscellan. lib. V. cap. II, venire à Dorico μάνα, pro μήνη, *Luna*: nempe quia fœnebres usuræ essent menstruæ; eoque sors repeteretur, cùm esset νεομηνία †; quam, cùm aliis sanctissima haberetur, fœneratores faciebant ἀποφράδα καὶ στυγνὸν *, ut ait Plutarchus περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι.

† Nova lunæ.
* Horribilem, ac tristem.

Manubiare, si rectum sit, fuerit quod Ciceroni in Verrinis *manubias facere*; vel pecunias ex præda in ærarium inferre. Sed in Glossario Isidori legas: *Manubiare, vigilare, pernoctare*. Id sine dubio falsum. Quid si Isidorus scripserit *Manicare*? Propiùs sanè significatio accedit; ut ex iis liquet, quæ hoc de *manicandi* verbo superiùs diximus.

Martyrizare, martyrem fieri, sive obire martyrio. Cuthbertus ad Lullum †: *Unde in generali Synodo nostrà —— ejus diem natalitii, illiusque cohortis cum eo martyrizantis, insinuantes, statuimus annuâ frequentatione solenniter celebrare.* Usitatiùs pro eo dicitur *martyrizari*: quomodo *martyrizare* sit eum, qui Christum profitetur, tormentis excruciare. Vetus Ignatii interpres epist. III, quæ ad Ephesios: *Pauli condiscipuli sanctificati, martyrizati.* Ubi Græcè, παύλου συμμύσται τοῦ ἡγιασμένου, τοῦ μεμαρτυρημένου *. Sigebertus in Chronicis an. CIↃXIV: *Hoc tempore S. Guictelh, qui & Adelphus, Pragensis Episcopus, apud Bruchnos martyrizatur.* Ridiculè verò, & pro seculi barbarie, usus verbo is, qui, ut est in Chronico Colmariensi ad an. CIↃCCLXXXV, sic lusit in Martinum Papam ejus nominis V, eopse anno anguillis comedendis enectum:

† Epistola 70 in collectanea epistolarum S. Bonifacii à Serrario editâ.
* Pag. 24. edit. Amstelod. an. 1645.

Institit anguillis, mortem gustavit in illis:
Assas, & coctas, martyrizabat eas.

Ubi generatim sumitur, ut in linguis vulgaribus solet, pro tractare, sicut tyranni solent martyres.

Mastico notat, mando cibum, dentibus tero, manduco. Legas apud Cæsarium lib. VIII Miracul. cap. LIV: *Est enim magnus, & fortis, & tanto magis ad curandas infirmitates validus, quanto minus in masticandis cibis delicatus est usitatus.* Ex eopse libro cap. XLIV: *Cùm per aliquot dies agrotaret, & pene quotidie communicaret, in agonia positâ* * (Christina) *viaticum sibi dari petiit, cum quo nondum planè masticato, spiritum reddidit cœlo.* Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. LXII §. XI, vitioso fortasse codice deceptus, ait *mastico* legi; sed *masticato* scribi oportere. Verùm *masticato* quoque est in editione Birckmannicâ †. Medicis inprimis est frequens. A Græco μαστίζειν venire, superiùs diximus.

* Hoc est, moribunda.
† Colon. a. 1591.

Matrimoniare est, quod Ciceroni in matrimonium ducere; Curtio, & aliis, matrimonio jungere, vel in matrimonio conjungere. Legas in Legibus Longobardicis lib. II tit. I. leg. VIII.

Membrare, pro eo, quod Lucretio est *articulare*. Onomasticum: *Membrare*, ἀρθρῶσαι.

Mensuro, pro metior; uti & *mensurator*, pro metator, male-Latina.

Mercandizare, mercaturam exercere, à Gallico *marchander*, quod ipsum à Latino *Mercari*. Thomas Walsingamus in Richardo II*: *Hostibus prævalentibus, nulli peremti; plurimi verò ad redemtionem gravissimam sunt servati, amissis viginti millibus librarum, quas ad mercandizandum comportaverant.*

* Pag. 357.

Minare, pro *ante se agere*, *propellere*; βοηλατεῖν: nempe quia hoc fit baculo, vel aliter, jumentis minando. Usurpatum Appuleio lib. III Metam. ubi & *prominare* similiter reperias in IX ejusce operis. Simplex quoque usurpat Festus, sive potiùs Paulus, in *Agere*, & *Agasones*: item Vetus Scripturæ interpres: atque adeò Ausonius epigr. LXVI, uno & ex illis de Myronis buculâ. Adhæc Gregorius Papa Dial. lib. I cap. III: *Tollite, ut habeatis, qualiter hoc jumentum minare valeatis.* Leo Marsicanus lib. II Chronici Casinensis cap. LXXXIV: *Onustosque feno saumarios minare.* Cæsario Haisterbachensi est frequens. Vide eum lib. V cap. XLVIII; lib. VI cap. II; lib. VIII cap. LXXV; lib. IX cap. XLVIII. Habent & leges Salic. Alaman. Burgund. ac Longobard. Nec dubito, quin à *minare* sit Germanis, ac Belgis, aurigarum vocabulum *mennen*.

Mingere, pro *meiere*, penè pro barbaro habeo. Utitur Flodoardus lib. II Hist. Remensis cap. XIX: *Dum temere prope fenestram hujus cryptæ accessisset mingere, terribili quadam quasi armati cujusdam viri visione deterritum.* Sed de hoc verbo abunde actum lib. I cap. XXII.

Minuare, pro *minuere*. Lex Longobard. lib. I tit. XXI L V: *Dominus, qui suum animal intricatum invenerit, aut forsitan jam marcidum, aut minuatum.*

Minutare, minutè diffindere, vel minutim comminuere; ut loquitur Columella. Thom. Walsingamus in Hist. Angl. de Richardo II †: *Ribaldi claustrum ingredientes —— lapides levaverunt, asportaverunt, & ad communes detulerunt; & ibidem minutarunt, & confregerunt.*

† Pag. 267.

Misculare corruptum ex *missiculare*; quod à *missum*, ut à *fissum fissiculare*. Hincmarus ad Regem Carolum Calvum epistolâ scriptâ an. IↃCCCLIX: *Per plurimorum ora vulgatur, vos dicere, quoniam de istis rapinis, atque deprædationibus, nihil vos debeatis misculare; unusquisque sua defendat, ut potest.* Sic *commisculare*; nisi hoc potiùs à *commiscendo*. Constitut. Caroli Calvi tit. XVI, ad Francos, & Aquitanos, cap. VII: *Qualiscunque de vobis tali modo in isto facto commisculatus est.* Potiùs hic interpreter *immistus*.

Modifico, fine veterum exemplo, usurpant pro *modum facio*; quod Ciceronis est; sive pro eo est, quod ad modum aliquem restringo. *Modificor* tamen legas apud Agellium *; sed pro dimetior. Apud Senecam † quoque est *versuum lex, ac modificatio*.

* Lib. I. cap. I.
† Epist. 89.

Mœro in Onomastico exponitur συστέλλω. Id notat contraho, coarcto. Si igitur rectum est *mœro*; notet mœrorem, vel angorem animi affero.

Mæstifico, pro mœstum reddo. Epist. Synodalis episc. Afric. quæ præmittitur B. Fulgentii libris de veritate Prædestin.*: *Accepimus itaque vestræ caritatis epistolam; quæ nostrum ex parte relevavit, ex parte vero mœstificavit exilium.* Matthæus Westmonasteriensis, ætatis quinctæ capite XXXIII †: *Licet, inquit, Herodes Mariamnen in nullo mœstificare vellet; illa non curabat parem viro gratiam refundere.*

* Pag. 2. edit. Parif. an. 1612.
† Pag. 39.

Molestare, pro molestiâ afficere, vel molestiam addere, non admodum damnem; cùm eo utentem videam Modestinum. Sed hoc refugiam quidem; magis verò aversetur *molestator*, quod est in Concilio Pisano II *; ubi *molestatores*, & *perturbatores*, conjunguntur. Item *molestatio*, quod est apud Bedam in Joan. I, episc. XXXIX.

* Pag. 133.

Mollifico, pro mollio, agnoscit Calepinus: sed sine idoneo auctore.

Momentare, momenta rei expendere. Est in glossis veteribus ad Persii sat. IV.

Monachare, monachum facere, ac tondere. Matthæus Parisius in an. CIↃCCLVI: *Intrusus —— monachavit decem & octo, & tertiâ die fecit professos.* Diploma Herluinianum †: *Præfato cœnobio dederunt, per consensum Comitis Normanniæ, Wilhelmus Crispinus, & uxor ejus, filium monachandum, & cum eo beneficium, quod Osbernus filius Vallonis tenebat.*

† *Apud Ludovicum de La Cerda in Advers. sacr. cap.* 184. 9 38.

Monoculare verbum est è barbaro barbarè magis factum. Quippe ne *monoculus* quidem probum est; pro quo *unoculus*, vel *luscus*, dicendum; ut monitum lib. I cap. XIX, & lib. III cap. XXVII. Usus barbaro illo Matthæus Parisius ad an. CIↃCCLIII: *Persecutor Joannes, quem ultor Dominus monoculaverat, propter præcedentia merita.* Latinum foret, *luscum reddiderat*, aut *altero oculo privârat*.

Moralizare, morum petere alicunde exemplum, morum doctrinæ accommodare. Passim apud semibarbaros occurrit.

Mortificare, morti tradere, occidere. Lucifer Carallitanus Episcopus ad Constantinum Imperatorem lib. I: *Et mortificavit ipse Sacerdotes Domini.* Item lib. II: *Venerunt duo presbyteri, pleni iniqua mentis, adversus Susannam, ut mortificarent eam.* Flodoardus lib. I Hist. Rhem. cap. IV: *Iratusque præses dixit, istos si non mortificavero, alii multi ad novam sectam venturi sunt. Sic dedit adversus eum sententiam, ut interficeretur.*

Murrare, pro *murmurare*, Isidoro in Glossis. Similiter Belgæ *morren*. Nec referre arbitror, utrùm dicas, τὸ συγκοπὴν esse à *murmurare*, an integrum à sono factum. Nam & ipsum *murmurare* fictum à sono.

CAP. XIV.

De verbis, quæ ab N incipiunt. Ut sunt, Nablizo, *nabliis cano.* Nago, *pro vacillo, fluctuo.* Nardifico, *odorem nardi refero.* Naturare, *creare, vel secundùm vim nativam agere.* Naufragare, & naufragari, *navem frangere.* Navitare, & nautitare, *bona deportare in naves.* Nebulare, & nebulari, *pro nebulonum more agere.* Neceo *à librario factum è* negligo. Necessito, *necessitatem impono.* Nervare, *vires nervis dare.* Nihilare, *redigere in nihilum.* Novercari, *novercalia agere.* Noxare, *noxa dare.* Nubor, *uxorem duco.* Nullo, & nullifico, *facio, ut quid nullius sit momenti.*

ACcedo ad cœpta à tertia liquida.

Nablizo, nablâ, sive nabliâ cano. Glossæ Msse: *Nablizo, psallo.* Id convenit opinioni Suidæ; qui nablam, & psalterium, idem esse arbitratur. Nempe ut ψαλτήριον sit Græcum à ψάλλω: νάβλα Hebræum à נבל *nebel.* Quomodo differant κινύρα, νάβλα, & κύμβαλα (quæ tria Hebræorum instrumenta musica præcipua erant, & junguntur Nehemiæ cap. XII) Josephus optimè dicet lib. VII Antiqu. cap. X; & è nostris Basilius, Chrysostomus, Hieronymus.

Nago videtur esse à Gallico *nager*, hoc est, nare, natare: sed Gallicum hoc est à Græco νήχειν, quod idem significat. Isidorus in Glossis: *Nagare, vacillare, huc & illuc fluctuare.*

Nardificare est spirare odorem nardi. Unde Glossæ Arabico-latinæ: *Nardificat, fragrat.* Græcis ναρδίζειν est imitari nardum, odorem nardi referre.

Narire à naribus. In vocabulariis nunc exponitur nares fricare; nunc naso suspendere.

Naturare in Gemma Latino-belgica explicatur creare naturam, vel sequi. Atque ibidem *naturans* exponitur Deus; *naturatum*, creatura. Hac mente Scholastici distinguere solent naturam in naturantem, & naturatam.

Naufragare, & *naufragari*, pro navem frangere, agnoscit Gemma. Habes prius non modò in L L. Wisigothicis, & Longobardicis; item Formulis Sollemnibus: sed etiam veteri Scripturæ interprete I Tim. I, 19; ut jam ejus seculo verbi hoc obtinuerit.

Navitare, & *nautitare*, in eadem Gemma Latino-belgica exponitur, *'t goed t' scheep laden.* Nempe quia navitæ seu nautæ bona in navem deferant, ac recipiant, priusquam oram solvant. Sed idoneum utriusque verbi auctorem requiro.

Nebulare, vel *nebulari*, in eàdem dicitur idem notare, ac nebulonem agere, vel non pluris esse, quàm nebulam. Ac firmando isti adfertur versus ille:

Nolo tuas nebulas, quas nebulo nebulas.

Quem versiculum amavere illo seculo: nunc nemo emtitet nebulæ cyatho. Nec tamen omnino recens id verbum. Nam & Glossæ ad calcem quorundam Cyrilli scriptorum repertæ habent; Ἀχρεῶ, *nebulor.*

Neceo est in glossis Mssis, atque exponitur ἀμελῶ. Sed rectè vidit vetus discipulus noster, & amicus, ὁ μακαρίτης Arlanderveniæ dominus, Guilhelmus Noomsius, pro *neceo*, *neglígo* legi oportere.

Necessito est in Gemma Latino-belgica; ac philosophis est frequens. Sed cum veteribus dixeris, necessitatem adfero, vel impono.

Nervare ibidem legas. At non si rectum sit, *vires enervare*; dicere etiam liceat *nervare*; verùm vires dare.

Nihilare eadem Gemma agnoscit. Rectum, in nihilum redigere.

Novercari in veteri Vocabulario exponitur, *more novercæ se habere, sævitiam novercæ exercere.* Similiter Onomasticon, *Novercari*, μητρυιάζειν. Sic dicunt, *Novercante fortunâ.* Sed non puto apud antiquos inveniri.

Noxare, noxæ dare, δῃοῦν. Gloss. Philoxeni: *Noxatio*, δῄωσις. hoc est, pœna, quæ corrigendi caussâ infligitur. Martinius tamen ambigit, an non pro *noxatio* legi debeat *noxa datio*, vel *noxa deditio*. Sed posterioribus seculis *noxare* dixerunt à *noxa*: uti à *noxia*, *noxiare*, & *obnoxiare*; de quo cap. proximo loquar.

Nubor non dicitur; sed impersonaliter solùm *nubitur*: quod apud Plautum Persâ. Excipe, si *nubor* sumatur pro velor, tegor: quamquam nec sic arbitrer inveniri: nihil tamen caussæ video, cur non liceat sic dicere. Sed loquimur de eà significatione, quâ sumitur pro uxorem duco. Quomodo vetus interpres Matth. cap. XXII: *Neque nubent, neque nubentur.* Ac similiter plurimi scriptores Ecclesiastici. In his Cæsarius lib. VIII Mirac. cap. LXXIX: *Tanta est gloria virginalis, ut angelis comparetur; quia qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei.*

Nullare, nullum facere, mutare. Glossæ Arabico-latinæ: *Nullatio, mutatio.*

Nullifico est apud S. Gallum Confessorem.

CAP. XV.

De verbis, quæ ab O incipiunt. Obelare, *expungere.* Obesare, *obesum reddere.* Obnoxiare, *obligare.* Obsoleto, *obsoletum ac sordidum reddo.* Obstaurare, *obstaculo esse.* Obtenebro, *tenebras offundo.* Oculare, *visum reddere.* Odio, *odio habeo.* Opprobriare, *exprobrare.* Organare, & organizare, *organo canere.* Osculo, *osculor.* Ossare, *ossa facere.* Ovicare, *ovi albumen admiscere.*

HAbemus de iis, quibus initium est ab aliqua trium priorum liquidarum. Sequitur, ut videamus de cœptis à quarta vocali.

Obelo fictum à barbaris ad exemplum Græci ὀβελίζω, quod est veru, sive obelisco, noto; quomodo Aristarchus versus, quos non esse Homeri, sed nothos, putaret, obelisci notâ signabat. Latinè pro *obelare* dixeris expungere, inducere: vel Græcum retineatur, exemplo Ciceronis lib. IX epist. X ad Dolabellam. *Obelare* veteri Vocabulario agnoscitur. Est & in Glossis Isidori: *Obilat, limpidat.* Ubi legendum, *Obelat.*

Obesare in Gemma exponitur, pinguefacere; nempe

ab

ab *obesus*; quod cùm propriè notet arrosum, eoque jejunum, & gracile; tamen pro pingui solet sumi; ut est apud Agellium lib. XIX cap. VII.

Obnoxiare, pro obnoxium reddere, obligare. Petrus Blesensis in Canone Episcopali: *Quidam tamen per usurpatas seculi admirationes se vinculo curiali obnoxiant.*

Obsoluo in Gloss. Isidori exponitur *obtero*, *inquino*. Sed rectè corrigunt *obsoleto*: quod ab *obsoleo*, unde & *obsoletus*; uti ab *exoleo*, *exoletus*. Apud S. Zenonem, episcopum, & martyrem Veronensem, serm. de Job legas, *obsoletatus*. Hoc fuerit sordidatus; ut quibus obsoleta vestis.

Obstaurare, in eadem Gemma explicatur contrà ponere. Ut *instaurare* dixerunt antiqui, ita jam Taciti ævo *restaurare*; infima autem Latinitas *obstaurare*, quasi obstare instauranti.

Obtenebro reperio apud juniores. At magis idonei scriptores pro eo tenebras offundo, obscuro.

Oculare, pro visum restituere, vel oculorum usum, Gemma agnoscit; & reperio apud Pacianum.

Odio, pro odi. Gloss. *Odio*, μισῶ. Μισοκακῶ, *malos odio*. Ac *perodio* similiter; unde *perodiendus* dixerit Vopiscus in Aureliano; si vera est emendatio maximi Salmasii, ut arbitror: *Cum alii dicerent perodiendum talem principem, non optandum.* Ubi vulgò *perfodiendum*; ineptè profectò.

Opprobriare, pro opprobria ingerere, in Gemma agnoscitur.

Organare, & *organizare*, pro organis sive instrumentis musicis canere. Posterius agnoscit eadem Gemma. Prius verò Monachus cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita Caroli Magni*: *Similiter Romani cantores supradicti, cantores Francorum in arte organandi.*

* In Annalibus Francorum à Pithoeo editis, edit. Hanov. an 1594. p. 250 vers. ult.

Osculo, pro osculor. Ita Spartianus in Hadriano, *genua osculare*. Sic enim plerique editi, ac codex etiam Mss. teste Salmasio. Acta Gordiani Martyris: *Quam ego videns merear pedes ejus osculare, per qua salvatus sum.* Similiter posterioribus seculis per O extulere *irasco*, *reminisco*; quorum posterius ridet Ausonius.

Ossare, pro ossa facere; ut Gemma exponit.

Ovicare, pro ovi albumine subigere, apud Plinium Valerianum lib. I cap. XVII.

CAP. XVI.

De captis à P, sequente A, E, H, I, L. Pactare, *pactiones facere.* Pagare, *persolvere.* Pagellare, (*si codices integri*) *pagellarum more conjungere.* Palangare, *palangis onus transvehere, vel naves deducere.* Pandoxare, *à caupone emere.* Pangitare, *pangere, sive plantare.* Parabolare, *loqui.* Paralogizare, *falso argumento decipere.* Pariare, *parem esse.* Parificare, *adaquare.* Particularizare, *particulatim referre.* Payefacio, *pavorem affero.* Paxillare, *vineam pedare, statuminare.* Peculor, *peculatum facio.* Perdono, *condono.* Percataprat, & percatapsere, *unde corrupta videantur.* Peregrinare, *peregrinari.* Perendinare, *die uno, & altero, vel diutiùs, apud aliquem divertere.* Pilare, *pilâ ludere.* Placitare, *litigare.* Plagare, *percutere.* Plagiare, *plagium committere.* Plasmare, *idoneâ fingere corporis constitutione.* Plebescere, *vulgo innotescere.* Pluvicinare, *pluere.*

Aggrediar nunc explicare verba ea barbara Latinæ originis, quibus initium est à P literâ.

Pactare, pacisci. Carolus IV in vita sua: *Et cùm ibi exercitus diu stetisset, pactaverunt illi de castro cum eis.* Imò & Græco-barbari Jurisconsulti similiter dicunt πακτεύειν.

Pagare, persolvere, satisfacere; ut Italis *pagare*; & *paga*, solutio. Ac Galli similiter dicunt *payer*, & *payement*. Chartæ Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ: *Siquis eorum ad mandatum, & summonitionem non venerit; praconstitutam sibi emendationem pagavit.* Robertus Stephanus, sive alius, in Dictionario Gallico-Latino, scribit, *payer* esse à *pagis*, *quòd pagorum incola sint velut solutionis officina: vectigalibus enim premuntur pra cateris.* Mihi longè simplicius, ac verius, videtur, & Italicum *pagare*, & Gallicum *payer*, esse corrupta ex Latino *pacare*; eò quòd creditoris animus pacetur ac tranquilletur, si fiat persolutio. Sic *payement*, quasi *pacamentum*: quâ formâ dicimus *sacramentum*, & *juramentum*.

Pagellare, componere homines, ut pagellæ in libris solent. Leges Longobard. lib. I tit. XVII. §. XI: *Adjutores eorum singuli alter ab altero flagellentur, & capillos suos vicissim, & nares suas, invicem pracidant. Vos vero nihil mali perpetratum est; similiter inter se pagellentur, & capillos suos vicissim detundant.* Sed puto, quia antecessit *flagellentur*, & sequitur *similiter pagellentur*; pro *pagellentur*, oportere iteratò *flagellentur* rescribi. *Detundant* barbarè positum pro *detondeant*.

Palangare à Martinio exponitur palangis transvehere. Sed non palangarum usus is solùm, ut onera iis vehantur; sed etiam ut carinis subjiciantur, quò naves subducantur. Vide Nonium in *Palanga*: ubi & de *Palangariis*. Interim id verbi veteribus ignotum puto.

Palmari, palma manus percuti. Petrus Blesensis serm. XXIV: *Attendamus filium Virginis, illitum sputis, palmatum colaphis, lividum plagis, confixum clavis.* *Depalmare* tamen, pro palmâ ferire, apud Agellium est.

Pandoxare legas apud Thomam Wallingamum in Richardo II†: *Salliat abbas carnes, quas mactavit, ne putrescant; & vendat cervisiam, quam pandoxavit, ne acescat; & panes quos pinsuit, ne indurescant.* Ubi *pandoxare*, non est gloriosè prædicare, à πᾶν, & δόξα: sed emere à caupone, quem Græci πάνδοκα appellant. Hesychius: Πάνδοξ, ὁ ἐν πανδοχείῳ οἰκῶν. Nempe abbati exprobratum, quòd non vinum in cella haberet, ut solent honestiores; verùm emeret à caupone, vel caupa, sive copa, vel cupa, quæ Græcis καπηλίς. Cicero in Pisonianâ similiter: *Panis, & vinum, de propola, & de cupa.*

† Pag. 273.

Pangitare, laudes alicujus pangere. Isidorus in Glossis: *Pangitare, laudare.* Nisi *panegyricare* malis cum Ludovico de La-Cerda in Advers. Sacr. cap. CXLI. Atque idem legas apud Matthiam Martinium in Etymologico. Sed magis altera placet conjectura, ut pro *laudare* legatur *plantare*. Sæpius enim apud Varronem, Columellam, alios, *pangere* accipitur pro *plantare*. Est & Festi Pompeji: *Pangere, figere: unde planta pangi dicuntur, cùm in terram demittuntur.*

Parabolare notat loqui; ac *parlare* Gallicum ex *parabolare* factum κατὰ συγκοπήν. Id verò à Græco παραβάλλειν, unde & Gallicum *parole*: nisi cum aliis malis à παραβάλλειν. Habes in Capitulis Caroli Calvi, & successorum. Ut tit. XII cap. I: *Nostri seniores, sicut audistis, parabolaverunt simul, & consideraverunt cum communibus illorum fidelibus de Dei servitio.* Tit. XXI cap. III: *Quia iste meus carissimus nepos cum dilectissimo fratre meo Hludovico parabolavit.* Tit. XXIII cap. IV: *Quicquid cogitavit, parabolavit, & fecit.* Quomodo strictiùs *parabola* vox accipi soleat, diximus in quarto Institut. Orator. libro cap. XI sect. VI.

Paralogizare, παραλογίζεσθαι, falsâ supputatione, vel argumentatione, decipio. Usus M. Joannes Thwrocz in Chron. Hung.

Pariare, paria, sive pares rationes facere. Non videtur in usu fuisse Tulliano, vel proximo à Cicerone seculo. Sed usurpat Ulpianus leg. IV. §. V: *Proinde &, si ei nummos prorogavit emtor, cum eo pariaverit, poterit ad libertatem pervenire.* Inque iisdem Digestis *pariator*, & *pariationes* legas. Etiam Tertullianus, qui juris verbis gaudet, usurpat *pariandi* verbum extra rationes. Ut lib. de Resurrectione carnis cap. VI, *pariari Deo*; ubi Apostolus, *ἴσα εἶναι θεῷ*. Et cap. LIII: *Pariant inter se Christus, & Adam.* Utitur quoque adversus Marcionem lib. V cap. XX, & alibi.

Parificare, adæquare, parem facere. Joannes Saresberiensis in Policratico, sive de Nugis Curialium lib. III cap.

cap. XIV: *Egregiè Cæcilius Balbus; Imperator, inquit, Auguste, tum in multis, tum in eo maxime elucet prudentia tua, quòd isti nondum te omnino insanum reddiderunt; qui, ut tibi applaudant, non modo Diis, sed tibi ipsi, & populo, injuriam faciunt. Deorum siquidem minuunt reverentiam, quos parificant tibi. Te arguunt insipientiæ, dum, conditionis tuæ repugnante natura, te parem numinis esse persuadere præsumunt.* Prius inquit, *parificare Diis*: hinc, *parem esse numinibus persuadere.*

Particularizare ait barbarum vulgus, pro eo, quod est, non generatim, & universè; sed sigillatim, & particulatim edicere.

Pavefacio non dicam; sed pavorem affero, incutio, injicio.

Paxillare legas apud Petrum Blesensem sermone XXXVII: *Magnus namque labor impendet in vinea excolenda: utpote quæ primum est putanda, secundò fodienda, tertiò paxillanda, ad ultimum stercoranda.* Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. LXXIV, *paxillare* hic ait idem esse, ac *evellere è toto tractu vineæ, quicquid herbidum nascitur, & nocuum est.* Equidem non possum non in eo à doctissimo viro abire. Nec enim dubium, quin sit à *paxillus*; ex quo τῷ συγκοπῇ, *palus*; ut *ala* ex *axilla*; è *vexillum*, *velum*. *Paxillus* autem à *paxo*; quod à *pago* sive *pango*; ut ab *ago*, *axo*; à *facio*, *faxo*. Nempe uti a πήγω, sive Dorico πάγω, est πάσσαλος sive πάτταλος, quod & ipsum notat *palum*. *Paxillare* igitur significet paxillis sive palis suffulcire ac sustentare. Hoc Columellæ, Plinio, atque aliis, est *vineam pedare*, vel *statuminare*.

Peculor non memini me legere apud classicos; sed *depeculor*, vel *peculatum facio*. Nec tamen tam barbarum dixero, quam obsoletum: ut colligere est ex verbali *peculatus*, & *peculator*; quo Cicero ipse utitur. Asconius quoque in II contra Verrem, *Peculator*, inquit, *qui furtum facit pecuniæ publicæ.*

Perdonare, unde Gallicum *pardonner*, pro Latino *condonare*. Capitul. lib. IV cap. XXXVII: *Omnino modò ad partem nostram persolvat; nisi fortè talem firmitatem de parte Dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.*

Percatapiat, valde tædet; ut est in Glossis Isidori. Sed Martinius legendum suspicatur; *Percatapirat, valde tentat.* Nempe ut sit à καταπειρᾶν.

Percatapsere, valde dividere; ut est in iisdem Isidori Glossis. Verùm Martinius ambigit, an non legi debeat, *Perdepsere, valde dividere.* Sanè *perdepsere* est apud Catullum. Et *dividendi* quoque vox in obscenis; ut ex Plauti Aulularia* cognoscere est.

* Act. 2 sc. 4.

Peregrinare, pro peregrinari. Pseudo-Ovidius in primo de Vetula:

> *Vel fodiens in visceribus limi peregrinet,*
> *Illudens nobis alienis ex elementis.*

Sermo est de pisce, cui insidiæ hamo, vel aliter, fiunt.

Perendino, exponunt ingemino. Vita S. Pharaildis in Brabantia*, cap. III. §. XI: *Nec vir immoderatæ atrocitatis à consueta desistebat ferocia; sed usu quotidiano flagra perendinabat ferocia.* Verùm quid si *perennabat* sit scribendum? Ut activè sumatur pro continuare. Nam *perendinare* potiùs fuerit in perendinum diem differre. Unde Tullio, & Jurisconsultis, *comperendinare*, ut *procrastinare*. Sed hæc speciosè magis, quàm verè. Credibilius, quia in perendinum diem transferenti, atque id sæpius facienti, est, ut aliud cras, ita aliud perendie: eò *perendinare* dixisse, pro postero ac perendino die, vel etiam diutiùs, persistere, permanere, commorari. Utitur sic Petrus Blesensis epist. XIV, & LII. Item Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ†: *Accessit Regina ad Monasterium, & obtulit duos pannos aureos beato Albano; ubi etiam perendinavit per tres hebdomades.*

* Apud Bolland. 4 Jan.

† Pag. 490.

Phlebotomare, φλεβοτομεῖν Ciceroni, & Celso venam secare, vel incidere. Usurpat Monachus Reomaensis in vita S. Joannis abbatis Reomaensis cap. II. §. VIII*: *Archiatrum accelerat adesse phlebotomandi necessitudine.* Sed de hoc alibi ex Cœlio Aureliano, & aliis, fusiùs.

* Apud Bolland. 28 Jan.

Pilare, pro pilâ ludere, barbarum est. Rectum tamen, pro pilos emittere, vel extrahere.

Placitare, pro disceptare, litigare, judicio experiri; unde Gallicum *plaider*, & Germanicum *pleiten.* Isidorus in Glossis: *Placitare, in foro litigare.* Legas in Capit. lib. IV tit. XX. Item in Placito Monachorum sancti Albini, & S. Sergii, de controversia pro Campiniaco anno CIↃ LXXIV: *Et cum voluissent Monachi S. Sergii de minoribus rebus prius placitare, & postea de Campiniaco: visum fuit Judicibus, hoc esse injustum, ut caussa illa posterior discuteretur, pro quo Abbates vocati fuerant, & in unum convenerant.* Similiter Cæsarius lib. III Mirac. cap. XI; lib. IV cap. LXI; lib. VI cap. XII. Robertus Holkot Anglus, monachus Dominicanus, ad librum Sapientiæ cap. II: *Narrant historiæ, quòd cum Wilhelmus, Dux Normannorum, regnum Angliæ conquisivisset; deliberavit, quomodo linguam Saxonicam posset destruere; & Angliam, & Normanniam, in idiomate concordare: & ideo ordinavit, quòd nullus in Curia Regis placitaret, nisi in Gallico; & iterum, quòd puer quilibet ponendus ad literas, addisceret Gallicum, & per Gallicum Latinum; quæ duo usque hodie observantur.* Quem locum eò libentiùs attuli, quia eâdem dilucet, unde sit, quòd Anglosaxonum sermo tantopere sit immutatus, multaque adeo habeat ex Gallico, sive Normannico. Vixit is monachus doctissimus ante annos trecentos. Alii quoque passim sic loquuntur. Gualterius Torvanensis de vita Caroli Comitis Flandr. cap. XV: *Accidit, ut quidam miles nobilis alium nobilem in Curia Comitis de treugarum infractione placitaret.* Henricus Huntingdon. Histor. lib. VIII: *Elatus igitur Rex hisce prosperè gestis venit venatum apud Bramtoniam, quæ abest miliario ab Huntendonia, & ibi placitavit de forestis procerorum suorum, de sylvis, & venationibus, & fregit votum, & pactum, Deo, & populo.* Ægidius de Roya in Annalibus Belgicis*: *Rex (Franciæ) mandat Papæ, Papam non debere se intromittere de Regno, nec negotiis regni temporalibus: quòd posse haberet in foro justitiæ secularis judicandi, nec sibi necesse esset in Curia Papæ placitare, &c.* Similiter Gothofredus Vindocinensis Abbas lib. II epist. XXIV: item Leges Alamannicæ, Saxonicæ, Longobardicæ. Est verò *placitare* ab ea *placiti* significatione, quâ poneretur pro foro, sive loco, ubi jus diceretur, vel etiam pro caussæ actione; quæ Gallis *plaid*, Belgis *pleid*, Scotis *pley*.

* Pag. 44.

Plagare, pro percutere. Sic usurpat Augustinus lib. XXI de Civitate Dei cap. XI: *Lacessivit dominum, vel plagavit.* Vetus Juvenalis interpres: *Mars cum plagatus est à Diomede.* Est & in Leg. Salicâ Tit. XVI. Leg. XIX; item Legg. Alamann. Bojoar. & Longobard.

Plagiare Latino-barbaris sumitur pro *plagium committere*; uti *plagiator*, pro *plagiarius*. Prius habes in Legg. Wisigothicis lib. VII Tit. III Leg. II: *Siquis ingenuum servum, vel ancillam alienam, plagiaverit.* Similiter in lege Salica, & alibi. *Plagiator* autem legas apud Isidorum lib. X Originum, & Legib. Wisigoth. lib. VII Tit. IV, Leg. III. &c.

Plasmare est apud vulgatum interpretem Psalm. CXVIII. vers. 73: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me.* Græcè est ἔπλασαν: quod non modò signat, quis fecerit; sed præterea habilem, atque idoneam corporis constitutionem: unde Symmachus vertit, καὶ ἀπήρτισάν με: hoc est, stabiliverunt me. Etiam usurpant Theodulphus Capit. cap. XXIII, Joannes à Leidis Chron. lib. I. cap. I, Dionysius Carthusianus in rythmica Explanatione initii Euang. Joan. Hujus est:

> *Per te cuncta sunt plasmata,*
> *Christe, virtus increata.*

Est verò *plasmare* à *plasma*: quod est apud Prudentium, cui Adamus *plasma primum*, πρωτόπλαστος. At πλάσμα à πέπλασμαι, quod à πλάσσω, *fingo*, quæ pueris etiam notissima.

Ple-

Plebescere, per plebem diffundi, divulgari.

Pluvicinare, *pluitare*, *sæpe pluere*. Ita est in Glossis Isidori. Sed recte corrigunt, *pluvitare*, *pluitare*. Veteres ut *fluvo*, unde *fluvius*; sic & *pluvo* dixere, unde *pluvius*; & *pluvito*, ut a *pluo*, *pluito*.

Cap. XVII.

De cæteris à P inchoatis. Pœnare, *afficere pœnâ*. Poëtare, *confingere*. Poire, *ποιεῖν*. Polimire, *induere polymito*. Pollitriduare, *pollinario cribro incernere*. Pompare, *ornare*. Pontare, *pontem facere*. Pontificare, *pontificem esse*. Posttergare, *à tergo relinquere*. Potentare, *potentiâ suâ opprimere*. Practicari, *usu esse receptum*. Præbendari, *præbenda in aliquem conferre*. Præconiare, & præconare, *prædicare*, *annunciare*. Præconizare, *pro eodem: item* præconizari, *præconis voce in jus vocari*. Præmiare, *præmium dare*. Prædoror, *odoror*. Prænosticare, *præsentire*. Præposterare, *præposterè agere*. Præputiare, *circumcidere*. Præsagare, & præsagiare, *præsagire*. Præsulare, *præsulem esse*. Prætaxari, *ante memorari*. Pravare, *corrumpere*. Presbyterari, *presbyterum esse*. Primitiare, *exordiri*. Principiare, *creare*. Principior, *in principiis doctrinæ cujuspiam instituor*. Principor, *principatum teneo*. Priso, *pro prenso*, *apprehendo: unde* prisona, *pro carcere: item* proprisere, & purprisum. Procamio, *commuto*, *vel permuto*. Proficui, *profui*. Prolificare, *prolem gignere*. Pronosticare, *prædicere*. Propalare, *divulgare*. Propriare, *proprium facere*. Proprindere, *aliquem invadere: unde* proprisæ *res*, *quas aliquis involavit*. Prugire, *in Venerem prurire*. Pulverizare, *in pulverem redigere*. Punctare, & punctuare, *punctis distinguere*.

SUbjungam nunc, ubi post P sequatur O, vel literarum alia, quæ, in usitata elementorum serie, posteriorem nacta sit locum.

Pœnare, pro pœna afficere, vel pœnas irrogare.

Poëtare, pro, poëtarum more, confingere. Lucifer Caralitanus ad Constantinum Imp. lib. II, qui inscriptus, pro S. Athanasio: *Quo possemus te falsum esse testem intelligere, te unum esse de viperarum progenie, falsa hæc cum sacrilegis suis poëtasse.* At *poëtari*, pro carmen condere, Ennii est: *Nunquam poëtor, nisi podager.*

Poire in Gemma exponitur fingere, facere. Nempe corruptum est è *ποιεῖν*; unde poëtis nomen.

Polimire in eâdem ineptè idem esse dicitur, ac ornare polymito, sive veste multorum filorum, eorumque diversi coloris.

Pollitriduare ibidem legas, pro Belgico *budelen*. Cato cap. XLVIII pro eo dicit *cribro incernere*. A qua *incernendi* significatione *incerniculo* est nomen. *Pollitriduare*, si priorem vocis partem attendas, est à cribro pollinario fictum. De posteriori hæreo, ac vitium subesse puto.

Pompare in Gemma legas. Cicero pro eo in secundo de Oratore, *Adhibere speciem*, *atque ornatum*, *in dicendo*. Usus Abbo de obsidione Lutetiæ lib. I.

> —— *Donec noctis pompare tenebras*
> *Luna*, *diem stella pariter componere discant.*

Vita S. Tillonis Paulli, monachi in Gallia †: *Igitur cum gentiles poëtæ studeant sua figmenta Prolixis pompare stylis* —— Videtur postrema verba hausisse ex Sedulio: qui opus Paschale sic orditur:

> *Cum sua gentiles studeant figmenta poëtæ*
> *Grandisonis pompare modis.* ——

† Apud Belland. 7 Jan.

Legas & in Chronico Cameracensi.

Pontare in Gemma, pro eo quod *pontem facere* est Ciceroni in Vatinium; unde *Pontifici* nomen, licet aliter Scævola J. C.

Pontifico, pro pontificatum gero, sive pontificalem dignitatem sustineo, pontifex sum. Antoninus Florentinus Chron. tit. XIX cap. II §. I: *Circa annum Domini* MCCVII, *pontificante Innocentio.* Pseudo-Ovidius in secundo de vetula:

> —— *Quem cum fas pontificare*
> *Nusquam sit.*

Sermo est de spadone sive eunucho.
Idem postea:

> *Quem tamen infaustè Moses si pontificaret*;
> *Veste videretur Aaron*, *vultuque Maria.*

Postillare, in Gemma exponitur, explicare, vel interpretari textum. Est à *postilla*; quâ de voce dictum libro superiori cap. XXXVI.

Posttergare infima Latinitas dixit, pro post terga relinquere, posthabere, aspernari. Et apud Bocacium lib. de claris mulieribus, cap. XCIX: ubi de Joanne Papâ VIII: *Et sic, loco detestabili posttergato, re intrantes iter perficiunt quod cœpere.* Habes in Gemma, & alibi. Dicæarcho id *καταναντίζειν*, in descriptione Græciæ; & inde hoc Latinum videtur expressum.

Potentare, pro potestatem ac dominium in quempiam exercere, Luciferi est Caralitani: qui Jeremiæ locum cap. VII, sic reddit: *Proselytum*, & *pauperem*, & *viduam*, *non potentabitis.*

Practicari dicitur, quod in usu est. Legas Constitut. Neapol. lib. III tit. XXXIV leg. II, & III. *Practicare*, Concilium Pisanum II *. *Practicatus*, idem Concil. Pis.

* Pag. 164.

Præbendari in Gemma exponitur *proeven geven*. Id fuerit dare præbenda, sive, ut vulgò loquimur, præbendam.

Præconiare, *κηρύττειν*, prædicare, prædicere, apud veterem Irenæi interpretem lib. II, cap. LV: *Quemadmodum propheta præconiant.* *Præconare* pro eodem est apud Petrum Blesensem serm. VI: *Quasi quidam galli fuerunt propheta*, *ortum quoque solis præconantes.* *Præconiare* fuerit à *præconium*: at *præconare* à *præcone*; unde & *præconizare*, pro publicè, & voce clarâ, ut præcones solent, aliquid prædicare. Est hoc apud Matthæum Parisium in Vitis. Item Petrum de Vineis lib. V epist. CXXXVI. Etiam *præconizari* dicuntur, qui publicâ præconis voce in judicium vocantur. Thomas Walsinghamus in Henrico †: *Dominus Johannes se incastellavit*, & *fortificavit in castro suo*, —— *claves Ecclesiæ*, & *potestatem Archiepiscopalem*, *multipliciter contemnendo*, *fecit eum citari publicè*, *ac præconizari.*

† Pag. 383.

Præmio, pro *præmio adficio*, vel *dono*; *præmium do*, aut *tribuo*. *Præmiator* tamen rectum: sed pro prædone. Quomodo usus est Nævius apud Nonium. Imò & *præmiari* est apud Tranquillum in Tito cap. VII. Sed Palleratius *prædari* istic legendum putabat.

Prædorari juniorum est, ubi veteres simpliciter *odorari*.

Prænosticare dicunt barbari, pro eo, quod Cicero in I de Divinat. *præsentire*, *atque divinare*. Walsingamus in Richardo II *: *Prænosticans proculdubio*, *Martyrem nolle eos dominos*; *sed velle dominari*, *ut hactenus*, *super eos.* Nisi *pronosticans* scripsit, pro prognosticans. Vide *Pronosticare*.

* Pag. 261.

Præposterare, invertere; non ordine, sed præposterè agere. Est in Gemmæ Vocabulario.

Præputiare in eâdem exponitur, præputium adimere. *Præputiari* igitur illi fit, quod Juvenali *præputium ponere*, vel *ducere*: aliis *verpum fieri*.

Præsagare, pro *præsagire*, est apud Baldericum Noviomensem in Chronico. Poterat *σφάλμα* librarii videri. Sed in Vocabulario Gemmæ itidem legas: *Præsagiare*, & *præsagare*, *idem ac præsagire.*

Præsulare, præsulis dignitate fungi. Anonymus Msus in vita S. Gundulfi †, qui temporibus claruit Guilhelmi Conquæstoris, an. CIↃLXXVII: *Redduntur* & *eidem possessiones quædam Roffensis Ecclesiæ*; *quas*, *præsulantibus Antecessoribus suis*, *Lanfrancus in sua tenuerat ditione.*

† Apud Seldenum in Notis ad Eadmerum pag. 197.

Prætaxari, priori loco tangi, dici, memorari. Petrus Blesensis serm. III, qui in Festo habitus S. Nicolai: *Utatur ad hos debiles mater Ecclesia verbis prætaxatis.* Idem

serm.

serm. XXVIII, qui in Festo S. Augustini: *Revertamur ad historiam prætaxatam, quæ insinuat nobis tria.* Similiter S. Bernardus serm. XXIII in Canticum Cant.

Prætitulare, vide inferiùs *Titulare*.

Pravare simplex in Gemmæ vocabulario se offert. Sed veteres, ut puto, semper, *depravare*; uti & *depravatio*, ac *depravate*.

Presbyterari, in Gemma, pro esse presbyterum, presbyteri in Ecclesia munus sustinere.

Primitiare, ordiri. Petrus Blesensis epist. XX: *Omni petenti se tribuit. Munificentiam enim a tenera primitiavit infantia.* Similiter serm. XXI: *Dulce vehiculum est in via oratio fidelis, præcursor ad Dominum, primitians ei adventum adscendentis.*

Principiare, principium rerum esse: ut *principiatum*, quod aliunde principium sui habet. Pseudo-Ovidius in tertio de Vetula:

Ergo loqui liceat de primo principio, quòd
Sic est principium, quod non est principiatum.
Exempli causâ, sicut quidam posuerunt,
Ut bona principiet alter, reliquus mala.

Hoc est, ut deus bonus bonorum, malus malorum sit —— principium, ac causâ: sicut Magi Persici, & eorum exemplo Manes statuebat. Nonne verò mirum, qui tam miseros versus condat, sperâsse, se posse sic imponere lectori, ut Ovidius credatur? uti ostendunt illa lib. II:

—— *In nova formas*
Corpora mutatas cecini: mirabiliorque
Non reperitur ibi mutatio, quàm fuit ista.

Plura qui hoc de poëtastro desideret, videat, quæ diximus in opere de Poëtis Latinis.

Principior itidem barbarum est, pro instituor in principiis sive elementis seu religionis, seu artis, vel scientiæ alicujus. Quod Græcis est κατηχοῦμαι.

Principari, pro principem esse, principatum tenere, regnare. Julianus Archiepiscopus Toletanus in Historia regis Wambæ *: *Clarissimus Wamba princeps, quem dignè principari Dominus voluit.* Ac mox: *Illum se, nec alium, in Gothis principari velle, unitis vocibus intonant.* Vita S. Lenogisili Confessoris † cap. III: *Eâ tempestate, quando Clotarius genti Francorum principabatur.* Sigebertus in Chron. *Judæus quidam maleficus promittens Gisæ eum XL annis principaturum, suadet ut in toto regno suo Dei sanctorumque imagines deponi edicat.* Agnoscit & Gemma.

* Tom. Historiæ Franc. Script. p. 821. edit. Andr. du Chesnes. † Apud Bolland. 13 Jan.

Prisere est prensare, prehendere, invadere: à *prisum*, pro *prinsum*, seu *prensum*, hoc est, prehensum: unde *prisona*, pro prehensione, vel loco, ubi prensi, capique, detinentur. Childeberti, & Lotharii pactum cap. VI: *Si servus minus tremisse involaverit, & malâ sorte priserit; dominus servi tres solidos solvat, & servus ille ccc ictus accipiat flagellorum.* Decretum Chlotarii cap. VII: *Si malâ sorte priserit; latro est tamen.* Similiter L. L. Longobard. lib. I tit. XXIX, leg. XIII: *Si liber, aut servus, voluerit foras provinciam fugere, & judex, aut quicunque in finibus provinciæ residens, eum priserit; teneat eum.* Ita Goldastus, & Clemangis editor. Sed pro *priserit*, in illa Lindenbrogii est *comprehenderit*: fortè ex glossemate. A *prisere* est *proprisere*, invadere. Lex Ripuar. tit. LXXV: *Siquis caballum, hominem, vel quamlibet rem, in via propriserit, aut eum secutus fuerit; per tres marcas eum ostendat.* Similiter Capitularis Ansegisi, & Benedicti Levitæ, lib. V cap. CXL, & Collectionis veterum formularum Bignonianæ, cod. ult. cap. XII, cujus lemma, *Notitia de cruce evindicata.* Pactum regis Ludovici cum Ludovico consobrino, apud Aimoinum lib. VI cap. XXXVIII: *Si aliquis nostrorum fidelium de regno patris sui purprisum habet, jussu nostro illud dimittatur. Purprisum*, pro *proprisum*, hoc est, vi occupatum. Pro *proprisere* etiam dicitur *proprindere*: de quo inferiùs dicetur.

Privilegiare, privilegium dare. Petrus Blesensis epist. LXXXII: *Ut quid in alienam injuriam terras, & nutrimenta vestra, privilegiari facitis?* Et epistola XC: *Nec blandiatur sibi aliquis, quod per privilegium Romana Ecclesia ab inobedientia excusetur. Deus, apud quem melior est obedientia, quam victima, quicquid emancipet, aut privilegiet homo, inobedientiam detestatur.* Hinc *privilegiati*, qui Ulpiano *privilegiarii*.

Procamio, procambio; ut & *cabium*, pro *cambium*, *concamium*, pro *concambium*, dixere: nempe à *cambire*, pro commutare. In fundatione cœnobii Cluniacensis, verba hæc Wilhelmi legas: *Neque aliquis Principum secularium, non Comes quisquam, nec Episcopus quilibet, non Pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum, & in Deum, omnesque Sanctos ejus, & tremendi judicii diem, contestor, & deprecor, ne invadat res ipsorum Dei servorum. Non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet aliquam personam; non aliquem prælatum super eos, contra eorum voluntatem, constituat.*

Proficuit, profuit: pro quo & similiter dixere juniores, *proficuus fuit*. Joannes de Thwrocz Chronicorum Hungaricorum eâ parte, quæ est de Sigismundo Rege, & imperatore, cap. I *: *Sed quid proficuit solitaria manus defensio?* Et cap. IV: *Sed hæc fuga proficuit ei minimè.* Ita est in libris vett. Sed in editione Wechelianâ pro eo substituere *profuit*: Latinè magis; verùm, ut puto, aliter auctor scripserat.

* Pag. 120. Wechel. edit. an. 1600.

Prolificare, prolem gignere. Quid mirum, hoc si damnem, cùm nec probem satis fontem, unde venit? *Prolificus* dico; de quo actum lib. I cap. XIX.

Prolito, à *lito*; ut Plinii *prolibo*, à *libando*. Usus est Zeno Veronensis † in vita S. Arcadii: *Cogebatur Christi populus vanis * superstitionibus interesse, atque in cultus nefandis ritus, nunc aut libamina incesta profundere, aut ornatas sertis victimas trahere, aut gravia nidoribus thura succendere, aut inter fumidos ignes, pallenti arvinâ, funesto sanguine, prolitare.*

† Apud Surium, & Bolland. 12 Jan. * Al. variis.

Pronosticare, apud Bekam, corruptum ex *prognosticare*; quod à προγνωστικὸν, hoc à προγινώσκειν, prævidere, ac prædicere. Vide superiùs *Pronosticum*, & *pranosticare*.

Propalare factum quidem à *propalam*; quod apud M. Cic. in I de Orat. Livium lib. XXV, & alios. Veteres tamen pro eo divulgare, palàm dicere, atque aliter. At Glossæ Philoxeni *propalare* interpretantur ἀναχωρίσαι, quod planè aliud.

Propriare, in Gemma, pro facere proprium, sibi uni vindicare.

Proprindere puto esse à *prendere*, pro *prehendere*; ut *proprindere* sit antè prendere, hoc est, priùs invadere. Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. VIII: *Potest fieri, ut aliquis de fisco regio, vel de rebus Ecclesiæ, aliquid proprindat, aut per fraudem obtineat.* Unde *proprisum*, & *res proprisa*, hoc est, ab alio invasæ. Ut in Collectione Benedicti Levitæ, Capitularis lib. V cap. CLX, cujus lemma; *De invasione alienarum rerum.* Caput ipsum sic habet; *De rebus proprisis, ut ante Missos, & Comites, & Judices nostros veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam, & antea nullus præsumat alterius res proprindere; sed magis suam caussam quærat ante judices nostros, ut diximus, & ibi recipiat, quod justum est.* Ab eopse verbo *prindere* etiam est *misprindere*; de quo dictum in Verbis origine barbaris. Item *interprindere*; de quo capite vidimus XI.

Prugire num corruptum ex *prurire*? quatenus Veneris appetitum designat. Lex Alamannica tit. XCIX §. I: *Siquis bisontem, bubalum, vel cervum, qui prugit, furaverit, aut occiderit; XII sol. componat.*

Pulverizare, in pulverem redigere, summissè adeò de se, vel alio, sentire, quasi nihil sit, nisi pulvis. Thomas Kempensis lib. III de Imitatione Christi cap. VIII: *Si autem me vilificavero, & ad nihilum redegero, atque, sicut sum, pulverizavero.* Est pharmacopœorum verbum penè ubivis locorum: ut ex hoc loco Constantinus Cajetanus parùm solidè probet, Kempensem potiùs Italum fuisse, quàm Belgam. Vult autem, auctorem esse Joannem Gersen, Abbatem Vercellensem, Benedictinum.

Puncta-

Punctare, & *punctuare*, punctis distinguere. Engelhardus in vita S. Mechtildis cap. III: *Dum ad lineas punctaret, subulam incautè trahens, oculum transfigit.* Guilielmus, eques auratus, in Hodœporico, sive libro de terra Sancta; ubi de mastiche in insula Chio: *Gummi est fluens de arboribus parvulis: punctuatur puncturâ instrumenti in cortice apertis tempore opportuno.* Sic *punctuatus* apud Thomam Walsingam, in descriptione Neustriæ. Scriptor incertus sub nomine Ovidii in primo de Vetula:

His punctaturâ tantum venientibus unâ.

Et mox:

Una quibus fit punctatura, duoque sequentes.

Et ibidem:

——*Succedunt appropiando*
Quatuor ad medios, quibus est punctatio sena.

CAP. XVIII.

De verbis, quæ à Q incipiunt. Quadrangulare, *figurâ quid facere quadrangulâ.* Quadrigare, *vehi quadrigis.* Quadripertior, *divido in partes quatuor.* Quartari, *deligere quartum quodque: ac videri non absurdè dici de Tragicis τετραλογίαις.* Quæstionari, *quæstiones adferre.* Quaternare, *quaterna jungere.* Quaternizare, *quadripartiri, vel potiùs dividere in quatuor partes.* Querimoniari, *conqueri.* Quinternizare, *canere certo instrumento musico.* Quitare, *fateri sibi à debitore satisfactum.*

EJusdem farinæ quædam se offerunt in verbis, quæ à Q initium ducunt. Aliqua ejus generis adferam.

Quadrangulare, τετραγωνίζειν, quadrangulum reddere. *Quadrangulare* non facilè dixero. *Quadrangulum* tamen non Plinii modò est; sed etiam Varronis Parmenone.

Quadrigare, uti & præcedens verbum, in Gemma habes. Dixero cum Tullio, quadrigis, vel curru quadrigarum vehi.

Quadripartior, vel *quadripertior*, τετραχῶς μερίζω. Agnoscit Gemma. Malim longè, in quatuor partes dividere. Etsi *quadripartitum*, vel *quadripertitum*, sit etiam Ciceronis *, ac Varronis †; cujus & *quadripartitio* *.

Quartari, quartum quemque legere. Glossæ Philoxeni: *Quartemur*, τεταρτολογηθῶμεν. De τετραλογίαις Tragicorum actum in libris de re Poëtica. Secundùm hunc Græcæ vocis usum, si novitas Latinæ non offendit, Tragicos dixeris *quartari*; quando, ut apud Laërtium est lib. III in Platone, τέτρασι † δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ἀθηναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις. Ac de Platone similiter loquar κατὰ * τὴν τραγικὴν τετραλογίαν τοὺς διαλόγους ἐκδοῦναι: ut est apud eundem Laërtium. Nimirum quia dialogos suos divideret in IX tetralogias; ita ut genuini in universum fuerint LVI.

Quæstionari, pro quæstiones movere, ut de omni penè argumento Scholastici solent. Est apud Cæsarium Haisterbach.

Quaternare in Gemma est. Malim quaternos jungere, vel chartam in quaterna complicare. De *quaternatis feudis* dictum lib. III cap. XL.

Quaternizare, facinorosum in quaternas partes dissecare. Thomas Walsingamus in Richardo II †: *Adjudicatus est tractioni, suspensioni, exentricationi, combustioni interiorum, decapitationi, & quaternizationi.* Idem in Hypodigmate Neustriæ *: *Expost decapitatus, & quaternizatus est.* Pro eodem, & magis barbarè, dixerunt *quarterizare*; unde Belgicum *kartieren*.

Querelare, vel *querelari*, generatim fuerit, querelas effundere. Arnobius junior, qui circa annum vixit quingentesimum, in Psalm. LXXVI: *Memorans præterita bona, de malis præsentibus querelatur.* Sed presse sumunt de querimoniis, & accusationibus contendentium in judicio. Sic usurpat Matthæus Parisius in Additamentis †: *Si videatur ei, quod pertineat* (negotium) *ad forum Regium, querelatur Judex qui confiteatur, se post interdictionem processisse, amercietur.* Item Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ *: *Eligantur hinc inde arbitri, qui si provideant, quomodo querelantibus satisfiat, & Rex Franciæ se obliget.* Usus & voce eâ interpres Methodii in sermonibus. Etiam in Hattonem, XV archiepiscopum Moguntinum, (quem ob avaritiam à muribus comestum Trithemus, quinquaginta post Hattonem annis, scripsit) est in codice Mso epigramma apud Serarium lib. IV rerum Moguntiacarum cap. II:

Parens, & infelix, quæ te dementia ludit,
Pauperibus Christi ut commoda nulla feras?
Cùm judex solùm hoc querelabitur ipse futurus,
Nescis quòd posthac te ultio dira premet?

Ubi & secundam in hoc verbo malè corripi videmus. Perperàm in Gemmâ, & alibi sæpe, per V scriptum *querulare*; quasi à *querulus* foret.

Querimoniari, querimonias effundere, vel jactare. Dialogus de statu S. Ecclesiæ †: *Tu ergo eo tempore querimoniari cœpisti, de quo psalmista canit.*

Quinternizare est in Gemmâ. Notat canere instrumento musico, quod vulgò vocant *quinternam*.

Quitare κατὰ συγκοπὴν è *quietare*, pro condonare debitum, vel satisfactum fateri, atque ita quietum reddere debitorem. Hoc verbum jam ante quadringentos annos fuisse in usu, vel fidem fecerint, quæ Radulphus Fornerius lib. VI Rerum Quotidianarum cap. XXVIII excerpsit ex veteri libro, qui in cœnobio S. Maximini adservatur. Vide superiùs * *Acquietare*, item lib. III cap. XL, in *Quietantia*.

CAP. XIX.

Itum ad verba ab R incipientia: ac primùm, prima ubi sequitur vocalis. Rabulare, *garrire instar rabularum forensium.* Radifico, *radices ago.* Rancere, *rancidum esse.* Rapporto, *refero.* Rapinari, *rapere.* Rareo, *raresco.* Rasare, *radere.* Ravit, *raucedine laborat.*

PLuscula quoque se offerunt verba barbara, quibus à litera canina initium sit. De iis nunc videamus.

Rabulare, instar rabularum de foro nimiâ verbositate ferire aures auditorum. Est in Gemmæ Vocabulario; atque inde Belgicum *rabbelen*.

Radifico in Onomastico exponitur ῥιζοφυῶ. Malim cum Tullio, & aliis, radices agere, vel capere, aut mittere radices: vel si unâ voce omnino exprimere visum, dicam cum Seneca, *radicescere*; aut cum Plinio, *radicare*.

Ranceo in eodem Onomastico transfertur εὐρωτιάω. Græcum notat situ obducor, mucidus fio, marcesco, putresco. Agnoscit & Gemma. Ac facilè credo, veteres *ranceo* dixisse; & inde esse *rancidus*, ut à *caleo*, *calidus*: sed obsolevisse videtur. Dixero igitur, *rancidus sum, vel rancidus fio.* Usurpatur de iis, quæ putrescentia gravem spirant odorem; item quæ vetustate saporem amittunt. At *rancare* aliud est: quo de tigridum voce utitur Philomelæ auctor.

Rapporto, pro reporto, refero, apporto; ut Gallis *rapporter*. Carolus VIII in Edicto de fid. instr. * *Ordinatum est insuper, quòd secretarii cancellariam Tholosæ insequentes, aliquas literas, quas signabunt, non rapportent.* Sic *rapportum* pro Gallico *rapport*, hoc est, relatio, renunciatio. Stil. Antiq. parlam. cap. XII: *Possunt superiorem suum in garendum vocare; nisi opponatur eis de falso rapporto facto superiori.*

Rapinari, pro rapere, barbarum. Flexum à *rapina*.

Rareo, *rarui*, in Gemma reperio. Sed agnoscit, non esse in usu. Nempe quia *calesco* est à *caleo*; eò judicatum, esse *raresco* à *rareo*: nec repugno, dummodo ne in usum revocemus.

Ratificare est in Concilio Pisano †, & alibi. Dicendum *ratum facere*. Perottus ait, veteres *ratare* posuisse, pro *rati-*

* De Invent. & in Verrin. ac Tuscul.
† Lib. 7. 8. 9. de L. L.
* Lib. 4. & 6. de L. L.
† Quatuor fabulis certarent; Dionysiis, Athenæis, Panathenæis, & Chytris.
* Secundùm tragicam consuetudinem quatuor certandi fabulis, suos edere dialogos.
† Pag. 354.
* Pag. 508.
† Pag. 201.
* Pag. 481.
† Inter Hincmari opuscula pag. 663. edit Paris. an. 1615.
* Cap. primo hujus libri.
* Pag. 196.
† Pag. 8.

ratificare; & inde esse *irritare*, pro *irritum facere*. Sed *irritare*, cùm mediam habeat porrectam, à *ratum* esse nequit. Potiùs credidero, esse ab *irrio*; quod canum, cùm provocantur; teste Nonio, ac Donato.

Rasare, à *rasum*, in Gemma est. Sed non occurrit idoneus scriptor, qui utatur. Rectum tamen *rasitare*; quod apud Agellium lib. III cap. IV. Ut videri possit & alterum aliquando fuisse in usu; sed obsolevisse.

Ravis in Glossis Isidori exponitur *raviè loquitur*, ubi reponendum *raucè*. Nam *ravis*, raucedo. Pro *ravire* dixero, raucum fieri, vel esse; item raucum quid sonare; unde Poëtis *raucisonus*.

CAP. XX.

De verbis à RE incipientibus, sequente aliquâ primarum octo literarum. Reagere, *resistere agenti.* Rebaptizare, *iterum baptizare: ubi & obiter de vocabulis* condiaconi, & compresbyteri; *quibus & simile* coëpiscopi. Rebellissare, *in obloquendo rebelles imitari.* Recapitulare, *summa rerum capita adferre.* Recensare, *recensere.* Recidivare, *recidivam pati.* Reciduare, *sæpius recidere.* Recommendo, & recompenso, *pro commendo, & compenso.* Recorparare, *reparare aliquam partem corporis malè affecti.* Recredere, *reddere.* Redebere, *obstringi ad reddendum.* Redentitare, *reclamare.* Redequito, *equo, unde veneram, redeo.* Redinserare, *iterum inserere.* Redoccare, *denuo comminuere.* Redoperire, *aperire.* Reduncare, *curvare.* Reduplico, *conduplico.* Referto, *nihili verbum, ab errore librarii.* Refibulo, *fibulam laxo.* Registro, *regero.* Regnifico, *regem facio.* Regratio, *gratias ago.* Rehabeo, *recupero.*

VEnio ad cœpta à RE syllabâ.

Reagere, & *reactio*, in scholis philosophorum non damnâro. Est enim vox idonea rei, quam illi signant. Alias malim, vicissim agere, resistere agenti in se. Similiter statuendum de *repatior*, & *repassio*, ubi passio est reciproca.

Rebaptizare pro eo, quod Græcis ἀναβαπτίζειν, est pervulgatum. Sed quid opus uti voce compositâ ex Latina, & Græca; cùm liceat dicere, *iterum*, vel *denuo baptizare*? Scio interim, multas id genus hybridas voces obtinere, præsertim apud Ecclesiasticos; quibuscum nolim litigare de verbis. Talia sunt *condiaconus*, & *compresbyter*. Ea nec Augustinus refugit epist. LIX, quæ ad Paulinum *coepiscopum*. Sic enim vocat.

Rebellizare, vel potiùs *rebellissare*, in Gemma exponitur contradicere. Credo, ut *patrisso*, patrem imitor: ita finxere *rebellisso*, pro obloqui, & opponere se, ut solent rebelles.

Recapitulare, ut Græci ἀνακεφαλαιοῦν. Gennadius Massil. in vita Vincentii Lirinensis: *Recapitulato ejus paucis sermonibus sensu.* Hincmarus vel alius, in dialogo de statu S. Ecclesiæ*: *Peto recapitulari breviter ea, quæ prohibentur, ut ad concessa postmodum veniamus.* Amalarius de divinis Officiis: *Desideramus recapitulare omnem ornatum clericorum.* Hoc est, quasi per capita, & generatim referre. Amalarii ea verba legas quoque apud Fulbertum Carnotensem epist. LXXIX. Vide & quæ de hoc diximus Oratoriarum institut. lib. III, cap. VI, sect. 1.

* Inter Hincmari opuscula, pag. 954. edit. Paris. an. 1615.

Recensare, in Gloss. Mssis exponitur numerare. Puto, rescribendum *recensere*. Nisi simile sit, ac *redinserare*; de quo inferiùs.

Recidivare apud Cæsarium Haisterbachensem, & in Gemma, pro relabi, denuo incidere in delictum, aut morbum: quomodo febres dicuntur *recidivæ*. In Glossario Mso reperio, *reciduare*, *restaurare*. Puto & hic legendum esse *recidivare*: nam hoc sit instaurare: quomodo Maro in quarto magni operis ait, *recidiva ponere Pergama*: hoc est, recidivare Trojam. *Recidivatum animæ* legas apud Tertullianum lib. de Resurrectione animæ cap. I, XVIII, XXX, & LIII.

Reciduare in Gloss. Mssis exponitur sæpius cadere: ut *reciduus*, sæpe cadens. Nempe *reciduare* fecerint à *reciduus*, hoc à *recido*: quomodo à *cado*, *caduus*; à *pasco*, *pascuus*; ab *irrigo*, *irriguus*. In iisdem glossis etiam *reciduare* idem esse dicitur, ac *restaurare*. Sed de eo jam in superiori verbo egimus.

Recommendo obtinet pro *commendo*, more Gallico. Ac similiter *recompensare*, pro compensare, vulgatum; at parùm Latinum.

Recorporare Cælio Aureliano, pro recreare partem corporis malè affectam.

Recredere, reddere, restituere. Incertus scriptor veterum formul. cap. I: *Ipse homo in præsenti pro colono ad casam sancti illius, vel ipsius Abbatis, recognovit, vel recredidit.* Ivo epist. CCLXXV: *Dicet Comes, quod libenter reddet, aut recredet Comitem Nivernensem.* Etiam Bignonius adducit ex veteri instrumento in tabulario S. Martini Turonensis an. III Rodulfi R. *Et sic ex ipsis decimis sese recredidit, & per fistucam guerpivit* †.

† Guerpir idem ac gurpire: de quo lib. 2. cap 23.

Redebere, obligari ad reddendum. Legas in Formulis à Lindenbrogio editis CLXXIII, & seq. Falli arbitror, qui idem esse ajunt, ad *redhibere*.

Redentitare in Glossario Mso nostro exponitur, iterum atque iterum clamare. Quid si à *dente* sit, ac notet remordere, dente vicissim aliquem petere, vel rodere, genuinum in aliquo frangere?

Redequitare, retro equitare, sive eâ equitantem viâ reverti, quâ & antè equo veneris. Fulbertus Carnotensis epist. XXI: *Hac ille non gratanter accipiens ad Comitem* (Theobaldum) *redequitat.*

Redinserare in Gloss. nostris Mssis exponitur, iterum inserere. Fortè scribendum *redinserere*, vel potiùs *redinsertare*. Nam *insertare* ipsius est Maronis.

Redoccare, scindere; ut est in Glossis Mssis. Propriè idem, ac iterum occare; hoc est, denuo glebas comminuere, & confringere.

Redoperire, aperire; ut est in Gloss. nostris Mssis.

Reduncare in glossis Msis membranaceis exponitur curvare. Nempe idem, ac reduncum facere.

Reduplico non dixero; sed conduplico.

Referro in membranaceis nostris glossis ineditis exponitur *impleo*. Ac subjicitur versus iste Marbodi:

Si fur plaustra domus spoliis, gazisque, referret.

Ubi Marbodum vocat, qui vulgò Marbodæus Gallus Cænomanensis, ac carmine de gemmis, & lapidibus pretiosis scripsit. Eum scriptorem cum scholiis suis ante seculum edidit Alardus Amstelodamensis. Sed pro *referret*, editum *referta*. Locum, è capite de Magnete, apponam:

Si fur claustra domûs spoliis, gazisque referta,
Ingrediens, prunas ardentes per loca ponat,
Et super adspergat magnetis fragmina prunis,
Ut per tetragonum fumi vapor alta vaporet;
Mentibus eversis, velut impendente ruinâ,
Diffugient omnes, in eâ quicunque manebunt;
Et fur securus rapiet, quæcunque libebit.

Hic sanè si *referret*, à *ferro*, scripserit Marbodæus; non pro *impleo* capi oportebit, sed pro *referet*. Verùm sententia omnino exigit *referta*: ut editum ante seculum ab Alardo, quem dixi, viro eruditionis non aspernandæ.

Refibulare invenio apud juniores. Verùm licet *fibulare* sit Columellæ, *infibulare* Celsi in septimo cap. XXV: *refibulare* tamen non arbitror veteres dixisse. Quare malim, fibulam laxare, solvere, aut simile.

Registro displicet. Dixero, in codicem, vel tabulas refero. Vide, quæ de *registri* voce attuli lib. III cap. XLI.

Regnifico, regnare facio. Lucifer Caralitanus libro de regibus Apostaticis: *Regnificarunt eum in Israël.* Hoc est, ad regiam dignitatem evexerunt.

Regratiare, pro gratias agere, est apud Cæsarium Haisterbach. Similiterque Philippus Mazzerius*, Cancellarius regni Cyprii, in vita S. Petri Thomasii, patriarchæ Constantinop. cap. VI: *Vale ergo Regi, & Reginæ faciens, ipsis regratiando de beneficiis, ad viam Jerusalem se*

* In vitis SS apud Bolland. ad 29 Jan.

se disposuit. Etiam apud Petrum de Vineis lib. III cap. XLVII, lemma est tale: *Regratiatur communi Mutinensi, dolenti de casu regis Sardiniæ.* Item apud Walsingamum Hist. Angl. sub Richardo II*: *Eâ horâ Regina fuit adducta ad tentoria Regis nostri. Rex Franciæ donavit eam Regi nostro, quam Rex noster cepit per manum, & osculabatur eam, regratiando patri suo Regi Franciæ de dono tam honorabili, & gratioso.* Thomas à Kempis de imitatione Christi lib. IV cap. XII: *Ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficiis ejus, nisi se humiliando, & ei regratiando.*

* Pag. 353.

Rehabere, recuperare, recipere. Joannes Thwrocz in Chronicis Hungaricis an. CIƆCCLXXV, sive cap. LXXVI: *Cujus* (Belgæ Regis) *corpus Philippus, archiepiscopus Strigoniensis de ecclesia memoratâ auferri exhumando fecerat contra jura, & in sua Ecclesia Cathedrali indebite tumulari. Super quo facto, coram summo pontifice caussâ diutius ventilatâ; fratres minores, cum honore maximo, rehabere ex integro meruerunt.*

CAP. XXI.

De cæteris à R E inchoatis. Reincipere, *ordiri.* Reintro, *iterum intro.* Rejuvenesco, *recipio faciem ac vires juventu.* Relucido, *illumino.* Remando, *iterato mando, indicium facio.* Remendo, *corrigo.* Remedior, *remedium adfero.* Remeliorare, *restituere pristinæ integritati.* Remoneo, *commoneo.* Renego, *abnuo.* Renovellare, *renovare.* Repaginare, *denuo componere artus ac membra.* Repatriare, *in patriam reverti.* Repausare, *pausam facere.* Repluere, *abundare.* Repsudit, *à librario corruptum fortè ex recidivat. Tutius multò* instauro *dici, quàm* restauro. Resolidare, *vulnerare.* Restare, *sistere.* Revadiare, *vel rewadiare, vadem se constituere.* Reversare, *denuo circumagere.* Revestiri, *pristino honori restitui.* Revitare, *à librario corruptum ex obsoleto* rebitere. Reunio, *unitatem facio.*

REincipio, pro incipio, sæpius est apud Thomam Walsingamum, Hist. Angl. scriptorem, in Richardo II, & alibi. Nec simile est, ac *redordior.* Nam hoc Plinio est orsa retexere, seu dissolvere.

Reintrare, regredi, redire, unde sis egressus. M. Joan. Thwroczius Histor. Hungar. an. CIƆCCCCXXXVIII cap. XXV*: *In claustrum S. Joannis Evangelistæ, unde exierat, reintravit.*

* Pag. 138. edit. Weckel. a. 1600.

Rejuvenesco non dixero lubens, quandoquidem veterum auctoritate destituor. Malim igitur *renascor, revivisco, recipio faciem* vel *formam juvenilem*, aut *vires juventutis*, vel aliter, prout argumentum requiret.

Relucidare in Glossis membranaceis MSS exponitur *relucere.* Origo tamen exigit, ut potiùs signet lucem affundere, vel luce convestire.

Remando, & *remendo*, barbara sunt, ac significatione differunt. *Remando* est à *mando:* ac cùm *ἀναλόγως* accipi posset pro iterum præcipere; *συνεκδοχικῶς* posuere pro significare, sive alicujus facere certiorem. Priori modo usurpat vetus Scripturæ interpres Esaiæ XXVIII. 10: *Quia manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta; exspecta reexspecta; modicum ibi; modicum ibi.* Pro, præcipe, ac ubi id egeris, iterum, iterumque præcipe. Ut imitetur prophetes sermonem eorum, qui riderent verba sua, mandata Dei annunciantis. At posteriori ratione usurpat Petrus Mauricius, cognomento Venerabilis, Cluniacensium abbas lib. I epist. II: *De statu domini Papæ, & vestro (quem prosperari, tam pro communi utilitate, quam pro vestra requie, avidissimè desidero) mihi, quod est, remandate; ut cognitis, quæ circa vos sunt, aut congaudeam, aut collaborem.* Item epist. XXIV: *Tractatum autem B. Hilarii super Psalmos ideo non misi, quia eandem in nostro codice, quam & in vestro, corruptionem inveni. Quod si & talem vultis; remandate, & mittam.*

Remendo autem est ab *emendo*; uti hoc à *menda.* Unde Onomasticum; *Remendo, ἀνορθῶ.* Sed ab *emendo* *ἀναλόγως* foret *reemendo.* Calepinus tamen, ut è veteribus editionibus cognoscere est, Columellam sic loqui putavit lib. III. cap. XVII. Nempe legit, *Tale oleaster remendaverunt:* ubi nunc è melioribus libris*, *taleolas terra mandaverunt.*

* Ut edit. Ascfani. Joa. Parvi, Rob. Stephani.

Remediari, pro curare, mederi, est apud Joannem Saresberiensem lib. VIII de Nugis Curial. cap. VIII: *Unde & morbi ex saturitate nimia concitantur, multique impatientiam gulæ vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpiùs egerunt.* Mirum verò & legi apud Scribonium Largum in epist.

Remeliorare, corrigere, reficere, restituere. M. Joannes Thwrocz in Chronicis Hungaricis, in temporibus regis Stephani cap. XXXI: *Fracturas, sive scissuras parietum ac tectorum, perspicacibus oculis, & morosè inspiciebat; & statim remeliorari procurabat.*

Remoneo non puto, pro iterum moneo, vel *ἁπλῶς* commoneo, legi apud ullum Appuleio antiquiorem. Hujus est Metam. lib. VII: *Hic benevolè remonebam.*

Renego, pro *nego*, *denego*, planè culpandum.

Renovellare, pro *renovare.* Optatus lib. I †: *Hoc modo iterum renovellatæ sunt partes.* Sermo est de recrudescente Carthagine schismate Donati. Ut à *novus*, *renovo*; sic à *novellus* fecit *renovello.*

† Pag. 21. edit. Casaub.

Repaginari, denuo sociari ac compingi. A *πήγω*, pago, hoc est, pango, est *pagino.* Unde *pagina*, & *repaginare*, quasi repingere, vel compingere, dicas. Petrus Chrysologus serm. LXII in Symbolum Apostol. *Hoc est totum fidei documentum, si carnem, quæ corrupta est, quæ putrefacta est, quæ periit, per Deum resurgere, repaginari, ridere posse credas; quem posse omnia, quando omnipotentem confessus es, tunc jurasti.*

Repatriare, pro patriam repetere. Bernardus Claræ-vallensis in vita S. Malachiæ, Hiberniæ episcopi*: *Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus prosequimur amicum repatriantem.* S. Ealredus, sive Aelredus, in vita S. Eduardi Confessoris, Angliæ Regis, cap. IX: *Cùm summâ prosperitate vos repatriaturos non dubitetis.* Usurpant quoque Cæsarius Halberstatensis, Matthæus Parisiensis †, Rogerus Houedenus, Guilhelmus Malmesburiensis* Chronicon Cisterciense †, Beka in vita Guiljel. epis. I. Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis an. CIƆCCLXXXV, sive cap. LXXX: *Sed nihil in rege proficiens repatriavit.* Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis, cap. VI §. XXIX: *Quia enim repatriaret assertor veritatis, lætabatur: sed supra modum dolebat, quòd tanti viri præsentiâ privabatur.* Habes & apud Guil. Neubrigensem in elencho, sive summâ cap. XIII lib. III: *Quomodo Patriarcha, infecto negotio, repatriavit.* Ita sunt in MSo codice, quem primus editor Guilielmus Sylvius anno CIƆIƆLXVII expressit. Sed hodie in editis deficiunt, quæ de eo scripsit Neubrigensis. Eoque opere fecerit, qui suppleat feliciores MSSos nactus. Nec mirum eos usurpare, cum nota hæc fuerit vox jam Solini temporibus. Ejus est: *Aliquot leonibus obvii* (vel potiùs *obviì*) *intacti repatriaverint.* Unde & Isidorus lib. Origin. XII cap. II: *Prostratis parcunt, captivos obvios repatriare permittunt.* Isidori Glossæ: *Repatriat, ad patriam redit.*

* Column. 1957. edit. Antverp. an. 1609.
† Leges & col. 1943 vers 9.
* In Ioanne, pag. 229.
* Pag 38.
† Pag 61.

Repausare, pausam facere, quiescere. Usurpat Guilhelmus Malmesburiensis*. Uti & Joannes Turocius Chron. Hungar. part. cap. LVI †: *Cumque venisset ad quoddam nemus magnum; dixit suis, ut pro recreandis equis paulùm repausarent.*

* Pag 39.
† Pag. edit. Wechel. a. 1600.

Repluit propriè foret rursum pluit: quia verò, si iterum iterumque pluat, redundant aquæ; eò Isidorus in Glossis: *Repluentibus, redundantibus.* Et Papias: *Repluit, abundat.*

Repsudit in Glossis Philoxeni exponitur *ἀνταποδίδωσι*, hoc est, redit, recurrit. Sic enim quandoque Græcum illud accipi, ex Phrynicho* constat. Itaque placet con-

* In Eclogæ vocum Atticarum.

conjectura Martinii, pro *repsudit* legentis *recidivas*; quo de verbo superiùs diximus.

Resolidare, vulnus infligere, in Legg. Longobard. lib. I. tit. VII. leg. VIII.

Restare, facere ut aliquis cogatur subsistere. Est à *stando*: nisi malis dici pro *arrestare*, ex Gallico *arrester*; quod notat retinere, gradum, vel impetum alicujus sistere, manum homini injicere.

Restaurare non dixero; sed *instaurare*: nec ævo Augusti quisquam aliter locutus. Hoc movit Claudium Verderium, suâ in varios scriptores Censurâ, ut esse Latinum negaret. Improbat quoque Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæstionum *. Imò etiam Cæsar Scaliger adversus Cardanum Exercitat. CCXCV † ait: *Medicorum libri ἰσαρ-ξάρωσιν te, Cardane: qui non semel infelici verbo restaurare uteris*. Sed asperior hæc censura, quàm vellem. Nec enim solùm sic loquuntur recentiores Medici; verùm & veteres Jurisconsulti: ex quibus solis Latinam linguam, si deperiisset, instaurari posse ajebat Laurentius Valla. Sic apud eos legas, *Restaurari artes*, L. XIV. D. qui in fraudem. *Restauratio servitutis*, L. VII. D. de feudo dotium, & eremodicii. L. VII. §. ult. D. de minoribus. item *restaurare accusationem*, L. IV. D. ad leg. Jul. de adult. *restaurare litem*, L. XXIX. §. I D. de minoribus. *restaurare actionem*. L. XXXVII. D. de noxalibus. & alia alibi non semel. Quid verò dico Jurisconsultos? Etiam Justini est lib. II: *Interea & Darius, cùm bellum restauraret, in ipso apparatu decidit*. Et alibi: *Ita factâ societate, & auxiliis Gallorum auctus, bellum, velut ex integro, restaurat*. Neque istoc Verderius nescivit; sed ut supercilium hominis videas, IMPERITISSIME ita Justinum loqui ait, & sine exemplo. Ut disertim sic alios loqui neget. At quid si aliquis contendat, eo verbo Trogum esse usum, cujus ἐπιτομὴν scripsit? Is verò Augusti ævo vixit. Verùm neutiquam puto, tum hoc pacto locutos. Interea priores esse secutum, arguit, quòd Justino antiquior Tacitus usurpat. Ut lib. III Annalium: *At Pompeji Theatrum igne fortuito haustum, Cæsar exstructurum pollicitus est, eo quòd nemo è familiâ restaurando sufficeret*. Et lib. IV: *Et Segestani ædem Veneris, montem apud Erycem* (malè vulgati, *Erycum*) *vetustate delapsam, restaurari postulavere*. Aliquis contendat, sic Cæsarem ipsum loqui lib. I de bello Gallico, ubi vetus codex habet: *Vicosque, quos incenderant, restaurare jussit*. Sed non huic insistam. Verius enim censeo, *restituere*: quod in vulgatis, imò & optimæ notæ Mssis, reperio. Potiùs igitur expendam, quæ pro hoc verbo de origine ejus dissertant. Ajunt, *instauro*, & *restauro*, esse à *stauro*; hæc à σταυρὸς, non prout crucem notat, sed palum †, à στάω, sive ἱστάω, vel ἵστημι. Vel ἀμέσως venire à *sto*, ac idem notare *stauro*, quod stare facio. At quanto verisimilius, venire *instauro* ab *instar*; ut propriè sonet, ad prius instar, sive pristinam similitudinem, reficio. Ita Varro, Festus, Isidorus: nec aliter quisquam veterum. Qui ab optimo ævo recesserunt, *restaurare* dixere, pro *reinstaurare*. Imò & *præstaurare*, pro *præinstaurare*, usurparunt; si stare liceat autoritate Diomedis, qui eo usus pro præstruere. Ita enim scribit lib. I: *Secundo verò suo usu materiam præstaurat primò dicenti*. Sic igitur statuimus, nihil caussæ esse, cur dicamus *restauro*, cùm nulla urgeat necessitas, ut deteriora usurpemus, ubi in promtu certa, tutaque.

Retari, irretiri. Philippus Franciæ Rex in Charta Rhotomagensi *: *Volumus etiam, ut nullus eorum possit retari de usura, nec jurea fiat super eum, vel super hæredes ejus*.

Revadiare, seu *rewadiare*, est à *vadium* sive *wadium*, hoc est, pignus; id verò est à vocabulo *vadis*. Itaque *revadiare* est vadis instar debitorem se agnoscere. Frodoardus in præceptione Caroli R. lib. III cap. IV: *Jubemus, ut quisquis aliquid tenore aliquo ex prædictis rebus tenere, vel possidere cernitur, nonam, & decimam, in Missorum nostrorum præsentia, Misso Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, vel sancti Remigii Remorum, sive Hincmari venerabilis, revadiet, & annis singulis ad eandem præfatam, & memoratam Ecclesiam persolvere, absque ullius occasionis contradictione, cum omni vigilantia studeat*. Ut verò *revadiare*, sic & dixerunt *invadiare*; de quo superiùs vidimus.

Reversare, pro denuo versare, vel iterum in orbem agere. Thomas Kempensis lib. III de Imitatione Christi c. XV: *In manu tua sum; gyra, & reversa me*.

Revestiri, dignatione principis restitui pristinæ dignitati. Legg. Wisigothicarum lib. XII tit. I leg. III: *Quos Celsitudo nostra una cum filiis, per hujus nostræ Legis edictum, & testimonio nobilitatis pristina uti, & rebus, quas per auctoritatis pristina vigorem perceperint, decernimus revestiri*. Similiter postea Leg. XXVII. At in LL. Alamann. Leg. XIV *revestiri* dicitur, qui induit sacrum habitum, quo in templo fungitur officio.

Revitare, in glossis Isidori exponitur reverti. Puto, legendum *rebitere*: quod est redire, à *bitere*, ire; ut *perbitere*, perire, apud Plautum. Vide, quæ dixi Oratoriarum Institut. lib. VI cap. I. sect. VII.

Reunio, pro unitatem facio, est apud Manethonem Sebennitam, si audimus doctissimum Matthiam Martinium †: ut qui inde citet in Etymologico: *Balthassare interfecto, reunitam monarchiam in Persas transtulerunt*. Sed Manethos genuinus Græcè scripsit: iste Manethos, unde hæc citantur, supposititius est fœtus Annii Viterbiensis. Imò neque sic Manethos, sed Metasthenes Annii, qui dici debuit Megasthenes *.

CAP. XXII.

De ordientibus ab RH, vel RU. Rheumatidio, & rheumatizo, *fluxione, sive distillatione laboro*. Rhythmizare, *rhythmicorum more scribere*. Romanizo, *sævio*. Rubiginare, *rubiginem contrahere*. Rubricare, & rubificare, *rubefacere*. Rudio, *erudio*. Rumigero, *divulgo*. Rumigo, *rumino*.

RHeumatidio sæpius pro ῥευματίζω legas apud medicum Theodorum Priscianum. Ut; *si oculi rheumatidiaverint*; qui Græcè ὀφθαλμοὶ ῥευματίζοντες, vel ῥευματιζόμενοι, ut Dioscorides loquitur. Latinè dixeris, fluxu, vel fluxione, vel distillatione laborantes.

Rheumatizare, à Græco ῥευματίζειν, quod itidem Latinè sit fluxione laborare; à ῥεῦμα, fluxio; unde & Gallis *rheume*. Sic ῥευματικὸς Gallis *rheumatique*. Sed *rheumaticus* nec Plinius refugit. At *rheumatizare* non dixisset. Sanè ubi Dioscorides de elatine ait, φύλλων πλήρης στυφόντων ἐν τῇ γεύσει· δύναμιν δ' ἔχει ῥευματιζομένοις ὀφθαλμοῖς ὀφθαλμοῖς: id Plinius vertit: *Acerba gustu, & ideo oculorum fluxionibus efficax*. At non aversatur Fulbertus Carnotensis epist. LXXXIII: *An morbus reumatizantis, & nauseantis stomachi*.

Rhythmizare, à Græco ῥυθμίζειν, in Glossis nostris membranaceis exponitur modulari. In Gemma pro eo est *rhythmari*. Id quod Belgæ dicunt *rymen*.

Romanizare, in Gemma exponitur, tormentis subjicere, trucidare. A sævitia est Romanâ in martyres, vel gentes devictas.

Rubiginare, rubigine obduci, apud Appuleium lib. III Florid. Onomasticon: *Rubigino*, ἰώμαι.

Rubricare, in Glossis nostris Mssis, pro rubore inficere, sive rubefacere; quod apud Silium lib. XVI. Utitur priori Petrus Blesensis epist. V: *Ecclesia dignitates, quas gloriosus martyr rubricaverat sanguine suo*. Imò jam obtinuerit ævo Claudiani: ex quo citant,

—— *rubricaverit ensem*.

Etiam *rubifacere* pro eo est in Glossis nostris Mssis.

Rudio, pro erudio, legas in primis Calepini editionibus. Item in Onomastico est: *Rudio*, ἐκπαιδεύω. Et aliquando obtinuisse, arguere videtur vox *rudimentum*.

Rumigero, divulgo. Glossæ in Cyrilli calce inventæ: Θρυλλῶ, *rumigero*, *vulgo*. Non memini legere alibi.

Sed

* Pag. 239.
† Pag. 633.
† Hanc stauri significationem pro stipite etiam Gemmæ auctor agnoscit, & duobus incerti versiculis originem utriusque verbi inde adstruit.
* In Chartis Ducum Normanniæ, & Regum Franc. pag. 1063.
† In Etymologico.
* Utrumque esse supposititium scriptorum, abunde ostensum opere de Historicis Græcis, ac Latinis.

Sed *rumifero* pro eo est apud Plautum Amphitr. act. II sc. II:

Quamque adeò cives Thebani verò rumificant probam.

Ita est in omnibus penè Mss, & editis. Nonius tamen legit *rumiferant*.

Rumigo non ausim dicere, sed *rumino*; etsi utrumque ἀναλογίᾳ nitatur. Appuleius tamen lib. IV Met. *Tunc ventri tam profundo serviens, jam ferme tertium qualum rumigabam.* Papias; *Ruma, gula, unde rumigare. Ruma* est apud Varronem †; & inde *agni subrumi*.

Rusare est apud Papiam; sed corruptum è *rugare*. Plautus Casinâ act. II. sc. III: *Vide, palliolum ut rugat.*

† Lib. 2. de R. R. cap. 11, item Cat. sive de liberis educ.

CAP. XXIII.

De auspicantibus à syllaba S A. Sabbatizare, *septimo die requiescere.* Sacire, saicire, saisire, *possidendum dare.* Sacrilegare, *sacrilegium admittere.* Sagiminare, *in arvina, seu sebo, coquere.* Sagmare, *onus imponere jumento.* Salvifico, & salutifico, *salvo.* Samiare, *acuere.* Sanctire, *sancire.* Sannare, *subsannare.*

AB iis, quibus initium facit litera canina, ad ea nunc venio, quibus idem præstat illa θηριώδης, ut vocat Halicarnassensis, hoc est, serpentina, seu viperina. Ac primùm adferam, ubi post S consequitur princeps vocalis.

Sabbatizare Tertulliani est adversus Judæos. Sed malim, septimo die requiescere, feriari, sabbathum observare more Judæo.

Sacire à Gallico *saisir*; nisi hoc ab illo. Notat apprehendere, occupare, possidendum dare. Ac pro eodem, cum alterâ vocali, dicitur *saicire*; unde *saisina*, vel *seisina*; de quibus omnibus lib. II cap. XV actum, in verbis barbaris barbaræ originis. Sed hujus etiam loci videri possit, si Gallicum *saisine* factum sit à *sessione*. Sanè jungi solent, *saisine, & possession*. Ac *possidere* dicitur ex eo, quòd quis sit *potis sedere*, hoc est, sedem ac domicilium figere. Ut Belgæ à *sitten*, quod est sedere, *besitten* dicunt, pro possidere. *Sacire* per *c* habes in Formulis Solennibus num. XXIX: *Ut ipsas nec vendere, nec donare, —— nec ad proprium sacire, nec heredibus meis in alode relinquere, —— pontificium habeam ad faciendum.* Ac prope eadem verba legas formulâ sequenti. Sic form. CL: *Ipsam terram ad proprietatem sacire.* Sed frequentiùs in aliis scriptoribus reperio *saicire*; cujus rei varia superiori libro exempla adduximus. Similiterque in vita Karoli, Flandriæ Regis, cap. XXXVIII: *Totum feo lum ejus saicivit.* Item *saisire*. Ut in Chartis Ducum Normannorum, & Regum Franciæ *: *Dimittet idem Rex tenementa illa, de quibus prædicti à die saisiti erant, si venerint ad hominagium, & servitium ipsius Regis.* Et paullo pòst † similiter. Ac post multa *: *Item diximus per sacramentum nostrum de clerico, qui tenet laicum feodum. Quòd si clericus injuriosus existit domino, à quo tenet feodum super feodo illo: dominus feodi potest saisire omnia catella clerici.*

* Pag. 1058.

† Eadem pag.

* Pag. 1060.

Sacrilego, sacrilegium admitto. Glossæ in Cyrilli calce inventæ: Ἱερόσυλος, *sacrilegus*. Ἱεροσυλῶ, *sacrilego*.

Sagiminare, in arvina, sive pinguedine, coquere; ut dixi lib. III cap. XLV. *Sagimen*, & *sagimentum*, porcorum pinguedo; ut exponit Gemma. Corrupta esse arbitror à *sagina*; unde *saginare*.

Sagittare, pro sagittam emittere, sagittâ ferire, rejecimus lib. I cap. XXIII. Nec agnoscit Cœlii Secundi Forum Romanum. Quamquam verò non optimæ sit notæ verbum: tamen nec improbæ prorsus. Utcunque enim nec Augusti ætate, nec toto postea seculo videatur fuisse in usu: tamen sub Antoninis obtinuit. Habes enim apud Justinum lib. XLI de Parthis: *Hos pari curâ, ac liberos suos, habent; & equitare, ac sagittare, magnâ industriâ docent.* Usurpat quoque Solinus cap. XXI, ac LXI. Glossæ Cyrilli in calce inventæ: Τοξεύω, *sagitto*. Quid mirum igitur, si reperias apud vulgatum Scripturæ interpretem Psalm. X. 2, & LXIII. 5? Legas quoque in actis Sebastiani: *Sub titulo Christianitatis jussus est ligari in medio campo, & sagittari.* Legg. Burgund. tit. XLVI: *Si servus ille fuerit sagittatus.* Comes S. Pauli epistolâ ad Lovanii sive Brabantiæ ducem †, quæ est apud Godefridum Monachum S. Pantaleonis, ad an. CIↃ CC III: *Exibant turrim, & introibant; sicut, & quando volebant, ad sagittandos nostros.* Ac postea: *Sarjanti in turri latitantes nostris gemitibus sagittando importunos faciebant assultus.* Joannes de Hesse, Trajectensis presbyter, qui paullò ante annum vixit CIↃ CCCC, præfatione Itinerarii sui: *In mari rubro vidi pisces volantes ad tantum spatium, quantum balista posset sagittare.*

† In scriptoribus rerum Germanicarum à Frehero editis.

Sagmare, onerare clitellis, à sagma: quod onus est jumenti sarcinarii. At σάγμα ἐστὶ ὁ σάττειν, quod est onerare.

Salvifico, salvo. Est in Gemma: atque usus vetus interpres Scripturæ Joan. XII. 27. & 47. Glossæ Cyrilli dictæ: Σωτηρία, *salvificatio, incolumitas, salus.*

Salutifico nihilo meliùs est: licet Christus *salutificator* dicatur Tertulliano lib. de Carne Christi cap. XIV, & de Resurrectione carnis cap. XLVII, item lib. V adversus Marcionem. Nempe *Salvatoris* vocabulum, ut videtur, necdum in Africa erat receptum. *Servatoris* verò vocem putavit non satis exprimere Græcum Σωτῆρος nomen. Quamquam hoc Græcum cùm signaret, *conservatoris* pro eo dixerit Tacitus in XV Annal. *Conservatoris sibi nomen Græco ejus rei vocabulo assumsit.* Vide, quæ de *Salvatoris* vocabulo inferiùs dicam in falsò damnatis.

Samiare, Nonii Marcelli ætate, dicebant, pro acuere: atque ait idem, hoc verbi esse ex eo, quòd *Samius* ponatur pro *acutus*. ut illo Lucillii:

Testam sumit homo Samiam. ——

quâ videlicet sibi præcideret virum, sive genitalia. Sed testa Samia hic dicitur, quæ ex Samo advecta. Quam acutam quidem esse oportuit, si eâ præciderentur testes. At non eò *Samius* idem, ac acutus; non magis, quàm ut eò acutum notet, quia Pythagoras Samius erat acutus: unde de eo Ausonius *:

Anticipesque tuum Samii Lucumonis acumen.

Interim rectè Nonius ait, *samiare* usurpatum pro acuere. Nam & Aureliani imperatoris est in quadam epistolâ: *Arma tersa sint, ferramenta samiata, calciamenta fortia.* Ac similiter *samiarius*, ἀκονητής †. hoc est, qui cote gladios, & similia, acuit. Sic & Mauritius * imperator σαμιάτωρας appellat. Sed ut hæc Nonio favent, *samiare* exponenti *acuere*: ita nihil juvant in eo, quòd *Samius* exponit *acutus*. Nam vera ratio est ex eo, quòd in acuendis gladiis, cultrisque, & aliis, uterentur Samiâ cote, quæ acuta.

* Epist. 5.

† Vide Rigaltii lexicon in Σαμιάτωρες.

* In primo Strategematum cap. 7.

Sanctire in Glossarii nostri membranis exponitur affirmare. Puto, librarii esse errorem, ac reponendum *sancire*. Sanè, si ἀναλογίαν attendatur, altero potiùs usi forent pro sanctum facere, consecrare.

Sannare in Gemma legas. Sed veteres prætulere compositum *subsannare*. In Glossis tamen Philoxeni est: *Sannator*, μυκτηριστής.

CAP. XXIV.

De incohantibus à S C. Scalpitare, *crebrò scalpere: ut* sculpitare, *sæpius sculpere.* Scapellare, *scalpello incidere.* Scarifico, *scariso, sive cutim scalpello aperio.* Scarpinare, *fodere.* Schematizare, *schemate, sive figurato sermone, latenter aliquem tangere.* Scopare, *scopis verrere:* scopere, *pro eodem; vel pro considerare:* scobare, *fodere.* Scrutino, *scrutor.*

COnsequuntur ea, ubi literam S excipit C.

Scalpitare, & *sculpitare*, in Glossarii nostri membranis exponuntur crebrò scalpere, vel sculpere. Nam utrâque vocali hæc duo scripsêre; ut Græci dicunt γλάφω, & γλύφω. Sed frequentativis hisce tum demum utar, ubi idoneum invenero auctorem. In iisdem Glossis reperio

scal-

scalpturio, & *scalpurio*. Quorum posterius improbant multi. Sed immeritò, cùm Plauti sit, & inde *scalpurigo* legamus apud Solinum: quemadmodum dicam in verbis fallò damnatis.

Scapellare, pro scapello, vel aliter, incidere: Gallicum *scapeller*. Gloss. Philox. *Scapellat*, κατασχίζει, κατακνίζει. Aliæ, *Scapellare, incidere, frangere*. Rotharis Rex Legum Longobard. lib. I tit. XIX leg. V: *Scapellare alterius molinum*. Leg. VI; *ploum, aut aratrum*. L. VII; *vitem alienam*; item, *tranicem* de vite alienâ*. L. VIII; *clausuram*. Leg. XX; *Siquis caballo alieno caudam capellavit* (lib. scapellavit) *id est, setas traxerit; componat sol. VI*. Item ejusdem lib. I tit. XXV leg. LXVII: *Siquis latro de uno furto probatus fuerit, perdat oculum: & si de duobus furtis probatus fuerit, nasus ei scapelletur: & si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur*. Minùs placet, quòd Ludovicus de-la-Cerda, ait†, *scapellare* junioribus idem esse, ac scapellis, sive fustibus, batuere. Nempe quia in Isidori Glossis legere sit, *Scapulum, fustis longus*. Quod à *scapus*; quomodo etiam dixere radium textorium licio involutum. Lucretius lib. V:

Insilia, ac fusi, radii, scapique sonantes.

* Tranicem dixere barbare pro tradu cem.

† Advers. Sacr. cap. 141. §. 179.

Scarifico, scalpello incido, sive cutem aperio. Doctus noster amicus putabat, dici sic, quasi *schasifico*, ut vox composita sit; posterior autem pars *facio*; quod inde adstruebat, quia & *scarifico* dicatur passivè. Ut apud Scribonium Largum*: *Malagma ad lumborum dolorem, qui antè leniter scarificant*. Priorem partem censuit esse χάσει, vel χάσις; quæ χάζω, cutem incido; ut χάσματα, incisuræ cutis scalpello factæ. Hæc speciosè dicerentur, nisi duo obstarent. Prius est, quòd Græcè σκάριφος sit scalpellum, eove facta scissio, rasio: atque inde σκαριφάομαι, & σκαριφόω, scalpello incido, vel aperio. Hesychius: Σκαριφᾶσθαι, ξύειν, σκάπτειν, γράφειν, ὅθεν καὶ ὁ σκάριφος. Alterum est, quòd & Latini à σκαριφῶ dixere *scarifo*. Plinius lib. XVII cap. XXVII: *Scarifatio quadam in remediis*. Et lib. XXII cap. XXIII de lasere: *Pedum clavos circumscarifatos ferro*. Ita in vetustis esse libris, ὁ πάνυ Salmasius notavit ad Solinum†. Glossæ Philoxeni: *Scarifat*, κατασχίζει, κατακνίζει, καταχαράσσει. *Scarifo*, χαράσσω, κατακνίζω. Sic igitur statuo, rectiùs dici *scarifo*, & hoc esse à σκαριφῶ: à *scarifo* autem corruptum esse *scarifico*.

* Cap. 262.

† Pag. 590.

Scarpinare in Glossis nostris exponitur fodere, more gallinarum. Id Plauto est *scalpturire*. Quare censeo, legendum *scalpinare*: quod à *scalpo* erit; ut à *suffarcio suffarcino*, unde *suffarcinatus*; à *sto*, sive *stare*, *stano*, unde *destino*. Pluraque id genus adduximus in tertio de Analogia cap. XLVI.

Scenofacio in Catholico exponitur funes facio, sive restio, vel restiarius sum. Sed confundit σκηνὴν ποιῶ, tabernaculum facio, à quo fit σκηνοποιός: & σχοῖνον ποιῶ, funem sive restem facio, unde est σχοινοποιός, ac, Latinâ ratione scribendi, non *scenopœus*, sed *schœnopœus*. Quare *scenofacio* sit tabernacula facio; *schœnofacio*, funes facio. Quam interpretationem etiam Catholicon postea adducit: utcunque ὀρθογραφίαν non observârit.

Schematizare in Glossis nostris Mss exponitur *figuratè, umbraticè loqui*. Ubi ea attenditur significatio vocum σχῆμα, & σχηματίζεσθαι, qua pressè his utimur: nempe cùm latentem injicimus suspicionem rei, quam apertè nolumus dicere. Quomodo Martialis ait lib. III epigr. LXVIII:

Schemate non dubio, sed apertè nominat illam.

Vide, quæ in Oratoriis Institutionibus diximus lib. V cap. VI sect. VII.

Scopare, scopis verrere, ac mundare. Ita Fortunatus de vita S. Radegundis lib. I: *Scopans monasterii plateas simul, & angulans*. Imò multò antè legas apud Latinum Scripturæ interpretem Esaiæ XIV. 23: *Scopabo eam in scopa terens*. Et Psalm. LXXVI. 7: *Et scopabam spiritum meum*. Prout etiam est apud Petrum Blesensem epist. XIV. Hoc est, verrebam animum meum scopis cogitationum, ut sanum ferrem judicium de providentia divina. Quamquam posteriori loco libri aliqui non *scopabam* habent, quod Tilmannus mavult: sed *scopebam*; uti & legit Nestor Novariensis in Vocabulario. Si hoc magis placet, dubitem, num *scopebam* idem sit, ac *scopabam*; nempe scopis purgabam: an notet considerabam, ἀπὸ τοῦ σκοπεῖν. Nisi scribendum sit *scobebam*, ut Bruno Carthusianus legit; vel *scobabam*, quando apud Papiam, inque glossis nostris membranaceis, est *scobare, fodere*, puta à *scobe*; uti hoc, & *scobina*, a *scabendo*. Et istoc magis convenit cum LXX, qui in Psalmis habent verbum σκάλλω, fodio, scalpo. Ut Aquila σκαλεύω, quod idem notat.

Scrutino, scrutor, inquiro. Lucifer Catallitanus lib. I adversus Constantium sic Scripturæ verba adducit: *Scrutinabo Hierusalem cum lucerna*. Pro quo alii dixissent, *scrutinium faciam super Hierusalem*. De *scrutinii* voce antea* vidimus. *Scrutino* est ab antiquo *scruto*, pro scrutor, scruta verso, ut inveniam, quod quæro. Nimirum quâ formâ à *nego, negino*; à *runco, runcino*. Vide, quæ paullo antè dixi in *Scarpinare*.

* Lib. 3. cap. 47.

CAP. XXV.

De inchoatis ab S, sequente secundâ, tertiâ, vel quartâ vocali. Securiare, *securum præstare.* Sellare, *ephippium equo insternere, vel hominem dignitate aliquâ ornare.* Sententiare, *sententiam ferre.* Sentito, *paullatim intelligo.* Serrare, *serrâ præcidere, vel secare.* Setaciare, *cribro subcernere.* Setare, *penicillo è setis mundare.* Sigillare, *pro obsignare.* Signio, *pro signo.* Simonizare, *pretio acquirere munus aliquod Ecclesiæ.* Simplificari, *magis magisque abhorrere à moribus subdolis.* Simultare, *simultatem exercere.* Singulare, *singulatim constituere, vel memorare.* Sinjugare, *&* sinjugiare, *συζυγεῖν.* Situari, *situm esse.* Sobriefacio, *sobrium facio.* Solatiari, *consolari.* Solemnizo, *solemni ritu festum celebro.* Solo, *&* insolo, *Soli expono, ut quid calore ejus siccetur.* Solvisare, *notis Musicis canere.* Sophisticare, *sophistas imitari.* Sororisso, *sorori fio similis.*

SEcuriare, securum reddere. Gesta Francorum, & aliorum Hierosolymitanorum, lib. IV cap. XIII†: *Congregati itaque sunt omnes Majores nostri, & ordinaverunt consilium, dicentes: Faciamus castrum in vertice montis Maregart, qui mons est super hostem Boamundi, quod securiat, ut tuti possimus permanere de Turcorum formidine.*

† Pag. 10.

Sellare quandoque accipitur pro sellam equestrem, sive ephippium potiùs, jumento imponere: quandoque etiam pro in sella constituere. Cæsarius lib. XII Miracul. cap. V: *Fratrem autem tuum Lambertum sic sellavimus, ut nostrum jus evadere non posset.*

Sententiare, apud Matthæum Parisium in Historia, & Vitis, pro judicare, sive sententiam, ut judex solet, pronunciare. Usurpat etiam Philippus IV Gall. R. in Edicto de lib. Oblat*. Et Thomas à Kempis lib. III de imitatione Christi cap. L: *Non me sinas, secundùm auditum aurium hominum imperitorum, sententiare.*

* Pag. 192.

Sentito, pro *sentio*. Isidorus in Glossis: *Sentitare, in animo sensim dijudicare*. Analogia requireret *sensito*, à sensum: ut à pensum, *pensito*; à venditum, *vendito*. Quamquam & dicere possis, ut ab ago, *actito*; à quæro, *quærito*; sic à sentio esse *sentito*. Sed quis veterum sic locutus?

Serrare, serrâ dissecare, ut exponit Gemma. Imò & id verbi agnovit Calepinus; & ab eo deceptus is, qui Thesaurum R. Steph. exscribens, Forum dedit Romanum, aliique. Tuentur se illo Silii lib. VI.

——*Comantes*

Anno serravit ramos Junonius anguis.

Sed in bonis omnibus codd. est *servavit*: quod sententia requirit. Signat draconem aurea Hesperidum mala servantem: de quo, præter Græcos, Valerius Flaccus in IV Argon. imò & Maro IV Æn.

Se-

Setaciare in Gemma exponitur cribrare, *buydelen.* Nempe formatum à *setaceus*: quia cribrum pollinarium fit è setis. Dixerim, *subcernere cribro** vel *incernere* †, vel *cribrare* *.

* Plautus Pseud. Cato cap. 18. Plin. lib. 18 cap. 11.
† Cato cap. 48.
* Columella, & Plin.

Setare ibidem transfertur *borstelen.* Malim σειρᾳζειν hoc pacto, caput setis mundare; vel penicillo è setis purgare a sordibus, sive furfuribus, ac pedibus.

Sigillare epistolam, non ausim dicere; sed, ut Cicero, *signare*, *consignare.* Contrà afferunt, quòd Cicero Verr. vi dicat, *scyphos sigillatos.* At unde hoc, inquiunt, nisi à *sigillare*? Atqui non omnia in *atus* sunt à verbis. Nec enim *togatus* est à *togare*, sed *toga*: parque ratio in *capillatus*, & similibus. Præterea obducunt hoc Varronis in Geminis †: *Contrà lex Mænia est in pietate, Ne filii patribus luci claro sigillent oculos.* Quod interpretantur, *claudant, & quasi obsignent.* Nempe ut sententia sit, ne filii parentibus adhuc spirantibus oculos claudant, atque ita eorum mortem maturent. Sic cepit Antonius Augustinus, Tarraconensis Archiepiscopus. Sed in melioribus Nonii codd. etiam optimis membranis nostris, est *sugillent*, vel *suggillent*; quod est ὑπωπιάζειν. Et ut *sigillare* malis, possit esse sententia, ne officium hoc occludendi oculos liberi parentibus præstent, nisi creperà luce; uti fenestris clausis, vel velario obductis.

† Apud Nonium in Sugillare.

Signio dicant, qui βαρβαρίζειν amant. Rectum *signo*, vel *insignio.*

Simonizare, in Gemma, Simonis magi exemplo emere velle honores sacros, sive Ecclesiasticam dignitatem. Magus tamen ille non tam emere voluit munus aliquod, ad sustentationem vitæ; quàm donum miraculorum, rem spiritualem. Quare licet utrumque sit improbum: tamen laxè nimis *Simonia* vox extensa. Vide, quæ de Simonia legere est in Summa Cajetani, & Scholasticorum aliis.

Simplificari, simplicem fieri; ut duplicari, duplicem reddi. Thomas Kempensis de imitatione Christi lib. I cap. III: *Quanto aliquis magis sibi unitus, & interius simplificatus fuerit.* Hoc est, quanto plus abhorrebit ab astu hominum versipellium, sive duplicium; quomodo *duplex* dicitur Ulysses Horatio lib. I od. VI. Ac similiter Græci versipellem διπλοῦν nuncupant; in his Euripides Rheso.

Simultare in eàdem Gemmâ, pro simultatem cum aliquo gerere, vel inter se simultatem exercere.

Singulare, apud Papiam, & in Gemma; pro seorsum constituere, sigillatim memorare, singulo equo vehi. In Glossis tamen est, *Singulator*, ἱππασίς κέλης. Nempe qui privo equo currit: unde priùs *Celeres*, qui postea *Trossuli*.

Sinjugare in Gemma exponitur conjugare: ut *sinjugia*, copula. Similiter veteres membranæ: *Sinjungiare, copulare, conjugare, confederare.* Nempe corrupta ex συζυγία, & συζυγεῖν.

Situare in eàdem docetur esse idem, ac collocare; ut *situatus*, ordinatus. Sed pro *situatus*, situs, dicendum; pro *situare*, statuere. Etsi non ignorem à situ *situosus*, & inde *situose* legi; sed significatione longè aliâ; ut liquet ex Marcello.

Sobriefacio, sobrium reddo. Appulejus lib. VIII Metam. *Nec isto sermone sobriefactus Thrasyllus.*

Solatiari, solatio reficere ac recreare. Gregorius M. lib. I epist. XIII: *Huic vos solatiari, in quo sibi necesse fuerit, admonemus; nullusque sit ei de quolibet molestus articulo.* Sic epist. XIX: *Solatiante Domino nobis.*

Solennizare, in Gemma, & veteribus membranis nostris, solemne festum ago, vel celebro, vel etiam ritu solenni cohonesto. Petrus Blesensis serm. XXIV, habito in festo S. Germani Confessoris: *Satagamus ergo sic solennizare, ut principi testium cedat ad gloriam, glorificatis testis ad venerationem, nobis venerantibus ad salutem.* Cæsarius lib. IX Mirac. cap. XV: *Solennizantibus eis in vesperis circa altare, & insanientibus, unus ex eis pyxidem, quæ super altare cum corpore Domini pendebat, casu evertit, & quinque ex ea hostias excussit.* Et lib. XI cap. II: *Totâ nocte solennizabam.* Beka in Ridfrido I *Stephanus Papa, descendens ad Franciam, solennizavit imperialem benedictionem in civitate Senensi.* Suppositicius Ovidius lib. I de Vetula:

> *Econtra durum est solennizare, quod ille*
> *Conculcat.*

Solo, & compositum ejus *insolo*, ad solem calefacio; vel sicco; ut Græcis ἡλιάζειν ab ἥλιος. Compositum est in Glossis Cyrilli dictis: ἡλιάζω, *aprico.* ἡλιάζομαι, *insolor.* Simplex corruptum in lexico veteri: ubi est, *Solidatur*, ἡλιάζεται. Item, *Soliclatur*, ἡλιάζεται. Omnino enim *Solatur* utrobique legendum.

Solsatire, vide superiùs in *Solsutis.*

Solvisare in Gemma exponitur canere notis Musicis; quarum quinta est *sol*: uti quarta *fa*; eoque fortassis dixerunt potiùs *solfasare.*

Sophisticare in eàdem, pro Græco σοφίζειν, sophistam agere, verborum laqueis decipere.

Sororisso in Gloss. Mss, sorori assimilor. At vetera sunt, & proba, *sororiare*, ac *fraterculare*: sed aliâ significatione, ut dicet Festus.

CAP. XXVI.

De iis verbis, quibus prima literæ sunt SP, ST, SU, SY.

Spadare, *& spadonare, castrare.* Spargitare, *sæpius spargere.* Spatulari, *delicias facere.* Spermatizare, *fomentare, vel semen emittere.* Sponsare, *despondere.* Sportulare, *sportulam mittere.* Stancare, *sistere.* Stannare, *stanno illinere.* Stercorizare, *stercorare.* Stirpare, *stirpitus evellere.* Stragulare, *stragulum texere.* Strenare, *strenam mittere.* Stoppare, *occludere, sive obturare.* Stupidare, *crebrò stupere.* Subalternare, *nunc superiorem esse, nunc inferiorem.* Subaudio, *in aliquo, quod non exprimitur, intelligo.* Subhasto, *hastæ subjicio.* Subintelligo, *subaudio.* Subitare, *subitò prævenire.* Subnervare, *nervos succidere.* Substantificare, *substantiam creare.* Subtiliari, *attenuari.* Subulare, *perforare corium ad suendos calceos.* Succulcare, *conculcare.* Sudorare, *sudare.* Suffertare, *ferreas jumento soleas subdere.* Suffraginare, *poplites flectere, vel suffragio suo aliquem juvare.* Summare, *summatim enarrare; unde* Summator *Papa dictus.* Suppalliare, *occultare.* Supercapitare, *precellere.* Superimplere, *accumulare.* Supervidere, *perlustrare.* Suppodiare, *inniti.* Surdare, *surdum reddere.* Sutelo, *consuo.* Syllogizare, *ratiocinari.* Symphonizare, *symphoniâ canere.*

NUnc verba cætera, ab S inchoata, quæ se hoc tempore animo offerent, prosequamur.

Spadare, castrare; ut Lege Salica Tit. XL. §. III, *spadatus caballus.* Plura de hac voce apud Lindenbrogium in *Glossario* vide, voce *Spadare.*

Spadonare, cremasteres evellere, unde colei dependent. Habes etiam in Gemma, & in medicis junioribus.

Spargitare in Glossarii MSti membranis exponitur, frequenter spargere, asperginare: quod nec ipsum in usu est.

Spatulari, delicias agere, σπαθᾷν. Vide superiùs *spatula.*

Spermatizo, σπείρω, sive semen emitto. Agnoscit Gemma: sed nesciunt scriptores boni, Latini dico. Nam σπερματίζω, & ἐκσπερματίζω, est apud LXX: ἀποσπερματίζω etiam apud Aristophanem, & Aristotelem.

Sponsare, pro despondere filium, vel filiam, non ante Antoninorum tempora in usu fuisse puto: attamen apud Paulum J. C. legas.

Sportulare, sportulam, sive munera, ab Ecclesia accipere. Cyprianus epist. LXVI: *In honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & sacrificiis non recedant.* Vide de his Baronium in Annal. T. I. an. LVII. num. LXXXIV. De Romanorum sportulis varii ad Martialem, & alios, adnotarunt.

Stan-

Stancare, pro *sistere*, ex Græco στεγνῦν, constringere, non transmittere, ut solent vasa futilia, ac rimosa. Nempe ex στεγνῦν, *stancare*; ut, secundùm Varronem, & Festum, *stagnum* ex στεγνὸν, quia aquam contineat, & constringat. Habes in lemmate apud Sammonicum*: *Ad medendum rejectionem cibi, & sanguinem stancandum.*

Stannare, stanno obducere, sive illinere; ut Plinius loquitur lib. XXIV. At *stagnare* aliud est: nempe λιμνάζειν. Quamquam in vett. Glossis sit, *Stagno*, σφηνιτταλῶ, χαρῶ. Ubi *stagno*, & *stanno*, confunduntur. Gemma: *Stannare*, *vertinnen*. Nempe à *stannum*, *tin*. Nec dubium, quin *tin* sit à *stannum*: quamquam significatione differant†.

Stercorizare, in Gemma, & alibi, pro eo, quod Columellæ, Plinio, atque aliis, *stercorare*: hoc est, agros fimo inspersо reddere fecundiores.

Stirpare, à *stirps*, pro stirpitùs evellere, amputare, vel ablaqueare. Constitutiones Caroli Magni*: *Nec* (die Dominicâ) *in sylvis stirpare, vel arbores cadere.* Agnoscit & Gemma.

Stragulare, in Gemma, ad modum stragulæ vestis aliquid texere.

Strenare in Gemma, pro strenam novo anno mittere, & universè munusculum dare.

Stupidare, in Glossarii membranis exponitur frequenter stupere. Pro eo ἀναλόγως foret *stupitare*. At neutrum obtinet: imò nec *stupeo* supinum habet, unde id veniret.

Stuppare ἀμέσως ex Belgico *stoppen*: hoc à *stuppa*, sive *stupa*; vel Græco στύφειν†, unde *stupa*, στυπεῖον. Lex Alamannica Tit. LXXXII. §. 11: *Medicus cum medicamento, aut serico, stuppavit, & postea sanavit.*

Subalternare, alternis superiorem esse, ac inferiorem. Pseudo-Ovidius in I de Vetula:

Seque subalternant, modò victores, modò victi.

Nempe ut genus, & species, ὑπάλληλα, sive subalterna, dicuntur; quia genera sunt inferiorum, & species superiorum. Qualem singularibus, quòd Atreus filius est Pelopis, pater verò Agamemnonis.

Subaudio in Gemma exponitur, aliud audio, aliud intelligo. Non arbitror, ante tempora Antoninorum inveniri. Primus, ut puto, ex iis, quos habemus, usus Ulpianus L. 1. in ff. ff. de hæred. inst. *Sed & ipsa valebit, subaudito jubeo.* Papias: *Subaudis, intelligis, animadvertis.* At *subauscultare* longè aliud Plauto; cui notat leviter auscultare.

Subhastare idem, ac subjicere hastæ, sive, ut Cicero loquitur Philipp. II, *voci subjicere praconis.*

Subintelligo vox est Grammaticorum: pro qua Ulpianus, ut jam vidimus, *subaudio*. E. G. quando dico *natalis meus*, ajunt subaudiri, vel subintelligi *dies*. Hic dixero, in *natalis* vocabulo intelligi *dies*.

Subitare, pro *inopinatò supervenire*, vel *subitò prævenire*. Pontius diaconus in vita B. Cypriani: *Cùm militibus suis princeps repentè subitavit; ut veriùs dixerim, subitasse se credidit. Unde enim posset, tanquam improviso impetu, mens semper parata subitari?*

Subnervare, pro nervos succidere, in Gemma reperio.

Substantificare, substantiam creare. Arnoldus Ordinis S. Francisci in vita B. Angelæ de Fulginco cap. XXII, §. CCLIV: *O divina persona, quæ dignasti nos substantificare in medio substantiæ tuæ.*

Subtiliari, attenuari. Usurpat Petrus Cellensis lib. IX epist. 11: *Qui verò, calcatis grossioribus carnis feculentiis, cubilia spiritûs ingressi, subtiliari in spiritualibus consueverunt, in amicis quærunt gratiam, non pecuniam, fidem, non extrinsecam possessionem.* Etiam *subtiliare* dixerunt pro subtiliter agere: ut interpretatur Glossarium nostrum in membranis exaratum.

Subulare, in Gemma, subulâ perforare pellem ad suendum calceos.

Succulcare, in eâdem, sub se calcare. Etiam additur, pro eo dici *suppeditare*, quasi sub pedibus calcare. Sed *suppeditare* aliud est. Nec *succulcare* puto idoneo niti auctore.

Sudorare, in Gemma, & membranis nostris, exponitur sudare, sudorem emittere.

Sufferrare in Gemma est idem, ac ferreas equo soleas subdere, vel suppingere, Plinio calceare equum. Qui & meminit calceatûs camelorum, *ne fatiscant longiori itinere.* Idem narrat, ut Nero jumentis delicatioribus calceos induxerit argenteos, Poppæa etiam aureos. De ferrea mulæ solea est apud Catullum epigr. XVII. Nec fortassè antiquior est, qui jumentorum calceatûs faciat mentionem.

Suffraginare in Catholico, & Gemma, exponitur flectere genua. Sed aliud genua, aliud suffragines: genua anteriùs flectuntur; suffragines sunt ὀπισθίδια, atque ita dicuntur, quòd subtus frangantur. Papias confundit duo hæc, *suffragari*, & *suffraginare*, vel *suffraginari*. Nam ad posterius pertinet, quòd *suffraginatus* exponit *fractis cruribus*. Ad alterum, quod subdit, *vel in locum decidentis* (leg. decedentis) *substitutus*. Hoc vult, *suffraginatus*, vel potiùs *suffragatus*, esse idem ac suffragatione suffectus.

Summare agnoscit Gemma, pro, summa rerum capita annotare, summatim dicere. Sic usurpat Alexander VI Papa, in bulla† de Institutione summatoris: *Cùm itaque officium recipiendi, videndi, summandi, & referendi literas Apostolicas &c.* Hinc, qui in epistolis observat præcipua capita, eaque Papæ suggerit, *summator* dictus: ut paullo pòst: *Motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, officium Summatoris literarum per Cameram prædictam expediendarum hujusmodi, ad instar aliorum dictæ curiæ officiorum perpetuorum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium erigimus, & instituimus.* De iis & videri potest Bulla Paul. V. Bullarii, ut vocant, Tom. II*. De *assummandi* verbo actum cap. I hujus libri.

Supercapitare, propriè, toto capite supereminere; κατὰ μεταφορὰν, laudes, vel vitia aliorum, supergredi. Ascanius epist. ad Humbertum: *Quid Hunnorum rabiem commemorem, aut Normannorum fortitudinem? cùm hi sanguinabiles canes non tantùm Hunnos rabie sed & robore Normannos, longè supercapitent.* Nisi scripserit *supercedant*; quod simile fere sit, ac *supergredi*, & *antecedere*.

Superimpleo, pro cumulo, reperio. Sed Latinum non est.

Supervidere, quâ formâ Belgæ dicunt *oversien*, hoc est, curiosè, attenteque inspicere. Thomas Walsinghamus in Richardo II†: *Præceperunt eis, ut diligenti scrutatione supervidèrent obligationes, & chartas præfatas.* Latinè fit relegere, perlustrare, atque aliter.

Suppalliare in membranis nostris explicatur occultare. Propriè fit, sub pallio abdere.

Suppodiare in membranis iisdem Glossas continentibus simpliciter exponitur inniti. Propriè foret, inniti podii parti eminenti, quæ est instar pulpiti.

Surdare, pro *surdum facere*. Leg. Bajuvar. cap. VII tit. X, §. IV. *Si eum surdaverit, vel sic plagaverit, ut claudus permaneat.*

Sutelo, suo. Gloss. Ῥάπτω, *sutello*. *Sutelo* autem à *sutela*, quod à *suo*. Festus: *Sutelæ, dolosæ astutiæ, à similitudine suentium dictæ sunt.* Gloss. Philox. *Sutela*, ἐνέδρα, ἐξαπάτησις, δόλος. Onomasticon, *Sutela*, κασσύματα. Nempe quomodo apud Comicum est, *consutis dolis*.

Syllogizare pervulgatum semibarbaris, à Græco συλλογίζεσθαι. Latini pro eo *ratiocinari*.

Symphonizare, in Gemma, pro eo, quod Ciceroni in Verrinis, *symphoniâ canere*. Unde & pueris symphoniacis nomen.

* Cap. 22. Observatum e vett. libb. Salmasio ad Solinum. In vulgatis, etiam illâ Rob. Constantini, & Pithœanâ, est, sanguinis restringendæ. In Mammetianâ autem est, sanguinis abstinendæ.

† Vide Plinium lib. 34. cap. 16. & Georgium Agricolam, in Bermanno cap. 24.

* Pag. 257. edit. Mogunt. an. 1602.

† Occludere, obstruere stupa.

† Bull. Tom. 1. pag. 351.

* Pag. 253. & 234.

† Pag. 262.

CAP. XXVII.

De incipientibus à T litera, sequente A, E, vel H. Tabulare, *tabulis construere.* Taciturio, *tacere statuo.* Tædeo, *tadet me, vel pertæsum est.* Taratantarizare, *tubâ clangere.* Tarditare, *tardiorem esse.* Taurobolia-re, *Deum matri sacrificium facere taurorum.* Tegulare, *tegulis sternere.* Telare, *differre.* Tenebrare, *obscurare.* Tenebricare, *obscurum reddi.* Tenorare, *in symphoniâ canere eo cantu, qui tenor dicitur.* Tensitare, *crebrò tendere.* Tepidare, *tepefacere.* Tescuare, *castrare.* Tesserare, *tesseris ludere.* Testimoniare, *testari.* Texitare, *frequenter texere.* Thesaurizare, *thesaurum congerere, vel in thesauris recondere.* Theologare, *de divinis disserere.* Theorare, *contemplari.* Thurificare, *thura incendere.*

ORdo nunc ducit ad T literam.

Tabulare, tabulis consternere, vel constituere; ut est in Gemma, Foro Romano, Calepino toties recocto. Sed auctoritatem desidero. Compositum tamen *contabulare* est Cæsaris, Plinii, Tranquilli. Imò fortasse & simplex aliquando in usu fuit: cùm dicatur *tabulatorum turris, tabulatim transitum*, & similia.

Taciturio novè formatum, pro tacere desidero. Sidonius lib. VIII epist. XVI. *Unde cognosce, quòd etsi tacere necdum cœpimus, certè taciturire jam deliberavimus.* Hoc est, deliberavimus, an non deinceps tacere velimus. Vel *deliberavimus* μεταλημπτικῶς ait pro *decrevimus*.

Tadeare, aversari, refugere, tædium capere, & præ se ferre. Lampridius in Alexandro Severo: *Neque unquam tadiavit, aut morosus, aut iratus resedit, fronte semper pari, & lætus ad omnia.* Vegetius de Re Veterinaria lib. III cap. II: *Inter exordia igitur tadianti bovi adversus omnes morbos potio ista succurrerit.* Glossæ Philoxeni: *Tadeo*, ἀχθῶμαι. Ubi ἀχθομαι rescribendum. Glossæ Cyrilli: Σικχαίνομαι, *tadeo, tadesco.* Ibidem: Σιαίνομαι*, *tado.* Sed rescribendum, ut antè, Σικχαίνομαι, *tadeo.* Gemma: *Tadiari, fastidire, verdrieten.* In eadem, *Tedere, moveri, tremere.* Sed id ineptum. De *attadiari* vidimus libri hujus cap. I.

* *Phrynichus pro barbaro habuit. Est à σικχός, quod Hesychio ἀηδής.*

Taratantarizare in Gemma legas, pro tubâ clangere: videlicet à *taratantara*, quod est Ennii de sono tubæ: ut Servio monitum ad IX Æneidos, & Prisciano lib. VIII.

Tarditare est in membranis Glossarii nostri MSS, pro frequenter tardare, ac αἰωλᾶν, tardare, &c, ut prisci dicebant, bovinari†.

† *Agell. lib. II. cap. 7.*

Tauroboliari, Magnæ Deûm matri taurobolium facere. *Taurobolium* verò sacrificium taurorum; ut *criobolium*, arietum. Hinc in veteri inscriptione Romæ, *taurobolatus*, qui taurobolium fecit. Ac in iisdem *tauroboliata*, de femina, quæ sacrum hoc fecisset. Verbum ipsum usurpat Lampridius in Antonino Heliogabalo: *Matris etiam Deûm sacra accepit, & tauroboliatus est, ut typum eriperet.* Ita in veteri codice, eoque optimo, reperit Salmasius. Quem adi Notis ad locum memoratum, &, si tanti, nostra etiam, quæ adducimus lib. II de idololatriæ ortu, & progressu, cap. LII, & LIII.

Tegulare, ut in Gemma legitur, domum contegere tegulis. Quod primus fecit Cinyras; ut est apud Plinium lib. VII cap. LVI.

Telare, in Gemma, pro differre, prolongare. Sic scio in Digestis furni *protelare*. Antiquioribus *protelare*, propellere.

Tenebrare, in Gemma, pro tenebras inducere. Tertulliani tamen in Apologetico est, *contenebrare incesta.* Ejusdem est, *tenebricare*, pro tenebricosum fieri. In Gemma pro eo *tenebrescere*.

Tenorare, in Gemma *ondersingen*, à cantu, qui in symphonia vocatur *tenor*. Unde in eâdem Gemmâ, *Tenorista, ondersanger.*

Tensitare, crebrò tendere; ut in MSS Glossarii membranis reperio. Ἀναλόγως satis formatum. Sed, nullo auctore, utar invitus.

Tepidare Gemma interpretatur, tepidum facere: pro quo cum Cicerone, & aliis, dixero, *tepefacere*. Tueatur aliquis *tepidandi* verbum Plinii auctoritate. Sed non tam ipse usurpat, quàm alios uti ait; non Romanos, sed Sulmonenses; nec in quovis argumento, sed vitium remediis. Hoc ostendunt illa lib. XVII cap. XXVI: *Ne frigus vites adurat, circumfunduntur riguis, quod ibi tepidare vocant.* Sermo est de Sulmonensi agro.

Terrefacio, pro terrorem adfero, vulgare magis est, quàm probum.

Tescuare in Gemma exponitur castrare: uti *tescuator*, castrator. Nempe à *tescuis*; quâ voce, ut ibidem legas, loca signantur, ubi castrantur animantia. Sed quid *tesqua* sint, vel *tesca*, meliùs dicet Varro. Et *tescuare*, ac *tesquare*, barbara sunt.

Tesserare, secundùm Gemmam, tesseris ludere. Sed non est in usu veterum. *Contesserare* tamen Tertulliani est lib. de Præscriptionibus cap. XXXVI. Ubi *contesseratio hospitalitatis*, ἡ τῶν ξενικῶν συμβόλων συμβολή.

Testimoniare, testari. Marculfus monachus lib. I form. XXXVII.

Texitare, sæpe texere, in Glossarii nostri membranis. Nempe ut ab ago, *agito*; sic à texo, *texito*. Interea, ut puto, nemo sic veterum.

Thesaurizare Ecclesiasticis est scriptoribus frequens, pro pecuniæ vim ingentem congerere, thesaurum exstruere. Nempe Græcorum exemplo: apud quos classici etiam scriptores θησαυρίζειν, & θησαυρίζεσθαι, sic usurpant. At Latini malunt ἀθροίζειν.

Theologare, in Gemma, ut θεολογεῖν scriptori de Mundo, qui Aristoteles perperam creditus. Latini & hic potiùs, de divinis disserere, vel commentari. Sic Asclepiadi Mendetis θεολογούμενα, de quibus Suetonius in Augusto, dissertationes divinas, vel de rebus divinis, vocitemus.

Theorare, in eâdem Gemma, pro θεωρεῖν; quod est videre, contemplari, ac propriè divina speculari.

Thurificare, in Actis Marcelli Papæ: *Deferatur tripoda, & thurificent majestatibus.* Etiam usurpat Optatus Milevitanus adversus Parmenianum lib. I, & II. Bedæ item est* in Actis Justini martyris, quos qualibuscunque versibus scripsit, trochaicorum æmulis, si syllabas numeres potiùs, quàm appendas:

* *Tom. 3.*

> *Dabatur licentia*
> *Antequam thurificarent*
> *Detestandis idolis.*

Cicero pro eo, thura incendere, & odores.

CAP. XXVIII.

De iis, ubi post initiale T sequitur I, O, R, U, vel Y. Tingitare, *sæpius tingere.* Tinnipo, *pro tintinno, vel tintino.* Tirocinari, *tirocinium facere.* Titulare, intitulare, prætitulare, *titulo ornare.* Tonitruare, *tonare.* Tonsorare, *tondere.* Tormentare, *excruciare.* Toxicare, *veneno inficere.* Tractulare, *tractare, versare.* Transalpinare, *trans Alpes proficisci: cui simile* transfranciare, *per Franciam ire.* Transglutire, *&* transgulare, *per gulam trajicere.* Translaturare, *transferre.* Transparere, *pellucere.* Transpassare, *transire.* Tremulo, *tremisco.* Triangulo, *triangulare reddo.* Tribattere, *ter sæpiusve batuere, seu ferire.* Tripedare *usurpatum de equo in cursu ter feriente terram.* Truncare, *obtruncare.* Tubicinare, *tubâ canere.* Turbidare, turbicare, turbulentare, *turbas dare, perturbare.* Tyrannizare, *tyrannidem exercere.*

TIngitare est in membranis Glossarii nostri: nempe pro frequenter tingere, ut mons erat quartæ Judæorum sectæ: imò hæc, ad quotidiana abluendum peccata, quotidie tingebatur: unde & nomen ἡμεροβαπτιστῶν: de quibus Epiphanius Hæresi XVII.

Tinnitare, & *tinnipare*, in Glossarii ejusdem membranis exponitur sonare, tinnire. Puto, pro posteriori illo legendum *tintinare*. Dausquejus mavult *tintinno*, ut est in Glossis: eoque & *tintinnabulum* gemino N præfert. Sanè & secundam producit Juvenalis. Sed neque alterum damnandum, si rectè apud Catullum epigr. L I I:

Tintinant aures, geminâ teguntur
Tempora nocte.

Ubi secundam corripi videmus.

Tirocinari, tirocinium ponere. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis, cap. I. §. IV: *Tirocinabatur in Palatio* (Karoli) *puer bonæ indolis*. Vulgò ferè per Y in prima scribitur, cùm *tiro*, & *tirocinium*, vel Latini sint ortus; vel si Græci, veniant à τείρειν*, quia tiro exercitatione primùm teri incipit. Malè hac parte, ob unicam inscriptionem, in Rubiconis ripâ conspectam atque exscriptam, priorem suam sententiam mutavit Aldus Manutius †.

* Affligere, atterere.
† In Orthographia.

Titulare ajunt Pomponium dicere in Pannuceatis apud Nonium *: qui inde adducit:

* In Trua.

Mulier ubi adspexit tam mirificè titulatam truam.

Sed meliores libri *titulatam*. Quid propriè *tituli* sint, Varro docet in VI de L. L. Interea *titulare*, pro titulum, vel nomen indere, apud Tertullianum legas adversus Judæos. Est & Pontii diaconi in Vita B. Cypriani: *Nec enim aliud oportebat, quam ut eum, qui intra secretam conscientiæ latebram religionis, & fidei, toto honore florebat, etiam publicè celebrata gentilium fama titularet.* Ambrosius, vel potiùs Hilarius diaconus Romanus, in epist. ad Coloss. cap. IV: *Domum salutat: tam enim devota fuisse videtur, ut omnis domus ejus signo titulata esset crucis.* Remigius in Testamento suo apud Flodoardum in Hist. Rhem. *Remigiæ, cochlearia tria, quæ meo nomine titulata, transscribo.* Hoc est, quibus nomen meum inscriptum. Idem Flodoardus lib. II cap. XVI: *Chartæ ipsius episcopi reperiuntur nomine titulatæ.* Hinc *intitulare*. Theganus de gestis Ludovici Pii: *Quatuor Evangelia Christi, quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis.* Edmerus Anglus de vita S. Anselmi lib. I; *Scripsit & quartum, quem intitulavit de Grammatico.* Item *prætitulare*. Flodoardus lib. I Hist. Rem. cap. VI: *Hanc autem basilicam præfatus vir Jovinus, his verbis aureo prætitulavit decore.* Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ †: *Rollone jurante fidelitatem Regi, & Rege illi filiam, cum terra prætitulata, donante.* De *attitulare*, dictum hujusce libri IV cap. I. In Gemma *titulare* exponitur, ad Venerem ac luxuriem incitare. Sed in animo habuit *titillare*, unde postea deduxit ridiculam vocem *titillicus*, pro eo, qui incitat, vel incitatur ad coitum.

† Pag. 417.

Tonitruare, pro tonare, à tonitrus. Commodianus: *Insipiens ergo Jovem tonitruare tu credis?*

Tonsorare, pro tondere. Anonymus in vita *Sigeberti Regis, Dagoberti filii: *Mortuo Sigeberto Rege, Grimoaldus, Major Domûs, Dagobertum, filium ejus, suæ fidei commendatum, ut Austrasiorum potiretur regno, tonsoravit in Clericum.* *Tonsuram* verò pro *rasura* dixit; modò hæc jam anno DCLVI obtinuerit in clericis apud Gallos.

* Non illa, quæ à Sigeberto, Gemblacensi monacho, scripta, & apud Surium legitur: sed quæ è Mso codice primùm edita ab Andrea du Chesne, Tom. I. Historiæ Francicæ Scriptorum. pag. 591. & seq.

Tormentare in Gemma, pro tormentis excruciare. Sæpe legas apud semibarbaros.

Toxicare, toxico perungere, veneno inficere. Petrus Blesensis epist. XX: *Si mihi domini vestri gratiam enormiter toxicavit linguæ meretricantis adulatio, & invidia detractoris.* Eusebius sive Emissenus, sive potiùs Gallicanus, homil. III de Pascha: *Hic toxicato spiculo in corde percussus est.* Petrus Cellensis lib. VII epist. III: *Intorquent sagittas toxicatas veneno secularis gloriæ.* Inde, ut in Gemma est, *toxicator*, veneficus; *toxicatrix*, venefica.

Tractulare in Gemma exponitur versare, ut in tritico, & feno obtinet. Est à *tractum*, eâ formâ, quâ *ustulo*, ab ustum: *postulo*, ab inusitato postum, non pro positum, sed pro poscitum.

Traducare in membranis Glossarii Msi exponitur traducere. Sed quis sic locutus?

Transalpinare, Alpes transcendere, transalpina loca petere. Petrus Blesens. epist. CXL: *Ut propter scientiam salutis, & vitæ, jam te transalpinare non oporteat, aut maria transmeare.* Similiter idem epist. LIX. Item S. Bernardus epist. CCXLV, & Serm. I de Adventu. Adhæc Matthæus Parisius in historia Henrici III ad an. CIƆCCLVII. Crebrò item apud eos se offert, qui de Feudis scripsere. Simileque eidem Parisio, *transfranciare*, pro *per Franciam transire Romam.*

Transgulare, in Gemma, gulâ absumere, per gulam trajicere. Ac in eâdem similiter pro eo legas *transglutire*.

Translatare, pro transferre. Flodoardus lib. II Histor. Rem. cap. XVII: *Ut nullus audeat, juxta Sanctorum Canonum traditionem, ex alio Episcopatu ibidem translatare, aut constituere Episcopum, post suam de hoc seculo evocationem.* *Translari* legas apud Candidum lib. II vitæ Agil, Abbatis Fuldensis, a Christophoro Brouwero editum è Mso codice Fuldensi. Sed non dubito, quin *translatari* scripserit Candidus: sanè ἀναλόγως magis, etsi & ipsum barbarum.

Transparere, in Gemma, pellucere: ut in eâdem *transparentia*, pellucida, διαφανῆ.

Transpassare, transire, ex *trans*, & *passu*. L. Alamann. Tit. LXXXIII. §. VI.

Tremulo, tremo. Flodoardus lib. III cap. III: *Nimio frigore horribiliter cum fletu, ac stridore dentium, tremulantes.* Agnoscit & Gemma. Etiam in Glossis Msis est: *Tremulare, trepidare, timere.*

Triangulare, in Gemma, facere aliquid triangulum, vel triangulare.

Tribattere quid, & unde sit, dictum in *Battere*, cap. II hujus libri.

Tripedare, triplici pedum ictu procurrere. Gloss. Cyrilli: Τριποδίζω, *tripedo*. Τριπόδιον, *tripodium*. Etiam τρίποδον pro eo est apud Leonem Constitut. VII. Belgis id in equo similiter *drieslag*: quod ad verbum triplicem ictum notat.

Truncat à Papia exponitur, caput aufert. Potiùs dixero *obtruncat*. Nec tamen alterum prorsus damnem. Nam, ut Claudianum, & posteriorum alios, mittam, jam Domitiani ævo sic locutus Valerius Flaccus: at de prioribus vix existimo.

Tubicinare in Gemma, tubâ canere.

Turbidare, in Gemma, pro perturbare, item concitare. Sed Glossarium nostrum in membranis exaratum pro eo habet, *Turbicaretur, turbationem facere.* Etiam *turbulentare* reperio apud Zenonem Veronensem Serm. de Patientia.

Tyrannizare, in Gemma, tyrannidem exercere. Etiam Græci potiùs τυραννεῖν dicunt, quàm τυραννίζειν.

CAP. XXIX.

De verborum illis, quibus initium est ab V, W, & Z.

Vaginare, *efficere vaginas*. Valedico, *dico vale*, *vel valere jubeo*. Valgire, & valgiare, *labra ad osculum conformare*. Vanitare, *vanum esse intentum*. Vanizare, *vanè se efferre*. Vantare, *pro eodem*. Ubertare, *abundare*. Verbitare, *corruptum ex verberitare*. Verbigerare, verbocinari, & verbosare, *vel* verbosari, *verba facere*. Viare, *iter facere*. Vicinare, *vicinum esse*, *vel agere more convenienti in eadem habitantibus vicinia*. Victare, *victitare*. Victimare, *immolare*. Vilifacere, & vilificare, *vilem reddere*, *vel talem putare*. Vinculare, *vinculo constringere*. Virginare, *virginali more vivere*. Viscare, *visco implicare*. Vivificare, *vitam dare*. Unanimare, *unius esse animi*, *ac sententiæ*. Unguentare, *ungere*. Unicolorare, *rem facere unicolorem*. Volucrare, *coire*. Votificare, *vota facere*. Vortare, *pro vertere*. Ususfructuare, *usumfructum legare*. Usitare, *pecuniam fœnore occupare*. Usitor, *usitor*.

Uvere,

Uvere, & uvidare, *uvidum esse*. Uxorare, *uxorem dare*. Wadiare, *pignore certare: unde* revadiare. Zelare, & zelari, *vehementer amare*. Zelotypare, *nullum in amoris partem admittere*.

ULtimus inter vocales Latinas locus est literæ V. Eò nunc pergam, ut verborum, quæ, Latinæ licet originis, barbaræ tamen sint formæ, cætera pertexam.

Vaginare, in Gemma, pro vaginas parare. Apud Justinum lib. I est, *gladio suâ sponte evaginato*; pro, vaginâ excidente. Ut activum *evaginare*, sit gladium e vagina educere; sicut loquitur Cicero II de Inventione; pro quo, ducere ferrum vaginâ Ovidius ait Fast. IV.

Valedico, unâ voce, timidè dixero: malim cum Tullio, *valere jubeo*. Sed, divisis vocibus, obtinuit. Ut apud Tranquillum in Augusto cap. LIII: *Vale singulis dicere in Senatu. Valedictum* de eo, cui vale sit dictum, legas apud juniores. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis, cap. V. §. XXV †: *Quibus cùm recedentibus valediceret, & ipse valedictus ab eis recederet; recedunt cum lachrymis*.

† In Vitis SS. ad 2 Jan.

Valefacio, pro quo veteres, vale alicui dico, vel valere jubeo. Utitur Joannes Thwrocz Chronicorum Hungariæ part. I cap. IV: *His gestis, atque perfectis, valefaciens, infra octavas S. Francisci reversa est Neapolim*. In Gemma *valefacere* mirificè exponitur, valetudinem restituere, vel alicujus meminisse.

Valgare, & *valgiare*, in Gemma dicitur idem esse, ac labia habere extrorsum prominentia. Propriè *valgi*, quibus suræ in diversum aguntur, ac foras vertuntur; ut videre est in canceris, ac lacertis. Sed transfertur ad labra foras prolata; unde Plauto * *valga suavia*, de labiis obtortis, & quasi ad osculandum conformatis. Quomodo & Petronius de Quartilla ait, *valgiter commovisse labra*.

* Mostellaria act. 3 sc. 1.

Vanitare, vanis rebus vacare; ut interpretatur, non Gemma modò, sed etiam Augustinus libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. XXI; ubi Ecclesiasten Salomonis incipere ait ab illis verbis, *Vanitas vanitantium*. Sed errorem postea vidit. Sic enim scribit lib. I Retractationum cap. VII: *Quod posui de libro Salomonis, Vanitas vanitantium, in multis quidem codicibus legi: sed hoc Graecus non habet. Habet autem vanitas vanitatum, quod postea vidi, & inveni eos Latinos esse veriores, qui habent, Vanitatum. Ex occasione tamen hujus mendositatis quæcunque dixerim, vera esse in rebus ipsis apparent*.

Vanizare, vaniloquum esse, sive vani instar hominis jactare. Usi S. Bernardus epist. XLII ad Henricum Senonensem, & Yvo Carnotensis epist. LXVI, ad Hugonem Lugdunensem.

Vantare, vanè ostentare. Gloss. nostræ Mss.: *Jactare dicitur pro vantare*. Quomodo Galli dicunt, *vanter*, pro *jactare se*. Est verò à *vento*: uti ab eo *ventosus*, pro *jactabundo*. Sic Maro Æn. XI:

> —— *Num tibi Mavors*
> *Ventosâ in linguâ, pedibusque fugacibus istis,*
> *Semper erit?*

Nisi *vanter* potiùs à *venditare*; quomodo *venditatio*, pro ostentatione, dixit Cicero II Tuscul. Quæst. similiaque alibi. Et hoc verius puto.

Ubertare, in Gemma, pro abundare, uberem ac fœcundum esse, ubertim habere.

Verbitare, in Gloss. Mssis, sæpe verberare. Sed legendum, *verberitare*. Festus: *Verberitare. Cato frequentative ab eo, quod est verbero, dixit*.

Verbigero in Onomastico exponitur λογομαχῶ. Scio, Apuleium uti in Apologia. Sed cur non cum classicis dicam potiùs, verba facio?

Verbocinari, verba fundere, loqui. In miraculis S. Fursei † cap. IV §. XVI: *Erchenaldus dixit, Cessa verbocinari, Leutsinda*. Sic Mssus Hibernicus, ut refert Bollandus. Alii *verbosare*: vel, *Cessa, verbosa Leutsinda*. *Verbocinor* si rectum, similis fuerit flexus, ac in *lenocinor, patrocinor*.

† In Vitis SS. ad 14 Jan.

Verbosari, in Glossis nostris Mssis, verbosè loqui. Hæc res facit, ut facilè mihi persuadeam, in Actis S. Fursei, de quibus proximè dixi, *verbosare* legi oportere.

Viare, pro iter facere, est Appuleji, ac Solini: ut his juniores, Ammianum, Ambrosium, & alios, mittam. Imò jam Quinctiliani ævo notum id verbum. Sed reponit inter infeliciùs ficta; ut videre est lib. VIII cap. VI, quod est de Tropis. Inde tamen est *viator*.

Vicinari, vicinum esse, appropinquare. Sidonius Apollin. lib. II epist. II: *Cui continuatur, vicinante textrino, cella penaria, discriminata tantum pariete castrensi*. Et lib. II epist. XI: *Si nobis, pro situ, spatiisque regionum, vicinaremur*. Item lib. VII epist. II. Ac similiter non semel Cœlius Aurelianus, & sæpe posteriores. Ut in diplomate Henrici III, Brabantiæ Ducis *: *Mandamus quatenus finibus Brabantiæ vestram præsentiam vicinantes, vice nostrâ donationem approbare curetis*. Si Gemmam audimus, *vicinare* etiam sumitur pro vicini boni more agere. Cujusmodi sunt salutare, visitare, non denegare aquam, vel ignem, instar Euclionis istius Plautini.

* Apud Miræum in Donat. Belg. pag. 659.

Victare, pro victitare, vivere, in Gemma.

Victimare, immolare, victimam cædere; ut est in Glossarii membranis. Non memini me legere apud antiquiorem Appuleio; cujus est lib. VII. Sed junioribus est frequens. In his est Anonymus de Genealogia regum Daniæ, à Stephanio nostro è Mssis editus †: *Uni eorum jubent hostiam Dominicam decollando victimare*. Unde *victimator*; qui Livio, Valerio, Plinio, *victimarius*. Gloss. *Victimarius*, Μοσχοθύτης, μοσχοτόμος.

† Pag. 112.

Vilefacere, & *vilificare*, in Gemma, exponitur parvifacere, pro vili habere. *Vilitare* Turpilii est apud Nonium; sed significat vilem reddere, in contemtum adducere. *Vilificare* autem, pro demittere, vel submittere se, est Thomæ à Kempis de imitatione Christi lib. III cap. VIII: *Si me vilificavero, & ad nihilum redegero, atque, sicut sum, pulverizavero*.

Vinculare, in Gemma, pro vincire. Anonymus de genealogia regum Daniæ *: *Captivantur nobiliores de hominibus Erici, capti vinculantur, vinculati custodiæ mancipantur*.

* Pag. 113.

Virginare, castè, more virginum, vivere: ut interpretatur Gemma, item Glossæ in membranis exaratæ. Atque addunt hæ, contrarium esse *devirginare*. Quod si est, *virginare* fuerit virginem facere. Atqui hoc, in devirginatâ, etiam Deo ἀδύνατον dicebat B. Hieronymus.

Viscare, in Gemma, pro visco implicare, capere, corripere. At *viscatus* rectum quidem; sed non verbale.

Vivificare, pro vitam dare, frequens est Theologis. Ac Græci similiter ζωοποιεῖν; quo & Theophrastus usus in tertio de caussis Plantar. Sic pro ζωοποιὸν dixeris *vivificum*. Sed Cicero de calore, qui Græcis ζωοποιὸς, maluit dicere, vim habere vitalem.

Unanimo, unanimus sum. Ammianus Marcell. lib. XXXI: *Unanimanti ardore, summi, & infimi, inter se congruentes*.

Unguentare, pro unguento inungere, ungere, est in Gemma. Sed deceptus ejus auctor ex eo, quòd dicitur *unguentatus*: quasi hoc verbale sit, non denominativum.

Unicolorare, & *unicoloratus*, eadem agnoscit. Pro posteriori *unicolor* est apud Ovidium, ac Plinium.

Volucrare, pro subigere, de volucrum Venere, in eadem Gemma est.

Votificare, vota facere. Isidorus in Glossis: *Votificantibus, dona libantibus*.

Vortare, pro vortere, seu vertere, dici putavit Gemmæ scriptor, propter illud Terentii, *Dii bene vortant*. Quam opinionem nihil opus refellere. Ita error pellucet.

Usufructuare, in Gemma est: est hoc Ciceroni pro Cæcina, *usumfructum legare*. Ac additur in Gemma gadem haut gemmeâ, contrarium esse *defructuare*: atque ut priùs *vromen*, ita alterum *ontvromen* exponitur. Latinè hoc fit *usumfructum adimere*; quomodo *usumfructum amittere* Cicero ait in Topicis.

Usurare, in Gemma, pro in fenore nummos ponere, dare fenori pecuniam. Prius Maronis est, alterum Ciceronis; cujus etiam, pecuniam fenore occupare.

Utitor, sæpe utor; ut est in Glossis nostris MSS. Malim *usitor*; quomodo Agellius lib. XVII cap. I: *Verbo ipso alio quoque modo usitati sunt.*

Uvere, in Gemma, pro humere, vel pinguescere. *Uvescere* Lucretii ipsius est. *Uvidare* in eadem Gemma, pro uvidum facere, humectare.

Uxorare, pro uxorem dare, vel ducere: *uxoratus*, pro uxorem habens, in Gemma legas. Et sæpe sic barbari scriptores.

Wadiare Germanis, ac Belgis, notat *wedden*; hoc est, deposito quopiam pignore certare. Nec tamen *wedden* est à *wadiare*; sed *wedden* a *wadum*, hoc est, pignus: quod à Latino *vas*: uti dictum libro superiori cap. LVI, in *Wadium*. A *wadiare* est *invadiare*: de quo actum hujus libri cap. XI. Ab eodem est *rewadiare*; ut Constitut. Caroli Calvi tit. XXXI, sive Edicto Pistensi cap. XXI: *Rewadiatum persolvatur; & ubi rewadiatum non est, rewadietur, & solvatur.* Ac mox: *Audivimus, occasione acceptâ, pro rewadiato banno, quosdam plus a pauperibus accepisse, quam bannus levet.* Ubi *bannus* est mulcta judicio indicta. *Rewadiare bannum* est wadium dare pro mulcta ea. Similiter loquitur Hincmarus Rhemensis ad Hincmarum Laudunensem. Alii item *rewadiare servitutem*; ut Wichardus abbas Frotario, Leucorum Episcopo. Vide Sirmondum ad Capitula Caroli Calvi.

Zelare, & *zelari*, sunt ex Græco ζηλοῦν. Dicitur utrumque de ardenti affectu, nunc pro aliquo, nunc contra aliquem. Papias: *Zelari dicitur, qui cum cruciatu mentis castitatem custodit uxoris. Zelare, amare, meliora æmulari, in bonam, & in malam partem; invidiari* (invidere) *felicitati alterius.* Glossarii nostri membranæ: *Zelari, æmulari.* Gemma, *Zelari, amare, vel odisse.* Crebrum est vulgato Scripturæ interpreti. Ac similiter est apud Augustinum contra Adim. lib. III, *Non frustra vulgò dici solet, Qui non zelat, non amat.* Ac lib. III de Civit. Dei cap. III: *Dii non zelant conjuges suas.* Et contra Faustum lib. XXII cap. LXXIX: *Moyses populum zelans.* Unde videmus, non ab imperitia, sed populari consuetudine esse, quòd vulgatus interpres simili structurâ dicat Psalm. XXXVI. I: *Neque zelaveris facientes iniquitatem.* De zelo abunde egimus Oratoriarum Institutionum lib. II cap. XIII.

Zelotypare in eadem Gemma idem esse traditur, ac suspicionem habere, *wantrouwen*. Factum istoc ex Græco ζηλοτυπεῖν, quod apud Plutarchum, & alios. Latini pro eo, præ amore magno non posse rivalem pati. *Zelotypi* tamen vocabulo nec Juvenalis abstinuit, vel Fabius; *zelotypiæ*, nec Cicero, vel ad Ciceronem Antonius.

CAP. XXX.

Transitur ad verba, quæ flexu, sive declinatione, barbara sunt. Ut in præsenti nult, *pro* non vult; pœnitetur, *pro pœnitentia agitur. Et fortasse huc pertinent præsentia contra naturam à præteritis formata: quale si non* odio *ab odi; saltem* memino *à memini. Ad præterita barbara referuntur*, furavi, *pro furatus sum*; possidui, *pro possedi*; existi, *pro exstiti. In futuris barbaris est* floriet, *pro florebit. In supinis*, pepercitum, *pro parcitum. In participiis, in TUS exeuntibus*, nocitus, *pro læsus*; sentitus, *pro sensu perceptus*; tultus, *pro sublatus. Item desinentibus in DUS, ut* fiendus, *pro futurus: ac pro eodem* essendus, *unde* interessendus, *pro interfuturus.*

HActenus actum de verbis in themate, sive radice ipsa, barbaris. Sunt alia, ubi proba est radix; sed vitium est in ritinis, hoc est, declinatione verbi per tempora, numeros, vel personas. Ejusmodi pluscula adduxi hujusce operis lib. I, cap. XXIV. Eò nunc brevior sum futurus. Ac primùm dabo, ubi peccetur in præsenti ipso, seu activæ, seu passivæ formæ.

Activæ formæ est, quando *nult* à *nolo* dixere, ut *vult* à *volo*. Scholastici non refugiunt; qui cùm viderent, aliud esse NOLLE, aliud NON VELLE; distinxere etiam inter NULT, & NON VULT: nempe quia prius sit actus positivus, alterum privativus; ut ait Joannes Altenstcigius in Lexico Theologico. Sed Stephanum Bruliferum audiamus Distinct. XLV quæst. ult. *Quidam grosso modo loquentes dicunt* NULT: *sed hæc dictio non videtur Latina.* Sanè Latina non est: sed vellem, dum alios culpat Brulifer, non, culpandus ipse, dixisset, *grosso modo*, pro *parum Latinè, ineleganter, barbarè*; aut simili: quâ de re vidimus lib. III cap. III.

Passivæ autem formæ est *pœnitetur*, pro pœnitet, vel pœnitudo subit. Eusebius sive Emissenus is, seu Gallicanus, homil. VIII ad Monachos: *Sed quid in nobis medicinam pœnitentiæ quæro? Utinam interdum post speratam veniam non pœniteatur. Utinam non pœniteret humiliari, quos non pœnitet prævenire. Pœniteatur*, pro pœniteat eos. Nempe à *pœniteo*: unde activè Justinus lib. XI: *Primi pœnitere cœperunt*: pro, *Primos pœnitere cœpit.*

Fortasse autem quandoque etiam ad præsentia referri mereantur quædam, quæ falsò radicem ipsam ementiantur. Ut cùm a præteritis *odi*, & *memini*, formarunt *odio*, & *memino*. De utroque igitur aliquid dicam.

Odio dixere posterioribus temporibus. De Petronio Arbitro non assentio doctissimi Wouwerii conjecturæ. Senecam, & Appuleium uti, planè agnosco. *Oditur* est Tertulliani. De quibus vide, quæ diximus in arte Grammatica lib. III de Analogia cap. XXXIX. Est & Evagrii presbyteri in vita S. Antonii, quam ab Athanasio Græcè scriptam Latinè reddidit †: *Ne seducamini in saturitate ventris, odite vanam gloriam, orate sæpissime.* Anonymus de Genealogia regum Daniæ *: *Ab æmulis suis se invicem odientibus.* Imò, ex sententia maximi Salmasii †, dixerit Solinus *odientes*, Vopiscus *perodiendum*, pro maximo odio prosequendum. Vett. Glossæ: *Odio*, μισῶ. Item, Μισοκακῶ, *malos odio.*

† Pag. 50. edit. Antverp. a. 1615. in Vitis Patrum.
* Pag. 221. edit. Sorane.
† Ad Vopiscum p. 363.

Dixerit aliquis, *odi* esse ab obsoleto *odio*, sed postea in usum revocato: eoque esse in iis, ubi flexu peccetur. Non multùm adverser: sed incertum id tamen, cùm ne veteres quidem grammatici ex priscis ullius meminerint, qui *odio* usurpârit. At quicquid de eo est, *memino* saltem est à præterito *memini*, non contrà. Nam radix sit *meno*; unde *comminiscor*, & *reminiscor*. *Meno* autem à μένος, unde *mens*; ut à γένος, *gens*. *Memino* non memini legere, præterquam apud Optatum Milevitanum: *Quas, si meminis* *, *in primo libro demonstravit.* At *meminens* non modò apud Livium Andronicum, & Ausonium est; sed etiam Sidonium lib. II epist. X, lib. IV epist. III, & XII, lib. VI epist. III, & lib. VII epist. VI, atque alibi: ut diximus lib. V de Arte Grammatica, qui tertius est de Analogia cap. XXXIX; item de Analog. lib. IV cap. XII.

* Forte tamen memineris scripserat.

Atque hæc de præsentibus. Venio nunc ad præterita. Tale est *furavi*, quasi à *furo*, pro furor. Lex Salica Tit. V. §. III: *Siquis buccum furavit.* Ubi *buccus* est caper, qui Germanis *boek*. Ac similiter Gregorius Turonensis lib. VI cap. XXIV: *Buccus olidus vocabatur.* καὶ τὸ ἑξῆς. In eadem L. Salica habes Tit. VII §. I: *Qui acceptorem de arbore furaverit.* Ubi per *acceptorem* intellige accipitrem.

Ejusmodi quoque est *possidui*, pro possedi. Childericus II Franciæ Rex in Donatione monasterio S. Dionysii factâ †: *Quicquid fiscus noster, tam de garantia, quàm de merceria, ibidem tenuit, vel de qualibet consuetudine ibidem possiduit.*

† Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. cap. 12; sive pag. 17.

Existerit, pro *exstiterit*, est in Constitutione Karoli M. *Siquis adeò contumax, aut superbus existerit, ut, dimisso exercitu, absque jussu Regis domum revertatur*, &c.

Nec falletur, ut puto, qui huc referat *sini*, pro *sivi*. Quanquam apud Terentium ita legendum esse, censeat Janus Guljelmius; ac probet Conradus Rittershusius Notis

ad Guntheri lib. IX, capite III. De quo diximus lib. III de Analogia cap. XXIX.

Est item, ubi malè formetur futurum, quia conjugationes confundantur. Ita *floriet*, pro *florebit*, dixit inter alios S. Bonifacius epist. I: ubi sic adducit verba Psalmi CII: *Homo, sicut fœnum, dies ejus, & sicut flos agri, ita floriet.* Similiterque est Psal. CXXXI. 18: *Super ipsum floriet sanctificatio mea.* Propter talia malè audit vulgatus interpres. Sed tum ita loquebantur vulgò; eoque interpres id prætulit, quia videret, quanto meliùs intelligeretur, tanto magis se animas ad pietatem instruere. Nec eruditiores mutabant, quia sic vulgò canere adsuevissent. Docet hoc B. Augustinus lib. II de Doctrina Christiana cap. XIII: *Illud, quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum†, Super ipsum autem floriet sanctificatio mea; nihil profectò sententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi; ut non floriet, sed florebit, diceretur. Nec quicquam impedit correctionem, quam consuetudo cantantium. Ita ergo facilè etiam contemni possunt, siquis ea cavere noluerit, quæ sano intellectui nihil detrahunt.*

† Psalm. 131.

Præterea est, ubi malè formetur supinum. Ejusmodi est *pepercitum* à *peperci*, pro *parsum*, vel *parcitum*. Usurpat Lucifer Caralitanus libro adversus reges Apostaticos.

Sæpe item peccatur in participiis passivis præteriti temporis; per quæ præteritum passivum circumloquimur, addito verbo substantivo. Exemplo fuerit, *nocitus sum*, pro alius nocuit mihi, læsus sum. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessorum cap. XIV: *Sustinuit, & nihil est nocitus.* Et cap. LXXVI: *Nihil nocitum est velamen ejus ab igne.* Similiter etiam idem de lib. I miraculis Martini cap. II: *Ingressus flumen, & ulteriorem ripam petens, nihil nocitus, sed siccus est etiam vestimentis egressus.* Sic ex veteri codice S. Benigni Divionensis restituit Franciscus Juretus, Notis in Paulini lib. VI de vita S. Martini.

Etiam *sensitus sum*, pro sensit me, dixit Philippus Mazzerius, Cancellarius Cyprius, in vita S. Petri Thomasii*: *Quidam suus Capellanus unâ vice, dum per suam cameram exstinctâ luce pergeret, super ipsum dominum fratrem Petrum*, (qui humi prostratus Deum precabatur) *transivit, nec ab eodem sensitus est; ut narrabat.*

* Apud Boll. in Vitis SS. ad 29 Ian.

Simile *tultus* à tuli, pro latus, sive sublatus. Catholicon: *Tultus, a, um, quod tollitur.* Gregorius M. in Job. cap. XXVIII, idque lib. XVIII. serm. XVI. II: *Matthæum, in terra inventum, teloneï usibus serviebat? sed de terra tultus in fortitudinem ferri convaluit.* Sanè & Itali dicunt *tolto*, pro *prehensum, acceptum.* Apud Gregorium alii libri *cultus*; aliqui reposuere *sublatus*; ut Parisina editio Guillandi†, & puto, aliæ quoque.

† An. 1541 p. 106 Sed pro convaluit aliqui libb. coaluit.

Quandoque item aberratur in participiis temporis futuri. Ut in *fiendus*, pro *faciendus*, vel *futurus*. Gregorius M. in Regestis lib. IX epist. XX: *Joannem, quem memoratus Epiphanius, in monasterio, quod, sicut dictum est, in domo sua fiendum decreverat, Abbatem esse constitue.* Item epist. XXXI: *Quæ fienda sunt.* Hincmarus epistolâ ad Nicolaum Papam; quæ exstat apud Flodoardum lib. III cap. XII: *Sed quoniam literas vestras, quæ inde nihil præceperunt, imò etiam nullam protelationem in eorum conjunctione fiendam significaverunt.* Item cap. sequenti: *Fiendum non creditur.* Similiter Carolus VI Gall. R. in Edicto de Graph.* Item Concilium Pisanum II†: *Ecclesiasticarum jurisdictionum adoptiones fiendas.* Habes & in Stylo Cur. Parlament. cap. V: *Quia nunquam remissio est futura ad postulationem subjecti.* Interim agnoscimus, veteres etiam dixisse, *fior, fiebantur, fitum est*; de quibus in tertio de Analog. cap. XXXVIII. Sed talia obsoleverunt.

* Pag. 183.
† Pag 63. edit. Parisin. an. 1612.

Ab hujusmodi futuris veniunt Gerundia, sive potiùs Gerundiva: in quibus similiter aberratur. Nec enim *essendus*, pro futurus, dicitur; à quo tamen vulgò inflectere jubent *essendi, essendo, essendum*; sed nullo boni ævi exemplo. Superioribus verò seculis etiam in compositis utebantur. Ut in lemmate Formulæ, quâ Henricus VI, Angliæ rex, legatos suos misit ad Concilium Basileense*: *De potestate commissa Ambassiatoribus Regis ad interessendum Concilio Basileensi.*

* Apud Seldenum in Notis ad Edamerum pag. 214.

CAP. XXXI.

A Verbis acceditur ad Particulas malè Latinas. Initioque actum de cœptis ab A, C, vel D. Adplenè, *pro plenè, perfecteque.* Æquanimiter, *pro animo bono, & æquo.* Æternaliter, *æterno, sive æternùm.* Amicabiliter, *amicè.* Amodo, *deinceps.* Angustiosè, *difficulter.* Antiphonatim, *contrariâ alternis voce respondendo.* Antonomasticè, *per antonomasiam.* Aventer, *avidè.* Authenticè, *cum auctoritate.* Calumniosè, *per calumniam.* Cameraliter, *publico consilio, ac decreto.* Canonicè, *secundùm canonas.* Capitosè, *iracundè.* Casualiter, *fortuitò.* Cautelosè, *cautè.* Certitudinaliter, *certò.* Cervicosè, *pertinaciter.* Charitativè, & caritosè, *ex charitate.* Circulariter, *in orbem.* Clamosè, *cum clamore.* Clanculo, *clanculum.* Coactè, *vi.* Contrariò, *contrariè.* Conditionaliter, *cum conditione.* Consistonaliter, *ex decreto consistorii, sive collegii.* Contubernaliter, *contubernalium more.* Cordialiter, *ex animo.* Correctè, *emendatè.* Curialiter, *more obtinenti in Principum palatiis.* Deforis, *pro foris.* Delatus, *pro de latere.* Delectabiliter, *cum delectatione.* Diatim, *vel dietim, indies.* Dignanter, *æquo animo.* Disciplinatè, *secundùm præscriptum, ac canonas.* Discorditer, *animo discordi.* Diversimodè, *non uno modo.* Divisim, *separatim.* Dociliter, *intelligenter.*

Evasimus de Verbis: necdum tamen remos dimittere, velaque inhibere, tempus. Priusquam enim portum subeamus, expediendum quoque de Particulis; quando & in his se offerunt classicis scriptoribus ignotæ. Ejus generis plusculas subjecimus; ac primùm inchoamus à prima vocali, vel secundâ, tertiâve consonante.

Adplenè, sive *applenè*, idem ac plenissimè, cumulatè, abundanter. Diciturque *applenè*, ut *apprimè*; quod idem ac imprimis, completissimis. Vita S. Leodegarii, Augustodunensis episcopi†: *Cumque ad diversa studia, quibus seculi potentes studere solent, adplenè in omnibus disciplinis politus esset.*

† Tom I scriptorum Francicor. edition. Andr. du Chesnes pag. 601.

Æquanimiter probat Henricus Stephanus Expostulationis de Latinitate suspecta cap. VI*. Sed sine veterum exemplo. Terentius, Cicero, Horatius, pro eo, animo æquo, vel æquissimo.

* Pag. 281.

Æternaliter, æternùm, in omne ævum. Dionysius Carthusianus initio rhythmicæ explanationis Euangelii secundùm Joannem, & exinde Sixtus Senensis lib. III sanctæ bibliothecæ:

Tu verbum in principio
Eras nullo initio,
In parte æternaliter
Manens intemporaliter.

Hoc est, ab omni æternitate in omne ævum æternando.

Aliqualiter est apud Floretum, sive in floribus vitæ B. Bernardo Clarævallensi tributis, cap. III. Item apud Bekam in vita Jacobi ab Oudshoren. Latini pro eo, aliquâ ratione, modo, aut viâ.

Amicabiliter, pro amicè, vel amicabilem in modum. Nam *amicabilis* Plauti est; uti & Ulpiani. Adverbio usus Petrus de Vineis lib. III epist. XXIV: *A quibus nos amari conspicimus, eos amicabiliter diligamus.* Incertus de Genealogia regum Daniæ e MSS à St. Stephanio divulgatus: *Quondam per prophetam suum amicabiliter, & dulciter, protestatus est.*

Amodo, posthac, deinceps. Ter id Veteris, septies usurpat Novi Fœderis interpres; sæpissimè autem scriptores Ecclesiastici permulti. Præterea incertus, sub Ovidii nomine, præfatione operis de Vetula: item initio libri III:

Istæ sunt caussæ, propter quas amodo nolo
Vivere, sicut eram solitus.

Ac post multa:

——Quod sit Deus, amodo saltem
Non sine principio poterit fore.

Et similiter paullò pòst.

Angustiose, pro difficulter, & cum angore. Matthæus Parisius †: *Nummos, quos ore bianti angustiose deglutiverat, angustiosius per vomitum rejicere compulerunt.*

† Pag. 210. edit. Tigur.

Antiphonatim canere, pro, alternis choris, κτ̀ τ̀ ἀντιφώνων τρόπον, ut loquitur Hermias Sozomenus lib. VIII cap. VIII. Habes in vita S. Caroli, Comitis Flandriæ: *Hymnum Ambrosianum, Te Deum laudamus, cum ipso antiphonatim decantare cœpit.* Nec tamen de hac voce, ut barbarà, contendero; cum in re nova novam liceret fingere. Sanè S. Ambrosius, cujus hymnus ille proximè memoratus, primus ritum alternis choris canendi in Ecclesiam Latinam induxit: ut est apud Radulphum de Canonum Observant. Proposit. XII, & Sigebertum Gemblac. in Chronicis. Nec multò antiquior consuetudo ea apud Græcos; modò demum Constantii Imp. tempore cœpit Antiochiæ; quod iidem scriptores prodidere. Nempe anno Constantii XXIII; ut est apud Cedrenum. Sed longè vetustior is ritus, si sit ab Ignatio, Antiocheno episcopo tertio: quod scripsit Walafridus Strabo de ritibus Eccles. cap. XXV; & ita ferri, traditum quoque est Photio in Μυριοβίβλῳ.

Antonomasticè, pro κατ' ἀντονομασίαν. Petrus Blesensis serm. XXIV: *Martyres ipsi nomine testes indicantur, qui antonomastice nomen generale sibi speciale vindicaverunt.* Ἀναλόγως magis dixisset, *antonymiasticè*. Et fortasse ita scripserat. Sed quid opus adhibere tam absonam vocem, ac minimè necessariam?

Aventer, avidè. Sidonius Apoll. lib. II epist. II: *Raptim subduceris, anhelantibus angustiis civitatis; & contubernio nostro aventer insertus, fallis clementissimo recessu inclementiam canicularem.*

Authenticè, ut Græci αὐθεντικῶς, hoc est, cum auctoritate, vel certo auctore. Ex eo, quod αὐθέντης Græcis, non solùm αὐτόχειρ, sive qui propriâ manu occidit; sed etiam αὐτουργός, sive auctor. Atque inde apud Ulpianum, & alios, *tabulæ authenticæ*, & *lex authentica*.

Calumniose non dixero; etsi & vocem eam Calepinus agnoscat: sed *contumeliose*, *injuriose*; vel quandoquidem hæc magis latè patent, *per calumniam*. *Calumniosus* tamen apud Appuleium in Apologia legas.

Cameraliter, non a *camera*, prout Latini utebantur, quibus notat fornicem: nec quatenus recentioribus notavit ἁπλῶς triclinium; sed prout iisdem κατ' ἐξοχὴν significavit collegium, concilium, auditorium. Belgæ vocant *raed-camer*: quomodo & Germani, atque alii nuncupant *cameram Spirensem*. Sic usurpat Thomas Walsingam in Richardo II *: *Statuit cameraliter non quidem dictum Edmundum deponere; sed quia clericus, & ejus creatura fuerat, ad quendam Episcopatum in Hibernia tunc vacantem transferre.*

* Pag. 236.

Canonicè, secundùm canonas. Benedictus Levita præfat. in tres posteriores Kapitulorum libros: *Duo synodales conventus, quos Bonifacius Archiepiscopus unà cum Carolomanno, Francorum principe, canonice tenuit.*

Capitose, iracundè; ut Belgis pro eo *hoofdig*. Horatio similiter *cerebrosus*, ὀξύχολος. Thomas Walsingam in Hypodigm. Neustriæ †: *Rex juvenis, juvenum consiliis acquiescens, privavit capitose dominum Richardum Scrope officio Cancellarii.*

† Pag. 535.

Casualiter, pro casu, vel fortuitò, apud Petrum Blesensem epist. I.

Cautelose, cum cautela, sive cautione, apud Thomam Walsingamum in descriptione Neustriæ *. Et apud eundem Eduardus Angliæ Rex literis suis †: *Cives, tanquam invalidi ad resistendum, cautelose finxerunt, se velle* (civitatem Burdegalensem) *reddere Francis.* Sententia est, quò sibi caverent, de alio cives hoc commentos.

* Pag. 513.
† Pag. 613.

Certitudinaliter, certò. Joannes Major de gestis Scotorum lib. II cap. IV: *Purè contingentia certitudinaliter prædicere dæmon nequit.*

Cervicose, contumaciter, pertinaciter, ad morem hominum rigidæ, duræque cervicis. Antonius Florent. lib. I Tit. XIX, cap. II: *Cumque Teutonici Romanos proterve, & cervicose, reprimerent.*

Charitativè, pro *magno cum amore*, apud Fulbertum Carnotensem epist. LXXI, Bernardum lib. IV de Consid. Petrum Blesensem epist. L, Cæsarium Halberstat. lib. IV Hist. cap. LXXI. Item in Chronico Cisterciensi *. Pro eo & *caritose* legas apud Hincmarum epist. VI cap. XXV †: *Contra quæ si aliquis nostratium præsumere non voluerit, sed obaudiens Apostolum dicentem, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, caritose, sicut frater à fratre, quæ pacis & dilectionis sunt, expetierit; audiet cum Apostolo, &c.*

* Pag. 61.
† Pag. 117. edit. Mogunt. an. 1602.

Circulariter, κυκλικῶς: Latinè, in orbem, cum ambitu, vel circuitione, circulatim; quod est Tranquilli.

Clamose non dixero, etsi *clamosus* probum. Priori usus anonymus de Genealogia regum Daniæ e Msis editus primùm à St. Stephanio: *Post factam igitur confessionem, clamose vocatus ad jugulum.* Pro, *cum clamore quodam.*

Clanculò qui dixerit, qualemqualem patronum habet Appuleium lib. X, & Theodosiani ævi scriptorem Macrobium lib. V cap. XVIII. Sed veteres semper *clam*, vel *clanculum*.

Coactè in usu est vulgo. Classici pro eo, vi adactus, vel aliter.

Comparativè ajunt. Malim comparatè.

Conditionaliter vulgare est, pro hac, illâve conditione.

Consistorialiter, decreto consistorii, sive collegii. Est apud Leonem Papam in Bulla. A *consistorialis*, quod usurpat Concilium Pisanum in Promotionibus. Hoc a *consistorium*, quod nec Ausonius refugit.

Contrario, pro contrariè, perperam dici arbitror.

Contubernaliter est libro de singularitate clericorum, qui in Cypriani operibus legi solet: imò & Hieronymi, atque Augustini; ex quo resecuit Erasmus. Sanè nullius esse ex istis, satis docent tot semibarbara: ut *contubernalitas*, *conjugalitas*, *inordinabilis*, & alia, quæ in his ipsis Particulis deinceps addocam.

Cordaliter barbarum esse, nemo nunc diffitetur. Veteres pro eo, ex animo.

Correctè est pervulgatum, etiam eruditis. Sed non memini me legere apud classicos, qui pro eo dicunt *emendatè*.

Curialiter, more curialium, sive aulicorum, hoc est, in principum palatiis obtinenti. Usus & Fulbertus epist. XXVI ad Abbonem: *Plures habeas testes curialiter agitandi, quam monastice vivendi.*

Deforis, pro foris, & extrinsecus. Quomodo est L. Foris, & extrinsecus: *Ut in ipsa arte insit, non foris petatur exemplum.*

Delatus adverbium, idem significans ac *de latere*: ut *detergus*, pro *à tergo*. Nempe ut *decontra*, *deforis*, *deintus*, pro simplicibus. Sanè & *latus* adverbialiter pro *à latere*, vel *secundum*, aut *juxta*, dixere. Pluraque id genus vide sis apud Salmasium † ad Capitolini Opilium Macrinum.

† Pag. 171. & seq.

Delectabiliter, pro *cum delectatione*, ait Willeramus, Babinbergensis scholasticus, Fuldensis monachus, præfatione in Cantica Canticorum, quam integram primus edidit Martinus Opitius *: *Interdum mea legens sic delectabiliter afficior, quasi hoc probatus aliquis composuerit auctor.*

* Notis in rhythmos incerti de S. Annone.

Desursum est apud scriptorem eum, qui Ovidii nomen ementiens de Vetula tres reliquit libros. Libro III legas:

——Sed liber spiritus ipsum
Evolet ad dominum, qui desursum dedit illum.

Desuper pro eo dixit Tacitus lib. II Annal. *Soli Cherusci juga insederunt, ut prœliantibus Romanis desuper incurrerent.* Lactantius, & juniores, pro eo *calitus* ajunt.

Dia-

Diatim, vel *dietim*, quotidie, indies, diebus singulis. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi † cap. IX. §. LIII: *Cumque diatim magis magisque languor crudesceret.* Arnoldus in Vita S. Godehardi cap. XIV: *Decrescentibus dietim viribus.* Et postea non semel usurpat. Habes & in Concilio Pisano II *. Ac similiter apud Matthæum Parisium in an. CIↃCCLII: *Non perduravit, sed diatim in effectu suscepit diminutionem.* Item Eckehardus Junior de Casibus S. Galli cap. I: *Cum lineis vestibus diatim introiis.* Legas etiam in Chronico Reichersspergensi: *Maxima namque adversitates eundem exercitum in eâdem via comprehenderunt; simulque inopiâ turba confecta, morte consumi cœpit, ita ut diatim multitudines fame, ac morbo, depasta perirent.* Est & Joannis Majoris de gestis Scotorum lib. III cap. VIII: *Trecentos inopes dietim alebam.* Sermo est de Malcolino, Scotorum Rege, & uxore Margarita.

† In Vitis SS. ad 2 Jan.

* Pag. 133. edit. Parisi. an. 1612.

Dignanter, animo benigno, nec munusculum, ut se indignum, aspernanti. Cineardus ad Lullum, epistolâ LXXXVI, inter illas S. Bonifacii: *Quod* (munusculum) *te ——suscipere dignanter, & uti, suppliciter precamur.* Hoc est, boni consulere.

Disciplinatè, disciplinæ convenienter; *disciplinatiùs*, rectiùs, ac disciplinæ convenientiùs. Baldericus in Cameracensi Chronico lib. II cap. XXXVII: *Secedere monuit, ut disciplinatiùs videlicet errata corrigeret, & emendatiùs viveret.*

Discorditer vivere non dixerim; sed aliquos esse *discordes*, vel *discordibus animis*. De hoc tamen dissentit Henr. Stephanus Expostulationis de Latinitate suspectâ cap. VI †. *Discorditer*, inquit, *cur minùs Latinum sit, quam concorditer, non video. Concorditer* autem Plauti est Curcul. Imò nec Cicero ipse *concordissimè* refugit orat. pro Rabirio.

† Pag. 280.

Diversimodè timidè usurpem; quia non inveniam apud veteres: & Cicero pro eo in libb. de Divinat. dicat, *non uno modo.*

Divisim non probo. Cicero pro eo, *separatim, seorsum.*

Dociliter Latinum vix putem. Cicero in Partitionibus pro eo *intelligenter*. Henrici tamen Stephani opinio alia est, Expostulationis de Latinitate suspectâ cap. VI *. Nempe quia *docilis*, & *indocilis*, legantur; existimat, veteres etiam *dociliter*, *indociliter*, dixisse. Nolim tantum indulgere conjecturis, sæpe inanibus.

* Pag. 280.

CAP. XXXII.

De auspicantibus ab E, F, G, H. Effectivè, *& effectualiter, pro efficienter.* Efforcialiter, *& efforciatè, pro vi.* Emicatim, *subitò se attollendo, atque erigendo.* Enerviter, *enervium instar.* Enormatè, *convenienter normæ.* Episcopaliter, *more episcopi.* Eulogiosè, *cum maledicentia.* Exactè, *accuratè.* Excessivè, *supra modum.* Expost, *postea.* Extraordinariè, *modo extraordinario.* Faciliter, *facilè.* Favorabiliter, *cum favore.* Fiducialiter, *cum fiducia.* Figuraliter, *figurato sermone.* Finaliter, *denique.* Fixè, *acriter.* Fontaliter, *tanquam à fonte.* Fugaciter, *fugiendo.* Fusim, *fundendo.* Gaudenter, *cum gaudio.* Gentilitus, *secundùm cujusque gentis morem.* Granditer, *admodum.* Gratanter, *lubenter.* Grossè, *crassâ ac vili veste.* Historialiter, *secundùm historiam.*

VEnio ad vocalem secundam, & consonas, quæ inter eam, tertiamque, in literarum serie interjectæ.

Effectivè, pro ἐνεργητικῶς, non dicam: sed potiùs *efficaciter*, vel *efficienter*; quod non refugit Tullius de Fato.

Effectualiter longè minùs usurpem; sed vel Græco utar, vel *efficienter* dixero. Legas tamen apud Scholasticos, & horum exemplo in Concilio Pisano I sess. IX.

Efforcialiter, & *efforciatè*, vi, potentiâ, à Gallico, & Anglico, *force*, quod è *fortiter*. Unde *forcia*, *deforcio*, & alia, de quibus suo loco dictum. *Efforciatè* usurpat Matthæus Parisius in Johanne †: *Quod tu vi ta efforciatè venias cum equis, & armis.* Idem pro eo *efforcialiter* dicit in Vitis: *Promiserunt, quod efforcialiter vobis subvenirent de pecunia sua.*

† Pag. 224. edit. Tigur. Anglicana autem 234.

Emicatim, ab obsoleto supino *emicatum*; unde *emicaturus* apud Senecam, consolatione ad Albinam. Usus Sidonius Apollinaris lib. II epist. XIII, de Damocle, cujus cervicibus in convivio apud Dionysium tyrannum impendebat ensis setâ equinâ alligatus: *Unde post mixtas fletibus preces, atque multimoda suspiria, vix absolutus, emicatimque prosiliens, illâ refugit celeritate divitias, deliciasque regales, quâ solent appeti.* Ludovicus de la Cerda Adversariorum Sacrorum *emicantim* cap. CLXXXV legit: quasi ab *emicando* sit. Verùm adverbia hujusmodi non à gerundio, sed supino fiunt: ut *cursim*, *raptim*, & similia.

Enerviter cedere, pro molliter, ut enervati solent, apud Petrum Damiani lib. III epist. VIII, quæ ad Archiepiscopum Bisuntinum.

Enormatè aliud longè, ac *enormiter*. In Glossis ab Isidoro exponitur, *cui addi minui nihil potest.* Ubi emendant, *cui addi, vel minui, nihil potest.* Malim eâdem mente, *addi, minuive.* Constat longitudines ad lineam sive amussim; altitudines ad perpendiculum; angulos exigi ad normam. *Enormatè* igitur fuerit convenienter normæ. Ut simile sit ac *examussim*, vel *amussitatè*, ab *amussitatus*, quod Plauti Milite.

Episcopaliter, pro, ut episcopo dignum, Lupo Abbati epist. XXI.

Eulogiosè venire putatur ab *eulogia* vocabulo, non prout signat munera Deo vota, sicut sæpe sumitur; sed quatenus pro elegia falsò accipitur. Itaque idem sit eulogiose, ac cum dolore & luctu. Colvenerii hæc opinio est de illo Balderici in Chronico Camerac. lib. II cap. I: *Dominum tristè incusabant, ac maximè in S. Mariam eulogiosè fremebant.* Sed quid impedit, quo minùs exponam, quid, cùm in istac sententia parùm acquiescerem, postea in mentem venerit? Censeo, Balderico *eulogiosè* idem esse, ac *maledicè*, vel *maledicta ingerendo*. Talis ejus vocis usus inde fuerit, quòd εὐλογεῖν, licet propriè sit benedicere, more tamen Hebræo ponatur pro maledicere. Ut I sive III Reg. XXI. 10: Ηὐλόγησας θεὸν, καὶ βασιλέα. *Benedixisti Deo, & regi.* Et Jobi I. 5: Μήποτε ἡμάρτον, καὶ ηὐλόγησαν θεὸν ἐπὶ καρδίας. *Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Nimirum usque adeò Hebræi abhorrebant à blaspemia, ut ne quidem nominare illam sustinerent: eoque κατ' ἀντίφρασιν, (de quo abunde actum nobis lib. IV Oratoriarum Institutionum cap. X sect. IX) ברך *barach*, quod est *benedicere*, *laudare*, dicebant pro maledicere, impiè loqui: ac Hebræorum exemplo similiter LXX interpretes usurparunt τὸ εὐλογεῖν. Ab hac igitur εὐλογίας significatione dixit Baldericus, eulogiosè infremuisse in B. Virginem: quod est ei benedixisse, hoc est, maledixisse, impiè de ea locutos.

Exactè, pro accuratè, etiam doctissimorum est hominum: uti quoque *exactiùs*, pro accuratiùs. Sed neutrum apud veteres invenio.

Excessivè displicet. Pro quo rectum, *præter modum*. Alterùm cùm alibi millies habes, tum in Promotionibus Concilii Pisani *: *Nec deferant cincturas excessivè sumtuosas.*

* Pag. 156.

Expost, postea, postmodo. Thomas Walsingamus in Richardo II †: *Expost tamen consilium regale decrevit, ut diversis monasteriis mitterentur.* Idem in Hypodigmate Neustriæ *: *Expost decapitatus, & quaternizatus est.*

† Pag. 231.

* Pag. 508.

Extraordinariè cur novè dicam, cùm vetus suppetat, *extra ordinem?*

Faciliter, pro *facilè*, *perfacilè*, *nullo*, vel *exiguo negotio.*

Fa-

Favorabiliter, pro *cum favore*, vel *faventiâ*. Petrus de Vineis lib. III epist. XXXIV: *Nuncios nostros per civitatem Venetiarum hinc inde transitum facientes, à te, ac Venetis aliis, favorabiliter comperimus honorari.*

Fiducialiter, cum fiducia. Vulgatus interpres. Act. IX. 28: *Fiducialiter agens in nomine Domini.* Græcè: παῤῥησιαζόμενος: hoc est, liberè agens. Usurpat quoque scriptor libri de singularitate clericorum, qui Cypriani perperam creditur. Item Leo Ostiensis Chronici Casinensis lib. II cap. LXIII: *Omnes simul ad locum, ubi ferrum decidit, fiducialiter accedamus.* Joannes Saresberiensis, episcopus Carnotensis, epist. LXII: *Quod tanto vobis fiducialius commendamus.* Ac similiter Wipertus archidiaconus in vita S. Leonis IX, cui scriptor is coætaneus, cap. XLII.

Figuraliter, per figuram, ἀλληγορικῶς. Petrus Blesensis epist. XVII: *Dominum per Jeremiam* † *figuraliter dicit: Perdix fovit, quæ non peperit.*

† Jer. 17. 11.

Finaliter, pro tandem, denique. Floretus, qui creditur, sed temere, B. Bernardus Claræva llensis *:

* Coloniæ excusus cum comment. an. 1501.

Interimens animam, damnat finaliter ipsam.

Odericus Ord. Min. qui ante tria vixit secula, Peregrinationis suæ Asiaticæ cap. V: *Intrare volui, confidens in Domino, ut viderem finaliter quid hoc esset.* Usurpat etiam Henricus de Hassia in Spec. Anim. †.

† Pag. 3.

Fixe, pro *acriter, acri animo, & intento.*

Fontaliter, velut à fonte. Thomas Kempensis lib. I de imitatione Christi cap. XV: *Totaliter ad Deum refert, à quo fontaliter omnia procedunt.*

Fugaciter, pro fugâ, vel fugientium more. Prior vita S. Leodegarii, Episcopi, & Majoris domûs Franciæ: *Quod consilium qui tunc noluit sequi, aut fugaciter evasit, aut cum periculo, incendio comminato, adquievit invitus.*

Fusim qui veterum dixerit, non occurrit nunc mihi; etsi sciam vulgò *fuse*, & *fusim*, sic distingui, quòd *fuse* sit quantitatis, pro *copiose*: *fusim* qualitatis, ut *sparsim.*

Gaudenter, cum gaudio. Usurpat Fulgerius Carnotensis in Gestis Peregr. Franc. ad an. CIↃXCVII. Verba adferam in particula *Indilatè.*

Gentilitùs, pro gentium more. Tertulliani est lib. de Pallio cap. III. Qui nec refugit *nativum, passivum, planitus*. Hæc vel seculo condonanda, vel genti.

Granditer, pro vehementer, vel admodum. Chronicon Reichersp ergense *, in descriptione malorum, quæ passus est exercitus in expeditione Hierosolymitanâ: *Unâ dierum super ripam, non magni cujusdam fluminis mare influentis, castra locaverant; cùm subitò, nullâ pluviâ —— præcedente, fluvius idem, (nescitur adhuc, quâ ex causâ) granditer intumuit.*

* Pag. 184.

Gratanter, pro lubenter, animo grato. Petrus de Vineis lib. I epist. V: *Pacem oblatam nobis gratanter admittimus; sed nos eam offerre plurimùm adfectamus.* Ac similiter mox eâ ipse epistolâ. Multoque ante eum sic alii: in his S. Remigius in Testamento suo apud Flodoardum lib. I Histor. Rem. cap. XVIII, & Fulbertus Carnotensis epist. XXI, & XXX. Est & Thomæ Walsingami in Descriptione Neustriæ †: *Cujus verba Rollo, consultu suorum, gratanter suscipiens, à vastatione paganicâ indulget Regi inducias trium mensium.*

† Pag. 417.

Grosse corruptum ex crassè, ut ex crassus, *grossus*: de quo diximus libro III cap. XIII in *Grossitudo*. Thomas de Kempis lib. primo de imitatione Christi cap. ult. *Pauperrime comedunt, grosse vestiuntur.* Hoc est, panno crasso, soloci, vili.

Historialiter, pro *historicè*, apud Anonymum de ritibus veteris Eccles. *Quod primitiva quidem Ecclesia, persecutionis tempore, historialiter agebat: sed ea, quæ nunc est à Christo, pace jam redditâ, spiritaliter repræsentat.*

Cap. XXXIII.

Explicantur particulæ Latino-barbaræ, quæ incipiunt ab I.

Ignobiliter, *ignobilium instar, vili habitu.* Ignominiose, *cum dedecore, ac infamia.* Ignoranter, *inscienter.* Imperfectè, *opere imperfecto.* Imperialiter, *Cæsareo, vel Regio more.* Impræsentiarum *non quidem rejectum; attamen tutius, majorique classicorum consensu, dici* in præsentia, *vel* in præsenti. Impudoratè, *citra pudorem.* Inantea, *deinceps.* Incessabiliter, *&* incessanter, *pro assidue, vel indesinenter.* Incidentaliter, *obiter.* Inconsolabiliter, *nulla admittendo solatia.* Indebitè, *immeritò.* Indilatè, *continuò.* Indisciplinatè, *adversus disciplinam.* Inenodabiliter, *nodo ejusmodi, quem expedire nemo posset.* Infoederabiliter, *nullâ foederis spe.* Infideliter, *malâ fide.* Infinities, *infinite.* Infirmiter, *infirmè.* Infrontatè, *perfrictâ fronte.* Inhospitaliter, *inhospitalium more.* Inordinaliter, *&* inordinatè, *sine ordine, sive incompositè.* Insolitè, *insolenter.* Insufficienter, *nimis parcè.* Integraliter, *plenè.* Intellectualiter, *ratione intellectus.* Intemporaliter, *citra temporis mensuram.* Invectivaliter, *acriter invehendo.* Inviolabiliter, *inviolatè.* Jocaliter, *jocosè.* Irrationabiliter, *citra caussam ullam, vel more rationis expertium.* Irremediabiliter, *sic ut mederi nemo possit.* Irremissibiliter, *nullâ veniæ spe.* Irreparabiliter, *irreparabili jacturâ.* Irrevocabiliter, *irrevocabili conditione.*

PRoximus nunc est, ut ad eas me Particulas conferam, quibus initium facit tertia vocalis.

Ignobiliter, ignobili ac plebejo more; item sordidè, vili habitu. Petrus Damiani lib. III epist. VIII, quæ ad episcopum Bisuntinum *: *Invenit* (Rex) *hominem contra illius convivii regulam ignobiliter residentem.*

* Pag. 303.

Ignominiose non memini me legere apud classicos. Potiùs igitur dixero cum iis, per ignominiam; vel, cum ignominia.

Ignoranter, quod Gemma etiam agnoscit, nihilo melioris mihi notæ videtur. Quare præferam, inscienter, per ignorantiam.

Imperfectè, de iis, ubi quid deest, sive deficit, scio, quàm sit vulgare. Sed qui nihil admittit, nisi cujus idoneum habeat auctorem, is rectiùs abstineat. Melius igitur, *opus dare imperfectum*, quàm *imperfectè*. Item malim, *opus affectum potius, quàm confectum.* Est ubi *præcise* pro eo cum Tullio, & aliis, dicam. Ut si quid in sermone deficiat, quod intelligendum relinquatur. Hujusmodi oratio ob concisionem minùs perspicua esse solet: unde Agellius conjungit, *præcise, & obscurè dictum.*

Imperialiter, βασιλικῶς, §. penult. C. de caduc. toll.

Impudoratè, pro *impudenter*, semel iterumque usurpat vetus Irenæi interpres lib. I cap. XXI, quod est adversus Marcionem.

Impræsentiarum cur sit suspectum, monui lib. I cap. XXV. Nec tamen, cum Grosippo †, damnare audeo, in tanto codd. consensu; quem ibidem tangebamus. Usus enim Cato de re Rust. cap. CXLIV: *Nequis concedat, quo olea legunda, & facunda, carius locetur, extra-quàm, siquem socium impræsentiarum dixerit.* Item C. Fannius * Annal. I: *Quæ impræsentiarum* † *bona videntur.* Tacitus lib. IV Histor. *Plerumque tamen, quod impræsentiarum conduceret, oblitum.* Post hos etiam Appulejus lib. III. Florid. *Mavult impræsentiarum gaudere, quàm prædicare.* Item Ulpianus lib. XI tit. I. leg. XI, §. VIII. Ut mittam vulgatum Scripturæ interpretem Gen. cap. ult. ℣. XX: *Sicut impræsentiarum cernitis.* Similiterque Hieronymus ad Algasiam. Difficile creditu est, in tot generis scriptoribus, & tam multis codd. vocem eam corruptam. Quare nullum, qui uti volet, culpâro. Et tamen, ut alterum præferam, facit, quòd omnes ante Tacitum, si Catonem priscum,

† Sive clarissimo Scioppio.

* Apud Priscianum lib. 13. cap. de secunda declinatione Pronominis.

† Sic etiam optima membrane nostra, & vetus editio Veneta ann. 1476.

priscum, paulloque juniorem excepero C. Fannium, *in præsentia* malint. Sic Terentius Phormione: *Provisum est, ne in præsentia hac hinc abeat.* Cicero ad Att. *Spero etiam in præsentia pacem nos habere.* Et VII in Verrem: *In præsentia Cleomenes, quoniam ita necesse est.* Præterea Servius Sulpicius epistolâ eâ, quâ Ciceronem solatur de obitu Tulliæ. Etiam *in præsenti* pro eo est apud Tullium epist. X lib. II: *Hæc ad te in præsenti scripsi, ut speres te id adsequi, quod optasti.* Atque ita quoque est apud Scribonium Largum *; cujus verba adducebamus lib. I cap. XXXIII. Nempe ut Græci dicunt, ἐν τῷ παρόντι. Ubi κατ᾽ ἔλλειψιν reticetur χρόνῳ. Nec desunt, qui propterea *in præsentia* damnent. Sane & Henricus Stephanus in Pseudo-Cicerone suo non dubitat scribere †, suspecta sibi esse loca omnia, ubi *in præsentia* est exaratum. Et tamen videas Stephanum ipsum paucis ante paginis * sic loqui. Verba sunt: *De hoc duntaxat in præsentia nunc agamus.* Ipsum adi fusiùs disserentem.

* Præfat. ad C. Julium Callistum.
† Pag 98.
* Pag. 93.

Inantea (pro quo & divisim, sed perperam, ut puto, *in antea* scribitur) idem valet, ac *in posterum*, more Gallorum, qui dicunt, *dor en avant.* Sic Marculfus monachus Formularum præfatione ad Landericum, Parisiensem antistitem: *Capitula prænotavi, ut faciliùs à quærenti inantea scripto reperiantur.* Baldericus in Chronico Cameracensi lib. I cap. CXVIII: *Walterus pro admissis XX libras argenteorum revadiaret, ac inantea se quieturum esse promitteret.* Similiter eodem opere alibi; & apud alios scriptores, quos indicat Colvenerius ad Chronicon Cameracense *. Vide autem, an non similiter sumatur Legum Longobard. lib. I tit. IX leg. XIX: *Et accipiant hæredes mortui inantea tantum, quantum antiqua consuetudo fuerat.* Pro *continuò*, vel *statim*, usurpari videtur, in illo Gregorii Turonensis in Histor. Francorum lib. VII cap. XXVIII: *Post hæc exercitus, ab urbe Pictavâ remotus inantea, post Gundebaldum proficiscitur.* Quid verò antiquis *inante*, uti & *exante*, & *postante*, denotârint: liquebit ex iis, quæ diximus in Arte Grammat. lib. IV de Analogia cap. XXIII.

* Pag. 599.

Incessabiliter, & *incessanter*, barbara sunt, pro, nullo temporis puncto intermisso. Priori usus Petrus Damiani lib. III epist. VIII, quæ ad episcopum Bisuntinum †: *Manibus in alta porrectis incessabiliter psallere.* Posterius usurpat vita S. Leodegarii, Augustodunensis Episcopi *. Item Petrus Blesensis epist. CXLVI, quæ exarata nomine Aleonoræ, Angliæ Reginæ. Adhæc Bernardus Clarævallensis in vita Malachiæ episcopi †. *Indesinenter* pro eo dixit Varro lib. II de R. cap. IX: nequis id barbarum putet, quia apud Latinobarbaros legat; in his Commentatorem in Jobum, qui Origenes falsò putatur, in ipso operis initio, & Bekam in vita Joannis II episc. XL: *A somno suscitans indesinenter.*

† Pag. 304. edit. Parif. an. 1610.
* Tom. I. scriptorum Histor. Franc. p. 601. edit. Andr. du Chesnes.
† Col. 1945. edit. Antverp. an 1609.

Incidentaliter loquendo, quorundam est, pro obiter, sive, quia casu in hunc sermonem incidimus. Joannes Major de gestis Scotorum lib. IV cap. VII: *Incidentaliter loquendo, non solùm in Britannia, sed in plerisque locis, nimis leviter homines censuris ecclesiasticis innodant.*

Inconsolabiliter est apud Leonem Marsicanum lib. I Chronici Casinensis cap. I: *Atque ideo inconsolabiliter fleret.* Et sane *inconsolabile vulnus* est apud Ovid. V Met. Malim tamen cum Horatio *, *insolabiliter*. Græci pro eo ἀπαραμυθήτως.

* Lib. I. epist. 14.

Indebitè, immeritò, injustè. Cæsarius Heisterbachensis lib. XII cap. XXIII: *Immissione diaboli, cujus instinctu ab invidis indebitè vexabatur, campum solus intravit.* Ulpiani tamen est *indebitò*, per quartam vocalem.

Indilatè, citra dilationem ullam, continuò. Fulgerius Carnotensis in Gestis Peregrinat. Francorum ad ann. CIↃ XCVII †: *Pervenimus tandem Roais: ubi Princeps urbis prædictus, & uxor sua, unà cum civibus suis, gaudenter nos susceperunt; &, quod Balduino polliciti fuerant, indilatè compleverunt.*

† Pag. 389.

Indisciplinatè, adversus legum morumque disciplinam. Est in Speculo Saxonico; uti dictum lib. III cap. XVI. Ubi & vidimus de voce *indisciplinatus*. Simplex *disciplinatus*, pro disciplinis imbutus, est leg. VII. §. I. ff. De excus. tut. *Disciplinosus* vetus est, ac, ut Nonius observat, etiam locum habet in vilibus, & malis artibus. Unde Porcius Cato lib. de re militari: *Quam gladiator disciplinosus.*

Inenodabiliter, de eo, cujus nodus nequit solvi: ut Gordius ille, quem Alexander M. dissecabat, ut quomodocunque oraculo videretur satisfactum. Utitur eâ particulâ Chronicon Cisterciense *. Interim *inenodabile* ipsius est Ciceronis lib. de Fato. Sic ejusdem Tullii est *inexplicabilis*: qui, ut puto, *inexplicabiliter* non dixisset.

* Pag 54.

Infederabiliter, ἀσπόνδως. Petrus Damiani in vita S. Odilonis cap. X §. XXII: *Orationibus, & eleemosynis quorundam, adversus eos infederabiliter concertantium, frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum.*

Infideliter, pro *malâ fide*. de quo tamen non magnopere contendero, quandoquidem *fideliter* ipsius est Ciceronis: eoque, etiam compositum, ut Latinum, se agnoscere, Henricus Stephanus dicat Expostulationis de Latinitate Suspectâ cap. VI *.

* Pag. 208.

Infinities, quod Ciceroni *infinitè*: cujus est, *infinitè concupiscere*, vel *secari*. Thomas Walsingamus in Richardo II †: *Patuit hoc, non semel, aut iterum, sive tertiò; sed puto infinities.*

† Pag. 224.

Infirmiter, pro infirmè, non reperio, præterquam apud parum idoneos scriptores.

Infrontatè, pro impudenter, more hominum ferreæ frontis. Fulgentius Planciades: *Catillare est per alienas domos infrontatè gyrare.*

Inhospitaliter non temere dixero. Henricus Stephanus tamen, *Cur*, inquit, *potiùs refugisse istud Latinos putabimus, & insaturabiliter* (*quo Cicero quoque usus est*) *& insolabiliter, & implacabiliter, & admirabiliter?* Equidem non valde adverser utenti: sed non tam ob ea, quæ Stephanus hîc adfert, quàm quia *inhospitalem* Caucasum dicat Horatius: & *hospitaliter* Livii sit lib. I, ac VI.

Inordinaliter, ἀτάκτως, sine ordine; pro quo *incompositè* Livius lib. quincto, & vigesimo. Legas prius apud Cælium Aurelianum lib. I Tard. Pass. cap. VII. Item libro de singularitate Clericorum, qui Cypriano tribui solet, sect. II: *Ipsi ergo nos fallimus, quoties inordinaliter credimus, æstimantes per fidem nostram legis præcepta mutari.* Nisi *inordinabiliter* malis; quando postea sect. VI sequitur: *O quàm inordinabilis femina propinquitas jaculatur, cujus vicinia est delictorum latrocinium.* Sed profectò liber is Cypriano, elegantissimo scriptori, ineptè tribui solet. Abunde enim hanc sententiam tot semi-barbara refellunt: quemadmodum paullo antè dicebamus in *Contubernaliter*.

Inordinatè, ἀδιατάκτως, est apud Petrum Blesensem epist. CLI, quæ ad Innocentium III Papam. Nec multùm averser, cùm *inordinatus* sit apud Livium, ac ipsum Ciceronem. At planè rejiciendum, *inordinatè*, pro eo, quod Cicero *immoderatè*.

Insolitè, pro quo Cicero *insolenter*, defendunt Agellii illo lib. I cap. II: *Intempestivè, ac insolitè disserebat.* Sed in melioribus libris pro *insolitè* est *insubidè*: quam vocem, qui non caperent, immutarunt.

Insufficienter sumtum præbere non dicam, sed *nimium parcè*: ut Terentius Andr. Act. II. sc. VI. *nimium parcè facere sumtum.* Vel *exiguè*, ut Heautont. act. I sc. III *Præbent exiguè sumtum.*

Integraliter, pro integrè, plenè. Benedictina * cap. XIII, quod est de inventariis per novos antistites: *Prædicta verò inventaria, seu registra, clare, ac integraliter, legantur in capitulo cujuslibet ecclesiæ cathedralis, ac monasterii.*

* Subditur Aimoino, & Leoni Marsicano, edit. Parif. an. 1603.

Intellectualiter, secundùm intellectum. Usus Henricus de Hassia in Speculo Anim. † Opponitur ei *sensualiter*, de quo inferiùs.

† Pag. 5.

Intemporaliter, ἀχρόνως, sine tempore, vel temporis mensurâ. Leges Wisigothicæ lib. IV tit. V leg. VI: *Deus, justus judex, qui justitiam intemporaliter diligit, non vult justitiam servire tempori; sed tempori potius æquitatis lege concludit.* Usus & Dionysius Carthusianus in rhythmo. Verba adduximus in *Æternaliter*.

Invectivaliter, ut solent invehi in aliquem; sive, prout in invectivis fit, seu cum acri reprehensione. Sidonius Apoll. lib. I epist. XI: *Qui satis invectivaliter abusi nominum nuditate, carpebant plurimum vitia; plus homines.*

Inviolabiliter est apud Petrum Blesensem, ab *inviolabilis*, quo usus Silius. Sed hoc poëticum. Pro *inviolabiliter* autem *inviolate* est apud Ciceronem lib. de Senectute.

Jocaliter est apud Ammianum Marcellinum: pro quo veteres, vel *jocosè*, ut Cicero; vel *jocularíter*, ut Plinius.

Irrationabiliter est Tertulliani de Pœnitentiâ. Malim, sine ratione, nullam certam ob caussam, ἀλόγως, malè. At longè minùs placet *brutè*: quod, utcunque Latinum foret, aliud sonaret. Nam quantum intersit inter brutum, & ἄλογον, dictum alibi † fusè.

† Lib. I. cap. 33.

Irremediabiliter, de eo cui mederi non possis. Petrus Blesensis epist. CXLVI, nomine Aleonoræ Reginæ ad Cælestinum Pontificem scriptâ: *Rex junior, & Comes Britanniæ, in pulvere dormiunt, & eorum infelicissima mater vivere cogitur, ut irremediabiliter de mortuorum memoria torqueatur.*

Irremissibiliter, citra condonationis, aut veniæ ullius spem. Pius IV bullâ de jurisdictione Gubernatoris almæ Urbis*: *Ultra prædictam summam principalem in cambiis, & recambiis, —— à dictis mercatoribus irremissibiliter exigendam.*

* Tom 2. bullarii pag. 1.

Irreparabiliter, sic ut irreparabile foret. Sigebertus in Chronicis an. CDLXXII: *Godefridus palatium Neomagi incendit, & irreparabiliter destruit.*

Irrevocabiliter, ut probum, agnoscit Glossarium nostrum MScr. At legas apud Petrum Damiani lib. I ep. VIII: *Hæc vobis ita irrevocabiliter reddo, quod donec vita comes fuerit, ulteriùs non tenebo.* *Irrevocabile* interim est apud utrumque Plinium; uti & Lucretium; atque Horatium. Pro *irrevocabiliter* igitur dixero: irrevocabili promisso, pacto, dicto.

Cap. XXXIV.

De particulis auspicantibus ab L, M, N. Lachrymabiliter, *cum lachrymis*. Laicaliter, *laicorum instar*. Lateraliter, *à latere*. Legaliter, *secundùm leges*. Licitè, *honestè*. Lineariter, *ad lineam*. Literatim, *per epistolam*. Magnanimiter, *animo magno*. Massaliter, *nomine universi civium, vel fidelium corporis*. Matrimonialiter, *matrimonii vinculo*. Medicinaliter, *ope medici*. Medieter, & mediè, *pro mediocriter*, *mediâ ratione*. Mentaliter, *mente, ac cogitatione*. Minabiliter, *cum minis*. Misericorditer, *miseratione aliorum*. Momentaliter, *momento*. Monachiliter, *monachi instar*. Multoties, *crebrò*. Mundialiter, *munditer*. Mussitanter, *mussitando*. Notoriè, *manifestò*. Nullatenus, *nequaquam*. Nullibi, *nusquam*. Nulliter, *nullo usu*.

Subjungam nunc particularum eas, quibus initium est ab aliquâ primarum trium liquidarum.

Lachrymabiliter, cum lachrymis, cum lachrymabili gemitu, sic ut lachrymæ non teneantur.

Laicaliter, more laicorum. De hoc dictum in *Laicalis*, lib. III cap. XVIII.

Lateraliter, à latere. Pseudo-Ovidius in secundo de Vetula:

> —— *Lateraliter intrans,*
> *Explorante manu, cameram lectumque requiro.*

Legaliter, pro secundùm legem. Constitut. Caroli Calvi Tit. XXX, quando Hlotharius ad osculum receptus est, cap. VI: *Ipse Dominum dicit de semel, ac secundò, ac tertio commonito, & non correcto, ut sit nobis sicut gentilis.* Item Longobardicarum legum lib. III, tit. XXXIV, leg. IV, & Hincmaro epist. VIII cap. I †.

† Edit. Mogunt. an. 1602. pag. 15.

Licitè invenio solùm apud juniores. Malim *honestè*, *justis*, vel *honestis de caussis*. Apud Solinum tamen *licitos* legas.

Lineariter vulgare est, pro eo, quod Tullius, *ad lineam*.

Literatim, per literas, sive epistolam. Fulbertus Carnotensis epist. CVIII: *Mandato mihi, ut literatim describerem vobis, quid mihi videtur de vestra, quantum dici fas, irreprehensibili conversatione.*

Magnanimiter, pro *magno animo*, improbat Nizolius: probat Henricus Stephanus, Expostulationis de Latinitate suspectâ cap. VI *. Vellem autem vocabuli ejus idoneum laudasset auctorem.

* Pag. 181.

Massaliter à *massalis*; *massalis* à *massa*. *Massale* verò est, quod massam, sive totum quid constituit. Tertullianus lib. IV adversus Marcionem cap. XVIIII: *Redactam scilicet in Dominum, ut in massalem suam summam.* Hoc est, totam summam. Ac *massaliter* idem usurpat adversus Valentinianos cap. XVIII: *Atque ita massaliter solidata defixit seorsum in materia corporalem paraturam.* Ubi summa *massalis* est, quæ barbaris *totalis*. Idem de Fuga in Persecutione cap. XIII: *Massaliter tota Ecclesia tributum sibi irrogaverunt.* Hoc est, non sigillatim, pro hoc, vel illo; sed simul, pro omnibus, &c, ut vulgò dici solet, in communi. Ita rectè interpretati Rhenanus, Junius, de la Cerda.

Matrimonialiter jungi, pro connubio, vel matrimonio jungi, est Joannis Majoris, lib. IV de gestis Scotorum cap. XVIII.

Medicinaliter, ope, vel manu medicâ. Thom. Walsingam in Richardo II †: *Cùm sit frater noster peccabilis; subjacet legi correptionis fraternæ: & cùm totum collegium patet esse deses in correptione, pro necessaria prosperitate ecclesiæ; patet quòd residuum corpus ecclesiæ, (quod possibile est secundùm plurimum stare in laicis) patet medicinaliter eum corripere, accusare, & ad frugem melioris vitæ reducere.* Ubi, pro *patet medicinaliter eum corripere*, legendum censeo, *possit medicinaliter*, &c. *Medicinabilis* tamen est Cornelii Celsi, Plinii, & aliorum.

† Pag. 208.

Medieter, pro *mediocriter*. Capitolinus in Albino: *Milesias nonnulli ejusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamvis medieter scriptæ sint.* Pro quo *mediè* etiam, ut Salmasio observatum, Spartianus in Severo: *Ortus mediè humilis.* Hoc est, origo illi utcumque, vel sic satis humilis; quasi dicat, minimè sublimis, nec tamen omnino infimæ sortis. Ulpianus de pigneraticia actione: *Mediè igitur hæc à judice erunt dispicienda; ut neque delicatus debitor, neque onerosus creditor, audiatur.* Lactantius item lib. VI. de vero cultu cap. XV: *Vitia, quoniam tolli non possunt, mediè temperanda sunt.* Ubi Gryphius edidit: *Quoniam tolli non possunt, moderanda sint.* Ac similiter Xystus Betulejus. Sed in commentario ait: *Gryphius non sine ratione lectionem mutavit; nescio, an exemplari vetusto aliquo fretus.* In Aldina est, *medio temperanda sint.* Illa Thomasii cum Gryphiana consentit: verùm in margine annotavit, quod in aliis codicibus legi dicebamus, *mediè temperanda.*

Mentaliter, mentis cogitatione. Joannes Major Scotus de Scotorum gestis lib. III cap. XI: *Sicut piscis extra aquam non vivit: sic nec religiosus extra claustrum. Et quando est in claustro corporaliter; tunc mentaliter, & quoad vitam, est extra claustrum.*

Minabiliter in Glossis MSS exponitur ἀπειλητικῶς. *Minaciter* pro eo Cicero, Liviusque. Ovidius etiam *minanter*.

Misericorditer, Chronico Cisterciensi *: *Sunt namque milites in domo Dei, templique Salomonis, ad terminum misericorditer nobiscum degentes.*

* Pag. 50.

Mo-

Momentaliter, pro *momento*, *confestim*, apud Ursionem, abbatem Altimontensem, lib. II de S. Marcello Papa cap. III. §. IX †: *Ut utriusque officii momentaliter reciperet plenitudinem.*

† In Vitis SS. ad 16 Jan.

Monachiliter, pro *monachi more*. Matthæus Parisius Histor. in an. ciↄc. verba hæc regis Guiljelmi II refert de visione monachi transmarini: *Monachus est, & lucri caussâ monachiliter somniavit.*

Mulsitanter, vide inferiùs *mussitanter*.

Multoties, pro sæpiùs, est apud Paulum Diaconum in vita S. Mariæ Ægyptiacæ cap. I, & II. Præterea crebrò est in Carmine Caroli M. apud Leonem Ostiensem lib. I cap. XVII:

Dicito multoties salve, pater optime, salve.

Item apud Rigordum in Gestis Philippi Augusti, & Petrum de Vineis lib. I epist. XV. Junioribus inprimis frequens: quorum aliquos nominavi lib. I cap. XXV. Ac multos adducere alios possim: ut Leonclavium in Historiæ Turcicæ Pandectis cap. XXIII, Brodæum Notis in Ἀνθολογ. lib. I titul. XLIV epigr. I, quod est Parmenionis. Ὀξὺς ἐλαυνόμενος πνεύματος ἐστὶ πνόος, mentem ait poëta, *non multoties respirandum esse*. Brissonium ad L. Dominico de Spectaculis in Cod. Theodos. Juretum notis ad Ivonis epistolas, Conradum Rittershusium Notarum ad Guntherum libro I cap. IV. Barthium Adversariorum lib. XLVIII, cap. XIX.

Mundialiter, pro *munditer*, quod Plauti Pœnulo. At priori usus Fulbertus Serm. de ortu B. Mariæ †: *Advocate angelos ad custodiam puritatis vestra; quia ipsa in tenera sorte mundialiter posita, cum regina ipsorum etiam futura secum eorum suffragia, sedulò oratione contrahebat.*

† Pag. 147. edit. Paris. an. 1608.

Mussitanter, susurrando; à *mussito*, quod à *musso*; uti hoc à μύζω; id quasi μῦ dico. Isidori Glossæ: *Mulsitanter, leniter.* Num à *mulsitans*; hoc à *mulso*, vel *mulcendo*, sive supino *mulsum*? Non arbitror. Sed legendum censeo, *mussitanter*, hoc est, leni obscuràque voce; ut qui aliquid in aurem dicunt. Firmat quoque Nonius, cùm ait, *Mussare hominum est occultè, & pressâ voce loquentium, quod celatum velint.* Ac Servius quoque in I Æn. *mussare* exponit susurrare, murmurare, muto esse vicinum. Glossæ Philoxeni: *Mussitare*, γρύζειν. Onomasticon: *Mussitabundus*, μύζων. *Mussito, musso*, μύζω.

Notoriè, apertè, manifestò. Hieronymus Pragensis in Abjuratione sua, Concilii Constantiensis sessione XIX.

Nullatenus legas non modò apud superioris seculi scriptores: sed etiam aliquanto priores; ut scriptorem veterem præfationis præmissæ Commentariis in Jobum, quæ Origeni falsò tribuuntur: item Fulbertum Carnotensem epist. CX, Arnulphum Lexoviensem epistolâ ad Papam Alexandrum, Petrum Blesensem epist. CXLVI, nomine Aleonoræ, Angliæ reginæ, scriptâ ad Cælestinum Papam. Dixi de hoc etiam lib. I cap. XXV.

Nullibi cui displiceat, ibidem exposui. Verùm iis exaratis, atque editis, ecce apud Basilium Zanchum in Verborum Latinorum epitome lego, vocabuli hoc usurpatum Vitruvio. Sanè aliquid hoc est. Interim is scriptor, suæ licet artis, Architecturæ videlicet, intelligentissimus, multa è vulgo haurit, quæ elegantiores omnes refugerunt.

Nulliter, inutiliter, re nullius momenti. Concilium Pisanum*: *Ne nulliter occupetur, & labatur in vanum.*

* Pag. 169.

Cap. XXXV.

De particulis inchoantibus ab O, P, Q, R, S, T. Ocul ariter, *oculorum visu*. Offatim, *ad modum, quo cani, vel aliis, offam objicimus*. Pacificè, *tranquillè*. Pariformiter, *æquè, similiter*. Perfectionaliter, *perfectè*. Pernicialiter, *perniciosè, exitiali malo*. Perpendiculariter, *ad perpendiculum*. Perpetualiter, *perpetuò*. Personaliter, *per sese*. Plausibiliter, *cum applausu*. Pœnitenter, *pœnitendo modo*. Pompaliter, *vel* pompabiliter, *quomodo fieri in pompis solet*. Potentialiter, *de eo, quod esse potest*. Præcordialiter, *ex intimo sensu*. Præsentialiter, *in præsenti*. Primordialiter, *in primordiis*. Proceriter, *procerius*. Processionaliter, *in morem sacrorum processuum*. Processivè, *pro eodem: item quasi gradibus quibusdam*. Prodigaliter, *prodigè*. Proditionaliter, & proditoriè, *proditione, vel proditorum more*. Proficuè, *utiliter*. Proportionaliter, *pro cujusque opibus*. Pusillanimiter, *animo timido, fractoque*. Quantitativè, *secundum magnitudinem, aut numerum*. Quantocius, *quamprimum*. Rationabiliter, *probabili ratione*. Realiter, *reverâ*. Regionaliter, *regionatim*. Regulariter, *secundùm normam præscriptam*. Reprehensibiliter, *pravè*. Respectivè, *comparatè*. Robustè, *nervosè*. Secretè, *secretò*. Securè, *sine cura*. Semotè *agere, pro semotum*. Sententialiter, *sententiâ judicum*. Septimanatim, *unaquâque hebdomade*. Sequestratim, *separatim*. Seriatim, *secundùm seriem*. Singulatim, *pro singulatim*. Suadenter, *ad persuadendum aptè*. Subitaneè, *subitò*. Successivè, *progressu temporis*. Succinctim, *breviter*. Temporaliter, *ad tempus, sive dum durant res mundi caduca*. Temporatim, *pro varia anni tempestate*. Tibicè, *ineptè, pro τυπικῶς*. Totaliter, *penitus*. Transeunter, *obiter*. Trebaciter, *vel* tribaciter, *vafrè, instar veteratorum*. Tunicatim, *ad modum, quo tunica continet interiora.*

Deinceps progrediendum ad particulas initium capientes à quarta vocali; uti hinc ordine ad eas, quæ incipiunt ab aliqua è quinque consonis sequentibus.

Ocular iter, intuitu ipso, sive oculorum magis indicio, quàm animi judicio. Sidonius Apollinaris lib. VII epist. XIV: *Qui amicos ludificabundi non tam judicialiter, quam ocul ariter, intuentur, dicant, velim, in hominis forma quid satis præstans, quid spectabile putent.*

Offatim, singulatim offerendo offam, ac ἀπλῶς particulatim. Glossæ Mss: *Offatim*, λεπτομερῶς. Videtur autem non minùs ab *offa*, *offatim*, potuisse formari; quam à *particula*, *particulatim*. Solùm desidero idoneum auctorem.

Pacificè vide quis classicus dixerit. Malim ego, *cum pace*, vel *pacate*; quod Cæsaris est in primo de bello Gallico.

Pariformiter, pro æquè, pariter, similiter. Inter alios usus in præfatione is, qui notis suis illustravit Flores B. Bernardi versiculis comprehensos: eaque ex operâ Floreti nomen obtinuit. Analogia similis, ac in *multiformiter*; quod Plinii est, Agelliique.

Perfectionaliter, pro perfectè, accuratè. Henricus de Hassia in Speculo Anim. *Ut verò contempleris, qualiter, & quanta sis, perfectionaliter perpende.*

Pernicialiter, quod Ciceroni, & aliis, *perniciosè*. Usurpat Ascanius epistolâ ad Humbertum: *Neque ignoro, vos pernicialiter ab Ætnæis ignibus afflictos.* Similiter Henricus de Hassia in Spec. Anim. *

* Pag. 57.

Perpendiculariter, pro *ad perpendiculum*. Nizolius, ac Cellarius, pro eo etiam jubent dicere, *ad lineam*, *rectis lineis*, *ad pares angulos*. Sed aliud esse *ad lineam*, indicat hoc Vitruvii lib. VII: *Longitudines ad regulam, & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes eligantur.*

Perpetualiter, pro perpetuò, sæpius usurpat S. Remigius in Testamento suo apud Flodoardum Histor. Remensis lib. I cap. XVIII. Apud eundem legas lib. II cap. XIX, in præcepto Ludovici, & Lotharii Imperat. *Debeant perpetualiter possidere.* Item Marculphi est Form. XIII: *Perpetualiter mansurum esse jubemus.* Utitur & Carolus Simplex apud Aimoinum lib. V, c. XLII. Item Ivo epist. CCLXXXV. *Perpetualiter habeat præbendam.* Et Fulbertus epist. XCV: *Non moriendum perpetualiter in sanguine suo.* Nempe est

est à *perpetualis*; quod timidè dixit Fabius, ac solus, lib. I I cap. XIV: Καθολικά, *id est*, (*ut dicamus, quomodo possumus*) *universalia, vel perpetualia.* Dixerit aliquis, fortasse *perpetua* scripsisse. Sed alterum est in illa Ascensii, Aldi, Vascosani, Stephani, &, ut puto, cæteris.

Personaliter, coram, per se, non alium. Stilus curiæ Parlament. capite I I: *Inveniat ad ornandum in baillivia sua, vel seneschallia sua, personaliter.* Concilium Pisan. I I †: *Procuratores, si commodè personaliter interesse non poterunt.* Utitur & Concilium Constantiense sessione XIX.*

† Pag. 38. * Fol. 529 edit. Quentelianæ ann. 1538.

Plausibiliter exultare est apud Petrum Damiani lib. I I I epist. VIII, quæ ad Archiepiscopum Bisuntinum. Dixerim, ut ad Atticum Cicero, *cum plausu, & approbatione.*

Pœnitenter, cujus aliquem pœniteat mox. Minucius Felix in Octavio: *Pœnitenter omissa, & observata feliciter.*

Pompaliter, in pompæ morem. Est apud Trebellium Pollionem in Gallienis duobus: *Gladiatores pompaliter ornati.* A *pompa pompalis*, inde *pompaliter*; ut à *fortis*, *fortiter*; ab *acris*, *acriter*. Vel *ἀμῶς* à *pompa*, ut à *potentia*, *potentialiter*; de quo mox loquar. Sed fortasse Trebellius *pompabiliter* scripsit; quod in veteri libro est Salmasio repertum. A *pompare*, *pompabilis*; unde *pompabiliter*. De *pompare* dixi cap. XVII hujus libri.

Potentialiter, non reapse, verùm τῇ δυνάμει, quod non est, sed esse potest. Sidonius Apollinaris lib. VII epist. XIV: *Illum Philagrium semper inspicio, cui me animus potentialiter notum, morum similitudine, facit.*

Præcordialiter, pro ex animo, ingenti affectu. Vetustus scriptor vitæ Sigeberti tertii, Dagoberti filii †: *Non tamen desperans de Dei miseratione, præcordialiter eum deprecabatur.* Est à *præcordialis*: quod apud Bekam in vita Henrici, episc. CXXI.

† Tomo I scriptorum Histor. Franc. edit. Andreæ du Chesnes, pag. 592.

Præsentialiter est in diplomate Hludovici, & Hlothari, Augustorum, apud Aimoinum Histor. Franc. lib. V cap. X: *Quicquid ad suum opus præsentialiter habuit.* Item apud Henricum I Imperat. in privilegio Ecclesiæ Novariensi concesso anno cIↄ XIV: quem ad annum id Baronius integrum refert in XI Annal. Eccles. *Qui etiam nunc præsentialiter multa damna, Harduino devastante, recepit.* Pro, *hoc tempore.* Sic *præsentialiter loqui*, pro *coram*, dixere, Petrus Blesensis, epistolâ XIII; item XLVI, scriptâ nomine Aleonoræ, reginæ Angliæ; & Conradus, episcopus Wormatiensis, epistolâ ad Hildegardim.

Primordialiter, pro initio. Petrus Blesensis epist. CXVI: *Reducerentur cuncta in nihilum, quæ de nihilo primordialiter processerunt.*

Proceriter, pro *procerius*, non reperio, nisi apud parùm idoneos Latinitatis scriptores. Cùm autem *procerius*, ipsius sit Ciceronis; credo, nec *procerè* refugisset.

Processionaliter, ut in sacris fit processibus. Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis parte III cap. IV, sive in an. cIↄ CCCXLIII: *Perveniens autem ante fores Ecclesiæ beati Petri Apostoli, totum collegium Romanum recepit reginam processionaliter cum magna gloria, & honore.*

Processivè, gradatim, ad instar sacrorum processuum, Jo. Turocius Chronici Hungar. sive in an. cIↄ CCCXLII*, sive partis II cap. XCIX: *Processivè pergentes, condolendo oculis lachrymantibus —— usque ad Danubium processerunt.* Verùm & laxiùs *processivè* dicitur, pro gradibus quibusdam procedendo de ætate una in alteram, ac quasi lampada tradendo, ut in Eleusiniis fiebat. Ovidius supposititius in I de Vetula:

* Pag 90.

Sed processivè generatio continuetur.

Prodigaliter, pro prodigè, vel largè, effuseque, Latinum non est. Sed *prodigialiter*, pro prodigii instar, est Horatianum.

Proditionaliter, proditorum more. Thomas Walsingus in Hypodigm. Neustriæ, è literis Gregorii Papæ V †: *Nos cernentes tot damna, opprobria, & destructionem populi nostri, proditionaliter irrogari.* Stil. Antiq. Parlamenti cap. XVI: *Proditionaliter, & in occulto factum esse, proponatur.*

† Pag. 495.

Proditoriè, proditione. Joannes Major Scotus, de rebus Scotorum lib. IV cap. VI: *Tandem Gothofredus à suis proditoriè capitur.*

Proficuè, utiliter, bono privato, vel publico. In Capitul. Karoli, & Ludovici Imper. lib. V cap. CLIV: *Placuit, ut Ecclesiarum negotia, absque ullâ dilatione, continuò à judice audiantur, & proficuè incrementetur.* Est à *proficuum*, pro utili: quod est apud Sigebertum in Chronicis ad annum cIↄ XCVI, & alios: de quibus vidimus lib. III cap. XXXVIII.

Proportionaliter, pro rata portione, sive pro facultatibus cujusque. Joannes Scotus de gestis Scotorum libro IV cap. ult. *Proportionaliter suis subjectis convivia faciunt.*

Pusillanimiter displicet Nizolio: probat autem Henricus Stephanus Expostulationis de Latinitate suspecta cap. VI*. At ego, donec idoneum alleget auctorem, dixerim cum Tullio, *timidè*, *vel animo timido*, *demisso*, *humili*, *fracto.*

* Pag. 181.

Quantitativè in Gemma exponitur *non multùm*. Philosophis verò idem est, ac ratione quantitatis, sive magnitudinis, aut multitudinis.

Quantocius in Gemma est, pro citò, quamprimùm. Sed auctorem requiro. In Philelpho culpat Valla. Atque ille se defendit Invectivâ primâ †; sed frigidè. Mirùm hodieque ità frequentari à multis non ineruditis.

† Fol. 73. edit. ann. 1513.

Rationabiliter ne barbarum sit, metuo. Dicam, *probabiliter*, *certâ*, aut *probabili ratione*, aut *probabili conjecturâ.*

Realiter, re ipsâ, reapse, reverâ, merito, jure. Joannes Major Scotus de gestis Scotorum lib. IV cap. VII: *Nec omnis decedens realiter excommunicatus, est damnatus, si pro absolutione sufficienter laboraverit.*

Regionaliter, Appulejo de Mundo; quod Livio, Suetonioque, *regionatim.*

Regulariter, pro secundùm leges, vel canonas, Ecclesiasticis crebrum. In his Hincmarus usurpat epist. VIII, cujus initium, *S. Georgius*, cap. I*: item Anastasius in Leone IV, Sigebertus in Chronicis ann. cIↄ XXXII, ubi de Guidone Aretino Musico. Sed ut non planè damnem, facit, cùm illud, quòd Diomedes lib. I, & *regulatim*, & *regulariter*, agnoscit: tum præcipue, quòd non semel usus sit Ulpianus. Malim tamen cum ævo loqui meliori.

* Pag. 15. edit. Moguntinæ an. 1602.

Reprehensibiliter, pro malè, perperam, sic ut reprehendi mereatur, apud Rufinum legas Apologiâ pro Origene: *Tertulliani libellum de Trinitate reprehensibiliter scriptum inserentes.* Meliùs postea: *Fidei, quæ à Tertulliano non rectè scripta est.*

Respectivè vulgare est. Latinum *comparatè*.

Robustè vulgò ajunt. Veteres, *nervosè*.

Secretè, pro *secretò*. Posterius bonorum codicum consensu comprobatur.

Securè agere ajunt, ubi veteres, *securum agere*, vel sine cura. Multò minùs *securiter* usurpem; quod est apud Aimoinum lib. V de gestis Francorum cap. XLII, in privilegio Caroli Simplicis.

Semotè vivere à libris, vel curis, non dixero; sed *semotum*. Est ea particula apud Plinium Valerianum Gallum, in tertio de Re medica cap. IV †: *Folia elixabis in aqua, infundes panes, teresque semotè.*

† Fol. 77. D. edit. Basil. an. 1528.

Sensualiter, in oculis, vel conspectu omnium. Est Fulberti Carnotensis. Agnoscit & Gemma. Opponitur *intellectualiter*: de quo cap. XXXIII.

Sententialiter condemnentur, est Legum Siculiarum lib. III, tit. XXXIV. leg. IV. *A domino sententialiter postuletur*, Specul. Saxonici lib. I, artic. LIV. Etiam usurpat Petrus de Vineis lib. V cap. LXXXI. Hieronymus Pragensis in Abjuratione suâ, quæ exstat Concilii Constantiensis sess.

sess. xix: *Doctrina prædicta sententialiter damnata*. Pro, *sententiâ, & decreto synodi damnata*.

Septimanatim in Gemma exponitur *hebdomadatim*. Sed utrumque ejusdem latinæ: nisi quod *hebdomas* rectè dicatur; *septimana*, pro spatio septem dierum, non item. Dixero igitur, quaque hebdomade, vel singulis hebdomadis.

Sequestratim, ut puto, seorsim, separatim. Vita Eugenii abbatis à discipulo conscripta, cap. xiv. §. xxii *: *Non solum faciebat alimenta convenientia ministrari; verùm etiam, propter laborem infirmitatis, donec sanitas suppeteret, præstitit sequestratim reficere, vel remanere*.

* In Vitis SS. ad 1 Jan.

Seriatim, secundùm seriem, atque ordinem suum. Poëtaster sub Ovidii nomine, lib. ii de Vetula:

Occultans oculos circumstât ibi seriatim
Palpebra, ne lædat extrinseca caussa superbos.

Comes S. Pauli epist. ad Ducem Lovaniensem †: *Ordinatè procedere, & seriatim*.

† Apud Godefrid. Monachum. S. Pantaleonis ord. an. 1203.

Singilatim perperam scribunt prò singulatim, singillatim, vel sigillatim. A *singuli* est *singulatim*: inde *sigillatim*, ut à *signum*, sigillum. Num verò & *singillatim* dicere licet? Negat Aldus Manutius in Orthographia. Sed eum refellit Nonius illo Lucilii lib. sat. xix:

Sic singillatim nostrûm unusquisque movetur.

Suadenter, πιθανῶς: quo tamen usus Arnobius lib. ii: *Ut loquamur suadenter in litibus*. Malim cum Tullio, Fabioque, aptè ad persuadendum.

Subitaneè, pro subitò, barbarum censeo.

Successivè philosophis est usurpatissimum: ut cùm dicunt, *motum fieri successivè*. Sed nihil urget, ut sic loquantur; cùm Latinè pro eo possint dicere, *progressu temporis*.

Succinctim, in Gemma, pro breviter, ac succinctâ ratione. Eâ formâ, quâ dicimus, *cæsim, raptim, punctim, sensim*, aliaque. Imò dispiciendum etiam, ecquo idoneo auctore in palæstris scholasticis jubeantur interrogaturi succinctè sua argumenta proponere.

Temporaliter in Gemma est, pro eo quod tempus habet præfinitum; eoque opponitur æternitati. Theologis est frequens, de vitæ hujus rebus fluxis ac caducis.

Temporatim aliud est: nempe pro vario anni tempore, seu tempestate. Tertullianus de Pallio: *Terram si recenseas temporatim vestiri amantem*. Nam terra hieme candida, ob nives; vere viridis, cum messis in herba est; æstate & auctumno flava, ob flavam Cererem: ut poëta loquitur.

Tibicè in Gemma est: sed *typicè* legendum.

Totaliter, pro penitùs, omnino. Odoricus Ord. Min. Peregrinationis suæ cap. ii §. vii: *Cum irem per mare versus civitatem, quæ Polumbum dicitur, ubi piper crescit, defecit totaliter necessarius nobis ventus*. Thomas de Kempis lib. i cap. xv: *Totaliter ad Deum refert, à quo fontaliter omnia procedunt*.

Transeunter, pro *obiter*, est apud scriptorem de singularitate clericorum, qui liber Cypriano perperam tribuitur. Sunt qui Origenis putarint, quasi non is scripserit Græcè: nisi hoc voluere, ex Origene esse translatum. Sed nihil eo incertius. Vide quæ dixi in *Contubernaliter*.

Trebaciter, vel *tribaciter*, Sidonio lib. ix epist. xi: *Malui factum confiteri simpliciter, quàm tribaciter diffiteri*. Videtur *tribaciter* idem esse, ac quod Ciceroni veteratoriè. Uti *tribax*, pro veteratore, apud eundem Sidonium lib. i epist. xi: *Collegit itaque sese tribacissimus senex*. Est à Græco τρίβακος, quod Eustathio teste, usu tritus: ἀπὸ τοῦ τρίβειν, unde & Plautus Mostell. act. ii sc. i:

Ubi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri.

Hoc est, qui terunt ferrum, sive compedes ferreas. Ab eâdem origine τρίμμα Aristophani in Avibus: ubi scholiastes exponit τὸ τετριμμένον ἐν τοῖς πράγμασι. Alias id, quod detritum: uti vestis detrita, vel etiam ramentum; quomodo, & quidem muliebri genere, non dubitavit hac voce uti Anastasius bibliothecarius in Sylvestro: *Fecit autem & cameram basilicæ ex auri trimma in longum, & in latum, pedibus quingentis*.

Tunicatim, ad instar tunicæ. Incertus poëtaster, sub Ovidii nomine, in tertio de Vetula:

Inque novem cælos extrinseca dividitur pars:
Quorum forma quasi tunicatim contineat se.

Hoc est, ut exterior tunica interiorem, sic illa corpus contineat.

Cap. XXXVI.

De particulis ab V incipientibus. Vanè, *inaniter*. Vecorditer, *animo vecordi*. Venerantèr, *cum veneratione*. Versaliter, versabiliter, *aut* versatiliter, *pro inconstanter, ac mutabiliter*. Victoriosè, *manu victrici*. Virtuosè, *honestè, fortiter*. Visceraliter, *penitissimè*. Ultimatè, *proximè*. Ultimatim, *denique*. Unanimiter, *unâ mente, concordissimè*. Universaliter, *universè*. Votivè, *ex voto*. Vocorie, *voventium more*. Usualiter, *usitatè*.

Quid nunc de Particulis Latino-barbaris superest, præterquam ut circumspiciamus, quæ se offerant ex inchoatis ab V, seu vocali, seu consono? Sunt autem istæ.

Vanè sæpius legi: sed cum Plauto dixero, *verâ vanitudine*; vel cum Tullio, *vanitate*, aut *inaniter*: quo non Horatius modò, & Ovidius; sed etiam Cicero utitur non semel.

Vecorditer in membranis Glossarii nostri Msi exponitur *irascibiliter*. Potiùs dixero valere, *animo vecordi*.

Veneranter, cum veneratione; ut est in Glossario nostro Mso.

Versaliter, in rerum incerto, versante omnia fortunâ, quæ solâ in levitate suâ constans est. M. Joannes Thwrocz Part. i Chronicorum Hungariæ cap. xcix: *Heu me, quia hujus mundi decus, & gloria, à primævo temporis spatio nunquam in uno spatio permanens; sed, semper variando, versaliter, atque caducè, se protendens in nihilum, tanquam aqua decurrens, incedit*. Sed fortasse scripsit *versabiliter*, vel *versatiliter*; à *versabilis*, quod Senecæ; aut *versatilis*, quod Lucretii est. Saltem ἀναλογία alterum requirit. Neutrum tamen lego: sed *mutabiliter* est Varronis Satyrâ *, *Cras credo, hodie nihil*.

* Apud Nonium in Futtiliter.

Victoriosè, quo inter alios usus Petrus de Vineis lib. i epist. xv, non admodum displicet, cum *victoriosus* dixerit Cato apud Agellium lib. iv cap. ix.

Virtuosè, ut & *virtuosus*, agnoscunt Glossæ nostræ Msæ. Ac junioribus est frequens. Sed respuit utrumque usus veterum: quorum est, egregiâ virtute, fortiter, honestè.

Visceraliter, in intimis visceribus. Anonymus vetustus de hæresibus lib. iii, qui est contra Pseudo-Augustinum, ac hæresim Prædestinatorum †: *Nos concupiscentiam dicimus, esse rem naturalis certaminis: & hanc dicimus ad propagationem hominum à Deo creatore visceraliter esse firmatam*.

† Pag. 208 edit. Paris. an. 1643.

Ultimatè, pro proximè, in Gemma legas, & philosophis barbaris.

Ultimatim ajunt pro denique, tandem, postremò. Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis lib. i cap. ii: *Ultimatim, cùm in terram quandam, quæ Hylea dicitur, devenissent*. Et cap. xxi: *Ultimatim considerata regis erga Ravennensem episcopum habita benevolentiâ*.

Unanimiter est apud vulgatum interpretem Act. i. 14: ubi Græcè ὁμοθυμαδόν. Retinuit etiam Erasmus. Probat quoque Henricus Stephanus Expostulationis de Latinitate suspectâ cap. vi. Et hactenus assentio, quòd non verear Lucæ locum adducere uti habent, quos dixi. Nec placet, quòd accusant interpretem vulgatum, ut barbarum,

 Lo-

Locutus ille, ut suo solerent seculo. Sanè usurpat etiam Vopiscus in Tacito. Verùm is scriptor exiguo est loco iis, quibus curæ est pura dictio. Quare utcunque non damnem vocabulum istoc, quod ἀναλόγως est formatum: malim tamen cum Tullio, *unâ mente*, *uno ore*, *uno animo*, *atque unâ voce*, *& consensu*. Etiam pro eo Ennii, ac Plauti, est *concorditer*; unde apud Ciceronem, *concordissimè*. Etiam pro *unanimiter abjurârunt*, dixeris *unanimi*, vel *unanimes*, *abjurârunt*.

Universaliter dicunt vulgò, pro *generaliter*, vel *generatim*, vel *universè*. Cicero Verr. VII: *Quid ego de ceteris civium Romanorum suppliciis sigillatim potius, quàm generatim, atque universè, loquar? Generaliter* verò dixit I de Inventione: uti & Fabius, lib. I cap. V.

Votivè, in Gemma, pro ex voto, à *votivum*: quod non apud Poëtas modò, sed etiam Ciceronem.

Votorie, ad instar eorum, qui aliquid voverunt. Thom. Walsingam Histor. Angl. in Eduardo III †. *Haymo, Episcopus Roffensis, sponte, & votorie, renunciavit Episcopatui, resignans illum in manus Domini Papæ.*

† Pag. 169.

Usualiter est in Gemma, item Glossis Mssis. Malim, *ex usu vulgari*, vel simile. *Usualis* est Marciani, L. Interdum, ff. De publicanis. *Usuarius* pro eo L. Neratius, ff. De usu, & habitat. Et ante eum similiter Agellius, lib. IV cap. I.

ATQUE hic esto terminus, ut libri quarti, sic prioris voluminis. Spero daturum Deum, ut quam telam hic orsus sum, altero volumine detexam. Interea quisquis hæc nostra legere non gravaberis, iis utere, fruere, ut tuis; ac fave scriptori, si meretur.

FINIS LIB. IV.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
VITIIS SERMONIS
ET
VARIIS GLOSSEMATIS
LIBRI QUINQUE POSTERIORES
Qui ex Auctoris autographo nunc primum prodeunt.

GERARDI JOANNIS VOSSII DE VITIIS SERMONIS, AC VARIIS GLOSSEMATIS, LIBRI V. PARS PRIOR,

Quæ continet ortu ipso barbara libro secundo prætermissa.

DE NOMINIBUS ORTU IPSO BARBARIS.

POstquam quatuor jam libris barbara à Latinis distinximus, ac discrimen etiam fecimus inter ea, quæ origine, quæque flexu barbariem proderent: & utrobique plurima illustravimus, quæ in scriptoribus, linguâ magis, quàm animo semibarbaris, morari posse legentes arbitrarer: facile id mihi persuadeo, jamdudum me tacitâ plurimorum exspectatione vocari ad tertium barbarorum genus, ubi probâ voce improbè abutimur, dum verè Latina in falsâ significatione usurpamus. Verùm usu mihi venit in negotio hoc, ut videtur exili, literario puta, quòd belli ducibus non rarò contingit in re militari. Primitùs exiguâ sperant manu posse rem confici: postea rebus pensiculatiùs excussis animum adjicere discunt ad comparandum copias instructiores. Equidem pro literario negotio, penè grande est, quod molior: videlicet tum ut superiora secula, quibus non defuit prudentia, & rerum usus, meliùs intelligantur à nobis: tum ut sapiamus quidem cum illis, quatenus rectè præiverunt: cæterum loquamur cum illis qui floruere stante Republicâ Romanâ, maximeque vel Augusti ævo, vel eo quod proximè vel præcessit, vel consecutum fuit. Ad utrumque hoc assequendum, video novis mihi copiis opus esse ex utroque barbarorum genere, quod dicebamus. Quocirca priori quidem hujus libri parte denuo agam de vocibus, quæ ortu ipso barbariem testantur: parte alterâ loquar de illis, quæ jactare se possunt priscâ origine è Latio aut Græciâ, at interim in solo barbaro sunt barbarè deflexa, eoque Romanis civibus ignorantur. Utrobique, ut antea fecimus, servato ubique ordine alphabetico, primùm de Nominibus, hinc de Verbis, ac denique si & hoc operæ videatur, de Particulis agemus. Nec quæ in vitiis refero, certis semper pro vitiis habeo; sed illud volo, de istis ulteriùs esse cogitandum. Scio, interdum aliquid apud probum scriptorem inveniri, cujus memoria mihi non occurreret. Quandoque enim, ubi jam scripseram, ipse recordari aliquorum cœpi quæ malueram non scripsisse: sed fuere ea perpauca; ut non debuerim propterea publicum frustrari cæteris. Melius putavi dena memorare pro erroneis, etsi decimum illorum fortasse inveniretur apud scriptorem, cujus auctoritatem non defugerem. Quid mirum? Neutiquam in hac senectute ita animatus sum, ut ἐθνικίζειν singula honore metiar meo; sed hoc mihi propositum fuit, ut, bene merendo de studiis, faciliùs vitæ meæ reddam Deo rationem.

A.

ABorsus pro *abortus*. Ovidius suppositicius in 1 de Vetula:

—— Timeat, ne
Concipiat, parat unde sibi procuret aborsum.

De *Abundus* dicam in *Habundus*.

Acinax reperio apud doctissimum Leonclavium in Turcicæ Historiæ Pandectis, lemmate capitis CLXXII. Sed *acinaces* dicendum, ut Græcis ὁ ἀκινάκης. Vox est Persica, gladium notans incurvum, quem Xenophon, Græcorumque alii, dixerunt κοπίδα, quia eo non posset punctim pugnari, sed solùm cæsim.

Aisiamenta, vel *aissimenta*, beneficium, vel commoditas, quam quis agro ex alieno percipit, à Gallico *aise*, voluptas. Matthæus Parisius in charta Henrici III ad an. CIↃCCLVIII: *Prædictas portiones cum omnibus pertinentiis suis, aissimentis, & libertatibus supradictis.* Plura de hoc in Glossario Spelmannus.

Alario, ex Belgico *alar*, quod ex *adeler*: nobilius aquilæ genus, unde & nomen. Nam Belgis *Edel*, nobilis, *adel* nobilitas. Joannes Saresberiensis Policratici lib. II cap. XIII: *Aquila namque sicut rex avium est, si non alarionem excipias, quæ fortè aquilarum species potentissima est, regni sui majestate, omnium avium, si contra loquatur, fidem evacuat.*

Albergator, caupo, qui viatores hospitio communi ac publico excipit, πανδοχεὺς, Germanis ac Belgis *herbergier*: unde & *albergator* corruptum. Pius quartus in diplomate* quo eorum societatis privilegia confirmat: *Cum sicut non sine animi nostri displicentia nobis innotuit, à quampluribus annis citra in Alma urbe nostra contigerit, & in præsentiarum sæpe contingat, quod dilecti filii societas Hospitum, Albergatorum, & Cauponum dictæ Urbis ab Hospitibus & advenis ad dictam accedentibus, ac aliis in ea moram trahentibus Hospitariis, & Albergatoriis, super eo quod hospites, & advenæ, & Albergatorii asseruerint, & asserant, seu veriùs eorum versutia & calliditate finxerint, & fingant, se multas, & diversas pecuniarum, & aliorum bonorum quæ nunquam Hospitibus, & Albergatoribus hujusmodi consignaverunt,* &c.

* Bullarii Romani ab Angelo Maria Cherubino editi, parte secunda, bulla 71. edit. an. 1638 Romæ.

Alcato, thorax, vox videtur Saracenica. Matthæus Parisius in Richardo I ad an. CIↃXC: *Alcatonem satis levem, nulli spiculo penetrabilem.*

Alembicum quid sit, optimè dicet Euonymus Philiatros sive Conradus Gesnerus in Thesauro de remediis secretis, capite de vasis, & instrumentis diversis ad destillationem pertinentibus †. Aliqui, ut magis Latinè dicant, *capitella* appellant*.

† Pag. 77.
* Ibid. pag. 108.

Algebra vocabulum ab Arabibus accepimus. Græcum si malis, possis Arithmeticam Analyticen dicere cum Sim. Sterino*, sive ejus interprete Willibr. Snellio.

*Lib. 1 Geographiæ pag. 11.

Alioruna, sagæ, Gothis. Jornandes de rebus Gothicis: *Reperit in populo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone aliorunas ipse cognominat.* Posterior pars vocis est Saxonicum *runen*, h. e. mussare, vel mussitare. Quo verbo usus vetus Saxonicus Bibliorum interpres Psal. XLI. 8: *Alle mijne Vyende runeden tegen my.* Ac similiter ibidem Lutherus *raunen*. Prior pars dubium, sitne *al*, hoc est, omne: an *alt*, *senex*. Priori modo *alioruna* sit *omnia mussans*: posteriori *vetula mussitatrix*. Utcumque est *alrunam* notare magam vel sagem, etiam Conradi Gesneri opinio est in Mithridate: atque addit, hinc mandragoram dici alrunam: qua magæ uti soleant: & quam cani adligatam erui oportere, vulgo est persuasum.

Alkekengi vocant halicacabum. De vino ex eo agit in Thesauro Euonymus Philiatros, sive Conr. Gesnerus, cap. de vinis factitiis†.

† Pag. 547.

Allode vel *allodium*, res mancipi, atque à domino transiens ad hæredem: à Germanico *all*, id est omne, totum, quod pleno jure habeatur: ut ἐτυμολογίζει Vitus Amerbachius*. Nisi magis placet ἔτυμον, quod adducebamus lib. II cap. II. Ubi & complures adduxi hac voce usos. Adde iis Marculfum lib. I Form. cap. XII: *Aut munere regio, aut de alode parentum, vel undecunque.* Ac similiter lib. II cap. VII: *Tam de alode, quàm de comparato.* Similiter Robertus Comes Hasbaniæ in donatione quinque villarum monasterio S. Trudonis facta an. IↃCCXLVII†: *Legitimâ traditione dedi ac deputavi de allodio meo ad basilicam S. Trudonis.* Item vita Karoli apud Adhemarum, & Karolus Calvus Capitulo VI. §. XXII. Adhæc Gerberga, Ludovici Transmarini Francorum Regis vidua in donatione monasterii S. Remigii facta anno IↃCCCCLXVIII*. *Ea scilicet ratione, ut idem locus S. Remigii, qui semper ab antiquo Regiis donationibus, utpote caput Franciæ, fuerat honoratus, nostris etiam donis regalibus ditescat, & polleat uberius, ipsumque alodum, ut sui proprium, legitimo jure firmiter tenendo, in perpetuum possideat.* Vide & Bignonium ad allatum Marculfi locum, Sirmondum notis in locum Caroli Calvi indicatum, Labbæum ad Novellas Constitutiones†, ac Seldenum Notis in Eadmerum*.

* Notis in Constitut. Caroli p. 274 edit. Moguns.

† Apud Miræum in Notit. Bel. Eccl. cap. 16. sive pag. 24.

* Apud Miræum in Notit. Eccles. Belgic. pag. 116

† Pag. 38. 39.

* Pag. 202. & 203.

Almucantara, sive *Almucantharath*, Arabum est vocabulum, sed Astrologis usitatum: qui sic vocant altitudinis circulum, per quem metimur elevationem siderum supra horizontem, sive circulum altitudinis solaris, ductum per communem intersectionem verticalis primarii, & paralleli dati.

Alphinus, & roccus, sunt in ludo scacorum. Pseudo-Ovid. in primo de Vetula:

> *Sex species saltus exercent, sex quosque scaci*
> *Miles, & alphinus, roccus, rex, virgo, pedesque.*

Et mox:

> *—— In rectum roccus, eique*
> *Soli concessum est ultra citraque salire.*
> *Obliquè salit alphinus.*

Ac postea:

> *Rex est Sol, pedes est Saturnus, Mars quoque miles,*
> *Regia virgo Venus, alphinus episcopus ipse est*
> *Jupiter, & roccus discurrens Luna.*

Ambascia, iter legati in legibus Burgundicis Add. I Tit. XVII. *Ambasciatio*, pro eodem legas apud Matthæum Parisium in epist. Frederici Imp. ad annum CIↃCCXLI. *Cum ambassationibus civitatum rebellium Longobardiæ.* *Ambasciator*, vel *ambassiator*, legatus. De cujus vocis origine dictum lib. II cap. II. Usus ea (ut Petrum de Vineis† nunc mittam) Henricus Stero in Annalibus: *Ultra centum ambasciatores civitatum Longobardiæ.* Item habes in Concilio Pisano Sess. IV, Turocio in Chronico Hungarico lib. I cap. XIII, Beka in vita Joannis II, episc. XLV.

† Lib. 5 epist. 46. & alibi.

Ambra vocabulum ab Arabibus accepimus. Latini dicunt *succinum*. Græcis est ἤλεκτρον: de cujus origine mirificè dissentiunt veteres: ac magnam partem putant esse arboris lachrymam vel gummi. Sed acutius hanc rem perspexit Georgius Agricola, qui cum omnes habeat bituminis proprietates, bituminis genus esse collegit.

Amerciamenta, vide *Merciamenta*.

Amyrachures, ἀμυραχώρης, Græciæ Prætori dicitur stabulo Sultani præfectus, ex Turcico *Emir Ahor*, *Achor*, vel *Achur*. *Emir*, sive *Amir*, etsi propriè conveniat Suldano, variis tamen convenit præfectis. *Achur* Turcis notat stabulum regium; quod & Græcis inde dicitur ἀχύριον. Sunt vero duo *amurachures*, quorum prior *Buiuc Emir Achur*, alter *Cutzug Emir Achur* nuncupatur. Multos verò habent vicarios, ac parent eorum imperio ad duo hominum millia: ut scribit Joh. Leonclavius in Pandecte Turcico cap. CCXXVIII.

Anelacius, pugio à lumbis dependens, sive *clunaculum*, vel *clunabulum*. Matthæus Paris. ad an. CIↃCCLI: *Gestabant gladios, bipennes, gesa, sicas, & anelacios: ut jam plus Martem, quàm Christum colere viderentur.* Et ad an. seq. *Subitò extrahens sicam, quàm bajulavit, scilicet hanelacium, ipsum concito eviscceravit.*

Antrustio quid sit, in *Truste* explicavimus libro II.

Arimania, familia fidei sacramento obligata. Marculfus lib. I form. XVIII: *In palatio nostro, una cum arimania sua, in manu nostra trustem, & fidelitatem nobis visus est conjurasse.* De origine vocis, vide quæ in *Arimannus* diximus lib. II cap. II.

Arpentum, jugerum, vox Gallica. Diploma Conchiachi Montis Mirelli Domini: * *Ecclesia de Cantiprato habeat & possideat in perpetuum viginti arpenta nemoris.* Veteres Galli *arapennem* dixere. Columella lib. V cap. I: *Galli semijugerum arapennem vocant.* Gloss. *Arpendia*, πλέθρα. Item: *Arbipendium* (pro arvipendium) χωρο-γεωμετρικός. Quod si rectum, vox sit à pendendis sive examinandis arvis. Sed puto, esse origine non Latinam, sed Gallicam. Nec obstat, quòd nunc non convenit mensura vocis *arpent* cum verbis Columellæ. Solent enim mensurarum vocabula tempore variare.

* Apud Miræum in Notit. Belg. pag. 606.

Arribannum quid sit dictum lib. II in *Heribannum*.

Artaba (ut Isidorus ait lib. XVI Orig. cap. XXV.) *mensura est apud Ægyptios sextariorum* LXXII, *composita est ex numero propter* LXXII *gentes, vel linguas, quæ orbem impleverunt.* Utitur Anastasius bibliothecarius in prologo vitæ S. Joannis Eleemosynarii†, quem Græcè scripserat Leontius episcopus, Anastasius Latinè reddidit: *Omnia in una Campana statera, modio, & artabe, vendere, & emere contestabatur.* Ubi Aquicinctinum exemplar, ut Rosweidus annotavit, in margine adscriptum habuit: *Artaba, id est, mensura modios tres continens, & tertiam partem modii.* Auctor Gemmæ Gemmarum; *Artaba dicitur mensura trium modiorum.*

† Apud Rosweidum in vitis Sanctorum Patrum, item Bollandum ad 23 Ian.

Assartum, vel *essartum*, locus, qui olim fuit sylva, sed arboribus radicitus excisus factus est idoneus ad arandum. A Gall. *essarter*, arbores succidere quo sylva interluceat. Joannes Rex in charta de forestis & liberis consuetudinibus apud Matthæum Paris. ad an. CIↃCCXV: *Quieti sint in perpetuum de omnibus, purpresturis vastis & assartis factis in illis boscis.* Idem in Additamento secundo: *Quantum —— vestura assartatorum valuit, antequam assarta illa facta fuerunt.* Et mox: *Quantum valeat imbladatio singulorum assartatorum, quæ nunc inveniuntur imbladata.* Et paullo post: *Qui mercedem ceperint ab his qui hujusmodi essarta vel purpresturas fecerint.*

Assisa, probi & fideles terræ homines, per quos civilis vel criminalis actio de evictione solet terminari. Sæpius se offert ea vox in Legg. Scoticis, atque aliis. Vide Indicem Skenæi, voce *Assisa*. Idem Skenæus Notis in legum Scoticarum lib. II cap. LXXIV. §. IX. *Assisa*, inquit, *passim in his libris pro lege ac constitutione sumitur.* Propriè puto sit assessus, sive consessus judicum, & μετωνυμικῶς eorum constitutio sive lex. Vide quæ dixi de hac voce lib. III cap. I.

Attachiamentum quid sit, cognoscas in eo Scoticarum legum

legum opere, quod à primis verbis: *Quoniam attachiamenta*, vocari solet. Legas illic cap. I §. II: *Est attachiamentum quoddam vinculum legitimum, per quod pars defendens invita adstringitur ad standum juri, & respondendum parti de se querenti juridice.* Est à Gallico *attacher*, vincire, ligare: quia qui in jus vocatur, quasi vincitur, & obligatur ad se sistendum judicio. Vide in Verbis *Attachiare*.

Atturnatus, procurator, aliena agens negotia, qui Ecclesiasticis scriptoribus Responsalis: a Gallico *tourner*, hoc est, vertere: quia personæ commutantur, uno alterius nomine respondente. Walsingam in Eduardo II*: *Cuncta jocalia, quæ dicti Petri fuerant, domino Regi vel ejus atturnato, apud S. Albanum viventi restituerent.* Idem in Hypodigmate Neustriæ†: *Item ad petendum nomine nostro adjudicari nobis, & præfatis atturnatis, & procuratoribus nostris, assignari pro nobis fructus redditus regni Scotiæ quatuor annorum.* Vide Glossarium Spelmanni, & inferiùs in Verbis, *Atturnare*.

* Pag. 102.

† Pag. 479.

Auca, anser, dubium num ab Arabibus, an Græcis: sicut ostensum lib. II cap. II. Præter eos, quos tum dicebamus, usus est, Marculfus lib. I form. XI. Item Guilhelmus Malmesburiensis, & Joannes Cupravius, ubi describunt vitam S. Wulstani, episcopi Wigorniensis, & inde Bollandus in Vitis SS*. Adhæc Traditiones Fuldenses lib. II, in traditione bonorum in villa Hostheim anno CCCLXXVI. Etiam Speculum Saxonicum lib. III art. LI: *Anita, & auca cum nummo persolvetur. Anca verò & ova ferens, & gallina, tribus nummis persolvetur.*

* Ad 19 Jan. initio vitæ.

Averius quid sit, & unde veniat, dictum lib. II c. XVI, in *Runcinus*.

Azimutha, voce Arabum, appellant circulos illos, qui ex puncto verticis ac pedum, tanquam è polis describuntur, secantes horizontem ad angulos rectos in CCCLX partes æquales. Atque hinc dicuntur arcus azimuthales, & similia. Azimuthales sive verticales, transversim intersecant circuli almucantharath: de quibus superiùs diximus.

B.

B*acones*, porcorum latera ac terga salita, ex Anglico *bacons*. Matthæus Parisius ad an. CIↃCCXLI: *Ut blada —— cum baconibus & sale, & aliis hiematuro necessariis —— transmitterentur.* Et mox: *Unde missa sunt decem millia summarum frumenti, & quinque millia avena, cum totidem baconibus.* Teutonista: *Bake van eyn vercke, Phacolia, petaso, petasunculus, petasiunculus, perna, baconus.*

Balcanifer Templariis, & Hospitalariis militibus dicebatur, qui balcanum sive vexillum ferret. Posteriorem vocem Latio deberi satis est evidens, sed balcanum unde sit, obscurum est. Matthæus Parisius ad an. CIↃCCXXXVII: *Balcanifer indefessus vexillum sustinebat, donec tibiæ cum cruribus & manibus frangerentur.* Et ad an. CIↃCCXLV: *Primicerius eorum & signifer, quem balcaniferum vocant.*

Baldekinus, dicitur esse vox Anglica, pro panno aurei staminis ac byssini subteminis. Teutonista: *Boldeken, peckskeu van sijden doick*, Trabea. Matthæus Parisius ad an. CIↃCCXLVII: *Rex veste deaurata, facta ex pretiosissimo baldekino.* Item ad an. CIↃCCLIV: *Pallas pretiosas, quas baldekinos vocant.* Idem est omnino quod *baldachino* Italorum, velum nempe Babylonicum, sic dictum à *Baldach*, quæ creditur esse antiqua Babylon.

Balla, vocabulum Hibernicum, pro lorica. Vita S. Mochuæ, sive Cuani Lægiensis, abbatis Hiberniæ† cap. IV sect. VIII: *Agricola factus obvius refert, non procul esse fontem, nunquam ibi antea visum cinctum ballâ, id est, lorica. Unde oppidum novum Balla, & etiam Mochua cognomen Ballensis accepit.*

† In Vitis SS. ad 1 Jan. edit. Bolland.

Banca vel *bancum*, tribunus, consessus judicum, à Germanico *banck*, scamnum, sedile. Walsing. in Hypodigm. Neustriæ*: *Roberto Belknap capitali justitiario de communi banco requisivit ab eis Rex in fide & ligeantia, ut ad istas quæstiones fideliter responderent.* Hinc *banci* nunc *narratores*, nunc *prolocutores* dicuntur, advocati cum caussas agunt coram tribunali. Sic vocat Matthæus Parisius in an. CIↃCCXXXIX, & in vita Joannis XXIII Abbatis.

* Pag. 541.

Baillivus, prætor: sicuti dictum lib. III cap. III. Utuntur Matthæus Parisius†, Rogerus de Houeden Annal. tom. II, Beka in vita Joannis III Episcopi XLV, Joan. Turocius de rebus Hungaricis, & tot alii. E quibus contentus ero unum adducere Walsingamum in Richardo III*: *Et in casu, quo idem Vicecomites scire possent, aliquos de baillivis suis —— aliquod malum dicere, ipsos incarcerari.* Atque hinc *balliva* de ballivi diœcesi sive territorio. Ut in literis Eduardi Regis ad Hiberniæ Dominos, & Ducem Aquitaniæ, apud eundem in Hypodigmate Neustriæ†: *Præcipimus, quod statim visis præsentibus per totam balivam tuam, pacem nostram facies publicè proclamari.* Sed & *balliva*, *bailliva*, vel *baillivia*, pro munere seu officio baillivi legas. Ut in edicto Philippi Regis Gall. cujus verba attuli lib. II cap. XLI; in *Rectoria*.

† Pag. 99, 148, & 235.

* Pag. 357.

† Pag. 509.

Bandum propriè fascia, vel vinculum Germanis: sed usurpatum pro vexillo quia sub uno militantes vexillo forent vinculo arcto colligati: sicuti diximus lib. II cap. III. Glossarium: *Βάνδον, signum.* Non arbitror temporibus Constantini M. fuisse, etsi legatur in Donatione sicut vocant, Constantini: *Dedit signa sua, & banda, sancto Sylvestro, & successoribus ejus, ut armis, si ita res exposceret, jura sua, & privilegia, exsequerentur.* Usus quoque Anonymus in vita S. Anastasii Martyris Persæ* c. XIII: *Optio quidam Samariam provinciam pertransibat, sequente se banda.*

* In vitis Bolland ad 22 Jan.

Baneria, vexillum. Teutonista: *baner, wympel*, Banerium, vexillum. *banersdreger*, vexillifer. *eyns baners overdeckfel*, claxendix, &c. Comes S. Pauli epistolâ ad Ducem Brabantiæ, apud Godefridum monachum S. Pantaleonis ad an. CIↃCCIII: *Scalis similiter muro appositis, suas super muro posuerunt banerias, & vexilla.* Omnino est à *bannum* seu *bandum*, de quo supra.

Banleuga quid signet, & quæ origo vocabuli, dixi lib. II. cap. III. Legas quoque in Charta Rhotomagensi; quæ in chartis ducum Normanniæ, ac Regum Franciæ†: *Philippus Dei gratia Franciæ Rex: Concedimus etiam, quod —— habeant communiam & banleugam, ad metas, quas Richardus quondam Rex Angliæ —— concessit.* Ac in iisdem literis postea*: *Concedimus etiam quod ipsi habeant communiam & banleugam ad metas, quas Richardus quondam Rex Angliæ eis concessit, & justitiam suam juxta metas.* Ac sæpius in iisdem literis.

† Pag. 1062.

* Pag. 1063.

Bannum quid sit, ostensum lib. II cap. III. sed res exigit, ut aliquanto distinctiùs de variis ejus significationibus agamus. Dicebamus venire à Germanico *ban*. Eo significatur edictum sive publica denunciatio: ut in Constit. Karoli Calvi tit. XXVI & XXVII, *De banno, & nostro.* Est & apud Cajetanum in Summula, cap. de matrimonio: *banna servari oportere:* i. e. publicas proclamationes. Præterea signat mulctam, quæ ob neglectum banni sive edicti solvebatur fisco. Ut apud Gregorium Turonensem lib. V cap. XXVII de Chilperico: *De pauperibus, & junioribus Ecclesiæ, vel Basilicæ, bannos jussit exigi, pro eo, quod in exercitu non ambulassent.* Et in Constit. Karoli Calvi tit. XXVIII, sive edicto in Carisiaco: *Quilibet Francus homo convictus, quia bonum denarium, id est, merum, & bene pensantem, post hunc bannum nostrum ejecerit, medietatem Francilis banni componat.* Ubi *bannus* nunc sumitur pro edicto, nunc pro mulcta. Nam Francilis bannus est multa hominis liberi, quæ Francica compositio vocatur lege Ripuariorum tit. XVIII cap. III. Præterea, ut monitum lib. I cap. I, bannus sumitur pro proscriptione, bonorumque confiscatione. Hincmarus Rhemensis Karoli Regi de Hincmaro Laudunense: *Quicquid de rebus & facultatibus Ecclesiasticis ad gubernandum acceperat, jussione vestra in bannum, quod jus lingua Latina pro-*

scriptio confiscandi vocatur, est missum. Ubi puto voces trajectas, legendumque: *quod jus confiscandi lingua Latina proscriptio vocatur.* Similiter verò *in bannum mittere*, pro confiscare, etiam legas in Constitut. Karoli Calvi tit. XXIX, sive Synodo Pistensi, cap. III: *Omnia quæ in regno nostro habent, in bannum nostrum mittantur.* Item tit. XXXI sive Edicto Pistensi cap. VI: *Ipsa res illi judicio scabiniorum in bannum mittantur.* Hoc est, redigatur in fiscum. Dixere pro eo & *imponere banna.* Ut Petrus de Vineis, literis nomine Friderici Imp. exaratis, lib. V epist. 1: *Imponendi banna, & multas, ubi expedierit, auctoritatem tibi plenariam impartimur.* Vidimus ut sumatur tum pro confiscatione, tum pro proscriptione. Nonnunquam verò etiam se extendit ad quamque jurisdictionem supremæ potestatis, vel ab ea alteri concessam. Sic, ut puto, præter Fulbertum Carnotensem de quo lib. II dictum, usurpat quoque S. Henricus Rex in Donatione Episcopo Leodicensi, & Baldrico Comiti facta anno CIↃVIII*: *Bannum nostrum bestiarum Baldrico sanctæ Leodicensis Ecclesiæ Præsuli concedimus atque largimur.* Ac mox: *Præscripti Baldrici de prænominato banno —— liberam habeant potestatem faciendi.* Quid *jejunium banni*, vel *bannitum jejunium*, dixerint, malò peti e Nicolao Serario lib. I Rerum Moguntinarum cap. XXXIII.

* Apud Miræum Notit. Eccles. Belg. cap 77. pag. 142.

Banus seu *wanus Croatiæ* memoratur Bonfinio. Sæpè & *banos* aliarum ditionum legas, quæ indem Ungariæ regno accenseantur: ut sunt Bulgaria, Comania, Dalmatia, Gallicia, Lodomeria, Ramia, vel Rama, Servia. Gallicia autem est Walachia. Quæ Rama in Ungaricorum Regum titulis dicitur, ea est Walachia. Imò & earum terrarum banos vocant, quæ non pertinent ad regem Ungariæ. Leonclavius in Pandecte Historiæ Turcicæ cap. CLXXIV eo *gubernatorem*, & *banum*, distinguit, quòd ille pace, belloque præsit: hic solùm bello, in quo ejus fuit vexillo præire aliis.

Bargia, *barga*, *barca*, & *barchia* idem signat: nempe minuti navigii genus, quo omnis generis merces è navigiis majoribus transferuntur ad litus. Sic *barca* vocabulo usus est Paulinus Carm. XIII ad Cytherium:

Ut mox salubri barca perfugio foret,
Puppi superstes obruta.

Acta S. Thyrsi, & sociorum Martyrum† cap. VII. §. XXXV: *Triremem* *marinis fluctibus applicans barcam.* Pluraque de hoc vocabulo diximus lib. II cap. III. Solum igitur nunc de cæteris loquar. *Bargia* est apud Thomam Walsingam Histor. Angl. in Richardo II†: *Revera bargiam occupantes, occidunt, prosternunt, & demergunt nostros*, &c. Ac ibidem: *Occisis tandem omnibus, bargiam profundo commendant.* Idem in Richardo II*: *Captæ sunt insuper ibi duæ bargiæ, quibus non facile reperirentur ex tota Gallia meliores.* Item in Hypodigmate Neustriæ†: *Peremerunt omnes Gallicos, qui in bargiis fuerunt.* *Bargas* verò nominat Comes S. Paulli, epistola quadam apud Georgium monachum S. Pantaleonis*: *Naves usarias, & galeidas, quæ vasa navigio apta CC numero fuerunt, præter naviculas, & bargas.* Ac post pauca: *Juxta quam naves, & galeidæ civitatis cum bargis erant.* Item: *Quosdam eorum simul cum galeidis, naviculis, & bargis ceperunt.* Sed & barchas dixere. B. Odoricus Ordinis Minorum Peregrinationis suæ cap. IV: *Tunc adscendimus simul in unam barcham.*

† In vitis SS. Martyrum ad 28 Jan.
* Fort. triremis.
† Pag. 224.
* Pag. 299.
† Pag. 536.
* In scriptoribus Rerum Germanicarum à Frehero editis pag. 269.

Barigellus, vel *barisellus*, Italis *bargello*, qui judicum sententias per apparitores, vel lictores exsequitur. Julius III in diplomate† contra Franchitias: *Volumus enim causarum capitalium judicibus, Barisellis, apparitoribus, & aliis justitiæ præfectis & ministris, quascumque vias & plateas, ades & domos ad requirendos*, &c. Item Pius IV, in reformatione Tribunalium*: *Barigellus, & executores quarumcumque curiarum, ac custodes carcerum, observent in omnibus, & per omnia tabulam novissimè à Camerario nostro editam, sub pœnis in ea contentis.*

† Bul. 21. pag. 581.
* Tom 2. pag 63.

Barillus, cadus, ex Anglico *barrels.* Matthæus Parisius Historiæ suæ Additamento primo: *Qui quando ad recussionem terrarum illarum mittere debuerat thesauros, & denarios, misit barillos lapidibus & sabulone impletos.* Et paullo pòst: *Respondit, quod nunquam misit tales barillos.* Monet Watsius similiter *barrilia vini* legi apud Pisanam in Praxi Ceremoniarum†. *Barile* pro eodem, more Italo, Petrus Andreas de Castaneis* in vita S. Andreæ Corsini, episcopi Fæsulani, (qui anno claruit CIↃCCCLX, ac deinceps) cap. IV §. XVIII: *Fratrem Venturam de Pisis sanavit de hydropisis infirmitate, digitum ponendo in ipsius ore, in nomine Jesu; qui ejecit de ore ejus unum barile aqua, & sanatus est.*

† Pag. 79. n. 16.
* In vitis SS. apud Bolland. ad 30 Ian.

Barnagium, quasi baronagium, h. e. concilium baronum, quod Anglis majorem parlamenti domum constituit. Matthæus Parisius in vita Joannis XXIII abbatis S. Albani: *Coram rege, & barnagio, proponere.* Ac similiter alibi idem.

Barnatus, ex *baronatus*, pro fide & observatione, quod barones, ac regis vasalli, debent Principi suo. Constitution. Caroli Calvi tit. XXI apud S. Quintinum, in extrema adnuntiatione Karoli: *Ut vestram fidelitatem, & vestrum adjutorium quæ semper contra nos cum omni barnatu demonstrastis.* Proque *barnatus* etiam *bernatus* legas: imò posteriores etiam *bernagium* pro *baronagium* dixere.

Barrarius, publicanus, a Gallico *barrage*, quod est vectigalis genus: Charta Rhotomagensis Philippi Francorum Regis†: *Nullus civium Rothomagi debet accipere intersignia à vic. ad barrarium: sed affidet barrario, quod consuetudine non debet, si aliter ei non crediderit: & non dabit barrario, nisi voluerit.*

† In Chartis Ducum Normanniæ pag. 1063.

Bassa, Turcis notat caput: ac nomen iis primò tribuitur veziris, deinde beblerbegis. Quorum utrique extra sarajum, sive Sultani palatium habitant. Ac vezires quidem Sultano sunt à consiliis secretis. Præcipuus vezirum Vezirazes. Cedreno, aliisque πρωτονούμβολος nuncupatur. Beblerbegus est στρατοπέδαρχος, qui vulgo Generalis campi nominatur. De his accuratè in Pandecte suo Turcico Leonclavius; ubi & beglerbegatus Asiæ, Africæ, & Europæ, accuratè recenset.

Bassus, pro humili vel etiam crasso, ut exponitur in glossis Isidori. Priori modo sumit Johannes de Hese in suo Itinerario: *Illud foramen* (tria milliaria longum, per quod navigare nos oportuit) *est ita tenebricosum, quod semper nos oportuit habere candelas ardentes: & in exitu foraminis oportuit navem descendere ad spatium XX cubitorum, quod mare est ibi adeò bassum respectu foraminis; & maximè ibidem timebamus.* Similiter Stylus Cur. Parl. *Habenti altam & bassam jurisdictionem.* Sic in Musicis *bassus* pro voce infimâ. Ab eadem significatione Spurius vel Nothus Germanis & aliis *bastærd*, quasi humilis stirpis. Vetus glossarium Latini-Teutonicum, *Ganea*, *bastardus*, *keues sun.* Sed qui humiliores origine, subinde non humiliores indole atque ingenio: ut liquet ex tot Heroïbus non legitimo thoro natis: de quibus diximus libro Primo Oratoriarum institutionum cap. V, sect. 14. Usus *bastardi* voce ex rerum Belgicarum scriptoribus Johannes à Leidis libro I, cap. XII. Item Ægidius Roja in Annalibus Belgicis*: *Ferdinandus igitur dictus de Portugalliâ, secundùm alios bastardus Philippi regis Francorum, cepit Johannam Comitissam uxorem, & rexit annis XXI.* Ex Anglicis scriptoribus similiter Rogerus de Houeden Annal. tomo II: *Guilhelmum dico Nothum, bastardum filium.* Quid plures memorem, cùm vox ea obtineat non modò apud Germanos, Belgas, Anglos, sed & Italos, Gallos, Hispanos, ac gentium earum scriptores Latinos? Mirum verò Guilhelmum Normannum, qui Angliam subegit, non dubitâsse suas ipsius literas ad Alanum Britanniæ Minoris Comitem ab ejusmodi verbis ordiri: *Ego Guilhelmus cognomento bastardus.* Sed ajunt priscis Septentrionis populis, quia fortitudine omnia metirentur, illegitimè natos, modò armorum scientia pollerent, non adeò despectui fuisse; imò succedere etiam in imperio solere. Et sanè vel hoc dicendum, vel duo illa verba, *cognomento bastardus*,

* Pag. 9.

ſtariſmi, ab alia manu poſtea ſunt appoſita: quod malim credere.

Baſtardus, vide ſuperius expoſitum in *Baſſus*.

Bauca eſt armilla, qualis militi re bene geſta donari ſolet etiam moribus Romanis: ac ſic ſumi videtur in Conſtitutionibus Karolinis*. Diximus eâ de re lib. II cap. III. Illud nunc adjungam, præterea idem ſignare ac *baucal*, *baucale*, vel βαυκάλιον, h. e. cyathum. Anaſtaſius bibliothecar. de vit. Pont. in Leone IV: *Cambaram exaratam unam, baucas exauratas tres, fibulatoria majora, & minora quinque.* Item in Benedicto III: *Baucas ex auro puriſſimo duas penſantes libras.* Videtur autem *bauca* tum idem eſſe ac *cauca*, ut & Græcis idem videtur βαυκάλιον, & καυκάλιον. De *cauca* dixi lib. II cap. IV.

* Pag. 288. edit. Moguni.

Beinberga vel *bainberga*, à *bein*, crus, & *bergen*, tegere: ut optimè perſpexit Illuſtris Comes Hermannus Nivenarius in diſſertatione de Veterum Francorum ſedibus. Ut idem ſit ac *ocrea*, cujus eſt crus munire. Alibi plura diximus.

Bellagines dictæ leges Gothorum. Jornandes libro de rebus Geticis cap. XI: *Phyſicam tradens naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas uſque nunc conſcriptas Bellagines nuncupant.*

Beodum, & *beudum* variè legitur: nempe ut dixere *leodes*, & *leudes*. Vetus Gloſſarium Latino-Anglo-Saxonicum: *Menſa, beod. Refectorium, Beoddern.* Lex Salica Tit. XLVIII: *Quod in caſâ illius hominis manſiſſet, & hoſpites tres vel amplius collegiſſet, & eo ibidem gratias egiſſent, & in beudo ſuo pultes manducâſſent.*

Bigerra veſtis craſſa, ac villoſa. Iſidorus in Gloſſis: *Bigera, veſtis gufa, vel villata.* Ubi pro *gufa* Roſweidus †, ac De-La-Cerda*, malunt *groſſa*, h. e. craſſa; quæ & *ſolox* dicitur. Eadem & *Bigerrica*. Sulpicius Severus Dialogo I cap. I: *A proximis tabernis Bigerricam veſtem, brevemque atque hiſpidam, quinque comparatam argenteis rapit.* Ac ſimiliter Venantius Fortunatus lib. III cap. I. de S. Martino †: *Induitur Sancto hirſuta Bigerrica palla.* Nomen ex eo, quia hac uterentur Bigerriones; ut eos vocat Cæſar*; ſive Bigerri, ut Plinius lib. IV. cap. XIX. nuncupat. Galliæ Aquitaniæ eſt civitas, quæ nunc *Bigorre*.

† Notis in Paulini Carmen 12.
* Adverſariorum Satrorum cap. 141. § 517.
† Tom 8 bibliothecæ SS. Patrum edit. 2, col. 803.
* Lib. 3. pag. 69. ſecundùm editionem Joſeph. Scaligeri. edit. Lugdun. Batavor. an. 1635.

Bigerrum vel potiùs *bigerrum*, in gloſſis Iſidori exponitur *veſtis gufa, ſeu villata*, h. e. ſpiſſa, villoſaque. Eadem & *bigerrica*: ut apud Sulpicium Severum de vitâ S. Martini: *Bigerrigam veſtem* (*bigerricam* ſcribendum) *brevem, atque hiſpidam.* Credo ſic dici à Bigerrâ, Baſtitanorum urbe in Hiſpaniâ, teſte Ptolomæo. Niſi à Bigerrionibus: quos in Aquitaniâ ſtatuit Cæſar, dicto loco.

Biretum pilei genus. Paulus quartus Papa in Ordinatione † Judæis præſcriptâ: *Et ad hoc, ut pro Judæis ubique dignoſcantur, maſculi biretum, feminæ vero aliud ſignum patens, ita ut nullo modo celari aut abſcondi poſſit, glauci coloris palam deferre teneantur, & adſtricti ſint, nec ſuper non delatione bireti, aut alterius ſigni hujuſmodi*, &c. Biretum nigrum geſtare juſſit apoſtatas, idem Paullus Papa in bullâ, quæ exſtat ibidem*. Rubrum Cardinales adſumptos ex ordine regularium, Gregor. XIV, Tomo Bullarii II †. Uſus & hac voce Clemanges epiſt. LXXV: *Non cappa, ut in proverbio eſt, monachum efficit, nec cappa etiam aut cathedra, birretive impoſitio, magiſterium.*

† Bullar. Tom. 1. pag. 589.
* Pag. 598.
† Pag. 533.

Bladus, vel *bladum*, à Saxonico *blad*, quod hodieque *folium* notat Belgis, vetuſtioribus etiam ſignabat arborum fructum: ſed præcipuè frumentum: uti dictum lib. II cap. III. Hoc nunc tumultuariè aliquot luculentis teſtibus adſtruemus. Benedictina cap. XIII quod eſt de inventariis per novos antiſtites: *Quanta blada, vina, & cætera victualia.* Anonymus in vitâ B. Rogerii, abbatis Ellantii*, cap. V. § VIII: *Tellus enim bona eſt, & magis frumentum, quàm bladum aliud, ferre conſuevit.* Ingulphus ad an. CIↃ LI: *In tantum, ut bladorum carentiâ, & panis inopiâ, multa hominum millia morerentur.* B. Odericus peregrinationis ſuæ cap. III. *Terra in ſe bona eſt, & abundans blado, amaraco, lignis aloë, & camphorâ, & multis aliis bonis rebus.* Thomas Walſingam in Hypodigm. Neuſtriæ †: *Poſt conqueſtum ſecundo dictis de Carnervan, extitit bladorum cariſtia, & præcipuè frumentorum. Ita ut aliquoties Londoniis modius frumenti ad decem ſolidos venderetur.* Item Nicolaus Dominus de Lalaing donatione Marchianenſi factâ Abbatiæ anno CIↃCCIX*: *De blado, & vino, & aliis catallis ad vitam pertinentibus.* Et Gregorius decimus tertius Papa † in prohibitione ne frumentum eveheretur: *Inhibemus, ne quovis prætextu, directè aut indirectè, cujuſvis generis frumenta, blada, & legumina, atque animalia quæcumque, extra ſtatum Eccleſiaſticum extrahere, & aſportare audeant ſeu præſumant. Eos verò, qui contra inhibitionem noſtram hujuſmodi commiſerint, ultra prædictas, etiam amiſſionis frumentorum, bladorum, leguminum, & animalium præfatorum, nec non quinque ſcutatorum pro qualibet ſalmâ frumenti, bladorum, & leguminum hujuſmodi, & duorum ſcutatorum pro quolibet capite animalis pœnas fiſco, & Cameræ noſtræ apoſtolicæ applicandas*, &c.

* In Vitis Sanct. ad 4 Jan.
† Pag. 477.
* Apud Miræum in Notitiâ Eccl. Belg. cap 189. pag. 524.
† Bullar. Tom 1. pag 316.

Bonarium idem ac *bunuarium*; de quo dixi lib. II cap. III. Tabulæ publicæ Bruxellenſes anni CIↃ CXXXVIII*: *Everwinus Canonicus bonarium cultura, Hugo dimidium bonarium, Thedericus de Molla bonarium & dimidium, Oda, quæ dicebatur Rufa, dimidium bonarium, Elterus quartam partem bonarii, Everwinus de Scarenbeca unum bonarium prati, unum cultura.* *Bunarium* pro eodem eſt in tabulis Michaëlis Conſtabularii Comitis Flandrenſis, anni CIↃ CCLXXXI †: *Terram etiam de Juvanio de Haſſelt cum ſuo prato conquiſitam quinque circiter bunariorum, ab omni jure noſtro, vel exactione liberam eis concedimus.* Nempe pro *buader*, *bunter*, & *bonar* dixere; unde *bonarium*, & bunarium. Vide *bunuarium* loco antè memorato.

* Apud Miræum in Notitia Eccleſiarum Belg. cap. 149. ſive pag 372.
† Apud Miræum eodem opere cap. 169 ſive pag 452.

Bondagium idem cum Anglico *bondage*, ſervitus. Walſinghamus in Richardo II*: *Nulla acra terra in Comitatibus prædictis, quæ in bondagio vel ſervitio tenens, altius quàm ad quatuor denarios, haberetur.*

* Pag. 270.

Borax Belgis *boras*, Italis *borazo*, Hiſpanis *borrax*, ab Arabibus eſt. Veteribus, ſi Georgium Agricolam audimus, chryſocolla dicebatur. Eſt genus nitri factitii ex nitro foſſili.

Bordellum, Gallicè *bordeau*, ganeum, lupanar. Unde iiſdem *bordeler*, ſcortari. Teutonicum eſſe facilè credas Teutoniſtæ, qui ante annos propè ducentos ſcripſit, cui *bordeel* exponitur *Lupanar, proſtibulum, gynecæum, fornix, ephebium, effeminatorium, luſtrum meretricium, ſcortatorium.* Willelmus Gemmeticenſis lib. VII Hiſtoriæ Normannorum †: *Richardus noctu in vili caſâ, juxta quoddam ſtagnum ſecurus dormiebat. Protinus quidam miles potens domunculam circumdedit; ſoringus expergefactus de bordello exiit, & fugiens in vivarium exilire voluit.*

† Pag. 274.

Botellus, lembus, cymba, à Saxonico *bot*, quod & Belgis *boot*, & Anglis *boat*. Imò & hinc Gallicum *batteau*, pro nave: non, ut ajunt, à batuendâ aquâ: quod in Gallico-Latino Rob. Stephani lexico legas. Matthæus Pariſius ad an. CIↃCCXLV: *Nos ex citeriori ripâ hoc videntes, miſimus ultra aquam per botellos, trecentos Wallenſes.* Ac paullò poſt: *Per batellos noſtros, ante adventum Wallenſium, ad nos venientes, tranſferant.* Godefridus Monachus S. Pantaleonis in Annalibus*: *Naves ſeparatæ ſunt ab invicem; & quædam ex eis batellos ſuos vi tempeſtatis amiſerant.*

* Pag. 287. in ſcriptoribus rerum Germanicarum editis à Frehero.

Botta ——— Arnoldus Ordinis S. Franciſci in vita S. Angelæ de Fulginio † cap. IV, ſect. LXX: *Poſtquam remaneo ab illo amore, remaneo tota contenta, tota angelica, quòd diligo bottas, & bufones, & etiam dæmones, & quicquid video fieri, etiam ipſum peccatum, quando video ab aliis fieri, non diſplicet mihi, credens quod Deus juſtè permittat fieri.*

† In Vitis SS apud Boll. ad 4 Jan.

Bovenetum vulgo ex Belgico *bove-net*, funis ſupra foros navis extenſus. *Tranſennam*, quaſi *tranſitennam* vocari

cari posse, censet in Nomenclatore suo Hadrianus Junius.

Brandeum, id cui involvitur cadaver. Gregorius M. lib. III Regist. epist. XXX: *Cognoscat autem domina* (Constantia) *quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quicquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur.* Ac postea: *Prædictus Pontifex* (Leo) *hoc ipsum brandeum allatum forcipibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit.* Hincmarus in vita S. Remigii: *Ipsum corpus sanctissimum, sicut in anteriore translatione, ab Episcopis Rhemorum diœceseos integrum inventum est, & brandeo rubro involutum.* Flodoardus lib. I Histor. Rhem. cap. XXI, de eodem S. Remigio: *Integrum, licet exsiccatum, corpus ejusdem rubeo constat brandeo involutum.* Censeo, *brandeum* propriè esse vinculum à Germanico *bande*, quod itidem *vinculum* notat, à *binden* vincire. Nempe quia mos fasciis cadavera involvere, ac quasi vincire. Porrò pro *brandeum*, ut literæ B, & P, facile commutantur, etiam prandeum dixere. Landulphus Sagax in Justiniano de Avaribus: *Habebant enim retrorsum comas prolixas valde, atque perplexas, vinctas prandeis.* Qui locus firmat etymon antea allatum nobis. Et quid zona, nisi vinculum lumborum. At apud Isidorum in Glossis: *Prandeum, genus zonarum.* Ubi perperam aliqui: *Prandium, genus cenarum.*

Brennium pro furfure ex Anglico *bren*, vel *bran*. Matthæus Parisius in an. MCCII*. *Exceptis brennio, & duobus panibus ad furnarium:* ubi consule Glossarium.

* Pag. histor. 145

Briga, lis, jurgium, à Gallico *brigue*, quod idem notat. Auctor Gemmæ Gemmarum: *Briga*, id est, *rixa*, *een scheldwoord*. Brigare, *kijven off schelden*. Walsinghamus in Eduardo III†: *Per istam brigam Rex in parlamento constitutos noluit ulterius gubernari.* Sed de hoc jam in *Imbrigare* dictum lib. II cap. XXIV. Ubi & de vocabulo *brigosus*.

† Pag. 190.

Brigantinus, loricatus, à Gallico *brigandin*; quod notat φολιδωτὸν, sive loricam. Thomas Walsingham in Hypodigmate Neustriæ*: *Carolus de Bloys —— cum mille ducentis hominibus armatorum ——, & sex millibus brigantinorum, ac triginta millibus peditum, veniens ad obsidendum castrum.*

* Pag. 517.

Brodatus, & *brudatus*, valet acu pictus. Prius usurpat Chronicon Normanniæ†: *Tota civitas sericis pannis, & cortinis exterius ornata, & omnia civitatis ministeria novis vestimentis induta de pannis brodatis, sericis, cendalis, aut vestibus aliis, secundum præceptum & dispositionem præpositi.* Per U verò scribitur apud Matthæum Parisium in Vitâ Richardi, quartidecimi abbatis S. Albani: *Dedit etiam stolas binas pretiosas cum manipulo, capam unam purpuream, morsu & tassellis charissimis redimitam: albas duas cum paraturis brudatis.* Ubi *paratura brudata* est quod Belgis *boorduer-werk*, nempe opus Phrygium, sive acupictum. Galli dicunt *bordeur*, & trajectis literis *broddeur*, unde *brudatus* pro *bordatus*. Origo à *boord*, margo, ora: unde *boorden*, prætexere, *boorduren*, limbum sive fimbriam acu pingere.

† Pag. 1011.

Bruera, ericetum, vepretum, ex eo quod Galli *bruiere*, Angli *bryars* vocitant ericam ac vepres. Matth. Parisius ad an. CIƆCCXV: *Erit torneamentum prope Londinum in bruera de Stanes.* Idem Additamento II: *Inquiratur etiam, si aliqua purprestura facta fuerint infra metas foresta, in maris, cis moris montanis, vel brueris.*

Buda, fortè ab Ægyptiis. Pelagius libello X num. LXXVI: *Videns autem Ægyptius vestitum mollibus rebus, & budam de papyro, & pellem stratam sub ipso.* Notat stoream, ut Papias exponit. Imò & apud Isidorum in Glossis legendum, *Buda, storea:* ubi vulgo *storza*. Etiam à Rosweido adducitur è Glossario Mso. Camberonensi: *Buda, stramentum lectis de biblo, id est papyro.*

Bufalus barbarum, pro *bubalus*. Venantius Fortunatus lib. VII poematum, carmine ad Gogonem*:

Seu validis bufali ferit inter cornua campum.
Nec mortem differt visus onager, aper.

* Bibliotheca SS. Patrum edit. 2 Tom. 8 col. 9-7.

Ait hoc animalis genus esse in Arduenna sylva, & saltu Vosago. In quo vestigia occisi ejus animantis agnovisse se ait Gregorius Turonensis Historiæ suæ lib. X. Est verò *bufalus* ex Germanico *buffel*: quomodo ea gens vocat non modò bovis sylvestris genus, sed κατὰ μεταφορὰν etiam homines stupidos ac bardos. Græci verò, ac Latini vocem *bubali* ab exteris accepere. Nec enim puto Germani, apud quos nascitur, nomen petiere à Græcis, qui nescissent, nisi aliunde advectum. Neque tamen id tanti, ut cum eo pedem struere velim, qui Romanos putet nomen id communicasse Germanis: quæ Gesneri opinio fuit.

Bunda, terminus, limes, ex Anglico *bound*. Matthæus Parisius in secundo Historiæ additamento: *Inquiratur per quas metas, & bundas, singuli forestarii de feodo teneant, & tenere debeant ballivas suas.*

Burgagium, quod burgenses, sive cives, ratione domuum præter annuam pensionem sive reditum deberent Regi, vel feudi domino. Item *burgasaticum*, terræ quas in burgagio à rege vel feudi domino burgenses habent. Utroque usus Matthæus Parisius. Est verò à *burgus*: quæ vox crebra Thomæ Walsingamo, & aliis. *Burgus* verò propriè arx, à Teutonico *burg*: quod Germanis acceptum à Græcis coloniis prope Pontum atque Istrum. Nam Græcis turris sive arx, πύργος veteres Germanos ac Francos eo usos, ostendit Tatianus Syrus in Harmonia IV Euangeliorum*, linguâ redditâ Francicâ: *In thie burg Galilea, there name ist Nazareth.* Willeramus abbas Mersburgensis in Cantico Cant. *After thero borg*, h. e. per civitatem. Poëta Anonymus rhythmo de S. Annone† *Wi snelle helide vubten, wy sy veste burge brechen* h. e. Quomodo acres heroës pugnarent, & quomodo firmas diruerent civitates. Glossæ apud Wolfangum Lazium*: *Metropolis, hubetburge.* A *burgus* est *burgensis* pro cive: de quo lib. II cap. III.

* Capita aliqua edidit Jo. Is. Pontanus lib. 6 Orig. Franc.

† Primus edidit Opitius Dantisci 1539.

* Lib. 3 de migrationibus gentium.

Buricus, equus. Isidorus in Glossis: *Manius, buricus.* Rectè Meursius emendavit: *Mannus, buricus.* Siquidem in iisdem est: *Mannus, caballus, buricus.* Glossæ Philoxeni: *Mannis, βυρίχοις.* Nec enim placet, ut βυρύγχοις legatur. Paulinus epist. X, quæ est ad Severum: *Longè dispari cultu, macro illud & viliori asellis burico sedentem.* Ubi perperam aliqui libri *burdico*. Apud B. Hieronymum gemino in loco legas, in Ecclesiastæ cap. X, & epist. XXVI: sed utrobique ex glossemate. Nam cum mannorum in utroque fieret mentio, adscripsit aliquis *buricos*, vel, *quos vulgo buricos* vocant: quod postea in contextum irrepsit. Vide quæ ad Paullini locum adlatum Fronto Ducæus annotavit. Pro *Buricus* interim in antiquissimo glossario Latino-Francico *Brunicus* scribitur: *Mannus, equus brevior*, quem vulgo brunicum vel brunicium vocant, i. brun. In locupletissimo adhæc vetustissimoque glossario Anglo-Saxonico, quod olim inter insignia Rubenianæ familiæ κειμήλια spectabatur, scriptum inveni, *Mannus*, vel brunnicus, *gethraken hars*.

Burina —— —— Alexander, episcopus Leodicensis, diplomate scripto nomine Innocentii II†: *In his locis, & vicis possidet Ecclesia bannum, & justitiam, impetum, & burinam, ictum, & sanguinem, reperturam, fora, telonea.*

† Apud Miræum Notit. Eccl. Belg. pag. 245.

Burlawis leges, secundùm quas à rusticis vivitur: conflatum à *baur*, sive *boer*, h. e. rusticus, & *lauch*, vel *law*. lex. Legum Scoticarum lib. IV cap. XXXIX §. VIII: *Cætera omnia, & singula, quæ currunt in Curiis dominorum, secundùm auxilium, & favorem terminantur, exceptis burlawis, quæ per consensum vicinorum erunt.*

Bussia. Navis piscatoria grandior & halecum capturæ maximè idonea. Vide Spelmanni glossarium, in *Bussa*. Belg. *een buys*.

Butrio, ut à Beda traditum est, plerisque dicitur Pleiadum sidus: quasi gallinam dicas habentem pullos. Hæc enim Germanis *bruothens*: unde *butrionem* fecere.

C. *Calan-*

C.

CAlandrus, ex Gallico *calandre*, Italico *calandra*, vel Belgico *calander*. Græcè κὶς, Latinis *curculio*, vel *curgulio*. Vermis est exedens frumenta. Sed videtur & pro cicadâ sive gryllo accipi. Conradus de Monte puellarum in vitâ S. Erhardi Episcopi cap. I sect. III*: *Et in eodem refulserat statu, tanquam lucifer matutinus in medio nebulæ, & sicut arbor rosaria in spineto, quasi fluvius dulcis se derivans in deserto, & tanquam calandrus dulcisonans in myricâ, sicut philomela nocturna silentia decorans.*

* Apud Bollandum in Vitis Sanctorum ad 8 Jan.

Calangia, postulatum, repetitio, vendicatio. Sic Anglis etiamnum hodie *to challenge* vel *to claime* est repetere, sibi vendicare atque asserere. Donatio anno clɔ ccxciv facta S. Bernardi ad Scaldim monasterio†: *Notum facimus, quod nos omnem calangiam, quam pia memoria Henricus Bertout, pater meus, aut nos super decima novalium in parochiâ de Gelà contra Abbatem, & contra conventum Loci S. Bernardi movebamus, indebitam fuisse recognoscimus, ac minus justam.*

† Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. cap. 108. pag. 598.

Cambuta vocabulo non aliud significatur, quàm illo *cambuca*, de quo dictum lib. II cap. III. Imò dubium, utro modo, puto per C rectiùs, an per T, efferatur. Variant enim scriptores. Pro priori ὀρθογραφίᾳ sunt scriptores illi, quos loco antè indicato adducebamus. Item hoc Petri Trecensis, sive Comestoris in Historiâ Scholast. Exodi cap. LII: *Sicut in baculo cambuca Episcopalis eburneo fieri solet.* Firmat & Andreas Abbas monasterii S. Michaëlis lib. III de vitâ S. Othonis*, episcopi Bambergensis cap. XV: *In medium turba sese fortiter intrudens, combuccam suam manu gestabat.* Ubi sine dubio per primam vocalem in syllabâ principe *cambuca*, vel *cambucca* scribendum. At per T exaratum est apud monachum Benignianum anonymum in vitâ S. Urbani†, episcopi Lingon. cap. I. §. VI: *Cui Sanctus: Ne dubites; dabo enim tibi signum, cui nullus poterit resistere. Et protinus cambutta, quam manu gestabat, super lineum vestimentum, quo idem juvenis gestabatur, tres depingit cruces, colore dissimiles.* Item in Vita Tozzonis*, episcopi Augustani, cap. I: *Faciens signum sanctæ crucis coram se, arripiensque cambuttam, quam à B. Gallo acceperat.* Et mox: *Percussit eum cum cambutta in caput, & statim crepuit medius, & mortuus est.* Etiam *cambutam* pro eo reperio in testamento S. Remigii apud Frodoardum Historiæ Ecclesiæ Remensis lib. I cap. XVIII†: *Delegoque nepoti meo Prætextato, ——lucernam, quam mihi Tribunus Friaredus dedit, & argenteam cabutam figuratam.* Nisi *cambuta*, vel *cambutta* legendum; quod puto. Vide & *gambuta*.

* Editio primus Gretzerus Ingolstadii an. 1611.

† In Vitis SS. apud Bolland. 23 Jan.

* In Vitis SS. apud Boll. ad 16 Jan.

† Pol. 51. b. edit. a. 1611.

Camisia quid sit, abunde expositum lib. II cap. IV. Interea distinguendum inter camisias, quæ in civili usu sunt omnibus, & camisias sacras, quæ superinduuntur vestibus aliis. Priori modo Germanis dicitur *hembde*: posteriori *ein chor rock*. Priores intelligo, cùm in Glossis nostris in membra exaratis lego hoc pacto: *Interula, camisia, subucula.* Posteriores autem, cùm in iisdem *infulatus* exponitur, *camisiâ indutus*. Ac Joannes Citrius in Responsis suis reponit camisatos inter Ecclesiæ officia, qui Latinè magis vocarentur linteati. Horum erat, inter alia, aquam fervefacere, ac deinde vino infundere, quo in sacramento Eucharistiæ uterentur. Nempe ut magis sacramentum conveniret cum prototypo, quia calidus fuit ille sanguis, qui è latere Christi in cruce pendentis effluxit.

Cantaredi, centum villæ, vel oppida, vox Britannica sive Wallica, à *cant*, centum, & *tre* oppidum; ut deducit Spelmannus, ac Watsius. Matthæus Parisius in historiâ an. clɔ ccLXVIII: *Sicque interveniente Legato, restituta est Principi terra quatuor Cantaredorum, quam rex ei abstulerat jure belli.*

* Aubertus Miræus in Donat. Belg. pag. 46.

Capatica. Godefridus Magnus in Donatione* S. Dagoberti Ecclesiæ facta: *Legali donatione concedimus, & confirmamus, & omnibus rebus sibi ex antiquitate appendentibus delegamus, id est, in dotibus altaris, in decimis, campis, pratis, pascuis, silvis, piscationibus, censibus, capaticis, & omnibus aliis pertinentiis.* Et paullo pòst: *Adjungimus decimas omnium nostrarum ipsius potestatis indominicaturarum, h.e. in censibus terrarum, in capaticis virorum & feminarum, decimam molituræ*, &c.

Casalenum usurpat Pius IV. in Bullâ† Confirmationis & extensionis jurisdictionis S. R. E. Camerarii, &c. *Et cum in viarum, quæ pro tempore fiunt, constructione, ordinatione, & ampliatione, ac in domorum, casalenorum, & situum, sive partium eorum applicatione, seu venditione in omnibus casibus supradictis*, &c. Censeo esse ab Italico *Casalone*, quod domum dirutam significat. Est hoc ab Latino *casa*: quod & Hispanis domum notat.

† Tom. 2 bullarii p. 120.

Castallum —— —— Philippus R. Franc. in Chartâ Rhotomagensi: Verba adducimus in *Hernesium*.

Cassatio est in Legg. Longobardicis lib. III, tit. I. leg. XLVIII. Vide, quæ de *cassandi* verbo dixi lib. IV cap. III.

Catalla, vel *catella*, vox Normannica Matthæo Parisio* sæpius usurpata pro bonis omnibus non feudalibus. Imò & apud Ingulphum Croilandensem abbatem in metro legas, qui Parisio antiquior toto amplius seculo. Item apud Hovedenum†, & in Donatione Nicolai de Lalaing Marchianensi Abbatiæ prope Duacum facta an. clɔ ccIX*: *Quitari in perpetuum Ecclesia Marchianensi omne wienagium, quod exigere vel capere solebam de blado & vino & aliis catallis ad Ecclesiam pertinentibus.* Est & Philippi Francorum Regis in Charta Rotomagensi† anni clɔ ccVII: *Præterea siquis de Baillivia Majoris fuerit in prisonia nostra, vel in monasterio, vel se absentaverit pro aliquo delicto: volumus quod Major custodiat catalla ejus in manu sua, & baillivus noster inde habeat quoddam scriptum, & major aliud donec judicetur. Et si damnatus fuerit, catalla ejus nostra erunt.* Item in Stabilimento apud Rhotomagum inter Clericos & Barones facto anno clɔ ccV*: *Si fides data fuerit de catallo maritagii, vel de legato mortui, vel de catallo clerici.* Ac mox: *Si clericus injuriosus exstitit domino, à quo tenet feodum, super feodo illo; dominus feodi potest saisire omnia catalla Clerici.* Walsingamus in Descriptione Neustriæ†: *Pro præmissâ concessione, remisit Rex, & condonavit omnia catalla felonum, & fugitivorum.*

* Cùm alibi tum ad pag. 97 edit. Tigur. item pag. 248.

† Pag. 692.

* Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. pag. 524.

† In chartis Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ pag. 1063.

* In Chartis Ducum Normanniæ pag. 1060.

† Pag. 513.

Ceppagium à Gallico *cep*, notat arborum succisarum radices ac stipites in solo relictas. Matthæus Parisius in Additamento Historiæ secundo: *Inquiratur etiam, qui forestarii de feodo, vel non de feodo ceperint coopertiones, ceppagia, & eschaetas quercuum sive aliarum arborum.*

Chalipha idem est ac vicarius successor, vel prophetæ Mahumedis hæres. Summus nempe Musulmannorum pontifex. Hic præerat Bagadati, sive Babyloni Asiaticæ. Sed postea excusso ejus jugo, Sultani Ægyptii suum sibi Calipham delegere, qui præest Babyloni Ægyptiæ, h.e. Memphi, sive Cairo. Quodque primò Asiatici Caliphæ munus fuit, ut inauguraret Sultanum, hoc datum Ægyptio, nomine interim *Calipha* relicto alteri. Ritum inaugurandi legas apud Petr. Martyrem Mediolanensem. Cujus verba etiam apposuit Leonclavius in Pandecte Turcico cap. CCXXXVII.

Cham magnus Tartariæ rex sive princeps vulgò nuncupatur. Ubi bis peccatur. Nec enim *Tartaria*, sed *Tataria* dicendum erat: estque id nomen à fluvio *Tatar*, cujus accolæ Sumogli, vel Sumongli, h.e. Mogli vel Mongli, aut Tatari aquatici. Præterea non *Cham* dicendum, sed *Chan*. *Chaban* autem, vel *Can*, regem notat: unde multarum terrarum principes vocantur *Chanes*. Itaque legas in Annalibus Turcicis Precop Chan, Kerai Chan, Maxud Chan, & alios. Qui subsunt Chani Tatariæ, unde is κατ' ἐξοχὴν Vlu Chan, hoc est, magnus, vel potiùs excelsus Chan, nuncupatur. Fusiùs de hisce eruditissimus Leonclavius Pandectæ Turcici cap. III.

Che-

Chelandium, navigii genus, Paullo Diacono in Justiniano, & Luitprando in Legat. Quod & χελάνδιον Cedreno, ac Constantino de Administratione Imperii.

Cheminagium à Gallico *chemin*. i. via. Notat id pecuniæ, quod persolvitur pro eo, ut quis per terram alicujus possit equo, vel curru vehi, vel res suas plaustro vehere. Utitur Matthæus Parisius, sive apud eum Joannes Rex: *Nullus forestarius de cætero, qui non sit forestarius de feudo capiat cheminagium, scilicet pro caretta per dimidium annum duos denarios, & pro equo qui portat summagium.* Et mox: *Et de nullâ caretâ aliâ, vel summagio, aliquod cheminagium capiatur: non capiatur cheminagium, nisi in locis illis, ubi antiquitus capi solebat, & debuit.* Utitur quoque in Additamento Historiæ suæ secundo.

Cinspaticum Vito Amerpachio sic dici videtur, quasi *cinspaticum* à Germanico *Zinsbar*, h. e. censum solvens à *Zins*, h. e. pensio, census, à quo Germanico *Zints*, venit. Constitutio Carolina*: *De teloneis, & cispaticis teneant id, ubi antiqua consuetudo fuit, exigantur, & ubi nova fuerint inventa, destruantur.*

* Pag. 275. ex edit. Mogunt. an. 1602.

Climia, Avicennæ interpreti est id, quod Græcis Cadmia.

Clita, machinæ bellicæ genus. Auctor vitæ Karoli Magni, à Pithæo primùm editus: *Præparaverunt clitas ad debellandum præ virtute castrum.* Quas hic *clitas* vocat, hodieque *cledas* Aquitani, *claias* Franci appellant ut video ad codicis oram à Scaligero fuisse adscriptum.

Clito, filius regius, de quo abunde Spelmannus & post eum Watsius in Glossario.

Cogcio, vel *cocio*, est apud Sangallensem monachum lib. II de gestis Karoli Mag. †. Quidam coccio derasus, insulsus & insaniens, lineâ tamen, & femoralibus indutus. Unde lucem capit hoc in Constitutionibus Caroli Magni *, sive in Ansegisi collectione lib. I cap. LXXIX: *Ut isti mangones, & cogciones, qui sine omni lege vagabundi vadunt per istam terram, non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere.* Quem ad locum Vitus Amerpachius annotavit: *Cogciones pono aut pro impostoribus, aut pro fatuis: à nostro gek, vel gauch: & hac à cuculo, quod à Græco κόκκυξ derivatum est.* Non dubito, quin *cogcio* sit præstigiator, à Germanico *gauch*, quod Belgis *guyg*, h. e. præstigiæ, ludicrum, unde & *cauculator*, de quo vidimus. Puto & ab eadem voce Germanica esse Gallicum *coquins*, unde aliqui *cocionem* malunt derivare.

† Pag. 412.

* Pag. 276. edit. Mogunt. an. 1602.

Cogga, & *cogo*, navigii genus, ex Anglico *cogs*. Sæpius utitur Matthæus Parisius; ad quem consule glossarium Spelmanni.

Colpus, è veteribus glossis, à Pythæo *ictus* exponitur: nec dubium, quin inde sit Gallicum *coup*. Lex Salica tit. XIX: *Siquis ingenuus ingenuum fuste percusserit & tamen sanguis non exierit, usque ad tres colpos, pro unoquoque ictu CXX denarios, qui faciunt solidos III, solvat.* Lex Ripuar. tit. LXXIX de homine forbatudo. *Siquis —— non prævaluerit ligare, sed colpus ei excesserit, & eum interfecerit.* Incertus scriptor formularum veterum cap. XXIX: *Cum armis suis super me venit, & colpos super me misit, & sic mihi Dominus directum dedit, ego ipsum de armis meis percussi, & tales colpos ei dedi, pro quibus ipse mortuus est.*

Commarcanus est in legibus Baiovariorum tit. XI cap. V. & tit. XVI cap. I. §. II. & tit. XXI. §. XI. Est ab ea significatione vocabuli *marca*, qua notat fines vel limites imperii: unde marchionibus sive marchisiis nomen, ut dictum lib. II cap. XII.

Compagus barbarici calciamenti genus à *gamba* h. e. crure, quia crure tenus vincitur: ut censuere Scaliger & Casaubonus.

Compassum vulgò nuncupant horologium viatorium: ac pyxidem nauticam, sive capsulam acus magneticæ, quomodo & Andreas Stiborius Boius, qui ante sesquiseculum Mathesin in Academia Viennensi Austriacâ docuit, opusculum suum inscripsit *De variis compassis*: Est à Belgico *passen*, hoc est, quadrare, convenire: unde & circinus dicitur *passer*: quia ejus beneficio omnia conveniant inter se; Solùm dispiciendum, ut sit longitudo acus; quandoquidem ubi justo fuerint longiores, tardè subsistant: uti vitio contrario, si nimis breves, justa nequit in ambitu esse distributio.

Confalonerius, ex Italico *confaloniere*, vel *gonfaloniere*, præfectus: uti hoc à *confalone*, id est, vexillum, signum: aliter *bandiera*, *stendardo*. Clemens septimus in bulla † de Syndicatu judicum: *Ac commissarius mittendus, Episcopus, vel vicarius, & procurator Fiscalis, Confalonerius, seu Præpositus & Doctor eligendus, præfati rationem administrationis hujusmodi, cum omni summarietate, integritate, & severitate, audiant.*

† T. I. pag. 496.

Corcuba, vel *curcuba*, lorum, funis, spira: ut dicebamus lib. II cap. IV. in *Cucurba*. Assentio Martinio deducenti ab Hebræo כרכף carcof. quod est *ambitus*. Vicinumque est Chaldaicum, & Syriacum, כרך cerah, *involvere*, *complicare*. Quomodo curcuba propriè sit spira, sive funis nauticus in orbem convolutus. Hinc & *curcumam* videntur pro capistro dixisse. Ita usus Vegetius artis Veterinariæ lib. II cap. XXXIII. Etiam l. unica Cod. Nulli in fren. pro *de cucurniis* legendum *de curcumis*: ut placitum Meursio in Glossario*; Cur κύκερον dixerint *curcubam*, vel *curcumam*, Salmasius dicet in Plinianis ad Solinum Exercitationibus †.

* Voce κούκουμα.

† Pag. 1001.

Corvatu. Godefridus Magnus in donatione * facta S. Dagoberti monasterio: *Donamus etiam eis vineam apud villam vocabulo columbarram, & pratum, quod dicitur Canicol, juxta pratum nostrum indominicatum; sed & corvatem, in loco, qui vocatur Blatizis fontana*, & hæc *omnia* &c. *Corvée* Gallis opera gratuita; unde forsan *corvata* loca, in quibus habitarent ii, qui operam præstarent gratuitam. Atque hoc vocabulo itens Dux voluerit significare, se quidem donare locum, seu *curvatem*: at non item operarios, quando liberè operarentur, nec sui forent arbitrii.

* Apud Miræum in Donat. Belg. pag. 47.

Cossa ars. Italis vocatur *arte de-la-cosa*, Latinis nonnullis dicitur *ars rei*, & *census*. Alii, ut Arithmeticen absolutam συμβολικήν: ita algebram vocant ἀναλυτικὴν, ob crebram resolutionem. *Algebra*, ex Arabico articulo *al*, (quem etiam in *almegistus*, *alchymia*, *almanach*, & aliis, videmus) nec non Hebræo גבר quod est supputare: vel Syriaco *geber*, quo tum ἁπλῶς vir, tum κατ' ἐξοχὴν signatur vir præcellens sive doctrina eximius; quasi artem magisterii, vel doctoralem, diceres. Ut verò non vocem artem *de la cosa*: ita non video, cur *algebræ* nomen refugiam: cum longè notius sit, quam si *artem rei*, aut *census*, vel *Arithmeticen analyticam* appellem. Nec movet novitas vocabuli. In novo enim reperto, cur non uti liceat vocabulis novis?

Cramosinum nos vulgo, quod *coccinum* Latinis & Græcis. Nonnihil diximus supra libro II, cap. IX. in *Herminium*.

Crapaudinus lapis dicitur à Gallico *crapaud*, quod βάτραχον χερσαῖον, sive bufonem, vel *rubetam*, signat: ut idem sit *crapautinus*, ac *batrachites*, vel *bufonites*, & *lapis rubetarum*. Aliqui & *boracem* appellant. Educitur è capite vivi bufonis. Aliqui etiam fabulantur à bufone veteri eructari.

Croca Latini appellant glareas, vel calculos. *Croca* vocabulum nec refugit doctissimus Guastallæ abbas Bernardinus Baldus: sed sic, ut subjiceret, quomodo antiqui vocitarint. Vide eum comment. in Mechanica Arist. quæst. XV, quæ est, cur litorales crocæ rotunda sint figurâ. Sed fallitur, cum ait, Ciceroni in II de Oratore *umbilicos* dici. Nam sic nuncupat Cicero turbinatas conchas.

Crumelum puto esse à Germanico, & Belgico, *crumel*: pro quo & Angli *crumme*: Latini *micas panis* vocant. Inde *krumelen*, in micas frangere. Quid si igitur credamus *cremelum* esse aquam cum micis ac frustulis coctam. Qualis cibus Belgis ex cerevisia & pane, vocatur *bier-en-broot*. Sanè satis conveniens ista est interpretatio verbis hujus Gregorii Turonensis lib. de Gloria Confessoris cap. XCVIII:

Sæpius in hoc vasculo vel olus, vel crumelam coctum cum illo sumsisse.

Cruselinus minutus cyathus, ex Germanico *croeselin.* Cæsarius lib. XII Miracul. cap. XLI: *Portabat vas parvum & fictile, quod vulgo cruselinum dicitur, in manu sua, in quali in tabernis potare solebat.* Est verò *croeselin* diminutivum à *croes, cyathus*; quod à Græco κρωσσός, urceus, urceolus.

Cuba, cisterna. S. Hieronymus, in vita S. Pauli primi Eremitæ, cap. I sect. VII: *Alter in cisterna veteri, quam gentili sermone Syri cubam vocant, quinque caricis per singulos dies sustentabatur.* Ubi tamen libri alii *gubam*, vel *cumbam*. At idem Hieronymus in Jeremiæ cap. VI: *Hoc autem Latinus lector intelligat, ut semel dixisse sufficiat, lacum non stagnum sonare, juxta Græcos, sed cisternam, quæ sermone Syro, & Hebraico, gebe appellatur.*

Cuba templum amplam habens aream, ac tectum non oblongum (ut ea quæ Græcis ναοὶ δρομικοὶ) sed rotundum. Ita in Annalibus Venetis legas, anno CIƆCCCCXVI igni periisse cubas templi S. Marci plumbo contectas. Imò & templum Hierosolymitanum quale nunc est, ob hanc formam vocatur Musulmannis *Cubet Sahara:* qua de re vide Pandecten Turcicum Leonclavii cap. CCX.

Cussinus, pro pulvino, ex Germanico *kussen*. Speculum Saxonicum lib. I. artic. XXII: *Cussinus cum lectulo, linteamen cum mensali uno, dua pelves cum manutergio.* Et art. XXIV: *Mulier tollet —— lectulos, cussinos, linteamina, mensalia, balneamina, & manutergia.*

Culvertagium quid sit Matthæo Parisio, in Watsii Glossario vide.

D.

D*Aggardus* pugio, pro quo Anglosaxones *dagger:* Belgæ *dagge*, vel *dege*. Ita Teutonistæ *dag, deghen, dolmess, knopmess*, exponitur *Pugio, trusibulum*. Utitur Walsinghamus in Richardo II*: *Cepit eum miles per cassidem & de capite suo traxit, & mox, extracto cultello daggardo, ejus cerebrum perforavit.* Aliter *dagua:* de qua alibi † adduximus hoc è Concilio Pisano*: *Nec daguas, seu cultellos ultra longitudinem unius palmi, præter palefranarios, cum dominos suos comitabuntur.* Ut antea *daggardus*, ita hic *dagua* vides cultellum exponi, ut dubium non sit, quin uti ejusdem originis, ita & sint ejusdem significationis.

* Pag. 332.
† Lib. 2. cap. 5.
* Pag. 156.

Dais, vel *deis*, quid sit, apertum est ex Matthæo Parisiensi in vita Joannis XXIII Abbatis: *Solus* (Abbas) *in Refectorio prandebit supremus, habens vastellum; Priore prandente ad magnam mensam, quam Dais vulgariter appellamus.* Item ex Auctario Additamentorum, ubi hæc verba: *Sciendum, quod non permittitur ciphus cum pede in refectorio, nisi tantùm in majori mensa, quam Deis appellamus*; Vir præclarè de eo scriptore meritus in eruditis suis Glossis ait, Nescire se, unde derivetur. Sed est planè à Germanis, quibus mensa vocatur *disch*, vel *tisch*. Propriè autem notat mensam rotundam, disci similem, quo athletæ certabant.

Defalta, negligentiæ vitium, incuria, defectus, ut cùm quis ipse in culpa est per suam contumaciam, à Gallico *default*. Matthæus Parisius Additamento Historiæ primo: *Qui mittere debuerat thesaurum, & denarios, misit barillos lapidibus & sabulone impletos. Et ita quando barones & magnates domini regis, & burgenses, viderunt defaltam illam, diverterunt se ab homagio & servitio domini Regis.* Legum Scoticarum id opus quod à primis verbis *Quoniam Attachiamenta*, vocari solet, cap. XLVIII: *Si quarto die pars fecerit resaltam, reputetur pro non sequente. Et si pars rea fecerit resaltam, pro indefensa teneatur.* Sententia est, siquis se non stiterit judicio, absentiam ejus ex contumacia profectam videri, eoque de absente judicium ferri, tanquam præsente.

Dervisii, qui Turcis *Dersvislar*, generali nomine appellantur monachorum sive religiosorum ordines Turcici. Sub his continentur Calenderlar, Huggiemallar, Torlaclar; quos in doctissimis Historiæ Turcicæ Pandectis Leonclavius describit cap. CLXXI.

Detalia est in chartâ Rothomagensi Philippi Francorum Regis †. *Venientes* (cives Rothomagenses) *in domaniis nostris, poterunt eas* (mercaturas) *licitè vendere ad detallium, vel alio modo, sicut voluerint, pacificè & quietè.* Ejusdem est originis ac tallium, quod ibidem legas: *Nec eos cogeremus ad reddendum nobis talliam per consuetudinem, nisi sponte suâ nobis dare voluerint.* Vide *Tallia* lib. II cap. XVIII.

† In chartis Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ, p. 1063.

Divanum Turcica est vox, ac notat Synedrium, sive publicum judicum consessum. Pro eo *dovanum* malè Vincentius Bellovacensis lib. XXXI cap. CXLV. Nec rectè Porsius *typhanum:* quem eo motum arbitror, quòd *Typhadi* Germanis veteribus sit judicum genus: ut dictum nobis libro secundo cap. XVIII.

Doatrix, à dote, ut *doarium* quasi dotarium. Diximus de doario lib. III cap. X. Doatrix autem dicitur vidua, quæ usumfructum percipit bonorum à marito relictorum: vel quæ saltem titulo gaudet dominii in mariti honorem. De eo pleniùs J. C.

Dohana, ab Italico *Dogana, tributum, vectigal.* Leo X. in bulla de jurisdictione Camerarii & Clericorum*: *Nullus clericus seu notarius, sub duorum millium ducatorum eidem cameræ applicandorum, pœna eo ipso incurrenda, contrahat aliquam societatem publicam vel occultam, in conducta alicujus gabellæ, dohanæ, seu thesaurariæ ad cameram.* Et paullò pòst: *Consulere quantum possunt utilitati cameræ, in subhastatione, & locatione cujuscumque dohanæ, gabellæ, sive thesaurariæ ad ipsam cameram.* A *dohana* est *dohanerius*. Italis *Doganiere*, ministro di *dogana*. Leo X. in bulla de jurisdictione Camerarii & Clericorum †: *Et quia persæpe contingit quod Thesaurarii, & Dohanerii, & alii tractantes proventus & res Cameræ Apostolicæ, computa & rationum eorum administrationis reddere defugiunt, tales Thesaurarii, Dohanerii, & alii rerum Cameræ ministri, ad talem effectum debitis temporibus ad reddendum rationem præmissam adstringantur.*

* T. I. pag. 436.
† Bullarii Tom. I. pag. 436.

Drascus hordei sedimentum post coctam cervisiam, ex Anglico *drosse*, vel *draf*, quod etiam obtinet apud Belgas. Usus Matthæus Parisius, cujus verba adducam libro sequenti in *Cuva*.

Drogua vulgo aroma exoticum, ac medicum. Vulgo opinantur esse ex eo quod Germanis & Belgis *droog* notat siccus, aridus. Nempe quia aromatica corpus exiccent & arefaciant, nec aliquid adferant nutrimenti. Sed verisimiliùs maximus Salmasius: qui epistolâ de Cruce* *drogua* vocabulum ait esse à Persico *droga*, odorem significante, ut vox propriè signet odoratum, vel aromaticum.

* Pag. 471.

Drossatus, Belgis *drossaet*, & *drossaert*, præfectus, satrapes, prætor. Saxonibus *droste*. Chronicon magnum Belgicum, à Pistorio editum: Interea D. *Martinus Ruyssenbach miles drossatus Linnensis territorii Nussienses frequenter infestavit cum vasallis suis, provocatorios cum equestribus circa civitatem faciens discursus.*

Dualitas, dissidium, discordia. Chronicon Reichersspergense anno. MCLXXVII †: *Post multas tribulationes, multaque gravamina, quæ, peccatis exigentibus, perpessa est Ecclesia in illâ notâ dualitate, per annos ferè 22. tandem repropitiato Domino facta est concordia.*

† Pag. 251.

Dugtum facere hodieque Saxonibus notare, indicium facere, sive, ut Appulejus loquitur, manuum officio facere indicinam; apud Barthium legas lib. XLVI Adversar. cap. XXIII. Habes verò hunc loquendi modum apud Ademarum in vita Caroli Mag. Verba adduximus cap. XXIII in verbo *Gurpire*. Sed istic *dulgtum* facere ponebamus, Bignonium secuti. At *dugtum*, non *dulgtum* esse in libris MSS, ait Pithœus, & modum hunc scribendi ex Saxonica lingua firmat Barthius. Ipsum sis adi.

E.

ELice, vel *ilice*, vel *ilix*, animal id, quod Germanis *elch*, vel *elch*, vel *eland*. Venantius Fortunatus lib. VII Poëmat. ad Gogonem*:

> *Ardenna, an Vosagus, cervi, capræ, ilicis, ursi,*
> *Cæde sagittiferâ sylva fragore tonant.*

Quo de loco sic Hadrianus Valesius rerum Francicarum lib. VIII †: *Fortunatus presbyter in Arduenna sylva, saltuque Vosago, quæ ambæ Sylvæ Regis Theodoberti, & Mettis ejus Regiæ, proxima erant, elices, hoc est, alces, uros, ursos, onagros, nasci affirmat.* Existimet aliquis *alces* sic dici ἀπὸ τῆς ἀλκῆς*. Sed in Græcia non nascitur alce: verum apud Barbaros, ut sylva Hercynia quoque: sicut testatur Cæsar in VI de bello Gallico. Quare potius à Germanis, quibus dicebatur *elch*, nomen *alcis* petendum: sicut *elephanti*, & *cameli*, vocabula, non a Græcis, sed Syris, non diffitente id Varrone.

* In Bibliotheca Patrum edit. 2. tom 8. col. 907.
† Pag. 434. edit. Paris. an. 1646.
* à robore.

Endivia barbarum, pro *intybus*, vel *intybum*. Nempe herba eadem, ac *cichorea*; sicuti Servius monet in illud 1 Georg. —— *Et amaris intyba fibris*. Martinius, *Si* inquit, *Latina vox est, fit quasi* ENDO VIA, *quia passim nascitur*. Legas & in Arabico Raphelengii Lexico הנדבא endivia. Sed Arabes accepere à Latinis. Nempe ex *intuba* corruptum *entiba*, *entubia*, *endivia*. Quam facile T, & D, B, & V consonum commutentur, neminem puto ignorare. In memorato Arabico lexico, uti & apud Simeonem Januensem in Vocabulario, legas *endiviam* idem esse ac *scariolam*. Sic sanè officinis vocari, etiam Hadr. Junius in Nomenclatore auctor est. Sed hoc æquè barbarum. Dicitur vero *scariola* pro *seriola*, quasi minuta seris. Onomasticon: *Intybus*, σέρις.

Eschaëta, vel sine spiritu, *escaëta*, quod aliquo mortuo sine hærede inferiori, revertitur ad hæredem superiorem. Ex eo nomen, quia alii accedit, à Gallico *eschet*, h. e. accidens, ab *escheoir*, cadere, accidere. Ut Belgæ dicunt *verval*. Plura in Glossario Spelmannus: ubi & adferto è libro Nigro Scaccarii part. II cap. X de Escaetis Regis hæc verba: *Escaeta vulgo dicuntur, quæ decedentibus his, qui de Rege tenent in capite, cum non exstat ratione sanguinis hæres, ad fiscum relabuntur.* Sic accipi censeo in Charta Ducum Normanniæ de saisina Paganelli anno scripta CIↃCCXIII †: *Postea judicatum est, quod terra, quæ fuit ejusdem Radulfi, partita erit in tribus portionibus, & quod ultimo natus partietur tali modo, quod faciet duas portiones de duabus Baroniis, & tertiam partem de escaëtis, & quod Baronia non erunt dismembrata nisi pro æquandâ portione, in quâ escaëta erunt.*

† In scriptoribus Normannicarum rerum, p. 1064

Escheta vox est à Gallis; ac signat ut sic dicam, cadentiam, sive casualitatem: ac ut Skenæus ait, *pertinet ad dominium ex alterius veluti vasalli seu casu & delicto.* Sæpè eam vocem habes in eo legum Scoticarum opere, quod à primis verbis, *Quoniam attachiamenta*, inscribitur, cap. XLVIII. quod de Eschetis inscribitur.

Essonium, à veteri voce Gallica *essoignie*, quod notat *excusationem*: unde & corruptum videtur. Estque *essonium*, cum quis morbum vel aliam caussam adfert, cur se judicio sistere non possit. Legum Scoticarum lib. I cap. VIII. §. I: *Et quia variis ex caussis contingit, aliquem se essoniare, & juste; de diversis essoniorum generibus videamus.* §. II: *Essonium aliud provenit ex infirmitate, aliud aliunde.* Sic *essoniator*, §. VI; *essoniatus*. §. VII. Ac similia deinceps.

Exonia, impedimentum. Vide *Sunnis* lib. II cap. XVII.

F.

FAia, glans, in Legg. Longobard. Verba adduxi lib. II cap. XI. in Laiscus.

Faida, & *feida*, inimicitia in bellum erumpens, vel eruptura: quemadmodum dictum lib. II cap. IV. Ac vidit hoc Hermannus Comes Nivenarius, sive de Nova Aquila in Dissertatione de veterum Francorum Origine: ubi *feed* exponit bellum: *feidosus*, hostis publicus. Præter eos scriptores, quos loco ante memorato attuli, etiam usurpat Carolus Calvus tit. XII cap. V: *Qui eum occiderit, leudem inde non solvat, & nullus illi inde faidam portare præsumat.* Quæ etiam verba habes tit. XXXIX cap. II. Idem cap. III: *Si propter faidam accusari homines noluerit.* In iisdem tit. XXXIV apud Pistas cap. II: *Pœnitentiam propter faidam secundum canones suscipere.* Et mox: *Ipsa faida legaliter pacificetur.*

Fambulus, pro reditus. Vide *Gurgo*.

Faudestola cathedra mobilis, qua episcopus in cathedralibus Ecclesiis nunc hic, nunc illic solet considere. Prior vocis pars est à *falda*, sive *fauda*, quod significat locum conclusum: ut vidimus in *falda*. Ea non repetam. Posterior pars est Germ. & Angl. *stoel*, sedes. Matthæus Parisius in vitâ Joannis, XXI abbatis S. Albani: *Et fecit apportari secum, unam cathedram, quam vulgariter faudestolam appellamus.* Doctissimus Watsius jubet legere *faldestola*. Sed utrumque rectum. Nam L post vocalem abire in U solet: ut *golt*, *gout*; *holt*, *hout*; *wald*, *wout*; à *sale*, pro *salt*, *sout*, *Gualter*, *Wouter*, ac similia multa.

Fegangi in Gloss. exponitur *furtum manifestum*. Sed potius sit *rem furti manifesti*; inque eo detentus, qui Græcis αὐτόφωρος, & κατάφωρος. Quare & videri possit *fegangi* dici quasi *gefangi*, à *fangen*, vel *vangen*, capere, prehendere. Sed quid si *fegangi*, propriè sit qui aliena animantia abduxerit invito Domino. Ut prior pars vocis sit *feh*, quod Conradus à Lichtenau ad an. CCCCXXX, ubi de Merovei voce agit, *bestiam* exponit. Malim ego *pecus* quod hodieque *vehe*, & *vee*, ac fortassis à *pecu* venit: vel saltem à communi sint origine. Posterior in *fegangi* pars sit Saxonicum *gangben*, pro *gaen*, unde in usu *ganger* viator, *ganc-baer*, per quod iter possit fieri, & ἐκ μεταφορᾶς usitatum, *vendibile*. *Fegangi* igitur, qui cum pecude alienâ vadat, & laxius qui alienum quid abstulerit. Nam & *feh* pecuniam, ac bona cætera comprehendit. Habes vocem fegangi in Legibus Saxonicis lib. I tit. XXV, leg. II: *Si liber homo furtum fecerit, & in ipso furto tentus fuerit, id est fegangi.* hoc est, ἐν αὐτοφώρῳ deprehensus. Item Tit. ejusdem cap. XXXIII: *Si qualemcumque rem mediocrem furatus fuerit, (unde VI sol. aut mutus in hoc edicto judicantur) si fur supra ipsum furtum tentus fuerit, non sit fegangi, sed tantum componat.* Hoc est, ne obnoxius habeatur pœnæ illi, quæ manet fegangi: sed suffecerit minuta pœna pecuniaria. Habes & ejusdem Tituli Leg. XXXIII, XLVIII. LIX. & Tit. XXXVI. LVIII.

Felagus in legibus Eduardi Confess. cap. XV: *Si parentes deessent dominus ejus* (ab interfectore XL marcas) *reciperet: si dominum non haberet, felagus ejus, id est fide cum eo ligatus.* Nempe à Saxonico *fe*, id est, fides, & *lag*, hoc est, ligatus. Habes & in iisdem cap. XXXV.

Fellones ac *fallones*, iidem sunt ac *felones*: qua de voce dictum lib. II cap. VII. Nempe sic vocantur perfidi, ac rebelles. Geminatâ liquidâ scribitur in Constitut. Caroli Calvi tit. XXIII utuntur Episcopi Remenses, & Rotomagenses ad Ludovicum Regem cap. XV: *Non tibi sit cura, Rex, quæ tibi referunt illi fellones, atque ignobiles. Hoc fac, quod tibi dicimus.* Simplici liquidâ est apud Thomam Walsingamum in descriptione Neustriæ*: *Remisit rex, & condonavit omnia catalla felonum, & fugitivorum.* Atque idem *felonia* usurpat in Hist. Angl. ubi de Richardo II†: *Vadebant indulgere ligeis, hominibus Regis, feloniæ, proditiones, transgressiones, & extortiones per ipsos factas.* Habes & in Reg. Majest. sive Legum Scoticarum lib. II cap. XVII §. III: *Mulier amittit dotem, si vir suus fuerit convictus, tanquam proditor domini Regis, regni, vel exercitus; aut in aliqua causa de felonia.*

* Pag. 513.
† Pag. 261.

Ferquidum legas in Legg. Longobardicis lib. I tit. XIX. de

de incendio. Leg. 11: *Ipse qui focum portavit, damnum ferquidum, id est, simile componat.* Similiter lib. 11 Tit. xv. *Si ausus non fuerit jurare, quod compositum sit, reddat ei ferquidum, id est simile, quale in illa die fuit quando donatum est: & si juraverit, est absolutus.* Ac alibi in iisdem. Censent vocem esse compositam, quæ Gothorum more scribitur *ferquiten*, Germanorum aliis *verquiten*, ex particula *ver*, & *quiten*, quod est fidem liberare: unde *quitancie*, apocha. Vide tamen an non veritati magis consentanea sit eorum sententia, qui *Ferquidum* interpretantur Prædictum. Alamannis enim *forequid* vel *furiquid* tantundem est ac si dicas Præfatus. Jusserit itaque lex ut restituamus prædictum porcum, vel (si is jam fuerit occisus atque absumptus) similem ei pro compensatione.

Feudum non est à fide, vel à fidelitate: quod traditum Oberto de Horto lib. 11 Feudal. tit. 111: sed primo fuit *feodum*; unde, *o* in *u* converso, *feudum*. Estque ea vox à Longobardis, Francis, ac fortassè etiam aliis Germaniæ populis: quibus *feo*, *feh*, & *fee*, notat mercedem, ac stipendium: proprieque *feodum*, sive *feudum* est jus prædio alieno semper utendi, fruendi, eâ datum lege, ut qui beneficium hoc accepit, obstrictus sit ad militiam pro domino, vel aliud servitium bonâ fide præstandum. Itaque, ut puto, pro *feudo* Latinè dixeris *fundum militarem*, aut *prædium militare*. Sic melius, quàm laxè nimis *beneficium regium* dicere. De origine feodorum scitè disserit Spelmannus in Glossario: ubi & de variis feodorum generibus. Res ipsa etiam obtinet apud Turcas: qui & ditiones pulcherrimas beneficii loco concedunt; ut Leonclavio monitum Pandectæ Turcici cap. ccxxx. Voce *feodi* utuntur Ivo Carnotensis epist. cclxxxvi, Goffridus Vindocinensis..... Historia Albigensis cap. xliii*. Hinc *feodare*, apud Rogerum de Houeden Annal. T. 11. *Feodatus*, eidem eadem parte: *Dedit ei quadraginta milites feodatos.*

* Pag. 110.

Financia nec refugit Carolus VI Gall. R. Edicto de Off. Baill.† Est è Gallico *finances*. Latinis *ærarium*, *pecunia publica*. Sic *financiarum magistrum*, nuncupant qui est præfectus, vel tribunus ærarius, item quæstor. Belgis etiam *fineren*, parare pecunias.

† Pag. 176.

Flaco —— —— Annales Francici scriptoris incerti à Pithœo editi: *Nam antequam illi, qui eum necaturi erant, domum intrarent, surrexit de loco convivii, annuente sibi quodam ejusdem fraudis conscio, &, quasi cum flaconibus colludens, præparatas devitavit insidias.*

Flado —— —— Fortunatus de vitâ S. Radegundis lib. 1: *Panis verò deliciarum siliginis fuit, aut hordei; quem absconsum sub fladone sumebat.*

Flascones quid sit, dictum lib. 11 cap. vii. Ac firmant membranæ Glossarii nostræ, ubi est: *Flascones, vasa vinaria.* Præter eos, quos loco dixi memorato, usurpat Gregorius lib. 1. Dialog. xviii: *Quodam quoque tempore exhilaratus noster, quem ipse conversum nôsti, transmissus à Domino suo fuerat, ut Dei viro in monasterium vino plena duo vascula, quæ vulgo flascones vocant, deferret.* Item Flodoardus Historiæ Remensis lib. 1 cap. xv: *Vas, quod vulgo flasconem vocant.* Lib. 1 de vitâ S. Geraldi: *Flascones, & utres, vino implevit.* *Flasca* pro eodem, uti dictum antea, agnoscit Papias, & usurpat Ordericus Vitalis Ecclesiasticæ Histor. cap. x†: *Cumque forinseci pugnatores admodum insudarent, ut ingenti strue lignorum, cingentem fossam implerent, viamque sibi usque ad palum pluribus sustentamentis magnopere substratis publicè præpararent, oppidani flascas prunis ardentibus plenas desuper demittebant.*

† Pag. 775.

Foagium puto idem quod *fodrum*, h. e. alimentum, pabulum: ut dictum lib. 11 cap. vii. Philippus Franciæ rex in Charta Rothomagensi*: *Volumus etiam, ut nullus eorum possit retari de usurâ, nec jurea fiet super eum, vel super heredes ejus post mortem suam. Item nullus manens intra muros Rothomag. debet foagium.*

* In Chartis Ducum Normanniæ pag. 1063.

Foderum integrè dicitur, pro pabulo, ac κατὰ συγκοπὴν *fodrum*: à Germanico *voeden*, ut dictum lib. 11 cap. vii. Plus quos tum usos dicebamus, adjungam nunc alios. Carolus M. in Capitulis anni DCCCIII: *Ut nullus audeat in nocte negotiari, excepto vivanda & fodro, quod iter agentibus necessaria sunt.* Carolus Calvus tit. xii apud Silvacum cap. xiii: *Tempore æstatis, quando ad herbam suos caballos mittunt: vel tempore hiemis, quando maraschalcos illorum ad fodrum dirigunt.* Hincmarus Capitulis anni DCCCLXXVII: *Neque ducatis superfluè homines, per quos illos gravetis in cibo & potu, & fodro ad caballos.* Est & apud Adelboldum in vitâ Henrici†. Hinc *fodrarius*, qui fodrum exigit. Hincmarus Carolo Regi an. DCCCLIX: *Mittite hominem secundùm consuetudinem prædecessorum vestrorum, qui in longiùs pergant propter fodrarios, & curam de pace accipiant.*

† Pag. 440.

Forbannitus, exul, proscriptus, ut dictum lib. 11 c. vii. Illustris Comes Hermannus Nieunarius in dissertatione de Francorum veterum origine, censet planè esse Germanicum *forbannen*, ac significare id in exilium mittere. Sed obstat, quòd *for*, vel *voor* Germanis sit pro, ante. At ea significatio hic parum convenit. Potius igitur, ut loco antea memorato dicebamus *forbannitus* dicitur, quasi *foris bannitus*: h. e. extra solum, sive terram suam proscriptus: uti & exsul, quasi ex solo, sive extra solum, & *exterris*, quasi exterris, E in O abeunte, ut factum in *forceps*, quo fabri ferrum capiunt. Usus, præter tot alios, Philippus Francorum Rex in Chartâ de Treugis cum Joanne Rege Angliæ factis*: *Nullus multrarius, aut aliquis qui fuerit forbannitus à nobis, à tempore alterius treugæ inter nos, & prædictum Regem Angliæ dudum factæ poterit intrare in terram nostram intra prædictum terminum, nisi de voluntate nostrâ.*

* In Chartis Ducum Normann. pag 1064.

Forestum non de sylvis modò, sed aquis etiam dici, tradunt Tillius, & Nicotius: atque è variis Regum diplomatis docet Buzelinus Gallo-Flandriæ lib. 111 cap. 11, & ex iis monet Bollandus notis in vitas SS. Tom. 1. Sed pro sylvâ longè est usitatius: ut aliquot exemplis ostensum lib. 11 cap. vii. Nec forestum tantummodo dicitur, sed etiam forestis: quod ostendi antea ex solâ S. Meinwerci vitâ. Addam nunc alios. Apud Carolum Calvum tit. xliii apud Carisiacum cap. xxxii, & xxxiii ac Frotarium in epistolis, forestibus legas. Uti & Einhardum ad Popponem Comitem epist. vii, ubi hæc verba: *Convicti de quodam furto, quod commiserunt furando feramina† in foreste Dominicâ.* Item apud Hubertum in vita S. Gundilæ cap. viii: *Per circumjacentem forestem exturbabat rabidas feras à suis saltibus.* A *forestis*, *foresta*, vel *forestum*, est *forestarius*: quod est apud Hincmarum in vitâ S. Remigii, Petrum Blesensem epist. xxi, xxix, cxxx, & alios. Ex eo, & Græco πρῶτος, *protoforestarius* cui suberant, ac rationem reddebant forestarii alii. Sic Matthæus Parisius an. CIↃCCXLI: *Joannes Bisot, vocatur protoforestarius Angliæ.* Ejusdem est originis *Afforestare*, & *Deafforestare* de quibus lib. 11 cap. xxii.

† h. e. feras.

Franchitia ab Italico *Franchigia* quod *libertatem* sonat, ut & hoc à Gallico aut potius Germanico *Franck*. Hic verò locum notat, ubi liberè tutoque quis agitaret. Julius III Papa in Bulla contra Franchitias*: *Et insuper quia, sicut accepimus, quorundam eo usque processit licentia, ut non solum homicidas, & facinorosos, ac alios prædictos, contra juris & sacrarum constitutionum præfatarum prohibitionem receptari audeant, sed etiam domos suas, nec non vias publicas, & plateas, quæ circa domos sunt, facinorosis ipsis tutum refugium, & quasi portum esse velint, signatis etiam Franchitiarum nomine quodammodo limitibus in via, quos justitiæ ministris ingredi non liceat. Nos abominabile ac detestandum Franchitiarum hujusmodi nomen penitus abolemus, ac perpetuò abolitum fore decernimus.* Et paullo pòst: *Si quis autem post hujus nostræ voluntatis declarationem, Franchitias hujusmodi adhuc habere, & tueri*, &c. Et in Bulla Pii quarti Papæ, contra Franchitias†: *Et licet ad hujusmodi abusum extirpandum à felic. record. Julio Papa III, prædecessore nostro, quædam constitutio edita fuerit, talium tamen justitiam fugientium temeritatem ea,* tan-

* Tom. 1. Bul. pag. 580. 581.

† Tom. 2. pag. 46.

tantum excrevisse, ut non solum se in dictis locis recipere, sed etiam illa velut justitia minime subjecta, Franchisias appellare non erubescant, tanquam in præfata Urbe, in qua summus Pontifex cum Sacro Cardinalium collegio residet, & ut Christi Vicarius toto orbe exemplum justitiæ præbere debet, asylum & receptacula delinquentium, ac suis debitis satisfacere recusantium esse toleretur, neque executio justitiæ liberè fieri valeat. Sunt & in Bullario alia loca, sed ex his duobus satis colligi potest, quid *Franchisiæ* sint.

Francisca, spatha, vel bipennis. Priori modo interpretatur Aimoinus de gestis Francorum lib. I cap. XII: *Et extensâ manu franciscam ejus terra dejecit, quæ spatha dicitur.* At posteriori vocabulo interpretatur Hincmarus in Remigio suo: *Cumque hæc illi benignè dixissent, unus Francus levis, cum vociferatione elevatâ bipenni, quæ alio nomine vocatur francisca, percussit urceum illum, dicens: Tu nihil hinc accipies, Rex, nisi quod tibi sors vera donaverit.* Ac postea: *Accepit autem rex franciscam ejus, quæ vocatur bipennis, & projecit in terram.* Usurpat etiam Frodoardus Historiæ Rhemensis lib. I cap. XIII: *Rex ergo structas circumiens ritè phalanges, ad eum, qui dudum percusserat urceum pervenit, spretisque ipsius armis, tandem franciscam projecit in terram.*

Frapa sunt scissuræ. Vide Concilii Pisani Promotiones*: *Vestes non sint breves gem, nec diversorum colorum, nec cum scissuris aut frapis seu rechamaturis.*

* Pag. 156

Frescen ia idem ac frischinga, vel frisginga, vel frisgunga: de quo lib. II cap. VII.

Frilingui quomodo ab *adlingis* & *lazzis*, differant, ex Nithardis expressimus lib. II cap. VI, voce *Eathlingus*.

Fulboran habes in legg. Longobard. lib. II tit. XIV leg. II: ubi exponitur *filius legitimus*: nempe est à *vol*, & *boran*, h.e. *geboren*, natus: quia non modo naturâ, sed lege etiam filius est.

Fultrum in Gemma Gemmarum dicitur esse, quod lectum, aut mensam sustinet, ac vulgo schragam vocamus. Sed corruptum ex *fulcrum*: ut dixi lib. IV, in verbo *Fultrare*. In perantiquo interim glossario Latino-Francico sequentia hæc de *Fultri*, voce inveni: *Fultrum*, stul, *quidam dicunt hoc esse* vallstul, *neutri generis*. Quæ verba glossatoris quid sibi velint, porro dispiciendum.

Furmannitus, significat *ante admonitus*, à *fur*, sive *voor*, i.e. prius, & *mahnen*, h.e. *monere*. Constit. Karoli c. XIX: *De teloneis, qui jam ante furmanniti fuerunt, nemo tollat, nisi ibi, ubi antiquo tempore præsumat.*

Furratus, panno suffultus. Usus Matthæus Parisius. Verba ejus attuli lib. II cap. LI in *Superpellicium*. Contractum ex *foderatus*, quod idem notat, à barbaro *foderare*, uti hoc è Germanico *foederen*, vel *voeren*. Unde *fodratura*: de quo vide lib. II cap. VII.

G.

G*afranium* à Belgico *wafel*, pro quo *gafrum* dixere. Gemma: *Gafrarium* Belgis *een wafel-yser, in quo gafra coquuntur.*

Galbares, mortuorum condita corpora: ut in Isidori Glossis legas. Corruptum est è *calvaria*, quomodo dici solet locus calvarum sive craniorum: h.e. ubi in conspectu jacerent, vel sepulta forent crania hominum, de quibus sumtum foret supplicium. Sic Christus sepultus dicitur in Golgotha, h.e. calvariæ loco, ut cognoscere est ex Euangelistis.

Galeria, ambulacrum, sive porticus. Anastasius in Gregorio IV: *Draconis domum exstruxit undique porticibus, ac solariis circumdatam, in curte aliâ, quæ Galeria dicitur, domum fecit latam & speciosam, ut amplissimè Pontifices cum famulis ibi hospitarentur.* Addit Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. LXXVI: *Ab ista curte Galeria dicta Galeria nostrates.* Verùm contrà censeo, à generali galeriarum significatione curti isti Galeriæ nomen datum esse.

Galo, vini, vel alicujus liquoris mensura certa. Anglis continet octo pintas Anglicas. Matthæus Parisius ad an. CIƆCCLVI: *Præcepit Rex, ut satellites mensuras vini sive cervisiæ, quas lagenas, vel galones appellamus, & mensuras vini, quas busheles dicimus, & trutinalia pondera diligenter considerarent.*

Gambuca, pedum, sive baculum pastorale: ut indicant ista in Pontificali Duranti: *Cum inferiore parte gambucæ, seu baculi pastoralis.* Nempe idem est ac *Cambuca*, pro quo & *Cambuta*. Vide quæ in *Cambuca* diximus libro II, cap. IV. item in *Cambuta* hoc ipso libro.

Ganta est ex Saxonico *anthe*, pro quo Germani *ente*, uti & Belgæ *endte*, qui & nomine composito dicunt *endtvogel*. Existimet aliquis, Germanicum *ant* esse ex obliquo *anatem*. Sed cum ne Plinius quidem putârit Germanos *gansas* habere ab Romanis, qui dicunt *anser*: nec ego *ant* ab *anatis* nomine esse existimo. Potiùs ex communi lingua hauserint utrique: sed Germani G addito dixere *gansam*, & *gantam*: Romani, eo omisso, *anserem*, & *anatem*. Quemadmodum verò Saxones quidem *anthe*, at Germani ac Belgæ *ente*, & *endt*, dixere: sic Latino-barbari tum *gantam*, tum *gentam* extulere. Posterius est in Miraculis Genulphi Episcopi cap. XI*: *Conspicit innumeram multitudinem avium, quas gentas vulgus vocitat, per herbida spatiari prata.* Prius autem est in Vita S. Pharaildis Virginis†: *Aves quasdam aggregatas reperit, quas alii feles, alii miletas, vulgus vero gantas nuncupat.* Molanus* *ganzas* legebat: h.e. anseres, qui Germanis jam olim *gantæ*, Plinio teste lib. X cap. XXII. Sed & illic in libris quibusdam *ganta*. Omnino autem *ganza* malim: quia de anseribus sermo. At gantæ anates uti dictum. Quare nec in vita S. Pharaildis aliquid mutandum. Ac propriè aliud est ganta ab ansere. Nam, quod homines eruditi non attendunt, clarè distinguit Venantius Fortunatianus lib. VII poëmat. ad Gogonem†:

* In Vitis Sanct. ad 17 Jan.
† Apud Boll. ad 4 Jan. p. 172.
* In Sanctis Belgii.

> *Aut Mosa dulce sonans, quo grus, ganta, anser, olorque,*
> *Triplice merce ferax alite, pisce, rate.*

† In bibliotheca PP. edit. 2. tom. 8. col 907.

Nec tamen nescius sum, quandoque *gantam* etiam Belgis dici de ansere. Imò & in Glossis est *Ganta*, χηναλώπηξ, quod Theodorus Gaza vertit *vulpanserem*. Quid mirum autem, si *gansa*, & *ganta*, promiscuè aliqui dixerint, quando S, & T, pro varia dialecto commutantur. Ut Græcis γλῶσσα, γλῶττα, ἐρέσσω, ἐρέττω: & Germanis *das*, *dat*; *wasser*, *water*. Porrò *ganza* magnam affinitatem habet cum Latino *anser*, majorem etiam cum Dorico χὰν χανός: sive alii ab aliis acceperint: sive ea similitudo sit, quia à communi fonte orta sint.

Garantia, auctoritatis præstatio, à Gallico *garantie*: uti hoc à *garant*, auctor, vindex. Prima verò origo à Germanico *warren*, sive *be-warren*, custodire, vindicem se præstare, tueri quempiam sua auctoritate. Chilpericus II Rex Franc. in Fundat. Monasterii S. Dionysii*: *Villam nostram cum omni mercato, & quicquid fiscus noster, tam de garantia, quàm de merceria, ibidem tenuit.*

* Apud Miræum in Donat. Belg. cap. 12, sive pag. 17.

Garba, spicarum fasciculus, à Gallico *garbe*, vel *gerbe*. Matthæus Parisius in an. CIƆCCXXXIV: *Cum bladum trituraret, apparuerunt ubique in garbis capita vermium serpentinum.* In vita Guilielmi, XXII abbatis S. Albani: *Cum manso competenti, exceptis garbis.* Nec in versu refugit Althelmus:

> *Sic demum decies metens ex æquore garbas*
> *Ternas accipiet, qui vincla jugalia nectit.*

Prior versus eo claudicat, quod prior in *metens* sit correpta. Ludovicus de La-Cerda Adversariorum sacrorum cap. CLXV eo excusat, quod sic spiritu suo agerentur, ut non consuleret Musas. Item in Donatione Balduini Comitis Gisnensis, Ecclesiæ Andrenensi factæ anno CIƆCLXXX*: *Ego Balduinus Comes Gisnensis notum facio omnibus, quòd Clemens de Ardea dedit Deo, & beatæ Rotrudi, & Ecclesiæ Andrenensi, ac monachis ibidem Deo servientibus, tertiam partem decimæ de Suanakes, quæ di-*

* Miræus in Notit. Eccl. Belg. pag. 446.

citur

citur tertia garba, quam tenebat & possidebat in feodo. Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ †, ad an. cIↃ CCCXXXIX: *In Parliamento celebrato Londoniis indixit rex Angliris tributum quintæ partis bonorum suorum, & lanæ nonum vellus, nonamque garbam de omni gleba regni suis expeditionibus deputavit.* Ac mox: *Concessum fuit Regi per biennium nonum vellus, nona garba, ab omnibus, qui baronias tenebant.*

† Pag. 513.

Garcio, vel *garsio*, puer, servus, calo, vel lixa, à Gallico *garçon*. Matthæus Parisius: *Garciones, id est, pedites, & sequentes equos, quos vulgus expertum est pessimos esse ribaldos.* Idem: *Viles persona, quas garciones vocant.* Walsingamus in Richardo II*: *Adfuit etiam & alia turba garcionum, & aliorum, qui ad custodiam equorum remanserant.* Etiam Petrum Blesensem, & alios, qui sic loquantur, citavimus lib. I. cap. I. Scholiastes Cedreni: Γαρζώνιον, παρὰ Λατίνοις, τὸ παιδίον. Sumitur & in contemtum. Unde vetus Dictionarium, quod Gemma inscribitur: *Garcio est leccator, qui multa loquitur.* Ubi *leccator*, qui Belgis *lecker*.

* Pag. 224.

Garcifer, ut puto, est puer, minori loco, quam famuli provectiores a Gallico *garçon*. Leges burgorum à Davide, primo ejus nominis Scotiæ Rege, latæ, cap. LXVI. §. 1: *Dominus furni habeat unum denarium, singulis vicibus pro suo furno, duo servientes denarium, & garcifer quadrantem.* Vide *Garcio*.

Garlanda, circulus aureus liliatus, ab Anglico *garland*. Matthæus Parisius ad an. cIↃ CCXLVII: *Dominus Rex coronulâ aureâ, quæ vulgariter garlanda dicitur, redimitus, sedens gloriosè in solio Regio.* Italis *ghirlanda* dicitur quælibet corona florea.

Garnestura, munimentum, præsidium, à Gallico *garnir*, instruere, munire, armare: unde *garniture, garnissement, garnison*. Matthæus Parisius an. cIↃ CCL: *Civitatem Damiata cum sustentamentis, quæ garnesturas vulgares appellant, consultius resignaret.*

Gaveloces, spiculum, telum, ex Frisico sive Belgico *javelijn*, quod & Anglis obtinet: imo & Galli *javeline*, Itali *javerina*. Matthæus Parisius an. cIↃ CCLVI: *Frisones ipsum Wilhelmum cum jaculis, quæ vulgariter gaveloces appellant, quorum maxime notitiam habent & usum, variisque securibus, & gesis —— hostiliter insequebantur.*

Gattus, machina bellica, quæ aliter *cattus*. Monachus Florentinus de Expugnatione Acconis: *Nostri turres ligneas fecere, gattos, & arietes, fieri jussere.* Vide quæ in *Cattus* dicebamus lib. II. cap. IV: item quæ in *Catus* adferam, cùm loquar de vocabulis falsâ significatione usurpatis.

Gaulum ———— Philippus Comes Flandriæ in Donatione anni cIↃ CLXXVI †: *Prædictæ Ecclesiæ in eleemosynam condonavi in pago Atrebatensi villam Bariacum, & gaulum cum omni integritate.*

† Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. pag. 440.

Gello, vel *gillo*, aqualis, sive vasis genus, quod Græcis βαυκάλιον: ut cognoscimus ex Glossis Latino-Græcis, Isidoro, Papia. Usurpatur in Poëtarum catalectis, Rufino item, ac Cassiano. Vide Rosweidum glossario ad Vitas Patrum, & Ludovicum de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XXX, & CXLI.

Gergenna, ansula, ut etiam exponit Ludovicus de La-Cerda*. Sic utitur Adamannus in opere de S. Columbano: *Alio quoque in tempore quidam juvenis, Columbanus nomine, qui ad januam tugurioli subito perveniens restitit, in quo vir beatus scribebat. Hic idem post vaccarum reversus mulsionem, in dorso portans vasculum novo plenum lacte, dicens ad sanctum, ut juxta morem tale benediceret onus. Sanctus tum ex adverso eminus in aëre signum manu elevata depinxit. Quod illico valde concussum est, gergennaque operculi per sua bina foramina retrusa, longius projecta est: operculum terra tenus cecidit, lac ex majore mensura in solum defusum est. Juvenculus vas cum parvo quod remanserat lactis super fundum in terra deponit, genua flectit suppliciter. Ad quem, Surge ait, Columbane, hodie in tua operatione negligenter egisti. Dæmonem enim in fundo vacui latitantem vasculi impressio Dominicæ crucis signo non effugasti: cujus videlicet signi nunc virtutem non sustinens tremefactus, toto pariter turbato vase, velociter cum lactis effugione † aufugit. Hoc ergo ad me propius vasculum, ut illud benedicam, approxima. Quo facto sanctus semivacuum benedixerat vas; eodemque momento divinitùs repletum repertum est; parvumque, quod prius in fundo remanserat vasis, sub sanctæ manus benedictione usque ad summum citius excreverat.*

* Advers. sacr. cap. 158. §. 14.

† Num effugione pro fuga: an effusione legendum.

Gersoma, vox Anglicæ originis, pro persolutione pecuniæ nomine annui reditus, vel alio ex pacto debita. Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV abbatis S. Albani: *Dedit C sol. in gersoma.* Utitur & alibi.

Gesalos nominat Joannes Aventinus Hist. Boiorum libro septimo. Censeo esse ex Germanico *geesselaer*. Hoc significat *flagellantes*. Sic malim quam *verberones*, quomodo potius vocantur verberibus sive flagris digni. *Verberones* tamen exponit Hieronymus Vernicius libro de verbis feudalibus, & ex eo Ludovicus de La-Cerda Adversariorum Sacrorum cap. XCVI. Hosce gesalos signat Nauclerus Generat. XLV: *Flagellabant se bis in die, & semel quilibet clam in nocte, & de licentia uxoris suæ, & depositis vestimentis habentes in modum branchæ camisias à femore ad talos protensas.*

Gibbetus horribile supplicii genus, quo in patibulo non laqueo necantur, sed fame: a Gallico *gibbet*. Matthæus Parisius ad an. cIↃ CCXXXVI: *Propter quos suspendendos, paratum exhorribile patibulum Londoniis, quod vulgus gibetum appellat.* Et an. cIↃ CCXXXIX: *Ignominiosè super machinam illam pœnalem, quæ gibet appellatur, extra Londinum traditur suspendio.*

Ginglius, vide inferiùs *Gurgo*.

Gisil, obses, ex Germanica lingua, ubi *gisils*, obsides. Glossæ Latino-theotiscæ: *Obses, kisal.* Nempe K pro G usurparunt Germani; ut *keloube*, pro *glaube*: quod Belgis *geloove*. *Gisilis* vocem legas Legum Longobardicarum lib. II. Tit. XV leg. 1: *Siquis res suas aliis thingare voluerit, non absconsè sed ante liberos homines, ipsum garathinx faciat, quatenus, qui thingat, & qui gisiles fuerint, liberi sint ut nulla in posterum oriatur contentio.* Item Tit. XXXV Leg. 1: *Ducat eum in quadrivium, & thingat in wadia, & gisiles ibi sint, & dicant sic: de quatuor viis, ubi volueris ambulare, liberam habeas potestatem.* Sed hic non tam obsidem significare arbitror, quàm testem. Et in veteri glossario, ac Papia legas: *Gisil, testis.* Germanis Belgisque, *gesel* est, socius. Qui testis esse solet, &, quando ita usu venit, obses. Inde, arbitror, utraque est, quam dixi, significatio. A *gisil* pro teste videtur esse *Godegisilus*, apud Frodoardum Historiæ Remensis lib. I cap. XV. Si prior pars *goed*, bonum testem signat. Sin *God* Dei testem, h. e. cælestis veritatis.

Glis glissis pro lappa, ex Germanico *klisse*. Notus versiculus vulgaris:

Glis animal, glis terra tenax, glis lappa vocatur.

Sed pro terra sive limo tenaci *glus* dicendum, quod idem ac glutinum: *glis* verò pro lappa planè barbarum. Uti & *glissosus* pro lappa, seu glisse plenus; ut exponitur in Veteri glossario.

Gogravius, & *gograviatus*, quid sit, & unde id nominis sit, vide apud Christophorum Zobel ad Speculi Saxonici lib. I artic. LVI*.

* Fol. 142. edit. Lipsiensis an. 1561.

Goliardenses sunt mimi, joculatores, ac similes. Matthæus Parisius: *Academicorum famuli, vel mancipia, vel illi, quos solemus goliardenses appellare.* Nisi malis *galiardenses*. Est enim a *galiardus*, vel *galliardus*, quo Gallico vocabulo agilis, ac hilaris significatur: ut vidimus lib. II cap. VIII.

Gonfalonierus vexillifer, ex Italico *gonfaloniere*; quæ idem significat, ut *gonfalone*, vexillum; & *gonfalonata*, vexillatio. Petrus Andreas de Castaneis in Vita S. Andreæ Corsini, episcopi Fæsulani, cap. VII. §. XXXVI: *Totus clerus Florentinus religiosorum; nec non Magistri Domi-*

Domini cum eorum Gonfaloniero, & decem balia capitanei partis Guelforum. Mille milites sub imperio suo habebat, idque spatio bimestri: ut cognoscere præcipuè est ex scriptoribus rerum Florentinarum: quorum Jacobus Nardus in Historia sua Calafonieriorum catalogum per familias recenset.

Grafia, Comitatus. Incertus auctor veterum formularum cap. VII: *In pago illo, in grafia illa, in loco, qui vocatur*, &c. Ac similiter formula XL.

Grangia, villa, horreum: de cujus etymo dictum lib. II cap. VIII. Subjungam nunc alios, qui usi sint, scriptores: Monachus Villariensis anonymus, in Caroli octavi Villariensis abbatis vita, cap. III. §. XVI: *Ecclesiam Villariensem heredem omnium bonorum ordinavit. Unde usque hodie grangia de Grant-pre, & de Werde, in allodiis suis sunt locata. Grangiam de Querceto nobile membrum. Ecclesia de novo ædificavit, bona de Lauringe, adjutorio Dei, & multa alia, non solum circa grangias, sed & in locis sparsis, nobis suo labore acquisivit.* Matthæus Parisius an. CIↃCCXXXI: *Hostiliter transiens, in ultionem tanti sceleris quandam grangiam illius abbatiæ bonis omnibus spoliatam combussit.* Quamquam hic non tam horreum notat, quam domum in qua viveret grangiarius, & cum eo alii. Imo & *grangia* pro prioratu sumitur. Matthæus Parisius in Additamentis †: *Nec in aliquo prioratu sive grangia, unus solus monachus commoretur.*

† Pag. 174.

Grascia, omnia necessaria ad vitam Itali vocant *Grascia*, vertuntque *Annonam*. Utitur *Grascia* vocabulo Paullus quintus in Bulla * de institutione congregationis prætorum: *Motu simili, ac ex certa scientia, & deliberatione nostris, ac de Apostolica nobis attributa potestatis plenitudine, Congregationem Prælatorum, Officialiumque, & egregiorum virorum pro ubertate annonæ, & grasciæ curandæ instituimus, in qua dilecti filii Thesaurarius noster generalis, & annonæ præfectus, & grasciæ præses ad congregationem hujusmodi deputandus personaliter intersint.* Item paullò pòst: *Et de statu annonæ, & grasciæ hujusmodi, rebusque omnibus illam concernentibus, invicem conferant.* Grasciæ etiam mentionem facit Gregor. XIII †, & Pius V *. Num *grascia* à Germanico, & Belgico *gras*: h. e. gramen, mutorum animantium pabulo?

* Bullar. Tom. 1. pag. 192.

† Tom 2. bullarii 316.

* Tom 2. pag. 236.

Griseus color idem ac cinereus: ut dictum lib. II cap. VIII. Præter eos, quos tum dicebamus, sic usus Petrus Blesensis serm. IV: *Quidam enim albis, quidam nigris, quidam griseis gaudent indumentis, tanquam idiomatibus suis.* Bernardus Clarævallensis epist. II: *Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea à collo, & manibus ornatu purpureo diversificata.* Matthæus Parisius in Historia anni CIↃCCLII: *Misit Dominus Rex bigam oneratam pannis laneis & griseis, videlicet aptis ad Fratres Minores vestiendum.*

Grismannus vulgare Frisiis, quibus sic dicitur prætor rusticus: nempe à *man* vir, & *gris*, quod contractum ex *gericht*, judicium: ut commodè Martinio reddatur δικαστοπολος ἀνήρ.

Gronna, cloaca, nisi potius locus palustris. Rogerus Hovedenus Tom. I Annal. *Ipsius Haroldi corpus effodere, & in gronnam projicere jussit: quod cum projectum fuisset, præcepit illud extrahi, & in flumen Tamisim mandavit illud projici.* Similiter Florentius Wigorniensis in an. CIↃXL. Habes & in privilegio Aedgari Regis an. IↃCCCCLXXIII: *Cum pascuis, sylvis, piscariis, capturas, gronnis.* Hinc *gronnosus*. Asser Menevensis in an. IↃCCCLXXVIII: *Aelfredus cum quibusdam militibus & vasallis, per sylvestria, & gronnosa, Summertunensis plaga loca in magna tribulatione inquietam vitam ducebat.*

Gulerum, à Gallis acceptum, ac caputii introitum significat: quorum utrumque nos docet. Matthæus Parisius in Henrico I, an. CIↃCXXXIV: *Cum rex novam robam de scarleto —— capam conaretur induere invenit introitum caputii, qui gulerum vulgariter Gallicè appellatur, nimis arctum.* Fortasse autem Gallicum illud à gula, quia non caput modò, sed etiam gulam collumque contegeret.

Guna, vel *gunna*, vestis genus è pellibus: unde *gunatus*, veste pelliceâ amictus. Hoc signare, cognoscimus ex isto Luitprandi in Legat. *: *Nec ipsa capiet eum, in qua ortus est, pauper, & gunata, id est, pellicea Saxonia.* Antiquiores dabo. In epistolarum S. Bonifacii farragine, quam Serrarius publici juris fecit, epistolâ LXXIV sic Cineheardus, Episcopus Wentanæ civitatis sive Windoniæ, ad Lullum Episcopum: *Caligas, & peripsemata, orarium, & coculam, & gunnam brevem, nostro more consutam.* In eadem farragine epistolâ LXXXIX, quæ est Gutheret, discipuli Bedæ presbyteri, ad Lullum Episcopum: *Gunnam de pellibus lutrarum factam tua fraternitati misi.* Non audio doctissimum Serrarium, quando videtur *gurdam* malle, quasi quæ gurdos deceat, h. e. stolidos; ut exponit Fabius lib. I cap. V: ac pluribus ostendi lib. II cap. VIII. Nempe quia *gurda* sit apud Augustinum epist. LVI. Rectè verò emendant in Concilio I Salisburgensi: *In pileis suffuraturas non habeant, nisi forte de nigro centato, vel panno, aut nigra pelle, aut guna.* Ubi vulgo, *pelle aguna*. Aliter accipit Thomas Walsingamus in Hypodigmate sive descriptione Neustriæ, ubi inquit †: *Nostrates ceperunt duas magnas naves Regis Francici: in quibus & pars muri lignei, quam idem Rex parari fecerat ad erigendum in Angliâ, & magister totius fabricæ, qui fuit Anglicus natione, interceptus est cum machinis ad petras jaciendas, & gunnis, & multo pulvere pro eisdem.*

* Pag. 114. edit. Ingolstad. an. 1600.

† Pag. 539.

Gurgo pro virgo, aut *ginglim* pro fratre, aut *fambulus*, pro reditus, unde deducantur, melius Angli, vel Hiberni conjectabunt. Legas ea apud Aldhelmum Malmesburiensem, qui epistola ad Eahfridum hæc tanquam ex poëtâ adducit: *Digna fiat fante glingio gurgo fugax fambulo.* Habes in veterum epistolarum Hibernicarum Sylloge * edita à Reverendissimo Usserio, Archiepiscopo Armachano: ac monet idem mirificum hoc glossema in MSS fuisse appositum: *Fugax gurgo, id est virgo, impetrante novercâ, de matrimonio exposita, inter feras enutrita, ferarum consuetudinibus adsuescens, quæ alio nomine Juturna. Fante ginglio, id est, rogante fratre, vel alio quolibet amico, ut digna fieret illa fugax gurgo, fambulo, id est, reversione, vel fine laboris.*

* Pag. 41.

H.

H*Aimesuckin*, est insultus in domum alienam ad persequendum eum, qui illam inhabitat sive ejus propria sit, sive conductitia duntaxat. Est vox Germanica ab *haim*, domus, & *suchen*, quærere: quia quis domi suæ quæritur, puta injuriæ inferendæ caussâ. A Germanis accepere Scoti: quorum in legibus lib. IV, cap. IX, §. I, & II, legas, *calumniari aliquem de Haimesuckin*: hoc est, accusare eum facti insultus ad domum.

Haracium, locus, ubi equi & equæ generationis caussa stabulantur: est à Gallico *haras*: quod Varroni & Ulpiano in *l. plenum*. XII. §. III. *D. de usu & habit.* ac alibi. equitia Græcis πωλεῖα, ut & Ulpiano in *l. Ajunt ædiles* XXXVIII. §. *fin. D. de ædilitio edicto.* Matthæus Parisius, in an. CIↃCCXXX: *Videlicet de bladis, carrucis, ovibus, vaccis, porcis, haracus, equis carretariis.*

Harceatores, equi, quibus utimur in prælio; Rotomagensis Synodi Acta hæc habent apud Ordericum in Eccles. Hist. †. Ubi sic ait: *Statuit etiam Synodus, —— ut peregrini & mercatores*, &c. —— *& boves, & equi arantes,* —— *& harceatores, & equi, de quibus harceant,* —— *perpetua sint in pace*, &c. Extat vocabulum apud Polonos vulgare *Harc*, indeque *Harcorraò* dicunt, quod significat belligerantium Præludium quoddam equestre, id est, artificiosam multifariamque in equis gyrationem. Tale autem *Harc* ordinariè utuntur, Poloni equestres, sive, ut illi vocant, *Usar-*

† Lib 9. pag. 721.

Usarze, sive Rozacy, illudque ante quodvis prælium cum Turcis præsertim præmittunt. Ubi artificiosa gyratione hostem provocantes, æmulum à parte adversa procurrentem circumflexione dexterrima equi, circumveniunt & ex improviso vel necant vel graviter lædunt. Galli itidem utuntur vocabulo *barceler*, pro in negotio forensi se invicem ac punctim petere.

Haubercum non tam thorax ferreus fuit, quam ferreum collare. De quo Spelmannus, & Watsius. Atque ab hoc militari indumento *haubercicum*, vel *haubertiicum* feudum dicebatur: ut observat Skenæus ad Leges Scoticas lib. II cap. XXI. Pleniusque de eo scripsisse se ait libro de Verborum Significationibus. Vide infra *Soccomannus*.

Haubergetus, panni nomen, ex Anglico *haubejects*. Matthæus Parisius ad an. CIↃ CCXV: *Et una latitudo, pannorum tinctorum, & russeccorum, & haubergetorum: scilicet dua ulna infra listas.*

Hegira, epocha Muhammedis, quæ incipit ab eo tempore, quo Muhammedes, eò quod novam legem spargeret regnumque affectaret, à magistratu quæsitus ad supplicium, Mecha, Arabiæ urbe, profugit; quod fuit anno Christi IↃCXXII, Julii die XVI feria VI. Unde Muhammedani exordiuntur æram suam, ut initio auspicatissimo rerum suarum.

Heiro, corruptum videtur ex ἱέραξ, est enim princeps accipitrum species. Matthæus Parisius in Historia Angl. ad annum CIↃ CC XXXIII. *Ærias accipitrum, spervariorum, falconum, aquilarum, & heiraunum.* Vide Glossarium.

Heraldus est à Gothis. Latinis fecialis, vel clarigationis legatus. Vide, quæ dixi pluribus lib. II cap. IX.

Heremitorium, pro cella eremitæ, semel iterumque legas apud Matthæum Parisium in vita Gaufridi, XVI abbatis S. Albani. *Hujus quoque tempore datum est heremitorium de Modri, quod fuerat Rudolphi Heremita cum Ecclesiis, decimis & pluribus rebus aliis.* item in ejusdem additamentis. pag. 148. n. 5. *Eo excepto quod in quadam insula parva, dicta Coquet, manet unus Monachus qui pro Heremita habetur, & locus pro Heremitorio.*

Herietum, præstantissimum coloni demortui jumentum, quod ex jure domino debetur. Matthæus Parisius in Additamentis: *Si Ecclesia petat ceragium, vel herietum.* Est ab Anglico *heriote*: quod sine dubio ab *heer*, dominus: nempe quia domino debeatur.

Herizuph quid sit, exponam lib. V in *Collecta*.

Hernesium, armatura, ex Germ. & Belg. *hernes*, pro quo & *barnasch*: unde harnascha, pro eodem, ut dictum lib. II cap. IX. Prius legas in Charta Rothomagensi Philippi Regis Franciæ*: *Super debitis mutuatis apud Rothomagum si debitor infra Rothomagum venerit, ex quo de equo descenderit, castallum, vel hernesium suum per Majorem arrestari poterit*, &c. Usurpat quoque Matthæus Parisius in Additamentis: *Ita quod milites salvo corpore suo, & hernesio, possent recedere.* Item: *Nullus Prior claustralis, vel alius monachus, hernesium sibi appropriet, vel de ejus usu contendat.*

* In Scriptoribus Rerum Normannicarum Parisiis editis pag. 1062.

Hidagium, carucagium conjungit Matthæus Parisius in rebus anni CIↃ CC XLI. Est verò *hidagium* vectigal ex qualibet *hida*: quo vocabulo significatur domus cum fundo ejus magnitudinis, ut unum aratrum sufficiat alendæ familiæ. De *hida* dictum lib. II cap. IX. Ac lux accesserit ex Spelmanno in *Danigeldum*, & *Hida*.

Hodus, aridæ mensuræ genus, ex Belgico *hood*: quod idem notat. Theodoricus Alsatius, Flandriæ Comes, in Diplomate anni CIↃ CLXXXI †: *Ego verò postea, dum ad S. Jacobum peregre proficiscerer, decem hodos tritici ejusdem mensura, superaddidi. Praterea, in ministerium Ecclesia ejusdem, Custodem statuerunt, eique in usus suos adsignaverunt quinque pisas caseorum, viginti quatuor hodos avena, & ducentas anguillas in Quadragesima.*

† Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. pag. 467.

Hura, capitis tegumentum. Matthæus Parisius in vita Roberti, XVIII abbatis S. Albani: *In manu Regis per capitis sui galerum, qui hura dicitur, resignavit id juris, quod se dicebat habere in Ecclesia beati Albani.* Fortassè *huda* scripserat Parisius: quando virile capitis tegumentum vocatur *hoed*.

Huso is piscis dicitur Germanis, qui Græcis, Plinioque ichthyocolla. Nomen à Germanico *hausz*, vel *huys*, domus; quia minutam domum magnitudine quodammodo referat. M. Joan. de Thwrocz Chronicorum Hungaricorum part. II. cap. XLIII: *Tunc rex Andreas, solitâ regum Hungaria largitate utendo, misit Casari quinquaginta corpora immensorum husonum.* Est hic piscis inter eos, ex quorum ovis fiat, quod Itali *caviar*, vel *caviarium*, vocant. Ac tales præter eum, attilus, silurus, sturio, & oxyrinchus. Ex ejus ventriculo & intestinis glutinum fit: sed hoc quoque commune habet cum aliis nonnullis piscibus: ut non satis liqueat, num huso sit, quem ichthyocollam Plinius appellat. Diximus de hoc è pisce glutino lib. IV Theologiæ gentilis, & Physiologiæ Christianæ cap. XLVIII.

Hutesium, clamor ad cives, vel alios convocandos, quo iis adjutantibus facinorosus aliquis prehendatur. Est à Gallico *huyer*, quod significat clamare. Habes apud Matthæum Parisium in Mandato de Juratis ad Arma: *Vigiles levent hutesium super eos undique, & eum insequantur cum tota villata, & vicinis villatis, cum clamore, & hutesio, de villâ in villam, donec capiantur.*

I.

J*Assefutum*, navigii genus. Odoricus de foro-Julii Peregrinationis suæ cap. II. §. V: *In hac contrata* utuntur homines navigio, quod vocatur jassefutum.* Si originis sit Teutonicæ, sive Celticæ, videri possit corruptum ex *rasseffurtum*, q. d. navim celeriter vehentem, ex *ras*, celer, & *furen*, vehere.

* De hac voce dictum lib. I. cap. 4. in Contrada.

Inbladatio, frugum satio, aut messis, apud Matthæum Parisium Additamento II. Vide, quæ dixi lib. II cap. III in *Bladum*.

Incatum, hac de voce ita scriptum Regula S. Cæsariæ cap. IX. §. LVI: *Capita nunquam altiora ligent, quàm hoc loco mensuram de incato fecimus.*

Imisilum, & *imisinum* promiscuè sumit Anastasius bibliothecarius in Leone III. Ubi legas: *Vestem obtulit de imisino.* Item: *Vestem albatam holosericam ornatam in circuitu de imisilo.* Imò & τῇ συγκοπῇ *mysinum*, pro *imysinum*, est apud eum in Nicolao: *Vestem de fundato unam habentem historiam leonum, & in circuitu myzinum.* Italis dicitur *Hermisinum*: ut ait Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XCV. §. XXIII. Belgæ vocant *armesii*: de quo in Physica Christiana diximus.

Isarnodorum, ferreum ostium, ex Germanico ac Belgico *yser*, ferrum, & *dore* ostium. S. Eugendi discipulus in vita † præceptoris sui Eugendi, abbatis Condatescensis in Jura Burgundiæ monte: *Orum nempe est haut longe à vita, cui vetusta paganitas ob celebritatem clausuramque fortissimam superstitiosissimi templi, Gallicâ linguâ isarnodori, id est, ferrei ostii, indidit nomen. Quo nunc quoque in loco, delubris ex parte jam dirutis, sacratissimè micant calestis regni culmina, dicata Christicolis.*

† In Vitis Sanct. ad 1 Jan. apud Surium ac Bollandum.

Issicium aliud quam *isicion*: hoc genus farciminis, quasi *insicium*, ab insecando: at *issicium* piscis genus. Beda Histor. Eccles. lib. I cap. I: *Et quidem pracipuè issicio abundat, & anguilla.*

K.

K*Aravana*, vox Turcica, pro turba sive agmine quod securitatis caussa sese conjungit. Matthæus Parisius in an. CIↃ CC L: *Mercatoribus Saracenicis trucidatis & eorum ducibus dissipatis, nec non aliquibus captis, equitem illam catervam quam vulgares caravanam appellant, sibi mancipavit.*

Kidellus, machina, omneque ingeniosum commentum ad pisces in fluminibus intercipiendos. Vocant vulgò *kettles*, ait Watsius. Usus Matth. Parisius in an. CIↃ CCXV:

Omnes

Omnes kidelli penitus deponantur per Tamisiam, & per Medewisiam, & per totam Angliam.

L.

Labandago instrumenti genus à Gallico *bandage*, pro eo quo balistæ tenduntur. Monitum id Ludovico de La-Cerda in Adversariis sacris* ad illustrandum hoc Luciferi Caralitani, libro quo docet, Moriendum esse pro Dei filio: *An ad palum me, an ad crucem alliges; igne torreas, an vivum humo condas; saxo præcipites, an in maria mergas; labandagine magnis viribus conatus uno vastissimo ictu longè à me meum caput excutias, an in omni subtilitate subtilior sagitta diutissimè figeas, in meo corpore ludens, centum millia licet formas pœnarum crudelitas tua facias.*

* Cap 47.

Lacca acceptum ab Arabibus qui lach, vel lach vocant. Esse Dioscoridis κάγχαμον, complurium est opinio. Laccæ usus insignis in serico inficiendo. De hoc sic Isaac Amram: *Lacca res quædam est rubea, quæ tenuibus lignorum surculis inhæret, sapore non ingrato. Coquitur hæc, & inficiuntur inde panni rubeo colore, quam infecturam chermes appellant: quod verò post infecturam subsidet, & infectoribus remanet, pariter Laccam vocant.* Pluraque de eo Matthiolus ad Dioscoridis lib. I cap. XXIII.

Lachus quid Germanis sit, indicat Donatio Cancronis in Chronico Laureshamensi †: *Et de ipso rubero ad partem Aquilonis, sicut ipsa incisio arborum in ipsa die facta fuit, quæ vulgo lachus appellatur, sive divisio: & sic ad illam ligneam crucem, quæ est posita juxta illam viam, quæ venit de Birstat, & inde ad partem Aquilonis, sicut illa incisio arborum seu lachus in ipsa die facta fuit, usque ad illum monticulum, qui quasi terminus apparet:* Ac deinde etiam tertio, quartoque usurpat.

† In Germanicarum rerum scriptoribus editis à Frehero.

Lambeolæ brisuratæ memorantur ab Ægidio de Roia in Annalibus Belgicis*: *Annihilatum est nomen Comitatus Artesiæ usque ad tempora Ludovici II Regis Francorum, qui de quinque Castellaniis renovavit nomen Comitatus Artesiæ, dividendo sic Flandriam, & Artesiam, fratri suo Roberto dedit, qui detulit arma prædecessorum suorum, super leonem tres lambeolas brisuratas*, &c.

* Pag. 8.

Landweri, motus, bellumque totius regionis à Germanico *land*, terra, regio, & *werre*, werra, guerra, bellum. Carolus Calvus capitulo VII, in Adnunciatione Caroli V, *Et volumus, ut cujuscunque nostrûm homo, in cujuscunque regno sit, cum Seniore suo in hostem, vel aliis suis utilitatibus pergat. nisi talis regni invasio, quam* LANDWERI *dicunt, quod absit, acciderit.*

Largica, genu. Legg. Longobard. lib. I. tit. VI. leg. VI: *Si vero coxum ruperit supra genuculum, hoc est, largicam componat solid.* VI.

Lazuli lapis dicitur vulgo, voce accepta ab Arabibus, quibus vocatur *hager*, aut *azul*, unde *azulus*, & *lazulus*, fecere. Quod monitum jam ante seculum doctissimo Nicolao Leoniceno libro de Plinii erroribus †. Habet colorem sapphiri, aut florum cyani, ac minutis flammulis aureis interstinguitur: unde videtur esse sapphirus, non quidem, quam vulgo sapphirum dicimus, sed quam sic Plinius appellat. Nam Plinius lib. XXXVII cap. IX, ait sapphirum punctis collucere aureis, argenteis, nec addit esse pellucidam. Ut omnino sapphiri apud eum descriptio conveniat lapidi lazuli. At nostræ sapphiro non convenit. Aliqui censent lapidem lazuli esse cyanum. Sed & cyanus Plinii sappirus est. Aliqui item censent esse Plinii lapidem Armenum: sed is non habet eam duritiem, quam lapis lazuli: nam hic durus; Armenius in pulverem friatur. Præterea in Armenio lapide non comparent auri puncta, quæ Plinius in sapphiro statuit, ac in lazuli lapide comparent.

† Pag. 45.

Legivum, pulpitum, quòd ex eo legi soleret. Chronicon Casinense lib. III cap. XXXI: *Legivum perpulchrum, & eminens in eo constituit.* Idem eo utitur cap. XXXII. Item S. P. Damiani lib. IV epist. XI.

Linguatam civitatem, est apud doctissimum Tertullianum lib. de Anima. Ut culpari non debeat vulgatus interpres, cum seculo suo se accommodans ait Eccles. XXV. 27: *Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto.*

Lombardi qui vulgo, hi antiquis *argentarii*, *mensarii*, *trapezitæ*: Lombardis verò nomen ex eo, quia ex Lombardia fuerint, qui primi exercuere mensam fœnebrem: postea & nomen id datum aliis, licet inde domo non essent. Chronica Aulæ Regiæ de Joanne Rege Bohemiæ*: *Advocavit rex quosdam de Florentia Lombardos, in scientia lucrandi valde gnaros.*

* Pag. 58. edit. Wechel. an. 1602.

M.

M*Æremium*, & *meiremium*, lignum exstruendis ædibus idoneum. Britannicæ originis videtur. Apud Matthæum quidem Parisium reperias utrumque. Ita in Histor. Anglic. ad ann. CIↃCCLVIII; *Et maremium, quoties opus fuerit ad prædictas in domos reparandas.* Et in additam. post vitas pag. III. num. 26. ibi, *maremii, & carbonis de foresta.* Adde sis ejus Glossarium. ac *meremium*, vel etiam *muremium*, pro eo est in Legibus Scoticis in Quon. Attach. cap. XXX: *Bene licebit ei illas domos diruere & prosternere earumque muremium asportare. Item inquiratur de extractoribus vel venditoribus, busca.*

Mahomeria pro æde Mahometica, sive templo Muhammedico, quod Turcis *Meschit*. Sic *Mahomeria* vocabulo sæpius utitur Matthæus Parisius, ut in illa voce docet & indicat Glossarium.

Mallenses, qui judicio contendunt. Vita S. Geraldi lib. I cap. XIX: *In castrinum verò mallensibus undique ad seniorem confluentibus jubet reum adduci.* Est à *mallus* pro judicio: de quo seorsum actum lib. II.

Mamelucus significat Turcis militem stipendia facientem. Particulatim verò id nomen tributum collegio sive ordini, Sultano militanti, rei imprimis equestris perito, cœpto temporibus Cæsaris Frederici II. In hunc ordinem nemo adoptabatur, nisi qui cùm Christianus fuisset, eam religionem abjurâsset, vel saltem natus parentibus Christianis. Si Arabes, Mauri, Hebræi, vel Turci forent, excludebantur. Aliter dicti Zercæ, sive Cercæ, idque quia major eorum pars constaret è Circassis in pueritia captis, vel pretio emtis. Sunt verò Circassi, qui aliter Quinquemontani, natio Iberis sive Georgianis contermina. Mortuo Sultano alium è corpore seu societate sua liberis emebant suffragiis. Quem elegissent, cuique Mamelucorum donabat centum Seraphinos. Auctor Joannes Leonclavius Historiæ Turcicæ Pandecte cap. CCVII. Fusiùs verò de iis Paullus Jovius. Vox est Arabica. Nam ממלוכין mamluchin, Arabibus, h. e. *acquisiti*, puta emtione, vel captivitate: ut propriè sic dicatur, ἀργυρώνητοι ἢ αἰχμάλωτοι: quod & Josepho Scaligero annotatum lib. III Chronologicorum Canonum. Est à מלך, malach, *acquirere*.

Mammonetus simia, vel simiæ genus, ex Italico, & Hispanico *mona*. *Mammonetum* vocat, ac describit Vincentius Bellovacensis Doctrinalis lib. XVII cap. XCIV.

Mandeburdium, pro *mundeburnium*, pro cura, ac tutela, à *mundium*; de quo diximus libro secundo cap. XII. Atque istic de *mundeburdio*, seu mundiburdio, locum adducebamus Burchardi de mulieribus sub mundeburdio. Longobardicis enim, Francicis & aliarum gentium legibus, feminæ sunt sub mundiburdio, hoc est, tutela, curaque. *Mandeburdis* voce utitur Otho † Imperatoris diplomate: *Otho* (inquit) *Imperator Augustus, Fidelium nostrorum comperimus relatione monasterium quod Willibrordus à fundamentis extruxit datis sibi à piissimo Rege Dipino prædiis, &c. scriptis privilegiis sub mandiburnio & defensione succedentium Regum vel Imperatorum deliberatum est mansurum, &c.* Item circa finem ejusdem diplomatis: *Cujus precibus libenter assensum præbuimus, &c. ac decernimus, &c. ut juxta præcedentium Regum & Imperatorum decreta, &c. cum omnibus rebus ad se pertinentibus, sub defensione nostra ac mandiburnio nostro sint, &c.* Trithe-

† Miræus in Donat. Belg. pag. 124.

* Pag. 88. themius*: *Unus aureus persolvatur Romæ quotannis, ut cœnobium sub Romana Ecclesia mandiburdio, & majestate, securum semper stabiliatur, & defendatur.* Cæterùm ex *mandeburdium* κ὇ συγκοπὴν fecere *mamburgium*: ut apud Guilhelmum Paradinum lib. I Annalium Burgundicorum, in formula regni à Basone accepti: *Omnibus, ut monuistis, legem, justitiam, & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conservabo.* Item *mamburgia*. Chronicon Magnum Belgicum, quod edidit Pistorius†: *mamburnia. Sed nihil dominus electus, nisi prius sibi jurisdictione sua integrè restituta assentiri volebat, ut idcirco vacuus ab inceptis redirent domum, & domicellus de Agimont ad terram suam reverteretur, mamburnia recusata.* Ac similiter in Feudorum libris *mamburgus*, pro advocato, aut curatore, de quo consule lexicon Juridicum Calvini. Porro vid. infra *Mundeburdium*.

† Pag. 336.

Manzer, vox Hebræa, id est, de scorto natus. Habes Deuter. XXIII. 2: *Retinet* Petrus Blesensis Serm. XLII: *Agros agris, domos domibus continuant, opes opibus cumulant, non sibi, sed nepotibus, quos educaverunt, vel, quod deterius est, manzeribus, quos de concubinis suis susceperunt.*

Marchasita vocabulum pro lapide pyritæ usurpat Albertus Magnus: vox autem à Mauris. Nec tamen sic quivis dicitur pyrites, sed aureo tinctus colore. Ita Georgius Agricola lib. I de Natura Fossilium cap. XVII.

Marcheta, quod persolvitur domino terræ, ne is, pro jure veteri, sibi vindicet primam pudicitiæ virginalis delibationem. Nam Evenus rex impiè hanc licentiam fecerat, ut non Rex modo, sed etiam domini capitales, quos *overlords* nuncupant, concubitu sponsæ primâ nocte fruerentur. Cujus rei meminit etiam Skenæus in Notis ad Leges Scoticas lib. IV cap. XXXI, ubi exponitur, quomodo reges posteriores sanxerint, de pretio quo redimi is cum sponsa concubitus posset. Verba Legis sunt: *Sciendum est, quod secundum assisam terræ Scotiæ, quæcunque mulier fuerit, sive nobilis, sive serva, sive mercenaria, marcheta sua erit una juvenca, vel tres solidi, & rectum servientibus, sex denarii.* Subjicitur deinde, quomodo pretium pro dignitate sponsæ variare soleat. Ait Skenæus, *marcheta* esse à *marc*, quâ voce veteri Scotorum linguâ equus significatur: inde flexum esse *marcheta*, pro equitatione: sed per tralationem signari congressum cum nova nupta.

Mareschalcus propriè est curator equorum: à *mare*, id est, equus & *schalk*, hoc est servus, ut dictum lib. II cap. XII. *Mare* id esse, quod dixi, inter alia comprobatur Anonymo in rhytmo de S. Annone, ubi *di marin*, equi. Ac editor ejus, doctissimus Opitius, ibidem annotavit, similiter N. *von Gravenberg* in Wigolais nunc dicere, *hundert marck*, pro centenis equis: nunc *schon mark*, h. e. pulchri equi. Posterior vocabuli compositi erat *schalk*: quod aliqui malunt interpretari peritum, intelligentem: ut *mareschalcus* signet gnarum rei equestris. Nimirum quia Germanis, ac Belgis *schalk* notet callidum, versutum. Unde & iisdem *Godschalc* idem ac Theologus. Sed verisimilius censeo *schalk* propriè notare servum: ac μετωνυμικῶς versipellem, sive πανοῦργον, quia tales esse servi soleant, ut ex Comicis etiam videmus. Eoque nec *Godscalcus* est callens rerum sacrarum, sed Dei minister. Sanè hujusmodi appellatio magis convenit modestiæ Christianæ. Atque ex his satis liquet de etymo marescalci sive marascalci: prout ea vox scribitur in Constitutionibus Caroli Calvi tit. XII apud Silvacum cap. XIII: *Quando marascalcos illorum ad fodrum dirigunt.* Cæterum Itali quidem *marescalcus* retinuere: ac eorum exemplo in Constitutionibus Siculis est lib. II tit. XX: *Per Marescalcum nostrum, vel per alium, qui exercitui præest.* At Galli, quia mollius id sonaret, maluerunt mareschallus: ac hos secuti Angli. Ut Matthæus Parisius in an. CIↃCCXIV: *Rex Joannes constituerat mareschallum illum exercitus Wilielmum Comitem.* Utrobique signatur, quem Germani dicunt *Velt-maerschalc*, alii *Lieutenant generael*. At longè aliud est apud eundem Parisium in an. CIↃCC. *Dum magnatum aditus, quos mareschallos appellamus, dominis suis hospitia providerent.* Ac ibid. *Præmisit suum marischallum, ut adventum ejus prænuntiaret.* Ubi *mareschallus*, qui hospitium procurat. A *mareschallus* est *mareschallia*. Quod diximus alibi* apud Petrum de Vineis legi lib. V epist. LIX. Puto autem, & apud Matthæum Parisium sic legi oportere, ubi vulgo: *Ubinam est mareschaltia ad equos nostros stabulandos.* Sed Petro de Vineis est munus mareschalli; hic verò sumitur pro stabulo, sive equili.

* Lib. 2. epist. 12.

Marga vulgò, à Germanico *marg*, sive *merg*, quod est medulla. Est enim terræ adeps, sive medulla. Plinius lib. XVII cap. VI: *Alia est ratio, quam Britannia, & Gallia invenere, alendi eam ipsâ, quod genus vocant margam. Spissior ubertas in ea intelligitur: est autem quidam terræ adeps, ac velut glandia in corporibus, ibi densante se pinguedinis nucleo.*

Margila, terra pinguis, à Germanico *margil*, vel *mergil*, terra agris stercorandis utilis. Vir doctissimus in suo Onomastico à Latinis, vel Græcis arcessere conatur. Mihi non dubium quin Germani, præsertim agricolæ, innumera habeant, quæ non debeant Latinis, sed vel primogenia sint, vel ex Oriente accepta. Et sanè quam antiquus hujus vocis usus sit apud Germanos, arguit Plinii illud lib. XVII cap. VI: *Alia est ratio, quam Britannia & Gallia invenere, alendi eam. Gypsi genus est* (sic rectè rescribunt) *quod vocant margam. Spissior ubertas in ea intelligitur. Est autem quidam terræ adeps, ac velut glandia in corporibus, ibi densante se pinguitudinis nucleo.* Nempe tum *margam* dixere, quod postea *margilam*: quorum hoc à *margel* hoc à *marg*, quod & ipsum medullam signat. *Margila* est apud Carolum Calvum tit. XXXI, sive Edicto Pistensi cap. XXIX: *Carropera, & manopera ex antiqua consuetudine debent, & margilam, & alia quæque carricare.* Cæterùm quod Germanis, & Belgis, *margel* vel *mergel*, id Gallis *marne*, Anglis *marle*: unde *marlera* idem ac *margela*. Joannes Rex in charta libertatum apud Matth. Parisium in an. CIↃCCXV: *Unusquisque liber homo de cætero sine occasione faciat in bosco suo, vel in terra sua, quam habet in foresta, molendinum, vivarium, stagnum, marleram, fossatum, vel terram arabilem.* Idem Parisius in Additamento Historiæ secundo: *Inquiratur etiam de marleris, mineris, turbariis, fabricis, & carbonariis.*

Marionem vocant piscem eum qui *huso* Germanis. Nempe movent eos illa Plinii verba lib. IX cap. XV: *Et in Danubio mario extrahitur, porculo marino simillimus.* Sed in optimis MSS is est *major*: estque sermo de siluro: ut Guilhelmo Pelicericio jam diu, ac Gesnero, observatum.

Mariscus, paludem propriè notat, interdum etiam terram palustrem, a Germanico *morasch*, vel *marasch*, quod idem significat; estque à *meer*, quod à *mare*, quia mare suis exundationibus sæpe paludes facit. Usus Ingulphus, & sæpius Matthæus Parisius. Vide *Morus* in falsa significatione usurpatis.

Marlera, vide *Margila*.

Martes, ἴκτις, mustelæ genus, pellibus nobile, ex Germanico, & Anglico, *marter*; pro quo Galli *martre*, Hispani *matra*, Belgæ *mater*. Agnoscunt pro Latino cùm alii, tum etiam Hadrianus Junius in Nomenclatore, ac Calepinus toties recoctus: qui adstruit illo Martialis lib. X epig. XXXVII:

> *Venator capta marte superbus adest.*

Sed legendum *maele*; ut dictum lib. III cap. XXV. At *martis* vox recentiorum est temporum.

Mascha est persona, larva, προσωπεῖον à Gallico *masque*, pro quo Itali *mascara*. Aldhelmus de Virginitate:

> *Sic quoque mascharum facies cristata lacessit,*
> *Cùm larvam & mascham miles non horreat audax,*
> *Quî propriis fretus præsumit stridere gestu.*

Atque hinc *talamasca*. Antiqui Concilii Rhemensis canon: *Larvas dæmonum, quas vulgus talamascas vocat, sub anathemate prohibemus.*

Masgidium, μασγίδιον (de quo Meursius in Glossario) templum Saracenicum, idem sonat, ac *oratorium*, vel *proseucha*; quomodo Judæorum templa etiam vocat poëta*,

* Juvenalis sat.

—— In qua te quæro proseucha?

Nempe uti hæc ab *orare*, & προσεύχεσθαι: ita *masgidium* ab Arabico מסגד masgid, quod à סגד masgad, *adorare*. Pro μασγίδιον corruptiùs etiam à Græcis μετζίτιον dicitur: ut à Theodosio Zygomala in epistolis.

Masorica olea memorantur Anastasio bibliothecario in Leone IV: *Obtulit masoricas oleas tres serico textas, coloreque depictas, quæ in circuitu altaris penderent.* Ludovicus de La-Cerda in Adversariis sacris cap. XCV censet esse, quas Plinius vocat miliarias. Locus est lib. XVII cap. XII: *Olea non aliâ major in Bætica arbor: in Africa verò miliarias vocari multas narrant à pondere olei, quod ferant annuo proventu.* Nempe censet masoricas vocari vocabulo Afrorum, quibus *Masoret*, vel *Masoreth* dicantur. Cujus rei vellem addidisset auctorem. Scio, quid sit Hebræis מסורת masoreth, unde Masorethis nomen. Sed quid hoc ad oleas masoricas?

Masurum. —— —— Chronicon Casinense lib. I cap. LVIII: *Pannum ad masurum pro Byzantiis octo.*

Mattus, tristis exponitur in vett. Glossis. An à Germanico & Belgico, *mat?* quod valet defessus, labore exhaustus. Quales animo minimè læto, sed tristi. At *matus*, aliud, quod ex *madidus*, vel *madidatus* factum: de quo libro sequenti.

Mineralia barbarè dicimus ab Italico *minera*, quod puto esse ab Germanis. *Myne* enim notat terræ venas, meatus, ac cuniculos. Latinè pro mineralibus malim *fossilia*. Qua de re dictum lib. VI Physices Christianæ cap. I. De vocabulo *Minera* pro *venâ terræ metallicâ*, dixi lib. II. De Vitiis Sermonis, & Variis Glossematis cap. XII.

Mundeburde, vel *mandeburdium*, tutela, præcipuè tutoralis: quemadmodum ostensum lib. II cap. XII. Solum nunc aliquos superaddam, qui his vocibus usi sint. In his est, Marculfus Formulâ de mundeburde Regis & Principis lib. I, cap. XXIV. Ubi operæ erit videre, quæ eruditè de mundiburdio fusè annotavit amplissimus ac doctissimus Bignonius†. Etiam est apud incertum scriptorem Formularum cap. XIII: *Defensionem, vel mundeburdem Ecclesiarum.* Karolus Calvus Constitut. tit. XXVI in adnunciat. Ludovici cap. IV. Ac similiter tit. XXX cap. V: *Filiam nostram Judith viduam sub tuitione Ecclesiastica, & Regio mundiburde constitutam.* Et tit. XXXIII: *Mundeburdem autem, & defensionem S. Romanæ Ecclesiæ pariter conservabimus.* Idem Carolus Calvus in præcepto pro Monasterio Cellensi: *Quod monasterium sub tuitione & mundeburdo ex longo tempore constat esse Comitis prædictæ civitatis.* Otho M. diplomate pro Ecclesia Mindensi: *Anteriorum Regum conscripta, qualiter ipsi præfatæ Ecclesiæ res, cum omnibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum reciperent mundeburdo.* Porro vid. supra. *Mandeburdium.*

† Pag. 504 & seq.

Muphti est summus Alcorani seu Muhammedanæ legis interpres: ut eo Turcis loco sit, quo Latinis Papa, Græcis Patriarcha.

Muscino, monstrum simile simiæ, secundum Papiam: quod etiam in veteri legas Vocabulario. Sed in hoc *muscino* exaratum: uti & apud Isidorum lib. XII Orig. cap. I. Omnino autem *musimo* scribendum. Ait vero Isidorus nasci ex ariete & capra. Μούσμωνας vocat Strabo lib. V de Sardinia agens: ubi ait, esse arietes: sed lanæ loco pilos ferre caprinos. *Musmonus*, *musmenus*, & *musmonius* (variant enim codices) pro eo apud Plinium est lib. VIII cap. XLIX.

Musquetta de bombardæ genere usurpat Justus Lipsius lib. V de Militia Romana. Et rectè in re nova vox nova. Qua de re dictum lib. I cap. VII.

Musulmanni iidem ac Muhammedani: sed priori gaudent vocari.

Myzilum, vide *Imisilum*.

Myzinum, vel *Imisinum*, vel *Imisilum* serici genus, quod *Hermesinum* Itali, Belgæ *Armesy*, vocant. Anastasius Bibliothecarius in Papa Nicolao: *Vestem de fundato unam habentem historiam leonum, & in circuitu myzinum.* Idem in Leone III: *Vestem obtulit de imisino.* Item: *Vestem albatam holosericam in circuitu de imisilo.*

N.

Nacella, cymba. Matthæus Parisius in anno ↄIↄ CCL: *Rex festinantius transitum suum* (per flumen) *per dictas nancellas, & alia vasa præparavit.* Et paullo post: *Fecit in occursum eorum multo plures nacellas.* Mox *naviculas* vocat. Subdit enim: *Multas navicularum cum suis, quos vehebant, perimentes comburendo, triumpharunt.*

Nagarba, si Erasmum audimus, est quod in summo mari natat. Ac legitur ea vox apud scriptorem* de mirabilibus Sacræ Scripturæ qui perperam vulgo putatur B. Augustinus. Locus est cap. XXIV: *In cæteris quoque quos lapides longe ad modum æstatis mare ad terras projecit, superposita more magarbæ videntur, quas non de maris glarea elevatas, sed ex ipsa marini humoris qualitate, & eorum extrema corporum indurata cute concretas ipsa consideratione probavimus.* Sed neque hinc id *nagarba* esse, quod putabat Erasmus consequitur. Et vocabulum eo suspectius, quia non alibi legas. Quare non improbo conjecturam τοῦ μακαρίτου amici nostri Matthiæ Martinii, qui sic locum cum corrigebat. *In cæteris quoque, quos longè admodum æstuans mare ad terras projecit, superposita moles, ut garbæ, videntur.* Nimirum scriptor ille Celta fuit, vel saltem inter Celtas vixerit: ut arguunt etiam, quæ alibi ex eo de *Leduna*, & *Malina*, Celticis planè vocabulis, adduxit. *Gerba* autem ex Gallico *gerbe*, sive Germanico *garbe*, quæ idem ac *merges*, id est, spicarum manipulus.

* Tom. 3. operum B. Augustini.

Nami, vox Normannica, notat *res mobiles, vel immobiles, quæ tanquam pignora capiuntur pro rei judicatæ solutione.* Ita describit Skenæus ad Legum Scoticarum lib. IV cap. XXII: ubi legas §. I: *Si quis namos ceperit pro aliquo debito.* Et §. II: *capere summam magnam averiorum seu animalium in manum.* Et §. III: *Namos de alicujus tenemento sine licentia abducere.* Ac similiter §. IV, & V. Vide in Verbis *Namare.*

Namium, genus pignoris, Anglis *nambil*: ut liquet ex Legibus Wilhelmi, apud Seldenum in Notis ad Eadmerum, Leg. XLII†.

† Pag. 186.

O.

Oriflamma, regale sive primarium regni Francici vexillum: quod Anglis *auriflambe*, unde *oloflamma*. Vox forte ex eo, quod lilia in eo picta aurei coloris flammas eminus referrent. Matthæus Parisius in anno ↄIↄ CCL: *Progrediuntur, qui eorum præstantiores videbantur, prævia oloflamma.* Et multo post*: *Misit Soldanus fraudulenter copiosum exercitum ad Damiatam cum oloflamma & signis Francorum.*

* In Historia ad Com. Richard. pag. 797.

Oriolum quid in monasteriis dicatur indicant ista Matthæi Parisii in vita Joannis XXIII abbatis S. Albani: *Adjacet atrium nobilissimum in introitu: quod porticus vel oriolum appellatur.* Utitur idem cùm alibi, tum in Hist. an. ↄIↄ CCLI: *Nisi in refectorio, vel oriolo cum sociis suis pranderet.*

Ortillus, ungula. Matthæus Parisius in an. ↄIↄ CCXV: *Tres ortilli abscindantur* (cani) *de pede anteriori sine polleta.* Atque alibi.

Oscea, sive *oschea*, de quo vocabulo ita scribit Ovidius ψευδεπίγραφος lib. I de Vetula:

Sive quibus ruptura siphac ita magnificari
Cœpisset, quod non prohiberet in oscea casum
Intestinorum.

Pa-

P.

PAbrisatum, lego apud Herembertum Longobardum, Cassinensem Monachum in Historia de Principibus Beneventanis †: *Subtracto verò ex hac luce Landulfo Capuano, Comite, quatuor reliquit liberos. Landonem videlicet jam dictum, Pandonem, Landonolfum, & Landolfum futurum Pontificem, viros singularis prudentia; ex quibus Lando Capuam, Pando mare pabrisatum, Lanedolfus Theanum regebat.* Quid sit, eo minùs disquirere opus putavi, quòd editor, vir doctissimus, Antonius Caracciolus locum esse corruptum, ad oram annotârit. Proprium signari maris nomen, suspicio est mea. Sed illorum locorum, de quibus hic sermo, accolæ facilius ac certius de isto statuent.

† Pag. 43. edit. Neapolitana an. 1626.

Pannagium, pretium, quod quis pro eo persolvit, quia in alieno nemore pascantur porci sui. Utitur Matthæus Parisius in Joannis R. literis de libertatibus forestæ: *Unusquisque liber homo agistet boscum suum in foresta pro voluntate sua, & habeat pannagium suum.* Est à Gallico *panage*, quod interpretantur glandium collectionem ad pastionem porcorum.

Parchanus quid sit docet Martinus in suo Etymologico.

Perchia, de qua voce sic scriptum in Chartis Ducum Normanniæ*: *In quamcunque partem voluerint, & pontes, & perchias, si eis necesse fuerit, levare, & reficere sine licentia alicujus, præterquam in illis terris, quas superius excepimus.*

* Pag. 1063.

Perula, & usitatiùs κατὰ συγκοπὴν *perla*: ut Belgis *perle*. Pro *perula* verò etiam *perulus* dixere: de quo lib. II cap. XV. *Perula* item extrema pars nasi: ut interpretatur Isidorus in Glossis. Aliqui tamen malunt *pirula*, à piri effigie.

Pilasca, vas vinarium ex corio, juxta Isidorum in Glossis. Sed Gruterus rectè vidit, rescribendum *philasca*, pro quo alii *flasca*: vel *flasco*: de quo dictum lib. II cap. VII.

Pisa caseorum, hac de re Theodericus Alsatius, Flandriæ Comes in Diplomate anni clɔ CLXXXVII †: *Dum ad S. Jacobum peregrè proficiscerer, decem hodos tritici —— superaddidi. Præterea in ministerium Ecclesiæ ejusdem Custodem statuerunt: eique in usus suos assignaverunt quinque pisas caseorum*, &c.

† Apud Miræum in Notit. Belg. Eccl. pag. 467.

Plegius verbum est Gallicum, Latinis fidejussor, Belgis *borg*: ut qui nempe pro venditore, sive principali debitore spondet emtori. In Legg. Scoticis lib. I cap. XVIII, est interdictum, nequis aliquid vendat, nisi habeat legalem plegium: quod si postea res divendita in controversiam vocetur, & venditor non servarit emtorem indemnem, statuitur plegio præstandum: sed warantum sive principalem debitorem, toto regno haberi ut lagum, hoc est, proscriptum. Vide easdem leges lib. III cap. primo: ubi permulta de plegiis, sive fidejussoribus: ibidem est vox *plegiatio*. Item *plegiagium*, quod negat, qui se plegium negat. Utrumque est a *plegiare*: uti hoc à *plegium*. Vide in Verbis *Replegiare*.

Poleta pro parte pedis carnosâ & tumentiore, quam montem pedis appellant. Matthæus Parisius an. clɔ CCXV in charta regis Joannis: *Talis autem expeditatio fit per assisam communiter, quòd tres ortilli abscindantur de pede anteriori sine poleta.*

Pracium in barbaris aliquis reponat, propter illud apud Hermannum Contractum: *Chunimundus Rex occisus est; de cujus capite, auro incluso Alboin sibi pracium fecit.* Sed jam Lindenbrogio monitum pro *pracium* legi *pateram* oportere. Sanè rem eandem narrat Paulus Warnefridi lib. I de gestis Longobard. cap. XXVII: *Caput ejus sublatum ad bibendum ex eo poculum fecit.* Quo de barbaro more plura inibi Lindebrogius.

Primarches, pro primario duce, ac quasi patriarcha, lego in epistola Pii, ut dicitur Episcopi ad Justum Episcopum. Eam ex antiquo codice perscripsisse se ait Georgius Fabricius comment. in Poëtas Christianos*. In extrema habes epistola: *Cerinthus, primarches Satanæ, multos avertit à fide.*

* Pag. 102.

Prisio, λύτρον, sive pretium redemtionis, à Germanico ac Belgico *prijs*. Beka in Conrado, Episcopo XXIII: *Cum aliis captivis à prisione solutis, remisit ad civitatem propriam.* Utitur quoque in vita Theodorici I, Episcopi XXXI, item Hereberto, & Willebrando. Est & in stylo Ant. Parlam. cap. XIX: *Item cùm aliquis propter injuriam per ipsum commissam est condemnatus, in aliqua pecuniæ summa, Regi & parti: & dicitur, quod tenebit prisionem, donec parti satisfecerit de parte ipsum contingente.*

Purprestura, vox, ut vocant forestariorum: ea significatur invasio alicujus quod regii vel publici sit juris: à Gallico *pourpris*, clausum, septum. Matthæus Parisius Additamento II: *Inquiratur quæ assarta, & quanta, & quæ purprestura & quanta facta sunt.* Item: *Quieti sint in perpetuum de omnibus purpresturis, & assartis.* Et postea: *Qui hujusmodi esserta & purpresturas fecerint.* Leges Scoticæ lib. II cap. LXXIV: *Dicitur purprestura, quando aliquid super Dominum regem injustè occupatur: ut in Dominicis Regis in viis publicis astopatis*, vel in aliquibus passagiis, sicut in aquis distornatis à recto cursu: vel quando aliquis in civitate Domini Regis super plateam regiam ædificando aliquid occupat: & breviter quotiescunque aliquid ad nocumentum regii tenementi, vel regia via, aut civitatis, occupatur; pertinet placitum illud ad coronam domini regis.* Vide quæ ad hunc locum Skenæus annotavit.

* I. e. obstructis.

Purpunctus, ex Gallico *pourpoint*, lorica squamis conserta ferreis. Est apud Matthæum Paris. de quo consule Glossarium.

Pusdigani vox est Saracenica, ac clavam notat, vel massam ferream. Veteres Græci κορύνην dixere: sed hodierni vocem Saracenicam receperunt: ac Latini quoque interdum retinent, etiam Leonclavius in Pandecte.

Q.

QVinctena, ludicra ac jocularis decursio quæ fit ad quintenam, hoc est, ad versatile quiddam in alto suspensum, quod nisi, ubi contigeris, subito te subducas, humeros tangentis repercutiat. Ea decursio & Anglis *running at the quinten.* Sanè & Belgis *quintle* incertus ac tremulus rei motus, ac κατὰ μεταφορὰν mentis commotæ error, delitamentum. Pro joculari illa decursione est apud Matthæum Parisium in anno clɔ CCLIII: *Eodem tempore juvenes Londinenses statuto pavone pro bravio, ad stadium, quod quinctena vulgariter dicitur, vires proprias, & equorum cursus sunt experti.*

R.

RAchatus, explicatur in Chartâ pacis factæ inter regem Franciæ Philippum, & regem Angliæ Joannem anno clɔ CC*: *Præterea nos dedimus domino Regi Franciæ XX millia marcharum sterlingum, ad pondus & legem, in quo fuerint, videlicet XIII sol. & IV den. pro marcha, propter rachatum suum, & propter feuda Britanniæ, quæ Rex Franciæ nobis dimisit.*

* In Chartis Ducum Normann. pag. 1056.

Rassatitium vinum dicitur quod, ut Græci dicunt, στρυφνόν, hoc est adstringens, ob acerbitatem, vel austeritatem. Est à Germanico *rappis*, quod Gallis *grappes*. Vide de eo Euonymi Thesaurum capite de vinis factitiis & medicatis.

Rax, porrigo, ut est in MSo nostro Juvenalis interprete, ad illud sat. II:

Unius scabie cadit, & porrigine porci.

Rechamatura, pigmenta vestium. Vide Concilii Pisani Promotiones †: *Vestes non sint breves genu, nec diversorum colorum, nec cum scissuris, aut frapis, seu rechamaturis.* Italis nempe *ricamare* est acu pingere.

† Pag. 156.

Regardus ejusdem est originis, ac guardia: de quo dictum lib. II cap. VIII.

Renta, pro reditu annuo. Philippus Franc. R. *De renta duas cupas cervisiæ de unoquoque brassino.*

Repta utrum Latinum sit origine, aut Græcum, vel etiam barbarum, nescio. In farragine epistolarum S. Bonifacii epistola XL legas, ut Æthilbertus Rex miserit Bonifacio *caucum argenteum, intus deauratum, & duo repta.* Quem locum etiam adducit Gretzerus lib. II de Benedictionibus cap. XXVIII *: addit verò: *Sed quid repta?*

Ressaissimentum, à *resaicir*, ac *saississement*, quod manus injectionem dixit Fabius. Usurpat Carolus VIII Gall. R. Edict. de Rescript. †

* Pag. 169.

† Pag. 162.

Roccus, tunica; de quo dictum lib. II cap. XVI. Præterea etiam roccum dixere in schacorum ludo: de quo vidimus superius in *Alphinus*.

Rudibula, idem ac habenæ. Quod indicat M. Joannes Thwrocz in Chronicis Hungaricis, an. CIƆCCCXLII, cap. XCIX*: *Universa namque ferramenta streparum & habenarum seu rudibularum, & alia ad ipsum spectantia, de argento inaurato —— fabricata existebant.*

* Edit. Wechel. a. 1600. pag. 90 vers. 50.

Rumbi Portugallico vocabulo dicuntur lineæ spirales, quas navis magnetis ductum secuta, in mari describit. Vide de iis Gemmam Frisium in Appendice Cosmographiæ Petri Apiani, & Adrianum Metium lib. V doctrinæ Sphæricæ cap. III, IV, V.

Rutta, vide *Rotta*, vel *Ruta*, lib. II, cap. XVI.

S.

S*Abaia* quid sit, dictum lib. I cap. IV.

Saphirina pelles, quæ vulgò *zabels*, Jornandes de Rebus Geticis cap. III: *Hi quoque sunt, qui in usus Romanorum saphirinas pelles, commercio interveniente, per alias innumeras gentes transmittant, famosi pellium decorâ nigredine.*

Sarabaita genus monachorum nulli adstrictum regulæ: de quibus multa è variis Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XLIX. §. VIII. Iis adde hoc Ivonis Carnot. epist. CXCII: *An fieri Sarabaitas, ut in privatis locis proprio jure vivant, & victum sibi de substantia pauperum per manum raptorum, & de fœdere negotiatorum accipiant.* Ac postea: *Hos nec eremitas computandos intelligo, nec cœnobitas, sed gyrovagos, aut sarabaitas.*

Sarabara corruptè scribi pro *sarabaílla* B. Hieronymus ait ad cap. III Danielis. Est verò, ut ibidem legas, Chaldaicum, ac propriè notat hominum crura; μετωνυμικῶς crurum tegumenta, bracas, ἀναξυρίδας. Legas & apud Tertullianum de Pallio, item libro de Oratione. Imò Isidorus lib. XIX Orig. cap. XXIII adducit ex Publio: *Ut quid ergo in ventre tuo Parthi sarabara suspenderunt.* Puto signari Publium Syrum Mimum. Ut nec Romani vocem eam videantur refugisse, si de ea Persarum Parthorumque veste sermo foret. Addam aliud, sed fide Isidori, etiam sarabaris signari *quædam capitum tegmina, qualia videmus in capite magorum picta.*

Saracum, pallii genus, aut veli, Anastasius in Benedicto III: *Saraca de olovero cum chrysoclavo.*

Saraium Turcis vocatur palatium Sultani, imò aliud etiam viro principe dignum. Habes in rerum Turcicarum scriptoribus. Græci pro eo σαράγιον, de quo Meursius in Glossario. Italis *Serraglio.*

Savirum, scientia, conscientia. Carolus Calvus tit. XIII, nempe apud Attiniacum, in sacramento fidelitatis, quod extremo loco ponitur: *Ab ista die inante fidelis ero secundùm meum savirum.* Pro quo in sacramento Ludovici, & Karoli fratrum apud Nithardum lib. III: *In quant Deus savir, & podir me donat.* Vide Sirmondum ad Calvi capitulum adsignatum.

Scabinus vel scabineus, more veteri Teutonum, nec minus hodie obtinenti *schepen*, h. e. judex. Ut dictum lib. II cap. XVII. Usurpatur in Leg. Salica cap. 15. X, Capitul. Karoli M. lib. II cap. XXVIII, & lib. III cap. VII. Ludovici Pii Addit. IV cap. LXXIII, & LXXV. Legibus Longobard. lib. I tit. XXXV leg. I, & II. & Cæsarium lib. VI Mirabil. cap. XXIII, item Speculo Saxonico†, Beka in Joan. I. & aliis. Hinc ipsa dignitas *scabinatus*: quem cum consulatu jungit Philippus VI Gall. R. de jud. & præfat.*

† Pag. 137.

* Pag. 189.

Scaccarium, Matthæo Parisio sæpius usurpatum. Sic dicitur ærarium, vel fiscus. Fortassè à Germanico *schatz*, pro quo alii *scat*, thesaurus. Sic Polydorus Virgil. Hist. Angl. cap. IX. Nec video, cur hoc etymon averser: quod facere video virum eruditum. Vulgò à forensibus audias *receptum scaccarii.* Rectius dixeris *archivum fiscale.*

Scafaldus, locus eminentior, unde quis ab omnibus etiam longiùs constitutis, conspicitur: à *schauwen* quod est videre. Anonymus de S. Bertilla † §. XIX: *Erectus fuit quidam scafaldus in curia B. Amandi apud Mareolum, cortinis, tapetis, & pannis variis pulcherrimè ornatus, quem Pontifex venerandus, & qui cum eo erant Prælati, pariter adscenderunt.* Gallis *echauffaut*, Belgis *schavot.*

† Apud Boll. ad 3 Jan. p. 158.

Scala de vocabulo, pro patera, nihil attinet repetere, quæ dixi lib. I cap. I. Agnoscit & Hesychius: Σκάλιον, κυλίκιον μικρὸν, οἱ δὲ σκαλίον.

Scalonum vini delicati genus. Gregorius Turonensis lib. III Hist. Franc. cap. XIX: *A parte autem Occidentis montes sunt uberrimi; qui tam nobile incolis Falernum porrigunt, ut respuant scalonum.*

Scapio —— Diplom. II Henrici Imp.

Scapoardus —— Hincmarus epist. III cap. XVI.

Scaquarius —— —— Carol. VIII Gall. R. in edict. de Exces. Off. & subd. *Præterea quolibet anno volumus teneri scaquarium Rhotomagi, & pro illo tenendo deputari præsidentes, & consiliarios consuetudinum.* Histor. Angl.*

* Pag. 641. 665.

Scaramangis, vel *scaramanga*, est vestis militaris genus adversus pluviam, fortasse à Germanico *schermen*, pro pugnare, unde *beschermen* defendere: quia defendit hominem à pluvia. Atque hoc ἔτυμον adduximus lib. II cap. XVII. Alii dicere malunt à Persis derivatum ad recentiores Græcos, Latinosque. Ex quibus σκαραμάγκιον etiam vocat Simeon Magist. Offic. scaramangam autem Leo Marsicanus lib. III Chronici Casinensis cap. ult. *Scaramanga imperatorum* XII. Sed hæc sententia non multum abit à priori: quando Persica lingua Scythicæ ac Teutonicæ est propago. Quod ab eruditissimis hominibus non semel est ostensum.

Scartanea, lorum, prout Meursius interpretatur in Glossario, ubi ostendit Achmetem pro eo χαρζάνιον dicere cap. CCXXI & CCXLIX. Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis parte II cap. ult. † *Tandem antedicti trini dextrarii sollennes cum scartanea* * *curru, seu mobili, aut ostilario regnali*, &c.

† Pag. 91.

* Sic scribendum pro sartanea.

Scataria —— —— Philipp. IV. Gall. R. *Proponimus ordinare, quod duo parlamenta Parisiis, & duo schataria Rhotomagi, —— tenebuntur in anno*, &c.

Scaurus, horreum. Vide *Scuria* lib. II cap. XVII.

Scebrum, vide *Scuria*, lib. II cap. XVII.

Schilpor, vel, ut Lindenbrogius mavult, *schiltphor*, (quomodo hodieque Germani pronunciant) est, qui scutum vel clypeum principis gerit: à *schilt*, quod scutum aut clypeum signat; & *furen*, seu *voeren*, gerere, gestare. Aliter *schild-cnabe*, vel *schild-knecht*, scuti minister, armiger. Paullus Diaconus lib. II de Gestis Longobardorum cap. XXVIII: *Consiliumque mox* (Rosemunda) *cum Helmichis, qui Regis Schilpor, hoc est, armiger, & collactaneus erat, ut regem interficeret, iniit.* Curolapulatæ is σκυτέρι&#3;. Turcis vocatur *Silichar*; ut est apud Leonclavium in Historiæ Turcicæ Pandectis cap. CCXXVIII *.

* Sive pag. 446.

Scincus, perna, sive petaso: ex Germanico *schincke*, quod idem notat. Belgæ pro eo *schenke.* Imò & de posteriori crure crocodili usurpat Nicetas lib. II in imperio Andronici: Ἀπὸ ζώου κροκοδείλου κατασκευασθὲν σκιγκὸν λεγόμενον· *E crocodilo animali præparatum, ut vocant, scincum.* Quid mirum? quando Germanis ac veteribus Hollandis *schenkel*, non modo de coxa suilla dicitur, sed universè de crure, imò & de quovis osse. Sed pro perna σιλοῦς è Latinis utitur Theodorus Priscianus lib. II cap. XI:

Repa-

Reparatum est & pipere, satyrio, & scinco, & erucæ semine. Fortasse hinc *frisçinga:* ex *frisch*, h.e. recens, (Belgæ pro eo *versch*) & *schinck*, h.e. perna. Ut significet non rancidam, sed recentem, ac bonæ notæ pernam. Paulo tamen aliter interpretabamur libro II cap. VII: nec retracto.

Sclanium, tuba, ut ait Papias. Num à *slaen*, h.e. acie certare, uti hinc *velt-slag*, prœlium. Videlicet, quia tubæ est, ut Maro ait:

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Sclavina quid sit, indicat Bernardus Justinianus in vita S. Laurentii Justiniani, primi Patriarchæ Veneti, cap. V §. XXIV: *Cubile habuit sex pedes protensum tomento palearı, & opertorio, quod veteres centonem, nostri slavinam vocant.* Vestis nempe Slavonica. Eadem *Sclavinia*, dicitur Cæsario Miracul. lib. XII cap. XL: *de transmarinis veniens partibus, sclaviniam suam pro vino exponens, in tantum bibit, ut inebriatus à mente sua alienaretur.* Pro quo paullo post: *Vestem peregrinationis suæ pro vino exponendo inebriatus est.* Ac cap. XLI: *Sclavinia peregrini.* Et cap. XLII: *Peregrinus quidam in villa quadam moriens sclaviniam suam sacerdoti legavit, animam suam illi commendans: quam vestem sacerdos quidem suscepit, sed de anima modicum curavit: servi verò sive pueri noctibus se illa tegebant.* Et postea: *Videns sclaviniam, dixit: Cujus est vestis illa?*

Scogilum pro *cogilum*, quod à Germanico *cogel*, vel *keugel*, quod universè *globum*, ac particulatim capulum gladii signat. Ac sic etiam, interpretatur Kilianus. Lex Ripuar. tit. XXXVI, §. XI: *Spatham cum scogilo pro VII sol. tribuat, Spatham absque scogilo pro trib. sol. tribuat.*

Scottum. ——Utitur Ingulphus in Historia: *Quieti & soluti ab omni scotto, geldo, vicecomitum auxiliis.*

Sculterus pro *sculdhais*, vel *sculdasius:* de quo abunde dictum. Usurpat Cæsarius monachus in vita S. Engelberti Coloniensis lib. I cap. VI: *Super omnes reditus meos duodecim sculteros ordinare disposui.* Ac postea ibidem utitur. Cæsarius Halberstadensis lib. I cap. XLIII: *Hæc cum esset Arnoldi, Sculteti Aquensis, viri potentis divitisque filia.* Similiter lib. IV cap. XXII: *Narravit mihi anno proximo Sculterus proximæ villa.* Et lib. VI cap. XXVI: *Mox ut egressus est, occurrit ei quidam Sculterus suus primo.* Item lib. XII cap. VII: *Bene veniat, bene veniat amicus noster de Kolmere.* Speculum Saxonicum lib. I Artic. II. §. VI, & Artic. XIII §. III*.

* Pag. 138.

Scumarium quid sit docetur in vita S. Othonis lib. I cap. XXXI.

Scupta, pro repudiata, ex Belg. *woch-geschopte:* h.e. pede percussa, rejectaque Chronicon Ms. Ivonis Carnotensis: *Regina ad pedes Augusti pervoluta, tentavit oculos ejus: sed scupta ab eo desperavit.*

Scyfatum fortasse corruptum ex *scutatum.* Saltem, ut puto, pecuniæ est genus. Chronicum Casinense lib. III cap. LVII: *Margaritasque plurimas scyfatorum septingentorum.* Ac postea sæpius.

Secuns, forte idem ac *mancus*, cui manus inhabilis. Lex Longobard. lib. I tit. VI LVI: *Si autem secuns, aut claudus fuerit, componat, sicut in hoc edicto legitur, id est quartam partem pretii ipsius.*

Seisina, & *saisina*, idem denotant. Posterius est in Stylo Cur. Parif. cap. IV: *Vel in caussa novitatis, vel saisina, vel aliis similibus.* Alterum est apud Walsingamum in Hypodigmate Neustriæ†: *Habeat seisinam totius terræ Scotiæ, & castrorum ejus, quousque jus in regnum petentibus fuerit satisfactum.* Idem: *Antequam habeat seisinam, bonam & sufficientem securitatem faciat petitoribus.* Significat saisina, sive seisina possessionem: cui contrarium *dissaisina*, q.d. *dispossessio*, h.e. possessionis privatio; ut siquis vel terris suis ejiciatur, vel pecore suo spolietur. Vide quæ lib. II cap. XXV dicebamus in *Saicire.*

† Pag. 478.

Seneschalia, dicecosis seneschalli. Stil. Cur. Parl. cap. II: *Inveniat adornandum in Baillivia sua vel seneschalia sua, personaliter.* Vide *Seneschallus*, lib. II, cap. XVII.

Setena quid sit, disce ex Wilhelmo Malmesb. de gestis Reg. Angl. lib. II cap. VII.

Seusius canis, qui & *seucis*, & *susis*, & *segusius*, sic dictus à Segusiis populis, ut docet Arrianus in cynegetico. Glossar. Latino-Theotiscum: *Suses magni canes.* Propriè sic dicebantur canes, quibus apros venabantur, Lex Salica tit. VI. §. I: *Siquis canem seusium furaverit, aut occiderit.* Quo de loco sic olim, in dissertatione sua de origine Francorum, Illustris, doctissimusque, Hermannus, Comes Nuenarius, sive de Nova Aquila: *Canem seusium*, id est *porcarium*, vel *doctum ad investigandos apros:* quod nos *ein seus-hondt*, vel *schwijn-hont.* Nempe sus Germanis *saw, oder schwein*, unde *wilt-schwein* aper. Similiter Lex Alamann. tit. LXXXII: *Siquis canem seusium primum cursalem, qui primum currit, involaverit, sol. VI componat; qui secundum, sol. III componat.* At L. Burgund. add. I tit. X est *segutius, vel seusius.* Item *seucis* Boior. tit. XIX cap. I. §. I. II. III.

Sicla, vel etiam *segla*, mensuræ in liquidis genus. Lex Alamann. tit. XXII: *Servi Ecclesiæ tributa sua legitimo reddant XV siclas de cervisa, porcum valentem tremisse uno.* Habes & sæpius in charta veteri, quæ in Alamannicis Goldasti, & inde in Lindenbrogii Glossario.

Sibora armen non modò barbaris, sed etiam Romanis in usu fuit: postquam Roma capta ab Alaricho linguam didicit Gothicam. Augustinus epist. CLXXVIII, sive altercatione inter Augustinum, & Pascentium, præside Laurentio: *Licet dicere, non solùm barbaris linguâ suâ, sed etiam Romanis, Sibor armen, quod interpretatur, Domine miserere.* Conflatum ex *sibor* vocabulum Gothicum, quod non est à *senior*, ut vulgo putant. Sed est ac notat dominum, & *armen*, sive *be-armen*, commisereri: unde *barm-hertig*, misericors.

Sineschallus legas apud monachum cœnobii Egolismensis S. Eparchii*: *Cum misso suo Audulfo Sineschallo.* Sed idem hoc ac *Seneschallus*, de quo dictum lib. II cap. XVII, in *Senescalcus.*

* Pag. 198. vers. 19 edit. Wechel. a. 1594.

Sirupus dicitur succus, vel decoctum, dulci re quapiam inspissatum. Videtur esse ab Arabico שרב, h. e. bibere, lambere. Nisi à Græcis; puta à σιρόμενον, ut Actuarius appellat. Aliqui deducunt ab ὀπὸς succus, & σύρω, traho, quia succus sit, qui attrahatur. Longiùs etiam abeunt, qui corruptum censent ex ὑδρορόσατον, quomodo aquam rosaceam vocarunt juniores.

Sirupus, vel *syrupus*, medicamentum liquidum ex succis, mellitis vel sacchаro mistis, saporis conciliandi ergo, & ut diutiùs durent. Est vox ab Arabico *Sirab*, potio, à שרב sarab, *bibere.* Medicos eo utentes adducere infinitæ sit operæ. Adferam istoc è legibus Neapolitanis sive Siculis lib. III tit. XXXIV leg. IV: *Sub quorum testificatione electuaria, & sirupi, ac alia medicinæ legaliter fiant, & sic facta vendantur.*

Sisonia legas in Balderici Chronico Cameracensi & Atrebatensi lib. III cap. XLII: *Infra duas quadragesimas emendationem faciat, ubi duo, vel tres sint amici, qui hoc placitum fecerunt, & sisonia eos tenuerit, probetur ipsa, & infra aliam quadragesimam placitum exspectabimus.* Georgius Colvenerius, qui eum scriptorem edidit in lucem, censet *sisonia* esse, quod Gallicè dicitur *saisine.* Sed *sisonia* idem censeo ac *essonia*, sive *sonnia*, vel *sunnis*, quod impedimentum notat: ac Germanicæ est originis, ut inferius ostendam. Nisi malis Latinæ, ut sit à sontica caussa qua quis se tuetur: vel etiam Græcæ, ut *exoniare* corruptum sit ex Græco ἐξόμνυσθαι. Ita propriè sit jurejurando excusare absentiam: quomodo vulgo, Budæo teste, dicuntur *exoniati*, vulnere aut mutilatione caussarii, quales jure militiam detrectant.

Smaltum, est quod Germanis, & Belgis *smelt-werk.* Est verò pigmentum metalli coloratum, quod inducitur è metallis quidem, auro, argento, æri, non item aliis: at extra metalla vitro, & testis fictilibus. Quin reperta etiam ars nuper smalto inurendi marmor, atque alios lapides durissimos. Est *smaltum* ab Italico *smalto:* pro quo Galli

email:

email: ut qui id inurunt *emailleurs*: puto esse è smalto corruptum, non ab Hebræo *hamal*: quod Cæsari Bullingero visum lib. II de Pictura, ac Statuaria cap. V. Græcis, Latinisque *smaltum*, sive *email*, dicitur *encaustum*: ut qui hoc metallicum pigmentum (quod est vitrum, non quodvis, sed arte præparatum è petra) metallo, vel vitro, aut testis inurunt, *encausta* nuncupatur. De hujusmodi ἐγκαύσεις, & arte ἐγκαυστικῇ, Appuleio etiam memorata, Plinium adi lib. XXXV, cap. XI, & lib. XXXVI cap. XI. *Smaltum* vocat Anastasius bibliothecarius. Uti & Chronicum Casinense lib. I cap. XX: *Super altare S. Benedicti argenteum ciborium statuit: illudque auro & smaltis simul exornans, cætera Ecclesiæ ipsius altaria tabulis argenteis induit.* Et lib. III cap. LXXIII: ubi memorantur à Papa Victore monasterio relicta: *Coopertorium cum smaltis.* Ac postea: *Capsa magna argentea cum gemmis, & smaltis.* Ac rursum: *Urceus cum smaltis. Pyxis aurea cum smaltis.* Sæpius & alibi apud eundem reperias. Est & in descriptione Sanctuarii Lateranensi, è Mso, apud Bollandum*: *Et in alia capsa argentea, & deaurata cum historiis est crux de smalto depicta.* Vide omnino, quæ de tota hac re Gallicè scripsit Viginerus Gallus ad Philostrati Icones: Latinè verò reddidit Cæsar Bullingerus lib. II de Picturâ, & Statuariâ cap. V.

Soca, vel *socha*, libertas, qua quis potest judicium publicum in pago constituere. Matthæus Parisius in vita Roberti, abbatis XVIII S. Albani: *Cum omnibus terris, quas Wiljelmus Camerarius tenuit in soca de Luitun, & in villa de Hoctona.*

Socagium, à Watsio exponitur tenuræ rusticæ species, cui servitutes quædam colonicæ imponuntur domino suo à tenente præstandæ. Matthæus Parisius an. CIↃCCXV, in charta libertatum à Joanne Rege concessarum: *Si aliquis teneat de nobis per feudi firmam, vel socagium, vel burgagium, & de alio terram per servitium militis: nos non habebimus custodiam hæredis vel terræ suæ, quæ est de feudo alterius, occasione illius feudi, firmæ, vel socagii, vel burgagii.*

Soccomannus, vasallus, qui tenetur per liberum soccagium, dominoque suo obstringitur socco, & aratro, eoque terras domini sui arare debet. Contra fit in vasallo per feudum hauberticum, qui dominum in militiam sequi debet ac induitur militari indumento, quod hauberticum dicitur feudum ejus militare. Quemadmodum igitur soccagium opponitur feudo militari: ita & miles soccomanno. Et *soccomanni*, & *soccagii* vocabula habes in Legg. Scoticis lib. II cap. XXVII. Vide ibidem Skenæum, & notas ad ejusdem libri cap. XXI.

Soda, ἡμικρανία. Michaël Scotus Physiogn. cap. II: *Contingit dolor capitis, qui dicitur soda sive emigranea.*

Sodis locum esse in grege, ostendit hoc in formulis solennibus, form. LXXVII: *Caballos tantos, boves tantos, vaccas cum vitulis tantas, ovium capita tanta, sodis capita tanta, lactarios condignos, ac lectos tantos.* Num *sogis* scribendum, ut sit à *soga*, vel *sovis* à *sova*: Belgis sus dicitur *soch*, ut Germanis *saw*. Anglis *souve*.

Soket, mucro lanceæ equestris in ludicris decursionibus. Matthæus Parisius in an. CIↃCCLII: *Ferrum de gutture sancii excisum, cum à militibus circumstantibus consideraretur, inventum est in mucrone acutissimum, instar pugionis, cultellinam habens latitudinem, quod esse debuit, & decuit esse hebes, & brevem formam habens vomeris: unde vulgariter vomerulus appellatur, Gallice soket.*

Soldanus ex *Saladinus*, vel *Suldanus*: quod ab Arabibus, uti dictum lib. II cap. XVII. Utitur Anton. Florent. Chron. tit. XIX cap. II. §. I: *Cæteri tenderent in Ægyptum, ut Alexandriam expugnarent, aut Soldanum, ne in Syriam descenderent, impedirent.*

Sonesti quid sit, clarè satis explicat Lex Ripuar. tit. XVIII §. I: *Quod si ingenuus sonesti, id est, XII equas cum admissario.*

Sonegium legas apud Rogerum, Cameracensem Episcopum†: *Notum volumus fieri —— quòd cum Ecclesiam liberam concessissemus, & ab omni sonegia, & parochiali exactione fecissemus immunem.* Forte *somegium* rescribendum, ut significet denunciationem litis, vel vocationem in jus, à Gallico *summer*, indicium denunciare, liti implicare, sed alii certiora adferent.

Songia de hoc vocabulo sic scribit Joannes monachus in vita præceptoris sui Petri Damiani: *Hujusmodi planè verbis uxor presbyteri officio functa est sacerdotis, dum & maternum ad pietatem mollivit affectum, & morientem ad vitam restituit filium. Mox itaque non ignava virago ulnas fluentibus induviis expedit; substrata pelle, juxta ignem, puerilia membra distendit, & undique perungendo corpusculum, non modica summa songiam profligavit. Videres itaque tenellos artus liquescentis arvina fomenta combibere, & resumto vitali calore rubescere, & sic in eo nitorem rudis infantiæ subito reflorere.*

Sonnia, vel *sonnis*, vide in *Sunnis*.

Spelta, far, ador, obtinet apud Italos & Hispanos: Gallis *speltre*: cuncta à Germanico *speltz*, sive Belg. *spelt*. Ekkehardus in casibus B. Galli cap. ult.* *Pura de spelta dederat grana.* Cæsarius lib. IX Miracul. cap. LXV: *Quid sentiendum est de spelta? Requisitus de hoc dominus Papa Honorius, per literas cujusdam Abbatis, respondit, speltam magis pertinere ad hordeum, quàm ad triticum.*

Spiculus, fornix. Chronicon Casinense lib. IV cap. XXVI: *Quinque desuper fornices, quos spiculos dicimus, fecit.*

Spido quid sit, indicatur Additam. Leg. Fris. tit. III cap. XXXIV: *Siquis alium vulneraverit, & ipsum vulnus sanatum cicatricem depressam, & non reliqua carni æquam duxerit, quod spido dicunt, ter IV sol. componat.*

Squinata, nummi genus. Matthæus Parisius in an. CIↃCCXLV: *Mille sequinatorum annuam pensionem —— solvere prætermisit.*

Sterlingus, denarius Anglicanus. Thomas Walsingham Historiæ Anglicæ Eduardi I.†: *Condemnari (libet) universitatem regni Scotiæ & ipsum regnum ad solvendum nobis seu dictis alternatis & procuratoribus nostris,* &c. *pœnam, centum millium librarum sterlingorum,* &c. Et alibi apud eundem, & alios scriptores Britannicos. Item in chartis Ducum Normanniæ, atque apud Dudonem, & alios. Vide, quæ diximus lib. II cap. VI, in *Esterlingus*.

Stova idem ac *stuba*; qua de re dictum lib. II cap. XVII. Verùm Belgis *stova* non solum est hypocaustum, sive vaporarium: sed etiam scabellum, quod hieme, à feminis potissimùm, subjicitur pedibus ad eos calefaciendos. Quæritur, quomodo id Latina, vel Græca voce possit exprimi. Kilianus in Etymologico suo. *Æthranon* vocat Kilianus in Etymologico: videlicet ab αἴθω, uro, & θρόνος, *sedile, scabellum*. Quem secutus Isacius Pontanus *athranion* appellat lib. II Poëmatum*. Puto meliùs intelligi, qui Latinè *foculum suppedaneum* appellant.

Sturemannus, à *stuyrman*, gubernator navis. Joannes Angliæ R.†: *Omnibus sturemannis, marinellis, & mercatoribus Angliæ.*

Suanimotum, Curia, ubi liberè conventus agitur de rebus forestæ, ut vocant. Nempe, ut apud Watsium est, à *verbain*, liberè tenens, & Saxonico *Semorz*, conventus. Matthæus Parisius: *Suanimotum teneatur ter in anno.*

T.

T*abardium*, toga. Gemma: *Tabardium, tabbaert.*

Taini & Servientes Regis nominantur in Censualibus Guilielmi I Angliæ Reg. Tabulis. Ac Seldeno, Notis ad Eadmerum*, monitum, *tainen* idem esse, quod Belgis *dienen*, ut *tainus* idem sit ac *dienaer*, h. e. minister. Ipsum adi.

Talcum lapis est Germanico sic dictus vocabulo. Censeo esse veterum argyradamantem, vel Galaicon†. Sed dum res dubia, satius est voce uti barbara, modò intelligi velimus.

* In Vitis Sanct. ad 1 Jan. pag 4.

† Apud Miræum in Notit Eccl Belg. pag. 453.

* Pag. 104.

† Pag. 68.

* Pag. 204.

† Apud Watsium in Glossario, voce Marinellus.

* Pag. 170.

† f. callaicon.

Tama-

Tamarindi vulgo, quæ Græcis infimæ ætatis ὀξυφοίνιξ. Appellatio Græca sonat *palmam acidam*. Prior verò *palmam Indicam*. Nam *tamar* Arabibus *palma*. Fusè, & eruditè de hoc Salmasius Exercitationibus in Solini Polyhistora*.

* Pag. 1323.

Tarrita, navigii genus. Thomas Walsinghamus in Hypodigm. Neustriæ†: *Interea familiares Regis Angliæ ceperunt, V naves magnas & VI tarritas refertas Januensium multis bonis*, &c.

† Pag. 538.

Tecupha, Astrologorum est vocabulum ab Arabibus acceptum. Eo significatur conversio, ac particulatim, quando Sol quartâ anni parte absolutâ, novum quadrantem incipit. Ut quatuor sint tecuphæ, verna, æstiva, auctumnalis, & hiberna. Hinc controversia, utrum Sol Lunaque sint conditio in cardine Tecuphæ, vernæ, an auctumnalis. Qua de quæstione initio Chronologiæ nostræ diximus.

Terrulentus est apud Prudentium, pro terreus, vel terrosus; quomodo arenam terrosam dixit Vitruvius lib. II cap. IV.

Thalerus vel *Dalerus*, à *thal*, vel *Dal*, quod vallem notat. Nempe ex eo nomen, quia argentum, unde fieret, effoderetur in valle Joachimâ. Malim igitur dicere *argenteum Joachimicum*.

Thanus, & *Ogetharius*, sunt Scoticæ sive Hibernicæ voces, ac quidem nomina dignitatis, proximæ ab illa Comitis. Legum Scoticarum lib. IV cap. XXXI: *Marcheta filiæ Thani, vel Ogetharii, duæ vaccæ, vel XII solidi, & rectum servientis XII denarii.* Ubi per marchetam intelligitur pretium quo redimi possit principis, ac loci domini, cum sponsa prima nocte concubitus.

Theotisca lingua, pro Germanica, dicit Flodoardus lib. IV cap. XXXV*. Non verò *Thudestica*; quod Joannes Ludov. de-la-Cerda ait in Adversariis Sacris cap. XCIX. §. XII. Imò seculis totis ante Flodoardum *Theodiscos*, sive *Theotiscos*, pro Germanis, habes in epistola Rudeperti magistri S. Galli†. Ac post Flodoardum in Glossariis Latinotheotiscis. Pro *Theodisca* lingua, etiam *Theudisca* legas apud Nithardum lib. III: cujus ætas nulli est obscura, qui vel sciat fuisse Angelberti filium ex Bertha Karoli Mag. filia, vel scripsisse de dissensione, filiorum Ludovici Pii, quæ suis temporibus contigerit. Nihil verò mirum, si eadem sit lingua *Theotisca*, & *Teutisca*, quando solum hæc vocabula differunt dialecto. Alii numen Germanicorum summum dixere *Theot*, unde *Theotisci*; alii *Theut*, unde *Theutisci*; quemadmodum & aliqui *Duid*, vel *Duit*: (*Tuisconem* hinc fecere Romani) unde nunc quoque *Duytsche*. Quamquam verò & *Theutiscorum*, & *Teutonum*, voces, ab eâdem sint origine: non tamen idem significant. Nam *Teutones* sunt Cimbri, sive Dani: at *Theotisci*, Germani. Lingua sanè Danica multum differt à communi Germanorum lingua; ut improbandus sit eorum sermo, qui linguam Teutonicam dicunt pro Germanica.

* Fol. 374. b.

† In rerum Alamannicarum scriptoribus à Goldasto editis Tom. 2. part. 1.

Treuga, pax, induciæ; de cujus vocis origine dictum lib. I cap. I. Inter alios usurpat Pseudo-Ovidius lib. I de Vetula:

> *Est alius ludus scacorum, ludus Ulyssis,*
> *Ludus Trojana quem fecit in obsidione,*
> *Ne vel tæderet proceres in tempore treugæ,*
> *Vel belli.* ——

Tucia ab Arabibus per eorum interpretes accepimus: Græcis, Plinioque *pompholyx* vocatur, quia in coctura æris, cujus est favilla, ob summam levitatem, volitet per aëra instar πομφόλυγος sive bullæ. Postea verò decto, ac parietibus, adhæret.

V.

V*Aletus*, vel *valettus*, famulus, à Gallico *valet*, *vallet*, ac *varlet*. Thom. Walsingus Histor. Angl. in Eduardo III*: *Robertus Knolles ex paupere mediocrique valeto, mox factus ductor militum ad divitias usque regales excrevit ibidem.* Usurpat etiam in descriptione Neustriæ, cùm alibi non semel, tum verbis istis†: *Apprehensum insuper magistrum Gualterum de Stapleton, Episcopum Exoniensem, decollaverunt, cum duobus de sua familia, scutifero, & valetto, pro eo, ut dicebant, quod collegerat multitudinem exercitus ad resistendum reginæ.* Ubi perperam editum *valecto*.

* Pag. 173.

† Pag. 508.

Vernix vulgo à Gallico *vernis*, pro quo Itali *vernice*: nec multum abit Hispanica, vel Anglica appellatio. Belgæ quoque *vernis* dicunt. Est gummi juniperi, effluens tempore verno: atque inde nomen, si credimus Scaligero, commentario in secundo de Plantis. Salmasio* ad Solinum videtur acceptum à Græcis recentioribus, quibus electrum sive succinum vocatur βερνίκη. Ita communis sit vocabulorum origo, quia utrumque est in succorum genere.

* Pag. 1151.

Ulyssippo, quæ vulgo est vett. *Olisippo*: vel *Olisippo*: ut ex marmoribus & vett. libris videre est. Adi L. Andr. Resendium in Antiquitatibus Lusitaniæ, & Notis ad Carmen suum de Vincentio Martyre.

W.

W*Ancapium*, invenitur apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 73. *ubi Hilsundis Comitissa Striensis in donatione anni ƆCCCCXCII: *Silvam ad porcos alendos —— cum omni jure, wancapio, teloneo, molendino, censu, pedagio, & aquagio in pratis.*

* Pag. 133.

Warandia, vivarium, sive locus septus, ubi cervi, & alia id genus animantia, servantur. Henricus II, Brabantiæ Dux, tabulis sponsalitiis†: *Et super præmissis judiciis, idem Dux prædicto Waltero firmam warandiam præstabit, & literas suas patentes exhibebit.*

† Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. pag. 611.

Werpitio. Werpitionis mentio fit in diplomate quodam à Miræo citato. Ubi sic extat*: *Maria uxor dicti Castellani in præsentia nostra constituta, venditioni & werpitioni hujusmodi consensit*, &c.

* Miræus in Donat. Belg. pag. 624.

Y.

Y*Burpanansеca* legas lib. III Legum Scoticarum cap. XVI §. I: *De yburpananseca, id est, de furto vituli, vel arietis, vel quantum quis supra dorsum suum poterit portare de cibis: non est curia tenenda.* Quid verbi sit, scire se negat Skenæus: cujus exemplo interim, quid aliquibus videatur, exponam. Volunt aliqui esse ex eo, quod Aquitanis *pana* sit fur, *seca* saccus. Alii dicunt *burdingsak*: quod conflatum ajunt esse ex burding, h. e. onus, & *sak*, h. e. saccus: quomodo signabit onus in sacco, ac propriè cibi onus, quod sacco quis defert.

Z.

Z*Ebellinas*, vel *gebellas pelles* dicere non est ausus Petrus Bembus in Historia Veneta. Ergo dicit, Aloysio, h. e. Ludovico Galliarum Regi, à Senatu Veneto *donatas pelles pretiosiores, canis ab summo inter nigrum colorem conspersas, ducentas.* Quanto rectiùs, saltem apertius more vulgari nominasset, ac subjecisset, *ut vulgò nominant.*

Zenith Arabum obtinet apud Astrologos. Malim vocare punctum verticale. Ac similiter pro Arabico *Nadair* dixero punctum verticali oppositum.

Zinsalia in Gemma (nomen id Vocabularii†) exponitur parva musca, scilicet culex: ac mox *zinzalarium conopium*, Gr. κωνωπεῖον, à κώνωψ, culex. *Zinzalia*, puto ab Italis quibus culex dicitur *zanzara*.

† Antverpiæ editum an. 1494.

Zensus, *zensicubus*, & *zensizensus*, vocabula obtinent in Algebra. Malim tamen pro *zensu*, *quadratum*, pro *zensicubo*, *quadraticubum*; pro *zensizensum*, *biquadratum*: quæ Romana sunt, vel originis Romanæ. Quomodo & nuncupat Joanni Lantz, Societatis Jesu, in secundo Arithmeticarum Institutionum libro.

DE VERBIS ORTU IPSO BARBARIS.

ABsolvi, quæ in Nominibus non usûs modò, sed ortûs etiam barbari, sese in hoc tempore mihi obtulerunt. Nunc in Verbis similibus explicare aggrediar, quæ utiliora videbuntur.

A.

A*Merciare* aliquem, qui, ubi secundum leges in jus vocatus, non fuerit se judicio, ob contumaciam damnare ad mulctam solvendam. Ut in Scoticis Legg. Malcolmi II cap. III §. II: *Pro quolibet homine amerciato, vel vendito* (ordinaverunt) *duos solidos*. Quam legem pleniùs explicat Skenæus. Sic *amerciamentum* cap. VIII §. I. II. III. pro multa persolvenda. Est à Gallico *mercie*, misericordia. Quia solet hæc multa irrogari culpam confitenti, & roganti, ut quis misereatur sui. Compositionem vocant.

Arreinare, convenire aliquem, in jus vocare. Walsingus in Hypodigm. Neustriæ*: *Nullus Clericus sit arreinatus coram justitiariis nostris sive ad scaccam nostram se submittat.* Puto contractum esse ex Gallico *arraisonner*, quod est alloqui, convenire. Vide, quæ dicimus in *Clerimonia*.

* Pag. 515.

Attachiare, adigere ad se juri sistendum, à Gallis acceptum. Opus Legum Scoticarum, quod inscribitur *Quoniam attachiamenta*. cap. LIX: *Attachietur sub salvis, & securis plegiis.* Vide superiùs *Attachiamentum*.

Atturnare, alterius loco quempiam substituere, à Gallico *tourner*, pro vertere. Usurpat Glanvillus lib. XII cap. XIX in Brevi Regio. Hinc *atturnatus*, procurator actis publicis constitutus. Sic in Anglia *Atturnatus Regis*, qui caussas Regis Forenses promovet, & tanquam advocatus strenuè defendit. Diximus de hoc quoque in *Atturnatus*.

B.

B*Alliare*, tradere, committere, à Gallico *bailler*. Vide Spelmannum, qui & unde docet esse ballium, pro wardia, sive custodia pupillorum.

Bassare, quod Theologi vulgo *humiliare*, ab Italico *basso*, depressus humilis. Thomas Kempensis lib. III cap. XLVI: *Cùm enim bassari refugit, & confundi pro defectibus, constat utique, quòd non verus humilis sit.* Puto Kempensem Belgam hoc verbi didicisse lectione Italorum scriptorum. Nisi Italum malis auctorem cum Constantino Cajetano.

Bersare, vide *Brisare*.

Birsare, telo petere, configere: à Germanico *birsen*. Radevicus lib. I cap. XXVI: ubi de legg. Castrensibus agit Frederici Barbarossæ an. CIↃCLVIII: *Siquis birsando feram balistâ, vel arcu occiderit, ejus erit.* Et lib. II cap. LXXVI: *In birsando ipsemet arcem tendit, spicula capit, implet, expellit.* Videtur pro eo etiam dictum *bersare*. Ut apud Matthæum Parisium in Additamentis†: *Inquiratur etiam de omnibus illis, qui suspecti habiti sunt, vel soliti ad intrandum boscos, parcos, vel forestas, caussâ bersandi, vel alia damnandi.* Sermo est de iis, qui venandi prætextu in Sylvis noctu homines invadunt. A qua significatione nec multum abit Gallicum *briser*: quod à βρίζω impetum facio.

† Pag. 154. versuls. & seq. 1.

Braiare propriè dicitur de hinnitu, vel voce cervorum. Transfertur verò etiam ad hominis vagitum. Legum Scoticarum lib. II cap. LVIII §... *Si ex eadem* (uxore) *hæredem habuerit auditum braiantem, inter quatuor parietes.*

Brasiare, cerevisiam coquere, à Gallico *brasire*, cui adfine Belgicum *brauwen*. Leges Burgorum à Donide, primo ejus nominis Scotiæ Rege latæ, cap. LXIX. quod est de brassiatricibus, §. I: *Quæcunque femina brasiare voluerit cervisiam venalem, brasiet secundum consuetudinem villæ per totum annum.* Vide *Brasium* lib. II cap. III, & mox *Braxare*.

Burire, sepelire. Spelmannum adi.

C.

C*Atare*, videre: ut Hispanis *catar* videre. Horum enim est, *Catad loque dicis*, id est, vide, quid dicas. Hinc igitur originem deducit Ludovicus de La-Cerda, Hispanus & ipse, in Adversariis Sacris cap. CXLI. Et firmat Hispanus itidem Isidorus in Glossis: *Musium, cattum, ab eo, quòd catat, id est, videt.*

Chargiare, onerare, gravare, à Gallico, *charger*; quod idem notat: uti hoc a *charge*, onus, mandatum, negotium. Contrarium *deschargiare*, à *descharger*, exonerare, onus deponere. Utroque usus Philippus Francorum Rex in Charta Rothomagensi*: *Poterunt eas licitè vendere ad detallium vel alio modo, sicut voluerint, pacificè & quietè, & eas chargiare, & deschargiare, & portare, & reportare, ubicunque voluerint.* Et mox per I in prima: *Poterit dischargiare vinum in cellario, vel in domo apud Rhothomagum, propter illud revendendum.*

* In Chartis Ducum Normann. pag. 1063.

Crucifico, cruci figo, vel affigo, Hirtio in cruce suffigo, Vellejo cruci suffigo. Glossæ vett. *Cruciat, crucificat*, σωυροῖ. *Crucificatus*, ἐσαυρωμένος.

D.

D*Eschargiare*, Vide superius *Chargiare*.

Dissaisire, aliquem terris suis ejicere, vel pecore, aliisve rebus mobilibus spoliare. Prior modus signatur legum Scoticarum lib. III cap. XXXVI §. II: *Cum quis aliquem injustè, & sine judicio, dissaiciverit de libero tenemento †suo, dissaisito hujus constitutionis beneficio subvenitur.* Est vox à Gallis: uti & *saisina*, & *dissaisina*: illud possessionem signat; hoc, ut sic dicam, dispossessionem. Ita in eadem lege §. III habes *dissaisinam facere*, §. VI *indebita, & violenta dissaisina*: §. X. *dissaisinam probare*. Vide inferiùs *Saisiare*.

† de terris suis.

G.

G*Arantire* idem ac *garantizare*, de quo dictum. Nempe à Gallico *garantir*, quod est vindicem se præstare, cavereque de persona, vel etiam de re quapiam. Hugo Archiepiscopus in diplomate ad Helvissam: *Promisisque rem justè garandire.* Sermo est de donatione trium frumenti modiorum annis singulis.

Gersare. —— Gemma: *Gersa, blanck, Gersare, blancken*, id est, gersa colorare.

Girgillare. —— Gemma: *Girgillare, hasspelen, of garen winden.*

Grisare. —— Gemma: *Grisare, grys maken.*

Guerreare, bellum gerere, militare, à *guerra*, de quo alibi. Philippus Francorum rex, de treugis cum Joanne Angliæ Rege factis*: *Nos Joannis Regis Angliæ, & hominibus, & imprisiis suis, qui apertè guerreaverunt pro ipso de hac ultima guerra usque ad diem Jovis proximam.*

* In Chartis Ducum Normanniæ. & Regum Franc.

I.

I*Mnire*, hymnos canere. Glossæ Mssæ: *Imnire, imnos canere, quod & imnizare.* Sed Græce ὑμνεῖν dixero, non ὑμνίζω.

Imprisonare, in carcerem conjicere, carceri includere. Thomas Wallingamus in Richardo II†: *Miles igitur commotus*, nec immeritò juravit, quod exirent (non dubi-

† Pag. 272.

dubito, quin rescribi debeat *non exirent*) *de præsentia sua, donec chartas reddidissent. Ob quam caussam, mendaces, & falsi, expost dixerunt se imprisonatos fuisse in camera abbatis injustè.* Est ab Italis, quibus carcer *presonia*. Plura de hoc diximus lib. II, cap. XV in *Prisona*.

Instuffare, & *stuffare*, quod Germanis, Belgisque similiter *stofferen*: hoc est, instruere, adornare. Thomas de-la-Moor in Eduardo II*: *Ad hanc insulam —— vino, oleo, melle, brasio, piscibus salsis, carnibus, & terrestri carbone instuffatum*†, *Regem volentem adnavigare, ventus contrarius prohibuit omnino.*

* Pag. 599.

† F. instuffatam.

N.

N*Amare*, rem pignori capere pro solutione rei judicatæ. Vox est à Normannis. Leges burgorum, à Davide, primo ejus nominis Scotiæ rege latæ, cap. CV: *Nullus debet namare vicinum suum de alio burgo, pro alicujus debito, vel forisfacto, nisi sit capitalis debitor, vel plegius.* Hinc lemma capitis LVIII, *De stallangiatore namando.* Ac in iisdem legibus, *namatus*. Vide *Namus*.

R.

R*Etari*, pro conveniri, accusari. Chartæ Regum Franciæ & Ducum Normanniæ*: *Volumus etiam, ut nullus eorum possit retari de usura, nec jurea fiet super eum vel super hæredes ejus post mortem suam.*

* Pag. 1063.

S.

S*Aisiare*, possessionem alicui stabilire ac firmare, à Gallico *saisir*. Ordericus lib. IX Ecclesiastica Historia†, ubi Synodi Rothomagensis Acta describens ait: *Statuit præterea Sancta Synodus, ut omnes Ecclesiæ ita sint saisiatæ de rebus suis sicut fuerunt tempore Gulielmi Regis; & cum eisdem consuetudinibus.* Contrarium *dissaiciare*, possessione sua dejicere, ac privare. Vide quæ in *Saisire* dixi lib. II cap. XXV, & in *Sacire* lib. IV cap. XXIII.

† Pag. 72.

Solsatire est non sistere se judicio ante occasum Solis. In formulis sollemnibus cap. CLVIII*: *Ad quod placitum veniens memoratus ill. ibi in palatio nostro, cum per triduum, seu amplius, ut lex habet, placitum suum custodisset, & memoratum ill. abjectisset, vel solsatisset, ipsum nec venisse ad placitum, nec ullâ sunniâ nuntiasse, adfirmat.* Et mox: *Comes palatii nostri testimoniavit, quod antedictus ille placitum suum legibus custodivit, & eum abjectivit, vel solsativit: & ipse ill. placitum suum custodire neglexit.* Eadem apud Marculfum Monachum habes lib. priori Formularum cap. XXXVII. Vide, quæ in *Solsatis* diximus lib. III cap. XL.

* Lindenbrogianæ editionis pag. 1288.

Stampari pro *kudi*, *signari*, lego apud eos, qui scribunt de re monetaria. Est a Germanico & Belgico *stampen*: quod propriè est tundere, pinsere, ferire.

Sumellare, ut est in Gemma, *swingelen*; à *sumella*, *een swingel*; ut ibidem legas. Latinè pro *sumellare* dixeris mollire linum flagello, vel contundere, quatere, ut sic contritum mollius fiat. Item, conterendo ac ventilando purgare, atque aliter. *Swingel*, flagellum linarium, *Swingel-berd*, asser linarius, in quo linum mollitur, vulgo (ut Kilianus ait) *linopilus*.

Superlaudare, supra modum laudare, maximis laudibus extollere. Vetus B. Ignatii interpres Epist. III, quæ ad Ephesios†: *Onesimus superlaudat vestram divinam ordinationem.* Ubi Græcè: Ὀνήσιμος ὑπερεπαινεῖ ὑμῶν τὴν ἐν Θεῷ εὐταξίαν. Verbo ὑπερεπαινεῖν similiter utitur Æschines.

† Pag. 21. edit. Amstelod. an. 1645.

T.

T*Amnare*, in Gemma exponitur, adversari, etiam farinam purgare, vel lanam trahere: *tegen sijn wol schraden.*

Tanare in Gemma exponitur *vetten*: *tanator*, *cerdo*, *tanum*, *quædam materia ad tanandum apta.* Belgicè *tanegen.*

His consequens videbatur, ut de barbari ortus particulis tractarem. Et fecissem, si putassem operæ fore. Nunc pauca adeò, ac minuta se offerebant, ut contemni potiùs, quàm referri, mererentur.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
VITIIS SERMONIS,
AC VARIIS GLOSSEMATIS,
LIBRI V. PARS ALTERA,

Quæ continet vocabula, Latinæ quidem originis, aut Græcæ; non tamen recepta consuetudine bonorum scriptorum, ac tertio quartoque libro prætermissa.

DE NOMINIBUS.

POstquam vidimus de vocabulis barbaræ originis, quæ libro secundo omiseramus: accedo ad ea, quæ originem quidem Latio, aut Græciæ debent, nec tamen nituntur eorum usu ac consuetudine, qui idonei censentur Linguæ Latinæ auctores. Solùm verò animus hìc memorare, quæ præterita sunt libro tertio, quartoque. Iterum igitur ordiar à Nominibus, eaque recensebo κατὰ στοιχεῖον, sive ordine eo, quem primæ vocabuli literæ deposcunt.

A.

ABra, ἄβρα, honoratior ancilla, posteriores Latini accepere à Græcis Ecclesiasticis. Quippe usi LXX Genes. XXIV. & Exod. II. De significatione vide sis Hesychium, ac præcipuè Suidam. Nec solum posteriorum est seculorum, cùm ex Eustathio* constet, etiam usum esse Pausaniam, atque adeò Menandrum, in Pseuderacle. Imò & ex ejusdem Apisto verba Suidas adducit, præter duo Jamblichi loca. Interim non est origine Græcum, sed ἐθνικὸν, ut Eustathius monet. Forte ab Hebræo אברה, quod notat pennas, alas, terga: unde LXX reddidere τὰ μετάφρενα. Nempe propriè magis pennas, vel alas. Sed terga eò quòd alæ tegant tergum. Sanè pedisequæ à tergo sunt dominæ. Apud veteres Latinos non reperias: sed frequens est apud interpretem Lat. Hist. Judith. Nec tamen cum ausim sequi, nisi is citandus sit. Sed alia mens Ecclesiasticis quibusdam. Ut Huberto in vita S. Gudilæ † Virginis cap. II: *Erat siquidem huic Sanctæ consuetudo laudabilis, ut à galli cantu, relicto stratu, adiret præfata limina basilicæ, noctibus cunctis præeunte ejus abra cum laterna prævii luminis.*

* Pag. 1854.

† In Vitis Bolland. ad 8 Jan. sect. 3.

Abundus, pro abundans. Thomas Walsingamus in Eduardo I*: *Annus iste frugum, & fructuum, nec inops, nec abundus.*

* Pag 90

Acolythi, non *Acoluti*, etsi ita cùm alibi sæpe legas, tum in Leone Marsicano lib. II Chronici Casinensis cap. XXXIV, & Durando lib. II Divin. Offic. cap. VII. Est enim non à κωλύω, *inhibeo*: sed ab ἀκολουθέω, *sequor*: quod ab ὁμαλής καὶ, & κέλευθος, *via*. Unde Gloss. vett. Ἀκόλουθος, *secutor, pedisequus, consequens*. Etiam Hesychium vide. Acoluthi officium indicat Concilium Carthaginense IV can. VI: *Acoluthus, cum ordinatur ab episcopo, doceatur, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari.*

Aggrantia num ex aggregantia, ut idem sit ac congeries. Usurpat Monachus Ellantius in vita B. Rogerii, abbatis Ellantii †: *Multam proinde aggrantiam sparserat vir ille sanctus, quem sic affecerat sollicitudo fraternæ caritatis.*

† Apud Bollandum in Vitis Sanct. ad 4 Jan.

Alapa minimùm Tertulliani ævo in usu fuit: ut qui lib. de Spectaculis *alaparum contumelias* dixit. Valla in Raudensem ait, quod Græcis est colaphus, id Latinis esse alapam. Vellem, è classicis auctorem nomināsset, qui uteretur. Et fortasse *alapa* quoque origine est Græcum: videlicet ab ἀλαπάζειν*, quod apud Theocritum. Nisi potius κατὰ μετάθεσιν ex κόλαφος: vel sit ab Hebræo על אף *al-aph*, h. e. super faciem. Gloss. *Alapatur*, ῥαπίζει.

* vacuare κενόν.

Aliqualis est apud veterem S. Ignatii interpretem epist. ad Trallenses, ubi Græcè ποῖός †. Hinc *aliqualiter*, pro aliqua via: de quo dictum lib. I cap. XXV, & lib. IV cap. XXXI.

† Pag. 48. edit. Leidensis.

Altatus, sublimatus, in altum evectus Sidonius Apollinaris lib. II epist. II: *Jam ver decedit æstati, &, per lineas sol altatus, extremum in axem Scythicum porrigitur.*

Alterare etiam est apud Cæsarem Scaligerum in libris de Subtilitate. Ac Cardanus hoc Actione primâ pro libris suis de Subtilitate* ut barbarum in eo culpat, qui tam pronus esset ad alienum culpandum sermonem.

* Pag. 594. edit. Basil. Sebastiani Henrici Petri.

Altimetricam appellant Mathematici doctrinam de dimensione distantiæ, & altitudinis, atque hypotenusæ quarumcumque rerum sub adspectum nostrum cadentium. Sic definit Bartholomæus Pitiscus initio libri *problematum altimetricorum*, ut ipse nuncupat, vocabulo, sicut agnoscit, minùs quidem Latino, sed usitato. Malim pro voce istac hybrida dicere *hypsometriam*, vel *dimensionem altitudinis*.

Aludarium quid sit, quæri illud propter illud Joannis à Leidis in Chronico Belgico †: *Et in sui pectoris aludario dulcissimos virtutum favos construeret.* Sed cùm de favis dulcissimis mentio fiat, quis non videt *alveario* reponi debere. Estque solùm typothetæ error, vicinas typorum capsas confundentis.

† Pag. 27.

Amaricatio est apud veterem S. Ignatii interpretem*, qui sic reddit Græcum παροξυσμός.

* Pag. 88. edit. Leid.

Amasio ab amasius, fere ut à pusius pusio. Usus Appulejus in VII Metam. *Et festinus hic Amasio humo sordidâ prostra-*

prostratam mulierem, &c. Item Prudentius in Romano suo:

Nubunt puellæ, sæpe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus.

Sic jam olim istic legit Nestor Novariensis.

Ambulatura, ambulatio. Vegetius Renatus Artis Veterinatoriæ lib. IV cap. VI: *Per staturam & positionem à cæteris equorum generibus non plurimùm differunt: sed solius ambulaturæ genere. Nam quadam gratiâ discernuntur à Syris. Gradus est minutus, & celer, & qui sedentem delectet, & erigat, nec arte doceatur, sed naturæ veluti jure præstetur. Inter tolutarios enim, & eos, quos totonarios* * *vulgus appellat, ambulaturæ eorum media est.* Ita legendus hic locus ex fide libri MS.

* Salmasius Notis in Capitolinum pag. 245. legit guttonarios, quod non probo.

Amethodicum plerique dicunt pro eo, quod nullo ordine scriptum, sive, ut Græci dicunt ἀμεθόδευτον. Contentus ero adferre Georgium Henischium, præfatione in Aretæum: *Brevis est Aretæi, ut & Hippocratis oratio, indeque obscurior, & fere, rudi adhuc seculo, amethodica.*

Ampullositas pro grandiloquentiâ & inflato dicendi genere, ex illo Horatii, epistola ad Pisones:

Projicit ampullas, & sesquipedalia verba.

Et lib. I epist. III:

An tragica desævit, & ampullatur in Arte.

Sueno in Compendio Regum Daniæ cap. I: *Cum ea Teutonicæ turgiditatis innata sit conditio, ut verborum ampullositate glorientur.* Ac mox: *Ut ergo minarum cassetur ampullositas.*

Anacara, & *anacarii*, vide in *Macaria*.

Anagogia perperam dicunt pro anagoge, ἀναγωγή. Ut in vulgaribus versiculis de quadruplici Scripturarum sensu:

Litera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quid speras Anagogia.

Imperitè profectò; cùm ἀναγωγία Plutarcho denotet petulantiam, vel vitam dissolutam. Communi errore deceptus etiam Marcilius Ficinus epistolâ quadam ad Angelum Politianum, ubi sic scribit: *Allegorias affecto, anagogiasque ad divina perquiro.* Est vero ἀναγωγή elevatio mentis ad vitam æternam. Exempli gratiâ, Hierusalem historicè urbs est princeps Judææ: Allegoricè Ecclesia, Tropologicè Respublica bene morata, Anagogicè autem patria cælestis. Item Sabbathum historicè est dies septimus, quo cessandum erat ab operibus servilibus: Allegoricè est quies Christi per triduum in sepulchro: Tropologicè est quies à peccatis, quæ dicitur sabbathum spirituale: Anagogicè est quies in vita futura. Ac sic in aliis quibusdam: at non in cunctis, cùm non omnia tot sensus admittant: quâ parte Philo, & Origenes nimium ut videtur, sibi indulserunt. Imò propriè si loquendum, unus est sensus, qui literalis vocatur. At tres illi sensus mystici potius sunt unius sensus literalis variæ accommodationes, & applicationes. Atque hoc obiter.

Anathemabilis, cui anathema dicendum. Anonymus de hæresibus lib. III contra hæresin Prædestinatorum †: *Memoravimus enim anathemabilem Arrium in tertio libri sui capite hoc dixisse, ordine quo Prædestinati dixerunt.*

† Pag. 167. edit. Paris. an. 1643.

Animositas, animi impetus. Legas apud Julium Firmicum Math. lib. II, & Macrobium Comm. lib. I cap. VI: *Animositas, quam θυμικὸν vocant.* At non puto reperiri apud quemquam, qui vixerit ante Severum.

Annata, fructus medii anni. Clemens VII Papa in Diplomate * de Annatis Ecclesiæ non debitis: *Cum sicut nobis innotuit licet ratione fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum valorem annuum viginti quatuor ducatorum auri de auro communi æstimatione non excedentium annata cameræ Apostolicæ non debeantur*, &c. Iisque in literis paullò pòst iteratò. Habes & in Innocentii VIII const. † Item apud Nicolaum V Pap. in Confirmatione concordiæ inter Fredericum Imp. & Principes Germaniæ *: *Placet similiter nobis, quod circa provisionem dictæ sedis ordinandum, modus annatarum hoc modo currat. De Ecclesiis Cathedralibus omnibus & monasteriis, virorum duntaxat, vacantibus & vacaturis, solvantur de fructibus primi anni à die vacationis, summæ pecuniarum in Camera Apost. taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur, & si quæ excessivè taxata sint, retaxentur.* Et paullo pòst: *Taxa autem prædicta pro media parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis, solvantur, & pro alia media parte infra annum sequentem, & si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvatur, nec debitum hujusmodi in successorem, in Ecclesia vel monasterio transeat.* Similiterque Paullus secundus in Bulla edita an. ↀCCCCLXIX †: *Et alia jura, seu annatas, & medios fructus hujusmodi, solvere adstringantur etiam singulis annis quindecim in futurum, prout multi alii similes uniones, & gratias obtinentes.*

* Bullar. Romanum Tom. I. Dipl. 33.

† Bull. Tom. I. pag. 333.

* Bullariu Tom. I. pag. 281.

† Bull. pag. 300.

Annositas, antiquitas, ut Joannes Januensis in Catholico exponit. Usus Sueno, primus Danicæ gentis historicus: *Quem priscorum annositas jugi primum commendavit memoriæ.*

Antela, & *antilena*; vide *Postela*.

Antimonium dicitur officinis, quod Galeno στίμμι, Plinio *stibium*. Utuntur mulieres in oculorum ciliis tingendis, unde etiam dicitur γυναικεῖον, ac quia oculi videntur latiores, eoque lætiores, πλατυόφθαλμον.

Apertibilis, aperiendi vi præditus. Cœlius Aurelianus lib. I Tard. Pass. cap. III.

Apparentias, Linacer & alii, vocant quæ Græci φαινόμενα τῶν ἀστέρων, vel τὰ φαινόμενα: ut illa Arati. Malim *siderum apparitiones*. Nam *apparitio* est Tullio usurpatum: licet in re alia. Etiam possis sic circumloqui; *quæ in cælis apparent*, vel *conspiciuntur*. Dixi aliquid etiam de hoc lib. III cap. I.

Apprentitius Juris —— Thom. Walsing. Hist. Angl. in Richardo Rege *: ubi tumultuationem rusticorum describit, *Malitiose etiam locum, qui vocatur Temple Barre, in quo apprenticii juris morabantur nobiliores, diruerunt.* In descriptione Neustriæ †: *Joannes Bake juris apprentitius arrestatus est.* Et mox: *Suspensus est Joannes Bake juris apprentitius, qui in consilio apud Notingam contra dominos multa machinatus est.*

* Pag. 249.

† Pag. 543.

Archicapellanus legas in publico, ut vocant, instrumento Hludovici & Hlotarii Augustorum apud Aimoinum lib. V cap. X. Ubi Hilduinus sic dicitur, is, qui apud Ludovicum Pium Imp. ac Regem, à liberis suis in carcerem conjectum, quotidie Missas celebravit.

Archiconfraternitas, à Julio S. Laurentii in Damaso presbytero Cardinali instituta. Leo Papa in Bulla * approbationis confraternitatis; *quod pauperes mendicare erubescentes, longè majores, quàm pauperes mendicantes, sustinent necessitates.* Item paullò pòst: *Et cadavera pauperum defunctorum, decenter cooperta, & cruce, ac luminaribus præcedentibus, saltem uno presbytero, ac aliquibus aliis associantibus, ad sepulturam deferri facere, propriis dicti Julii Cardinalis, & Vicecancellarii, ac eorum expensis curarunt, & curant, & confraternitatem Sanctissimæ caritatis*, &c. Et paullò pòst: *Ipsamque confraternitatem, in Archiconfraternitatem, caputque omnium confraternitatum caritatis ubilibet institutarum, & instituendarum, perpetuo eximimus, & instituimus.* Est & *Archiconfraternitas Chordigerorum S. Francisci* erecta, & privilegiis ornata a Pio quarto Papa. Bulla exstat in Bullario Tom. II †. Aliæque *Archiconfraternitates* postea. Sed hæc sufficiant.

* Bullarii Tom. I. pag. 444.

† Pag. 385.

Arcister, sagittarius, qui poëtis etiam sagittifer. Aldhelmus, Malmesburiensis abbas, epistolâ ad Eadfridum *: *Rebelles phalanges discutit belliger in medullio campi arcister, legionum phalangibus septus.*

* Epist. 13 in Sylloge epistolarum veterum Hibernicarum, quas edidit Usserius, archiepiscopus Armachanus.

Arcuatus, & *arcuatilis*, arcus, seu fornicis figuram referens. Sidonius lib. I epist. III: *Huc elutis e calore venientibus triplex medii parietis aditus per arcuata intervalla reseratur.* Idem ibidem: *A cryptoporticu in hiemale triclinium venitur, quod arcuatili camino sæpe ignis animatum pullâ caligine infecit.*

Arri-

Arrisum non dixero ab *arrideo*: etsi *risum* sit à *rideo*. Usus Guilhelmus Pictaviensis in gestis Guilhelmi Normannorum Ducis †: *Despicantes mundana philosophia à se amata gymnasia, patrii soli dulcem arrisum, ftem proventuum.*

† Pag. 195.

Arthetica dicunt barbari pro *arthritis*: unde corruptum.

Arura planè Græcum est ἄρουρα: sed non significat rus, etsi *rura* ex ἄρουρα κατ' ἀφαίρεσιν factum sit, verùm terræ mensuram centum complectentem cubitos: ut est apud Horapollinem lib. I cap. V. Sic ἀρούρα vocabulo usus S. Athanasius in vita B. Antonii. Euagrius vertit: *Arura autem erant ei trecenta uberes, & valde optima.* Græcam retinuit vocem, quia Latinis, quæ exprimant, nulla est. Cæterum in vulgatis codd. Euagrii pro *arura* solet legi *palma*: sed aliter vett. MSS: ex quibus *arura* restituit Rosweidus. Ægyptios terram dividere in Aruras, constat ex Strabonis XVII, ac Eusthatii plurimis ad Homerum locis. Cæterum postea etiam hanc vocem retinet Euagrius, in nobili illa S. Antonii concione ad juvenes: *Parvas aruras, & parietibus, vel modicâ auri concione contenta, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit; nec tadere, quasi parva sit recepturus.*

Aspratus, asper. Sidonius Apollinaris lib. IV epist. VIII: *Si quid inerat metrica produxerit, non minus forti & aspratâ lima poliri.*

Assisium, tributum, census, corruptum ab *excensus*: uti Belgis *assyse*, unde prius ἀσσίσας factum. Chronicon magnum Belgicum, à Pistorio editum *: *Et utraque Leodiensis & Lossensis provincia per dominos Duces ad summam ducentorum, & viginti millium coronatorum condemnata fuerunt, & eousque tributo vel tallia gravata, ut mitti Romam ad summum Pontificem pro dispensatione obtinenda, super firmitate imposita assisia in civitate oporteret.*

* Pag. 339.

Athena, pro *Athena*, dixere aliqui ætate Ludovici Pii. Ad quem sic Hildiwinus scribit epist. de vita Dionysii Areopagitæ: *Ex historia Aristarchi, Gracorum chronographi, qui in epistola ad Onesiphorum Primicerium de situ Athena civitatis, & gestis ibidem Apostolorum temporibus, scripsit.*

B.

BAccalaureus est in Concilio Pisano sess. XIII. Diximus de hoc lib. I. cap. XIX.

Bachania pro furore illi bacchantium simili. Usurpat Chronicon Cameracense lib. II cap. V, & XI.

Bachelarius, qui decertaret in ludicro certamine equestri, quod torneamentum vocat. Matthæus Parisius ad an. CIↃCCXLIX: *Ipso quoque tempore hastiludium commissum est apud Brackele, ubi multi de militibus universitatis Regni, qui se volunt Bachelarios appellari, sunt contriti.* Et paulo pòst: *Militem strenuum, qui bachelariis annumerabatur.* Planè censeo corruptum ex *bacularius*: quia sese exercerent baculis batuentes. Vide Watsium.

Balatoforum, Xenodochium: fortasse quasi forum balantium, h.e. quasi balatu quodam petentium, ut recipiantur in locum peregrinis destinatum. Testamentum S. Remigii apud Flodoardum lib. I cap. XVIII: *Balatoforum, quod dicitur xenodochium, ad hoc ministerium statui.*

Balingaria, tormenta bellica, corruptum forte à *balista*, quasi *balistaria*. Thomas de Walsingham in Descriptione Neustriæ †: *Hostes armaverunt V vasa bellica, qua ballingaria appellantur, ad impediendum nostratum transitum.*

† Pag. 536.

Barbale, à barba. Usurpat Pseudo-Ovidius lib. I de Vetula:

Barbalem radebat acuta novacula sylvam.

Basterna, lecticæ portatilis genus, Ammiano Marcellino lib. XIV, & Gregorio Turonensi Historiæ Francorum lib. III cap. XVI, & XXVI. Alii item, de quibus Meursius in Glossario voce βαστέρνιον. Adi & Cujacium Observationum lib. XIII cap. XXX. Origine Latinum censet Isidorus lib. XX cap. XII. Nempe à via sternenda. Sed potiùs sit à Græco βαστάζω, quod est portare ad morem bajulorum. Nisi earum usus à Basternis, sive, ut Plinius vocat, basternis, Sarmatiæ Europeæ populo, cui in Thracia sedes concessit Probus Imper. Zosimo teste. Sed omnino est à Græcis: nempe à βάω est βάζω, unde βασὸν, & βαστάζω. A βασὸν verò *basterna*, ut à cavum caverna, à λάκη vel λαίκη (tunicæ id genus) lacerna, à supino latum laterna, quia deferat candelam: *lucerna* à locando, quia in eo collocetur candela. Nam nec *laterna* esse à *luceo*, nec *lacerna* à luceo dispar quantitas ostendit. In Isidori glossis *basterna* exponitur *tecta manualis*: ubi ineptè aliqui pro *tecta* legunt *testa*. Nam tecta substantivè ponitur pro lectica tecta. Pro *manualis* verò legendum *mannalis*. Nam à mannis vel burdonibus portabatur: quod & indicat vetus epigramma:

Aurea matronas claudit basterna pudicas,
Qua radians latum gestat utrumque latus
Hanc geminus portat duplici sub robore burdo
Provehit & modico pendula septa gradu.
Provisum est caute, ne, per loca publica pergens,
*Fucetur * visis casta marita viris.*

* Fuscetur MS. rectius. Id est ignominia notetur.

Ubi versus secundus convenit cum illo Juvenalis:

Qua velitur latis clauso specularibus antro.

Rectior tamen lectio vulgata *patulum*, non *latum*, quomodo etiam habent membranæ nostræ vetustæ. Pluribus de basterna summus vir Salmasius ad Lampridii Heliogabalum: ac pleraque aliis antehac indicta. Pluscula etiam Ludovicus de La-Cerda in Adversariis sacris cap. CXXXVII §. VII: vellem autem Salmasium laudâsse auctorem unde ea exscripsit. Sed hoc vitium viro illi pereruditto multæque lectionis per est familiare.

Berbix, pro *vervex*, qui est aries castratus, Belgis *hamel*, vel *weer*: quod ipsum κατ' ἀφαίρεσιν posterioris syllabæ ex *vervex factum*. S. Clemens Willibrordus Episcopus in Testamento suo †: *Tradidit Ecclesiam aliam in pago Marsum, ubi Mosa intrat in mare, cum appendiciis suis, & marisicum, unde berbices nascuntur.*

† Apud Miraeum in Notitia Eccl. Belg. cap. XV. pag. 23.

Bibitor, potor. Sidonius Apollin. lib. I epist. VIII: *Ais gaudere te, quod aliquando necessarium tuum videam solem, quem utique raro bibitor Araricus inspexerim.*

Biblia quomodo ex *balista* sit corruptum, vidimus in *Trebuchetta* lib. II cap. XVIII.

Bicallis à binis callibus, ut bivium à binis viis. Usurpat Dudo in Actis & Moribus Northmannorum lib. III *: *Et quanquam tres Ordines sint, ad excolendum cultum vera fidei bicallis via est ambivii itineris, certa spe vera credulitatis*, &c.

* Pag. 101.

Binio, nummus binos valens aureos. Gloss. *Biniones*, δίνομμα. Sic *duplio*, duplex nummus. Glossæ: *Dupliones*, διπλοῖ.

Biturica lego apud nonnullos † non infimi nominis. Dixerim potiùs Avarici Biturigum.

† Ut in Spongia Francogallitia lituras.

Blatteramentum ——— Joannes Fernelius Ambianensis in præfatione operis de monalosphærio: *Siqui forsitan spurcissimis blatteramentis caussentur id ipsum organum, quod monalosphærium nuncupavimus.* Sanè postea in medicis scriptis non sic loquitur.

Bocalium Italico more dicitur: pro quo malim *baucalium*. Nam apud Aphroidiseum similiter est βαυκάλιον. Poculum est oris angusti. Scio interim sæpè abire AU in O: quomodo à *caudex*, *codex*.

Bruscus vulgo in officinis vocatur, quod Latinis veteribus vocabatur *ruscus*, vel *ruscum*: ut indicant illa Festi: *Ruscum est, ut ait Verrius, amplius paullo herba, & exilius virgultis, fruticibusque; non dissimile junco: cujus coloris rebus uti mulieres solita.* Quod deinde probatum id Catonis rebus ex Originum septimo. Onomasticon: *Ruscum*, μυρσίνη ἀγρία. Aliter ὀξυμυρσίνη, quia foliis est mucronatis, ac cacumine pungentibus. At non bene quid *ruscus* esset cepit Philoxenus in glossis. Planè enim

enim diversas plantas confudit. Belgis dicitur *hulst*, *steek-palm*. Est vero *bruscus* ab Italis, qui *rusco*, & *brusco* dicuntur. Usus barbaro illo Cardanus: sed eo nomine reprehendit eum Cæsar Scaliger Exercitat. CXXXIX, adversus Cardanum: *Quare barbara vox arrisit tibi? Bruscum enim è circumforaneis pulpitis adferebas.*

Buccata, pro *buccea*, vel *buccellas*, apud Saresberiensem lib. V Policratici cap. VIII: *In balneo post horam primam noctis duas buccatas manducavi, priusquam ungi inciperem.* Refert ex ex Augusti epistola ad Tiberium. Hausit verò ex Tranquilli Augusto cap. LXXVI. Sed apud eum *bucceas* est, ut vel sic scripserit Saresberiensis; vel vitiosis sit codicibus usus.

C.

C*Aballarius* non reperio apud veteres, sed *caballinus*. Usurpat autem Philippus Flandr. Comes in Diplomate anni CIƆ CLXXXVIII*: *Concessi etiam eis, ut liceat in perpetuum furnos & cambas facere & etiam molendinaria caballaria.* Imò & in Glossis Philoxeni est: *Caballarius*, κέλης ἱππεύς. Sed & apud Constantinum Porphyrogennetum & alios tacticos Græcos καβαλλαρίους invenias.

* Apud Miræum in Notit. Belg. Eccl. pag. 468.

Cacabatus ejusdem originis est ac *cacabata*: quo (ut dictum lib. III, initio cap. III) significatur cacabus, sive olla, quâ utuntur in cibis coquendis. *Cacabatus* aliquis convitio solet vocari. Pelagius, Romanæ Ecclesiæ Diaconus libro V de Vitis Patrum, libello XV num. XXIX: *Bene tibi fecerunt cinerente, & cacabate.* Propriè verò *cacabatus*, veteris cacabi instar, niger. Paulinus epist. XII, quæ ad Severum: *Cum ædificia, quæ immaculata adhuc operis tui gratia splendent, obscurata naniis insciciæ meæ, & (ut digno meis versibus verbo utar) cacabata, videntibus multis vel nauseantibus confusus adspicies.* Ubi immaculatis ac splendentibus opponit cacabata. Zeno Veronensis similiter caccabaceum opponit lacteo colori. Sic enim scribit serm. VI ad Neophytos post baptismum: *Non illos* (panes) *aura corrupit, non fumus amarus infecit, non frigus elisit; quod plus est, sine fermento levati sunt. Certe caccabatii non sunt; non vetusti, non usti, non crudi, non mucidi: lacteus illis color est, lacteus sapor est.* Tertullianus adversus Hermogenem cap. XLI *caccabaceum materiæ motum* vocat, turbulentum instar cacabi ebullientis. Atque his satis diluitur opinio Joannis Filesaci lib. I Selectorum cap. III, & XIV, ubi putat, *cacabatum* significare garrulum, ac nugatorem, idque à perdicum voce, quæ dicuntur κακαβίζειν, uti eædem nominatæ *perdices* quia sonum edunt πέρδονται, h. e. pedentium. Nam qui obscenum illum sonum edit, dicitur πέρδειν, unde Latinum *pedo*: uti si sonus absit, dicitur βδεῖν, Latinis *visire*, unde *visium* βδέσμα, & *vesica* pro *visica*.

Cadentiam, pro casu, sive cadendi forma, in ludo tesserarum dixere. Pseudo-Ovidius in primo de Vetula:

De punctaturis, quibus una cadentia tantum est.

Cadendi schema pro eo dicit postea:

Atque bis octo cadendi schematibus, quibus inter
Compositos numeros, quibus est lusoribus usus
Divisis prout inter eos sunt distribuenda
Plene cognosces, &c.

Calvaries pro calva, vel cranio. Drogo, Hostiensis Episcopus de Sacramento Dominicæ Passionis: *Cum sepelire* (Jezabel) *vellent non invenerunt, nisi tantum calvariem.* Et mox: *Calvaries, fuerat locus superbiæ spoliatus capillorum gloria: & ecce non erat.* Ibidem: *Hæc est calvaries Jezabel; quæ vestita erat decore meretricio.*

Camerarius, pecuniæ Ecclesiasticæ præfectus: à vocabulo *camera*, quod propriè fornix, sive testudo: ut Servio etiam monitum in illud III Georg. —— *Camuris hirtæ sub cornibus aures.* Sed κατ' οἰκειότητα sic dixere integram ædificii partem, parietibus & camera seu testudine constantem. Indeque *camerarii* nomen. Imò vulgo & *camera*, ubi pars superior plana, non convexa; sicut-vaque. Vide lib. I. cap. XXX, & quæ dicam libro V, in *Camera*.

Campio, pro pugnatore. Vide libro proximo *Campus*.

Campitor equus, pro militari, sive bellico. Dudo, S. Quinctini decanus lib. III de moribus & Actis Normannorum†: *His dictis, torquens campitorem equum, & irruens super Regem Ludovicum per habenas freni cepit eum atque vi compellebat equitare secum.* Vide *Campus* libro proximo. Porrò hinc censeo corrigi oportere in eodem Dudone hunc locum*: *Terram, quam à me requiris, non possum largiri vobis: omnem tantum supellectilem, quam possideo, concedam libenter vobis; videlicet armillas, & balteos, loricas, & galeas, atque cambitores, equos, secures, ensesque præcipuos, auro mirabiliter ornatos.* Ubi puto pro *cambitores*, qui nihil huc ad locum, *campitores*, à campo pugnæ idoneo, legi oportere: ac præterea, deleta distinctione, *campitores* equos reponendum: ut in verbis sit antea adlatis.

† Pag. 124.

* Pag. 94.

Candelarius pro eo qui candelas conficit. Pius quartus in Confirmatione† & extensione jurisdictionis S. R. E. Cardinalis Camerarii, & Magistrorum viarum Almæ Urbis: *Et quia aëris putrefactio, non solum ex malis humoribus, & immundiciis, sed etiam ex malis odoribus, & fœtoribus generatur; sicque ars Candelariorum diffusa per Urbem tetrum putorem reddens, multum noceat civitati; idcirco, quemadmodum artes vaccinariorum, seu coriariorum; necnon artificum chordas musicales ex animalium fibris facientium malum reddentes odorem, ad fluminis ripam separata reperiuntur; ita & dictam candelariorum artem, ut is putor exhalationem habeat, prope flumen ad Sixti, sive quatuor capitum, aut S. Mariæ nuncupatos pontes, ubi Camerario, & viarum Magistris magis videbitur expedire, infra mensem à die publicationis præsentium sub confiscationis omnium bonorum ipsorum Candelariorum, & aliis etiam in eorum personam arbitrio Camerarii, & magistrorum prædictorum*, &c.

† Bullarii Tom. 1. pag. 119. 124.

Canella vulgò Belgis *caneel*: imò & Nicolao Myrepso κανέλλα dicitur: Ut à *mamma mamilla*, sic à *canna*, *canella*, extrita alterâ liquida. *Canna* vero קנה etiam Hebræis de calamo aromatico: ut Esaiæ XLIII. 24. & Jerem. VI. 20. Veteres Latini quam vulgò *canellam* nuncupant, *casiam* dixere.

Caniculus non lego, sed pro eo à *catulus*, *catellus*. *Canicula* tamen rectum. Posteriores pro atramentario etiam *caniculum* dixere, quia haberet catelli formam. Anastasius Bibliothecarius ad VIII Synodum Act. X: *Præpositus Caniculi, id est, atramentarii, ex quo imperator Phœniceas literas scribit in chartis.* Phœniceas inquit, quia imperator purpureis literis scribebat.

Cantaria puto sacellum, ubi in honorem Dei sacra cantica canentur. Walsingus in Hypodigmate Neustriæ*: *Rege promittente —— quod de bonis Regiis fundaret cantariam, pro animabus eorum quas ministri ejus in supradicta Ecclesia peremerant.*

* Pag. 533.

Captabilis, acceptus, gratus. Pseudo-Ovidius in secundo de Vetula:

—— *Per visa gradatim*
Ad non visa venire, putando quod hæc meliora
Sunt illis visis, & quod captabiliora.

Hoc est, ejusmodi, ut iis magis capiaris.

Capisterium vide in falsa significatione usurpatis.

Capitulares sermones à Cartusianis dicuntur conciones illæ breviores, quæ in ordine Cartusiano certis diebus solennibus habentur. Ac sic librum suum inscripsit Jacobus de Paradiso, theologiæ doctor, ac monachus Carthusiensis: qui anno obiit CIƆ CCCCLXVI. At *capitulare*, collectio capitum, sive canonum: de quo lib. III cap. III.

Carcomagma Avicennæ interpreti corruptum ex Græco κρονόμαγμα.

Carenum quid sit, quæritur in illo Ivonis Carnotensis epist. CCLXXXII: *Vinum quoque meum cum sitio, non curo sapa sit, an carenum.* Conjectura est nostra, significare potum vilem, & convenientem tempori Quadragesimali,

mali, quod *carenam* dicebant, ut ante ostensum. Hoc ostendit ἀντίθεσις. Nam opponitur *sapa*, quod Græcis ἕψημα: nempe mustum ad tertiam partem decoctum. Plinius lib. XXIII cap. II: *Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit.* Palladio vero sapa etiam succus plantarum. A sapore id nominis: indeque Germanis, & Belgis, *sap*, & *sop*.

Carminativa a Medicis vocantur, quæ Græci dicunt διαφορητικὰ τῶν φυσημάτων, vel φυσῶν ἀγωγά. Celsus autem lib. II cap. XXVI *flatus levantia* nuncupat. Caussa nominis non satis est aperta. Nam quid commune habet significatio ea cum Latino verbo *carmino* pro pecto, sive traho carmine: qua significatione carminus vox non à canendo est sed Græco κείρω, à quo ἔκαρον.

Carnisprivium, secunda dominica Septuagesimæ, à carnis privatione: ut est apud Joannem Beleth de divinis Offic. cap. LXV.

Carratum, onus carri, sive quantum carro vehi solet. Donatio Cisterciensi Abbatiæ facta anno CIƆCCXXXV †: *Ego Alexander de Solubrio, notum esse volo —— quod villam —— obtuli ——: item molendinum & vivarium in Tisserdingen, carratum vini singulis annis persolvendum in autumno.* Pro eo etiam dicitur *carrada*, vel *carrata*: imò & *carriagium*: de quibus vidimus lib. III cap. III.

† Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. pag. 600. sive cap. 209.

Cartella, pro *chartella*, hoc *chartula*: id est μεταφορικῶς pro lamina, chartam referente. Joannes Saresberiensis Policratici lib..... cap.....: *Sed longe secus Nero, non imperatorum sed hominum fœdissimus, qui adeo scribitur captus amœnitate vocis, ut non modo pomis cibisque nocentibus abstineret, sed ejus gratia conservanda, frequenti clysterio vomituque purgaretur, plumbeamque cartellam, supino ventre mandato Physicorum sæpius, & diutius, sustineret.*

Cassarios, Belgicè *cassiers*, appellant voce corrupta ex *capsarios*, quia capsis, librisque ditiorum mercatorum præsunt. *Arcarios* etiam dixeris, quia procurant arcæ commentarios: & *ratiocinarios*, quia rationes mercatorum conficiunt. Hisce omnibus utuntur veteres Jurisconsulti. Similiter non *cassam* dixero cum apologistis Italicis, & eorum exemplo, mercatoribus nostris, sed arcam.

Castrimargia, pro *gastrimargia*, in Revelationibus extravagantibus B. Brigittæ cap. LVII, uti & argumento ejus. Græce γαστριμαργία, à γαστήρ, ut verba hæc ibidem indicant: *Non cessat implere ventrem suum, donec plenus fuerit stercoribus delicatis.*

Catholiciani, ex *catholici*, καθολικοί, quasi universales provinciæ præfecti. Quomodo in Gloss. Basilic. *mancipes* καθολικιανοί. Aulæ ministros sic vocat Sueno in Compendiosa Daniæ Historia cap. VII: *Quem illico Catholiciani corripientes, caput ejus amputarunt.*

Cavalcata quasi caballicata, h. e. equitatus: quia nempe caballum, pro quovis equo dixere. Joannes XXII Papa in Bulla contra facientes Cavalcatas *: *Auctoritate præsentium districtius inhibemus, & mandamus expresse, ne ipsorum aliquis contra alium sibi jus dicere, aut guerram, vel exercitum, seu cavalcatam (nisi de licentia Rectoris provinciæ supradictæ, per se vel alios facere, &c. præsumat.* Et in Bulla Alexandri sexti † contra sibimet jus dicentes: *Ne aliquis eorum contra alium sibimet jus dicere, aut guerram, aut exercitum, seu alias hujusmodi coadunationes, & (ut vulgo dici solet) cavalcatas (nisi de nostra, aut &c. speciali licentia) facere &c. præsumant.* Et in Bulla quadam Julii II *, & alia Bulla Sixti V †, atque alibi.

* Bullarii Tom. I. pag. 175.

† Bull. Tom. I. pag 346.

* Tom. I. p. 358.

† Tom 2. pag. 478.

Cedula, pro *schedula*, hoc à scheda, quo Latinis significatur tabella, sive pagina, aut folium non compactum cum aliis. Walsingamus Richardo II *. citat hæc verba Bullæ Papalis ad Archiepiscopum Cantuariensem de Johanne Wicklefo: *Super periculosis admodum erroribus quorundam detestabilium Propositionum, & conclusionum, ad enervationem totius Ecclesiastici status tendentium, scriptas in cedula inclusa præsentibus.*

* Pag. 202.

Centenionalis nummus in Codice Theodosiano, qui nummos valet centenos.

Certitudinem, rei non dicam; sed esse aliquid certissimum, exploratum, pro certo haberi, non posse in dubium vocari, multisque aliis modis, ut *certitudinis* voce non indigeamus. Similiter nec *incertitudinem rei* dicam, sed rem incertum: quemadmodum veteres loqui, ostensum lib. I. cap. XVI. Valde interim nobis repugnat H. Stephanus, qui in Expostulatione Latinitatis Suspectæ cap. VII † scribit hoc pacto: *Talis religio quorundam, vel potius superstitio est, ut quamvis incertitudo (exempli gratia) apud Ciceronem legatur: de nomine certitudo, an Latinum itidem sit, dubitare illos non pudeat.* Mihi verò id exemplum non placet. Tantum enim abest, ut Ciceroni *incertitudinis* vocabulum usurpatum putem, ut apud classicorum neminem censeam reperiri.

† Pag. 312.

Cærefolium vocant, quod dici oportuit Chærephyllon. Græcè χαιρέφυλλον. At alterum illud vox hybrida est ex Græco & Latino. Aliter παιδέρωτα vocari Plinius ait lib. XIX cap. VIII. Fortasse quia bonum sanguinem gignit, atque hoc pacto bonum conciliat colorem, ac sic magis placeant iis, quos amant aurore quo non debent.

Christianitas, pro lex Christiana, vel cultus Christianus: item sacra jurisdictio, sive Ecclesiastici fori administratio. Legas in Codice Theodosiano tit. de Spectaculis l. V, & eodem Cod. tit. de decurionibus l. CXII item Cod. eodem tit. de Judæis, Cœlicolis & Samarit. l. XIX, atque alibi. Usurpat etiam Ambrosius serm. X, ut taceam juniores in quibus Eadmerus Historiæ suæ lib. IV.

Ciconinus à ciconia. Sidonius Apollinaris lib. II epist. XIV: *Usque ad adventum hirundineum, vel ciconinum fani, Numaque ninguidos menses in otio fuliginoso, seu tunicata quiete transmittere.*

Cinirus nascitur ex ove & hirco; ut ait Albertus M. Sed corrupto usus Isidori codice, qui *tityrus* scripserat. Vide eum lib. XII, Originum cap. I.

Cirogrillus corruptum ex chœrogryllus, ex χοῖρος nempe & γρύλλος. Supposititius Ovid. in I de Vetula:

Nunc baculo brevibus davellosæ capitatis
Confisos levitate suâ, promtosque salire
De ramo in ramum, cirogrillos dijaculare.

Clerimonia, pro ordine cleri: ut à *sancti*, *sanctimonia*. Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ *: *Rex concessit —— quod nullus clericus sit arreynatus coram justitiariis nostris —— si clericus sua clerimoniæ se submittat, dicens se membrum esse Ecclesiæ, & non debere ipsis justitiariis respondere.* Sed quid *arreinatus*? Quid si *adjurnatus* legamus. Sanè *adjurnare* diem alicui dicere, in jus vocare. Vide lib. II cap. XXII.

* Pag. 515.

Cognationalis, pro eo, qui in cognatorum numero est. Sic *cognationales amicos* dixit Adamannus libris de rebus Sancti Columbæ.

Cola, vascula subtilissimis foraminibus, per quæ vinum, vel consecratum, vel consecrandum, colaretur, siquid forte sordium incidisset: ut tradit Christianus, Archiepiscopus Moguntinus, ejus nominis II †, & ex eo Nicolaus Serrarius Rerum Moguntin. lib. I cap. XXXII. Verba sunt Archiepiscopi: *Erant cola argentea novem, per quæ vinum poterat colari, si necesse fuisset.* Puto corruptum ex *colum*: ut *bibliam* & *chronicam*, & *præbendam*, & *legendam* dixere pro neutris. Maro II Georg.

† Edidit Basileæ Hervagius an. 1537.

Colaque prælorum fumosis deripe tectis.

Quem versum in animo habuit Philoxenus in Glossis, cùm scribit: *Cola*, ῥαγολόγος, ἐξαλεῖον πίθου ληνοῦ ἐν β Γεωργικῶν. Alii *colam* malunt dicere *colatorium*: de quo Onuphrius lib. de vocibus Ecclesiasticis.

Comblum, vel *comblus*, —— Balduinus, Flandriæ, & Hannoniæ Comes, posteaque Imperator Constantinopolitanus in Donatione monasterio S. Dionysii prope montes S. Dionysii facta an. CIƆCXCVII *: *Henricus sæpe dictus Castellanus quartam partem nemoris prædicti tam in fundo, quàm in comblo, liberam & quietam in manus meas reportavit.*

* Apud Miræum in Notis. Eccl. Belg. cap. 179. pag. 482.

Com-

Commendatarius, qui commendat alium. Leo Decimus Papa in bulla * de reformatione generali Prælatorum, §. XXII: *Ædificia quoque, possessiones, & jura quæcumque in statu convenienti conservent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum prælatorum, & commendatariorum officium spectat.* Et paullò antè clariùs, §. X: *Ea verò monasteria, quæ commendata fuerint, cum per eorum cessum, vel decessum, quibus erant commendata, commenda hujusmodi cessaverint, Cardinalibus duntaxat, ac personis qualificatis, & bene meritis commendari possint, ita tamen, quod eorum monasteriorum commendatarii, quibus ea de cætero commendata fuerint, cujusvis dignitatis, honoris, & præeminentiæ existant, etiam si cardinalatus honore, & dignitate fungantur, si mensam habuerint separatam, ac seorsim à mensa conventuali*, &c.

* Bull. T. I. pag. 407.

Commissitius, pro commisso. Sic *commissitios* hostes in oratione legas S. Galli.

Complementa Hispanis quid sint exponit Joannes Caramuel monachus Cisterciensis, & in Academia Coloniensi Theologiæ professor in declaratione Stenographiæ & Claviculæ Salomonis †. Ait duas esse aliquid significandi vias; unam Politicam, secundum significandi proprietatem, ac rigorem: alteram Metaphysicam quæ communem usum observet: posterioris verò generis esse, cum alteri dicitur *Osculor manum tuam*, pro addictissimus sum; puta instar eorum, qui manus superioris osculantur. Hoc loquendi genus ait Hispanis dici *complementa*: quia licet si Metaphysicè sumas, mentitur: si tamen mentem attendas, eam verè complet. Urbano dicendi modo: unde ipse *urbanitatem* non dubitat appellare.

† Pag. c. 2. b.

Complexionatus, ut corpus bene complexionatum. Sed Ciceronis Phil. 1 est *corpus bene constitutum*.

Composibile, cujus est compositio. Supposititius Ovidius in primo de Vetula:

Factum componunt, quia sex composibiles sunt.

Compræsens, pro præsens. Ut apud interpretem Ignatii epistolæ ad Trallianos, *Compræsentibus mihi Ecclesia Dei.* Ubi Græcè, Συμπαρούσης μοι ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ.

Computistas à *compoti* vocabulo appellant, qui de annorum computatione scribunt. Latinè magis *computatores* nuncupes. Etiam pro eo legas *compotistas*: ut dixi lib. III cap. XXVI.

Concambium, pro rerum permutatione: qua ratione & *cambium* pro eo dicitur, à *cambire* pro permutare. Rochingus, Antverpiensium princeps in Donatione S. Wilibrordo facta an. IↃCCXXV, aut sequenti: *Locellum nostrum, nuncupatum Tumme, in concambio dedimus.* Carolus M. in Confirmatione Donationis factæ Ecclesiæ Aquisgranensi an. IↃCCLXXIX *: *Quas* (villas) *in concambio pro avuncali receperunt.* Sic editum à Miræo. Cæsarius lib. IV cap. LXVII: *Quem* (Cellerarium) *cùm interrogâsset, quò festinaret, respondit ille: Ad concambium, ante messem ob necessitatem pauperum, pecora nostra occidimus; calices, & libros nostros oppignoravimus: modò Dominus immisit nobis hominem, qui nobis tantum auri dedit, ut ei quantitas in duplo erogatis respondeat: unde vado illud cambire pro argento, ut ex eo pignora nostra possim redimere, & greges reparare.* Vide quæ de *cambio* tum nomine tum verbo, dixi lib. I cap. XVIII. Item adi *Procamio*, infra in Verbis.

* Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 23. pag. 34.

Concellaneus, qui eâdem cum altero cellâ degit. Ennodius Ticinensis lib. I epist. V: *Quem substantiæ exilitas non permiserit habere consortem, ipse concellaneus fiat alterius.*

Conclavista, ita dicti à conclavi. Pius IV in bulla de Electione summi Pontificis †: *Et de qualitatibus conclavistarum Cardinales deputati ante conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, & eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter providere debeant.* Et paullo post: *Conclavista verò & quicunque alii servientes conclavi, ex caussa infirmitatis manifesta*, &c. De eorum privilegiis agit Clemens Papa VIII, Tom. VIII Bullarii *.

† Bullarii Tom. 2. pag. 70.

* Pag. 16.

Concordata, super quibus inter partes conventum. Nicolaus V Papa in Confirmatione † Concordiæ inter Fredericum Imp. & Germanos inita: *A partibus ipsis hinc inde, approbata, laudata, conclusa, acceptata, & concordata.* Et paulò pòst: *Nos itaque quæ statuta, ordinationes, & concordata prædicta*, &c. Ubi & Pontificum recentiores.

† Bullarii Tom. 1. pag. 281.

Condiaconus, & *compresbyter*, habes extrema epistola B. Augustini, numero LIX, de variis scripta quæstionibus ad Paulinum episcopum. Maluissem syndiaconus, & synpresbyter: ne vox sit hybrida. Sed beatus antistes obsecutus est consuetudini loquendi.

Conjectoria ars pro conjectualis, στοχαστικὴ, apud Joannem Saresberiensem Policratici lib. II cap. XV.

Conscotinius, qui iisdem cum altero in tenebris est, quomodo *conscotinium tuum* est apud Luciferum Caralitanum libro De non parcendo in Deum delinquentibus.

Consiliosum, consultum, rectumque. Joannes Saresberiensis in prologo Policratici *: *Nihil ergo consiliosius est captatoribus gloriæ, quam literatorum & scribentium maximè gratiam promereri.*

* Pag. 2.

Consonatorius, pro consonus, vel consonans. Walsinghamus in Henrico IV †: *Destinaverat litteras consolatorias, simul & consonatorias.*

† Pag. 370.

Contrapassum, pœna, ubi quis si non tale patitur, ac commisit, saltem patitur tali æquale, ac respondens. Cajetanus tentaculi sexti quæstione tertia: *Non est sensus dominica hujus sententiæ, gladio materiali perituros eos, qui gladium acceperint: sed sensus est, quod merebuntur gladio perire; vel quod patientur contrapassum: hoc est, tantum patientur, quantum offenderunt, ut per correspondentiam pœna gladii ad actionem gladii, intelligamus contrapassum.*

Contrapunctistæ vulgò dicuntur musici vulgares, quos rectiùs *melopœos* dixeris. Sed judicio eorum, qui Mathesin intelligunt, musicorum nomine videntur indigni. Vide, quæ adversus eos in dialogis de Musica scripsit Vincentius Galilæus. Summa eò redit, nomen hoc eos neutiquam mereri, quia rhythmum, ac numerum negligant: quia item quatuor, vel quinque suas partes sic socient, ut mera sit ἀταξία *, ut nec qui audit, quid audiat, sciat. Tum autem, quia par cantus sit ratio, seu vincta, seu soluta sit oratio, adeò ut utrùm canatur, nescias. Præterea, quoniam pluribus diversa verba pronunciantibus, nihil intelligatur, eoque cantus omnis sit fructus expers. Adhæc, quoniam συμφωνίας repetitionem, ac ὁμοιοτελεύτων vitant, cum tamen multum valeat ad animos movendos. Atque insuper quia ament imitari non musicè sive rhythmis, sed mimicè, modis à natura alienis sæpe etiam ridiculis. Quæ vitia illorum etiam enumerat Josephus Blancanus in epilogo suæ Mathematicorum Chronologiæ.

* Confusio.

Conventualis mensa. —— Leo Papa X in bulla de Reformatione generali Prælatorum. Verba adduximus in *Commendatarius*.

Convertibile, pro eo quod Græcis ἀντιστρέφον, haut temere dixero, nisi ἀντιστρέφειν: ut Cæsar Scaliger in priorem duorum de Plantis librorum, qui Aristoteli falso tribuuntur. Verba sunt †: *Sensus non est cum animali, ut loquuntur, convertibile.*

† Pag 32. edit Cribin. an. 1566.

Corda funis, originem ducit à Latino *chorda*. Fulcherius Carnotensis in Gestis peregrin. Francorum ad ann. CIↃXCVIII *: *Nullo quodam per scalas de cordis factas viginti de clientibus nostris per muri summum intromisit.* Germanis ac Belgis *coorde*: unde & Italis *corda*, & Anglis *corde*.

* Pag. 392.

Corneolus Italico & Gallico vocabulo dicunt, quem Plinius, & alii veterum appellant Sardam, vel Sardium: nempe quia primum circa Sardes repererint. Corneolum autem dixere pro carneolum, à sanguineo carnis colore.

Cortile, quod & *cortillum*, viridarium, hortus, à Gallico *courtil*, Guiljelmus Comes Arvernorum, & Dux Aquitaniæ in Testamento suo, quod condidit anno IↃCCCCX †: *Cluniacum scilicet villam, quæ sita est super fluvium, qui Graona vocatur, cum cortile & manso indomi-*

† Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. pag. 84.

dominicato, & capella, quæ est in honore Sanctæ Dei genitricis.

Coturta apud Ennodium quidem Ticinensem lego lib. I epist. VI: *Hactenus trabealis coturta pompam familiæ nostra peregrina ornamenta tribuebant.* Sed planè adsentio Andreæ Schotto, qui pro *coturta* legit *cothurni*. Sanè sententiæ Ennodii nihil convenientius.

Crementa, αὐξήσεις, ut est in Glossis Philoxeni. Pseudo-Ovidius in tertio de Vetula:

Crementi motu cessante reflectitur in se.

Crispedo, à *crispus*, ut *dulcedo* à *dulcis*. Poëtaster, qui Ovidii nomine circumfertur, in secundo de Vetula:

Hac à lege tamen remanent ad tempora, quidam
Exemti brevitate suâ, crispedine rara,
Connexi, volitantque vago ludente reflexu.

Cumpræsentes est apud Ignatii veterem interpretem epist. * ad .... ubi Græcè συμπαρόντι.

* Pag. 52.

Curialitas, animus liberalis, vel potius prodigus, qualis esse solet viris principibus, ac nobilibus, quos curiales sive aulicos vocant. Magnum Chronicon Belgicum †: *Coloniensis Theodericus prædictus Ducatum emit Montensem à D. Duce Gerardo Juliacensi, & Mantensi pro maxima summa pecuniæ. Insuper in frequentia plurimorum Magnatum, Prælatorum, Doctorum —— suam tanquam regiam habuit curiam: Et quia ex ingenita sibi curialitate excessive liberalis erat, circa finem vitæ ad inopiam pervenit.*

† Editionis Pistorianæ pag. 408.

Cursarii, vagabundi, ut Belgis *land-loopers*, qui & *struyck-roovers*. Urbanus quintus Papa in bulla de jurisdictione Camerarii adversum piratas. *Ac deinde per nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros, & postremò per nos in omnes piratas, cursarios, & latrunculos marinos, & omnes fautores, receptatores, & defensores eorum,* &c.

Curtalinus pro *cortalinus*, hoc pro *cohortalinus*, qui & *cohortalis*, cortis sive cohortis h. e. prætorii apparitor. Vetus glossarium apud Brissonium: *Cohortalinus*, ὀπταλὴς θυρωρὸς πραιτωρίου *. B. Paulinus epist. VII: *Non vestibus pictis superbi, sed horrentibus ciliciis humiles: nec chlamyde curtalini, sed sagulis palliati.* Κορταλῖνος dicitur lib. XLV Basilicorum. Vide Cujacium in lib. X Codicis tit. XXIII, & Frontonem Ducæum Notis in allatum Paulini locum: item quæ mox dicam in *Curtis*.

* Vilis janitor prætorii.

Curtis vocabulum variè sumitur, sæpius verò pro habitaculo rustico, unà cum agro adjuncto. Usi Helmoldus in historia Slavorum lib. I cap. XIV, & XXXII, Abbas Urspergensis in Frederico I, leges Alamann. tit. X: pluresque alii: in his Chlotarius, Rex Francorum, in tabulis de monasterio Corbeiensi, confectis anno IↃCLXII †: *Et nullus quilibet de judicibus, nec ad ipsum monasterium, nec ad homines suos, nec in curtes suas, quidquid à die præsenti ibidem contulimus —— præsumat ingredi.* Est ea vox à Latino *cortis* vocabulo: quæ propriè signat locum septum ad altilia conservanda, à Græco ὄρτος: sed extensa est significatio ad domum rusticam cùm illo altilium loco significandam. Imò tandem etiam sic dixere quasvis domos rusticas magnificas, ac præcipue regia palatia in villis, vel urbibus. Ac sic Græci etiam usurparunt. Codinus de Offic. Constant. Υπηρετοῦσι δὲ οἱ κορτινάριοι εἰς τὴν τοῦ βασιλέως σκηνὴν, ἥτις κόρτη ὀνομάζεται. *Ministrant verò cortinarii ad Imperatoris tabernaculum, quod appellatur Corte.*

† Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. pag. 10.

D.

Damnabilitas, damnationis meritum. Anonymus, B. Augustino suppar, de hæresibus lib. III, qui est contra Pseudo-Augustinum, ac hæresin Prædestinatorum*: *Omnes Catholicos admonemus, ut hunc libellum fugiant, execrentur, & æterno anathemate feriant. Damnabilitas enim ejus eousque pervenit, ut universa mysteria Salvatoris evacuet.*

* Pag. 202. edit. Paris. an. 1643.

Datarius. —— Non refugit Erasmus epistola ad Reginaldum Polum †: *Matthæo Gibberto, quondam Pontificis datario, nunc episcopo Veronensi.* At Lilius Gyraldus dialogo I de poëtis sui temporis*: *Versatus hic* (Maphæus Vegius) *Romæ cum Martino V. Pontifice supplicum libellorum magister, quem vulgo Datarium appellare consuevimus.*

† In opere epist. pag. 6. edit. an. 32.

* Pag. 385. edit. Basil. an. 1580.

Deauratus posteriorum est temporum. Cicero, & tribus proximis seculis dicebant *inauratus*. Vide in Verbis *Deaurare*.

Decanus barbaro vocabulo dicitur qui Latinè *præfectus*, vel etiam *præpositus* sit dicendus. Quomodo *præponere negotio*, vel *exercitui*, vel *navibus* pro *præficere*, dixit Tullius. Sic idem *præpositus bello imperator*, *oraculo præpositus sacerdos*. Ex *præpositus* est Belgicum *proost*. Fusiùs de *decano*, & *decania* dixi lib. III cap. VIII.

Decanatus decani dignitas, ut Prioratus Prioris. Benedictina initio cap. XXII, quod est de monachorum creatione: *In Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus, decanatibus, seu aliis locis quibuscunque ipsius ordinis, seu religionis.* Ac similiter postea eopse capite, semel iterumque. Pro eo & *decania* dixere; ut vidimus lib. III cap. VIII, in *Decanus*.

Dedecorosus, pro *dedecorans*, quod Ciceronis, vel *dedecorum*, quod Taciti. Thomas Walsingus Histor. Angl. in Richardo II †: *Esto, captivamur ad tempus: minus grave est hoc quàm in mari toties ante mortem mori, & tandem mortem dedecorosam evadere nullo modo posse.*

† Pag. 234.

Dedecorator, & *dedecoratio* Tertullianea sunt: prius in Apolog. alterum lib. de Corona.

Deformosus, deformis. Sidonius lib. III epist. III.

Diacurcuma apud Medicorum Arabum interpretes antidotum est sic vocatum ex Græco διὰ, & Arabico *curcuma*, quomodo crocum nuncupant. Est igitur idem ac Græcum διὰ κρόκου.

Diameter vulgò obtinet, quia ἀναλόγως ut ab ἀγρὸς est *ager*, sic à διάμετρος possit esse *diameter*. Sed malim sequi veteres, qui, more Græco, *diametros* dicunt: ut Vitruvius, Columella, Macrobius.

Dictamen, pro *dictatum*, ut a *flo*, *flamen*; à *puto*, *putamen*; à *lator*, *latamen*. Sed & *dictamen* particulatim dixere pro poëmate: ut dixi lib. I de Re Poëtica cap. I.

Discordiosum, super quo discordia est. Sidonius Apoll. lib. IX epist. III: *Statuta regnorum denuo per conditiones discordiosas ancipitia redduntur.*

Displicina pro *disciplina*, jam Donati ævo dicebant vulgo: unde est, quod is, de barbarismo agens, hunc errorem taxat: uti & Clemens in suis ad eum Collectaneis, his verbis: *Per transmutationem syllabæ, ut displicina pro disciplina, imperiti hoc faciunt aliquando per imperitiam.* Atque ita in Heitonis, episcopi Basileensis libro de visione Wettini, (uti & perpetuo *psalmus*, & *psalmodia*) scriptum reperit Melchior Goldastus, ut notavit ad Valerianum Cunelensem de bono Disciplinæ.

Dissyllabon dicam, non *dissyllabon*: cùm Græcè sit δισύλλαβον. Et primam in Satyris corripit Lucilius: uti & elegantissimo de Metris libello facit Niliacæ Syenes præses Terentianus.

Diversalis, pro *diversus*. Dionysius Carthusianus in rythmica Explanatione Euangelii B. Joannis *:

Erat apud patrem Deum,
Deus verus apud eum
Non ut per instrumentalem
Causam Patri diversalem.

* Habes quoque apud Sixtum Senensem lib. 3. Sanctæ Bibliothecæ.

Divoltres corruptum ex *dibolares*, uti hoc ex *diobolares*: quomodo *scorta diobolaria* dixit Plautus Pœnulo †, & Pacuvius apud Fulgentium, *meretrices diobolares*: puta quæ duobus obolis, sui facerent copiam. Quantum igitur aberratum in veteri glossario, ubi legas: *Divoltres, vilissimæ meretrices, quæ se suâque gratia numorum præbent: & dicuntur divoltres quasi desiderio volantes, vel quasi pro numo voluta.*

† Act. 1. sc. 2.

Dolidus, dolore afficiens. Usus Cælius Aurelianus lib. III Tard. Pass. cap. III. Non video, cur id bene Latinum dicat Barthius in Advers. lib. XXXVIII cap. III.

Do-

Dolosus, *fraudulentus*, *fallaciosus*, reperio apud scriptores, at non denominativa inde derivata. Thom. Walsingus tamen Hist. Angl. in Richardo II *: *Occisis tandem omnibus, bargiam præsando commendant, ut videlicet eorum fraudulentia, dolositas, & dolosa fraudulentia Anglicis fieret manifesta.*

* Pag. 224.

Domistadium, domus. Vide apud Miræum † literas Leonii Castellani Bruxellensis de donatione domistadii facta anno cIↃ CC XL IX.

† In Notitia Eccles. Belg. cap. 111. pag. 610.

Ducaria scrofa, quæ dux est aliarum. Lex Salica tit. II §. XIII: *Siquis scrofam ducariam furaverit.*

Dulcorarius, qui dulciarius Martiali lib. XIV, lemmate penultimo, & Lampridio in Heliogab. Joan. Saresberiensis Policratici lib. VIII cap. XIII. *Venatores clamosi, dulcorarii mendaces, histriones vani, & parasiti edaces, meretrices dolosæ, rumigeruli, falsiloqui & relatores, aut concentores inanium fabularum*, &c. Videtur autem hæc vox formata à *dulcor*. Sed non si *nigror*, & *nigrities*, *amaror*, & *amarities*, eo *dulcor*, & *dulcities*, sed solum *dulcedo* dixere. Pro *dulcorare* verò rectum est *edulcare*: quo utitur Cn. Martius apud Agellium lib. XV, cap. XXV: *Quapropter edulcare convenit vitam curasque acerbas sensibus gubernare.*

Dupliones, vide *Binio*.

E.

E*Mentulus*, eunuchus, spado, à *menta*, unde *mentula*: quâ formâ à dente *edentulus*. Incertus sub Ovidii nomine in secundo de Vetula:

Quas miserabiliter ementulus occupat iste.

Emola, pro vale coquinario, habemus apud vulgatum interpretem III Esdr. cap. I. Sed pro *emolu* in codd. aliis est *amulu*: quæ genuina est lectio.

Emporisma tumoris genus è sanguine, corruptè à vulgo medicorum dicitur pro ἀνεύρυσμα: ut monet Manardus lib. VII epist. II *.

* Pag. 130.

Enula, sive Enula Campana, ut officinæ, atque etiam Schola Salernitana vocat cap. XL, herba est, quæ Latinis *Inula*, Græcis Latinisque *Helenium* vocatur.

Epistiuncula; pro epistola exigua, vel epistolio. Cineheardus epistolâ ad Lullum, quæ septuagesima quarta est in farragine epistolarum S. Bonifacii: *Cæterum, siqua sunt tuæ sanctitati insinuanda; portitor hujus epistiunculæ viva voce valet enarrare.* Magis ἀναλόγως ab *epistola* formes *epistolula*, inde *epistoluncula*.

Excelsio, pro Græco μῆκος, non refugit Theodorus Gaza in tralatione Theophrasti Hist. Plant. lib. III cap. XIII. Sed barbarismum vocem in Animadversionibus suis vocat ibidem Cæsar Scaliger.

Excubus, qui Cæsari, & Columellæ *excubitor*. Joannes Saresberiensis lib. II Policratici cap. XXVII: *Vulgo siquidem, cum quis mentiendi notâ inuritur, dici solet, quia quovis excubo vigilinâ mendacior est.* Idem proverbium Belgis, *Hy lieght als een wachter.* Ac eodem pertinet, quod proximè præmisit: *Quamvis ab eo veritatis arcanum non fuerit inquirendum, qui excubiali obsequio, concinnatorum mendacii credendus erat quam occulta veritatis interpres.* Ubi vocem *excubialis* ab excubiis novè format.

Extrinsecus adverbium est: non nomen, pro quo extraneus dicendum. Vulgo, scio, aliter utuntur: etiam doctissimus Petrus Nannius interpretatione Athanasiani libri de Virginitate †: *Nec solùm oculis extrinsecis* (ὀφθαλμοῖς τοῖς φαινομένοις oculis exteriùs comparentibus) *ista lege, sed etiam exterioribus.*

† Pag. 834 edit. Commel.

F.

F*Acitergium* in vett. Glossis reperias: imò & regula S. Cæsariæ, & Benedictus episcopus ad S. Bonifacium: ut dixi lib. III cap. XII. Sed nihil opus novâ hac voce, cùm *sudarium* pro eo dixerint Catullus, Quinctilianus, Suetonius. Nimirum, quia sudorem eo de facie detergemus. Nisi ea à Græcis vox sit: quando Hermippus σουδάριον pro eo dixit: secundum veteres Grammaticos. Veteribus Comicis vocatur καψιδρώτιον, ut est apud Julium Pollucem. Σιμικίνθιον aliud est: nempe dimidiati cinguli genus: ex Latino *semicinctium*: ut σημικίνθιον potius scribendum videatur.

Falsoneria. —— Henricus Rex de assisa: *Vel de falsoneria vel iniqua combustione per sacramentum XII militum.*

Fatalitas est apud Joannem Sarisberiensem lib. II Curialium Nugarum cap. II: *Futuram etiam sanitatem, aut ægritudinem, aut statum, quem dicunt neutralitatem, fatalitatem quoque ipsam, ex præcedentibus signis agnoscant, & interdum si caussas noverint, efficacissimè curant.*

Fatigium, fatigatio, vel quies ob membrorum lassitudinem. Epitome Heremperti *: *Reverso igitur Grimoalt ad castra cum exercitu suo incolumi, altero die pro fatigio sumto, & pro detentis affinibus, dictus per fuga Dux dedit in xenium octo millia aureorum supradicto Principi.*

* Pag. 33.

Felicida, novè, ut *matricida*, Ausonius utrumque ad formam vocis *paricida*. Joannes Monachus in vita præceptoris B. Petri Damiani, Card. Episc. Ostiensis: *Cavendum etiamne, cujus mater esse contemnis, filicida merito judiceris.* Et paullo post: *Sic mater de filicidio liberatur.* Nempe *filicidium*, ut *paricidium*.

Finibilis, aliquando habiturus suum finem. Scriptor operis de Vetula Ovidium ementientis lib. III:

Quodque duæ partes, quas mundus habet, minor essent:

Hæc finibilis, & semper durabilis illa.

Ac similiter altero post versu.

Fornaciarius, qui fornaces conficit. Usus Pius IV. in bull. † confirmationis, extensionis & jurisdictionis S. R. E. Cardinalis, &c. Verba vide lib. III cap. XXVIII, in *Muratores*.

† Bullarii Tom. II. pag. 122.

Fortificativa barbarè ars, qua munitiora fiunt propugnacula.

Fraternitas nunc de uno dicitur: ut apud Paulinum epist. XXXV: *Obsecro fraternitatem tuam:* sed de fratrum cœtu, ut apud eundem carm. XIII, quod ad Cytherium:

Martinianum suscipis fraternitas.

Et Hieronymo epist. XXXI, quæ ad Theophilum: *Te universa fraternitas suppliciter salutat.*

Fratissa fratris uxor, ut exponit Isidorus lib. IX, c. VIII. Sed ea castè locutis *fratria* dicta est. Existimet aliquis apud Isidorum librarii errore *fratissa* legi pro *fratrissa*. Non repugno. Sed aliter tamen optimi nostri Mssi.

Fratruelis ἀνεψιός, fratris filius. Ulus semel iterumque Jornandes de rebus Geticis: imò & tertio, quia pro *fratri suo*, *frateli*, rescribendum: ut ad Procopii ἀνέκδοτα observatum Nicolao Alemanno *. Itidem legas apud Sigebertum in Chronicis an. cIↃ LXXII. Ἀνεψιός fratruelis est matereteræ filius: ut exponit Isidorus Originum lib. IX cap. VI. Sed is Latinis veteribus *consobrinus*. Vide interim, quæ de abusu vocis *fratruelis*, & *matruelis*, scribit Cujacius Observationum lib. VI cap. XVII.

* Pag. 12.

Fraudulentia apud Thomam Walsingum. Vide *Dolositas*.

Furo, pro *viverra*, quæ Græcis ἴκτις, & γαλῆ ἀγρία. Scriptor ineptus operis Ovidio tributi in I de Vetula:

Nunc ad cuniculum, fovea munimine tutum,

Mittere furonem, qui dente lacessiat ipsum.

A furando fecere *furo*, & *furus*: unde Gallicum *furet*. Belgis *furet*, *foret*, & τῷ συγκοπῇ *fret*. Italis etiam *foret*: unde & barbarum *foretta*.

G.

G*Aberna*, arca: ut in Glossis Isidori legas. Plane adsentio Martinio existimanti corruptum esse ex *caverna*. C enim & G, item B, & V, facile commutantur. Sanè & *Gabea* similiter dictum pro *cavea*: ut liquet ex mixobarbaro Coloniensi dictionario, quod Gemma Gem-

marum inscribitur. Eo autem pro arca dixerint *cavernam*: quia primitus pro arcis cavernæ. Quid mirum, quando & primitus, ut poëta ait Sulmonensis, —— *domus antra fuerunt*.

Galéa, *galeia*, & *galeida*, navigii genus, quod & Belgis *galeie*. Meminit sæpius Comes S. Pauli epistola quadam apud Georgium Monachum S. Pantaleonis*. Verba adducimus in *Bargia*. Item Guilhelmus, eques auratus, hodœporico, sive de terra sancta: *Ubi galeam bene armatam adscendi, & ad prosequendum iter Ultramarinum, nauta remis, & velo sollicitè insistebant*. Constantinus Porphyrogennetus γαλέας vocat naves celeres seu δρόμωνας. *Galeones* vocat Paulus Jovius Historiarum sui Temporis lib. XXXVII †: *Pars in oppugnando galeone frustra perseverabat*. Nisi *galeones* potius galeæ majores. Itaque distinguit Matthæus Parisius in an. CIƆCCXXI: *Galeas nostras, & galeones, aliaque vasa in continenti armavimus*. A *galeâ*, vel *galeis*, est *galeiarius*, milites ex ea pugnantes. Thomas Walsinganus in Richardo II*: *Omnia ubique orbis loca perlustrantes quotquot ex Jannensibus galeiariis reperire poterant immisericorditer trucidarunt*. Plura de his lib. I cap. I: ubi & vidimus, cur Latinæ originis videri possit.

* Pag. 269.

† Pag. 51. edit. Germ. an. 1556.

* Pag. 244.

Gignadiis legas apud Joannem Saresberiensem lib. I de Nugis Curialium cap. VIII: *Exoccupatis etenim mentibus surrepunt tædia sesèque non sustinerent, si non alicujus voluptatis solatio mulcerentur. Admissa sunt ergo spectacula, & infinita tyrocinia vanitatis, quibus qui omnino otiari non possunt, perniciosiùs occupentur. Satius enim fuerat otiari, quàm turpiter occupari. Hinc mimi, salii vel saliares, balatrones, æmiliani, gladiatores, palæstritæ, gignadii, præstigiatores, malefici quoque multi, & tota joculatorum scena procedit*. Sed non dubito, quin reponi debeat *gingriatores*, vel *gingratores*, h. e. tibicines, ita dicti sive à gingritu anserum, quod Festus voluit, sive quia adhiberentur propriè in festo Adonis, qui Phœnicum lingua Γίγγρας, ut est apud Pollucem. Vide quæ de isto dicebamus libro secundo de origine & progressu Idololatriæ cap. IV.

Glantem barbari vocant, quod Belgis *een klier*. Quomodo distinguant à glande, docere conatur Gemma hoc versu:

> *Glande pecus crescit: sed collum glante tumescit.*

Sed omnino *glante* ex *glande* corruptum.

Glis glitis apud Isidorum in glossis legas, exponiturque *humus tenax*. Sed legendum: *Glus, glutis, limus tenax*. Ausonius in Monosyllabis:

> *Tergora dic clypeis accommoda quæ faciat? glus.*

Sosipater: *Hæc glus glutis: alii gluten dixerunt*. Sanè & Gallis *glis*, gluten, *gluer*, glutinare. *Glus* vero à γλία, quod idem notat. Cæterum apud Ausonium in aliis libris est *glus*, vel *glux*. Apud Charisium item pro *glutis*, *glutinus*. A *glux* obliquus potiùs foret *gluctis*, ut à *nox noctis*.

Glomer pro glomus rectè dici, probat Lambinus † illo Lucretii lib. I:

> *Nam si tantundem est in lanæ glomere, quantum*
> *Corporum in plumbo est.* ——

† Notis in Horat. Lib. I. epist. 14.

At glomere quoque est à glomus, quod *glomeris* facit, ut *vulnus*, *pignus* & similia in patrio casu habent *eris*.

Glomeraculum à glomero, ut habitaculum ab habito: Gemma: *Glomeraculum est vas, in quo volvitur glomus*.

Glossas non dixero, si Latinè loqui velim: nec γλωσσήματα si Græcè: sed Græcè dicam γλῶσσαι, & *glossemata* Latinè. Interea quod Græcis γλῶσσαι, id *glossemata* Latinis. Γλῶσσαι Aristoteli in arte Poëtica sunt vocabula, quæ peregrina ex lingua adsumuntur. Sic vocabulum Cypriis proprium γλῶσσα non erit: sed erit Atheniensibus. Latiùs verò extensa significatio ad voces non peregrinas, sed rari usus, eoque obscuriores. Fabius lib. I cap. I: *Potest interpretationem linguæ secretioris, quas Græci γλώσσας vocant, edíscere*. Et lib. VIII: *Circa glossemata etiam, id est voces minus usitatas non ultima ejus* (Grammaticæ) *professionis diligentia*. Ubi posteriori è Latinis Varro in VI de L. L. *Qui glossemata interpretati sunt*. Item Tiberianæ ætatis scriptor Asinius Gallus, epigrammate in Marcum Pomponium Marcellum apud Tranquillum de claris Grammaticis:

> *Qui caput ad lævam deicit, glossemata nobis*
> *Præcipit, vel potius pugilis.*

Quare etsi Græci veteres γλωσσήματα nesciant, Latinè tamen eam vocem non refugiam. *Glossas* verò non dixero, quia nunquam sic vocant Latini. Jacobus Cujacius oratione de ratione docendi Juris: *Glossas per se solas plurimum commendat docta & concisa brevitas. Glossæ inquam, ut vulgus loquitur: ut propriè loquar scholia sunt; ut Fabius docet interpretationes linguæ secretioris, sive vocum minus usitatarum, quæ verbum pro verbo reddunt*. Unde videmus Cujacio etiam displicuisse *glossarum* vocabulum.

Gravamen pro onere & molestia: quomodo Proceres Imperii *gravamina Germaniæ* inscripsere, quæ an. CIƆ IƆ XXIII. e conventu Norico miserunt Romam ad Adrianum Pontificem, postquam is spem fecisset emendandæ Ecclesiæ, Curiæque Romanæ.

Griphum in recto barbarum est. In quo etiam lapsus est doctissimus Elias Vinetus Notis in Ausonii Ternarium. Nam *Griphus*, inquit, *sive griphum*. At Latini semper *griphus* pro ænigmate: fortasse & Græci licet apud Etymologum τὸ γρῖφον legas.

Grossus, corruptum ex crassus, ut ostensum lib. III cap. XIII. Sæpe sic *grossior*, pro *crassior*, legas. Aliquos iis, quos attuli antea, nunc subdam. Hugo Victor Præfat. lib. IV de Claustr. *Mirum est, quod de manu pauperis panem requiris, nisi fortè, quod panis grossior quibusdam solet esse salubrior. Non est mihi panis de simila ingenii subtilitate discussus, sed simplicitate eloquentiæ per cribrum grossioris sensus exagitatus*. Walsingamus in Richardo *: *Mercimonia, grossioraque, quod secum opportune tollere non poterant minatus est* —— *gurgiti demandare*. Supposititius Ovidius in III de Vetula:

* Pag. 209.

> —— *Nam quod in illo*
> *Grossius est, jacet in medio subtilius extra.*

Grutaria, minutiæ ad esum, si audimus Ludovicum de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXXVII. §. XV, & CXLVIII. §. VIII. Prora ac puppis in vetus interpres Palladii in Lausiacis, cap. IX de Macario Alexandrino: ubi legas: *Alius vero grutaria vendens*. Sed locus est corruptus, legendumque *scrutaria*. Planè enim respexerit interpres, illud Lucilii, quod apud Agellium habes lib. III cap. XIV:

> *Quidni? & scruta quidem ut vendat scrutarium laudat.*
> *Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.*

Nisi forte interpres, ut à *scruta* est *scrutarius*: sic à *gruta* formarit *grutaria*. Sanè *scruta* Græcis γρύτη, quod Aristophanis scholiastes exponit λεπτὰ σκεύη. In Glossis etiam Cyrilli est, Γρυτοπώλης, *scrutarius*. Γρυτοπωλεῖον, *scrutarium*.

Gustrum, vas. Ut hymno in S. Thyrsum, & socios, quem ex Breviario Musarabum Bivarius repræsentat, ac ex eo Bollandus in Vitis SS. ad XXVIII Jan.

> *Gustrum perniciter adsert præcipes*
> *Plenum lymphâ. Caput Martyris suffocat.*

Ubi in Actis ipsis, *vas*, *lebes*, *tinna*. Fortasse corruptum est ex *haustrum*. Nam H sæpiùs abit in G. Ac *au* in U: ut *defraudo*, *defrudo*.

H.

HAbitaculum qui dixerit, idoneum quæro auctorem. Agnoscit interim in Nomenclatore suo Hadrianus Junius, ac videri possit habuisse pro Tulliano.

Habundus, abundans. Thomas Walsingamus in Richardo II †: *Transit annus iste lætus, & habundus victualibus*. Quia dicimus non modo *abundanter*, quod est ab *abundans*, ut à *constans constanter*; sed etiam *abundo*;

† Pag. 220.

eo & abundus seu *habundus* dici, unde fit *abunde*, ut à *doctus doctè*. Sed Grammatici ajunt *abunde* esse verbale ab *abundo*. Sed adverbalia potius à supino fiunt, ac in IM desinunt: ut *raptim*, *casim*. Fortasse igitur prisci dixerint *abundus*: unde remanserit abunde, ut a *doctus doctè*.

Holocaustius comparativus est barbarus ab *holocaustum*. Vide infrà *Letanias*.

I.

JEctigatio ex jactigo, à jacto, quia corpus eâ jactetur ac subsultet. Cæsar Scaliger in priorem Aristotelis librorum de Plantis†: Παλμὸν *aliquando subsilitionem sumus interpretati: barbari nostri jectigationem. Sic enim vulgus Italicum, & Francicum, vocat titillationem, paullo corruptiusculo nomine.*

† Pag. 101. edit. Crispin.

Illusoria à nonnullis dicitur gratia Dei, quâ vocat reprobos. Equidem nulla est ejusmodi gratia: cum omnis ea à φιλανθρωπίᾳ, & bonitate Dei proficiscatur: malitia verò hominis in caussa sit, cur homo non convertatur, ac resipiscat. Quod verò ad *illusorii* vocem, meliùs dicant, tali gratiâ hominibus illudi, vel eam ab illusione meta proficisci, aut simile.

Imatus ab *imus* Latinum non est. Utcunque Jacobus Constantius apud Euangelistam Matthæum cap. II, legendum censeat, *quod Herodes occidit omnes pueros ab imatu, & infra.* Ubi lectio vera est, *à bimatu & infrà*. Græcè enim est, ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω. Observavit quoque Antonius Nebressensis in Quinquagena cap. VII. Addit, Vallam secutus, pro *infra* rectius *infrà* dicendum fuisse. Sed sic præstiterit, occidisse bimulos, & qui infra hoc spatium nati forent.

Imbenedicibilis, cui benedici nequit. Poëtaster sub Ovidii nomine lib. II de Vetula:

Imbenedicibilem lex innuit illa spadonem.

Impassibilis legas apud Ecclesiasticos scriptores pro Græco ἀπαθής. Dionysius Exiguus, abbas Romanus, in vita S. Pachomii abbatis Tabennensis, quam è Græco reddidit*: *Divinitate suâ manens impassibilis, à corruptione atque interitu nos redemit.* Quomodo verò Latinum sit *impassibilis*, cum nec *passio* sit Latinum? Malim igitur *nulli malo obnoxius*, vel *pati nescius*, aut simile.

* In Prologo auctoris Græci.

Impensibilis, in veteribus glossis exponitur ἀστάθμητος: quo significatur, qui rem non perpendit ut debet: item instabilis, nec sibi constans.

Imperialis, βασιλικός, ut est in Glossis Philoxeni. Tullii ævum non agnoscit: sed *imperatorius*: quo non semel Cicero utitur. Vel maluissent pro eo peculiare ejus, qui imperium habet, vel imperatoris proprium, vel simile. Utuntur tamen JC. ut *imperialia vasa* L. III. ff. de supell. legat. *Imperiales feriæ*, βασιλικαί. L. IV, de feriis. Imò & inde formarunt *imperialiter*, βασιλικῶς, §. penult. C. de cad. toll.

Implex, pro *implicitus*, Latinum non est. At inquit eruditissimus Isacius Pontanus, cur non ut dicimus *duplex* & *duplico*, *triplex* & *triplico*, sic etiam dixerint *implex*, & *implico*. Sic ille Notis in Poëmata sua, ut tueatur, quod in Itinere Galliæ Narbonensis scripserat:

Tempus erit mihi cum meliori carmina filo
Implicibus vacuo curis, laribusque reducto
Nebunt Pierides.

Prora, & puppis ei hoc Virgilii in Culice:

Illi dulcis adest requies, & pura voluptas,
Liberaque implicibus curis.

Ubi vulgò legitur *Libera simplicibus curis.* Quod meritò displicet, cum sententia requirat, ut dicet libera magnis, & gravibus curis. Quod etiam Lindebrogius vidit: sed non propterea refugiendum ad vocem Latio ignotam, legendumque, *Liberaque implicitis curis.* Imò ipse etiam Pontanus, etsi eam divinationem certam scripsisset Notis in Macrobii lib. VII Saturnal. cap. XV: tamen Notis in Poëmata sua agnoscit per se licere, ut qui dissentiunt, apud Maronem, & pariter in suo versu, *implicitus* rescribant: tamen sententiam non mutare, & alios rogare, ut sibi liceat, & Musis canere.

Inapproximabilia principia vertit vetus S. Ignatii interpres, ubi Græcè τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα † [illegible]

† Pag. 44. edit. Amstelod. an. 44.

Incivile pro *importuno* more Gallico usurpari videas: ut illo Scaligeri in Elencho Trihæresii: *Quid incivilius te, qui nullum doctum sine contumelia nominas?* Qui & similiter *incivilitatem* dicit, eodem opere: *Non potuit in eodem loco, neque incivilitatem suam neque imperitiam opportunius ostendere.* Item: *De cujus barbarie, & incivilitate, aliàs fortasse erit expostulandi locus.* Quæ in eo etiam à Scioppio reprehensa.

Incorporeus Latinè dici, negat Bartholomæus Barrientus cap. ultimo Sylvæ suæ. Sed dubium non est, quin rectè dicatur & *incorporeus*, & *incorporalis*: illud legere est apud Senecam de Consolat. ad Helv. & Epist. CI, item Quinctil. lib. V cap. X & Macrobium lib. VII cap. XIV: Post hos usus quoque Arnobius lib. II. adversus nationes. Interea fatendum voces fuisse vulgo ignotas, & ab aliquibus fictas. Unde Agellius lib. V cap. XV: *Corpusne sit vox, an incorporeum: hoc enim vocabulum quidam finxerunt, proinde quod Græci dixerunt ἀσώματον.* Sed ecce non desunt, qui ex ipso Tullio adstruere conentur. Nam Calepinus qui (jurene, an injuriâ, nunc non disputo) Passeratii dici solet; item Nizolii Thesaurus Ciceronianus ex editione Pauli Manutii, adducunt ista loca ex lib. III Ciceronis de Finibus: *Omnis ista incorporearum rerum æstimatio splendore virtutis & magnitudine obscuretur, & obruatur, atque intereat necesse est.* Et sic quoque in nonnullis est MSS: verum in pluribus est *in corpore harum*: in Maffei libro *rerum in corpore sitarum*: prout edidit Manutiana, & aliæ consecutæ. Fortasse tamen ex *corpore harum* faciendum *corporearum*, ut sic expresserit Græcum σωματικῶν. Quod & facit libro de Universitate. *Incorporearum* autem repudiat sententia, cum virtus ipsa sit incorporea.

Incubus jam à pluribus seculis, & ut puto, etiam B. Augustino, vocatur is morbus, qui medicis Græcis ἐφιάλτης, vel ἐπιάλτης, Dioscoridi quoque ἐφιαλτῶν πνιγμός, quia nempe est oppressio & suffocatio, quasi ab aliquo, qui insilire videtur, ac voci spirituique meatum intercludit. Plinius nunc *suppressionem nocturnam* vocat; nunc *Faunorum in quiete ludibria*. Nihil verò impedit, quo minus & Græca voce *ephialta* utamur cum Tertulliano.

Incursax, sæpè incurrens. Sidonius Apoll. lib. VIII epist. XII: *Ac si tibi nunc esses ad limitem Danubinum contra incursaces Massagetas proficiscendum.*

Indentura, syngraphus. Walsinghamus in Richardo II*: *Armigero itaque limites pedes ingresso, allata est indentura quondam coram ipsis confecta, consensu & voluntate partium, in qua continebantur articuli depositi.* Cujusmodi verò ea fuerit chartarum indentatio, vide apud Spelmannum in Glossario.

* Pag. 238.

Indigus non est Ciceronis, qui præfert *indigens*. Sed utuntur altero Lucretius, Maro, Silius, & ne solos dicam poëtas. Plinius lib. VIII cap. XL, *Stipendiorum indiga*.

Indispositus Tullio quidem ignotum: sed Taciti est lib. I Hist. *Apud Vitellium omnia indisposita.* Est & Senecæ epist. CXXV: *Muta animantia perturbatè & indispositè moventur.*

Indomabilis, qui Ciceroni dicitur *imperium recusare*, apud Plautum est Casina act. IV sc. III:

Ædepol ne tu, si esses equus, esses indomabilis.

Indubitatus non est Ciceronis, qui mavult *certissimus, exploratissimus*, *quod dubitationem non habet.* Verùm *indubitatus* Plinio est frequens. Est & apud Fabium lib. IX cap. IV: *In iis verò, quæ indubitata sunt, brevior.*

Indormibilis, pervigil, nunquam somnum capiens. Ignatius epistolâ ad Polycarpum: Γρηγόρει, ἀκοίμητον πνεῦμα κεκτημένος. Quod vertit interpres: *Vigila, inobdormibilem spiritum possidens.*

Ineffabilis nescit Tullius, qui præfert Græcum ἄφατος. Sed Latinum istoc, non refugit Plinius præfat. lib. V,

popu-

populorum ejus oppidorumque nomina vel maxime sunt ineffabilia, &c. & lib. XXVIII. cap. II, *neque est facile dictu externa verba atque ineffabilia derogent, fidem validius an Latina inopinata*, &c.

Inemendabilis, pro quo Tullius *insanabilis*. Quinctiliani est lib. I cap. I.

Inenarrabilis in Tullio nusquam legas; sed pro eo *inauditus*, *incredibilis*. Sed Plinius usus lib. VIII cap. VII, & lib. XXI cap. I. item Martialis lib. II epig. X, & Agellius lib. XIII cap. XXVII.

Inexcusabilis, pro quo Tullius, *nihil habens excusationis*, apud Ovidium est VII Met.

—— *& inexcusabile pectus.*

Ineruditio est Ecclesiastici XIII. 6.

Infamatus nescit Tullius, sed pro eo dicit *infamis*. Verum Ovidii est IV Met.

Et procul insidias, infamataque relinquunt
Tecta Dea.

Infatigabilis non est Ciceronis, sed *acer*. Prius interim Plinius usurpat, lib. XXVIII cap. XIX: *alligati quoque infatigabilem cursum præstare dicuntur.*

Inficia non ausim dicere, quamquam Glossæ veteres nostræ in membranis: *Inficiæ, negationes*. Ac deinde subjicitur Terentii locus, qui *inficias* dixerit.

Infortunium non est apud Ciceronem, verum *adversa*, vel *incommoda fortuna*, *acerbitas*. At *infortunium* dicunt Plautus sæpius, Terentius Adelphis. Livius lib. I. Imò Agellius, qui sæpius antiquarius est, nec dubitat lib. VI cap. I. *infortunitas* dicere pro *infortunium*.

Infrequentatus, non frequenter usurpatus. Sidonius Apollinaris lib. IX epist. XV: *Nam metrum diu infrequentatum durius texitur.*

Infrunitus habet vetus Scripturæ interpres Siracidæ XXIII. 6. & XXXI. 23. Atque hæc etiam vox adferri solet ad comprobandum interpretationem vulgatam scatere barbarismis. Factumque hoc etiam à Clarissimo Casparo Brochmand lib. II Controvers. Sacr. de Verbo Dei †. Sed, quod pace doctissimorum virorum, dixerim, *infrunitus* non est vox barbara: sed vetus, quam nec refugerit Seneca lib. III de benefic. cap. XVI: *Infrunita, & antiqua est, quæ nesciat, matrimonium vocari, unius adulterium.* Et lib. de Vita beata: *Alterum infruniti animi est, alterum timidi, & pusilli.* Estque *infrunitus*, vel idem ac inutilis, à *fruniscor*, quod est à *fruiniscor*, uti hoc à *fruor*: vel est idem ac insipiens, ut sit ὁ μὴ φρονῶν, vel idem ac invenustus, ut sit à Venere cognomento Fruti. Frutis vero ex Ἀφροδίτης nomine truncatum. Festus: *Fruniscor, & frunitum dixit Cato: nosque cum adhuc dicimus infrunitum, certum est antiquos dixisse frunitum.* Idem: *Frutinal, templum Veneris Fruti.*

† Pag. 110. 111.

Infumibulum pro spiraculo, per quod fumus exit, legas apud Montanum Spirensem de vita Elisabethæ Reginæ cap. XX. Non ausim damnare, quia, ex Hermolai Barbari sententia sic apud Plinium legi possit lib. XXIV cap. XV: ubi codicum aliqui *infundibulum*, alii *infurnibulum*. Præterea eo magis dicere sic liceat fumaria nostra, quia novâ liceat voce uti in re nova. Nam longe alia ratio veterum in fumo emittendo: de qua re Paulus Manutius ad epistolas Tullianas, quæ scriptæ ad familiares. *Fumibulum*: ut respondeat Græco ἀποκαπνισμὸς, vel ἀποκαπνισμός: quod apud Dioscoridem lib. III cap. CXXVI: ubi περὶ βηχίου sive *de tussilagine* sic scribit: Ὑποθυμιώμενα δὲ ξηρὰ εἰς ἀποκαπνισμὸν ὠφελεῖ ξηρᾶς βηχὸς καὶ ὀρθοπνοίας ὀχλουμένους θεραπεύει, ὅταν χανόντες τὸν καπνὸν τῷ στόματι δέχωνται, καὶ καταπίνωσι. Quæ sic Antonius Saracenus vertit: *Suffita vero arida, ita ut ex iis fumus per infundibulum bianti ore excipiatur, hauriaturque, eos sanant, qui sicca tussi, & orthopnœâ infestantur.* Cum his conferamus illa Plinii lib. XXVI cap. VI: *Quidam tussilaginem esse bechion, & alio nomine chamæleucen putant. Hujus arida cum radice fumus per arundinem haustus, & devoratus veterem sanare dicitur tussim.*

Infurnibulum non ausim dicere: quamquam dicant usum esse Plinium lib. XXIV cap. XV: *Radix ejus imponitur carbonibus cupressi: atque is nidor per infurnibulum imbibitur in vetere tussi.* Sic Dalecampiana editio, & Leidensis. Sed vetus Parmensis habet *infundibulum*, atque ita quidam MSS.

Ingluvies non est apud Ciceronem: sed pro eo *insaturabile abdomen*. At prius usurpant Terentius Eun. act. V sc. IV, Virgilius IV Georg. Horat. I Serm. sat. II.

Inhumanatio est veteris S. Ignatii interpretis, qui epist. ad Antiochenos *, sic reddit Græcum ἐνανθρώπησις.

* Pag. 84. & 85 edit. Leid.

Inopinus & *inopinans* eidem Tullio ignota: sed pro priori dicit *inopinatus*: pro altero, *nec opinans*, *ignarus*, *insciens*. Sed *inopinus* est apud Maronem V, & VI Æn. *inopinans* apud Cæsarem V belli Gallici: item Fabium lib. V cap. X, & Plinium lib. III epist. II.

Inopiosus pro inops, egens vetus quidem, probum tamen, cum ipsius sit Plauti in Pœnulo, *inopiosus consilii*. Rectè igitur Gloss. vett. *Inopiosus*, ἄπορος.

Inores pro sine ore, vetus & non barbarum est. Nam apud Festum est hoc Turpilii, in acta cooperta age inores ostreas. Est & in glossario Mso: *Inora*, ἄστομα.

Insensatus ad verbum exprimit Græcum ἀναίσθητος, & usus vetus Nov. Testam. interpres. Sed classici pro eo *sine sensu*, *sine sapore*, *communi natura sensu carens*, *stupidus*, *stipes*, &c.

Insolubilis rejicitur ab iis, qui nihil amant nisi lectum sibi in libris Ciceronis: qui pro eo dicit, *quod pensari nequit*, vel *inexplicabile*. Priori modo usus Seneca in IV de Benef. *Dicetis beneficium debitum insolubile esse.* Altero Fabius lib. V cap. IX: *Ubi est signum insolubile.*

Instrumentatum non dixero, sed cum Græcis organicum. Cæsar Scaliger tamen, commentario in priorem librum Aristoteli tributorum de Plantis †, sic scribit: *Vita est actus animæ in corpore instrumentato, naturali.* Sed deinde subjungit: *Si monstrosum verbum videatur, ne armamentarium quidem, neque corporatum admittatur. Instructum dixissem, ut apud Jurisconsultos: sed ambigua vox erat.*

† Pag. 32. edit. Orispin. an. 1566.

Intellectus nunquam dicit Cicero: intelligentia sæpissimè. Prius igitur rejicit Schottus lib. III Tull. Quæst. * Sed usus eo Seneca lib. III de Benef. cap. XVII. Crebro item tum Plinius, tum Quinctilianus.

* Pag. 139.

Intentator est apud veterem interpretem Jacob. cap. I. vers. 13.

Interscapilium, pars inter scapulas. Hyginus in Poëtico Astronomico †: *In summo interscapilio stellam habet unam.* Appuleius lib. II Florid. *Cumque interscapilium* * *Crates retexisset, quod erat aucto gibbere.*

† Pag. 32. edit. Morell.

* Alii interscapulum.

Inturbatio, quies, tranquillitas publica. Walsinghamus in Richardo II †: *Datum est nobis intelligi, quòd diversi subditi nostri, qui contra pacem nostram & inturbationem populi in diversis comitatibus Regni nostri Angliæ se levarunt.*

† Pag. 268.

Inundatio, ut Tullii non sit pro eo *proluvies* dicentis, Columellæ tamen est lib. III cap. II, & Plinii lib. II cap. LXXXIV, ac lib. XVI cap. XXXVI.

Irrationabilis nescit Tullius: qui pro eo rationis expers, *mente ac ratione vacuus*: sed Quinctiliani est lib. VII cap. IV: *Falsa est finitio, si dicas: Equus est animal rationale. Nam est equus animal, sed irrationabile.* Et lib. VIII cap. VI: *Secantur hæc in plures, ut à rationali ad irrationale, & idem de irrationalibus.* Declamatione XII *Sive rationabilis casus sive cælestis providentia.*

Irrationalis, ἄλογος. Laurentius Humfredus lib. III de ratione interpretandi *: *Irrationalis tritum quidem est in circulis ac diatribis Academicorum. Pro eo Cicero utitur rationis expers, ratione carens, à ratione aversus, remotus. Alii, rationis inops, inopos.*

* Pag. 602.

Irreligiosus, ut Ciceroni incognitum sit ex iis, quæ supersunt, judicium ferri debet, sic Livio usurpatum lib. V, & Plinio epist. CXLI.

Irrequietus Tullii quidem non est, qui pro eo dicit, *sollicitus*, *exercitus laboriosus*: sed præter poëtas, uti Ovidium,

vidium, ac Martialem, habent Seneca de Consolatione ad Polybium cap. VII, & Plinius lib. VI cap. III.

Irritamentum Ciceroniastris displicet. Sed præter Ovidium usi Livius, Pliniusque.

Juramentum, cùm non modo apud Ulpianum legam, sed etiam Senecam secundo de Clementia, non quidem damno: malim tamen *jusjurandum*, vel *sacramentum*, ut Augusti ævo, atque antea loquebantur.

Jurea fit, pro jus dicitur. Philippus Francorum Rex, in Charta Rothomagensi †: *Volumus, ut nullus eorum possit retari de usura, nec jurea fiet super eum, vel super hæredes ejus post mortem suam.* Hoc est, non poterit quis propter usuram non persolutam vocari in jus: vel si vocet, judices non decident controversiam.

† In Chartis Ducum Normann. pag. 1063.

Jureconsultus pro *jurisconsultus* dici negant multi. Sed usus eo Cicero pro Muræna: *Cùm multa præclarè legibus essent constituta, ea jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt.* Quamquam Lambinus hic malit *jurisconsultorum*. Atque ita etiam sit in editione Roberti Stephani an. CIƆ IƆ XLIII. Sed aliter & Mssi, & omnes editi. Et, quod caput, Charisium sic legisse constat lib. I cap. de Analogia. Mirum tam nobilem Grammaticum hoc damnare, cùm fateatur sic scripsisse Ciceronem: atque addat, etiam Lucilium dixisse in secundo Satyrarum: —— *Ut jure peritus.* Ubi nec carminis ratio sinit, ut aliter legamus: nisi placet Selidi, ut sit, —— *juri' peritus.* Est & apud Agellium lib. XI cap. ult. *In libro Aristonis jureconsulti.* Alterum interea usitatius, etiam Ciceroni. Et sic Horat. epist. ad Pisones:

—— *Consultus juris, & actor.*

Ut ridiculus sit quidam, cui *jureconsultus* semper in ore, & scriptis. Nempe tanti hoc illi, ut mirificè sibi isto placeat.

Jurisditio, & jurisdictio, distinguuntur à recentioribus jurisconsultis. Sed prius nesciunt antiqui.

L.

LAbratum posterioribus Latinis notabat osculum, quod, manu prius ori admota, imprimebatur labris imperatoris, ac ejus imaginis. Glossæ: *Labratum*, ἀσπασμὸν βασιλέως, φίλημα βασιλικόν. Vide Salmasium Notis ad Probum Vopisci *.

* Pag. 440.

Letanias (Letanies) perperam dicunt plerique Galli pro *Litanias*. Est enim Græcè λιτανεία, ἀπὸ τοῦ λιτανεύειν quod idem ac λίπτεσθαι, vel λίσσεσθαι, *supplicare*. Sed de isto jam pluribus dixi, lib. III cap. XIX. Nunc addo barbarum comparativum *letanius*, pro litaniæ nomine dignius, uti & *holocaustius*, pro majoris pretii holocaustum. Speculator sive Gentilis Fulginas, initio commentarii in Canones Avicennæ: *Nullus est consonantior hymnus, nulla letanior letania, nullum holocaustius sacrificium invenîatur.*

Ligeantia, obligatio. Thom. Walsingus Hist. Angl. in Richardo II †: *Vos autem, qui nuncii venistis, expleto nostro mandato —— si ad nos redire decernitis, & in nostra perseverare fidelitate, & ligeantia, vitam vivetis.* Idem in Hypodigmate Neustriæ *: *Requisivit ab eis Rex in fide, & ligeantia, ut istas quæstiones fideliter responderent.* Aliter dicitur pro eo *legantia*: ut vidimus lib. III cap. XX. Atque id ἀναλόγως magis factum. Nam ut *constans constantia*: sic à *ligans* fuerit *ligantia*. Verùm *ligeantia* vel *ligiantia* formarunt à barbaro *ligium*, quod est obligatio. Unde & ligii homines, iidem vel prope iidem ac vassalli. Vide quæ de eo dicta nobis cap. antè memorato, in voce *Liga*.

† Pag. 269.

* Pag. 541.

Linguipotens, facunda. Pseudo-Ovidius in secundo de Vetula:

Occurrit tandem, quod erat paupercula quædam
Linguipotensque, mea vicina sororis. ——

Nec deterius videtur, quam Ennii hoc de Æacidis:

Armipotentes sunt mage, quam sapientipotentes.

Longimetria, & *planimetria* Geometriæ partes vocantur: quarum illa lineas, hæc superficies metitur. Sed cum μέτρον Græcum sit; *longus* & *planus*, Latina: sermoque Latinus vix hybridas istas voces admittat, malim cum aliis pro *longimetria*, *euthymetria*; ac pro *planimetria* dicere *embadometria*: quomodo *stereometriam* vocamus, quæ corporum, sive solidorum est mensuratio.

Ludiculosum, ludicrum. Petrus Blesensis serm. XLIII *Ludiculosa res est elementarius senex, teste philosopho.* Senecam signat epist. XXXVI. Sed eum est apud *ridicula*.

Lusorium pro amphitheatro est Lampridii in Heliogabalo: simili ratione ac Cassiodorus theatrum τῇ λέξει interpretatur *visorium*.

Luther est ex Gallico *loutre*, uti hoc ex Latino *lutra*. Itali similiter *lontra*. Aliter dicitur *canicula*, & κύων ποτάμιος. Nihil igitur mirum si *luther* pro *lutra* dicat Vincentius Bellovacensis; homo quippe Burgundus; Doctrinalis sui lib. XVII cap. XCIII, quod inscribitur *de Luthero*: atque incipit, *Luther est animal astutum, & malitiosum, magnitudine murilegi, forma prope consimilis, præterquam in capite.* Belgæ vocant *een Otter*. Vixit Vincentius is anno CIƆ CCXL. At *Luther* quando proprium est hominis est a Germanico *lud-heer*, populi dominus. Idem est ac *Lotharius*, quod nomen filio Cæsaris Ludovici Pii. Nempe veteres Germani dixere *leode*, unde nostrum *luyden*. Inde est, quod dicitur *Lothar*, & *Luther*, *Lodovicus*, & *Ludovicus*. Est hoc ex *leode-wijk*, vel *ludewijk*: h.e. refugium populi. Imò integre *leode* habes in *Leodicum*, ex *leode*, & *dijk*, h.e. agger. Vulgo malè pro eo *Leodium* effertur: ut dixi lib. I cap. X, & eo capiti addendis.

Lyricen recentioribus dicitur, qui Græcè λυρῳδός. Scio, *tibicinem* vocari qui iisdem αὐλῳδός, ac similiter in usu veteribus, *cornicen*, & *fidicen*. Sed quis classicus *lyricen* usurpat? Malim igitur *lyrâ canens*, vel *lyra fidicen*: ut Horatius lib. IV od. III, *Romanæ fidicen lyræ*.

M.

MAlvaticum vinum vulgo dicitur, pro quo veteres Epidaurium, posteriores Monembasiense maluissent. Nempe triplex est Epidaurus, una Dalmatica, quæ nunc Raguzi: altera Argiæ, Æsculapio inclita, quam nunc Pigiada vocant: tertia Laconica, quæ, amisso Epidauri nomine, vocata est Μονεμβασία, à μόνη ἐμβάσει, ob difficultatem accessus; ut ait Cæsar Scaliger Exercitat. CIV sect. XIX. Malvasia verò ex *Monembasia* corruptum.

Mamotrectus inscribitur liber, quo glossemata bibliorum continentur. Atque ita Erasmo, & aliis, vocatur is scriptor. Rationem nominis ipse auctor in præfatione operis adfert his verbis: *Quia morem geret talis decursus pædagogi qui gressus dirigit parvulorum; Mamotrectus poterit appellari.* *Mammotrephtus* scribi debuit. Græcè μαμμότρεφος: quod à μάμμη, vel μάμμα, *mater*, & θρεπτὸς *altus*, *alumnus*: ut propriè eum signet, qui etiamnum à matre alitur.

Manipula, scipio. Incertus monachus Suessionensis in vita S. Sebastiani cap. XII §. LX †: *Damnatus quinquennio luminibus, ut ante sancta sanctorum, manipula regente, pervenit, amissum lustro jam lumen divinitus illustratus perfectè resumit.*

† Apud Bolland. in Vitis Sanct. 20 Jan.

Manuplellum à manipulo esse, censeo. Usus Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. I cap. LIX: *Apud Marchiam in manuplello, & olivello, & turri.*

Mattus in veteribus Glossis exponitur *tristis*: teste Turnebo in Adversariis. Maximus Salmasius *, censet id factum τῇ μεταφορᾷ: quia *mattus* propriè sit *humectus*, *emollitus*: ut Isidorus in Glossis interpretatur. Egimus de hoc lib. III cap. XXIV. Dicebamus verò *mattus* corruptum videri è *madidus*. Sed summus ille vir, quem dixi, arbitratur ut *brattea* dixere pro *bractea*, *Vittorius*, pro *Victorius*: sic *mattus* fecisse à μακτὸς *subactus*, *emollitus*: quod à μάσσω, pinso, subigo. Vide eum Notis ad Vopiscum †.

* Notis ad Vopiscum pag. 461.

† Pag. 461.

Matulata, & *matellata*, pro *matula*. Vide quæ dixi lib. III cap. LII in *Terminatus*.

Mediata, & *immediata* caussa, obtinent in Scholis, more Græcorum, qui dicunt ἔμμεσος, & ἄμεσος. Magis Latinè pro *mediata* dixeris remotior, & magis universalis: pro *immediata*, propior, vel proxima, ac particularis. De *immediatus* attigimus etiam lib. III cap. XV.*

* Pag. 151.

Medietas pro parte dimidia. Cœlius Aurelianus lib. II Tardarum Pass. cap. IV: *Usque ad sui medietatem decocta.*

Melia, pro melæna, μέλαινα à μέλας. Significatur vero μελαγχολία, sive atra bilis. Pseudo-Ovidius in III de Vetula:

> *Aera sanguis habet, habet ignem cholera, terram*
> *Melia, flegmon aquam.*

Ubi *flegmon*, pro φλέγμα, pituita.

Metallus, pro *metallum*, ad Græcorum exemplum, quibus & μέταλλος. Poëta apud Spartianum in Pescennio Nigro:

> *Nigrum nomen habet, Nigrum formavimus ipsi,*
> *Ut consentiret forma metalle tibi.*

Sic codex Palatinus.

Metasthenes μετασθένης non est Græcanicæ compositionis: sed μεγασθένης, quomodo & Saturnus ab Orpheo appellatur. Quàm igitur insulsè Metasthenes dicitur suppostitius ille scriptor, quo literato orbi imponere conatus Annius Viterbiensis. Sanè vetus ille, quem se exhibere persuasum ibat, Megasthenes semper Straboni, Josepho & Athenæo dicitur.

Miliarisia, nummi minutiores: ut liquet ex Novella CV, cap. II. Ubi Græcè est Μιλιαρήσια. Haloander vertit *miliarenses*. Nomen idem sonat ac *militares*: ut ex Epiphanio†, ac Cedreno, ostensum Cujacio ad L. VII, de Palatinis sacris largition. Apud Suidam legas fecisse decimam partem numismatis, sive solidi. Eum Cujacius secutus: uti hunc Labbæus notis in Constitutiones Novellas*. Sed planè apud Suidam legi debet δωδέκατον pro δέκατον: quod Leunclavio visum ad dictam novellam, ac Meursio in Glossario.

† Lib. de mensuris ac ponderib.

* Pag. 78

Millionem vulgus dicit, pro decies centena milia, vel millies millena, vel mille χιλιάδες. Latinis è simplicibus summus est numerus mille, Græcis χιλιάς, recentiores millionem superaddunt. Is numerus est maximus. Nec in technicis damnem, quia crebrior milium repetitio & auribus molestiam parit, & rebus obscuritatem.

Minimissimus semel iterumque est apud veterem B. Ignatii interpretem in ejus, sed interpolatâ, ad Ephesios epistolâ†. Græcè est ἐλάχιστος, ut *minimus* suffecerit. Interim & Arnobii est lib. V adversus nationes, *minimissimus digitorum*. Sed eruditissimus ille Afer non optimus est Latinitatis auctor.

† Pag. 131. edit. Leid.

Morbilli ab Italis & Gallis dicuntur, quæ Hippocrati ἐκθύματα, *vari* Plinio, vel *pituita emptiones*. In pueris dixeris *variolos*, ut Belgæ, *kinder-pocken*. Possis & *ecthymata* dicere cum Hippocrate, ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν, sive ἐξορμᾶν. At si non pustulæ extuberantes, sed maculæ rubræ vel purpureæ vel etiam nigricantes, cutim occupent, Græcè sint ἐξανθήματα, Latinis *papula*, Belgis vocantur *maselen*.

Modellum in architectura nuncupant adumbrationem futuri operis, quæ Græcis σκιογραφία, vel σκηνογραφία. Latinè *modulum* potius, vel modum, quàm *modellum* dixeris.

Moderantiam pro moderatione dixit Petrus Blesensis epist. XX: *Benedictus Deus, qui ad illius status moderantiam me reduxit, ut mihi sufficiant propriæ facultates.*

Moro pro μωρός, stultus. Ennodius in Epigrammatis:

> *Cur te Virgilium mentiris, pessime, nostrum?*
> *Non potes esse Maro, sed potes esse moro.*

Schottus maluisset, *morus at esse potes*. Sed in Ennodio multa occurrunt, tempori, quo vixit, condonanda.

Multimonus legas, ut *multimodus*. Nam illud S. Ignatii initio epistolæ ad Magnesios, τὸ πολυεύτακτον, vetus interpres reddit *multibonam* ordinationem.

Muscatam nucem à *musci* odore appellant vulgò, quæ rectiùs *odorata* diceretur, vel, Græcâ appellatione, *aromatica*, aut *myrepsica*: ut dictus κάλαμος ἀρωματικός, vel μυρεψικός, qui recentioribus Græcis μυρεψικός.

Muscatella uvæ vocantur Italis, Gallis, Hispanis, Belgis, quæ Columellæ, ac Plinio *apiana*. Nomen hoc, ut iidem testantur ab apibus, quæ earum avidæ: uti & muscæ, unde nomen *muscatella*. Etiam Petrus Apianus, clarus Mathematicus, cùm Germanicè diceretur *byne*, quod *apem* notat, hinc *Apiani* nomen adsumsit.

N.

NOcticorax perperam in quibusdam Mssis est Psal. CI. vers. 7. pro *nycticorax*: pro quo & corruptè quidam contendit *nycticora* scribi oportere. Vide Rosweidi ad Paulini epist. XXXVI.

Notorius —— Ideo Boëtius Jurisconsultus Frisius in præfatione antiquitatum Ecclesiasticarum cautè admodum sic scribit: *Quod quia notorium prorsus, ut cum nostris loquar auctoribus.* De *notorietas* dixi lib. III. cap. XXIX*. De *notoriè*, lib. IV. cap. XXXIV†.

* Pag. 173.
† Pag. 159.

Novatianenses vocat Cyprianus, qui melius dicerentur sectatores, vel asseclæ Novatiani. Nam terminatio ENSIS potius est gentilium: ut *Corinthiensis*, *Hispaniensis*. Vulgò *Novatianos* dicunt, pro *Novatiananos*: quæ vox dura est, & ingrata auribus. Sed sunt & alia ubi κατὰ συγκοπὴν syllaba præteritur, ne durius repetatur. Qua de re libro primo dixi, cum de *Amphibologia* vocabulo, pro *amphibolologia* agerem.

O.

OCternio pervulgatum pro libri alicujus foliis octonis. Nempe finxere eam vocem ad modum, quo diceretur *quaternio*. Sed est dissimilis ratio. Nam a *quater* fit *quaternio*. At non *octer* dicimus, verùm *octies*. Quocirca malim *octonio*, ut ἀναλογία saltem in novo servetur vocabulo. Ut enim ab *senus* senio, sic ab *octonus* fuerit *octonio*. Firmat etiam quod non *quinternio* dicatur, sed à *quinus*, *quinio*. Tertullianus lib. de anima cap. XLVI: *Cætera cum suis, & originibus, & ritibus, & relatoribus, cum omni deinceps historia somniorum, Hermippus Berytensis quinione voluminum satiatissime exhibebit.*

Octoties, pro *octies*, barbarè scripserat auctor vitæ Karoli Magni ad annum DCCCVII, his verbis: *Stella Mercurii XVI Kal. April. visa est in Sole, quasi parva macula nigra: tamen paullo octoties à nobis ita conspecta est. Sed quando primum intravit, vel exiit, non potuit annotari.* Vulgo *octo dies* legitur: sed Joannes Keplerus, Cæsareus Mathematicus, in Nuncii siderii appendice, quæ est de phænomeno singulari*, pro *octo dies* legere jubet *octoties*. Movet eum, quòd Mercurius retrogradus Soli corpore suo junctus non octo dies, sed solùm sex septemve horas sub sole possit incedere, ob cursus sui velocitatem. Nec putandum, errâsse scriptorem, cùm insignis fuerit Mathematicus: qualis nisi fuisset, non tam insolens phænomenon in Sole observâsset. Nam si pauci vident atrum illud punctum in extrema parte corporis Lunaris, etsi conspectus noster perferat intuitum Lunæ: quis, nisi Mathematicus curiosè adeò Solem observet, ut videat maculam illam? Nec historiæ obstat, quòd illum Mercurii, & Solis congressum, referat ad annum DCCCVII, qui fuit anno sequenti. Nam annum cœpit à festo Paschatis; ut solent Galli, & Angli scriptores; sicut alibi diximus.

* Florentiæ edit. an. 1610.

Oenomelli est apud B. Ignatii interpretem epistolâ ad Trollianos†. Græcè est οἰνόμελι. Ac malim similiter *oenomeliti*, vel potius Latinè *mulso*. At *oenomel*, foret hybrida vox ex Græco, Latinoque.

† Pag. 159 edit. Leid.

Omnipotentatus, omnipotentia. Pseudo-Ovidius lib. III de Vetula:

> *Omnipotentatus non posset inesse duobus.*
> *Quare nec deitas. . .*

Omnitenens non refugit Ignatii interpres epist. ad Trallianos, ubi Græcè Παντοκράτωρ *.

* Pag. 159. edit. Leid.

Ossum, pro *os*, cujus genitivus *oris*; ut differat ab eo, quod est *os ossis*. Augustinus lib. IV de doctrina Christiana cap. X: *Cur pietatis doctorem pigeat imperitis loquentem ossum potius, quàm os dicere, ne ista syllaba non ab eo, quod sunt ossa, sed ab eo, quod sunt ora, intelligatur, ubi Afræ aures de correptione vocalium, vel productione non judicant? Quid enim prodest locutionis integritas quam non sequitur intellectus audientis, cùm loquendi omnino nulla sit caussa, si quod loquimur, non intelligunt, propter quos, ut intelligantur, loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba, quæ non docent.* Addam ex eodem Augustino duo alia loca, sed fide Maximiliani Sandæi in Grammatico Profano. Priorem adducit è Psalmo, ut ait CXLVIII: *Ego dicam* OSSUM. *Sic enim potius loquamur: melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.* Alter est iste: *Plerumque loquendi consuetudo vulgaris utilior significandis rebus, quàm integritas literata. Mallem quippe cum barbarismo dici: Non est absconditum à te ossum meum: quàm ut esset ideo minus apertum, quia magis Latinum est.*

P.

P*Aracœnium*, ad instar vocabuli antecœnium, quod usurpat Appulejus. Joannes Saresberiensis Policratici lib. VIII cap. VII: *Nam & ipse famosam, imò infamem fecit cœnam, & anticœnium, vel ut ait Portunianus, paracœnium, tantâ instruxit luxuriâ.*

Particata, vide *Perticata*.

Pascua in recto singulari dixere posteriores. Unde Psal. XXII: *In loco pascua ibi me collocavit.* Ac similiter Tertullianus Apolog. cap. XXII: *Accuratior pascua.* Similiterque Arnobius Junior in Psal. CX: *Statuens eis pastores, & pascuas.*

Passionatus, affectui indulgens, affectu abreptus, quem affectus de statu rationis deturbârit. Thomas à Kempis de Imitatione Christi lib. II cap. III: *Homo passionatus etiam bonum in malum trahit.* Sic & Itali loquuntur: verùm & Belgæ pro eo, *een gepassit mensche*. Ut frustra sit Joannes Gersen, Abbas Vercellensis Benedictinus ex eo, inter alia colligere amat, scriptorem ejus pii opusculi non Belgam fuisse, sed Italum.

Paulatina incisura est apud Theodorum Gazam in Historia Plant. lib. IX cap. II. At Græca solum est, διὰ τῆ ὑπομυλιᾶ. Miratur etiam vocem Animadversionibus ad eum locum Cæsar Scaliger.

Peccaminosus, peccato pollutus. Thomas Kempensis lib. III de Imitatione Christi cap. L: *Ne despicias peccaminosam vitam meam.*

Perapsis perperam pro *paropsis*. Walsingamus in Richardo II †. *Rex Franciæ consedit in dextera parte aulæ, cui servitum fuit regaliter more suæ patriæ, i. de omnibus cibariis primi cursus, simul in magna perapside, & de secundo cursu eodem modo. Paropsis* est apud Martialem lib. XI epigr. XXVIII.

† Pag. 353.

Perticata, pro quo corruptius aliqui *particata*, terræ portio, à pertica, qua eam sint demensi. Leges Scoticæ opere in eo quod dicitur, *Quoniam Attachiamenta*, cap. LVII, §. VIII: *Tu ei injustè deforcias, quandam perticatam terræ, vel peciam terræ.* Leges burgorum per Davidem, primum ejus nominis Scotiæ Regem editæ, cap. I. §. I: *Imprimis quilibet burgensis debet domino regi burgagio, quod defendit, pro particata terræ, quinque denarios annuatim.*

Phalanga, pro phalanges. Supplementum Histor. Gregorii Turonensis cap. XXXVII: *Uterque phalanga ordines jungunt ad prælium.* Vita S. Othonis lib. II c. XXIII: & Petrus Damiani lib. II epist. XV.

Physianomici, physiognomici. Pseudo-Ovidius lib. I de Vetula:

> —— *Et ibi faciebant*
> *Discerni per judicium physianomicorum*
> *Quæ quibus ars discenda foret.*

Videntur ut dicimus *astronomia*, sic à φύσις, & νόμος finxisse *physianomia*.

Physiognomia vulgò appellatur peritia de ingenio ac moribus hominis judicandi ex conspectu corporis, ac præcipuè faciei. Sed dicendum *physiognomia*. Nam à vocabulo φυσιογνώμων est φυσιογνωμονεῖν, & φυσιογνωμονία. φυσιογνώμων etiam Ciceroni Zopyrus vocatur lib. de Fato. Pythagoram solere φυσιογνωμονεῖν adolescentes, qui ad discendum se obtulissent, refert Agellius lib. I cap. IX. Atque hinc dicta φυσιογνωμονία, & φυσιογνωμικά: quomodo Aristoteles, Polemon, & Adamantius, suos inscripsere libros. Scio, in prioribus editionibus, ut Leoniceni, Isengrinii, & Camotii, φυσιογνωμικά legi. Sed in Casauboniana est φυσιογνωμονικά, uti & Sylburgiana. Ac firmat hanc scripturam quod initio ejus libri * Aristoteles dicat φυσιογνώμων, & φυσιογνωμονεῖν. Quare ἀναλογία non sinit, ut aliter dicamus, aut scribamus.

* Cap. I.

Piissimus damnat M. Tullius in Antonio Philipp. XIII: *Tu ne pius quidem, piissimos quæris: & quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam divinam mentem novum inducis.* Quomodo non scripsisset Cicero si jam anno Urbis Cond. CCLV sic locuti essent veteres Romani: quod aliquis colligat ex lapide.

Placitatus, gratus, acceptusque, sive qui civibus suis placet. Chronicon magnum Belgicum †: *Finito bello illustris Domicellus de Arckel aliquot horis in publica platea in proprio sanguine, & sterquilinio volutatus permansit, donec per inimicos, & alios levatus, lamentabiliter prope progenitores suos in eodem oppido est sepultus, cum hoc Epitaphio:*

† Edit. Pistoriana pag. 362.

> *Wilhelmus gratus Arckel Domicellus amatus,*
> *Vir bene formatus, sapiens, audax, placitatus.*

Planisphæris vox usitata est Mathematicis; ut cum Ptolomæi, vel Jordani, planisphærium ajunt. Sed vox est hybrida ex Latina, & Græca. Malim igitur dicere *sphæram in plano descriptam*.

Ponticitas Avicennæ, & Isaaci interpretibus vocatur, quod Græcis dicitur στυφόν; sapor nempe linguam admodum adstringens: qualis est glandibus: ut est apud Jo. Manardum lib. I epist. III. Sic video & uti interpretem Averrois Collectaneorum lib. VII cap. XVI: *Et est illud vinum, quod est vinosum, pungitivum in principio, & post delectabile sine aliqua amaritudine, & ponticitate.* Et video uti alios permultos: in his Arnoldum de Villa nova: ubi agit de uvis raspaciis, sic dictis à Germanico *rappen*, quod à Gallico *grappes*.

Potabile dicunt pro eo, quod Græcis πότιμον, Latinè sit potui aptum, ad bibendum idoneum, jucundum, gratum. In hujusmodi verbalibus nimium sibi juniores permisere. Quâ de re sic Laurentius Humfredus lib. III de ratione interpretandi *: *Hic multum sibi usurpavit juris in fingendis vocabulis superciliosa hominum barbarorum audacia, cùm σηπτὰ putrescibilia, θλαστὰ frangibilia, θραυστὰ comminuibilia, τμητὰ truncabilia, τηκτὰ liquabilia, πηκτὰ concretibilia, ἄπηκτα inconcretibilia, ψαθυρὰ friabilia, μαλακτὰ mollificabilia, & contrà immollificabilia in Aristotele convertendo insciè, & insulsè dicerent.*

* Pag. 604.

Potestativus apud veterem B. Ignatii interpretem, epist. ad .... † ubi Græcè ἐξουσιαστής.

† Pag. 83 edit. Leid.

Præconisatio in Curia Romana nuncupatur proclamatio & velut præconium eorum, qui ad gradus Ecclesiasticos, sacrosque ordines promoventur. Est verò similis præconio hieronicarum & athletarum, cum victores eos pronunciaret præco. Vide Petrum Fabrum Agonisticôn lib. II cap. XIII.

Prædecessor vulgò appellatur, qui simpliciter vocandus est *decessor*. Sic enim eum, qui magistratu defunctus de provincia decedit, eamque successori tradit, appellat Ulpianus in L. Observare. ff. de officio proconf. *Recti autem,*

&

& ordine faciet, si ductum decessori suo miserit, significetque, quo die fines sit ingressurus.

Primitia, pro primitiæ. Augustinus lib. V de locut. Sacræ Scripturæ, quæst. LV, in illud Numer. XVIII. *Omnis primitia olei. Neque hoc*, ait, *quod dictum est* PRIMITIA, *Latinum videtur: primitia quippe numeri tantum pluralis dici solent. Sed si potuerunt interpretes nostri transferre, quod in Græco invenerunt: Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus; cùm sanguis in Latina lingua numeri tantum sit singularis, cur etiam hic piget, & singularem numerum* PRIMITIA, *sicut habet Græcus, exprimere?*

Procerto, ut Belgis *een voor-vechter*. Quemadmodum *volo*, —— & *incubo*, nunc verbum, nunc nomen est: ita etiam junioribus *procerto*. Julius Capitolinus in duobus Maximinis: *Primâ quidem pueritiâ fuit pastor, nonnunquam procer, qui latronibus insidiaretur.* Ubi membranæ Palatinæ, & vetus editio *procerte*, ex quo *procerto* legi debere, facilè Salmasium acumen vidit.

Progenitoriale prædium vocatur à veteri interprete Novellarum, ubi Græcè Novell. XXI cap. II, & Edict. III γενεαρχικὸν, χωρίον, vel γενεαρχικόν. Haloander Græcam *genearchi* vocem retinet. Sic verò dicitur, quia à progenitoribus hæreditate habemus: ut Germanis & Belgis ideo *allodium* vocatur, quasi *al-out*, omnino vetus: ut dicebamus lib. I cap. II. Contrarium est feudum sive prædium militare: quod habemus Principis beneficio: unde & propterea obstringimur ad militandum ei: cùm contra allodium liberum sit a functione militiæ. Itaque γενεαρχικὸν sive allode à Constantino Porphyrogennetæ * vocatur κτῆμα τέλειον, ἢ τῇ στρατείᾳ ἀκαταδούλωτον h. e. *proprio jure possessum, non cum servitute militandi.*

* Tit. περὶ γεννημάτων, h. e. prædiis militaribus, sive feudis.

Pro-oppidum voce fictâ vocat Bembus, quod Tullius *suburbium* dicit.

Propina est voluntaria, & gratuita oblatio Papæ vel Curiæ Romanæ ab iis facta, qui dignitatem aliquam Ecclesiasticam affectantes in dissensu eorum, quorum erat illam conferre, Romam appellarunt, atque hac ratione consecuti sunt, ut aliis præferrentur. Hoc clarè docet Clemanges, libro de Annatis non solvendis: atque addit vocem esse Alemannicam: eoque inter vocabula ortum barbara referebamus libri superioris cap. XV. Sed quid si dicamus, vocem quidem esse Alamannis usitatam, sed Latinæ tamen originis? Nempe quia hoc donum ad testificationem grati animi sponte collatum; simile foret propinationi convivantium, ac jubentium ei poculum infundi qui bene meritus fuerit, vel saltem cui quis optimè velit? Certè Germani, & Belgæ, uno eodemque verbo efferunt, & donare, & vinum infundere. Id verbum est *schenken*. *Propina* igitur sit donum, quod qui dat spontè dat, & pro minuto ipse habuit, uti si amico propinaret: quale donum quantillum! Sanè in fortissima gente Germanica sed poculis usque adeò addictâ, minùs mirandum si à compotationibus suis tralationem petierit. Quæ cum scribo, ipse iis diffido. Sed nostrâ hac conjecturâ aliis fortasse occasionem dabimus meliora afferendi.

Psaltericen ἀναλόγως dici, censet H. Stephanus libro de Analogia cap. XXII. Sed aliter est. Nam ut à *tibia* est *tibicen*, sic à *psalterio* foret *psaltericen*. Neque enim simile est, ac *fidicen*, *tubicen*, *cornicen*: ubi crasi non fuit locus. Interim neque *psaltericen* magis dicam, quàm *citharicen*. Neutrum enim obtinuit. Dixeris pro posteriori in usu fuisse *citharœdus*, è κιθαρῳδὸς, ut αὐλῳδὸς, ab *aulœdus*: posse igitur similiter *psaltericedus* dici ψαλτηριῳδός. Non refugerem, si vel Græci usurpassent. Nunc quid opus, cùm liceat ψάλλειν?

Q.

Quaternionis vox usitata est typographis de foliis in octo pagellas sic quatuor foliola complicata. Aliis de rebus etiam dici, tradit Georgius Henischius libro de veteri & recenti numerandi ratione †: atque id adstruere conatur auctoritate Zonaræ, qui dixerit: *Quaternio alarum quatuor orbis partes notat.* Mallem dixisset Zonaræ interpretem: cùm Græcus sit scriptor. Locus apud Zonaram est Tom. I Annal. * ubi refert visiones Danielis de monarchiis IV, ac inter alia narrat, ut pardus cum quatuor alis in dorso significarit Alexandri Magni Imperium per quatuor mundi plagas. Ἡ τέτρας (πτερῶν) τὰ τέσσαρα τῆς οἰκουμένης μέρη ὑπῄνιττε. Quod interpres Hieronymus Wolfius reddidit: *Quarum* (alarum) *quaternio quatuor mundi partes notabat.* Vide & quæ de hac voce dicimus lib. III cap. XL.

† Pag. 20. edit. August. Vindel. an. 1605.

* Pag. 90.

Quotennis approbat Calepinus. Ut si dicam; Hic quidem est decennis: at tu quotennis? Sed Latini pro eo, *quot es annorum*, vel *quot annos habes?* Plautus Menæchmis: *Quot eras annos natus, cùm te pater à patria avehit?* MEN. *Septuennis.*

R.

Recorporativum, corpus instaurans. Cælius Aurelianus lib. III Tardarum cap. VI: *Tum recorporativis utendum curationibus, quo reformata corpora, vel, ut ita dixerim, refectis vitiosis carnibus, ac renascentibus novis, reparata redeant ad memoriam sanitatis.* Vide *Recorporare* lib. IV cap. XX.

Repertorium barb. pro *indice*.

Requietio, pro *requies*, vel *quies*. Interpres epistolæ Barnabæ: *Quis locus erit requietionis meæ.* Ubi Græcè τίς τόπος τῆς καταπαύσεώς μου. Locus est Jesaiæ LXVI. I. & exinde Act. VII. 49. Ubi similiter non modò vetus interpres (qui & crebro in V. T. usurpat) sed etiam Erasmus.

Ruditas, non dixero, sed imperitia, aut disciplinarum, vel rerum inscitia, aut ignorantia. In Thesauro linguæ Romanæ exponitur *obtusitas ingenii*. Sed neque *obtusitas* melius est, quàm *ruditas*.

S.

Sacrificatorium est apud veterem S. Ignatii interpretem, epistola ad Romanos; ubi Græcè est θυσιαστήριον.

Salia legas apud Anselmum Boëthium lib. I de lapidibus & gemmis cap. XIII & alibi. At plurativo solum *sales* habet genere virili. Hoc si ambiguum videtur, dixeris *diversa salis genera*.

Saltabella, saltus exiguus, quasi à *saltabulum*; quod simile foret ac à stando stabulum. Franciscus de Petris Jurisconsultus Neapolitanus lib. II cap. I. *Estque saltabella quædam insolubilis, ut Accursii verbis utar, in L. Claudius Felix, ex eo textu, ff. qui potior. in pignor. hab.*

Sario Ausonio fuerit piscis ætate media inter salmonem & salarem: si postremis Calepini editionibus credimus. Sed eum qui hæc adsuit, vitiosi codices deceperunt. Nam piscis is Ausonio non *sario*, sed *fario* est.

Satyroma, pro Satyrica poësi, legas apud Rusticum Elpidium, Boëthii æqualem:

Garrula mendosis fingens satyromata Musis.

Ferrem, si diceretur σατύρωμα, unde ἀναλόγως foret σατύρωμα. Sed non sic Græci, verùm σατυρίζω, unde σατυριστὴς, qui *Satyrorum scriptor* Horatio est epist. ad Pisones.

Scilliticum acetum dicitur officinis, quod dicendum *scilleticum*. Etiam apud Palladium opere de R. R. capitis lemma est in codd. editis *De aceto scillitico*. Sed Elias Vinetus ad Ausonii epist. V. quæ scripta ad Theonem, ait in veteri suo codice MSo esse *scillètico*. Possis pro eo & *scillite* dicere cum Ausonio, & *scillino* cum Sereno Sammonico.

Scrofula, ut Græcis χοιράς, veteribus *struma*. Legas in Vita S. Claræ, cap. XXIX: *Tumores gutturis, quos vulgari sermone scrofulas vocant.* Est is morbus, quem Galliæ Reges solo contactu sanare creduntur. Χοιρὰς dictus à χοῖρος *porcus*, *scrofa* quia porcis similes in gutture tumores oboriantur. Vide Celsum lib. V cap. XXVIII, & Plinium

nium lib. XI cap. XXXVII. Cælius, in Foro Romano, voce *Struma*, ita loquitur, quasi id Celsus diceret scrofulam vocari. Ac planè aliter est: neque eo seculo *scrofula* vox pro morbo erat nota.

Scurrilitas vulgo obtinet. Dicam pro eo *obscenitas*, vel *jocus scurrilis*.

Sectatio pro *affectatio* Latinum non est: uti nec *sectatrix* pro *affectatrix*.

Sellaris —— Meurs. Σέλλα. Constit. Neapol. lib. III tit. LVI. leg. I.

Semisperium, pro semisphærium, dimidia sphæra, etiam ad oculorum dimidium transfertur, ut quando connivemus. Ineptus sub nomine Ovidii in secundo de Vetula:

> *Occultans oculos circumstat ibi seriatim*
> *Palpebra, ne ladat extrinseca caussa superbos*
> *Ac indignantes, & semisperia nutu*
> *Claudit lascivo.*

Cum spiritu ac usitatè magis de mundo legas lib. III:

> —— *Ad instar*
> *Orizontis, qui duo semisphæria mundi*
> *Visum scilicet à non viso dividit æquor.*

Est vox hybrida, ex Latina Græcaque: pro qua malim planè Græcanica ἡμισφαίριον. Usus Plato in Axiocho.

Sicla posterioribus seculis aliqui dixere pro beta. Nempe quia beta quædam Sicula diceretur, unde vox contracta. Duplex enim beta, candida, nigraque. Posterius generis, quod paucioris erat seminis, Siculæ habuit nomen, unde ut dixi, Sicla. Schola Salernitana cap. XXX:

> *Sicla parum nutrit, ventrem constipat, & urget.*

Similares, & *dissimilares* partes vocamus, quæ meliùs *similes*, & *dissimiles* dicuntur: nempe quia illæ toti, & inter se, sunt similes, hæ dissimiles. Vel priores *simplices*; posteriores *compositas*, aut *organicas* dixeris.

Siphac. —— Pseudo-Ovidius lib. II de Vetula:

> *Sive quibus solitis thalamos violare pudicos*
> *Deprensis in adulterio, genitalia membra*
> *Iracunda manus sponsi violenter ademit.*
> *Sive quibus ruptura siphac ita magnificari*
> *Cœpisset, quod non prohiberet in oscea casum intestinorum.*

Siphylis non dixero, sed morbum Gallicum, vel luem Veneream. Nam quid opus sic loqui, ubi Latina suppetunt æquè bona? Nec tamen Fracastorium culpo, qui Græcum illud finxit ἀπὸ τοῦ σιναι τὰ φίλα. Sed aliud poëtam decet, aliud vulgarem sermonem.

Solarium, pro heliocamino, h. e. loco ædium excipiente Solis calorem, in quo apricarentur, etiam apud Plautum legas milite actu 2 scenâ 3, *neque solarium neque hortum, nisi per impluvium*. Item in Augusti dicto lib. II. Saturn. cap. IV. In Glossis Cyrilli redditur ἡλιαστήριον. Sed posteriores usi pro suprema ædium parte Soli maximè exposita: à qua significatione est Germanicum *soller*, vel *solder*. Sic Ulpianus usus: ut necesse non habeam advocare Cæsarium Heisterbachiensem lib. III Miraculorum cap. VIII & XXXIII vel etiam Matthæum Parisiensem: cujus hoc initio anni CIↃ CLXI, *Dormiens igitur de nocte in solario quodam, quod ecclesiæ villa, ac cæmeterio imminebat.* Similiterque idem alibi usurpat: uti & Anastasius bibliothecarius, Houedenus, alii. Legitur quoque ea vox apud memoratum antea Cæsarium lib. XI cap. XLV, ubi ait: *Inter avaros pœnas solvent etiam advocati, qui modo solaria pinguia recipiunt, & caussas subvertunt.* Sed *salaria* rescribendum.

Somniosus, somno marcidus, veterno laborans, vel huic similis. Cælius Aurelianus: *Quidam parvâ conversione mentis afficiuntur, ut aut alienentur, aut tristes & somniosi videantur, ut si eos quisquam è somno excitet, aliquid alienum loquantur.* Non video cur elegantem vocem dicat Barthius in Adversar. lib. XXXVIII cap. III.

Sotular, calciamenti genus. Ut apud Matthæum Parisium in vita Guarini, abbatis XX S. Albani: *Hic quoque sotulares corrigiatos, pro ocreis de cute, quam vulgus Bazam appellat, commutavit.* Sed videtur non tam ortu barbarum quàm ex codd. B. Hieronymi, jam ante Parisii tempora corruptis, vocabulum hoc irrepsisse. Diximus de istoc vocabulo superius lib. I cap. VIII, & de arte Grammatica lib. III, sive primo de Analogia cap. XXIX.

Spatha, pro longiori ense, ut legatur apud Appuleium; non tamen Latinum puto: potiùs hunc dicam more suo, Græcissare. Nam sic σπάθης vocabulo usi Euripides, Menander, Philemon: ut est apud Pollucem. Eoque de veteri etiam ævo, non suo duntaxat, locutus sit Hesychius, cum ait: Σπάθη, μάχαιρα, ξίφος. Ac idem legas in Glossis Cyrilli, sive Benedicti abbatis Floriacensis. Posteriores & hastam sic dixere. Cedrenus: Ἡ σπάθη ἐστὶ καὶ δόρυ. Hinc Germanis ac Belgis *spiess*, sive *spies*, hasta: & *speet*, vel *spit*, veru. Augustinus in Psal. CXLIX: *Frameа, quam spatham vocant.* Pro ense agnoscit etiam Isidorus lib. XVIII cap. VI. Ubi geminum adducit etymon: unum à παθεῖν, alterum ex eo quia spatha sit spatiosa lataque. Sed planè Græcum esse, liquet ex iis, quæ memoravimus. Usurpant quoque Chartæ Ducum Normanniæ*: *Item diximus per sacramentum nostrum quod vidimus Heinricum & Richardum quondam Reges Angliæ tenentes placitum spata in civitate, & banleva Lexovii.* A *spatha* Vegetius auctor est *semispatam* dici minorem ensem. Proque eo & *semispathium* legas in Legg. Burgund. tit. XXXVII: *Quicunque spatham aut semispathium ad percutiendum eduxerit.*

* Pag. 1060.

Species junioribus Medicis, pro speciebus aromaticis; quomodo & Græcis recentioribus myrrha, Ἀραβικὸν εἶδος, silphium λιβυκὸν εἶδος. Sic aromata Germanis *speceren*, Belgis *specerie*, & affines voces Anglis, Italis, Gallis, Hispanis. Joannes de Hese, presbyter Trajectensis, qui paullo ante annum vixit CIↃ CCCC, in Itinerario suo: *Ad illum campum* (Helym, quatuor dierum itinere à monte Sinai distantem) *non possunt venire animalia venenosa. Et crescunt ibi multa bona species.* Significat crescere ibi multa aromata, ac herbas medicas, serpentibus adversas, unde ea loca refugiant serpentes. Idem paullo pòst: *Non utuntur pane, sed herbis, speciebus, & lacticiniis, ut bruta.* Odoricus in Peregrinatione sua cap. III *In ipsa nascitur camphora, cubeba, crescunt & melegeta, nucesque muscata, & multa species pretiosa.*

Squinanthus barbarè Gallis vulgo, quasi σχοίνου ἄνθος. Celsus *juncum rotundum*. Plinius *juncum* vocat *odoratum*: qui & in Campania nasci ait.

Statio quid Romanis in re nautica dicatur, satis est apertum. Uti etiam in militia sic vocari excubias & vigilias, quas stantes obibant. Atque in Ecclesia (ut Tertullianus ait lib. de Oratione) *statio de militari exemplo nomen accepit.* Notat verò Ecclesiasticis scriptoribus sacram divini officii ac jejunii observationem usque ad Eucharistiam horâ diei nonâ acceptam. Idem Tertullianus eodem libro: *Similiter de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergò devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? nonne solennior erit statio tua, si ad aram Dei steteris accepto corpore Domini, & reservato utrumque salvum est, & participatio sacrificii.* Idem lib. II ad uxorem: *Ut si statio facienda sit, maritus de die condicat ad balneas; si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat.* Item de Jejuniis cap. XIV: *Stationibus quartam & sextam Sabbathi dicamus, & jejuniis parasceuen.* In Actis S. Fructuosi, & sociorum, quæ ex vett. MSS. edidit Bollandus ad XXI Jan. §. III: *Cùmque multi ex fraterna charitate eis offerrent condimentum, uti permixtum poculum sumeret, ait: Nondum est hora solvendi jejunii. Agebatur enim hora diei quarta: siquidem in carcere quarta feria stationem solemniter celebraverunt. Igitur sextâ feriâ lætus atque securus festinabat, uti cum martyribus, & prophetis in paradiso, quem Dominus præparavit amantibus se solveret stationem.* Sive, ut in quibusdam est MSS. *solveret jejunium stationis.* Sed puto posterius hoc esse è glossema-

semate. Porro de Fructuoso isto sic eleganter expressit Prudentius:

Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes.
Jejunamus ait, recuso potum.
Nondum nona diem resolvit hora.
Nunquam conviolabo jus dicatum.
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.

Rabanus Maurus lib. II de Instit. Cler. cap. XVIII: *Jejunium est cujuslibet diei abstinentia, non per legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio, observatio statutorum dierum: ut quarta, & sexta feria, vel quadragesima.* Quæ descripsit ex Isidoro lib. VI Orig. cap. ult. Eum adi. Nam fusius totam rem exposuit. Satis verò ex eo, & quæ antea adduxit, liquet, jejunium laxè acceptum, & stationem, differre ut genus & speciem. Siquidem omnis statio est jejunium, non contra. Sed quando jejunium pressè sumitur, tanquam species stationi opposita, id jejunium intelligitur, quod Ecclesia non præscripsit, sed sponte præstamus. Nempe idem est generis nomen & speciei: quomodo σημεῖον dividitur in σημεῖον, & τεκμήριον: de quo dictum nobis in Oratoriis Institutionibus lib. I cap. II sect. III.

Strata in plurativo dixero, cum Marone, cujus est *strata viarum* I Æn. Non item *stratas* in muliebri dixero, intelligendo *vias*. Quomodo Juvencus lib. I:

Vox late resonat desertis vallibus amplas;
Sternite jam stratas, omnis sit recta viarum
Semita, qua Domini rectè vestigia gestet.

Et lib. II:

En ego mitto meum stratas aptare ministrum
Ante tuos vultus.

Ubi in *stratas* intelligi vias, ipse lib. I Juvencus ostendit, his verbis:

Illum per vicos, urbisque per abdita tecta,
Perque vias stratas, per notos, perque propinquos
Quærebat genitrix.

Ἁπλῶς verò, ut poëtam alium, sed seculis pluribus juniorem adferam, Joannes Hantvillensis, Archtremii lib. VI:

Semita delicti, culpa via strata viarum.

Item Joannes Sarisberiensis Carmine, quod Nugis curialium præmisit:

At si defuerit, longas protende dietas,
Contineatque pedes publica strata tuos.

Et ne versibus insistam, similiter Steno in Historiæ Danicæ Compendio, (quod beneficio Stephani Stephanii debet Resp. literaria) cap. III: *Immanissimi muri obicem hoc objeci intuitu, ut quod toti prius regno patebat pervium, nunc muri obstaculo stratâ communi obstructâ, exeuntes portâ cohibeat angustissimâ.* Matth. Parisius in an. CIↃCCLI: *In via, quæ strata publica est, & nimis trita hominibus, & bigis.* Ac postea: *In una strata, sine aliorum intermixtione ad cautelam hospitabantur.* Usurpat quoque Petrus de Vineis lib. III epist. LXVIII, & seq. Idem lib. V epist. I: *Purgando provinciam malefactores inquiras, & punias inquisitos, & specialiter eos, qui stratas, & itinera publica ausu temerario violare præsumunt.* Belgis similiter ἁπλῶς *straeten*. Nomen *stratarum* ex eo quia lapidibus sternerentur. Ut in *quartana* intelligitur febris, ita in *strata* intelligitur via: sed posterius hoc præter usum veterum, quibuscum loquendum.

Stabilo. —— Suppositítius Ovidius in I de Vetula:

Ventilabro moto passim stabilone ligato
Fila supertractur m eis. ——

Stella, pro impostura, apud Aldhelmum.

Machina detegitur cacu frustrata stellis.

Sic ex Jureti codice restituit Salmasius in notis ad Spartiani Pescennium Nigrum. Canisius *sutellis* ediderat, metro invito. Salmasium sequitur Ludovicus de-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. XIV. Sed ipsum potiùs Salmasium adi, qui pluribus hæc firmat.

Stemma, diadema. Secundum hoc Codini: Ὁ στεφανωθεὶς τοῦ σέμμα, ὀνομάζεται παλαι Διάδημα. Si Ludovicum de-la-Cerda audimus, in Adversariis sacris cap. LI, §. X, & CXXVII, §. XVII, sic accipit Landulphus in Mauricio: *Cum Constantina, Mauritius conjuge, stemma constructum attulerant Imperatori.* Sed stemma, ut puto, hìc notat cognationis schema: vulgo arborem stirpis nuncupant. Nec adsentio similiter interpretanti hoc Joannes Biclariensis in Chronico: *Aramundus Saracenorum Rex Constantinopolim venit, & cum stemmate suo Tiberio principi cum donis Barbaria occurrit.* Ubi per *stemma* intelligo cognatos, sive ejusdem stirpis homines.

Sternutatio, pro sternutamen non invenio apud eos, quos ausim imitari.

Stilpo pumilio. Onomasticon: *Stilpones*, νάνοι. Sanè & Eustathius auctor est, pygmæos ab ave scope σκωπαίους nuncupatos, & ab aliquibus dici σίλπωνας. Forte id nominis à pumilo quodam datum cui Stilpo vel Stilpho nomen fuerit. Nam & proprium fuisse hominis nomen, fidem fecerit Comicus Adelphis *, & Megarensis ejus nominis philosophus, de quo Laërtius in secundo, Seneca, alii. Credo, ἀπὸ τοῦ σίλβειν, splendere: unde & Στίλβων, Mercurii stella.

* *Act.* 2. *sc.* 3.

Stiva in aratro est, quod in aratro erectum quoque apprehenditur ac regitur. In sella, item sive ephippio, quod apprehenditur teneturque. Chronicon Reichersbergense †: ubi de electo Victore Papa: *Statim sequenti die ab ipso Imperatore, & Episcopis, suscipitur, & inthronisatur in Monasterio S. Syri, Imperatore frenum equi, & stivam sella illius tenente & eum de equo suscipiente.*

† *Pag.* 199.

Strigil pervulgatum est Grammaticorum libellis. Sed apud veteres non reperio. Strigilis in recto est apud Juvenalem. Plura dixi lib. I de Analog. cap. XXIII.

Strophiolum perperam vocant, quod Arnobio muccinium. Vide lib. III cap. XXVIII in *Muccinium.*

Struma, tumor cervicis. Sed in glossis Isidori exponitur opus variè contextum. Verùm legendum *stroma*, στρῶμα.

Studentes, pro *studiosi*, Isidoro in Glossis, voce Pappus.

Subdiaconus, quid opus voce dicere hybrida, cum suppetat verè Græca, & à Latinis recepta? Ea est *hypodiaconus.*

Subditus apud idoneos scriptores non reperio, pro eo, *qui pares*, sive *qui subjectus*, vel *qui in alicuius est potestate*, aut *imperio*, aut *qui in alterius est ditione*, aut *cui alius præest*: prout pro eo dicere Cicero solet.

Substitutus alicujus pro *vicario* non dixero. Sed adjectivè rectum: ut Tullio Verr. VI: *Verres in eorum locum substitutus est.*

Subventaneum ovum vocant quod Aristoteles ὑπηνέμιον, & ζεφύριον appellat in Historia animalium. Sed vox est ficta à Theodoro Gaza, ut sic exprimeret Græcum illud ὑπηνέμιον. Nec Latinum istoc refugerem, nisi Plinium viderem tum Latinè *irritum* vocare; tum neque aversari Græca *hypenemium*, & *zephyrium*. Sic enim scribit lib. X cap. LVIII, de palumbibus: *Et ipsæ inter se, si mas non sit, femina equè saliunt, pariuntque ova irrita, ex quibus nihil gignitur; quæ ὑπηνέμια Græci vocant.* Et cap. LX: *Irrita ova, quæ hypenemia diximus.*

Sudarium, minus commodè vocari solet quo mucum narium excipimus. Diximus de eo lib. III cap. XXVIII in *Muccinium.* At aliâ significatione Petr. Blesensis Serm. XLII: *Sudarium namque, quod & manipulus dicitur, gestas in læva.* Ac subjicit postea nominis rationem: *Quondam messores ob sudorem detergendum zona alligatum sudarium portabant.*

Sudes, hara, à Germanico *seu*, quod porcum sive suem notat. Lex Salica Tit. II, §. III: *Siquis porcellum de sude furaverit.* Et tit. XVIII, §. III: *Siquis sudem cum porcis, scuriam cum animalibus, vel fenile incenderit.* Gerbertus, vel quisquis auctor libri de proportionibus Arithmeticis: *Paterfamilias stabilivit curtem novam quadrangulam, in qua posuit scrofam, quæ peperit porcellos septem in media sude.* ...

Suf-

Sufflatorium in Gemma, pro folle, quia sufflat, h. e. subtus flat.

Suffrutex novè Gazæ dicitur, quod Græcis φρύγανον. Sed *suffruticis* voce carere possumus, quando Columella, ac Plinius, pro eo *cremium* dixere. Eosque imitatus vetus interpres Psalmo CI.

Suggrunda veteribus, quæ Græcis γεῖσον, vel γεῖσα, nempe partes tecti, ultra parietes ædium prominentes, quo pluvia ab iis arceatur. Unde *extrema suggrundatio* apud Vitruvium*. At videas juniores ad alia transferre. Uti ad naves Sueno in Compendiosa Daniæ Historia cap. IV: *Paullo extra navis suggrundam caput exseruit: quem illico prætaxatus Palno Taki per aures, & capillos corripiens, licet frustra retinentem in suam navim, tunc potentior, attraxit.*

* Lib. 1 cap. 4.

Suillus, pro *sullo*, perperam dicunt: licet (vulgatos si codices sequamur) præeunte Isidoro lib. XII Originum, cap. VI: *Porci marini, qui vocantur suilli, qui dum escam quærunt, more suis, terram sub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis immergant, pastum non colligunt.* Ita etiam MSSi nostri. Sed *suillus* notat, quod è sue; ut *suilla caro*. *Sullus* autem est à Græco ὗλλος, spiritu in S converso: ut ab ὗς, *sus*, ab ὁλκὸς *sulcus*, ab ὕπνος *somnus*; ab ἥμισυ, *semis*, & alia id genus multa. Draconitius apud Isidorum:

Præcidit sullus vim cujuscunque veneni.

Nam *suillus* non fert versus, nisi συνίζησιν statuas, quam effugere licuit, contrà quàm fit in *pituita* apud Horatium, & similibus, quæ versus hexameter non recipit.

Superfluus vulgo audias pro inani, atque inutili: pro quo & *supervacuum* & supervacaneum dixeris cum antiquis.

Suppedaneum non invenio apud veteres, uti nec *suppedamentum*. In quadam inscriptione, sed quam inter spuria habeat Collectio inscriptionum Gruteriana, & talem esse Salmasius † clarè comprobet, *suppedaneum* pro stapeda invenias. Non valde adverser, quo minùs quia *stapedas* rescivere veteres, in re nova novum fingamus vocabulum. Quomodo & *stovas* Batavorum lubens voco *foculos suppedaneos*. Stapedas tamen possis cum Budæo etiam dicere *subices pedaneos*. Vide quæ de eo retuli lib. I hujus operis cap. VII.

† Epist. 2 de Cruce ad Thomam Bartholinum.

Suppositum, pars, sive membrum alicujus Collegii. Concilium Pisanum I*: *Supposita Concilii a verbis detractoriis, contentiosis, scurrilibus, & malè ædificantibus, caveant.* Similiter Belgæ *suppoost*.

* Pag. 155. edit. Paris. an. 1612.

Suprememoratum, pro omnem hominum memoriam excedens. Sanè Scaliger sic accipiebat apud veterem Juvenalis interpretem sat. IV vers. LXI: *Romani Tullo Hostilio Rege cum deseruissent Albam, sacra sublata Romam transtulerunt, & Deos penates: quorum penetrale tam venerabile deprehensum est, ut lapidatio de cælo caderet suprememorati ponderis.* Ubi editum cum asterisco, *supra* * *memorati ponderis*: quasi quid deesset. Sed Scaliger putabat nihil desiderari, atque ad oram codicis sui, quem apud † μακαρίτην Rutgersium vidimus, adscripserat *supra omnem hominum memoriam factum*. Interim ἐπέχω.

Temerum, pro temerarium. Pseudo-Ovidius in tertio de Vetula:

Affirmare quod est temerum, incertumque negare.

Tenementum, possessio sive quod quis tenet sive obtinet. Matthæus Parisius in anno CIƆCCLXIV: ubi de sexdecim capitulis consuetudinum: *Si calumnia emerserit inter clericum, & laicum, vel è converso, de ullo tenemento, quod clericus velit ad eleemosynam trahere, vel laicus ad laicum feudum, per recognitionem duodecim legalium hominum, juxta capitalis Justitiarii Regis considerationem terminabitur, utrum tenementum sit pertinens sive ad laicum feudum.* Et mox: *Tenementum de episcopo eodem, vel barone.*

Tenta barbaris chirurgis dicitur id instrumentum, quo pertentant altitudinem vulneris, aut fistulæ. Cornelius lib. VI, & VII sæpius vocat *specillum*, quia eo in vulnus aut fistulam dimisso perspicimus ac scimus profunditatem.

Tercenti non dicitur; sed *tercenteni*, vel *trecenti*. Quare parum Ciceroniane, vel etiam Latinè, unam licet Ciceronianam crepet, Joannes Sambucus Pannonius Tirnaviensis, scholiis in Somnium Ciceronis, quæ dialogis tribus de Imitatione à Cicerone petenda subjunxit, ubi se spatia planetarum hisce ait Versiculis complexum:

Annis triginta Saturnus conficit orbem.
Jupiter assequitur bissenis, Marsque duobus.
Sol uno, tercentis, quadraginta diebus
Mercurius, Cytherea novem cupit addier istis.
At vaga signiferum Luna omni mense pererrat.

Voluit, aut debuit scribere, *ter centum*: ut Maro I Georg.

Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.

Theba Ægyptia, vel *Bœotica*, dixero: non *Thebæ Ægyptia*; ut vir doctus facit Apophoretorum lib. III cap. XVIII. *Legere*, inquit, *est & totum oppidum pensile Ægyptia Theba.* Dicendum fuerat, *Ægyptiarum Thebarum*, vel per Appositionem (ut vocant) *Ægyptias Thebas*. Decepit scriptorem Plinii locus lib. XXXVI c. XIV: *Legitur & pensilis hortus imò verò totum oppidum Ægyptia Theba.* Sententia est, ut legitur hortus Adonidis pensilis, sic & legitur, oppidum pensile, nempe Thebæ Bœoticæ. Sed si cum viro illo erudito voluisset *legere* est: rectum erat, *Legere est & pensilem, hortum, imò verò totum oppidum, Ægyptias Thebas.*

Trifarius, pro triplex ad instar adverbii trifariam legas apud B. Hieronymum Præfat. in Paralipomenon: *Totusque orbis in hac trifaria varietate compugnat.* Nempe in triplici codice LXX interpretum, unà ab Hesychio, alterâ à Luciano, & tertiâ ab Eusebio vulgata.

Tritorium, locus ubi juxta ignem pranderetur: ut ait Papias, & Joannes à Janua in Catholico, item Hugucio, & alii superiorum seculorum Vocabulorum explanatores. Ex quibus etiam est, qui *tritorium* dici arbitretur ex tribus toris, sive lectis. Sed non *tritorium* scribendum, sed *trichorum*, τρίχωρον: quo quid signetur diximus....

Totennis, tot annorum. Pseudo-Ovidius lib. II de Vetula:

—— Nunquam matrona totennis
Præcipuè post tot partus, fuit aptior ulla.

Totuplus barbarum, uti & *totiplex*.

Turbor, turbatio. Cœlius Aurelianus lib. I Tard. Pass. cap. V: *Conveniet jacere loco mediocriter calido, & nullo turbore pulsato.* Et lib. V Acut. cap. IV: *Quæ nos purgativa vocamus, turborem magnum faciunt, atque stomachum vexant.*

V.

V*agax*, pro vagus, reperio in Glossario nostro MSo.

Valor pecuniæ pervulgatum est. Veteres pro eo dicunt *pretium*, vel æstimationem, Græci δύναμιν. Plinius etiam *taxationem* dicit. Ut lib. VII cap. XIII *Super omnem taxationem esse.* Et lib. IX cap XXXV: *In unionibus magna taxatione.*

Valuatio ajunt plerique ponderis scriptores, quia indicat quantus valeat nummus. Latini *pretium* & *æstimationem* dicunt.

Variole barbaris, voce ab Italis petitâ vocantur, quæ Latinis, ut Hadr. Junius* censet, *papulæ*, & boa, Galeno autem lib. VI Ἐπιδημιῶν, ἐξανθήματα κεγχρώδη à similitudine milii. Belgis, *maselen*. Videndum, quæ in *morbillis* dicta sunt.

* In Nomenclatore.

Ubertuosus, in glossario nostro MSo exponitur fertilis: & comprobatur illo Rufini in tralatione Josephi lib. I Antiquit. Judaic. *Dum placuisset Isaac ut iret in Ægyptum, ubertuosam valde provinciam.*

Vecticularia vita, quæ furtis & rapinis intenditur. Glossarium nostrum MSum. Addit esse id nominis à vectando, hoc est, portando.

Velothyrum ex Latino *velum*, & Græco θύρα, janua. Legas sæpius apud Anastasium, & Guiljelmum bibliothecarios. Imò & à Latinis acceptum βηλόθυρα, quod apud

Codinum lib. de Officiis Ecclesiæ Constantinopol. & Aristophanis Scholiastem in Ranas: sicut Meursio monitum in Glossario. Sic verò dicebatur sacrum velum, quod diductum ingredientes transmittit, & foris stantibus pandit interioris templi conspectum. De eo sic Clemens seu Romanus, seu alius potius, epist. II ad Jacobum: *Cura sit ostiariis, nequis negligens, aut ignarus, ad velum januæ domus Domini manus inconditè tergat, quia velum atrii domus Domini sanctum est.* Hieronymus epist. III ad Neopotianum: *Neopotianus erat sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si tantor creber in porta, vela semper in ostiis, si vasa luculenta.* De templi velis tum illis in templo, tum ad limina templorum, plura Rosweidus ad B. Paulini carmen XVIII.

Ventuosus in Gloss. MSS. nostris exponitur, vento plenus. Sed id Latinis *ventosus*.

Verosus, verus, ut interpretatur Glossarium nostrum MSum. Testis adfertur Martianus Capella: cujus illud: *In argumentum versæ assertionis*.

Vestiplica, mulier, quæ vestes plicat. Ita Glossarium nostrum MSum.

Vicissitudinarius, vicarius; ut interpretatur Gloss. nostrum membranaceum.

Vipa est buccella, vel bolus panis vino imbuti, compositaque vox ex *panis* & *vinum*. Schola Salernitana de conservandâ valetudine cap. XVIII:

> *Bu duo vipa facit, mundat dentes, dat acutum*
> *Visum, quod minus est implens, minuens, quod abundat,*
> *Ingeniumque acuit.*

Viror non dixerim, sed viriditas cum Tullio. Prius tamen est apud Tertullianum de Pallio. Quod addo, quia in Foro Romano scriptum, nullum ejus exemplum reperi. Rectè sanè, si de optimi ævi scriptoribus intellexit.

Vitriolum vocant officinæ, quod Græcis χάλκανθος, Celso, & Plinio vocatur atramentum sutorium, quia sutores eo coria tingerent. Chalcitis vero Plinio est, quod vulgo ob perspicuitatem *chalcitis* vocatur.

DE VERBIS LATINÆ VEL GRÆCÆ ORIGINIS,

sed jure loquentium usu non receptis.

A Nominibus deinceps ad Verba me confero.

A.

Altero —— Petrus Blesensis epist. XXX: *Sola dilectio est, quam non alterat casualis eventus.* Cæsarius Mirac. lib. I cap. XXV: *Facies ejus capit immutari, & quodammodo alterari.*

Auctoritare, auctoritatem addere. Edinerus, monachus Anglus, in Vita S. Anselmi, Archiepiscopi Cantuariensis: *Quam historiam —— pro amore illius martyris celsius insignivit, insignitam auctoritavit, auctoritatam in Ecclesia Dei legi cantarique instituit.* Alter pro eo dicunt *auctorizare*, de quo lib. IV cap. I.

C.

Candidare, candidum reddere. Algerus lib. III de Eucharistia cap. IV: *Aqua exstinguit, mundat, & candidat, præ cæteris liquoribus.* Subjicit deinde similem in animam vim exserere aquam mysticam, sive sanguinem Christi. Hinc *candidatrices*, lotrices, vel quæ Soli exponunt lintea, ut fiant candida, diximus de eo lib. III cap. III. Non tamen *candidare* tam barbarum fuerit, quàm obsoletum, si eo sit usus Pomponius: ex quo adduci video: *Vestem lixivio candidans.* Sed non memini me id fragmenti apud Grammaticos legere. Quare ἐπέχω.

Censurare —— Ut in orat. R. P. Sch.*: *Major potestas censeat, & censuret, utrum veritatis, simulque dignitatis in tali negotio haberi possit, debeatque ratio.*

* In Actis conventus Thornensis, pag. S. 3.

Ceremoniari pro ceremonias in Deos capessere. Passio B. Cypriani: *Maximus Proconsul dixit: Jusserunt te sacratissimi Imperatores ceremoniari. Cyprianus Episcopus dixit: Non facio.* Lux verò est ab illis, quæ subdit Galerius Maximus: *Nec te pii, & sacratissimi principes, Valerianus, & Gallienus, Augusti, & Valerianus, nobilissimus Cæsar ad sectam ceremoniarum suarum revocare potuerunt.* Præcipuè verò ceremoniam illam signat, quòd nollet Cyprianus thus Diis offerre: quod qui facerent, cum Christiani antea fuissent, *thurificati* dicebantur. Eandem *ceremoniandi* vocem retinuit B. Augustinus in sermone de sancto Cypriano; quem, ut genuinum etiam Possidius in Indiculo agnoscit.

Clavifigi, clavis affigi, καθηλοῦσθαι τοῖς ἥλοις. Vetus Ignatii interpres initio epist. ad Smyrnæos: *clavifixos in cruce Domini.* Ubi Ignatius ipse, καθηλωμένους ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου. Et paullò pòst: Καθηλωμένον ὑπὲρ ἡμῶν ἐν σαρκί: quod idem reddit, *clavifixum pro nobis in carne.* Sic σταυροπήλωσις fuerit *clavifixio*.

Confrontare, ut cum scribunt†: *Dogmata discrepantia adsumamus, & singula capita confrontemus.* Dixero, *opponamus*, & *conferamus*.

† In Actis Thornensis conventus, pag. O. 1. b.

Consopio non dicam, etsi rectum *sopio*.

Contemplo pro *contemplor*. Usus tamen Ludovicus Demontiosius lib. de Pictura*: *Cùm addat Plinius, antequam incendio consumta esset tabula, eam se avidè contemplâsse.*

* Pag. 251.

Corticare non dicam pro corticem detrahere, vel demere: etsi id propriè sonet Græcum φλοΐζειν. Latini enim semper decorticare. Scio *corticatum* legi apud Columellam: sed pro eo quod habet corticem: pro quo Plinius *corticosum*. Et tamen probum *lignari* pro Græco ξυλίζειν, quod est ligna resecare, ac deportare.

D.

Deaurare non dixero, sed *inaurare*, ut Cicero, & alii. Priori circa annum CCCLXX usi sunt Valentinianus, Valens, Gratianus AAA: *Octo cassidas, totidemque bucculas & tegerent argento, & deaurarent.* Indeque l. I. de Fabricensibus. Indeque *deauratores* l. I. Cod. de excusat. artif. lib. X: *sculptores ligni, musearii* (legend. musivarii) *deauratores, albini* (l. albarii) *quos Græci κονιάτας appellant*, &c. Usus quoque Hieronymus epist. VIII: *Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant earumque deaurent capita*, &c. Item B. Augustinus sermone sexto eorum quadraginta, qui novi prodierunt: *Qui aliquando dictus est Deus Hercules, Roma jam non est. Hic autem etiam barba deaurata esse voluit.* Et mox: *Qui deaurari eum voluerunt, de auro erubuerunt.*

Dehonorare est apud veterem B. Ignatii interpretem, epistola falsò ei tributa ad .....† Græcè est, τὰς ἑορτὰς μὴ ἀτιμάζειν, quod reddidit: *Dies festos nolite dehonorare.* Maluissem, *inhonestare*: ut Ovidius Tristium lib. IV eleg. VII.

† Pag. III. edit. Leid.

> *Ne cadat, & multas palmas inhonestet adeptas.*

Vel *inhonorare*, quod Tertulliani est de Testimonio Animæ. Ac fortasse etiam *dehonestare*, quando *dehonestamentum* apud Tacitum est, item Agellius, qui nec *dehonestus* refugit, lib. XIX cap. X.

Dignifico est apud veterem S. Ignatii interpretem initio epistolæ ad Magnesios, ubi *dignificatus* reddit, quod Græcè

cè *κατηξιωθείς*. Ac postea *dignificari*: ubi Græcè est *ἀξιωθῆναι* *, item ad Philadelphenses, ubi † *καταξιωθήσεται* reddit *dignificabitur*. Idem epist. ad Romanos *ἀξιωθῆναι* *, & *κατηξίωσε* † reddit *dignificavit*.

* Pag. 37. edit. Leid. † Pag. 45. * Pag. 55. † Pag. 52.

Discredo barb. pro *non credo*.

Disproficit pluribus locis apud Hilarium Pictaviensem legas, pro eo quod Latinè dixeris *degenerare*, vel ut pro eo Erasmus * ait, *proficere in pejus*.

* Præfat. in Hilarium.

Distillare, & distillatio vulgo sunt in usu, præsertim de parte chemiæ, quæ in medicamenti usum educit puriorem partem, ut liquorem, aquam, succum, oleum. Sed veteribus solum *destillare* est in usu. Tanto minus probandum *distillarius*: quo Senecam esse usum falsò putant. Vide quæ de eo dixi lib. II hujus operis cap. XVII.

Dogmatizo ——— Petrus Blesensis epist. XXIV.

Doleor, pro doleo, non dixero, licet in veteri inscriptione sit *doleatur*, pro doleat, & *dolitus est*, pro doluit. Vide inscriptiones Gruterianas *.

* Pag. 676. num. 11. & pag. 713. num. 4. & 994. num. 2.

E.

E*Ncaniare*, pro novâ veste indui, à Græco *καινὸς* *novus*, unde *ἐγκαίνια*, q. d. *renovalia*. B. Augustinus Tractatu XLVIII in Joannem circa initium: *Encania festivitas erat dedicationis templi. Græcè enim καινὸν dicitur novum. Quandocunque enim novum aliquid fuerit dedicatum, encania vocantur. Jam & usus habet hoc verbum: si quis novâ tunicâ induatur, encaniare dicitur.*

Epitomare, *ἐπιτομίζειν*, colligere summatim pluribus exposita, in epitomen redigere, compendio constringere. Trebellius Pollio in XXX tyrannis, de Zenobia agens: *Historiæ Alexandrinæ, atque Orientalis, ita perita, ut eam epitomâsse credatur.* Eò faciliùs excusandus Joannes Gerson, cum sic loquitur Gerson in Trilogio Astrologiæ Theologizatæ: *Epilogantes tangamus XII radices ab astronomicorum judiciorum curiositate arcentes.*

Exulatus est apud B. Ignatii interpretem veterem in epistola falsò attributa ad ..... † ubi Græcè *ἐξωθείς*. Maluissem, *foras*, vel *in exilium* ejectus. Græcâ voce mox iterum * utitur, *τῆς ἐντολῆς ἐξώσας*: *à Dei mandato avertens.*

† Pag. 109. edit. Leid. * Pag. 110.

F.

F*Alcare* ——— Joannes Turrocius Chronici Hungarici lib. II cap. LII: *Tu laudas domino, pugnare cum fratribus: & dicis; quia falcatores, & furcantes coadunâsset. Vide, quia mille falcantes, quod incidunt, decem millia furcatorum congregare non potuerunt.*

Fecare, feces alvo egerere sive excernere. Regimen Salernitanum:

Post pira da potum, post potum vade fecatum.

Sic est in veteri editione: ubi commentator Arnaldus de Villa Nova, *fecatum*, inquit, id est, ad secessum. Sed in posterioribus editionibus pro *fecatum* invenio *cacatum*.

Fortificari est apud B. Ignatii interpretem epist. ad Heronem Diaconum, ubi Græcè *ἰσχύειν*. Vulgare etiam est *fortificandi* ars, vel *fortificatoria*, quæ veteribus Architectonicè in urbibus muniendis, vel castris exstruendis occupata.

Frustrant, pro *frustrantur*, est apud interpretem B. Ignatii interpolata ad Smyrnenses epistola *.

* Pag. 196. edit. Leidensis.

H.

H*Abituari*, habitu esse ac constitutione corporis. Cœlius Aurelianus lib. I Tard. Pass. cap. IV de nutrice sic loquitur: *Erit ab officio removenda, si qualibet passione adfecta, malo succo, atque corpore, habituari videatur.*

Humanari, pro *hominem fieri*, ut apud Lucam Gauricum in Calendario Ecclesiastico novo †: *Post Christum humanatum.*

† Fol. 16. a. & b.

I.

I*Mpinguare* barb. pro saginare, pinguefacere, inungere. Sæpius utitur vulgatus Scripturæ interpres. Ut Deuter. XXXII, 15. Psal. XXII, 5. Jerem. V, 28, &c.

Importunare, in membranis nostris Glossarii exponitur inquietare, vexare.

Incipior pro *incipio*. Etsi sic loquatur A. S. in Medullæ Patrum Parte lib. VII cap. XL *: *Quæ fides à pœnitentia fide incipitur*, pro *incipit*.

* Pag. 295.

Interpreto, pro interpretor planè est obsoletum. Quamquam *interpretâsset* non refugerit Abr. Ortelius, ubi Antiochiam describit.

Intitulare, vide in *Titulare* lib. IV cap. XXVII.

M.

M*Ediare* dixerunt ab ea *medii* significatione, qua à Scholasticis sumitur pro via ac ratione. Petrus Blesensis epist. XX: *Per adulatores mediantibus donis ejus opinio ad inanem jactantiam crescit.*

Meliorare, pro melius reddere, corrigere, emendare. Ut proxima pagina à titulo sexti Decretalium:

Est melioratus, augmentatus, variatus,
Ut subjecta docent, optimus iste liber.

Mensuro etiam verbo damnavimus lib. IV cap. XIII. Est verò vulgare adeo, ut *metior* per *mensuro* Calepinus exponat: & Geometriâ à plerisque, in his Adriano Metio, Geometriæ Practicæ parte priori, *bene mensurandi scientia*. Sed nondum mihi classicus, qui utatur, occurrit. Itaque & *commetior* cum optimis scriptoribus dicam, non, ut multi hodie, *commensuro*.

Minorare crebrum est apud veterem tum antiqui tum novi Instrumenti interpretem. Ac similiter innumeri ex Theologis: & in his vetus Ignatii interpres epistola ad Trallianos, ubi *σμικρύνων* † reddit *minorans*.

† Pag. 162. edit. Amstelod.

O.

O*Dire* pro *odisse* est apud interpretem B. Ignatii epist. ad Philadelphenses. Ubi Græcè *μισεῖν* *.

* Pag. 175. edit. Leidens.

Oscillo in Onomastico Græco-Latino exponitur *κατανεύω*. Sed scribendum *occillo*. Aliqui *occillo* exponunt oscillorum ludum exerceo. Sed nemo sic veterum loquitur.

P.

P*Ersari*, fari, nominare, in ore habere Ignatii vetus interpres epistolâ ..... quæ ad Magnesios †: *Inconveniens est Jesum Christum perfari, & Judaizare.* Ubi Græcè, *Ἄτοπόν ἐστιν Χριστὸν Ἰησοῦν λαλεῖν καὶ ἰουδαΐζειν.*

† Pag. 36. edit. Leid.

Pertimeo non dixero. Et rectum tamen *pertimesco*. Uti nec *perhorreo* usurpem, rectum licet *perhorresco*: nec *cumbo* licet rectum *accumbo*.

Q.

Q*Vietare*, quietum reddere. Ignatii vetus interpres epist. ad Polycarpum: *Exacerbationes in pluviis quieta.* Ubi Græcè est: *Τοὺς παροξυσμοὺς ἐμβροχαῖς παῦε.* A *quietare* est *quietantia*, pro apocha: de quo dixi lib. III cap. XL.

R.

R*Edorsare* propriè fuerit terga dare: etsi aliter sit in Gemma.

Repeditare, pro repedare, in Gloss. nostris MSS.

Rigidare, rigidum reddere, in Gemma.

Ructuare in Gemma, pro ructare.

S.

SAlifico pro sale adspergo, dixisse videtur vetus Ignatii interpres epistola ad Magnesius*, ubi vulgo: *Salvificemini in ipso, ut non corrumpatur aliquis in vobis.* Sed Græcè est, Ἁλίσθητε ἐν αὐτῷ ἵνα μὴ διαφθαρῇ τις ἐν ὑμῖν. Ut omnino pro *salvificemini*, extrito v *salificemini* legendum videatur.

* Pag. 36. edit. Leid. a. 1645.

Schematizare, σχηματίζεσθαι, unde ἐσχηματισμένος λόγος Hermogeni. Gloss. *Schematizare, figurate, umbratice loqui.* Ubi *umbraticè* exponitur, quia attenditur ad eam *schematis* significationem, qua Martialis usurpat cum ait:

Schemate non dubito, sed apertè nominat illum.

Vide, quæ dixi Oratoriarum Institut. lib. IV cap. .... sect...

Securare, securum facere. Gemma.

Sellare, ephippium equo imponere. Gemma.

Semare, in Gemmâ exponitur, imperfectum facere, aliquantulum evacuare. Interp. Semata opera, semifacta.

Sententiare, condemnare. Gemma.

Sentinare Glossæ membranaceæ, *aliquid in animo sensim dijudicare.*

Seriare Glossæ membranaceæ, *ordinare, explicare, digerere*; fortassè à series.

Sericare, sericâ veste indui. Ita Gemma, quia sericatus, pro serico indutus sit apud Tranquillum in Caligula.

Stemicare Glossæ membranaceæ, *ornare, vel nobilitare à stemmate, i. à nobilitate.*

Stipendior pro conduco est apud Plinium lib. VI. Non puto apud vetustiorem inveniri.

Subintelligo Grammaticorum est vocabulum: pro quo veteres utuntur simplici *intelligo.*

Superexultare, ὑπεραγάλλεσθαι. Ita usus vetus Ignatii interpres†.

† Pag. 41. edit. Amstelodam. an. 1645.

Surculo, surculis spolio, si recta est lectio apud Columellam lib. V cap. IX*. Sed in quibusdam libris est *sarculare.* Priori interim modo etiam est in Aldina, Joannis Parvi, & Stephanica.

* Sed in Aldina cap. 9.

T.

TImesco barbarum. Et rectum tamen pertimesco. Similiaque attuli in *pertimeo.*

Tutare in Gemma, certum reddere.

V.

VAticino pro vaticinor obsoletum. Dixit tamen Stephanus Pighius in Annalibus Rom. ad an. IↃCXXXIII†: *Non adeo ineptè mordax ille poëta Cn. Nævius vaticinasse videtur.*

† Pag. 75.

DE PARTICULIS BARBARIS LATINÆ vel Græcæ originis.

EST etiam cum in particulis originem quidem Latinam aut Græcam agnoscimus: ipsæ tamen sint barbaræ.

Antiptosice, antonomasicè, prolepsicè, & *syllepsice* dici censet Franciscus de Petris, Jurisconsultus Neapolitanus, lib. II Festivarum Lectionum cap. V*: ubi figuras juris civilis memorat. Sed dixero, *per antiptosin, antonomasian, prolepsin, syllepsin.* Vel etiam συλληπτικῶς, προληπτικῶς, &c.

* Pag. 135.

Capitulatim, ut Græci κεφαλαιωδῶς. Malim *summatim, per capita.*

Collegialiter aliquos convenisse est pervulgatum. Dixero, *collegium aliquorum convenisse.* Vel, *aliquos ad modum*, aut *formam collegii congregatos.*

Exitiabiliter pro ad perniciem suam. Ut de Juda Augustinus lib. I de Civ. Dei cap. VII, *exitiabiliter pœnitens.* Nempe *pœnitendo peccavit*, ut ait Bernardus serm. XVI in Cantica. Cujus caussa est, quòd, ut Theophylactus censet, magis ob ignominiam doluit, quæ ab hominibus maneret, quam quia Deum offendisset. Vel ut hæc imprimis eum perturbarit, non ad Deum recurrit, sed cum Caino desperavit.

Fiducialiter, cum fiducia. B. Ignatii interpres epist. ad Philadelphenses: *Propterea fiducialiter scribo.* Ubi Græcè, Διὸ καὶ θαῤῥῶν γράφω.

Fortuitu, pro fortuito. Ovid. lib. I de Vetula:

—— *Fortuitu sine damno*
Se recreans.

Jactuosè pro jactanter ipsius esse Ciceronis perperam putant: de quo actum lib. I. cap. XVII.

Immensuratim non inconcinnè fictum ad exemplum Græci ἀμέτρως, vel ἀμετρί. Usus Salvianus lib. VI de Gubernatione Dei: *Rideamus quæso quamlibet immensuratim, lætemur quamlibet jugiter, dummodo innocenter.* Malim *sine mensura, plus satis, magis quàm par sit, immodicè, immoderate, supra modum*, sive, ut Ovidius loquitur, *sine fine modoque.*

Impetuosè agnoscit Gemma. Nec multùm culpem, cum *impetuosus* Plinii sit. Pro quo & *impetejus* est in Glossis, atque exponitur βίαιος.

Incessanter, assiduè, perpetuo. Utitur Edinerus Anglus in vita S. Anselmi lib. I. Cantuar. *Dum incessanter laboriosis cogitationibus meditatur.*

Incunctanter, continuò, confestim. Utitur Edinerus Anglus in vita S. Anselmi lib. I.

Inenarrabiliter pro suprà quàm dici possit. Augustinus contra Faustum lib. XIX cap. XI: *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum. Inenarrabilis* tamen apud Plinium in Naturali Historia non semel legas. Ac usus quoque Martialis.

Insensibiliter barbaris, quod veteribus *sensim, sine sensu.* De voce *insensibilitas* dictum lib. III cap. XVI.

Intimoratè, citra ullum timorem, Irenæi vetus interpres lib. I cap. I: *Quapropter & intimoratè omnia quæ vetantur, hi, qui sunt ipsorum perfecti, operantur.*

Intitubanter est in Glossis nostris pro *indubitanter.*

Mitigabiliter, sic ut dolorem suaviter mitiget. Usus Cœlius Aurelianus lib. I Tardar. Pass. cap. VII.

Noctanter frequenter apud Walsingam, pro noctu equitare, aut currere.

Ordinabiliter, ἐυτάκτως. Hildiwinus epist. ad Ludovicum Pium: *Tempus adventus ejus* (Dionysii Areop.) *Romam, ordinabiliter narrat.*

Provisionaliter, Latinè, *ad tempus.*

Reputativè est apud Petrum de Hassia in Spec. Anim.†

† Pag. 5.

APPENDIX.

Appendix prior de iis, ubi declinatione peccatur, sive Nominis, sive Verbi.

HActenus egi de illis ubi in voce primaria, h. e. themate, vel radice, peccatur. Deinceps subnectam duplicem appendicem. Quarum prior futura, ubi non tam error est in recto nomine, quam obliquis: nec tam in Verbo, quàm temporibus inde formatis. Altera erit ubi delinquitur in ὀρθογραφίᾳ, sive ratione scribendi: vel in προσῳδίᾳ, velut quantitate. Exempla, ubi nomen vitiosâ declinatione barbarum fiat, priùs dabo.

Cycladarum, pro Cycladum insularum est apud Hieronymum Mercurialem lib. III cap. XXI.

Gibberem attritum ajunt Juvenalem dicere. Sed apud eum sat. VI est:

Attritus galeâ, mediisque in naribus ingens
Gibbus.

Omnino igitur substantivum *gibbus* est secundæ, non minùs, quàm adjectivum: ut *gallina gibbera* apud Varronem de R.R. lib. III cap. IX, & *gallinarum genus gibberum* Plinio lib. X, cap. XXVI.

Orum pro *orium* dixit Erhardus Hedenecctius tralatione Nonni Euangel. cap. XIX. vers. 2. *insipientium orum*, ubi Græcè est, ἀφραδέων στομάτων. Sed ἀναλογία contrarium suadet: quia ut ab *os ossis* est *ossium*; sic ab *os oris* fit *orium*: similiaque monosyllaba alia: sicut, *dens dentium*, *mas marium*, *lis litium*, *mus murium*, *glis glirium*; quorum auctores locupletes habemus antiquos. Fortasse etiam de *orium*: de quo Despauterius testem laudat Plinium lib. XX cap. IX, ubi de brassica inquit: *Silvestris sive erratica immenso plus effectus laudat Cato, adeò ut arida quoque farinam in olfactorio collectam, vel odore tantum naribus rapto* *, *vitia orium, graveolentiamque sanare affirmet.* Ubi *orium* quoque est in antiqua Parmensi anni CIↃCCCCLXXVI. Sed in Mso pro *orium* invenio *earum*; atque ita quoque editum à Dalecampio: nec dubium, quin sic scripserit Plinius.

* Parmensis vetus adhibito.

Salia, & salium à sal compluris est in usu: in his Anselmo Boëtio in II de Lapp. & Gemmis cap. CCCI. Sed malim cum vett. *Salis multa genera*, vel *multiplicis salis*, simileve.

Sulphura accusandi casu non dicam, sed sulfur. Nec enim Græci norunt vocem *sulfur*: sed soli Latini: ut simile non sit, acaëra. Quare non possum probare illud Joannis Pincieri Medici, & Philologi:

Dum parat humano generi Chymista medelam
Sulphura mulciberis vi sale mista coquit.

VEnio nunc ad Verba vitiosè declinata.

Allicuit, pro *allexit*, est Sulpitii Severi Histor. Sacr. lib. II, propè finem, ubi de Priscillian. *Pluresque populares auctoritate persuadendi, & arte blandiendi, allicuit in societatem.*

Expulsit, pro *expulit*. Bartholomæus Chassenæus Parte V Gloriæ Mundi †: *Ludovicum Sfortiam Ludovicus XII expulsit à dicto ducatu Mediolani.*

† Pol. 121 col. 3.

Juvavi, pro *juvi*; *juvarunt* pro *juverunt*, damnavimus jam libro I cap. XXIV. Multis tamen ea in usu. In his Roberto Titio Carmine decem Controversiorum libris à se præmisso ad Franciscum Muggionium:

Tu me juvasti officio, studioque perenni.

Nec absimili errore ait Henricus Harvillæus in Isagoge Chronologica lib. I, quarta temporis periodo *: *Nullos annos transigendos ei* (Josuæ) *restâsse.*

* Col. 313.

Odibis est apud veterem interpretem epistolæ Barnabæ. *Mustelam*, inquit, *odibis* †.

† Pag. 232. edit. Amstelod.

Appendix altera, de vitiis Orthographicis vel Prosodicis.

VEnio nunc ad appendicem alteram. Ac prius ubi in ὀρθογραφίᾳ delinquitur. Ut cum *pernities* scribunt pro *pernicies*. Est enim à *neco*, sive *perneco*.

Ymago pro *imitago* vulgare fuit proavorum ætate: quod in Henrico Jolisso, & Roberto Jonsono, culpavit Joannes Hoperus, Wigorniensis Episcopus. Nec probare sustinet Stephanus Gardinerus, Wintoniensis antea Episcopus, tum captivus. Respondet autem *: *Illi scribunt* YMAGO, *quasi à Græcis derivatum, cùm sit Latinum. Lapsus est in origine verbi, quam non ipsi crearunt, sed ab aliis acceperunt. Nam & alii sic scripserunt; cum quibus tutius & sine periculo, in rebus mediis erratur; quàm cum istis novis magistris de summis mysteriis tam pravè sentitur.* Sed fallitur, quisquis origine Græcum putat. Est enim *imago* ex *imitago* contractum.

* Pag. 13. edit. Plant. an. 1564.

Scripserim *rhy-thmus*: etsi vox nunc non occurrat, quæ incipiat ab *thm*. Sed cùm multa sint, ubi post initiale θ sequatur alia liquida, ut in θλίβω, θνήσκω, θρέομαι: non video, cur sola μ debeat excludi, cùm æquè natura illud post θ admittat, etsi fortasse usus respuat initio syllabæ.

Mopsu-vestenus ineptum, pro *Mopsu-estenus*. Est enim *Mopsuestia* (unde hæreticus ille Theodorus quintâ synodo œcumenicâ, multò pòst mortem, damnatus) ex Μόψυ, & ἑστία.

Padianus plurimi scribunt eruditissimi viri. Stephanus Pighius in Annalibus Romanis à Schotto editis semper habet *Asconius Padianus*. At corripit Silius lib. XII:

Polydamanteis juvenis Pedianus in armis.

Ubi non putandum, hoc velle poëtam Asconium Pedianum vixisse temporibus belli Hannibalici: sed honori hoc æqualis sui dedit, ut quem laudare vellet, nomine Pediani, amici sui, donaret, quasi ex veteribus illis Pedianis genus duceret. Qui per Æ scribunt, derivant ἀπὸ τῆ παιδός: unde & παιδικά, & παιδαγωγός. Sed ut à Martius *Martianus*, ab Octavius *Octavianus*, ab Æmilius Æmilianus: sic à *Pedius Pedianus*. Pers.

Fur es, ait Pedius.——

Phrisia, & *Phrisii* placet multis: sed perperam, cum non à Græcis vocem hanc acceperimus, sed gente hâc Germanicâ, quæ se *Friesen* vocat: ut & *Frisii* dicuntur Plinio, Tacito, ac Latinis omnibus.

Vulgo *Catulus* ille, qui finem imposuit bello Punico primo in Latinis libris vocatur *Luctatius*. At omissâ litera tertia scribendum *Lutatius*: ut Polybio, ac Zonaræ, Λυτάτι@.

Æmilius scribendum, non *Æmylius* per Y, ac multò minus cum spiritu, *Hæmulius*, etsi nomen sit ἀπὸ τῆς αἱμυλίας, h. e. festivitate sermonis ac lepôre; ut est apud Plutarchum in Paulo Æmilio: & scholiasten Aristophanis. Non audiendus H. Stephanus cùm in Thesauro L. Gr. † sic scribit: *Inde apparet Æmilius non Latino I sed Græco Y in secundâ scribendum esse syllabâ. Quin etiam præfigenda esset adspirata H, quæ tamen omitti solet.* Non veniebat Stephano in mentem Romanam linguam esse propaginem Æolicæ: Æoles autem refugiunt spiritum asperum, ac similiter magna Græcia, teste Dionysio Halicarn. & Fab. Quinctiliano lib. I. Atque hæc ratio est, cur etsi Græcè sit αἱμύλ@ cum spiritu, Latini eum omittant: ut quorum lingua sit Æolicæ propago. Sanè *Æmilius* est in vett. libb. imò & lapidibus Capitolinis, atque aliis. Etiam Polybius, Strabo, Plutarchus, cum de quoquam ex gente Æmilia iis sermo est, semper Αἰμίλι@ scribunt. Nec ignoravit Moschopulus, περὶ σχεδῶν, cùm scribit: Αἱμύλ@, ὁ ἀπατεών, διὰ τῆ Υ ψιλῆ, καὶ αἱμύλι@. Αἰμίλι@ δὲ ὄνομα κύριον διὰ τῆ Ι. *Hæmulus pro blandiloquo impostore; per Y: Æmilius nomen proprium per* I. Y in I sæpe abire, multis exemplis liquet. Ut φύω fio, φρύγω frigo, *ligo* à λύγ@ quod viticem notat: ab ὗω, prius *huems*, postea *hiems*. Similiter igitur priùs *Æmulius* postea *Æmilius*: *hyems*, vel *Æmylius* nunquam.

† Voce Αἱμύλ@.

FINIS LIB. V.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
VITIIS SERMONIS,
AC VARIIS GLOSSEMATIS,
LIBER VI.

Qui est de vocibus in alienâ positis significatione.

DE NOMINIBUS IN ALIENA POSITIS SIGNIFICATIONE.

HActenus quinque libris adversus barbariem depugnatum: multumque adhuc laboris superest. Nam si illa excepero, ubi falsa significatione peccari lib. I cap. XXVI, ac octo sequentibus, dicebamus: solùm est actum de vocibus, quas nescirent idonei Latinitatis auctores. Quare nunc dicere aggrediar de vocibus probis, ac Latio cognitis, sed non sumtis significatione propriâ. Neque cùm propria requiro, excludo modificata; sed *propria* voco, quæ verâ significatione usurpantur: ut proprietas nihil aliud sit, quam nativa significandi vis ex usu doctorum, sicuti eam definit Scaliger lib. IV cap. V de re poët. Quamquam *nativa* etiam vox ambigua est: quia per eam intelligi potest primò imposita. Quæ sententia ipsi Scaligero adversatur, cùm dicat, *proprietatis* vocabulo non excludi metaphoras. Dixero igitur *proprietatem* hoc loco esse veram significationem ex usu doctorum; sive ea sit primæ impositionis, sive adventitiæ. Itaque reprehendi merentur illi, à quibus eò Fabius reprehenditur, quia scripserit lib. VIII cap. II, proprium pluribus modis sumi; interque cæteros, cùm res in uno aliquo nomen habet eximium: ut pro tabernaculo Ducis, *Augustale*: cumque quod commune quoque est aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: quomodo *urbem Romam* accipimus: item quo nihil inveniri possit significantius: ut Virgilius* *deductum carmen*. Horatius† *acrem tibiam*: imò etiam *quæ bene translata sunt, propria dici solere*. *Propriis* igitur non semper opponuntur *modificata*; cum sæpe ea sint elegantiora, ac magis significantia propriis, quatenus *propria* vocantur, quæ id significant, in quod primum denominata sunt: uti definit *proprium* idem Quinctilianus lib. I cap. V. Atque hoc isti Fabii obstrigilatores, vel ex Hermogene didicisse poterant, qui lib. περὶ μεθόδου δεινότητος, cùm duo fecisset genera ἁμαρτημάτων κατὰ λέξιν*, nempe ἀκυρίαν, sive *improprietatem*, & παραχάραξιν sive *depravationem* illius exemplum affert, siquis ἐρωτῶ, vel παρακαλῶ, usurpet pro *rogare*, cum prius significet *interrogare*; alterum sit *vocare*, vel *adhortari*. Hæc quoque ratio est, cur Nonius Marcellus libros suos inscripserit *De proprietate sermonis*, quamvis multas significationes uni assignet voci; easque nunc proprias, nunc figuratas. Non quidem ignoro, Nonium, ob hanc ἀπειροκαλίαν†, à summo viro in suo de caussis L. L. opere culpari. Sed, nisi me ratio fugit, Nonius quoque *propris* nomen accepit, ut opponatur vocibus in alienâ, falsaque notione, usurpatis. Ut verò omnis tollatur ambiguitas, dicere malo, deinceps me acturum de vocibus positis in falsa significatione, sive idoneis Latinitatis auctoribus ignota. Atque in his quoque initium faciam à Nominibus, & eopse illo ordine persequar, quo jam in pluribus libris usi sumus.

* Ecl. 6

† Serm. 1.

* Erratorum secundum distinctionem.

† Inscriptionem.

A.

ABjectus, qui vadimonium deseruit, ut dictum lib. III in *Jactivus*.

Acceptores legas, pro *accipitres*. Zacharias Papa epistola* ad Francos, & Gallos: *Nec non & illas venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdiximus: similiter, ut acceptores, & falcones non habeant.* Habes & in Legibus Alamann. Tit. CI, & in Legg. Ripuar. Tit. XXXVIII. §. 22. Imò est & in Glossis: *Acceptor*, ἱέραξ ὄρνις. Ubi gemina assignatur Latinæ vocis significatio, particularis pro ave, & generalis, quæ apud Plautum ajunt pro ave usum Lucilium. Metuo ne eos fugerit memoria.

Agentes à junioribus particulatim dici solent, qui agerent res regias, sive regii ministri, vel Reipublicæ, &, ut vocant, officiales. Præceptum Dagoberti R. de fugitivis: *Dagobertus Rex Francorum, vir illuster, omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Centenariis, Vicariis, & cæteris Agentibus nostris.* Idem de mercato: *Dagobertus, Rex Francorum, vir illuster, Leutone, Wulfione, Rancone, Comitibus, & omnibus Agentibus nostris, Vicariis, Centenariis, & cæteris ministris Reip. nostræ.* Marculfus monachus lib. I Form. cap. XI: *Ille Rex omnibus Agentibus.* Quasi dicat, Rex omnibus suis Officialibus Salutem. Petrus Bembus vocat *Principis*, vel *Reip. hominem*: sed præter veterum morem: rectiùs *actorem* dixisset.

Alamannus, pro *Germano*, vel *Alamannia*, pro *Germania*, hodieque in usu est: idque jam à temporibus Vopisci, & Arnobii; illius in quadriga tyrannorum: hujus in lib. adversus gentes*. Antea verò *Alamanni* solum Germaniæ gens erat, ut Aurelius Victor ait†: quam cùm Caracallus ad Mœnum divicisset, *Alamannici* cognomentum reportavit; Cum igitur satius sit cum meliorum seculorum scriptoribus loqui, *Alamannicum* pro *Germanico* non temere dixerim.

Ambo, & *uterque*, vulgò confundunt: cum ambò dicendum sit, quoties sermo est de duobus conjunctim, sive uno eodemque tempore aliquid facientibus. Sic dixeris de Eteocle

* Exstat lib. 5. Kapitulariorum Karoli M.

† Salmas. ad Vop. p. 473.

Eteocle & Polynice *Ambo perierunt*. Item de sponso, & sponsa, *Ambo convivia ducunt*. At non de Romulo, & Africano dicas, *Ambo triumpharunt*, sed *uterque*: quod locum habet in duobus separatim aliquid agentibus. Diversissimum autem hic tempus. Sic distinxit Sosipater Charisius: uti & Janus Parrhasius in Claudianum*.

Angelus, pro singulari emplastro podagricis utilissimo. Plinius Valerianus lib. III cap. XIV†: *Emplastrum podagricum, quod dicunt angelus.*

Arbusta usurpant pro arborum frequentia: etiam Theodorus Gaza in Theophrasti Hist. Plant. lib. VII cap. VI. Sed culpatur eapropter à Cæsare Scaligero in Animadversionibus ad Theophrastum, ibi Græcè est φυτευτήριον, ac Plinius reddit hortos. At arbusta, ut ait ibidem Scaliger, signat *arbores sitas secundum classes ad vites recipiendas.*

Arbustum male pro arbuscula. Cæsar Scaliger in priorem Aristoteli tributorum de Plantis*: *Pumilas arbores, arbusculas docti, arbusti nomine vocant barbari.*

Arbustum à nonnullis, sæpe etiam Cardano, pro arbuscula sumitur. At notat locum arboribus consitum. Veteres *arbos* dixere, imò & gignendi casu *arbosem*: nempe ni me conjectura fallit, ab ἀὴρ, & βόσις, cibus, quia non humi legererit cibum, sed ex alto carperent. Hinc *arbosetum*, & κατὰ συγκοπὴν *arbostum*, sive arbustum.

Arcitenens ipsius est Maronis: sed de Apolline, quia cum arcu effingitur. Ac de Sagittarii sidere etiam usurpat Cicero in Arato. Quid mirum, quando *sagittarii* vocem versus hexameter non recipit. At putidius hodie fit in prosa velle atquites sive sagittarios omnes *arcutenentes* vocare. Quomodo Walsingam in Richardo II † ait: *Interim arcitenentes nostri præsidio fiunt, dum denso sagittarum imbre Francos obnubilant.*

Arma, pro *insignia*, quæ Gallis & Germanis *livrea*.

Arsura substantivè pro pestilentiæ genere. Jacobus Meyerus lib. III Annal. Flandr. *Anno* CIↃ LXXXVIII, III *Kal. Sept. visus est igneus draco volare per medium cæli, & ex ore suo quasi flammas evomere, statimque subsecutus est pestilens ille morbus, qui ignis sacer vocatur, quam tum arsuram appellabant quidam.* Ad annum verò proximum *pestem ignitariam*. *Sacer* ignis dicitur Maroni III Georg. ubi describit pestilentiam Atticam à Thucydide graphicè depictam:

—— Nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus sacer ignis habebat.

Ac Columella similiter lib. VII cap. V: *Est etiam insanabilis sacer ignis, quam pusulam vocant pastores.*

Atramentum de rubrica, vel alio colore, durè, imò ineptè dicitur. Uti & *atramentarium*, cui purpureus inest liquor. Locutus tamen hoc pacto Anastasius bibliothecarius ad VIII Synodum Act. X. *Præpositus caniculi est, qui curam & custodiam gerit caniculi, id est, atramentarii, ex quo Imperator Phœniceas literas scribit in chartis.* Purpureo scribere colore mos erat imperatoribus: ut potiùs *purpurarium* fuerit dicendum.

Augustalis, ἁπλῶς intellecto καθ' ὑπόνοιαν, nummus. Constitutiones Siculæ sive Neapolitanæ lib. I tit. C: *Si mille focularia ipsa universitas habeat, quingentos augustales pro pœna contumaciæ universitas tota fisco nostro persolvat.* Ubi *focale* quid sit, alibi dictum.

Aurea familia, pro ea quæ ingenuorum, dici ait vir eruditus: & se tuetur his Festi verbis: *Familia aurea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux, & princeps generis, vocabatur Pater, & Mater Familia. Unde Familia nobilium Pompiliorum; & Familiares ex eadem familia. Postea hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt.* Sed observandum, quod ἀντίθετον statuit inter duo tempora, quo *familia* prius de liberis, posterius de servis dicebatur. Atque hoc indicat, quòd dicat POSTEA *hoc nomine famuli appellari cœperunt.* Non dubium igitur, quin pro *aurea* debeat *antea* reponi.

Auspices, ut quidam lexicographi tradunt, dicuntur pronubi à patre mariti in nuptiis: quemadmodum pronubæ ex parte matris. Sed nunquam id notat auspex. Verum in nuptiis dicti auspices, qui adhibebantur, quo felixne conjugium futurum esset an secus ex avium volatu, cantu vel pastu cognoscerent. Eo allusit Plautus, cum in Casina de Meretrice ait: *Ultro ibit nuptum, non manebit auspices.*

B.

BAbylonia pro Babylone Justinus dixit lib. I, posteaque Martianus Capella, Servius, alii. At veteribus, etiam Plinio Babylon urbs, Babylonia regio. Græcis etiam urbs semper Βαβυλών.

Bajulus pro pædagogo. Lupus Abbas epist. LIV: *Non ergo admittentur à vobis monitores, quos bajulos vulgus appellat, ne gloriam suam inter se ipsi partiantur.* Fredegarius Chron. cap. LXXXVI: *Otto quidem filius domestici Beronis, qui bajulus Sigeberti ab adolescentia fuerat.* Hincmarus epist. II ad Carolum III Crassum Imperat. cap. II*: *Istis juvenibus, filiis vestris, Regibus nostris, maturos ac prudentes, atque sobrios bajulos singulis constituite.* Etiam sic dicti qui literas deferrent. Ut *literarum bajulus* apud Petrum de Vineis lib. III epist. VIII, & Gualterum Cabilonensem, epistolà in Chronico Cisterciensi. Item legatus, sive qui cum mandatis Principis alio mittitur. Incertus in vita Ludovici Pii: *Hujus legationis bajulus fuit Theodorus Nomenclator, qui negotio peracto*, &c. Ac particulatim legatus Venetus commerciorum caussâ degens Constantinopoli. Sic usi Phranzes Chronici lib. III cap. I, & Platina in Gregorio XI. Etiam tum in Rep. bajulos Imperatoris, tum in Ecclesia bajulos imperatoris, tum in Ecclesia bajulos abbatum legas pro ministros interioris admissionis. Vide sis Meursii Gloss. in Βαΐουλος & Μπαΐουλος: item glossaria Spelmanni, & Watsii.

Balneum Mariæ vocatur Chymistis & Pharmacopœis, barbaris fornax, cui superimponatur vas æneum grande aquâ refertum; huic verò vascula alia, in quorum fundum res destillanda eat. Cum Plinio dixeris *vas duplex*: quia vas vasi imponitur, quorum superius calore inferioris calentis concoquitur. Vel diploma dixeris. Nam & Galenus lib. VII τῶν κατὰ τόπους, quo loco arteriacus Critonis describit, vas duplex δίπλωμα appellat: ut alibi διπλοῦν ἀγγεῖον, vel διπλοῦν σκεῦος.

Barbatus, pro fratre converso. Incertus scriptor in vita S. abbatis ac martyris S. Erminoldi lib. II cap. II†: *Frater quidam ex his, quos Barbatos dicimus.*

Batillum mensarium vocat Budæus vas illud, quod gabatis sive lancibus escariis, ne cibi in iis frigescant. Sed batillus aliud est: nempe quod Belgis *vierschoppe*. Instrumentum id ferreum est, quo ignem aliò transferimus. Quare pro batillo mensario melius cum Hadriano Junio foculum mensarium dixeris.

Beati nunc vocantur, quibus judicio Ecclesiæ Romanæ publicus à morte honos exhibetur. Sed ea significatio multis seculis in Ecclesia fuit ignota. Nempe quia serò hujusmodi consuetudo inducta.

Beneficiarius non qui beneficium contulit, sed qui accepit, proque eo beneficio se alteri in clientelam dedit. Vulgo *vassallos* dicimus.

Biglossus, à Lat. *bis*, & γλῶσσα, pro Græcè ac Latinè scienti. B. Petrus Damianus Cardinalis in vita S. Odilonis † cap. XVI. §. XXXV: *Amalphitana sedis archiepiscopus, qui potens in literis, ac biglossus, Græci noverat, ac Latinè.*

Bombycinum est quod Sericum dicimus, Italicè *seta*: non verò *bambacium*, ut Accursius putabat ad L. vestis. ff. de auro & argent. leg. Sed hoc, & alia id genus, tribuenda non tam Accursio quam illiterato, quo vixit seculo: ut nimis asperum sit magni Budæi judicium, ubi summum hunc jurisconsultum vocat divinabundum, ac mira judicii futilitate hominem, quicquam in buccam venisset, in commentarios referentem.

Brevis, vel *breviculus*, *breve*, *brevia*, *brevium*, vel *breviculum*, scriptum breviter aliquid continens. Unde

Rr Bracto-

---

* Pag. 259.
† Fol. 70. vers. 1. edit. Cratandri.
* Pag. 63. edit. Crispin.
† Pag. 223.
* Edit. Mogunt. an. 1602. pag. 12.
† In vitis Sanctorum apud Bollandum ad 6 Jan.
† In vitis SS. ad 1 Jan.

Bractonus lib. III Tract. I cap. XII: *Breve, quod, sicut regula juris, rem quae est, breviter enarrat.* Et Zonaras in Concilium Carthaginense: βρέβιον ἡ ἐπιτομὴ λέγεται, καὶ σύντομος χάρτης. *Breve, epitome scribitur, & concisa scriptura.* Wicbertus epistola ad Lullum, quae in farragine epistolarum S. Bonifacii est LXXXIV: *Per breve ad nostrum dirigere faciatis.* Sic dixerunt *breve Imperatoris, breve Apostolicum*, hoc est, Pontificis maximi. Karoli Mag. Kapit. lib. III cap. LXXXII. *Describatur in breve.* De beneficiis Episcoporum, abbatum, & reliquorum sermo est. βρέβιον etiam apud Annam habemus in Alexiados opere. *Breviculus* dixit Hincmarus apud Flodoardum Hist. lib. III cap. XXI. Longum sit, si talium etiam exempla adferre paterer ex Cassiodoro, Matthaeo Parisio, aliis. Quia verò ad modum ejusmodi brevis epistolae fere scribebentur, hinc factum ut *breve*, vel *brevis* pro epistola vulgo caperetur. Ita sumi videas apud Petrum Blesensem, epist. CXLII: Item in Concilio Pisano*, item apud Rogerum de Houeden Annal. Tom. II. Atque hinc est quod Belgis epistola *brief*: ut cum dicimus *lange brief*, quod ad verbum sonat, *longum breve*: simile sit ac cum Curtius dicit *auream pyxidem*, etsi pyxis propriè sit à buxo, ut nomen indicat. A breve est *inbreviare*: ut apud Matthaeum Parisium in rege Joanne an. ccxxIII: *Fecit idem Rex inbreviare omnes naves —— per hoc breve, quod singulis portuum baillivis in hac verba direxit.*

* Pag. 195.

Bubulus pro *bove*, apud Pierium Valerianum lib. II cap. XLV.

Bucca posterioribus majoris navigii genus. Matthaeus Parisius ad an. CXC: *Fraudatus a desiderio suo, buccas decem magnas, novem galeas bene armatas conduxit.* Ac alibi idem: *Tredecim buccas triplici velorum expansione velificatas.*

Buglossum vulgo vocant, quo nihil minus est. Sed *buglossum* veteres dixere, quod officinis borrago. Hoc liquebit ei qui conferre cum borragine nostra velit, quae de buglosso Dioscorides, & Appulejus junior scripsere.

Bulla Pontificiae quae dicuntur, dicendae diplomata. Sic Cicero, & alii. Vocant quoque literas patentes. Sed praeter veterum morem.

Bulla propriè vesicula sive pustula aquae, quae inde dicitur *bullire*, ut in olla fervescente. Indeque *homo bulla* Varroni, & *nugae bullatae* Persio. Sed ob similitudinem veteres Romani sic dixere in pueris insigne pectoris adversus fascinationem de collo dependens: non à Graeco βουλή, quod Festus putabat. Fusius de isto Asconius, Festus, Macrobius. Sed posterioribus seculis *bullam* etiam dixere tum sigillum literis impressum, quod bullam referret, tum literas ipsas, quibus impressum istiusmodi signum foret. Priori modo sumitur à Petro Blesensi epist. LIII. Item à M. Alberto de Argentina, ut vulgo vocatur. Is in Chronici sui anno ccccXLII, ait de Papa Clemente sexto, *cum arma progeniei suae haberent quinque rosas, contra morem antecessorum suorum totidem rosas poni fecit in bulla.* Sanè in bullis Papalibus solet esse imago Pauli a dextris, Petri à sinistris: de quo Matth. Parisius in an. ccxxxvII: Similiter per bullam literas vel diploma intelligimus, cum dicimus Auream bullam Karoli IV. Nempe κατὰ μετωνυμίαν sic vocant librum, seu literas quibus Imperator bullam auream appendisset. Primitus bullae è cera erant, dictae eo κηρόβουλλα. Sed ut diuturniora forent, factae è metallo. Primus aurea bulla, quae iccirco χρυσόβουλλον Graecis, Carolus Mag. obsignavit. Praeter quam & bullae erant argenteae, ἀργυρόβουλλα, & plumbeae, sive μολυβδόβουλλα. Ac tales Venetorum ab anno circiter cLXX, sive temporibus Alexandri III. Hinc *bullare literas*, pro signum apponere apud Petrum Blesensem epist. CLXXXIII. Item *bullata litera*, quae obsignatae. Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. II cap. XXVIII: *Aureo signo bullatum.* Sed tum tantum literae bullatae, dum adhuc integrae, nec corruptae: ut liquet ex Bernardo epist. CXXX. Inde & *bullatores*, qui sigillum imprimerent: ut apud Matthaeum Parisium, similiter Antoninus Florentinus Chronicorum Tit. XIX, c. I: *Unde facit edictum, ut nullus Officialium Curiae suae quicquam ab aliquo exigeret, praeter solum scriptores, & bullatores.* Hoc est eos, qui literas scriberent, vel eas obsignarent.

Burrum vel *byrrhum* dixere juniores pro lacerna russei coloris. Cod. Theodosiano leg. I tit... Quo habitu uti oportet intra Urbem: *Servos tamen omnium, quorum tamen dominos sollicitudine militia constat non teneri, aut byrrhis uti permittimus, aut cucullis.* Hac significatione apud classicos nusquam legas: sed semper iis adjectivum pro *rufus*, vel *ruber*: nempe a Graeco πυῤῥὸς, Π in B transeunte: ut est apud Fabium Quinctilianum lib. I, Festum in *Burrum*, Scaurum de Orthographia. Integrè autem dicendum esset *lacernum burrum*: quod legas in Actis Passionis B. Cypriani. Veteres in muliebri genere maluissent *lacernam burram*. Id est, πυῤῥὸς φαινόλης. Plura de hac voce diximus libro II cap. III: ubi ejus vocis meminimus, quia, utrum esset à πυῤῥὸς, non usque adeo liqueret. Nunc hic attingimus, quia quin à πυῤῥὸς sit, non ambigam. Burrum, sive lacernam rufam, clarè designat Martialis:

—— Vestitur Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

Multaque alia idem firmantia adducit Salmasius ad Vopiscum †.

† Pag. 513. & seq.

Bustum substantivè veteres dixere; unde *bustar*, apud Charisium, locus ubi comburerentur cadavera. Fortasse *bustum* à *buro*, hoc à πυρῶ. Sanè à *buro*, *comburo*. Interim *bustus* adjectivè vel barbarum est, vel obsoletum. Usus Stephanus Sampaius in tralatione vitae S. Consalvi Amaranthi*, Ordinis Praedicatorum in Lusitania, cap. VIII. sect. XXXVII: *Panes illi omnes in canistro positi post excommunicationis verba à sancto viro prolata, subito in bustos, nigrosque carbones conversi.*

* In Vitis SS ad 10 Jan. apud Bolland.

C.

C*Adiva* poma Plinio, quae sponte sua cecidere: sed junioribus *cadivus* ille, cui vel mens non constet, vel corpus malè sit affectum. Nempe quia ceciderit à statu illo, quem omnes optamus, ut mens sana sit, ac pariter corpus. Marculfus lib. II Formularum cap. XXII: *Vendidi servum juris mei, aut ancillam nomine illam, non furem, non fugitivum, neque cadivum; sed mente, & omni corpore sanum.* Ut verò à cadendus *cadivus*: sic à *cadivus* Italicum *cattivo*, Hispanicum *cativo*, Gallicum *chetif*, Belgicum *cattyf*, *kattyvig*, pro misero, infelici.

Calamancum. vide librum II, cap. 13.

Calamus aromaticus vulgò vocatur, quod veteribus *acorus*: ut Italis, & Hispanis, *acoro*. Vulgarem opinionem sequuntur Germani, ac Belgae, quibus dicitur *calmus*, & *calmis*: quae vocabula κατὰ συγκοπὴν facta ex *calamus*. *Calamus* verò saepe κατ' ἐξοχὴν usurpatur de calamo odorato. Unde & viri quidam eruditissimi apud Matthaeum, & Marcum, quando aiunt, spongiam unde bibere datum Christo in cruce pendenti, fuisse calamo circumvolutum, odoratum putant calamum intelligi oportere; more Hebraeorum, quibus קנה non semper *calamum* simpliciter, sed & pressè *odoratum calamum* designat. ut Jes. XLIII. 24, & Jer. VI. 20. Sed nihil haec pro acoro: quod radix est, non calamus; ut omnino malè *calamus aromaticus* nuncupetur.

Calendarium vulgo pro *fastis* perperam sumitur. Veteribus enim *calendarium* dicebatur adversaria, in quibus quotidie referrent acceptum & expensum: vel potiùs liber foenebris, ideo quod foeneratores Calendis foenoris pecuniam suam collocarent. Quod & Plutarchus probat libello περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. Usus sic Seneca lib. XIII. epist. *Divitem illum putas, quia in omnibus provinciis arat, quia magnus illi calendarii liber volvitur.* Frequens est in Jure ut L. XXXIV. §. I. D. de leg. *In nominibus omnis substantia Calendarii.* Alibi, *Calendario praepositus servus, calendarium exercere, in Calendarium pecuniam vertere*: hoc est, foenori occupare. Priscianus lib. XII: *Quando de ratio-*

ratione, *vel calendario loquimur*, EXPUNXI *dicimus*.

Camera veteribus est fornix, junioribus cubiculum, vel triclinium, aut conclave: quemadmodum diximus lib. I cap. XXX. κατ' ἐξοχὴν verò quandoque sumitur pro ærario, vel gazophylacio. Quomodo Matthæus Parisius Historiæ suæ anno CIↃCCXXXI: *De redditibus camerarum, quas de Romanis habetis, vel debetis eis, de cætero non respondeatis.* Et ad an. CIↃCCLII: *Beneficium, quale de Prælati alicujus, Romani colligere potuerunt.* Usurpatur etiam pro latrina: ut apud Cæsarium lib. V. cap. XL: *Sacerdos cum ex necessitate naturæ iturus esset ad cameram.* Atque hunc Belgæ secessum hunc vocant *camer-ganck*. Sed sæpius sumitur pro camera imperiali, aut loco, ubi publicum concilium initur, vel ubi caussæ aguntur forenses, vel rationes publicæ adservantur. Sic vulgo dicimus *cameram Imperialem Spiræ esse.* Item *cameram Apostolicam* pro loco, ubi Pontifex jus dicit; in Urbani VI Bulla de Jurisdictione Camerarii*: Karolus Longobard. Legg. lib. III. Tit. VIII Leg. IV: *Siquis hanc jussionem nostram infregerit, auri optimi libras centum componat, medium cameræ nostræ, & medium, cui damnum illatum fuerit.* Similiter sumitur Constitutionum Sicularum lib. I Tit. XXII. *Camerarius*, cubiculo præfectus: item qui vulgo thesaurarius. Utuntur Gregorius Turon. Hist. Franc. lib. VI cap. XLV, Hincmarus epist. III cap. XVI, Ivo Carnot. epist. CLXVI, Henricus Hungtingtonensis Histor. Angl. lib. VI, Cæsarius lib. I Mirac. cap. XXIII, Constitutiones Siculæ lib. I Tit. VIII Leg. I, ut Concilium Pisanum, Chronicon Cisterciense, Bekam, alios prætereaın. Potestas Apostolici sive Papalis apparet ex Urbani VI Bulla de ejus Jurisdictione†: cujus hæc inscriptio: *Jurisdictio Camerarii S. R. E. summariè, quascumque caussas interesse Rever. Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentes, cognoscendi.* Tum quod Papa §. 3. unum tantum alloquatur his verbis: *Easque per te, vel alium, seu alios audiendi & examinandi summariè, simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura judicii, & sine debito terminandi, & aliàs justitiam omnimodam exhibendi.* Unde magna apparet *Camerariorum* potestas. Hinc est, quod Camerariis jus concessum procedendi adversum piratas ab Urbano quinto Papa. Tom. I*. quod etiam Paullus III jusserit omnes officiales Urbis, & ditionis Ecclesiasticæ ipsis parere. T. I†. Certe ego putem Camerarios fuisse, præsides Cameræ, quia ubicumque in Bullis de iis sermo semper ponatur, *Camerarius ac Clerici Cameræ*, nonnunquam etiam, *Camerarius & Clerici præsidentes*, ut in Bulla Leonis X T. I*. ubi agit de Jurisdictione Camerarii & clericorum Romanæ Cameræ, &c. *Licet fel. rec. Eugenius* IV. & *Innocentius* VIII. *Rom. Pont. prædecessores nostri, provida dispositione declaraverint, totius Christiani orbis, & Ecclesiarum, & Monasteriorum, & omnium civitatum, terrarum, & locorum S. R. E. mediatè vel immediatè subjectorum, personas quaslibet ex quocumque loco etiam exempto oriundas, ad Cameram Apostolicam pro eorum caussis & negociis peragendis recurrentes, summariæ justitiæ implementum reportare debere, ac Camerarium nostrum, & dilectos filios Clericos præsidentes, in easdem personas superioritatem, & omnimodam jurisdictionem passim habere.* Sed est & locus in Pii VII Bulla, T. 2†. unde & plus quam præsides fuisse colligere liceret. Ita enim verba sonant: *Sed Camerarius, Præsidentes, ac Clerici, aliique ministri, & officiales, cameræ Apostolicæ.*

* Tom. I. Bullarii pag. 221.

† Tom. I Bullarii, pag. 221.

* Pag. 215.

† Pag. 568.

* Pag. 435.

† Pag. 69.

Campus Latinis ampla terræ planicies, idonea juventuti ad se exercendum, militibus etiam ad pugnandum. In hunc quia exire solent, quando alter alterum ad singulare certamen provocasset: posterioribus seculis pro μονομαχία accipi cœptum: de qua significatione verbo attigimus lib. I cap. I. Hinc in diplomate Roberti Regis: *Legengem duelli*, quod vulgo dicitur *campus*. Sic sumitur à Gregorio Turonensi Histor. Franc. lib. X cap. X. item Joanne Biclariensi, seu Gerundiensi in Chronico, Caroli ac Ludovici Capitularibus lib. III cap. XLVI, & lib. IV cap. XXIII, Aimoino lib. V cap. XIII, Balderico Noviomensis Chronici lib. I cap. X, & lib. III cap. LVIII: adhæc in Legg. Longobardicis lib. I tit. XXV, leg. LXXVI, & lib. II, tit. XVIII, leg. III: item legg. Saxonicis, & Anglicis. Inde *campio*. Isidorus in Glossis: *Campiones, gladiatores, pugnatores.* Sic usurpatur à Burchardo, lege, quam familiæ dedit: item in Legg. Saxonicis, Longobardicis, aliis, & in epistolâ Regis Angl. *Tondeatur ad modum campionis.* Et apud Suenonem*, primum Danicæ gentis scriptorem, quem Stephanus Stephanius divulgavit: *Athletam investigare, qui cum Imperatoris campione monomachiam committere auderet.* Hinc Belgis *campioen*: Galli, & Angli *champion*: Italis etiam *campione* miles. Inde & *camfwic*, in Decreto Tassilonis cap. VI: *Qui supra prædium pugna, quod camfwic dicimus*, &c. Est & hujus originis *campiter equus*, pro bellico: de quo alibi.

* Cap. I, sive pag. II edit. Soranæ.

Capellam quam dicimus, *sacellum* dici oportere, monebamus libri superioris cap. XXXII. Sic barbarum illud usurpant leges Longobardicæ lib. III Tit. III, leg. III, Capitularia Karoli lib. V cap. CLXXXII, Ivo Carnotensis epist. CLXXII, & CCLXXXIV, Cæsarius lib. VII Mirac. cap. VIII: ut Chronicon Cisterciense†, Bekam*, Tuurocium†. Nunc apponam nominis ejus caussam. Est *capella* [illegible] à *capa* sive *cappa*, non quatenus signat cucullam: sed prout notat *capsam*, à quo *capsella*, &, extrito S, *capella*. *Capsella* vocabulum habes in historia Matthæi Parisiensis: *Quatuor magnis eburneis capsellis.* Nempe in quibus forent sanctorum reliquiæ. Quemadmodum verò Constantinus M. papilionem sacrum habuit, quod portatile erat templum: sic & Francorum reges, in bellum ituri habuere oratorium portatile, quod *S. Martini capam*, & *capellam* dixere, quia reponerentur in ea reliquiæ S. Martini. Sacerdos verò, cujus custodiæ capella, h. e. capsella, foret commissa, ex eo *capellanus* est vocatus. Postea verò ad alios etiam extensa est significatio. Usurpant eam vocem Legg. Longobardicæ lib. III Tit. I Leg. XXVII, Capitula Karoli M. lib. V cap. XI, Hincmarus epist. III cap. XVI, Galfridus Monumuthensis lib. IX cap. VIII, Rogerus de Houeden Ann. Tom. I in vita Wilhelmi Senioris, Cæsarius lib. X Miracul. cap. XXXIV, & lib. II cap. XXVI, Iso monachus de virtutibus ac miraculis S. Othmari lib. II cap. III. Indeque *archicapellanus* in edicto Ludovici Regis apud Aimoinum lib. V de gestis Francorum cap. X. Quod verò de more eo regum Francicorum diximus, ejus nobis auctor est Walafridus Strabo: qui claruit non quidem anno IↃCC, (ut nobilissimus & doctissimus vir in Glossario suo scribit) sed sesquiseculo pòst: nempe anno IↃCCCL. Ejus verba sunt lib. de rebus Ecclesf. cap. ult. *Dicti autem sunt primitus Capellani a cappa S. Martini, quam reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis solebant secum habere: quam ferentes, & custodientes cum cæteris sanctorum reliquiis, clerici capellani cœperunt vocari.* Similiter Honorius Sermone de S. Martino. Durandus eandem, atque alteram præterea rationem adfert. Nempe ut ex eo sit, quia in expeditionibus ædicula sacra fieret e pellibus capellarum. Sed hæc sententia nihil habet præsidii in scriptoribus antiquis. Vide sis Durandum lib. II Rationalis cap. X.

† Pag. 16.

* In Herberto.

† In Chronico Hungarico passim.

Capisterium apud Althelmum de laude Virginitatis, pro *scaphisterium*: quasi σκαφιστήριον à σκαφίζω, quod à σκάφη, uti hoc à σκάπτω. Alveus est, in quo pueri calida lavarentur, vel infantum lintea sordidata eluerentur. Columellæ lib. II de R. R. cap. *capisterium*, si sanus est locus, ventilabrum notat. Martinium adi in *Capisterium*.

Capitium, vel *caputium*, pro monachali capitis tegmine, diverso interim ab eo quod *cappam* vocant. Distinguit enim Cærimon. lib. I cap. VI: *Depositis croceis, & parvis caputiis, cappas suas reassumunt.* Usurpant *caputii* vocabulum Sigebertus in Chronicis ad an. CIↃCVII, Monachus Paritius, Chronicon Cisterciense, &c. Imò & Græci posteriores similiter καπίτζιον vocant: uti Codinus, cujus geminum de eo locum optimè in suis ad eum scriptorem locis socer Franciscus Junius emendavit. Veteribus

Latinis longè aliud *capitium* fuisse, nempe non capitis, sed pectoris tegmen, abunde ostendimus lib. I cap. XXIX. Nec putandum hanc *capitii* significationem esse ex Italico *capuccio*; quod vir clarissimus in suo tradidit Glossario: sed contrà Itali ex ea *capitii* significatione suam hausere. Nam jam Nonii Marcelli ætate sic loquebantur; ut ibidem ostensum nobis.

Capitolium pro cujusvis civitatis loco munito. Nic. Lyra in Danielem cap. IV vers. 27: *Capitolium, vel fortalitium illius civitatis*, (puta Babylonis) *erat turris ædificata à filiis Noë; ut habetur* Gen. XI.

Capitulum quid in architectura sit, ex Vitruvio constat. Præter quem & alii veterum aliter usi. Labantis verò, vel lapsæ potius Latinitatis scriptores, præterquam quod sic dixere decretum, consilii sententiam, legem, ac, prout tum loquuti, ordinationem (quâ de significatione libro III dictum cap. III *) etiam notat cœtum eorum, qui collegii alicujus sunt capita, & velut principes. Quorum præcipuus decanus, sic dictus, quia in majori Ecclesia minimùm sint decem, quibus præsit. Sic *capituli* voce usi Irmbertus, Manasses Trecensis, Nicolaus Clemanges: quorum verba adducit Meursius in Glossario voce Καπιτώλιον. Adde verò Ivonem Carnotensem epist. XVIII ad Rogerium Cardinalem, item epist. LXVI. ad Hugonem, Lugdunensem Episcopum, Leonem Marsicanum Chronici Casinensis lib. II cap. XLVI, LIV, & LXXXII, Cæsarium lib. XII Miracul. cap. V, &c. *Capitulum* perperam idem, ac *capitium*, credi, diximus lib. I cap. XXIX. Sed & capitulum sumitur pro serto. Matthæus Parisius in Additamentis: *Nec habeant capitulum de floribus, vel foliis.*

* In Capitulare.

Capus veteribus capo, sive gallus spado. Posterioribus verò sic dixere avem prædatoriam: puto à capiendo, ut ab accipiendo accipiter. Ita usus Theodulphus Carmine de pugna avium: alteroque ad Karolum Regem:

Colla superba teras, anates ut turba caporum:
Anserem ut accipiter, colla superba teras.

Carabus, cancri genus: uti & Aristoteli κάραβος. Indeque τῶν σιγηρῶν, Belgicum *crabbe*. Hæc nota significatio. Sed junioribus etiam κάραβος, & καράβιον etiam navigii genus: ut in Basil. Eclog. LIII. Item apud Suidam in Ἐφόλκια, & Etymologum in Ἄκατος. Item in Actis S. Thyrsi †, & sociorum Martyrum, ad XXVIII Jan. *Jussit eum arctari in sacco, quem annulo suo signavit, & in carabo ponens, jussit eum duci in medium maris, & illic præcipitari.* Item Saxo Grammaticus lib. V Historiæ Danicæ: *crab-schuyte*; quæ aliter *cage*, vel *caeg-schuyte*, navicula aperta, oblonga, & velifera.

† Apud Bolland. Tom 2 pag. 822.

—— Percurrimus æquor
Permensore maris carabo.

Danis dicitur *een krejer*. Hollandis voce propius ad *carabus* accedente.

Cardo posterioribus seculis, qui veteribus *carduus*, ut cum dicunt *cardo benedictus*. Simile *citro*, pro *citrus*. *Mallo* item, pro *mallus*: de quo dictum.

Carentia serici, pro penuria, apud S. Odoricum peregrinationis suæ, extremo capite IV.

Carmen est poëma: quod raro, uno absolvitur versu, sæpius verò centenis, aut etiam millenis, imo interdum aliquot millenis constat. Itaque displicet, quod doctissimus Lilius Gyraldus in Poëtarum Historia dialogo III, dicat, *Plutarchus multa hujus Hegesianactis carmina adfert.*

Carmen pro *versu* est pervulgatum: sed barbarum. Itaque rectè Yvo Villiomarus *, h. e. Josephus Scaliger, culpat Robertum Titium, quòd *postremum carmen* dixerit pro *versu postremo*: cum *carmen postremum* Latinè sonet *postremam poëmatis partem*. Itidem alius hoc Roberto non paullo doctior, de *carrocii* voce agens qua Latinobarbari, in his Godefridus Viterbiensis in Annalibus, pro rheda usi fuere, subjungit, in curru Frederici Imperatoris, quem ipse Cremonensibus, Frederico autem victores eripuerant, Parmensibus inscriptum fuisse geminum hoc carmen:

* Pag. 185.

Carrocii flet damna sui miseranda Cremona,
Imperii, Friderice, tui fugis absque corona.

Non dubitandum, quin *geminus hic versus* debuerit dicere.

Carruca, Romanis carrus, posterioribus aratrum uti Gallis *charrue*. Indeque *carucata terra*, quantum uno aratro destinatur, & *carucagium*, tributum singulis impositum aratris. Usus tribus istis Matthæus Parisius: ad quem Watsii Glossas vide.

Casa pro domo, atque adeo pro æde sacra: sed tum Casa Dei dici solet. Ut apud Hincmarum epist. VII, c. XXXV: *Providendum est etiam, ut de nihil habentibus promoti presbyteri non præsumant, quæ de facultatibus Ecclesiæ comparaverunt, vendere vel quasi ad Casam Dei tradere, nisi ad Ecclesiam, cujus propria esse debent.* Sic in veteribus formulis incerti scriptoris Marculfo proximè in Bignoniana editione subjunctis formulæ XL inscriptio est: *Donatio ad casam Dei.*

Casa Latinis tugurium: sed posterioribus seculis domus quævis, ut hodieque Italis, & Hispanis. Sic sumitur in Legg. Longobardicis lib. II Tit. XVIII L. I. Imò & pro palatio accipi videas eodem libro Tit. XVII Leg. I: *Ad gubernandum curtem aut casas regias.* Item loca sacris cœtibus destinata, ut templa, ac cœnobia. Sic capio in Concilio Confluent. an. IↃCCCLX: *Volumus ut Ecclesia, & casa Dei honorem habeant.* Similiter in Capitularibus Karoli M. lib. I cap. CXLI: *Qui res suas pro anima sua ad casas Dei tradere voluerit.* Aliud verò *casa Ecclesiæ*: nempe domus, quas Ecclesia una cum fundo ad vivendum aliquibus concessit. Paullinus Nolanus epist. II ad Amandum: *Ut in casa Ecclesiæ, terrulam, quæ victum suum procuret, accipiat.* Hujusmodi domus cum agello etiam dicebatur *casata*. Ut Capitul. Karoli lib. V cap. III: *Partem Ecclesialis ecclesiæ in adjutorium exercitus nostri aliquanto tempore retineamus, ea conditione, ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est, duodecim denarii ad Ecclesiam vel monasterium reddantur.* Similiter ejusce libri Tit. CXXVII. Quod si militi sive nobili ac potenti homini casæ concederentur, videntur potius dicta esse *casamenta*, ut magnitudine à minoribus distinguerentur. Fulbertus Carnotensis epist. VI: *Militum, qui de nostro casamento beneficium tenent.* Ivo Carnotensis epist. CLXXIII: *Neque scire an etiam* (tuitio hæc) *pertineat ad casamenta eorum, quæ tenent potentes homines se, & sua, fortitudine suâ defendentes.* Utitur quoque epist. CCLXXXIV: item Bernardus epist. XXXIX ad principem Theobaldum. Hinc *casati* generatim, qui domum, & agros habent. Karolus M. in Testamento, quod habes apud Joannem Nauclerum †, & Henricum Mutium *: *Præcipimus, ut nullus ex his tribus fratribus, suscipiat de regno alterius aliquam traditionem, vel venditionem à quolibet homine rerum immobilium: hoc est, terrarum, vinearum, sylvarum, servorum, qui jam casati sunt: sive cæterorum, quæ hæreditatis nomine censentur, ex auro, & argento, & gemmis, & armis, ac vestibus, nec non & mancipiis non casatis.* Sed hic generatim *casatorum* vocabulum accipitur. Particulatim autem *casati* vocabantur Ecclesiæ quasi vasalli, qui cum venia Ecclesiæ bona ejus possiderent. Leges Francicæ ab Ansegiso abbate collectæ lib. I cap. LXVIII: *Describere faciant, quot mansos unusquisque de beneficio habeat, vel quot homines casatos in ipso beneficio.* Et lib. IV cap. LXXV: *De vassis Dominicis, qui adhuc intra casam serviunt, & tamdiu habere beneficia noscuntur, statutum est, ut quicunque ex eis cum Domino Imperatore domi remanserit, vassallos suos casatos secum non retineat; sed cum Comite, cujus pagensis est, ire permittat.* Ivo epist. XXVIII: *Præterea casati Ecclesiæ, & reliqui milites pene omnes vel absunt, vel pro pace violata excommunicati sunt.* Similiter Baldericus in Chronico Cameracensi lib. III cap. LXXX, & lib. V cap. CXXXVI. item Rainaldus Remensis Archiepiscopus tabulis anni CIↃCXXVII *. Est & in veteri lapide Aurelianensi, qui infertus parieti templi S. Crucis: EX BENEFICIO S. † PER

† In Chronico Generat. 27.

* Chron. lib. 8.

* Apud Miræum in Not. Eccl. Belg. cap. 138. pag. 331.

PER JOANNEM EPISCOPUM ET PER ALBERTUM S.† CASATUM FACTUS EST LIBER LEMPERTUS, TESTE HAC SANCTA ECCLESIA. Addam postremo pro *casa* etiam *casale* dici. Constitut. Neapolit. lib. III Tit. IV. Petro de Vineis lib. VI epist. II, & apud Matthæum Parisium sæpe.

Castellanus quid veteribus signarit, diximus lib. I cap. XXVII. Nempe omnes illi milites castellani vocabantur, qui castellum sive burgum custodirent. Glossæ vett. *Castellani κωμῖται*. Ubi κώμη, burgus. Unde & Matth. XXI, & alibi, κώμη à veteri interprete exponitur *castellum*. Posterioribus verò seculis κατ' ἐξοχὴν sic dixere ducem, sive qui castello præesset. Matthæus Parisius, initio anni CIϽCCIII: *Rex Francorum terram vestram hostiliter ingressus, cepit jam illa, & illa castella, & castellanos vestros caudis equorum turpiter alligatos abducit.* Ac similiter alibi idem. Item Constitut. Sicul. lib. I Tit. LXXXIX: *Castellani, & servientes, ab incarceratis, qui ab eadem incarceratione, quacunque hora exierint liberati, nihil omnino recipiant.* Ubi præcipit Imperator Fredericus, ne præfectus arcis, vel præfecti ejus ministri, quicquam accipiant ab iis, qui in carcerem arcis fuerint conjecti. Similiter Baldericus Chronici Cameracensis lib. III cap. LXXXIII, Rogerus de Houeden Annal. Tom. II. Cæsarius lib. III Miracul. cap. XVIII. Historia Albigensis cap. LV, Philippus IV Gall. R. in Edicto de Offic. Ludovicus XI Gall. R. Edict. III de Sentent. Arrest. Joannes à Leidis lib. I cap. X. Hinc *castellatura arcis*, pro ejus præfectura Balderico in Chronico Camerac. lib. III cap. LXII, *Castellatura indonatus*.

Casula ἀναλόγως fuit exigua casa. Sed sic dixere vestem clericorum. Synodus à Bonifacio, & Francorum Episcopis sub Carolomanno habita an. IϽCCXLII*: *Decrevimus quoque ut presbyteri, vel diaconi, non sagis laicorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei.*

* In Capitulari Bened. Levitæ lib. 5 cap. 2.

Catabulum ex Græco καταβολον, quod Suidæ exponitur *navale emporium*. Sed Latinis posterioribus sic dicebatur, locus, in quem bestiæ καταβάλλονται, hoc est conjiciebantur: ac universè stabulum, ubi bestiæ agerent. Unde Papias, *Catabulum, clausura animalium, ubi desuper aliquid jacitur.* Ac in glossis veteribus est: *Cantabulum* (lege *catabulum*) *stabulum*. Anastasius bibliothecarius, qui de Pontificum vitis perscripsit, in Marcelli vita, primi ac trigesimi Episcopi Romani, cap. XXXI: *Semper contemnens, & deridens præcepta Maxentii, damnatus est in catabulo: qui dum multis diebus cessaret in catabulo, orationibus, & jejuniis, Domino servire non cessabat. Mense autem nono nocte venerunt clerici ejus omnes, & eruerunt eum de catabulo.* Etiam usurpat Luitprandus de eodem agens: *Comprehensus à Maxentio, & traditus in catabulo animalibus ad serviendum.* Videtur Platina hanc vocem ignorasse. Certe, ubi idem narrat, pro *catabolum*, editum est *cacabulum*, non in prioribus modò editionibus, sed illa etiam Onuphrii Panuini. A *catabolo* catabolenses, qui catabolo præessent, q. d. stabularii. Habes in Codice Theodosiano lib. VIII, & Rubrica de pistoribus & catabolensibus, item apud Cassiodorum Variarum lib. III epist. X, & lib. IV epist. XLVII. Sic enim & istic legi debere, jamdiu monitum Brissonio, ac secutus etiam emendationem eam Baronius in Martyrologio ad XVII Kal. Febr.

Categoricum vulgo in Peripateticorum scholis opponitur hypothetico. Sed nusquam sic Aristoteles loquitur. Cui semper opponitur τῷ στερητικῷ, privanti vel negativo. Itaque semper usurpat κατηγορικὸν pro affirmanti.

Catus pro *sagaci* veteribus Romanis usitatum. Posterioribus seculis eo usi pro fele, sive æluro; unde & in Glossis veteribus ab Henrico Stephano primùm editis *catus* exponitur αἴλουρος. Est à Germanis qui *katz* & *cat* dicunt, uti Galli *chat*. Nec solum hinc *catus* sed etiam, voce Romanis penitus ignotâ, *cattum* dixere. Unde liquet, quomodo vox ea rectè referatur tum in barbaris prorsus, tum in Latinis barbarâ significatione usurpatis. *Catus* (nisi quod cum spiritu *cathus* scribat) usurpat Odoricus de Foro-Julii Peregrinationis suæ c. II ubi de Indiæ quadam civitate ait: *Canes illic capiunt mures, quia murilegi sive cathi nihil ad hoc valent.* Atque ab hac significatione catinæ pelles. Ivo Carnotensis epist. CLXXV: *Duo paria catinarum pellium.* Nec *catus* modò pro instrumento bellico dixere, uti ostensum lib. II cap. IV: veniens etiam *catus*. Matthæus Parisius ad an. CIϽCCXXVI: *Fit igitur ad civitatem assultus gravissimus, dum petraria, balista, scrofa, catus, funda, ensis —— hinc inde, quid valeat experiretur.*

Caverna pro foramine acus inveniri ostendit Ludovicus de La-Cerda in Adversariis sacris cap. CXIV. Nempe illo S. Maximi homilia de Michaële Archangelo: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. Sicut enim camelum, animal tortuosum, atque deforme, exigua caverna præterire non patitur; ita & divitem avarum, atque mendacem, arcta cæli janua minimè intrare permittit.*

Centena, terra, quæ centum regiæ pacis fidejussores haberet. Erant centenæ partes pagi; uti decaniæ partes erant centenæ. Itaque in Formularum vett. codice, qui in Collectione Bignoniana ultimus, cap. XVIII, prius legas, *in loco illo*; tum distinctius, *in pago illo*; hinc magis restrictè, *in centena illa*. Distinguit & Capitulare Ansegisi lib. III cap. X: *De ipso pago, aut de vicinis centenis eligantur, nisi forte longius extra comitatum caussa sit inquirenda.* Ubi quod prius *pagus*, postea vocat *comitatum*: ut pagus hic non aliquem vicum significet, sed civitatem cum suo territorio, vel etiam provinciam, ejusve partem: quomodo & Cæsar dicit septem Helvetiorum pagos, & *Gessoriacum pagum* legimus apud Plinium lib. IV cap. XVII. Hinc & pro pago comitatum legas in eodem Capitulari lib. IV cap. XXIII: *Si tamen contentio, quæ inter eos exorta est, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis comitatus ad caussam suam testes habere.* Ut superius *pagi* partes centenæ: ita hic *comitatus*. Nempe quia *pagus*, & *comitatus* idem signant. Sic pagi judex idem ac Comes; huic suberant centenarii, de quibus proximè dicam.

Centenarius numerus, pondera centenaria, cœnæ centenariæ, & similia legas apud veteres. Sed junioribus *centenarii*, judices minores, qui pagi sive Comitatus alicujus centena judicarent. Pagus enim dividebatur in centenas, uti centenæ in decanias: in his decani, in illis centenarii judicabant. At Comes, judex erat pagi universi. Childebertus Rex cap. IX: *Siquis centenarium, aut quemlibet judicem.* Et cap. XI: *Causator centenarium cum centena requirat.* Carlomanni tit. II cap. IX: *Comes præcipiat suo Vicecomiti, suisque centenariis.* Similiter in Aquensibus capitulis Karoli M. anno imperii X, & in Constitutionibus Caroli Calvi tit. XII apud Silvacum, capite XIII lemma est: *Istud jurabunt centenarii.* Meminit & incertus scriptor formularum veterum cap. X: ubi pluribus hæc firmat Bignonius.

Certum ad diem damnat Andr. Schottus lib. III Tullian. Quæst.* non ἀμελῶς ut puto, sed pro *stato die*, vel *ad constitutam diem*: quod apud Ciceronem est pro Cæcina. Dixeris, si *ad constitutam diem* rectum, etiam rectum erit *ad certam diem*. Nam Livii est lib. ....: Cùm in *diem certam*, *ut ad lucum Ferentinæ convenirent, edicit.* Imò & Cicero in sexto ad Att. ait: *Statim dedi literas, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent.* Sed Latinum quidem utrumque: at significatio diversa. Si præcesserit: *Rex edixerat ut X Kalendas Januarias redirent:* non possis subjungere: *illi verò ad certam non adfuere:* sed potius, *ad diem constitutam.* Sin verò id non præcesserit, *certam* dicere licebit. E. G. *Jam semel iterumque ad certam diem redire jussus non paruisti.* Nam sententia esse potest. Etsi dies quæ fuerit nunc mihi est incertum, vel non vacet dicere, id tamen mihi certum, non rediisse te ad diem, quam dixeram.

* 226.

Charitativus, charitate sive amore proximi flagrans, charitatis opera exercens Cæsarius Heisterbach. lib. XII

Memorab. cap. XXXVI: *Steppo presbyter fuit valde religiosus, & mire charitativus.*

Charta vulgò, ut Belgæ *kaerte*. Sed veteres *tabula*. Ut Propertius:

Cogimur è tabula pictos ediscere mundos.

Etiam *charta*, & usitatiùs *carta* dici solent tabulæ regiæ, aliaque diplomata, sive publica, vel juridica instrumenta. Regula S. Cæsariæ † cap. I, §. V: *Quævidua, aut maritu relictæ, aut mutatu vestibus ad monasterium venerint, non excipiantur, nisi antea de omnibus facultaticulis suis, cui voluerint, chartas, vel donationes, aut venditiones faciant: ita ut nihil sua potestati, quod peculiariter aut ordinare, aut possidere videantur, reservent propter illud Domini: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ possides.* Et §. seq. *Chartas tum facere compellantur, quando res parentum in propria potestate habere potuerint, aut ad legitimam ætatem pervenerint.*

† In Vitis SS. ad 12 Jan.

Cholera quidem apud Celsum, ac Plinium, legas, pro uno ex quatuor humoribus corporis humani, vel etiam pro morbo ex ejus excessu. Sed pro iracundia, uti nunc usurpant, non reperias apud classicos scriptores. Qua significatione *bilem* amant dicere, vel *stomachum*. Ut ad Quinctum fratrem: *Epistola plena stomachi, & querelarum.*

Chorus, intimum templi sacrarium: quæ & *absis*, vel *absida*; item *concha*; nempe à tecti figura, quæ non lacunar, sed camera. Vide *Concha*.

Chrysolithus perperam dicitur vulgo, qui Plinii est topazius: ut judicium est Anselmi Boëtii lib. II de Gemmis cap. LI.

Cicindela, veteribus Latinis insecti genus quod Græcis πυγολαμπίς. Vidimus de eo lib. IV Physiologiæ Christianæ cap. LXXI, & XCIII. At imi ævi scriptores usi pro *candela*: uti liquet ex Catholico Januensi. Usúsque eo pacto Fulbertus Carnotensis epist. LXVIII: *Inter organa vatum cincendulas virginum.* Atque hinc *cicindile* lampas, sive vas in quo oleo ardet lychnus. Ita usus Gregorius Turonensis lib. I de Gloria Martyrum cap. V: *Tantane te retinet mentis ignavia, ut integrum cicindile laborare non possis, in quo oleum accendatur, nisi effractum, quo defluat, ponas?*

Cippus, torturæ instrumentum, Notkerus: *Et in Ponto, civitate Tomis, trium fratrum Argei, Narcissi, & Marcellini pueri. Item Tomis Phili Episcopi. Qui sub Licinio Cæsare inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, & diu in carcere maceratus, & in cippo missus, deinde in mare demersus, martyrium consummavit.*

Classicum pro majori campana Ecclesiæ, quæ pulsabatur ad populum convocandum, vel ad alicujus mortem significandam. Matthæus Parisius in vita Joannis, XXIII abbatis S. Albani: *Pulsato igitur solemni classico, deportatum est corpus in Ecclesiam, sequente conventu, & psallente consueta.* Ac similiter alibi in iisdem Vitis.

Clavatus pro clavis affixus, Petro Blesensi serm. XVIII. Nec penitus ausim damnare, propter illa Festi: *Clavata dicuntur aut vestimenta clavis intexta: aut calciamenta clavis confixa.*

Clavis imperii, pro *claustra imperii*, Latinum non est.

Clausula pro *periodo* non dixero: sed Latinis ea *ambitus*, *circuitus*, *comprehensio*, *continuatio*, aut *circumscriptio*: in quo falsus Trapezuntius, quando comprehensionem in *circuitum*, & *ambitum*, dividit: ut ostendimus lib. IV Orator. Institut. cap. III sect. I. *Clausula* vocabulum ea, qua dixi, significatione, etiam Andreas Schottus improbat lib. III Tullianarum Quæstionum*. Mirum verò, quod idem postea pro periodo cum Cicerone jubet dicere †, cum aliis modis antea memoratis, tum etiam *orbis verborum*, item *clausula*. Nam antea hunc vocabuli *clausula* usum damnarat. Nempe sui oblitus fuit: quod non mirandum in viro perdocto à gravioribus ad hasce se demittenti minutias.

* Pag. 219.

† Pag. 223.

Claustrum pro *monasterio*, vel *cœnobio* apud S. Benedictum Regulæ cap. IV, Bernardum homil. IV in Missus, Petrum Blesensem epistol. VIII, Ivonem Carnot. epistol. CXXXII, & CXXXIII. Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. III cap. XXI. Cæsarium Heisterbachensem, cum alibi sæpe, tum lib. IV cap. LXXI. Hinc Belgarum *clooster*, A U in O longum converso: ut à *caurus*, *corus*, à *plaustrum*, *plostrum*, & multa id genus alia.

Cœnaculum non à *cœna*, sed *cœno* sive luto. Abbo de obsidione Lutetiæ lib. I vers. CCCCXCVII:

Qua nolens barathri tetigit cœnacula tetri.

Cogitatus, pro cogitatum, vel cogitatio. Evagrius Presbyter in tralatione vitæ S. Antonii ab Athanasio scriptæ: *Pessimorum* (spirituum) *vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus.*

Collecta tum universè accipitur pro collecto seu congregato populo, tum particulatim pro ea congregatione, quæ fit ad vim alteri nefariè inferendam. Ut in Collectione Ansegisi lib. III cap. LXIII: *Si quis super missum Dominicum cum collecta & armis venerit, & missaticum illi injunctum contradixerit.* Pro quo plenius *collectâ manu* est in Caroli Calvi, & Successorum capitulis tit. XXXI sive Edicto Pistensi cap. XVIII: *Si Comiti collectâ manu resistere tentaverit.* Etiam plurativo habes ejusdem voluminis tit. XII, sive apud Silvacum, cap. III: *Similiter de collectis, quas Theudisca lingua* HERIZUPH *appellat, & de his, qui immunitates infringunt, & qui incendia, & volitaria homicidia, & adsalituras in domos faciunt.* Atque hinc etiam cognoscimus *herizuph* esse quod aliter *collectam & arma*, vocari vidimus: hoc est congregationem armatam sive militarem, quod & prior pars in *Herizuph* ostendit. Nam *her*, sive *heir*, exercitus.

Collecta item conventus monachorum ad pariter precandum. Rufinus* lib. III. num. XLIII: *Surge, abba Macari, & eamus ad collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur.* Et mox: *Quid tibi consortii, quid societatis est cum collecta & congregatione sanctorum?* Eoque potior nobis S. Hieronymus in vita S. Paulæ viduæ cap. VIII §. XXXII. †: *Post Alleluja cantatum (quo signo vocabantur ad collectam) nulli residere licitum erat.* Ac similiter juniores, magno numero. Contentus ero Cæsario Haisterb. lib. XII cap. XXXVI: *Gertrudis in chorum venit, & cum dictis vesperis commemoratio fieret Dominæ nostræ, ad collectam se in terram, stans juxta me prostravit: finitâ verò collectâ, se erigens, abiit.* *Collectam*, etiam legas pro collectione pecuniæ. Ut apud Matthæum Parisium ad an. CIↃCCLI: *Congregati igitur Scholares collectam fecerunt, & contribuerunt; scilicet quilibet secundum posse suum.* Ac similiter idem alibi.

* In vita Macarii, quæ in Vitis SS. ad 2 Jan.

† Apud Hieronymum, & in Vitis SS ad 26 Jan.

Collectio pro collegio, vel congregatione, aut conventu, ut Belgæ, *vergaderinge*. Ivo Carnotensis epist. CXCII: *Nec tamen ideo monachi, qui hæc ignorant, aut non probant, debent suam collectionem deserere*, h. e. monasterium suum.

Colliget vulgo appellant Averrois de Medicina opus. *Collectanea* dicere oportebat.

Collum maris non dixero, etsi Laurentius Valla, Herodotum transferens, de Bosporo Thracio agentem, αὐχένα vetterit *collum*: parùm sanè Latinè; pro quo Livius, & Pomponius Mela, *fauces* dicere maluerunt. Atque idem Mela etiam *canalem* nuncupat.

Colonicus decurio; colonicæ leges, cohortes, oves, apud idoneos legas scriptores. At non item pro villa, quæ uni colono tradita sit excolenda. Marculfus monachus lib. II formular. cap. XXX: *Dedimus ei locellum —— cum paganicis illis, vel omnibus adiacentiis eorum.* Quem ad locum Bignonius ostendit, usurpare etiam Synodum Valentinum sub Lothario Imper. cap. IX, & Chronicon S. Benigni circa annum CIↃVII.

Comitium posterioribus seculis pro foro, sive loco, in quo jus diceretur. Quomodo Capitolinus, (ut Salmasio monitum) de Marco Antonino Philosopho ait, *Comitiis etiam usque ad noctem frequenter interfuit.* Item Festus: *Inco-*

Incomitiare significat tale comitium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est, in conventum venire. Atque ab hac laxiori *comitii* significatione est *comitare*. Isidorus in Glossis: *Comitare, loqui in conventu, eundo, redeundo, ambulando.* Sic *incomitare*, & *incomitiare*, pro in comitio sive foro litigare. Quod & *inforare* dixerunt, unde in iisdem Isidori Glossis: *Inforare, in foro placitare.*

Composita corpora vulgò philosophi opponunt simplicibus: sed, ut puto, aliter classici scriptores. Cicero quidem pro eo in Tuscul. *concretum, & mixtum e re aliqua esse.*

Compostum pro *compositum* simile est ac *repostum* pro *repositum* 1 Æn. Sed Anglis *compost*, fimus, sive lætamen: quomodo Matthæus Parisius in charta Henrici III ad annum cIↃ CCLVIII: *Cum composto curiæ S. Albani ad prædictum manerium meliorandum.*

Concessio non planè idem ac *concessus*. Dixerim *concessione criminis*, vel *præmiorum*: sed *concessu tuo, Regis*, vel *numinis huc veni*. Vulgo tamen confundunt.

Concha, pars templi Christiani ad Orientem, quæ vulgo dicitur *chorus*. Nomen ex eo, quia cum reliquum templi tectum haberet lacunar, hoc camera foret, ac figuram conchæ referret. Κόγχην Græci vocant: quandoque & Latini: in his Paulinus epist. XII, quæ ad Severum: *Totum verò extra concham basilicæ spatium alto & lacunato culmine geminis utrimque porticibus dilatatur.* Sive, ut Salmasius malit, alto, & lacuato. Vide ejus Exercitationes Plinianas.

Confessio locus, ubi Apostolorum corpora conduntur, in Martyrologio Romano Prid. Non. Jul. apud Cassiodorum lib. X Variarum, epist. XI, Anastasium Bibliothecarium in Hilaro Papa, Sixto, & alibi. Monet Rosweidus Notis in Paulini epist. XXXIII *.

* Pag. 812.

Congregatio, pro cœnobio. Paullus Diaconus de gestis Longobardorum lib. IV cap. XVIII: *Ad extremum Bonitus congregationem ipsam rexit: sub quo hæc destructio facta est.* Sermo est de cœnobio Casinensi, exstructo à S. Benedicto, à Longobardis destructo, uti fore S. ille pater Benedictus prædixerat.

Congrua oratio pro Latina non dixero. Sed rectum, *oratio congrua iis, quæ veteres prodidere*, vel *congrua*, aut *congrues cum iis, quæ jussus erat dicere.*

Conquestus, & *conquestio*, de querela dixere Latini. Latinobarbari de victoria, vel quæstu, qui victoriam consequitur. Sic Henricus Bractonius de acquir. rer. domin. lib. II: *Dicitur regale servicium, quia spectat ad dominum regem, & non ad alium, & secundum quod in conquestu fuit adinventum.* Ubi, ut rectè monet Seldenus †, signat tempora Guilhelmi à devicta Anglia dicti *Conquestoris*, sive *conquæstoris*: qua forma à *quæsitor* est *quæstor*: nempe quia bello Angliam acquisiverit. Unde in Placito apud Pinendenam inter Lanfrancum Archiepiscopum, & Odonem, Baiocensem Episcopum *: *Tempore Magni Regni Willelmi, qui Anglicum regnum armis conquisivit, & suis ditionibus subjugavit.*

† Notis in Eadmerum pag. 194.

* Apud Seldenum ibidem pag. 197.

Conscientiam vulgo dicunt *pro religione*. Ut *conscientiâ ducor, quo minus possim*. Pro, *Religio mihi id sit facere*. Sic, *Qua conscientia hoc facis?* Pro, *Non religio te incessit?*

Contiguus, pro *continenti*, rectè ab Andrea Scotto in tertio Tullianarum Quæstionum rejicitur †. Nam *contiguas* quidem *domos* dixit Ovidius IV Met. Sed non una alteram continet. At Ciceroni de Nat. Deorum *continens aer mari*, quia terrarum & maris globus aëre continetur. Sic *insulæ*, quæ ita dictæ quia undique sint in salo, non continentur terra. Contra regiones, quæ vel totæ, vel parte sui, terra contenta, propterea *pars continentis* dicuntur.

† Pag. 228.

Conventus pro cœnobio, Galefrido Monemuthensi lib. XI cap. X. Item Concilio Senonensi *. Unde *conventualis* Cæsario lib. VI Miracul. cap. V.

* Pag. 55.

Conversi vocabulum, præter significationes vulgatas, aliam non unam habet apud Ecclesiasticos scriptores: illa verò imprimis illustranda, qua sumitur pro religiosis illis, qui clericos in laicorum officiis adjuvant. Cæsarius Haberstat. lib. I cap. III: *Noverunt multi Henricum Conversum de Claustro Hemmerode.* Item lib. V cap. V: *Nondum est annus, quod Prior noster, dum post sepulturam ejusdem Conversi nostri ad horam canonicam chorum intraret.* Alias etiam significationes dicet Joan. Ludov. de-la-Cerda in Adversariis sacris cap. XLIV. §. XXVIII.

Copia alicujus scripti vulgo dicitur; ubi Cicero, & alii, exemplum.

Corium, pro cortice arboris dixit Plinius Valerianus.

Cornutus, de eo, cui uxor adultera. Franciscus de Petris, Jurisconsultus Neapolitanus lib. I Festivarum Lectionum cap. IV censet corruptum esse ex *curruca*, quia curruca alienos pullos educat pro suis. Sed hanc sententiam refellimus lib. 3. Physiologiæ Christianæ cap. 83.

Corporale est Senecæ, Fabii, Agellii, Papiniani. Sed Christianis, linteum, quo velatur altare, ita dictum à corpore Christi, quod ei imponitur. Unde de eo sic Optatus lib. VI: *Quis fidelium nescit in peragendis mysteriis, ipsa ligna* (altaris) *linteamine cooperiri. Inter ipsa sacramenta, velamen potuit tangi, non lignum.* Idem postea *pallam* vocat.

Cortem, vel *curtem* dixere pro palatio, sive aula Principis; unde *cortisani*, vel *curtisani*, aulici. Origo istiusmodi est. Domus rusticæ habebant circumquaque aream gramineam ad gallinas, anseres, aliasque alites, vel etiam pecora pascenda. Is locus Homero Iliad. Ω. χόρτος, unde Latinorum *hortus*. Ac ab eadem origine *cohors*, & *cors*. Ovid. IV Fast. de vulpe:

> *Abstulerat multas illa cohortis aves.*

Martialis lib. VII epist. XXX:

> *Rauca cortis aves, & ova matrum.*

Κατὰ μετωνυμίαν vero & ipsis notabat alites: & κατὰ μεταφορὰν translata vox *cohortis* ab avibus ad militum cœtum. Ab ædibus verò rusticis translata vox etiam ad illas nobilium. Ut hic similiter distinguendæ sint, januæ ædium, & areæ. Unde in legibus Wisigothicis, lib. VIII Tit. I Leg. IV: *Quicunque dominum, vel dominam, intra domum, vel cortis suæ januam, violenter incluserit.* Item usurpatum de area monasterii. Gregorius Turonensis lib. X Historiæ Francicæ cap. XVI: *Monasterium seditiosissimè accensis in corte cuppis, —— cæsis & vulneratis monachabus, in ipsis oratoriis spoliato monasterio.* Κατ' ἐξοχὴν verò usurpari cæptum pro area palatii, vel etiam palatio ipso, aut συνεκδοχικῶς pro utroque. Jornandes de rebus Geticis cap. XXXIV: *Area verò curtis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipsa regiam aulam ostenderet.* Curtis regiæ fit mentio in vita S. Othonis lib. I cap. VIII: item Legg. Longobard. lib. I Tit. II, Tit. VIII Leg. IX, Tit. VIII, Leg. XXIX, & Tit. IX. Leg. II, & Tit. X. Leg. I, II, & Tit. XXIII, XXIV, &c. Etiam in Boiaor. Legg. Curtis Ducis mentio est Boiorum Tit. VIII cap. II. item curtis Nobilium Tit. XX cap. I §. VI. Quomodo & Flodoardus in Hist. Rem. *Quidam presbyter de Bovonis curte: sic enim villa vocatur.* Alibi etiam sæpe, nunc hac, nunc alia significatione cortis vel curtis significationem habes: ut in Privilegio Karoli Mag. apud Aimoinum de gestis Francorum lib. V cap. I. in Chronico Casinensi lib. I cap. I, in Cameracensi lib. I cap. XXV, in Chronico Cisterciensi, apud Arnoldum vitæ S. Godehardi cap. X, & XI, in vita Weinwerci, ubi legas Curs Dominicalis, apud Bekam in vita Guidonis Episcopi XLIV, &c. Ab eo formarunt *cortinum*, vel *curtinum*, pro curte rustica, & hinc ὑποκοριστικῶς curtillum: pro viridario, hortulo, ædibus adjuncto. Utrumque in veteribus chartis ac donationibus & privilegiis invenias.

Cosmographiæ vocabulo abuti solent Mathematici pro Geographia. Quod & Christophorus Clavius facit Comment. in cap. I Joannis de Sacrobosco, quando ait: *Est Astronomia veluti fons, & origo Cosmographiæ: quoniam sine hujus scientiæ auxilio descriptio globi terreni, doctrina de locorum intervallis, deque regionum designatione,*

ne, & cætera hujusmodi, nullo modo potest perfectè haberi. Atqui κόσμος, sive *mundus*, & cælum continet, & terram; eoque & Astronomia, & Geographia, partes sunt Cosmographiæ.

Crastinus, pro die postera, sive postridie. Petrus in Historia Albigensium cap. XXXVI: *In crastino venit rex Arragonensis prope montem Regalem.* Et cap. LXXXIII: *In crastino summo mane movit Comes a Nemauso, & nos à Bellagarda.* Nec dubitavit sic loqui. Hospinianus de Festis Christianorum lib. II: *Pascha à decimoquinto die, juxta legalem supputationem à vespera ad supputationem, à vespera ad vesperam, per septem continuos dies usque ad vigesimum diem mensis inclusivè mensis Nisan: Pentecoste quinquagesimo die a crastino sabbathi Pascha.*

Cubitus, pro curvatura brachii, frequens est optimis scriptoribus. Ac *cubitum* in neutro dicitur de cubiti mensura. Plinius lib. VII cap. XVI: *Invenimus in monumentis Salamine Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse.* Sed hoc discrimen Hieronymi ætate non observabatur: qui icirco, ut meliùs intelligeretur à vulgo, vulgari institit formæ loquendi. Sic enim scribit in Ezechielem cap. XL: *Illud sæpius monuisse sufficiat, nôsse me cubitum, & cubita neutrali appellari genere; sed pro simplicitate, & facilitate intelligentiæ, vulgique consuetudine, ponere & genere masculino. Non enim curæ nobis est vitare sermonum vitia; sed Scripturæ obscuritatem quibuscunque verbis differere.* Atque in eundem Prophetam cap. XLVII: *Quod Cubitus genere masculo, & non neutrali Cubita dicimus, juxta regulam Grammaticorum: non ignorantiâ id facimus, sed consuetudine, propter simplices quosque, & indoctos, quorum in congregatione Ecclesiæ major est numerus.*

Culmus fabæ apud Gazam legas in tralatione Theophrasti Plant. Hist. lib. VIII cap. III. Id se uspiam legere negat inibi Cæsar Scaliger in Animadversionibus. Græcè est καλάμης. Quod retinet Maro:

Sustuleris fragiles calamos, sylvamque sonantem.

Cuneus, ut suspicor, panis, vel libi genus ita dictum, quia cuneum referret. Cæsarius lib. X Miraculorum cap. VII: *Tres obolos habeo: emite ex eis cuneos, & comedite, quia nihil amplius habebitis.*

Curatus, ab Ecclesiæ cura. Concilii Pisani Sess. VI: *Curatos, Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Plebanos.*

Curator particulatim pro medico, est apud Adrevaldum de translatione Benedicti cap. VI: *Itaque miro modo cœperunt se nervi diu contracti extendere, & aridi diu meatus venarum, sanguinis inundatione humectari. Atque ita Deo volente, accepto robore latus super pedes consistit, & curatori suo magnis vocibus benedixit.*

Curia pro *aula*, ac similiter inde *Curiales* pro *aulicis*: apud Bernardum epist. XXXIX, & lib. III de Consider. & Petrum Blesensem epist. VI, & XIV: ac apud Joannem Sarisberiensem, qui & opus suum de nugis Curialium inscripsit. Similiter *curialitas* pro assidua, aut frequenti conversatione in aula, apud Petrum Blesensem epist. LXXXIV, quæ ad Alexandrum Papam.

Curiosus est curarum plenus. Sed Julio Firmico sic dicitur *cursus publici præfectus*: qua de re Scaligerum vide in sphæram barbaricam Manilii †.

† Pag. 463 edit. Raphel.

Cyanus vulgo dicitur sapphirus: & esse coloris ejus sapphirum negari nequit, cùm Dionysius Afer in περιηγήσει dicat κυανέην σάπφειρον. Sed qui Plinio dicitur Cyanus nonnihil differt à sapphiro: facileque iis subscribo qui Lazuli lapidem esse arbitrantur. Sanè diversos etiam facit Hadrianus Junius, & de Lazuli lapide similiter Anselmus Boëthius libro II de Gemmis, cap. CXIX.

Cyprus, vel *cuprus*, pro ære rubro; ut Belgis *koper*: nempe quia olim è Cypro. Ut Vopisco in Aureliani vita *acus Cyprea*, uti & Ammiano Marcellino. Non pro quovis ære acceptum, indicat quod Spartianus in Antonino Caracalla dicat, *Nam & ex ære, vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur.*

D.

Daciam, & *Daniam*, diversissimas esse terras, nemo paullo humanior hodie ignorat. Sed superioribus seculis confundi ea nomina solere dicebamus lib. II cap. I. Accipe testes alios. Galfredus Monemuthensis Hist. Britan. lib. VI cap. III: ubi de gentibus in Scotia advenis sic scribit: *Siquidem Pictis, Scotis, Dacis, Norwegensibus, cæterisque, qui ad vastandam insulam applicuerant, situ locorum admittente patuerat.* Similiter Fredericus I. Imperator, cognomento Ænobarbus epistola ad Rolandum Cancellarium apud Radevicum, Frisingensem Canonicum lib. II, sive universi de Frederico opere, IV cap. LXI: *Religiosorum virorum consilio generalem curiam, & conventum, in octava Epiphaniæ Papiæ indiximus celebrandam. Ad quam evocavimus totius imperii nostri, & aliorum regnorum, scilicet Angliæ, Franciæ, Ungariæ, Datiæ, archiepiscopos, episcopos, abbates, & viros religiosos, ac Deum timentes.* Sueno, primus Danicæ gentis historicus, quem primus edidit Stephanus Stephanius, in ejusce nationis historia compendiosa, cap. III: *Illis temporibus Otto Imperator Daciam sibi fecerat tributariam.* Ac eopse capite: *Mox Daciam repetere festinant legati.* Item cap. IV: *Ad Daciam reditum accelerabat. Et quia in Dacia Ecclesia novella extitit plantatio, multos Pontifices, & presbyteros, secum adduxit.* Ubi scribendum puto, *In Dacia Ecclesiæ.* Anonymus ab eodem Stephanio primum editus de Genealogia regum Daniæ: *Kanuto Duro Datiam commendavit.* Item: *Tres Reges in Datia conregnabant.* Item: *Omnium Datiæ principum consensu.* Adhæc: *Longè ultra fines Datiæ*, Bractonus lib. III tract. I cap. XV: *Causa verò inventionis murdrorum fuit: quod in diebus Canuti, Regis Danorum, qui post Angliam acquisitam, & pacificatam, rogatu baronum Anglorum, remisit ad Daciam exercitum suum.* Similiter Wilhelmus Hermannus Hollandus, sive, ut ipse scribit, Olandus Goudanus, in Historia Olandiæ Geldricæque belli, cap. de obsidione arcis puerorum: *Vetustis in codicibus legi Theodiricum, filiumque, primos Olandiæ comites illic mansitâsse, regemque Frisorum. Dacus is erat: cum multis Dacorum millibus illic peremisse.* Ubi rescripserim lubens, *illuc pervenisse.* Item Achilles Gassarus in Chronico ad an. CIƆ IƆ XXXII: *Christiernus Rex Daciæ è Belgis in Daciam profectus à Dacis capitur.* Quid plures advocem?

Dalmatica vox proba: ut Dalmaticus triumphus. Sed quod de veste non dixerint, inde est, quòd distinctum illud vestis genus, vel ignotum foret, vel Romanis haut receptum. Porrò *Dalmaticam* cùm dicimus tunica intelligitur. Ea erat clavis purpureis insignis. Molles gestabant. Unde vitio versum Commodo Cæs. quod Dalmaticatus in publicum procederet, teste Lampridio. Qui & narrat, ut fœdum, quod Heliogabalus post cœnam sæpe sit visus Dalmaticatus. Usi & imperatores Græci: non item Karolus Magnus vel Ludovicus Pius, non Lotharius, vel Ludovicus II; sed primus usurpavit Karolus Calvus: de quo sic Sigebertus in Chronicis ad an. IƆCCCLXXVI: *Carolus Imperator post adeptum imperium ultra se elatus, consuetudines Francorum vilipendens, Græcas glorias, & insolitos habitus affectabat, & talari Dalmatica indutus, & desuper balteo accinctus pendente usque ad pedes, capite verò involuto velamine serico, & diademate superimposito procedebat.* Porrò quòd postmodo imperatores, ac reges, dalmaticam gestarent, id eo fieri credebatur, quia rex foret persona mixta cum sacerdote. Nam cùm imperatores veteres aspernarentur dalmaticam, Ecclesiæ proceres Romani eam assumserunt. Non tamen primitus ea uti diaconis concessum. Quippe Gregorius M. solum episcopis, & archidiaconis permisit. Vide eum Epist. CXXX lib. VII Indict. II. Quia verò episcopalis ea vestis, ideo Carolus Magnus, (ut est apud Matthæum Parisium in vita Offæ II) *de Dalmaticis vel palliis ad singulas sedes Episcopales regni*

gni (Merciorum in Anglia) *& Ethelredi, direxit in eleemosynam domini Apostolici Adriani.* Diaconis non misit, quia ætate Caroli Mag. necdum illas gestabant. Quando Episcopi uti cœperint, haut satis dilucet. Sunt qui id factum credant ante tempora Constantini M. His prora puppis, quod in vita B. Martyris Cypriani habes: *Et cum pervenisset in locum, qui dicitur Sextus, exspoliavit se birro, & tradidit carnificibus. Dalmaticam vero tradidit diaconis, & stetit in linteis, exspectans spiculatorem.* Verùm sunt ista non in vita, quam Cypriani diaconus Pontius exaravit; sed illa, cujus auctor Paulus Diaconus, qui demum Karoli Magni temporibus claruit. Communior est sententia cœpisse hunc earum usum tempore Constantini M. Sed & Sylvester, & Marcus, & Liberius, colobiis usi fuere: exinde demum Dalmaticæ usus cœpit, ut ex Anselmo dixi lib. superiori, in *Colobium.* Id verius censeo, quam quod traditum Karoli Mag. libro, (ut quidem inscribitur) de ritibus veteris Eccles. *Cum nuditas brachiorum culparetur, à B. Sylvestro Dalmaticarum repertus est usus.* Anastasius Bibliothecarius in vita S. Eutychiani Pontificis XXVIII: *Hic temporibus suis per diversa loca* CCCXLII *martyres manu sua sepelivit. Qui hoc constituit, ut quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato, nullâ ratione sepeliret.* Abbo Floriacensis cap. LXXXIV, in S. Sylvestro: *Constituit, ut diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur.* Quare secundum hos cœperunt igitur Episcopi dalmaticis uti postquam desiit Persecutio Christianorum, & una cum opibus luxus in Ecclesiam cœpit irrepere. Sed sive tempore Sylvestri sive post Liberium demum dalmaticæ usus cœperit, credo episcopales primitus & materia, & forma ab imperialibus, & illis hominum mollium ac delicatorum discrepasse. Habes etiam hunc ejus vocis usum apud Fulbertum Carnotensem epist. LXXVIII, Ivonem de Jejunio lib. II, item in Chronico Cisterciensi, &c.

Damnatio pro damno. Matthæus Paris. ad an. cIↃ LXVII: *Ne ampliores roberias, & damnationes facerent.* Hoc est, ne ultra prædarentur, & damna darent aliis.

Datarius ex eo sic dictus, quia literis nomine Papæ exaratis tempus adscribit, quo datæ sunt. Pius IV in bulla de electione Pontificis*: *Datarii verò ministerium per ejusdem Pontificis obitum omnino expiret, ita ut non solum datas per eum antea notatas extendendi potestatem minime habeat, sed quascumque supplicationes gratiarum, & justitiæ penes eum, aut ejus ministros adhuc existentes, etiam si datæ fuerint, Collegio Cardinalium statim sub sigillo clausas præsentare teneantur, futuro Pontifici reservandas.* At Plauto datarium, quod dandum, aut quod datur. Sic Pseudolo actu 4 scenâ 2 dataria salus.

* Bullar. Tom. II. pag. 69.

Decempedas Rhenolandicas malè nuncupant, cum non decem pedum sint, sed duodecim. Quare vel generatim appellato *perticas Rhenolandicas*, vel novè, sed propriè, *duodecimpedas.*

Decretum Burchardi, Ivonis, Gratiani, ineptè dicitur pro decretis eorum: vel decretorum collectaneis. Antiquiores Codicem canonum nuncupabant.

Defectum cibi, vel *aquæ*; *Solis* aut *Lunæ*, dicimus. Sed vulgo *iracundiam, avaritiam*, aliaque id genus, *defectus* vocant: uti & siquid rebus non insit, quod exigatur. Cicero *vitium* dicit: ut de Divinat. *Non vitio rerum, sed interpretum inscitiâ.*

Derivatus, pro *ductus, productus.*

Descendentes, pro *posteri, nepotes.*

Diata, iter unius diei, è Græco *δίαιτα*: quomodo Belgæ *een eetmael.* Non assecutus est vocis originem Joannes Jannensis in Catholico, cum scribit: *Dieta à dies: & est dieta, diei itineratio: unde dietaro, est per dietas ire, vel perendinare.* Non refugit eam, quam dixi, significationem Joannes Sarisberiensis Carmine, quod Policratico præmisit:

> *At si defuerit, longas protende diatas;*
> *Contineatque pedes publica strata tuos.*

Similiter usurpant Leges Neapolit. lib. I Tit. XCIV, & lib. III Tit. XXXVIII Turpinus in vita Karoli, Baldricus in Chronico Cameracensi, Concilium Lateranense sub Innocentio III cap. XXXVII, *Ultra duas dietas extra suam diœcesin.* Arnoldus Abbas, Helmoldi continuator, lib. VII cap. X: *Fecit in deserto* XX *dietas.* Chronicon Reigerspergense†, Cæsarius lib. I Miracul. cap. XL, & lib. VII cap. XXXVIII, Petrus de Vineis lib. I epist. XXI, & lib. III epist. XXI, Matthæus Parisiensis*, passim etiam sic Odoricus de Foro-Julii † in Peregrinatione sua. In vita etiam legas B. Rogerii cap. VIII §. XIII: *Imbribus, & ventorum procellis unâ die graviter est afflictus, qui cum diatam suam non posset ad plenum implere, in quorum Prioratu nigrorum monachorum coactus declinavit.* Item Sueno in Compendio Historiæ Danicæ cap. II: *Ut ultra Danubium septem diatas triumphando perageret.*

† Pag. 224.
* Pag. 51. edit. Tigur.
† In Vitis Sanctorum editis à Bollando ad 14 Jan. pag. 987. ac deinceps.
* In iisdem ad 4 Jan.

Dialogismus male pro *dialogo.* Dialogismus enim siquis se roget, atque ipse respondeat. Dialogus, si diversi sint, qui colloquuntur.

Diasyrticum, *διασυρτικόν*, obtrectatorium, sive quo quis probro incessitur. Sic *διασυρμός*, obtrectatio, præcipue ubi dictio trahitur in duo diversa: ut in illo *anser strepit inter olores.* Ubi luditur ambiguitate anseris volucris, & Anseris poëtæ. Hinc putarunt *diasyrticum* dici, quicquid bifariam sumitur. Sic sanè Petrus Blesensis Serm. XVIII: *Et notandum, quòd verbum à nobis præmissum diasyrticum est. Ad duo enim trahi potest, convenienter expositum.* Mirum verò, quòd non satis intellectâ vocis hujus proprietate, etiam finxere vocem *trisyrticum*, pro eo, quod trifariam sumitur, quasi quod in tres partes trahitur: nempe à *τρί* & *σύρειν* trahere. Idem Blesensis serm. XXXIV: *Trisyrticum enim potest esse illud propheticum, quia nec incongrue ad præsentis diei sollemnitatem trahi potest.* Ac similiter *tetrasyrticum.* Idem serm. XX: *Exprobratio itaque tetrasyrtica est; id est, ad quatuor trahi potest.*

Dis pro *Deo* parum Christianè dici puto. Licet Petrus Bembus epistola nomine Senatus Veneti ad Julium Pontificem exarata: *Uti fidat Diis immortalibus, quorum vicem gerit in terris.* Quemadmodum & idem ait *Deos superos, manesque placare* alicui aut, pro peccata morituro remittere.

Dii facerent, pro *Deus det*, Hebræorum more dici posse, censet Joannes Sambucus Pannonius Tirnaviensis, dialogo III de Imitatione†. De quo multum ambigo.

† Fol. K. 5. a.

Directum (ex quo Gallicum *droict*) pro recto, justo, vero, bona caussa. Gregorius Turonensis lib. IV cap. XIV: *Desistite ab hac intentione: verbum enim directum non habemus.* Marculfus lib. I cap. XXI: *Unicuique pro ipso, vel hominibus suis, reputatis conditionibus, & directum faciat, & ab aliis similiter in veritate recipiat.*

Discidium tantum corporum esse arbitror. Sanè apud Terentium in Mss suis reperit Pulmannus Andr. Sc. Jam ubi: *Valeant, qui inter nos discidium volunt.* Et Hecyr. Sc. Dixtine: *Neque culpâ hoc evenisse dissidium meâ, id testor Deos.* Sic Cicero pro domo suâ: *Deflevi conjugis miseræ discidium.* Et Philippica II: *Ipse autem, amore ardens, confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset, se in exilium iturum.* Ita & longè editio Parisiana an. cIↃ IↃ LXII, quam sic ad optimum codicem Ant. Muretus emendârat, ut nova posset videri. Catullus Carmine de Coma Beronices:

> *At tu non orbum luxti deserta cubile,*
> *Sed fratris cari flebile discidium.*

Sed quæstio est, an *dissidium* (quod plurimùm saltem est animorum) quandoque etiam sit corporum. Id negabat Obertus Giffanius in eruditissimo Indice Lucretiano. Unum Propertii locum è libri I eleg. XII obducit Gaspar Scoppius lib. II Verisi. cap. VIII. Metuo ego, ne & istic *discidium* rectius scribatur: vel eo *dissidium* dixerit poëta, quia ex longiori discidio sæpius proveniat dissidium. Quicquid est, tutiùs *dissidii*, & *discidii* discrimen observatur.

Discretus qui vulgo, is Latinè loquentibus *consultus*: quod tam minutum observare non piguit Josephum Scali-

 gerum

gerum in notis ad illud Dionysii Catonis: *Consultus esto.* Græcè ἴμφρων potiùs, quam σύμβυλος, ut reddidit Maximus Planudes.

Districtus pro territorio, intra quod aliquis habet jurisdictionem. Vide infra *Distringere*.

Ditio imperium ac potestatem signat. Ut dedere in alicujus ditionem, esse in alicujus ditione. At perperam, ut puto, vir doctissimus, *degere in alicujus ditione*, pro regione, aut provincia.

Divorum voce trifariam scriptores abuti solent: ut diximus lib. I cap. XXXII. Primum quando sic vocantur viri sanctimoniæ ergo cælitibus adscripti. Quam consuetudinem in Retractationibus improbat Bellarminus, & ante eum idem factum Cassandro præfat. Hymnorum Ecclesiasticorum. Altera est, quando sic vocantur Cæsares, aut Reges defuncti, boni malique. Quamquam nonnulli hoc excusare nitantur è Minutio Felice, qui in Octavio scribit, Reges à Paganis esse consecratos non ad fidem numinis, sed honorem emeritæ potestatis. Unde illud quod iidem etiam *diva memoria* solent nuncupari. Nec reges modo, sed etiam Papæ. Vide quæ tota hac de re annotavit Franciscus Juretus ad Ivonis epistolam LXXVII. Tertia est, quando sic etiam nuncupantur Cæsares aut Reges superstites. De quo sic Joannes Sarisberiensis lib. III cap. X: *Tractum est hinc nomen, quo Principes virtutum titulis & vera fidei luce præsignes, se divos audeant, nedum gaudeant appellari, veteri quidem consuetudine etiam in vitio, & adversus fidem Catholicam obtinente.* Sic vero locutus quoque Symmachus lib. III epist. LXXXI: *Sollenne est Divo nostro Theodosio in suos exercere censuram.* Sed Theodosius quidem Princeps Christianus: at gentilis Symmachus, Urbis præfectus. Christianus verò de Christiano Frederico Barbarossa similiter Guntherus Ligurini sui lib. VI. vers. 668:

> *Hæc de responsis Divi, Pater optime, Regis,*
> *Salvâ pace tuâ, tibi respondenda putamus.*

Doctor vulgò nuncupatur, qui medicinam exercet. Sic quando quis in morbum inciderit, *doctorem* arcessi jubent: ubi dicendum erat *medicum*. Doctores verò vocaro, qui docent alios: ut qui literas Græcas, vel historiam, philosophiam vel alia in Lyceo enarrant, utcunque interdum cum pileolo & annulo, cæterisque sollemnibus, non fuerint aucti ab Academia quapiam titulo Doctoris. Imò veriùs tales dicuntur *doctores*, quam hoc titulo ornati: quia hi tantùm accepere potestatem adscendendi cathedram, publiceque docendi: at illi reapse sunt doctores, ac publici quidem: imò gemino nomine hoc nomen promerentur, si & orbem doceant immortalibus monumentis. Nisi fortè Plato, & Aristoteles, non fuerint Philosophiæ doctores, Hippocrates, & Galenus, Medicinæ; Hieronymus, & Augustinus non sint dicendi doctores Ecclesiæ. Quæ solùm attuli propter stultos illos terræ nostræ adolescentes, qui cùm sæpe valde indocti sint, ubi tamen doctoris titulum pretio fuerint consecuti, supra cæteros cornua sumunt. Quales sibi quoque dictum putent illud poëtæ:

> *Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute novi.*

Non damno, quòd ab Academia testimonium doctrinæ detur per tabulas publicas: sed damno, quod detur iis, qui necdum didicerunt. Quo nomine jam ante duo penè secula conquestus Laurentius Valla, cui sæpe illud in ore erat, *pauciores esse doctos, quàm doctores*: & Æneas Sylvius, episcopus Senensis epistola ad Joannem Hinderbach, Regi à Secretis, anno scriptum CIↃCCCCLI: *Omnia*, inquit, *degenerant, nec est hominum genus, quod stet suis legibus. Nam & indocti doctoris insignia recipiunt, & qui nudum nunquam ensem viderunt, militiam profitentur nitentque calcaribus aureis*: aliaque in hanc mentem.

Domesticus, quod veteribus signarit, nihil attinet exponere. Sed postea fuit in Officiis Palatinis, ac præsidem vel præfectum signabat. Sic in Ecclesia etiam cantorum præfectus vocatus est domesticus. Sed & μέγας, sive magnus domesticus, & pro eo una voce megadomesticus legas. Guilhelmus Tyrius lib. II de bello Sacro cap. V: *Cum esset in imperiali palatio plurimùm honoratus, & megadomestici dignitate, quem nos majorem seneschallum nominare consuevimus, fungeratur ab imperatore secundus.* Ipsa dignitas, *domesticatus*. Gregorius Turonensis Hist. lib. II cap. VIII: *Gaudentius pater Scythiæ provinciæ prioris loci à domesticatu exorsus militiam, ad magisterii equitum culmen profectus est.*

Dominicus, à *dominus*, est apud Varronem, Vitruvium, Columellam, veteres item Jurisconsultos. Sed Christianis à Domino Jesu pro templo dicunt *Dominicum*: ut Græci à Κύριος Κυριακόν: ac a *Dominicum* Belgis est *Dom*: à κυριακὸν verò Germanis *Kyrich*, *Kirch*, Belgis *Kerk*: quod & ante annos pene octingentos monitum Walafrido Straboni lib. de Divinis Officiis. Etiam *dominicum* simpliciter pro Dominico sacrificio legas in Actis Proconsularibus apud Surium* & Baronium†, qui istic loci non tam templum Domini, quàm Sacrificium altaris signari, eo probat*, quòd omnia Christianorum templa jussu Diocletiani, & Maximiani essent diruta. Sed quid si, cum istic legimus, *Dominicum celebrare*, intelligamus conventum sacrum, sive concionem, universamque liturgiam? Imò & pro templo ibidem sumi videtur, cùm† Felix ait: *Ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper.*

* Tom. 1. die 11 Febr.
† Tom. 2. ad an. 303. pag. 759. & 760. edit. Antverp. Moreti.
* Pag. 768.
† Pag. 760.

Dromo, parvus cancer, sagittæ in modum per aquæ summum decurrens, unde nomen accepit: ut videmus è Plinio lib. XXXII cap. ult. Nempe est id à δρόμος, *cursus*. Unde & servile *Dromonis* nomen apud Comicum. Sed posterioribus seculis significabat *dromo* navigii genus. Græco sic vocabulo dici, ait Olaus Magnus in Hist. Goth.* at Gothicà vocari *promonem*. Puto idem esse *dromonem*, ac *dromundum*, de quo dictum lib. III.

* Pag. 376.

Duellum pro singulari certamine, præcipuè quando fieret ad dirimendam controversiam, quæ ambigua adeo, atque anceps foret, ut ordinario judicio decidi non posset. At veteres Romani omnem μονομαχίαν dixere *singulare certamen*: *duellum* verò illis quodlibet bellum; imo *bellum* ex *duellum*, ut *bonum* ex *duonum*, *bis* ex *dis*. *Duellum* non quia inter duos foret homines; ut putarant juniores: sed quia inter duas partes.

E.

Ebriosus perperam pro *ebrius*, cum differant ut *vinolentus*, & *vinosus*: prius actum, alterum habitum signat.

Emendatio, mulcta, quæ legibus decreta, ut homines pœna territi se corrigunt. Gerardus in diplomate anni CIↃXXXIII†: *Si advocatus fuerit ab iis accersitus, & legalem de re, pro qua agitur exegerit emendationem: ipse emendationis tertiam à monasterii ministris accipiat partem.* Vide, quæ diximus lib. III, cap. XI, voce, *Emenda*.

† Apud Miræum in Donationibus Belgicis. pag. 42.

Epibates, laicus: ut exponitur in glossis Isidori, & veteri vocabulo. Sed nusquam hac reperi significatione. Sed ἐπιβάτης est qui equo vehitur vel nave conductitia, item miles classiarius: ab ἐπιβαίνω, conscendo.

Epirus est apud Augustinum lib. XV de civitate Dei cap. XXVII: *Lignum ligno per subscudines, epiros, clavos & gluten bituminis, non potest adhærere, ut fabricetur arca.* Ubi Ludovicus Vives annotavit *epirus* videri mendosum, vel disquirendum esse, quid notet. Maussacus in Dissertatione Critica censet *epigros* legendum, quomodo dicuntur clavi lignei, si credimus Isidoro lib. XIX Orig. cap. XIX, item in Glossis. Ac similiter Vetus Vocabul. Si rectum hoc, *epigrus*, dixerint Latini pro *epicrus*, τῷ συγκοπῇ ex ἐπίκυρος: quod non modò adjutorem, sed & clavum ligneum notat. Hesychius: Ἐπίκυροι, ἧλοι ξύλινοι. Sed quia non alibi id, quam unum Hesychium legere memini, eò non minus placet Meursii sententia *epuros* reponentis. Sanè ἐπίουρος clavus ligneus, ut ex eodem Hesychio, & Glossis Græcolatinis, Sotione item, ac Palladio, eidem ostensum.

Epiti-

Epitimium fortè locus suppliciis destinatus. Usurpat Ordericus Ecclesiasticæ Historiæ lib. x *: *Rex concrematam urbem vidit, & ultra pontem in epitimio spatiosa tentoria figi præcepit.* Græcis ἐπιτίμιον vox media, uti τιμὴ tum honorem, tum supplicium signat.

[* Pag. 775.]

Evocationis, figuræ Grammaticæ appellatio, videtur esse ab Alexandro Gramm. Saltem apud antiquiorem legere non memini. Novi autem nominis nulla est ratio. Error inde quod falsò putarunt nomina esse tertiæ personæ, cùm sint omnis personæ: ut ostensum lib. I de Analogia cap. IV, & lib. de Constructione cap. XIX.

Excedens, pro *præstans*, non dixero: uti neque *excessus* pro *exsuperantia*.

Exercitator Plinii est laxâ illâ significatione: uti excitatrix apud Fabium. Sed Ecclesiastici scriptores pro monacho utuntur, quomodo & is Græcis ἀσκητής. In Vitis Patrum de S. Macario: *Cùm autem hæc vidissent omnes exercitatores illius monasterii, seditionem excitarunt adversus suum Præfectum.* Item: *Se Marco exercitatori nunquam dedisse oblationem, sed ei Angelum dedisse ex ara: solum autem se vidisse digitum ejus, qui dabat.*

Expensa substantivè pro *impensa*, vel *impendio*, displicet: licet adjectivè ut *acceptum*, sic *expensum ferre* legamus.

F.

F*Actor* Romanis dictus, qui oleum faceret, ut Catoni de R. R. vel in pilæ lusu, apud Plautum. Generatim verò Latini non usurpant; sed pro eo dicunt *effector*, *perfector*, *genitor*, *parens*, *architectus*. Mediorum seculorum scriptores etiam utuntur pro institore, sive negotiatore, aliena curante negotia, qui Gallis quoque *facteur*, uti & Belgis *factoor*, Italis *fattore*. Sic usurpat Goffridus Abbas lib. III epist. XII †.

[† Pag. 125.]

Facultatum nomen hodie restringitur ad Theologiam, Jurisprudentiam, & Medicinam: exclusa Philologia, Mathesi, ac Philosophia. Sed non ita veteres. Quid Aristoteli sint δυνάμεις sive *facultates*, dixi lib. de Natura ac Constitutione Rhetorices.

Falcones, qui olim vocati sint, docet his verbis Festus: *Falcones dicuntur, quorum digiti & pollices in pedibus intro sunt curvati, à similitudine falcis.* Similiter Isidorus in Glossis: *Falcones, qui pollices pedis intra curvos habent.* Gloss. Philox. *Falcones*, δάκτυλοι ποδῶν ἔσω βλέποντες. At postea *falconis* nomen datum avi ex aquilarum genere, quæ haliæetus, vel Nisus, vocatur Maroni in Ciri. Falconem nuncupat Julius Firmicus lib. V Mathes. De falconariis, & falconistæ vocabulo vidimus lib. III cap. XI.

Famosus, pro notus. Ut cum ajunt Mathematici, Geodæsiam concretè, & in re materiali, quamlibet rerum magnitudinem adhibitis instrumentis per mensuram famosam inquirere. Similiter Joannes Manardus lib. II epist. I Hieronymum Manfredum vocat *Astrologum sui temporis famosissimum.* Imò & in bonam partem usurpat Cassiodorus lib. de Divinis lectionibus cap. XXV: *Libellum Julii Oratoris, quem vobis reliqui, studiosè legere festinetis: qui maria, insulas, montes famosos, provincias, civitates, flumina, gentes, ita quadrifaria distinctione complexus est, ut pene libro ipsi desit, quod ad Cosmographiam noscitur pertinere.* Sermo est de libello, qui in codd. Mss. aliis quidem Julio Oratori, aliis verò Æthico Istro tribuitur: ut diximus libro de Philologia cap. de Geographia.

Farinaria mola rectum est: quomodo & *farinarium cribrum*, apud Plinium legas. Sed *farinarium*, pro mola aquatica, vel pistrino, ignotum veteribus. At loquitur sic lex Salica tit. XXIV. §. III: *Siquis sclusum* (h. e. clausuram) *de farinario alieno ruperit.* Item tit. XXXIII. §. III: *Siquis viam, quæ ad farinarium ducit, clauserit.* Marculfus lib. I form. cap. XIV: *Cum terris, domibus, adificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis adjacentiis, appendiciis.* Similiter Carolus Simplex diplomate de S. Martini cœnobio, apud Aimolnum de Gestis Franc. lib. V cap. XLII: *Cum vineis, pratis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus farinariis.* Item apud Baldericum Cameracensis Chronici lib. I cap. LXVII, itidem in privilegio quodam ejusdem Caroli: *Aquis, aquarumque decursibus, farinariis piscationibus, perviis.* In Martinianis etiam, quæ Parisiis editæ *, legas in testamento Guilielmi Ducis, fundatoris monasterii Cluniacensis †: *Aquis, aquarumque decursibus, farinariis exitibus, & regressibus.* Similiter Formulæ vett. Faldenses Traditiones lib. II, &c.

[* An. 1606. † An. 910.]

Farum, tralatione à pharis Ægyptiis, dixere instrumentum pensile, sustinens lampades in templis: ut liquet ex Walafrido Strabone, libro de translatione S. Galli, cap. XXXIV.

Fastigatissimus interpretatur superbissimus. Malim ego in summo honoris fastigio constitutus. Sidonius Apollinaris lib. I epist. IX: *Sed servata pace reliquorum, duo fastigatissimi consulares, Gennadius Avienus, & Cæcinna Basilius, præ cæteris conspiciebantur.* Item lib. II epist. IV: *Ad arcem fastigatissima felicitatis evectus.*

Fauces, pro radice montis cur dicantur ostensum lib. III cap. VII *.

[* Pag. 202.]

Femina nunc Gallis pro uxore: idque jam ab aliquot seculis. Est enim in Constitutionibus Karoli Calvi tit. XXXI, sive Edicto Pistensi, cap. XXXI: *Si de istis partibus in illis partibus femina maritum, aut maritus feminam accepit, illud conjugium, quia non est legale, —— dissolvatur.* Vide inferius *Mulier*.

Feminalia, & *bracas*, male confundunt. Nam ut pro *bracis* dixeris *feminalia*, ita non possis *bracas* ponere pro *feminalibus*. Feminalia designat Justinus lib. XXXVIII, ubi de Mithridate: *Sollicatoque juvene, cùm ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariathe rege misso curiosius imum ventrem pertractanti, ait, caveret, ne aliud telum inveniret, quam quæreret.* Bracis quidem forma olim quæ hodieque: feminalia autem fasciæ, quibus femina involverent; ut tibialia, quibus tibias. Sanè Augustus non usus bracis: sed tamen se adversus frigus muniebat femoralibus, & tibialibus: ut auctor est Tranquillus. Differebant igitur bracæ à feminalibus, ut udones à pedulibus. Sanè pedules, itidem fasciæ, quibus infirmiores suos pedes intra calceos involverent. Nam sani firmique utebantur calceis, sinè fasciis istis. Udones propriè calcei fuere, ex lana pilisve coactis facti: qui foris quidem includebantur calceis, domi verò calceorum vicem præstabant. Quæ fusiùs diducit Salmasius Notis in Lampridii Alexandrum Severum †.

[† Pag. 221. & seq.]

Feritas pro asperitate naturæ probum est. Sed præter morem veterum pro *fertilitate* apud Cyprianum legas, Carmine, quod Genesis inscribitur.

Festivitas, pro *die festo*, posteriorum est temporum. Sic Jornandes de Regnorum successionibus: *Ipseque* (Cæsar Philippus) *omnium Imperatorum Christianus primus effectus est, tertioque anno imperii sui Romana Urbis millesimo anno.* At festivitas notat urbanitatem, ac leporem sermonis.

Festum, pro *dies festus*, feriæ.

Ficta, pro nota, quæ efficta, expressaque in corpore hominis, vel muti animantis. Gregorius Turonensis lib. V Hist. Franc. cap. V: *Dormienti apparuit illi B. Tetricus, —— & virgam, quam habebat in manu, pectori ejus* (Pappoli Episcopi) *cum ictu valido impulit. In quo ille evigilans, dum cogitat, quid hoc esset, ficta in illo loco desigitur, ac dolore maximo cruciatur.* Idem de Gloria Confess. cap. IX: *Subitò fictâ percutitur tam graviter, ut nec anhelitum resumere posset.*

Figlina pro *figlinum*. Nam figlina quasi figulina, ars figuli: figlinum, quasi figulinum, opus figuli: quomodo usus Plinius lib. XXXIV cap. XVIII. At pro opere *figlinam* dixit Ursio, abbas Altimontensis lib. II * de S. Marcello Papa cap. III; ubi loquitur de Windesende puella, quæ cum à nativitate surda fuisset & muta ad reliquias

[* In Vitis Sanct. ad 16 Jan.]

S. Marcelli, & auditum, & loquelam accepit: *O didascalicum doctorem, ita figulinam, ad gloriam sui, imperfectam reformantem, ut utriusque officii momentaliter reciperet plenitudinem!*

Finis pro persolutione lytri, vel annui reditus: quia, hac facta, controversia est nulla, & siqua fuit, finem nanciscitur. Nempe nomen hoc ex eo, quia debitio, aut lis habent finem. Matth. Parisius: *Rex clanculo captus, & retentus fuit, & tacito, facto fine, dimissus.* Hoc est, redemtus à pro capto corpore dependsâ: sine qua controversia & captivitas non habuissent finem. Sic Additamento Historiæ secundo *finem capere* ter legas. Et alio add. *Amerciamenta, quæ Episcopi habere debent, justitiarii Regis convertunt in finem.* Adeantur Cowellus, Skenæus, Spelmannus, Watsius.

Firma pro fundo, quem colonus conducit: item pro annuo reditu, quem exsolvit. Sic in Historia, & abbatum S. Albani vitis usurpat Matthæus Parisius. Indeque firmanus pro colono.

Firmitas pro constantia ipsius est Ciceronis. Sed apud Matthæum Parisium sæpius *firmitates* legas pro locis firmis & validis: uti castris, aut civitatibus natura, vel arte, bene munitis.

Flexa corruptum è *plecta*, quod à Græco. Nisi ut πλεκτοὶ à πλέκω, sic *flexa* à *flecto* dixere. Vide lib. III cap. XXXV in *Plecta*.

Follis minutissimæ pecuniæ genus, sic ut non ulteriùs dividerent calculones, non magis sanè quam τὴν μονάδα Arithmetici. Qua de re Alciatus, Cujacius, Brissonius, Hottomannus de re nummaria, Casaubonus, ac imprimis ὁ πάνυ Salmasius uterque ad Lampridii Heliogabalum†. Mentio ejus cum alibi sæpe, tum in Actis proconsularibus sub Minutio Felice apud Baronium ad an. CCCIII*: *Scitis de quadringentis follibus Lucilla clarissima femina; pro quo conjurâstis vobis, ut fieret Majorinus Episcopus.* Et aliquanto pòst†: *Nundinarium dixit, Viginti folles dedit, & factus est Presbyter Victor.* Item paginis seqq. aliquoties. Adi & veteres Glossas verborum Juris: ubi de Folle egregie. Partem ejus loci meliorem vertit Alciatus ad lib. XII Cod. Tit. I. sed non ubique sat commodè, ut ostensum Carolo Labbæo. Nec enim dicitur milites vocatos miliarisios: sed leptas argenteas, quæ militibus dabantur.

† Salmas. pag. 191.
* Tom. 2. pag. 751. edit. Jo. Moreti.
† Pag. 752.

Forensis Latinum, cùm deducitur à foro: exponiturque *judicialis*, in Glossis ἀγοραῖος, in Onomastico, δικανικός. Sed barbari formarunt à *foris*, & sic vocant foris, sive extra terram, aut diœcesin nostram degentem. Sic dixere *presbyteros forenses*, qui sunt extra nostrum territorium aliique subsunt Episcopo. Ratpertus de casibus S. Galli cap. V: *Episcopus adsumens quendam presbyterum forensem, obtulit eum ad nostrum monasterium, ut Abbatem illum constitueret; ne si de monachis eisdem aliquem ordinasset, res ab eo aliquatenus cedere videretur.* Pluribus hæc illustrat Lindenbrogius in glossario ad L. L. antiquas.

Foricus naturâ videtur adjectivum à *foras*, vel *foris*. Unde *forica* Juvenali, latrina publica, quia istic foras egererentur ciborum retrimenta, quæ & *foria* dictæ, uti *forire*, idem ac excernere, quia foris fieret. Sed foricus mediorum seculorum scriptoribus etiam vestis erat, quâ monachi contra regulam uterentur: fortassè, quia foris gestaretur. Sigebertus in Chronico: *Reiicientes à se, quicquid regulæ refragatur, foricos videlicet, & pelliceas, estamina, caputia quoque, & femoralia, pectinia, & coopertoria.*

Forma rescissoria perperam vocatur quæ dici debet *formula rescissoria.* Prius est in tralatione Herveti, libro XLVI Basil. tit. II*: *Prætor dat in eos in solidum, formam rescissoriam quoniam obligantur naturaliter.* De formulis vide quæ annotavit Brissonius lib. de Verb. Signif. Gloss. *Formula*, τύπος. Veteres Gloss. verborum juris: Φόρμυλα, τύπος. Ubi legendum, φόρμουλα, τύπος, ut Carolus Labbæus observat.

*Pag. 54

Formata vox Tullio, & aliis aurei ævi scriptoribus, cognita: sed novâ eam vocem significatione donarunt scriptores Ecclesiastici. Nempe sic epistolæ Ecclesiasticæ genus vocarunt: ut ostendunt ista Optati Milevitani initio libri II contra Parmenianum: *Cum quo nobis totius orbis commercio Formatarum in una communionis societate concordat.* Ac similiter usurpat B. Augustinus epist. CLXIII, & alibi. Item Sidonius Apollinaris lib. VI epist. VIII: *Et quia nomen ejusdem Lectorum nuper albus accepit, agnoscitis profecturo civi me epistolam, clerico debuisse formatam.* Sententia est, Amantio, qui & civis, & clericus erat, epistolam dedi, ut civi; eamque formatam, ut lectori, quia in clericis etiam fuere lectores: ut liquet ex canonibus, qui in Codice Ecclesiæ universæ; item Photio, Balsamone, Burchardo & quo non? Sed & *formatæ* vocabulo sic utitur idem Burchardus lib. II cap. CXXXVII, ubi ad nomen etiam alludit, his verbis: *Exemplar formatæ epistolæ, quæ in Nicena Synodo à sanctis Patribus est formata, & collaudata.* Idem Burchardus lib. II cap. CCXXVII: *Nisi habeat à proprio Episcopo epistolam, quæ in canonibus appellatur formata.* Sanè de canonibus quod dicit, verissimum est: ut liquet ex tralatione veteri Concilii Antiocheni can. VII & VIII, Laodiceni can. XLI, Spalensis II can. VII, Meldensis can. II aliisque. Solùm promam verba Concilii Laodiceni can. XLI: Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικὸν ἢ κληρικὸν ἄνευ κανονικῶν γραμμάτων ὁδεύειν. Quæ non Gentiani quidem Hervei, aut veterum tralationum prior, sed altera, sic vertit: *Non oportet ministrum altaris, vel etiam laicum, sine canonicis literis, id est, formatis alicubi proficisci.* Formatæ verò dicebantur epistolæ, quæ dabantur clericis, vel fidelibus, aliam in diœcesin euntibus. Ac sic vocabantur, quia certa formâ, ad cavendam fraudem, conciperentur. Melius dixissent *formales*, ad instar *formalium* epistolarum, de quibus Suetonius in Domitiano cap. XIII. Uti enim has Imperator, ita formatas Episcopus mittebat. Interpres Concilii Carthaginensis *formatam* vertit τετυπωμένην: Glossæ Vaticanæ interpretantur *sigillatam.* Hinc Ludovicus de La-Cerda Adversariorum sacrorum cap. VIII colligit, sic vocari à forma sigilli, qua munirentur: nam inquit τυποῦν ἐπιστολὴν est epistolam obsignare. Atqui formatas non solum ex sigillo internoscebant, verùm etiam ex scribendi forma, sive typo: indeque verius est nomen *formatæ*, & τετυπωμένης. Nempe à notis illis, quibus conceptæ: atque erant hæ literæ, quæ *sigla* dictæ, quasi *sigilla*, seu singulæ, quia literâ unâ vox tota signabatur: quæ fere Græcæ. Utramque complexus Ratbodus, Episcopus Trevirensis in Formata sua apud Ivonem, à Sirmondo etiam citata: *Hanc epistolam Græcis literis hinc inde munire decrevimus, & annulo Ecclesiæ nostræ bullare censuimus.* Siglæ Græcis συνθήματα, unde formatæ ἐπιστολιμαῖα συνθήματα, & συνθήματα γραμμάτων. Priori modo vocat Nazianzenus, lib. I contra Julianum: posteriori Sozomenus lib. V c. XVI. Porrò hæ formatæ trium fuere generum. Unum dabatur aliam in diœcesin euntibus, ut istic persisterent; aliterque dicebantur ἀπολυτικαὶ sive *dimissoria:* sine quibus clericus unius Ecclesiæ non cooptabatur in clericum alterius Ecclesiæ. Alterum præbebatur proficiscentibus aliam in diœcesim, non ut istic permanerent, sed ad tempus negotii alicujus caussâ subsisterent: quales vocabantur συστατικαὶ sive commendatitiæ. Taliumque etiam meminit B. Paulus II ad Cor. cap. III. I. Μὴ χρῄζομεν, ὥς τινες, συστατικῶν ἐπιστολῶν πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐξ ὑμῶν συστατικῶν. *Num egemus, ut nonnulli, commendatitiis literis ad vos, vel commendatitiis à vobis.* His tum illi, qui censuræ fuerant subjecti, purgabantur, tum fidelium alii commendabantur. Utrumque fiebat πρὸς κοινωνίαν, *ad communionem;* unde & κοινωνικαὶ dicebantur: Latinis *communicatoria:* ut in Concilio Illiberitano can. LVIII. Tertio formatarum genere commendabantur egentes, ne viaticum, ac necessaria, deessent. Hæ vocatæ εἰρηνικαὶ, sive *pacifica:* non quidem perpetuò (nam sæpe eædem *pacificæ*, & *commendatitiæ*) subinde tamen; ut in Canone x. Concilii Chal-

Chalcedonensis: Πάντας τοὺς πένητας καὶ δεομένους ἐπικουρίας μετὰ δοκιμασίας ἐπιστολίοις ἤγουν εἰρηνικοῖς ἐκκλησιαστικοῖς μόνοις ὁδεύειν ὡρίσαμεν, καὶ μὴ συστατικοῖς, διὰ τό, τὰς συστατικὰς ἐπιστολὰς προσήκειν, τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει μόνοις παρέχεσθαι. *Omnes pauperes, & auxilii indigentes, cum probatione sive cum pacificis Ecclesiasticis literis solis iter facere definimus: non cum commendatitiis, quæ commendatitia iis solis personis, quæ in aliquam suspicionem venerunt, præberi oportere.* Neque periculum erat, ne instructi literis egerent: quod neque Lucianus ignoravit, ut liquet ex ejus Peregrino. Nec tamen faciles fuere veteres in ejusmodi literis dandis: sed fiebat hoc μετὰ δοκιμασίας, *cum probatione*: ut verba adlati canonis indicant. Latius verò *canonicæ* patent, quàm *formatæ*. Vide quæ de formatis disserit Gerardus Rodolphus Graviensis opusculo erudito de literis Canonicis†: item Carolus Labbæus Observationibus & Emendationibus in Synopsin Basilicῶn: ubi & Papiæ in Vocabulario verba Msi ope restituit, & Matthæi Blastaris, scriptori synopsios Juris Canonici, hactenus inediti, verba adducit, & Cujacii errorem aperit, συστατικὰς & ἀπολυτικὰς pro iisdem habentis.

† Edit. Colon. an. 1582.

Fortia substantive pro violentia. Vide Fortalitium lib. III.

Fortitudo pro copiis, sive exercitu. Galfridus Monæmuthensis lib. IV cap. III: *Cum tota sua fortitudine ei occurrit.* Et lib. V cap. V: *Cùm tota fortitudine suâ contra ipsum acerrimam pugnam commisit.*

Fossa, pro sepulcro: ut in monumento Bedæ presbyteri:

Hic sunt in fossâ Bedæ venerabilis ossa.

Et in Legg. Longobardicis lib. I Tit. IX leg. XV: *Servus ipse super fossam mortui appendatur.* Atque hinc *fossarius*, pro eo, qui mortuos sepelit, libro de VII ordinibus Ecclesiasticis: qui B. Hieronymo perperam tribuitur: *Primus in clericis fossariorum ordo est: qui, in similitudinem Tobiæ sancti, sepelire mortuos admonentur.*

Funda posteriori ævo dixere pro *marsupio*, Macrobio Saturnal. lib. II cap. IV: *Cumque accessit ad sellam, demissa in pauperem fundam manu paucos denarios protulit, quos principi daret.* Ignoscendum igitur S. Bonaventuræ sic scribenti in vita S. Francisci cap. VII: *Invenit in via bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem; quam usitato vocabulo fundam appellant.*

Furia pro *furore* est apud Hyginum, sive ejus potius epitome, cap. CVII: *Ajax furiâ acceptâ, se ipsum occidit.* Sed quid non de Hygino, verum ejus epitome hoc sentiendum sit, alibi diximus.

G.

G*Alea* Erasmo vocatur, quod summo navis onerariæ malo imponitur. Belgis *meerse*. Sed rectius Hadr. Junius nominat *corbem*. Inde enim navem istiusmodi corbitam vocant Latini. Festus: *Corbes dicuntur naves onerariæ: quod in malo earum summo pro signo corbes solerent suspendi.* Corbitæ vocabulo usi Plautus, & Lucilius, ut Nonius ostendit.

Genealogia pro successione. Quomodo Anonymus, ex MSis à Clarissimo Stephano Stephanio editus, dissertationem suam inscripsit: *De Genealogia Regum Daniæ.* Nempe uti summis quibusdam viris Joas in Scripturis Ochoziæ filius vocari creditur, non quia ab eo procreatus, sed quia gradu proximus, & nativus regni hæres. Sed de istoc aliter nobis videtur. Nam Joas naturâ filium fuisse Ochoziæ, è compluribus Scripturæ locis* cognoscere est. Nihiloque validius, quod idem contendunt Christi majores dici genitos à Salomone, quia in regno successerint. Nam etsi Christus natura fuerit è Nathane: è Salomone tamen fuit, ratione legis, quatenus inde descendit Joseph, qui legalis Christi parens fuit: ut dissertatione nostra de Genealogia Christi ostendimus. Et profectò omnino difficile est, è Scripturis comprobare, aliquem alicujus genus, seu progeniem eò dici, quia in regno successerit.

* 2 sive 4 Reg. cap. 11. vers. 2 & 4. item cap. 13. 1. & 14. 13. & 1 Chron. 3. 11.

Genitalia, pro genere, vel natalibus. S. Adamannus de rebus Sancti Columbæ: *Sanctus igitur Columba nobilibus fuerat oriundus genitalibus.*

Glossa, & *glossemata*, vulgo dicuntur interpretationes vocum obsoletarum, vel aliis ex linguis adscitarum, ac similes. Verùm non glossæ sunt obscuriorum vocabulorum expositiones, sed vocabula ipsa, quæ expositionis egent.

Gnomice dicunt aliqui, pro gnomonice. Ut semel iterumque Richardus Gorræus Parisiensis in Philosophiæ Partitionibus: ubi Astrologiam dividit in Gnomicen, Meteoroscopicen, & Dioptricen. At *Gnomonice* dicere oportuisset: ut rectè est apud Cœlium Rhod. lib. XII cap. IX. Sanè ut aliud γνῶμαι, sententiæ, aliud γνώμονες, veruta, sive styli, quibus ex umbra internoscuntur horæ: sic plurimùm quoque differunt oratio γνωμικὴ, sive sententiosa: & ars γνωμονικὴ, quæ solatiorum rationem disquirit.

Græculus pro *amante literarum Græcarum* dici, vir doctus scribit in Auctario Philologico: sed perperam. Nam is φιλέλλην: at *Græculus* κατὰ χλευασμὸν qui ἑλληνιστής. Sic *Græculum* vocitabant Adrianum, teste Spartiano: item Julianum, ut est apud Ammianum lib. XVII.

Gravitas, pro afflictio, infortunium, adversa fortuna, more Belgarum, qui vocant *swaericheit*, à *swaer*, *gravis*. Sic Belgas suos imitans, Thomas de Kempis, sæpe in libris de imitatione Christi ait: *habere gravitates*, *gravitatem non sentire*, *perferre gravitates*, aliaque.

Gutta à barbaris dici solet pro arthride. Quomodo & Italis *gotta*, Hispanis *gota*, Gallis *goute*, Anglis *the gout*. Cum verò linguæ istæ omnes multa habeant a gente Gothica, Longobardica, Normannica, Francica: planè censeo *guttam* vocari non à Latino *gutta*, quia morbus is proveniat ab humore guttatim profluente ad articulos: sed ex eo, quod *gote* Germanis Belgisque sit fusio, à *gieten*, h. e. fundere, unde & canales, per quas fluit, *gote* nuncupamus. Sanè humor serosus, ac salsus quasi affunditur partibus sensilibus circa articulos: ut sunt membranæ, & ligamenta membranosa, ac nervi, & tendines.

Gymnasium erat, ubi γυμνοὶ sive nudi palæstra se, & corporis exercitationibus exercerent. Vulgò autem dura tralatione usurpamus pro schola, ubi politior literatura, & humana divinaque scientia addiscitur. Id culpat Cæsar Scaliger; quia nihil minus conveniens, quam istic quisquam conspiciatur γυμνὸς, sive nudus: unde gymnasio nomen. Nec puto hoc tralatitium sermonis genus obtinuisse multo ante B. Ambrosium, qui sic loquitur lib. VI Hexaëmeri cap. IV.

H.

H*Abitum* in Scholis appellant etiam artes ac scientias: nempe quia Græci appellent ἕξεις, quod est ab ἔχω, etiam ab *habeo habitus* nuncuparunt. Sed iis, qui olim Latinè sunt locuti, *habitus* semper aliud est. Ut cum ajunt habitum oris, & vultus, vel de cultu corporis usurpant, quomodo habitum triumphalem dicunt. Cicero in Timæo ἕξιν reddit *animi affectiones*. Sed latius hoc patet. Fabius pressius lib. X cap. I: *Non satis ad vim dicendi valent, nisi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, accesserit.*

Hemicyclus non est hominum circumstantium figurâ semicirculari: sed sedes semicirculi habens figuram. Ut non audiendus sit Aldus Nepos cum per hemicyclum hominum coronam intelligit in illo Ciceronis, Lælii sui initio: *Memini domi in hemicyclio, sedentem, ut solebat, in eum sermonem incidere.* Ubi *hemicyclium* interpretatur *coronam prudentum*.

Hercle, *medius fidius*, *mecastor*, *epol*, & similia gentilibus fuisse juramenta per vana numina, nemo ignorat. Iccirco iis sedulo abstinebant veteres Christiani: ut Hieronymus epist. CXLVI ad Damasum: *Absit, ut de ore Christiano sonet Jupiter omnipotens, & me-Hercule, & me-Castor, & cætera magis portenta, quàm numina.* Hodie tamen multi Christiani hæc vocabula frequentant, imò ora-

orationi suæ gaudent ea adspergere, velut flosculos. Ajunt disparem fuisse veterum Christianorum rationem ac nostri: quia desimus vivere inter gentiles, quorum superstitionem usu talium vocabulorum Christiani stabiliissent: nunc nihil esse periculi, præsertim cùm significationem vocabula illa mutarint aliud nec alteriùs sonent, quam vehementiùs aliquid asseverari. Mea sic fert sententia, planè esse κακοζηλίαν gentilium, nec istis vocibus ornari sermonem, sed fœdari. Cum tot modi suppetant, quibus sincerè pureque mentem exprimere valeamus, quid opus haurire sermonem è sordibus & cloacis εἰδωλομανίας? Cùm verò abstinendum censeam talibus in negotio civili, tum imprimis in Ecclesiastico. Ut probare nequeam, quòd Joannes Levineius Gaudavensis, sive potiùs Teneramondanus, in tralatione Theodori Studitæ hujusmodi sermonem tribuat viris Ecclesiasticis, ac sanctis: ut *pol* pluribus in locis, *medius fidius* catechesi IV, & CXII, *me hercules* catechesi LV, nec melius *Di boni* catech. CXXVIII. Quamquam nec Petrus Bembus iis in epistolis, quas exaravit nomine ipsius Leonis X, sibi satis caverit ab istiusmodi sermone. Imò & Societatis Jesu Theologus Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XXVIII, cùm elegantem Sidonii Apollinaris locum produxisset, subjungit: *Scite, me-Hercle, & eleganter omnia.* Verùm quæritur, an non qua forma gentiles dixere *me-Hercule, me-Castor*, ea nobis liceat dicere *me-Christe*. Id cur non liceat, negat se caussam videre Joannes Sambucus Pannonius Dialogo III de Imitatione †.

† Fol. litera K. 5. a.

Heredium Latinis, Festo teste, prædium parvulum. Sic dictum, quod heredem sequeretur, teste Varrone. Ac firmat Nepos in Catone. *Versatus est in Sabinis, quòd ibi heredium a patre relictum habebat.* Hortum ita vocatum, apud Plinium legas lib. XIX cap. IV. Juniores verò confudere *hæreditatem*, & *hæredium*. Urlio, Abbas Altimontensis de S. Marcello Papa lib. I cap. IV: *Maxentius pejor prioribus, regni infortunio sortitus imperium, ut regnandi, ita & sæviendi in Christianos obtinuit imperium.*

Heri, vel *hesterno die*, pro *pridie*. Sic sæpe barbari: & eorum exemplo in Physica Christiana Lambertus Danæus, tractatus III cap. LIII, ubi ad quæstionem, an non etiam plantæ Dei jussu sint productæ, respondet: *Ea erat terra, quæ adhuc propter aquas hesterno die depulsas tota madebat.*

Homo, pro vasallo, seu milite feodali, apud Gregorium Turonensem lib. IV cap. XXXIV, Paullum Warnefridi lib. IV Hist. Longobardicæ, in Capitularibus Karoli M. & Ludovici Pii lib. V cap. CXXXVI, Flodoardum Hist. Rhemens. lib. III cap. XXVI, Ivonem Carnotensem epist. CLXXIII, Houedenum in Ricardo I ad an. ClↃCXCIII, & alibi apud eundem, & alios. Nec tam recens est is vocis usus, quam poterat ex hisce scriptoribus putari. Nam Turonensi ipso Gregorio ducentis annis prior Symmachus *homo meus* inquit lib. III epist. XXVII, & lib. V epist. LIV. Imò & Capitolini est in Pertinace: *Tam lucri cupidus fuit, ut apud vada Sabatia mercaturas exercuerit imperator per homines suos; non aliter quam privatus solebat.* Cujacium adi lib. VIII Observationum cap. XIV.

Hospes solùm dicitur, qui gratis accipit convivio: atque in hoc opponitur cauponi, pretio accipienti; ut ait Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæstionum *. Quamquam latiùs hospitis vocabulum ad caupones etiam extendit Valla in Elegantiarum opere. Nec tamen multum peccare existimem, qui cauponem, apud quem divertit, honoris ergo hospitem malit vocare, quam vili illo cauponis vocabulo advocare.

* Pag. 236.

Hyacinthus vulgò dicitur fallò, qui Plinii est chrysolithus: ut ait Hadr. Junius in Nomencl.

Hymni vocabulo nonnulli aliter utuntur, ac veteres solent. Antiquorum enim de sanctis versus, in eorum laude & admiratione consistunt: recentium magis in invocatione. Itaque veteres quidem non vocabant *Divos*, sed ἁγίους *sanctos*: nec alios vocabant *hymnos*, quam qui ad Deum dirigerentur. Quod ex Prudentio, & aliis liquet. At junioribus etiam *hymni* dicuntur, qui ad Sanctos: ut à Franc. Bencio, & aliis, factum videmus: agnoscente id discrimen etiam Jacobo Pontano in secundo Institutionum Poëtic. cap. XXXII. Atque idem cap. XXXIV Mariam vocat *Divum, atque hominum reginam*; ut satis liqueat, Divos ab hominibus in terris, etiam piis, separare.

I.

Ignitum vinum pro calido, apud Plinium Empiricum.

Inæqualitas, ægritudo. Vita S. Eugendi abbatis † cap. IV. §. V: *Præter labores sollicitudinesque cœnobiales, etiam corporea inæqualitatis frangeretur incommodis.* Sed hic possis accipere de varia valetudine, nunc bona, nunc mala. Idem cap. XII §. XX: *Post decem circiter dies febricula levi correptus est, paullatimque inæqualitate vexatus, cursum vitæ præsentis explicuit.* Idem cap. ult. §. XXV: *Cum ultra sexagenariam ætatem sex fere mensibus prædictus pater inæqualitate corporeâ laboraret, sic tamen quod nunquam canonico usque ad horam defuisset cursu, nec in die bu fesso corpusculo coactus fuit aliquid impertiri.* Imò & in Regula S. Cæsariæ cap. VIII, §. XXV: *Abbatissa nisi inæqualitate aliqua, aut infirmitate, vel occupatione compellente extra congregationem penitus non reficiat.*

† Apud Bolland. ad I Jan.

Inclusi particulatim de monachis, monasterio quod inde *claustrum* dicitur, inclusis: quomodo & Græcis ἔγκλειστοι dicuntur. Anastasius Bibliothecarius in Agathone: *Ex presbyteris, & inclusis, in exilium in Romani directi sunt civitatem.* Atque hic substantivè ea vox sumitur. Adjectivè autem in Annalibus Francicis à Pythœo editis, tempore autem Caroli Calvi perscriptis, in anno ClↃCCCXXXIV: *Posthac judicio episcoporum arma deposuit, & ad agendam pœnitentiam inclusus est.* Ubi intellige monasterio inclusum. Similiter Regino in Chron. *Horum adventum vir dei Hospicius, qui apud Nicæam erat inclusus, sancto sibi revelante spiritu, longè antè pravidit.* Marianus Scotus similiter in an. ClↃLVIII. Qui & rationem nominis satis ostendit in an. ClↃLXIX: *Ego miser Marianus, jussu Episcopi Moguntinensis, & abbatis Fuldensis, Feria VI ante Palmas, III Non. April. post annos X meæ inclusionis, solutus de clusa in Fulda ad Moguntiam veni, & in festivitate VII Fratrum secundò includor.* Idem docet continuator Mariani Dodechinus: *Ecce quidam inclusus, cui nomen erat Petrus, in finibus Hispaniæ constitutus, claustris egressus totum commovit orbem. Inclusum* similiter de monacho dicunt Petrus Damiani epist. X, Cæsarius lib. IV Miracul. cap. LXXXVII, &c.

Ingenium pro dolis sive technis, more Gallico, qui similiter *engin* dicunt. Gregorius Turonensis lib. VI cap. XXII: *Proclamante verò Episcopo, & dicente, quod sæpius hic ingenia quæreret, qualiter eum ab episcopatu dejiceret.* Item pro machina bellica. Florentii Wigorniensis Continuatio an. ClↃCXXXVIII: *Exierunt enim sæpius de castello, & ingenia ejus, vel succiderunt, vel incenderunt.* Matthæus Parisius in an. ClↃCCXVIII, ubi de obsidione turris Damiatæ: *Properandum esse censuerunt fideles, ut hoc ingenium adhiberetur ad turrim.*

Ingustabile Plinio, quod non gustatur. Sed vetus interpres epistolæ falsæ attributæ B. Ignatio usurpat, pro eo qui non gustat, sive qui cibo potuque abstinet. Locus est epist. ad .....*, ubi Christus dicitur ἄγευστος fuisse XL diebus, ac noctibus.

* Pag. 107. edit. Leid.

Innatus, pro nunquam natus, fictum à Prudentio videtur.

Insanus pro eo quod sanitati nocet, apud Gariopontum lib. V cap. XII.

Inserta nunquam est idem ac emblema. Nam si hoc foret, non quæsisset in Senatu Tiberius, quomodo ἔμβλημα Latinè diceretur. Dissentit tamen Josephus Scaliger: qui contrarium evincere voluit, tum illo Publii Syri:

Frugalitas inserta est rumoris boni:

tum istoc Tertulliani de Idololatria: *Si fidelitas literas doceat insertas literarum prædicatione, sine dubio, dum docet,*

docet, commendat. Sed rectè contrarium ostendit Salmasius in Exercitationibus ad Solinum †. Nam in illo Publii Mimi *incerta* est scribendum: ut sententia sit, Hominem frugalem incertum esse, bene, an male audiat, dum alii laudant, ut parcum; alii culpant, ut avarum. Tertulliani autem mens est, literarum studiis insertam esse idololatriam, quia veteres historiæ, ac poëtarum fabulæ scatent Deorum Dearumque nominibus, & impiis commentis.

† Pag. 1122.

Intentator Latinè foret, qui intentat aliquid. At aliter interpres vetus Jacobi I. 13: *Deus intentator malorum est.* Ubi Græcè ἀπείραστός ἐστι κακῶν: quod passivè sumi docet: ut sententia sit, *malis tentari non potest:* sicut vertit Erasmus.

Interlocutores vulgo nuncupant eos, quos in dialogis loquentes inducimus. Sed aliud longe *interloqui* est Terentio, Agellio, Jurisconsultis. Sanè interloqui tum judex, præses, vel prætor dicitur, cum inter cognoscendum quid pronunciat. Interlocutoria sententia, cum controversia non definitur, sed obiter aliquid ad caussam pertinens decernitur.

Inventio censeo esse facultatem inquirendi eos, qui putarentur peccasse contra leges civiles. Balduinus comes Montensis in Donatione monachis Benedictinis Hasnoniensibus facta anno CIↃ LXXXVI *: *Locum illum ab omni seculari lege vel consuetudine liberum, banno scilicet, latrone, inventione, furto, foro, feratico, teloneo, tradidi S. Petro.* Ubi *inventionem* puto, idem ac *repertura* est in diplomate exarato Innocentii II Papæ nomine. Verba adduximus lib. super. cap. XLII, voce *Repertura.*

* Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. cap. 108. pag. 211.

Invitatus, ûs, ἐνδόσιμον, ut est in Glossis. *Invitatu tuo,* pro invitatione, Ciceronis est ad Cæsarem. Nec dixero, inconcinnè potuisse usurpari pro cantus prolusione facta, quo invitentur auditores ad cantum secuturum. Scio enim προάγχορδα ᾄσματα, (qualia προοιμιάσματα, & προαύλια) ἐνδόσιμα vocari, ut alibi † dixi. Sed Latinam vocem eâ significatione legere non memini.

† Institutionum Oratoriarum lib. 3. cap. 2. sect. 1.

Juba, de muliebribus capillis. Abbo de Obsidione Lutetiæ Paris. lib. I:

> —— *Dant pulchri juvenes, sed & alba senectus,*
> *Mærentes gemitus, matresque jubas laniando*
> *Terga dabant sicca, crinesque per arva revolvunt.*

Jurans lego apud Ovid. epistola Cydippes:

> *Non ego juravi: legi jurantia verba.*

Sed epistola ea non sapit Ovidium. Sanè judices non *jurantes,* sed *juratos* dixero.

Justitia κατὰ μετωνυμίαν, sed præter veterum morem sæpius in Legibus Anglicanis sumitur pro judicibus, quos & justitiarios, & aldermannos ab ætate senili dixere, ut Latinis inde vox *Senatorum.*

L.

L*Ama,* quid Longobardis fuerit, indicat hoc Pauli Warnefridi lib. I de gestis Longobard. cap. XV: *Et quia rex* (Agelmundus) *eum* (infantem) *de piscina, quæ eorum lingua LAMA dicitur, abstulit, Lamissio eidem nomen imposuit.* Ac hodieque Italis *lama* est fossa aqua plena. Mirum hoc vocabulum significatione tam prope abire ab illa Romana: quâ, ut idem Paullus in Festi epitome tradit: *Lama, aquæ collectio, à lacu derivatur; quam alii lamam, alii lustrum dicunt.* Ac similiter Gloss. vett. *Lama,* πηλώδεις τόποι: hoc est, loci lutosi. Mirum etiam, cum *lama* sit locus lutosus, hoc tam parum abire à Germanico *leem,* quo cum argilla, sive terra figularis, tum universè πηλὸς, h. e. *lutum* vel *limus,* significatur. Nempe hujusmodi συμπτώσεις in linguis adeò diversis mihi non ex eo semper esse videntur, quòd una vocem hauserit ex altera, quicum convenit, sed quod ambæ hauserint ex communi fonte.

Lancinator, pro carnifice, à lancinando apud Flodoardum legas Historiæ Remensis lib. IV cap. LII.

Lanicinium, pro lanitium. Fulbertus Carnotensis epist. II: *Respondissem, quod infelix capella quondam respondit ovi lanicinium quærenti.*

Laniena etiam pro *cæde,* est vulgatum. Ut cum *Parisiensem lanienam* vocant, quæ sub Karolo IX contigit anno CIↃ IↃ LXXII. At veteribus *laniena* est laniorum officina, vel ubi divendunt carnes. Sic Plautus Epidico:

> *Per myropolia, & lanienas, circumque argentarias.*

Lectiones sacræ Gregorio Turonensi sunt litaniæ, sive precationes, quæ ejus temporibus in Ecclesia publicè obtinerent. Aliter litaniæ dicuntur. De quibus fusè libellis duobus Nic. Serrarius.

Legatarius in Digestis sumitur pro eo cui datum est legatum. Sed pro legato, vel nuntio accipitur in Leg. Ripuar. Tit. LXV, item apud Flodoard. lib. I cap. XXV.

Legendam dixere pro *legenda* in plurativo: sicut *prabendam,* pro *prabenda.* Nisi hæc excusari eo possint quòd & *merendam* dicamus, & *turundam,* pro *turunda.* Sic auctor Vitæ S. Claræ in Prolegomenis: *Placuit dominationi vestra mea parvitati injungere, & recensitis actibus S. Claræ, Legendam ejus formarem.* Joannes Throcius Chron. Hungar. lib. II cap. XXVII: *Quemadmodum in Legenda S. Stephani regis scriptum est.* Similiter Joannes à Leidis lib. I cap. IV. Imò & librum de lectionibus in Officiis Matutinis *Legendam* videas vocari in Constitutionibus Winchelsei, Archiepiscopi Cantuariensis lib. III Tit. de Eccles. ædific. Item Longobardicam historiam de vitis Sanctorum auctor inscripsit *Legendam auream:* quæ licet *aurea* dicatur, tam parvo exarata judicio, ut scriptam esse ab homine oris ferrei, cordis plumbei, ut scitè ita verè dixerit Ludovicus Vives.

Legens, pro *lector,* vel potiùs doctor, aut professor. Chronicon Bekæ in Ottone III: *Fuit illis diebus regens, & legens, apud Coloniam Dominus Adelbertus, Ratisponensis Episcopus.*

Leno pro *legato* poni putatur propter illud Justini lib. II: *Primus Scythis bellum indixit Vexoris ex Ægyptiis, missis primo leonibus, qui hostibus parendi legem dicerent.* Quem ad locum istæc Bongarsius annotavit: *Hanc vocem omnes, præter unum, veteres agnoscunt: & probat Petri Danielis Mss Glossarius: Leno, id est, mediator; qui apud Italos dicitur ambassador: unde Trogus Pompeius in secundo Historiarum: Præmissis lenonibus qui hostibus parendi legem indicerent.* Sed metuo multum ne glossographus ille sit deceptus, ac Trogus, sive in epitome ejus Justinus, hoc voluerit, regem illum Ægyptium legatos misisse eos, quibus uti soleret scortis sibi adducendis, ac fortasse conciliandis sibi virginibus, & alienis uxoribus. Ut ad contemptum Regis ac legationis hoc dictum sit. Nec movet, quod etiam in Isidori Glossis legatur: *Leno, lecator, mediator.* Nec enim ex Isidori ætate, judicium ferendum de Augusti ævo, vel etiam Antoninorum. Et possumus apud eum per *mediatorem* intelligere eum, qui medius esset inter scorta, & qui eos sectaretur.

Levamentum pro eo, quod levat laborem, aut dolorem, ipsius est Ciceronis. Sed recentiores usurpant pro minori navigii genere, in quod levantur & exonerantur merces, & alia, ut in portum deferantur: quomodo & Belgis vocantur *lichters,* vocabulo planè idem sonante. Nam *lichten* levare. Anastasius bibliothecarius in S. Martino Papa: *Unde necessitas nobis effecta est, ut omnium eorum res, qui in levamenta missi fuerant, in prædicto portu dimitteremus, & mox eâdem die moveremur.* Ac sæpius ibidem legas.

Levita, diaconus, quia subsit presbyteris, ut in V. T. Levitæ sacerdotibus. Paullus Diaconus de gestis Longob. lib. III cap. XXV: *In hac tanta tribulatione beatissimus Gregorius, qui tunc Levita erat, à cunctis generaliter Papa erat.* Quem verò hic Levitam nuncupat, cap. XIII *apocrisarium* vocat. Hinc ordo Leviticus. Ivo Carnotensis epist. LXIII: *Ex abundanti constitutum esset in Ecclesia ordo sacerdotalis, & Leviticus, quod impium est aliquem arbitrari.*

Li-

Libratum ponderibus est Ciceronis, comparativus *librațior* apud Livium reperitur. Sed junioribus lib. . . . . Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ*: *Omnibus viginti libratas terrarum tenentibus in regno nostro.*

* Pag. 488.

Licentia voce abutuntur, qui aiunt, *cum licentia dixero.* Quod jure reprehendit Valla Elegantiarum lib. I V. Idem jubet dicere, *Cum venia tua dixero.* Improbat id Andreas Schottus lib. III Tull. Quæst.† Sanè sine præpositione habes I de Nat. Deorum: *Bonâ veniâ me audies.* Et III de Legg. *Bonâ veniâ tua dixero.* Cui simile hoc Terent. Phorm. act. II sc. III:

† Pag. 235.

Adolescens primum abs te hoc bonâ veniâ peto.

Nec abit hoc Catuli apud Agellium:

Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestrâ.

Interim præpositio hic intelligitur, quæ exprimitur apud Cicer. pro Rosc. Amer.

Audire attente, bonaque cum veniâ.

Sed hic *venia* vocabulum aliud significat. Valla tamen in Elegantiis probat *cum pace dixero.* Sed cum præpositione non memini legere. Sine ea, *pace tua dixerim*, est apud Terentium, Ciceronem, Ovidium, Plinium.

Linea pro versu Latinum non est. Itaque miror sic cum multis loqui etiam Paullum Manutium suâ in Ciceronianum Nizolii Thesaurum Præfatione: *Ex quibus & librum & paginam, &, si me audies, lineam ipsam facile reperire queas.* Et mox: *Ipsas quoque lineas conduplicare.* Et postea: *Singulis lineis, ac paullo majoribus characteribus, designare.* Sed quis prope non sic loquitur hodie? Vide quæ dixi lib. I cap. XXVI.

Litera pro literis, sive epistola, in prosa non dicitur. Sed non refugere posteriores. Ingulphus Saxo in Histor. *Quod si absque viatica litera Abbatis, loci vestri talis fugitivus repertus fuerit, juxta demerita legati supplicio subjacebit.* Viaticæ ejusmodi literæ quales fuerint, exposuimus alibi, cum de συστατικαῖς, εἰρηνικαῖς, & aliis ageremus, Philippus Comes Danjou ad Joannem Papam epistola de Leprosis*: *Cujus patentis litera sigillum tale erat.* Et mox: *Cujus litera tenorem gentes nostra minimè curassent.* Sed quid barbaros nomino: cum neque refugerit Petrus Bembus ad Longolium lib. VI epistolarum suarum: *Respondeo ad tres tuas suavissimas literas.* *Ternas* dicere debuisset.

* In Chronico Aulæ Regiæ de Johanne Rege Bohemiæ, pag. 35. in scriptoribus Bohemicis à Frehero editis pag. 35.

Locellus ὑποκοριστικὸν à loculus, hoc à locus. Sed cùm loculus nunc marsupium notet antiquis, nunc capulum, in quo conditur cadaver: pro minuto quidem marsupio locellus legas apud veteres: at pro exiguo capulo, sive capsa minuta, quo corpus, vel aliquæ ejus reliquiæ adservarentur usi posterioribus seculis. Paulus Diaconus in Narsete: *Cujus corpus positum in locello plumbeo cum omnibus ejusdem divitiis Constantinopolim est perlatum.* Similiter usus Hincmarus in vita S. Remigii, & Flodoardus lib. I Histor. Rhem. cap. XXI. Sed de hac significatione nolo contendere, quando de *loculo* convenit. Uti neque de eo quòd *locellus* pro agello, aut prædiolo legas. Robingus Antverpiensium princeps, in donatione S. Willebrordo facta†: *Ego in Dei nomine Robingus*, &c. *pro ipsa Ecclesia, locellum nostrum nuncupatum Tumme in concambio dedimus*, &c.

† Apud Miræum in Donat. Belg. pag. 22.

Logium Latinis pro eo quod λογεῖον dicitur Exodi XXVIII, si credimus Isidori codd. lib. XIX cap. XXI: *Logion, quod dicitur rationale, pannus duplex, auro & quatuor textus coloribus, habens magnitudinem palmi per quadrum, cui intexti erant XII pretiosissimi lapides. Hic pannus super humerale contra pectus pontificis annectebatur.* Ita editio Parisina, quam eruditissimus Breulius exhibuit. Sed MSSi nostri, & vetus Veneta*, rectè habent *logium:* ut Græcè λογεῖον apud LXX. Pro quo & λόγιον apud Philonem. Rectè igitur Gregorius Turonensis in proœmio lib. III Histor. Franc. *Vel qualiter eam Aaron portat in logio.*

* An. 1483.

Longam diem vulgo dicunt, si sit debitori tardiùs persolvendum. Sed Ciceronis est ad Att. *laxam diem statuere.*

Lues, pro homine pleno luis. Quomodo & quidem genere virili, *lues tuos*, Lucifer Caralitanus ait libro de non conveniendo cum hæreticis.

Lucifuga de homine non dixero: sed cum substantivo muliebris generis: uti Columella lib. IX cap. VII, *lucifuga blatta.* Hominem igitur *lucifugum* dixeris cum Tullio.

Lunatica mulier, pro *menstruis laborante*, apud Isidorum in glossis.

Luxus de eo quod luxatum, Plinio Empirico.

M.

MAjor, dignitatis nomen, unde Germanis, & Anglis, vulgò *mayer*, vel *meyer*: imò & Belgicum *majoor*. Diximus de hoc aliqua lib. I cap. XXVII. Habes quoque apud Benedictum Levitam Capitularis lib. V, c. CVII: *Presbyteri curas seculares nullatenus exerceant, id est, ut neque judices, neque majores fiant.* Flotilda in Visionibus: *Audiebatque vocem dicentem, quòd hi essent archidiaconi, & præpositi, judicesque, & majores, atque decani, quos ibi videbat residentes.* Utrumque locum ante nos etiam adduxit Meursius in Glossario voce Μαίωρες, quam Græci adsumsere, pro Latino *Majores.* Suidas: Μαιώρων, οἱ πρεσβύτεροι. Integrè verò sit majores homines. Ut in Capitulis Ludovici Pii: *Sive de cæteris, quæ ut correctionem majorum hominum pertineat.* Et Capitulis Caroli Calvi†: *Si majores homines voluerint, ad nos veniant.* Porrò jam ætate Ælii Donati obtinuit, ut qui primas in servis teneret, is *major domus* vocaretur. Sic enim scribit: *Columen, columna. Unde apud veteres columella dicti servi majores domus.* Ac sic Lucillii servus nomine Metrophanes columella ab ipso vocatus, ut ibi is Grammaticus ait:

† Tit. 27. post reditum à Confluentibus, cap. 3.

Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam
Lucili columella hic situs Metrophanes.

Postea vero, ab hac loquendi consuetudine, Francis in domo Augusta, qui dignitate & honore eminerent, vocati sunt *majores domus*, puta Regiæ. Marcellinus in vita Suiberti: *Pipinum de Herstallo, majorem domus Franciæ.* Ac similiter postea. Item Aimoinus de gestis Francorum lib. III cap. LVI: *Illa autumans Laudericum hoc fecisse: qui Comes tunc, & major domus erat, consueveratque cum Regina stupri habere consuetudinem.* Idem *majorem palatii* vocat lib. IV cap. L: *Theadaldo enim fugato, Raganfredum in principatum, ac majorem palatii legarant.* Otto Frisingensis lib. V cap. XIII: *Reges omnibus Regni negotiis, & honore nudati, solo nomine regnabant, majores verò domus curam regni habebant.* Henricus Huntigdonensis Hist. lib. VII. *Anchises Pipinum* (genuit) *majorem domus.* Ac similiter innumeri alii. De majoribus domus operæ est videre Paullum Diaconum de gestis Longobard. lib. VI cap. XXVI, Eginhartum initio libri de vita Karoli Magni, & annales Francorum editos à Pythœo. Sed & Cedrenum adi in Leone Iconomacho*, Sigebertum Gemblacensem ad an. DCLXII. Munus ipsum dicebatur *major domatus.* Ut initio annalium Francicorum: *Hujus* (Pipini) *filius Karlus ex Alheyde, quam posthabitâ priore conjuge Waltrude duxit uxorem, sub honore majordomatus tenuit regnum Francorum annis XXVII.* Iidem ad an. DCCXLI: *Cujus* (Carli) *filii Carlmannus, & Pipinus, sub obtentu Major-domatus, totius Franciæ suscipiunt, & inter se dividunt.* Vide etiam indicta nobis, quæ de Majore domus Felix Osium ad Historiam Alberti Mussati fusè annotavit†.

* Pag. 372.

† Pag. 55. & deinceps, usque ad 60.

Maleficatus, vel *maleficiatus*, noxiis earum artibus, quæ κατ' ἐξοχὴν maleficæ vocantur, corporis vel animi morbo affecti. Thomas Walsing. Hist. Angl. in Richardo II*: *Hoc anno Rex Franciæ maleficatus incurrit amentiam, & phreneticus est effectus, dum expeditionem moveret contra Ducem Britanniæ.* Vide *Malefici* de quo proximè:

* Pag. 349.

Malefici temporibus Constantini Mag. vel circiter dici vulgò cœperunt magi: unde Impp. in Codice Theodos. de malef.

malef. & Mathemat. Leg. VI. *Siquis magus aut magicis cantaminibus adsuetus; qui Maleficus vulgi consuetudine nuncupatur.* Pro *contaminibus* (ut vulgo legitur) reposui *cantaminibus*. Notum illud †, *Cantando rumpitur anguis*, Indeque compositum *incantare*. *Carminibus*, quod substituêre, longius abit. Lactantius lib. II Divin. Instit. cap. XVII: *Ut eos* (dæmones) *Magi, & ii, quos maleficos vulgus appellat, cum artes suas execrabiles exercent veris suis nominibus cient.* Similiter utitur Concilium Illiberritanum, quod Constantini Mag. temporibus habitum fuit: saltem idem Osius ei, & Nicæno primo, interfuit. Locus est cap. VI: *Siquis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impartiendam esse illi communionem.* Eum Canonem non videtur cepisse, qui lemma præmisit, quod ejusmodi est: *Si quicunque per malitiam hominem interfecerit.* Quasi *maleficium* ab undeviginti Illiberitani Concilii Patribus universè capiatur: ac non strictè, pro magiâ, sive incantatione. Quod ita esse, ostendit ratio adlata, quod maleficio insit idololatria, sive desertio numinis, ac cultûs Deo debiti ad malignum spiritum translatio. Sententia igitur canonis est: Siquis incantatione aliquem necarit, ei ne moribundo quidem ἐφόδιον, sive viaticum dari oportere: idque propterea, quia incantatio omnis est idololatrica, cum fiat aperto occultove cum maligno Spiritu commercio. Possumus & ex aliis hunc ejus vocis usum comprobare. Est B. Augustini lib. X de Civ. Dei cap. IX: *Qui quasi conantur ista discernere, & illicitis artibus deditos, alios damnabiles, quos & maleficos vulgus appellat; hos enim ad Goetiam pertinere dicunt; alios autem laudabiles videri volunt, quibus theurgiam deputant, cùm sint utique utrique fallacibus dæmonum obstricti sub nominibus angelorum.* Imò & Exodi XXII, & Daniel. II, ubi LXX habent φαρμάκους, Latinus interpres reddidit *maleficos*. Ac B. Hieronymus ad eumpse Danielis locum ait, esse *maleficos, qui sanguine utuntur, & victimis, & sæpe corpora contingunt mortuorum.* Quæ & apud Isidorum lib. VIII Orig. cap. IX. Similiter Gregorius Papa lib. I Dial. cap. IV: *Eo autem tempore, quo malefici in hac sunt Romana urbe deprehensi, Basilius, qui in magicis operibus primus fuit, in monachico habitu Valeriani fugiens petiit.* Lex Burgund. Tit. XXXIV. §. III: *Et si potuerit vel unum de his tribus criminibus adprobare, id est, adulteram, maleficam.*

Malitiam facere, pro *facere injuriam* apud Engolismensem in laudatione Caroli M.

Malum aera vocant vulgò, quando Cicero diceret *gravitatem esse cæli, ac loci.*

Mamma honesta vetulæ compellatio, idem signans, quod Mater. Plautus usus, uti & Martialis, atque alii. Interpres vitæ S. Apollinaris apud Metaphrastem cap. II: *Abiens vero vetula, ei hac in re inservit. Cùm ea autem attulit, et precata est dicens, Deus te adjuvet, Mamma.*

Manceps pro publicano notum. Sed pro lictore vel satellite sumi putat Bollandus apud S. Cyprianum epist. LXIX: *Latrones mancipi, obsequio pleno humilitatis obtemperat.* Et apud S. Zenonem sermone de S. Arcadio*: *Hunc vero profitentem ad nefandam custodiam noxia mentis mancipes rapuerunt.*

Mancipes etiam pistores, sive qui panes coquunt. Socrates Historiæ Ecclesiasticæ lib. V cap. XVIII: Οἱ δὲ προεστῶτες τούτων (ἄρτων) μάγκιπας τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ καλοῦσι. *Panum præfecti* MANCIPES *Romanorum linguâ dicuntur.* Ac similiter inde *mancipium* pro pistrino. Suidas: Ἀρτοπώλεῖον, τὸ μαγκιπεῖον, ἐν ᾧ οἱ ἄρτοι γίνονται. *Pistrinum, mancipium, in quo panes fiunt.* Anastasius bibliothecarius in vita S. Joannis Eleemosynarii cap. VII: *Ipse ingrediens portans, & animal portans filigines à mancipio caussa prandii ipsius.* Atque hoc eum ad locum jam a Bollando observatum.

Mandatoris vox apud Suetonium in Vespas. ac crebra est Jurisconsultis. Sed juniores usi videntur de iis, quorum officium mandare nautis, quorum singularem haberi curam velint. Luitprandus Legat. † *In qua diasostes meus me deferens duabus parvis impositum navibus duobus me mandatoribus, qui Hydruntem me per mare conducerent, commendavit.*

Mandatum pressè sumitur pro mandato Christi, quo jussit, ut fratrum ac hospitum pedes, suo exemplo lavaremus. Est & altera ejus significationis ratio. Nempe quòd Antiphona, quæ tum canitur incipiat ab his verbis, *Mandatum novum.* Ita Gavantus Comment. in Rubricam Missalis part. IV tit. VIII. Sic usurpat vita Erminoldi abbatis ac martyris*, cap. X: *Erat autem Sabbatum, hora, qua sonitu tabula ad mandatum fratres more solito convocantur.* Solet verò illa pedum lotio in Ordine S. Benedicti omni Sabbatho fieri: ut liquet ex Reg. XXXV.

Mandones, φάγοι, à mandere, h. manducare. Sic Nonio teste, usus Varro Bimarco. At paullo alia significatione Isidorus in Glossis: *Mandones, ambrones, tardeliones.* Ubi pro *tardeliones* rectè corrigunt *ardeliones.* Ambrones verò, ut Festus ait, *turpis vitæ homines.*

Manducaria, mappæ, mantile, & quæ ejusmodi alia manducantibus inserviunt. Chronicon Cistercìense †: *Nullus autem frater præsumat manducaria linea, vel lanea idcirco principaliter facta, nec habeat, excepto prosinello.*

Mangones, qui Ciceroni in Corneliana *venalitii*, *venalitiarii* aliis, in Glossis σωματέμποροι. Posterioribus sæculis dicebantur machinæ bellicæ, quæ aliter vocabantur vel *mangana*, quomodo in Hungarico Turocii Chronico est *mangana ferrea*: vel etiam *mangana*, vel *manganella.* Aimoinus de gestis Francorum lib. V cap. VII: *Tortosam perveniens adeo illam arietibus, mangonibus, vineis, & cæteris instrumentis, lacessivit, & protrivit muralibus, ut cives illius à spe deciderint.* Vide, quæ dixi lib. II cap. XII in *Manga.*

Manica, pro pinna. Vetus Juvenalis interpres in sat. III*: *Quia post mortem retiarii pinnam, id est, manicam rapit.*

Manile, à manibus, quod Græci χέρνιβον. Chronicon Casinense lib. II cap. XCIX: *Aquæ manilia argentea duo.* At aliud *manuale*, quod in Glossis exponitur ἀναλόγιον: De hoc alibi.

Mansio Plinio, Suetonioque est, ubi viatores divertunt: at junioribus sic vocatur habitatio, domicilium. Edictum Theoderici cap. CXXXVII: *Sed amittat, quam in solo alieno fecerat mansionem.* Gregorius Turonensis lib. IX cap. X: *Quod cùm ille comperisset, ad mansionem Magnerici Episcopi convolavit.* Et cap. XXVII ait puellam deductam in *viri mansionem.* Henricus de Hassia in Spec. An. *In gloriosis mansionibus singulorum beatorum.* Beka similiter in vita Hereberti Episcopi XXVI: *Muros infringeret, mansiones contereret*, & Joannes II episc. XL. & Joannes à Leidis lib. I cap. XX. Hinc *mansiuncula* Flodoardus Histor. Rhem. lib. I cap. XIV: *Structa mansiuncula fenestellis parvis illuminata cum oratorio, in ea pœnitentem includit episcopum.* Nec tamen sic semper à junioribus sumitur. Siquidem veterum more accipit Jornandes de rebus Geticis cap. V: *Quæ flumina multis mansionibus ab invicem absunt.*

Mansus adjectivè venit à *mando*, diciturque de cibo dentibus comminuto. Sic Cicero usus, ac Fabius. Sed posteriores & *mansus*, & *mansum*, usurpant substantivè de certo agri modo: quæ significatio unde sit disputant. Sunt quibus placeat esse a Germanico *man*, h. e. vir, nempe à viri labore, quod tantum colat. Hoc etymon jure rejicit Vitus Amerpachius. Ipse verò quia certa sit agri mensura eò censet venire a Germanico *mâs*, sive *mês*, h. e. modus, mensura. Pro hac sententia facere videtur, quod in veterum formularum codice perpetuo non *mansum*, sed *massum* invenerit Bignonius. Ac Burgundiones hodieque adscriptitii coloni hærediolum, eodem teste, *meix* appellant. Hoc pacto Germanicæ quidem originis sit *μανσος*, sed Latinæ ἐμμήνως, quia *mes* est à *mensus*, vel *mensura.* Cæterum quod prius abjectum, postea redeat, ut vocabulum man-

† Mart. Bucol.

* Apud Bollandum 12 Jan.

† Pag. 118.

* Apud Bollandum 6 Jan.

† Pag. 66.

* Vers. 158.

mansus similius sit avo, quam parenti. Sed ne istæc quidem sententia arridet. Puto enim, *mansum* dici quasi mansionem: atque ideo postremi in Bignoniana editione codicis formula quincta habet, *Mansis ad commanendum.* Est & in Donatione Choneberti Abbatis apud Baldericum Noviomensem in Chronico Cameracensi lib. I cap. XXVII: *Partem maximam de possessione nostra, —— quam de avia mea, Deo sacrata Andeliana quondam dato precio per venditionis titulum comparavi; hoc est mansos Dominicos, ubi ipsa Andeliana mansit, vel postea nos ædificavimus.* Nempe mansio est domus coloni unà cum illo agri modo, qui duobus bubus aranti in annum sufficit. Is modus XII jugera continebat, ut est apud Papiam, & glossographos alios. Sic ea vox capitur in vita S. Eugendi abbatis, ab ejus discipulo conscripta cap. X †: *Crastina unus ex ipsis istuc veniet, suspicionem cunctis ablaturus ad mansum.* Passim vero fit mentio *mansuum* Ecclesiæ, qui ita Ecclesiæ annexi, ut à seculari servitio forent liberi. Constitutiones Karoli Magni, & successorum, Capitularis lib. I cap. XC, & lib. III cap. V, & lib. V cap. XLV: *De uno manso ad Ecclesiam dato: de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigant.* Quæ etiam habes in editione Constitutionum *, quam Vitus Amerbachius dedit. Ac similiter Capitula Caroli Calvi & successl. tit. XII cap. II †: *Censum de manso, vel ex his, quæ domnus & genitor noster* (Ludovicus) *in suis capitularibus Ecclesiis in immunitate concessit, exigere non timent.* Similiter tit. XXXI cap. II, & XXXII cap. XI, item tit. XXXIV cap. IX: *Seniores immunitatem de manso ad Ecclesiam dato conservent.* Habes & in vita Ludovici Pii *. Et apud Hincmarum Rhemensem epist. VII cap. XXXIV: *Quidam res comparant, & in illis structuras faciunt, & in eisdem mansis feminas recipiunt, quæ domus curam gerant.* Idem in Kapitulis an. DCCCLII: *Si habent mansum habentem bunnuaria duodecim.* Frotarius episcopus Leucorum Drogoni Metensi: *Quædam vestri juris basilicæ in providentia nostra consistunt, quæ nec mansorum subjectione fulciuntur, nec sacerdotum præsentia custodiuntur.* Flodoardus Historiæ Ecclesiæ Remensis lib. I cap. XX: *Tempore domni Hincmari Præsulis quidam Blitgarius Ecclesiæ mansum in villa Teneilo apud ipsius Ecclesiæ custodem impetravit precio.* Similiter lib. II, c. X, & XI. Item usurpat Aimoinus Hist. lib. V cap. X, Chronicon Casinense, Reichersperegense, & alia. Adhæc in vita S. Rigoberti, Archiepiscopi Rhemensis, cap. I †. Macharius & Gondrada, in Donatione sua apud Baldericum Noviomensem Historiæ Cameracensis lib. I cap. LII: *Mansum Dominicatum cum castitiis, & arboreto super fluvium Slevum.* Ac in eadem Donatione sæpius, posteaque: uti & alius Remensis Ecclesiæ Canonicus, in Appendice Flodoardi. Item Matthæus Parisius in vita Paulli, S. Albani abbatis, quartidecimi: *Terra trium mansuum cum hortis in Glascona.* Et in vita Guilhelmi, abbatis XXII: *Qui pro tempore erit vicarius* (Ecclesiæ) *habebit nomine perpetuæ vicariæ omnes obventiones, & omnes minutas decimas —— cum manso competenti.* Utuntur quoque Galfrid. Monumæth. Hist. Reg. Brit. lib. V cap. I: *Et quia majorem honorem ipsis impendere debuerat, augmentavit illas amplioribus agris, & mansis omnique libertate sublimavit.* Adscriberem & veteres Longobardicas, & aliorum leges, formulas antiquas, synodos, diplomata principum, speculum Saxonicum *. Sed jam testium plus satis est. Illud potiùs dicam, esse triplicem mansum; indominicatum, ingenuile, & servile. Liquet hoc Constitutionibus Karoli Calvi tit. XLII, sive Exactione Nortmannis constituta: *Accipiat de manso indominicato denarios XII: de manso ingenuili, quatuor denarios de censu dominicato, & quatuor de sua facultate: de servili verò, duos denarios de censu, & de sua facultate duos.* Similiter polyptichum S. Remigii: *In Tasiaco habet mansum dominicatum cum cæteris ædificiis, hortum cum arboretis, vivario,* &c. *mansos ingenuiles* XXXII, *serviles* XXXIV. Item: *In Curte acutiore excepto dominicato manso, mansi ingenuiles* XCII, *semis; serviles* XXXV. Hincmarus Rhemensis ad Hincmarum Laudun. cap. I: *Sunt in eâdem villula de potestate S. Mariæ Laudunensis Ecclesiæ mansi ingenuiles* IX, *serviles* XI. Aimoinus de Gestis Francorum lib. V cap. XXXV: *Quomodo tributum de parte regni Franciæ, quam ante mortem Lotharii habuit, sed & de Burgundia, exigeretur, disposuit: scilicet, ut de mansis indominicatis solidum unum: de unoquoque manso ingenuo quatuor denarii de manso dominico, & quatuor de facultate mansuarii: de manso vero servili, duo denarii de censu dominico, & duo de facultate mansuarii.* Differunt hæc mansorum genera eo quòd mansum dominicatum, sive dominicum erat domini proprium, qui ipse id excolebat, fructusque inde percipiebat. ut dictum pluribus lib. II in voce *Indominicatum.* At mansi ingenuilis & servilis fructus colligebat is, cui mansum erat concessum, censu retento, & sub conditionibus, quibus convenisset: erantque conditiones illæ leviores in manso ingenuili, graviores in servili. Qua de re vide & Sirmondum ad Caroli Calvi Capitulare †. A *mansus* est *mansuarius*, villici: quibus ad incolendum unus esset mansus datus: ut *bunnarii* quibus adsignata bunia, *curtarii*, quibus curtis, *hobarii*, quibus hoba; in Privilegio Laureshemensi. Quos vero *mansuarios* diximus, eosdem esse, ac qui in Constitutionibus Karolinis *mansionatici* vocari, Viti Amerpachii opinio est *. Vide quæ lib. III in *Mansionaticus*, & *Mansuarius*, diximus.

Mappa postremis Latinitatis seculis posuere pro linteo, quo mensam insternimus. Atque inde est, quod Galli *nappe* nuncupant. Verum linteum id antiquis, saltem Plinii ac Martialis ætate, non *mappa*, sed *mantile*. *Mappa* autem χειρόμακτρον, vulgo *serviette*. Qua mente mappa Fabio Pœnum dicatur. Pœnum vocabulum, conor ostendere lib. I cap. IV. Vide & quæ de mappæ ac mantili dixi lib. I cap. XXX. Præterea *Mappam* appellant vulgò telluris in plano descriptionem, quæ & *planosphærium* dici solet. Ac Jacobus quidem Severtius, Theologus Parisiensis, præfatione ea, quam præmisit tribus libris orbis catoptrici †, ait antiquos cosmographos sic *mappæ* esse nomine usos. Sed omnino decipitur. Veteres *tabulam* maluerunt dicere. Ut Propertius lib. IV eleg. III:

Cogor & e tabula pictos ediscere mundos.

Martyrium, templum vel sacellum in memoriam ac honorem martyris exstructum. Walafridus Strabo de rebus Eccles. cap. VI: *Martyria vocabantur Ecclesiæ, quæ in honorem aliquorum martyrum fiebant.* Sic vocat B. Hieronymus in Chronicis non semel. Est & S. Remigii in Testamento suo apud Flodoardum Hist. Rhem. lib. I cap. XVIII: *In ptochiis, cœnobiis, martyriis, diaconiis, xenodochiis.* Aliter dixere *martyrum memorias.* Ut Dionysius Exiguus, in tralatione prologi, quem præmisit scriptor vitæ S. Pachonii Latinè à se redditæ: *Ecclesiæ quamplurimæ, & Martyrum memoriæ construebantur impensiùs.* Μαρτύριον etiam vocatur can. VI concilii Chalcedon. At veteribus μαρτύριον idem ac μαρτυρία, testimonium, ac testis ipse.

Massa quid sit, ostendit illud, quod crebrò occurrit in veteribus Ecclesiæ Romanæ formulis: *Colonis, & familia massarum, sive fundorum.* Putabat Martinius propriè sic vocari portionem farinæ subactæ, à μάζα, quod à μάζω, pinso, subigo. At τὸ μεταφορικὸν poni pro portione terræ quam unus idemque possideat. Nempe ut Germani ac Belgæ dicunt, *een stuk lands.* Sed quid si dicamus, quia *massa* non quivis est fundus, sed certæ mensuræ: eò & inde esse nomen. Nempe à Germanico *mass*, mensura, quia certi sit agri modus. Ut idem videatur *mansus*, & *massa*: sed *massa* est origine Germanicum; *mansus* autem à manendo, ut suprà ostensum. Id esse *massam*, quod dixi, etiam ostendit hoc in Glossis Philoxeni: *Massa*, σύγκτησις. Et istoc in Cyrillo tributis: Σύγκτησις, *saltus.* Ubi saltus exponitur, quia is fere pars fundi. Et sanè *massam* pro *fundo*, liquidò usurpat Ammianus Marcell. lib. XIV: *Natus apud Tuscos in massa Veternensi, patre Constantio, Constantini fratre imperatoris.* Quem ad locum Lindenbrogius

† Apud Surium, & Bollandum 1 Jan.

* Pag. 324 Edit. Moguntinæ, quæ Constitutiones Caroli Hincmaro subdita.

† Pag. 105.

* Pag. 369. vers. 8.

† Apud Bollandum ad 4 Jan.

* Pag. 132.

† Tit. 42.

* Pag. 319. edit. Moguntinæ, quæ Constitutiones habet unà cum Hincmaro prodierunt an. 1602.

† Paris. an. 1598. pag. 5.

brogius annotavit, & alibi sic vocem eam accipi. Sic enim *massa Casiana* dicitur in * Constitut. Leon. & Anthem. Impp. *massa Palentiana*, Cassiodoro lib. v Variar. epist. xii, *conductores massarum* eidem lib. xii Var. ep. v. *massa Varromana* apud Gregor. M. lib. i epist. xlii †. Anastasius Bibliothecarius in Zacharia Papa: *Donationem in scriptis de duabus massis, quas Nymphas, & Formias appellant, juris existentes publici, eidem sanctissimo Papæ jure perpetuo direxit possidendas.* Sæpius etiam hac significatione reperias apud Flodoardum in Histor. Rem. Atque hinc *massarius* pro villico. Vetus vocabulorum: *Massa, villa, vel casula, vel massa apud Hebræos grave pondus dicitur, & propriè metalli alicujus.* Inde *hic massarius, cui commissa est cura totius familiæ.* Lex Longobardica lib. i Tit. viii, Leg. xxix. *Siquis porcarium de libero homine battiderit, ipsum quidem, qui in curte ejus erit, nam non de casa massarii, componat sol. xxii.* Et tit. xi leg. iii: *Siquis servum alienum rusticanum, qui sub massario est, occiderit, componat sol. xvi.* Similiter lib. ii tit. xxxii leg. iii. Philippus Mazzerius, Cyprii regni Cancellarius, in vita æqualis sui S. Petri Thomasii cap. i *: *Pater suus massarius, & terrarum non suarum cultor, animaliumque nutritor in gradu suo pauperrimus.* Etiam Italis est *massaro* pro villico; *massara*, pro serva. *Massaria bestia*, Constitutionibus Neapolitanis lib. i Tit. lxxxiv. Habes & *massaria* vocabulum apud Petrum de Vineis lib. iii epist. lxvi.

* Cod. Theodos.

† 612.

* In vitis Sanctorum à Bolmano editis, ad 27 Ian. pag. 995.

Mediata hieme parum Latinè dixit Theodorus Gaza pro eo, quod μεσοῦντος χειμῶνος est Theophrasto lib. vii Hist. Plant. cap. ix. Id reprehendit Cæsar Scaliger Animadversionibus ad eum locum. Itaque in Leidensi editione *media* substitutum à viro docto, qui Latinam se tralationem interpolâsse profitetur. At alius mallet, ut Gazam, quomodo scripsit, edidisset: ut quid illius, quid interpolatoris sit, melius sciatur. Nunc opus, ad priores editiones recurri.

Membrum, pro parte domus. Sidonius Apollin. lib. ii epist. ii: *Hac tamen aliquod, spatio suo in extimo deambulacri capite defrudans, efficit membrum bene frigidum.* Sic ejusdem lib. epist. xvii, *membrum dormitorium.*

Memoria, junioribus locus, ubi acta proconsularia asservabantur; uti Baronius Æmalium an. ccciii, interpretatur in isto Actorum Proconsularium: *Quo cognito Proconsul, Parce, inquit, ejusque confessionem in Memoriam una cum cæteris confessionibus redigemus, pro meritis vestris omnes, inquit, secundùm confessionem vestram pœnas meritas persolvetis.* *Memoria* item pro templo in memoriam martyris ibi sepulti constructo: ac postmodò etiam ἀπλῶς pro loco, ubi memoria etiam celebraretur, utcumque alibi sepultus foret. Sic *ad memorias Martyrum* apud Cyprianum legas. Et Optati Milevitani est lib. ii contra Parmenianum: *Reatum putas, memoriis Apostolorum, & Sanctorum omnium, communicâsse.* Hoc est, in locis, quæ Sanctorum dicata memoriæ, sacrorum fuisse participem. Augustinus de Civit. Dei lib. xxii cap. x: *Nos martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus.* Similiter etiam Anastasius de vitis Pontificum in vita Anacleti: *Hic memoriam B. Petri construxit, & composuit, dum Presbyter factus fuisset à B. Petro, seu alia loca, ubi Episcopi reconderentur sepultura.* Vita S. Clari abbatis Viennensis cap. i †: *Accidit quippe, ut puer matrem orbatam haberet, quæ devotè ad Memorias Sanctorum Martyrum apud Viennam subinde orandi gratia occurrebat.* Vita S. Rigoberti, Archiepiscopi Rhemensis cap. v *: Ibique exulando dum multas sanctâ indefessus intentione memorias Sanctorum lustraret, in quandam introivit *basilicam simili modo caussa orationis.* Ac in eadem vita postea, & in Rigoberti Translatione, cap. ii.

† In Vitis SS. 1 Ian.

* In Vitis SS. ad 4 Jan.

Memoriales fuisse dictos certo Palatino officio fungentes, indicat hoc Ambrosii epist. ad Marcellinum: *Palatina omnia officia, hoc est memoriales, agentes in rebus, & apparitores diversorum Comitum.*

Mergus Latinis avis se in aquam immergens, ut cibum captet. Postea verò & canem aquaticum *mergum*, vel *mergum* dixere. Belgis & Anglis, *watterdogge*. Matthæus Parisius in an. ccxiv: *Filia ipsius* (Balduini Comitis Flandrensis, & Imperatoris Constantinopolitani) *invidens exasperavit Regem contra ipsum; —— procuravitque, ut prædictus pater suus ignominiosè suspenderetur: nam hinc, & inde, fecit duos canes veteres, scilicet mergos, suspendi.*

Mergus etiam Beroaldo vocatur furca præferrata, qua mergites, hoc est, frugum manipuli, elevantur. Nititur verò illo Columellæ lib. i cap. xxi: *Sunt autem metendi genera complura. Multi falcibus verriculatis, atque iis vel vostratis, vel denticulatis, medium culmum secant, multi mergis, alii pectinibus spicam ipsam legunt.* Sed *mergis* hic non à *mergus*; quod pro ave quidem probum, eâ verò significatione non item, qua *merga* dicendum, ut ostendit Festus: *Merga*, inquit, *furcula, quibus acervi frugum fiunt.* Atque inde Plautus Rudente act. iii sc. iv, *mergas pugneas* vocat, pugnos ori impactos, quia ut *merga* à messoribus immerguntur frugibus, ita pugni immittantur in os ejus, qui cæditur.

Metatum, pro castris. Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. iii cap. vii: *Chlotarius verò valedicens, & pro munere gratias agens, ad metatum regressus est.* Locutio ex eo, quòd castra metarentur.

Miles, pro eo, qui equestris est dignitatis, pervulgatum est superiorum seculorum scriptoribus. Præcipueque sic dici videas barones, ac vasallos: etiam in legibus Scoticis. Sic autem vocantur, quia debeant dominum suum in militiam comitari, aut sequi. Cæterum hac ambiguitate vocabuli decepti Bohemici Novi Testamenti interpretes Joan...... ubi qui latus Græci aperuit lanceâ, vocatur στρατιώτης sive *miles.* Bohemicâ linguâ *equitem* reddidere, quasi scriptum esset ἱππεύς. Imò &, in Xavierii Euangelio Persico, *eques* vocatur, ab eodem errore, & credo, quia à nonnullis existimatum sit, tam altè pependisse Christum, ut quo lancea posset latus Christi pertingere, opus fuerit equite. Sed hanc sententiam abunde refellimus lib. de Passione & morte Christi.

Mina pro modo, quo metirentur agros, Calepinus adstruit ex illo Varronis de R. R. lib. i cap. x: *Actus quadratus, qui & latus est pedes cxx, & longus totidem.* Sed sic editiones quædam. Aliæ pro *ac mina* habent *acna:* unde rectè viri eruditi legunt *agna.* Nam Columellæ lib. v cap. i. ut *porca* ita *agna* in agrorum mensuris.

Minutio pro venæ sectione: minutus, cui vena secta: vide in Verbo *minuere.*

Misericordiam petere, & accipere, in superiorum seculorum scriptoribus legas pro obtinere beneficium absolutionis à peccatis.

Missa duplex. Ivo Carnot. epist. ccxix: *Et qui audiebat missam catechumenorum subterfugiebat missam sacramentorum.*

Missus Regis, vel Episcopi, qui nunc vulgo *Commissarius*, unde *missi dominici*, qui à Rege ad Ecclesiam missi. Sic missi vox sumitur in Capitularibus, ac legibus antiquis, item apud Anastasium Bibliothecarium, Flodoardum, Matthæum Parisium, Theodericum à Niem, alios.

Morosus Latinis quidem, qui moribus est difficilibus: sed barbaris, qui moram trahit in re tradenda: ut apud Gabrielem Biel distinct. xiv quæst. xiv dub. iii lib. iv. Et sic in vulgari versu:

Mos me morosum, mora me facit esse morosum.

Mortuus in locum vulgo est frequens: sed an sic classici, ambigo. Malim omnino *demortui:* ut Cicero in Verr. *In demortui locum mancipium emere.* Vulgare est *mortuus fame:* pro quo Cicero *fame enectus.*

Morus veteribus arbor, junioribus etiam terra palustris, non tamen palus: quæ potius *marisca.* Distinguit Matthæus Parisius in Additamento Historiæ secundo: *Si purprestura facta fuerint infra metas foresta, in mari, eis, moris,*

moris, *montanis*, *vel brueris*. De *mariscus* dicimus in Appendice eorum, quæ sunt origine barbara.

Mosaicum opus corruptè pro *musaicum* vel potius *musivum*: quemadmodum dixi lib. I cap. XL. *Musivum* vocatur etiam à Gregorio Turonensi lib. I Hist. Franc. cap. LXII, Hadriano Papa epist. ad Carolum Magnum *, Leonem Marsicanum Chronici Casinensis lib. III, c. XXVII.

* Apud Miræum in Donat. Eccl. Belg. pag. 36.

Mulier pro uxore. Synodus apud Compendium sub Pipino cap. XIII: *Siquis vir mulierem suam dimiserit.* Item: *Vir illius accipiat mulierem legitimam.* Arsenius, Nicolai Papæ legatus, epistola ad Episcopos anno scripta ƆCCCLXV: *Et quanta scelera Engeltrudis, quondam Bosonis Comitis, mulier perpetrâsset.* Carolus Calvus tit. XXXII apud Tusiacum cap. V: *Traditiones factæ aut mulieribus, aut matribus, aut quibuscunque personis.* Similiter *Femina* accipi, ante vidimus.

Murrhina vasa vocant homines eruditi ea, quæ vulgo dicuntur porcellana. Sed myrrhina erant ex carchedonio, onyche, sardonyche, vel non multum absimili gemma. Porcellana à Sinensibus coquuntur igni è terra subtili, ac pingui.

Muscus veteribus lanosa ac viridis lanugo saxorum: unde Maro *muscosi fontes*, & Columella *muscari*, pro musco obtegi. Item arborum, ut eidem Maroni:

> —— *Musco circumdat amara*
> *Cortice* ——

Sed non item pro odoramento, ut apud Appuleium, & Arnobium sumitur: nempe ex μόσχος, prout appellant Aëtius lib. περὶ τρυφῶν δυνάμεων, Nicetas in Isaacio lib. III, Joannes Glycas de Vanitate vitæ, &c. *Musci* voce pro aromate usurpat B. Hieronymus lib. II adversus Jovinianum: *Odoris suavitas, & diversa thymiata, & amomum, & cyphi, & œnanthe, & muscus è peregrini muris pellicula, quòd dissolutis, & amatoribus conveniat, nemo nisi dissolutus negat.* Sic enim apud eum legi debere, optimè Salmasius monuit in Exercitationibus Solinianis †: ubi vulgo *& muris*. Ac puto apud eundem rescribi debere epistolâ ad Principiam virginem: *Illa solent splendere gemmis, aurum portare cervicibus, auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana suspendere, fragrare musco è mure.* Non *musco, mure*. Nempe *è mure* additur, ut distinguatur ab aliis musci sive odoramenti generibus: ut quod zibethum vocat ex sudore animalis feli non absimilis, unde cattum zibethicum appellant. At muscus, de quo B. Hieronymus, est ex sanguinolento apostemate animalis muris odorati, quem, ut vidimus superiùs, murem vocat peregrinum: sane laxè admodum, cum non tam murem referat, quam gazellam è dorcadum genere in regione Peza frequentem. De hujusce animalis odoramento capio etiam illud apud monachum Engolismensem S. Eparchii in vita Karoli Magni: *Repleverunt sepulchrum ejus aromatibus, pigmentis, & balsamo, & musco, & thesauris multis in auro.* Belgis hodieque *muskeljaet*. A musci odore nucem myristicam vulgo dixere *nucem muscatam*, Belgæ *note-muscaet*. B. Odericus Peregrinationis suæ cap. III, ubi de Java insula loquitur: *In ipsa nascitur camphora, cubebæ crescunt, & melegeta, nucesque muscatæ, & multæ species pretiosæ.* Ubi & *species* dixit pro aromatis, à qua significatione vulgo etiam dicimus *specerie*. Vixit Odericus ille anno ClƆCCCXX.

† Pag. 335.

N.

N *Atalitia* sidera, vel convivia, ipsius est Ciceronis. Verùm *natalitia* etiam, pro emortuali sanctorum die, dicunt Christiani: & ut puto, venustè; quod ostendit Radulphus Flaviacensis lib. IV in Leviticum cap. I: *Cùm putantur consumti, oriuntur ut luciferi. Inde est, quòd sanctorum obitus Natalitia vocari Ecclesiasticus usus obtinuit: quia quod sunt infanti angustiæ materni uteri ad hujus aeris libertatem, hoc est justis hujus conversationis ærumna ad futuræ gloriæ amplitudinem.* At non item placet *natalitia* pro die natali vel nativitatis: quomodo usurpant nonnulli: inque his Baronius in Apparatu Annal. Eccles. Num. XL. ubi ait magna miracula præcessisse natalitia Samsonis, Samuelis, Jeremiæ, & Joannis Baptistæ: atque inde colligit, idem factum in natali B. Virginis die.

Nemo homo dicitur, item *nemo femina*, pro nulla. Quid mirum! cum *nemo* sit conflatum ex *ne*, & antiquo *hemo*, pro homo. At non eò dixerim cum Bembo: *Neminem partem muniunt.* Pro *nullam*. Nempe laxiorem vocis significationem putavit, quam origo, vel usus ferret.

Nepos pro fratris vel sororis filio obtinet passim, etiam apud doctissimos. Itaque apud Suidam in Ἰουλιανὸς, ubi Græcè est, Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως ἀνεψιὸς, ἀπὸ Δαλματίου ἀδελφοῦ αὐτοῦ, καὶ μητρὸς Γάλλας τοὔνομα: sic Hieronymus Wolfius, & Æmilius Portus transtulere: *Constantini M. imperatoris ex fratre Dalmata nepos & matre Gallâ.* Iidem interpretes ubi Suidas ait, Καλλίμαχος, ἀδελφιδοῦς τοῦ πρεσβυτέρου, vertunt, *Callimachus, superioris ex-sorore-nepos.* Et Sextus Chæronensis iisdem, *Plutarchi ex sorore vel fratre nepos: Philocles Æschili ex sorore nepos.* Eodem in luto hæret φιλολογώτατος Xystus Betulejus commentario in vitam Lactantii, quæ ex Hieronymo huic scriptori præmitti solet: ubi Licinium Constantini ex sorore vocat nepotem. Et pereruditus Theologus Lucas Brugensis in Joan. VII. 5: *Patrui*, inquit, *plusculum sibi juris in nepotes solent arrogare.* Etiam Paullus Merula in Ennii vitâ sic de hoc poëtâ scribit: *Nepotem ex sorore habuit M. Pacuvium, poëtam tragicum, qui, avunculi vestigiis insistens, multa composuit.* Cautus Lilius Gyraldus de Poëtarum Historia dialogo III *: *Sed & alterum quoque Euripidem poëtam fuisse legimus, qui senioris ex fratre, ut sic dicam, nepos fuit, ut est à Dionysio in Chronicis scriptum.* Nempe vidit proprietatem vocabuli: eoque locuturus cum vulgo noluit eo uti nisi προεπιπλήξας. Sanè aliter Tullius semper. Ut lib. IX epist. XIV: *O mi Cicero*, inquit L. Cæsar, *gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam: quantum si ego apud sororis filium valerem, jam salvi esse possemus.* Pluraque in hanc mentem attuli lib. I cap. XXVII. Ubi etiam occurri iis, quæ contra adferunt è Suetonio, &, ut perperam putant, Plauto. Si constaret de ætate ejus, qui scripsit scenam, unde hæc citant; dicere possemus, quis antiquissimus eorum sit, apud quem hic vocabuli usus invenitur. Quicquid de eo est, saltem jam Hieronymi ævo obtinuit. Nec tamen multum fiduciæ in eo posuerim, quod apud eum in Chronico Eusebiano, num. MDCCCLXIII, sive Olymp. CLVI an. II de Pacuvio legas, *Ennii poëtæ ex filia nepos:* quem Ennii sorore genitum Plinius ait lib. XXXV cap. IV. Nam, quæ attuli Hieronymi verba, sunt a librario: nec in Scaligeri editione reperias. At validius est illud, quòd in iisdem Chronicis legas Olymp. CCLXXIV: *Crispus, & Constantinus, filii Constantini, & Licinius adolescens, Licinii Augusti filius, Constantini ex sorore nepos, Cæsares appellantur.*

* Pag. 269.

Neuda in vett. glossis MSS exponitur ἐπιτάφια. Sed sine dubio *Nænia* legendum.

Nocentia pro Crimen.

Normale est, quod ad normam factum: quomodo Quinctilianus *normalem angulum* dicit lib. XI cap. I. Nolim igitur Scripturam vocare *primam veritatem normalem*: prout loquitur Pareus Prolegomenis in Hoseam. Nec injuria id culpat Serrarius in prolegomenis Bibliacis cap. VI. Nec tamen id tanti, ut eo ineptire fuerit dicendus, quia satis constat, Pareum id voluisse, Scripturas principem esse normam, & quasi normam normarum, ad quam expendere conveniat, ecquid sit verum an falsum.

Notandus pro *attendendus*, *notatione dignus*.

Notarius, ὁ ταχυγράφος, qui siglis, vel notis propriè dictis celerrimè scriberet. De hujusmodi Siglis Notisque egi lib. I de Arte Grammatica cap. XL, & XLI. Nec alios Manilius signat lib. IV:

> *Hic & scriptor erit felix, cui litera verbum est,*
> *Quique notis linguam superet, cursumque loquentis,*
> *Excipiens longas nova per compendia voces.*

Ubi

Ubi prius designat per siglas scribentem, inde per notas propriè dictas, quæ literæ non sunt. Sed posterioribus seculis, hodieque *notarii* sunt scribæ publici. Nec aliter notariorum voce utipuro Paullum Diaconum lib. IV de gestis Longobardorum cap. XXXIV: *Ordinatur Patriarcha Epiphanius, qui fuerat primicerius Notariorum.* Item Alexander Papa diplomate ad Helvissam: *Datum Parisiis per manum Hermanni, S. R. E. Subdiaconi & Notarii.*

Nova pro Nuncii apportantes aliquid novi.

Novendecim pro Undeviginti.

Numphium, vel *nymphium*, Græcè νυμφεῖον, thalamus, locus in quo sponsus sponsaque, item nuptiæ: ut docent Eustathius, ac Festus in Nuptiæ. At Ecclesiasticis scriptoribus locus virginum sacratum. Joannes Diaconus de vitâ S. Gregorii Papæ lib. IV cap. LXXXIII: *In venerabilis monasterii atrio juxta nymphium.*

O.

O*Bedientia*, pro munere vel præfectura aliqua in monasterio. Matthæus Paris. in an. ccxxxviii: *Tales ad agenda officia Monasterii deputentur, qui fideles sint, & discreti: nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda.* Præcipuas obedientias refert idem in vita Joannis, XXIII abbatis S. Albani: *Nec exeat quis eques; nisi de licentia Prioris; exceptis suarum obedientiarum summis procuratoribus: videlicet summis cellerario, coquinario, camerario, infirmario, & sacrista.* Ac tales dicebantur *obedientiales*, vel *obedientiarii*. Ut apud eundem in Historiæ Additamentis †: *Omnes prælati semel in anno statum domus suæ coram conventu recitent, & de omnibus receptis & expensis, obedientarii in præsentia Abbatis vel Prioris, Abbatem proprium non habentis, —— reddant rationes.* Item Thomas Walsingamus Histor. Angl. in Richardo II*: *Edmundus —— in partem suam traxit fratres, —— & postquam vidit partem favere, novos obedientiarios statuit, & deponit antiquos.*

† Pag. 170.

* Pag. 231.

Oblata —— —— Ison monachus Sangallensis de miraculis S. Othmari lib. II cap. III: *Panis rotula, quæ vulgo oblata dicuntur.*

Obsequia, pro funebri honore. Matthæus Parisius in vitâ Offæ I: *Jussit, ut qui in prælio magnificè ac fideliter se habuerant, seorsum honorificè intumularentur, factis eis obsequiis cum lamentationibus.* Et aliquanto post: *Obsequiisque cum exsequiis magnificè completis.*

Obsequium pro servis, quorum est obsequi dominis. Anastasius in Gregorio: *Hic dimisit per obsequia sua ad omnem clerum rogam unam integram.* Item in Bonifacio: *Hic dimisit omni clero per obsequia sua rogam integram.* Ita emendavit maximus Salmasius, approbatque etiam Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris †.

† Cap 54. § 5.

Obsessus, pro obsesso à diabolo, sive dæmoniaco. Cæsarius lib. IV. Miracul. cap. V, & X, ac sæpè item libro V.

Obtrectator semper in malam accipitur partem. Quod cum nesciret, vel non satis cogitaret Sebastianus Castalio, eò, quia Cicero alicubi *obtrectationem* interpretatur *Zelotypiam*, Deum ipsum, qui se zelotypum fatetur, *obtrectatorem* vertit: imperitè, si mentem viri attendas; sed nisi de ea satis constaret, & è charitatis regula judicium semper ferri oporteret, profectò etiam impiè factum dicerem.

Onustus, pro onerosus, apud Saxonem Grammaticum lib. VII*.

* Pag. 127.

Ordinarii milites pro iis, qui ordines ducerent, dixere posterioribus seculis: quod ex Vegetio, & antiquis inscriptionibus liquet. Sed aliter antiqui, qui, ut ex Festo liquet, sic dixere infimi ordinis manipularem.

P.

P*Acatio*, pretii persolutio, quia hac pacantur creditores. Matthæus Parisius in an. ccxlviii: *Pannos sericos, & alia, rapit violenter, sine pacationis retributione*, & anno ccLVI: *Cùm Dominus Rex jam factus egenus, ita pecuniæ inhiaret, ut vina Gasconiensium diriperet: & sine pretii persolutione, quam pacationem appellamus, ipsi vinitores, & alii mercatores vacui, & inanes redirent.* Ubi, quid *pacatio* sit, clarè exponitur.

Papiliones, ob similitudinem insecti alas utrimque in volando expandentis, dixere tentoria, non illi, qui castè locuti. Plinium tamen sic aliqui locutum volunt. Ut cujus sit Hist. Nat. lib. V. cap. V: *Numidæ verò Nomades, à permutandis papilionibus, mapalia sua, hoc est, domus, plaustris circumferentes.* Sic enim est etiam in veteri editione Parmensi, anni ccccLXXVI. Sed meliùs aliæ, *pabulis*. Quomodo Solinus de iisdem Numidis: *Hæc gens, plaustris invecta, pabula passim sequitur.* Interea posteriores sic locuti. Ut Spartianus in Pescennio Nigro: *Idem* (Niger) *in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumsit ante papilionem.* Sed subsecutis seculis vox ea perfrequens. Sane legas sæpius in annalibus Francicis à Pithœo editis. Usi etiam Rhegino, Ivo Carnotensis, Otto, & Radevicus Frisingenses, Beka: & quid memorem plures?

Par de ætate vel tempore non dicitur, nisi *ætate*, vel *annis*, addatur. Sed ἁπλῶς pro eo dicimus *æqualis*.

Paradisus, pro atrio templi. Chronicon Casinense lib. II cap. IX: *Introëuntibus in Ecclesiæ ipsius paradisum ad lævam.* Et lib. III cap. XXI: *Propter paradisi turrem vetulum quendam exstinxisse.* Et cap. XXVI: *Atrium, quod nos Romanâ consuetudine paradisum dicimus.* Est & apud Anastasium in Dono Papa I, & ex eo Aimoinum Chronicorum Francicorum lib. IV cap. XXXV: *Locum, qui paradisus dicitur.* Vide & Rosweidum Notis in Paulini epist. XXXIII.

Parata juniores quoque dixere pro ornatu, sive apparatu: pro quo & Tertullianus *paratura*. Ex *parata* remansit Gallis in vulgari usu, *parada*. Simile est, quod *malade* iis dicitur morbidus, malè affectus: ut *malade*, videatur esse à *malatus*. Gloss. *Malatus*, ξυγρὸς, ἀρχαῖος. Id malim, quàm ut sit à μαλακὸς, quomodo necesse sit C in D converti. Similiter *oblata* pro oblatione, *declamata* pro declamatione, *conjuncta* Appuleio pro conjunctione: ut docet Salmasius in Exercitationibus Solinianis †.

† Pag. 1122.

Parata dicuntur hospitia, quæ parantur missis, sive missaticis Regiis. Ludovicus Pius in præcepto, quod Hispanis ad se confugientibus concessit: *Missis nostris, aut filii nostri, quos in illas partes miserimus, aut legatis, qui de partibus Hispaniæ ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, & ad subvectionem etiam veredos donent.* Idem in diplomate, quod refertur in Chronico Cameracensi lib. I cap. XXXVII: *Mansiones, vel paratas faciendas.* Constitut. Karoli Calvi tit. XXIII, sive epistolâ Episcoporum ad Ludovicum Regem, cap. XIV: *Circuire loca Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, vel Comitum, & majores, quàm ratio postulat, parat exquirere.* Similiter usurpat Hincmarus, tum epistola ad Archidiaconos, tum illa ad Laudunenses. Pro eo & *parada* dixere: ut monitum lib. superiori in *Mansionaticum*: ac tangebamus etiam eodem libro in *Parada*.

Parens posterioribus seculis docebatur etiam cognatus, sive consanguineus. Spartianus in Didio Juliano: *Ubi verò primò illuxit, Senatum, & equestrem ordinem in palatium venientem admisit; atque unumquemque, ut erat ætas, vel patrem, vel filium, vel parentem, affatus blandissimè est.* Offensus hoc loquendi genere doctissimus vir Desid. Heraldus, suis in Tertullliani Apologeticum* notis, quia sequitur parentem, principe loco pro *patrem* putavit *fratrem* legi oportere. Sed enim *parentem* vocasse, qui cognatus foret, clarè docet Casaubonus in Capitolini Marcum Antoninum. Ac similiter maximus Salmasius ad Trebellii Pollionis XXX tyrannos. Sed & sententiam hanc sequitur Rosweidus Notis ad Euagrium presbyterum in vita S. Antonii. Est verò inde hæc loquendi ratio, quod cognati, qui boni, & prudentes, parentum sint loco: unde & amicis Cæsaris id nomen. Hinc in Codice Theodosiano crebrum: *Have parens carissime Augusti.*

* Cap. 39.

Passus pro itinerum angustiis, quas in militia præoccupare quisque studet, ut alteri viam præcludat. Matthæus Parisius in an. clↄ ccxlv: *Dum per quoddam iter arctissimum, quod vulgariter passus dicitur, forent transituri.*

Passum pro vino Cretico, quod *Malvaticum* vocant, dici putavit vir pereruditus Philippus Beroaldus, orat. in nuptias Bentivolorum: *Inferuntur & panes dulciarii, simulque vinum generosissimum: quod prisci passum, (ut opinor,) neoterici malvaticum appellant.* Ubi quam erret, vel hoc erit argumento, quòd mulieribus omni generoso vino fuerit interdictum, passo non item. Vide quæ de isto diximus lib. I Oratoriarum institutionum.

Pasta, Gallis *paste*, Italis & Hispanis *pastello*, Germanis *pasteten*, Belgis *pasteie*, Anglis *pastye*. Jovianus Pontanus in Actio suo †, putat *pastam* esse ex *panista*, ut *pabulum*, quasi pascibulum, & fortasse *panis*, quasi *pascinis*. Verùm malim dixisset, ut à βόω est βόσκω, sic à πάω esse *pasco*: ac ab eodem πάω esse *panis*, & *pabulum*. *Pasta* verò vel à Latino *pasco*, quia ea pascimur vel Græco πάσσω *inspergo*, unde παστή, *inspersa*; puta farina, quæ aquæ inspergitur ad depsendum, ut inde fiat cui caro, piscis, vel aliud includatur. Atque hinc cognoscimus, cur & *pasta* sumatur pro omni massa, sive farina subacta, quæ in portiones varias dispescitur, ac deinde fornaci inditur, ut coquatur. Cæsarius lib. IV Miracul. cap. LXV: *Credite mihi, domine, in pasta valde parvi sunt, & in fornace crescunt: parvi immittuntur, & magni extrahuntur.* Et lib. V cap. XXII: *Pasta ad coquendos panes præparata.* Item lib. X cap. XVII: *Pistrix quædam panes ad coquendum formaverat, & —— clamavit ad puerum suum, Mitte hunc fimum in clibanum. Justo Dei judicio —— pasta pulcherrima conversa est in fimum.*

† Fol. 139 edit. Ald.

Pastura, pro pascuum, ut *ferarum pastura* apud Matthæum Parisium in Additamento secundo. *Pastum* pro eo dicit Tertullianus libro de Patientia.

Pater, pro susceptore in sacro baptismate; quomodo & Belgæ hinc dicunt *peter*. Vide *Patrinus* lib. III cap. XXXIII.

Pathicus probum esse liquet illo ex carmine improbo: *Cum mens est pathica memor puella.* Sed Latini, ut puto, non utuntur, pro *puero meritorio*, sive *empto libidinis caussa*: quales tandem *exoleti* dicuntur.

Patria, pro regione quavis, etiam ubi natus non sis, à multis usurpari solet: quorum exemplo sic loquitur etiam doctissimus medicus Joannes Manardus lib. XIV epist. III, quæ ad Alphonsum Guarinum: *Nobilibus vinis, quæ Plinii tempore ferè LXXX erant, pleraque nobilia post Plinii tempora sunt addita: totque ignobilia, ut nulla sit patria, in qua peculiaria multa non sint reperta.*

Patria propriè est terra, quæ prima noscentem excepit. Vulgo autem *Patria*, pro quavis regione sumi solet. Imò jam olim sic Aimoinus lib. II de gestis Francorum cap. XIII: *Longobardi de Holandia pervenerunt in Rugiland quæ Latinè Rugorum patria dicitur. Nam land lingua Germanorum patria dicitur verbo Latino.* Sanè *land* Germanis ac Belgis terra, regio: ut dictum lib. II cap. XI. Imò antiquâ Britonum lingua particulatim terra sylvestris, sive saltus: ut est apud Galfridum Monæmuthensem lib. I Hist. Britann. cap. XVI. Pro regione, sive terra quavis, usurpat idem Monæmuthensis lib. III cap. VIII, & XI; item lib. IV cap. I, ac alibi crebrò. Uti & Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis secundæ partis cap. III: *Hujus autem pater Almus in patriâ Ardeleum occisus est. Non enim potuit in Pannoniam introire.*

Patricii qui veteribus dicerentur, exposui lib. primo cap. XXXIII: ubi agimus de plebejis. Atque huc refer istoc in glossis Msis: *Patricius*, αὐτόχθων. Sed posterioribus sic vocati principes Senatores, ac quasi patres Imperatoris. Quâ de re vide, quæ Bignonius annotavit ad Marculfi formular. lib. I. cap. XXXV. Sed angustiori significatione Pipinus, & Carolus Magnus, dicebantur patricii Romanorum: quod pluribus exponerem, nisi id abunde fecissent Meursius, & Watsius in Glossariis.

Paulatim vulgò usurpant pro *parumper*. Sed meritò damnat Cæsar Scaliger in primum Aristotelis, ut vocant, de Plantis: ubi sic scribit: *Si apud Græcum est* κατὰ βραχύ, *parumper dicerem potiùs, aut modicè, nam hic male paulatim. Non enim cujusquam essentia in motu est: at paulatim motum denotat. Paulisper verò fortasse extra tempus non invenerim.*

Pavo non tantùm avem notat Junoniam, quæ Græcis ταώς: sed & *genus operimenti, & vehiculi*: ut Papias interpretatur. Atque ita usurpatur in Actis S. Marcelli c. V *: *Post dies octo veniens Marcellus Episcopus cum Lucina, matrona Christianissima, condivit corpora sanctorum cum aromatibus, & linteaminibus, & imposuit noctu in pavone cum eunuchis suis, & sustulit, ubi commendati fuerant.* Similiter B. Ambrosius in vita S. Sebastiani cap. XXIII §. LXXXIX: *Tunc B. Lucina ipsa per se cum servis suis medio noctis abiit, & levans eum posuit in pavone suo, & perduxit ad locum, ubi ipse imperaverat.* Ubi *pilento* reposuit Surius, quia pavonem vehiculi esse genus nesciret. Cæterum pro *pavo* etiam dixere pabo, idque non modo pro ave, ut ex Philoxeni Glossario liquet, ubi & *pabo*, & *pavo* legas: sed etiam de vehiculo. Glossæ Isidori: *Pabo, vehiculum unius rotæ.* Nempe B, & V, sæpe confunduntur. Ex Isidoro verò hoc amplius habemus, quod fuerit unirote.

* Apud Bolland. 16 Jan.

Pax pro pyxide, in qua adservatur corpus Dominicum: apud Matthæum Parisium.

Pedulis, an *pedalis* dicendum sit, quæritur. Alii enim hanc, alii alteram lectionem præferunt apud Ulpianum leg. XXV. ff. de auro, & argento leg. Ubi cruralium & *pedulium* sive pedalium fit fasciarum mentio. Quas maluit περιφράζειν M. Tullius in Clodium apud Nonium: *Tunc cum vincirentur pedes fasciis, cum calanticam capiti accommodares.* Nempe cum Clodius, mulierem mentitus, ingrederetur ædem Bonæ Deæ. Malim verò *pedules*. Cornelius Fronto de verborum different. *Pedale mensura est pedis: pedule verò pedibus præstat utilitatem.* Ubi per *pedule* intellige lineum laneumve illud, quod adversus frigus subditur plantis. Gloss. Philox. *Pedale*, πεδεῖον. Eadem, *Pedale*, πεδικηνιτυγεῖον. Utrobique *pedule* rescribendum. Gregorius Turonensis in vitis Patrum, in Nicetio Lugdunensi Episcopo: *Namque deciso cucullo, aptatis pedulibus* (ita Msti) *pedes operuit extemplo arreptus à dæmone ruit in pavimentum.* Vita B. Rogerii, abbatis Elimntii cap. VII †: *Pedales, aut raro, aut nunquam dicitur habuisse.* Vita Hugonis monachi Cluniacensis & Episcopi Gratianopolitani *: *Mandare curavit, ut de caligis pedules abscinderet, quatenus præter pedes totus jaceret vestitus. Dolebat enim nonnullos in religioso habitu ad sanctitatis injuriam tibiis dormire nudatis.* Quæ verba perperam tanquam ipsius Hugonis adducit de La-Cerda †, cum sint D. Guigonis, quincti Prioris primæ Carthusiæ, qui Hugoni Episcopo æqualis fuit. Idem de La-Cerda addit alibi * locum è vita Christiani monachi in Prolegomenis †: *Inveni in eo unum pedulem, & in eo magnam massam denariorum.* Vetus Juvenalis interpres in sat. I vers. CXI: *Pedibus, qui venerat albis. Vel pulverulentis, vel braccis, vel pedules novos in braccis quos pedornus dicunt, ut peregrinum.* Janus Rutgersius * mavult: *Vel baxeis, vel pedales nodos in baxeis habens (quos pedanas dicunt) ut peregrinum.* Rectèque conjectat hinc depromtum illud Isidori in Glossis: *Pedana, æ, pedalis novus, qui caligæ adsuitur.* Ac itidem legendum, *pedalis nodus*.

† Apud Bolland. 4 Jan.
* Apud Surium 1 Apr. prope finem ejus Vitæ.
† In Adversariis sacris cap. 67. § 3.
* In Adversariis sacris cap. 141. § 11.
† Pag. 66.
* Lib. I Var Lect. cap. 16.

Pellex pro concubina hominis cœlibis, vel vidui, perperam sumitur vulgo. Imò ne quidem vir pellicem habet: etsi sic usurpetur apud Justinum initio libri X, & alibi. Priores non arbitror sic locutos, saltem non Augusti ævo. Propriè sanè pellex dicitur ratione feminæ, non viri. Eoque Danae, vel Ino, sit pellex non Jovis, sed Junonis. Sallustius in Ciceronem: *Filia matris pellex.* Ovidius fab. de Myrrha:

Tune eris & matris pellex, & adultera patris?

Juno apud Senecam initio Herculis Furentis:

Locumque cælo pulsa pellicibus dedi.

Pellicula Ciceroni, & aliis δερμάτιον à pellis. Sed strictè pro periscelide, vel ligula coriacea accipitur in Regula Pachomii CXX; *Pellicula caligæ, & cingulum, & siquid aliud perierit, qui perdiderit, increpabitur.*

Pendentes substantivè, Græcis κρεμαστῆρες, pro quo & κρεμαστήρια Achmes cap. CCXLVIII. Gallis *pendants.* Arculphus de locis sacris, scriptor adhuc ineditus, sed Salmasio adductus ad Capitolinum †: *Ornata virgis ferreis, pendentes, brachialia, dextrocheria, murena, monilia, annuli, capsulares, cingella, irata, baltei, corona, imperium ex auro, vel gemmis, & ornamenta plurima.*

† Pag. 249.

Pensa adjectivè quid notet Latinis, satis liquet. Sed posterioribus *pensa* notat justum argenti pondus. Quod præter illud, ut merum parumque sit metallum, requiritur. Utrumque dicit Carolus Calvus tit. XXXI, sive Edicto Pistensi cap. XIII: *Tam in pensa, quam in purgatione, denarios concambient.* Lucem adferunt sequentia: *Non majorem fraudem facit, si mixtum denarium, & minus quam debeat pensantem, monetaverit, quàm si in purgatione & concambio argenti, per malum ingenium, fraudem de argento reip. ——fecerit.*

Pensile veteribus, quod suspensum: ut homo, uva, lychnus. Sed in Legg. Longobard. lib. II, tit. IX, leg. II *Tunc liceat galstaldio Regis, aut actori, aut sculdasio ipsam* (liberam, quæ servo fuerit consentiens) *in curtem Regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere.* Ubi pensiles, quæ nere coguntur, atque ut Maro loquitur IV Georg. *Mollia pensa* devolvunt fusis.

Pera idem ac melota, sive pellis ovilla & laxiùs etiam caprina, si standum vulgatæ lectioni Cassiani lib. I, c. VIII: *Ultimum est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes, vel pera appellatur.* Fronto Ducæus, notis ad Chrysostomum, arbitratur, *diphthera* legendum pro *pera.* Sozomenus enim hasce melotas vocat διφθέρας. Sed vulgatam lectionem censeo retinendam: quod & facit Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXVI §. VIII. Nam & idem Cassianus Collat. XI cap. III ait: *Sumto itaque baculo, & perâ.* Isidori quoque est lib. XIX Orig. cap. XXIV: *Melotes, quæ etiam pera vocatur.* Rosweidus etiam ex Camberonensi Glossario adducit: *Melota, lamuta, & pera vocatur.* Quare sic potiùs censeo, juniores ex Græco διφθέρα, κατ' ἀφαίρεσιν prius *phthera*, ac molliùs mox *pera* dixisse. Concilium Senense*: *Qui majori sua honestati consulens divertit in peram ad conventum Ordinis Fratrum minorum.*

* Pag. 55.

Peribolus, περίβολος septum, ambitus. Sed pro tabulario sive archivis cœpisse videtur Odo, abbas cœnobii S. Mauri, de S. Mauri translatione cap. I. §. IX †: *Deprecari illum omnibus cœpi precibus, ut si aliquid ex his in peribolis, aut in scriniis chartarum ejus loci esse sciret, nobis reddere dignaretur.* A *peribolus* vero *peribolium*, & tralatitio more B in V commutandi, *perivolium* Luitprandus in Legat.* *Sed & idem Nicephorus in eadem cœna interrogavit, si vos perivodia, id est brolia, vel si in perivoliis onagros, vel cætera animalia haberetis.*

† Apud Bolland. 15 Jan.

* Pag. 102.

Peroptivus, egregius, illustris, & qualem perquam optes, unde vox facta Beka in Joan. II: *In dando largifluus, peroptivus musicus.*

Persea, & *Persicus* ab omnibus Grammaticis confunduntur. Quomodo autem differant, docet Cæsar Scaliger ad Cardanum Exercitat. CLIII, sect. II.

Persona, κατ' ἐξοχὴν pro rectore Ecclesiæ. Sic Matthæus Parisius usurpat. Unde *personatus*, pro eo qui auctus dignitate Ecclesiastica, apud eundem Parisium. Vide glossarium Watsii.

Personatum, pro persona, sive hominis qualitate ac conditione Ivo Carnotensis epist. CXXXII: *Major cleri pars, quantum ad personatum, & numerum, ferre non valentes Comitissæ injurias & minas, de civitate exierunt.* Similiter Concilium Pisan. II †.

† Pag. 90.

Pertinentiæ dixere ad aliquid pertinentia. Constitut. Neapol. lib. I tit. LXXVIII, & lib. X. Concil. Pisan.* Simile *appendicia*, de quo libro superiori.

* Pag. 8.

Pervicatio, pro pervicacia. Lex Burgund. tit. XLVI *Pervicatione caussantium, & cupiditatis instinctu.*

Pestilentiosum à pestilentia non dicitur, sed pestilens, vel pestifer à pestis. Prius tamen non refugit interpres epistolæ Barnabæ †: *Cum sint pestilentiosa per suam nequitiam.* Græcè, ὄντα λοιμὰ τῇ πονηρίᾳ αὐτῶν.

† Pag. 231 edit. Amstelodamensis.

Petia, particula, breve quid ac minutum. Anastasius Bibliothecarius in Benedicto tertio: *In basilica quoque jam sæpius dicti egregii doctoris mundi Beati Pauli Apostoli idem Antistes Sanctissimus Benedictus præsul pulcherrimi decoris rete, factum miro opere totum ex gemmis albabeeris, & bullis aureis, conclusas etiam auri petias in se habens smaltitas videlicet majore numero viginti unam, cum aliis pariter minoribus.* Usurpat quoque Theodoricus de Appoldia præfat. ante vitam S. Dominici V Aug. Henricus quoque Rebdorffensis in Annal. anno CIƆCCCLXI habet, *petia ligni S. Crucis: petia brachii S. Annæ: petia chordæ, qua Christus fuit ad columnam ligatus. Petia* factum à *pettycium*, pro *pittacium*, quod Græcè itidem πιττάκιον, quomodo Doribus dicebatur tenue corii præsegmen: postea verò, extensâ significatione, minutas chartas, vel membranas, quibus breviter aliquid comprehenderetur, hinc vocali mutata πιτάκια dixere. Hæc quidem Moschopuli opinio est. En verba: Πιττάκια Δωριεῖς τὰ λεπτὰ περιλήμματα τῶν δερματίων, ἀφ' οὗ ἡμεῖς πιττάκια λέγομεν. Casauboni verò in Lampridii Alexandrum Severum opinio est πιττάκια dicta, quia tabellæ essent minutæ, quæ τῇ πίττῃ sive pice, vel alio similem habente vim, conglutinarentur.

Phago, cibus, ut est in Glossis Isidori. Græcis φάγος edax, vorax. Sed monachi sic dixere cibum, ut ibidem ait Isidorus.

Pharus, sive *farus*, canthari genus. Anastasius in Sylvestro: *Farum cantharum ex auro purissimo ante altare in quo ardet oleum nardinum pisticum cum delphinis octuaginta, qui pensant libras XXX, ubi candela ardent ex oleo nardino pistico in gremio Ecclesiæ. Pharum cantharum argenteum cum delphinis centum, & viginti.*

Phrasis vulgo accipiunt, pro vocum sive simplicium, sive conjunctarum elegantiis. Quomodo συντάγματα Aldi Manutii ejus *phrases* vocant. Sed φράσις idem quod *dictio*: ut Fabio lib. X cap. I: *Phrasis est eloquentia corpus, & dicendi modus.* Idem: *Macer, & Lucretius, legendi quidem: sed non ut faciant phrasin.* Fere autem sumitur pro charactere dicendi: qui quodammodo hominis est character. Quantopere is variet, exposuimus lib. VI Oratoriarum Institutionum.

Physica, pro medicina: ut apud Matthæum Parisium initio vitæ Joannis primi, XXI abbatis S. Albani: *In Grammatica Priscianus, in Metrico Ovidius, in Physica censeri potuit Galenus.* Ac similiter idem *Physicus* pro *Medicus.* Sæpe etiam utroque sic utuntur alii: ut his Vitriacus, & Cantaptratanus.

Pilata agmina, vel cohortes, de pilo instructis, apud idoneos scriptores legas. Sed juniores *pilatum* pro *pilo* dixere. Quomodo apud Matthæum Paris. in Mandato de juratis ad arma legas: *Qui vero in foresta habeant arcus, & pilatos.* Non satis arridet, quod vir doctus putabat *pilatos* dici quasi *spiculatos.*

Pinnula, ut Isidorus ait lib. XI cap. I, *summa pars auris, ab acumine dicta: pinnum enim antiqui acutum dicebant.* Per *summa* intellige *ima*: quomodo Horatius ait,

Primâ dicte mihi, summâ dicendum Camenâ.

Nempe sic dicitur, quæ Ciceroni *auricula infima*, Catullo *imula oricilla.* Ubi *oricilla*, pro *auricilla*, quod ab *auricula.* Quod *pinnulam* ab acumine ait dictam Isidorus, lucem capit ex pennis avium, pinnis galearum militarium, murorum ac propugnaculorum.

Placitum est cœtus sive congregatio ad certam diem indicta, sive ut agatur de rebus regni, vel Reip. sive ut caussæ in judicio fiat disceptatio. Synodus Turonensis III cap.

cap. XXXV: *Pro quolibet placito, vel judicio, à qualibet persona munera exigere.* Et cap. XXXIX, *placita secularia.* Crebrum apud Gregorium Turonensem: ut lib. VI cap. XXXIV: *Placitum legatis dare.* Et lib. VII cap. XXIII: *Placitum in regis Childeberti præsentia posuerunt.* Vita B. Gothofridi Cappenburgensis † cap. XIII. §. LXI: *Dispositis tandem insidiarum latibulis eos velut ipsius caussa in Lunensi placito suffragaturos, humiliter, imò fraudulenter evocavit.* Guil. Malmesburiensis in Vita S. Wulstani, episcopi Wigorniensis: *Caussa fuerat, quia die certa ad quoddam placitum exire deberet.* Imò est & in Karoli M. Constitut. cap. IX. *Ut latrones de-infra immunitatem judices ad Comitis placita præsentent: & qui hoc non fecerit, beneficium & honorem perdat.* Quem ad locum rectè quidem Amerbachius annotavit, *placita* vocari jurisdictiones, sive loca ad disceptandas caussas: atque ita in Legibus Longobardicis sæpe esse, *ad placita venire:* ac similiter loqui jus Canonicum: sed minùs placet quòd originem arcessit à Germanico *platz*, aream notante ac universè locum: ut *ad placitum venire* sit venire ad locum indictum. Omnino enim verisimilius *placitum* derives ex eo, quod judicum sententiam *placitum* vocarent, quasi τὸ δόξαν: quia sic placeret. Etsi nec ineptè deducas à πλάκες tabulæ: quia leges olim ἐν πλαξὶ proponerentur. Sanè à *placitum* vel πλαξὶ est Belgicum *Placcaet:* h. e. decretum, diploma. Item Gallicum *plaid*, quod *controversiam*, vel *litem* signat. Similiter *placitare* in Legibus iisdem ex Gallico *plaider*, h. litigare, caussam agere. Ut in Angl. Leg. Edoardi Reg. cap. V: *Coactus non placitabit.* Hoc est, non poterit adigi ut in foro caussam persequatur. *Implacitare* verò in placitum, sive in jus rapere. Vide id in Verbis barbaris ortu Latinis. A placitare, sive Gallico *plaider*, est Belgicum *pleiten*, quod est litigare.

† Apud Bollandum 13 Jan.

Planatum in plano situm, constratum in terra. B. Maurus Quinqueecclesiensis episcopus de vita Eremitarum Zoerardi Confessoris & Benedicti Martyris: *Planatum equidem truncum quercinum sæpe circumdedit.*

Planeta, nunc vestis erat laica, nunc missalium vestium postrema, quæ post stolam induebatur: alterque *casula* dicebatur. Sic vocatur, quia circa totum corpus erret, quasi *erronem*, vel *erraticam* dixeris, à πλάνη, error. Pro laica veste sumitur in Vita S. Fulgentii, Ruspensis episcopi*, ab discipulo conscripta, cap. XXIX, §. LXII: *Velut benedictione cælesti desuper descendente, tantùm fides nobilium crevit, ut planetis suis super B. Fulgentium gratanter expansis, repellerent imbres, & novum tabernaculi genus artificiosa caritate componerent.* Pro Ecclesiastica veste usurpat Joannes Diaconus in vita S. Georgii: *Patris sancti Georgii indumentum fuit planeta castanei coloris, & sub planeta, Dalmatica.* Albinus Flaccus Alcuinus libro de ritibus & ceremoniis Ecclesiæ Romanæ †: *Interim vero egreditur archidiaconus cum aliis diaconibus de sacrario: induti scilicet planetis fuscis.* Crebrum est apud Anastasium bibliothecarium. Utitur & Luitprandus de rebus per Europam gestis extremo lib. VI: *Deinde Benedictum* (Pseudopapam) *in terra sedere præcepit. Cui casulam, quam planetam vocant, cum stola pariter abstulit.* Sermo est de Leone Papa Benedictum dejiciente de papatu, quem invaserat. Leo Ostiensis Chronici Casinensis lib. III cap. LVII: *Planetam purpuream cum phryso.* Petrus Blesensis sermone XLI, habito in Synodo: *Planeta, quæ & casula, totum te circumdat, & protegit, & cæteris supereminet.* Subdit deinde, quid eo significetur. *Hæc est caritas, de qua dicit Apostolus, adhuc supereminentiorem vobis demonstro,* &c. Matthæus Parisius in an. ClƆ CCXLVI: *Ad planetas, & capas suas chorales adornandas.* De casula, quo modo aliter vocari Blesensis ait, ut vidimus, dictum nobis libro III cap. III. in *Casubula.*

* Apud Surium, & Bollandum 1 Jan. sed & operibus Fulgentii præmittitur.

† Pag. 180. edit. Beller. quæ cum Fragmento Karoli M. prodiit an. 1560.

Plasma, æ, pro *plasma plasmatis.* Arnoldus Ordinis S. Francisci * in vita S. Angelæ de Fulginio cap. XXIII §. CCLVI: *Scire loqui de Deo, intelligere scripturam, facere magnas plasmas, habere cor quasi occupatum in rebus spiritualibus.* Sed πλάσμα figmentum. Quod quid huc facit. An legendum, canere magnos psalmos? An scripsere eo ævo *psalmus*, pro *psalmus.*

* Apud Bolland. 4 Jan.

Plebs pro cœtu quovis, etiam nobilium. Sic Guntherus lib. I †.

—— *E plebe potentum.*

Ac similiter loquitur lib. IV*, & VI †. Paullo melius est quod *turba potentum* dicat lib. I *.

† Vers. 255.
* Vers. 373.
† Vers. 236. & 323.
* Vers. 442. & 745.

Plumbata, μολυβδωτὶς, ut vetus ait Onomasticum: imò & Suidæ est, βλυμβάτεις, μολύβδοις, κτ̀ γλῶτταν. Sic dicebantur flagella, extimâ sui parte habentes plumbum; item plumbea collaria, gravitate sua gestanti permolesta. Legas apud Anastasium bibliothec. in Cornelio, & Sergio, Honorium serm. de S. Laurentio, alioque de S. Cæcilia, ac crebrò in Actis Martyrum. Hinc *plumbatarum ictus*, aut *verbera* in Codice Theodosiano, ac Justinianeo. Quæ & signat Prudentius in Romano:

> *Tundatur, inquit terga crebris ictibus,*
> *Plumboque cervix verberata extuberet.*

Est vox ea à *plumbare:* quod quid propriè sit, indicat locus ille L. XXVII. D. De acquirendo rerum Domin. *Si tuum scyphum alieno plumbo plumbaveris.* Legas & apud Minutium Felicem: *Ecce plumbatur, construitur, erigitur, neque adhuc Deus est: ecce ornatur, consecratur, oratur: tunc postremo Deus est, cùm homo ille voluit, & dedicavit.* Imo & usi Cato lib. de R. R. & Plinius in naturali Hist. Sed *plumbatarum* non censeo mentionem inveniri ante Severi tempora.

Plumbeus panis Petro Blesensi epist. XIV, vitio coctura adeo gravis, ut quodammodo plumbeus videri posset.

Plumella, culcita, vel pulvinus, aut simile plumis fartus. Vitæ Patrum cap. VIII: *Nec alios habens tapetes, plumellas, aut stragula, quo hæc operirentur, nisi cum ipse desuper consedisset.* Et cap. XI: *Culcita, plumella, stragulum.*

Podium ὑποπόδιον, suppedaneum, gradus quo adscenditur in stalla sive sedes Canonicorum. Sic usurpat Matthæus Parisius in an. ClƆ CCL: *Virum sanctum impetu violento repellens, & retroire cogens ad unam spondam, qua duos de stallis dividebat, & pro podio fulta fuit, adeò senile corpus pressit, ut ossa cum medullis conquassaret.*

Pomum, pro gladii capulo, ut hodieque Belgæ *den appel* nuncupant. Sic usus Turpinus in vitâ Caroli Mag. cap. XXII.

Pontificale probum est: ut apud Livium in X, *pontificalia atque auguralia insignia.* Sed juniores ἀπλῶς usi pro vestibus Pontificalibus. Cæsar lib. VII Mirac. cap. XX. *Indutus pontificalibus, mitram gestans in capite suo.* Sic *pontificalibus indui*, apud Antoninum Florent. Chron. Tit. XIX cap. I. §. II.

Porcariam vulvam apud Plinium lego: at nunquam veteribus *porcarium*, locus cœnosus, ubi se volutant porci. Quomodo Matth. Parisius ait in an. ClƆ CCLVIII: *Et inventa sunt passim eorum* (pauperum, fame mortuorum) *corpora in porcariis, sterquiliniis, & lutosis plateis.*

Pondo pro duodecim libris poni colligebat Perottus, eumque secutus Calepinus, quia Livii sit lib. XXII: *Argenti pondo, & sex libras, in militem præstaret.* Sed jam diu observatum Budæo, legi debere, *& selibras.* Ut *pondo* hic quoque pro *libra* sumatur.

Potestas pro summo magistratu: quomodo & Italis hodie est frequens. Sic usurpant Capit. Karol. lib. V cap. XXIV. Cæsarius lib. VI Miracul. cap. XXXIII: *Illi sibi prospicere volentes, hominem Ferrariam ducentes, potestati obtulerunt, casum exposuerunt, innocentiæ ejus, ac simplicitati bonum perhibentes testimonium.* Similiter Constitut. Neapolit. lib. I tit. XLVII. Matthæus Parisiensis, Petrus de Vineis, Turocius, aliique permulti. Sed sic etiam Suetonius in Claudio cap. XXIII, & Juvenalis:

> *An Fidenarum, Fabiorumque esse potestas.*

Practicus, πρακτικὸς, ad πρᾶξιν pertinens: quomodo alia est φιλοσοφία θεωρητικὴ, alia πρακτική. Sed perperam *bonum* dicunt *practicum*, qui Latinis *experiens*, *exercita-*

citatus, *rerum varietate*, *atque usu peritus*, *magnum usum habens*. Sic pro *practica*, *experientiam*, *usum*, vel *usum assiduum uni rei deditum*, dixeris.

Præbenda, reditus annuus, monacho, canonicove, etiam decano adsignatus. In Glossis παροχὴ exponitur. Estque simile ac *inferenda* pro *illatione*, in Capitularibus Caroli Mag. utitur Ivo Carnotensis epist. xxv, ad Urbanum Pontificem, & epist. CIII, ac CCXIX, Fulbertus ep. VII cap. LXVI, Baldericus in Chron. Cameracensi lib. I cap. LXVI, Cæsarius Miracul. lib. I cap. XIV. Matthæus Parisiens. in an. CIƆ CCLVI: *Detestabile*, inquit, *merito videbatur*, *tam nobilem præbendam despicabili*, *ignoto*, *sic intruso*, *conferri*. Habes & in Benedictinâ cap. XXII; quod est de creatione monachorum. Inde *præbendales Ecclesiæ*, Petro Blesensi epist. LXXXI. *Præbendarius* item, qui in certa Ecclesia fruitur præbenda. Habes apud Joannem in Vita Petri Damiani. De *præbendaria* voce, pro *præbenda*, actum libro superiori. *Præbendatus* pro præbendâ auctus, est apud Bekam in vita Willerami Episcop. I. item in Speculo Saxon. lib. I. art. V, §. VI.

Præcessoris vocabulum veteribus est ignotum. Sed hic ejus meminimus, ob alterum errorem. Vulgo enim sumi solet pro eo, cui aliquis in munere successit. Atqui is *decessor* non Ulpiano solum, sed etiam Tacito in vita Agricolæ, nuncupatur. Posterioribus autem temporibus *prædecessor* dictus, qui hunc præcessit. Ut satis liqueat, valde peccasse Anton. Contium, qui (ut ipse fatetur in præfat. Codicis Justiniani) ubicumque *prædecessor* repetit, substituit *decessor*. Omnino enim, uti dixi, & Juretomonitum ad Ivonis epist. XCV, planè hæc duo differunt. Id ostendit Cassiodorus Var. lib. IV epist. XLIV: *Conquestus est*, *casam sui juris ante decessorem*, *prædecessoremque nostrum longâ ætate possessum*. Et lib. VIII epist. XVI: *Nam quod vobis per decessores*, *prædecessoresque nostros temporibus domni avi nostri consuetudo longæva dedit*. *Ac similiter Hincmarus*, *Remensis archiepiscopus*, *ad Nicolaum Papam*: *Nil petii*, *nisi sicut decessores*, *ac prædecessores mei eo uti in episcopi ordinatione solebant*. Sed hoc discrimen non est perpetuum. Nam utcumque observetur, cum *prædecessor*, & *decessor* conjunguntur: tamen tandem & si solùm *prædecessoris* fieret *mentio*, *decessor* signabatur: & cum *prædecessores nostri* legimus, etiam *decessor* includebatur. Hoc liquet ex Godfridi Vindocinensis lib. I ep. IX. Proque eo, quod ibi dicit, *prædecessores nostri*: lib. V epist. XXI legas, *Rectores monasterii nostri*, *qui fuerunt ante me*. Similiter Innocentius III ad Hammelinum abbatem: *Antecessores nostri Ecclesiam S. Priscæ in Aventino solam cum omnibus pertinentiis suis*, *& Cardinali etiam dignitate prædecessoribus tuis duxerunt concedendam*. Ita videmus, ut optimo ævo *prædecessoris* vox fuerit ignota: medio tempore opponi consueverit decessori: postremo etiam sumi soleat pro decessore. Prædecessoris vocabulum etiam reperias in S. Remigii Testamento apud Flodoardum lib. I Historiæ Remensis lib. I cap. XVIII, Joachimum Abbatem prolegom. Apocalyps. Beka in vita Godebaldi, episcop. XXXIV.

Prædicantes, pro præcones sive concionatores, est Hilarii in Psal. CXLVII. Sed præconum quidem est prædicare, hoc est, palam pronunciare, quæ jussit magistratus: nec tamen alterum pro altero posuere. Dixerim potius divini verbi præcones, τοῦ θείου λόγου κήρυκες.

Prælatus, pro antistes, præfectus, apud bonos scriptores non reperias. Apud Ennodium quidem Ticinensem legas *prælatorum famuli*. Sed is demum temporibus Papæ Hormisdæ, hoc est, circa annum Christi quingentesimum. Præterea *prælorum* legi oportere, res clamat; quod & eum ad locum Andreas Schottus observat. At locutus sic scriptor vitæ Ludovici Pii †, qui Imperatoris ejusdem temporibus claruit, eique familiaris fuit, ut ipse indicat*. Verba sunt: *Quem Imperator —— Tanculfo*, *sacrorum scriniorum prælato*, *commendavit*. Pro *antistite prælatum* etiam dixere Hincmarus epist. VII cap. XXI. Ivo Carnotens. epist. XXXI, quæ ad Fulkonem; item epist. seq. Beka in Chronicis, Concilium Pisanum Sess. VI. Hinc *prælatura* usurpat Wilhelmus Malmesburiensis lib. I.

† Pag. 385. edit. Wechel. an. 1594.
* Pag. 414. ejusdem edit.

Præpilata hasta vulgò creduntur quæ cuspides habent è ferro: nempe quia pilum iis sit pro mucrone. Sed pilum nunquam est in hastis pro cuspide: planeque tela sunt diversa; *hasta*, unde *milites hastati*: & *pilum*, unde *pilata agmina*, *pilatæ cohortes*. Optimè autem Salmasius lib. de Cruce † *præpilatas* dicit hastas, quibus pro mucrone est pila. In caussa est, quod qui se exercerent armis lusoriis, hastis uterentur in extremo pilam habentes, ut ictus esset innoxius.

† Pag. 301.

Prælii jure, pro *jure belli*, & *bellum committere* pro *committere prælium*, apud Latinitatis inferioris scriptores legas.

Præpositus major Cæsarii est lib. IX Mirac. cap. XXIV. *Præpositus imperatoris* Victoris est Tunnunensis, pag. 18. Sed *Præpositus bello*, *navibus*, *muneri publico*, *oraculo*, & similia, apud Ciceronem & æquales legas: non item ἁπλῶς *Præpositus*. Vulgatum tamen *Præpositus* pro eo qui hinc Belgis *prooft*. Sane si Præpositi malis vocem retinere, *Præpositus monasterio* dixeris. Quanquam & *Præpositum* cubiculi semel iterumque apud Ammianum Marcellinum legas libro XIV, pag. 70, versu I, edit. Lindenbrogianæ. Sed malus hic Latinitatis auctor, prudens licet scriptor. *Præpositus cubiculo* præferam. Uti & *Præpositus regiis equis* quam *regalium equorum*, ut est apud Aimoinum de gestis Francorum lib. IV, cap. I. Ita & *Præpositus monasterio* malim, quàm *monasterii*: etsi aliter Ivo Carnotensis epist. XCV. Cæsarius lib. IV Mirac. cap. LXII; *Qui non multo pòst ejusdem Cœnobii factus est præpositus*; *nondum enim in ordine Præmonstratensi erant abbates*. Nempe minor dignitas in nomine Præpositi, quàm Abbatis. Ab hac Præpositi significatione est non solùm *Præpositura*, sed & *Præpositatus*. De quibus alibi.

Præsens, dignitatis militaris nomen: nempe cui delata foret ab Imperatore, ut loquitur Simocatta*, ἐγχειρισθ… ἡγεμονίας τιμή, *militaris ducatus honos*. Ubi & honorem eum πεσσίνιον sive πεσσούνιον ait nuncupatum Spartianus in Geta: *Si quid acciperet à Præsentibus*, *id ad suum contulit cultum*, *neque quicquam cuiquam dedit*. Lampridius in Alexandro Severo: *Si unquam alicui Præsentium successorem dedit*, *semper illud addidit*, *Gratias tibi agit Resp.* Justinianus: *In Berytensium autem civitate*, *tam vir clarissimis Præsens Pœnicæ maritimæ*, *quàm beatissimus ejusdem civitatis Episcopus*, *& Legum Professores*. Jordanes de successione regnorum, in Justino: *Vitalianum ad se evocatum Magistrum militum Præsentem*, *& Consulem ordinarium fecit*. Ammianum etiam lib. XIV sic usurpâsse, censet Lindenbrogius; sed dissentiente Vallesio. De præsentalibus ordinibus sive numeris, qui suberant Præsenti, dictum libro superiori in *Præsentalis*.

* Lib. I. Histor. Mauric. cap. 7.

Primitiva, pro strena. Matthæus Paris. in an. CIƆ CCXL: *Die Circumcisionis Dominicæ à quolibet exegit singulatim primitiva*; *quæ vulgares nova dona novi anni superstitiosè solent appellare*.

Prior Monasterii veteribus potiùs præfectus cœnobiarcha, vel archimandrita. Nec tamen uno semper modo sumitur. Alii enim dicti conventuales, alii installati. Conventuales aliqui in eodem conventu erant cum abbate, primasque ab eo tenebant: alii primi in suo erant conventu. Imò præter hæc genera & aliud erat quasi minorum gentium qui pro abbate suo præerant gangriæ. De hisce generibus Watsium vide in Glossario. Ac pro horum varietate etiam variè vox *prioratus* sumi solet. *Prioris* vocem usurpant Petrus Damiani lib. I epist. XV †, Ivo epist. ult. Leo Papa in Benedictinis cap. XXII, XXIII, & XXVII, Galfridus Monumæth. lib. XI cap. XII, Cæsarius lib. II Mirac. cap. X. *Prior claustri* est apud Arnolphum Lexoviensem epist. ad Alexandrum Papam. A Priore fecerunt *Prioralia*, *Prioratus*, *Priorissa*, & *Prioritas*. De quibus dictum lib. III cap. XXXVIII.

† Pag. 212. edit. Paris. an. 1610.

Privata, pro latrina. Cæsarius Haist. lib. IV Mirac. c. VI: *Nocte quadam*, *cum naturâ cogente*, *iret ad privatam*.

Procerem est apud Juvenalem sat. VIII: sed pro principe civitatis. At longè aliter Theganus, Chorepiscopus Trevirensis, in gestis Ludovici Pii Imperatoris*: sub cujus filiis vixit: *Eodem tempore venit Bernhardus, filius fratris sui Pipini, & tradidit semetipsum ei ad procerem.* Hoc est, ad vasallum.

* Pag. 301. edit. Wechel. an 1594.

Prolixus sermo, pro *longa* oratione, nec Ciceronis est, nec cujusquam ejus ævi: credo, nec sequentis. Cicero pro liberali usus ad Att. *Aliquid animo libenti prolixoque facere.*

Pronosticum corruptè dixerunt pro *prognosticum*, προγνωστικόν. Similiter G præteriere in derivatis: quale est *pronosticale judicium*, apud Bekam in vita Guilhelmi, Episcopi XLI. Et verbum *pronosticare*, apud eundem in Guidone: *Pronosticatum fuit Hollandis.*

Prostrati psalmi illi vocabantur à Benedictinis, qui cùm dicerentur, seniores quidem genicularent, & quodammodo procumberent: juvenes verò & pueri, planè prosternerentur. Sic vocat Matthæus Parisius in vita Guarini abbatis XX. Aliter dicti psalmi *prosternales*, & κατὰ συγκοπὴν *prostrales*.

Protector pro patrono vitæ, fortunæ, vel nominis dicere non ausim: etsi sciam in aliâ significatione legi apud Julium Firmicum lib. III Matth. *Scutarium protectorem Imperatorum.*

Protocolla vulgo usurpant, pro eo quod breviter succincteque scribit tabellio, ut postea per otium fusius diducat & concinnius. Sed πρωτόκολλον, vel πρωτοκόλλιον notat schedam primo loco adglutinatam: ut ultimo adglutinatam loco dixere ἐσχατόκολλον, vel ἐσχατοκόλλιον. Unde Martialis lib. epigr.

Vix lectis tibi paginis duabus
Spectas eschotocollion, Severe.

Pro eo *summam schedam* dixit lib. IV, epigr. 89.

Ohe jam satis est, ohe, libelle.
Jam pervenimus usque ad umbilicos:
Tu procedere adhuc, & ire quæris,
Nec summâ potes in scheda teneri.

Qui non à κόλλα, *gluten*; quo chartæ junguntur: sed à κῶλον, hoc est, *membrum*, esse putant, eoque unico L scribunt, penitus falluntur. Quod recte etiam in Josepho Scaligero culpatum Claudio Salmasio Notis in Flavium Vopiscum†. Fueratque multo ante in eodem errore Hermolaus. Barbarum in iis, quæ ad Plinium annotavit. Etiam qui ad literas publicas provocant protocollam vocitant. Quod merito damnat Andreas Schottus Tullianarum Quæstionum lib. III*: jubet vero producere auctoritates, actaque publica. Sanè *auctoritates* veteribus tabulæ publicæ, quibus voluntas alicujus à magistratu confirmatur. Hoc videre est ex istoc II Verr. *Legationes cum publicis autoritatibus, ac testimoniis, convenisse.* Item de Oratore: *Et eundem, id quod in auctoritatibus perscriptum exstat, scribendo adfuisse.*

† Pag. 448.

* Pag. 263.

Provectus ætate, vel *provecta ætate*, ipsius sunt Ciceronis. At non dixerim substantivè *provectus ætatis*, quod est apud interpretem epistolæ B. Ignatio perperam adscriptæ, quæ est ad . . . . † Græcè est αὐξήσεως σωματικῆς. Ubi interpres, *provectus ætatis, crementum corporis.*

† Pag. 106. edit. Lud.

Punctum honoris ajunt, ut Galli *poinct d'honneur*. Potius dixero, *agitur de honore meo*, quam *de puncto honoris*. Similiter ajunt, *punctum fidei, ac religionis*, ut Galli, *poinct de Foi, & de Religion.* Dixero, *caput religionis Christianæ*, aut *Fidei*. Item obtinet, *esse aliquid punctum caussæ*: ut Galli, *poinct de la cause.* Id veteribus est, *in hoc cardo caussæ vertitur*: vel, *omnis in hoc controversia sita est.* Unde de reliquis id genus facile erit judicium ferre.

Purâ malitiâ, non ignorantiâ, vel impotentiâ, ab aliquo peccari, à non paucis dicitur. Sed *solâ*, vel *merâ*, fuerat dicendum. *Malitia* enim omnis ad sordes animæ pertinet: ad sordidum, & purum esse, pugnant. Non magis igitur placet *pura malitia*, quam *munda malitia*. Simile judicium est de isto *pura iracundia*, & similibus.

Q.

Q*Uadra* est, cui in mensis cibus imponitur: nempe quia quadrata ei olim figura: nunc potius orbibus escariis utimur. Sed & quadra frustum quadratum, ac simpliciter frustum, segmentum. Gloss. Philox. *Quadra*, τύπος. Ubi τμῆμα legendum. Hinc *triquadra*, triplex, sive tripartitus. Aldhelmus libro de virginitate cap. IV: *Neque teres lunaris globi circulus jacturam propriæ pulchritudinis patitur, licet luculentus limpidissimi Solis splendor triquadram mundi rotam clarius illustrare credatur.* Nempe propter tres mundi partes Asiam, Africam, Europam.

Quadrum damnat Nizoliani Thesauri Index: non puto simpliciter, cum auctor ejus non potuerit nescire, ipsius esse Ciceronis, *verborum ordinem in quadrum numerumque redigere*: sed, credo, quatenus *quadrum* accipitur pro eo quod eidem Ciceroni est *quadratum*; ut cum quadratum rotundo opponit, aut *quadrati formam*, vel *dimensionem* dicit.

Qualitatem litigantis addi vulgo jubent. Latinum magis. *Personam* adscribe.

Quinquertius, vel *quinquertio*, Latinis est, qui Græcis πένταθλος: ut ex Festo scimus. Falluntur igitur, quibus *pancratiasta* dicitur *quinquertio*; in quo lapsus etiam Hermolaus Barbarus lib. XXXIV Emendationum suarum: imò & summus vir, Isaacus Casaubonus: qui in Legationibus è Polybio excerptis numero LXXXI*, ubi memoratur Καλλίας ὁ παγκρατιαστής, transtulit *Callias quinquertio*. At quantum παγκρατιαστής, & πένταθλος differant, dixi libro de Arte Gymnastica.

* Pag. 907.

R.

R*Adix* vulgo, imò & Gazæ†, vocatur qui *raphanus* Latinis, sicut & Græcis ῥάφανος & Atticè ῥαφανίς. At *radix* Latinis non plantæ genus, sed semper pars est.

† Hist. Plant. lib. 1. cap. 5.

Ratio status barbaris dicitur, quæ συντήρησις Polybio, Aristoteli συμφέρον πολιτικόν.

Receptum pro medicamento, barbarum est.

Regens, pro Collegii præfecto obtinet. Beka in Ottone III: *Fuit illis diebus regens, & legens, apud Coloniam Dominus Adelbertus Ratisponensis Episcopus.* Possis tamen defendere eo, quod Lucretius similiter *medentes* dicat pro *medicis*, ac similia apud alios legas.

Regulare æs pro ductili dicit Plinius. Sed displicet, quod & cæli motus vocant *regulares*. Potius dixero *constantes*.

Regyratum propriè dicatur, quod in gyrum iit. Sed longè aliter hanc vocem usurpat Cæsarius lib. V illustrium miraculorum cap. XLIV: *Quam* (sororem) *sicut mihi retulit beata memoria Domina Elisabeth, ejusdem cœnobii Abbatissa, sorores in lecto suo ponentes & principium Evangelii sancti Joannis super eam legentes, mane eam regyratam invenerunt.* Si Ludovicum de-La-Cerda* audimus, *regyrata* hic ponatur pro cubitu innixa.

* In Advers. sacr. cap. 44. §. 9.

Reclusus, apertus: ut *fores reclusæ* Ovidio: *domus reclusa*, Horatio. Sed Ecclesiasticis *reclusus* est *inclusus*: ut *recludo*, pro *includo*, iisdem, cum veteres utantur pro aperio. Nec *reclusus* modò dixere, sed etiam *reclausus*. Gregorius Turonensis lib. VI cap. VI: *Fuit autem apud urbem Nicensem eo tempore Hospitius reclausus magna abstinentiæ; qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto desuper cilicio, nihil aliud, quàm purum panem cum paucis dactylis comedebat.* Ac alibi idem similiter, *Junianus reclausus.* Item, *Erat enim tum reclausa quædam.* Vide in Verbis *Recludo*.

Rectorem Gymnasii vulgo nuncupant, qui veteribus Gymnasio præfectus. Vidit hoc Lilius Gyraldus initio pene dialogi tertii de Poëtis sui temporis: *Hic* (Theodorus Gaza) *ex Thessalonica urbe Macedoniæ fuit: quo vestra hæc civitas Ferraria gloriari potest, quod instaurato in ea literarum*

rum gymnasio primus studii præfectus, & moderator, qui vulgo rector dicitur, hic creatus fuerit: ubi & publicè Græcas literas professus, nonnullas Demosthenis orationes interpretatus est. Ego ab ejus viva voce collectanea legi.

Rectos deos dicunt aliqui pro propitios: & se tuentur illo Horatii lib. IV od. IV:

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, & impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos.

Non diffiteor, veterem interpretem *rectos* exponere *propitios*, nec amplius aversos. Sed negat etiam Lambinus, id ferre sermonem Romanum: cui Cruquius subscribit. Omnino autem *rectus* idem ac erectus, vel stans: atque opponitur obliquo, vel dejecto. Ut sententia sit, non ampliùs simulachra Deorum fuisse à Pœnis dejecta, ac prostrata.

Recubitus, ἀνάκλισις, recumbendi actus. Sic Plinius usurpat lib. XXIV, cap. XIII. At juniores ita dixere lectum, sive locum ubi recubamus. Gregorius Turonensis lib. II cap. XXIII: *Ac de recubitu ablatus mortuus, sepulturæ mandatus est, possessurus infernum cum satellite suâ.*

Remissa peccatorum, pro *remissione*, apud Cyprianum. Nec aliter in sacris Missa, quàm *missio*. Pluraque id genus Salmasius ad Trebellii Gallienos †.

† Pag. 285.

Renodator qui vulgo, is Latinis: *Homo litium devulsarum lacerarumque sarcinator*: ut Budæus ait in Forensibus *.

* Pag. 120. edit. Rob. St.

Reputatio Latinum est pro consideratio. Sed vulgo dicunt *servare*, vel *retinere reputationem* pro quo Cicero *existimationem*. Ut pro Cœlio: *Fama, & existimatio hominum*. Et ad Quinctum Fr.: *Existimationem suam committere alteri*. Ac Cornificius lib. IV ad Herenn. *Perdere aliquid de existimatione.* Notum & istoc Catonis: *Existimationem retine.* Pro quo in distichis ejusdem *famam servare*.

Respectus, pro spatio longiori ad dispiciendum, quid potissimum facto sit opus. A qua significatione minus Latina Galli, Angli, Belgæ, dicunt *respijt*. Matthæus Parisius in vita Roberti, XVIII abbatis S. Albani: *Rem produxit, & in respectum posuit, usque ad quoddam colloquium, quod apud Oxoniam esse debebat.* Ubi *producere rem*, & *in respectum ponere*, planè sunt συνώνυμα: uti & *respectus*, ac *dilatio*, cùm in Historia Henrici III ait annum CIↃ CCXXXVI: *Dum respectum, & dilationem, donec id provideretur, & omnibus utrobique placeret negotium, caperet, solutum est negotium, omnibus in pace quiescentibus.*

Restio perperam pro restiario usurpatur, & contra. Nam *restio* facit *restes*, *restiarius* non facit, sed vendit. Etsi contra sit apud Cornelium Frontonem. Sed verius Glossæ: *Restio*, σχοινοπλόκος. *Restiarius*, σχοινοπώλης. Sic *linteo*, qui facit lintea; *lintearius*, qui divendit. Quamquam & ista confundi videam. Sed sic *lintearios* in Codice dictum, secundum libros veteres: ubi vulgatæ linteones. Vide Salmasium ad Vopisci quadrigam tyrannorum †.

† Pag. 455.

Restes, pro cepis, duratis fumo harengis, & similibus, funiculo vel stramineo vinculo colligatis. Quomodo & Belgæ dicunt, *een rest*, *of rist ajuyn*, *of bocking*. Quod & Rosweido monitum. Sic Anastasius Bibliothecarius in vita Joannis Eleëmosynario Latinè ex Leontio reddita cap. VI §. XXXIII: *Mille restes siccatorum piscium, qui mnomena dicuntur.*

Retorta superior virga, qua seps continetur, ex eo quia sepimentum contexatur e viminibus ac virgis tortis. Unde & Italis *torto*, & *ritorti*. Salica Lex Tit. XXXVI: *Siquis tres virgas, cum quibus sepes superligata est, vel retortas, quibus sepes continetur, capulaverit, aut tres camborias excervicaverit, DC den. qui faciunt sol. XV, culp. jud.* Ac similiter ferè Lex Ripuar. Tit. XLIII: item ter quater legas tit. LXXII §. I. III. V. Leo Ostiensis Chronici Casinensis lib. II. cap. LXI: *Duo nigerrimi spiritus retortas ex agrestibus vitibus facientes, eumque* (Pandulphum) *per guttur ligantes in ipsa lacus profunda miserunt.* Pseudo-Turpinus in vita Caroli M. cap. XXII: *Rolandus invenit quemdam Saracenum atrum, de bello fessum in nemore latentem, & captum vinctumque, nexum fortiter cum quatuor retortis ad arborem quandam dimisit.* Et cap. XXVI: *Invenerunt cum quatuor retortis fortiter nexum.*

Riparias volucres pro iis, quæ in riparum cavis nidificant Plinius dixit. Sed Matthæus Parisius sic nuncupat paludem, fluvium, fossam cum ripa sua. Ut apud Matthæum Parisium in charta libertatum à Joanne rege concessarum an. CIↃ CCXV: *Nec villa, nec homo destringatur, facere pontes ad riparias, nisi qui de antiquo, & jure, facere debent. Nulla riparia de cætero defendetur, nisi illa, quæ fuerat in defenso tempore Henrici Regis, avi nostri.* Item an. CIↃ CCXXXI: *In quodam prato, quod ripariam habebat vicinam paludibus obsitam; ubi militibus castri memorati dolosas insidias præparabat.* Ac mox: *Si* (milites) *possent ripariam, & pratum equites cum securitate transire.* Atque idem alibi.

Rotula Plauto quidem minuta est rota. Ac ab eo *rotella*, quod τροχίσκιον * exponitur in Glossis. Et agnoscit Isidorus lib. XIV Origin. cap. II. At junioribus *rotula*, panis genus: de quo sic Iso monachus lib. de miraculis S. Othmari lib. II cap. V: *Panis rotula, quæ vulgo obluta dicuntur.* Item indiculus: ut apud Flodoardum lib. III cap. XXII: *Tu autem nullam inde meæ admonitioni satisfactionem exhibuisti; quin potius rotulam prolixissimam contra veritatem, & auctoritatem, ac rationem contextam in eâdem Synodo obtulisti.* Apud eundem ejusce libri cap. XI habes rotulum. Sic enim editum: *Tunc surgens Noviomagensis Episcopus porrexit rotulum, auctoritatem Canonicam, & Apostolicam, continentem.* Sed Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris censet, & hic rotulam rescribendum. A quo dissentio: quando & legas Cur. Edict. de Postulato †: *Et in advocatorum rotulo descriptus.* Imò & similiter Ingulphus: *Iste rotulus vocatus est rotulus Wintoniæ, & ab Anglicis pro sua generalitate omnia tenementa totius terræ integrè continente.* A *rotula* vel *rotulum* est Belgicum *rol*, e, quod itidem Album sive Catalogum signat.

* Parva rota.

† Pag. 185.

Runa veteribus Romanis signabat pilum. Unde Ennio, *runata recedit*: quod è Festo Paulus exponit pilata: Perottus, *runis præliata*. Malim, *runis instructa*. Sed Latinobarbaris *runa* significat literam, à Danico, seu Gothico *runer*, quod idem notat. Ulus Venantius Fortunatus lib. VIII epigr. XVIII:

Barbara fraxineis pingatur runa tabellis,
Quodque papyrus agit, virgula plana valet.

Sententia est Gothicos literarum characteres insculptos vel depictos in fraxinea tabella, idem efficere, quod Romanæ literæ in tabellis ceratis exaratæ, aut pictæ in papyro, aut membrana. Nam & his & illis, hoc propositum esse, ut latentia animi sensa interpretentur. De literatura Runica, h.e. Danica, vel Gothica pereruditа exstat dissertatio Clarissimi, & eximii viri Olai Wormii, Medici, ac in Academia Hafniensi professoris.

Rusticitas pro rusticorum, ac plebejorum hominum condicio. Opponitur enim nobilitati. M. Joannes Thwrocz part. I cap. IX *: *Multos generatione de hac perpetuam redegit in rusticitatem.* Pro quo mox ait, *redigerentur in servitutem*. Idem in Sigismundo Rege cap. IX †: *Magnam partem nobilium hæc conditio infidelitatis per devia traxit: —— quorum propago etiam hac nostrâ ætate perpetuam exinde assecutam deflet rusticitatem.*

* Pag. 13. edit. Wechel. an. 1600.

† Pag. 127.

S

Sagana nomen proprium veneficæ est Horatio od. V lib. epodon, & sat. VIII lib. I. Sed non dixero ἰδιωτικῶς, ἢ κοινῶς *sagana* pro venefica, etsi *sagana* & *saga* idem significare dicat Priscianus lib. IV. Sic enim exaratum non modo in editis sed etiam Mso nostro. In Vocabulario Ja-

muensi legitur & versiculus iste: *Sagana gummi, sagana vestis, sagana vates.* Ubi per vatem intellige incantatricem, vel sagam. Quod vestem notare dicitur, id est ex eo, quòd Græcis τὸ σάγανον sit σκέπασμα, περιβόλαιον, ut interpretatur Hesychius. Pro gummi verò sumitur nunquam.

Sagitta, navis genus, quæ vulgo galea: ut cognoscimus ex Ottone Frisingensi de gestis Friderici I lib. I. cap. XXXIII.

Salarii vocem esse probam, ac Latinam, ex Plinio constat lib. XXXI cap. VII: ubi de sale sic loquitur: *Honoribus etiam, militiaque interponitur, salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate.* Pro militari annonâ, victuque, legas in Vopisci Aureliano: nempe τὴν σιτοχορηγίαν, quia omni in cibo sale utimur. Ac Græcis similiter ἀλατικόν, & ἁλάτιον, dicitur: exponiturque στρατιωτικὸν ὀψώνιον, σιτηρέσιον, παροχή. Comutus in Persium interpretatur unius diei victum. Sed non diurnum modò erat, verùm etiam menstruum, annuumque. A *salarium* est Germanicum *sold*, & *besolding*: nisi id à solutione esse malis. Nec de militari solùm stipendio, sed quavis laboris mercede usurpatur. Quomodo & usus Beka in Conrado: *Ecclesiam sub indicio mortis fundare promisit: veruntamen immoderatum inde salarium exegit.* *Salarium* etiam pro salino usurpat Flodoardus lib. II cap. V: *Cochlearia quoque duodecim, & salarium argenteum.* Et lib. III cap. XXIII: *Item pro duobus vasis salariis, quæ rex sancto Stephano mittebat.*

Salutatoriorum cubilium meminit Plinius lib. XV c. XI. Sed Christianis *salutatorium* locus, ubi abbatissa solet advenientes excipere. Regula S. Cæsariæ à S. Cæsario sorori conscripta, cap. VII, sive §. XXXVIII: *Observandum est etiam, ne Abbatissa ad salutantes in salutatorium, sine digno honore suo, hoc est, sine duabus, aut tribus sororibus procedat.* Etiam *salutatorium* locus extra templum, ubi peregrini excipi ab Episcopis solent. Gregorius Turonensis Histor. Franc. libro II capite XXI: *Et quia eo tempore Ecclesia parvam infra muros urbis possessionem habebat, ipsi sacerdoti in ipso, quod modo Salutatorium dicitur, mansio erat: atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas, ad altarium Ecclesiæ consurgebat.* Paullus Diaconus lib. XIII: *Theodosius inveniens Episcopum residentem in salutatorio.* Aimoinus lib. III de Gestis Francorum cap. XLV: *Tandem aliquando Dinamio suaserunt, ut in Ecclesia beati Stephani, quæ muris vicina erat, eis collocuturus descenderet. Quo dum venisset, ab ostiariis ipse solus receptus est, cæteris, qui eum sequebantur exclusis: deductusque à Gundulfo, ac Antistite in salutatorium increpatur graviter.* Chronicon Ivonis Carnotensis MSum in Bibliotheca Nobilissimi Guilhelmi Noomsii, Arlanderveniæ domini: *Accedens ad Antistitem invenit illum in salutatorio sedentem.* Græci similiter ἀσπαστικὸν dixere: ut Theodoretus lib. V Histor. cap. XVIII: Ἐν τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ ἦν ὁ ἐπίσκοπος καθήμενος. *Ille in salutatorio consedebat.* Sed & monasteriis suum salutatorium erat. Concilium Matisconense cap. II: *Ne viri infra salutatorium, aut oratorium Monasterii virginum intrent.*

Sambucus saltator, ut est in Glossis Isidori. Melius cantorem dixisset. Sed neque *sambucum* dictum puto, qui caneret sambuca, verum sambucinem. Vulgatam tamen lectionem eo quis tueatur, quod apud Plautum Sticho act. II sc. II similiter *sambuca* pro sambucina, sive sambucistria legatur in MSis Camerarii, & editionibus vett. ut Mediol. & Parm. Interea malim accedere Baptistæ Pio, qui in libris melioribus se *sambucina* ait repetisse.

Sanctuarium, sancti alicujus reliquiæ. Anonymus ascetes Vedastinus in miraculis Jacobi Apostoli*: *Cùm mater mœrens S. Michaëlem, ubi adhuc sanctuarium servabatur, adiisset.* Ac postea: *Eâ die, quâ receptum est sanctuarium.*

* Apud Bolland. ad 3 Jan. pag. 159.

Sandaracam & *sandaracham* aliqui confundunt. At sandaraca idem est ac κήρινθος: nempe quod ab apibus reconditur in inanitatibus favorum, atque ad ceræ duritiem propè accedit. Σανδαράχη autem invenitur in metallis auraris, & argentariis: estque succus concretus, isque terreus, & aliquo modo ustus. Utuntur eâ pictores. Valdè etiam errant Kilianus, multique alii, qui utuntur pro eo quod Itali, Galli, Belgæ *vernicem* vocant. Nam hoc est gummi juniperi: at sandaracha est inter fossilia.

Sapphirum vulgò vocamus, qui Plinio dicitur lapis Cyanus. At qui Plinio Sapphirus is vulgo nunc Lazuli lapis: ut antea diximus.

Sartor à sarciendo non memini me legere apud veteres: sed tantum à sariendo, ut apud Plautum. At eum qui sarcit, malunt dicere *sarcinatorem*. Ut tamen non penitus ausim damnare, facit hoc Cornelii Frontonis libello de Vocum Differentiis, cum scribit: *Sartrix, quæ sarcit, sarcinatrix, quæ sarcinas servat.* Vixit is Fronto sub Hadriano Cæs. & Agellius ei familiaris: ut liquet ex Atticarum Noctium lib. XIX cap. VIII. Interim discrimen, quod statuit Fronto, perpetuum non est. Nam *sarcinator* pro eo qui vestes sarcit non modo est apud Jurisconsultos, sed Lucilium etiam, & Plautum. Et sanè sic omnino loqui malim.

Sauciolum si legeremus apud classicos, aliosve puri sermonis amatores, quid aliud crederemus, quàm ὑποκοριστικὸν esse à *saucius*: eoque quodammodo vino, vulnereve saucium notari. Sed enim *sauciolum* pro atrio usurpatur in Concilio Matonensi II, cap. XIX. & in Actis B. Cypriani, etiam Pontio Diacono memoratis. Quod observatum Ludovico de La Cerda in Adversariis sacris cap. CXLIV, §. XIV.

Scala pro eo quod Græcis βάθρον, etiam apud Cajum J.C. singulo numero legas. At barbarum est pro paterâ. Glossarium Latino-Theotiscum: *Paterâ*, scala. Apud Isidorum & Paullum Warnefridum eâ significatione sumi ostendimus libro I, cap. I. nempe ut sit ab Alamannico *scale*. Ad barbara tamen, quæ è Græcis vel Latinis ortum ducunt, referri debeat, si sic dicatur, quiasit vas excavatum: puta ἀπὸ τοῦ σκάλλειν, h. e. σκάπτειν, excavare. Et eò minus hæc absurda est sententia, quia Hesychio quoque Grammatico longè doctissimo σκαλίον & σκαλίδιον sunt è generibus poculorum.

Scaphium cave sumseris pro cingulo ventri sustinendo: ut exponit Accursius L. Q. Mutius, §. ult. ff. de auro & arg. leg. Planè enim est vasis genus ad ventrem exonerandum: ut liquet ex Polluce lib. X. Pro potorio vase etiam sumi videmus in Cicer. Verr.

Scaurus Latinis, cui tali extantiores, barbaris verò horreum, ex Germanico *schaur*, pro quo alii *schuyr*, unde Latino-barbari *scuria*: diximus de eo lib. II cap. XVII.

Sciolus pro *erudito*, apud Wipertum, & alios ejus temporis.

Scobem legas apud Montanum Spirensem de vitâ S. Elisabeth Reginæ Hungaricæ, ubi illam nentem inducit: *Scobem sordidiusculam evellebat ejectabatque.* Ubi malim *scrobem*. Nam *scrobs*, fovea, sive cavitas minuta. At *scrobs*, quam Cælius Aurelianus *serraginem* vocat: nempe quod serrâ detritum refert farinam.

Scriptorium atramentum, item *calamus scriptorius*, sunt Cornelii Celsi. Posterioribus verò *scriptorium*, conclave, sive locus, ubi libri describerentur, sive in quo opera scriptioni daretur. Cui loco benedici etiam solere, cognoscere est ex libro Sacramentorum S. Gregorii: ut inde etiam observatum Gretzero lib. II de Benedictionibus cap. XLIX. Usurpat quoque Matthæus Parisius in vita Pauli, abbatis XIV S. Albani: *Decimarum scriptorio collatarum.* Et mox: *Continuò in ipso, quod construxit, scriptorio libros prælectos scribi fecit, Lanfranco exemplaria ministrante.*

Scrofa, machinæ bellicæ genus, ad suffodiendos muros, uti terram suffodit scrofa, ad glandes è timis educendas: quod propriè rumari. Utitur Matthæus Parisius in anno CIↃ CCXXVI: *Fit igitur ad civitatem assiduus gravissimus, dum petraria, balista, scrofa, catus, funda —— hinc inde, quid valeat, experiretur.*

Scutarius, Plauto in Epidico act. I scen. I, qui scuta fabricant,

bricant, θυρεοφόροι. Vegetio scuto tecti: qui Ciceroni scutati. Hujusmodi etiam inter corporis custodes. Amm. Marcellinus lib. XIV: *Solisque scholis esse contentum Palatinis, & protectorum cum scutariis & gentilibus.* Et eodem libro sæpius. Roger. de Houed. Annal. tom. I: *Sed quotiescunque super eum irruerant, multos è suis militibus, & scutariis perdiderunt.*

Secta pro servitute debitâ superiori, quia inferioris est sequi partes superioris. Matthæus Parisius in Additamentis: *Ratione hujusmodi possessionum Rex, & alii magnates compellere nituntur Prælatos facere sectam ad curiam laicalem.* Et paullò post: *Ad sectam, & alia onera facienda, & ad comparendum in foro vetito compelluntur.* Mox item: *Capitales Domini faciunt districtiones suas in possessionibus datis in Eleemosynam, pro secta Curiæ, vel aliis servitiis sibi debitis.* Ac similiter pro eo *sequelam* dixere. Ut apud eundem in an. CIↃCCLVI: *Ut scilicet pro quantulocunque tenemento faciat tenens & subjectus suo superiori, à quo videlicet tenet, in magnum subditorum damnum, & detrimentum, & superiorum parvum, vel nullum emolumentum, sequelam Curiæ etiam invitus.* Ac similiter idem alibi.

Sella pro ephippio: ex quo nostrum *sael.* Paulus Diaconus de gestis Longobard. lib. V cap. X: *Quendam Græculum eodem conto utrisque manibus fortiter percutiens, de sella, super quam equitabat, sustulit.* Cæsarius lib. VI Miracul. cap. XXV: *Judex, prudenter agens fure absente, omnium equorum sellas, & frena deponi, sicque eos in stabulum duci præcepit.* Item Constitut. Neapol. lib. I tit. XXXVI, leg. I. & Speculum Saxonicum lib. I art. I & Vita Imper. Henrici cap. XXV. Indidem *sellatus equus* Speculi Saxonici lib. II artic. XXII. §. IV.

Senecio plantæ genus, teste Plinio, & oratoris nomen apud M. Senecam. Sed qui pro sene exiguo usurpant, quâ formâ homuncio est apud Terentium, hi vellem idoneum adferrent auctorem.

Senior, pro domino: uti Gallis *seigneur*, Italis *signore*, Hispanis *sennor*. Nempe ut non ætatis, sed dignitatis, sit nomen. Quomodo in posteriorum seculorum scriptoribus sæpius accipitur, Petrus Diaconus de gestis Longobardorum lib. VI cap. XL: *Qui eundem venerabilem virum Petronacem sibi seniorem statuerunt.* Sæpè similiter veteres leges, ut Wisigothicæ, Alamanicæ, aliæ. Item apud Hincmarum, Gerbertum, in vita S. Kunegundis, in vita S. Tozzonis †, Episcopi Augustani, ex actis S. Magni decerpta, atque alibi.

† Cap. I.

Sequax dicitur, quod naturæ quadam facilitate sequitur: ut hederæ, bitumen, capreæ, oculi, mores. At Latinum non est pro eo simpliciter, quod sequitur, prout nonnulli loquuntur: in his Parisinus doctor Jacobus Severtius libro de anathemate Juris æquivalente cap. I sect. II *: *Atque hæc omnia accurate sequacibus capitibus docebuntur.* Imò neque rectum pro *assecla*. Quomodo Pythagoræ, Platonis, vel Accursii *sequaces* dicunt: atque etiam est apud Guntherum Ligurini lib. IX. 539:

* Fol. 3. b.

Pro nihilo reputare viros, hujusque sequaces.

Æneas Sylvius epist. CXXIX, quæ de Taboritis: *Non verum Christi corpus in sacramento altaris, sed repræsentationem quandam esse contendunt errantis Berentarii, non conversi, sequaces.*

Sequela, vide *Secta*.

Servientes, servi. Fortunatus de vita S. Radegundis lib. I: *Fideles servientes, & proceres.* Gregorius Turonensis de Gloria Confess. cap. III: *Expergefacta mater familias, vocatu servientibus, aquâ superposita restinxit incendium.* Radevicus Frisingensis de gestis Friderici I lib. III cap. XXVI: *Nec miles, nec serviens litem audeat movere.* Petrus Blesensis epist. VIII: *Ipsum servientes nostri graviter increpabant.* Ac idem alibi. Similiter Formul. XIII. Et Constitut. Sic. lib. I tit. XIV, ubi legas, *Servientes castrorum.* Item *Servientes Regis* apud Turocium. Simile est ac *studentes*, pro studiosi.

Severus pro crudeli, Abboni de obsidione Lutetiæ.

Signa Ecclesiæ pro campanis nolisque quibus signum datur conveniendi. Matthæus Parisius in Vita Roberti, XVIII abbatis S. Albani: *Benedixit quoque signa Ecclesiæ S. Albani, tam minora, quam majora.*

Signatam virginem nonnulli in epithalamiis suis usurpant pro integra: credo quia integræ sunt, in quibus signum nondum ruptum est. Sed contra argutari liceat signatam potiùs dici debuisse, quæ facta esset gravida. Nam plena, non inania, signari solent: ut olim ὀνειροκρίτης consulenti respondit Aristander Telmesius: quemadmodum scribit Plutarchus in Alexandri vitâ. Objiciunt Nonii auctoritatem, qui integram, sive virginem, interpretetur, ac sententiam suam firmet illo Lucilii sat. XXIX:

Primum Chrysicum negat signatam reddere.

Ubi Scipio Gentilis lib. I Παρ. cap. XVI *Chrysidem* legit, ut loquatur Lucilius de Agamemnone nolente *Chryseidem* reddere virginem. Sed non venit Gentili in mentem Chrysidem cùm data Agamemnoni minimè virginem fuisse. Quippe jam ante Ectioni fuerat nupta. Præterea *Chrysicum* etiam est in membranis nostris: planeque scripserat Nonius:

Primum, Chrysi, cùm negat signatam reddere.

Nonium verò vitiosi codices decepere: legendumque, ac

Primum, Chrysi cùm negat se gnatam reddere.

Quod & monuit Josias Mercerus.

Significatum, pro *significatio, vis, notio, potestas, sententia.*

Silentium μετωνυμικῶς pro disputatione, quia cum silentio audiretur. Landulphus Sagax in Leone: *Silentium contra sanctas ac venerabiles celebravit iconas.* Ac similiter σιλέντιον, vel σιλέντιον Græci dicunt: ut ex Niceta, Zonara, aliis clarè Meursio ostensum in Glossario.

Siligo à nonnullis usurpatur pro secale: quæ immane quantum differunt. Nam siligo tritici deliciæ: secale, quod Belgæ *rogge* appellant. Atque hunc errorem etiam culpat Rembertus Dodonæus in sua Frugum Historia †.

† Edit. Antverp. an. 1552. fol. 7. 8.

Siliqua, pro folliculo leguminum, & aliorum, satis classicis obtinet. Sed & sic vocatur minimi ponderis genus. Sex enim siliquæ scrupulum faciunt: qua de re Priscianus, sive Fannius, & e junioribus Budæus, ac Portius. Utuntur leges Wisigothicæ lib. V tit. V leg. VIII: *Non plus per annum, quam tres siliquas de uno solido poscat usuras.*

Spuria, pro scoria, ac quovis recremento, purgamento, spurcitie. Utitur Victor Uticensis lib. I Persecutionis Vandalicæ, ubi de colloquio regis Geiserici & Sebastiani Comitis *: *Hic panis, ut ad tantum decorem venisset, & mensa Regia necessarius haberetur, discussâ spuriâ furfuris ex massa similaginis conspersus per aquam transivit, & ignem.* Sed forte *scoria* scripserat Victor: etsi hoc usitatius in metallo.

* Biblioth. Patr. secunda edit. T. 7. col. 1893.

Subditus vulgo usurpant pro cive suo, cùm veteribus idem notet ac suppositus: ut ignes subditi: vel subditivus, vel suppositititius, ut testamentum subditum, partus subditus.

T.

TAli in animantium pedibus, & ludo talorum, dicuntur, qui Græcis ἀστράγαλοι. Verùm, si audimus Clemangis editorem in Glossario, quod addidit, barbari etiam taleos dixere pro talea, aut virga viminea, quam Belgæ *tenum* vocant. Si rectè vidit, *talus* sit corruptum ex *talea:* quomodo vocatur surculus utrimque recisus ut inhumetur, sive terræ inseratur. Res tota pendet ex verbis hisce Legg. Fris. tit. XIV. §. I: *Sortes tales esse debent. Duo tali de virga præcisi, quos tenos vocant.* Sed tali non est rectus plurativus à singulo *talus:* verùm auferendi casus à *talis:* ut sententia sit, duæ vimineæ virgulæ recisæ ex illo virgulti genere, quod tenum nuncupamus. Vide, quæ in *Tenus* diximus.

Taratantara, ut Catholicon ait, *est instrumentum, quo farina colatur. Est & instrumentum, cujus percussione granum defluit inter molas molendini.* Prius etiam est in

Gem-

Gemma. Sed ex antiquis Ennio vox ea; Servio teste, clangorem tubæ sonat; estque à sono fictum.

Tartarum pro fece vini vulgò dici audias à Medicis. Visum de isto addere verba Cæsaris Scaligeri lib. I de re Poëticà cap. VIII: *Thespis poeta addidit nudis oribus fecem pro persona: à quibus fecibus vinaceis alii Tragœdiæ nomen deductum maluere. Id enim significat τρύξ, quemadmodum τρύγαμα vindemiam. Falluntur tamen hi quoque, cùm ipso Thespi nomen hoc fuerit antiquius. Disceptant hic Grammatici, utrius fuerit fex, vinine an olei: & addunt fatali more suo nugas, fecem esse aquaticum humorem vini. Sanè, in vino nihil longius ab aquæ natura distat, quàm fex; usque adeò, ut etiam lapidescat. Tartarum nostrates dicunt medici. Arabes quoque vini, & aceti, atque ejusmodi liquidiorum,* DURDI *vocant. Olei verò, sicut nos amurcam, ita iis* THEFAL.

Tempus pro *anno*. Ut apud Sedulium Carm. Paschalis lib. I:

> *Aulica depasto mutans convivia fœno*
> *Pronus ab amne bibit, septenaque tempora lustrans*
> *Omnibus hirsutus silvis & montibus errat.*

Quomodo & Philes in Histor. Animalium, Constantinus Cabasilus in Quæst. ac juniorum Græcorum alii, χρόνος pro *anno* dixere: ut Meursio in Glossario ostensum voce χρόνος.

Tenor pro accentu, vel forma, ac continuatione rectum est: at non pro argumento, ut puto. Rufinus tamen præfat. in Apologeticum S. Pamphili pro Origene: *Qualiter ergo sentiat Origenes de singulis, tenor libelli hujus edoceat.*

Tethya. Quæ *tethya* philosophus, ea Theodorus Gaza vocat tubera. Cæsar Scaliger commentario in priorem de Plantis Aristoteli falsò tributorum mavult† *papillas* appellare.

†Pag. 13 edit Crisp an. 1566.

Teutonica lingua, pro Germanica, est pervulgatum. Sed Teutonica lingua est Danica, quæ à communi Germanorum lingua multum abit. Diximus de istoc lib. V, voce *Theotisca.*

Texta —— *Sed cum apertè eos propius intuerentur, & eos Francos esse non dubitaverunt, statim gaudentes Crucibus assumptis & textis, obviam flendo, piè cantando processerunt eis*.*

* Fulcherius Carnotensis Gestis in Francorum peregrin. pag. 397. ad annum D. 1099.

Titulus est vulgare pro templo, vel paræcia; ut cum dicitur, *titulus S. Chrysogoni trans Tiberim, titulus S. Marcelli*, &c. De hisce episcoporum, presbyterorum, & diaconorum titulis sive paræciis potiùs, scripsit Onuphrius Panuinius.

Tolerans. Nizolii ac Cellarii indice improbatur, ac jubent dicere *perferens*. Sed Tacitus Annal. XII ait *tolerantia*: imò antiquior eo Columella lib. VII cap. 3 ait: *Tolerantissimus penuriæ.*

Tonsura, pro rasura. Matthæus Parisius in Historia anni CIↃ CCLIX: *Ut palam monstraret tonsuram se habere clericalem.* Sed de hoc alibi pluribus diximus.

Toreuma, cum veteribus notet opus cælatum, junioribus ob vocum aliquam affinitatem, usurpari cœpit, pro torali, sive stragulis tori. Ut apud Sidonium lib. I epist. II de Theoderici, Gothorum regis epulis: *Toreumatum, peripetasmatumque modo conchyliata profertur supellex, modo byssina.* Et lib. II epist. XIII: *Aureo lecto, sericatoque toreumati.*

Toreutice, & *torneutice* ars vulgo etiam confunduntur à doctissimis, cum prior inventorem habeat Phidiam, ac imagines cælet in vasis: altera auctorem agnoscat Theodorum Samium, & torno aliquid terens leviget, & elaboret. Hac in re deceptus Ciacconius de Triclinio, imò & magnus Turnebus, imò & in vett. glossis legas: *Toreumata, quæ in torno rasa sunt.* Quod de torneumatis verum est. Festus quoque Avienus in paraphrasi Dionysianæ Periegeseos:

> —— *His glaucâ dehinc tornatur iaspis.*

Pro *cælatur*. Operæ sit ordire quæ de hoc *τορείας*, & *τορνείας* discrimine magnus Salmasius annotavit ad Solini Polyhistorem†.

† Pag. 1048. & 1049.

Torridam, temperatam, frigidam zonam nuncupant in cœlis: cum hæ appellationes non conveniant zonis cœlestibus, sed solùm terrestribus. Nec enim cœlum torridum est, aut frigidum, sed tractus terræ sic affectæ, qui cœli zonis subsunt. Sed pro torrida dicere possumus mediam; pro duabus mediis interjectam meridionalem & septentrionalem; pro duabus frigidis, extremam meridionalem, & septentrionalem. Media est ἀμφίσκιος*, præterquam Sole in punctis æquinoctialibus constituto, quando una septentrionalis ἑτερόσκιος: est ἄσκιος† altera meridionalis sive polarium ἑτερόσκιος*. Extremarum, sive polarium, una septentrionalis περίσκιος†, altera meridionalis περίσκιος. Unde & eas zonas licet περιφράζειν*, ne ἀκύρως† admodum loqui cogamur.

* Bimbris. † Umbræ expertes. * Alterutrumumbres. † Circumumbris. * Circumloqui. † Improprie.

Torta veteribus Romanis solùm est adjectivum: juniores etiam sic dixere massam paniceam orbiculari tortam figurâ. Usurpat vetus Bibliorum interpres Exod. XXIX, 23. Num. VI, vers. 19, & prioris Samuel. II, 36. & X, 3. item 1 Chron. XVI, 3. & Jerem. XXXVII, 20. Habes & in vita S. Tillonis Pauli monachi Galli, cap. III*, §. XXIII. Iterum in revelationibus S. Brigittæ. Retinent vocem Itali, & Hispani: Galli, mutatâ vocali, dicunt *tarte*, & *tartean*, Germani etiam, ac Belgæ *taerte*. Nisi hæc à *tracta*: quo non solum usi in lanificio: ut apud Varronem, Satyrâ Mutuum muli: sed etiam in panificio, quod ex Catone liquet. Gloss. *Tracta, λαγάνα.* Præterea *torta* pro surculo ab arbore reciso, inque funis modum torto sumitur in LL. Neapolitanis lib. III Tit. XXXVIII Leg. IV. Quæ & *retorta* in L. Salica & Ripuarica lib. IV cap. LXI: *Apparuit Sponsæ in elevatione corporis Christi quidam teterrimus, & ait, Nunquid credis tu fatua, quod sub hac tortâ panis Deus sit?* Sic enim istic ex Farnesiano codice legi oportere, testis est in notis suis Consalvus Durantus. Meminere ejus significationis quoque Papias, & Catholicon.

* In Vitis SS. ad 7 Jan.

Totus, pro omnis. Sidonius Apollinaris lib. IX epist. XIV: *Nam plerique laudabunt facundiam tuam, plurimi ingenium, toti pudorem.*

Tractator scriptoribus Ecclesiasticis qui tractat, atque interpretatur Sacras Scripturas, sive voce, sive calamo. Nam nunc sumitur pro scriptore, nunc pro divini verbi præcone, quem concionatorem dicimus. Hieronymus adversus Helvidium: *Quæ non solùm omnes penè Græciæ tractatores in suis voluminibus reliquerunt.* Augustinus libro de Speculo: *Divinorum librorum veterum & novorum catholici tractatores hoc intenderunt.* Secundinus epist. ad Augustinum: *Quamvis tractator multa dixeris, quæ teneat apud se auditor; tamen à tractatore non recesserunt.* Petrus Chrysologus serm. XCI: *Vacat humanus sermo, silet prædicatio tractatoris.* Sidonius Apollinaris lib. II epist. IX de Origene agens: *Sermocinabamur, cur à quibusdam protomystarum, tanquam scium, improbandusque tractator improbaretur.* Similiter Cassiodorus, Alcimus Avitus, alii, quos prætereo. Nec Theologi solùm ea voce usi sunt: sed etiam Jurisconsulti. Ut leg. ult. C. de executoribus, & exactoribus lib. XII. Saltem ita est in editis. Nam in MSS est *tractores*. Verùm pro editis est, quod in lexico B. Germani *tractatores* videas verti ἐξηγηταί. In Novellis sæpius τρακτευταὶ vocantur.

Traditor scriptoribus Ecclesiasticis, qui mortis metu Scripturas S. tradidissent gentilibus, apud Optatum Milevitanum, in Actis Saturnini, in Martyrologio Romano, & alibi sæpe. Crebrò etiam sumitur pro proditor. Unde Gallis *traitre*. Petrus in Historia Albigensium cap. XVII: *Cives dominum suum Vicecomitem Biterrensem Trancavilum, traditores pessimi interfecerunt.* Sic cap. XXX: *O hominem nequissimum, Comitem Fuxi dico! O pessimum traditorem!* Similiter cap. LXIV.

Tripudium, & *tripudiatio*, pro ingenti gaudio, quale esse tripudiantium solet. Sic usi Ivo Carnotensis in epistolis, Conradus à Lichtenaw, sive abbas Urspergensis, Robertus Monachus in Histor. Hierosolym. Sigebertus aliique.

Trivium pro arte Grammatica, Rhetorica, Dialectica: *quadrivium* pro quatuor disciplinis mathematicis Arithmetica, Geometria, Astrologia & Musica. Matthæus Parisius in an. CIↃCCI †, de Simone Churnai: *In trivio, & quadrivio, id est, septem liberalibus artibus peritissimus.* Atque hinc scholæ dictæ triviales, non quasi in trivio constitutæ.

† Pag. 206.

Typus, τύπος, Græcis medicis non tam ipse est morbus, quàm τάξις ἐπιτάσεως καὶ ἀνέσεως ordo, qui in morbi accessione & remissione observatur. Qua de re Galenum vide lib. περὶ τύπων. Nempe propriè τύπος forma, sive formula: ac Medicis particulatim forma morbi ratione accessus, & recessus. Sed juniores abusi voce pro ipso morbo. Ut *typus tertianus*, pro febri tertiana Gregorius Turonensis lib. III Mirac. Martini cap. ult. *Nos verò, ex hoc itinere Arvernum venientes, reperimus Avitum Episcopum à tertiano typo ita graviter concuti, ut etiamsi aliquid cibi sumeret, statim rejiceret.* Sic *quartanus typus*, pro febri quartana. Idem Turonensis lib. de gloria Confess. cap. XV: *Mulierem quandam, à quartano typo correptam, sanatam adspeximus.* Imò inibi paullò ante *typus frigoriticus* legas pro febri, quia prius ea rigorem ac frigus adfert: unde & *frigoritici*, *febricitantes*: ut dictum lib. III cap. XII.

Tyrannis τυραννίς dominatio: sed LXX in libro Estheris etiam tyranni sive Regis uxor. Imò & Trebellio Pollioni *tyranna & tyrannides*, quæ dominationem invasere.

Tyrus, pro θήρ, vipera, unde *theriaca*, θηριακή, quia fit ex carne τοῦ θήρος, quod pronunciarunt, quasi *thiros*: unde existimatum, *thiros*, vel *thirus*, esse genus serpentis. Petrus Damiani lib. VI epist. XXXI, quæ ad Dominicum Loricatum: *Tyrus planè genus serpentis est, ex cujus cruore teriaca fit.*

V.

V*Acantes*, qui vulgo *studentes*: hoc est, in Academiis, & illustribus scholis, vel alibi etiam, studiis vacantes. Hinc & Græcis βακάντης, pro *Vacans*, Suidam adi. Et satis est verisimile ex *vacantium* voce, seu Græca βακαντῶν, corruptam esse illam *bacchantium*. Nota nimis *pennalium*, & *bacchantium* nomina; quæ à bacchantibus solent imponi à feroci Academica juventute.

Vaccinium veteribus flos erat, sive is viola nigra, ut Servius putavit: sive hyacinthus non scriptus, quæ Dodonæi sententia est. At vulgo, præeunte etiam Fuchsio, sic appellant μόρα τῆς βάτου, sive mora rubi: quæ Belgis *braembesie*, & *haegbesie*.

Vagula, bucula, juvenca, quæ vagatur per campum. Ita Glossarium nostrum Msum. Puto potiùs epitheton buculæ vagantis latius. Nam latius patere, indicat illud Hadriani Cæs.

Animula vagula blandula.

Valor probumne sit dispiciendum. Calepinus adducit hoc Plinii: *Victoriati valore redimi potest.* Idem fit in Cœlii Foro Romano: sed additur: *Fortasse est locus corruptus.* Neuter quidem librum caputve adsignat. Cicero pro eo semper, *pretium*, *æstimatio*, *vis*, *virtus*, *auctoritas*, *momentum*.

Venefica potio pro Venenata apud Plinium Valerianum.

Verres, pro porco exsecto, falsò usurpatur. Sic tamen etiam interpretatur Justus Lipsius lib. II Var. Lect. cap. XVII. Ac præiverat ad errorem Plutarchus in Cicerone, ubi ait, Βέῤῥην γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσιν. *Romani porcum exsectum vocant verrem.* Sed Plutarchus non admodum intelligens fuit linguæ Romanæ: ut ipse non uno loco agnoscit. Quare fides potiùs habenda Varroni lib. II de R. R. cap. IV; uti & Festo in *Solitaurilia*, atque aliis, quibus *verres* dicitur porcus non castratus; vervex, aut majalis, postquam castratus. Titinius apud Nonium: *Nunc tecum obsecro, ne ego majalis fuam*, hoc est, ne castrer.

Vestiarius Ulpiano quidem, ἱματιοπώλης, sive qui vestes vendit. Sed in Romana Ecclesia (ut ex Anastasio bibliothecario constat) sic dicebatur, qui sacrarum gereret vestium curam. Ut in Constantinopolitanis Officiis dictus Codino *Canstrisius*, qui una cum diacono adjuvaret patriarcham in eo vestiendo quando sacris esset operaturus. Quomodo & *canstrium* vestiarium, sive Pontificalium vestium locus. A *canistro* non absurdè deducit Gretzerus in Codini cap. I. Nempe à κάνεον, quod contractè κανοῦν, est canistrum, unde κανίσκριον, & τῇ συγκοπῇ κανσρίσιος.

Virgatores Plauto, qui virgis cæderent. Sed collapsa Latinitate ii sic vocabantur, qui regibus, vel aliis etiam anteirent cum virgis, sive sceptris, imperii insigni. Matthæus Parisius in anno CIↃCCXLIX: *Dum regii virgatores populum, ibidem propter rei novitatem congregatum, & compressum, retroire cogerent.*

Virtus in malam partem pro violentia sumitur lege Salicâ Tit. XIV cap. XIII: *Si quis cum ingenua puella per virtutem mæchatus fuerit, II D. den. qui faciunt sol. LXII. S. culpabilis judicetur.* Etsi verò id à veterum more abhorret: tamen aliquid est, quod ex antiquis pro eo possit adduci. Nam virtus, & jus, quandoque opponuntur: ut apud Ennium trochaicis istis, Hectoris Lytris:

> *Melius est virtute jus. nam sæpe virtutem mali*
> *Nanciscuntur. jus atque æquum se à malis spernit procul.*

Ubi *virtutem* dixit pro corporis robore concurrente cum inconsulta quadam animi ferocia. Glossæ Philoxeni: *Virtus* ἀρετή, ἀνδρία, δύναμις, ἰσχύς. Atque uti virtus hìc sumitur in malam partem, ita Latinobarbarum *fortia* interdum sumitur in bonam partem: quemadmodum vidimus superiori libro in *Fortalitium*.

Visor non ausim damnare, cum Taciti sit lib. XVI Annalium pene initio: *Non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectatâ, nec missis visoribus, per quos nosceret, an vera assererentur.* Sed *visores* hic sunt exploratores. Sed posterioribus seculis sic dicebantur baillivi, quorum esset visitare sylvas, ac attendere, an nihil adversus leges, quas forestæ dicunt, peccaretur. Matthæus Parisius in an. CIↃCXXXVI: *Quod si visores alicujus sylvam, quem esse pecuniosum sciebant, à longè conspicerent, statim vastum in ea prohiberent.*

Universitatis nomen ipsius est Ciceronis, qui sic convertit, quod Platoni τὸ πᾶν. Sed novè sic appellant Academiam.

Voluptuosus usurpant pro voluptatibus indulgens. Quomodo Maffeus ait: *Jucunda proponere homini voluptuoso.* Ubi *voluptario* dixisset Cicero. At *voluptuosus* Plinio in epistolis est, qui adfert voluptatem.

Urina, vel *cynosyra*, qui vocant ova Plinio dicta *irrita*, Aristoteli* autem ὑπηνέμια, vel ζεφύρια, hi refelluntur à Plinio qui distinguit inter *urina*, sive *cynosura*, & *hypenemia* sive *zephyria*. *Hypenemium* ei est, quod sine mare concipitur; Belgis *wint-ei*: *urinum*, quod ab incubante femella derelinquitur; Belgis *vuyl broet-ei*. Verba Plinii sunt lib. X cap. LX: *Irrita ova, quæ hypenemia diximus, aut mutua femina inter se libidinis imaginatione concipiunt, aut pulvere: nec columbæ tantum; sed & gallinæ, perdices, pavones, anseres, chenalopeces. Sunt autem sterilia & minora, ac minus jucundi saporis, & magis humida. Quidam & vento putant ea generari. Hæc autem vere tantum. Urina fiunt incubatione derelictâ, quæ alii cynosura dixere.* Est hoc ex Aristotele depromtum, qui Histor. Animal. lib. VI cap. IV ait: Τὸ δὲ ἀπολειπόμενον τῶν ὠῶν ἀεὶ οὔριον ἐστι. *Derelictum ex ovis appellant urinum.* H. Stephanus in Thesauro† vertit: *Tertium, quod irritum est, urinum vocant.* Sed Plinio *irritum* est ὑπηνέμιον, à quo οὔριον distinguit. Et censet Cæsar Scaliger*, etiam *cassum* dici posse, ut Plautus ait *cassam nucem*, quia ut hæc non est utile alimoniæ; ita & illud prolifici seminis sit expers. Οὔριον verò dicitur, non ab οὖρος, quod Hesychio teste, notat φύλακα †; neque

* Lib. 6. Histor. Animal. cap. 2 sive sect. 33 ex distinct. Cæs. Scaligeri, & lib. 10 cap. 40.

† Voce Οὔριον.

* Comment. in lib. 10 Hist. Animal. sect. 38.

† Eodem.

que ab οὐρὰ sive cauda; neque ab οὖρον pro urina; sed quatenus ut ibidem Cæsar Scaliger putat, plerumque ex Eustathio * cognoscimus, eadem οὖρος vox poëtis signat ventum à puppi prosequentem, & quasi caudæ navis accommodatum: Atque ab hac significatione etiam sunt οὐριοδρομεῖν †, & κατουρεῖν *. Ab eâdem quoque origine dicta ὠὰ κυνόσουρα: non quasi à vento proveniant, cum sint ab interiori humore viroso: sed quia vulgaris sic efferret opinio, aves verno tempore è Zephyro concipere, unde & ova zephyria (non *hypozephyria*, ut est apud Cæs. Scaligerum) eadem nuncuparunt.

* Pag. 1452. edit. Rom.
† Vento currere secundo.
* Vento secundo explicare sive expandere.

DE VERBIS IN ALIENA SIGNIFICATIONE POSITIS.

Hinc jam navigemus ad verba, quæ & ipsa in alienâ significatione usurpata reperias.

A.

Abscondere se, pro eo, quod Tullius, *abdere se*, vel, *conjicere se in latebram*. Nempe ut studium iis, qui volunt delitescere.

Accipere uxorem pro assumere, vel adjungere sibi uxorem, vel uxorem ducere: item accipere maritum pro nubere, Teutonismus est. Sic enim Germani ac Belgæ, *een man*, of *vrow nemen*. Constitutio Caroli Magni *: *De liberis hominibus, qui uxores fiscalinas regias & feminis liberis, quæ homines similiter fiscalinos regios accipiunt ut non de hæreditate parentum abjiciantur.*

* Pag. 305 edit. Mogunt. an. 1602.

Adferre, pro adducere, non dicam, etsi sic P. Bembus: *Lauredanus naves onerarias quatuor secum adferens.* Item: *Legatus Bajazetis equum Patribus attulit.* Quæ meritò à Justo Lipsio culpantur epist. ad Duzam.

Affirmo tibi, pro *narro tibi*, non malè rejicit Andreas Scottus lib. III Tullian. Quæstionum †. Huic eo occurras quod Ciceronis ipsius sit lib. XII ad Att. *Affirmo tibi, nullam consolationem esse talem.* Et lib. I epist. ad Lent. *Illud tibi affirmo, si rem istam ex sententia gesseris, fore ut ab omnibus collauderis.* Verùm in his aliquid est discriminis. Dixero enim: *Affirmo tibi, intra triduum affore.* Quasi sic loquar: *Spondeo tibi, nec est quod metuas.* At dicam, *Narro tibi, Jam exercitus noster est triginta millium.* Quorum mens fuerit: certò mihi constare de tanta exercitus magnitudine, utcunque vulgo aliud feratur.

† Pag. 244.

B.

Blasphemare, pro convitiari. Nempe quia βλασφημεῖν dicitur quasi βλάπτειν τὴν φήμην. Gregorius Turonensis Append. cap. LI: *Liberare poteras de blasphemia hanc caussam.* Hinc Gallicum *blasme*, & Belgicum, ac Anglicum, extrito S. *blame*.

C.

Cadere, confugere ad aliquid: ut Belgæ dicunt *ergens op vallen*, pro, *sijn toevlucht toe nemen*. Itaque hoc etiam argumento Belgam fuisse Thomam de Kempis adstruebat Rosweidus. Ejus est lib. II de Imitatione Christi cap. IX: *Non cadit super consolationes.* Hoc est, *non ad solatia recurrit, non ea animo proponit, quibus solari se posset.* Similiter eodem cap. dixerat: *Facile labitur ad consolationes humanas.*

Calumniari pro accusare, crebrum est in legibus Scoticis. Nempe quia accusatio rara est absque omni calumnia. Sic lib. IV cap. XXIII: *Siquis latronem in damno* (domo) *suo invenerit cum furto, & occulte eum interfecerit, neque baillivis Domini Regis manifestaverit: ita quod nullum clamorem vel sectam inde fecerit, neque baillivis domini Regis manifestaverit: parentes interfecti hominis, vel baillivi Domini Regis, (si parentes ejus non inveniantur) ipsum qui hominem interfecit ejusmodi, calumniari possunt quasi de homine injustè occiso.* Similiter cap. præcedenti.

Carminare dicunt Latini à carmine, quo lana trahitur. Est carmen ea significatione à κείρω, sive ξαίνειν. Sed *carminare* a carmine, quod canitur dixit Sidonius lib. I epist. IX: *Vestrum quippiam, vel tumultuariis fidibus carminantem.* Item lib. IX epist. XV: *Quoties verba Graja carminaveris.* Ex eodem libro epist. XIII: *Date carminata socco, date dicta sub cothurno.* Etiam *carminabundus* pro carmen pangente dixit lib. VIII epist. XI: *In fescennina vernans verbis æstuans votis, in bucolica vigilax, parcus, carminabundus.*

Catechizare, κατηχίζειν, primitus significabat aliquem in elementis Christianæ religionis instruere: ut abunde institutus baptizetur. Postquam verò orbis Romanus totus est factus Christianus, eoque vix alii baptizarentur, quam infantes, placuit, ut in his pro catechizatione foret sacerdotis benedictio ac precatio: unde & ea *catechizatio* vocabatur. Matthæus Parisius in Historia *: *Episcopus infantem catechizavit, legatus eundem baptizavit.*

* Edit. Londin. pag. 488. vers. 42.

Clamare aliquem pro vocare. Beda Hist. Angl. lib. III cap. XXII: *Clamavit ad se virum Dei Cedd. & dato illi socio, altero quodam presbytero misit prædicare verbum genti Orientalium Saxonum.* Atque alibi idem.

Communico pro maculo, inquino est apud vulgatum interpretem Marci VII. 15. Imò & Matth. XV. 11, ubi nunc *coinquinat*, Hieronymus legit, *communicat.* Ipse Marcus ita scripserit, si Latinè edidit Euangelium: quæ quorundam sententia est: ac videtur eo propendere Maximilianus Sandæus Grammatici Profani Commentat. XII. Sed eam refellere opinionem perfacile, at non hujus loci. Alibi id agimus. Utrobique Græcè est κοινοῖ: quod ad verbum *communicare*. Nempe κοινὸν *commune*: quale quod est sordidum esse multorum usu solet: atque hinc *commune* pro *immundo*, I Maccab. VI. 5. & Rom. XIV. 4. Sed idonei Latini auctores, nec *commune*, nec *communicare* sic usurpant.

Concernunt hæc Regem, Rempublicam, Academiam, vulgata sunt. Malim, *pertinent ad regem*, &c.

Concionari pro *sermocinari*. Sic locutus scriptor vitæ S. Genovefæ cap. IV §. XVII †. *Nam primùm* ait: *Duo custodes porcorum cum inter se sermocinarentur.* Ac mox subjungit: *De quibus porcorum custodes concionabantur.*

† In Vitis SS. ad 3 Jan.

Conclusi mecum, pro *deliberatum est & constitutum*, quomodo Cicero in Rullum.

Concordare ἐνεργητικῶς, pro concordes reddere. Ut *concordare discordes*, apud Cæsarium lib. VII Miracul. cap. XXXIX.

Concredere alicui thesaurum, fortunas, famam, nugas suas, proba sunt: at non concredere se contra alterum decertare parato, quia se adversario putet superiorem. Quomodo Hincmarus epistola ad Ludovicum Regem cap. IV †: *Et illi nec genere, nec potestate inferiores erant, quam illi, qui cum Hlotario erant, & ideo non se contra illos concrederent.*

* Edit. Moguntina, ep. 1. pag. 3.

Confer tecum librum, pro *una feras*, vel *tecum feras*, vel *adferas*.

Conflagrare, pro *comburere* ait Higynus, sive Avianus vel Anianus in ejus epitome fab. CXCIX.

Consentire aliquem, pro *ad consensum adigere*, Nithardus dixit in opere de dissentionibus filiorum Ludovici Pii. Sed hæc, & similia, ætati isti condonemus.

Con-

Consulo tibi, pro *consilium do*, merito rejicitur ab Andrea Scotto lib. III Tullianarum Quæstionum *. Sed jubet pro eo dicere, *auctor sum*, *hortor*, *suadeo*. Atqui *consulo tibi*, notat, ejus auctor sum, id suadeo, ad hoc hortor, quod tibi sit conducibile. Imò ut nulla sit oratio, etiam consulit alteri, qui ejus studet commodis. Sic præter Plautum, Terentium, atque alios, Cicero I Offic. *Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem, atque discordiam.* Satis igitur liquet, non quisquis alteri consilium dat, consulere illi; nec quisquis consulit, consilium dare: ac proinde aliud notare *consulere alicui*, quam *alteri consilium dare*.

* Pag. 228.

D.

D*Eflorari* veteres variè dicunt, quibus decus & quasi flos eripitur. Sed particulatim de flore virginitatis decerpto non utuntur: licet inter florem qui defloruit, & virginitatem ereptam, similitudo sit, quam etiam agnoscit Catullus in Epithalamio. Junioribus vero *deflorare aliquam* pro virginitate spoliare est frequens. Sufficerit nunc Petrus a Vineis lib. III epist. V: *Deflorat virgines, & facit a suis complicibus deflorari.*

Deliberare, pro liberare. Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ †: *Omnes incarcerandos deliberaverunt.*

† Pag. 508.

Deliberare pro tradere, ut Gallis *livrer*, & *delivrer*. Capitularis Ansegisi, & Benedicti Levitæ lib. VI cap. CCLXXXV: *Offero Deo, atque dedico, omnes res, quæ hac in chartula tenentur inserta, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, aut pro quocunque illas Deo deliberare voluerit ad serviendum ex his Deo in sacrificiis Missarumque sollemniis*, &c. Similiter *deliberatio* pro traditione, in Collectionis Bignonianæ ultimo veterum Formularum codice, cap. IX: *Per hanc epistolam donationis vel deliberationis nostra, manu mea, vel bonorum firmatam.*

Denotare pro arguere, reprehendere. Hincmarus apud Flodoardum Histor. Remensis lib. III: *Nos, ut insanos, meritò denotarent.* Imò similiter etiam locutus Tertullianus de Pallio cap. I. atque alibi. Ac similiter *denotatio* pro ignominia sive infamia Julio Firmico. Vide quæ de hoc ad Tertullianum de Pallio maximus Salmasius annotavit.

Deputare, quod veteribus amputare sive resecare, vel putare, sive censere: id notat junioribus delegare. Ut in Concilio Pisano I *: *Præsidens Concilii deputet aliquos, qui sollicitent cives, ut ea, quæ pro honestate civitatis instituta sunt, executioni demandentur.* Ac similiter ibidem † *deputationis* vox sumitur: & *deputatorum* apud varios passim.

* Pag. 158 edit. Parif. an. 1612. † Pag. eadem.

Despicari veteribus est aspernari, contemnere. At Saresberiensis usurpat pro dispicere, h. e. circumspicere, sedulò lustrare. Locus est lib. II cap. V: *Sed continuò aderat prædonum quis, & statim ut clausas cujuspiam conspexisset fores, indicium credebat hoc esse, quod intrinsecus positi ederent, & repente despicatis foribus præcipites irruebant.*

Devocare Latinis deorsum vocare. Sed pro dejicere, vel abducere usurpat Joan. Saresberiensis Policratici lib. VIII cap. XVII: *Princeps pugnat pro legibus & populi libertate; tyrannus nihil actum putat, nisi leges evacuet: & populum devocet in servitutem*, &c.

Distringere posterioribus seculis acceptum pro vocare in jus, coërcere, punire. Ut in Legg. Boiorum Tit. VI: item in Diplomate Ottonis III Novariensi dato Ecclesiæ, apud Baronium ad an. CIƆ I *. *Decernimus, ut nullus —— liberos ipsius civitatis terminique supradicti homines vel famulos alicubi distringere audeat.* Ac paullo post: *Homines ipsius Ecclesiæ distringendos.* Item: *Intus, & deforis habitantes distringere.* Iterum: *Legaliter distringi.* Atque Matthæus Parisius an. CIƆCCLV: *Nolo pecunias superiori commodare, quem distringere non possum.* Hinc *districtus*, omne id spatium, intra quod dominus loci potestatem habet distringendi, h. e. coërcendi, ac puniendi. Gall. *districit*. Speculum Saxonicum lib. I Artic. XIX †: *Suevi inter semet ipsos, & intra districtum Suevorum à sententia licite appellabant.*

* Pag. 4. edit. Plantin. an. 1608.

† Pag. 61. b. edit. Lipsiens. an. 1561.

E.

E*Ffluere* quidem & *ebullire* aquam è spumanti aheno verum est: sed tamen non his tum utar verbis, sed *effervescere* dicam: ut Cicero de Nat. Deorum: *Aquæ effervescunt subditis ignibus.*

Emendare, pro satisfacere actori solvendo ei multam. Vide de Emenda lib. III cap. XI.

Emigrare se, pro transferre, dictum à vulgato interprete Psal. LI. 7: *Evellet te, & emigrabit te, de tabernaculo tuo.* Maximilianus Sandæus, in Grammatico Profano comment. IX *, hoc eo tuetur, quod *migrare* etiam sumatur activè. Non nego; sed ubi sermo de re, non persona: uti Trinummo Lysiteles inquit: *migrare officium*, & Agellius lib. II cap. XXIX *migrare nidum*. Sanè sæpe injuriâ reprehenditur vetus interpres: sed non eò existimandum, nunquam aliquid humanitus pati. Quod cui vel hoc seculo, doctrinâ politiori, sed moribus, ut metuo, deteriori, non sæpius contingit?

* Pag. 310.

Exstare pro *esse*. Rufinus in tralatione Josephi lib. II, fine cap. XIII: *Moses erat quidem anno jam jam octogesimo: frater autem ejus Aaron tribus annis major extabat.*

F.

F*Erre speciem lenitatis*, pro *præferre*, Paulli Jovii est in vita Frederici Barbarossæ: sed incommodæ hujus Latinitatis taxatur à Conrado Rittershusio † notis ad eam vitam, quam suo Gunthero adjunxit.

† Pag. 213.

Fœtare est Columellæ: sed pro parere: non pro agnoscere, & fœtam reddere, quomodo B. Augustinus ait, *Dedit eam* (Agatam Sara) *fœtandam viro suo* (Abrahamo.)

Fore pro *esse*, & *esse* pro *fore* Nithardo, Eugippio, & sexcentis aliis usurpatum: ut observat Barthius Adversf. lib. XLV Adversf. cap. XV.

Fundare collegium pro condere, constituere, pervulgatum est. Imò sic etiam loquitur Maffeius. Sed purè locutis *fundare* est stabilire. Itaque prius illud in Maffeio jure culpat Pascasius Grosippus lib. de Imitatione Ciceronis *.

* Pag. 37.

I.

I*Lluminare*, pro literas, præcipue capitis cujusque primas, picturis, ac coloribus, exornare. Sic Ranulfus Higden, sive Cestriensis lib. VII cap. III, in an. CIƆLXXVII, de Osmundo Sarisburiensi Episcopo: *Ita ut ipsemet Episcopus libros scribere, ligare, & illuminare non fastidiret.* Similiter Matth. Parif. in vita Ganfridi, abbatis XVI S. Albani: *Fecit etiam unum Missale totum auro incomparabiliter illuminatum.* Item in Historiæ suæ Additamentis. *Sine licentia Prælati sui librum non scribant, nec illuminent.*

Immorari, si nonnullis credimus, dixere mediæ ætatis scriptores, pro eo, quod barbari dicunt, *moralizare*, Latini *in mores redigere*, vel *moribus adaptare*. Walafredus abbas, qui ante annos mille vixit, homiliâ de Hierosolymorum eversione: *Ut quis hæc minus intelligerent, mulceamus, hæc historialiter perstrinximus: nunc verò brevi sermone immorabitur.* Ubi *immorari* in *mores redigi*, exponit Barthius Adversf. lib. XLVI cap. XIV. Sed falli puto, quia opponuntur breviter perstringere, & diutius immorari.

Importare quid Ciceroni, Livio, aliis sit, satis notum. Sed barbaris significat ad rem conficiundam afferre aliquid momenti, conferre, prodesse. Thomas Kempensis lib. I de Imitatione Christi cap. II: *Sed scientia sine timore Dei quid importat?*

Impropero, convitior, derideo, ab *in*, & *propero*: ut in veteri legas Dictionario. Nempe quia qui in sermone nimis properant, ac præcipitis sunt linguæ, hi vel minimâ occasione convitiis alios soleant impetere. Gloss. *Impropero, ὀνειδίζω*. Sæpius legas apud veterem Scripturæ interpretem. Uti & *improperium*, pro convitio, de quo in Nominibus antea dictum. Imò & Plautum usurpare aiunt Rudente act. III sc. IV:

LABRAX. *Vi agis mecum.* TRACHALIO. *Etiam vim improperas flagitii fragrantia?*

Sic vett. editiones, etiam Aldina Asulani †, & vetustior ea Veneta * cum Sarraceni, & sex aliorum notis. Ac retinet Martinius, qui interpretatur, *objicis pro crimine*. Sed in Camerariana est *opprobras*. Quam secutæ Dousiaca, & Gruteriana. Nec sanè *opprobrium* aliunde quam ab *opprobro*. Imò & Petrus Valla *opprobras* jam olim legit, ut liquet ex Veneta Sarraceni, & aliorum, de qua dixi. Interim ex Camerarianæ illi manu Scaligeri adscriptis, cum video, dubitâsse, an non rectiùs, *oppartas*, vel *opparas*, legeretur. Nec tamen *improperare* barbarum, sed notat properanter ingredi. Sic Plinius * usus. Etiam, Maroni † *improperatus*, non properatus.

† An. 1522.
* An. 1518.
* Lib. 36. cap. 13.
† 9 Æn.

Indignari Barthius Adversl. lib. XLV cap. XXIV à Nithardo accipi putat pro *indignum reddere*, aut *convellere*, *annihilare*. Verba Nithardi sunt: *Colloquium indixerunt, ad quod venientes, cùm nihil ex his indignari se posse viderent callide dissimulantes, quippiam se contra patris voluntatem moliri velle, discesserunt.* Sed caussam non video gravem satis comminiscendæ interpretationis novæ. Videtur enim hoc velle, non habuisse justam indignationis caussam adversus patrem. At magis barbarum apud eundem Nithardum lib. II *innotuit*, active sumtum. *Carolus consiliis suorum fidelium in omnibus secundum Dei voluntatem parere se innotuit*, pro, *notum fecit*.

Innotesco, veteribus notus fio, junioribus etiam notum facio. Constantinus presbyter de vita S. Germani cap. XVI: *Iterum repetens omnia illis quoque innotuit.* Similiter usurpat Cæsarius Heisterbachensis.

Insultare in equum legas in inscriptione, quæ continet epitaphium mulæ factum a P. Crasso. Etiam ibidem insculptum *desultare* ex mula. Sed Latini dixere *insilire in equum*, vel *mulam*: aut de ea *desilire*. Auctoritas illius inscriptionis, quæ in via legitur Tiburtina, prorsus exigua est: cùm inter spuria referatur à Grutero in Collectione suâ, & solide id firmetur à Salmasio initio epistolæ II de Cruce ad Thomam Bartholinum *.

* Pag. 360. & 361.

Intercedere pro nobis Christus dicitur in cælis. Sed si antiquo more hac voce uti velimus rectius dicatur *deprecari* pro nobis. Nam intercedere Romanis dicebatur, qui alienæ se autoritati opponeret, eamque inhiberet ac coerceret: ut Tribuni Plebis Romæ solent, quorum propriè erat intercedere. Similiter pro *intercessore deprecatorem*, pro *intercessione*, *deprecationem* longè malim.

Interesse, pro eo quod propter usuram solvitur ultra sortem. Matthæus Parisius in an. CIↃCCLV: *Instabant insuper mercatores transalpini usurarii —— ut persolvantur eis debita sua, quæ quotidie propter usuras, pœnas, & interesse, non minima recipiebant incrementa.*

Intonare, pro insonare tonum Musicum. Cæsarius Miracul. lib. V cap. V: *Et monachus ei proximus voce mediocri psalmum intonaret.*

Investire, pro ornare velut veste, Plinii est lib. XXXV cap. VII: *Publicas porticus investivit pictura.* Sed posteriores usi pro donare feudo, munere, dignitate. Unde Ivo epist. XCV ad Paschalem Pontificem: *Se prædicta thesauraria à Philippo, Catalaunensi episcopo canonice fuisse investitum, & ideo injuste spoliatum.* Atque hinc & *investitura*, de quo antea dictum. Nec *investire* modò dixere, sed etiam *revestire*. Marculfus lib. I Form. cap. XXVI: ubi commonetur Episcopus de reddenda villæ parte quam invaserat: *Antedictum illum de suprascripta villa revestire faciatis.* Hoc est, reddere justo possessori. Synodus Leptinensis anni IↃCCLXII: *Ut si moriatur ille, cui pecunia commendata fuit, Ecclesia cum propriâ pecuniâ revestita sit.* Habes ejus Synodi Decreta apud Benedictum Levitam Capitularis lib. V cap. III. Est & Hincmari ad Carolum Calvum cap. XVIII: *Cum clericis revestitis.*

L.

LAborare temporis angustiâ, non occurrit nunc, ecquis veterum dixerit. Et Andreæ Scotto displicet in tertio Tullianarum Quæstionum libro †. Cicero autem Verr. III ait: *Angustiis temporis excluduntur omnes.*

† Pag. 231.

Laudare pro judicare, statuere, ut præcipuè in pactis conventis solet: quomodo & Græcis *αἰνεῖν* sumitur pro *συγκατατίθεσθαι*, *assentire*, *probare*. Guntherus in Ligurino suo:

—— Quam laudaverat ipse
Compenset, redimatque suum mercede laborem.

Helmoldus in Histor. Slavorum: *Colloquium provinciale laudatum fuerat. Sicut laudatum fuerat, occurrit ad locum placiti. Laudatum fuit, nequis transfugam alterius reciperet. Factum est ex consilio utriusque partis, ut laudaretur pax.* Atque hinc laudamentum, pro judicio, arbitrio, decreto: de quo superiùs dictum.

Levigare, pro *allevare*, seu *leviorem reddere*, apud Fulgentium in primo de Veritate Prædestinationis *: ubi de infante nullâ culpâ parentum mortuo ante baptismum sic scribit: *Cui non est utique levigata damnatio, sed redemtio denegata.*

* Pag. 47. edit. Paris. an. 1612.

Linire pro *lenire* ne dixeris. Linio enim est ex *lino*, & Propertio, Columellæ, atque aliis idem notat ac *perungo*. *Delinire* verò non est à *linire*, sed *lenire*. Quorum prius priorem habet correptam: sed *delinificum* & *delinimentum* secundâ dicuntur porrectâ. Hæc à multis, etiam Lexicographis quibusdam, sæpiùs hodie confunduntur.

Liquitur illi, pro animus eum defecit. Plinio Valeriano libro IV, cap. XV.

Luare pro *Dare*, apud Abbonem de obsidione Lutetiæ.

Ludendo hos versus fecit pro *Ludibundus*.

M.

MAnu-tenere, tueri, defendere; ut Galli inde *maintenir*. Matthæus Parisius in epist. Henrici III, an. CIↃCCLXVII: *Archiepiscopum contra me manutenere præsumunt.* Et mox: *Ne ulterius proditorem meum manuteneant.* Ac retinent nostri temporis Reges, in edictis: ut Rex Poloniæ in privilegio edendi acta Colloquii Torunensis: *Mandamus ut præfatum N. sine ullo impedimento manuteneant, & omnino conservent, manuque teneri, & conservari ab aliis faciant.*

Memoror, pro recordor, inclinantis est Latinitatis: ut ostendit hoc Tertullianus lib. de fuga in Persecutione: *Ut & illius commemoremur.* Hoc est, meminerimus. Atque hoc sufficit ad excusandum vulgatum interpretem, quando ait Psalm. LXXXVIII. 48: *Memorare, quæ mea substantia.*

Migrare pro *occidi*. apud Abbonem de Obsid. Lutetiæ.

Minare antiquissimi quidem dixere pro minari, uti *minitare*, pro *minitari*: quemadmodum auctor nobis Priscianus lib. octavo. Posteriorum vero seculorum scriptoribus *minare* est pecus agere. Verbum esse Latinis auribus insolens rectè ait Erasmus in Actor. cap. XVIII. Habes verò apud vulgatum Scripturæ interpretem Esai. XI. Hierem. XXXI. Threnorum III. item in I Regum, & IV. Crebro etiam sic Ecclesiastici scriptores: in his Gregorius Dialog. lib. I cap. II, & Leo Marsicanus Casinensis Chronici lib. II cap. LXXXIV. Imò alii etiam: ut Appulejus lib. III Met. *Domo jam vacuâ minantes* (latrones) *baculis exigunt, nos duos asinos & equum meum.* Apud eundem & *comminare* est lib. VII, & *prominare* lib. IX. Item vetus Juvenalis scholiastes in sat. VI †: *Hanc Jo in tantum persecuta*

† Pag. 79.

cata est Juno, ut per omnem mundum eam minaret. Imò similiter Ausonius, & Festus: nisi is potius Paulus Diaconus in Festi e Verrio epitome*: Unde verò hæc loquendi forma originem ceperit, abunde ostensum nobis in Originum libris, voce *Minor*. Belgæ ab ea significatione habent suum *mennen*.

* Vide in Agere. & Agasones.

Minuere, pro venam secare: *minutus*, cui vena secta. *Minutio*, venæ sectio. Matthæus Parisius in an. clↃ ccxli: *Jussit Imperator eum balneis, minutionibus & medicinalibus fomentis, post maris pericula, mitius ac blandius, ad restaurationem virium, confoveri.* Idem in vita Pauli, xiv abbatis S. Albani: *Medicinatis regulas, ac minutis, limitavit.* Integre diceretur sanguinem minuere, vel sanguine minutus, vel sanguinis minutio. Quomodo idem Parisius in vita & institutis Guarini, sive Warini, abbatis xxii S. Albani: *Ut fratres qui in æstate post meridiem ex antiquo minuere solebant, concessit tam in æstate, quàm hieme, ante prandium semper sanguinem minuunt.*

Monstro simpliciter est ostendo. Sed posteriores usurparunt strictiùs pro monstrare milites in armilustrio. Matthæus Parisius in an. clↃ ccliii: *Rex constituit ——, ut secundùm pristinam consuetudinem arma civibus competenter assignarentur, & monstrarentur, & censerentur.* Belgis idem *monsteren*. Romani delectum agere militum, vel exercitum lustrare.

Munito est apud Ciceronem pro Roscio Amerino: *Nunc vero quam viam munitet, quo iter affectet, videtis.* Ubi *munito*, si Grammaticos audimus sit *frequenter munio*. Sed meliùs Turnebus in Adversariis lib. xxv cap. xv; ubi verba illa in *To* non frequentem actionem, sed desiderium ait significare: Quemadmodum etiam diximus lib. iii de Analogiâ cap. xliv. H. Stephanus in Pseudocicerone † suo contendit, potiùs signare inchoationem, ut exponi debeat *munire incipit*. Sed profectò hæc non pugnant. Plus hic dicitur, non dissentaneum. *Munito* enim *viam* valet *munire cupio, studeoque*. Vis igitur vocis in eo est quod significat desiderium nominatæ, & otiosum, sed cum studio conjunctum. Sic *dormito*, est *dormire cupio, studeo: vendito, vendere cupio, studeoque:* non frequenter *dormio*, aut *vendo:* uti nugantur Grammatici quando talia faciunt frequentativa.

† Pag. 81. & seqq.

N.

N*Ubere* de viro nec refugit Jacobus Faber Stapulensis. Quippe Jo. Damasceni verba lib. iv Orthodoxæ fidei cap. xv: Μελχὶ ἔγημε τὴν γυναῖκα τοῦ Ματθὰν, μητέρα τοῦ Ἰακώβ: transtulit hoc pacto: *Melchi nupsit uxori Mathan, matri Jacob.* Cùm scribere debuerit: *Duxit uxorem viduam Mathanis, matrem Jacobi.* Cujusmodi, ut quam proclivis sit in talibus error, juventus videat, eoque magis caveat, adduco, non quia Stapulensi detractum velim, sane magnis dotibus viro: quem & *eruditione & pietate venerandum senem* à laudatissimo Martino Bucero laudatum video comment. in Matth. cap. i. 17.

O.

O*Rdinare* pro constituere, non dixero. Ciceronis sanè est contra Rullum, & alibi, *Leges, jura constituere:* Item ad Att. *constituta rescindere.* Et alibi, *constituere supplicium, pœnam, provinciam, regem*, &c. Vulgo tamen dicunt *ordinare*. E.G. Ordinavit Princeps, ut illi annumerentur trecenti. Atqui *ordinare* est *ordine disponere*, vel *ordinem instituere*. Quomodo Tacitus, & Suetonius dicunt, *ordinare equitum decurias*, quia in recensione suus cuique ordo assignaretur. Nec aliter Cicero pro Sylla: *Cum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur.*

P.

P*Alpare manu, vel pede*, pro *tentare*, perperam dicunt: cum *palpare* sit blandè & leniter tangere, ac demulcere, ut amatores, & adulatores solent.

Perdere animum ajunt, pro eo quod Cicero de Fin. *animos demittere*.

Placitare pro *placere*, Plauti est Bacch. act. iv sc. x. Posteriores vero usi pro *concedere*. Karolus Calvus tit. xliii apud Carisiacum cap. x: *Si aliquis ex fidelibus nostris post obitum nostrum, Dei & nostro amore compunctus, seculo renuntiare voluerit, & filium, vel talem propinquum habuerit, qui Reip. prodesse valeat, suos honores, prout melius valuerit, ei valeat placitare.* Hoc est, quod vulgo dicunt, poterit filio suum munus, quod sustinet, resignare. S. Galli traditio lxx: *Post ejus presbyteri obitum, nepta illius eandem traditionem possideat: & si nepta illam traditionem sibi placitatam dimittere voluerit, tunc locum, & prebendam habeat, quasi unus monachus, & traditionem sibi præfatam, sibique placitatam nobis dimittat.*

Præscribere conditionem obtinet vulgo. At Cicero *ferre conditionem*. Ut pro Roscio Amerino: *Hanc conditionem miseræ ferunt, ut optet, utrum malit.* Ac similiter Terentius Phorm. iv. i.

Præsentare pro *offerre* non puto vel Ciceronis, vel proximo ævo obtinuisse. Cum Tullio igitur dixerim, *deferre voluntatem, & officia.* Obducunt ex Plinii lib. de viris illustribus: *Caput* (Pompeji) *ab Achilla, Ptolomæi satellite, Ægyptio velamine involutum cum annulo Cæsari præsentatum est.* Sed liber ille de viris illustribus non Plinii est, sed Aurelii Victoris: qui quarto demum seculo vixit, ut ostendimus in opere de Historicis Latinis.

Præsumere, pro simplici *sumo*, vel *tribuo*. Quomodo Cicero pro Plancio: *Mihi non sumo tantum, judices, neque arrogo.* Ac similiter sæpius alibi locutus.

Producere terram, vel *proferre fructus*, non dicam, sed *efferre:* quomodo Tullius.

Promereor præter morem ævi Juliani, vel Augustani, passiva significatione legas apud vet. interpr. epist. ad Hebr. cap. xiii. vers. 16: *Talibus hostiis promeretur Deus.* Ubi Græcè εὐαρεστεῖται, *delectatur, recreatur, gaudet.* Nec dubium tamen, quin & antiqui usurparint hoc pacto; ut deponentium alia; de quibus dixi lib. iii de analogia cap. vi.

Proponere quæstionem non dixero; sed cum Tullio, *ponere quæstionem*, vel *ponere de quo quis audire velit.* Sed nec Latinum *proposui* facere, pro *constitui*.

Prorogare, pro *stipulari*, ἐπερωτᾶν. Ita usurpatur in Vitis Impp. & apud veterem Juvenalis interpretem sat. vii 165. Sed aliter classici.

Publicare, vel *affigere mandata*, pro *edicere* aliquid, unde *edicta*.

Pulsare, in jus vocare. Ut apud Cassiodorum lib. i epist. viii: *Si nihil est, quod rationabiliter à pulsato possit opponi, postulatas res prædicto tutori facias sine delatione restitui.* Sic *pulsare debitorem* in legg. Longobardicis lib. ii tit. xxi leg. xiii. Similiaque in iisdem legg. sæpius. Integrè verò sit *lite pulsare*. Ita lib. xvi Codicis Theodosiani tit. ii, qui est de Episcopis, Ecclesiis, & Clericis, leg. xlii. hæc sunt Honorii, & Theodosii AA verba: *Neque ad curiæ locum, neque ad judicium accedendi licentiam permittimus: nisi forte singuli ob caussas proprias & necessitates judicem adierint, aliquem lite pulsantes, vel ab alio ipsi pulsati.* Est & Claudiani de bello Gildonico *crimine falso pulsari:* pro falsi criminis pulsari. Nec tamen putandum hoc genus loquendi demum post irruptionem barbarorum irrepsisse. Nam ipsius est Ulpiani l. xi. §. ix. D. De interrogationibus in jure faciendis: *Qui interrogatus, responderit, sic tenetur, quasi ex contractu obligatus, pro quo pulsabitur, dum ab adversario interrogatur.* Ac similia alibi in iisdem Digestis legas. Imò jam

Ciceronis ævo sic loquebantur, si audimus doctissimum Verrutium in Lexico Juris: ubi sic accipi ait in istoc Verrina v: *Pro Decuma, cum pulsatus à Venerio esset, dedit ℍ-s sexdecim millia.* Sed hic propriè sumi arbitror.

R.

REbellare pro bellum inferenti resistere. Matthæus Parisiensis in vita Offæ primi: *Rex confectus senio, timens rebellare, declinavit aliquoties impetus adversariorum.* Et non multo pòst: *Nihilominus audacter ad rebellandum, se suosque præmunire cœpit.*

Reboare, pro *canere*, apud Abbonem de obsidione Lutetiæ*. Vel etiam clara voce proferre, ut apud Matthæum Parisium in Historia Henrici III: *Hæc*, inquit, *verborum deliramenta, Francis innata gargarandi superbia, & jactantia reboavit.* Quid *gargarare* sit diximus antea.

* Vers. 328.

Recludo veteribus est aperio. Sed novè pro *includo* usi Tertullianus, Cyprianus, Cassianus. Ac similiter Hincmarus in Remigii Vita: *Gundebaldus se Avenione reclusit.* Similiter *reclusio* pro inclusio. Ibidem: *Montanus monachus in reclusione solitariam vitam ducens.* Cæsarius lib. v cap. L: *Amo reclusionem.* Pro quo inclusio Flodoardus lib. II cap. III de S. Basolo: *In qua inclusionis habitatione* per XL traditur annos Deo militâsse.

Recognoscendi, & *recognitionis* probæ sunt voces. Sed *recognoscere* signum non puto classicos dixisse. Ciceronis est in Catilinar. *Cognovit & signum Statilius, & manum suam.*

Redulcerari pro iterum fieri ulcerosum, Columellæ est. Id Græcè sit ἀνελκοῦσθαι. Verùm in Onomastico legas: *Redulcerari*, ἀνθελκοῦσθαι. Puto potiùs esse librarii errorem. Nam id signat *retrahi*.

Relegare, pro *in exilium mittere*, vel *quasi exilium*, damnari videtur ab Andrea Schotto lib. III Tull. Quæst.† Quasi non ipsius Ciceronis sit lib. II ad Att. epist. XXVI: *Planè relegatus mihi videor, postquam in Formiano sum.* Ac similiter alibi, atque alii.

† Pag. 243.

Removere à dignitate pro *dejicere dignitate.*

Repedare, recedere, redire, non tam barbarum quàm obsoletum, cum Pacuvius ac Lucilius utantur; ut ex Festo, & Nonio scimus. Nec refugit Ammianus Marcellinus, qui sæpius usurpat. Etiam est Damasi Papæ de S. Felice:

> *Qui ad te sollicitè venientibus omnia præstas,*
> *Nec quemquam pateris tristem repedare viantem.*

Juniores quid referam, qui avidè amplexi: ut Anastasius in Relatione facta inter Maximum, Hincmarus in Remigii vita, Flodoardus lib. I Histor. Rhem. cap. XIV.

Replicare, pro commemorare. Cæsarius lib. I Miracul. cap. XLIII: *Laudabilem, imò satis mirabilem dominæ Helswindis Abbatissæ de Porceto conversionem tibi replicabo.* Et lib. III cap. VI: *Quæ nostris contigerunt temporibus exempla replicabo.*

Reputare sibi, pro *sibi imputare*, dixerit B. Hieronymus tralatione homiliarum Origenis in Josuam, si inscriptio non fallit. Sed nunquam sic loqueretur Hieronymus: & tralatio ista vel Rufini, vel alterius est: saltem B. Hieronymo est indigna, ut satis ostendit Erasmus in Censura sua.

Resortiuntur in hanc; illamve, urbem, pro *jura inde petunt.* Quomodo Plinius ait: *Jura petunt Cordubâ.* Et Curtius: *Hunc exitum habuit regia Orientis: unde tot gentes antea jura petebant.*

Restare, pro eo, quod vulgo ab hocce verbo dicunt *arrestare*, pro retinere, manus injicere. Matthæus Parisius in anno CIↃCCLIX: *Equos enim meos, & homines, in meum dedecus, & damnum, imò potius vestrum, violenter fecit restare, donec paagium, nescio ob quam rem, aut caussam, quantum placuit mancipiis suis, extorsisset.*

Resumere animum, pro *colligere animum*, veteribus est ignotum.

Revelo, ut nesciat Tullius, est apud Ovid. VI Fast. Sed non puto apud classicos inveniri pro eo quod Ciceroni *patefacio, enuncio, indico, aperio, profero.* Quomodo Joannis Ἀποκάλυψις a. v. *Revelatio* vocatur.

Reverberare, probum est: sed non pro percellere, affligere, excruciare, more Belgarum, qui dicunt, *dit verslaet my.* Itaque suos Belgas imitatur Thomas Kempensis lib. IV de Imitatione Christi cap. I: *Ad capienda tanta mysteria me reverberat propria conscientia.* Et lib. III cap. X: *Hoc est, quod me sæpe reverberat.*

Revisere rem judicatam, decretum, vel *judicium.* Sed *recognoscere* pro eo Tullius orat. pro Cornelio, & in Verrinis.

Revocare nesciunt veteres, pro *infectum reddere, quod prius factum erat.*

Rostro, vide Martinium in *Rostro.*

Rotare in Gemma exponitur rotæ supplicio punire. Atque ita posterioris ævi scriptores passim utuntur. Sed classicis *rotare*, circumagere, versare in modum rotæ.

Rumare veteribus idem ac *ruminare:* atque ut hoc à rumen, ita illud a *ruma.* Sed in Gemma etiam ponitur, pro rumorem serere, didere.

S.

SAllire est sale conspergere, sed Latinobarbaris notat saltare. Nempe confuderunt *sallire*, & *salire.* Legg. Boiorum Tit. XIII leg. II. *Si altera persona ipsum animal per vim sallire compulerit.* Hoc est, si fecerit, ut animal insiliret in acutam sepem, eaque res mortis ei fuerit caussa. Hinc compositum assallire, pro adsilire. De eo alibi dictum.

Sapere, pro *scire.* In Collectione Benedicti Levitæ lib. VII cap. C: *Sacerdotes, qui ritè non sapiunt adimplere ministerium suum —— ab officio proprio sunt submovendi.*

Scandalizat, qui scandalo est. Sed & qui scandalum accipit, sive qui offenditur alienâ culpâ. Ut apud Cassianum Collat. VI cap. I.

Signare, significare. Cæsarius lib. VI Miracul. cap. IV: *Et quare, inquit, hoc non signastis mihi?* Et lib. VII cap. XXIV: *Qui cum quæreremt, quid vellet, & ille se in oratorium deportari signaret, volentes ei parcere, non acquieverunt.*

Solatiari, solatium percipere, allevari. Usus Zacharias Papa epist. ad S. Bonifacium Martyrem XI q. III cap. Quod prædecessor. Item Baldericus Chronici Cameracensis lib. III cap. LII: *Pugnatores, dum reditibus agrorum annonantur, & mercimoniis vectigalium solatiantur.*

Solidare quid Maroni, Vitruvio, Plinio, sit, satis notum. Sed junioribus *solidare* est fracta componere, &, ut Plinius etiam loquitur, malthare†: ferruminare: ut cum metallica conglutinantur. Adhæc posterioribus seculis usi pro mercede conducere, vel stipendio firmare. Cassiodorus Variarum lib. III epist. LI: *Quoniam in hoc agone primatum noscitur obtinere, ejusque voluntas patriâ derelictâ nostri sedes fovere delegit imperii, menstruâ eum duximus largitate solidandum.* Sic *stipendiis fulcire* dixit Ammianus Marcellinus lib. XXIII*, & *sacerdotio roborare*, Symmachus in epistol. Nimirum stipendio, sive salario, miles solidatur, h. e. fulcitur, ac roboratur: ut ad Vopiscum interpretatur Salmasius†. Hinc *solidatus* pro milite, & ut nunc loquimur *soldatus.*

† Salmas. ad Solin. p. 1096.

* Sub finem.

† Ad Vopiscum Pag. 377.

Somnitare legendum puto in glossis nostris membranæ inscriptis: ubi exaratum *sonnitare.* Exponitur verò sæpè somniare. Potius censeo, si *somnitare* dicatur, idem esse somniare desidero: ut *dormito*, cupio dormire.

Sortiri, pro sortes sive oraculum accipere, oraculo discere. Ita apud veterem Juvenalis interpretem Telephus cùm non posset curari sortitus est, ab Achille se solo posse curari. Ubi *sortitus est* valet ἐχρηματίσθη.

Spectat ad me, pro *attinet ad me*, non dixerim cum vulgo.

Stan-

Stantibus sic rebus, est pervulgatum, pro, his rebus, hac rerum conditione.

Stellare & *stellari* confundit Salmas. ad Sol. 758. d.

Subsignare perperam confundunt cum *obsignare*. Nam prius notat annulo sive sigillo imprimere signum: quod Græcis σφραγῖδι σημαίνεσθαι: at *subsignare* notat *subscribere*, quemadmodum Festus ait in *Resignare*. Ac similiter Paul. L. XXXIX. D. de verborum significationibus: *Subsignatum dicitur, quod ab aliquo subscriptum est: nam veteres subsignationis verbo pro adscriptione uti solebant.*

Sufflare in Gemma exponitur tum subtus flare, à qua significatione dicitur esse barbarum sufflatorium pro folle: tum etiam fastu implere, & quod tertio loco additur, *appodiare*: quo de verbo diximus lib. IV. capite I. Media hic significatio est, qua ponitur pro jactare, quod factum est militari sermone. Augustinus epist. LVI ad Dioscorum: *Nomen Anaxagora, quod propter literatam vetustatem omnes, ut militariter loquar, literatiores libenter sufflant.* Contrarium *exsufflare*, pro contemnere, & exibilare. Augustinus epist. CLXII contra Donatistarum pertinaciam: *Conscinditur veritas Christi, blasphematur hareditas Christi, exsufflatur baptisma Christi.* Ac postea: *Exsufflata sacramenta.* Item Dungalus in prologo responsorum contra Claudium Taurinensem: *Christus exsufflatur.* Ibidem: *Adversus exsufflatores Christi.* Imò, ut Bollandus observat, idem postea *sufflare* significatione eâdem utitur: *Unus homo blasphemare, reprehendere, conculcare, projicere, ac sufflare præsumat.*

Suppeditare in Gemma voce *Succulcare*, idem esse dicitur, quod sub pedibus calcare, sive pessumdare. Sed merito jam olim hanc opinionem damnavit Huguitio; ut Gemma agnoscit, voce *Suppeditare*.

Suppono, in Concessione alicujus, non est Latinum. Ut in isto, *Suppone ita esse.* Ubi Cicero, *Pone illud. ponamus, positum sit.*

T.

T*Axari* pro nominari, apud Abbonem de obsidione Lutetiæ.

Tempero, pro obtempero. Lucifer Calaritanus lib. I adversus Constantinum: *Non temperavimus tuo consilio venenato.*

Tornare pro torno polire, & circumagere, legas apud Tullium, Pliniumque. Sed barbari usurparunt pro vertere, convertere, unde Italicum *tornare*, & Gallicum *tourner*. Landulphus Sagax Historiæ Miscellæ lib. XVII: *Uno animante onus subvertente, quidam domino animantis acclamat*, TORNA, TORNA, *frater. Et Dominus quidem multas voces minimè sentiebat: sed populi, hoc audito, hostes imminere existimantes, in fugam conversi sunt*, TORNA, TORNA, *maximis vocibus exclamantes.* Sic in Legg. Longobard. lib. I, tit. XXII, leg. VI: *Qui se ab ea tornaverit.* Hoc est, siquis desierit persequi cervam, quam sauciasset. Item tit. XXV, leg. XLV: *Si se de via tornaverit.* Theophylactus Simocattus lib. II*: Ἐπιχωρίῳ γλώττῃ εἰς τὸ ὀπίσω τραπέσθαι ἄλλος ἄλλῳ προσέταττε ΡΕΤΟΡΝΑ μετὰ μεγάλης ταραχῆς φθεγγόμενοι. Urbicius in Tacticis cap. περὶ γυμνασίας: Κελεύει τὸ στρατὸν, καὶ ἀνθυποστρέφειν.

* Pag. 125.

Tribulo pro affligo ab Ecclesiasticis scriptoribus τὸ μετωφορεῖν ponitur pro affligo. At propriè notat tribula tero: & laxè ἁπλῶς tero. Glossæ Cyrilli: Θλίβω, *tribulo, presso, premo.* Θλίψις ἡ φροντίς, *tribulatio.* Gloss. Philox. *Tribulatio*, θλίψις. Sed de isto etiam dixi lib. I cap. XXXIV.

Triplicare, ubi vulgo Jurisconsulti præter usum veterum ajunt, malim cum Budæo in Forensibus, *altercandi vices ad tertias producere.* Sic pro *triplicatione* dixero *tertias vices altercandi.*

V.

V*Acare*, operam dare, studere. Mathæus Westmonasteriensis in Floribus Historiarum†, Ætatis Tertiæ, capite XIX: *At Pandrasus ob fugam suam, fratrisque captionem anxius, populum dilaceratum resociare vacavit, oppidumque cum resociato populo obsidere progressus est.*

† Pag. 9.

Vestire posterioribus seculis significat, possessione aliqua, quasi veste, aliquem induere. Legg. Bajuvariorum tit. XVII cap. III: *Mei antecessores tenuerunt, & mihi in alodem reliquerunt, & vestita est illius manu, cui tradidi.* Pipini, Majoris domûs, judicium de rebus S. Dionysii: *Vel casa S. Dionysii exinde vestita fuerat, vel à bonis, & Deum timentibus hominibus, data, vel collata fuerunt, & ipsa casa legitimè, & rationabiliter per legem exinde vestita fuerat.* Hinc *vestitura*. Apud Ansegisum Capitularis lib. IV cap. XIX: *Coram eis rerum suarum traditionem faciat: & fidejussores vestitura donet ei, qui illam traditionem accipit, ut vestituram faciat.* Similiter cap. XLII: *Vestitura domni Karoli.* Et cap. XLV, *nostra vestitura.* In Traditionibus Fuldensibus & *vestitio*, & *vestitura*, crebra sunt: *vestitus* item est apud Remensem Canonicum anonymum in appendice Flodoardi. A *vestire* item sunt *investire*, & *revestire*. De utroque istorum superiùs diximus in *Investire*.

Viget morbus, bellum, & similia, passim legas: sed improbante Festo: cujus est: *Viget dictum ab agendo. sed non in agendis hostilibus rebus: verum iis, qua concitato animo ad bonum tendunt.* Itaque & Pascasius Grosippus, sive Gaspar Scoppius*, damnat in Maffeio hæc verba: *Totum illud bellum circiter annum viguit*, pro *tenuit*.

* De Imitatione Ciceronis pag. 31.

DE PARTICULIS IN ALIENA POSITIS SIGNIFICATIONE.

NUnc venio ad particulas, quæ accipi videas in significatione aliena.

A.

A*Dhuc* ponunt pro *hactenus*, & contrà. De quo sic Paulus Manutius Comment. in Ciceronis ad Famil. epist. I lib. II: *Dixi jam nihil esse in Latina lingua contemnendum; si modò ea propriè, rectèque uti cogitamus. Quare subjungam, qua nonnullis fortasse levia videantur sed quo turpius in minimis labimur, eò diligentior esse debet animadversio.* HACTENUS, & ADHUC, *aque continuationem significant; sed hoc differunt, quod* HACTENUS *de re semper usurpatur:* ADHUC *de tempore. Non enim rectè dixeris, Hactenus ita sensi: sed, Adhuc ita sensi. Contraque propriè non dicitur, De literis adhuc; sed, De literis hactenus. Etiam illud observavimus, non eandem utroque continuationem significari. Nam* HACTENUS *absolutam rei continuationem semper indicat:* ADHUC *interdum etiam non absoluta: ut epist. XX lib. II ad Att. Clodius adhuc mihi denunciat periculum.* Probat etiam hæc Paulus Manut. lib. III Tullianarum Quæst.* Verùm addit accuratè quidem, sed obscurè distinguere.

* Pag. 136.

Amanter veteribus est amicè, amantium more. Eam vocem mirificè amat Petrus Bembus, sed planè alienâ significatione: ut in illo: *Præfectos, qui se omnes, nec strenuè nec amanter, eo bello gesserant, missos fecit.* Atque hoc in eo jure culpat Lipsius sua ad Duzam epistolâ.

Aut, & *vel*, confundi solent, cùm *aut* sit διαζευκτικὸν, sive disjunctivum: ut, *aut dies est, aut nox est*; ubi con-

contraria dividuntur: *vel* autem sit ἀντιδιαζευκτικὸν, sive παραδιαζευκτικὸν, ut, *Vel tu, vel uxor tua, vel è tua familia quisquam*: ubi nihil excipitur.

B.

B*Enè ponderare*, si audimus Andream Schottum in Tullianis quæst. †, minus est Latinum. Sanè Cicero lib. II pro eo, *judicio certo ponderare*: & pro Fonteio, *suo momento ponderare unamquamque rem*. Nec video tamen, cur non liceat dicere *bene ponderare rem*, uti *rationes* vel *rem bene putare*: quod apud Terentium Eun. act. IV sc. VI. *Novi ingenium mulierum, Nolunt ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro*. T H R. *Bene putas*. Ubi Donatus: *Bene putas, hoc est, rectè putas. sapis, vel intelligis.*

† Pag. 231.

C.

C*Ontra noctem*, pro *imminente* sive *ingruente nocte*, apud Plinium Valerianum.

Cur pro *quod*, usurpat Lucifer Carallitanus, cùm ait: *At hoc non novum, quando Saul persecutus fuerit justum Samuelem, cur ei vera dixerit.*

D.

D*Esuper* pro supra. Ut in formulis incerti scriptoris Marculfum proximè excipientibus, formula XXXIX: *Accepit mansum —— cum omni desuper posito.*

Duntaxat negant conjungi cum *sed*. Fortius Ringelbergius * libro de usu vocum, quæ non flectuntur: *Duntaxat a solùm, tantum, & modò distat, quod tria hac posteriora consequi potest particula* SED ETIAM, *duntaxat verò non. Cicero: Ut tradamus ea duntaxat, quæ nos usus docuit. Quintil. In his duntaxat, qualia hac sunt. Minus aptè ergo sic loquimur: Non Rhetoricè duntaxat; sed omne doctrinarum genus cognoscendum.* Sed non Livius sic dubitat loqui lib. XLVI: *Nec animum nobis duntaxat fidelem ac bonum præstitit; sed omnibus interfuit bellis, quæ gessistis.* Ac similiter Suetonius in Augusto cap. LXVI: *Delicta duntaxat modica perpessus.* Paullus J.C. *Cùm tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus præponatur.*

* Pag. 104. & 105.

E.

E*Tiam.* Plinius, *Studet? etiam.* Terent. *Ita*, vel integrè *ita est*, aut *sic est.*

F.

F*Acetè* pro *facundè*, Gallicus loquendi mos. Sugerius Abbas in Vita Regis Ludovici Crassi: *Singulariter & solus Trevirensis Archiepiscopus, vir elegans, & jucundus, eloquentia & sapientia copiosus Gallicano cothurno excitatus, facetè peroravit.* Dixeris *facetè* hic sumi propriè, quia præcedit fuisse virum elegantem & jucundum. Sed non videtur, si propriè sumas, satis fore ad laudem Archiepiscopi, a sapientia & eloquentia commendati, si oratio ejus solùm à facetiis commodetur. Præterea validè improprium illum usum, quem Gallicanum dicebamus, firmant verba illa Curii Fortunatiani lib. III Rhetoricæ Scholicæ: *Gentilia verba quæ sunt? quæ propria sunt quarundam gentium: sicut Hispani non cubitum vocant, sed Græco nomine agcôna: & Galli facundos pro facetis: & Romani vernacula plurima, & neutra multa masculino genere potius enunciant: ut hunc theatrum, & hunc prodigium.*

G.

G*Ratis* pro *absque caussa* usurpat vulgatus interpres: qui sic vertit, ubi Græcè δωρεὰν; sed aliter veteres Latini, quibus *gratis* notat *sine precio, immerito.*

I.

I*Nfra* pro intra. Philippus Franciæ Rex in Charta de treugis cum Joanne Rege Angliæ factis †: *Et Joannes Rex Angliæ, & homines & imprisii sui similiter erunt in eadem tenetura, in qua erant prædictâ die Jovis usque ad prædictos annos completos. Nullus multrarius, aut aliquis qui fuerit forbannitus a nobis à tempore alterius treugæ inter nos, & prædictum regem Angliæ dudum factæ, poterit intrare in terram nostram infra prædictum terminum, nisi de voluntate ipsius Regis Angliæ.*

† In Chartis Ducum Normanniæ, & regum Angl. pag. 1065.

L.

L*Eviter*, pro facile, Belgicismus est. Nam Belgæ sic *lichtelik* dicunt. Itaque & hoc, inter alia, Thomam de Kempis Belgam, non Italum fuisse, adstruit Rosweidus. Thomæ est lib. I de Imitatione Christi cap. VI §. I: *Leviter etiam indignatur, si quis ei resistit.* Et cap. XIV: *Leviter peccare.* Imò & idem *levitas* similiter pro facilitate ait ejusdem libri cap. II: *Facere cum levitate.*

M.

M*Agis posse*, pro *plus posse*, aut *magis virium habere*, pro *plus virium*, ut vulgata, ita barbara videntur.

Modo de tempore etiam diutius præterito ostendit Donatus in Adelph. Sed quæstio est an de futuro etiam sit in usu. Quomodo ad Dominum ait B. Augustinus: *Modò, atque modò; sine paulùlum: sed, modo, & modò, non habebat modum; &, sine paululum, ibat in longum.*

N.

N*Ihilominus*, pro *itidem*, Plinio Valeriano lib. I capite II.

P.

P*Arum* vel *paullum*, pro exiguo tempore dicere non ausim; sed *parumper*, vel *paullisper*. Terentii est Andr. IV. II: *Tu, Mysis, dum exeo, parumper experire me hic.* Adelph. II. II: *Paulisper mane.* Objiciunt Fabium lib. XII cap. II: *Paullum aliquid sederunt in scholis philosophorum, ut deinde in publico tristes captarent auctoritatem contemtu cæterorum.* Sed omnino hic aliud signatur, quam *paullisper*: ut meliùs patebit totum locum inspicienti.

Præ oculis esse vulgare est pro eo quod Ciceroni pro Sestio, *ante oculos obversari.*

Præcisè pro *ad unguem* posuit Cæsar Scaliger: atque hoc ut barbarum culpat in eo Cardanus Act. primâ * adversum eum, qui de Subtilitate contra eum scripserat: hoc est, Julium Cæsarem Scaligerum.

* Pag. 594. edit. Basil. Sebastiani Henrici Petri.

Præter, cum accusandi casu, pro præterquam Pacomius reg. L: *Ne dormiat quis, præter reclinam sellulam.* Hoc est, ne dormiat in lectulo, sed duntaxat in exigua reclivi, sive acclivi sella.

Pudenter, pro *ignominiosè* dicit Humbertus Sylvanectensis, contra Græcos. At veteribus notat verecundè.

Q.

Q*Uia*, pro cur usurpat Lucifer Carallitanus: *Justum est, damnare absentem, & quidem innocentem aut injustum? si injustum non est, quia cogis facere eam rem, per quam puniri mereamur à Deo.*

Quod valet *quousque*. At pro *quoad illud*, dicendum, *quo ad illud attinent.*

S. Se-

S.

S*Ecundum amicitiam nostram*; item *secundum dignitatem tuam*; vulgaria sunt, pro quibus veteres, *pro amicitia nostra*, *pro dignitate tua*.

Si pro *num*, vel *an*: ut apud Riolanum, *Quærebam si nova præparationes* (chymicæ) *novam artem medendi constituunt*. Pro, *num constituant*.

Singulariter pro *singulatim*, vel *sigillatim*, cui opponitur *generatim*, non arbitror apud classicos reperiri. Sed *singulariter diligere* est apud Cicer. IV Verr. pro *diligere* non vulgariter, sed præ cæteris. Quomodo & Plinius epist. XLIX, avunculum suum à Pomponio Secundo ait *singulariter amatum*.

Speciatim pro Ciceroniano *Etiam*. Nizolius habuit nixus illo in Oratione post reditum in Senatu: *Multa de me C. Messinus & amicitia, & Reip. caussâ dixit: legem speciatim initio de salute meâ promulgavit*. Atque ita in Palatinis MSS. & Erfurdiensi reperit Janus Gruterus. Sed Robertus Stephanus, & Lambinus *separatim* ediderunt: pro eo *specialiter*, (ut Columella, ac Fabius) quo non dubito quin MSS. potiùs codd. quàm suum sint judicium secuti: præsertim quando etiam in Cælii Secundi foro Romano lego *separatim* esse in vetusto codice exaratum. Et puto si Cicero speciatim dixisset, aliquis esset imitatus, nec pro eo *specialiter* (ut Columella ac Fabius maluissent.)

Suatim Latinis sit more suum, quomodo dixere *canatim*, *bovatim*. At juniores etiam fecere *meatim*, *tuatim*, *suatim*, de meo, tuo more, de suo, vel ex suo more. S. Althelmus episc. lib. I cap. XLII, ubi de Juliani, & sociorum martyrio: *Venusta lineamentis corporalibus: sed plus venusta suatim cycladibus compta spiritualibus*.

Superius dixi, vel *scripsi*, non puto occurrere apud idoneos scriptores. Ciceronis quidem est lib. VI epist. X: *Illa polliceor, quæ suprà scripsi*. Et de Orat. *Illa quam suprà dixi*. Pro Cæcina: *Ille, quem suprà deformavi, voluntarius amicus*.

T.

T*Am*, & *quam*, extra comparationem non temere usurpem. Quare non dicendum, nisi comparatio instituatur, *tam hoc anno quàm superiori*; *tam ipse, quàm frater*, sed, *& hoc anno, & superiori*, *cùm ipse, tum frater*.

U.

U*Bique* hæc de te prædicat, vel spargit, nolim dicere de garrulo, aut maligno. Malim *omnibus in locis*: puta urbis hujus, aut territorii. At ubique non æquè sic restrinxeris. Propterea etiam non dixero, Cicero ubique suas laudes scribit. Malim & hîc, *locis omnibus*: videlicet, quibus aliqua se offerat occasio prædicandi sui. Quem morem Tullii excusabamus in Oratoriis Instit. lib. II, cap... sect.... Sic Plato ubique ideas statuit. Sanè Ciceronis est in Tuscul. *Omnibus locis à Platone disseritur*. Imò Nizolii illa observatio: *Hac particula* UBIQUE *cum nullo alio verbo conjungitur, quàm cum verbo* EST: *vixque sine* OMNIS, *aut* QUICQUID *apud Ciceronem reperitur*. Sic sanè & Maro I Æn.

> —— *Grates persolvere dignas*
> *Non opis est nostra, nec quicquid ubique est*
> *Gentis Dardaniæ.*

Exposui de vocibus falsâ significatione, Latinisque auribus ignota. Circumspicienti, ecqua animo obversarentur, præter ea quæ γνώσματα χάριν lib. I *afferebamus, & quæ hoc libro sexto copiosiùs admensi sumus: continuò se ingens turba obtulit, sed quorum bonam partem jamdiu inspersissem Originum libris. Sæpe enim veram falsamque significationem distinguere possumus ex vocabuli origine. Ea cur hoc loco reponerem, nihil caussæ videbam. Præterea nec exscribere visum, quæ de vocum differentiis traduntur in libellis Cornelii Frontonis, Flavii Capri, Agrœcii: item illis, quæ hoc de argumento sparsim legere est apud Charisium, Sosipatrum, Servium, Donatum, Festum, Nonium: & è junioribus, in Ausonii Popinæ libris IV de Differentiis verborum. Interea non omnia, quæ illi hoc de argumento scripsere, albâ signari lineâ debent. Multa adeò in iis sese offerunt, quæ argutè magis dicant, quàm ex perpetuo Romani sermonis usu. Cujusmodi referri mereantur ad alterum caput De perperam damnatis. De quibus deinceps dicere aggrediar.

* Cap. 16. & 9 seqq.

FINIS LIB. VI.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
VITIIS SERMONIS,
FALSOQUE SUSPECTIS,
LIBER VII.

Qui est de vocibus falso suspectis barbarismi.

DE NOMINIBUS FALSO IN RECTO IPSO SUSPECTIS.

Novum igitur nobis initium esto, idque de vocabulis falso à viris doctis in ordinem barbarorum adscriptis, ut iis damnandis censores ipsi meliùs meruerint damnari. Ubi imprimis nobis negotium erit cum nostris Nizolianis veriùs, quam Ciceronianis. Etsi homini non stupido videri poterat, horum eo minùs haberi rationem oportere quia non illa modò damnant, quæ irrepserunt post irruptionem barbararum gentium in imperium Romanum, sed illa etiam, quibus utuntur proximi à Cicerone seculi scriptores: imo etiam, quæ legas apud Ciceronis æquales. Quomodo videas Paullum Manutium improbare sermonem, tum Marci, Ciceronis filii, & Quincti ejusce fratris: tum Cælii, cujus lib. octavo epistolas habemus, item Asinii Pollionis in iis, quæ ad Ciceronem scripsit.

Nec tamen cum his solis confligere propositum est, sed aliis etiam, viris sæpe doctissimis, in eo interim peccantibus, quòd dum in sermone Romano vocabula omnia metiri volunt lectione ac memoria sua, quæ non raro unumquemque decipiunt, præcipiti judicio arcent civitate Romanâ, quæ olim in ea admissa esse certis evincitur documentis.

Quia verò non exiguus earum est vocum numerus, quibus hæc injuria facta sit: & periculum est, ne facile error obrepat, si confusè, & quasi per saturam, judicium feramus de iis, quæ toto genere differunt: visum ea vocabula in duas classes distinguere: quarum prior illa contineat, ubi vox ἁπλῶς rejicitur, tanquam iis inaudita, qui purè sunt locuti. Altera verò complectatur vocabula, quæ non prorsus rejiciuntur, sed solùm in certo significatu: ut illa sunt, ubi controversia est de vocabuli abusu.

In utrisque similiter, ac ante, priùs de Nominibus loquar, hinc de Verbis, denique de Particulis.

In singulis hisce classibus, uti & superioribus libris actum nobis, voces ipsas secundum literarum seriem digessimus, non Latinorum modò, Græcorumque exemplo; sed etiam Hebræorum, qui iccirco λεξικὸν vocant שׁרשׁ, quasi dicas στοιχειωτὸν, propter voces κατὰ στοιχεῖα, digesta.

A.

Abba, pro *Abbas*. Hludovicus, & Hlotarius Augusti apud Aimoinum lib. v cap. x: *Vir venerabilis Hilduinus, monasterii sancti Vincentii, ac S. Germani Abba.* Et aliquanto pòst: *Nullus Abba audeat.* Nec damnandum: cum à Δημέας rectus *Demea*, à Πυῤῥίας Byrrhia, fit apud Terentium. Est & Quinctiliani lib. i cap. v: *Ne miremur, quòd ab antiquorum plerisque Ænea, & Anchisa, sit dictus.* Ut igitur ab Αἰνείας, hic *Ænea*, sic ab Ἀββᾶς, hic *Abba*.

Absidam apud Ecclesiasticos scriptores legas, pro *fornice*, sive *opere camerato*. Sic locuti Rutpertus de casibus S. Galli, & Ekkehardus Junior cap. vi. Apud Augustinum etiam epist. xxiii, quæ ad Maximinum, episcopum Donatistam, habes *absida gradata*; ubi locus significatur cameratus, isque editior, ad quem gradibus adscenderetur. Jubent pro *absidam* dicere *absidem*; pro *absida*, verò *absidis*: quia Græcè sit ἀψὶς, ἀψῖδος, ἀψῖδα. Ac dubitavit de eo quoque Paulinus ad Severum: *In qua æquè absidem factam indicavit. Sed de hoc absidam, aut absidem, magis dicere debuerim, tu videris: ego nescire me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor.* Cautè sanè Paullinus. Sed qui *absidem* probant, nihil est quod *absidam* culpent. Multa adeò sunt, ubi ab accusativo Græcorum forment Latini rectum suum; ut in Narbona, *hebdomada*, *lampada*, *cratera*, atque aliis. Quadrifariam verò absidem sive absidam sumi videas: pro rotæ curvatura, pro arcu, in qua inscriptio sit, pro loco editiore, ubi sedet Episcopus, pro loco, ubi conduntur reliquiæ Sanctorum. Quod variis locis comprobatum Rosweido in Onomastico ad vitas Patrum.

Adagium, vel *adagio*, rejici video: ac Cellarius quoque in Nizolio suo sive Thesauro Ciceroniano refert inter ea quæ vel barbara sint, vel saltem Tullio non usurpata. Idem facit vir summus Andreas Schottus lib. iii Tullianarum Quæstionum*. Sanè apud Ciceronem frustra quæras: sed sæpissimè apud eum pro hoc *proverbium* legas. Quid mirum? Tullii ævo jam in desuetudinem abierat. Quod clarè dicit Varro lib. vi de L. L. *Apud Valerium Soranum, vetus adagio est, ô Scipio. Quod verbum usque eo evanuit ut Græcum παροιμία pro eo positum magis sit apertum.* Dicit Valerium Soranum *adagionis* voce usum: sed suo ævo obsolevisse; proque eo usurpari *parœmia* vocabulum. Postea tamen aliqui revocare sunt conati. Ut Ausonius, præfat. monosyllaborum in fine positorum. Est & Donati ad Eun. act. iii sc. i: *Et dicta, & proverbia, & adagiones, quod rem agant, facetis hominibus adscribuntur. Adagium* tuentur auctoritate Plauti in Amphitryone, sc. *Di vostram fidem.* Sed ea scena, uti & præcedens, ac sequens, etsi sint veteris scriptoris: Plauti tamen non sunt: id dictio affectatior ostendit & in plerisque MSS non reperiuntur.

* Pag. 154.

riuntur. Atque hæc satis docent *adagium*, & *adagio* immeritò in barbaris referri: optimos tamen scriptores *paræmiam*, vel *proverbium*, vel *vetus dictum*, pro eo potiùs dicere.

Adriaticum mare Cellarius rejicit, quia Cicero pro eo in Pisoniana *Adrianum* dixerit: altera verò appellatione abstineat. Sed utrumque in usu fuit. Nam *Adriaticum* vocatur Catullo epigr. IV, & Livio lib. V: ut posteriores mittam.

Adulteratus apud Ciceronem quidem non est, qui pro eo dicit *fucatus*, *fucosus*, *falsus*, *adulterinus*. Sed ne iccirco rejiciam cum Cellario, facit quod apud Plinium lib. XIX cap. III, legatur *adulteratum gummi:* lib. X, cap. IX, *adulterato nido:* item apud Tranquillum in Cæsare cap. XLVIII: *ob adulteratam equitis Romani uxorem.*

Adoptivus nescio cur Cellarius damnet, proque eo jubeat dicere *judicio & voluntate filius.* Nam præterquam quod utantur veteres J. C. est & apud Agellium lib. V, c. XIX. Imò τῷ μητιφοροῦ Cicero ipse pro domo sua *paternis sacris* opponit *adoptiva.* Est apud Ovid. IV Fast. *Et fit adoptiva nobilitate tuus.*

Ædilatus non memini me legere apud idoneos scriptores: sed agnoscit Festus in *Ædilis*, & est in Glossis MSS: *Ædilatus*, ἀγορανομία. Cicero pro eo *adilitas.*

Æquanimus, vel *aquanimus*, & *aquanimitas* rejiciuntur à Cellario: pro priori jubet dicere *qui aquo est animo:* pro altero *animus aquus*, vel *animi aquitas.* Nec temere priori utar: etsi Ausonius usurpet in ludo septem sapientum carm. I ad Drepanium: item idyllio XXXI quod *Villula* inscribitur: indeque *aquanimiter* fit apud Macrobium lib. II Saturn. cap. IV. Sed probare nullo modo possum, quod nec *aquanimitas* probat: cum Terentius non refugerit prologo Adelphorum, & Phormionis: ubi Donatus *populi favorem*, & *propitium animum* interpretatur.

Affectatus eidem displicet, item *affectatio:* proque priori jubet dicere, *nimis exquisitus*, *appetitus*, *putidus*, *odiosus:* pro altero, *appetitio*, *consectatio.* Sanè priori usus Plinius junior in Panegyrico, & Papinius in V Sylvarum Carm. II: altero Plinius avunculus lib. XI, c. XXXVII: *Tanta est decoris affectatio.*

Afflatus improbat idem, ac dicere præcipit, *mente permotus*, *furore divino incitatus*, *insanus*, *furens*, & similibus modis. Sed non Cicero solùm substantivè ait *afflatu divino:* verùm Maro etiam VI Æn. *numine afflata.* Ac Silii etiam, purissimi scriptoris est in VI: *peste afflatus.*

Agnomen esse Latinum, negant complures. In his Joannes Sambucus Pannonius Tirnaviensis, scholiis in Somnium Scipionis, quæ dialogis tribus de Imitatione subjunxit*: *Prænomen*, inquit, *proprium est*, *nomen familia*, *cognomen eventus*, *agnomen veteres puri non agnoverunt.* Mallem dixisset, nomen esse gentis: cognomen familiæ. Quod verò negat *agnomen* iis usurpatum, qui purè sunt locuti, planè refellitur illo Ovidii lib. III de Ponto eleg. II:

> *Adjectique probent genitiva agnomina Cotta.*

Imò apud Ciceronem lib. II de Inventione legas: *Nomen autem cùm dicimus*, *cognomen quoque*, *& agnomen intelligatur oportet.* Sed hoc argumentum validius foret, nisi illa, *& agnomen*, in aliquammultis MSS, item editis, etiam illâ Rob. Stephani † absessent. Plura vide lib. I de Analogia cap. VII.

* Edit. Antverp. an. 1563.

† An. 1544.

Agricolatio damnant, cùm eo utatur Tullius lib. de Senectute. At, inquiunt, apud eum *agricultio* legendum. Cur vero? An non & Columella, purissimus scriptor, eâdem voce usus in præfatione, & libri I cap. I. Imò neque Palladius *agricolare* refugit libello de Insitione:

> *Bis septem parvos opus agricolare libellos.*

Allocutio improbat Cellarius: & cum Tullio dici vult *compellatio.* Sed Ciceronis æqualis Catullus utitur epigr. ad Cornificium.

> *Qua solatus es allocutione?*

Ubi generalem vocis usum restrinxit ad compellationem, quæ fieret ad consolandum. Varro in VI de L. L. *Hinc allocutum mulieres ire aiunt*, *cùm eunt ad aliquam locutum*, *consolandi causa.* Prout eum locum rectè emendavit P. Victorius lib. VIII Var. Lect. cap. XXIII. *Allocutio* nempe, ut Græci pro eo παραμύθιον. Ac *alloquium* pro eodem Horatius, quando Epodon od. XIII ait, in ægrimonia *vinum*, & *cantum*, alloquii quo solemur quempiam, vicem præstare. Muretum adi Var. Lect. lib. II cap. IV. Generatim verò *alloquii* voce usi Livius, ac Plinius uterque uti *allocutionis*, Plinius lib. II epist. postremâ.

Alternatio rejicit Index barbarorum Nizolio additus. Sed non dubium quin ut Paullus ex Festo, ita ille ex Verrio, qui ætate vixit Augusti, hauserit illa verba: *Alternatio per vices successio.* Quanquam scio *vicissitudinem* maluisse Tullium: uti nec *alternare* apud eum reperias. Sed usi Maro, Propertius, Ovidius: usus item Columella, purissimus scriptor, ac Plinius sæpissime.

Alterplicem non possum damnare, cum apud Festum sit, *Alterplicem*, *duplicem.* Est ea forma à plicando, qua *duplex*, *triplex*, *septemplex*, *multiplex.* Usus quoque S. Gerardus abbas Sylvæ-majoris in vita S. Adalberti*, cap. V §. XXVI: *Illi minimum erat in talibus consulere: utpote qui alterplicem imperii curam solebat disponere.*

* In Vitis SS. ad 2 Jan.

Alteruter rejicitur in eodem Indice: pro quo dicendum dicitur *uterque alter.* Neque id tantum in editione fuit accuratissimi Pauli Manutii, sed etiam in Heroagiana, cujus Indicem Cellarius adamavit. Sed non possum non mihi persuadere erroris aliquid latere. *Alteruter* quidem crebrum ipsi Tullio: *uterque alter* nemo dixit.

Ama, vel *amula*, legas sæpius inter vasa sacra Ecclesiæ Romanæ. Anastasius de vitis Pontificum cap. XXXIV, quod est de S. Silvestro: *Constantinus Augustus obtulit —— amas argenteas duas*, *pensantes singulas libras XV.* Expositio Ordinis Romani: *Amula vas est*, *in quo vinum affertur.* Glossæ Msæ: *Amula*, περιρραντήριον. Hoc est, vas, quod continet aquam lustralem. Ab amoliendis periculis dici putabat Sipontinus. Sed omnino ab Græcis acceptum; ut mox parebit: ne cum nonnullis inter barbara reponas. Etsi Christiani ad vasa sacra restrinxerint. Generatim enim *ama* vas aquarium: unde & Belgis *ame*, & *emer*, sive *emmer:* priori significantur duæ metretæ Atticæ, altero hydria, sive situla. Amam inter vasa liquidorum reponit etiam Cato de re Rust. cap. CXXXV: Plinius in epistolis, Juvenalis quoque, cujus illud sat. XIV:

> *Dispositis prædives hamis, vigilare cohortem*
> *Servorum, noctu Licinus jubet.*

Ubi sic scholiastes vetus: *Per translationem disciplina militaris sparteolorum Roma*, *quorum cohortes in tutelam urbis cum hamis*, *& cum aqua vigilias curare consuerunt vicinis.* Ubi hama sive ama, quod Belgis *brand-emer.* Valde eos ratio fugit, quia hoc loco impulsi priorem in *hamis* corripiunt. Nam omnes poëtæ producunt eam, ut non fit credibile, solum Juvenalem contra agere. Quare Turnebo adsentio, qui lib. XIX cap. XXIII statuit *hamis* hic esse ab hama, sive ama, vase aquario, quo ad restinguenda incendia uterentur. Belgis est *brand-emer.* Est verò origine Græcum. Nam Plutarchus quoque lib. de solertia animalium ait, ἄμαις καὶ σκάφαις ἀρύονται.

Ambâges rejicit scriptor Indicis Nizoliano thesauro appositus, ac *circuitionem*, vel *anfractum* vult dici cum Cicerone cujus & illud pro Quinctio: *Aliquo circuitu ad id pervenire quo velis.* Sed *ambagis* voce non soli utuntur Maro, Horatius, Ovidius, ac poëtæ cæteri: sed Livius etiam, ut Tacitum cum Agellio taceam.

Ancile quidem non reperias apud Tullium, qui περιφράσει hoc pacto maluit Philipp. XI: *Id signum*, *quod cælo delapsum Vesta custodiis continetur.* Sed non eo cum Nizolio, vel Cellario, improbem. Quando utuntur non modò Juvenalis, & Suetonius, sed etiam qui Ciceronis & Augusti ævo vixere: ut Varro lib. VI de L. L. & Livius lib. I. ex poëtis Maro, VII & VIII Æneid. Ovidius III Fast.

Anguina, pro fune, est apud Abbonem de obsid. Lutet. lib. I:

Anguinisque trahebantur ripas secus ipsa.

Sed barbarum non est, quando eo usus Cinna:

Atque anguina regit stabilem fortissima cursum.

Adducit Isidorus lib. XIX Orig. cap. IV, quod est de funibus. Præmittit verò, *Anguina, qua ad malum antenna constringitur.* Ubi tamen *anquina* etiam Ms. noster. Sed malim anguina, quia, ut puto, id nomen ab anguis similitudine, quomodo & posterioribus anguilla, scutica, qua pueri feriuntur in scholis teste Isidoro in Glossis. In Glossis *Anguina* exponitur ἄγκυρα, anchora. Perperam ut puto, etsi aliter visum Martinio.

Annotationes quas dicimus, idem Cellarius *notationes*, vel *observationes* cum Cicerone jubet nominare. Sed Fabii est *annotatio*: pro quo *annotamentum* apud Agellium est lib. I cap. VII, lib. XVII cap. II, & lib. XX cap. ult. Quemadmodum & ejusdem est *annotatiuncula* lib. XVII. cap. ult.

Anticatones etiam improbatur ab illius jam sæpius memorati Indicis concinnatoribus: ac pro eo jubent dicere *Cæsar contra Catonem*; ut Cicero loquitur in Topicis, & ad Atticum gemino in loco. Equidem non illud contra eos afferam, quòd Juvenalis sat. VI: *Anticatones* appellet: sed quod ipse sic inscripserit Cæsar eloquentia fortasse, at non item puritate sermonis inferior Cicerone. Nec enim dubitandum, quin ipsam inscriptionem operis retinuerit Tranquillus cum in Julio ait, *Reliquit & de Analogia libros duos, & Anticatones duos.* Nisi quis tam absurdè sapit, ut credat, Cæsarem inscripsisse libros suos *contra Catonem*, & hoc Tranquillum extulisse vocabulo hybrida, ex Græca quippe, & Romana voce conflato. Nec nisi Cæsar ipsius ea fuisset inscriptio, sic Fabius scriberet lib. I: *Ex peregrino, & nostro, componuntur dictiones: ut Epitogium, & Anticato.*

Apertura pro apertio, quod Varronis, damnant. Sed Vitruvii est lib. V cap. V. Cujus auctoritate se possit tueri Thom. Walsingam. in Hypodigmate Neustriæ*: *Cum amplexaturus brachiis expansis nudato corpore approximaret, hasta illa in loco ubi cor latuit, facta apertura intravit*, &c.

* Pag. 461.

Apologia etiam rejicitur. Nec sanè Latini veteres usi: sed pro eo *defensionem*, dicunt, vel *excusationem*: vel, uti Cæsar, *caussæ dictionem.* Interea pura vox Græca. Sed quod pro eo χέλιον dicere jubet idem Index: id vero nihil est, ut satis ex Suida liquet: & Luciano, qui pro glossemate usurpat.

Aquaticus quidem non legas apud Ciceronem, cui *aquatiles bestiæ* in II de Nat. Deor. ac alibi pro eo *nantia*, vel *natantia*, ait. Sed tamen apud Plinium *aves aquaticas* invenias lib. X cap. XI, & XLVII: ac plantas etiam *aquaticas* ait lib. XVI cap. XXXVI, & XLVI. Imò prior hoc Ovidius loton similiter *aquaticum* dixit IX Met. uti & III de Arte, *aquaticum austrum*, quia pluviam ciet, unde & illi *austri*, ac *noti*, nomen.

Aquosus item dicendum negat: sed cum Tullio *humidus*. Non dicam frequens alterum esse poëtis: sed quod & Livius lib. IX dicat, *campum aquosum*, & Columella lib. IV de ficis ajat, *aquosis auctumni temporibus.*

Argumentosus est Quinctiliani lib. V cap. X. Absque eo esset, quis non damnaret in posterioris ævi scriptoribus: ut apud Petrum Blesensem tractatu I de Pœnitentia, *Argumentosa astutia.*

Armilustrium eo non placet eisdem, quia Cicero pro Cæcina malit circuire hoc pacto: *Tanquam si arma militum inspicienda sint.* Sed est semel iterumque ea vox apud Varronem lib. V de L. L. ut Verrii sive Festi epitomen taceam.

Arquites, arcu instructi, sagittarii. Urſio, abbas Altimontensis in Belgica, qui ante annos vixit sexcentos, de vita Papæ Marcelli lib. II cap. IV, §. XII: *Funduntur populi, procedunt arquites pueri.* Vox est obsoleta, non barbara. Festus: *Arquites, arcu præliantes, qui nunc dicuntur sagittarii.*

Artificialis, & *artificialiter* rejicit: quibus Fabius utitur, nec ut puto, sine veterum exemplo. Satius interim loqui cum Tullio, qui pro eo *artificiosus*, & *artificiose*.

Aspretudo non Tertulliani modò est, sed etiam Cornelii Celsi. Gloss. Mss: *Aspretudo*, τοῦ ὀφθαλμοῦ τὸ ἄχειν.

Assertor qui vocatur, *vindex* nuncupandus: secundùm Indicem sæpius jam memoratum. At qui Terentii est Adelphis:

Nam ego illam liberali caussâ manu assero.

Ubi sic Donatus: *Nam & assertores dicuntur vindices alienæ libertatis: & ipsa caussa liberalis dicitur, quæ actionem in se continet libertatis.* Est & Livii lib. III; *jam à vi tuta erat, cum assertor nihil opus multitudine concitatâ ait, se jure grassari non vi.* Uti & Ovidius, Martialis, Tranquillus. Glossar. *Assertor*, καρπιστής.

Assuetudo improbat, at placet *consuetudo*, quia Tullianum. Verùm non est tanta egestas sermonis Romani, ut sæpius non plurifariam idem dicatur. Nempe ut *consuescere*, & *assuescere*, ita *consuetudo*, & *assuetudo*: quod apud Ovidium non semel, & Tacitum lib. II Histor.

Aulæa, in muliebri genere pro *aulæum*, esse probum, fidem fecerit elegantissimus scriptor Curtius lib. VIII cap. V: *Nec quisquam eorum, quæ invicem jactata erant rex ignorabat; quum post aulæam, quæ lectos obduxerat, staret.* Sic complures bonæ notæ Mssi, & optimæ quæque editiones: etiam postrema clarissimi Frenshemii: cujus sis variarum in Curtio lectionum libellum adi.

Austria vocabulum nunquam induxissem: nunc postquam adeò receptum utor libens, non ignarus licet, regionem quæ Germanis *Oesterreich*, *Austriam*, sono dici depravato. Nam non est ab *Auster*, sed Germania *oest*, sive *oost*, quod Orientem notat. Caussa nominis, quia postquam Carolus Magnus eam ditionem Hungaris ademit, esse cœperit Marca sive limes Imperii maximè Orientalis. Præfecti igitur dicti *Marchiones*; idque ad annum usque CIƆCLXVIII, quo Henricus I ex Marchione Dux designatus ab Imperatore Frederico I. Primus ex Duce Archidux factus Fredericus IV, Cæsaris Maximiliani I parens. Quia verò parum commoda est vox *Austria*, ut quæ Australem potius plagam, quàm Orientalem, sonare videatur; eo aliqui retinuere vocem Germanicam maluerunt: ut Robertus Aquensis Chronici Hierosolymitani lib. II cap. I, *In terram Osterreich.* Et lib. VIII cap. XXXIV. *De marchia Osterrich.*

Auxiliator non tam placet, quàm, ut Tullius loquitur, *adjutor*: non tamen prius illud rejicio, ut Cellarius. Utitur enim Quinctilianus lib. XII cap. III.

B.

B*Enevolus* malim cum Tullio: Latinum interim & *benevolens*, quod cur cum iis damnem cum crebrò adeò utatur Plautus? de quo dixi lib. II de Analogia cap. XXV.

Beggina vocabulum in barbaris reposuimus libro II cap. III. Nec tamen penitus aspernor, uti neque *nonna*. Hadrianus Junius in Nomenclatore ait, eam, quæ dicitur nunc *beggina*, vel *nonna*, Latinis vocari virginem *Vestalem*, vel *sacram*. Sed Vestales Vestæ erant dicatæ, non Christo. Quare neque id nomen Christianum dici possit. Malim igitur *sacras* vocare. Interim & hoc nimis laxum, cùm id nomen conveniat etiam nonnis. Atqui nonnæ quidem votis alligantur: non item begginæ; quæ nubere possunt, etsi id faciant rarò: proprias etiam habent fortunas, contrà quàm nonnæ: nec includuntur, ut hæ; unde & *claustri* nomen datum. Nomen verò Begginis à S. Begga, quæ vixit circa finem seculi sexti. Soror fuit S. Gertrudis, vidua S. Ansegisi: ex quo peperit Pipinum Crassum Herstallum, Caroli Martelli patrem, Pipini Brevis avum,

Ca-

Caroli Magni proavum. Ea Begga post mariti sui Ansegisi excessum, vitam amplexa est ἀσκητικὴν*. Unde quæ exemplum imitarentur Begginæ nuncupantur. Inde & *begginasium*: pro quo tamen dixero potius *asceterium begginarum*, vel *curiam* earum, ut Belgis *beggijn-hof*. Valde deceptus Joachimus Hopperus, qui judicabat vocem *begginarum* esse a *beginnen*, h.e. incipere: quia huic se vitæ initiantes initia consequantur vitæ melioris.

* Exercitatricem.

Botellus inter barbara video referri ab iis, qui glossaria nobis condiderunt. Et sanè legas in Legg. Anglorum, item Frisonum: ad quas editione tertia, Tit. IX. §. XXXI habes: *Si stomachus vel botellus perforatus fuerit, ita ut stercus per vulnus exierit.* Ubi videmus stomachum, & botellum, distingui. Unde liquet falli, qui putant *stomachum* signare, ob similitudinem Gallici *bouteille*. Origo est Græcanica. Nam à βόω (unde βόσκω, ut a πάω pasco, venit βοτὸν, *alimonia*, uti hinc non βοτάνη modò herba, ac propriè alimoniæ idonea, à quâ voce *botanicis* nomen) sed etiam *botulus*, intestinum, quia alimoniæ retrimenta continet. Hinc pro farcimine acceptum, quæ similiter farciuntur frustulis carnis. Agnoscit botuli vocem Festus: sed perperam arbitratur venire à *bolis*, cui modulus syllabæ primæ repugnat. Nec sic *botulus*, sed *bolulus*, diceretur. Usus Laberius in Mimo, qui Saturnalia inscribebatur: ut testatur Agellius lib. XVI Noctium Att. cap. VII. Sed reponit inter voces, de quibus, an Latinæ sint, quæri solet. Equidem non dubito, quin sic loqui soleat vulgus Romanum: uti hodieque omnibus in linguis obtinent vocabula quædam quæ elegantiores fugiant, sæpe etiam nesciant. A *botulus* verò *botellus*: quo non semibarbari modò usi, sed etiam Claudianus Mamertus: sed perperam apud eum per primam vocalem *batellum* est exaratum. Locus est lib. III de statu animæ: *Quæ pulmonum cava, quæ tortuosa batulorum enodibus ligaturis explorat inflexiones, ac reflexiones.*

Buxum in recto casu alii pro ligno, alii pro arbore accipi posse negant. Falluntur utrique. Nam pro ligno usurpat Maro VII Æn.

—— *Mirata volubile buxum.*

De turbine sermo est. At pro arbore utitur Ovidius III de Arte:

Nec densum foliis buxum, fragilesque myrica,
Nec tenues cytisi, cultaque pinus abest.

C.

CAndela nescit Cicero Nizolius sive Cellarius. Itaque *lumen* pro eo dicere jubet. Sed ut Cicero non usurpet *candela*, sæpius tamen apud eum *candelabri* vocem legas, ut in Verrinis: *candelabra ænea*, vel *è gemmis clarissimis*. Atqui *candelabrum* est id, in quo figitur *candela*; ut *delubrum*, ubi Deus statuitur; nisi hoc à *deluendo* malis. *Candela* verò à *candeo*, ut a *suadeo suadela*, à *medeor medela*. Præterea *luminis* vox laxiùs patet, quam *candelæ*. Nam & inter lumina nocturna, etiam erant tædæ, aliaque ligna ardentia: quas Homerus λαμπτῆρας vocat Odyss. Σ. Ac Maro eundem morem tangit:

Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Tædarum usus est vetustissimus. Secutus postea candelarum. Denique lucernarum. Quare puto, nec *candela* vocem refugisset Cicero, si opus fuisset distinctius aliquid dici: ut si *candela* fuisset distinguenda à *lucerna*. Quæ differunt, quia *candela* fit è cerâ, sebove: in *lucerna* sive lampade oleum est pro flammæ alimento: unde Varro Inglorio περὶ φθόνου: *Denique omnis cum lucerna combusta est in lucubrando; olivitasque consumta est.* Esse verò lucernarum recentius, quam candelarum inventum; constat ex Varronis lib. IV de L. L. Martialis lib. XIV epig. XLII, Athenæi lib. XV. Dipnosoph. cap. ult. Ubi & vide quæ Casaubonus annotavit.

Carotum vulgo dicimus genus pastinacæ sativæ. Et καρωτὸν videas dici in quibusdam Athenæi codd. lib. IX. Improbat Casaubonus lib. IX Animadvers. cap. III. Ac jubet rescribi καρωτόν. Nam, inquit, *in translatione plantarum neque Latinus, neque Græcus nominat.* Verum non occurrebat Apicium nominare.

Cataphractus rejicit, dicique vult *tectus ac munitus ad pugnandum.* Sed sunt & equites cataphracti: qui & *ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent*: ut eos describit Servius ad illud XI Æn.

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Atque ibidem adducit ex opere Sallustii deperdito: *Et sequebantur equites cataphracti.* Item: *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Usus & Livius non semel. Nec dubium, quin usurpaturus fuerit Tullius, si itidem historiam vel de re bellica scripsisset. *Cataphractarius* non itidem dixeris, quod apud Lampridium, non tam bonum auctorem. Uti nec *clinabarium*; quod ambigo, utrum a Persis sit, sicut idem Lampridius in Severo docet: an inde, quod *lorica* κλίβανον vel κλιβάνιον dicatur Leoni Imp. in Constitut. Constantino in Tacticis, Achmeti cap. CLVI, item Curopalatæ, Nicetæ, Moschopulo. Nec pro eo *crupellarios* usurpem: etsi eosdem crediderit Alexander Neapolitanus lib. VI cap. XXII. Nam *crupellarii* pedites fuere: quantum ex verbis Taciti videre licet: coque nec *clibanarii* istic legerim: quos fuisse equites docet ex Lampridio, Nazario, Ammiano.

Cavillis, h.e. cavillatione aliquem gaudere quin dicatur, dubium non est. Sed de recto hærent aliqui. *Cavilla* dici constat ex Plauto Aulul. act. IV sc. IV:

Pone hoc sis, aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.

Interim perperam, ut puto, alii damnant *cavillum*, alii *cavillum*. Nam Appuleji est lib. II Metam.: *Jam risus adfluens, & joci liberales, & cavillus hinc inde.* Sic libri constanter. At idem lib. II Met.: *Jam scitum est cavillum: jam dicacitas tinnula.* Et Festi etiam est: *Cavillum, cavillatio, id est, irrisio.*

Caulis pro brassica sumitur Plinio lib. XVII cap. XXIV: *Odit & caulem vitis & omne olus.* Indeque Belgis dicitur *kool*. Itaque non accessero Cæsari Scaligero, qui Animadversionibus in Theophrasti Histor. lib. I cap. I. scribit, nunquam se *caulem* dictum pro plantæ specie sed solùm parte, puta stipite herbæ, cui in arboribus *caudex* respondet.

Choleram Cellarius præcipit cum Cicerone *bilem* vocare, vel, cum eodem χολήν. Sed multum ea distant. Quippe χολὴ, *bilis*, unus ex quatuor humoribus, qui calidus, & siccus: χολέρα autem bilis, in quo bilis vel excernitur, vel etiam evomitur. Ac nomen choleræ inde est, quia bilis supra, infraque, erumpit, & vomitu, & dejectione, concurrente: ut docet Celsus lib. IV cap. XI. Cùm verò *cholera* non semel Celsus usurpet: & eo junior Plinius Veronensis lib. XXXI, cap. VI, satis liquet, vocabulum esse, quod honestus sermo non respuat.

Cinædum rejiciunt, proque eo dicere jubent: *Puer meritorius, catamitus, qui turpiter patitur, nihil flagitiosum putans, quod alteri collibeat; ea patiens, quæ alteri facere collibeat.* Sed usurpat Catullus & A. Gellius libro III, cap. IV.

Circumlocutione poëticâ Gellius inquit libro III, cap. II ut non eò vox *circumlocutionis*, ex opinione illius, qui memoratum Indicem contexuit, vel Andreæ Schotti in III Tusculanarum quæstionum* repudiari debeat; utcunque Cicero pro eo nunc *circuitione*, nunc *anfractu* dicat.

* Pag. 223.

Clancularius ibidem rejicitur: præferturque Ciceronianum *furtivus*, & *clandestinus*: & his uti malim. Interim Martialis est lib. X epig. III:

Poeta quidam clancularius spargit.

Quomodo & Tertullianus lib. de Pallio cap. IV ait: *Tantum Lydiæ clancularia licuit, ut Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule prostitueretur.* Ubi prostibulo opponit meretricem clanculariam. Ut à *primus primarius*; à ple-

à *plenus*, *plenarius*: sic à *clanculus* (unde *clanculum*, & *clanculo*) *clancularius* Tertulliani, ut quidem è μσυ Salmasius emendabat, est lib. de Pallio cap. IV: *Jam virum alicui clanculum funLtum.*

Classicus barbarum videtur Jacobo Cellario Augustano, qui Ciceronianum Nizolii Thesaurum adauxit. At vetus Romanum fuit jam ab eo, ut videtur, tempore, quo Servius Tullius sex in classes distinxit populum Romanum. Sed hoc non ferendum, quòd idem ait Ciceroni in Tusculanis, eos quos *classicos* dicimus, *minorum gentium* dici. Nam *majorum gentium* rectiùs dixisset. Nec enim *vulgaris nota* significantur, ut ille arbitrabatur: sed primæ notæ. Suffecerint illa Agellii lib. XIX cap. VIII: *Ite ergo nunc, & quando fortè erit otium, quærite, an quadrigam, & harenas dixerit è cohorte illâ duntaxat antiquiore, vel oratorum aliquis, vel poëtarum: id est, classicus, assiduusque aliquis scriptor, non proletarius.*

Classicum quoque idem ineptè improbat, quo non Maro solum, aliique utuntur poëtæ, sed etiam Cæsar lib. III de bello civili, Livius lib. II, & tot alii.

Clima eidem displicet: placet *cingulus*, quia sic Cicero loquatur. Sed illi *cingulus* aliud est: nempe idem ac *zona*: ut liquet è Somnio Ciceronis. At *clima* Astrologis est spatium inter duos parallelos: in agris quid sit, Columella dicet lib. V cap. I: *Clima quoquoversus est pedum* LX. Nec caussa est, cur Columellæ purissimi scriptoris, exemplo uti vereamur.

Coæqualis, pro æqualis, rejicit Index Ciceronianus Nizolii, ac Cellarii. Nec lego apud Ciceroniani ævi scriptorem. Sed puri quoque sermonis amantissimus est Columella, qui usurpat lib. VIII cap. XIV; ubi de ansere: *Atque ubi se paullum confirmavit in gregem coæqualium compellitur, & hordeo alitur.*

Coitus quoque rejicit: ac è Tullio substituit, *concubitus, conjunctio, complexus venereus, obscœna voluptas, commiscendorum corporum libido, venereis voluptatibus frui, rebus venereis frui.* Scite omnia: sed *coitus* vocabulo, ut poëtas mittam, non abstinuit hac significatione Plinius lib. X cap. LXI, vel Agellius lib. XIX cap. II. Ac *coitum humoris* est apud antiquiorem his Cornelium Celsum lib. V cap. XVIII.

Conceptus animi non ausim eo cum eodem damnare quòd Cicero pro illo dicat *sensa animi*, vel *cogitationes*: at *conceptus* voce utatur de animantium conceptu fœtuque. Siquidem sufficere videtur, quod nec verbale refugit, etsi alia significatione: & verbo eadem significatione utatur Fabius, cujus est lib. I cap. II, *concipere imagines animo.* Est & Ovidii I Met. *iras animo concipere.* Et Taciti III Annal. *Non servili animo concepit.* Adderem Tullii ipsius, *liberùm conceptam animi dulcedinem.* Sed sunt ea verba ex initio orat. ad populum, & equites, priusquam iret in exilium. Quæ oratio nihil minus est, quàm Ciceronis: quippe insipida prorsus, seu verba, seu rem consideres.

Concoctionis vocabulum nescit Tullius: scit *digestionis*, quod idcirco præfert auctor Indicis sæpius memorati. Sed posteriori sæpius utitur Plinius. Et *concoquere cibum*, etiam Ciceronis est in II de Nat. Deor. & II de Fin. Cujus & illud ad Att. lib. IV ep. XVI: *Stomachus concaluit, ut digerat multa cruda facilius.* Ita quidem hunc locum adducit Nizolius tam in Manutiana editione, quam illa Hervagii. Sed apud Nonium † est hoc pacto: *Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitat olim, concalluit.* Hinc sequitur in cunctis Ciceronis codd. *Privata modo, & domestica nos delectant.* Illa verò, *ut digerat multa cruda facilius*, ex glossemate in contextum irrepsere nonnullis codd. Sed jure absunt in illa Rob. Stephani, Lambini, Bosii, Gruteri.

† In Concalluit.

Conditura ab ejusdem Indicis scriptore rejicitur. Sed est Columellæ lib. XII cap. IV, & Seneca lib. III de Ira cap. XV.

Copula quidem nescit Cicero: qui *copulationem* mavult dicere. Sed priori utuntur Plautus Epid. Horatius lib. I od. XIII, Ovid. V Trist. el. X, Appulejus lib. IX.

Consanguinitas, pro quo ex Cic. *sanguinis conjunctionem* dicendum ajunt, apud Livium est lib. VII.

Consistorium Ausoniano ævo in usu fuisse ostendit ejus gratiarum actio pro consulatu. Imò Tertullianus multò ante usus, qui lib. de spectaculis, theatrum vocat impudicitiæ consistorium, cum ait: *Hoc modo etiam à Theatro separamur, quod est privatum consistorium impudicitia. ubi nihil probatur quam quod alibi non probatur.* Idem lib. II ad uxorem lupanaria vocat consistoria libidinum publicarum: *Procedat*, inquit, *de januâ laureata & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Ammianus Marcellinus quoque utitur: *Inductu*, inquit, *quadam solemni die Agentibus in rebus, in consistorium ut aurum acciperet.*

Consortium, pro quo *consociatio* jubent dicere, est Celsi lib. VII: *Orto in vesica cancro, cui cum vesica quoddam consortium est.* Similiter Papinianus L. Si frat. §. idem Papin. D. pro socio. *Si inter fratres voluntarium consortium initum fuerit.*

Consummatus prohibent dicere. Et facilè assentio iis, qui Ciceronem usum negant. Scio objectari hoc è Philippica XI: *Bella quæ à consulibus gesta, & consummata sunt.* Sed Muretus in scholiis ad eum locum hæc annotat: *In libro vetustissimo apertè scriptum est*, GESTA, ET CONFECTA SUNT. *Ab aliis, etiam calamo exaratis, absunt duæ illæ voces*, ET CONFECTA. Sed quod eo volunt pro *consummatus* semper dicendum, *absolutus, perfectus*, vel simile quid, id verò est damnare Columellam, Plinium utrumque, Fabium, ut ex poëtis Lucanum, Senecam, ac Martialem omittam: qui omnes sic locuti.

Contemtibilis non planè aversor propter Ulpianum de Officiis Proconf. Indeque *contemtibilior* apud Lampridium in Alexandro. Malim tamen cum Tull. *contemtus*, vel *contemnendus*.

Contentiosus, pro quo *pugnax* commendant, est apud Plinium lib. II epist. XIX, quæ ad Cerealem: item Quinctilianum penè initio declamat. V.

Conterraneus rejicit auctor Indicis Nizolio adnexi, proque eo *popularem* jubet dicere. Uti alii *civem*, vel *municipem*: aliqui etiam *gentilem*: quod ea significatione apud Agellium legas lib. XVII cap. XVII. Sed *conterraneum* ea significatione rectè sumi negat Giffanius Indice Lucretiano voce *Gentilis*. Atqui ut ea vox non obtinuerit in Urbe, in castris tamen erat usitata inter milites Romanos. Ideò Plinius, cùm ad Imperatorem, quæ & ipsa vox castrensis, scriberet, in nuncupatione operis sui eâ potissimum voce uti voluit. Ipsum audiamus: *Ut objice remolliam Catullum conterraneum meum. Agnoscis & hoc castrense verbum.*

Contiguus, pro quo Cicero *contingens*, vel quæ inter se penè contingunt, apud Ovidium est IV Met. & IV Fast. Plinium lib. II cap. IX. Agellium lib. IX cap. I.

Continuitas, pro quo *continuatio* è Tullio volunt, apud Plinium est lib. VIII cap. XXX.

Contributio negant dicendum, sed cum Tullio *tributum*, & *tributi confectio*. Verùm Papinianum purè loqui scio: cujus hoc L. I. D. Ad Legem Rhodiam de jactu. *Lege*, inquit, *Rhodiâ cavetur, ut si levandæ navis gratiâ jactus mercium factus est, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est.*

Convotus, pro conjurato usurpat Gerardus abbas Sylvæmajoris in vita S. Adelardi * cap. V. §. XXII: *Cujus invidia adepto tempore, vindictâ accensi, quatenus eum separent à latere Regis, firmantur convoti.* Nec damno, quippe apud Festum lego: *Convoti, iisdem votis obligati.*

* In Vitis SS. ad 2 Jan.

Coqua Latinum negat vir doctus in Analectis linguæ Latinæ, ac Henricum Stephanum eo nomine culpat quòd utatur. Sed fecit hoc exemplo Plauti Pœnulo Act. I. Sc. II.

Corporatus unico Ciceronis loco legas: penè initio Timæi, sive de Universitate. *Corporatura* autem non usurpat: verùm usi Vitruvius lib. VI cap. I, & Columella lib. VI cap. II: ut Vegetium, & alios juniorum mittam.

Criminalia, vel *criminalis caussa*, negant dicendum, quia Cicero pro eo *capitalis* dicat: ut *Rerum capitalium quæstiones*: &, *Rei capitalis reus*. Vel cum eodem dicendum, *Causa capitis*, aut *lis capitis*. Vel *caussa criminis*, aut *ex crimine*. Sed Jurisconsultis veteribus, verborum curiosissimis, vix aliud usitatius, quàm *criminalis caussa*, *actio*, vel *accusatio*.

Crumenam rejicit idem Index: & jubet dicere *thecam nummariam*, propter illud Ciceronis ad Att. lib. IV epist. VII: *Nummi meo periculo sint. Quare in hoc thecam nummariam non retexeris: in aliis eris cautior*. Sed *crumena* crebrum est Plauto: ut Asin. III. III, Pseud. I. II, & Trucul. III. I. atque alibi. Usi etiam Horatius lib. I. ep. ad Tibull. & Juvenal. sat. XI. Agnoscunt & Festus, Noniusque: qui sic *veteres* ait dixisse pro *bulga*.

Cujum pecus in Marone culpavit ejusdem ætatis Antibucolicorum scriptor: cujus versiculos adducebamus cap. I. Non obducam nunc Plautum; apud quem legas, *cuja vox*, *cuja fidicina*, *cujam vocem*, *cuja caussa*: non Terentium, qui dixit, *cujum puerum*, & *cuja virgo*. Tullio contentus ero, cujus est *cuja interest*. Idem quoque libro primo Actionis secundæ in Verrem: *Ut optima conditione sit is, cuja res sit, cujum periculum*.

Cujusdammodi aliquatenus barbaris accensendum, censet Giffanius† Observationibus L. L. Atqui ut de Plinio, & Fabio, taceam, usus eo quoque Columella.

† *In Cujusdammodi.*

Curvamen Ciceroni *aduncitas* II de Nat. Deor. Sed præter Ovidium, Siliumque, prius placuit Plinio Juniori, & Agellio.

Cuspis, scio, Ciceroni *mucro*. Sed alterum usurpatum Virgilio, Horatio, & cui non poëtarum?

D.

D*Almatia*, & *Dalmata*, quæ vulgo obtinent, nolim damnare, quando Strabo per A scribit, ut & *Dalminium*, à qua civitate genti nomen. Quemadmodum & pro eadem *Dalmium* ex Quadrato, habet Stephanus περὶ πόλεως. Malim tamen *Delmata*, & *Delmatia*, & *Delminium*, vel *Delmium*, quia Latini sic potius scripsisse videtur. Sanè crebrius per E exaratum in Fastis Capitolinis, & aliis vett. monumentis, quàm aliter. Estque Velii Longi lib. de Orthographia: *Placet etiam, ut Delmatiam, non Dalmatiam, pronunciemus, quoniam à Delminio, maritima civitate tractum existimatur*.

Damnosus non legas apud Ciceronem: sed pro eo dicit, *qui alicui damno vel malo est*. Sed utuntur Terentius, Livius, Columella, Plinius, Tranquillus; ut mittam Horatium, Ovidium, aliosque poëtarum.

Deceptor idem Tullius refugit: qui ait circumscriptor. Sed usus Seneca Thyeste.

Declivis idem ignorat: sed dicit *devexus*, *præceps*. Verum sæpè est apud Cæsarem libb. de bello Gallico. Qui & *declivitatem loci* ait.

Delectabilis ignotum ei: sed pro eo ait, *habens magnam delectationem*. Sed *cibo delectabili* est apud Tacitum lib. XII. Ac *delectabiliter* inde Agellio lib. III cap. XXIII.

Demandatus repudiant, quia Tullius sic nunquam: sed *mandatus*, *injunctus*, *impositus*. Sed usus Tranquillus Calig. cap. XLI: *Proximo collusori demandatâ vice suâ*.

Demirandus damnant pro *admirandus*, *admirabilis*. Sed Agellius usurpat lib. XVI cap. XVIII.

Deputati voce timidè utar: quia vix nisi in Digestis, Codice, ac Notitiâ imperii, reperias.

Deridiculus, pro *ridiculo*, repudiant. At Agellii est *deridicula vanitas* lib. X cap. XII. Imò & Varro in I de R. R. cap. XVIII, & Livius in IX belli Macedonici, *deridiculum* pro *ridiculo* dixere. Uti *dericulum substantivè* pro *irrisu*, Plautus, Lucretius, Tacitus.

Deses non est Tullii: sed *desidiosus*, *iners*. Interim Livii lib. I est, *desidem Regem*: & lib. III: *Sedemus desides domi*: Columellæ lib. VII cap. XII: *Agricolam avocat, desidemque ab opere suo facit*.

Desponsatus eâdem de caussâ Index hic improbat: nempe quia Cicero malit *desponsa*. Atqui nec ille *desponsatam* refugit lib. II ad Quinctum Fratrem: *Tulliam nostram Crassipedi esse desponsatam*. Sic sane omnes editi: & magna pars MSSorum. In nonnullis tamen est *desponsam*. Quicquid de Tullio sit, Tranquilli est in Julio cap. I: *Cossutia prætextato desponsata*.

Dexteritas quidem non legitur apud Ciceronem: sed ut non propterea rejiciam cum memorati sæpius Indicis scriptore, facit Livius lib. VII: *Multa in eo & dexteritas, & humanitas visa*. Nec refugit Agellius lib. XIII cap. XVI.

Diametros vel *diameter*, nuspiam legas apud Tullium: qui *mediam lineam* vocat in Timæo. Sed Columellæ est lib. VI: *Est area rotunda, cujus diametros habeat pedes* LXX. At *diameter* est apud Macrobium lib. II in Somnium Scip.

Diluvium & *diluviem*, nescit Tullius: cui dicitur *eluvio terrarum*, *mira proluvies*, *magna vis aquæ*. Sed *diluvium* usurpat Maro in XIII, & Plin. lib. VIII epist. ad Macrinum. *Diluviem*, Lucretius, Horatius, Plinius lib. IX cap. IV.

Disconveniens, pro alienum video damnari. Horatii tamen est *disconvenio*, pro dissideo, discrepo.

Displicentiam non reperias apud Ciceronem, sed pro eo *dolorem*, *offensionem*, *molestiam*. Sed Senecæ est de Tranquillitate Vitæ cap. III, ubi docet, unde *tædium*, & *displicentia sui* proveniat. Ὁ μακαρίτης Meursius putabat Plautum Cistell. act. I sc. I. pro eo dixisse *displicina*, ubi vulgo *disciplina*, unde Duza *discipula* fecit, ut quoque est in codd. nonnullis: quomodo de pocillatrice intelligi debeat.

Diversitas non est apud Tullium, sed pro eo *varietas*, *dissimilitudo*. Verùm *numerosissima diversitatis* est apud Plinium lib. XI cap. XXXVII. Sic sanè & vetus Parmensis. Scio in Thesauro sive Foro Romano dici, in aliquibus libris esse pro eo *varietatis*. Verùm constanter sic reperio in libris omnibus. Præterea etiam apud Plinium in epistolis *ingeniorum diversitas* legas.

Doctoratus dicendum amicus negabat: sed doctura, ut *mensura*, *positura*. Verum in re nova non refugiam novum vocabulum: modò ἀναλογία observetur. Ut verò à prætor prætura, sic à consul consulatus. Similiaque magistratus, triumviratus, atque alia.

Dolentia pro *dolore*, damnant Nizolius ac Cellarius. Sed Lævium in Alcesti usum, Agellius docet lib. XIX capite VII. Et *indolentiam* ipse dixit Tullius: *Ut qui rem expetendam, vel voluptate, vel indolentia metiuntur*. Sed ut philosophus sic loquitur. In epistola familiari, vel oratione non uteretur.

Dominium nuspiam est apud Tullium, qui pro eo dicit *mancipio*, *nexu*, vel *κτῆσιν* alicujus est. Sed Jurisconsultis *dominii* voce nihil frequentius. Fortasse & Varro usque lib. II de R. R. cap. VI. Sed aliis in libris est, non *dominium*, verùm *dominum mutant*.

Dominatio pro *dominatu* negat dicendum Index Nizolio additus. Sed utroque sæpius utitur Cicero: significatione interim paullum dispari.

Domuncula Latinum negabat Bon. Vulcanius, ac *domicula* pro eo dicere jubebat. Sed *domumcula* sive *domuncula* rectum esse, cùm Prisciani auctoritate, tum ex Pandectis Florentinis, ostendimus lib. II de Analogia capite XXIX.

Dux pro regulo, vel dynasta, ignotum antiquis. Petrus Bembus iccirco *Regem* vocat. Sic apud eum in Historia Veneta legas *Regem Urbini*, *Mantuæ Regem*, & similia. Sed profectò parum commodè, cùm grandis illa Regis appellatio multum distet à dignitate hujusmodi dynastarum. In novitia igitur dignitate novitium nomen non aspernor.

E.

ECho nuspiam Cicero dicit: sed eam περιφράζει, ut cum pro Archia dicit: *Saxa & solitudines voce respondent.* *Imaginem jocosam* vocat Horat. lib. I od. XII; *vagam* Valerius Flaccus lib. III Argonaut. Interim nec Græcum Echo refugêre Ovid. III Met. Persi. sat. I, Martial. lib. II epig. LXXXVI.

Effectus in Scholis, pro eo quod Cicero *effecta* dicere prohibet Andr. Schottus in Tullianis suis lib. III. Sed Ovidii est in II Amor. Eleg. III:

Non caret effectu, quod voluere duo.

Efficacia nusquam dicit, sed *efficacitas.* At apud Plinium lib. XI, cap. V est *efficacia.*

Effectivus vulgare in scholis. Cicero pro eo *efficiens.*

Egenus prohibet dicere Schottus in Tullianis*. Ac Cicero quidem prætulit *egens.* Sed alterum non modò apud Plautum est, sed & Livium, aliosque.

* Pag. 231.

Elephas, pro elephantus, rectè dici negat Charisius Sosipater, & cum eo Godscalcus Stewechius in notis ad Vegetii lib. III cap. XXIV. Atque Lucani est lib. V. 208:

Getulis densis elephas oppressus ab armis.

Imo apud ipsum est Ciceronem in Catone Majore: *Adolescens etiam vires tauri, aut elephanti desiderabam.* Sic & editio Rob. Stephani anni CIↃ IↃ XLIII. Imò & aliæ omnes ante postremam illam Guilielmii, ac Gruteri, quæ *elephanti* habet; ac sic in V. C. legi, Lambinus annotavit. Ut fortasse locus is ex Charisio sit corrigendus.

Enerve non dicit idem, sed *enervatum.* At usus altero Fabius lib. IX cap. IV, & Plinius in Panegyrico.

Episcopium nunc est episcopatus sive episcopalis dignitas: nunc verò domus Episcopi, vel solum omne, intra quod episcopalis jurisdictio se extendit. Legas in Capitulis Karoli M. lib. I cap. LXXII, apud Sangallensem & Engolismensem monachos. Item Albonem Floriacensem de Vitis Pontificum, Fulbertum epist. CX, Baldericum in Chronico Camerac. præfat. libri II, Cæsarium lib. IV cap. LXII. Non video autem, cur *episcopium* magis sit barbarum, quam episcopatus. Nam à Græco ἐπισκοπή, quod Actor. cap. I. vers. 20. à veteri interprete *episc. patus* redditur, magis ἀναλόγως ἐπισκοπεῖον sive *episcopium* venit, quam *episcopatus*, quæ Latina est Græcanicæ vocis terminatio.

Epistolium nescit quidem Tullius, qui pro eo dicit literulas: sed scit Catullus Carm. ad Mallium:

Conscriptum hoc lachrymis mittis epistolium.

Equiso nescit Cicero; sed dicit *agitator.* Verum *equiso* Nonius comprobat ex Varronis Marcipore, ac ejusdem Trihodite tripylio.

Evitatio non est Tullii, sed *declinatio.* At *malorum evitatio* est apud Fabium lib. V. cap. X.

Excursus non est Tullii, verum *excursio.* At alterum est cùm Maronis IV Georg. tum Plinii lib. V. epist. VI, quæ ad Apollinarem.

Excusabilis, pro quo Cicero *habens excusationem*, vel *quid excusationis*, est apud Ovidium lib. I de Ponto el. VIII, & lib. IV eleg. XI.

Excommunicatio refugit Bembus: proque eo mavult, *aqua & igni interdictio.* Sed longè hoc aliud sonare, nemo non videt. Quare in re gentibus ignota, malo ut intelligar, vocibus uti usitatis.

Execrabilis nescit Tullius, sed scit *execrandus*, *detestabilis.* Verùm *execrabilis* est Livii lib. XXXI, & XXXVI, & XL: item Plinii lib. VIII cap. VIII, lib. IX cap. XLVIII. ac lib. XII cap. LVI.

Exinanitus rejicitur in eo Indice: quia Tullii sit *enectus*, *effœtus.* Interim apud Ciceronem Verr. I est *Navis exinanita*: Et contra Rullum, *Regibus atque hominibus exinanitis.*

Exoptabilis itidem Cicero refugit, ac prætulit *optabilis*, *optatus*, *expetendus.* Sed Silii est lib. XI:

Nec Venerem interea fugit exoptabile tempus.

Explorator improbant quia Ciceroni sit *speculator.* Sed est alterum apud Plautum Pseudolo, Cæsarem lib. III de bello Gallico, Plinium lib. XVI cap. IX, Tranquillum in Tiber. cap. LX.

F.

FAbulator Tullio ignotum, sed pro eo ait, *qui fabulas fingit.* Sed utitur Tranquillus in Augusto, deque Æsopo Agellius lib. II. cap. XXIX.

Fabulosus, etsi Tullio ignotum, qui pro eo *fictus*, *falsus*, usurpatum tamen Plinio, qui lib. X cap. XLIX gryphas vocat fabulosos: & lib. XXXIII cap. I. *Midæ annulum fabulosiorem* ait. Alibi ponit pro *fabulis celebrato*: quomodo Derceto ei fabulosa lib. V cap. XIII. Ac *Hydaspes*, & *Apulia* similiter fabulosi dicuntur Horatio lib. I od. XXII & lib. III od. IV.

Facundus vox est ignota facundissimo Romuli nepotum: qui pro eo maluit *copiosus ad dicendum.* Sed non refugiunt, ut Ovidium, & poëtarum alios præteream, Livius, Vellejus, Fabius, Tacitus.

Falconis a voce abhorruit Petrus Bembus in Historia Veneta. Itaque ubi de falconibus Ludovico Galliarum regi a Senatu Veneto missis loquitur, ait: *Aquilas sexaginta ex earum genere, quibus in aucupio uti reges consueverunt.* At falconis vocem non refugit Julius Firmicus†, qui temporibus Constantini M. vixit. Si antea non usi sint Romani, quid mirum, quando nec ante hujusmodi apud eos aucupium obtineret? Vide, quæ diximus Physiologiæ Christianæ lib. III cap. XCVII.

† Lib. 5 cap. 7. & 8.

Famelicus, quia Cicero nesciat, damnat Index memoratus sæpius, proque eo ex Tullio *fame enectus* jubet dicere: quasi non hoc aliud sit: & *famelici* vocem usurpent Plautus, Terentius.

Famigeratus, & *famigeratio*, ignota Tullio: qui pro priori ait *clarus*, *nobilis*, *fama celebratus*, atque aliter. Nec sanè lubens utar etsi Appuleji sit II Florid. *Fanum Junoni antiquitus famigeratum.* At *famigeratio* est apud Plautum Trinummo act. III. sc. II. uti *famigerator* ejusdem comœdiæ act. I. sc. II. Hoc in Onomastico Græcolat. exponitur διαφημισμὸς, famigero διαφημίζω, *famigerabilis*, διαβόητος. Sunt ea cuncta a *famiger*, quod ibidem exponitur φημοφόρος, ac apud Varronem reperitur in V de L. L. *Famigerabilis* est apud Appulejum I, II, & IX Metam.

Famosus, pro *infamis* an Tullianum sit, quæritur. Legas in II de Orat. sed ex veteri poëta:

——*Non pol audeo.*

Nam me ad famosas vetuit mater accedere.

Quod ex tragico poëta, puta Attii Philoctete esse, ait Laurebergius in Antiquario. Sed omnino esse ex Comico, arguunt quæ præcedunt ibidem:

Quid tu Decilla mea, quando ad me venis cum tua colu & lana?*

* Al. Egilia.

Ita is locus legendus ex Nonio in *Colus.* Sed non si is locus ex poëta: eo soli hoc poëtæ utuntur. Ipsius est Ciceronis è IV de Rep. à Nonio adductus: *Atque etiam, siqua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant.* Qui locus præteritus in Nizolio Manutianæ editionis. Ac similiter usurpant Sallustius, Tacitus, Tranquillus.

Fastus quis putet in Tullio non reperiri? Atqui pro eo *spiritum* mavult dicere. Interim, ut mittam poëtas, Plinii est lib. IX cap. XXXV: *Superbo simul, ac procaci fastu; ut regina meretrix.* Et lib. XI cap. XXXVII: *Hæc maximè indicant fastum.*

Favilla idem ignorat, sed *scintilla* pro eo dicere perhibetur, quod metuo ne aliud sit. Ac, præter poëtas, usi Terent. Adelph. V. III, & Plinius lib. XVIII cap. XXXV, & lib. XXXVI cap. XXV. Nec *favillaceus* refugit Solinus cap. XLVIII.

Favitor damnant quidam, præeunte Charisio, qui ait lib. I: *Fautor antiqui dixerunt, at favitor nec autoritate nec*

nec ratione dicitur. Verum Lucilius apud Nonium ait: ... Eu am apud Plautum legitur in prologo Amphitryonis:

Sat habet favitorum semper, qui recte facit.

Et in quibusdam codd. MSS. eodem prologo legitur:

Si quos favitores delegatos viderint.

Imò Nonius quoque agnoscit in Lucilii lib. XXIX:

Favitorem tibi me, amicum, amatorem putes.

Et sanè *fautor* κατὰ συγκοπὴν factum, ex *favitor*, ut *cautio* a *cavitio*, quo utitur Varro.

Favorabilis, pro quo Cicero, *favens*, *propitius*, *secundus*, est apud Livium lib. II. At pro eo cui favetur, apud Plinium lib. XX cap. VIII. Quinctilianum lib. IV cap. I, & lib. VII cap. II, Plinius in epist.

Februum, & *februare*, negant apud Tullium reperire: quid mirum? quando sacrorum voces sunt antiquæ à Sabinis acceptæ: ut ex Varronis V de L. L. constat: ubi idcirco & *februi* vocem purgamentum interpretatur: uti quid *februare* sit, Nonio teste, exposuit in primo de Vita pop. Rom. Ovidius etiam Fast. II. *februorum* vocem ait esse ex vetere lingua, & *piamina* exponit.

Fellator nescit Tullius: non quia vox naturâ sit minùs casta: (nam & *ac humanum fellare*, pro *exsugere*, dixit Varro apud Nonium:) sed quia obscenam significationem acceperit: ut apud Martialem. Præstat igitur sic ἀσεμφαίζειν cum Tullio pro Rabirio Postumo: *Qui ne à sanctissima quidem parte corporis hominum impuram temperantiam propulsat.*

Feracitas, utcumque pro eo ubertas Tullius maluerit, damnari tamen nequit, cum Columellæ sit lib. III cap. II: *Quod promittet feracitatem, potius sequemur.*

Ferruminatoris vox in Hermolao Barbaro derisa à Bartholomæo Scala: cum proba sit, ac Plinio usurpata. Vide in Verbis *Ferruminare*.

Figlinum pro *fictilis* non est Ciceronis. Interim *figlinum opus* legas apud Varronem lib. III de R. R. cap. IX, Plinium lib. XXXI cap. III, & Paulum L. XIX. §. penult. D. De servit. urb. *Terra figlina* est apud Plin. lib. X cap. II.

Fimum in recto casu usurpat Plinius Valerianus lib. II cap. XXXV, & XLIX. Quid mirum? quando similiter Plinius Veronensis Hist. Nat. lib. XXIV cap. XIX. idque semel & iterum.

Fluvialis quidem Tullii non est, sed *fluviatilis*: verùm prius usurpat non Maro modò, & Ovidius: sed Columella etiam lib. VI cap. XXII, & lib. VIII cap. XVI.

Fluxus item, & *fluxura*, refugit Tullius, ac mavult *fluxio*. Sed *fluxura* est apud Columellam lib. III, extremis capitis II verbis. *Fluxus* probant ex Plinii libro II cap. XLII, ubi ventus dicitur *fluxus aëris*. Sed ibi est *flatus*. Etiam Pomponium laudant L. Cum in lege. D. De contrahenda emtione. Sed frustra & hic.

Fœmininus rejiciunt, quia pro eo Tullius *fœmineus*, *muliebris*. Sed de Grammatico genere *fœmininum* dicit Fabius lib. I cap. IV: de physico Plinius lib. XXVII cap. II, ubi legas *fœminini sexus animalia*. Et sane muta animantia recte *fœminei*, vel *fœminini*, non item *muliebris* generis dixeris. Grammaticus tamen, præeunte Varrone, vocabula *muliebris generis* dixerit: ut ostendi lib. I. de Analogia cap. IX.

Fomes apud Ciceronem non est, sed *fomentum*. Idem pro *fomite peccati* ait *seminarium vitiorum*, ac *vitiositas*. Sed Agellii est lib. XV cap. II: *Fomitem & incitabulum ingenii, virtutisque.*

Forfex nondum se legisse apud veteres, ait Emmanuel Alvarus in Institutione Grammatica *. Sed quis *forfex*, vel *forfix*, damnare ausit, cùm *forficibus* sit apud Columellam lib. XII cap. XLIII; *forfice* apud Celsum lib. VII cap. XII; *forficula* apud Plinium lib. XXV cap. XIX, & lib. XXXII cap. XI. Etiam in Glossis Philoxeni est: *Forfex*, ψαλίς, ἰδεοτμήγα, πυράγκιον.

* Colomiensis edit. an. 1596.

Forus pro *forum* legimus apud Isidorum. Nempe ita loquebantur posteriores Romani: eorumque exemplo etiam recentiores Græci: unde apud Hesychium: φόροι, δημόσιοι ἀγοραί. Nec à Latinis id factum absque veterum exemplo. Nam ex Nonio discimus, ita locutos Pomponium & Lucilium, atque adeo ipsum Sallustium. Fugit hoc Andream Alciatum, qui lib. II Dispunct. cap. XXIV. Isidorum reprehendit. *Ubi*, inquit, *gentium reperitur* FORUS *masculino genere, hoc in significatu? Nemo ex antiquis hoc dixit.*

Fossatum, pro *fossa*, ac præcipuè castrensi sumitur in Legg. Longobardicis, & Annalibus Francicis à Pythœo editis, Anastasio Bibliothecario in Stephano III, Radevico Frisingensi de gestis Friderici I, lib. IV cap. IV, Godefrido Calvo, Bituricensi Archiepiscopo, in Vita S. Guilhelmi, Episcopi Briocensis in minore Britannia, Roberto Montensi in Chronicorum Sigeberti Supplemento, Theodorico à Niem lib. I de schismate cap. XXIII, Andreâ Ratisponensi in Chronico Bavariæ, atque aliis. Imò multis antè seculis usurpârat Capitolinus: ut qui in Gordiano juniore dicat: *Castra omnia fossato circuibat.* Exclamat idcirco Baptista Egnatius in Annotat. *Ineptum scriptorem!* Adstipulati postea alii. Sanè & magnus Jurisconsultus è Pandectis vocem hanc furcillat. At constat vocem eam si non Tulliano ævo, at proximo & deinceps obtinuisse. Sanè Plinii est lib. XVII cap. XXI: *Fossatum purgari, & extendi.* Vegetius quoque, Modestinus, auctorque libelli de limitibus ita locuti. Quin & lexicographorum veterum autoritate vox ea defenditur. Vide Turnebum lib. II Adversar. cap. XIII, & imprimis B. Brissonium lib. VII de Verborum Significat. & Stewechium in Veget. lib. IV capite XVI. A Latinis autem accepere Græci: qui similiter φοσσᾶτον vocant: ut Codinus Curopalates, Achmes, & alii. Scribit Marsilius comment. in Martial. & *fossum* dixisse pro *fossatum*. Sed cum in errorem induxit, quod Plinii codices tantopere varient. Pincianus *fossum*, Dalecampius *fossatum*, in vett. codd. legi testatur. A Gelenio *fossuum* editum est, nisi fallit typographus.

Fragosa tempestas est apud S. Adamannum lib. I de rebus S. Columbani. Errant tamen, qui barbarum putant: cum eodem utantur Lucretius, Fabius, Valerius Flaccus.

Fraternitas ne plane damnem, facit, quod invenias declamatione sextadecima earum, quæ Fabio tribuuntur.

Fructifer nescit Tullius, qui pro eo *frugifer*, & *fructuosus*: sed *fructiferas* arbores dixerit Plinius lib. XII cap. III, si vett. standum editionibus: ut Parmensi anni CIƆCCCCLXXVI. In recentioribus est *frugiferas*.

Fulminatus idem Cicero nescit: sed pro eo dicit de cœlo ictus. Verùm Plinius lib. II cap. LIV: *Vulnera fulminatorum frigidiora reliquo corpore sunt.*

Funis non est apud Tullium, sed *funiculus*. Sed *funis* est non apud Maronem solum, & poëtas alios, sed etiam Columellam, Pliniumque.

G.

Garrulitas non est apud Tullium, qui pro eo in Partitionibus maluit *inanis quædam loquendi profluentia*. Sed *garrulitas pueri* est apud Senecam de Consolat. cap. XVI: *extemporalis garrulitas*, apud Fabium lib. II cap. IV: similiaque apud alios.

Generatio Tullio ignotum: sed pro eo dicit *ortus*, vel *procreatio*. Verum Plinii est lib. X cap. LII: *Generatio avium simplex esse videtur.* Nec *generatorum* vocabulum refugit Cicero in Timæo.

H.

Hebdomada rusticum putat H. Stephanus. Verùm usus eo Cicero, usi item alii multi, ut è vett. MSS. constat. In iis quoque Tertullianus lib. contra Judæos capite VIII: *Qua passio hujus exterminii intra tempora septuaginta hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare.* Nempe eàdem ratione dixere *hebdomas*, & *hebdomadas*, qua pro *lampas* semel iterumque *lampada* usurpat Manilius, & ante eum Plautus Casina act. IV, sc. IV, Prisciano teste: quâ item *Ancona* est ab *Ancon*, & *Narbona*, quo usi

usi Eutropius, Ammianus, alii, venit à Νάρθων; quomodo Polybius vocat in III, item Ptolemæus, ac Auson. epist. IX. Quare nec *absidam* pro *absis* damnato. Usus Gregorius Turonensis lib. II de Miraculis S. Martini cap. XLVII.

Hostilitas vidi, qui damnaret, postquam apud Jul. Scaligerum cap. LXX operis de caussis L. L. legisset, haut se meminisse, ecquis eo veterum utatur. Sed observat Christianus Becmannus libro de Originibus Linguæ Latinæ †, usurpasse Senecam: nec alium tamen præterea sibi occurrere, agnoscit.

† Voce Ager.

I.

JAnitrices pro duorum fratrum uxoribus haut Latinum visum summis viris Cælio Rhodigino, & Andr. Alciato. Itaque apud Modestinum, quo loco legitur, *Duorum fratrum uxores Janitrices dicuntur, apud Græcos εἰνατέρες*, legendum ii censeant, atque ita legendum persuaserunt multis, *Duorum fratrum uxores εἰνατέρες dicuntur.* Sed obstat Florentini codicis autoritas, obstat Isidorus, obstant quoque Glossæ vett. laudatissimæ; in quibus legere est *Janitrices, δύω ἀδελφῶν γυναῖκες, σύννυμφοι.* Item aliæ: *σύννυμφος*, consponsus, *janitrix.* Unde verò *janitrices* dictæ sint, ostendimus in Originum libb.

Ignominiosus non est apud Ciceronem: qui pro eo dicit *contumeliosus, sordidus ad famam, cum ignominia conjunctus.* Sed usi altero Livius lib. III, Plinius lib. III cap. III, Quinctilianus lib. VII cap. II, & VI, Crebrum etiam in Digestis.

Jejunium non dicit Cicero, sed *inedia.* Interim *jejunium* est apud Horatium, Ovidium, poetarum alios: item Livium lib. XXXVI, Columellam lib. III cap. XII, Celsum lib. III cap. XVIII. Nec Cicero refugit *jejunus, jejune, jejunitas.* At *jejunare* apud Hieronymum quidem legas, aliosque Ecclesiasticos scriptores: hodieque doctissimo cuique in usu est. Sed non arbitror inveniri apud classicum quemquam. Cicero quidem pro eo, *cibo se abstinere.*

Illæsus non est Tullii; sed pro eo *incolumis, invulneratus, inviolatus.* Interea illæsus est apud Plinium lib. XV cap. XXX, Statium VI Theb. Martial. lib. I. epist. VII.

Illectamentum haut lubens dicam, etsi sit apud Appuleium in Apologia: uti illectatio apud Agellium lib. XVIII cap. II. At Cicero maluit *illecebra, incitamentum, invitamentum.*

Illyria non temere in prosa dixerim, sed *Illyris*, & *Illyricum.* Apud Stephanum tamen in Ethnicis est Ἰλλυρία: ac Propertii est lib. I eleg. VIII:

An tibi sum gelida vilior Illyria.

Et lib. II eleg. XVI:

Dic alias iterum naviget Illyrias.

Imaginatio non dicit Cicero, sed *cogitatio.* Verùm Plinii est lib. XX cap. VII: *Imaginationes libidinum.*

Immedicabilis non est Tullii. Legas apud Maronem, atque Ovidium: ac fortassè non nisi poetas. Cicero pro eo *insanabilis, desperatus.*

Immeritus idem Tullius nescit. Sed usi Plautus, Ovidius, atque etiam Livius cujus hoc lib. IV: *Quamquam postremo annona quoque levata haut immeritam & gratiam, & gloriam tulit.*

Immorsus pro *impransus* aut jejunus negat Dionysius Lambinus inveniri in totâ linguâ Latinâ. Itaque apud Horatium legit ——*perna magis ac magis hillis*

Flagitat in morsus refici.

Sed rectè antea legebatur *immorsus.* Sanè & in Glossis Isidori reperio: *Immorsus, jejunus.* Propriè tamen sic dicitur, qui *non morsus:* unde in glossis, quæ in Cyrilli calce inventæ: Ἄδηκτος *immorsus.* In Glossis quoque Msis est: *Immordosus, ἄδηκτος.* Sed *immorsus* legi oportere, indicant quæ diximus.

Imperterritus apud Maronem invenias Æn. X: & ejus imitatorem Silium in VII. Sed Cicero pro eo *fortis, magnanimus, animosus.*

Impetuosus idem Tullius nescit, sed dicit violentus, vehemens, furens. Interim *impetuosus animus* Plinius dixit lib. XXXV cap. X.

Impossibilis nunquam Cicero dicit, sed ἀδύνατος, quod fieri non potest. Et Labeo ac Julianus Jurisconsulti, videntur eo Græcam ἀδύνατα vocem prætulisse, quod alteram *impossibile* parum putarent Latinam. Interim non refugit Quinctilianus lib. V cap. X, & lib. X cap. XIII.

Impostoris vocabulum nescit Tullius, qui pro eo *planum* dicit. Sed reperias apud veteres Jurisconsultos, cum alibi, tum apud Ulpianum L. I. §. Medicos. D. De extraordinariis cognit. *Non tamen si incantavit, si imprecatus est, si, ut vulgari verbo impostorum utar, exorcisavit.*

Improprium non dixerit Cicero, sed ἄκυρον. Verum Fabius non refugit lib. VIII cap. II.

Inæqualis non usurpat Tullius, sed *inæquabilis.* Verùm usi altero Ovidius I Met. Plinius lib. VII cap. LI, Martialis lib. I epig. LI.

Inanima malim quàm *inanimata:* sed non ausim damnare alterum, cùm in Topicis Ciceronis legatur, *Animata inanimatis anteponantur.*

Incantamentum Ciceroni non dicitur, sed *cantio:* ut libro de Claris Orat. *Subitò totam caussam oblitus est: idque veneficiis, & cantionibus Titiniæ factum esse dicebat.* Verùm altero usus Plinius lib. XXVIII cap. II: *Valeantne aliquid verba, & incantamenta carminum.* Similiter cap. seq.

Incœnis non dicit Cicero, imò nec *incœnatus:* interim utrumque est Plautinum: posterius Pseud. act. III sc. II. alterum Casina act. IV sc. I: ubi tamen in Cameraria *incœnatus:* sed invitis MSsis, quos secutæ editiones priores.

Incogitabilis non dicit Cicero, sed *non cadens in cogitationem.* Plautus verò usurpat Milite: sed pro inconsiderato, & non cogitante. Nempe illa in *bilis* exeuntia nunc activè sumuntur, nunc passivè. Quomodo eidem Plauto *immemorabilis* est, qui nihil memorat, Cistell. act. II sc. III: at Lucretio qui immensus eoque memorari nequit. Ut lib. IV.

Immemorabile per spatium transcurrere posse.

Ac similiter in VI:

Immemorabile per spatium transire solebant.

Incogitans respuunt, quia Cicero pro eo dicat *inconsideratus.* Sed alterum est apud Terentium act. I sc. III, & act. III sc. II. Plautus pro eo *incogitatus* dicit Bacchid. act. IV sc. III. Sed Seneca hoc passivè utitur epist. LVIII. Nec *incogitantia* est Ciceronis: sed pro eo *inconsiderantia* dicit ad Quinctum Fr. Sed *incogitantia* est Plauti Mercat. act. I sc. I.

Incommoditas non est Ciceronis, qui mavult *incommodum.* Sed alterum usurpant Plautus Aulul. act. III sc. V, Terentius Andria act... sc... Livius lib. X, Agellius lib. VI cap. I.

Incompositus sermo non dicit Cicero, sed *inconditus.* Livii tamen est lib. IV: *Tempanii oratio incomposita fuisse dicitur, cæterùm militariter gravis.* Usus quoque in V & IX. Maronis quoque est I Georg. ubi affabre rusticas choreas repræsentat.

Dant motus incompositos, & carmina dicunt.

Et Horatius lib. I Sat. X.

Nempe incomposito dixi pede currere versus.

Fabius item lib. IV cap. V. *moribus incompositus.*

Incomprehensibilis, non est apud Tullium, sed incomprehensus. Sed Columellæ est in præfat. lib. X: *Incomprehensibilis arena parvitas.* Usurpant quoque Celsus, Fabius, Plinius in epist.

Incontinens non video, cur improbent, nisi quia apud Ciceronem pro eo sit intemperans. Sed est Ciceronis pro Cælio: *Multa de incontinentia intemperantiaque disseruit.* Præterea *incontinens* est apud Plautum Asinaria, Horatium lib. I od. XVII, & lib. III od. IV. & L. Senecam non semel.

In

Inconveniens, pro quo *absurdum* usurpat Cicero, damnare videtur Laurentius Hunfredus lib. I de rat. interpr. Eo tamen non Cicero quidem, attamen Cassius ad Ciceronem usus lib. XII epist. item Quinctilianus lib. I cap. IX.

Incredulus qui vulgo, Ciceroni est *diffidens*. Nec eo alterum damnandum, cum sit apud Horatium in Arte: & Fabium lib. X. Atque his quidem *incredulus* activè sumitur pro eo, qui non credit: passivè autem *res incredulas*, de iis, quæ non creduntur, dixit Agellius lib. IX cap. IV. Sed neque *incredulitas* Tullianum est, verum *diffidentia*, *dubitatio*, *scrupulus*. Interim apud Martianum legas L. Mariti lenocinium. D. ad legem Juliam de adulteriis: *Tunc autem puniendus est maritus ejus, quum excusare ignorantiam suam non potest: vel adumbrare patientiam prætextu incredulitatis.*

Indebitus Cicero nescit: sed usus Ovidius epist. XV, sive Paridis:

Præmia magna quidem, sed non indebita posco.

Seneca similiter Herculæ Oetæo, *indebitos fletus*. Usurpant & veteres Jurisconsulti *indebitum* substantive, & adverbio *indebitò*.

L.

L*Abium* improbant, & *labrum* cùm Tullio Nizolianus jubet Index dicere. Sed *labiis demissis* est apud Terentium Eun. II. III. 46. Notum etiam, quomodo inter hæc Verrius, & ex eo Sosipater distinguat.

Laboratus, Cicero nescit, qui pro eo dicit, *magnificus operibus*, *& plenus artis*: ita notum Maroni I Æn. Martiali lib. I epigr. ad Sosibianum: imò & Plinio lib. . . . cap. I, ut Tertullianum præteream de Velandis Virginibus.

Lacca, qua infectores in pannis rubro tingendis colore utuntur; cujus item usus in medicamentis; idem esse putatur, ac κάγκαμον Dioscoridi lib. I cap. XXIII, item Paulo Æginetæ. Sanè convenire ajunt Sylvius Amatus, Cronenburgius. Negat verò Gorræus in Definitionibus, & clarissimus Car. Clusius. Ambigunt verò Hermolaus, & Lobelius. Quare utcunque barbarum sit *lacca*, in re tamen incerta nihil caussæ video, cur potius *cancamum* dicamus cum Græcis, quàm retineamus Arabicam appellationem *lacca*, vel λάκχα, prout Actuario vocatur, & aliis è junioribus Græcis.

Lampadam, pro *lampadem*, barbarum putant: ut in illo Cæsarii lib. VII Miracul. cap. XXII: *Splendore lampadarum fugans.* Sed veteres etiam ab accusativo λαμπάδα formarunt rectum *lampada*. Quomodo & dixere *hebdomada*, *Ancona*, *Narbona*, *cassida*: quâ de cum alibi dictum, tum lib. I cap. XXXIII in voce Septimanæ.

Laniatio non dicit Tullius, sed *laniatus*. Alterum interim Seneca non refugit in secundo de Clementia.

Latrunculator est apud veterem Juvenalis interpretem in sat. VIII*. Nolim damnare, cùm & Ulpianus utatur lib. VI §. ult. D. De judic. Sic verò dicitur qui mittitur ad capiendos latrunculos. Hinc Gloss. vett. *Latrunculator* λῃστοδιώκτης: quomodo & vocatur Novell. VIII.

* *Vers.* 144.

Lavacrum Agellii est lib. I, cap. II. Sed Cicero videtur refugisse: apud quem pro eo *lavatio* legas.

Lenimentum est Plinii lib. XXV cap. V. pro quo *levamentum* Cicero.

Lethalis non est Ciceronis, quo prætulit *funestus*, ac *mortifer*: sed frequens est Poëtis: imò & Plinii est lib. VII cap. V *Lethalis abortus*: & lib. XI cap. ult. *lethalis media*. Addunt *lethale vulnus*, ex Plinio de viris illustribus. Sed ejus libelli potius scriptor est Sextus Aurelius Victor: qui de Cæsaribus etiam scripsit usque ad consulatum tertium Juliani Cæsaris: cujus temporibus vivebat.

Ligatus est apud Senecam epist. LXVI, *Veluti sacramento ligatus*. Cùm Tullio jubent dicere *vinctus*, *alligatus*, *constrictus*.

Lucrosus, Cicerone auctore, non dixeris: sed possis tamen sic loqui cum Plinio lib. XVIII cap. XII, & XXXI, item Tacito, vel quisquis scriptor ille de caussis corruptæ eloquentiæ.

Ludovici nomen refugit P. Bembus in Historia Veneta. Itaque vocat Aloisium: sed addit, *quem isti Ludovicum appellant*. Per *istos*, quid nisi barbaros designat? Quasi barbari sint, quotquot sic nuncupant.

Lupanar non dicit Cicero, sed *lustrum*. Usi interea Catullus, Quinctilianus, Juvenalis.

Lurco nuspiam est apud Tullium. Ergo pro eo jubent dicere *helluonem*, *gurgitem*, *nepotem*, *ganeonem*: Verùm non Festus modò agnoscit, qui & originem vocabuli adducit: sed Lucilium eo usum docet Marcellus. Est & apud Plautum in Persa, & Tranquillum de Claris Grammaticis.

Luridum rejectant, quia pro eo *squallidum* malit Tullius. Sed ut Plautum, ac poetas prætercam, usurpant Varro lib. II de R. R. cap. X, Plinius lib. XVIII cap. X. & alter Plinius in sexto epistolarum.

Luror rejicit Nizolianus Index, & cum Tullio *squallor* jubet dicere. Sed aliud *luridus*, aliud squallidus. Et ut *luridus*, sic *luror* dicit Lucretius. Vide quæ ad eum in Indice Giffanius annotavit.

Luscitiosus, vel *luscitio* nusquam dicit Cicero: sed agnoscunt Festus, Nonius, Fulgentius, Isidorus: usique Plautus Milite act. II sc. III, Varro Andabatis, Seneca lib. III de Beneficiis, Plinius, cùm alibi, tum lib. XXVIII cap. II.

Lusor cur cum memorati sæpius Indicis scriptore damnem, cum Plautus utatur Amphitryone act. II sc. II. Ovidius in Tristium libris aliquoties, imò Cicero ipse nec *collusor* refugerit. Ac par ratio in *lusus*, pro quo Cicero *lusio*: sed alterum est Ovidii non uno loco, ac Quintiliani quoque.

Lusorium nescit Tullius, sed pro eo *aleatorium* usurpat: verùm *lusoriam pilam* est apud Plinium lib. XVII cap. LVI: ait *alvum lusorium* lib. XXXVII cap. II. Qui & *lusoriam quæstionem* ait lib. VI cap. LIII. Seneca etiam *lusorium nomen*, Jurisconsulti *lusorium edictum*.

Lutosus, etsi *lutulentus* malit Tullius, dicere licebit præeunte Columella lib. XII cap. LIV, & Plinio lib. XVIII cap. XIX.

M.

M*Acilentus*, pro quo Cicero *macie præditus*, est apud Plautum Asinar. & Capt.

Maledicentia legas apud Agellium lib. III cap. III. Tullius, fateor, *petulantia*, *procacitas*, vel *linguæ procacitas*, vel *procacitatis morbus*.

Malevolens non semel apud Plautum est: sed Tullius semper *malevolus*.

Malignus mirum nuspiam apud Tullium inveniri. Sed utuntur Terentius, Maro, Quinctilianus, Fabius, Plinius, alii.

Mangones damnat Vitus Amerpachius notis in Constitutiones Karoli Mag.* *Mangones*, inquit, *barbarè dicuntur, qui Latine dicuntur in veteri jure venaliciarii.* Atqui Africani est L. CCVII: D. de verbor. significat. *Mercis appellatione homines non contineri Mela ait: & ob eam rem mangones, non mercatores, sed venalitiarios appellari ait: & recte.* Quin etiam habes apud Senecam epist. LXXX, & lib. IV de Benef. cap. XIII, Plinium lib. VII cap. XII, & lib. XXXVII cap. XIII, Quinctilianum lib. V cap. XII, & declamat. CCCXL, Suetonium in Domitianos cap. VII. Sed Augusti ævo puto id vocabulum fuisse ignotum: ut quin *venalitiarii* rectiùs dicantur, non sit dubitandum. Gloss. *Venalitiarius*, σωματέμπορος. Vel *Venalicius*: quomodo Cicero in Corneliana: *Neque divitiæ me movent, quibus omnes Africanos, & Lælios, multi venalitii, mercatoresque superarunt.* Nempe *venalicius*, quia habet venales. Quomodo Plautus Trinummo: *Mercaturam, an venales habuit.* At jure suspecta *mangonis* vox pro catapultâ, qua grandia ejiciuntur saxa.

* *Pag.* 256. *edit. Mogunt. an.* 1602.

De cujusmodi machina aliter *mangana*, ut antea dictum.

Mantica cùm apud alios tum Catullum, in illo:

Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

Cicero id sic expressit in Officiis: *Fit enim nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis.*

Marcidus pro *putridus*, utriusque est Plinii: sed Tullio vox ignota.

Masculinum genus, pro quo virile Cicero, Plinius dixit. lib. XVIII cap. XXXIII.

Matta pro *storea* putant esse à Belgico *matte*: quod idem signat, ac apud Cæsarium legitur lib. VII Miracul. cap. LII: *Et post paullum sternite mattam.* Ac sæpius lib. XI. Sed enim Belgæ potius a Latinis accepere eam vocem, quam probam esse fidem fecerit Ovidii hoc in VI Fast. —— *In plaustro scirpea matta fuit.*

In Glossis Misis est: *Matta*, μυκτάλιον. Sed ibi legendum *Mappa*. At aliunde dicti *mattearii* milites: de quibus Ammianus lib. XXI, & XXXI.

Medietas junioribus satis est frequens Capitul. Karol. lib. I cap. CLXIII: *Qui tale beneficium habent, unde ad medietatem laborent.* Chronicon Cisterciense*: *Medietatem precii ipse miles divino amore concedat.* Eugenius Papa ad Heloissam: *Medietatem furni.* Ac alibi sæpe. Nec prorsus damnare ausim. Nam vix id audet Cicero lib. de Universit. *Ut in singulis essent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας appellant: sed quasi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius.* Ubi videmus, subinde planius esse *medietas*. Nempe quia ut τὸ μέσον, & μεσότης, ita *medium*, vel *dimidium*, & *medietas*, differunt. Itaque nec abhorruit Paulus J. C. L. Antiqui. ff. Si pars hæredit. pet. *Prudentissimi juris auctores medietatem quandam secuti sunt: ut quod fieri non raro admodum potest, intuerentur.*

* Pag. 642.

Memorialem librum apud Tranquillum est in Cæsare. Cicero, puto, *commentarium* pro eo dixisset.

Memoriosus non ausim damnare: quando è Verrio Festus, ex eo Paullus scribat: *Memoriosus, memorosior, & memoriosus, & memoriosissimè facit.* Gloss. vett. *Memoriosus*, Μνήμων. Pontius diaconus in vita S. Cypriani: *Cui posset non esse miraculo tam memoriosa mentis oblivio.*

Merda nuspiam Cicero usurpat: ac fortassè nec alius præter Horatium in Sat.

Methodus non aversatur Fabius, ubi Cicero *ratio* ac *via*.

Mensor (pro quo Cicero *metator*, vel *decempedator*) apud Columellam habes lib. VI cap. I.

Monachilis damnant. Immeritò, postquam *monachum* recepimus. Nam non ἀναλόγως minus à *monachus* formes *monachalis*, & *monachilis*, quam à *juvenis* fecere *juvenalis*, & *juvenilis*. Et similia in Arte Grammaticâ adduximus. Atque ut monachalis dixit Rogerus de Hoveden Annal. tom. I in vitâ Gulj. senioris: ita *monachilis* non modo idem Rogerus usurpat: sed etiam antiquior eo Ivo Carnot. epist. CCLXXXVI.

Morigerum non dicit Tullius, sed *obedientem*. Verùm apud Comicos legas.

Mucus nescit Tullius: uti & *Mucosus*. Sed prius est Catulli ad Furium:

Mucusque & mala pituita nasi.

Alterum est Columellæ lib. VI cap. VII.

Mulcedo, permulsio. Nempe est à *mulceo*, ut à *rubeo rubedo*. Usus Sidonius Apollinaris lib. V epist. XVII: *Cultu peracto vigiliarum, quas, alternante mulcedine, monachi clerique psalmicines concelebraverant.* Verùm non tam barbarum puto, quam obsoletum, ut quod neque refugerit Agellius, verborum antiquorum diligentissimus. Locus est lib. XIX cap. IX: *Lingua, quæ nullas voluptates, nullamque mulcedinem Veneris atque Musæ haberet.*

Multifariam Agellii est lib. V cap. VI. At Cicero pro eo *multiplex*, *varius*, *diversus*.

Musclus barbarum non est; sed ex *musculus* metri ergo contractum, quale est *periclum*, pro *periculum*. Abbo de Obsidione Lutetiæ lib. I:

Qui vero cupiunt murum succidere musclis,
Addit eis oleum, ceramque picemque ministrans,
Mixta simul liquefacta foco ferventia valde,
Quæ Danis cervice comas uruntque trahuntque.

De hoc bellico instrumento Lipsium vide sis in Poliorceticis.

Mutuaticius ejusdem Agellii est libro XX, cap. I. Cicero pro eo dicit *alienus*, *aliunde assumptus*, vel *petitus*.

N.

Nativitas Ciceronianum quidem non est, qui mavult *ortus*, vel *dies natalis*: sed Ulpiani est ad Municipal. L. I. in principio: *Municipem aut nativitas facit, aut manumissio, aut adoptio.*

Naumachia præter Martialem, Suetonius in Tiberio, ac Claudio dixit. Cicero pro eo *prælium navale*.

Necessum, pro *necesse*, vir eruditus negat apud ullum bonum auctorem inveniri. Quasi non bonus sit auctor Plautus, qui usurpat Asinariæ act. V, sc. ult. & Sticho act. I sc. III. item act. II sc. I Rudente act. V sc. II, Mil. act. IV sc. III. Casina act. II. sc. V. Usus quoque Lucretius lib. II.

Negativus pro *negans*, nusquam est apud Ciceronem. Sed apud Jurisconsultos legas, *negativa*, vel *negatoria actio*.

Nemorivagus non damno: nec tamen sic dixero, non dico in prosâ, sed nec in jambico. Scio, usum Catullum carmine de Atti, & Berecynthia. Sed carmen illud non dedecuit vox Dithyrambica. Nec enim dissimilis est furor Baccharum in Orgiis, & Gallorum in sacris Berecynthiæ. Joannem verò Baptistam, qui apud Nonnum cap. I vocatur ὀρεσιφοίτης, non verear similiter dicere *montivagum*, quia voce hac & poëtis usi Lucretius, Silius, Papinius, imò in prosâ quoque ipse Tullius lib. V Tuscul. Quæst.

Nivosus, pro quo Cicero *nivalis*, apud Livium habes lib. I, & V, item Columellam lib. II cap. V.

Nola, & *campana*, voces antiquis sunt ignotæ: unde Henricus Bebelius de Abusu linguæ Latinæ: *Nola non dicitur vetuste tintinabulum: nec campana bene, & priscè.* Etiam vocabuli *nola* auctorem requirit Laurentius Valla, opusculo adversus Antonium Raudensem. Nec tamen averser vocem, quasi novam, si res etiam sit nova; ut revera est. Dixeris rem esse veterem, quia & veteres soleant, æreas pelves pulsare, quo sono ejus populum ad balnea convocarent, vel pisces coëmendos, aut simile. Sed valde dispar pelvibus fuit forma, ac nolis & campanis: unde novâ in re nova finxere vocabula. Utrumque nomen est ex eo, quod nolæ, & campanæ, Nolæ, Campaniæ urbe, sint repertæ; idque, ut ajunt, quo tempore episcopus istic foret Paullinus Nolanus, Ausonii amicus. Promiscuè his vocabulis utuntur. Unde Polydorus Virgilius lib. III, cap. XVIII de rerum Inventione: *Quid gratius ipso tintinabulo, quod alii nolam, alii campanam nuncupant.* Sed enim nunc usus obtinet, ut *nolæ* sint minores, campanæ majores. Quamquam id discrimen non observet Desiderius Erasmus, quando de Constitutionibus humanis ad Episcopum Basileensem scribit: *Siquis in postremis Quadragesimæ diebus —— in templo suo juberet sonare nolas æreas, cum receptum sit ligneis crepitaculis ciere populum.* De consuetudine ea vide illos, qui de templis scripsere.

Nomenclatura, pro quo Cicero *nomenclatio*, apud Plinium habes lib. II, & Præfat. lib. III.

Nothus, pro quo Cicero *spurius*, Columellæ est lib. VIII cap. II: item Fabii lib. III cap. VI.

Nuncupatio, quæ Ciceroni Græco vocabulo προσφώνησις, dicitur Plinio in operis Præfat. & lib. IX cap. XXXV.

Nuperrimum eruditorum Priscianum dixerat Valla. Ad hoc Poggius prima adversus Invectiva†: *Nuper tempus paullo ante præteritum significat, nuperrimum verò verbum*

† Fol. 74. b. edit. an. 1513.

brum ab eo solo & malè compositum. Num octingentorum amplius annorum tempus significare potest? Sed ubinam insana bellua nuperrimum hominem scriptum legit? Nunquid apud Ciceronem, Titum Livium, Sallustium, aut Quintilianum, &c. Atqui *nuperum hominem* est Plauti Captivis: unde *nuperrimus*, quod Caper agnoscit, teste Prisciano, & inde nuperrime apud Ciceronem I de Invent. ut Plinium mittam, & alios.

Nutritius Cæsaris est lib. III. de bello Civili: *Nutritius ejus pueri eunuchus.* Cicero pro eo *educator*.

O.

O*Baratus* ut Tullio non usurpatum, qui *eratum* ait militem, sic non ignotum Cæsari lib. I de bello Gall. Livio lib. VI, Varroni etiam lib. I de R. R. cap. XVII.

Oblatio, uti apud Tullium, sic tamen legas apud Ulpianum in Dig. lib. XXIV Tit. I L. V. item Festum in *Offerumenta*.

Obliteratus idem Tullius nescit: sed non semel usurpat Livius. Et *obliterare* apud ipsum est Ciceronem.

Obsidium damnat Nizolianus Index quia Tullius pro eo semper *obsidio* dicat. Sed præter Plautum Milite glorioso actu II scenâ II, usi eo Columella lib. IX cap. VII, & Tacitus Annal. lib. IV.

Occidentalis, etsi Cicero abstineret, dicit Plinius lib. XIX cap. XXXIV.

Occursus eidem Tullio ignotum: non item Plinio, vel è poëtis Ovidio: qui sæpius utuntur.

Odoramentum, pro quo Cicero *odores*, vel *odoratio*, Columella dixit lib. XI cap. II, ac Plinius lib. XXI capite XXVII. Macrobius in præfat. Saturn. nec *odoramen* aversatur.

Olfactus, pro quo Tullius odoratus, apud Plinium legas lib. XXIX cap. IV, & XXV.

Omnifarius, pro quo Cicero *cujusque modi*, apud Suetonium reperias.

Opacitas est apud Columellam lib. VIII cap. XVII, & Plinium lib. XV cap. XXX, & lib. XXXI, cap. III. Sed Cicero pro eo *locus opacus*.

Opificium est Varronis lib. III de R. R. cap. XVI. Cicero semper *opus*, vel aliud mavult dicere.

Ordinarius non legas in Cicerone: nec propterea damnandum, cum sit apud Livium lib. III, & VII; & Tranquillum in Augusto, ac alibi.

Ordinata disciplina apud Livium est. *Ordinem habens* pro eo dixisset Cicero.

Orientalis nescit Tullius: sed habet Justinus in Trogi epitome lib. XII cap. III.

Ostentator, pro eo qui Tullio *gloriosus*, aut *vanus*, apud Plautum est Curcul. Livium lib. I, & Cornificium lib. IV Rhetoricorum ad Herennium.

P.

P*Annus* nuspiam est apud Tullium, sed pro eo *vestis*, aut *vestimentum*. Sed vetus esse, indicat hoc Nævii in Tabellaria†: *Qui habet uxorem sine dote, pannum positum in purpurâ.* Sed & Terentii est:

† Apud Marcellum.

Pannis annisque obsitus.

Ut mittam Lucretium, Horatium, Nasonem. Pro lineamentis vulneri impositis apud Columellam habes lib. VI cap. XII.

Papyrus nuspiam Cicero, sed *charta*. At Virgilii, vel alterius est in Ciri:

Docta Palæphatiâ testatur voce papyrus.

Nec poëtæ modo usi, (in quibus etiam Martialis, ac Juvenalis) sed fuse de eâ quoque Plinius lib. XIII cap. XI.

Pallidus displicet auctoribus Indicis Nizoliano additi Thesauro. Cumque Tullio malunt *decolor*, *exsanguis*, *sine colore*. Sed *pallidus* non poëtis modò crebrum, sed etiam Plinio usurpatum lib. XII cap. VII.

Parcitas damnant: ac & ipse *parsimonia* cum Tullio malim. Interim illud non Macrobii modò lib. I cap. VIII; sed etiam Senecæ lib. I de Clement.

Parvissimus est apud Lupum epist. V ad Einhardum, inque vitis SS. complurium. Nec propterea barbariei culpandi, quando eodem utuntur Lucretius, ac Varro: ut Vegetium, ac Boëthium, mittam: quemadmodum pluribus dictum lib. II de Analogia, cap. XXIV.

Pavefactus Indici Nizoliano repudiatum, quia pro eo Tullius malit *exterritus*. Sed prius est Agellii lib. XIX capite I.

Pavidus, pro quo Cicero *pavens*, Agellii est lib. XIX, cap. I.

Pauper non video cur damnet Andreas Schottus in III Tullianarum Quæst.* Nam ait Ciceronem pro *egenus*, & *pauper* semper dicere *egens*. At *egenus* quidem non dicit: verum *pauper* non semel legas in Paradoxis. Imò in Vatinium ait: *Ex pauperrimo dives factus.* Mitto classicorum alios.

* Pag. 231.

Pauperies, pro quo Tullius paupertas, non modò apud utrumque Comicum legas; sed Ulpianum etiam, atque alios Jurisconsultos.

Pausa non facilè utendum censeo: non quia Tullius nesciat, qui mavult respirationem dicere: sed quia vix alium uti censeam, quàm Plautum, & hoc antiquiores: præter Agellium, Comicorum imitatorem.

Pedaneum quidam barbarum credunt, decepti isthoc Agellii loco lib. III cap. XVIII: *Hoc vocabulum à plerisque barbarè dici animadvertimus. Nam pro pedariis, pedaneos appellant.* Verùm non ἁπλῶς vocem pedaneus damnat Agellius, sed pedaneum Senatorem dici negat: pedaneum verò judicem dici non inficiatur, neque potuit. Nam eo pacto nominantur passim, qui à Theophilo instit. de interdict. in princip. vocantur χαμαιδικασταί. Alii etiam διαιτητὰς κληρωτὰς nominant. Ita L. I. §. removet. D. de postulan. legitur, *Apud judices pedaneos postulare.* Eodemque modo ea vox scribitur L. III, §. I D. ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat. L. IV. D. de tutoribus & curatoribus datis. L. XXXVIII. §. Judices. D. de pœnis. Qui ita dicti sint, docet Ammianus ad Paulli lib. V Sentent. tit. XXVIII: *Pedanei, ait, Judices, id est, qui ex delegatione caussas audiunt.* Ita autem dicti, quod sederent imo loco ad pedes tribunalis constituto: vel potiùs, quòd non quidem sedentes, aut pro tribunali judicarent, sed plano pede, aut stantes; imò collaticio, aut fortuito schamno, vel cespite. Vide Cujacium in Novell. LXXXII. At pedarii Senatores, ut ex Gavio Bassio docet Agellius, sic vocabantur, quòd pedibus, non curru in senatum irent; non autem quòd ipsi haut novas proferre sententias, sed in alienam tantum pedibus ire possent.

Penultima usurpat Varro: ut observat Marius Corrædus in III de L. L†. Pro eo *pene ultimam* dicere jubent, qui alterum censent barbarum. Sanè Fabius, & penultimæ, & antepenultimæ vocabulis abstinet. Quomodo autem pro eo loqui malit, ostendit locus iste lib. I cap. V: *Namque in omni voce acuta intra numerum trium syllabarum continetur, sive hæ sint in verbo solæ, sive ultimæ: & in his aut proxima extremæ, aut ab eâ tertia.* Et mox: *Ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam acuet.* Imò ipsius Ciceronis est in Oratore *proximus à postremo*, hoc est, penultimus. E junioribus etiam circumloquitur Erasmus in Vita sua edita a Merula: *Fratres erant decem. Gerardus* (Erasmi parens) *erat natu minimus, uno excepto.*

† Pag. 114.

Pervigilium dici negat, Charisius lib. I: idque non alia ratione compulsus, quam quia in simplici dicamus plurativo numero *vigilias*, non *vigilia*. Et sanè Justini est lib. XXIV: *Maximum pervigiliæ malum.* Sed pervigilium rectè dici non est dubitandum. Non pugnabo inscriptione carminis trochaici de vere, quod Catullum præfert auctorem. Nam facile assenserim iis qui Florum, Hadriani Cæsaris æqualem, vel juniorem etiam auctorem censent. Verùm quid Livio objectet, cujus est lib. I de bello Punico: *Castra Campana, ut pervigilio neglecta, simul omnibus*

portis invadit. Utuntur & Petronius, Plinius, Tacitus, Suetonius, Agellius.

Philistæis pro Palæstinis*.

* Sev. Sulpitius.

Pincerna de voce ita Budæus annotat. prior. in Pandectas: *Pincernas, si id Latinum vocabulum esse potest, παρὰ τὸ πίνειν καὶ κιρνᾶν confictum.* Item in v de Asse: *Pincerna non ausim affirmare probum esse vocabulum: etiamsi Asconius in Pretura urbana usus est, si vera sunt eo in loco exemplaria.* Sed cum Asconium eo usum agnoscat, non est, quod magnopere aversemur: etsi & aliter liceat efferre. Suetonio † enim, & Ausonio, *ad cyathos stare* dicuntur. Usus verò pincernæ vocabulo etiam vetus Scripturæ interpres, cap. XL1 Genes. vers. 9. Despauterius putabat non alibi legi: eoque vocem damnabat. Sed, ut dixi, usus quoque Asconius, bonus boni ævi scriptor. Et à Latinis accepere etiam Græci juniores: qui scribunt πιγκέρνης, & πιγκέρνης. Prius apud Codinum legas. Utrunque in vett. glossis exponitur *pincerna*, *pocillator*.

† In Julio.

Pinguedinis voce sæpe utitur Plinius. Pinguedinis verò vocabulum non apud eundem tantum invenias, sed & Quinctilianum, atque adeò cum Columellam, tum Varronem ipsum. Quamobrem nescio quid moverit Servium, ut ad illud 3 G. *denso distendere pingui:* in hunc modum scripserit: *Pingue est generis neutri, & ita in omnibus idoneis invenitur. Nam nec pinguedo, nec pinguitudo Latinum est.*

Planca voce utuntur —— Epitome vitæ S. Marcelli*, item Acta S. Marcelli cap. v, §. XXI: *Et fecit præceptione sua, ut in eadem Ecclesia plancis sternerentur ad animalia catabuli publici.*

* Apud Boll. ad 16 Jan.

Planca vox suspecta est multis. Sed magni apud me auctoritas, non Pauli Diaconi dico, sed Festi Pompeji, qui Verrium, nepotum Augusti doctorem, exscripsit. Quippe in schedis Festi Farnesianis ista habes: *Planca dicebantur tabula plana; ob quam caussam & planci appellantur, qui supra modum pedibus planis sunt.* Sed apud veterum neminem *plancarum* vocem reperi ante Plinium: cujus illa lib. VIII cap. XLIII: *Nec* (asinæ) *pontes transeunt, per raritatem plancarum translucentibus fluviis.* Ita est in libris aliquot veteribus. Ac legit sic Robertus Stephanus in Thesauro L. L. Nec longè abit vetus editio Parmensis, in qua excusum video, *plantarum.* Neque dissimulare tamen possum, MStum, quo utor, bonæ sanè notæ, pro *plancarum* habere *eorum:* ut ad pontes referatur. Quicquid de Pliniana lectione sit, ob Verrii auctoritatem damnare non ausim. Ac videtur vox ea esse ex Græco πλάξ, h. e. *tabula*, N inserto, ut in aliis multis. Etsi nec inepte deduxeris à *palando*, h. e. extendendo; à quo & *plaustrum*, quasi *palaustrum*, ob asseres distentos. Vel *planca* sit ex *palanca*, sive *palanga*; uti hoc ex φάλαγξ. Usus *palanga* vocabulo Varro in IV de L. L. *Cum Pœnus obviam venisset nostris, & quosdam cepisset, crudelissimè, pro palangis, carinis subjecerat.*

Planitudo est Columellæ lib. v cap. XXX. Pro quo Tullius *æquor*, *planicies*.

Plantarium, quod Ciceroni *planta*, aut *seminarium*, sæpius in Naturali Historia Plinii legas.

Podager Ennii est: *Nunquam*, inquit, *poëtor*, *nisi podager.* Nempe ex Græco ποδαγρός. Nec refugit Claudianus epigr. XXXIX:

Atque nihil prorsus stare potest podager.

Symphosius in ænigmatis lemmate, *Miles podager.* Etiam apud Lampridium in Heliogabulo, ubi vulgò, *Et item octo podagrosos*, in Palatino codice *podagros* reperit Salmasius, magisque id probat. Proinde non ausim damnare, qui eo uti volent. Longè tamen præferam cum Tullio *podagricus*, vel *arthriticus*.

Pœnitentia vocabulum nescit Cicero: ut Ausonius quoque monet epigr. XII.

Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.

Sed non est, quod propterea refugiamus, cum usus sit non Plinius modo, sed etiam Livius, Ausonius, ac Sidonius, pro eo *pœnitudo* ajunt. Sed mentius hoc videtur, quam *pœnitentia*.

Pomosa arbor est quidem Adamanni de rebus S. Columbani: sed exemplo Propertii pomosam coronam dicentis lib. III eleg. 12.

Potator nescit Tullius: sed Plauti est Menæchmis act. II sc. 1, & Plinii lib. XXII cap. XXII

Præfatus (pro quo Cicero *dictus*, *de quo dudum locuti sumus*) apud Jurisconsultos legas L. XIX. §. ult. D. de commun. divid. & L. XII. §. si quoniam. D. qui potior.

Præsagium, pro quo Cicero *præsagitio*, *præsensio*, apud Columellam lib. XI cap. 1, & Plinium lib. XVIII capite XXXII.

Præsentaneus, pro quo Cicero *præsens*, Plinius, & Suetonius usurpant: ut quorum sit *præsentaneum venenum*: uti & Plinii *præsentaneum remedium*.

Prætextus, & *prætextum*, pro eo quod Græci vocant πρόφασιν, & veræ caussæ, quæ αἰτία dicitur, opponunt, nusquam apud Ciceronem legas: sed sic usurpant Seneca, Tacitus, Suetonius: ut Jurisconsultos præteream.

Primatus repetit Schottus in Tull. Quæst.* nempe quia Tullius pro eo maluerit *principatus.* Sed *primatum dare* est Varronis lib. 1 R. R. cap. VII, *primatu donari*, Plinii lib. VIII cap. V.

* Pag. 252.

Prodigalitas damnat Nizolius ac cum Tullio jubet dicere effusio, profusio. Puto tamen altero usum Sallustium.

Prodigitas pro eo apud Nonium Lucilius sat. lib. VI:

Nequitia occupat hoc, petulentia, prodigitasque.

At *prodigentia* Taciti est in XIII Annal.

Prodigus non video cur rejiciat Andr. Schottus in Tullianis †. Jubet imitari Ciceronem, cujus sit illud pro Quinctio: *Quis tam profusus ac perditus nepos, sic dissolutus fuisset?* Sanè interdum sic loquar, sed sæpius cum eodem Cicerone, & aliis simpliciter dixero *prodigus.* At *prolixus*, & *beneficus*, quæ idem * præfert, aliud notant, cùm non culpæ sint, sed laudis vocabula.

† Pag. 252.

* Pag. 253.

Profectus, pro quo Cicero *progressus magnus*, crebrum est Quinctiliano, nec semel in epistolis Plinii legas.

Professor pro doctore, aut magistro, alicujus artis (ut Cicero vocat) apud Plinium utrumque, sæpe etiam apud Quinctilianum reperias. Uti & Tacitus in vita Agricolæ, ac Suetonius de Claris Grammaticis.

Profunditas non facile dixero. Scio tamen Macrobii esse lib. 1 de Som. Scip. *Maronis est ex intima disciplina profunditate sententia.*

Properus rejiciunt auctores Indicis sæpius memorati. Sed Festus ait, sic dixisse veteres pro *celer.* Atque usurpat Tacitus Annal. lib. V, XI, XII. Ciceronis quoque est *praproperus:* ut non sit caussa, cur simplex rejiciant.

Proprietarius displicet nonnullis jubeatque pro eo ex Budæi Forensibus dicere, *mancupio ac nexu dominum.* Sed in Digestis habes sæpius Tit. de usufructu. *Proprietatis dominus* pro eo legas L. XLVI. §. 1. D. de furt. Sæpeque *fructuario* opponitur.

Prosam orationem, pro *prorsa*, rectè dici negat, disertissimus Muretus annotat. in Terent. Sed *prosus*, & *prorsus*, idem sunt. Veteres enim in nonnullis omittebant literam illam caninam: unde & *rusus* dixere pro *rursus.* Ennius utroque usus:

Rusus prosus reciprocat fluctus feram.

Plauti quoque est Milite:

Prosus Athenas protinus abibo tecum.

Et Persa:

Simulato, quasi eas prosum in navem.

Usurpat & Varro *prosus* pro *erectus.* Dicta autem *prosa* pro *prorsa* oratio, quod enim non inflecteret cantus, contrà quàm fit in carmine. *Prosam* verò orationem dixere Columella præfat. lib. X, Fabius lib. 1 cap. X, Agellius lib. X cap. XVIII. Nihil igitur caussæ est, cur cum Scoto † damnemus: etsi Tullius potiùs *oratio soluta*, vel *libera*, vel *nuda*.

† Lib. 3 Tull. Quæst. pag. 253.

Protervia Lucretii est: uti Ciceronis protervitas.

Proventus, pro quo Cicero *fructus*, apud Plautum habes,

bes, item Cæsarem, sæpius apud Plinium in Nat. Hist. item alterum in Epist.

Proximior in sordibus vulgati sermonis reponit Andreas Schottus in III Tullianarum Quæst. * Sanè hactenus assentio, quod non dixerim Hispaniam *proximiorem*, pro *citeriori*: cui *ulterior* opponitur. Imò nec quisquam, qui Augusti ævo vixerit, sic loquebatur: nec ulla nobis sic loquendi necessitas, cum *propior*, *junctior*, aut *vicinus*, liceat dicere. In barbaris tamen reponi non meretur: cum sic loquatur Seneca: ut taceam de vett. Jurisconsultis. Vide quæ diximus in secundo de Analogia cap. XXVI.

* Pag. 223.

Puellaris, pro quo Cicero *virginalis*, Ovidii est IV Fast. Senecæ in Medea, Quinctiliani procemio lib. VI, Claudiani de laudibus Serenæ.

Puericida, sicuti Medea, aut Herodes, vocetur, non adverser: cum *parricida* dicamus, & *matricida*, quod Ausonius usurpat, & *infanticidium* legamus apud Tertullianum. Nec tamen de istoc contendero, cum veteres hoc vocabulum nesciant.

Pullatus, pro quo Cicero *atratus*, apud Fabium, & Tranquillum, non semel legas.

Pulmentarium, pro quo Tullius *pulmentum*, habes apud Catonem de R.R. cap. LVIII, Horatium lib. II sat. III, Columellam lib. XI cap. III, Persium sat. III.

Pulpamenti vox apud Tullium non exstat: sed usurpat Comicus uterque.

Pulpiti vocabulum idem nescit, sed mavult *suggestum*. Sed habes apud Suetonium de claris Grammaticis, atque alios.

Punctus, pro quo Cicero punctum, Plinius dixit lib. II cap. LXVIII.

Purgamentum habes apud Livium, Columellam, Senecam. Cicero pro eo *sordes*.

Q.

QUalisqualis damnat Index sæpè laudatus: ac ex Tullio reponit, *cujusque modi*, *cujusmodicunque*, *qualiscunque*. Sed, Jurisconsulti est L. Rescriptum. ff. de distractis pignor. *Ex contractu qualiquali, obligatione à debitore interposita.*

Quantitas respuit idem Index, & præfert è Cicerone, *numerus*, aut *vis*. Sed aliud sæpe quantitas: atque usus Plinius lib. XVII cap. XXIV: *Laborant & fame, & cruditate, quæ fiunt humoris quantitate.*

Quotenus improbant. At legas apud Ciceronem in XII ad Att. *Is opinor, ita partes fecit in ripa nescio quotenorum jugerum, ut certa pretia constitueret, quæ mihi nota non sunt.* Est & Columellæ: *Quotena semina jugerum in ternos pedes, unde in denos pedes disposita recipias.*

R.

RAtionalis haut damnare ausim. Nam apud Magistrum Herennianum lib. II lego, *caussa rationalis*. Posteriorum quoque Impp. temporibus rationales dicti Cæsaris procuratores. Lamprid. in Alexandr. *Ubi aliquos voluisset, vel rectores provinciis dare vel præpositos facere, vel procuratores, id est Rationales ordinare.* l. v. C. ubi caussæ Fiscales, &c. *Ad fiscum pertinentes caussas Rationalis decidat*, &c. Eadem vox copiose usurpatur modo l. VIII. & l. X eodem tit. Item ad l. Juliam majest. l. ult. C. & alibi sæpe. In notitia quoque imperii Romani legitur *Rationalis summarum*: ac in Codice Theodosiano itidem scriptum: *Verecundo Rationali summarum*: Pro eo l. VII. C. ubi caussæ fiscales, dicitur *rationalis summæ rei*. Eodemque modo habet vetus inscriptio: VAL. HONORATUS V. P. RAT. S. R. h. e. urbis præfectus rationalis summæ rei. Exprimitur eadem appellatio in rescripto Galieni apud Eusebium VII cap. XIII, ubi is vocatur ὁ τῆς μεγίστης πράγματος στρατηγὸς. Ac hæc quidem abunde confirmant, haut ἀπλῶς damnandam vocem *rationalis*. At quæritur porrò, an *rationale* Latinè dicatur pro rationis particeps, & *irrationale* pro rationis destitutum. Id quanquam non pertineat ad præsens institutum, (nam vocabula ipsa, non significationes nunc spectamus) tamen quia eandem ad vocem pertinet, aliquid de eo adferre hoc loco visum. Res plana est, si sanus est ille Quinctiliani locus lib. VII cap. de Finitione: *An si non dixero, homo est animal rationale, mortale*, &c. Itemque ille paullo pòst: *Falsa est* (finitio) *si dicas equus animal rationale. nam est equus animal, sed irrationale.* Ita est in Aldinâ aliisque. Nec sollicitandam hanc lectionem arbitror. Quidam tamen invalido planè tibicine subnixi, legendum putant rationabile & irrationabile, quia antè eodem capite dixerat: *Ut si finias equum, genus est animal, species mortale, differentia irrationabile, proprium hinniens.* Nam hinc potiùs utrumque dici colligere debuerunt. Interim vel ex hoc Fabii loco paret, falli magnum interpretem, qui ad II Petri II. 12 (ubi in Græco est ἄλογα ζῶα, quod vulgatus interpres vertit, *ut irrationabilia pecora*) exsertim scribere non dubitat, vocem *irrationabilis* esse barbaram. Idem ille locus ostendit, haut perpetuum esse discrimen, quo nonnulli *rationale*, & *rationabile*, distinguunt, cùm illud *ratione præditum*; hoc, *rationi consentaneum* esse volunt. Ita enim Gloss. vett. *Rationabilis*, εὔλογος. *Rationalis*, λογικός. Quomodo & priori, sed in compositione, usus est Cælius Aurelianus lib. I de Morbis acutis cap. XII: *Etenim audacia, & irrationabilis fortitudo pejorantis est passionis, & magis in augmento fit.* Nec solus est Quinctilianus, qui *rationale animal* dicat. Nam & eo antiquior Cornelius Celsus in præfatione ait: *Neque enim se dicere, consilio medicum non egere, & irrationale animal hanc artem posse præstare.*

Raucitas similiter improbat, at laudat è Tullio *vox obtusa*. At altero aliquoties usus Plinius in Hist. Nat.

Rebellis apud Maronem, & Statium est, pro quo Cicero, *qui ab aliquo deficit*, aut *perduellis*.

Rebellio mirum ab eodem damnari. Vult autem cum Cicerone dicamus *defectio*, *alienatio*. Sed *rebellio* non Taciti modò est, sed etiam Livii non uno loco, & Cæsaris ipsius in III de bello Gallico.

Receptor improbant, & jubent cum Tullio dicere *receptator*, aut *coactor*. Sanè in Miloniana optimi quique codices habent, *latronum occultator ac receptator locus.* Pauci ac fere deteriores *receptator*. Sed aliquid est, quod in Verrinis non semel sit *receptrix*: ut, *Messana furtorum receptrix*, non *receptatrix*.

Redargutio, ut barbarum, damnat Laurentius Humfredus lib. de rat. interpr. At non contemnenda mihi videtur autoritas Boëthii ita transferentis, vocem ἔλεγχος. Græcum tamen, ut ingenuè sententiam dicam, rectiùs puto retineri.

Refugium, pro *perfugio*, improbatur Andreæ Schotto Tull. Quæst. lib. III †. Sed nec alterum debet improbari. Quippe & Cicero, sed semel, usus est lib. II Offic. *Regum, populorum, nationum, portus erat, & refugium Senatus.* At postea Suetonius in Tiberio: *Ne refugium in tali fraude cuiquam esset.* Usus & Julianus L. Si cujus rei. §. Sed si ædium. ff. De usufruct. & quemadmodum, &c.

† Pag. 249.

Regimen pro imperio, vel gubernatione, ut apud Tullium non legas: habes non modò apud Lucretium, atque Ovidium sed etiam Livium lib. III: *Regimen totius magistratus penes Appium erat.* Usi & Plinius, ac Tranquillus.

Relaxus, pro quo Tullius, *laxus*, non sit respuendum, si Columellæ sic lib. XI cap. III: *Relaxa humo plenioris crassitudinis fiat radix.*

Reprobi, pro *improbi*, an rectum sit, ambigi video, uti & *reprobare*, pro *improbare*. Theologis nihil usitatius in Prædestinationis argumento: nisi quod his potiùs usurpatur de iis, qui divino sunt judicio rejecti ab æterno, sive ob prævisam impœnitentiam, sive nullâ ejus habitâ ratione: de quo disputare non est hujus loci. Præsertim quando in opere Historiæ Pelagianæ abunde, quid vetus de eo Ecclesia senserit, discussimus. Cæterum hæc vocabula hau-

hausisse Theologos à Jurisconsultis, arbitror: quibus *reprobi nummi*, vel *reproba pecunia* L. eleganter. XXIV. §. qui reprobos. ff. de pign. act. *Reprobari medicum*, L. XI. §. reprobari. D. de muneribus, & honor. Reprobari testimonium L. XXI. D. de his, qui notantur infamia. *Reprobata statua.* L. IV. in fine. §. ad L. Jul. Majestat. Interim quod Ciceronem eâ usum voce censent, valde falluntur. Adducunt illud è IV Acad. Quæst. *Qui cum Zenonis fuisset auditor, reprobavit ea, quæ ille verbis.* Sed quid manifestius ex antithesi, quam disjunctim legendum *reprobavit*?

Repudium improbat Cellarii Index, ac è Cicerone commendat *repudiatio*. Verùm prius est apud utrumque Comicum, Plinium, Tranquillum, & Jurisconsultos.

Rixosus non est Ciceronis, qui pro eo *ad rixam concitus*: sed habes apud Columellam lib. VIII cap. II.

Rubeus, sive *robeus*, Latinum esse negat doctissimus Hermolaus Barbarus. Nam in illud Plinii lib. IX capite XXXVIII, *Rubeus color nigricante deterior*: scribit hunc in modum: *Rubens*, inquit, *non rubeus. Praterissem hoc, ut leve, nisi in omnibus codd. inolevisset: vulgoque imperiti barbariem suam in eo verbo tueri laborarent.* Rodolphus quoque Agricola, epistolâ ad Alexandrum Hegium *, ait se quidem *rubeas* scriptum invenisse in codd. Plinii: attamen fieri posse, ut unius literæ, eoque facili errore, *rubeus* pro *rubens* fuerit exaratum. Servius tamen in illud Ecl. VI, *Sanguineis frontem moris*, &c. *Multi*, inquit, *ob hoc dictum putant, quod robeus color deorum sit.* Sed grammaticos mitto. Ecce Columella lib. VI cap. I: ubi docet, cujusmodi boves sint parandi, *corpore*, inquit, *denso, brevique, colore rubeo, vel fusco, tactu corporis mollissimo.*

* *A Goldasto edita in centuria epist. Philol.*

Ruricola Tullio est *agricola*. Nec tamen priori solum Ovidius, & poëtæ alii utuntur: sed Columella etiam lib. X cap. XXXI.

S.

S*Æpissimus* dixit Hieronymus ad Eustoch. *Sæpissimo rogatu, ò virgo Christi, a me tua deposcit charitas, ut tibi notum faciam, unde Petri Apostoli in Kalendis Augusti quæ celebratur festivitas initium habuerit.* Barbarum putant, & eo seculo natum. Potiùs dixero, voce usum obsoletâ. Nam Priscianus lib. III cap. de Comparatione, adducit è Catonis Nepotis oratione quadam hæc verba: *Facite, vobis in mentem veniat Quirites, ex are alieno in hac civitate, propter diem atque fœnus, sæpissimam discordiam fuisse.* Suspicor priscos dixisse *sæpis*, pro *creber*. Nec tamen voce *sæpissimus* utar; quippe obsoleta.

Salarium Plinio, Tacito, & Suetonio est, quod Ciceroni *merces*, ac præmium.

Salomo potius, quam *Salomon*, scribi oportere, judicium est Joannis Drusii, suis in Sulpicium notis *. Et inquit, quis hoc neget? Equidem nolim de eo contentionis funem ducere. Ut enim Græci pro *Cicero* Κικέρων: ita Latini pro Πλάτων *Plato*. Attamen non *Demopho* modo, sed & *Demophon*, est apud Comicum. Ait *Jaso* dici, non *Jason*. At *Jason* malim, tot codicum auctoritate. Nullum, inquit, nomen Hebræum desinit in N. At sic exit *Jochanan*. Et ut id non esset, non ἀμέσως Salomonis nomen accepimus ab Hebræis, sed Græcis, qui Σαλωμὼν dicunt.

* *Pag. 165.*

Salvatoris vox reponitur inter barbara à Cælio Calcagnino lib. II Epistolarum Quæst. epist. IX. Nec eum planè deficit ratio. Nam & Cicero insolentiam vocis ejus vitans, *Soterem* (Martiani Capellæ verbis utor) *Salvatorem noluit appellare, & ait, Qui salutem dedit.* Illud enim nimis insolens videbatur. Respicit autem Capella istum Ciceronis locum lib. II in Verrem: *Itaque eum non solum patronum istius insulæ, sed etiam sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum soter, qui salutem dedit.* Itaque & Latini munera, quæ pro salute amici dabantur, *soteria* dixere; ut ex Martiale, & Papinio, constat. Theologis tamen non minus quoties sermo est de Christo à *salvando salvator* dicere liceat, quam veteres a *servando* formarunt nomen *servatoris*. Atque hoc propterea censeo, quia omnis Christianorum sapientia sit Christus, quem solum se scire prædicat beatum illud vas Apostolus Paullus: eoque semper is nobis in animo esse debeat, & linguâ: ridiculum autem fore videatur, si ubique velimus *Salvatoris* vocem περιφράζειν. Scio esse, qui *Servator* dicere jubeant. Sed hi non satis attendunt, quantum inter hæc duo sit discriminis. Quippe, ut quoque Paullus Manutius monet in librum II Act. Verr. *Servat, qui, ne salus amittatur, præstat. Salvat, qui amissam restituit.* At Christus amissam instauravit nobis salutem, eoque *Salvator* rectiùs dicitur, quam *Servator*. Usurpat, præter vulgatum interpretem Jud. III, 9. 15. item IV Regum XIV, 2. & Esdræ IX. etiam Ambrosius, Prudentius, Hieronymus in Abdiam sub finem, etiam Augustinus quæst. XVIII in Jud. & ante hos quatuor, Lactantius libro IV de Verâ Sapientia: *Jesus, qui Latinè dicitur Salutaris, sive Salvator, qui cunctis gentibus salutifer venit.* Illis & Lactantio antiquior Novatianus libro de Trinitate. Quin gentilibus ipsis jam Trajani temporibus, in usu fuit: ut ostendit vetus lapis, in Dacia repertus; cujus talis est inscriptio †:

IOVI CVSTODI
QVIRINO SAL
VATORI
PRO SALVTE CÆ
SARIS NERVÆ
TRAIANI AVG
COL
SARMIZ *.

† *In script. Gruter. pag. 19. num. 5.*

* *Colonia Sarmicensis. quæ votum fecit pro salute Cæs. Trajani.*

Agnoscunt etiam Glossæ Cyrilli, Σωτὴρ, *Salvator*, *conservator*. *Sospitator* pro eo est apud Appulejum in Apologiâ; ubi Deum vocat *æternum animantium sospitatorem*. *Sospitare* est apud Festum, ex Verrio. atque usus Lucillius. Imò olim *Sospes* non modò *salvum* notabat, sed etiam *qui salvum præstaret*. Atque hinc & Junonem dixere *Sospitam*; imò & *Sospitem*, ut idem Festus auctor est.

Sanctitudo, pro *sanctitas*, vel *sanctimonia*, non minus barbarum putant, quam *albedo*, *nigredo*, *certitudo*. Usurpat Hincmarus epistolâ ad Rodulphum, Archiepiscopum Bituricensem: *Susceptis sanctitudinis tuæ literis.* Sed hujus levis est auctoritas præ Tullio; qui licet nuspiam eo utatur in libris, qui supersunt; tamen post poëtam Attium non refugit in IV de Republica: ut Nonius ostendit.

Sanguisuga Tullio semper *hirudo*. Sed prius non refugit Plinius lib. XXXII cap. VII. *Idem præstare sanguisugarum cinis ex aceto illitus putatur.* Malim tamen cum Tullio loqui, quia alterum postea ex vulgi usu irrepsit. Id ipse indicat Plinius lib. VIII cap. X: *Cruciatum in potu maximum sentiunt haustâ hirudine, quam sanguisugam vulgò appellari animadverto.*

Sata pro *segete* non quidem Cicero ait: sed præter Maronem, & alios poëtarum, sic Fabius non semel.

Satiatus damnant, & cum Tullio jubent dicere *saturatus*, vel *satietate defessus*. Sed præter Horatium, Catullum, poëtarumque alios usus non semel Livium: ut lib. II *satiatus somno*; lib. VIII, *satiatus supplicio*.

Scholasticus voce quàm variè usi sint veteres, dixi lib. I de Natura ac Constitutione Rhetorices cap. I. Adi & Meursii Glossarium in Σχολαστικός. Proximis verò seculis & nomen hoc attributum doctori in schola. Cæsarius lib. I Mirac. cap. XXXVIII: *Rodolphum ejusdem Ecclesiæ scholasticum Parisiis legentem audivit.*

Secessus Indici sæpius dicto repudiatur quia apud Tullium pro eo sit *recessus*, *locus remotus*, *solitudo*, *latebræ*, *longè*, *procul ab oculis populi*. Sed usi præter Maronem, atque Ovidium, tres illi ejusdem ætatis scriptores, Quinctilianus, Tranquillus, ac Plinius Novocomensis.

Sensibilis, de eo, quod sensu percipitur, non damnâro, propter illud Vitruvii lib. V cap. III: *Vox est spiritus fluens, & aeris ictu sensibilis auditui.* Quare damnare nolim: ac minùs

minùs *insensibilis*: quando usurpat Lucretius lib. II, & Agellius lib. XVII cap. X. Etiam *sensibilis* activâ videas significatione accipi. Malim cum Tullio, *habens sensum*.

Septentrionalis rejicitur Indice sæpius dicto: quia Tullius dicat pro eo *aquilonaris*, *sub axe positus*, *ad septem stellas*. Sed Plinius ea voce non abstinuit lib. IX cap. XVII.

Sequax apud Tullium quidem non invenias, sed frequens est Plinio in Hist. Nat. nec Novocomensis in Panegyrico refugit.

Serva item rejicit, quia pro eo Cicero *ancilla*, *famula*. Maronis tamen est *Olis serva datur*. Ac Ulpiani L. Doli §. I. ff. de servo corr. *Si servus servave fecisse dicetur*.

Sesqui extra compositionem qui improbant, refelluntur illo Ciceronis in Oratore: *Partem pedis aut aqualem esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse majorem*.

Simia tantum, non *simius* dici ait Porphyrion in Horatium. Sed simius est, apud Horatium, Martialem, Claudianum: indeque *simiolus* apud Ciceronem.

Simplus equus, singularis, sive unicus: quo qui vehitur singulator, ac κέλης dicebatur. Epigrammatarius de Circo:

> *Luna biga datur semper, Solique quadriga:*
> *Castoribus simpli rectè dicantur equi.*

Nec tamen barbarum: cum qua forma duplum, eàdem simplum etiam dixerint Plautus & Varro.

Sodalitas ipsius est Ciceronis, qui non semel usurpat. Quare miror, eruditum Anglum, Robertum Cocum, inter voces barbaras, meritoque damnatas, etiam hanc reponere, tanquam ex qua diluceat librum de singularitate clericorum non esse Cypriani elegantissimi scriptoris. Sed ut de hoc vocabulo deceptus sit, alia tamen sunt multa, quæ arguant, alterius omnino esse, quam nobilis illius Martyris. Ac hoc nobiscum fatentur Erasmus, Possevinus, Bellarminus, alii. In codice bibliothecæ Oxoniensis in Collegio omnium animarum, tribuitur is liber Arnoldo Bonavillacensi Abbati ad Adrianum Papam: ut testis est Thomas Jamesius*, atque ex eo Robertus Cocus in Censurâ quorundam scriptorum †.

* Tractatu de suppositittis scriptis Anglicè edito pag. 12. 13.
† Pag. 74.

Sonorus item damnant, & ex Tullio *canorus* dicere jubent. Atqui diversum hæc significant. Et *sonorus* est apud multos, vix alios tamen, quam poëtas: ut Maronem, Tibullum, alios, inque his Claudianum epistolâ ad Serenam:

> *Quippe antri memores, cautes ubi sæpe sonora*
> *Præbuerant dulci mira theatra lyra.*

Prout Behotius in primo Apophoretorum eum locum distinxit, & correxit.

Spernax, aspernans, contemtor. Sidonius lib. IV epist. IX: *Erga familiam suam nec in admittendo consilio spernax, nec in investigando reatu persequax.* Verum usus & Silius, purissimus scriptor, lib. VIII:

> *Ductor Piso viros spernaces mortis agebat.*

Spira, ut licet Græcum, non tamen Latinum pro fune nautico in orbem convoluto, eò damnant, quia Tullius maluerit dicere, *Sed est quasi rudentis explicatio*. Verùm de istiusmodi figurâ, usi Virgilius, Plinius, alii.

Spissitudo, pro quo idem Index *frequentia* ex Tullio reponit, apud Senecam est lib. VIII Quæst. Nat. *Est autem nubes spissitudo aëris crassi.*

Spurcitia eidem improbatur, probatur *lues*, ut Tullianum. Atqui aliud hoc notat. Et alterum post Lucretium non semel tam Columella, quàm Plinius, usurpat.

Statuarius rejicit idem, ac probat è Tullio *fictor*, vel *qui signa fabricat*. At legas apud Plinium lib. XXXIV cap. VII, & Fabium lib. VI cap. XII.

Storax perperam ab officinis putant dici. Sed Terentius ipse ab odore styracis sive storacis, servulum *Storacem* vocavit; ut Donato monitum. Imò & Virgilium, aut Valerium, Catonem in Ciri, & Solinum cap. XLVI sic loqui, ostendimus in primo de Analogia cap. XXXIV. Atque addebamus, sic etiam Plinium vocare. Id alii negant, qui ubique aiunt *styracem* vocare. Et sic sanè bis nominat lib. XII cap. XVII. Sed lib. XVI cap. VIII *storace* est in optimæ notæ editione Parmensi anni CIↃ CCCC LXXVI. Ubi tamen vulgatæ habent *styrace*. Nempe Græcis στύραξ, Latinis veteribus *storax*. Y in O abeunte: quomodo *sorex* ab ὕραξ. Ita Æolicè *mus* vocatur. Similia, μύλη *mola*, φύλλον *folium*, aliaque.

Subdititius dicendum negat Giffanius: ac *subdititivus* præfert, quia sic Suetonius Nerone: *Namque Britannicum fratrem* &c. *ut subdititivum apud patrem arguere conatus est*. Ita optimi libri vett. Sed *subdititius* apud Ciceronem, & Fabium legas. Nempe ut à *fictum*, *fictitius*, sic à *suppositum*, *supposititius*.

Subjugus Nizolius & Cellarius improbant, & dicere præcipiunt *subjectus*. Plinii tamen est *subjugis*. lib. XI cap. XLIX.

Subitaneus, etsi *subitus* pro eo Tullius, non ausim cum aliis rejicere: quia Columellæ est lib. I cap. VI.

Superfluus damnant, & pro eo è Tullio jubent dicere *supervacaneus*, *supervacuus*, *redundans*, *quod supersit*. Sed usus Plinius Panegyrico, & Papinianus L. Deducta. §. ult. ff. ad S. C. Trebell. Superflui fructus.

Sublimitas non est Tullianum, verùm *excelsitas*. Interim tuto sic dixeris cum Columella, Plinioque.

Sueci, & *Suedi* vulgò dicuntur, qui Tacito *Suiones*, *Sueones* Eginharto: Interim pro vulgari appellatione est, quod *Suethans* vocet Jornandes initio operis de rebus Geticis. Nempe diversimodè Germani hoc nomen extulerunt.

Superfluitas damnant scriptor Indicis Nizoliano additi Thesauro, & Andreas Scottus lib. III Tullianatum quæstionum*. Et Tullius quidem ignorat, qui pro eo dicit *redundantia*. Interim alterum non refugit Plinius lib. I cap. XIV.

* Pag. 155.

Suspiratio est Senecæ, Plinii, Fabii: ut non necesse sit semper cum Tullio *suspirium* dicere.

T.

T*Antillum* non est Ciceronis: sed *tantulo* tamen est apud eum in Catone Majore: & altero usi ambo Comici, Catullus etiam epigr. ad Juventium, Plinius lib. XXXII cap. I.

Taxatores negant rectè dici: & malim ipse etiam, *arbitros*, *qui impendia litium æstimant*. Interim *taxatio*, pro *æstimatione*, ipsius Plinii est.

Techna refugit Tullius: qui maluit *dolus*, aut fraus. Sed est apud comicos ambos.

Tegmentum pro *tegumentum*, vel *tegmen* (quæ Tulliana) dici negant. Sed usurpat Cæsar in tertio belli Civilis.

Temperatura præter Varronem etiam Plinio in usu est lib. XXXIV cap. XV. Cicero tamen *temperamentum*, vel *temperatio*.

Temperies vocabulum pro eo, quod Græcis εὐκρασία, perperam Scotto in Tullianis Quæst. † usurpari videtur: ac censet *temperationem corporum* dicendum cum Cicerone in Tusculanis sic scribente: *Corporis temperatio*, *cum ea congruunt inter se*, *quibus constamus*, *sanitas*. Ac similiter alibi eodem opere: *Commutationes temporum quadripartita ad temperationem corporis apta*. Sed enim *temperatio* & *temperies*, vel *temperamentum* non differunt. Atqui ut ait Cicero, *temperatio cœli*, *lunæ*, *aëris*, sic *cæli temperies* apud Ovidium, & utrumque Plinium.

† Pag. 264.

Tempestuosum de mari est Agellii. Cicero potius *turbulentum*.

Tenebrosus quidem nuspiam fortasse Cicero, sed *tenebricosus*, vel *cæcus*. At usurpat Varro lib. III de R. R. cap. IX. ac Maro III Æneid. Imo apud Ciceronem in Vatinium legant *tenebrosissimum tempus*.

Terreus non dicit Cicero, sed *terrenus*. Sed in Columella lib. I cap. VI codices quidam *terreus*, alii *terrenus* habent. De quo iccirco non pugnaro.

Terriculum rejicitur ab Indice Nizoliani Thesauri à Cellario adaucti. Præcipit verò pro eo cum Cicerone dicere *terrificum*. Atqui hoc Ciceronianum non est. Puto igitur, *terri-*

terribile dicere voluisse. Cæterum *terricula*, vel *terriculum*, nec Livius refugit lib. v: *Sine terriculis Tribunitiæ potestatis inventam esse aliam vim maiorem ad coërcendos magistratus.* Etiam ex Seneca adducunt: *Siquis tibi palam mortem minetur, omnes terriculas ejus deludas.* Habes in Senecæ Excerptis, quæ in Lipsiana editione extremum non sunt. Sed Lipsio etiam indice non sunt genuina. At veteres poëtæ usurparunt. In his Afranius Privigno:

Numero inepti pertimuistis cassam terriculam adversarii. Signat manes minas, quæ verè sunt (ut Græci dicunt) μορμολυκεῖον, ex quo & Belgæ videntur κατὰ συγκοπὴν habere suum *moolnk*.

Testatio non dicit Cicero, sed *testificatio*. Sed prius non aspernati Livius lib. VIII, & Quinctilianus lib. V cap. XIII.

Tinctor respuit Andreas Schottus lib. III Tull. quæst. * Jubet vero pro eo dicere *infectorem*. Festus docet vocari & *offectorem*. Hadrianus Junius in Nomenclatore addit, *tinctorem* præterea dici: sed, præter morem, non apponit auctorem. Neque vocem agnoscit Cælii Forum Romanum. Sed reperio apud Vitruvium lib. VII cap. XIV: ubi docet, quomodo ex floribus inficiatur aliquid purpureo colore: interque alia ait: *Itaque tinctores, cum volunt sil Atticum imitari, violam aridam conjicientes in vas, cum aqua confervescere faciunt ad ignem.*

* Pag. 265.

Titulum nuspiam Cicero, ut *inscriptionem* vocat. Aliter Tranquillus Caligula cap. XLIX, in Galba cap. II, in Domitiano cap. V.

Tonstrix est Plauti Trucul. pro quo cum Cicerone *tonstriculam* dicere jubent. Mihi utrumque placet.

Toxicum, pro quo Cicero *venenum*, præter Plautum, Ovidium, Propertium, etiam Plinius dicit XVI cap. X. Ausonius epigrammate X ad Eumpinam Adulteram; utitur & Phædrus, fabulâ XIV lib. I.

Transactio, pro *decisio* ignotum veteribus Romuli nepotibus. Nec tamen cum Ciceroniastris prorsus damnem, quando Cicero hac ipsa significatione ait *transigere*, *transactus*, & *transactor*: & in ipsis Digestis est titulus de Transactionibus: ut de veteribus Glossariis taceam.

Trepidus reprehendunt, quoniam Tullius *tremens*, *horrens*. Sed non poëtis solum est frequens: verùm usi etiam Livius sæpe, ac Tacitus in V Hist.

Tubicen damnabat amicus, quia nec Robertus Stephanus in Thesauro, vel Forum Romanum Cælii Curionis, vel Calepinus Passeratii, ut vocant, ullo scriptore id vocabuli potuerint firmare. Addebat, veteres pro eo *aneatores* dixisse: ut Suetonium in Julio cap. XXXII: etiam Tertullianum de Corona Militis: *Et mortuus tuba inquietabitur aneatoris?* Ubi morem respicit, quo in funere nobiliorum ad exequias tubæ cantu convocabantur. Sed quod putabat is vocem *tubicinis* esse ignotam antiquis, id planè aliter est. Nam ut mittam Hyginum fab. CCLXXIV, & Vegetium lib. II cap. XXII: usus ipse Sallustius in Jugurtha cap. XCIII: *Ex copia tubicinum, cornicinum numero quinque quam velocissimos delegit.* Et cap. XCIX: *Cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes signa canere.* Præterea non planè idem *aneatores* ac *tubicines*. Nam *aneatoris* vocabulum comprehendit *tubicines*, *cornicines*, *buccinatores*: quorum primi cecinerunt ære directo, alteri recurvo, sive reflexo, tertii ad modum turbinis tortili: ut omnes quidem *tubicines* sint *aneatores*, sed si propriè loqui velimus, non omnes *aneatores* sint *tubicines*. Scio, Festum, sive Paullum *aneatorem* interpretari *cornicinem*. Sed potuisset similiter & tubicinem exponere: ut in glossis Philoxeni legas. *Æneator* σαλπιγκτής, hoc est, *tubicen*. Nam σάλπιγξ *tuba*. *Salpicta* vocabulo usi & Arnobius libro Septimo, ac Jun. Firmicus libro Octavo. Plerique voce σαλπιγκτῶν etiam *buccinatores* ajunt comprehendi. Scio quàm latè vox ea interdum sumatur. Sed propriè differre fidem fecerit Dionysius Halicarnass. libro Quarto, ubi in classium descriptione sub Servio Tullio σαλπιγκτὰς καὶ βυκανιστὰς, ut diversos, conjungit; idque gemino in loco posteriori quidem integre, priori autem corruptè, ubi vulgo legitur σαλπιστῶν τε καὶ τυμβανιστῶν, pro βυκανιστῶν, cum Romanis nullis fuerit tympani usus. De quo Lipsius libro Quarto Militiæ Romanæ, Dialogo X.

Tubicina non arbitror legi apud veterum quempiam. Sed eò id factum puto, quia feminæ forent nullæ, quæ canerent tuba; belli, vel sacrorum instrumento: sed contrà essent *fidicina*, *tibicina*, *sambucina*: quas ideo, ut conviviis aptas, junxit Plautus Epid. act. II sc. II. Atque eâdem de caussâ nec *cornicina* legimus. Rei igitur is potiùs fuerit defectus, quàm vocabuli. Sed si virago quæpiam à marito milite, vel aliter, edocta sit tubam, vel cornu inflare (qualis copias Illustrissimi Comitis Ernesti, Nassovii Comitis, Frisiæ Gubernatoris, paucis abhinc annis sectari solita) non ἀναλόγως modò, sed Lannè etiam ut puto, *tubicinam*, & *cornicinam*, dixero.

Turcarum appellationem, quia ignota Tullio, ita refugit Petrus Bembus in Historia Veneta, ut eum *Thracum regem* appellet. Quasi Thraciæ nomen tot Occidentis terras, ac Orientis potissimum comprehendat.

Tyranna de femina dici posse, negat, vir eruditus, qui Analecta scripsit Linguæ Latinæ. Planeque ejus vocabuli auctorem censet Julium Scaligerum qui illud usurpat lib. III de Re Poëtica. Sed invenire est apud Trebellium Pollionem; ubi iis respondet, à quibus reprehendebatur quòd XXX tyrannorum historiam pollicitus, etiam Zenobiam, & Victoriam, quia tyrannidis fuerant potitæ, inter eos recensuisset: cum hæ non *tyranni*, sed *tyrannæ*, aut *tyrannides*, dici deberent. Quæ sanè reprehensio parvi ponderis erat, cum à potiori sumi debeat denominatio: ut mittam, quòd *tyrannus* olim etiam de feminis usurpabatur; ut quod communis esse generis, disertim scribat Servius in VII Æn. & vetus Ovidii interpres in Ibin.

Tyrannicida mavult Cicero ἀδελφοκτόνον. Sed legas etiam apud Plinium, & Fabium: quorum uterque etiam *tyrannicidium* dixit.

V.

V*Agabundus*, damnant, ac jubent dicere *vagus*, vel *qui sedem stabilem, & domicilium certum non habet.* Sanè sic Cicero, credo, malit. Interim *vagabundus*, est apud Senecam de vita beata.

Vappa crebrum Horatio, ac usus quoque Plinius lib. XIV cap. XX: ut non habeamus necesse cum Cicerone semper dicere *vinum fugiens*. Κατὰ μεταφορὰν prius etiam est in carmine Ithyphallico:

Nos vappæ sumus. ——

Vecordia damnant, quia Cicero pro eo *stupor mentis*. Sed & alterum Latinum esse, pro nobis spondet Terentius Andr. act. IV sc. I: Nec refugit Sallustius, vel Ovidius.

Vehementia fateor Tullianum non est, qui pro eo acrimonia. Sed sunt apud illum vehemens, & vehementer. Vehementia autem est apud Plinium lib. XIII cap. VIII.

Velox non quidem in Cicerone invenias qui pro eo *concitatus*, *excitatus*, *incitatus*, *volucer*: sed frequens est apud poëtas: nec refugit Quinctilianus lib. VI cap. IV: *Ingenium velox ac mobile.*

Versificatio immeritò improbatur: cum Columellæ sit lib. XI cap. I: *Nec me tamen fallebat hic eventus rei, cùm prædictam materiam carminis legibus implicarem. Sed tibi, Publi Silvine pertinaciter expetenti versificationis nostræ gustum, negare non sustinebam.*

Victoriosissimum triumphum est in oratione S. Galli. Nec damno, cum victoriosus de multas adepto victorias ipsius sit Porcii Catonis apud Agellium lib. IV cap. IX.

Visibilis repudiant, quia Tullius pro eo *aspectabilis*. Sed alterum est Plinii lib. XXI cap. XXXVII.

Vituperium Antonio Schoro non videtur Latinum. Sanè malim pro eo cum Tullio dicere *vituperatio*. Sed usus altero est Tacitus: atque is, ut censeo, ducem secutus est Sallustium, vel alium ex antiquis.

Vivacitas etsi damnent, quia in Cicerone non legas, rectum tamen esse ex Columella liquet: qui eo usus lib. II cap.

cap. II, & lib. XI cap. III: uti & Quinctilianus procemio lib. IV.

Uncinus crebrum est veteri Scripturæ interpreti. Id damnant, quia nec in foro Romano Cælii, nec Calepino toties recocto inveniant. At utitur Vitruvius lib. V cap. X: *Regulæ ferreæ, aut arcus fiant, eaque uncinis ferreis ad contignationem suspendantur, quam creberrimis.* Appulejus lib. III: *Pessulis injectis, & uncino firmiter immisso.* Gloss. *Uncinus*, ἀγκὼ σιδηροῦς. Atque hinc *uncinatus clavus* Vitruvio: imò apud Ciceronem ipsum in IV Acad. Quæst. *hamatis uncinatisque corporibus concreta.* Est verò *uncinus* ab ὄγκινος, quod ab ὄγκος. Gloss. Cyrilli: Ο῎γκινος, ὄγκινος, *vincenus, reticulus.* Ubi pro ὄγκινος lege ὄγκινος, pro *vincenus* verò *uncinus*.

Uncus nescit Cicero: scit *uncinatus*. Sed prius non poëtis modò crebrum: verùm in usu etiam Columellæ, ac Plinio: illius est *unci digiti*: hujus *unci ungues*.

Universale non est Ciceronis. Marius igitur Nizolius lib. I quadripartiti adversus Philosophos operis, quo & dogmata eorum, & dictionem expendit, damnare eam vocem non veretur. Sed responsum ei ab Joanne Vemerceto Pontarliano, uti Quinctilianum, qui nunc *vocem* dicit *universalem*, nunc *quæstionem*: imo & Ciceronis ætate usos Varronem & Cornificium, Herennianum magistrum: illius esse *caussam universalem*; hujus *universalem rationem*.

Voluptuosus est apud Plinium in Epist. Sed si ab ejus demum seculo vox fuerit: ut non planè damnem ita sciens non utar: cum è Tullio suppetant *voluptarius*, aut *jucundus*.

Vomitus non est Ciceronis qui pro eo dicit *vomitio*: nec propterea refugiam, cum crebrum sit non apud Plinium modò, sed etiam eo antiquiorem Cornelium Celsum.

Z.

Zephyrus cur cum ejusdem Indicis concinnatore rejiciam. Scio Ciceronem pro eo dicere *favonium*. Sed non levis nobis esse debet Varronis auctoritas qui usurpat in primo de R. R. Usus & Plinius, libro II capite XLVII, ut & cap. XXXIV, lib. XVIII, ac Agellius lib. II cap. XXII. Poëtis verò nihil frequentius.

DE NOMINIBUS, UBI FALSO IN DECLINATIONE ESSE PECCATUM, EXISTIMATUR.

Videas & multa è nominibus damnari, tanquam parum Latina, quia in declinando peccetur, dum ad genus non attenditur, vel quod casibus, aut numero deficiat.

Exemplo sint ista è primâ declinandi formâ.

Phalera solum numero plurativo dici, à Diomede proditum est, lib. I. Nec lubens aliter utar. Non tamen propterea damnem secus scribentes, exemplo Pliniano lib. XXXIII cap. I: ubi cùm narrâsset, ut Cn. Flavio, libertino patre nato, Appii Cæci scribæ favore plebis ob fastos dies publicatos, honos ædilitatis curulis, ac plebis tribunatus collatus esset, Senatus sic exarserit, ut annulos abjecerit. Addit deinde: *Fallit plerosque, qui tum & equestrem ordinem id fecisse arbitrantur. Est enim adjectum hoc quoque:* (puta, in antiquissimis annalibus:) *sed & phalera posita, propter quæ nomen equitum adjectum est.* Nisi placet, & *phalera*, & *phaleræ* esse pluralé; ut *ganea*, & *ganeæ*, *cæmenta*, & *cæmenta*, *rapa*, & *rapæ*, *margarita*, & *margaritæ*, *labrusca*, & *labruscæ*, aliaque id genus multa.

Monachabus cur non æquè ac *famulabus* dicatur, discriminis caussa? Gregorius Turonensis lib. X cap. XVI: *Igne accenso intra septa, cæsis, & vulneratis monachabus, in ipsis oratoriis spoliato monasterio.* Malim tamen virginibus sacris, Christo dicatis, vel novè etiam sanctimonialibus.

Vita sanctorum, an rectè dicatur, quæri scribit Gregorius Turonensis præfatione in librum suum de Vita Patrum. Ait verò non ignorare se apud veteres legi *philosophorum vitas*: sed cum opus suum *de vita sanctorum* inscriberet, sequi maluisse Grammaticos, qui negant habere pluralem. Factum nollem. Nam si Plinii, & Agellii cum non movit auctoritas, quorum ipse meminit: si nec Terentius, vel Maro commovent, qui plurativo usi: at Ciceronem ipsum sequi potuit, & debuit. Ejus est in Lælio: *Serpit per omnium vitas amicitia.* Et primo de Nat. Deor. *Deus hominum commoda, vitasque tuetur.* Et IV de Fin. *Duarum vitarum nobis erunt instituta capienda.* Sed Gregorio facile ignoscet, qui cogitârit, eum vixisse demum circa annum sexcentesimum, temporibus Gregorii Papæ.

Caritates dici negant. At Tullii est in primo de Offic. *Omnes omnium caritates patria una complexa est.* Ac Claudianus Mamertinus hoc exemplo similiter locutus. Verba ejus adduximus lib. I de Analog. cap. XL.

Hyperboleos, pro hyperboles, τῆς ὑπερβολῆς. Pseudo-Ovidius in secundo de Vetula:

—— Est nive candidior, nisi credulitatem
Frangat hyperboleos laxata licentia tantam.

Sociabus. —— Ovid. suppositicius in I de Vetula:

Divulget secreta minùs fidis sociabus.

Scalas, non *scalam* dici posse aiunt. Et prius longè usitatius. Interim altero usus Cornelius Celsus: cujus est, *Necessaria & scala lignea, quæ crassitudinem duorum digitorum habeat.* Item, *Si brachium deligatum super scala gallinaria gradum posuerit.* Item Aquila Romanus, Rhetor vetustus, Quinctiliano tamen, ut videtur paullo recentior: *Climax quod Græci vocant, adscensus nominetur à nobis. Malo enim adscensum, quam scalam, aut gradiculos, ut quidam, dicere.* Caium etiam Jurisconsultum sic loqui, alibi diximus.

Balnea sive *balinea* dici satis constat. Sed an *balnea* pro eo dicatur, quæri possit. Negat Varro in VIII de L.L. Sed etsi *balneæ* longè sit usitatius, altero tamen usus Horatius lib. I epist. I:

—— Mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonsores.

Chaos gignendi casu usurpat T. B. epistolâ ad Andream Dudithium: *An tanti sunt, quæso ista controversia ut propterea tot veræ & nobiles Ecclesiæ Augustanam Confessionem amplexæ, sint alicujus chaos instar, & tanquam discerpta laceri corporis membra?* Imò multò ante sic frater Joanninus de Mantua ad Albertum Mussatum, dissertatione adversus Poëticam*. *Non dicitur omnia esse producta de nihilo, sed de quodam chaos, in quo omnia confusa constiterunt.*

Laci pro *lacus*. Ut apud Cæsarium Heisterbachensem, lib. XII cap. XXIV, cum de manu inferni, & de profundo lacu dictum esset, subjungitur: *Non erat pro damnatis, sed pro salvandis, & accipitur ibi manus inferni, profundum laci, sive os leonis, pro acredine purgatorii.*

Catholicontis ante sesquiseculum formabar à recto Catholicon. Quo alludens Gratianus Verus in Ruardi Tappeti Ἀποθεώσει ait, *E Gemma Gemmarum, & Catholiconte.* Pro *Catholico*. Lexici universalis inscriptio est.

Præstigiæ tantum plurativum aiunt: eoque Politianum culpant, qui lib. III epist. I ad Callimachum scripserit: *Quid enim non gaudeam me etiam præstigia quadam sensum istum prædicationemque tuam lucrifacere?* Sed enim sequitur Quinctilianum: cujus istoc lib. IV cap. I: *Illa verò frigi-*

* Pag. 72. epistolarum Mussati, quæ habes in operibus Mussati editis Venetiis.

frigida & puerilis est in scholis affectatio, ut ipse transitus efficiat, aliquam utique sententiam, & hujus velut præstigiæ plausum petat.

Accedo nunc ad ea, quæ ad secundam pertinent declinandi formam.

Vervactum non modò, sed etiam in plurali *vervacta* dici, cognoscimus ex Columella lib. I cap. III; ubi est, *amplissima vervacta*: & lib. XI cap. II *Vervacta sunt iteranda.*

Macella etsi in plurativo dici Latinè negent Grammatici: de pluribus tamen non minùs sic loquar, quàm de uno *macellum* dixero. Nec planè deficit veterum auctoritas. Sic enim Ennius locutus, vel C. Memmius potius. Flavius Caper libro de Orthographia: *Hoc lutum atque macellum, singulariter exire memento: licet Ennius* ISTA MACELLA, *dicatque & Cæsar luta.* Sic legit etiam Hieronymus Columna, ac in sua Ennii editione * reposuit inter minutiora Ennii fragmenta, quæ, ex quo libro Ennii hausta forent, nescitet. Sed editio ex Bongarsii codice à Putschio expressa *Memmius* habet: cujus & fragmentum adducit Priscianus in VIII; ut doceat, cum *ementitus* dixisse pro ἐψευσμένος. Est verò hic C. Memmius ille, cujus, ut Sallustius in Jugurtha ait, *facundia Romæ clara pollensque fuit*: ac una deinde oratio perscribitur. Memorat & Tullius in Bruto.

* *Neapolitana an 1590.*

Rastra dici posse, negant multi: in quibus Godscalcus Stewechius ad Vegetii librum II. Sic tamen constanter loqui Vegetium agnoscit. Sed antiquiores eo similiter uti, ostendit hoc Cornelii Celsi apud Nonium Marcellum: *Omnes rastra & attollunt, & adigunt.* Juvenalis quoque est sat. XV.

—— Cum rastra & sarcula tantum
Adsueti coquere, &c.

Comitia quod singulo aiunt numero carere, non planè verum est: sed duntaxat, cum de conventu sermo, qua significatione legas apud Tullium † *comitia centuriata & tributa*: item *comitiis curiatis*. Sed pro loco, ubi conveniretur, *comitium* legas apud Plautum in Curculione act. IV sc. II: ac Ciceronem pro Sestio: *Cùm forum, comitium, curiam, multa de nocte armatis hominibus, ac servis plerisque, occupavissent.* utitur & in Verrem *quid hoc cuiquam ferendum esse putas? hujus argento domos, vestras? hujus signis & tabulis forum, comitium ornari?* & alibi sæpius.

† *In secunda Agraria contra Rullum.*

Etiam quædam in tertia malè damnant: ut cùm improbant *Emmaum*. Scio *Emmauntem*, ut *Amathuntem*, & *Hierochontem* dici: quomodo apud Josephum Ἐμμαοῦντα lego lib. XVII Antiquitatum Judaic. cap. XII, sive aliis XV *. Nempe ab recto Ἐμμαοῦς, quod est cap. prox. † Sed non eo *Emmaum* damnari meruit. Nam & *Emmaus Emmai* dixere: ut arguit hoc Plinii lib. V cap. XIV: *Hierechuntem palmis consitum, Emmaum, Lyddam.*

* *Pag. 540. edit. Froben.* † *Pag. eadem.*

Primori digito se insinuat venenum, parum Latinè dicatur, si sequimur eos, qui dandi casu aiunt carere. Sed si dicitur *primori digito tangere*, ut *in parte primori* apud Agellium est: equidem nec quo minus dandi casu utar caussæ satis esse arbitror: utcunque nemo, qui sic loquatur, nunc occurrat. Nec enim id ut puto, veteres damnassent, qui ablativo gauderent. Non magis quàm *fauces* refugissent, *ô fauces diræ!* etsi negent aliqui vocandi casu inveniri. Sufficit, quod nominativum legamus, quicum terminatione convenit vocativus.

Gummium in plurativo dici patrio negant, quia gummi sit ἄκλιτον. Atqui gummi quidem est ἄκλιτον, at non femininum *gummis*: quo usus Columella lib. XII cap. L: *Nova dolia liquida gummi perluere.* Si id esset à recto *gummi*, quod neutrum est: *liquido gummi* dixisset. Nunc *liquida* ait. Ac alibi similiter *crassa gummi* legas, claro argumento, ut *sinapi* & *sinapis* dixere, ita non *gummi* modò, sed etiam *gummis* extulisse. Atque inde Plinius lib. XXIV cap. XI: *Gummium genera diximus.* Sic editum in Dalecampiana. Interim in veteri Parmensi optimâ lego, *Gummi genera.*

Milli ajunt barbarum. Itaque *Milli numorum* dici posse negant. Nam quando *mille* substantivum est, & χιλιάδα, non χίλιοι notat, singulare, atque ἄκλιτον esse. Nec inficior *mille numorum* rectè etiam dici in auferendi casu. Nam Varronis est: *Ex mille numum, quod ei debebatur, quingentos recepit.* Uti apud Agellium in codd. cunctis invenio lib. III cap. XIV. Sed si vera hæc lectio est, Varro ἄκλιτον putavit: nec tamen eo omnes idem opinati. Nam aliter Lucilius lib. XVI:

Hunc milli passûm, qui vicerit atque duobus.

Et lib. IX:

Tu milli numûm potes uno quærere centum.

Unde Agellius ipse lib. I cap. XVI colligit, *mille* capere ablativum. Atque idem facit Macrobius lib. I Satur. cap. V. *Mille* hic quo minus legamus, versus reclamat. Quare rectè dixeris, *pro mille numum*, vel *pro milli numum*.

Jurium, & *juribus* male damnari ostendi lib. I de Analogia cap. XLVI. Quare nec penitus aversor hoc Possidii Calamensis in vita B. Augustini cap. XII: *Crispinum, & cæteri sibi compares hæretici, præcepti sunt decem auri libras fisci juribus inferre.*

Damnant aliqui *prope Ormum insulam*, *in insula Borneo in Zeilan*, & similia. Malint *Ormuum*, *Borneonem*, *Zeilane*. Malunt quoque lapidis *Bezoaris*, quam *Bezoar*. At longè apertiores sint appellationes illæ vulgares, quàm, si ad Latinum morem inflectas. Ἄκλιτα igitur sunto. Fortasse ἀμαθέστερον id videatur. Quid refert? dummodo σαφέστερον. Saltem ne sic loquentes propterea damnemus.

Nec in nominum modò, sed pronominum etiam declinatione quædam male damnant. Sic *cujuscuim*, & *cuicui*, à *quisquis* dici negant. Cujus caussam non video, cum non solum *quicquid*, *quemquam*, *quoquo*, *quiqui*, *quibusquibus*, optimi dicant scriptores: sed in cunctis casibus inflecti dicat Sergius, ac apud Ciceronem legere sit in oratione pro S. Roscio Amerino: *Vereor enim, cuicuimodi est Rosci, ne ita ut hunc videar servare, ut tibi non pepercerim.* Et lib. II de Legg. *Neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa.* Atque alibi. Quibus tamen locis *cuicuimodi* non est casus dativi, sed patrii, pro *cujuscujusmodi*, h. e. *cujuscumque*. Abunde de eo diximus lib. I de Analogia cap. XLVII.

Nec quædam falsæ modò declinationis suspecta sunt; sed etiam motionis qua vox per genera variatur. Hujus generis est, quod *ecqua* pro *ecquæ* apud Tullium, vel alium quemquam, legi, negabat Orlandus Pescettius. Sed hanc sententiam ex Tullio ipso, refellimus lib. IV de Analogia cap. VIII *. Factumque idem ab Jacobo à Fossa Regiensi †, ac Mariano Benedicti à S. Vito Prænestinæ Diœcesios Sacerdote. Nempe *ecqua*, ut *nequa*, *numqua* Virgil.

* *Pag. 184.* † *Efflatione pulveris Monachii excusa an. 1616.*

Hic tibi nequa moræ fuerint dispendia tanti.

Horatius lib. I sat. III:

Concute, numqua tibi vitiorum inseverit olim.

Ovidius:

Siqua voles apte nubere, nube pari.

Præterea est ubi falsò putetur errari in declinatione per genus, quam motionem moveant. Ut cum *dite* in neutro dicitur genere pro *dives*. Atqui sic locutus Valerius Flaccus lib. II:

Non populos, non dite solum, non ulla parenti
Regna peto.

Sic etiam Canionis habet editio.

Denique falsò aliqua sunt suspecta ob derivationem per gradus comparationis. Placent aliqua licet insolentia: displicent alia, etsi nihilo magis insolentia. Placet *opimior*, quo usus est Agellius lib. V cap. XIV. Ab illis verò in *bundus* timide formem comparativum: nisi quòd *tremebundior* dicat purissimus scriptor Columella lib. X. Nec facilè dixero *barbarior*: quamquam apud Ovidium legam lib. III de Ponto el. II:

Non ego crudelis, juvenes ignoscite dixit,
Sacra suo facio barbariora loco.

Metuo enim, ne Ovidius *barbarioris* vocem aptè istic loco finxerit, ubi Iphigeniam inducit barbara loco sacra barba-

barbara facientem, à quibus nec vox quodammodo barbara abhorreret.

In superlativis par ratio est. *Crispissimus* non reformidem, quia apud Columellam est lib. 11 cap. 111. At quædam quæ Plautinæ videntur licentiæ, gravi orationi non putem convenire: ut *parissimus* Curcul. act. 1. sc. 11: *geminissimus*, Perf. act. v. sc. 11: *sacrilegissimus* Rud. act. 111 sc. 11. *Omnipotentissimus* non refugit Macrobius lib. 1 Satur. cap. xv11. Sed longè præferam *omnipotenti Deo:* quia in omnipotentia non est gradus. Nam quicquid minus est, decedat de gradu summo, qui per *omne* designatur. Jocoso tamen sermoni & alterum conveniat. Ut siquis omnia sibi temere vindicet, non *omnipotentem* modò, sed *omnipotentissimum etiam*, ut rideam hominem, dixero, non sermone solùm familiari, sed etiam epistolâ, & id genus scriptis.

DE VERBIS IN THEMATE IPSO FALSO SUSPECTIS.

SAtis de nominibus falso suspectis diximus. Venio ad verba temere rejecta. Ac est cùm solùm scribendi ratio damnatur. Ut quando pro *abfore* rectum negant *afore*; quasi non hoc sit in optimæ notæ MSsis: item quando improbant *opstitit*; cùm Fabius lib. 1 cap. v11 dicat, hic *p* sonuisse, non *b*: & Terentius Scaurus testetur sic etiam scripsisse complures. Nec tamen alterum scribendi modum rejicimus. Est & hujus loci, quòd *præstringere oculorum aciem* rectè dici negat Lambinus, commentario in Horat. item in Lucret. ubi *præstinguere* pro eo dicere jubet. Atqui (ut omittam Nonii auctoritatem, qui *præstringere* exponit *obtenebrare*) optimi quique scriptores *præstringere* in eâ notione dicunt. Verum inquit Lambinus, *ubicunque apud Tullium, Plautum, & cæteros legitur præstringere, & præstrinxit oculorum aciem, legendum est præstinguere, & præstinxit.* Audax assertio, unò falsa. Nam ignis quidem ut exstinguitur, ita præstinguitur, quod satis ex tot Lucretii locis liquet ubi simplici *stinguere* utitur pro *exstinguere.* At ferri acies propriè præstringitur: unde Plinius lib. v11 cap. xv. de menstruorum malignitate agens, iis inquit, *præstringitur acies ferri.* Nihil verò apertiùs, quàm inde duci translationem, cum Plautus in Milite Act. 1. Sc. 1. ait:

Oculorum præstringat aciem in acie hostibus.

Et Livius lib. x Decadis iv: *Fulgoribus præstringentibus aciem oculorum.* Et sanè hinc scintillæ de ferro candenti prosilientes, quando tunditur, non *stinctura*, sed *strictura* dicuntur, quia fulgore igneo aciem oculorum præstringant. Unum quod pro se adferat habet Lambinus, quòd *præstigias* dicamus, non *præstrigias.* Verum R hic extritum, quod geminatio caninæ literæ vocem redderet duram, & parum morigeram aurium voluptati. Sanè à præstringo *Præstigias* dici, quia oculorum aciem *præstringant* etiam Isidorus tradit libro Octavo, cap. ix: ubi in nostris etiam codd. manu exaratis & benè antiquis *præstringere*, non *præstinguere* constanter invenitur.

Est item cùm in accentu vel quantitate peccari dicitur. Velut cùm ob auctoritatem grammatici, cujus est carmen de Philomela malè diu Ovidio tributum, damnant *crocito*, penultimâ porrectâ, ac eam syllabam jubent corripere. Quasi non illa in *To* à verbis quartæ derivata habeant hanc syllabam longam: ut à *dormio*, *dormito.* Nam *crocio*, similiter quartæ est: unde Plautus Aulul. act. iv. sc. 111:

Semel radebat pedibus terram, & voce crocibat suâ.

Ita jam olim Nonius legit: & proximè accedit vetus lectio *grocchibat:* ut in suis codd. reperit Camerarius.

Sed de istiusmodi, quæ ad ὀρθογραφίαν, vel προσῳδίαν, pertinent, satis dicimus in primo, & secundo de Arte: item in Originum libb. Nunc solùm loquemur de iis, quæ malè creduntur non inveniri apud idoneos auctores: vel saltem non eâ significatione, qua utimur vulgo: vel in themate quidem, sive ratione, sed non sic declinate, uti vulgo per tempora, ac modos inflectunt.

Incipiam à primo genere: ubi vocem improbant tam ratione materiæ, quàm formæ, sive significationis. Sedulò autem in iis distinguere oportebit inter illa, quæ sub Antoninis, vel saltem Severi Cæsaris ætate, obtinuere, & illa, quæ postea demum irrepserunt. Posteriora enim, nisi ea extuderit necessitas, meritò habeatur, si non pro barbaris, saltem pro semibarbaris. Priora verò, etsi non sint paris monetæ, ac illa quæ Ciceronis & Augusti ævo in usu erant, malè tamen annumeres barbaris. Ex his igitur prius exponam, quibus initium facit prima vocalis.

A.

ABligurio in Nizoliano indice, quem Jacobus Cellarius Augustanus adauxit, inter ea reponitur, quæ vel barbara sint, vel non Ciceroniana: jubent autem dicere, *ligurio*, *consumo*, *devoro.* Mihi sufficit, quod Terentii sit Eun. 11. 2.

—— Itidem patria qui abligurierat bona.

Unde *abliguritio* Julio Capitolino in Macrino.

Abominor quoque pro *detestor* ejusdem notæ ajunt iidem. Sufficit nobis, quod præter Senecam, Plinium, Curtium, Fabium, etiam sic loquatur Horat. lib. Epod.

Parentibusque abominatus Annibal.

Nec Plautus Trinummo act. 111 sc. 11 *abomina* pro *abominare* refugit.

Abortior etiam respuunt. Et fortasse non legas quemquam Plinio antiquiorem. Ejus est lib. v111 cap. L1: *Propter facilitatem abortiendi.* Columellam tamen, qui paullo prior, usum censet Calepinus. Sed nunc aliter legitur. Locus est lib. v11 cap. v1.

Accepto etiam tale in eo indice censetur. Sed Plinianum est lib. x1x cap. 111: & quidem præeunte Plauto in Pseudolo act. 11 sc. 11. Nec refugit Paullus J. C. D. lib. xxv1. Tit. v11 Leg. xL1v: *Sed si pupillus post pubertatem rationibus à pubertate reliquationem ejus secutus usuras acceptaverit.*

Acervo etiam tale existimatur ibidem. Sed usi Plinius, Fabiusque. Cicero tamen mavult *coacervo*, vel *accumulo.*

Acesco item, quo non modò usus est Horatius, sed etiam Columella, Pliniusque.

Adaquare apud vulgatum interpretem est Genes. capite xx1x: *Adaquantur pecora.* Item in L L. Wisigoth. lib. v111 tit. 111. Leg. xv: *Pecora adaquentur tantummodo, ac triduo teneantur inclusa.* Nec tamen verbi hoc rejiciendum, quando eo Plinius pro *irrigare* usus de arborum satione agens lib. xv11 cap. x: Suetonius verò in Galba cap. v11: *Cum de proprietate jumenti quæreretur, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto: atque ibidem revelato, ejus esset ad quem sponte se à potu recepisset.* Gloss. Philox. *Adaquo*, ποτίζω. Aliæ in Cyrilli calce inventæ: Ποτίζω κτῆνος, *adaquo.*

Adimpleo quoque pro *impleo*, vel *expleo*, rejicitur à Cellario. At eo usus Plinius lib. x1 cap. xxxv11: *Cochleæ oculorum vicem cornicula bina prætentatu adimplent.* Ita MSus & vetus Parmensis anni CIↃCCCCLXXVI. In vulgatis est *implent.*

Adlubescit non placet auctori indicis Manutianæ Nizolii editioni præmissi: sed Plauti est Mil.

Hercle verò jam mihi adlubescit primulum.

Etsi sciam Tullium pro eo dicturum *lubet*, *libet*, *placet.*

Adoro rejicitur, quia nusquam est apud Tullium: sed pro eo, *colo*, *veneror*. Crebrum interim est Plinio: & ante eum non Maro solum usus, atque Ovidius non uno loco: sed & Livius lib. VI.

Allegare pro *adferre*, *citare*, *laudare*, improbat Cellarius. Et sanè Ciceroni potiùs *allegare* est quospiam, puta necessarios, vel alios, mittere, & quasi legare, ut quippiam pro nobis impetrent. Sicuti *allegationes* ei sunt intercessiones amicorum. Ac sic quoque Plautus, Terentius, alii. Sed nolim damnare alterum ejus vocis usum, qui apud Statium, Fabium, Plinium: in Digestis autem perfrequens.

Adunare damnant: quo tamen utitur Plinius lib. XIX cap. II: *Vulsum fascibus in acervo adunatum biduo.* Ita codd. vett. & vetus editio Parmensis. Interea fateor codices alios aliter habere: & homines eruditos variè emendare. Nonnihil de isto etiam diximus suprà, cùm de *unionis* vocabulo tractaremus.

Angusto eidem improbatur: ac præfert, *in angustum adduco*, vel *deduco*. Sed usurpat Seneca de Tranquillitate vitæ, & Lucanus lib. V, ut præteream Macrobium lib. VII Sat. cap. X, ubi est, *angustat vocis meatum.* Imò æqualis Ciceroni Catullus carm. LXV, quod est de nuptiis Thetidis, & Pelei, ac malè vulgò *Argonautica*, etiam illo ὁ μακαρίτης Jani Gebharti, inscribitur. Quid quod ipsius Ciceronis sit in Somnio Scipionis: *Terra angustata verticibus, lateribus latior.*

Applaudere idem Nizoliani Indicis scriptor rejicit, ac ex Tullio præfert *plausum dare*, *adhinnire*. Sed ipsius est Ciceronis pro Sext. *Quid ego nunc dicam, quibus viris, aut cui generi civium maxime applaudatur.*

B.

Benefacere alicui, displicet Andreæ Schotto lib. III Tull. Quæst.* Ac Cicero sanè maluit *bene de aliquo mereri*: vel *beneficium ponere apud aliquem*. Interim Taciti est: *Ne ingratis quidem benefacere absistam.* Ac Plauti etiam est: *Benefacere erga aliquem.*

* Pag. 250.

Benefit rejicitur à Cellario: ac dicendum præcipitur *benigne fit*: quomodo Tullius pro Plancio ait: *Ut his benignè à populo factum videretur.* Sed scitè Plautus Capt. act. II sc. II:

Quod bonis benefit, gratia ea gravida est bonis.

Sunt quibus *benefit* impersonaliter sumatur pro εὐπραγεῖται. Sed Cælius Curio in Foro Romano ejus se nullum reperisse ait exemplum.

Breviare ibidem rejicitur, quia Tullius pro eo *breve facio*, ut è contrario *longum facio*. Sed Fabii est lib. I cap. XV: *Quæ & breviare quædam, & exornare, salvo modo poëtæ sensu, conceditur.* Et inde puto Augustus Cæsar *breviarium*: de quo antea diximus.

C.

Caco displicet eidem Indicis scriptori: atque ait, pro eo Ciceronem in Timæo sive de Universitate dicere *detractionem confecti & consumti cibi*. id est, *exonerationem alvi*. Sed profectò non refugit Tullius ut minus Latinam, qua usus æqualis Tullii Catullus, & suppar Horatius: sed ut sordidam: de cujusmodi vocum genere diximus lib. IV Oratoriarum Institut. cap. I.

Calceo ibidem rejicitur: eique *induo*, ut purius, subditur. Puto, quia nihil verbo subditur, excidisse vocem *calceos*. Sanè Plinius nunc *induere calceos* dicit, nunc *inducere*. Verum & idem *calceare* usurpat, ac fortasse usus Varro. Plinii quidem verba sunt ista lib. XXXV cap. V: *Archelaum quoque magnificat Varro: cujus se marmoream habuisse leænam tradit aligerosque ludentes cum ea Cupidines: quorum alii religatam tenerent, alii e cornu cogerent bibere, alii calcearent soccis, omnes ex uno lapide.* Aliis etiam Plinius plusculis usurpat locis. Est & Plinii junioris lib. III epist. XVI: *Servuli à quibus vestiatur, à quibus calcietur.* Suetonii in Augusto: *calciare mulas.*

Cambio est apud Appulejum in Apolog. *Cum vicinis tuis cambias.* Venit à καμψῶ. Uti ab ἔκαμψα, *campso*, dixit Ennius, ut alibi † ostensum è Prisciano. Quare non audio Cornelium Crocum *, sic scribentem: *Cambio in nulla significatione Latinum esse arbitror.* Sanè agnoscunt Charisius, Priscianus, glossæ Philoxeni: ubi legendum: *Cambit*, vel *cambiat*, διαλλάσσει. Perperam vulgo, *cacumbeat*. Etsi verò sit à Græco, significatione tamen abire, jam Casaubono ostensum ad Appuleji Apol. Etiam Plautum in Truculento uti, ait Alciatus lib. I Παρέργων cap. XLV. Sed fallitur.

† Lib. I cap 18.
* In Cambium.

Certiorare improbant. Sed ipsius Ulpiani est.

Circumvolvo rejicit idem Index, quia Cicero pro eo dicat *in orbem torqueo*: & *circumvolutus*, quia Cicero maluerit *circumdatus*, vel *cinctus*. Sed Maronis III Æn. est, *circumvolvitur*: & *circumvolutus* Plinii lib. X capite LXII.

Clarifico ibidem rejicitur, quia Tullius pro eo *claro* dixerit, vel *clarum facio*. Ego verò *clarifico* malim, quam *claro*. Priori usus Plinius lib. XX cap. XIII: *Alterum est nigrius, quod capitis vitia purgat, visum clarificat.* Alterum apud Tullium quidem in primo de Divinatione legas: sed in Carmine ex secundo de Consulatu:

Jupiter excelsa clarabat sceptra columna.

Quis verò nescit, quam Tullius in verbis non abstineat antiquis?

Clarificare quidem crebrò usurpant juniores: in his Cuthbertus epistolâ ad Lullum, quæ inter illas S. Bonifacii est LXX. Sed legas quoque apud ipsum Plinium libro XX, cap. XIII. ubi de Nasturtio: *Alterum est nigrius, quod visum clarificat.*

Colliquesco, adversante licet ejus Indicis scriptore, non verear dicere pro *liquesco*: tum quia Columella sic loquatur lib. XII cap. XXVII; tum quoniam ipsius Tullii sit in Cluentiana, *venenum in potione colliquefactum*.

Comburi non placet Cellario sed Tullii *deflagrare*. Atqui *comburere*, *comburi*, & *combustum*, pluribus Cicero locis dixit. Ut mirer, Cellarium eo quoque verbo Indicem voluisse augere. Nam in Manutianæ editionis Indice non reperias.

Condenso rejicitur à scriptoribus Indicis Nizoliano Thesauro additi. Sed alterum est apud R. R. scriptores: ut Catonem cap. XL, Varronem lib. II de R. R. cap. III Columellam lib. VII. Usus & Lucretius in I.

Confisco idem Index damnat: ac quomodo dici debeat, peti jubet ex illo in Philipp. *Bona ejus censeo publicè possidenda; publicè proscribo.* Itidem rejicit Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæstionum †. Dicereque pro eo jubet *bona publica*. Sed *confiscare hæreditatem*, similiaque, apud Tranquillum legas. Usus & Marcianus l. ult. §. penult. D. de bonis eorum. Imò & is, cujus bona fisco addicuntur, *confiscari* dicitur Ulpiano lib. XXV ad Edictum: ut est L. IX. §. penult. D. De tutel. & ration. distrah.

† Pag. 224.

Consanuisse quempiam rectè dicimus: atque ita non modò loquitur Cornelius Celsus lib. VII cap. XII: sed & Cicero lib. IV epist. VI qua Sulpitio respondet. Scio quosdam *consenuit* reponere. Sed id locum istic non habet, cum de vulnere agatur, quod propriè sanatur.

Consonare, pro quo *concentum efficere* dicere præcipiunt, apud Plautum est, Varronem, Maronem, Fabium.

Conversari negant dici, sed ex Tullio adducunt *versari nobiscum*, *consuescere*, *multum esse cum aliquo*, *uti aliquo familiariter*, *multum esse cum aliquo*. Quæ impensius placent. Interim Senecæ est in III de Ira: *Sumuntur à conversantibus mores.* Itidem pro *conversatione*, *consuetudinem* jubent dicere. Sed Plinii est lib. X cap. XXXIII: *Neve cui frequentior conversatio sit suspecta.* Fabii lib. I cap. II: *Conversatio inter servos malos.*

Convicior rejectant, quia nesciat Tullius, qui maluit *conviciis insectari*, *conviciis vexare*, *verborum contumeliis lacerare*, *probra objectare*, atque aliis modis. Sæpius igitur

igitur sic loquar. Nec primum damnem, cum Fabius lib. III dicat: *Contra sentientibus inhumane conviciari.* Imò & Tullius ab eo deducat *convitiator.* Ut pro Murena, *maledici convitiatoris.* Mitto orationem in Sallustium: quæ fallò tribuitur Ciceroni.

Convivere pro *simul vivere*, eodem in Indice rejicitur. Sed Quinctilianus utitur pluribus in locis. Imò ajunt sic locutum Plauto præeunte: ut cujus sit in Amphitryone, Scena, Di vostram fidem.

Misisti ad navim Sosiam, ut hodie tecum convivere rem.

Sed nec ea scena, nec quæ præcedit, vel sequitur, sunt genuinæ. Quod non solùm ex MSsis veteribus, sed ex tumore etiam dictionis satis liquet.

Coronare negant dici, sed *regnum deferre, diadema imponere.* Atqui *coronare*, nunc propriè, nunc tralatitiè legas apud Lucretium, Maronem, Horatium, Ovidium: item Plinium non uno loco: ut mittam veteres scriptores Ecclesiasticos, Tertullianum in Apolog. Prudent. περὶ στεφ. hym. IV, Hieronymum lib. II epist. X ad Rust. Salvianum lib. VII.

Corrugare ignorat Cicero: qui cum *contrahere* jubent dicere. Sed *corrugare frontem* Plauti est; *nares*, Horatii: Columella etiam lib. XII cap. XXXIX dixit *acinum corrugatum.*

Crepo nescit Cicero; sed sunt apud eum *concrepo*, & *percrepo.* Quare simplex damnat idem Index. Quasi non Terentii sit Adelph. II. III: *Sed quidnam crepuit foris?* Ubi Donatus, *Crepuit, id est, insonuit.* Et apud poëtas crebrum est. At *concrepare*, & *percrepare* aliud sunt. Hoc notat, undique sono implere: illud simul crepare: unde de pluribus dicitur: ut apud Tull. *digiti*, vel *scabella*, vel *Decemviri concrepuerint.*

Crucifigo etiam improbant, quia apud Tullium sit, *cruce afficio, cruci suffigo, in crucem ago*, vel *tollo.* Ex quibus *cruci suffigere* etiam est apud Cæsarem, Hirtium, Vellejum. Lipsius lib. I de Cruce cap. III. ait vulgo pro eo dici *crucifigere.* Sanè vulgo, sed præeuntibus Plinio lib. IX cap. XVI, Quinctiliano lib. VII cap. II, & Suetonio in Domitiano cap. X.

Cudo non reperias apud Tullium: eò præferunt *tundo.* Sed est alterum apud Plautum Capt. Terentium Eun. Columellam lib. II cap. X.

Cursito eadem de caussa rejiciunt: ac præferunt *curso.* Verum prius est apud Terent. Eun. & Hecyr.

Curto item displicet: solum admittunt *decurto*: quia apud Cicer. in Oratore sit *decurtatus.* Sed *curtare* itidem uno est Horatii loco lib. II Sat. III.

D.

DElasso non est Tullianum: verùm *defatigo.* At priori usi Plautus Asin. V. II, Horatius lib. I sat. I, Martialis X. V.

Delector rejicit Cellarius: qui Indice Hervagianæ editionis (nam in Manutiana abest) hoc verbi inseruit, ut suspectum: quasi non crebro utatur ipse Cicero.

Demordeo pro *mordicus aufero*, rejiciunt itidem. Ac usi Plautus Merc. & Plin. lib. XXVIII cap. IV.

Demulceo non habet Tull. sed *delinio.* Verùm usi Terent. Heaut. IV. V, Livius lib. IX. Agellius lib. III capite III.

Depaupero, pro *pauperem facio*, barbarum ait Joannes Ninivita. Sed Varronis est:

Priusquam domum depauperasset sumtu suo.

Junioribus est frequens ex his usus Cæsarius Heisterbachensis.

Dependeo, pro *pendeo*, Tullianum non est: sed sic Plautus, Maro, poëtæ alii: imò & Columella lib. III cap. VI, & lib. VII cap. VI.

Decimare nusquam Tullius. Etiam Livius pro eo sic lib. II, ubi de Appio Consule, in exercitum, quia fugisset, animadvertente: *Cætera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti.* Sed Suetonii est in Augusto capite XXIV: *Cohortes decimatas hordeo pavit.* Et in Calig. cap. XLVIII: *Inhiberi nullo modo potuit, quia legiones decimare velle perseveraret.* Junioribus longè frequentibus: ex quibus & usus Capitolinus in Macrino.

Decollo idem Tullius nescit: qui pro eo Philippicâ II ait, *cervicibus caput abscindere.* Ejusdem est *securi ferire*, aut *percutere.* Sed Suetonii est in Caligula capite XXXII: *Miles decollandi artifex quibuscunque è custodia caput amputavit.* Imò & eo antiquior, Fenestella sic locutus, teste Diomede. Sed nemo ante ævum Tiberii.

Desuesco non est Tullii, qui pro eo in Cluentiana dicit *desuefio: alibi consuetudinem aliquid faciendi depono.* Sed desuetus non solùm est apud Maronem, Ovidium, Silium; sed etiam Livium lib. VIII: cujus etiam est *desuetudo* lib. I. *Desuevi* dixit Titinius Gemina: *desuescendus*, Quinctilianus lib. III cap. X. In Calepino, qui Passeratii dicitur, legas etiam *desuesco* pro *consuesco*, usurpare Plautum Asin. act. I sc. III. Sed istic, Aves *assuescunt*, non *desuescunt*, legas etiam in Aldina, & hac vetustioribus: qualis illa cum Observationibus Sarraceni, Vallæ, Pyladis. Sic etiam illa tum Camerarii, tum Duzæ, tum Taubmanni, Gruterique.

Detego non est Ciceronis: qui mavult, *indico, enuncio, innuo, aperio, patefacio.* Sed præterquam quod utitur Plautus Amphitry. Mostellaria*, ac Rudente: etiam usurpant Livius lib. X, & Quinctilianus proœmio lib. I.

* Act. I sc. 3.

Devirginare cùm apud Paullum J. C. invenisset Alciatus, excusare contentus est. At tueri poterat auctoritate Varronis apud Non. in *Virgines.*

Diffamo displicitum eidem Indici, quia Tullius pro eo *infamiam affero.* Sed Taciti est XV Annal. cap. XLIX: *A Nerone probroso carmine diffamatus.* Usus quoque Ovidius Metam. lib. IV fab. VI, quæ de amoribus Solis ac Eurynomes.

Dignosco nescit Tullius, qui ait *internosco, secerno.* Sed Horatius usurpat semel iterumque. Utitur & Columella lib. II cap. II, ac Plinius lib. XII cap. XVII.

Discurro, & *discurso*, damnant, quia nescit Tullius: sed priori usus Livius lib. I, Plinius lib. XI cap. XXXVII, Curtius lib. IV, Fabius lib. II cap. IV: qui & posterius usurpat lib. XI cap. III: *Discursare, & quod Domitius Afer de Sura Manilio dixit, satagere ineptissimum.* Nec Tullius ipse *percursatio* refugit.

Dissonare non est Tullii, qui pro eo habet *dissentire, discrepare, dissidere.* Sed est Columellæ lib. I cap. I: *An huius temporis cultura respondeant, an aliqua dissonent.* Est & Fabii lib. VIII: *A quibus hæc dissonantia sunt.*

Disquiro idem nescit: sed pro eo habet *exquiro.* Interim usus Horatius lib. II sat. II.

Ditescere non ait Cicero, sed *ditem fieri, rem augere, patrimonium amplificare.* Verùm alterum illud semel, iterumque, usurpat Lucretius. Claudiani quoque est Paneg. II, *Horrea ditescunt.*

E.

EBriare, & *inebriare* Ciceroni ignota: qui mavult *ebrium facere.* Sed *ebriare* est apud Macrobium lib. I in Somnium Scipionis cap. XII: *inebriare*, quod præferam, apud Plinium lib. XII cap. XXII, & lib. XVII capite XXVI, item Juvenal. sat. X.

Eluctor non est quidem Ciceronis: qui pro eo *extrico*, vel *eluctor*: sed habes apud Livium lib. XXIV, M. Senecam lib. VI Controvers. Plinium lib. XXXIV cap. X, Tacitum lib. III Hist. & in vita Agricolæ; ut Maronem, & poëtarum alios præteream.

Evacuo Ciceroni nescitur, sed pro eo dicit *exhaurio, inanio, vacuum facio, nudum, inanemque reddo.* Sed *evacuo* non refugit Plinius lib. XX cap. VI, & lib. XXXII, cap. IX.

Evagino non est Tullianum, qui dicit *gladium educo*, vel

vel *distringo*: verum Justinus lib. I de Cambise ait, *gladio sua sponte evaginato occubuit.*

Exalto nusquam in Tullio est: sed pro eo *effero*, *proveho*, *produco*, *ad honorem defero*, *vel perduco*, *effero*, *in cælum laudibus effero*, atque aliter. Interim Columellæ est lib. III cap. XIII: *Senûm pedum latitudinis sulcos dirigunt, fodiuntque, & exaltant in tres pedes.*

Examinor in passivo negat sibi usquam lectum Theodorus Beza in Act. IV. 9. ubi Græcè ἀνακρινόμεθα, quod vulgatus interpres transtulit *dijudicamur*, Erasmus *examinamur*. Sed pro Erasmo est Ciceronis illud in II de Oratore: *Sed ea probanda, quæ non artificis statera, sed quadam populari trutina examinantur.* Et in Tusculanis: *Tanquam paribus examinatum ponderibus.* Pro Fonteio: *Ad unamquamque rem examinandam.*

Exanclare, quod jam olim Nonius agnovit, & hodie in MSSis antiquis invenitur, damnat vir eruditus, quod ut ait, nec Latinæ, nec Græcæ sit originis. In quo cùm nimium quantum ratio fugit. Est enim *exanclare* κατὰ συγκοπὴν factum ab *exanculare*. Nempe simplex est *anclare*, ex *anculare*. Cujus vocis gemina apud Festum est interpretatio. Prior est, cùm idem notat ac ministrare: unde *dii Anculi*, & *dea Ancula*: q. d. ministri, & ministræ: item ex *ancula* diminutivum *ancilla*. Altera significatio est, ut notet *exhaurire*: quomodo Livius Andronicus ait:

Florem anculabant Liberi ex carchesiis.

Id est, exhauriebant. Qua significatione *exanclare labores* dicetur ut *exhaurire labores*. Eâ tamen significatione non damnem *exantlare*, cùm per T in aliquot antiquis codd. legatur; & Græcè sit ἐξαντλᾶν.

Excalefacio non est Ciceronis, qui *calefacio* semper maluit: sed Plinius semel iterumque usurpat lib. XXI capite XX.

Excresco itidem non Tullius, qui simplex *cresco* prætulit; sed Columella habet lib. V. Plin. lib. XXXVII cap. II, Quinctilianus lib. IV cap. I.

Exero improbant, quia Tullius pro eo ostento, declaro. Quasi non utatur Livius lib. VI, & VII, Columella lib. VIII cap. VII, & lib. VIII cap. VIII, & lib. XII capite LVI, Plin. lib. IX cap. XXXII. lib. XI cap. XXXVII.

Exonero, non est Tullii, sed *deonero*, Verr. I. Ac metu exonerare est Terentii Phormione Act. V. sc. VI. & Livii lib. II. Plinii lib. VIII cap. XXVI, & lib. XI capite X, Curtii lib. VI.

Expapillare, ad papillam usus denudare S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis cap. VI. §. XXX: *Expapillatis brachiis aptantur remiges, & antennæ.* Sed Plautinum est, memineremque etiam Festus ac Marcellus.

Expergefio nihilo magis Tullii est, qui maluit, è somnio suscitor, expergiscor. Sed *expergefacta Cæsonia* apud Tullium legas in Caligula cap. XXXVIII.

F.

FAbrefacio, ut Tullio nesciatur, tamen usurpatum Plauto Captivis, ac Rudente, Livii etiam est *vasa fabrefacta*: & Scriptoris de viris illustribus, qui potiùs Sextus Aurelius, quam Plinius, vel Tranquillus putatur, *Classem magis validam, quàm decoram fabrefecit.*

Falsare aliqui penitus refugiunt: etsi sit apud Rufinum apologiâ pro Origene †: *Diabolo ab initio falsare verba Dei, atque inflectere à suo ordine studium fuit.* Sed tueri se is potest Modestino cujus illud L. penult. ad Legem Corneliam de falsis: *Decretoque divi Adriani præceptum est, in insulam eos relegari, qui pondera aut mensuras falsassent.*

† Pag. 896. edit. Basil. an. 1536.

Fatigo, vel *defatigo*, nescio cur Nizolio additus index improbet, ac dicere jubeat cum Tullio, *in labore me exerceo*, vel *laboribus me frango.* Quippe in tertio de Officiis ait Cicero, *Vinculis, & carcere fatigandi*: atque in Topicis, *Fatigatus igne.* Jam Livii quoque est lib. V: *Fatigare precibus*: & lib. VI, *fatigare interrogando*: & lib. VII, *suppliciis, votisque fatigare.*

Febrio, & *febricito*, Tullio ignota, qui pro eo *febrim habeo*: sed apud Celsum est lib. VI cap. XI, *Potiones, si febriat puer, aqua; si sine febre est, vini diluti.* *Febricito* eidem frequentius: usus & Columella lib. VII: *Febricantis bovi convenit abstinere cibo, uno die.*

Fidejubeo & *fidejussor*, Tulliana non sunt, qui mavult, *spondeo*, & *sponsor*, vel *præs.* Sed Ulpianus utitur prioribus, & passim Jurisconsultorum alii.

Ferruminandi verbum ridebatur temporibus Politiani: ut ex ejus, & Scalæ epistolis constat. Atqui sæpius utitur Plinius in Historia Naturali: etiam habes in Digestis apud Pomponium, uti *ferruminatio* apud Paullum. Origo à *ferrum*; unde *ferrumen*, στόμωμα, σιδήρου κόλλησις: ab hoc *ferruminare*, στομοῦν, quod Galli *soulder*: à quo *ferruminatio*, κόλλησις, Gallis *souldure*. Gloss. *Ferrumen*, στόμωμα. *Ferruminat*, στομοῖ. *Ferruminatus*, χαλκοκόλλητος. Propriè nempe est ferri; ut origo indicat. Inde ad alia etiam extensa est significatio.

Fæteo ignorat Tullius: sed pro eo dicit, *malè oleo*, *puteo.* Interim apud Tullium est *fætor*, & *fætidus*: *fæteo* autem apud Plautum, & Martialem.

Foro, non est Tullii: sed Plauti Mostellariâ, & Columellæ est lib. V cap. IX. *forata arbore*: lib. VIII cap. IX *foratis parietibus.* Cicero pro eo *perforo*: quod & Livii, ac Columellæ.

Fortifico non quidem apud Tullium, apud Plautum tamen reperias.

Frigefacio suspectum Nizolio ac Cellario. Sed *frigefacto* est apud Plautum in Pœnulo actu III scenâ V, *quia os nunc frigefactas, cum rogas.*

Fruticesco non quidem Ciceronis est, qui *fruticor* pro eo usurpat: sed Plinio tamen usurpatum lib. XVII cap. XXVII. *Oleæ celeriter fruticescunt.*

Fulmino non est apud Tullium: sed pro eo *fulmen jacio*, *de cælo tango*, *percutio de cælo*, *de cælo jacio.* Sed *fulminantis* vox non modo est apud Horatium, Propertium, & poëtarum alios: verùm & Plinium qui *Jovem fulminantem* ait lib. II cap. VII, & *Marte fulminante* lib. XXX cap. I.

I.

JAculavit est apud Luciferum Calaritanum libro de Regibus Apostaticis. Nec ἀναιδῶς damnare ausim, quando *jaculabat* est Claudiani: *ejaculaverat* ipsius A. Gellii.

Imaginor non est Tullii, qui pro eo dicit *cogito*, *fingo*, vel *effingo*, *animo comprehendo*; *cogitatione complector*, vel eo. Sed *imaginari* non displicuit Plinio lib. IX cap. XXXV, & lib. XX cap. XIII. Utuntur quoque Fabius, Suetonius, Plinius in epistolis.

Immoror non usurpat Cicero: sed pro eo *insisto*, *hæreo*, *in re longior sum.* Sed Columellæ lib. VIII cap. V *aves* dixit *saturas studiosius nidis immorari*: Plinius item lib. I epist. VIII ait, *honestis cogitationibus immorari.* Fabii est libro II capite XVI: *Quis nescit ignes, aquas sine quibus nulla sit vita, & (ne terrenis immorer) Solem, Lunamque, præcipua siderum, aliquando etiam nocere.*

Impedo in Glossis MSSis, & Onomastico exponitur ἱμαντόω. Existimet aliquis *impedio* rescribendum. Sed rectum est *impedare*, ab obsoleto *pedare*, unde *pedamen*, & *pedamentum*, ridicæ, quibus velut pedibus recta stat vinea. Unde Columellæ *impedata vinea*, quæ pedamento fulta. Sic ἐμπεδοῦν fulcire, stabilire, ab ἔμπεδος, firmus, uti hoc à πέδον solum, quasi ἐν πέδῳ ὤν.

Impiare Latinum negant, licet usus Sidonius Apoll. lib. III epist. XII: *Ut locum auderent, tanquam vacantem, corporum bajuli rastris funebribus impiare.* Sed Plauti quoque est Pœn. act. I sc. II: *Impias, here, me, Oratorem verberas.* Sic MSSi, & Turnebus Advers. lib. XV. cap. VI. Nempe *impeare* & *expiare*, opponuntur, ut impiare sit piaculare facinus committere.

Imprecor Ciceroni ignotum, qui pro eo maluit, *execror*,

cror, *malè precor*, atque aliter, sed Maroni in IV usurpatum, uti & Plinio lib. VIII cap. VII.

Imputare alicui rejicit non Index modò Nizoliano additus Thesauro: sed & Andreas Schottus in III Tull. Quæst. * ac pro eo jubent dicere *tribuere*, *attribuere*, *assignare*. Quomodo Cicero pro C. Rabirio Postumo ait: *Id non homini, sed tempori assignandum putavit.* Et fatendum, Ciceronem *imputandi* verbum ignorare. Verùm non refugit Plinius lib. XVIII cap. I: *Nostris eam criminibus urgemus, culpamque nostram illi imputamus.* Habes & apud Columellam, Senecam, Plinium juniorem, Tacitum, ac Suetonium.

* Pag. 222.

Incandescere nusquam est apud Tullium. Sed Maronis est III Georg.

—— *Totoque auctumni incanduit æstu.*

Ubi Servius exponit, *Exarsit prima Auctumni parte.* Cur verò, ut Maro ait *incanduit æstu*: sic non dicere possit *iratum incanduit æstu.* Schottus tamen in III Tullianarum Quæst. † rejicit *incanduit ira*, ac cum Tullio jubet dicere, *exarsit irâ.* Atqui simile est ac Ciceronis illud IV Tusc. Quæst. *Hæc nullam habent vim, nisi ira excanduit fortitudo.* Et hoc Ovidii III Met. fab. X:

† Pag. 231.

—— *Et audito clamore, recanduit irâ.*

Indulcare, pro dulce reddere, usurpant Ivo Carnotensis epist. CLXXIV, & Cæsarius lib. VII Mirac. cap. L. Nec facile barbarum dixero, cum Tertullianus usurpet adversus Judæos: & simile sit ac *edulcare*, quo usus Cn. Matius apud Agellium:

Quapropter edulcare convenit vitam,
Curasque acerbas sensibus gubernare.

Inebrio nescit Tullius, qui dicit *vino obruo*, *ebrium facio.* Sed Plinii est lib. XII cap. XXII: *Palma, qua vocatur adypsos, vescentes inebriat.* Idem *inebriatos*, & *inebriatu*, usurpat lib. VIII cap. XII, & lib. XVII cap. XXVI. Juvenalis quoque est sat. X:

—— *Miseram vinosus inebriat aurem.*

Infeliciter damnant. Sed est Plauti Casinâ, & Rudente. Cicero autem, ad Terentium lib. XIV epist. dixit *molestius aliquem miserum habere.*

Infesto ignorat Cicero, qui pro eo dicit *infestum reddo*, vel *infestus sum.* Sed *infesto* ut mittam poëtas, est apud Vellejum Paterculum, cujus est *infestare mare.* Item Columellam lib. III cap. XII, & lib. XI cap. I. adhæc Plinium sæpius, item Tranquillum in Claudio cap. XIII.

Ingeniculare nescit Tullius, qui pro eo *ad pedes jacere.* Sed usus altero Lampridius in Heliogabulo: verùm in re turpi: ut in eodem Lucianus in Pseudologiste εἰς γόνυ συγκαμπτ..., quod maximo observatum Salmasio.

Ingruo nuspiam Cicero dicit; sed *imeo*: eò prius rejicit Index Thesauri Ciceroniani, non ille Manutianæ editionis, sed quem in Hervagiana Cellarius adauxit. Sed ut mittam Plautum, & Maronem, crebro *ingruendi* voce utuntur Livius, Pliniusque: hujus sunt *ingruere morbum*, *fatum*, *periculum*, *fortunam*: illius, *ingruere solis radios*, *metus*, *morbos.* Sed & Columella ait *ingruere frigus*, vel *æstatem.* Quinctilianus etiam lib. III cap. VIII: *Quantalibet vis ingruat.*

Insido frustra in Tullio quæras: qui pro eo *insideo.* Verùm præter Maronem, & poëtas alios, usi Seneca de consolatione ad Martiam cap... Plinius lib. XXI, cap. XIX, Quinctilianus lib. X cap. VII.

L.

LÆtificare est Plauti Aul. & Ciceronis in II de Nat. Deorum: *magnificare* Plauti Pers. & Cistell. Terent. Hec. Plinii lib. XVII cap. IX. *pacificare* est Cic. Liv. Sill. *turpificare* Cicer. III Off. Quare hujusmodi qui voces Latinorum colonia expellat, eum metuo ne vicissim è literatorum cœtu

Musæ furcillis præcipitem ejiciant.

Vide H. Stephanum de Latinitate suspecta capitis II part. IV.

Lancinandi verbo usus Seneca epistolâ XXXII: *Vitam breviorem inconstantia facimus, aliud ejus subinde, atque aliud, facientes initium. Diducimus illam in particulas, ac lancinamus.* Ubi *lancinare* est dividere, & quasi dilaniare. Sanè in glossis Philoxeni est: *Lancinat*, κατακνίζει. At in glossis, quæ Cyrilli dicuntur, legas: κατακνίζω, *lanio.* Uti vero *lancinatorem* pro carnifice dixit Flodoardus: ita pro lanio *carnificem* legas apud Cæsarium Haisterbachensem.

Lapido Ciceroniani damnant, & jubent pro eo dicere, *lapidibus cædo*, *lapidationem facio*, *lapidibus appeto*, & *percutio.* Sed Suetonii est in Calig. *Quo die obiit Germanicus, lapidata sunt templa.* Agnoscit & vocem Fabius lib. VIII cap. II. Livium præterea, qui usus lib. II, IV, ac IX, atque alibi, sed semper pro *lapidibus pluere.* Imò & cùm Suetonius templa ait lapidata, de pluviâ lapidum loquitur.

Lascivire non apud Tullium quidem invenias: at præter poëtas, uti Ovidium, ac Papinium, usurpant Columella lib. VII, & Seneca ad Lucilium.

Lassare nihilo magis Tullianum videtur: pro eo enim Cicero *languefacio.* Sed Nasoni, & poëtarum aliis, est frequens. Usi quoque Seneca epist. LXXXIX, & in Panegyrico Plinius.

Libidinari, libidinosè agere. Petrus Blesensis serm. XLV: *Fugientes omnem occasionem trahentem ad illam* (luxuriam:) videlicet *loca*, *personas*; *loca ad libidinandum apta*, *personas ad decipiendum idoneas.* Quem locum annotare operæ duxit Ludovicus de La-Cerda in Adverſ. Sacr. cap. LXXVIII. Sed id verbum etiam meliori ævo notum. Uti Suetonio in Nerone cap. XXVIII.

Licitor improbat Nizolianus index: quia Tullius pro eo *liceor*, vel *auctionor.* Sed agnoscit Festus Pompejus: usique ut ex priscis Ennius, ac Cæcilius, ita postea Curtius lib. IV: *Et cum habeatis arma, licitamini hostium capita.*

M.

MAcero, pro quo Tullius *conficio*, est Plauti, Terentii, Senecæ, Fabii. Est & Cæsaris,

—— *Unum hoc*
Maceror, & doleo tibi deesse Terenti.

Macresco, pro quo Tullius *extabesco*, est apud Columellam lib. VI cap. III: uti & Varronem, ac Martial.

Madefacio nescio cur improbent. Scio Tullii esse *respergo*, *perfundo*, *imbuo.* Sed *sanguine madefacti*, apud ipsum Ciceronem legas XIV Philipp. & I de Divinatione. Ut non habeam necesse Columellam, & alios, ad partes advocare.

Magistrare vitam militarem est Spartiani in Adriano. Videtur & priorum esse seculorum, cum agnoscat Festus, qui *moderari*, *temperare*, interpretatur. Gloss. Mss: *Magistro, as*, κεντρίζω.

Manifesto, Tullio ignotum; qui maluit *apertum & manifestum facio*, *palam facio*, *planum facio*, atque aliter. Sed Justinus utitur, cùm alibi non semel, tum lib. XLI: *Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur.*

Marceo, pro quo Cicero *languesco*, est apud Livium, Pliniumque. Est & Celsi lib. II cap. II: *Si marcet animus, si corpus torpet.* Eadem significatione *marcescere*, quod nec ipsum Tullio usurpatum, Livius usus, & Tranquillus. At pro *putrescere* Plinius lib. X cap. XLVIII: *Corpus occisæ statim marcescit.*

Maritare nescit Tullius: sed probum esse ostendunt Leges de maritandis ordinibus. De mutis etiam animantibus utitur Varro: de arboribus Columella.

Masticare ait Henr. Stephanus † esse barbarum *verbum, quod tamen hodie* (Stephani verbis utor) *plerique medici non refugiunt.* Imò & Theologi eo usi jam ante annos amplius quadringentos. Uti Cæsarius lib. III Mirac. cap. VIII: *Ita dementata, ut vermiculos, quos de sinu colligebat, in os mitteret, & masticaret.* Similiter lib. IV cap. LXXXIII,

† De Latinitate suspecta cap. 7.

&

& lib. VIII cap. XXXIII. Atque inde *masticatio* apud eundem ejusce operis lib. IX cap. XXXIX: *Non saporis panis, sed mellis, ut dixi, in masticatione sentit totâ illa die.* Sed levis tam recentis scriptoris auctoritas. Multis verò seculis antea, stante etiamnum imperio Romano claruisse, argumento nobis erit, quod ea utatur Cælius Aurelianus lib. II [illegible] cap. IX: *Dentes etiam & radices masticandas.* Et lib. III cap. VIII: *Ne ob vehementem masticationem naturales colligationes baccarum, quas Græci chalistos vocant, moveantur.* Et lib. I χρονίων cap. IV: *Dantes etiam masticandum sinapi.* Atque alibi non semel. Floruit autem Cœlius Hadriani tempore, vel ante, ut arguit, quod fuerit ante Galenum: ut qui Galeni non meminerit, qui licet tot passim medicos recenseat. Meminitque Cæli hujus Cassiodorus divin. instit. cap. XXXI, quod est de medicis. De origine etiam falsi. Est enim *masticare* non à barbaris, sed Græcis ipsis. Puta à μαστάζειν, quo usus Nicander in Theriacis. Scholiastes ejus μασσᾶσθαι interpretatur: uti & Hesychius facit. Interea quis puritatis satis observans non *mandere* potius dicat cum veteribus Romanis, quàm *masticare* cum homine hoc Afro. Nam patria ei Sicca, Numidiæ civitas.

Medicari, (pro quo Tullius *mederi*, *medicinam afferre*, vel *adhibere*, item *curare*) non semel legas apud Plautum, ac Terentium: quos secutus Plinius lib. XXV cap. II.

Meliorare (pro quo Cicero *melius* facere) apud Ulpianum est L. XIII. D. De usufruct.

Meliorescere eidem Tullio est *melius fieri.* Sed priori usus est Columella lib. II cap. X.

Meretricari Columellæ est lib. I cap. I. item Agellii.

Meridiari non modò Plauti est, & Catulli: sed & Tranquilli in Caligula, ac Nerone. Apud Tullium autem frustra quæras.

Minoro, minuo, facio, ut quid minus sit mole, dignitate, vel aliter. Sic *minoror*, reddo minor sive inferior. *Minoratio*, ἐλάττωσις, minor conditio. Tribus hisce sæpius utitur vetus Scripturarum interpres. Vellem non istiusmodi imperitiæ eum culparent Ciceroniastri, vel quocunque eos nomine appellare voles. Sanè sic tum omnes pene loquebantur, cum interpres is viveret. Nec refugit Scævola Dig. lib. XVIII Tit. VII Leg. ult. *Minorato pretio vendidit.*

Mœchari, pro quo Tullius *adulterari*, apud Catullum est in Epigrammatis.

Molestare apud Modestinum legas: nec temere puto apud priores reperias: malim igitur cum Tullio *vexare*, *molestiam afferre*, aut simile.

Mutire, pro quo *hiscere* Cicero, crebrum est Comicis.

N.

N*Egitare* caret veterum auctoritate, si audimus virum doctum in Analectis Linguæ Latinæ. Sed Plauti est prologo in Mercatorem,

Abnuere, negitare adeo me natum suum.

Et Bacchid. Act. V Sc. II.

—— Caput prurit, perii.
Vix negito.

Item Lucretius lib. IV.

Ne fieri negites, quæ dicam, posse.

O.

O*Bviare*, quod aliqui penitus damnant, apud Macrobium reperias, ac in glossis quoque vett. est, *Obvias*, ἀπαντᾷ. Non tamen arbitror eo usos Augusti seculo, ac proximo. Objectant e Sallustii bello Jugurthino: *Superbia nobilitatis obviatum est:* prout in nostris, multorumque Mssis legitur. Sed enim in plerisque bonæ notæ *obviam itum* reperitur. Nec aliter loqui solet Sallustius.

Opimare pro pinguefacere vel etiam decorare legas apud Appulejum, Vopiscum, Martianum, Ausonium, Paulinum, Sidonium. Sed quod haut legi apud quemquam putant iis antiquiorem, aliter est: cum ipsius sit Columellæ, lib. VIII cap. IX.

Opprobrare, ut *exprobrare*, Tullius quidem nusquam dicit: sed usi Plautus Mostell. item sedulus Comicorum imitator Agellius lib. I cap. XV, & lib. XVII cap. I.

P.

P*Ædagogare*, pro pædagogo esse, instar pædagogi instruere. Anonymus in Vita S. Severini, episcopi Septempedani, §. II. *Hi* (Severinus, & Victorinus) *post utriusque parentis obitum, se invicem pædagogantes, pari custodia, eo mutuo obsequio æmulantes.* Falso autem pro barbaro haberi, ostendit hoc Pacuvii Iliona*:

* Apud Festum in Repotialis.

—— Ab eo
Depulsum mammâ pædagogandum accipit
Repotialis Liber.

Pallesco rejicit Nizolianus, ac, ut Cicero, *palleo* jubet dicere. Sed usus altero Plinius lib. IX cap. XVI, & lib. XIX cap. X. Etiam apud Fabium reperias.

Pastino pro *fodio*, ut Tullii non sit, Columellæ tamen usurpatum lib. III cap. XVIII.

Patrocinor dixit Hirtius de bello Hispaniensi, item Plinius non semel, ac Fabius. Cicero pro eo, *caussis sum præsto*, vel *adsum pro aliquo.*

Perjuro ut non improbem, quia Plauti † sit, Horatii *, Ovidiique †: potius tamen *pejero* cum Cicerone dicam.

† Bacch. & Asin.
* Lib. 2. Sat. 3.
† 3 Amor. el. 10.

Pertingo Lucretii est lib. IV, & Plinii lib. XI cap. XXXVII. Index tamen Nizoliani Thesauri improbat. Nempe non attendit ad locum Tullii in II de Nat. Deor. *Vim vitalem per omnem mundum pertingentem.* Ubi perperam aliqui codices *pertinentem.*

Pertranseo, pro quo Tullius *permeo*, Plinii est lib. XXXVII cap. V.

Pessumdo non apud utrumque modò Comicum legas, sed etiam Ovidium lib. III Tristium el. V. Pro quo Tullius *obtero*, *propero*, *conculco.*

Petiturio apud unum invenias Ciceronem lib. I ad Att. epist. XI, sive, ex aliorum divisione, XIV: *Video hominem valde petiturire: navabo operam.* Ita primus correxit Adrianus Turnebus lib. IX Advers. cap. III. Ejus verò sententiam amplexi postea Bosius, Lambinus, Junius, Gruterus. Nec quicquam mihi eâ scripturâ certius videtur. Sententia est, Luccejus valde petit, ut tecum concilietur, sed metuit, ne si de hoc compellet, repulsam ferat. Propterea operam dabo, ut fidenter hoc agat. Nulli tamen sic Mssi: sed non multum abit Tornæsianus codex: in quo est, *Videro hominem. valde petitur. re navabo operam.* Ita videmus, interdum & Latina esse, & ipsi usurpata Tullio, quæ in nullis reperiantur libris.

Pignero, seu *pigneror*, quod Ciceroni *appignero*, Suetonii est in Claudio, ac Vitellio, item Agellio lib. XVIII cap. XII. Quid quod ipsius sit Ciceronis Philipp. IV: *In fuga, fœda mors: in victoria, gloriosa: Etiam Mars ipse fortissimum quemque in acie pignerari solet.*

Planto, non est Ciceronis: sed pro eo dicit *sero arbores*, *semino stirpes*, *facio olivetum*, *instituo vineam.* At Plinii est lib. VII cap. XX: *Hoc modo plantantur Punica.*

Plico, pro quo Tullius *complico*, non solùm Lucretii est, ac Virgilii; sed etiam Senecæ epist. XCVI.

Præcedo refugiunt, quia Cicero pro eo *præcurro*, *antegredior.* Sed præter Plautum ac Maronem, habent Columella lib. III cap. II, ac Plinius crebro.

Præceptare, præcipere. Usus S. Gerardus, abbas Sylvæ-Majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis* cap. IX §. XLVIII: *Monachos instruit moribus, locum facultatibus, & omnia omnibus, quæ præceptat S. Benedictus.* Interim obsoletum magis, quàm barbarum. Festus: *Præceptat, in Saliari carmine est, sæpe præcipit.*

* Apud Bollandum ad 2 Jan.

Præfiguro ut Ciceronis non sit, qui pro eo *denoto*, *exprimo*, tamen non video, cur abhorreant tantopere, cum

figuro sit apud Lucretium & alios. Et Lactantii est lib. VI: *Se quisque in illis imaginibus præfigurat.*

Præfoco damnant, quia Tullius *suffoco*. Sed Ovidii est in Ibin:

Præfocent animæ Gnossia mala viam.

Praeoccupare suspectum est Vallæ lib. V cap. LVII. Ita quippe scribit: *Sæpe enim antecapere est, & ut aliqui loquuntur, praeoccupare.* Atqui sic loquentur, faciunt id præeunte Tullio in Philipp. X: *Quas partes mihi sumseram, eas praeoccupavit Antonius.* Usique similiter Cæsar in secundo de bello Civili, Livius lib. IV, Columella lib. VII cap. V, & alii.

Præsumo, pro *prius sumere*, ut Ciceroni ignotum, sic Plinio usurpatum lib. XXXVI, cap. XI. Vulgo etiam utuntur pro eo, ubi Cicero, qui hoc verbi nescit, dicit, *hoc mihi sumo.*

Prævaleo damnant, quia Cicero pro eo *præsto*. Sic tamen non Catullus modò epig. VI, & Statius in Achilleidos; sed etiam Plinius non semel.

Proculco non modo est Maronis, Ovidii, Senecæ Tragici: sed etiam Livii lib. X, & Columellæ lib. II cap. XX, & lib. XII cap. XV. Cicero tamen pro eo *protero*, & *conculco*.

Prodigo idem nescit Tullius: qui pro eo *profundo*, *effundo*, *dissipo*, *dilapido*, & aliis modis. Sed præter Nævium sic Plautus Aulul. & Mercatore, ac imitator ejus Agellius lib. II cap. XXVII.

Progignere displicet Schotto in III Tull. Quæst.* Nempe quia pro eo dicat Cicero *progigno*. Sed prius Horatii est lib. IV od. IV: item Columellæ lib. I cap. IV, Plinii lib. X cap. III, & lib. XI cap. VI.

* Pag. 253.

Prolongo eidem Schotto eopse libro improbatur: quia Cicero pro eo *traho*, *profero*, *differo*, *produco*, *prorogo*, atque aliter. Sed *prolongo* non refugit Seneca lib. V de Benef. & Plin. lib. XIII cap. III.

Promanaverat sermo est Senecæ de vitæ tranquillit. cap. XVIII. Ubi Cicero *permanaverat*.

Prostituere non legas apud Ciceronem: qui pro eo *corpus ad libidines divulgo*, *palam in meretricia vita me colloco*, *vulgo me omnibus*, *aut pervulgo*. Damnat igitur *prostituendi* verbum, tum qui concinnavit indicem Nizoliano additum Ciceronis Thesauro, tum qui auxit; puta Jacobus Cellarius Augustanus. Imò & rejicit propterea Andreas Schottus Tullianarum Quæst. lib. III †. Sed enim *prostituendi* verbum est apud Plautum, Catullum, Ovidium: imò & Suetonium in Nerone cap. XXIX.

† Pag. 254.

Protestor nuspiam Cicero, sed *denuncio*, *testor*, *contestor*. Sed habes L. XIV. §. Plerique. D. De religios. & sumt. & sæpe alias apud Jurisconsultos.

Q.

Quadrupedare non damnem, partim quia participio ejus usi Plautus, Varro, ac Virgilius: partim quia verbo ipso utitur Accius Thebaide, apud Nonium. Glossæ: *Quadrupedo*, τετραποδίζω.

R.

Rebello improbat Index sæpe memoratus, quia apud Ciceronem pro eo sit, *ab aliquo deficio*. Sed *rebello* est Cæsaris, Livii, Plinii, Suetonii.

Recolo improbabat Valla in Poggio. Sed is Invectiva prima * se tuetur illo Ovidii:

* Fol. 72. b. edit. an. 1513.

Hæc tua, jam recolo, quondam germana canebat.

Tum item illo Ciceronis in proœmio Oratoris: *Ad eas artes inter nos recolendas.* Ac in Officiis: *Dum eorum merita recolimus.*

Refocillo ab eodem Indice imò & Schotto in Quæst. Tullianis † damnatur, quia Tullius pro eo *reficio*, *recreo*. Sed usus Seneca lib. III de Beneficiis: *Lugentem efficacibus remediis refocillare.* Item Plinius epist. LVIII: *Ipse paucis diebus ægre refocillatus, non sine ultionis solatio decessit.*

† Pag. 255.

Remordeo ibidem rejicitur, quia Tullius, pro eo *mordere* potiùs dicat. Sed præter Lucretium, Maronem, Claudianum, sic Livius loquitur: *Sin tantum libertatis desiderium remordet animos.*

Resplendeo est Horatii & aliorum: non Tullii tamen. Nam quod ad illud II de Fin. cap. VIII: *Adsint etiam formosi pueri, qui ministrent: resplendeat his vestis:* ita quidem ab Roberto Stephano, & Lambino, editum est: sed omnino legendum, *respondeat*, ut habet editio illa Gulielmii, & Gruteri.

Restagno damnant, quia Tullius pro eo *redundo*. At præter Ovidium, Lucanum, Silium: sic locutus Cæsar II belli Civilis, & Columella sæpius.

Resumo nuspiam apud Tullium exstat: sed sæpius usi uterque Plinius, Statius, Tacitus.

Resurgo itidem nescit Cicero: sed usurpat Livius lib. IV, ac Plinius non semel.

Revalescere pro *convalescere*, præter Indicem sæpius memoratum improbat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst.*. Sed enim priori præter Ovidium epistola XX, etiam usus Agellius lib. XVI cap. XIII.

* Pag. 228.

Rhetoricare, vel *Rhetoricari*, dici, negat Hieronymus Regius Commentariorum de L. L. lib. II, præceptione X: ubi de onomatopœiæ usu disserit. Sed usus eo Novius Asinio: *Age nunc, quando rhetoricasti, doce quod te rogo.* Quin & pro eo *rhetorisso* dixere. Pomponius Macco:

Dolasti uxorem, nunc eapropter me cupis
Concidere: & jam rhetorissas. ——

S.

Sævio non est Ciceronis, qui mavult *sævitiam*, vel *crudelitatem in aliquem adhibeo*: vel *sævitiam exerceo*. At poëtis est frequens: etiam Livio, qui usus lib. III, VII, VIII, &c.

Scabo, nuspiam Cicero dicit, sed *perfrico*. At præter Horatium, & poëtas alios, Columella, & Plinius utuntur.

Scalpurio à multis video damnari. Jubent verò dicere *scalpturio*. Nam inquiunt, ut ab *esum esurio*; à *nuptum nupturio*; à *mictum micturio*; à *partum, parturio*: sic à *scalptum scalpturio*. Speciosè satis: sed etiam à *scateo* est *scaturio*. Dixeris, ἀναλόγως supinum fore *scatitum*, inde *scaturio* pro *scatiturio*. Esto sanè. Sed Plauti est Aulularia de gallo gallinaceo Euclionis:

—— *Occœpit ibi scalpurire ungulis.*

Scio, Valentem Acidalium reponere, *scalpturire*. Verùm aliter est in MSS, & cunctis editionibus. Et apud Solinum est *scalpurigo*. Antonius Delrio edidit hic *scalpturigo*. Sed contra omnium MSStorum, & editorum fidem. Retineo igitur *scalpurigo*: quod à *scalpurio*, ut à *verto*, *vertigo*; ab *prior*, *origo*. Quamquam verò *scalpurio* malim, ob veterum tot codicum consensum: non tamen *scalpturio* cum T damnem. Nam, ut vidimus, ἀναλογίᾳ nititur: & in glossarii membranis utrumque reperio: & à scalptura similiter est *scalpturatus*: ut *scalpturatum pavimentum* apud Plinium lib. XXXVI cap. XXVI. Ita vetus Parmensis, & consecuta Aldina, atque aliæ. Etiam in Philoxeni glossis, *Scalpturatum* exponitur διαποικίλον, h. e. coloribus variegatum; cujusmodi *versicoloria* dicimus.

Scintillo, quod Ciceroni *igniculos jacio*, apud Plautum, Maronem, Silium, ac non uno Plinii loco legas.

Sculpo qui damnant, nituntur auctoritate Diomedis. Hic enim lib. I, *scalpo*, non *sculpo*, dicendum putat: & *gemmam scalptam*, non *sculptam*: adjecta tamen præpositione, *insculpo*, & *insculptam gemmam* dicendam esse. Verùm Phocas & *scalpo*, & *sculpo*, ponit inter verba, quorum præterita desinunt in *psi*: ac Priscianus quoque lib. X tum *scalptum*, tum *sculptum*, à præteritis *scalpsi*, & *sculpsi*, ponit. Apud Ovidium quoque X Met. habent codd. quotquot videre contigit:

Interea niveum mirâ feliciter arte
Sculpsit ebur.

Suetonii item est, in Augusto: *In epistolis signandis usus est imagine sua, Dioscoridis manu sculpta.* In aliorum quoque scriptorum sat antiquis codd. similiter manu exaratus invenias. Item confirmat hanc rem, quòd Græci similiter dicunt γλάφω, & γλύφω: à priori est γλαφυρὸν, ab altero ἱερόγλυφα. Atque *scalpo*, est à γλάφω, *sculpo* à γλύφω. Denique à *scalpo* quidem *scalprum* dicimus: sed *scalptile* nondum legi: verum *sculptile* est apud Ovid. lib. IV de Ponto el. IX. Et sanè vel solum hoc derivatum omnem eximere scrupulum debet.

Sopio rejiciunt, ac ex Tullio probant *consopio*. Sed alterum non Ovidius modò, & Tibullus usurpant: verum etiam Livius, cùm alibi tum lib. IX, *Vino oneratos sopiunt.*

Spuo & *sputo*, improbant, quia apud Tullium sit *conspuo*. Sed *spuo* usurpant Maro IV Georg. & Plinius lib. XXVIII cap. IV. *Sputo* autem Plautus Captivis, act. III sc. IV, & Mercatore.

Sugillare rectum negat index sæpe antea nobis memoratus: ac dici è Tullio vult, *existimationem imminuo, violo, famam lædo, de fama detraho.* Sed sic locutus Livius non semel: item Ulpianus.

Superabundo idem rejicit: quo similiter Ulpianus utitur L. non solent. ff. de divers. reg. jur. ant. *Non solent, quæ superabundant, vitiare scripturas.* Cicero pro eo *supero, superfluo, affluo, effluo, abundo.*

Superbio a Ciceroniani Thesauri indice inter ea reponitur, quibus satius sit abstinere. Atqui, ut ibidem legas, semel usus Tullius in Academicis. Id nobis sufficit, præsertim cum classicorum aliis sit frequens. Nec eo sic semper loquar, cum apud Tullium suppetant *efferor, fastidio & contumacia efferor, animos effero, extollor, insolesco, spiritus assumo:* quæ à Ciceronianis præferuntur.

Supervivo pro quo Cicero *superstum*, est apud Suetonium Cæs. cap. ult.

T.

TAxo, pro quo Cicero *æstimo*, apud Senecam legas, Plinium, & Tranquillum.

Teutonizare, in Gemina, Teutonica lingua loqui. Et cur non æquè *Teutonisso* dicamus, ac Atticisso, Sicelisso, ac similia, apud veteres legimus.

Transfiguro Tullio ignotum verbum, qui mavult *muto, commuto, converto.* Sed usus Plinius, Fabius, sæpius item Tranquillus.

Transfodio est Ovidii, Livii, Plinii. Pro quo Cicero *transfigo*.

Transnato, pro quo Cicero *trano*, vel *transno*, apud Livium legas, Senecam, ac Plinium.

Transscribere displicet Indici sæpe dicto. *Describere* malunt ex Cicerone. Sed Cicero non refugit *transscriptum* libb. de Nat. Deor. ac Plinii est lib. XIV cap. II: *Græcinum, qui alioqui Cornelium Celsum transscripsit.*

Turpificare cur non dicam, cum apud Cic. de Offic. sit animus *turpificatus*?

V.

VAcuare, (quod Ciceroni *exhaurire, vacuum facere, nudum inaneque relinquere*) non modò apud Ovidium habes, & Statium, ac Martialem: sed etiam Columellam lib. VIII cap. XIII, & lib. IX cap. XIV.

Verberari damnat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæstionum. Jubet verò dicere *verberibus accipi*. Sed ipsius Tullii est lib. V in Verrem, qui est de Suppliciis: *Virgis oculi verberabantur.* Ac similiter usurpat Sallustius.

Versificor nusquam dixit Tullius, sed *poëma condo, pango, facio, versus conficio, cano.* Interim Quinctiliani est lib. IX cap. IV: *Nam & versificandi genus est omnibus sermonibus unam legem dare.*

Vetero pro vetus fio est Cornelii Celsi lib. III cap. XII: *In his febribus, quæ veteraverunt, utilis fames non est.* Gloss. Cyrilli: Παλαιῶ, vetero, invetro, invetresco. Ubi malim, *invetero, inveterasco.* Onomasticon. *Vetero*, παλαιόω.

DE VERBIS, QUÆ FALSO CREDUNTUR NON inveniri sic declinata ab antiquis.

HActenus de Verbis quæ falsò falsæ damnantur significationis. Ut verò in Nominibus ostendi, multa inveniri aliter declinata ab antiquis, quam tradi vulgo solet: ita nunc censeo in Verbis quoque faciendum. Ac primùm aliqua excerpam de verbis primæ declinationis; ut quidem Varro, & Fabius, vocant; quam Grammatici vulgo *conjugationem* appellant.

Restavit pro *restitit* barbarum creditur. Atqui dixerit Propertius lib. II eleg. postrema, quæ ad Lynceum:

Nec si post Stygias aliquid restaverit undas.

Sic editum a Scaligero: reperio similiter in Aldina anni CIƆ IƆ II: & ea edit. quæ ante Aldinam annis XXI Regii Lepidi prodiit. Editio tamen Jani Duzæ habet:

Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas.

Sanè *restabit* expresse est in uno Palatinorum codd. Sed pro *ad undas* est in ea *erumnas*. Magis interim eò inclino, ut *restaverit* scribatur: quomodo *neglegerint* dixere pro *neglexerint*, pluraque alia alibi memorata. Ac similiter, ut in compositis à *sto*, perstitaro, *distasse* pro *distitasse*, h. e. *distitisse*, habes apud veterem B. Irenæi interpretem lib. I, initio cap. XXIV. Neque hoc imperitiæ tribuendum, sed quia hoc tum obtineret. Nam & *præstaverit* apud Ammianum legas lib. XXXI., & apud alios. Quod non dico, quasi propterea sic loqui velim: sed ut evincam, non debere sic locutos nimiæ impolitiæ reos agi: præsertim cùm in supinis, & inde deductis, A mire obtineat: ut in *constatura, exstatura, obstaturi, præstaturus:* quæ bonorum nituntur scriptorum auctoritate.

Distasse pro *distitisse* dixerit vetus Irenæi interpres libro primo, cap. XXIV.

Micui qui vulgo quidem poni à Grammaticis, sed extra compositionem nullo niti scriptore veteri ajunt, refelluntur abunde vel uno Ovidio: cujus est in epistola Penelopes:

Usque metu micuere sinus.

Et VII Metam. fab. II:

— Neque enim micuerunt sidera frustra.

Et lib. I Trist. eleg. II:

Hei mihi quàm celeri micuerunt sidera flamma.

Solinus tamen aliter cap. LVI: *Si repente micaverit coruscatio, intempestivo metu comprimuntur.* Ita constanter est in libris MSS, editisque. De conchis, in quibus uniones, sermo est. Sed Nasonis potior nobis, auctoritas: quàm Solini tanto posterioris: cujus ætate sic quidam locuti: quomodo & Quinctiliani ætate quidam pro *emicui* dixere *emicavi:* quod idem Fabius reprehendit lib. I cap. VI. At in *dimico* secus est: ubi *dimicavisse* malim cum Cæsare, quàm *dimicuisse* cum Ovidio.

Vetavit pro *vetui* male damnant. Paullus D. ad excusandum L. VI, cujus initium Geminianus: *Quia lex XII Tabb. solvi vetârit.* Persium etiam usum, alibi ostensum. Uti Papinii est *vetatus* in III Theb.

Venio ad declinationem secundam, ut *absorpsi* pro *absorbui* apud Lucanum *: sed ut novum a Probo, Capro, & Velio damnatum. Puto Neronis ævo sic jam loquebantur. Nam & Plinius *sorptum*, non *sorbitum* dicit: etsi à posteriori hoc *sorbitio* sit: ut in libris de Arte † dictum.

* Lib. 4.
† Lib. 3. de Analogia cap. 12.

Ado-

Adoleo, uti & *adolesco*, ajunt *adolevi* facere, cum de ætate est sermo: ut in illo Maronis XII Æn.

—— Mox cum matura adoleverit ætas.

At *adolui*, cum de sacrificio: ut hoc Cassii ad Tiberium II: *At contra Ægyptios: ubi integrum anserem adoluerunt.* Sed hæc valde sunt infirma. Nam ut Maro *adolevit* de ætate, ita Varro *adoluit*. Nam ejus est in III Rhetor. *Postquam adoluerit hæc juventus.* Quodque ad Cassii locum, adducit eundem Diomedes: sed pro *adoluerunt*, quod apud Priscianum, *adoleverunt* apud eum legas. Iidem *adultus* non de ætate solùm dici, quomodo crebro legas: sed etiam de sacrificio; ostendit hoc apud Priscianum è Valerii Antiatis lib. LXXIV: *Eo omnes hostiæ, vituli XXVII, conjecti: & ita omnia adulta sunt*, hoc est, cremata.

Pœniturum, pro *pœnitentiam acturum*, non ausim dicere: minus vero damnare: cum Sallustii sit, teste Fabio lib. IX cap. III.

Nunc veniamus ad tertiam.

Abnuiturus, I cur damnem, cùm in optimis Sallustii codd. sic legatur. Et apud Festum est, IN *non semper abnuitionem significat.* Scio dici *numen*, & *nutus*, sine I. Sed hæc κατὰ συγκοπὴν facta ex *nuitum*.

Abscondi pro *abscondidi* qui negant rectè dici, refelluntur isto Lucani in X:

—— Crassumque trabes absconderat aurum.

Ac similiter Seneca de Beneficiis lib. III cap. XXV: *Bello civili proscriptum dominum servus abscondit.*

Arguiturus est in omnibus Sallustii codd. etsi Plauti sit in Amphytr. *A viro argutam meo.*

Convulsi, pro *convelli*, item *revulsi* pro *revelli*, improbat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst.*: Et sanè malim *convelli*, & *revelli*, ut *convellisti* Cicero pro Domo sua, & *revellisti*, in Verrinis. Sed Diomedes ait *vello* facere *velli*, & *vulsi*; atque ex Laberio, Ciceronis æquali, adducit, *Aliqua parte prævulserat.* Ovidius etiam *revulsi*: ac fortasse Maro: de quo dixi lib. III de Analogia cap. XXVIII. Adderem è Plauti Amphitryone illud Jovis:

[* Pag. 218. & 256.]

Quis tam vasto impete has foreis toto convulsit cardine?

Sed neque ea scena, neque duæ præcedentes, genuinæ sunt, ut alias diximus.

Nascituri Senatores improbat Goclenius in Linguæ Latinæ Observat. Nam, inquit, non à præsenti formantur participia in RUS, sed à supino: quomodo à *natu* esset *naturus*. Sed Piso in secundo Annalium dixit *ignosciturus*: *ignoscibile* Agellius lib. XIII cap. XX. Quare nec damno *cognoscibile*: quod apud Thomam Aquinatem. Pro *nasciturus* Agellius dixit *nascendus*. Cujus autoritatem non video cur adeo respuant nonnulli.

Pepercit pecuniæ, dicere non liceat, si audimus Donatum †, qui *parsit* jubet dicere: at *pepercit illi*, de eo qui culpam condonavit. Atqui Plauti est in Aulul. act. II sc. VIII:

[† In Hec. act. 3 sc. 1.]

—— Festo die siquid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris.

Præcucurri, excucurri, procucurri, decucurri, concucurri, Latina negat doctissimus Leonardus Malaspina Castig. in Cic. ep. ad Att. Atqui Terentii est Hec. act. III. sc. III:

Una illarum interea propere præcucurrit nuntians.

Ubi si *præcurrit* foret, non constaret versus, qui trochaicus est tetrameter sive octonarius catalecticus. Ciceronis quoque est lib. III de Oratore: *Faciles enim Antoni partes eæ fuerunt duæ, quas percucurri.* Varronis quoque est senarius iste:

Huc aucupatum concucurristis domo.

Aliter si legas, non constet metri ratio. Mitto alia, quæ adduximus lib. III de Analog. cap. III.

Fulsi à *fulgeo* esse ajunt: à *fulcio*, *fulcivi*. Sed ab hoc etiam *fulsi* dicit Tullius pro lege Manilia, atque de Haruspicum Responsis. Quod eò lubentiùs retuli, quia his diebus culpatus apud me à viro erudito egregius & amicus poëta, qui in versu *fulsi*, *fulciendi* posuisset significatione.

Aliquid nunc subjungam de verbis Quartæ. *Sapivi* & *resipivi* qui improbant, vel eo refelluntur, quod *sapii*, & *resipii*, quorum illo Martialis, hoc usus est Terentius, ex prioribus illis facta sunt κατὰ συγκοπὴν. Præterea *sapivi* dixisse Nævium Virgine Prægnante, ex Nonio, & Prisciano, alibi ostendi. At *resipivi* est apud ipsum Ciceronem ad Att. lib. IV epist. V: *Vix aliquando te auctore resipivi.* Scio, in aliquibus libris esse *resipui*. Sed *resipivi* est in vett. codd. ac probat Lambinus. Ita quoque editum in illa Rob. Stephani: addo & in postrema Guilielmii ac Gruteri.

Quod siquid etiam audire vacat de Anomalis: sunt in his, *eo, volo, fio, odi*, cum compositis.

Adivi pro *adii*, negant dici, quia composita ab eo syncopen ament: unde *interiit*, non *interivit*, *periit* non *perivit*, dicimus. Sed Statii est lib. I Sylv. VI: *Hac cernens alias adivit urbes.*

Ut *ibo*, sic *inibo*, & *transibo*, dici, nemo ambigit. Sed *iniam*, pro *inibo*, & *transiam* pro *transibo*, dici, id verò est, quod malè negant. De *iniam* testis ipse Tullius videtur secunda de lege Agraria contra Rullum*: *Inietur enim ratio quæstus de vestra pecunia.* Sic veteres, quas videre contigit, editiones: etiam illa Roberti Stephani †: similiter etiam unus ex Palatinis MSS: nec multum abit alter, ubi est *inhibetur*: Lambinus malit *invenietur*: Guilielmii, & Gruteri editio habet *inibitur*: sed, ut puto, contra omnium librorum fidem. Et ut *ineam*, sic *transeam*, dixit Tibullus: apud quem sic Priapus loquitur lib. I. eleg. IV:

[* Cap. sive sect. 26.]
[† An. 1546. pag. 129.]

At si tardus eris, errabis: transiet ætas,
Quàm cito non segnis stat, remeatque dies.

Præterea sic locuti Tertullianus, vetus Scripturæ interpres, alii, ut dictum lib. IV de Analogia cap. XXXVIII. Non cogitavit hoc is qui primus edidit epistolam Barnabæ: apud cujus interpretem leguntur epistolæ Barnabæ. Verba sunt: *Justè periet homo habens viam veritatis scientiam, & se à via veritatis continet adhuc.* Editor primus .... pro *periet*, legendum censet *peribit*. Sed nihil mutandum; ut ex iis liquet, quæ diximus. Similiter editor epistolæ Barnabæ apud veterem interpretem* pro *periet* malit *peribit*. Sed ita non scripsit interpres.

[* Pag. 217. edit. Amstelod. an. 1646.]

Dubitant quoque, utrum sit dicendum *ambientem*, an *ambiuntem*. In Cœlii quidem Rhodigini Antiquis Lect. legas, *Ambeuntem cerebrum panniculi.* Sed dici oportet, *ambientem*. Nec enim simile est, ac *redeuntem*: quia hoc est à *redeo*, E reservato in proxima à postrema: at alterum est ab *ambio*. Itaque nec ausim damnare *ambiebat*: quod apud Erasmum in VI Apophthegmatum. Ἀναλόγως tamen potiùs dixeris *ambibat*. Verùm ipsum *ibam* est ex *iebat*: quomodo dixere per trajectionem pro *eibat*.

Lavarunt —— Video & plerosque dicere *lavarunt*, pro *laverunt*. Ita Guilielmus Stukius lib. I Antiquitatum Convivalium cap. XXXI †, narrat ex Plutarchi Laconicis institutis, ut Dionysius Siciliæ tyrannus, coquum conduxerit Laconicum, qui nulli pars impendio, præparet sibi jus illud nigrum, quo Lacedæmonii in Phiditiis uterentur: sed ubi rex gustasset, indignabundum exspuisse: tum dixisse coquum, *Hoc jus parandum, Rex, est iis, qui in Eurota lavarunt.* Malim *laverunt*. Nam *lavavi*, unde foret *lavarunt*, exolevit. Postulatum illud regis, ac coqui responsum, eleganter etiam narrat Tullius in V Tuscul. Quæst.

[† Fol. 108. b.]

Distassent —— Hugo Sempelius lib. II de Mathematicis disciplinis cap. ult.* *An Babylonicæ turris parietes perpendiculariter exstructi magis distassent sex pedibus in summo, quàm prope terram.*

[* Pag. 52.]

Nosciturus, pro *cogniturus*, barbarum. Galilæus Galilæi Lynceus in præfatione operis de Systemate mundi: *Confido nosciturum ex considerationibus hisce genus humanum, quòd si nationes aliæ plus navigarint, nos non contemplati simus minus.*

Extasse, pro *exstitisse*, usurpat Nicolaus Alemannus

Notis in Procopii historiam arcanam: *Cùm Domitiani aneam imaginem auctor ad sua tempora in clivo Capitolino exstasse affirmet.*

Noli vulgo in usu esse, non classicis scriptoribus, Diomedis† fuit sententia. *Ex* NOLO, inquit, *vulgo faciunt imperativum.* NOLI *melius est dicere*, NOLIS, NOLIT: *quod ex principali ejus* VELIS, VELIT, *discimus. Horatius**:

† Lib. 1.

* Lib. 1 sat. 9.

> *—— velis tantummodo*†: *quæ tua virtus,*
> *Expugnabis. ——*

† Sic pro modo velis, rescribendum apud Diomedem.

Sed VOLO quidem imperativo caret: cujus loco uti cogimur subjunctivo. At NOLO cum obtinet: cùm ipsius sit Ciceronis de Claris Orat. *Noli, Brute, existimare his diebus quicquam fuisse in nostra civitate præstantius.* Et pro Roscio Amerino: *Nolite putare, quemadmodum in fabulis*, &c. Similiter ad Att. in Pison. & alibi. Lucilius etiam *nolito* dixit: Sisenna *nolitote*: ut de utroque ostensum Nonio Marcello.

Imprimis verò vapulare solet vetus Scripturarum interpres: quod multa adeo tum in analogis, tum anomalis, aliter declinet, quam usus ferat. Ut cum usurpat *calefacior* pro *calefio.* Locus est Jacob. cap. II: *Ite in pace, calefacimini, & saturamini.* Non jam dicam, veteres non refugisse *facitur, satisfacitur, parvifacitur*; de quo actum nobis libri IV de Analogia cap. XXXVIII: illud potiùs adferam *calefacitur* non refugisse Vitruvium. Ut libro IV cap. VII: *Cum enim inter se* (trabes) *tangunt, & non spiramentum, & perflatum venti recipiunt, concalefaciuntur, & celeriter putrescunt.* Item lib. V cap. X: *Testudines alveorum ex communi hypocausi calefacientur.* Culpant quoque *odivi, odivit*; Psalm. XXV, XXXV, C, CXVIII. Jer. XII, & XLIV. *odiet, odient, odibunt.* Prov. I, XXV, Ezech. XVI, Luc. XVI, Apocal. XVII. *Odite*, Psal. XCVI, & Amos XXV. *Odiret*, Psalm. CIV. *Odiens, odientes, odientium, odientibus*, Lev. XXIII, Deut. VII, sec. Reg. V. Psal. XVII, XLIII, LXXXVIII, CV. Sap. XI. Eccl. XXV, Es. LXVI, Rom. VII, & ep. Jud. *Odietur*, & *odientur*, Eccl. XX, & Prov. XXV. At similiter Tertullianus de Anima cap. X: *Herophilus ille medicus, aut lanius, qui sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur, qui hominem odiit, ut nosset.* Item lib. IV adversus Marcionem cap. XVI: *Utique & benedici odientes, & orari pro calumniatoribus jussit.* B. quoque Hieronymi est epistol. XVIII: *Odiemur a mundo.* Imò jam Tullii ævo, verborum ille non vulgarium sectator M. Antonius non dubitavit in quadam epistola scribere: *Nec deseram partes, quas Pompejus odivit.* Aliaque hanc in rem adduximus de re Grammatica capite XXXIX, & libri hujus capite XII. Etiam aversantur hoc Psalm. LIX: *Lætabor, & partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum metibor.* At Plauti sunt *mentibor, amicibor, reperibor*: ut ostensum lib. III cap. XXXIV. Ubi etiam dictum, Charisium, more veterum à *ferio*, & *ferior*, formare, *feribo*, & *feribor.* Nempe ejus ætate iterum futura ejusmodi in usu esse cœperunt.

Nec tamen omnium, quæ reprehendunt, laudare veteres possim auctores. Sed enim fortasse ea olim exstitere in scriptoribus deperditis. Atque ut hoc non esset, ætate interpretis, ut dixi sic loqui solent. Exagitant hoc Matth. cap. XXII. 30: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur.* Ubi Græcè γαμίζονται: ut Marc. XII. 25, γαμίσκονται. Non dicam Plauti esse *nubitur.* Scio, ei esse impersonale. Nec dicam, Latinum esse, *Cælum nubitur nubibus*; *indeque nubes dictæ.* Nam *nubitur* hic non μεταληπτικῶς usurpatur de connubii societate: sed propriè sumitur, pro *velatur.* Quare hujusmodi effugia non quæram: sed sufficere arbitror ad interpretem imperitiæ absolvendum, quod doctissimi Patrum sic loquebantur. In his Tertullianus de Resurrectione: ubi legas: *Neque nubent, neque nubentur, Filii hujus ævi nubunt, & nubuntur.* Ac similiter lib. IV: *Quia de ævo venturo quærebatur, in quo neminem nubere definiturus, præstruxi quidem nubi, ubi & mori.* Usus quoque Rufinus in Symboli expositione. Nimirum interpres verbis loqui voluit præsentibus, ut meliùs intelligeretur. Optimè Agellius lib. XII cap. XIII: *Consuetudo, cum omnium domina rerum, tum maximè verborum est.* Imò Hieronymum ipsum audiamus epist. XXI: *Propter simpliciores multum dejiciendo sermone laboravimus.* Quare laudari potiùs, quàm reprehendi interpres debet, quòd in tralatione ejus operis, unde animarum salus peti debet, non tam gratiam inire voluerit à logodædalis, quàm eorum consuetudinem sequendo, captui inservire populi universi.

DE PARTICULIS QUÆ FALSO CREDUNTUR in aliena significatione accipi.

ALterum genus est eorum, ubi particulæ apud optimos scriptores, sed non eâ significatione inveniuntur. Hujusmodi etiam aliqua subjecimus.

Deorsum non usurpari barbare ab iis quibus non motum significat sed quietem, liquet illo Plauti Aulul. act. II sc. VII: *Si autem deorsum comedent.* Et hoc Varronis: *Qui colunt deorsum, magis æstate laborant; qui sursum, magis hieme.*

Hactenus is qui Analecta* Linguæ Latinæ scripsit de re, vel loco, semper ait usurpari; nunquam de tempore: eoque non *Hactenus ita credidi*, sed, *Adhuc ita credidi*, dicere jubet. Atqui locutus ita Tullius ipse epist. III. lib. IV ad famil. *Hactenus existimo nostram consolationem rectè adhibitam esse.* Sic Maro Æn. XI.

* R. God lib. 2 sect. 22.

> *Hactenus Anna soror potui.*

Et alibi, atque alii.

Invicem se amant, vel *mutuo se amant*, displicuit Schotto in Tullianis Quæst.† Priùs comprobatur illo Quinctiliani: *Qui se ardentissimo amore invicem dilexerunt.* De *mutuo* mox dicam: quia pro literarum serie hæc nunc tractamus.

† Pag. 239.

Modo negant usurpari posse pro *nunc*: ac sensit id quoque Caper Grammaticus, cum scribit: *Modo præteriti temporis est: ideo dicendum est, Modo scripsi, modo feci: non, modo scribo, modo facio.* Atqui ita locutus ipse Cicero I de Divin. *Modo ait hoc, modo illud.* Et Terentius in Adelphis act. III sc. I: *Modò dolores, mea tu, occipiunt primulum.* Et Adelph. act. III sc. V: LA. *Advenis modo?* PAM. *Admodum.* Sanè Donatus ad utrumque Terentii locum affirmat MODO esse temporis præsentis. Locutus quoque hoc pacto non semel Plautus, uti & Fabius in procemio libri primi, aliique item scriptores.

Mutuo se amant, displicet Andreæ Schotto lib. III Tull. Quæst.* Dicere præcipit *inter se*: quomodo Cicero ad Quinctum Fr. & ad Att. *Pueri valent, & nos, & inter se diligunt.* Sed Planci est ad Ciceronem lib. X epist. *Fac valeas, meque mutuò diligas.*

* Pag. 239.

Oppido, si Festum audimus, tum tantum pro *valde*, usurpatur, cùm dicere pro eo possumus, *Quantum vel oppido satis est.* Aliter qui usurpant, eos errare disertim ait. Atqui ista verba locum non habent, cum Plautus Terentiusque passim dicunt: *Oppido interii, vel perii*: cumque hic Adelphis Act. III. Sc. II. dicit: *Oppido opportune te obtulisti mi obviam*: vel cum Catullus ait epigr. LV. *Othonis caput oppido pusillum*: vel cum ita loquitur Cicero lib. XIV. ad fam. ep. IV: *Præterquam oppido pauci.* Et de Oratore: *Tutor minus vetus, oppidò ridiculus.* Et lib. III. de Finib.

Eo-

Eorum definitiones paullum oppidò inter se differunt, & tamen eodem spectant. Et Oppius de bello Africano: *Quibus rebus attenuati oppido quam pauci sub pellibus acquiescebant.* Et præter illos Gellius, Macrobius, Appulejus, alii, similiter locuti non uno in loco.

Procul dubio respuunt auctores Indicis Nizoliano additi Thesauro Ciceronis. Sanè Cicero mavult *sine dubio.* Sed alterum legas apud Plinium lib. XVII cap. XI, & Suetonium in Claudio cap. III.

Qua negat in Indice Lucretiano Giffanius usurpari posse pro *ubi.* Nam quod ad Ovidii illud I Met.

Quaque erat & tellus, illic & pontus, & æther.

(quomodo in optimis quibusque codicibus editum est) cùm quatuor MSStorum codicum, tum Porphyrii autoritate ostendit, pro *quaque* legendum *utque.* Et sanè *ut*, & *uti*, non rarò ponuntur pro *ubi*: quomodo Plautus Amphitr. ait act. I. sc. I:

Quisque ut steterat, jacet, obtinetque ordinem.

Et paullo pòst:

Neque se Luna quoquam mutat (Passeratius legit *motat*) *atque uti exorta est semel.*

Hoc est, *quàm ubi.* Sic & *utcunque* pro *ubicunque* dixit Horatius lib. III od. IV:

Utcunque mecum vos eritis.

Quem ad locum ita vetus commentator: UTCUNQUE, *ubicunque. Sæpe enim veteres* UT *pro* UBI *ponebant.* Idem inibi firmandæ huic rei adducit illud è V Æn.

—— *Levi cum sanguine Nisus*
Labitur infelix, cæsis ut fortè juvencis
Fusus humi, viridesque super madefecerat herbas.

Lambinus tamen, atque alii etiam Horatiani interpretes, cùm lib. III od. IV, tum lib. I, od. XXXV utcunque poni ajunt pro *quandocunque*, vel *quocunque modo.* Verùm caussæ nihil video, cur Porphyrii placere non possit sententia. Falsus, interea Giffanius, cùm *qua* pro *ubi* barbarum censet. Nam ita locuti Cicero, Cæsar, Horatius, Propertius: ut ostendit Scoppius lib. I Verisimil. cap. XVI.

Quasi, pro *fere.* Latinum esse negat Franciscus Sylvius. At ita, quemadmodum aliis quoque observatum, dixit Cicero extremo libro de Senectute: *Nec verò velim, quasi decurso spatio, à calce ad carceres revocari.* Crebrò autem certo adhibetur numero, ubi itidem necesse habemus exponere per *fere*, *circiter*, aut similem particulam. Plautus Mostell. act. III sc. Scelestiorem ego anum:

Quasi quadraginta minas.

Terent. Heautont. act. I sc. I:

—— *Inscripsi illico*
Ædes: mercedem quasi talenta ad quindecim
Coëgi.

Et apud Ciceronem Act. I in Verrem: *Ex his quasi decem fiscos ad Senatorem illum relictos.* Quorum exemplo illud Matth. XIV. 21. ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, rectè transfertur, *viri quasi quinquies mille*: hoc est *fere*, vel *circiter.* Atque eodem modo & *admodum* accipitur à Plauto, Livio, aliis: de quo alibi dicimus. Item *instar*: ut ad Att. lib. XVI epist. V: *Mearum epistolarum nulla est συναγωγή: sed habet Tiro instar septuaginta. Et quidem sunt à te quædam sumenda. Eas ego oportet perspiciam, corrigam, tum denique edentur.* Quem locum integrum adscripsi, ut obiter liqueat, Cicerone vivente, volente, ac prius emendante, in lucem ejus esse editas epistolas.

Regulariter non modò in Grammaticis ferendum, sed etiam Jurisconsultis, cùm illud Ulpianus usurpet: & ἀναλόγως formetur. Nam ut *fortiter* à *fortis*, sic *regulariter* à *regularis*: quod Plinius usurpat, sed de ære.

Secundum virtutem, damnat idem Index, ac probat è Tullio, *ex virtute.* Quasi non ipsius Terentii sit Eunucho:

—— *Postquam ei mores ostendi tuos,*
Et collaudavi secundum facta, & virtutes tuas,
Impetravi.

Ac Livii est lib. X, *secundùm jus fasque. Secundum leges administrare Remp.* pro *ex legibus*, improbatur Schotto in Tullianis Quæst. Atqui Ciceronis est in Verrinis, *Secundùm arbitrium tuum testes dabo.* Pro *ex animi tui sententia.* Ac de Finibus, opponuntur ei *secundum naturam*, & *contra naturam vivere.* Sic in Topicis, *Dare possessionem secundum tabulas.*

Si damnant pro *an*, cùm sic more Græco, qui εἰ sic usurpant, loquuntur & sæpe Justinianus, sed etiam alii: Ut Horat.

Inspice si possum donata reponere lætus.

Item Tibullus:

Illa mihi referat, si nostri mutua cura est.

Imò & Terentius sic:

Idque ad eum visam, si domi est.

Ac Livius: *Percunctatum, si consilium non utile solum, sed etiam salutare admittere auribus posset.*

Singulariter aliquid expetere, Schottus improbat Tullianarum Quæst. lib. III †. Jubet verò imitari hoc Ciceronis in Rullum: *Nihil sibi Pompejus appetit præcipuè.* Sed cur non dicam quoque *singulariter appetere*: quomodo Cicero Verr. IV: *Quem ego in prætura mea singulariter dilexissem.*

† Pag. 251.

Minùs autem mirum si hodie multa sint suspecta, quæ recta sunt: quando jam Ciceronis ætate idem fiebat. Ita in quæstione tum fuit, *primùm*, *secundùm*, *tertiùm consul*; an *primò*, *secundò*, *tertiò consul* dici oporteret. Quâ de re Gellius lib. X cap. I. Satis autem mirari non possum, hæc verba Varronis in IV disciplinarum libro: *Aliud est quartò prætorem fieri, & quartùm; quòd quartò locum adsignificat, ac tres ante factos; quartum tempus adsignificat, & ter antè factum.* Sententia est, si post Titium prætor sit factus Mævius: Mævio in præturà successerit Sempronius, Sempronio Sejus: dicendum esse, primò prætorem fuisse Titium, secundò Titium, tertiò Sempronium, quartò Sejum. Sin Sejus postquam ter fuerat prætor, iterum præturam adipiscatur, dici oportere, quartum esse prætorem. Sed discrimen hoc neutiquam observatur. Promiscuè enim usurpantur in *ùm*, & *ò* exeuntia: ut *primùm*, & *primò*, Amphitry. act. V, sc. I. Ubi legas:

Omnium primùm Alcumena geminos peperit filios.

Et paullò post:

—— *Ædes primò ruere rebamur tuas.*

Terent. Eun. act. III, sc. III:

Non hercle veniam tertiò.

Quid apertiùs, quàm *tertiò* esse, quod vulgo dicunt *tertia vice*? Sic Cato *de consulatu suo. Id ego primò minus animadverti: veniunt iterum atque tertium tumultuosius.* *Primò* ait, ubi ex Varronis præscripto dicendum fuisset *primùm.* Idem Ciceronis, Livii, aliorumque locis comprobatum Grosippo, epistolâ ad Hieronymum Alexandrum. Ut dubium non sit, quin veteres promiscuè dixerint *primò*, & *primùm*, *tertiò*, & *tertiùm*, *septimò*, & *septimùm.* Ac *primo*, *tertio*, *septimo*, sunt ablativi, qui regantur à præpositione A vel IN. Nam citra ellipsin erit *à primo*, *secundove loco*, *in primo tertiove tempore*: item *in tertio loco*, atque ita in aliis. Sed *primum*, *quartum*, *sextum*, sunt accusativi: integreque fuerit *ad primum*, *quartum*, *sextum tempus.*

EPILOGUS

De triplici genere vocum malè suspectarum; primùm eo, quod aptè finxerint poëtæ: deinde illo, quod fabricarint artium ac scientiarum doctores: denique isto, quod homines intelligentes novis imposuerint rebus.

Cicero lib. I Academic. Quæst. *Dialecticorum verba nulla sunt publica: suis utuntur: & id quidem commune omnium ferè est artium.*

Ex iis, quæ fusè adeò de Nominibus, Verbis, Particulis, fallò suspectis, in medium produximus, arbitror, obscurum fore nemini, quam illorum superstitio non placeat nobis, qui omnia in prosa uno metiantur Tullio, optimo Latinæ linguæ auctore, sed non unico: ut immeritò tanquam parùm Latinum rejiciant, quicquid in eo se non offerat: quales non tam Ciceronianos, quàm Ciceroniastros, refellebamus lib. IV Oratoriarum Institutionum cap. I. Nec tamen cum his solis negotium nobis fuit: quando multa adeò immiscuimus aliis etiam temere damnata, summis sanè viris, licet hac parte humanum aliquid patientibus. Nec quia tam multa improbarint homines sæpe magni nominis, eo, in vulgi morem, ridenda nobis illorum est inscitia. Quanto enim proclivior hîc error nostro, & superiori seculo, solo barbaro natis, & eductis fuit, quàm ipsis Romuli nepotibus: quibus etiam florente Romà, sæpius contigit; ut pro deculpatis haberent, quæ idonei usurparent scriptores. Exempla ejusce rei ex variis, præsertim Tullio, ac Marone, adduximus in Arte Grammatica. Imò neque omnibus æquè hæc cura incumbit, ut nihil adferant, nisi cujus ex classicis scriptoribus idoneum adferre possint auctorem. Magna enim hîc libertas poëtis; major artium ac scientiarum doctoribus; maxima eruditione ac sapientiâ præstantibus viris in rebus novis, novo propterea vocabulo donandis. De triplici hoc vocum male suspectarum discrimine proximè agam. Ac primùm de poëticis loquar.

Alatum damnat Nizoliani Thesauri Index, etsi Maroni, Ovidio, atque aliis poëtarum, usurpatum: proque eo dicere jubet *avis*, *ales*, *volucris*; quæ apud Ciceronem. Si recta est Josephi Scaligeri emendatio, Varronis est in sexto de Lingua Latina, de foramine, quod in templo Apollinis Delphici erat, & umbilicus terrarum credebatur: *Foramen alatum est, quoddam tensaru specie.* Ut *alatum* valeat τετυπωμένον, atque pensilibus fasciis alas referens: de quo Strabo lib. IX. Sed levior hac parte est Scaligeri auctoritas, quando paullo pòst agnoscit, simplicius fore: si *ablatum*, retineatur.

Etiam rejicit *attondeo*: pro quo *depascor* vult dici. Sed sæpe ubi de pastu sermo, usi Maro, & alii poëtarum. Nec, sed aliter aliquanto, refugit Cicero, verum in carmine expresso de Græco istoc:

Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν.

Locus est in Tusc. V:

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum.

Biformis idem improbat: non puto, quia putaret minus Latinum, sed quia crederet poëticum: usi enim eo Maro, Ovidius, Columella in carmine, atque alii, in his Claudianus. Sed quod propterea præfert *biformatus*, quia hoc usus sit Cicero id nihil est. Nec enim usus isto Cicero I. Usum dixeris, quia exstat id vocabulum lib. II Tusc. Quæst. Scio: sed in carmine, neque eo Ciceronis, sed Attii, ex Sophoclis Trachiniis expresso: unde hi versus Herculis, cùm ut ait Tullius, *Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset, inhæsissetque ea visceribus:*

Hos non hostilis dextra, non terra edita
Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo.

Non igitur præstat *biformatus*, eò quòd exstet apud Ciceronem: sed quia, hoc Attii est, Maro autem, & alii melioris ævi *biformis* prætulerunt; hoc præferendum.

Boreas damnat idem Index. Et semper abstinet Cicero: credo quia vulgo non esset in usu: utpote Græcum: pro quo Romani haberent indigenam *aquilonis* vocem. Itaque & apud Agellium lib. II, cap. ult. sexies. *Aquilonem* vel *Aquilones* vocat: *Borean* nonnisi semel, idque adducturus Homeri locum, ubi Βορέης nominaret: ac tum quoque Latinum addit vocabulum. *Contrà*, inquit, *de Borea, quem Aquilonem appellamus, dicit.* Malim igitur in sermone *aquilonem* vocare. Sed *borea* non eò barbarum: cùm illo utatur omnis poëtarum chorus.

Chorea nescit Cicero: eò damnant: sed poëtis crebrum; ex quibus usi Maro, Propertius, Ovidius.

Cœpta, pro *cœptus* Nizolianus Index improbat, cùm longè illud frequentius sit; sed poëtis. Cicero enim nunquam *cœpta*: sed in IV de Fin. ait, *primos suos cœptus.* Poëtæ pro eo *cœpta prima* amant dicere. Sic *adspirate cœptis*, pro *cœptibus*, initio Metam. legas.

Contagium pro *contagio* in recto nusquam dicit Tullius: sed *contagium* est apud eum frequens. In carmine tamen quis dubitet *contagia* dicere præeunte non Lucretio modò, sed Marone etiam, & Ovidio?

Correlatum rejicere Cæsar Scaliger non audet severus satis censor sermonis Romani. Sic enim scribit commentariò in priorem, ut vocant, Aristotelis librum de Plantis*: Ut usitatè loquar, correlativus. *Quod quare non liceat Lyceo: si licere sibi voluit Romanum forum Conreum, & Contutorem.*

*Pag. 35. edit. Crispin. an. 1566.

Cretæus eidem improbatur, quia Cicero semper *Cretensis*. Sed Cretæus apud Propertium, Ovidium, Senecam Tragicum.

Dapes poëtis frequens: at Cicero eo nuspiam usus: qui semper pro illo *epulum*, vel *epulas* dicit: ac passim hoc apud alios quoque occurrit, qui prorsâ scripsere.

Decens est apud Horatium, Ovidium, Senec. Trag. Sed Cicero pro eo semper *aptum*, *conveniens*, vel simile. Apud Fabium interim est *decentior*: apud Ciceronem in II de Nat. Deor. *decentissime.* *Dedecens* non puto legi apud classicos: etsi *dedecere* sæpius dicat Tullius. Malim igitur, *quod dedecet*, vel *indecorum*.

Demano dixero exemplo Catulli:

—— Tenues sub artus
Flamma demanat.

In prosa cum Tullio *emanat* malim.

Dubitabile apud Ovidium, semel iterumque legas: sed, ut puto, non apud eos, qui prorsâ scripsere.

Formidabilis sæpius est apud Ovidium: pro quo Cicero *formidolosus*, *horribilis*, *terribilis*.

Furiatus est apud Maronem II Æn. Sed Cicero pro ea semper *furens*, aut *furibundus*.

Iris Poëtarum est, pro quo Cicero *arcus species*.

Lentare remum est Maronis; *lentare arcum*, Papinii. Oratores pro priori, *navim remis impellere*: pro altero *arcum curvare*, aut *flectere*.

Luctificus non dixero in prosa. Ajunt ipsum uti Tullium in secundo Tuscul. Quæst. Scio: sed in carmine. Senarius est iste:

Luctifica clades nostro infixa & corpori.

Ipseque Tullius satis indicat carmen id, unde hoc adducit, expressum esse ex Æschyli Prometheo Λυομένῳ: quæ tragœdia hodie quidem non exstat, sed meminere ejus Dionysius

nysius Halic. lib. I Antiq. Rom. Strabo lib. I, Arrianus lib. I Ponti Euxini; ut Grammaticos prætercam. At ipse Tullius pro *luctificus* dicere mavult *luctum afferens*.

Natatus non refugero in versu præeunte semel iterumque Claudiano: sed in prosa cum Tullio *natatio* prætulerim.

Planctus poëticum magis: *plangor* Tullianum.

Salutiferum est Ovidii, Martialis, & poëtarum aliorum. Cicero semper *salutare*.

Solamen poëtis frequens: Tullius *solatium* semper, nisi quod unum obducant locum, sed ubi in veteribus etiam libris *solatium* legatur.

Subjugo fortasse in versu dixero: quia Claudiani sit Panegyr. IV:

—— *Nulla est victoria major,*

Quàm qua confessos animo quoque subjugat hostes.

Sed in prosa longè cum Tullio malo, *subigo*, *bello domo*, *servile jugum impono*.

Tentamentum etiam poëticum est: sed Tullius pro eo *tentatio*.

Transformo est apud Maronem, ac crebrum Ovidio. Sed Cicero *converto*, vel *forma aliquâ induor*.

Transmuto est apud Lucretium lib. II, & Horatium lib. III od. XXIX. In prosa præstet cum Tullio *converto*, vel *transfero*.

Turpare dixerim in carmine exemplo Lucretii, Maronis, Horatii, Silii. At non alibi. Tullium itidem objectant, qui utatur I Tuscul. Quæst. nec cogitant verba esse incerti tragici.

Hac omnia vidi inflammari,

Priamo vi vitam evitari,

Jovis aram sanguine turpari.

At *deturpare*, etsi id nesciat Cicero, qui *inquino* mavult, non semper refugiam: eo quod sit apud Plinium lib. XV cap. XVI, & Tranquillum in Calig. cap. XXXV.

Vlcero cum Horatio in carmine dixero: sed in prosa cum Tullio *exulcero*: etsi *ulceratus* sit apud ipsum Ciceronem, *ulceratio* apud Senecam.

Vnanimis, vel *unanimus*, est apud Catullum, Maronem, Statium. In prosa cum Tullio malim *concors*, *consentiens*, *sententiis congruentes*, *unum sentientes*, *una mente*, *unaque voce*, atque aliter. Plautus interim nec *unanimitas* refugit, uti nec Livius.

SEd cùm poëtis magna sit licentia, quibus aliâ loqui linguâ est decorum: major, ut dicebam, libertas est technicis, ac philosophis; quo nomine etiam Medicos, Jurisconsultos, ac Theologos complector. His omnibus, si sic necessitas exigat, & nova licet vocabula cudere, & vetera donare nova significatione. Quippe Aristoteles ipse nova finxit vocabula, interque alia ποιότης, pro quo τὸ ποιὸν antè dicebatur, ut scribit Simplicius comment. in librum τῶν κατηγοριῶν: eodemque modo Cicero primus dicit *qualitas* lib. I Academ. Quæst. Sanè hanc potestatem concessam esse philosopho scribit & Aristoteles lib. κατηγ. cap. VII text. XVI, & cumprimis II Eth. cap. II: item Cicero III de Fin. & Seneca epist. LIX. E junioribus adi, quæ monuit Rodolphus Agricola lib. II de Inventione capite VI. Ac Scaligeri quoque est adversus Cardanum Exercitat. CCCLIX sect. II: *Mutuanda sunt quotidiana voces* (puta quæ vulgo obtinent in scholis) *ad usum abstrusarum intellectionum: qua rudibus inchoatisque ingeniis acerba sunt: delicatis atque Ciceronianis etiam ridicula.* Vide & eundem Exercit. I. sect. I. & Exercit. CCCVII sect. XX.

Multum hæc lucis accipient, si variis è disciplinis exempla adjecero.

Ut à Grammaticis initium faciam, non audio Nizolium, vel Cellarium, in Indice, qui Ciceroniano additus Thesauro; ubi respuunt *Nominativum*, ac e Tullio dicere jubent *casum rectum*. Nec item Joannem Sambucum, qui, epistolâ Strigili Frischlinianæ præmissâ, eliminari è Grammaticis jubet *declinationis*, *conjugationis*, *constructionis*, vocabula: non quia ignoraret Tullio esse usurpata: sed quia non hac significatione usus esset. Atque idem statuit de similibus artis vocabulis: quasi non licuerit Grammaticis, vocabula ad rerum naturam exprimendam usitata accommodare ad indicandam vocabulorum naturam.

Accentus est ex Græco προσῳδία ad verbum efformatum: ut Fabius agnoscit lib. I cap. X. Grammaticis est frequens. Sed Cicero aliter in Oratore: *Vocis tres omnino sunt soni; inflexus, acutus, gravis.* Et ibid. *Ipsa natura quasi modularetur orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec à postrema syllaba citra tertiam.* Iccirco Nizolius, aliusve, qui conscripsit vulgarium verborum Indicem, iisque puriora è Cicerone subjecit, rejectâ voce accentus, *sonos*, aut *voces*, jubet dicere. Sed si συμφωνία ipsi Tullio est *concentus*, cùm non προσῳδία dicatur *accentus*; ut inter Grammaticos cæteros vocat Diomedes? præsertim cum veteribus pro eo *accentiuncula* fuerit in usu? Ut enim à *cantio cantiuncula*, inde *accentiuncula*: sic à *cantus*, *accentus*, quod de verbo exprimit Græcum προσῳδία: ac melius quidem, quam generalia illa *soni*, aut *vocis*: vel alia etiam veterum: de quibus sic Agellius lib. XIII cap. VI: *Quas Graci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti, tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant.* Cùm dicit sic locutos *veteres doctos*: significat non fuisse hæc vocabula vulgo nota, sed apud eos usitata, qui tractarent artem Grammaticam, Oratoriam, aut Poëticam. Quare licet in populari argumento malim fortasse *voces*, aut *sonos*: in arte tamen tradenda præferam, vel Græcum προσῳδίας, vel Latinum *accentus*, aut *accentiuncula* vocabulum.

Composita ea verba vocare, quæ non simplicia sunt, sed ex duobus, vel pluribus conflata, mos est Grammaticis. Andreas Schottus improbat hoc in Quæst. Tullianis †, ac pro eo *juncta*, aut *vincta* jubet dicere. Equidem scio Ciceroni in I de Orat. & Sallustio in Ingurth. *composita* appellari verba ornata, & arte quadam connexa. Sed nec *juncta*, aut *vincta* minus ambiguè vocassent Grammatici. Quare non puto tanti esse, ut super eo litem iis moveamus.

† Pag. 241.

Indivisibilis igitur feram in Grammaticis. Sanè ex Scauro citat Diomedes lib. II: *Elementum est minima vis, & indivisibilis materia vocis articulata.* Malim tamen *individuus*: quod Ciceroni crebrum: inter alia in primo de Finibus: *Ille atomos quas appellat, id est, corpora individua.* Indeque *individua* apud Logicos pro re singulari.

Regimen orationis improbat & Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst. * Jubet verò pro eo dicere *consecutionem*. Nempe quia casus, & partes se mutuò consequantur: *constructionis* verò vocabulum Ciceroni de tota orationis comprehensione dicatur. Sed enim in consecutione Grammatici tum convenientiam, tum regimen attendunt, ut jure *consecutionem*, & *regimen* separent: quemadmodum satis ostensum lib. VII Artis Grammaticæ, qui est de Constructione. Hæc de Grammaticis.

* Pag. 227.

Quotuplex commenti sunt Grammatici ad eam formam, qua dicimus *simplex*, *duplex*, *triplex*. Hoc in artium scriptoribus tolerem lubens. At in epistola, oratione ac carmine, penitus averser.

Hexametrum, vel *pentametrum* non refugio in Artis libris. Sed ad populum dicturus sequar Ciceronem, cujus illud pro Archia: *Quod Epigramma in eum fecisset, alternis versibus longiusculis.* Nec enim imperiti artis vocabula cepissent.

Quæ hactenus dixi, magis ad Grammaticen Methodicam pertinent: sed sunt etiam quædam Exegeticæ magis propria, aut Criticæ, quam & ipsam veteres Grammatices fecere partem. Tale est *lectio*, quando dicunt diversas esse lectiones, aut varias in scriptore lectiones: quia variè idem locus legatur. Eo autem variè legitur, quia variè scribitur. Unde & *varientes Scripturas* possis dicere: & fortasse commodius: quia scriptura est lectionis caussa. Itidem interpretibus vulgare *textum*, sive *contextum* vocare verba scriptoris, quem interpretantur. Paullus Manutius maluit pro eo *continuationem verborum* dicere. Sic enim

enim ille in Scholiis ad Ciceronem: *Tertius est apud me liber, cujus in margine scriptum video, Q. Lepiam: cùm à continuatione verborum Ciceronis absit.* H. Stephanus in Pseudo Cicerone suo † ait potiùs se fuisse dicturum, *Cum inter Ciceronis verba non sit:* vel, *unà cum cæteris Ciceronis verbis:* vel, *Cum in ipso Ciceronis loco non sit:* vel, *Cum absit ab ipsâ verborum Ciceronis serie.* Ut hæc placent, ita Grammaticis censeo & textus vel contextus vocem concedendam. Nec ab hac sententiâ Stephanus est alienus. Cæterùm *κατ' ἐξοχὴν textus* solet dici de textu sacro, sive biblico. Ut apud Matthæum Parisium in vitâ Pauli, quartidecimi abbatis S. Albani, ubi Abbas is dicitur dedisse Ecclesiæ S. Albani *duos Textus, auro & argento, & gemmis, ornatos.*

† Pag. 96.

De Rhetoricis videamus. Nizolius ac Cellarius, nec audent uti vocabulo *Rhetorices:* sed pro eo jubent dicere, *ratio*, vel *doctrina dicendi*, *studium eloquentiæ*, *oratoria dicendi virtus*, *studium*, aut *virtus dicendi*, *facultas*, *exercitatio dicendi*, *bene dicendi scientia.* Equidem non dubitandum, quin sic Latinè vox Græca optimè reddatur. Sed nihil caussæ est, cur semper refugiamus appellationem Græcam: cùm à Græcis artes, & scientias habeamus: & in omnibus prope Græcas amemus appellationes: uti *Musice*, *Poëtice*, *Mathematice*, & aliis. Nec Ciceronis æqualis Cornificius dubitavit libros suos inscribere Rhetorica ad C. Herennium.

Inter locos communes Rhetorum est *possibile*, & *impossibile*, *δυνατὸν καὶ ἀδύνατον.* Sed pro *possibile* ait Cicero, *quòd in nostram potestatem cadit*, *quod fieri potest.* Nec tamen eò *possibile* est barbarum: cum Plauti sit Sticho:

> *Possibile est eundem stantem stanti suavium dare amicum amicæ.*

In artibus verò etiam exprimit necessitas, juxta illud Quinctiliani lib. III cap. VIII: *Meliùs ergo, qui tertiam partem fecere δυνατῶν: nostri possibile nominant: quæ ut dura videatur appellatio, sola tamen est.*

Hortatorius in Rhetorum scholis audimus. Malim tamen *hortativum*, quo usus Fabius, sed primus. Et fortassè idem non refugisset *hortatorius*, quomodo *suasorius* usurpat. Quare cum *ἀναλογία* faveat, nec hoc vocabulum aversor.

Itidem in Analyticen, & Dialecticen, quæ duæ fuere Peripateticis Logices partes, ut alibi ostendimus, Nizoliani nostri censuram sibi vindicant, sed sine philosophorum suffragio. Itaque non metuam dicere *quinque prædicabilia:* licet Tullio *prædicabile* sit *laudabile.* Ut in Tusculanis: *Nec in misera vita quicquam est prædicabile, aut gloriandum.* Movet me, quod *prædicare* non semper sit *laudare:* sed etiam laxiùs sumatur: ut in Terentiano hoc *Ita prædicant:* hoc est, *aperte*, vel publicè dicunt. Ac similiter Andr. III. I.

> —— *Actum est, siquidem hæc vera prædicat.*

Nec caussam video cur non ut Græci dicunt, *γένος*, vel *εἶδος ὑπάλληλον*, vel *εἶδος εἰδικώτατον*, Latinè liceat dicere *genera* vel *species subalterna*, *species specialissima.* Illos si audimus, pro subalternis generibus dicendum sit, quorum unum ab altero continetur, vel quorum unum alteri est genus. Item pro *specialissima specie*, ultimam, vel extremam speciem.

Quid quod Cicero in Topicis nec *species*, sed *forma* dici voluerit? Nempe quia *specierum*, & *speciebus*, non essent in usu vulgi: quod diceret *formarum* & *formis.* Quasi quæ vulgo nesciuntur, non possint obtinere in philosophorum scholis. Vidimus de istoc lib. II de Analogia cap. XIX.

Accidentia non minus dixero, quàm Græci *συμβεβηκότα.* Nec tamen ignoro, Ciceronem pro eo dicere *conjuncta*, vel *attributa.* Imò & in I de Inventione sæpius vocat *attributa.*

Categorias malim, quam *prædicamenta.* Sed potius Latino hoc utar, quàm ut, artem eam tradens, cogar semper *περιφράζειν* cum Fabio lib. III cap. VII, ubi vocat *elementa decem, circa quæ versari videtur omnis quæstio.* Imo & circumscripturus potius circuitione hac usus forem: classes eorum X, quæ de multis prædicantur: vel summa rerum genera.

Substantia displicet Schotto lib. III Tullianarum Quæst.* Præfert verò *natura*, cum Tullio, vel *essentia*, quod apud Fabium lib. III cap. VII. Ego *substantia* rectè à philosophis retineri puto, cùm natura sua latiùs pateat. Nam & sua est naturis iis, quæ substantiæ insunt: ut amori, iracundiæ, misericordiæ, invidiæ, fortitudini, continentiæ, avaritiæ, calori, frigori, atque in aliis.

* Pag. 259.

Pro *quantitas continua*, & *discreta* dicere præcipiunt *continuata*, & *devincta:* pro *relativa* item, quæ *sub eandem rationem cadunt:* vel, *quæ cum aliquo conferuntur.* Uti &, pro *relatè* malunt *comparatè.* Quasi non relatio sit vocum singularum comparatio complexarum. Sed hoc quoque improbant, quod Logici dicunt voces *complexas:* cum tralatio sit scitè petita à floribus, ac sertis.

Circumstantia vocem refugit Cicero, pro eo mavult Græcum *περίστασις:* ut in Paradoxis, & ad Att. Sed Latinum istoc usurpat Quinctilianus lib. V cap. X: nec abhorruit Agellius lib. III cap. VII, & lib. XIV cap. II, & lib. XVII cap. V.

In categoriarum *ἐπιθεωρίᾳ*, (*postprædicamenta* nuncupant) rejiciunt, quod dicitur *simul naturâ*, vel *tempore:* pro *simul naturæ ordine*, vel *ordine temporis.*

Objectum displicet iis: malunt *res objecta sensibus:* vel *quod sensibus percipitur.* Quasi in scholis sit opus *περιφράζειν*, uti apud vulgus imperitum.

Efficienter verò cur non dicam? præeunte ipso Tullio in libro de Fato: *Non sic caussa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, idem caussa sit: sed quod cuique efficienter antecedat.*

Finalis caussa noluit dicere Cicero, sed prætulit Græcum *τέλος* libris de Finibus. Sed cur eo minùs liceat uti Dialecticis, quam *quæstiones* de finibus *finales* appellat Papinianus L. II. D. fin. reg.

Immediatam caussam Logici, ac philosophi dicunt, ut Græci *ἄμεσον*, ac immediatè pro *ἀμέσως.* Cicero pro priori *proximus*, pro altero *proximè* dicit. Ajunt & Agellium in libri ult. cap. ult. ut nunc quidem se habet ordo: revera enim sunt ex operis præfatione. Vulgo autem sic adduci locus solet, etiam in Foro Romano Cælii Curionis: *Incuriosè & immediatè, ac prope subrusticè Atticas noctes inscripsimus.* Sed rectè editum *immediate ἀφροντίστως, ἀπερισκέπτως.*

Subcontrariarum propositionum nomen non incommode datum videtur. ubi illi malunt *adversis contrariæ.*

Sed neque refugerim *contrarietatis* vocabulum, quomodo Petrus Victorius Græcum *ἐναντιότητα* vertit in I Rhetor. Aristotelis. Scio, damnari ab Antonio Majoragio, commentario ad eundem scriptorem. Mihi majoris est, quod nec refugerit vel Arnobius lib. II contra Nationes, de quo etiam in Oratoriarum Institutionum opere ostendimus: vel Macrobius in Somnium Scipionis lib. II cap. XIV: *Numquam fieri potest, ut circa unam eandemque rem, uno eodemque tempore, contrarietates ad unum idemque pertinentes, eveniant.*

Converti dicuntur definitio & definitum, ut Græcis *ἀντιστρέφειν.* Majoragius † ex Tullio pro eo dici posse pariter æqualiterque respondere. Est enim ejus in Lælio: *Ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiæ pariter æqualiterque respondeat.*

† In Rhet. Arist. lib. I. cap. I.

Terminus rejiciunt. Quid, inquiunt, sic *βαρβαρίζειν* opus, cum pro eo *vocabulum*, aut *verbum* dicere liceat: Atqui cum tres esse cujusque syllogismi terminos dicimus, sane *vocabuli*, aut *verbi* vox longè aliud sonent.

Syllogismus dicam cum Fabio lib. III cap. III. Etsi Tullius id verbi nesciat, ac potiùs dicat *ratiocinatio argumenti conclusio*, atque aliter. Quibus solis iccirco utendum putat auctor Indicis sæpe memoratus.

Conditionalis syllogismus, qui Græcis *ὑποθετικός.* Pro con-

conditionale, *connexum* jubent dicere: quod apud Tullium in Academicis Quæst. Sic ille qui Nizolio indicem addidit: & Andreas Schottus lib. III Tullian. Quæst.* Sed à voce *conditionalis* non abhorrent veteres J.C. apud quos *conditionale legatum*, & *purum* apponuntur: ut L. XLI, §. 1. D. de legat. Sic *conditionaliter stipulari*. L. IX. §. qui stipulatur. D. De Solut.

* Pag. 227.

In *demonstrationis* doctrina rejiciunt, quod ἀπόδειξιν τοῦ διότι vocent *propter quid*; alteram τοῦ ὅτι, *demonstrationem*, *quod sit*. Similiter damnant, *scire propter quid*, pro quo dicere jubent, *scire rem ex caussa proxima*: item *scire quod sit*, pro quo substituunt, scire rem ex effectu, vel caussâ remota.

Feram & in Mathematicis *Circumferentia*; quod Græcè περιφέρεια. Quippe & Appuleji est Florid. libro IV; *Nec lacunarium refulgentia, nec sedilium circumferentia*. Cicero tamen pro eo maluit *Circuli extremitatem*. ut in Timæo; *Mundi* extremitas paribus à medio radiis attingitur. Nec in iisdem damnâro *Superficies*; quomodo exprimunt Græci ἐπιφάνειαν, licet præter veterum morem, a quibus Cicero, *extremitatem* & *libramentum* vocant. Sic enim ille in Lucullo; seu is Secundus seu Quartus Academicarum quæstionum sit censendus: *Punctum esse, quod magnitudinem nullam habeat: extremitatem & quasi libramentum, in quo nulla omnino crassitudo.*

Æquilaterum non improbo: quomodo iidem dicunt pro eo, quod Græcis similiter est ἰσόπλευρον. In oratione tamen vel historia aut carmine malim περιφερίζειν cum Tullio in Arateis:

Huic spatio ductum simili latus exstat utrumque.

Est & Quinctiliani: *Triangula ipsa plus æquis lateribus, quàm inæqualibus.*

A Mathesi venio ad eam quæ Philosophia propriè magis vocatur.

Contemplativa philosophia pro eo, quod Græcis θεωρητική apud Senecam habes epist. XCV.

Hæc, si cum Platonicis Mathesin προπαιδείαν potiùs, quàm παιδείας partem, censeas, φυσικὴν, & μεταφυσικὴν complectitur.

Φυσικὴν orditur Aristoteles ab VIII Ἀκροαματικῶν libris: in quorum primo agit de tribus principiis, non dico ad constitutionem rei, attamen ad generationem ejus necessariis. Horum tertium est quod Aristoteli στέρησις vocatur. Non verear cum Physicis *privationem* vertere: Aliqui tamen pro eo jubent orbationem dicere: quia sic Seneca epist. XIII: *Paupertas non per petitionem, sed per detractionem dicitur: vel, ut antiqui dixerunt, per orbationem.* Verùm orbamur iis, quæ habuimus: at στέρησις formæ est nondum receptæ, quia ubi inducta, desinit στέρησις, cum ea generationis quidem, at non compositionis principium sit Aristoteli. Sic in semine floris est privatio formæ introducendæ: ea introducta flos est. Fortasse igitur satius sit orbitatem vocare τὴν μεταφορὰν. Nam *orbitas* est conditio parentum non habentium liberos, etiamsi nullos unquam habuerint. Sed quid si & στέρησιν vocemus *vacivitatem*, quod Plauti est a *vacivo*: vel *vacuitatem*, quod à *vacuo* est apud Tullium?

Neque improbem in iisdem, quando in quincto Physicorum, id, quod ἀλλοίωσιν nuncupat Aristoteles, id *alterationem* dicunt: etsi *variationem* longè malim, quod apud Livium. At *commutatio* multò latiùs patet.

Astrologia partim ad Mathesin, partim ad Physicen pertinet; ut alibi diximus. Nomen ostendit circa sidera versari. In his planetæ. Sed vocem eam non admittunt Nizoliani: qui malunt *astrum*, *sidus*, vel *stella errans*, vel *vaga*, aut *stella*, *quæ falsò errantes vocantur*. Et sanè sic potiùs loquar, nisi artem doceam: ubi à Græca voce non abhorream, quando à Græcis hanc scientiam accepimus. Idem censeo de *poli* vel circuli *antarctici* appellatione. Nempe si verser in scientiæ ejus libris. Nam & *polus*, & circulus *antarcticus* opponitur *arctico*, ut vocat Geminus quem Proclus exscripsit. Pro arctico sic Manilius in primo:

Circulus ad Borean fulgentem sustinet Arcton.

Nam veteribus, in his Eudoxo, is circulus totam arcton continebat. Ideo Homero circulus ipse ἄρκτος vocatur. Sed de his fusiùs Scaliger ad primum Manilii. Ut verò ἀρκτικὸς, sic & ἀνταρκτικὸς vocabulum habes apud eundem Geminum. Vixit eruditissimus is scriptor Syllæ ac Ciceronis temporibus. Possis tamen & ἀντίχθονα dicere, quando apud Tullium est in Tusculanis: *Ora Australis ignota nobis, quam vocant Græci ἀντίχθονα.* Quanquam hic non de polo, vel circulo; sed omni terrâ Australi sit sermo.

Pro *circulo tropico*, qui Cancri dicitur, *solstitialem* malunt *orbem*: pro altero antè *brumalem*. Placent nomina hæc: sed num sic ut Græcum propterea *tropicorum* vocabulum damnem.

Constellatio, pro quo *situm cœli*, & *stellarum*, jubent dicere, legas apud Maternum Firmicum Math. lib. I. imò & Spartianum in Vero, Capitolinum in Vero, ac Marcellinum lib. XXIX.

Ens, & *essentia*, in Metaphysicis minùs respuam, quia apud Fabium legam lib. VIII cap. III. *Multa ex Græco formata nova, ac plurima à Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur, ut* ENS, & ESSENTIA: *quæ cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quod iniqui judices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus.* Nizoliani tamen pro eo *natura* jubent dicere. Atqui *essentia* omnium est quæ sunt: & ut *natura* dicitur, quatenus attendimus ad operationes: ita *essentia* quatenus, quid reapse extra animum est. Quæ accuratiùs distinguere Metaphysici est. Diximus hac de voce etiam lib. IV Orator. Instit. lib. IV cap. I. sect. VIII.

Itidem in Metaphysicis vox necessaria est *identitas*. At non dixero cum Matthæo Parisio: *Ne identitas in claustro acediam parturiret.* Sententia est, ne monachus, si semper remaneat in monasterio, torpescat, ac in morbum incidat.

Quod de Philosophis dictum, idem de Medicis judicandum. Imò aliqua quæ utrisque communia: ut cum plantam notissimam voce Arabica *ribes* vocant, nunc muliebri, nunc neutro genere. Matthiolus *ribesium* appellat. Eo autem neutrum refugero, quia quomodo Latinis dicatur, non constat.

At proprium medicorum verbum *phlebotomare* Latinum neget Nicolaus Erythræus, indice Virgilianô voce *Vena*. Nempe vulgo eam vocem superiorum seculorum barbarie repertam arbitrantur. Sed non tam recens est, quàm censent. Nec ad hoc comprobandum advocabo Leges Wisigothicas lib. II Tit. I L. I. ubi *phlebotomare* legas: uti *phlebotomus* in iisdem lib. II Tit. I leg. VI. imò & B. Gregorium Dialogorum lib. I cap. IV. Potior nobis Cœlius Aurelianus, medicus bene antiquus: saltem Antoninis junior non est: sæpius is pro φλεβοτομεῖν dicit *phlebotomare*. Ut lib. I acutorum morborum cap. I. *Igitur Thessalus primo libro diætetico præcepit phlebotomari in stricturam magnam venturos.* Et cap. X: *Phlebotomandi autem disciplinam.* Et cap. XII: *Phlebotomare juvenes fortes.* Et eodem: *Sæpe phlebotomari oportet.* Atque alibi passim. Interea quis elegantiæ studiosior non malit *venam secare*, vel *incidere*: eoque nec malè pro φλεβοτομία Latinè dixero *venisecium*, seu *venisicium*: nempe qua ratione *fœni sectionem* Varro & Columella fœnisecium seu fœnisicium appellant. Sed & pro φλεβοτομεῖν Latinè cum Cicerone ipso dixeris *sanguinem mittere*, aut *detrahere*. Maro in III. Georg. pro eo *ferire venam*, dixit:

Profuit incensos æstus avertere, & inter
Ima ferire pedis salientem pollice venam.

Barbaræ inque officinis obtinentes plantarum appellationes, & quomodo Latini Græcique dicere pro iis soleant, dicet Nicolaus Muttonus in iis quæ singulis Serapionis capitibus præmisit in editione Veneta anni CIↃ IↃ LII.

Idem dixero de Jurisconsultis. Quare non damnem *peremtorium*: quia Ulpianus usurpavit, & alii sic veteres Jurisconsulti. Cicero circuitione maluit, dies a prætore dictus.

Vidimus, quantum permitti debeat Grammaticis, Rhetoribus, Logicis, Mathematicis, Philosophis, Medicis, Jurisconsultis. Puto, post ista, nemo abnuet, minus Theologis licere in Ecclesiæ rebus. Ut mihi quidem Nizolius, ac Cellarius, non satis probent caussam suam, cùm *fatum* malunt, quam *prædestinatio*, aut cum damnant *prædestino*, ac substituunt *destino*, item cum pro *malum originale* jubent dicere *malum nativum*, aut *vitiositas*, aut cum *salvificum* pro *salutare* rejiciunt. Adeo & cum damnant *missa* pro *re divina*; sic vocata etiam à B. Ambrosio in Epistolis, quia λειτουργία illa fieret post catechumenorum missam, hoc est, dimissionem: quomodo & *remissam peccatorum*, pro *remissione* dixit Cyprianus. *Liberum arbitrium* nusquam dicit Tullius, etsi non refugiat *ad arbitrium suum*. Sed semper pro eo *libera voluntas*. Et sic malim extra sacrum argumentum. In sacro non verear *arbitrii* vocabulum laxiùs usurpare. Nec in eo culpâro *longanimis*, & *longaminitas*: quibus vetus interpres κατὰ λέξιν expressit μακρόθυμος, & μακροθυμία. Sunt & qui extra sacrum etiam argumentum sic nuncupent affectum, qui Græcis est πρᾳότης. Sed Latinis potiùs *lenitas* dicitur. Vidimus de isto lib. II Orator. Instit. cap. III sect. I.

Duriusculum tamen est *insensatus*: quomodo qui Græcè ἀναίσθητος, vocatur veteri Bibliorum interpreti. Nempe sic tum loquebantur; ut inde colligo, quòd eadem vox sit apud Julium Firmicum, qui temporibus claruit Constantini Magni. Sed purioris sermonis studiosus rectiùs *sensus expertem* vocârit: vel *exsensum* cum Nævio, cujus illud est in Alcestide:

Corpore pectoreque undique obeso,
Ac mente exsensa tardigenulo,
Senio oppressum.

Ubi legere malim,

Mense exsensa, tardique genulo.

Ut anapæstus sit. *Mens exsensa*, νοῦς ἀναίσθητος. *Senium tardigenulum*, quia *senibus genua labant*: ut loquitur Maro. Nempe quasi à *genula*, unde *congenulare* pro *congenuare*, apud Sisennam, teste Nonio. *Tardique genulo*, pro, *& tardigenulo*, ut *perque plicatis*, pro & *perplicatis*; *matrique cida*, pro *matricida*: ut diximus Castigationibus in veterum tragicorum fragmenta.

Etiam Theologorum est, *Christum assiduè pro nobis apud patrem intercedere*. Iidem disputant, qualis sit *intercessio* sanctorum. Interim pro *intercedere* malim *deprecari*: & pro *intercessio*, *deprecatio*, quomodo semper Cicero in argumento simili.

At eleganti tralatione dicunt *Natales* sancti martyris, pro die mortuali. Radulphus Flaviacensis ad Leviticum lib. IV cap. I: *Cùm putantur consumti* (Justi) *oriuntur, ut Luciferi. Inde est quod sanctorum obitus Natalitia vocari Ecclesiasticus usus obtinuit: quia quod sunt infanti angustia materni uteri ad hujus aëris libertatem, hoc est justis hujus conversationis ærumna ad futuræ gloriæ amplitudinem.* Similiter Haimo in Homiliis, atque alii.

Resuscito damnant, ac probant è Tullio *recreo*, *excito*, *revoco ab inferis*, *excito ab Acheronte*, *vitam restituo*, *excito à mortuis*, *reducem ab inferis sisto*. At Ovidius vocem eam non aspernatus VIII Met.

—— *Positamque resuscitat iram.*

Imò & Paullus L. Si unus. §. Sed si pactum. ff. De pactis: *Prior obligatio novo pacto resuscitatur.* Quid igitur impedit, quo minus Theologus generalem verbi significationem accommodet ad particularem illam resuscitandi à mortuis? Similiter nec damnare sustineo *resurgere à mortuis*; pro quo Nizoliani dicere præcipiunt *reviviscere*, vel *excitari ab inferis*.

Monogamus barbarum fuerit; si audimus Bellarminum lib. I de Clericis cap. XXIV: ubi negat μονόγαμον esse Græcis in usu; sed Latinis primùm cœptum usurpari. Decepit eum Calepinus; qui ait, *Græca vox est, & nulli veterum usitata.* Sed Clemens Alexandrinus lib. I Στρωματέων ne μονογαμία quidem vocem refugit. Ac *monogamum* similiter Hieronymus digamo opponit in cap. I epist. ad Titum. Et binis ante eum seculis librum de Monogamia scripsit: cujus cap. II ait: *Id matrimonium postulans, à quibus postulat, non licet habere, ab episcopo monogamo, à presbyteris, & diaconis, ejusdem sacramenti.*

Sed quia de Theologorum dictione jam loqui cœpimus, utcunque hic solum sit nobis sermo de vocabulis Latinis, quæ meliorum temporum usus Romanus ignoravit: non abs re tamen erit, si pauca adjecero de Græcis, vel Hebræis, quæ non quidem civitas Romana, attamen Ecclesiæ usus recepit. Equidem caussam non video, cur iis abstineamus, aut cur non sæpe satius sit ἑλληνίζειν, vel etiam ἑβραΐζειν, quàm cum optimis scriptoribus magis Latinè loqui. Movet me partim, quòd jam à tot seculis ea vocabula receperit Ecclesia, quicum libenter non sentio solùm, sed etiam loquor. Ac primùm in ipso Ecclesiæ vocabulo. Eo propriè *cœtus* significatur. Itaque à sciolis nostris vapulant, qui utuntur pro æde sacra, sive templo. Quid sciolos dico? Doctissimus Andreas Schottus, Tullianarum Quæst. lib. III * *Ecclesia* pro *templo*, inter sordes vulgaris sermonis reponit: proque eo dicere jubet, *templum*, vel *ædem sacram*. Nam, inquit, *Ecclesia* est ipse cœtus, quem & *concionem* dixit Tullius. Equidem nec ipse sic dicere soleo, quia nulla ad sic loquendum urget necessitas. Interea neminem culpem quia sic loquatur quin Ecclesiæ jus fuerit aliquid statuere, quomodo hanc vocem vellet usurpari. Atqui B. Hieronymi est Epist. VIII: *Alii ædificent ecclesias, vestient parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant*, &c. Ubi non aliter, quàm pro *æde sacra* accipere possumus. Pluraque exempla suggeret Burchardus Decret. lib. III, qui inscribitur De Ecclesiis. Imò & sic Græci: ut Concilium Laodicenum: Ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ τῆς ἁγιωτάτης μάρτυρος Εὐφημίας. *In sanctissima Ecclesia sanctissimæ martyris Euphemiæ.* Quid quod & gentiles pro loco usurparint? ut Lucianus cùm ait. Διαστρώσαντος τὴν ἐκκλησίαν. *cum undique stravisset ecclesiam.*

* Pag. 125.

Nec dispar ratio in aliis multis sacri argumenti sequentibus vocabulis.

Paradisus non placet Ciceronianis; sed ut extra sacrum abstinuero argumentum; ita non modò de terrestri illo Adami, sed etiam de cælesti paradiso sic loquar; idque SS. Patribus præeuntibus; qui secuti sunt Scripturas; uti hæ morem loquendi, qui obtineret apud Judæos. Nam & his [Hebrew] beatorum locus cælestis: ut ex Talm. Chagiga †, & Aruch annotavit Boxtorfius in Lexico Thalmudico.

† Fol. 14. 2.

Episcopus rejicit, ac cum Cicerone *pontifex* pro eo dicere jubet auctor Indicis Nizolio additi. Sed vox ipsa, licet non eâ significatione, apud Ciceronem est in VII ad Att. *Vult enim me Pompejus esse, quem tota hæc maritima ora habeat Episcopum, ad quem delectus, & negotii summa referatur.* Valde autem putidum sit damnare eam velle significationem, quam Spiritu S. in Verbo suo præeunte semper Græca, Latinaque Ecclesia, usurparit. Scio, Perottum scribere, vocabulo *Episcopi* non significari Pontificem. Sed jus Ecclesiæ fuit vocem præfecturæ civilis etiam in sermone Latino accommodare ad præfecturam Ecclesiæ.

Adde quòd plurimùm gravis se offerat caussa, cur cum Græcis sic Ecclesia Latina loqui mallet. Videbat enim sæpe Latinam linguam non adspirare ad ἐνέργειαν ejus vocis, quàm Spiritus S. usurpasset. Ita *synagogam* dico, non *collegium*, quia illud à congregando sit: hoc ex eo, quòd qui in eo sunt, iisdem legibus obstringantur. Item *angelum* malim, quam *genium*. Quod vocabulum ancipitis, ac multiplicis est potestatis. *Baptismum* similiter, quàm *lotionem* malim: etsi *sacrum lavacrum* non respuam. *Eleëmosynam* etiam dixero, non *stipem*, & *benignitatem*: quæ latiùs patent: Uti nec *simulatoris* vox satis expri-

primit Græcum è N. T. *hypocrita*: item *idola* dicam, non voce novâ *deastros*; & similiter in aliis. Neque nominibus modò, sed etiam verbis. *Blasphemare* enim non refugiam, postquam Vetus N. T. interpres sic reddidit Græcum βλασφημεῖν. Sanè Ecclesiæ usus Latinum fecit. Castellio tamen maluit *impiè loqui*. Sed hoc latiùs patet. Retinent & Galli, qui dicunt *blasphemer*, & κτ̀ συγκοπὴν *blasmer*: quæ tamen sic distinguunt, ut *blasphemer* dicant de Deo, *blasmer*, (unde Belgicum *blame*) de homine. Sed βλασφημεῖν generale est, ut ostendit origo: cum significet βλάπτειν τ̀ φήμην. Nimirum non displicet prorsus illud Joannis Altensteigii in præfatione Lexici sui Theologici: *Satis habet venustatis sermo Theologicus, etiam ubi vilibus verborum panniculis operitur: quemadmodum veritatem, dum de terra orta est, non auro, vel sericis sed panniculis, Virgo-Mater involvit, ut dicebat Gerson*. Interim major est Theologis libertas, magis sollicitis de rebus optimis ac maximis, quam vocum splendore. Quare mediam insistendum viam. Nec enim vel eos probamus, qui sola imperitia, tanquam sanctimonia suffulti erudito hoc seculo quidvis quovis modo eructant: nec eos, quibus solus penè ex interpretibus Castalio placet. Scio, Conradum Rittershusium in 11 ἀλιευτικ. Oppiani conqueri, quod vir bonus nimis acerbè acceptus sit à μέγα πνέοντι. Super quo non reciprocabo serram: nec eorum litem faciam meam. Attamen, non si alii in culpanda Castalionis tralatione excesserint modum, eo Castalio in novando tenuerit modum. Nimirum nostra hæc sententia est, esse quæ laudari, esse quæ culpari mereantur; eoque judicio hic opus esse, ne vel amore viri albâ omnia lineâ signemus, vel odio ejus optimè dicta in deteriorem rapiamus partem.

Atque hæc de technicis, ac scientiarum, etiam sacræ, propriis.

Denique maximam libertatem concedebamus sapienti cuique in novo nomine rei novæ faciendæ. Sunt verò hujusmodi vocabula duûm generum. Est eùm barbarum vocabulum tantummodo flexu donatur Latino: ut in *abbatissa, nonna, bulga, lancea*; de quibus superioris libri cap. 11, & sequentibus quinque diximus. Est item, cùm ex vocibus Latinis, aut Græcis, ἀναλόγως aliæ sunt derivatæ, aut compositæ: ex quibus paucas subjecimus.

Cancellarium non averser. Aptè enim nomen id datum ei, qui esset principi à cancellis, per quos, ob negotiorum & compellantium multitudinem à populo compellaretur. Unde Erricus monachus lib. VI de vitâ S. Germani, de Volusiano loquens:

—— *A cancellis prisco de more minister*.

Et ante eum multò hunc Cassiodoro, & aliis, propterea dicitur *à cancellis*, vel *cancellos agere*. Ut non dubium sit, quin vera hæc sit vocabuli origo: non à *cancellando*, hoc est, *delendo*: etsi id magnus Turnebus in Adversariis putârit lib. 1. cap. XXV. & ante eum Budæus annot. prior. in Pandect. Qui & addit, ipsam *cancellandi* vocem vix esse Latinam. Usi tamen ea non solùm Flavius Vopiscus, & Justinianus, sed etiam Ulpianus, Paullus, & Scævola.

Nec *Compater* respuere ausim: quia in re antiquis ignotâ nova fuit conformanda vox ad exemplum eorum, quæ antiqui reliquerant. Hac de re lib. III abunde dictum.

In talibus curandum ne ἀναλογίαν negligamus. In quo peccant, qui *typographiam* dicunt pro officina typographica. Sanè ut a ζωγράφος, quod *pictorem* significat, tum ζωγραφία est, quod *picturam* notat; tum ζωγραφεῖον, quo signatur *officina pictoris*: sic à τυπογράφος τυπογραφίαν & τυπογραφεῖον dicere licebit: sed illud significabit, quod typis expressum est, hoc verò typographi officinam.

Imò ἀναλογίαν, similiaque in iis etiam quæ aliunde accepta, attendere oportet. Eoque nummi aurei genus, quod *ducatum* vulgò dicimus, satius sit *ducatonem* nominare, partim quia *ducato* dicant Itali, unde vocem habemus: partim ad vitandam ambiguitatem. Nam Curtio, & aliis, *ducatus* est præfectura.

A Gallico tamen *notaire* nihil caussæ video, cur non Latinum *notarium* formemus. Scio Latinis veteribus sic vocatum τ̀ ταχυγράφον: de quo Seneca epist. XCI, item Martialis lib. XIV ep. CCVIII. Ausonius epig. CXXXVI, ac Manilius quoque in IV:

Quique notas linguam superet, cursumque loquentis.

Sed nihil nunc periculi est ab ambiguitate ulla vocabuli: postquam veterum notarii desierunt: & omnino voce aliquâ in re novâ opus est. Neque enim veteres id munus habuerunt; ut nobiscum agnoscit Alciatus lib. VIII Παρέργων Juris cap. XIX. *Archinotarius* tamen non lubens dixero, etsi non sit deterius, quem *archigubernum* apud Jabolenum.

Apud veteres servi coquebant: itaque tantum *coquus* apud eos legas. Apud Batavos, & plerasque alias gentes solùm famulatum hæc opera est. Cur igitur non *coquas* liceat vocare? Eadem de caussâ & Romani tantum dixere *promum condum*: nos dicere etiam possumus *promam condam*, idque Græcorum exemplo, qui à masc. ταμίας (id *promum condum* significat) formant femininum ἡ ταμίς. At non ut *œconomum*, sic *œconomam* dicam. Latinum enim suppetit *gubernatrix rerum domesticarum*, vel *rei familiaris dispensatrix*. At longè aliter *coquæ* vocabulo usus Guillermus de Nangis in Gestis Philippi Regis, ubi jungit *galearum, & coquarum vehicula*. Significat naves longas, & lintres. De galea diximus supra hoc libro. *Coqua* vero linter ex Gallico *coque*, quod *concham*, vel *testam* signat.

Nec improbo *accubitum*, pro opere illo plumâ farto, quo usi, postquam lectuli tricliniares in desuetudinem venirent. Sic voce eâ usi. Lampridius in Commodo, Paullus Diaconus in Leone Commodo, Aponius ad Cantica lib. III. Rem fuisse veteribus Romanis incognitam, eoque novo nomine, vel novâ sanè veteris nominis significatione, fuisse opus, cognoscimus etiam ex veteri Juvenalis scholiaste sat. V: *Apud veteres accubitorum usus non erat; sed in lectulis discumbentes manducabant*. Unde refellere est Gretzerum comment. in Codinum: ubi censet *accubita*, & *lectos tricliniares* esse eosdem. Quod *accubitum* diximus, *reclinatorium* vocat Wilramus Abbas ad Cantica Cant. cap. II: *Prospicis illum in reclinatoriis accumbentem, seque inclinantem ad eos, quos collocutione suâ dignatur*. Nempe ad verbum expressit Græcum ἀνακλιντήρια. Onomast. Vet. *Accubitum*, ἀνακλιντήριον. Sed & Græci posteriores ἀκκούβιτον, ut ex Synodo Laodicena, Codino, Suida, atque aliis, in Meursiano optimæ frugis Glossario videre est. Res etiam nova erat quam *arcubusium* dixere, quia esset arcus cavus. Nempe ex *arco*, quod Italicum ex Latino *arcus*: & *buca*, quod iisdem foramen. Etiam inter nova reperta fuit *cattus*, vel *gattus*, machina bellica sic dicta ex Germanico *catte*, vel Italico *catto*. Florentinus Monachus de expugnat. Accon.

Nostri turres ligneas facere cœpere,
Gattos, & arietes fieri jussere.

Chronicon quoddam Leodicense ad an. ƆIƆCCXIII: *Episcopus misit Leodium mangonalia, seu fustibula, sive tribuceta, vel arietes, aut sues, vineas, biblias petrarias, sive cattos versatiles, nescio qua ex his ingeniis, in signum quod intendebat castra solo aquare*. Ubi videmus & *tribuceta* ex Gallico *trebuchetz*: & sues, quia instrumento hoc muros perfoderent, ut rostro sus terram: & *petrarias*, quos Græci πετροβόλους.

Labarum Imperatoris, vel Regis totiusque Imperatoris sacrum erat vexillum. Id describit Eusebius lib. I de vita Constantini Magni. Eam vocem minimè averser, non Græcos modò inferioris ævi, in his Sozomenum lib. I cap. IV, secutus; sed & Latinos, inque iis Jonam Aurelianensem de cultu Imaginum lib. II. Itali, quia carro sive currui imponeretur *carrocium* vocant: quibuscum nec loqui dubitavit Carolus Sigonius in Friderico I. Germani, uti & Angli, *standardum* nuncupant. Sed *labarum*

rum malim, quia obtinuit hæc vox ſtante imperio Romano.

E verbis etiam exemplum dabimus. *Vitreare* vulgo nuncupant, quando in figlinis penicillo ollas quaſi vitro incruſtant, quo ſolidiores ſint, nec humorem imbibant. Examuſſim hoc exprimit Belgicum *verglaeſſen:* quod itidem à *glas*, id eſt, vitro. Quamquam nec pedem cum eo ſtruere velim, qui hoc *incruſtare* vocet, vel etiam *loricare:* quomodo dicere jubet Nicolaus Erythræus in Indice Virgiliano, voce *Vitreis*.

Quæ diximus, ad civilem vel militarem uſum pertinent. Nec putandum munus eſſe juris conceſſum in iis, quæ Eccleſia induxit: ut in ſacris veſtibus. *Humerale* igitur non refugiam pro veſte ea in ſacris, quæ Græcis τὸ ὠμοφόριον. Hildebertus De officio Miſſæ:

—— Scapulas humerale tegebat
Præſulis intrantis interiora ſacri.

Orarium verò tam ad uſum profanum, quam ſacrum. In profano idem erat ac ſudarium: vel muccinium: nempe quo mucus, ac ſudor abſtergetur. Χειρόμακτρον Græci dixere: unde Iſidorus in Gloſſis: *Manuale, orarium*. Nomen ab *ore*. Vide Caſaubonum ad Vopiſcum. At in ſacro officio quid ſit, & unde dicatur, oſtendit Alcuinus de divinis officiis cap. XXXIX: *Orarium ſtola dicitur, eo, quod oratoribus, hoc eſt prædicatoribus concedatur.* Uſus Ambroſius orat. funebri de obitu Satyri, & Paulinus in vita Ambroſii. In humero ſiniſtro à ſacerdote, ac diacono ferebatur: ut ex Chryſoſtomi Liturgia, ac Simeone Theſſalonicenſi conſtat. Figuram diaconi id geſtantis initio Gregoræ apposuit Hier. Wolfius. Utuntur ὠραρίου voce etiam Græci: ut Codinus, item Germanus in Hiſt. Eccleſ. ac apud Heſychium etiam habes in [illegible]. Ideo Matthæus Blaſtares in Synopſi Conciliorum putabat eſſe ab ὡρεῖν, hoc eſt, *cuſtodio; obſervo*. Sed veriſimilius cenſeo, Græcos hanc vocem, ut alias innumeras, à Latinis accepiſſe.

Parem eſſe rationem cenſeo in Eccleſiæ inſtrumentis, uti *campana*, *nolaque:* quæ civili uſui, & ſacro inſerviunt. Nomen datum illi à Campania, huic à Campaniæ civitate Nola: cujus Epiſcopus Paullinus, B. Hieronymi tempore, & hanc, & illam, reperit: non quaſi non antè tintinnabulis, & pulſatione *pelvium*, (unde Belgicum *belle*) uti ſoleant, ſed quoniam Nolanus hic Epiſcopus primus majoris fecerit molis, & ad convocandum populum Chriſtianum iis uſus ſit. Ad Græcos verò is uſus demum pervenit anno IↃCCCLXXIV. quando Veneti Baſilio Imperatori duodenas magni ponderis & artificii campanas dono miſerunt. Cujus rei, quia nunc antiquior mihi auctor non occurrit, contentus ero advocare Sabellicum Ennead. IX lib. I. A *campana* apud Cæſarium Heiſterbachenſem, qui ante annos claruit quadringentos, in Memorabilium Hiſtoriâ tum *campanarius* legas, pro eo, qui campanas impellit, tum *campanile* pro turri in quâ ſuſpenditur campana.

FINIS LIB. VII.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII DE VITIIS SERMONIS, FALSOQUE SUSPECTIS, LIBER VIII.

Qui est de vocibus Latinis falsæ significationis suspectis.

DE NOMINIBUS.

ABsolvi de priori genere, ubi vox ipsa falsò est suspecta barbarismi. Ad alterum genus venio, ubi constat vocem esse Latinis auribus notam, sed controversia est de significatione, quæ falsa immeritò judicatur.

A.

A*Bstinentia* pro *jejunio* improbatur ab Andrea Schotto in tertio Tullianarum Quæstionum. Rationem addit, quia Ciceroni *abstinens* sit, qui manus ab alieno abstinet, ac *rapax* ei opponatur. Sed pro altera significatione est Plinius lib. xxv cap. v, ubi legas, *abstinentia vini, & cœna.* Est & Fabii libro 11 capite xvii: *Abstinentia mitigare febrem.*

Acta, & *gesta*, sic distinguunt, quod *acta* sint Senatus, vel populi: *gesta* Imperatoris. Unde dicamus gesta Alexandri, non acta: acta curiæ supremæ, vel etiam Apostolorum, non gesta. Sed *gestorum* vocabulum latiùs patere, indicant hæc ex edicto Prætoris*: *Quod cum minore, quam xxv annis, natu gestum esse diceretur:* ubi Ulpianus gestum interpretatur, qualiter qualiter actum; sive contractus sit, sive quid aliud contigit. Unde etiam refellitur discrimen Antistii Labeonis †: cui Actum est, quicquid agitur, aut rei, ut numeratione pecuniæ; aut verbis, ut stipulatione: Gestum autem significat rem sine verbis gestam.

* D. De minor. l. 7.

† D. De verbor. signif. l. 19.

Actuarias naves legimus apud Livium lib. xxv. Sed quæritur an & scriptores sic dicantur. *Actarios* quidam, non *actuarias* dicendum putant, quia sit ab actis, non ab actibus. Et ita sanè vetus lapis:

IMP. CAESARI
M. AVREL. ANTO
NINO. PIO. FELICI. AVG
PARTHIC. MAX. BRIT. MAX
GERMAN. MAX. PONTIF. MAX
TRIB. POT. XVIIII. COS. IIII. IMP. III.
P. P. PROC
EQVITES. IN. HIS. ACTARIVS
LEG. VII. GEM. ANT. P. FEL
DEVOTI. NVMINI. MAIESTA
+Q.. EIVS.

Actuarius tamen non damno, cùm ita in Mss & optimis quibusque editionibus legatur. Vetus quoque glossarium habet, ὑπομνηματογράφος, *actuarius, memoralius.* Ut quemadmodum ab *actorum* voce *actarios*, ita ab *actuum* vocabulo *actuarios* nominârint. Itaque & Valla libro 1, cap. xxi simile esse ait *saltuarius* & *fructuarius.* Sanè *actus Apostolicos* & *actibus Apostolicis* est apud Cyprianum epist. lxxv. Rufinum in Symbolo. Augustinum libro 11 de Civitate Dei, cap. xix. & tractatu vi in Joannem. Jam olim autem non convenisse hac de voce inter Grammaticos, ostendunt verba isthæc Velii Longi: *Hinc nascuntur etiam diversarum significationum quæstiones; Actarios an Actuarios & dicere & scribere debeamus, cùm actuarios canes quidem ab actu appellemus, actarios verò scriptores actorum: nec non & eum qui actum agit, actuarium vocari voluerunt.* Hæc Longus. Etiam ex Velio his verbis refert Cassiodorus in Collectaneis de Orthographiâ: *Actuarii verò & Actarii utrumque dicitur. Sed Actuarii nuncupantur, diversis actibus generaliter occupati; Actarii verò, scriptores tantùm dicuntur actorum.* Ac eadem legas apud Bedam de Orthographiâ. Sed Velii sententia refellitur iis, quæ ante attulimus: item Seneca ad Lucilium & Suetonio in Augusto; qui eos, à quibus dicentium orationes notis exciperentur, *Actuarios* appellant.

Æger, inquiunt, animus, corpus dicitur ægrotum. Quasi non ipsius Terentii sit: *Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.*

Alumnus de eo qui alterum alit. Quomodo dici posse, negat Valla lib. vi Elegant. cap. 1. eumque sequitur Doletus. Ac Nonium Marcellum culpant, quod activam quoque significationem ei tribuat: ut qui alumnos etiam notare illos dicat, *qui alunt:* prout editum est in Mediolanensi anni 1500. & Veneta Aldi. Atque ita quoque apud Nonium legit Junianus Majus. Ubi pro *alunt*, *aluntur* repositum est in ea, quam Hadrianus Junius, & Gothofredus, recensuerunt, sed ineptè. Nam quorsum istic disjunctiva: *Alumnos consuetudo quos alas, vel educes, vel eos qui aluntur, dici vult.* Igitur planè putavit Nonius etiam de alentibus dici. Nec rectè propterea reprehenditur à Valla vel Doleto: utcunque nullo locorum, quos attulit Nonius, id evincere sit. Nam Appulejus in Apologia terram vocat hominum alumnam, ac Festus Avienus in Arateis de Nilo agens undam ejus alumnam appellat. Etiam Silii est lib. ix:

Non Teucros delere aderam, sed lumen alumna
Hannibalem Libya, pelli florentibus armis
Vitâ, atque exstingui primordia tanta negabam.

Ubi verisimilius videtur, Libyam dici alumnam Annibalis, quia ut eum produxerat, ita aluerat, sive educarat. Et similiter Virgilius, vel alius, in Ciri:

—— Nec & illa quidem communis alumna
Omnibus injecta tellus tumulabit arena.

Quo loco etiam adversus Nonium pugnat Janus Parrhasius

in Claudiani secundum de raptu Proserpinæ, vers. isto:

Cæruleumque sinus roseum radiatur alumnis.

Sed non sat fiduciæ in istoc loco visum Josepho Scaligero. Sic enim ad eum annotavit: *Si vera esset hæc lectio, non frustra dixisset Nonius, Alumnam etiam ἀντὶ τοῦ τροφοῦ usurpari à veteribus. Quod tamen ex illis testimoniis, quæ ille produxit, confirmari non posset. Sed suspicor emendatius lectum iri:*

—— Nec & illa quidem communis alumnis
Omnibus. ——

Tamen nihil temere affirmamus. Videmus, quàm dubie loquatur Scaliger. Alii alio loco tuentur significationem activam. Ut quod Tacitus, sive alius, libro de Caussis corruptæ eloquentiæ dicat: *Est magna ista, & notabilis eloquentia, alumna licentiæ, quam stulti libertatem vocant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum.* Imò & Plinii sit libro III capite V: *Terra omnium terrarum alumna, eadem & parens numine Deum electa.* Sed quod ad Plinii locum attinet, fortassè voluit dicere, Italiam a Sicilia, Ægypto, terrisque cæteris ali, regionibus cunctis, cuncta quæ habent, eo summittentibus: ac nihilominus eam potius parentem terrarum omnium dicendam quia paterna eas cura feliciter gubernet, ac tueatur. Nec apertum nimis negotium de Taciti loco, quando sanguisuga illa eloquentia & à licentia provenit, & eandem alit, atque auget. Pro Nonio etiam adfertur, quod Jupiter sit dictus alumnus, quia alit mortales: ut est apud B. Augustinum lib. VII de Civit. Dei capite XI. Sed in quibusdam libris est *alinum*, ut Augustinus *almum* scripsisse videatur. Ac mavult id Vives: & caussam addit: *alumnus*, inquit, *non facile est is, qui alit, quod quidam putant.* Et sanè Lambinus etiam in epistola quadam ad Muretum pertendit, nunquam *alumnum* dici pro *nutritore*. Adversatur interim Delrio, & à se stare ait Jurisconsultos, Accursium, Decium Aldobrandinum, & cæteros: *quos nimis contemtim, ut ait, Grammatici barbaros appellant.* Vellem loca apposuisset veterum Jurisconsultorum. Nam quæ adduci ab aliis video, non videntur id exposcere. Vult Delrio, cum Nonio, ut socius est socii socius, sic alumnum esse alumni alumnum. Sed contra nutritorem & nutricem, esse alumni nutritorem & nutricem, & contra, Servii videtur esse sententia: si attendas hæc ejus verba in XI Æn. *Alumnus est, qui Græce τρόφιμος dicitur: quod nomen quia in Latinitate non est, ut ab eo, quod est nutritor, inveniamus eum, qui est nutritus, transiit ad nomen aliud, & alumnum dixit.* Saltem nihil apud ullum Augustæi, & proximi ævi scriptorem reperio, ubi necesse habeamus sumere activè. Ac in Glossis Philoxeni exponitur *alumnus*, οἰκοτραφὴς τρόφιμος, θρεπτήρ. Ubi sola vox τρόφιμος activè possit sumi: sed crebrò ea capitur passivè: nec aliter hic sumenda videtur. Inque glossis Cyrilli est: Τροφός, *nutritor, educator, altor, nutricius.* Vocabulum *alumni* videmus præteriri. Mox etiam sequitur, τρόφιμος, ὁ τραφείς, *alumnus, nutricius:* prout habet Stephanica editio, & altera Bon. Vulcanii. Sed puto τραφεὶς, hoc est, *nutrium* legendum. Nec quia junguntur *alumnus*, & *nutricius*, necessariò putandum, promiscuè sumsisse: sed fortassè quia τρόφιμος nunc sumitur activè, nunc passivè, eo tum *nutricius* exposuit, quomodo Cæsari, & Columellæ dicitur, qui nutrit: tum *alumnus*, quod si non semper, plurimùm saltem, optimis ac antiquissimis quibusque τὸν τραφέντα significat.

Asseris, & *assis* vocabula vulgo confundi videas: cum *asses* sint sectiles tabellæ, sive planeæ; uti illæ, quibus interdum tecta, scandularum vice teguntur: ac pavimentum etiam constare solet, lapidum loco: quomodo Columella lib. VI cap. XIX: *Roboreis assibus compingitur solum:* indeque eidem *assiculus*, ubi vulgo *axiculus*. At asseres sunt oblongi, trientali fere crassitie, hoc est quatuor undique pollicum, sic, Festo teste, nuncupati, quod assideant trabibus ac parieti. Gloss. *Asseres*, δοκίδες. Horum in bello etiam usus, Livius lib. X: *Postremo asseres ferreo unco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis navibus injici in Romanos cœpti.*

Auctorem, pro scriptore, rectè dici, negat Paullus Manutius Commentariis in epistolas Ciceronis ad Familiares. Nempe vult esse ὁ τ πράξ[illegible]: unde dicimus, aliquem pacis, vel alius rei esse auctorem. Sed alterum quoque locutionis genus rectum est. Nam Ciceronis est in secundo de Officiis: *Apud Homerum, optimum auctorem, nulla talis est de Ulysse suspicio.* Ac Ennius eidem orat. pro Murena vocatur *poëta ingeniosus, & auctor valde bonus.* Similiterque alibi loquitur de Aristotele, Polybio, aliis. Etiam Livii est lib. XXIX: Quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero inter auctores discrepat. Item lib. XXX: *Hunc regem* (de Syphace sermo est) *in triumpho ductum, Polybius, haudquaquam spernendus auctor, tradit.* Ac similiter Tacitus libro de Germania: *Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum divus Julius tradit.* Respicit verò, quæ de Gallorum virtute scripserat Cæsar in sexto de bello Gallico. Nempe auctor generatim, qui aliquid condit. Unde Severus Sulpicius lib. I Hist. Sacr. *Cain filium Enoch habuit, à quo primum civitas condita est, auctoris nomine vocitata est.* Valde autem fallitur doctissimus Joannes Drusius, cùm ad eum Sulpicii locum annotavit, similiter dicere Ciceronem: *Præclarus iste auctor suæ civitatis.* Locus est oratione pro Flacco: quam qui legerit, dubitare nequit, quin de Asclepiade sit sermo: is legatus dicebatur civitatis Æmonensis, vel potius Acmonensis, hoc est, τῶν Ακμονέων, ut in nummis vett. ea civitas dicitur. Hic testis contra L. Flaccum productus: quasi (ut ante dixerat Cicero) *vir iste civitatis nomen sua auctoritate sustineret.* Atqui nihil illo vanius & nequius. Unde Ciceroni εἰρωνικῶς vocatur *præclarus auctor suæ civitatis:* hoc est, testis, cujus gravissima scilicet auctoritate judices possent commoveri, ut Flaccum damnarent innocentem. Hæc fusius paullo addidi, ut juventus, ubi videt, etiam viros præclari nominis vehementer falli, dum ex lexicis vel indicibus sapiunt, scriptoribus ipsis non lectis, semper adeat fontes, nec judicium ferat nisi argumento & mente scriptoris penitus perspectâ.

Auditorium putabat Valla tantùm esse ludimagistrorum. Julius tamen Paullus Tit. de rebus creditis usurpat de loco in quo caussæ agebantur. *Lecta*, inquit, *est in auditorio Æmilii Papiniani, præfecti prætorio, Jurisconsulti cautio.* Plinius quoque usurpat lib. VI de iis, qui in foro audiret. Uti & Vitruvius voce *acroasis*. Polletum vide lib. I de foro Rom. cap. IV.

Avellanam quidam pro arbore accipi negant. Volunt enim *avellanam*, & *corylum* differre, ut *glandem*, & *quercum*. Sed vide, an non adversetur hoc Servii in illud Maronis II Georg. *Plantis & duræ coryli nascuntur:* hunc in modum commentatus: *Duras dixit non ad lignum, sed ad fructum ipsarum referens; alii eduræ legunt, quasi non duræ: ut paullo post, enodes trunci, id est sine nodis; ut e modò minuentis, non augentis habeat significationem. Sane coryli propriè dicuntur, nam avellanæ ab Avellano Campaniæ oppido, ubi abundant nominatæ sunt.*

C.

C*Astores*, pro Διοσκούροις, sive Castore & Polluce, immeritò damnant Actor. cap. XXVIII. Nam sic non modò Ecclesiastici scriptores, (ut Arnobius, eoque antiquior Minutius Felix in Octavio, *Castores alternis moriuntur*) sed etiam Trebellius Pollio in Valerian. imò cujus merito potior auctoritas, Plinius lib. II cap. XXXVII.

Colloquium pro sermone, qui Græcis διάλογος, displicet Andreæ Schotto lib. III Tull. Qu.* Sed ipsius est Ciceronis in Antonium: *Colloquia amicorum absentium, literæ.* Et in Catone: *Cum hostibus colloquia clandestina.* Atque alibi sæpe.

* Pag. 257.

Colonia cum pro coloni habitatione ac conductione dixisset Paullus JC. Alciatus id excusare maluit tanquam minùs Latinum, quàm tueri ut probum. At ita locuti Plautus

Epi-

Epidico, & Ausonius epist. ad Theonem: ut ostendit Scipio Gentilis lib. I Παρέργ. cap. XXXVI.

Competens judex, ex quorundam sententia, minus Latinum: dicendumque, *suus ac legitimus judex*. Sic etiam pro isto, *objicit incompetentiam judicis*, dicere jubent, *non esse sui judicis disceptationem*. Sed & alterum esse rectum docet hoc Ulpiani L. Cum quædam puella. D. De jurisdictione omnium judicum: *Cum quadam puella apud competentem judicem litem susceperit*, &c. Sic *competens tribunal* apud eundem L. Sed & hæ §. Non solum. D. De Procuratoribus.

Complexus passivè dici negat Indicis Nizoliani auctor. Itaque dici jubet conjuncta. Sed Ciceronis est pro Roscio Amerino: *Scelestum facinus, atque ejusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.*

Confessus eidem Nizoliani Thesauri indici rejicitur significatione passiva: quasi non in confesso sit sæpius *confessus* accipi ab optimis scriptoribus, pro manifesto certoque: etiam Tullio, ac imprimis Fabio, ut mittam alios. Imo Agellio quoque lib. XV cap. XIII observatum in XII Tabb. *aris confessi* dici, pro eo, *de quo facta est confessio*.

Congruus apud Claudianum reperio primo in Rufinum: cujus est *congrua tempora*. Unde vulgo *congrua oratio*, quæ Grammaticis est præceptis consectanea. Imò & vulgo *congruos* dicunt, quorum oratio est istiusmodi: unde Janus Duza, facete quendam ridens:

Quo neque vel congrus congruus esse potest.

Sanè Cicero pro *congruus* semper dicit *congruens*: nec arbitror vel Ciceronis ævo, vel altero pòst, quemquam aliter locutum. Quare parum abest, quin in barbarorum numero reponam. Saltem de illo non dubitandum quin barbarè dicatur aliquis needum esse congruus, qui in canonas Artis impingat: utcumque perfamiliaris is sermo sit multis, qui eruditi habentur.

Contractus de translatione in mercimoniis, & similibus, negat dici conditor Indicis Nizoliano additi Thesauro. Sed Quinctiliani est lib. IV: *Dicam quæ acta sunt ante ipsum rei contractum: dicam, quæ in re ipsa: dicam, quæ postea.* Pædius quoque sic: *Nullus est contractus, nulla obligatio quæ non habeat in se conventionem, sive re, sive verbis fiat.* Et sanè Ciceronis est *contrahere cum aliquo: in omni re contrahenda æquum & facilem esse: rerum contractarum fides.*

Conventio de congregatione hominum non dixero; sed *conventus*; quam significationem agnoscit Festus, & frequens ea Tullio. *Conventio* verò dicam in pactis; ut cùm sermo de dictis, conventisque. Sic Ulpianus usus L. I de Pactis, & Pœdius verbis proximè allatis.

Creditum quod Jurisconsulti etiam in Digestis vocant, *pecuniam creditam* idem Index nominare jubet cum Tullio oratione de provinciis consularibus, & Pisoniana. Sed etiam *creditum* substantivè dicunt Seneca lib. II de beneficiis, Quinctil. lib. V cap. X, Suetonius in Claudio cap. XVI.

D.

DEbilem negant rectè usurpari pro *infirmo*: quia neutiquam tam latè pateat. Nec nihil est, quod pro se adferunt. Nam *debilis* quasi *dehabilis* dicitur. Est igitur id nomen ab habitudine. Ea verò læditur multifariam. Præcipuè tamen siquis fuerit mutilus. Qualis est mancus: utcunque Belgæ κατὰχρηστικῶς nomen id accommodent iis, qui sunt ægri pedibus: ut qui ita linguâ suâ appellent claudos. Sed *mancus* ita à manibus dicitur: proque eo Tacitus in IV Histor. dicit, *manibus æger*. *Debilis* igitur generalius est: nempe qui Belgis *onbequam ende gebreckelik*; ac quia generalius est quam *mancus*, cum eo conjungi solet: ut in Miloniana, & pro Rabirio, perduellionis reo, atque alibi. Atque hanc potissimam, & maximè propriam esse *debilis* significationem, non possumus diffiteri. Sic *debiles sacris*, &, Augusti edicto, Senatu quoque prohibentur: ut est apud Plin. lib. VIII cap. XLV. M. Senecæ etiam est lib. IV Controvers. II: *Sacerdos non integri corporis, quasi mali ominis res vitanda est. Hoc in victimis notatur: quanto magis in sacerdotibus!* Sed qui propterea existimet, non alium esse *debilem* vocandum, quàm qui *mancus* sit, vel *claudus*: næ ille plurimùm aberret. Nam universè *debilis*, & *firmus*, opponuntur apud Tullium pro Muræna. Eidem pro Milone *vires equitum debiles* dicantur. Senes etiam debiles vocentur pro Sestio, & Philipp. VIII: ut id genus alia prætercam.

Desertum pro loco deserto Tullianum quidem non est, unde & damnant: verum Maronis est, I lib. Æneid. versu 388.

—— Libya deserta peragro.

Dimidium librum legi, aut *dimidiam fabulam audivi*, pro *dimidiatum librum*, aut *dimidiatam fabulam*, perperam dici existimabat Varro: ut est apud Agellium lib. III Noct. Att. cap. XIV. Ubi similiter de isto, & similibus, differentem adi. Sed discrimen inter *dimidius*, & *dimidiatus*, ab Agellio allatum non est perpetuum: neque Plinio, aut Martiali, vel Tullio ipsi observatum. Qua de re fusè Goclenius lib. IV problematum Grammaticorum quæst. V.

Duo pro *ambo* dici posse, comprobat hic Ciceronis locus epist. VI lib. IX ad Atticum: *Hic numerus est hominum, millia* XXX, *& consules duo, & Tribuni Pleb. & Senatores, qui fuerunt cum eo* (Pompejo) *omnes cum uxoribus, & liberis.*

E.

ELenchum negat H. Stephanus rectè dici pro *indice*. At Nicol. Rigaltius ad Phædrum lib. III fab. LI rectè usurpari dicit: imò *margaritas*, sive *uniones*, vocari Latinis elenchos propter proceram, & figuram indicis instar subjectam. Margaritis verò rectè dari elenchorum nomen, fidem fecerit Plinii illud lib. IX cap. XXXIII: *Procerioribus* (margaritis) *sua gratia est: elenchos appellant, fastigiatâ longitudine alabastrorum figurâ in pleniorem orbem desinentes.* Et hoc Juvenalis lib. II Sat.

—— Turpe putat nil
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Vellem interim Clarissimus Rigaltius suam de priori significatione opinionem idoneo quopiam fulcivisset auctore.

F.

FAmosus etiam, contra quàm traditum nonnullis, in partem bonam sumitur. Lucanus lib. IV:

Hinc avi veteris custos famosa vetustas
Miratrixque sui signavit nomine terras.

Tacitus lib. XXI: *Sed quia famosæ urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia ejus aperire.* Horat. in Arte poët. sub fin. de Empedocle:

—— Nec si retractus erit jam,
Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem.

At mediæ, ultimæque Latinitatis auctoribus ea significatio perfrequens. Guilhelmus Bibliothecarius in Stephano VI: *Crux tamen aurea illa famosissima, quam Belisarius patricius ad honorem B. principis Petri Apostolorum instituit, & plurima sacratissimorum altarium aurea vestes cum reliquis ornamentis pretiosis non defuerunt.* Et ante hunc Anastasius Bibliothecarius in epistolâ Joannis ad Constantinum Imperatorem: *Ad divinitus conservanda tua, & famosissima vestigia properarem.* Ac postea: *Quoniam, famosissime Domine, pejor his est: quod & antea intimavi.* Idem Petrum Illustrem compellans, *ô famosissime*, inquit. In vitâ quoque S. Gudilæ legas: *Prædicantes sanctæ Virginis nomen famosissimum, ac in sanctis suis mirabilem magnificantes Deum.*

Deinceps transeamus ad prædicamentum *ubi*, sive ad ea, quæ locum signant.

G. Gen-

G.

G*Entilia* in ANUS, & ENSIS, terminata sæpius distingui à veteribus agnoscimus. Quomodo eos, qui ex Hispania alias in oras sunt profecti, totoque orbe dispersi, nisi longi temporis præscriptio accesserit, non Hispanos dixeris, sed Hispanienses; non Germanos, sed Germanienses; non Gallos, sed Gallienses; non Italos, sed Italienses; non Britannos, sed Britannienses. Nec tamen barbari sunt, qui aliter loquuntur: nisi fortè & barbarus fuerit Plautus, quando in Aulul. actu III scenâ VI. fontem Pyrenen, qui sub vertice Acrocorinthi scatebat, non *Corinthium*, sed *Corinthiensem* appellat. M. Cato, & Agellius lib. VII cap. III, *Rhodienses* appellant quos Sallustius, & Quinctilianus *Rhodios* vocant. Plautus in Truculento eundem militem nunc *Babylonium*, nunc *Babyloniensem* vocat. Rem quoque hanc non leviter confirmat, quòd Albæ nati, non *Albenses* modò, sed & *Albani* dicantur; quamquam discriminis caussâ Albæ Marsorum incolæ soleant dici *Albenses*, alterius verò, quæ in Latio est, *Albani*. Hinc Varro lib. VII de L. L. *Cùm duæ Albæ sint, ab unâ dicantur Albani, ab altera Albenses.* Nec istud loquendi genus observatur, cum legimus merces Hispanienses, Græciense mare, vel sumpodium Græciense. Sed & aliter usus Tertullianus, cum Romanensem Ecclesiam vocat, quæ ejusdem ac Romana fides esset, ac Vopiscus qui *Hispaniensem astutiam* dixit.

Germanos fratres negant dici posse, quos Justinianus vocat *consanguineos*, Græci verò ὁμοπατρίους. Sed ὁμομητρίοις sive *uterinis* non solùm opponuntur, qui ὁμοπάτριοι: sed etiam qui eodem tum patre tum matre sunt prognati: atque utrique convenit *germanorum fratrum* nomen. Sic Cimo Cornelio Nepote præfat. ad Att. & in Cimonis vita dicitur duxisse non matre sed solum patre eodem natam: eamque vocat *germanam*. Similiter locutus Constantinus Imper. L. I. C. Theodos. L. II. Tit. XIX de inoffic. *Fratres uterini ab officiosis actionibus arceantur, & germanis tantummodo fratribus adversus eos petitionis aditus referetur.* Quam legem referens Justinianus pro *germanis* dixit *consanguineis*. Nempe germani dicuntur quasi ab eodem nati germine, hoc est, semine: hoc est, ex eodem patre.

I.

I*Gnotus* ἐνεργητικῶς à Cicerone sumi pro ignorante negat H. Stephanus in Pseudocicerone suo. Atqui constanter in omnibus Ciceronis codd. est lib. V epist. XII, quæ est ad Luccejum: *Neque enim Alexander ille gratiæ caussâ ab Apelle potissimùm pingi, & à Lysippo fingi volebat: sed quòd illorum artem, cum ipsis, tum etiam sibi, gloriæ fore putabat. Atque illi artifices corporis simulachra ignotis nota faciebat.* Ubi ignotis pro iis qui non noverant accipi, satis est apertum. Quomodo & Plautus loquitur Menæchmis act. II sc. II, & Pseudolo act. IV sc. II. Imo & *notos* pro iis, qui noverant, dicere Ciceronem, ac Livium, annotat ad allatum Ciceronis locum P. Manutius. At Henricus Stephanus in Pseudocicerone, quicquid de aliis sit scriptoribus persuadere sibi nequit Ciceronem sic fuisse locuturum: eoque mavult inserta præpositione, *Corporis simulachra ex ignotis nota faciebant.* Quod sanè insubidum: & acerbè satis, nec tamen injuria prorsus reprehensum à propinquo nostro Jano Grutero: *Malè*, inquit, *si non pessime: nam omnes illius emendationes absque libris tales sunt: ita mihi nulla unquam palatum commovit.* De Latinis scriptoribus non multum adverser. Multa idem felicius in Græcis. Atque ut neque hoc esset, sic quoque multum illi Latinæ Græcæque debeant literæ. Non omnibus datum nasum habere Criticum.

Inanis vox Tullio quoque perusitata: At, inquiunt nusquam dicit *inanem gloriam*. Sed sic loquimur, cum Catone in Distichis:

Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Interim Cicero pro eo *falsam gloriam* maluit in secundo Tusculanarum quæst. libro.

Inclinatio quidem, & *inclinatus* ipsius sunt Ciceronis: ut cùm ait, *inclinationes rerum*, & *temporum*, *inclinatio ad meliorem spem: inclinata jam re*, & similia, cui *re integra* opponitur. Sed nunquam dicit *inclinatio* pro *proclivitas*, *facilitas*, *propensio*: aut inclinatus pro *proclivis*, *propensus*, ut Cicero loquitur: qui & pro eo dicit *applicatus*: ut de Finibus: *Omne animal, simulatque sit ortum, applicatum esse ad se diligendum.* Sed ut Cicero non sic utatur vocabulis *inclinationis*, & *inclinatus*: usi sunt alii: ut Livius lib. III, *inclinatus ad caussam plebis*: & lib... *inclinatior ad pacem animus*, atque alibi, & Seneca, atque alii.

Inexpertus improbant aliter hi, aliter illi. Rectè illi, qui negant capi pro eo, qui Ciceroni *inexercitatus*, vel *nullo usu*. De isto cognoscere est ex iis, quæ de voce *expertus* cap. XXXIII dicebamus. At perperam, qui etiam damnant *inexpertus* pro eo, quod est *intentatus*, vel *nulla probatum experientia.* Quomodo utcunque Tullius non usurpet, ut qui semper ab hac voce abstineat, usi tamen sic Maro IV Æn. & Horatius epistolâ ad Pisones. Item pro eo qui non expertus: quomodo Livius lib. III: *exercitus bonis inexpertus, atque insuetus.* Ac lib. VI: *animo ad contumeliam inexperto.*

Intentionem, & *remissionem animi* opponi, satis constat. Sed quæstio est, an rectè dicatur *intentio* pro *proposito*. Negat id Cornelius Crocus. Sed Fabii est libro X capite III:...

Invisus pro *non viso* Latinè dicitur. Nam, ut contra Erasmum docet Scaliger, dixit Cicero orat. de Harusp. resp. *Non invisa solum, sed etiam inaudita sacra.* Ac Senecæ est: *Castam te putas, quia invisa meretrices.* Apulejus item 5 Met. *Quidam introcessit & cantavit invisus: & alius cythara pulsavit, quæ videbatur nec ipsa.* In glossis quoque vett. *invisus* exponitur ἀόρατος.

L.

L*Actes*, quia pro mesenterio usurpat Theodorus Gaza, à reprehenditur ab Hermolao Barbaro. Sed rectè Gaza, cùm propriè non intestina signet, sed pingue illud, quod intestina ambit. Nec in solo homine, aut ove sunt *lactes*, quamquam id indicat Plinius, cum sic scribit lib. XI capite XXXVII: *Ab hoc ventriculo lactes in ove & homine, per quas labitur cibus.* Nam ait Suetonius de patina Vitellii: *In hac scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterorum, muranarum lactes immiscuit.* Quare, nec licenter, (quid idem Barbarus scripsit) locutus eo ple modo Spartianus.

Liberi pro unico filio filiave culpari non debet. Nam Cicero non uno in loco hoc modo locutus, ut pro lege Manil. ejus ipsius liberos ... filiam. Idem de provinc. consular. Si ad conjunctissimos liberos, si ad clarissimum generum *redire properaret*. Loquitur de unicâ Cæsaris filiâ. Et Philip. I. *Per liberos ejus.* Significat filiam Antonii. Agellius lib. I cap. XIII, idem ostendere adnixus istoc Asellionis loco de Tiberio Graccho: *Orare cœpit, ut se defenderent liberosque suos: eum quem virilis sexus tum in eo tempore habebat, produci.* Nam cum disertim de eo subjiciatur qui virilis fient sexus, filias quoque habuisse verisimile est.

M.

M*Argaritum* vitiosum censet doctissimus Sosipater, credo quia Græca in τας ἀναλόγως in τα exeunt. Sed majoris ponderis, quam ratiuncula hæc est nobis, quod usus eo, ut Sosipater agnoscit, non Volgius modo, sed & κάνων linguæ Latinæ, M. Varro. Rectius igitur Caper, qui libello de verbis dubiis *Margarita* utroque numero dici ait. Sanè in neutro quoque usi Tacitus in vita Agric. Solinus in Polyhistore cap. XIV. E Jurisconsultis Scævola L. XXVI.

D. ad

D. ad Leg. Falc. *Lineam margaritorum* XXXV *legavit.* Ubi quid *lineam margaritorum* vocet, docet nos locus ille Ulpiani l. XXVII. §. si cum maritus. D. ad leg. Aquil. *Cum maritus uxori margaritas extricatas* (h. e. mundatas, ac purgatas, quas a colore aluminis, vel à detracto alumine, exaluminatas Plinius † vocat) *dedisset in usu, eaque invito, vel inscio viro, perforâsset, ut pertusis in linea uteretur.* Legitur & *margaritum* L. XVII. §. I. D. de præscript. verb. L. XXXVII. §. I. D. de evictionibus. L. XLIV. D. pro socio. L. CVIII. §. qui margarita. D. De legat. Theologis etiam veteribus est in usu, ut Tertulliano lib. de Pallio, item de habitu muliebri, & ad Martyras, Ambrosio lib. VII Hexaem. cap. VII. vetus Bibliorum interpres Proverb. XXV, 12. *Margaritum fulgens, qui arguit sapientem.* Ubi B. Hieronymus, *Rectè magister eruditus margarito fulgenti assimilatur.*

† Lib. 9. cap. 35.

Merus, pro *solus*, accipi posse, negare videtur Obertus Giffanius in Indice Lucretiano. At Varroni in IV de L L. *merula*, *quod mera*, *hoc est*, *sola volitet*, nomen id habere dicitur.

Misericordiam pro *miseratione* dicere, habet Andreas Schottus lib. III Tusc. Quæst. * Et sanè *misericatio* potiùs est actus misericordiæ, quæ si non virtus, saltem quasi virtus. Unde Cicero pro Ligario ad Cæsarem: *Nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior misericordia est.* Interea sæpe promiscuè usurpantur. Ut Cicero Tusc. IV *commoveri misericordiâ*: sic *commovere miserationem* Quinctilianus lib. III cap. I. *Adimere misericordiam hominibus lenissimis*, apud Ciceronem legas pro Roscio Amerino. At Livius lib. XLV, *eximere miserationem.*

* Pag. 244.

Munus pro *opus* improbat Henricus Stephanus. Ac Ciceronis est libro de Universitate: *Quoniam si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quæ semper eadem est intuebitur, atque eam sibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat necesse est.* Sic sane editio Roberti Stephani anni CIↃ IↃ XLIII, imò & aliæ consecutæ. At Stephanus Castigationibus in Ciceronem †, quas edidit anno CIↃ IↃ LVII, pro *munus* putat *onus* rescribendum. Et eo firmat quod *onus* mox ipse pro eo Tullius dicat. Ac Lambinus quoque monet fortè legendum *qui aliquod opus efficiunt*: vel *qui aliquid efficiunt.* Mihi vero non videtur aliquid mutandum in tanto omnium codicum consensu. Planè igitur censeo *munus efficere*, idem esse Ciceroni, *quod* [illegible].

† Pag. 2.

N.

Necessitatis, & *necessitudinis* vocabula plurimum differre, planè fatemur. Itaque siquis fame adactus arcem tradiderit, dicam durum esse necessitatis telum. Sin quis urbem transiens compellet necessarium ac propinquum suum, potiùs dicam hoc dedisse necessitudini, quàm necessitati. Sed cum putant, barbarè loqui, qui hæc confundat; planè eos ratio fugit. Nam Ciceronis est pro Sulla: *Si nostram in accusatione sua necessitatem, familiaritatemque violasset.* Cæsaris verò pro lege Plautiâ: *Equidem mihi videor pro nostra necessitate, non labore, non operâ, non industriâ defuisse. Necessitudinem* autem, pro *necessitate*, frequens est apud Sallustium. Nempe itidem ut sunt *claritas*, & *claritudo*; *acerbitas*, & *acerbitudo*, multaque alia, promiscuè usurpantur.

Novissimus pro extremo, rectum ne sit, vetus est quæstio! Hodieque à variis, in his Petro Ramo, Agellius culpatur, quòd libro X cap. XXI dicat, Ciceronem etiam verbis *novissimus*, & *novissimè*, noluisse uti, quòd illa non probaret. Objectant Agellio verba hæc ex epistola ad Octaviam, *Ut novissima conferam primis.* Sed non est ista epistola Ciceronis, verum declamatoris incerti. Quod jam in confesso est inter eruditos. At verè est ipsius Ciceronis in Oratione pro Q. Roscio: *Brevi tempore, qui ne in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comœdos.* Sed hanc orationem habuit Cicero admodum adolescens: nempe Syllanis temporibus annos natus solùm XXVI: postea verò credo monitus à senioribus, & fortasse etiam à Varrone, semper abstinuit ea voce: non item alii ejus ætatis. Nam D. Bruti est ad M. Brutum, & C. Cassium *: *Cur novissimum tempus expectemus potius, quàm nunc aliquid moliamur.* Item C. Cassii est ad Ciceronem †: *Hæc novissima nostra facta.* Habes & in epistola S. Galbæ. Sed apud Ciceronem nusquam: qui juvenili eâ oratione, quam dixi, exceptâ, semper eâ voce abstinuit: ut nihil sit caussæ, cur Noctium Atticarum scriptorem immemoriæ culpemus.

* Lib. 11 epist. 1. inter illas Ciceronis.
† Lib. 12 ep. 13.

O.

Obnoxius peccato displicet Schotto in Tullianis quæst.* Ac placet, *peccatum*, vel *crimen in eo hæret.* Sed Livii est: *Eodem anno Posthumia, virgo Vestalis, de incestu causam dixit, crimini obnoxia ob suspicionem propter cultum amœniorem.*

* Pag. 235.

Opinatus, pro celebri, ac de quo magna opinio Jornandes de rebus Geticis cap. IV: *In qua Scythia prima ab Occidente gens sedit Gepidarum, quæ magnis opinatisque ambitur fluminibus.* Et cap. VII: *Opinatissima flumina in mare Caspium profundens.* Et cap. XX *Opinatissimum Dianæ Ephesinæ templum* vocat. Lupus Abbas epist. XXII: Cæterum vestram opinatissimam (ita legendum puto, non *opinamissimam*) *flagito liberalitatem.* Ivo Carnotensis in Chronico Ivonis Millo: *Opinatissimas scilicet Ecclesias, S. Charitonis, & S. Sabæ.* Nec propterea iis adsensero qui barbarum arbitrantur, cum Ennius ipse sic locutus videatur: atque item Agellius: qua de re in Oratoris Institut. dixi lib. II cap. XIV sect. IX.

Ordines optimè de cœtu procerum dicitur. Livius lib. XXXIV †, in oratione T. Quinctii, qua, Græcia excessurus, legatos ad concordiam adhortatus.

† Pag. 56.

P.

Pestis pro pestilentiæ morbo, barbarum esse ait Giffanius in indice Lucretiano. At ita loquitur Ennius Annali XVI:

Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis.

Et Plautus Amphitr. Act. II. sc. I.

AM. *Pestis te tenet.* SO. *Nam cur istuc dicis?*
Equidem valeo, & salvus sum rectè, Amphitryo.

Horat.

—— *Hic miseram tamen pestemque.*

Etiam Sillii est lib. II:

Et posuere avida mortis contagia pestes.

Ac ne solos nominem poëtas, Justini est lib. II: *Multorum deinde dierum inopiâ contraxerat & pestem.* Sed hic scriptor demum sub Antoninis vixit. Majoris foret auctoritatis si Trogi ipsius retinuisse verba constaret. Quare in prosâ sic loqui non ausim. Fortasse tamen aliquis similiter capiat illud Livii lib. XXV: *Multi tamen Romani eâdem peste absumti sunt.* Quomodo & alibi idem: *Cum primores civitatis similibus morbis, eodemque ferme omnes eventu morerentur, ancilla quædam ad Q. Fabium Max. ædilem curulem indicaturam se caussam publicæ pestis professa est.* Sed possis his locis capere pro pernicie quam pestilentia adferret. Sanè de morbo grassantem pestilentiam dicere solet, ut videre libro I, III, IV, V, VI, VII, VIII, X, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXXVIII, XL, XLI. At pro perniciem pestem amat dicere. Ut lib. II: *Ibant unius familiæ viribus Veienti populo pestem minitantes.* & lib. LI *Pestilentiam agris urbique illatam.*

Phrenesis vocabulum usurpant Vitruvius, & Martialis: ut taceam de Sereno Samonico, & Prudentio in Ἀμαρτιγένεια. Fallitur igitur doctissimus Hermolaus Barbarus, qui in Plin. lib. XXVI cap. VIII. & in glossis Plinianis censet, non magis pro *phrenitide*, (quo usus Celsus lib. III cap. XVIII. & passim Cælius Aurelianus,) *phrenesis* dici posse, quàm *arthresin* pro *arthritide*, aut *nephresin* pro ne-

nephritide. Nempe non satis attendit, Latinos ut in aliis multis, ita in hac etiam voce discessisse a Graecis. Quare quamquam Graeci ut φρενῖτις, ita φρενιτικὸς dicant: tamen nec *phreneticus* damnem: praesertim cum apud Plutarchum legatur φρενητιᾷν, per η. At *pleuresis* pro *pleuritis* jure damnat idem Barbarus†: etsi Prudentii sit in Romano:

† In Plin. lib. 26. cap. 8.

Mucrone quanto dura pulsat phrenesis.

Sanè pro eo πλευρῖτις Graeci semper vel morbos πλευριτικοὺς, unde Celius lib. IV cap. VI: *Oriturque acutus morbus, qui Pleuriticus à Graecis nominatur.* Vides, ut *pleuriticum*, non *pleureticum* dicat. Nec *pleuresis*, vel *pleureticus*, apud antiquiorem Latinorum quempiam puto inveniri.

Pilulae vocem damnant in medicorum filiis: ac jubent pro eo dicere *catapotium*: sic enim vocari medicamentum, quod non diluitur, sed, ita uti est, devoratur: ut describitur a Scribonio cap. LXXXIX. Sed non dubitandum, quin à *pila* ὑποκοριστικῶς dicatur *pilula*: ut apud eundem Scribonium cap. XXXIX: ubi sermo de bestiolis, quae tactae se in orbem conduplicant pilulae similem. Ab hac forma, pharmacum, quod Graecis καταπότιον, Latinis etiam *pilulam* dici, fidem fecerit Plinius lib. XXVIII cap. IX. *Vetus axungia phthisin in pilulis sumta sanat.*

Pistorem dicimus pro eo, qui panem conficit, quemque ἀρτοποιὸν vocant Graeci, à furno autem *furnarium* nuncuparunt barbaris temporibus: ut apud Mattheum Parisium in Henrici III* Historia. Qui & *furniare* dicit†, pro *panem pinsere.* *Pistoris* nomen nonnisi ultimis Romanae Resp. temporibus irrepsisse putant. Nam antiquis, inquiunt, sic dicebatur, qui grana in pila contunderet: molisque inventis ita vocari, qui versarent molas trusatiles: unde & Plautus dictus *pistor.* Idem colligunt ex voce *pistrini*, quae συνεκδοχικῶς generis pro quovis ponitur negotio, quia ille molas versandi, & imprimis grana in pila conterendi labor multo foret gravissimus. Sed non cogitant, antiquis temporibus eos, qui far ita comminuerent pistillis, vel molas versarent in pistrino, etiam farinam depsuisse, & panem confecisse: unde iidem pistores, ac ἀρτοποιοί. Itaque lena Cleaereta apud Plautum Asinaria act. I sc. III ait:

* Pag. 208.
† Pag. 961.

Cum à pistore panem petimus vinum ex oenopolio.

Varro sat. quae inscribitur περὶ ἐδεσμάτων*, apud Agellium†: *Si quantum opera dedisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, ejus duodecimam philosophiae dedisses, ipse bonus jampridem esses factus. Nunc illum qui norunt, volunt emere millibus centum: te qui novit, nemo centussi.* Quid Atteium Capitonem, quid Martialem, quòd alios advocem, in re manifesta? Ideo glossae Philoxeni: *Pistor*, ἀρτοκόπος. *Pistrix*, κύπτρια, ἀρτοποιός. Ac similiter glossaria alia. In quibus &, Ἀρτοκοπεῖον, *pistrinum.* Nempe ἀπὸ τοῦ τὸν ἄρτον κόπτειν.

* De edulis.
† Lib. 15 cap. 19.

Pomarium aliud est à pometo, si audimus Charisium, cùm scribit lib. I: *Pometa dicuntur ubi poma nascuntur, ut oliveta. Pomaria autem ubi servantur, ut pennaria.* Ac similiter Beda lib. de Orthographia. Atque ita pomarii vocem usurpat Plinius lib. XV cap. XVI. *In universum vero de pomis servandis praecipitur: pomaria in loco frigido ac sicco contabulari: septentrionalibus fenestris sereno die patere*, &c. Nec tamen is usus perpetuus. Nam aliter idem Plinius lib. XXXIV, initio cap. XIV: *Siquidem hoc* (instrumento) *tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus* (al. putamus) *pomaria.* Item Columella lib. I, extremo cap. VI: *Pomaria quoque, & hortos, oportet septo circumdari, & esse in propinquo, atque in eâ parte, quò possit omnis stercorata colluvies cortis, balineorumque, & oleis expressa amurca sanies influere. nam ejusmodi quoque laetatur alimentis & olus, & arbor.* Eodem modo Horatius libro I, odae VII. Propertius libro III eleg. II, Ovidius IV Met. atque alii. Sed hi *pomaria* utuntur in plurativo. De singulo quaeritur. Apud Columellam quidem lib. V, initio cap. X, legas *locum pomarii.* Sed hoc etiam à *pomarium* esse possit. Multi tamen *pomarium* negant dici nisi pro eo, qui poma vendit: quomodo Horatius usurpat lib. II sat. III: ac similiter in antiquis legas inscriptionibus: in glossis vett. similiter *pomarius* exponitur ὀπωροπώλης. Ubi ἀρσενικῶς *homo*, aut *vir* intelligitur. Pro loco verò non *pomarius*, sed *pomarium* jubent dicere. Nempe quia *pomaria* non apud veteres modò Jurisconsultos legas: Sed etiam Rei Rusticae scriptores: ac poetas ut jam vidimus. Verùm quod hinc colligunt *pomarium* de loco dici debere, id per est infirmum. Nam ut in recto singulari *locus* dicimus, ita & *pomarius*, quia *locus* intelligimus. Atque ut in plurativo *loca* rectum est, ita & *pomaria*, ubi ad *loca* attenditur. Hoc planè statuendum: si Charisium audimus. En verba. *Sunt quaedam, quae singulariter cum declinantur, in pluralibus mutant genera: veluti anomala, hic locus, pluraliter haec loca, & hi loci: hic pomarius, pluraliter, haec pomaria.*

Pomum, & *nucem*, differre, agnoscimus: sed non si *nux* perperam dicatur de pomo eò & perperam *pomum* dixeris de nuce. Nam Jurisconsulti etiam *nuces* reponunt in *pomis*: uti & ficus, ac uvas: Plinio nuces juglandes dicuntur poma. Est & Palladii:

Proceras fagos, & poma hirsuta virentis
Castaneae.

Quemadmodum & idem de ficu inquit:

Se quoque miratur pingui grandescere succo,
Et solitum gaudent vincere poma modum.

Praerogativa pro jure quodam speciali, quod in caussae vel hominis gratiam concessum, nuspiam apud Tullium legas: qui de tribubus ac centuriis primo sententiam rogatis ea voce uti solet: quomodo etiam ex Varrone, & Verrio Festus exponit. Sed non propterea alteram rejicere cum Schotto† ausim, qua Ulpianus atque alii Jurisconsultorum veterum utuntur.

† Tull. Quaest. lib. 3. pag. 252.

Praetextus, vel *praetextum*, pro colore, sive πρόφασιν, apud Tullium non legas, eoque displicet Schotto in Quaest. Tull. Sed usi Seneca ac Suetonius.

Privilegium Ciceroniani negant rectè sumi pro singulari jure in favorem alicujus constituto. Et verum est Tullio semper signare legem de uno homine latam, ut sit idem ac priva lex. Sed Senecae lib. II de Tranquillitate Vitae, & Suetonio in Augusto, sumitur altera significatione: in quâ & crebrum Vett. Jurisconsultis, ut e Digestis videre est.

Pulvinaria simulachris Deorum inserviisse in templis, satis est apertum. Uti & illud, privatim etiam *pulvinaria* esse dicta quibus dormientium capita fulciuntur. Item liquet Ciceroni, & aliis *pulvinos* vocari, quae imponuntur sellis, vel scamnis, ut iis insideatur. Sed falli censeo, qui censent hunc usum esse perpetuum: etsi & in iis se aggregare videatur Schottus lib. III Tull. Quaest.* Nam & *pulvinum* dicebatur pro lectulo, in quo cubarent. Cicero Act. VII in Verr. *Nam ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica hexaphoro ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus, Melitensi rosâ fartus.* Cubabant enim in lectulo, qui lectica gestarentur: uti sedebant qui gestarentur in sella. Quare *pulvinus* etiam de lectulo cubantium dixisse liquet, sed quaeritur, an *pulvinar* etiam vocarint, cui insiderent. Sic censeo ob illud Ovidii in primo de Arte:

* Pag. 252.

—— *Fuit utile multis*
Pulvinar facili composuisse manu.

Sermo est, de officiis quae amatores praestarent mulieribus in Circo spectantibus, ubi profectò non cubabant, sed in sella gestatoria, qua eò fuerant delati, considebant. Dixeris fortasse, omnino cervical habuisse in sellis, ut caput in eo reclinarent. Quod Lipsius censet lib. I Electorum cap. XIX. Nempe propter illud Juvenalis sat. VI, de muliere, quae locuples ac nobilis haberi vellet:

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestes,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Puto, hunc nodum optimè exsolvi, si dicamus, eundem pulvinum gemino inservisse usui, ut capiti substerneretur, unde alter *cervical* diceretur, & ut sedenti supponeretur. Quid mirum? quando similiter Graeci προσκεφάλαιον usurpent: etsi id nomen ex eo sit, quia capiti ac cervicibus substernatur. Sic Dio lib. LIX, ubi de Caio Caligula sic scribit: καὶ προσ-

σκιφάλαια τοῖς βελδωταῖς, ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶ τ σανίδων καθίζωνται, πεῶτον πιτιηὕρετο. *Tunc etiam primùm Senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, pulvinos ut subderentur constituit.* Nec Dio solùm sic usus, sed etiam Plato in primo Politicorum, ac veterum alii: inque his Theophrastus in Characteribus cap. de Adulatione: Καὶ ὃ παιδὸς ἐν τῷ θεάτρῳ ἀφελόμενος τὰ περσκεφάλαια, αὐτὸς ὑποςρῶσαι. *Pulvinos in theatro puero ademtos, ipse* (adulator pueri domino) *substernit.* Nam & apud Græcos erat moris, ut potentiores ac ditiores, pulvino insiderent in theatro: quod ex Demosthenis & Æschinis orationibus liquet. Nec dubium, quin mos iste à Græcis devenerit ad Romanos. Nempe primitus pulvini solùm inserviebant dormientibus; eoque περσκεφάλαια vocabantur. At postquam usus eorum extensus, extensa etiam significatio. Sic igitur colligo, & *pulvinum* rectè dici de lectulo lecticæ in quâ resupini cubarent: & *pulvinum* de eo qui sellæ impositus ad insidendum, aliterque eum quoque *cervical* Latinis, ut Græcis περσκεφάλαιον fuisse appellatum.

R.

REditus annui rejicitur ab Andr. Schotto, lib. III Tull. Qu.* Jubet verò pro eo dicere *mercedes:* quomodo *mercedulas prædiorum* Tullius ad Att. vocat. Alii *fructus* pro eo malunt. Sed Ovidii est epistolarum de Ponto missarum lib. II el. III:

At reditus jam quisque suos amat: & sibi quid sit,
Utile sollicitis computat articulis.

Est & Plinii lib. XVII cap. I: *Majore singularum reditu, quàm erat apud antiquos prædiorum.*

Respectu amicitiæ, pro *amicitiæ ratione*, vel *caussa*, improbatur ab Andr. Schotto lib. III Tullianarum Quæst.† Sed defenditur illo Livii lib. II: *Sed factione respectuque rerum privatarum, quæ semper offecere, officientque publicis consiliis, Appius vicit.* Ac similiter Ovidius libro I Trist. el. III, de uxore sibi vim allatura, nisi mariti caussâ sustinuisset vivere:

Et voluisse mori, moriendo ponere sensus:
Respectuque tamen non periisse mei.

Possis & dicere, *respectu ad amicitiam habito:* quomodo Cicero Philipp. V: *Cùm respectum ad Senatum & ad bonos non haberet.* At perperam in Scholis, *quatuor esse dimidium, & duplum diverso respectu:* ubi dicendum, *diversa ratione*, vel *considerandi modo.* Neque enim hic attenditur alicujus dignitas, vel affectus.

* Pag. 243.
† Pag. 256.

S.

SCiagraphiam pro *scenographia* dicere jubent: atque ita corrigunt apud Vitruvium, sed perperam. Nam uti *orthographia* rectam faciem futuri operis depingit: ita *scenographia* totum corporis ædificium e solo excitatum cum laterum abscedentium adumbratione delineat, ac describit. Nempe, ut ad Solinum docet Salmasius*: σκῆνος est τὸ σῶμα: unde & corpus humanum, & ædificii corpus sic Græcis nuncupatur, & eorum imitatione Ausonius in Mosella ait:

——*Scenasque domorum.*

hoc est, corpora ædificiorum.

Sobrius pro *sicco* damnat Andreas Schottus lib. III Tull. Quæst.† Nempe vinolento, sive ebrio, opponi putat non sobrium, sed siccum. Ut in Academicis: *Vinolentorum, & furiosorum visa imbecilliora esse dicebas, quàm siccorum, & sanorum.* Sed *sobrius* non semper ebrioso opponitur; sed etiam ebrio: ut idem tum sit ac *siccus.* Unde in iisdem Academicis: *Ne vinolenti quidem quæ faciunt, eâdem approbatione faciunt, quâ sobrii.* Et in Oratore: *Furere inter sanos, & inter sobrios quasi bacchari vinolentus videtur.* Sic in illo pro Muræna: *Nemo saltat sobrius*, hoc est, siccus; ut sobrius hic ebrio opponatur. Sanè & ebriosi quandoque sicci. Sed tum non saltant, si Ciceronem audimus.

* Pag. 821.
† Pag. 257.

Sors, pro principali summa, unde fœnus sive usura redit, immeritò displicet Andreæ Schotto; qui in tertio Tullianarum Quæstionum*, pro eo, *caput* jubet dicere. Sed usuræ etiam opponi sortem satis liquet ex Plauto Mostellaria act. III sc. I:

Qui mihi neque fœnus, neque sortem argenti danunt.

Cicero ad Att. lib. VI epist. I: *Nec id satis efficitur in usuram menstruam. Sed Cneus noster* (Pompejus) *clementer id fert. Sorte caret: usura, nec eâ solidâ contentus est.* Plinius in Præfat. Hist. Nat. *Obnoxii profectò animi, & infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præsertim sors fiat ex usura.* Tum verò sors fit ex usura, cùm usura etiam usuram parit, quod Græci ἀνατοκισμὸν vocant. Nempe dum usura non persolvitur creditori, sed sorti accedit, quæ fit *renovatione singulorum annorum:* ut epistola antè dicta loquitur Tullius.

* Pag. 63.

Species hominis vocat Cicero, quòd hic Trojanus sit, alius Thebanus. Hoc in Tullio reprehendit Jo. Rivius Athendoriensis†, vir bene de Terentio, Sallustioque, & artibus liberalibus promeritus. Ac similiter Ciceronem eo nomine culpavit Ludovicus Vives. Marius verò Nizolius defendit Tullium, ac Rivium vocat inscientem, & stultum. Sanè non difficile est hæc conciliare. Cicero ut Orator, loqui cum vulgo voluit. Sed longè aliter loqui amant philosophi: qui istiusmodi accuratiùs distinguunt.

† Lib. I Dialecticæ.

T.

TAntus etsi propriè quantitatem notet continuam, non tamen id perpetuum est, sed ut apud Græcos πόσος, ita hoc apud Latinos interdum ponitur pro *tot:* quod Valla & alii aliquot non viderunt, qui vulgatum interpretem βαρβαρίζειν putant, Johan. VI. 9. ubi hæc verba, ἀλλὰ ταῦτα τί ἐςὶ εἰς τοσούτους; interpretatur: *Sed hæc sunt inter tantos?* uti & cap. XXI vers. II: ubi hæc verba, καὶ τοσούτων ὄντων οὐκ ἐσχίσθη τὸ δίκτυον, sic vertit: *Et cum tanti essent non est scissum rete.* Atqui locutus eodem modo Cajus JC.*: *Sed non, in ampliores, inquit, quàm decem, qui legati sunt: quod si minus sunt: in tantos quanti inveniantur.* Justinianum quoque, aliosque imperatores ita locutos docet Antonius Augustinus lib. II Emendat. cap. I. Vegetium quoque capite tum quinto tum nono libri secundi locutum copse modo docuit Godsc. Stewechius†.

* L. si ita legatum ff. de legatis prim.
† In lib. 2 Veg. cap. 5.

Templum nunc Christiani dicimus pro sacra æde, sive Ecclesia: sed absque exemplo priorum seculorum. Nempe eo, quòd gentilium templa sic vocarentur, appellatione ea abstinuere Christiani; vel etiam, quia ea appellatio videtur augustioris structuræ, quâ durante persecutione caruerint Christiani. Quia dispar temporibus nostris ratio est, dispar etiam sermo concessus.

Tinctor nec Forum Romanum, nec Passeratii, qui dicitur, Calepinus agnoscunt. Etiam ut parum Latinum rejicit Index Nizolii ac Cellarii: ac dicere jubet *infectorem lanæ:* quod apud Plinium lib. XX cap. VII. Festi quoque est: *Infectores, qui alienum colorem in lanam conjiciunt: offectores, qui proprio colori novum officiunt.* Interim cum *tingere* & *tinctura*, sint cur *tinctor* damnemus? præsertim cum apud Vitruvium sit lib. V cap. XIV: *Tinctores cum volunt sil Atticum imitari, violam aridam conjicientes in vas, confervescere faciunt ad ignem.*

Torrens æstu dici negant pro *tostus æstu.* Quomodo Maro ait I Georg.

Et medio tostas æstu terit area fruges.

Atqui apud Livium lego lib. XLIV* in oratione Paulli Æmilii. *Longo itinere fatigatum, onere fessum, torrentem meridiano sole, hosti objicias.*

* Pag. 619.

Transactio damnat index barbarorum Ciceroniano Thesauro à Nizolio & Cellario subjunctus. *Decisionem* autem dicere jubent. Apud Ciceronem non reperias *transactionis* vocem sed quis propterea damnet qui sciat, in secundo Digestorum quintumdecimum titulum esse de transactio-

 nibus,

nibus, h.e. conventionibus: ac sic uti eo vocabulo non Ulpianum modò, sed etiam Scævolam?

V.

V*Acantia bona* negant Latine dici, & ex Budæi Forensibus malunt pro eo dicere, quæ assertorem non habeunt, vel cum Græcis ἀδέσποτα. Sed adeo crebrò alterum est in Digestis, ut nihil loca afferre sit opus.

Ultio nuspiam dicit Cicero, sed *vindicta*. Rejicit igitur Andreas Schottus lib. III Tull. Quæst.† At vocabulum *ultionis* non refugiunt Plinius, Fabius, Tacitus. Nec *ultio*, & *vindicta*, planè idem si Cornelio Frontoni credimus: quem vide, si tanti.

† Pag. 261.

Unguenta, si Budæo credimus annotat. in Pandect. malè usurpantur pro *medicamentis*. Censet enim, *unguenta* haut alio a *diapasmatis* differre, quam quòd *unguenta* sint liquida; *diapasmata* arida; utraque autem non medicamenta esse, sed ad suaveolentiam ac delicias inventa. Equidem sic accipi solere, non diffiteor: sed enim latiùs etiam sumi, ex eo colligo, quia *unguentis legatis non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis caussâ; sed & valetudinis*: ut est L. XXI. §. I. L. XXV in fin. D. de auro argento leg.

Volumen num plus sit, quam liber, an liber, quàm volumen, an tantundem valeant, disputatur. Ulpianus scripserat, centum libris legatis, totidem volumina deberi: ac si Homerus in uno sit codice conglutinatus, unum volumen, unum librum, non XLVIII, computari. Id Laurentius Valla reprehendit lib. VI Elegantiarum cap. XLIII. Nempe movet eum Ovidius, cum ait de Metamorphosi sua:

Sunt mihi mutatæ ter quinque volumina formæ.

Etiam Plinius lib. III epist. ad Macrum, loquitur de tribus Oratoriæ Institutionis libris à Plinio avunculo perscriptis, inque sex volumina propter amplitudinem divisis. Ex quibus librum in volumina secari colligit, voluminaque esse, quæ Græci τμήματα, & μέρη vocant. Ita Diodori Siculi liber primus ab ipso auctore in duo τμήματα, hoc est volumina, dispescitur. Qui vero culparat Ulpianum multo minus reprehendere dubitavit Antonium Raudensem, & Jo. Franc. Poggium Florentinum. Sed hic ei primâ è tribus in Vallam invectivâ respondit. Nec tamen aliud reponit, quàm quòd Tullius ipse tertiâ in Verrem accusatione dixerit: *Volumen ejus rerum gestarum maximum isti ostendit. Volumen* dicere, ait, non *volumina*: quomodo Poggium loqui debuisse ajebat Valla. Et sanè si post Tullium fas provocare ad Appulejum, apud eum in Apologiâ legas: *Alia præterea ejusmodi plurima, quæ tractat volumine ingenti Archimedes Syracusanus.* Quo Vallæ opinionem etiam refellit Scipio Gentilis. Nostra hæc opinio est, non semper *volumen* esse libri partem, sed sæpe idem & librum, & volumen esse. Quod etiam monet Joannes Maria Catanæus ad Plinii locum superius adlegatum. Verùm non auctoritate Catanæi, vel alterius, sed rationis pondere pugnemus. Cornificius, sive alius, penè initio Rhetoricorum ad Herennium ait: *De hoc & priore libro egimus, cùm de oratoris officiis tractabamus, quorum inventio & prima, & difficillima est: (ea quoque nobis erit hoc in libro propemodum absoluta) & parvam partem ejus in tertiam partem transferemus.* Et quid apertiùs illis Ciceronis penè initio libri III Tusculanarum Quæst. *His libris exposita sunt ea, quæ à nobis cum familiaribus nostris in Tusculano erant disputata. Sed quoniam duobus superioribus de morte, & de dolore, dictum est, tertius dies disputationis hoc tertium volumen efficiet.*

Voluta, ἕλιξ: quod non alibi putant inveniri, quam apud infimæ Latinitatis auctores. At Vitruvius quoque pro helice in Ionico capitulo usurpat lib. III capite III: *Abacus habeat longitudinem & latitudinem, crassitudinem cum volutis ejus dimidiam.* A *voluta* est Gallicum *voulte*, pro camera, sive fornice: unde *voulter*, fornicare, concamerare; *voulté*, cameratus, fornicatus. De voluta plura sis vide apud Bernaldinum Baldum de Vitruvianorum verborum significationibus.

Hactenus de nominibus falsæ significationis fallò suspectis. Quibus non pauca addere poteramus, ubi vox suspecta eò, quia Latini vocis Græcæ significationem aliam fecerint. Hoc Vitruvius factum observat in ξυστὸς, ἀνδρῶν, πρόθυρον. Sic aliud ἔλαιος sive Æolicè γλαιός, aliud *glis*, etsi hoc indè factum esse non temere censeat Salmasius, nempe ut à γάλανος, *glans*. Similiter aliud Latinis *juglans*, quæ sic dicitur quasi *Jovis glans*, ut *Jupiter* ex recto *Jovis*, & *pater*: aliud verò Græcis ἡ Διὸς βάλανος, quæ illis ex genere λεπτοκαρύων, ac Latinis *avellana*, ab Abella Campaniæ urbe, alterque *Prænestina*, *Tarentina*, vel etiam *Heracleotica*, aut *Pontica*. Item aliud Latinis *buris*, nempe γύης, sive ima pars temonis, quæ incurva; aliud ὕννις, sive Æolicum βύννις, hoc est *vomer*: etsi è βύννις *buris*, Latini fecerint, ex ejusdem Salmasii sententia, cui malo accedere quam Servio putanti, *bura* esse ex βοὸς οὐρά.

DE VERBIS, QUÆ FALSO FALSÆ ARGUUNTUR SIGNIFICATIONIS.

ATque hæc occurrerunt in nominibus, ubi vox ipsa, vel saltem sic declinata inveniri negatur apud eos, quos tutò sequamur duces. Nunc subdam de verbis, ubi non de voce est controversia; sed fallò negatur in eâ significatione apud veteres inveniri, qua nunc vel à pluribus etiam retro seculis sumi solet.

A.

A*Bolere legem* damnat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst. ac pro eo dicere jubet *abrogare legi*, aut *legem*. Quinctiliani tamen est in XI: *Lex vetus sermonis abolebitur.*

Accidit pro obtigit, vel contigit damnat Andreas Scottus lib. III Tullianarum Quæst. Nempe quia accidit propriè dicitur de iis, quæ similiter eveniunt: sed *confingit*, quod tangit & consequitur caussam, ut culpam infortunium. Sic Seneca ad Lucilium: *Scies plura mala contingere nobis, quàm accidere.* Sed qui iccirco peccare existimant, siqui hoc discrimen non semper observent, refelluntur isto Suetonii in Augusto: *Julias, filiam neptemque, siquid his accidisset, vetuit sepulchro suo inferri.* Est & Scævolæ Digestorum XX*: *Sive in provincia, sive in via aliquid mihi humanitus acciderit.* Ibidem: *Siquid ei humanitus acciderit, do, lego, darique eis volo.* Imò Ciceronis quoque est primo epist. ad Att. *Nam mihi omnia, quæ jucunda ex humanitate alterius homini accidere possunt, ex illo accidebant.* Ac similiter alibi non semel.

* De alim. leg. 30.

Arrogo hoc mihi in vulgaris sermonis barbarie reponitur ab Andrea Schotto†: qui Ciceronem pro eo ait frequentius dicere, *sumo*, vel *assumo mihi*. Rectè sanè. Sed tantum abest, alterum ut barbarum sit, ut etiam sit ipsius Ciceronis: qui Philipp. VII ait: *Ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus, qui quantuscunque sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace civili non fuissem.* Ac similiter alibi non semel.

† Tullianarum Quæst. lib. 3. pag. 220.

Assuesco, pro assuefacio, vix putem ullum dixisse Augustæo

gustato ævo. Sed (ut Prisciano etiam observatum) sic usurpat Lucanus lib. v *:

* Vers. 776.

Adde quod adsuestis fatis, tantumque dolorem
Ferre doces.

Ac eo tueri liceat illud B. Hieronymi in Prologo Vitæ Malchi: *Dispositumque per tabulas militem, pendenti gradu, & labente fastigio firmiter stare adsuescunt.* Dionysius Exiguus vita Pachonii cap. xxiii: *Sed paulatim adsuescit eum, levioribus exercens ante ponderibus.* Ita utrobique MSS: ut Rosweido etiam monitum in Onomastico Vitis Patrum addito. Perperam priori loco substituêre *adsuefaciunt*: posteriori *adsuefacit*.

Auxilior negant activè sumi posse, & vulgatum culpant interpretem ob hoc Sap. xii. 6. *Et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti.* Ubi Græcè, ψυχῶν ἀβοηθήτων. Atqui Priscianus auctor est, Lucilium similiter dixisse in Satyris: *A me auxiliatus si est.* Quod exponit βοηθεῖς. Antiquè igitur locutus Vetus Interpres, non barbarè.

C.

C*Aptare famam* improbat Andreas Schottus lib. iii Tullianarum Quæst. † ac jubet pro eo dicere, *colligere existimationem, famam, benevolentiam.* Sic sanè Tullius. Sed Horatii est lib. i Sat. iv:

† Pag. 224.

—— *Famam captare dicacis.*

Cedere cuiquam nolle pro *concedere nemini*, ut ad Att. Cicero scribit, improbatur ab Andrea Schotto in tertio Tullianarum Quæstionum *. Sed ipsius est Ciceronis primo de Legg. *Ut in hoc etiam genere nihil Græcia cedamus.* Et ii de Nat. Deor. *Nullâ aliâ re, nisi immortalitate, cedens cælestibus.*

* Pag. 225.

Celebrare nuptias in Erasmo improbat Cornelius Crocus. Sed Livii est lib. xxxvi. Atque idem lib. xxv ait: *Et quia alia in obsidione desint, vino largius epulas celebrari.* Est & Taciti in xii: *Sollemnia nuptiarum celebrare.* Nec multum adeò abit hoc Ciceronis in Pisoniana: *Quid eos dies, qui, quasi Deorum immortalium festi, atque sollemnes sunt, adventu meo, redituque celebrati?*

Commodare ædes quidam Latinè dici negant. Movet eos, quòd inter *commodatum & utendum datum Labeo ait tantum interesse, quantum inter genus, & speciem. Commodari enim rem mobilem, non etiam soli: utendam dari etiam soli.* Verùm, ut Ulpianus ait l. i. §. i D. commod. *propriè commodata res dicitur, & quæ soli est, idque & Cassius existimat. Vivianus amplius etiam habitationem commodari posse ait.* Confirmat hanc Ulpiani sententiam Cornificius, sive quisquis ille magister Herennianus lib. iv: *Ait se adeis maximas cuidam amico ad nuptias accommodâsse.* (Lambinus leg. *commodasse*) *Nuntiat interea puer argentum repeti (pertimuerat enim qui commodârat) Apage te, inquit, ædes commodavi, familiam dedi.*

Condonare, pro *remittere*, displicet Andreæ Schotto lib. iii Tull. Quæst. † Quasi non ipsius Ciceronis sit pro Milone: *Non deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis propter multa ejus in Remp. merita condonetis.* Nec aliter Terentius prologo Eunucho:

† Pag. 256.

Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur.

Similiterque Cæsar, Sallustius, Hirtius, alii.

Conjicere culpam in aliquem, damnat Andreas Schottus lib. iii Tull. Quæst. * Jubet autem Ciceronem sequi, cujus est lib. de Orat. *Crimen in adversarium conferre.* Sed Cæsaris est in iv belli Gallici: *Tunc facto prælio remiserunt, & in petenda pace ejus rei, culpam in multitudinem rejecerunt.* Lapides mihi loqui videntur viri cætera eruditissimi, cùm tam faciles sunt in damnandis in Cicerone quidem non lectis, sed quæ apud æquales ejus, inque his Cæsarem ipsum, reperiantur.

* Pag. 226. d

Conscribere militem nescio, cur inter vulgaria sordidaque reponat Andreas Schottus in iii Tullianarum Quæst. † De eo enim, qui exercitum colligit, crebro apud Ciceronem ipsum legas. Ac similiter sæpius Cæsar, & quis non? At aliud *sub signis habere legiones, milites, aut militares copias.* Nec pro eo alterum illud vel à vulgo sumi solet.

† Pag. 259.

Conversari, pro ὁμιλεῖν, Latinum negat in tertio Tullianarum quæstionum Andreas Schottus *. Sed Senecæ est, epistolâ c: *conversari tristitia*, ὁμιλεῖν τῇ λύπῃ. Idem iii de Ira: *Sumuntur a conversantibus mores.*

* Pag. 220.

Corradere pecuniam improbat Andreas Schottus lib. iii Tullianarum Quæstionum †. Jubet cum Cicerone dicamus, *conficere pecuniam*, vel *redigere pecuniam ex re aliqua.* Sed Terentii est Adelphis: *Minas decem corradet alicunde.*

† Pag. 254.

D.

D*Etrahere de summa* rejicit Andreas Schottus lib. iii Tull. Quæst. * Dicere autem præcipit: *deducere.* Quomodo Cicero in Offic. *Addendo, deducendoque videre, quæ reliqui summa fiat.* Sed ipsius est Ciceronis in x ad Att. *Rogavi, ut siquid posset, de summa ea detraheret.*

* Pag. 229.

Diffamare rejicit Andreas Schottus lib. iii Tullianarum Quæst. † Jubet vero cum Tullio dicere *inferre alicui infamiam.* Sed Ovidii est Met. iv fab. v:

† Pag. 238.

—— *Stimulataque pellicis ira*
Vulgat adulterium, diffamatumque parenti
Indicat.

Nec in prosa refugit Tacitus lib. i Histor. * *Secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum, &, quò incautior deciperetur, palam laudatum.* Item tertio Histor. †: *Legatus legionis & fovit Verginium, & infamavit.*

* Cap 64. † Cap. 61.

Diminuo negant poni posse pro eo, quod prius *deminuo* fuit: eoque & *lapillus, homullus*, similiaque, negant *diminutiva* dici posse. Nam, inquiunt, *de* etsi variè sumatur, (sanè & significationem quandoque intendit, ut in *deamo*, ac fortasse etiam in *deservio*) propriè tamen, significat ablationem; unde *deartuo*, artus demo; *defloro*, florem aufero; *depeculor*, pecus, vel peculium adimo, ipsum *demo*, ex *deemo*: similiaque *decerpo, defringo*, &c. At *di* ajunt esse è *dis*, hoc à διὰ, & significare divisionem, ac distractionem in partes diversas; ut in *dissipo, discerno, distinguo, differo, dissideo, dissuadeo*, quod est, diversum suadeo. Quare *deminuere*, esse demere quid: ut cùm ex centenis auferimus dena: & ideo Plautum dicere Truculento act. ii sc. vii:

Nam jam de hoc obsonio de mina una deminui
Modò quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam.

At *diminuere* esse diffringere, ut *diminuere caput*; quod qui se facturum minatur, non se ait nasum, vel aures amputare velle, sed lapide, baculo, vel alio confracturum, vel vulnus inflicturum: in omni autem vulnere est solutio continui. Sed ista, quæ tam speciosè obtendunt, concidunt prorsus, si cogitemus, vocalem *E* sæpe in *I* abire, ac composita crebrò pro simplicibus usurpari. Sanè *deminuo* antiquum est, ac eò Plauto usurpatum, ut alluderet inter *de mina*, & *deminuo*. At *diminuo* est usitatum; sumiturque pro *minuo*, uti *imminuo*, & similia. Unde Cic. ii de Off. *Neque de bonis privatorum publicè diminutio fiat.* Sed dixeris, Lambinum annotâsse, fortasse hic *deminutio* legi oportere: imò sic legi in optima illa Guilielmii, & Gruteri. At Tuscul. i. legas, *Lunam accretione & diminutione luminis quasi fastorum notantem & significantem dies.* Scio, & istic Lambinum malle *deminutio.* Sed aliter libri, etiam editio Guilielmii memorata.

E.

E*Lapsum est*, si audimus Andream Schottum *, minùs rectum: ac pro eo *excidit* dicendum: uti Cicero pro Sylla: *Verbum ecquod unquam ex ore ejus excidit casu aliquo, unde quisquam posset offendi.* Sed utrumque rectum

* Lib. 3 Tull. Quæst. cap 231.

rectum esse, indicat hoc Ciceronis pro Domo sua: *Ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest.*

Excrescere Remp. quæ augetur ac magis magisque viget & efflorescit, non video, cur damnet Andreas Schottus lib. III Tull. Quæst.* Nam cur non sic loquar, uti Plinius lib. XXXVII cap. II: *Excrescitque indies ejus rei luxus.*

* Pag. 231.

Extrahere lingua displicet in Tullianis Schotto* pro eo quod Ciceroni pro Cluentio *exsecare.* Rectè, dum alterum ne damnet in alia significatione. Generale est *eripere linguam:* quod apud Ovidium est II Fast. At modus eripiendi, nunc fit resecando, unde *resecta ense lingua* Ovidio in Ibin: nunc extrahendo, sive potius avellendo: unde Cicero III de Orat. jungit, *excidere vel avellere linguam.*

* Pag. 232.

Experiri displicet Schotto†, pro *periclitari*, vel *periculum facere.* Sed Bruti est epist. ad Cicer. lib. XVI: *Experiarque, & tentabo omnia.* Interim experimur etiam nullum adeuntes periculum: unde Cicero pro Flacco: *Cum periculo aliquid experiri.* Latius igitur *experiri* patet, quam periculum facere: ut, qui periculum facit, experiatur: at non quisquis experitur, cum periculo id faciat: nisi laxius voce *periculi* utatur: quatenus à πεῖρα originem ducit. Nam *periri*, unde *peritus*, & *experiri*, est a πειρῶ, pro quo & dicimus πεῖραν λαμβάνειν.

† Lib. 3 Tull. Qu. pag. 249.

Expostulare de aliquo rejicit, proque eo, *conqueri de aliquo*, dicere jubet Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst.* At Terentii est in Andria:

* Pag. 227.

> *Adeamne, & cum eo injuriam hanc expostulem.*

Cicero quoque ad Metellum: *Tecum de his rebus expostulem.*

F.

Facere etiam sine accusativo, vel ablativo rectè dicitur pro *sacrifico.* Imò ipsius est Ciceronis pro Muræna: *Nolite à sacris patriis Junoni Sospitæ, cui omnes consules facere necesse est, domesticum, & suum Consulem potissimum avellere.* Et ad Att. lib. I. epist. X. *Quæ pro populo fieret.* Et Juvenal. lib. III sat. III:

> *Pro populo faciens, quantum Laufella† bibebat.*

† Al. Saufeia.

Quare etsi iis non adsentiam, qui in verbis illis, *Hoc facite in mei recordationem*, exponant sacrificate: tamen infirmo nituntur argumento, qui eò negant posse sic accipi, quia non addatur accusandi, vel auferendi casus.

Facere regem, damnant, ac dicere jubent pro eo, *creare, appellare, salutare,* προσαγορεύειν. At vetus illud in Ventidium Bassum:

> *Nam mulus qui fricabat, consul factus est.*

Fingis hoc, pro *mentiris*, damnat Schottus Quæstionum Tullianarum lib. III*, quia Ciceroni, ut ait, *fingere* sit *ingeniosè aliquid excogitare.* Sed Ovidii est:

* Pag. 234.

> —— *Nec fingunt omnia Cretes.*

Hoc est, quamvis mendaces, non tamen semper mentiuntur.

Finire librum, vel *opus*, improbatur ab Andrea Schotto Tull. Quæst. lib. III†: nempe quia pro eo *absolvere*, vel *ad exitum adducere*, Tullius dicat: cui *finire* potius est *finibus ac terminis suis circumscribere.* Ut ad Att. lib. VIII: *Provinciam alicui certo tempore finire.* Sed quandoque *incipere*, & *finire*, esse contraria ostendit Fabii illud de vitio allegoriæ lib. VIII cap. VII: *Multi enim initium à tempestate sumserunt, incendio, aut ruinâ finiunt.* Et si cum Cicerone fas componere Appulejum; hujus est: *Sane opus finiam, quod incepi.* Sed ut hæc non respuam, satius tamen loqui cum Tullio, vel poëtæ cum Horatio, atque Ovidio: illius* est, *Exegi monumentum:* hujus†, *Jamque opus exegi.*

† Pag. 235.

* Lib. 3 od. 30. † Met. lib. 15.

I.

Impendere alicui res, vel *in rem aliquam, studium, operam, curam, industriam*, rejiciuntur ab Andrea Schotto in tertio Quæstionum Tullianarum*. Proque eo dicere jubet, *conferre operam*, vel *studium in rem aliquam.* Sed *impendere operam* dixere Varro lib. II de R. R. cap. XI, & Columella lib. XII cap. I. Fabii quoque est Præfat. lib. I, *impendere studia juvenibus erudiendis.* Plinii quoque est epist. XL: X, *impendere studiis laborem.*

* Pag. 226.

Induere calceos, pro eo, quod Ciceroni *inducere*, displicet Andreæ Schotto lib. III Tullianarum Quæst.† Sed sic dixere Plinius lib. XXVIII cap. IV. & Suetonius in Augusto: cujus est, *Si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextro induceretur.*

† Pag. 239.

Injungere pro *imponere onus*, aut *mandare*, vel *negotium dare*, improbatum Schotto in tertio Tullianarum Quæst.* Sed Plautus sic loquitur Bacchid. Item Livius, Columella, Quinctilianus, inque epistolis Plinius.

* Pag. 139.

Intrare domum improbat Schottus in Tullianis Quæst.† Ac rectè quidem ait Cicero pro eo dicere *inire domum.* Sed Ovidii est Fast. VI:

† Pag. 237.

> —— *Domum parva solita est intrare fenestra.*

Imò Cicero ipse Philipp. II: *Tu illud es* (ausus) *sanctissimum limen intrare.* Ac alibi similiter: uti & Tranquillus, aliique alii.

M.

Mereor ajunt tantùm sumi activè, eoque nomine, ut solent, culpant vulgatum Scripturæ interpretem ad Hebr. XIII. 16. *Talibus hostibus promeretur Deus.* Ubi Græcè εὐαρεστεῖται. At observo Plinium ipsum *merendi* voce usum passivè. Nam lib. VI naturalis Historiæ legas cap. XXVIII: *Quas Trebia, Ticinusque, aut Thrasymenus civicas dedere? qua Cannis est corona merita?*

Mulcare Latinis auribus est verberibus *mollire.* Ut apud Terent. Adelphis act... sc. II:

> *Ipsum dominum, atque omnem familiam mulcavit.*

Ita in vett. libris reperit Faërnus. Et ab hac significatione Vulcanus dicitur Mulciber. Donatus in Hecyr. act... sc. I:

> *Nam propriè Mulciber dictus est, quod omnia mulceat, id est molliat.*

De origine & natura ejus verbi dictum lib. III Orator. Instit. cap. V. sect. VIII. At præterea usi juniores pro evertere, prosternere. Quomodo de La-Cerda interpretatur in isto Althelmi de octo principalibus vitiis:

> *Denique si potuit cœli mulcare ruinas.*

N.

Nocere alicui improbat Schottus in Tullianis Quæst.* Ac præcipit dicere *fraudi esse alteri.* Quomodo Cicero de Divin. ait: *Hac res nemini fraudi unquam fuit.* Sed ejusdem Ciceronis est III Offic. *Ut non liceat sui commodi caussa nocere alteri.* Et sæpe sic alii, præcipuè Ovidius.

* Pag. 234.

Notare aliquem pro *perstringere* culpat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst.† Sed Ciceronis est lib. II de Oratore: *Notari, & vituperari sine vitiorum cognitione satis insigniter improbus non potest.* Imò non simplex reprehensio significatur semper, sed fere quæ cum dedecore est conjuncta, ut tum idem videatur ac *traducere.* Ut apud Ciceronem de Claris Orat. *Improbitatem Atheniensis Hyperboli veteres Atticorum comœdia notaverunt.* Sic Cic. pro Domo sua: *Notatissimus omnium scelerum libidinumque maculis.* Hoc est, infamis redditus.

† Pag. 249.

O.

Objurgatus est pro *objurgavit*, non dixero, nec in aliis tamen culpato, modò dicant se id facere auctoritate Cœlii lib. VIII inter Ciceronianas epistola sexta, vel aliis in codd. nona: *Curionem prorsus non mediocriter objurgatus, hac repulsa se mutavit.* Sed juratus pro eo, *qui juravit*, sæpius legas: *objurgatus*, activè uno, ut censeo, hoc loco. Et Paullus Manutius, uti scripturam probat, ita, ut durissimum sermonem Cœlii culpat, & in hoc, & alias sæpe.

P. Pal-

P.

PAlmare, pro adulari, ac palpare, constanter habent omnes libri Ciceronis in epistola Asinii Pollionis tertia ac trigesima lib. x: *Palmare necesse erat, si vellem commeatum, per provinciam ejus iter faciens, habere.* Damnare non ausim, quando nihil impedit, quo minus dixerint *palmare* quasi palma demulcere, uti *depalmare* pro palma percutere est apud Agellium. Nec multum abit Henricus Stephanus, qui deponentium formâ *palmari* mavult in suo Pseudocicerone*.

* Pag. 178.

Persequi aliquid displicet Schotto†, ac præfert prosequi, quia Tullius, vel potiùs Cornificius ad Herennium dicat: *Nec ab ultimo repetamus, ne longius prosequamur.* Sed utroque modo Ciceronem loqui video.

† Lib. 3 Tull. Quæstionum pag. 253.

Pertinet hic ager, aut liber, ad Titium: pro *Titius est ejus dominus*, pervulgatum est. Sed aliter antiquiores. Nec tamen penitùs damnem, quando sic loqui videtur Pomponius L. Verbum. D. de verborum significationibus.

Præsagire pro *præsentire* displicet Schotto lib. III Tull. Quæst.* Sed Livii est lib. XXIX de Hannibale: *Jam hoc ipsum præsagiens animo præparaverat ante naves.*

* Pag. 251.

Prævenire pro *prævertere* displicet Andreæ Schotto in tertio Quæstionum Tull.† Sed Livii est lib. XXIV: *Prævenerat non fama solum, qua nihil in talibus rebus est celerius: sed nuntius etiam ex regiis servis.* Ac similiter alibi: & alii. Etiam Maro, sed κατὰ τμῆσιν, in Bucol. *Præque diem veniens:* pro, *diem præveniens.*

† Pag. 246.

Profligata opera num pro *affecta* dici debeat, jam Agellii ætate dubitatum fuit. Libro enim XV cap. V refert, ex Sulpicii Apollinaris epistolâ advocatum quendam derisum esse à prætore non indocto, quem ita compellârat: *Omnia, vir clarissime, negotia, de quibus te cogniturum esse hodie dixisti, diligentia & velocitate tuâ profligata sunt.* Sed prætorem potiùs, & Apollinarem, atque Agellium, falsos esse, argumento est, quod ipse ita locutus sit Augustus: ut cognoscere est ex lapide Ancyrano, qui in edit. Gruter. inscript. legitur*: In eo habes inter alia: ET ÆDEM SATVRNI COEPTA PROFLIGATAQ. OPERA A PATRE MEO PERFECI. Quod in Grammatico hujusce editionis indice exponitur *coeptoris inchoata*, id nemini placiturum puto: cùm eopse ex loco, itemque Agellio, pateat de opere prope confecto dici solere. Agellio quoque adversatur locus Ciceronis lib. V quæst. Tuscul. *Atqui si ita est, profligata jam hæc & penè ad exitum perducta quæstio est.* Existimat quoque Justus Lipsius non multum ab hac loquendi forma differre illud Taciti in II Histor. Profligaverat bellum Judaicum Vespasianus. Aliquid interim discriminis: similiusque illud Ciceronis lib. XII epist. XXX: *Profligato bello, ac pene sublato, renovatum bellum gerere conantur.* Gifanius in postumo opere Observationum L. L. censet Sulpitium Apollinarem, ac Agellium, eo posse excusari, quòd veteres quidem usi sint de bello, aut controversia, quæ pugnæ bellicæ similis: sed nunquam usos de ædificio, ut Agellii tempore fiebat. Sed quicquid de Cicerone sit, saltem sub Augusto Cæsare sic locuti: ut ostendunt allata Augusti verba.

* Pag. 232.

Publicare bona negat Andreas Schottus† sumi pro *proscribere*. Sed aliud veterum usus ostendit: ac utrumque est Ciceronis. Propriè tamen bona publicantur, cum Principis vel Senatus judicio adjudicantur publico. At proscribuntur, cum libello palam, ac publice proposito venalia proponuntur. Quomodo & domus proscribitur à quolibet privato, cum inscriptione apposita significatur eam venalem esse, vel locandam. Charisius lib. II Inst. Gramm. *Proscribo est palam & apertè scriptum propono; ut cum bona alicujus proscribo.*

† Tullian. Quæst. lib. 3. pag. 253.

R.

REcitant propriè, qui de scripto legunt; *pronunciant*, qui memoriter dicunt. Quomodo manifestè distinguit Plinius libro II epist. XIX. cùm ait: *Recitantium verò præcipua pronunciationis adjumenta, oculi, manus, præpediuntur.* Atque idem planum fit illo Tranquilli in Augusto cap. LXXXIV: *Nam deinceps neque in Senatu, neque ad populum, neque apud milites, locutus est unquam, nisi meditatâ, & compositâ oratione: quamvis non deficeretur* (perperam in vulgatis est *deficeret*) *ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia.* Proque eo, quod hic dicit recitare, mox ad ταυτότητα effugiendam ait, *sermones in scriptis, & è libello habere.* Ejusdem in Claudio est cap. XLI: *In principatu quoque & scripsit plurimum, & assidue recitavit per lectorem.* Idemque Tranquillus in vita Terentii, quæ cum pauculis aliis vitis è libro ejus de Poëtis superest. Nam falluntur, qui Donato eam Terentii vitam tribuerunt, cum vita ejus his verbis terminetur: *Hæc Suetonius Tranquillus.* Ut Donati solùm sint, quæ consequuntur. Sunt verò, quæ dixi, hæc verba Tranquilli; *Jussus Cæcilio recitare, ad cœnandum cùm venisset, quod erat, contemtiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens, legisse dicitur.* Sunt & alia aliorum loca plurima, unde appareat, recitationem propriè de scripto fuisse. Aliquos alibi* adduximus, de more veterum recitandi agentes. Nec tamen iis ausim subscribere, à quibus pædagogicus, ac cellarius sermo existimatur, cùm pueritia jubetur ea quæ ex Cicerone, vel alio, sunt præscripta, recitare, hoc est, memoriter dicere. Celsus enim de phreneticis ait lib. III cap. XVIII: *Quin etiam recitare, siqua meminerunt, cogendi sunt.* Ac Quinctilianus declam. VI ait de muliere cæca: *At ista legem recitat, & in cadaver filii perorat.* Nec enim cæca de scripto poterat recitare. Sed ut Celsi auctoritatem non aspernamur, ita levis est posterioris scriptoris auctoritas. Neque enim declamationes istæ sunt Fabii Quinctiliani, cujus institutiones Oratorias habemus, sed vel M. Flori, vel Posthumii Junioris, vel sylloge variorum declamatorum: qua de re pluribus diximus libro I Oratoriarum Institut. cap. XI.

* In tertio de re Poëtica.

Reperire, & *offendere*, ex hominum quorundam doctissimorum sententia tum solùm dicimus, quando quid casu, & non quæsitum nanciscimur: *invenire* autem, quando incidimus in id, quod quærimus. Sed non perpetuum esse hoc discrimen, vel Terentii illud evincit Phorm. act. I sc. IV:

Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quærere insistam via?

Objectant Ovidii illud lib. I Met.

—— Tune es quæsita per omnes
Nata mihi terras? tu non inventa reperta es?

Sed locum male ceperunt homines doctissimi. Est enim ὀξύμωρον: quasi dicat parens, filiam inventam, & non inventam: inventa erat vacca, in quam Io conversa: quæ vacca filia quodammodo erat, quia fuerat; nec nunc vere erat, quia non ultrà homo erat. Diximus de hoc etiam libro V Institut. Orat. cap. XII sect. VII.

S.

SArcire, aut *resarcire*, pro *compensare*, rejicit Andreas Schottus in III Tullianarum Quæst.* Atqui sic Cicero lib. III Epist. I: *Longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, & gratiâ, crebritate, & magnitudine officiorum meorum sarciam.* Et lib. XIII epist. LXII: *Impudentia prosequor, sed idem sarciam.*

* Pag. 225.

Scatere, vult Claudius Verderius in suâ censurâ solùm de latrinis humectantibus ac redundantibus dici: atque id ἐτυμολογίᾳ comprobari, quia sit à σκάτον vel σκατὸς, à quo Medici dicti σκατοφάγοι. Itaque Vallam impugnans, *Heus tu*, inquit, *quid tibi cum tuo scatere, latrinarum verbo?* Quin idem quoque non dubitat Pomponium Melam culpare, quod dixerit Britanniam feris scatere.

tere. At secutus Mela Lucretium, cujus illud lib. quinto vers. xL:

—— Ita ad satiatem terra ferarum
Nunc etiam scatit.

Alibi quoque similiter hoc usus vocabulo lib. vi:

Quod genus endo mari spirat fons dulcis aquai
Quod scatit. ——

Et inferius paullò:

Et scatere illa foras in stupam semina.

Quibus in locis, uti & semel iterumque libro quincto, antiquè *scátere* in tertia inflectit pro scatére, quomodo & fervere dicebant & *fervére*. Sed ante Lucretium Plautus quoque *scatendi* voce usus erat re honestâ. Ejus est in Aulularia:

Quæ mihi interbibere sola, si vino scatit,
Corinthiensem fontem Pyreneni potest.

Ubi *scatit* antiquè dixit pro *scateat*, ut Horat. *edit*, pro *edat*. derivatis quoque *scatebra*, *scaturigo*, *scaturio*, de fontibus usi Maro, Columella, alii. Nec etymon mihi objectes. Nec enim est a σκαίτ⊗, ut Verderius putabat: sed à Chaldæo שׁ, effudit.

Subornare nemo Latinum negat: sed ea significatione, qua de falsò accusantibus dicitur, rejicit Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst. † Sed Ciceronis est in Vatinium: *Confessus es, à te accusatores esse instructos, & subornatos.*

† Pag. 221.

Superesse pro defendere, Latinè dici negat Agellius lib. I cap. xxII. Verum ita locutus Suetonius, imò fortasse Augustus, de quo hæc apud Tranquillum* legere est: *Cum Asprenas Nonius arctius Augusto junctus caussam veneficii accusante Cassio Severo diceret, consuluit Senatum, quid officii sui putaret. cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum; sin deesset, destituere ac prædamnare amicum existimaretur.* Item Tacitus lib. III Annal. *Fide ac virtute legatos se consiliis superfuisse.* Imo, ut Græci dicunt ἐφιστάναι τοῖς πράγμασι, ita *rebus suis superesse*, legere est apud Justinianum tit. de curat. Paullum L. II. D. de cur. fur. & Ulpianum L. his qui. D. de tutoribus, & curatoribus dandis. Est & apud Arnobium hic sermo: ut lib. III: *Ludentis est dicere, Deos nobis superesse custodes.* Item: *Unctionibus superest Unxia, cingulorum Cinctia replicationi.* Et lib. IV: *Libidinum superesse tutelis*, quod non rectè in Editionibus quibusdam mutatum esse, rectè observat Stewechius. Plautum quoque ita locutum censet Palmerius extremo spicilegio in Mil. Glor. Imo Ciceronem ipsum sic usurpare, autumat Janus Guilielmius lib. II Verisimil. cap. IV.

* In Augusto cap. 55. sive, aliis edit. 56.

Subscribere literis displicet Andreæ Schotto lib. III Tull. Quæst. Ac jubet pro eo dicere *signare literas*, vel *obsignare*. Quasi hæc non multum distent. At, inquit, *subscribere Ciceroni dicuntur ii, qui in judiciis, qui una, cum accusatoribus rei nomen deferunt.* Rectè: sed quis nescit, sic veteres loqui, quia subscriptio nominis fieret ab iis, qui accusatori se socios adderent. Vide Asconium Pedianum in Cic. de Divinatione, & Verr. III.

T.

T*Axare aliquem* displicet, ut Nizoliano Indici barbarorum, sic Andreæ Schotto libro III Tullianarum Quæstionum †. Ubi pro eo dicere jubet, *perstringere*. Quomodo Tullius pro Sulla: *Nemo unquam me tenuissimâ suspicione perstrinxit.* Alii dicere præcipiunt, *præcipere*, *culpare*, *in aliquem invehi*. Credo Augusti ævo non ita locutos. Interim Suetonii non vilis auctoritas in Augusto cap. IV: *Sed etiam ut nummularii nepotem sic taxat Augustum.*

† Pag. 249.

Tenetur hoc facere, pro *debet*, video improbari ut barbarum. Nec facilè utar. Attamen de barbarie arguere non ausim, quia *teneri* etiam est obstringi: ut, *teneri legibus*. Sic Horatius lib. I epist. VII: *Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.*

Transigere cum hæredibus (pro quo Cicero *conficere cum iis*) improbatur à Schotto in Quæstionibus Tull.* Quasi non Ciceronis ipsius sit pro Roscio Com. *Roscium* pro sua parte cum Flavio transegisse. Et ad Att. lib. XIII: *Me absente omnia cum illis transigi malo.* Ac, similiter alibi.

* Pag. 216.

V.

V*Isere cupio* Latinum non sit, si Priscianus rectè ait, *viso* esse *videre cupio*. Atqui Ciceronis est ad Att. lib. II epist. V: *Cupio equidem, & jampridem cupio, Alexandriam reliquamque Ægyptum visere.* Neque eo, *ut visam*, sit Latinum, si rectè Valla† *viso* interpretatur, *vado ad videndum*. Atqui Terentii est Heaut. act. I sc. I:

† Lib. I. cap. 33.

Ibo ut visam, si domi est.

Nempe non vidit uterque propriam vim vocis. Notat autem id *visendi* verbum, non obiter adspicere, sed cum cura videre: ut qui avidè lustrant urbem, vel officii aut affectus ergo adeunt quemquam.

DE PARTICULIS, UBI VOX IPSA LATINIS CREDITUR IGNOTA.

SUpersunt particulæ, è quibus itidem non paucæ, ut barbaræ, immeritò culpantur. Dicam de iis priùs, ubi vox ipsa est suspecta: deinde ubi Latinam esse vocem agnoscunt: sed significationem, immeritò in dubium vocant.

Abusivè, καταχρηστικῶς, Index Nizoliano Ciceronis Thesauro additus, vel barbarum ait, vel saltem non Ciceronianum dicitur. Posterius fateor. Nec utar, nisi in arte tradenda, Fabii exemplo lib. III cap. IV. Alioqui cum Tullio malim, *minus propriè*, vel simile.

Affabiliter ibidem improbatur. Sed Agellius ne *affabilissime* quidem refugit lib. XVI cap. III.

Aliquantisper, damnant: dicereque jubent: *paullisper*, *parumper*. Sed prius est Plauti.

Aliquoties non semel apud Tullium invenitur, quo paret oscitantia Angeli Decembrii lib. III de politia literaria parte XXIX*, ubi scribit, non meminisse se uspiam sibi hanc vocem esse lectam. Mallem hoc dixisset de *multoties*. Sed de isto jam vidimus.

* Pag. 267.

Altrinsecus, damnant pro ab utroque latere, utrimque Petrus Damiani lib. III epist. VIII: *Quini nummorum solidi per quatuor altrinsecus angulos in sudario sunt ligati.* Sed præivit Plautus.

Antiquitus eodem Nizoliano Indice improbatur. Nec utitur Tullius. Ac per me licet pro eo dicas *antiquis*, vel *bonis temporibus*, vel simile. Attamen Cæsaris est in primo de bello Civili: *Qui in eorum fide antiquitus erant.* Ut præteream Fabium, Tacitum, Tranquillum.

Concorditer ab ejusdem Indicis scriptore improbatur. Sanè pro *conjunctis sententiis* non sic Cicero dixerit. Sed pro eo quod Græcis ὁμοθυμαδὸν. Cicero pro Rabirio ne quidem *concordissime* refugit. Est & Plauti Curcul. II. II. *concorditer inter se congruere.* Etiam Sosipater adstruit gemino scriptore, Ennio in primo Annalium, & Sallustio in IV Historiarum. Ennii quidem versum sic legebat Hieronymus Columna:

Alternâ scitote die concorditer ambo.

Ut scitote idem valeat ac *sciscite*, *decernitote*. Sallustii locum ita corrigebat Janus Douza pater: *Scio equidem tibi*

magnas opes virorum, armorum, & auri esse, & eare ab nobis concorditer ad societatem, ab illis ad prædam peteris.

Consequenter non penitus damnem, cum sit apud Ulpianum.

Clanculum rejicit idem Index, quia Cicero pro eo *clam* semper dicat. Atqui alterum non Plauti modò; sed etiam Terentio in Eunucho, & Adelphis usurpatum.

Continue pro quo Cicero *assidue, continenter, usque*, apud Fabium est lib. I. cap. An virtus sit Rhetorice.

Desidiose, pro quo Index Nizolianus *per desidiam* cum Tullio jubet dicere, apud Lucretium est lib. IV.

Deorsum rami, pro *inferiores*, dixit Theodorus Gaza in Theoph. Histor. Plant. lib. III cap. XIII. Negat ibi in Animadversionibus suis Cæsar Scaliger, sic se locuturum absolutum, vel cum verbo quietis. Sed enim agnoscit ipse sic loqui Varronem in III de Re Rustica: quod sufficere debuisset.

Efficaciter ibidem damnatur, quia apud Tullium sit *efficienter*. Sed aliud est *efficienter*, aliud *efficaciter*. Ciceronis est de Fato, *caussa est quod efficienter antecedat*: h. e. in efficiendo. At *efficaciter* valet, sic facit, ut sua vi perficiat. Ut Plinii lib. XXVIII cap. VI: *Capitis ulcera manantia urina tauri efficaciter sanat.* Sic *efficacissimè* contingit legas lib. XXVIII cap. I.

Examussim quidam rejiciunt, eo compulsi, quod sit ab *amussis*: nec præverbium *ex* jungi possit casui accusandi. Eoque *adamussim* dicere jubent. Nec vocem eam improbamus: quippe qua Varro utatur lib. I de R. R. cap. I: & ejus exemplo Macrobius lib. I Saturn. cap. IV, atque alii. Nec eo *examussim* damnandum: cùm *amussim* hic non accusativus sit, sed adverbium obsoletum. Estque simile *exadversum*: quod non est ab *ex*, & nomine *adversus* (nam semper *exadverso* diceretur) sed ab adverbio, vel præpositione *adversum*. *Examussim* legas apud Agellium lib. I cap. IV: ubi tamen Lugdunensis Vincentii editio *adamussim* habet: sed in Manuscriptis est *examussim*, eosque secutis Tornæsiana, & Stephanica. Usus etiam Plautus Amphitry. act. IV sc. V. ubi sic Blepharo:

> —— *Hic examussim rem enarrat, & tum.*

Sed dixeris, hanc scenam, ac duas præcedentes non esse Plautinas, inque codd. vett. etiam MSS. plurimis desiderari. Non repugno: attamen antiqui sunt auctoris, ista sic in Plauto supplentis, quæ desiderari viderentur. Quicquid de eo est, Plautus ipse sic loquitur eadem comœdia act. II sc. II:

> *Næ ista adepol, si hæc vera loquitur examussim est optima.*

Quomodo in omnibus est codd. etiam illa Aldi, sive Asulani. Atque ita jam olim Charisius legit lib. I: ubi & Sisenna, addit exposuisse id vocabuli, *pro examinato*. In Philoxeni etiam glossis hanc vocem reperias. Sed exponitur ἰσότης: verum non *examussim*, sive ἀκριβῶς, ut fortasse aliquid desideretur: quemadmodum si scriptum fuerit, *Examussim*, ἀπηκριβωμένως. *Examina*, ἰσότητας.

Forinsecus, non modo Appuleii est, Solini, Palladii, Cælii Aureliani, Lactantii, ac his juniorum; sed etiam Plinii, atque adeo Columellæ.

Fraudulenter ibidem rejicitur: quia Cicero pro eo *insidiose*. Sed *fraudulenter investare* est apud Columellam lib. I cap. VIII: *fraudulentius invidere* est Plinii lib. XXX cap. X.

Jactanter nusquam legi scribit in Thesauro suo Rob. Steph. Verùm Tacitus lib. II Annalium dixit in oratione Domitii Celeris: *Periisse Germanicum nulli jactantius mærent, quàm qui maximè lætantur.*

Ignaviter quidem Ciceronis non est, qui pro eo *ignave*: sed altero usus non Lucilius modo in Satyris, sed etiam Hirtius ad Ciceronem lib. XV epist.

Impatienter non reperias apud Ciceronem, qui pro eo malit *intoleranter*: sed usurpat alterum Plinius lib. II epist. VII, quæ ad Macrinum.

Incassum, improbant, quia Cicero pro eo dicat *frustra*. Sed incassum usurpant Sallustius, Virgilius, Livius.

Indesinenter nihilo magis apud Tullium est, qui pro eo, *nullo punctio temporis intermisso*. Sed Varro in II de R. R. cap. IX ait: *Et si alter indesinenter ager est, ne sine cane grex sit.*

Indubitanter respuit Tullius, cujus tamen est, *non dubitanter*, ac pro eodem, *sine disputatione, pro certo*. Verùm Plinii est lib. XVIII cap. XI: *Quæ palma frugum indubitanter Italiam contingit.*

Infinitè pro *in infinitum* dicendum ait Cornelius Crocus. Quomodo nempe Erasmus libello de Verborum Copia ait: *Ut rem infinitè variam summatim dicam.* Sanè istic *infinite* malim: ut Cicero *infinitè concupiscere*, in Paradoxis: & *infinite secari atque dividi* ait Acad. Quæst. lib. I. Sed alterum non esse ἀπλῶς damnandum, arguit, quòd Plinius dicat lib. XVII cap. XXV, *Ne in infinitum abeamus.* Nec absimile lib. XIII cap. IX de nucleo Persicæ Ægyptiæ: *Siccatus durescit ad infinitum.*

Incolorate, sine colore ullo, vel prætextu, rejicerem, nisi legeretur apud Senecam lib. VII controversiarum. Utitur hoc eodem vocabulo Ulpianus D. De minoribus L. XVIII. §. I. *Non audierunt incoloratè restitui desiderantem.*

Incunctanter legas apud juniorum varios: in his Saxonis Grammatici æqualem Suenonem, præfatione in Leges Castrenses. Sed vetus esse ostendit, quod invenias L. Si rogatus XX. ff. De manumiss. vind. Sic *incunctabilis, indubitabilis*, L. Ob carmen, XXI. §. I De test.

Industriosè damnant, quia Cicero pro eo dicat *industriè*: sed & Cæsar. Verum antiqui non refugerunt, quando Catonis est in Originum libris: *plerumque Galliam duas res industriosissime persecutam, rem militarem, & argutè loqui.* Adducit Charisius lib. II. Imò nec refugit Suetonius in vita Juvenalis ex libro illius de claris poetis cum paucis aliis residua: *Deinde paucorum versuum satyra non absurdè compositâ in Paridem pantomimum poetamque ejus, semestribus militiolis tumentem, hoc genus scripturæ, industriosè excoluit.*

Inopinato, non est apud Tullium: sed in Philippicis pro eo dicit *nec opinatò*. Livii interim est lib. VI belli Punici, & lib. IV Macedonici.

Iratè, pro *iracundè*, Cicero nescit, sed scit Columella lib. VII cap. XII.

Largifiue non ausim damnare, cum *largifluus* usurpet Lucretius, & vetus poeta apud Ciceronem. Dudo, S. Quintini decanus lib. III Actorum, & Morum Normannicorum*: *Finito impetratæ pacis placito fœderatisque Rege, & Duce Richardo, muneribusque alternis utroque largifluè ætate, regreditur ad sua quisque equitatu prospero.*

* Pag. 151.

Laudabiliter semel apud Tullium legas: hoc nisi foret, damnarent Ciceroniastri nostri quia Tullius alias pro eo dicat *cum laude*.

Lethaliter, ut Tullius ignoret, apud Plinium tamen legas lib. XI cap. XXXVII.

Meditate pro quo Cicero *cogitate*, apud Plautum est Bacch. & Milite glorioso.

Minutim, ut Ciceroni non usurpetur, qui pro eo *minutatim, exiguè, exiliter*, κατὰ λεπτόν, præter Lucilium tamen Columella usus lib. IV cap. XIV.

Militariter est apud Augustinum epist. LVI: *Nomen Anaxagoræ propter literatam vetustatem omnes, ut militariter loquar, literatores libenter sufflant.* Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLIV §. XXVIII pro *militariter* malit *mediocriter*. Sed militum more se loqui velle ait Augustinus, voceque ea usi etiam Livius ac Tacitus. Sanè & suus est castris sermo: unde Plinius in prologo operis sui *conterraneus* castrense appellat vocabulum.

Misericorditer apud neminem veterum reperio: sed sufficere puto, quod Terentii sit Adelphis act. IV sc. V.

> —— *Factum à vobis duriter,*
> *Immisericorditerque.*

Novissimè (Charisii verba sunt) *Tiro in Pandectis non rectè ait dici, adjicitque, quod sua cœperit ætate id adverbium. Ubi Flavius Caper de Latinitate, Miror, inquit, id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro secundo, Mater cum novissimè ægrotasset, inquit, vovisse fertur. Idem* XXII. *Quod novissimè nobiscum fœdus fecissent.* Unde cognoscimus, quàm multa etiam veteres damnassent, quæ proba essent. Tironis verò ætate obtinuisse, arguit quod Plancus ad Ciceronem sic scribat: *Quo ego interprete novissimè usus sum.* Quid mirum verò, si *novissimè* sic dixerint, cum & *novissimus*, pro *extremo* M. Cato Censorius usurparit: quem Sallustius in hoc secutus; uti testis Agellius lib. X cap. XXI. Multi tamen id vocabulum refugere, ut Ælius Gallus, Varronis præceptor: de quo sic Varro ipse lib. V de L. L. *Extremum, novissimum quoque dici cœptum vulgo: quod meâ memoriâ, ut Ælius Gallus, sic senes aliquot, nimium novum verbum quòd esset, vitabant.*

Noviter, pro quo Cicero *nuper*, apud Plinium est in Panegyrico.

Obiter, quod pervulgatum adeo, nusquam apud Ciceronem invenias: sed pro eo dicit *casu quasi præteriens*, vel *præter rem*, *propositum*, *non consultò*, aut Græcè ἐν παρόδῳ, ἐν παρέργῳ, vel ἐξ παρέργου. Imò Terentius Scaurus, Charisio teste, *obiter* esse Latinum negabat, ac Divus Hadrianus sermonum primo quærit, an Latinum sit, *Quamquam*, inquit, *apud Laberium hæc vox esse dicatur.* Et Divus Augustus reprehendens Tib. Claudium ita loquitur, *Scribis enim per viam ἀντὶ τοῦ obiter.* Sed Divus Hadrianus, *Tametsi*, inquit, *Augustus non pereruditus homo fuerit, ut id adverbium ex usu potius, quàm ratione protulerit.* Nos sanè Augustææ ævi usum lubentes sequimur. *Obiter* damnat Nizolianus Index quia Tullius pro eo nunc Græcè ἐν παρόδῳ, vel ἐξ παρέργου, vel ἐν παρέργῳ: vel Latinè *præter rem*, aut *præter propositum*; item *non consultò*, *casu quasi præteriens*. Inter *obiter*. Interim *obiter* sæpius est apud Plinium in Historia Nat. Usi quoque Juvenalis sat. III, & alter Plinius in Epist.

Obstinatè est apud utrumque Comicum: pro quo Cicero *præfractè*, *pertinaciter*, *cum pertinacia*.

Omnifariam, quod Ciceroni *in omnes partes*, apud Agellium est lib. XII cap. I.

Omnimode apud Lucretium legas: qui & pro eo *omnimodis*. Sed Cicero pro hoc *omni ratione*, *omnibus modis*.

Pravè displicet Nizoliano indici: ac cum Tullio jubet dicere *perperam*. Atqui idem Tullius etiam *pravè* usurpat: uti & Livius, Horatiusque.

Principaliter, pro eo quod Græcis προηγουμένως, Senecæ est de consolat. fratris ad Polyb. ac Plinii in Panegyrico.

Probiter Varronis est in Octog. Quare rectum puto: licet *probè* malim cum Tullio.

Properanter Attii quidem est, ac Lucretii: sed malim cum Tullio *festinanter*: vel *properè* cum utroque Comico, item Cæsare, Sallustio, Livio: ut Maronem, ac alios mittam. Schottus tamen in Tullianis *, ut *properanter*, sic & *properè* rejicit ac pro eo jubet dicere cum Tullio, *celeriter*, *festinanter*.

* Pag. 253.

Propritim damnare non ausim, Lucretius lib. II.

> *Quid? genus humanum propritim de quibus auctum est.*

Sic etiam optimus noster codex membranaceus. Quamquam nec *propriatim* damnato. Arnobius lib. III. *Usque adeo res exigit propriatim Deos scire.*

Prorsum, pro quo *prorsus* Cicero Terentii est Adelphis V. III:

Prospicienter, pro quo Tullius *prudenter*, & *providentissimè*, Agellio usurpatum lib. II cap. XXIX.

Protervè vetant dicere, quia Cicero pro eo *petulanter*. Sed prius est sæpius apud utrumque Comicum.

Puriter, pro quo *purè* Cicero apud Catonem est de R. R. cap. XXIII.

Qualitercumque improbant auctores Indicis Nizoliano Ciceronis Thesauro additi: ac pro eo reponunt è Tullio *utcunque*, *perinde*. Atqui Columella, purissimus scriptor, id non refugit lib. II cap. X, & lib. XI cap. III.

Quorsus, & *quorsum*, naturâ suâ sunt Loci: quippe facta ex *quoversus*, & *quoversum*. *Quorsus* tamen quidem: sed Tullio ipsi minimùm ter usurpatum: ut damnari neutiquam mereatur.

Quotmensibus Latinè dici negat Valla lib. VI Eleg. cap. LX. Pomponiumque ac Ulpianum (at quantos viros) non dubitat ita compellare. *Corrumpere est illud Ulpiani, atque Pomponi Latinam linguam non juvare. Quis unquam dixit, quotdiebus, & non potius quotidie! quis etiam quotmensibus, & non singulis mensibus.* Atqui crebrò ita loquitur Varro: ut lib. IV de L. L. *Ab Streniæ sacello, quæ pertinet in arcem, quà sacra quotmensibus feruntur in arcem.* Ubi tamen *quotquot mensibus* legas, etiam in ea quæ anno CIↃ IↃ Mediolani excusa est. Similiter lib. III de R. R. cap. VII. *Pastorem columbarium quotquot mensibus crebro oportet everrere.* Sed de Varrone postea confessus ipse Valla. Sic enim in Antonium Raudensem scribit: *Ego in alio opere scripsi quotmensibus, pro singulis mensibus dici non posse: ubi de usu dixi & consuetudine. Nam etsi Terentius Varro hoc vocabulum aliquoties usurpat, nescio tamen an alii eorum (quos legimus) utantur.* Sed similiter locutus Cato de R. R. cap. XLIII. *Si voles vinea cito crescat, & olea quam severis, semel in mense sarrito, & circum capita oleagina, quotmensibus, donec trima erunt, fodere oportet.* Item Vitruvius lib. IX cap. IV. & lib. X cap. VII. Imo similiterque *quotcalendis* pro Kalendis singulis apud Plautum legere est Sticho Act. I Sc. II. & *quot dies* pro *singulos dies* apud Appuleium XI Met. *Sed intentus mihi quiete, & probabili taciturnitate sedulum quotidie obibam cultura sacrorum ministerium.*

Regaliter ab iisdem rejicitur: ac ex Tullio præferunt *regificè*: sed puto *regiè* voluerunt dicere: quod in Verrinis: *Quæ regiè seu potius tyrannicè statuit in aratores Apronius.* Interim Ovidii est II Met.

> —— *Precibusque minas regaliter addit.*

Responsive, per vices, ἀντιφωνικῶς ipsius est Asconii Pediani.

Scrupulosè agere non dicit Cicero, qui pro eo mavult, *nimis exiguè*, & *ad calculos revocare*: sed *scrupulosè referre* apud Plinium legas lib. VIII cap. XIV: Fabii etiam lib. V cap. XIV: *Minutius, & scrupulosius citantur omnia.*

Seriò quis putaret apud Tullium non inveniri? At ille pro eo *graviter*, vel *affirmatè*. Unum obducunt locum è lib. V ad Att. *Inde ad Taurum cogitabam ut cum Mophragine signis collatis, si possem, seriò decernerem.* Sed pro *seriò decernerem* in illa Roberti Stephani, Lambini, aliisque, reperio *cum servo tuo deciderem.* Nec de lectionis ejus veritate dubitandum. Interim *seriò* legas sæpius apud classicos: in his utrumque Comicum, Livium, Plinium.

Sparsim eidem Indici displicet, placet *fusè*, quod Tullii est. Verùm significatio hic diversa. Et apud Agellium, puri sermonis amantem, est lib. X I cap.... *Præterea ex eodem libro Catonis hæc etiam sparsim, & intercisè commeminimus.*

Specialiter itidem damnat: ac ex Tullio dici jubet, *speciatim*, *nominatim*, *sigillatim*. Sed usurpat Columella lib. III cap. IX ac Quinctilianus lib. V cap. VII, & lib. XVI cap. XI.

Sublimiter apud Catonem habes de R. R. cap. LXX, & non semel apud Columellam. Cicero pro eo *sublimè*.

Solummodo Ciceronis ævo in usu non fuit. Sed, etsi eam vocem lexicographi nesciant, usurpat tamen Ulpianus L. X. de condic. & demonstrat. *Hæc condicio:* FILIA MEA CUM NUPSERIT: *talis est, ut qui testatus est, impleri solummodo condicionem voluerit.* Ecclesiasticis est frequens: etiam doctissimo Tertulliano. Ut lib. I adversus gentes cap. X: *Liberum Patrem cum socru suâ Consules Sena-*

Senatus auctoritate non Urbe solummodo, verùm totâ Italiâ eliminaverunt. Item operis ante pauxillos demum annos à Dionysio Gothofredo editi lib. II ad Nationes cap. II: *Invento enim solummodo eo, non, ut invenerunt, exposuerunt.* Et in Apologetico cap. XII: *Nomina solummodo video.* Et cap. XXXIX: *Non amicorum solummodo matrimonia usurpant.* Et eodem: *Totum orbem cataclysmus abolevit, vel, ut Plato putavit, campestre solummodo.* Legas & apud eundem lib. de Jejuniis contra Psychicos cap. IV. Adhæc usus elegantissimus Minutius Felix: *Christianus reus nec erubesceret, nec timeret, & unum solummodo, quod non ante fuerit pœniteret.* Nec refugit Rufinus in tralatione Pamphili Apologiæ pro Origene*. Interea cum nusquam inveniatur apud Augustæi ævi scriptores, elegantiæ studiosus rectiùs, ut puto, dixerit *tantummodo, duntaxat*, vel simile. *Solummodo* —— Ulpianus Digestorum lib. XVIII tit. V leg. V: *Ergo & si ita,* LUCIUS, *Marcellus, non insubtiliter, non putat hodie hoc procedere.*

* Pag. 874. edit. Basil. an. 1536.

Specialiter improbat Schottus in Tullianis Quæst.† dicereque cum Cicerone jubet *speciatim, nominatim, præcipuè*. Sed *speciatim* Latinum non videtur; ut libro superiori diximus. *Specialiter* verò inter alios est apud purissimum scriptorem Columellam, extremo cap. IX lib. III; ubi *generatim*, & *specialiter* opponuntur.

† Pag. 258.

Sufficienter (pro quo ex Tullio jubent dicere *satis commode*) vel *abunde* est apud Ulpianum L. Sed & siquid. §. I. ff. de usufr. & quemad. *Sufficienter autem alere, & vestire debet secundum ordinem, & dignitatem mancipiorum.* Interim damnat Andr. Schottus lib. III Tullianarum Quæstionum*.

* Pag. 259.

Tenaciter est Ovidii epist. III:

An miseros tristis fortuna tenaciter urget.

In prosa cum Tullio *pertinaciter* malim.

Tractim reprehendunt, quia Cicero maluerit *lentè*. Verum usurpant Plautus, Plinius, Agellius.

Valenter, pro quo Cicero *fortiter, viriliter*, apud Columellam habes lib. I cap. V. Apud Ovidium item IX Met.

—— *Spirare valentius Eurus.*

Ubertim Suetonii est in Julio cap. LXXXI, & Claudiano de Laudibus Serenæ. Cicero præfert comparativum *uberrim*. Nec tamen hoc tanti, ut cum Indice memorato positivum damnemus.

Undecunque cur repudiem cum Cellario. Tullius quidem pro eo *ex omni parte*, & *undique*. Sed quod damnant est apud Livium, Pliniumque.

FINIS LIB. VIII.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
VITIIS SERMONIS,
FALSOQUE SUSPECTIS,
LIBER IX.

Qui est de vocibus conjunctis.

Cap. I.

De barbarismo vocum conjunctarum universe ac particulatim, ubi nomen nomini, vel verbum verbo, vel particula particula perperam conjungitur.

Quemadmodum in privis vocibus factum, ut multò plurima antiquis ignota hodie viri cætera haut inerudıti in deliciis & tantum non pulpamento habeant: contra autem multa bene Latina tantopere aversentur, ut ea si audiant, fortassè exclamaturi sint protinus *δότε μοι λεκάνην* *: ita in conjunctis non pauca sunt, quæ merito, nonnulla item quæ falso ponantur inter sermonis culpas. Ac ea quidem, quæ merito damnari putamus, duum nobis esse generum videntur. Nam interdum Grammaticè quidem loquimur, at non Latinè: interdum autem nec Latinè, nec Grammaticè. Posterius genus dicitur *solæcismus*: de quo posterius agemus. Prius, ubi Grammaticè, nec tamen Latinè loquimur; ad barbarismum pertinet. Nec enim is solum est in vocibus privis, sed etiam conjunctis: idque bifariam. Nam interdum fit, ut voces duæ, vel plures, Latinè jungi possint, sed non ex usu Romano, ea quidem significatione, qua sociantur. Interdum verò ut nec ista, nec alia significatione possint conjungi. Prior modus vel connectit vocabula ejusdem classis, vel diversæ. Ille ejusdem classis vel est nominis cum nomine, vel verbi cum verbo, vel particulæ, sive partis indeclinabilis cum alia indeclinabili. Ordior ab structura, quâ nomen, (sub quo & pronomen, & participium complector) sic cum alio sociatur nomine, ut quamvis sermo sit Grammaticus, non tamen sit Latinus, sive iis notus, qui purè casteque sunt locuti.

* Cedo mihi pelvim.

Animalia ventris, pro *lubricis*, apud Plinium Valerianum lib. I cap. XVII.

Brachium seculare pervulgatum est; pro quo cum veteribus dixeris, *civilis magistratus*.

Rotunda chorea, vel *tripudium rotundum* dicunt vulgo, pro *orbe saltatorio*. Quomodo Cicero in Pisonem: *Cum illum suum saltatorium versaret orbem.*

Salvum conductum est pervulgatum. Latinè dicendum, *literæ publicæ*, *securitatis literæ*, vel *liber*, aut *publicus commeatus*. Sic pro *dare salvum conductum*, dixero, *securitatem itineris præstare*, vel *tuti commeatus*, *aut itineris*, *literas præstare*.

Testibus non auditis damnari, vulgare est. Sed Ciceronis est *indictâ caussâ damnari*, & *intestato*. Plauti quoque est Curcul.

> *Hoccine pacto indemnatum, atque intestatum me arripi?*

Vice solùm unâ, Latinum non est, pro *semel tantummodo*. Vel, *hac vice ignoscas*: pro *hoc tempore*. Vel *duabus aut tribus vicibus*: pro *bis*, *vel ter*. Vel *alia vice compellabo*: pro *aliàs*. Vel *ultima vice*, pro *postremo*. De quibus & monitum Nicolao Perotto, & ex eo Cornelio Croco. Fortasse tamen illud *prima*, aut *secunda vice*, defendi possit eo, quod Horatius dicat, *plus vice simplici*. Nam quid hoc aliud, quàm quod dicunt, *plus unâ vice*?

Unus pro alio vulgò audias. Sed veteres dixere *alter pro altero*, vel *alius pro alio*.

Vocatis vocandis, pro, *adhibitis*, *quos adhiberi æquum est*.

Alter modus est, quò verbum verbo jungitur, modo Latinis auribus ignoto.

Tertius modus est particulæ cum particula. Ut, *Adhuc semel*, pro *iterum*. Cicero de Invent. *Primò quidem decipi, incommodum est; iterum, stultum; tertium, turpe.* Sic, *per ter*, pro *ternis vicibus*. Quanquam Plinii Valeriani sit, *per ter dare bibere*.

Dummodo exigit post se *ne* pro quo multi *non* usurpant, sed non ita optimi scriptores. Cic. lib. XII epist. XLIV: *Id ipsum scribas velim, dummodo, ne his verbis.* Lib. I ad Quinct. Fr. ep. I: *Sit summa in jure dicendo severitas, dummodo ea ne varietur gratiâ.* Similiter lib. X epist. XXV, & Ulpianus L. ff. de effractoribus, & expilat.

Et etiam, metuo ne soli dicant *βαρβαρίζοντες*. Ut in isto: *Stultus, & etiam insanus.* Sanè ubi post *&*; *etiam* sequeretur non memini me legere: cujus caussa est, quòd in *etiam* insit *&*: quia ex *&*, ac *jam* conflatur. Dixerim igitur, *stultus, & quoque*; vel *atque etiam*; vel *aut etiam insanus*. *Quoque etiam* Terentii est Hecyra V. I: *atque etiam* Horatii II Sat. III. *aut etiam* Cicer. I de Orat.

Hinc inde ajunt pro *hinc & illinc*. Ut *centones hinc & illinc farcit*: non *hinc inde*. Plaut. Mostell. *Hinc, & illinc exhibent mihi negotium.* Cicero: *Id fit cum speculorum levitas hinc illincque altitudinem adsumsit.* Poëtæ verò etiam *hinc & hinc* dicunt, ut I Æn.

> *Hinc atque hinc vasta rupes.*

Neque si præcesserit, *aut* barbare subjicias. Objectant, Ciceronis hoc ad Familiares libro V epist. XI: *Tu tamen et velim scribas, ut nullam rem neque tam magnam, aut tam parvam putet*, &c. Sed in optimis editt. est, *neque tam parvam*.

Taliter qualiter barbari ajunt pro *utcunque*.

Pro, & contra disputare; barbarum est pro, *in utramque partem*: ut loquitur Plinius in epistolis.

Tamdiu, sequente *ac* crebrum eruditis. Ut, *Tamdiu eum audi, ac possis.* Sed apud veteres semper pro *ac* lego, *quamdiu*, *dum*, *donec*, *quoad*, *quam*. Exempla suggerent Stewechius, & Tursellinus, opere de Particulis.

Usque tunc barbari dicunt: semibarbari *etiam tunc*: classici scriptores semper *etiam tum*. Terent. Hec.

> *Narratque ut virgo ab se integra etiam tum siet.*

Cic. IV Verr. *Cum isti etiam tum de Sthenio integra tota res esset.*

Ut minimum crebrò audias pro *minimùm.* Varro libro I de re Rust. cap. V: *De his quatuor generibus singula minimùm in binas dividuntur species.* Et lib. II cap. I: *Ita fiunt omnes partes minimùm octoginta & una.* Quæ verba perperam adducit Tursellinus ex Ciceronis Timæo. Aliqui *ad minimum* efferunt: sed sine idoneo satis auctore, ut arbitror.

CAP. II.

De barbarismo in structura verbi cum nomine.

DIxi de barbarismo in junctura vocum classis similis. Sequitur quando est in locatione vocum diversæ classis: estque ea vel nominis cum verbo: vel nominis, aut verbi, cum particula, vel simul cum ea & nominis, & verbi. Adferam primò, ubi verbum, nomenque conjunguntur.

Absentiam tuam fero, vel *non fero*: pro, *desiderium tui planè non fero*, vel *facile fero.*

Fidem adhibere —— B. Hieronymus præfatione in Euang. ad Damasum: *Si Latinis exemplaribus fides est adhibenda.*

Accipiat quisque adjunctum, pro *vir virum legat.*

Accipio vel *imploro Deum testem*, pro *Deum testor.*

Canere quatuor vocibus, aut partibus, quod Ciceroni *symphonia canere.* Similiter Horat. ad Pisones:

Ut gratas inter mensas symphonia discors.

Consequentias elicere, pro *aliquid concludere*, multi hodie dicunt homines doctissimi. Sed veteres omnes aliter.

Dare filiæ virum, nemo, quod sciam, veterum dixit. Sed pro eo ajunt, *collocare alicui filiam*: vel *collocare eam in matrimonium*: vel *nuptum collocare*: aut nuptui dare.

Excedere terminos sententiæ, barbarum, pro *agere ultra præscriptum verborum.*

Exequias ferre, Latinum non est. Tuentur quidem sese illo Ovidii, ex elegiâ in obitum psittaci*: *Exequias ferte frequenter aves.* Verùm, ut Carrio monuit, in optimo Cl. Puteani hîc quoque *ite* scriptum fuit, quâ ratione apud Terentium est †: *Exequias Chremeti, quibus est commodum ire, jam tempust.* Eodemque modo Sillium locutum lib. XV Punicorum, ac in veteribus quoque inscriptionibus eam loquendi formam exstare, docet Carrio libro I. Emend. cap. VI.

* Lib. 6 Amor. el. 6.

† Phorm. 5. 9.

Facere urinam, pro *meiere*, non dixero. Sic interim loquitur Plinius Valerianus: sed & Hyginus, sive potius Avianus in Hygini epitome.

Gratiam veniæ facere, pro *ignoscere delictum*; sive pro *gratiam pœnæ facere*: item *gratiam vitæ facere*, pro, *supplicium remittere*, Latina non videntur. Quamquam utroque utatur non è vulgo aliquis, sed Cæsar Scaliger exercitationum ad Cardanum CXII. ubi agens de Francisci Gonzagæ affine, (qui conjurationis reus, metu supplicii unâ nocte in carcere incanuerat) veniæ ei & vitæ gratiam à Gonzaga factam ait. Quid verò Latinis sit *gratiam facere*, & quam variè sumatur, (non eo tamen modo, quo Scaliger usus, uti neque eo, quo vulgo dicunt, *fac mihi illam gratiam*, pro *officii hoc mihi præsta*) docet Pincierus Otii Marpurgensis lib. I. cap. XXIX.

Habebo ratum, quicquid alter egerit: pro, *per me actum erit, quicquid egerit procurator meus.*

Habere ventum contrarium, vulgo ajunt, prò eo, quod Ciceroni in Epistolis, *adverso uti vento.*

Habere famam bonam, pro *bene audire. Malam habere famam*, pro *male audire*, vel *infamia laborare*, aut *flagrare*: item *infamiam habere.*

In cholera esse, pro *succensere, irasci, stomachari.*

Incidens retardat principale, barbarum est. Budæus pro eo in Forensibus jubet dicere: *Lis princeps implicatur liticula subnata*: vel, *Summa controversia præscriptiuncula implicata est, & præpedita.*

In diem adjicere dicendum putant Jurisconsulti complures, pro *in diem addicere.* Sed multum hæc distant. Errorem eum refellit Valla lib. V Eleg. cap. XXVIII.

Idololatriam gerere, pro —— —— Sic Lucifer Calaritanus loquitur non semel libro de Regibus Apostaticis.

In oppositum distinguere, pro *distinguere* ἀντιδιῃρημένα est Theodori Gazæ in Theophrasti Hist. Plant. lib. IV cap. XIV. Verùm Julius Scaliger in suis Animadversionibus observat dicere debuisse, *mutuâ oppositione.*

Intentare processum, pro *jure experiri.*

In virum doctum evadet, Latinum non est: sed dicendum, *Evadet vir doctus.* Cum vulgo tamen priori modo locutus Petrus Bembus lib. V epistolâ ad Georgium Loxanum, & eodem libro epistolâ ad Danielem Barbarum. Similiter *in virum doctissimum evasit*, legas apud Scævolam Sammarthanum lib. I Elogiorum, ubi de Petro Ramo*. *Etiam in magnum virum evasit*, excidit Jo. Rualdo in vita Plutarchi cap. III.

* Pag. 55.

In uxorem ducere ait Henricus Stephanus Animadversionibus in Chiliadas Erasmi. Vide sis cum ad Adagium illud, Τὴν κατ' σαυτὸν ἔλα †.

† Eum turbinem, qui secundum te est, versa.

Jurare certa forma, pro *verbis conceptis.*

Mutare etiam & ejus composita perperam conjungunt præverbio *cum*, & casu ejus. Ut *Glaucus cum Diomede permutavit aurea arma cum æreis ac vilibus*: ubi dicendum, *aurea æreis permutavit.* Nam quicquid contrà senserit Robertus Titius, de permutantibus quidem dixeris, *Glaucus cum Diomede*; sed non de rebus permutatis, *aurea cum æreis.* Sallustius in Jugurth. *Statuit tamen Metellus pecoris & mancipiorum prædas certatim agere, eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, & aliis talibus.* Non *cum vino adventitio.* Dixeris *cum* subintelligi, ac proinde id exprimi posse: quomodo dicitur, *circumspicere cum animis*: & κατ' ἔλλειψιν, *circumspicere animis.* Nos contrà contendimus, non *cum*, sed *pro* desiderari: ut integrè sit *aurea pro æreis*, vel *pecora pro vino commutavit.* Quomodo Sallustius ait, *mutare bellum pro pace.* Ac Belgæ dicunt, *gout voor coper vermangelen.* Ut *pro* semperque intelligatur, cùm dicimus, *mutare pacem bello, prætextam paludamento, urbem exilio, jucunda tristibus*, & similia apud veteres trecenta.

Dixeris, saltem præverbium *pro* addi posse, quia hoc intelligi fatebamur. Sed aliter est. Nec enim, quæ natura exigit, usurpanda, usu adversante. Quare nec probarim, *ludere pro pecunia*; cùm dicendum sit, *ludere pecunia*: vel, *emi pro centum millibus*; ubi Latinæ est consuetudinis, *emi centum millibus.*

Verùm de *pro*, negant se ultra contendere: sed de *cum*: cujus consuetudinis magnum laudant auctorem: Plautum dico, cujus illud Captivorum Prologo:

Siquem deperire posset, cum quo mutet suum.

Sed versus, qui senarius esse debet, requirit, ut *cum* surcilletur. Idemque visum Ob. Giffanio, & Val. Acidalio. Idem judicium esto de istoc eâdem comœdia act. I scenâ I:

—— *Si queas*

Aliquem invenire suum quicum mutes filium.

Nam neque versus iste constabit, nisi illud *cum* inducas. Quomodo Plautus ipse sc. II ejusce actus:

Hoc illum me mutare confido fore.

Pati damnum, jure, ut puto, displicet Andreæ Schotto Tullianarum Quæst. lib. III*. Cicero quidem pro eo *facere jacturam*: vel *detrimentum*, vel *damnum facere*, aut *capere.*

* Pag. 233.

Perdere processum, pro *cadere caussâ.*

Petere justitiam, pro *expetere pœnas.*

Processus litis hunc habuit tenorem, pro, *hac ratione, & serie, lis agitata est.*

Proponere quæstionem, vulgare est. Sed Latinè dixeris, *Ponere de quo quis disputet.* Quomodo Cicero lib. I Tuscul. Quæst. *Ponere jubebam, de quo quis audire vellet.*

Revisionem facere est vulgare pragmaticis: pro quo elegantiores *cognoscere res judicatas*. Sic Cicero Act. III in Verrem.

Tradere alteri imperium, magistratum, munus: pro quo Cicero, *abdicare se magistratu*.

Tradere oblivioni est pervulgatum, & apud Servium quoque invenio in Ecl. I: ubi illud,

Quam nostro illius labatur pectore vultus.

ubi *labatur* exponit, *oblivioni tradatur*. Quod apud Augustæi, vel proximi ævi scriptores, non memini me legere. Metuo ne eos fefellerit, quod dicatur *tradere memoriæ:* uti & in contrarium *tradere ventis:* ficuti est apud Ovidium Phyllidis epistolâ;

Demophoon ventis & verba, & vela dedisti.

Vela queror reditu, verba carere fide.

Venam secare, pro *incidere venam*, vulgare est Medicis: sed quod non reperiam apud classicos.

Venerem inire, pro *coire, congredi, rem cum quapiam habere*, legas apud Hieronymum Mercurialem lib. VI Var. Lect. cap. VI. Verba sunt: *Pauci inveniuntur, qui ignorent, meretrices potissimum post initam venerem loculos aqua colluere, & veterum, & nostra tempestate consuevisse.* Quod loquendi genus, ut minimè Latinum, jure culpat Jos. Scaliger in Animadversionibus Eusebianis ad annum CCCCXX.

Cap. III.

De barbarismo nominis, aut verbi, cum particula, vel nominis pariter & verbi cum eadem.

NUnc considerationem intendamus in ea, ubi particula additur nomini, aut verbo, vel utrique: non dico in significatione falsâ, de cujusmodi barbarismo inferiùs dicam, sed eâ, quam non reperias sic junctis vocibus, seu eâdem significatione, seu aliâ. Ac primum afferam, ubi jungitur nomini. Quale est *de novo*, pro *denuo*, vel *de integro*. Latinum non puto, licet pervulgatum.

Inter cœnandum crebrum est vulgo: sed pro eo Tullius *inter cœnam:* ac idem fere Catulli hoc, *In vino*.

Invicem dependentia tritum est: sed pro eo Cicero de Natura Deor. *apta inter se, & cohærentia*.

Lineas curvè scriptas, vulgo dici audiant. Sed *lineas* pro *versus* malè usurpari ostendimus lib. I cap. XXVI. Pro *curvè scriptas* dixeris *vacillantes:* quomodo Cicero ad Tironem ægrum lib. XVI epist. XIII ait, *Accepi tuam epistolam literis vacillantibus.*

Secundum quid ex Logicorum scholis sic Aristotelicum κατά τι exprimentibus in Scholis obtinet vulgo. Damnant Nizolius, & Cellarius: ac dicere jubent, *quadam ex parte*. Nec displicet.

Per transennam, pro ἐν παρόδῳ, vel *obiter*, legas apud Dausquecium in secundo Orthographicôn, ubi de Leodico. *Atque hoc*, inquit, *per transennam*. Nisi placeat intelligere, inspiciendum lectori datur. Sanè *per transennam inspicere* apud Ciceronem in primo de Oratore legas pro strictim, obscuriusque ac difficilius videre, ut fit per transennas, hoc est, fenestram, vel fores reticulatas, & cancellatas.

Hæc dicta sint de particula cum nomine. Pergamus ad particulam verbo appositam.

Discere aliquid *memoriter*, pro quo Cicero simpliciter, *ediscere*.

Quæ adduximus, ea vel nomen, vel verbum particulæ sociant. Nunc persequamur, ubi nomen, verbum, particula pariter concurrunt; sed præter morem eorum, qui castè sunt locuti.

Acta petit per manum graphiarii tradantur: pro *acta à scriba sibi describi*.

A partibus alicujus esse displicet. At Tullius pro eo, *facere cum aliquo*. Ut ad Att. *Cum Cæsare Lentulus consul facit.*

Appello ad Cæsarem an Latinum sit quæritur. Quibus id placet, tuentur ■ eo, quod Cicero pro Quinctio dicat: *Ad tribunos appellare*. Respondet Guarinus Veronensis, aut mendum hic esse, aut Ciceronem sic solum, idque uno tantummodo loco fuisse locutum.

Bene alicui cupere etiam eruditis frequens. Cicero ἁπλῶς, *alicui cupere*, vel *alicujus caussa cupere omnia*. Cæsaris quoque est lib. I belli Gall. *Favere, & cupere Helvetiis propter eam affinitatem*. Est & pro eo Ciceronis ad Sulpitium lib. XIII ep. XXIII: *Volo omnia tua caussa.*

Conciliavi Mævium cum Seio, non dixero: sed *conciliavi Mævium Seio:* vel *conciliavi eos inter se*.

Contra juris ordinem acta sunt universa, pro, *nihil jure ac legibus actum, & more majorum*.

Dicere in aure, pro *insusurrare in aurem*.

Dici ad aliquid est pervulgatum apud Logicos. Sed quanto rectiùs cum veteribus dicamus *referri ad aliquid*, vel *cum aliquo conferri*.

Ducere in uxorem obtinet vulgo. Sed dixero *ducere uxorem*. Etsi rectum, *in matrimonium*. Livius lib. XXXVII, in oratione Eumenis ad Patres habita: *Rex Asiæ & partis Europæ Antiochus filiam suam in matrimonium nobis dabat.* Valerius Max. lib. I cap. V: *Metellus non ita multo post, mortuâ Cæciliâ, virginem, de qua loquor, in matrimonium ducit.*

Evadere in virum doctum, ac similia sunt pervulgata. Sic dici videas: *Protagoras, etsi præceptore usus Democrito, non tamen in philosophum evasit, sed acerrimum sophistarum.* Longè autem tutius arbitror: *non philosophus evasit, sed sophista.* Erasmus tamen parabolis dixit: *Fœnum Græcum, quo tractatur pejus, hoc provenit melius: ita liberi quidam, quanto habuerunt indulgentius, tanto minus valent; neglecti verò & vexati evadunt in viros.* Etiam Scævolæ Sammarthani est in Elogiorum primo de Petro Ramo, *superatis omnibus paupertatis insignibus in virum doctissimum tandem evasit.* Scio Terentium* dicere: *Licentiam evadere in magnum malum.* Sed quanto aliud, *evadet in magnum virum!* Ubi veteres, *evadet vir magnus, doctus*, & sic in cæteris.

* Adelph. 3. 4.

Extendere, vel *prolongare de die in diem* non dixero; sed *prolongare dies* Senecæ est lib. V, de Beneficiis: *Ut prolongentur tibi dies mortis, nihil proficiet ad felicitatem.* Imò Plinii lib. XIII cap. III, in libris quidem aliquibus est *vestes prorogant tempus*, in aliis *prolongant*. Tullius etiam ut *ducere bellum*, sic *ducere tempus:* ut Verr. III: *Deinde ita tempus duceretur, ut à M. Glabrione Prætore, & à magna parte horum judicum, ad Prætorem alium, Judicesque alios veniremus.*

Facere Comitem, aut Ducem, pro *Comitis* vel *Ducis nomine*, vel *appellatione augere, aut Comitis vel Ducis dignitate ornavit, vel affecit.*

Fieri de medio, infimæ Latinitatis scriptoribus dicitur pro *mori*. Sic *de medio factus*, pro *mortuus*, Balderico in Chronico Cameracensi, & Scriptori Vitæ S. Lietberti cap. X: *Eo de medio facto*, h. e. defuncto.

Funus ad sepulturam ferre: pro *efferre funus:* ut Terentius Andria. Etiam auferendi casu Tullius dixit pro Flacco: *Cùm funere efferretur anus Junia.*

Habere bonam de aliquo opinionem, vulgo ajunt, pro *bene de aliquo sentire*. At *bonam* in hac structura Latine loquentibus aliud notat, nempe *veram:* eique opponitur *falsam*. Cicero in Verr. *Esto, falsam de illis opinionem habuit, malam de nobis.* Fabius lib. II cap. XVII: *Habere falsam de se opinionem.* Ubi pro *falsam* etiam *malam* dicere potuisset.

Habere in honore, pro *observare*.

Impingere ad lapidem vulgare est. Sed veteres pro eo *impingere pedem lapidi*, vel *in lapidem*. Sic Cic. III Tusc. Qu. *Quid huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat.* Plin. epist. LX: *Caput parieti impingere.* Seneca lib. I de Ira: *Quid opus est se in columnas impingere?*

Implorare auxilia à piis Regibus, pro *implorare auxilia piorum regum*, dixit Paulus Jovius in vita Friderici Bar-

Barbarossæ. Sed perperam hæc inter se commutari, annotavit ad eum locum Conradus Rittershusius, qui Guntheri sui Ligurino hanc vitam annexuit.

In catalogum adscribere, conscribere, καταλέγειν, ut *Patres conscripti*.

In corpore esse, pro *vivere*, apud Sulpitium Severum.

In extremis esse, pro *agere animam*.

Juxta adverbium res comparans contrarias (ut sæpè historici usurpant) exigit ut priori loco ponatur quod minus est verisimile. Ita dixero de homine segni ac somniculoso, eum *æstate juxta ac hyeme foco adsidere*: non contra, *hyeme juxta ac æstate*. At dixero *hyeme juxta ac æstate exercitum sub pellibus fuisse*: non verò, *æstate juxta ac hyeme*. Etiam de homine extra controversiam doctissimo, sed virtutis minùs perspectæ, dixeris *vir pius juxta ac doctus*: non autem, ut quidam, *doctus juxta ac pius*. Hoc veterum usus ostendit. Livius libro Secundo: *Absentium bona juxta atque interemptorum divisa fuerunt*. Et eodem: *Trucidant inermes juxta atque armatos*. Item libro Quinto: *Contendebantque & animis & corporibus suis virilem patientiam inesse, & se juxta hyeme atque æstate bella gerere posse*. At Barbarum est: *Æstate juxta ac hyeme militat. Occidunt viros juxta ac mulieres & pueros*, ac similia.

Per se, & *per accidens* evenire solent dicere philosophi pro eo Aristoteli καθ' αὑτὸ, & κατὰ συμβεβηκός. Nizolius, & Cellarius, pro *per accidens*, jubent dicere, *temere*, *casu*, *fortuito*. Sed *temere* longè aliud est: nec duo alia satis Græcæ locutionis vim exprimunt. Concinnius longè Perionius, qui καθ' αὑτὸ vertit *suapte vi*; κατὰ συμβεβηκός, *vi aliena*. Est tamen, cùm & ista sint duriuscula. Ut si dicas, vinum vi alienâ inebriare. Sed non difficilis hic circumlocutio. Ut si dicas, vinum non nocere homini suâ naturâ; sed culpa immodicè bibentis: rectò usu prodesse, abusum nocere.

Per testamentum habeo, vel *accepi*, pro *ex testamento possideo*, vel *testamento mihi venit*: quomodo Cicero de Invent. *Hereditas, quæ pupillo venit*.

Pone casum, quod sit: pro, *Fac esse*: vel, *Demus ita esse*.

Promittere se ad cœnam venturum, pro *condicere alicui*. Cicero lib. 1 epist. 1x: *Cùm mihi* (Crassius) *condixisset, cœnavit apud me in mei generi Crassipedis hortis*. Festum vide in Condicere.

Respectus ad hæc habendus non est, pro, *non scriptis habenda*.

Revocare alicui in memoriam damnat Andreas Schottus lib. 111 Tull. Quæst.* Nec memini me legere apud classicos: etsi vix aliquid eo usitatius hodie. Sed Cicero pro eo, *redigere in memoriam*. Interea vicinum illud pro Flacco: *Revocarem animos vestros ad Mithridatici belli memoriam*.

* Pag. 215.

Satisfacere per alium, Cic. *ab aliquo solvere*.

Sine testamento mori, non dixere veteres, uti nunc fit: sed *intestatò mori*.

Stare pro aliquo est pervulgatum: sed dicendum *ab aliquo*. Aliter dixisse, *cuipiam contra alium adesse*.

Sumere de aliquo ultionem, pro *ulcisci*, tum dicam, cùm sic locutum videro classicum scriptorem.

Vendere sua bona publicè vulgare est, pro *auctionari*.

Vertere in Latinum, pro *Latinè*, barbarum est. Sic tamen loquitur, qui præfationem præmisit commentariis in Jobum, Origeni perperam tributis, cùm hominis sint Latini, & quidem Arriani, fortasse (quæ Erasmi conjectura est) ejus Maximini Episcopi, qui cum B. Augustino disputavit.

Videtur mihi quod sis Italus, *probus*, *doctus*: pro *videris mihi Italus*, *probus*, *doctus*.

Vocem habere in capitulo, pro *suffragium ferre*.

Est verò cùm in particulæ junctura non tam videndum sit, ad quam classem pertineat id, quod adjungitur: quam quæ initialis sit ejus litera. Nec enim dixero, *à homine* sed *ab homine*: non *è ovo*, sed *ex ovo*: quod satis pueris etiam notum. Illud non æquè, hoc etiam attendi, quoties *ac*, & *atque*, initio periodi collocantur. Exempli gratia pro isto, *Ac ego quidem sic semper existimavi*; convenientius sit elegantiæ veteri, *Atque ego*. Dicunt item, *Atque Virgilius poëtis cæteris palmam præripit*: pro, *ac Virgilius*. At veteres gaudent ab *Atque* incipere, si sequatur vocalis: ut Cic. in Maniliana: *Atque ut omnes intelligant me*. Ac verò malunt, sequente consonâ. Ut in eâdem: *Ac primùm quantâ innocentiâ debent esse imperatores*. Nisi *C* sequatur, vel *Q*; quia tum *Et* præfertur: ut eâdem Orat. *Et quoniam auctoritas multum in bellis administrandis valet*. Item pro Sextio: *Et caussam dicis Sextius de vi*. Tursellini hæc observatio est cap. 111 de Particulis.

CAP. IV.

De junctura nominis cum nomine vel verbi cum verbo, vel particulæ cum particula, in significatione aliena.

Vidimus de barbarismo ejusmodi juncturæ, quam penitus respuat sermo Romanus. Deinceps expediam de altero genere, quando Lingua Latina juncturam aliquam non prorsus aversatur; sed in certo significatu. In hoc genere similiter loquar primùm de junctura vocum ejusdem classis: puta nominis cum nomine, verbi cum verbo, aut particulæ cum particula.

Duo nomina in aliena significatione conjunguntur, cùm dicunt *alterum tantum*, pro *duplo plus*. Quippe valet bis tantum. Ut indicat hic locus L. xiv D. de lib. & post. *Ita enim secundùm voluntatem defuncti filius altero tanto amplius habebit, quàm filia*. Similiter usi Plautus Bacch. sc. 11 vers. 65. Cicero in Oratore, Nepos in Eumene, Livius lib. 1: cujus est, *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutavit: numero alterum tantum adjecit*.

Singulis quinque annis, (ut Mureto observatum lib. xv Variarum Lectionum cap. 1.) dicere jubet Perionius, non *quincto quoque anno*. At hæc duo plurimùm distare, satis est apertum. Nam si *singulis quinque annis* me Romam iturum dixero, integrum mihi sit primis quinque annis ire quovis ex quinque annis, ac ita in quinquennis proximis. At si *quincto quoque anno* promisero iturum, veniendum sit anno quincto, decimo, decimoquincto, & ita porro.

Denique error est in junctis particulis. Sanè rectè sociantur *quàm* & *citò*: velut si quopiam rogante, ut citò restituat mutuum, alter subdat, quàm citò. At barbarè junguntur pro *simul ac*, *simulatque*, *simul ut*. Quale sit, *Quàm citò voles, reddam*.

Si non erro, perperam dicitur, pro, *nisi fallor*, vel *nisi me ratio fugit*.

Si fortasse, *si fortassis*, *si forsitan*, *nisi fortasse*, & similia, vulgo quidem sic junguntur, sed vitiosè, quia veteres semper plusculа verba inter conjunctionem *Si*, & memorata eventus adverbia, solent interponere: ut Tursellinus observat cap. LXII.

Tam, & *quàm*, perperam extra comparationem usurpant. Sanè Tullii sunt, *Tam*† *amicus Reip. quàm qui maximè*: *Tam* * *mihi gratum*, *quàm quod gratissimum*: *Istam*† *dextram*, *non tam in bellis*, & *præliis*, *quàm in promissis*, & *fide firmiorem*. Ubi aperta est comparatio. Extra eam *tum* geminatur. Ut *tum pius*, *tum eruditus*: non, *Tam pius*, *quàm doctus*. Nisi quopiam pietatem hominis extra controversiam doctissimi in dubium vocante, dicas: *Imò hic tam pius*, *quàm doctus*. Nam hic non mera est copulatio, sed etiam collatio: quasi dicas, pietate inferior non est, quàm doctrinâ. Sic in illo Ciceronis: *Declamabas tum Latinè*, *tum Græcè*: vitiosum sit, *tam Latinè*, *quàm Græcè*: cùm sententia sit, non solùm Græcè declamitabat: sed quandoque etiam Latinè. Polycarpus in divinis illis precibus apud Eusebium lib. iv cap. xiv: Εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίου ψυχῆς τε καὶ σώματος. Quod Chri-

† Lib. 5 epist. 2. ad Metellum.
* Lib. 13 ep. 3.
† Pro Deiotaro.

Christophorsonus sic reddidit: *In resurrectionem vitæ æternæ, tam animæ, quam corporis.* Dicendum erat, *& animæ & corporis.* Vel *tam corporis, quàm animæ.* Mirandum enim minus animas quasi e somno suscitari, quàm corpus in cineres resolutum coalescere iterum ac reviviscere.

Per ter, pro *tertiò*, est apud vulgatum interpretem Act. x: *Hoc autem factum est per ter.* Nempe Græca ad verbum expressit: Τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ τρίς. Erasmus melius ait posse verti *ad ter.* Quem propterea culpat Sandæus in Grammatico Profano: sed citra rationem.

Cap. V.

De junctura nominis & verbi in falsa significatione.

Alter modus est in verbo, & casu quem regit: ubi imprimis peccari solet. Hujusmodi est,

Adhibere fidem, pro *credere* reperio passim apud juniores. Inque his & Justum Lipsium orat. septimâ Jenensi, quâ differit an adversariæ Ciceronis, & Sallustii orationes, sint genuinæ. Quin etiam sic loquitur Ausonius ep. x:

Siqua fides falsis unquam est adhibenda poetis.

Item æqualis Ausonii, ac familiaris, Paullinus, carmine de Joanne Baptista:

—— *Verbis si nulla priorum*
Est adhibenda fides.

Verùm hoc loquendi genus, nec apud Plautum, vel Terentium, nec Ciceronem, vel ejus ævi quemquam reperias, imo ut censeo, nec proximo, sic quisquam locutus. Verùm tum *adhibere fidem* dixere, ut *adhibere studium*, aut *diligentiam*: quæ plurimùm differunt. Ita accipit Plautus Rudent. act. iv, sc.... *Hem mane.* Ciceronis quoque est pro Cluentio: *Ut quam ipse adhibere consuevit in amicorum periculis fidem & diligentiam*, &c. Neque laboro multum de locis Ciceronis, in quibus *adhibere fidem* legi dicitur alterâ significatione. Nam in vett. codd. inibi *habere*, non *adhibere*, scriptum esse, locuples testis est P. Victorius in castigationibus Ciceronianis.

Adfici admiratione vulgo ajunt, pro *admirari*, ut dicitur *lætitia adfici* pro *lætari.* Fortasse aliquis veterum sic locutus: sed non occurrit, nec puto. Saltem aliter accipit Tullius in ii de Officiis. *Admiratione quadam afficiuntur ii, qui anteire cæteros virtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum verò iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere.* Videmus, ut admiratione hic adfici dicatur, non is qui admiratur, sed quem quis admiratur. Ut *admiratione affici* sit in admiratione esse: cui contrarium *contemtui ac ludibrio esse.*

Dare verba dicitur qui verbis promittit, rem non præstat. Nam ab eo, hoc qui facit, verba duntaxat, non rem accipimus. At *dare verba* pro *dictare* vel *suggerere* Latinum non est: quamquam ita locutus Corippus Africanus Grammaticus initio lib. i in laudem Justini Augusti minoris:

—— *Præcommodo linguam:*
Vos Divæ date verba. ——

Emendare non potui mores adolescentis, vel *corruptissimum scriptoris locum*, ac similia Latine dici, nemo in dubium vocârit. Sed Belgicismus est, *Emendare hoc non potui*, pro, *Non fuit hoc in manu mea.* Quomodo Terentius Hec. iii. v: *Tibi id manu est, ne fiat.*

Facere contumeliam, pro *pati*, optimo ævo quidam Latinè dici putarunt. Nempe quâ formâ dicimus *facere damnum*, Latinè non loquatur, qui quomodo dicimus, *facere damnum*, ita & *facere contumeliam*, dicat pro *pati.* Itaque cùm Antonius dixisset: *Nulla contumelia est, quam facit dignus*: subjecit Cicero*: *Quid est porrò facere contumeliam? quis sic loquitur? nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere?* Scio, Bartholomæum Barrientum in annotationum sylvâ cap. xi. hoc agere, ut Ciceronem fallum comprobet: cui rei cùm geminum Fabii declamatoris (qui tamen multò post Ciceronem fuit) tum unum Latinissimi Plauti locum obducit.

* Philipp. 3.

Scio quoque doctissimum Andream Schottum libello de clris apud M. Senecam rhetoribus Ciceroni opponere Cælium lib. viii epist. viii, & verba Julii Sabini apud Senecam Controv. xxvii. Scio quoque Ciceronem ab Erasmo, & Turnebo†, uti & hos secuti Scipione Gentili*, reprehendi quasi non tam judicio, quam odio, adductus in inimici oratione damnet, quòd apud Plautum Asinariâ, & Bacch. itemque Terentium Eunucho, legere est. Ac addere potuerunt Q. Metellum Numidicum in oratione de triumpho suo, apud Agellium lib. xii cap. ix. Verba ejus sunt: *Vobis quam mihi majorem contumeliam facit Quirites;* Scio denique Julium Scaligerum oratione adversus Erasmum ut optimo omnium patrono patrocinetur, dicere, ideo hoc loquendi genus damnari à Tullio, quia etsi ita locuti fuerant veteres, Ciceronis tamen ævo prope abierat in desuetudinem. Verùm falli hos omnes indicio est, quòd apud antiquos *facere contumeliam* semper sumitur activè; Antonius verò acceperit παθητικῶς; ut & tota indicat sententia, & Fabius lib. ix cap. iii docet his verbis: *Contumeliam fecit à Cicerone reprehendi notum est. Affici enim contumeliâ dicebant.* Eademque de Tullii loco sententia est Joachimi Camerarii comment. in primam Tuscul. & M. Antonii Mureti lib. vi Var. Lect. cap. xviii.

† Lib. 17. Advers. cap. 19.
* Notis ad Appul. Apolog. summare 1005.

Peragere reum, pro *accusare*, meritò improbat Julius Scaliger in Erasmo: cujus illud in lingua: *Cùm reum perageretur.* Ac similiter in Colloquio Proci, & Puellæ: *Quod si leve est homicidii crimen, & veneficii ream peragam.* Neque Erasmum defendit autoritas Ovidii, Livii, Plinii, Jurisconsultorum. His enim (ut bene scribit Budæus: annot. poster. in Pandectas) notat illud, ita rei accusationem persequi, ut reus tandem damnetur, quod Græcis est ἐπεξιέναι.

Quærere caussam non dixero, prout Germani *recht suchen.* Sic tamen Constitutio Karoli Magni†: *Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui caussam suam quærere debet.*

† Pag. 291. edit. Mogunt. in qua Constitutiones subjuncta Hincmaro.

Supplebo locum tuum, pro *fungar vice tua*, ut apud Horat. in Arte, *Fungar vice cotis*: vel *fungar vicem tuam*: ut Suetonius in Aug. cap. xlv: *Commendatis, qui vicem suam, præsidendo fungerentur.* Sic *demandare alteri suam vicem, oppetere alius vicem, nostram vicem ipse ulcisceretur*: & similia apud varios.

Versuram facere is dicitur *qui æs alienum ex ære alieno solvit.* Ita Donatus. Sed errat: cum versuram is facere dicatur, qui pecuniam mutuo accipit sub fœnore. Cicero pro Flacco: *Duæ rationes conficiundæ pecuniæ; aut versura, aut tributo: nec tabulæ creditoris proferuntur: nec tributi confectio ulla recitatur.* Idem pro Cælio: *Nam quod æs alienum objectum Cælio est: versuram nunquam fecit ullam.* Ad Att. lib. v: *Non modo magno, sed iniquissimo fœnore coactus est versuram facere.* Fusè de hoc maximus Salmasius ad Tertullianum de Pallio: item lib. de Usuris, & earum modo.

Cap. VI.

De barbarismi genere, in quo vel solum nomen, vel solum verbum, vel nomen pariter ac verbum cum particula socientur in significatione aliena.

Habemus de junctura ea nominis tum secum, tum etiam cum verbo, in significatione, quæ non obtinuerit apud antiquos. Quare videamus nunc de junctura partis alicujus declinabilis cum indeclinabili, quam refugiat sermo Romanus in significatione eâ, quâ vulgo usurpatur. Primo dicam de ea, quæ solius est nominis cum particula.

Talis est *idem cum illo*: quod pro diversa acceptione vel Latinum est, vel barbarum. Latinum quidem cum aio, *Idem Scipio cum Lælio reversus. Idem mancipium cum latrone vagabatur.* At Latinum non est, *Hic idem est liber cum eo, qui statim incipit*: prout scribit Aldus major præfatione in Columellæ, sive alterius librum de arboribus: ubi dicendum erat, *idem liber, ac ille.* Similiter verò pene omnes loquuntur. Paucos solum adducam Lips. in lib. ii

Anna-

Annalium Taciti* : *Libera alias Cora, est eadem cum Proserpina.* Idem† : *Samothracia non eadem cum Imbrasia.* Item* : *Quæ Metia porta Plauto eadem est cum Esquilina.* Stephanus Pighius in Annalibus Romanis ad an. Urbis Iↄ xxxix†. *Celtica lingua prisca eadem cum Germanica fuit.* Paullus Jovius de piscibus Romanis cap. xvii* : *Clupea Veneta, atque Etrusca, idem cum laecüs* (sive allosis) *censentur.* Julius Scaliger adversus Cardanum Exercitat. cccvii. §. xv. *Unum, bonum, verum, sunt una res atque eadem cum ipso ente.* Idem commentario in Aristotelis Historiam Animalium lib. ii cap. xviii sect. cxxiii : *Cophiam eundem cum typhlino alii prodidere.* H. Stephanus in Thesauro L. Gr. Πεοσηκός idem cum πεοσός. Barnabas Brissonius libro singulari, ut doceat, legem Juliam de adulteriis ab Augusto esse latam addit, *Julius idem cum Augusto.* Stephanus Pighius in Themide sua: *Carmentam cum Themide, vel Nomo eandem esse* in Nomenclatore, *Carpentum cum pilento ferè idem.* Idem in Nomenclatore, voce *Cymba : Etsi eandem cum lembo faciat Isidorus.* Thuanus Histor. libro cxxiii : *Plicam eandem cum lue Venereâ esse.* Merula Italiæ suæ cap. xxv : *Cælestis* (Campaniæ litus) *idem ferè cum omni Italia.* Vide sis dicta nobis libro Rei grammaticæ vii, qui est de Structurâ, cap. lviii. Maximilianus Sandæus Grammatici Prophani commentatione xii†, ait, caussam esse quia non possint concurrere in eodem, ut sit idem & alter; quod fuerit si dicere liceat, Augustinus idem est cum Chrysostomo. Sed aliquid diceret, si liceret dicere, Sophronisci filius idem est cum Socrate; poëtarum Latinorum princeps idem cum Marone; Phæbe eadem cum Diana, Tyndaris cum Helena. Quare neque, (ubi majus, videlicet ipsius personæ est discrimen) dixero in Sacrosanctæ Trinitatis negotio, *Pater idem cum Filio:* (quod Latinum ait Sandæus*) sed Pater, ac Filius non ejusdem modò sunt voluntatis, verùm etiam naturæ.

* Pag. 61.
† Pag. 63.
* In Excursibus lit. H.
† Pag. 103.
* Pag. 474.
† Pag. 475. & seq.
* Pag. 476.

Peccatur etiam in præpositione cum suo casu. Ut cum *De Parisiis*, pro *Parisiensis*; *De Mediolano* pro *Mediolanensis*, superioribus dicerent seculis. Ita passim legere est, *pauperes de Lugduno*, qui & Waldenses: item nobilis Scholasticus dictus *Ægidius de Roma.* Aliquis defensum hæc eat, quia Ennius dixerit *astrologus de circo*, Catullus fortasse *mulier de via*, pro *obvia*: qua de re dixi lib. vii de Arte cap. lxv. Sed enim pro gentilibus semper *à*, vel *è* reperio, eoque *pauperes à*, vel *è Lugduno*: *Ægidius à* vel *e Roma* potiùs dixerim. Cæsar lib. iii belli civilis: *Duobus his præliis desiderati sunt equites Romani* cccc, *& à Placentiam, & à Capua* x *sacrati viri.* Livius lib. i: *Turnus Herdonius ab Aricia.* Varro apud Agellium lib. vii: *Pavus e Samo, hædus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia.* Plautus quoque, Terentiusve eodem modo locuti: hujus est Heautont. *Est è Corintho hic anus*: Illius est Bacch. *Philocratem ex Aulide ecquis omnium noverit.* Interdum quoque omittitur præpositio Græcorum imitatione, quomodo Varro ait, *Vinum Chio*, pro è *Chio.* Ennius quoque poëmate ἡδυφαγητικῶν (id ei inscriptionis fuisse suspicor cum Casaubono) scripsit *mustela Clypea*, pro è Clypeâ, vetere Carthaginensium urbe, quam Geographi appellant ἀσπίδα. Versus Ennii est:

Omnibus ut Clypeâ præstat mustela marina.

Fortasse & dixit Agellius lib. iii cap. xv: Nobilem mulierem Naxo *insulâ.* Ita enim Carrio* monet in vett. cod. legi, quamquam in vulgatis sit *e Naxo.* Pluraque ejus generis attuli lib. vii artis Gramm. cap. lxvi.

* Lib. 1. Emend. cap. 6.

Nec Latinum *de verbo*, pro *ad verbum.* Ut cum vulgo ajunt *verbum de verbo reddere.* Pro quo Cicero de Finibus, & in Tuscul. *ad verbum exprimere*: in Academicis, *verbum è verbo exprimere*: ad Att. *totidem verbis transferre*: de Claris Orat. *eisdem verbis reddere.*

Hæc de junctura particulæ cum nomine. Est etiam cum verbum, & particula socientur; ubi, quia in falsâ sumantur significatione, Latinitas vel falsa sit, vel suspecta. Posterioris est generis, *Malè habere*, quod quin bene dicatur ambigit nemo: sed eâ significatione, qua dicimus, *alicui quid egre esse.* At non æquè apertum, an etiam rectum sit, *male habere*, pro *male valere*, sive *ægrotare.* Sanè Græci sic dicunt κακῶς ἔχειν, vel μαλακῶς ἔχειν: nempe ἰδιωτικῶς, pro quo integrè alias dicunt εὖ vel κακῶς ἔχειν τὸ σῶμα. Romani quoque integrè sic dicunt *bene*, vel *male se habere.* Ita Cicero ad Q. Fratrem lib. iii. Tacitus xiv Annal. *Plures jussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, illitum palatum noxio medicamine adseverabant, & Burrhum intellecto scelere, cùm ad visendum princeps venisset, adspectum ejus aversatum, hactenus respondisse,* EGO ME BENE HABEO. Contrà *habere se malè*, Cæsar lib. i de bello civili. Ac similiter, *graviter se habere* dicit Tullius epist. ii lib. vii ad Att. *Tironem Patris ægrum reliqui. Quamquam videbatur se non graviter habere. Tamen sum sollicitus.* Sed quæritur an ἰδιωτικῶς quoque pro eo dicatur *malè*, aut *graviter habere.* Sic sanè loquitur B. Irenæi interpres lib. i adversus hæreses cap. xiii. Sed ille passim Græcissat, adeo ut nimis religiose instituisse verbis Irenæi videatur.

Sed quicquid de isto sit, verbum, & particula junguntur in falsâ significatione, quando confunduntur *vereor ut*, & *vereor ne*: uti factum à Valla lib. iii Elegant. cap. xxvii, Badio Ascensio in iv Catilin. Stephano Doleto in Ter. Andr. act. i sc. v, atque alios. Quos secutus Henricus Stephanus ait Præfatione dictionarii Medici ad Philibertum Saracenum: *Sed quoniam vereor, ut ea tibi exciderint redigam in memoriam.* Ubi dicendum erat, *ne exciderint*, vel *ut non memineris.*

Exterius scire, pro memoriter cognoscere, animo inscripsisse. Thomas Kempensis de imitatione Christi lib. i cap. i: *Si scires totam Bibliam exterius.* Est Belgicismus. Nam Belgarum id est, *van buyten weten.* Atque ex hujusmodi idiotismis liquet scriptorem hunc Belgam fuisse, non Italum, quod contendit Joan. Gersen, Abbas Vercellensis, Benedictinus.

Stare in propriis sensibus, Verbum particulam & nomen conjungi videas apud eundem Kempensem lib. i de Imitat. Christi cap. lv: *Magna sapientia est, non esse præcipitem in agendis, nec pertinaciter in propriis stare sensibus.* Belgæ similiter, *op sijn selven staen.* Latini, *sua sententia pertinaciter insistere, sui solius niti judicio.* Quod faciunt, qui Græcis ἰδιογνώμονες, καὶ αὐθέκαστοι vocantur. Etiamnum vir pereruditus sic auspicatur librum de Gloria: *Nec absterrebit infantia mea, quam nonnihil vereor, ut proditurus nunc sim.* Dicendum erat, *vereor ne proditurus sim.* Clarè enim distinguit Terentius And. act. ii sc. ii.

Id paves ne tu illam, tu autem, ut ducas.

Sententia est, Tu Pamphile, metuis ne tu ducere cogaris Philumenas: tu Charine, vereris, ne non Philumenam ducas, quam sic deperis. Nempe *vereor ne*, est, quod vulgo dicunt, *vereor quod: vereor, ut* est, quod dicunt, *vereor quod non.* Pluribus id firmat exemplis Godschalcus Stewechius appendice libri i de particulis L. L.* & Adrianus Behotius Apophoretorum lib. ii cap. xii. Scio quædam loca obduci: sed corrupta: Qua de vide sis Stewechium ibidem: item quæ dixi libro de Constructione cap. lxvii. Interdum etiam reperias *ne non*: ut Cicer. lib. ii epist. iv: *Non quò verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat.*

* Pag. 470 & seqq.

Malè feriati de hominibus malis passim legas apud seculi nostri homines eruditos. Nimirum propter illud Horatii lib. iv od. vi. Sed enim hic Troiani dicuntur malè feriati propriè, quia, cum Troia caperetur, feriæ erant, sed malè celebratæ: ut ex secundo Æneidos constat.

Stare bene cum aliquo, esse amicum: *Stare malè*, exosum esse. Thomas Kempensis lib. iii de Imit. Dei cap. xliv: *Si bene steteris cum Deo, faciliùs te victum portabis.* Belgæ similiter, *wel met God staen.* Latinè dixeris, *numen habere propitium, à Deo amari.*

Transire ad cor eidem, quod Belgæ, *ter herten gaen.* Ut de Imitatione Christi lib. i cap. xlvi: *Quare tam parva tibi ad cor transeunt?* Pro, *cur tam exigua ad animum revocas?* Sic cap. xlvii: *O si tibi hæc saperent, & profundè*

funde ad cor transirent. Pro, *si hac altè in animum descenderent.* Hujusmodi, ut dixi, Belgicisinis non obscurum est auctorem pii illius opusculum non Italum fuisse, sed Belgam. Excessit è vita anni CIƆ CCCC LXXI, annos natus XCI.

Cap. VII.

De solœcismo universè. Stribligo *quid, & unde dicatur. Nicolai Susii in Agellio conjectura rejecta.*

FAlsò Gellius negat σολοικισμὸς apud idoneos Græcorum inveniri. Unde solœcismo nomen. Eustathius notatus. Diomedis locus emendatur. *Solicismus* pro *solœcismus.* Σόλοικον de omni eo, quod vitiosum. Hæc de priori genere vitii in vocibus conjunctis, ubi Grammaticè, nec Latinè tamen loquimur. Nunc ad alterum accedo, ubi in structura peccatur adversus canonas Grammaticos, ac *imparilitas* ab Sinnio, (al. Asinio) Capitone, & ætatis ejus aliis; vetustioribus verò Latinis *striblıgo* appellatur, teste Agellio lib. V cap. XX. Nempe posterius hoc à Græco στρεβλὸς, id est *pravus*, unde στρεβλοῦν, *depravare.* Dicitur ergo quasi *streblıgo.* Ut audiendus non sit vir eruditus, Nicolaus Susius, limæ Ciceronianæ cap. III: ubi apud hunc Atticarum Noctium scriptorem *stroblıgo* legendum censet: nempe quia, ut ait, hoc flagitet vox Græca στρόβιλος, vel στροβελός. Græcis id vitii genus vocatur σόλοικον, itemque σολοικισμός. Quo significatur λόγος ἀκαταλληλος, ut exponit Suidas: hoc est, ἀνακόλουθος, ἄτακτος, *oratio incomposita.* Eustathio definitur, ἁμάρτημα ἀκούσιον περὶ λόγον· *error quem quis invitus in sermone committit.* Sed sic etiam barbarismus committitur. Atqui, ut Alexander Rhetor initio libelli περὶ σχημάτων ait, ἐν μὲν βαρβαρισμῷ, ὄνομα διορθοῦμεν· ἐν δὲ σολοικισμῷ, σύνταξιν ὀνομάτων· *in barbarismo corrigimus vocem unam: in solœcismo vocum structuram.* Vocem solœcismi se apud idoneos Græcorum invenisse, negat ibidem Agellius. At utitur eo Aristoteles in elenchis Sophisticis lib. I cap. III, & XIX*, & lib. II cap. VI †, & alibi. Ac Theophrastus quoque, & Chrysippus, teste Laërtio, libros scripsere de solœcismis. E Latinis usurpat autor Herennianus, Fabius, Martialis, Juvenalis. Eustathius in Iliad. α, Grammaticè h. e. ineptè σολοικισμὸν dictum ait quasi οὐκ λόγου αἰκισμὸν, *sani sermonis flagellationem*, unde mutilum Diomedis locum suppleo, apud quem vox οὐκ librariis prætérita. Ita enim Diomedes, cùm in aliis, tum etiam in editione istâ, quam Helias Putschius recensuit, *Solœcismus dicitur quasi λόγου αἰκισμὸς, integri sermonis corruptio.* Sed omnino σολοικισμὸς est à Solis, teste Strabone lib. XIV, & Anonymo περὶ ἀπίστων* cap. XXI. Eum scriptorem cum Heraclito, & aliis primus Romæ edidit † Leo Allatius. Sed gemina urbs est, cui Σόλοι nomen, una Σολίεων in Cilicia, altera Σολίων in Cypro. Prior est Solonis ipsius opus, alteram Philocyprus rex condidit ex Solonis consilio: in cujus honorem id urbi nomen datum: ut est apud Plutarchum in Solonis vita. A Cypri urbe nomen hoc esse apud eundem Eustathium legas. Sed omnino est à Solis Ciliciæ urbe: quam Tigranes, rex Armenius, destruxit; at Pompeius instauravit, collocatis in ea piratis, quos hoc pacto ab effera vita ad meliores traduxit mores: atque hinc urbs ea postea dicta est Pompeiopolis. Vide Strabonem lib. XIV, Dionem lib. XIV, & Plutarchum in Solone, ac Pompeio. Sed si verum est discrimen inter Σολιεῖς, & Σολίους, quod est apud Laërtium in Solonis vita, corruptus est Plutarchus in Pompeio: ubi Solensibus Ciliciæ datur nomen Σολίων. An legendum Σολιέων? Equidem non repugnarem, nisi Solon ipse in carmine cives urbis à se in Cilicia conditæ Σολίους vocaret. Versus eos apud Plutarchum in Solonis vita habes. Quare potiùs dixero non esse discrimen id perpetuum, quod Laërtius* attulit his verbis: Ἐκεῖθεν τι ἀπαλλαγεὶς, ἐγένετο ἐν Κιλικίᾳ, καὶ πόλιν συνῴκισεν ἣν ἀπ᾽ αὐτοῦ Σόλους ἐκάλεσεν. Ὀλίγους τέ τινας τῶν Ἀθηναίων ἐγκατῴκισεν, οἳ τῷ χρόνῳ τὴν φωνὴν ἀποξενωθέντες σολοικίζειν ἐλέχθησαν. Καὶ εἰσὶν οἱ μὲν ἔνθεν Σολεῖς, οἱ δ᾽ ἀπὸ Κύπρου, Σόλιοι. *Inde profectus in Ciliciam, ubi urbem condidit, quam à se Solos dixit. In hac vero paucos omnino Athenienses collocavit: qui cum progressu temporis linguam patriam corrupissent, solœcissare dicti sunt. Ac hi quidem vocati sunt Solienses, illi vero in Cypro Solii.* Pro Solœcismo Ausonius epist. CXXX dixit σολικισμός:

Da rectum casum, jam solicismus eris.

A sermonis vitiis vox solœcismi ad vitia animi transfertur, quomodo Philostratus ait, solœcismum fuisse commissum à Rhetore in actione peccante. Et Aristoteles lib. II Rhet. σολοίκους vocat divites, hoc est arrogantes ac contumeliosos. Eodemque modo usi hac voce Xenophon lib. VIII Κύρου παιδ. & Plutarchus in Nicia, & è Latinis Cicero epist. VI lib. XIV ad Att. *Nihil enim tam σόλοικον, quam τυραννοκτόνους in cœlo esse, tyranni facta defendi.* Etiam Juvenalis est,

—— Solœcismum liceat fecisse marito.

Loquiturque eodem modo Martialis. Aliud verò in sermone σολοικισμὸς, aliud σολοικοφανὲς: quomodo, secundum Suidam vocatur, χωρίον τὸ δοκοῦν μὲν μετέχειν σολοικισμοῦ μὴ μετέχον δέ. *Locus alicujus scriptoris, in quo videtur esse solœcismus, cum non sit.* De solœcismo Alvaces* in Admonitione & antea.

Cap. VIII.

De solœcismo adversus canonem de convenientia duorum nominum in genere, & numero.

SOlœcismorum omne genus quis referat? *Lucilius quidem centum genera solœcismorum dixit:* ut ait Isidorus lib. I Originum cap. XXXII. Sed nemo dubitet, quin sint innumera: quæ tamen ad duo summa genera revocantur. Vel enim contrà convenientiam, vel adversùs regimen peccatur.

Primum pluscula adferam exempla, quæ convenientiæ substantivi & adjectivi repugnent.

Ador bonum rectè dici, liquet ex illo ipsius Horatii lib. II Sat. VI:

Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador, loliumque dapis meliora relinquens.

Vide ut etiam viri summi in his minutiis fallantur. Verba sunt Josephi Scaligeri ad Festum: *Doctissimus Grammaticus Priscianus ait irregulare hoc nomen* (ador) *esse: quod cum in O R terminetur, tamen obliquos corripit contra aliorum naturam: & cùm neutri sit generis, in O R desinit. Utrumque falsum. Nam neque cum obliquos producit, est neutri generis, sed masculini: neque cum neutri est generis, in O R terminatur. Quamvis enim dixit Ausonius:*

Mox ador, atque adoris de polline pultificum far:

tamen ador in neutro dictum pro adus: ut corpor dicebant in neutro. Sed adus in neutro dictum, & ador in masculino, ut decus, & decor. Paullum hæc expendamus. Ait semper dici hic *ador, adoris*, ut *hic decor decoris:* & hoc *adus adoris*, ut hoc *decus decoris.* Hoc si est, quomodo Horatius dixit *hoc ador.* Nam, ut vidimus, inquit, *Esset ador.* h. e. *ederet ador.* Si masculinum esset, *adorem* dixisset. Nunc neutrum esse liquet: ubi, secundum Scaligerum *adus* dici oportuit. Et quis veterum *adus* usurpavit? At glossas Philoxeni provocat: ubi legendum ait, *Adus*, σῖτος: etsi vulgo sit *Adis*, σῖτος. Nimis hoc telum imbecille. Nam quid si legamus, *ados?* Nempe ut *honos, colos, odos*, dixere, sic forte *ados*, pro *ador.* Utcumque est, Horatii loco abunde Scaliger refellitur, ut caussæ nihil sit, quo minus *optimum ador* rectè dicatur.

Apostrophus geminus inquiunt, cùm Græci Technici, & Scholiastæ dicant τὴν ἀποστροφὴν, sive intelligant προσῳδίαν, sive aliud simile.

Assecla non admittit adjectivum muliebre. Cæsar tamen Scaliger Exercitatione CCXXXV sect. II* ait, de ave *cacovera* (mallem *caccophagon*, ἀπὸ τῶν κάκκης καὶ τοῦ φαγεῖν

[Marginalia: * Al. 14. † Al. 32. — * De incredibilibus. † An. 1641. — * Pag. 169. edit. H. St. in Solone. — * Pag. 439. — * Pag. 732.]

γῶν dixisset, ad evitandam compositionem hybridam) *alicuius assidua assecla cujus vescatur excrementu.*

Atomus pulsus, & *atomus alius*, dici posse, censent multi, inque his Xystus Betuleius notis ad illud Lactantii lib. de Ira Dei cap. x: *Lucretius quasi oblitus atomorum, quos asserebat.* Sic non Betuleii modò editio habet, sed etiam hac prior Aldina, & eàdem posterior illa Michaëlis Thomasii à Plantino procurata. Sed enim multum metuo, ne *quas* sit legendum. Betuleius ait, Laërtio quoque esse masculinum. Sed in Democrito ejus legas: Τὰς ἀτόμους ἀπείρους εἶναι, φέρεσθαι δ' ἐν τῷ ὅλῳ δινουμένας. Ubi interpres reddidit, *atomos esse infinitos.* Malim *infinitas*, ut Græcè est τὰς ἀτόμους, & δινουμένας, h. e. *rotatas.* Idem in Epicuro, αἱ ἄτομοι ἄπειροί εἰσι· *Hæ atomi cùm infinita sint.* Alii dicunt, & Senecæ esse lib. VII Naturalium Quæst. cap. XIII: *Quod atomis congesti, coacervatique, fecerunt.* Verùm & Gruteri, & Lipsii editio habent, *congesta, coacervataque.* Et sanè semper veteres utuntur in muliebri: etiam Cicero, cum alibi, tum libro de Fato: *Non enim atomus ab atomo pulsa declinat: nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet? sequitur enim ut, si alia ab alia nunquam depellatur; nec contingat quidem alia aliam: ex quo efficitur, ut jam, si sit atomus, eaque declinet, declinare sine caussa.* Et caussa est, cur muliebre sit, cum in ἄτομος καθ' ὑπόνοιαν intelligatur, quod Plutarchus addit libro in Coloten Epicureum, vel οὐσία intelligitur. Quemadmodum & cùm Græcis neutro in genere ἄτομα dicitur, intelligitur σώματα: quomodo Cicero loco adlato vocat *corpora individua.* Et similiter etiam Græci appellant σώματα ἀδιαίρετα: hoc est, ἃ μὴ τομὴν ἢ διαίρεσιν δέξασθαι δυνάμενα, ut Suidas interpretatur.

Atriplex trita ait Macer ὑπερβολιμαῖος: *tritum* dixisset Plinius: ut ostendi lib. I de Anal. cap. XXXIV.

Bombyx tumida ait Hieronymus Vida, Episcopus Cremonensis, magni sanè nominis poëta, in poëmate, quod inscribitur Bombyx:

> *Ergo illas tumidas jubeo observare, nec ingens*
> *Nôsse labor.*

De bombyce verme est sermo. Atqui eâ significatione semper est masculinum. Solùm est femininum, cùm vel pro veste ponitur: nisi quod tum etiam in masculino reperiatur, sed κατὰ μετωνυμίαν: ut ex Propertio alibi ostendimus.

Bubo visa in prosa dicere non ausim; nec temere in versu. Scio Maronem, *solam bubonem*, dixisse IV Æn. Sed respexit nomen generale quod est *avis*: ut sit, quam σύνθεσιν dicunt Grammatici. Plinio sanè masculinum est lib. X cap. XII: *Bubo funebris, & maximè abominatus, publicis præsertim auspiciis.* Imò & Ovidio in Metamorphosios opere nunc *ignavus*, nunc *funereus*, nunc *Stygius* vocatur: ut *raucus* in Tristium libris. Nec poëtarum quisquam vel ejus ævi, vel sequentis non unius eâ parte sequendum sibi magnum Maronem putavit. Atque de isto etiam diximus lib. I de Analogia cap. XXII.

Calyx tener ——. At in Ἀνθολογίᾳ est ἁπαλὰς λαβοῦσαν κάλυκας. At Homerus quoque hymno in Venerem † dixit:

† Vers. 84.

> —— Κάλυκάς τε φαεινάς.

Camelus genere ajunt muliebri, cùm Græcis quidem dubii sit generis, Latinis verò semper sit masculinum. Sic, ut alibi monitum nobis, *camelum solidam assam* dixit Bruyerinus Campegius lib. III de re cibariâ cap. XXXIX: & mox, *lac earum esse suavissimum.* Item Lamberti Danæi est Physices Christianæ parte posteriori capite XXIX: *Etiam si cum his struthiocamelum Africam, vel Ægyptiam compares, quæ tamen avium maxima.* Et capite XXXIII: *Struthiocamelus Ægyptiaca, quæ hominis equo insidentis magnitudinem excedit.* Atqui parum est verisimile Romanos alio genere dicturos fuisse *struthiocamelum*, quàm dicerent *camelum.*

Cicer frictus solœcon est: etsi in Foro Romano*, & inde aliis, sic adducatur locus ille è Plauti Bacchidibus act. IV sc. VI:

* In Frigo.

> *Tam frictum ego illum reddam, quàm frictus est cicer.*

Sanè in cunctis libris est *frictum.* Nec unquam alio genere reperias: utcunque ὑποκοριστικῶς *cicercula* dicatur.

Cliens nostra dici posse, ex Horatio probant lib. II od. XVIII. Verùm ibi non *clientes*, sed *clienta* plurimùm est in antiquissimis Mſſis: ac sic legit Charisius lib. I: ut dixi lib. I de Analogia cap. XV.

Climax muliebre est. Et tamen Cæsar Scaliger Exercitatione CCLII † ait: *Sed arrisit tibi Rhetorum facundissimo Climax ille, quo ab elementis ad hominem adscendebas.* Rectum erat *climax illa, quâ.* In quo etiam Ramus, & Talæus, offendêre, cùm *Rhetoricum climacem* dicunt, pro *Rhetoricam.*

† Pag. 781.

Culex magna ajunt dici posse: sed corrupto Plauti codice sunt decepti: ut dictum lib. I de Analog. cap. XXXIV.

Diameter quantus, dicere jubet Cælius Secundus Curio in Foro Romano. Sed omnino dicendum, *quanta diametros.* Nam intelligitur γραμμή: ut cum Latini *dimetientem* appellant, intelligunt *linea.* Sic vocat Plinius libro II capite XXIII: *Quantas dimetiens habet septimas, tantas habere circulum duo & vicesimas.* De hoc etiam aliquid vidimus lib. I de Analogia cap. XXX.

Ebria vir, ut *indigena vir*, vel *advena*, dici posse censet Charisius lib. I. cap. de Analogia: idque propter illud Pomponii: *Neque ego sum Memmius, neque Cassius, neque Munatius ebria.* Mirum, tam doctum grammaticum istoc ævo potuisse tam levi recula in hunc impelli errorem. Nam *Ebria* hìc proprium est, non adjectivum. Estque id cognomen à vase vinario. Nam ut idem Charisius alibi ait: *Ebria* (vel *hebria*) *est vas vinarium: unde ebrius, & ebria, dicitur.* Nisi hìc *bria* legendum, è glossis Philoxeni, Arnobii lib. VII, & Haimone in epist. ad Galatas cap. V. Atque hoc verius censeo.

Farraginis in voce peccari, dicam inferiùs in *Vligo.*

Fons pro *cratere* etiam accipitur, h. e. magno vase vinario, mediæ imponi mensæ solito; unde in cyathos infunderetur vinum. Sed quæstio est, an ea significatione sit muliebre, ut ajunt: quod comprobatum eunt istoc Plauti Sticho act. V sc. IV:

> *Tibi propino decumâ fonte: tibi tute inde si sapis.*

Quomodo etiam legit Janus Duza lib. IV Plautinarum Explicationum cap. XX. Ubi *decumam fontem*, Scauro innixus, exponit crateram decumanam, h. e. grandem, & capacem. Sed enim, cum attendo literarum ductus, & quàm parum abeat hæc lectio, magis placet emendatio Valentis Acidalii, qui Divinationibus in Stichum cap. VIII, ita legit:

> *Tibi propinod eccum: à fonte, tibi tute inde si sapis.*

Ut de muliebri genere nihil hinc certi elicias. Equidem etiam cùm *fons* tralatitiè, ut hic sumitur, non aliter, quam virili genere ausim uti.

Forcipe curvo, vel *adunco*, Priscianus etiam dicere permittit. Sed *forcipe curva* Ovidii est XII Met. *forcipe adunca* est Persii sat. V. Nec scriptor exstat quisquam, qui aliter usurpet, quàm genere muliebri. Qua de re etiam dixi lib. I de Analog. cap. XVII.

Furfur si neutrum foret, non *furfures* diceret Plinius. Et tamen legas apud Cæsarem Scaligerum Exercitat. CCLXXIV*: *Id erat squama, sive furfur candidum è sudore sicco, quod districtum exiliret.* Pro *furfur candidus.*

* Pag. 867.

Glycerium meum, vel *Leontium*, aut *Sophronium tuum*, non ausim dicere. Aliter Terentius, ut notum: aliter quoque Fabius jussit lib. I cap. IV. Quare non magis *Glycerium meum* pro *mea*, quàm *Catilina tua* pro *tum*, rectum puto: etsi aliter Priscianus, quem plerique hac parte sequi amant. Vide quæ dixi lib. I de Analog. capite XXIV.

Hyssopus maceratus rectum putant, quia Plinius dicat *hyssopi macerati.* Sed est hoc à recto *hyssopum*: ut ostendi lib. I de Analogia cap. XXXII.

Hystricem, vel *hystrichem contectum*, dicere liceat: secundum plerosque in his Melancthone in Grammat. Sed

 spinis

ſtinis conteclam ait Plinius lib. XIII cap. XXXV. Ac Græci quoque ὕστριχα ſemper genere dicunt mulıebri.

Incus dura, ac *media*, veteres dixere. Julius tamen Scaliger Exercitat. XI †: *Incus à malleo impulſus, malleum repellit, quòd ejus forma reſpuat advenientem materiam. Impulſa* erat dicendum. Sed librarii eſſe lapſum malo credere.

† Pag. 60. edit. Francofurt. an. 1592.

Juvenis optima de adoleſcentula dici poſſe, contendunt ob hoc Catulli*:

* Carm. Nupt.

Cernitis innuptæ juvenes?

Sed ſtructura ejuſmodi eſt: O innuptæ virgines, nonne hos juvenes cernitis? Nempe hoc agit poëta, ut innuptas excitet juvenum exemplo. Et iſtoc attigi lib. I de Analogià cap. XV.

Macte Regina, vel *uxor*, *filiave*, non dixero, quia *macte* eſt vocativus à *mactus*, quod eſt contractus ex *mage auctus*, ſive *mace*. Nam veteres pro *G* utebantur *C*: ut liquet ex columna Duilliana, & vett. Gramm. *Macta* eſſet dicendum ἀναλόγως: ſed exemplo veterum deſtitutus, malim & illis abſtinere.

Mille alia paſſus, pro *milleni alii*, ſine dubio barbarum fuerit, niſi per σύνθεσιν excuſetur. Sic loquitur Matthæi interpres. Græcè eſt: Καὶ ὅς τις σε ἀγγαρεύσῃ μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. Vertit interpres: *Quicunque angariavit te mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Ubi in animo habuit *milliaria*, quod idem ac *mille paſſus*. Eſt igitur ſimile iſti Varronis lib. de re Ruſtica cap. XII: *Sin cogare ſecundùm flumen ædificare, curandum, ne adverſum eum ponas hieme. Eum* pro *id* dixit, quia etſi anteceſſerat *flumen*, *fluvium tamen*, quod idem ſignat, in animo habuit. Dabo ſimile.

Arbuſtum totum quin dici debeat, nemo ambigit. Et tamen Lucretius lib. I:

Creſcunt arbuſta, & fœtus in tempore fundunt;
Quod cibus in totas uſque ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos diffunditur omnes.

Ubi ſic Lambinus: TOTAS *retineo, & ſubintelligo arbores, ut res ſignificata ſpectetur, non vocabulum, quod ſignificat.* Σύνθεσιν vocant Grammatici. Nempe Lucretius non ad *arbuſta*, ſed ad *arbores* reſpexit, quod idem ſignificat. Cur igitur non feramus hæc in veteri interprete; cum videamus nec abſtinuiſſe talibus ſcriptores claſſicos? Imò nec ſcriptores θεόπνευστοι ab iis ſibi cavendum putarunt. Ut Luc. VIII. 5. Ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον αὐτοῦ· καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν πέτραν, καὶ φυὲν ἐξηράνθη ἕτερον. Licet ὁ σπόρος anteceſſerit, ait ἕτερον, quia σπέρμα in animo erat. Joannes XVII. 2: Καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς ἵνα πᾶς ἔδωκεν αὐτῷ δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. Ait αὐτοῖς, pro αὐτῷ, quia obſervabatur ἄνθρωποι. Sic II Joan. I. I, καὶ τοῖς τέκνοις οὓς ἀγαπῶ, pro ἃ, quia in animo erat υἱοῖς. Ac ſimilia alibi.

Mergites duos dicendum ait Emmanuël Alvarus. Sed Plinius pro eo *duas mergites* lib. XVIII cap. XXX. Diximus de eo lib. I de Analogia cap. XXVIII.

Myſtax longa dicere jubent. Atqui Plutarchus in Agide Lacedæmonios ait τὸν μύστακα κείρεσθαι †. Ac Theocriti quoque eſt:

† Myſtacem tonderi.

Χ' ὁ μύσταξ πολὺς ἦν οὗτος ἐξ, αἰπόλος ἡ κακίλος.

Nequam hoc de viro ἀπλῶς non dixero; etſi *nequam hoc* in recto dicere jubeat Phocas: nempe quomodo *hoc mancipium* dicimus. Nec tamen formidem, *hoc nequam mancipium.*

Paragraphus ſecundus, vel *tertius*, dicere ſolent Juriſconſulti. Sed omnino femininum eſſe, ac reſpici γραμμὴ, Henrici Stephani eſt judicium.

Pelagus totus tuentur illo Valerii Flacci lib. I:

—— *Pelagum quantos aperimus in uſus.*

Quod & probat poetæ ejus interpres Ægidius Maſerius. Sed *pelagus*, & Græcis, & Latinis, ſemper neutrum. Ac in Flacco etiam *pelagum* à Carrione editum eſt.

Phœnix unica dicere non auſim niſi forte in carmine, ut καθ' ὑπόνοιαν, intelligatur *avis*; quod expreſſit Ovidius lib. II Amor. Eleg. VI:

Et vivax phœnix, unica ſemper avis.

Sic unica phœnix ſimile ſit ac *ſola bubo*: de quo antè diximus. Joannes tamen Voerthuſius, præpoſitus Daventrienſis, vir pereruditus, eos ſecutus, qui Phœnix dubii eſſe generis arbitrantur, in Phœnice, ſive Conſecratione Auguſta* ad Philippum, Hiſpaniarum Regem, nunc ait, *Mori neſcia Phœnix*: & *Phœnicem cœlo genitam reponimus*: nunc, *Accipe Phœnicem hunc meum priſcum.* Claudiano eſſe virile, oſtendimus in primo de Analogia ex illo lib. II de laudibus Stiliconis †:

* Edidit Guil. Sylvius, typographus regius Antverpiæ.

Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro.

Nec aliter me legere commemini, vel apud Latinos, vel Græcos.

† Verſ. 417.

Polenta toſtum dicere jubent: quaſi ullum nomen in *Ta* ſit neutrum. Aliud docere potuit Varro lib. III de R. R. cap. IX: *Polentam miſtam cum naſturtii ſemine.* Iſti, quod ex Ovidio* objectari ſolet, ſatis occurſum in primo de Analogia cap. XIX. Ubi oſtendi, non *dulce polenta*, ſed *toſtâ polentâ* dicere. Quomodo & tribus pòſt verſibus legas:

* 3 Met. fab. 7, ſive alias 10.

Cum liquido mixtâ perfudit Diva polentâ.

Popule meus †, pro *popule mi*; item *Deus meus*, pro *Deus mi*, eſt apud vulgatum Scripturæ interpretem. Uti & in Litania, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, pro *agne Dei*. Sed hæc veterum exemplo poſſunt excuſari: ut vidimus lib. II de Analogia cap. V. & lib. IV cap. VII.

† Pſal. 77. 1.

Poteſtatis nomen ſemper muliebre eſt. Petrus tamen de Vineis epiſt. CI: *Poteſtati veſtro.* Ubi non improbo, quòd *poteſtatem* vocet, penes quem, vel quos eſt poteſtas: uti Græci δυνάστην dicunt. Nam & Juvenalis ea voce videtur ſic uſus, quando ait:

An Fidenarum Gabiorumque eſſe poteſtas:

hoc eſt, magiſtratus. Imò & ſimiliter Suetonius, Plinius, Appulejus. Sed durè ad aures accidit, quod dicat *poteſtati veſtro*: utcunque dynaſta, ſive prætor, vel qui major vocatur, hoc loco ſignetur: munium autem virilium nomina generis ſunt virilis. Veteres ſane dixiſſent *Veneta poteſtas*, non *Venetus*: quomodo & de typothetis dicimus non typographicos ſed typographicas operas. Nempe ut *operarum*, ſic *poteſtatum*, vox hic accipitur μετωνυμικῶς. Græci cum genere mutarunt terminationem. Nam ὁ ποτεστᾶτος dicitur Codino de Officiis, Nicephoro Gregoræ lib. IV & VII, atque aliis. Nicephori inter alia eſt, ὁ ἐν Γενύας ποτεστᾶτος. Uti Matthæo Pariſio ad an. CIƆCCXLII. *Poteſtas Janua, quem Admiratum vocant.* Sed hic relativum non minùs ad conſequens retuleris, quam antecedens. Cautè verò Radevicus de rebus Friderici Imp. lib. II cap. X: *de principibus quoque ad ordinandos in civitatibus conſules ſeu poteſtates alium aliò dimiſit.* Puto non dixiſſet, *ordinandos poteſtates*, ſeu *conſules*.

Stercus caninus dicere præcipit Chariſius lib. I cap. de Ordine tertio: nec laudat auctorem. Sed neutrum eſt Plauto, Tullio, Columellæ, cæteris.

Theatrum hunc, uti & *hunc prodigium* jam dixerunt ætate Curii Fortunatiani: ut ipſe ſignificat lib. III Rhetorices.

Torum hoc contra legas in Epitaphio Juliæ Firmiæ:

Quæ commune torum ſervavit caſta mariti.

Venter qui, dici debere, nemo ambigit. Vulgatus tamen interpres, Luc. XXIII. 29: *Ventres, quæ non genuerunt.* Nempe hoc inde, quia Græcè eſt κοιλίαι. Et idem tamen mox, *Ubera quæ non lactaverunt*: etſi Græcè ſit μαζοί. Ut videatur femininum priori loco excidiſſe interpreti. Nec enim puto ſic tum loquebantur.

Veſpertiliones duas non minùs, quàm *duos*, dici poſſe, traditum, a Grammaticis nonnullis: qui ſe tuentur hoc Pliniano lib. X cap. LXI: *Volucrum animal parit veſpertilio tantùm. Eadem ſola volucrum lacte nutrit, ubera admovens: geminos volitat amplexa infantes.* Sed integrè ſit: *Eadem volucris, puta avis, ſola ex volucrium numero*: ut cùm Plinius* ait: *Nigras lanarum nullum colorem bibere*, integrè ſit, *ex numero lanarum nigras lanas.* Virili verò genere dixit Plinius libro XXIX cap. IV:

* Lib. 8. cap. 48.

Tradunt de vespertilione, si ter circulatus domui vivus, per fenestram inverso capite infigatur amuletum esse: privatimque ovilibus circumlatum toties; & pedibus suspensum sursum in superliminari.

Virili pro meo dicunt. At rectum *pro virili mea.* Nam *parte* addunt Cicero, Ovidius, Livius. Attendere verò in talibus oportet ad nomen quod intelligitur.

Uliginem pestiferum dicendum, si Charisium audimus lib. I: ubi quod *margo* non muliebri semper, sed masculino: etiam genere, sumatur, nihil mirandum putat, quia etiam *uligo*, & *farrago*, masculina sint. Mirum stante Româ tam doctos viros hæsisse in talibus. Sanè Silius aliter lib. VIII:

> —— *Pestiferâ Pomtini uligine campi.*

Imò & Varronis est lib. II cap. II: *Ea uligo lanam corrumpit ovium.* Nec sanè ullum polysyllabum in *Go* masculinum reperias, modò ortum è Latio ducat. Scio, *harpago* à Grammaticis excipi: nec repugno, quo minùs sit masculinum, etsi desiderem veterum auctoritatem: verùm hoc est à Græco ὁ ἅρπαγος vocabulo derivatum. Æquè falsus Charisius de *farraginis* vocabulo, cùm *crassâ farragine corpus* Maro dicat III Georg.† [† Vers. 204.]

In iis quæ hactenus diximus peccatum est adversùm Generis convenientiam. Est verò cùm & aberratur in Convenientia numeri; ut cùm vulgo dicunt, *Fecere hoc sui ipsius causâ*, pro *sui ipsorum.* Atque hoc etiam excidit Julio Scaligero lib. III de re poëtica cap. XX, quod est de moribus: *Adeo perturbato sunt animo, ut etiam sui ipsius obliviscantur.*

Interdum verò fit, ut aliqui metu solœcismi adversùs convenientiam substantivi & adjectivi, verè in vitiosum sermonem incidant. Ut cum legimus apud viros doctissimos, *occisos iri hostes*, *suspensam iri mulierem*, & trecenta id genus: in quibus & illud Dalecampii in tralatione Athenæi lib. XIII*, *celebratas iri nuptias.* [* Pag. 529. ubi de Odate, & Zariadre.] Dicendum enim, *celebratum iri nuptias.* Item *occisum iri hostes: suspensum iri mulierem.* Error ex eo profluit, quòd putarunt, in circumlocutionibus hujusmodi per verbum *ire* vel *iri*, & futurum in *rum*, istoc futurum variari per genera, & numeros: quam sententiam abunde refellimus lib. III de Analogia cap. XVII: ubi multis veterum testimoniis ostendimus, futura ejusmodi esse omnis generis, & numeri.

CAP. IX.

De solœcismo adversus convenientiam Nominis, & Verbi.

ABunde exemplorum adduximus, ubi malè conveniat adjectivo cum substantivo. Rariùs verò peccatur contra convenientiam Nominis & Verbi seu finiti, infiniti. Prioris generis est hoc Hieronymi Cardani Commentariorum in Ptolemæi de astrorum judiciis lib. I cap. IV. sive text. XXIX†: [† Pag. 85. edit. Lugd. an. 1555.] *Non male omnino videntur Epicurei dixisse: Solem non esse, nisi qualem apparet: scilicet pedalem vel paullo majorem.* Nam *qualis apparet* fuerat dicendum.

Baptista Pius Bononiensis in commentariis Lucretianis scribit, ut per figuram dicimus, *læditur manum*, *frangitur pedem*; sic dici posse, *legitur librum*, *amatur Deum*: qui quidem error doctissimi viri turpior est, quàm ut ejus refutatione sit opus. Nempe non animadvertit, verba absoluta, & passiva, non quibusvis jungi accusativis, sed qui partem, vel adjunctum significant. Vulgo συνεκδοχὴν appellant; ut diximus alibi.

Nec conveniunt nomen verbumque, si dixeris *potis sumus*, pro *possumus*: dicendumque *potes sumus*: ac, si Merulam audimus, in composito id locum retinet ἀναλογίαν. Itaque apud Ennium legit XVII Annal.

> *Spero, si speres quicquam prodesse potessunt.*

Non *potissunt.* Tamen Plauti codd. MSS *potissunt* habent Pœnulo act. I sc. II:

> *Apagesis, negotii quantum in muliere una est.*
> *Sed verò duæ, sat scio, maximo uni*
> *Populo, cui lubet, plus satis dare potis sunt.*

Nempe quasi *potis* pro *potes* dixerint, sine numeri discrimine; quomodo *potis* pro *pote*, dixerunt, & *pote* pro *potis*, neglecto generis discrimine: ut diximus lib. II de Analog. cap. XXI.

Peccant etiam, qui dicunt, *A puero didicerunt.* Rectum, *à puero didici*, *à pueris didicimus*; sed *à pueritia didici*, & *didicimus.*

Est cùm etiam peccetur in convenientia verbi infiniti cum nomine. Ut si ante verbum *esse* præcesserit *licet*, *expedit*, vel simile: ac pro dativo, vel accusativo, subdatur nominativus. Ut apud Baronium in arduo Annalium Ecclesiasticorum opere ad annum CCCCXCIII*: [* Tom. 6 pag. 481. edit. Moreti.] *Gelasius datis rursum ad eum* (Honorium) *literis, quàm expediat in his pervestigandis videri studiosior, quàm remissior, declarat.* Dicendum fuerat *studiosiori, quam remissiori*, vel *studiosiorem, quam remissiorem.*

Occidit ense, non *cum ense.* Interim cum etiam reticetur præpositio, intelligitur tamen. Sed exprimitur semper, quoties non instrumentum, sed comitatus intelligitur. Ut, *Ibat cum fratre.*

CAP. X.

De solœcismo adversus Regimen: ac primùm illud, quod Nomen attinet.

A Convenientia me confero ad regimen. Ubi primùm de Regimine Nominis dicendum.

In regimine perperam docent, *similis illius* dici de moribus, *similis illi* de formâ. Scio, sic etiam apud Diomedem legi lib. I: Sed id perpetuum non esse, videmus ex hoc Ciceronis lib. V de Finibus: *Non video, cur non potuerit patri esse similis filius.* Ubi agitur de Ethicis, quæ *Nicomachia* vocantur. Recepta est opinio, esse ea ab Aristotele scripta ad filium Nicomachum, & eo *Nicomachia* appellari. Cicero ambigit, an non ipse conscripserit filio: cum potuit Nicomachus patri esse doctrinâ similis. Nec tamen nimis hunc locum urgeo. Possis enim dicere, illud *patri* jungi non cum *similis*, sed cum *esse*: ut sententia sit; potuit Aristoteli esse filius, qui parenti esset similis. Solidius illud Plauti, Menæch. actu V scenâ IX:

> *Nec aqua aqua, nec lac lacti est similius,*
> *Quàm hic tui est, tuque hujus.* ——

Et hoc Maronis IX Æn.

> —— *Me nulla dies tam fortibus ausis*
> *Dissimilem arguerit.* ——

Ubi satis liquet, dativo jungi, licet de moribus, non de formâ, agatur. Ac pluribus de eo dixi lib. VII artis Grammaticæ, qui est de Constructione, cap. XI.

CAP. XI.

De solœcismo in regimine Verbi.

DE regimine Nominis plura non addam. Nunc proferam, ubi delinquatur adversùs regimen Verbi.

Abundare pecunia non dicitur: etsi Maronis sit in Eclogis, *Quam dives pecoris nivei, quàm lactis abundans.* Et Claudiani in panegyr. *pietatis abundans.* Hic enim *abundans* non participium est, sed in nomen degenerat, eoque abit à constructione verbi sui. Sic *affluens opum* dixeris, non *opum affluere.*

Agere aliquem furti, dicere jubet Despauterius†. [† Pag. 308.] At malim, *agere cum aliquo furti.* Cicero pro Cluentio: *Deinde aliquando cum servo Habiti furti egit.* Cornificius ad Herennium: *Cum eo Actius egit injuriarum.* Idem: *Posse dici, secum furti agi, non peculatus, oportere.*

Ambulare in Judæam non dicam, sed feram in vulgato interprete, se seculo suo accommodante, Joan. VII. I. *Post*

 has

hac ambulabat Jesus in Galilæam: non enim volebat in Judæam ambulare. Græcè, Καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ· οὐ γὰρ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν. Quod Erasmus vertit: *Versabatur Jesus post hæc in Galilæa: non enim volebat in Judæa versari.*

Antecello nunc dativo, nunc accusativo jungi, ajunt Grammatici vulgo. De accusativo metuo ne fallantur. Utcunque est longe tutiùs cum dativo utamur. Nam ille Ciceronis locus orat. pro Cornelio: *Qui eloquentiâ cæteros antecellit*, in eâ quidem, quam habemus, non reperitur. Adde quod Priscianus ex primâ pro Cornelio (plures enim pro Cornelio scripsit Cicero; unde & idem Priscianus eodem libro citat lib. II pro Cornelio, & Cicero ipse in Oratore secundæ Cornelianæ meminit) eum locum hoc modo citat: *Qui eloquentia cæteris antecellit*, non, *cæteros*. Possint tamen veteres videri accusativo quoque junxisse, cùm autor ad Heren. lib. II. passivè usurpet: *An ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur.*

Consulo tibi interpretantur *consilium do.* Sed aliud significat: nempe vel bono consilio, vel aliter tibi prospicio, sive tuis studeo commodis. At *consuluit mihi*, pro *suasit*, Latinum non puto.

Excello dativum habere extra controversiam est: de accusativo non item. Apud Lactantium in septimo legi ajunt. Sed quamquam elegans, tamen solus ille vergentis jam ævi scriptor, præscribere Latinitati nihil potest. Adde quod necdum reperire verba potui, quæ legi apud eum dicunt.

Impedire alicui, pro *aliquem*, est apud Valerianum Homil. II de arcta & angusta via.

Ire militiam non dixero, sed *ad militiam*. Aliter scio Priscianus: sed idoneo fulcire auctore istoc debuisse. Interim si id apud veteres legerat, fuerit ellipsis præpositionis: ut in illo Attii Phœnissis:

Jussit proficisci exulium quovis gentium.

Est & Plauti Asin. I. III: *Tam actus, te portum refert.*

Miserere nobis rectum esse censet Nunvita in Synt. capite X:

Dic satago rerum, patrium, aut dantem misereri.

Et sane cum dativo jungit Boëthius lib. IV de Consolat. Philosoph. carm. IV:

Dilige jure bonos, & miseresce malis.

Sed placet illud Flavii Capri lib. de Orthographia jubentis dicere: *Misertus mei, miseratus me.* Quomodo apud Priscianum* L. Crassus in Legis Serviliæ suasione: *Nec me minùs vestri, quam mei miserebitur.* Cicero pro Ligario: *Cavete fratrum pro fratris salute precantium misereatur.* Ac Græcos similiter loqui ex Andocide ostendit Priscianus lib. XVIII. Iis verò, quæ pro Dativo afferunt, occurrimus lib. de Constructione cap. XXXIX.

[* Pag. 824.]

Præeo tibi, & *præeo te*, dicere jubent Grammatici. Prius rectum: posterius vero σόλοικον. Nam si *præeo* personæ jungatur, ea in dativo semper poni videtur. Sed res accusativo exprimitur. Ut apud Livium lib. VIII: *Pontifex, præi verba.* Pro quo Plautus Rudente in auferendi casu: *Præi verbis.* Sic Plinius quidem in Panegyr. *Tu nobis illud sanctissimum carmen præire dignatus es.* At Valerius Max. lib. IV de Scipione posteriori: *Cùm scriba solemni carmine præiret.* Nempe, ut dixere, *ire viam*, vel *viâ*: sic *præire verba*, vel *verbis.*

Propugnare alicui, pro *aliquem*, tantummodo posteriorum est seculorum. Sic Boëthius de consolatione Philosophiæ lib. I cap. IV: *Nos etiam, quos propugnare bonis Senatuique viderunt, perditum ire voluisse.* Quem locum integrum, & sanum esse, rectè Barthius sentit Adversar. lib. LI cap. VIII. Sed valde fallitur, cùm Appulejum etiam sic locutum arbitratur. Adducit ex Metamorphosios lib. VII: *Nam, pro Deum fidem! quadrupes nequissime, licet precariam vocis usuram sumes, cui tandem vel ineptissimo persuadere possis, atrocitatem istam culpâ carere, cùm propugnare pedibus, & arcere morsibus, misello puero potueris.* Verùm quid apertius, quàm hic *pedibus* non dandi esse casum, sed auferendi?

Succurrit mihi illud, dixere Cicero, & veterum alii: at non *succurrit mihi istius.* Nempe falso putarunt, simile per omnia esse ac memini vel recordor illius, vel aliud. At longè aliter est. Scaligero tamen in Ausonianis Lectionibus excidit: *Inter scribendum succurrit veteris saxi, quod ante hos aliquot annos effossum est.*

In quantum rejiciunt, qui omnia uno metiuntur Cicerone, quia is pro eo *quatenus* dicat, vel *ob id ipsum*, aut simile. Sed Senecæ est epist. CXXV: *Rationem tu ad summum evoca: in quantum potest plurimum crescere.* Quinctiliani quoque est lib. X cap. X: *Et declamatio in quantum maximè potest, imitetur eas actiones, in quarum exercitationem reperta est.* Juvenalis sat. XIV:

—— Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt.

Habes & apud Plinium, in epist. & Panegyr.

Latinè & Græcè doctus, improbatur ab Andrea Schotto lib. III Tusculan. Quæst. Dicere autem præcipit, *Scit Græcè & Latinè*: quomodo Cicero de claris Orat. ait: *Nam tam præclarum est scire Latinè, quam turpe nescire.* Verum Suetonii est in claris Grammaticis de M. Antonio Gniphone: *Fuisse dicitur ingenii magni, memoriæ singularis, nec minùs Græcè, quam Latinè doctus.*

Magis comparativo addit vulgatus interpres Act. XX. vers. 34. *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Equidem malim *beatum*, cum Græcè in positivo sit, Μακάριόν ἐστι μᾶλλον διδόναι, ἢ λαμβάνειν. Interim culpari non debet Latinitatis neglectæ. Similiter enim loquuntur Plautus, Virgilius, Valerius, Mela, ut ostendi lib. de Constructione cap. XVI. Est & Justini lib. III: *Non inventione earum magis, quàm exemplo clarior.*

Magna ex parte displicitum Schotto in Tull. Quæst. lib. III †: ac præfert *magnam partem*, more Græcorum: quomodo Cic. in Tuscul. *Stoici magnam partem in his partiendis occupati sunt.* Ac similiter majorem partem dixit in Verrinis, & Epistolis. Sed idem de Aruspic. Resp. ait: *Multo maxima ex parte libera religione domus.* Sic I Tuscul. *Omnino, aut maxima ex parte liberari.* Et alibi similia habet. Eodemque modo Plinius ac Fabius.

[† Pag. 248.]

Super sine casu culpatur in illo vulgati interpretis Genes. cap. XLII. vers. 13: *Sumus filii viri unius: minimus cum patre nostro est: alius non est super.* Atqui Maronis est III Æn.

O mihi sola super Astyanctis imago.

Ac Valerii Flacci est:

Nec spes ulla super.

Cap. XII.

De solœcismo in regimine Particulæ.

SUperest ostendamus etiam in Particularum regimine peccari. Ut à Gaza factum in tralatione Aristotelis libro VI Histor. Animal. cap. XVI: *Sub coitu & partu.* Ubi dicendum, *sub coitum, & partum.* Hoc est, appetente coitu, & partu. Græcè est, Περὶ τὴν ὀχείαν καὶ τὸν τόκον.

Cadere sub sensibus a multis dicitur. Sed Cicero in IV Acad. *cadere sub sensum.* Sic lib. de Universit. *Quæ cadunt sub adspectum, & sub oculos.*

Etiam σόλοικον est istoc apud vulgatum interpretem Act. cap. X. vers. 30. *A nudius quartâ die.* Ubi Latini dicunt, *nudiusquartus.* Nec *nudius* magis, quam *quartus* dici ablativus potest, cum dicatur pro *nunc dies.*

Duntaxat non admittit post se *sed*, vel simile: uti *solum, tantum, modò.* Rectum igitur: *In Latinis duntaxat scriptoribus versatus.* Pravum: *Non in Latinis duntaxat, sed etiam Græcis versatissimus.* Dicendum verò: *Non in Latinis modò*, vel *solum*, vel *tantum*, aut *tantummodo versatissimus.* Ut monitum quoque Joachimo Fortio Ringelbergio, libello de usu vocum, quæ non flectuntur*.

Valde superlativo jungit B. Hieronymus epist. ad Lucinium †: *Ego insignia paupertatis, & quotidiana symbola pæni-*

[* Pag. 104. 105. edit. Seb. Gryphii.]
[† Gretzerus de benedictionibus pag. 165.]

pœnitentia tibi, & sorori tuæ misi; quatuor ciliciola, apta proposito, & usibus vestris, & Codicem, hoc est visiones Isaiæ valde obscurissimas, quas nuper historicà explanatione disserui.

Cap. XIII.

De vocibus conjunctis falsò barbarismi damnatis: ac primo de eo genere, ubi duo nomina sociantur.

INterim nec in vocibus conjunctis universa pro deculpatis habenda, quæ hujusmodi judicantur à viris eruditis. Quod primò ostendam in structura duorum nominum: deinde nominis ac verbi: hinc nominis, & particulæ: tum verbi & particulæ: denique particularum inter se.

Primi generis sunt ista.

Punctum temporis rejicit Andreas Schottus lib. III Tull. Quæst.* Invitari verò jubet hoc Tullianum Orat. de Aruspicum Responsis: *Minimis momentis maxima temporum inclinationes fiunt.* Sed hac ipsa significatione *punctum temporis* tum Terentius dixit, tum Cicero in Oratione contra Verrem III, atque alibi.

* Pag. 244.

Summa summarum improbat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst.† Sed usus Seneca epist. XL: *Summa summarum hæc est, Tardiloquium te esse jubeo.* Interim Horatius pro eo epist. I lib. I:

† Pag. 259.

Ad summam, sapiens uno minor est Jove,
Dives, liber, honoratus, rex denique regum.

Imò & sic Cicero sic Terentiæ, filiæque lib. XVI epist. XIV, *Ad summam, animo forti sitis.*

Vice primà, secundà, tertià, Nicolaus Perottus, Cornelius Crocus, & alii, barbarè dici aiunt. Equidem damnare non ausim quia apud Horatium legam lib. IV od. XIV: *Plus vice simplici.* Non temere tamen sic loquar: sed Tullium sequar: cujus illud lib. I de Invent. *Primum quidem decipi incommodum est; iterum, stultum; tertium, turpe.* Pro Roscio Amerino: *Iterum, ac tertiò nominavi.* Pro Deiotaro: *Ille iterum, ille tertio, auctionibus factis, pecuniam dedit.* Pro Fonteio: *Semel, atque iterum, ac sæpius.* Petrus Blesensis epist. CXL: *Quam immeabile sit pelagus sit Pandecta, in qua civile jus continetur.*

Rectè à Grammaticis præcipitur nominibus, quæ solum habent pluralem numerum, jungi debere nomen distributivæ. Ut *terna litera*, vel *nuptiæ*. Frischlinus tamen *tres nuptias* non refugit: sed eo nomine à Mart. Crusio reprehensus. Mirum verò etiam Petrum Bembum sic scribere ad Christophorum Longolium: *Respondeo ad tres tuas suavissimas atque amantissimas literas.* Et ad Angelum Gabrielem: *Tribus tuis literis brevi respondebo.* Objectant, quod Tacitus in III Annal. *tres liberos* dixerit, pro *ternos*. Sed hoc inde est, quòd in recto esse *liber*, pro *filio*, dixerint: ut ostensum lib. I de Analog. cap. XLII.

Ad nomina etiam provocabula reducuntur: eoque huc etiam pertinet convenientia relativi, & antecedentis. Declamatur incertus, sed bene antiquus, Quinctiliano sanè antiquior, oratione eà qua Cicero inducitur Sallustio respondens: *Primum igitur, quoniam omnium majores Crispus Sallustius ad unum exemplum, & regulam quærit; velim mihi respondeat, nunquid hi quos protulit, Scipiones, & Metelli, ante fuerint, aut opinionis, aut gloria, quàm eos res gestæ suæ, & vita innocentissimè acta commendavit.* Ubi aliqui vehementer contendunt, ne sit σολοικισμὸς, vel saltem σολοικοφανὲς, *Metellos* rescribi oportere. Sed omnino simile est isti, *Quas ad me dedisti literas placuerunt.* Et (ut Henrico Stephano in Pseudocicerone* observatum) huic Servii Sulpitii lib. IV epist. ad Cic. *Etsi genus hoc consolationis miserum, atque acerbum est: propterea quia per quos id fieri debet propinquos ac familiares, ipsi pari molestià afficiuntur, neque sine lachrymis multis id conari queunt.* Pro, *per quos ipsi debet, propinqui ac familiares, ipsi pari molestià afficiuntur.*

* Pag. 169.

Omnes docti, vel *doctiores*, est usitatum. Valla ideo docet non jungi superlativo. Sed Ciceronis est in II de Orat. *Omnes tenuissimas particulas.* Et ad Trebatium: *Omni gradu amplissimo dignissimus.*

Quisque optimus, vel *doctissimus*, est usitatum. Valla igitur putabat semper jungi superlativo. Sed Senecæ est: *Non vides, ut majorem quamque fortunam major ira commoveatur.*

Æmulus alicujus exemplum dici indicat hoc Sallustianum lib. III Histor. *Facta consultaque ejus quondam æmulus erat.* Videtur intelligi præpositio κατὰ: ut ob, vel propter cum dicitur mœstus, vel sollicitus vicem alienam.

Ad convenientiam pronominis cum nomine antecedente pertinet etiam, quòd ajunt *hic* cum proximo, *ille* cum remotiori convenire. Et plurimum ita fit. Sed errant cum damnant, si aliter fuerit. Nam Livii est lib. XXX: *Melior est certa pax, quàm sperata victoria. Hæc in tua: illa in Deorum manu.* Omnino enim *hæc* cum *pax*, *illa* convenit cum *victoria*.

Cap. XIV.

De conjunctione nominis & verbi falsò Barbarismi suspecta.

HActenus egimus de iis, ubi nomen conjungitur nomini. Sequitur videamus ubi male existimantur jungi nomen & verbum.

Æstimari magni mirum ab Andrea Schotto rejici in tertio Tullianarum Quæst.† Nam ipsius est Ciceronis in II de Fin. *Magni enim æstimabat pecuniam.* Et in III ejusce operis: *Ne ego istam gloriosam memorabilemque virtutem non magno æstimandam putem.* Jubet Schottus dicere *multi æstimare*. Vellem addidisset, quis veterum sic loquatur.

† Pag. 244.

Communicare alicui, pro *cum aliquo*, Latinum negat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst.* Sed, *communicare alicui judicia*, Ciceronis est pro Cluentio.

* Pag. 224.

Dare potum, pro *dare bibere*, repudiat Andr. Schottus lib. III Tull. Quæst.† Sed Plinii est lib. XVIII cap. XXVI: *Dare potum arenti solo.*

† Pag. 243.

Defungi munere displicet Andreæ Schotto lib. III Tuscul. Quæst.* Jubet autem cum Cicerone dicere perfungi. Sed Planci est ad Ciceronem lib. X epistol. *Neque ego libenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis.*

* Pag. 249.

Dormire totam noctem, vel *tota nocte*, displicet Schotto in Tullianis Quæst.† Ac præfert è Tullio *pernoctare*. Sed Martialis est lib. I epist. L. *Sed mane totum dormies.* Cui plane simile est *totam noctem dormire*.

† Pag. 249.

Facere aliquem certiorem, Latinum esse negant. Mirum verò sic sentire Paulum Manutium. Nous ad Cicer. lib. II quartà earum epistolà, quæ ad familiares dicuntur. Siquidem agnoscit ipse, sic Tullium istic scribere: *Epistolarum genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum, cujus caussà inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, siquid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset.* Ad quæ verba sic Manutius: *Monendus hic est lector, Latinum non esse, id est, scriptoribus optimis usitatum, Certiorem reddere: quod quibusdam placuit.* Inter eos, quibus placuit ipse est Tullius: qui & alibi utitur ut epist. I lib. XIV: *Quibus me voluisti, gratias egi, & me à te certiorem factum esse scripsi.* Et epist. III ejusdem libri: *Meque de eorum officio scripsi certiorem esse factum.* Item Cicero filius lib. XVI epist. XXI: *Eodem enim fere loco, tu quoque emisse te, fecisti me certiorem.*

Facere minimi, damnat Nizolianus Index, quia Cicero pro eo *in minimis pono*. Sed priori modo locutus Plautus Asinarià, Milite, Pseudolo. Item damnat *nauci facio*: pro quo Cicero *nauci habeo*. Verum altero utitur Plautus Bacchid.

Parvi facere nihilo justius improbant quia Cicero pro eo *in parvis*, vel *minimis pono*, *nullo loco habeo*, pro *nihilo habeo*, vel *puto*. Nam & Livii est lib. V: *Itaque parvi*

Achæorum existimationem, quibus notos esse se scirent, fecisse. Est & Plauti Mil. *Parvi istuc facio.*

Facere profectum, displicet Schotto in Tullianis *, quia Cicero in Tusculanis dicat, *progressum facere.* Sed alterum Plinii est in Epistolis.

* Pag. 153.

Gratum est mihi, improbat Andreas Schottus in tertio Tullianarum Quæstionum. Quasi non ipsius Ciceronis sit ad Att. lib. III epist. XXIV: *Ista veritas, etiamsi jucunda non est, mihi tamen grata est.* Et ad Quinctum Fratrem lib. III epist. I: *Id mihi pergratum, perque jucundum erit.* Ac similiter alibi loquitur non semel.

Habere bonam, vel *malam de aliquo opinionem*, displicet Andreæ Schotto †: ac jubet dicere cum Tullio, *bene, maleve de aliquo existimare.* Sed Ciceronis est in Verr. *Esto falsam de illis opinionem habuit, bonam de meis.*

† Lib. 3. Tull. Quæst. pag. 232.

Habere finem, vel *exitum*, *bonum*, *malumve*, improbat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæst. * Sed Cicero ipse lib. II epist. ait, *meliores exitus habere*: & Verr. VII: *Habere exitus exitiales.* Obducit Schottus, quod Cicero de Nat. Deor. dicat, *Multis bonis malè evenire, multis improbis optimè.* Quasi pauperes adeo res sint eloquentiæ, ut non idem variè liceat efferre.

* Pag. 231.

Imbuere colore improbat Lambinus ad illud Lucretii lib. II.

Neve alium quemvis quæ sunt imbuta colorem.

Atqui ita locutus Rufus Avienus in Arateis:

—— *Immisso cum jam Titanius axis*
Imbuit, & tremulo Tartessia regna rubore.

Idem ubi de Sirio agit:

—— *multus rubor imbuit ora.*

Imò Lucretii ipsius est lib. II.

Aurea pavonum ridenti imbuta lepore
Secla novo rerum superata colore propagant.

Ubi de versicoloribus pavonum caudis loquens, dicit imbuta ridenti lepore, hoc est lepido & adspectui grato colore: nam quid *leporem* priori versu dixit, hoc ipse mox *colore* interpretatur. Et cur minùs dicatur *colore imbui*, quam *aquâ*, vel *sanguine*, quæ sunt apud Ciceronem, vel *odore* ac *sapore*, quæ leguntur apud Horatium lib. I epist. II. ac Fabium lib. I cap. I. Verùm, inquit Lambinus, *Non satis verè, aut propriè dicitur aliquid imbutum colore, cum color sit vel ipsa colorum extremitas, vel in corporum extremitate seu extremo cortice consistat.* At hoc verum non est, cùm etiam coloratæ res sint in intima substantia, etsi color is actu non videatur. De quo pluribus disputare non est hujus loci.

Injicere mentionem, pro *inferre sermonem*, repudiat Andreas Schottus lib. III Tull. Quæst. † Sed Horatii est sat. IV libri I:

† Pag. 238.

—— *Mentio signa*
De Capitolini furtis injecta Petilli.
Te coram fuerit.

Nec tamen planè idem ac alterum: uti ostendit hoc Ciceronis de Orat. *Crassus sermonem de studio dicendi intulit.*

Impune quid esse alicui, pro *quempiam impune aliquid facere*, damnat Andreas Schottus lib. III Tull. Quæst. * Sed Plauti est Mercatore:

* Pag. 237.

Id si rescivit uxor, impune est viro.

Imò & Cicero in II de Lege Agraria:

Ut impune in otio esse possemus.

Monstrare digito aliquem, vel *aliquid* Andreæ Schotto displicet in III Tull. Quæst. † At placet Tullianum, *digitum intendere.* Sed Horatii est lib... od....

† Pag. 239.

Quod monstror digitis prætereuntium:
Romanæ fidicen lyræ.

Et sat. VIII lib. II:

Indice monstraret digito. ——

Petere, facere, habere potestatem abeundi, ludendi, displicent Andreæ Schotto lib. III Tullianarum Quæst. * Ac dicere jubet, *veniam dare*, aut *petere.* At ipsius est Ciceronis Catil. III, *potestatem facere dicendi*, & pro Cornelio Balbo, *potestatem habere præmii tribuendi.* Ac similia apud eum alibi.

* Pag. 260.

Ponere pedem in urbe vel regione aliqua improbatum Andreæ Schotto lib. III Tull. Quæst. † Dicere autem cum Cicerone jubet *inferre pedem*, vel *inferre se in locum.* Contrà Obertus Giffanius * vocat *elegans veterum videndi genus*: & quo Cicero utatur sæpe, & firmari à vett. Jurisconsultis, quibus *possessio à pedum positione* sic videtur dicta. Lucretii est in III:

† Pag. 238.

* Indice Lucret. voc. Pedem p...

—— *Nec priva pedum vestigia ponunt.*

Et IV:

Endogredi porrò pariter simulacra pedemque
Ponere nobiscum credas, gestumque imitari.

Et V:

Trans maria alta pedum nisu ut ponere posset.

Sed de etymo possessionis longè aliter mihi videtur. Censeo enim, ut possum est ex *potis sum*, *potes* ex *potis es*: sic *possidere* conflari ex *potis sedere*; h. e. *sedem figere*, *habitare*: quomodo & Belgæ dicunt *besitten.*

Quanto fuerim dolore, Latinum negant. At est Ciceronis epist. IV libri VI: *Quanto fuerim dolore meministi.* Pro, *Quanto fuerim in dolore.* Quomodo & edere non dubitavit Lambinus. Sed in Notationibus ad eum locum prius tuetur Paulus Manutius. Nempe quia licet non dicatur, *ego sum lætitiâ, dolore, spe*: rectum tamen si quantitatis adjectivum apponas, *ego sum magna lætitia*, *sum ingenti dolore*, *tanta spe sumus.* Parque ratio in Ciceronis epist. VI lib. IV: *Quo dolore esse debeo? quo sum.* Nempe valet, *quanto dolore.*

Recipere civitate, vel *in civitatem*, apud Ciceronem legas pro Balbo: uti & *in civitatem* pro Archia. Ut frustra sit Andreas Schottus †, damnando priora; quasi semper necesse habeamus dicere, *adscribere aliquem civitati*, vel *in civitatem.*

† Lib. 3. Tull. Quæst. Pag. 222.

Reperire finem, damnat Andreas Schottus lib. III Tull. Quæst. * Jubet dicere *evolvere exitum*, idque propter hoc Ciceronis pro Cælio: *Cujus ego criminis neque principium invenire, neque evolvere exitum possum.* Atqui si hic Tullius ipse dicit *principium invenire*, cur non itidem *finem invenire.* Et sanè Planci est ad Ciceronem lib. X. epist. *Reperire finem sollicitudinis.*

* Pag. 231.

Sit venia dicto, injuria reprehenditur ab Andrea Schotto lib. III Tull. Quæst. † Jubet cum Tullio dicere, *Quod pace tua liceat*, Atqui est Plinii lib. V epist. CI. Est & Senioris Plinii lib. XII cap. I: *Quapropter hæc vel bello, quæsisse venia sit.*

† Pag. 251.

Vastum facere, pro *vastare*, *depopulari.* Matthæus Parisius Additamento secundo: *Inquiratur etiam, qui fecerint, vel facere consueverint vastum, vel destructionem de viridi, vel de venatione*, h. e. damnum dederint vel plantis, vel animantibus in sylva.

Umbram facere, rejicit Andreas Schottus in III Tullianarum Quæst. proque eo dicere jubet *opacare*: ut Cicero de Nat. Deorum: *Cum terras nox opacâsset.* Sed *facere umbram*, non semel est apud Nasonem. Ac similiter Fabius lib. V cap. X. Uti *efficere umbram* Celsus lib. I cap. II.

Cap. XV.

De conjunctione nominis, & particulæ, falsò rejecta, ut barbara.

TErtium genus est, ubi male improbatur nominis, & particulæ conjunctio. Cujus generis en quædam exempla.

Ante omnia rejicit Jacobus Cellarius dicique mavult *inprimis præ cæteris*: quæ Tulliana quidem sunt: sed apud Maronem est II Georg.

Me verò primum dulces ante omnia Musæ
Accipiant.

Ac apud Fabium lib. I: *Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus.*

Decem septem, an rectum sit quæri video. Priscianus jubet dicere, *decem & septem*, *decem & octo.* Et tutius sanè sic loquamur, quàm si dicamus *septendecim*, *octodecim*:

cim: non quasi non hodie ea inveniantur, sed quia Prisciani ætate integriores codices fuere. Qua de re dixi lib. de Constructione cap. LXVIII. Sed de hisce vix quisquam hodie controversiam moverit. Negant verò sine copula majorem novem præmittit. Verùm apud Cæsarem est in primo de bello Gallico: *Ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, millia passuum decem novem murum, in altitudinem pedum sexdecim, fossamque perducit.* Idem in primo belli Civilis: *Naves longas expediunt decem septem.*

De postfœtantes est apud vulgatum Scripturæ interpretem Psalm. LXXVII. 70: *Elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium.* Nempe sic locutus, ut Hebraismo insisteret. Latinè dixeris, *abduxit à tergo fœtarum:* vel *euntem post fœtas.* Quidam ut excusent interpretem, ajunt *de post* dici, ut *inante, exante, incoram, exadversum,* similiaque, quæ adducimus lib. IV de Analogia cap. XXIII. Sed hujusmodi sunt composita, ac idoneis auctoribus subnixa. Magis ad rem facit illud Annæi Flori lib. II cap. III: *Quippe jam Ligures, jam Insubres Galli, nec non & Illyrii lacessebant; sic de sub Alpibus, id est, de sub ipsis Italiæ faucibus, gentes.* Sive, ut in aliquibus est libris, *De sub Italiæ faucibus gens.* Ut hoc integre sit *de locis sub Alpibus,* vel *sub faucibus:* ita alterum sit integrè *de hominibus euntibus post fœtas.*

Reliquum est, ut quædam addam de iis ubi quantitate vocabuli peccatur.

Vulgare est secundam in *mulieris* producere. Itaque & hunc Naumachii versum,

> Κεδνὰ κακοὶ φθείρουσι γυναικῶν μῦθοι.

Sic Latinè reddidit doctissimus Lilius Gyraldus Histor. Poët. dial. V*:

> *Verba bonos vitiant mulierum turpia mores.*

Sed Afranii est trimeter iste:

> *Hæc sunt venena formosarum mulierum.*

Geneva mediam corripit, ut cognoscimus ex eo, quod Helvetii *Gennef* dicunt, rustici suburbicarii, ac Sabaudi alii *Zéneva*, media correpta. Quod verò producatur vulgo, ex eo est, quod Galli ament acuto pronunciare mediam etiam brevem: ut in *publique, facile:* ubi Latinis corripitur media.

Ablativum in A corripi posse putavit Aldus Nepos. Nam initio Notarum in Ciceronis Catonem sic adducit versus istos ex Ennii Annalibus:

> *Certantes magna cum cura, tamen cupientes*
> *Regni dant operam simul auspicio, augurioque.*

At scripsit Ennius, & ex eo Cicero in I de Divinat.

> *Curantes cura cum magna, concupientes*
> *Regni, dant operam simul auspicio, augurioque.*

Icônis, & *icôna*, dicunt penultimâ longa, cum brevis ea sit Græcis. Græcè enim est ο, non ω. Est item ubi in Verbi modulo peccent. Ut quando *Extrico* multi proferunt penultima brevi, cùm longa sit Horatio lib. I Sat. III.

Priorem in *Catus* male producit Stephanus Winandus Pighius in Annalibus Romanis: quorum librum VIII ab hisce versiculis orditur:

> *Sic sævos Martis fluctus lenus catus Eanus*
> *Volt recto diversa tuens perfringere clavo.*

Priorem enim corripit Horatius.

Prima in *facetus* semper est brevis. Perperam ergo Henrici Stephani est in Pseudocicerone†:

> *Qui facetosus faceti vult vice dici,*
> *Is pro ridiculo ridiculosus homo est.*

Quis enim ignorat *facetus* primam Horatio & aliis corripere? Et origo id jubet, quando non est à *fari*, ut Perottus putabat; sed ex eo, *quia verbis facit, quod vult:* ut apud Donatum est in Eunuch.

Mirum, quòd modulum nesciant in *marem*. Notum Phocylidæ illud,

> Ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη, χλιδαὶ δὲ γυναιξί.

Hoc transferunt:

> *Cæsaries decet haut marem, sed femina comtum*
> *Gestiat.*

Quomodo & redditum legas apud Hospinianum de Origine Monachatus cap. X*.

*Pag. 217. — †Pag. 8. — *Fol. 62. b.*

CAP. XVI.

De conjunctione verbi & particulæ falsò improbata, ut barbara.

Dictum de barbarismo falsò credito in conjunctione nominis & verbi. Sequitur quartum genus, ubi barbarismus perperam statuitur in conjunctione verbi ac particulæ, sive cum casu nominis, sive sine eo. Hujus aliquot exempla deinceps memorabimus.

Accipere mutuo, pro *mutuum sumere* ab Andrea Schotto damnatur lib. III Tull. Quæst.† Sed Plauti est Asin. act. I sc. ult. *Nam si mutuas* (pecunias) *non potero accipere, certum est sumam fœnore.*

Assuefacere ad aliquid, vel *in aliquo*, pro *aliquo*, Latinum negat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæstionum*: Sanè Tullii est libro De Claris Oratoribus: *Patrio sermone esse assuefactum:* absque præpositione. Sed Senecæ ea tragœdia est, quam vulgo *Troada* vocant, cum *Troadas* vocare oporteat:

> *Non adsuetus ad sceptra manus*
> *Post terga dabit.*

Emendi verba non tantùm ablativum cum præpositione A, vel AB, admittere: sed etiam DE; apertum est ex illo Ciceronis pro Flacco: *Is fundum Romæ mercatus est de pupillo.* Idem pro Sextio Roscio: *Bona hujus de Lucio Sylla, duobus millibus nummûm sese dicit emisse Chrysogonus.* Imò & aliàs DE pro AB ponitur. Ut illo Ciceronis pro Cornelio: *Audivi hoc de patre meo puer.*

Non scire barbarum multis videtur pro *nescire*. Afferunt pro se illud Ciceronis in Oratore: *Non scire quidem, barbarum jam videtur: nescire, dulcius.* Nempe quia jam Ciceronis ævo vel duo vel nemo sic loqueretur. At non apud Plautum modò invenias: sed Terentium quoque. Ut in Eunucho: *Istam Thaidem non scivi nobis vicinam.* Et in Hecyra: *Quid? non sciunt ipsi viam domum, qua redeam.*

Sic & dixere *non velle*, pro nolle. Plautus Mostell. *Videndum est primùm, utrum ea velint, an non velint.*

Pervenit res in eum statum, damnatur à Schotto Tullianarum Quæstionum lib. III†. Jubet verò dicere *res eò perducta est:* ut Cicero in Catilinam, *Rem huc deduxi.* Sed ejusdem Ciceronis est in IX ad Att. *Quorum artificiis effectum est, ut Resp. in hunc statum perveneris.*

Spuere in os vel faciem alicujus damnat Andreas Schottus lib. III Tullianarum Quæstionum, proque eo jubet dicere *conspuere aliquem:* quomodo Cicero ad Quinctum Fratrem, ait, *Clodiani nostros conspuere cœperunt.* Sed cur non æque dicamus *spuere in vultum*, quam *in sinum:* quomodo Plinius lib. XXVIII cap. IV ait: *Veniam quoque à Deis spei alicujus audacioris petimus in sinum spuendo.*

Vereor ut non, pro *vereor ut*, immeritò est suspectum. Quamquam & Horatius Tursellinus sic scribat*: *A VEREOR UT NON abstinendum videtur, præsertim cum res non immeritò suspecta sit.* Satis est, quod ut agnoscit, apud Tullium legatur pro Marcello: *Vereor, ut hoc perinde intelligi auditu non possit, atque ipse cogitans sentio.* Et in Tuscul. *Et tamen veremur, ut hoc natura non patiamur.*

*†Pag. 244. — *Pag. 222. — †Pag. 229. — *De particulis Latinæ orationis cap. 200.*

CAP. XVII.

De conjunctione duarum particularum malè damnatâ, ut solœcismi.

Restat, ut ostendam malè interdum improbari duarum particularum conjunctionem.

Æquè ac, pro *perinde atque*, dicendum ait Andreas Schot-

Schottus lib. III Tull. Quæst.* Sed Ciceronis est in Lælio: *Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque, ac tu ipse gauderet.* Mirum verò Schottum hoc loquendi genus improbare eo loco, ubi nos in Particularum usu ad Horatium Tursellinum remittat, qui hanc particulæ ejus structuram agnoscat. Et sanè sæpissimè sic Cicero loquitur: eodemque modo uterque Comicus, Horatius, ut Jurisconsultos mittam. Vide si tanti, Godscalcum Stewechium lib. de Particulis.

* Pag. 249.

Diu post improbat Andr. Schottus lib. III Tullianarum Quæst.† Quomodo verò dicendum sit, petere jubet ex illo Ciceronis in Verrinis: *Consuetudo longo intervallo repetita, & relata.* Sed ipse Schottus paullo post* è Cicerone pro Quinctio adducit: *Non ita diu post.* Imò sic loqui jubet, pro *non tam diu.*

† Pag. 240.
* Pag. 241.

Jamdiu est, quod hoc petiis: Latine dici negant: Nempe quia dicat Cicero Verr. V: *Jamdiu flagitas.* Atque idem I Acad. Quæst. *Jamdiu hæc tractantur à Græcis.* Non, *Jamdiu est, quod hoc tractantur à Græcis.* Sed non propterea alterum cum iis damnaro. Nam usus eo Plautus. Mitto illud Mercatore:

Syra non redit, quam arcessitum patrem jamdiu est quod miseram.

Nam etsi ea scena, & præcedens, quæ incipit, Diva Astarte, legantur in editionibus, Gymnici, Gryphii, & Hervagii: in suis præterire tamen suorum codicum fidem secuti Camerarius, Sambucus, Lambinus, uti & Duza: seorsum verò edidit Gruteriana. At nihil apertius hoc Amphitr. act. I sc. I:

Agite pugni, jamdiu est, quod ventri victum non datis.

Qui & alibi pro eo inquit, *jamdiu factum est, cùm*, vel *postquam.*

Non aliter, quàm improbat Andreas Schottus lib. III Tullian. Quæst.† ac jubet pro eo dicere, *aliter ac*, vel *atque.* Et sæpius sic Tullius. Interea ejusdem est III Verr. *Ne aliter, quam ego velim, meum laudet ingenium.*

† Pag. 219.

Est & ubi falso putant peccari in particulæ usu seu nomini, seu verbo, seu particulæ societur. Ut cum *etenim* in medio poni oportere existimant, quia *enim* non solet, nisi ab Appuleio, & ejus farinæ scriptoribus, initio collocari. Sed secus est, quia *etenim* ab Oratoribus initio semper collocatur. Cic. V Verr. *Etenim quoniam summam, & numerum injuriarum, Judices, voces non possum exponere.* Idem de Claris Orat. *Etenim dicere bene nemo potest, nisi qui prudentes intelligit.*

CAP. XVIII.

De falso solæcismi damnatis.

EXposui de iis, ubi in vocibus conjunctis falso statuatur barbarismus. Nunc cogitationem ac scripturam ad ea transferam, ubi falso creditur esse solæcismus. Ac primùm dicam de nominum convenientia, vel regimine. Ad convenientiam hæc pertinent.

Puellam bonum quis rectum putet, nisi qui sciat, & viri nomen esse? Sanè Episcopo Cestrensi, qui anno CIↃ CXXCII hunc honorem adeptus, nomen fuit M. Girardus Puella; ut ex Sigeberti Chronicis constat: estque is ad quem needum episcopum scripta est epistola Petri Abbatis Cellensis lib. VII ep. III. Est igitur simile ac *Ebria vir:* unde *Ebria* communis esse generis perperam Sosipater putavit: ut superius diximus. Nicodemus Frischlinus in Nova Grammatica, *affinem meam*, & *novam militem* dici posse negat: ut qui tantum masculina esse tradat: sed prius est Ciceronis, alterum Ovidii: ut in opere de Analogia ostensum.

Jubar candidum immeritò est suspectum. Nam & de Luna est Ennii apud Priscianum lib. V:

Interea fugit albu' jubar Hyperioni' cursum.

Et de Sole est apud Cornelium Severum in Ætnam:

Purpureoque rubens surgat jubar aureum ostro.

Etiam veteri epigrammate in Circum est:

Quaque meat cursim aureum astra jubar.

Sive,

Quaque meat cansunt aureus astra jubar.

Ut Barthius in Adversariis legit lib. XVII cap. III.

Nar sulfureum dici negat Lambinus, & Cluverius: quorum uterque sic apud Tullium legit lib. IV ad Att. epist. XV: *Lacus Velinus à M' Curio emissus, interciso monte in Narem defluit.* Sed *Nar* rectum est, omniumque Manuscriptorum & editorum consensu firmatum. Ut non minùs *sulfureum Nar*, quàm *sulfureus* possis dicere.

Sal coctus dicere non liceat: si *sal neutraliter condimentum est; masculini sapientiæ:* ut Donatus ait in illud Eun. act. III sc. I:

——*Qui habet salem,*
Quod in te est.

Cui & Flavius Caper assentit. Sed Cato, Plautus, Sallustius, *salem* pro condimento dicunt: & firmat hanc sententiam, quod corripit penultimam in obliquis, cùm neutra in AL eam producant: ut *animalis.* Item quòd ablativus in E exit præter morem neutrorum: ut *animali.* Præterea quòd eadem significatione *sales frictos* Palladius dicat, & *sales emere*, aut *venundare*, legere sit apud vett. Jurisconsultos. De his non uno in loco librorum de Analogia diximus. Ubi etiam ostensum, in adducto Terentii loco, *sale* legendum: prout veteres locuti, & ex quo *sal κατ᾽ ἐξοχὴν* factum. Vel hoc est verum; vel relativum *quod*, ut sæpe fit, refertur ad totam sententiam antecedentem. Nempe, ut mens sit Comici, *Quod salem habere, in te est.*

Potis hoc est, pro *illud potest fieri*, perperam damnant. Plautus Bacch. act. I sc. I:

Quid si hoc potis est, ut taceas, ego loquar?

Pro, *hoc est pote, δυνατόν.* Vide quæ diximus lib. II de Analogia cap. XXI.

Giffanius apud Varronem περὶ μέθης legit:

Oino nihil jucundius quicquam cluet.

ubi in vulgatis *vino*, & rectè. Nam sequitur non *hic* sed *hoc:*

Hoc ægritudinem ad medendum invenerunt.
Hoc hilaritatis dulce seminarium.
Hoc continet coagulum convivia.

Citat Nonius in Coagulum. Quare hac parte à præceptore suo se abire agnoscit Conradus Rittershusius ad Guntheri Ligurinum lib. X cap. I. Possis tamen pro Giffanio dicere *hoc* substantivè sumi pro *hac re.* HIC interdum ad remotius, ILLE ad propius refertur; contra quam præcipiunt Grammatici. A Nominibus, & Pronominibus, venio ad Verba.

Attendere alicui Andreas Schottus in tertio Tullianarum Quæstionum* reponit inter sordes vulgaris sermonis. Ac jubet, ut accusandi casum addamus, sicut Cicero pro Sylla ait, *Dicentem attendite.* Dissentiunt alii: & objectant hoc Suetonii in Galba: *Inter liberales disciplinas attendit & juri.* Sed hoc leve, quia *attendere* hic significat *operam dare.* Objectant & Plinii hoc epist. VIII: *Ideo nunc rogo, ut non tantum universitati eius attendas, verùm etiam particulas, qua soles, diligentiâ persequaris.* Sed attendere hic valet *rationem habere*, sive *consultum velle.* At idem Plinius in Paneg. *Jurat in legem attendentibus Diis. Nam cui magis, quàm Cæsari attendant.* Ubi Cicero dixisset, *quem magis*, vel *ad quem magis*, *quàm Cæsarem*, vel *ad Cæsarem attendam.* Atque hic quidem est dativus personæ. At dativus rei est in isto Plinii septimo epistolarum: *Ne sermonibus quidem malignis attendit.* Nempe Pliniano ævo jam à consuetudine melioris ævi recesserant: quemadmodum etiam diximus lib. de Constructione sive VII artis Grammaticæ cap. XLIII. Interim liquet non posse in barbaris reponi.

* Pag. 222.

Benedico vel *maledico te*, pro *tibi*, jam ante seculum inter barbara reposuit Cornelius Crocus. Sed agnoscit esse Græcismum: Græci enim utrique casui jungunt. Adde nunc

nunc, quod Petronius etiam *maledico* junxerit accusativo: & P. Appulej in Asclepio sit, benedicere Deum: ut diximus lib. de Structura cap. xxxv.

Confidenter alicui loqui, non video cur Andreas Schottus improbet lib. III Tullianarum Quæst. Ait confidere à Tullio pro dativo adsciscere ablativum. Ut in epistolis, *Urbe aliqua confidere*, non *alicui fidere*, vel *confidere*. An verò putavit & loqui propterea jungi casui auferendi? Nam *confidenter loqui* damnare non potuit, cum Plauti sit, Amphitr. actu I scenâ 3. confidenter colloqui, & Cic. II de Orat. *loqui confidentius*.

Deficit mihi aliquid negat rectum Andreas Scottus lib. III Tullian. Quæst.*. Ac jubet dicere, *deficit me*; in accusandi casu; ut Cicero in Epistolis: *Ea me solatia deficiunt*. Verum Cæsaris est in III de Bello Gallico: *Non solùm vires, sed etiam tela nostris deficerent*.

* Pag. 229.

Dominari alicujus sæpe est apud vulgatum Scripturæ interpretem: quo nomine à pluribus vapulat. At Græcismus est: similiterque Horatius *dominari agrestium*: sicut dixi lib. de Constructione cap. XXXIV. Nec refugit elegans scriptor Lactantius lib. de Ira Dei: *Homini tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur*.

Juvo tibi est ἀρεσκομένῳ. Plautus Cistellar.

—— *Quando ita tibi juvat, vale.*

Atque observat Salmasius †, similiter dicere Spartianum in Ælio Vero: *Sed ejus consiliis juvit eventus*. Ita optimus liber Palatinus, imo & vetus editio Mediolanensis.

† Ad Spart. p. 63.

Latet me, pro *clam me est*, sive *ignoro*, Latinum negat Cornelius Crocus, nisi *Non* præcesserit. Ut in illo:

Nec latuere doli fratrem Junonis.

Sed Varro, Plinius, Justinus, etiam tisi eo non præcedente: quemadmodum ostendimus lib. VII rei Grammaticæ cap. XXXV.

Nocere cum accusandi casu legas apud veterem Scripturæ interpretem Numer. V. vers. 19. Psalm. XXXIV. 1, item IV Esdr. XI. 42. & Act. VII. 26. Ac sæpius hoc nomine vapulat à nonnullis. Sed Plautum, & alios, sic loqui, ostendimus lib. de Constructione cap. XXI.

Pugnare alicui, more Græco dicimus: ut apud Catullum in Epithalamio, *Noli pugnare duobus*. apud Maron. IV Æn.

—— *Placitone etiam pugnabis amori.*

Sed Latini *adversus* vel *contra aliquem pugnare*. Sed quod negant, pro eo dici posse, *cum aliquo pugnare*, refellitur illo Maronis I Æn.

—— *Una cum gente tot annos*
Bella gero.

Hoc est, adversus gentem unam. In prosa tamen non sic dixerim, nisi Tulliana, vel simili auctoritate suffultus.

Gerundia in *di* genitivum pluralem quandoque adsciscunt: ut illo Plauti, *Nominandi istorum copia*: hoc Livii, *Adhortandi vestri copia*. Damnat Laur. Valla: sed Ciceronem etiam & Cæsarem, atque alios, sic loqui, ostendi in VII de Arte cap. LIII.

Hactenus de verbis, & participiis, quo & gerundia referuntur. Denique & in particulis aberratum.

Age, *agedum*, & *apage* plurali negant sociari. Nam eo numero *agite*, *agite dum*, & *apagite*, dici oportere. Quomodo Maro I Æn. ait:

Quare agite ô tectis juvenes succedite nostris.

Livius lib. VIII: *Agite dum, ite mecum*. Vatinius ad Cicer.

Et etiam sententiam inchoat sequente *quidem*, aut *vero*. *Et vero* vehementer affirmat. Cic. in Bruto: *Et vero maximus ille Scipio vehemens fuit*. *Et quidem* est cum acrimonia respondentis. Cic. II de Fin. *Et quidem vehementer errat*.

Ac vel hæc pauca sufflaminare possunt quorundam impetum, qui nimis præcipites sunt in damnandis multis, quæ idoneorum nituntur scriptorum auctoritate. Quales subinde similes fiunt pueris imperitis, qui, ut de iis refert B. Augustinus lib. XXII contra Faustum cap. XXV, eo quandoque fastu inflantur, ut Maronem culpent, quia dixerit *Pars in frusta secant*, pro *secat*. Ac ne pueros solùm dicam, quidam* cum in codice suo preces publicas continente in B. Mariæ cantico reperisset hæc verba, DISPERSIT SUPERBOS sic divisa, ut BOS novum versum inchoaret, vitium esse Grammaticum ajebat, quia scribendum fuerat *super bovem*. Atque hinc volunt aliqui † originem trahere proverbium, *Corrigere Magnificat*.

* Refert quoque Nicolaus Serrarius in Liturg. p. 65.

† Manlius in Loc. Com.

Pandecta Florentini jubent dicere, quia Græcè sit ὁ πανδέκτης. Sed feminino usurpat Justinianus Institut. lib. I tit. X. Uti & Budæus Annotat. Pandect. Prior. pag. CLXXV. & Justus Lipsius Centur. III Miscell. Epist. XXXIX. Cur verò hæc magis sententia placeat, dictum in I de Analogia.

Cap. XIX.

De Solœcismis, qui inveniri dicuntur in classicis auctoribus.

Ciceroni quoque, & aliis scriptoribus classicis ἀνακόλουθα quædam exciderunt. Culpati, qui ex classicis scriptoribus exempla petunt solœcismi. Ut differant solœcismus, & σολοικοφανές. Exempla utriusque allata.

Porrò classicis quoque, tum Latinis, tum Græcis scriptoribus, ἀνακόλουθα quædam exciderunt, dum sententiæ duntaxat animum intendunt, nec ad conformationem ac convenientiam orationis respiciunt. Ita Cic. ep. IX. lib. I ad Lentulum: *Quo in discrimine cum mirifica senatus, incredibilis Italia totius, singularis bonorum omnium consensus*, &c. Nam, ut testatur P. Victorius, *mirifica consensus* omnes habent vetusti codices, & nonnulli impressi, pro quo quidam postea *consensio* substituerunt. Sed & Asconius Pædianus, aliique alios in Cicerone observant solœcismos. Comminianus quoque, atque alii, multa solœcismorum genera è Marone, atque aliis poëtis, attulere. Sed meritò indignatur Quinctilianus, loquendi formas, à præstantissimis scriptoribus usurpatas, barbarismos vocari, aut solœcismos. *Exempla*, inquit, *barbarismi quidam ferè in jactationem eruditionis sumere ex poëtis solent, & auctores, quos prælegunt, criminantur*. Quare, aut quemadmodum Jurisconsulti dolum bonum & malum; ita & Grammatici isti dividere debuerunt solœcismum in bonum malumque: aut omnino distinguere oportuit σολοικισμὸν & σολοικοφανές: quorum illud inscitia, hoc voluntate committitur, ut scribit Eustathius in Odyss. Α. Et sanè Suidæ quoque σολοικοφανὲς definitur, τὸ δοκοῦν μὲν μετέχειν σολοικισμοῦ, μὴ μετέχον δὲ, *quod solœci videtur esse particeps, at revera non est*. Est autem σολοικοφανὲς, non quod tale videtur ineruditis, sed doctis. Neque enim σολοικισμὸς fuerit, nedum solœcismus, *uxor ait se venturum*; *filia negant se crediturum*, similiaque: cùm hæc elegantissimè, neque inusitatè dicantur: Cato in V Originum: *Illi polliciti sese facturum omnia*. Lucilius in VII ad Penelopam conversus ait:

Nupturum te nupta negas, quod vivere Ulyssem
Speras.

Nam *facturum*, & *nupturum*, sunt futura infinitivi, ac subaudiendum est esse. Citat utrumque locum Priscianus lib. IX. Plura ejus generis adducit & Gellius lib. I. cap. VII. At verò σολοικοφανὲς est illud Plauti Rudente Act. V. Sc. II: *Illic scelestus liber est, ego qui in mari prehendi Rete atque vidulum dare ei negatis quicquam*. Nam ego non habet, quò referatur. Item ille Horatii ἰδιωτισμός, *Mamma putres Equina quales ubera*. Et iste Varronis lib. I. de R. R. cap. XII: *Sin cogare secundum flumen ædificare, curandum ne adversus eum ponas*. Ita rectè eum locum è vett. codd. repurgavit Victorius, pro quo ante legi solet: *ne adversus earum ponas*. Multa hujuscemodi observavit Muretus in epistolis, & Giffanius indice Lucretiano sub Tit.

Generis mutatio. Nec pauciora id genus occurrunt apud scriptores Græcos: atque hoc puto inter alia nixus Galenus, librum scripsit παράδοξον adversus eos, qui culparent orationis solœcismos, quasi nihil pensi habere oporteat cujusmodi utamur sermone, dum mentem habeamus multijugâ eruditione instructam. Σολοικοφανὲς in relativo & antecedente. Agellius lib. I cap. XIV: *Multis, ac magnis rebus, qua bene ac benevolè fecisset.* Pro, *quas.* Lib. IV cap. XVIII: *Quam fuerit altus animo, atque magnificus, & quâ sui conscientia nixus, pluribus rebus, qua dixerit, quaque fecerit declaratum est.* Itidem pro *quas.* Philippus Rubenius lib. II Elect. cap. XVI, & Maximilianus Sandæus Grammatici Profani Commentat. XII*, simile putat, hoc Sallustii: *Abundantia earum rerum; qua prima mortales ducunt.* Pro, *quas primas.* Sed hoc dissimile est, quia relativum cum consequenti concordat. Idem dixero de illo Agellii lib. I cap. XXV. *Iccirco ex iis, quibus dixi, vocibus.* Et lib. II cap. XXVI: *Sed in iis tamen coloribus quibus dixisti.* Quæ planè more Græcorum dicta. At planè σολοικοφανὲς est illud Hirtii de bello Africano: *Dum hac ita fierent, Rex Juba cognitis Casaris difficultatibus, non est visum spatium convalescendi.* Item hoc Jurisconsf. L. XXVII ad L. Aquilliam: *Siquis servum conductum ad regendum mulum commendaverit ei mulum: ille ad pollicem eum alligaverit.* Quæ duo loca etiam observat Rubenius ibidem †.

* Pag. 481.

† Elect. lib. 2 cap. 16.

In V. C.

GERARDI JOANNIS VOSSII

Commentariolum de Barbarismo.

De secli vitiis sui queruntur
Dolentes oculi: dolent & aures;
Non tantùm Latia, sed & Batava:
Vexata sine fine Barbarismis.
Quòd si non oculis queas mederi,
Corruptis nimis, ah, nimisque lasis;
Vossi candide: forsitan mederi
Possis auribus utili Libello.
Fac discat viridi puer sub ævo
Fari cultiùs elegantiùsque:
Sic nostras aliqua beabis aures.
Si non quod cupimus, loquuntur omnes;
Et scæva improbitas malignitasque
Humano generi addita manebunt;
Saltem lingua, ubi fibulam relaxat,
Romano meliùs loquetur ore
Nec convicia barbara audiemus.

P. S.

FINIS LIB. IX.

I N D E X

Vocum Barbararum, ac Glossematum, quæ in hisce IX libris de Vitiis Sermonis continentur.

A

bi-

C

ca-

con-

dia-

E

F

go-

in-

in-

K

L

M

mi-

O

po-

Q

R

re-

scur-

spa-

su-

to-

V

va-

I N D E X.

ERRATUM.

Pag. 308. lin. 21. jure, *lege* pure.

F I N I S.